UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Acta sanctorum

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

XI priores dies complectens

Bolland, Johannes

Parisiis et Romae, 1863

urn:nbn:de:hbz:466:1-72708

Visual Library



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



65 vol

99. dos ebenso

ACTA

SANCTORUM

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

PARISIIS. — EX TYPIS W. REMQUET, GOUPY ET SOC, VIA GARANCIÈRE, 5.

ACTA
SANCTORUM

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur

QUÆ EX LATINIS ET GRÆCIS, ALIARUMQUE GENTIUM ANTIQUIS MONUMENTIS

COLLEGIT, DIGESSIT, NOTIS ILLUSTRAVIT

JOANNES **BOLLANDUS**, Theologus,

SOCIETATIS JESU

SERVATA PRIMIGENIA SCRIPTORUM PHRASI.

Operam et studium contulit GODEFRIDUS HENSCHENIUS, ejusdem Societatis Theologus.

EDITIO NOVISSIMA, CURANTE JOANNE CARNANDET



JANUARII TOMUS PRIMUS

XI PRIORES DIES COMPLECTENS.

L-1

PARISIIS

APUD **VICTOR PALMÉ**, BIBLIOPOLAM,

VIA SANCTI-SULPICII, 22.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

06
10
iOM
1040-1

GESAMTHOCHSCHULBIBLIOTHEK
PADERBORN

76: 1999



PARIS. — TYP. J. CLAYE.

S. S. PIE IX

Beatissime Pater

Venit ad Pedes Sanctitatis Tuæ primus tomus immensi operis, quod [illegible] *Sanctorum* inscribitur et quod cum bona venia patrocinioque Tuo iterum a nobis summo studio et diligentia in lucem editur. Ut multa suadebant id dedicare Augusto Nomini Tuo, sic non pauciora esse videntur quibus Tuus ei concilietur benevolus aspectus. Præsides enim divino cultui sacræque liturgiæ, cujus pars non minima in extollenda Dei misericordia posita est, quod *quæ stulta sunt mundi elegit ut confunderet sapientes et infirma mundi elegit ut confunderet fortia, et ignobilia et contemptibilia elegit et ea quæ non sunt ut ea quæ sunt destrueret;* quod gratiæ ejus ope *virtus* Sanctorum *in infirmitate perfecta est;* et quod perenni ejus auxilio *thesaurum* veritatis evangelicæ *in vasis fictilibus habuerint, ut sublimitas sit virtutis Dei et non ex se.* Præsides ecclesiastico canoni, cui ea duntaxat in [illegible] nomina inscribenda sunt, qui non communi, sed præclara [illegible] in hoc mundo, tamquam stellæ in noctis caligine, exemplo suo aliis præeuntes et cœlestem viam, quæ arcta [illegible] invenitur, demonstrantes. Præsides corrigendis abusibus [illegible] hominum etiam christianorum imbecillitas, non possunt non [illegible] in res sacras et per quos necessitas inducta est ut Sedi [illegible], ad quam perfidia accessum non habet, reservaretur quid [illegible] solemnes honores viris quantalibet integritatis laude fulgentibus





Beatissime Pater

Venit ad Pedes Sanctitatis Tuæ primus tomus immensi operis, quod *Acta Sanctorum* inscribitur et quod cum bona venia patrocinioque Tuo iterum a nobis summo studio et diligentia in lucem editur. Ut multa suadebant id dedicare Augusto Nomini Tuo, sic non pauciora esse videntur quibus Tuus ei concilietur benevolus aspectus. Præsides enim divino cultui sacræque liturgiæ, cujus pars non minima in extollenda Dei misericordia posita est, quod *quæ stulta sunt mundi elegit ut confunderet sapientes et infirma mundi elegit ut confunderet fortia, et ignobilia et contemptibilia elegit et ea quæ non sunt ut ea quæ sunt destrueret;* quod gratiæ ejus ope *virtus* Sanctorum *in infirmitate perfecta est;* et quod perenni ejus auxilio *thesaurum* veritatis evangelicæ *in vasis fictilibus habuerunt, ut sublimitas sit virtutis ejus, et non ex se.* Præsides ecclesiastico canoni, cui ea dumtaxat defunctorum nomina inscribenda sunt, qui non communi, sed præclara vitæ sanctimonia in hoc mundo, tamquam stellæ in noctis caligine, micuerint, exemplo suo aliis præeuntes et cœlestem viam, quæ arcta est et a paucis invenitur, demonstrantes. Præsides corrigendis abusibus qui, ut est hominum etiam christianorum imbecillitas, non possunt non irrepere etiam in res sacras et per quos necessitas inducta est ut Sedi Apostolicæ, ad quam perfidia accessum non habet, reservaretur quidquid ad solemnes honores viris quantalibet integritatis laude fulgentibus

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tibus decernendos pertineat. Præsides demum librorum ecclesiasticorum approbationi et castigationi; in qua re numquam tantopere laborarunt tribunalia Romana quam Tuo Pontificatu. Neque alius finis aliquando propositus fuit *Actis Sanctorum* quam ut consiliis Romanorum Pontificum obsecundaretur, *operibus* scilicet *Dei revelandis*, quod *honorificum esse* docuit Spiritus Sanctus; illorum solummodo illustrandis gestis qui aut Sanctæ Sedis expresso apertis verbis judicio inter cælites relati essent aut quorum certe publicus centenariæ ætatis cultus sapientissimis Urbani VIII, Decessoris Tui, decretis abrogatus non foret; quin etiam modeste indicando si quid populari fervore aut aliorum scriptorum oscitantia erratum sit, iisque suppeditandis documentis, quibus vera a falsis, certa a dubiis, verisimilia ab improbabilibus secernerentur. Quas curas sibi utilissimas fuisse celeberrimus immortalisque memoriæ Decessor Tuus Benedictus Papa XIV non solum in egregio Suo opere *de Canonizatione Sanctorum*, cujus præcepta totidem sibi leges esse semper professi sunt socii Bollandiani, et in literis apostolicis, quas novæ Martyrologii Romani editioni præmisit, testatus est; verum etiam in singulari epistola, quam ad eos dedit et quam Ejus nutu tomo III Septembris, tamquam omnium laborum suorum tutamen et propugnaculum, præposuerunt : eoque benignitatis descendit ut eis ex bibliotheca Sua mittendas curarit quas Ipse Relationes Auditorum Rotæ collegerat et firmo decreto jusserit exemplar omnium scriptionum quæ de beatificationum et canonisationum causis sacræ Rituum Congregationi offerrentur ad eos destinari : quam Tu, Beatissime Pater, imitatus indulgentiam, pro ea animi bonitate qua omnium corda ad Te allicis et trahis voluisti ut illorum successoribus eadem monimenta communicarentur; significans Te non minoris facere Bollandianorum opus neque etiam arbitrari infra dignitatem Pontificiam esse ei studiose favere.

Aliis quoque titulis Sedi Apostolicæ, in qua tot virtutum ornamentis fulges, sistit hæc se nova operis Bollandiani editio. Quod enim aliud adeat solium, quam cathedram, quod tectum, quod sibi cognitum magis sit et familiare? Quum fere in rebus ecclesiasticis declarandis consistat hæc moles, passim in ea Romanorum Pontificum nomina recurrunt; ita ut in ipsis Annalibus ecclesiasticis eorum gesta neque accuratius narrentur, neque explicentur copiosius, neque defendantur validius quam in Actis Sanctorum. In qua deinde Regum, Episcoporum, Abbatum aliave magnatum et præpositorum serie tot egregii viri, qui ecclesiastica veneratione digni habiti sint, umquam exstiterunt quot in Romanorum Pontificum, Decessorum Tuorum, Catalogo? In multis tomis plurium, raro nullius, Vita illustrata est; ubi admirari liceat jam martyrum fortitudinem, jam confessorum probitatem, sæpe nesciatur utri adscribendi sint classi : quia quod sanguinem suum pro Christo non profuderint

habendi

habendi sint confessores; quod autem in propugnandis Dei et Ecclesiæ juribus tot molestias, tot proditiones, tot exilia, tot animi corporisque cruciatus pertulerint, recensendi videantur inter martyres: ad quorum imaginem Te Pontificatumque Tuum effictum esse voluit Divina Providentia. Hæc Tibi exempla continuo ob oculos posita sunt; ad hæc quum S. R. E. Cardinales aut universam Ecclesiam alloquereris, sæpius auditorum mentes convertisti; hinc didicisti sapientia quam admirentur ipsimet Ecclesiæ hostes, firmitudine adversus quam portæ inferi non prævaleant, misericordia quam non intelligant filii hujus sæculi, sollicitudine et labore quæ defatigationem non noverint, totius orbis diœceses et missiones improbissimis temporibus gubernare; et, quod multo difficilius est, quum hostis ad portas adest, intra mœnia versantur proditores, amici favent adversariis, nullumque ab Oriente aut Occidente sperari potest auxilium, ditionem terrenam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ regere et ab insidiis defendere : ita ut, licet omni ævo admirationi fuerit pristina Romani senatus constantia, quæ defectione sociorum et Pænorum præsentia atque victoriis labefactari numquam potuit, eam Unius Tui provida patientia et inconcussa in Deum fiducia superatam esse mali æque ac boni, illi dentibus frendentes, hi divinam clementiam laudantes, fateantur. Utique *dedit* Deus *Faciem Tuam valentiorem faciebus eorum, et Frontem Tuam duriorem frontibus eorum; ut adamantem et ut silicem dedit Faciem Tuam; ne timeres eos, neque metueres a facie eorum : quia domus exasperans est.* Quod si in Decessorum historiis documenta virtutis Pontificiæ reperisti, alia incitamenta in aliorum sanctorum memoriis esse reposita, quibus omnis conditionis homines ad *sobrie, et juste, et pie vivendum in hoc sæculo* moveantur, monuisti sæpius, tum maxime quum ea auctoritate quæ divinitus Tibi collata est publicos cœlitum honores iis decrevisti viris quos, vitæ morumque examine instituto, miraculisque quæ eorum interventu patrata esse ferrentur expensis, cum Deo et Angelis regnare cognoveras; neque umquam magis necesse esse in tantæ innocentiæ, gravitatis animique roboris specimina oculorum aciem attollere, magnasque illas animas, quæ temporum suorum stuporem excitarunt, suspicere et contemplari, quam pessimis hisce diebus, quum *puteus abyssi apertus est, et ascendit fumus putei, sicut fumus fornacis magnæ, et obscuratus est sol et aer de fumo putei.* Quod passim ita intelligitur et opere comprobatur, ut numquam plures de sanctorum vitis libri in lucem venerint, quam triginta abhinc annis : alii qui legantur ab eruditis, alii qui ab indoctis; alii singulorum cœlitum res gestas continentes, alii omnium sanctorum, aut certe selectorum, aut unius regni, provinciæ, civitatis. Neque catholici dumtaxat huic rei curas suas impendunt, sed et schismatici slavi et græci, quin etiam protestantes Angli et Germani : adeo persuasum est omnibus mentem

avertendam

avertendam esse a sæculi hujus nequitia et ad pristinæ pietatis exemplaria erigendam. Unde etiam factum est ut nobis licuerit ingentem hanc molitionem, tomos quinquaginta quatuor eosque spissos amplexam, adoriri et typographicam aggredi operam, qua nulla pæne major umquam tentata est. Hujus itaque, Beatissime Pater, primitias benevole admittere dignare eique cœlestem apprecari benedictionem; neque enim, si divinum non adsit auxilium, faustum finem sperare nobis licet.

Beatitudinis Tuæ

humillimi, divinctissimi et obedientissimi servi et clientes,

Joannes **CARNANDET**, *bibliothecarius oppidi Chaumont-en-Bassigny.*

Victor **PALMÉ**, *editor et bibliopola.*

JOSEPHUS GREUSE, TYPOGRAPHUS.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

SANCTO SANCTORUM

JESU CHRISTO

PONTIFICI ÆTERNO,

EJUSQUE INTER MORTALES VICARIO

URBANO VIII, ROMANO PONTIFICI.

Omnis a te, *Jesu Christe*, principium duxit *Sanctitas*. Tu gratiam olim ab æterno Patre promeritus miseris mortalibus es : Tu eam ipsis cumulate largiris in dies; quæque illa, Tuo itidem adminiculante favore, velut maturos fructus, benefacta progignit, sempiterna gloria magnificentissime muneraris. Tibi igitur offero dicoque lucubrationes de *Sanctis* meas. Tua sunt, quæ prædico, Tuorum decora : Tua victoria, quam celebro. Laborem secunda, auspicato, cœptum, quia Tuo nutu; impositum nempe ab iis qui vicem Tuam meæ moderantur vitæ rationibus. Da, ut quæ capere ingenii mei imbecillitas non potuit, coram aliquando contempler, et cœtibus immistus *Sanctorum*, æternas Tibi laudes decantem. Unam hanc opto precorque laboris ac studii mercedem : utque priscorum exempla quamplurimi, Tua gratia animati, imitentur; hisce nunc, quæ profero, illorum provocati tropæis. Sperabo eventurum feliciter utrumque, si Vicario tuo *Urbano* sensero laborem probari meum.

Fave *Urbane optime maxime*. Cujus enim *principium in die virtutis suæ in splendoribus Sanctorum, is statuit tibi testamentum pacis, Principem Sanctorum, et gentis tuæ, ut sit tibi sacerdotii dignitas in æternum*. Is Te terris *sanctitatis* arbitrum dedit. Nihil esse, quod Tu repudiaris, *sanctum* voluit. Quos ipse concilio *Sanctorum* adlegerit, ceteros tamen celat mortales, nisi id Tu, Divinæ interpres cortinæ, enunties. Uni Tibi *Sanctorum* patent arcana : Tu mores eorum, Tu facta et dicta, censoria potestate dijudicas : Tu illis triumphos, Tu anniversarias panegyres decernis.

Annue igitur *Urbane sanctissime* : et quando is, qui Te Divini juris et mysticæ suæ in terris dominationis Vicarium dedit, ita mundum universum regit ac gubernat, ut ad minimum etiam homuncionem, imo frondem ab arbore defluentem, raptamve vento paleam aut pulvisculum, vultus, cogitationes, providentiam referat suam; Tu inter augustas, quibus Ecclesiam omnibus late terris sparsam administras, curas, hoc, copiosa quidem mole fusum, sed pretio exile, quod venerabundus ad sanctissimos pedes Tuos depono, opus, vel aspectu unico dignare, sed benigno illo, quo tetram in interitum ruentis ævi tempestatem componis.

Id Te *Sancti* ipsi quodammodo rogant, ut quorum legitimum cultum, sacris sapientissime ordinatis, firmasti; quorum corpora, diuturna oblivione, altius quam tumulo, defossa,

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

defossa, protulisti, ornasti, venerationi publicæ exposuisti; eorum res gestas, e tenebris longoque situ, etsi non quo par erat nitore, prolatas, propitia Tua illa (cujus vel omen in nomine est Tuo) benignitate suscipias. Ipsos vicissim precor *Sanctos*, ut Te, et, quam regis, Ecclesiam universam, favore atque ope cælesti fulciant ac sustentent : utque *gloria sanctitatis*, serenato rursum cælo irradiet, Tuique temporis jucundissimam recordationem memoriæ posterorum consecret sempiternæ. Id supplex iterum et sæpius voveo, æternum

Majestatis divinæ Tuæ Jesu Christe,

Tuæque super-humanæ Urbane pater sanctissime

devotissimus cliens,

JOANNES BOLLANDUS.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

FACULTAS SUPERIORUM.

Cum tres Societatis nostræ Theologi legerint, edique posse censuerint, *Januarium seu primum tomum Vitarum Sanctorum, quas partim ex schedis Heriberti Rosweydi, partim ex veteribus variarum tum Latinarum tum Græcarum Ecclesiarum monumentis collegit, digessit, Notis illustravit Joannes Bollandus Societatis* Jesu *Theologus.* Ego Fredericus Tassis ejusdem Societatis per Flandrobelgicam Præpositus Provincialis, potestate ad id mihi ab admodum R. P. N. Mutio Vitellesco Præposito Generali facta, concedo Joanni Meursio Typographo Antverpiensi facultatem easdem Vitas excudendi. In cujus rei fidem has litteras officii mei sigillo munitas, meaque signatas manu dedi. Lovanii 22 Februarii MDCXXXV.

Fredericus Tassis.

ITERATA FACULTAS ET SUMMA PRIVILEGII CÆSAREI.

Cum *Historiam Sanctorum mensis Januarii, a Joanne Bollando Societatis nostræ Sacerdote ex veteribus Scriptorum monumentis, ingenti plurium annorum studio, collectam,* R. P. Fredricus Tassis decessor meus, a tribus probatam nostris Theologis, publicis typis edendi potestatem fecisset; postea vero et Vitæ Sanctorum complures, et variæ Annotationes additæ essent, operam et studium una conferente *Godefrido Henschenio,* Societatis quoque nostræ Sacerdote; omnia rursus ab aliquot Theologis recognosci curavimus; quibus opus laboriosum et eruditum censentibus, rursum facultatem dedimus Joanni Meursio Typographo Antverpiensi, ut dictam Historiam excuderet, ac publicaret : cumque Sacræ Cæsareæ Majestatis decreto cautum sit, ne qui libri a Societate Jesu conscripti in provinciis Romano Imperio subjectis excudantur, aut venales proponantur, absque ejusdem Societatis consensu, ob eam rem statuimus ac declaramus, eumdem Typographum isto privilegio legitime frui oportere, addito sigillo nostro ac chirographo. Antverpiæ 15 Maii MDCXLI.

Joannes de Tollenare.

APPROBATIO CENSORIS.

Vitas Sanctorum *novantiquas, quas R. P. Joannes Bollandus Societatis* Jesu *Theologus, partim ex collectaneis R. P. Heriberti Rosweydi ejusdem Societatis acceptas, partim indefesso labore suo ac pervigili studio ex variis Europæ Bibliothecis erutas, et ex Manuscriptis exemplaribus in lucem de novo datas; et ex Græcis Menologiis Latine redditas, publico bono, ac Dei Sanctorumque gloriæ evulgandas, mihi obtulit;* VIDI. EXAMINAVI, JUDICAVI *in Domino, dignissimas, quæ typis promulgentur, tum ad honorem Dei, qui in Sanctorum suorum honoribus honoratur, tum ad ornamentum Ecclesiæ, quæ Sanctorum exemplis illustratur, tum ad salutem animarum, quæ per Sanctorum vestigia ad eamdem cum illis gloriam tendunt. Datum Antverpiæ* MDCXXXIV, VII *Octobris. Ita testor et censeo*

Gaspar Estrix S. T. L. Canonicus
et Plebanus Antverpiensis.

PRIVILEGIUM REGIS CATHOLICI.

Philippi IV, Catholici Hispaniarum Regis, Belgii Dynastæ, Diplomate cautum est, ne quis Vitas Sanctorum a Joanne Bollando Societatis Jesu Sacerdote collectas, recensitas, illustratas, præter Joannis Meursii Typographi Antverpiensis voluntatem, intra sexennium excudat aut alibi excusas in hasce provincias invehat ac venales exponat sub mulcta in eodem Diplomate expressa.

Cools.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

DE ACTIS SANCTORUM

EORUMQUE DILUCIDATIONE ET EDITIONE

AD ADM. REVERENDUM DOMINUM AC PATREM

THOMAM LUYTENS

MONASTERII LÆTIENSIS

ORDINIS S. BENEDICTI ABBATEM ET RELIGIOSISSIMUM EJUS CONVENTUM,

JOANNIS BOLLANDI

PRÆFATIO.

Heribertus Rosweydus. Adumbrarat hic olim, Admodum Reverende Domine, formam magni et ardui, quod moliebatur, operis. Acta enim Sanctorum, quæcumque scripta umquam, parabat undequaque conquirere, edita atque inedita, eaque, ut composita primum, emittere in lucem; sed Notationibus illustrata, quibus et obscura explanaret, et firmaret ambigua, et pugnantia conciliaret, et quæ ex iis percipi utilitates possent, ostenderet. Perspexerat sagaci vir judicio, plurimam in iis Actis inesse antiquitatem, quæ alibi vetustate immutata restitui inde posset, alibi usu ævi posterioris rite stabilita, majorem tamen habitura esset jucunditatem auctoritatemque, si ab illis heroicis arcesseretur temporibus. Sed, ut adhuc edita essent, fidem haud magnam esse impetratura, cum recenti ornata et limata stylo, facile suspicionem afferrent, veri vel fallaciter adulterati, vel ignorantia vitiati. Sin quæ probatæ vetustatis extarent, ea delicato quorumdam palato coacescere, nisi eruditæ observationis velut suavitate condirentur: plura tamen etiamnum et præclara latere. Ergo quo tempore eum philosophiam profitentem Duaci audiebas, Admodum Reverende Domine, si quid erat a scholis vacui temporis, ad vicina Ordinis vestri, antiquissima illa sanctissimaque monasteria itabat: ibi se in bibliothecam abdebat, veteres codices scrutabatur, si quæ acta Divorum vulgo ignorata reperiret, describebat diligenter. Et jam tum in spem venerat posse a se opus illud elaborari, cujus specimen quoddam, quasique leviter informatam imaginem ostentavit, *Fastos Sanctorum, quorum Vitæ in Belgicis bibliothecis manuscriptæ; item Acta Præsidalia sanctorum Martyrum Tharaci, Probi et Andronici.*

Verum ubi ille philosophiæ, dein et sacrarum litterarum Antverpiæ explanandarum provincia perfunctus, sese ad hoc suum pensum ac munus revocavit; ita multa inciderunt, quæ ejus sibi vendicarent, aut certe invitarent atque allectarent stylum, ut ne ordinare quidem ac digerere quæ de Sanctis plurima collegerat potuerit, nedum Annotationes suas animadversionesque elaborare. Nam primum *De fide Hæreticis servanda ex Decreto Concilii Constantiensis Dissertationem cum Daniele Plancio* anno MDCX edidit, cum Fastos triennio ante emisisset. Anno deinde MDCXIII. *Notationes in vetus Martyrologium Romanum;* dein *Martyrologium Adonis ad* MSS. *recensitum* publicavit MDCXIV. *Legem Talionis* XII *Tabularum Cardinali Baronio ab Isaaco Casaubono dictam, retaliatione retortam* MDCXV. *Vitas Patrum Auctoribus suis et nitori pristino restitutas, Notationibus illustratas,* quas deinde anno MDCXXVIII recognitas et auctas denuo vulgavit: utque, Teutonico Belgarum idiomate anno MDCXVII prodirent, adlaboravit. Eodem anno MDCXVII. *Vindicias Campenses pro Thoma de Kempis, Auctore libri, aurei de Imitatione Christi adversus Constantinum Cajetanum Abbatem S. Baronti,* dedit. MDCXIX, *Anti-Capellum, sive Explosionem næniarum Jacobi Capelli, quas funeri Isaaci Casauboni ad Legem* XII *Tabularum in Vindiciis suis accinuit,* dein *Syllabum malæ fidei Capellianæ ex Jacobi Capelli mendaci assertione bonæ fidei et fictis artibus Romanæ Sedis.* MDCXXI, *Joannem Buschium, de origine Cœnobii et Capituli Windesheimensis,* primus in lucem protulit. *Eucherium Lugdunensem de contemptu mundi et laude Eremi* recensitum MDCXXII, *D. Paulini Episcopi Nolani opera Notis illustrata.* Lingua vero Belgica edidit *Vitas Sanctorum*

ctorum an. MDCXIX et auctiores MDCXXIX duobus tomis. *Silvam Eremitarum Ægypti ac Palæstinæ* cum figuris æneis Bolswerdii MDCXIX. *Historiam Ecclesiasticam a Christo ad Urbanum* VIII duobus tomis MDCXXIII, cum *Historia Ecclesiæ Belgicæ* MDCXXVI. *Vitas Sanctarum Virginum quæ in seculo vixerunt* cum imaginibus æreæ sculpturæ, addito *Tractatu de statu virginitatis :* et alia, quæ lubens prætermitto, quia etsi utilia illa publico fuerunt, tamen præter Martyrologia Romanum et Adonis, ac Vitas Patrum, maluissem aliis ea reliquisset, et Vitas Sanctorum serio sumpsisset in manus, ut qui *pluteum* jam *premebat* JANUARIUS, *ut adornaretur ad prælum*, quod ipse in nova Adlocutione ad sanctissimum Decessorem tuum ANTONIUM WINGHIUM secundæ editioni Vitarum Patrum præfixa testatur, pressus ipse potius esset erudito ejus stylo serio ac diligenter.

Tandem anno ætatis LX seculi hujus XXIX ab ingressu suo in Societatem XL, cum etiam tum robustus esset ac vegetus, et suum illud principale opus aggredi cogitaret, ad quod perficiendum multa esset jam congesta materia; ad contemplanda coram Divorum decora et triumphos evocatus est a Deo. Nam cum Silvaducis a Batavis expugnata, pulsi inde nostri ab hæreticis essent, et quibus eorum huc transportati erant libri, haud satis apte densatæ et coagmentate naves humorem traxissent, qui ipsis libris illapsus tabificum nescio quem fœtorem expirabat; hos ille libros cum præpropere pro sua inexplebili discendi cupiditate pervolvit, atque avide investigat, num quid sibi antehac invisum reperire possit, corruptum ex iis aerem hausit, quo commotum alteratumque sibi corpus fuisse, nonnemini tunc est questus. Pauci dies abierant, cum hominem quemdam contagioso morbo laborantem ad pie moriendum cohortans, ac deinde expiranti assistens, febrim ipse quoque concepit, qua celeriter intra paucos dies IV Non. Octobr. MDCXXIX extinctus est.

Luxere mortem illius boni omnes, quibus erat ob candidissimos mores et singularem eruditionem percarus. Luxit præcipue optimus ille Decessor Tuus, ADMODUM REVERENDE DOMINE, qui non solum Sanctorum Vitas a Rosweydo expetiisset, sed et sperasset Arnobium, Tertullianum, Lactantium, Minutium, Prudentium, aliosque Ecclesiasticos Scriptores, sed et mystica omnia veterum Patrum scripta. ab eo recognitum iri atque Annotationibus illustratum, magis illius eruditione, suoque Ecclesiam ornandi voto, quam angustis et incertis ævi humani spatiis spes metiens suas. Non oportuit tamen quæ ille multo tempore, magno labore collegerat, illius morte intercipi universa. Dispicere eo mortuo cœperunt Præsides nostri, quis id suscipere onus posset. Ad me potissimum adiere, quod nec abhorrere me ab illis studiis norant, et integra etiam tum ætate ac firmis viribus esse. Ast ego, licet absolvi opus illud percuperem, tamen meæ mihi conscius tenuitatis, tum cui viro succederem, quæ esset illius operis jam concitata expectatio, timide illud capessivi. Postea vero, ubi animadverti in quantam essem silvam, quam densam, quam opacam ingressus, quam nihil ordinatum ac dilucidatum ab Rosweydo esset, prope me cœpti pœnituit. Sed illud deinde in mentem venit, si Deo cordi esset, suorum militum res gestas ita prodire in lucem, provisurum ut vel a me quoquo modo hoc opus promoveretur, quod deinde peritior perficeret : conatum modo ac diligentiam postulari, quæ nollem sane quidem a me, quamcumque ad rem me applicassem, desiderari. Ordinavi primum Vitas omnes MSS. editasque. Interpellavi deinde veteres Rosweydi amicos, ac plures alios, quos didiceram posse ac velle aliquid ad tanti operis absolutionem conferre. Nec infeliciter is susceptus est labor. Luculentam ille materiam congesserat : eam ego in quadruplum auxi.

Sed cum nec Præsidibus probare me diligentiam mea posse viderem, nec amicis fidem, nisi quam primum partem aliquam proferrem operis; statui mihi connitendum esse, ut mensis unius Vitas darem. Non erat id quidem perinde aut facile mihi, aut operi universo conveniens : nam cum Vita una alteri afferat lucem, longe illud suis omnibus partibus aptius fuisset expletum, si omnes antea examinare Vitas licuisset. Quid quod unica sæpe animadversione possint plurium illustrari Acta Sanctorum; quo vero loco ea debeat potissimum collocari, id principio commode perspici nequeat? Futura etiam fortassis non pauca, quæ postea, pleniorem uberioremque assecutus cognitionem ac lucem, nolim fuisse vulgata. Denique nihil hoc videri aliud, nisi attolli ad fastigium partem ædificii anteriorem, cum ceterarum vix posita sint fundamenta. Verum ita urgebar multorum vocibus ac prope conviciis, ut cedendum fuerit. Ac præsertim religiosissimi Decessoris Tui assiduis monitionibus non potui non parere. Querebatur ille ita differri ac procrastinari editionem operis hujus, ut nullam esset partem illius absolutam visurus : monebat, caverem etiam atque etiam ne lectionis fructu et multarum virtutum exemplis multos arguerer defraudasse. Deinde quem mihi post hac suppeditaturum esse, quas desideremVitas? quem crediturum, id me serio meditari, si nihil prodeat?Quid si quis Vitas quæ Surio desunt, (neque enim obstructos esse aliis qui mihi patuerunt fontes)

colligat

colligat ac publicet, an non defloratum iri laborem meum? Quem postea empturum ingentia volumina, quæ nihil afferant novi, præter Annotationes dumtaxat aliquas, quæ quanti sint momenti ambiguum sit? Sin emendandum quidpiam postea videatur, non defuturam opportunitatem quamdiu suppetet vita. Igitur Januarium mensem aliquot annorum studio absolvi. Is tamen etsi dudum recensitus et recognitus, ne ita celeriter prodiret, tum novæ belli tempestates, quæ chartæ copiam importari in has partes, ut antea, e Lotharingia et Gallia non sinebant, tum afflicta mea superiori hyeme valetudo, atque aliæ necessariæ intercessere occupationes. Multa tamen interea et distincta accuratius, et commodius digesta, et aliunde plenius conquisita : aliorum etiam mensium vitæ ex parte discussæ jam atque examinatæ.

Ad Te vero potissimum, Admodum Reverende Domine, hujus vasti operis oportebat venire primitias, quæ Decessori debitæ ac Tibi, multis nominibus. Cum ipse singula adire loca non possem, ac mea manu quæ cupiebam describere; faciendum fuit ut vel amanuensium adhiberetur opera, vel huc codices ipsi, bona commodantium venia, adveherentur : ad utramque eam rem necessarios sumptus, nec sane exiguos, vos præstitistis, saltem præcipue. Deinde quam amica illius consilia! quam acre in expendenda, quam mihi proposueram, methodo ac Vitis ipsis judicium? quanta in urgendo opere, veluti (ut vere erat) suo assiduitas! Tuæ vero quam multæ, quam eruditæ, quanta fide et benevolentia suggestæ observationes! Quot Vitæ e variis codicibus Tua manu descriptæ, cum eo adhuc superstite cœnobii Supprior esses et tironum Magister! Quid de ceterorum sanctissimi conventus vestri venerabilium Patrum amore dicam? Quid de optimi Christiani le Roy industria ac studio indefesso, cujus viri non possum, etiam tanto post tempore, non cum summo dolore recordari. Erat is profecto et conventus vestri et totius Ordinis non vulgare ornamentum.

Vestrum igitur hoc est opus, vobis multiplici titulo debitum. Sed memini, quam Decessor idem ille Tuus ac Pater nollet sibi libros dedicari; sive submissionis studio, ne toties suum libris inscriptum nomen legeretur, laudarentur virtutes; sive quod universim totam dicandorum librorum rationem minime probaret, cum diceret veteribus Dedicationem ac Præfationem partem fuisse operis totius, non, ut nunc fit, veluti propylæum quoddam a reliquo avulsum ædificio. Quod tamen ab omni retro memoria sacris Scriptoribus, ac nominatim vestri ordinis fuisse usitatum, plurimis exemplis tunc probasti : quæ cum agnosceret vere dici, sibi tamen certe dicari nolle aiebat. Negavi autem tunc, opus meum ubi prodiret ulli offerri quam ipsi fas esse : sed usurum me ea moderatione, ut opus illius nomini inscriberetur eo modo, qui neque meam simplicem synceritatem dedeceret, nec illius esset pudori molestus : nam quæ ceteri Scriptores solent Lectorem in exordie operis admonere, de his me cum ipso in Dedicatione dissertaturum, qui ei uni mallem quam quantæ vis aliorum Lectorum frequentiæ meas probare lucubrationes.

Quæ igitur præloqui cum eo hac ratione cogitabam, de iis nunc Tecum, Admodum Reverende Domine, conferam sermonem, aut potius quid in hoc opere mihi propositum sit, ita Tibi explanabo, ut ceteris Lectoribus probatum iri confidam, quæ judicio erunt tuo gravissimo sapientissimoque firmata. Scio Decessoris Te ut ceteras virtutes ita et modestiam imitari, atque ambitiosas aversari Dedicationes. Ipse in hunc fere modum Vitis Patrum olim præfatus est Rosweydus. Opus universum, quia de Sanctis, sanctitatis auctori Jesu, arbitro sanctitatis Pontifici Maximo brevi formula consecrari principio oportuit. Nunc quem secutus sim ordinem ac methodum, quid præcipue spectaverim, quibus usus adjutoribus sim, quam credibilia existimem quæ scribo, quid deinceps mediter, aliquot capitibus exponam. Tu me, Admodum Reverende Domine, ut soles, consilio rege, favore excita, precibus una cum sanctissimo tuo cœtu, adjuva.

CAPUT

CAPUT PRIMUM.

Occasio scriptionis, scopus.

§ 1. *Historiæ sacræ utilitas.*

Si quid historia, id est publica rerum gestarum consignata litteris memoria, hominum generi utilitatis affert aut voluptatis, præclaris exemplis animos ad officii partes omnes rite exequendas instituens, et varia admirabilium eventorum repræsentatione, velut spectaculo, recreans nunc doloribus pressos ac curis, nunc difficilium temporum tædio languentes; id omne multo luculentius in sacra inest historia, ut vere dux vitæ, lux consiliorum, morum magistra debeat existimari. *Historia sacra utilis,* Nam sive Annales Ecclesiasticos quis volvat, ut qua ratione proseminata primum vera religio sit, perspiciat, qua benigni Numinis providentia inter gravissimas procellas adulta, qua deinde iniquitate temporum, morum corruptela, Antistitum ignavia, alibi relanguerit, evulsa alibi sit, rursumque pullularit; sive peculiariter gesta a singulis, vel circa divinas religiones sancte, vel in ceterorum convictu mortalium juste, vel adversus dæmones fortiter, discere maluerit; emolumenta et multa et magna percipiet.

Non enim solum illud jucundissimum est, quæ sapientissimi et sanctissimi viri mandarint litteris perlegere, quod ipsum tamen non potest non eximiam parere mistam reverentia voluptatem : sed quantum est Dei ipsius splendidissimos triumphos spectare? Recte enim S. Hieronymus ad Hedibiam quæst. II : *Triumphus Dei est Martyrum passio;* ac post paullo : *Hic triumphus est Dei, Apostolorumque victoria.* Quam illud votis omnibus expetendum, tropæa intueri de Dei hostibus erecta, monumenta bonitatis illius, insignia majestatis, quæ non venti subruant, demoliantur hostes, consumat vetustas, ad seculorum omnium sempiternam memoriam statuta, assiduis in cælo laudibus ornanda, æterna beatissimorum supernæ Hierusalem civium celebranda panegyri? Non enim de bellis et ceteris stolidissimorum hominum inanibus studiis isthic colloquemur; sed de factis Cælitum singulorum illustribus et gloriosis. Missa illa faciemus, ceu vana pueritiæ crepundia : hæc jucundissimis usurpabimus sermonibus, et Dei gratiam perpetuo prædicabimus, cujus virtute elisi inferorum conatus, fracti impetus tyrannorum, cupiditatum ardor restinctus, adversa fortiter tolerata, amplissima relata sunt præmia. Huic sempiternæ agentur grates, huic indefessis choris plaudetur, huic suavissimæ eæque innumerabiles accinentur laudes.

Neque tamen hisce præconiis ita illum ornabimus nostræ felicitatis auctorem, ut non et ipsis Sanctis gratulemur, quod ea dignati sint propitii Numinis gratia, qua instructi tot res tam præclaras egerint, *et Sanctos,* quibus immortalem promeriti laudem sint. Quæ tamen laus omnis in Dei redundabit gloriam et laudem. Nam si id illis pulcherrimum fuit, cæleste hoc a Deo donum accepisse, Deo sane multo gloriosius est, id illis esse largitum, atque ut recte uterentur providisse. Quæ res tamen etiam ipsis perquam honorifica est. Nam cum ii qui gratiam respuerunt oblatam, aut etiam adeptam postea abjecerunt, suppliciis cruciantur æternis; merito quoque illis, qui sponte sua, nulla vi coacti, eam receperunt et summo studio retinuerunt, merces ac laus æterna tribuetur. Est porro plausus illius ac triumphi cælestis præludium quoddam, dum eorum hic benefacta traduntur litteris, leguntur, prædicantur; quæ res et nobis salutaris, et ipsis grata est et gloriosa; non quo illi nostro egeant præconio, sed tamen id non abnuunt, a benevolo pioque animo profectum; ac nimirum prædicari a nobis Deum lætantur. Ideo nos ad eorum laudem ipse provocat Sapientis ore Spiritus sanctus, Ecclesiastici 44, 1 : *Laudemus viros gloriosos et parentes nostros in generatione sua.*

Maxime tamen ipsis grata ea est et decora laudatio, quæ moribus animique virtute exprimitur, ut non tam verbis quam intimo animi sensu laudentur. Usuvenit illud quidem plerumque, ut licet absque partium studiis conscripta sit historia quæpiam, etiam profana, qui tamen eam legunt in alteram partem inclinatione quadam voluntatis sensim propendeant, unde tamen norunt nihil sibi emolumenti esse proventurum. Res hic aliter se habet. Quos Deo fidelem servivisse servitutem, eoque a sceleratis omni injuriarum genere vexatos fuisse, ac tandem illustri potitos victoria legimus, iis non possumus, nisi improbi simus, non impense favere. Id cum ipsi et Angelorum, qui assidue humanis actionibus intersunt, ministerio discant, et in Deo, in quo rerum omnium quæ fiunt quæque factæ sunt, aut olim futuræ, clarissimæ insunt species, intueantur qui ejus aspectu intime perfruuntur Sancti; redamant illi nos vicissim, suoque favore prosequuntur, patrocinio adjuvant, ut uberiorem a Deo gratiam consequamur. Huc illa spectant S. Leonis I Papæ, sermone 1, in natali Apostolor. Petri et Pauli : *De quorum præsidio, dilectissimi, divinitus nobis ad exemplum patientiæ et confirmationem fidei præparato universaliter quidem in omnium Sanctorum commemoratione lætandum est,* etc., ac deinde : *Sicut autem et nos experti sumus, et nostri probavere majores, credimus atque confidimus, inter omnes labores istius vitæ, ad obtinendam misericordiam Dei, semper nos specialium patronorum orationibus adjuvandos; ut quantum propriis peccatis deprimimur, tantum Apostolicis meritis erigamur.* *quod Deum laudat, eorumque favorem conciliat;*

Verum ut id quoque abesset, quod tamen certissimum est, favoris præsidium; etiamsi, quod homines quidam fatui et amentes existimant, nescirent Sancti quid in terris de ipsis sentiant loquanturve mortales; quantum tamen ad permovendos animos nostros valent illustria eorum facinora? Nemo nescit quanta vis sit exemplorum in utramque partem. Cantatissimum illud de Julio Cæsare, qui, Gadibus *animadversa apud Herculis templum Magni Alexandri imagine, ingemuit, quasi pertæsus ignaviam suam, quod nihildum a se memorabile actum esset in ætate qua jam Alexander orbem terrarum subegisset.* Pervulgatum et illud Themistoclis noctu ambulantis in publico, quod somnum capere non posset, dicentisque *Miltiadis tropæis se a somno suscitari.* Hoc spectasse Romanos illos antiquos existimo, dum etiam in conviviis *canerent ad tibiam clarorum virorum laudes atque virtutes,* ut ex Catonis Originibus refert Cicero. Verum hæc apud Christianos multo et frequentiora sunt et clariora. Quotusquisque magnum aliquid suscipit, qui non alicujus sibi e Cælitum numero proponat exemplum? Quis cum eorum audit commemorari facinora, non inflammatur æmulandi cupiditate? Quid hic duos illos memorem Agentes in rebus, qui Treviris vix inspecta S. Antonii Abbatis vita, illico ipso die secuti sunt exemplum? quid amborum sponsas, quæ posteaquam hoc audierunt, dicaverunt etiam ipsæ virginitatem Deo? Quid illos S. Augustini æstus animi isthæc narrante Potitiano, quod ipse lib. 8. Confession. cap. 7, indicat? Volumen ingens conficiam, si quæ hoc in genere omni ævo accidere, velim percensere. Illud non possum non grata prosequi memoria, quod S. Ignatio, Societatis Jesu parenti, *et ad imitandum provocat,* Suet. in Jul. cap. 7. Cic. Tusc. qu. 4. Ibid.

contigisse nostri referunt Annales; cum plagæ, quam in tibia acceperat, persanandæ causa in lecto esse diutius quam militaris ejus indoles ferret, cogeretur, poposcisse profanum quempiam scriptorem, cujus lectione molestiam temporis levaret : sed nullo ejusmodi tunc domi reperto, duos ei oblatos, quorum alter Christi, alter Sanctorum gesta contineret : horum lectione præparatum, eos accepisse Divinæ gratiæ satus, quorum fructu orbis perfruitur universus. Mihi ipsi, fateri enim necesse est, cum admodum adolescens quæ S. Franciscus Xaverius ejusque socii in Oriente ad Christi amplificandum imperium præclare gessissent, insito quodam a natura sciendi desiderio, studiose pervolverem, mens primum injecta idem complectendi institutum.

Eas habet historiæ sacræ lectio utilitates. Plane ut mirandum videatur, præsertim hoc tempore, quo tot prodeunt eruditorum hominum lucubrationes, quibus vel imperii Romani, vel Græcarum Rerump. vel aliorum regnorum antiquitates illustrentur, (ut omittam qui ad Theologiam, jurisprudentiam, philosophiam, mathesin, oratoriam poeticamque facultatem spectantes a plurimis eduntur commentarii) non plures reperiri, qui Sanctorum Actis eruendis ac dilucidandis operam impendant : cum hisce studiis Dei gloriam amplificare, Sanctorum et honorem augere et patrocinium sibi conciliare, multis pulcherrimarum virtutum proponere exempla, atque ad ea consectanda subdere stimulos possint. Quid quod ipsæ provinciarum urbiumque historiæ ex sacris illis lucem præcipue mutuentur? Testor Andreæ Duchesnii præclara rerum Francicarum volumina, in quibus plurima sunt ex Vitis Sanctorum, et monumentis monasteriorum excerpta. Guilielmum Cambdenum in Britannia illustrata, Philippum Cluverium in Italia ac Germania, atque alios heterodoxos non piget ab his et firmissima et permulta sumere testimonia.

eoque bonis probanda.

Quamobrem confido fore, ut apud antiquitatis amatores, pios præsertim et moderatos homines, meus hic labor minime in reprehensionem incurrat. Speciem quamdam esse regni cælestis pronuntiavit olim Christus Salvator noster, si de thesauro suo scriba doctus vetera proferat ac nova. Thesauros hic, et veteres diu abditos, et novos, profero, etsi nec docte nec eleganter, diligenter tamen certe ac fideliter; quos et doctis non improbatum iri sperem, et piis, in quorum potissimum gratiam hoc omne susceptum studium est, velim esse fructuosos.

Matth. 13. 52.

§ II. *Acta Sanctorum olim diligenter conscripta.*

Romæ scripta olim Martyrum Acta.

Ecclesia Romana, præses ac custos Christianæ religionis, fidei basis, arbitra veritatis, dux sanctitatis, magistra morum ac disciplinæ, honestarum actionum et artium parens, ne qua suis pateretur vel instrumenta deesse vel ornamenta virtutis, constituit ut sanctorum hominum, eorum præsertim qui pro sacrorum defensione vitam posuissent, res gestæ diligenter litteris mandarentur. Sic quippe futurum existimavit, ut et Deo, a cujus beneficentia omnis eorum beatitudo et decus promanavit, gratiæ agerentur, et Sanctis ipsis meritus honos redderetur, et eorum pararetur mortalibus patrocinium, et optimis ipsorum exemplis ceterorum conformarentur ad honestatem mores ac mentes. Et habuit sane Ecclesia hac ipsa in re veteris Synagogæ exemplum; quod tamen etiam superaret, nisi qua parte ipse Spiritus veritatis olim Divorum præconia, sed ad posterorum præcipue, nostram videlicet utilitatem dictavit.

per septem Notarios,

Viguit autem hoc institutum in Ecclesia Romana ab ipsis prope religionis nostræ incunabulis. Nam in libro de Romanis Pontificibus, qui vulgo S. Damaso tribuitur, de S. Clemente isthæc habentur : *Hic fecit septem regiones dividi Notariis fidelibus Ecclesiæ, qui gesta Martyrum sollicite et curiose unusquisque per regionem suam diligenter perquirerent.* Erant quidem Urbis regiones XIV, sed binæ singulis assignatæ Notariis, de quibus infra ad XX diem Januarii in Fabiano. Quod in eodem libro de Pontificibus dicitur : *Hic dum multos libros zelo fidei Christianæ religionis adscriberet, martyrio coronatur;* suspicari quis possit, cum illis Notariorum commentariis recognoscendis incumberet, comprehensum esse S. Clementem ac relegatum, vel in ipsa Chersoneso interfectum, dum eadem Sanctorum Acta Roma ad se missa recenseret. Sed nihil in illius Actis istiusmodi memoratur.

quibus præfecti Subdiaconi;

Eam rem, præclare sancitam, annis post Clementem fere 150 Fabianus Papa vel restituit vel ordinavit, additis Subdiaconis, qui vel conquirerent Acta deferrentque ad Notarios describenda, vel descripta relegerent, ac Diaconis traderent, vel certe quoquo modo ut munus suum sedulo exequerentur Notarii, advigilarent. Ita enim idem ille de Pontificibus liber : *Hic regiones divisit Diaconibus, et fecit septem Subdiaconos, qui septem Notariis imminerent, ut gesta Martyrum in integro colligerent.*

recognosci et recondi solita a Pontifice,

Diaconi igitur, aut Subdiaconi, accurate recensita Acta offerebant Pontifici, qui prius a Notariis ea accipere, ipseque recognoscere consueverat, ut ex eodem libro patet, ubi de S. Antero S. Fabiani decessore hæc habentur : *Hic gesta Martyrum diligenter a Notariis exquisivit et in Ecclesia recondidit, propter quod a Maximo Præfecto martyrio coronatus est.* Hæc illi martyrii caussa, indignante diabolo se victum legi, atque eam ob rem suæ improbitatis administros incitante, ut eadem abolerent acta, aut omnino scribi vetarent, vel infamia Cæsarum Judicumque, vel, ut sæpe, superstitionis nomine obtento. Hinc illa in Actis S. Vincentii XXII Januarii : *Probabile satis est ad gloriam Vincentii Martyris, quod descriptis passionis ipsius gestis titulum invidit inimicus. Unde reddimus fide plena relationem gestorum, quæ litterarum apicibus annotari judex non immerito noluit, quia victum se erubescebat audiri. Naturalis siquidem providentia est male errantium, auferre de medio testimonium probitatis.*

obstrepente cum suis diabolo :

scripta quoque in provinciis, et cum aliis communicata,

Manavit præclarum hoc Romanæ Ecclesiæ institutum ad ceteras quoque provincias, vel lege Pontificia præscriptum, vel gentibus exteris sua sponte petentibus ab ea Ecclesia optimarum rerum exempla, unde regulam accepissent sanctitatis, ipsa nimirum religionis primordia. Nam ut de Actis sileam S. Andreæ Apostoli, alibi discutiendis, quorum hoc est exordium : *Passionem sancti Apostoli Andreæ, quam oculis nostris vidimus, omnes Presbyteri et Diacones Ecclesiarum Achaiæ, scribimus universis Ecclesiis quæ sunt in Oriente et Occidente*, etc. Martyrium S. Polycarpi, quod XXVI Januarii edimus, ipsa Smyrnensis Ecclesia litteris mandavit et ad varias Asiæ Ecclesias, forsitan et Italiæ ac Galliarum, misit; cujus id exordium est : ἡ Ἐκκλησία τοῦ Θεοῦ ἡ περιοικοῦσα Σμύρναν, τῇ ἐκκλησίᾳ τοῦ Θεοῦ τῇ περιοικούσῃ ἐν Φιλαδελφίᾳ, καὶ πάσαις ταῖς κατὰ πάντα τόπον τῆς ἁγίας καὶ καθολικῆς Ἐκκλησίας παροικίαις, ἔλεος, εἰρήνη, καὶ ἀγάπη ἀπὸ Θεοῦ πατρὸς καὶ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ πληθυνθείη. Ἐγράψαμεν ὑμῖν, ἀδελφοί, τὰ κατὰ τοὺς μαρτυρίσαντας καὶ τὸν μακάριον Πολύκαρπον, ὃς τις ὥσπερ ἐπισφραγίσας τῇ μαρτυρίᾳ αὐτοῦ κατέπαυσε τὸν διωγμόν. *Ecclesia Dei, quæ Smyrnam incolit, Ecclesiæ Dei, quæ est Philadelphiæ, et omnibus ubique locorum sanctæ et Catholicæ Ecclesiæ parœciis, misericordia, pax et caritas a Deo Patre et Domino nostro Jesu Christo multiplicetur. Scripsimus vobis, fratres, de iis qui martyrium subierunt, et de B. Polycarpo, qui velut sua confessione consignans, restinxit persecutionem.* Idem exordium extat in MSS. Latinis, et Eusebio lib. 4, cap. 14, ubi tamen non Philadelphiensi scripta Ecclesiæ dicitur illa epistola, sed Philomeliensi; quia pluribus missa et inscripta, unde et idem Eusebius : ἔστι δ' ἡ γραφὴ, ἐκ προσώπου ἧς αὐτὸς Ἐκκλησίας ἡγεῖτο ταῖς κατὰ Πόν-

in Asia,

τον

τον παροικίαις τὰ κατ' αὐτὸν ἀποσημαίνουσα. *Est autem scriptum illud ex persona Ecclesiæ cui præerat, ad parœcias* (sive Ecclesias) *Ponti missum, quæ ad eum spectant declarans.*

in Gallia,

De Viennensibus et Lugdunensibus Martyribus, de quibus II Junii agemus, ita scribit lib. 5, cap. 1, idem Eusebius : Τὴν οὖν περὶ τῶν μαρτύρων γραφὴν αἱ τῇδε διαφανέστατοι ἐκκλησίαι ταῖς κατὰ τὴν Ἀσίαν καὶ Φρυγίαν διαπέμπονται τὰ παρ' αὐταῖς πραχθέντα, τοῦτον ἀνιστοροῦσαι τὸν τρόπον· παραθήσομαι δὲ τὰς αὐτῶν φωνάς. Οἱ ἐν Βιέννῃ καὶ Λουγδούνῳ τῆς Γαλλίας παροικοῦντες δοῦλοι Χριστοῦ τοῖς κατὰ τὴν Ἀσίαν καὶ Φρυγίαν τὴν αὐτὴν τῆς ἀπολυτρώσεως ἡμῖν πίστιν καὶ ἐλπίδα ἔχουσιν ἀδελφοῖς εἰρήνη καὶ χάρις καὶ δόξα ἀπὸ Θεοῦ πατρὸς καὶ Χριστοῦ Ἰησοῦ τοῦ κυρίου ἡμῶν, etc. *Epistolam de Martyribus, quæ ibi illustrissimæ sunt Ecclesiæ, Ecclesiis Asiæ et Phrygiæ miserunt, res apud se gestas ita commemorantes. Proferam ipsa earum verba. Qui Viennæ et Lugduni Galliæ habitant servi Christi, fratribus in Asia et Phrygia eamdem nobiscum habentibus redemptionis fidem ac spem, pax, gratia, et gloria a Deo Patre et Christo Jesu Domino nostro.* Recitat ex ea epistola gloriosum Martyrum certamen quatuor sequentibus capitibus Eusebius.

in Ægypto,

Quin et Alexandrinorum Acta S. Dionysium ipsorum Antistitem tradidisse litteris auctor est lib. 6, cap. 34. Ὁ δ' αὐτὸς ἐν ἐπιστολῇ τῇ πρὸς Φάβιον ἐπίσκοπον Ἀντιοχέων τῶν κατὰ Δέκιον μαρτυρησάντων ἐν Ἀλεξανδρείᾳ τοὺς ἀγῶνας τοῦτον ἱστορεῖ τὸν τρόπον. *Idem ipse* (Dionysius) *in epistola ad Fabium Antiochenum Episcopum, eorum qui Alexandriæ sub Decio martyrium subierunt, certamina hunc in modum persequitur.*

in Africa :

Africanæ quoque Ecclesiæ in eadem re curanda strenuam operam collocarunt, ut Pontius Diaconus in principio Actorum S. Cypriani Episcopi testatur : *Cum majores nostri,* inquit, *plebleiis et catechumenis martyrium consecutis tantum honoris pro martyrii ipsius veneratione dederint, ut de passionibus eorum multa, ac, prope dixerim, pœne cuncta conscripserint, ut ad nostram quoque notitiam, qui nondum nati fuimus, pervenirent,* etc. Nisi forte majores ille suos non Afros intelligit, sed Romanum Clerum aliarumve præsides Ecclesiarum. Sed tamen Afer ipse ea sequitur præclara exempla; et aliorum ex eadem Africa Sanctorum passim Acta extant diligenter conscripta.

quomodo excepta?

Hi porro Notarii in suos commentarios referebant etiam ea quæ privatim in prætorio gesta erant, vel ex tabulis Exceptorum descripta, vel etiam pretio redempta. Erant et ipsi Exceptores et Notarii quandoque Christiani, ut Genesius ille Arelatensis, qui XXV Augusti *eam officii partem studio et arte amplexus dicitur, quæ patronorum verba vel nova signorum velocitate vel dexteræ, sonum vocis æquaret.* Quamquam vero, *cum ante tribunal Exceptoris fungeretur officio, et injusto atque sacrilego mandato persecutionis jussa ederentur, quæ devotus Deo repudiaret auditus, et imprimere ceris manus sancta respueret, abjectis tabulis ante pedes Judicis ministerium sacrilegum refugerit,* ut et multi alias; non eadem tamen certaminum quæ edictorum describendorum erat ratio; cum in his administros se præbere deberent impietatis; illa vero ad decus ac splendorem veræ pietatis amplificandum spectarent. Sed cum res agebatur in propatulo, aderant sæpenumero e Christianis qui quæ dicerentur a Martyribus et Judicibus fideliter referrent in tabulas. Utrorum e classe, illorum qui Officio seculari merebant, an horum qui sponte sua id clam suscipiebant munus, fuerint SS. Neon et Turbon, qui Acta Tergeminorum Martyrum XVII Januarii scripsisse dicuntur, in ambiguo est.

recognita :

Quemadmodum autem Romæ singulari studio ab ipsis supremis Pontificibus recognoscebantur ea Acta, ne quid Notarii adderent quod ipsis dedecori esse Sanctis vel offendiculo legentibus posset; idem in provinciis factum licet conjicere. Imo et Romam missa, ut in summa illa arce religionis extarent monumenta gentium omnium Christo subjugatarum; et gratiæ Deo pro victoria agerentur; et si quid in tota certandi ratione, in Martyrum responsis, honore iis mox ab Ecclesia impenso, scriptis ipsis de eorum agone inesset, quod summo religionis nostræ Antistiti non probaretur, id mox illius corrigetur admonitione : denique ut facilius cum ceteris orbis Christiani provinciis communicari illa possent, quæ uspiam essent ad Dei gloriam, solatium et eruditionem superstitum gesta fortiter a Martyribus. Probat hunc morem Andreas Saussaius v. CL. quod S. Dionysius Parisiorum Apostolus legatur præcepisse, ut quæ perpeteretur supplicia, quæque in iis loqueretur, diligenter consignata litteris, post suum decessum ad Pontificem Romanum mitterentur; quodque ipse Dionysius ad Clementem Papam S. Eutropii Sanctonum Apostoli gesta miserit, in quibus ista leguntur : *Reverendissimo Papæ Clementi Dionysius Antistes, prosapia Græcus, salutem in Christo. Eutropium, quem mecum in has oras ad prædicandum Christi nomen misistis, martyrii coronam per manus Gentilium apud Xantonas urbem vobis notificamus pro Domini fide accepisse. Quapropter Paternitatem vestram humiliter exoro, ut hunc passionis codicem consanguineis meis, notis et amicis fidelibus in Græciæ oris, Athenis præcipue, quam citius poteritis, mittere non differatis,* etc. Verum utriusque Acta suo loco expendemus. Non desunt alibi, quibus vetustus ille mos confirmetur, exempla. Ipsi Lugdunenses Martyres, apud Eusebium lib. 5, cap. 3 et 4, ad Eleutherum Papam litteras de suis certaminibus atque aliis Ecclesiasticis caussis dedisse leguntur, cum variis perfuncti tormentis extremam luctam opperirentur.

missa Romam;

quod fit etiamnum;

Id nunc multo etiam magis necessarium est, postequam gravissimis sanctissimisque legibus cautum, ne cui decus nomenque tribuatur martyrii, nisi Romanus Pontifex, caussa ac modo necis rite discusso, id censuerit. Neque nunc etiam desunt, qui ab extremis Æthiopum, Indorum, et Japonum oris a Christi militibus isthic fortiter gesta ad Apostolicam Sedem transmittant. Utinam non in Europa nostra multorum hac in re caritas refrixisset! Viget quidem provida Romanæ Ecclesiæ cura ac studium, sed in provinciis quibusdam, ubi in Christi membra hæresis sævit, vel orthodoxi desunt Antistites, vel aliis distenti curis id negligunt, quod tamen non inter postrema Ecclesiæ decora debebat censeri. Fuere alioquin fidei nostræ et Catholicæ Ecclesiæ multi ab annis 130 et illustres triumphi, quos æternis consignari tabulis oportebat.

utinam diligentius!

Vitæ etiam non martyrum, scriptæ

At non Martyrum solum, sed aliorum quoque, qui vitam pie actam insigni opinione sanctitatis terminassent, præcipue si prodigiis essent a morte celebrati, scribi res præclare gestæ consueverunt. Quam ad rem cum alii viri probi et eruditi, tum ipsi etiam Antistites studium contulerunt. Passim occurrent toto hoc opere exempla, essetque supervacaneum hic universos velle recensere. Habes in Januario Vitas non paucas a doctissimis monachis conscriptas, S. Hieronymo, Cyrillo, Eugippio, S. Fausto, S. Beda, Rodulpho Glabro, Hugone Floreffiensi, aliis; a religiosissimis Abbatibus, S. Paschasio Ratberto, S. Gerardo Silvæ-majoris, B. Ealredo, Everhelmo; a sanctissimis Episcopis, S. Gregorio Theologo, S. Gregorio Turonensi, S. Athanasio Magno, B. Petro Damiani, Theodoreto, Fortunato, S. Hilario Arelatensi, Leontio, Alberico Cardinale; viris aliis illustribus, Simeone Metaphraste, Dynamio Patricio, Eginardo, Philippo Mazzerio Cypri Cancellario.

a viris magnis.

§ III. *Acta Sanctorum a variis collecta. De Eusebio, et Simeone Metaphraste.*

Cum partim in Ecclesiarum archivis reposita, partim

tim in scriniis condita privatorum delitescerent, vel publica cura descripta, vel speciali studio elucubrata singulorum gesta Sanctorum; visum est quibusdam viris eruditis, ut ad plures eorum manaret utilitas,

Acta Sanctorum collecta

quibus alioquin ad illa sacra tabularia non patebat accessus, præcipua quædam maximeque illustria in unum colligere volumen, et proferre in lucem. Princeps in hoc genere Eusebius Cæsariensis fuit, qui Martyrum acta non tantum historiæ Ecclesiasticæ intexuit, sed et separatim alio opere edidit. Testatur

ab Eusebio,

id ipse lib. 4, c. 14, sub finem, ubi de S. Pionio ita scribit : *Cujus confessiones sigillatim habitas, libertatem sermonis, apologias pro fide coram populo ac Judicibus recitatas, conciones ad docendum accommodatas, susceptionem benignam eorum qui persecutionis acerbitate lapsi erant, solatia in carcere fratribus ad se confluentibus adhibita, quæ præterea sustinuerit tormenta, quos in iis perpessus sit dolores, ut confixus sit clavis, qua rogum pertulerit animi constantia, qualem post tot res admirandas habuerit vitæ exitum, cum plenissime contineat qui de ipso conscriptus est commentarius, ad hujus lectionem amandamus eos quibus studium erit illa cognoscere : est autem veterum martyriis a nobis collectis insertus :* τοῖς τῶν ἀρχαίων συναχθεῖσιν ἡμῖν μαρτυρίοις ἐντεταγμένην. Id opus ipse τὴν τῶν Μαρτύρων συναγωγήν, *Martyrum collectionem* vocat lib. 5, cap. 1, τῆς μὲν περὶ τούτων ἐντελεστάτης ὑφηγήσεως τὸ πᾶν σύγγραμμα τῇ τῶν Μαρτύρων ἡμῖν κατατέτακται συναγωγῇ, *accuratissimam de his narrationem continens libellus, Martyrum collectioni insertus est a nobis.* Eodem nomine utitur lib. 5, c. 4. Et c. 20 ejusdem libri ἀναγραφὴν appellat, τούτου μὲν οὖν, inquit, de S. Apollonio Senatore loquens, τὰς ἐπὶ τοῦ δικαστοῦ φωνὰς, καὶ τὰς ἀποκρίσεις, ἃς πρὸς πεῦσιν πεποίηται τοῦ Περεννίου, πᾶσαν τε τὴν πρὸς τὸν σύγκλητον ἀπολογίαν, ὅτῳ διαγνῶναι φίλον, ἐκ τῆς τῶν ἀρχαίων μαρτύρων συναχθείσης ἡμῖν ἀναγραφῆς εἴσεται. *Illius coram Judice verba, responsa Perennii interrogationibus reddita, totamque coram senatu habitam apologiam, si cui lubitum sit cognoscere, ex veterum Martyrum collecta a nobis descriptione intelliget.*

Hoc opus sane amplum, ut cui intextæ essent integræ apologiæ, an *Martyrologion* vocari debeat, ut quidam volunt, superfluum est disputare. Brevis Sanctorum indiculus, quæ vulgata *Martyrologii* notio,

non tamen omnium.

non fuit. Idne, an ex eo decerptum Sanctorum catalogum, citaverit Beda, alibi disquiram. Nec omnium tamen, quotquot toto orbe interempti erant, Martyrum acta collegit Eusebius, ut ex supposititia quadam S. Hieronymi epistola astruere quidam moliuntur; sed maxime clarorum et illustrium, aut certe quorum nancisci res gestas potuit. Nam si ita prolixe, ut se in Pionio et Apollonio fecisse testatur, omnium totius Ecclesiæ scribere acta Martyrum voluisset, *non unus liber, non centum (audacter dicam,* inquit Baronius Apparatu ad Martyrologium cap. 6) *non denique mille fuissent satis.* Nusquam tamen id Eusebius, quod quidem meminerim, unicum fuisse volumen scribit. Id opus an usquam extet, divinare non possum. Præclare de Ecclesia mereretur, qui tantum assecutus publicaret thesaurum.

Laudabile Eusebii studium alii deinceps imitati. Celeberrimus eo in genere Simeon Metaphrastes, qui

Simeon Metaphrastes

et Logotheta dictus, ab illustri, quam Constantinopolitano in palatio gessit, dignitate. De cujus viri ætate, vitæ instituto, lucubrationibus, quia multa perperam scripta a viris etiam non indoctis, breviter dicere constitui. Ætatem ipse suam indicat in vita S. Theoctistes Lesbiæ, quam x Novembris dabimus. Illius Vitæ auctorem esse Metaphrasten, non alium quempiam anonymum scriptorem, probat Leo Allatius testimonio Michaelis Pselli, e cujus ode 5, in Metaphrasten ista recitat : τὸ πρῶτον σου σύγγραμμα ἐκ προνοίας θείκης καὶ ὁμιλίας γέγονε τοῦ ἱεροῦ πρεσβύτου καὶ μοναστοῦ, Συμεὼν θεοπίστε, ὃν ἐν Πάρῳ τῇ νήσῳ τεθεώρηκας. *Prima tua commentatio ex Divina providentia et colloquio facta est sacri senis et solitarii, Simeon admirabilis, quem in Paro insula vidisti.* Plenius id colloquium in Theoctistes Virginis Vita refertur. Addit Psellus : Ἀξίως ἐξύμνησας τῆς Λεσβίας τὰ λαμπρὰ καὶ θεῖα ἀγωνίσματα Θεοκτίστης τῆς ὄντως ἀγγελικὸν μικροῦ καὶ ἀσώματον τελεσάσης πανσόφως τὸ πολίτευμα. *Pro dignitate laudasti Lesbiæ illustria et divina certamina vere Theoctistæ,* id est a Deo fabricatæ, *quæ Angelicum prope et incorporeum vitæ modum sapienter tenuit.* Qua vero occasione in Parum venerit, et sanctissimæ Virginis præclara facinora ex anachoreta didicerit, ipse indicat Metaphrastes : Γενομένῳ μοί ποτε κατὰ τὴν Πάρον· γέγονα δὲ, καὶ γὰρ ἐπὶ Κρήτην διέπλεον ὑπὸ τοῦ μακαρίτου Λέοντος ἐκεῖσε πεμφθείς; Λέοντός, φημί, του εὐτυχοῦς ὄντως βασιλέως, καὶ τὴν εὐτυχίαν Ῥωμαίων τῷ τάφῳ ἀναπάψαντος· ἐπεμπόμην δὲ συστρατευόμενος Ἡμερίῳ τῷ πάνυ, τῷ στρατηγικωτάτῳ δηλαδὴ, καὶ ἄρροντι τοῦτε δρόμου καὶ τοῦ στόλου παντὸς, ἢ τόγε ἀληθέστερον καὶ αὐτῶν εἰπεῖν τῶν παθῶν· καὶ ἵνα μὴ τὸ πολλῶν ἐγκωμαίων ἄξιον τῆς στρατηγίας ἐκείνου πάρεργον ποιησάμενος, καὶ μικρὰ τούτου μνηθεὶς ἀτιμάσω τὸν ἄνδρα, ἐπὶ τὴν παροῦσαν τέως ὑπόθεσιν εἶμι, ἐκείνου κατὰ καιρὸν μνησθησόμενος; ἐστελλόμεν τοιγαροῦν τοῦτο μὲν ἐκείνῳ συστρατευόμενος, καὶ προβιβαζόμενος εἰς πεῖραν στρατηγικὴν, οἷα πῶλος μητρι, πρὸς τὰ γενναιότατα τῶν στρατηγιμάτων συγχαίρων· οὕτω γαρ ἦν ὁ τοῦ μακαρίτου μου βασιλέως σκοπός· τοῦτο δὲ προσθεὶνόμενος πρός τοὺς τὴν Κρήτην ἔχοντας Ἄραβας. *Cum aliquando in Paro essem insula : fui autem, nam in Cretam navigabam a Leone beatæ memoriæ eo missus; Leone, inquam, illo vere fortunato Imperatore, qui ipsam Romanorum felicitatem secum videtur in sepulchrum intulisse. Mittebar autem militaturus cum clarissimo illo Himerio, utpote ducendi exercitus peritissimo, Dromi Præfecto,* sive Logotheta, *qui universæ classi imperabat, aut, ut verius dicam, ipsis animi perturbationibus : sed ne multis efferendam laudibus illius peritiam belli administrandi obiter attingens, levi ejus facta mentione, dedecus ei potius videar inussisse, ad propositam interea narrationem redeo, de eo opportunius dicturus alias. Mittebar igitur partim cum eo militaturus, et ad imperatoriæ artis documentum aliquod promovendus, ut equuleus matri solet, ad præclara ejus stratagemata assiliens; (id enim præcipue Augustus spectabat) partim ut ad Arabas Cretam obtinentes legatione fungerer.* Varias Himerius Logotheta expeditiones navales Leone imperante suscepit, donec tandem ad Samum insulam mense Octobri, anno CMXI, adversus CCC Agarenorum naves infeliciter commisso prælio, propterea ab Alexandro Imperatore, Leonis fratre, in Calyporum monasterium relegatus, haud longo post tempore ærumnis confectus obiit. Quam

a Leone VI imp. Legatus in Cretam missus

anno 901;

hic Metaphrastes memorat expeditionem, cui et ipse interfuerit, ea videtur quam Curopalates et Cedrenus tradunt confectam decem ante Leonis obitum annis, cum Simeon Secretarius (qui idem ipse Metaphrastes videtur fuisse) centum auri libras a Rhodophyllo Cubiculario in itinere relictas Leoni Tripolitæ apostatæ dedit, ne Thessalonicam captam everteret: quod illius factum ita gratum fuit Imperatori, ut eum Patricium et primum Secretarium renuntiarit.

Non erat tunc admodum natu provectus Metaphrastes, ut qui imperatoriæ virtutis tirocinium ponere sub veterano Duce juberetur. Fuerit tunc XX aut XXII annorum : potuit igitur ad annum Christi CMLVII aut CMLX vitam deinde producere. Atque ita sub Constantino Phorphyrogenito Leonis filio tum Theoctistes eam vitam tum alia Divorum acta eum elucubrasse certum videtur; non, ut Allatius scribit, sub Leone et Constantino : nam in hac Vita Leonem diserte τὸν μακαρίτην, *felicis memoriæ,* appellat, qua ratione loqui de mortuis solemus. Si ea prima ejus commentatio fuit, nihil igitur sub Leone scripsit, quod quidem ediderit in lucem. Neque Alexandro

adhuc juvenis nobilis, dives, doctus;

postea magnis honoribus ornatus,

rerum

rerum potiente ita laudare Himerium ausus esset. Præcipue publicas res tractare sub Leone cœpit. Nam cum, ut Psellus testatur, illustri natus familia, amplissimis opibus afflueret, excelleret eruditionis fama, atque egregium illic prudentiæ specimen dedisset, tanta deinceps in gratia Sapientis Imperatoris fuit, ut, quod Parius ille monachus prædixerat, summos deinceps honores sit consecutus ; quos industria singulari, fide, gravitate, modestia, liberalitate gessit : quæ omnia prolixe prædicat Psellus.

His ille doctrinæ fortunæque præsidiis ornatus, cum cerneret et gloriosa Martyrum certamina, et monachorum præclaras exercitationes, ita imperite et inornate traditas esse litteris, ut multi ne legere quidem eas vellent, quidam etiam risu exciperent; meliora autem afferre, alios propter animi socordiam nolle, alios quod opus esset immensi studii, *et cui ne tota quidem viri vita suffecerit*, non posse; *juvenile*, ut idem Psellus scribit, *aggreditur facinus, vel felicem potius actionem, quam nullus omnium gessit feliciter; per quam ille evasit clarior omnibus, qui sunt ubique, eruditis; et Deo consecravit ea quæ sunt omnium pulcherrima, Martyrumque certamina et cursus, et monachorum abstinentiam atque patientiam ornavit ac decoravit.* Et multa quidem ille ac magna tantæ rei peragendæ adjumenta habebat ac præsidia. Auctor præclari consilii ipsemet fuerat Imperator, (Leo fortassis, etsi eo superstite rem serio aggredi non potuerit Simeon, aut ejus filius Constantinus, hujusve socer Romanus) aderant hortatores plurimi; librorum egregius apparatus, amanuensium scribarumque copia : una defuisse videtur, propter assidua, quibus præerat, Reip. negotia, quæ collegisset ac dictasset recognoscendi facultas. Tandem mortem vitæ consentaneam consecutus, *ad Deum ascendit*, inquit idem auctor, *et apud illos ducit choros, quorum mores et vitam hic circumscripsit. Nam vel in fine ostendit, qualem vitam egisset. Non enim eum veluti abscissum aut divisum fuisse dicunt ii qui viderunt: sed videbatur veluti a quodam vinculo liberari et hilari nutu se extendere ad ducentes Angelos, et quodammodo seipsum tradere illorum manibus, ut cito emigraret e corpore.*

vitas SS. collegit et interpolavit :

sancte mortuus :

Celebravit eum ornata et eleganti laudatione Psellus, non tamen in ejus funere habita, qui testetur illius corpus in sepulchro conditum suavem expirasse odorem, donec multo post in eodem tumulo aliud depositum est corpus. Hunc Psellum multi Michaelem illum Psellum esse arbitrantur, qui in Antro insula Leonem Philosophum optimarum artium disciplinis instituit. Et Baronius quidem to. 10. Annal. ad an. 859. nu. 53. non Leonis Sapientis ætate vixisse Metaphrasten putat, sed multo ante. Nam quod Curopalates scribat Bardam Cæsarem *externæ sapientiæ rationem habuisse*, definitis *unicuique doctrinæ scholis, philosophiæ duce et magistro* constituto Leone Philosopho Pselli discipulo, infert Baronius: *Ex his pariter habes Lector, quo tempore vixerit Psellus, qui fuit Magister Leonis Philosophi. Ex quo pariter addisces, quo tempore vixerit Metaphrastes, in cujus laudem Psellus ipse orationem habuit.* Quibus ex verbis concludit Bellarminus lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis, Simeonem Metaphrasten floruisse paullo ante annum Domini 859. *Siquidem Psellus*, inquit, *qui hoc anno vivebat, orationem habuisse dicitur in funere Simeonis Metaphrastæ. Vide Annales Card. Baronii ad hunc annum.* At non dicit Baronius eo tempore vixisse Psellum, sed Pselli discipulum Leonem jam senem; atque inde colligi posse, quando vixerit Psellus, quem ille adolescens audierat; quando item Metaphrastes, quem vita functum Psellus laudarat: ut videatur Baronius Metaphrastæ ætatem revocare ad superiora tempora Michaelis Curopalatæ aut Nicephori. Hunc autem Psellum Leonis magistrum fuisse Metaphrastæ laudatorem conficit eo argumento Baronius, quod etsi plures Pselli fuerint, *isto nullum celebriorem nec antiquiorem invenimus.* Antiquitas quidem certe ad rem non facit: celebrius vero Pselli alterius, qui Ducarum Cæsarum ævo floruit, nomen est. Leo Allatius, vir doctissimus, in Diatriba de Psellis, censet *panegyrim illam in Metaphrasten juniori Psello adjudicari nullo prorsus argumento. Auctorem illius orationis Psellum alterum esse, non Leonis Philosophi magistrum, numquam evicturos* qui contra sentiunt.

laudatus a Michaële Psello;

non magistro Leonis Philosophi,

Non est mihi hic propositum, tantorum virorum, et plurium aliorum qui iis astipulantur, sententiam acrius confutare. Illud solum obtestor, ut velint quamobrem secus ego sentiam attendere. Leo Philosophus, postquam Psello illi seniori in Antro insula dederat operam, cum non quantum voluisset ab eo hausisset eruditionis, monasteria varia obivit, repositosque in iis libros investigans studiose legit, atque excellentem est eruditionem adeptus, ut Curopalates tradit. Dein Constantinopolim reversus privatim quosdam docuit: horum quidam in prælio captus a Saracenis, ac viro illustri traditus in servitutem, cum postmodum geometriæ peritiam professus, a quo eam didicerat Leonem privatum et inopem degere significasset; litteris eum ad se, amplissima proposita mercede, invitavit Barbarorum Dux. Has litteras Leo Theoctisto Logothetæ, hic Theophilo Imperatori obtulit; qui eum summo favore complexus, amplis opibus ditavit, jussitque publice docere, ac postea Thessalonicensi Ecclesiæ præficiendum curavit: verum mortuo sub annum 841 Theophilo redactus quoque in ordinem est Leo, quod hæresim sectatus esset Iconomachorum. Quæ si quis recte omnia expendat, fatebitur sub Michaele Balbo, qui anno 820 invasit imperium, aut sub illius decessore Leone Armeno, videri Leonem Psello dedisse operam, maturæ jam ætatis viro. Qui potuit igitur a Psello laudari Metaphrastes, vita functus, qui centum post Psellum annis vixit? Neque de Psello Metaphrastæ laudatore repugnasset Baronius, si aliunde asseri Metaphrastæ ætatem posse existimasset. Ast hunc alii cum sub Constantino Porphyrogenito, qui septennis Alexandro patruo anno 912 extincto imperare cœpit, vixisse fateantur, miror non perspicere a Psello, qui centum, ut minimum, annis eum antecessit, laudari et quidem mortuum non potuisse.

quī diu ante Metaphrasten floruit;

At scripsit Psellus Metaphrastæ encomium, non diu post illius mortem, cum ii adhuc viverent qui morienti adfuerant. Ἐδειξε γαρ καὶν τῷ τέλει, inquit, ὁποῖος αὐτῷ ὁ διεσπουδασμενος βίος ἐτυγχανεν ὤν. οὐ γαρ ὥσπερ τετμῆσθαι αὐτὸν οἱ συνεωρακότες φασὶν οὐ δὲ διηρῆσθαι, ἀλλὰ ἐδοκει ὥσπερ τινὸς δέσμης ἐλευθερούμενος καὶ εὐμαρῶς πρὸς τοὺς ἄγοντας ἀγγέλους ἀνατεινομενος νεύματι. *Nam vel fine ostendit qualem egisset vitam. Non enim veluti succisum aut sublatum fuisse dicunt qui adfuerunt; sed veluti vinculis quibusdam solvi videbatur, et ad deducentes Angelos ultro sese ac facile extendere.* Demus anno 960 obiisse Simeonem; at junior Psellus anno 1067 vivebat : an tunc poterant superstites esse, qui Metaphrastæ spectarent funus? Quærendus igitur alius erit Psellus, qui ante annum Christi 1000 illam Metaphrastæ laudationem scripserit. Quæratur sane, nec ego inventum eliminabo: sed quærere tamen haud est opus. Anno 1057 missus est Psellus junior a Michaele Stratiotico Imperatore ad Isacium Comnenum Legatus, insigni jam tum rerum usu præditus. Ita Cedrenus: Ἐκεῖ δὲ αὐτῷ γενομένῳ φθάνουσι καὶ πρεσβῦται βασιλέως ὁ πρόεδρος Κωνσταντῖνος ὁ Λειχούδης, ὁ πρόεδρος Θεόδωρος ὁ Ἀλωπὸς, Κωνσταντῖνος ὁ Ψελλὸς τῶν φιλοσόφων ὕπατος· οὗτοι γαρ οἱ τρεῖς ἄνδρες ἐπὶ σάφα καὶ λόγου δυν ἀμει τῶν κατὰ τὴν ἡμέραν ἀνθρώπων διαφέρειν δοκοῦντες, καὶ ἀσυγκρίτως ὁ Ψελλὸς, ἐξελέγησαν εἰς τὸ πρεσβευσαι. *Ad eum isthuc veniunt Imperatoris Legati Præses Constantinus Lichudes, Præses Theodorus Alopus, Constantinus Psellus Philosophorum princeps. Nam hi tres viri, quod sapientia et eloquentia omnibus*

sed juniore.

qui anno 1057 claruit;

omnibus qui tunc viverent antecellere hominibus crederentur, ac præsertim Psellus, ad hanc erant legationem assumpti. Eadem omnino scribit Curopalates, et Psellum quoque *Constantinum* vocat. At Joannes Zonaras to. 3 Annal. Στέλλονται τοίνυν πρὸς τὸν Κομνηνὸν πρεσβεύοντες, ἄνδρες τῶν ἐκκρίτων τῆς συγκλήτου βουλῆς, οἳ δ'ἦσαν ὁ πρόεδρος Κωνσταντῖνος ὁ Λειχούδης, ὁ πρόεδρος Λέων ὁ Ἀλωπὸς, ὁ Μιχαὴλ ὁ σοφώτατος Ψελλὸς, τῶν φιλοσόφων ὢν ὕπατος. *Mittuntur ad Comnenum Legati de primariis Senatoribus, Præses Constantinus Lichudes, Præses Leo Alopus, sapientissimus ille Michael Psellus princeps philosophorum.* Alii quoque *Michaelem* appellant. Cur non potuit decem aut viginti annis antequam ad tantum fastigium ascenderet Psellus, illam laudationem scripsisse, septuaginta post Metaphrastæ mortem annis? Et quis est nostrum, qui non audiverit commemorari aliqua a senibus, quæ geri ipsi viderant, 100 annis ante quam ea ipse jam senior, quisquis is est, tradat litteris, aut aliis narret? Viderint decennes morientem Metaphrasten anno 960, narraverint visa Psello scriptori anno 1030, ipsi jam octogenarii: quid hic impossibile? quid non usitatum? Narraverint etiam multo ante adolescenti adhuc tum Psello; non enim affirmat eos tum vixisse cum scriberet. Quid si ne narrarunt quidem, sed scriptum reliquerunt? Nam ita loquimur, dicere aliquid Ciceronem, Livium, Tacitum, non quasi ii nunc vivant, sed quia omnis ætatis hominibus illorum scripta loquantur.

et ab iis qui Metaphrasten viderant accepit;

vel eorum scriptis.

Sed de Metaphrastæ ætate ad hoc propositum nostrum jam satis, ac fortasse nimium. Illius operi additas esse a posterioribus vitas recentiorum Sanctorum monet Baronius. At quod in antiquiorum apud eum vitis sæpenumero declaret scriptor se eadem, qua illi, vixisse ætate, caussam idem sapientissimus Cardinalis tradit, quod *vitæ Sanctorum non fuerint ut plurimum a Metaphraste conscriptæ, sed collectæ tantum, ordineque per singulos menses dispositæ.* Digessisse eum vitas ad ordinem mensium scribit etiam Autbertus Miræus. Mihi non liquet. Potuit id alius quispiam postea. Antiquiores vitas, quas eleganter compositas reperit, transscripsit, servata etiam pristina auctorum phrasi, aut modice interpolata. Perspicere id licet ex Vita S. Simeonis Stylitæ v Januarii, cujus magnam partem e Theodoreti Philotheo accepit, pauculis ad attentionem conciliandam, aptiusve connectendas periodos interjectis. Alias ex integro composuit. At non quæcumque in Græcis codicibus reperiuntur vitæ, eæ continuo Metaphrastæ fœtus esse censendæ sunt; nisi velimus eum et priores vitas, ut erant olim scriptæ, retulisse in suum opus, et novas eorumdem Sanctorum a se elucubratas addidisse. Nam quorumdam Sanctorum, ut Joannis Calybitæ xv Januarii, Joannis Eleemosynarii xxiii, Xenes sive Eusebiæ xxiv, plures reperiuntur Græcæ vitæ, quarum unam esse a Metaphraste elaboratam verisimile est.

Vitæ a Metaphraste collectæ vel scriptæ,

Magno Ecclesiæ Catholicæ emolumento opera Metaphrastæ, aut certe quas sub ejus nomine reperit Græcas Sanctorum historias, Latine a Petro Francisco Zino, Gentiano Herveto, Guilielmo Sirleto verti curavit Aloysius Lipomanus Episcopus Veronensis: quarum multas in suum opus Surius transtulit, ut sequenti paragrapho dicam. Atqui neque omnes Metaphrastæ vitæ editæ adhuc sunt; (nam citatam S. Simeonis Stylitæ vitam, quam constat a Metaphraste scriptam, primum nunc edo) et aliæ Latine ab aliis, iisque præclaris, editæ auctoribus, vel apud Græcos vel in Latinis etiam bibliothecis Græcæ Sanctorum historiæ latent. Has ego, si Deus vitam et vires dederit, hoc opere absoluto, quia in quibusdam interpretibus perpetuus quidam hellenismus et obscuritas fastidium lectori affert, cogito Græcolatine edere, cum nova a me elucubranda interpretatione, nisi quis me, nec repugnantem, antevertat, aut certe laboris parte sublevet nonnullas accurate interpretatus. Et multas

editæ a Lipomano,

non omnes,

post Græcolatine edendæ:

tum olim Rosweydus collegerat, tum ego ab amicis postea accepi, quarum quædam Latine adhuc non extant. Video tamen plurimas adhuc mihi deesse, quas Latine citati ante auctores verterunt; easque spero me interea esse consecuturum.

Quod Miræus ex Molani MS. Bibliotheca tradit, Metaphrasten *vitas Sanctorum Orientalis Ecclesiæ collegisse*, eâsque *solas in Græcorum Ecclesiis legi*; utrumque falsum est. Promiscue, qui ubique terrarum vixere, Sanctorum acta collegit Metaphrastes, licet præcipue Orientalium assecutus sit: nec solæ eæ in Græcorum Ecclesiis leguntur, quas ille composuit, imo paucæ omnino, ut ex Menæis Græcorum, de quibus postea, fit manifestum. Si id vult Molanus, quorum Sanctorum acta collegerit Metaphrastes, eorum vel recitari elogium aliquod vel memoriam saltem celebrari in divino officio a Græcis, non id inficior: at plurimorum agitur memoria, quorum acta non videatur ille descripsisse; aut sane immensum plane illius opus fuit, cujus minima adhuc sit pars edita.

Non solæ leguntur in ecclesiis Græcorum.

Neque illud cuiquam erudito facile probaverit ex eadem Molani Bibliotheca Miræus, Simeonem ideo quandoque *Magistri* nomine citari, quod ludum litterarium Constantinopoli aperuerit. Nam quis id veterum tradit? Heterodoxos quosdam id inter alias nugas commiscentes nihil moror. Illustri ortus familia Simeon, juvenis in Secretariorum adscitus classem, arduas obiit legationes, bellicis expeditionibus interfuit, aut etiam præfuit, princeps Secretariorum et Patricius renuntiatus, dein et Logothetes, (qui nobis Cancellarius est, ut ex Joanne Cinnamo probat Allatius) quando tandem ludum aperuit? An Constantino Porphyrogenito a patre; an (quod minus probabile mihi videtur) a Romano Lecapeno filiis magister est datus? At qui magister sit Cæsarum isne continuo dicendus est ludum litterarium aperire? Meminisse poterat Miræus alios in rep. Constantinopolitana *Magistros* fuisse, quos Cedrenus et Curopalates binos gessisse id munus tradunt, et τῆς πολιτείας μαγίστρους *reip. Magistros* vocant. Imo plures postea hac ornatos dignitate fuisse ex iisdem patet auctoribus. Nam Cedrenus in Leone Sapiente ita scribit: Καὶ ταχέως ἐκπέμψας τὸν μάγιστρον Ἀνδρέαν τὸν στρατηλάτην, ἅμα τῷ μαγίστρῳ Ἰωάννῃ, καὶ γεγονότι Λογοθέτῃ τοῦ Δρόμου τῷ Ἁγιοπολίτῃ. *Et continuo accersens Magistrum Andream Ducem exercitus, cum Magistro Joanne, et Hagiopolite, qui fuerat Logotheta Dromi;* ac paullo post: αὐτὸς τε ὁ στρατηλάτης ἐπέμφθη Ἀνδρέας, καὶ ὁ μαγιστρος Στέφανος, καὶ ὁ μάγιστρος ὁ Ἁγιοπολίτης, καὶ Κρατερὸς καὶ Γοῦβερ οἱ πατρίκιοι. *Missus est idem Dux exercitus Andreas, et Magister Stephanus, et Magister Hagiopolites, et Craterus ac Guber Patricii.* Iisdem titulis eos Curopalates quoque insignit. Et Zonaras de eodem agens Leone: Τὸν πατέρα ταύτης μάγιστρον ἐτίμησε, καὶ Λογοθέτην του Δρόμου. *Patrem ejus Magistrum creavit et Dromi Logothetam.* Simeonem nostrum, qui Logotheta fuit, Magistri quoque ornatum fuisse dignitate existimamus, cum se Molanus dicat eum uspiam *Magistrum* appellatum legisse.

Non fuit ludimagister Metaphrastes,

Sed forte magister Cæsarum,

aut Reip.

De Metaphrastæ porro operibus ita scribit Bellarminus: *Illud autem est observandum a Metaphraste scriptas fuisse historias de vitis Sanctorum multis additis ex proprio ingenio, non ut res gestæ fuerunt, sed ut geri potuerunt: addit Metaphrastes multa colloquia sive dialogos Martyrum cum persecutoribus, aliquas etiam conversiones astantium Paganorum in tanto numero, ut incredibiles videantur: denique miracula plurima et maxima in eversione templorum et idolorum, et in occisione persecutorum, quorum nulla est mentio apud veteres historicos.* Vellem mitius de viro magno vir maximus pronuntiasset. Unde constat eum non vetera secutum esse monumenta? Omisisse potius multa, quæ non omnino probaret, existimo, quam aliquid addidisse ex proprio ingenio. Retulerit tamen in suos commentarios aliquid, quod cum probatis veterum Patrum scriptis

Severiori censura a recentioribus immerito perstrictus.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

scriptis minus congruere videatur; homo erat, falli poterat. Colloquia Martyrum cum persecutoribus unde constat habita non esse? Amplificarit ea sane ad legentium utilitatem ac voluptatem: quis jure id reprehendat? an est quisquam qui id non permittat historico? Livio ceterisque licet Ducum orationes suos ad prælium adhortantium concinnare, sacro scriptori non licebit mysteria nostræ religionis Gentilibus tradita, ipsorumque confutatas superstitiones, explicatius proponere? Nam magno numero conversos ad fidem nostram, visis quæ Sancti patrarent miraculis, numquam equidem sum admiratus: qui enim alioqui tot ac tantæ provinciæ tantillo tempore subjici Christo potuissent? Miracula omnia, etiam quæ nunc fiunt, si suis commentariis insererent qui modo Ecclesiasticas historias scribunt, quanta singularum moles existeret! quantum offensionis haberet atque fastidii! Neque nulla, neque omnia narrant, sed quædam maxime illustria vel testium celebritate, vel consecuti fructus amplitudine. Idem veterum studium fuit: qui propterea frequenter tradunt multa et magna, ad Sanctorum vel testandam ac munerandam sanctitatem, vel dicta confirmanda, edita esse divina virtute miracula, neque ullum tamen commemorant. At si quis ex professo Sancti cujuspiam historiam scribat, nihil eum præterire consulto fas est, quod sit ab eo dictum aut factum præclare, aut ejus caussa susceptum a mortalibus, aut denique patratum a Deo.

§ IV. *Acta vetera Sanctorum a Latinis collecta. Legenda Aurea defensa.*

Latinorum plures similia moliti sunt opera; alii succincte pulcherrima Sanctorum gesta complexi, alii ornare ea stylo aggressi; alii sat habuerunt, undecumque exscripta in unum apte congerere. S. Ceranium Parisiorum Antistitem prædicat Warnaharius Tergeminorum Martyrum certamina, ac Desiderii Lingonum Episcopi, exarari a se jussisse, cum *Sanctorum Martyrum gesta ad laudis* suæ *cumulum pro amore religionis congregare in urbe Parisiaca devotus intenderet.* Vitas Patrum, quarum aliquas ipse composuit, alias in unum volumen fortassis redegit S. Hieronymus, ut 17 Januarii ad vitam S. Antonii § 9 disseruimus, quia id opus ab aliis deinde auctum, adjectis etiam libris aliquot qui solum exempla quædam illustriora aut apophthegmata anachoretarum continerent, hic prætermitto.

Acta SS. collegit S. Ceranius Ep. Paris.

Qui sanctorum Antistitum Severini Septempedani et Victorini Amiternini, quæ ex vetustissimis codicibus descripta VIII Januarii habentur, acta composuit, is plurium se Sanctorum res gestas coacervasse significat, non indiligens auctor, etsi nobis ignotus: *Hucusque*, inquit, *nos Patris Hieronymi dicta referentes per interpretem locutos lector advertat: reliquum opus ut sermo noster est, vestra caritas libenter audiat. Quæ enim singulis de Sanctis fideli auctore comperimus, in historiam misimus, ne laterent homines quorum Deum non latuere virtutes.*

aliique anonymi,

Singula fere monasteria istiusmodi volumina vel ab aliis descripsere, vel consarcinavere paria sibi, ut suppeterent quæ et publice in conventibus ad virtutum institutionem legerentur, et privato cujusque studio volverentur. Duos memorat Georgius Wicelius in præfat. ad Hagiologium Fuldenses Monachos, quorum alter Ruggerus *pietate ac doctrina præstantissimus sex ingentia volumina composuerit* circiter annum 1156. Est is fortassis Ruggerus, qui XXXIX nobilissimi illius cœnobii Abbas memoratur a Brawero nostro Fuldens. Antiquit. lib. 4, diciturque *libris peregregiis bibliothecam instruxisse*, obiisse 5 Junii 1177. *Ante Ruggerum hunc diligentissimum scriptorem*, inquit idem Wicelius, *sudarat in eodem lucubrandi stadio Arnodulphus cœnobita facundissimus.* At neutrum existimo vitas ipsas suo stylo composuisse, saltem omnes, sed ab aliis antea editas coacervasse. Argumento mihi est codex Fuldensis olim Rosweydo nostro commodatus, perantiquus, planeque vel unus eorum quos Ruggerus collegit, vel ex iis descriptus; qui tamen Vitas continet quas alibi in melioris notæ MSS. passim reperias. Ut autem Fuldæ, fuere in ceteris quoque asceteriis qui tum alia præstantia volumina tum præsertim Sanctorum historias vel scriberent, vel aliunde curarent, monachi et Abbates. Sed de iis præcipue quærimus, qui suas lucubrationes emisere in lucem, ut pluribus prodessent.

præsertim monachi,

ut Ruggerus et Arnodulphus Fuldenses;

Vincentius Bellovacensis ex ordine Prædicatorum præter alia Speculum historiale scripsit, quod ab orbe condito ad sua perduxit tempora, ad annum videlicet 1244, quo scribebat, ut lib. 31, cap. 105, testatur. Ei operi pleraque ex actis Sanctorum infersit, multa ex *Helinandi monachi Frigidimontis, viri religiosi et facundia diserti*, chronicis mutuatus, ut lib. 29, cap. 108, fatetur: uti ex ipso Vincentio plurima in sua chronica transtulit S. Antoninus. *Bellovacensem* appellatum esse Vincentium arbitror a diutina apud Bellovacos commoratione, licet non desint qui ortum e Bellovacis velint, quem alioquin plerique gente Burgundum faciunt. Nam falli omnino videntur, qui Bellovacensem fuisse Episcopum existimant, Sixtus Senensis, Possevinus, Bellarminus, Vossius, Miræus: quibus refragantur qui illius urbis historiam accurate scripserunt, Lovetus et Loisselius, quique Gallicanorum Antistitum catalogos confecere Claudius Robertus et Joannes Chenu Biturix.

Vincentius Bellovacensis in Speculo;

Diutissime in omnium manibus fuit *Legenda Aurea Jacobi de Voragine* ex eodem Ordine Prædicatorum. Est *Vorago*, unde vel ortus vel certe cognomen duxit Jacobus, in ora Ligustici maris Genuam inter ac Savonam oppidum, quod olim *Vicus Virginis* in tabulis itinerariis appellatum videtur, Itali *Varaggio*, alii *Viragine*, alii *Verazze* appellant; Leander *Virgium*, alii *Voragium*; Ubertus Folieta videtur *Varaginem* dici velle, cum Jacobum *Varaginensem* vocet, ut mox dicemus. Fuit Jacobus Theologiæ professor, doctissimus vir ac sanctissimus, meritoque a Baptista Michaele Pio, Leandro Alberto, Fernando de Castillio, aliisque laudatus. Archiepiscopus Genuensis anno 1292 electus, probante Nicolao IV, Pontifice maximo, *moribus*, inquit Jacobus Philippus Bergomensis, *et doctrina ac dignitate magno in pretio fuit, atque Genuensem suam Ecclesiam verbo et opere plurimum juvit.* Subdit deinde, illius libris enumeratis: *Hunc autem illum existimo Porchetum esse Genuensem Episcopum, de quo Blondus Foroliviensis in historiis suis dixit, quod cum ante pedes Bonifacii VIII, in die Cinerum se posuisset pro cineribus ex more suscipiendis; ubi cum ex more dici a Sacerdote consuetum est, Memento homo quia cinis es et in cinerem reverteris; Bonifacius Pontifex videns hominem, mutatis quibusdam verbis dixit: Memento, quia Gibellinus es, et cum Gibellinis tuis in nihilum reverteris: et sic cineres in oculos ejus injecit, non in caput, ut mos est, atque ita ipsum Archiepiscopatu privavit, licet postea illum restituerit.* At cui id credibile videatur, cum etiam ante Bonifacii pontificatum pacem Guelfos inter ac Gibellinos conciliarit Jacobus? Testatur id Folieta lib. 6, histor. Genuen. *Tantus novus hostis additus*, inquit, *intestinas discordias, quæ inter Guelfos et Gibellinos per 50 annos civitatem continenter vexarant, ad aliquantulum tempus consopivit. Qua in re opera et officium seduli Pastoris Jacobi Varaginensis Archiepiscopi, viri pii et sancti, constitit: qui hortando, monendo, rogando, divini Numinis discordias abominantis metum injiciendo, non prius abstitit incepto quam inchoata consilia ad effectum perduxit. Eo igitur auctore concordia et pax inita est anno ejus seculi nonagesimo quinto.* Hæc Folieta. Qui consequens est, ut, licet eæ postea recruduerint simultates, alteri se parti fautorem adjutoremque junxerit

Jacobus de Voragine,

Episcopus Genuensis,

Gibellinorum non fautor,

sed pacificator,

(de cujus successore explosa fabula)

junxerit Antistes? Quid quod alienum illud est quod narratur, Pontificis Maximi majestate? Non tamen de Jacobo ea primum conficta fabula est, sed de Joanne Porcheto Spinola, ejus successore; credo quod Spinolæ tunc omnes (si domum unam excéperis) Gibellini erant, illiusque adeo factionis principes. Et Flavium Blondum vel negligenter legit Bergomensis, vel in ipsius Chronico transscribendo incuriose et oscitanter se gessit librarius. Verba Blondi historiar. ab inclinat. Rom. imperii Decad. 2, l. 9, sunt hæc : *Jacobo de Voragine Genuensi Præsuli suffectus est Porchetus Spinola Minorum Ordinis qui pro confirmatione ad ipsum Bonifacium*, etc. *et eum archiepiscopatu eadem die privavit quem et paullo post restituit.* Designatus est Archiepiscopus Porchetus anno 1299, ut ex Bonifacii VIII bulla, III Non. Februarii, pontificatus ejus an. 5, data patet, apud Lucam Wadingum to. 2 Annalium Minorum, in qua eum appellat *Ordinis Fratrum Minorum professorem, litterarum scientia, honestate morum, et aliis virtutum meritis redimitum.* Paria de eo prædicat in duabus bullis XVI et XV Kal. Septembr. 1301 datis, quibus archiepiscopatum ei restituit.

Ea igitur explosa fabula, nunc de Jacobi Legenda dicamus. *Præter Ecclesiæ regimen*, inquit idem Bergomensis, *et ante episcopatum et in ipso episcopatu multos commentariolos succo plenos composuit, et multas Sanctorum Vitas diffusas atque dispersas in unum volumen collegit.* Hæc est *Aurea* illa *Legenda*, sive *historia Longobardica*, utroque enim nomine insignitur; quod Fernandum de Castillio fugit : is enim historiæ Prædicat. I par. lib. 3, cap. 49, inter Jacobi opera recenset *magnum volumen de vitis Sanctorum, Chronica Genuensium, historiam Longobardicam.* Sed unus idemque est liber de Vitis Sanctorum, et historia Longobardica : quæ quia plurimas celeberrimorum Sanctorum vitas, eorum fere qui in Ecclesiæ Romanæ Kalendariis inscripti, succincte complecteretur, avide descripta et omnium volutata manibus est, et postquam ars typographica inventa est, sæpius recusa.

in Legenda Aurea, sive historia Longobardica,

Aucta est deinde quibusdam aliis adjectis ad calcem historiis Sanctorum. Sed addidit alius (ut puto) quispiam vitis nonnullis ineptam et ridiculam nominum interpretationem, indignam sane Jacobi eruditione; ut cum dicitur *Aegidius* formari *ab e quod est sive, et geos quod est terra, et dyan quod est clarum, sive divinum; Timotheus, quasi timore teneus, vel a timore et theos; Symphorianus a symphonia; Hippolytus ab yper quod est super, et litos quod est lapis; Sixtus a sios quod est Deus, et status, quasi divinus status; Vedastus quasi vere dans æstus.* Omitto cetera non minus absurda; quæ cum indocti homines pro pulpitis identidem declamarent, nauseam et risum movebant eruditis, seque ipsos et Sanctorum historias in summam adducebant contemptionem. Unde illa sunt Georgii Wicelii in præfat. ad Hagiologium : *Post extitit Jacobus Voraginis Præsul Genuensis, qui vixit an.* 1290. *Verum quid is præstiterit vel cæco perspicuum sit. Longe melius Voragine de Ecclesia meritus Petrus Lombardus, qui post Voraginem scriptitavit, multa mutuatus ad verbum ex scriptis veterum; id quod conferenti inter se libros facile adparet. Mythologiæ ille impensius indulget : quamobrem in tantum contemptum abiit apud omnes cordatos. Hac profecto Lombardica hactenus nimium usæ, seu abusæ potius, cathedræ sunt, contemptis interim aut certe neglectis Sanctorum actis, quæ nobis Ecclesiastica historia Eusebio Pamphilo auctore offerebat in Christi gregem divulganda. Nec vulgares passim bibliothecæ in monasteriis continent historicum quid de Sanctis, præter hanc unam Lombardicam, quam cur Auream vocent demiror. Sub eosdem annos, ni fallor, consarcinavit Vincentius Belvacensis Speculum illud suum, qui ipse quoque compilator Voragini præferri meretur.*

in qua ridiculæ præfationes;

in eam Georgi Wicelii censura

refutata;

Hæc Wicelius, severius quam solidius. Quis enim ille est Petrus Lombardus, qui post Voraginem scriptitavit? An Magister sententiarum, Parisiorum Antistes? At qui *post Voraginem scriptitavit*, qui 140 annis eum antecessit? Et quam ille historiam scripsit? An Petrus Comestor Presbyter Trecensis auctor historiæ scholasticæ, quam solum usque ad cædem Apostolorum Petri et Pauli perduxit? Et hic Lombardo suppar, antequam natus esset Jacobus de Voragine, migravit e vita. Ubi vero mythologiæ studet Jacobus, bone Wiceli? Ego certe non omnia probo quæ ille scribit; quin tamen vetera secutus sit monumenta, non dubito, et plurimas ejus historias reperio cum veteribus et genuinis congruere : non omnes evolvi; nec necesse est, cum fontem reperi, rivos consectari : sed si prius in hos incidi, an etiam ex illo ducti sint, an non fluant lutulenti, an non pigro lapsu repant, an non aliunde palustrem undam trahant, juvat dispicere : quam, inquam, breviatoribus aut paraphrastis adjungere fidem par sit, ex veterum statuo cum ipsorum scriptis collatione. Censeo igitur, injuria, ut plurimum, neotericorum judiciis vapulare eam Legendam. An omnia quæ de Sanctis dicentur, nisi sint ex Eusebio sumpta, aspernabitur Wicelius? Unde ipse S. Bennonis, S. Claræ, S. Ægidii, S. Augustini, et aliorum plurimorum gesta accepit? ut omittam sane ridiculum illud, quod Caroli Magni vitam se ex Plutarcho dare, nimis oscitanter in margine adscribat. Deinde quam illud falsum, nullas in vulgaribus cœnobiorum bibliothecis præter hanc Legendam extare Sanctorum historias! Nullum contra reperire est antiquum monasterium, quod quidem hæreticorum ævi hujus effugerit rabiem, quin aliqui in eo præclari de Sanctorum rebus gestis codices extent, ac plerique antiqua manu exarati. Bellovacensem denique Voraginensi præfert Wicelius. Habebit me in eo suffragatorem, sed non etiam, ut *sub eosdem annos*, quod ipse ait, scripsisse utrumque confitear, cum hic anno 1298 ille 1256 dicatur decessisse : neque illum cum amplector, hunc repudiabo, et censoria severitate perstringam : non idem utriusque institutum est. Latius evagatur Vincentius, neque sola Divorum Acta complectitur, neque ea apte ad fastos Ecclesiasticos distribuit.

acrior Jo. Ludovici Vivis,

Wicelio severius aliquanto acerbiusque de Legenda Aurea pronuntiat Joannes Ludovicus Vives lib. 2 de caussis corruptarum artium in hæc verba : *Quam indigna est Divis et hominibus Christianis illa Sanctorum historia quæ Legenda Aurea nominatur, quam nescio cur auream appellent, cum scripta sit ab homine ferrei oris, plumbei cordis. Quid fœdius dici potest illo libro? O quam pudendum est nobis Christianis, non esse præstantissimos nostrorum Divorum actus verius et accuratius memoriæ mandatos, sive ad cognitionem sive ad imitationem tantæ virtutis!* Ludovicum Vivem semper permaximi feci, singulari eruditione, gravitate, prudentia virum; planeque illi assentior, præstantissimos Divorum actus accuratius debuisse, quam vulgo factum sit, mandari litteris. Sed quod Legendæ illius auctori ita maledicit, ut virum sanctum et sapientem *plumbei cordis, oris ferrei* appellet, id sane miror, in homine præsertim gravi et moderato. Hauserat id fortassis a Desiderio Erasmo præceptore suo, severissimo Aristarcho, qui nullum prope scriptorem intactum et non censoria virga notatum præteriit, hoc etiam ridiculus quod ea arroserit sæpe quæ nec intelligebat nec didicerat. Fuerit Jacobus stylo minus compto, ut illa erant tempora, at erat non modo doctus et pius, sed prudentia judicioque singulari, ut quam probabilia essent quæ scriberet, Vive Erasmoque melius potuerit judicare.

refutata;

eadem Legenda a Claudio Rota recognita:

Ejus porro opus *ad vetustorum exemplarium fidem castigavit, additisque aliquot Sanctorum historiis auctius reddidit*, Claudius Rota ex eodem Ordine Prædicatorum, sacræ Theologiæ professor, ediditque Lugduni, anno 1519, ut Possevinus testatur : ego solam

lam anni 1531 editionem vidi. Citat Molanus in Annotat. ad Usuardum 25 Julii, cum de S. Magnerico agit, *Legendæ tomum* 2. Is est tomus, qui *Historiæ Sanctorum novæ* inscribitur. *Tomum* 2 *Legendæ* appellat Molanus, quasi primus sit historia Longobardica. Eum ita citat Georgius Colvenerius Scholiis in Flodoardum l. 1, c. 6. *Plenius,* inquit, *et perfectius inter Vitas Sanctorum Coloniæ excusas in folio, in ipsa adhuc quasi typographiæ infantia anno* 1483. Habeo Lovanii editas a Joanne de Westphalia an. 1485. Auctorem aut collectorem earum Vitarum aliquando citavi Antonium Liberum Susatensem, itaque mihi vir quidam doctus persuaserat. Extat illius ad calcem ejusdem tomi in Coloniæ Agrippinæ laudem carmen : quod tamen et in aliis libris excusum audio; neque quis hoc opus coagmentarit, sat scio.

aliæ recentior, sive pars 2.

Acta quoque SS. collegit Petrus Calo Clodiensis;

Tradit Volaterranus lib. 21 *Petrum ex oppido Clodiensi aliorum Sanctorum ab Jacobo præteritorum historiam* scripsisse. Non tam præteritorum a Jacobo historiam collegit Petrus, quam aliud opus ipse confecit, alia methodo, ac mole majore. De eo Petrus de Natalib. in Prologo Catalogi SS.: *Novissimus omnium F. Petrus Calo Venetus, ejusdem Ordinis* (Prædicatorum nimirum, non Minorum, ut scripsit Possevinus) *Sanctorum multorum, quorum Vitas, passiones, et nomina undecumque sumere valuit, grandi volumine, et diffuso opere dilatavit; quod ejus prolixitate nedum commendare memoriæ, sed nec intente legere quis poterit, nisi longævitate temporis et assiduitate lectionis.* Vixisse eum anno 1300 scribit Leander Albertus de viris illustr. Ord. Prædic. *Nec longe abest,* inquit, *Petrus Calo Clugiensis cum Vitis Sanctorum fuse a se editis* MCCC. Idem in Descriptione Insularum quæ circum Venetias jacent, cum de *Fossa Clodia* oppido, quod *Chioggia* vel *Chioza* nunc Italis dicitur, agit, ita scribit : *Urbem hanc ortu nobilitavit Petrus Calotius Ordinis Prædicatorum monachus, qui admodum exacte ingentia duo volumina de vitis Divorum scripsit, quæ in Bibliotheca Dominicana Bononiæ servantur.*

Bernardus Guido Ep. Lodeven.

Eadem prope ætate vixit Bernardus Guido ex eodem Ordine, qui an. 1324 Lodevensis in Gallia Narbonensi Episcopus factus, anno 1331 decessit. Is insigni præditus eruditione, et ad Albigensium extirpandos errores laboris multum suscepit, et complura scripsit volumina, quæ Tolosæ in monasterio Prædicatorum feruntur asservari, necdum typis excusa. Sunt in his tomi aliquot de Vitis Sanctorum, insigni studio collecti, et fere ex antiquis eorum actis, quamquam hæc, ut ex titulis datur intelligi, plerumque contraxerit, iis quæ minus probaret recisis. Nondum eos tomos ut viderem contigit, quorum tamen plura etiam alibi esse exemplaria dicuntur: at quasdam ex iis sum transscriptas Vitas amicorum opera nactus.

S. Antoninus in Chronic.

S. Antoninus Archiepiscopus Florentinus, et ipse ex Ordine Prædicatorum (quasi hæc familia præ reliquis ad Sanctorum illustrandum honorem jam olim peculiariter incubuisse videatur) præter alia plurima quæ erudite composuit, Chronicon conflavit in tres partes distinctum, ab orbe condito ad Pii II pontificatum, sive Christi annum 1459, quo et ipse decessit sanctissimus Antistes. In eo opere pleraque de Sanctorum rebus gestis ex aliis accepta scriptoribus intexuit.

Petrus de Natalibus in Catalogo,

Suppar prope S. Antonino fuit Petrus de Natalibus, Episcopus Equilinus, (in Equilia, sive Æquilia insula Anassi Fluminis ostio objecta, ea sita olim sedes, Gradensi Patriarchæ subjecta) qui ingentem collegit Sanctorum Catalogum, addita singulorum Vitæ epitome, ubi eam reperit. Ipse de suo opere ita loquitur in prologo: *Hæc igitur attendens ego Petrus de Venetiis, Equilinus Episcopus, inter Sacerdotes minimus, et Ecclesiæ Prælatos indignus, Sanctorum exiguitatem Ecclesiæ notam, ex prænominatis omnibus codicibus et voluminibus, nec non ex aliis pluribus diversarum Ecclesiarum antiquis libris et passionariis, quoscumque invenire potui, non sine multis laboribus crebrisque vigiliis studiosius recollectam, et per consequens ceterorum Beatorum nobis ignotam infinitam multitudinem, brevi opusculo cupiens, ut Deus annuerit, honorare; quatenus eorum meritis post agonem coronam excipiam; et ne talentum mihi qualiscumque gratiæ creditum terræ suffodiam; quinimo Domino etsi non quincuplatum, vel saltem restituam duplicatum, ad utilitatem filiorum militantis Ecclesiæ, Sanctorum omnium novi et veteris testamenti nomina, gesta, vitas, passiones, et triumphos compendioso stylo substantialiter recollecta, illustrium virorum fretus auctoritate, Sanctorumque omnium capitis* Jesu *Christi, et beatæ ipsius genitricis Mariæ,* XII *Apostolorum, atque cunctorum supernorum civium confisus patrocinio, præsenti catalogo curavi retexere et brevissima oratione narrare.* Editus est Petri Catalogus Vicentiæ opera Henrici de S. Ursio an. 1493 ac sæpius postea.

non omnino accuratissimus;

De hoc auctore ita censet Wicelius: *His omnium novissimus accessit inter recentiores diligentior hagiologus Petrus de Natalibus Præsul Equilinus, et Petrus Calo Venetus. Pergratæ brevitati studuit Equilinus, et quam minimum intexuit mythologiæ, quo commendatior ejus apud nos fama est.* Alii quoque eum longe Jacobo de Voragine præferunt. Si de numero agatur Sanctorum, quorum ille nomina collegit, lubens assentior; sin diligenter veteris historiæ statera examinata, certisque testimoniis ceu momentis librata quis requirat, næ ille in multis etiam Voraginensi cedit: ut merito Joannes Vasæus in Hispaniæ Chronico cap. 5, *in aliquibus cum judicio legendum censuerit.*

Gentius et Gilemannus.

Suppar Equilino fuit Joannes Gilemannus monasterii Canonicorum regularium in Rubea-valle juxta Bruxellam in Brabantia Supprior, qui summo labore atque industria Vitas Sanctorum plurimas collegit et manu sua descripsit: quo in studio præclaram operam una posuit Antonius Gentius ejusdem cœnobii Prior. *Multum sane Gentio et Joan. Gilemanno,* inquit Valerius Andreas in Biblioth. Belgica, *universa debet Ecclesia, ob vitas Sanctorum plurimas ab interitu vindicatas.* Decessit Gilemannus an. 1487, Gentius 1543. Præclaris Rubeæ-vallis MSS. voluminibus et Surius olim, procurante Joanne Molano, et nos usi sumus.

§ V. *Acta SS. recentius collecta. Præclarum Laurentii Surii opus.*

Acta SS. recentiores collegere,

Quod Cardinalem Bellarminum dicere solitum accepimus, seculum hoc, quo vivimus, seculum esse Sanctorum, propterea quod Deus dona sua, et præclaras parandæ sanctitatis rationes videatur largius quam superioribus ætatibus communicare; id ad eam trahere sententiam possumus, ut numquam antehac perinde Sanctorum acta illustrata fuisse dicamus, atque hoc seculo, quo plurimi certatim, typographicæ præsertim artis adjuti præsidio, in ea eruenda e tenebris et dilucidanda incumbunt: etsi plures in profana antiquitate illustranda, fructu minori, laborent. Non persequar omnes quorum hoc sacro in studio desudavit industria: præcipuos solum, quorum latius patuit labor, percensebo.

Mombritius,

Boninus Mombritius Mediolanensis duo ingentia volumina edidit, quibus acta Sanctorum complexus est, ut ea in MSS. codicibus reperit, ita fideliter, ut ne menda quidem scriptionis correxerit, quæ minus jucundam lectionem reddere solent. Dicavit illud opus, quod *Sanctuarium* inscripsit, honestissimo Equiti Cicho Simonetæ Ducum Mediolanensium Secretario.

Faber Stapulensis,

Jacobus *Faber Stapulensis Martyrum agones antiquis ex monumentis genuine descriptos publicare* moliebatur, ut testatur Saussaius; at librum tantum unum e typis emisit, continentem agones Martyrum per primi mensis seriem, quem Antonio a Prato Cancellario Franciæ dicavit, initio anni 1525. Eum tomum non vidimus: habuerat Rosweydus, ab amico fortas-

sis commodatum; atque ex eo quorumdam acta Sanctorum descripserat.

Wicelius,

Georgius Wicelius multos edidit libros, quibus nascentia tunc hæreticarum portenta opinionum jugularet, alios quibus afflictos Catholicorum animos confirmaret: in his est *Hagiologium, seu de Sanctis Ecclesiæ, Historiæ Divorum toto terrarum orbe celeberrimorum, e sacris Scriptoribus summa fide ac studio congestæ, ac juvando pariter atque ornando Christianismo, in Presbyterorum pie doctorum manus emissæ.* Id ipse Hagiologium Alberto Brandenburgico Cardinali ac Moguntino Electori dicavit an. 1541. Queritur tamen sibi librorum ad id opus apte elucubrandum necessariorum copiam defuisse.

Lipomanus,

Utilius eodem in genere laboravit Aloysius Lipomanus Episcopus Veronensis, qui plurimas Sanctorum vitas a gravissimis et probatissimis auctoribus conscriptas edidit, suaque adjecit scholia adversus modernorum hæreticorum blasphemias et deliramenta. Primum volumen prodiit anno 1551, in 4 libros distributum, Vitas Sanctorum 163 complectens. Secundum an. 1553 continetque Vitas 225. Tertium an. 1554 tres habet partes, prima Vitas varias continet, secunda Palladii historiam Lausiacam, tertia S. Gregorii Turonensis libros de miraculis Martyrum, S. Juliani, et S. Martini Episcopi. Quartum volumen eodem anno 1554 editum, 270 Vitas complectitur. Quintum an. 1556 Vitas Sanctorum mensis Novembris, Decembris, Januarii, Februarii a Simeone Metaphraste Græce scriptas, versas a Gentiano Herveto Gallo. Sextum an. 1558 Vitas mensium Maii, Junii, Julii, Augusti, Septembris, Octobris ab eodem auctore scriptas. Septimum in tres partes tributum anno eodem: pars prima continet Vitas Martii et Aprilis, interprete Petro Francisco Zino Veronensi; secunda alias ex MSS. Cryptæ Ferratæ, interprete Gulielmo Sirleto Protonatorio Apostolico, qui deinde Romanæ Ecclesiæ Cardinalis fuit; tertia Pratum Spirituale Joannis Moschi. Octavum (quod ad Bergomensem Cathedram a Veronensi translatus concinnarat, descriptis e variis sanctis Patribus Divorum historiis, et in quatuor partes distinctis) ipso jam vita functo edidit illius nepos Hieronymus Lipomanus an. 1560.

Surius,

At nemo hactenus Laurentii Surii Carthusiani studium et industriam æquavit. Is Lubeca ortus, Francofurti ad Oderam et Coloniæ Agrippinæ litteris dedit operam; atque hic ætatis anno vigesimo, Christi 1542 in Carthusianorum Ordinem cooptatus, et vitam ipse suam sanctissime instituit, et aliis qua posset ad Christianam pietatem excitandis, aut a profana hæreseon novitate revocandis, prodesse studuit. Itaque gravissimorum religiosissimorumque virorum tum asceticas ad fovendam pietatem, tum polemicas commentationes ad propugnanda adversus novatores fidei nostræ mysteria accommodatas, Joannis Tauleri, Joannis Rusbrochii, Florentii Batavi, Henrici Harphii, Henrici Susonis, Michaelis Episcopi Merseburgensis, Joannis Fabri, Joannis Gropperi, Martini Eisengrinii, Fr. Staphyli, e Teutonico sermone in Latinum vertit. Deinde quatuor tomos Conciliorum Ecclesiæ collegit. Alia denique composuit opera: sed quod huc facit, maxime læti et uberes extitere fructus e sex tomis quos de vitis Sanctorum scripsit. Nam a Lipomano paullo ante evulgatas, in ordinem sacris Ecclesiæ Romanæ fastis apte respondentem redegit, plurimis tamen, quæ suo instituto minime congruerent, prætermissis: ex variis deinde MSS. codicibus, quos partim Gervinus Calenius Jurisconsultus hinc inde collegit, partim ultro viri pii, juvandæ Reip. Christianæ studio, submisere, alias plurimas Sanctorum historias, graves et fide dignas, adjecit; atque sex tomis comprehensas in lucem edidit anno 1570, et quinque sequentibus. Profitetur autem se *in id summopere incubuisse, ne quid vanum aut commentitium, aut parum graviter conscriptum, in suos tomos admitteret. Quæ etiam causa fuit,* inquit, *ut plerasque, imo permultas historias omiserim, non quod contemnendas putem, sed ne habeant ullam occasionem ad maledicendum nati hæretici nostri, vel calumniandi labores meos, vel Ecclesiæ Dei insultandi.* Et sapienter sane quidem illud ab eo provisum, ut, qui edendis Divorum actis, assiduam bonorum operum exercitationem omni ætate viguisse apud eos qui Deo cuperent placere demonstraret, non vero inanem illam et stolidam fiduciam, quam, alienæ vel imbecillitati palpantes vel malitiæ obsecundantes, inculcant hæretici, ei qui fidem habuerit Deo, nequaquam imputatum iri sua flagitia; nihil ipse afferret, quod illi vel arguere falsitatis possent, vel quoquo modo sugillare. De stylo ipse profitetur: *Equidem ut etiam erudito lectori gratificarer, vitas aliquot rudi stylo conscriptas, aliquanto Latiniores reddidi; maxime quarum auctores nondum comperi: nonnumquam vero etiam illas nonnihil elimavi, quæ habent suos quidem auctores, sed sic scriptæ erant ut delicatas aures eorum qui sermonis elegantia delectantur, facile offenderent.*

quibusdam prudenter omissis.

stylo quandoque limato:

Probavit laborem suum Surius piis omnibus, etiam summis Ecclesiæ Pontificibus Pio V et Gregorio XIII. Cum celeriter essent exemplaria divendita, et multæ interea vitæ e variis suppeditatæ locis, cœpit eosdem tomos recognoscere ac locupletare, et denuo edere in lucem. Cumque ad finem prope Junii mensis pervenisset, anno 1578 Christi, ætatis suæ 56, die 23 Maji ad Beatorum (ut confidere fas est) contubernium evocatus est, eorum fruiturus præmiis quorum certamina scriptis mandarat. Jacobus Mosander, et ipse Coloniensis Carthusiæ alumnus, in opus successit, et tum reliquos tres tomos auxit, tum septimum, ad quem concinnandum copiosam materiam Surius congesserat, ipse quoque plures aliunde nactus vitas, vice supplementi edidit, adjecto Adonis Martyrologio, quod ex quatuor pervetustis codicibus sua manu descripserat.

ejus opus auctum ab ipso

et Mosandro,

Cum vero etiam secunda editio distracta esset, et multi tamen vitas SS. expeterent, tertia adornata est, sed multo locupletior: auctores sua nomina prodere noluerunt; quid præstiterint, ita Lectori aperiunt: *Inprimis, ne cui calumniandi ansa daretur, nihil de novo inseruerunt, nihil immutarunt, in quo non religiose adscripserint, unde unumquodque nacti sint. Vitas vero, quæ de novo additæ sunt, stellulæ signo in indice cuilibet mensi præfixo notari curarunt. Aliæ crucis signo notatæ sunt, quæ a Surio vel stylo mutato vel elimato editæ, jam vero substitutæ sunt prout ab ipsis auctoribus conscriptæ fuerunt. Quas quidem ut non accurate quæsiverunt, ita oblatas inserendas putaverunt, non ut Surium reprehenderent styli mutati ergo, sed partim ut iis ex parte satisfieret, qui illud a Surio factum non fuisse cuperent, partim etiam ut videant quam bona Surium ratio ad styli mutationem adegerit..... Quas vero antehac vitas edidit Surius, in iis si quid occurrebat, quod non omnino sua fide constare videretur, id ex aliis auctoribus, et Cardinalis Baronii præsertim Annalibus Ecclesiasticis (cui hac in parte plurimum debetur) margini annotandum judicarunt. Omnes autem vitæ tam antehac editæ, quam de novo insertæ, in certa capita et paragraphos distributæ sunt, et in summitate paginarum dies mensis quo occurrunt adscriptus, ut facilior esset lectori modus aliquid inveniendi et annotandi.* Opus hoc, sane egregium, in duodecim partitum tomos anno 1618 Joannis Krepsii et Hermanni Mylii sumptibus excusum est.

ab aliis interpolatum et auctum.

Ex Surio hauserunt Franciscus Haræus, Zacharias Lippelous, Cornelius Grasius, aliique innumeri qui Latine, Italice, Hispanice, Teutonice vitas Sanctorum deinceps edidere; quos recensere operæ pretium non est, quia non tam auctorum indicem hic texo, quam commemoratis quæ hactenus generatim atque universe de gestis Sanctorum scripta atque edita sunt, quem mihi in hoc opere scopum proposuerim ostendo.

Quare

Quare eos quoque prætermitto auctores, qui religiosorum Ordinum annales conscripserunt, quique singulorum cœnobiorum, urbium, provinciarum antiquitates, sacras præsertim, eruerunt ac illustrarunt; qui tamen omnes magno mihi subsidio fuerunt et adjumento.

§ VI. *Heriberto Rosweydo adumbratum de Sanctorum Actis opus.*

Rosweydus majus de SS. opus

Postremus ad hanc messem animum admovit ac manum Heribertus Rosweydus e Societate Jesu, acer judicio vir, stylo robustus, omnibus disciplinis et doctrinis politus ac perfectus. Quo ille intenderet, quæ colligere, qua ratione ac modo, quibus demessa condere horreis ac granariis vellet, ipsemet docuit, editis an. MDCVII *Fastis Sanctorum, quorum vitæ in Belgicis bibliothecis manuscriptæ*. Hisce fastis veluti specimen totius operis annexuit *SS. Tharaci, Probi, et Andronici* Acta Præsidalia, olim mutile edita a Baronio. Sed ipsum audire præstat, ita scribentem:

adumbrat an. 1607,

Ego sane etsi Sanctorum historiæ optime velim, et si otium sit, non omnino nihil in ea possim, imitabor hodie pictores sciographos, qui antequam rem ipsam vivis coloribus exprimant, soliti prius rudia quædam lineamenta ducere, et imaginem ipsam (liceat cum D. Augustino) liciare. Ita si rubrica, si carbo, si creta aberravit, de facili reformant, et futuræ imagini perfectum exemplar statuunt. Non ita pridem mihi Sanctorum historia omnis ætatis, sexus, nationis, ex variis Belgicæ Bibliothecis collecta, descripta, ab amicis transmissa, indiesque moles crescit. Quam priusquam in ordinem redigam, et quamque vitam genuino suo penicillo depictam repræsentem, placuit hanc sciographiam præmittere, ut si vel a me in hoc sacro instituto erratum, vel sicubi ad Ecclesiasticam hanc pinacothecam perficiendam vel tabula vel color aliquis desit, is ab Sanctorum amatoribus liberali manu communicetur. Stabit sua liberalitati gratia, et vel leve beneficium ibit in posteros.

16 *tomos pollicitus,*

Historiæ totius adumbratio eccista. Tomi XVI *de Vitis Sanctorum.* I. *De vita Christi et festis ejus.* II. *De vita B. Mariæ et festis ejus.* III. *De Sanctorum festis diebus publice solemnibus.* IV *ceterique ad* XV *de Sanctis mense Januario, Februario,* etc. XVI. *Martyrologia variorum.* Tomi duo *Illustrationum in vitas Sanctorum: quorum primus est Annotationum, qui constat octo libris.* I. *De Auctoribus vitarum Sanctorum.* II. *De tormentis SS.* III. *De imaginibus SS.* IV. *De ritibus Ecclesiæ, quorum hic mentio.* V. *De ritibus profanis, quorum hic mentio.* VI. *De tempore, seu Chronologia.* VII. *De locis, seu Chorographia.* VIII. *De verbis obscuris ordine alphabetico. Et si quæ alia explicatu digna occurrent, vel explicanda monebis Lector. Secundus est Indicum.* I. *Index nominum Sanctorum ordine alphabetico.* II. *Index et tabula omnium SS. cum notatione patriæ, status, laureolæ, temporis, loci, auctoris vitæ.* III. *Index per status SS. ut Religiosus, Virgo, vidua, conjux,* etc. IV. *Index per officia Sanctorum, Apostolus, Episcopus.* etc. V. *Index topologicus, seu index SS. per provincias, Italiæ, Franciæ,* etc. VI. *Index locorum, ubi coluntur Sancti tamquam Patroni.* VII. *Index nominum SS. pro curationibus certorum morborum.* VIII. *Index eorum SS. qui Patroni certorum opificiorum.* IX. *Index nominum propriorum hominum, locorum, urbium.* X. *Index sacræ Scripturæ, quæ in vitis explicatur.* XI. *Index controversiarum.* XII. *Index catechisticus.* XIII. *Index rerum et verborum ordine alphabetico. Et si quæ alia notatu digna se offerent vel notanda suggeres Lector.*

unum Annotationum,

alterum Indicum;

Modus tractandi hic iste: I. *Conquirere undique vitas ab aliis editas, ut Aloysio, Surio,* etc. II. *Easdem vitas cum* MSS, *et veteribus libris conferre, caussa duplici: prima, quod sæpe primus et germanus stylus, quia rudis, in politiorem ab editoribus mutatus: ex quo factum ut vitæ auctoritas sit imminuta, et historiæ veritas subinde labefactata, dum quædam non rite intellecta in alium sensum vertuntur. Deplorant hoc viri docti, et præ ceteris Illust. Cardinalis in Annalibus. Nempe contingit iis quod pictoribus:* ζωγράφοι ἐπειδὰν ἐξ εἰκόνων μεταγράφωσι τὰς εἰκόνας, πλεῖστον, ὡς εἰκός, τῶν ἀρχετύπων ἀπολιμπάνονται. *Illi enim, ait Magnus Basilius, cum ex imaginibus imagines depingunt, a prima, uti necesse est, forma ut plurimum recedunt. Ita est profecto, Ars veritatem perdidit, et quoniam styli gratia quæritur, negligitur virtutum. Quo, quæso, tibi argentea facies surdo figurarum discrimine, ut materia conspiciatur, ipse ignotus maneas? Sancti honorem suum colore suo, non fuco exprimi amant: sciunt se virtutes suas strictim palliatas, non solutim laciniatas reliquisse: malunt se nosci, quam vestem conspici. Secunda, quia sæpe vitæ non integræ editæ, dum nunc prologus, nunc miracula, nunc obscuriora omittuntur.*

omnia genuina stylo primigenio,

III. *Vitas nondum editas, undequaque conquirere, et aliis ita, ut dixi, recognitis interserere.* IV. *Vitas omnes editas quam ineditas illustrare, obscura explicare, pugnantia conciliare, et alia præstare, quæ duobus libris præcedentibus Illustrationum promittuntur. Hæc res ipsa concepta tantum, non pertractata, tenuibus pro voto unius lineis adumbrata, sed ope operaque multorum coloranda.*

sed dilucidata;

Dein inter monita ad ipsos Fastos ista habet: *Editas Sanctorum Vitas locis variis habeo varias, quarum syllabum hic non dedi, quod nullas operi miscere statuam, nisi vel exemplar* MS. *nanciscar, vel certe constet eas ipsas ex archetypis fideliter et integre expressas. Interest originalia Vitarum scripta semel extare, quod perparum fidei Breviatoribus sine istis. Quisque enim suo captu rem delibat, et dum suo palato consulit, alterum suo gustu privat.*

nec alia:

Post Fastos, ante Acta SS. Tharaci et sociorum, ista subdit: *Vidisti, legisti Sanctorum Fastos? quid nisi silvam non silvam? Ita, sine fructibus frondes, sine frondibus rami, sine ramis trunci. Maluisses, scio, præ omnibus fructum. Maluissem et ego una tecum. Sed novam facilius silvam seras, quam veteres passivitus dissitas in unum locum arbores transferas. Vitæ ipsæ ita varie sparsæ, ita varie scriptæ, ut iis colligendis, recensendis, et tempore et impendiis non modicis opus.*

specimen dat:

Hæc ille; quæ ut legit Cardinalis Bellarminus, quæsivit qua ætate is esset qui ista promitteret. Ubi didicit jam annos fere **40** habere, sciscitatus est, an ei esset exploratum se ad **200** annos esse victurum? Neque enim, inquit, minori spatio temporis, ab homine uno res tanta perfici pro dignitate potest. Ut erat tamen magno animo Rosweydus, etsi tantum aberat ab absolutione operis, ut fundamenta, quæ cogitarat, vix omnino posuisse videatur; dixit tamen non diu antequam e vita decederet, jam LX natus annos, posse se annis singulis mensem sive tomum unum, recensere ac vulgare. Cogitabat enim vitas solas recensitas edere, uti SS. Tharaci, Probi, et Andronici Acta publicarat, absque Annotationibus, quas postea concinnaret; de iis vero Sanctis quorum non reperisset vitas, nihil omnino dicere statuerat. Pollicebatur autem se ipso mense Octobri, quo ineunte decessit, opus illud aggressurum.

sperans reliqua absolvere.

Verum (ut ei tunc objectum ab amico) an, ut id potuisset præstare, tomis duodecim editis, LXXII, natus annos eo robore corporis, mentis vigore, memoriæ tenacitate, futurus erat, ut Annotationes tunc demum concinnaret? Quid iis Vitis erat facturus, quas plurimas, genuinas fortasse ratus, descripserat, ego ex aliis breviatas, imo et vitiatas, postea deprehendi? Ederet non examinatas? Alienum hoc ejus ingenio et gravitate. Ponderaret omnia suis momentis? annuo spatio majorem singuli menses operam postulassent. Distulisset in tempus aliud ambigua? Haud multo igitur Surianum opus superasset. Quid deinde iis futurum erat? an veluti atro damnata calculo, *vel blattis et igni fierent pabulum*, ut ipse loquitur, *vel cucullum piperi facerent?* Verum et Scriptoribus et Sanctis ipsis insignis ea ratione inferretur injuria; quando

An id potuerit sexagenarius?

quando et illorum scripta non examinata abolerentur, et horum benefacta ita leviter obtererentur, et vitæ sanctitudo in dubium fortassis vocaretur. An examinaret omnia diligenter, absolutis Annotationibus? qua ætate?

Potuit prius,

Ego quidem certe existimo, si cum Fastos edidit Rosweydus, continuo calamum sumpsisset, et insudasset operi, excutere potuisse vitas omnes, etiam quæ non omnino certæ fidei videntur, et meditatum opus perficere, aut partem saltem ejus maximam, præsertim si adjutor ei aliquis idoneus obtigisset. Sed nimis ille multis distrahi curas suas et studia est passus; non quod quæ scripsit, publico utilia non fuerint, sed pleraque fieri ab aliis, ipso instruente, potuerunt, præsertim quæ Teutonica lingua edidit, illius præstantem summamque eruditionem minime exigentia. Nec defuere qui hæc inculcarent domestici externique monitores, quorum quidam vix convicio temperabant, aut desperare eum dictitantes, perfici posse quæ esset meditatus, aut nimis viribus confidere vitæque. Non destitit tamen undecumque quantam posset copiam vitarum coacervare, atque etiam plane easdem, ut in diversis codicibus reperisset, diversis diebus assignatas sæpius describendas curare : sed acervo veluti attentus custos incubabat, alia interim meditans, scribensque semper aliquid. Verum iis nunc querelis, quas non mihi magis, quam cum ille mortuus est, bonis omnibus justus quidam dolor expressit, abstineamus; et licet opus meditatum non absolverit; habeamus tamen gratiam quod id ita præclare informarit.

si unum id egisset.

§ VII. *Auctoris hoc in opere propositum.*

Acta Sanctorum hic

Nunc quid mihi propositum sit, quorsum spectet mea hæc commentatio, planum faciam. Nec vestigia Rosweydi anxie ac sollicite persequi animus est, ut quæ non fixa firmiter, parte aliqua operis absoluta, sed leviter pressa dumtaxat, idea quadam tenuibus lineamentis informata. Nec tamen recedam longius. Idem illi et mihi scopus Acta Sanctorum generatim indagare, e tenebris eruere, illustrare. Sed longius ego aliquanto quam ille aciem intendo. *Vitas* ille, ut dixi, *nullas operi miscere* statuerat, nisi vel exemplar manu exaratum nancisceretur, vel certe constaret eas ipsas ex archetypis fideliter et integre expressas. Tam angustas mihimet ego metas non pono. Nam

cum genuina et propria desunt,

cum maximorum etiam Sanctorum, et quidem plurimorum, mandata litteris acta non sint, aliorum interciderint; extet tamen utrorumque frequens apud Scriptores memoria; cur non licebit hic gesta eorum, ex iisdem accepta Scriptoribus, commemorare? Quid si aliquorum nulla quidem Acta in manibus sunt, qualia principio conscripta fuisse constet;

ex aliis auctoribus collecta,

reperiatur tamen eorum epitome, nec stylo polita, nec satis ad historiæ normam exacta, et quandoque fortassis ab eo quod eruditi homines animo præceperint aberrans; cur hoc avido et famelico lectori ferculum subtrahas, etsi minus apte conditum videatur, nec quo e macello allatum sit noris, et num

aut fama,

quidpiam maligne præcerptum? Quid, cum neque ejusmodi extat monumentum, nec probati scriptoris testimonium; viget tamen Sancti alicujus memoria, ejusque celebrantur benefacta et miracula, vel sola populi fama, vel positis etiam imaginibus et anathematis; nefas fuerit, quid majorum sermonibus traditum sit, quamque id probabile videatur, exponere? Abstinuisset his omnibus manum Rosweydus : non ego; qui nihil, quod ad Sanctorum honorem amplificandum, conservandamque memoriam facere videatur, existimem esse negligendum. Sæpe etiam neque scripta veterum, neque recentiorum famam sequi datur, quod et acta nulla extant et penitus abolita memoria Sanctorum est : nomina tamen vetustis inscripta Martyrolog. sunt, quorum verba repræsento,

aut martyrologiis.

et si quod alibi vestigium apparet, scrutor et excutio diligenter.

Cogitabat præterea Rosweydus vitas primum solas edere, postea de earum scriptoribus, horum ætate ac Sanctorum ipsorum, de utrorumque vitæ ratione, domicilii aut mortis loco, et aliis, quæ superius proposita sunt, disputare. Ego vero satius esse duxi, ad singulas id vitas agere; neque sat tuto in aliud tempus differri. Fieri enim potest, ut in Vitam incidat quispiam, quæ illi videatur vel ab aliquo probatæ fidei historico dissentire, vel receptæ chronologiæ non satis apte congruere, vel loca continere vulgo ignota; ideoque aut numquam extitisse Sanctum illum, aut ficta esse et commentitia illius Acta suspicetur. Occurrendum igitur istiusmodi opinionibus est.

Actis additæ Annotationes.

Virum egregie doctum audivi narrantem, se cum primum Vitæ Patrum ipsius Rosweydi studio recognitæ et illustratæ prodierunt, illico investigasse num inter eas esset Macarii Romani vita, illius qui juxta Paradisum habitasse dicitur, et trium monachorum ad eum iter : ea cum reperisset, neque satis Rosweydi Annotationibus firmata, aut discussa, sprevisse se librum ea causa. Imprudenter ille quidem, qui ingentem thesaurum, cui vel unicus admixtus esset nummus adulterinus, contemnendum ideo existimarit; imo cum nec adulterinus quidem esset fortassis, sed monetæ ignotæ. Quid si Notationes nullas addidisset, quanto minus illius et aliorum fastidioso palato vita illa sapuisset? Quot inter Sanctorum Vitas sunt paribus aut etiam difficilioribus implexæ ambagibus?

ne spernantur.

Edidi XIII Januarii vitam S. Kentigerni Pictorum Scotorumque Episcopi, sane admirabilem. Vir quidam eruditissimus, et in Anglicanarum rerum Scriptoribus versatissimus, cum mecum de Sanctorum Vitis haberet sermonem, rogatus a me est, quid de Joanne Capgravio, ejusve Sanctorum Angliæ Legenda sentiret. De sanctissimis hominibus, inquit, fabulas vel scripsit, vel collegit. Omniane ergo, inquam, improbas? Pleraque, ait. Fateor esse quæ ita imperite ac inepte scripta nollem : at de Kentigerno quid videtur? Fuit, inquit, vir Apostolicus, sed figmentis scatet vita. Sciscitatus quid præcipue rejiceret, quæ jam a me excusa de eo erant, legenda obtuli, rogavi ut afferret lucem. Cum legisset; Multæ, inquit, spretæ hactenus Divorum historiæ, ubi sic erunt illustratæ, et si stylo nil insipidius, arridebunt tamen eruditis. Quid si ergo ipse ea sua singulari eruditione digessisset ornassetque Rosweydus, quanto illustrior emicuisset obscuratæ hactenus aut nescio qua temporum barbarie infuscatæ splendor veritatis?

Eæ fidem conciliant etiam præjudicatis:

Ipse ego (fatebor enim, qui communis est multorum, errorem meum) cum in Actis, non memini nunc quibus, legissem *Urielis* et *Ophaliæ* Reges, suspectare fraudem cœpi, ac vereri ne in quapiam Mori Utopia quæ narrarentur gesta essent; donec suspenso veluti gradu, ita mentis assensu pertentarem omnia. Tandem vero *Uriel*, sive *Iriel*, aut *Uriela* occurrit, Hiberniæ provincia, cujus caput Drogheda urbs; et Donaldus *Rex Urielis*, Mellifontis præclari cœnobii fundator; et qui cum aliis Henrico II Angliæ Regi se subjecerunt; *O Carel Rex Urielæ, Mac Shaglin Rex Ophaliæ*. Quid ni igitur cum ista occurrunt, ne hallucinetur et a lectione honesta imprimis et fructuosa avertat animum, qui ad ejusmodi scopulum fuerit impactus, breviter ea explanem? Periculosa sane mihi ac temeraria futura res est visa, si absque ullis Annotationibus ac Præfationibus, ederem quamvis multis probatas Vitas et genuinas. De ipsis porro Annotationibus totaque operis methodo, plenius cap. 2, disseram : hic illud indicandum fuit, a Rosweydo quibus in rebus et quamobrem discederem.

sæpe necessariæ.

Verum sentio esse quosdam, quibus Rosweydi non probetur institutum, minus etiam meum; propterea

quod

Inornata Acta an respuenda,

quod existiment, satius esse urbano et venusto stylo, quæ de Sanctis comperta sunt, narrari; quam rudera quædam incondita, aut saxa potius barbari sermonis projici : quin et Sanctos ipsos venire in contemptum putant, cum ita illorum res gestæ narrantur. Cum vero ex variis auctoribus de Sanctis, quorum vel propria nulla, vel minus integra extat Vita, quædam profero analecta; mallent unam concinnari continuam orationem, quam quasi centonem consui, ipsis sanctorum verbis repræsentatis. Mallent cum invicem discrepant auctores, omnibus expensis, sententiam unam, quæ probabilior videatur, affirmari, ceteris prætermissis; quam ambigue conjectando ansam, ut ajunt, præberi de rebus omnibus dubitandi. Næ illorum multum a mea dissentit ratio. Merentur quidem Sancti ut a peritissimis scriptoribus res ab ipsis præclare gestæ mandentur litteris, magis sane quam Rex ille, quem legimus, cum multos secum rerum suarum haberet scriptores, invidisse etiam ei cui suæ virtutis Homerus præco obtigisset; seque ab Apelle pingi, a Lysippo fingi potissimum voluisse. At multis ætatibus vel rari extitere præclari scriptores, vel qui extitere, ii suorum studiorum inanem sectari mercedem, quam Deo Divisque suos consecrare labores maluerunt. Si qui autem bene docti Sanctorum gesta mandare litteris aggressi sunt, ii vel animis in alias plures curas distractis expolire sermonem non potuerunt, vel ultro neglexerunt, rati stylum eum optimum esse Sanctisque gratissimum, qui cum ipsorum vitæ modestia consentiret; ut sicut illi vulgo contempti contemnebant ipsi omnia seculi ornamenta, monumenta gloriæ, laudis insignia, solo virtutum interno splendore contenti, quo se Numini gratiosos fore confiderent; ita omnis de eorum vita instituta narratio, humilis esset et inelegans, sola veritate et pietatis incitamento commendata.

aut e variis collecta?

Cur incompte olim scripta?

Equidem non video cur non cuicuimodi illud sit, quod sic traditum est litteris, id quisquis amator est veritatis multo libentius amplectatur, quam si novis elegantiarum pigmentis adulteretur. Jam quis ego sum, qui cum discrepant atque inter se pugnant scriptorum variorum narrationes, ipse quod mihi visum fuerit, velut certum minimeque dubium pronuntiem, et mea unius, quæ nulla est, firmem auctoritate? Nonne id satis est, si ubi plurium discrepantia protulero testimonia, quodnam eorum et quamobrem præferendum existimem, modeste exponam, aut etiam judicium Lectori relinquam? Ipsos principes historicorum video ab hac ratione mea minime abhorrere. Quoties enim Valerium Antiatem, ac Fabium Pictorem diversa sentientes citat Livius? Quamquam, quia in omnium manibus erant, non ipsa eorum verba adnumerat, neque id erat opus. Mihi id visum est faciendum, ut sua antiquitati dignitas constet, ac reverentia. Etiam in statuis et imaginibus Principum, imo et plebeiorum quoque, majorum nostrorum, veterem illam habitus formam observamus ac reveremur, et longe inepto ac multiformi ætatis hujus vestimentorum modo præferimus : et non id in scriptis ac stylo, cui uni fere a vetustate commendatio est, valebit? Lectores malo quid olim de singulis Sanctis scriptum sit, intueri, quam mihi credere narranti. Aberit fraudis suspicio, cum ipsa veterum verba legentur. Atque ita quidem affectus animo sum, ut mihi haberi fidem nolim, nisi id narrem quod ipse oculis vidi, neque enim ita me hactenus vixisse arbitror ut tunc fidem non merear: ast in ceteris quæ ante meam gesta sunt ætatem, nolo mihi credi, sed, quos proferam, testibus, quos ipsos suis volo verbis uti : quæ tamen si quando obscuriora erunt, ut mihi interpretari ea et explicare liceat, deposcam.

Testimonia scriptorum,

etiam dissentientium

proferuntur ipsorum verbis,

ad fidem.

Fontem igitur demonstro, puræ quidem aquæ et salubris, sed in obscura latentem silva, densis septum frutetis, musco obsitum, avio loco, difficili aditu, nullis labris aut marginibus aliisve operibus conclusum, ita tamen ut haurire ex eo facile queas, aquamque deducere, quibus voles canalibus, lapideis, ligneis, plumbeis, argenteis, inde aut virtutum præstantissimarum petendo exempla, aut materiam sumendo quam stylo exornes ad aliorum utilitatem, Divorum honorem; ea lege tamen, ne ipsum unquam obstruas fontem; sed si quæ forte e vicina palude vena influxit, aut malitiose inducta, si cujus arboris noxia eum umbra texit, si quid aliud saporem ejus vitiavit, usumve interclusit, medelam afferas qua licet : si quid a sciolis aut imperitis librariis adjectum, recisum, mutatum deprehenderis; aut ipse emendes, aut nos moneas.

Opus hoc fons est,

metalli vena,

Venam divitis metalli ostendo : refode eam, tu, excoque, utere. Si quid terrestris scoriæ admixtum, secerne : si quid minus a me depurgatum, (et sunt pluscula, fateor) excute tu diligenter : verte in quæ voles opera; sive nummos cudere animus est, quos trapezitæ illi Regi annumeres æternarum possessionum pretium, quibusve nomina multis jam noxis peccatisque facta dissolvas; sive vasa magnifice elaborare, quæ ad celestes, etiam Numinis ipsius, epulationes adhibeantur; seu denique arma fabricari, iisve splendorem addere, quo adversariorum præstringas oculos, et gloriosum triumphum reportes; quod voveo.

silva cædua.

In silvam duco, opacam et densam, et multos per annos, imo secula, inciduam. Hic si te umbra delectat, amœne conquiesces, æstumque curarum forensium et cupiditatum temperabis. Sin cedere arbores lubet, jus fasque est, et in quos voles usus; seu navim cupies fabricari, qua ad destinatum salutis portum vehare; seu domum ædificare, in qua tibi vivas, non semper hospes tuiipsius, et rerum tuarum ignarus; seu quod denique aliud moliri opus, sive solum ignem facere, quo frigus pellas, animi, inquam, maxime periculosum; affatim materiæ est. Unum postulo, sicubi via erit frondibus et virgultis interclusa, aut caducis vietisque ramis impedita, sicubi direpto cortice squallebunt trunci, si quæ inimico sidere afflatæ quercus, si quod aliud inutile lignum; fateare tamen, æquus esse si voles, plura esse apta et commoda; nec uspiam fortassis, pari in mole, pauciora, repudiare quæ velis.

CAPUT SECUNDUM.

Methodus et symmetria operis.

§ 1. *Ordo dicendorum et ratio.*

Ordo necessarius in Vitis SS.

Rerum omnium quæ existunt, ordo quidam est ac modus, a natura, aut potius ab auctore naturæ, sapientissime constitutus. Cernitur is quoque (licet sæpius hominum improbitate perturbatus) in rebuspublicis, ex pulcherrima partium omnium, ceu membrorum, compositione ac disciplina consertus. Verum alibi nusquam illustrius, quam in Sanctorum vita elucet, a quibus est tum in Numinis veneratione publica ac privata, tum in ceterarum functionibus ac muniis virtutum, omnique vitæ ratione, ordo quidam, idemque fere Divina haustus institutione, studiosissime conservatus; ut æquum propterea sit, omnem, qui de eorum gestis instituitur, sermonem certo quoque ordine disponi. Ergo ne quis ut in vasta atque immani silva chaos quoddam suspicetur, atque indigestam molem; breviter hic totius operis ordinem explicabo. Ac primo rerum ipsarum quæ dicuntur est ordo : dein eorum quæ perspicuitati serviunt ac commodo Lectoris, apta atque idonea ratio tum styli qualitas et conformatio : Indicum etiam (nam eorum præcipuus

præcipuus est usus) necessaria explicatio : odiosæ præterea sunt quæstiones nonnullæ ac censoriæ notationes, a quibus cur retorqueam stylum, exponenda est caussa : demum quæ in posterum mediter, operum est idea quædam aut consilium aperiendum.

hic alius quam a ceteris Auctoribus servatus,

Qui antehac Sanctorum Vitas scripsere, ii vel nullum secuti ordinem sunt, ut qui secundam partem Legendæ composuit, atque in nonnullis voluminibus Lipomanus; vel alphabeticum dumtaxat nominum, ut Mombritius; vel ætatis ac temporum, ut recentiores nonnulli, vel festorum, quæ in ritualibus libris Ecclesiæ Romanæ descripta sunt, ad quæ ceterorum Sanctorum, etsi in nullis extent Kalendariis, mortuales dies accommodant; ita Jacobus de Voragine, Surius, ac reliqui fere omnes. At si in eumdem diem plures inciderint Sancti, horum ab iis promiscue scripta nomina; vitæ editæ, nullo vel ætatum discrimine, vel litterarum; ut cernere est in Petro de Natalibus ac Surio. Ego fastos quidem sum Romanos secutus, ut quo quisque in cælum migravit die, aut quo præcipua illius agitur festivitas, Acta darem. Sed et dierum quoque singulorum Sanctos in certum reposui ordinem, ut, quantum eorum assequi ætatem potui, prius de iis agerem, qui prius vixerunt, aut certe prius excesserunt e vivis. Non ita tamen id arripui scrupulose, quin ubi ætas controvertitur alicujus, communi adhæserim sententiæ, licet ut verior ea esset timerem. Ubi nullo ex vestigio certam deprehendere ætatem aliquorum potui, ut sæpe Martyrum, hos in ea conjeci tempora, quibus maxime congruere visi sunt. Sed de chronologia mox iterum.

etiam inter SS. ejusdem diei.

1. Sanctorum qui eo die coluntur posita nomina :

Primum igitur consignato die quolibet qui eo die coluntur Sancti, aut quorum quoquo modo celebratur memoria, eorum nomina ordine, quem jam exposui, recenseo; addito, cum mihi cognitus est, loco quo vixerunt, et quam gesserunt dignitate, aut gradu, v. g. *S. Gaudentius Episcopus Novariensis in Italia. S. Leo Tribunus, Martyr in Bulgaria,* etc. Atque ea ratione unico obtutu de quibus eo die agatur Sanctis, quoque ordine, perspici potest.

2. rejecti in alios dies,

Sequuntur *Prætermissi et in alios dios rejecti.* Sæpe namque Sancti unius plura sunt festa, in una etiam atque eadem Ecclesia : nam quorumdam obitus sive natalis celebratur, Translatio, nec una; ordinatio, miraculum quodpiam : aliorum a diversis populis diverso die agitur, etiam eadem celebritas. Esset vero illud ridiculum, si quis unius Sancti pluribus diebus edi uno in opere Acta vellet. Semel igitur illa dedi; quibus vero diebus alibi agitari eorum festivitatem vel recoli in Divinis officiis memoriam comperi, indicavi isthic, ubi Acta eorum queant inveniri : idque eo consilio, ut si quis Patroni fortassis sui, aut cetoroquin quopiam in loco celebris Sancti Vitam quærat, neque tamen eo die reperiat, sciat quo sibi sit recurrendum. Plerumque vero ad eum diem cujusque Vitam rejicio, quem maxime solennem agi existimo in loco ubi illius conditum est corpus, aut qui illius ortu patrociniove gloriatur. Sunt præterea recentioribus Martyrologiis, aut Sanctorum catalogis, multorum inscripta nomina, quibus tamen cælestes honores non sunt Ecclesiæ judicio decreti, vel antiqua populorum pietate prærogati. Hos ego mihi omittendos esse merito existimavi, recentiores præsertim : neque præter *Venerabilem illum Ludovicum Blosium Abbatem Lætiensem,* (cujus cur vitam hic dederim, suo loco exposui) alterius cujusquam res gestas retuli, qui non ab aliquibus scriptoribus in Divorum albo collocetur. An legitime id factum esset, sæpius addubitavi; ac tunc si dedi vitam, (dedi autem paucorum) omisi tamen *Sancti* aut *Beati* titulum : plerumque tamen Vitam omisi, nomen indicavi, ut sicubi me mea conjectura fefellerit, me lector eruditus admoneat. Ac vero conjeceram in hanc Omittendorum classem nonnullos, quorum postea et sanctitatem publicis festis monumentisque celebratam didici, et res gestas accepi.

vel omnino omissi,

In hoc quoque omissorum syllabo ordo est a me duplex observatus : nam primo eos recenseo, qui in priorem, juxta Kalendarii seriem, rejiciuntur mensem aut diem : exempli gratia, si die XII Januarii in Martyrologiis Sancti occurrant, quorum aliqui X Februarii, VI Aprilis, XV Januarii, VIII Januarii colantur, alii etiam plane omittendi videantur; primum eos refero qui ad præcedentes Januarii dies, tum qui ad ipsum duodecimum pertinent, sive qui adscripti illi diei sunt, sed videntur esse omittendi; dein qui ad dies consequentes ejusdem mensis; ac denique mensium aliorum, eadem semper serie atque ordine dierum. Secundo cum omnino prætermissi eodem die plures sunt, hos quoque eo ordine digessi quem eorum postulare ætas, etsi non semper accuratissime expensa, videretur.

etiam apto ordine.

Tertio loco Præfationes sunt, sive προλεγόμενα, aut præviæ de vitis singulis dissertationes. In his locum, in quo præcipue Sancti singuli coluntur, quove orti, aut in quo ætatem degere, vel quem suis reliquiis consecravere, expono : tempus quo vixere, ex certis characteribus, si quidem ii suppetunt, eruo : sanctitatem publice celebratam, ex Actis canonizationis, Martyrologiis, veterum scriptorum testimoniis, templis eorum honori dicatis, reliquiarum legitimis translationibus, atque aliis monumentis, affirmo : Vita a quo scripta, quo tempore, quibus probata, citata, a quo accepta, commemoro. Atque in hoc postremo capite ita sum religiosus (quod id existimem ad gratitudinem testandam, impetrandamque fidem valere quam plurimum) ut nullam omnino Vitam edam, quin a qua Ecclesia aut cœnobio accepta sit, indicem; expressis etiam privatorum nominibus, qui vel suos codices commodarunt, vel sua manu ex alienis Acta vel unius Sancti descripsere. Et fuerunt, qui quas paraverant publico vitas, eas a se dilucidatas in hoc tamen amplo opere maluerunt extare, quam separatim tenui cymba vagari : his etiam ut æquum est, suus constat honos; uti et iis qui e Græca lingua, aliave barbara vitam alicujus Sancti vertere, aut miracula. Quæcumque vero in Rosweydi armariis reperi, ea omnia summa fide significo ab eo me accepisse : idque eo studiosius facio, quod fuit nonnemo, qui vel existimavit, vel certe persuadere aliis conatus est, nullam a me Vitam edi, quam non ille olim congesserit. Melius id norunt qui plurima post illius mortem suppeditarunt et in dies suppeditant amici. Magna tamen pars operis, aut totum potius illi debetur, quod et multa collegit, et auspicatus est opus, quod vel mihi fortassis non venisset in mentem, vel certe ut id aggrederer non sivissent Ordinis nostri Præsides.

3. Prolegomena,

in quibus Vitæ ipsæ examinantur,

a quo eæ scriptæ,

unde acceptæ,

etiam an a Rosweydo;

Non Vitas autem solas edo Sanctorum, sed et Translationes, et patrata ab iis post mortem miracula; quæ si separatim peculiari commentario descripta sunt, iis sua præfigo Prolegomena æque ut vitis ipsis, eodemque modo ea dilucido : sin pars sunt Vitæ, eive attexta, de iis seorsim nisi in communibus ante Vitam Prolegomenis non disputo. Si quæ autem alia de iisdem Sanctis alii tradidere scriptores, ea vel in Prolegomenis, vel post vitam profero, aut si eadem narrantur in Vita, indico solum. Prolegomena vero ipsa si prolixiora sunt in plures partior paragraphos. Quæ porro Prolegomenorum, eadem Vitarum est ratio, quæ non continua serie conscriptæ ab auctoribus sunt, sed a me e variis scriptoribus collectæ, quasique consarcinatæ. Ceterum quæ in hisce Prolegomenis tracto, eadem V. CL. Andreas Saussaius in commentariis apodicticis ad Martyrologium Gallicanum, daturum se pollicetur, fortassis etiam luculentius. Miracula Sanctorum sunt qui edi non probent, vel quod iis, ut loquuntur, confirmari nunc nostræ religionis veritatem necesse non sit, vel quod multa in iis inesse videantur inania ac futilia, quæque risum potius exprimant quam fidem aut pium animi sensum, vel denique quod in iis

tum de Translationibus agitur et miraculis,

et de his quidem utiliter.

multa

multa memorentur Ecclesiasticæ libertatis violatoribus, sacrorum contemptoribus, aliisque sceleratis hominibus inflicta cælitus supplicia, quæ qui eadem nunc designant flagitia, merito sibi sentiunt esse pertimescenda, putantque palam exprobrari. Quam fidem quæ vulgantur a me Divorum historiæ mereantur, sequenti capite exponam. Non solum autem ad religionis persuadendam veritatem aut facta olim miracula sunt aut fiunt etiamnum a Deo : magnus eorum fructus est, si a sceleribus deterreantur mortales : quamquam neque hoc potest accidere, quin confirmetur etiam religio, ac præsertim salutaris de suprema Dei providentia opinio. Et multi ante me sapientissimi sanctissimique viri Sanctorum conscripsere miracula, quorum sunt quædam in generalibus Ecclesiæ conciliis approbata.

4. Vitæ primæva phrasi,

Quarto ipsas edo Vitas germana phrasi, qua sunt olim ab Auctoribus conscriptæ, cum MSS. codicibus accuratissime collatas; si quidem archetypa ejusmodi exemplaria reperire potui. Si non extabant illæ prius Latine, indico quis verterit; ubi id non indico, sed solum e Greco, Italico, Gallico, Hispanico, Teutonico versas, a me versæ sunt. Si plures extant unius Sancti Vitæ, et a nominatis præsertim scriptæ auctoribus, eæque hactenus non editæ, omnes hic edo; nisi compendia sint aliæ aliarum. Nam cum antiqua nactus sum Acta, plerumque Metaphrastæ et recentiorum narrationes prætermitto.

nisi ex alia lingua versæ.

Hisce vitis ac miraculis subjicio, ubi opus esse videtur, perbreves Annotationes; quibus vel variæ lectiones in diversis MSS. animadversæ indicantur, non omnes cujuscumque generis, quod esset supervacaneum, sed quæ alicujus esse momenti visæ sunt; vel si quæ nomina urbium aliorumve occurrunt locorum, quæ non satis in eadem Vita explicata esse videantur, ea breviter ubi sita sint annoto. Si quæ verba barbara, aut minus usitata, eoque obscura, explano ea breviter. Si quæ temporum nota, a vulgata dissentiens chronologia, aut quæ non satis perspicua esse videatur, eam, si in Prolegomenis id factum non est, expono. Si quid est quod cum Theologorum placitis neutiquam congruere videatur, id vel enodo, vel qua licet excuso, vel etiam qui corrigi possit doceo. Denique cum præter eam quam edo Sancti cujuspiam Vitam, alia extent subinde ab aliis scripta auctoribus ejusdem Acta, aut ab historicis relata, si quid hic omissum aut aliter narratum sit, admoneo.

5. Annotationes ad singula capita,

Non defuere viri doctissimi, qui hasce Annotationes existimarent nullum esse usum habituras, eoque ut vano labori parcerem hortarentur. Neque enim eruditos Lectores illis egere; neque qui egeant, eorum esse habendam rationem, nisi ipsam passim velimus Latinam phrasim in rudium gratiam explanare : Jacobum Sirmondum, Dionysium Petavium, aliosque pari eruditione viros Annotationes hasce, aut etiam propter eas opus universum contempturos. Perculit, fateor, me virorum tantorum allata ad labefactandum institutum meum auctoritas. Ergo ne Heroibus illis, qui mihi singuli instar essent plurimorum lectorum, aut etiam omnium, displiceret labor hic meus, quas jam paratas habebam Annotationes expunxi plerasque; ideoque rariores quatuor primis diebus adjectæ. His excusis, cum bella justitium, ut ante scripsi, prælis indixissent, pensiculatius cœpi cogitare, quibus hæc ederem? anne solos eruditissimos homines volvere opus meum vellem, an non potius plebem omnem litteratorum? his numquid commodo esse Annotationes illæ possint? Cui ingratum fore, ubi Sancti alterius fieri mentionem legerit, moneri quo die sit illius Acta reperturus? Si solum Petavii Sirmondique similibus legi mea velim, satis esse si decem aut duodecim cudantur exemplaria; neque enim esse nunc aut intra longissimum fortasse tempus futuros pari eruditione decem. Quid? an nescire eos, scribi multa quibus

doctis non necessariæ,

vulgo utiles,

solum vulgus rude et imperitum utatur, plura quæ mediocriter docti legant, quæ doctissimi pauca? Notam mihi eorum esse humanitatem ac comitatem, plurimis litteris officiisque immerenti mihi præstitis testatam, ut non facile sint, quod ipsis etiam usui non sit, sed prodesse tamen aliis queat, aspernaturi. Accedebat aliorum scriptis celebrium virorum auctoritas, Jacobi Tirini, Joannis Tollenarii, Laurentii Uweni, Autberti Miræi, atque aliorum multorum, qui et lectas hasce brevissimas notas probabant, et ut porro similes elucubrarem hortabantur.

multis probatæ;

Antonii Winghii Lætiensis Abbatis longe vires meas, ac fortassis modum humanæ imbecillitatis, vota ac consilia excessere. Optare enim se aiebat, ut non brevissima solum scholia, sed luculentiores commentarios darem, quales fere Petrus Halloix noster ad Vitas Sanctorum Scriptorum Orientis adjecisset, de quo auctore multus tunc nobis fuerat sermo, et cum summa ejus, ac merita, conjunctus laude. Negavi eam esse mihi vim animi, ac corporis firmitatem, nisi viginti alios excitaret ipse, qui ad idem studium suam operam serio conferrent. Quem deinde lecturum hæc? cogitaret operis mei molem etiam absque ejusmodi commentariis : quid si illi accesserint, et par characterum magnitudo? Trecentis profecto voluminibus opus omne non iri expletum. Acquievit continuo responsioni huic meæ vir optimus.

non tamen prolixæ.

§ II. *Ad perspicuitatem et lectorum commodum excogitata.*

Providere quidem omnes oportet, qui ad libros edendos animum appellunt, ut non modo stylus clarus apertusque sit, sed et litterarum forma ac chartæ ratio sit ejusmodi, nihil ut lectorem offendat ac fatiget. Numquam tamen mihi eorum imitanda esse duxi exempla, qui characterum magnitudine, nitore chartæ ceteraque elegantia capti, nil pensi habent, quanti pretii futuri sint libri, et quam multi eos coempturi. Volui ego ita opus hoc meum cudi, ut nec fœda esset charta, neque deformes litteræ, quæ averterent potius, quam allicerent lectorem; neque tamen ita splendida essent ac sumptuosa, ut emptores pretii magnitudo deterreret. Idcirco Typographum monui, prudentem virum ac cordatum, ut chartam, characterem, et cætera quæ opus forent, adhiberet, qualia sibi esse utilia judicaret : nam quod illi utile esset, id mihi maxime jucundum fore, ut nimirum quam plurimi libros meos emant ac legant. Fecit ille pro sua prudentia et humanitate, ut neque papyri aut typorum munditiam requirerem, neque pretium enorme damnarem. Et quidem ordinari a me characterum diversitatem et modum voluit, ac cetera quæ censerem operis perspicuitati servire. Quæ huc faciant, quæque adhibita litterarum differentia, summatim hic edisseram.

Chartæ et litterarum forma non nimis sumptuosa et operosa.

Primum grandiori forma characteris (ut de titulis nihil dicam) impressa Sanctorum cujusque diei nomina, ut ipsa litterarum magnitudo illico oculos advertat Lectoris animumque. Ejus tamen Sancti nomen, cujus eo die festivitas sit in Romano Kalendario consignata, quadratis est litteris, ut emineat, non tamen primo loco, ut in Martyrologio, sed ordine ætatis, efformatum. Duo deinceps sunt genera litterarum, mediocri magnitudine, quam ex re medianam vocant; aliæ longiores aliquanto quam latiores, vulgo Italicæ dicuntur; typothetæ nostrates, quod iis calamo efformandis citatius moveri manus possit, et velut currere videatur, *Cursivas* quasi cursorias, appellant. Aliæ rotundæ sunt ac teretes, et passim Romanæ nominantur. His Vitas, et quæcumque alienis verbis efferuntur, excudi curavi : cursoriis illis quæ mea sunt, aut quasi mea, quia adjutorum et laboris sociorum, de quibus infra. Annotationes

Litterarum discrimina.

tiones vero, ut quas lectorum quidam præteribunt festini, vel sibi non necessarias rati, minimo excusæ sunt charactere.

Dies et annus mortis SS. indicati in margine.

Principio Vitæ cujusque aut præviæ meæ de ea dissertationis, in margine diem signavi quo is colitur Sanctus, et annum quo decessit : vel si annum certa nota temporis circumscribere ac definire non potui, tum seculum quo vixit, aut seculi initium finemve expressi. Ast in supremo margine quasique superliminari paginæ cujusque et Sancti nomen, cujus isthic datur vita, et dies mensis adscriptus; ne quemquam oporteat plura volvere folia ut norit quo de Sancto agatur, et quo die mensis. Quia vero ejusdem Sancti plures quandoque sunt vitæ, a diversis scriptæ auctoribus, ideo in exteriori margine paginæ cujusque, summo loco a quo ista auctore sint quæ dicuntur, aut unde accepta indicatur, hac formula : AUCTORE N. N. EX MSS. aut EX EUSEBIO, EX VITIS PP. EX SURIO etc. Si quæ ea pagina habentur, quæ nulli certo tribuenda Auctori videantur, sed sint a me undique compilata, adposui, EX VARIIS.

Tituli paginarum.

Auctor Vitæ in singulis paginis.

Capitum divisio et tituli.

Vitas singulas in capita distribui, ut laborem levarem tædiumque Lectoris. Neque semper partitiones sum secutus quæ vel in aliorum editionibus vel in MSS. extabant, quod plerumque mutuo non responderent codices; unde conjecturam capiebam, non esse ab ipsis auctoribus illas capitum factas sectiones ac titulos. Si quando divisisse Auctorem commentarium suum in capitula, aut titulos apposuisse, probabile fuit, retinui utraque. Nisi forte brevia nimis capita erant, et quasi a singulis periodis repetita, aut nimis longa et ad plures paginas diffusa : aliam enim tunc divisionem adhibui; ea tamen moderatione, ut priorem Auctoris partitionem singillatim exponerem, præsertim si additi tituli essent. Ipsorum porro titulorum alii cursoria, rotunda alii littera impressi; illi a me, hi ab auctoribus compositi, aut certe in MSS. reperti.

Compendia dictorum in margine.

Quia vero auctorum præfationes sæpenumero jejunæ sunt et frigidæ, narrationes ipsæ inertes et languidæ, ac succo vacuæ; ne quis possit queri male in iis legendis operam collocari, aut certe ne molesto quidpiam quærendi labore conficiatur : compendia omnium quæ tractantur in margine apposui, quasique in summam cuncta aut certe præcipua redegi. Hæc qui percurret, paucis horis vasti etiam voluminis materiam evolvet : si penitius quidpiam introspicere ac pernoscere cupiet, licebit pensiculare ac sigillatim cuncta perlegere.

Annotationes litteris a b c indicatæ.

Annotationes singulis subnexæ capitulis quem ad locum spectent, præfixæ litteræ significant, quæ eædem et in contextu orationis et in marginibus impressæ. Quæ ex divinæ Scripturæ libris aliisve citantur auctoribus, ea quo ex loco sumpta sint vel in ipsam serie narrationis indicatur vel in margine. Quæ autem cito Auctorum loca, ipse vidi : nihil aliena fide profero : si Auctores non fuerunt ad manum, apud quem eos citatos repererim indico. De iis quæ sunt ex peregrinis linguis Latine versa, sequenti paragrapho dicam.

Numeri minoribus divisionibus additi.

Numeros addidi justis intervallis ad Vitam ac præfationes. Hos subservire posse Indicibus rebar cum impressionem auspicarer. Facilior reperta dein ratio est. Possunt tamen hi numeri aliis usui esse : neque aut deformant historiam, aut ab aliorum consuetudine scriptorum abhorrent; et fere hosce numeros exprimo, cum vitam unam cito ad alterius illustrationem.

§ III. *Stylus Auctoris.*

Expectat nunc fortasse quispiam, ut quæ scriptorum profero monumenta, sola fere antiquitate commendata, ea extrinsecus saltem styli elegantia condecorem; quæ, inquam, ad eorum explanationem profero, iis munditiam addam ornatumque dictionis. Ita qui veterum semitruncas statuas, carie situque exesas imagines, fractos enses ac loricas consectantur, ea ubi adepti sunt, vel in fabrefactis capsis reponunt, vel limbis pretiosis circumdant, vel illustri in cœnaculis loco suspendunt, quasi hac vetustatis reverentia, illius fluentem ac prope obsoletum reparare ornatum velint, honorem sibi conciliare. Erunt igitur veterum illæ gemmæ Scriptorum, etsi non magno artificio sculptæ, auro nunc splendidæ dictionis includendæ. Verendum alioquin, ne non modo non augeam, sed plurimum etiam imminuam gloriam Sanctorum, quorum Acta dudum propter inornatam agrestemque dictionem neglecta, ita proferam in lucem, ut nullum iis novæ, vel in ceteris saltem lucubrationibus meis, elegantiæ splendorem adjungam.

Quæ ab Auctore ipso scripta, an eleganti stylo?

Merentur quidem Sancti ut eorum laudes omni eloquentiæ facultate, arte, contentione celebrentur : neque ab eo studio avertere exemplo meo quemquam velim : hortor potius omnes, ut eo vim omnem ingeniumque conferant, ut Sanctorum res gestas stylo illustrent. Nusquam alibi major honestas, dignitas, decus. Nusquam gratia amplior, et eorum qui laudantur, et qui laudationem legunt; nusquam luculentior merces, nusquam invidia minor. Ut tamen dedito studio expoliam stylum, inducere in animum non possum : neque fortassis si in id incumberem, optatum assequerer : sed ut assequi me posse confiderem, nolim tamen tempus, quod angustis sane a natura definitum spatiis est, ex utilioribus occupationibus ereptum, in eo studio consumere. Nec sum adeo stolidus, qui si quid ultro aptum perfectumque occurrerit, id repudiem, quasi Latine etiam loqui nolim; sed nolo vel tenuem in ea elegantia consectanda operam perdere. Præstat stylus obvius et expositus minimeque operosus : atque eum mihi plures viri graves persuasere. Qui deliciis humanæ litteraturæ pascuntur, alibi eas quærant licebit : non sunt ad eorum genium meæ accommodatæ lucubrationes. Ea Sanctis acceptissima dictio, quæ cum eorum modestia, morumque simplicitate consentit.

Merebantur Sancti :

cur id neglexerit?

Incompto igitur, sed facili usus sum stylo, sive in Prolegomenis digerendis explicandisque, sive in Actis variorum Sanctorum ex Græca lingua aliave vertendis : nam ubi interpretis non est nomen expressum, meus omnis est labor : quo si qui me levare voluerint, in beneficii non vulgaris loco ponam, et potero me tanto expeditius ad alia excutienda referre, ipsosque reor Sanctos iis obsequii memoria ac remuneratione, et quamdiu in vivis erunt, et cum ad ipsos in cælum emigraverint, plene esse satisfacturos.

Quæ ex peregrinis linguis verterit?

Unum adhuc monere operæ pretium fuerit, quæ ex Græcis sumo auctoribus, ea ut antea jam versa sunt quandoque transscribere, sæpius meis verbis interpretari : neque enim, opinor, cum linguam quampiam novi, erit qui me, si nolim, alio coget interprete uti; aut prohibebit, si velim. Sed utinam semper essent Græca ad manum!

Græca quo stylo citarit?

§ IV. *Appendix ad singulos tomos, post inserenda, et forte amplior.*

Quoniam addiscimus quotidie aliquid, fimusque assiduo studio sapientiores, multa me antea etiam sedulo indagantem fugerunt, quæ deinde absolutis jam aut certe affectis tomis his duobus, amicorum beneficio sum assecutus, de Vita Sanctorum quorumdam, translationibus, miraculis : quorum alii ignoti mihi erant, aliorum Acta vel nancisci nequiveram vel non integra, aliorum miracula, ceteraque insignia ignorabam. In Appendicem hæc conjeci, suis

Appendix addita eorum quæ ante ignorata.

suis locis, quæ accurate indicavi, inserenda, si nova unquam hujus operis adornetur editio; quod (ut nunc sunt tempora) cito futurum non spero : si fiat tamen aliquando, aptius fortassis in tres tomos distribuetur Januarius; fecissemque id sane, si prævidissem fore ut tantum moles excresceret. Idcirco si hinc ad asceticas institutiones, conciones, morales in Divinam Scripturam commentarios, sumere quis materiam, ut est amplissima, voluerit; ei ego magnopere auctor sim, ne tomum citet, sed diem mensis, aut cujusque Sancti Vitam : ne, si alia partitio operis fiat, Lectori is suo perturbationem ac tenebras offundat.

post amplior addenda :

Novum etiam edi postea supplementum debebit, ubi ad plurium eruditorum manus pervenerit hoc meum opus : nam multa latent etiamnum, quæ tunc ab iis proferentur in lucem; multa non latent illa quidem omnino, sed tamen adipisci ea non potui; multa de reliquiis ac miraculis adhuc neglecta, colligentur. Sed de hisce rebus, in quibus benignos Lectores navare mihi, aut Sanctis potius operam exoptem, infra admonebo. Edidere vero ejusmodi supplementa complures, ut Cardinalis Baronius ad singulos Annalium Ecclesiasticorum tomos. Andreas Saussaius ad Martyrologium Gallicanum appendicem non unam adjecit, etiam in prima editione, uti hic ego. Atque ut nemini antea id foret usitatum, sumerem mihi tamen hanc veniam, ut quæ vel addenda occurrerent vel retractanda, ea si in nova editione non possem, ad alios tomos veluti mantissam adjungerem.

alia retractata :

Altera igitur Appendicis caussa est, ut si quid perperam scriptum est a me, retractem : quod quidem ingenue facturum me profiteor. Non possum omnia coram lustrare, et quæ ante pedes posita sunt, ea fortassis non recte semper sum assecutus. Humanum est. Ubi errorem cognovero, fatebor, et ne quem alium decipiam, monebo. Sunt hic ita retractata nonnulla, quorum non eram antea perfecta imbutus cognitione.

menda quædam correcta,

Operæ quoque typographicæ, impressores ac typothetæ, solent errata, quæ corrigi Auctor velit, committere. Recognovi quidem ipse pleraque cum cuderentur, sed et legentem fefellere me menda nonnulla; et licet a me notata, non sustulerunt ipsi quandoque, quin et nova invexerunt, nec semper poti aut oscitantes per incuriam, sed diligenter etiam advigilantes : nam laxata typorum compage proclive est ut littera una alterave effluat aut subsidat. Quædam igitur hujusmodi errata, quæ alicujus momenti esse videntur, hic emendo : alia vel levia sunt, vel quæ facile assequi Lector possit.

§ v. *Indices tomis singulis sex.*

singulis tomis suus additus Index,

Fructum uberrimum ac lætissimum suarum lucubrationum ii referunt Scriptores, qui aptos illis Indices faciunt. Nam quibus etiam non est otium ut opus universum evolvant, ii ex indicibus quid in rem suam haurire inde possint statuunt : qui evolverunt aliquando, illis adjuvantur, ut certa capita, quibus indigent, quæque haud satis accurate memoria tenent, valeant invenire. Tredecim Indices pollicebatur Rosweydus, sed in separatum volumen conjectos mensium simul omnium. Magis ea mihi probata ratio, ut singuli suos Indices haberent tomi; propterea, quod est permolestum, cum re quapiam ex Indice annotata, alium tomum oportet sumere in manus ut ea possit reperiri. Imo cum non una omnes prodeunt tomi, si Indice omni carerent priores, verendum foret ne eorum esset emolumentum vel nullum, vel sane perexiguum.

isque sextuplex :

Additi igitur sunt Januario Indices, atque adeo tomis singulis sui. Sunt ii sex omnino, sed qui Rosweydi tredecim illos fere complectantur.

Primus est Index Sanctorum ordine litterarum alphabetico, non omnium tamen, quorum toto opere, aut eo etiam tomo quoquo modo mentio fit, sed quorum iis diebus, quos ille continet tomus, agitur festivitas, aut certe consignatur et illustratur a nobis natalis. Neque nudum dumtaxat exprimitur nomen; sed cuique præfigitur dies, qui illius consecratus est memoria. Tum singulorum indicatur ordo seu status, officium, laureola; an monachi fuerint, viduæ, Episcopi, Abbates, Presbyteri, Reges, milites, Virgines, Martyres, etc. Demum locus, quem vel vita in eo acta, vel morte, vel reliquiis ad eum translatis, vel gloria miraculorum præcipue illustrarunt. E. G. xiii. *Hilarius Ep. Pictavis in Gallia.* xiv. *Accursius Ord. Minorum Martyr in Mauritania.*

1. *Sanctorum cujusque tomi, ordine alphabetico,*

expresso die,

statu,

loco,

et quidquid hic de iis extat :

Additur deinde quid de singulis tradatur hoc volumine; an Vita? a quo scripta, nominato Auctore, an anonymo, an Sanctorum ipsorum æquali? an ex aliorum scriptis, Eusebii, Metaphrastæ, Lipomani, Surii, Ferrarii? an ex variis Martyrologiis? iisne solum manu exaratis? pluribusne an unico? an ex Menæis Græcorum aut Menologio? an Vitæ præfixa a nobis Prolegomena? quæ si longiora, atque in capitula vel paragraphos, uti Acta ipsa, distributa, eorum elenchus proponitur, quasique brevi in tabella subjicitur oculis, quidquid de singulis Sanctis hic extat. Similis est hic Index ei qui passim in ceterorum Martyrologiis et Hagiologiis visitur, Sanctis alphabeti serie descriptis; et alteri, qui plurimis de quacumque materia disserentibus Scriptoribus usitatus, ut Disputationum ac capitum singulorum texatur syllabus, quo unico fere obtutu universi operis partes omnes perspiciantur. Tales olim Fastos, vel certe, si id mallem, dierum ipsorum, non alphabeti, retento ordine, ut præmitterem, mihi auctor fuit Georgius Garneveltius Carthusianus, vir doctissimus : ex iis enim perspecturos esse omnes, quid de singulis Sanctis nactus essem, quid desiderarem. Id ut facerem tum adduci me non sum passus, non, ne prius (quod tamen cavendum amici monebant) fontes indicarem atque omnibus aperirem meos, quam ipse mihi inde rivos ducerem; sed quod opus non videbatur post Rosweydi Fastos altera suspensa hedera. At faciam id fortassis postea, si ulla in sequentibus publicandis tomis mora afferatur.

talis tomorum reliquorum utilis.

2. *Chronologicus,*

Secundus est Index Chronologicus, sive præcentio quædam accuratioris Chronologiæ quam meditor. Hic strictim, ordo seculorum, quot a Christi ortu fluxerunt, juxta receptam æræ subducendæ rationem, texitur; et quo Sancti præcipui, de quibus quoque volumine agitur, obierint, native aut ad episcopatum vel regnum aut quid aliud evecti sint, aut translati anno vel tempore, indicatur, cum id manifestis notis deprehendi potest, vel certe, num ea de re a nobis et quo loco disputetur. Etiam cum nihil ipsi certum statuimus, sed signatum ab aliis annum, quem neque firmare nostro calculo neque rejicere possemus, expressimus, eum tamen indicamus addito Auctoris nomine.

Ceteris adscriptæ litteræ A B, etc.

Duo hi Indices, quia Lectoribus ad intelligenter adhibendam lectionem facem præferant, præpositi operi sunt. Ceteri, quia non ad symmetriam quasique generalem fabricam operis pertinent, sed ad extrariam ejus usuram, postponuntur. Ad hosce adjectæ in margine litteræ A B C D E F, quæ laborem levent quidpiam vestigantium. Nam indicata signo arithmetico pagina in qua reperiri quid possit, adhuc laboriosum fuerit, utra columna id contineatur assequi, et an earum alterutrius principio, medio, fine. In eam rem numeros singulis partitiunculis additos excogitaram : neque omnino litterarum toto opere margini imprimendarum non venerat in mentem, sed necessarias non judicaram, verebarque nimium opplere margines, quod oculum offendit vel cursim perlustrantium libros. Verum qui hos singulari industria Indices concinnavit, de quo infra, aliud ut factum præoptarem persuasit. Nec difficile erit Lectori eas

litteras in singulis paginis sibi cogitatione describere, ut quod scrutatur facilius queat reperire, cum littera ea quam fingere eum animo jubemus, semper hic numeris paginarum indicatis addita sit. Sin numeros antea in singulis Vitis expressos addere hic voluissemus, facile orta aliqua esset ex numerorum multiplicitate confusio; cum præsertim eosdem numeros crebro prior columna in Prolegomenis, et in Actis posterior exhibeat, quare aliquod rursus statuendum fuisset discrimen. A igitur primam prioris columnæ partem designat, sive 24 lineas aut circiter, B secundam ejusdem columnæ partem, C postremam; eodemque modo D E F secundam columnam partiuntur.

quæ toto opere animo fingendæ.

3. Historicus, nominum hominum.

Tertius est INDEX HISTORICUS, propria fere nomina continens, non eorum Sanctorum quorum in primo Indice proposita series est, sed aliorum quorumvis hominum. At si Sanctorum quoque, quorum antea datus est Index, aliis diebus, quibus tamen eorum natalis non agitur, mentio fiat; ii in hoc Indice denuo exprimuntur, indicato die quo coluntur, et pagina qua rursus eorum extat mentio. E. G. *Gudila Virgo* 8 *Januar. et* 1078. e. Porro Sanctis ac Beatis, vel quibus hæc cælestis gloriæ nomenclatio ab Auctoribus tribuitur, sive, ut, jam dixi, altero horum tomorum celebrentur, sive ad alios pertineant menses, signum † non littera S aut B præfixa, ne ea fortassis oculo quidpiam vestiganti, eoque seriem litterarum gradatim percurrenti moram injiceret. Dies in quos extra Januarium plerique rejiciuntur, indicati non sunt, quod quorumdam ambiguus adhuc nobis sit natalis ac titulus sanctitatis : quorum certus est ac fixus, is fere locis in Indice expressis annotatur. In hoc Indice plerumque ad perspicuitatem vel status hominum singulorum aperitur, ut *Rex, monachus, miles, Comes, Abbas, Episcopus* etc. vel Sanctorum laureola, *Virgo, Martyr, Doctor*. Subinde in minus vulgo notis seculum quo vixerunt, vel natio e qua orti, vel regio in qua versati, indicatur. Etiam eorum qui Vitas hic excusas scripserunt aut in linguam Latinam verterunt, in hunc Indicem relata nomina.

SS. præfixa †.

Singulorum status indicatus, etc.

4. Topographicus locorum,

quibus sui SS. adscripti.

Quartus INDEX TOPOGRAPHICUS, continens nomina regionum, urbium, oppidorum, vicorum, montium, fluviorum, fontium, ac quorumcumque locorum. Singulis adduntur Sancti qui illius tomi die aliquo in iis locis obierunt, aut certe coluntur; solaque ea pagina exprimitur qua cœptum de iis Sanctis locisve agi, licet quandoque in iisdem actis sæpius eadem nominentur loca. Omittuntur vero nomina sive regionum sive urbium passim, etiam fere pueris, nota, *Italia, Hispania, Gallia, Germania, Anglia, Belgica*, etc. *Roma, Constantinopolis, Hierosolyma*, etc.

5. Onomasticus sive Grammaticus.

Quintus INDEX ONOMASTICUS, sive GRAMMATICUS, in quo verba recensentur obsoleta, peregrina et e barbara lingua efformata, aut ceteroquin obscura, quæ eo volumine occurrunt, ac fere explicantur. Si quapiam indicata pagina littera nulla, ex iis de quibus ante dictum, apposita est, id indicio est sæpius illud vocabulum ea pagina recurrere. Porro et hic et præcedens Index præludium est majoris postea moliendi operis, de quo infra.

6. Moralis, rerum concionatoribus accommodatarum :

Sextus INDEX MORALIS, in quo materia amplissima, quæ Concionatoribus, Catechistis, Interpretibus Divinorum voluminum, institutionum ascetica-rum Scriptoribus, ac Philologis, esse usui possit. Non est ea tamen juxta festorum Evangelia atque Epistolas distributa, quod is fere cujusque palato gratissimus est cibus, quem coxit ipse sibi, non a caupone nundinatus est. Quæcumque igitur res ad morum conformationem usurpari potest, etsi ipsa ad mores per se non spectet, virtutem, inquam, aut vitium, aliamve animi affectionem non significet; hic a personis separata locisque ac temporibus, brevissime proponitur, aut potius commonstratur, loco indicato fusius exposita. Ad hunc Indicem revocata etiam ea vocabula sunt quæ ordines hominum varios aut status officiaque significant, ut *Conjugati, Viduæ, Virgines, Reges, Pontifices* etc. Morbi, quorum a variis Sanctis impetrari solita curatio : tormenta irrogata Martyribus : ritus sacri ac profani : religionis Catholicæ dogmata : et quæcumque demum a sacræ Scripturæ interpretibus in moralibus Digressionibus, ut ipsi vocant, congeri et pertractari solent.

Ipsius Scripturæ explicata vel prolata toto opere loca, necessarium esse non putavi peculiari Indice complecti ac repræsentare, quod ejus et vasta moles futura videbatur, et usus pertenuis.

Nullus sacræ Scripturæ.

§ VI. *Quædam consulto vitata.*

Supervacaneum fortasse cuipiam videatur, cum exposuerim quæ dicturus sim, ea quæ non sim dicturus enarrare; quod prope infinitum esse possit. Sed quoniam sunt nonnulla, quæ viri docti dici a me debuisse existimabunt, atque ubi ea pertractem scisciturі sunt, aut quid tandem de iis sentiam; occurrendum ei quæstioni ac dubitationi hic fuit, eximendusque ille ex eorum animis scrupulus. Sunt autem quæ quidem nunc in mentem veniunt omnino tria, quæ cum ad multorum Sanctorum historias illustrandas pertineant, nusquam tamen plane et ex professo quid sentiam exposui. Nam quod aliorum reprehensione Auctorum calamum abstineam, nihil attinet dicere: perspiciet id et probabit æquus lector. Ego quidem

Nullius addictus jurare in verba magistri, (nec in historia oportet) quod certum aut simile certi visum fuit, arripui, et idoneis testimoniis firmavi. Quod falsum putavi, id libere respui : qui id tradidissent, non reprehendi; solum dixi, falsos videri fuisse argumento aliquo aut interpretis errore deceptos, hallucinatos, non vidisse quæ proferimus aut non examinasse monumenta, denique (quod erat levissimum) ita eos sensisse, mihi aliud videri. Fieri enim nullo pacto potest, ut non dicas dissentire te ab eo cujus quid non probes. At sunt quidam qui non solum sibi a reprehensionibus non temperant, sed in maledicta, contumelias, iracundias, contentionesque pertinaces prorumpunt. Alii cum videri velint sine ulla iracundia disputare ac scribere, et magnam adhibere moderationem, præsertim Criticorum e numero, hæc tamen passim usurpant: *Logi, nugæ, gerræ, fabulæ, somnia, stertere hic auctor videtur, an non somniavit cum ista scripsit? satisne sobrius fuit cum id dixit? videre id debuit, si quidquam vidit*, etc. At quis omnia videt? Quis omnia, etiam ante pedes posita, attendit? Quis omnia capit?

Auctor in alios non invehitur.

ut quidam;

Ego ne in heterodoxos quidem, (cum quibus mihi tamen, ubi de sacrosanctis agitur fidei mysteriis, quæ isti sacrilege convellunt ac contemerant, æternas esse inimicitias profiteor) sed cum iidem a me dissentiunt, atque a vero etiam aberrant, in historia scribenda vel interpretanda, acrius in eos non invehor. Nam si ex animi sententia quidpiam tradunt, quod tamen verum non videatur, commiseratione potius digni sunt, qui eo teneantur errore : sin ultro malitiosa et veteratoria arte fucum facere Lectoribus student; bis miserandi sunt, quod in errore sint, et voluntario; qui ut evellatur danda est opera, atque orandus Deus ut iis lumen quo perspicere veritatem possint, largiatur. At si verbis eos acrioribus coarguas, obfirmabunt penitus animos. Quamquam sunt inter eos quidam ea petulantia aut potius furore, ut difficile sit non commoveri cum in eorum scripta inciderіs : quo in genere mihi nonnumquam Magdenburgenses Centuriatores esse videntur, at præ illis etiam Joannes Balæus spurci oris ac calami scriptor, atque illius similes nonnulli non Ecclesiæ solum, sed et monasteriorum desertores, qui vereri videntur ne non serio profugisse a Catholicorum castris existimentur, nisi in ipsos ipsorumque majores, quavis vel dignitate vel sanctitatis opinione illustres, impudenter deblaterent. Sed neque in horum

ne quidem in heterodoxos,

licet sint aliqui valde impudentes :

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

rum castiganda maledicentia perdendum mihi laborem esse duxi; quam etiam inter ipsos ii damnant qui sunt aliquanto moderatiores. Multo etiam minus in alios Scriptores aculeatum stylum vibro.

Ordines religiosos reveretur et laudat :

Adversus omnes religiosorum hominum congregationes quam decet reverentiam adhibeo, multaque de iis honorifice et libenter prædico : iisque gratulor, quod ipsorum institutis informati complures ad eximiam sanctitatem gloriamque pervenerunt, unde ipsos ordines summa laus, et summa gratia Ecclesiæ universæ est consecuta. Nulla eorum decora, quæ quidem a sanctis hominibus in eos manarint, sciens prætereo. Si quid me latuit, suggerant. De nullo ordine parcius, quam de nostro loquor, ut qui sit e postremis ac minimis. Sed venio ad ea quæ veluti scopulos ac syrtes quasdam vitanda mihi proposui.

Hibernis contra Scotos,

Primo, inter Hibernos ac Scotos magna pugnatur pugna de natione, nomine, patria, gentilibus Sanctis. Contendunt Hiberni, veteres Scotos Hiberniæ incolas fuisse; (nec potest hoc negari) ab illis ortos se veros et germanos Scotos esse : quod non eo nomine appellentur, ideo fieri, quia quam olim in Britanniam miserant coloniam, ea cum Pictis aliisque Britannis atque Anglorum quoque nonnullis in unam coaluerit gentem, et Scotorum sibi velut proprium vendicaverit nomen; veteres omnes Sanctos, qui Scoti dicuntur, non ex hac bellicosa natione, aut nationum colluvione, sed ex Hibernia, Sanctorum insula, ortos esse omnes.

Scotis contra Hibernos

Hæc illi, nec falso omnia. Negant Scoti ab Hibernis se, quos probrosis etiam nominibus incessunt, prognatos : sed cum majores sui olim Hiberniam insulam tenuerint, subjugatis Hibernis Aboriginibus, postea tamen migrasse omnes in Britanniæ partem eam quæ nunc Scotia dicitur, non armis pulsos ab ignava gente, sed sponte sua, fortassis ut saxosa et aspera regio duraret ad laborem corpora et animos, quos fœcundum ac molle Hiberniæ solum effeminare potuisset : Sanctos Scotos suos esse omnes, apud se habitasse et obiisse.

acriter decertantibus,

Atque ea aguntur tantis aculeis verborum, animorum acerbitate tanta, ut putes de imperio non solum insulæ utriusque, sed prope universi orbis terrarum esse certamen, cum possint majorum laudem utrique participare, eo cumulatius, quo perfectius eorum fuerint virtutes imitati. Non sum nescius utra pars sæpius (non semper tamen) jure superior esse videatur; sed decidere lites tantas, haud id opis meæ esse confiteor. Cum Scotos appellatos esse Sanctos reperio, Scotis accenseo; cum Hibernos, Hibernis : cum

medius incedit :

loca memorari, in quibus vixerint, modernæ Scotiæ, secerno ab Hibernis, secus cum Hiberniæ. Auctores neotericos gentis utriusque sequor, cum veterum dicta proferunt; cum sua auctoritate quid narrant, aut ea citant monumenta, quæ nec ego vidi, nec videre facile quisquam possit, sollicite pertento omnia, nec temere usquam pedem figo. Nolo mihi Hibernos irasci aut Scotos, cum utramque gentem amem : Sanctos quorum gente se satos gloriantur, (unica tamen, uno a Patre propagata, una lege caritatis colligata, natio Cælitum est) mihi propitios esse precor, ut et Divinam mihi gratiam concilient, et intelligentiam imprimant Actorum suorum, quæ plusquam Cimmeriis obvoluta nonnumquam tenebris sunt.

De multis Apostolis Galliarum,

Alter scopulus, ad quem ne affligerem aut quoquo modo appellerem navim, hactenus cavi, est de Galliarum Apostolis disputatio. Omnes fere Gallicanæ Ecclesiæ a Christi et Apostolorum ejus discipulis plantatæ apud se fidei primordia repetunt. Multis viris doctis, etiam Gallis, ea non probatur opinio; quod et S. Gregorius Turonensis lib. 1 histor. Francor. cap. 28, primarios eorum, qui ab Apostolis, aut saltem Apostolorum ævo a Romanis Pontificibus missi in Gallias prædicantur, Decio imperante, sub annum Christi 250 scribit advenisse, atque ista ex

an tertio seculo extiterint,

historia passionis sancti Martyris Saturnini profert : *Sub Decio et Grato Coss. sicut fideli recordatione retinetur, primum ac summum Tolosana civitas S. Saturninum habere cœperat Sacerdotem. Hi etiam missi sunt, Turonicis Gatianus Episcopus, Arelatensibus Trophimus Episcopus, Narbonæ Paulus Episcopus, Tolosæ Saturninus Episcopus, Parisiacis Dionysius Episcopus, Arvernis Stremonius Episcopus, Lemovicinis Martialis est destinatus Episcopus.* Et Gregorio multo antiquior Sulpitius Severus S. Martini discipulus sacræ historiæ lib. 2 ita scribit : *Sub Aurelio deinde Antonini filio persecutio quinta agitata. Ac tum prima intra Gallias martyria visa, serius trans Alpes Dei religione suscepta.* Difficile est tamen credere, ab Apostolis, quorum in omnem terram sonus exivit, et in fines orbis terræ verba eorum, Galliam cultissimam provinciam et late Romanis frequentatam, omnino esse neglectam. Sit sane S. Dionysius Parisiorum Apostolus aliius ab Areopagita, et multo recentior, quod facile viris doctissimis assentiar; an non alii ante eum in Gallia, et multi, extitisse potuerunt præcones veritatis? Treviri ante S. Maximinum, qui Constantini Magni vixit temporibus, septem et viginti habuere Episcopos, et plerosque eorum publice venerantur, nec omnes tamen, imo paucos, martyrio sublatos. Quis credat 80 annorum spatio a Decii temporibus, aut 170 a Marco Aurelio, tot in una Cathedra sedisse? Sed hac omni disputatione abstineo. Cum vitam nactus sum Sancti alicujus, quid de ejus ætate in ea tradatur, quid ab aliis Scriptoribus astruatur, et quatenus id probem, expono. Pleniorem de ea re omni disceptationem vel relinquo doctioribus, quorum nonnulli nuper de hac controversia præclare scripserunt, vel alteri loco ac tempori reservo.

an Apostolorum discipuli,

non disputat :

Tertia Syrtis est, quam velis remisque devito, Hispaniensium quorumdam Scriptorum auctoritas. *Dexter Paciani Filius*, inquit S. Hieronymus lib. de illust. Eccles. Scriptorib. cap. 132, *clarus apud seculum; et fidei deditus, fertur ad me omnimodam historiam texuisse, quam necdum legi.* Fuit is Prætorio Præfectus sub Theodosio seniore, eique librum eumdem, ut viri eruditi censent, Hieronymus dedicavit. Historia illa, quam nondum viderat S. Hieronymus, licet sibi dicatam ab amico, aut certe destinatam, ea an umquam prodierit nescio : nusquam certe citatam legi. At nuper repertum est Chronicon quoddam, in quo Sancti plurimi, Chronologiæ qua nunc utimur ratione, non per æras aut Consules distributi referuntur, qui vel ex Hispania oriundi vel in ea rerum gestarum gloria clari fuerint; idque Fl. Dextri nomine vulgatum. Et genuinum illius fœtum esse Hispani plerique mordicus pugnant. Annotationibus id Rudericus Carus, prolixis commentariis Franciscus Bivarius illustrarunt : apologiam pro eo scripsit Thomas Tamayus de Vargas v. cl. amicus meus. Plurimi viri docti negant id Dextri opus esse, et multa afferunt argumenta, nec parum valida, quamobrem ipsis ita videatur. Nolo ego in certamen hujus Scriptoris gratia cum bellicosa gente descendere. Cujusmodi esset Dextri opus, nemo tradidit. Hoc Chronicon an *omnimoda historia* dici potuerit, alii viderint. Mihi opus videtur scriptoris non indiligentis, sed qui obtorto collo in Hispaniam trahat quotquot potest viros illustres, et in Sanctorum classem redigat, quos ne constat quidem Christianos extitisse. Sed dictionis elegantiam requiro, qua usum fuisse Dextrum facile assentietur, qui patrem ejus *Pacianum*, cujus domestica disciplina vel exemplo optimis artibus institutum fuisse filium verisimile est, legerit *castigatæ eloquentiæ* virum prædicari ab Hieronymo, *et tam vita quam sermone clarum;* quique ista meminerit ab eodem Hieronymo scripta esse ad Dextrum, *Ut quod Cicero tuus, qui in arce Romanæ eloquentiæ stetit, non est facere dedignatus in Bruto.* Quis suum dicet Ciceronem dicive patietur, qui numquam eum legat? aut quis leget, et tam inornate scribet? Sed tamen sentiat quisque ut volet : ego Chronicon illud nec esse

nec an Dextri Omnimoda historia

sit Chronicon nuper editum,

quod multi negant,

et stylus dubium facit.

Dextri

Dextri assevero, neque contentiose pernego : ejus auctoritate non temere nitor, præsertim si alii melioris notæ Scriptores refragentur.

nec an Luitprandi Chronicon et Adversaria germana sint.

Nuper Luitprandi Diaconi Ticinensis, dein Cremonensis Episcopi, antea, ut volunt, Subdiaconi Toletani, Chronicon et Adversaria prodierunt, multimoda antiquitate referta, cum eruditis Notis Laurentii Ramirezii de Prado v. CL. et Hieronymi de la Higuera nostri. Audio dubitare viros doctos, an Luitprandi esse videantur, quamque mereantur fidem. Ego id examinare nolui. Gratias iis habeo, qui illa protulerunt, a quocumque scripta Auctore.

§VII. *Alia Auctori designata in posterum opera*

Rideat hic me Democritus spes longas inchoantem, cum mors fortassis lateri adstet. Fixus Dei manu terminus est, cui vel hodie possum imprudens calamum impingere : cur ergo tam longinqua specto? Vastum præ manibus est opus, vix serio affectum : quasique id jam absolutum sit, alia quæ post suscipiam meditari juvat atque ordinare. At nihil ego vel vires supra, vel præter Dei voluntatem molior. Id modo significo, si Deus vitam, et vires corporis animique dederit, ut quod jam cœpi opus perficiam, alia esse, quæ cum his conjuncta, et publico aliquam allatura utilitatem, velim tunc capessere; quæque si quid mihi prius evenerit, aliis qui se Divorum amatores profiteantur, ut suscipiant auctor sim, non intercessurus si id etiam me superstite aggrediantur, aliquidque ad Cælitum amplificandum honorem afferant. Quod vero sæpius sum Deum precatus, ut si hic meus ei non esset acceptus labor, si non ad augendam Sanctorum gloriam, atque ad mortales studio virtutis inflammandos accommodatus; tempestive obicem poneret, neu progredi in opere infructuoso pateretur, sed alia in re desudare atque elaborare juberet; id multo etiam magis nunc precor, ut si ista a me peragi ei gratum, honorificum Sanctis, alienæ saluti utile non est, eam Præsidibus meis mentem injiciat, ut ad aliam rem quampiam conferre me studium et operam velint.

Si Deo placuerit,

edet postea Auctor Vitas SS. Græcolatinas;

Ita ergo affectus animo, gnarus vitam brevem esse et incertam, cogito, si Deus annuerit, hoc perfecto de Vitis Sanctorum opere, Vitas omnes quas Græce scriptas reperero, edere Græcolatine, partim a me versas quæ necdum Latine extant, partim ab aliis sumptas qui jam antea apte verterint, partim recognitas quas nunc Hellenismo fœdatas merito queruntur viri quidam eruditi. Hoc consilium meum supra exposui, cum de Metaphraste agerem.

SS. Chronologiam,

Meditor deinde volumine uno chronologiam Sanctorum omnem complecti, ut, quoad licebit certas consequi notas, quæ ab orbe condito ad hanc usque ætatem gesta sunt a Sanctis, quam fieri accuratissime poterit, suis omnia temporibus consignem.

et Topographiam;

Altero volumine Topographiam Sanctorum describam, locaque omnia, quæ ii adiisse memorantur, recensebo et exponam.

Onomasticon vocum obscuriorum;

Tertium volumen Onomasticon erit, continebitque vocum et phraseon, quæ toto hoc opere occurrerint solœcæ, barbaræ, peregrinæ, obscuræ, explanationem.

Martyrologia;

Dein aliquot voluminibus variorum Martyrologia, præsertim vetera, ex MSS. codicum fide repræsentabo, et fortassis Notis illustrabo. Belgicum quoque luculentius quam sit hactenus ullum editum.

moralia;

Tomo uno alterove Morales præceptiones et Exempla colligam; nisi. quod malim, in hoc me alius sua industria et diligentia sublevet.

librum de scriptoribus;

Fortassis de Scriptoribus a me lectis aut hoc opere citatis commentarium conficiam.

Catalogum Episcopatuum et monasteriorum.

Episcopatuum item orbis totius, Episcoporumque accuratum texere indicem licebit, ac monasteriorum; vel quorum hoc in opere mentio fit, vel de quibus alii sparsim scripserunt Auctores.

Acta Martyrum recentiorum;

Cogitavi eorum etiam res gestas conscribere, qui ab anno MD, vel certe ex quo Europam involvere fœdissimarum hæresum turbines, Luthero auctore, cœperunt, pro Catholicæ religionis defensione ab hæreticis aliisque fidei orthodoxæ hostibus sunt trucidati; etsi nondum sint Ecclesiæ judicio vindicati.

Vitas aliorum piorum hominum;

Denique sanctitate illustrium hominum colligere vitas statui, quorum necdum ab Ecclesia consecrata est populorum venerationi memoria. Hoc priusquam aggrediar, aut saltem emittam, opus, Apostolicæ Sedi ut mihi id historica fide vulgare liceat, supplicabo. Neque eum laborem aut Deo, aut supremis Ecclesiæ Antistitibus ingratum reor futurum. Non enim solent Duces, cum paucos, quorum maxime virtus in bello enituit, præmiis donant, atque insigni aliquo honoris, monumentoque laudis decorant; interdicere ne cujus præterea e reliqua militum turba virtutem liceat privato præconio celebrare; cum id in suam quoque laudem reique publicæ sentiant redundare.

Ascetica præcepta SS.

Hisce absolutis, ecquid erit reliquum temporis, quod ab æternitatis conficiendis negotiis demi queat? Si quid erit, ascetica doctrina, ut a Sanctis tradita hoc in opere, vel re ipsa exercita excultaque, oblectabo animum meum senescens : et ut aliis vel sic prosim, omnia ad certa capita ac præcepta revocabo. Favete Cælites : omnis hic laudi vestræ dicatus est labor.

CAPUT TERTIUM.

Editorum hoc opere probabilitas.

§ I. *Legitimi Historicorum gradus.*

Hoc opus, hic labor est, quæ de Sanctorum rebus gestis narrantur, quæque ab aliis consignata litteris proferuntur in lucem, efficere ut sint ejusmodi nihil ut contineant non probatum ac certum. Id quidem indubitanter assequeremur, si ad beatorum cæli civium gesta scribenda dictandave, ex ipsorum cœtu quispiam aggrederetur : at quamdiu in eis humana industria, errori obnoxia, desudabit, quis securitatem præstabit, nihil ut esse suspicemur, quod aberret a vero? Potest quidem, qui primum sancti hominis cujuspiam, quocum vixit, cujus actiones, adversus vitia susceptas dimicationes præclarum e vita exitum spectavit, historiam scribit, ita stylo moderari suo, nihil ut exaret, quod non ipse suis oculis viderit, vel ab oculatis, iisque gravibus et idoneis testibus hauserit; at si quid non ita probatum illi sit, hoc silentio impune prætereat. Non eadem mea nunc ratio est, qui ab aliis tradita litteris edo solum in lucem, quæ neque spectavi ipse, nec semper aliorum firmare certis testimoniis possum. Adhæc stylus quandoque est ejusmodi, ut licet vera sint quæ narrantur, falsi tamen certe habeant primam speciem, propter earum rerum, quarum in historia ad fidem faciendam maximum est pondus, neglectionem perturbationemve. Meliori conditione sunt, qui vel Annales Ecclesiasticos conficiunt, vel propria dictione ac stylo Vitas Sanctorum describunt. Neutri enim se in præcipitem locum inviti coguntur committere. Hi enim præcipua et maxime probata seligunt, transiliunt cetera : illi multa taciti prætereunt, vel sat habent dixisse, sibi ea non omnino probari, examinari accuratius debere, esse loci alterius, aut simili alio uti effugio.

Falsa aut dubia vitare potest

qui visa scribit,

qui annales,

qui Vitas SS. suo stylo :

Mihi hæc non licent. Profiteor me quæ de Sanctis tradita litteris repererim dare, nihil assuere, nihil mutare, nihil meopte ingenio emendare, nihil præcidere, integra omnia et inviolata afferre, quoad possum. At si quid est vel a primævo auctore scriptum

Auctor dubia expendit,

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ptum falso ac perperam, vel levi et temeraria interpolatione corruptum ac turbatum; non est perinde mihi expeditum, verum a falso secernere, nisi aliunde lux certior historiæ affulgeat. Quid mihi de singulorum Actis videatur, sive certos habeant auctores, seu secus, expono; et quatenus iis habeam fidem. Nec mihi id sumo, ut passim libere pronuntiem, falsa esse, ridicula, indigna, quæ de Sancto quopiam hactenus tradita, eoque a me omitti. Esset qui occineret fortasse : Majores nostri non temere Sanctum illum venerati sunt : si ea quæ de illo ad nos pervenerunt, falsa judicas planeque repudianda, profer melius quidpiam; aut sine nos iis quæ extant, qualiacumque ea sint, uti. Nam si displicent universa, fieri non potest quin habeas quod substituas : qui enim possent alioquin omnia displicere, si nihil de eo traditum esset alibi contrarium? si traditum est, ede illud. Si quia quædam non probantur, respuis cetera : cur non potius, quia aliqua non potes improbare, sinis Lectorem frui omnibus, monitum tamen quid aut quamobrem improbes, ne temere cuncta amplectatur? Et ipse forte ubi suum judicium adhibuerit, etiam quæ spreveris quædam rata esse volet, et reperiet quo ea stabiliat, ac de ceteris quid sentire fas sit expediet.

nec omittit,

sed aliis examinanda proponit :

Si quid est tamen quod universim gravium testium refelli queat auctoritate, totaque narrationis forma ac modo conflictum esse possim pronuntiare; id ita omitto, ut moneam tamen Lectorem. Ejus rationis est quæ in multis MSS. extat S. Antonii translationis historia, qua asseritur a Constantii aut Constantini satellitibus ejus repertum esse corpus, et Constantinopolim deportatum; cum sit sub Justiniano primum inventum vectumque Alexandriam; multo post Constantinopolim : qua de re fusius XVII Januarii actum. Ejusmodi quoque est quæ anno 1311 Parisiis edita est S. Honorati Episcopi Arelatensis vita tribus libris distincta, fabulis conferta, quæ aperte pugnant cum iis quæ de eo scripsit S. Hilarius ejus discipulus, cumque omni illius temporis historia, ut XVI Januarii dixi. At si alia de S. Antonii translatione, sanctique Honorati vita nulla habuissemus monumenta, licuisset tamen multa ut minime verisimilia refellere, non omnia. In multis id Vitis accidit, ut licet quædam paradoxa videantur, ea tamen quando neque Christianæ religionis mysteriis neque aliis probatæ fidei historiis adversantur, clare refutari non possint. Eas igitur sic edo, ut quoad licet quam fidem mereantur expendam.

omittit plane falsa.

Sed quia permagni interest, ut fidem historiæ cuipiam habeamus, nosse quis eam scripserit; hic cujusmodi fuisse optem eos qui gesta Sanctorum conscripsere, exponam; qualesque extiterint multi, procliviore ad errandum methodo usi. Tum utro e genere mea sint, quæram : rectene quidam quidquid illis non arridet explodant et in fabulis numerent? An S. Gelasii Papæ constitutioni de libris apocryphis, et recentioribus URBANI VIII Decretis accommodaverim stylum. Postremo quantam hæc obtinere auctoritatem ac momentum velim, quam patiens, sicubi errarim, monitionis futurus.

Quæ sit hic narrandorum probabilitas.

Primum ac summum gradum historiæ scribendæ (de iis mihi sermo non est, qui quæ scribunt cælitus hauserunt, Deo vel mentes eorum collustrante, vel per Angelum aliumve cælestem administrum dictante vel edocente quæ scribant : de iis loquor, qui communi mortalium more quidpiam commentantur) eum igitur principem historiæ gradum statuunt viri eruditi, cum quis ea quibus interfuit, quæque geri vidit, tradit litteris, qua fere ratione Possidius Episcopus S. Augustini facta didicit et scripsit.

Primus gradus historiæ, cum visa narrantur :

Alterum gradum ii tenent, qui non spectarunt ipsi quidem quæ narrant; ab iis tamen accepere, qui suis ea oculis sunt contemplati. Ea fere ratione S. Francisci vitam composuit S. Bonaventura, S. Hilarionis S. Hieronymus, S. Claræ auctor anonymus, ut ipse in Præfatione ad Alexandrum IV testatur : *Sane placuit*, inquit, *Dominationi Vestræ, meæ parvitati injungere, ut recentibus actibus S. Claræ Legendam ejus formarem : opus certe quod mea ruditas multum formidabat, nisi pontificalis auctoritas verbum coram posito iterum atque iterum repetisset. Igitur me colligens ad mandatum, nec tutum ratus per ea procedere quæ defectiva legebam, ad socios B. Francisci, atque ad ipsum collegium Virginum Christi perrexi, frequenter illud corde revolvens, non licuisse antiquitus historiam texere, nisi iis qui vidissent aut a videntibus accepissent. Iis, inquam, veritate prævia, cum timore Dei, me plenius instruentibus, aliqua colligens, et plura dimittens, plano stylo transcurri; ut quia magnalia Virginis virgines legere delectabit, rudis intelligentia non inveniat, ubi pro verborum ambitu tenebrescat.*

Secundus, cum de spectatoribus audita :

hi soli olim legitimi.

Tertius gradus est eorum, qui ea commemorant, quæ non a spectatoribus ipsis accepere, sed ab iis quibus spectatores narraverant. Ad hoc genus multa pertinent ex iis quæ refert Joannes Moschus in Prato spirituali, S. Gregorius in Dialogis, S. Beda in historia Anglicana.

Tertius.

Quarto in gradu ii locandi, qui quæ stylo prosequuntur, ex historicis qui in gradibus jam enumeratis consistant, collegere, aut ex certis monumentis donationum, testamentorum, transactionum, aut commentariis, sed eorum dumtaxat qui aliquem ex antedictis obtinuerunt gradum.

Quartus.

Et hi quidem omnes fidem merentur, si sunt viri boni, si prudentes, si pura eorum minimeque adulterata scripta sunt. Nam si eum qui se rei cuipiam gerendæ scribit adfuisse, suspiceris haud satis a mentiendi libidine alienum, quia hæreticus fuit, aut partes quas laudat pertinaciter secutus; inconsideratæ temeritatis fuerit ei firmam fidem habere. Ea res, ut Eusebio, Socrati, Zozomeno, Palladio sæpenumero non credatur facit, quod ab hæreticorum aut schismaticorum, vel certe factiosorum partibus steterint, eorumque caussam stylo quandoque propugnent. Eapropter Eusebium in apocryphis haberi Gelasius sanxit, ut inferius dicemus. Plures nimia bonitas credendique facilitas fefellit, ut res neque veritate firmatas, neque satis graviter testatas scriberent, quæ deinde manifesto falsæ deprehensæ sunt. Quoties nostra ætate simplici plebi imposuerunt hac ratione homines quidam nefarii, pietatis honestissima specie, voluntate et caussa impudentissima! Quoties etiam viri eruditi larva virtutis decepti, sanctissimos existimarunt et appellarunt eos, qui hæretici erant, aut scelerati impostores! Beatus Rhenanus, homo Catholicus, semperque profanas hæreticorum novitates, et insanam sacrorum mutandorum libidinem aversatus, (licet quia suo judicio maluit quædam quam Ecclesiæ statera expendere, varios in ejus scriptis errores, merito sacri censores postea coarguerint) Conradum Pellicanum, monasticæ professionis desertorem, et hæresis Zwinglianæ præconem, in Notis suis ad librum Tertulliani de corona militis, virum sanctissimum appellavit, fallaci quapiam specie virtutis, et fortassis sermonibus (ut sunt istorum hominum) super oleum mollitis, deceptus.

Suspecta fides improborum,

et nimis credulorum.

Neque illud raro accidit ut quæ probe scripta ab iis qui spectarant, ea postmodum alii interpolando limandove adulterent. Multorum id evenit Actis Sanctorum. Observare id passim licet, ut in S. Mauri Abbatis Vita XV Januarii, quæ ab Odone Abbate recognita et expolita, Fausti tamen retinuit nomen, nec quam Faustus vir sanctus et omnium quæ scripsit spectator meruit, fidem impetrat. Acta SS. Placidi et sociorum an non eadem farina respersa sint, V Octobris disquiremus. Dicitur quidem certe ea litteris tradidisse Gordianus Placidi famulus, qui narrat Mamucham Agarenum piratam ab Abdala paganorum, qui in Hispania dominabantur, Rege missum cum

Commentaria eorum qui spectarunt, sæpe perperam interpolata,

cum centum navium classe, ut Romanos infestaret, et Christianos ad Molochi, Remphæ, Luciferi sacra vi adigeret, idque Italiam tenente Theodorico Gotho, imperium Orientis Justiniano seniore. Cui non ista, gnaro temporum illorum, risum aut bilem moveant? Neque illa autoptes Gordianus scripsit, neque qui Saracenis Hispaniam tenentibus adjecit eorum superstitiones calluit. Sed de his alias.

§ II. *Sequioris notæ scripta.*

Acta quorumdam SS. non scripta,

Si quæcumque de Sanctis scripta extant, omnia forent ejusmodi ut ad horum quatuor graduum aliquem possent revocari, non esset mihi magnopere in eorum astruenda probabilitate laborandum. At sunt nonnulla notæ sequioris, ut quam illis adjungi fidem æquum sit, merito ambigas. Nam neque omnium scripta olim acta Sanctorum sunt; et quæ scripta, eorum quædam abolita, deperdita quædam, alia jam olim corrupta et vitiata. Ipsi nonnumquam tyranni in tabulas referri acta Martyrum non sunt passi, ut antea de S. Vincentii certaminibus dictum. Quandoque nemo adfuit eo vel religionis ardore, ut ea excipere auderet, vel doctrinæ præsidio, ut posset.

Martyrum,

Testatus id olim lib. 1, adversus gentes Arnobius : *Sed neque hæc omnia conscribi*, inquit, *aut in aures omnium pervenire potuerunt, gesta gentibus in ignotis et usum nescientibus litterarum.*

et Confessorum :

Neque id solum in actis Martyrum, sed in ceterorum rebus gestis Sanctorum locum habet. Nam plurimorum non sunt statim atque e vita excesserunt mandata litteris gesta, vel invidia obstrepente, vel quia non continuo vocari cœpti in vota et miraculis clarescere, vel quia hæc Ecclesiæ Præsides scribi ac præpropere vulgari vetuerunt, vel quia idoneus scriptor defuit.

aut persecutorum injuria

At quæ olim fideliter conscripta, præsertim Martyrum acta (cum integra et genuina ad nos pervenerint perpauca, velut residuæ aliquot post vindemiam olivæ aut botri, ut Isaiæ phrasi loquitur Baronius) verisimile est Diocletiani feralibus edictis dissipata absumptaque esse. Memorat Eusebius lib. 3, c. 2, τὰς ἐνθέους καὶ ἱερὰς γραφὰς κατὰ μέσας ἀγορὰς πυρὶ παραδιδομένας. *Divinas et sacras Scripturas mediis in foris igni traditas;* et cap. 3, τὰς γραφὰς ἀφανεῖς πυρὶ γενέσθαι προσταττομένας; *Scripturas igni absumi jussas;* at non est existimandum sola Divina volumina tunc incendio addicta, sed quæcumque omnino scripta ad Christianorum propugnandam firmandamque religionem, pietatem inflammandam, fovendam constantiam pertinerent. Imo quia Divini libri in plurium manibus erant; eorum facile servari exemplaria potuerunt, non item ceterorum, quæ apud solos Antistites aut sacræ supellectilis custodes asservabantur. Nam simul atque edicta illa improviso ac repente prodierunt, Episcopis primum et sacris hominibus injectas manus Eusebius narrat : ceteri occulere quæ vellent ac furori impiorum subducere potuerunt. Quæ tamen superfuere, eorum multa tum Romæ tum alibi vel barbarorum incursione ac populatione, vel fortuito ædium oppidorumque incendio, periere : qua ratione multæ aliorum quoque Sanctorum Vitæ, quas olim accurate conscriptas esse constat, interierunt.

aliove casu deperdita :

Hæc igitur est caussa, quare multarum Vitarum nunc incerta sit fides. Primo namque, cum ita primigenia illa Divorum acta essent dissipata, superesset tamen nomen Sanctorum, et miraculis coruscaret, oportuit acta eorum, aliquot, postquam e vita migrarant, seculis, vel ex veteribus historiis, vel, cum eæ ut plurimum non exstarent, ex sola populi, sed accepta a majoribus, fama describere. Verum, ut recte S. Augustin., tract. 90, in Joan. *Nonnumquam et historia, et multo magis fama mentitur.* Necessario tamen illud occupandum præsidium est, cum aliud suppetit nihil. Sed judicio est opus. Quod ubi sincerum limatumque interponitur, res existit et ipsis honorifica Cælitibus, et mortalibus fructuosa. Non enim potest non ad illorum amplificandam gloriam conducere, ut quæ vel solis sermonibus hominum de iis præclara jactantur, ea graviter et accurate perscribantur; neque non ad plurium id spectare utilitatem, ut qui alibi etiam remotissimis in locis Sancti colantur, qui de iis sensus hominum sit, quæ rerum ab iis gestarum recordatio, legere valeant. Hæc si cum probatis historicorum monumentis consentiunt, illud consequitur, ut optemus quidem antiquas Sanctorum Vitas extare, quasi tamen partem earum aliquam delibemus, veluti a fonte rivove longe interclusam, sed in cisterna quapiam exceptam, aut etiam patente et aeris injuriis ceterisque sordibus exposita lacuna, aquam.

quandoque sola miracula,

Sed quia fere quæ inusitata maxime admiramur et memoria retinemus; ideo quandoque sola colligi miracula potuerunt (virtutum aliorumque cælestium ornamentorum omni oblitterata memoria) miracula, inquam, sed frequenter ita vel exaggerata, vel, ut est hominum captus, variis adjunctis et circumstantiis deformata, ut apud quosdam in anilium fabularum numero habeantur. Sæpe miracula eadem variis adscribuntur. Potest quidem immensa Numinis bonitas et potentia, quod uni Sanctorum tribuit, necessitatis præsidium, levamen doloris, mœroris solatium, testimonium innocentiæ, sanctitatis argumentum, non ideo quia jam collatum alteri sit, alteri negare; cum iisdem sæpius flagellis ac pœnis variorum delicta castiget. Sed tamen evenit sæpe, ut quod unius erat Sancti proprium, id hominum sermone ac dein scripto communicaretur cum multis, propterea quod perquam imbecillis in plurimis vis est reminiscendi, facillimeque perturbatur : quamobrem cum de Sancto quopiam quæri audiunt, et narrari nonnulla ab aliis, quæ se de Sancto aliquo audisse aliquando meminerunt, huic tribuunt; præsertim cum nominum sit, quam rerum, incertior et magis fluxa recordatio, quod illorum species in animo impressæ levissimo casu perturbentur et confundantur. Ea igitur ratione uno eodemque tempore pluribus Scriptoribus, ita popularem, quia aliud non suppetit, consulentibus famam, idem obtrudi variis locis de variis Sanctis potest, quod uni dumtaxat accidit, et ne eodem quidem, quo commemoratur, modo.

sæpe eadem;

alias plane stupenda,

Quid quod sæpe, etsi non possimus diffiteri, quin evenire potuerit, tamen patrati miraculi talis proditur caussa ac modus, ut etiam addubites decueritne majestatem æterni Numinis, ita humanæ vel necessitati subvenire, vel voluntati obsecundare? Sed quia admirabilis ejus bonitas est, neque ea capere intelligentia possumus, vel quæ castis sibique dilectis animabus paravit in cælis bona, vel quantum iis velit gratificari in terris, non sunt temere damnanda quæ ejusmodi narrantur, etsi nobis paradoxa videantur; sed potius reverenter accipienda, quatenus ex eo manasse fonte Divinæ bonitatis dicuntur, unde omnis nostra petenda est felicitas. Esto, ea facta non sint fortassis : at fieri majora potuere a Deo, et facta alias. Cave igitur ideo neges facta, quia fieri non potuerint aut debuerint.

præsertim a Scotis, Hibernis, Britonibus facta.

Quia vero in ejusmodi patrandis prodigiis sese fere simplicitati ac fidei hominum Deus attemperat; ideo Hibernorum, Scotorum, Britannorum tam qui Albionem, quam qui Armoricam Galliæ oram incolunt, plane portentosæ sunt Sanctorum Vitæ, atque ex miraculis, fere incredibilibus, contextæ; quia apud eas gentes et constantia fidei egregia, et vitæ simplicitas ac candor olim rarus extitit; vel certe quia simpliciores Scriptores. Neque facta isthic plurima olim fuisse miracula, poterit quisquam, quantumvis malitiosus, pernegare, cum etiamnum hodie, post abrogatas ab hæreticis majorum cæremonias cultumque Cælitum, ipsa tamen loca eorum honori olim dicata, sacrosancta adhuc esse videantur, et plurimis splendescant miraculis. S. Wenefridæ Virginis fons

postea denuo scripta ex populi fama;

fons est apud Britannos in extremo Walliæ ad Boream tractu, ad quem maximi fiunt concursus, petentium inde suis suorumque morbis et incommodis remedium. Retulit mihi vir illustris, vidisse se etiam hæreticos eo confluentes implorandæ opis gratia; cumque ex iis quæsisset cur, cum novam induissent formam religionis, quæ Sanctos invocari vetaret, aut ab iis vel longa quiete ad ultimum usque judicium sopitis, vel si in cælis ævum agant, ignaris certe rerum mortalium, auxilium sperare, ad illa Pontificiorum, ut assidue ipsis quinti Evangelii præcones inculcant, deliramenta recurrerent? respondisse eos, quid in pulpitis illi ganniant sibi curæ non esse, meminisse illius fontis aquam sibi suisque gregibus ac parentum suorum esse salutarem consuevisse; idque vel Divæ Wenefridæ, vel Deo boni omnis auctori acceptum scribi.

Vitæ ita ex fama scriptæ.

Sunt vero, ut ad propositum redeamus, ea ratione ex populi fama, plurimorum antiquorum Martyrum quæ interciderant acta conscripta, multorum Galliæ Apostolorum, plerorumque ex jam memoratis gentibus Sanctorum Vitæ, quorumdam etiam (quod mirere) Italorum. Neque præter famam, quæ dicebatur manasse a majoribus, habuerunt qui ea colligebant viri sapientes quod sequerentur. Si quod erant, quantumvis tenue, nacti antiquum monumentum, veluti in densa caligine insperato objectum lumen, ejus ductu omnem direxerunt suæ cursum scriptionis. Sed sunt nonnulli, qui hanc populi diditam ex antiquo famam, tanti faciunt, ut prope Apostolicis traditionibus eam æquiparent, ita inveteratam vulgi persuasionem Traditionem appellantes : cum sit earum diversissima ratio. Nam Apostolicæ Traditiones, non vulgi fama constant, sed solidis probationibus, licet verbo traditæ ab iis, non scripto, ut alia, sint. At populares illæ traditiones sæpe nec pueris satis credibiles, sæpe levi aut etiam fallaci ortæ principio, magnis deinceps incrementis dilatatæ, parum tamen ipso auctu roboris acceperunt. S. Servatium Episcopum venerantur Trajectenses. His Græculus quidam jam ante annos 600 persuasit Esmeria S. Annæ sorore filiam S. Elisabetham natam, Joannis Baptistæ matrem, filiumque Eliud, cujus filio Emeu B. Memelia Servatium pepererit. Ergo Antistitem se gloriantur habuisse Christi cognatum, cur dubitent, cum ita gravis auctor, ex gente longe ab omni fraudis suspicione remota id testetur? Alia superstruunt, ut facile trecentos annos vixisse eum prædicent, quem constet Eusebio et Hypatio Coss. Synodo Ariminensi interfuisse anno Christi 359. Quædam et vera et a gravi viro narrata, nonnulli perperam intelligunt, pejus etiam aliis narrant, ut semper cum novis erroribus serpant longius. Proprium id habet fama, ut vires eundo acquirat, magis etiam ficti ac pravi, quam recti tenax. Sæpe quod alteri narraveram, id ad me, eodem etiam die, sed multis partibus ampliatum, itaque immutatum rediit, ut ipse quod a me manarat non agnoscerem, donec sciscitando auctorem ejus quod mihi referebatur, quid, a quibus, quo errore esset adjectum, comperi. Si id in viris eruditis, quibus fides optima ac sinceritas morum, vel cogitationum evagatio aliqua, vel intempestiva interpretatio efficit, quid rudi et imperitæ plebi fiet?

an ea Traditio?

sæpe ex falso orta,

aut male intellecta, pejus amplificata.

Vitæ aliæ SS.

Acta sunt alia, non ita quidem ex incertis populi narrationibus conserta, sed docte ac graviter olim conscripta; verum deinde adulterata. Malitiæ dæmonum id Arnobius imputat, qui vel honorem debitum Sanctis detrahere, vel proventurum mortalibus emolumentum intercludere hoc pacto conati sunt. *Si qua sunt litteris,* inquit lib. 1, adversus gentes, *conscriptionibusque mandata, malevolentia dæmonum, quorum cura et studium est hanc intercipere veritatem et consimilium his hominum, interpolata quædam et addita, partim mutata atque detracta, verbis, syllabis, litteris, ut credentium tardarent fidem, et gestorum corrumperent auctoritatem.* Fecerunt ergo id homines nefarii, dæmonum instinctu, ut vel erroribus suis atque improbitati patrocinium quærerent, si dicerentur Sancti paria sensisse de Deo rebusque divinis, aut simili modo vitam instituisse; vel ut eorum obscurarent laudem, a quibus sectam esse suam impugnatam constaret. Faciunt id etiamnum hæretici : nam illustres Sanctos, quos omnis retro venerata est antiquitas, ne novitatis ipsi arguantur si ab iis dissentire se fateantur, suos fuisse clamitant; eduntque in vulgus acta eorum, sed detractis iis quæ illorum possent prodere puram ac Catholicam religionem. Si quos eorum dogmatum, quæ præcipue aversantur, fuisse defensores constet, eorum ita decolorant gesta, ut vel improbi homines fuisse, vel stolidi videantur. Ea res facit ut vetera MSS. sedulo conquiramus, quo ex plurium collatione facilius, si qua fraus est facta, queat deprehendi. Quæres, si consentiant exemplaria, an securi sumus ab omni fraude futuri? Non continuo. Sed exploranda ea ad Lydium lapidem, Ecclesiæ nimirum doctrinam; quicum quod pugnat, spurium est. Quid dolo adjectum sit, facile erit ex aliis Scriptoribus demonstrare, qui vel de præstantibus illis viris contraria tradunt, vel semper Catholicos habitos fuisse ostendunt, et quæ affinguntur iis scita, fuisse tunc ab universa Ecclesia repudiata. Sin obscuris de hominibus nec alibi notis narratur quidpiam cum orthodoxa fide haud satis apte congruens; omitto ego quidem, dum certiora eruam. Quid si fraus facta, quam assequi non possis, quia neque hæresi affine, neque Sanctis quibus tribuitur, ignominiosum, ut si E. G. conflictum miraculum aliquod? Si nulla fraudis extant vestigia ac signa, unde vel suspicio mihi incidet? Quid esse certum ac securum ei homini potest, qui absque caussa ulla ubique fraudem suspicetur? Imo malitiosum esse et improbum eum necesse sit.

odio dæmonis

ab hæreticis adulteratæ. duplici ex caussa.

An et quomodo deprehendi fraus possit?

Alii neque dolo malo, neque fama decepti, tradiderunt tamen gesta Sanctorum, quæ non facile probentur. Nam germanas tabulas nacti, breviare quam integra dare acta maluerunt, quod longiuscula videbantur. Præcipua igitur capita virtutum paucis verbis perstrinxerunt: at miracula, et quæ reliquis minime communia erant, quandoque amplificarunt : explanationes rerum, temporum notas, locorum descriptiones intexuerunt. Quæ cum quandoque non satis apte respondeant, in dubium universa revocatur historia. Est id tamen maxime intolerabile, si librarii ea fuerint impudentia, ut licet vix tincti litteris, attexant ipsi ejusmodi lacinias, aut subinde demant quæ vulgaria et trita judicarint.

Aliæ contractæ aut interpolatæ.

Denique Vitæ sunt quædam omnino conflictæ, aliæ ab hæreticis hominum improborum, a Catholicis aliæ styli exercendi gratia. De his infra. Hæretici non solum acta subinde corruperunt, exotica assuentes segmenta præclaris illustrium Sanctorum actis, quibus eos veluti insignitis notis vindicarent sibi; sed et suæ factionis homines flagitiosissimos veluti Sanctos, et justas eorum cædes martyria prædicarunt. Omitto Tanchelinum, Joannem Hus, et alios ejusdem farinæ, quos nuper stolidi quidam ac dementes homines e Calvini grege, æque ac veteres Ecclesiæ Martyres et Pontifices, velut Ecclesiæ suæ ornamenta ostentare non erubuerunt. Usitata fraus est sectariorum.

Aliæ conflictæ,

ab hæreticis suorum gregalium,

Specimen proferam perantiquum. Extat in quibusdam MSS. inter reliquorum acta Sanctorum, historia quædam aut fabula titulo Passionis Donati Martyris, qui ad conflandam Cæciliano Carthaginensi Episcopo invidiam conscriptus videtur libellus. Alibi integrum dabo, hic ne quis decipiatur, et vere Martyrem credat (ut olim Rosweydus, re non discussa) partem illius exhibebo. Ita ergo habet : *Si manifesta persecutionum gesta non otiose conscripta sunt, nec inconsulte in honorem Martyrum et ædificationem credentium*

ut olim a Donatistis :

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

credentium anniversaria solennitate leguntur, cur non magis subdolæ fraudis et blandæ deceptionis insidiæ conscribantur pariter et legantur, quæ sub obtentu religionis animas fraudulent a circumventione subvertunt? magis enim instructio necessaria illis est, ubi professa hostilitas non est : quia hostilis omnimodis societas ad decipiendum facilis et prompta est; et inimici hominis domestici ejus. Ideo alienum ab officio pietatis et religionis erit non solum Martyrum glorias invida quodammodo taciturnitate comprimere, sed etiam patrocinante silentio deceptorias subtilitates celare. Enimvero, quod salutare, tam periculose tacetur a prudentibus, quam inutiliter a simplicibus ignoratur. Quoniam quidem, ut facile est incautos appellatione nominis Christi a fallacibus decipi, ita necesse est fingere nomen ministros Antichristi. Proditione ergo luporum latentium sub vestium ovium insidiis aut liberabuntur instructi qui imperitia fallebantur, aut contumaces suo vitio peribunt, sine culpa et periculo prædicantium Christianorum. Caussæ ergo repetendæ quæ gestæ sunt, et utilitatis et justitiæ plenæ sunt : quia et fideles commemorando corroborantur, et rudes quosque ad tolerantiam tentationis instigant, et inimicos detegendo condemnant. Prædicet ergo patientissimam filiorum suorum fidem pia mater Ecclesia : recognoscat et fructum operis sui latronum crudelissimorum spelunca. Ergo jam veniamus ad caussas. Res apud Carthaginem gesta est, Cæciliano Pseudoepiscopo tunc instante, assentiente Comite Leontio, Duce Ursatio, Marcellino tunc Tribuno famulante, diabolo tamen omnium istorum consiliario existente. Primo etenim, ut inveterato draconi mos est, quasi jam non ipse persecutione manifesta Christiani nominis impugnator extiterit, eos quos aperta persecutione superare non potuit, callida fraude circumvenire molitus est, ut eo facilius deceptio proderet, quo deceptionis auctor latuisset. Plura deinceps in Cæcilianum Episcopum, et viros illos principes a Constantino Magno in Africam missos, jacit maledicta et calumnias. Late controversiam hanc omnem ortumque schismatis Donatistarum prosequitur Baronius tom. 3 Annal.

a Catholicis Heroum historiæ;

Aliæ a Catholicis confictæ Sanctorum historiæ, non ut cuiquam Sancti gloriosam appellationem tribuant, cui eam Ecclesia non decreverit, sed ut ea de illis scribant, quæ gesta numquam sint, geri solum potuerint. Viguit olim vigetque etiamnum ille mos, ut quo magis Lectores captentur legendi aviditate, historias Regum ac Heroum, quorum ficta et nomina sunt et regna et facta, ac mirabiles eventus, componant viri etiam non indocti, qui utilius aliis in rebus collocare operam potuissent. Tolerari id potest tamen, si penitus etiam conficta nomina sint : at nonne sapientibus lectoribus illudunt, cum noti nominis Regi cuipiam facta affingunt, quæ ille ne cogitarit quidem? Nonne iis ipsis, quorum sic celebrant nomen, ut quæ vere digna laude gesserunt penitus obterant, et quod nemo, nisi stultus, æquo animo patiatur, multa tribuant aliena, falsa, ridicula, non tam adulatione aliqua, quia jam ad illos Heroas rei hujus sensus non perveniat, quam insania quadam scribendi? Estque in lectoribus ipsis furor quidam, ut cum veras utilesque historias ne inspicere quidem dignentur, confictas illas mentiendi artificio allecti dies totos ac noctes volvant. Ast illud mihi petulantissimæ audaciæ videtur, quod etiam in sanctorum hominum rebus gestis ita ludere audent homines importune ludicri, ne dicam impii. Ita Caroli Magni historiam ineptus quidam tenebrio Turpini gravissimi Antistitis ementito nomine scripsit : ita Reinoldi Martyris, aliorumque acta violata scurrili styli licentia.

ut Lectores oblectent,

etiam SS. Vitæ;

aliquando prætextu moralis institutionis :

At sunt nonnulli tam acri fortassis haud digni reprehensione, qui præceptiones aliquas suas ad conformandos mores, excitandamque pietatem accommodatas, ut vim habeant tanto majorem, sub Sancti alicujus nomine proponunt, et ut suavius influant melle jucundissimæ fictionis illinunt. Non reprehendo apologos, etiam Sanctis usurpatos. Ea tamen mihi scribendi ratio non probatur : nam vel falsam opinionem de Sanctis concipiunt Lectores, vel, si confictam esse narrationem indicatur, reliqua Sanctorum gesta eo modo ficta esse suspicantur, et nonnumquam an qui celebrantur Sancti, unquam extiterint dubitant. Quæ etsi non evenirent, non tamen mendacium esse pietatis incitamentum debet. Deus veritas est. Exosa illi falsitas omnis, verborum, morum, scriptionis. Quem stylum exercere delectat, habet luculentam in sacris ac profanis historiis materiam. Sperat nominis celebritatem mirandorum eventuum casuumque inventione? Quis est adeo stupidus, qui non longe plura, quam scripta unquam sint, possit excogitare, licet desit apte ea scribendi facultas? Veritati, qua licet, consecremus stylum, studia, actiones universas.

an recte?

§ III. *Quo in ordine hæc ponenda.*

His ita constitutis, erit fortasse qui ad quam historicorum classem mea hæc pertineant, quærat. Dixi de Vitis singulis suo loco. Sed multorum animis ea insita est opinio, plerasque vitas Sanctorum inerti seculo a monachis, piis ut plurimum et bonis, ac simplicibus hominibus, sed ignaris fere litterarum, esse conscriptas, non ex certorum monumentorum fide, sed vel ex futilibus narratiunculis, vel ex propria quadam phantasia, ac fabrica hebetis ingenii inscite illa nostrorum Heroum decora speculantis. Ita loquuntur, nec sine supercilio, Critici quidam, qui ultra apices tamen et Grammaticales lites parum norunt, licet ipsi se intelligere et sapere plusquam ceteros arbitrentur. Et sunt nonnumquam, quod omnium colere amicitias se velle profiteantur, ex nimium familiari convictu eorum qui non recte de religione sentiunt, aliqua afflati insalubri aura. Alii dum nimis cauti esse volunt, neque uspiam secure audent insistere, ne labantur; nihil satis firmum putant, ac temere multa respuunt, dum ne explorare quidem cujusmodi ea sint, volunt. Utrorumque inimica veritati ratio est. Utrisque occurrendum non tam verbis quam rebus ipsis.

Quidam temere pronuntiant, omnes SS. Vitas confictas.

Dico igitur, Primum nullas esse hoc in opere vitas, quas omnino commentitias possit quis vel levissime suspicari, aliquo semper attestante Martyrologio certave auctoritate. Dein nullas esse, quas probabile sit ulla ex parte ab hæreticis aliisque maleferiatis hominibus vitiatas. Ceteris ex generibus sunt complures. Aliquot recensebo; nec, ut omnes, quidquam attinet.

Imo nullæ hic tales :

Ab oculatis testibus conscriptæ sunt I. Januar. Vitæ SS. Fulgentii Episcopi Ruspensis et Eugendi Abbatis a discipulis; S. Gregorii Ep. Nazianzeni a S. Gregorio Theologo filio; S. Guilielmi Abb. Divionensis a Rodulpho Glabro; S. Odilonis a Lethaldo. II. S. Macarii Alexandrini a Palladio; S. Adelardi Abb. Vita a S. Paschasio Ratberto, miracula a S. Geraldo, vel Gerardo Abb. Silvæ-majoris. III. S. Genovefæ, quæ tamen fortassis interpolata. IV. B. Angelæ Fulginatis ab Arnaldo. V. S. Syncleticæ a S. Athanasio; S. Simeonis Stylitæ ab Antonio, aut saltem a Theodoreto; S. Æmilianæ a S. Gregorio. VIII. S. Severini Apostoli Noricorum ab Eugippio; ejusdem Translatio a Joanne Diacono. X. S. Guilielmi Ep. Bituricensis. XII. S. Benedicti Abbatis a S. Beda. XIII. B. Juettæ, sive Juttæ, ab Hugone Floreffiensi. XIV. SS. PP. in Sina monte a S. Nilo; S. Eugelmari Eremitæ Martyris. XV. S. Alexandri Acœmetorum conditoris. XVI. S. Honorati Ep. Arelaten. a S. Hilario; S. Marcelli Papæ miracula ab Ursione Abbate. XVII. S. Antonii Abb. a S. Athanasio; SS. Antonii, Joannis, Meruli a S. Gregorio. XIX. S. Marii, Marthæ, et sociorum; S. Wolstani Episcopi Wigorniensis a Florentio. XX. S. Sebastiani

sed sunt multæ ab oculatis testibus scriptæ:

bastiani M. Translationis historia. xxi. SS. Fructuosi Episcopi et sociorum MM. S. Epiphanii a B. Ennodio. xxii. S. Anastasii Persæ M. miracula. xxiii. S. Asclæ M. Acta; S. Victoris et socii Translatio a Joanne Buzelino. xxiv. S. Macedonii anachoretæ a Theodoreto. xxv. S. Popponis ab Everhelmo. xxvi. S. Polycarpi martyrium ab Ecclesia Smyrnensi; S. Paulæ Romanæ a S. Hieronymo. xxvii. B. Joannis Episcopi Morinensis a Joanne de Collemedio. xxviii. Martyrum Alexandrinorum cædes; S. Caroli Magni Imp. Vita ab Eginardo. xxxix. S. Petri Thomasii a Philippo Mazzerio. xxxi. S. Marcellæ a S. Hieronymo; S. Martini Sauriensis a Salvato; et aliæ complures : nec enim omnes hic enumeravi, sed præcipuas, aut quarum hæc commentans in memoriam primum rediit. Non sunt hæc otiose multis post seculis conficta, sed a viris sapientibus qui ea spectarant litterarum monumentis signata, ac fidelissime ad nostram ætatem conservata. Neque est quod fastidiosi homines monachos hebetes et inertes criminentur, quorum industria, si verum fateri volumus, non modo sacra hæc antiquæ pietatis, sed omnia omnino vetustæ eruditionis ad nos pervenere monumenta : quod etiam Hæreticorum multi non diffitentur.

multæ ab iis quibus oculati testes,

Jam qui non ipsi spectarunt quidem quæ traditerunt litteris, aut non omnia (quamquam neque quos αὐτόπτας et inspectores dicimus, ita speculati sunt omnia diligenter, ut non etiam quædam ab aliis acciperint) sed tamen qui pleraque iis qui geri ea viderant narrantibus didicerunt, sunt plurimi hoc in opere. Ea ratione i Januarii B. Petrus Damiani S. Odilonis Vitam scripsit. iv. S. Gregorius Turonensis S. Gregorii Lingonensis Episcopi. viii. Bernardus Justinianus S. Laurentii Justiniani. ix. S. Beda S. Adriani Abb. xi. S. Gregorius Papa S. Anastasii Abb. xiii. Joannes Presbyter S. Glaphyræ; Isidorus de Isolanis B. Veronicæ. xv. Ruffinus et Palladius S. Macarii Ægyptii. xix. Walafridus S. Blaitmaci. xx. S. Euthymii Magni Abb. Cyrillus monachus. xxiii. Leontius Episcopus S. Joannis Eleemonis; S. Beda S. Boisili. xxv. S. Chrysostomus SS. Juventini et Maximi. xvi. Hermanus B. Hasecæ. Atque alii, quorum expressa non sunt nomina, v. S. Gerlaci Eremitæ; vii. Venerabilis Ludovici Blosii Abb. xi. S. Theodosii Cœnobiarchæ. xiii. B. Godefridi Capenbergensis, xv. S. Idæ Virg. et S. Boniti Episc. xvii. S. Sulpitii Pii Episc. S. Ricmiri Abb. xxv. S. Præjecti Episc. Mart. xxvi. S. Bathildis Reginæ.

Jam vero plures etiam extitere, qui ea scriberent quæ neque spectassent, neque ab oculatis testibus audissent; sed, quod vel ætate aliquanto juniores, vel longo spatio terrarum dissiti essent, ab iis solum didicissent, quibus ipsi spectatores narraverant. Ad

vel ii, qui hauserant ab oculatis testibus narraverunt;

hanc classem ea fere pertinent omnia, quæ a coætaneis aut coævis scripta passim annotavi, ac nominatim Acta S. Gordii M. per S. Basilium iii Januar. S. Eduardi Regis v. S. Pauli primi Eremitæ per S. Hieronymum x. S. Felicis per S. Paulinum xiv. S. Bassiani Episc. Laudis-Pompeiæ xix. S. Launomari Abb. S. Sebastiani M. si quidem per S. Ambrosium hujusve æqualem, xx. S. Agnetis per eumdem Ambrosium xxi. SS. Vincentii et Anastasii MM. xxii. et aliorum plurimorum.

Denique qui partim a Scriptoribus notæ jam dictæ composita recuderunt novo ordine, ac stylo, partim ex veteribus et certis monumentis, vel ex probatis

multæ ex authenticis scriptis compositæ,

historicis composuerunt ipsi Sanctorum historias, multi fuere, quos et ego imitor, quoties acta alicujus non reperio, sed solum consignatam eorum in SS. PP. vel historicis, aut Martyrologiis memoriam. Ita scriptæ sunt Vitæ, ii Januar. S. Adelardi per S. Geraldum, sive Gerardum. vi. S. Erminoldi Abb. M. vii. S. Raimundi Pennafortii a Clemente VIII Papa. viii. S. Frodoberti ab Adzone, S. Gudilæ Virg. ab Huberto. xiii. S. Hilarii Episc. a Fortunato. xxii. B. Walteri de Birbeke. xxviii. B. Margaritæ Hungaricæ a Garino. xxix. Venerabilis Caroli Abb. Villariensis; S. Petri Nolasci a Francisco Zumel. xxx. S. Aldegundis Virginis ab Hucbaldo et aliis. Plura sunt ejusmodi a nobis ita collecta et conserta : S. Attici Episc. S. Cyri Episc. S. Pegæ Virg. viii Janu. S. Petri Episc. Sebasteni ix. S. Paulini Patriarchæ Aquileiensis ix. S. Cæsariæ Virg. xii. S. Bernonis Abb. xiii. S. Datii Episc. Mediolanen. xiv. S. Emeberti, sive Ableberti Episc. et S. Ceolulphi Regis. xv. S. Fabiani Papæ xx. S. Cyrilli Patriarch. Alexandrini xxviii. et aliorum plurimorum.

Neque harum vitarum arbitror facile convelli a quoquam fidem posse; nisi quod quæ a me sunt elucubratæ, iis alia quæ addi potuissent venient fortassis Lectori in mentem non pauca. Nunc quæ ex fama conscriptæ, longo postquam Sancti decesserant tempore, aut ex monumentis non ita vel authenticis vel illustribus. Hoc ex genere sunt i. S. Martinæ V. M. S. Mochuæ utriusque, iii. S. Bertiliæ Virg. iv. S. Neophytæ V. M. et S. Pharaildis Virg. viii. S. Luciani Bellovacorum Apostoli; S. Patientis Episc. Meten. S. Balduini Diaconi M. S. Erardi sive per Paulum, sive per Conradum. x. S. Gonzalvi Amaranthi per Didacum de Rosario. xi. S. Leucii Episc. xiii. S. Potiti M. S. Agricii Episc. Trevir. S. Viventii Presbyteri; S. Kentigerni Episc. xvi. S. Jacobi Episc. Tarentas. xvii. SS. Tergeminorum, sive per Warnaharium sive per anonymum; S. Genulphi Episc. xviii. S. Priscæ V. M. S. Deicoli Abb. xx. S. Fechini Abb. xxiv. S. Sophiæ, sive Cadoci Episc. xxvi. S. Notburgæ. xxvii. S. Juliani Cenomanorum Apostoli per Lethaldum. xxix. S. Valerii Episc. Trevir. SS. Saviniani M. et Sabinæ V. S. Gildæ Abb. xxxi. S. Geminiani Ep. Mutinen. SS. Julii et Juliani; S. Aidani sive Medoci Episc.

aliquæ ex fama;

Postremum genus est Vitarum, quæ ex genuinis contractæ, vel certe variis locis interpolatæ. Atque hoc quidem apte factum est nonnumquam a viris eruditis : malem tamen annotassent potius seorsim observationem, appendicem, emendationem suam, quam intexuissent pristinæ narrationi. Hoc genus latissime patet, atque cum præcedente, accurate ut examinentur quæ ejusmodi sunt, postulat. Talia sunt quæcumque fere a Metaphraste, Surio, Haræo, Grasio, Lippeloo, Wicelio, Ribadeneira, et aliis plurimis, doctis et piis hominibus scripta : talia quæ in Menæis Græcorum, Petro de Natalib. Vincentio Bellovac. S. Antonino extant : talia Acta S. Maximi M. ii Janu. S. Severini Episc. Septempedani viii. S. Egwini xi. S. Mauri Abb. xv interpolato ab Odone S. Fausti opere. S. Marcelli Papæ xvi, quæ tamen alii genuina censent.

plures contractæ, vel interpolatæ.

§ iv. *An Posterioris generis scripta omnia respuenda.*

Alii non universim Vitas respuunt omnes : duo illa postrema genera impugnant. Diligere se aiunt vitas Sanctorum, eas volutant, et multa ex iis hauriunt, quibus suos aliorumque ad virtutem animos exsuscitent. Sed nullas edi volunt, nisi limatas judicio, atque undequaque veritate firmatas, quæ non modo non convelli, sed ne oppugnari quidem possint. Esset sane optandum, ut Sancti omnes, qualem hi postulant, nacti essent suarum virtutum præconem; aut si forte nacti sunt, quæ olim scripta, ipsi proveherent in lucem : aut profecto qui ita sentiunt, appellerent ipsimet ad dilucidanda vel ex integro componenda Divorum Acta operam ac studium; suive similes excitarent acri ac certo judicio homines, simulque litteris expolitos, qui ad ea Acta suo nitori restituenda incumberent.

Improbant quidam ultima duo genera, sive vulgares Legendas,

At si id sperare vix licet, et Sanctorum quorum-

dam legitimis actis abolitis ac consumptis, solæ eæ extant ex fama non omnino certa descriptæ, vel imperite interpolatæ Legendæ, uti eas superioris temporis consuetudo appellabat; quos tamen Sanctos constat plurium seculorum consensu eo gradu ac loco habitos a majoribus, atque anathematis votivisque tabulis ac sacris cultos, ipsa Romana Ecclesia, arbitra sacrorum ac magistra sanctitatis, vel jubente, vel annuente, vel saltem connivente; quid *et edi nolunt,* hujusmodi eorum Actis faciemus? Omitti vis, in tenebras adjici aut ignem potius, planeque absumi. Merito quidem si quid inest, quod fidei orthodoxæ, *recte, si fidei adversentur,* aut rectæ morum disciplinæ adversetur. Id enim ferendum non est : tollendum est protinus e medio, ne quid damni cuiquam consciscat. Atque utinam qui tam severi sunt in Vitas Sanctorum; eadem censura perstringerent, imo exterminarent libros plurimos, qui non levem invehunt morum corruptelam.

Si quid vero inest in Actis quibusdam, quod neque traditæ divinitus doctrinæ adversetur, neque depravare vitiorum illecebris lectorum animos videatur; *aut omnibus historicis,* repugnet tamen omnibus earum ætatum, quibus extitisse Sancti illi dicuntur, historicis, aut plerisque ac maxime probatis; id quidem quodcumque est vel paterer expungi, vel ipse certe notarem. At si est quidpiam, quod uni solum antiquæ historiæ non congruat, non ideo id poscribi æquum est, cum inter sese frequenter Scriptores dissentiant et veteres et moderni, etiam qui res suæ ætatis scribunt, et *non si paucis,* quibus gerendis ipsi interfuerunt. Nec video cur Ammiano Marcellino, hosti Christianorum, aut alteri ejusdem farinæ, plus haberi fidei debeat, quam Christiano cuipiam, rudi licet et imperito scriptori. Nam etsi fuerit hic fortassis, ut dictitant, nimis credulus; ast ille invidia callide reticet, vel maligne deterit nostrorum decora.

Quid si, quarum maxime falsitatem suspectas, eas Sanctorum vitas constaret esse scriptas ab ipsorum æquali, et gestorum omnium teste oculato, viro bono, sive Christiano, sive etiam Ethnico, sed eo prorsus modo quo nunc exstant, an etiam tunc eas respueres ac damnares? Minime, inquis. Verum *etiam sic scribi ab oculatis testibus potuerunt.* inornate sunt scriptæ. Sed vere. Simpliciter et imperite, imo sincere. Incerta sunt quæ memorant. Imo visa, inquis, testata. Ordinatius digeri ea oportuit, noluit auctor, vel non potuit. Quid ergo censes? edendæ? an tradendæ Vulcano? Edendæ. Audio. Dandum scilicet antiquitati aliquid. Nec fuco eget aut ornatu veritas. Satis ipsa est sibi, ut placeat bonis, etiam nuda, omnique vacua exotico pigmento. At loca non congruunt, aut tempora; nec quidquam simile memorant scriptores illius temporis. Explicationem censebis adhiberi oportere vel excusationem quasique effugium, potius quam omnino repudies, quod ab hujusmodi auctore compositum manifeste constet. Adhibe easdem nunc excusationes, explicationes, effugia, et sua Vitis ejusmodi auctoritas probabilitasque constabit. Non mirum etiam spectatores loci notam aut temporis præterire, rei soli intentos.

Silentium Scriptorum Ethnicorum perinde interpretor, ut si rure gestum quidquam a dissoluto Principe ejusve comitatu, singulari insolentia, furore, obscœnitate; ipsi reticeant aulici, at narrent *Cur Ethnici scriptores de SS. sæpius non meminerint?* qui perpessi, quique spectarunt rustici, sed inornate ac insulse, neque vel pagum suum nominent, vel in qua is provincia situs, nec quoto id factum sit Pontificis, vel Imperatoris, vel sui Regis anno, exponant, quæ nimirum accurati scriptores non præterirent; non credemus scilicet : certiora requiremus testimonia. Consulto illi Principum suorum furorem, dedecus, ultionem divinitus inflictam, ac nostrorum virtutes, miracula, victorias omittunt. Sit igitur aliquis in loco, tempore, similive circumstantia error, ideone tota supprimenda est historia? Etiamne si oculati testes sunt qui ista narrantes hallucinantur? O severum judicem! nulla deinceps cudatur historia, nulla olim scripta (præter eas quæ a Deo sunt dictatæ) toleretur, si ea lex posita sit, ut nihil inesse falsum aut minus probabile fas sit.

Refutantur, contra sententium argumenta: 1. *Hæretici hæc Acta ridebunt.*

Ridebunt, inquis, ista hæretici. Quid deinde? Sacratissima nostræ fidei mysteria rident, rident etiam libros nonnullos, quos a Divino Spiritu manasse certo scimus, rident multas piorum laudabiles actiones, rident vitas a spectatoribus iisque sapientissimis et sanctissimis conscriptas. Illis non scribimus. Non esset difficile eorum retundere impudentiam, sed non sunt tanti. Suum illum insulsissimum salem, quacumque in re voluerint, consumant. Nihil eos moramur. Piis et probis hominibus scribimus, quibus hæc stimulum ad virtutes capessendas admonebunt. Nec ridebunt tamen heterodoxi omnes laborem hunc meum. Sunt inter eos quidam amatores antiquitatis, eoque propius distantes a regno Dei, qui gaudebunt in lucem proferri multa quocumque etiam squallore obsita, quibus ipsi ad eas quas moliuntur humanæ litteraturæ lucubrationes utantur. Usus est sane in Italia illustranda Philippus Cluverius, in Britannia Guilielmus Cambdemus : neque istiusmodi scripta omnia respuent Jacobus Usserius, Gerardus Joannes Vossius, Joannes Meursius, aliique. Utinam eorum aliquando ista lectione commoveantur mentes, ut tandem Catholicæ caritati et concordiæ manus, animos, calamos dedant.

Ipsi Catholici hæc fastidient. Nempe ut favum quoque immodice saturati. At plures avide complectentur. Præclare enim Lindanus doctissimus Ruræmundensium Episcopus in elogio Martyrologii a Baronio recogniti et annotationibus illustrati scribit, *si quæ paradoxa quibusdam forte videbuntur, illa equidem eo esse loco habenda ut avidius expetantur.* Si qui tamen ita tenero stomacho sunt, ut hæc iis nauseam provocent, eorum lectione abstineant; habent alia quæ legant. Non semper singulis convivis omnes conveniunt appositi cibi : satis est si aliqui conveniant, aut plerique. Nec quia sit aliquis qui caseo, oleo, crudis vesci nolit; abesse omnino oleum, caseum, poma, lactucas a mensis, quibus eos adhibes, necesse est. Habet Lector meum de singulis Vitis judicium. Prætereat si quid suo non viderit palato aptum. At sæpe initio multi ea fastidiunt, quæ iis postea mirifice placent ac prosunt. Fatetur quandoque Baronius Acta quædam ut primum venerunt in manus, inepta sibi visa et insipida, quæ accuratius expensa vehementer probarit, omnique acceptione digna judicarit. Mihi quoque id usuvenit, licet ut plurimum cohibere assensum soleam, donec rem omnem examinarim. Si quorum nimis delicatum est fastidium, corrigendum id, ne etiam salubrem, imo necessariam medicinam, si inveteraverit, respuat. Et sane si illud argumentum quidquam valeat, quam multi sermonem de religione ceterisque virtutibus, usum divinorum Sacramentorum, librorum piorum lectionem, precationes denique fastidiunt? Eone illa mala, summovenda, abdicanda? Excitandus impellendusque in contrarium animus, ut saltem ad æquilibritatem quamdam pertingat. Neque qui probet omnia, neque qui nihil, ab errore esse securus potest. Fastidiebat olim societatis nostræ parens Ignatius libros qui sacra tractarent; vanos poscebat, qui bella, etiam ficta, aliave ludicro mundi genio accommodata, ut eorum lectione oblectaret animum, morbi tædium levaret. Ubi tandem fastidium superavit, vix satiari eorumdem sacrorum librorum lectione poterat. Denique fructum tulit, quem universa sentit Ecclesia. Eveniet id hic quoque fortassis, vel ex eo nata salutis occasione, a quo maxime animus abhorrebat.

2. *Catholicis fastidium movebunt.*

Inficiari saltem non possumus, ais, quin multa in his ridicula narrentur. Ego ita severus non sum, ut risu mihi, omnibusque hilaritatis indiciis interdicam : numquam tamen, licet verser in hisce Actis quotidie,

3. *Ridicula sunt.*

quotidie, memini mihi risum ab iis moveri. Ridicula sunt fateor quæ stolidissimi dæmones ad Sanctorum labefactandam in precandi studio aliisque virtutibus constantiam machinati sunt, dubites majori furore an vafritie: nego tamen ridiculum esse ea narrari. At si cui ita splen salit, prorumpat in sane in risum et cachinnos, ut volet. Ne existimet tamen, a petulantia illa solidum duci argumentum, quo hæc valeant Acta convelli, quæ pluribus salubrem potius fletum elicient, cogitantibus quæ et quanta egerint Sancti, quæ sint divinitus consecuti, ea ætate, ordine, loco, quo nunc stamus ignavi et degeneres, tam longinquo ab iis spatio semoti. Si quos ita pupugerint, iis deinde risum ciebunt exultationemque sempiternam.

4. Sunt incredibilia.

Esto : ridicula hæc non videantur, incredibilia certe sunt quam plurima. Quid ita ? Quia consuetum rerum humanarum modum excedunt. An asseruntur viribus facta humanis ? an non a Deo, ejusve auxilio? quid huic impossibile ? Si Livius aut Salustius hæc narraret accidisse, crederes,. opinor, sed dæmonum præstigiis facta diceres. An ergo plus hæ, quam supremæ mentis immensum numen potest; ut si ab hoc factum esse quodpiam portentum narretur, incredibile pronunties; si ab illis, continuo habeas fidem? Potuit, inquis, ea Deus; fecisse unde constat? unde constaret tibi Livio narrante ? fide humana, opinor, quæ et hic habet locum. Quæris unde mihi constet, fecisse Deum quidquam quod memoratur : unde tibi constat non fecisse ? Auctorem profero qui asserat : habes qui neget ? si habes, utrius potior fides ? si non habes, et fieri fateris posse ; vide ne temerarium sit absque ulla ratione negare esse factum. Nulla fuit, inquis, patrandi miraculi caussa. Unde id nosti ? non scribitur. An ergo omnes rerum omnium conscriptæ caussæ? Proditur forte aliqua, sed quæ tibi non probetur. Scrutatus es nempe omnia Dei consilia. Nescis, ah nescis, quæ ejus bonitas sit et munificentia, cui terminos ponis, quos ultra non deceat gratificari eum mortalibus. Loqui bruta animantia, suscitari ac denuo vivescere comesa, sparso pulvere nasci segetem et momento maturescere; quid hic non Deo facile? An denuo vivere vorata incredibilius, quam de lapidibus suscitari filios Abrahæ ? an difficilius est efficere ut loquatur columba aut camelus, ad solatium vel præsidium vel institutionem Sanctorum, quam ut asina olim ad Balaami, paullo tamen post perituri, coarguendam pervicacem temeritatem ?

5. Errores parient.

Vereris ne hæc opiniones falsas erroresque turbulentos, et superstitiones pæne aniles procreent; quæ cum penitus insederint atque inveteraverint, etiam comperta, et gravissimo judicio promulgata veritate, evelli non possint. Mitte eum timorem. Nosti quæ vis et efficacitas sit veritatis, quanta neque vino inest, licet etiam sapientes dementet; neque Regi, cujus tamen nutu vita morsque subjecti populi constat; neque mulieri, cujus solet esse amor ad insaniam vehemens. Correcta sunt nuper quædam in Martyrologio : quis non prompte et libenter veritatem amplexus? Neque hic periculosus est error, ut nesciam ortum Sancti alicujus, aut quodpiam ejus factum, quorum quædam etiam sacra Scriptura occuluit. Occiderit S. Georgius draconem verum, an metaphoricum, quid interest? Vulgus verum existimat occidisse, aliter docti sentiunt : errat pars alterutra, sine piaculo. Quales apud Gallos disputationes, non de miraculo uno alterove, sed de Sanctis ipsis qui sacrorum solenni apparatu coluntur. S. Dionysium Parisiorum Apostolum sub annum a Christi ortu CCL missum in Gallias viri eruditi existimant, eumque se publice venerari profitentur. Volunt alii ne extitisse quidem eum unquam, proque eo Areopagitam Dionysium sacris solennibus colendum. An ea levis est controversia ? Errare alterutram partem necesse est. Non commoventur tamen propterea Ecclesiarum Antistites, nec ipse Præses et Rector ac Pater omnium Romanus Pontifex. Non est enim is error ejusmodi, qui pietatem aliamve virtutem labefactet. Nec indignatur sanctus ille Antistes, sibi debitos honores Areopagitæ impendi, neque Areopagita eos illi it præreptum, cum suum honorem uterque sentiat ad Dei gloriam spectare. Et si qua dies lumen afferat, ut constet non ab Areopagita, sed altero juniore conversos esse Parisios, non difficulter assentientur e diuturnis tenebris emersæ veritati.

Quid est hoc, inquies, aliud, quam gravissimo sanctissimoque Ecclesiæ judicio repugnare ? Jubet ea quasdam Sanctorum historias corrigi : tu etiam in lucem profers, et iis concilias auctoritatem. Quid enim est corrigere quidpiam? in tenebras abdere, luto immergere, flammis abolere? an non, quod curvum erat aut videbatur, curare ut rectum sit et sentiatur esse ? Hoc enimvero ego facio. Neque enim arbitror Ecclesiam suo decreto velle omnibus potestatem fieri, ut quæ singuli improbarint fastidioso aut aliis opinionibus præoccupato judicio, ea ceu figmenta repudiare et abjicere valeant; imo et suas conjecturas veluti a majoribus traditam narrationem obtrudere, vetustis temere interpolatis monumentis. Ego contra laborem meum universæ Ecclesiæ, ac præsertim moderatrici ceterarum Romanæ Sedi, probaturum me confido. Vitas quas, legitimas censeam significo, quas et quatenus tolerabiles, quas, quaque ratione emendandas; ea tamen modestia, ut sæpe me confitear non videre quo pacto quæ suspicor inesse menda corrigam; obtesterque alios ut suggerant, si quid iis aptius occurrerit.

6. Ecclesia ea corrigi jubet.

Ergo neque quia periculum sit ne risum moveant hæreticis, aut potius insulsis quibusdam scurris, qui ad hæreticorum fornices confugerunt; neque quia fastidio futura palato quorumdam Catholicorum timeantur; neque quia ridicula sint, quæ contra seria sunt et gravia; neque quia incredibilia, cum et sæpe facta alias sint, et Deo usitata; neque quia perniciosos gignant errores, cum potius auctoritatem sanctissimam Ecclesiæ assidue inculcent, quod unicum est contra omne virus errorum antidotum; neque quia corrigi quædam ex his Ecclesia velit; ideo supprimenda, penitusque abolenda. Imo potius quia a bonis, simplicibus, sinceris hominibus, etsi non summa arte scripta sunt; quia procul absunt ab omni adulationis suspicione, cum nullam sibi Auctores mercedem propositam habuerint, nisi Sanctorum patriocinium, ac munifici favorem Numinis; quia multorum etiam eruditorum tot jam seculis trita manibus, et numquam penitus rejecta etiam a gravissimis Theologis; ea fateamur verisimilia censeri debere, ac suscipi pleraque, legique utiliter posse : dummodo quæ subinde admonui observentur, quæque alii eruditiores monebunt.

Imo suscipienda quia a viris bonis scripta,

a doctis non spreta.

§ v. *An Acta SS. apocrypha.*

Sunt alii quidam Aristarchi, severi cumprimis et importuni, qui identidem illud occinunt, Apocrypha hæc esse, hausta ex Apocryphorum fabulis, somniis, deliramentis : eaque *apocryphi* appellatione veluti validissimo ariete dejicere se ac prosternere universum hoc nostrum opus arbitrantur; cum ipsismet suum illud telum, quo utuntur, apocryphum sit; vocis, inquam, ipsius ne notionem quidem assequantur. Nam quod instant et urgent, gravissima Gelasii Papæ sententia in apocryphorum classem esse relata hæc, ac vetita legi, id ita habet.

An hæc apocrypha,

S. Gelasius Papa in concilio Romano LXX Episcoporum, Asterio et Præsidio Coss. anno Christi 494 habito, (quod et Gratianus in Decretum retulit par. 1, dist. 15, can. 3. *Sancta Romana*) varia recensens sanctorum Patrum opuscula, quæ post Scripturæ libros suscipi permittit, et in Ecclesia legi, ita inter alia

et ut talia proscripta can. Sancta Romana *dist.* 15.

alia loquitur : *Item gesta sanctorum Martyrum, qui multiplicibus tormentorum cruciatibus, et mirabilibus confessionum triumphis irradiant. Quis ita esse Catholicorum dubitet, et majora eos in agonibus fuisse perpessos, nec suis viribus, sed gratia Dei et adjutorio universa tolerasse? Sed ideo secundum antiquam consuetudinem singulari cautela in sancta Romana Ecclesia non leguntur, quia et eorum, qui conscripsere, nomina penitus ignorantur; et ab infidelibus aut idiotis superflua, aut minus apta, quam rei ordo fuerit, scripta esse putantur; sicut cujusdam Quirici et Julitæ, sicut Georgii, aliorumque hujusmodi passiones, quæ ab hæreticis perhibentur compositæ. Propter quod, ut dictum est, ne vel levis subsannandi oriretur occasio, in sancta Romana Ecclesia non leguntur. Nos tamen cum prædicta Ecclesia omnes Martyres et eorum gloriosos agones, qui Deo magis quam hominibus noti sunt, omni devotione veneramur.* Hæc ille. Neu dubitari possit, quin illa Sanctorum acta apocrypha judicet, postea in *Notitia librorum apocryphorum, qui non recipiuntur*, iterum recenset et *apocrypha* appellat, *Passionem Quirici et Julitæ, et Passionem Georgii.*

Apocrypha unde dicta?

Ut scrupulus hic, qui quorumdam animos assidue stimulat ac pungit, penitus evellatur, primum explicandum, quid apocryphum sit, quotque modis dicatur : tum quatenus hæc apocrypha censeri debeant, uti et alia quædam veterum scripta. *Apocryphum* ab ἀποκρύπτειν, *sive* ἀποκρύπτεσθαι, *celare, occulere, abscondere*, deducitur; non, ut habet Glossa ad can. *Sancta Romana*, ab ἀπὸ *de, et* κρύσις *secretum;* neque omnino Græcum est κρύσις, sed a κρύπτω est κρύψις, id est *latebra, occultatio*. Significat ergo ἀπόκρυφον, *occultum, arcanum*, nec propalam enuntiatum.

Sic appellantur quæ certo auctore carent;

Primo igitur apocryphum dicitur, ut habet Glossa in can. 1, dist. 16, quod certo auctore caret, uti liber Judicum, liber Tobiæ, Esther, Machabæorum, Job et alii, qui tamen inter Canonica Divinæ Scripturæ volumina habentur. Ea ratione inter sacros et Ecclesiasticos libros, quos Covarruvias lib. 4, Variar., cap. 16 et 17, *Hagiographos* appellat, retineri aliqui possunt, quorum ignorentur auctores. Sed de hoc apocryphorum genere non quæritur : certum est enim esse inter Acta Sanctorum multa, quæ a quo tradita sint litteris ignoretur; sed et ejusmodi plurima sunt legitima, et nemini omnino suspecta, ut Acta SS. Fructuosi Episcopi, Augurii et Eulogii MM. XXI Januarii, et aliorum plurimorum.

2. quæ non sunt in canone Scripturarum,

Alio modo apocryphum dicitur, quod inter Divinæ Scripturæ libros non numeratur. Ita S. Hieronymus Prolog. in libros Regum : *Hic prologus Scripturarum, quasi galeatum principium, omnibus libris, quos ex Hebræo vertimus in Latinum, convenire potest, ut scire valeamus quidquid extra hos est, inter apocrypha esse ponendum.* Sic oratio Manasse Regis, sic libri tertius et quartus Esdræ apocryphi sunt; licet enim antiquæ nec indignæ fide historiæ habeant pondus, non tamen habentur a Spiritu sancto dictati. Sed neque hac notione apocryphi vocem usurpant, qui nostra esse apocrypha criminantur : nam etiam probatissimæ Patrum lucubrationes ea ratione apocryphæ sunt, id est non eo numero ac loco quo divinitus inspiratæ Scripturæ.

præsertim quæ ab aliquibus in eo perperam reponuntur,

Potissimum tamen apocryphi vocantur ii libri, quos aliqui ut Canonicos suscipiunt, Ecclesia refragante. De his pulcre S. Augustinus lib. 15 de civit. Dei cap. 23, *Ommittamus igitur earum scripturarum fabulas, quæ apocryphæ nuncupantur, eo quod earum occulta origo non claruit Patribus, a quibus usque ad nos auctoritas veracium scripturarum certissima et notissima successione pervenit. In his autem apocryphis etsi invenitur aliqua veritas, tamen propter multa falsa nulla est canonica auctoritas. Scripsisse quidem nonnulla divina Enoch illum septimum ab Adam negare non possumus, cum hoc in epistola canonica Judas Apostolus dicat. Sed non frustra non sunt in eo canone Scripturarum, qui servabatur in templo Hebræi populi succedentium diligentia Sacerdotum. Cur autem hoc, nisi quia ob antiquitatem suspectæ fidei judicata sunt, nec utrum hæc essent quæ ille scripsisset, poterat inveniri, non talibus proferentibus, qui ea per seriem successionis reperirentur rite servasse. Unde illa quæ sub ejus nomine proferuntur..... recte a prudentibus judicantur non ipsius esse credenda; sicut multa sub nominibus et aliorum Prophetarum, et recentiora sub nominibus Apostolorum ab hæreticis proferuntur, quæ omnia sub nomine apocryphorum ab auctoritate canonica diligenti examinatione remota sunt.* De eadem Enochi prophetia, et aliorum scriptis idem sanctus Doctor lib. 18, cap. 38 ait, *ut apud Judæos et apud nos in auctoritate non essent, nimiam fecisse antiquitatem, propter quam videbantur habenda esse suspecta, ne proferrentur falsa pro veris.*

ut liber Enoch,

At quidam ex his apocryphis libris non modo incertæ erant auctoritatis, sed et omnino alienis tribuebantur auctoribus. Sic idem Augustinus contra Faustum Manichæum lib. 22, cap. 79 : *Legunt scripturas apocryphas Manichæi a nescio quibus sutoribus fabularum, sub Apostolorum nomine scriptas, quæ suorum Scriptorum temporibus in auctoritatem sanctæ Ecclesiæ recipi mererentur, si sancti et docti homines, qui tunc in hac vita erant et examinare talia poterant, eos vera locutos esse cognoscerent..... Utrum illa vera sit aut conficta narratio, nihil mea nunc interest. Certe enim Manichæi, a quibus illæ scripturæ, quas Canon Ecclesiasticus respuit, tamquam veræ atque sinceræ acceptantur, etc.* Verum ista nunc missa facio : nam non sum ita stolidus, ut ulla Sanctorum Acta, nisi si quæ sunt ex sacris Scripturis sumpta, Canonica esse velim et scripturæ Divinæ obtinere auctoritatem : non poterunt igitur apocrypharum scripturarum nomine ab Ecclesia repudiari.

aut sub ficto nomine edita, ut Acta S. Thomæ;

Tertio igitur, apocryphos libros, et proprie, appellat Gelasius, quos in Ecclesiam sancit publice legi non oportere, quasi ἀποκρύπτεσθαι eos deceat, abscondi, et removeri a luce Ecclesiæ, ubi nihil fas sit, nisi omnino probatum, legi. Quia tamen ea latius sumi significatio videtur, possunt libri quos perstringit Gelasius, ut loco citato observat Covarruvias in duas classes distribui, ut alii sint hæretici, neque palam neque privatim legendi, sed abominandi potius, planeque abolendi, ut qui pestem sint legentibus allaturi; alii simpliciter apocryphi, qui neque hæretici, neque semper ab incerto scripti auctore, neque sub ementito alicujus sacri scriptoris nomine; minorem tamen obtineant auctoritatem, neque ab Ecclesia et Patribus usquequaque probatam; *propterea quod falsa quædam in eis*, ut scribit Covarruvias lib. 4, Variarum c. 17, *veris quandoque misceantur, peregrina quædam aut portentosa narrentur, quæ nec pie nec commode credi possunt; vel ex eo denique quod eorum auctores quædam veterum dogmata fuerint secuti, quæ postea testimonio sacrarum Scripturarum convicta sint. Atque ideo hi libri apocryphi dicuntur, quod non sint publice in templis legendi; licet privatim, caute tamen, legi possint.* Ergo libri apocryphi, ut idem mox subdit, *licet in ecclesiis legi non debeant publice, possunt tamen privatim legi, et caute, quia eorum auctoritas in obscuro et abscondito est.* Et paullo post medium capitis de Eusebio loquens, *Si apocrypha*, inquit, *interpretemur ea, quæ publice in Ecclesiis legi non debent, privatim tamen legi possunt : quemadmodum et quoad plures libros hoc in loco nominatim relatos hæc significatio est prorsus admittenda.* Ita Covarruvias. Eadem alii scribunt.

3. quæ legi in Ecclesia non debent.

licet possint privatim :

Hac ergo posteriori notione apocrypha sunt ex iis quæ edo multa : nam et Eusebii historia apocrypha est, et opera Tertulliani, Lactantii, S. Clementis Alexandrini, Cassiani, Arnobii, aliaque. Imo cum non videatur nunc in cujusque Antistitis, præterquam Romani, situm potestate, ut decernat quid in Ecclesia publice legendum sit, posteaquam Breviarium precum, hymnorum, Lectionum, quas in Ecclesia

talia etiam quædam PP. scripta.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

clesia fas sit in dies recitare, sapientissime concinnatum est; ea ratione cetera quoque et a Gelasio et ab aliis Pontificibus probata veterum scripta legi modo non possunt, saltem absque Pontificis Maximi auctoritate. Sed tamen, quod pridem nonnulli præstantes Juris Canonici interpretes observarunt. Acta Martyrum, imo et aliorum Sanctorum, quæ in variis quidem Ecclesiis, ut ex S. Augustino patet, legebantur, at non in Romana; ea in hac quoque leguntur nunc, et sunt a pluribus seculis lecta, sed in brevem fere epitomen contracta. Et videntur quædam olim habita apocrypha, postea esse correcta: ea certe non continent nunc, quæ antiqui Patres ut fabulosa coarguere, ut ad acta S. Theclæ Virginis et alibi dicemus.

Quædam olim apocrypha correcta.

Igitur qui hæc apocrypha proclamant, norint pauca ex Divinis Scripturis accepta, neque omnia a certis auctoribus litteris consignata, neque omnia esse ejusmodi ut legi in Ecclesiis debeant aut possint. Si ea significatione apocrypha appellant, nihil ego in ea appellatione turpe, nihil indignum, nihil quod infamiam aut dedecus habeat, video. Sin ficta omnia et fabulosa volunt esse, quæ sic apocrypha censentur, videant ne sanctissimis et sapientissimis viris, Clementi Alexandrino, Joanni Cassiano, et aliis, quorum libri apocryphi declarati sunt, injuriam faciant, quasi confinxerint quæ scripserunt omnia. Aliud est, non omnia pervidisse, lapsos uspiam, ut erat quibusdam iis locis ac temporibus quibus scripserunt proclive; aliud mera malitia ea commentos, quibus alienæ illuderent simplicitati. Aliquo eos nævo erroris fateor fuisse quandoque aspersos: ultro ceteris imponere voluisse et fabulas obtrudere, pernego. Videant denique ne Gelasio ipsi, cujus contra nos auctoritatem usurpant, vehementer adversentur, qui Eusebii libros, quos diserte inter apocrypha relegat, pronuntiat tamen *non usquequaque renuendos*. Nihil tamen inesse, ut in illis Patrum scriptis, ita et in his Vitis, præsertim per anonymos exaratis, quod corrigi debeat, non sum ita demens ut existimem, qui aliud passim pronuntiem.

Quatenus hæc nostra dici apocrypha possint.

§ VI. *An Sancti omnes aut Beati, quorum hic vitæ editæ?*

Superfluum videatur, hanc nunc afferre quæstionem, quæ et ante generatim, et ad vitas singulas speciatim sit persoluta. Sed quia sunt nuper nonnulla, de Sanctorum veneratione et actis, Apostolicæ Sedis gravissima sanctissimaque auctoritate sancita, faciendum duxi, ut me his serio et diligenter obtemperasse ostenderem. Perspiciet id quidem facile, qui mea hæc evolvet : sed ne quid ipso in limine perterrere Lectorem, aut omnino retardare ullo modo possit, præmonere hic constitui.

Observata ab Auctore decreta Pontificia

Profiteor igitur me summa reverentia et attentione binas Urbani VIII, Pontif. Maximi Apostolicas constitutiones sæpius legisse; eam videlicet cujus initium est, *Sanctissimus D. N.* ejusque declarationem. *Postmodum vero*, et decimo post anno latam, *Cælestis Hierusalem*. Priore, *in generali congregatione Sanctæ Romanæ et universalis Inquisitionis, habita in palatio Apostolico in Vaticano coram S. D. N. D.* Urbano *Divina providentia Papa VIII, ac Illustriss. et Reverendiss. DD. S. R. E. Cardinalibus, adversus hæreticam pravitatem Inquisitoribus generalibus a sancta Sede Apostolica specialiter deputatis*, XIII *Martii* MDCXXV, *feria* V condita, tum alia sanciuntur de imaginibus eorum qui nondum in Sanctorum aut Beatorum numerum relati sunt, deque tabellis et luminaribus ad eorum sepulchra ; tum, quod huc facit, inhibetur ne de cetero imprimantur *libri eorumdem hominum, qui sanctitatis sive martyrii fama vel opinione (ut præfertur) celebres e vita migraverint, gesta, miracula, vel revelationes, seu quæcumque beneficia tamquam eorum intercessionibus a Deo*

duo nupera Urbani VIII,

ne edantur miracula etc. non beatificatorum,

accepta continentes, sine recognitione atque approbatione Ordinarii, qui in iis recognoscendis Theologos aliosque pios ac doctos viros in consilium adhibeat, et ne deinde fraus, aut error, aut aliquid novum vel inordinatum in re tam gravi committatur, negotium instructum ad Sedem Apostolicam transmittat, ejusque responsum expectet. Revelationes vero et miracula aliaque beneficia supradicta, quæ in libris horum hominum vitam et gesta continentibus, hactenus sine recognitione atque approbatione hujusmodi impressa sunt, nullo modo approbata censeri vult mandatque Sua Sanctitas.

sine approbatione Pontif. Max.

Infra tamen *declarat, quod per suprascripta, præjudicare in aliquo non vult neque intendit iis, qui per communem Ecclesiæ consensum, vel immemorabilem temporis cursum, aut per Patrum virorumque sanctorum scripta, vel longissimi temporis scientia, ac tolerantia Sedis Apostolicæ vel Ordinarii, coluntur.*

nisi olim culti sint,

Posteriore constitutione data *Romæ apud S. Mariam Majorem die* V *Julii* MDCXXXIV, tum prius illud decretum confirmat et declarat Pontifex, tum, quod ad rem hanc pertinet, *longissimum tempus, illiusve immemorabilem cursum, de quo in prædicto decreto, intelligi declarat esse tempus centum annorum metam excedens.*

ante 100 *annos.*

Hisce Apostolicis decretis parvi cumprimis diligenter : qui ita affectus animo sim, ut malim omnes meas lucubrationes manu propria in ignem abjicere, quam ut in iis insit quidquam quod Apostolicæ Sedis vel honori repugnet, vel voluntati, pro cujus tuenda dignitate et gravissimos adire labores et vitam ipsam profundere paratus sim. Primum igitur paucissimos scriptis meis celebro, qui non sint vel ipsius sanctissimæ Sedis auctoritate solenniter Sanctis adscripti, vel communi Ecclesiæ consensu jam olim cultum venerationemque adepti. Imo unicus est fortassis *Ludovicus Blosius* venerabilis Abbas, de quo mihi constet, nullum ei decretum esse ejusmodi honorem : neque tamen ullum ejus miraculum, vaticinium, aliudve Apostolico decreto prohibitum narravi. De quibus dubitavi, eorumne esset sanctitas legitimo Ecclesiæ judicio confirmata; iis *Sanctorum* aut *Beatorum* titulum, cælestis indicem dignitatis, non tribui, ut *Margaritæ* et *Gentili* Ravennatibus, XXIII et XXVIII Januarii : etiamsi nonnullis non modo centum annorum, sed et seculorum aliquot celebritas suffragaretur, ut *Gertrudi* Beghinæ Delfensi VI Januarii. *Henrico Susoni* Ord. Prædicatorum XXV Jan. *Carolo* Abbati Villariensi XXIX Januarii.

Ideo Sanctos *vel* Beatos *non appellat, de quibus dubitat :*

Quibus eam nomenclationem tribuo, iis cultum aliquem vel Sedis Apostolicæ auctoritate constitutum, vel populorum pietate, eadem connivente Sede, olim prærogatum, idque ante centum annos aut longius etiam spatium, vel martyrologiorum veterum fide, vel gravium Scriptorum ideonis testimoniis confirmo, vel earum rerum certa et comperta narratione, quæ non solent nisi Sanctis vel Beatis impertiri ab Antistitibus, ut sunt reliquiæ religiose translatæ et in locum honorificum repositæ, dicata iis templa, imagines propalam in templis expositæ radiato splendore insignes, appensa publice anathemata et donaria, aliaque id genus : in quibus si quid me fallat, id non modo lubens, ubi intellexero, retractabo; sed et hic jam nunc in antecessum ipse damno et repudio.

sed quos constat jam olim coli :

Eadem decreti Apostolici observantia fecit, ut haud paucas piorum hominum Vitas, etiam typis antea editas, quod plurima continerent miracula aliaque inusitata portenta, plane omitterem, donec in Divos ab Ecclesia referantur. Insunt quidem in iis Vitis multa quæ Lectorem non mediocriter oblectarent, accenderentque ad virtutem : sed potiorem duxi victimis quibusve, et gratiorem Deo iisque qui cum illo æterna beatitudine perfruuntur, obedientiam.

ideo et multas neotericorum Vitas omittit.

§ VII. Protestatio Auctoris.

Etsi in hoc opere nulla cujusquam, qui non videatur

per

per communem Ecclesiæ consensum, vel immemorabilem temporis cursum, aut per Patrum virorumque sanctorum scripta, vel longissimi temporis scientia ac tolerantia Sedis Apostolicæ, vel Ordinarii, cultum venerationemque obtinuisse, miracula, vaticinia, arcanorum manifestationes, retulisse me existimem; quæ sunt iteratis S. D. N. Urbani VIII decretis prohibita; tamen ne quid me vel incautum fugerit, vel ne ceterorum actis Sanctorum ac Beatorum majorem, quam par est, videar auctoritatem arrogare;

Testificor, velle me universa quæ scripsi atque edidi humanæ dumtaxat historiæ pondus obtinere : cum neque Divina revelatione, neque Catholicæ Romanæ Ecclesiæ aut Sanctæ Sedis auctoritate nitantur; nisi quatenus ex Divinæ Scripturæ libris, aut litteris Pontificum, aut alioquin ab Ecclesia approbatis Patrum monumentis, aliqua desumpta sunt. Quæ vero ex aliorum accepi libris, iis tantum esse fidei volo, quantum illi merentur auctores. Quæ a me absque alio testimonio scripta, hæc spero eo habitum iri loco, quo quæ ab homine tradita erroribus pro ingenii judiciique imbecillitate obnoxio, sed qui tamen in iis examinandis non mediocrem posuerit operam, et mori malit quam ut sciens quemquam fallat.

Hoc opus humana historia est, et humana nititur fide.

CAPUT QUARTUM.

Adjutores operis, alia adminicula.

§ I. *Auctoris hoc in opere elucubrando Socius.*

Qui propositi operis magnitudinem, speciemque multimoda disceptatione implexam, informaverit animo, is facile perspiciet, pro dignitate pertractari illud ab homine uno non posse, nisi (quod Cardinalis Bellarminus censebat) immenso fere spatio temporis; aut nisi plures accedant adjutores, qui singuli partem aliquam laboris exantlent. Nam quis unus omnia adire loca potest, ita remota ac dissita? Quis archiva, sæpe adamantinis obserata claustris, ut sibi hospiti pateant impetrare? Quis describere, conferre, examinare, relegere, ordinare omnia?

Adjutores necessarii

Neque defuerunt hactenus mihi hujus sancti operis adjutores : et in dies multi opem operamque addicunt, sive propria adversus Sanctos pietate, ac studio propagandæ ad plures utilitatis; sive Sanctis ipsis eorum ad id instigantibus mentes; præsertim, ut ego quidem existimo, sancto illo Abbate Lætiensi Antonio Winghio, quem inter Sanctos beatum nunc degere ævum plane confido. Fuit is magnus omnino vir, et cujus Vita, non minus quam quæ ipso curante edita est Ludovici Blosii, lucem meretur : eamque, nisi existimassem suscepturos esse alios, pridem ego scribere fuissem aggressus. At difficile hic esset, quantus ille vir fuerit, paucis explicare, qua animi submissione, qua comitate, qua morum suavitate ac simplicitate, qua prudentia et subtilitate judicii. Quas illius virtutes et ipsi Belgarum magni Principes Albertus et Isabella laudarunt, et patria suspexit universa. Qua ille nobilium familiarum controversias dexteritate ac felicitate componebat! Qua lenitate afflictos solabatur et recreabat! Quid de liberalitate ejus dicam? Quid de caritate erga omnes, præsertim religiosos homines? Quid de pauperum cura? Quid de libertate reprehendendi vitia, suadendi virtutem? Quid de vitæ austeritate? Quid de ceteris naturæ gratiæque dotibus? Audeo dicere, si Heroicis illis vixisset Benedicti et Fulgentii, aut etiam Antonii et Hilarionis temporibus, quibus nondum vilitas virtutis irrepserat, fuisse plane admirandam, quam unice tamen fugiebat, nominis celebritatem consecuturum. Sed ad propositum redeo.

non defuere :

præcipuus Antonius Winghius

vir magnus,

Cum accepisset ille Heribertum Rosweydum, cujus jam antea erat ei eruditio cognita probeque perspecta, ad illustrandas Sanctorum Vitas, omninoque in pristinum restituendas nitorem ac dignitatem adjecisse animum; et unice carum eum habuit, et qua potuit, juvit, consilio, et sumptu suppeditando in amanuenses et vecturam librorum, qui peregre peti, quique emi in eum finem debebant. Quo rem Rosweydus perduxerit, antea exposui. Eo vita functo, metuere cœpit Winghius, ne esset nemo, qui humeros auderet oneri, quod tantum ac talem delassasset Heroa, supponere. Ita tunc, ut ad ipsum magnus ille S. Vedasti apud Atrebates Abbas Caverellius, sic ipse ad Præsides nostros Winghius scribebat : Eritne qui Rosweydo succedat? Eritne adeo capacis animi quisquam, qui quod ille conceperat diuque foverat, tandem excludat atque edat opus? Ubi ad id ego accessi, longe minori quam Rosweydus, rerum cognitione, judicio, auctoritate, styli vivacitate, paratus tamen certe laborem tam sancto dicare negotio; tum ille me intime complexus, omni deinceps favore erexit, consilio instruxit, sumptu (ut antea) in libros et amanuenses sublevavit : neque conquievit umquam, quin assidue hortaretur ac stimularet, ut quamprimum ederem partem operis aliquam. Haud facile verbis assequar, quanto ille studio, quem indefesso animi ardore, eam rem procuraret, quasi ea monasterii ipsius, imo et patriæ universæ salus ageretur.

qui et olim Rosweydum,

sic Auctorem varie adjuvit,

Cum vero intelligeret, ut neque aptus existere concentus potest, nisi sit qui sonos, fides, modos unus temperet; neque navis cursum tenere, quantumvis valide compacta et præstantibus instructa armamentis, nisi unus clavum regat gubernator; neque victoriam reportare exercitus, cui non Dux unus summo cum imperio præsit; sic ab uno ordinari ac dirigi rem omnem oportere; ita tamen sentiebat, nisi is aliorum fulciretur auxilio, fore ut et succumberet oneri, et nemo fortassis deinde consilii ejus gnarus reperiretur, qui inchoatum ab eo opus vellet perficiendum capessere. Urgere igitur Societatis Præpositos cœpit, ut quia etiam mihi id gratum sciret futurum, ipseque necessarium judicaret, socium mihi et vasti hujus molestique operis administrum darent. Evicit tandem qua apud ipsos, pro singulari sua in Ordinem nostrum benevolentia, valebat gratia et auctoritate, ut adjutor mihi adhiberetur P. Godefridus Hensschenius, egregie tum Latinis Græcisque Litteris, ac Theologicis quoque disciplinis, eruditus, tum capaci cumprimis memoria, firmisque viribus corporis, et valde studiosus, de quo mox.

et ut domesticus adjutor daretur effecit.

Quia vero evenire plerumque solet, ut ad Præfectorum exempla, qui iis subjecti sunt, facile studia ac mores componant; ceteri Lætienses monachi tum Societatem nostram, quam inde a Blosii temporibus singulari semper caritate dilexerant, arctius etiam complexi sunt, Winghii imitatione; tum studia mea favore, consilio, opera, assidue juverunt : præsertim qui tunc tirones asceticæ vitæ rudimentis instituebat, eratque cœnobii Supprior, nunc Abbas, Winghii dignissimus successor Thomas Luytens : et qui tunc adolescentiores collegas suos Theologiam docebat, egregie cordatus vir, Christianus Le Roy; qui deinde tumultibus belli Gallici cum ceteris sanctis sodalibus suis monasterio exactus, Winghium optimum Patrem, xxxi Augusti mdcxxxvii senio, mœrore, ac demum dysenteria extinctum, ipse decimo post die secutus est, atque ad illius pedes tumulatus in templo Societatis nostræ Montibus. Nolo reliquas nominatim recensere, ne sim eorum pudori molestus, cum sit nemo, cujus non sim benevolentiam et auxilium quoque expertus; ut facile Blosii Winghiique discipulos possis agnoscere.

juvit et successor ejus,

aliique Lætienses monachi :

Cum igitur mensis Januarius paratus esset prælo, et legitime approbatus, cœptusque adeo jam cudi; datus est mihi, Winghio adnitente, adjutor, quem dixi,

e Societate Godefridus Hensschenius

dixi, Godefridus Hensschenius sub annum MDCXXXV. Hic cum aliis in rebus strenuam mihi hactenus operam navavit, tum etiam, quod ad ipsum Januarium spectat, fideli consilio juvit. Nam cum videret Vitarum, quæ jam impressæ erant, quasdam in capita distributas, at non omnes; auctor fuit ut et reliquas ita partirer. Annotationes etiam (quæ aliorum quoque, ut antea dixi, virorum gravium erat sententia) ut singulis capitulis adderem persuasit. Cumque ea caussa universum mensem recognoscere cœpissem, operam quoque tam seriam et constantem contulit, ut Vitas etiam bene multas ipse et recenseret, et divideret in capita, et variarum rerum explicatione ornaret; quas habebam ego quidem antea, sed raptim quandoque congestas, saltem non ita perspicue distinctas et explanatas. Ea ratione illustratæ ab eo Vitæ S. Antonii Magni XVII Januarii, S. Cyrilli XXVIII. S. Attici et S. Laurentii Justiniani VIII. S. Juliani Mart. IX. S. Theodosii Cœnobiarchæ, XI. S. Viventii XIII. S. Euthymii Magni XX et aliæ.

consilio

et opera.

Vitis multis recognitis:

Quod ego illius studium cum mirifice probarem, omnino speravi fore, ut si me Deus, antequam universam hanc molem suscepti operis consummarem, evocaret e vita, ipse oneri succederet, et reliquum pari methodo absolveret. Eamobrem quæ singulari numero accepisse, legisse, contulisse, exarasse me antea scripseram, cum illo participavi, et pluraliter extuli; quia vel suggesserat ille quæ scriberem, dividerem, adderem; vel quæ a me antea scripta, probarat. Eadem caussa faciendum duxi ut illius quoque exprimerem in fronte operis nomen. Nam etsi antea sui fieri mentionem nolebat, satis sibi esse dictitans si Sanctis probaret quem iis consecraverat laborem suum, tamen persuasi, ut ne prohiberet non modo in sequentibus tomis, sed in hoc quoque, quem paratum jam habebam, suum nomen inscribi; cum ita statuerem, si quis me casus ejecisset e vita, non fore tum necessariam deliberationem, cui id committendum videretur, cujus jam pars esset sub illius nomine publicata. Ejus quoque studio et industria omnes confecti Indices sunt, tum insigni judicio, tum multo sane labore plenoque fastidii. Non deerunt alii fortassis postea, qui in sequentibus tomis hac nos laboris parte sublevent: quod et antea Joannes Vienottus et Petrus Eulartius nostri facturos se receperant, nisi prius, quod contigit, migrarent e vita: moralem sibi poposcerat Vienottus; alter reliquos suscepisset. Hoc igitur Hercule fidos humeros una supponente, facilius cælum nunc, Divos, inquam, cæli incolas portabo.

ideo communicata cum eo ab Auctore omnia,

etiam titulus.

Indices ab eo confecti,

§ II. *Alii adjutores ex omni ordine.*

Alii Vitas miserunt.

Præter hunc domesticum et assiduum alii fuere adjutores quamplurimi, qui vel MSS. codices subministrarunt, vel Vitas sua manu descripserunt, vel quas ipsi edere parabant, eas operi inserendas meo obtulerunt, vel unde adipisci nonnullas possem monuerunt, vel quæ olim editis inessent menda suggesserunt. Nihil attinet omnes hic enumerare, cum suis locis fideliter, unde singula sim nactus indicarim. Videbatur hoc quidem magno illi Abbati Winghio supervacaneum, cum illa qui suggerunt, mittunt, commodant, non tam id spectent ut suum legatur in scriptis meis nomen, quam ut scribatur in libro vitæ. Verum id ego tum ad fidem impetrandam necessariam esse duxi, ut quæ ipse non vidi, a quo didicerim significem; tum utile ad gratitudinem testandam, ut profitear quis quid ad hanc rem suppeditarit. Ita vero id præsto religiose, ut ne minimum quidem mihi hoc in genere beneficium detur, cujus non ire in posteros memoriam velim.

suis locus honoris caussa citati:

Non abs re futurum arbitror, hic aliquot recensere, quorum latissime industria ac benevolentia patuit. Facile omnium primas tulit Antonius Beatillus noster, qui ut erat gloriæ Sanctorum amplificandæ studiosus, tum ipse quorumdam historias accurate scriptas edidit in lucem, tum mihi de aliis, iis præsertim quorum in regno Neapolitano viget veneratio, plurima suppeditavit, et impressa typis et manu exarata. Is Neapoli VII Januarii MDCXLII grandis jam natu, et plurimorum benefactorum meritis cumulatus, ad Sanctorum contubernium emigravit.

Antonius Beatillus,

Joannes Gamans, et ipse e Societate nostra, Nienariæ in Ubiis natus, origine Gelder, plurima in Germania, Bohemia, Belgio descripsit de Sanctis, planeque ingentem mihi suppeditavit thesaurum, ac quasdam Vitas ipsemet pro egregia sua eruditione examinavit illustravitque, ut B. Godefridi Capenbergensis, ac S. Thiadildis. Plura ac majora, ut spero, utroque in genere præstabit, si valetudinem illius (cui parum ipse parcit, maximo hactenus labore instituendis ad Christianam disciplinam militum animis occupatus) Sancti sustentabunt.

Joannes Gamans.

Debeo quoque plurimam gratiam Andreæ du Chesne Regis Christianissimi Cosmographo; qui nuper magno litteratorum omnium luctu extinctus, sed (quæ rara doctorum virorum felicitas) filio relicto, studiorum, humanitatis, virtutum ceterarum hærede Francisco, qui paterna opera provehit in lucem. Parens multas mecum Sanctorum Vitas communicavit, alias ubi reperire possem edocuit.

Andreas du Chesne,

Submisit quoque varia ex eadem Gallia Petrus Lovetus Bellovacus v. CL. qui olim Francorum Reginæ Margaritæ a libellis fuit, ejusque frater Joannes a S. Martino e sacra congregatione instituti Cisterciensis, quam Foliensem vocant; Jacobus Sirmondus, Petrus Possinus, Odo Gisseius, nostri; e Burgundia Petrus Franciscus Chiffletius noster, ex Italia Silvester Petrasancta collegii Lauretani Societatis nostræ Rector; ex Hispania Thomas Tamayus de Vargas Regis Catholici Historiographus, aliique aliis ex provinciis. Etiam Rossorum Sanctorum Vitas ultro et benevole communicavit Matthias Casimirus Sarbievius noster, legitime, ut publicari possent, approbatas. Multa Rosweydo olim Autbertus Miræus Ecclesiæ Antverpiensis Decanus, de Belgicarum Ecclesiarum antiquitate optime meritus, tradiderat. Plures denique simili me sibi beneficio obstrinxere. De singulis agam alibi, ac fortassis aliquando simul de omnibus, tum doctis hominibus particulatim, qui hoc in genere aliquod apud me beneficium posuerunt, tum de Ecclesiis et monasteriis, quæ suos codices commodarunt, generatim. Fateor enim, plurimum mihi subsidii attulisse Venerabiles Patres Benedictinos, Belgas, Anglos, Germanos, Carthusianos, Germanos ac Belgas; Cistercienses Belgas ac Gallos; Præmonstratenses Germanos ac Belgas; Canonicos Regulares instituti Augustiniani Germanos ac Belgas; Carmelitas Belgas; Prædicatores Germanos ac Belgas; Franciscanos, præcipue Hibernos, atque alios quamplurimos. Sed quæ a singulis accepi, suis locis edico: quid adhuc ab aliis expetam, infra aperiam.

alii complures scriptis clari.

et ex plerisque Religiosorum ordinibus.

§ III. *Martyrologiorum origo. Polemei Silvii laterculus.*

Hæc auxilia amicorum sunt, hæc interiora operis fulcimenta, hæ suppetiæ privatorum. Alia sunt publica adminicula, Scriptorum monumenta edita in lucem. His ut libere utor, ita profiteor ingenue; nec ut meum vendito, quod aliunde sum mutuatus. Sed de Scriptoribus, eorumque monumentis, a me saltem citatis ac lectis, agam fortassis alias. Hausi præcipue notitiam Sanctorum plurimorum ex Kalendariis ac Factis variarum Ecclesiarum, quasque illæ usurpant solennium precum Breviariis, in quibus qui venerationem in variis urbibus, cœnobiis, conventibus sacrorum hominum obtineant, indicatur, præbeturque occasio in Acta inquirendi. Verum quæ mihi desunt istiusmodi Breviaria, utinam consequi omnia possim! Sed præ his

Martyrologia vetera, olim edenda.

his quoque, magno mihi subsidio Martyrologia fuere. Cogito quæ habeo non pauca, saltem quæ maxime probata erunt, illa olim edere accurate recensita, collataque cum iis quæ interea suggerent amici. Quia tamen hic nonnulla cito, quæ adhuc publici juris non sunt, ne quis eam ob caussam forte hæsitet, paucula hic de iis a me pertractari censui oportere.

Martyrum triumphos in Ecclesiæ conventibus celebrare publica laudatione, mos est antiquissimus ab Apostolicis inde temporibus; ideo institutus, ut gratiæ Deo agantur, qui robur iis virtutemque suffecit; ut animentur ceteri exemplo; ut laudentur vocenturque pie in vota, qui hic ingentibus meritis fidei et virtutis. Divina dignatione, cumulati, eorum nunc æternis præmiis perfruuntur. Eam ad rem descripti olim diligenter dies, quibus unusquisque hostem vicerat, ut anniversaria constare, et festiva hilaritate peragi, memoria posset. Huc illa spectant S. Cypriani epist. 37 ad Presbyteros et Diaconos :

Dies martyrii sedulo annotari solitus.

Denique et dies eorum, quibus excedunt, annotate, ut commemorationes eorum inter memorias Martyrum celebrare possimus. Quamquam Tertullus fidelissimus et devotissimus frater noster, pro cetera sollicitudine et cura sua, quam fratribus in omni obsequio operationis impertit, (qui nec illic circa curam corporum deest) scripserit et scribat, ac significet mihi dies, quibus in carcere beati fratres nostri ad immortalitatem gloriose mortis exitu transeunt, et celebrentur hic a nobis oblationes et sacrificia ob commemorationes eorum, quæ cito vobiscum Domino protegente celebrabimus.

Hinc Fasti Ecclesiæ,

Hinc Ecclesiæ fasti, quos Tertullianus lib. de corona militis cap. 13, solennitatibus Gentilium, quæ vel ob victoriam natalemve Principum, vel in quoque municipio, peculiari instituto, agebantur, opponit : *Coronatur*, inquit, *et vulgus, nunc ex Principalium proprietatum exultatione, nunc ex municipalium solennitatum proprietate : et est omnis lætitiæ publicæ luxuria captatrix. Sed tu peregrinus es mundi hujus, civis supernæ Hierusalem. Noster*, inquit, *mancipatus in cælis. Habes tuos census, tuos fastos. Porro*

et Martyrologia ac Kalendaria :

hinc, ut ad illam Cypriani epistolam scribit Jacobus Pamelius, *suam originem postea sumpserunt Martyrologia quæ vocantur.* Celebrabat unaquæque Ecclesia suos Martyres. Quæ nullis erant nobilitatæ, aut paucis, aliunde petebant quos venerarentur, præsertim primos Christianæ religionis præcones, aut quorum fuerat maxime illustris constantia. Quin et Romana Ecclesia etiam alibi coronatos celebrat, cum habeat ipsa innumerabiles, ut extraneis non indigeat; si tamen matri omnium potest aliquis esse extraneus. Et hæc igitur et illæ suos sibi Fastos, suas festorum tabulas conficiebant.

etiam privatorum,

Quid quod etiam privati sibi Fastos ejusmodi describebant, in quibus et publicas Reip. solennitates annotabant, et præcipua Ecclesiæ festa? Ejusmodi reperi in pervetusto codice laterculum Polemei Silvii, vel P. Anneii Silvii : nam primum scriptum erat *Patmei Silvii;* dein idem folium integre et accurate rescriptum habebat, *Polemei Silvii.* Pro illo *Patmei* conjiciebam legendum *P. Anneii*, uti in eodem illo codice habetur *Pannii Flori, Virgilius orator an poeta?* pro *P. Anneii Flori.* Complectitur vero *Silvii* ille laterculus nonnulla, quæ in eo desiderantur laterculo, quem olim a Furio Dionysio Philocalo prætitulatum, ex Rosweydi schedis a me acceptum, in commentariis ad Victorii canonem Bucherius noster vulgavit; sed et nonnulla, quæ fortassis jam exoleverant, prætermittit, in illo Furiano recensita : habet autem Gentilium festa plura,

ut Polemei Silvii laterculus,

in quo sacræ et profanæ solemnitates,

nonnulla Christianorum. Eum laterculum aliquando cum animadversionibus meis edere cogito, etsi mutilus est, quia quæ de ratione quærendæ lunæ, festique Paschalis, poeticis fabulis, ac sectis philosophicis pollicetur, desunt. Quo anno ea scripserit Silvius indicat, cum nomina Principum Romanorum, inter Januarium ac Februarium menses, enumerat; ita enim sub finem habet : *D. N. Theodosius præsens Augustus, D. N. Placidus Valentinianus; sub quibus Joannes tyrannus extinctus est; et a quibus cum DD. matre Placidia, uxore Eudoxia, Augustis, nunc imperium possidetur. Quod Posthumiano et Zenone viris clarissimis Coss. adnotavi.* Fuerunt Consules *Fl. Zeno et Posthumianus* an. Christi 448. Et in Breviario temporum post mensem Augustum : *ab Urbis exordio mille et ducentis completis annis Posthumiano et Zenone Consulibus, Asterio Consule tamquam primus annus incipit.* Fuit *Asterius* Consul anno sequenti, Christi nimirum 449. Hæc ergo scripsit Silvius anno 448, et initio sequentis, cum necdum Romæ sciretur quis Constantinopoli Consul esset, qui *Protogenes* fuit. Hic ex eo Laterculo mensem Januarium, ut specimen, quæque antea proponit, dabo : ex ceteris mensibus carptim quædam delibabo sacra et profana. Ita ergo incipit :

scriptus anno Christi 448.

vel initio anni 449.

Polemei Silvii Laterculus. *Domino beatissimo Eucherio Episcopo Silvius. Laterculum, quem priores fecerunt, cum difficilibus supputatioribus indiciis notatum legissem, ne minus doctis esset obscurior, absolutione positarum in eo rerum significationem mutavi : et ad te potissimum, a quo mea omnia, pro ejus qui inter nos est amoris studio, comprobantur, direxi. Lætificabor judicio tuo, si eum tibi placuisse cognovero.*

Eucherio Episcopo dicatus.

Quæ in eo sunt. *Menses singuli cum vocabulis suis, quibus apud diversas gentes dicuntur : et in alternis inter eos foliis enumeratio Principum cum tyrannis : provinciarum etiam Romanarum spirantiumque quadrupedum, volatilium, natantium : ratio quærendæ Lunæ, festivique Paschatis : nec non urbis Romæ fabricarum enarratio : poeticæ fabulæ : Romanæ historiæ breviter conclusa series; cum triumphatoribus, animantium ponderibus sive mensuris, et metrorum omnium pedibus, ac sectis philosophicis contenentur.*

Quæ in eo tractantur?

De diebus. *Dierum necessum non fuit formas depingi, quia sibi omnes qualitate consimiles sunt : neque ut stulte Gentiles loquuntur, nomina designari; quoniam nullius rei, nisi septenarii propter revolubiles hebdomadas numeri, sicut Scriptura cælestis edocuit, appellatione censentur. In quibus nec ita modus certus horarum est, ut valeat a quocumque monstrari; quia quod nequit dividi, nec possumus computare. Quarum, etiamsi oculis subjacerent, nulla mala erat æstimanda, quoniam Deus universa bona constituit : quod qui esse credit aliter, in eo a quo cuncta sunt non credit.*

De diebus,

De signis. *De signis nihil est quod dicatur, quia non sunt, etiamsi dicantur. Quis enim facies terrestrium singulorum aliquando inter astra conspexit? Quorum, quoniam longe post mundi ortum vana veterum profanorum arte conficta sunt, mentio reliquenda est.*

signis,

De anno. *Annus primum decem mensium fuit, qui trecentos et quatuor dies habebat : licet, ut auctores plurimi prodiderunt, apud Ægyptios quatuor, apud Arcades tribus, apud Acarnanes sex mensibus computatus fuisse referatur. Post annum a Rege Romanorum secundo inter Decembrem et Martium Januarius et Februarius fertur adjectus, ut trecentis quinquaginta et quatuor diebus, quos duodecies Luna renovat, atque vicenis novenis et semis vicibus cursum suum efficit, impleretur. Postremo additi sunt decem dies cum quadrante, quod per quadriennium dies unus junctus crescit, quarto anno, quem bissextum vocamus, inseritur. Cujus initium cum Ægyptiis, qui Nonas ideoque, non norunt, mense Septembri, cum Græcis Novembri, Martio cum Judæis habetur. Nos Kalendarum rationem secuti a Januario, cujus ante dies octo et sol ad celsiorem tramitem surgens recurrit, et quod est amplius, Dominus et Deus noster Dei filius Jesus Christus corporaliter natus est, ordiemur.*

anno

Januarius dies xxxi.

Januarii festa,

Vocatur *apud Hebræos Sebit, apud Ægyptios Tibi, apud Athenienses Pusidion, apud Græcos alios Audinæus.*

Kalendæ

Kalendæ ἀπὸ τοῦ καλεῖν, hoc est a vocando, quia cum in Rostris..... ad contentionem populus vocabatur.

IV. *Non. Circus privatus. Auster interdum cum pluvia.*

III. *Dies Auspicalium. Natalis Ciceronis. Ludi.*

Prid. Ludi. Comitalis.

Nonæ, dictæ ideo quia nonus dies eas discernit ab Idibus. Tempestatem significat.

VIII. *Id. Epiphania, quo die, interpositis temporibus, et stella Magis Dominum natum nuntiabat, et aqua vinum facta, vel in amne Jordanis Salvator baptizatus est. Auster interdum, vel Favonius.*

VII. *Prima Consulis mappa, quæ ideo sic vocatur, quia Rex Tarquinius Romæ dum die Circensium pranderet in Circo, de mensa sua mappam foras, ut aurigis post prandium currendi signum daret, abjecerat. Auster et imber.*

VI. *Auster interdum et imber.*

V. *Senatus Legitimus. Suffecti Consules designantur, sive Prætores.*

IV.

III. *Carmentalia, de nomine matris Evandri.*

Prid.

*εἰδεν, legendum videtur.

Idus dictæ ἀπὸ τοῦ..... videndo, quia priusquam annus hic, qui est, fuerat, mense medio Luna completa, quæ incipiebat Kalendas, de qua menses dictos accepimus, videbatur. Secunda mappa. Interdum ventus aut tempestas.*

XVIIII. *Kalend. Februarias.*

XVIII. *Natalis Honorii. Circensis. Interdum Auster et pluvia.*

XVII.

XVI. *Ludi Palatini.*

XV. *Ludi.*

XIV. *Ludi.*

XIII. *Natalis Gordiani. Circensis.*

XII. *Ludi, ventus Africus tempestatem significat.*

XI. *Natalis S. Vincentii Martyris.*

X. *Senatus legitimus. Quæstores Romæ designantur.*

IX. *Natalis Adriani. Circensis.*

VIII. *Interdum tempestas.*

VII. VI. *Ludi Castorum Ostiis, quæ prima facta colonia est.*

V. *Ludi. Auster aut Africus. Interdum dies humidus.*

IV. *Ludi.*

III. *Tempestatem significat.*

Prid. Circensis, Adiabenis victis, interdum tempestas.

quædam ex aliis mensibus.

Hactenus Januarius. Nunc reliquis e mensibus paucula, ut proposuimus, decerpenda, sacra et gentilitia : cetera alias integra eḍam.

*an in pratis?

*Idib. Febru. Parentatio tumulorum * in p. Quo die Roma liberata est de obsidione Gallorum.*

XV. *Kal. Mart. Lupercalia.*

XIV. *Natalis Faustinæ uxoris Antonini.*

XIII. *Quirinalia, quo die Romulus occisus a suis (qui ab hasta, quia ex Sabinis Curis, vocatur) non apparuisse confictus est.*

VIII. *Depositio S. Petri et Pauli. Cara cognatio, ideo dicta, quia tunc etsi fuerint vivorum parentum odia, tempore obitus deponuntur.*

III. *Natalis Constantini.*

VIII. *Kal. April. Æquinoctium. Principium veris. Cruci Missio Gentilium. Christus passus hodie.*

VI. *Lavationem veteres nominabant. Resurrectio.*

Prid. Natalis Constantini. Circensis.

III. *Id. April. Natalis. Veri. Circenses.*

XIII. *Kal. Majas, Circenses. Consulis tertiæ mappæ.*

XI. *Natalis urbis Romæ. Consules ordinarii fasces deponunt, Parilia, dicta de partu Iliæ. Interdum pluvia et grando.*

VI. *Id. Maji Natalis Claudii, tempus aitidum.*

Kalendis Junii, Circensis Fabricii.

Idib. Natalis meus.

VI. *Non. Julii Natalis genuinus Domini Valentiniani.*

Nonis, Ancillarum Syriæ, quarum celebritas instituta est ideo, quia capta Urbe a Gallis, cum finitimi prius victi tradi sibi Romanorum Procerum conjuges postularent, et consilio Philotedis ancillæ famulæ dominarum vestibus adornatæ datæ illis fuissent, his nuntiantibus prædictos somno sopitos et obrutos, facta victoria sit.

VIII. *Id. Natalis Julii Cæsaris.*

VIII. *Kal. Aug. Natalis Constantini.*

Kalendis Aug. Natalis Pertinacis, et Martyrum Machabæorum.

VII. *Id. Natalis Constantini junioris.*

IV. *Id. Natalis S. Laurentii Martyris.*

III. *Hippolyti Martyris.*

VII. *Kal. Septemb. Post hunc diem apud Ægyptios quinque dierum epigomenos, tertiusdecimus mensis adjungitur.*

Post Augustum subjicit Breviarium temporum, sub cujus finem ista habet : *Primus Gaius Julius Cæsar victis per decennium Galliis et Britanniis, successorem dedignatus, Dominum ipse se fecit. Quo in curia Kal. Mart. per Brutum et Cassium auctores suæ mortis, viginti et tribus vulneribus interempto; Augusti ab Octaviano, qui... constitutus est, esse cœperunt : quorum usque nunc potestas, qua reguntur cuncta, perduravit. Ex quibus Domitianus primus chlamydem blatteam, Diocletianus gemmas vestibus habitus regalis inseruere. Constantinus senior, qui Christianæ religionis ministros privilegiis communivit, diadema capiti suo, propter refluentes de fronte propria capillos (pro qua re saponis ejusdem cognominis odorata confectio est) quo constringeretur, invenit : cujus more hodie custoditur. Cujus regni... ab Urbis exordio mille et ducentis completis annis Posthumiano et Zenone Consulibus, et Asterio Consule, tamquam primus annus incipit.*

Idib. Septemb. Hoc die Romæ in æde Minervali per Magistratum annis singulis ex ære clypei figebantur.

Prid. Id. Octobr. Natalis Virgilii.

X. *Kal. Novemb. Natalis Valentiniani purpuræ.*

VIII. *Id. Novemb. Natalis Juliani.*

VI. *Natalis Nervæ.*

XVI. *Kal. Dec. Natalis Vespasiani, qui locum.... pluvia.*

XVIII. *Kal. Januar. Natalis Veri.*

VIII. *Natalis Domini Corporalis. Solstitium et initium hiberni.*

VII. *Natalis S. Stephani Martyris.*

V. *Natalis Titi.*

§ IV. *Martyrologia Eusebii et S. Hieronymi, hujus specimen.*

Alii fuere mere Ecclesiastici, et dicati sacris fasti : quorum usus is erat, qui est a S. Cypriano in ante citata epistola expositus, ut anniversaria triumphi, quem Martyres retulissent, coli memoria posset. Tale Kalendarium, aut Sanctorum indiculum fuisse olim in Ecclesia Cordubensi intelligi potest ex iis quæ Walafridus Strabus libro de rebus Ecclesiasticis cap. 28 scribit : *Litania autem sanctorum nominum*, inquit, *postea creditur in usum assumpta, quam Hieronymus Martyrologium, secutus Eusebium Cæsariensem, per anni circulum conscripsit; ea occasione ab Episcopis Chromatio et Heliodoro illud opus rogatus componere, quia Theodosius religiosus Imperator in concilio Episcorum laudavit Gregorium Cordubensem Episcopum, quod omni die Missas explicans, eorum Martyrum, quorum natalitia essent, nomina plurima commemoraret.*

Alia legi in Ecclesiis solita Martyrologia.

Celeberrima igitur fuere Martyrologia Eusebii, S. Hieronymi, atque etiam Romanum. Eusebium collegisse Acta Martyrum, certum, et supra ipsiusmet est testimonio firmatum. Verum id opus qui MARTYROLOGION dicat, a vocis notatione neutiquam aberrabit, est enim sermo de Martyribus ; a notione qua *Martyrologii* nomen nunc usurpatur, plurimum.

Tale an scripserit Eusebius?

An illi Actorum collectioni, quam ab eo ostendimus συλλογὴν, συναγωγὴν, ἀναγραφὴν appellari, adjecerit Sanctorum elenchum aliquem Eusebius, nescio. Quidam id nituntur ex S. Gregorio probare, quem aiunt epistola 29, lib. 7, Indict. 1 ad S. Eulogium Alexandrinum Patriarcham data de eo Martyrologio, quod ille ad se mitti postulabat, scripsisse. Verum ambiguum est, quid a Gregorio petierit Eulogius, similemne aliquem indiculum, an illam collectionem. Ita ei rescribit Gregorius : *Utilis semper est docti viri allocutio : quia aut discit audiens, quod nescire se noverat ; aut agnoscit, quod est amplius, id quod se et nescisse nesciebat. Qua in re ex audientium numero ego nunc factus sum, cui sanctissima vestra beatitudo scribere studuit, ut cunctorum Martyrum gesta, quæ piæ memoriæ Constantini temporibus ab Eusebio Cæsariensi collecta sunt, transmittere debeamus. Sed hæc neque si collecta sunt, neque si sunt, ante vestræ beatitudinis scripta cognovi. Ago ergo gratias, quia sanctissimæ vestræ doctrinæ scriptis eruditus cœpi scire quod nesciebam. Præter illa enim quæ in ejusdem Eusebii libris de gestis sanctorum Martyrum continentur, nulla in archivo hujus nostræ Ecclesiæ, vel in Romanæ urbis bibliothecis esse cognovi, nisi pauca quædam in unius codicis volumine collecta.* Qui illi sint Eusebii *libri de gestis sanctorum Martyrum*, quos extare Romæ fatetur sanctissimus Pontifex, incertum est. An historiæ Ecclesiasticæ libri ? Fuerunt certe viri eruditi, qui nihil aliud de Martyribus ab eo scriptum censerent. Vidi libellum de Martyribus Nicomediensibus, qui separatim scriptus ab eo dicitur, e Græco codice Bibliothecæ Regis Catholici, versum a Vincentio Marinerio, quem mihi exhibuit v. cl. Lucas Torres ærarii regii in Flandria Præfectus : sed totus erat ex ejus historia Ecclesiastica transscriptus, et ab alio fortassis. Aliud eum coagmentasse ex variis Actis opus, supra ostendimus. Idne fortasse Romæ fuisse indicet S. Gregorius ? an potius illud erat quod petebat Eulogius ? Hoc mihi verosimilius videtur : ait enim *cunctorum Martyrum gesta, ab Eusebio collecta* petiisse. Breve Martyrologium quis *cunctorum Martyrum gesta* dixerit ?

ex S Gregorii epistola ad Eulogium

non satis probatur.

Martyrologium Eusebii qui videntur astruere, iidem S. Hieronymum illius faciunt interpretem. Ita præter Walafridum jam citatum, Venerabilis Beda Retractatione in Actus Apost. cap. 1 : *Quibus astipulatur*, inquit, *et liber Martyrologii, qui B. Hieronymi nomine ac præfatione attitulatur : quamvis idem Hieronymus illius libri non auctor, sed interpres, Eusebius autem auctor extitisse narretur.* Non asserit tamen Beda, vel Eusebium auctorem extitisse, vel Hieronymum interpretem ; sed *Hieronymi nomine et præfatione attitulari*, Eusebium vero *auctorem extitisse narrari*. Et lib. 2, in Marcum c. 26, citat *Martyrologium Eusebii et Hieronymi vocabulis insignitum*. Præfiguntur Usuardi Martyrologio epistolæ duæ, una Chromatii et Heliodori Episcoporum ad Hieronymum, altera ad ipsos Hieronymi : sed utramque Baronius solidis argumentis demonstrat commentitiam esse.

Idne verterit, aut etiam aliud scripserit S. Hieronymus, incertum.

Ejus epistola ad Chromatium,

At Cassiodorus libro de institutione divinarum lectionum cap. 32 scribit : *Et ideo futuræ beatitudinis memores, Vitas Patrum, confessiones fidelium, passiones Martyrum legite constanter, quas inter alia in epistola S. Hieronymi ad Chromatium et Heliodorum destinata, procul dubio reperitis, qui per totum orbem terrarum floruere, ut sancta imitatio vos provocans ad cælestia regna perducat.* An fortassis ante Cassiodori ætatem jam illa extabat, quæ nunc passim Martyrologio Usuardi præfixa legitur supposititia Hieronymi epistola ? Erant certe jam tum multa parum perite et fideliter a multis scripta, ut patet ex concilio Romano sub Gelasio. Sed qui potuit vir doctissimus stylum ab Hieronymi elegantia remotissimum non agnoscere ? An erat tunc in hominum manibus vera Hieronymi epistola, et deinde intercidit, ac post alia est a quopiam imperite et fraudulenter conficta ? Walafridus legitimam videtur agnovisse. Mihi nemo persuáserit. Si vere Hieronymi erat ea epistola, quam citat Cassiodorus ; fatendum erit, indiculum aliquem, seu Fastos ab eo concinnatos, descriptis fortasse nominibus eorum, quorum in Eusebii collectione Acta extabant, et aliis additis. Sin jam ante erat supposita ; tamen ea inveteravit opinio, Martyrologium esse ab eo compositum aliquod : fuitque etiam post Cassiodori ætatem in manibus Martyrologium, S. Hieronymi nomine attitulatum, ut ex citatis Bedæ testimoniis manifestum est, atque ex Usuardi Præfat. in Martyrologium suum ad Carolum Regem. Verum periisse id multi viri eruditi existimarunt.

citata Cassiodoro,

ut nunc extat suspecta.

Reperit illud tandem in Carthusia Trevirensi Heribertus Rosweydus noster, vetustissimo charactere exaratum, statuitque in lucem emittere : et jam partem curaverat æneis laminis incidi. Balthasaris Moreti v. cl. expensis, editurus in adversa pagina descripta elegantius ea quæ contracte et exoletis litteris erant efformata. Folia aliquot excusa ut vidit, ad se a Moreto missa, Bartholomæus Gavantus Provincialis Præpositus congregationis Clericorum regularium S. Pauli, et sacræ Romanæ Rituum congregationis Consultor, mirifice probavit, scripsitque de illo ad eumdem Moretum plures epistolas, quas legi ; alias opinari se, reliquis collegii illius, sive Congregationis, sapientissimis viris Martyrologium illud *valde placiturum* ; alias, *sentire peritiores, utile fore Christianæ Reip.* Alii quoque viri eruditi vehementer id laudarunt, ut præclarum sacræ antiquitatis monumentum.

Ejus nomine inscriptum Martyrologium vetus,

probatum doctis,

Ejus Martyrologii hic titulus est : *Christe fave votis. Codex S. Willibrordi, continet Martyrologium Hieronymi.* Descripsit illud Laurentius quidam, monachus (ut opinor) Epternacensis, sive S. Willebrordi, ita in fine habetur : *O Lector, vive, lege, et pro me ora. Tuorum Domine, quorum nomina scripsi, Sanctorum ; eorum, quæso, suffragiis miserum leva Laurentium : tuque idem Lector ora.* Ast a quo is descripsit ? Nisi vehementer fallor, ab ipso S. Willebrordo, qui Bedæ æqualis ex Anglia in Belgium venit, et Frisones aliosque populos vel fidei doctrina imbuit, vel pietate eruditi, ac nobile in Mosellana ditione cœnobium Epternaci constituit, de quo VII Novembris pluribus agemus.

a Laurentio Epternacensi descriptum

ex autographo S. Willebrordi,

Cur illud existimem S. Willebrordi fuisse Martyrologium, hæ sunt rationes : Martyrologio subjungitur vetustissimum Kalendarium, cui hæc in margine adscripta : *In nomine Domini, Clemens Willibrordus anno sexcentesimo nonagesimo ab Incarnatione Christi veniebat ultra mare in Francia ; et in Dei nomine, anno sexcentesimo nonagesimo quinto ab Incarnatione Domini, quamvis indignus fuit ordinatus in Roma Episcopus ab Apostolico viro Domino Sergio Papa. Nunc vero in Dei nomine agens annum septingentesimum vigesimum octavum ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi in Dei nomine feliciter.* Quis illud *quamvis indignus* de alio, etiam vulgaris notæ homine, dixerit, præterquam de se ? Deinde *nunc vero*, indicat ipso vivente id scriptum : quis esset ita impudens et effrons, qui de viro tanto, et vivente, scribere illud auderet, *quamvis indignus?* Plane suspicor, ipsiusmet esse Willebrordi manum.

ut patet ex iis quæ juncto Kalendario adscripta,

Additum est Kalendarium, quo ipsum usum esse omnino existimo. Dein adjecta est tabula annorum Christi, indictionum, epactarum, cycli Lunæ, Lunæ Paschalis, dierum Paschæ, Lunarum Paschalium ab anno 684 ad 797. At nemo fere ejusmodi tabulas sibi conficit, nisi in usum temporis consequentis : ut videatur ipsemet Sanctus vel concinnasse eas sibi, vel ab aliis factas descripsisse. Et vero in ipso Martyrologio, quod fuit tamen monasterii S. Willebrordi, ipsius non extat Willebrordi nomen : an id omissurus videtur fuisse, qui, præsertim in eodem monasterio,

aliisque indiciis.

id

id collegit, nisi ei propositum fuisset ipsum Willebrordi librum ex fide transscribere? Verum VII Novembris inscriptum margini : ✠ *Hic Domnus Apostolicus vir Willibrordus Episcopus migravit ad Christum.* Et decimo ejusdem mensis, itidem in margine hæc sunt exarata : † *Hic translatio ejusdem S. Willibrordi.* Quæ posterius ad ipsum vetus S. Willebrordi Martyrologium arbitror adjecta : et licet antiqua, non tamen Laurentii scriptoris videtur manus esse.

Si a S. Hieronymo id compositum,

Licet vero Martyrologium hoc S. Hieronymi dicatur, et ita illud citem passim toto opere ; nullum tamen certum argumentum suppetit, quo id ab S. Hieronymo esse compositum confirmem, præter eam, quam ante retuli, libri inscriptionem, et quod in illud apte quadrare videantur, quæ sunt ab Usuardo in sui Martyrologii præfatione scripta : *Præterea et venerabilium Hieronymi scilicet ac Bedæ Presbyterorum piis, quamvis succinctis, super hoc provocabar descriptis : quorum prior brevitati studens, alter vero quamplures dies intactos relinquens, multa inveniuntur hujus operis præterisse necessaria. Quos tamen secutus censui,* etc. Si vere auctor est illius libelli Hieronymus, multa postea adjecta licebit passim observare. Nam III Januarii *S. Genovefæ Virginis* nomen inscriptum, quæ centum fere post S. Hieronymum annis est mortua ; v. *S. Simeonis monachi Antiocheni,* sive Stylitæ, qui sex et quadraginta ; VI. *S. Melanii Episcopi,* qui centum ; XVI. *S. Honorati Episcopi Arelatensis,* qui 13. I. Februarii *S. Brigidæ Virginis,* quæ supra 100.

postea auctum,

copiosum et utile.

Ceterum plurima suppeditavit mihi hoc Martyrologium, ignorata aliis, Sanctorum nomina : illudque observavi, ubi vulgata Martyrologia uno alterove commemorato Martyre, addunt *cum sociis,* socios sæpenumero hic recenseri. Exempli gratia : XXX Decembris ita habet Romanum : *Alexandriæ SS. Mansueti, Severi, Appiani, Donati, Honorii, et sociorum Martyrum.* At citatum S. Hieronymi : *In Alexandria natalis Mansueti, Severi, et Appiani, Donati, Honorii, Polycliti, Sereni, Pauli, Papiani, Cleti.* Ita III Julii, Romanum : *Alexandriæ sanctorum Martyrum Tryphonis, et aliorum duodecim.* Enumerantur ex his decem in Martyrologio S. Hieronymi : *In Alexandria Tryphonis, Menelai, Cyrionis, Eulogii, Porphoris, Africis, Chusti, Juliani, Eradii, item Tryphonis, Orestis.* Sed visum mihi operæ pretium est, dies aliquot, veluti specimen postea integre publicandi operis, dare. Ex Januario eos sumam, perspicuitatem vel sic allaturus iis, quæ in opere meo hinc citavi. Paucula hæc Januarium antecedunt.

Quædam ex eo decerpta :

III. *Kal. Julii natalis Apostolorum S. Petri et Pauli Romæ.*

de festis Apostolorum.

II. *Kal. Decemb. natalis S. Andreæ Apostoli, in civitate Patras, provinciæ Achiæ.*

VI. *Kal. Janu. natalis Apostoli S. Jacobi fratris Domini, et Johannis Evangel.*

VIII. *Kal. Jul. natalis Dormitionis S. Johannis Apostoli et Evangelistæ in Epheso.*

XII. *Kal. Janu. natalis S. Thomæ Apostoli in India; et translatio corporis ejus in Edessa* V *Kal. Jul.*

VIII. *Kal. Aug. natalis Jacobi Apostoli fratris Johannis Evang. in Hierosolymis.*

Kal. Maii natalis S. Philippi Apostoli in civitate Hierapoli provinciæ Asiæ.

VIII. *Kal. Septemb. nat. S. Bartholomæi Apostoli, qui decollatus est in India, jussu Regis Astiagis.*

XI. *Kal. Octobr. natalis S. Matthæi Apostoli, qui passus est in Persida.*

V. *Kal. Novemb. natalis Apost. Simonis Cananæi et Simonis Zelotis, qui a templorum Pontificibus occisi sunt, in Suanis civitate Persarum.*

Januarii dies 1.

JANUARIUS. *Dies* XXXI. *Kal. Janu. Circumcisio Domini. Natalis Coronæ, qui jubente Asclepio Urbis Præfecto, cum diceret, Hodie Octavæ Dei cæli sunt, cessate a superstitionibus idolorum et sacrificiis pollutis, a gladiatoribus hac de caussa occisus est. In Oriente Stephani. Nicomediæ Euphrosyni Episcopi, Priani, et aliorum* VIII. *In Rætia Evanti, Hermetis. In Bononia Caii, Iacti, Heracli. In Africa Victoris, Felicis, Narcissi, Argiri et aliorum* IIII. *Papæ, Primiani, Saturnini, item Saturnini, Victoris, Honorati, Leusi, Hermetis.... et militum* XXX. *Ravennæ depositio S. Severi cum fratribus suis. Augustoduno depositio Agrippini Episcopi.*

IV. *Non. Isiridoni Episcopi Antiochiæ. Et in alio loco Stratonici, Macarii, Abbani, Saturi, Possessoris, Firmi, Maximiani, Acutionis, Timothei, Herisi, Antaxi,..... Acuti, Tobiæ, Eugendæ. Et in Æthiopia Rutilæ, Claudiæ, Aurigæ, Vitalis de Hierosolymis Stephani.* 2.

III. *Non. In Hellesponto, civitate Parethia, Cirici, Primi, Theogenis. Et in civitate Tomis Claudonis, Eugenis, Rhodi. Trium fratrum Argæi, Narcissi, et Marcellini pueri Christiani, et Diogeni, Eugenti, Rhodonis, Primæ. Et in Africa Martialis, Statiliani, Constantii, Possessoris, Hilarini, Firmi, Candidi, Rogatiani, Eugeniæ, Lucidæ, Acutæ, Pœnicæ. Parisiis Genefevæ Virginis. Viennæ depositio Florentii.* 3.

Pridie Non. In Africa Aquilini, Gemini, Eugenti, Marciani, Quinti, Theodoti, Tryphonis. In Oriente civitate Bonania Hermetis, Aggæi, Cai. Ædui Episcopi.

Nonis, in Africa Felicis, Secundi, Honorii, Luciani, Candidi, Januariæ, * *Cæliforiæ, Jocundi, Acuti, Petri, Marci, Severi, Anastasii. In Antiochia Simeonis monachi.* 5. **forte* Cæli, Floræ.

VIII. *Id. Epiphania Domini. In Africa Talesphori, Flori, Jocundi, Petri, Marci, Acuti, Januariæ. Et alibi Honorii, Julii, Antonini. Apud Sirmiam Anastasii. In Antio passio SS. Juliani et Basilissæ. In India Celsi, Juliani. In civitate Redon natalis S. Melanii Episcopi.* 6.

VII. *Id. In Nicomedia Luciani Presbyteri. Et in Antiochia Lucerii Diaconi. In Melitina civitate Polyeucti. In Heraclea Felicis et Januarii. Et in Græcia Spolicosti, Palladæ, Candidæ. Alio loco Polianthi, Philonis, Candidæ.* 7.

VI. *Id. In Græcia Eucti, Rustici, Pissei, Timothei, Secundi, Lucii, Felicis, Januarii. Et in Brundisio Leucii. Et in Sirmis Anastasii, Jocundi, Ratitis, Petri, Flori, Tilis, Floriani, Tatiæ. Et alio loco Pathei. Augustoduno depositio Egemonii Episcopi.* 8.

V. *Id. In Africa Epicteti, Quinti, Secundi, Jocundi, Saturnini, Vitalis, Quinti, Vincentii et Felicitatis, item Quinti, Felicis, Artaxis, Fortunati, Rustici, Silli, Quieti, et aliorum sex. Martialis. In Smerna Revocati, Firmi, Possessoris, Januarii, Saturnini.* 9.

IIII. *Id. In Africa Renocati, Firmi. In Irta Possessoris et aliorum duorum. Romæ in cimiterio Callisti via Appia, depositio Miltiadis Episcopi. In Africa Saturi, Vitaliani, Felicitatis, Quinti, Artatis.* 10.

III. *Id. In Alexandria Petri, Leucii Confess. et Alolami. In Africa Philoromi, Eugenii, Quinti, Januarii, Saturnini, Vincentii. In Spaniis Agenti, Donati, Augustini, Salvii, Felicis, Donati Presbyteri, Flori, Zemini, Pati, Pausalini, Eugenii, Stephani, et aliorum* XII. *Et depositio Hortensii Episcopi.* 11.

Pridiæ Id. In Achaia Cyriaci, Muscenti, Saturi. In Africa Zotici, Castoli, Quinti, Rogati, Modesti, Bicciani, Carotici, Castolini. In Ægypto Philoromi, Zotici, Castoli, Petri, Aventinæ. 12.

Idib. In Africa Ingenui, Vincentii, Satti, Felicitatis. In Campania Neapolim, Cyriaci, Cimini, Zotici, Herisi, Glycerii, Felicis, Januarii. Romæ Secundi. Via Lavicana coronæ militum XV. *Et alibi Quosquonio, Enonis. Pictavis depositio S. Hilarii Episcopi.* 13.

Hæc in specimen modo sufficiant; quæ si ab S. Hieronymo scripta sunt, aliam dein manum accessisse oportet, quæ et posteriores Hieronymo Sanctos adjecerit, et locorum nomina in casum ablativum, addita plerumque præpositione, et in accusativum quoque transtulerit, neglectis (claritatis caussa) Grammaticæ legibus. Vehementer quoque dubito, num qui diversis diebus referuntur, semper diversi

sint

sint Sancti; an non qui cognomines videntur, præsertim simul plures, iidem fortasse sint, vel oscitante Librario, vel variantibus in dierum serie codicibus, bis descripti; nisi quando aliis juncti sociis sunt.

Simile aliud Hibernicum.

Simile prope exemplar, et ipsum perantiquum, habet Joannes Colganus Ord. S. Francisci Lovanii in cœnobio S. Antonii de Padua Theologiæ Professor, ex Hibernia allatum: sed aliquanto confusius descriptum, omissis locorum nominibus, et subjunctis unicuique diei Sanctis Hibernicis. Hos ego consulto omisi, quia exploratum mihi haud erat, an olim venerationem habuissent, an solum, quia celebre sanctitatis apud eam gentem obtinuissent nomen, ideo essent adscripti: et non temere peregrinos Sanctos profero, nisi vel Acta sim nactus, vel de publica illis impensa legitime veneratione testimonia certa. Illud porro Hibernicum Martyrologium solum posterioribus Januarii diebus citavi, quia serius ejus mihi facta copia.

aliud minus Rhinowiense,

Aliud quoque Martyrologium perbreve et mutilum, sed cum illo Trevirensi, sive Epternacensi, consentiens, quod olim Rhinowiensis juxta Basiliam cœnobii fuit, reperi in Rosweydi schedis. Principium Januarii ita habet:

cujus hic specimen,

Kal. Janu. *Circumcisio Domini nostri Jesu Christi secundum carnem. In Oriente Stephani. Nicomediæ Eophrosyni Episc. Priamiani. Eracl.....*

iiii. *Non. Antiochiæ Isidori Episcopi. Macarii Abbatis. Saturi, Possessoris, Firmi.*

iii. *Non. Parisius Genofevæ Virginis. In Hellesponto Cyrici, Primi.*

Pridie Non. In Africa Aquilini, Gemini, Martiani, Eugenti, Quinti, Theodati.

Nonis, in Africa Felicis, Secundi, Luciani, Jocundi, Petri, Marci, Alibi depositio.....

viii. *Id. Epiphania Domini nostri Jesu Christi. In Africa Telesphori, Acuti, Januariæ.*

vii. *Id. In Nicomedia Luciani Presbyteri, Liceri Diaconi, Polioti, Felis, Januarii.*

vi. *Id. In Græcia Cipisei, Secundi, Timothei, Lucii, Rustici. Augustodino.....*

v. *Id. In Africa Epicteti, Jocundi, Saturnini, Vitalis, Felicis, Fortunati.*

iiii. *Id. Romæ depositio Melciadis Episcopi. In Sirmis Revocati. In Africa Firmi.*

iii. *Id. In Alexandria Petri, Absalmi, Philoromi. In Africa Felicis et S. Gregorii Episcopi.*

Pridie Id. In Achaia Cyriaci. In Africa Zotici, Castoli, Quinti, Rogati, Modesti.

Idib. Pictavis depositio S. Hilarii Episcopi. In Neapoli Vincentiæ. In Africa Ingenii.

Huic simile aliquo modo suspicor fuisse, quod sæpe citat Baronius e S. Cyriaci monasterio acceptum. Ejus ut mihi describendum exemplar curarent, nonnullos amicorum interpellavi: at ne vel ut illud viderent quidem, ipsis contigit. Citat et Petrus Galesinius sæpenumero vetusta mss. Martyrologia: ea cujusmodi fuerint non possum divinare; video nonnumquam cum hisce nostris congruere.

§ v. *Romanum Martyrologium modernum et vetus.*

Romanum modernum ex Usuardo est

Venio nunc ad Romanum Martyrologium. Molanus cap. 4 de Martyrologiis, Usuardi esse ait, sed auctum: negat Baronius, asseritque quamplurima Romæ extare antiqua manu exarata Martyrologii Romani exemplaria, *quæ illi qui Romæ agunt, vix magno labore, pervigili diligentia, et summa sint industria consecuti.* At qui Romanum atque Usuardi Martyrologia conferre voluerit, facile vel ex unico die perspiciet unum ex altero descriptum. Aliud ante annos mille habebat Romana Ecclesia; quod quale fuerit licebit ex citata ante epistola S. Gregorii ad S. Eulogium Alexandrinum 29, libri 7, animadvertere: *Nos autem*, inquit, *pœne omnium Martyrum distinctis per dies singulos passionibus collecta in uno codice nomina habemus, atque quotidianis diebus in eorum veneratione Missarum solennia agimus. Non tamen in eodem volumine quis qualiter sit passus indicatur, sed tantummodo nomen, locus, et dies passionis ponitur. Unde fit ut multi ex diversis terris atque provinciis per dies, ut prædixi, singulos cognoscantur martyrio coronati. Sed hæc habere vos beatissimos credimus.* Hæc ille. Non fuit igitur, quale nunc est, Martyrologium; quia nunc de plerisque *qualiter quis sit passus indicatur.* Nec potuisset id ignotum esse Gallis, ut novum censerent ab Usuardo concinnari oportere. Neque dubium est, quin si exstitit, ex eo suum ille consarcinarit, nimium impudenti plagio, cum Bedam, Hieronymum, Florum citet, quos sit imitatus; unde omnia mutuatus sit, dissimulet. Quod nemini adhuc in mentem venit suspicari.

aliud olim;

non a Rosweydo editum,

Neque vero illud erat S. Gregorii ætate Martyrologium, quod est a Rosweydo nostro editum, cum hoc subinde non nisi unicum Sanctum, semper paucissimos referat. Ex illo vero *multi ex diversis terris atque provinciis per dies singulos cognoscebantur martyrio coronati.* Sed quod (ut ego quidem existimo) molestum quibusdam esset, plurima nomina et fere ignotorum Sanctorum recitare, paucis illustriorum retentis, cetera expunxerunt. Postea, ut non nuda nomina Sanctorum, sed rerum ab iis gestarum aliqua audientibus offerretur notitia, quod erat ab Usuardo olim compositum, adscitum in Urbem est, usumque Ecclesiæ. Quando id factum sit, nusquam legi. Licebit igitur illud Rosweydi, *minus Romanum* appellare: passim tamen cum id cito, *vetus Romanum* nuncupo, quia nimirum eo titulo editum a viro doctissimo, eaque apud eruditos invaluit nomenclatio.

sed quod S. Hieronymi dicimus,

Verum aut mea me vehementer fallit opinio, aut illud ipsum, quod Hieronymi dicitur, vetus Romanum est, cujus S. Gregorius in citata epistola meminit; sive id S. Hieronymus ejusve partem scripserit, alius postea auxerit; seu potius e Romano Clero quispiam id collegit, at posteritas, cum auctor lateret, id Hieronymi viri scientissimi opus credidit. Hujus exemplar ipse fortassis in Belgium attulit S. Willebrordus, aut a S. Augustino ejusve discipulis, Scotisve aut Anglis monachis, qui sæpius Romam itabant, in Angliam allatum sibi descripsit. Utrum ex his S. Ado habuerit, minus illud Rosweydinum, an hoc majus, in ambiguo est. Scribit ipse Præfatione ad suum Martyrologium: *Huic operi ut dies Martyrum verissime notarentur, qui confusi in Kalendis satis inveniri solent, adjuvit venerabile et perantiquum Martyrologium ab urbe Roma Aquileiam cuidam sancto Episcopo a Pontifice Romano directum, et mihi postmodum a quodam religioso Fratre aliquot diebus præstitum. Quod ego diligenti cura transscriptum, positus apud Ravennam in capite hujus operis ponendum putavi.* Plures multo Sanctos habet Ado in suo Martyrologio, quam qui in minori Romano continentur: imo parum admodum ex illo haurire subsidii potuisset; cum præsertim Usuardi haberet Martyrologium, quod et natales indicabat singulorum, atque etiam plurium. Si majus habuit, quod S. Hieronymi vocamus, cur non omnes expressit? An erat illud minori quidem isto majus, sed tamen a fusiore hoc S. Hieronymi diversum et contractum? An hoc auctum ex aliis tabulis, et non purum illud vetus Romanum? Fateor mihi hic aquam hærere. Illud tamen liquido constare existimo, non esse quod describit S. Gregorius illud quod est a Rosweydo vulgatum. Neque tamen hoc cuicuimodi sit, respuimus. Utinam plures similia antiquitatis monumenta, quod possunt, eruerent. Merito ab Andrea Saussaio, laudato viro, summis laudibus, vel hoc ipso nomine quod hunc thesaurum primus refoderit, in publicumque produxerit, ornatur Rosweydus, appellaturque *eximius Solis sapientiæ radius, vivi fidei fontis rivulus,*

quo et S. Ado usus forta sse :

utile tamen etiam illud Rosweydi.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

rivulus, virentis justitiæ stipitis ramus, jamque cæli pulcrum ac æternum sidus.

§ vi. *Martyrologia Bedæ et Flori.*

S. Bedæ Martyrologium.

Post Eusebium Sanctumque Hieronymum, a quibus quid hoc in genere effectum sit, haud satis constat, primus (qui quidem notus vulgo sit) Martyrologium privato studio concinnavit S. Beda, Presbyter Anglus. Nam hujus se et S. Hieronymi *provocatum descriptis*, suum componere aggressum Usuardus testatur. Et ipse Beda in suorum operum catalogo, qui in editione Parisiensi an. 1583 a Laurentio Barrensi adornata, at non in Basileensi an. 1563 subjectus est epitomæ historiæ Anglicanæ (si tamen ipsius est fœtus illa epitome) inter alia sic scribit: *Martyrologium de natalitiis sanctorum Martyrum diebus, in quo omnes quos invenire potui, non solum qua die, verum etiam quo genere certaminis, vel sub quo Judice, mundum vicerint, diligenter annotare studui.*

non est quod vulgatum est ejus nomine.

Vulgatum est tomo 3 Operum Bedæ an. 1563 ac deinde seorsim typis Plantinianis an. 1564 vetus et sane egregium Martyrologium, sub Bedæ nomine: cujus exemplar penes me est ab Heriberto Rosweydo collatum cum ms. monasterii Richebergensis in Bavaria. Verum non potest id Bedæ merito tribui; cum is, teste Usuardo, *plures dies intactos reliquerit*, quales hic nulli. Deinde profitetur idem Usuardus sese Flori *latiora sequi vestigia* potius, quam Bedæ insistere brevitati. At diffusius est quandoque Martyrologium hoc, quam sit Usuardi. Extetne uspiam germanum Bedæ Martyrologium, dubito. Nam cum pleraque ad usum sacrorum sibi posteri descripserint, noluerunt in iis vacuos existere dies aliquos, quosque ille reliquerat ex aliis suppleverunt. Cito tamen illud *vulgatum Bedæ*, quia eo nomine jam innotuit.

mss. 4. ejus nomine insignita:

Reperi vetera mss. quædam Bedæ præferentia nomen; in quibus tamen neque vacui dies, et quædam Beda posteriorum adjecta Sanctorum nomina. Primum, quod olim Centulensis in Gallia monasterii, sive S. Richarii fuerat, jam Vedastini apud Atrebates cœnobii. Exorditur a vigilia Nativitatis. Ex Januario dies aliquot adscribam, integrum aliquando daturus.

1. Centulense:

ejus specimen.

Kal. Janu. *Octava Nativitatis Jesu Christi Domini nostri, atque Circumcisio ejus. S. Romæ Almachii Martyris. Item Romæ S. Martinæ Virginis. Item via Appia SS.* xx *Militum sub Diocletiano passorum. Cæsareæ Cappadociæ S. Basilii Archiep. et Conf. in Africa, civitate Ruspensi S. Fulgentii Episcopi, vita et doctrina præclari. Apud Spoletum S. Concordii Martyris. In territorio Jurensi S. Eugendi Abbatis. Alexandriæ S. Euphrosynæ Virg.*

iiii. *Non. In Thebaida Depositio B. Macarii Abbatis magnarum virtutum viri. In Ponto, civitate Tomis, trium fratrum Narcissi, Argæi, et Marcellini pueri. Antiochiæ passio S. Isidori Episc. Eodem die Octava S. Stephani.*

iii. *Non. Romæ S. Anteros Papæ et Martyris. Civitate Aulana S. Petri Martyris. Parisius S. Genovefæ Virg. Ipso die Octava Beatissimi Joannis Evangel.*

Pridie Non. Apud Cretam S. Titi Apostolorum discipuli. Civitate Bononia SS. Hermetis et Aggæi. Apud Africam SS. Aquilini, Gemini, Eugenti, Marciani, Quinti, Theodoti, et Tryphonis, præclarissimorum Martyrum, quorum gesta habentur. Romæ passio SS. Prisci Presbyteri, et Priscilliani Clerici, atque Benedictæ religiosissimæ fœminæ, qui sub impio Juliano martyrium passi. Item Romæ S. Dafrosæ uxoris Fabiani Martyris sub Juliano. Et Octava sanctorum Innocentium.

Nonis, Romæ S. Telesphori Papæ et Martyris, qui illustre martyrium duxit. Antiochiæ S. Simeonis monachi, qui in columna stetit, cujus vita virtutibus et miraculis effulsit gloriosa.

viii. *Id. Epiphania Domini nostri Jesu Christi. Antiochiæ passio SS. Juliani et Basilissæ, et Celsi pueri, et Marcianillæ matris ejusdem, et Antonii Presbyteri, et Anastasii, tempore Diocletiani. In territorio Remensi passio S. Macræ Virg. Antisiodoro S. Germani Episc. et Conf.*

2. Leodiense:

Alterum Bedæ nomine insignitum Martyrologium extat Leodii in illustri S. Lamberti Ecclesia, sed ab illo Centulensi longe diversum, itaque recenter auctum, ut etiam *S. Francisci Diaconi et Confessoris* iv Octob. *S. Dominici Confessoris* v Aug. *S. Petri Martyris de Ordine Prædicatorum* xxix Aprilis, adjecta sint nomina. Dabo ex eo quoque dies hic aliquot.

ejus specimen.

Kal. Jan. *Octavæ Domini, et Circumcisio Jesu Christi secundum carnem. Romæ natale S. Almachii Martyris, qui jubente Alipio Pr. Urb. cum diceret, Hodie Octavæ Dominicæ diei sunt; cessate a superstitionibus idoiorum et sacrificiis pollutis, a gladiatoribus hac de caussa occisus est. Item Romæ S. Martinæ Virg. et Martyris, Eodem die apud Spoletum in civitate Tusciæ S. Concordii Martyris: qui tempore Antonini Imp. multa tormenta perpessus, ad ultimum gladio interimitur. Item Romæ via Appia coronæ Militum* xxx, *quas sub Diocletiano pro confessione veræ fidei percipere meruerunt. Apud Africam natale S. Fulgentii Ecclesiæ Ruspensis Episcopi et Confessoris. Apud Alexandriam S. Euphrosynæ Virg. quæ orationibus patris sui Paphnutii de sterili matre progenita, in puerili ætate constituta, clam se tonderi fecit, et monasticam vitam exptiit, Smaragdi sibi nomen imponens. Apud Cæsaream Cappadociæ natale S. Basilii Episcopi, admirandæ vitæ et doctrinæ viri. Ravennæ S. Severi Episcopi et Martyris.*

iiii. *Non. Hierosolymæ Stephani et Vitalis. In Thebaida depositio B. Macarii Abbatis, magnarum virtutum viri. In civitate Tomis trium fratrum Argæi, Narcissi et Marcellini pueri, qui post multa tormenta in mare mersus martyrium consummavit. Cujus corpus ad littus delatum magnis coruscat miraculis.*

iii. *Non. Natale Anteri Papæ et Martyris, qui vigesimus post B. Petrum, cum* xii *annis, mense uno, diebus* xii *rexit Ecclesiam. Passus est sub Maximino, et in cœmiterio Callisti sepultus via Appia. Parisiis Genovefæ Virg. Eodem die S. Florentii Viennensis Ecclesiæ Episcopi et Martyris. In civitate Aulana passio S. Petri, qui crucis supplicio est interemptus. In Hellesponto sanctorum Martyrum Cirici, Primi, et Diogenis.*

Martyrologium Flori.

Verum neque hæc consentanea sunt iis quæ de Martyrologio Bedæ scripsit Usuardus. De tertio et quarto ms. exemplari mox dicam. Post Bedam Florus extitit quidam, de quo Usuardus: *Quos tamen secutus* (Hieronymum et Bedam) *censui et Flori memorabilis viri latiora jam in ipso negotio sequi vestigia, præsertim in secundo ejus libro; ibi enim multa, quæ in priore omiserat, et correxit et addidit.* Ado quoque: *Primum fuit imperium ac jussio sanctorum virorum, ut supplerentur dies, qui absque nominibus Martyrum in Martyrologio, quod venerabilis Flori studio in labore Domini Bedæ accreverat, tantum notati erant.* Fuit Usuardi et Adonis coætaneus Florus Ecclesiæ Lugdunensis Subdiaconus, sed Adone senior, junior Usuardo, si quidem hic sub Carolo Magno, et non sub Carolo Calvo, Martyrologium scripsit: nam Wandelbertus, de quo infra, qui sub Lothario Calvi fratre florebat, ista habet: *Ope et subsidio præcipue usus sum sancti et nominatissimi Flori Lugdunensis Ecclesiæ Subdiaconi, qui ut nostro tempore revera singulari studio et assiduitate in Divinæ Scripturæ scientia pollere, ita librorum authenticorum non mediocri copia et veritate cognoscitur abundare.* Hunc ego suspicor illum Florum Magistrum esse, cujus vastum vidi Lætiis volumen ex S. Augustini operibus magno studio collectum, et alia alibi servari dicuntur. In Bibliotheca PP. extat tractatus quidam de vulgi erroribus circa tempestatum et tonitruum caussas, Agobardi Episcopi Lugdunensis et hujus *Flori* nomine inscriptus. Idemne fuerit Martyrologii auctor, mihi

(an Subdiaconi Lugdunensis?

an monachi Trudonensis?) mihi modo non liquet. Eum vero quod Trudonopoli in Belgio nostro monachum fuisse, Trithemius lib. 2 de viris illust. Ord. S. Benedicti cap. 44 scribat, haud equidem scio quo auctore; neque ejus mentio est in Chronico Trudonensi ulla.

duplex fuit. At quisquis ille Martyrologus fuit, duos scripsit de Sanctis libros, ut ex illis Usuardi verbis patet, *Præsertim in secundo ejus libro : ibi enim multa, quæ in priore omiserat, et correxit et addidit.* Primo supplevisse Bedæ Martyrologium videtur, idque Ado indicat : deinde quædam Sanctorum elogia dilatasse, relictis tamen diebus quibusdam, quos explere se voluisse Ado scribit. Dubitavi aliquando an non id, quod sub Bedæ nomine vulgatum est Martyrologium, Flori esset. Alia duo postea reperi MSS. de quibus id potius quispiam suspicetur : statuere tamen certi nihil possum. Prius est domus Professæ Societatis Jesu Antverpiæ cujus fronti inscriptum recentiori manu : *Bedæ Martyrologium*, et ei quadrant utcumque, quæ de Flori opere traduntur : sed neque antiquissimum est, et ex Anglia, ut reor, allatum, aut ab Anglo quopiam interpolatum; quoniam et alios quosdam Anglicanos Sanctos, et ipsum recenset Thomam Cantuariensem. Alterum extat in monasterio S. Martini Tornaci, hoc titulo : *Incipit Martyrologium Eusebii, Hieronymi, et Bedæ Presbyteri.* Huic simile omnino Lætiis est, satis quoque antiquum, sed absque hoc titulo.

An id 3 *quod Bedæ tribuitur in* MS. *Tornacensi?*

Ex hoc et nostro illo dies aliquot dabo, non tam ut probem Flori esse, quod ipse mihi nondum persuadeo; quam ut alios excitem, quibus facultas est, ut *Florum* investigent, si uspiam latet; aut certe quæ repererint vetusta Martyrologia examinent, et cujus esse videantur auctoris expendant; aut si id ipsis non lubet, vel per occupationes non licet, mecum ea communicent. Ita ergo habet Tornacense illud ac Lætiense. Dabo ex Januario dies aliquot, etsi a die Nativitatis initium ducat, ut plures alii.

Kal. Janu. *Octavæ Domini, et secundum carnem Circumcisio ejus. Et natalis Almachii, qui jubente Alipio Urbis Præfecto cum diceret, Hodie Octavæ Dominicæ diei sunt, cessate a superstitionibus idolorum, et sacrificiis pollutis; a gladiatoribus hac de caussa occisus est. Ipso die B. Basilii Episcopi. Romæ passio S. Martinæ Virginis.* Lætiense exemplar *SS. Basilii et Martinæ* non meminit; pro his hæc habet : *Eodem die in Æthiopia Rutuli. Hierosolyma natale sancti Stephani.*

iv. *Nonas Januar. Romæ natalis S. Telesfori Papæ et Martyris. Is ex Anachoreta cum* xii *annos Ecclesiæ Romanæ præsset, jejunium septem hebdomadarum ante Pascha, et Missam in nocte Natalis Domini, sed et ante sacrificium hymnum Angelicum, videlicet Gloria in excelsis Deo, decantandum instituit, passusque est temporibus Antonini et Marci martyrium. Eodem die depositio beati abbatis Macarii.* Deest *Macarius* Lætiensi MS.

iii. *Non. Jan. Romæ natalis Anteros Papæ et Martyris, qui duodecim annos rexit Ecclesiam, et in cœmiterio Callisti sepultus est in via Appia. In pago Viromandense inventio corporis B. Quintini Martyris ab Eligio Episcopo, et Translatio ipsius. Eodem die Parisiis depositio S. Genovefæ Virginis, quæ in corpore posita tantum in virtute prævaluit, ut mortuum suscitaret. In civitate Auclara passio S. Petri, qui crucifixus est sub Maximiano Imp. Ipso die passio S. Theogenis, qui præcipitatus est in mare tempore Licinii. Et natalis Potiti, qui sub Antonino Imp. primo fustibus est cæsus, dein carcere inclusus, et magno pondere ferri damnatus, unde eductus, in equuleum est suspensus. Et cum esset jussus ab Imperatore secari, et canibus projici, eum milites tangere non poterant. Inde jussus est frigi in sartagine, frixusque, plumbo superfundi. Postea vero palo ferreo fixus a capite est usque deorsum. Quo ab Angelo erepto, jussit illi Imperator linguam abscindi, et oculos compungi. Et cum nec sic vinci posset, jussus est capite plecti, cum esset tredecim annorum puer.*

Pridie Non. In Africa natalis Aquilini, Gemini, Eugentii, Vincti, Tryfonis. In Oriente Bononia civitate, Hermetis, Aggei, Gagii.

Nonis, Hierosolyma depositio Simeonis Prophetæ, qui a Spiritu sancto responsum accepit, non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini. In Antiochia, Ecclesia quæ vocatur Pœnitentia, depositio S. Simeonis Confess. qui in columna stans arctissime dicitur vixisse, et incolis loci illius multas tribuit sanitates. Hic post conversionem, nullam unquam mulierem oculis attentis inspexit. Postquam vero columnæ editiori se sanctitate fervens invexit, non modo extraneæ mulieri, verum etiam nec propriæ matri se videndum permisit. Scriptum in gestis ejus. Eodem die natale SS. Honorii, Luciani, Jocundi. Hi postremi desunt in MS. Lætiensi.

an 4 *quod in Antverpiensi?*

At MS. Antverpiense, sive potius, ut suspicor, Anglicanum, Bedæ nomine, sed ab recentiore manu, prætitulatum, in multis consentiens cum Leodiensi S. Lamberti, ita habet :

Kal. Jan. *Circumcisio Domini nostri Jesu Christi secundum carnem. Romæ natale S. Almachii Martyris, qui jubente Asclippio Urbis Præfecto, cum diceret, Hodie Octavæ Dominicæ diei sunt, cessate a superstitionibus idolorum et sacrificiis pollutis, a gladiatoribus hac de caussa occisus est. Item Romæ passio S. Martinæ Virg. Eodem die apud Spoletum civitatem Tusciæ, passio B. Concordii Mart. temporibus Antonini Imp. Item Romæ via Appia coronæ militum triginta. Has pro confessione veræ fidei sub Diocletiano percipere meruerunt. Apud Cæsaream Cappadociæ, natale S. Basilii Ep. admirandæ fidei atque doctrinæ viri. In Africa natale S. Fulgentii Ecclesiæ Rupensis Ep. Apud Alexandriam Euphrosynæ Virg. quæ orationibus patris sui Paphnutii de sterili matre progenita, in puerili ætate constituta, clam se tonderi fecit, et monasticam vitam expetiit, Smaragdi sibi nomen imponens. Post etiam in reclusione viginti octo annos in omni sanctitate perdurans, tacta ægrotationis incommodo, et mortem sibi adesse cognoscens, manifestavit se religioso, et cum lacrymis multotiens quærenti eam patri. Cumque quievisset, sepulta est a Fratribus in ecclesia. In territorio Lugdunensi monasterio Jurensium natale S. Eugendi Ab. cujus vita virtutibus et miraculis fulget. Ravenna Severi Ep. et Mart.*

iv. *Non. In Thebaida depositio B. Macarii Ab. magnarum virtutum viri. Et in Ponto, civitate Tomis, trium fratrum Narcissi, Argæi, et Marcellini pueri, qui sub Licinio inter tirones comprehensi cum nollent militare, cæsi ad mortem martyrium consummaverunt, et diu in carcere macerati in mare mersi sunt; corpora eorum ad littus delata, a religiosis viris deposita, magnis coruscant virtutibus.*

iii. *Non. Romæ natale S. Antheros Papæ et Martyris, qui vicesimus post B. Petrum cum duodecim annis, mense uno, diebus duodecim rexisset Ecclesiam, passus est sub Maximiano, in cœmiterio Callisti sepultus via Appia. In civitate Aulana passio S. Petri, qui crucis supplicio interemptus. Apud Parisium natale S. Genovephæ Virg. quæ a B. Germano Autisiodorensium Episc. Christo dicata, admirandis virtutibus et miraculis late claruit, et usque ad annos octoginta in Christi servitute consenuit.*

Prid. Non. Natale S. Titi Apostolorum discipuli. Apud Africam natale SS. Aquilini, Germani, Eugenti, Marciani, Quinti, Theodocii, et Tryphonis, præclarissimorum Martyrum, quorum gesta habentur. Romæ passio sanctorum Martyrum Prisci Presbyteri, et Priscilliani Clerici, atque Benedictæ religiosissimæ feminæ, sub tempore Juliani impiissimi Augusti, qui gladio martyrium compleverunt. Item Romæ B. Dafrosæ uxoris Fabiani Martyris.

Nonis, Romæ natale S. Telesforis, qui septimus post Petrum Apostolum Pontifex ordinatus, sedit annos undecim, menses tres, dies xxi *illustreque martyrium duxit. Apud Antiochiam depositio S. Simeonis monachi, qui*

qui tertio decimo ætatis suæ anno huic seculo abrenuntians, monasterii claustra expetiit; ubi mira abstinentia vix septimo die cibum sibi indulgens, Psalterium infra quatuor menses didicit. Deinde nimia domandi corporis intentione, fune palmeo renes sibi constringens duriter laniatus est : inde in quodam puteo se recludens, et ex eo a Fratribus violenter ad monasterium reductus, clam fugiens eremum petiit, ubi multo commoratus tempore, in columna editiori, sanctitate fervens, se concludit; ubi non modo extraneæ mulieri, sed nec propriæ matri se videre permisit; et usque hodie basilicam columnæ illius nulla feminarum ingreditur. Nam quædam mulier veste induta virili ingredi voluit, sed mox ut limen attigit, retrorsum mortua cecidit.

§ VII. *Martyrologium Usuardi.*

Usuardus monachus Martyrologium scripsit.

Omnium celeberrimum Usuardi Martyrologium fuit. De eo ita scribit Sigebertus lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 85: *Husuardus monachus, provocatus studio Hieronymi et Bedæ, qui festivitates Sanctorum annuatim recurrentes partim annotaverant; maxime autem animatus studio et jussu Magni Caroli Imperatoris, cui displicebat quod Hieronymus et Beda, studentes nimis brevitati, prætermerant plura necessaria, et quamplures Kalendarum dies intactos reliquerant, in gratiam ejus studuit opus imperfectum supplere, et festivitates Sanctorum per singulos Kalendarum dies annotans, integrum Martyrologium effecit.* Hæc ille. At Bedam solum queritur Usuardus *quamplures Kalendarum dies intactos* reliquisse, non Hieronymum.

Operæ pretium est ipsiusmet Usuardi Præfationem, sive epistolam, qua opus suum Carolo Regi, Magno vel Calvo, dedicat, hic dare; sed e veteri codice MS. qui penes nos est, optimæ notæ. Quæ in plerisque excusis et calamo descriptis exemplaribus legitur, aliquantum discrepat, ut conferenti patebit. Ita ergo habet :

regio jussu.

Domino venerabiliter recolendo Karolo Regum piissimo Husuardus, quamquam indignus, Sacerdos et monachus, præsentis ævi prosperitatem et æternæ beatitudinis gloriam. Vestram minime latet Celsitudinem, o Reverende Princeps, qualiter imitandis antiquorum studiis monemur, quidquid in libris, maxime Ecclesiasticæ doctrinæ congruis, minus debito perfectum habetur, vel pro posse supplere vel suppleri optare. Quæ res pia quidem sollicitudine, addito etiam Vestræ dignitatis jussu, me compulit, ut videlicet Sanctorum recurrentes festivitates, ex diversis sanctorum Patrum Martyrologiis in quamdam exciperem unitatem. Recolebam siquidem in sacris Sanctorum solenniis multimodos propriæ negligentiæ excessus : quod me plurimum ad hoc eis in Dei amore persolvendum cogebat officium; etsi non satis idoneum, utpote inscium, sed tamen Divino, ut confidebam, ac indigno eorum sublevandum auxilio. Nam et venerabilium Hieronymi videlicet ac Bedæ Presbyterorum in hoc provocabar descriptis : quorum unus brevitati admodum studens, alter vero quamplures Kalendarum dies intactos relinquens, multa probantur hujus opusculi præterisse necessaria. Adhibui igitur Flori memorabilis viri collecta e pluribus in eodem negotio secundi libri commenta : quem maxime imitandum in his, quæ visa sunt congrua ac memoriæ digna, censui; quia plura summo studio, quæ breviter perstrinxi, et correxit et addidit. Unde una vobiscum legentem efflagito, quo non propere quidquid in sequenti libello sibi forte contrarium fuerit, indiscusse repudiet, nec me insuper temerarium judicet; præsertim cum a talibus et tantis viris hoc præmonstratum esse meminerit. Perpendat etiam, quia in rebus humanis, ut ait quidam, nihil perfectum ex omni parte soleat inveniri. Scriptorum quoque errore ita sæpe constat vera permutari, ut plerumque dictantis adscribatur vitio, quod mendaci solet admitti calamo.

alios imitatus.

Ceterum, benignissime Rex, idcirco hanc exiguitatis præfatiunculam huic operi inserere curavi, ut sciatis me non usum levitatis conamine, sed potius Religiosorum minus capacium utilitati consuluisse. Quo tamen labore pro viribus, quove studio cognoscendæ veritatis hæc perquisierim, haud facile parvitas mea valet intimare. Supplex denique Vestram expostulo Magnificentiam, ut, si dignum decernitur, Vestræ tuitionis anchora roboretur. Excellentiam magnitudinis Vestræ per multa annorum curricula, ad communis utilitatis suffragia, Rex Regum sua dignetur custodire potentia. Amen.

in usum Religiosorum;

Hactenus Usuardi epistola ex nostro codice, quæ aliquanto brevior extat in aliis exemplaribus, ex quibus tamen nonnulla superiore paragrapho citavi. Ex hac certo statui non potest, utri *Carolo* id dicarit opus, *Magno* an *Calvo*. *Magno* asserit Sigebertus, ut diximus; sequuntur recentiores. At *Florum* citat *virum memorabilem*, quem sub *Lothario* Calvi fratre post annum Christi 840 superstitem fuisse, et præcedenti paragrapho indicavimus, et mox ex Wandelberto patebit. Nam si, quod quidam volunt, alius fuit *Florus* Martyrologus ab illo Lugdunensis Ecclesiæ Subdiacono, quem Wandelbertus *sanctum et nominatissimum virum* appellat, cur non eos Ado proximus temporum illorum discrevit? Cur quando *venerabilis Flori* meminit non seniorem dixit, aut aliud statuit discrimen, cum vigeret adhuc in Lugdunensi, suaque Viennensi propinqua Ecclesia, Flori alterius nomen, et fama eruditionis? Erit fortassis qui Florum sub *Carolo Magno* scripsisse Martyrologium illud contendat, et ad *Lotharium* supervixisse, qui anno post avi Caroli excessum vicesimo septimo capessivit imperium. Verum non Imperatori *Carolo* dicatum Usuardi opus recitata e nostro codice epistola ostendit. Consentit Parisiensis codex pervetustus, qui ita habet : *Domino Regum piissimo Karolo Usuardus indignus Sacerdos et monachus perennem in Christo coronam*. Ergo, si is Magnus Carolus fuit, ante annum 800 editum est hoc opus; prius etiam Flori : ut necesse sit fateri post libros illos editos ac recognitos, fere quinquaginta annis superstitem fuisse Florum. Non est id quidem ejusmodi, ut evenire nullo modo potuerit, sed ut mirum videri possit, si evenit. Verum alia Usuardi exemplaria excusa et MSS. illius epistolæ inscriptionem his efferunt verbis : *Domino Regum piissimo Karolo Augusto Usuardus indignus Sacerdos ac monachus perennem in Christo coronam*. At si jam inde Caroli Magni tempore editum hoc erat opus ab Usuardo, cur Wandelbertum ex Flori Bibliotheca sumere codices oportuit, ut natales Sanctorum perdisceret, cum ex Usuardi libro si jam extabat, minori labore haurire omnia posset? At neque Ado Usuardi meminit. Jam si eodem quo Wandelbertus tempore Usuardus scripsit, cum Imperium Lotharius, Franciæ Occidentalis regnum Carolus administrabat; cur hic, ut ille, translationis S. Sebastiani sub Ludovico Pio factæ non meminit? Denique a peritioribus, quid certi opinari queam, lubens addiscam.

idque Carolo Regi dicavit,

dubium an Magno,

an Calvo,

Usuardi pluribus usus sum exemplaribus. Nam præter geminam Molani editionem anni 1568 et 1583, Parisiensem an. 1536, Lubecanam an. 1475 habui exemplar, quod olim Autbertus Miræus in Rosweydi nostri gratiam Parisiis cum alio vetustissimo, et, ut ipse rebatur, Usuardi autographo, contulerat. Verum ex eodem illo codice mihi integrum illud Martyrologium describi postea curavi. Eum codicem Usuardi ævo aut non multo post scriptum censet Sirmondus noster, qui pro sua humanitate meum illud apographum cum alio quadringentorum fere annorum, aut etiam vetustiore, qui in eodem S. Germani cœnobio Parisiis asservatur, accurate contulit. Sed quod supra citavi exemplar nostrum, utrique illi longe præfero, et purius ac syncerius reor : nam antiquissimum illud Parisiense Idibus Januarii hæc habet : *In monte Verziaco S. Viventii Confessoris*, cum constet post Usuardi ætatem translatas esse Vergiacum S. Viventii reliquias, nisi extremis fortasse Calvi

Varia ejus exemplaria habuit Auctor.

Calvi temporibus scripsit, et diu postea illi superstes vixit, istaque tunc adscripsit. Sed a nostro illa, quod ideo magis genuinum censeo, absunt exemplari. Fuit hoc quondam monasterii Carthusianorum, quod *B. Mariæ Virginis Capellæ* dicitur, sive *de Herines*, juxta Edingam, aut, ut nunc appellant, Enghianum, Belgii oppidum : deinde Augustini Hunnæi, viri celebris, fuit : postea donatum collegio nostro Lovaniensi. Alia habemus complura Usuardi exemplaria, *etiam aucta.* sed in quibus et amplificata Sanctorum elogia, et plurium nomina adscripta, qualia Ecclesiarum Pragensis, et Bruxellensis, multorumque monasteriorum, quæ non attinet hic percensere : faciam id alias, cum Usuardum edam, sed nativa simplicitate; variorum auctaria seorsim. Editum idem fuit, sed auctum, Coloniæ anno 1490, cum Aurea Legenda; atque illud est quod plerumque cito Coloniensis Martyrologii nomine, quia et Coloniensia festa exhibet, et videtur eo Coloniensis Ecclesia usa. Idem Usuardi Martyrologium a Venerabilibus Patribus Carthusiæ Coloniensis auctum, editumque anno 1515, et 1521, quod et postea Molanus præstitit. Antea vero a se emendatum et modice auctum, titulo Martyrologii Romani ediderat Bellinus de Padua Augustinianus, Venetiis anno 1498, ac deinde Parisiis 1521.

§ VIII. *Martyrologia Rabani, Wandelberti, Adonis, Notkeri, Ditmari.*

Iisdem Lotharii Piique patris temporibus eruditionis laude floruit Rabanus Maurus Abbas Fuldensis, *Martyrologium Rabani editum et* MS. idem postea Moguntinus Archiepiscopus, cujus extant complura scriptorum volumina, nuper a Georgio Colvenerio recensita editaque. In his est Martyrologium, quod in codice monasterii S. Galli, adscripto Rabani nomine, repertum, primus vulgavit Henricus Canisius IC, to. 6 Antiquæ Lectionis. Ei simile habeo exemplar e codice monasterii S. Maximini Treviris, qui 500 circiter videbatur esse annorum, acceptum, sed nullius nomine auctoris inscriptum. Rabano cur illud abjudicem, nullum me magnopere argumentum movet, nisi quod ejus antiqui non meminerint : at nec omnium meminerunt, et *Diversa* extitisse suo tempore *sanctorum Patrum Martyrologia* Usuardus testatur; suffragaturque vetustus ille codex, quo Canisius est usus.

Wandelbertus quoque, cujus jam supra meminimus, Prumiensis in Trevirensi diœcesi monachus, Mar- *Wandelbertus metricum scripsit,* tyrologium metro heroico conscripsit, atque Otrico viro illustri dicavit, præfixo inter alia anapæstico carmine ad Lotharium Imperatorem Ludovici Pii filium. Martyrologium hoc sub titulo *Ephemeridum Bedæ* to. 1, operum illius, et sub veri auctoris nomine a Molano in prima Usuardi editione, vulgatum; ex veteri MS. edam aliquando accuratius. Hic partem Præfationis visum, est delibare. Ita orditur :

Epistola Wandalberti Diaconi ad illustrem virum Otricum, super iis, quæ sequenti opere continentur, metrorum generibus, incipit feliciter.

Domino Otrico Wandalbertus salutem dicit.

Veteri et perantiquo præcepto monemur, ut parere majoribus, morem gerere æqualibus, consulere minoribus studeamus. Ego quia tibi, Carissime, ut minori (quod cogitatu ipso nefas judico) consulere nequeo; in te enim ipso tibi (ut revera sapientem decet) omnis opis consilium, totiusque providentiæ copiam esse perpendo; morigerari vero sicut æquali, sensus et ingenii tarditate non *Otrici rogatu,* *valeo; quod primum constat, ut majori parere et obsecundare viribus cunctis, et omni facultate desiderem. Maxime, quod incessanti et infatigabili studio ac benevolentia me, postquam longe a patria rebusque domesticis non tam exulare quam degere cœpi, tua ope, consilio, providentia et liberalitate fultum intelligo : nec leviter pecco, si cum morem gerere nequeo, parere pro ingenii paupertate refugio. Itaque quod inopinato studio ex me et inevitabili constantique auctoritate petisti, ut per anni totius spatium occurrentesque diebus Sanctorum festivitates, et solennes undecumque Christianorum votorum celebritates, metro digererem, feci ut potui, non tam artis usu atque solertia, quam tua devotione, et immerito erga me Sanctorum* *Flori libris usus;* *ad id peragendum adjutus, ut confido, favore. In quo opere, quia solennium dierum certissima comprehensio non leviter nec facile pro librorum varietate obstabat, ope et subsidio præcipue usus sum sancti et nominatissimi Flori Lugdunensis Ecclesiæ Subdiaconi, qui ut nostro tempore revera singulari studio et assiduitate in Divinæ Scripturæ scientia pollere, ita librorum authenticorum non mediocri copia et veritate cognoscitur abundare.*

Ab hoc ego sumptis veteribus, emendatisque codicibus Martyrologium librum, a Kalendis Januariis usque ad finem anni, per dierum singulorum occurrentes festivitates, metro edidi, præmissa, ut congruere existimavi, Invocationis ad Deum, Allocutionis ad omnes, qui forte *alia addidit carmina.* *erunt lectores, Commendationis ad te operis hortatorem, et ad Cæsarem benignissimum Hlotharium, argumentique sive propositionis diverso metro descriptione, et addita post editum Martyrologium conclusionis hymnique in omnes Sanctos editione. Cui etiam operi distincte mensium singulorum adjeci apertam brevemque secundum usus Gallicos dispositionem, et horarum diurnarum vulgarem in nostris regionibus dimensionem : quod utrumque a superiori opere nequaquam discrepare disputavi. In fine præterea totius operis, de creatione mundi per ordinem dierum sex breve carmen addidi, et explanationem mystici sensus in homine accipiendi subjunxi, ut ea quæ de totius anni cursu descripseram, repetita ab initio mundanæ creationis explanatio commendaret. Hoc opus quod,* etc.

Post Præfationem, sequitur Invocatio metro concepta, tum Lectorum allocutio; Commendatio libri ad Otricum, dein ad Lotharium hæc :

Tuque favendo Cæsar adesto,
Sceptra parentum qui pietate,
Quique benigna lege gubernas. *Commendatio libri ad Lotharium Imp.*
Te moderator nam Deus orbis
Jussit habenas flectere avitas,
Imperiique sceptra paterni :
Teque periclis ipse paratis
Exuit olim, deque cruenta
Cæde furentum sæpe reduxit.
Aurea celso vertice Roma
Te decorando nomine sanxit
Cæsaris orbi mox fore Regem.
Itala primum te Duce tellus
Eminuit : post Francica temet
Sceptra regentem mundus adorat.
Lustra per orbem quinque recurrunt,
Nomine postquam clarus et armis
Cæsariana jura retentas.
Tempora Christus longa videntem
Te regat; omnis te veneretur
Teque tremiscat purpura Regem.

Hinc quo anno hoc compositum sit opus colligi potest; cum nimirum quinque lustris, sive 25 annis *Quando id scriptum?* Imperatoris nomen Lotharius gessisset; non a Ludovici patris morte, cum ei non nisi 15 aut circiter annos superstes fuerit; sed lustra hæc quinque ducenda sund ab eo tempore, cum in conventu Aquisgranensi Ludovicus *filium primogenitum Lotharium Imperatorem appellari et esse voluit*, an. 817, ut in illius Vita dicitur. Scripsit ergo hoc Martyrologium Wandelbertus an. 842. Sequitur deinde *Propositio* :

Carmine qui vacuas captavi sæpius auras,
Rumores vulgi quærendo stultus inanes,
Aggrediar tandem veram de carmine laudem
Quærere, et æternum mihi conciliare favorem;
Spectandos breviter signans actusque virosque

Atque

Atque dies, anni reditu volvente per orbem,
Ordine qui lustrent scribens solennia quæque.
Hic mihi nonnumquam Sanctorum nomina leges
Carminis excedent, sed non mutilanda vocandi
Est censura bonos, veniam pietate merebor.

Ad calcem Martyrologii ista subjicit : *Martyrologium metricum, editum a Wandelberto ad Illustrem virum Otricum Clericum, explicuit in Christi nomine feliciter. Amen.* Tum hæc subnectitur *Conclusio:*

Conclusio operis.

Hæc nunc Christe tuo Deus
Conscripsi breviter munere carmina,
Constans expetiit quæ studio pervigili fides.
His digesta micant simul
Cælestis patriæ et militiæ agmina,
Summo perpetui quæ radiant æthere luminis :
Quorum te veniam prece
Indignus rogitans obsecro criminum.
Multo supplicii namque premor perpetui metu.
Trinis ecce decenniis
Vitam dego miser, quintus et insuper
Ævi curriculis orbis adest atque meatibus :
Me nunc nil recolens boni
Egisse atque pii, concutior nimis :
Curæ nam stimulant mortis. Ad intima
Lapsum jam releva Pater
Tandem, et præteritis exue sordibus; [*mit.*
Squalet conscia quis mens, nimiisque angoribus tre-
Sanctorum retuli canens
Hic certamina, præclaraque Martyrum
Vexilla ante oculos constitui, signaque ovantium
Horum glorificat, Pater,
Sanguis te jugiter, mors loquitur pia :
Vivunt namque tuo præsidio et luce perenniter.

Sequitur in omnes Sanctos hymnus Sapphicus, dein et alia de mensibus carmina, et horis, atque opere sex dierum.

S. Adonis Martyrologium editum et MS.

S. Ado eodem seculo Viennensis in Gallia Episcopus, de quo agemus XVI Decembris, luculentius scripsit Martyrologium. Edidit illud Jacobus Mosander; dein Rosweydus cum tribus MSS. codicibus collatum, Everbodiensi, S. Pantaleonis, Petri Scriverii, hunc præcipue secutus. Habemus cum tribus aliis collatum MSS. exemplaribus, videlicet monasterii S. Laurentii Leodii, cui tamen Usuardi ad Carolum Regem præfixa est epistola; Ecclesiæ Taroanensis, cœnobii Lobiensis.

B. Notkeri, editum

Adoni suppar fuit B. Notkerus Balbulus, in cœnobio S. Galli apud Helvetios monachus, cujus Vitam dabimus VIII Aprilis. Is quoque Martyrologium scripsit, quod est e Bibliotheca S. Galli ab Henrico Canisio in tomis Antiquæ Lectionis publicatum, sed mutilum non uno loco. Obiisse dicitur Notkerus an. 912, de quo alibi.

Ditmarus an Martyrologium scripserit?

Arbitrantur quidam et Ditmarum Mersburgensem in Saxonia Episcopum, cujus extat insigne Chronicon, Martyrologium aliquod composuisse, quod ex ipsius verbis lib. 7 Chronici confici putant, ubi eum qui sibi successurus esset multa monet, hæcque inter cetera : *Habes satis de libris, quos hic ab antecessoribus nostris collectos inveni, et insuper quos contraxi. In his magisterium salubre reperies, ac hos exaudi et tunc potes salvari. Sanctorum reliquias, et munda earumdem receptacula, cum aliis utilitatibus plurimis, tam in prædiis, quam in mancipiis, ego acquisivi, et ne te forsitan laterent, Martyrologio inscripsi meo.* Verum idne ipse confecerit Martyrologium, an ab alio descripserit, aut etiam eo dumtaxat sit usus, certo ex illis verbis concludi non potest. Multa alioquin extant passim Martyrologia, ejusmodi piorum Antistitum olim studio conscripta; cum vix ulla esset Ecclesia, quæ non vel proprium sibi aliquod conficeret, vel aliunde adsciscret.

§ IX. *Martyrologia recentiorum.*

Primum hic eos missos facio, quos antea scripsi Usuardi vulgasse Martyrologium, non sine erudita appendice, Bellinum de Padua, Carthusianos Colonienses, Joannem Molanum : deinde quorum scripta non vidi, Alexandrum Essebiensem Anglum, et Ægidium de Dammis Flandrum; quorum hic Martyrologium recensuisse, auxisse, locupletasse dicitur, sed inchoatum opus perficere non potuisse; ille vero librum sacrorum Fastorum carmine elegiaco composuisse. Prætereo et quæ hoc in genere Ambrosius Novidius Fraccus Ferentinas commentatus est; quæque Baptista Mantuanus, et nuper Joannes Bachottus Gallus : Ephemerides quoque variorum, etiam heterodoxorum, sive Diaria historica; in quibus sacra ac profana promiscue narrant, nec semper ex fide.

Fasti sacri variorum.

Radulphi Calendarius.

Est in manibus Radulphi a Rivo Bredani, Ecclesiæ Tungrensis Decani *Calendarius Ecclesiasticus.* Traditur is decessisse e vita 3 Novemb. 1403. Quod versibus complexus Martyrologium dicitur, non vidi.

MS. Florarium SS.

Usus sum plurimum, uti et Rosweydus in Fastis suis concinnandis, *Florario SS. sive Promptuario,* quod manu Henrici de Eyck Canonici Ecclesiæ B. Mariæ Eyndoviæ in Brabantia scriptum; postea Lovaniensi collegio Societatis JESU donatum, nunc nostrum est. Illius auctorem suspicor, at non firmissime, Antonium Gentium, aut Joannem Gilemannum fuisse, aliumve, eorum æqualem, regularem Canonicum. Reperi id citatum in codice quodam monasterii Corsendoncani, qui circiter annum 1490 erat scriptus.

Viola SS.

Editum est Haganoæ in Alsatia anno 1508 Martyrologium, quod *Viola Sanctorum* inscribitur; quo subinde usi sumus. At rarius, eo quod *Panis quotidianus* appellatur, editum ab Hieronymo de Villa vitis Canonico regulari, itidem Haganoæ excusum anno 1509.

Panis quotidianus.

Martyrologium Maurolyci,

Edidit Martyrologium a se concinnatum Franciscus Maurolycus Abbas Messanensis an. 1568 typis Venetis, cum Sanctorum indice, et Primi Cabilunensis, ut ait, Episcopi Topographia Sanctorum, anno 1430 composita, sed a se recognita.

Canisii,

Prodiit anno 1573 Dilingæ in Suevia Martyrologium Germanicum, quod Georgio et Marco Fuggeris ab Adamo Walassero 1562 dicatum. Auctum id deinde ex Galesinio et aliis, recusumque anno 1599. Id a Petro Canisio nostro compositum esse Matthæus Radderus noster in ejus Vita, et Philippus Alegambe in Bibliotheca Scriptorum Societas JESU, testantur : estque præfixa ipsius Canisii Præfatio.

Galesinii,

Martyrologium sanctæ Romanæ Ecclesiæ usui in singulos anni dies accommodatum, edidit anno 1577, cum eruditis *et multiplici antiquitatis Ecclesiasticæ doctrina cumulatis Annotationibus,* Petrus Galesinius Protonotarius Apostolicus, S. Caroli Borromæi in restituenda Ecclesiæ disciplina fidus administer. Quod, aliaque ejus opera, mirifice Gregorius XIII Pontifex Maximus probavit.

Felicii.

Simile quoque Martyrologio est, nisi quod etiam profana complectatur, *Calendarium historicum* a Constantio Felicio Medico Italice scriptum, editumque Urbini anno 1577, quod quia serius nactus sum, solum posterioribus Januarii diebus citavi.

Ferrarii Catalogus generalis,

Præ ceteris magno mihi usui fuit *Catalogus generalis Sanctorum, qui in Martyrologio Romano non sunt, ex variis Martyrologiis, Kalendariis, tabulis, monumentisque Ecclesiarum, nec non Vitis eorum impressis seu manu scriptis, et quam plurimis historiis collectus, ac in* XII *menses instar martyrologii distributus, suis ubique notis appositis, auctore Philippo Ferrario Alexandrino ordinis Servorum B. Mariæ Virginis, sacræ Theologiæ Professore, ac publico Matheseos in Ticinensi gymnasio interprete; Sanctissimo Domino in Christo Patri* D. URBANO *Papæ* VIII *dicatus,* excususque Venetiis an. 1625.

et SS. Italiæ.

Haud parum quoque adjumenti mihi ejusdem Ferrarii alter attulit *Catalogus Sanctorum Italiæ, in menses* XII *distributus; in quo vitæ illorum ex particularium Ecclesiarum monumentis compendio describuntur, ad-*

jectis scholiis notisque perbrevibus; excusus Mediolani anno 1613.

Aliarum quoque gentium Martyrologia, Kalendaria, Fasti, Hagiologia, non parum mihi attulere subsidii : Antonii Vincentii Domenecci, Ordinis Prædicatorum, Historia Sanctorum Catalaniæ, Barcinone excusa an. 1602. Martyrologium Lusitanicum ab aliquot Patribus Societatis Jesu collectum, editumque Conimbricæ : Anglicanum Joannis Wilsoni an. 1608 editum, et ab eodem recognitum an. 1640. Joannis Molani Natales, et Indiculus Sanctorum Belgii : Autberti Miræi Fasti Belgici et Burgundici : Arnoldi Rayssii Auctarium ad Natales Molani; ejusdemque Hierogazophylacium Belgicum, sive de Sanctorum reliquiis : tum quæ de Sanctis Belgii ad Romanum Martyrologium a se Teutonica lingua versum adjecere Henricus Adriani 1600 et Andreas Boyus noster an. 1642 quæque ad Gallicam ejusdem Martyrologii versionem Balduinus Willotius noster anno 1641 et alius item e nostris Leodii an. 1624. Octavi Cajetani nostri *Idea operis de Vitis Siculorum Sanctorum* edita Panormi an. 1617. Davidis Camerarii liber de Scotorum pietate excusus an. 1631. Catalogus præcipuorum Sanctorum Hiberniæ ab Henrico Fitsimon nostro concinnatus. Sacrarium et Calendarium ditionis Leodiensis in Belgio, excusum an. 1618. Sacrarium perantiqui Comitatus Namurcensis an. 1619. Vidi et Adami Regii Kalendarium Scoticum, e quo nonnulla annotavi; et alia plurima mss. et excusa Kalendaria.

Variarum gentium propria Martyrologia :

Cum jam prope quintus mihi impressus esset dies Januarii, prodiit Parisiis illustre et magnificum Andreæ Saussaii v. cl. Martyrologium Gallicanum tomis duobus, quo plurimum sum usus, utarque, ut spero, deinceps. Utinam brevi prodeant, quos pollicetur, apodictici in illud commentarii.

Gallicanum Saussaii :

Materiam quoque non exiguam suppeditavere, variorum Ordinum Martyrologia; Benedictinum Arnoldi Wionis, libro 3 Ligni vitæ, editum an. 1595. Hugonis Menardi, cum duobus Observationum libris 1629 Kalendarium Benedicti Dorganii a S. Joanne, editum Macloviopoli an. 1622. Præmonstratense, venerabilis Domini Joannis Chrysostomi Vander Sterre Abbatis monasterii S. Michaelis in hac urbe : Canonicorum regularium Constantini Ghinii Senensis Canonici regularis S. Salvatoris, an. 1621. Kalendarium sacri Ordinis Cisterciensis excusum Divione an. 1617. Menologium Cisterciense Chrysostomi Henriquez cum luculentis notationibus 1630. Martyrologium sacri Ordinis Prædicatorum, Seraphini Sicci Papiensis, ordinis Magistri generalis jussu editum an. 1616. Cum jam prior Januarii tomus esset excusus, prodiit Martyrologium Franciscanum, cum amplis commentariis, cura ac labore Arturi a Monasterio. Sed illud in eo opere atque Chrysostomi Henriquez Menologio, haud probo, quod nulla inter eos, quibus ab Ecclesia olim decreti permissive sacri honores sunt, et ceteros sola adhuc hominum opinione, nullo Ecclesiæ judicio confirmata, claros, differentia statuatur : quo fit, ut his quidem honoris nihil accedat, de illorum veneratione plurimum detrahatur, dum uno omnes gradu habentur. Alios novimus viros doctos qui vel observationes in Romanum Martyrologium meditantur, vel suarum provinciarum, aut ordinum elucubrant Martyrologia; atque eo pacto beatorum cæli civium student gloriam amplificare. Utinam brevi ipsorum lucubrationes lucem aspiciant!

monastica.

§ x. *Varia Breviaria, quibus Auctor usus.*

Quæ ab Apostolicis temporibus, publicæ peragi in Ecclesia, distinctis horarum spatiis, preces solent, earum est summa, post artem typographicam repertam, excusa, atque ex re, Breviarium appellata. Certius qui quibusque locis Sancti colantur, quaque cæremonia, cognoscere licuisset, si omnium Ecclesiarum propria consecutus Breviaria essem : quamquam sunt nonnullæ, quæ proprium non habent, sed cum Romanæ Ecclesiæ ritus sequantur, ac festa celebrent omnia; si quos vel ignotos Romanis fastis, vel alia celebritate Cælites venerentur, separatim propria illorum officia precesque publicas edi curant. Quæ ejusmodi hactenus nactus sim Breviaria, propriaque officia, hic exponere libuit, eo solum consilio, ut quæ mihi deesse sentio quamplurima, suppeditent, qui sunt Sanctorum propagandæ gloriæ studiosi.

Breviaria, quibus Auctor hic usus,

Primum Romanæ Ecclesiæ Breviaria habeo antiqua aliquot, præter ea quæ nuper summorum Pontificum Clementis VIII, Pauli V, Urbani VIII auctoritate recognita auctaque sunt; habeo, inquam, excusa annis 1479, 1490, 1515 Leonis X jussu; 1536 Pauli III auctoritate a Francisco Quignonio Cardinale recognitum, recusumque an. 1541, 1542, 1546, 1551, 1557 Pii V an. 1572. Missale quoque Romanum editum an. 1508.

E reliqua Italia pauca hæc suppetunt : Catalogus Sanctorum, qui in urbe ac diœcesi Neapolitana celebrantur, Decii Carafæ Cardinalis et Archiepiscopi jussu editus an. 1619, tum Officia propria SS. Fortunatæ, Gaudiosi, Potiti : itemque propria aliarum eodem tractu Ecclesiarum; Salernitanæ excusa an. 1594, Brundusinæ 1583, Montis-regalis 1605. *ex Italia,*

Provinciæ Mediolanensis hæc habeo : Breviarium Mediolanense an. 1635. Officia propria Ecclesiæ Vercellensis 1581. Bergomensis 1610 et S. Bassiani Laudis-Pompeiæ Patroni 1628.

Ex Hispania pauca hæc ad manum sunt : Ordo recitandi officium Divinum ac Missas celebrandi, juxta ritum Breviarii Missalisque Romani, pro plerisque diœcesibus Hispaniæ, 1635. Officia propria SS. Hispaniæ 1605. Ecclesiæ Toletanæ 1616. Compostellanæ 1596. *Hispania,*

E Lusitania Breviarium Eborense 1548. Officia propria Ecclesiæ Ulyssipponensis 1590. Conimbricensis 1588. *Lusitania,*

E Gallia Germaniaque habeo aliquammulta, sed plura vacant. Gallica hæc sunt : Provinciæ secundæ Lugdunensis, Breviarium Rotomagense 1587, novum 1626. Missale an. 1585 itemque Breviaria Ebroicense 1585. Constantiense 1609. Lexoviense 1624. Bajocense. Officia propria Ecclesiæ Abrincensis. Lugdunensis tertiæ, Breviarium Andegavense 1624. Corisopitense vetus. Officia propria Ecclesiæ Redonensis 1620. Nannetensis 1623. Briocensis 1621. Macloviensis. *Gallia,*

Lugdunensis quartæ, Senonensis Breviarii pars æstiva.

Parisiensis provinciæ, Breviarium Parisiense vetus an. 1584, novum 1636. Carnotense 1633.

Provinciæ Aquitaniæ primæ, Breviarium Lemovicense 1625.

Provinciæ Viennensis, Officium in solennitate S. Lazari Episcopi Massiliensis, an. 1633. Officia propria monasterii S. Victoris Massiliæ.

Provinciæ Belgicæ primæ, cujus metropolis Augusta Trevirorum vulgo nunc Germaniæ accensetur; Breviarium Virdunense 1625. Tullense 1535. Monasteriorum SS. Maximini, Naboris, Willebrordi, in diœcesi Trevirensi an. 1600.

Provinciæ Belgicæ secundæ, cujus pars est in novas Metropoliticas duas sedes divulsa; Breviarium Ambianense 1550. Noviomense 1630, monasterii Origniacensis in Veromanduis 1619.

Provinciæ Mechliniensis, cujus pars olim sub Germania secunda, pars maxima sub Belgica secunda censebatur, Breviarium Antverpiense an. 1496. Brugense 1520. Bruxellense 1516. Breviarii ms. Ecclesiæ Lovaniensis pars. Officia propria Ecclesiæ Ruræmundensis 1609. Gandensis 1572, monasterii Blandiniensis mss. *Belgio,*

Provinciæ Cameracensis, quæ olim erat sub Belgica

gica secunda; Kalendarium præfixum officio Curatorum 1562. Morinensis Breviarii pars hyemalis 1542. Audomarensis pars hyemalis 1518. Breviarium Insulense 1533. Officia propria Ecclesiæ Atrebatensis 1632. Tornacensis 1626. Namurcensis 1619. Audomarensis 1610. S. Waldetrudis Canonicarum Montibus 1625. Malbodiensis Canonicarum 1624. Abbatiæ Dononiensis 1625, monasterii Pacis-Virginis Ord. S. Benedicti Duaci 1611.

Provinciæ Ultrajectensis, quæ olim fuit Germaniæ secundæ, et tota nunc sub hæreticis est; Breviarii Ultrajectini pars æstiva an. 1508 et 1518 vetus Horarum Directorium ejusdem Ecclesiæ. Officia propria excusa an. 1623. Eadem recenti manu exarata, diversa ab excusis. Directorium Ecclesiæ Harlemensis.

Germania. Provinciæ Coloniensis, quæ olim metropolis erat Germaniæ secundæ, nunc latius patet; Breviarium Coloniense an. 1498, item aliud antiquum. Editi an. 1577, jussu Salentini Archiepiscopi pars hyemalis, editi vero Ferdinandi Bavari auctoritate pars æstiva. Breviarium Monasteriense 1489. Mindense 1516. Leodiense an. 1520, item pars æstiva 1514. Novum 1636, item Officia propria 1623. Missale 1509.

Provinciæ Moguntiacensis, quæ olim caput erat Germaniæ primæ, nunc partem Rætiarum, Vindeliciæ, Germaniæ magnæ complectitur; Breviarium MS. in membrana, aliud excusum 1495, 1507, et jussu Danielis Archiepiscopi 1570, item Diurnale 1612. Spirense excusum 1478 item 1507 auctoritate Philippi Episcopi, et pars hyemalis 1590, jussu Eberhardi Episcopi. Erfordianum antiquum. Constantiense an. 1561, Christophoro Antistite editum; et Marco Sitico Cardinale 1575, itemque Officia propria separatim excusa 1636. Breviarium Herbipolense anno 1575, jubente Julio Episcopo, et pars æstiva 1507, itemque Officia propria jussu Philippi Adolphi Episcopi 1625. Breviarium Wormatiense 1576. Hildesheimiensis pars æstiva 1516. Argentoratensis pars æstiva 1478. Officia propria Ecclesiæ Augustanæ 1638.

Ecclesiæ Bambergensis autocephalæ Breviarium jussu Viti Episcopi editum 1575.

Provinciæ Salisburgensis, Officia propria Ecclesiæ Salisburgensis, Viennensis 1632, Frisingensis, 1627. Ratisponensis 1611. Passaviensis 1608, et hujus vetus Breviarium an. 1505.

Provinciæ Pragensis, Officia propria Ecclesiæ Olomucensis jussu Francisci Episcopi Cardinalis a Dietrichstain edita 1630, Urbano VIII approbante.

Provinciæ Bremensis, Breviarium Raceburgense circiter an. 1506. Breviarii Lubecensis pars æstiva.

Dania. Sleswicensis Ecclesiæ in Dania Breviarum 1512.

Caminensis in Pomerania Ecclesiæ Breviarium 1521.

Polonia. Officia propria SS. Poloniæ 1614.

Anglia: Ex Anglia solum habeo Breviarium Sarisburiense an. 1499 ejusdemque an. 1557 recusi partem æstivam. Officia propria aliquot Sanctorum Hiberniæ 1620.

His subjungam Religiosarum familiarum Breviaria quæ habeo perpauca; Breviarium monasticum Ord. S. Benedicti, Pauli V auctoritate editum. Canonicorum regularium editum an. 1488. Præmonstratense editum an. 1598, et 1608. Prædicatorum 1555. Officia propria Canonicorum regularium congregationis S. Salvatoris Ord. S. Augustini 1613. Canonicorum regularium Lateranensium, auctoritate Pii V recusa cum Notationibus Gabrielis Pennotti an. 1634. Eremitarium Ordin. S. Augustini 1627. Minorum 1614 et 1629. Ordinis Servorum D. Virginis 1634. Missale Militum Rhodiorum S. Joannis 1507.

Ordinum religiosorum.

§ XI. *Menæa et Menologia Græcorum. Rutenorum Kalendarium.*

Gentes reliquas Græcia quondam sapientiæ studiis superavit, etiam Christianæ, quæ tot tantosque vel procreavit ipsa, vel omni doctrina expolivit, Ecclesiæ Antistites, Divinæque Doctores disciplinæ. Verum exstincta est nunc lucerna ejus. Luxus nempe, morumque dissolutio, et fastus illius obscurarunt fulgorem: inde in fœdos errores prolapsa ac hæreses, et quidem, ut ipsum quodammodo obstrueret sibi Divinæ misericordiæ fontem, adversus Spiritum sanctum. Tandem immanissimæ Turcarum genti in gravem atque acerbam tradita servitutem, in magna ut plurimum versatur nunc honestarum artium ignorantia, nonnulli tamen, qui præsertim in Italia litteris dederunt operam, et eruditionis laude excellunt, et orthodoxæ studio religionis, ut non sit gentis universæ omnino salus desperanda, ubi diuturnis ærumnis placatum ei fuerit clementissimum Numen.

Græcorum Menæa et Menologia:

Habuit illa quoque, et prima fortassis, habetque etiamnum sua Martyrologia, quæ fere *Menæa* aut *Menologia* appellat, quasi menstruales dicat, puta fastos, aut Divinorum officiorum descriptiones. Citat Baronius Græcum Menologium, quod a Paulo Sfondrato Cardinale, Gregorii XIV nepote legendum acceperat, olim Basilii Macedonis Imperatoris jussu ante annos fere octingentos, conscriptum, ipsorumque, quorum in eo elogia celebrantur, Divorum imaginibus ornatum: asservatur id nunc in Vaticana Pontificis Maximi bibliotheca. Utinam esset qui id Latine versum proferret in publicum, aut nobis certe illius descriptum communicaret exemplar! Editum est quidem ab Henrico Canisio to. 2 Antiquæ Lectionis Menologium Græcorum, sed Latine dumtaxat, ex bibliotheca et translatione Cardinalis Sirleti: verum discrepat hoc mirum quantum ab illo Basilii, ut elogia quædam inde deprompta, et cum hoc Sirleti collata fidem faciunt. Hoc autem, quod Canisius edidit, plurimum sum usus.

antiquum MS. Romæ,

aliud a Sirletoversum,

Aliud extat, sed succinctius, μηνολόγιον in Græco libello precationum, qui Ὡρολόγιον inscribitur. En ejus tibi e Januario specimen: ἁ εἰς τὴν πρώτην, ἡ κατὰ σάρκα περιτομὴ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ· καὶ τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Βασιλείου Ἀρχιεπισκόπου Καισαρείας Καππαδοκίας τοῦ μεγάλου. I. *Circumcisio Domini nostri Jesu Christi secundum carnem et S. P. N. Basilii Magni Archiepiscopi Cæsareæ Cappadociæ.* Subnectuntur quotidie antiphonæ aliquot. II. *S. P. N. Silvestri Papæ Romani.* III. *S. Malachiæ Prophetæ et sancti Martyris Gordii.* IV. *Synaxis,* vel commemoratio, *Sanctorum* LXX *Apostolorum et S. Theoctisti Abbatis in Cucumo Siciliæ.* V. *Sanctorum Martyrum Theopempti et Theonæ et S. Syncleticæ.* Est illud Menologium in epitomen redactum a Christophoro Patricio et Proconsule Mitylenæo, extatque in eodem precum libello. Atque hoc Januarii in eo initium: *Volens circumciditur Christus. Venit enim ut Legem impleret, non solveret. Cum eo simul celebretur nunc Magnus Basilius.* 2. *Et Romanus Papa Silvester.* 3. *Et Malachias.* 4. *Gordius illustris.* 5. *Paulus Thebarum germen.* 6. *Divinus baptismus Salvatoris.* Extat brevius etiam in alio minori Græcarum precationum libello Menologion, quasique Kalendarium. Ita exorditur Januarius: 1. *Circumcisio Domini et Basilii Magni.* 2. *Silvestri Papæ Romani.* 3. *Gordii Martyris.* 4. *Commemoratio Apostolorum.* 5. *Theopempti Martyris.*

aliud Græce editum Venetiis.

ejus compendium per Christophorum Mitylenæum.

aliud minus,

Aliud excusum Venetiis an. 1535. Græcum Menologium citavit, edidituque cum Nicephori Chronologia a se recensita, Antonius Contius, sed cum Latino Kalendario permixtum, ita tamen ut quidam vacui relicti sint dies. Specimen hoc esto in Januario.

aliud a Contio Græce editum.

A *Circumcisio Domini.*

Περιτομὴ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, καὶ τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Βασιλείου Ἀρχιεπισκόπου Καισαρείας Καππαδοκίας τοῦ μεγάλου.

B Τοῦ ἁγίου πατρὸς ἡμῶν Σιλβέστρου Πάπα Ῥώμης.

C

D

E

F

F *Epiphania Domini, seu Theophania.* Τὰ ἅγια Θεοφάνια τοῦ κυρίου καὶ Θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ.

aliud Latine a Genebrardo.

Magis cum iis, quæ antea citavimus Græce edita, congruit Calendarium Græcorum a Genebrardo editum ante commentarios in Psalmos; in quo Januarii hoc exordium est : 1. *Circumcisio Domini.* 2. *Silvester Papa Romanus.* 3. *Malachias et Gordius Martyr.* 4. LXX *Discipuli et Theretistus.* (imo Theoctistus.) 5. *Theopemptus et Theonas MM. Syncletica.* 6. *Theophania Christi, divinusque Salvatoris baptismus.*

Majora Græcorum Menæa,

Sed maximo mihi usui Græcorum Menæa fuere, quæ Venetiis aliquot voluminibus edita multos quotidie Cælites recensent, plerosque eorum quorum est in Latinis Fastis celebris ab antiquo memoria, tum alios partim ignotos omnino Latinis, partim a Scriptoribus laudatos, non tamen Ecclesiæ Catholicæ Martyrologiis inscriptos. Timide primum ea volvere cœpi, veritus ne quos schismatis adversus Latinam Ecclesiam propugnatores Menæis inseruissent: itaque eram affectus animo, ut mallem aliquos præterire, etiam sanctitate illustres, sed mihi ignotos, quam temere ullum immerito ornare titulo sanctitatis. Sciebam in veteribus Sanctis minus esse periculi, præsertim Martyribus, etsi nihil de iis traditum litteris legissem; uti multi sunt etiam in Romano Martyrologio, quorum vel exciderunt, vel numquam fortassis integre scripta sunt acta. Jam si sunt multi in omnibus fere Occidentalibus provinciis Sancti, quorum nulla in Romano Martyrologio memoria extat; quid mirum in Græcia Asiaque esse complures, ubi prius quam in multis occiduis regionibus seminata Christi religio est, multoque Martyrum sanguine irrigata? Verum ubi diligenter examinavi Menæa illa, nullum adhuc reperi inscriptum, quem constaret aut Ecclesiæ Romanæ debitam obedientiam abjecisse, aut hæreticis inflatum erroribus. Si qui ulla ratione suspecti fuere, hos omisi.

a Matthæo Radero versa,

Quamquam hac me sollicitudine ac metu magnam partem Matthæus Raderus noster, vir egregie doctus liberavit. Ediderat is quondam pias et jucundas, acceptas fere e Menæis, historias vitasque Sanctorum, libellis aliquot, quibus *Viridarii* præfixerat titulum. Adjecit deinde animum ut ea omnia quæ de Sanctis memorantur in Menæis, Latine verteret, annotationibus illustrata. Egeram, illius rogatu, cum Balthasare Moreto ut eas lucubrationes prælo subjiceret: responderat hic, si Auctor in animum induceret, non nudas Divorum historias Latine edere, sed integra omnino Menæa recognoscere, (quoniam observasse me in iis menda plurima dicebam) eaque interpretari; ea se Græcolatine eleganter excusurum. Non displicuit optimo seni consilium, etsi haud fortassis pares tanto operi jam vires erant: sed haud diu superstes fuit. Penes me etiamnum illius autographum est: quo et usus sum quandoque, sed raro, nec nisi ejus versione cum Græcis exemplaribus collata: sæpius, atque adeo plerumque, ipsemet stylo meo Græca sum interpretatus. Et erant nonnumquam ea omissa a Radero, quæ sola poterant mihi usui esse: nam cum nihil de gestis Sanctorum narratur, sed solum expresso nomine, distichon unum aut plùra subnectuntur, in Sancti cujuspiam laudem, hæc fere ille omiserat; quæ ego sæpe, quia aliquantulam afferre lucem censebam, verti. At quorum Sanctorum descripta plenius acta habebam, eorum promere e Menæis compendium nihil attinuit; nisi si quid erat in actis prætermissum, aliterve narratum.

et Catholica indicata;

Illud porro, ut ad id quod cœperam revertar, me ut securius uterer Menæis permovit, quod in præfatione sua Raderus, qui omnia legit ac discussit, asserit nihil in iis schismaticum esse, nedum hæreticum. Neque, opinor, sivissent Veneti in sua urbe ea excudi, si quidquam continerent rectæ religioni contrarium.

Denique illud plane confirmavit animum, quod excusum est Romæ in ipso Vaticano Typographio anno 1598 Anthologion Græcorum, a Clemente VIII approbatum; in cujus ad eumdem Pontificem Præfatione Antonius Arcudius, qui id concinnavit, ostendit Catholicos etiam Sacerdotes et monachos illis uti Menæis: ita enim caussam illius componendi Anthologii explicat: *Qui a sanctis Græcorum Patribus ad Divinum officium celebrandum, sacras preces laudesque Deo de more persolvendas ordo institutus est, is quidem accuratus et pius, sed diffusus itidem ac prolixus, quippe qui viginti fere voluminibus, hoc est, Psalterio et Horologio, Paracletico, Octoico, Anastasimo, Pentecostario, Triodio, duodecim Menologiis, Typico et Sticherario continetur. Quo fit ut Presbyteri vel monachi Græci, qui ritu Græco vivunt, et Divinum officium persolvere tenentur, cum iter agunt vel peregre proficiscuntur, tot volumina secum deferre; quive morbo detinentur, vel alia justa de caussa choro interesse impediuntur, illa evolvere minime valeant: præterquam quod tanta multitudine codicum non modo non abundent, sed frequenter etiam careant, et ideo munus suum interdum non recte obire, nec ei competenter satisfacere possunt; interdum etiam omnino omittere coguntur, excepta unius Horologii, quod apud eos tamquam Diurnum est, et deferri facile potest, recitatione* et infra: *Denique quiquid omnino in viginti illis voluminibus sparsim fuseque continebatur, id totum brevius collectum hoc libro uno perstringitur.* Si liber hic, Pontificis Maximi auctoritate in Vaticano cusus typographio, compendium est majoris illius operis, quod multis voluminibus continetur: ipsum arbitror majus opus purum esse et ab omni alienum hæretica fraude, quod et *accuratum piumque* libere prædicat Pontificem alloquens Auctor ille. Quæ vero in Anthologio habentur lectiones, eæ fere ex majoribus illis Menologiis sumptæ sunt.

accurata et pia ab Antonio Arcudio,

qui ex iis Anthologion minus concinnavit,

Pontifici probatum.

Easdem lectiones, aliasque minores, imo quæcumque ad historiam pertinent Sanctorum, ex Menæis ad verbum fere descripsit, et in vulgarem Græcam linguam vertit Maximus Episcopus Cythereus, et Βίους ἁγίων, *Vitas Sanctorum,* inscripsit, excudique Venetiis curavit, omissis antiphonis, versibus, et ceteris, quæ et a Radero in Latina interpretatione omissa ante scripsi.

Βίοι Ἁγίων Maximi Ep.

Editum est ab Antonio Possevino nostro in Apparatu sacro Ruthenorum Kalendarium, quod tam in Moscovia quam in reliqua Russia ait in usu esse. Monet autem multos in eo esse, *quos non agnoscimus,* inquit, *sive quoniam fuere schismatici, sive quod eorum vita nobis haud innotuit.* Poterat addere: *vel vitiosus fuit codex, e quo id descriptum;* sunt enim plurima nomina mendosissime expressa. Congruit autem in plerisque cum Græcorum Menæis et Menologiis, uti Græcos ritus universim colit Russia. Dabo hic ex illo Kalendario Januarium, ut planum fiat, quod dixi, cum Græcorum Kalendariis consentire.

Calendarium Rutenorum.

ex eo Januarius.

1. *Circumcisio Domini nostri* JESU *Christi.*
2. *S. Silvestri.*
3. *S. Prophetæ Malachiæ.*
4. *S. Concilium Theoncistæ,* imo : Synaxis LXX Discip. et Theoctisti.
5. *S. Mart. Theoperti.* Lege, Theopempti.
6. *Epiphania Domini.*
7. *S. Joannis Baptistæ.*
8. *S. Domnæ.* Dominicam vocat Horologium Græc.
9. *S. Mart. Polvetii,* corrige Polyeucti.
10. *S. P. Gregorii,* nempe Nysseni.
11. *S. P. Theodosii.*
12. *S. Mart. Tatianæ.*
13. *S. Mart. Hermogenis.* Fortassis hic Hermylus est.
14. *S. P. Sabæ,* in Sina nimirum.
15. *S. P. Pauli.*
16. *Sancti Apostoli Petri,* catenæ videlicet veneratio.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

17. *S. Antonii.*
18. *S. P. Athanasii.*
19. *S. P. Macarii.*
20. *S. P. Euthymii.*
21. *S. P. Maximi.*
22. *Sancti Apostoli Timothei.*
23. *S. Mart. Clementis.*
24. *S. Euximæ*, imo Xenæ, sive Eusebiæ.
25. *S. P. Gregorii.* Theologi.
26. *S. P. Sozontis* forte Xenophontis.
27. *S. P. Euchremii*, imo Ephæm Syri.
28. *S. Mart. Ignatii.*
29. *Trium Sanctorum, id est, Basilii Magni, Gregorii Theologi et Chrysostomi.*
30. *S. P. Chrysostomi.*
31. *SS. Cyri et Joannis.*

§ XII. *Syrorum Coptorumque Kalendaria.*

Kalendarium Syrorum,

Syrorum Kalendarium edidit Commentariis in Psalmos præfixum Gilbertus Genebrardus, quod mense Januario isthæc propria habet:

1. *Circumcisio.*
6. *Epiphania, quæ et Luminarium. Ea nocte aqua consecratur in totum annum.*
7. *Decollatio Joannis Baptistæ.*
   Antoninus Magnus.
   Efraim.
   Gregorius Theologus. Basilius Magnus.
   Niniviticum jejunium.

Hierosolymitanum,

Lucas Waddingus to. 3 Annal. Minorum ad an. 1342, nu. 49, scribit Fratres Minores, qui Hierosolymis degunt, festa Romani Kalendarii celebrare, itemque propria quædam Ecclesiæ Hierosolymitanæ, quorum isthic Kalendarium exhibet pag. 499, Januarius propria isthæc habet:

14. *S. Malachiæ Prophetæ, semiduplex.*
15. *SS. Abacuch et Michææ Prophetarum et Confess. semidupl.*
26. *S. Paulæ viduæ, duplex.*
30. *S. Matthiæ Ep. et Conf. duplex.*

Copticum;

In Maronitarum collegio Romæ duo asservantur volumina de Vitis SS. an Syriaco, an Coptico sive Ægyptiaco, an Arabico descripta charactere, nondum intellexi. Continent sex menses priores, a Thot videlicet, qui fere Septembri nostro respondet, (nam ab eo, ut et Græci, annum auspicantur) ad Mechir. Optarem ea volumina verti Latine a quopiam, aut illas saltem Vitas, quæ sunt antiquiorum Sanctorum, ante hæresis Eutychianæ exortum: nam non modo *Dioscori* Patriarchæ nomen die septimo Toth adscriptum, sed et posteriorum aliquot Patriarcharum, quos non facile est omni Eutychianæ hæresis aut Monothelitarum suspicione liberare: an tamen ut Sancti memorentur, an solum res ab iis gestæ narrentur, et dies quo decesserunt, ad memoriam posterorum, certasque consignandas temporum notas, haud scio.

hujus specimen.

Indicem, sive Kalendarium, sex illorum mensium, mihi Athanasius Kircherus noster Roma misit; e quo hic Tybi mensem dabo, cujus primus dies in XXVII diem Decembris incidit.

1. *S. Lydius Martyr sub Maximino, manifestatio corporis S. Stephani.*
2. *Gallanicus Ep. M. sub Dioclet.*
3. *Theodas Patriarch. Alexand. Innocentes pueri hodie sanguinem fuderunt.*
4. *Joannis Apostoli et Evangelistæ dilecti Domini. Prochorus.*
5. *S. Auxainus M.*
6. *Circumcisio. Obitus Matthæi Patriarchæ. Raptus Eliæ Prophetæ. Basilius.*
7. *Martianus Papa Alexandrinus. Salbathris Papa Romanus sub Constantino, qui eum baptizavit.*
8. *Dedicatio habitationis sanctæ, cui præfuit S. Macarius. Andronicus Patriarch. Alexandrinus pater Benjamin.*
9. *Abraham. Gabriel Patriarch. Institutio jejunii feriæ* VI.
10. *Jonathas discipulus S. P. Pachomii.*
11. *Baptizatus est Christus in Jordane. Apparitionis dies. Anatolius sub Dioclet. M.*
12. *Theodorus Antiochenus M. sub Numerio Rege.*
13. *Festum celebratur aquæ in vinum transmutatæ in Cana Galilææ.*
14. *Arsalides.*
15. *Abdiæ Prophetæ. Maximus frater Damathii. Gregorius frater Basilii.*
16. *Philotheus M. Joannes Patriarch. Alexandr.*
17. *Maximus et Damathius.*
18. *Jacob Ep. Nisibenus.*
19. *Inventio corporum MM. Bahue, Basuræ fratrum, et Aniræ matris eorum.*
20. *Prochorus unus ex* LXX *Discipulis Domini.*
21. *Hoc die requievit Deipara. Item S. Hilaria filia Zeithon Regis.*
22. *S. Antonii stellæ terrestris, et Patris omnium monachorum.*
23. *S. Timotheus discipulus S. Pauli.*
24. *Maria Virgo Alexandrina.*
25. *Petrus Publicanus, sive Telonearius.*
26. XLIX *MM. Monachi seniores, tempore Theodosii.*
27. *S. Serapion M. Translatio corporis S. Timothei.*
28. *Clemens M. item Abu-Bugam.*
29. *S. Akassana.*
30. *Basenes, Helis, Ghani, et Sophia mater MM. sub Adriano, vel Gordiano.*

CAPUT QUINTUM.

Lectoribus commendata ab Auctore.

§ I. *De hoc opere quid Sanctos Auctor precetur.*

Sanctis Auctor non scribit,

Avete Cæli Cives, bellatores fortissimi, inclyti triumphatores; et benignos huc, media e pompa æternæ solennitatis, vultus vertite, ad homuncionem vestra undique vestigantem et coacervantem certamina, ac longi situs squallore, qua fas fuit, deterso, producentem in publicum, Vobisque dicantem. Non postulo, hæc legatis nunc ipsi: habetis librum alium (non, ut quidam e vobis dicebat olim, orbem terrarum, rerumque aspectabilium naturam omnem, quam cum ex edito montis jugo contemplaretur, Dei se potentiam ac majestatem dicebat admirari, omnisque officium virtutis condiscere, ut Philosophorum non requireret scholas) alium is nunc, Vosque omnes librum habetis, in quo assidue defigitis oculos: in quo Verbum unicum inscriptum, sed scribenti coævum et consubstantiale; Verbum ita efficax, ut per id facta omnia sint; ita clarum, ut illuminet omnem hominem venientem in hunc mundum; ita plenum, ut eo Verbo omnis comprehendatur Dei sapientia. In illum dum intuemini codicem, æterna, sed nativa, splendentem luce, nihil aliunde requiritis scientiæ ac cognitionis. Nihil igitur est quod vobis nuntiemus inertes nos ac stupidi: cum in eo, velut illustri speculo, cernere possitis, quæcumque uspiam locorum fiunt aut facta unquam ab unoquoque hominum sunt. Quid est enim, ut vestrum quidam dixit, quod non is videat, qui omnia videntem videt? Nihil igitur necesse est, ut vobis vestrorum civium res gestas scribamus, quas et in Deo perspicue cernitis, et mutuis colloquiis jucundissime celebratis. Nam, si non fallimur, eminus augustæ illius civitatis mores atque instituta speculantes, ita Deum perpetuo veneramini, ut et quæ a singulis vestrum gesta sunt olim præclare,

omnia in Deo videntibus;

clare, illius excitante, viresque sufficiente gratia, assidue prædicetis.

iis tamen acceptum iri hoc opus sperat,

Tamen quia hæc ad vestram apud mortales propagandam gloriam, vestræque dilatanda civitatis pomœria, collegi, ut ea ne aspernemini supplex precor. Quidam vestro e cœtu aliorum olim scripsere Acta summa pietate; alii hortati quosdam sunt ut scriberent, ac jam vita functi quidam, ultro Scriptores excitarunt, qui vel ipsorum vel aliorum Acta componerent. Unde argumentum duco minime dubium, acceptum iri vobis, quod et ipsi religiose egistis, et aliis suasistis, et ut fiat etiamnum estis auctores. Id quia persuasum erat mihi, oblatum hunc a Præsidibus meis laborem lubens suscepi. Nam, ut S. Paschasius Ratbertus olim in simili desudans curriculo Præfat. in Passionem SS. Ruffini et Valerii scripsit, *Religiosum sane* credebam *obsequium, ac sanctis Martyribus dignum, ut quorum doctrina vitæ nobis iter ostensum est, quorum exemplis ad virtutem instituti sumus, quorum precibus salvamur, ac præsidio protegimur; eorum quoque victorias ad nostræ fragilitatis institutionem, monumentis* insererem, *nec perire per negligentiæ torporem* paterer, *utilem nimis atque salutarem cunctis pie legentibus provectum. Si enim vestis exigua particula, vel modicus resoluti corporis pulvis, de Sanctorum memoriis comparatus, ineffabile fidelibus præbere patrocinium creditur; quis digne vel explicare vel cogitare valeat, eorum vita virtutesque quantam salutis materiam conferant devotis mentibus, cum replicantur? Inde namque fides firmatur, pietas nutritur, mundi contemptus nascitur, desiderium supernorum generatur, et ut totum breviter dicamus, mors*

ipsorum exemplo susceptum,

aliis utile;

Joan. II. 25.

aufertur, vita largitur. Sic enim Salvator: Qui credit, inquit, in me, etiamsi mortuus fuerit vivet. Ad resurrectionem denique ex mortuis, ad immortalitatis bonum perpetuæ, Historia Sanctorum incentivum est sanctitatis, gradus profectionis, janua perpetuæ contemplationis.

Verum quam me hæc provocabat sanctissimi illius Corbeiensis Abbatis adhortatio, tam alterius ex eadem ac nostra Belgica sapientissimi Abbatis Bonæ-Spei Philippi ab Eleemosyna terrebat cautela, in epistola de vita S. Amandi ad Hugonem Abbatem: *Qui Beatorum,* inquit, *prædicare mores, explanare vitam, retexere gesta disponit, sic expedit vivat ut loquitur, et factis ornet quod oratione commendat; ne vocis propriæ testimonio redargutus, imitatione non approbet, quod assertione prosequitur.* Tum illa, fateor, præclara virtutis existit prædicatio, splendida, efficax, digna Sanctis, cum Sanctus de Sanctis scribit, ut de S. Bonaventura S. Thomas Aquinas olim pronuntiavit. Non inficior, quod quidam argutantur, fieri posse ut strabus ac gibbosus pictor speciosas imagines efformet, quia nimirum ars, qua præstat, nihil vitii habet. At mihi, qui non tam pingo ipse, quam ab aliis picta, a vobis ipsis pleraque, profero in lucem, et veluti venum expono, si morum depravatione ac fœditate turpificatus huc me ingessero, verendum merito esse video, ne et qui hæc comparaturi lecturique accedent, avertantur; et qui ea olim scripserunt, gesserunt, tam abnormem sint præconem repudiaturi.

præsertim si ipse sanctius viveret:

eos orat, ut sibi gratiam impetrent,

adsint in mortem

Quare vos oro obtestorque, Sancti, ut gratiam mihi a Deo impetretis, qua mores ipse meos ad illius voluntatem, vestra exempla, conformem; hoc majorem ad bene apteque scribendum facultatem divinitus consecuturus, quo sanctius vixero. Eia optimi Cælites, voluistis hic optime omnibus, ne ergo respuite vestrum ultro implorantem auxilium, seque nihil non impetraturum patrocinio vestro confidentem. Erit illa Deo grata, vobis honorifica, ceteris fructuosa laudatio mea, si vestræ vita mea quam simillima extiterit. At præsertim cum me Imperator vester ex hac evocabit vitæ statione, providete ne imparatus deprehendar: extremum cum hoste certamen secundate, precibus auxilioque, ut si non vestris triumphis æqualem gloriam, possim tamen certe e vita decedens aliquam sperare lætitiæ partem vestræ: nec sit qui coram severi Judicis tribu-

et judicio:

nali audeat accusare, talibus fretum advocatis; aut si, ut est impudens adversarius meus, qui omnium vestrum fuit, diabolus, ita eum reprimatis rogo, nihil ut moliri ultra audeat, sed continuo mihi vindiciæ dentur secundum libertatem illam auream, illam vestram, filiorum Dei; atque in cæli Capitolia inductus, in vestrum admissus senatum, coram gratuler vobis, atque in sempiternum jucundissima celebrem prædicatione, quæ hic quasi densa in caligine vix tenuiter assecutus sum, vestrorum præconia laborum. Ac vero, non dico si mereor, (scio non meritum hactenus) sed si vere, si serio, si cordate id vos precor, uti vos mihi testes estis, suggerite Regi, *ut educat me de isto carcere,* et veste indutum nuptiali adstare sibi jubeat. Delectatur, dicite, nostris ille tropæis, nec satis ea nunc capit; da ei Domine luculentam gratiam, qua mox et a macula omni noxæ cujuscumque expietur, et tuis sese jussis accommodet: tumque e tenebris illis miserrimorum temporum eductum, insere cœtibus nostris, ut hæc melius perspiciat, disertius jucundiusque concelebret.

Atque interim dum illa differtur spes ac votum meum, hoc etiam in opere, quod ad laudem vestram, Deique gloriam susceptum est, opem ferte. Scitis

juvent in hoc opere:

multa latere, plurima scripta non esse. Imo dicebas tu olim S. Ignati (dabunt enim hanc mihi veniam gloriosi collegæ tui, ut te Patrem meum nominatim compellem, qui legendis Sanctorum historiis ad studium virtutis Deique amorem quondam fuisti revocatus, et fortasse nobis filiis tuis hanc ut mentem Deus injiceret effecisti) dicebas, inquam, si non alia Sancti cujusque fuissent decora virtutum, donorum cælestium præsidia, opes meritorum, quam quæ sunt tradita litteris, nequaquam tanti te illos, quanti faceres, esse facturum. Utinam ad hæc eruenda exponendaque calamum meum tantisper beatissimi illius cœtus vestri mediastinus aliquis regeret, (non postulo ut aspectabilis, neque me dignum censeo; sed tacito quodam afflatu ac præsidio) quanto citius, accuratius, aptius cuncta assequerer explicaremque? Favete igitur atque opem ferte certamina vestra triumphosque edenti. Curate ut quæ apte scripta sunt olim, reperiam; spuria a legitimis secernam; digeram concinno ordine ac methodo omnia; et siqua sunt obscuriora, accommodate ea explicem ac dilucidem.

adjutoribus hujus operis gratiam impetrent,

Eos vero homines, qui mihi ad hæc studia opem ac subsidium ferunt, arcano urgete hortatu, tegite patrocinio vestro, ornate donis cælestibus. Domestico huicce meo et assiduo adjutori ac socio Ἁγιοφιλεῖ, eadem quæ mihi poposci, cumulate tribuite. Ceteri, qui suos codices commodarint, qui observanda suggesserint, qui alia quavis ratione conatus meos promoverint, mercedem hic ut a Deo percipiant, atque æternam in cælis, providete; utque quamplurimi simili me auxilio sublevent, brevi ut consummari hoc opus queat.

et lectoribus:

Denique iis etiam, qui solum hæc legent, impetrate a Deo ad vestra consectanda exempla ardorem animi, ac lumen cæleste, ut intelligere valeant, quam bonus sit Dominus, quam munificus; quam fructuosum sit illi famulari, quam honorificum ac regium. Efficite ut sentiant quod sit decus castitatis, quanta eleemosynæ emolumenta, qui splendor patientiæ, quæ securitas obedientiæ: ut pervideant quæ mundi contemptum, rerumque omnium, quas vani homines ambiunt, abdicationem consequantur bona: quam Deo nixum numquam illius bonitas frustretur, quam certo eum præsidio tueatur, quam ampla mercede muneretur: utque demum ceterarum virtutum, quas coluistis, quam jucunda sit, quam utilis, quam gloriosa exercitatio pervideant, et in eam sedulo incumbant, eoque pacto honorem vestrum ac Dei gloriam nitantur assidue propagare.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

§ II. *Quid eruditos Lectores Auctor postulet.*

Viri eruditi, si qui hæc in manus commentaria sumetis, salvete; et porro paucula, ni molestum est, quæ vos velim rogatos, auscultate. De me primum utcumque visum erit sentite. Si inertem, si hebetis ingenii, si non satis accuratum, si destitutum pleniore disciplina optimarum artium, si judicio neutiquam acri ac solido præditum, judicaveritis; neque a vero aberrabitis, neque eam ut vobis opinionem evellam laborabo. Scio quidem eum ab omni retro memoria inveterasse morem, ut facile Scriptorum opera, etiam non lecta damnentur, ipsique sugillentur Scriptores; eo perversiore quandoque præjudicio, quod unde iis commendatio poterat accedere, ab ordine, in quem cooptati sunt, piorum graviumque hominum, inde invidiæ, odii, maledictorum ducatur occasio. Ut quod universim de Clericis olim Sidonius Apollinaris, id peculiariter de se suique ordinis hominibus pronuntiare Religiosi quidam possint : *Ista proveniunt Clericis si aliquid dictetur auctoribus, qui colubrinis oblatratorum molaribus fixi, si quid simpliciter edamus, insani; si quid exacte, præsumptuosi vocamur. Nec facile est præterire seu supercurrere cervices ejusmodi vituperonum.* Posset iis, qui hoc maledicendi laborant pruritu, illâ modesta sapientissimi Joannis Molani hac ipsa de re monitio opponi : *Precor te*, inquit, *Candide Lector, ut in historiis Sanctorum legendis, atque alias semper, tardus velis esse et modestus in reprehendendo. Procul absis ab hæreticorum ingenio, qui, testibus Petro et Juda Apostolis, quæcumque ignorant, blasphemant.* Verum nec ista quidem uti cupio defensione. Neque enim ulla ostentatione adductus hunc laborem suscepi, ut metuere ac refellere reprehensiones debeam. Ac ne positam quidem in hocce studio laudis materiam unquam duxi. Nam Vitas colligere diligenter, etiam qui tenui ingenio, judicio, ac doctrina præditus est, potest : digerere jam collectas, expendere, examinare poterat alius quivis longe quam ego felicius, præsertim qui religiosius instituerent vitam ad Sanctorum normam, eorumque sibi opem emereretur.

ipse nec reprehendi recusat,

nec laudari cupit :

Nomen ipse huic operi an præfigere meum vellem dubitavi. Nam quod Vitæ singulæ suum haberent auctorem, videri poteram nequaquam illo teneri Ecclesiæ decreto, quo vetatur ne qui libri emittantur in lucem nisi auctoris præfixo nomine; et majorem fortassis Vitæ ipsæ obtinerent auctoritatem, si *Vitæ Sanctorum ab antiquis compositæ Scriptoribus* edi dicerentur. Sed ut aliter facerem, partim Majorum judicium persuasit, partim ea formido, ne nescirent, qui volent multa forte ad hujus absolutionem operis subministrare, quo ea, et ad quem mittere deberent. Deinde vero, quia plurima a me partim ex variis observata collectaque auctoribus, partim ex propria adjecta aut explanata sunt conjectura, uti explicationes, annotationes, præviæ dissertationes, verendum erat ne quis illa vel tribueret ipse perperam antiquis Scriptoribus, vel falso a me tribui criminaretur.

cur suum præfixerit nomen :

Hoc igitur ita constituto, si quid hoc in opere vobis præclarum videbitur, id veterum est, iis impertite quam merentur laudem. At me sicubi conjectura fefellit, si non sum scriptorum sententiam probe assecutus, si adulterinum aliquod scriptum pro legitimo suscepi, si respui quod rectum erat et purum; date veniam et me admonete. Habebo gratiam, et ingenue quidquid illud erit, ut jam in voluminum horum appendice feci, retractabo. Non potui semper omnia, quæ ad singulos Sanctos spectabant, nancisci, lustrare, examinare : sæpe profana historia provinciarum et urbium, in quibus gestæ res erant, non suppetebat. Denique quæcumque erroris caussa fuerit ac modus; viam monstrate erranti. Non pudebit pedem referre : qui ultro obtester Lectores omnes, ut facem suæ eruditionis præluceant incedenti per obscura antiquitatis sepulcra. Qui enim possum non cupere verum videre? aut qui id possum semper videre, si quandoque defossum, occultatum, mendaci oblitum rectorio sit? Aut cur me pudeat corrigere quod perperam scripserim, cum magnus ille Annalium Scriptor, in iis, atque ipso etiam Martyrologio, a se tanto studio et cura recognito, postea quædam repererit quæ emendanda censeret; quod et nuper Pontificis Maximi auctoritate perfectum est? Quid, quod in ipso quoque publicarum precum Breviario, diligentissime concinnato, tamen nuper emendata sunt quædam?

Lectores rogat ut moneant, sicubi erravit,

ut ante alii :

Deinde precor omnes, ut quæ me fugerunt veterum scriptorum monumenta, Acta Sanctorum, Latina ac Græca, suppeditetis. Profitebor palam unde acceperim, ut vestræ vobis et benevolentiæ in communicando, et in eruendo eruditionis laus constet. Thesauri absconditi quæ esse utilitas potest? Solet Resp. inventos thesauros sibi vindicare, etiamsi verisimile sit a privatis eos olim fuisse defossos : vos eum qui publicus olim fuit supprimetis, et perdi ac dissipari ab rudibus posteris vestris sinetis potius, quam ut publicæ rei emolumento edi velitis? Vidi certe nonnullos, qui etiam infimis precibus induci se non paterentur, ut ad breve tempus commodarent manu exaratos codices suos, unde describi Vitæ aliquæ possent; eos postea typographis ac bibliopolis venderent discerpendos abolendosque, vili lucello Sanctorum gloriam, emolumentum spirituale ceterorum, posthabentes. Redemi ipse nonnumquam jam ex parte discerpta volumina. Expono tamen quandoque, cujus illa collegii vel conventus aut familiæ fuerint, ut saltem majoribus honorem suum redhibeam, quod scribi curarint, quem segnes invidique posteri non merentur.

ut Acta SS. quæ non vidit communicent,

At non omnium ea est indoles : multi rogati libenter sua communicarunt, multi ultro nec rogati miserunt, alii indicarunt quæ haberent, parati vel describere, vel minimum facere describendi copiam? Iis et ego gratias habeo, et, qua solum licet, commemorando beneficio conor referre, et propitios iis fieri Sanctos precor, ac mercedem iis suæ caritatis et benevolentiæ tribui ab eo qui in Sanctorum suorum honoribus honoratur. Ne sinite, quæso, vestra situ et pulvere consumi : ne servate incendio aut hostili populatione dissipanda, cum prodesse et vobis et aliis plurimis possint. Neque difficile erit litteras ad me in hanc urbem mittere, ad quam ex omni fere orbe terrarum assidue veredarii appellunt. Si me interim alio Præsidum jussa, quæ mihi ut Divina imperia capessere fas est, ablegarint, at non difficile erit mihi ea hinc accipere. Si cui modus idoneus destinandi quæ cupit minime occurrat; potest in vicina sibi urbe aliqua nostri Ordinis hominibus litteras tradere, et rogare, ut vel huc, vel saltem Romam ad nostros mittant, facile dein huc perferendas.

(quod multi fecerunt;

et facile ad eum mitti possunt :)

Neque solum ut ineditas adhuc Vitas subministretis rogo, sed et si quæ exteris in regionibus excusæ sunt a viris doctis; si quæ alia extant monumenta, lucem studiis meis allatura. Tum illud vos unice obtestor, ut si quæ Martyrologia, præsertim antiqua, et a vulgatis Usuardi, Adonis, Bedæ discrepantia occurrerint, ea ut communicetis, aut saltem suggeratis. Quantum illa mihi attulerint utilitatis, imo publico, perspiciet qui nostra hæc leget. Quæ si negligantur, eveniet fortassis ut Cælitum non paucorum penitus oblitteretur in terris memoria. Citat Jacobus Pamelius in scholiis ad 22 S. Cypriani epistolam Guilielmitarum Brugensium MS. Martyrologium, quod modo apud eos non extat, atque ex eo quædam producit, quæ in nullo alio Martyrologio adhuc reperi, ut ad mensem Februarium dicam. Baronius quoque MS. Martyrologium monasterii S. Cyriaci citat, alia Galesinius. Latent alibi alia, quæ vel lucem possent afferre illis quæ habeo eorumdem forte auctorum, quæque

ut MSS. Martyrologia,

mox correcturus,

quæque edere aliquando cogito; vel ipsa edi separatim; aut saltem ex iis Sanctorum vulgo ignotorum hauriri notitia posset. Neque enim in moderno Romanæ Ecclesiæ Martyrologio, ut fatetur Baronius cap. 8 libelli de Martyrologiis, omnium inscripta Sanctorum nomina sunt, nec uspiam in uno aliquo. Recte enim Molanus abyssum quamdam censet futuram, si quis de omnibus Sanctis vel breviter loqui voluerit.

miracula,

Illud quoque Lectores rogo, ut si quo in loco Sanctorum intercessione miracula patrentur a Deo, ea si consignata sunt litteris, communicent qui nacti erunt : solere enim etiam illa quondam diligenter conscribi, atque ab iis qui Sanctorum opem erant experti, dari libellos, qui morbi ac curationis modum diserte continerent, tradit S. Augustinus lib. 22 de civit. Dei cap. 8. Si quæ ad locum quempiam translatæ Sanctorum reliquiæ, estque ejusmodi translationis descripta historia; si quæ ad eorum honorem instituta sodalitia, templa, monasteriave condita; si qui fontes, fructusve, aut res aliæ, eorum meritis, ceteris sunt mortalibus salutares; si quid est aliud denique, quod de Sanctis ullis extet, vel ipsis honorificum, vel hominibus utile; ne sinite, obsecro, id a me ignorari, atque in hoc de Sanctis opere prætermitti.

Translationum historias,

observationes circa historiam sacram,

Denique si quæ in historiis ad Sanctos pertinentia observastis, vulgo non animadversa; si quæ Acta spuria, qualia etiam antiquissimis temporibus quædam fuere ab ineptis hominibus conscripta; si quid circa Sanctorum ætatem, patriam, res gestas, habitos iis honores, scripta eorum, aliorumve de iis; hæc si officiose suggesseritis, gratiam habebo. Sin erit, qui suas illas expolire et edere lucubrationes malit, omnino id ut faciat hortor : nolo, nisi id ipse probet, præcerpere quidquam : utar, et in opus meum derivabo cum ediderit. Si satius duxerit in majori opere meo id quodcumque est publicare, edam lubens illius nomine, ut jam quorumdam inserui hisce tomis lucubrationes.

ad quas elucubrandas, et vel hic vel separatim edendas hortatur :

Agite viri eruditi, capessite præclarum illud et laudabile studium, saltem cum otii tantum Resp. vobis atque officii vestri ratio permittit. Quidam nummos veterum, inscriptiones sepulcrorum, arcuum, rerumque aliarum, Deorum etiam ipsorum imagines conquirunt, eruditis observationibus illustrant, eduntque in lucem. Mihi credite, major hic honos, et apud mortales ipsos, qui quidem recte de rebus sentiunt, et apud Sanctos, qui qua in re sit vera dignitas sita, vel soli, vel optime intelligunt. Majus luculentiusque pretium operæ referetis, non inanis gloriolæ, quam tribuerent fortasse vobis ii, a quibus nec laudari pulchrum censeatis; sed illis e lucubrationibus et cultus amplificabitur Sanctorum, et multorum ad complectendam virtutem stimulabuntur animi : quibus ex rebus magna ad vos redeat utilitas necesse est. Scio eos plerumque qui stylo valent, eniti ut eo splendorem nominis comparent, favorem Principum, ampla in repub. munia. Sed ne dubitate, Sancti, quibus stylum dicabitis vestrum, plenius munerabuntur, perenni mercede.

sperat se quæ hic rogat consecuturum, ut alii in simili studio.

At quibus edere sua animus non est, ii saltem quæ de Sanctis repererint, eruerintve communicent. Cum Martyrologium Gallicanum componere aggressus est Andreas Saussaius v. CL. litteras dedit, ut ipse testatur in Apparatu ad idem Martyrolog. cap. 26, ad omnes Christianissimi illius regni Cathedrales Ecclesias, quibus instituti operis meditationem significavit, et Antistites aliosque viros primarios rogavit, ut *subsidia quæ Deus ipsorum in manibus collocasset, pro sua in Deum ipsum eximia pietate, in Sanctos imperii* illius *tutelares singulari devotione, suoque in communem matrem, Galliam nimirum amore, impertiri dignarentur.* Et *acceptæ quidem fere ubique fuerunt,* ut ait, eæ *litteræ cum favore; dataque undique ferme responsa, cœpta ut persequeretur intento animo hortabantur. Votis Præsules Proceresque Cathedratici affatim aspirabant. Opem omnes pollicebantur : nonnulli uberem et promptam; alii, qui combusta superiori seculo sacraria Ecclesiastica deplorabant, nihilominus quas ex cineribus possent eruere reliquias, sacræ antiquitatis indices, se collecturos atque ocyus transmissuros promittebant; interim commonefaciebant ut viriliter ageret. Verbis potiores steterunt, supraque spem nonnulli plura quam expectabat præstitere. Pauci fuerunt admodum, qui promissam opem pro viribus non impenderint. At qui non transmiserunt suppetias, excusatoriis plerique litteris causas (ut plurimum petitas ex archivorum direptione) prodidere.*

Confido fore quam plurimos, non modo ex eadem humanissima Gallia, ubi sane ejusmodi ampli et illustres extant thesauri, sed et ceteris ex provinciis, qui pari benevolentia suppeditent quæ habent vetera monumenta, non tantum ad suarum provinciarum, Ecclesiarum, cœnobiorum, quorum egregia lumina producuntur, laudem, sed ad Dei potissimum gloriam augendam, Sanctorumque honorem, et ad horum conciliandum sibi patrocinium.

§ III. *Ab heterodoxis Auctor quid poscat.*

Fratres. Non eos amabili hoc compello nomine, qui cum gustare debuissent quam bonum et jucundum sit habitare fratres in unum, maluerunt sequi desideria erroris, et profugi e cœnobiis, abjecto cucullo, qui innocentiæ retinendæ iis perpetuus hortator esse poterat, carnis voluptatibus qua possent indulgere. Hi, cum matrem omnium Christianorum Ecclesiam, a qua et ipsi, et eorum proavi olim, Christo per baptismum generati sunt, turpissimam meretricem, ejusque filios, sanctissimos monachos, quorum prædicatione fidem olim Angli, Batavi, Nortmanni, Germani, et alii ipsorum majores, edocti sunt, Antichristi ministros appellare non erubescant; cum bella serere internecina per omnes late gentes conentur; cum virulentis maledictis Principes Christianos, ordinatas a Deo potestates, insectentur; cum in omnes convicia evomant; cum Christianam caritatem, quæ signum est filiorum Dei, oderint; *Fratres* tamen dici volunt, et *Fratres in Christo* appellant gregales suos. Hi ut Sanctos ipsos scurrili sua petulantia incessunt, hoc etiam allatrabunt et mordebunt opus meum. Latrent ut volunt, et omnibus id sannis irrideant. Non esset difficile eorum retundere stoliditatem; verum iis non scribimus, eorum judicia nihil moramur, quorum desperata prope est salus.

Heterodoxos, non ministellos apostatas,

Ad vos meus hic spectat sermo, qui vel temere horum persuasione decepti ineptorum magistrorum, vel inter perverse sentientes educati, a teneris unguiculis sinistras imbibistis de rebus Divinis opiniones; non ita tamen obfirmastis animos, quin si errare vos, certo intelligeretis, velletis illico pedem reflectere. Habetis certe quidem dubitandi saltem et de veritate serio inquirendi occasionem, cum non nesciatis contra sentire tot provincias, quæ acceptam a majoribus religionem inviolatam tuentur, inque iis tot versari noveritis doctissimos atque integerrimos viros, qui et scriptis libris, et palam tradenda doctrina, et reliqua vitæ ratione, eadem ab Apostolicis temporibus servata fidei mysteria persuadent. Verum si ad illa fortassis numquam cogitationem applicueritis, sumatis tamen aliquando hos in manus libros, vel antiquitatis scrutandæ gratia, vel quoquo modo explendæ curiositatis; illud vos rogo, ut advertere tantisper animum velitis.

sed alios minus obstinatos, errore tamen captos,

hortatur Auctor,

Perspicietis, non hisce tantum posterioribus seculis, sed ab exordio nostræ religionis, Romani Pontificis in definiendis fidei dogmatis, atque omni quæ de fide oriretur controversia dijudicanda, supremam et sacrosanctam fuisse auctoritatem : ejus nutu indictas synodos generales, ejus probatas judicio; ceteras omnes partes Christianæ Reip. ejus consilio fultas

ut Ecclesiæ Catholicæ fidem eamdem, quæ nunc, omni ævo viguisse ex Vitis SS. agnoscant,

fultas firmatasque. Intelligetis venerationem invocationemque Sanctorum, primis etiam illis heroicis temporibus usitatam; eorum reliquias honorifice conditas, servatas : bonorum operum semper exercitationem viguisse : nullum imputatæ illius sanctitatis, quam vobis vestri illi rabulæ inculcant, vestigium. Neminem reperietis ex omni retro antiquitate ita furiosum, ut Deum quæ vetat ac plectit flagitia, diceret ut fiant providere ac cogere : neque cuiquam impune cessisse, quod ea perpetrarit, quantumvis fide esset imbutus, nisi una dignos fecerit pœnitentiæ fructus. In Eucharistia vere suscipi Christum nostræ salutis auctorem discetis : confitenda esse veteri ritu Sacerdotibus peccata : hos consecrari debere ab Antistitibus, ut apte munus valeant suum exequi : inungi solere et chrismate fideles ab Episcopis, et a Sacerdotibus moribundos oleo consecrato, in peculiaris gratiæ, qua hi adversus diaboli machinamenta in extremo illo vitæ actu, illi adversus tyrannorum furorem armarentur, sacramentum. Eamdem denique a principio extitisse cognoscetis in Ecclesia fidei puritatem, eamdem morum disciplinam, eamdem Ecclesiasticorum graduum differentiam, eamdem cæremoniarum observantiam.

Illud deinde vos hortor, ut cum hæc perspexeritis Deo animos vestros collustrante, ne corda obduretis, ne tenuis emolumenti vanique honoris amittendi metu, regnum amittatis æternum. Habetis hic quæ sequamini exempla prope innumera eorum, qui quæ sibi fuerunt, sacra arbitrati sunt detrimenta ut Christum lucrifacerent; qui etiam gravissimos cruciatus corporis pertulere, non modo facultatum et dignitatis jacturam, ne agnitam veritatem proderent. Sed et Dei vobis licebit venerari in iis protegendis providentiam, in eorum muneranda virtute liberalitatem. Illi vos date, date veritati manus, et quam illa præscribit vitæ sanctimoniam amplectimini.

et agnitam veritatem, profiteantur.

§ IV. *Quid pios Lectores roget Auctor?*

Piorum hominum gratia hoc scriptum opus.

Vos mihi volo operis mei Lectores. Vobis præcipue ut prodessem, hunc omnem laborem suscepi. Sancti scriptione non egent : eruditi quidam non multum; quidam etiam voluere hæc nolent, quia dictionis elegantiam consectantur, cujus ante professus sum minimam mihi fuisse curam. Vos qui thesaurum quæritis, non capsæ, qua latet, splendorem, libentius hæc, ut spero, legetis : neque illud pensi habebitis, an vile sit opertorium, quo pretiosum quod quæritis virtutum involutum est monile; an vilis concha, quæ unionem concludit? Vobis ut servirem, ne quid esset ubi cespitaretis, annotationes, præfationes, aliaque adjeci; in quibus docti quidam inutilem positum esse laborem censebunt. Et fuerunt, ut ante scripsi, qui indignum viro erudito arbitrarentur, adeo multa, et forte obvia, annotare. Primum ego me illorum, dederim quibus eruditorum appellationem, secernam numero; dein contemni ut prosim non abnuam. Scio vobis nec inutile, nec injucundum fore, nosse ubi sita sit urbs quæpiam cujus mentio occurrit; qua ætate quæ narrantur gesta sint, quo die colatur Sanctus quispiam. Ipsi hæc olim, minus adhuc in hoc studio versati, requirebamus non numquam. Et quis nosse aut meminisse omnia potest? Nec ii quidem ipsi, qui hæc reprehendunt.

adhibitæ Annotationes, etc.

Vos vero nunc hortor, ut quorum illustria hic certamina legitis, religiose veneremini Sanctos, casta prece, ac statuis, imaginibus, sacellis eorum honori positis, modisque aliis, quos Christiana probat devotio, et sua cuique suadebit pietas. Solent quandoque, Dei nutu, certis ætatibus quorumdam reperiri et honorifice transferri Sanctorum corpora, ac tunc fere novis decorari miraculis, ut populorum iis virtus inflammetur. Fortassis et quorumdam hominum idem benignissimus mundi Rector mentes impellit, ut eorumdem Divorum Acta describant, expoliant, evulgent, ut multorum adversus eos accendi religio queat. Utinam vel illum feram fructum lucubrationum mearum, ut uni saltem e glorioso illo Cælitum cœtu meritus mea opera redhibeatur honos, ejusque concilietur pessum eunti mundo patrocinium.

hos rogat Auctor ut Santos honorent,

At nullum Sanctis gratius erit obsequium vestrum, nullum acceptabilius donarium, quam si eorum benefacta imitemini. Habetis omnium virtutum plurima et clarissima exempla. Unum saltem singuli proponite vobis, quod exprimere ipsi moribus velitis. Id si evenerit, neque me scriptionis, neque lectionis vos unquam pœnitebit.

et imitentur,

Demum vos obsecro obtestorque, ut pro me precemini Deum ac Sanctos, ut et apte pervestigare, ordinare, dilucidare hæc eorum Acta valeam; et potissimum mores ipse meos ad eorum normam effingam, Sanctorum fultus favore, Divina gratia roboratus : illudque postremo assequar, ut vobiscum in Sanctorum aliquando gloriosum contubernium cooptatus, quæ neque verbis explicare, neque satis intelligentia assequi nunc possum, æternum contemplari mentis oculis merear, ac dulcissimis vobiscum prædicare sermonibus.

ac pro se orent.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

EPILOGUS. ITERATA AUCTORIS PROTESTATIO.

Habes Admodum Reverende Prælate. Vosque religiosissimi Lætiensis cœnobii Patres, quibus auctoribus, quorum excitatus exemplo, ad hoc elucubrandum opus accesserim; quid spectem, quo procedam ordine; quam vera hæc sint quæ trado ac probabilia; qui opem contulerint hactenus, quibus ex fontibus pleraque hauserim; quid Lectores flagitem, ac Vos præsertim : nam mihi plurimorum instar Vos estis, quorum et judicium atque eruditionem in sacris antiquitatibus examinandis, et promptum studium in indagandis, et benevolentiam in communicandis, sum frequenter expertus. Precum quoque Vestrarum mihi non defutura spero auxilia: quibus subnixus et maturius accuratiusque hoc perficiam opus, et ad imitanda, quæ memoro, Divorum exempla diligentius incumbam. Ac sane plus in sanctis illis Vestris precibus præsidii colloco, quam in quantavis vel industria vel contentione, mea aut aliorum. Neque mea hæc me opinio fefellit adhuc. Dicam libere : unum e præcipuis hujus operis in cælo Patronis, qui vitam mihi, qui vires, qui otium, qui lumen ingenii a Deo impetrent, esse censeo sanctissimum Vestrum quondam Abbatem Antonium Winghium. Nec enim potest quam hic ita sancte susceperat mentem, in cælis mutasse, etsi clarius nunc pervideat imbecillitatem meam, et quibus involutus tenebris sim peccati et ignorantiæ. Et quidem postquam ille migravit e vita, visus sum mihi quandoque, felicius quam sperassem, allatam undeunde operi huic difficultatem extricasse : quod illius patrocinio acceptum tuli; nec vana, ut arbitror, fide. Vos spero ab amantissimi Parentis vel judicio vel benignitate nequaquam velle dissentire. Oro igitur, ut precemini identidem Deum Dei matrem benignissimam, Sanctosque omnes, ut hoc sanciant curentque opus a me consummari; sed et studia ita conformari mea moresque, ut plus ipsis ab imitatione quam laudatione mea honoris accedat, mihi ceterisque mortalibus emolumenti.

Id tamen ita suscipi a Vobis opus meum volo, quod et antea professus sum, ut Historiam humanam. Si quæ sunt ex Divinæ Scripturæ libris hausta quandoque, si quæ ex probatis veterum scriptis; iis par est suam constare auctoritatem; iis vero quæ ex aliorum historicorum monumentis, quantam singuli merentur auctores. Si quæ a me visa commemoro, in iis an fidem merear, ii viderint, quibus meæ explorata est vitæ ratio. Quæ ante meam gesta sunt ætatem narranti nolo fidem habeat quisquam, nisi a quibus ea acceperim, edicam : illis vero credi postulo, si digni sunt; sin minus, ignosci simplicitati meæ, qui improvide crediderim.

Non existimo uspiam me a sacrosanctis Summorum Pontificum legibus, decretis Conciliorum, Catholicorum Patrum scitis vel latum unguem recedere : in eoque operam pono, ut maxime genuina et probata Sanctorum Acta promam. Si quid tamen aut protuli in lucem, quod non modo in solemnibus Ecclesiæ conventibus recitari, sed nec privato studio a piis hominibus legi, verum perpetuis obrui tenebris Ecclesia volebat, si quid temere pronuntiavi scripsive non satis illius definitionibus consentaneum; id repudio ipse ac damno. Neque sciens ulli tribui *Sancti* ac *Beati* appellationem, cui non eam vel Ecclesiæ judicium, vel majorum pietas, vel antiquorum Scriptorum auctoritas contulerit. Nulla cujusquam, qui non videatur *per communem Ecclesiæ consensum, vel immemorabilem temporis cursum, aut per Patrum virorumque sanctorum scripta, vel longissimi temporis scientia ac tolerantia Sedis Apostolicæ vel Ordinarii,* venerationem obtinere, miracula, vaticinia, arcanorum manifestationes commemoravi, quæ sunt nuper iteratis Pontificis Maximi constitutionibus vetita. Si tamen peccavi uspiam imprudens (nam Sanctos Deumque arbitrum mentis meæ testor, sponte id nec fecisse, nec facturum umquam, etiamsi me millies ea caussa mortem necesse esset oppetere) sed si inscius uspiam hoc in genere sum hallucinatus; monete eruditissimi Religiosissimique Patres, vel alius quivis veritatis studiosus; corrigam illico : neque hæc solum corrigam, quæ tanti sunt momenti, sed si quid aliud, quantumvis exiguum, circa Chronologiam, topographiam, Acta ipsa, remve aliam quamcumque peccavi, aquocumque cognovero veritatem, continuo retractabo. Æternam Veritatem precor, ut et mentes Vestras meamque illuminet, et calamum regat; donec perenni nos sui conspectu a fruitione, studiishisce et laboribus ærumnisque perfunctos, dignetur.



INDEX

INDEX
SANCTORUM
XI PRIORUM DIERUM JANUARII.

Hic Index eos solum continet Sanctos, quorum natalis primo tomo, sive XI *prioribus diebus Januarii, agitur; sive eorum res gestæ narrentur, sive tantum memoria illustretur. Quorum fit in aliorum Actis mentio, sed ad posteriorem tomum, aut alios menses natalis pertinet, eorum nomina tertio Indice, sive Historico referuntur, uti et horum quoque, si alibi hoc ipso tomo rursum, non in propriis Actis, occurrant.*

Præfigitur cuique Sancto dies quo colitur. Additur ordo, laureola, locus mortis vel præcipuæ venerationis. Tum quidquid de eo hic traditur an Vita? quo auctore? unde? quid singula capita contineant? an præfixa Prolegomena, sive prævіæ de rebus ad eum Sanctum pertinentibus dissertationes? an in paragraphos distributæ? denique summa eorum quæ de unoquoque dicuntur, subjicitur oculis.

Non est præfixa littera S aut B vel † ut in tertio Indice : nam cum omnes vel plerique Sancti sint aut Beati, qui hoc Indice continentur, non est necesse eum titulum ad differentiam usurpare. Litteræ A B C etc. quæ, ut in quatuor posterioribus Indicibus, certum expressæ paginæ spatium designent, raro additæ sunt, quia cum majori charactere impressa Sanctorum nomina sint, non est difficile unico oculi conjectu ea reperire : ideo nec ad marginem eædem consignatæ sunt hic litteræ.

Notæ contractionum hic usurpatæ, sunt istæ communiores : Mrol. *Martyrologium.* Mroll. *Martyrologia.* MS. *manuscriptum.* MSS. *manuscripta.* Mlog. Gr. *Menologium Græcorum.* Men. Gr. *Menæa Græcorum.* M. *Martyr.* MM. *Martyres.* Presb. *Presbyter.* Ep. *Episcopus* V. *Virgo.* VV. *Virgines. Reliquæ obviæ sunt.*

A.

2 Abanus M. *ex Martyroll.* MSS. pag. 82
3 Acuta M. in Africa. *Ex Maroll.* MSS. 130
2 Acutio M. Sirmii. *Ex Maroll.* MSS. 80
6 Acutius M. in Africa. *Ex variis Maroll.* 323
5 Acutus M. in Africa. *Ex Martyrol.* MS. 240
2 Acutus M. Sirmii. *Ex Maroll.* MSS. 80
2 Adelardus Ab. Corbeiensis. *Proleg. ex variis* 95, *et* 722. Vita *auctore S. Paschasio Radberto collata cum* MSS. *Prologus* 96, *cap.* 1 et 2. S. Adalardi vita aulica et monastica, munus hortulani 97, *cap.* 3 et 4, iter Cassinum, præfectura 98 *cap.* 5 et 6, prudentia in pacanda Italia : imitatio SS. 99 *et* 722, *cap.* 7 et 8, liberalitas, pietas, lacrymæ 100, *cap.* 9 et 10, exilium 101, 102 *et* 722, *cap.* 11 et 12, vita in exilio sancte acta 102, 103, *cap.* 13, reditus, honorifica exceptio 104, *cap.* 14 et 15, humilitas, abstinentia, variæ animi corporisque dotes 105, *cap.* 16, Corbeiæ Saxonicæ initia, situs, progressus 107, *cap.* 17, studium paupertatis, subditis inculcatum, amor subditorum 107, *cap.* 18, præparatio ad mortem 108, *cap.* 19, morbus, obitus, 109 *et* 722, *cap.* 20, sepultura, luctus Auctoris. 110 *et* 722
Alia Vita *auctore S. Gerardo Ab. Silvæ-majoris ex* MSS. *Prologus* 111 *et* 722, *cap.* 1 et 2, S. Adelardi genus, vita monastica, fuga ad montem Cassinum 112, *cap.* 3 et 4, præfectura, Italia pacata, liberalitas, pietas 113, *cap.* 5, exilium 114, *cap.* 6 et 7, reditus Corbeiam, revocati alii exules 115, *cap.* 8, corporis animique compositio, benignitas, cura subditorum 116 *et* 722, *cap.* 9, Corbeia nova exstructa. Adelardi obitus 116. Miracula. *Præfatio S. Gerardi auctoris,* 118 *et* 722, *cap.* 1, 2, 3, S. Adelardi sepulchrum repertum, miracula 118, 722, *cap.* 4 et 5, elevatio corporis, apparitio Sancti 119 *et* 722, *cap.* 6 et 7, varia ad sepulchrum miracula, 120, *cap.* 8, reliquiæ Ambianum latæ, mutus et surdus sanatus 120 *et* 722, alia miracula, *Prologus auctoris,* 121, *cap.* 1 *et* 2, reliquiæ S. Adelardi in Flandriam latæ, 121 *et* 722, *cap.* 3, 4 et 5, honoratæ et clam Corbeiam relatæ, 122, *cap.* 6 et 7, in scrinio ripositæ, claudis sanatus 123 et 722.
9 Adrianus Ab. in Anglia. *Prolegom.* 595. Vita *ex historia Angl. Bedæ,* 595. Alia Vita *ex Capgravio* 596
5 Æmiliana V. amita S. Gregorii Magni. *Ex Marrol. et homilia S. Gregorii* 287
8 Æmilianus Conf. *Ex Menæis Græc. et epistola S. Theodori Studitæ* 483 *et* 734
8 Afflinus Ep. Conf. *Ex variis Marroll.* 502
10 Agatho Thaumaturgus Papa. *Prolegomena.* Cultus miracula, ætas. 623 et 745, Vita *ex Anastasio Bibliothec.* 624
11 Agentus M. in Hispania, *ex Martyroll.* MSS. 674
4 Aggæus M. Bononiæ. *Ex Marroll. Sigonio, Ghirardaccio* 165
1 Agrippinus Ep. Augustoduni, *ex variis* 49 et 719
8 Albertus Ep. socius S. Erardi. *Vide hujus Vitam* 533
7 Albertus Erem. in territorio Senensi. *Prolegomena* 402, Vita *ex Italica Silvani Razzii, cap.* 1, sanctioris vitæ initia 402, *cap.* 2, eremi inhabitatio, miracula 402, *cap.* 3, variæ curationes, alia miracula 403
7 Aldricus Ep. Cenomanensis. *Prolegomena.* Natalis, tempus sedis 387. Vita *ex Gallico Petri Viellii* 387
10 Aldus Erem. Papiæ. *Ex Ferrario* 627

1 Almachius M. Romæ, *ex variis Mroll. et Theodoreto* 21
2 Alverius Thebæus M. *ex Ferrario* 81
5 Amat, sive Talida, Antinoi in Thebaide. *Ex Mroll. et Vitis PP.* 257
5 Ambrosius monachus Placentiæ Ital. *ex Ferrario* 289
5 Anastasia M. in Africa. *Ex variis Mroll.* 240
7 Anastasius Ep. Senonensis. *Ex Saussaio et Chronologo S. Mariani* 389
11 Anastasius Abbas Suppentoniæ in Ital. *Ex S. Gregorio et Mroll.* 701
9 Anastasius M. *In Actis S. Juliani* 570. Cultus 572, 573, 574, a morte suscitatus, conversus 582, 583, illæsus ab igne 584, martyrium 586
6 Anastasius M. Sirmii. *Ex Mrol.* MS. 324
8 Anastasius M. Sirmii. *Ex Mrol.* MS. 470
4 Angela de Fulginio. *Prolegom.* 186 et 729. Vita *auctore Arnoldo ord. Minor. collata cum* MS. Prologus 186, *cap.* 1, ex passibus XVIII spiritualibus sui cognitio 188, *cap.* 2, variæ tentationes 190, *cap.* 3, consolationes divinæ ex perfectionibus Dei 192, *cap.* 4, aliæ consolationes et visiones 196, *cap.* 5, harum certitudo 199, *cap.* 6, revelationes circa Passionem Christi 200, *cap.* 7, consolationes ex sacra Eucharistia 204, *cap.* 8, ex visione Deiparæ Virginis 205, *cap.* 9, de filiis ejus spiritualibus 206, *cap.* 10, de tribulatione, et non proficientibus 207, *cap.* 11, instructiones de præsentia Dei 209, *cap.* 12, caussæ et remedia illusionum 210, *cap.* 13, extasis et cognitio sui ac Dei 211, *cap.* 14, Christus liber vitæ, ejus paupertas 214, *cap.* 15, voluntarius contemptus 216, *cap.* 16, summus et continuus dolor 217, *cap.* 17, monita de oratione 222, *cap.* 18, de humilitate 224, *cap.* 19, de caritate 225, *cap.* 20, via, conditiones, et signa amoris 228, *cap.* 21, de venerabili Eucharistia 230, *cap.* 22, de incarnatione Verbi aliisque Dei beneficiis 232, *cap.* 23, B. Angelæ testamentum, mors 233, de B. Angela ejusque vita *Ubertini de Casali et Maximil. Sandæi* judicia 234
3 Anteros Papa M. Romæ. *Acta ex variis* 127
6 Antoninus M. *Ex Martyrol.* MS. 324
9 Antonius Presb. M. *In Actis S. Juliani* 570. Cultus 572, 573, 574, adit ultro in carcerem S. Juliani : Celsum baptizat et XX milites 582, illæsus ab igne 584, baptizat Marcionillam 585, subvertit templum Jovis 585, martyrium 586
5 Apollinaris Syncletica. *Prolegom.* Variæ Syncleticæ, hujus natalis. Notationes Raderi 257. Vita *auctore synchrono apud Metaphrasten, cap.* 1, peregrinatur Hierosolymam et Alexandriam 258, *cap.* 2, fugit in solitudinem habitu monachi 259, *cap.* 3, in cœnobio degit 260, *cap.* 4, e sorore dæmonem pellit 260, *cap.* 5, impudicitiæ accusatur, 260, *cap.* 6, moritur 261
4 Aquilinus M. in Africa. *Ex variis Mroll.* 165
2 Argæus M. Tomis in Ponto. *Ex variis Mroll.* 82
1 Argyrus M. in Africa. *Ex Martyrol.* MS. 19
10 Artates M. in Africa. *Ex Mroll.* MSS. 602
9 Artaxes M. in Africa. *Ex variis Mroll.* 167
2 Artaxus M. Sirmii. *Ex Mroll.* MSS. 80
2 Aspasius Conf. Meloduni in Gallia. *Ex Mroll. et aliis* 90 et 722.
3 Athanasius Commentariensis M. in Cilicia. *Ex variis Mroll.* 128
8 Atticus Ep. Constantinopol. Vita *ex variis collecta,* § 1, cultus sacer, rerum gestarum Scriptores 473, § 2, vita privata, promotio ad Episcopatum, Translatio reliquiarum S. Samuelis 474, § 3, inimicitiæ inter Atticum et fautores S. Chrysostomi 475, § 4, Episcopatus præclare administratus, Judæus inter baptizandum sanatus 477, § 5, dissensio ob nomen S. Chrysostomi Dyptichis non inscriptum, varia Attici in Divos et proximos pietas 477, § 6, nomen S. Chrysostomi Dyptichis inscriptum 479 et 734, § 7, epistola ad S. Cyrillum de eadem re 480, § 8, Baptismus Eudociæ Imperatricis, Attici auctoritas Ecclesiastica, eleemosynæ 481, § 9, Ecclesia contra hæreticos propugnata, obitus S. Attici 482
11 Augustinus M. in Hispania. *Ex Mroll.* MSS. 674
2 Auriga M. in Æthiopia. *Ex Mroll.* MSS. 82

B

8 Balduinus Archidiac. Laudunensis M. *Prolegom.* Natalis, ætas, martyrium 502. Vita *ex* MS. *cap.* 1, parentes, sancta soror 503, *cap.* 2, cædes, 503, *cap.* 3, sororis luctus 503, *cap.* 4, illius virtutes, miracula 504
11 Balthasar R. unus e tribus Magis. *Ex variis.* Acta, mors, sepultura, natalis, tripudium 664
9 Basilissa Virgo, uxor S. Juliani. *Vide hujus Acta,* 570, cultus sacer, 571, 572, 573, 574, conjugium, 576, votum virginitatis a Deo probatum, vita cœnobitica, 576, obitus, 578, apparitio Juliano facta in carcere, 586. Alia Vita *auctore S. Aldelmo* 587
2 Basilius Ancyranus M. Cæsareæ in Cappadocia. *Ex Mroll. et Men.* 83
4 Benedicta M. Romæ. *Ex variis Mroll.* 165
7 Benjaminus M. Brixiæ. *Ex Galesinio et aliis* 429
10 Benincasa Ab. Cavæ in Campania. *Ex Martyrol. monastico et aliis* 627
3 Bertilia V. Mareoli in Artesia. *Prolegom.* 155. Vita *ex* MSS. *Prologus* 156, *cap.* 1, ortus adolescentia sancta 156, *cap.* 2 *et* 3, nuptiæ, virginitas cum viro servata 156, *cap.* 4, viduitas sancta, obitus 156. Versus *ex* MSS. 157. Reliquiarum elevatio. *Ex* MSS. 157. Translatio. *Ex* MSS. 157.
2 Bladulphus monachus Bobiensis. *Ex Mroll. et Jona Ab.* 94
3 Blidmundus, sive Gogus, Ab. in Gallia. *Ex Menardo et Saussaio* 154 et 726
9 Brithwaldus Archiep. Cantuarien. *Ex Beda, Harpsfeldio, Mroll.* 597

C

5 Cælifloria M. in Africa. *Ex Martyrol.* MS. 240
1 Caius M. Bononiæ. *Ex Mrol.* MS. 19
4 Caius M. Bononiæ. *Ex Mroll. Sigonio et Ghirardaccio* 165
7 Candida M. *Ex Mrol.* MS. *cum Spolicosto et Pallada* 355
7 Candida M. *cum Polyantho et Philone. Ex* MS. *Mroll.* 357
11 Candidianus M. *Ex Mroll. Acta ex* MSS. 666
3 Candidus M. in Africa. *Ex Mroll.* MSS. 130
5 Candidus M. in Africa. *Ex variis Mroll.* 240
7 Canutus Lawardus R. Obotritorum, Dux Sleswicensis. *Prolegom.* § 1, Canuti genus, sanctitas 390, § 2, regnum, Ducatus 391, § 3, gesta a variis descripta 391. Vitæ compendium *ex Breviario Sleswic.* 392. Vita *ex Helmoldo, cap* 1, Canuti educatio, dignitas, bella 393, *cap.* 2, cædes, ejus ultio 393. Alia Vita *ex Saxone Grammat. cap.* 1, Canuti liberalis indoles, nuptiæ 394, *cap.* 2, ducatus, bella, pax inita 395, *cap.* 3, Slaviæ Principatus ei delatus, fratres reconciliati 396, *cap.* 4, odii in eum invidiæque initia 379, *cap.* 5, affectati regni crimen confictum 397, *cap.* 6, defensio innocentiæ, novæ invidiæ faces 398, *cap.* 7, nefaria cædes 399, *cap.* 8,

cap. 8, sepultura, motus populi 400. Analecta de translatione reliquiarum et canonizatione. *Ex Breviar. Sleswic. Saxone Grammat. et* MSS. 400
8 Carbonanus M. Interamnæ. *Ex Ferrario.* 471
8 Carterius Presb. M. *Ex Menæis Græc.* 472
11 Castolius M. in Hispania. *Ex Mroll.* MSS. 674
11 Castolius alius M. in Hispania. *Ex Mroll.* MSS. 674
7 Cedda Ep. Londinensis. *Prolegom.* 373. Vita *ex S. Beda, cap.* 1, Ceddæ Apostolatus in mediterranea Anglia 373, *cap.* 2, episcopatus in Orientali Saxonia 374, *cap.* 3 *et* 4, varia ejus opera, abstinentia, miracula, obitus 375
4 Celsus Ep. Trevir. *Ex variis Mroll.* 164
9 Celsus puer M. *In Actis S. Juliani.* Cultus 573, 574, conversio ad fidem 581, incarceratio, baptismus 582, igne superato blanditiæ parentum spretæ 583, matris Marcionillæ conversio 584, martyrium 586
1 Christi præputii sacrosancti commemoratio Antverpiæ et alibi. *Ex variis* 3, 4, 5, 6, 7, 8 et 719. Circumcisio 2. Sermo Faustini Ep. in Kalendis Janu. *Ex* MSS. 2
7 Christi relatio ex Ægypto. *Ex variis Mroll.* 355
8 Cipiseus M. *Ex Mroll.* MSS. 473
1 Clarus Abb. Viennæ. *Prolegom.* 55. Vita *ex* MSS. *cap.* 1, pueritia 55, *cap.* 2, varia Viennæ monasteria 55, *cap.* 3, S. Clari præfectura 56, *cap.* 4, 5, 6, miracula, vaticinia, obitus 56
1 Clarus monachus Salighenstadiensis. *Ex variis Mroll. et Trithemio* 65 et 720
3 Claudon M. *Ex variis Mroll.* 135
2 Claudia M. in Æthiopia. *Ex Mroll.* MSS. 82
8 Claudius M. Interamnæ *ex Ferrario* 471
7 Clerus Diac. et M. Antiochiæ, *ex Mroll.* 365
1 Concordius Presb. M. *Prolegom.* 9. Vita *ex* MSS. 9
3 Constantius M. in Africa, *ex Mroll.* MSS. 130
7 Crispinus I Ep. Ticinensis, *ex Ferrario, Bernardo Sacco, aliis* 356
7 Crispinus III Ep. Ticinensis, *ex Ferrario. Vita S. Epiphanii, Mroll.* 372
1 Cronanus, sive Mochua, Ab. Ballensis 47
1 Cuanus, sive Mochua, Ab. Lægsiensis 45
11 Cyriacus M. in Hispania, *ex Mroll.* 674
3 Cyrinus M. in Hellesponto, *ex Mroll.* 133
8 Cyrus Patriarcha Constantinopolit. *Ex Anastasio Bibliothec. Zonara, Mroll.* 331 et 744

D

3 Daniel M. Patavii. *Ex variis* 160. Inventionis historia. *Ex Agonibus Martyrum* 160 et 726 Analecta, *ex Bern. Scardeonio.* 161
2 Defendens M. cum sociis, *ex Mroll. et Carolo Ep. Novariensi* 80 et 721
3 Diogenius M. *ex Mroll.* MSS. 135
8 Dominica, *ex Menæis Græc.* 483 et 734
10 Domitianus Ep. Melitenæus in Armenia. *Prolegom.* 618. Vita *ex Menæis Græc.* 618. Alia Vita *ex Theophylacto Simocatta, cap.* 1, Martyropolis Persis erepta 619, *cap.* 2, ob victoriam lætitia, et gratiarum actio 619, *cap.* 3, Cosroæ fastus castigatus 620, *cap.* 4, milites ad fortiter pugnandum animati 620, *cap.* 5, tutela filiorum Mauricii Imp. 621
5 Domno M. Bergomi. *Ex Galesinio, Ferrario, Guarnerio* 241
11 Donatus Presb. M. in Hispania, *ex Mroll.* MSS. 674
11 Donatus alius M. in Hispania, *ex Mroll.* MSS. 674
5 Dorotheus monachus credita S. Apollinaris Syncletica, *supra in* Apollinaris.

E

11 Ebiciarius M. in Hispania, *ex Mroll.* MSS. 674
5 Eduardus Conf. Rex Angliæ. *Prolegom.* § 1, S. Eduardi veneratio, res gestæ 290, § 2, mansuetudo, fortitudo 291, § 3, justitia, leges 291, § 4, Emma mater, improborum consilio rebus suis spoliata, § 5, ordalio crimen diluit 292. Vita *auctore S. Ælredo, collata cum* MSS. *cap.* 1. S. Eduardi parentes, regni et sanctitatis prognostica 293, *cap.* 2, virtutes in regno 294, *cap.* 3, virginitas cum uxore servata, mors hostis divinitus cognita 295, *cap.* 4, votum de Romana peregrinatione relaxatum 295, *cap.* 5, Westmonasterium ædificatum 296, *cap.* 6, variis privilegiis dotatum 297, *cap.* 7, subditi tributis levati, varii curati 298, *cap.* 8, socero et nepotibus eventura prædicta 299, *cap.* 9, visi sancti septem Dormientes moveri, obitus ei a S. Joanne Evang. prænuntiatus 300, *cap.* 10, impendentes regno calamitates prædictæ 300, *cap.* 11, obitus, miracula; regnum ab Haraldo occupatum 301. Translatio *ex Bulla canonizationis et aliis,* § 1, translationis solennis memoria 302, § 2, canonizatio ab Alexandro III, Papa facta 303, § 3, corporis elevatio 303, § 4, transatio 13 Octob. 303
8 Egemonius, vel Igomonus, Ep. Augustoduni, *ex Saussaio et Mroll.* 473
11 Egwinus Ep. Wigorniensis in Anglia. *Prolegom.* Natalis, scripta, oratio de eo 707. Vita *ex* MSS. *et Capgravio, cap.* 1, S. Egwini virtutes, studium pœnitentiæ 707, *cap.* 2 Eoveshamensis monasterii fundatio 708, *cap.* 3, visiones, morbus, mors 710, *cap.* 4, miracula 710. *Fragmentum alterius Vitæ, et epitaphium* 711. Privilegium Kenredi et Offæ Regum de rebus Eveshamensi monasterio donatis 712. Privilegium S. Egwini de rebus eidem monast. acquisitis 712
1 Elvanus Episc. Britannus. Vita *ex variis collecta* 10 et 719
9 Epictetus M. in Africa *ex variis Mroll.* 367
6 Epiphania Domini *ex variis* 323
8 Erardus Ep. Ratisbonæ in Germania. *Prolegom.* Natalis, translatio, Vitæ Scriptores, patria, episcopatus, ætas 333 et 744. Vita *auctore Paulo ex* MSS. *Prologus* 333. *Liber* 1, *cap.* 1, S. Erardi studia, virtutes, sacerdotium 335, *cap.* 2, profectio ad S. Hildulphum 336, *cap.* 3, S. Odiliæ cæcæ baptismus, illuminatio 336. *Epilogus* 337. *Liber* 2, de miraculis, *cap.* 1, S. Erardi variæ apparitiones 337, *cap.* 2, varia in ejus Ecclesia facta miracula 338. Alia Vita *ex* MSS. *cap.* 1, res gestæ in vita 339, *cap.* 2, miracula post mortem 340. Alia vita *auctore Conrado de Montepuellarum, cap.* 1, vita privata, episcopatus 341, *cap.* 2, peregrinatio, labores Apostolici 342, *cap.* 3, mors, miracula 344. Analecta *ex tribus Breviariis Augustanis* 344, 345
6 Erminoldus Ab. Prufeningensis in Germania M. *Prolegom.* 335. Vita *ex* MSS. *edita ab Henrico Canisio. Præfatio* 335. *Liber* 1, *cap.* 1, S. Erminoldi ortus, religiosæ vitæ tirocinia 336, *cap.* 2, præfectura Lorsacensis, abdicatio 337, *cap.* 3 Prufeningense monast. fundatum 337, *cap.* 4, ejus præfectura acceptata 338, *cap.* 5 Imperator excommunicatus ejus ingressu prohibitus 339, *cap.* 6 S. Erminoldi benignitas erga inimicos 339, *cap.* 7, liberalitas in pauperes, miracula 339, *cap.* 8, conspiratio in ejus necem 340, *cap.* 9, hora obitus prædicta cædes 341, *cap.* 10, gloria ejus cælitus ostensa 341. *Liber* 2, *cap.* 1, miracula a morte 342, *cap.* 2, blasphemus punitus 343, *cap.* 3, infirmi curati, inhibita miracula

cula 343, *cap.* 4 *et* 5, variæ curationes præstitæ 344, *cap.* 6, energumeni aliique ægri curati 345, *cap.* 7, alia beneficia mortalibus impensa 346, Anacephalæosis vitæ 347
1 Evantus M. in Rhætia, *ex Mroll.* MSS. 21
3 Eugenes M. *ex Mroll.* MSS. 135
2 Eugenda M. Sirmii, *ex Mroll.* MSS. 80
1 Eugendus Ab. in Burgundia, *Prolegom.* 49 et 719. Vita *ex* MSS. *Præfatio* 50, *cap.* 1, 2, 3, Eugendi patria, institutio, monachatus, austeritas 50, *cap.* 4, 5, 6, electio in Adjutorem Abbatis, in Abbatem 51, *cap.* 7 *et* 8, varia miracula 51, 52 et 719, *cap.* 9 *et* 10, apparitiones SS. Petri, Pauli, Andreæ, Martini 52 et 53, *cap.* 11, 12, 13, incendium monasterii, cognitio futurorum, humilitas, gravitas, pietas 53, *cap.* 14 *et* 15, ægrorum et senum sollicitudo, obitus 54
3 Eugenia M. in Africa, *ex Mroll.* MSS. 130
8 Eugenianus M. Augustoduni, *ex variis Mroll.* 473
11 Eugenius M. in Africa, *ex Mroll.* MSS. 666
11 Eugenius M. in Hispana, *ex Mroll.* MSS. 674
3 Eugentus M. *ex Mroll.* MSS. 135
4 Eugentus M. in Africa, *ex variis Mroll.* 165
1 Euphrosynus Ep. M. Nicomediæ, *ex Mroll.* MSS. 20
5 Euprexia vidua Menis in Sicilia, *ex Octavio Cajetano, et Ferrario* 240
3 Eustadius Ab. Divione, *ex Saussaio et aliis* 726
9 Eustradius Thaumaturgus in Bithynia, *ex Menæis Græc. et Actis S. Joannicii* 598
8 Euctus, vel Polyeuctus M. *ex variis Mroll.* 473

F.

4 Fausta V. M. in Gallia. *Prolegom.* 726. Historia Translationis *ex* MS., *cap.* 1, reliquiæ inventæ, sublatæ 727, *cap.* 2, miracula in translatione facta 727
9 Felicitas M. in Africa, *ex Mroll.* MSS. 567
10 Felicitas alia M. in Africa, *ex Mroll.* MSS. 602
11 Felicitas M. in Hispania, *ex Mroll.* MSS. 674
8 Felix M. *ex Mroll.* MSS. 473
1 Felix M. in Africa, *ex Mrol.* MS. 19
5 Felix alius M. in Africa, *ex variis Mroll.* 240
9 Felix M. in Africa, *ex variis Mroll.* 567
7 Felix M. Heracleæ, *ex variis Mroll.* 356
11 Felix M. in Hispania, *ex Mroll.* MSS. 674
9 Filanus Ab. in Scotia. Acta *ex variis Mroll. Camerario, Hectore Boetio* 594
10 Firmus M. *ex Mroll.* MSS. 602
9 Firmus, seu Firminus M. Smyrnæ, *ex Mroll.* 567
3 Firmus M. in Africa, *ex Mroll.* MSS. 130
5 Flamidianus M. Cusani in Hispania, *ex Ferrario et Saussaio* 288 et 730. Vita *ex Antonio Vinc. Dommenecco* 288
3 Florentius Ep. Viennensis M. *ex Mroll. et Boscio* 127
8 Florianus M. Sirmii, *ex Martyrol.* MS. 470
10 Florida V. Divione in Burgundia, *ex S. Greg. Turon. et Mroll.* 617
6 Florus M. in Africa, *ex Mroll.* MSS. 323
11 Florus M. in Hispania, *ex Mroll.* MSS. 674
8 Florus M. Sirmii, *ex Mrol.* MS. 470
9 Fortunatus M. in Africa, *ex Mroll.* 567
9 Fortunatus M. Smyrnæ, *ex Mroll.* 567
8 Frodobertus Ab. Trecis in Gallia, *Prolegom.* Natalis, Translatio, cella, monasterium 505 et 743. Vita *ex Antiquitat. Tricass. Nicol. Camuxæi. cap.* 1, S. Frodoberti infantia, 506, *cap.* 2, religiosa vita Luxovii et Trecis 507, *cap.* 3, cœnobium Trecis extructum 508, *cap.* 4, Frodoberti virtutes, revelationes, miracula 508, *cap.* 5, morbus, obitus 509, *cap.* 6, sepultura, miracula 510, *cap.* 7, cultus neglectus, restitutus 511, *cap.* 8, inventio corporis, miracula 511, *cap.* 9, translatio, anniversaria festivitas 512
2 Frontasius M. in Gallia, *Acta ex* MSS. 79 et 721.
1 Fulgentius Ep. Ruspensis in Africa. *Prolegom.* 32. Vita *ab ejus discipulo conscripta. Prologus* 32, *cap.* 1, S. Fulgentii ortus, institutio, munus in Rep. 32, *cap.* 2 *et* 3, desiderium vitæ religiosæ 33, *cap.* 4, 5, 6, 7, religionis ingressus, lucta cum matre, abstinentia, bonorum abdicatio 34, *cap.* 8, 9, 10, præfectura, persecutio, fuga, insidiæ, comprehensio 35, *cap.* 11 *et* 12 verbera, contumeliæ, navigatio in Siciliam 36, *cap.* 13 *et* 14, peregrinatio Romam, monasterium in Africa extructum 36, *cap.* 15, 16, 17, sacerdotium, episcopatus Ruspensis 38, *cap.* 18 *et* 19, vita in episcopatu, monasterium Ruspæ extructum 39, *cap.* 20 *et* 21, exilium, adventus Carthaginem 40, *cap.* 22, 23 *et* 24, quæstiones Regis solutæ 41, *cap.* 25 *et* 26 iteratum exilium 41 et 42, *cap.* 27 *et* 28, acta et scripta in exilio 42, *cap.* 29, gloriosus reditus, reliqua vita post exilium 43, *cap.* 30, obitus, sepultura, successor 44

G

8 Garibaldus Ep. Ratisbom. *Ex Vita SS. Bonifacii et Emmerammi* 546
1 Gaspar R. e tribus Magis, *ex variis* 8
11 Geminus M. in Hispania, *ex Mroll.* MSS. 674
4 Gemĩnus M. in Africa, *ex variis Mroll.* 165
3 Genovefa V. Parisiis. *Prolegom.* 137 et 725 Vita *ex* MSS. *cap.* 1 *et* 2, Genovefæ virginitas, et sanctitas varie commendata 138, *cap.* 3 *et* 4, Parisii precibus contra Hunnos defensi, basilica S. Dionysii extructa 134, *cap.* 5 *et* 6, varia miracula 140 et 725, *cap.* 7, alia miracula, annona pauperibus procurata 141, *cap.* 8, 9, 10, alia miracula signo crucis et precibus patrata 142, *cap.* 11 obitus, miracula; basilica ei erecta 143 et 725
Alia vita *ex* MSS. *Cap.* 1 *et* 2, virginitatem amplectitur, paralysi laborat 143, *cap.* 3, Hunnos a Parisiis avertit 144, *cap.* 4, basilicam S. Dionysii ædificat 144, *cap.* 5, cæcam et paralyticam sanat, candelam precibus accendit 145, *cap.* 6, patent ei ostia, et corda, dæmones fugat 145, cap. 7 *et* 8, varios sanat, annonam Parisiensibus curat 156, *cap.* 8, 9, 10, dæmones imbrem, et morbos pellit; moritur 147. Miracula post mortem. *Ex* MSS. 147. Normannorum prima incursio, miracula in fuga, reditu, et post facta 149. Normannorum 2 incursio, miracula in fuga et reditu facta 149. De excellentia S. Genovefæ, *ex* MSS. 151. Reliquiarum revelatio *ex* MSS. 152. Translatio, miracula etiam alibi 725
8 Georgius Chozebites, *ex Men. Græc.* 483 et 734
5 Gerlacus Eremita in Belgio. *Prolegom.* § 1, publica veneratio, *ex variis*, 304, § 2, hymnus *ex Offic. Ruræmumdensi* 305, § 3, fontis S. Gerlaci inventio, *ex præfatione Erasmi Goyæi* 305. Vita *ex* MSS. *edita ab Erasmo Goyæo. Lib.* 1, *cap.* 1, S. Gerlaci natalis, adolescentia 306, *cap.* 2, occasio conversionis 307, *cap.* 3 et 4, peregrinatio, pœnitentia 307, *cap.* 5, vita solitaria in concava quercu 308, *cap.* 6, pietas erga S. Servatium 308, *cap.* 7, vexationes toleratæ 309, *cap.* 8, corona a S. Hildegarde ei donata 309, *cap.* 9, coma alteri ab eo recisa non recrescit 310, *cap.* 10, detractores refutati 310, *cap.* 11, Ep. Leodiensis erga eum benevolentia 311, *cap.* 12, infestatio dæmonum et improborum 311, *cap.* 13, 14, 15, 16, vestitus, oratio, statura 312, *cap.* 17 *et* 18, aqua ei in vinum versa, pia mors 313. *Liber* 2, *Præfatio* 313, *cap.* 1, translatio divinitus facta 314, *cap.* 2 *et* 3, languor ac dolor viscerum curatus 314, *cap.* 4, 5, 6,

6, 7, claudi sanati, mortui suscitati 315, 316, *cap.* 8, 9, 10, 11, cæcitas, aliique morbi sublati 316, *cap.* 12, 13, 14, 15, 16, 17, 18, epilepsia, dolor dentium, dysenteria, febris curantur: crucis particula miraculosa 317, *cap.* 19, 20, 21, terra sepulchri, et reliquiis patrata miracula 317, *cap.* 21, 22, 23, 24, 25, medela variis bestiis præstita 318, *cap.* 26 *et* 27, fons S. Gerlaci miraculosus 318, *cap.* 28, cultus ejus apparitione restauratus 319, *cap.* 29, 30, 31, 32, variæ curationes præstitæ 319, 320. Alia vita *auctore Wilhelmo Cripio, cap.* 1, S. Gerlaci conversio, pœnitentia 320, *cap.* 2, ejus innocentia impugnata 320, *cap.* 3, mors, miracula 321, *cap.* 4, fons S. Gerlaci, salutaris 321

6 Gertrudis ab Oosten Regina Delphis in Hollandia. *Prolegom.* 348. Vita *ex* MS., *cap.* 1, Gertrudis patria, conversionis occasio 349, *cap.* 2, religiosa exercitia, tentatione 349, *cap.* 3, meditationes de Christi infantia 350, *cap.* 4, impressa illi Christi vulnera 351, *cap.* 5 *et* 6, varia vaticinia et prædictiones 351 et 352, *cap.* 7, obitus ejus et alterius Gertrudis 352

3 Gogus Abb. in Gallia, idem qui Blidmundus 154 et 726

10 Gonsalvus Amaranthus Ord. Prædicat. in Lusitania. *Prolegom.* Cultus, Vita, ætas 640. Vita *a Didaco de Rosario Lusitanice scripta.* Præfatio *interpretis Stephani Sampayi* 640, *cap.* 1. Regio Interamnis Durii et Minii 641, *cap.* 2, Gonsalvi patria, parentes, infantia 641, *cap.* 3, studium, sacerdotium 643, *cap.* 4, peregrinatio Hierosolymitana 643, *cap.* 5, ecclesia Amaranthi extructa 645, *cap.* 6, ingressus in Ordinem Prædicat. 645, *cap.* 7, pons Amaranthi extructus, miracula 646, *cap.* 8, varia miracula 647, *cap.* 9, obitus 648, *cap.* 10, miracula post mortem 648, *cap.* 11, beatificatio 649. Miracula *ex Hispanico Joan. Mariettæ et Ferd. Castillo* 650

3 Gordius Comes et Centurio M. Cæsareæ. *Prolegom.* 130. Oratio *S. Basilii. Exordium* 130. *Narratio,* § 1, S. Gordii patria, honores, vita solitaria 131, § 2, ludi equestres turbati 131, § 3 et 4, comprehensio, minarum et blanditiarum contemptus 132, § 5, martyrium 133

4 Gregorius Ep. Lingonensis in Gall. *Prolegom.* 167. Vita *auctore Gregor. Turon. ex* MSS. *Prologus* 168, *cap.* 1. S. Gregorii genus, dignitas, sanctimonia 168, *cap.* 2, pietas erga S. Benignum 168, *cap.* 3, mors, sepultura, miracula 169, *cap.* 4, translatio, epitaphium, miracula 169 et 728

1 Gregorius Ep. Nazianzenus, pater S. Gregorii Theologi, dicti vulgo Nazianzeni. *Ex Menæis Græc.* 21. Oratio S. Gregorii filii in ejus laudem 21

5 Gregorius Acritensis. *Vita ex Men. Græc.* 289

6 Guarinus Ep. Sedunensis in Helvetia. *Ex epistola S. Bernardi et aliis* 347 et 730

8 Gudila V. Bruxellis in Belgio. *Prolegom.* 513. Vita *auctore Huberto ex* MS. *Prologus* 514, *cap.* 1, S. Gudilæ ortus, religiosa institutio 514, *cap.* 2, sancta vita, dæmonis insidiæ 515, *cap.* 3, mortificationis studium miraculo illustratum 516, *cap.* 4, alia in vita miracula 517, *cap.* 5, obitus, sepultura, miracula 518, *cap.* 6, sepulchrum violans punitus 519, *cap.* 7, reliquiæ Morzelam translatæ, miracula 519, *cap.* 8, Carolus Magnus sepulchrum veneratur 521, *cap.* 9, regia Virgo sanata, Rex conversus 522, *cap.* 10, Morzela vastata, translatum corpus Bruxellam 523

Alia Vita *ex Surio, cap.* 1, S. Gudilæ ortus, educatio 524, *cap.* 2, vita privata, dæmonis insidiæ 524, *cap.* 3, miracula in vita 525, *cap.* 4, obitus, sepultura, miracula 526, *cap.* 5, sepulchri violator punitus 526, *cap.* 6, reliquiæ translatæ, miracula 526, *cap.* 7, sepulchrum a Carolo Magno honoratum 527, *cap.* 8, Rex ob filiam sanatam conversus 528, *cap.* 9, reliquiæ Capræmontem delatæ 528, *cap.* 10, relatæ Morzelam, inde Bruxellam 530

10 Guilielmus Eremita, Archiepisc. Bituricensis. *Prolegom.* 627. Vita *auctore coætaneo, ex Surio, cap.* 1, S. Guilielmi episcopatus 629, *cap.* 2, Vita in episcopatu 629, *cap.* 3, varia miracula 630, *cap.* 4, pietas, opera misericordiæ, tentationes repressæ 631, *cap.* 5, pervicacia aliena domita 631, *cap.* 6, infestationes patientia superatæ 632, *cap.* 7, expeditio cruciata contra Albigenses 632, *cap.* 8, præparatio ad mortem 633, *cap.* 9, testamentum, obitus 634, *cap.* 10, sepultura 634, miracula ad sepulchrum 635

Alia Vita *auctore coætaneo, ex* MSS. *cap.* 1, S. Guilielmi vita ante episcopatum 636, *cap.* 2, acta in episcopatu, miracula 636, *cap.* 3, variæ virtutes, sancta mors 637, *cap.* 4, canonizatio 637. *Præfatio in librum miraculorum* 638. Aliud vitæ compendium, *auctore anonymo Coætaneo* 639

1 Guilelmus Ab. Divione. *Proleg.* 57 et 720. Vita *auctore Glabro Rodulpho ex* MSS. *Præfatio* 58, *cap.* 1 *et* 2, S. Gulielmi ortus, studia, vita monastica 58, *cap.* 3 *et* 4, fuga sacerdotii, migratio Cluniacum 59, *cap.* 5 *et* 6, præfectura variorum monasteriorum 60 et 720, *cap.* 7, templum S. Benigni restauratum, reliquiæ inventæ 61, *cap.* 8 *et* 9, sacerdotium, iter Romam, acta in Italia 61, *cap.* 10, 11, 12, S. Odilonis conversio ad religionem, S. Henrici Imp. et Roberti Regis conciliatio, Joannis XX, Papæ admonitio 62, *cap.* 13 *et* 14, varia monasteria extructa et directa, conciones 63, *cap.* 15 *et* 16, miracula, obitus 64

H

8 Helladius M. in Libya. *ex Men. et Mroll.* 472

1 Heraclus M. Bononiæ. *ex Mrol.* MS. 19

2 Herissus M. Sirmii. *ex Mroll.* MSS. 80

1 Hermes M. *ex Mrol.* MS. 19

4 Hermes M. Bononiæ. *ex Mroll. Sigonio, Ghirardaccio* 165

1 Hermes M. in Rhætia. *ex Mroll.* MSS. 25

3 Hilarius M. in Africa. *ex Mroll.* MSS. 130

5 Honobertus Ep. Senonensis. *ex variis* 288 et 730

11 Honorata V. Ticini in Ital. *ex Mroll.* Vita *ex Ferrario* 680 et 745

1 Honoratus M. *ex Mrol.* MS. 19

6 Honorius M. *ex Mrol.* MS. 324

5 Honorius M. in Africa. *ex Mroll.* 240

5 Honulphus Ep. Senonensis. *ex variis* 288 et 730

11 Hortensius Ep. *ex Mroll.* MSS. 677

11 Hyginus Papa M. *ex variis* 665 et 745

I

1 Jactus M. Bononiæ. *ex Mrol.* MS. 19

5 Januaria M. in Africa. *ex variis Mroll.* 240

6 Januaria M. in Africa. *ex Mroll.* 323

8 Januarius M. *ex Mroll.* MSS. 473

11 Januarius M. in Africa. *ex Mroll.* MSS. 666

7 Januarius M. Heracleæ. *ex Mroll.* 356

9 Januarius M. Smyrnæ. *ex Mroll.* MSS. 567

8 Igomonus, sive Egemonius, Ep. Augustoduni. *ex Saussaio et Mroll.* 473

10 Joannes Camillus Bonus Ep. Mediolan. *Prolegom.* 622. Vita *ex Josepho Ripamonti* 622

6 Jocundus M. in Africa. *ex Mroll.* 323

2 Isidorus Ep. Hermopolitanus in Ægypto Conf. *Ex S. Hieronymo, Martyrol. Rom.* 84 *et Palladio* 721

2 Isidorus Ep. M. Antiochiæ. *ex Mroll.* 83, an Ep. Cæsaraugustanus? 721
10 Jucundus M. *ex Mroll.* MSS. 602
5 Jucundus M. in Africa. *ex Mroll.* 240
9 Jucundus M. in Africa. *ex Mroll.* 567
8 Jucundus M. Sirmii. *ex variis Mroll.* 470
8 Julianus Diac. M. Bellovaci. *In Actis S. Luciani Ep.* cultus sacer 459, 460, ad Bellovacos adventus 463, martyrium 464 et 467
9 Julianus M. Antiochiæ, vel Antinoi in Ægypto. *Prolegom. ex variis.* § 1, S. Juliani Acta 570, § 2, varii SS. Juliani, hujus martyrii tempus et locus 571, § 3, memoria in Fastis VI, VII et VIII Janu. 572, § 4, cultus IX Janu. 572, § 5, memoria IX et XIII Janu. XIII Febr. itemque mense Junio 574. Acta *ex* MSS. *Præfatio* 575, *cap.* 1, S. Juliani ortus, educatio, conjugium cum Basilissa 575, *cap.* 2, votum virginitatis cælitus approbatum, vita monastica 576, *cap.* 3, persecutio Diocletiani, moritur S. Basilissa et mille V V. 578, *cap.* 4, Julianus captus, combusti socii 579, *cap.* 5, constantia ejus adversus blanditias Præsidis 579, *cap.* 6, cruciatus miracula: martyrium amici Præsidis 580, *cap.* 7, conversio S. Celsi pueri 581, *cap.* 8, Conversio XX militum : adventus VII Fratrum et S. Antonii Presb. in carcerem 582, *cap.* 9, Anastasius a morte suscitatus, conversus 582, *cap.* 10, Julianus et 30 MM. ab igne illæsi 583, *cap.* 11, S. Marcionilla uxor Præsidis, Celsi mater conversa : cædes XXVII Martyrum 584, *cap.* 12, subversio templi Jovis 585, *cap,* 13, Juliani et sociorum martyrium 586. Alia Acta *auctore S. Aldelmo* 587
7 Julianus M. in Gallia. *ex Saussaio* 357
7 Julianus M. an Toletanus, Calaritanus, alius? *Ex variis* 355 et 730
6 Julius M. *ex Mrol.* MS. 324
10 Justina matrona, Leontinis in Sicilia, *ex Ferrario* 601 et 744

L

8 Laurentius Justinianus Patriarcha Venetus. *Proleg.* § 1, origo congregationis S. Georgii in Alga 549, § 2, B. Laurentii Generalatus, ordinis cœnobia 549, § 3, Patriarchatus Venetus 550, § 4, vitæ Scriptores 550, § 5, Honores sacri 551. Vita *auctore Bernardo Justiniano nepote. Præfatio* 551, *cap.* 1, B. Laurentii ortus, adolescentia, fuga ad monasterium 552, *cap.* 2, pœnitentia, dolorum tolerantia 553, *cap.* 3, humilitas, mansuetudo, paupertas, oratio 554, *cap.* 4, caritas erga Fratres, prædictiones electio ad episcopatum 555, *cap.* 5, in episcopatu, vestis, victus, pecuniæ contemptus 556, *cap.* 6, sapientia, prudentia, scripta 557, *cap.* 7, mansuetudo, donum lacrymarum, corporis figura 557, *cap.* 8, moribundi et energumenus adjuti, Eucharistia absenti data, patriarchatus 558, *cap.* 9, monita salutaria, celebritas nominis 560, *cap.* 10, morbus extremus, pia decreta 561, *cap.* 11, oratio ante mortem, prædictiones 562, *cap.* 12, mors, sepultura, miracula 562. Bulla *Clem. VII, de ejus Beatificatione* 563. Recentiora miracula *ex Dan. Rosa, et aliis* 564
11 Leucius Ep. Brundusi Ital. *Prolegom.* 667 et 745. Vita *ex Breviario Capuano* 667. Alia Vita *ex* MS. *lectionario* 668. *Hymnus* 669. *Vita ex* MSS. *Præfatio* 669. *cap.* 1, S. Leucii ortus, vita monastica 669, *cap.* 2, vocatio ad episcopatum 669, *cap.* 3, sacerdotium, miracula 670 et 745, *cap.* 4, profectio in Italiam. Brundisinorum conversio, obitus 671 et 745. Translationis reliquiarum historia 672
1 Leucius M. *ex Mrol.* MS. 19
11 Leucius Conf. Alexandriæ. *ex Mroll.* 674
4 Libentius Ep. Bremensis in Germania *Prolegom.* 180. Vita *ex Adamo Bremensi, cap.* 1, B. Libentii virtutes 180, *cap.* 2, Sueno tyrannus et piratæ puniti 181, *cap.* 3, Libentius multos Episcopos ad gentium conversionem ordinat 181
5 Lucas monachus Ab. Placentiæ, Ital. *ex Ferrario* 289
8 Lucianus Ep. Bellovaci in Gallia. *Prolegom.* § 1, S. Luciani memoria in sacris fastis 459, § 2, ætas 460 et 734, § 3, vita scripta, aliorum testimonia 461 et 734. Vita *auctore Odone Ep. ex* MSS. *cap.* 1, S. Eucianus mittitur in Gallias 461, *cap.* 2, prædicat in Italia, venit Arelatum 462, *cap.* 3, Bellovaci prædicat, socii martyrio coronantur 463, *cap.* 4, varie tortus occiditur 464, *cap.* 5, proprium caput defert, sepelitur 465. Alia Vita *ex* MS. *cap.* 1, Bellovacis Christum prædicat 466, *cap.* 2, comprehenditur 467, *cap.* 3, occiditur, sepelitur, clarescit miraculis 467
3 Lucianus Ep. Leontinus in Sicilia. *ex Mroll.* 136
7 Lucianus Presb. Antiochenus M. *Proleg.* § 1, Luciani sanctitas, doctrina catholica 357, § 2, Acta, tempus mortis 358. Vita *ex Simeone Metaphraste, cap.* 1, S. Luciani patria, virtutes, eruditio 359, *cap.* 2, comprehensio, puerorum constantia 359, *cap.* 3, conversio variorum, incarceratio 360, *cap.* 4, obitus inter tormenta 361, *cap.* 5, sepultura Helenopolis urbs condita 361. Analecta *de eod. ex Ruffino et* MSS. 362, *ex Anthologio Græc.* 363, *ex S. Joan. Chrysost.* 363
5 Lucianus M. in Africa *ex Mroll.* 240
3 Lucida M. in Africa. *ex Mroll.* MSS. 130
8 Lucius M. *ex Mroll.* 473
7 Ludovicus Blosius Ab. Lætiensis in Belgio. *Prolegom.* § 1, vita ejus cur hic edita? 430, § 2, scripta Blosii ex Lætiensium Prolegomenis 430. Vita *auctore monacho Benedictino, Præfatio* 432, *cap.* 1, Blosii ortus, patria, parentes 432, *cap.* 2, educatio apud Carolum Principem commoratio, ad religionem vocatio 433, *cap.* 3, tirocinium vitæ monasticæ Lætiis 434, *cap.* 4, studia litterarum Lovanii 434, *cap.* 5, assumptio in Coadjutorem Abbatis 435, *cap.* 6, electio in Abbatem Lætiensem 436, *cap.* 7, regimen primis Prælaturæ annis 436, *cap.* 8, disciplinæ restauratio impedita, fuga Athum 437, *cap.* 9, Athi rigidior disciplina concepta 437, *cap.* 10, tergiversatio quorumdam et æmulorum invidia 438, *cap.* 11, lætias reditus, mitior vitæ ratio excogitata 438, *cap.* 12, sapientum virorum consilio, et aliarum congregationum exemplo, moderata vivendi ratio assumpta 439, *cap.* 13, speculum monachorum sub Dacryani nomine conscriptum 440, *cap.* 14, temperatus vivendi modus a Paulo III, probatus 440, *cap.* 15, exemplar perfectionis aliis Blosius 441, *cap.* 16, sacræ lectionis frequentatio 442, *cap.* 17, oratio, libri ascetici 442, *cap.* 18, exhortationes 444, *cap.* 19, monasterium conservatum ampliatum 446, *cap.* 20, suppellex sacra aucta, reliquiæ ornatæ 446, *cap.* 21, tranquillitas animi, mansuetudo, caritas 447, *cap,* 22, hospitalitas 448, *cap.* 23, castitas et mundities 449, *cap.* 24, magnanimitas, adversorum tolerantia 449, *cap.* 25, liberalitas in pauperes, opum honorumque contemptus 450, *cap.* 26, zelus contra nascentes hæreses et vitia 451, *cap.* 27, ægritudo postrema 453, *cap.* 28, mors, sepultura 453. *Epitaphia* 455. *Epilogus* 456

M

2 Macarius Alexandrinus Ab. *Prolegom. ex variis* 84

84 et 721. Acta *ex Vitis PP. collecta*, *cap.* 1, 2, 3, sacerdotium, tentationes superatæ, abstinentia 85, *cap.* 4, aditus ad monumentum Jannæ et Mambræ, lac a bubala præbitum 86, *cap.* 5, commoratio in cœnobio Tabennensi 87, *cap.* 6 *et* 7, contemplationis studium, miracula, vana gloria repressa 87, *cap.* 8, Hyænæ munus. Discipuli Palladius et Marcus 88, *cap.* 9, illusiones dæmonum in oratione, merita communicantium 88
2 Macarius Romanus Erem. in Italia, *ex Ferrario et aliis* 90
2 Macarius M. *ex Mroll.* MSS. 82
6 Macra V. M. in territorio Remensi. *Prolegom.* 324. Acta *ex* MSS. 325. Translatio reliquiarum, *ex* MSS. 326
1 Magnus M. *ex variis Mroll.* 21
9 Marcellinus Ep. Anconæ in Ital. *Acta ex S. Greg. et Ferr.* 590
2 Marcellinus M. Tomis in Ponto, *ex variis Mroll.* 82
10 Marcianus Presb. Œconomus Eccl. Constantinop. *Proleg.* 609. Vita *ex Mataphrasto*, *cap.* 1, fit Presbyter et Œconomus 611, *cap.* 2, templum S. Anastasiæ ædificat 611, *cap.* 3, veste pauperi data, ipse splendida indutus cernitur 612, *cap.* 4, S. Anastasiæ templum ab incendio servatum, miraculis illustratum 613, *cap.* 5, templum S. Irenes aliaque ædificata 614, *cap.* 6, mortui sepulti, meretrices conversæ 615, *cap.* 7, Marciani paupertas, existimatio, miracula 616
4 Marcianus M. in Africa, *ex Mroll.* 165
9 Marcionilla uxor Marciani Præsidis M. *In actis S. Juliani* 570, Cultus 572, 573, 574, conversio 584, baptismus 585, martyrium 586
5 Marcus M. in Africa, *ex Mroll.* MSS. 240
6 Marcus M. in Africa, *ex Mroll.* 323
2 Marcus Surdus, *ex Menæis* 90
1 Marinus Ab. Lerini, *ex Vincentio Barrali et Mroll.* 55, 719
3 Martialis M. in Africa, *ex Mroll.* 130
9 Martiana V. M. Cæsareæ in Mauritania, *Prolegom.* 568, *Acta ex* MSS. 569, *Hymnus ex Breviario Toletano* 570
2 Martinianus Ep. Mediolanensis. *Ex Martyrol. Rom. et Ripamontio* 89
1 Martina V. M. Romæ. *Proleg.* 11. Vita *ex* MSS. *cap.* 1, S. Martinæ genus, Apollinis statua eversa 11, *cap.* 2, Lictores conversi, occisi 12, *cap.* 3, eam torquentes cælitus puniti 13, *cap.* 4, Angelica consolatio, Diana eversa 14, *cap.* 5, leo mansuefactus, spretæ, illecebræ 15, *cap.* 6, ignis aliaque tormenta superata 16, *cap.* 7, Martinæ et tyranni dispar obitus 17. Reliquiarum inventio. *Ex Italico Marsilii Honorati* 18
9 Martyr anonymus, amicus Marciani Præsidis, a S. Juliano conversus. *In actis S. Juliani* 570. Oculi amissio et restitutio 580, conversio et martyrium 581
10 Martyres II socii S. Possessoris, *ex Mroll.* MSS. 602
9 Martyres V in Africa, socii S. Epicteti, *ex Mroll.* 567
11 Martyres VI in Hispania, cum SS. Agento, Donato, etc. *ex Mroll.* MSS. 674
9 Martyres VII fratres, ex genere Carini Imp. *In Actis S. Juliani* 570, Cultus 572, 573, 574, adventus in carcerem S. Juliani, martyrii desiderium 582, ignis superatus 583, martyrium 585
1 Martyres IX socii SS. Euphrosyni et Priamiani, Nicomediæ, *ex Mroll.* MS. 20
9 Martyres XX milites. *In actis S. Juliani* 570, cultus 572, 573, 574, conversio, baptismus 582, ignis superatus 583, martyrium 585
1 Martyres milites XXX Romæ via Appia, *ex Mroll.* 20
2 Martyres socii S. Defendentis, *ex Mroll.* 80
1 Martyres in Africa, socii S. Felicis, *ex Mrol.* MS. 19
10 Martyres socii SS. Revocati, Firmi, et Jucundi, *ex Mroll.* MSS. 602
1 Martyres Syracusani, *ex Octavio Cajetano* 9
9 Martyres plurimi, Episcopi. Sacerdotes, ministri Ecclesiæ, monachi. *In actis S. Juliani* 570, anniversaria memoria 573, 574. Vita aliquorum cœnobitica 577, martyrium 579
2 Martyres plurimi passi sub Diocletiano et Maximiano, *ex Eusebio, Baronio, Mrol. Rom.* 81
5 Martyres plurimi sub Diocletiano, in Thebaide, *ex Mrol. Rom. et Eusebio* 241
2 Martyres plurimi Britanni, Lichfeldiæ in Anglia, *ex Beda et Mrol. Anglicano* 82
2 Martyres plurimi Placentini, *ex Ferr. et Franc. Gonzaga* 80
4 Mavilus M. Adrumeti in Africa, *ex Mrol. Rom. et Tertul.* 164
8 Maurontus Ab. monasterii S. Florentii. *Ex vita S. Hermelandi et Mroll.* 505
8 Maximianus Presb. M. Bellovaci. *In actis S. Luciani Ep.* Ejus veneratio 459, 460, ad Bellovacos adventus 463, martyrium 464 et 467
2 Maximianus M. Sirmii, *ex Mroll.* MSS. 80
8 Maximus I, Ep. Ticinensis, *ex Ferrario et Bernar. Sacco* 471
8 Maximus II, Ep. Ticinen, *ex epist. S. Ennodii et Ferrario* 471
2 Maximus Ab. M. in Gallia. *Acta ex* MSS. *Prologus.* Genealogia S. Maximi 91, *cap.* 1, fuga in eremum ut nuptias declinet 91 et 722, *cap.* 2, sponsalia vi contracta, iterata fuga 92, *cap.* 3, monachatus, sacerdotium 92, *cap.* 4, cœnobii præfectura, lethalia vulnera inflicta 93, *cap.* 5, obitus, miracula 94
7 Maximus M. Brixiæ, *ex Galesinio et aliis* 429
1 Meduinus in Anglia. *Vita ex variis collecta* 10, 719
6 Melanius Ep. Rhedonensis in Gallia. *Prolegom.* 327. Vita *ex* MSS. *cap.* 1, S. Melanii ortus, promotio ad episcopatum 328, *cap.* 2, functiones episcopales, miracula 329, *cap.* 3, curationes per oleum sacrum et aquam benedictam 330, *cap.* 4, Marsi Episcopi pœna, curatio. Venetensium conversio 330, *cap.* 5, Rex Venetensium ejusque filia curati; alia miracula 331, *cap.* 6, obitus, miracula 332. Miraculum sepulchri incenso templo illæsi, *ex S. Greg. Turonen.* 333. Alia miracula *auctore Gervasio Ep. Remensi* 333. Aliud miraculum *auctore anonymo ex* MSS. 334
6 Melchior Rex e tribus Magis, *ex variis Mroll.* 323
3 Melorus M. in Anglia. *Prolegom.* 136 et 725 Vita *ex Capgravio et* MSS. 136
1 Mochua, sive Cronanus, Ab. Ballensis in Hibernia. *Proleg.* 47 et 719. Vita *ex* MSS. *cap.* 1, S. Mochuæ genus, vita monastica 47, *cap.* 2, 3, 4, 5, varia miracula, iter in Conachtiam, monasterium Ballense 48, *cap.* 6, variæ curationes, mors 49
1 Mochua, sive Cuanus, Ab Lægsiensis in Hibernia. *Proleg.* 45. Vita *ex* MSS. *cap.* 1, S. Mochuæ monachatus 44, *cap.* 2, 3, 4, 5, varia miracula 45, 46, 47 et 719, *cap.* 6, ædificia, mors 47
11 Monachi IX Suppentoniæ cum S. Anastasio Abbate, *ex S. Gregorio et Mroll.* 701
11 Morositus M. in Hispania, *ex Mroll.* MSS. 674

N

1 Narcissus M. in Africa, *ex Mroll.* MS. 19
2 Narcissus M. Tomis in Ponto, *ex Mroll.* 82
4 Neophyta V. M. *Prolegom.* 166. Vita *ex* MSS. 166
10 Nicanor M. e VII primis Diaconis, *ex Mroll.* 601
7 Nicetas Ep. Dacorum, Vita *ex S. Paulino et aliis*

collecta, § 1, S. Nicetæ primus in Italiam adventus 365, § 2, secundus adventus 365, § 3, reditus in Daciam, gentes ab eo conversæ 366
6 Nilammon reclusus, Geris in Ægypto, *ex Mrol. Rom. et Sozomeno* 326

O

1 Odilo Abb. Cluniacensis. *Prolegom.* 65. Vita *auctore Lotsaldo monacho, ex* MSS. *Prologus* 65, *cap.* 1, 2, 3, 4, S. Odilis patria, monachatus, præfectura 66 et 720, *cap.* 5, 6, 7, variæ virtutes, amabilitas, comitas, liberalitas 67, *cap.* 8, hospitalitas, humilitas 68, *cap.* 9, 10, 11, 12, 13, fortitudo, temperantia, magnificentia, amor erga V. Matrem 69, *cap.* 14, 15, miracula, iter Romanum, obitus 70. Alia vita *auctore B. Petro Damiano. Prologus auctoris* 71, *cap.* 1 *et* 2, institutio clericalis et monastica, præfectura, liberalitas 71, *cap.* 3, 4, 5, 6 in alios benignitas, miracula 72, *cap.* 7, 8, 9, alia varia miracula 73, *cap.* 10, 11, commemoratio animarum instituta; liberatio Benedicti Papæ e Purgatorio 74, *cap.* 12, 13, 14, varia miracula 75, *cap.* 15, 16, monasteria constructa et directa, obitus, miracula 76. Elevatio *S. Odilonis, ex Car. Saussaio et Bibliot. Cluniac.* 77
2 Odino, sive Otteno Ab. Rothensis ord. Præmonstrat, in Suevia, *ex variis* 722
10 Oringa, sive Christiana V. Castelli-sanctæ-Crucis in Etruria. Vita *a Silvano Razzi Italice scripta, cap.* 1, B. Oringæ adolescentia 651, *cap.* 2, peregrinationes 651, *cap.* 3, cœnobium constructum, vaticinia, miracula 652, *cap.* 3, ægritudo, mors, miracula 653. Alia vita *auctore Corn. Curtio ord. S. Augustini, cap.* 1, B. Oringæ virginitas fuga servata 654, *cap.* 2, ancillatio Lucæ, peregrinatio ad montem Garganum 655, *cap.* 3, Romæ et Assisii divina defensio et illustratio 656, *cap.* 4, cœnobium crucis castellanum extructum 657, *cap.* 5, cœnobium ordinatum; cantus et litterarum scientia 657, *cap.* 6, arcanorum et futurorum præscientia 658, *cap.* 7, virtutes, miracula 659, *cap.* 8, obitus, mors, sepultura 660, *cap.* 9 *et* 10, varia post mortem miracula 661 et 662

P

11 Pacius M. in Hispania, *ex Mroll.* MSS. 647
11 Palæmon Anachoreta in Thebaide. Acta *ex Vita S. Pachomii, cap.* 1, consecrat monacum S. Pachomium 675, *cap.* 2, abstinentia, reprehensio arrogantis et incontinentis monachi 676, *cap.* 3, Pachomii virtutes. Palæmonis obitus 676
7 Pallada M. *ex Mrol.* MS. 333
8 Palladius M. *ex B. Notkero* 473
1 Paracodas Ep. Viennen. *ex Boscio et variis Mroll.* 20
9 Paschasia V. M. Divione in Burgundia. *Acta a Petro Franc. Chiffletio Soc.* JESU *collecta* 566
8 Patheus M. *ex Morl.* MS. 472
8 Patiens Ep. Metensis. *Proleg.* 468 et 734. Vita *ex* MS. 469
10 Paulinus Patriarc. Aquileiensis. Vita *ex variis* collecta, § 1, Patriarchæ Aquileiensis Sedes 713, § 2, S. Paulini doctrina, familiaritas cum Carolo Magno et Alcuino Flacco 714, § 3, pietas in Deum, studium orationis 715, § 4, conciones, fides propagata 715, § 5, hæreses oppugnatæ, Concilia celebrata, libri editi 716, § 6, immunitas Ecclesiastica defensa 717, § 7, obitus, publica veneratio 718
10 Paulus Thebæus I, Eremita in Ægypto. *Prolegom.* 602 et 744. Vita *ex* MS. *Græco* 603. Alia Vita *auctore S. Hieron. Prologus* 604, *cap.* 1, S. Pauli secessus in eremum 604, *cap.* 2, colloquium et et prandium cum S. Antonio 605, *cap.* 3, mors, sepultura 606. Translatio reliquiarum S. Pauli, et ordo Eremitarum S. Pauli institutus. *Ex variis* 607 et 744. Historica relatio, *ex* MSS. 608
11 Pausalinus M. in Hispania, *ex Mroll.* MSS. 674
8 Pega, sive Pegia V. in Anglia. *Ex Vita S. Guthlaci, Orderico Vitale, Ingulnho, et aliis* 332
9 Petrus Ep. Sebastenus in Armenia. *Acta ex Vita S. Macrinæ sororis et aliis* 388 et 744
6 Petrus Ab. Cantuariensis, *ex Hist. Angl. S. Bedæ et aliis* 334
3 Petrus Balsamus M. *Prolegom.* 128, *Acta ex Surio et* MSS. 129
5 Petrus M. in Africa, *ex Mroll.* MSS. 240
6 Petrus M. in Africa, *ex Mroll.* 323
8 Petrus M. Sirmii, *ex Mrol.* MS. 470
11 Petrus Conf. Alexandriæ, *ex variis Mroll.* 674
4 Pharaildis V. in Brabantia. *Prolegom.* 170. Vita *ex* MSS. *Prologus* 170, *cap.* 1, S. Pharaildis genus, adolescentia sancta 170, *cap.* 2, virginitas in conjugio servata 171, *cap.* 3, maritus crudelis, divinitus punitus 171, *cap.* 4, S. Pharaildis mors, miracula 171. Vitæ epitome *ex Molano* 172, miraculum de panibus in lapides conversis, *ex* MSS. 172, de ecclesia et translationibus. *Ex Gandavo Antonii Sanderi* 173
7 Philo M. *ex Mrol.* MS. 337
11 Philo M. in Hispania, *ex Mroll.* MSS. 674
11 Philoromus M. *ex Mroll.* Acta *ex* MSS. 666
11 Philoromus M. in Africa, *ex Mroll.* MSS. 666
5 Phosterius Ab. Vita *ex Men. Græc.* 286
9 Pictus M. in Africa, *ex Mroll.* MSS. 567
8 Pisseus M. *ex Mroll.* MSS. 473
8 Planius M. Interamnæ, *ex Ferrario* 471
3 Pœnica M. in Africa, *ex Mroll.* MSS. 130
7 Polyanthus M. *ex Mrol.* MSS. 337
8 Polyeuctus, vel Euctus, M. *ex Mroll.* 473
11 Polyeuctus M. *ex Mroll.* Acta *ex* MSS. 666
6 Pompeianus M. Calari, *ex Sanct. Calar. Seraph. Squirri* 324
2 Possessor M. *ex Mroll.* MSS. 82
10 Possessor M. *ex Mroll.* MSS. 602
3 Possessor M. in Africa, *ex Mroll.* MSS. 130
9 Possessor M. Smyrnæ, *ex Mroll.* MSS. 567
1 Priamiamus, sive Prianus M. Nicomediæ *ex Mrol.* MS. 20
3 Prima M. *ex Mroll.* MSS. 135
1 Primianus M. *ex Mroll.* MS. 14
3 Primus M. in Hellesponto, *ex Mrol.* 333
4 Priscillianus Diac. *ex Mroll.* 165
4 Priscus Presb. Romæ, *ex Mroll.* 165
5 Privatus Ab. Placentiæ in Ital. *ex Ferrario* 289

Q

9 Quietus M. in Africa, *ex Mroll.* MSS. 567
4 Quintus M. in Africa, *ex Mroll.* 165
9 Quintus M. Africa, *ex Mroll.* 567
9 Quintus alius M. in Africa, *ex Mroll.* MSS. 567
9 Quintus item alius M. in Africa, *ex Mroll.* MSS. 567
10 Quintus M. in Africa, *ex Mroll.* MSS. 602
11 Quintus M. in Africa, *ex Mroll.* MSS. 666

R

7 Raimundus de Pennaforti III, Generalis. Ord. Prædicat. *Prolegeom.* 404. Vita *auctore Leandro Alberto* 405. Alia Vita *ex bulla canonizationis Clementis VIII. Præfatio* 407, *cap.* 1, Raimundi eruditio, munia Ecclesiastica 408, *cap.* 2, religionis ingressus, sanctissima vita; institutio Ordinis de Mercede 408, *cap.* 3, apud Legatum et

et Pontificem obita officia 409, *cap.* 4, declinata dignitas, Generalatus ultro abdicatus 410, *cap.* 5, pro fidei propagatione et peccatorum extirpatione labores 411, *cap.* 6, virtutes, mors, exequiæ 412, *cap.* 7, miracula post mortem, 413, *cap.* 8, recentiora miracula 414, *cap.* 9, canonizatio cœpta procurari 415, *cap.* 10, ejus processus varie examinatus 415, *cap.* 11, canonizatio decreta 416, *cap.* 12, canonizationis ordo 417. Analecta *ex variis. Proleg.* 418. Miracula post mortem, *cap.* 1, *ex Michaele Llot* 419. *Ex Nic. Aymerico, cap.* 2, mortui suscitati 422, *cap.* 3, in extremo periculo curati 423, *cap.* 4, paralytici aliique 424, *cap.* 5, prægnantes liberatæ, aliique 425. Alia miracula *Hispanice scripta a Franc. Diago* 427, *ab Ant. Vinc. Donecco* 427, *et post canonizationem* 428, *a Joanne Lopez* 733

8 Ratites M. Sirmii, *ex Mroll.* MS. 470
7 Reinoldus mon. M. Tremoniæ, *Prolegom.* 385 et 733. Vita *ex* MS. 386
10 Revocatus M. *ex Mroll.* MSS. 602
9 Revocatus M. Smyrnæ, *ex variis Martyroll.* 567
3 Rhodon M. *ex Mroll.* MSS. 135
3 Rhodus M. *ex Mroll.* MSS. 135
4 Rigobertus Ep. Remensis. *Prolegom.* 174. Vita *ex* MSS. *cap.* 1, S. Rigoberti genus, episcopatus, ordinatio Cleri 174, *cap.* 2, donationes sacræ 175, *cap.* 3, Rigoberti domus, sacrilegi pœna 176, *cap.* 4, Caroli Martelli sacrilegia, damnatio 177, *cap.* 5. Rigoberti exilium, reditus, vita privata 177. Translationis historia *ex* MSS. *cap.* 1, miracula ad sepulchrum S. Rigoberti 178, *cap.* 2, translatio prima ad monast. S. Theodorici 179, *cap.* 3, translatio secunda ad templum S. Dionysii 179, *cap.* 4, translatio tertia ad Templum S. Mariæ 179, *cap.* 5, reliquiæ in Veromanduos deportatæ 179 et 728
3 Rogatianus M. in Africa, *ex Mroll.* MSS. 130
4 Rogerius Ab. Ellantii in Gallia. *Proleg.* 182 et 729. Vita *auctore monacho Ellantino. Prologus* 182, *cap.* 1, mundi contemptus, professio monastica, electio in Abbatem 182, *cap.* 2, 3, 4, varia miracula 183, *cap.* 5, adventus Ep. Remensis 183, *cap.* 6 *et* 7, varia miracula 184, *cap.* 8, peregrinatio sancte peracta 184, *cap.* 9 *et* 10, disciplina monastica, obitus 185
4 Rumonus Ep. Tavestokæ in Anglia, *ex Mroll. Anglic. et Malmesburien.* 728
5 Rusticianus Ep. Brixiensis, *ex Galesinio et Ferrario* 257
8 Rusticus M. *ex Mroll.* 473
9 Rusticus M. in Africa, *ex Mroll.* 567
2 Rutila M. in Æthiopia, *ex variis Mroll.* 82

S

5 Sais M. *ex Men. Græc.* 240
3 Salvator Ep. Beluni in Itatia, *ex Ferrario* 137
11 Salvius M. in Hispania, *ex Mroll.* MSS. 674
11 Salvius Ep. Ambianen, in Gallia. *Proleg.* 703. Vita *ex* MSS. *cap.* 1, Salvii a seculari vita convertio 704, *cap.* 2, exstases 705, *cap.* 3, episcopatus, obitus, miracula 706
11 Salvius M. in Africa, *ex variis Mroll.* 674
1 Saturninus M. *ex Mrol.* MS. 19
1 Saturninus alter, *ex Mrol.* MS. 19
9 Saturninus M. in Africa, *ex variis Mroll.* 567
11 Saturninus M. in Africa, *ex Mroll.* MSS. 666
9 Saturninus M. Smyrnæ, *ex Mroll.* MSS. 567
2 Saturus M. *ex Mroll.* MSS. 82
7 Spolicostus M. *ex Mrol.* MS. 355
2 Sebastianus Thebæus M. *ex Ferrario.* 81
8 Secundus M. *ex Mroll.* MSS. 473
5 Secundus M. in Africa, *ex variis Mroll.* 240
9 Secundus M. in Africa, *ex variis Mroll.* 567
8 Semeias Propheta, *ex Saliano, Men. Græc. et aliis* 458
7 Senator Ep. Veronensis, *ex Ferrario et Galesiano* 357
10 Setrida V. Angla Ab. Brigensis in Gallia, *ex Beda, Saussaio aliisque* 626
2 Severianus M. in Gallia. Acta *ex* MSS. 79 et 721
8 Severinus Ep. Septempedanus in Italia. *Prolegom.* 499 et 739. Vita *ejus et fratris S. Victorini ex* MSS. 500. Alia Vita *ex* MS. *cap.* 1. SS. Severini et Victorini vita monastica 739, *cap.* 2, vita eremitica 740, *cap.* 3. Victorini lapsus, pœnitentia 741, *cap.* 4. Severini episcopatus 743
8 Severinus Presb. Noricorum Apost. *Prolegom.* 483. Vita *auctore Eugippio Presbytero.* Præfatio *ad Paschasium Diac.* 484. Responsum *hujus ad Eugippium* 485, *cap.* 1, varia prædicta, laborantibus subventum 486, *cap.* 2, victoria, aliaque prædicta aut impetrata 486, *cap.* 3, contemptus vindicatus, reliquiæ conquisitæ 488, *cap.* 4, captivi et afflicti adjuti, sacrilegi emendati 489, *cap.* 5, varia miracula 490, *cap.* 6, captivis, pauperibus et afflictis subventum 490, *cap.* 7, varia vaticinia 491, *cap.* 8, periclitantes, ægri, egeni adjuti 492, *cap.* 9, præsidium contra hostes 493, *cap.* 10, ægritudines et pericula depulsa 494, *cap.* 11, ultima ad Reges et suos monita, obitus 496, *cap.* 12, corporis in Italiam translatio 496
Translatio 497 et 734, Historia Translat. *auctore Joan. Diac. Ex* MSS. *cap.* 1, Rhegium a Saracenis captum, direptum 734, *cap.* 2, Taurominium captum, civium cædes 735, *cap.* 3, S. Severini corpus Neapolim translatum 736, *cap.* 4, Abrahami tyranni interitus 737, *cap.* 5, S. Severini miracula ibid.
2 Severinus M, in Gallia, *Acta ex* MSS. 79 et 721
11 Severus Conf. Alexandriæ, *ex Mroll.* 674
5 Severus M. in Africa, *ex Mrol.* MS. 240
1 Severus M. Ravennæ, *ex Mroll. et Rubeo* 20
2 Silanus M. in Gallia. *Acta ex* MSS. 79 et 721
9 Sillus M. in Africa, *ex Mroll.* MSS. 567
2 Silvester mon. Trainæ in Sicilia, *ex Ferrario et aliis* 124
5 Simeon Stylita juxta Antiochiam in Syria. *Prolegom.* § 1, varii Simeones Stilitæ, hujus celebre nomen 261, § 2, Stylitæ unde dicti? quæ columnæ forma? 262, § 3, hujus ætas 262, § 4, vita a quo scripta? 263, § 5, ejus mentio celebris apud alios Scriptores 263. Vita *ex* MS. *Græco auctore Ant. ejus discip. interprete Guil. Gratio Soc.* JESU, *cap.* 1, S. Simeonis tredecennis conversio 264, *cap.* 2, pœnitentia, ejectio e monasterio, et reductio 265, *cap.* 3, vita in columna, preces pro matre mortua 265, *cap.* 4, curationes infirmorum, vermis in unionem mutatus 266, *cap.* 5, Antiochi latronis conversio, pia mors 266, *cap.* 6 *et* 7, beneficia variis præstita 267, *cap.* 8, mors, sepultura 268. Alia Vita *ex* MSS. *Latinis, cap.* 1, monastica vita 269, *cap.* 2, ejectio et monasterio et reductio 269, *cap.* 3, statio in columna, conversio multorum 270, *cap.* 4, vermis in unionem mutatus, matri negatus aspectus, æterna requies obtenta 271, *cap.* 5, varia beneficia aliis collata 271, *cap.* 6, prodita fraus, avaritia castigata 271, *cap.* 7, latronis conversio, mors 272, *cap.* 8, impensa communiter et privatim beneficia 272, *cap.* 9, obitus, corpus Antiochiam delatum 273. Alia Vita *ex* MS. *Græco, auctore Simeone Metaphraste, interprete Guil. Gratio Soc.* JESU, *cap.* 1, S. Simeonis ortus, tirocinium vitæ monasticæ

sticæ 274, *cap.* 2, pœnitentia et abstinentia mirabilis 275, *cap.* 3, populorum ad eum concursus 276, *cap.* 4, columnaris statio, probata a Patribus 277, *cap.* 5, conspectus matri negatus, defunctæ parentatum 277, *cap.* 6, Ismaelitis collata beneficia 278, *cap.* 7, proles sterili Reginæ impetrata, et sanata 279, *cap.* 8, mulier eminus agnita et benedicta 279, *cap.* 9, Antiochi latronis conversio, pia mors 280, *cap.* 10, cognitio futurorum et absentium 281, *cap.* 11, SS. Theodosius Cœnobiarcha et Daniel Stylita instructi, Barbari adjuti 282, *cap.* 12, quotidianæ exercitationes, præcepta variis data 283, *cap.* 13, mutus curatus, calamitas publica depulsa 284, *cap.* 14, obitus, corpus Antiochiam delatum 284, *cap.* 15, reliquiæ a Leone Imp. expeditæ, templum in monte in quo stetit, 285. De iisdem reliquiis et templo, *ex Evagrio* 286

2 Siridon Ep. *ex Mroll.* 83

1 Stabilis Ep. Arvernensis. *Ex variis.* 57

3 Statulianus M. in Africa, *ex Mroll.* MSS. 130

2 Stephanus M. Hierosolymis, *ex Mroll.* MSS. 82

11 Stephanus M. in Hispania, *ex Mroll.* MSS. 674

2 Stratonicus M. *ex Mroll.* MSS. 82

5 Syncletica V. Alexandriæ. *Prolegom.* 242. Vita *auctore S. Athanasio ex* MS. *Græco, interprete Davide Colvillo collata cum interpretatione Pet. Lanselii Soc.* JESU. *Præfatio* 242 et 729, *cap.* 1, syncleticæ genus, adolescentia 243 et 729, *cap.* 2, religiosæ vitæ tirocinia 243 et 729, *cap.* 3, præcepta ad virgines 244 et 729, *cap.* 4, de custodia castitatis 245 et 729, *cap.* 5, paupertatis voluntariæ bona 246 et 729, *cap.* 6, vitæ monasticæ et secularis comparatio 247 et 729, *cap.* 7, de insidiis dæmonum 248, *cap.* 8, de arrogantia et pusillanimitate curandis 248 et 729, *cap.* 9, de ira, detractione, odio vitandis 250 et 729, *cap.* 10, de eleemosyna spirituali et corporali, vitæque religiosæ exercitatione 251 et 729, *cap.* 11, Genethliacorum judicia refelluntur 252 et 729, *cap.* 12, profectus spiritualis, ornatus sponsarum Christi 253 et 729, *cap.* 13, Paræenesis ad religiosas 254 et 729, *cap.* 14, Hectica diu laborat, suas interim instruit 255 et 729, *cap.* 15, vocis usu privatur, acerba patitur, pie moritur 256

5 Syncletica alia quæ et Apollinaris. *Vide* Apollinaris.

3 Sinesius M. Nicomed. idem qui Theonas. *Acta ex* MS. 723

T

5 Talida V. Ab. Antinoi in Thebaide, *ex Mroll. et Vitis PP.* 257

8 Tatia M. Sirmii, *ex Mrol.* MS. 470

5 Tatiana, *ex Menæis Græc.* 257

11 Tato mon. in Sammio, *ex Ferrario* 713 et 745

5 Telesphorus Papa M. *Prolegom.* 236 et 729. Vita *auctore Segero Paulo ord. Carm.* § 1, Status Ecclesiæ sub Antonino Imp. 236, § 2, S. Telesphorus sectator vitæ religiosæ 237, § 2, Papa creatur 238, § 4, varia jejunia ordinat 238, § 5 et 6, tres Missas in Nativitate Domini celebrandas, aliaque in Missis observanda decernit 238, 239, § 7 et 8, viros Apostolicos ad diversas plagas mittit, hæreticis resistit 239

5 Telesphorus M. in Africa, *ex variis Mroll.* 240

6 Telesphorus in Africa, *ex Mrol.* MS. 323

1 Telemachus M. Romæ, *ex Mroll. et Theoreto* 21

10 Thecla V. Leontinis in Sicilia. *Vita ex Ferrario* 601 et 744

4 Theoctistus Ab. in Sicilia, *ex Mroll.* 180

7 Theodorus mon. in Ægypto, *ex Mrol. Rom. et vita S. Antonii* 365

5 Theodorus M. Calari, *ex Sanctuario Calaritano Seraphini Squirri* 242

11 Theodosius Cœnobiarcha in Judæa. *Prolegom.* § 1, S. Theodosii natalis, sacri honores 680, § 2, Vitæ Scriptores 681, § 3, ætas, tempus obitus 682, § 4, situs monasterii 683 et 745, § 5, familiaritas cum S. Saba 683. Vita *ex* MS. *Græco et Metaphraste, cap.* 1, S. Theodosii ortus, educatio, peregrinatio 685, *cap.* 2, Hierosolymis habitatio, secessus 686, *cap.* 3, exercitatio in spelunca 687, *cap.* 4, confluxus discipulorum, unius obitus 687, *cap.* 5, annona divinitus submissa 688, *cap.* 6, monasterium extructum 689, *cap.* 7, benignitas in pauperes, ægros, hospites, divinitus remunerata 689, *cap.* 8, valetudinaria quinque extructa, energumeni liberati 691, *cap.* 9, templa quatuor extructa, exercitatio monachorum 691, *cap.* 10, sacræ lectiones et exhortationes 692, *cap.* 11, Anastasii Imp. ad hæresim invitantis repudiata munera 693, *cap.* 12, utriusque epistolæ 694, *cap.* 13, zelus, exilium 695, *cap.* 14, cancer miraculo curatus, frumentum multiplicatum 696, *cap.* 15, submersionis et abortionum periculum depulsum 697, *cap.* 16, noxia animantia cohibita, homines malevoli puniti 698, *cap.* 17, præliantibus aliisque subventum, terræmotus prædictus 698, *cap.* 18, senectus, ultimus morbus 699, *cap.* 19, mors, sepultura, miracula 700

11 Theodosius Antiochenus Ab. in Scopulo. *Prolegom.* 677. Vita *ex Menæis Græcorum* 677, *ex Philotheo Theodoreti* 678. Miracula *ex Prato Spirituali Joannis Moschi* 679

2 Theodote mater SS. Cosmæ et Damiani. *ex* MS. 81

1 Theodotus M. *ex Menæis Græc.* 21

4 Theodotus M. in Africa. *ex Mroll.* 165

5 Theognia V. Menis in Sicilia. *ex Oct. Cajet. et Ferrar.* 240

3 Theogenes M. in Hellesponto. *Prolegom. ex variis* 133. Acta *ex* MSS. 134

5 Theoidus M. *ex Men. Græc.* 241

3 Theonas M. Nicomediæ. *ex Mroll.* 127 et 723 *Acta ex* MSS. 723

3 Theopemptus Ep. M. *ex Mroll. et Men.* 127 et 723. *Acta ex* MSS. 723

8 Theophilus Diac. M. in Libya, *ex Men. Græc. et Mroll.* 472

2 Theopistus M. *ex Men. Græc.* 81

8 Tibudianus M. Interamnæ. *ex Ferrario* 471

8 Tilis (nisi mutilum est nomen) M. Sirmii, *ex Mrol.* MS. 470

7 Tillo Paulus Ab. in Gallia. *Prolegom.* 376. Vita *ex* MS. *Præfatio* 376, *cap.* 1, S. Tillonis genus, sancta conversatio 377, *cap.* 2, sacerdotium, præfectura, monita 378, *cap.* 3, miracula ante et post mortem 379

8 Timotheus M. *ex Mroll.* MSS. 473

2 Timotheus M. Sirmii, *ex Mroll.* MSS. 80

4 Vitus Apost. Ep. Cretensium. *Prolegom.* 163. Vita *ex Men.* 163, *ex Petro de Natalib.* 164

2 Tobia M. Sirmii, *ex variis Mroll.* 80

8 Torphimus Ep. Hamariensis in Norwegia, *ex Molano, Henriquez, Saussaio* 548

4 Tryphon M. in Africa, *ex Mroll.* 165

V

7 Valentinus Ep. Passaviensis. *Prolegom.* 368 et 730. Vitæ epitome *auctore Matthæo Radero Soc.* JESU 369. Vita et Translatio *a Surio expolita, edita hic a pag.* 369 *ad* 372. *Alia primigenia phrasi substituta ex* MS. *cap.* 1, S. Valentini inventio, translatio 730, *cap.* 2, prædicatio, virtutes

virtutes 731, *cap.* 3, pietas mors, Translatio. 732
7 Valentinus II, Ep. Interamnæ, *ex Ferrar. et Pet. de Nat.* 372
10 Valericus, sive Walericus Erem. in Gallia, *ex Molano, Saussaio, et aliis* 617
1 Victor M. in Africa, *ex Mrol.* MS. 19
1 Victor M. socius SS. Primiani, Saturnini, etc. *ex Mrol.* MS. 19
5 Victorinus Ab. Placentiæ in Ital. *ex Ferrario* 289
9 Vincentius M. in Africa, *ex Mroll.* MSS. 567
11 Vincentius M. in Africa, *ex Mroll.* MSS. 666
9 Virgines circiter 1000, sub S. Basilissa. *In Actis S. Juliani* 570, earum vita cœnobitica 577, obitus 578, apparitio facta S. Basilissæ 578 et S. Juliano 587
10 Vitalianus M. in Africa, *ex Mroll.* MSS. 602
7 Vitalis Ab. Saviniacensis, *ex Mroll. Orderico Vitale, Guilielmo Neubrigensi* 389
9 Vitalis M. in Africa, *ex Mroll.* 567
2 Vitalis M. Hierosolymis, *ex Mroll.* MSS. 82
9 Vitalis M. Smyrnæ, *ex Mroll.* 567
11 Vitalius, sive Vitalis, monachus Gazæus, Alexandriæ, *ex Menæis Græc.* Acta *ex Vita S. Joannis Eleemosynarii* 702
2 Vitus M. Sirmii, *ex Mroll.* MSS. 80

W

9 Waningus Conf. Fiscani in Gallia. *Prolegom.* 590. *Vita ex fragmentis* MSS. 591
7 Wittikindus Dux Westphaliæ. Vita *ex variis collecta, cap.* 1, Wittikindi sanctitas celebris 380, *cap.* 2, antiqui Saxones, eorum Dux Wittikindus 381, *cap.* 3, ejus adhuc gentilis bella 382, *cap.* 4, conversio 383, *cap.* 5, Christiana ejus opera, obitus, reliquiæ 385 et 733
8 Wulsinus Ep. Schireburnensis in Anglia. *Prolegom.* 547. Vita *ex Capgravio* 547. Alia *ex Malmesburiensi* 548

Z

3 Zosimus monachus M. in Cicilia, *ex Mroll. et Men.* 128

INDEX
CHRONOLOGICUS
IN XI PRIORES DIES JANUARII.

Quæ hoc tomo de Sanctis, iis præsertim quorum XI *prioribus diebus Januarii aguntur natales, memorantur, ea, non tamen omnia, sed præcipua, suis hic temporibus breviter assignatur, vel ex certis chronologicis notis vel probabili aliorum conjectura. Accuratior ceteris editis tomis, atque universalior contexetur Chronologia.*

In annis a Christi ortu computandis secuti sumus vulgarem et passim receptam epocham : in digerendis annis Imperatorum ante Constantinum, consulares Fastos aliosque proprios characteres.

Qui ante Christi ortum vixere Sancti, hoc tomo pauci occurrere; quorum proinde in hoc Indice habita ratio non est : fiet id alibi accurate.

Litteræ A B C etc., non sunt margini adscriptæ, ut in quatuor ultimis Indicibus, quia rarior hic earum usus, et quid sibi velint facile erit ex tertii Indicis præfatione cognoscere.

I SECULUM A CHRISTO NATO.

An. 1. Christus circumciditur 1 *Januarii* 2, a 3 Magis Regibus adoratur 323

Hoc seculo tres Magi Reges moriuntur, Gaspar 1 *Januarii* 8. Melchior 6 *Jan.* 323. Balthasar 11 *Januarii* 664

An. 76. S. Nicanor unus e primis VII Diaconis martyrio coronatur in Cypro 10 *Jan.* 601

II SECULUM.

Circiter an. 105. S. Titus Ap. Ep. Cretensium 4 *Januarii* 163

An. 116. S. Hyginus Papa M. 11 *Jan.* 665

Cir. an. 130. S. Celsus Ep. Treviren. obit. 4 *Jan.* 164

Cir. an. 152. S. Patiens, vel Patientius, Ep. Metensis putatur obiisse 8 *Jan.* 468

Cir. an. Ch. 153. S. Telesphorus Papa martyrio coronatur 5 *Jan.* 236

Sub M. Aurelio. Paschasia V. M. Divione in Burgundia 9 *Januarii* 566

Cir. an. 168. Daniel martyrium passus creditur Patavii 3 *Janu.* 161

Cir. an. 175. S. Concordius Presb. Spoletii in Italia 1 *Januarii* 9

Cir. an. 198. SS. Elvanus Ep. et Meduinus moriuntur in Angia 1 *Janu.* 10

III SECULUM.

Cir. an. 203. S. Mavilus M. Adrumeti in Africa 4 *Januarii* 164

Sub Alexan. Imp. S. Martina V. M. Romæ 1 *Januarii* 11

Anno 236. S. Anteros Papa M. 3 *Janu.* 127

Cir. an. 239. S. Paracodas Ep. Viennensis 1 *Janu.* 20

Cir. an. 248. S. Crispinus I, Ep. Ticinensis in Italia 7 *Januarii* 356

Sub Decio sævitur in Ægypto in Christianos, etiam mollibus tormentis 605 a

Paulus Thebæus XV annos natus in eremum fugit 605 b

3 *seculo* S. Senator Ep. Veronensis 7 *Janu.* 337

SS. Thecla V. et Justina Leontinis in Sicilia 10 *Januarii* 601

Cir. an. 258. S. Florentius Ep. Viennen. Gal. M. 3 *Januarii* 127

An. 270. SS. Claudius, Carbonanus, aliique MM. Interamnæ 8 *Janu.* 471

Cir. an. 270. S. Maximus I, Ep. Ticinensis 8 *Janu.* 471

Cir. an. 280. SS. Euprexia vidua, et Theognia V. 5 *Januarii* 240

An. 291, S. Petrus Balsamus, sive Abselamus M. 3 *Januarii* 128

IV SECULUM.

Cir. an. 302. Martyres plurimi in Thebaide 5 *Januarii* 251

An. 302 *et* 303. Plurimi Martyres Romæ 2 *Jan.* 81

Sub Diocletian. qui an. 284, *invasit imperium, anno* 304, *cum Maximiano abdicavit, coronati sunt,* SS. Julianus, Basilissa conjuges; Celsus puer, Marcionilla mater; Antonius Presb. Anastasius, VII fratres pueri, XX milites, anonymus amicus Præsidis, plurimi Episcopi, Sacerdotes, ministri Ecclesiæ, monachi, Virgines 9 *Janu.* 570

SS. Zosimus mon. et Athanasius Commentariensis MM. in Cilicia 3 *Jan.* 128

S. Theopemptus, sive Theopompus, et Theonas, seu Synesius MM. Nicomediæ 3 *Janu.* 127, 723

S. Carterius Presb. M. 8 *Janu.* 472

SS. Sebastianus et Alverius MM. Thebæi, Fossani in Italia 2 *Jan.* 81

Milites XXX, via Appia 1 *Janu.* 20

SS. Martyres Placentini 2 *Janu.* 80

SS. Defendens et socii MM. 2 *Janu.* 80

S. Marciana V. M. Cæsareæ in Mauritania 9 *Januarii* 568

S. Domno M. Bergomi in Italia 5 *Janu.* 241

An. 303. (*secundum Baronium*) SS. Hermes, Aggæus, Caius MM. Bononiæ in Italia 4 *Janu.* 165

Cir. an. 303. S. Macra V. M. in territorio Remensi 6 *Janu.* 324

An 304. S. Severus Ravennæ 1 *Janu.* 20

Cir. an. 304. SS. MM. Britanni Lichfeldiæ passi 82

An. 312. S. Lucianus Presb. Antiochenus M. 7 *Januarii* 337

Sub Licinio SS. Theogenes, Primus, Cyrinus MM. in Hellesponto 3 *Janu.* 133

S. Gordius Comes et Centurio M. Cæsareæ in Cappadocia 3 *Janu.* 130

SS. Argæus, Narcissus, Marcellinus Tomis in Ponto 2 *Januarii* 82

Cir. an. 328. Creatur Ep. Nazianzi S. Gregorius senior pater S. Gregorii Theologi 24

Cir. an. 330. S. Lucianus Ep. apud Leontinos in Sicilia 3 *Januarii* 136

Sub Constantino Magno floruit S. Syncletica Virginum Antistita in Ægypto 5 *Janu.* 242

S. Palæmon anachoreta in Thebaide 11 *Januarii* 675

S. Theodorus mon. in Ægypto 7 *Jan.* 365

Anno 347, obit S. Paulus I, Erem. annos 113, natus 10 *Janu.* 603, 744
An. 356, moritur S. Antonius 17 *Januarii*, vastatur a Sarenis ejus cœnobium 606 e, 607 c
An. 362. SS. Priscus Presb. Priscillianus Diac. et Benedicta, martyrio coronantur Romæ 4 *Janu.* 165
Sub Juliano S. Dafrosa vidua M. Romæ 4 *Janu.* 166
An. 370. Basilius Magnus ordinatur Episcopus Cæsareæ Cappadoc. circa quod tempus S. Petrus ejus frater consecratur Sacerdos 589
4 *Sec.* obit S. Isidorus Ep. Hermopolitanus in Ægypto 2 *Janu.* 84, 721
Cir. an. 373. S. Gregorius Ep. pater S. Gregorii Theologi 1 *Janu.* 21
An. 379. S. Basilius Episc. 589 b
An. 380. S. Macrina V. soror S. Basilii; post cujus mortem eorum frater S. Petrus ordinatur Ep. Sebastenus in Armenia, colitur 9 *Janu.* 589 b
Cir. an. 394, coronatur S. Almachius, sive Thelemachus M. Romæ 1 *Janu.* 31
An. 397. S. Nicetas Papam consulturus ex Dacia Romam venit 365

V SECULUM.

An. 401. S. Nicetas iterum in Italiam venit 365
An. 404, moritur S. Macarius Alexandrinus Ab. in Sceti 2 *Janu.* 84
S. Nilammon reclusus Geris in Ægypto 6 *Janu.* 326
Seculo 5. S. Talida, sive Amata, Abbatissa Antinoi in Thebaide 5 *Janu.* 257
An. 406. S. Atticus creatur Ep. Constantinop. 11 *Martii, die Dominica* 475
Reliquiæ S. Samuelis Proph. XII *Kal. Julii* transferuntur ex Judæa Constantinopolim 475
An. 407. S. Joannes Chrysostomus moritur Comanis ad Pontum Euxinum 14 *Novemb.* 475
Cir. an. 411. S. Melorus, sive Melior M. in Anglia 3 *Janu.* 136
Cir. an. 412, obit S. Theodosius Antiochenus Ab. in Scopulo 11 *Janu.* 677
Anno 415. Reliquiæ S. Josephi Patriarchæ, et S. Zachariæ patris S. Joannis transferuntur Constantinopolim ad ecclesiam S. Sophiæ, a S. Attico tum dedicatam 478
Seculi 5 *initio* S. Apollinaris Syncletica, Dorotheus dicta, 5 *Janu.* 257
Cir. an. 420. Alexander Ep. Antiochenus obit; ei succedit Theodotus 479
Cir. an. 421. S. Joannis Chrysostomi nomen Diptychis inscribit S. Atticus Ep. C. P. 479
An. 423, nascitur S. Theodosius Cœnobiarcha 682
An. 425. S. Atticus Ep. Constantinopol. *obit* 10 *Octob. colitur* 8 *Janu.* 473, 474, 482
Cir. an. 431, obit S. Martinianus Ep. Mediolanen. 2 *Janu* 89
Cir. an. 440. S. Valentinus Ep. Passaviensis 7 *Januarii* 368
Cir. an. 450. S. Macarius Romanus Eremita 2 *Januarii* 90
An. 451, e patria in Palæstinam venit S. Theodosius Cœnobiarcha 682
An. 454. Attila Rege Hunnorum mortuo filii de regno decertant : S. Severinus venit in Austriam 486
An. 457, transferuntur Constantinopolim reliquiæ S. Anastasiæ M. cui templum extruxit S. Marcianus Presb. Œconomus 611, 612
An. 458. Leonis Imp. 2, terræmotu concutitur Antiochia 284
An. 459. Martyrius ordinatur Ep. Antiochenus : sub eo corpus S. Simeonis Stylitæ Antiochiam transfertur, et templum ei extruitur 285
Anno Ch. 460. S. Simeon Stylita juxta Antiochiam in Syria moritur *feria* VI 261, 263, 273
An. 465, 1 *Sept.* horrendum Constantinopoli incendium extitit : repressum precibus S. Marciani Presb. 613
An. 466. Crispinus III, Ep. Ticinensis obit 7 *Januarii* 372
Post an. 472, obit S. Marcianus Presb. Œconomus Constantinopoli 10 *Janu.* 609
Cir. an. 475. S. Dominica, sive Domnica obit Constantinopoli 8 *Janu.* 483
Anno 482. S. Severinus Presb. Noricorum Apost. moritur 8 *Janu.* 483
Anno 488. Reliquiæ S. Severini e Norico in Italiam ad montem Feletem transferuntur 496
Post anno 492, *ante* 496. Reliquiæ S. Severini transferuntur ad Castrum Lucullanum prope Neapolim 496
Cir. fin. 5 *seculi* obit S. Eugendus Ab. Jurensis in Burgundia 1 *Janu.* 49
S. Marinus Ab. Lirinensis 1 *Janu.* 55
Cir. an. 500, obit S. Honorata V. Ticini in Italia 11 *Januarii* 680

VI SECULUM.

Cir. an. 504, consecratur Ep. Ruspensis in Africa S. Fulgentius 44
Cir. an. 509. S. Genovefa V. Parisiis obit 3 *Januarii* 137
Cir. an. 510. S. Maximus II, Ep. Ticinensis 8 *Januarii* 471
Anno 511. Eugippius Presb. scribit Vitam Severini Norici 483
Habita Synodus Aurelianensis, cui interfuit S. Melanius Ep. Rhedon. 329
Anno 526, terræmotus a S. Theodosio prædictus concutit Antiochiam 699
Anno 527, *Kal. April. in Cœna Domini* constituitur Imperator Justinianus 682 c
Anno 528. Kericus Dux Justiniani, indutus cilicio S. Theodosii, de Persis victoriam reportat 682 c
Anno 529. S. Theodosius Cœnobiarcha in Judæa moritur 11 *Janu.* 680
Cir. an. 529. S. Fulgentius Ep. Ruspensis in Africa 1 *Janu.* 32, 44 f
Post an. 530. S. Melanius Ep. Rhedonensis in Gallia 6 *Janu.* 327, 328
Cir. an. 533. S. Valentinus II, Ep. Interamnensis 7 *Janu.* 372
Cir. an. 540. obit S. Agrippinus Ep. Augustodunensis in Gallia 1 *Januarii* 49, 719
Seculo 6. S. Severinus, Ep. Septempedæ in Italia 8 *Janu.* 499, 739
Post an. 550, obit S. Aspasius Conf. Meleduni in Gallia 2 *Janu.* 90
Sec. 6. S. Marcellinus Ep. Anconæ 9 *Janu.* 590
Floret in Gallia S. Valericus Erem. 617
S. Æmiliana V. amita S. Gregorii Papæ moritur 5 *Januarii* 287
Cir. an. 560, moriuntur S. Anastasius Ab. et IX monachi Suppentoniæ in Ital. 11 *Janu.* 701
Cir. an. 561. S. Gregorius Ep. Lingonensis in Gallia obit 4 *Janu.* 167
An. 572. S. Anastasio Sinaitæ Patriarchæ Antiocheno ejecto subrogatur Gregorius, sub quo reliquiæ S. Simeonis Stylitæ ostensæ sunt 286
An. 582, 14 *Nov.* imperat Mauricius 618 e
An. 585, 8 *Brunichildis*, Sascitur S. Maximus Ab. 91
An. 589, restituitur in regnum a Mauricii Ducibus Cosroes Persa 618 e
Sub 6, *seculi finem* obit S. Mochua, sive Cuanus, Abb. Læghsiensis in Hibernia 45, 719
S. Mochua, sive Cronanus, Ab. Ballensis in Hibernia 1 *Janu.* 47

Cir.

Cir. an. 600, obit S. Domitianus Episc. Melitenæus in Armenia 10 *Januarii* 618

VII SECULUM.

Circiter an. 606. S. Petrus Ab. Cantuariensis submersus 6 *Janu.* 334
Seculi 7 *initio* obit S. Vitalius, seu Vitalis monachus Gazæus Alexandriæ 11 *Jan.* 702
Cir. an. 615. S. Salvius Ep. Ambiani in Gallia 11 *Januarii* 703
Sec. 7. S. Bladulphus monachus Bobiensis 2 *Janu.* 94
An. 625. S. Maximus Presbyter martyrio coronatur in Gallia 2 *Janu.* 91
Cir. an. 647. Reliquiæ S. Quintini M. reperiuntur a S. Eligio 3 *Janu.* 154
An. 649, (*ut tradit Camerarius*) obit S. Filanus Ab. in Scotia 9 *Janu.* 594
Seculo 7. B. Balduinus Archidiac. Laudunenses M. 8 *Jan.* 502
S. Clarus Ab. Viennensis in Gallia 1 *Jan.* 55
S. Setrida V. Angla Ab. Brigensis in Gallia 10 *Januarii* 626
S. Blitmundus, sive Gogus Ab. in Gallia 3 *Janu.* 145
Cir. an. 657. S. Joannes Camillus Bonus Ep. Mediolanensis 18 *Janu.* 622
Cir. an. 663, fundatur monasterium Fiscanense in Normannia a S. Waningo 591, 592, præfecta ei S. Childemarcha 593
Anno 664. S. Cedda Ep. Londinensis in Anglia moritur 7 *Janu.* 373
Anno 665. S. Deusdedit Archiepiscopus Cantuariensis 14 *Jul.* 595
Anno 668, ordinatur Romæ a S. Vitaliano Papa S. Theodorus Archiep. Cantuarien. VII *Kal. April. Dominica* 595 f
An. 669, appellit in Angliam S. Theodorus Archiepisc. et S. Adrianus Abb. VI *Kalend. Junii Dominica* 596 a
An. 680, habita est sexta Synodus Œcumenica Constantinopoli sub S. Agathone Papa contra Monothelitas 624, 625
Cir. an. 682, obit S. Agatho Thaumaturgus Papa 623
Cir. an. 683, obit S. Waningus Fiscani in Normannia 9 *Janu.* 590
An. 687. S. Bertilia V. Mareoli in Artesia 3 *Jan.* 155
Cir. an. 693, ordinatur Ep. Wigorniæ S. Egwinus 708
Sub seculi 7, *finem* S. Frodobertus Abb. Trecis in Gallia obit 1 *Janu. colitur* 8 505
S. Maurontus Abbas S. Florentii-veteris in Gallia 8 *Januarii* 505
Cir. an. 700. S. Tillo Paulus mon. in Gallia obit 7 *Januarii* 376

VIII SECULUM.

Anno 709, fundatum a S. Egwino Eoveshamense monasterium in Anglia 709
Cir. an. 709 moritur S. Adrianus Abb. in Anglia 9 *Januarii* 595
Anno 710. Constantinopolim, evocante Justiniano Rhinotmeto, proficiscitur Constantinus Papa 531
Cir. an. 712. S. Gudila V. moritur in Belgio 8 *Januarii* 513
Anno 714, dedicatur ecclesia Eoveshamensis monasterii in Anglia 709, 712
Cir. an. 714. S. Cyrus Patriarch. Constantinop. moritur 8 *Janu.* 531
Anno 717. Carolus Martellus in campo Vinciaco XII *Kal. April. die Dominico*, Regem Chilpericum, et Raganfridum Majorem-Domus prælio vincit 177
Post anno 717. S. Pega, sive Pegia V. in Anglia 8 *Januarii* 532
Cir. an. 720, moritur S. Egwinus Ep. Vigornien. in Angl. 11 *Janu.* 707
Anno 731, moritur S. Brithwaldus Archiep. Cantuar. 9 *Janu.* 597
Anno 739. Garibaldus Ep. primus Ratisbonæ constituitur 546
Anno 745. Exalada monast. Hispaniæ extruitur, ubi reliquiæ S. Flamidiani M. servatæ, dein Gusanum translatæ 288
Cir. an. 749. S. Rigobertus Ep. Remensis obit 4 *Januarii* 174
Seculo 8. S. Honobertus Ep. Senonensis in Gallia, ejusque pater et successor S. Honulphus 5 *Januarii* 288
SS. Erardus et Albertus fratres Epp. in Germania 8 *Janu.* 533
Cir. an. 752, S. Garibaldus Ep. Ratisbonensis moritur 8 *Januarii* 546
An. 754. Reliquiæ S. Pharaildis Gandavum transferuntur 172
An. 772. Bellum inter Carolum Magnum et Wittekindum aliosque Saxones cœptum 382
Cir. an. 776, creatur Patriarc. Aquileiensis S. Paulinus 714
An. 785. B. Wittekindus Dux Westphaliæ ad fidem Christi convertitur 383

IX SECULUM.

Sub Carolo Magno reliquiæ S. Macræ V. transferuntur in templum ei extructum III *Kal. Junii* 326
Anno 803, obit S. Paulinus Patriarc. Aquileiensis 11 *Janu.* 713
Cir. an. 807. B. Wittekindus Westphalorum Dux 7 *Janu.* 380, 385
An. 810. Pipinus F. Caroli Magni, Rex Italiæ, moritur. Regnum, dum Bernardus ejus filius adolesceret, administrat S. Adelardus 722
An. 814, relegatur fidei caussa S. Michael Ep. Synnadensis 290
Cir. an. 820. S. Gregorius Acritensis monachus obit 5 *Januarii* 289
Cir. an. 826, obit S. Adelardus Ab. Corbeiensis in Gallia 95
An. 832. S. Aldricus consecratur Ep. Cenomannensis in Gallia 22 *Decemb.* 388
Sub Carolo Calvo Odo Ep. Bellovacensis scribit Vitam S. Luciani Ep. M. 461
An. 846, obit S. Joannicius Abb. in Bithynia 599
Cir. an. 856. S. Aldricus Ep. Cenomanensis in Gallia 387
An. 864. Reliquiæ S. Rigoberti Ep. Remensis transferuntur ad monasterium S. Theoderici 14 *Jun.* 179
An. 872, transferuntur reliquiæ S. Frodoberti Abb. 511, 512
An. 873. Reliquiæ S. Rigoberti Ep. Remensis transferuntur Remos ad templum S. Dionysii 14 *Jun.* 179
An. 894. Eædem cum aliis reliquiis deportantur in Veromanduos 19 *Janu.* 179

X SECULUM.

Anno 910. Transferuntur reliquiæ S. Severini Neapolim. 10 octob. 497, 734.
An. 958. S. Wulsinus fit Abb. Westmonasteriensis 547
An. 978. Ethelredus coronatur Rex Angliæ 14 *April. die Dominica*. Sub eo S. Wulsinus ordinatur Ep. Schireburnensis 547
Cir. 978. Reliquiæ S. Gudilæ V. Morzella Bruxellam transferuntur 513, 523, 530
Cir. an. 979. S. Anastasius Archiep. Senonensis moritur 7 *Janu.* 300
An. Ch. 983. S. Wulsinus Ep. Schireburnensis in Anglia 8 *Janu.* 547

Anno

Anno 993, ordinatur Ab. Cluniaci S. Odilo 71

XI SECULUM.

Anno Ch. 1013, *Indic.* 11. B. Libentius Ep. Bremensis moritur, cum sedisset annos XXV, 4 *Jan.* 180
Seculi XI *initio* monasterium Fiscanense, tum Canonicorum regularium, datur monachis Benedictinis 594
An. 1014, corpus S. Vedasti aliæque reliquiæ reperiuntur Atrebati 2 *Janu.* 124
An. 1031, obit S. Guilielmus Ab. S. Benigni Divione 1 *Janu.* 57, 58, 64, 594
An. 1043. S. Eduardus fit R. Angliæ *die Paschatis* 3 *April.* 294
Cir. an. 1043, scribitur vixisse S. Clarus monachus Salighenstadiensis 65
An. 1047. Reliquiæ S. Gudilæ transferuntur Bruxellis ad Ecclesiam S. Michaelis, quæ nunc ab ea S. Gudilæ dicitur 514, 530
An. 1049, obit S. Odilo Ab. Cluniacensis 1 *Jan.* 65
An. 1064. Uldericus creatur Ep. Patavinus in Italia. Sub eo reperitur corpus S. Danielis M. 3 *Janu.* 160
An. 1066. S. Eduardus Conf. in Angl. moritur 5 *Jan.* 290, regnat Haraldus, et VII *Kal. Octob. feria* 2. Haraldum Norwegum prælio vincit. 301, 302
An. 1073. Reliquiæ S. Pharaildis transferuntur ad propriam ipsi dicatam ecclesiam Gandavi 173
An. 1081. Elevantur reliquiæ S. Bertiliæ Virg. in Ertesia 14 *Septemb.* 155, 157
Cir. an. 1099, decedit S. Osmundus Ap. Sarisburiensis 4 *Decemb.* 77

XII SECULUM.

Cir. an. 1102, corpus S. Eduardi, 36 *post obitum annis*, elevatur incorruptum 302
An. 1109. Prufeningense monasterium a S. Ottone Ep. Bambergensi construitur : S. Erminoldus Abb. constituitur 347
Cir. an. 1120. B. Vitalis Ab. Saviniacensis in Gallia moritur 7 *Janu.* 389
An. 1121. S. Erminoldus Abb. M. in Germania 6 *Janu.* 335
An. 1129. Ignis sacer grassatur in Gallia, S. Genovefa invocata ægris subvenit 151
An. 1133. S. Canutus Lawardus R. Obotritorum, Dux Sleswicensis, occiditur 7 *Janu.* 390
Cir. an. 1140. S. Gerlacus eremita in Belgio obit 5 *Janu.* 304
Ab. an. 1143, *ad an.* 1180, imperat in Oriente Manuel Comnenus : sub eo e Thebaide Constantinopolim transfertur corpus S. Pauli I, Erem. 608, d
An. 1148. Ellantium monast. in diœcesi Remensi construitur a B. Rogerio 182
Sec. 12. B. Guarinus Ep. Sedunensis obit 6 *Jan.* 348
An. 1161. Reliquiarum S. Genovefæ capsa aperta 29 *Oct.* 137, 152
An. 1162, Conradus I, creatur Ep. Moguntinus 343
Anno 1163. Corpora trium Regum Mediolano Coloniam transferuntur 323
Reliquiæ S. Eduardi Regis Angliæ transferuntur a S. Thoma Cantuariensi ad Westmonasterium 13 *Octob.* 302, 304
Cir. an. 1171. S. Canutus Lawardus canonizatur ab Alexandro III, Papa. Reliquiæ solemniter transferuntur 401
An. 1175, obit S. Silvester monachus Trainæ in Cicilia 2 *Janu.* 124
Cir. an. 1175. B. Rogerius Ab. Ellantii in Gallia moritur 4 *Janu.* 182
An. 1177. Caput S. Jacobi Ap. Aria refertur ad monasterium S. Vedasti 3 *Janu.* 158
An. 1194. B. Benincasa Abbas Cavensis in Italia 10 *Janu.* 627
An. 1200, 23 *Nov.* eligitur Archiep. Bituric. S. Guilielmus Eremita Ab. Caroli-loci 629

XIII SECULUM.

Anno 1209. Moritur S. Guilielmus Archiep. Bituric. 10 *Januarii* 627
An. 1218. Canonizatur ab Honorio III. S. Guilielmus Archiep. Bituric. 627, 637
An. 1221. S. Dominicus fundator ord. Prædicat. obit 409
An. 1222. S. Raimundus de Pennaforti habitum ordin. Prædicat. induit *die Parasceves* Barcinone 409
Anno 1228. Reliquæ S. Bertiliæ V. transferuntur 8 *Octob.* 157
An. 1233. Inquisitio Ecclesiastica contra hæreticos instituitur in Hispania 412
An. 1233. Ordo B. Mariæ de Mercede Redemptionis captivorum a Gregorio IX, approbatur 409
An. 1238. Jordano Generali II, ord. Prædicat. defuncto, eligitur S. Raimundus de Pennaforti 410
An. 1240. Transferetur corpus S. Pauli I, Erem. Constantinopoli Venetias 608
Cir. an. 1250. Cœpit in Hungaria Ordo Erem. S. Pauli ab Eusebio Strigoniensi 607
Cir. an. 1259. Obit S. Gonsalvus Amaranthus ord. Prædicat. in Lusitania 10 *Januarii* 640
An. 1275. S. Raimundus de Pennaforti III, Generalis ord. Prædicat. moritur 6 *Jan. colitur* 7 404, 413
An. 1281. Ulrici Abb. Prufeningensis jussu scribitur Vita S. Erminoldi 335
An. 1284. B. Torphimus Ep. Hamariensis in Norwegia, moritur Brugis in Flandria 8 *Janu.* 548
An. 1295. Reliquiæ S. Danielis Patavii transferuntur 161

XIV SECULUM.

An. 1309. B. Angela de Fulginio vidua moritur 4 *Januarii* 186, 234
An. 1310. B. Oringa, sive Christiana V. in Etruria 10 *Janu.* 650
Ab an. 1342 *ad* 1382, regnavit in Hungaria Ludovicus : sub eo corpus S. Pauli I, Erem. Venetiis in Hungariam transfertur 609
An. 1358. Gertrudis ab Oosten Beghina Delphis in Belgio obit 6 *Janu.* 348, 353

XV SECULUM.

An. 1404. Congregatio Canonicorum S. Georgii in Alga, auctoritate Bonifacii IX, Papæ cœpit 549
An. 1413. B. Laurentius Justinianus eligitur Generalis Congregationis S. Georgii in Alga 549
An. 1433. B. Laurentius Justinianus fit Ep. Castellanus, sive Olivolensis 5 *Septemb.* 550
An. 1445, 21 *Junii* elevatur corpus S. Odilonis Abb. Cluniacensis 77
An. 1451. Gradensi Patriarchatu Venetias translato, primus Patriarcha creatur B. Laurentius Justinianus 550
An. 1455. B. Laurentius Justinianus Patriarcha Venetus obit 8 *Janu.* 549
An. 1457. Canonizatur S. Osmundus Ep. Sarisburiensis 1 *Janu.* 77
An. 1471. Bernardus Justinianus mittitur Legatus a Rep. Veneta ad Sixtum IV Papam. Is vitam B. Laurentii Justiniani patrui scripsit 550

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

XVI SECULUM.

An. 1524. Laurentius Justinianus Beatis adscribitur a Clemente VII 550, 563
An. 1529. Reliquiæ SS. Benjamini et Maximi inveniuntur Brixiæ 7 *Janu.* 429
An. 1530. Ægidio Gippo Abb. Lætiensi defuncto, succedit Ludovicus Blosius 12 *Jul.* 436
An. 1542. De S. Raimundo Pennaforti concessum a Paulo III, Papa officium Ecclesiasticum Prædicatoribus 415
An. 1545. Paulus III, confirmat Statuta monastica Lætiensibus a Ludovico Blosio data 440
Ab an. 1550, *sedit Julius III Papa*, a quo Sanctorum catalogo inscriptus B. Gonsalvus Amaranthus 649
An. 1557. Christi Præputii pars Romæ servata, Calcatæ defossa, reperitur, et honoratur 4, 5
An. 1566, Ludovicus Blosius Abb. Lætiensis in Belgio moritur 7 *Janu.* 430, 454
Cir. an. 1566. Christi præputii particula diu Antverpiæ servata, templa diripientibus Calvinistis deperdita 3
An. 1582, transferuntur a S. Carolo Borromæo reliquiæ S. Joannis Boni Ep. Mediolanen. 24 *Maii* 622 b
An. 1599. Repertus fons S. Gerlaci in Belgio, cujus aqua olim nuncque salutaris 321

XVII SECULUM.

Anno 1601. S. Raimundus de Pennaforti canonizatur a Clemente VIII 417
An. 1625. B. Laurentius Justinianus adoptatur Protector Panormitanus ob pestem sedatam 551
An. 1634. Reliquiæ S. Martinæ V. M. Epiphanii et Concordii MM. inventæ Romæ 25 *Octob.* 18

BENIGNE LECTOR,

Te obtestor, ut ne prius sequentia Acta legas, aut certe, si non continuo ea probabuntur, præjudices, quam quæ in Præfatione, præsertim cap. tertio, monuimus, expendas.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

I JANUARII.

SANCTI QUI KALENDIS JAN. COLUNTUR.

Circumcisio Domini, et Octava Nativitatis.
Commemoratio sacrosancti præputii Christi, Antverpiæ, et alibi.
S. Gaspar, Rex Magus, in Oriente.
SS. Martyres Syracusani sub Nerone, in Sicilia.
S. Concordius Presbyter et Martyr, Spoleti in Umbria.
S. Eluanus Episcopus, } in Anglia.
S. Meduinus, }
S. Martina, Virgo et Martyr, Romæ.
S. Caius, }
S. Jactus, } Martyres Bononiæ.
S. Heraclus, }
S. Victor, }
S. Felix, }
S. Narcissus, } Martyres, in Africa.
S. Argyrus et Socii, }
S. Primianus, }
S. Saturninus, }
S. Saturninus, }
S. Victor, } Martyres.
S. Honoratus, }
S. Leucius, }
S. Hermes, }
S. Paracodas Episcopus Viennensis in Gallia.
Sancti xxx milites Martyres Romæ.
S. Euphrosynus Episcopus, }
S. Priamianus, sive Prianus } Nicomediæ.
et alii ix. }
S. Severus Martyr, Ravennæ.
S. Evantus, } in Rhætia.
S. Hermes, }
S. Magnus Martyr.
S. Theodotus Martyr.
S. Gregorius, Episcopus Nazianzenus, pater S. Gregorii Theologi.
S. Almachius, sive Telemachus Martyr, Romæ.
S. Fulgentius, Episcopus Ruspensis in Africa.
S. Mochua, sive Cuanus, Abbas Lægsiensis in Hibernia.
S. Cronanus, sive Mochua, Abbas Ballensis in Hibernia.
S. Agrippinus Episcopus Augustodunensis in Gallia.
S. Eugendus Abbas monasterii S. Claudii, in Burgundia.
S. Marinus, Abbas Lerinensis.
S. Clarus, Abbas Viennensis, in Gallia.
S. Stabilis Episcopus Arvernensis, in Gallia.
S. Guilielmus Abbas Divione, in Burgundia.
S. Clarus, Monachus, Salighenstadiensis, in Germania.
S. Odilo Abbas Cluniacensis, Silviniaci in Gallia.

PRÆTERMISSI VEL IN ALIOS DIES REJECTI.

S. Munchinus. *Excusum Kalendarium Sanctorum Hiberniæ. Idem est fortassis, qui in Vindiciis Hibernicis Monchinus appellatur, diciturque Limrici celebris esse. Omittimus, donec major nobis aliunde lux affundatur.*
S. Tynas, cognomento Bonus, Scotus, *ut Sanctus refertur a Ferrario in Notis ad generalem catalogum Sanctorum. Ignotus nobis.*
Hugo Prior Majæ in Scotia, *Sanctus memoratur ab eodem. Hunc quoque omittimus.*
Albero I Episcopus Leodiensis, Beatus *appellatur in Kalendario Sanctorum ditionis Leodiensis : et fuit vir pius, innocens, sanctus; ut videre est apud Ægidium monachum Auræ vallis tom.* 2 *Joannis Chapeaville de gestis Episcoporum Leodiensium cap.* 23 *et alios rerum Leodiens. scriptores. Obiit hoc die, an.* 1228. *Verum publicam aliquam venerationem ei exhibitam, nusquam legimus.*
Ulricus Abbas Villarii in Brabantia, Beatus *indigetatur a Chrysostomo Henriquez in Menologio Cisterciensi.*
Petrus Abbas S. Mariæ de Armentera in Gallæcia, *refertur hoc die et* Beatus *appellatur ab eodem Chrysostomo Henriquez. Nobis non constat an colatur.*
Joannes Prior Domus Montis Cornelii juxta Leodium, Beatus *vocatur ab eodem Chrysostomo, et in sacrario Sanctorum patriæ Leodiensis. Haud scimus tamen an uspiam ei cultus aliquis publicus deferatur, ideoque omittimus.*
Bernardus XII Abbas Cistercii. *Kalendarium Cisterciense*

ciense editum Divione, et Chrysostomus Henriquez in Menologio Cisterciensi. Neque de hoc constat an ut Sanctum eum venerentur Cistercienses.

S. Stephanus in Oriente, *refertur in Martyrologiis MSS. vetustissimis Epternacensi et Rhinouwiensi. Fortassis idem est, qui cum S. Vitale colitur* 2 *Januarii, de quo nos* II Januar.

S. Aspasius Episcopus Elusanus. *Molan. Ferrar. Mart. German. nos* II Januar.

S. Adelardus Abbas Corbeiensis. *Martyrologium Germanicum, et MS. Florarium Sanctorum, nos de eo agemus* II Januar.

S. Melchior Rex Magus. *MS. Florarium Sanctorum, nos* VI Januar.

S. Potitus puer XIII annorum Romæ. *MS. Florarium. Idem est qui in Martyrologio Romano habetur* XIII Januar.

S. Severus Episcopus Ravennas. *Maurolycus, aliique. De eo agemus cum Martyrologio Romano* I Februar.

S. Euphrosyna Virgo Alexandrina, *hoc die a Martyrologio Romano, et aliis plerisque refertur. Vitam dabimus, quo die colitur a sacro ordine Carmelitarum* XI Februar.

S. Fulgentius Episcopus Utriculanus. *Galesinius, et MS. Florar. nos* XXII Maii.

S. Proculus Episcopus Interamnensis. *Ferrarius et Galesinius. Colitur Bononiæ* 1 *Junii cum altero* Proculo *milite; Interamnæ vero* 1 *Decembris, quod eo die corporis ejus facta translatio fuerit. Nos de eo agemus* I Junii.

S. Basilii Magni depositio *hoc die celebratur in Martyrologio Romano, ceterisque omnibus; sed vitam ejus dabimus XVIII Kal. Julii, quo ordinatus fuit Episcopus, quo etiam præcipue colitur,* XIV Junii.

S. Servanus, aliis Sernanus, Episcopus, Apostolus Orcadum, *hoc die refertur a Ferrario; a Davide vero Camerario XX Aprilis; ab Adamo Regio in Kalendario Scotico, MS. Florario Sanctorum, Carthusianis Coloniensibus in additionibus ad Usuardum excusis anno* 1515 *et* 1521 *et aliis, quos potius sequemur,* I Julii.

S. Ferrutius Martyr Moguntiæ. *Ferrarius, qui putat hoc die agi ejus translationem, nam natalis* 28 *Octob. celebratur. Extat quidem translationis historia in Moguntiacis Serrarii nostri : sed neque quo die acciderit expressum est, neque, quos consuluimus, Moguntini, hoc die quidquam ad ejus venerationem publice fieri meminerunt. Agemus igitur de eo* XXVIII Octobr. NOT. 1.

CIRCUMCISIO DOMINI

ET OCTAVA NATIVITATIS.

AN. CHR. 1.

1 JANU. *Kalendæ Januarii celebres.*

Præcipua semper religione celebratæ a Christianis Kalendæ Januariæ sunt, propter Dominici Natalis octavam, sacrosanctæ Circumcisionis Christi memoriam, et augustissimum nomen JESU, *in quo nimirum oportet omnes homines salvos fieri. Merito igitur veteres Romanos in auspicando ab hoc die anno sequi Ecclesia maluit, quam ceteras gentes, quæ aliud quodpiam statuerent exordium, ut ipse dies sacrum nostræ symbolum salutis præferret.*

2 *De ipsarum Kalendarum die, Gentilium ritibus, Christianorum jejuniis, litaniis, latis contra strenas et profanum luxum legibus, multa erudite commentatur in Notationibus ad Martyrologium Baronius. De Circumcisionis vero mysterio, et sanctissimo Jesu nomine, plurimæ extant Sanctorum Patrum homiliæ, multi recentiorum tractatus. Hic unicum dabimus Faustini Episcopi, habitum contra superstitiosos quorumdam Christianorum mores, sermonem, quem hactenus (ut quidem remur) non editum ex vetustis Accincti monasterii monumentis eruit Petrus Franciscus Chiffletius noster. Tum de sacro Christi præputio quædam ab Heriberto Rosweydo nostro ex variis auctoribus et MSS. collecta subjiciemus.*

FAUSTINI EPISCOPI SERMO

IN KALENDIS JANUARII

ex vetusto codice descriptus

a Petro Francisco Chiffletio Soc. JESU.

Kalendæ Januariæ a Jano dictæ,

Dies Kalendarum istarum, fratres carissimi, quas Januarias vocant, a Jano quodam homine perdito et sacrilego nomen accepit. Janus autem iste Dux quondam et Princeps hominum paganorum fuit : quem imperiti homines et rustici, dum quasi Regem metuunt, velut Deum colere cœperunt. Detulerunt enim ei illicitum honorem dum in eo expavescunt regiam potestatem. Homines quippe stulti et ignorantes Deum, illos hinc maxime ex diis æstimabant, quos inter homines sublimiores esse cernebant. Ac sic factum est ut unius veri Dei cultus ad multa deorum, vel potius dæmoniorum, nomina transferretur. Diem ergo Kalendarum hodiernarum de nomine Jani, sicut jam dictum est, nuncuparunt : utique ut ei homini, cui divinos honores conferre cupiebant, et finem unius anni et alterius initium deferrent.

qui pro Deo cultus :

ei anni initium, et finis dicatus.

2 Et quia apud illos Januariæ Kalendæ unum annum implere, alium incipere dicebantur, ideo Kalendas istas in termino posuerunt : ut unum annum finire; alium incipere crederetur. Et hinc est quod antiqui idolorum cultores ipsi Jano duas facies figurarunt; unam ante ipsum, aliam post ipsum : unam quæ præteritum annum videtur aspicere, aliam quæ futurum. Ac sic homines insipientes duas ei facies deputando, dum eum facere Deum cupiunt, monstrum esse fecerunt. Hoc est, voluerunt in Deo suo esse principium, quod est etiam in pecude monstruosum.

Duæ ei facies affictæ.

sum. Et ideo optima erroris ipsius declaratione atque indicio, dum eum religiosa vanitate magnum Deum videre volunt, dæmonium publicarunt.

Ethnici et quidam Christiani Kalendis Januariis monstruosas figuras induebant.

3 Hinc itaque est quod istis diebus pagani homines perverso omnium rerum ordine obscœnis deformitatibus aguntur: utique ut tales se faciant qui colunt, qualis fuit ille qui colitur. In istis enim diebus miseri homines, et quod pejus est, etiam aliqui baptizati, sumunt formas adulteras; sumunt species monstruosas. In quibus quidem quæ primum ridenda ac potius dolenda sint, nescio. Quis enim sapiens credere poterit inveniri aliquos sanæ mentis, qui cervulum facientes in ferarum se velint habitus commutari? Alii vestiuntur pellibus pecudum, alii assumunt capita bestiarum, gaudentes et exultantes si taliter se in ferinas species transformaverint, ut homines non esse videantur. Ex quo indicant ac probant, non tam se habitum belluinum habere quam sensum. Nam quamvis similitudines diversorum animalium exprimere in se velint, certum est tamen in his magis cor pecudum esse quam formam humanam.

Alii muliebrem habitum assumebant.

4 Jam vero illud quale vel quam turpe est, quod viri nati tunicis muliebribus vestiuntur, et turpissima demutatione puellaribus figuris virile robur effeminant; non erubescentes inserere tunicis muliebribus militares lacertos? Barbatas facies præferunt, et videri se feminas volunt: et merito virilem jam fortitudinem non habent, qui in muliebres habitus transierunt. Justo enim judicio Dei evenisse credendum est ut militarem virtutem amitterent, qui feminarum specie se deformassent.

5 Et quia Deus placatus vobis inspirare dignatus, ut pro amore fidei ista miserabilis consuetudo de hac civitate ad integrum tolleretur; rogo vos, fratres carissimi, ut vobis non sufficiat, quod ipsi hoc malum Deo donante non facitis; sed ubicumque alicubi fieri videritis arguite, castigate, corripite, et vestro salubri consilio de isto miserabili sacrilegio homines stultos revocate: et ut ad integrum vos divinæ misericordiæ consecretis, etiam illas alias observationes, velut diaboli venena, respuite: quas, quod pejus est, adhuc plures in populo Christiano observare non erubescunt.

Aliæ superstitiosæ observationes in Kalendis Januariis.

6 Sunt enim qui in Kalendis Januariis ita auguria observant, ut focum de domo sua vel aliud quodcumque beneficium cuicumque petenti non tribuant. Diabolicas etiam strenas et ab aliis accipiunt, et ipsi aliis offerunt. Aliqui etiam rustici mensulas suas in ista nocte, quæ præteriit, plenas multis rebus, quæ ad manducandum sunt necessariæ, componentes, tota nocte sic compositas esse volunt, credentes quod hoc illis Kalendæ Januariæ præstare possint, ut per totum annum convivia illorum in tali abundantia perseverent. Et quia sicut scriptum est, *Modicum fermentum totam massam corrumpit*, etiam ista vel alia his similia, quæ longum est dicere, quæ ab imperitis aut parva aut nulla peccata esse creduntur; a vestris ordinate famulis removeri: et hoc præcipite, ut sic Kalendas istas colant, quomodo aliorum mensium colere solent. Qui enim aliquid de paganorum consuetudine in istis diebus observare voluerint, timendum est ne eis nomen Christianum prodesse non possit.

PER FAUSTINUM EPISC.

1. Cor. 5. v. 6.

7 Et ideo sancti antiqui Patres nostri considerantes maximam partem generis humani diebus istis gulæ vel luxuriæ deservire, ebrietatibus et sacrilegis salutationibus insanire; statuerunt in universo mundo, ut per omnes ecclesias publicum indiceretur jejunium: ut agnoscerent miseri homines in tantum se malefacere, ut pro illorum peccatis necesse esset omnibus Ecclesiis jejunare. Jejunemus ergo, fratres charissimi, in istis diebus, et cum vera et perfecta caritate stultitiam miserorum hominum lugeamus: ut vel sic intelligant malum suum, dum nos pro se publicum vident observare jejunium, neque enim desperandum est, quod illos Deus non possit vestra oratione corrigere, qui per Apostolum suum ineffabili pietate promisit dicens: *Qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus a morte, et operiet multitudinem peccatorum.*

Antiquitus universale hoc die institutum jejunium.

Adhuc Faustini ætate servabatur.

Jacob. 5. v. 20.

8 Qui enim in istis Kalendis stultis hominibus luxuriose ludentibus, aliquam humanitatem impenderit, peccatis eorum participem se esse non dubitet. Nam qui de salute animæ suæ fideliter cogitat, magis de illis debet dolere vel flere, quam cum illis vel de illis ad infelicem risum suum animum relaxare. Vos vero, fratres, qui Deo propitio quotidie clamare consuestis: *Oculi mei semper ad Dominum;* et iterum: *Ad te levavi oculos meos;* non oportet ut oculi vestri, qui assidue in ecclesia vigilantes Deo sanctificantur, videndo luxuriam stultorum hominum polluantur, magis dedignari debetis atque despicere opus diaboli, ut in vobis integra permaneat caritas Christi. Clamate ergo cum Propheta dicentes: *Averte oculos meos ne videant vanitatem;* timentes illud quod ait Apostolus: *Non potestis mensæ Dei participes esse, et mensæ dæmoniorum: non potestis calicem Domini bibere et calicem dæmoniorum.* Sed credo de Dei misericordia, quod ita per vestram castigationem illorum stultitia corrigenda est; ut non solum pro vobis, sed etiam pro illorum qui vestro exemplo proficiunt, duplicata vobis a Deo præmia repensentur. Quod ipse præstare dignetur, cujus regnum et imperium permanet in sæcula sæculorum. Amen,

Nihil dandum ineptis hominibus bacchantibus.

Psal. 24. 15.
Psal. 122. 1.

Non licet vel eorum stultitias spectare.

Psal. 118. v. 37.

1. Cor. 10. v. 21.

1 JAN.

COMMEMORATIO

SACROSANCTI PRÆPUTII CHRISTI,

ANTVERPIÆ ET ALIBI.

Christi præputium diu Antverpiæ servatum.

Quinque ferme sæculis sacrosanctum Christi præputium inter alias illustres Sanctorum reliquias apud se asservatum gloriantur Antverpienses: quod tamen sub annum 1566 *templis ac sacrariis immani Calvinistarum furore direptis deperditum est. Quoniam vero et aliæ Ecclesiæ illud apud se existere contendunt, proferam quæ de eo varii auctores tradidere: judicium de re tota Lectori relinquam. Neque id novum est plures Ecclesias de illustribus aliquibus reliquiis certare, ut patebit ex Sanctorum historiis,*

Eædem reliquiæ sæpe diversis locis esse putantur.

cum sæpe aliæ pro aliis illustrioribus aut datæ Principibus, aut suppositæ; et hæ tamen magna fide a piis hominibus cultæ multorum miraculorum occasionem præbuerint.

2 *Quod vero controvertitur a quibusdam an Christus cum præputio resurrexerit (de quo consuli possunt Titus Bostrensis et Theophylactus in caput* 2 *Lucæ, et alii Interpretes ac Doctores,) id ita exponit Franciscus Suares noster* 3 *part. quæstion.* 54, *articul.* 4, *disput.* 37, *sect.* 1, *ut cum præputio quidem resurrexisse Christum fateatur,*

Ex variis Auctor.

fateatur, fidem tamen traditioni asserenti id in terris quoque asservari, non deroget. Nam quod resectum est, censet probabile esse in terris mansisse; corpus tamen resurgens habuisse præputium formatum ex aliqua parte materiæ illius, quæ aliquando fuerat in corpore Christi et per continuam erat nutritionem resoluta. *Quo vero loco pellicula illa, a sanctissimo Christi corpore præcisa, nunc asservetur, non satis constat.*

3 *Innocentius III lib. 4 de Missæ mysteriis cap.* 30. Quid de circumcisione præputii, vel umbilici præcisione dicetur? an in resurrectione Christi similiter rediit ad veritatem humanæ substantiæ? Creditur enim in Lateranensi basilica reservari : licet a quibusdam dicatur, quod præputium Christi fuit in Jerusalem delatum ab Angelo Carolo Magno, qui transtulit illud, et posuit Aquisgrani. Sed post a Carolo Calvo positum est in Ecclesia Salvatoris apud Carosium. Melius est tamen Deo totum committere, quam aliquid temere definire.

Delatum ab Angelo Carolo M. et Aquisgrani collocatum. not. 2.

4 *Jacobus de Voragine in Legenda Aurea, in festo Circumcisionis :* De carne autem circumcisionis Domini dicitur, quod Angelus eam Carolo Magno attulit; et ipse eam Aquisgrani in ecclesia S. Mariæ honorifice collocavit : Carolus vero illam postea fertur Carosium transtulisse. Nunc autem dicitur esse Romæ in Ecclesia, quæ dicitur Sancta Sanctorum. Unde et ibidem scriptum legitur :

Circumcisa caro Christi, sandalia clara,
Ac umbilici viget hic præcisio cara.

Unde et ea die fit Statio ad Sancta Sanctorum. *Eadem habet Petrus de Natalib. lib.* 2, *cap.* 27.

5 *Ferreolus Locrius* Mariæ *Augustæ lib.* 4, *cap.* 6, Symphorianus Campegius libello de sanctis Galliarum locis, ab annis 67 Parisiis edito, ait Anicii in Arvernia, quod oppidum nunc de Puteo dicitur, præputium Dominicum ac Aaronis mitram seu infulam sollicite servari, magnaque in veneratione haberi.

Anicii fertur etiam servari, uti et mitra Aaronis. not. 3.

6 *S. Birgitta lib.* 6, *Revelat. cap.* 112, Maria ait : Cum filius meus circumcideretur, ego membranam illam in maximo honore servabam, ubi ibam. Quomodo enim ego illam traderem terræ, quæ de me sine peccato fuerat generata? Cum tempus vocationis meæ de hoc mundo instaret, ego ipsam commendavi S. Joanni custodi meo, cum sanguine illo benedicto, qui remansit in vulneribus ejus, quando deposuimus eum de Cruce. Post hoc S. Joanne et successoribus ejus sublatis de mundo, crescente malitia et perfidia, fideles qui tunc erant, absconderunt illa in loco mundissimo sub terra, et diu fuerunt incognita. Donec Angelus Dei illa amicis Dei revelavit. O Roma! o Roma! si scires, gauderes utique : imo si scires flere, fleres incessanter, quia habes thesaurum mihi charissimum, et non honoras illum.

D. Virgo Christi præputium servavit : deinde S. Joanni dedit; cum sanguine a vulneribus Christi absterso.

Ea post Romæ asservata.

7 *Alphonsus Salmeron tom.* 3, *in Evangelia Tract.* 36, *pag.* 320, B. Virgo annulum circumcisionis diligentissime, ut rem pretiosissimam conservasse fertur, quem antequam in cælum conscenderet (ut fama est) B. Mariæ Magdalenæ custodiendum reliquit : postea, ut Jacobus Episcopus Genuensis testatur, ab Angelo delatus est ad Carolum Magnum : qui annulus primo Aquisgrani, deinde Carosii est custoditus. Tandem vero ejusmodi præputium ad primariam sponsam suam, id est, Romanam Ecclesiam, quæ mater est et magistra omnium Ecclesiarum, pervenisse certissima fama et traditione constat, atque in Lateranensi templo, in Sancta Sanctorum, loco sic appellato, multis sæculis fidelissime, uti par est, ac ut tantum amoris Christi monumentum exigebat, ac religiosissime asservatum.

Præputium Christi putat Salmeron a D. Virgine Magdalenæ donatum.

8 *Joannes Baptista Signius in Reliquiario cap.* 1, Præputium legitur ab Angelo delatum Carolo Regi, qui postea in ejus nomine monasterium de Corrosio Pictavensis diœcesis ædificavit, et Corrosium a carne illa circumincisa, id est, præputiata, nuncupavit. Interim vero præputium ipsum in tebernaculo marmoreo, apud Romam super Lateranensi altari majori cum aliis reliquiis, Onuphrio Panvinio teste de septem primariis in urbe Ecclesiis, custoditur.

Corrosium monasterium.

9 *Descriptio Sanctuarii Lateranensis Ecclesiæ* ms. *in codice Marchianensi, et Brugensi Collegii Societatis* Jesu. In eodem sacro Lateranensi palatio est quoddam S. Laurentii oratorium, in quo tria sanctissima computantur altaria : primum in arca cypressina, quam Leo Tertius condidit, tres capsæ sunt. In una est Crux de auro purissimo, adornata gemmis et lapidibus pretiosis, id est hyacinthis et smaragdis et prasinis. Et in media Cruce illa est umbilicus Domini et præputium Circumcisionis ejus, et desuper inuncta est balsamo, et singulis annis eadem unctio renovatur, quando Dominus Papa cum Cardinalibus facit processionem in exaltatione S. Crucis ab ipsa S. Laurentii ecclesia in ecclesiam S. Joannis. Et in alia capsa argentea et deaurata cum historiis, est Crux de smalto depicta, et infra capsam illam est Crux Domini nostri Jesu Christi. In tertia capsa, quæ est argentea, sunt sandalia, id est, calceamenta Domini.

Oratorium S. Laurentii in Ecclesia Lateranensi.

Isthic umbilicus et præputium Christi asservata.

Calceamenta Christi.

10 *M. Attilius Serranus de* 7 *Urbis Ecclesiis cap. de Basilica Lateranensi p.* 71. Hinc ad sancti Salvatoris sacellum pervenitur, quod quidem S. Laurentii dictum fuisse multi scriptores affirmant, maxime tamen Bibliothecarius in vita Stephani Papæ III. Hoc postea ob innumeras Sanctorum reliquias *Sancta Sanctorum* nomen sortitum est. Hic aliquamdiu recondita fuerunt Apostolorum capita, Christi præputium, et caput D. Agnetis Virginis et Martyris, quæ cum multis aliis inde ablata sunt. Asservantur tamen ibi adhuc multæ sanctæ et venerandæ reliquiæ. Nunc vero ob collocatam in eo sanctissimam Christi Salvatoris imaginem sacellum Salvatoris appellatur.

Caput S. Agnetis.

11 *Idem ibidem cap. de reliquiis Lateranensis Ecclesiæ :* In sacello Sancta Sanctorum, quod S. Laurentii appellatur.... Sub altari est capsa cypressina multis clavibus clausa, a Leone III Papa facta, hisque litteris aureis ornata, *Sancta Sanctorum,* intra quam sunt aliæ plures capsulæ et tabernacula reliquiis plena : in his parva capsula argentea deaurata admodum Crucis, in cujus medio est Crux aurea. *In illa fuit Præputium, ut patet ex Sanctuario Lateranensi* ms. *etsi Serranus non exprimat.*

12 *Illustria sunt quæ de præputio illo Roma asportato, ac deinde reperto, scribit Franciscus Toletus noster in cap.* 2 *Lucæ, Annot.* 31. Intellectum est ex tribus Illustrissimis feminis, nimirum Magdalena Strocia, quondam Flaminii Anguillaræ conjuge, et ex Clarice filia ipsius, quæ Sciarræ Columnæ nupserat; denique ex Æmilia Ursina Magdalenæ cognata, quæ Virginio Anguillaræ matrimonio juncta fuit; anno 1527, quo tempore Roma in hostium direptionem cessit, ex augustissima Lateranensi Basilica, loco, qui Sancta Sanctorum religiosissime nuncupatur, Præputium Christi Domini cum aliis reliquiis militem quemdam sustulisse, qui urbe discedens a rusticis captus; Calcatam (pagi hoc nomen est, qui Anguillaræ familiæ subest, et Roma viginti dumtaxat millibus passuum distat) deductus, in cellariaque pro carcere detrusus, quem subripuerat thesaurum sacrilegus defodit.

Præputium Christi cum aliis reliquiis sublatum, in terram defodit miles.

13 Non multo post libertate donatus, Romam revertitur, ac morbo correptus, sese in Xenodochium sancti Spiritus in Saxia recipit, ubi morti proximus, in pago Romæ vicino (nominis non meminerat) familiæ Anguillaræ sanctissimas reliquias se terra obruisse perhibuit. Id ubi ad Clementem Pontificem VII perlatum fuisset, Joanni Baptistæ Anguillaræ Lucretiæ Ursinæ marito (is erat Calcatæ, Stabii, et Massanæ Dominus) scribi mandavit, omnem ut diligentiam in perquirendis

Moribundus id indicat.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

perquirendis reliquiis adhiberet. Fecit ille, quod jussus fuerat, nec tamen inventum quidquam.

14 Mense tandem Octobri 1557, placuit Divinæ bonitati, ut ab advena Sacerdote, qui Calcatæ SS. Cornelii et Cypriani præerat ecclesiæ, cui juncta erant cellaria, in quæ inclusum fuisse militem diximus, reperirentur : repositæ sanctissimæ reliquiæ in scriniolo ex chalybe erant medii palmi longitudinis, quatuor vero digitorum altitudinis, arcuato operculo desuper clausæ. Scriniolum ad Magdalenam Strociam loci illius heram, quæ id temporis Stabii, uno milliari Calcata morabatur, Sacerdos defert. Hæc igitur nobilissima femina una cum ipso Sacerdote, Lucretia Ursina, Clariceque filia, septem vel octo annorum, aperto scriniolo, pervetustis sericis panniculis involutas inveniunt reliquias, quibus singulis in perpolita membranula adjuncta erant nomina, temporis diuturnitate adeo consumpta, ut ægre legi potuerint. Eas ergo ut honorifice componeret, sigillatim Magdalena evolutas (complures enim erant) in argenteo pollubro reponebat, novisque ex serico sacculis, adjunctis itidem singulis nominibus, inserebat. Inter cetera primo inventa est particula carnis Beati Valentini Martyris, nucis magnitudinem æquans, quæ quidem eo ipso tempore recens præcisa videbatur. Reperta ibidem secundo fuit pars maxillæ cum uno dente S. Marthæ, D. Magdalenæ germanæ. Augebat lætitiam inventi thesauri, inveniendi expectatio.

Tandem multo post reperiuntur.

Pars carnis S. Valentini M. omnino recens. Reliquiæ quædam S. Marthæ.

15 Juglandis instar tertius erat serico panniculo sacculus confectus, cui nomen JESUS inscriptum erat : ejus dum Magdalena primum filum solvere aggreditur, sentit manus rigere; eas, ut moris est, confricat, et rursus, quod cœperat, solvere filum conatur : sed iterum magis quam ante stuporem manuum, cum eorum, qui aderant, admiratione percipit, ignara quidnam in saccello lateret. Quare mente erecta, desuper implorandum præsidium rata, corde ita Deum optimum alloquitur : Quamquam me peccatricem, ideoque indignissimam, quæ divina attingam, profitear, animus tamen meus testis mihi est, non arroganter, sed humiliter; non ut sacra contemnam, sed ut honorate conservem, id muneris me suscepisse. Stupefactis itaque tertio cum majore rigore, sed pari exitu, digitis, nodum adeo difficilem solvendi percupida fasciculum sacrum prehensans, binos utriusque manus admovere molitur digitos, quos extemplo itidem rigore induratos persensit, ut e metallo confecti viderentur. Et quod miraculi magnitudinem auget mirifice, nec digitos conjungere, nec sacratissimum globulum contingere potuit. Spectaculum stuporem, stupor adstantibus, ipsique Magdalenæ in primis, uberrimas elicit lacrymas. Tum Lucretia veluti divinans, Crediderim, inquit, sacrosanctum Christi præputium hic contineri, de quo Clemens Pontifex Maximus Joanni Baptistæ conjugi meo aliquando scripsit.

Magdalenæ Strociæ connati saculum, in quo erat Christi præputium, aperire, tertio obrigescunt digiti.

16 Hæc ubi solertissima femina prolocuta est, suavissimum repente ex eodem globulo afflari odorem percipiunt, cujus compositionem ne imaginatione quidem consequi potuerunt. Neque vero locum dumtaxat illum, in quo reliquias contemplabantur, odor ille compleverat, sed per omnes ædium partes ita sparsus erat, ut Flaminius Magdalenæ maritus propere ad uxorem miserit, qui intelligeret, quisnam odor esset ille, qui e suo cubiculo diffundi videbatur : sed mulier prudenter admodum maluit pro tempore id, quod gerebatur, dissimulare, quam temere secretum, cujus et ipsa fuit inscia, revelare.

Suavissimus odor afflatur ex eo fasciculo.

17 Interea timore non mediocri perculsis ac dubiis, quid agant, quo se vertant, Sacerdos, qui aderat, rei novitate et ipse perterritus, id offert consilii, ut Claricem tenerrimam virginem, supremam perdifficili operi manum imponere sinerent. Consenserunt quæ aderant matronæ, felicem se mater arbitrata, si in solvendo nodulo a filia superaretur. Accipit igitur cum reverentia globulum Clarix, sine mora et difficultate resolvit, evolvit, et separat, ac in pollubro argenteo cum ceteris reliquiis sacrosanctum Christi deponit præputium, et tandem in vasculo argenteo collocat, quod quidem densum ac crispum instar rubri ciceris erat. Tantum apud Deum opt. vitæ semper valuit innocentia, et corporis integritas. Porro tam matris, quam filiæ manibus odor ille divinus ita inspersus fuerat, ut per biduum continuo duraverit.

EX TOLETO.

Solvitur fasciculus ille a Clarice virgine.

Biduo hæret in ejus manibus suavis odor.

18 Persecutæ sunt postmodum contueri et adaptare ceteras reliquias, e quarum tamen explicatione nullus odor emanabat, quemadmodum neque ex prioribus; nec aliquem in eis evolvendis, vel accommodandis conatum adhibere fuit necesse. Denique in idem scriniolum summo honore deposita omnia in Calcatense templum deferenda Magdalena Sacerdoti tradidit, quem cum nonnihil mali de eo suspicaretur, paulo post dimisit, in cujus locum alium suum subditum suffecit. Res ea diu latere non potuit : sed cum esset brevissimo tempore divulgata, verita Calcatæ Domina, ne cujusquam malitia tantus thesaurus subriperetur, eum in Ecclesiæ sacrario, loco nimirum tutiore, asservari voluit.

Asservantur dictæ reliquiæ in Calcatæ templo.

19 Demum anno 1559, ipsis Kalendis Januariis Dei instinctu, mulieres quædam ex sanctæ Ursulæ sodalitate Massano, (qui locus Calcata uno distat milliari) causa visendi sacrosanctas reliquias, religiose post meridiem candelas accensas in manibus gestantes iter suscipiunt : quibus sese viri complures, ipsi quoque faces præferentes, cum suis liberis adjunxerunt. Ubi Calcatam perventum est, in planitie, in qua situm est templum, humi se maxima animorum submissione prosternunt universi : et sic genibus nixi limen Ecclesiæ, in qua eædem reliquiæ conservabantur, attigerunt. Mox ab Aristante Sacerdote, viro integerrimo, exhiberi sibi sacrosanctum præputium petierunt : elatum e sacrario in altari Sacerdos deponit. Et ecce subito (res omnem excedit admirationem) templum nubes implet, quæ sanctissimas reliquias, Sacerdotem, altareque ipsum obnupsit, ut nihil eorum a quoquam per quatuor horarum circiter spatium videri potuerit præter nubem, stellas, et ignis flammas, quæ sursum ac deorsum per ecclesiam ferebantur. Eo spectaculo universi, qui aderant, merito consternati, misericordiam intensa voce prout lacrymæ et singultus permittebant, implorare cœperunt : non defuere, qui campanis pulsatis non Calcatensis modo, verum et Stabii Massanique pagi multitudinem sonitu advocarent : multi foribus templi exclusi tecta conscenderunt, tegulisque avulsis aditum sibi ad ea, quæ visebantur, spectanda paraverunt. Persensit campanarum sonum Flaminius loci herus, qui id temporis animi gratia venatum longius abscesserat : et sine mora ex suis familiaribus, qui rem investigaret, misit : rediit ille celerrime, seque in templo nubem, stellas, et flammas cum multitudine videre asseruit. Advolat herus ipse, in cujus in pagum regressu, Dei voluntate disparuerunt omnia. Retulit postmodum Sacerdos, se toto illo tempore sensu omni et cogitatione captum fuisse.

Supplicatio ad sacrum præputium Kalendis Januariis.

Expositis reliquiis nubes aliaque portenta in templo cernuntur.

Pulsatis campanis multi conveniunt.

20 Non multo post Magdalena Romam venit, et de omnibus Paulum IV Pontif. fecit certiorem, a quo Pipinellus, et Attilius Cæcius Lateranensis Basilicæ Canonici Calcatam missi, ut plenius de facti veritate edocerentur. Hi ergo advocatis lectissimis feminis, Magdalena, Lucretia, et Clarice, ab eis requisierunt, easdemne reliquias recognoscerent, quas ante sibi a Sacerdote exhibitas fuisse narrabant. Asseveraverunt illæ, quemadmodum publicis tabulis, ac testimoniis consignatum est.

Res Paulo IV Pontifici exponitur.

21 Dum

Ex Toleto et ms. *Canonicus quidam Lateranensis præputium Christi comprimens, illud divellit: moxque horrida tempestas oritur.*

21 Dum hæc geruntur mense Maio 1559, (dies erat longe pulcherrimus) accidit aliud insigne miraculum. Prior enim ille Canonicorum binis utriusque manus digitis Christi præputium durumne sit, an molle pertentat, et ut esset certior, comprimens, in duas partes incautus divulsit: quo facto (dictu mirabile) quæ tonitrua, quæ fulgura, quam obscuratus sit super eum locum aer, ita ut media luce lucem astantes desiderarent: metu conterriti omnes animam agere videbantur.

22 Depositis reliquiis Canonici Romam regressi, visa et audita Pontifici retulerunt, testificatique sunt omnibus ingenue, veras esse Servatoris nostri reliquias: iidemque auctores fuerunt in perantiquis codicibus inveniri, hoc sanctissimum Christi præputium, olim in vase crystallino, quod utrimque a duobus Angelis ex auro affabre elaboratis sustentabatur, ad Sancta Sanctorum asservatum fuisse. Porro in hodiernum diem Calcatæ in æde SS. Cornelii et Cypriani summa veneratione custodiuntur, ubi hæc, et in dies plura Deus opt. miracula operatur. Qui locus, ut esset eo celebrior, Æmilia Ursina Magdalenæ cognata, mense Julio 1584, a Sixto V, plenariam Indulgentiam, in eadem ecclesia ipso Circumcisionis Domini die, ut ex litteris Apostolicis constat, per decennium impetravit.

Multa isthic miracula fiunt.

Indulgentiæ conceduntur a Pontifice.

Not. 4.

23 *Restat ut quæ pro Antverpiensibus faciunt proponamus: quæ quantam vim habeant, alii judicent. Mihi certe probabile fit, saltem particulam aliquam sacri præputii hic extitisse. Primum est testimonium Capituli Antverpiensis anno* 1416 *datum. Alterum testimonium Theobaldi Archiepiscopi Bisontini anno* 1427. *Tertium Joannis Episcopi Camaracensis anno* 1428. *Quartum testimonium Eugenii Papæ anno* 1446. *Huc accedit Bulla Clementis VIII anno* 1599 *data, qua confirmatur Confraternitas Circumcisionis, jam olim in urbe Antverpiensi instituta.*

Præputium Christi, aut certe ejus pars Antverpiæ asservata.

Not. 5.

24 *Litteræ Capituli Antverpiensis ita habent*: Universis Christi fidelibus ad quos præsens nostrum scriptum pervenerit, Decanus et Capitulum ecclesiæ collegiatæ Beatæ Mariæ Antverpiensis, * Cameracensis Diœcesis, in Christo Jesu Domino nostro salutem, et piam noscere veritatem.

Litteræ Capituli Antverpiensis.

* postea nova hic sedes Episcopalis erecta.

Si sacris ossibus ceterisque probatis reliquiis ad recolenda nobis Sanctorum merita, et imitandam vitam veneratio debeatur et honorificentiæ cultus; quanto major Dominico præputio, quod ex incontaminata Christi carne, qui Sanctus Sanctorum est, nostræ reparationis arrha initiumque sub teneræ ætatis infantia primævaque sui pretiosi sanguinis effusione recisum, mundoque, ut pie credimus, est relictum, dicente sponsa Christi Ecclesia: *Si non sit viro meo nomen et reliquiæ super terram.* Sane cum sacrosanctum hoc Domini nostri Jesu Christi præputium, saltem (ne quibusdam locis derogare videamur) notandam portiunculam ejus apud nos esse fuisseque a plurimis annorum centenariis, nostrorum seniorum relatione vetustissimisque eorum relictis scripturis didicerimus; ne forte irreverentiæ negligentiæque rei tam sacræ a Domino cum illis Cisterciensibus, quorum Cæsarius meminit, arguamur; ut quod in nobis est faceremus, id ipsum hoc scripto nostro universitati vestræ volumus esse notum.

2. Reg. 14. v. 7.

Cæsar. l. 8. c. 84, 85, 86.

25 Tradiderunt quippe nobis seniores nostri, quod olim regnante in terra sancta felicis recordationis Illustrissimo Christianissimoque Principe fundatoreque nostro Godefrido de Buillon Hierosolymitanorum Rege, erat cum illo generosus quidam vir, Antverpiensis oppidanus, Henricus Noese, Presbyter et ejusdem Domini Godefridi Capellanus: qui dehinc eorumdem Hierosolymitanorum * factus Episcopus, videns succedente Balduino præfati Regis Godefridi fratre, sævitiam infidelium reinvalescere paganorum; natalis patriæ nimirum affectus amore, conquisitum ante et sufficienti documento probatum Domini nostri præputium, per manus cujusdam nostratis, fidi Capellani sui et nostri, Arnoldi Heerbrant, priusquam morte corporali illic præveniretur, ut rem tam sacram indignis infidelibus subtraheret, ad nostram præfatam Ecclesiam Antverpiensem memoriale sui perenne fideliter transmisit, digne fidelibus adorandum: ait enim Dominus per Prophetam: *De Jerusalem exibunt reliquiæ.* Et alibi: *Disperdam de loco hoc* (scilicet Jerusalem) *reliquias.* Et: *Possidere faciam reliquias populi hujus.*

Præputium Christi Hierosolymis Antverpiam transmittitur.

* non consentit hoc cum historia belli sacri.

Isa. 37. 32. Sophon. 1. v. 4. Zachar 8. v. 12.

Hæc testimonia sacræ Scripturæ, satis violente huc transferuntur.

26 At ne forte levitate quadam a nobis res hæc suscepta nonnullis prima facie videatur, ulla vel subsecuta in attestationem signaculi hujus, stupenda miracula, quæ operari olim dignatus est Dominus, plurima tacentes, fideliter referemus.

Contigit equidem dudum venerabilem Patrem et Dominum nostrum Cameracensem pastoralis sollicitudinis more Ecclesiam nostram visitare. Hic celebraturus inter Missarum suarum solemnia sacrosanctum Domini præputium, de quo sermonem vobis facimus, præsentialiter sibi afferri, et corporali, quo utebatur, superponi præstolabatur; ut id ipsum cum metu et reverentia valeret aspicere. Cujus devotæ petitioni dum prædecessores nostri, qui pro tempore astabant, juste annuerent; indictis tamen prius populo per eumdem orationibus communibus, dum et ipse intra Missæ suæ secreta orat, si forte Dominus eidem signum aliquod mittere dignaretur; (mira res!) ecce ex præfato Domini præputio in corporale, cui impositum fuerat, tres sanguinis guttulas, quæ in hoc usque ævi apud nos notabiliter apparent et permanent; stupens conspicit resudasse, statimque totum circa rem hanc, si quod inhæserat dubietatis vulnus de ejus pectore præputatum est: orabat tamen pœnitentia ductus pius Pater Dominum, populumque pro se orare fecit, veritus si forte in hac re Deum tentandi vitium ullatenus incurrisset.

Tres sanguinis guttulæ e præputio exsudant in corporali Episcopi Cameracensis, qui de veritate dubitare videbatur.

27 Sed quid dicemus de recolendæ apud nos memoriæ inclyta illa Regina Siciliæ, quæ olim incurabili morbo laborans nostri Antverpiensis penitus ignara loci, dum in spiritu tantum et visione docta a Domino, sacrum hoc Domini præputium devota vovet ecclesiæque nostræ limina corporaliter visitare: eo ipso curata sanaque effecta est. Quæ dum facto corporaliter, suffragio mercatorum freta, quod voto promiserat, adimpleret; advenienti Reginæ ordine processionali occurrente Clero nostro, allatoque præputio sacro; ecce dæmoniacus quidam horribili voce Canonicis improperat, pro eo quod carnem immortalis Regis mortali feminæ obviam ferunt, illicoque a dæmone liberatus est. Suntque apud nos in hodiernum adhuc servata diem ornamenta pretiosa in signum hujus, quæ hæc devota matrona nostræ Ecclesiæ cum gratiarum actione dereliquit.

Regina Siciliæ Christi præputium visitare vovens, ab incurabili morbo curatur.

Dæmoniacus præputio præsente liberatur. Regina Siciliæ ornamenta dat Ecclesiæ Antverpiensi.

28 Quæ itaque, quæsumus, tam saxea hominum pectora, quibus hæc testimonia non satis sint? quem hæc ad piam fidem non moveant, ad sacratissimum quoque hoc Domini præputium, quod apud nos sic esse fideliter et pie credimus, si non præsentialiter corpore, mente vel nobiscum fideliter adorandum; nisi forte horum, contra quos tam pulchre Aurelius ille Augustinus in libris de Civitate Dei invehitur, quorum, ut ait, proprium est nil eorum credere de præteritis aut futuris, quæ oculis prope aut experimentaliter ipsi coram positi non videre? Hæc igitur in hac re sunt monimenta nostra: hæc seniorum nostrorum fidelis relatio, quam scribimus, quæ singulis annis a tanto tempore, quod contrarii memoria non habetur, multis hominum millibus prædicantur. In quorum testimonium hoc præsens scriptum nostrum, sigilli nostri appensione, ex certa scientia, duximus communiri. Datum Antverpiæ in loco nostro capitulari anno Domini millesimo quadringentesimo

Aug. de Civit. Dei l. 21. c. 5.

tesimo decimosexto, mensis Junii die decima.

Sigillatum erat sigillo uno supradicti Capituli in viridi cera.

Litteræ Joannis de Gaure Episcopi Cameracensis.

29 *Joannis Cameracensis ac Theobaldi Bisontini litteræ hæ sunt:* Universis et singulis Christi fidelibus præsentes litteras inspecturis Joannes Dei et Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Cameracensis salutem in Domino sempiternam.

Notum facimus quod nos omnes et singulas indulgentias a Reverendissimo in Christo Patre et Domino D. Theobaldo eadem gratia Archiepiscopo Bisontino, in litteris ipsius Reverendissimi Patris inferius annotatis, concessas, auctoritate nostra ordinaria et Pontificali ratas et gratas habentes, quantum cum Deo et de jure possumus et debemus, in concessione hujusmodi indulgentiarum nostrum præbemus consensum pariter et assensum. Ceterum ut Capella in honore et sub vocabulo sacrosancti præputii Salvatoris Domini nostri Jesu Christi sita et fundata in Ecclesia collegiata et parochiali Beatæ Mariæ Virginis gloriosæ, oppidi Antverpiensis, nostræ Diœcesis, de qua in dictis litteris infra insertis fit mentio, congruis frequentetur honoribus, et a Christi fidelibus jugiter veneretur; et ut fideles ipsi eo libentius causa devotionis, orationis, voti, et peregrinationis conveniant et confluant ad eamdem, quo ex hoc dono cælestis gratiæ uberius respexerint se refectos; contemplatione Confratrum Confraternitatis sacrosancti præputii super id nobis supplicantium, omnibus et singulis vere pœnitentibus confessis et contritis ac in statu gratiæ existentibus, qui Missæ, quæ singulis diebus Sabbati ob reverentiam et honorem ipsius sanctuarii in dicta capella celebratur, interfuerint, et ad hoc operam dederint; seu qui ad augmentationem divini cultus in dicta capella fiendi, seu ad opus retentionis et reparationis ejusdem capellæ manus porrexerint adjutrices; aut qui ad capellam ipsam in festivitatibus Circumcisionis, Nativitatis, Epiphaniæ, Paschæ et Ascensionis Domini nostri Jesu Christi, Pentecostes, Sanctissimæ Trinitatis, et omnium Sanctorum, necnon in quinque festivitatibus Beatæ Mariæ Virginis, et die processionis qua dictum sanctuarium in dicto oppido processionaliter defertur, et per octavas earumdem festivitatum octavas habentium, devotionis orationisve aut peregrinationis causa visitaverint, a Domino veniam imploraturi delictorum; de omnipotentis Dei misericordia, et gloriosæ Virginis Mariæ matris, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus, Sanctorumque et Sanctarum omnium meritis et intercessionibus confisi; quadraginta indulgentiarum dies totiens, quotiens præmissa aut aliquod præmissorum Domino propitiante salubriter peregerint, de injunctis eis pœnitentiis misericorditer in Domino relaxavimus, et relaxamus per præsentes, quas volumus perpetuis temporibus in sua roboris firmitate perdurare. In cujus rei testimonium sigillum nostrum his nostris præsentibus litteris duximus apponendum. Datum et actum Antverpiæ dictæ nostræ Diœcesis, anno Domini millesimo quadringentesimo vicesimo octavo, mensis Octobris die vicesima prima.

Joannes Episcopus Indulgentias in capella sancti præputii concedit.

30 Tenor vero litterarum dicti Reverendissimi Patris Domini Archiepiscopi Bisontini, de quibus supra fit mentio, sequitur de verbo ad verbum et est talis:

Litteræ Theobaldi de Rubeomonte Archiepiscopi Vesuntionensis.

Theobaldus Dei et Apostolicæ Sedis gratia Archiepiscopus Bisontinus, universis Christi fidelibus præsentes litteras inspecturis, Salutem in eo qui est omnium vera salus, et caritatis operibus abundare.

Piis fidelium votis, per quæ cultus divini nominis adaugetur, libentius annuimus, ut eorum crescat devotio, quantum cum Deo possumus gratiosum et benevolum nostrum impartimur assensum. Cum itaque sicut hodierna die casualiter transeuntes per Antverpiam Cameracensis diœcesis, plurium fida relatione didicimus sacrosanctum præputium Salvatoris Domini nostri Jesu Christi in ecclesia collegiata et parochiali Beatæ Mariæ Virginis dicti loci quiescere dicatur, et in quadam parte ipsius ecclesiæ verisimiliter sit in vasis aureis honorifice reconditum; ob cujus honorem et reverentiam sanctuarii nonnulli fideles Christiani singulis diebus Sabbati in qualibet hebdomada unam Missam alta voce per certos Capellanos ad hoc deputatos faciunt in quadam sancti dici præputii capella solemniter celebrare. Cupientes igitur ut ipsa capella, in qua nunc dictum esse dignoscitur præputium, vel in qua fortassis erit temporibus postfuturis translatum, perpetuo congruis honoribus frequentetur, et ut Christi fideles eo libentius causa devotionis confluant ad eamdem, et ad fabricam ipsius capellæ aptius et promptius manus porrigant adjutrices; de omnipotentis Dei misericordia, gloriosæ Virginis Mariæ matris ejusdem, beatorum Apostolorum Petri et Pauli, Sancti Joannis Evangelistæ et Sancti Stephani Protomartyris, patronorum nostrorum, omniumque Sanctorum et Sanctarum meritis et intercessione confisi; omnibus vere pœnitentibus et confessis, qui dictam ordinariam Missam devote audierint, et causa devotionis Capellam ipsam in die festi Circumcisionis Domini nostri Jesu Christi, et in festo Trinitatis et per Octavas earumdem visitaverint; quique cum eadem processionaliter ipso die processionis personaliter incedunt, et ad fabricam ipsius capellæ seu ad divini cultus augmentum manus porrexerint adjutrices, singulis diebus, quibus hoc pium opus et salutiferum fecerint, quadraginta dies de injunctis sibi pœnitentiis in Domino misericorditer relaxamus; præsentibus perpetuis temporibus in suo robore duraturis. In cujus rei testimonium sigillum Cameræ nostræ præsentibus duximus apponendum. Datum Antverpiæ die decima septima mensis Octobris, anno Domini millesimo quadringentesimo vicesimo septimo.

Ex mss.

Omnibus Sabbatis solet fieri Missa de sancto præputio.

Theobaldus concedit Indulgentias audientibus Missam, aut visitantibus capellam sancti præputii, etc.

Litteræ Eugenii IV Papæ.

31 *Eugenii et Clementis diplomata sic habent:* Eugenius Episcopus, Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. In Apostolicæ specula dignitatis, superna dispositione, constituti, curis efficere prosequimur assiduis, ut hi, pro quibus humanos Dei filius languores perpeti dignatus est, a noxiis expiati suarum salutem consequantur animarum. Cum itaque (sicut exhibita nobis nuper pro parte dilecti filii Magistri Anselmi Fabri de Breda, Decani Ecclesiæ B. Mariæ Antverpiensis, Cameracensis Diœcesis, Notarii nostri et litterarum Apostolicarum correctoris petitio continebat) in capella, prope cujus altare in ecclesia prædicta Præputium Dominicum honorifice conservari dicitur, et ubi præfatus Anselmus quamdam perpetuam Capellaniam instituit atque dotavit; Christi fideles plerique singularis causa devotionis convenire soliti sint, ad divini propagationem cultus, Confraternitatem inibi, de qua dictus Anselmus existit, amplectentes; Nos devotionem et cultum hujusmodi vigere necnon adaugeri summis desiderantes affectibus, et ipsius Anselmi, qui etiam Referendarius noster existit, in hac parte supplicationibus inclinati, universis et singulis Christi fidelibus infra numerum 25 de confraternitate hujusmodi nunc et in futurum existentibus, auctoritate Apostolica tenore præsentium indulgemus, ut eorum singuli Sacerdotes idoneos in suos possint eligere confessores, qui diligenter ipsorum confessionibus auditis pro peccatis, criminibus et delictis quæ commiserint, eis in quibuslibet etiam Apostolicæ Sedi reservatis semel, et in aliis quotiens opportunum fuerit casibus debitam absolutionem impendere ac salutarem pœnitentiam injungere, nec non ipsis in sinceritate fidei, unitate Sanctæ Romanæ Ecclesiæ ac obedientia et devotione nostra et successorum nostrorum Romanorum Pontificum canonice

Anselmus Fabri de Breda Decanus Antverpiensis.

Eugenius concedit sodalibus sancti præputii ut possint sibi confessarios eligere.

Ex mss.

canonice intrantium persistentibus, omnium peccatorum suorum, de quibus corde contriti et ore confessi fuerint, etiam semel tantum in mortis articulo plenam remissionem concedere valeant: sic tamen quod ipsi confessores de his, de quibus alteri satisfactio impendenda fuerit, eam dictis fidelibus sic confessis si supervixerint, vel per heredes suos, si tunc forte transierint, faciendam injungant, quam illi facere teneantur. Et ne aliquis propterea (quod absit) proclivior reddatur ad illicita in posterum committenda, volumus quod si ex confidentia remissionis hujusmodi aliqua forte commiserint, quoad illa nullatenus eis dicta remissio suffragetur: quodque singuli fidelium præfatorum postquam ipsi concessionem eis remissionis hujusmodi proficere, vel uti illa voluerint; ex tunc per unum annum singulis sextis feriis, impedimento cessante legitimo jejunent: et si dictis feriis ex præcepto Ecclesiæ regulari observantia, injuncta pœnitentia, voto, vel alias jejunare teneantur, una alia die singularum septimanarum ejusdem anni, qua ad jejunandum non sint astricti, jejunare debeant. Si vero in anno prædicto vel aliqua ejus parte legitime impediti sint, anno sequenti vel alias quamprimum poterunt, modo simili supplere jejunium hujusmodi teneantur. Porro si forsan alias prælibatum jejunium in toto vel in parte quandocumque adimplere commode nequiverint, illud eis præfati Confessores in alia pietatis opera prout eorum animarum saluti expedire viderint, commutare valeant, quæ pari modo adimplere teneantur. Alioquin quoad eos dumtaxat ipsis facta concessio remissionis hujusmodi nullius sit roboris vel momenti. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ 1446, v Kalend. Februar. Pontificatus nostri anno xvi.

Utque ab iis semel plenariam indulgentiam consequantur.

Si ea fiducia peccent liberius, statuit ut non prosit iilis bulla pro istis peccatis.

Tenentur sodales jejunare anno uno omnibus sextis feriis.

Litteræ Clementis VIII.

32 Clemens Papa VIII ad perpetuam rei memoriam. Cum sicut accepimus in ecclesia Cathedrali Antverpiensi, una pia utriusque sexus Christi fidelium Confraternitas sub invocatione Circumcisionis Domini, non tamen ex hominibus unius specialis artis, canonice instituta existit, quæ in piis caritatis operibus sese consuevit exercere; Nos, ut Confraternitas præfata majora indies suscipiat incrementa, de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus utriusque sexus Christi fidelibus, qui dictam Confraternitatem de cetero ingredientur, die primo eorum ingressus, si vere pœnitentes et confessi sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, plenariam, et tam ipsis pro tempore describendis quam jam descriptis in ipsa Confraternitate Confratribus in cujuslibet eorum mortis articulo, si pariter vere pœnitentes et confessi sacraque communione refecti, vel quatenus id facere nequiverint, saltem vere contriti nomen Jesu ore vel corde devote invocaverint, etiam plenariam; ac, tam ipsis nunc, et pro tempore Confratribus, quam aliis utriusque sexus Christi fidelibus etiam vere pœnitentibus et confessis, ac sanctissima communione refectis, qui prædictæ Confraternitatis ecclesiam, vel capellam in festo Circumcisionis Domini a primis vesperis usque ad occasum Solis ejusdem festi singulis annis devote visitaverint, et ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac sanctæ matris Ecclesiæ exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, plenariam similiter omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, misericorditer in Domino concedimus.

Pontifex plenariam indulgentiam concedit sodalibus Circumcisionis in die ingressus, et mortis.

Item omnibus visitantibus eorum capellam festo Circumcisionis.

33 Insuper eisdem nunc, et pro tempore existentibus Confratribus utriusque sexus, qui dictam ecclesiam vel capellam in S. Arnulphi Episcopi, Beggæ Ducissæ, Gertrudis, et Ivonis Advocati pauperum, festivitatibus pie visitaverint, et ibi, ut præfertur, oraverint, septem annos et totidem quadragenas: quoties vero Missis, et aliis divinis officiis in dicta Confraternitate pro tempore celebrandis et recitandis, seu congregationibus publicis vel privatis ejusdem Confraternitatis ubivis faciendis interfuerint, aut pauperes hospitio susceperint, vel pacem cum inimicis propriis, vel alterius composuerint, seu componi fecerint, vel procuraverint, nec non etiam qui corpora defunctorum tam Confratrum quam aliorum ad sepulcrum associaverint, vel quascumque per ipsam Confraternitatem processiones de licentia Ordinarii fieri solitas, dictumque sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum tam in processionibus, quam ad infirmos, aut alios ubicumque, et quomodocumque pro tempore deferetur, comitati fuerint, aut campanæ ad id signo dato semel orationem Dominicam et salutationem Angelicam dixerint, aut etiam quinquies orationem Dominicam et salutationem Angelicam pro animabus defunctorum Confratrum dictæ Confraternitatis recitaverint, aut devium aliquem ad viam salutis reduxerint, et ignorantes præcepta ea quæ ad salutem sunt docuerint, aut quodcumque aliud pietatis vel charitatis opus exercuerint, toties pro quolibet prædictorum operum sexaginta dies de injunctis eis seu alias quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Ecclesiæ consueta relaxamus, præsentibus pro Confratribus perpetuo, pro non Confratribus vero ad decennium dempto anno Jubilæi valituris, contrariis non obstantibus quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo piscatoris die III Novembris MDXCIX. Pontificatus nostri anno VIII, subsignatum. M. Vestrius Barbanius.

Concedit sodalibus alias indulgentias festis S. Arnulphi, Beggæ, Gertrudis, Ivonis.

Alia quoque pia opera exercentibus.

Not. 6.

DE S. GASPARE REGE.

1. JAN.

Commemoratio trium Regum XI *Januar.*

Quibus diebus singuli colantur.

De tribus sanctis Regibus Magis, qui primi ex Gentibus Christum stellæ indicio allecti adorarunt, agemus VI *Januar. cum de Epiphania erit sermo, iterumque* XI *Januarii, quo eorum agi in Ecclesia Coloniensi atque alibi peculiaris commemoratio perhibetur: licet Galesinius* VII *Januar. in Notis, eo die agi eorum natalem scribat. Singulorum præterea Natales variis diebus celebrantur; Melchioris quidem* VI *Januar. Balthasaris* XI Gasparis *vero* I. *De hoc Usuardi editio Coloniensis an.* 1490. In Oriente S. Jaspar Regis, quem Beatus Thomas Apostolus plene fidem docuit, et postmodum Episcopum patriæ ipsius, sicut et alios duos ordinavit. Qui hac die obdormivit in Domino, divino sacrificio in Ecclesia prius celebrato ac sumpto. *Eadem fere habet Martyrologium Germanicum hoc ipso die. At Molanus, Ferrarius,* MS. *Florarium Sanctorum, eum* XI *Januar. referunt: aitque Florarium obiisse anno ætatis* 109, *alii Martyres obiisse tres hos Heroes putant. De Translatione eorum agemus* 23 *Julii.*

S. Gaspar Rex et Episcopus, celebrato sacrificio moritur.

Quidam putant Martyrem obiisse.

DE

DE

SS. MARTYRIBUS SYRACUSANIS.

CIRCA AN. LXVII. I JAN. *Martyres Syracusis sub Nerone.*

Octavius Cajetanus noster in Idea operis de Sanctis Siciliæ: Syracusis, primitiæ Sanctorum Martyrum, persecutione Neronis, impio ejus edicto in Siciliam perlato. *Citat tabulas Ecclesiæ Syracusanæ.* EX MSS.

VITA

S. CONCORDII

PRESBYTERI, MARTYRIS.

CIRCA AN. CHR. CLXXV. I JAN.

S. Concordii memoria in Martyrologiis.

Corpus ejus Bisolduni in Hispania.

Translatio ejus 4 Julii.

Vita ejus unde descripta.

Extat hujus sancti Martyris memoria in omnibus Latinorum Martyrologiis, Romano, Bedæ, Usuardi, Adonis, Hrabani, Notkeri, Bellini, Maurolyci, Galesinii, et aliorum. Corpus ejus in Monasterio S. Petri Bisolduni in diœcesi Gerundensi asservari dicitur: agitur isthic ejus celebritas II *Januar. ut testatur Antonius Vincentius Domeneccus in historia Sanctorum Catalauniæ, et Philippus Ferrarius in generali catalogo Sanctorum ad* II *Januar. Celebratur vero Translationis ejus festum* IV *Julii. De S. Concordii reliquiis (hujusne, an, quod potius reor, alterius) agitur inferius cum de inventione S. Martinæ.*

Vitam S. Concordii referunt Joninus Mombritius, Vincentius Bellovacensis lib. 10, *cap.* 108. *Agones Martyrum excusi, Surius, sed phrasi paululum mutata. Usus sum præcipue* MSS. *codicibus antiquis Imperialis Monasterii S. Maximini Treviris, et S. Mariæ de Ripatorio. Ejus mentio fit in vita S. Pontiani,* XIX *Januarii et S. Constantii Episcopi Perusini,* XXIX *Januarii. De eodem agit Petrus de Natalibus lib.* 2, *cap.* 30. *Ferrarius in catalogo Sanctorum Italiæ.*

VITA.

Persecutio M. Aurelii.

Temporibus Antonini Imperatoris gravissima persecutio orta est in urbe Roma; ita ut nec emendi, nec vendendi cuiquam licentia facile tribueretur, nisi qui diis immolasset. Tunc erat in civitate Roma vir quidam, Concordius nomine, nobili familia ortus, cujus pater Gordianus dicebatur, sanctissima conversatione Presbyter de titulo Pastoris. Hic itaque habens filium Concordium, quem erudivit omni sanctæ Scripturæ doctrina, fecit eum fieri Subdiaconum a sancto Pio Episcopo urbis Romæ. Hic itaque B. Concordius, cum patre suo, ad nihil vacabant aliud, nisi jejuniis et orationibus diu noctuque, et eleemosynis pauperum insistentes; petebantque a Domino ut rabiem persecutorum possent evadere.

S. Concordii pater, institutio.

* *al.* Concordianus.

S. Concordius fit Subdiaconus.

Adit S. Eutychen et cum eo habitat.

2 Tunc B. Concordius dixit patri suo: Domine mi, si vis, dimitte me, ut vadam ad sanctum Eutychen, et habitem cum eo paucis diebus, donec cesset rabies inimici Antonini Imperatoris. Dicit ei pater suus: Fili, magis hic habitemus, ut possimus coronari. Ait illi Beatus Concordius: Vadam si jubes; quia ibi coronabor, ubi me Christus jusserit coronari. Tunc dimisit eum pater suus: et abiit ad sanctum Eutychen; qui tum morabatur in prædiolo suo, via Salaria, juxta civitatem Tribulum. Quem Beatus Eutyches cum magno gaudio suscipiens, cœpit Deo gratias agere. Et habitaverunt simul in eodem loco, orationibus et jejuniis insistentes. Et multi variis languoribus vexati veniebant ad eos: et illi orantes, in nomine Jesu Christi sanabant eos.

* *al.* Tribulæ.

Multos cum eo sanat.

3 Tunc audiens famam eorum Torquatus Comes Thusciæ, qui tunc habitabat in civitate Spoletana; misit, et accersivit ad se sanctum Concordium, aitque illi: Quis vocaris? At ille respondit: Christianus sum. Dicit ei Comes: De nomine tuo requiro, non de Christo tuo. Sanctus Concordius respondit: Jam tibi dixi; Christianus sum, et Christum confiteor.

Citatur ad Torquatum Præsidem.

Interrogatus de nomine, respondet se Christianum esse.

4 Ait Comes: Sacrifica diis immortalibus, et esto noster amicus: et ego te ut patrem habebo, suggeramque Domino meo Antonino Imperatori, ut faciat te sacerdotem deorum. Sanctus Concordius respondit: Utinam tu efficiaris particeps deorum tuorum. Dicit ei Comes: Audi me, et sacrifica diis immortalibus. S. Concordius respondit: Magis tu audi me, et sacrifica Domino Jesu Christo, ut possis evadere tormenta. Nam si non feceris, tu et dii tui in igne perpetuo pœnam habebitis. Tunc Comes jussit eum fustibus mactari, et in custodiam publicam recludi.

* *al.* ardebitis.

Cæditur fustibus.

Visitatur a SS. Eutyche et Anthymo.

Permittitur ire cum S. Anthymo.

Consecratur Sacerdos.

Revocatur ad carcerem:

5 Tunc venit nocte ad eum Beatus Eutyches, cum S. Anthymo Episcopo; et quia Anthymus amicus erat Comitis, rogavit Torquatum Comitem, ut eum sibi concederet paucis diebus. Et permisit eum Beato Anthymo, et habitaverunt simul multis diebus. Tempore autem opportuno consecravit eum Presbyterum, et cœperunt orationibus vacare.

6 Post aliquantum vero temporis misit Comes, et tulit eum; et dicit ei: Quid tractasti circa salutem tuam? S. Concordius respondit: Salus mea Christus est, cui quotidie sacrifico sacrificium laudis. Nam tu, et dii tui in inferno ardebitis. Tunc jussit eum suspendi in eculeum. Ille autem vultu alacri dicebat: Gloria tibi Domine Jesu Christe. Dicit ei Comes: Sacrifica Jovi magno. Beatus Concordius respondit: Ego non sacrifico lapidi surdo et muto; quia habeo Dominum meum Jesum Christum, cui servit anima mea.

Suspenditur in equuleo.

Includitur carceri, fame enecandus.

7 Tunc iratus Comes fecit eum in ima carceris includi, colloque ejus et manibus ferrum injici: et jussit ut nullus ad eum ingrederetur, volens eum fame perire. Ibi Beatus Concordius cœpit gratias agere omnipotenti Deo, et dicere: *Gloria in excelsis Deo et in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Ecce autem nocte media Angelus Domini ei apparuit, dicens: Noli timere, sed viriliter age, quia ego tecum sum.

LUC. 2.

Apparet ei Angelus.

Mittuntur ad eum carnifices media nocte.

8 Post tres autem dies jussit ad eum Comes media nocte ambulare duos satellites suos, dicens: Aut sacrificet, aut capite puniatur. Et venientes satellites ad eum cum statunculo Jovis, dixerunt: Audisti quæ jussit Comes? Sanctus Martyr respondit: Vos scitis. Illi dixerunt: Vel sacrifica Jovi, aut capitalem sententiam excipies. Tunc Beatus Concordius gratias agens dixit: Gloria tibi Domine Jesu Christe. Et exspuit in faciem Jovis. Tum unus satellitum evaginato gladio, amputavit ei caput: atque ita in confessione Domini emisit spiritum.

Exspuit in statuam Jovis. Plectitur capite.

9 Tunc venientes duo Clerici et quidam religiosi viri

Sepelitur juxta Spoletum.

EX VARIIS AUCTORIBUS. *Miracula ad ejus sepulcrum.*

viri tulerunt corpus ejus, et posuerunt non longe a civitate Spoletana, ubi multæ emanant aquæ. Dies Natalis Sancti Concordii Martyris celebratur Kal. Januar. In loco, ubi sepultus jacet beatus Martyr, cæci illuminantur, infirmi sanantur, dæmones expelluntur, orationibus B. Concordii Martyris, præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

DE SANCTIS

CIRCA AN. CHR. CXCVIII. I JAN.

ELVANO EPISCOPO ET MEDVINO

IN ANGLIA.

SS. Medwini et Elvani in Martyrologiis memoria.

Apostolicorum horum virorum natalem hoc die celebrat Ecclesia Anglicana : de quibus Philippus Ferrarius in generali catalogo Sanctorum : In Anglia Sanctorum Episcoporum Mydwyni et Elvanii. *Eadem habet Martyrologium Anglicanum, additque nobili apud Britannos genere ortos, plurimis pro Christianæ religionis propagatione susceptis laboribus, vitæ sanctitate et venerabili senio conspicuos excessisse e vita circiter annum Christi* 198, *et Glasconiæ sive Avalonæ sepultos. De his Baronius tomo* 2, *annal. ad an.* 183, *ex antiquis monumentis ita scribit :*

Ubi sepulti sint. BARON. NOT. 7.

2 Lucius Britannorum Rex numquam se Christianæ religioni infensum exhibuit, hostemve: sed quod Christianorum miracula simul et vitæ integritatem admiraretur, in eosdem propensior videbatur: amplexusque fuisset jam ante Christianam religionem, nisi avita, velut nexibus, obligatus esset superstitione; nisi etiam conspexisset Christianos ab Ethnicis ipsis ut infames vilesque haberi; a Romanis ipsis, penes quos summa rerum esse videbatur, et gladio et injuriis assidue lacerari.

Lucius Rex Britanniæ favet Christianis. Cur ipsemet Christianus non fieret.

Pertinax et Trebellius Senatores Christiani.

3 Comperit tamen postea novitque ex Legatis Cæsaris, Senatores etiam aliquos Christianos factos esse, et inter alios Pertinacem quemdam, atque Trebellium; Imperatoremque ipsum M. Aurelium, victoria ipsorum precibus obtenta, benigne habuisse Christianos. Quibus his aliisque perceptis Lucius legationem misit ad Eleutherum Romanum Pontificem per Elvanum et Medwinum Britannos : rogans per eos Eleutherum, ut per se suosque ministros ad Christianam Religionem suscipiendam aditum patefaceret : quod et obtinuit. Nam idem Pontifex Fugatium et Donatianum (aliter Damianum) in Britanniam misit, qui Regem et alios Christiana religione imbutos, sacris initiarent mysteriis : quod et naviter impleverunt.

Lucius Elvanum et Medwinum Romam mittit.

Britanniatum Reges habuit Romanis tributarios. Numquam tota fuit in Romanorum potestate.

4 *De S. Lucio plura ad* II *Decemb. Quærunt hic quidam qui potuerit Britannia, jam in Provinciam redacta, proprium habere Regem. Ut Galilæa scilicet tempore Christi, aliæque complures provinciæ tributarios Reges habebant. Sed nec universa tum Britannia in Romanorum venerat potestatem, ut illis temporibus proximus Tertullianus testatur lib. adversus Judæos c.* 7. Britannorum inaccessa Romanis loca, Christo vero subdita. *Qua de re plura Baronius loco citato, et in Notis ad Martyrol.* XXVI *Maji, ac Nicolaus Harpsfeldius lib.* I *histor. Anglic. cap.* 3.

Elvanus et Medvinus Lucium Regem in fide instruunt.

5 *De hac Lucii Regis legatione ita scribit Joannes Pitseus lib. de illustribus Angliæ Scriptoribus :* Quidam igniculi prædicationis S. Josephi adhuc post annos centum ab ejus obitu in Britannia remanserunt Nam anno post Christum natum 179 perveniente ad regnum Britanniæ Lucio Pio, floruerunt ibi Doctores illustres Elvanus Avalonius, et Medvinus Belgius, Britanni. Qui perspecta singulari Lucii Regis pietate, modestia et mansuetudine, tentaverunt eum paulatim ad Christi fidem perducere. Ergo ab iis instructus in fide, et ad quem religionis fontem recurrendum esset edoctus, eosdem suos Doctores Romam ad Eleutherum Papam destinavit Oratores, ut auctoritate Apostolica, et ipse et omnis ejus populus ad sacra Christiana possent admitti. Eleutherus summo cum gaudio postulatis acquievit, dictosque Regis Legatos benigne tractatos, et liberaliter remuneratos, cum humanissimis ad Regem litteris remisit. Et Elvanum quidem, ut scribunt aliqui, consecravit Episcopum. Medvinum autem constituit Britonum Doctorem. Illis etiam adjunxit itineris Britannici comites ex Romano clero duos Phaganum et Dervianum, viros pietate et doctrina insignes. His itaque in Britanniam venientibus, et omnia ex Eleutheri Papæ præscripto disponentibus Lucius Rex ab illis sacro baptismate initiatus est. Cujus exemplum non multo post tempore Principes et Proceres regni, et tandem omnis populus secuti, fidem Christi susceperunt. Acta sunt hæc circa annum Christi 180 sub Imperatoribus M. Antonio Vero et Aurelio Commodo * fratre. *Hæc ille.*

Ab eo ad Sedem Apostolicam mittuntur.

Elvanus fit Episcopus.

Britanni cum Lucio Rege convertuntur.

* Imo M. filio, nam L. Aurelius Commodus anno 180 patri successit; L. Ælius Aurelii Antonini fratèr pridem mortuus erat.

6 *De singulis deinde inferius in ipso Scriptorum catalogo hæc habet idem Pitseus :* Elvanus Avalonius, natione Britannus, et primus atque præcipuus suæ gentis in Christiana religione Doctor, vir pius, gravis, et eruditus : in schola S. Josephi Arimathensis educatus, ab ipsis Apostolorum discipulis fidei Christianæ mysteria didicit junior : et vir factus Lucio Regi diligenter prædicavit, eumque tandem cum tota gente baptizari fecit. In quibus omnibus Medvinum habuit socium et cooperatorem. Apud quosdam historicos invenio, hunc Elvanum, quo tempore Romam missus erat Orator de Rege Lucio baptizando, et Britannia convertenda, consecratum ab ipso Eleuthero Papa Britannorum Episcopum, unde et postea Londinensis Archiepiscopus secundus fuisse dicitur. De his legi potest Gildas historicus in libro de victoria Aurelii Ambrosii, et Matthæus Westmonasteriensis ad annum 186.

Elvanus Avalonius a puero Christianus.

Medwinus Belgius Britannorum Doctor.

Medvinus Belgius, id est, in ea circa Welliam Britanniæ parte natus, quæ olim Belgia dicebatur, Elvano tempore coævus, pietate et doctrina æqualis, educatione similis, omnium laborum particeps et comes semper individuus. Hunc ferunt cum missus esset Romam a Rege Lucio, propter eloquentiam singularem ab Eleuthero Papa gentis Britannicæ Doctorem solemniter fuisse creatum. Dum S. Patricius antiquum oratorium Avalonæ repararet, codicem veterem a tineis et blattis corrosum inter rudera reperit, in quo Apostolorum actus, et ea quæ Fugatius et Damianus (alii Phaganum et Dervianum vocant) in Britannia gesserant, a Medvino scripta fuerant. NOT. 8.

Scripsit gesta SS. Fugatii et Damiani. Librum illum reperit S. Patricius.

DE

DE S. MARTINA

VIRGINE ROMANA MARTYRE.

SUB ALEXANDRO IMP. I JANU.

Celebratur hoc die S. Martinæ Virginis Natalis in omnibus Latinorum Martyrologiis. Acta ejus, sed haud nobis omni ex parte probata, descripsimus ex vetusto codice Imperialis monasterii S. Maximini Treviris, contulimusque, cum editione Bonini Mombritii, excusis Agonibus Martyrum, MS. S. Mariæ de Ripatorio, in quo nonnihil subinde contracta erant; deinde cum Surio, Silvano Razzio, aliisque. Fere in omnibus cum S. Tatianæ et Priscæ Actis conveniunt, ut XII Januarii, et XIIX dicemus. Colitur nunc S. Martina XXX Januarii officio semiduplici; olim XV, officio trium Lectionum, ut patet ex Breviario Cardinalis Quignonii.

S. Martinæ Acta, similia Actis SS. Tatianæ et Priscæ:

2 *Caput ejus asservari Romæ in cœnobio FF. Minorum in Ara Cœli; quædam vero ossa in æde S. Mariæ Majoris, scripserat olim Rosweydus noster in libro vernaculo de Virginibus quæ in seculo vixerunt; corpus vero, aut saltem præcipuas ejus partes Placentiæ in basilica S. Xysti existere, Ferrarius in catalogo Sanctorum Italiæ. Sed corpus, aut saltem præcipuæ illius partes Romæ anno* 1634 *repertæ sunt: qua de re libellum Italice scripsit Marsilius Honoratus Viterbiensis Presbyter Congregationis Oratorii.*

Reliquiæ.

VITA EX MSS.

CAPUT I.

S. Martinæ genus. Apollinis statua eversa.

Regnante primo omnium in ambitu totius orbis Domino et Salvatore nostro Jesu Christo, militaturus adversarius diabolus perniciter adversus servos Domini nostri Jesu Christi prævaluit sub regno Alexandri Cæsaris, *a* in quarto anno imperii ejus. Proponens autem Alexander præceptum novum et pessimum, in toto orbe, ut aut sacrificent Galilæi, aut si non sacrificaverint morti tradantur. Direxit vero Præsides et Judices inductos dæmoniaca seductione. Erat enim præceptum per loca propositum cum fervente comminatione, quatenus dissiparetur Christianorum cultus, erantque comminantes cum terrore ut perficere hæc possent. Qui vero talia susceperunt præcepta, in multis Imperialibus describentes, atque Imperialem imaginem deferentes, novam propositionem per sacrificia nequissimorum ac pollutorum deorum suorum demonstrantes erant; quam præcepit Imperator fieri, et consentientes immolare honoribus magnis effici dignos; contemptores vero et nolentes immolare, tormentis crudelibus submitti ac mori.

a Alexander Imp. Christianos persequitur:

2 Horum vero omnium ac talia profitentium Alexander Imperator sacrificia exhibebat Romæ Apollini, et jussit magno terrore comprehendi *b* ab Optimatibus suis, qui religionem Christianam habere noscuntur, viros ac mulieres, ut cum pœnis et cum violentiis sacrificare compellerentur Apollini. Et quidem illi sathanæ ministri erant maligni viri, Vitalis quidam honorem habens Comitis, et Bassus qui super *c* thorum Imperialem præerat, et Cajus Domesticus, vere eorum pollutæ et nequissimæ sectæ ministri, qui directi sunt ad dissipandum cultum Christianorum.

sacrificat Apollini.

b

c

3 Venientes autem erga Ecclesiam, quæ est sita Romæ, viderunt B. Martinam orantem, et alacri vultu ad Altissimum prospicientem. Existebant vero ei servi ac ancillæ plures; erat enim ex sublimi genere, et *d* patre ter Consule, dives nimis et misericors omnibus egentibus, et legem sanctæ Trinitatis conservans. Et quidem per donum Dei Diacona erat; tota cum omnibus sanctis suis operibus et gratia Dei, moribusque ornata, et contra nequitias diaboli firmiter resistendo, lumbos veraciter præcinctos habens.

Martina virgo nobilis et dives,

d

4 Ministri vero tenentes dixerunt ad eam: Dominus orbis Alexander veneratur te sicut nobilem et decoratam genere, et primam Romanorum existentem, et sciens tuam honorificam conversationem obsecrat, quatenus magno Deo Appolini eminens sacrificium sponte offeras. Beata vero et Deo amabilis Martyr læto vultu dixit ad eos: Primum ingrediar ad sanctam meam ecclesiam, et commendo me Deo, et *e* Christo filio ejus, et sancto Spiritui, et sanctissimo et honorifico Episcopo; et qui strenue atque alacriter per fidem Christo deserviunt sacerdotibus, et omni benedicti ovilis Ecclesiæ, et sic cum pace proficiscemur. Oportet enim me pro Christo adversum incompositum sustinere et mendacem dominum, et confundere pestiferum et indignum imperio Alexandrum: ut victrix Salvatori nostro Jesu Christo assistam. Et ingressa complevit petitionem suam: et orans properavit cum eis ad Imperatorem, splendida facie, et specie præclara.

comprehenditur:

e

5 Ingressi vero impiæ sectæ ministri intimaverunt Imperatori stare eam ante Palatium; Prima, inquiunt, ac eminens de Galilæis adest, quæ imperio tuæ jussionis consentiens volontarie immolare Diis parata est, omnibusque suadere Christianis subsequi eam. Quod Imperator audiens gavisus est valde; et jussit eam in palatium Imperiale ingredi, et locum quo degebat. Ingressa autem ea, Imperatori pulchritudinem ejus admiranti placuit; magis autem de claro ejus genere quod audiebat de ipsa, et ait: Magnus es Deus Apollo, qui glorificaris ab omnibus Diis, qui talem existentem genere, et tantam in decore et gloria speciosissimam, mente composuisti, ut gaudens sacrificium tibi ingerat.

sistitur Imperatori,

6 Et hæc dicens, hæc ait ad B. Martinam: *f* Mentem habens bonam, et ingenium, et propositum caritatis, ut placabilibus muneribus præcipuum ac multifarium ritum Deorum exhibeas, immola Apollini. Etenim adhæsione tua, cogitavi, ut imperii mei potentiæque faciam te Dominam demonstrari et mei Palatii. Ad hæc B. Martina ait Imperatori: Jube me immolare sine sanguine immaculato Deo, qui non existentia omnia existere fecit, ut per meum sacrificium ostendam Apollinem, arguens eum, ne efficiar consentiens, et dimittam eum animas perdere sperantes in Salvatorem et Dominum meum Regem omnium.

f

invitatur ad sacrificia:

constanter recusat:

7 Imperator vero audiens ea quæ ab ipsa Beata dicta sunt, et non intelligens ea, jussit eam in templum Apollinis ingredientem immolare. Sancta vero jussa introire, hilari vultu dixit Imperatori: Ingredere et tu et sacerdotes Apollinis, et quanticumque amatores sunt ejus, et videant quomodo sinceriter intemeratus et misericors et sanctus Deus, intemerata et immaculata sacrificia benigniter suscipiet a me. Imperator vero jussit omnes adstantes et omnes ministros ingredientes prompte prospicere quæ ab ea fierent.

ducitur ad templum Apollinis:

8 Stans vero Deo amabilis et simplex Martyr *g* fecit sibi signaculum Christi: apparuit autem adstantibus Angelica gloria constringens ipsam, et coexistentes cum ea. Beata vero simplici facie levans oculos in cælum, et manus extendens sicut Dei famula, dixit: Gloria tibi Pater gloriæ, et Jesu Christe, glorificate Deus, cum sancto Spiritu; sanctitate plenus, et scientiæ largitor, sine invidia, immaculate et sempiterne Rex, Deus misericordiarum et Dominus omnium visibilium et invisibilium, qui in gratia tua, clementiaque nominis Christi filii tui confitentes corroboras;

g

adstante Angelo Deum invocat.

Ex mss. corroboras; te invoco, qui es et qui semper eris, manens in secula Deus; et peto deprecans et obsecro magnitudinem, quæ in te est, confessionem meam complere: et nunc præcipita hoc immobile, et non videns, et surdum idolum, quod per mortiferam et occultam nequitiam perditionem tribuens eis est, qui in ipso crediderint, quod impotens est in exitio pereuntium; lutum enim est taciturnitate obstructum, et fœdat credentes in se. Sed tu Domine Deus noster exaudi me humilem, et peccatricem, et cognoscat malorum adinventor Imperator iste, qui vanam spem habet in idolis suis, quia alium non debemus adorare Deum, nisi te qui dixisti: Ego occidam, et vivere Deut. 32. faciam; percutiam, et ego sanabo, quia gloriosum est nomen tuum in secula. Amen.

Terræmotu corruit Apollo, et pars templi: multi pereunt.

9 Et hæc ea orante, statim terræmotus factus est magnus, ut civitas concuteretur: et corruit Apollo, et comminutus est: simili modo et quarta pars templi et ipsa destructa est, et oppressit multitudinem magnam cum sacerdotibus idolorum, qui directi fuerant ab Imperatore nequissimo ad B. Martinam. Etenim terræmotus tenuit multis horis, ut pavefactus Imperator fugam peteret; et ait ad eum beata Martyr dicens: Imperator sta, et adjuva, quia confractus est Apollo, et congrega fragmenta ejus, et ostende sacerdotibus tuis quem colant, insuper et spiritus eos oppressit ruinis: nunc surgat et adjuvet eos.

Imperatori insultat Martina.

Dæmonum Princeps, idoli insessor, ejulans profugit.

10 Et mox dæmon, qui in idolo Apollinis habitabat, volutans se in pulvere idoli in præsentia plurimorum virorum ac mulierum, et consternatus in his quæ fiebant, clamavit voce magna, dicens: O Virago Martina, magni Dei, qui in cælis est, ancilla, quæ præcepta ejus custodis, et me denudasti ab habitaculo meo, et deformem me ostendisti: habitavi enim *h* in eo annis nonagintaocto: *h* sub Cæsare Augusto annis trigintaocto, et sub Antonino annis quadragintaquinque, et sub Alexandro qui tradidit me tibi in perditionem in immolationem idolorum, faciens mihi annos quindecim. Multi vero Sanctorum passionem ac martyrium perficientes minime me manifestaverunt usque nunc, cum essem in potestate multa, et habens sub me spiritus nequissimos *i* quadringentos *i* septuagintaduos. Præcipiebam enim eis, et offerebat unusquisque eorum animas hominum quotidie septuaginta; eorum princeps nomine *k* Exfygon, qui super mœchiam atque maleficia deputatus est, offerebat *k* mihi animas hominum trigintasex: quas habebam sub mea potestate: tu autem me fugasti, manifestans me, et persequens ignique Tartarico tradens. Noninvenio locum ad quem proficiscar. Commendasti me magno *l* Angelo *l* Urieli, qui omnem exitum meum combussit. O Alexander *m* antarta Christianorum, invenisti animam sanctam, per quam me effugares, ut imperium tuum in turpitudine multa finiatur. Et hæc cum magna voce, et lamento dicebat dæmon, per aerem clamans et stridens. Ubi vero proficiscebatur, tenebræ videbantur; et omnes prospicientes multo amplius consternati dubitatione repleti sunt. Mirantes autem erant gratiam Dei, qui in cælis est.

a *Imperavit* Alexander *a* 6 *Martii* 222 *usque ad* 18 *Martii* 235. *Quare si secuta* Martinæ *cædem est mors Imperatoris, hic* in decimoquarto *legendum, aut* decimotertio. *Alii quæcumque ab Alexandro facta hic memorantur, Domitio Ulpiano tribuunt, quem sub Alexandro vixisse et hostem fuisse Christianorum constat.*

b *Mss. S. Max.* de Optimatibus. c *al.* thronum.

d *Agones MM.* pater ejus ter Consul, et dives nimis et misericors omnibus egentibus, et legem Dei in sinceritate confessus. Ipsa vero etc.

e *Hæc in quibusdam Mss. omittuntur.*

f *al.* Si in mente est ingenium.

g *Mss. S. Max. addit,* murum.

h *Vel locus hic corruptus est, vel more suo mentitus est dæmon. Marsilius Honoratus in Italica Vita S. Martinæ hæc omisit.*

i *al* ducentos.

k *Mss.* Efigdon, *et* Effigdon, *Mombr.* Effugiens.

l *De nominibus Angelorum consule Serarium in Tob.* 12. *v.* 15. *et Cornelium in Apocal.* 1.

m Ἀντάρτης, tyrannus, adversarius.

CAPUT II.

Lictores conversi, occisi.

I Imperator vero non intelligens, quia per divinam gratiam ac jussionem, idolum Apollinis comminutum est, et quia abominabilium pessimorumque spirituum conglobatio a Dei virtute evanuit, et sacrificiorum ejus cultura, nequissimusque ritus idololatriæ a sanctæ Virginis oratione dispersus est, et *a* sicut provisione S. Martinæ idolorum destructio provenit, et idolum Apollinis confregit, et maleficia, et ariolos, et aruspices idolorum, sacerdotesque dissipavit ac mortificavit; jussit alapis faciem ejus cædi, et uncinis palpebras ejus disrumpi. Et dum diu hoc fieret, qui in hoc deputati erant carnifices defecerunt, et clamabant dicentes: Væ nobis peccatoribus! vere nos magis cruciamur quam hæc: manus enim nostræ decidunt; intolerabiles enim dolores coarctant nos: ipsa vero sicut incudis solida permanet: ipsa nos cædit. Deprecamur te, o Imperator, jube eam a nobis tolli; videmus enim quatuor viros splendidos ante eam, et quas ei nitimur ingerere pœnas, magis nos ab illis in facies nostras suscipimus. Pro certo verus est Deus qui cum ipsa est, non sinens pœnam aliquam prævalere in eam a nobis.

a S. Martina alapis, et uncinis cæditur

Angelo lictores puniente:

12 Imperator vero valde iratus contra eos, comminatus est, et prospiciens eos furiose, quasi negligenter pœnas ingererent, præcepit *b* testas eos levare, et faciem ejus cædere. Sancta vero Martina respiciens in cælum dixit: Benedictus es Domine Jesu Christe, quia æternam gratiam das eis, qui in te spem habent: benedictum nomen terribile gloriæ tuæ, et honorificum, et potens, et omni sanctitate plenum, Domine Deus, et benedicta sancta, et consubstantialis cum Patre et Spiritu sancto Deitas tua, quæ perfecte dissolvit et dissipat contrarios; exaudi Domine deprecantem te, ultimam ancillam tuam, et concede mihi sufferentiam, et eos qui me cruciant, converte in bonam conversationem, et gratiam Deitatis tuæ.

b

testarum fragmentis raditur:

orat pro torquentibus se.

13 Et cum hanc orationem dedisset, circumdedit lumen *c* eos, qui eam cruciabant, erat enim fere viri octo, et vox de cælo facta est dicens: Nisi pro vobis famula mea Martina intercederet, olim jam mortificarem vos: volens vero inimicum mortificare, et existentem populum mihimet ipse facere, peperci vobis. Tu autem filia confide, et noli timere; ego enim sum quem adoras et invocas Deum: non te deseram, nec permittam tibi dominari inverecundum, impium, et rebellem dæmonem.

c

Lumine et voce cælesti

14 His vero dictis Imperator Alexander amens effectus est valde. Qui vero eum cruciabant viri, audientes miracula ceciderunt in faciem, et deprecabantur B. Martinam, ut indulgentiam mererentur per ipsam ante Deum, de his, inquiunt, quæ impulsi præsumpsimus. Beata vero Martyr dixit ad eos: Si conversi fueritis ad Dominum meum Jesum Christum, et cognoveritis ex toto corde, quia retribuit unicuique secundum opera sua; et vos habebitis, sicut nos perfruimur, universam mercedem quæ in cælis est; sin vero et aliter senseritis, æterna et fervida supplicia suscipient vos. Illi enim quasi ex uno ore dixerunt: Domina nostra Martina, melius nobis est ut ostendas nobis Christum, ut videntes eum, amplius credamus ei; si vero non est possibile in hac carne prospicere eum, nos servi ipsius sumus et ministri, et ipsi soli credimus; adoramus enim eum et colimus. Alexandrum autem, qui contemnit Salvatoris nostri præcepta, non timemus, repudiamus, quamvis existat Imperator.

convertuntur carnifices,

15 Beata autem Martyr dixit: Consilium vobis do filii; ex corde mundo credite sine simulatione in Christo, et cognoscetis, quid retribuet vobis Deus in illo seculo.

animantur a Martina.

seculo. Et quid potest nunc Alexander ibi, qui in præsenti gloria hic fretus est? Qui inspirati a Dei
d gratia dixerunt: *d* Credimus Jesum Christum Dominum nostrum: et magnus est Deus Christianorum, ad quem nos confugimus. Robusta autem facie, una voce adversus Alexandrum facti sunt: Nos quidem, inquiunt, in his qui dii dicuntur, magis autem idola, perditi sumus, a quibus olim seducti sumus; jam non adoramus eos, cognoscentes per beatam Martyrem Martinam virtutem omnipotentis Dei, et filii ejus unigeniti Salvatoris nostri Jesu Christi.

16 Alexander vero iratus dixit: Seducti estis nequissimi per incantationes crucifixi, in quibus confiditis. At illi responderunt: Vere tu es sceleratus, et draco habitat in te, quia non cognoscis illum qui fecit te, et dedit tibi hanc potestatem, coinquinanti usque in finem animam tuam. Qui iratus suspensis
torquentur: eis, jussit spathis carnes eorum lacerari. Incisi vero
morti adjudicantur: ab spathis nihil loquebantur; nisi solum in cælum prospiciebant. In hoc vero amplius nequissimo super eis accensus spiritu, capitalem sententiam adversus eos dedit, timens, ne quando ceteri satisfacti ab eis, eamdem viam sectentur.

17 Martyres vero inclyti Christi ducti cum gaudio ad perfectam sine dubitatione viam, prospicientes in cælum, dixerunt: Omnium Domine unigenite Jesu
orant: Christe fili Dei, quem nos ignorabamus servientes olim in errore, et fœda exhibitione: tu autem nobis cognitus es per sanctam tuam et Martyrem inclytam Martinam. Tu Domine cæli ac terræ, qui creasti omnem orbem, et omnia quæ in eo sunt, qui per sanctam tuam Martyrem idola gentium confregisti, quem nunc cognovimus ante luciferum genitum, quem omnis abyssus metuit, et omnis mons et collis tremit, audiens terribile et gloriosum nomen tuum; tu Domine Jesu Christe, spes eorum qui ad te confugiunt; liberator eorum qui in te sperant; respice de cælo, et miserere nobis, et suscipe animas nostras in pace, non reputans nobis peccata nostra, quæ fecimus ignorantes, et existentes in latitudine harum tenebrarum, quæ in te peregimus. Orantes vero, et signaculum Christi in fronte facientes, tendentes simul capita sua prompte cum lætitia magna finem seculi hujus
decoilantur. susceperunt; et sic per proprium sanguinem gratiam Dei sibimetipsis in memoriam æternam instruxerunt. Finiuntur mense Novembri
e *e* septimo decimo die, quinta hora, in Christo Jesu Domino nostro, cui est honor et gloria in secula seculorum. Amen.

a *Mombr.* secundum provisionem.
b *al.* in testas.
c *Alii ipsam solam luce circumfusam scribunt.*
d *Mombr.* Credimus Domina, et magnus etc.
e *Alii*, septimo decimo Kal. Decemb.

CAPUT III.

Eam torquentes cœlitus puniti.

Dum vero audisset Imperator Alexander, quia cum magno gaudio reddiderunt spiritum sancti Martyres, amplius contristatus est, quoniam multo amplius eos non cruciavit. Alia vero die sedens pro tri-
Martina secundo sistitur Imperatori: bunali dixit: Introducatur injusta Martina incantatrix, quatenus iterum videamus ejus incantationem. Ingressa autem ea, dixit Imperator: Vel nunc consenti mihi, et sacrifica diis, per quos orbis subsistit. An adhuc magias Christi tui attendis? Illa respondit: Cessa sceleratissime et omnium bestiarum ferocior: non erubescis a muliere superari, magis et conculcari? *a* Me minime poteris inclinare ad sacrificandum idolis. Inde si aliquas pœnas ceteras consideras, et verbera, quæ tu præparas, adhibe mihi; ego enim tuis abominationibus non sacrifico, nec te loquentem timeo: Deo enim soli, et Christo ejus, et Spiritui sancto commendavi memetipsam, et credo quia mihi
a nulla nocebunt quæ a te inferentur, tormenta, Deo sufferentiam mihi tribuente. Ex mss.

19 Tunc iratus Imperator jussit eam exspoliari, *novaculis laceratur,* et circumcinctam eam jussit incidi. Ministri vero citius fecerunt quæ jussi sunt. Sancta autem Martyr ostendebatur candida sicut nix, cujus splendebat corpus, et nitor claritatis ejus caligare faciebat respicientes eam. Inciso autem corpore ejus emanabat *lac pro sanguine manat* lac pro sanguine: et odor magnus factus est, sicut vas aromatum *b* ejusdem ore effusum. Beata autem *b* cum incideretur dicebat ad Dominum: Voce mea ad Dominum clamavi, et exaudivit me in certamine passionis meæ: laus mea in conspectu tuo Domine fiat: gemitus dolorum meorum in conspectu tuo introeat: gratia tua in salutem animæ meæ: invocavi te Domine in tribulatione, et inimicorum meorum dedisti mihi dorsum. Persevero supplicans: hæc cognitio mea, quæ apud te est Domine, sicut fons spiritus. Abraham pater Isaac filium suum obtulit Deitati tuæ in sacrificium salutis, quia ex fide te confitebatur, et suscepisti eum. Sic et meum certamen suscipe Deus, et comple illud in multis certaminibus ut cognoscant perditionis instructores, quia tu es qui imaginem auream dissipasti, et Bel destruxisti, et perditionis operarium servis tuis manifestum demonstrasti; sicut in mea, humilitate ostendisti veridicam gloriam Deitatis tuæ, et Apollinis idolum contrivisti; et alienum veritatis Alexandrum confusione circumamiciens, lumine tuo terribili splendidam fecisti ancillam tuam, ut *c* per supplicia corporis effu- *c* gerem stimulos malorum inventores, et incentores sathanæ.

20 Imperator vero iratus et valde consternatus dixit: Valde maleficiis vincis *d* impavida, et seducis, *d* ut putas, eos qui astant. B. Martina dixit Imperatori: Pater tuus sathanas princeps est omnis maleficii, et incantationis; fornicatores diligens, et maleficos amplectens, et omnes qui incestis desideriis sunt deservientes, amplectitur in proprio gremio: et quo- *maleficii crimen sibi objectum refellit:* modo potest mihi indulgere contemnenti eum, et minime facienti aliquid tale sicut dicis? Meus autem Deus, et Salvator meus Christus, omnes qui contrarie agunt, et se non custodiunt, damnat, in æternam pœnam jubens eos exhiberi. Tu vero Imperator fortioribus et potentioribus pœnis promereris affligi, sciens quia maleficiis et incantationibus, ut tu asseris non vinco, sed nomine solo Christi, qui omnem atrocitatem pœnarum tuarum, quæ injectæ sunt in agonem meum, dissipavit.

21 Imperator vero spoliatam eam præcepit mem- *cæditur fustibus.* bratim quatuor palis extendi, et fustibus cædi a duobus centurionibus. Illa vero alacri vultu signo crucis sanctum corpus suum dextra lævaque velut muro circumsepsit, et cæsa dicebat: Magnum mihi desiderium ad te Domine, et gloriam Deitatis tuæ, quæ me adjuvat. Dedi dorsum meum flagellis, et carnem meam in suppliciis; faciem autem meam propter nomen tuum gloriosum, non averti a tædio et mœrore. Tu autem Domine ne tardes in adjutorium meum, sed festina per misericordias tuas, et dirige a sancto habitaculo tuo medelam super me, quæ pro tua Deitate flagellor.

22 Et hæc dicens erat. Mutaverunt autem cen- *Eam cædentes ab Angelis cruciantur.* turiones septem. In octavo autem septem dissoluti sunt, tam in manibus, quam in omnibus suis membris, et voce magna dixerunt: Deprecamur te Imperator, libera nos de pœnis; Angeli enim Domini repercutiunt nos vectibus ferreis, et incidimur in nervis et medullis; insuper et ossa nostra, et carnes sicut ab igne magno cremantur. Sed obsecramus te, libera nos a puella hac.

23 Imperator autem jussit eam amplius fustibus *Insultat tyranno.* cædi. Sancta vero diuturna supplicia sibi illata subridens facie dixit: O injuste et damnande, judicio Dei

Ex mss. Dei cælestis inimice, et impugnator, scrutator malorum similium tuorum, Alexander, non sentis beneficia, quæ ab æterno conditore in me efficiuntur? Quia insipiens existens insensatis te addidisti, temetipsum perdidisti in opprobrium Apollinis, et sacerdotum ejus. Nempe vero ob honorem et adjutorium Dei mei, qui omnia fecit, libera effecta sum per Angelicam exercitationem. Ex hoc autem cognosce, insensate canis, eo quod duodecim centuriones successive inferentes mihi plagas ad interimendum me fecisti superponere. Me autem per nomen Christi, qui pro me agonizat, et moderatur salutem meam, pœna non tetigit, neque tanget meam aliquis carnem. In ipso habeo spem, qui et post mortem vitam tribuit hominibus, qui ipsum in veritate confitentur.

a *MS. S. Max.* quæ minime potest se inclinare.
b *Idem MS.* de more. c *Idem MS.* pro suppliciis.
d *Mombr.* inrubida.

CAPUT IV.

Angelica consolatio. Diana eversa.

a Eumenius autem quidam dives erat valde, *a* parens Imperatoris, qui dixit ei : Hæc polluta non propter gloriam Christianorum, et Crucifixi hæc supplicia sustinet, sed sapientissimis sermonibus causam arripiens, et insensatis libris circumfreta, omnes nos facit infrunitos, sicut radius solis circumfulgens, *Reducitur in carcerem :* et sic omnia sperat sustinere. Tua vero potestas hanc usque in crastinum jubeat in carcerem retrudi, et pinguedine adipum lavari, et sic coinquinemus ejus claritatem.

25 Jussit vero Imperator statim Sanctam properare in carcerem usque in crastinum. Dum deducta a custodibus fuisset beata Martina in carcerem, exclamavit coram populo, dicens : Pax multa iis, qui nomen Christi nominant. In pace Christi iter istud peragam. Et ingressa est carcerem gaudens, et glorificans Deum ac dicens : Custodi me Domine ut pupillam oculi, et sub umbra alarum tuarum protege *Deum laudat in carcere,* me. Gratias ago sanctæ virtuti tuæ Jesu Christe, et obsecro pretiosam et terribilem gratiam tuam, custodi me a nequissimo et contaminato Alexandro, qui tuam bonitatem pro nihilo reputat. Mortui enim sunt in tormentis pessimis et intolerabilibus centuriones novem, et ceteri dissoluti sunt ab humeris suis. Erat enim immutans centuriones quatuordecim. Per totam autem noctem erat in carcere hymnum canens, et *et cum ea Angeli.* glorificans Deum. Voces autem multorum virorum audiebantur glorificantium Deum cum ipsa.

Carcer cælesti odore et luce perfunditur; 26 Mane autem jussit Imperator Limenium quemdam Tribunum ambulare in carcerem, et ejicere eam : antea autem adipibus et pinguedinibus eam perungi. Procedens autem Limenius de palatio odoratus est odorem suavitatis, et aromate multo repletus dixit comitibus suis : Odoratis et vos odorem nimium ? erat enim cum populo multo. At illi dixerunt : Quia odorem hunc cives fecerunt pro dilecta Martina. Alii dicebant : Quia Dii propitii apparuerunt ei. Venientes vero ad carcerem multo amplius invenerunt suavitatis odores. Aperiens autem Limenius primam januam, vidit lucem magnam circumfulgentem eam : ingresso autem eo in propinquum habitaculum (erat enim carcer multa habens habitacula) circumfulsit eum sicut fulgur, ut præ timore omnes tremerent, ipso præ timore in pavimento cadente. Cum necessitate vero surgens ingressus est in tertium habitaculum, et vidit beatam Martinam sedentem in sede imperiali, et multitudo virorum fortium erat circa eam, quorum non erat considerare claritatem ; omnes enim erant in albis ; ipsa autem tabulam *b* tenebat, *b* et legebat hæc : Quam magnificata sunt opera tua Domine! omnia in sapientia fecisti.

27 Et timens Limenius egressus est inde, et ambulavit in palatium, et nuntiavit Imperatori mirabilia Dei magni. Omnes autem in palatio existentes simul cum Alexandro sacerdotes et *c* scholastici dicebant : Seduxit eum maleficiis suis : huic Virgini non indulgeatur, sed magis a feris discerpatur, ut cognoscat quia melius est diis immolare, quam in crucifixo confidere, et in ipso spem habere. *quod veneficiis tribuit tyrannus : c*

28 Et jussit Imperator venire eam ad templum idoli Artemidis, ut aut sacrificans vivat, aut non sacrificans feris tradatur. Ambulavit iterum Limenius cum duobus sacerdotibus principibus idololatriæ, et populo multo circa carcerem. Et simili modo ipsi invenerunt eam sedentem in sede imperiali, et eosdem viros in albis stantes ; et dissecabantur. Beata autem Martina dicebat : Viam mandatorum tuorum cucurri : justificationes tuas doce me ; et discam mirabilia Deitatis tuæ. Libera me a suppliciis hominum ; et custodiam mandata tua : canes enim maligni circumdederunt me, volentes discerpere ovem tuam : sed tu Domine Deus humilitatis meæ, suscipe deprecationem meam, et non prosperentur sicut cogitant ; sed obcæca sensum cordis eorum, et dirige me, qui tres pueros direxisti. Dicente autem hæc eadem, decreverunt subvertere eam de sede. Viri autem stantes erga eam in albis nusquam comparuerunt, existentes numero quasi septingenti. *Angelis et SS. stipata reperitur :*

29 Et ejecerunt eam de carcere, et adduxerunt in templum idoli Artemidis. Imperator autem prospiciens vultum ejus alacriorem magis quam prius fuerat, et sicut certatoris fortissimi corpus enutritum, dicit ad eam : Corripuisti temetipsam jam, ut conversa diis immoles benignis ? aut amplius, sicut videmus, in prioribus tuis malis permanes? Illa vero dixit ad eum : *d* Imperator, mea conversio completa est ; quia non me suades in tuis controversiis adesse ; liberata enim sum a vanitatibus tuis, et ab impietatibus vanissimarum seductionum hujus seculi, præceptum accipiens a Domino meo. Mihi autem adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam, qui veritate me continet, et nihil mihi deerit : quia omnipotens est Deus meus. Seductio sermonum tuorum jacula tenebrosa sunt, dirigentia in viam tetram. Ego enim habeo cælestem gratiam, et gloriam semper illuminantem oculos cordis mei ; quæ te postponens, mancipavit æternis suppliciis Artemidem perversam thesauros dispositionis imperii tui. Me autem lætificatam tenet mors Sanctorum, qui me circumdederunt per omnia et continuerunt, obligaverunt vero patrem tuum diabolum. Justus autem in imbutione divinarum Scripturarum, sicut palma florebit, arefaciens malignorum seductiones. Tollet anchoram statuens naviculam ex procellosi pelagi fluctibus per fidelem gubernatorem, qui animam suam gubernat, in tranquillum portum confugiens, qui anchoram jactans est, ut ulciscatur de inimicis, et victoriam sumat de eis. Et ego transfretavi pelagus, dexteram mihi extendente Christo ad præsidium veræ spei, ut vincam seductionis tuæ nequissimum cursum. Video vero Christum coronantem me, qui juste mihi tribuit arma justitiæ contra nequitias patris tui diaboli. *adducitur ad templum Dianæ :* *d* *generose respondet Imperatori :*

30 Imperator vero iratus dixit ad eam : Non morieris Martina, sed ingressa sacrifica honorificentissimæ deæ Artemidi. Magni et purissimi dii pulchritudinis tuæ cognitionem inquirunt. Non ergo cogites blasphemare contra eam. Deo laudabilis Martyr dixit : Jubes me, Imperator, ingredi templum, in quo habitat, qui cooperatur tibi, immobile habens atque surdum et cæcum, decoro amictu idolum? ad hæc Alexander dixit : Ingredere et sacrifica prompte, ut non a feris pereas. S. Martina dixit : Deo meo gratiam largiente certanti mihi humili, et te jubente, ingrediar. *invitatur ut intret et sacrificet :*

31 Cognovit vero dæmon, qui habitabat in idolo Artemidis, quia venit Sancta perdere eum, et clamavit *dæmonem ad ejus ingres-*

sum exhorrescentem

vit voce magna, dicens : Væ mihi! quo fugiam a spiritu tuo, Deus cæli? ignis me persequitur a quatuor angulis templi. Ingressa est autem Beata in Christi nomine sibi faciens crucem, et respiciens statuam idoli dæmoniacam, dixit Imperatori : Vide seductionem tuam Imperator, oculos non videntes, aures non audientes, manus non palpantes, pedes non ambulantes, vanam speciem, effigiem deornatam tabulis. *e* Ego, Imperator, sacrifico ei. Alexander vero subito gaudibundus effectus, non intelligens quia irrideretur dixit : Vivant dii, quia consensisti mihi. Et appropinquabat Sancta ad idolum Artemidis, et dixit : Tibi dico, qui habitas in hoc idolo muto, move te, et stride dentibus, et egredere, seductio illorum qui tibi insensate sacrificant. Hæc dicens ad idolum, orationem fudit ad Dominum dicens : Omnium Rex æterne Deus, qui thronum invisibilis gloriæ contines, qui cælos stabilisti, et terram fundasti, qui aquas condidisti, qui draconem contrivisti, et legionem effugasti in tartarico chasmate, qui periclitantes in securum portum introducis, qui principalem potestatem diaboli in temporibus hominum ad nihilum redegisti, qui ab omni gloria Angelica trementi te cum timore sancto adoraris, Angelica enim agmina deputasti te adorare solum ; qui tantam magnitudinem cæli sapienter in stellis decorasti, et splendorem solis per justitiam instituisti, qui lucentis ambitum Lunæ ordinate cursum suum perficere statuisti, qui incontaminata et æterna præceptorum tuorum reposita manifestasti ; te lucem jugem et æternam cum tremore adorans deprecor, non me deseras Domine, sed suscipe deprecationem meam, et irreverendam et multimodam fœditatem dæmonis damnationi mancipa : et idolum hoc manu hominis factum destrue : et seductione multimoda dæmonis, et omni malitia plenum Alexandrum, in diversis suppliciis cognoscere facias, quia tu es Deus verus, qui destructionem in idolis habitantium fecisti, et sacerdotes eorum destruxisti, quia benedictus es in secula. Amen.

increpat, et abigit,

Fulmine multi intereunt; idolum confringitur.

32 Et mox tonitruum cum fulgure factum est : et ignis cecidit de cælo, et combussit sacerdotes de templo ; et multitudo populi mortua est, et Imperatoris partem dexteram purpuræ combussit, et idolum Artemidis in favillam redegit. Beata vero Martina dixit : Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis, qui dat pacem diligentibus se, et qui invocant nomen suum in veritate.

a *Ms. S. Max.* potens, qui Imperatori dixit.
b *Addit Ms. Ripat.* auream.
c *Sæpius* scholasticus *a S. Augustino aliisque ejus ævi scriptoribus usurpatur pro Jurisconsulto, et Rhetore.*
d *Ms. S. Max.* A. A. *forte* Alexander Auguste.
e *Mombr.* Vis Imperator, ut sacrificem.

CAPUT V.

Leo mansuefactus, spretæ illecebræ.

Et iratus Imperator, non considerans miraculum neque virtutem invisibilis Dei, dixit ad Justinum Præfectum : Accipe injustam hanc, suscipe eam, et tensam cum spathis, uncinisque ferreis acutis extorque, quatenus lucem istius seculi derelinquat. Ego enim valde mœrore sum plenus, et videns eam jam consternatus persisto, et quid faciam nescio. Præfectus autem suscipiens eam mox ambulavit ad Prætorium, et sedens pro tribunali, præcepit introduci B. Martinam dicens : Ingrediatur destructrix templi, et videam, quid velit. Ipsa autem ingressa est subridens. Præfectus autem dixit : Irrides me injusta, quia adhuc dereliqui te vivere? Per solem mundissimum faciam interiora tua projici canibus, si non sacrificaveris diis, ut videam quale solatium adhibeat tibi Christus tuus. B. Martina dixit : Nonne habeo irridere, o impie, *a* impotentiam Imperatoris tui, quia

Justini Præfecti stultam crudelitatem irridet Sancta :

a

victus est a muliere per Christum, et iterum me tradidit tibi? Præfectus dixit : Dominus est, et potestatem habens mihi te tradidit, ut aut sacrifices, aut pœnis intereas. Martina dixit : Ecce non sacrifico : puni me quantum vis. Ex mss.

gladiolis et uncinis raditur :

34 Tunc Præfectus jussit extendi eam in conto, et cum spathis incidi membra ejus. Cum autem incideretur, clamavit dicens : Crux Christi adjuva me, quia in te est salus. Præfectus dixit : Circa mamillas ungulis attrectate eam, dicentes ei : Liberet te Deus tuus. Quæ ungulis attrectata nihil omnino loquebatur, nisi solis oculis ad Deum respiciebat. Accipiente autem ea centum decem et octo incisiones ab uncinis, sperans Præfectus Justinus quod jam expirasset, præcepit carnificibus ut cessarent ab ea. Pendente autem ea, interrogavit eam Præfectus dicens : Vis Martina sacrificare, et evadere cetera tormenta? aut adhuc permanes in Christi tui fide? Martina respondit : Ego Christum habeo, qui me confortat, et non sacrifico abominabilibus diis tuis, neque sentio illata mihi supplicia, per eum, qui mihi misertus est Dominum Jesum Christum.

ejus mamillæ ungulis inciduntur :

alacriter redit in carcerem :

35 Præfectus autem amens effectus per multas horas jussit eam deponi. Sed non valentem præ pœnis ambulare jussit eam in grabatum poni, et deportari in carcerem. Ipsa autem constringens sanctum suum corpus, et *b* capillis capitis sui muniens, propellens vero carnifices citius ingressa est in carcerem. Præfectus autem in equo sedens profectus est in carcerem, et invenit Sanctam iterum in sede sublimi, et splendidam habentem faciem, sicut radium solis. Multum vero afflictus egressus est, et clausit carcerem, et signavit annulo suo firmiter ; et custodes fere centum dereliquit, et ambulavit ad Imperatorem. Erat autem Sancta psallens et glorificans Deum ; et lumen magnum erat in habitaculo illo.

b

in solio sedens, lumine circumfusa Deum laudat :

qua re Imperatori nuntiata,

36 Ingresso autem eo ad Alexandrum in palatium, invenit eum cœnantem. Quem Imperator admirans dixit : Quid huc sic venisti Præfecte tali horâ? qui dixit : Sicut jussit imperium tuum, injustam Martinam pœnis affligendam, spathis incidendam et ungulis attrectandam : ipsa ei exhibui a mane usque nunc, sicut prospicis indumentum meum ; et appensa atque pœnis tradita, nec mortua est, sed, quod plus est, a nobis inflicta non sentit ; flagellis cæsa cursim ingressa est in carcerem, me sperante quod pendens expirasset. Ecce quæ mihi præcepta sunt a tuo imperio feci.

jubetur feris objici :

37 Tuum vero est cogitare, quid jubeas de ea. Alexander autem dixit ei : Patet fiducia securitatis ejus, quam habet per incantationes. Feris tradatur, ut decerpatur, et dissipata intereat. Porro Justinus tacuit. Mane autem carnifices direxit, ut eam adducerent. Ingressæ autem Præfectus dixit : Imperator Alexander jussit te sacrificare ; si vero non sacrificaveris, feris te tradere. Beata autem Martina, effulgens sicut radius solis, dixit : Ego in nomine Christi, qui passus est pro nobis, in eum credentibus, in gloria permanens, credo vincere te. Aliquando enim per Angelicam virtutem, perterræ motum Apollinem subverti, et ad nihilum redegi ; iterum *c* lampadibus et *d* throno decoratam Deam Artemidem igni tradidi ; et mirabilia, quæ in virtute Dei facta sunt, ignoras, et obduratus es? multimoda perversitate inimici induratus es, surde dissolutione profunda, cœnum indigestibile, naufragium animæ tuæ, in chasmate tartareo deposuisti.

c
d

38 Hæc audiens Justinus Præfectus iratus dixit : Paratæ existant feræ, donec revertar a palatio : propero enim accersire Imperatorem, quatenus veniat in amphitheatrum. Dum vero introisset in palatium, dixit Imperatori : Obsecro meum dominum venire in amphitheatrum. Cum ipso vero protinus ambulavit, et fecerunt eam utrique inter feras jactari. Sancta autem Martina dixit : Videte, en meum sacrificium. Præfectus

Præfectus dixit : Vide Imperator istam, quæ Deos nostros comminuit : discerpatur ita a feris. Erat autem leo immanissimus, qui comedebat quadraginta libras carnis quotidie, et panis mundi libras viginti octo; et in potu ejus *e* tysanas decimatas octo; hic non comederat per dies *f* tres, ut devoraret Beatam. Sedens autem Imperator, et tristis existens, præcepit eam introire. Ingressa autem illa sonus magnus de cælo factus est, ut omnes tremerent, et dixit ei Imperator : Crede mihi sicut patri tuo, et consenti mihi : diligo enim te valde per Deos meos, ut dissolvas iram magnam quæ circumdedit te; faciam enim te dominam palatii mei, et omnibus cognitam esse Imperatricem. Vel verbo dic pro satisfactione populi adstantis, et non sacrifices, sed tantum dic : quia magnus est Deus ζεῦς : sic enim et virtutem, et timorem omnium Deorum contines; et satisfaciens vives compatiens imperio meo.

Ex mss. *introducta in amphitheatrum,*

e

f

iterum variis blanditiis tentatur :

39 Sancta autem Martyr elevans oculos in cælum, et extendens manus suas oravit dicens : Lumen meum Domine Jesu Christe, inextinguibile lumen meum, impolluta claritas, Rex æterne, qui thronum immortalitatis habes, qui cognitionem Deitatis tuæ manifestas, et Sanctos tuos coronasti, perfectam me in agone custodi. Ad Imperatorem autem hæc dixit : Demino-rata cognitio, comminaris mihi, ut terrens me præpares mihi mortem. Cognosce vero, quia magis consentio me a feris devorari, ut vitam beatam æternamque apud Christum merear, quam tuæ seductioni consentiens in laqueum incidam mortis æternæ.

objicitur leoni, qui ei blanditur :

40 Imperator autem jussit absolvere leonem, ut devoraret eam. Erat enim leo rugiens in cubili suo, ut omnes terreret. Venator vero qui eum nutriebat aperuit leoni : et egressus est leo rugiens super Sanctam, non terrorem ostendens, sed delectationem, et pro ea dolorem insinuans agitabat vultum faciei suæ, dilectionem demonstrans; et cursum arripiens ambulavit ad Sanctam, et inclinans se osculabatur pedes ejus. Sancta autem dixit : Fulges virtutibus tuis Deus. Agmen enim gloriosum erga passionem meam subsistens prospicio a dextris et sinistris glorificantes Angelos Deitatem tuam, et contradicentes contrariæ virtuti ferarum immanium, et rugitum earum in correptionem Alexandri; mansuetos mores ferarum translatos, quos pro cognitione veritatis tu obturas, ob multimodam et decipientem gloriam eorum qui te oderunt. Non me communicare cum eis permittas, ut in pœnali agone me existentem integram sospitem conserves in tua misericordia Deus meus.

illa Imperatorem hortatur ut Christum agnoscat.

41 Et hæc dicens Imperatori ait : Vide Imperator, qui mihi intulisti pœnarum et ferarum virtutem, quia Christus qui fecit cælum et terram, mare et omnia quæ in eis sunt, voluntate Patris victoriosissimus est. Ipsi enim soli omnia subjiciuntur. Alexander dixit : Quomodo ergo furor leonum subjecit se tibi? Sancta Virgo dixit : Non habeas in incertum veritatem, sed dilige Christum, qui et Apollinem tuum in pulverem redegit, et Artemidem seductricem tuam interemit. Cognosce Christum, qui Angelis præcepit, desertam et contritam Artemidem cum habitante in ea in favillam a fundo mancipari. Cognosce Deum, qui illuminavit priores tenebras, et convertit errantes, et leonem pacificantem, et pro cognitione tui erroris, et conversione tuæ feritatis mitiorem naturam leonis ostendit.

42 Imperator autem videns leonem mansuetos modos et reverentiam amoris erga Sanctam esse facientem, et alacrem Christi famulam in tormentis omnibus constanter existere, dixit ad eam : Humilia temetipsam moribus, et confitere *g* Dia; ipse est etenim qui te adjuvat. Sancta Virgo dixit : Quem valde diligis Apollinem, qui animam tuam in perditionem deposuit, non adjuvit, neque Artemidem ex omni nequitia ejus eripuit : et quomodo me potest adjuvare aliquid?

g

In nomine Domini mei Jesu Christi, et per agonem meum, et martyrium meum, ad nihilum redacti sunt. Imperator vero leonem remitti jussit in caveam. Sonum fecit aliquem venator, et leo surgens impetum fecit, et cepit Eumenium parentem Imperatoris, et interfecit eum. Et omnes clamaverunt voce magna dicentes : Salva Imperator, quam Deus et feræ miserantur, et absolve per quam et Dii perierunt; per quam Deus, qui in cælis est, manifestavit qui habitabant in idolis dæmones, quos et effugavit. Imperator vero dixit : Nomina Martina Dia Deum, et absolveris. Beata Virgo Martina dixit : Ego Christum Deum confiteor, qui dat mihi potestatem, et illis qui confitentur eum, destruere mendaces Deos. Hunc autem, quem tu dicis, Dia confiteor esse *h* æreum, et in ipso habitare dæmonem malefactorem, neque audientem, neque videntem, quem per orationem fidelissime confido similem effici Apollini. Memoro enim dicere Christum per Apostolum Paulum in Spiritu sancto : Lex enim subintravit ut ingrediens abundet peccatum; ut enim abundavit iniquitas, superabundabit gratia. Lex introivit Imperatoris, quam facio. Annuntiaverunt Prophetæ et prædicaverunt Apostoli legem Christi; in te autem superabundavit peccatum, per malignam tuam impietatem æterno interitu temetipsum obligans; tuo vero peccato malæque conversationi superabundabit gratia Christi, ut dissipet tuum sacrificium malignum, quo convertantur homines a viis vestris, et patris tui diaboli.

Leo Eumenium interficit.

Explosis tyranni hortationibus,

h

Rom. 5. *v.* 20.

43 Tunc Alexander iratus jussit Sanctam in carcerem retrudi. Impulsa autem gratia Christi ambulabat dicens : Diligam tabernacula sua Domine : desiderat anima mea, et adhæsit ad te Deus viventem in secula. Custodi me a laqueo quem statuerunt mihi, et ab scandalis operantium iniquitatem. Doce animam meam Domine justificationes mandatorum tuorum, et miserere mei secundum magnam misericordiam tuam. Et introivit in carcerem glorificans Deum. Et erat cum Sanctis triumphans et gaudens, atque festa ei agens per totam noctem, qui eam salvat Christo.

reducitur in carcerem.

Psal. 140. 9

a *Ms. S. Max.* insipientiam.
b *Mombr.* capillos. c *Idem*, lampo. d *Ms. S. Max.* thoro,
e *Idem Ms.* disanas. *Rip.* tipsanas. *al.* ptisanas.
f *Ms. S. Max.* triginta.
g Δία Jovem.
h *Ms. S. Max.* aerem.

CAPUT VI.

Ignis aliaque tormenta superata.

Post vero duos dies processit Imperator sacrificium facere, in templum, ubi erant duodecim idola; et præcepit adduci Sanctam. Quæ venit splendida sicut sol. Et dixit ad eam : Invoca Δία Deum, ut salveris. Sancta vero dixit : Ego nomino eum idolum spurcum et immundum : fac ergo quod vis; me enim non inclinas pro eo quod mecum est Dominus meus Christus. Tunc præcepit eam suspendi, et ungulis radi. Attrectata vero dicebat : Lætificasti me Domine in voluntate tua, et in opera manuum tuarum exultabo. Nota fecisti ancillæ tuæ mirabilia tua : justitia tua justitia in æternum : judicia tua lumen verum, et æternum.

Martina iterum raditur ungulis.

45 Et ingressæ sunt incisiones usque ad ossa ejus. Clamabat autem præco dicens : Confitere Martina Δία Deum, et salva eris. Illa vero dicebat : Christiana sum, et Christum confiteor. Amplius vero cruciabant eam. Ipsa vero dicebat : Lux Christi orta est justis, et rectis corde lætitia. Indoluerunt omnes qui eam cruciabant, et ossa ipsorum usque in medullas, et dixerunt ad Imperatorem : Precamur te, Imperator, libera nos de pœnis istis, Angeli enim Dei cruciant nos. Et dissoluti sunt ab humeris carnifices.

Torquentes eam Dei virtute cruciantur.

46 Alexander autem iratus præcepit eam igni tradi, et

In ignem conjicitur,

et consumi. Ministri vero faciebant quæ jussa sunt, et incenderunt ignem copiosum, et jactaverunt eam in medium; quæ clamavit voce magna et dixit: Deus qui de cælo in terram prospexisti, et dedisti Filium tuum, ut videat si est intelligens aut requirens Deum, adjuva me humilem; justitia enim de cælo prospexit, et veritas de terra orta est. Et dixit Imperatori: Audi Imperator: didici sacras literas, quæ instruxerunt animam meam, quæ dicunt mihi per Apostolicam vocem, omnia sufferre, tribulationes et angustias, supplicia et necessitates; et per hæc habere sublimissimam fidem, per quam cognoscitur Christus Deus, spes Christianorum, per quam quidem cognitus est Deus retributor ab his, qui nomen suum invocant. Caritas enim crescit multiplicans mandata; et qui patitur pro nomine Christi coronatur. Imperator autem valde tristis erat, quia vincebat Beata. Et mox pluvia facta est magna, et sonitus venti, et dispersa est flamma, et incendit qui circumstabant omnes.

qui mox dissipatur:

47 Pestilens vero et inconstans Alexander maleficiis multis deputabat mirabilia Dei; et præcepit comam capitis ejus radi: dicebat enim; quia in capillis ejus jacent maleficia ipsius, quia victoriam per ipsos sperat facere. Et fecerunt ministri quæ præcepta sunt; et raserunt caput ejus. Dicit ei Imperator: Quid est Martina quod habes facere? Ecce victa est magia tua, confide magno Deo *a* Δὶ et humiliare ei. Illa dixit: Scriptum est in Apostolo: Mulier si habuerit comam capitis, gloria ejus est; tu autem gloriam, quam Deus dedit in mundum, in propria ejus factura amputasti; auferet Deus regnum tuum a te præsente te, et a gloria Dei persequeris, et in dolore nimio confusione indutus mortem exspectabis.

raditur caput ejus:

a 1. Cor. II. v. 15.

prædicit mortem Imperatoris:

48 Et jussit eam ambulare in templum, in quo erat ζεῦς et includi eam. Ingressa autem ea, clausit Imperator januam templi, et signavit annulo suo, et regressus est in palatium suum. Sancta vero erat glorificans Deum per totam noctem et diem. Omni autem die Imperator et Sacerdotes ingrediebantur in templum, et minime ingrediebantur ad illam, quia audiebantur voces multorum sanctorum Angelorum: et Imperator dicebat ad eos qui cum ipso erant: Magnus Deus ζεῦς omnes Deos congregravit, quatenus instruant et moneant Martinam. Tertia autem die taurorum immolationem præcepit fieri, et instructam confessionem deorum. Turbæ autem aperientes viderunt Beatam sedentem in sede, et cum ea existentem chorum, quorum gratia pulchritudinis enarrari non potest, et incensorum magnum odorem; Dia autem cecidisse, et in pulverem redactum esse. Stupefactus autem Imperator in tanta exultatione S. Martinæ, dixit ad eam: Ubi est Deus ζεῦς? Sancta Martina dixit: Rationem fecit Christo de Apolline et Artemide, et non dixit veritatem; et tradidit eum angelis tartaricis, et comminuerunt eum sicut Apollinem. Et tuum imperium, quod cum magna confusione indutus es, postponens instituit.

includitur templo Jovis per triduum.

Adsunt ei Angeli.

Jupiter corruit et confringitur.

a *Mombr.* Jovi. *al.* Dian.

CAPUT VII.

Martinæ et tyranni dispar obitus.

Martina morti addicitur:

Tunc vero Imperator iratus jussit eam duci foras civitatem, et gladio caput ejus amputari. Sancta autem Martyr gaudens in exitu laboriosi hujus seculi, oravit dicens: Gratias ago tibi Domine Deus, qui Sanctorum choros confirmasti; et magnum et gloriosum et terribile nomen Deitatis tuæ adoro, qui manifeste tenebrosum inimicum dispersisti, et insensatos et immobiles seductionis eorum dæmones in pulverem redegisti; qui glorioso intellectu ancillam tuam in perfectione confessionis tuæ instituisti; qui mirabilem gratiam Patris tui et Dei nostri, Domine Jesu Christe, donasti nobis; qui S. Job probans per nequissimum diabolum, non invenisti in eo malitiam, cui et contestificans fuisti; tu ergo Salvator, qui beatum Tobiam castigasti, et pro ea quam in te habuit, irreprehensibilem dilectionem, pietate tua misertus es vitæ ejus; qui manifestasti caligines tenebrarum, et veritatem declarasti; qui destruxisti medium parietem, temetipsum ostendens in opere caritatis; qui mortificasti tenebras, et destruxisti dolores perditionis; qui redegisti quæ de terra sunt in terram, et fecisti quæ de cælo sunt esse in cælis; qui esuristi et passus es, et crucem sustinuisti pro nobis; qui in profundum descendisti tartarum, ut tua morte nos immortales constitueres; qui illuminasti priores tenebras, Domine Jesu Christe liberator, instrue animam meam ad dulcedinem viscerum misericordiæ tuæ, et connumera me cum fidelibus tuis, qui tibi fideliter placuerunt, quia tu es qui electionem fecisti Sanctorum. Te invoco Domine Jesu Christe liberator omnium, et te adoro, et te deprecor, et tibi supplico, qui me liberasti de multis malis, quæ mihi ostensa sunt: lumen verum in lumine vero tuæ Deitatis, salva me cælestis Domine Jesu Christe, apud quem non est personarum acceptio: perfectam in tui nominis confessione jube me suscipi in tuam gloriam, ut splendide induta effugiam malum quo circumdata sum. Redde vero maligno Alexandro, sicut operatus est in innocentibus, et in tua ancilla: afflige vero cor ejus incredulum, et obdura lapideum ejus spiritum, ad correptionem eorum qui contemnunt tuam magnitudinem. Ego enim etsi paupercula sum, et peccatrix, rogo me inveniri mundam apud sanctam tuam pietatem; quia agonizavi pro veritate tua, et Filii tui Domini nostri Jesu Christi, cui est gloria et imperium in secula seculorum, Amen.

Ex mss.

50 Et post hæc dixit carnificibus: In quo directi estis, complete jussa vobis. Et vitam finivit per gladium. Et vox de cælo facta est: Quæ certasti pro nomine meo Martina, ingredere cum omnibus Sanctis confessionem complens in regno cælorum, et hodie mecum eris in paradiso: lætare cum patribus tuis. Et facta hac voce ceciderunt in faciem suam, et mortui sunt.

capite plectitur voce cælesti subsecuta,

extincti sictoribus:

51 Tunc venit Episcopus *a* Rythorius, et omne Sacerdotium Romanum, et adduxerunt sanctum corpus ejus cum canticis et hymnis spiritalibus in sextam regionem, et posuerunt in *b* onychinum larnacem, glorificantes et laudantes omnipotentem Deum qui in cælis est, in horto qui vocatur Mirabilis; erat enim *c* pulcherrimus locus.

a

b

sepelitur.

c

52 *d* Imperator autem Alexander percussus est dolore cordis eadem die, et sicut rabidus canis comedebat suas carnes, et dicebat gemens et tremens; Miserere mei Deus Christianorum, quia transgressus sum præcepta tua Christe, et exacerbavi te, et nomen tuum persecutus sum, et ancillam tuam gratis pœnavi. Juste a te crucior; sicut feci retribuisti mihi. Et exspiravit cum supplicio multo, et discerptus et dilaniatus. Et vox de cælo facta est: Ingredere Alexander in clibanum gehennæ, vade in tenebras exteriores; tibi enim præparata est tenebrosa pœna, ad quam damnatus es. Factus est autem terræmotus magnus, et crediderunt Deo in eadem die, qui erant in urbe Roma pro voce, quæ facta est de cælo, animæ duo millia triginta. Et post dies *e* octo passionis ejus regnavit *f* Maximinus Cæsar, et suscepit eum omnis Romanus Senatus. Completum est autem martyrium S. Martinæ Kalendis Januariis. Honorantes autem hujus Sanctæ fidem et passionem, oremus fratres, ut mereamur cum omnibus Sanctis fieri consortes, et gratiam invenire apud Dominum nostrum Jesum Christum, cui est honor et gloria, cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti, in secula seculorum, Amen.

d

Tyrannus tristitia cruciatur:

dire moritur, cum terræmotu.

e

f

Ex Italico Mars. Honorati.

a *Al.* Ritorius. *al.* Rithorius. *In Ms. Ripat. deest nomen. Hæc paullo aliter narrat Marsilius Honoratus ex antiquis bibliothecæ Vaticanæ monumentis, in hunc fere modum :* Jacuit S. Martinæ aliquot diebus insepultum corpus, donec admonitus a Christiano quopiam Ritorius Episcopus, qui metu persecutionis in cœmiteriis latebat, cum eodem Christiano illuc venit, reperitque sacrum corpus a duabus aquilis custodiri, una ad caput altera ad pedes excubante, ne quid alicunde damni pateretur. Argumento id fuit quanti apud Deum meriti esset Virgo invicta, quam singulari hoc honore dignabatur. Erat vero corpus Virginis adeo speciosum talique splendore conspicuum, ut magnum intuentibus solatium afferret. Clam illud sepeliere, Dei in Virgine sua triumphum laudibus celebrantes. Erecta deinde isthic a Christianis est ædes, Martinæ honori sacra, deinceps fidelium devotione illustris : quippe cujus titulo initiati Sacerdotes reperiuntur, qui sacra isthic decenter procurarent. Aliquanto post S. Antero Papæ mandatum divinitus, ut inde pretiosum hunc thesaurum tolleret, atque in Urbem ad locum a Deo commonstratum transferret. Abiit sanctus Pontifex cum Christianis aliquot ad locum in quo prius conditum erat Virginis corpus; arreptoque ligone suis ipse manibus effodere terram cœpit, ceteris opus prosequentibus. Reperere tandem defossum thesaurum, unaque gloriosorum Martyrum Concordii et Epiphanii isthic quoque tumulata corpora : suntque simul Romam deportata atque in horto quodam sepulta, ipso loco ubi nuperrime inventa sunt. *Hæc ille. De* S. Antero, *a quo in Urbem translatas S. Martinæ reliquias scribit Honoratus, agemus III Januarii. Qui hi sint* Concordius *et* Epiphanius *Martyres, necdum comperimus.*

S. Martinæ corpus ab aquilis custoditum, splenditum,

post in Urbem translatum.

b *Id est, urnam ex alabastrite, est enim* λάρναξ urna, capsa, scrinium, ὄνυξ *vero idem significat quandoque quod* ἀλαβαστρίτης.

c *Ms. S. Max.* locus vernans sicut paradisus.

d *Repugnant huic narrationi qui Alexandri res gestas scripsere auctores Ethnici. Sed nec ipsi inter se consentiunt; nam alii occisum tradunt* Moguntiaci, *alii in* Sicila, *sive* Sicilia *vico, dum adversus Germanos Galliam infestantes celerrime proficisceretur; cum tamen eum vicum alii in Gallia, alii in Britannia locent : alii denique a Germano scurra, alii a tironibus incitante Maximino interfectum scribunt : ut videantur mortis genus dissimulare votuisse. Quamquam potuit perpetrata cæde Virginis corripi mœrore, ut hic dicitur, dein nuntiata Germanorum in Gallias irruptione, magnis itineribus, ut scribit Ælius Lampridius, eo contendere, et, ut erat suspiciosissimus, (quod idem testatur) dolore crescente, demum trucidari a suis, subsecutis eodem tempore, etiam in Urbe, quæ hic narrantur portentis.*

Mors Alexandri Imp.

e *forte,* sexaginta octo.

f *Imperare cœpit* Maximinus *mense Martio, anno Christi* 235, *imperavitque triennio et paucis diebus, ut Eutropius scribit.*

INVENTIO S. MARTINÆ

Ex narratione Italica Marsilii Honorati Presbyteri Congregat. Orator.

S. Martinæ reliquiæ inventæ 25 *Octob.* 1634.

Sanctæ Martinæ Virginis ac Martyris repertum 25 Octobris die anni MDCXXXIV. Romæ est corpus, in crypta, sive, ut vocant, Confessione ecclesiæ ei olim dicatæ. Erat ea crypta vetustate jam prope collapsa : ideoque Petro Berettino Cortonensi, pictorum Academiæ Præfecto, publica ejusdem Academiæ auctoritate tributa, eo jure ac modo, quo transscribi certis hominibus ac familiis ecclesiarum sacella consuevere; ea tamen lege ut illam dotare, instaurare, atque ornare qua libitum esset ratione teneretur. Cum igitur eam ad formam quæ nunc cernitur redegisset, jamque curaret sibi isthic sepulchrum statui, ubi ad decem palmos versus altare est humus effossa, vetustus detectus paries est, eoque perfracto arca intus reperta. Res illico ad Franciscum Barberinum Cardinalem Urbani VIII Pontificis Maximi nepotem, illius ecclesiæ Protectorem delata est: qui mox id jussit Cardinali Ginetto Pontificis Vicario nuntiari.

Franciscus Barberinus Cardinalis ecclesiæ S. Martinæ Protector.

2 Missi ab his Antonius Torniellus Vicesgerens, Joannes Severanus Sanseverinas ex Congregatione Oratorii Presbyter, Hieronymus Brunus Firmanus Sacerdos, ut inspicerent considerarentque diligenter universa, atque ad se referrent. Accurate illi mandata executi sunt. Arca erat fictilis longa palmos sex ac decem digitos; duos palmos ac duos digitos lata, alta palmum ac dimidium, duos digitos crassa, tribus antiquis cooperta imbricibus, intra duos parietes conclusa, atque ita undique humo aggesta et saxis constipata, ut nemo omnino suspicari posset, tam pretiosum isthic delitescere thesaurum. Quæ obstacula fecere, ut non nisi ingenti labore ac molimine educi potuerit. Erat vero arca altari transversim ab Occidente in Orientem imposita. Ad ejus principium versus Occidentem, caput erat S. Martinæ, ærea in lance, longa palmum ac duos digitos, alta digitos duos ac semis, non admodum crassa, et jam vetustate exesa. Ex verticis commissura erat conjicere muliebre cranium esse. At lanx illa pluribus erat ossibus imposita, quæ perspicue patebat esse cujuspiam teneræ Virginis, erantque fere quotquot ad humani corporis compagem necessaria sunt, aut certe deerant perpauca. Inter illa vero ossa plumbea lamina reperta est, cui insculpti erant characteres, sed ita situ ipso erosi, vix ut legi possent. Sejungebat ossa hæc a Sanctorum Concordii, Epiphanii, et Socii eorum corporibus fictilis tabula, atque alia marmorea circiter palmi magnitudine, in qua hæc visebatur epigraphe:

SS. Concordii, Epiphanii et Socii repertæ reliquiæ.



Secundum hanc inscriptionem ingenti ossium copia erat reliquum arcæ confertum ac duobus capitibus. Re diligenter inspecta, deprehensum est, tria esse corpora, duo nimirum integra, ex tertio vero partes quasdam capitis ac tibiæ, et pulveris haud parum. Hæc sunt corpora Sanctorum, quæ via Ostiensi reperta cum S. Martinæ corpore, translataque in Urbem, ut ex veteribus Bibliothecæ Vaticanæ MSS. patet.

3 Sub hac arca duo vetustissimi visebantur transversim ducti parietes, intra quos interceptus locus paris arcæ capax: et multa isthic ossa reperta, sed pleraque in minutissimas partes ac prope in pulverem redacta, absque ullo nomine aut inscriptione. Erant tamen supra tenues marmoreas tabulas absque ulla alia theca collocata.

4 Huic vero fortunatissimæ rei adfui ego quoque, et Franciscus Grillus Romanus Sacerdos, Matthæus Bertochius ejus Ecclesiæ Presbyter, Petrus Berettinus Cortonensis pictor, Franciscus Mochius Monterovicensis sculptor, Joannes Baptista Soria Romanus architectus, Alexander Algardius Bononiensis sculptor, qui modo Academiæ illius Officialis est, aliique.

5 Sexto post die iisdem præsentibus, sublatus est lapis altaris, apertumque quod in eo erat sepulchrum duorum circiter quaquaversum palmorum, undique fultum marmore; in eoque duo reperta vasa vitrea instar magnarum lampadum, palmum circiter alta, ambo tenuibus e plumbo laminis cooperta: supra alterum tabula erat parva, e nigro lapide, quatuor lata digitos, palmum longa, cui hæc erant incisa:



in hoc vase reperta sunt quædam ossium frusta cum medullarum succo aliquo, adipis quoque particulæ suo adhuc præditæ candore; in imo vasis materia quædam sanguinea et tenera, formam fere referens cordis.

6 In altero vase, ejusdem quidem magnitudinis, sed absque ulla inscriptione, repertus est pedis dextri pecten cum suis articulis, partim adhuc connexis,

partim

partim divulsis; deerant tamen digitorum articuli. Extra vero vasculum in ipso sepulchri pavimento, reperta sunt aliquot exigua ossa, veli particulæ in pulverem redactæ, particulæ aliquot putrefacti jam ligni, crux parvula e ligno affabre tenuissimo opere elaborata, superne perforata, ut funiculo appensa gestari facile posset, omnis expers cariei.

7 Extractæ eæ reliquiæ omnique diligentia ab illis Sacerdotibus in eadem crypta compositæ, ubi etiamnum asservantur : atque ad certiorem earum custodiam non solum clave obserata est crypta, sed binis dictorum Patrum sigillis munita, et diu noctuque summo studio et fide ab iis qui inventioni interfuerant, custodita.

Visit eas reliquias URBANUS VIII *cum Cardinalibus.*

8 Venit eo deinde illasque reliquias visit ac religiose veneratus est Franciscus Barberinus Cardinalis. Ipse quoque URBANUS VIII, Pontifex Maximus sequenti die Martis 28 Novembris, post meridiem, eo venit cum Cardinalibus Torres, S. Onuphrii, Spada, Saccheti, Pamphilio, Santacrucio, Brancacio, Francisco Barberino, Burghesio, Ginetto, Cæsarino, Don Antonio, multisque aliis utriusque ordinis Proceribus. Curavit Franciscus Barberinus illius ecclesiæ Protector et benefactor, ornatum adhiberi, quem tantus merebatur thesaurus. In ara maxima publicæ populi venerationi sunt eæ reliquiæ qua par erat cæremonia ac solemnitate expositæ. Ad augendam vero populi pietatem concessit Pontifex plenam indulgentiam reliquias illas pie visitantibus a primis ad secundas usque vesperas. Concurrit igitur ingens isthuc populi multitudo.

EX VARIIS.

Indulgentias concedit.

9 *Hactenus Honoratus, qui deinde* S. Martinæ *Acta Italice edidit, usus præcipue Mombritio et variis MSS. bibliothecarum Vaticanæ et Vallicellanæ, additditque eruditas annotationes, et historiam inventionis. Alexander Donatus noster lib. 4, de urbe Roma, edito an.* 1639, *cap.* 12 *testatur novum* S. Martinæ *templum a Francisco Cardinale Barberino ædificari, a* URBANO VIII, *fronte Tiburtini lapidis exornari.*

DE SANCTIS MARTYRIBUS BONONIENSIBUS

CAJO, JACTO, HERACLO.

I JANU. *Haud vulgo hi noti Martyres : memorantur in MS. Martyrologio S. Hieronymi his verbis :* In Bononia Cai, Jacti, Heracli. *Nec suspicetur quis eos esse qui IV Januarii coluntur,* Hermetem, Aggæum, Caium; *nam et hi in eodem MS. Martyrologio pridie Non. referuntur.*

DE SANCTIS MARTYRIBUS AFRIS

VICTORE, FELICE, NARCISSO, ARGYRO, ET SOCIIS.

I JANU. *Hos exhibuit idem S. Hieronymi MS. Martyrologium his verbis* : In Africa, Victoris, Felicis, Narcissi, et Argyri, et aliorum IV.

DE SANCTIS MARTYRIBUS

PRIMIANO, SATURNINO, ALIO SATURNINO, VICTORE, HONORATO, LEUCIO, HERMETE.

I JANU. *Hos quoque, haud alibi observatos, accepimus ex eodem MS. Martyrologio S. Hieronymi, in quo isthæc habentur :* Papa, Primiani, Saturnini. Item Saturnini, Victoris, Honorati, Leuci, Hermetis. *Illud* Papa *pro* Papia *positum sit, ab eo qui Martyrologium illud amplificavit, an viri nomen significet, haud statuimus.*

DE

DE S. PARACODA EPISCOPO VIENNENSI.

CIRCA AN. CHR. CCXXXIX. I JANU.

S. Paracodæ in sacris fastis nomen.

Desideratur in Martyrologio Adonis Viennensis, quod Heribertus Rosweydus noster edidit, S. Paracodæ *nomen : sed in MSS. Monasterii Lobiensis, et S. Laurentii Leodii, atque appendice Adonis hæc habentur :* Eodem die sanctissimi Paragodæ, septimi Viennensis Episcopi. *Eademque habet Martyrologium Germanicum, ac MS. Florarium Sanctorum. Eadem fere Philippus Ferrarius, Beda, alique. Neque illa Adonis Martyrologio adjecta aliena manu arbitror, ut censet Rosweydus. Quis enim credat ab Adone prædecessorem suum prætermissum?* Pyragodam, Piragodam, Paragoden *alii appellant.*

Varie ejus expressum nomen.

2 *De eo ista scribit Joannes Boscius in Bibliotheca Floriacensi, qui et octavum fuisse ejus Sedis Antistitem ostendit. Post S. Dionysium* S. Paracodas, Græcus natione, uti fuerat Dionysius, Præsulatum gessit; ætate Antonini Caracallæ, Aurelii, Alexandri, Maximini, Imperatorum; ad quem Victor Papa ita scripsit:

Sub quibus Imperatoribus vixerit.

Victor Episcopus, fratri Paragodæ Episcopo salutem. Collega noster Dionysius dormiens, te nobis socium in Ecclesia Christi reliquit. Vides Frater Orientalem Ecclesiam propter celebrationem Paschæ ab Occidentali disjunctam esse. Placuit ergo nobis Apostolorum sectatoribus, vestræ unanimitati scribere, ut secundum quod scriptum est : *Vetera transierunt; Ecce nova facta sunt omnia;* non tenebras sequamur, sed lucem; ut advertamus Prophetam : *Populus, qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam.* Propterea Frater et collega in Domino, doce per Ecclesias tibi commissas, a XV Luna Pascha agendum, ut dicat nobis Apostolus : *Pascha nostrum immolatus est Christus;* et, *Fuistis tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Unanimitas fraterna, te in Domino salutat. Fratres qui apud te Viennæ versantur, de nobis in Domino salutans. Vale.

Litteræ Victoris Papæ ad ipsum.

2. Cor. 5. v. 17.

Isa. 9. v. 2.

Monet ut Pascha post XIV Lunam curet celebrari.

1. Cor. 5. v. 7.

Ephes. 5. v. 8.

Honoratur vero S. Paracodas annuo recursu IV Non. Januar. Cujus ætate S. Zacharias Antistes Lugdunensis florebat. *Hæc Boscius. At legitimane sit hæc Victoris epistola, dubitari merito potest.*

DE SANCTIS XXX MILITIBUS MM.

ROMÆ VIA APPIA.

SUB DIOCLETIAN. I JANU.

Beda, Usuardus, Ado, ceterique : Romæ, via Appia coronæ sanctorum Militum XXX Martyrum sub Diocletiano Imperatore. *Martyrologium Germanicum addit, primum in vincula conjectos, ac deinde capite plexos. Galesinius quoque caput iis præcisum ipsius jussu Diocletiani, scribit.*

Notkerus, quod in ceteris passio et obitus horum Sanctorum Coronæ nomine indicatur, aliter exposuit, ut eorum Primipilum Coronam appellaret : nisi sit vitium librarii. Item Romæ, *inquit,* via Appia Coronæ et militum XXX qui sub Diocletiano Augusto pro confessione Christianæ fidei martyrio coronari meruerunt. *Eorum meminit et Martyrologium S. Hieronymi. MS. Martyrologium monasterii S. Richarii quod Bedæ nomen præfert, habet tantum XX. MS. S. Laurentii Leodii quod est Adonis XXI.*

DE SANCTIS MARTYRIBUS EUPHROSYNO EPISCOPO, PRIAMIANO VEL PRIANO ET ALIIS IX.

NICOMEDIÆ.

I JANU.

Martyrologium idem S. Hieronymi : Nicomediæ Eufrosini Episcopi, Priani et aliorum IX. *MS. Monasterii Rhinouwiensis :* Nicomediæ Eufrosini Episcopi, Priamiani, Era... *Memoratur in Menæis Græcorum* 6 *Martii Euphrosynus quidam aquam bullientem jussus potare, sicque occisus. Sed diversus ab eo videtur hic noster : de quo tamen nihil uspiam legimus.*

DE S. SEVERO MARTYRE

RAVENNÆ.

AN. CHR. CCCIV. I JANU.

S. Severus Martyr diversus a S. Severo Episcopo.

Sanctum Severum Ravennatem Episcopum, quem Kalendis Februarii Ecclesia celebrat, Kalendis Januarii quædam referunt Martyrologia; hinc fortassis nato errore, quod cum hoc die S. Severus martyrium Ravennæ subierit, eum cum altero multo celebriori et Episcopo auctores quidam confuderunt. Et Maurolycus quidem Episcopum et Martyrem appellat eum qui Kalendis Januarii colitur, uti et MSS. Martyrologia duo, Bedæ nomine insignita, alterum domus Professæ Societatis JESU *Antverpiæ, alterum Ecclesiæ S. Lamberti Leodii; item MS. Florarium Sanctorum Martyrol. Coloniense vetus solum Episcopum; quædam MSS. Episcopum et Confessorem eum vocant. Martyrologium S. Hieronymi ista habet :* Ravennæ depositio S. Severi cum fratribus. *Iterum deinde Kalend. Februar.* Ravenna, Severi Episcopi. *Quæ obscura; præsertim cum* depositio *vix soleat nisi de Confessore usurpari, quid vero illud sibi vult* Cum fratribus? *deinde an duo fuere Severi Episcopi Ravennates confessores, in unum deinde conflati; quorum unus Marcellino Caji Papæ temporibus successerit, alter Agapito anno Christi* 346. *Constantio IV et Constante III Coss.*

expressa.

Ejus in Martyrologiis memoria, sed vitiose, ut plurimum,

Quidquid sit de ea quæstione, alius Ravennæ fuit Severus Martyr, quem Philippus Ferrarius in catalogo Sanctorum Italiæ, et in generali catalogo Sanctorum, Kalendis Februarii refert, testaturque, ejus ob S. Severi Confessoris

Colitur 1 Januarii.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

Confessoris solemnitatem officium differri. Ast Hieronymus Rubeus Kalendis Januarii mortem pro Christo oppetiisse asserit lib. 2 *Historiar. Raven.* Cajo, *inquit*, subrogatus Marcellinus, et Marcellino Marcellus fuit. Quo tempore Severus Ravennas, alius ab Archiepiscopo, e medio sublatus est ab Maximiano Augusto: qui decimus et postremus in Occidente Christianos persequebatur. Viri enim sancti prodigia, et vitam innocenter actam cum Maximianus accepisset, ob inveteratum in Christianos odium, captum, et sacrificare falsis diis renuentem, uti diximus, interfici jussit Kal. Januarii : cujus cadaver nunc summa religione in Orbito, quam plerique veteribus Herbanum fuisse putant, ab incolis conservatur, et colitur. Hoc loco, mea quidem sententia, Franciscus Maurolycus Messanensis Abbas manifeste aberrasse deprehenditur, qui in suo Martyrologio, hunc fuisse Episcopum scribat : et longe magis Ferrettus, qui hunc Severum cum illo confundat, qui fuit Ecclesii Archiepiscopi fratris filius.

Quando passus.

Clarus miraculis et sanctitatis opinione.

Corpus Urbeveteri servatur, ut putat Rubeus.

Ex variis Auctoribus.

Falli Rubeum ait Ferrarius : non enim hujus Severi extare Urbeveteri reliquias, sed alterius qui XV *Februarii et* 1 *Octob. colitur. Petrus de Natalib. lib.* 3 *cap.* 66 *S. Severum Martyrem et S. Severum Presbyterum, illum qui* XV *Februarii colitur, in unum conflavit.*

Negat Ferrarius.

DE SANCTIS MARTYRIBUS
EVANTO ET HERMETE
IN RHÆTIA.

I JAN. *Martyrologium S. Hieronymi :* In Retia Evanti, Hermetis.

DE S. MAGNO MARTYRE.

I JAN. *Martyrologium Romanum :* Eodem die S. Magni Martyris. *Eadem habet Bellinus a Padua, Franciscus Maurolycus, Petrus Galesinius aliique. Nihil præterea de eo reperi.*

DE S. THEODOTO MARTYRE.

I JAN. *S. Theodotus capite plexus.* *Menæa* 1 *Januarii :* Eodem die Sanctus Martyr Theodotus gladio vitam finit. *Bini deinde versus subjiciuntur, quorum hæc est sententia :* Non feram, inquit Theodotus, nisi gratiam Dei capite redemero. *Aliquot celebrantur in Latinorum Martyrologiis Theodoti, a quibus tamen diversum hunc reor esse.*

VITA
S. GREGORII
EPISCOPI NAZIANZENI
PATRIS S. GREGORII THEOLOGI.

Circa an. Chr. cccl.xxiii. I JAN. *S. Gregorius pater S. Gregorii Nazianzeni sive Theologi.* *Sanctum Gregorium Episcopum Nazianzenum, S. Gregorii Theologi parentem, hoc die venerantur Græci, ut ex Menæis patet; in quibus hæc habentur :* Eodem die S. Gregorius pater S. Gregorii Theologi in pace quiescit. *Eum laudat Gregorius filius in carmine quod de se ipse composuit, et alibi; sed fusissime oratione in ejus funere habita præsente S. Basilio, in quam extant Eliæ Cretensis commentarii et scholia Jacobi Billii, ex cujus interpretatione eam hic damus.*

S. GREGORII
THEOLOGI IN LAUDEM PATRIS SUI GREGORII ORATIO.
JACOBO BILLIO INTERPRETE.

S. Basilii honorifica compellatio. Homo Dei, et fidelis serve, et mysteriorum Dei dispensator, et vir spiritualium desideriorum : hoc enim nomine sublimes et excelsos viros, et supra ea quæ oculis cernuntur, positos, Scriptura vocat. Quin te quoque Pharaonis, hoc est omnis Ægyptiacæ atque adversariæ potestatis Deum appello, Ecclesiæque columnam et fundamentum, et Domini voluntatem, et luminare in mundo verbum vitæ sustinens, et fidei fulcimentum, spiritusque domicilium. Et quid nomina ea omnia, quæ tibi tua virtus peperit, alia aliud tibi concilians atque offerens, recensere pergo? Ceterum die quæso. Unde te habemus, quænam est opera tua, quidque nobis allaturus huc accedis? Quandoquidem omnibus in rebus te Deo adjutore Deique afflatu impulsuque, atque ad eorum, qui te excipiunt, utilitatem moveri compertum habeo. An ut nos visas huc te contulisti? an ut pastorem quæras? an ut gregem visites? nos quidem jam nullos, maximaque nostri parte simul cum eo vita perfunctos, atque hunc afflictionis locum gravissime ferentes, hoc præsertim tempore, quo peritum gubernatorem vitæque nostræ facem, quam nobis salutis ignem e sublimi ostentantem intuentes recto cursu ferebamur, amisimus : illum autem cum omni virtute pastoralique disciplina, quam diuturno tempore collegerat, a nobis morte abreptum, plenum dierum, ac prudentia, et (ut Salomonis verbis utar) gloriæ senectute coronatum : gregem denique anxium et abjectum, summoque, ut vides, mœrore tristitiaque profligatum, non jam in virenti loco requiescentem, nec refectionis aqua enutritum, sed præcipitia et solitudines et barathra, in quæ dispergatur, ac pereat, quærentem,

Causæ ob quas ad id funus venerit Basilius.

Proverb. 16. v. 31.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

PER GREGOR. FIL.

quærentem, num alium quoque posthac solertem ac prudentem pastorem consecuturus sit, dubitantem; illud quidem certissime sibi persuadentem, numquam se alium ei virtute parem habiturum, beneque secum agi putaturum, si non multo inferiorem.

Invitat Basilium Gregorius ut defunctum laudet, et superstites consoletur.

2 Porro cum tria hæc, ut dixi, tibi huc veniendi necessitatem peræque attulerint, nós scilicet, et grex, et pastor; age pro eo curationis spiritu, quo præditus es, congruentem cuique medicinam adhibe, ac sermonem cum judicio dispensa, quo tuam sapientiam magis admiremur. Quonam autem modo dispensabis? Primum si illum, ut virtus ipsius promeretur, laudaveris, non solum ut puro puram orationem instar funebris cujusdam muneris inferas; sed etiam ut vitam illius vitæque rationem aliis velut exemplar quoddam ad imitandum proponas. Deinde si de vita et morte, de animæ corporisque conjunctione ac separatione, de duobus mundis, hoc nimirum præsenti ac fluxo et fragili, et eo qui animo ac ratione intelligitur, nec umquam effluit, brevem ad nos orationem habueris; nobisque persuaseris, ut illius quidem imposturas hac perturbationem et inconstantiam, ac velut in undis sursum deorsumque jactationem aspernemur; huic autem firmo et stabili, et divino, semperque eodem modo se habenti, atque omnis turbulentiæ et confusionis experti totos nos addicamus: sic enim fore, ut eorum qui ante nos e vita discesserint, interitu minus discruciemur, imo etiam lætemur: si nos oratione tua hinc abductos in altum subvexeris, præsentemque molestiam in futuro ævo abdideris, fidemque feceris nos quoque ipsos ad bonum Dominum concitato cursu properare, atque habitationem peregrinatione meliorem et præstantiorem esse: quodque navigantibus est portus, hoc iis qui hujus vitæ procellis agitantur, migrationem in alteram vitam esse: aut etiam quemadmodum qui longum iter priores confecerunt, meliore sunt conditione, quam qui itineris laboribus adhuc fatigantur; ita tolerabiliorem et meliorem eorum conditionem esse, qui ad supernum illud hospitium jam pervenerunt, quam qui sinuosum adhuc præruptumque hujus vitæ iter emetiuntur. Ac nos ad hunc modum consolaberis.

3 Jam vero gregis mœrorem qua ratione minues? Primum si te, sub cujus pennis conquiescere omnibus honestum est et expetendum, cujusque vocem ardentius sitimus, quam purissimos fontes qui siti correpti sunt, Antistitem illi ducemque non defuturum pollicearis. Deinde si nos eo adduxeris, ut ne nunc quidem nos a Pastore illo bono, animamque suam pro ovibus ponente relictos esse confidamus: quin potius eum et adesse, et pascere, et viam præire, et oves suas cognoscere, vicissimque a suis cognosci, non illum quidem corpore, sed spiritu nobiscum versantem, ac pro gregis salute adversus lupos bellum gerentem, nec quemquam latronum more caulam transilire, atque animas veritatis doctrina recte institutas peregrina voce distrahere, furtimque intercipere sinentem. Nec dubito quin hoc nunc quoque magis postulatione sua faciat, quam prius doctrina: quippe qui excussis corporeis compedibus, ac fæce illa, mentis puritatem turbante liberatus, propius jam Deo jungitur, ac nudus primam illam purissimamque mentem nudam alloquitur, Angelorumque classe ac libertate (si tam audacter loqui fas est) donatur. Sed hæc pro tua dicendi facultate spiritusque potentia rectius per te ipse, quam tibi submonstrare possim, philosophaberis atque constitues.

Pro suis orat S. Gregorius jam defunctus.

4 Ceterum ne virtutum illius ignoratione fiat, ut longe infra rei dignitatem oratio tua subsistat, paucas quasdam laudes ex iis, quas in eo perspexi, leviter adumbrabo, primisque lineis informabo, ac deinde tibi eximio harum rerum pictori opus in manus tradam, ut virtutis illius pulchritudinem accuratius expolias, eamque tradas memoriæ hominum sempiternæ. Ille igitur, ut patriam, genus, corporis dotes, externum splendorem, ceteraque quibus gloriari mortales solent, ad encomiorum leges remittam, atque ab his, quæ nobis prima sunt maximeque propria, initium dicendi faciam, radicis nequaquam egregiæ, nec ad pietatem commode natæ, nec in domo Dei plantatæ surculus extitit, (priora enim postremorum fiducia non erubesco) quin potius admodum præposteræ ac portentosæ, ex duabus rebus valde contrariis, nimirum Gentili errore atque legali vanitate conflatæ: quarum ambarum partes quasdam fugiens; ex quibusdam rursus partibus constituta et coagmentata est. Nam qui in ea sunt hæresi, ex Gentilium quidem religione simulachra et sacrificia ita rejiciunt, ut ignis interim et lucernarum cultum retineant; ex Judaismo autem ita Sabbatum colunt, certisque cibis sordide abstinent, ut tamen Circumcisionem repudient. Atque humiles et abjecti homines Hypsistariorum nomen sibi arrogant, solumque Omnipotentem venerantur. Hoc ille modo cum ad impietatem biformis quispiam esset, in quem tandem virum mutatur? Equidem statuere non possum, gratiamne illam a qua vocatus est, an illius animum ac voluntatem magis laudare debeam. Utcumque sit, usque adeo ab ea lippitudine, quæ mentis ipsius oculis inhærebat, repurgatus est, tantaque celeritate ad Christianæ doctrinæ veritatem accurrit, ut quod superni Patris veræque hereditatis causa et matre et bonis aliquantisper carere sustinuerit, æquiorique animo hanc ignominiam, quam summos alii honores, tulerit, minus ipse mirer, licet alioqui admiratione in primis dignum. Quid ita? Quoniam hæc gloria illi cum multis aliis communis est, omnesque magna illa Dei sagena includi, ac Piscatorum doctrina irretiri oportet: tametsi alii citius, alii serius ab Evangelio comprehendantur.

Hypsistariorum secta, media inter gentiles et Judæos.

In hac secta vixit aliquandiu S. Gregorius.

Ad Christum convertitur.

Bonorum jacturam sustinet.

5 Quod autem mihi ex ipsius rebus potissimum admirari subit, hoc necessario dicendum est. Ille ante etiam quam ad nostram caulam se contulisset, noster erat. Morum quippe probitas eum nobis vendicabat. Nam quemadmodum ex nostris plerique nobiscum non sunt, quos scilicet a communi corpore flagitiosa vitæ ratio separat; sic contra permulti exterorum a nobis stant, quicumque nimirum fidem moribus antevertunt, ac solo Christiani nomine carent, cum rem ipsam habeant. Quo in numero meus quoque pater erat, ramus quidem ille alienus, ceterum morum honestate ad nos propendens. Ac temperantiæ quidem laude adeo excelluit, ut idem simul et amabilissimus et moderatissimus esset: quæ duo haud facile concurrere solent. Justitiæ autem illius quod majus illustriusque argumentum afferri potest, quam quod in magnis Reipub. muneribus administrationibusque versatus, ne teruncio quidem facultates suas auxerit: idque cum alios cerneret publicis bonis Briarei manus, ut dici solet, injicientes, ac scelerato quæstu turgescentes? Sic enim opes injustis artibus collectas voco.

Etiam antea vitæ inculpatæ.

Eximiæ in publicis muneribus, temperantiæ et justitiæ.

6 Prudentiæ porro quamquam hæc non exigua indicia sint, plura tamen oratio longius progressa declarabit. Pro his rebus fidem quoque, ni fallor, præmii loco retulit. Id vero quonam pacto contigerit (neque enim res tanta silentio prætereunda est) perspicuum faciemus. Mulierem fortem quis inveniet? inquit sacra Scriptura, itemque bonum matrimonium non aliter quam Dei munere ac beneficio concinnari testatur. Qua in sententia profani quoque Scriptores fuerunt. Illorum siquidem hoc dictum est, Nullam bona uxore meliorem possessionem viro obvenire posse, nec rursus perniciosiorem improba. Quod si ita est, ecquis hoc nomine fortunatior eo nominari potest? Sic enim existimo, si quis ab extremis orbis finibus, atque ex universo hominum genere præstantissimum

Proverb. 31. v. 10. et c. 19. v. 14.

Hesiodus.

Præclaram uxorem ducit.

tissimum conjugium conciliare studuisset, nullum usquam conjugium isto præstantius aptiusque reperiri potuisse. Sic enim virorum ac mulierum optima et præclarissima quæque in unum confluxerant; ut hoc matrimonium non minus virtutis quam corporum nexus esset. Nam cum alios vincerent, se tamen ipsi mutuo propter virtutis æqualitatem et æquilibrium vincere non valebant. Et quidem illa quæ Adamo adjutrix data fuerat (nec enim hominem solum esse bonum erat) pro socia hostem se præbuit, pro conjuge adversariam : ut quæ voluptatis illecebra maritum in fraudem induxerit, ac per scientiæ lignum vitæ ligno exturbaverit. Huic contra mulier Dei beneficio concessa non modo adjutrix, minus enim id laudis et admirationis haberet, sed et dux et antesignana fuit; nimirum eum vita et sermone ad optima quæque suo exemplo ducens,

Gen. 2.

Obsequentissima uxor pietatis magistram ei se præbet.

7 Quæ cum ceteris in rebus, sicut matrimonii leges ferebant, viro suo parere optimum esse judicaret; fidei tamen pietatisque se magistram profiteri non verebatur. Quod illius factum cum mirifica laude dignum sit, tum vero admirabilior mariti laus est, qui lubenter cesserit. Illa enim est, quæ cum aliæ mulieres ob formæ elegantiam tam nativam quam fictam ascititiamque gloriari atque efferri animis soleant, ipsa contra hanc unam, quæ in anima divinaque imagine sive tuenda sive pro viribus repurganda posita est, pulchritudinem agnoscebat : pictum autem et arte quæsitum ornatum ad eas, quæ theatris delectantur, ablegabat. Unam item veram nobilitatem in pietate sitam esse censebat, atque in eo, ut unde ortum habuimus, et quo tandem perventuri simus, intelligamus. Unas insuper has tutas atque inviolabiles opes ducebat, nimirum Deo et pauperibus opes effundere, ac præsertim consanguineis, qui facultatibus suis lapsi essent. Nam his necessaria tantum impertiri ejusmodi esse existimabat, ut calamitatis potius memoriam refricare quam eam depellere videretur : at prolixiore eosdem benignitate ac liberalitate complecti, id certi honoris plenissimique solatii esse.

Pulchritudo animæ præferenda corporeæ.

Vera nobilitas.

Opes tutæ.

Consanguinei pauperes, potissimum juvandi.

Mater S. Gregorii Nazianzeni simul pia, simul familiæ curam gerens.

Prov. 31.

8 Jam cum aliæ amplificandæ domus, aliæ pietatis gloria excellant (utrumque enim assequi difficile est) utroque nomine mulieres omnes superavit : tum quod utrumque horum excellentissime præstiterit; tum quod sola duo ista complexa fuerit. Rem enim familiarem industria et solertia juxta leges mulieri forti a Salomone præscriptas ita auxit, quasi pietatem colere nesciret : Deo rursus divinisque rebus ita sese totam adjunxit, tamquam a rerum domesticarum procuratione plurimum abesset : neque ab alterutro horum quidquam impedita est, quo minus alterum impleret; quin potius utrumque alterius ope fulcivit et confirmavit. Ecquod orationis tempus, ecquis locus eam fefellit? (nihil enim toto die erat, quod prius ageret) imo vero ecquæ umquam tam certam spem habuit, fore, ut simul atque precibus aliquid petiisset, statim quod peteret, consequeretur? Ecquæ manum vultumque Sacerdotum æque verita est, aut omne Christianæ sapientiæ genus honoravit? Ecquæ jejuniis vigiliisque carnem suam magis extenuavit, aut diurnæ nocturnæque Psalmorum cantioni seipsam affixit? Ecquæ virginitatem magis suspexit, quamvis connubii vinculis astringi sustinens? Ecquæ orphanis ac viduis majori præsidio fuit? Ecquæ lugentium calamitates ita sublevavit?

Sacerdotes honorans;

Jejunio et vigiliis dedita.

Virginitatem suspicit nupta.

9 Atque hæc insuper, quæ quamquam parva, nonnullis etiam fortasse contemnenda videntur, quod quibuslibet non facile pateant (fit enim fere, ut quod assequi non possumus, ne credibile quidem, quo animi livore sumus, existimemus) a me tamen permagni fiunt : quoniam a fide et spirituali quodam ardore promanabant. Quo in genere illud est, quod in conventibus locisque sacris numquam illius vox audita sit : necessarias tantum illas et mysticas excipio. Quod si olim amplum et gloriosum altari erat, quod super ipsum nec securis ascendisset, nec visa aut audita esset ascia, (quo nimirum sublimius quiddam significabatur, nempe nativum et simplex esse debere arteque carere, quidquid Deo consecratur) cur non illi quoque ad laudem præclarum sit, quod silentii honore Sancta coluerit, quod venerandæ Mensæ numquam terga verterit, nec divinum solum consputando inquinaverit; nec mulier alioqui facillima et suavissima, Gentilium umquam manibus dextram injecerit, labiisque labia miscuerit, necnon dicam adduci, sed ne impelli quidem adigique potuerit, ut cum his qui mensæ impuræ ac profanæ erant, communem salem haberet, nec præter conscientiæ præscriptum nefariam domum præterire aut intueri sustinuerit, nec aurem et linguam res divinas partim accipientem partim pronuntiantem Ethnicis narrationibus, theatricisque cantilenis conspurcari siverit (nihil enim profani sacrosanctis hominibus convenire putabat) nec, quod majori admirationi esse debet, corporis luctui tantum umquam indulserit, licet alioqui vel etiam externorum calamitatibus gravissime commoveretur, ut vel luctuosa vox prior erumperet, quam gratiarum actio, vel ex palpebris mystice consignatis lacrymæ fluerent, vel tristis corporis habitus luculento die permaneret : tametsi multæ sæpenumero rerum acerbitates illi acciderint. Piæ enim ac religiosæ animæ esse censebat, divinis rebus humana omnia submittere.

Per Gregor. Fil.

Deut. 27.

In templis præter preces nihil loquitur.

Altari reverentiam exhibet.

Cum ethnicis non conversatur.

In adversis gratias agit Deo.

10 Atque his obscuriora taceo, quorum testis est Deus, ac fideles ancillæ, quibus res ejusmodi concredebat. Nam illud quod ad me pertinet, ne commemoratione quidem fortasse dignum est, utpote qui ipsius spei nequaquam satis responderim. Quamquam fuit illustre illud ejus facinus, quod nos prius etiam quam nasceremur, Deo nihil futuri eventus metu exterrita, promisit, vitæque lucem ingressos protinus consecravit. Dei autem beneficium fuit, quod voti sui spe non omnino exciderit, nec victima, quam obtulerat, repudiata fuerit. Atque hæ virtutes partim jam ipsi inerant, partim imminebant, exiguis paulatim incrementis augescentes. Et quemadmodum Sol matutinos quidem radios suavissime diffundit, sub meridiem tamen acrius jucundiusque irradiat; haud secus illa cum in vitæ primordiis multa pietatis officia subobscure ostendisset, splendidius ad extremum uberiusque fulsit.

Filium Deo promittit nondum natum.

11 Tum igitur vero acerrimum ad pietatem amplectendam stimulum domi habebat, qui eam sibi matrimonio junxerat, quippe quæ non, ut ille, ex oleastro in olivam inserta esset, verum jam olim et a majoribus Dei Christique amore flagraret, virtutisque patrimonium a parentibus accepisset, nec pro eximia sua fide diversæ religionis maritum pati posset, nec licet alioqui patientissima femina singularique animi magnitudine prædita, hoc unum æquo placidoque animo ferre, ut dimidia tantum sui parte ob alterius partis aversionem Deo adjungeretur, nec ad corporum conjunctionem spiritus connexio accederet. Quamobrem dies noctesque supplex humique provoluta Deum pro sui capitis salute cum multis jejuniis ac lacrymis obsecrabat, ac viro etiam studiose instabat, eumque variis modis lucrari contendebat, probris, admonitionibus, obsequiis, simultatibus, et quod maximum erat, morum suorum probitate ferventique erga pietatem affectu, qua potissimum re animus flectitur, sponteque sua coactus ad virtutem emollitur. Nec vero aliter fieri poterat, quin assiduis tandem ictibus gutta lapidem excavaret, progressuque temporis quod tanto studio contendebat, perficeret, quemadmodum ex his, quæ sequuntur, liquido patebit.

Parentibus Christianis nata.

Rom. 11.

Pro viri conversione Deum orat.

Eum assidue hortatur ad fidem suscipiendam,

12 Hæc igitur ipsa petebat, et in spe habebat, utpote fide quam juvenili ætate ferventior : neque enim quisquam præsentibus rebus atque ob oculos positis

Per Gregor. fil.

positis perinde confidit, ut illa rebus quas spe conceperat : nec mirum cum divinæ liberalitatis periculum jam ab ea factum fuisset. Huic autem ad salutem adipiscendam adjumento erat, cum ratio ipsa curationem paulatim admittens, tum insomniorum etiam visio, quibus aninam salute dignam plerumque Deus beneficio afficit. Sed quæ tandem fuit ista visio? Neque enim quidquam in tota narratione mihi perinde jucundum videtur. Putabat se quod ante numquam fecerat (quamvis uxor in oratione frequens esset) ex Davidis Psalmis eam partem canere, *Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi : in domum Domini ibimus*. Novus erat et insuetus hic cantus : simulque cum cantu cupiditas ingreditur.

Vir ad id visione nocturna impellitur.

Psal. 121. v. 1.

13 Quod ubi mulier intellexit, voti jam compos facta, oblatam occasionem arripit, visionem hanc in jucundissimam partem interpretans, beneficiique magnitudinem animi lætitia declarans, salutemque adurgens, ne quid, quod vocationi obstaret, intercederet, negotiumque in quod tanto studio incumbebat, abrumperet. Ac proinde cum res ita nata fuisset, ut ad profligandum nuper exortum Arii insanum dogma, quo divinitas scindebatur, permulti Episcopi Nicæam properarent, Deo sese veritatisque præconibus tradidit, ac desiderium confitetur, communisque salutis auxilium ab iis poscit, in quibus illustris quoque Leontius erat, qui Metropolin tum nostram moderabatur. Miraculum autem, quod hic quoque divina gratia editum est, si reticuero, male profecto de ipsa gratia meritus videri possim. Hujus porro testes sunt non pauci. Spirituale quoddam erratum exactæ disciplinæ magistri committunt, idque quod futurum erat, superna gratia præsignat, ac sacerdotii forma cum Christiana institutione miscetur. O initiationem minime spontaneam! Etenim in genu flexus fidei elementis imbuitur : adeo ut multi non perspicaciores tantum, sed etiam minore ingenii acumine præditi, non obscuris signis confirmati, quod postmodum evenit, prædicerent.

Petit baptismum præsente S. Leontio, de quo 13 Januar.

Præter morem flectens instituitur ad baptismum; et catechista orationem sacerdotii initiationi, non catecheticæ institutioni præmitti solitam ex errore recitat.

14 Non multum temporis interfluxerat, cum huic miraculo miraculum aliud adjungitur. Hunc autem sermonem piis auribus commendabo : nam apud profanas animas nulla res præclara fidem invenire potest. Ad eam regenerationem, qua per aquam et Spiritum renascimur, accedit, per quam Christiani nominis creationem atque consecrationem, terrenique ad spiritualem immutationem transitumque profitemur : et quidem cum ardenti cupiditate et luculenta spe accedit, nimirum pro viribus ante perpurgatus, atque tum animo tum corpore multo majore cura diligentiaque lustratus, quam qui olim a Mose tabulas accepturi erant. Illis enim non ultra vestem exiguamque ventris compressionem ac brevem quamdam et extemporalem corporis castimoniam lustratio sese porrigebat : huic vero ad divinam illuminationem omnis intermedia vita præparatio quædam fuit, et purgationem præcedens purgatio, cælesti dono securitatem afferens : ut Baptismus vitæ puritati tuto committeretur, minimeque periclitaretur bonum illud in animi habitudine adversus gratiam audace. Egressum vero ex aqua lux et gloria eo animi affectu, cum quo ad fidei donum accessit, digna circumfulsit, nonnullis quidem etiam aliis perspicua (qui tum miraculum illud apud se continebant, idcirco efferre non ausi, quod unusquisque visionem hanc sibi obtigisse crederet, sed aliquanto post illud inter se disseminarunt) ei autem qui Baptistæ et initiatoris munere fungebatur, ita clara et conspicua, ut ne mysterium quidem pectore clausum tenere potuerit, sed eum, quem inungebat, sibi in Episcopatu successurum palam publiceque clamaverit.

Exod. 19.

Baptizatus luce divina circumfunditur.

Eum baptizans sibi successurum prædicit.

15 Nec vero est, cur cuiquam id incredibile videatur, qui modo norit, quemadmodum Moses, cum vulgi opinione adhuc parvus esset, nec ullo honore dignus haberetur, e rubo flagrante quidem illo, sed vim ignis minime sentiente vocatus sit, vel ab eo potius, qui in rubo utcumque se conspiciendum præbebat, primoque illo miraculo fidem auctoritatemque nactus fuerit; Moses, inquam, ille cui mare scinditur, panis depluit, petra aquam fontis in morem fundit, ignis ac nubis columnæ vicissim iter præmonstrant, manuum extensio crucem adumbrans, profligatis multis hostium millibus trophæum statuit. Idem Esaiæ illi gloriæ et Seraphinorum spectatori accidit : idem postea Hieremiæ, qui magnam adversus gentes et regna potentiam accepit. Ex quibus alter divinam vocem audit, ac priusquam vaticinandi provinciam obeat, carbone purgatur : alter antequam creatur, cognoscitur, et antequam in lucem prodeat, sanctitate donatur. Quin Paulus etiam, egregius, inquam, ille veritatis præco, Gentiumque in fide magister, cum infesto adhuc animo Ecclesiam vexaret, lumine collustratur, eumque quem persequebatur, cognoscit, magnique ministerii provinciam suscipit, omniumque aures et animos Evangelii promulgatione complet. Quid autem omnes eos enumerare attinet, qui a Deo acciti sunt, talibusque miraculis conciliati, qualibus ipse quoque pater ad fidei pietatem est confirmatus?

Similia in aliis Sanctis portenta.

Exod. 13, 14, 16, 17.

Esa. 6.

Hiere. 1.

Act. 9.

16 Nec vero dicere cuiquam licet, principia quidem talia tamque admiranda ac propemodum fide majoria extitisse; ceterum ea quæ postea secuta sunt, pristinis virtutibus aliquam dedecoris notam inussisse, quemadmodum iis usu venire solet, qui rerum honestarum studio celerrime satiantur, porroque progredi non curant, vel etiam ad vitium omnino relabuntur. Non, inquam, hoc cuiquam dicere licet, verum et sibi et vitæ superioris vestigiis admodum institit : adeo ut inter se utraque bellissime conguerent, nempe et ea quæ sacerdotium præcesserant, cum his quæ in sacerdotio recte honesteque gessit; et ea quæ Episcopatum adeptus egit, cum his virtutibus quas ante eam dignitatem habuit : nec aliter exordiri deceat, quam quo modo ipse finivit, nec rursus in alium finem progredi, quam ut exorsus est. Enimvero sacræ præfecturæ munus nequaquam ipsi leviter temereque, ut nunc moribus receptum est, sed nonnullo interjecto temporis spatio delegatur : quo nimirum ad sui purgationem aliorum quoque purgandorum facultatem atque peritiam adjungeret : quemadmodum videlicet spiritualis ordinis lex exposcit.

Fit postea Sacerdos ac deinde Episcopus.

17 Postquam autem Episcopus institutus est, uberius gratia celebratur, ut re vera Dei gratia et non hominum, nec sicut est apud Ecclesiasten, Impetus quidam licentiosus, spiritusque destinata ratio. Nam cum silvosam et agrestem accepisset Ecclesiam, non ita pridem ab Episcopis gubernari solitam, sed quæ ab uno tantum ex antecessoribus suis exornata fuisset, viro ut eximiis atque Angelicis moribus prædito, ita simpliciori, quam sint qui hac tempestate populo præsunt, eoque etiam celerrime rebus humanis exempto perdiu neglectam, et, quia nullius Antistitis cura excolebatur, desertam, et in vepres redactam : eam, inquam, cum talem accepisset, primum ferinos hominum mores haud magno negotio mitigavit, tum pastoralis artis sermonibus, tum etiam quod se velut spiritualem quamdam statuam ad excellentissimæ cujusque actionis pulchritudinem expolitam ad imitandum proponeret.

Suos verbo et exemplo excolit.

18 Deinde in sacrarum Litterarum meditatione summa animi contentione versatus, quamvis serius ad hujusmodi studia sese contulisset, tantum eruditionis brevi collegit, ut nec aliis in rebus quoquam eorum, qui Theologiæ causa plurimum laboris exhauserunt, inferior esset; ac præterea singulare hoc a Deo beneficium acciperet, ut orthodoxæ fidei pater et magister existeret, non ut ætatis nostræ sapientibus mos est, pro temporum ratione varie se inflectens; nec fidei doctrinæque nostræ patrocinium ambigue

Egregie eruditus.

Exod. 3.

bigue ac veteratorie suscipiens, ut solent qui minus firmas fidei radices egerunt, aut veritatem cauponum ritu adulterant : quin potius et eruditos pietate et pios eruditionis laude antecellens, aut, ut rectius loquar, ita secundas doctrinæ ferens, ut pietatis primas obineret. Unum quippe Deum in Trinitate adorandum, tria autem in unam divinitatem collecta credebat : nec aut unum asserendo Sabellii dogma fovebat, nec tria profitendo partes Arii tuebatur, nempe vel divinitatem impie contrahens ac resolvens, vel eamdem magnitudinis aut naturæ diversitate conscindens. Ubi enim sublimius unumquodque est, quam ut ingenio nostro cogitationeque comprehendi queat, quonam tandem hic modo id quod præcellit, vel mente percipi poterit, vel doceri? Quænam porro immensæ rei dimetiendæ ratio futura est, ut quod rebus finitis convenit, divinitati quoque accidat, superioribusque et inferioribus gradibus definiatur? Hæc secum animo considerans magnus ille homo Dei, vereque Theologus ac de his rebus a Spiritu sancto impulsus et instinctus, hoc (quid enim dicendum est?) effecit, ut nova Hierusalem, ac secunda quædam Arca super aquas delata, quemadmodum ea magni illius Noe, secundique hujus mundi parentis hæc Ecclesia diceretur : quippe quæ in illa animarum illuvie, quæ tum omnia passim obruebat, atque importunis hæreticorum insultibus sublimis et incolumis enataret, quantoque aliis numero cedebat, tanto iisdem splendore et gloria superior esset; idemque ipsi accideret, quod Bethleem accidisse videmus, quam nulla res prohibuit, quo minus et parva civitas esset, et totius terræ metropolis, utpote Christi orbis conditoris victorisque parentem atque nutricem. Id quod hac demum conjectura facile colligetur.

Semper de fide recte sentiens.

Hæreticis resistit.

Genes. 6.

Mich. 5. Matth. 2.

19 Nam quo tempore a ferventiore Ecclesiæ parte ob eam causam seditio in nos excitata est, quod litteris quibusdam subdolisque verbis in pravam societatem furtim pertracti fuissemus, solis illæsum cor habere, nec animam simul cum atramento fœdasse, nigroreque affecisse creditus est, tametsi per animi simplicitatem abreptus fuisset, dolumque homo doli expers minime vitavisset. Quin etiam solus, aut certe primus eos, qui a nobis ob pietatis zelum dissidebant, et sibi et ceteris reconciliavit, postremos a nobis separatos et primos reversos, tum ob ipsius reverentiam, tum ob dogmatis puritatem. Ita gravis Ecclesiarum jactatio tempestasque sedata est, ac procella in auram redacta orationibus consiliisque illius (liceat enim audacter dicere) fracta atque sublata, nobis interim et pietatis sociis et actionis. Qui cum in omni honesto negotio eum adjuvaremus, ac velut cursim assectaremur; tum hic quoque Dei beneficio multo maximam laboris studiique partem impendimus.

Dissensiones Ecclesiarum sedat.

Multis virtutibus clarus.

20 Verum hic sermo paulum ordinem suum antegressus hoc loco conquiescat. Quis autem tot illius virtutes aut enumerando recensere, aut multa præterire cupiens, quod prætermittendum sit, facile reperire queat? Ut enim quidque animum subit, ita præstantius iis, quæ prius effluxerunt, esse videtur, illudque complector, magisque ancipitis sum animi, quid mihi sit omittendum, quam alii, qui in eodem orationis genere versantur, quid dicere debeant. Ita fit, ut mihi copia quodammodo in detrimentum ac penuriam cedat, mensque ipsa exploretur, dum illius laudes expendere et explorare conatur, nec superiorem inter pares invenire potest. Nam quod in tranquillis undis evenire cernimus, ut cum injectus calculus centrum effecerit, alius atque alius subinde circulus excitetur, continenterque in superficiem agitatus externum circulum semper dissolvat; id mihi plane hic quoque accidit. Aliud enim in mentem venit, aliud supervenit, aliud dilabitur, atque in electione plurimum negotii molestiæque habeo, quod ea quæ prius arripui, aliis postea in animum influentibus sese subducant.

21 Quis enim illo in negotiis administrandis diligentior? Quis in rebus domesticis sapientior, quandoquidem ipsi et domum et opes mediocres Deus, qui omnia præclare varieque dispensat, impertiit? Quis pauperibus, hoc est naturæ pari honore præditæ contemptissimæ parti, vel animo condolentior, vel manu liberalior ac munificentior? Sic enim haud dubie quasi alienorum bonorum procurator de bonis suis existimabat, pauperum inopiam, quantum poterat, sublevans, nec superflua dumtaxat, sed necessaria quoque in eam rem insumens (id quod hominis amicissime erga pauperes affecti clarissimum est argumentum) partemque dans non septem dumtaxat, sicut Salomonis lex ferebat, sed ne octavo quidem accedente sordidi tamen præparcique animi specimen ullum edens, verum libentius sua profundens, quam alii amplificent, vinculum et electionem tollens, hoc est, ut quidem interpretor, illiberalitatem, atque ejus qui stipem accepturus est, explorationem; sitne videlicet ea dignus, an indignus, nec murmuris verbum cum largitione conjungens. Quo vitio plerique laborant, qui quamvis largiantur, nequaquam tamen prompte et libenter tribuunt : quod quidem erogatione ipsa majus est et excellentius. Multo enim præstat ob eos, qui opem merentur, immerentibus quoque porrigere; quam dum metuimus ne in indignos beneficium conferamus, dignis etiam misericordiæ officia denegare. Atque eo pertinere videtur, quod Scriptura inquit, panem in aquam quoque mittendum esse : utpote nec defluxurum nec periturum apud justum harum rerum ponderatorem, sed eo perventurum, ubi omnia nostra collocabuntur, ac tempestive occurrent, utcumque aliter existimemus.

In omnibus providus.

Liberalis in pauperes.

Eccles. II. v. 2.

Promptus in danda eleemosyna.

Eccles. II. v. 1.

22 Quodque maximum et pulcherrimum censendum est, ad illius liberalitatem mirus gloriæ contemptus accedebat. Nam quamvis opes largiendique promptitudinem cum uxore communem haberet, quippe cum qua de præclarissima virtute contenderet; largiendi tamen curam ipsi ut optimæ et fidelissimæ hujusmodi rerum dispensatrici magna ex parte relinquebat. Quam autem mulierem dico? Quæ tanto tamque immodico largiendi amore flagrabat, ut ne Atlanticum quidem pelagus, aut si quid aliud maximum est, ad exhauriendum sufficere potuisset : quæ Salomonis sanguisugam in contrarium æmulata est, inexplebili boni cupiditate insaturabilem ad malum aviditatem vincens, tamque ad bene de omnibus merendum prompta et alacris, ut nulla hujus rei satietate affici posset : quæ denique non opes solum omnes, quas vel primum habuit, vel postea consecuta est, cupiditate sua minores existimabat; sed se quoque ipsam, si fieri potuisset, et liberos, ut ex ipsa sæpe audivi, prompte ac lubenter vendidisset, ut in pauperum usus insumerentur. Huic totas largitionis habenas ille permiserat. Quæ res mea quidem sententia præstantior est, quam ut hujus exemplum proferri possit.

Distributionem eleemosynarum uxori relinquit, liberali in pauperes.

Prov. 30. v. 15.

23 Nam qui in pecuniis liberales extiterint, alios quoque facile reperire est, sive eas spectes, quæ in publicas et urbicas magnificentias perdite effunduntur; sive quæ Deo per pauperes fœnori dantur, solæque iis qui eas expendunt, reconduntur. Atqui nullam ex ea re hominum famam gloriámque captarit, haud ita facile reperiemus. Permulti siquidem ad impensas prompto animo faciendas sola honoris cupiditate ducuntur. Ubi autem largitio arbitris caret, ibi quoque largiendi languescit alacritas. Atque hæc fuit illius beneficientia : pluraque etiam his ut vobis comperta relinquemus : adeo ut si quid hujusmodi de nobis commemoretur, ex eo fonte dimanet, illiusque profluvii pars sit. Jam vero quis umquam cum majori Dei favore vel homines sacrario obtulit, vel ob in-

In ea re gloriam fugit.

Honoris Dei,

PER GREGOR. FIL. *justitiæ et virtutum ceterarum studiosus.*

jurias ipsis factas zelo exarsit, aut sacram mensam profanis injecto pavore repurgavit? Quis tanta sententiæ integritate atque constantia parique justitiæ statera, vel causam disceptavit, vel scelus odio habuit, vel honore virtutem prosecutus est, vel optimos viros ceteris antetulit? Quis aut pari facilitate peccantibus ignovit, aut cum recte currentibus cursum iniit? Quis cum utrumque tempus et virgæ et baculi perspectum haberet, baculo tamen magis est usus? Cujus porro oculi magis ad fideles terræ, cum alios omnes, tum præsertim eos, qui in solitaria et cælibe vita terram terræque commoda contempserunt, ac Deo vivunt?

Vere humilis.

24 Jam quis aut fastum magis coercuit, aut animi humilitatem amavit, idque non ficte ac superficiarie, quemadmodum plerique ex his, qui nunc sapientiæ studium præ se ferunt, atque in speciem belli sunt et elegantes, stultissimis utique mulierculis haud dissimiles, quæ nativa pulchritudine carentes, ad colores confugiunt, theatriceque, ut sic loquar, comptæ atque ornatæ sunt, ob venustatem invenustæ, atque ob fœditatem deformiores. Non enim illi in veste, sed in animi constitutione humilitas sita erat, nec cervicis depressio aut vox ad exilitatem composita, aut faciei nutus, aut promissa barba, aut oblonga cæsaries, aut certus incedendi modus humilitatem mentiebatur (quæ ut ad breve quoddam tempus effingi possunt, ita quam celerrime coarguuntur : nihil enim simulatum constans est et durabile). Quin potius idem et vita maxime sublimis et animo perquam humilis erat : cujusque ad virtutem nemo aspirare poterat, ad ejusdem congressum quivis perfacilem aditum habebat. Quique ab aliis vestitus ratione non differebat, a fastu scilicet ac sordibus æque abhorrens, idem interno splendore multos antecellebat. Et cum ventris morbum aviditatemque inexplebilem comprimeret ac domaret, ita tamen in ea re se gerebat, ut hoc minime agere videretur : alterum ut se purgaret, alterum ne animo efferretur, instituti novitate gloriam aucupans. Etenim hominis esse arbitrabatur civilem vitam amplectentis, dicta, factaque sua omnia huc referre, ut nominis splendorem apud exteros assequatur, quippe qui hac præsenti vita nihil beatius esse ducat : spiritualis autem et Christiani ad unam tantum salutem conjectos oculos habere, atque ea, quæ ad eam spectant, plæclara existimare, quæ vero ad eam nihil afferunt adjumenti, ut vilia nulliusque pretii aspernari : ob eamque causam partem eam sui, quæ aspectu sentitur, pro nihilo putare, atque in eo uno elaborare, ut pars interna quam bellissime valeat : eaque plurimi æstimare, ex quibus et ipse quam optimus futurus sit, et alios exemplo suo ad optima quæque pertrahat.

Animi candore et innocentia maxime excellit.

25 Sed nulla in eo præstantior magisque propria, ac ne multitudini quidem ignota virtus fuit, quam simplicitas animæque candor et injuriarum oblivio. Namque ex vetustiore simul ac recentiore hominum memoria, alii quidem alia virtute, prout gratiam aliquam Dei beneficio consecuti sunt, floruisse creduntur. Job invicta in calamitatibus patientia, Moses et David clementia, Samuel oraculorum editione rerumque futurarum prospicientia, Phinees zelo, a quo etiam nominatur, Petrus et Paulus promulgandi
Marci 3. v. 17. Evangelii acrimonia et contentione, filii Zebedæi grandiloquentia, unde et filii tonitrui cognominati sunt (et quid ceteros enumerare necesse est, cum ad vos, qui eos nostis, orationem habeam?) at Stephanum patremque meum nulla res perinde nobiles et illustres reddit, atque animi simplicitas et innocentia. Ille siquidem ne in extremo quidem vitæ periculo eos, a quibus impetebatur, oderat, sed cum lapidibus obrueretur, pro lapidantibus preces fundebat, ut Chri-
Act. 7. v. 59. sti discipulum decebat, cujus causa cruciatus quoque ipse præclarior illi erat, quam mors ipsa, quippe qui Christo lenitatis patientiæque fructum offerret. Hic vero nullum temporis momentum inter objurgationem offensæque condonationem fluere patiebatur : adeo ut ignoscendi celeritas dolorem quoque ipsum pene anteverteret, atque surriperet. Ac nos quidem

Facile injurias condonat.

iræ divinæ fæcem quamdam esse ex Scriptura sacra Psal. 74. 9. audimus et credimus, hoc est reliquias iræ adversus impios et sceleratos homines incitatæ : quandoquidem Dominus ultionum est Deus. Quamvis enim pro sua Psal. 93. clementia ex asperitate in gratiam inclinet, non tamen peccantibus omnino parcit, ne benignitate atque ignoscendi facilitate deteriores fiant. At pater iis a quibus lacessitus esset, nihil reservabat, vir alioqui ab iracundiæ vulneribus non prorsus immunis, ac præsertim in rebus spiritualibus, in quibus a zelo vincebatur : paratus tamen armatusque, si res ita tulisset, atque adversus dolorem acerbitatemque animi, tamquam adversus hostem, multo ante instructus et expeditus. Sic enim ne sexcenti quidem homines, ut dici solet, eum emovissent. Quin dulcis quoque hic illius animi motus erat. Nam nec illius furor erat secundum similitudinem serpentis animum occulte succendens, atque ad ulciscendum paratus, et ex prima commotione ad iram vindicandæque injuriæ cupiditatem prorumpens, verum apis aculeo similis, qui ita pungit, ut mortem non afferat : ac rursus humanitas et clementia tanta, quanta vix ab homine postulanda videtur. Rotas et flagra sæpe minabatur, ac præsto erant, qui hæc proferrent : tandem tamen vel in aurium compressionem, vel in maxillarum sugillationem, vel denique pugni in genam impactionem periculum desinebat. Sic minæ solvebantur. Vestes et calceamenta detrahebantur, atque humi stratus jacebat, qui facinus aliquod perpetrarat, confestim ab eo qui peccaverat, in eum, qui irascenti impigre observierat, ut malorum ministrum ira se convertebat. Quanam vero ratione clementior quisquam benigniorque videri potuisset, digniorque qui Christo dona offerret? Plerumque enim vix commoveri cœperat, cum eum, a quo commotus fuerat, statim excusabat, illius peccatis non secus ac propriis erubescens. Ros Solem potius matutinos radios diffundentem sustinuisset, quam ut ullæ iracundiæ reliquiæ in ipsius animo remanerent. Simul enim atque loquebatur, protinus ira cum verbis abscedebat, solum recti amorem velut aculeum quemdam infixum relinquens, nec tardius umquam Sole occumbens, aut iram, quæ prudentibus etiam viris exitium affert, producens, aut aliquam fœditatis suæ notam corpori imprimens : utpote cui in ipsa quoque jactatione atque perturbatione sua constaret serenitas. Ac proinde ipsi (res mira atque ab humanis sensibus aliena) contingebat, non ut solus objurgator esset, sed ut solus iis etiam, quibus succensebat, et amori et admirationi esset : quod videlicet in eo comitas objurgationis acrimoniam vinceret. Ac profecto a viro justo castigari præstat, quam ungi ab improbo. Illius enim asperitas etiam ipsa propter utilitatem suavis est : hujus contra ob morum perversitatem benignitas quoque suspecta.

Zelosus alioqui in spiritualibus et iracundus; sed facile placabilis, et levius puniens.

Mansuetus et clemens.

26 Quamquam autem animo ita constitutus esset, morumque divina quadam simplicitate præditus, petulantibus tamen hominibus et contumeliosis ob pietatem terrori erat : imo, ut rectius loquar, nulla eos res alia male mulctabat, quam contempta simplicitas. Non enim fieri poterat, ut cuiquam bene vel male precaretur, quin ei statim vel diuturnum aliquod bonum, vel brevem molestiam afferret. Alterum enim ab intimo corde proficiscebatur : alterum ab extremis tantum labiis manabat, ac paternæ cujusdam objurgationis rationem habebat. Quin etiam multis eorum, a quibus offensus fuerat, ne tardior quidem ac pedisequa, ut poetico verbo utar, vis illa ultrix occurrit : sed in ipso iræ articulo percussi sunt, resipuerunt, ad eum accesserunt, ad genua acciderunt, veniam impetrarunt,

impetrarunt, honeste victi discesserunt, atque tum castigatione tum culpæ condonatione meliores facti sunt. Nam sæpenumero magni ad salutem momenti est ignoscendi facilitas, eum qui injuriam intulit, pudore coercens, atque a metu ad amorem et benevolentiam, multo tutiorem certioremque traducens. Castigati porro sunt, alii a bobus jugo vexatis, et, quod numquam antea ipsis acciderat, repente incursantibus excussi atque disjecti, alii ab equis mansuetissimis etiam obedientissimisque jactati et proculcati, alii intolerandis febribus perpetratique facinoris imaginatione correpti, alii aliis modis eruditi, atque ex his quæ perpessi fuerant, obedientiam edocti.

Asperitatem simplicitate temperat.

27 Sed fuerit sane tanta tamque illustri humanitate et clementia: industria tamen eaque virtute, quæ in rebus gerendis versatur, cuiquam alii decebat? Minime. Verum idem et lenis ac placidus erat, ut si quis umquam; et in agendo peræque strenuus. Nam cum hæ duæ res fere inter se pugnent et adversentur, simplicitas nimirum et asperitas, alteraque mansuetudinem cum inertia conjunctam habeat, altera rebus quidem agendis apta sit, verum humanitate careat: ille utrumque mirifice complexus est, ut et tamquam asper et vehemens rerum actionibus incumberet cum mansuetudine: et tamquam a rebus gerendis alienus, se submitteret cum industria: idque et in præfecturæ munere et loquendi libertate, et in

Matthæi 10. v. 16.

omni genere gubernationis. Sic enim serpentis circa malum prudentiam cum columbæ circa bonum simplicitate commiscuit, ut nec prudentiam in malitiam, nec simplicitatem in stoliditatem degenerare sineret: sed ex ambabus, quoad ejus fieri poterat, unam virtutis speciem efficeret numeris omnibus absolutam.

Miraculis claret.

28 Hunc igitur virtute tali præditum, ita in Episcopatus munere versatum, atque ejusmodi gloriam apud omnes adeptum, quid mirum signis quoque, quibus Deus pietatem confirmat, dignum habitum fuisse? Horum porro miraculorum quæ in eo patrata sunt, hoc unum est. Morbo laborabat, ac male affecto erat corpore. Quid autem mirandum, si pii quoque viri calamitatibus vexentur, sive ad exigui limi purgationem, sive ad virtutis explorationem experimentumque patientiæ, sive denique ad imbecillorum eruditionem, qui in illis fortiter adversa perferre condiscunt, afflictionibusque minime frangi ac debilitari? Morbo igitur laborabat, et quidem tum, cum sanctum et nobile Pascha, diem, inquam, illum dierum Regem, noctemque luculentam peccati tenebras discutientem, qua nos cum copioso lumine salutis nostræ festum agitamus, quique cum luce propter nos extincta mortificati eramus, iidem ea resurgente simul excitamur.

Ægrotat.

Hoc tempore morbus urgebat. Is autem, ut breve faciam, talis erat. Febris quædam ardens et peracerba internas omnes corporis partes exurebat, vires collapsæ erant, nihil stomachus appetebat, somnus excesserat, quo se verteret nesciebat, ac deficiente arteriarum pulsu subinde concidebat. Jam oris interiora atque adeo palatum ipsum, et quidquid eo superius pendet, tot tamque continuis tetrisque ulceribus scatebant, ut ne aquæ quidem facilis et periculo vacuus meatus esset. Nec vero aut medicorum artes, aut amicorum ac necessariorum quamlibet assiduæ preces, aut ulla cura ac medela morbo depellendo par esse poterat. Atque hic eo valetudinis statu erat, parvos quosdam ac deploratos spiritus ducens, ac ne præsentes quidem agnoscens, totusque in peregrinationem incumbens, resque jam pridem expetitas ipsique præparatas. Nos vero in æde sacra Sacerdotes simul et supplices eramus (desperatis videlicet omnibus aliis remediis ad magnum Medicum, et noctis

In morbis desperatis ad Deum et preces recurrendum.

illius potentiam tamquam ad extremam opem auxiliumque confugientes) quid dicam? festumne ut ageremus, an ut lamentaremur? dieine solemnitatem ut lætis animis celebraremus, an ut illum velut jam e vivorum numero sublatum funereis honoribus ornaremus? Quas tum lacrymas universus populus profudit! Quas voces et clamores! quos hymnos Psalmorum decantationi admiscuit! A sacra domo sacrificium, a mysterio mysteriorum arbitrum et antistitem, a Deo dignum adstitem requirebat: idque præcinente mea Maria tympanumque non triumphale, sed supplex pulsante, ac tum primum frontem præ dolore perfricante, populique simul ac Dei fidem cum clamoribus implorante (illius, ut dolentis vicem doleret, lacrymisque insuper obnixe contenderet; hujus, ut precantes exaudiret) ipsumque adeo miraculorum omnium (ingenium enim acuit dolor) submonente. Quid hic igitur noctis illius, et jacentis ægroti Deus facit? Mihi ad eorum quæ sequuntur narrationem progredienti cohorrescere subit: ac vos etiam cohorrescatis, velim: nec tamen fidem orationi detrahatis: neque enim fas est, et nobis, et de illo verba facientibus fidem abrogare.

PER GREGOR. FIL.

Exod. 15.

Populo orante, mirabiliter ex morbo desperato convalescit.

29 Mysterii tempus aderat, et religiosa et venerandæ statio, commodoque ordine collocata multitudo, sacris quæ peragebantur, cum silentio acquiescens, cum ille ab eo, qui mortuos ad vitam revocat, et a nocte sacrosancta excitatur. Primum ægre ac paulum se movet, deinde firmius: mox perexili et obscura voce famulum quemdam ex his qui domi manserant, nominatim accitum præsto esse, vestem dextramque porrigere jubet. Quo prompte et cum stupore obsequente, ipse manu tamquam scipione nixus Mosem

Exod. 17.

illum in monte precantem imitatur, languidisque manibus ad orationem compositis vel cum populo vel ante populum mysteria celebrat, paucis quidem atque infirmis, quibusque poterat, verbis: ceterum mente, ut mihi videtur, integerrima (rem miram) sine sacrario in sacrario, sine altari sacrificus, Sacerdos procul a mysteriis remotus. Atque hæc illi Spiritus sancti munere contingebant, ipsi quidem cognita, ceterum a præsentibus haudquaquam animadversa. Postea Deo pro beneficiis erga homines collatis gratam orationem, ut moris est, subjunxit, populoque bene precatus, in lectulum rursus se conjicit, cumque nonnihil cibi admisisset, somnoque se dedisset, animo recreatur, auctaque paulatim sanitate, cum novus ille solemnitatis dies (ita enim Dominicam eam appellamus, quæ resurrectionis Dominicam prima excipit) advenisset, in templum se confert, ac cum omnibus Ecclesiæ copiis salutis Encænia celebrat, ac pro restituta valetudine gratiarum sacrificium offert. Quæ quidem

4. Reg. 20.

res miraculo illo quod in Ezechia editum est, meo quidem judicio nequaquam inferior haberi debet: quem in morbum lapsum et deprecantem vitæ accessione et incremento Deus honoravit: idque per retroactam (ut ipsemet qui salutem accepit, precibus contenderat) graduum umbram indicavit, simul gratia ac miraculo Regem ornans, et diei augmento dierum augmentum confirmans.

Mater S. Nazianzeni a periculoso morbo convalescit.

30 Idem miraculum circa matrem aliquanto post contigit, quod etiam ipsum commemorare operæ pretium est, ut et eam honore, si qua umquam alia, dignam honoremus; et patri hac narrationis societate rem gratam faciamus. Hanc quoque morbus invadit, fortem alioqui feminam et generosam, atque omni vitæ tempore commoda valetudine usam. In multis autem doloribus, ne sermonem longius producam, nihil eam perinde discruciabat, atque inedia, qua multos jam dies periculose afflictabatur, neque hujus mali remedium ullum inveniebat. Quonam igitur modo eam Deus aluit? Non manna pluens, ut olim Israeli; aut petram frangens, ut sitienti populo fontem aperiret; aut per corvos pascens, ut illum Eliam; aut per Prophetam in sublime raptum satians, ut Danielem antea, cum fame in lacu vexaretur. Quonam ergo modo? Visum est ipsi me, quem charissimum habebat (neque enim quemquam alium nostrum

ne

PER GREGOR. FIL. *Nazianzenus matri præ ceteris carus.*

ne in somnis quidem mihi præferebat) noctu repente supervenientem cum canistro candidissimisque panibus pro meo more benedictis atque signatis eam aluisse, sicque convaluisse, viresque collegisse. Ac nocturnæ visioni veritas respondebat. Ab eo enim tempore ad se rediit, spemque meliorem concepit, quemadmodum dilucido et perspicuo argumento declaratum est. Nam cum postero die ad eam matutino ingressus, primum solito hilariorem vidissem, deinde hæc consueta: Ut se noctu habuisset, ecqua re opus haberet, percunctatus essem; Tu me, respondit illa sane incunctanter et tranquillo vultu, nate nutrivisti, ac postea rogas ecquid valeo? Simulque nutu mihi ancillæ significabant, ne contradicerem, sed prompte responsum hoc acciperem: ne patefacta rei veritate mœrore frangeretur.

Parentum precibus naufragium evadit Nazianzenus, nondum baptizatus.

31 Unum adhuc utrique commune adjungam. Cum Alexandria per mare Parthenicum in Græciam navigarem (navigabam autem intempestiva prorsus anni parte animo ita perpellente, in navi Æginæa, nam id me vel maxime impulit, quod in nautas mihi familiares incidissem) cum, inquam, navigarem, paulumque processissemus, tam atrox tempestas exorta est, ut non multas pares meminissent, qui mecum vehebantur. Hic omnibus mortis timore perculsis, ipse animæ mortem gravius pertimescebam. In periculum enim miser veneram, ne baptismo non initiatus e vita discederem; spiritualem aquam inter exitiosas et mortiferas undas desiderans. Ac proinde clamabam, obsecrabam, spatium quoddam temporis expetebam: conclamabant etiam in communi licet vitæ discrimine qui simul navigabant, et quidem gravius, quam quidam e familiaribus meis ac necessariis, benigni videlicet hospites et humanitate præditi, atque ex periculis hoc doctrinæ assecuti, ut aliorum calamitate moverentur. In hoc malo, quo tum eram, parentes quoque versabantur, per noctis visum in periculi partem venientes, atque e terra opem ferebant, vim fluctuum precibus velut excantantes: quemadmodum postea subducta temporis ratione domum reversi cognovimus. Quod etiam nobis salutaris somnus indicavit, cum tandem aliquando eum remittente nonnihil tempestate cepissemus. Furiam mihi tenere videbar, truculentum quiddam intuentem, periculumque minitantem: hanc enim nobis perspicue depictam nox proponebat. Alius ex vectoribus (puer is erat mei studiosissimus et amantissimus, meaque causa vehementer anxius) cum eo statu essem, matrem meam sibi videre videbatur, quæ mare ingressa navim prehensam haud magno labore ad terram pertraheret: fidemque faciebat hæc visio. Tranquillabatur enim mare: statimque citra magnam vexationem Rhodum appulimus. Hujus ipsi periculi donum extitimus. Ut enim nos Deo vovimus, si discrimen effugeremus, ita periculo defuncti nosmetipsos obtulimus.

Mater nautæ in somnis apparet navim ad terram pertrahens.

Vovet se Deo in periculo Nazianzenus.

32 Ac de his quæ utrique communia sunt, hæc nobis dicta sint. Mirari autem jampridem quosdam eorum arbitror, quibus illius vita perspecta est et explorata, quid sit, cur cum in his rebus ita immorati simus, ac si sola hæc argumenta laudis haberemus; turbulentorum tamen temporum, quibus eum velut instructa acie sese opposuisse constat, mentionem facere distulerimus: tamquam ea vel incognita habeamus, vel non ita magna et præclara ducamus. Agedum igitur hæc quoque superioribus adjiciamus. Tulit nostra ætas primum, et, ut opinor, postremum malum Imperatorem, Dei mentisque desertorem. Hic parum amplum esse arbitratus Persas imperio suo subjicere, magnum vero et gloriosum Christianos in potestatem redigere, simulque dæmonibus, a quibus ducebatur, ita suadentibus, nullum genus impietatis prætermittebat, nunc alliciendo, nunc comminando, nunc fallendo, nec callidis solum artibus, sed vi etiam homines ad se pertrahendo. Nec tamen ejus ita obscura esse consilia poterant, quin satis omnes animadverterent eum versutis consiliis persecutionem tegere: nec rursus apertam vim intentabat: quo alterutro saltem modo caperemur, vel fraude circumventi, vel per vim expugnati. Hunc porro qui magis aut contempserit aut oppresserit, ecquis tandem reperietur? Ac contemptionis quidem cum multa alia signa proferri queunt, tum argumento etiam esse possunt sagittarii illi, eorumque præfectus, quos in Ecclesias nostras immiserat, ut eas vel voluntate sibi adjungeret, vel armis subigeret. Nam cum plerisque aliis oppugnatis huc quoque cum eadem animi ferocia venisset, ac pro imperio et potestate templum sibi dedi jussisset, tantum abfuit, ut quidpiam eorum quæ cupiebat, perficeret, ut nisi patri meo vel suopte consilio vel cujusdam admonitu protinus cessisset, calcibus etiam cæsus discessurus fuerit. Ita in illum furore et zelo templi Sacerdos æstuabat. Pestem autem et exitium qua tandem ratione quispiam illi magis conflasse videri queat, quam et publice conjunctis totius populi votis et orationibus impium fundens ac profligans, ac ne temporis quidem turbinem reformidans, et privatim nocturnam adversus eum aciem opponens, hoc est humi cubitatione seniles et roscidas carnes conficiens, et lacrymarum fonte pavimentum proluens, in annum etiam ferme integrum, idque eo solum, cui res occultæ perspectæ sunt, arbitro faciens, ac propter pietatem ab ostentatione, sicut jam diximus, alienam, sedulo adnitens, ut nos res ea lateret. Atque omnino latuisset, nisi ipse aliquando ex improviso cubiculum ingressus, humilisque decubitus signa conspicatus, atque ex quodam ipsius famulo quidnam hoc esset percontatus, noctis arcanum intellexissem.

Ejus militibus fortiter resistit Gregorius pater.

Orationes et pœnitentias contra eum suscipit.

33 Alteram ejusdem temporis ejusdemque fortitudinis narrationem accipite. Cæsareæ cives de Archiepiscopi creatione factiose inter se contendebant (nam alter clanculum se abduxerat, alter requirebatur) acrisque seditio erat, compressuque atque sublatu nequaquam facilis. Præter id enim, quod in hac re, præsertim ob fidei fervorem, natura sua ad tumultus excitandos proclivis est ea civitas; cathedræ insuper illius splendor et gloria contentionis acrioris causam afferebat. Atque hoc statu res erat, ac nonnulli Episcopi aderant Archiepiscopum electuri. Sed cum in plures sententias popularis multitudo distraheretur, aliique alium proponerent (quemadmodum in hujusmodi negotiis fieri consuevit, prout quisque vel cujuspiam benevolentia, vel Dei pietate movebatur) tandem plebs tota uno consensu primarii ordinis virum unum, eximia illum quidem vitæ probitate præditum, nondum tamen divino Baptismo consignatum, invitum et repugnantem corripientes, simulque militaribus copiis, quæ tum in urbem venerant, opem afferentibus, in sublimi Sede collocarunt, Episcopisque obtulerunt, ab iisque petere institerunt, ut eum salutari aqua tingerent, atque Archiepiscopum nominarent, suasioni interim vim admiscentes, non id quidem admodum graviter et modeste, admodum tamen pie atque ardenter. Nec enim cujusquam virtus aut pietas oblata occasione clarius emicuit. Sed tum quid factum est, quoque progressus est tumultus? Coacti sunt, rore purifico hominem perfuderunt, Antistitem pronuntiarunt, in throno collocarunt, manibus tamen potius quam voluntate sinceroque animi affectu, sicut postea declaratum est. Ut enim volentes lubentesque discesserunt, ac quæ vellent, libere decernere potuerunt, consilium inter se ineunt, haud scio an spirituale, sed ineunt tamen, atque omnia quæ gesta fuerant, abrogare statuunt, eamque institutionem, ut minus legitime factam pro irrita habere; vim ei, cui non minor vis illata fuerat, objicientes, ac sermones quosdam petulanter magis quam sapienter eo tempore jactatos urgentes. At magnus Episcopus noster, æquusque rerum æstimator, nec cum iis, qui hujusmodi

Cæsarea ad tumultus proclivis.

Eusebius nondum baptizatus eligitur Cæsareensis Episcopus invitus.

Electionem retractant Episcopi.

Julianus apostata Christianos persequitur.

hujusmodi consilium inibant, abductus est, nec eorum sententiam comprobavit: sed constans atque invictus permansit, haud minus quam si nullam omnino vim perpessus fuisset. Nam cum utrisque vis allata fuisset, vel vicissim accusandos eos esse dicebat, si ipsum accusarent, vel culpa solvendos, si ipsum culpa solverent, vel, quod justius erat, ne absolvendos quidem, tametsi ipse crimine solveretur. Si enim ipsis venia deberetur, utique et illi: sin illi nullo modo parcendum esset, multo iis minus delicti veniam esse sperandam. Longe enim ipsis honestius tum futurum fuisse periculum subire, atque omni ratione obsistere, quam insidias postea moliri: eo præsertim tempore, quo veteres inimicitiæ potius essent deponendæ, quam novæ excogitandæ. Sic enim se res habebat. Aderat quippe Imperator adversus Christianos fremens, atque hanc electionem irato infestoque animo ferens, gravesque in eum, qui Archiepiscopus institutus fuerat, minæ jactabantur, atque in novaculæ acie sitæ res civitatis erant, ab eone die in rerum natura esse desineret, an servaretur, ac clementiæ humanitatisque nonnihil impetraret. Ad eum enim dolorem, quem ob Fortunam secundioris fortunæ tempore solutam eversamque capiebat, nova hæc atque insolens Præsulis electio accedebat, quam publici juris convulsionem atque oppressionem interpretabatur. Quin ipse quoque provinciæ Præfectus rationes conquirebat, quibus temporis atrocitati obsequi, et eum malo aliquo posset mulctare: ne erga eum quidem alioqui amice ac benevole affectus; sed, quia adversas in Repub. partes tuebatur, inimice atque infense. Quocirca eos a quibus electus fuerat, velut accusatores illius futuros per litteras accersebat, non jam leniter et remisse, sed minis etiam quibusdam additis, tamquam hoc Imperator flagitaret.

Obsistit iis Gregorius.

Julianus adversatur electo.

Præfectus provinciæ cupit rescindi electionem.

34 Cum igitur pater de ea re epistolam accepisset, sine ullo metu ac cunctatione ulla responsum hujusmodi dedit: ex quo animadvertere licet, quæ in eo animi libertas fuerit, quove spiritu acta. Nos, inquit optime Præfecte, rerum omnium quæ geruntur, censorem unum ac Regem habemus, qui nunc armis oppugnatur. Is et præsentem electionem expendet, quam nos rite ac legitime, atque ex ipsius voluntate fecimus. Vobis autem tametsi vim afferre, si ita tulerit animus, in proclivi sit; id tamen numquam extorquebitis, quin ea quæ facta sunt, ut recte justeque facta patrocinio nostro defendamus: nisi hanc vobis legem promulgare libeat, quibus ne limis quidem oculis res nostras aspicere fas est. Hanc epistolam Præfectus ipse, tametsi ad breve aliquod tempus stomachatus, mirifice suspexit: quemadmodum ex multis intellectum est, qui res illius perspectissimas habebant. Atque hoc et Imperatoris repressit impetum, et civitatem periculo, atque adeo nos dedecore atque infamia liberavit. Hoc civitatis exiguæ cathedræque summissioris Episcopus præstitit. An non autem principatum ita tenere multo melius ac præclarius est, quam e sublimioribus thronis declamare, ac rebus potius quam nominibus superiorem esse?

Gregorius magna libertate rescribit ad laicos ista non pertinere.

Reprimitur Imperator et Præfectus.

35 Jam quod in illius rebus gestis ordine quidem postremum, vi tamen et facultate primum et maximum, quis est tam ab orbe nostro remotus, ut nesciat? Rursus eadem civitas eamdem ob causam seditione laborabat, eo nimirum, qui honesta et egregia vi ad Episcopatum pertractus fuerat, celeri morte abrepto, atque ad Deum, cujus causa in persecutionibus fortiter strenueque decertarat, profecto. Atque ea seditio quanto acrior et ferventior, tanto etiam stultior et absurdior erat. Non enim obscurum erat, quis præcelleret (quemadmodum nec inter sidera Solis præstantia ignota est) sed perquam clarum ac perspicuum, cum aliis omnibus, tum eximiæ præsertim ac purissimæ populi parti, hoc est et sacris ministris, et nostris Nazaræis, quibus vel solis, vel potissimum illis electiones istas committi oportebat (sic enim numquam Ecclesiis male esset) ac non iis, qui opibus ac potentia florent, aut stultæ ac temerariæ plebi, plebisque adeo ipsius vilissimo et contemptissimo cuique. Nunc vero parum abest, quin civiles magistratus meliore ordine ac disciplina regi existimem, quam nostros, qui divinæ gratiæ ascribuntur; atque hujusmodi res melius timore quam ratione administrari. Nam nisi ita esset, quis modo sanæ atque integræ mentis te relicto ad alium se contulisset, divine vir et sacrosancte; te, inquam, in manibus Domini depicto, matrimonii experte, nihil possidente, carne propemodum et sanguine vacuo; te, inquam, doctrina et verbis post Verbum inter philosophos sapiente, inter mundanos cælesti, sodali, inquam, ac socio meo, dimidiaque (audacius hoc dicam) animæ meæ parte, ac mecum et vitæ et doctrinæ communione conjuncto. Vellem mihi te apud alios libera oratione describere liceret, ac non coram ista te præsente perpenderentur, necesse ut habeam quamplurima parce laudare, ne in assentationis suspicionem incurram. Verum ut eo, unde oratio digressa est, redeam. Spiritus quidem hominem suum norat (quidni enim nosset?) ceterum obsistebat invidia; quorum autem, dicere me pudet, atque utinam nec ex aliorum sermone, qui res nostras comica dicacitate sedulo insectantur, eorum nomen audire liceret.

De electione Basilii contentio.

36 Sed hæc, ut fluvii petras eas quas in medio fluxu offendunt, prætereamus, atque oblivione digna silentio tegamus: ad eaque quæ deinceps sequuntur, progrediamur. Probe sciebat vir spiritualis, quæ Spiritus erant: ob eamque causam demissos omnes et abjectos affectus submovendos esse judicabat, nec coitionibus anticipatisque opinionibus certandum, nec plus gratiæ, quam Deo tribuendum: sed unam tantum Ecclesiæ utilitatem communemque omnium salutem ob oculos ponendam. Ac proinde litteras scribebat, monebat, populum conciliabat, Sacerdotes cum alios tum eos qui sacro munere fungebantur, obtestabatur, decernebat, etiam tum absens suffragium ferebat, canicie fretus in alienis quasi in suis auctoritate utebatur. Denique quoniam electionem legitimam ac regularem esse oportebat, cum unus ex eorum numero, qui Pontificem nominarent, desideraretur, e lectulo se abstrahit, homo jam et senectute et morbo fractus, atque ad urbem in juvenili animi vigore contendit, vel potius emortuo corpore, ac paulum spirante defertur, magnificæ parentationis instar hanc sedulitatem sibi fore persuadens, etiam si quid ipsi humanitus accidisset. Atque hic quoque miraculum contigit, minime dubiam fidem faciens. Labore corroboratur, alacritate vegetatur, negotium administrat, ad conflictum se parat, in throno Archiepiscopum collocat, domumque tandem reducitur, non jam vehiculo tamquam sepulchro, sed tamquam arca divina usus.

Fortiter eam suadet Gregorius.

Ad eam æger advolat.

Convalescit.

37 Quo etiam in munere lenitatis illius, de cujus laude haud pridem verba facere desii, luculentius argumentum edit. Cum enim ipsius collegæ contentionis, in qua victi fuerant, ignominiam, senisque omnibus in rebus auctoritatem et principatum gravissime ferrent, ob idque ipsi infensi essent, conviciisque eum incesserent, eos quoque tolerantia sua fregit ac superavit, maximum auxilium sibi in animi facilitate et humanitate positum reperiens, atque in eo, quod maledictis lacessitus maledicta non regerebat. Quid enim grave esset, si cum rebus superior fuisset, lingua se vinci pateretur? Quamobrem sic eorum animos lenitate sua cepit, ascito præsertim in sententiæ suæ auxilium tempore, ut ira in admirationem conversa ad eum ipsi excusatum venirent, genibus advolverentur, pudore ob ea quæ prius admiserant suffunderentur, abjectisque odiis eo Patriarcha, Legislatore et judice uterentur.

Moritur Eusebius.

Mansuetudine iratos mitigat et sibi conciliat.

38 Haud disparis zeli ea illius contentio fuit, qua se hæreticis opposuit, cum impii cum Imperatoris copiis

Hæreticis se opponit.

PER GREGOR. FIL.

copiis suffulti expeditionem adversus nos susceperunt, ut nos quoque in potestatem accepturi aliisque adjuncturi, jam ferme omnibus in servitutem redactis. Nam hic quoque non parvo nobis adjumento fuit, tum per se ipse, tum per nos etiam fortasse, quos velut non ignavos ac degeneres catulos in illos tamquam in sævissimas bestias immittebat, ad pietatem nimirum exercens. Unum habeo quod utrique succenseam (ac peto a vobis ne meam hanc dicendi libertatem ægre molesteque feratis : expromam enim animi dolorem, etiamsi gravis hic sermo futurus sit) quod me hujus vitæ malis offensum, ac solitudinem adamantem, ut haud scio an quisquam nostri sæculi, communemque hunc turbinem et pulverem omni celeritate vitare, salutemque meam in tuto collocare obnixo studio contendentem, nescio quo modo in hoc permolestum et insidiosum animarum forum per speciosum Sacerdotii nomen intulistis. Qua ex re multas calamitates partim jam subii, partim expecto. Nam qui mali aliquid jam perpessus est, vix induci potest, ut sibi melius aliquando fore speret, etiam si aliud persuadeat ratio meliora suggerens.

Filium Sasimensi Ecclesiæ præficit.

39 Sed ne illud quidem præterierim, quod cum in omnibus rebus fortem et tolerantem animum sublimioremque, quam ut corporis integumento cederet, præstitisset : tum vero postremo morbo, qui eum simul cum senectute adoriebatur, eoque diuturno et periculoso laborans, illud quidem cum aliis hominibus commune habuit, quod ægrotaret, hoc autem non ita commune, sed admodum peculiare aliisque miraculis congruens et consentaneum. Nam cum quotidie ac frequenter quoque quavis die, interdumque etiam hora dolore comprimeretur, solo ministerii sacri tempore confirmabatur, dolorque succedebat, quasi jussu et imperio fugatus.

Ministerii sacri tempore, morbi dolores non sentit.

Psal. 89. v. 10. *Moritur fere 100 annorum, 45 Episcop.*

40 Cum autem centum ferme annos vixisset, fines utique tempori nostro a Davide constitutos prætergressus, ex iisque in Episcopatu quinque et quadraginta, quod fere humanæ vitæ spatium est, exegisset : ita demum in bona senectute diem extremum claudit. Quonam modo? In orationis verbis ac gestibus, nullo vitii vestigio, plurimis virtutum exemplis relictis. Atque eo nomine major quam hominis conditio ferre videatur, ipsius veneratio in omnium linguis mentibusque versatur : nec facile quisquam reperietur, qui illius memoriam animo recolens, non etiam posita, sicut Scriptura loquitur, manu ad os suum, imaginationem quoque ipsam amplectatur. Hic illæ vitæ cursus fuit : hic vitæ finis.

Job 29. v. 9.

Magnificum Sasimis templum ædificarat.

41 Et quoniam liberalitatis ipsius munificentiæque monimentum posteris relinqui oportebat, quodnam tandem aliud potius conveniebat, quam hoc templum, quod Deo et nobis extruxit (populi quidem largitione nonnihil adjutus, multo majorem autem sumptuum partem e suo impendens) opus sane memorabile ac prædicandum, magnitudine permulta, pulchritudine cuncta propemodum antecellens? Nam et octo æquilateris rectis in se occurrit : et columnarum ac porticuum elegantia per laquearia in altum assurgit, et quidem ejusmodi picturis ornata, ut nec naturæ ipsi concedant. Quid quod superno cæli splendore collustratur, uberrimisque lucis fontibus spectantium oculis irradiat, ut veræ lucis domicilium? Ad hæc eximiæ materiæ spatiis æquiangulis utrimque positis plurimumque intermedii loci complectentibus cingitur : ac præterea portarum et atriorum venustate prælucet, accedentesque procul invitat. Nondum de externo ornatu loquor, de lapidum quadratorum atque in trinam conjunctionem aptatorum pulchritudine et magnitudine : quorum alii marmorei sunt, nimirum qui in basibus et capitibus, quibus anguli intercipiuntur, locati sunt, alii patrii quidem illi, non tamen exoticis inferiores. Nondum de variis et muliplicibus zonis, a fundamentis ad verticem usque protensis atque intextis, cujus ea est altitudo, ut spectatorem damno afficiat, visum circumscribens. Quonam modo tanti temporis opificium tantique laboris et industriæ tam brevi sermone ob oculos ponerem? An hoc dixisse fuerit satis, quod cum ceteræ civitates multis extructionibus publicis privatisque decorentur, hæc vel sola nominis nostri famam apud multos illustrare potuit? Ac templum quidem ad hunc modum se habet. Quoniam autem Sacerdote etiam opus erat, hunc quoque domi acceptum offert : templi magnificentia dignum necne, dicere haud queo, sed tamen offert. Quandoquidem porro victimæ quoque requirebantur, has insuper adjungit, nempe filii afflictiones, atque in rebus adversis patientiam : ut Deus ab eo rationale holocaustum habeat, ac pro legali hostia spiritualem victimam egregie consumptam.

Descriptio templi.

42 Quid ais pater? Utrum ista sufficiunt, atque hanc vel prosecutricem, vel funebrem orationem ita accipis, quasi laborum eorum, quos juvandis provehendisque meis studiis suscepisti, fructum tuleris, ac pro tuo veteri more pacem orationi concedis, eique ne modum excedat tædiumque pariat, finem imponis? An additamentum quoddam et corollarium desideras? Sed finem haud dubie statuis : satis quippe longam orationem habuimus. Hoc vero mihi bona tua venia adjicere liceat : Fac sciamus quæ tua sit gloria, quod lumen te circumstet : atque uxorem tuam aliquanto post, et liberos, quos adhuc vivens funere extulisti, et me quoque nequaquam jam ultra, vel certe perexiguo tempore cum hujus vitæ miseriis conflictatum atque ante tabernacula illa hoc dulci tumulo suscipe, quem utrique nostrum condidisti, videlicet hic quoque Sacerdotem tuum et cognominem honore afficiens : veniamque tribue, sive quid dicendo prætermissimus, sive quid tua gratia assumptum minus commode tractavimus : ac denique cum gregem universum et omnes Episcopos, quorum pater vocatus es, tum me præsertim paterne a te et spiritualiter coactum guberna, ne tuam vim usquequaque accusem.

Nazianzenus patrem jam defunctum invocat.

43 At tu, quid censes, o meorum sermonum actionumque judex? Si hæc satis copiose disseruimus, tuoque desiderio satisfecimus, calculum adde, et accipiemus (nam profecto calculum tuum calculum Dei interpretamur :) sin autem et illius gloria et tua expectatione longe inferiorem orationem habuimus; in promptu est, qui suppetias ferat. In illius laudes vocem tuam tempestivæ pluviæ instar expectatam immitte. Ac sane maximis te nominibus obnoxium habet, et ut pastor pastorem, et ut pater filium : quod ad gratiam attinet. Quid vero mirandum, si qui terrarum orbi per te intonuit, idem nunc fructum quoque aliquem ex tua voce percipiat?

Basilium iterum ad dicendum invitat.

44 Restat jam, ut cum spirituali Sara præclari nostri patris Abrahæ conjuge et æquali funebrem sermonem habeamus. Non est, mater, eadem Dei hominumque natura, aut, ut in genere loquar, Superorum et eorum qui in terra versantur. Apud illos enim constans et immortale est, tum hoc ipsum quod sunt, tum quæcumque ad illud pertinent. Quæ enim a rebus firmis et certis oriuntur, eadem quoque firma et solida esse necesse est. Res autem humanæ quomodo se habent? Labuntur et intereunt, et aliam atque aliam sub inde mutationem capiunt. Vita quidem et mors tametsi inter se plurimum differre videantur, inter se tamen mutuo transmeant, vicissimque succedunt. Etenim vita ex corruptione parente nostra principium ducens, ac per corruptionem, hoc est perennem ejus quod præsens est excessum, iter faciens, in corruptionem tandem, nimirum in hujus vitæ finem definit. Mors contra, quæ non modo nos a præsentibus malis vindicat, verum ad supernam quoque vitam sæpe traducit, haud scio an proprie mors appellari queat, utpote nomine magis quam re formidabilis. Atque absurde sane et præpostere affecti esse videmur, qui

ea

ea quæ formidolosa non sunt, extimescamus, ea autem quæ metuenda sunt, ut meliora magisque expetenda complectamur. Una vita est oculos ad vitam conjectos habere. Una mors, peccatum : animæ enim est interitus. Cetera quibus nonnulli insolentius efferuntur, nocturna quædam visa sunt, veris rebus imposturam facientia, et fallacia animæ spectra. Hoc animo si fuerimus, mater, nec ob vitam nos magnopere efferemus, nec morte nimium angemur. An vero mali quidpiam nobis acciderit, si hinc ad veram vitam migraverimus, si mutationibus, vertiginibus, satietatibus, ac turpi illa tributi pendendi necessitate liberati cum rebus certis minimeque fragilibus futuri simus, parva lumina circum lumen illud magnum tripudiantes? PER GREGOR. FIL.

Matrem viduam consolatur.

45 At te ab eo sejunctam discruciaris? spes te oblectet. At acerba res est viduitas? audio, sed illi non acerba. Ubi porro charitatis bonum erit, si faciliora nobis ipsis dantes, asperiora proximo tribuamus? Imo quid est omnino, quod tibi acerbum videri debeat jam jamque morituræ? Instat fatalis dies, diuturna non erit hæc molestia. Ne ignavis cogitationibus res levissimas oneremus. Magnis rebus privati sumus : at etiam consecuti fueramus. Atqui privari omnium est, adipisci paucorum. Quare mentem nostram illud non dejiciat, sed hoc potius consoletur. Æquum enim est meliora deterioribus cedere. Filiorum mortem adhuc florentium et ad vivendum idoneorum fortissime et sapientissime tulisti : fac etiam senilis corporis, jamque vita confecti (tametsi sensus integerrimos animæ vigor ipsi conservarit) abjectionem feras. At deest, qui tui curam gerat. An vero non tibi præsto est tuus hic Isaac, quem tibi omnium instar ille reliquit? Parva hæc ab eo postula, ut te manu fulciat, ut servilia officia præstet : majora hæc repende, maternam benedictionem, orationes, atque alterius ævi libertatem. Doles te admoneri? Id vero laudo, namque ipsa multos admonuisti, nimirum eos omnes, qui in tam longo vitæ curriculo ad tuam sapientiam sese contulerunt. Quare ad te feminam in primis sapientem nihil hæc oratio pertinet : sit autem afflictis et lugentibus communis solatii medicina, ut se mortales prosequi mortales intelligant. *Benedictio materna.*

DE S. ALMACHIO SIVE TELEMACHO

MARTYRE ROMÆ.

CIRCA AN. CHR. CCCXCIV. I JAN.

EX VARIIS AUCTORIBUS.

S. Almachius sive Telemachus ethnicos reprehendens Kalen. Jan. occisus.

Kalendis Januariis sanguinem pro Christi gloria fudit Almachius sive Telemachus; de quo Martyrologium Romanum : Romæ S. Almachii Martyris, qui jubente Alipio Urbis Præfecto, cum diceret : Hodie Octavæ Dominici diei sunt, cessate a superstitionibus idolorum et a sacrificiis pollutis; a gladiatoribus occisus est. *Eadem cetera fere omnia habent Martyrologia, addit Beda, et Petrus de Natalibus lib.* 2, *cap.* 3, *hac de causa captum et a gladiatoribus occisum. Vetus Martyrologium Romanum* : Romæ S. Almachii decollati sub Alippio Urbis Præfecto. MS. *Martyrologium S. Hieronymi* : Natalis Coronæ, qui jubente Asclepio Urbis Præfecto cum diceret : Hodie Octavæ Dei cæli sunt, cessate a superstitionibus idolorum et sacrificiis pollutis, a gladiatoribus hac de causa occisus est.

Ex Oriente Romam venit

2 *Rem gestam ita narrat Theodoretus lib.* 5 *historiæ Ecclesiasticæ, cap.* 26. Honorius Europæ potitus imperio, pugnas gladiatorias, quæ Romæ olim fieri consueverant, tali inductus occasione sustulit. Telemachus quidam vitam excolens monasticam, profectus ex Oriente, hac de causa Romam contendit. Ac dum sceleratum illud edebatur spectaculum, in stadium ipse ingreditur, atque ad gladiatores descendens, mutuam inter eos dimicationem sedare nititur. Itaque crudelis cædis spectatores accensi iracundia, et a dæmone, qui ex illa sanguinis effusione voluptatem capiebat, ad furorem impulsi, pacis auctorem lapidibus obruerunt. Qua re cognita Imperator admirabilis Telemachum in Martyrum invictorum numerum adscripsit; crudele autem illud spectaculi genus penitus sustulit. *Hæc Theodoretus. Videtur igitur a spectatoribus, forte et gladiatoribus, lapidibus primum appetitus sanctus Martyr, deinde jussu Præfecti ad sedandum populi tumultum comprehensus, moxque inaudita causa gladiatoribus iterum traditus trucidandus.* *Lapidibus obruitur.*

Refertur in numerum Martyrum.

3 *Petrus Galesinius et Philippus Ferrarius hæc ad Diocletiani tempora revocant, quod non existiment sub religiosissimo Principe Honorio Urbis Præfecturam homini ethnico creditam. Sed quot post quoque magnis muneribus functi ethnici ac hæretici? Negant cultum idolorum tum viguisse. Non erat ita tamen penitus extinctus, ut non ludi profano more adhuc fierent.*

Quis hic Alipius Urbis Præfectus.

4 *Alipium vero hunc (qui aliis* Asclepius, Asclippius; *Palladio, Galesinio, et Ferrario* Alypius, *Adoni* Alippius, *Bellino et Maurolyco* Olympius*) censet Baronius Faltonium Probum Alipium Q. Clodii Hermogeniani fratrem fuisse, qui post Ægypti Præfecturam gerens Joannis Anachoretæ congressu ad meliorem frugem videtur revocatus, ut ex historiæ Lausiacæ cap.* 23 *patet : ideoque sub Theodosio potius quam Honorio hæc gesta censet Baronius.*

VITA

VITA S. FULGENTII

RUSPENSIS EPISCOPI.

PRÆFATIO.

CIRCA AN. CHR. DXXIX. I JAN.

S. Fulgentii vita a quo scripta. A quibus edita hactenus.

Sanctum Fulgentium omnia celebrant Latinorum Martyrologia, aliique auctores fere innumeri. Vitam ejus, gravi stylo, *inquit Molanus*, ejus discipulus scripsit. *De cujus tam auctore, quam auctoritate, nemo dubitabit, qui eam perleget.*

2 *Edita ea est a Laurentio Surio ex* MS. *Monasterii S. Pauli in Sonia silva, sine Rubeæ vallis : ac deinde a Joanne Molano anno* 1574, *ipsius Fulgentii præfixa operibus, ex* MS. *Monasterii Vallis S. Martini Canonicorum Regularium Lovanii, cum* MS. *Monasterii Fontis B. Mariæ juxta Arnhemium a Joanne Vlimerio collata. Tandem Parisiis a Jacobo Sirmondo nostro cum ejusdem Fulgentii operibus recognitis. Has omnes editiones cum* MSS. *Monasterii S. Maximini, et Monasterii S. Mariæ Bonifontis, et S. Mariæ de Ripatorio contuli.*

VITA S. FULGENTII

A QUODAM EJUS DISCIPULO CONSCRIPTA AD FELICIANUM EPISCOPUM.

PROLOGUS AUCTORIS.

Doctoribus necessaria vita bona, et doctrina.

Omnis novi Testamenti fidelissimus dispensator, in quo loquitur Christus, *sancte Pater Feliciane*, ut exemplo suo credendum sibi facile persuadeat, operum bonorum curam maximam gerit, et quidquid aliis faciendum dicit, ipse primitus facit. Sine causa quippe nititur docere sapienter, nisi vixerit innocenter. Duo igitur Ecclesiæ Catholicæ doctoribus necessaria judicantur : vita bona, et sana doctrina. Vita enim bona commendat sapienter docentem; doctrina sana ornat bene viventem. Vita bona facit amabilem; doctrina sana laudabilem. Vita bona continuo creditur imitanda; doctrina sana numquam judicatur esse repudianda. Vita bona tollit occasiones detrahentibus, doctrina sana resistit contradicentibus.

Causæ scriptionis.

2 Propterea mihi diutissime beati Fulgentii Pontificis, tui scilicet prædecessoris, a quo simul nutriti sumus, et nomen et gratiam cogitanti, dum frequenter ante oculos cordis mei magister egregius versaretur, dolebam tanti viri solatio caruisse populos Africanos. Et quamvis ille gaudiis cælestibus oblectandus, ad meliora migraverit, apud nos tamen modo similem deesse doctorem, sapientiæ ejus bene conscius, suspirabam. Dabatur sane flebili recordationi quædam respiratio, quoties dulcissimos libros ejus, aut epistolas, aut quos edidit populo præsente sermones, vel ego legebam, vel legentes alios audiebam. Verumtamen in illis præclaris opusculis ingenium viri sapientiamque posse cognosci, tacitus considerabam : cujus autem justitiæ, probitatis et misericordiæ fuerit, et quomodo laudabiliter vitam suam, quod tu bene nosti, cum familiaribus suis transegerit; sicut docuit vivens, scire plerosque non dubitabam, latere tamen plurimos sentiebam. In posterum vero ne oblivio longa conversationis ejus bona nesciret, semper et vehementius formidabam. Dixi ergo diu cogitans : Ecce fulget beati Fulgentii doctrina, quoniam leguntur ab omnibus libri ejus : quasi ipse loquitur, quando codex ejus titulatus nomine, legitur : qui autem fiet, ut similiter nota sit omnibus vita ejus bona? Quamdiu vivunt adhuc, qui noverunt eum, vel a certissimis testibus aliquid de ejus virtutibus audierunt, potest illi præsens memoria verum testimonium perhibere. Quid aget ventura progenies? Quid in transmarinis partibus longe constituta fidelium turba? Cum pervenerint ad notitiam lectionis, in qua idem beatissimus Pontifex absens loquitur, et mortuus vivit; admirabuntur profecto sapientiam : unde cognoscent innocentiam? Sicut ergo clara est ejus doctrina, sic clarior fiat etiam vita. Loquamur et narremus fratribus nostris, quomodo tantus Pontifex vixerit.

Auctor Fulgentii Discipulus.

3 Nec timendum est, ne minore facundia Sacerdotem, qui per universas orbis Ecclesias magnum nomen obtinuit, ego faciam parvum. Cujuslibet enim sit meriti oratio mea, nec augere poterit tanti viri merita, nec minuere : sed proficere tantummodo ad caritatis testimonium, in qua illi semper inhærere desiderans, salutiferis ejus monitis ad suscipiendam Monachorum professionem conversus, in illo parvissimo Monasterio, quod sibi apud Sardiniam pro Christi nomine relegatus effecerat, ubi jam tu presbyter *habitabas, diebus ac noctibus ante eum positus vixi : quando me super mel et favum dulciora cælestis ejus eloquii flumina frequenter rigabant, et nisi sterilitas arentis ingenii præpediret, centesimum fructum gleba nostri pectoris attulisset. Sed indignus ego, de tanta plenitudine vix exiguam capere valui portionem. Tuæ tamen parternitatis orationibus fretus, libelli præsentis laborem suscipere cogitavi : in quo omnia, quæ memoriter nobis audientibus ipse referebat, et illa insuper, quæ oculis nostris adspeximus, ut jam positi in doctrina illius, quemadmodum sint gesta, non ignoramus, breviter explicabo : notam falsitatis incurrere nullatenus timens, cuncta quippe senilem tuam paternitatem minime latent; nec tibi nunc aliqua quasi nescienti dicuntur, sed tuo potius testimonio confirmanda simpliciter digeruntur.

* *Al.* habitas.

VITA.

CAPUT I.

B. Fulgentii ortus, institutio, munus in repub.

Patria et genus Fulgentii.

Beatus igitur et vere Fulgentius, nobili secundum carnem genere procreatus, parentes habuit ex numero Carthaginensium Senatorum. Avus denique ejus nomine Gordianus, dum Rex * Gensericus memoratam Carthaginem victor invadens, Senatores plurimos, imo cunctos, amissis omnibus bonis, ad Italiam navigare compelleret, inter ceteros etiam ipse impositam peregrinationem libenti voluntate suscepit, volens, saltem facultatibus perditis, non perdere libertatem. Post cujus obitum, duo ex filiis ejus, spe recuperandæ hereditatis, Africanam provinciam repetentes, manere jam intra Carthaginem minime potuerunt, domo propria donata sacerdotibus Arianis. Sed possessionibus suis ex parte per auctoritatem

* MS. *Rip. et Sur.* Hunericus.

Avus exul

tem Regiam repetitis, ad * Byzacium perrexerunt, ibique in Tellepte civitate unus eorum, nomine Claudius ex conjuge nomine Mariana, Christiana scilicet et honesta femina, istum, cui tanta gloria debebatur, feliciter genuit; eumque statim, quasi præscius qualis esset futurus, Fulgentium nominavit. Quem religiosa mater moriente celeriter patre, Græcis litteris imbuendum primitus dedit, et quamdiu totum simul Homerum memoriter reddidisset, Menandri quoque multa percurreret, nihil de Latinis permisit litteris edoceri: volens eum peregrinæ linguæ teneris adhuc annis percipere notionem, quo facilius posset, victurus inter Afros, locutionem Græcam, servatis adspirationibus, tamquam ibi nutritus, exprimere. Nec fefellit matrem piam cauta provisio. Sic enim, quoties ei loqui Græce placebat, post longam desuetudinem locutionis ejus et lectionis, non inconditis sonis verba proferebat, ut quasi quotidie inter Græcos habitare putaretur. Litterarum proinde Græcarum præcepta scientia, Latinis litteris, quas magistri ludi docere consueverunt, in domo edoctus, artis etiam Grammaticæ traditur auditorio, magnitudine ingenii cuncta sibi tradita memoriter et veraciter retinens. Unde tamen, domesticorum negotiorum cogente necessitate, cito sublatus, paternæ domus gubernationem suscepit adolescens; ita se maternis imperiis subdens, ut ibi quoque Christi existeret imitator, de quo sacra Evangelia contestantur: *Et erat subditus illis*, id est, parentibus. Gaudebat venerabilis mater, et præclara idole sapientis filii mœrorem viri amissi consolabatur. Cœperat in illa familia esse, qui amicis obsequium benevolus redderet, inimicos rationabiliter repelleret, servos mansuetus et severus regeret atque corrigeret, patrimonium diligens coleret, sublimioribus potestatibus carissimus fieret. Cujus rei gratia, crescente per singulos dies fama ejus, repente Procurator ordinatur, hinc initium sumens imperandi, et consulendi, ac gubernandi quam plurimos.

*ms. Rip. Bizicum; alii, Byzantium; alii, Bithyniam.

Parentes.

Litteris Græcis eruditur, tum Latinis.

Paternam domum administrat.

Luc. 2.

Fit Procurator.

CAPUT II.

Mundi tædium, ac religiosæ vitæ disiderium ei injicitur.

Accepta tamen hac potestate dum clementer utitur, et neminem lædere pro ingenita sibi bonitate desiderat, atque in exigendis pensionibus crudelitatem jubetur exercere, cœpit sæcularium negotiorum gravis apparere sarcina, et displicere felicitas vana: paulatimque laudabili patientia succedente, cœpit vitæ spiritalis amor exurgere, desiderium lectionis, insuper et orationis indefessum crescere studium. Monasteriorum proinde suavissimos greges frequentius visitans, servorum Dei mores propositumque discebat. Inter abstinentes nulla esse gaudia sæculi, sed nulla etiam esse tædia sentiebat. In summa abstinentia viventes videbat neminem calumniatorem timere, sed se invicem diligere. Considerabat etiam multos adolescentes perpetuæ continentiæ deditos, ab omni posse abstinere concubitu. Talibus apud semetipsum cogitationibus fluctuabat, atque in hæc verba prorumpens: Cur obsecro, aiebat, sine spe futurorum bonorum laboramus in sæculo? quid nobis aliquando præstare poterit mundus? Si gaudere desideramus, licet melius sit bene flere, quam male gaudere; quanto melius tamen gaudent, quorum sic in Deum tranquilla est conscientia, quos minime terret exactoris improbi violentia, qui nihil timent nisi peccata, nihil agunt nisi unde possint divina implere mandata? Non fatigantur publicis excursibus, non damna rei familiaris coguntur aut flere miserabiliter, aut timere deformiter. Operantes manibus suis, non adversantur utilitatibus alienis. Vivunt inter se pacifici, sobrii, mites, humiles atque concordes. Nulla illis cura libidinis; imo magna sollicitudo et jugis custodia castitatis. Imitemur tam laudabiles viros: arripiamus hanc bene vivendi constantiam. Sit nobis utile, quod gratia Dei revelante meruimus meliora cognoscere. Abjiciamus pristinos mores, et mutemus labores. Nitebamur prius inter amicos nobiles apparere nobiliores; nitamur modo inter servos Dei pauperes effici pauperiores. Si coacti sumus exigere debitores, conemur modo convertere peccatores. Solet etiam de publicis exactoribus efficere Christus Dominus noster magistros Ecclesiæ. De telonio enim vocatus est Matthæus, ut Apostolus fieret. Neque nos huic honori personam convenire credimus nostram: sed si ille deposito officio exactionis, accepit officium prædicationis; mihi non licebit post depositam procurationem, pœnitentis assumere lamentationem? Refugium nostrum Deus est: nulla de ætatis imbecillitate nascatur excusatio. Potens est quippe Deus, qui dat continentiam tantis adolescentibus, quos videmus in Monasteriis vivere, mihi quoque peccatori similem gratiam donare.

Tædet eum rerum mundi.

Monachos frequentat.

PER EJUS DISCIP. *Statuit imitari.*

Matth. 9.

CAPUT III.

Præexercitatio vitæ Monasticæ in sæculo.

Post hæc verba, diutius in suo pectore ruminata, decrevit, sancto Spiritu revelante, sæcularibus omnino renuntiare deliciis, et illius vitæ socius fieri, quam laudabat. Prius tamen cogitans, ne subita mutatio mentem simul corpusque perturbans, inter ipsa conversionis initia gravissimum sibi vel impedimentum vel scandalum gigneret, occulte arripuit rara exercere jejunia: dehinc paullulum progrediens, antiquorum sodalium tentabat vitare consortia: segregatus frequenter a turbis, in possessione propria, nescientibus omnibus, parentibus et clientibus, quasi propter actionis laborem tristis sedebat, et ibi orabat, legebat, jejunabat, epularumque immoderatam copiam minuebat, ad balneas penitus non accedens. Et sub ipsa adhuc professione laici, plene jam monachus conversabatur.

Præparat se ad vitam Monasticam.

7 Stupebant omnes qui noverant eum, et tam delicati viri mirabilem parsimoniam, causamque mutationis hujus interpretabantur ex angustia natam pusillanimitatis. Apud illum vero per singulos dies amor sanctæ professionis, et mortificationis impensior cura crescebat. Aliquando igitur, ubi omnia, quæ sibi dura videbantur, expertus, adjutorio gratiæ spiritalis, voluntati suæ sensit suppetere facultatem, Beati Augustini, exponentis tricesimum sextum psalmum, * disputatione commonitus et compunctus, publicare suum statuit votum, mutare gestiens habitum: ne vel amicabiliter ad se venientes pati cogeretur, cum quibus diu sæculariter vixerat. Cogitabat autem vir prudentissimus, conversionem sui cordis sibi soli utilem futuram, si latere potuisset: publicatam vero, multis aliis exemplum bonum dimittendi peccata pristina præstaturam. Quis enim mediocris aut pauper fieri Monachus erubesceret, dum Fulgentium videret, * genuini fastus arrogantia recedente, duras abstinentiæ vias, patientiæ gressibus ambulantem?

**al.* disputationi conjunctus.

Lectione librorum B. Augustini impellitur ut propositum manifestet.

**al.* Gemini.

PER EJUS DISCIP.

CAPUT IV.

Religionis ingressus.

Fuit autem tunc temporis Episcopus quidam laudabiliter prædicandus, nomine Faustus, qui pro fide Catholica non longe a cathedra sua jussus fuerat relegari. De multis enim Sacerdotibus hoc Hunerici tyranni persecutoris astuta malignitas ordinaverat, ut juxta patriam propriam peregrinationis incommodum sustinentes ad negandum Deum facile flecterentur. In eodem proinde loco, ubi relegatus tenebatur, Monasterium sibi construxerat : in quo spiritaliter vivens, apud omnes Christianos honorabilis habebatur. Ad hunc ergo S. Fulgentius, quippe ei notissimus, alacriter venit, eique votum cordis sui fideliter indicavit. Ille autem sciens sæcularem omnino juvenem, verebatur talia credere pollicenti, dicens ei : Quare fili mentiris, ut servos Dei fallere delecteris? Tunc eris Monachus, aut antiquam deliciarum tuarum consuetudinem sic repente mutabis, ut escarum vilium negligentior apparatus, et vestium sordidarum tuum animum non offendat abjectio? Prius est, ut sis saltem laicus minus deliciosus : et tunc forsitan credibile putabo, quod renuntiare sæculo aut velis, aut valeas. Ad hæc ille juvenis magis ac magis inflammatus, repellentis manum suppliciter osculatus, sic oculis in terram depositis precabatur : Potens est, Domine pater, dare volenti facultatem, qui nolenti tribuit voluntatem. Permitte me tantum tuis inhærere vestigiis : aperi mihi januam Monasterii : præbe sanctæ ædificationis adjutorium : fac me unum de discipulis tuis : et Deus novit, quomodo me liberet ab iniquitatibus meis.

Faustum Episcopum exulem adit.

Ægre ab eo admittitur.

9 Hæc audiens beatissimus senex, gravissimum putavit, supplicantem diutius spernere; tandemque flexus ad consentiendum : Mane, inquit, nobiscum fili, sicut vis. Experiamur paucis diebus, utrum verbis facta concordent. Utinam superfluus sit timor meus, et professio tua inveniatur stabilis. Postquam ergo supplicanti consensum præbuit sanctus Faustus Episcopus, sonuit illico per affines et notos, Fulgentium monachum factum. Gratulabantur boni, confundebantur mali. Quosdam faciebat vita ejus transacta in deliciis desperare; quosdam singularis ingenii notissima scientia, magnum aliquid suadebat de profectu ejus velociter sperare. Quidam vero familiares ejus, quibus ab infantia carissimus amicus et fidelissimus fuerat, eum imitari cupientes, ipsi quoque sæculum contempserunt, et se Monasteriorum gregibus mortificata voluntate junxerunt.

Alii eum imitantur.

CAPUT V.

Prima ejus constantiæ a materno dolore probatio.

Mater turbata venit ad Monasterium.

Audit hoc mater, referentibus multis, ad consortia monachorum fugisse Fulgentium, totiusque domus regendæ atque gubernandæ curam penitus dimisisse, nec omnino jam posse de tali proposito revocari. Turbatur, expavescit, et amoris nimii desiderio concitante, quasi jam Fulgentius moreretur (quamvis bene moreretur, qui sic moriebatur) cælum nimiis lamentationibus pulsat; et sicut solent matres in funeribus filiorum, modum nescit habere lacrymarum. Rapitur inconsideratis cursibus ad Monasterium furibunda, contumeliis et conviciis Sanctum Faustum nihil dubitans aggreditur : Redde, inquiens, filium matri, redde dominum servis. Sacerdotes semper beneficia multa viduis præstant, quare nunc domus viduæ per te perit? Cui patienter respondit Episcopus : Si tu mihi filium tulisses, ego te, mulier, deberem, quantum dolor imperaret, arguere : modo tu mihi juste contumeliam facis, quia ego tibi filium tuli. Quando enim tibi displicet, quia serviturus est Christo, bene facis contumelias inferre Fausto. Sub his etiam sermonibus æquanimiter tolerans, et affabiliter arridens videndi saltem filium nullam prorsus dat licentiam. Illa sciens, quantum diligeretur a filio, magnis ante januam Monasterii clamoribus ejulabat, et Fulgentii nomen frequentius inclamans, desolationem suam miserabiliter allegabat.

Faustus ei filii videndi copiam negat.

11 Hæc prima beatum Fulgentium tentatio multis viribus impulit, dum suam genitricem, quam semper amaverat, cui maxima devotione servierat, audiret auribus suis flere. Sursum tamen corde positus, audiebat, et non audiebat, nec illius preces advertere dignum putabat, quia pietatem solitam religiosa crudelitate vincebat. Ibi jam futuræ patientiæ in laboribus multis exemplum fidelissimum præbebat, et similis ebrio per spiritalem gratiam factus, utrum mater esset, quodammodo ignorabat. Hic eum beatus Faustus Episcopus ex toto corde conversum primitus approbavit, et cum gaudio ceteris fratribus dixit: Facile poterit hic juvenis tolerare quemcumque imposuerimus laborem, qui potest maternum despicere jam dolorem. Illa mater dum se plangere sæpius, nec ad se filium prodire cognosceret, in eodem loco eum jam non esse credebat : quia si ibi esset, non ferre posse dolorem matris, adhuc virtutis ejus nescia, putabat. Sæpe ergo iens ac rediens, et Episcopo molestias, et filio plurimas afferebat insidias, donec tædio victa, propriam reverteretur ad domum.

Fulgentii constantia.

CAPUT VI.

Ejus abstinentia.

Beatus ergo Fulgentius supra * humanum modum laboribus se abstinentiæ cruciabat, sine vino et oleo manducans et bibens, sic parce et tenuiter, ut inediæ magnitudo siccatam corporis cutem fatiscere diversis ulceribus cogeret, ac superducta, quam dicunt, impetigine delicati corporis pulchritudo fœdaretur. Putabant plurimi, tunc beatum Fulgentium sub occasione ipsius infirmitatis, aut recessurum simul a proposito sanctitatis, aut reddendum deinceps tepidum, ne vel regulæ communis parsimoniam custodiret. Ille vero contra spem omnium, misericordiæ Dei prævenientis auxilio gubernatus, ex infirmitate corporis ampliores vires animi capiebat; et tanto abstinentior, quanto debilior, de salute perpetua jugiter cogitabat; salutem vero corporis arbitrio Domini committebat, hoc plerisque dicens : Scimus omnes ex epulis vitam solere servari, non sanitatem posse conferri. Nam ut sanetur infirmitas, si explenda videtur gulæ cupiditas; quare infirmantur etiam illi, qui conviviis lautioribus quotidie saginantur? Tolerabat ergo infirmitatem patienter, exercebat abstinentiam satis humiliter. Parvum namque putans omne quod faciebat, de die in diem melior fieri gestiebat. Hoc propositum cordis ejus miserator et misericors Deus adjutorio superni juvaminis fulciens, velociter ei corporalem restituit salutem.

**al.* credibilem. MS. *Rip.* incredibilem.

Ægrotat ob nimiam abstinentiam;

In ea tamen persistit.

Convalescit.

CAPUT VII.

Bonorum abdicatio.

Tunc animus viri sapientis altiori pietate commotus, cum tota mente mundum sibi crucifigeret, et ipse mundo crucifixus, iter rectum a juventute sua, sicut scriptum est, ambularet : portionem substantiæ propriæ, quamvis haberet fratrem juniorem, nomine Claudium, per donationem soli contulit matri, ut a matre postmodum, si bene serviisset, donaretur et fratri. Sic salubri consilio superbiam junioris fratris edomare

Bona sua matri donat, non fratri; et quare. Thren. 3. v. 27.

edomare desiderans, ut qui esse nolebat humilis propter pietatem, disceret humilis esse propter hereditatem; mater quoque sanctissima post discessum dulcissimi filii, cujus jam non poterat obsequio lætificari, ejus meruisset beneficio consolari. Quantas ibi tunc universi laudes et gratias Domino retulerunt, cum viderent beatum Fulgentium sæculari cupiditate calcata, rebus, quas distrahere et donare pauperibus non poterat, ne offenderet bonam matrem renuntiasse penitus, ut Christum invenire mereretur doctorem? Finita jam fuerant cuncta, quæ eum in conversionis primordio videbantur affligere.

CAPUT VIII.

Abbas creatur.

Nova persecutio sub Hunerico.

Sed quia hæc vita numquam potest sine suis tentationibus præterire, nascitur rursus talis persecutio fidei, ut sanctæ memoriæ Faustum Episcopum cogeret per diversas latebras commigrare: nec in ipso Monasterio jugiter sineret quiescere. Tunc beatus Fulgentius timens aut in illo loco solus remanere, aut de loco in locum frequentius transmigrare, consulto prius Episcopo Fausto, vicinum Monasterium petiit, ubi paucis et simplicibus fratribus Felix nomine Abbas præerat, amicus ejus ab adolescentia, cum quo semper etiam laicus familiariter vixerat. Tunc igitur eum Felix Abbas cum gaudio suscipiens, imparemque se ejus virtutibus sciens, et nomen et potestatem ei tradidit Abbatis. Ille plenus studio humilitatis, * recusabat privilegium potestatis. Et post multa certamina pietatis, ex consensu totius congregationis, passus violentiam caritatis, vix consentit esse collega boni consortis. Ita duo viri sanctissimi diligentes æqualiter Deum et proximum, ambo moribus similes, ambo meliores proposito, conversatione æquales, unus scientia superior, jugum bonum gubernandæ congregationis excipiunt. O quam felix servorum Dei numerus fuit, quibus cœperat præesse Fulgentius! O quantum fulgebat illud Monasterium, cui dispensator permanserat Felix! Dabant sibi mutuis nominibus etiam ipsi non minoris laudis auspicium. Felix vocabatur Fulgentius, viam Domini currens, et fama crescente Fulgentii, capiebat fructum sui culminis Felix. Unus tamen eorum, Beatus videlicet Fulgentius, docendis fratribus peculiariter vacabat; alter in quotidiano ministerio sollicitius laborabat. Supervenientibus fratribus unus verbum Dei singulariter prædicabat, alter hospitalitatem diligenter præparabat, et hilariter offerebat. Nihil alter sine consensu alterius faciens; sed sic ambo ceteris erant imperantes, ut sub unius se regula crederent constitutos. Ita dum timebat Fulgentium offendere Felix, Felicemque Fulgentius, mortificatis voluntatibus propriis uterque vivebat, et de fratrum, quibus consulebant, utilitate laudabiles, et de mutua, quam sibi reddebant invicem, subjectione sublimes. Quis istius affectus explicare possit loquendo virtutem? Quos quieta pax adunaverat, nec bella valuerunt feralia separare.

It ad aliud Monasterium.

* MS. *Rip.* excusat.

Fit Abbas cum Felice.

CAPUT IX.

Persecutio. Fuga. Insidiæ a Presbytero Ariano.

Fugit cum suis.

Sed cum subito barbaricæ multitudinis provincia turbaretur incursu, videntes salutem temporalem fugæ præsidio vendicandam, labores illico perferendæ peregrinationis excipiunt, limatoque consilio procul abscedunt, ubi nulla belli nascentis opinio, construendi Monasterii præberet integram facultatem. Promovent igitur castra spiritalia duces inclyti cælestis exercitus, et per ignotas Africæ regiones, Monachorum suorum caterva comitante, pariter gradiuntur, ubique facientes gaudium bonis, invidiam malis.

PER EJUS DISCIP.

16 In territorio dēnique Siccensi, dum cogitant certas sedes statuere, regionis fœcunditate delectati, virorum etiam fidelium favore suscepti; Presbyter quidam sectæ Arianæ in fundo Gabardilla perfidiam prædicans: cui nomen quidem inter homines Felix, sed voluntas adversus Deum semper infelix, natione Barbarus, moribus sævus, facultatibus potens, Catholicorum persecutor acerrimus. Hic beati Fulgentii nomen in illis regionibus clarum fieri sentiens, reconciliandos occulte multos, quos deceperat, suspicatur. Neque virum dignum Sacerdotio, vere adhuc esse Monachum credidit, sed eum sub habitu Monachi Sacerdotis officium putat implere. Et revera Sacerdotis officium laudabiliter etiam tunc implebat, non aliquantos reconciliando, sed omnes, quos attingere poterat, ad reconciliationem salutaribus monitis invitando: cujus sermo dulcis et rectus, quia dura quoque corda molliebat, nec immerito hunc Presbyterum sic timere pro sua perfidia compellebat. Arripit igitur Presbyter, insani furoris stimulis concitatus, Dei servos crudeliter persequi, et per omnes vias custodibus distributis, ambulantium simpliciter obsidet itinera. Necessarium quippe fuerat athletas fortissimos, voluntariis abstinentiæ laboribus ad omnem tolerantiam præparatos, persequentium paullulum tradi manibus: ut martyrialis agonis effecti participes, illata discerent supplicia tolerare, probaturi quid profecissent, si flagellis membra omnia dissipantibus, a fide vera minime defecissent. Nescientes igitur cogitationes maligni serpentis, habentesque fiduciam conscientiæ, nihil timentes, simul ambo gradiebantur secum loquentes.

Felix Presbyter Arianus Fulgentio insidiatur.

CAPUT X.

Capiuntur Fulgentius et Felix; hic cœditur ab Arianis.

Capitur Fulgentius.

Et ecce subito quasi violentia sævissimæ tempestatis invadit incautos, dividit junctos, ligat divisos, et feralibus vinculis oneratos, perducit ad Presbyterum vinctos. Efficiuntur subito sine crimine rei, sine belli forte captivi. Quibus enim fugientibus nihil nocere potuerunt Mauri, pœnas ingerunt Ariani. Tunc antequam tenerentur, Felix Abbas paucos solidos, unde fratrum sustentabatur inopia, simpliciter ubi metus suaserat, projecit, et custodiendos Dei servis, ipsi Deo committit. O divini singularis potentia miraculi! Nemo valuit solidos illos projectos adspicere; nullus permissus est victum pauperum pauperibus tollere. Sed illi soli, qui sic probandi fuerant, tenentur, ligantur, ad Presbyterum perducuntur. Quibus ore terribili violentus Presbyter intonat: Cur ex vestris regionibus occulte venistis Christianos Reges evertere? Bene enim miser Christianos Reges esse dicebat, in quibus Christum Regem Regum miserabiliter exufflaverat, et quos Filium Patri æqualem negare, similis Antichristo docuerat.

Pecuniam abjectam non vident barbari.

Sistitur Arianno Presbytero.

18 Illis ad hæc veracissimæ responsionis verba parantibus, inferri præcepit verbera primitus. Igitur Felix Abbas vehementi caritate commotus: Parcite, ait, fratri Fulgentio, qui non potest tormenta perferre. Nolite istum cædere, inter vestras manus forsitan moriturum. Convertatur in me vestra crudelitas: ego scio quid confitear, in me est omnis causa. Tunc dilectionis admiratione stupefactus, removeri paulisper beatum Fulgentium jubet, atque illum gravius cædi ministris sævissimis imperat. Tunc hilari animo Felix Abbas verberibus subditur. Dolorem quippe cum gaudio sustinebat, quia beatum Fulgentium nihil adhuc pati videbat. Ecce qualis fuit beatus Fulgentius circa amicos, ut usque ad mortem diligi mereretur. Ista quippe

Felix Abbas cœditur: rogat parci Fulgentio.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Per ejus Discip.

quippe caritas beati Felicis, vitæ illius sanctæ magnum perhibet testimonium. Neque enim salutem suam pro salute illius despiceret, nisi sibi primitus et multis utilem jucundumque sentiret. Imitentur utrosque, qui Deo placere desiderant. Alios doceat beatus Fulgentius sic vivere inter fratres, ut amentur, foveantur, et in summis necessitatibus adjuvandi, etiam si periculum non defuerit, judicentur. Sumant alii de bono facto Felicis Abbatis exemplum, melioribus fratribus, et in Dei timore plus proficientibus, omnem gratiam bonæ voluntatis impendere. Quando enim talis caritas inter fratres fuerit, qualis inter sanctissimos viros fuit, vis totius tentationis facile superatur: inimicorum vero pertinacia continuo frangitur. Quamvis sævissimus Presbyter etiam tunc de Felicis Abbatis injuria minime satiatus, nec beato Fulgentio parcendum putavit.

CAPUT XI.

Fulgentius cœditur, uterque ignominia afficitur.

Fulgentius cœditur.

Beatus autem Fulgentius, vir omnino delicati corporis, utpote ex familia natus illustri, violentos impetus fustium, repentini doloris acerbitate crescente, vix tolerans, sicut ipse nobis postea referebat, cogitavit Presbyteri furentis insaniam vel mollire, si posset, vel certe paullulum, donec recrudesceret, avocare; quo facilius inter ipsas moras inveniret spatium respirandi, ne continuata pœna omnino intolerabilis fieret. Dico aliquid, si loquendi potestas tribuitur, dum cæderetur exclamat. Tunc Presbyter, putans eum confiteri velle, jubet quiescere cædentes, et sic adhuc * a flagello suspensum, loqui præcepit quod volebat. Ubi dum beatus Fulgentius eloquentiæ solitæ sermonibus blandis, suæ peregrinationis est narrare aggressus historiam, Presbyterum facit attonitum, diuque nimia verborum suavitate delinitum, pene totius crudelitatis reddit oblitum. Miratur Presbyter beati Fulgentii facundiam, probat sapientiam, magnumque aliquem virum conjiciens, erubescit inferre violentiam. Sed ne proderet suis suam superatam fuisse sævitiam: Cædite, ait, iterum fortiter, et multiplicatis flagellis lacerate verbosum. Etiam me, puto, seducere cogitat, longoque inanis fabulæ circuitu quid conficere moliatur, ignoro. Recrudescit iterum manus * vesana tortorum, flagellisque innumeris beatus Fulgentius exaratur.

* *al.* ad flagella.

Interloquitur.

Iterum cæditur.

* *al.* sæva.

20 Tandem Presbyter de illata cæde confusus, virorum laudabilium merita sentit, nec apud se eos tenere diutius ausus est; sed deformiter decalvatos, ablatis etiam omnibus vestimentis, ex domo sua nudos inanesque projecit. Sed nec illa decalvatio viris sanctissimis turpitudinem, nec nuditas attulit confusionem: quia tolerata propter odium religionis injuria, primæ jam confessionis decoraverat ornamento, superna gratia fulciendos. Processerunt itaque de domo Presbyteri, tamquam de loco gloriosi certaminis, insignis victoriæ laureis coronati; reversique per campum, ubi fuerant capti, solidos, quos Abbatem Felicem projecisse diximus, integro ibi numero servatos inveniunt, et quasi ex divina manu restitutos hilariter accipiunt; agentesque ineffabiles Deo gratias, qui consolatur humiles in omni tribulatione eorum, revertuntur ad proximos fratres.

Nudus et decalvatus dimittitur.

Reperit abjectam pecuniam.

21 Hujus autem crudelissimi facti detestabilis opinio, cunctam simul mœstificat regionem; nuntiatur etiam Carthagine fama. Inter alios quoque Arianorum Episcopus dolet mactatum gravi cæde beatum Fulgentium. Et quia parentes ejus cognitos habebat idem Episcopus, ipsumque beatum Fulgentium singulariter adhuc laicum dilexerat, adversus Presbyterum suæ religionis et parochiæ, qui cædis auctor extiterat, graviter commovetur, vindicare beatum Fulgentium parans, si querelam de memorato Presbytero deponere voluisset. Sed beatus Fulgentius multis, ut hoc faceret, suadentibus: Non licet, ait, in hoc sæculo vindictam quærere Christiano. Novit Deus quomodo servorum suorum defendat injurias. Iste Presbyter si gravissimi sceleris inter homines, me agente, receperit ultionem, patientiæ nos apud Deum perdimus retributionem: maxime quia multos parvulos scandalizare poterit, si Episcopi Ariani judicium qualiscumque peccator, tamen Catholicus et Monachus quæram. Nolens ergo retribuere mala pro malis, et vitam suam sciens necessariam bonis, ne quam forsan hæreticorum violentiam denuo paterentur, ex illa provincia rursus egrediuntur, et ad vicina provinciæ suæ loca celeriter regrediuntur: eligentes vicinos potius habere Mauros, quam pati molestissimos Arianos.

Non vult queri de illo Presbytero.

CAPUT XII.

In Ægyptum navigaturus Syracusas appellit. Consilium mutat.

Juxta civitatem proinde, quæ * Ididi nuncupatur, fundare Monasterium incipiunt, ubi parvo tempore Domino servientes, insistebant operibus caritatis. Donec subito beatus Fulgentius Ægyptiorum Monachorum Vitas admirabiles legens, institutionum simul atque collationum spiritali meditatione succensus, memoratas terras navigio petere statuit: duabus videlicet ex causis, ut vel ibi deposito nomine Abbatis, sub regula viveret in humilitate, vel districtioris abstinentiæ legibus subderetur. Et quia desiderium suum impediri poterat publicatum, quærit primitus occasionem proficiscendi Carthaginem. Dehinc veniens ad ipsius mœnia civitatis, uno tantum fratre, cui nomen fuit Redemptus, socio peregrinationis electo, navem conscendit, Alexandriam petiturus, nullos forte sumptus peregrinationi tantæ necessarios secum ferens, sed in Deo, qui dives est, spem suam firmiter ponens, suaviter canebat cum David: Dominus pascit me, et nihil mihi deerit.

* *al.* Indidi.

Fulgentius legens Vitas PP. vult ire in Egyptum.

Psal. 22. 1.

23 Ventis itaque flatu prospero consequentibus, Syracusanum contigit feliciter portum; Deique summi providentia gubernante, ductus est ad hanc civitatem, ubi tunc Ecclesiam Catholicam beatus Papa Eulalius gubernabat, vir eximiæ sanctitatis, admirabilis hospitalitatis, perfectissimæ caritatis; in cujus corde thesaurus sapientiæ spiritalis absconditus, multos talentorum Dominicorum negotiatione ditabat. Virtute enim discretionis super omnia decoratus, Monachorum professionem singulariter diligebat; habens etiam ipse Monasterium proprium, cui semper adhærebat, quoties ab Ecclesiasticis actibus vacabat. Ad hunc ergo beatus Fulgentius veniens, inter alios peregrinos hospitalitatis officio libenter excipitur, neque tamen diu latere permittitur. Mox enim, sicut moris est, in convivio Sacerdotum, dum de divinis rebus ortus est sermo, virum singularis scientiæ locutio sua continuo prodidit. Intellexit Episcopus, ex ornatu sermonis, et responsionum moderatione, sub monachico habitu magnum latere Doctorem: distulit tamen eumdem vel quis esset, curve advenisset, convivis præsentibus, inter epulas quærere.

Syracusis excipitur ab Eulalio Episcopo viro sancto.

24 Post prandium vero cum meridianis horis in domo sua deambularet Episcopus, per fenestram respiciens, observantem sibi sicut ceteros, beatum Fulgentium vidit: quem continuo peculiariter vocans: de Institutionibus, ait, et Collationibus loqui cœperas, dum pranderemus. Affer, obsecro, mihi codicem, si portas. Ille sine mora jussis obediens, codicem detulit, in quo quid contineretur, verbis propriis jussus exponit. Admiratur sanctus Eulalius scientiam juvenis, et tali hospite delectatus, cur ex Africa venerit, diligenter

Ex doctrina agnoscitur. Dissimulat quo eat. Socius id prodit.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

diligenter inquirit. Ille metuens arrogantiæ notam, si desiderium suum fateretur, incurrere : Parentes, inquit, meos requiro, quos in illis partibus vivere peregrinos audivi. Vere enim parentes suos requirebat, quorum suavissimos mores imitari cupiebat. Intellexit Episcopus responsum non manifestum, totiusque itineris ejus per alterum fratrem, (fuit enim simplex) investigat causas.

23 Ibi tunc Beatus Fulgentius salubriter proditus, veritatem simpliciter confitetur : iturum se ad ultimam Thebaidæ regionis eremum dicit, ut illic, sicut lectio monebat, mundo mortuus viveret, ubi major abstinentium numerus assumptioni suæ nullum gigneret impedimentum, sed forte potius præberet exemplum. Recte facis, respondit Episcopus, cupiens meliora sectari : sed scis, quoniam Deo sine fide impossibile est placere. Terras, ad quas pergere concupiscis, a communione Beati Petri perfida dissensio separavit. Omnes illi monachi, quorum prædicatur mirabilis abstinentia, non habebunt tecum altaris sacramenta communia. Quid ergo proderit affligere jejuniis corpus, ubi solatiis spiritalibus indigebit anima, quæ multo melior est corpore? Revertere fili, ne vitæ melioris intuitu, periculum rectæ fidei patiaris. Ego etiam quondam juvenis, antequam me Pontificalis honoris gratia præveniret indignum, diu cogitavi sanctissimæ hujus professionis in ipsius provinciæ monasteriis adimplere propositum, sed hæc causa me prohibuit assumpta perficere.

Dissuadet susceptum iter Eulalius.

26 Consensit Beatus Fulgentius monentis patris consilio salutari, sucque intentionis fervore deposito, suadetur ibi apud Syracusam paucis mensibus degere, Sancto Eulalio præbente victum et hospitium congruum. Sed quia bonæ mentis indoles numquam vacat, caritatis opera semper exercens, in ipso parvissimi hospitii, quod acceperat, habitaculo cœpit hospitalitatem multis supervenientibus exhibere, peregrinus et alterius indigens solatio, consolandos suscipere peregrinos. Miratur Sanctus Eulalius affluentem sancti animi libertatem, magnoque gaudio saginatur, dum per manum Beati Fulgentii, cui victum quotidianum nihil habenti ministrabat, alimenta ministrari non habentibus videret. Et si fas est dicere, comparatione minorum crescere solere majores, quamvis esset Sanctus Eulalius in pauperibus gubernandis omnino perfectus, opera tamen Beati Fulgentii considerans, de die in diem plus misericors efficiebatur et largus.

Fulgentius hospes, hospitalitatem erga alios exercet.

CAPUT XIII.

Ruffinianum convenit. Romam visit, Theodorici triumphos spectat.

Peracto itaque præsentis hyemis tempore, cura vehemens Beatum Fulgentium commovet, Episcopum quemdam Ruffinianum nomine, qui persecutionis violentiam fugiendo declinans, ex Byzaceno concilio navigarat, ibique provinciæ Siciliæ vicinus, in quadam brevissima commorabatur insula, vitam monachi laudabiliter gerens, videre indifferenter, ut ejus admonitione secundo firmatus, quid facere deberet, agnosceret. Hoc autem volebat, non quia Eulalio Pontifici minus credebat, sed in rebus dubiis utilissimum semper esse multorum consilium sentiebat. Per multos itaque pedestris labores itineris ad illum Siciliæ veniens locum, cui plus propinquior illa insula fuerat, ubi Sanctus Ruffinianus Episcopus habitabat, modica navicula deportatus, Sacerdoti venerabili velociter præsentatur : a quo similiter, ne in Ægyptum proficisci perseveraret, admonitus, redire protinus ad proprium Monasterium, neque tamen Apostolorum memoriam prætermittere, statuit.

Ruffinianum Episcopum invisit.

28 Occasione igitur navigii felicioris inventa, Romam venit, et auctorum sæcularium consono semper ore laudatam, caputque mundi veraciter appellatam, festinus ingreditur civitatem. Fuit autem tunc in Urbe maximum gaudium, Theodorici Regis præsentia, Romani Senatus et populi lætificante conventus. Unde contigit, ut Beatus Fulgentius, cui mundus olim fuerat crucifixus, postquam sacra Martyrum loca venerabiliter circumivit, omnesque servos Dei, quorum in brevi capere notitiam potuit, humili obsequio salutavit : in loco, qui Palma aurea dicitur, memorato Theodorico Rege, concionem faciente, Romanæ Curiæ nobilitatem, decus, ordinemque distinctis decoratum gradibus adspectaret, et favores liberi populi castis audiens auribus, qualis esset hujus sæculi gloriosa pompa, cognosceret. Neque tamen id hoc spectaculo libenter aliquid intuetur, neque nugis illis sæcularibus superflua illectus delectatione consensit : sed inde potius ad illam supernæ Hierusalem desiderandam felicitatem vehementer exarsit, salubri disputatione præsentes sic admonens fratres : Quam speciosa potest esse Hierusalem cælestis, si sic fulget Roma terrestris! Et si in hoc sæculo datur tanti honoris dignitas diligentibus vanitatem, qualis honor et gloria et pax præstabitur Sanctis, contemplantibus veritatem!

Per ejus Discip.

Visitat loca sacra.

Spectat triumphum Theodorici.

Romam venit.

CAPUT XIV.

Domum reversus novum Monasterium construit. Inde clam fugit ut lateat, et sibi vivat.

Multa his similia Beatus Fulgentius illo die salubriter disputavit, et jam toto corde Monasterium suum revisere cupiens, ad Africam velociter per Sardiniam navigavit : vix credentibus præ nimio gaudio monachis suis Beatum rediisse Fulgentium. Nesciebat plane sancta fraternitas, quid primitus ageret, utrum de absentia Patris quereretur, an potius de præsentia lætaretur. Nullus tamen ausus est eum, quia discesserat, culpare, sed cuncti potius satagebant pro reditu ejus Deo gratias agere. Junguntur servorum Dei gaudiis etiam laici : lætantur omnes honesti ac nobiles viri, quod Beatus Fulgentius Africanæ Ecclesiæ Doctor prædestinatus, non diu fuisset in transmarinis regionibus occupatus. Certatim denique singuli properant ampliora præbere solatia pietatis, quibus foveretur animus revertentis. Offertur denique a quodam, nomine Silvestrio, bene Christiano, et provinciæ * Byzacenæ primario, locus aptus Monasterio fabricando, cujus gleba pinguis ac fertilis, instituendis hortis optabili fœcunditate congrueret, et quod plus eligendum videbatur, longe adhuc a furore bellico constitutus, quietissimæ pacis securitatem plenissimam daret, honestis plurimis per vicinas possessiones commanentibus : quorum frequens oblatio transactionem facillimam monachis promittebat, ut regnum Dei quærentibus, nulla cura sæcularis transactionis obstreperet.

In Africam redit.

**MS. Rip. Byzantinæ.*

30 Libenter itaque B. Fulgentius hominis religiosi devotam suscipiens oblationem, sine mora in loco sibi concesso Monasterium fundat, plurimosque ad conversionem piis monitis invitando, monachorum multiplicat numerum, et magnæ congregationis efficitur Pater. Quamvis sane spiritalia meditari jugiter concupisceret, ampliori tamen sollicitudine distendi compellitur, otium sanctum quærens ex dilectione veritatis, negotia multa suscipiens ex necessitate caritatis. Unde victus aliquando contemplatione meliorum, lectioni et orationi tantum vacare desiderans, cogitavit diu, quomodo sarcinam præsentis oneris abjiceret, et sub aliorum regimine constitutus, ipse potius sub regula viveret, quam vivendi regulam ceteris traderet, secundum præceptum Domini, magis utile judicans imperantibus obedire, quam obedientibus imperare. Cogitanti vero ea diutius, talis subito sententia nascitur

Construit Monasterium.

PER EJUS DISCIP. a *alii* MSS. *Vincensi*. b *ita* MSS. *at Sur.* Vennesensi.

scitur. Est in medio vadosi maris sinu Monasterium *a* Vivecensi littori proximum, *b* Bennefensi autem maxima ex parte contiguum : ubi neque hortos colere parvissimi scopuli limes sinit angustus, neque ligni vel potabilis aquæ consolatio saltem ministratur exigua, sed rei utriusque per brevissimas naviculas quotidie sufficientia præparatur. In hoc Monasterio regidi propositi disciplina antiqua servatur, ab infantia sua plurimis usque ad decrepitam senectutem sanctissime ibi viventibus, sanctæque professioni congrua opera laudabiliter exercentibus. Ubi tunc duo Presbyteri peculiares, et merito mirabiles, et immaculatæ senectutis honore venerabiles, Abbatis officio fungebantur, numquam de cœnobio recedentes, sed Ecclesiasticæ dignitati multos viros idoneos nutrientes. Ad hoc ergo Monasterium clam Beatus Fulgentius proficiscitur, ibique in congregatione tam maxima nomen ponit Abbatis, et adunatus multitudini monachorum, fulget quidem super ceteros scientia mirabili, eloquentia speciali, sed subjicitur omnibus laudabili humilitate, atque obedientia singulari. Memor quippe illius Evangelicæ sententiæ, qua Dominus noster dicit : Non veni facere voluntatem meam, sed ejus, qui misit me ; omnes suas mortificat voluntates ; jejuniis insuper, orationibus, vigiliis et abstinentiæ vacans, totumque se cum vitiis et concupiscentiis sæcularibus crucifigens, manibus etiam suis delectabiliter operabatur. Nam et scriptoris arte laudabiliter utebatur, et palmarum foliis flabellos sæpissime contexebat. Cui operi, etiam cum fuisset Abbas, in suo Monasterio vacabat. Lectioni autem in cellula frequenter coram fratribus insistebat, apud omnes amabilis, honorabilis et jucundus.

Clam aliud Monasterium petit.

Privatus degit.

Joan. 6.

CAPUT XV.

Cogitur ad suos reverti. Sacerdotio initiatur.

Sui eum repetunt.

Sed quanta in eodem Monasterio lætitia, tanta in illius exorta est repente tristitia. Gaudebant isti, qui eum susceperant : dolebant illi, qui amiserant. Nascitur inter eos nova pugna caritatis. Isti novum socium tenaciter amplectuntur ; illi antiquum patrem reddi sibi suppliciter deprecantur. Isti se ornari de præsentia ejus ; illi de absentia deficere confitentur. Beatus vero Fulgentius magis volens discere, quam docere, consentit hic esse, ubi fuit inferior ; et trepidat illuc redire, ubi cunctis posset esse superior. Tunc Abbatis Felicis et omnium fratrum, quos reliquerat, dolor ex necessitate consilium sumens, patrocinio sancti Fausti Episcopi insulanos monachos pulsat. Ille protinus Episcopali auctoritate suum esse monachum Fulgentium allegat, sibique reddi, et ubi ipse jusserit, vivere debere confirmat. Minatur excommunicationem contradicentibus : ipsum vero Fulgentium, nisi consentiat, inobedientibus similem pronuntiat judicandum. Quid multa? Deponitur rursus Beatus Fulgentinus ad monasterium proprium, subire præcipitur Abbatis officium ; et ne iterum * a desiderio spiritali mutabilis fieret, repente eum Sacerdos Presbyterum consecrat, ut Abbatis et Presbyteri decoratus officio, nec Monasterium relinquere, nec in alia posset Ecclesia ordinari fortuito.

Cogitur ad suos redire.

Fit Sacerdos.

*MSS. *Rip.* ad desiderium.

32 Victus igitur, et honoris compedibus vinctus, cœpit jam Beatus Fulgentius æquanimiter Monasterium suum regere, famaque crescente laudabili, super omnes Africæ provincias innotescere : in ipso autem * Nuntorum territorio tamquam proprius Episcopus honorari, paratis omnibus, quandocumque facultas ordinandi Episcopum concessisset, Beatum Fulgentium primum Sacerdotem vocibus et mentibus petere, nec alterum nisi Beatum Fulgentium sibi consecrari permittere. Desiderium deinde populorum Deus videbat, ipsum quoque Beatum Fulgentium non latebat.

*Ita MS. *Sur.* Vintorum. *Poscitur ad Episcopatum.*

CAPUT XVI.

Episcopatum tantisper fugit.

Contra Trasamundi edictum ordinantur novi Episcopi.

Sed quia tunc Regalis auctoritas Episcopos ordinari prohibuerat, nec viduatis plebibus providere Pastores licebat, securus interdictionis hujus tempora transigebat, superfluum judicans honorem fugæ præsidio recusare, quem nec dare alicui fas erat, nec accipere. Postquam vero sacra turba Pontificum, qui remanserant, communicato inter se consilio, definierunt adversus præceptum Regis in omnibus locis ordinationes celebrare Pontificum, cogitantes aut Regis iracundiam, si qua forsitan existeret, mitigandam, quo facilius ordinati in suis plebibus viverent ; aut si persecutionis violentia nasceretur, coronandos etiam fidei confessione, quos dignos inveniebant promotione ; ministerium vero suum facilius impleturos, atque inter ipsas tribulationes propriis plebibus solatia præstaturos : Fit repente communis assumptio, Presbyteros, Diaconos, et si quos inveniret electio, rapere, benedicere, consecrare, certatim locis singulis properantibus, ne in tali studio aliquis aut tardus, aut novissimus videretur.

Fulgentius ut fugiat Episcopatum, latet.

34 Tunc beatus Fulgentius eligentium vota velociori præveniens fuga, latebris incertis absconditur, nec quæsitus ullatenus invenitur. Plebs ipsius loci, ubi fuerat Monasterium constitutum, differre suam prorsus electionem, donec inveniret Beatum Fulgentium, cogitabat. Verumtamen timens, ne dum diu Beatus Fulgentius quæritur, fama hæc Carthaginem perveniret, atque inde rursus Regalis interdictio nasceretur : ita compellente festinationis necessitate suadentur sibi de suis clericis alterum quærere. Sic per multa loca, ubi Beatus Fulgentius aut primus, aut solus electus est, postquam minime potuit inveniri, dedit aliis honoris summi licentiam. Repleta jam fuerat provincia Byzacena novis Sacerdotibus ; et pene vix paucarum plebium cathedræ remanserant destitutæ : Regis quoque commota sævitia cunctos jam decreverat exilio mancipandos, in ipsum primitus ordinatorem, id est, Primatem, nomine Victorem procedente sententia : Qui jam a servis Regis exeuntibus captus, ad Carthaginem ducebatur. Et omnino succedente majore tristitia, versa fuit in publicos luctus ordinationis assumptæ lætitia. Tunc occultis nuntiis * edocentibus, transisse tempus faciendæ ordinationis, Beatus Fulgentius putans, cathedris quam maxime proximis Episcopos haberi proprios, ipse rursus Monasterii sui congregationem gubernare revertitur, nihil dubitans, neque formidans, sed omnino se Pontificalis dignitatis evasisse sarcinam gaudens.

Optatur a multis.

**al.* educentibus.

Redit ad suos.

CAPUT XVII.

Episcopus ordinatur, frustra obnitente Felice Diacono.

Verumtamen altiori consilio Deus noster prædestinata perficiens, cui dederat docendi salubriter facultatem, doctrinæ salutaris dare jam volebat auctoritatem, ne deesset fidei Catholicæ contra Arianos fidelissimus prædicator. In tempore ergo tribulationis abscondere * noluit vas electionis, per quem disposuerat implere officium prædicationis. Erat adhuc Ruspæ oppidum nobile, clarissimis habitatoribus prorsus illustre, cui nullus fuerat Episcopus ordinatus : Quia Diaconus quidam Felix nomine, qui ambire volverat repudiatus, honorem Pontificis in illo loco nec ipse merebatur, nec alterum accipere patiebatur. Frater quippe illius germanus, amicus Procuratoris, per potentiam sæcularis actionis ministrabat vires ambitionis. Dolor honestorum civium mentes vehemens exagitabat, cur soli remansissent sine patre spiritali,

**al.* voluit.

Ruspa ob Felicis Diaconi ambitionem caret Episcopo.

spiritali, qui videbantur super ceteros excellere nobitate carnali.

36 Tum repente fama verax dolentibus nuntiat Beatum Fulgentium, quem tot loca primo Sacerdotio judicaverant dignum, nullatenus tempore ordinationis inventum, remansisse Presbyterum, gloria majore vestitum, quod honoris superioris sic calcaverat appetitum. Illis, quibus displicebat superbus ambitor, placet iste laudabilis excusator. Consentitur ab omnibus, ipsum sibi esse servatum, propterea minime tantis plebibus ambientibus ordinatum. Nesciente igitur Beato Fulgentio, Victor Primas in itinere petitur a Ruspensibus, et vicinis Episcopis ordinandi Fulgentium licentia datur. Tunc aggregata violentæ multitudinis manu, repente Beatus Fulgentius, dolens oculos, in cellula propria reperitur, invaditur, tenetur, ducitur, et Pontifex esse non rogatur, sed cogitur. Inde ad Episcopum, quia admonitus fuerat ordinationem celebrare, perductus, ignoti populi constituitur Pater: ita ut in illo Propheticum illud compleri videretur oraculum, Populus quem non cognovi, servivit mihi. Nimis autem gratissimus vir sapienti adspectu, et favores populi suffragantis augebat, et a quocumque tunc videbatur incognitus, humilitate vestium blandus, modestoque incessu venerabilis habebatur. Cum vero loqui quippiam, cogente interdum ratione, voluisset, in ore ejus omnis turba pendebat, ex locutione familiari considerans, qualis esset spiritalis magistri futura doctrina. Propter quod ex omnibus possessionibus, ubicumque transibat, populus confluxerat ad favendum, Ruspensi Ecclesiæ quanto serius, tanto meliorem confitentes provenisse Pontificem.

Fulgentius cogitur Episcopatum eum suscipere.

Psal. 17. 45.

37 Diaconus porro videns suæ ambitionis conatus vanissimos defecisse, quod solum remanere deluso poterat, sævit, et tardus. Innumeris denique congregatis, venienti filio pacis scandalum, sicut sacer loquitur psalmus, juxta semitam ponit. Viam igitur, per quam veniebat Dei servus electus, obsedit ambitor infestus. Sed ubique simplicibus subvenit Christus, nec impediri potest ab homine Sacerdotis electio, quam non præcedit ambitio. Nescio quo sancti Spiritus admonentis imperio, per alteram viam populus qui præcedebat, ambulavit, et Beatum Fulgentium, dum adhuc hostis sedet in via, super suam cathedram collocavit. Celebrata sunt eodem die divina solemniter Sacramenta, et de manibus Beati Fulgentii communicans omnis populus, lætus abscessit. Quod postea Diaconus audiens, divinæ voluntati, licet tardius, cessit. Hunc illico revertentem Beatus Fulgentius benigne, affabiliter, clementerque excepit, ita ut eum postea Presbyterum ordinaret. Sed ultionem debitam divina justitia demonstravit omnino velociter. Ipse enim Diaconus, jam Presbyter, intra annum mortuus, et Procurator ei consentiens ad penuriam est redactus. Dederunt enim pœnas temporalis audaciæ, quibus potens est Deus præparare in futuro gratiam cælestis indulgentiæ. Nos istud propterea commemorandum putavimus, ut ostenderemus hinc Beato Fulgentio majorem crevisse circa singulos auctoritatem, dum cognoscerent in istis vigilasse divinam severitatem.

Felix Diaconus ei insidiatur.

Psal. 139. 6.

Qui tamen mox benigne ab eo recipitur;

sed a Deo deinde punitur cum sociis.

CAPUT XVIII.

Vita in Episcopatu.

Fulgentii Episcopi virtutes.

Suscepit interim Beatus Fulgentius Episcopatum sine aliqua ambitione, cum maxima devotione, manente in contradictoribus Domini ultione. Nec ita factus est Episcopus, ut esse desisteret monachus; sed accepta Pontificis dignitate, professionis præteritæ servavit integritatem. Servata vero professionis integritas, plus ornavit Pontificis dignitatem. Numquam denique pretiosa vestimenta quæsivit, aut quotidiana jejunia prætermisit, aut conditos suaviter cibos vel inter hospites manducavit, aut discumbendo saltem requiescere et resolvere rigidum propositum voluit, sed una tantum vilissima tunica, sive per æstatem, sive per hyemem est patienter indutus. Orario quidem, sicut omnes Episcopi, nullatenus utebatur: pelliceo cingulo tamquam monachus utebatur. Sic studio humilitatis ambitionem vestium fugiebat, ut nec ipsa calceamenta suscipiens clericorum, aut caligis in tempore hyemis, aut caligulis in tempore æstatis simpliciter uteretur. Intra Monasterium sane interdum soleas accipiebat; frequenter nudis pedibus ambulabat. Casulam pretiosam vel superbi coloris, nec ipse habuit, nec monachos suos habere permisit. Subtus casulam nigello vel lactineo pallio circumdatus incessit. Quando temperies aeris invitabat, solo pallio intra Monasterium est coopertus. Scapulis vero nudis numquam a nobis visus est, nec deposito saltem cingulo somnum petivit. Suæ autem continentiæ Deo teste fiduciam gerens, in qua tunica dormiebat, in ipsa sacrificabat: et in tempore sacrificii mutanda esse potius corda, quam vestimenta, dicebat.

PER EJUS DISCIP.

Paupertas in vestitu,

39 Huic beatissimo Sacerdoti nullus aliquando extorsit cujuslibet generis carnes accipere, sed sola simpliciter olera, ptisanas, et ova, quamdiu juvenis fuit, sine oleo; postquam vero senuit, superfuso oleo manducavit; ideo * persuasus oleum accipere, ne caligo prævalens oculorum, lectionis impediret officium. A vino autem sanus semper abstinuit. Si quando vero compellente infirmitatis necessitate, modico vino uti compulsus est, calicibus plenis aqua superfundens quippiam meri, nec saporis ejus, nec odoris jucunditate fruebatur. Antequam vigiliæ nuntiarentur a fratribus, ipse semper corde et corpore vigilans, aut orabat, aut legebat, aut dictabat, aut cuicumque spirituali meditationi solus vacabat: quia se per diem filiorum Ecclesiæ necessitatibus occupari jugiter sciebat. Ad agendas cum servis Dei vigilias interdum descendebat, sed privatas apud se vigilias studiis, quibus dixi, multo laudabilius exercebat.

ac victu.

*MS. *Rip.* plus suasus.

Vigilantia.

CAPUT XIX.

Monasterium Ruspæ construit.

Erigit Ruspæ Monasterium.

In nullo autem loco visus est sine Monachis habitare: propter quod a civibus Ruspensibus hoc primum beneficium ordinatus Episcopus postulavit, ut fabricando Monasterio locum congruum darent. Tunc ex pluribus civibus obedire festinantibus optimo Sacerdoti, quidam nomine Posthumianus, Christianissimus, et inter suos nobilissimus civis; agellum proprium fideliter obtulit, non longe ab ecclesia constitutum: ubi pinis surgentibus in excelsum, speciosi nemoris virebat amœnitas. Excepit Beatus Fulgentius libentissime locum, cujus etiam ligna necessaria futuræ fabricæ conspiciebat: protinusque Beatum Abbatem Felicem venire velocius persuasit, cum maxima pene totius congregationis multitudine, nisi quod paucissimos fratres in illo Monasterio dereliquit, quibus unum e fratribus, Vitalem nomine, præposuit. Tali vero charitatis lege Monasteria utraque præcipiens vivere, ut quasi non fuissent locis divisa, sic essent unanimitate conjuncta. Si quos autem novos monachos vel in isto, vel in illo Monasterio Christus acquireret, tempus inter se conversionis ordinemque servarent: et si quando ad se videndos, jubentibus dumtaxat Prioribus, venirent, non ut hospites, sed quasi unius congregationis homines susciperentur: Beati vero Fulgentii Episcopi provisionibus communiter gubernati, Patrem spiritalem simplici venerarentur affectu: sic Beato Fulgentio singula disponente, ne suscepta regendorum farcina clericorum consolationem perderet monachorum.

Unit illud cum priore Felicis Abbatis.

CAPUT

PER EJUS DISCIP

CAPUT XX.

S. Fulgentii exilium.

Pellitur in exilium.

Inter ea pente diriguntur ministri Regalis furoris, ut detentus etiam ipse, cum ceteris in exilium Sardiniam confessor Christi nobilis truderetur. Abductus ergo velociter, licet doleret Ecclesiam suam nullis adhuc eloquiorum suorum monitis eruditam, remansuram protinus destitutam; sapienter tamen tristitiam gaudio majori vincebat, quod tam gloriosæ confessionis esse particeps inchoabat. Comitantibus ergo monachis simul et clericis, magister egregius utriusque professionis exit, flentibus omnibus laicis, de cathedra honoris ad locum beati certaminis, paratus fidem Catholicam mente libera, voce forti coram Regibus et potestatibus confiteri. Suscepit eum Carthago venientem, fructumque notitiæ ejus in paucis * suis fideliter gustans, multa obtulit munera; quæ beatus Fulgentius Monasterio illi, quod fabricari delegaverat, profutura mandavit. Ipse vero navem crucifixo corde et corpore nudus ascendit, habens secum plurimas divitias scientiæ singularis, quibus omnes ubicumque veniebat, indeficienti largitate pascebat.

* *ita* MSS. *at Sur.* diebus.

Magna ejus ob doctrinam auctoritas.

42 Inter alios sane Episcopos, cum quibus exilium commune susceperat, tempore ordinationis erat inferior, sed patientiæ et caritatis virtute non inferior. In rebus enim dubiis, ubi quam maxime consilium petebatur, si quando inter se Confessores beatissimi de communi utilitate tractabant, ultimus quidem sedebat; verumtamen ipsius sententiam Primas, vel omnes qui Primatem sequebantur, audire et facere cupiebant : quamvis ille nihil per inanem gloriam sibi vendicans deferret honorem congruum prioribus suis. Si enim cogebatur respondere consulentibus, ita paratus erat semper obedire jubentibus, ne præsumeret aliquid extorquere nolentibus. Post deliberationis autem longissimas moras, quidquid definitio communis invenerat, eloquenter allegandum sensibus ceterorum Beato Fulgentio dimittebatur. Huic etiam, quandocumque transmarinis litteris de fide, vel de diversis quæstionibus interrogabantur Episcopi, respondere pro omnibus ab omnibus imponebatur. Ita sicut sanctæ memoriæ Aurelius, Carthaginensis Antistes Ecclesiæ, inter sua privilegia meruit, ut litteras ex Africano Concilio dandas ipse solus scriberet; sic iste meruerat, ut litteras ex illo Concilio dirigendas, solus ipse dictaret. Sexaginta quippe et amplius Episcopos tunc catena ligabat exilii, quorum lingua et ingenium Beatus Fulgentius Episcopus fuit. Propterea quandocumque rescribebant consulentibus, Episcoporum cunctorum nomina dicebantur in titulo, sed solius Beati Fulgentii sermo tenebatur in stylo. Præter istas quoque publici tractatus epistolas, si quis forte ex ipsis Episcopis absentem plebem suam * corrigere vel monere voluisset, ad Beatum Fulgentium suppliciter accedebat, et per ministerium linguæ ejus, officium suæ dispensationis implebat. O mirabilem virum, non sibi soli, sed omnibus natum! Sola eum Ruspensis Ecclesia Doctorem meruerat, et pars maxima Concilii Byzaceni de ipsius sermone vivebat. Quicumque in qualibet Sacerdotum exulantium plebe tentabat inquietus existere, vel Episcopi proprii jussa contemnere, Beato Fulgentio dictante, sic corripiebatur absens, ut satisfactionis remedium quærens, enavigato mari, * continuo fieret præsens, et per ipsum Beatum Fulgentium, cujus eloquentiam senserat excommunicatus, impetraret veniam salubriter humiliatus. Ipse namque Beatus Fulgentius, erat ultor, ipse intercessor : cum collega ultor; pro ministro intercessor. Ab ipso procedebat gladius, unde superborum cervix dura cæderetur; et per ipsum rursus benevolentiæ medicina præbebatur, donec supplicum fratrum pusillanimitas sanaretur.

Ceteris Episcopis est ab epistolis.

* MS. *Bonif.* colligere.

* MS. *Rip.* cunctis.

43 Inter ipsa * plane primordia gloriosi exilii, Monasterium congregare, paucos secum monachos ducens, minime potuit; sine fraterna tamen congregatione vitam ducere nesciens, Coepiscopos suos, Illustrem scilicet et Januarium, habitare secum persuasit volentes; quibus unico serviens caritatis affectu, similitudinem magni cujusdam Monasterii, monachis et Clericis adunatis, sapienter effecit. Erat quippe eis communis mensa, commune cellarium, communis oratio simul et lectio. Nullus se super alterum insolenter efferebat, nec propriis fratribus amplius aut peculiarius consulebat, nisi quod magis illi monachi, qui Beatum Fulgentium sequebantur, districtioris abstinentiæ regulam custodientes, nihil omnino proprium possidebant, nec inter alios Clericos Clericorum more vivebant. Talis erat Beati Fulgentii eruditio, quæ spiritalibus monitis ita subjectorum sibi corda transferret a terrenis voluptatibus ad spiritales cælestesque delicias, ut boni propositi manente censura, non seducerentur infirmorum fratrum * inertia, nolentium imitari, quæ quotidie ante oculos eorum gerebantur exempla.

* *al.* sanc.

Apud eum Clerici et Monachi simul vivunt.

* MS. *Rip.* velle imitari.

44 Quis illius habitationis digne explicet laudes? Domus illa, tunc Calaritanæ civitatis oraculum fuit. Illuc enim veniebat afflictus percipere remedium consolationis : ibi gerebantur inter discordantes pacis et concordiæ pacta fidelia. Divinam volentibus audire diligentius lectionem, ministrabat ibi Dominus plenissimæ expositionis ædificationem. Delectabat nobiles viros, si fieri posset, quotidie Beatum Fulgentium cernere disputantem : libebat indigentiam sustinenti, inde petere suppliciter eleemosynam corporalem, unde doctrinam quoque sumeret spiritualem. Frequenter enim Beatus Fulgentius, quos multa largiendo de temporali fame liberabat, renuntiare sæculo sapienter admonendo faciebat, et quamvis nihil habentes, habendi voluntatem contemnere suadebat : ita cupidus semper acquirendæ ad cœnobium fraternitatis, ut quamvis omnibus omnia nosset esse, monachorum tamen professioni sociare cunctos et optaret, et vellet. Hæc fama per dies singulos crescens, Carthaginensis quoque Ecclesiæ populos ad majora gaudia provocabat, et certissimis testibus ex illa provincia venientibus, Beatum Fulgentium commendabat absentibus.

Omnibus subvenit.

Multos ad religionem trahit.

CAPUT XXI.

Accersitur Carthaginem, tyranni quæstionibus responsurus.

Interea Trasamundi Regis adversus religionem Catholicam mens implacabilis, et ira terribilis, inter asperas persecutiones subdolasque factiones, quibus æqualem Deo Patri negare Christum Catholicos nunc terroribus cogebat, nunc promissionibus invitabat, sub intentione plus decipiendæ multitudinis simulare cœpit, rationem se simpliciter inquirere Catholicæ religionis, reperiri neminem putans, cujus posset in suis erroribus assertione convinci. Proponebat denique * multis ineptarum tendiculas quæstionum, nec si quis ei respondere voluisset, aut despiciebat, aut repellebat : imo quasi patienter audiens, satisfieri sibi non posse jactabat. Et revera quis homini tam obdurato corde valuisset lumen ostendere veritatis? Efficiebat tamen plurimos religiosos, * audaces fidei suæ constantia, per occasiones a Domino præparatas, studiosi Regis convincere blasphemias.

Transamundus simulat se instrui velle.

* MS. *S. Max.* multarum. *Sur.* multas.

* MS. *Rip.* audax.

46 Dicitur tandem requirenti diutius, quis plenissime posset testimoniis evidentibus vindicare veritatem Catholici dogmatis, esse inter Episcopos exulantes Beatum Fulgentium, cui nihil deesset in scientia, plurimum redundaret in gratia, qui sapienter et eloquenter

quenter roganti Regi satisfaceret. Protinus Rex probare cupiens Sacerdotem, cui generaliter testimonium bonum tota nostræ religionis perhibebat Ecclesia, servum strenuum celeriter dirigit. A quo sine mora ductus atque perductus, intravit Carthaginem lætus. Ubi tamquam fidelissimus dispensator, erogandi talenta sibi credita reperiens occasionem, cœpit in hospitiolo proprio venientes ad se Catholicos orthodoxos diligenter docere, rationem reddens, quomodo Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, manente trium personarum differentia, Deus unus a fidelibus prædicetur.

Fulgentium accersit.

47 Tanta autem fuit B. Fulgentio facundi sermonis suavitas, tanta in vultu ejus micabat hilaritas, ut certatim fideles universos sancta caritas traheret, vel interrogare doctissimum virum, vel audire quoties ad interrogata respondebat. Ille vero verbum Dei sine invidia tabescente communicans, occurrebat interrogationibus omnium, neminem despiciens, nullum judicans improbum, paratus etiam ipse, si cui forte Deus per Spiritum sanctum melius revelasset, audire vel discere, tenere, sequi, approbare : sub officio Doctoris humilitatem discipuli benignus et mitis exercens. Unde contigit, ut multo doctior et seipso melior fieret, lucra Christo majora perquirens. Alios enim jam rebaptizatos, errorem suum plangere docebat, et reconciliabat; alios autem, ne suas animas pro terrenis commodis perderent, admonebat; et quos jam perditioni proximos sentiebat, ita blandis sermonibus leniebat, ut propter ejus benevolentiam verecundarentur cogitatam implere malitiam, reversique velociter agerent pœnitentiam. Confortati alii verbis ejus, et doctrinæ ejus sale conditi, redarguebant Arianos hæreticos cum omni fiducia. Sic mirabili gratia factum fuit, ut per unum Sacerdotem, cujus sapientiam Rex voluerat experiri, sapientium numerus apud Carthaginem cresceret, et per ministerium persecutoris fides Catholica incrementum potius, quam defectum, acciperet.

Is multis prodest Carthagine.

CAPUT XXII.

Regis quæstionibus respondet.

Hæc omnia Rex per occultos nuntios discens, egregii Sacerdotis ingenium, sapientiam, doctrinam, fidem, pietatem, mansuetudinem, continentiam probat, et convenientem famæ suæ præconiis talem esse, qualis prædicabatur prius, agnoscit. Dicta proinde quædam, veneno plena perfidiæ, legenda ei celeriter dirigit, responsionem sibi flagitans reddi. Suscepit hæc doctissimus Pontifex, et longissimæ narrationis ineptias per objectionum capitula dividens, responsiones subjecit breves, probabiles, necessarias, auctoritate testimoniorum graves, et totius rationis lumine radiantes. Quas cum multis sapientibus viris diu multumque collatas, et ad populi fidelis notitiam perductas, Regi quoque longa expectatione suspenso tradidit ingerendas. Quas ille Rex barbarus intentissime perlegens, quia numquam prædestinatus erat ad salutem, laudat sapientiam, miratur eloquentiam, prædicat humilitatem, neque tamen meretur intelligere veritatem. Carthaginensis autem populus, * triumphi spiritalis interpres, propositiones Regis fuisse convictas læto murmure confitetur, et Catholicam fidem semper esse victricem, conjunctis Beati Fulgentii laudibus, gloriatur.

Regis quæstionibus respondet.

**MS. Bonif.* triumphalis. MS. *Rip.* triumphis spiritualibus.

CAPUT XXIII.

Aliæ Regis et Pintæ quæstiones solutæ.

Adhuc tamen Rex virum doctissimum probare desiderans, de aliis eum quæstionibus rursus interrogat, et interrogationem suam semel tantum Beato Fulgentio præcepit legi, neque meditandi, neque describendi tribuens facultatem. Timebat enim, ne verba ejus convincenda, sicut prius, sermonibus ejus inserentur, totiusque judicio civitatis victus esse iterum reprobaretur. Beatus vero Fulgentius semel sibi lecta vix * recolere prævalens, respondere differebat : sed respondere eum Rex magis ac magis imperabat, responsionis arguens moras, et cautelam viri sanctissimi, diffidentiam judicans. Unde idem Pontifex discretionis virtute subnixus, ne qua forsitan per populum mendacia spargerentur, quibus fingeretur aut non potuisse, aut noluisse Beatum Fulgentium Regalibus quæstionibus obviare, tres libellos mirabiles facit : ubi memoratum Regem simpliciter alloquens, * vim totius quæstionis, quam tenui auditu perceperat, late reventilabat, docens animam rationalem Christo Domino in susceptione carnis minime defuisse. Tunc Rex admiratione maxima repletus, nihil amplius est interrogare ausus, nisi, quod unus ex Episcopis ejus, Pinta nomine, quasi respondere conatus, tacere potius noluit, quam respondere aliquid potuit. Cui tamen illico Beatus Fulgentius alterius operis, quod adversus Pintam titulavit, disputatione veridica restitit, et in prima defensione sua victos adversarios, temerarie satis ostendit repetisse certamen.

Item aliis semel tantum lectis.

PER EJUS DISCIP.

**MS. Rip.* regulare. MS. *Boni.* recolligere.

** al.* seriem.

Item Pintæ Episcopi hæretici.

CAPUT XXIV.

In invidiam vocatur.

De Spiritu sancto interroganti Presbytero Abragilæ, per Commonitorium parvissimum testimonia protulit plura, docens eum cum Patre et Filio Deum unum simpliciter confitendum. Cujus etiam Commonitorii sententias inter utrumque istius temporis opus ordinavit oportere describi, legentibus omnibus fidelibus Catholicis, et mirantibus; erubescentibus Arianis, et dolore contra ipsum murmurantibus. Donec malæ suggestionis occasione reperta, volenti eum Regi intra Carthaginem diutius retinere, diceretur ab impiis et malis hominibus : Sine causa, Rex, laboras : nihil tua diligentia proficit. In tantum quippe jam doctrina Fulgentii Episcopi prævaluit, ut de Sacerdotibus tuis reconciliet aliquantos. Proinde nisi cito subveneris, religio nostra deficiet; et quicumque a nobis est baptizatus, homousion iterum prædicabit publice reconciliatus, nec si persecutionem volueris concitare, timeri poterit Regalis sævitia. Multum quippe confortat, et stabiles facit omnes Episcopos Fulgentii præsentia.

De Spiritu sancto scribit.

Vocatur in invidiam apud Regem.

CAPUT XXV.

Iterum in exilium pellitur; brevi se rediturum prædicit.

Suggerentibus talia Rex quasi magna necessitate constrictus, assentit, et Beatum Fulgentium rursus ad exilium Sardiniæ revocare compellit. Intempesta igitur nocte (sic enim Rex fieri delegaverat) ad navem Beatus Fulgentius populo ignorante perducitur. Sed contrario flatu resistentibus ventis, super littus tantas passus est moras, ut per dies plurimos omnis pene illuc civitas conveniret, et de manu ejus valefaciens communicaret. Ibi autem prophetica gratia per Spiritum sanctum repletus, * Juliateo viro religioso nimis afflicto, graviterque pro discessu beati Pontificis ingemiscenti : Diutius, ait, flere noli : Cito revertemur ad vos, Catholicæ Ecclesiæ libertate reparata, videbitis nos. Hoc autem, quæso, secretum sit apud te, quod nimia caritas indicare compulit me. Sic sollicite semper Beatus Fulgentius jactantiam fugit, nec in donis spiritalibus humanam gloriam requisivit, testimonio conscientiæ suæ contentus, et sola Dei misericordia fretus.

Denuo relegatur.

**MS. Rip.* Juliteo. *al.* Viliateo.

Reditum suum prædicit.

32 Unde etiam mirabilia facere numquam delectatus,

De miraculis quid sentiret.

PER EJUS DISCIP.

tus, hanc gratiam sibi dari nullatenus desideravit. Sed si quando petebatur pro infirmis et laborantibus, vel necessitatem tribulationum temporalium tolerantibus Dominum deprecari, preces suas sub hac devotione fundebat : Scis, Domine, quid animarum nostrarum saluti conveniat. Poscentibus ergo nobis quod admonet necessitas, hoc misericordia tua concedat, unde spiritalis non impediatur utilitas. Oratio igitur nostræ humilitatis, si expedit, * tunc exaudiatur, ut voluntas tua principaliter compleatur. Et frequenter quidem Deus omnipotens oranti Sacerdoti suo multa concessit : sed ille nihil propriis tribuens meritis, eorum potius fidei, pro quibus exaudiebatur, omnia deputabat; neque sibi, sed illis, hoc concessum fuisse dicebat.

Ejus in orando resignatio.

**al.* ita.

CAPUT XXVI.

Ad socios exilii redit.

Ejus de miraculis sententia.

Sed ne diu moras longissimas patiamur, unam ejus sententiam de faciendis mirabilibus inseramus. Mirabilia, ajebat, non conferunt homini justitiam, sed notitiam hominum. Quisquis autem fuerit hominibus notus, nisi fuerit justus, ad æterna perveniet supplicia condemnatus. Ille vero, qui misericordiæ cælestis opera justificatus, in conspectu Dei solius vixerit justus, etiamsi parum sit hominibus notus, beata Sanctorum gaudia percipiet coronatus. Vir igitur mirabilis timuit habere laudem de mirabilibus, quamvis ampliora quotidie miracula faceret, exhortatione sanctissima multos infideles credere, multos hæreticos reconciliari, multos pessimis moribus deditos, continentiæ faciens leges excipere : dum per ejus saluberrima monita sobrietatem discerent ebriosi, castitatem sectarentur adulteri, distribuere omnia pauperibus avari rapacesque docerentur : et mutato proposito, superbis humilitas, litigiosis pax, inobedientibus obedientia fieret dulcis.

Lætantur ejus reditu exules Episcopi.

34 Talibus plane mirabilibus Beatus Fulgentius piam semper operam dedit, quibus secum comitantibus, in omni loco et tempore gloriosus, favente aliquando sereni aeris tranquillitate Sardiniam * deportatus, exulantium Coepiscoporum lætos animos reddidit, ipsamque provinciam, cui tantorum præsentia Sacerdotum tribuebat ornatum, præsentiæ suæ luce fecit splendidam, concurrentibus undique cum gaudio Christianis hominibus, videre athletam Christi fortissimum, qui certamine singulari sævientis impetum Regis fregerat, ad divina castra redisse insignibus laureis adornatum, et antiquis commilitonibus junctum, tanto amplius singulis exhibuisse laudabiliter humilitatem, quanto sciebat suam plus enituisse virtutem; memor sine dubio Scripturæ monentis : Fili quanto magnus es, humilia te in omnibus, et coram Deo invenies gratiam.

**Sur.* reportatus.

Eccl. 3. 20.

CAPUT XXVII.

Ejus in exilio actiones et instituta.

Noluit plane jam B. Fulgentius in priori domo multis fratribus comitantibus diutius habitare, sed juxta Basilicam Sancti Martyris Saturnini, procul a strepitu civitatis vacantem reperiens locum, * Brumasio Calaritanæ civitatis Antistite venerabili prius, sicut decuit, postulato, novum sumptibus propriis Monasterium fabricavit. In quo quadraginta et amplius fratribus congregatis, disciplinæ cœnobialis ordinem custodivit illæsum, nemini dans licentiam professionis sanctæ regulam præterire : sed principaliter hoc observandum monachis tradens, ut nullus eorum quidquam sibi proprium vendicaret, sed essent omnibus omnia communia. Dicebat enim frequenter, nec debere, nec posse monachum judicari, cui voluntas habere privatum peculium persuaserit. Ut enim monachus lautioribus forsitan cibis utatur, interdum cogit infirmitas corporis; ut autem cupiat in quibuslibet exiguis rebus juris proprii dominium vendicare, superbæ voluntatis et avaræ cupiditatis evidens testimonium est.

**Baron.* Primasio. MS. *Bonif.* Brimasio.

Novum extruit Monasterium Calari in Sardinia.

Liberalis in suos, maxime nihil ultro petentes.

36 Distribuebat sane ipse cum summa discretione servis Dei necessaria vitæ subsidia, singulorum vires infirmitatemque considerans: Verumtamen quibuscumque plus ceteris consulebat, eos humilitatem custodire amplius admonebat, dicens eis: De substantia communi quisquis aliquid plus accipit, omnium fit debitor quorum est illa substantia : debitorem porro sola juvat humilitas. Sic efficiebat, ne quis scandalum pateretur, quando uni propter infirmitatem plus dare aliquid videbatur. Erat quoque ei nimia sollicitudo, prævenire cunctorum monachorum petitiones, ante tribuendo, quidquid tribuendum cuilibet vel necessitas vel ratio manifesta monstraret. Si quis autem præsumpsisset, priusquam acciperet, petere; negabat ei continuo, etiamsi mereretur accipere, dicens monachos debere his, quæ acceperint, esse contentos. Ceterum qui sibi tamquam indigeant, petunt, desideriis adhuc carnalibus serviunt, et omnino non perfecte de cælestibus cogitant, quamdiu quid sibi necessarium sit, ipsi sibi, quia non possunt negotiando, petendo saltem providere festinant.

Qui veri monachi : qui ei maxime cari.

37 Illos quoque veros esse monachos dicebat, qui mortificatis voluntatibus suis, parati essent nihil velle, nihil nolle, sed Abbatis tantummodo consilia vel præcepta servare. Propterea sine suo consilio nec eum fratrem, qui Præpositi gerebat officium, sinebat aliquid agere. Laborantes fratres, et opera carnalia indefessis viribus exercentes, lectionis autem studium non habentes, minus diligebat, nec honore maximo dignos judicabat. In quo autem fuit scientiæ spiritalis affectus, etiamsi virtute corporis destitutus, operari manibus numquam posset, peculiariter habebatur dilectus et gratus.

Affabilis erat, benignus, discrete severus.

38 Amabat autem, quando coram fratribus disputabat, si quis ei quæstiones proposuisset acerrimas, in quibus excellentissimo laboraret ingenio : licebatque generaliter omnibus fratribus, etiam natura simplicibus, parumve intelligentibus, unde vellent, interrogare : nec prius, quam satisfactum sibi confiterentur, rationem reddere, victus tædio vel labore cessabat. Erat enim maxima ei et mirabilis gratia, corripere inquietos corde tranquillo : ita ut tunc magis quando putabatur ab aliis vehementer irasci, summa in eo vigeret regnaretque placiditas : et sine perturbatione perturbato similis multos male agentes salutari impetu perturbabat. Odiens enim vitia, diligens homines, tamdiu severus apparebat, quamdiu disciplinæ spiritualis utilitas exigebat. Alias autem circa singulos ita mansuetus fuit, et communis et facilis, ut neminem fratrum puro nomine clamitaret, neque cum typho sæcularis dominationis, aliquibus quamvis parvulis imperaret.

CAPUT XXVIII.

Scripta ab eo in exilio. Finis persecutionis.

Varii ejus libri.

Scripsit eodem tempore Carthaginensibus Epistolam, sublimi exhortatione perspicuam, ubi pene cunctos dolos et fallacia blandimenta, quibus infelices animæ seducebantur ad mortem, gravissima conquestione digessit. Tunc etiam de remissione peccatorum consulenti Euthymio viro religioso, duobus libellis sine mora respondit. Testimonia quoque prædestinationis, et gratiæ differentias cupientem nosse, salubriter disputans docuit. Jam familiares epistolas, in quibus tamen spiritalis ædificatio continetur, et ibi apud Sardiniam commanentibus, et in Africa degentibus,

tibus, et Romanis præcipue Senatoribus, viduisque ac virginibus, quarum fama laudabilis habebatur, frequenter direxit. Ad Probam virginem Christi, de jejunio et oratione libellos duos conscripsit. Ita erat notior omnibus gentibus, ut duo libri, quos *a* Faustus Episcopus Galliarum contra gratiam subdolo sermone composuit, favens occulte Pelagianis, sed Catholicus tamen volens videri, Constantinopoli *b* offensis plurimis fratribus, ad Beatum Fulgentium probandi dirigerentur. Quibus ne occultum serperet virus, septem libris ipse respondit, plus laborans exponere, quam convincere: quia dubios sermones ejus exponere, hoc erat delirantis argumenta convincere. Magnus plane hujus operis labor mercedem debitam cito suscepit. Mox enim ut est dictatio ipsa finita, protinus est longissimæ captivitatis catena disrupta. Mors enim Trasamundi Regis, et mirabilis bonitas Hilderici regnare incipientis, Ecclesiæ Catholicæ per Africam constitutæ libertatem, restituens, Carthaginensi plebi proprium donavit Antistitem, cunctisque in locis ordinationes Pontificum fieri clementissima auctoritate mandavit.

a *Erroribus quidem non carent libri Fausti Episcopi; ipse tamen auctor Sanctus est, ut* 16 *Januarii dicemus.*
b *al.* offensi a pluribus fratribus.

Hildericus Rex Episcopos restituit.

CAPUT XXIX.

Gloriosus ejus reditus. Vita post exilium.

Beatus itaque Fulgentius, postquam sapienter expugnavit Pelagianos, lætificatos meruit videre Catholicos. Inde secundum quod per eum Spiritus sanctus prædixerat, reversus est Carthaginem cum omnibus consacerdotibus, unde solus exierat. Invenit lætos, quos dimiserat mœstos. Invenit nimia exultatione ferventes, quos reliquerat persecutionis violentiam sufferentes. Invenit habentes spiritualem Patrem, quos reliquerat dolentes Ecclesiam matrem. Invenit expectantes se cum gaudio, quos reliquerat gementes in tædio.

Redeunt exules Episcopi in Africam.

61 Tanta autem fuit devotio Carthaginensium civium, Beatum Fulgentium revisere cupientium; sic universus populus expectabat ardenter, quem viderat in conspectu suo pugnasse viriliter; ut aliis Episcopis ante ipsum descendentibus, silens multitudo super littus staret, oculis et mentibus inter omnes Episcopos Beatum Fulgentium, quem familiariter noverat, quærens, et eum a cunctis navibus expetens. Ubi vero facies ejus apparuit, immensus nascitur clamor, altercantibus omnibus, quis primo salutaret agnoscendus, quis caput benedicenti supponeret, quis extremis vel saltem digitis mereretur tangere gradientem, quis videre vel oculis procul stantem. Resonabat divina laus ex omnibus linguis. Ad sancti quippe Agilei Basilicam sequens populus et præcedens, Confessorum beatorum triumphum nobilem celebrabat. Multitudo autem maxima populi Beatum Fulgentium, quem plus ceteris honorabat, concurrens alacriter comprimebat, donec sancta quorumdam Christianorum provisio, rotam in circuitu faciens æstuanti, liberum præberet iter in medio transeunti.

Magno plausu populi excipitur Fulgentius.

62 Probare tamen adhuc Dominus cupiens virorum fidelium caritatem, copiosis imbribus ambulantes mirabiliter inundavit. Et quis opera pietatis enarrare valeat, absque dispendio veritatis? Immensa pluvia neminem terruit, aut obsequium Sacerdotibus gloriosis præbere prohibuit: imo potius velut benedictione cælesti desuper descendente, tantum fides nobilium crevit, ut planetis suis super Beatum Fulgentium gratanter expansis, repellerent imbres, et novum tabernaculi genus artificiosa caritate componerent: imitatores eorum effecti, qui prioribus temporibus Salvatori super pullum asinæ considenti, et Hierosolymam venienti, vestimenta sua, sicut Evangelium loquitur, in via sternebant. Tale quippe aliquid et isti faciebant, qui propriis indumentis Beati Fulgentii nudum caput unanimiter protegebant. Vix ergo appropinquante vespere, sanctæ memoriæ Bonifacio Episcopo repræsentati, benedixerunt omnes et laudaverunt communiter Deum. Tunc Beatus Fulgentius per omnes vicos Carthaginensis civitatis, ubicumque transibat, manibus et oculis demonstrabatur, laudibusque innumeris prædicabatur.

Matth. 21.

Per ejus Discip. *Gratias agunt omnes Deo.*

63 Postquam vero domos omnium diligentium se concitus visitavit, benedixit, et gaudere dignatus cum gaudentibus, qui prius fleverat cum flentibus, cunctorum desideria satiavit; valefaciens fratribus, egressus est de Carthagine, per omnes prolixi itineris vias gaudia majora reperiens, in occursum suum populis undique tendentibus cum lucernis et lampadibus, et arborum frondibus, reddentibus gratiam ineffabili Deo, qui Beatum Fulgentium mirabiliter in conspectu omnium fecerat gratiosum. Per omnes Ecclesias tamquam proprius Episcopus suscipiebatur, et sic de reditu ejus omnis Byzacena provincia velut plebs una gaudebat.

Fulgentius amicos visitat.

Redit ad suos mire exultantes.

64 Quem, obsecro, gloriæ hujus non extolleret magnitudo? Beatum tamen Fulgentium ad majoris humilitatis studium provocavit. Veniens namque cum gloria populari, dignitatem Pontificis privilegio specialis venerationis accumulans, postquam cathedram sedit, inter monachos adhuc habitare desideravit. Et ne videretur Abbatis Felicis adventu suo minuere potestatem, imperandi monachis omnem sibi ademit voluntarie facultatem, non suam, sed alterius volens ipse quoque facere voluntatem. Et qui adhuc monachus dispensationem susceperat fratrum, jam Episcopus dominari noluit in proprio monasterio: sic sollicite cavens, ne Felicem contristaret Abbatem, ut exhibens supervenientibus hospitalitatem, si quando vel multiplicari panem, vel aliquid amplius exhiberi necessitas expetisset, Abbatis primo Felicis consilium requisisset. In omni denique concilio Byzaceno, de rebus majoribus ipse primus consulebatur: in monasterio proprio de rebus etiam minimis Abbatem Felicem * simpliciter consulebat.

Habitat in monasterio Abbati subjectus.

* *al.* suppliciter.

65 Parum fuit Beato Fulgentio verbis et operibus hanc humilitatem sequi ac retinere, nisi per scripturam quoque firmaret, nihil se in illo monasterio proprium vendicare, nec pro potestate, sed pro caritate inter monachos habitare. Considerans enim vir providus, ne quod servi Dei simplices præjudicium postea paterentur, obicem contradictionis in hac scriptura successoribus suis opposuit, quia utilitati monachorum servientium Deo nihil præposuit. Emit tamen juxta Ecclesiam domum, cui fabricandæ curam maximam diligenter impendit, ne futuro successori suo deesset hospitium. Clericorum vero, si qua * defuerunt, ministeria reparans, probatos sibi multos ex fratribus monachis ad Ecclesiasticam militiam transtulit. Ibi quoque caritati consulens, ut dum pene omnes clericos ex illo monasterio ordinat, antiquæ familiaritatis manente notitia, nulla lis aliquando monachos et clericos ventilaret. Summam quoque diligentiam præbuit, ne quis clericus ambitiosis vestibus ornaretur, ac negotiis sæcularibus occupatus, ab officio ecclesiastico diutius vagaretur; jubens omnes non longe ab Ecclesia domos habere, manibus propriis hortum colere, psallendique suaviter aut pronuntiandi curam maximam gerere.

* *al.* defuissent. *Monachos Ecclesiasticis ministeriis adhibet.*

Clericorum magnam curam gerit.

66 Per singulas septimanas omnes clericos ac viduas, et quicumque potuisset ex laicis, quarta et sexta feria statuit jejunare: quotidianis vigiliis, matutinis, et vespertinis orationibus adesse præcipiens omnes. Aliquantos inquietos verbis, aliquantos verberibus coercebat, quos culpa manifesta flagellari coegerat. Ita vitia cunctorum salubri disputatione mordebat, ut nullius interserens nomen, omnes cogeret metuere, et latentia quoque peccata salubriter timendo

Jejunia, et publicas preces constituit.

Vitia castigat.

PER EJUS DISCIP.

timendo deserere. Verumtamen quomodo inter proprios clericos minorem posset habere cautelam, qui diuturnas etiam finitimarum plebium lites et contentiosa certamina dirimebat? Ipse denique Maximianensis animositatem plebis, ordinatum sibi Episcopum recipere nolentis, salubri admonitione sedavit, debitumque finem gravissimo scandalo statuens, cuncta inter eos modeste et salubriter pacificans ordinavit.

Dissidia tollit.

67 In Concilio quoque * Vincensi judicio Sacerdotum omnium, qui convenerant, Episcopo cuidam, nomine * Quodvultdeus, qui priorem se illius existere confirmabat, antepositus et prælatus, ipso die et tempore tacuit, nec auctoritatem Concilii excusando minuere voluit : Sed ubi post Concilium dolere sensit Episcopum, timens propter suum honorem generare fratri scandalum, melinsque judicans per caritatem se fieri minorem, quam sine caritate majorem, Sufetani postea Concilii gloriosum respiciens adesse conventum, precem supplicem coram omnibus fudit, ut sibi rursum, se volente, Quodvultdeus Episcopus præferretur, ut nomine suo posterius recitato, lætus deinceps viveret, consacerdotis animo reconciliato. Mirati sunt Episcopi humilitatem talia postulantis, nec contristare voluerunt offerentem Deo sacrificium humilitatis, ac custodiendam spiritus societatem in vinculo caritatis. Ubi sunt nunc illi, quibus eminendi super ceteros dominatur affectus, qui se etiam suis Prioribus anteponunt, indebita sibi privilegia vendicantes? Ecce Beatus Fulgentius nec primatum, quem meruit, defendere voluit : quia sine caritate prior esse alicui minime concupivit.

* *al.* Vivecensi. *MS. *Rip.* Quodvult Deo.

Vult alteri postponi in Concilio.

68 Catholicæ Ecclesiæ singularis magister et Doctor, quamlibet inter varias occupationes hic in Africa parum vacaret, plurimos tamen Ecclesiasticos sermones, qui in populis dicerentur, scribendos dictabat. Ubicumque sermonem faciebat, omnium animos demulcebat; nec inanes et vanissimos plausus, sed compunctionem generans cordis. Expectavit eum sanctæ memoriæ Bonifacius Episcopus Ecclesiæ Carthaginensis, apud * Burnos ecclesiam dedicans, duobus diebus se præsente tractantem : quando tantum delectatus est audire verbum Domini de ore ejus, ut donec ille sermonem finiret, ipse terram lacrymis irrigaret, agens gratias Deo, cujus gratia semper in Ecclesia Catholica summos excitat præclarosque Doctores. * Multa jam reversus de exilio condidit nova; decem libris Fabiani mentientis falsa gesta, convincens : de veritate prædestinationis et gratiæ libellos tres confecit, aliaque multa digessit : quæ si quis scire voluerit, in ejus Monasterio veraciter scripta reperiet.

Concionatur.

**al.* Furnos.

Alia scribit.

**al.* jam reversus de exilio, novem et decem libros, etc.

CAPUT XXX.

Ejus obitus, sepultura, successor.

Secedit ut pœnitentiæ vacet.

Nobis autem jam tempus est dicere, quomodo post omnia bona opera sua requieverit, ad cæli regna translatus. Ante annum ferme, quam de isto sæculo raperetur, profunda cordis compunctione permotus, reliquit subito Ecclesiasticas occupationes, et de ipso quoque Monasterio suo * secreto recedens, ad insulam * Circinam, paucis comitantibus fratribus, navigavit. Ubi in quodam brevi scopulo, cui nomen est Chilmi, ubi jam Monasterium fabricari mandaverat, lectioni et orationi ac jejuniis vacans, veluti sciret appropinquare sibi novissimum diem, sic ex toto corde suo pœnitentiam gessit. Et quamvis tota vita ejus, ex quo monachorum professionem conversus ex toto corde suscepit, pœnitentiæ fuerit tempus, in hac tamen insula multo amplius ac multo diligentius inchoanti similis, membra sua mortificavit, et in conspectu solius Dei flevit. Inde jam plurimis de absentia Sacerdotis murmurantibus, caritatis necessitate constrictus, iterum descendit ad Monasterium suum, consueta hominibus religiosis exhibere solatia, laboresque durissimos pro utilitatibus proximorum longanimiter sustinere.

*MS. *Bonif.* secretim. **al.* Cirtinam.

Redit ad suos.

70 Non multi autem fluxerant dies, et ecce servum fidelem bonus Dominus requirebat. Incidit enim repente in corporalis infirmitatis acerrimas passiones, ubi septuaginta prope diebus ægritudine fatigatus, hoc solum frequenter dicebat : Domine, da mihi modo hic patientiam, postea indulgentiam. Nec ab isto sermone aliquantulum cessavit, sive dolor affligeret, sive febris incenderet, sive lassitudo dissolveret. Persuadentibus autem medicis, ut lavacris balnearibus uteretur. Numquid balneæ, inquit, facere poterunt, ne homo mortalis, expleto vitæ suæ tempore, moriatur? * Si vera proximat mors, nec aquarum calidarum possunt fomenta repellere, cur mihi, obsecro, persuadetis, ut rigorem diu servatæ professionis in fine dissolvam?

Ejus in morbo patientia, et præclara precatio.

**Sur.* Si vero proximam mortem.

71 Sic salutem suam supernæ voluntati fideliter credens, postquam se sensit sine aliqua dubitatione dissolvendum, vocans universos clericos suos, præsentibus monachis, allocutus est eos, dicens : Ego, fratres, animarum vestrarum saluti prospiciens, molestus apud vos forsitan et difficilis extiti. Et ideo obsecro vos, ut ignoscat mihi quisquis aliquid dolet. Et si forsitan severitas nostra modum transgressa est debitum, orate ne mihi hoc Dominus imputet ad peccatum. Cumque talia Beato Fulgentio lacrymosis singultibus exprimente, cuncti simul super genua ejus caderent, semper bonum, semper affabilem pro omnium salute, sicut decuit, invigilasse clamantes : Provideat ergo, ait, vobis Dominus Deus meus pastorem dignum se.

Petit a Clericis veniam.

72 Tunc imperato silentio paullulum requievit. Et deinde curam pauperum gerens, requisita summa pecuniæ, de qua fidelissimus dispensator quotidie egentibus ministrabat, totum jussit expendi, per seipsum memoriter recolens viduarum, pupillorum, peregrinorum, cunctorumque illic indigentium nomina : quibus quid singillatim daretur, propria deliberatione constituit : heredes in hoc sæculo non habens, hereditatem tamen hujus benevolæ sollicitudinis pauperibus derelinquens. Sed nec suos clericos debita benedictione fraudavit, ipsorum quoque paupertati misericorditer consulens : ac secrete omnia diligenter præordinans, orans jugiter, et intrantes singulos benedicens, usque ad extremam horam sana mente permansit.

Moriturus omnia pauperibus distribuit.

73 Postremo die Kalendarum Januariarum, post peractam vesperam, beatum spiritum feliciter in manus Domini tradidit, annum sui Episcopatus agens vicesimum quintum, vitæ autem totius sexagesimum quintum, sicut multis ante fratribus morti proximus indicavit. Ipso autem die sanctum corpus ejus sepeliri minime potuit, sed in oratorio Monasterii constitutum, tota nocte illa in psalmis, hymnis et canticis spiritualibus vigilare monachos simul et clericos invitavit. Mane vero postquam multitudo maxima populorum de locis finitimis ad exequias venit, Sacerdotum manibus ad Ecclesiam civitatis, quæ Secunda dicitur, ubi etiam reliquias Apostolorum constituerat, deportatus, sortitus est honorabile monumentum. Primus plane in eadem basilica Pontifex poni meruit, ubi nullum mortuum neque Sacerdotem, neque laicum, sepeliri consuetudo sinebat antiqua. Sed magna vis dilectionis, removerat impedimentum consuetudinis; ambientibus universis civibus, et cum summa devotione quærentibus, ut ubi vir sanctus et Deo amabilis fuerat consecratus, ibi orationibus singulorum semper etiam localiter videretur adjunctus.

Moritur Kal. Jan.

74 Probaverant quippe sæpius, quanta bona illis oratio Beati Fulgentii præstiterat, et quanta mala repulerat : sicut postea manifestis indiciis evidenter apparuit, quando post non plurimos dies * arcessionis ejus, gens inimica Maurorum Ruspense territorium repente

Honorifice sepelitur.

**al.* accersitionis. *Sur.* decessionis.

Mauri Ruspense territorium populantur.

repente vexavit, rapinis, cædibus, incendiis multa devastans, atque intra ipsos Ecclesiæ parietes, quos invenire potuit, jugulans. Quis Beati Fulgentii gratiam non miretur? Quamdiu vixit, furorem belli civitas illi commissa non sensit : et cum tota pene provincia captivitatem sustineret horribilem, Ruspa fuit incolumis propter Sacerdotem venerabilem, cujus vita propriis civibus murus fuit.

Succedit ei anno post Felicianus, ipso id e cœlis curante Fulgentio.

75 Nec hoc interim prætereundum silentio judicavi, quod dum ei successor idoneus quæreretur, discordantibus laicis et Clericis, annum prope integrum prolixitas contentionis exegit, ut illa die sanctitas Tua super ejus cathedram sederet, quo ipse defunctus est. Ornari quippe hoc privilegio meruit prima solemnitas ejus depositionis, ut multo amplius venerabilis fieret per gaudia Tuæ ordinationis. Vis autem nosse, quomodo non fortuitis motibus ista provenerunt, sed illius orationibus demonstrantur esse concessa? Recole visionem fidelissimam Beati * Pontiani Episcopi Thenitani, quam sic ipse narravit : Eunti mihi secundum præceptum Datiani Primatis, ut Ruspensi Ecclesiæ eligeretur Antistes, idem Beatissimus Fulgentius per tempus quietis apparuit, et affabili, sicut solebat, adspectu salutans amicabiliter : Quo, inquit, nunc sanctitas tua velociter ambulat? Cui respondit : Ut Episcopus Ruspensi Ecclesiæ eligatur. Ille vero subridens : Jam, inquit, ordinatus est. Nonne non apparet ipsius orationibus fuisse perfectum, quod est visitante prædictum? Qui ergo confirmationem noverat necdum electi, vel ordinati, diem quoque, quo in cathedra considere poterat ordinatus, jam orando meruerat. Votis itaque continuis et fideli devotione semper optamus, ut gloriæ illius factus particeps in æternum, non indignus tanto prædecessore feliciter vivas, operisque hujus de perfectione nobiscum Domino gratias agas, et pro his, quæ minus forte dicta sunt eloquenter, ab omnibus sapientibus Lectoribus veniam petas.

Per ejus Discip.

**ms. Rip. Ponticani.*

DE S. MOCHUA SIVE CUANO

ABBATE IN HIBERNIA.

1 JAN. *S. Mochua 1 Januar. mortuus ab aliis 11 April. colitur.*

Sanctum Mochuam sive Cuanum Lægsiensem, quædam Hibernorum Martyrologia mense Aprili referunt, qui tamen Kalendis Januarii migravit in cœlum : quo die et nos ejus Vitam damus, nobis ab R. P. Hugone Vardæo monasterii S. Antonii de Padua Ordinis S. Francisci Lovanii Guardiano communicatam, ex fide dignis Hiberniensibus codicibus descriptam.

2 *Multa continet admiranda portenta, sed usitata apud gentem illam simplicem et sanctam, ut ex aliorum actis Sanctorum patet; neque sacris dogmatis aut Dei erga electos suos suavissimæ providentiæ repugnantia. Sunt tamen fortassis nonnulla imperitorum librariorum culpa vitiata, aut amplificata. Quod in gentilium suorum rebus gestis animadverti oportere nos docuit Henricus Fitzimon Societatis nostræ Theologus, egregio rerum usu præditus. Quæ tamen sic adjecta censeri debeant, nobis profanæ Hibernorum historiæ ignaris non facile est statuere. Satis est Lectorem monuisse ut cum discretione ea legat quæ prodigiosa, et crebro similia miracula commemorant, nisi ab sapientibus scripta auctoribus sint. Nobis tamen nihil expungere constitutum est nisi rectæ fidei aut bonis moribus repugnet, aut sit ejusmodi ut clare id possimus refutare.*

Sanctorum Hibernorum Vitæ mirabiles, prudenter legendæ.

VITA

EX VETERIBUS MSS.

CAPUT I.

S. Mochua ex milite monachus.

S. Mochuæ patria et genus. Militiam sequitur.

Clarus genere vir erat, nomine Mochua, filius Lonani ex Lugne trahens originem. Hic in primæva ætate vir erat multum bellicosus, ac de hostibus suis semper victoriam habens. Triginta annis sic laicaliter vixit, antequam militiam Christi exerceret.

Fit monachus.

2 Sed expletis triginta illis annis divina inspiratione admonitus et Domini timoris telo percussus ad fidem Christi conversus et monachus factus, Clericalem assumpsit habitum. Cui avunculus suus quamdam villam donavit : quam S. Mochua cum omnibus suis rebus incendi jussit, ne de peccatoris eleemosynis vel possessionibus famulus Christi portionem aliquam haberet. Post hæc vir Dei ad locum, qui hodie Teach-Mochua, quæ principalis scilicet sedes ejus est, divina promissione devenit. Hunc locum ipse in nomine.... ædificavit, et multis signis et miraculis adornavit.

Villam sibi donatam incendi jubet.

CAPUT II.

Mochuæ miracula. Spiritus superbiæ a S. Colmano depulsus. Ignis divinitus accensus.

Claret miracutis.

Inter ejusdem Sancti insignia miracula hoc quod sequitur celebriter commemoratur. Quidam namque nobilis et sapiens Clericus, nomine Colman-Ela, cum quadam die cellam suam apud Glernssen circuiret; tunc de statu suo et corporis pulchritudine et scientiæ suæ profunditate spiritu superbiæ inflatus, mundana de se sapiebat. Postquam autem sederet in cubili suo sic elatus, omnem suam scientiam ac si nihil ante scivisset, penitus tradidit oblivioni. Stupescens igitur super hoc et non modicum admirans, nocte sequenti jejunavit, Deum suppliciter exorans, ut a se spiritum ignorantiæ dignaretur tollere, et pristinam scientiam restituere. Cui Angelus in somnis apparens ait : Colmane, cur jejunas? quid petis ut tibi det Deus? Respondit Colmanus : Peto ut mihi scientia, quam ante habui, a Deo restituatur. Et ait Angelus : Id quod quæris, inquit, habebis. Et Colmanus : Cui, inquit, commisit Deus mei curam? Et Angelus : Vade, inquit, ad S. Mochua, qui te de tua superbia et ignorantia liberabit.

S. Colman-Ela de sua doctrina superbiens ea privatur.

Mittitur ad S. Mochuam.

4 Colmanus igitur cum quindecim aliis honestis Clericis iter aggrediens, ad cellam viri Dei recto itinere pervenit. Sanctum vero Mochua rusticano habitu indutum, virgasque portantem in humeris suis, extra villam invenit. Colmanum vero intuens Sanctus Mochua ipsum salutavit : dumque mutuo sic salutassent, ecce subito quædam avicula virgarum illarum summitati insidens, garriendo quasi unum versum cecinit. Quo audito S. Mochua interrogavit quid avicula illa cecinisset. Cui Colmanus se nescire respondit. S. Mochua

Ex mss.

chua dixit : Mira refers, dum ego qui numquam novi scripturas, id quod cecinit intelligo. Et iterum ait : Hoc, inquit, dicit avis : Nullum verbum de scientia, quam tu habuisti, menti tuæ nunc inhæret. Tum Colmanus dixit : Fateor, inquit, me nihil scire, et ideo Deus me misit ad te ut saner. Tunc S. Mochua ait : Spiritus immundus, qui in te habitat, exeat a te. Sic enim concessum est ei ad tempus in te habitare. Illico audito viri Dei imperio, dæmon a Colmano discessit, ac sua scientia plenarie est ei restituta. Ipso enim elationis suæ culpam recognoscente, atque lumine gratiæ cor illustrante, princeps tenebrarum effugatus est.

Mochua dæmonem ab eo expellit, sicque usum doctrinæ restituit.

5 Tunc hoc miraculo ostenso S. Mochua Colmanum cum suis ad cellam suam perduxit, et ut ignis et balneum ad eos portaretur a suis, præcepit : cui quidam de Clericis S. Colmani ait : Non igne, inquit, terreno soliti sumus calefieri, nec balneum nostrum cum eo præparari consuevit. Quo audito S. Mochua palmas mundas suas ad cælum extendens, ignem de cælo petivit, et exaudita est oratio ejus, quia lapis ignitus de cælo lapsus per cacumen domus, ubi erat, in foco cecidit. ex quo copiosus ignis pro nececessitatibus fratrum est constructus.

Ignis cælitus accenditur ejus precibus.

NOT. 9.

CAPUT III.

S. Fintani superbia lepra castigatur. Eam Mochua depellit.

S. Munno sive Fintano apparet quotidie Angelus. Colitur Munnu 21 Octobris. *S. Moluæ animam migraturam multi Angeli expectant.*

Quodam alio tempore vir sanctus, Munnus nomine, dum in cella sua triduo moram faceret, Angelica visione, qua quotidie visitabatur, per idem tempus frustrabatur. Cumque Angelus Domini post triduum se viro Dei præsentaret, et ab eo cur tantam moram faceret sciscitaretur, respondit : Sancti, inquit, cælicolæ communem conventum atque concilium habuerunt, expectantes animam cujusdam viri sancti, nomine *a* Molua, qui viam universæ carnis ingressurus erat : et hæc causa retardationis meæ fuit ne da te tempore solito venirem. Ad quem S. Munnu dixit : In quibus, inquit, meritis vir ille præcellebat vitam meam, dum sic sim neglectus? Cui Angelus respondit: Faciebat, inquit, dum vixit, quod tu non facis, quia quamdiu vitam duxit in terris, nulli præsenti maledixit, nec absenti unquam detraxit. Insuper et dispositionem omnis temporis secundum divinam voluntatem sive in serenitate sive in tempestate æquanimiter sustinuit, et commendavit. Tu quoque superbus es, et Dominus tuus vult ut humilieris. Cui S. Munnu respondit : Libenter sufferam si quod ipse elegero a Deo meo mihi concedatur. Cui Angelus : Quòd petis a Deo tibi concessum est. Tunc ait Munnu : Lepram mihi inter infirmitates corporales eligo. Per verbum ergo Angeli S. Munnu leprosus factus est, et lepram illam usque ad septem annos sustinuit.

S. Munnu petit sibi lepram a Deo immitti, et impetrat.

7 Completis vero septem illis annis cum magna animi patientia, ecce idem Angelus ad eum rediens virum Dei consolatus est dicens : Quia, inquit, patienter tuam infirmitatem hucusque sustinuisti, ideo modo a Deo tuo concessum est tibi et finem laboribus imponere et munditiam a lepra tua obtinere. Ad quem iterum S. Munnu ait : Cui, inquit, commisit Dominus curam sanitatis meæ recuperandæ? Et Angelus ad eum : Sancto Mochua, inquit. His dictis S. Munnu iter arripuit, et ad cellam viri Dei properavit. Cumque ad locum Sancti Mochua pervenisset, diversorium inibi introivit, et domum ingrediens, et neminem ibi reperiens, sed nudum vestibulum; pelliculam quamdam, quam ibi invenit, sibi supposuit, et super eam cubans vermes, qui de ejus corpore per pavimentum transibant, cum scopa quadam ad se recolligebat, et in locum unde exierant remittebat. Cumque S. Mochua tunc absens foret, spiritu ei revelante ad cellam accelerans, Angelicam administrationem supra domum in qua vir Dei sedebat, aspiciens, ministrum qui eum comitabatur ad videndum quis domi foret sine mora præmisit : cumque domum intrasset, cernens hominem calvum, leprosum, ulcerosis plagis horribilem, pavore attonitus, et stupescens de domo festinans, illum quem in domo viderat Sancto Mochuæ nuntiando descripserat. Audiens vir Dei hominis descriptionem, et intelligens eum esse Sanctum Munnum ait : Vere, inquit, vir Dei Munnu est, qui a Deo ad me missus est ut a lepra sua curetur. Tunc domum intrans virum Dei amplexatus est, et a vertice capitis lingua eum lambens pristinæ sanitati eum restituit : et quod ceteris difficilius erat, nares ejus emungens tribus vicibus successive ore sacro sumens tria extraxit phlegmata, sed meritis utriusque, ut reor, hæc tria phlegmata conversa sunt in tria auri obrizi talenta, quæ in ejus scrinio velut tria aurea poma recondita sunt. Postquam vir Dei mirifice sic fuit curatus, ad cellam suam laudans Deum suum reversus est. Postquam vero B. Munnu jam a lepra curatus est, cum ad medium pervenisset iter pes alicujus equi, qui currum ejus ferebat, fractus est: quod cum S. Mochua percepisset, cervum de monte vicino vocavit, qui se sponte currui subjiciens, mansueti equi ministerium implens, vir Dei Munnu ad domum suam prospere ductus est.

Mittitur ad S. Mochuam curandus.

Insignis ejus patiendi ardor.

Ab Angelis honoratur.

S. Mochua leprosum lambit, et mucum narium exsugit: qui in aurum mutatur.

Cervus jussu S. Mochuæ equi vices supplet.

a Alias Luanus, quem centum Monasteriorum Fundatorem memorat S. Bernardus in Vita Malachiæ, colitur 2 Aug.

NOT. 10.

CAPUT IV.

Serenitas et fluminis trajectio miraculosa, Mochuæ precibus.

Interea sanctissimus vir Kienanus cum furore spiritus ecclesiam cœpit Domino ædificare lapideam, quia ante in Hibernia non fuit usus construendi ex lapidibus Ecclesias. Eo quoque tempore contigit opus quoddam retardari atque impediri eo quod cæmentarii ceteriqueoperarii dicebant, quod si pluvia vel imber inter duos colles circumpositos umquam difflueret, illi mox ab eo desisterent: quo audito Sanctus Kienanus singulos Hiberniæ Sanctos Sanctasque adiens rogabat ut aeris serenitatem a Deo pro complendo opere impetrarent. Cumque a singulis aliquod tempus serenitatis, utpote septimanam ab uno, mensem ab alio, et tres menses ab alio obtineret, et adhuc ad opus complendum unius anni indigeret spatio; quadam nocte vir Dei jejunans Deum rogavit ut sibi revelaret ad quem Sanctorum se pro anno illo obtinendo converteret : et qui revelat mysteria, eum docuit ut ad cellam Sancti Mochuæ, quæ Domus Mochua modo dicitur, properaret pro obtinenda sua petitione : et cum illuc cum decem quinque Clericis veniret, honorifice est receptus et quod petierat adeptus est. Nam orante Sancto Mochua et jejunante, a datore superno serenitatem unius anni cum dimidio pro complendo opere illo obtinuit,

Prima Ecclesia lapidea in Hibernia.

Ad id opus impetrata divinitus serenitas.

9 Hoc igitur dono concesso S. Mochua Kyenanum rogavit, ut opere illo completo nuntiaretur ei ut ad consecrationem ecclesiæ veniret, et ad primæ noctis procurationem superventuris annonam provideret. His quoque peractis S. Mochua duxit B. Kienanum cum suis usque ad flumen cui nomen est Lynchorchaygi, quæ est aqua valde impetuosa pro tempore. Cumque aquam illam violentam ac rapidam Clerici cernerent, pro tempore illo immeabilem sine scapha judicarunt; tunc S. Mochua pallium suum in virtute illius qui in pallio Eliæ desiccavit aquas Jordanis, misit super aquas, et in eo S. Kienanum cum suis quindecim discipulis ultra flumen tamquam in rate tutissima transvexit. Sancto igitur Kyenano cum suis ad cellam suam properantibus, pallium latum charitatis S. Mochua, non complicatum in aliquo, nec humefactum, ad ipsum reversum est.

Mochua Kienanum cum 15 Clericis in pallio ultra torrentur transmittit.

NOT. 11.

CAPUT

Ex mss.

CAPUT V.

Cervi cæsi ac comesti, vitæ restituti, Mochuæ meritis.

Completo ergo Sancti Kyenani opere ad Sanctum Mochua nuntium misit, ut ad suam ecclesiam consecrandam, sicut promiserat, perveniret : Tunc audito nuntio sanctus vir iter arripiens, ac per montem cui nomen Mairg transitum faciens, duodecim cervos, quos ibi reperit, secum tamquam boves domesticos ducens singulos lignis oneravit, ac sic ad Ecclesiam S. Kyenani perduxit. Cumque ligna de cervis deponerentur super eosdem jussit vir Dei aquam ad carnes eorum coquendas deferri. Quod et factum est. Post hæc S. Mochua jussit cervos illos occidi omnes, ossa tamen eorum usque in crastinum illibate conservari : Satiatis igitur turbis pauperum atque aliis qui aderant de venatione mirabili Sancti Mochuæ, die crastina cervorum ossa coram viris Dei collecta sunt. Quibus ut in propria resurgent forma Sanctus Mochua in virtute illius mandavit, qui Lazarum fœtentem solo verbo ad vitam revocavit. Et statim ossa illa arida carnem et pellem induerunt, et spiritum vivificum assumunt, atque in pristini vigoris motum membra extendunt. His in laudem Dei peractis atque ipsa ecclesia consecrata S. Mochua cum cervis illis mirifice resuscitatis usque ad montem unde eos assumpserat regressus est : atque ibidem eos dimittens ad cellam suam pervenit : et hi cervi duodecim, ut a pluribus fertur, adhuc in monte illo ab aliquibus cernuntur temporibus.

12 cervos lignis onustos adducit.

Eorum carnibus multos satiat.

Dei virtute eos vivos integrosque restituit.

Cervi illi diutissime vixere.

CAPUT VI.

Mochuæ ædificia, mors.

Sanctus vero Confessor Christi Mochua in præfata ecclesia, quæ Teach-Mochua dicitur, stabiliter permanens, fundatis ab eo in Hibernia 30 ecclesiis, et centum viginti cellis constructis ; terrena gloria et amicorum frequentia et colloquio disturbatus secum deliberando, arbitrans quod nisi terrestrem illam gloriam reliquisset, cælestis gloriæ particeps minime fieret, desertum ergo petens ad S. Patricium versus Aquilonarem terræ plagam gressum direxit.

Multas ecclesias et cellas ædificat.

Gloriam vitat.

12 Sed multis locis peragratis, in quibus si desuper esset concessum permanere vellet, tandem in Ergithiallensium terram divino nutu devenit. Perlustrata quoque terra illa, postremo divina dispositione ad locum quemdam vocabulo Dayrinis pervenit. In hoc loco cum longævus viator campanulam, quam manu gerebat, pulsabat, mox lingua ejus in terram cecidit. Quo viso vir Dei non modicum doluit, eo quod locus momentaneus et quasi inhabitabilis esset. Ad ipsius vero consolationem Angelus ad eum missus est, qui dixit ei : Dictum est tibi a Domino Deo tuo, ut hunc locum inhabites, et ibidem ecclesiam construas. Jussioni quoque divinæ ipse per omnia se conformans, locum illum inhabitavit, et ibidem ecclesiam in nomine Domini ædificavit, quam et plurimis miraculis in vita et in morte decoravit. Ipse vero ibidem triginta annis persistens anno vitæ suæ nonagesimo nono, Kalendis Januarii feliciter quievit, præstante Domino nostro Jesu Christo, cui laus et imperium per infinita sæcula. Amen.

Peregre ecclesiam ædificat.

Moritur 1 Januar.

DE S. MOCHUA BALLENSI
SIVE
CRONANO.

1 JAN. *S. Mochua Ballensis discipulus S. Congalli.*

Alterum Mochuam celebrat Philippus Osullevanus Bearrus, doctrina ac genere clarissimus, Patricianæ suæ Decadis lib. 10, *cap.* 2, *ubi de Benchorensi agit S. Congalli cœnobio, ex quo tum alii viri sanctitate ac doctrina illustres prodiere, tum ille Mochua.*

Vita unde descripta, et a quo versa.

2 *Ejus vitam ex Hibernico codice, quem quondam Osullevanus Bearriæ Princeps de Divorum Vitis scribi curarat, in Latinum sermonem a se versam, ipse ad me Madrito hoc* 1634, *Christi anno transmisit Philippus Osullevanus, quam et hic dare visum est, cum ejus natalem ignorem. Quædam de S. Fechini molendino subjecerat, quæ omisi, quod eadem inferius habentur* XX *Januarii ad ejusdem S. Fechini Vitam.*

VITA

EX MSS. INTERPRETE PH. OSULLEVANO.

CAPUT I.

S. Mochuæ genus, vocatio ad religionem, sanctitas.

S. Mochuæ genus.

Vir sacer Cronanus, Mochua quoque dictus, patre Begano, avo Barra, proavo Natio, abavo Lugo (qui Lugici generis apud Ibernos haud obscuri fuit auctor) matreque Comna Conamali filia, Machadani nepte ex Dalbuanica gente, natus, Brinsacham, Luchadam, et Judellam sorores, duosque natu majores fratres habuit.

2 Ipse puer, capillis ob arearum morbum caput inficientem fluentibus, deformior, proptereaque parentibus minoris factus, et humiliore cultu educatus ad pascendas oves animum appellere jubetur. Ceterum cujus speciem, fortunamque parentes despiciunt, eumdem Deus optimus maximus præclarissimarum virtutum ornamentis, edendorumque miraculorum potestate honestat, et ad celsum gloriæ culmen evehit.

Oves pascit.

3 Principio quidem Congallus, vir divino spiritu inflatus, in Begani domum venit, supra quam Angelos conspicit cursitare : rei mysterium divinitus doctus, Beganum, quot filios habeat, percontatur? Hic duos bonæ indolis adolescentes, et alium puerulum (is erat Mochua) non satis dignum, ut nominetur, ovibusque dumtaxat pascendis idoneum judicatum, totidemque puellas sibi liberos esse, respondet. Ille Mochuam domum accersiri jubet : conspicatusque, ex illius conspectu, quod erat divini Numinis donis ornatus, se magnopere delectari, et illum ex ovium custode hominum pastorem futurum, ait. Inde puerum in cœnobium suum Benchorense quam religiosissimum, sanctisque viris longe frequentissimum defert. Ubi Mochua in religiosorum collegium adscriptus, atque sacris litteris eruditus singulare sanctitatis exemplum, rerumque mirabilium opifex fuit.

Angeli supra domum patris ejus visi a Congallo.

Fit religiosus.

4 Longe

Ex mss. per Osullevanum.

4 Longe lateque pervagata fama infœcunda matrona mota, Mochuam adit, sterilitatis suæ remedium petitum : Dei servum flexis genibus, passis manibus, lacrymas copiose fundentem, a corporeis sensibus quasi alienatum, et in divinarum rerum contemplationem totum versum convenit. Quamobrem furtim accedens, cadentes ex oculis religiosi imbres cavis palmis excipit, et ore haurit, magna fiducia, id ad fœcunditatem sibi medicinæ fore : neque credula spe sua fallitur, quæ brevi ex viri sui concubitu filium, nomine Dabium, concipit, et edit.

Ejus lacrymis sterilitas depulsa.

not. 12.

CAPUT II.

Alio mittitur, fonte sequente. Ei lac pluit. Aquammol œ S. Fechini curat.

Mittitur ad novum struendum Monasterium.

Plurimis miraculis, acerrimis corporis coercitionibus, piis in homines officiis, initis cum diabolo prœliis cum Mochua se strenuum, veteranumque Christi militem gessisset, nido jam exsilire, et alio petere a Congallo jubetur. Obediens imperio, a magistro petit, ut qua erat futurarum rerum scientia, prædicat, ubi Numini placeat, se commorari et Monasterium ædificare. Equidem, inquit Congallus, rem hanc neque præsentire, neque aliquo argumento vel signo ostendere possum, nisi forsan Deo placet, ut hic fons (præsentem fontem digito monstrabat) hinc abiens te ducat, ibique consistat, ubi divinæ Majestati placitum fuerit, ut incolas. Eo responso Mochua Benchore proficiscitur, electa religiosorum manu comitatus. Haud longe processit, cum comites respicientes, nubem densam, obscuram, imbresque minitantem, sed non mittentem, sereno, sudoque Sole per aerem sequentem vident. Quam etiam Mochua cernens, fontem proculdubio a Congallo designatum, et a Deo missum esse : oportereque se paulisper gradum sistere, donec illa præeat, præcedentemque sequi, et ubi illa sidat, ibi et se ipsos habitare, ait. Præiens illico nubes Mochuam ad Ferrosios, in Gæliam oppidum, ubi Gabrenus Episcopus ejus condiscipulus, et integerrimus amicus agebat, ducit : ibique illis lacte manando humi lacunam explevit. Gabrenus quidem Mochuæ sedes, quibus peregrinationem finiret, obtulit. Ceterum quia nubes minime subsidit, ille spectandum sibi non duxit.

Fons eum comitatur nubis specie.

Lacte pluit.

Ad molam S. Fechini, miraculose aqua per montem adducta.

6 Quinimo ea duce Fobariam (est illud oppidum Mithiæ) pervenit. Ibi Fechinus, vir moribus, factisque mirabilis sacra Sacerdotum cohorte stipatus præerat : et ad aridi montis radicem, aqua nulla proxima, molendinum præter artificum, et fabrorum sententiam construi fecerat. Adventante Mochua erat opus perfectum, et nihil, nisi flumen, cujus cursu circumactæ rotæ catillum super metam volverent, desiderabatur. Ita ejus adventu vehementer lætati Fechinus ceterique Sacerdotes spem concipiunt, fore, ut sancti viri meritis Deus optimus maximus aquam molis suppeditet. Ea de re ipsi, Mochuaque inter se agunt : divino Spiritu instincti unanimi consilio constituunt ad Levinnum lacum bis mille circiter passus distantem proficisci, posse fieri, ut inde ad molas Numen omnipotens aquam derivet. Id intelligens operis architectus, rem, inquit, maxime arduam, atque difficilem, sanctissimi viri, suscipitis : hominibus quidem, inquit Mochua, fateor quam difficillimam ; Deo tamen perfacilem. Eo cum Dei servi pervenerunt, Mochua baculi cuspide lacus ripam molas versus leviter perforat : idem Fechinus, Sacerdotesque faciunt. Extemplo per transversum montem aqua subter terram mire delata non procul supra molas magna vi prorumpit. Unde præcipiti casu ruens, rotas rapido impetu circumducendo, catillum super metam volvit.

CAPUT III.

A Rege et Regina Connachtiæ honorifice excipitur.

In Connachtiam venit S. Mochua.

Mochua vero, Fechino valere jusso, progressus amne Sinonno trajecto Connachtiam regnum petivit. Ubi in Omania principatu ab optimatibus, maxime a Ballgela Regina longe honorificentissime excipitur, utque in posterum commoretur, rogatur. Ceterum bonis hospitibus bene precatus Kiminium lacum, ubi Kellachus Ragalli filius Connachtiæ Rex agebat, adivit. Per id temporis venatione Rex animum recreabat : et cervus, quem fuerat insectatus, in summas angustias ultimumque discrimen deductus sese in lacum præcipitem dat, nandoque rupem in medio lacu sitam tenet, et in ea consistit. Eo illum sequi nemo propter horrendam belluam, quæ lacum infestans natatores occidere solebat, audet. Rex et id damnum timens, et cervo simul potiendi cupidus, Mochuam, quem summo amore et honore fuerat amplexus, alloquens. Si, inquit, tibi, Mochua Pater, placet, auxilio tuo fretus in rupem mittam, qui cervum interficiat. Mochua, Tametsi, inquit, eo quemquam adire, periculosum videtur, natatori tamen Deus omnipotens incolumitatem dare potest. Quibus verbis motus Rex in rupem mittit, qui cervum interimat. Sed redeuntem hominem bellua devorat. Dolore perculsus Rex hominis amissi culpam in Mochuam transfert. Ea de re Mochua ad Dominum suum Christum Deum preces fundit. Dei imperio incolumem et illæsum hominem bellua vomit, nec ulli posterum nocuit. Miraculi magnitudine Rex, et alii quam plurimi Dei servum supplices venerantur, Numinique summas gratias agunt : ac Regi quidem postea, ejusque successori Kenfelæ Colgani filio Mochua fuit quam charissimus.

Ejus precibus hominem devoratum bellua revomit.

CAPUT IV.

Ballensis Monasterii et oppidi origo.

Inde Rodba flumine traducto in Kearam principatum in oppidum, nomine Nemus Darbrechum, annos natus triginta quinque pervenit. Ibi fons in aere sub nubis specie, sicuti solebat, non apparet. Ea re Mochuæ et ejus discipulis anxiis, fontemque per agros quærentibus agricola factus obvius refert, non procul esse fontem, numquam ibi antea visum cinctum balla, id est lorica. Unde oppidum novum nomen Balla, et etiam Mochua cognomen Ballensis accepit : Hicque, et socii, quod fons, qui Benchore ex Ultonia profectus erat, subsidens quietam ipsis sedem promittebat, Deum laudibus efferunt.

Fons e terra denuo erumpit alio loco.

Balla oppidum un dictum.

9 Ceterum vix sedem figere statuerunt, cum Eacha Minnechus Ofiachræ gentis Princeps centum viros ex magnatibus illius principatus ducens, ad pellendum virum sanctum loco iter capit. Hi appropinquantes supra nemus Angelos aspectabilibus formis volitantes conspiciunt. Quorum occursatione, Mochuæque venerabili conspectu, et sanctis exhortationibus ducti nemus, et circumjectos agros, Kellacho Rege annuente, Deo sponte dedicarunt. Ibi Mochua templum extrui, et a tribus Episcopis dicari, curavit : ipseque postea plurimis miraculis fulsit, quorum aliqua celeri stylo percurrere juvabit.

Angeli et Mochuæ aspectus, hostes leniunt.

CAPUT V.

Varia Mochuæ miracula.

S. Mochua sterilitatem pellit.

Sterilis matrona de sua infœcunditate Mochuæ queritur. Ille duos aquatici nasturtii scapos a se sanctis verbis sacratos dedit infœcundæ : quos illa cum comedisset,

medisset, brevi viri sui concubitu prolem concipit, unoque partu Lukencariam piam, Scanlanumque edit.

Piscatoribus prædam impetrat.

11 Piscatores frustra piscantes præsenti Mochuæ opprobrio ducunt, a se nihil piscis capi. Sine mora salmones quatuor, vitulum marinum fugientes, ad eos in terram evadunt.

Linea ducta agnos continet.

12 Agni oves conspicati ad matres ubera sugendi causa procurrunt. Mochua, qui prope ambulans ad Deum preces fundebat, id cum vidisset, veloci gradu occurrens, lineam humi baculo ducendo, agnos antevertit : nam eorum nullus lineam a sacro viro descriptam transgredi ausus est.

13 Mochua nuntium ad Fælanum mittit. Intercedebat longus et angustus maris recessus, celsis, scopulosis, et præcisis marginibus cinctus : ubi duæ feroces feminæ Beca Cuchoragi, et Lithbena Attrephthi filiæ canistrum habebant duobus funibus hinc inde suspensum, ut ultro citroque viatores, sicuti præseferebant, trajicerent. Hæ Mochuæ tabellarium cista acceptum in medio secessu sublimem appendunt. Ea de re vir sanctus divinitus monitus nuntii redimendi causa sese in viam dat. Ad recessum quando pervenit, cum feminis, ut hominem dimittant, agit. Quod a Lithbena sine præmio, sed a Beca non, nisi cucullo in pretium dato, impetrat. Brevi tamen cohortando et feminas et eorum patres ad melioris vitæ frugem convertit.

Peccatores convertit.

Terra crescit ut in insulam transeat.

14 Mogiam principatum ingressus in Amalgam insulam statuit transmittere. Ad id cum navigii copia non fuisset, Deum orat. Mox ita terra crevit, ut postea Amalga pedibus adiri possit.

Fur detinetur miraculose.

15 Fur, cum sarcinam magnam ex Mochuæ tritico surreptam in dorsum sibi imposuisset, nec incedere, nec onus ullo modo deponere quivit, donec deprehensus ab evocato Mochua sanctissimæ Triadis nomine fuit vinculis occulte retinentibus solutus.

CAPUT VI.

Variæ per eum curationes.

Ex mss. per Osullevanum.

Ejusdem sacrosanctæ Trinitatis nomine cacodæmones ab homine misero, quem diu occupatum vehementer affligebant, expulit.

Mochua energumenum sanat.

17 Magnam pustulam Iathlecho Kenfælæ filio in corpore fœdius indies tumentem in tintinnabulum suum Dei nutu transtulit, hominem sanum relinquens.

Alium ægrum curat.

18 Ictericia, vel aurigine, id est abundantia flavæ bilis per corpus effusæ, hominemque pallidum reddentis, Muregidarum gens laborabat. Qui totius Iberniæ medicis consultis nullo medicamine sanari potuerunt : rebus humanis diffisi Mochuæ patrocinio Dei fidem implorare constituunt. Duo millia et quingenti auriginosi Ballam conveniunt : ubi Mochuæ precibus, atque consecratione curantur, suum quisque colorem recuperantes, pallore in sancti viri baculum transeunte : unde hic baculus Pallidus nomen accepit : et Muregidæ se posterosque suos Mochuæ obsequio devoverunt : cujus et invocationem eo morbo affectis opi esse, memoriæ proditum est.

Ab aurigine plurimos sanat.

19 Homo manibus, pedibus, aliisque membris captus ad Mochuam curandus portatur : eoque propter dulcissimum Jesu nomen jubente, firmus et integer surgit, suis quoque membro fungente muneribus.

Contractum curat.

20 Quidam probus atque simplex filium, quem habebat unum, ut eum Mochua a morte revocet, exanimum effert. Viro sancto Deum rogante puer magna omnium expectatione et lætitia reviviscit.

Mortuum suscitat.

21 His, aliisque rebus præclare gestis Mochua anno ætatis suæ sexto et quinquagesimo in Cælitum cœtum migravit.

Moritur.

Hæc ex veteri litterarum monumento Osullevani Bearriæ Principis jussu de Divorum vitis Ibernice condito fidissime transtuli.

DE S. AGRIPPINO

AUGUSTODUNENSI EPISCOPO.

Circa an. Chr. dxc. 1 JAN.

S. Agrippinus Episcop. Augustodun.

Decimus octavus Æduorum Episcopus Agrippinus fuit, ut habet Claudius Robertus. Ejus Kalendis Januarii natalem refert Martyrologium ms. *S. Hieronymi, sed quod vel hinc patet auctum esse; ita habet :* Augustoduni, depositio Agrippini Episcopi. *Interfuit S. Agrippinus Concilio* II *Aurelianensi anno* dxxxiii *et* III *anno* dxxxviii.

2 *Meminit illius Fortunatus in vita S. Germani Parisiaci* 28 *Maii :* At Dominus Germanus intra terni lustri spatium a B. Agrippino Diaconus instituitur, et sequenti triennio Presbyter ordinatur. *Idem refert Aimoinus lib.* i, *cap.* 24. *Nondum sedebat S. Agrippinus anno* dxvii, *quo Epaonensi Concilio subscripsit Pragmatius Episcopus Augustodunensis. Neque pervenit ad* dxlix, *quo, Concilio Aurelianensi V, subscripsit Nectarius Episcop. Augustodunensis.*

S. Germanum Parisiensem consecrat Presbyterum.

not. 13.

DE S. EUGENDO

ABBATE.

not. 14.

1 JAN.

S. Eugendus Abbas.

De *S. Eugendo Usuardus :* In territorio Lugdunensi S. Eugendi Abbatis, cujus vita virtutibus et miraculis plena refulsit. *Consentiunt fere cetera Latinorum Martyrologia, ac comprimis Romanum. Meminit ejus et Petrus de Natalibus lib.* xi, *cap.* cxxx. *Miræus in fastis Belgicis et Burgundicis. Notkerus* 2 *Januar. eum refert. Quidam Augendum, Galesinius Eugenium vocat.*

Wionius corrigitur.

2 *Arnoldus Wion, lib.* 3. *Ligni vitæ duos facit Eugendos, unum Jurensis, alterum Condatensis Monasterii Abbatem : cum Condatescense cœnobium, sive ut Gregorius Turonensis appellat, Contatiscone idem sit quod Jurense (non ut quidam scribunt Virense, Virens, Lorense) quia in Jura Burgundiæ Monte situm. Nunc S. Claudii dicitur a S. Claudio Archiepiscopo Vesuntino, qui* 6 *Junii colitur.*

3 *S. Eugendi vitam ab ejus discipulo anonymo conscriptam atque a Surio editam cum veteribus* mss. *Monasterii S. Mariæ Bonifontis et S. Mariæ de Ripatorio contuli, ac pluribus locis emendavi.*

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

Ex mss.

VITA.

PRÆFATIO AUCTORIS.

Quantum, beatissimi fratres, desiderio fervorique vestro ex debiti summa suppleverim, sicut ex ratione apicum ex parte sum, opitulante Domino, jam securus; ita conscientiæ propriæ extraneique judicii incertus, ago hæc quæ injungitis, non præsumptione indocti, sed obedientia, ut cernitis, regulari. Sic annuens divinitas faxit, ut humana proclivior in dijudicando fragilitas, dum melo delectatur aut musicis, dumque oratorias venustates, vocabulorum quoque ac temporum signata proprietate miratur; hæc nostra * tapinosis nequaqam jactantia superborum judicum ventosa superfluitate calcetur. Porro nos (ut præfati jam sumus) vobis proprie opuscula ista dicavimus, quos novimus non oratorum, sed piscatorum esse discipulos : nec in philosophia sermonis regnum Dei, sed in virtute prospicere; magisque pura ac jugi observantia Dominum exorare, quam vana perituraque facundia perorare. Hinc ergo jam nobis in relatione vitæ beatissimi viri, narrationis sumatur exordium.

Excusatio styli impoliti.

**ms. Bonif.* tapinositas.

CAPUT I.

S. Eugendi patria, institutio, futuræ vitæ indicia.

Sanctus igitur famulus Christi Eugendus, sicut Beatorum Patrum Romani et Lupicini in religione discipulus, ita etiam natalibus ac provincia extitit indigena atque concivis. Ortus nempe est haud longe a vico, cui vetusta paganitas ob celebritatem clausuramque fortissimam superstitiosissimi templi, Gallica lingua Ysarnodori, id est, ferrei ostii, indidit nomen. Quo nunc quoque in loco delubris ex parte jam dirutis, sacratissime micant cælestis regni culmina, dicata Christicolis. Atque inibi pater sanctissimæ prolis judicio Pontificali, plebisque testimonio extitit in Presbyterii dignitate Sacerdos. Igitur cum beatissimum pignus ab ipsis pene cunabulis quodam instinctu, successuque felicitatis ac luminis, virtute divina, ut reor, præsagante succresceret; et nocte quadam, venerabilis pater ipsius, vel soboles sancta, ab affectu profectuque futuræ beatitudinis tenerentur incerti; in visione puer sanctus a duobus religiosis viris sublatus, ultra domus paternæ vestibulum sistitur, ita ut Orientis plagam cælique astra, quasi quondam multigena Abraham Patriarcha, intuitu diligenti prospiceret : atque ipsi typice jam quodammodo dicebatur : Sic erit semen tuum. Post intervallum namque modicum hinc unus, ast hinc alter, atque alius inde, donec succrescens multitudo efficeretur innumera, beatum puerum vel sanctos proculdubio Romanum ac Lupicinum Patres, qui eum in spiritu de cœno paternæ domus eduxerant, tamquam enormitas apum in modum mellificantis uvæ quadam constipatione sepserunt. Et subito a parte prospicua videt instar amplissimæ portæ culmina patefacta cælestia, et lento etiam deductoque usque ad se e cæli vertice cum lumine clivo in modum reclinis scalæ cristata proclivitate descensum, et niveos fulgidosque Angelicos choros ad se usque velut socios, tripudiantes in Christi laudibus adventare. Ita tamen quod crescente semper in loco societate, nullus omnino reverentia divinitatis attonitus, aut sermone movebatur aut *nutu. Cumque sensim cauteque mortalibus multitudo sese inseruisset Angelica, collectis copulatisque sibi terrestribus, concinentes Angeli, ut venerant, cælestia sacra repedantes ascendunt. Hoc solummodo puer sanctus inter carminum modulationem percepit, quod post annum circiter in monasterio intromissus ex Evangeliis recitari cognovit. Illud nempe vice antiphonæ, (ut bene, ipso dignanter referente, commemini) reciprocis vocibus multitudo concinebat Angelica : *Ego sum via, et veritas, et vita.* Recepta igitur ingenti multitudine, post contemplationem diutinam, aerea quoque sese clausit astrigera, et solum semet puer contemplatus in loco, excussus est somno, concutitur, ac visionis terrore perculsus rem gestam illico refert patri. Confestim namque Presbyter sanctus, cui potissimum proles sanctissima dicari deberet, agnovit.

S. Eugendi patria.

Paterna institutio.

Gen. 13. 14.

Visio ad Dei cultum invitans.

**ms. Rip.* metu.

CAPUT II.

Fit monachus sub SS. Romano et Lupicino, sanctissime vivit. Laus S Leuniani.

Mox igitur eum litterarum instrui jubet elementis, et anni exacto circulo, tamquam Samuel quondam, non in typico excubaturus templo, sed potius Christi efficiendus templum, S. *a* Romano oblatus est Patri. In quo vere ita beatorum Abbatum, qui eum in spiritu de incolatu terrestri eduxerant, gratiarum gemina confluxit ubertas, ut succidua quoque posteritas utrum in Eugendo Lupicinum potius suspiceret, an Romanum, judicio fluctuaret incerto. Illis dumtaxat huc illucque necessitate misericordiæ e monasterio sæpe progressis : iste vero a septimo usque ad sexagesimum vitæ, quo transiit, annum nusquam exinde post ingressum extulit pedem. Lectioni namque se in tantum die noctuque, expletis consummatisque omnibus, quæ a Præposito vel Abbate injuncta sunt, dedit et impendit, ut præter Latinis voluminibus, etiam Græca facundia redderetur instructus.

Septennis sit monachus. 1. Reg. 3. 3.

Numquam egressus.

Lectioni assidue deditus.

Græce doctus.

5 In vestitu autem duabus tunicis numquam est usus, atque unam ipsam numquam mutavit, nisi antea fuisset plurima vetustate consumpta; simili quoque cucullæ ipsius conditione servata. Paleis vero lectuli ineventilatis multo tempore, vilique sagello *b* constrictis, pellicioque superposito conquievit. Æstivis namque temporibus caracalla, vel scapulari cilicino utebatur, quod ei quoque vir sanctitate conspicuus *c* Leunianus, Viennensis urbis Abbas, pignore transmiserat caritatis. Fuit namque Sanctus iste de Pannoniis quondam, et spargente barbarie in Galliis, vinculo captivitatis abductus; et non solum in Viennensi, sed etiam in Augustudunensium urbe, multo tempore claustro peculiaris cellæ conclusus : ita ut amplius quadraginta annis in utraque civitate coercitus, nulli hominum ex prima retrusione vultu aut corpore, præter sola sermonis notitia, nosceretur. Monachos juxta cellulam haud plurimos regens; monachas vero procul intra urbem monasterioque conseptas ultra sexagenarium numerum admirabili ordinatione rexit et aluit : præmisitque maximas, magnas interim succiduasque in spiritu non dimisit.

In vestitu, et lecto austerus.

Leunianus reclusus monachos et monachas regit.

a Colitur S. Romanus XXVIII Februarii. S. Lupicinus XXI Martii.

b Sur. constratis. *c al.* Leonianus, de quo XVI. Novemb.

CAPUT III.

Eugendi austeritas in vestitu, ceterisque rebus.

Sed sursum redeo. Habebat namque Eugendus beatissimus calceamenta fortia rusticaque, in modum priscorum Patrum constrictus ocreis crura, fasciolisque plantas. At vero nocturnis matutinisque conventiculis, nec in frigidissimis pruinis, nec in magnis nivibus, quidquam nuditati pedum præter *lineas Gallicanasque caligas addidit unquam. Atque in hunc quoque modum eminus sæpissime matutinis horis ad fraternum

S. Eugendi calceamenta.

** ms. Rip.* ligneos. *Sur.* ligneas.

fraternum cœmeterium oraturus gradiebatur in nivibus. Nemo namque eum unquam aut in diurna, aut in nocturna synaxi ante completionem conspexit egredi foras. Nam cum ipse noctibus certe oratu longissimo atque secreto cunctos in oratorium diutissime anteiret, post omnium quoque discessum nihilo minus formulæ suæ incumbens, oratione diutina pascebatur in spiritu. Atque ita exinde quolibet tempore vultu hilari ac læto egrediebatur ad fratres, ut solet exatiata ambitio vultus hominum lasciva jucunditate dissolvere. Refectio ei omni tempore semel in die fuit. Quæ tamen æstivis diebus nunc in sexta cum ceteris fatigato, nunc vero cum his, qui iterato reficiebantur, terminabatur in vespera, ita tamen, quod nihil unquam, exceptis his, quæ cunctis apponebantur fratribus, degustavit in mensa.

Orandi assiduitas.

Abstinentia.

CAPUT IV.

Aliis vice Abbatis præficitur. Sacerdotium recusat.

Igitur ad inchoationem ipsius administrationis revertamur. Cum ergo Pater ille, quem Beatissimus Romanus vel Lupicinus Condatescensi cœnobio signaverant successorem, præter labores sollicitudinesque cœnobiales, etiam corporeæ inæqualitatis frangeretur incommodis, vocatis ad se Fratribus, sic sanctum Eugendum vicis suæ sollicitudine innexuit, ut sibi tamen jus paternæ eminentiæ in nullo penitus imminueret, aut subtraheret. Tentavit namque idem Abbas, ut ante dictum sanctumque Eugendum cum administrationis onere, etiam Presbyterii dignitate arctius illigaret. Sed non solum voluntati ejus in hac parte sæpissime, imo sanctissime contradixit, verum etiam sacrosanctos Pontifices, qui illuc causa orationis confluxerant, adiens, reverentiam tanti honoris caute ac diligenter aufugit. Mihi tamen crebro secretissime testabatur, utilius multo esse Abbati, propter juniorum ambitionem, liberum a Sacerdotio præesse Fratribus, et non illigari dignitate, quam abrenuntiantes ac remotos minime convenit affectare. Novimus namque, aiebat, præter hanc, quam prædiximus, causam, multos etiam Patres, post humilitatis professæ culmina, hoc officio gravius ac latentius superbisse, et plus se efferre fratribus, quos in exemplo humilitatis convenerat anteire. Suscepit ergo Dei Sanctus, sicut etiam Pater Lupicinus, absque Sacerdotali eminentia injunctæ sibi vicissitudinis societatisque laborem, ea maxime securitate fretus, quod de paterna sollicitudine ac provisione non habebatur incertus : sed mox evidentissima revelatione percellitur, ne de plenaria administratione velut in aliquo incertus, redderetur ambiguus.

Fit Coadjutor Abbatis.

Recusat Sacerdotium.

CAPUT V.

In visione Abbatem se futurum intelligit.

Nocte igitur subsecuta, subito raptus in visione, beatissimis quoque Romano ac Lupicino Abbatibus, ut in initiis quondam, ita nunc in oratorii secretario a parte dextera præsentatur, nec non etiam inter ipsos seniores ac superstites circumspicit fratres, cereos ac lampades gestare lucentes. Et data sibi a sanctis Patribus oratione vel pace, illico benedictum illum Abbatem, decessorem sibi utique mox futurum, conspicit intromitti, ac desuper dorsum ipsius vel scapulas rigentibus clavis purpureis pallium album adspicit dependere. Soluto namque Beatus Romanus Sancti illius cingulo, constringit illico lumbos Eugendi. Dehinc excusso, quod desuper, ut diximus, gestabat, pallio, hujus adæque humeris superimponens, ait : Hæc tibi ad præsens nosce interim assignari : et digitis Dalmaticam prædicti antecessoris adstringens : Etiam hanc tibi, inquit, probatam in acceptis utilitatibus noveris assignandam. Mox adstantes cum cereis Fratres, incipiente primitus uno, confestim cuncti claritatis ac solatii lumina impacta parieti deprimunt et extinguunt. Cumque vir beatus tenebrarum angustiis coercitus, eventum rei attonitus præstolaretur in visu, vox ad eum facta est : Noli, ait, te Eugende, fraude eorum præsentium ac materialium luminum contristare : Orientalem namque cellulæ hujus attende prospectum, et videbis illico tibi absque opitulatione humana lumen divinitus ministrari. At ille confestim illic porrigens visum, adspicit sensim dilucescente aurora, radium ad se diei ac lucis influere. Et in semetipsum reversus, lectulo lætus excutitur. Nec mora : visionem sequitur effectus.

Visio ejus alia, qua Abbas futurus designatur.

Ex mss.

CAPUT VI.

Miraculis clarus, suspicitur ab omnibus.

Nam ad Christum decessore illo migrante, volens nolensque administrationem subterfugere non potuit subarrhatam. Illi vero, qui per visionem luminis solatia præstita subtraxerant, humanitatis malo aliquid passi, livoris zelo inflammati in beatissimum virum invidiæ ardore turgescunt, et Sanctum Eugendum Abbatem nunc despectione animi, nunc quoque monasterii professionisque desertione, tamquam novitium ac rudem monachorum laicorumque patiuntur subjacere despectui.

Fit Abbas.

Deseritur a fratribus.

8 At non ille divinæ pietatis obtutus famulum suum passus est prolixa fatigatione vexari. Confestim namque ipsi potentiæ ac virtutis suæ dexteram affluentissima signorum largitate porrexit, dando atque ostendendo per servum suum sanitatum dona ac prodigia multa : ita ut summæ sæculi potestates, sospitari se crebro ac benedici ejus litteris exorarent, nec se divinam clementiam crederent habere placatam, nisi prius Christi amici gratiam sive suffragia aut visu aut litteris potirentur. Episcopi quoque ac suspicientissimi Sacerdotes præ se omnimodis ferre, si eum corporaliter cernere, aut affatu litterario obtinuissent familiarius compellari. Ipsi etiam pseudofratres, qui pridie cothurno elationis inflati discesserant, tamquam infelices ac degeneres notabantur a laicis, nisi deposito invidiæ viru, ad sanctum Christi famulum quantocyus repedarent.

Miraculis coruscat.

Suspicitur ab omnibus.

CAPUT VII.

Ejus epistola dæmon pellitur, ægritudo curatur.

Dum hæc odorifera fama geruntur, puella quædam juxta sæculi dignitatem non infima, circa Secundiacensem parochiam atroci dæmonio correpta, non solum claustris retrusa, verum etiam ferreis vinculis tenebatur obstricta. Cumque sanitatis causa a multis, ut solet, exorcismorum scripta nexa cervicibus necterentur, atque illa ignotas sibi personas scriptorum per immundum spiritum cum nomine, quod dolendum est carperet et vitia, seque magis illos, qui scripserant, jam olim in illo atque illo peccato latentibus apud humanitatem indiciis assereret possidere : tum ad ipsam energumenam de adstantibus unus : Quid nos alienis, inquit, imo propriis vitiis terres immunde? Vere in Christi nomine non solum istorum, quibus derogas, virorum, sed cunctorum quoque, si potuero, scripta Sanctorum ita cervicibus tuis innectam, ut vel multitudine * imperantium obruaris, si hos paucos audire despicis et contemnis. Tu mihi, inquit

Dæmon per energumenam occluta peccata hominum prodit.

* *al.* operantium.

EX. MSS. *Sur. Alexandrinarum.

inquit diabolus, * Alexandrina chartarum, si placet, onera exarata imponas, numquam tamen ex obtento vasculo poteris propulsare, dummodo mihi solius Eugendi Jurensis monachi ex hoc non afferas visionem. Confestim namque rapientes proximi dictum, ad beatissimum virum plenissima fide concurrunt, ac rem gestam, pedibus ejus provoluti, narrantes, non se redituros esse testantur, nisi Christi misericordiam præstaret exoratus oppressæ. Victus igitur vel ratione, vel precibus Pater, breviter cum longa oratione, ut Gregorius quondam Magnus Apollini, in hunc modum scribens atque consignans, spurcissimo transmisit epistolam : Eugendus servus Christi, in nomine Domini nostri Jesu Christi, Patris, et Spiritus sancti, præcipio per scripturam istam : spiritus gulæ, et iræ, et fornicationis, et amoris, et Lunatice, et Dianatice, et meridiane, et diurne, et nocturne, et omnis spiritus immunde, exi ab homine, qui istam scripturam secum habet. Per ipsum te adjuro verum filium Dei vivi, exi velociter, et cave ne amplius introeas eam, Amen. Alleluia. Et orans atque complicans, supplicibus tradidit deportandam. Quid plura? necdum itineris medii spatia confecerant, cum ecce furcifer ille frendens atque ejulans, prius egressus est ex obsessa, quam calcarent domus limina revertentes.

Ruffin. l. 7 histor. Ecclesiastic. c. 26. NOT. 15.

S. Eugendi litteris pellitur.

10 Ab hoc fere tempore beati viri longe lateque fama nomenque enituit, ut qui sanctus jam habebatur indigenis, potens etiam et vere Apostolicus porro genitis haberetur. Materfamilias quondam Syagria, nunc quoque Ecclesiarum Monasteriorumque per eleemosynam mater, cum gravi obsessa incommodo jamjamque haberetur a medicis desperata, epistolam beati viri quæ casu ad eam delata pervenerat, de armariolo sibi vice dexteræ beati viri, exosculandam præcepit attingi. Cumque apprehensam contactis ex eadem cum oratione oculis, lacrymis quoque haud minime deciduis infecisset, ori dehinc insertam aliquantisper dentibus cum oratione constringens, mox recuperata sanitate surrexit. Quo gaudio atque miraculo non solum ipsa suique, verum etiam civitas maxima Lugdunensium, exultatione mira relevata atque lætata est.

Syagria ejusdem litteris sanatur.

CAPUT VIII.

Ægros curat, etiam absentes scripto, et oleo benedicto, et per suos.

Multi ab eo curantur :

Cum ergo fama vitaque viri virtutum relatione succresceret, tanta miserorum acervatim cœpit in Monasterium turba concurrere, ut sæcularium, imo tribulantium multitudo, pene catervis videretur monachorum numerosior. Interea dum inibi mox nonnulli, alii etiam post bidui triduique, quidam vero post mensibus commoda votiva percipiunt, Dei Sanctus manum ad salutare compendium mittens, fatigationem miseris auferebat. Dabat ergo supplicibus atque sospitibus deportanda illigandaque infirmis, cum sancti olei quantitate, contraria larvis atque miseriis scripta mandata. Quæ ita cooperante fide porrigebant in provinciis longe positis medicinam, ut illi quoque obtinerent qui ejus in Monasterio præsentabantur adspectui.

Etiam absentes benedicto oleo, et scripto.

12 Neque solus beatissimus Pater in cœnobio, sed et Presbyteri, multique inibi fratres, potiebantur clarissima virtute meritorum. Et zeli ambitione cessante, illis potius quam sibi, Dei homo medendi delegabat officium. Et hoc studebat omnimodis, ut unusquisque illi rei vel studio in Monasterio deserviret, in quo eum dono Spiritus sancti pollere eminentius perspexit : atque ideo mansuetum ac lenem illi ordinabat officio vel loco famulari, ubi mansuetudinis ac patientiæ bonum nullatenus inquietudo decoloraret alterius. Rursumque superbiæ forsan aut vanitatis vitio notatos, non patiebatur esse sepositos; ne judicio virosæ ac propriæ elationis inflati, altius graviusque corruerent cum culpas ac vitia sua non agnovissent, in medium crebrius increpati. Si quos sane, ut sese habet natura fragilitatis humanæ, edacis tristitiæ morsibus interea noverat sauciari, illis quoque inopinantibus ita spiritaliter ex industria blandus superveniebat ac lætus, et sancto dulcique fovebat alloquio, ut deterso tristitiæ perniciosissimo viru, quasi quadam salutaris olei perunctione, exasperata sanaretur austeritas. Dissolutioribus vero ac levioribus acriorem se severioremque semper exhibuit. Presbyteris quoque ipsis, quorum officio constrictus sæpe ab Episcopis, humilitatis causa, ut diximus, noluit implicari, ita semper ob ministerium sacrificii salutaris quodam remotionis opere, conscientiæ puræ tribuit facultatem, ut illo cuique pro delicto mordaciter forsitan quippiam, ut assolet, succensenti, illi vero dum reatum culpamque ignorarent, absque notitia vel participatione alieni reatus, corpus Dominicum traderent ab altari, ut nec se conscii plecterent communione delicti, nec alterum severitate paterna, ante emendationem forsitan sacramentorum indultu subtraxisse viderentur in aliquo.

Etiam per suos.

Omnibus officia accommodat.

CAPUT IX.

Apparent ei SS. Petrus, Paulus, Andreas : eorum isthuc allatæ reliquiæ.

Obtrectationes odit.

Hic namque fuit, imo est apud Christum beatissimus homo, ex cujus ore (Deum testor) numquam processit obloquium; cujus aures numquam polluit maliloqui oris ferale contagium. Tantum namque detestabatur hoc vitium, imo flagitium, quantum quis lethiferi anguis non solum venenum metuit, verum etiam occursus ipsius vitat atque conspectus.

Apparent ei S. Petrus, Paulus, Andreas, Martinus.

14 In tantum mens ipsius abstrusis vitiis pura pollebat, ut etiam beatissimorum Christi Apostolorum Petri et Pauli, Sanctique Andreæ, adæque Apostolici conspicuique viri Martini Episcopi, et colloquio fuerit et visu potitus. Quodam namque tempore, antequam ipsi administrationis onus incumberet, diebus æstivis ultra Monasterium juxta semitam, qua * Gebennam usque transcenditur, sub arbore solito quiescenti, subito tres se per soporem adventantes offerunt viri. Quorum cum post orationem et pacem, novitatem vultus habitusque contemplaretur attonitus, interrogat quoque quinam ipsi venerabiles essent, quorum benedici meruisset adventu. Tum unus, Ego, ait, Petrus; ast hic germanus meus Andreas, et iste frater noster est Paulus. At ille confestim in spiritu ad eorum vestigia provolutus : Et quid est, inquit, Domini, quod vos in hæc rura cerno silvestria, quos in magnis urbibus Romæ ac Patras post sanctum martyrium legimus corpore contineri? Verum est, inquiunt, et illic quidem, ut asseris, sumus : et hic quoque nunc habitaturi venimus. Et in hæc verba visio finivit et somnus.

*MS. Rip. Genuam.

15 Cumque confricata facie torporem somni depulisset ex vultu, conspicatur eminus duos, qui ante biennium circiter decesserant, fratres eo adventare calle, quo sanctos Apostolos per visionem conspexerat advenisse. Et prosiliens illico in occursum, consalutatos quoque ex more, consulit, unde dilectissimi fratres post tam diuturnum commeatum ad cœnobium repedarent. Nos, inquiunt, inter alia ad Urbem usque progressi, obtentis quoque Sanctorum patrociniis sub trina Martyrum sera quidem, sed fida intercessione, revertimur. Dominorum namque Apostolorum Petri et Pauli atque Andreæ ditati reliquiis, ad caulas repedamus antiquas. In loco igitur, ut moris est, illis subsistentibus

Apostolorum reliquiæ in Monasterium reverenter illatæ.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

subsistentibus currens Eugendus sanctus ad Monasterium, ipse Patri ac fratribus adventantium Sanctorum efficitur nuntius, qui fuit paulo ante contemplator in visione. Prosiliunt confestim obviam, et consalutatis fratribus, deosculatisque reliquiarum vasculis, cum tripudio et exultatione atque psalmi sono exhibitis, inclusis quoque sub altari, patrocinantur nunc exorantibus indefessa virtute, quorum laudes ac merita nequeunt localiter coerceri.

CAPUT X.

S. Martinus ei apparet : ejus monachos reducit incolumes.

Alemannorum ea ætate feri mores.

Ut enim de sancto ac beatissimo viro Martino dicamus, cujus mihi quoque vultum ac habitum cum supra dictorum secretissime solebat exponere, parumper vobis referre non pigeat. Quadam namque vice, dum diros metuunt ac vicinos Alemannorum incursus, qui inopinatis viantibus, non congressione in cominus, sed ritu superventuque solerent irruere bestiali; ad mortem aut suspicionem mortis penitus evitandam, quæ crebro timoris jaculo toties interimit, quoties timetur, e limite Tyrrheni maris potius, quam de vicinis Heriensium locis coctile decernunt petere

Salem a Tyrrheno mari petit.

sal. Sed hoc totum ut fieret, et consilium et ordinatio beati viri persuaserat. Cumque emenso bimestri tempore, nullum darent proprii adventus indicium, vertitur in Sanctum imputatio fratrum, quod aliis e vicino, quod timuerant, sospitibus jam reversis, non tam destinatis fratribus exilium, quam peregrinam * propria persuasione dedisset.

** Videtur deesse* mortem.

17 Ille vero incertus de reatu, quia ipsos ancipiti * abstraxisset eventu, metuens tamen saltem indebite increpari, misericordiam Christi pro salute eorum diebus singulis exorabat ac noctibus. Cumque post lacrymas fessus, fuisset soporatus in lectulo, ita claritate subita vallatur in grabato, ut se plus luce cerneret circumfusum, quam si purissimi solis illustraretur allapsu. Illico juxta lectulum Beatissimus Martinus assistens, consalutatum quoque, qualiter valeret, interrogat. At ille : Bene, inquit, agerem, si de salute fratrum, quos, ut increpor, exules feci, non haberer incertus. At ille : Non meministi, ait, quia euntes mihi eos, id est, Martino, in oratione proprie commendasti? hac namque nocte in Pontianensi parochia manent : crastina vero unus ex ipsis isthuc veniet, suspicionem cunctis ablaturus, ad mansum. Expergefactus igitur Christi homo, tamquam memoratos fratres cunctis visibiliter assignaret, ita diem et horam prædixit adventus, ut ipse Sanctus Dei nuntiaverat, vel ipsi continuo sunt regressi.

**Sur.* obstrinxisset.

S. Martinus ei apparet.

CAPUT XI.

Monasterium ejus conflagrat, oleo S. Martini illæso.

Ejus monasterium conflagrat.

Nam et hoc, quod insequens sum relaturus, licet nullus ambigat Beatissimi Martini mirabilibus applicari, tamen ignoro, quis tam ignarus ac brutus sit, ut non illic specialius noverit virtutum dona clarescere, ubi per unitatem fidei familiarius concordans residere dignoscitur gratia meritorum. Permisit namque Dominus nocte quadam in secretario antedictum sanctumque Martinum tentari quidem incendio, sed probari. Sic igitur et Condatescense monasterium exustum quondam et flammis, sed tamen Martini oleum nullo flammarum est voratum incendio. Quod etiam Beatus Eugendus tanta patientia atque æquanimitate suscepit, ut mox illi divina providentia non solum ad victum sive vestitum duplicia pro simplo reddiderit, verum etiam tabernacula ipsa multo utilius, congruentiusque, quam fuerant, in usus pristinos restaurarit.

Vice igitur quadam, imminente vespera, omne illud, ut dixi, monasterium, quia erat ex lignis fabrefactum antiquitus, et non solum contignatis indiscretisque cellulis, verum etiam pulchre fuerat cœnaculis geminatum, ita subito redactum est in favillam, ut mane non solum nihil resideret ex ædificiis, verum etiam celeritate arentis pabuli, ignis ipse pene totus redderetur extinctus. Ex mss.

19 Cumque fratres illi, prout quisque sarculum securimve posuerat, ferrum revera quod solum exuri nequiverat, prunis ventilatis inquirerent; ecce Antidiolus sanctus Presbyter prospexit ampullam cum oleo Beati Martini, quæ salutis gratia, ad lectuli sui capitium dependebat, plenam, clausamque, ut fuerat, post vasta incendia, postque cœnaculorum desuper ruentium ardentiumque ruinas, ita integram ac stabilitam inter fumantes ignium residere favillas, ut tres quondam pueros roscidis refrigeriis legimus in camino Persico claruisse. Quæ etiam ampulla cum oleo ipso ad virtutum testimonium usque hodie in eodem monasterio reservatur. Unde non amplius sub Eugendo Sancto, incendiali arbitror casui licuisse, quam, ut dixi, Beatissimo quondam cessisse Martino; vel postmodum Condatescenses monachos cum oleo virtuteque Martini reminiscimur evasisse.

Oleum S. Martini in mediis flammis illæsum.

Dan. 3. 50.

CAPUT XII.

Occulta et futura cognoscit, aperit.

Nam præter ista, quæ ob meritorum virtutumque testimonium pauca perstrinximus, tam præcipua extant, quæ puritate spiritus, divina illuminatione, præscivit, ut in corpore positus, jam quodammodo cum supernis Virtutibus clarescere putaretur; adeo ut vice quadam venerabilem virum Valentinum, ejusdem monasterii Diaconum, commoneret secretius, dicens : Constat te, carissime frater, intra hos viginti circiter dies ex hoc sæculo ad præparata præmia migraturum : et ideo quamlibet exutus peccatorum nexibus, paratus ad Dominum eas; moneo tamen, ut te ita circa clausulam vitæ, dum tempus suppetit, profectuum collatione ditifices, quo possis digna, ut vidi, acceptabiliorque hostia ex ara Christi assumi. Hac namque nocte vestitum te niveis linteis a sanctis Patribus vidi cum psalmi sono in altari oratorii hujus imponi. Igitur licet meritum qualitatemque tuæ assumptionis agnoscas; suadeo tamen, ut tibi interim addas, quod possis illic felicitate perpetua possidere. Cumque sermocinationem cum alacritatis lacrymis et oratione complessent, post decem circiter dies febricula levi correptus est, paulatimque inæqualitate vexatus, cursum vitæ præsentis explicuit. Ceterum ex cujuslibet superventu personæ, ita per odoris fragrantiam, fœtorisque afflatum, meritorum insignia dignoscebat, ut præsciret illico, cui quisque virtuti vel vitio subjaceret. Nam et adventus fratrum, et sæcularium * expectantium fidem prius sæpe prædixit, quam ulla adventantis præsentia fratribus monstraretur.

Valentino Presbytero mortem prædicit.

Occulta cognoscit. Prædicit futura.

** ms. Rip.* expetentium.

CAPUT XIII.

Ejus humilitas, læta gravitas, pietas.

Ita tamen magnis eximiisque bonis exuberans, numquam se meliorem eminentioremque altero vel leviter judicavit : sed pietate refertus, non quid interim esset, sed quam longe a perfectione adhuc esset, quasi cunctis abjectior et infimus perpensabat. Habebat autem, nimirum habitatore illustrante, magnam et in vultu lætitiam. Nam sicut tristem illum nemo umquam vidit, ita ridentem nemo adspexit. Non illi Beatorum Antonii atque Martini gesta aut mores labebantur

Semper humilis.

Graviter hilaris.

Ex mss. labebantur unquam ex animo. Numquam iste, ut de Antonio refertur, aut ira subito patientiam rupit, aut humilitatem erexit in gloriam : numquam laudatus ac beatificatus, inflatus est : numquam vituperatus, fractus est aut tristatus. Tantum namque lectione reficiebatur, ut cum lectitaretur ad mensam, *Sæpe rapitur.* sæpissime futurorum victus affectu, velut in extasi positus obliviscebatur appositorum. Nam præ gaudio attonitus, peregrinationem præsentis vitæ despiciens, municipatum suspirabat in cælestibus præparatum. Iste namque illic post priscis Patribus legendi proprie invexit industriam.

CAPUT XIV.

Fratres, præcipue senes et ægros sollicite curat : proprietatem eliminat.

Cœnobialem cohabitationem inducit. Iste etiam, refutato Archimandritarum more, utilius omnes univit in medium. Destructis namque mansionum ædiculis, uno cunctos secum xenodochio quiescere fecit : ut quos causa unitæ refectionis una claudebat ædicula, discretis quoque lectulis una ambiret et mansio. Cui tamen lumen diei, sicut in oratorio indeficiens noctibus præbebatur. Iste, inquam, Abbas sanctus nec mensulam suam, ut facere quosdam nuper audivi, nec victum umquam exceptavit a fratribus : omnibus omnino omnia erant. Non ille umquam imperio docuit, quod exemplo antea aut *Ægros et senes sollicite curat.* opere non complevit. Infirmis semper aut valde senibus clementissime obsequi fecit, adjiciens quoque, ut ipsis illi e fratribus in necessitate servirent, quos ægroti potissimum prælegissent : et non solum faciebat alimenta convenientia ministrari, verum etiam propter laborem infirmitatis, donec sanitas suppeteret, præstitit sequestratim reficere vel manere.

23 Nam et sæculi hominibus absque personali acceptione se præbuit. Pauperibus vero adæque ut divitibus osculum convictumque præstitit atque confessum, omni cautela juxta Patrum regulam servans, ne se conspectui adventantium laicorum vel propinquorum faltem injussus monachus præsentaret. Si quid vero quicumque fuit a proximis fortassis oblatum, confestim hoc Abbati aut Oeconomo deferens, *Prohibet omnem proprietatem.* nihil exinde absque paterno præsumpsit imperio. Cellam, armarium, arcellamve nullus illic omnino habuit unquam : nulla cuique de necessitate exigua proprietatis operandi dabatur occasio : nam usque ad acum ipsam, lanasque netas etiam suendi consuendique cuncta præbebantur in medium; dummodo subtilissima fratribus deviandi eximeretur occasio. Inter hæc autem omnia omnibus proprietatis causa solum legere licuit aut orare, Ceterum novit vestra fraternitas cuncta quæ dico, numquam in cœnobio declinandi causas deesse maximas, ubi non propelluntur etiam minimæ.

De instituto Monachico S. Eugendi. 24 Et quia sermo attulit, ut de institutione Patrum per imitationem Beati Eugendi aliqua tangeremus juxta promissum, quod memet prædixi tertio opusculo servaturum, prout memoriæ, Christo inspirante, suggeritur, abrenuntiantium exordia primitus intimamus. Sic namque quod non omnino illa, quæ quondam sanctus ac præcipuus Basilius, Cappadociæ urbis Antistes, vel ea, quæ sanctorum Lirinensium Patres, Sanctus quoque Pachomius Syrorum priscus Abba; sive illa, quæ recentior venerabilis edidit Cassianus, fastidiosa præsumptione calcemus : sed ea quotidie lectitantes, ista quo qualitate loci et instantia laboris invicta potius quam Orientalium perficere affectamus : quia proculdubio efficacius hæc faciliusque natura vel infirmitas exequitur Gallicana.

CAPUT XV.

Eugendi obitus.

Igitur quia oratiuncula hæc nostra, instar gubernatoris trepidantis, institutionis pelagus contemplata, circumspiciens undique portum silentii gaudet attingere, paullulum circa transitum gesta beatissimi viri referam. Cum enim ultra sexagenariam ætatem sex fere mensibus prædictus Pater inæqualitate corporea laboraret, sic tamen quod numquam canonico usque ad horam defuisset cursu, nec bis in die fesso corpusculo coactus fuit aliquid impertiri, vocato uno ad se de fratribus, cui cum libertate peculiari olim etiam perungendi infirmos opus injunxerat, secretissime quoque sibi pectusculum petiit, ut moris est, perungi. Cumque transacta nocte de nocturna quoque quiete *Inungitur.* a nobis percontaretur diluculo, in lacrymas ac singultum erumpens, Parcat, ait, vobis omnipotens Deus, qui me tanta inæqualitate constrictum, non permittitis corporeis vinculis jam resolvi. At cum trepidi *Moribundo apparent Romanus et Lupicinus.* inter profluas lacrymas convulsis quoque in corde singultibus, sileremus; Domini mei, inquit, Abbates Romanus Lupicinus propriis humeris feretrum ante hunc lectulum exhibentes, me quoque deosculatum compositumque elevantes, deferendum immiserunt gestatorio. Cumque elevatum in oratorium inferrent, concurrentibus vobis in ostio violenter excussus, *Postremo suos admonet.* in hoc sum a vobis lectulo reportatus. Et ideo rogo, si quid seni, si quid vero paternæ pietati præstatis, ne me isthic retinere diutius, sed tandem transire permittatis ad Patres. Oro ergo vos omnes et obsecro filioli, ut accepta ac tradita Patrum in omnibus inviolabiliter instituta, ad gaudium meum, Sanctorumque omnium ac vestrum, ad palmam victoriæ perducatis.

26 Igitur cum verba inter lamenta nostra complesset, quinto admodum die huic ipsi lectulo semet imponens, subito tamquam dormiens visus, spiritum *Moritur.* exhalavit. Cujus sanctum ac beatum corpusculum, inter catervas filiorum ac fratrum, posteritatis quoque deserviente famulatu, venerabiliter est in Christi nomine consepultum.

27 His interim fidei fervorisque vestri sitim, o sanctissimi, exatiatis tantisper desideriis, reficite fratres. At si animos vestros, spreta dudum philosophia, *Auctoris liber de institutis Monasterii Agaunensis.* rusticana quoque garrulitas exatiare non quiverit; instituta quoque quæ de formatione Monasterii nostri Agaunensis cœnobii, sancto Marino Presbytero, insulæ Lirinensis Abbate, compellente digessimus, desideria vestra tam pro institutionis insignibus, quam pro jubentis auctoritate, Christo opitulante, luculenter explebunt.

DE

Ex. mss.

DE SANCTO MARINO

ABBATE LERINENSI.

I. JAN. *Refertur hoc die a Vincentio Barrali Salerno in Chronologia Lerinensi S. Marinus Presbyter atque Abbas Lerinensis. Ejus mentio fit in vita S. Eugendi supra : cujus auctor ipsius S. Eugendi Discipulus, testatur se S. Marino jubente instituta Monasterii Agaunensis digessisse. Dicuntur Jurenses Monachi eum religiosa memoria et cultu venerari. Nihil de eo alibi reperi.* not. 16.

DE S. CLARO

ABBATE VIENNENSI.

I JAN. *S. Clari in Martyrologiis memoria.* *Sancti Clari Abbatis Monasterii S. Marcelli, natalem hoc die refert Joannes Molanus in Addit. ad Usuardum, Hugo Menardus, Arnoldus Wion, Philippus Ferrarius, aliique. Meminit ejus et Trithemius lib. 3, de viris illustribus Ordinis S. Benedicti c. 246. Ejus vitam edidit Gallice Renatus Benedictus, Latine ex antiquis* mss. *codicibus Laurentius Surius, quam non paucis locis emendavimus ex variis lectionibus a Petro Francisco Chiffletio nostro submissis.*

VITA.

CAPUT I.

Clarus a puero sanctus, precibus tempestatem sedat.

Vitam vel actus Beati Clari Presbyteri et Abbatis scripturus, Dei gratiam imploro, ut qui illi dedit bene et sancte vivere, mihi quoque tribuat ostium sermonis, et illius laudabilia gesta inculpabiliter scribere.

Clarus a puero divinis indiciis clarus. Hic a puero indiciis munerum clarus, in Dei omnipotentis gratia profecit adeo, ut precibus suis a Domino obtineret, quæ Spiritus sancti donum petenda esse persuaderet. Accidit quippe ut puer matrem orbatam marito haberet, quæ devote ad memorias sanctorum Martyrum apud Viennam subinde orandi gratia occurrebat : cum qua pedissequus Clarus venire solebat. Habitabat autem eadem femina in vico, qui Bellicampus dicitur.

Matrem ad memorias Sanctorum comitatur.

2 Hanc cum pro more quadam die ad orationem Clarus sequeretur, venerunt ad sanctissimum cœnobium ultra Rhodanum : ubi tunc temporis ossa Beatissimi * Ferreoli Martyris quiescebant. Cumque ibi mulier cum Claro suo puero in compunctione posita, longiores horas protraxisset, jamque vespere ad hospitium suum reverti cuperet, Rhodanus agitantibus ventis in undas periculosissime assurgere cœpit. Jam mater cum Claro puero navim intraverat : desperatisque nautis, pene undis submersa navi, Clarus puer extensis manibus contra ecclesiam beati Martyris Ferreoli lacrymis fusis exclamasse dicitur : Deus pro cujus nomine Martyr Ferreolus mortem suscepit, subveni nobis in periculo positis : mox Rhodanus blandior redditus, navim brevi impulsu ad littora sua transposuit. De periculo erepti, mirantes pueri fidem, Deo gratias reddiderunt.

Precibus tempestatem sedat.

*Colitur XVIII Septemb.

CAPUT II.

Varia Viennæ Monasteriæ.

Erat tunc temporis vir strenuus et Deo placitus, Viennensis Ecclesiæ Pontifex * Cadoldus. Monasteria tam virorum quam sanctimonialium, sub sancta professione viventium pia districtione, tam in civitate quam extra muros civitatis, hæc præcipua erant quæ regebat. * Grinianensium cœnobia, a sanctis Pontificibus urbis fundata, in quorum maximo ossa beatissimi Ferreoli Martyris condita venerabantur. Sanctimonialium beatæ virginis Columbæ, triginta monachas habens. Nam Grinianensium loca quadringentos monachos alebant. Porro Sancti Petri Monasterium ad Australem partem urbis situm, quingentos pene monachos continebat : Sanctorum Gervasii et Protasii venerabilis memoria, quinquaginta. Similiter S. Joannis Baptistæ Monasterium, quinquaginta. Similiter Sancti Vincentii Martyris, quinquaginta. Sancti quoque Marcelli Martyris cœnobium, triginta. Sanctæ Blandinæ viduarum sanctimonialium locus, vigintiquinque. Sancti Andreæ infra mœnia urbis, centum. Iterum aliud S. Andreæ, centum. Sancti Nicetii, ejus urbis gloriosi Episcopi, quadraginta. Sancti Martini cœnobium, centum quinqaginta monachos, sub districtione regulari viventes, adunatos tenebat. Porro in domo majori sanctorum Martyrum Apostolicam vitam tenentes, in unumque viventes, plurimi Clerici erant, ita ut turmis dispositis * mysteria peragerent. Apud Sanctum Severum quoque cœtus Clericorum venerabilis. Alia quoque venerabilia Sanctorum in unum conversantium habitacula ad sexaginta, sub cura Pontificis degentia, in Viennensi diœcesi satis ordinabiliter sita erant. Sic tunc temporis ad gloriam omnipotentis Dei, Viennensis Ecclesia florebat.

* De quo XIV Janu.

**alii* Grininsium, *vel* Griniacensium. *Sur.* Grimanensium. *Varia intra et extra urbem Viennæ cœnobia.*

**al.* Officiorum ministeria.

CAPUT III.

Fit monachus, post Abbas : varios miraculose sanat.

Tam pia igitur loca mater Clari pueri, sollicita quæ Dei sunt, frequentius visitabat. Claro autem puero cœnobio sanctorum Monachorum apud memoriam Beati Ferreoli Martyris tradito, ipsa novissimum diem apud Sanctam Blandinam clausit. Clarus itaque puer sancte in Monasterio nutritus, eo profecit, ut sibi Monasterium viduarum ad custodiendum postmodum crederetur. Abbas factus in Monasterio Sancti Marcelli

Clarus fit monachus ; inde Abbas.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ex mss. Marcelli a sancto Pontifice urbis, Clarus nomine, clarus virtutibus, clarus omnis religionis obsequio, strenuus omni actione sua, curam sibi impositam per Dei gratiam sollicite administrabat.

Curat febricitantem. 5 Contigit autem, ut mater monasterii febribus ad mortem gravaretur. Clarus igitur ad lectum decumbentis cum fide accessit : utque manum febricitantis tetigit, secrete secum orans in conspectu Sanctimonialium, sanata mulier a lecto surrexit, et cum ceteris ecclesiam ingressa, hymnorum laudes Deo exhibuit.

Alium a dolore viscerum sanat. 6 Quidam frater etiam infirmitate gravi viscerum depressus, a patre Claro oleo sancto perunctus, sanitati restitutus est. Factum est, dum quodam tempore ad villam cum Monachis iret, ut quidam totus ulceribus plenus, obviam ei fieret. Tunc Clarus imperavit cuidam Monacho : Vade frater, misellum *Alium ab ulceribus.* istum lava in fluviolo prope currente. Illico ille obediens, ut aqua miserum tinxit (mirabile dictu) fons vulnerum penitus clausus, cutem integram, videntibus omnibus, esse monstravit. Eumdem ipsum janitorem monasterii postmodum multi viderunt.

CAPUT IV.

Alia Clari miracula.

Vineam grandine perditam precibus restituit. Forte vir Dei in grandinatam Fratrum vineam devenit. Vocato custode, quæsivit, si racemi ad usum vini necessarii aliqui remansissent : sed cum vix pauci essent inventi, prostratus in terra, noctem ibi fecit. In crastinum, quod vix credi potest, ita dependens vinea racemis suis onusta paruit, ut nullo modo, quod grandine percussa fuerit, indicium dare posset.

8 Item quodam tempore cum fratres piscatum issent, et ipse prope ripam staret, incautius quidam retia * admovens in aquam ruit. Rhodanus tunc forte ripas suas impleverat : Fratres de periculo ca- **alii* amovens. dentis nimium pavidi erant. Clarus plena fide, ut signum crucis contra fecit, mox a periculo exemptus *A submersionis periculo hominem crucis signo eripit.* est, quem aqua trahebat, et ad partem illam in qua Clarus cum fratribus stabat, devenit. Læti omnes, Misericordias Domini decantare cœperunt. Sed ut lætiores etiam post tantum munus fierent, ingentem piscem ad littus tractum habere ad sui subsidium meruerunt.

9 Erat ei consuetudo, nocte orationis causa deambulare per castrum, ubi cœnobium Sanctæ Blandinæ situm est, et diabolus humana specie assumpta, stupendæ altitudinis, flammantibus oculis ei se obvium tulit, quid ibi ageret, inquirens. Clarus perfectus in fide, cognoscens inimici fraudes, impavidus stetit, et, quis ipse esset, quæsivit. Tunc diabolus, Missus sum ad hoc, ut te ex isto loco expellam, quia jam diu est, quod in potestate nostra locus iste esset, nisi tu obstitisses. Clarus divina virtute fretus, Vade Satan, *Profligat dæmonem.* ait : Obstitit tibi Christus, cujus est terra et plenitudo ejus. Cum grandi igitur sono, ita ut totum castrum videretur esse concussum, diabolus abscessit : arreptamque unam famularum, quæ pro foribus monasterii deserviebat, vexare cœpit. Clarus ibi accurrit, injectis in os puellæ digitis, spiritum malignum effugavit. Sicque sana reddita ancillis Dei lætitiam fecit. Multa sunt quæ per ipsum Christus in Ecclesia Viennensi operatus est.

CAPUT V.

Ejus vaticinia.

Cum instaret tempus dormitionis ejus, et hoc ei a Domino revelatum esset, quadam die in hortis Fratrum ægrotus sedit : vocatisque ad se Fratribus, eos alloqui spiritualiter ac dulciter cœpit, dicens : Fratres mei, secundum Apostoli dictum, per multas tri- Actor. 14. bulationes oportet nos intrare in regnum Dei : quid mihi a Domino revelatum sit, non tacebo. Sex Episcopos ista nostra civitas sub pace temporis Christi Ecclesiam gubernantes habebit. Postquam illi dormierint, sub septimo Episcopo gravissima persecutio *Prædicit Viennæ devastationem a Wandalis et Saracenis.* Paganorum erit, et ista civitas justo Dei judicio illis ad disperdendum tradetur. Monachi et habitatores terræ istius, partim occidentur, partim fugabuntur incensis sacris domibus, vastatis omnibus, et pene in desolationem redactis. Nunc ergo, Fratres, Dei judicium metuentes, curam agentes vestri, vigilanter intendite, ut cum dies tribulationis venerint, paratiores ad tolerandum, si qui reperti fueritis, inveniamini. Corpus meum in ecclesia beatissimæ Martyris Blandinæ et sociorum ejus humate. Hæc audierunt fratres qui tum præsentes aderant. Quod postea rei eventus demonstravit, quando a Wandalis et a Saracenis non tantum Viennensis, sed longe lateque aliæ provinciæ vastatæ sunt.

CAPUT VI.

S. Clari obitus.

Cum jam decumberet, tertia die antequam clara *A S. Blandina ad cælum invitatur.* anima ejus corpus corruptibile desereret, cum semper in laudibus Dei perseveraret, videt circa crepusculum diei aperiri cælum, et immensum exercitum candidissimi et nivei coloris supra cellam, ubi jacebat, descendere : quem exercitum miræ pulchritudinis et splendoris juvenis præcedebat. Quod cum Clarus irreverberatis oculis læto vultu inspiceret, virgo beatissima Blandina, ab eo cognita, consolari eum cœpit, et ut tantum exercitum sequeretur, hortari. Cumque ipse voto et desideriis annueret, ab illa audivit : Tertia die, hora quinta, Sanctus Marcellus et ego ad te venientes, te nobiscum ad felicia regna ducemus : et ne hostis tibi nocere possit, totus iste exercitus Dei, quem vides, tecum erit. Sic visione abscedente, beatus vir a Fratribus in ecclesiam portatus, cilicioque superextentus, quamdiu supervixit, a Dei laudibus non cessavit.

12 Appropinquante hora exitus sui, psalterium idem decantare cœpit. Ut ergo fratres, finitis psalmis, dixerunt : Omnis spiritus laudet Dominum, cum luce odor ineffabilis totam cellam, ubi Sanctus Dei Psalm. 150. 6. jacebat, replevit : sicque beata anima carne soluta, *In cilicio moritur. Odor et lux in ejus cella.* migravit ad Dominum. Mansit autem idem odor usque ad locum sepulchri. Quo cum ferretur quidam paralysi dissolutus, admotus feretro beati viri, in conspectu omnium illico sanatus est. Sepultus autem est in ecclesia beatæ Martyris Blandinæ, sanctorumque *Paralyticus ejus ope sanatur.* Martyrum quadraginta octo, ante altare, ubi miraculis clarus diu jacuit. Obitus autem ejus agitur Kalendis Januariis.

DE

Circa an. Chr. dcccx.

DE S. STABILE

ARVERNENSI EPISCOPO.

1 JAN.

Colitur Kalendis Januarii S. Stabilis Episcopus Arvernensis, sive Claromontanus XXXVIII *teste Ferrario in generali catalogo Sanctorum, Joanne Chenu in Chronologia Episcop. Galliæ, Claudio Roberto, Joan. Savarone in Origin. Claromont. qui ex veteri libro rituali* MS. *Ecclesiæ S. Illadii, sive Illidii* IV, *Episcopi Claromont. docet* 1 *Januar. decessisse, solitumque ejus festum celebrari in eadem S. Illidii ecclesia officio octo lectionum, Octavam vero quatuor, velut Confessoris Pontificis. Aliud quoque profert de eo testimonium ex monumentis monasterii Moziacensis.*

An. Chr. mxxxi.

DE S. GUILIELMO

ABBATE S. BENIGNI DIVIONE.

1 JAN.

S. Guilielmi nomen in Martyrologiis.

Sancti Guilielmi, sive Willelmi, Abbatis natalem consecrat Menardus in Martyrologio Benedictino Kalendis Januarii his verbis : Fiscani, depositio S. Gulielmi Abbatis, discipuli S. Majoli. *Libro* 1 *Observationum, vitam ejus breviter recenset ex* MS. *S. Benigni Divionensis, quam hic integram exhibeo a doctissimo humanissimoque Jacobo Sirmondo nostro submissam, scriptam olim a Glabro Rodulpho, ut ipsemet testatur lib.* 4, *historiæ suæ cap.* 4. Nec non prænominatus Pater monachorum, fundatorque cœnobiorum eximius Willermus, de quo etiam perplura forent dicenda utilia, nisi quod in libello, quem de vita et virtutibus illius edidimus, prolata dudum fuisse noscuntur : unum restat tamen quod novi ibidem minime contineri. Migravit enim prædictus Pater a sæculo ad beatorum requiem in Neustriæ partibus, in Fiscaninense videlicet monasterio supra mare Oceanum constituto, quod a Rothomagense urbe quadraginta fere milliaribus distat; uti tantum condecebat virum in loco optimo ejusdem ecclesiæ.

Vita a Glabro Rodulpho scripta.

Fiscani mortuus est.

Puer æger ejus ope sanatur.

2 Post aliquot fere dies contigit ut puerulus ferme decennis valida confectus ægritudine, ad sepulchrum illius gratia recuperandæ sanitatis duceretur : ibique a parentibus dimissus decubabat solus : qui subito respiciens vidit super idem sepulchrum insidentem aviculam, formam columbæ præferentem ; quam diu intuens obdormivit, dehinc levi exoletus somno, evigilans ita se reperit incolumem, ac si nihil ægritudinis persensisset. Suscipiunt itaque læti parentes suum : fit omnibus commune gaudium.

Mire ordinem Benedictinum propagat.

3 *De ego agit idem Rodulphus lib.* 3, *cap.* 5. Claruit eo in tempore in prædicta domorum Dei meliorațione venerabilis Abbas Willermus; a Beato siquidem Majolo primitus Ecclesiæ sancti Martyris Benigni Pater constitutus. Quam videlicet ecclesiam illico tam mira locatione permutavit, ut hujuscemodi alter difficile queat inveniri ; regulari etiam distinctione non minus effloruit, atque incomparabilis hujus ordinis suo tempore propagator extitit. Sed quantum pro hac re diligebatur a religiosis et piis, tanto magis detrahebatur, insidiabaturque a fraudulentis et impiis. Fuit enim ex Italia ortus, nobilem ducens a parentibus prosapiam : nobilior tamen illustrem per assecutam scientiam. Nam in eodem territorio, scilicet in fundo, qui ei parentum jure debebatur, prius vocato Vulpiam, construxit Monasterium totius Græciæ abundantissimum, postea ab ipso mutato nomine Frutuarense cognominatum. Quod cum multigenis locupletasset beneficiis, constituit ibi monachorum Patrem, per omnia se imitantem, nomine Joannem.

Construit Fructuariense monasterium.

4 Erat enim prædictus Willermus acer ingenio, et insignis prudentia, idcirco summum in palatiis Regum ac ceterorum Principum obtinebat locum. Quodcumque denique monasterium proprio * viduabatur Pastore, statim compellebatur tam a Regibus, vel Comitibus, quam a Pontificibus, ut meliorandi gratia illud ad regendum susciperet; quoniam ultra cetera divitiis et sanctitate ipsius patrocinio assumpta cernebantur excellere monasteria. Ipse quoque firma testabatur assertione, quia si hujus institutionis tenor quocumque loco a monachis custodiretur, nullam omnino indigentiam cujuscumque rei paterentur. Quod etiam evidentissime declaratum est in locis sibi commissis. *Et nonnullis de propagatione ordinis Benedictini in Gallia, atque origine Congregationis Cluniacensis interjectis :* Hic tamen, *inquit*, Pater scilicet Willermus, de quo in præsentiarum sermo exordium habuit, præ omnibus exinde præcedentibus præscriptæ institutionis laboriosior ac spermologius fructificatior est repertus.

* *Excusi habent,* induebatur.

Multis Monasteriis præficitur.

5 *Agit de S. Guilielmo fuse Claudius Robertus in Divione sua, ubi recenset ab eo reformatas Abbatias* Bezuensem, Melundensem, Reomensem, Tornodorensem, Tullensem, Metensem, Gemiticensem, Vezaliensem, Parisiensem S. Germani, Meldensem S. Pharonis, Fiscanensem.

Abbatias variasreformat.

NOT. 17.

6 *De eodem Andreas Duchesnius in Notis ad vitam S. Majoli Cluniacensis :* Wilelmus monasterium S. Benigni Divionensis præcipiente Majolo reformavit, ejusque Abbas et Rector constitutus est, uti docet Chronicon ejusdem Monasterii his verbis : Videns Dominus Episcopus Bruno statum loci in ambiguo positum, supplex adiit D. Majolum Cluniacensis monasterii Abbatem, multaque prece poposcit, quatenus ejus auxilio quivisset reparare in melius, interius religionem, et exterius possessiones. Cujus precibus flexus reverendus Abbas Majolus, dedit ei XII Monachos ex omni congregatione electos, disciplina sanctæ religionis instructos, divina et humana sapientia doctos, nobilitate carnali claros. His Abbatem præfecit Willelmum nomine, et patrem spiritalem sibi poscentibus filiis instituit.

Mittitur ut reformet S. Benigni cœnobium.

Ejus genus, et in Gallias adventus.

7 Hic Italia extitit oriundus, alto satus germine et nobili prosapia editus; quem supradictus D. Majolus Roma veniens in monasterio Lanceio dicto, ubi a puero educatus fuerat, reperit; assumensque eum

PER GLA. RODULP.

ipso deprecante, secum adduxit Cluniacum ætate juvenili florentem. Ordinatus est igitur Abbas a D. Brunone Episcopo anno Domini DCCCCXC. Officio vero Abbatis accepto, divinis seipsum cœpit exercere virtutibus. Erat enim corpore castus, mente devotus, affabilis alloquio, prudentia præditus, temperantia clarus, interna fortitudine firmus, censura justitiæ stabilis, longanimitate assiduus, patientia robustus, humilitate mansuetus, bonorum operum gratia plenus, etc.

Ejus egregiæ virtutes ac dotes.

8 Hujus audita fama religionis Henricus Dux Burgundiæ, sicut fert idem Chronicon, commisit ei Abbatiam Verzeliacensem pene ad nihilum redactam, ut ab eo restitueretur in pristinum statum: quod et fecit auxiliante Deo. Dominus quoque Episcopus Bruno omnia in suo Episcopio monasteria ipsius delegavit providentiæ, Abbatiam scilicet Besuensem Apostolorum Petri et Pauli honore dicatam, monasterium S. Joannis quod Reomaus dicitur, locum Sancti Michaelis Archangeli juxta castrum Tarnodorum, Abbatiam Mellundensem, ubi Sanctus Valerius Archidiaconus et Martyr quiescit. *Plura isthic congerit scriptorum de Wilelmo testimonia Duchesnius, et Claudius Robertus loco citato.*

Aliis monasteriis præficitur.

9 *De Parisiensi S. Germani monasterio ab eo ad pristinam pietatem revocato ista habet Aimonini ampliator lib.* 5, *cap.* 47. Dum monachi sæpefati cœnobii sæculari modo vitam ducerent, piissimus Robertus Rex una cum sua uxore, videlicet Constantia Regina, accersens Dominum Guiliermum Abbatem Divionensis cœnobii, ei Abbatiam dedit Beati Germani: qui eam regulariter instituens anno Domini MXXX vita decessit *imo anno* MXXXI *ut patet ex indictione* XIV *littera Dominicali* C *cum obierit feria* VI *Kalendis Januarii.*

Abbatiam S. Germani Parisiis reformat.

10 *Trithemius lib.* 3 *de virisillustribus ordin. S. Benedicti cap.* 240. Wilhelmus Abbas Divionensis, vir doctus scientia scripturarum, et morum honestate insignis, magno zelo regularis disciplinæ fervens, multis virtutibus clarus enituit, quemadmodum in gestis ipsius scriptum invenitur. Claruit anno Domini 1020. *Sigebertus ad ann.* 1027 *vocat* severitate reverendum. *Haud scio an sit in Sanctorum catalogum adhuc publice relatus.*

VITA
S. GUILIELMI
AUCTORE GLABRO RODULPHO.

PRÆFATIO AUCTORIS.

Dulcedine sancti Spiritus præditis Patribus venerandis, ac diligendis Fratribus ubique Ecclesiarum Dei universalis documentis in charitativa spe servientibus, monachorum infimus Rodulphus, tantillam obeditionis exhibitionem. Placere denique unanimitati vestræ diffidimus, * si de vita vel conversatione vestri omnium dilectoris, Domni videlicet Sacerdotis atque Abbatis Willelmi, prout divina pietas largiri dignata fuerit, posteris mandare studuerimus. Plura siquidem a nobis visa, plurima tamen a veracissimis relatoribus comperta hujus narrationis informabunt seriem. Idcirco communem fidelium virtutigenum obsecramus charitatem, ne simplex contemptui habeatur sermo, neve pro vili canistro puræ respuatur similaginis offa; cujus si prudenti manu exercitaretur materia, omnem valeret excludere inopiam, et sospitatem conferre perennem.

**potius,* nisi.

Unde hauserit Rodulphus quæ scribit.

CAPUT I.

S. Guilielmi ortus et parentes.

Vir igitur religiosus Domnus Willelmus, quem pius Dominus Ecclesiæ suæ filiis pastorem, ac juris suæ legis propagatorem constituit, natione quidem Italus: avus tamen ejus, Vibo nomine, militari industria clarus, gente Suevus fuit. Qui scilicet ob inimicitiarum ultionem, nativam relinquens provinciam, perrexit habitaturus Italiam, ibique copiose locupletatus opum gratia feliciter deguit.

S. Guilielmi patria.

Avus Vibo.

3 Hic ergo extitit genitor Roberti, qui accipiens sibi uxorem ex Longobardorum nobilioribus, nomine Perinzam quæ fœcunda prole filiorum genuit ei etiam præcunctis optabilem Willelmum. Contigit namque sub ipso tempore illius nativitatis, Berengario Longobardorum Rege defuncto, ut Otto Imperatorum maximus hostili manu omnem sibi subjugandam peteret Italiam. Qui comperiens prædicti Berengarii uxorem in quoddam castrum situm in lacu urbis Novitiæ fecisse confugium, atque cum ea viros, quorum conspiratio rebellis foret eidem Imperatori. Ad quod illico devertens cinxit illud ferocis obsidione exercitus. Erat enim prædictus Robertus in eodem castro cum propria uxore et liberis: cui etiam quinque illorum cum sua Domina curam atque tutelam commiserant sui. Cumque diutius ab utriusque partibus acerrime decertatum fuisset, cernens Imperator differri sibi victoriam, tentans largitionibus munerum clam inflectere suorum hostium signiferum. Nam spopondit ei cum maximis donis etiam apud sublimitatem suam celsitudinis locum, si suos deserens illius parti faveret. Ille vero minime adquievit, utpote miles adjuratus, respondens sibi optabiliorem fore propriiinteritum corporis, quam sacramentis assertæ fidei desertor haberi. Post aliquot vero dies habito invicem pacis consilio in deditionem gratis devenere Imperatoris.

Pater Robertus, mater Perinza.

Parentes ejus ab Ottone I obsidentur cum Regina Longobardorum.

4 Tunc quoque iidem Rotbertus, ut erat vir prudens ac strenuus, suggessit Imperatori, ut filium, quem ei uxor sua intra ipsius obsidionem castri pepererat, Catechumenum fieri per manum Imperialem præcepit. Quod ille libentissime annuens, ut monitus fuerat impleri mandavit, ac propria puerum sustulit dextera, eique nomen indixit Willelmum, quem scilicet postmodum Regina conjunx illius ex sacro fonte suscepit Baptismatis.

S. Willelmus tempore obsidionis natus.

5 Erat ergo, ut diximus, ejusdem genitrix non solum prosapia nobilis, sed etiam morum honestate præcipua. Hæc siquidem referre erat solita de eodem puero hujusmodi verba: Videbam me, inquiens, nocte quadam dalmatica veste indutam, statimque Solis radius illustrabat mihi mamillam dexteram. Dehinc vero apparuerunt quidam vultus gerentes Angelicos, ipsique filium meum mihi abstrahentes altius efferebant eumdem infantulum claritate nimia circumfusum. Ego quoque hæc intuens pavore: perterrita nil aliud quod dicerem reperiebam, nisi tantum, Sancta Mater Domini Salvatoris tibi committo, custodi illum.

Angelos per somnium videt mater ejus.

CAPUT II.

Studia litterarum; vita ejus monastica Luciaci una cum patre Roberto.

Alia namque perplura optimi præsagii, quæ nos fastidium vitantes reticemus, conspicabantur in illo. Nam et habitudo tenerrimæ ætatis ita dissimilis videbatur ceterorum ut nimium admirabilis haberetur. Propterea uterque parens uno consensu ac voluntate, cum suorum omnium favorabili sortem Christo Domino vovere illum in ejus domo assidue serviturum.

Deo devovetur a parentibus.

7 Duxerunt

7 Duxerunt autem illum cum esset fere septennis ad monasterium Sanctæ Mariæ, Sanctique Archangeli Michaelis in honore Sanctorum, nomine Luciacum, in quo etiam veneranda habentur ossa Beati Martyris Januarii. Ibique juxta morem normæ regularis eum ipsius loci Abbati obtulerunt. Qui satis devote illum suscipiens sacræ Monachilis religionis etiam veste induit. Hic namque tradidit ei primos litterarum apices, atque hujusce custodiæ addidit præceptorem, cujus animum stupor invasit nimius, quoniam velocitas sensus sibi commissi pueri ad tantam proficiebat indaginem, ut universa priorum conscholasticorum studia in brevi transcenderet spatio. Proinde in admiratione non modica jam tunc tam Abbati quam fratribus ceteris habebatur.

In monasterio eruditur.

Præstat dicendi celeritate.

8 Præterea in vicino monasterio quædam anus, cujus erat maritus jam senior, congruum habebat domicilium. At quod prædictus puer familiaris curæ providentia per dies ducebatur: in quo etiam aliquotiens quietis noctium gratia suscipiebatur. Cum igitur prædicta anus eum aliquando diligentia fovendi in sinu proprio brachiis complexa fuisset, mammæ quæ latis pendebant ac rugossis pellibus, subito turgentes lac fudere uberrime. At illa ut erat piæ mentis, ac Deum timens religiosis quibusque sagaciter intimare curavit, quoniam isdem qui videbatur puer, excellentioris vitæ ac diligentis vitæ gratia esset augmentandus.

Anui cum adhuc pueru-lum complexæ, mammæ lacte turgent.

9 In processu namque temporis cum adolevisset, ac jam in Dei timore obedienter servire studuisset, non defuere invidentiæ stimuli. Quibus etiam sæpius agitatus constanter sustulit illorum probra, in quorum profectum toto conamine laboraverat. Nam olim in Vercellensi urbe primitus, postmodum apud Ticinum sub tuta custodia regulas artis grammaticæ pleniter didicerat. Constituitur etenim divini officii assiduus custos, ac scalæ capitalis illius loci. Qui felici virtutum incremento Deo fovente proficiens, commissa est ei Secretarii cura, atque administratio, nec non etiam totius supellectilis sanctuarii, domi forisque consiliorum diffinitio.

Varia gerit officia.

10 Cœpit interim cogitare qualiter suum genitorem a fluctivaga istius sæculi cura subtraheret, ac quod illi vitæ superat secum in monasterio pro æterna requie laborando consumeret. Nam mater illius jam in pace obierat. Tunc nempe suasit ei, ut mente tractaverat, et ille statim dilecto obedivit filio, imo Deo, qui ei præstitit talem. Sicque satis accurate cum plurimis donorum xeniis duxit illum ad monasterium, ubi devotissime a cunctis susceptus in sanctæ conversationis habitu et ipse devote vivens non mulo post, præsente filio, optimo fine vitam complevit.

Patrem ad vitam monasticam inducit.

CAPUT III.

Remora in suscipiendo Sacerdotio. Iter ad monasterium S. Michaelis.

In terra petebatur promoveri ad diadematis officium, qui revera obsequens extiterat inferiorum præceptionibus graduum, ut etiam ipsis Sacerdotibus imitabile foret exemplar ad iter arripiendum tutum. Sed prædictum monasterium in Vercellensis urbis Episcopio situm, atque ejusdem Episcopi ditioni subjacebat. Insoleverat etiam malæ arreptæ consuetudinis usus, ut nullus fratrum loci illius Levitici ordinis gradum prius susciperet, quam sese assertione jurandi promitteret servaturum fidelitatem Episcopo. Hoc quoque dum suggestum fuisset Willelmo, ut juxta illorum morem faceret, ut erat eleganter affabilis, respondens dixit se non posse salubriter perpendere, ut pro his quæ solius Dei imperio gratis præstari debeant, horum ministro alicujus sanandæ fidei assertionem ullo modo exhiberet. Quin potius, inquit, terribilem hujusmodi assentatoribus Salvatoris sententiam imminere. Atque hujusmodi responso prolato omnino quod hortaverant facere distulit.

Renuit Sacerdotio ordinandus jurare fidelitatem Episcopo.

PER GLA. RODULP.

12 Illico nempe oppido ab hujusce suasoribus detractionum conrosionibus lacessitur, ab ipso Præsule redarguitur, ac veluti contumax sui juris habetur. Ille vero talia pro nihilo ducens, ac magis magisque in Dei se cultum adstringens, ita ut pene ipsi soli omnis cura ac sollicitudo psallendi, legendi, horarumque pulsandi die noctuque loci illius incumberet; erat enim castissimæ mentis et corporis, paratus ad omne bonum: ac meditabatur frequentius, si forte quempiam reperire locum valeret, ad quem transiens devotius præceptis regularibus inservire liceret. Jam enim inibi fervor disciplinæ regularis admodum tepuerat. Proinde accepta quondam licentia orationis ac visitationis gratia, ut ad monasterium B. Archangeli Michaelis, quod situm constat in altissimis jugis Alpium pergeret. Qui dum ad montis radices devenisset, atque ut est iter arduum ascendendi ad monasterium jam pene superaret; ipsius equus, quem post se habena dextera injecta trahebat ab angusto tramite pede luendo paullulum devians, excusa habena quantum est illud immane præcipitium, totus ruit. Quod cernens vir Deo devotus, mente quidem exterritus, vultu tamen sereno perrexit ad Ecclesiam, orationi incubuit, ibique diutius ac si nil adversi contigisset, oravit. Deinde vero exiens, misit famulum si forte de equo aliter quam sperare poterant contigisset, ut ei renuntiaret: qui egressus reperit eum in loco, ubi præceps ruerat, stantem incolumem, ita ut nulla omnino læsura in eo videretur, sed neque in loris aut ligno sedilis aliqua attritio appareret. Siquidem cum milliaria duo, et eo amplius a loco unde ruinam cœperat usque in vallem ubi substiterat computentur.*..... Receptoque qui missus fuerat, equo, ei qui amisit reduxit. At ipse gratias omnipotenti Deo referens alacer ad monasterium rediit. Quæ res gesta plurimis admirationem præbuit, atque indicium sanctitatis.

Ideo vexatur.

Cogitat alio ire.

Equum in præcipitium prolapsum, incolumem recipit.

*hic aliquid videtur deesse.

CAPUT IV.

Migrat Cluniacum cum S. Majolo Abbate. Sacerdotium suscipere ex humilitate renuit.

Audierat jam fama multiplici personante monasterium esse cognomento Cluniacum in partibus Burgundiæ, cujus sanctitatis ordo ac distinctio regularis, materque virtutum discretio præ cunctis incomparaliter viguerant ab initio; ad quod etiam ire, illud invisere, toto mentis flagrabat desiderio. Contigit quoque dum hoc meditaretur agere, ut sanctissimus Abba prædicti loci Majolus sacra Ecclesiarum loca ex more visitans, ad cœnobium Luciacum diverteret. Quod cernens famulus Christi Willelmus, intelligensque suum a Deo desiderium compleri decretum, secretius accessit ad Dei virum, eique sui pectoris patefecit arcanum. At ille nimium alacriter spopondit ei juvamen optabile ad omne quod in divini operis cultu decreverat exercere. Dehinc Romam pergens perinde rediturus ut secum ad diu optatum locum illum deduceret.

Agit cum S. Majolo de adeundo Cluniaco.

14 Interim vero Willelmus deliberans prudenter de omnibus, quæ ad se pertinere videbantur, ac si in procinctu miles expeditus, ne forte ad fidei certamen ei properaturo res diu licenter usæ, non necessitas parentum, aut speciositas carnalium fratrum, seu vici ac latifundia, atque castella eorum quæ perplura erant, non saltem pietas nativi soli, vel generalis amor cunctorum obsisterent. Sed ut ab his omnibus liber, atque exoneratus viam mandatorum Dei prout disposuerat currere valeret, totum se divinæ commisit providentiæ. Regrediente igitur a Roma viro Dei

PER GLA. RODULP. *Abit cum eo Cluniacum.*

Dei Majolo, memor uterque propriæ sponsionis, suscepit Willelmum in spiritualem Christi filiationem, ac duxit illum ad locorum sanctissimum Cluniacum.

Honorifice excipitur.

15 Ad quod cum venisset misit ante se ex suis unum, denuntians fratribus ut obviam ei ex more ornati procederent, quoniam excepturi erant quemdam secum advenientem, cui honor divinitus debebatur. Exceptus denique, ut Sanctus mandaverat, solemni apparatu promovit eum honorifice cum consilio fratrum, quippe dum una sensere in illo vitæ meritum. Nam et isdem vir Dei Majolus peculiare frequentius cum eodem Willelmo de his, quæ veræ salutis sunt, exercebat conloquium. Jamque expleto in eodem loco plus minus anno integro, plus cunctis admirabilis, venerabilisque, nec non honestioribus imitabilis habebatur. Tunc namque spiritualis Pater judicavit eum Sacerdotio fungi dignissimum. Jam enim sacratus fuerat. Levitico ministerio : at ille humiliter pavendoque se subtrahens, dicens se omnino non esse dignum tractare tanti mysterii Sacramentum, Sanctus quoque nolens placorem animi ejus turbare, consensit ut voluit.

Recusat ex humilitate suscipere Sacerdotium.

CAPUT V.

Præficitur cœnobiis S. Saturnini, S. Benigni, Verziacensi, et Besuensi; quæ reformat.

Interea venit quidam frater Præpositus cœnobii S. Martyris Saturnini, quod est super Rhodanum, precaturus sanctum virum Majolum, quatenus ei aliquem e suis commendaret, qui eum cum fratribus sibi commissis ad salutis viam agnoscendam instituere valeret. At vir misericordiæ gemina consideratione inspiciens, unius videlicet juvamen, alterius quoque obeditionis probationem ; Domnum protinus commisit Willelmum. Qui omnino nil dubitans aut renitens, perrexit humiliter ad Patris imperium obsecuturus ei qui ad hoc venerat utilitatis animæ gratia. Habebat enim præfatus vir plures fratres secum simul degentes, una tamen voluntas omnium, par consensus, similiter operatio, modus operandi, ac psallendi, atque edendi, et totus horum habitus charitatis gratia uniformis, Willelmo revera, ut ipsis convenerat, præceptore, Cluniacensi ex more. Enimvero quidquid illorum erat peculii communis in Ecclesia eremus esse videbatur, atque isdem postquam ad potiora Willelmus sublimatus fuisset, referre erat solitus, nusquam se locum optabiliorem reperisse ad eam quam obtinere deliberaverat pauperiem consequi vel extremitatem sanctitatis.

Præficitur cœnobio S. Saturnini.

17 Memorabili igitur Patri Majolo sub eodem tempore suggestum est a Brunone venerandæ memoriæ Lingonis Pontifice, ut monasterium egregii Martyris Benigni, quod juxta Divionense castrum antiquitus veneratur, ad redintegrandum divini cultus ordinem, qui in eodem loco omnino defecerat, susciperet, et sicut per plurima cœnobia jamdudum agere consueverat, ita et istud in melius reformare sataeret. At vir sanctus motus pietate ad preces Pontificis misit continuo qui ad se reduceret Willelmum. Jam enim cum eodem fratre, cui illum commiserat, annum et semis pie vivendo expleverat. Cui utique ad se revocato prædicti sancti Martyris monasterii dulci imperio paternam ovilis Christi curam commisit. Spopondit insuper ut quidquid juvaminis ad spiritalis hujus negotii incrementum optaret, ipse libenti animo æqui penderet. Episcopo nihilominus in Dei fide pariter et sua contestatus est, ut illi more dulcissimi Patris advocatus et cultos, adjutor atque consolator in omnibus esset. Qui integerrima observatione monitui ejus obaudiens ultra quam credi potuit illum in vita dilexit. Clemens igitur Domnus Willelmus ad sibi destinatum suscipiendi ac regendi gratia monasterium missis cum eo a Sancto Majolo quibusdam ex honestioribus Cluniaci fratribus, ibique honorifice exceptus, atque ab eodem Præsule Brunone monachorum Pater est ex more consecratus.

Mittitur reformaturus monasterium S. Benigni.

18 Cumque acerrime ac vigilanti studio se sibique commissos pro Dei amore disciplinis regularibus subderet, non multo post commissum ei ab Henrico venerabili Duce monasterium etiam Verziaci castri ex latere situm, ubi antiquus Confessor Christi Sanctus requiescit Viventius*. Illud quoque, veluti primum, modulamine regulari erat distinctum, illoque in melius reformato, tertio nihilominus destituto, ac recte vivendi lege super fontem posito Besuæ, Apostolorumque Principi sacrato ab eodem Brunone Pontifice constituitur Pater. Erat antiquissimum, ac sæpius paganorum seu pessimorum quotcumque hominum infestatione desolatum.

Committitur illi Verziacense cœnobium; *De quo 13 Januar.

Deinde Besuense.

19 Ad hujus nempe redintegrationem dum toto conamine invitaret contigit ut prædictus Episcopus cum Comite, ipso patre præsente, colloquium patris haberet. Post cetera dixit Præsul in aure Comiti, ut Abbati, utpote propinquo scilicet suo leniter suggereret, ut elationem, ne forte pro virtutum gratia, vel rerum copia surreperet, caveret. Ille quoque reverenter accedens dixit ut monitus fuerat. Tunc Pater Willelmus vultu alacri eidem Comiti hujusmodi responsum protulit: Si, inquiens, cognoscere potero, quod augmentum terrenarum opum vel possessionum unius tantum diei nostræ vitæ protrahat spatium, persuaderi non mihi potest quin horum extollat incrementum. Hoc autem responsum dum Comes retulisset Episcopo, admirati sunt uterque ejus prudentiam, pariterque lætati propter humilem illius sapientiam.

Monitus ut a vana gloria caveret, quid responderit.

NOT. 18.

CAPUT VI.

Rogatu Ducis Normanniæ erigit cœnobium Fiscannense : et variis in monasteriis constituit scholas publicas.

Cum igitur fama sanctitatis illius jam latius deferretur, Normannorum Dux venerabilis illam comperiens Ricardus, misit ad eum reverenter supplicans ut ad se veniret, qui tandem libenter ut rogatus fuerat pergens venit ad eum: a quo etiam sicuti decebat honorifice susceptus est. Cujus sanctissimis cum recreatus, ut erat totius boni amator, Dux fuisset eloquiis, obsecrans illum ut Ecclesiam sanctæ et individuæ Trinitatis nomini et honori dicatam in loco Fiscannensi cognomento antiquitus constructam, a suo tamen patre Richardo honorificentius reformatam, ordine Monachorum suscipiens decoraret. Erat enim illic more vivens carnali, jugo soluta regulari, clericorum levis conciola. Cernens denique Pater Willelmus illius animi devotionem promisit se cum Dei adjutorio illud, quod poscebat, impleturum. Qui pariter venientes ad prædictum locum satis sublime ac solenniter commisit ei isdem Dux cum aliquibus Episcopis dominium et curam regiminis totius loci. Jam vir Domini congregavit ibidem monachorum regularem catervam, ita videlicet personis numerosam, ac bonorum studiis copiosam ut triplici sui numero præteritorum numerum excelleret Clericorum. Quod cernens jam dictus Princeps, multorum donorum ac possessionum largitionibus ampliavit locum. Monuit etiam tam Abbatem quam ceteros fratres sæpius, ut ab illo peterent quidquid suorum utilitati expedire nossent, utpote quoniam de hac re secundum velle provenerat ei et posse.

A Duce Normanniæ evocatur.

Traditur ei Fiscanense cœnobium.

Eo inducit monachos.

Richardi Ducis in eos liberalitas.

21 Interea cernens vigilantissimus Pater quoniam non solum illo in loco, sed etiam per totam provinciam illam, nec non per totam Galliam in plebeiis maxime

Constituit qui gratis doceant legere et psallere.

maxime scientiam psallendi ac legendi deficere, et annulari Clericis, instituit scholas sacri ministerii, quibus pro Dei amore assidui instarent fratres hujus officii docti, ubi siquidem gratis largiretur cunctis doctrinæ beneficium ad cœnobia sibi commissa confluentibus; nullusque qui ad hæc vellet accedere prohiberetur. Quin potius tam servis quam liberis, divitibus cum egenis uniforme caritatis impenderetur documentum. Plures etiam ex ipsis, ex cœnobiis, utpote rerum * tenaces, accipiebant victum. Ex quibus quoque nonnulli in sanctæ conversationis monachorum devenere habitum. Cujus denique institutionis labor nimium optabilem diversis Ecclesiis contulit fructum. Nam præfatum, ut dicere cœperamus, locum taliter claustris atque officinis regularibus, ceterisque bonorum copiis adornavit, ut præ ceteris illius provinciæ felicibus semper floreat incrementis.

**forte* tenues.

Floret ejus industria Fiscannum.

CAPUT VII

Restaurans templum S. Benigni, reperit ejus reliquias.

Contigit ergo postmodum, quatenus pars Ecclesiæ beati Martyris Benigni, cui auctore Deo primitus pater datus fuerat, ruinam corruens daret. Quam cum reformare cuperent artifices cæmentarii, graviorem pars eadem dedit ruinam. Quod cernens vir Deo devotus, intellexit divinitus sibi dari indicium, quod totum a fundamentis renovari conveniret templum. Illicoque summo mentis ingenio cœpit ipsius Ecclesiæ reformandæ mirificum construere apparatum. Quam denique cum cœpisset reædificare positione mirabili valde longiore ac latiore quam fuerat; ignotus tamen erat universis locellus, quo pretiosi Martyris membra claudebantur Benigni, quia solerti cura taliter antiquitus fuerat reconditus, ut illo fiducialiter veneraretur Martyr per ævum, ubi felici morte occubuit propter Deum, sed a quibusdam incautis dicebatur etiam ibi non haberi. Cujus ignoratio rei nimium mœstificabat animum Patris Willelmi. Tali quoque defectu anxio revelatum est visione pulcherrima per ipsum Dei Martyrem ipsius honorabile sepulchrum. Erat enim, ut beatus multorum sanctorum descriptor miraculorum Gregorius Turonorum Pontifex refert, pergrandis arca lapidei sarcophagi continens illum. Pro cujus incredulitate narrat idem Sanctus alterum sancti nominis Gregorium Lingoniensem Episcopum acrius quondam fuisse increpatum. Cujus namque positionem loci antiqua vetustas occuluit. Nam coram præcipuo illius monasterii altare profundius habebatur defossum memoratum sepulchrum. Quod continuo requirens invenit, aperiensque contingere meruit sacratissima egregii Martyris ossa, in cujus enim celebro quod in desripta ipsius passione legitur, vulnus ferreo illatum vecte apparuit. Quæ omnia integro numero præsentibus honestioribus tam Episcopis quam ceteris diversorum ordinum vel sexuum cum odoriferis thymiamatibus ac psallentium choris in eodem recondidit sarcophago, indeque; paullulum ad orientem illum amovens in pulcherrimo atque incomparabili locavit tumulo. Dehinc namque Pater venerandus acriori accensus devotione reformandæ opus basilicæ constanter, quemadmodum decreverat, accelerabat perficere. Quoniam, ut diximus, et præsto est cernere, totius Galliæ basilicis mirabiliorem atque propria positione incomparabilem perficere disponebat.

Ecclesiam S. Benigni reædificat.

Infra 4 Jan.

Reliquias S. Benigni invenit.

Honorificentius recondit.

Templum restaurat.

CAPUT VIII.

Per Gla. Rodulp.

Reformato monasterio S. Arnulphi Sacerdos abit Romam. Ægrotat in reditu.

Omnipotentis etenim Dei gratia in ipso cooperante cœpit illius fama sanctitatis circum adjacentes seu longinquas penetrare provincias. Nam Præsul Metensium Adalbero reverenter satis illum evocans, commisit eidem Sancti Arnulfi Confessoris regendum ac meliorandum, ut agere consueverat, monasterium. Suscipiens ergo illud brevi tempore reddidit emendatum. Tunc enim devota concepit merita, ut Apostolorum Principis Petri sanctissimi limina visitaturus adiret. Stabiliens nempe cœnobia sibi commissa idoneis Præpositorum seu ceterorum officiorum personis, ut decreverat, Romam orandi gratia perrexit. Visitatis quoque Sanctorum sepulchris vel oratoriis, sacris etiam Missarum per semet celebratis solemniis (nam præfatus Bruno Episcopus Sacerdotium illi imposuerat) cum Apostolica benedictione consolatus regreditur ad patriam, cœpit febricitans ægrotare. Jam jamque ad cœnobium S. Virginis Christinæ perveniens in lectum decubuit. Qui paullulum convalescens Vercellis devenit, rursusque ibidem pravius periclitari cœpit. Tunc quoque, ut idem referre erat solitus, et etiam bonæ memoriæ Gerbaldus almi Patris Majoli monachus, ac prædicti cœnobii S. Christinæ Abbas perhibebat, dum in ecclesia Sancti jaceret Eusebii Præsulis per quatuor vel quinque horarum spatia ita factus est exanimis, ut nullum omnino spiramen in ipso cognosceretur. Sed tamen ignoratur quid tunc divinitatis persenserit. Quoniam paullulum in se reversus voce qua poterat lingua palpitans hæc personabat verba : Domine Jesu Christe Rex æternæ gloriæ, suscipe me, si placet, quoniam bonus es, non dubito ad te ex hoc corpore transire. Sciendum vero est quoniam istius mora ægritudinis, ut eventus rei subsequentis demonstrat, non fuit impedimentum tantum quam gratia spiritalis lucri.

S. Arnulphi monasterio præficitur.

It Romam.

factus antea Sacerdos.

Ægrotat, Vercellis,

Plures horas exanimis jacet.

CAPUT IX.

Rogatu fratrum, Fructuariense cœnobium extruit in Italia.

Occurrentes ei denique illuctres ipsius germani fratres, levi evectione deduxerunt illum ad sui juris prædia confovendum, ardenter enim desiderabant videre illum, quoniam compungebat corda eorumdem divinæ absentia pietatis. Convalescente quoque eo ab ægritudine post aliquot dierum spatium convenere ad illum quique suorum ac plures domini . . . . . vicinorum, et suadere illi cœperunt promittentes se plura largituros, si in nativa patria cœnobium sibi, sicut in externa audiverant illum fecisse, ædificare inciperet. Tunc etiam, quod potissimum fuit, duo ipsius germani, videlicet Godefredus atque Nitardus, viri spectabiles secretius illum cum Comite maximæ partis Burgundiæ Willelmo, qui etiam ejusdem patris, de quo sermo est, extiterat affinitate propinquus adeuntes spoponderunt se sæcularem relicturos militiam, ac se suaque omnia in omnipotentis Dei peculiare dominium devenire. His auditis Dei cultor illico fiducialiter cœpit tractare de cœnobii, unde rogabatur, constructione. Qui pariter communi consilio et voluntate locum quærentes rei hujusmodi aptum reperere in rure paterno a Pado distantem flumine quaterno milliario, solitarium, cognomento Fructuariensem. Ibi namque collocari præcepit basilicam, quam præsente Arduino Rege cum aliquibus Episcopis sacrari jussit in honore genitricis Dei Mariæ, Sanctique

A fratribus benigne excipitur.

Fructuariense cœnobium in Italia ædificat, ornat reliquiis SS.

PER GLA. RODULP.

Sanctique Benigni Martyris, atque omnium Sanctorum. In qua etiam isdem Rex cum sua conjuge et filiis humatus quiescit. Ad quam nihilominus tam a Romana urbe, quam a diversis partibus plurima congregavit sanctorum Martyrum corpora. Brevi namque in spatio temporis collecta est ibidem numerosa fratrum congregatio, Deum timentium, instituta B. Benedicti Abbatis præcipui servantes, quæ isdem Pater Willelmus a S. Majolo Cluniaci didicerat.

CAPUT X.

S. Odilonem ad Religionem convertit.

Multos conatur ad religionem convertere.

Revertens igitur post hæc ab Italia, omni studio satagebat e diversis partibus terrarum colligere viros servituti Christi idoneos, suadendo eis vitæ cælestis gloriam, pariterque comminans inferorum supplicia. Tantam enim ei Dominus cum ceteris virtutibus virtutem salutaris verbi concessit, ut quibusque doctrinam illius suscipientibus summam conferret fidei firmitatem, bonarumque virtutum augmentum, ac vitiorum emendationem. Omnibus enim sicuti expedire noverat sive leniter, seu asperrime, charitative tamen hujusmodi exhibebat.

S. Odilonem ad religionem convertit.

26 Contigit ergo illum aliquando cum viro per omnia desiderabili, Domno scilicet Odilone, adhuc illo in canonicali habitu degente, de vera animarum salute habuisse colloquium. Intelligens vero illum niti ad sanctitatis culmina, cœpit illi attentius suadere, ut quod potissimum fore creditur quantocyus explere satageret. Negotiis videlicet sæculi istius abjectis, Christum Jesum sequi liceret expeditius. Compunctus illico vir clarus libenter se facturum promisit quod Pater suaserat Willelmus. Nam post paullulum ad cœnobium nominatissimum honorifice deveniens Cluniacum, ibique a S. Majolo est devote susceptus, atque in habitu sanctæ conversationis monachus ex more sacratus est. Cujus etiam conversatio in tantum extitit cara Deo, et dulcis Deum diligentibus, ut isdem Sanctissimus Majolus sibi commisso gregi allegans illum in vita, qualiter post ipsius obitum haberent Patrem atque Pastorem. Quod ita manifestissime et utiliter fieri contigit. Quam enim præmaximam exinde dum adviverent dilectionem inter se habuere dum alter eorumdem alterum sibi utcumque præferens, exprimi non valet.

CAPUT XI.

Quidem ei adversantes male pereunt. S. Henricum Imp. et Robertum Galliæ Regem sibi iratos conciliat.

S. Apri monachos persequitur Ermannus Episc. Tullensis.

Quorumdam etenim nomina aliquando interpretabatur sive ad profectum sive ad detrimentum ipsorum. Cum igitur post mortem Bertoaldi Tullensis Pontificis, qui ei monasterium S. Apri Confessoris commiserat, eidem Episcopatui quidam Ermannus Præsul datus fuisset, ita cœpit exosos hujus Patris habere monachos cum sua institutione, ut etiam honestissimum fratrem, Widricum nomine, qui post illum ejusdem loci pater devotus extitit, cui tunc ceterorum cura imminebat, baculo verberaturus eum impegerit. Quod dum Patri relatum fuisset, ad nomen illius alludens ait : Secundum suum nomen, inquiens, facit Episcopus iste. Nam lingua barbara Erman, in nostra Homo errans dicitur. Ac deinde : Si enim Christi pastor fuisset, illius oviculas minime lacerare. Sinite illum, verus Pastor novit, et ipse quæ sua sunt colliget. Non multo post denique pergens in longinquum sæcularia exacturus negotia crudeliter obiit peregrina potitus sepultura.

Peregre moritur.

28 Simili invidia quoque Leo Vercellensis Episcopus ad actus universos istius Patris extiterat infestus. De quo etiam talia narrare solitus : Hic ergo crudelissimus Leo totus est sine Deo, quia si fuisset Deus cum eo, quæ illius sunt amaret pro illo. Affirmabat autem post mortem et æternaliter illum esse damnatum. Manifestissime siquidem in multis claruit, quoniam quisquis illum odio habuit exinde pœnas luit; sicut vice versa ut ad conspectum illius ventum fuisset statim mirabantur semet ab his, quæ intenderant exprimere, alienatos fuisse, amisaque ferocitate rei præteritæ, quidquid id erat, totum procedebat ex mansuetudine.

Leo Vercellensis Episcopus eum vexat : æternum damnatur.

29 Heinrico siquidem Imperatori de eo suggestum fuerat, quod illi derogans illumque contemnendum adjudicans, Arduini quoque parti, qui sibi Italiæ regnum præripuerat, faveret, illumque pro posse defensitaret. Ex hoc quippe viro Dei quamvis abs re iratus fuerat. Ille viro ut comperit, ad illum pergens, rei veritatem sese purgando pandit, atque si quid erat odii a corde illius detersit. In tantum etiam isdem Imperator postmodum illum dilexit, ut illi dona largiretur plurima, et quidquid ab eodem vellet fieri continuo impetraret.

S. Henrico Imperat. carus.

30 Pari namque ratione Rotberto Francorum Regi de ipso indicatum fuerat, quod Brunoni prædicto Lingonum Episcopo, qui Regi minus adquiescebat, talia suaderet, quæ regali juri nimium resisterent. Ille vero simul et Regina conjux illius propter hoc illi irati comminati sunt aliquotiens cœnobiis ejus damnum inferre maximum. Adiens ergo intrepidus amborum præsentiam ita illorum divini verbi virtute iram compescuit, ut etiam summam dignitatis gratiam apud illos obtineret.

Robertum Galliæ Regem sibi iratum, conciliat.

31 Nam cum illorum filius, qui pro juventutis elegantia ac liberalitate Hugo Magnus cognominabatur, jam in Regem unctus obiisset, ac Parens uterque pro morte ipsius pene usque in suimet necem cordis dolore et luctu affligerentur; tunc accessit ad eos spiritalis medicus, et ait : Non infelices enim vos putare debetis, quod talem amisistis. Quin potius felices valde, quia talem habere meruistis. Ego, inquiens, ex ullo hominum gradu non tam paucissimos salvos futuros æstimo, sicut de Regum. Qui cum attoniti responderent. Quid hoc dicis Pater? Respondit : Non audistis, inquit, sacer Canon quomodo refert, vix tres de triginta Regibus bonos extitisse? Idcirco cessate, quæso, hunc juvenem flere mortuum, sed potius congratulamini ei, sicuti requiei datum et a malis liberatum. His dictis ita consolans illos placabiles fecit, ut viderentur habere quod plangerent, et Deum dicerent visitasse illos per sanctum virum.

Eum et uxorem in funere filii consolatur.

CAPUT XII.

Diligitur a summis Pontificibus. Joannem XX libere monet.

Præterea Pontificibus Romanis Pater Willelmus, qui suo tempore præfuere, in tanta veneratione ac reverentia est habitus, ut quidquid illis suggessisset sive per se, sive per aliquam legationem libentissime implere studebant. Nam et Joannem Papam spiritualia dona per orbem maxime Italicum, auri vel argenti pretio distracta minus curantem tali invectione monere studuit per epistolam hæc continentem : Parcite, quæso, parcite, qui dicimini sal terræ, et lux mundi. Sufficiat hominibus jam semel Christum fuisse venditum pro communi salute universorum. Jam enim refugæ veri luminis, solo nomine Pastores, ovile Christi, imo membra illius, videte post vos quo eunt. Si juxta fontem tepet rivus, in longinquum fœtere nulli dubiumest. Idcirco cura quibusdam venditur ad suum interitum. Volo vos pastores ac Pontifices omnes in commune judicis securim gestantis, apud januam assistentis

Summis Pontificibus carus.

Monet Joannem XX Papam de simonia.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Pontifex non offenditur.

assistentis memores. Quam epistolam Papa libenter amplectens grates ac benedictiones tanto Patri retulit, Deumque in illo glorificavit. Sed et illud denique in eodem Patre fuit valde memorabile, quod multi tum etiam nobiles venenatis infecti verbis malorum, dum adversus illum contumeliarum verba dicenda concepissent, seu jurgia ultionis vice referenda, vice si quis illum dilexit, mercedem a Christo percepit illius auctorem sanctitatis. Fertilem igitur gratiam ac dona uberrima a bonorum omnium largitore Pater iste promeruisse evidentissime passim claruit.

CAPUT XIII.

Plura gubernat monasteria. Suos egregie in spiritualibus instituit.

Præest monasteriis 40 monachis 1200.

Sed nos lectoris tædium caventes plurima silentio tegimus. Erant namque tam monasteria, quam cœnobia atque cellulæ monachorum circiter quadraginta, quæ illius patrocinio tute cunctorum bonorum affluebant copiis; Fratres vero in ipsis degentes proculdubio plus mille ducenti. Quibus inerat fides integerrima, ut quamdiu id devote exercerent, quod ab eodem Patre didicerant, nil mundi hujus formidare debere, aut cujuspiam suæ utilitatis rei indigentiam pati. Id ipsum enim suis sæpissime inculcabat a Deo sperare et credere, quod etiam plurimis probavere experimentis. Nam aliquando per diversa terrarum

In fide ejus precantes exaudiuntur.

euntes itinera dum ex eventus facie perturbari potuissent, dicere erant soliti : Domine in fide Patris Willelmi fac nobis sicut vis. Nec ullus illorum unquam hoc dicens ope caruit.

34 Instituit quoque simplicioribus, vel idiotis, e sæculo ad se confugientibus fratribus orandi formam, quinque modulis mystice constantem, ut videlicet quot sensibus humani corporis Deus offenditur, totidem vocum clausulis ad misericordiam rogaretur. Erat

Rudes docet orare.

autem hujusmodi : Domine, Jesu, Rex pie, Rex clemens, pie Deus. Subjungebatur vero singulis Miserere. Supputabatur namque taliter, ut si verbi gratia in decemnovennalibus articulorum juncturis ter et quinquies itentidem revolvendo devote diceretur, psalterii tota series mutuata persolveretur. Unde etiam pro psalterio apud illos habebatur, ut Pater docuit, et cognominabatur.

Mortificatio monachorum ejus.

35 Mortificatio nempe carnis, et abjectio corporis, ac vilitas vestium, ciborumque extremitas vel parsimonia, in suorum universis ac si naturaliter viguit. Ipsius etenim sermonis salitudo æqualiter cunctis prout videbatur in gratia erat condita. Pietatis quidem et misericordiæ expleri nequit quantum operis dabat.

Musicæ erat peritus.

Cum supernæ dulcedinis nectare, artificialis etiam musicæ perdoctus ac comptus dogmate, quidquid in psallendo chorus suorum psallebatur die ac nocte tam in antiphonis, quam in responsoriis vel hymnis,

Cantum corrigit, ordinat.

corrigendo et emendando ad tantam direxit rectitudinem, ut nullis decentius ac rectius psallere contingat in tota Ecclesia Romana. Psalmorum nihilominus concentum dulcissimo ultra omnes distinguens decoravit melodimate.

CAPUT XIV.

S. Benigni ecclesia dedicatur. Concionatur Guilielmus.

40 monasteria ab eo vel extructa vel restaurata.

Erant igitur, ut diximus, sub ejusdem patrocinio tam maxima quam minora perplura monasteria atque cœnobia, quæ videlicet ipse omnia aut a fundamentis innovavit, vel ampliando honestavit. Nam sancti Martyris Benigni, ut dicere occepimus, cui Deo auctore primitus Pastor allegatus fuerat, basilicam incomparabili opere pene expletam jam Brunone defuncto, Lambertoque in sede illius subrogato placuit ut eadem basilica Pontificali ex more benedictione sacraretur. Tunc denique ad votum ipsius Patres convenere die designato, e diversis provinciis, non solum Episcopi, verum etiam quorumcumque ordinum promiscuæ plebis innumera multitudo. Erat enim autumnus dies tertius Kalendarum Novembrium, ante videlicet natale ipsius Martyris, qui omnia rite ac solemniter, ut condecens erat, explentes petierunt qui aderant Episcopi, ac * quinque Religiosi Patrem Willelmum, ut in die tantæ consecrationis tam ipsis quam universæ plebi inter sacra Missarum solemnia divini eleemosynam impenderet verbi. Ipse vero, ut erat bonis omnibus obsequens, agere non distulit, sed mente pia, corde contrito, vultu alacri, spiritu Sancto plenus in hæc verba cum lacrymis erupit : Convenistis fratres et sorores, grex pretio Christi sanguinis redemptus; convenistis, inquam, ad nuptias ipsius sponsæ, matrisque vestræ cælestis ac sempiternæ Ecclesiæ, quæ idcirco universalis dicitur quoniam non solum quod in omnes mundi terminos dilatatur, sed etiam pro eo quod nulla immanitas criminum illius superat, si tantum fides adsit, dona misericordiarum. Quæ scilicet Patriarcharum mysticis præsignata figuris, Prophetarum ostensa præsagiis, Apostolorum auctoritate ac labore constructa, et Martyrum sanguine consecrata. In qua abluti ac renovati a culpa veteris piaculi per salutaris undam baptismatis, sicque induimini prima stola Angelicæ beatitudinis, quam amisistis in transgressione parentis primi incolæ paradisi. Deinde vero editis carnem ac potatis sanguinem illius omnipotentis agni, qui vos præ ceteris mundi creaturis formans et redimens invicta benignitate elegit ad sui atque Patris regnum, sanctique Spiritus gloriam possidendam, ad quam dilectissimi tendere vos invito, moneo, obsecro per charitatis ignem, et humilitatis, atque castitatis continuam custodiam. Exaudire, inquit, contigisset mihi ex vestræ unanimitatis devotione hujus sanctificationis concursus. Sed quia nimius mœror mentem deprimit ex signis satanæ quæ evidentissime apparent in populo Dei : Non, inquiens, despicietis quibus est adhuc mens sanior, quæ scissuræ et detruncationes vestium rabidissimæ? quæ attonsuræ per cervices virorum? quam turpis in barba chiripilatio maxillarum? quam nugacissima pene universorum et insanissima actitatio? Quam lasciva ad omnes pene sermones ore terricrepo juramenta? Ista etenim universa recentia et nuper crassata, non ex religiositate Christianitatis processere, quin potius ex diabolicæ superstitiositatis rabie emersere. Exinde quoque pullulat radix omnium malorum superbia, ceterorumque vitiorum fomenta. Atque vos ipsi judicate, si non ipsius famuli estis, cujus insignia et stigmata in vobismetipsis geritis. Nam et me pudet dicere dum pœnitet reticere, quoniam expectatis dulcedinem verbi, et ego propino vobis generaliter amaritudinem redargutionis. Moneo etiam illum si quis est in tota hac plebe qui vel quinque solidos, seu quippiam ad hujus sancti Martyris obtulit reædificandam muneris ecclesiam, quam præ oculis habetis, coram cunctis referat. Dum ergo non inveniretur quispiam aliquid contulisse; rursus ait, Videte fratres amantissimi, inter quas spinas atque incendia pessimorum hæc aula omnipotentis Dei per fidem sui testis Benigni, ad quam elegantia excrevit ipso cooperante fastigia. Volo vos, si placet, assidue esse memores quam velox unicuique sit mundanæ curæ et ambitionis depositio. Propter quod obsecro cum nostri auctoris adjutorio resistite vitiis, et maligno diabolo; virtutes quoque præclaras assumite et colite, benignissimo Deo conditori ac redemptori vestro in cunctis obaudite, qui vos per fidem et orationes ac merita omnium fidelium suorum dignos faciat introducendi

PER GLA. RODULF. *S. Benigni basilica solemniter dedicatur.*

* *forte,* quique.

Ejus concio in dedicatione ecclesiæ.

Per Gla. Rodulp.

ducendi cum eis in sempiternæ gloriæ regnum, per Jesum Christum dilectum filium suum. Dumque ille ita perorasset, ac responsum ab omnibus fuisset, Amen; qui singultus! quantæ lacrymæ! qui gemitus per totam agebantur ecclesiam, exprimi non valet. Omnibusque rite perfectis cum gaudio quique rediere ad propria.

Multa deinceps facta ad sepulchrum S. Benigni miracula.

37 Ex illo etenim die in eadem basilica præcipue ad tumulum gloriosi Martyris factæ sunt multimodæ curationes diversarum infirmitatum, quæ etiam ob multiplicitatem scribi nequeunt. Sed etsi quis cum fide plena sibi deposcens quæque utilia proculdubio adipiscitur, si talis sit ut promereatur Sanctorum meritis et orationibus.

CAPUT XV.

Guilielmi miracula.

S. Guilielmi miracula.

Nec prætereundum nobis videtur quod dum Patris Willelmi alloquio multi fuerint in mente recreati, plures etiam in corpore tactu ejusdem redintegrati, oratione refocillati, visitatione confortati, ac benedictione firmati. Et quamvis nunc minus audiatur quod olim Christi sequacibus usui fuit, suscitare mortuum, pauca tamen de pluribus, ut testati sumus, quæ Dominus per istum operatus est dicemus. Revertenti namque illi quondam a cœnobio Sancti Viventii Confessoris, cum jam adpropinquaret S. Benigni monasterio, obviam habuit promiscui vulgi turbam plangentem ac repedantem a spectaculo cujusdam miserrimi, videlicet ex ejusdem servorum familia S. Benigni, quem magistratus crimine convictum, morteque suspensionis patibuli adjudicatum deliberaverat. Quod audiens misericors miliario distans a loco dimisso equo illuc quantocyus occurrens hoc tantum dicebat: Jesu, Jesu, qui pepercisti latroni in Cruce, miserere; jussitque suis velocius infelicem illum, quem cernebant e trabe pendere, jam rigentem deponere. Iste vero toto prostratus corpore orationi incubuit. At illi solventes lora guttur illius arctantia exanimis in terram cecidit. Ad quem accedens vir pius, ait: Surge, inquit, Dominus imperat. Ipse vero aperiens oculos erexit se admirans valde sibi superesse. Qui cum viro Dei egrediens exultantibus cunctis ad monasterium plures postea vixit annos. Multos nempe ab hujusmodi patibuli suspendio ac nece per diversas provincias tam interventu, quam redemptionis pretio liberavit.

Suspensum ad vitam revocat.

Mitis in exactione redituum.

39 Nam et tribus monasteriorum utilitatibus Præpositis illud sæpius inculcabat, ut in exactione sibi commissorum forent providi, ne forte nimis tenues pro census reditu affligerentur. Dicebat enim se magis velle largiri egenti, quam exigere quidpiam ab indigente. Itinera quoque ejus per civitates et vicos seu quorsum haberet, ingens pauperum atque infirmorum turba præoccupaveret. At ipse liberalis et largus beneficiorum erat universorum impensor. Desiderabatur enim ab omni hominum ordine vel sexu ipsius præsentia sicuti unius e Patriarchis aut Apostolis Domini.

Quosdam in somnis eis apparens, monet.

Auctori apparet, eumque monet; Qui ejus jussu historiam scribit.

40 Aliquanti etiam referebant illum sibi per visum in somnis apparuisse, seque de pravis actibus redarguisse, vel monuisse illos de communi animarum salute. Testor ego, inquam, ipsius ac virtutum matrem charitatem, quoniam quondam meorum culpis facinorum offensus, et sensi illum ad horam amaricatum, secessi in aliud cœnobium ipsius ditioni minime subditum. Dumque illic degerem adstetisse mihi una nocte visus est aspectu placido, ac manu injecta caput mihi demulcens aiebat: Rogo ex me discas si non te amare fingebas. Quin potius exercere te cupio quæ promiseras. Ipsius namque imperio maxima jam ex parte eventorum atque prodigiorum, quæ circa et infra incarnati Salvatoris annum contigere millesimum descripseram. Quæ etiam causa ad præsens opus me compulit inflectere articulum. Idcirco omnes pariter oro ne propter hoc præjudicium de me fiat.

CAPUT XVI.

Venetorum in eum amor. Pie moritur Fiscani in Normannia.

Beatitudo igitur eximii Patris Willelmi jam ad tantam excreverat excellentiam, ut cunctas Latii ac Galliarum provincias ipsius amor ac veneratio penetraret. Nam Reges ut patrem, Pontifices ut magistrum, Abbates et monachi ut Archangelum, omnes in commune ut Dei amicum, suæque præceptorem salutis habebant. Quis enim unquam alius præter eum Veneticorum gentem in tam amica familiaritate habuit? Exaggerative secundum Apostolum loquimur, quoniam si fieri posset oculos suos eruissent, et dedissent ei. Si quidem Ursus Patriarcha * illorum, ipsius sancti Patris decrevit effici monachus. Sed quia ipse dispendium illius gentis, quod foret pro tanti absentia viri considerans, in suo proposito permanere suasit. Quod etiam de multis similis rei gratia cognitum habetur fecisse.

Diligebatur a Venetis Guilielmus. Galat. 4. 15.

* id est, Gradensis, filius B. Petri Urseoli, de quo XI Janua.

42 Jam vero in Dei opere magis adsiduus quam frequens cum esset in Italia suum biennio præstolans a sæculo excessum, sed rerum opportunitatibus exinde evocatus, ægerrime tamen ad Gallias remeavit. Cumque revisendi caritate cunctos Gorzense usque monasterium a se olim cum ceteris ad regulare specimen reformatum devenisset, quæ supererant invisere curavit. Dehinc ad prænominatum venit Fiscannum. Post aliquot vero dierum . . . . . acribus cœpit doloribus affligi. Jam quippe imminente solemnitate Nativitatis Dominicæ prænoscens suæ a Christo vocationis diem, convocatis ad se fratribus deliberans coram eis provide ac sapienter de cunctis quæ ipsius innitebantur patrocinio, quid vel qualiter agendum seu ordinandum foret, sicque universis præsentibus simul et absentibus sua benedictione firmatis ac Deo commissis, expetiit sibi dari salutare ac vivificum commeatum. Expletisque solemnibus totis octo dierum nil omnino loquens oculos tantum ad Deum erigens, illi soli intendens, illum solum mente respiciens; jamque adspiciebat felix anima, subito ad illum itura de vasculo carnis, in sua gloria Deum Majestatis.

Ægrotat.

Præscit obitus diem.

Sumit viaticum.

43 Anno igitur ejusdem Nativitatis Dominicæ MXXXI, Indictione XIV, a nativitate quoque ipsius patris ac Dei cultoris LXX, et ab adventu illius ad Gallias de Italia XLI, regnante Conrado Imperatore, in Francia nihilominus Roberto Rege, die Domicicæ Circumcisionis venerabili, atque ejusdem nativitatis octavo, VI feria mane dum aurora supervenientis diei pelleret tenebras, e mundo transivit a sancto istius Dei amici corpore anima felix et beata, lucerna videlicet orbis ad sempiternam ac deificam lucem, suis lugentibus, sed Angelis lætantibus, cum quibus laudans ac magnificans benedicit Deum, in quo vivit quidquid juste subsistit. Sepultum namque est sacrum illius corpus honorifice in gremio ejusdem Sanctæ Trinitatis ecclesiæ in conspectu euntium ac redeuntium fratrum, ut quotidie siquidem præ oculis imitabilem haberent patrem, quem ad æternam justitiæ mercedem habuere institutorem: ipsiusque meritis et precibus valeant percipere æternæ vitæ regnum et gloriam cum Sanctis omnibus donante Domino Jesu Christo Salvatore.

Moritur 1 Januarii an. 1031.

Sepelitur.

DE

Circa an. Chr. an mxliii. I jan.

DE SANCTO CLARO

MONACHO SALIGHENSTADIENSI.

S. Clari Saligenstadiensis nomen in Martyrologiis.

Hujus sancti viri nomen extat Martyrologiis monasticis inscriptum, (ut videre est apud Hugonem Menardum, Arnoldum Wion, aliosque), uti et Philippi Ferrarii catalogo. Sed mirum est ab illis Abbatem appellari, quem Trithemius solum monachum vocat; qui in chronicis monasterii Hirsaugiensis ita scribit :

2 Floruit circa annum Christi mlxiii, Clarus monachus Sanctorum Marcellini et Petri in Selgenstadt Moguntinensis diœcesis, nostri ordinis, vir doctus et religiosissimæ conversationis : qui in eodem loco pro Dei amore inclusus orationi et contemplationi vacans die ac nocte spiritum prophetiæ consecutus asseritur. Cujus festus dies agitur Kalendis Januarii. *Hæc Trithemius. Non legitur quidem de eo officium ullum in Saligenstadiensi monasterio, celeberrima tamen est ejus sanctitatis memoria. Quo loco ejus conditæ sint reliquiæ ignoratur.*

Prophetiæ dono claruit inclusus.

not. 19.

An. Chr. mxlix. I jan.

DE S. ODILONE

ABBATE CLUNIACENSI.

S. Odilonis celebris memoria.

Hic est ille celeberrimus Odilo, cujus honorificentissime meminerunt quotquot Ecclesiasticos Annales scribunt. De eo Martyrologium Romanum Kalendis Januarii : Apud Silviniacum S. Odilonis Abbatis Cluniacensis, qui primus commemorationem omnium fidelium defunctorum prima die post festum omnium Sanctorum in suis monasteriis fieri præcepit : quem ritum postea universalis Ecclesia recipiens comprobavit. *Eadem fere Constantinus Ghinius, Hugo Menardus, aliique. At Maurolycus, Arnoldus Wion, Philippus Ferrarius; Bellini editio Parisiensis, aliique complures,* xxxi *Decemb. ejus obitum referunt, quibus favet S. Petrus Damianus, qui mortuum tradit anno* 1048, *ultima scilicet ejus anni nocte, nisi antiquo more Gallico annum a Paschate ordiatur. Cluniacenses* 2 *Januarii eum colunt : quo die eum refert idem Maurolycus, Galesinius, Usuardi editio Parisiensis anni* 1536, *et Coloniensis anni* 1490, *Molanus quoque* 2 *Januarii hæc habet* : Apud Silviniacum S. Odilonis Abbatis, cujus festivitas, cum in Kalendis habeatur, hic tamen plenius recolitur. *Eadem Martyrologium Germanicum et alii. Odo a quibusdam appellatur, ab aliis Odilus.*

Colitur Cluniaci 2 *Januar.*

Duplex ejus vita : prima a Lotsaldo scripta, secunda a S. Petro Damiano.

2 *Ex duabus ejus vitis, quas hic dabimus, prior est a Lotsaldo Monacho conscripta, quam multis locis mutilam exhibuit nobis codex* ms. *monasterii S. Maximini, et Bibliotheca Cluniacensis, in qua plura de S. Odilone commemorantur; referturque ejusdem Lotsaldi (qui ibi Jotsaldus appellatur) de morte Odilonis planctus, altera a B. Petro Damiano non multo post S. Odilonis mortem, rogatu S. Hugonis ejus successoris scripta.*

Translatio S. Odilonis 21 *Junii.*

3 *Subjiciemus de ejus translatione sive elevatione, quæ eadem Bibliotheca Cluniacensis ex Chartulario Silviniacensi et Carolus Sauseyus lib.* 12 *Annal. Eccles. Aurelian. exhibent. Eam elevationem scribit Hugo Menardus* xxi *Junii celebrari. Ejus meminit et Claudius Robertus in catalogo Archiepiscoporum Bituricensium, cum de B. Rogerio Forti agit, de quo nos* 1 *Martii.*

Meminit S. Odilonis Vincentius Barralis Salerna in Chronologia Lerinensi, ostenditque, ex quibusdam Ac'is, eum monasterio Lerinensi præfuisse.

Est Silviniacum, ubi mortuus est S. Odilo, insignis Prioratus ordinis Cluniacensis in Borbonia provincia, vulgo Sauvigny en Bourbonnois.

VITA
S. ODILONIS
AUCTORE LOTSALDO MONACHO.

PROLOGUS AUCTORIS.

Reverendo Patri Stephano, secundum sui nominis interpretationem Pontificali gloria sublimato, ultimus servorum Dei servus, nomine tantum monachus, Lotsaldus, quidquid in utraque vita jocundius.

Cur vitæ Sanctorum scribantur.

2 Antiquorum Philosophorum studia scriptis et monumentis extulerunt priorum suorum laudes et memorias, talibus indiciis sperantes se facere immortales, quos noverant fuisse mortales. Deinde gradu sæculorum regula Ecclesiastica tanto dicendorum materia sublimior, quanto spei certioris directior, sanctorum virorum præclara describit opera; ut succedentes et futuri habeant semper, quorum sequantur exempla, totumque ad illum referatur a quo datur virtus et prudentia : a quo etiam derivatur fortitudo atque sapientia.

Auctor S. Odilonis discipulus.

3 Ad horum formam ego quantilluscumque homuncio, nutritus magni Odilonis magisterio, informatusque beneficio; quemadmodum Hieronymus de Blæsilla et Nepotiano, epitaphium quoddam volui de morte virtutibusque ejus inscribere; et veluti flores ad sepulchrum ejus spargere, quæ introeuntibus præstent aliquid suavitatis et gratiæ, redoleantque secundum sui speciem quantulocumque odore. In hoc vero devotionem animi mei offero, et altiora describere volentibus materiam præsto; non occasionem agendi id melius subripio.

Stephanus nepos S. Odilonis.

4 Quod opus tibi sancte Præsul ideo mittere disposui, quia te nepotem ipsius, et per illum ad Sacerdotii gloriam accersitum novi, confidensque tuo placere judicio, quidquid in laudibus ejus descripserit cultus vel incultus sermo.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

PER LOTSALDUM.

CAPUT I.

S. Odilonis patria, parentes, soror.

Beraldus S. Odilonis pater.

Extitit pater ejus inter Proceres Arvernorum nobilissimus, vir in armis strenuus, possessionibus et divitiis locupletissimus, in consilio providus, et omni morum honestate suo tempore nulli secundus. Qui etiam privilegio auctoritatis et gratiæ, Major Beraldus vocabatur, ab omnibus fidei virtute ita præcipuus, ut quod aliis difficile sacramentis, hoc iste inviolatum custodiret simplicibus verbis. Longe se habebat aliter actus ejus et habitus, quam modo videri possit, in quovis Principe, quilibet actionis modus.

6 Fuit illi uxor Girberga nomine, non degener natalibus et moribus, quæ quantæ continentiæ, quantæ castitatis, et cujus esset voluntatis sub marito, post mortem ejus omnibus fuit in aperto. Nam relicta patria, relictis propinquis et filiis, et magnis fundi possessionibus atque divitiis, tamquam alia Paula secuta est Christum : et apud monasterium S. Joannis Augustuduni positum Sanctimonialium suscepit locum et religionis habitum. Quam laudabile ibi duraverit propositum, quamque dulcis et utilis omnibus ibi deinceps ejus vita fuerit, et quam glorioso exitu finierit vitam, paucas quæ superant cum gemitu narrare audivi.

Girberga mater, post religiosa.

7 Fuerunt denique istis alii filii potentes et nobiles, et in suo ordine quantum ad mundanam gloriam nulli inferiores. Quædam etiam non prætereunda soror nomine Blismodis Abbatissa, quæ in sancta virginitate nocte et die serviens prope centenarium explevit annorum numerum. His itaque breviter descriptis ad illum, quem celebriter commendat nobilitas mentis et celsitudo generis, stylum vertamus.

Blismodis soror, Abatissa.

CAPUT II.

Fit Clericus, dein Monachus.

Hic itaque vir Beatissimus Odilo tanto nobilitatis schemate procreatus, inter ipsa primordia tamquam alter Isaac, sive Samuel Christo consecratus, et Brivate apud S. Julianum gloriosum Martyrem clericali forte donatus est. Delectabatur in ipsa pueritia humilitate, castitate, innocentia, et puritate; et prout ætas admittebat misericordiæ operibus insistebat. Superabat cœtaneos sapientia et moribus, ita ut jam non puer, sed senex maturitate non tempore, ab omnibus putaretur.

Odilo fit Clericus.

Ejus pueritia.

9 Decursis itaque puerilibus annis, ubi robur juventutis succedere cœpit, tacitus secum deliberat, ut Ægyptias ollas desereret, et per media mundi discrimina terras repromissionis intraret. Jesu bone quam suavis tua vocatio, quam dulcis tui spiritus inspiratio, qui mox ut mentem pulsaveris, æstus fornacis Babyloniæ in amorem transformas cælestis patriæ. Ecce enim cor nostri juvenis dum subito pulsas, mutas; et in veros amplexus Salomonis mirabiliter accendis.

Vis gratiæ divinæ.

Deliberat de fuga sæculi.

10 Certe dum talia meditatur in animo, magnus ille Majolus per totum pene mundum jam famosus, Arvernorum fines ingreditur, et divina dispositione is, de quo loquimur, ante eum adducitur. Qui considerans in eo præstantem elegantiam corporis, et nobilitatem generis, magnum quoddam et divinum oculis interioribus in eo prævidens, totus in ejus amorem illabitur; et vicissim inter eos ignis divinæ caritatis magis magisque accenditur. Fit inter eos familiare colloquium : junior seniori suum prodit desiderium : senex ut præmeditata perficiat, modis quibus potest junioris instruit animum. His ita inter se dispositis, senex ad propria revertitur : sollicitudo juvenis ad ea perficienda, quæ ceperat, præparatur.

A S. Majolo animatur.

11 Non multis itaque interjectis spatiis, novus miles tamquam Benedictus Romuleas, deserit et iste Brivatenses seu Anicienses arces : despicit patrias opes, propinquos et fratres : et quasi antiquus Abraham de Hur Chaldæorum egrediens, Cluniacum quasi quemdam terræ repromissionis requirit introitum : et veteri iterum deposita sarcina monachicum suscepit indumentum.

Fit Cluniaci monachus.

12 Jesu bone, quam jucundum erat tunc videre ovem mundano vellere detonsam de lavacro baptismatis iterum ascendentem, cum gemellis fœtibus dilectionis utriusque procedentem, nihil secum sterile portantem, nihilque vanum meditantem. Jam sumpto habitu videres nostram ovem inter alias primam opere, extremam ordine, viriditatis æternæ pascua requirere; lucernarum ministeria concinnare; infantum custodiendorum excubias observare; pavimenta verrere; et quæque vilia officia humiliter peragere.

Humilia munia alacriter obit.

NOT. 20.

CAPUT III.

Abbas creatur.

Sed non diu latuit margarita : non diu potuit occultari in privato loco fortis athleta. Evolutis post hæc fere quatuor annis S. Majolus, post multos pro Christo desudatos labores, de tenebris Ægypti egreditur, transitoque maris periculo Jerusalem ingreditur; atque in æterna pace a Christo collocatur. Instante vero mortis articulo Dominum Odilonem sibi successorem elegit, atque proprias oves Domino et sibi reliquit. Qui reluctans, et ultra quam credi possit invitus, communi omnium voto, communi omnium sententia ad injunctum officium ordinatur, et tamquam alter Moyses Dei populo præficitur. Quid agis Deo dilecta anima? Quid reluctaris? Quid adhuc vis stare post parietem, et respicere per cancellos? Egredere jam ad diffusam lucem : egredere : loquitur tibi sponsus tamquam ad sponsam in Canticis canticorum : *Surge, propera amica mea, formosa mea, et veni.* Videlicet aperte dicens : Surge de stratu quietis, in quo tuimet solius curam agere quæris : propera, et veni ad impendendam etiam proximis curam salutis, per studium sedulæ prædicationis. *Ostende mihi faciem tuam : sonet vox tua in auribus meis. Vox enim tua dulcis, et facies tua decora.*

Fit Abbas invitus.

Cant. 2. 10.

Ibid. 14.

CAPUT IV.

Statura ejus externaque compositio.

Suscepto itaque regiminis officio magis magisque sanctorum confirmabatur exemplo, et in omnibus cælesti adornabatur magisterio. Prælucebat in eo quoddam insigne documentum, quod subjectis imitandum esset, et timendum : et qualis esset interius, relucens in eo gratia declarabat exterius. Habitus enim mentis, ut ante nos dictum est, in corporis statu cernitur. Et quia ita est, nunc de ipsius corporis positione pauca dicamus. Erat modiocris in eo statura; vultus ipse plenus auctoritatis et gratiæ; mansuetis hilaris et blandus, superbis vero, et offensus, ut vix sufferri posset terribilis. Macie validus, pallore ornatus, canitie decoratus. Oculi illius veluti quodam splendore fulgentes, intuentibus et terrori erant, et admirationi, lacrymis assidui, quia sæpius aderat virtus compunctionis. Renitebat etiam in ipsius motu, gestu, incessu species auctoritatis, pondus gravitatis, tranquillitatisque vestigium. Occursus illius quasi quidam gratissimæ jucunditatis radius, et insolitæ delectationis eventus. Vox illi virilis, et ita plena decoris, ut audientium mentes non mediocriter demulceret dulcedine modulationis. Sermo illius plenus suavitatis

Pollet auctoritate.

Ejus staturæ, externarumque actionum descriptio.

* *al.* offensis.

suavitatis et gratiæ, prout ratio causarum se habebat medie temperatus, nec modum prægrediens loquendi, nec minus pro tempore improvidus disserendi. Nihil in eo fucatum, nihil affectatum; sed natura mirabiliter reddebat cum corporis positione, et ordine vitæ quadratum. Et quamvis secundum B. Ambrosium in pulchritudine corporis locum virtutis non ponamus, gratiam tamen non excludimus.

CAPUT V.

Variæ ejus virtutes.

Virtutes ejus. His vero omissis ad compositionem morum ejus, quibus per divinam gratiam adornatus extitit, redeamus. In quantum humana æstimatio se habet, quatuor in sancto viro principales non mediocriter relucebant virtutes, prudentia, justitia, fortitudo, et temperantia. Prudentiam philosophi definiunt in veri investigatione consistere, et scientiæ plenioris cupiditate. Quo genere virtutis ita enituit, ut non diebus neque noctibus a veri investigatione cessaret. Semper ei liber divinæ contemplationis in manibus semper ei sermo de scripturis assiduus, et ad ædificationem cunctorum labor continuus. Ut Hieronymus Eustochium instruit, faciem dormientis interdum pagina sancta suscipiebat : evigilantem iterata lectio recreabat. Nihil ei in hac vita dulcius, nihil amabilius fuit.

Prudentia.

Assidua lectio.

Oratio, nec somno interrupta.

16 Lectioni oratio jugis succedebat. Qui gemitus, quæ suspiria, vel affluentia lacrymarum, et præcipue in illo sancto sacrificio agni immaculati erat; Spiritus sanctus auctor ipsius muneris et gratiæ novit. Rem miram dicturus sum, et certe veram. Cum sæpius illum psallentem in stratu somnus exciperet, tamen psallmus ab ore dormientis non recedebat : ut si nescires, vigilare eum putares. Evigilans vero ita spalmum cum festinatione arripiebat, quasi nihil intermisisset. Loquebatur, credo, tunc cum sponsa in Canticis Canticorum : *Ego dormio, et cor meum vigilat.*

Cant. 5. v. 2.

Eruditio.

17 In scripturis quam fuerit eruditus, et in sermone facundus, quamque etiam in recta fide Catholicus, testantur Sermones ejus, et multiplices Epistolæ, quas tamquam favos dulcedinis pinguissimæ videas redolere odore prudentis eloquentiæ, decoreque suavitatis et gratiæ.

Extant hæc S. Odilonis opera in Biblioth. Cluniac.

CAPUT VI.

Viris Principibus carus est.

Justitia. Justitia est, ut volunt Philosophi, quæ suum cuique tribuit, alienum non vendicat, utilitatem propriam negligit, ut communem æquitatem custodiat. Hæc omnia in illo non mediocriter, sed profuse noveris reluxisse. Omnibus enim ætatibus, personis et conditionibus, prout * justitia fuit, debitum honorem exhibuit; et omnibus ita se gratum præbuit, ut non aliter quam Angelus (si ita dicendum est, imo quia dicendum est) cunctis carus extiterit. Principibus et potestatibus Christianis secundum Apostolicam sententiam in nullo restitit; sed ita amicabilem se et officiosum reddidit, ut tamquam alter Joseph ab omnibus mirabiliter amaretur, et celebriter veneraretur. Concurrat in hunc amorem Rotbertus Rex Francorum : Accedat Adelheyda mater Ottonum : Veniat etiam Henricus Imperator Romanorum : Intersint Conradus, et Henricus, videlicet pater et filius, Cæsares et ipsi nobiles invicti; quorum omnium amicitiis, officiis, et imperialibus muneribus ita magnificatus est, ut sibi et illis cor unum et anima sua fuerit. Quid etiam Stephanus Rex Hungrorum, sive Sanctius Rex Hesperidum populorum? Qui quamvis eum præsentialiter non viderint, tamen ad famam sanctitatis ejus intercurrentibus legatis et reciprocis litteris adstrinxeruntillum sibi beneficiis, et copiosis muneribus, commendantes se humiliter orationibus illius et suffragiis.

* *al.* justitiæ.

Omnibus carus erat, etiam Regibus.

PER LOTSALDUM.

19 Fuit etiam in remotis partibus Occidentalium alter Sanctius Pampulanorum Episcopus, qui ita sibi in amicitiis adhæsit, et copiosis muneribus deservivit, ut ad eum de tam longinquis regionibus veniret, et monachum se fieri ab eo postularet. Quem in tantum dulcis memoriæ Odilo dilexit, ut etiam moriens de eo faceret sermonem, ut post mortem suam ad eum visitandum cum exuvio vestimentorum suorum duos fratres mitteret, qui illi vitæ suæ finem nuntiarent, et antiquam amicitiam sibi mortuo conciliarent, et rursum eamdem viventibus renovarent.

Sanctius Episc. Pampelon. fit monachus.

20 Non prætereundi sunt etiam Domini Sacerdotes et Apostolici viri, Silvester, Benedictus, Joannes, et in ultimis piæ memoriæ Clemens, quorum gratiam ita promeruit, ut tamquam ex fratribus unus extiterit. Quæ enim persona undecumque locorum non cuperet habere Odilonem tamquam alterum Salomonem, amicum et patrem, et pro se apud Deum intercessorem? Gaudebat Italia, cum Odilonis aderat præsentia, et præcipue familiaris sibi Papia, cujus prece et industria temporibus Henrici et Conradi Imperatorum, liberata est ab exidio gladii et periculo incendii. Lætabatur etiam Roma mundi Domina, tanti viri contubernio frequentata sæpius, sanctorum Apostolorum amore et desiderio. Officiales et clerici sive monachi, ita sibi applaudebant venienti, ut tamquam de suis carissimum fratrem haberent amore vehementi. Hæc ideo in partes justitiæ posuimus, ut aperte monstraremus illum proprium cuique tribuisse, et idcirco omnium gratiam et amorem promeruisse et ut etiam omnibus declararetur, quia necesse erat ut quem Deus perfuderat gratia, ab omnibus amaretur. Bene itaque de eo omnes in commune senserunt, quia cunctis ubique et amori fuit et honori.

Gratus summis Pontificibus, clero Romano, Italis omnibus.

CAPUT VII.

Ejus in omnes comitas, in pauperes liberalitas.

Jam vero de inferioribus : seniores honorabat ut patres, juniores ut fratres, anus ut matres, virgines ut sorores, omnes tamen æstimans sibi superiores. Cunctis in commune præbebat familiare consortium, et salutare colloquium. Nulli onerosus, nulli importunus, nullius honoris cupidus : alienum non vendicabat, imo magis quod suum erat, hilariter alteri concedebat. Utilitatem propriam negligebat, ut communem æquitatem custodiret. Beneficentiam et liberalitatem, quæ etiam et ipsæ partes sunt justitiæ, ita retinebat, ut in eis nostris temporibus in suo ordine singulariter solus reluceret. Omnibus enim in commune volebat benefacere, sed quibus poterat liberaliter liberalis existebat. Plus gaudebat datis quam acceptis, sciens illud felicitatis, istud indigentiæ esse : et secundum veritatis Dominicæ sententiam, *beatius esse dare quam accipere.*

Officiosus erga omnes.

Act. 20. 35.

22 In pauperes ita munificus erat, ut aliquando non dispensatorem, sed et profusum videres largitorem. Etenim magis delectabatur in faciendis eleemosynis, quam aliquis gratulari possit in acquirendis pecuniis. Et quid dicam? Cæcorum baculus, esurientium cibus, spes miserorum, solamen lugentium fuit. Misericordiæ enim visceribus ultra quam dici possit affluebat : et quantum in se fuit nullum a beneficio misericordiæ excludebat. Et sicut in epitaphio Sabiniani Papæ legitur :

Liberalis in pauperes.

Hic hominum vitia blando sermone removit,
Nec culpis judex, sed medicina fuit.

23 Erat certe in hac virtute in tantum diffusus, ut ab imprudentibus in officio hujus virtutis dijudicaretur nimius. Sed ille ad hoc objectum, eleganter alludere solitus erat : Ego, inquit, volo magis de misericordia misericorditer judicari, quam de crudelitate

Præclarum ejus de nimia sua liberalitate apophthegma.

PER LOTSALDUM.

litate crudeliter damnari. Ut enim ait Ambrosius, Bonus est misericors homo, qui dum aliis subvenit, sibi consulit; et in alieno remedio vulnera sua curat. Agnoscit enim se esse hominem qui novit ignoscere. Et vias Christi sequitur, qui carne suscepta maluit in hunc mundum redemptor venire, quam judex. Unde et iste vir sanctus, ut prædiximus, malebat esse culpatum * indultor, quam judex.

* *al.* medicina.

24 Ad hoc aliquotiens quod offerebatur libentissime accipiebat, ut haberet quod pauperibus distribueret. Implebatur semper in eo quod dicitur in Evangelio : *Omni habenti dabitur et abundabit.* Vidimus enim multotiens marsupium illius ita exinanitum, ut quod daret fratribus non haberet, cum subito ex insperato veniebat sufficiens benedictio, unde sedaretur petentium vociferatio. Et ne generaliter hæc persequendo, ejus aliqua misericordiæ opera specialiter ignorare videamur, quædam hic sunt inserenda satis memoratu digna, quæ fidem præbeant etiam iis quæ nominatim non sunt ponenda.

Matth. 25, v. 29.

Suppeditantur ei præter spem quæ tribuat pauperibus.

25 Quodam tempore cum apud Sanctum Dionysium Parisius pergeret, et per publicum iter incederet, offendit duos pueros * fame et frigoris supplicio occubuisse, et sub oculis omnium (dictu miserabile) nudos et insepultos in media jacere via. Erat enim eo tempore fames valida, quæ sui magnitudine pene totas Galliarum sine Aquitaniæ oppresserat provincias. Compunctus itaque vir sanctus tali horrore equo desilivit, substitit : Pollinctores mercede quæsivit : Lanea veste, quam vulgo * staminiam vocant, a dorso abstracta illorum nuditatem propriis manibus cooperuit : sepelivit : debitum mortuis obsequium persolvit : sicque cœptum iter tenuit. Si Martinus per totum orbem celebratur in dimidia tunica pauperi divisa; cur non et iste secundum sui speciem celebris habeatur in tunica integra, non uni vivo, sed duobus mortuis data?

* *al.* famis.

Duos mortuos propria veste contectos sepelit.

* *al.* staminam.

26 Multa proferri possent similia, nisi succumberent nostræ parvitatis ingenia. Sed tamen ne silentio premantur omnia : tali tunc temporis, ac deinceps per multos annos, incumbente miseria, in usus pauperum confregit plurima vasa Ecclesiastica, et ornamenta insignia, inter quæ etiam Imperialem Henrici Imperatoris coronam; indignum judicans talia denegare pauperibus Christi, pro quibus effusus est sanguis Christi. In thesauris Ecclesiæ pauperibus datis divinis et humanis oraculis Laurentius prædicatur mirabilis, cui licet istum æquiparare non audeamus, tamen cunctis, quos vidimus, moderni temporis hominibus, quod sine præjudicio cujusquam dixerim, in suo ordine, in hac virtute præferemus.

Tempore famis vasa sacra, et dona confringit ut succurrat pauperibus.

Alios hortatur ad eleemosynas.

27 Consuluit quibus potuit; et quibus per se non potuit, alios ut misererentur, rogavit. Cum enim non sufficeret tam acerbæ famis prædictis temporibus omnium miseriis subvenire, vidimus eum vicos et Ecclesias, quas poterat, circuire, ad eleemosynas faciendas Principes, divites, mediocres suadere, dulcibus sermonibus ad misericordiam provocare, eisque inde plenissimam peccatorum remissionem libera voce de cælis repromittere. Ita vir sanctus quos non sufficiebat propriis alere sumptibus, juvabat apud illos, quos poterat, sermonibus misericordiam suadentibus. Tali consultu multa certe millia pauperum cognovimus famis et mortis evasisse periculum.

28 Nullius miseriam præterivit : nullius necessitatem despexit : nullius infirmitatem perhorruit. Denique quidam sanctæ Dei genitricis Aniciensis Ecclesiæ Clericus secundum carnem nobilissimus, lepræ contagio maculatus privatum sibi, veluti tantæ corruptioni necessarium juxta * Ligerim fluvium, quemdam delegerat locum, monasterio quod dicitur Volta contiguum. Quo adveniens Dei famulus, et hoc agnoscens, infirmo compatitur : solatiari ei in quibus illi necesse erat, fratribus imperat : requirit vero ipse miserabilis sancti viri privatum colloquium, et ut ad se accedat humiliter rogat per internuncium. Quod Sanctus facere non recusavit, recolens Dominicæ humilitatis exemplum, qui etiam non rogatus venire voluit ad Centurionis servum. Dum vero ad eum pervenitur, illius non exhorrescens miseriam, nobis, qui videbamus, valde mirantibus, in oscula ruit, amplexatur, et diu cum illo familiare colloquium participatur. O virum per omnia laude dignum, qui magis in homine naturæ diligebat prærogativam, quam alicujus morbi expavescebat accedentem miseriam.

* *bibl. Clu.* Alexis.

Leprosum amplectitur, et osculatur.

CAPUT VIII.

Hospitalitas, humilitas, aliæque virtutes.

Hospitalitas ejus.

In suscipiendis hospitibus festivus erat et jocundus; nihilque sibi unquam deesse liberalis confidebat animus, sed in abundantia benedictionis Christi omnibus largiter erat profusus. Munditiam integritatis ita inviolabilem custodivit, ut Spiritus sancti mereretur fieri domicilium, et castissimæ puritatis receptaculum. Humilitatis etiam tanta in eo fuit perfectio, ut ne ad modicum quidem notaretur in eo superbiæ vestigium. Innocentia in illo non mediocriter reluxit. Ex suo affectu pensabat omnes, et sicut ipse erat alienus a fellæ malitiæ, ita etiam æstimabat alios nullius doli peste corrumpi posse. Honestatis decore ita pollebat, ut in omni sua actione hujus virtutis pulchritudine, tamquam cujusdam fulgoris resplenderet lumine. Nihil enim inhonestum, nihil indecorum illa sancta anima videre vel audire volebat. Veritatem corde retinebat, et ore proferebat. Mendacium vero tamquam pestiferum morbum modis omnibus cavebat. Humanæ etiam laudis favores non requirebat, neque gloriam suam in ore hominum ponebat.

Humilitas.

Simplicitas.

Honestas.

Veracitas.

Humilitas in honore sibi ab aliis delato.

30 Si quando vero a confratribus vel Episcopis more Ecclesiastico officiosis obsequiis suscipiebatur vel honorabatur, testor Jesum advocatum animæ ejus, quia talia non curabat omnino, et veluti quoddam nullius momenti pretium computabat. Tamen quia hoc sine scandalo plurimorum declinare non poterat, exterius quidem fraternum obsequium suscipiebat, sed interius a proposito humilis rigoris non discedebat.

Pictas.

31 Conventus fratrum fortiter tenuit donec ad ipsa mortis extrema pervenit. O quam jocundus inter alios procedebat! quam festivus in illo sancto choro medius stabat, a dextris et a sinistris prospiciens coronam novellæ plantationis, memor illius versiculi Davidici carminis : *Filii tui sicut novellæ olivarum, in circuitu mensæ tuæ!* Et quanto magis augebatur numerus fratrum, tanto magis quibusdam signis et certis indiciis declarabat sui animi gaudium. Et quia multotiens videbat quibusdam id oneri esse, solitus erat dicere : Nolite, fratres, in augmentatione gregis contristari; cujus enim nutu et vocatione congregantur, ejus providentia et miseratione gubernabuntur. Multorum enim Pater extitit monachorum, quos de diversis conditionibus, * diversis ætatibus, et temporibus Domino acquisivit. Alios namque in pueritia, alios in juventute, alios in senectute accepit. Et quamvis in diversis ad eum venerint temporibus, tamen sub una moderatione discretionisque virtute, materna charitate, paterna sollicitudine fovit, nutrivit, et ex multis partibus, disparibusque moribus in unum corpus collegit.

Psal. 127. v. 3.

Facilitas in admittendo ad religionem.

* *al.* de diversis actionibus.

32 Quocumque * exibat, quocumque procedebat, tanta sequebatur eum frequentia Fratrum, ut jam non ducem et principem, sed revera putares eum esse Archangelum monachorum. Hoc enim nomine censebat eum appellandum in sermonibus suis et epistolis Fulbertus ille sibi præcordialis amicus Carnotensis Episcopus, in sanctitate laudabilis, in sapientia mirabilis, in cujus morte studium Philosophiæ in Francia periit, et gloria Sacerdotum pene cecidit.

* *al* degebat.

Archangelus erat monachorum.

Fulberti Carnotensis episc. laus.

CAPUT

CAPUT IX.

Fortitudo, patientia.

Fortitudo S. Odilonis.

Jam de fortitudine animi ejus vel corporis pauca dicturi, etiam virtutis illius diffinitionem, juxta veterem æstimationem adhibere debemus. Fortitudo est animum supra periculi metum agere, nihilque nisi turpia timere: tolerare fortiter prospera, vel adversa. Hac itaque fretus virtute quam fortis fuerit in repellendis inimicorum insidiis, quam patiens in tolerandis adversis dictu videtur difficile. Cerneres in illo hoc privilegium patientiæ, quia iis, qui læserant, tamquam alter David majorem rependebat beneficii gratiam; et iis qui oderant * potiorem conservabat benevolentiam. Non valebant hunc adversa dejicere, nec prospera elevare.

* *al.* potentiorem.

Austeritas ejus.

34 O quantas infestationes, et quam gravissimas insectationes a domesticis et extraneis ipsa sancta anima sustinuit, et præter has quam duras corporis pœnas in jejuniis, in vigiliis, in orationibus, ipse sibi ascivit! et quod libere dicendum est, post navigantis felicitatem quibusdam vinculis et nexibus ferreis solo Deo teste membra sua ita damnaverat, ut vix humana caro hoc tolerare potuerit. Cilicium ei semper asperrimum interius adhærebat; desuper vero mediocri et communi veste indutus apparebat.

35 Multiplices etiam et diversos labores sustinuit, pro pace Ecclesiarum, pro statu locorum suorum, pro utilitate proximorum, et propriis periculis quæsivit tranquillitatem universorum. Scis etiam et tu misericors et miserator hominum Jesu Christe ad comprobandam ejus patientiam quam gravissimos dolores et acerbos cruciatus, ex multo tempore, dederis sibi in occulto: et tamen in his omnibus invictum tenuit animum, tamquam bona terra fructum reddens in patientia, dicens se majora mereri quam patiebatur supplicia. Animarum redemptor Domine, qui ad hoc percutis ut sanes, ad hoc mortificas ut vivifices, secundum multitudinem illius præteritorum dolorum succedant sibi consolationes tuarum sanitatum et lætitia cælestium gaudiorum.

Patientia in morbis.

CAPUT X.

Temperantia et moderatio.

Temperantia et moderatio in omnibus.

Temperantia quæ ultima in catalogo propositarum virtutum est, in sui diffinitione modum et ordinem servat, eorum quæ dicenda sunt, vel agenda. In quo virtutis officio tantum valuit, ut in omnibus actionibus et imperiis modum teneret, ordinem servaret, et discretus mirabiliter existeret. Jejunia in aurigæ modum secundum Beatum Hieronymum, pro lassitudine et viribus corporis moderabatur; et sic apposita quæque libabat, ut et superstitionem fugeret, et continentiam reservaret. Cultus ipse nec munditiis, nec sordibus notabilis erat. Gravitatem morum hilaritate frontis temperabat. In corrigendis vitiis pro modo et tempore severus, in remittendis gratiosus, et in utroque æqua lance liberatus.

37 Eæ vero, quas proposuimus, in eo relucebant virtutes, et in has concurrebant ceteræ omnes. Tota enim cerneres in illo exempla virtutum: ita in singulis eminebat, quasi ceteras non haberet: ita omnes retinebat, ut nulla deesset: ita etiam affabilem se et benevolum subjectis exhibebat, ut magis vellet diligi, quam timeri; magis prodesse, quam præesse. Quis unquam de hoc viro quod displiceret audivit? Quis audivit ut crederet? Quis credidit ut non magis seipsum malignitatis et infamiæ denotaret? Ipse enim personæ sibi auctoritatem dabat, qui in omnibus suis actionibus conformis et compositus coram Deo et hominibus apparebat.

Affabilitas.

CAPUT XI.

PER LOTSALDUM.

Magnificentia in ædificiis et ornatu ecclesiarum.

In ornatu Ecclesiarum, et monasteriorum magnificus fuit.

Et præter hæc interiora, fuerunt in eo extrinsecus gloriosa studia in ædificiis locorum sanctorum construendis, renovandis, et ornamentis undecumque adquirendis. Demonstrat hoc Cluniacus suus principalis locus, in cunctis suis ædificiis interius et exterius, præter parietes ecclesiæ, ab ipso studiose renovatus, et ornamentis multipliciter adornatus. Ubi etiam in novissimis suis claustrum construxit columnis marmoreis ex ultimis partibus illius provinciæ, ac per rapidissimos * Durentiæ, Rhodanique cursus non sine magno labore advectis mirabiliter decoratum. De quo solitus erat gloriari, ut jocundi erat habitus, invenisse se ligneum, et relinquere marmoreum, ad exemplum Octaviani Cæsaris, quem describunt historiæ Romam invenisse latericiam, et reliquisse marmoream. Incepit etiam ciborium super altare Sancti Petri, cujus columnas vestivit argento, cum * jugello pulchro opere decoratas.

* *al.* Durantiæ, *potius* Druentiæ.

* *al.* nigello.

Varia cœnobia ab eo vel exstructa, vel restaurata.

39 Jam vero de omnibus monasteriis suis. Quid Paterniacus ob Dei genitricis amorem sibi delectabilis locus? Romanum monasterium a fundo constructum? Locus S. Victoris Genevensis, præter suam antiquam et nobilem ecclesiam? Ex toto etiam suo tempore constructus Carus locus? Amberta valde celebris ecclesia, Rivus ex toto, * Celsinanias, Silviniacus, translata Firmitas, Monasterium Sancti Saturnini, apud Papiam Sancti Majoli nobilissimus locus. Et præter hæc diversarum Ecclesiarum multiplex numerus. Hæc omnia illius industria suo tempore, in ædificiis, in possessionibus et ornamentis amplissime dilatata creverunt. Construxit etiam in ultimis vitæ suæ in prædiolo genitorum suorum quoddam monasterium, Volta a revolutione aquæ circumcurrentis nuncupatum, studioso opere decoratum: quod dē reditibus suorum * amicorum et parentum, prout potuit, ad serviendum Deo hereditavit, et competentibus libris et ornamentis decenter adornavit.

* Celsinias.

* *al.* antiquorum avorum.

40 Si inimici subsannaverint, vel amici reprehenderint me hæc superflua posuisse, noverint profecto hæc omnia ad virtutes animi ejus spectare, et pro talibus patrocinia Sanctorum feliciter promeruisse, atque coronam beatæ retributionis jam a Domino percepisse.

CAPUT XII.

Miracula.

Miracula non sunt semper signa sanctitatis.

Signorum vero inquisitoribus, et meritum cujusque in miraculi novitate metientibus id dicendum est, quia divinæ dilectionis prærogativa ponitur non in occasione signorum, sed in perfectione virtutum. Neque enim miracula vel signa nos Deo commendant, sed virtutes operum perfectos esse demonstrant. Cum et Judas simul cum Apostolis signa fecerit, et reprobi in die judicii foris a regno exclusi dicant: Domine nonne in nomine tuo prophetavimus, et in nomine tuo multa signa fecimus? Et ipse Dominus in Evangelio sanctis Apostolis a prædicatione redeuntibus dicat? Nolite in hoc gaudere, quia dæmonia vobis subjecta sunt, sed in hoc gaudere, quia nomina vestra scripta sunt in cælis.

Matth. 7. 22.

Luc. 10. 20.

In vita et post mortem miracula facit.

42 Cum ergo hæc ita sint, vanum est pro magno ducere quod constat reprobos aliquando cum electis habere. Tamen ne noster Odilo ab hac etiam gratia excludatur, dicenda sunt pauca de multis, quæ Dominus noster ad laudem et gloriam suam, et ad illius meritum hominibus commendandum, ante mortem et post mortem dignatus sit demonstrare.

CAPUT

PER LOTSALDUM.

CAPUT XIII.

Amor erga Virginem matrem.

Ope Deiparæ, sanatur, adhuc puer.

In exordio vero virtutum ejus dicendum est quid illi contigerit, cum adhuc puer esset. Quod ne cui videatur incredibile, ab ipsis agnovi, quibus ipse solitus erat narrare. Dum adhuc puerulus in domo patris nutriretur, antequam etiam scholis daretur, contigit ut membrorum omnium pene virtute privaretur, incedendique vel per se movendi ei possibilitas negaretur. Accidit vero quadam die familiam patris ejus de loco ad locum mutari, et infantem sub custodia nutricis servulorum ministerio bajulari. Cumque in medio itinere ad quamdam ecclesiam in honore Dei genitricis consecratam divertissent, deposuerunt puerulum cum sarcinulis, ante ostium ejusdem ecclesiæ. Erant autem domus adjacentes ejusdem ecclesiæ, in quibus necesse erat in illis quædam victualia quærere, dum vero diutius in his implicarentur, videns se puer solum relictum, inspiratione divina attractus, incepit tentare si quo modo ad ostium posset accedere, et ecclesiam Dei genitricis intrare. Itaque virtute qua poterat, manibus et pedibus reptando, ostium attigit: ecclesiam intravit: ad altare usque pervenit: pallam altaris manibus arripuit: deinde summo conamine brachiis in altum protensis, surgere conabatur, sed nodis diu male ligatis retinebatur. Vicit tamen divina virtus, sed integrans pueri languidos artus. Atque mirabili modo, Dei genitricis interventu, surgit, et stat super pedes sanus et in circuitu altaris hac illacque discurrit. Clientes vero postmodum ad sarcinas redeuntes, et puerum non invenientes mirati valde, cœperunt illum ubique locorum requirere: et non inventonimis inter se conturbati, tandem casu ecclesiam introeunt, vagantem et discurrentem per ecclesiam conspiciunt, divinæ virtutis potentiam recognoscunt, puerum lætabundi in ulnis suscipiunt, quo tendebant perveniunt, atque parentibus incolumem et sanum cum magna lætitia reddunt. Ostendebat jam Dominus in puero, quam gratus et acceptus sibi deberet esse in futuro, quem necdum pene loquentem, vel aliqua discernentem misericorditer liberavit a tantæ contractionis vinculo. Erat etiam præsagium Dei Genitricis ecclesia, quam ipse dum ad liberam scientiam ætatemque pervenit, omnibus votis dilexit, coluit, atque pro viribus in omni vita sua glorificavit.

Ejus erga B. Virginem amor.

Ei se servum consecrat.

44 Referunt, etiam, quod jam adultus ætate, in ecclesiam simili modo in honore Dei Genitricis consecratam intraverit, et nullo alio, nisi Deo teste semetipsum collo mancipatum, eidem altari tradiderit, dicens: O piissima Virgo et mater Salvatoris omnium sæculorum, ab hodierna die, et deinceps me in tuo servitio habeto, atque in omnibus meis causis misericordissima advocatrix mihi semper adesto. Post Deum enim a modo nihil tibi præpono: et ultroneus in æternum meipsum tamquam proprium servum tuo mancipatui trado. Hæc de pueritia ejus dicta sufficiant.

CAPUT XIV.

Alia ejus miracula.

Unde miracula S. Odilonis Auctor habeat.

Nunc veniendum est ad illa quæ jam in perfectiori ætate positus, et regimine Abbatiæ decoratus, Domino cooperante fecerit. Verum plurima, quæ in prima fronte dicturus sum, ipse non vidi, sed duobus monachis ejus, Petro videlicet monasterii Sancti Majoli, quod apud Papiam est, Præposito, viro scilicet religioso, et Syrone cujusdam monasterii Abbate, per adnotationem fratris Bosionis, miræ simplicitatis et innocentiæ monachi, sicut rogaveram, dum hoc opus inciperem, referentibus agnovi. Fuerunt enim prædicti fratres probabiles viri, Patris Odilonis admodum familiarissimi, secretorum etiam illius in pluribus conscii, et itineris vel laboris per multa tempora socii; quapropter ea quæ ab illis referuntur tanto credibilia sunt, quanto illos certissime constat narrare illa, quæ oculis viderunt, auribus audierunt, manibus tractaverunt, atque ut certo tempore nobis et multis nota fierent prudenti memoriæ commendaverunt. Ideo vero hanc nostram relationem probabilium virorum testimoniis cingimus, ne ab æmulis gratia cujusdam falsæ adulationis hæc finxisse judicemur. Sicut enim Gallus in Sulpitii Severi et Posthumiani dialogo refert de Martino: Non indiget ut mendaciis asseratur Odilo, quem Christus jam, ut pia fide credimus, glorificavit cælo, atque diversis virtutum signis celebriter commendat in mundo. Absit enim a me, nisi visa et experta, et a fidelibus personis, sive idoneis testibus relata, de tanto viro aliquid mendaciter fingere vel narrare. **** *multa desunt.*

Transitio ad narrationem mortis S. Odilonis.

46 Quid jam agimus anima? cur tam prolixas circumlocutionis moras innectimus? sic differre volumus mortem, et vitam facere longiorem, quasi timeamus venire ad ultimum. Manet adhuc illa sententia primo homini data: Terra es et in terram ibis. Quotquot post hanc venerunt, omnes præterierunt, et mortis legem persolverunt. Mortui sunt Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli, Reges, Imperatores, Principes, majores et minores, et quotquot habuerunt initium nascendi, habent et conditionem moriendi. Excepti sunt Elias et Enoch, et ipsi in suo ordine temporibus Antichristi morituri. Moritur et Filius Dei. Aliter ipse, nos aliter: Ille potestate, nos conditione: ille voluntate, nos necessitate: quamvis et ipse necessitate, quia pro liberatione, nisi enim ille moreretur**** *aliqua desunt....*

Gen. 3. 19.

CAPUT XV.

S. Odilonis ultima peregrinatio, ægritudo, obitus.

Ægrotat S. Odilo.

Visit limina Apostolorum.

In extremis itaque vitæ suæ felicis memoriæ Odilo per quinquennium novis iterum et gravissimis cruciatibus cœpit vehementer affligi. Qui cum jam mortem vicinam sentiret, sanctorum Apostolorum limina adiit, eo voto, ea spe, ut sibi sub protectione tantorum Apostolorum debitum mortis exolveret, sicut semper in votis habuerat. Sed quia non est in hominis potestate via ejus, aliter se res habuit, quam speravit.

Romæ ægrotat.

Visit cum Clemens II Papa.

48 Mansit itaque ibi per quatuor menses, gravissima corporis detentus infirmitate. Aderat sibi dulcis memoriæ Clementis Papæ, de quo supra memoravimus, desiderabilis conlocutio, et Apostolicæ reverentiæ benedictio. Frequens etiam monachorum et Clericorum grata visitatio; inter quos sæpius eum revisebat Dominus Laurentius Archiepiscopus de Malsia, vir per omnia sanctissimus, in scripturis utriusque linguæ, Græcæ videlicet et Latinæ facundissimus, istiusque nostri Patris familiarissimus, quorum uterque animus conglutinabatur individui amoris spiritu.

Cluniacum redit.

49 Postquam vero contra spem convaluit fultus sanctorum Apostolorum suffragiis, et munitus benedictionibus Apostolicis ad propria rediit. Cluniacum venit, et ibi per totum fere annum, semetipsum, in quantum infirmitas concessit, vehementer jejuniis et orationibus et vigiliis afflixit: Fratres ibi manentes et supervenientes piis exhortationibus instruxit, et velocem sui corporis depositionem imminere prædixit. Decreverat post hæc ut monasteria sua et cellas circuiret, fratres visitaret, paternis admonitionibus instruendo, ad meliora provocaret: et sic demum quocumque secederet, ibi sollicitus suam vocationem expectaret.

Visitat monasteria sua.

50 Hoc opere incepto Silviniacum venitur, ubi prædecessor suus S. Majolus moritur, et sepultus requiescit. Ibi itaque non paucis diebus commoratus, cum instaret

instaret jam Adventus Dominicæ Nativitatis, et ipse tamquam vox præcurrens, de die in diem populo gaudia tantæ festivitatis in sermone publice denuntiaret, subito illi sui diuturni cruciatus et antiquissimi dolores, simul ad vitalia congregantur, et de ejus vita (heu pro dolor!) desperatur. Ut est Ecclesiasticæ consuetudinis, Fratres cum psalmis ante eum veniunt: secundum Apostolicam sententiam, Oratio fidei super eum celebratur: mysterium vivifici corporis et sanguinis sumitur : pax fratribus præbetur: et ad ultimum illa salutifera Crux nostræ redemptionis, et imago Crucifixi Domini nostri ad adorandum præsentatur.

Silviniaci ægrotat.

Munitur sacramentis.

Sacram crucem piissime veneratur.

31 O Domine Jesu, in illa hora quæ suspiria, qui gemitus fuerunt! quæ confessio et recordatio delictorum! quæ glorificatio tuæ Majestatis! quæ invocatio tui nominis! et quæ memoria tuæ Passionis, et nostræ redemptionis! Ita enim suspensis oculis, et lacrymarum imbribus plenis contemplabatur, et compatiebatur tui vultus imaginem, quasi iterum te videret crucifigi et mori. Adstabat enim totus suspensus cum Maria Matre, pertransibatque animam illius acerrimæ compunctionis gladius. Advenerat Sancti Silvestri Pontificis festivitas, et vigilia expectatæ circumcisionis, cum subito ante lucem magis ac magis urgeri cœpit ad extrema mortis. Mysterium corporis et sanguinis Domini cum festinatione requirit, fideliter agnoscit, devotus sumit. Et ita sine ulla concussione corporis, et sine aliqua habitudine incompositæ affectionis clausis oculis, in pace quievit. Decessit vero vir sanctus nocte Circumcisionis Domini nostri Jesu Christi, in prima vigilia noctis, quæ etiam Dominica habebatur, ætatis suæ anno octogesimo septimo, ordinationis vero quinquagesimo sexto. Anno etiam Dominicæ Incarnationis millesimo quadragesimo nono.

Moritur

ALIA VITA
S. ODILONIS
AUCTORE B. PETRO DAMIANO S. R. E. CARDINALE.

PROLOGUS AUCTORIS.

Petrus Damianus sanctis Ecclesiis, quæ sunt in occidentalibus Galliarum partibus constitutæ, salutem, quæ est in Christo Jesu.

S. Hugonis Abb. Cluniac. rogatu scripta hæc vita.

Hugo Cluniacensis monasterii rector, et spiritualis militiæ dux ac præcipuus informator, hoc mihi laboris injunxit, ut vitam Beati Odilonis, decessoris videlicet sui, proprio stylo succincte perstringerem, et ex his, quæ in anterioribus paginis latius reperiebantur esse diffusa, utiliora quæque, magisque necessaria brevi compendio deflorarem. Cujus ego compulsus imperio, non luculenti venustatem aucupabor eloquii; sed sicut ex oblatis apicibus deprehendere potero, cum Dei omnipotentis auxilio, meræ veritati deservire tentabo. Superfluum quippe est, lucernam manibus adhibere, dum micantium stellarum conaris signa distinguere. Ego quoque dum actus mirabilis viri, tamquam sereni cujusdam atque perlucidi cæli stellas ostendo, facetiis urbanæ facundiæ non indigeo. Ipsa quippe per se Sanctorum vita fideliter enarrata, sic rutilat, ut splendorem accurati sermonis, ad illustranda fidelium corda non requirat. Huc accedit, quia rusticitas sermonis inculti, suspicionem consuevit purgare mendacii. Nam qui vix sufficit, ut elimatum saltem depromat eloquium, quomodo noverit fabricare commentum? Et certe majoris tibi honoris est, ut Rex in ferro, quam servus attituleris in auro : et habilior est aqua perspicua in vase fictili, quam lutulenta vel lurida, quam non sapor proprius, sed exteriora commendant ornamenta gemmarum. Sic et melior est veritas in simplicibus verbis, quam sit mendacium in elucubrati venustate sermonis. Sed jam res ipsa producatur in medium, et illius summæ veritatis auxilium imploremus, quæ abbreviatum verbum per Prophetam factura promittitur : quatenus in hujus scriptionis articulo et competenti brevitate succinctos, et a nota mendacii nos exhibeat alienos.

Excusatio styli.

Per B. Pet. Damianum.

CAPUT I.

Odilo D. Virginis ope morbo liberatus, fit Clericus, inde monachus, ac tandem Abbas.

Beatus igitur Odilo Arverniæ oriundus ex equestri quidem ordine genus duxit, sed terrenæ prosapiæ lineam cælestis vitæ nobilitate transcendit. Hic dum adhuc puerili teneretur infantia, tanto repente est omnium fere membrorum languore constrictus, ut incedendi quoque prorsus amitteret facultatem. Accidit autem aliquando, ut nutrix eum ante januam cujusdam Basilicæ, quæ in honore beatæ Dei genitricis erat dedicata, relinqueret, et ipsa suis intenta compendiis, per diversa procul abiret. Puer itaque se conspiciens sine custode relictum, ac nutriciæ sedulitatis ministerio destitutum, divino quodam provocatus instinctu, tentare cæpit, si valvas ecclesiæ quolibet nisu posset attingere. Fluctuabat igitur innocens reus Dei, et sub divino verbere constitutus, quid ageret, nesciebat. Innocens, inquam, ut puta qui non peccaverat; reus autem Dei, quia cælesti verbere vapulabat. Tandem repens, et quasi quodam se manuum pedumque remigio fulciens, vix pervenit ad januam, paulatimque progressus intravit. Jamque spe concepta valentior, pallam altaris arripuit, et sic se erigere quibus poterat conatibus cœpit. Sed dum intempestive conatur, nec dum soluti languoris adhuc nodositate restringitur. Quid plura? Tandem divinæ virtutis auxilium sensit : et omni langüore deposito factus incolumis, ad referendum Deo gratias intuentium animos provocavit. Et quia tunc alius deerat, qui pro se intercederet, Sanctus ipse (ut ita loquar) in se signum virtutis exhibuit : ipse pro se intervenit : et de se ipso miraculum faciens, medicinam divinæ curationis obtinuit. Hoc est enim egregium et insigne miraculum, cum homo non per alium, sed ipse sibi consciscit divinæ virtutis auxilium.

S. Odilonis natales.

Ope D. Virginis curatur, adhuc puer.

3 Qui præterea dum ad grandiusculæ jam ætatis adolesceret incrementum, prius apud sanctum Martyrem Julianum factus est clericus : deinde B. Majoli confessoris egregii se magisterio tradidit, et in Cluniacensi monasterio habitum sanctæ religionis accepit. Ubi dum quietus et simplex humiliter in sancta religione persisteret, et in ipso rudis ac novitiæ conversationis exordio, quædam jam in eo perfectionis insignia prælucerent, vix evolutis quatuor annis, B. Majolus obdormivit in Domino. Sed antequam humanitatis debitum solveret, proximus tamen beatæ dormitionis articulus immineret, B. Odilonem sibimet in pastoralis officii cura substituit, suumque super Dominici gregis custodiam vicarium dereliquit. In quem protinus omnium Fratrum vota concurrunt : omnes se ad obedientiam ei unanimi devotione substernunt : quique se eatenus orbatos remanere defleverant, jam decessionis paternæ jacturam, supparis vicarii reformatione compensant.

Fit clericus : inde monachus.

Mox Abbas.

CAPUT II.

Quotidie celebrat : mire in pauperes liberalis.

Jam vero in commissi regiminis sollicitudine constitutus, plurimis sanctæ religionis cœpit florere virtutibus. Nimirum ut Psalmodiæ studiis vigilanter insisteret, dura corpus inedia maceraret, atque a sacris altaribus non recedens, quotidianum fere omnipotenti Deo sacrificium laudis offerret. Inter quas profecto piæ devotionis excubias, uberrimis plerumque lacrymarum compunctionibus affluebat.

Ejus virtutes.

5 Porro autem Adraldus Abbas Bremetensis monasterii,

Quotidie celebrat.

Per B. Pet. Damianum.

nasterii, vir videlicet religiosus, ac sanctæ conversationis honestate conspicuus, qui discipulus ejus extiterat, nobis aliquando retulit, quia vir Dei dum in eo, quo postmodum defunctus est, languore decumberet, illi præcepit, ut ex calcularis abaci supputatione colligeret, quæ posset esse summa Missarum quas celebravit per spatium quinquaginta sex annorum, quibus monasterium rexit. In quo facto liquido deprehenditur, quam diuturna, quam indeficiens divini amoris flamma beati viri pectus excoxit, quem nimirum ab offerendis quotidie salutaribus hostiis cohibere tot curarum, tot ingruentium negotiorum sollicitudo non potuit.

Liberalis in pauperes.

6 In erogandis præterea eleemosynis ita largus erat, ut nonnulli dum eum omnia dispergentem sine cunctatione conspicerent, non dispensatorem, sed prodigum judicarent. Præsertim quodam tempore, dum fames valida Aquitaniæ fines vehementer affligeret, ac plurimas Galliarum provincias pestilenter arctaret, exhaustis jam in pauperum usus ærariis, et horreis quorumcumque proventuum non mediocriter profligatis, mox etiam plurima sacrarii vasa confregit, insignia ecclesiæ ornamenta distraxit, coronæ quoque, quam sibi Imperator Henricus ob sui memoriam destinaverat, non pepercit. Ut igitur tam acerbæ famis in quibus valuit temperaret inopiam; quidquid hinc inde corradere potuit facultatum, in sustentationes et alimenta contradidit egenorum.

Famis tempore sacra donaria distrahit.

Mortuos sepelit.

7 Quodam sane die dum per publicum pius equitator incedit, duos in itinere pueros fame peremptos reperit. Mox equo desiliens, laneam, qua indutus erat ad carnem, sub duxit sibi interulam; eaque prout velaminis quantitas permittebat, utrumque cadaver obvolvens, exhibet mortuis sepulturam. Nam et vespillones mercede conduxit, et funereis usque ad tumulum prosecutus exequiis, defunctis fratribus debitum humanæ pietatis exolvit.

CAPUT III.

In se austerus, in alios benignus, in D. Virginem pius.

In se austerus.

In eadem quoque gestorum ejus reperitur historia, quia corpus suum non modo duris consueverat attenuare jejuniis, asperrimis edomare ciliciis, sed quibusdam ferreis nexibus coarctabat. In percipiendis autem ita se moderabatur eduliis, ut apposita quæque contingens, ac naturali dumtaxat necessitati dispensative subserviens, et vanitatem superstitionis effugeret, et sobrietatis continentiam reservaret.

Benignus in alios.

9 In promulgandis porro judiciis ac modis pœnitentiæ præfigendis, tam pius erat, et tanta mœrentibus humanitate compatiens, ut nequaquam districtum patris imperium, sed maternum potius exhiberet affectum. Unde se reprehendentibus, hujusmodi verbis solebat eleganter alludere : Etiamsi damnandus sim, inquit, malo tamen de misericordia, quam ex duritia vel crudelitate damnari.

Erga B. Virginem singulariter pius.

10 Inter ceteros autem Sanctos circa beatam Dei genetricem tam ardentissima devotione flagrabat, ut constitutus in choro psallentium, cum ad illum veniretur ex modulantium alternatione versiculum : Tu ad liberandum suscepturus hominem, non horruisti Virginis uterum, in terram se prosterneret, sicque per corpus ostenderet, quibus desiderii cælestis in mente facibus æstuaret.

CAPUT IV.

Cæco visum restituit.

Miraculis claret.

Vir igitur sanctus cum in bonis moribus per quotidiana piæ conversationis incrementa succresceret, seseque quotidie melior ad perfectionis culmen ferventius anhelaret; cœpit nonnullis coruscare miraculis : ut qui clarus erat in probitate morum, clarescerret etiam in ostensione signorum : et qui in obtutibus omnipotentis Dei erat lucerna ardens, fieret etiam coram hominibus lucens. Unde divino disponente judicio factum est, ut quia de illis erat, quibus dictum est : *Vos estis lux mundi*, primum de luce miraculum exhiberet. Aliquando siquidem dum esset in quadam sui juris villa, quæ Bersoniacum dicitur, videt puerum venustum quidem forma, sed cæcum a nativitate. Super quo consulens, didicit, quia filius esset villici, et quia visum penitus numquam habuisset. Cui mox pia benignitate compatiens, et apud se tacitis precibus latenter insistens, ut puta qui talia nondum expertus, advocat tandem parvulum, signum illi salutiferæ crucis in fronte depingit : et confestim visum, quem natura negaverat, puer accepit.

Cæcum illuminat.

Matth. 5.

CAPUT V.

Aquam ei Deus in vinum mutat.

Alio quoque tempore dum esset vir Dei apud suum quoddam monasterium, quod Vallis Aurea vocatur, quarta videlicet feria primæ quadragesimalis hebdomadæ, quæ caput jejunii dicitur, surgentibus a mensa fratribus, ille pugillum cineris latenter implevit, et apposito pane discubuit. Cumque cinerem tamquam panem manducaret, ut potum quoque, juxta Prophetam, cum fletu temperaret, innuit fratri, ut clam sibi aquam nullo teste deferret. Ille quod erat jussus, implevit; aquam attulit. Quæ dum labiis adhibetur, austeritatem vini redolere sentitur. Reprimit ergo manum, abigit poculum, atque ut sibi aquam minister afferat, signis evidentibus imperat. Ad quod minister obstupuit; et vinum se a mensa referre, qui aquam propinaverat, admiratus expavit. Geminat tamen officium : vinum projicit : convasat aquam : denuo porrigit discumbenti. Sed ecce dum aqua potanda repetitur, vinum rursus in poculo reperitur. Jam itaque vir sanctus divinæ erga se pietatis beneficium recognoscens, quod Deum sibi misericorditer indulgere considerat, cum gratiarum actione percipere non recusat.

Aqua bis ei in vinum mutatur.

CAPUT VI.

Res ejus furati divinitus multantur.

Præterea, cum vir Dei cum Henrico Rege, qui postmodum factus est Imperator, in Ticinensi simul urbe consisteret, et Dominicæ nativitatis gloriam celebraret, contigit ut velamen mensæ ejus, artificiosa textrini laboris operatione conspicuum, sacrilega fuisset fraude sublatum. Postquam autem vir Dei cum Rege discessit, fur qui rapuerat, jam securus, proposuit velamen in foro venalium. Sed dum illi dispositio cælestis obsistit, sancta distrahi præda non potuit. Ter igitur quod subduxerat, inter nundinarum merces exposuit, tertio subtiliter attentavit; sed cum emptoribus de pretio penitus convenire non potuit, nec inter distrahentem et coementem pacisci valuit venale commercium : quia divina dispositio conatibus hominum negavit effectum. Interea sceleris hujus auctorem ultio divina corripuit, et manus, quæ sacrilegium perpetraverant, ac pedes, quibus raptor aufugerat, arefaciens, intolerabili dolore constrinxit. Mox itaque compulsus languore, ad ecclesiam Beati Majoli manibus alienis advehitur, mantile sublatum ad reatus indicium coram cunctis appenditur; et divina clementia ab omni populo, qui percitus hujus famæ rumore confluxerat, imploratur. Sic itaque Beati Majoli meritis, ac precibus fratrum sibi servientium, sanus et incolumis factus, velamen reddidit alienum, et recepit semetipsum. Probavit ergo quo præmio dignus esset, qui Beatum offenderet Odilonem.

Ei mappam furatus a Deo punitur.

14 Alius

Alius equum ei ablatum vendere non valens, restituit.

14 Alius quoque fur, cum vir Dei in eadem urbe consisteret, stabulum ejus nocturnus irrupit, et equum cui specialiter ipse insidere consueverat, caute subduxit. Sed quia illis in partibus deprehendi fur sacrilegus timuit, concitus ad oppidum Laudense profugit. Securus itaque recognoscentium, proponit equum, emptores invitat, vehiculum laudat, commercium flagitat. Sed sic hominem divina dispositio præpedivit, ut nec cum quolibet emptore componere, nec animal potuisset pecunia permutare. Postremo autem reversus ad se, et pœnitentia ductus, bestiam ad locum sui criminis conscium revocat, et quid sibi contigerit, ad sui confusionem, et omnipotentis Dei gloriam, non occultat.

CAPUT VII.

Flumina miro modo transmittit : luce cœlesti collustratur.

Exundantem fluvium eques transit illæsus.

Vir idem venerabilis dum esset in itinere constitutus, quia causa dictabat, Ticinum festinanter ac sine mora transire cupiebat; sed intumescentibus aquis, etiam navigium deerat. Protinus ergo confisus in Deum, unum e famulis vocat, seque in nomine Christi præcedere per alveum fluminis imperat. Obedit illico famulus : Spumantes profluentium undarum cumulos ingredi non moratur. Deinde vir sanctus cum omni commeantium turba subsequitur : Et sic omnes in ulteriorem alvei crepidinem absque ullo prorsus incommoditatis offendiculo transponuntur. Quod dum nonnulli, qui aderant, mirarentur, velut æmuli præcedentium, cœperunt attentare meatum. Sed mox ut adorsi sunt extremos citerioris ripæ fluctus attingere, nisi equos sub celeritate repressissent, profluentis aquæ submersi voragine, procul dubio naufragium pertulissent.

Hospitium ejus cœlitus illustratur.

16 Unus autem ex his, qui tunc aderant, ut tam insigne miraculum vidit, obstupuit, hominemque Dei, ut suæ domus subire dignaretur hospitium, fusis humiliter precibus, impetravit. Intempestæ vero noctis silentio vis venti vehementior irruit, et lucernam, quæ in dormientium cubiculo dependebat, extinxit. Expergefactus autem cubicularius, cum lumen agnovisset extinctum, ad abigendam noctis tenebrosæ caliginem, divini luminis infulgere postulat claritatem : Deus, inquit, omnipotens, qui lumen es verum, pro amore servi tui Odilonis, ab hac domo tenebras dimove, eamque gratiæ tuæ luce perfunde. Confestim de cælo coruscæ lucis splendor emicuit, et totam domum superni splendoris claritas illustravit. Si ergo hoc agebat Odilo tunc sopore depressus, quid putas nunc apud Deum potest, carnalis sarcinæ corruptione solutus.

Aliud flumen mirabiliter transit.

17 Paullo ante Nativitatem Domini, per hyemalium inclementiam imbrium sanctus senex ad Beati Marcelli Martyris monasterium festinabat. Venerunt autem ad quoddam flumen, quod ita fluctibus exundantibus inhorruerat, ut prorsus intransmeabile videretur. Confisus autem in Domino, dirigit prævium, qui vada prætentet ; et ipse mox cum comitibus subsequens, pertransivit illæsus. Sed in hoc vadantium transitu illud mirabile fuit, quia cum ceteris aqua pertingeret usque ad femora, viro Dei nec corrigia quidem pedis aquarum est inundatione perfusa. In illo scilicet solo madoris sui perdidit unda vires ; in reliquis autem naturalem ingeniti juris exhibuit facultatem. Istum aqua tangere potuit, humidare non novit : illos autem, quod natura dictaverat, undique madefecit.

CAPUT VIII.

Per B. Pet. Damianum.

Annona ejus meritis multiplicatur.

Præterea, dum vir Domini apud monasterium Beati Martini, quod Ad publicam stratam dicitur, receptus esset hospitio, sicut moris erat, ut ubicumque maneret, quocumque se verteret, monachorum illico frequentia non deesset; non parvus ei cœtus fratrum affluxit. Quos ille cum alacritate suscipiens, et prius eis ineffabilis eloquii familiaritate communicat ; et postmodum, ut sibi pro caritate convescantur, invitat. Sed dum in longum sermo protrahitur, semotim quosdam ex familia servos accipit : Utrum sit, unde refici fratres valeant invitati, solerter inquirit. Qui de ceteris quidem alimentis constare utique perhibent quantitatem; de piscibus autem pene nihil esse, quod ad tantam hominum perveniat multitudinem. Ad quos ille : In nomine, inquit, illius, qui novit quinque millia hominum ex pane modico et gemino pisce reficere, non quasi nihil, ut dicitis, sed uberrimam nobis et hospitibus nostris piscium copiam ministrate. Cum igitur mensæ discumbentium pauci, qui aderant, pisces a dapiferis inferuntur, cœpit esca in manibus discumbentium crescere, et quo magis a convescentium turba consumitur, exuberantius abundare. Adeo ut satiatis omnibus, plurima superessent quæ non modo servitoribus cunctis, sed et aliis, si supervenirent, oblata sufficerent. Cui protinus famuli : Ecce pater, inquiunt, quod pusillanimitas nostra non credidit, vestræ fidei meritum divinitus impetravit : Jam non dubitare didicimus, si promissionem vestram in articulo cujuslibet difficultatis audimus. At ille, ut semper erat mitis et humilis, non suæ fidei, quod divinitus factum erat, asscripsit, sed illorum potius obedientiæ, et sanctorum hospitum meritis imputavit.

Pisces ejus meritis multiplicantur.

19 Huic etiam illud non dissimile est, quia, cum Dei famulus in Romana urbe consisteret, et hospitium in monte Aventino apud monasterium Beatæ Dei genitricis haberet, contigit ut, sicut illius Urbis familiare est, omnino tale vinum deesset, quod sancto viro saporis habilitate congrueret. Inquirit ergo Abbatem, utrum melius habeat. Qui se confestim et profitetur habere, et quantum ipse præceperit, libenter afferre. Vir autem Domini modicum, quod ante se erat vasculum dedit, ut sibi plenum deferretur, expetiit. Allatum ergo ante se posuit, et ipse potissimum more pincernæ sibi dumtaxat et Abbati, qui juxta se discumbebat, expendit. Cumque jam a mensa surgendum refectio completa dictaret et paullulum adhuc vini in vasculo superesset, Pater sanctus blande subridens : Non, inquit, fratres mei, plene circa vos officium caritatis exhibui, qui vinum, quod mihi sapuit, vobiscum participare neglexi. Arripiens ergo cyathum, infudit merum, et singulis singulum pro benedictione largitur. Res mira : Cum fratres essent fere duodecim, et eis bibentibus potus copia non defecit, et eorum completo numero, nil omnino superfuit. Illis itaque quod factum fuerat admirantibus, vir veræ humilitatis custos, ut in alium divinæ gratiæ munus impelleret, et ipse favoris humani gloriam declinaret, caritati dumtaxat illius, qui vinum dedit, miraculum supernæ benedictionis applicuit.

Modicum vini multis sufficit.

CAPUT IX.

Febres pellit, vinum divinitus obtinet, vitrum confractum precibus restaurat.

Dehinc dum egressus Roma reverteretur ad propria, quidam intra Taurinensem urbem nimium febris patiebatur ardorem. Hic furtive per ministros aquam, qua vir Domini manus abluebat, accepit :

Febres ejus meritis pulsæ.

19 Fideliter

Per B. Pet. Damianum.

Fideliter bibit, et sic absque mora, deposita prorsus omni febricatione, convaluit.

Jamque Jovini montis prærupta conscendens, obvios habuit pauperes, præ difficilis viæ lassitudine potum æstuanti desiderio flagitantes. Pius itaque Pater sui negligens, aliis in necessitate compatiens, jussit ut quidquid vini propriis haberetur in vasculis, absque ulla reservationis industria, vel potius diffidentia præberetur egenis. Paullo post necessitate naturæ cogente, discumbunt omnes, ut capiant cibum. *Utres vino repleti.* Et ecce utres, qui studio fuerant piæ compassionis exhausti, vino reperiuntur, Deo scilicet debitum persolvente, repleti. Nam juxta Scripturam, *Qui dat pauperi, Domino fœneratur.* Prov. 19. 17. In hoc ergo felici commercio, ubi Dominus debitor, famulus fuerat fœnerator, quod a servo fideliter est depositum, a bono debitore non segniter est solutum.

Vas vitreum confractum precibus restituit.

21 Aliquando Imperator Henricus dum apposita mensa discumberet, vas illi holovitreum valde pretiosum et Alexandrini operis arte compositum, cum tritis est pigmentis allatum. Mox advocat duos aulæ Regiæ Capellanos, Albericum videlicet et Landulphum : Quorum alter Cumanæ, alter vero Taurinensis Ecclesiæ postmodum Episcopi facti sunt. His itaque vasculum tradidit, et per eos beato viro Odiloni odoriferi nectaris xenium destinavit. Quod profecto vasculum Capellani sancto viro, prout decebat, humiliter offerunt, ac pro eo postmodum redituri, ad Regis interim convivium revertuntur. Paullo vero post sicut humanæ curiositatis mos est, ut nova quælibet et insueta inhianter adspiciat, cœperunt monachi præfatum vas sub admirationis intuitu contrectare et de manu in manum solerter inspiciendo transponere. Cum ecce de manibus incaute se tenentium labitur, et, ut fragilis est naturæ, continuo frangitur. Quod mox ut vir sanctus accidisse cognovit, graviter tulit, et præsertim clericis, qui reliquerant, paterna pietate condoluit : ne videlicet Augustum innocentes offenderent, et non modo jacturam gratiæ, sed et Regii motus periculum sustinerent. Mox ergo cum fratribus ecclesiam pius Pater ingreditur, et ne hi, qui erant immunes a culpa, motum Regiæ indignationis incurrant orationibus et psalmis incumbens, clementiam divinitatis implorat. Jam igitur oratione completa, vir Dei fractum sibi vas jubet offerri. Manibus contrectat, oculis undique subtiliter inspicit. Et ecce nulla prorsus in eo fracturæ vestigia deprehendit. Tunc indignatus in fratres, eos cum austeritate redarguit, curvas conquererentur confractum, quod omnino permanserat illibatum. Illi vero vehementer attoniti, tam evidentis ostensione miraculi, et austeritatem libenter corripientis accipiunt, et ad referendas omnipotenti Deo gratias ferventius accenduntur.

CAPUT X.

Commemoratio animarum ab eo instituta.

Instituit inter suos diem Commemorationis animarum.

Præterea religiosus quidam vir, oriundus de pago Rotenensi, revertebatur ab Hierosolymis : qui dum mare transiret, quod a Sicilia versus Thessalonicam per plurima fluctuum periculosa loca protenditur, eumque cum multis aliis furentium ventorum horror impelleret ; applicuerunt ad insulam quamdam sive rupem, ubi sanctus quidam servus Dei manebat inclusus. Rotenensis itaque vir illic aliquamdiu commorans, et tranquillitatem sedandi maris expectans, delectabatur cum servo Dei frequenter habere colloquium. Sed dum hinc nonnulla dicuntur, illinc plurima referuntur, perquisitus hospes a viro, unde genus duceret originaliter ; Aquitanum se esse respondit. Requisitus insuper utrum cœnobium illud, quod dicitur Cluniacum, et Odilonem ejusdem loci nosset Abbatem, quod quærebat, se nosse perhibuit. Sciscitatur homo, cur hoc Dei servus ab eo requirat. Ad quem ille : Sunt, inquit, vicina nobis loca ex quibus gravissima flammarum furentium evomuntur incendia, in quibus etiam locis animæ reproborum diversa luunt pro meritorum qualitate tormenta. Ad quorum semper exaggeranda supplicia innumerabiles sunt dæmones deputati, qui intolerabiles eorum pœnas quotidie renovant, et eos ad rediviva supplicia indesinenter instaurant. Quos tamen ego frequenter audivi querulis lamentationibus ejulantes et lacrymabili vociferatione deflentes, quod orationibus et eleemosynis quorumdam adversus eos infœderabiliter concertantium, frequenter ex eorum manibus eriperentur animæ damnatorum. Inter cetera de Cluniacensium cœtu permaximam et eorum Abbate querimoniam faciunt, quia quam sæpe per eos sui juris vernaculos perdunt. Quamobrem terribile Dei nomen obtestor, ut sanctis fratribus illic hæc, quæ tibi dixi, fideliter referas, et ex nostra quoque illis parte denunties, ut eleemosynis et orationibus magis ac magis insistant : ac præsertim hujus intuitu, vel de manibus dæmonum eos qui ab illis cruciantur, educant : Quatenus de quotidianis eorum rapinis et luctus inferatur generis humani inimico, et gaudium multiplicetur in cælo. Aliquanto post homo regressus in patriam, quidquid ex viri Dei relatione didicerat, beato Patri et sanctæ congregationi fideliter narrat. Tunc venerabilis Pater Odilo per omnia monasteria sua constituit generale * decretum, ut sicut primo die mensis Novembris, juxta universalis Ecclesiæ regulam, omnium Sanctorum solemnitas agitur ; ita sequenti die in psalmis et eleemosynis, et præcipue Missarum solemniis, omnium in Christo quiescentium memoria celebretur.

displicet ea dæmonibus.

* id decretum extat in bibliotheca Cluniacensi.

CAPUT XI.

Benedictus VIII per eum e purgatorio liberatur.

Benedictus VIII purgatorio torquetur.

Si quis autem non generalitate contentus, quis specialiter per Beatum Odilonem de pœnis ultricibus sit ereptus, inquirit, quid de reliquis sentiat, in Papa Benedicto evidenter addiscat; ut in Romanorum Pontifice, qui omnium Christianorum caput est, valeat liquido conjici, quid de ceteris merito debeat æstimari. Apostolicus igitur iste, quem diximus, dum adhuc viveret, beatum virum affectuose dilexit, reverenter excoluit, et Apostolorum limina frequentanti, necessarii sumptusopima sæpe subsidia ministravit. Huic plane mox, ut obiit, germanus ejus Joannes in Apostolica dignitate successit. Jam vero postquam humanis rebus exemptus est, non parvi temporis evoluto curriculo, jam dictus Papa Joanni Portuensi Episcopo, et aliis duobus, quorum nomina nobis nota non sunt, per speciem nocturnæ visionis apparuit, *Apparet duobus Episcopis.* eisque quia pœnalibus esset constitutus in tenebris, indicavit ; hoc insuper addens, qualiter Beati Odilonis venerabilibus meritis eum superna censura liberare decreverit a tormentis. Obsecrat itaque per eos et humiliter flagitat, ut frater ejus ad præfatum unicæ pietatis virum, agilem quantocyus veredarium dirigat, eumque suppliciter obsecrans pro se orare deposcat. Protinus idem Joannes Portuensis Episcopus, auctoritatis Apostolicæ fultus epistolis, concito gradu Papiam usque pervenit. Ubi longo et immoderate fortassis accelerato fractus itinere, per monachos cœnobii Beati Majoli, Apostolicæ legationis apochas dirigit, omnemque per eos sancto viro seriem a se conspectæ visionis exponit. Enimvero divino factum esse constat judicio, ut eum apud Cluniacense monasterium Apostolicæ legationis bajulus inveniret. Præcepit itaque venerabilis pater, pro illo psalmodias

Orat pro eo Odilo cum suis.

dias et orationes ab omnibus privatim ac publice fieri eleemosynas indigentibus erogari, sacrificium Deo mysterii salutaris offerri. Nec in illo dumtaxat loco id statuere contentus fuit, sed et per omnia sui regiminis monasteria ejusdem sanctionis edicta mandavit.

Cumque hoc fratres intentissima devotione satagerent, et ex ara sanctorum pectorum fraternæ caritatis flamma prosiliens, divinæ clementiæ sacrarium penetraret, jam præfixi temporis terminus propinquabat. Et ecce quidam sanctæ conversationis monachus, Heldebertus nomine, qui videlicet hoc obedientiæ fungebatur officio, ut inopes aleret, indigentibus subsidia ministraret; hic itaque per soporem vidit, quod quidam pulcher ac serenus adspectu, ac solemni quodam nitore conspicuus, claustrum monasterii magno candidatorum agmine constipatus ingrederetur. In capitulum deinde, ubi pater Odilo cum fratribus residebat, intravit, ad ejus genua caput humiliter flexit, eique, sicut in gestu corporis videbatur, gratias egit. Cumque frater ille, qui hoc in visione contemplabatur, inquireret, quisnam esset ille tam decorus ac fulgidus, qui sancto viro salutationis officium exhiberet : responsum est ei, quia ille esset Benedictus, summæ Sedis Episcopus, qui nimirum idcirco viro Dei gratias ageret, quia piis ejus, sanctorumque fratrum precibus, et tartarei cruciatus evasisset interitum, et cum beatis civibus quieturus, supernæ Jerusalem meruisset ingressum. In hoc valet liquido deprehendi, quæ de meritis Beati Odilonis opinio jure possit haberi; cum is nimirum, qui juxta privilegium Apostolicæ dignitatis claves Ecclesiæ præ cunctis mortalibus tenuit, qui ligandi atque solvendi vices præminenti quodam jure possedit, in illo jam invisibili examine constitutus, non aliter quam precibus istius vel a peccatis solvi, vel de pœnali potuit supplicio liberari.

Gratias agens S. Odiloni cernitur in somnis ab Heldeberto.

CAPUT XII.

Strumosum sanat. Supellex ejus e flumine non madefacta educitur.

Porro autem dum aliquando in monasterio moraretur, quod Paterniacum dicitur, erat ibi quidam puerulus monachus nomine Rudolphus, quem struma quædam gutturis intumescens deturpaverat usque adeo, ut et claritatem vocis auferret, et insuper quodammodo minaretur, quod sibi etiam aliquando auditum interciperet. Quem ad se vir Dei vere misericors advocat, palpante manu locum tumoris attrectat : deinde signum crucis plagæ gutturis imprimit, et divina quædam verba dicens, mox abire permittit. Deinde mirum in modum sicut in aliis morbus ille, postquam semel oboritur, in dies solet excrescere, totumque guttur miserabiliter occupare; sic in isto versa vice cœpit extunc sensim quotidie detumescere, donec pestis illa funditus evanesceret, et guttur pueri ad naturalem se speciem per omnia reformaret.

Strumosum sanat.

25 Alio quoque tempore de monasterio, quod est in Jurensi territorio constitutum, vir sanctus exierat et ad Gebennensem urbem cœpto itinere contendebat. Cum autem ad quemdam concavæ profunditatis fluvium devenisset, accidit ut mulus, qui hominis Dei supellectilem, libros scilicet ac lectulum, deferebat, a publico vado procul aberrans, in profundiorem alvei voraginem caderet ; sicque raptatus a gurgite, nullo membrorum, nisi solo capite, fluctibus emineret. Qui tandem e naufragio protractus educitur : ad perscrutandum, utrum res et maxime libri perierint, desagmatur. Miro itaque supernæ dispensationis ordine, libri simul cum lectulo ita a fluctibus reperiuntur intacti, ut ne tenui quidem aquæ stilla videantur adspersi. Mantilia vero simul et manutergia prorsus undique reperta sunt madida. Ubi notandum, quam pervigil fuerit erga servum suum divina protectio, ut ea videlicet, quæ ablui frequentius indigent, madere permitteret ; quæ vero madefieri sine damno non possunt, a contactu fluctuum immunia custodiret.

Libri ejus, et lectus in flumine non madefiunt.

Per B. Pet. Damianum.

CAPUT XIII.

Epilepticum sanat. Libri ejus et vitra in præcipitio et imbre illæsa.

In eodem quoque Jurensi monasterio vir Domini Odilo aliquando constitutus, reperit puerum, nomine Gerardum, terribili caducæ passionis languore detentum. Qui sæpissime quasi lunaticus corruebat, et sic eum occidui languoris impetus obruere consueverat, ut in eo neque vox, neque memoria, nec prorsus aliqua membrorum officia remanerent, ac fere a mortuo nihil distaret. Huic homo Dei misericorditer condescendens, fratribus, ut pro eo Dei clementiam deprecentur, injungit. Ipse vero ad sacrosanctum altare, Missam celebraturus accedit ; æger etiam ut interesset, admonuit. Cui mox Eucharistiæ salutaris munus tradidit. Deinde, sicut sibi moris erat, sanctificatam aquam cum Beati Majoli calice propinavit. Nec mora, protinus a puero languor omnis abscessit, salus optata succedit ; et sic per merita beati viri restituti sibi vigoris incolumitas permansit.

Sacra Eucharistia, et aqua benedicta sanat morbum caducum.

Aliquando vir Domini per prærupta Jurensium Alpium iter habebat; et repente sagmarius, nonnullis oneratus sarcinis, per montis devexa collabitur, atque per aspera rupium scopulorumque præcipitia usque ad vallis infimæ profunda raptatur. Ministri protinus in illud lubricæ ruinæ præcipitium descendentes, nonnulla quidem de sarcinulis, quæ passim dispersa fuerant, illæsa reperiunt; librum tamen Sacramentorum, aureis litteris exaratum, cum vitreis quibusdam vasculis anaglypha fusilitate cælatis, deesse perpendunt. Quibus interim recedentes omissis hospitium subeunt, corpora fessa reficiunt, et nocturno soporati silentio quieverunt. Mane autem facto, mature surgentes, ad locum illum celeriter redeunt; et curiosius quæque diverticula perlustrantes, omnia quæ periisse suspicabantur, inveniunt : vasa nimirum vitrea reperiuntur illæsa : deauratus etiam liber, cum tempus scilicet imbriferum inhorresceret, a nulla prorsus est pluviarum inundatione contactus. Sic itaque beati viri meritis, et vitrum frangere præceps ruina non potuit, et perfundere codicem inundantium imbrium densitas ignoravit.

Vasa vitrea, et liber, mirabiliter illæsa in præcipitio et pluvia.

CAPUT XIV.

Alia ejus miracula.

Nobilis quidam vir dum jaceret sub arbore, particula corticis in ejus oculum cecidit; cui non modo lumen omnino turbavit, sed et aliarum calamitatum multiplex pondus invexit. Nam cum id, quod oculo semel insederat, nullo modo potuisset expelli, fugit somnus ab oculis; et non modo jam homo non dormire, sed nec ciborum quidem valebat alimenta percipere. Quem seorsum vir sanctus adducens, signum sibi crucis impressit, ac mox insufflans, super locum doloris halavit. Deinde promittens se salutares pro eo victimas oblaturum, abiit. Abscedente itaque viro Dei, protinus homo suaviter obdormivit. Evigilans autem, particulam corticis ab oculo non sine lanugine quadam projecit : et evestigio factus incolumis, nullam de cetero doloris hujus molestiam sensit.

Curat oculum cujusdam graviter læsum.

28 Cuidam Turonensis Ecclesiæ clerico lethale vulnus in brachio pestilenter excreverat, ut sibi jam non

Alium sanat.

Per B. Pet. Damianum.

non languoris ægritudinem, sed ipsam potius interminaretur et mortem. Cumque vir Dei Lucensi teneretur hospitio, accedit clericus, et periculum tam pestiferæ calamitatis ostendit. Quod ille quasi videre dissimulans, latenter brachium apprehendit vivificæ crucis signaculum imprimit : eumque dimittens, ut sibi caute provideat, præcipit. Qui paullo post cum locum ulceris curiosius attendere studuit, nulla prorsus vestigia deleti languoris invenit. Stupefactus igitur novitate miraculi, ad hominem Dei præsto regreditur : quid sibi contigerit, non tam relatione verbi, quam ostensione sui brachii evidentissime confitetur. Quod ille satis moleste tulit, eumque a suo conspectu cum indignatione exturbavit. Nam tamquam venena serpentium, sic rumores hominum fugiebat. Asserebat enim, quia quantumlibet sublime sancti operis ædificium, per vanæ gloriæ subito corruit appetitum.

Mire humilis.

Aqua benedicta amentem sanat.

29 Præterea miles quidam tam mentis inops erat effectus, ut postposita penitus omni cura privata vel publica, per devia solivagus et nudus erraret, inconditas voces emitteret, et tamquam dæmoniacum se per inordinati gestus insaniam exhiberet. Cui vir Domini, paterna pietate compatiens, simul cum fratribus ante altare S. Petri prosternitur ; divinam clementiam cum psalmis et litaniis implorat, ut perire creaturam suam sub hujus furoris insania non permittat. Hinc ab oratione consurgens, ad eum, qui patiebatur, accedit : aqua sanctificationis adspergit, atque ut ex ea bibat, suadendo compellit. Qui non multo post ad Cluniacum sanus et incolumis venit : xenia piscium detulit : et quia sibi plenissime redditus esset, gratias referens indicavit.

Item mutum.

30 Alius quoque miles efficaciam edendi sermonis amiserat. Hic per visionem admonitus est, ut si aquam, qua manus B. Odilonis abluebantur, hauriret, hac sibi loquendi vires et amissæ linguæ officium proculdubio reformaret. Aqua igitur per ministros fideli furto subripitur. Altera etiam aqua, a viro Dei benedicta, de calice S. Majoli muto transmittitur. Quas ille cum nimia devotione suscipiens, mutatis vestibus ingressus ecclesiam, quia lingua non poterat ore cordis oravit. Et sic poculo benedictionis accepto, reparatum sibi locutionis officium recognovit. Mox etiam expedite loquens, mirum de se spectaculum cernentibus dedit, et quid B. Odilo apud Deum posset evidenter innotuit.

Vinum bibendo non absumitur, sed augetur ejus meritis.

31 Præterea cum vir venerabilis apud quamdam ecclesiam monasterii, quod dicitur Vallis Aurea, cibum caperet, sed locum magna vini laborare penuria didicisset, ne gravaret fratrem, qui eum cum alacritate susceperat, hoc in commune præfixit, ut quisque decumbentium uno tantum scypho contentus esset ; solis autem monachis pincerna poculum geminaret. Mensura tamen exceditur, et largus ad bibendum potus cunctis epulantibus exhibetur. Enimvero cum vas illud vinarium et unum dumtaxat esset, et modicum, non modo tot indiscrete bibentibus non defecit ; sed et illis recedentibus, absque ulla diminutione repertum est plenum : ut per hoc evidentibus clarescat indiciis, quia vir Domini non tantum id apud Deum potuit impetrare, quod petiit ; sed et nonnulla per eum virtutum signa divinitus ostensa sunt, quæ nescivit. Et de signis quidem atque virtutibus, quas vir sanctus adhuc in corpore constitutus ostendit, ista sufficiunt. Nunc ad explicandum felicem ejus obitum, auxiliante Domino, propinquemus.

CAPUT XV.

Monasteria construit, ornat, visitat. Pie moritur.

Monasteria multa ab Odilone constructa, instaurata, locupletata.

Enimvero quamquam homo Dei sublimiter se in spiritalibus studiis et divina contemplatione suspenderit, in corpore tamen utilitatis industria non mediocriter laboravit. Monasteria scilicet nonnulla a fundamentis erexit : alia vel jam semiruta, vel ruinam forte minantia reparavit : dilatavit illis prædia : nonnullis etiam insignia contulit ornamenta. Quæ vero monasteria nova condiderit, quibus parietina tantum, et sarta tecta collatis sumptibus instauraverit, enumerare per ordinem idcirco postponimus, ne prolixitate styli lacinias contexere videamur : præsertim cum in ipsis vivis operibus gestorum fidem multo clarius experiantur oculi, quam ullo sermone valeant narrari. Dispensationis quoque geminæ moderator insignis, et in spiritali studio coram divinis obtutibus fulsit, et in terreni laboris industria non mediocriter floruit.

Visitat limina Apostolorum.

33 Porro cum vir Domini jam in extremis ageret, per quinquennium fere compulsus est gravissimi languoris molestia cruciari. Mox itaque beatorum Apostolorum limina festinat invisere, ut quasi sub eorum pedibus, si sibi daretur, quod semper in votis habuerat, posset ex hoc mundo transire. Verumtamen quia non est in homine via ejus, aliter sibi contigit quam speravit. Per quatuor plane menses illic ægritudine detentus elanguit. Deinceps contra spem aliquantulum convalescens, ad propria remeavit. Cluniacum itaque deveniens, per annum fere totus in oratione permansit, seque, quantum ægritudo permisit, jejuniis ac vigiliis vehementer afflixit. Decrevit autem, ut antequam debitum conditionis humanæ persolveret, quæque monasteria sua circuiens, sanctæ admonitionis studio visitaret. Expeditione igitur sanctæ hujus ædificationis incepta, Silviniacum devenit : ibique se circa festivitatem Dominicæ Circumcisionis ex sæculo hoc migraturum, manifeste dixit. Porro autem cum jam in agonis esset angustia constitutus, diabolum adstare conspexit, eumque per nomen tremendi Judicis, ut abscederet, terribiliter increpavit. Anno itaque Dominicæ incarnationis 1048, ætatis autem suæ 87, ordinationis etiam quinquagesimo sexto, ea nocte, quæ Dominicæ Circumcisionis solemnia præcedebat, salutaris Eucharistiæ sacramenta percepit : sicque beatum Deo spiritum reddidit.

Ægrotat.

Convalescit.

Monasteria sua visitat.

Obitum suum prædicit.

Dæmonem abigit.

Moritur.

CAPUT XVI.

Apparitiones ejus post mortem.

Paullo autem post, eadem scilicet nocte, cum beati viri corpus in ecclesiam jam fuisset delatum, frater quidam Gregorius nomine, *Juveneta natione, naturæ simplicis et innocentis vitæ, exequiarum funebrium lassitudine prægravatus, in eadem cella, in qua Sanctus obierat, proprium stratum petiit, in quo se projiciens, dormire tentavit. Sed necdum plane resolutus in somnum, Beatum Odilonem sibi videt adstantem. Ad quem mox voce promptissima : Quid, inquit, agis Domine Pater? Et ille : Bene, frater, et optime. Dominus enim meus Jesus servo suo per semetipsum dignatus est adesse, et sui præsentiam misericorditer exhibere. Sed in ipsa meæ decessionis hora, in illo scilicet angulo (ostendebat enim quasi digito locum) vidi figuram quamdam trucem nimis atque terribilem, quæ mihi teterrimæ suæ visionis horrorem atque formidinem tentavit incutere : sed Christi confortante virtute, nulla me potuit infestatione nocere.

*al. Ninivita.

Apparet cuidam post mortem.

35 Proxima quoque Quadragesima succedente, sanctæ ac venerandæ memoriæ Laurentius, Amalphitanæ

phitanæ Sedis Archiepiscopus, qui potens in litteris ac biglossus Græce noverat et Latine, et quod longe præstantius est, laudabilis vitæ claritate pollebat. Hic itaque tunc Romæ constitutus, obdormivit in Domino. Cumque cadaver ejus fuisset in ecclesiam illatum, honestus quidam Clericus, Albero nomine, in ejusdem ecclesiæ angulo lassabunda dedit membra sopori. Cumque subito adhuc pene vigilanti vir beatus apparuit, ei mox Clericus intulit : Domine mi, quando huc et cur advenisti? Ad carissimi (inquit) olim amici mei, Domini Laurentii Pontificis, exequias veni : quibus expletis, antequam te viderem, recedere nolui. Et his dictis, species loquentis evanuit. Vir itaque Domini, quia recte vixit, feliciter obiit; et quia vitam mirabilem duxit, jure miraculis coruscavit. Vita quippe beati hujus viri velut aurea tabula est : cui quasi margaritas quasdam ac gemmas infigimus, dum gestis ejus interlucentia virtutum miracula permiscemus. Apud cujus venerabilem tumulum nihilominus adhuc rutilant nova signa virtutum : quæ nimirum nos his inserere superfluum ducimus, cum per alios jam apicibus exarata cernamus. Legentium igitur tædio consulentes, his contenti sumus, quæ succincta brevitate perstrinximus, ad honorem et gloriam redemptoris nostri Jesu Christi : qui cum Deo Patre et Spiritu sancto vivit et *gloriatur in sæcula sæculorum. Amen.

Item alteri Romæ.

Claret miraculis.

*glorificatur.

ELEVATIO S. ODILONIS.

AN. CHR. MCCCXLV. XXI Junii. *S. Odilonis corpus a B. Rogerio elevatum.*

Carolus Sausseyus lib. 12 *Annalium Ecclesiæ Aurelianensis, in B. Rogerio Forti de S. Odilonis elevatione ista scribit :* Per idem tempus contigit B. Rogerium Ecclesias suæ provinciæ visitare, et Silviniacense monasterium Cluniacensis ordinis, Claromontensis diœcesis adventare. Ibique de licentia Clementis Papæ VI, una cum Capituliensi Augustinorum, et Sauloniensi, Prædicatorum ordinis Episcopis, et quamplurimis Abbatibus, Prælatis, et aliis Ecclesiasticis personis, corpus B. Odilonis Confessoris, Abbatis Cluniacensis, de loco, in quo tumulatus fuerat, solemni ritu relevavit : cujus ipse caput et alia corporis membra contrectavit : et visitantibus Silviniacensem ecclesiam in ejus festivitatibus, 40 dies indulgentiarum condonavit, die XXI Junii anno Domini MCCCXLV. *Hæc ille.*

2 *Ipsius Rogerii Archiepiscopi diploma istud habet Bibliotheca Cluniacensis :* Rogerius permissione divina Bituricensis Archiepiscopus, universis Christi fidelibus salutem in Domino sempiternam. Noveritis quod de licentia et mandato sanctissimi in Christo Patris Domini nostri, Domini Clementis, digna Dei providentia Papæ sexti; Nos una cum Reverendis in Christo Patribus Domnis Capitulien. Augustinorum, et Saulonien. Prædicatorum ordinis Episcopis, et quamplurimis Abbatibus, Prælatis, et personis Ecclesiasticis ad hæc vocatis, et insimul in Ecclesia Silviniacensi Cluniacensis Ordinis Claromontensis diœcesis, congregatis; venerabile corpus almi Confessoris B. Odilonis, de loco, in quo hactenus ibidem tumulatum extitit, solemniter relevavimus, juxta sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ traditam nobis formam, ordinationem, atque modum, ac ipsius sancti Confessoris caput, et alia corporis membra vidimus, et propriis manibus tetigimus, tenuimus, et palpavimus, et eadem in capsa posuimus, et recondidimus honorifice et decenter. EX BIBL. CLUN.

Factum id auctoritate Romani Pontificis.

3 Nos enim pensatis hujusmodi sancti Confessoris meritis, quæ nos ad sui relevationem adduxerunt devote et attraxerunt, cupientes totis viribus incrementum laudis et honoris ejusdem exercere, ut a Christi fidelibus congruis honoribus et laudibus decoretur et etiam veneretur, necnon ut Ecclesia memorata, eo libentius causa devotionis, ab ipsis Christi fidelibus visitetur, ac etiam frequentetur; de omnipotentis Dei misericordia, et Beatorum Petri et Pauli Apostolorum, et Beati Stephani Protomartyris patroni nostri, ejus auctoritate confisi omnibus vere pœnitentibus en confessis, qui in ejusdem almi Confessoris festivitatibus, et specialiter in die relevationis ejusdem, et per ipsius octavas, ipsam Ecclesiam annis singulis visitaverint, quadraginta dies de injunctis sibi pœnitentiis futuris, et perpetuis temporibus duraturis, misericorditer in Domino relaxamus.

Indulgentiæ concessæ.

4 Præterea volumus et concedimus de speciali gratia, quod quilibet Prædicator, qui in ecclesia præfata populo ibidem existenti verba divina prædicabit, omnibus vere pœnitentibus et confessis, qui in prædicatione ejusmodi præsentes extiterint, ex parte et auctoritate nostra viginti dies de indulgentia concedere valeat, et conferre, quando et quotiescumque prædicationis officium contigerit exercere. In quorum omnium testimonium præsentes litteras fecimus munimine nostri sigilli roborari. Datum apud Tolon. Claromontensis diœcesis, nostram Provinciam visitantes, die XXI Junii anno Domini MCCCXLV. Signatum Guillermus Vincenti.

CANONIZATIOS. OSMUNDI

SARISBURIENSIS EPISCOPI.

AN. CHR. MCDLVII. I JAN.

Sanctus Osmundus Sarisburiensis Episcopus, circa annum 1099 *vita functus, demum anno* 1457 *a Callisto III Pontifice Maximo albo Sanctorum solemniter adscriptus est, Kalendis Januarii : quod plenius referemus in vita* IV *Decemb. De eo hoc die* MS. *Florarium Sanctorum :* Canonizatio S. Osmundi Salesberiensis Episcopi et Confessoris anno salutis 1456. Floruit anno salutis 1106. *Quod anno* 1456 *canonizatus dicitur, intelligendum secundum veterem morem Belgarum qui annum auspicabantur a Paschate.*

II JANUARII.

SANCTI QUI IV NON. JANUAR. COLUNTUR.

Octava S. Stephani.

S. Frontasius, S. Severinus, S. Severianus, S. Silanus } Martyres, in Gallia.

S. Maximianus, S. Acutio, S. Timotheus, S. Herissus, S. Artaxus, S. Vitus, S. Acutus, S. Tobia, S. Eugenda } Martyres, Sirmii.

Multi sancti Martyres Placentiæ, in Italia.

S. Defendens et Socii } Martyres ex legione Thebæa.

S. Theopistus, Martyr.

S. Sebastianus, S. Alverius } Martyres ex legione Thebæa in Pedemontio.

S. Theodote mater SS. Cosmæ et Damiani.

Plurimi sancti Martyres sub Dioclet. et Maximiano, Romæ.

S. Stratonicus, S. Macarius, S. Abbanus, S. Saturus, S. Possessor } Martyres.

Plurimi sancti Martyres Lichfeldiæ in Anglia.

S. Rutila, S. Claudia, S. Auriga } in Æthiopia.

S. Vitalis, S. Stephanus } Jerosolymis.

S. Argæus, S. Narcissus, S. Marcellinus } Martyres, Tomis in Ponto.

S. Basilius Ancyranus Martyr, Cæsareæ in Cappadocia.

S. Isidorus Episcopus et Martyr Antiochiæ.

S. Siridon Episcopus.

S. Isidorus Episcopus Confessor in Ægypto.

S. Macarius Alexandrinus, Abbas in Ægypto.

S. Martinianus, Archiepis. Mediolanensis.

S. Macarius Romanus, Eremita, in Italia.

S. Marcus Surdus.

S. Aspasius, Episcopus Elusanus, Meloduni in Gallia.

S. Maximus, Abbas et Martyr, in Gallia.

S. Bladulphus, monachus Bobiensis, in Italia.

S. Adelardus Abbas Corbejensis, in Gallia.

Inventio capitis S. Vedasti aliarumque reliquiarum, Atrebati in Belgio.

S. Silvester Monachus in Sicilia.

NOT. 21.

PRÆTERMISSI VEL IN ALIOS DIES REJECTI.

S. Concordius Martyr Bisolduni in territorio Gerundensi. *Ferrar. De eo egimus* I *Januarii.*

S. Eugendus Abbas. *Notker. nos* I *Januarii.*

S. Odilo Abbas Cluniacensis. *Martyrol. German. Usuardi editio Coloniensis anni* 1490, *et Parisiensis anni* 1536. *Maurolyc. Galesin. Molanus;* et colitur hoc die ob festum Circumcisionis. *De eo egimus* I *Jan.*

S. Massus Parisiorum Episcopus. MS. *Florarium. Dicitur S. Dionysii Acta scripsisse. Nescio an colatur.*

Volusianus Episcopus Carsulanus in Umbria. *Ferrar. in gener. catal. Sanctor. nec satis significat an ut Sanctus colatur : ideo tantisper omitto.*

Cosmas Patriarcha Constantinopolitanus, Thaumaturgus, *prædicatur a Menæis. Eum omitto, donec certiora habeam argumenta, quia posterior fuit, quando Græci merito suspecti.*

Salvia Virgo. *Florar. omitto, donec quæ sit cognovero.*

Bernarius monachus Lerinensis, frater S. Adelardi, *refertur ad calcem Bibliothecæ Lerinensis a Vicentio Barrali Salerna inter Sanctos Lerineses : non exprimit tamen auctor an colatur. Ejus mentio habetur in vita S. Adelardi.*

Stolbrandi Martyris translatio in Scotia. *Ferrar. in gen. catal. SS. Sed non magnam fidem mereri dicuntur, quos citat, auctores.*

Odino Abbas Rotensis in Suevia Ordinis Præmonstratensis. *Chrysostomus vander Sterre. Omitto, donec sciam an publico cultu celebretur.*

Alardus monachus Lukensis in Saxonia. *Kalendar. Cisterciense, et Chrysostomus Henriquez in Menologio Cisterc. Omitto, quia non existimo eum coli.*

Theobaldus Abbas Cisterciensis. *Kalendar. Cisterciense, et Chrysostomus Henriquez. Nescio an colatur : non est in catalogo Beatorum et Sanctorum Ordinis Cisterciensis apud Menardum.*

Mathissus Episcopus. *Camerar. Ignotus alibi.*

Stephana Soncinas. *Raissius in Peristromat. necdum comperi an ut Beata colatur.*

Seraphinus dalla Porretta, Ord. Prædicatorum. *Extat ejus vita, quam mihi communicavit Exim. P. Hyacinthus Chocquier ejusdem Ordinis, S. Theologiæ Doctor. Sed non puto eum coli.*

Willelmus Walcheus Hibernus Episcopus, Ordinis Cisterciensis. *Chrysostom. Henriquez. Sed hic neotericus est, nec colitur.*

S. Florentius Episcopus. *Notker. Vide* III *Januarii.*

S. Theopemptus. *Menæa. Forte idem est, qui* III *Janua.*

Theagenes Episcopus. *Menæa, nos* III *Januarii.*

Philus, Episcopus ac Martyr. *Notker. Mendum hic latet : de quo hic, cum de sanctis fratribus Argæo, Narcisso, Marcellino ; et in Actis S. Theogenis* III *Januarii.*

S. Thelesphorus

S. Thelesphorus, Papa et Martyr. *Hraban. Notkerus, et varia* MSS. *Martyrologia. At Romanum* V *Januarii.*
S. Crispinus Episcopus Ticinensis. *Martyrolog. Gallobelg. At nos cum Romano Martyrol.* VII *Januarii.*
S. Julianus, Comes et Martyr in Sardinia. *Ferrar. quidam eum esse censent, qui inferius* VII *Januarii. colitur. Nos peculiariter de eo agemus* XX *Februarii.*
S. Sergius, Martyr Cæsareæ in Cappadocia. *Menæa. De eo nos cum Martyrologio Romano.* XXIV *Februar.*
S. Congallus Abbas Benchorensis in Scotia. *David Camerar. Nos de eo agemus* X *Maii.*
S. Deodatus Episc. Nivernensis. *Florar. At Menardus habet* XIX *Julii.*
S. Fredegandus. *Camerar. colitur* XVII *Julii.*
S. Silvester Papa. *Menolog. et Menæa Græcorum; Latini* XXXI *Decemb.*
S. Barbatianus Presbyter, Ravennæ. *Martyrol. Gallobelg. et* MS. *Florar. nos* XXXI *Decemb.*

OCTAVA S. STEPHANI.

Consignata est S. Stephani Octava *fastis Ecclesiasticis Romanis, Bedæ, Notkeri, Bellini, Maurolyci, Galesinii, etc. De ritu Octavarum alibi agemus.*

DE SANCTIS MARTYRIBUS

FRONTASIO, SEVERINO, SEVERIANO,

SILANO.

NOT. 22. SECULO I. II JAN. *Flor.*

Horum hodie Natalem Refert Usuardi editio Coloniensis anni 1521, *his verbis:* Frontasii Martyris et sociorum ejus. *Eadem fere* MS. *Florarium Sanctorum. Hanc eorum mortis historiam descripserat ex* MS. *codice Ecclesiæ S. Martini Ultrajecti Rosweydus noster; quam suspicor alibi fideliorem et fusiorem extare.*

PASSIO.

Discipuli fuere S. Frontonis, de quo 25 Octo.

Sancti Frontasius, Severinus, Severianus, atque Silanus a Beato Frontone primo Petragorensi Episcopo ad prædicandum missi, dum undique verbum Dei seminarent, a Squiridone Præside apprehenduntur. Dixitque ad eos: Dicite mihi, unde estis, et quibus nominibus vocamini? Non solum enim non sacrificastis diis, sed et sacrificare volentes evertistis, et templa eorum diruistis, et nescio qua auctoritate hæc facitis. Frontasius dixit: Tu Præses expers virtutis divinæ, cur nos interrogas, cum omnem veritatem condemnes? Sed recogita prius, quis animam tuam et corpus fecerit; et intelliges veritatem. Simulachra autem gentium opera sunt manuum hominum, nec sibi prodesse, nec alios juvare possunt. Squirus dixit: Video, quia in multiloquio confiditis, quod a magistro vestro didicistis. Severinus, et Severianus responderunt: Multiloquium nostrum verum est. Tu colis idola, quæ sunt metalla dæmonibus consecrata, surda, muta, et vana. Squirus dixit: Lucrati estis vitam, si sacrificaveritis. S. Frontasius dixit: Lucrum nostrum in Christo est vivere et mori.

Comprehenduntur.

S. Silanus musicus.

2 Tunc Præses conversus ad Silanum dixit, qui sciebat canere cithara, symphonia, et lyra: Tu autem juvenis, quare non sacrificas? S. Silanus respondit: Ego Domino meo Jesu Christo sacrifico, qui per baptismi sui gratiam mundum lavit maculatum. Squirus dixit: Quomodo lavit? Silanus respondit: Dominus meus Jesus Christus dixit discipulis suis: Ite in mundum universum, et prædicate, baptizantes in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit, qui vero non crediderit, condemnabitur. Tu itaque Præses si credideris in Christum, et baptizari te permiseris, salvus eris; si vero non credideris, condemnaberis.

Marc. 16.

Torquentur.

3 Tunc Præses iratus jussit eos extra urbem in viridi prato perduci, atque duris quæstionibus examinari: quibus etiam ad exemplum Redemptoris nostri spinis coronatis ferreis, capita eorum vallo confixit, et in quolibet eorum, ex utraque parte eorum novenos etiam clavos exhibuit. Attamen sævus furor milites Christi nullatenus prævaluit revocare. Dehinc vertices sacros tot spiculis dilaniatos, tantaque gloria passionis redimitos, in utrisque eorum spatulis, dextra lævaque novem ferreis sudibus interjectis ossibus confodere fecit. Cumque iis tormentis eos superare non posset, data sententia jussit eos decollari. Sancti vero Martyres genua in terra flectentes, Deo commendantes animas suas, cervices spiculatoribus supponentes, pro Christo martyrium celebraverunt.

Spinis ferreis coronantur.

Sudibus ferreis confodiuntur.

Plectuntur capite.

Capita gestantes super aquas ambulant.

4 Cumque Martyrum corpora abscissis capitibus impii satellites in opprobrium dejecissent super nudum cespitem, cælica virtus adfuit: nam truncatis capitibus, corpora eorum repente divino in eis irruente spiritu, acceptis propriis capitibus in manibus suis, sine humano juvamine, in sui pedibus eriguntur: sicque Sancti ad alveum fluminis, quod Yla dicitur, accesserunt: et siccis vestigiis super undas iter suum direxerunt. Transmeato ergo flumine, per clivum collis incessu pedum, cunctis cernentibus et stupentibus mirabiliter subierunt: et in ecclesiam Beatæ Mariæ Virginis in Podio, ubi S. Fronto orabat, pervenerunt; et capita sua, flexis genibus ante pedes ejus deponentes, corpora sua in modum crucis extenderunt.

Sepeliuntur.

5 Sanctus autem Fronto cum Aniano Presbytero et multis populorum turmis, Frontasium, Severinum, et Silanum in prædicta ecclesia cum honore et hymnis cælestibus tradidit sepulturæ. Severianum vero ad preces cujusdam devotæ matronæ in alio loco, non longe a sanctis Martyribus sociis, honorifice tumulavit. Passi sunt sancti Martyres IV NON. Januarii, Claudio imperante.

DE

DE SS. MARTYRIBUS SIRMIENSIBUS

MAXIMIANO, ACUTIONE, TIMOTHEO,

HERISSO, ARTAXO, VITO,

ACUTO, TOBIA, EUGENDA.

II JAN. Martyrologium *S. Hieronymi:* Sirmii, Maximiani, Acutionis, Timothei, Herissi, Artaxi, Viti, Acuti, Tobiæ, Eugendæ. *Usuardi editio Colon. anni* 1521 Tubiam *quoque habet, sed cum* Rutilia *conjungit, de qua inferius.*

SUB DIOCL.

DE SANCTIS MARTYRIBUS PLACENTINIS.

II JAN.

Martyres Placentini sub Diocletiano.

Philippus Ferrarius in generali catalogo Sanctorum testatur, Placentiæ in Campo peregrinorum, ubi S. Mariæ de Campania ecclesia celebris est, *Passionem hoc die recoli plurimorum Sanctorum Martyrum qui sub Gordiano Præside, Diocletiani et Maximiani persecutione, pro Christi fide interempti sunt. Quod se hausisse scribit ex antiquis illius Ecclesiæ monumentis, urbisque Placentinæ Annalibus.*

2 *De his Martyribus ita scribit Franciscus Gonzaga historiæ Seraphicæ parte* 2, *in Provincia Bononiæ, Convent.* XXV *agens de conventu S. Mariæ de Campo Placentiæ:* Est etiam hac in eadem ecclesia puteus quidam, in quo plura Sanctorum Martyrum corpora, ab impiis Christianæ religionis persecutoribus occisa, projecta fuere: unde et ad tempus quoddam oleum confovendis lampadibus commodissimum, atque diversis fidelium infirmitatibus sanandis omnino mirificum, scaturiit: quod tamen humanæ avaritiæ demeritis id exigentibus, quæ in tantam dementiam proruperat, ut id, sumpto pretio, etiam curandis brutis animalibus applicaret, a plurimis diebus emanare cessavit omnino.

Eorum corpora in puteum abjecta.

Inde oleum salutiferum scaturit.

Desinit fluere ob hominum avaritiam.

DE S. DEFENDENTE

SUB DIOCL.

ET SOCIIS MARTYRIBUS.

II JAN.

S. Defendentis et Sociorum memoria.

Sanctum Defendentem Martyrem refert II JANUAR. *Ferrarius in generali catalogo Sanctorum, his verbis:* In territorio Massiliensi apud Rhodanum, S. Defendentis Martyris ex legione Thebæorum, sub Maximiano. *Petrus quoque Galesinius eodem die:* In Gallia ad Rhodanum fluvium, S. Defendentis et aliorum multorum militum, qui Maximiano Imperatore, pro Christo Domino cruciatibus eo loco affecti, martyrii coronam consecuti sunt. Ad cujus fluminis ripam, a S. Theodoro Massiliæ Episcopo, Defendentis Martyris corpus sepultum est; ejusque nomine ecclesia dicata. *Librum ejusdem Theodori Episcopi qui* Defendentis *Acta complexus est, ait idem Galesinius extare in vetustis monumentis Ecclesiæ Bergomensis.*

Acta scripta a Theodoro Episcopo.

NOT. 23.

2 *Idem Ferrarius in catalogo Sanctorum Italiæ de eo hæc scribit:* S. Defendentis Martyris memoria in multis Italiæ locis celebris est: præcipue Clavasii oppido haud obscuro Taurinensis diœcesis, apud Morgum fluvium, in Padum non longe influentem; Casali Montisferrati urbe primaria, et Novariæ. Quibus in locis et alibi ecclesiæ aræque illi dedicatæ sunt: cujus reliquiæ Casali in ecclesia Eremitarum asservari feruntur.

S. Defendentis reliquiæ Casali.

3 De quo etiam miraculum Odolevei pago diœcesis Casalensis narratur: quod cum quidam in die Defendentis festo aucupatum potius, quam Missam audire voluisset, ac perdices captas coquere; illæ statim redivivæ eo obcæcato evolarunt: qui tamen facti pœnitens ad aram sancti Martyris orans, et veniam impetravit, et visum recuperavit.

Missæ neglectus ejus festo, punitus.

4 Ubi is passus fuerit, ignoratur; nisi sit idem cum eo quem apud Rhodanum fluvium in Massiliensi diœcesi, una cum aliis, Maximiano Imperatore, martyrio affectum, atque a S. Theodoro Episcopo Massiliensi conditum, ibidem ecclesia sibi constructa tradunt. Inter illos Petrus Galesinius in suo Martyrologio hac die, citatque codicem MS. Ecclesiæ Bergomensis. Tametsi auctor historiæ Martyrum Thebæorum Taurini excusæ, hunc alium ab illo facit, putatque in Italia apud Pedemontium cum aliis passum fuisse sub dicto Imperatore. Sed ipse potius eumdem cum eo, qui ad Rhodanum passus est, esse autumo; cum nullum quod sit diversus argumentum habeamus.

Ubi passus sit.

NOT. 24.

DE

DE S. THEOPISTO MARTYRE.

II JAN.

Menæa. II *Januar.* S. Theopistus lapidatus vitam finivit.

DE SANCTIS MARTYRIBUS THEBÆIS

SEBASTIANO ET ALVERIO.

SUB DIOCLETIANO. II JAN.

De his sanctis Martyribus agit in historia Thebæa Guilielmus Baldesanus c. 33 *sub finem; ex quo, et Ecclesiæ Fossanensis in Pedemontana Liguriæ ditione monumentis, hæc scribit Philippus Ferrarius in catalogo Sanctorum Italiæ ad* 2 *Januarii :*

2 Alverius et Sebastianus milites Thebæi, cum ex finibus Sedunorum, Maximiani Imperatoris persecutionem et crudelitatem in eos qui Christianam religionem colebant, fugientes, in Taurinorum fines circa ea loca, ubi Fossanum civitas nunc est, se recepissent; ab Imperatoris satellitibus deprehensi, martyrio affecti sunt : quorum corpora in ecclesia Campestri, olim parochiali, apud Fossanum cum diu latuissent, anno salutis MCCCCXXVII, IV NON. Januarii in arcis lapideis, cum inscriptione, quæ eos ex Thebæa legione fuisse, et sub memorato Imperatore passos esse, ostendit, vocum cælestium indicio reperta, et in basilicam dictæ civitatis majorem translata, non mediocrem habent venerationem. *Eorum meminit idem Ferrarius in generali catalogo Sanctorum.*

Eorum inventa corpora 1427, 2 *Januar.*

SS. Alverius et Sebastianus ubi passi.

DE S. THEODOTE

II JAN.

MATRE SS. COSMÆ ET DAMIANI.

Menæa : Eodem die S. Theodote mater Sanctorum medicorum gratis curantium, *Cosmæ scilicet et Damiani,* in pace vitam finivit. *De ea agitur in Actis filiorum* XXVII *Septemb. et in Menæis* I *Novembr.*

DE PLURIMIS MARTYRIBUS

ROMÆ PASSIS SUB DIOCLETIANO ET MAXIMIANO.

AN. CHR. CCCII. ET CCCIII. II JAN.

Anno decimonono imperii Diocletiani *(inquit Eusebius lib.* 8, *cap.* 3.*)* mense Dystro, qui a Romanis Martius nominatur, cum salutaris Passionis Dominicæ festum jam pro foribus esset; omnibus in locis per Imperatoris litteras palam indictum fuit, ut deturbarentur ecclesiæ, soloque æquarentur : scripturæ Christianorum absumerentur igni : qui honorem fuissent adepti, de gradu turpiter deponerentur : privati, si modo in professione perstarent, libertate penitus privarentur. Ac primum quidem Edictum contra eos tale fuit. Non longo post tempore, aliis litteris exeuntibus, mandatum est, ut omnes Ecclesiarum Præsides ubique gentium conjicerentur in vincula; deinde omnibus machinis adhibitis, idolis victimas immolare cogerentur. *Hæc Eusebius.*

Diocletiani contra Christianos edictum.

2 Ejusmodi igitur, *inquit Baronius ad ann.* 302, *n.* 22 de libris comburendis promulgato Imperatoris Edicto, in omni provincia Præsides, et in singulis civitatibus, oppidis, atque vicis Officia invigilabant, ut a Christianis codices traderentur; ad hocque iidem urgebantur, additisque tormentis crudeliter cogebantur. Qui ergo atrocitate pœnarum perterriti, quos apud se haberent codices traderent, Traditores vocabantur. Horum ingens numerus fuit; sed prope infinitus illorum, quorum constantia nulla est concussa formidine, qui ne codices sacros traderent, lubentissimo animo mortem oppetiverunt. Horum omnium coronas, quod impossibile visum sit singulorum memoriam prosequi, una die, nempe II Januarii, Romana Ecclesia celebrat hoc præconio : Romæ commemoratio plurimorum Sanctorum Martyrum, qui spreto Diocletiani Imperatoris edicto, quo tradi sacri codices jubebantur, potius corpora carnificibus, quam sancta dare canibus maluerunt.

Sacri codices conquiruntur cremandi.

Traditores qui.

Multi martyrio affecti, quia libros sacros nolebant tradere. Colluntur 2 *Januar.*

3 *Hos ex veteribus monumentis in Martyrologii tabulas restituit Baronius, qui sæpius in suis Annalibus eorum meminit, præsertim anno Christi* 302 *et* 303. *Diocletiani* 19 *et* 20 *ibidemque uti et in Notis ad Martyrolog. ex Augustino, refert habitum eo tempore Cirtense in Numidia Concilium, in causa eorum, qui sacros codices tradidissent.*

Concilium Cirtense.

4 *Ibidem ex variis legibus docet Baronius, multo ante ab Ulpiano et Paullo fuisse responsum ut libri magicæ artis, id est, Christianorum comburerentur. Nec mirum, cum Arnobio teste ipsius Ciceronis libros de Natura Deorum et de Divinatione, quibus gentilitia superstitio videbatur posse convelli, quidam abolendos censuerint.*

Libri Christianorum jussi comburi.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

Ex variis Auct.

DE SANCTIS MARTYRIBUS

STRATONICO, MACARIO, ABBANO,

SATURO, POSSESSORE.

II JAN. *Martyrologium S. Hieronymi :* Et in alio loco Stratonici, Maccari, Abbani, Saturi, Possessoris. *An non hic fortassis est Macarius Abbas? Certe antiquissimum* MS. *monasterii Rhinouwiensis ita habet :* Antiochiæ Isidori Episcopi, Macarii Abbatis, Saturi, Possessoris, Firmi, *Tertium etiam subjiciemus Macarium ex Vicaria Præfectura Eremitam.*

DE SS. MARTYRIBUS BRITANNIS

LICHFELDIÆ IN ANGLIA.

Circiter An. Chr. CCCIV. II JAN. *Lichfeldia a cæde Martyrum dicta.* *Lichfeildia civitas est Angliæ in Staffordiensi Comitatu perantiqua, a Beda* Licisfeld *appellata, quasi Cadaverum campus; quod plurimi isthic Christiani, sub Diocletiano, martyrio affecti sint. Qua de causa civitas pro insignibus scutum depictum gestat, in quo Martyres varii variis modis trucidati exhibentur, ut videre est in Theatro imperii magnæ Britanniæ Joannis Spedi l.* 1, *c.* 35.

Ejus insignia.

2 *Horum Martyrum commemorationem* II *Januarii indicit Martyrologium Anglicanum, traditque S. Amphibali discipulos fuisse. De his Beda lib.* 1, *histor. Anglic. cap.* 7, *sub finem :* Passi sunt ea tempestate Aaron et Julius *(qui* 1 *Julii coluntur)* Legionum urbis cives, aliique utriusque sexus, diversis in locis perplures, qui diversis cruciatibus torti, et inaudita membrorum discerptione lacerati, animas ad supernæ civitatis gaudia perfecto agone miserunt. *De his pluribus agit Matthæus Westmonasteriensis ad ann.* 303. *Nicolaus Harpsfeldius* 3 *secul. cap.* 10.

Multi isthic occisi.

DE SANCTIS MARTYRIBUS

RUTILA, CLAUDIA, AURICA IN ÆTHIOPIA,

ITEMQUE VITALE ET STEPHANO HIEROSOLYMIS.

II JAN. *Martyrologium S. Hieronymi :* Et in Æthiopia Rutilæ, Claudiæ, Aurigæ, Vitalis de Hierosolymis, Stephani. *Usuardi editio Coloniensis ann.* 1521. Jerosolymis Stephani et Vitalis. Item Tubiæ, Rutiliæ, Vitalis : *sicque duos Vitales recenset, ceteri unicum. Antiquum* MS. *Martyrologium monasterii S. Martini Treviris :* Et in Hierosolymis SS. Stephani et Vitalis, *ac ne quis suspicetur de Octava S. Stephani Protomartyris esse sermonem, de ea separatim agit.* MS. *S. Lamberti Leodii, cui Bedæ præfixum nomen :* Jerosolyma Stephani et Vitalis. MS. *S. Mariæ Ultrajecti :* Hierosolymis SS. Stephani et Vitalis. *Idem hic est fortassis qui* 1 *Januar. refertur in eodem S. Hieronymi Martyrologio his verbis :* In Oriente Stephani. *Idem habet* MS. *item vetustissimum Rhinouwiense, eodem die.*

DE SANCTIS MARTYRIBUS

ARGÆO, NARCISSO, MARCELLINO

TOMIS IN PONTO.

Sub Licinio. II JAN. *S. Marcellinus quia noluit militare contra Ecclesiam occisus, Martyr habetur.* Quod *impia tyranni contra Ecclesiam et legitimum Principem signa sequi nollet* Marcellinus, *ab eodem trucidatus cum fratribus est : omnesque in album Martyrum ab Ecclesia sunt relati. Horum Acta desiderantur : de causa mortis ista habent vetera Martyrologia. Usuardus :* In Ponto, civitate Tomis, trium fratrum Argæi, Narcissi, et Marcellini pueri, qui sub Licinio Principe inter tyrones comprehensus, cum nollet militare cæsus ad mortem, et diu in carcere maceratus, atque in mare mersus, martyrium consummavit. *Eadem habet Bellinus; addit Martyrologium Romanum :* Fratres vero ejus gladio perempti

Quæ passus sit.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Corpus ad littus delatum.

perempti sunt. *Eadem fere Maurolycus, et Ado, qui addit :* Corpus ejus ad littus delatum, et a religiosis viris depositum, magnis coruscat virtutibus.

2 MS. *antiquum monasterii S. Laurentii Leodii, quod nomen Usuardi recenti manu adscriptum præferebat, licet Adonis potius sit.* MS. *itidem vetustum domus Professæ Societatis* JESU *Antverpiæ :* In Ponto, civitate Tomis, trium fratrum Argæi, Narcissi, et Marcellini pueri, qui sub Licinio inter tyrones comprehensi, cum nollent militare cæsi ad mortem, et diu in carcere macerati, in mare mersi martyrium consummaverunt. Corpora eorum ad littus delata, et a religiosis viris deposita magnis coruscant virtutibus. *Eadem habet* MS. *Martyrologium Ecclesiæ S. Mariæ Ultrajecti, nisi quod de ejectis in littus corporibus non meminit. Consentit fere Usuardi editio Coloniensis anni* 1490.

Eadem tormenta passi fratres dicuntur.

3 *Galesinius, nescio quo auctore, quædam alia narrat de fratribus :* Tomis in Ponto, sanctorum Martyrum Argei, Narcissi, et Marcellini. Hic cum sub Licinio Principe militare nollet, quoniam se Christianum esse affirmaret, nec debere propterea illius, idola colentis, militiæ adscribi; eam ob causam virgis crudeliter cæsus, diu in vinculis fuit. Quem Argeus et Narcissus fratres cum aliquando inviserent, comprehensi item

Dum Marcellinum visunt, capti.

sunt, et in carcerem conjecti, in Christianaque fide constantes, securi percutiuntur. Marcellinus autem in mare projicitur : sicque hic et illi duo martyrio coronantur. *Eadem fere habet Martyrologium Germanicum.*

EX VARIIS AUCT.

4 *Notkerus :* Et in Ponto, civitate Tomis, trium fratrum Argei, Narcissi, et Marcellini pueri. Item Tomis Phili Episcopi. Qui sub Licinio Cæsare inter tyrones comprehensus, cum nollet militare, cæsus ad mortem, et diu in carcere maceratus, et in cippo missus, deinde in mare demersus, martyrium consummavit. Cujus corpus ad littus delatum, et a religiosis viris depositum magnis coruscat virtutibus. *Hrabanus, quæ hic de* Philo *dicuntur, ea* Tito *Episcopo tribuit* 3 *Januarii;* MS. *S. Maximini Treviris similiter* 3 *Januar.* Filo. Argæi *vero et fratrum neuter meminit. Sed a librario* S. Marcellini et Theogenis filii Episcopi *confusa nomina, quibus eadem fuit obeundæ mortis causa. Vide dicenda inferius* 3 *Januar.*

5 *Vetustissimum* MS. *Martyrologium S. Hieronymi* 3 *Januarii :* Et in civitate Tomis Claudonis, Eugenis, Rhodi, trium fratrum, Argæi, Narcissi et Marcellini pueri Christiani et Diogini, Eugenti, Rodonis, Primæ. *Nostram de his conjecturam vide* 3 *Januarii.*

A quibusdam 3 *Januar. colunt.*

DE S. ISIDORO EPISCOPO
ET MARTYRE ANTIOCHIÆ
ET DE S. SIRIDONE EPISCOPO.

II JAN.

Isidori memoria in sacris tabulis.

Martyrologium Romanum : Antiochiæ passio B. Isidori Episcopi. *Beda :* Et S. Isidori (MS. *Bavaricum* Isidoni) Episcopi et Martyris. *Eadem habet appendix Adonis. Usuardus et Bellinus de Padua :* Apud Antiochiam passio B. Isidori Episcopi. *Ejus meminerunt pleraque* MSS. *Sed quædam Episcopum tantum vocant, nulla facta martyrii mentione. Galesinius :* Antochiæ S. Isidori Episcopi et Martyris : qui Catholicæ fidei defensor acerrimus, ab impiis Arianis vehementer oppugnatus, demum in summo certamine fortiter se gerens, pro Christo Domino sanguinem profudit. *Sed non indicat unde ista hauserit Galesinius.*

Forte Donus Episcopus.

2 *Martyrologium S. Hieronymi :* Isiridoni Episcopi Antiochiæ. *Quæ ita legebat Rosweydus noster :* Isiri Doni. *Putabat enim Donum quempiam Episcopum Antiochenum in loco aut ergastulo, cui Isiris nomen esset, (qua notione vox illa ab Hebraica radice in Græcum idioma detorta reperitur) vitam finiisse. Suspicor ego Siridonem, et Isidorum eumdem esse, qui forte et Isidonus sit appellatus. Idemne tamen sit Donus aut Domnus non possum certo statuere.* MS. *Florarium Sanctorum,* Antiochiæ Syndani *(forte legendum* Siridoni*)* Episcopi et Martyris. *Sunt qui hunc eumdem esse existiment cum S. Isidoro Nitriæ Episcopo, de quo inferius agemus.*

3 *An est fortassis hic Isidorus Episcopus, quem Maurolycus,* MS. *Florarium, et Galesinius* VII *Januarii, et hic quidem Nicomediæ passum scribit? Baronius in Notis ad Martyrologium, ait Isidorum nequaquam Antiochenum Episcopum fuisse, licet Antiochiæ passus prodatur.*

4 *De Siridone ista habet Martyrologium Romanum, et Molanus in Additionibus at Usuardum :* Ipso die S. Siridonis Episcopi. *Citat Baronius in Notis, vetustum codicem. Editio Colonien. Usuardi anni* 1521, *et Martyrologium Germanicum, ac* MS. *Florarium :* Stridonis Episcopi et Confessoris, *Hunc Spiridionem quidam nuncupant, alii Spiridonem.*

De S. Siridone Episcopo.

NOT. 25.

DE S. BASILIO ANCYRANO
CÆSAREÆ IN CAPADOCIA.

SUB JULIANO.

II JAN. *Duo Basilii Ancyrani Martyres.*

Basilius Ancyranæ Ecclesiæ Presbyter, martyrio sub Juliano apostata coronatus, celebratur XXII *Martii. Alius ei cognominis, ejusdemque gloriæ particeps, sed laicus, sub eodem tyranno isthic Basilius vixit, cujus* II *Januarii natalis agitur. De hoc Ferrarius in generali catalogo Sanctorum :* Cæsareæ Cappadociæ, S. Basilii Martyris sub Juliano apostata. *Menologium Græcorum :* Natalis sancti Martyris Basilii ex urbe Ancyra, qui Cæsareæ, Imperatore impio Juliano, Præside Saturnino, passus est.

Unus Cæsareæ passus.

2 *Martyrologium Gallobelgicum hoc die Basilium Presbyterum refert, omittitque* XXII *Martii. Plenius hujus non Presbyteri agonem narrant Menæa :*

3 Hic impio Juliano rerum potiente, Ancyræ natus, dum Christum et coleret et prædicaret, comprehensus * Tarvilo Præsidi sistitur : apud quem cum Christum libera voce profiteretur, suspensus crudeliter laceratur : dein Ancyra Constantinopolim ductus, iterum ferro carpitur, adeoque distenditur, uti manuum pedumque compages diductæ solverentur : tum loris cæditur, et candenti ferro ustulatur, et compungitur. Cumque omnia generose exantlaret, a Deo

**Rader.* Tranquillo, *imo* Tranquillino. *vel potius* Saturnino. *Dire cruciatus Constantinopoli.*

Deo vicissim compensationem gratiarum accepit. Nam in ardentem caminum conjectus, per preces stupendum in modum illæsus permansit. Denique vinctus Cæsaream abductus, et a Prætore ad feras damnatus, leænæque objectus, lauream martyrii occumbens reportavit. Sacras porro illius reliquias ex cognatis et familiaribus quidam studiose collectas et unguentis delibutas, linteisque involutas, debita cum veneratione illustri loco reposuere : ac demum ad earum cultum templum (quod Martyrium appellabant) condiderunt. *Eadem fere Galesinius.*

Cæsareæ bestiis objectus.

Templum ei ædificatum.

DE S. ISIDORO

SECULO IV.

EPISCOPO ET CONFESSORE, IN ÆGYPTO.

II JAN. *S. Isidorus occurrit S. Paulæ.*

NOT. 26.

Testatur *S. Hieronymus epist.* 27 *ad Eustochium, sive in vita S. Paulæ viduæ,* XXVI *Januar. cap,* 12, *ei Patrum Ægyptiorum adeunti mansiones,* sanctum ac venerabilem Episcopum Isidorum Confessorem occurrisse, cum turbis innumerabilibus monachorum, ex quibus multos Sacerdotalis et Leviticus sublimabat gradus.

NOT. 27. *Colitur* 2 *Januar.*

2 *Hujus Isidori memoria occurrit in Romano Martyrologio* II *Januar.* Nitriæ in Ægypto B. Isidori Episcopi et Confessoris. *In quæ ita commentatur Baronius :* Cum S. Hieronymus hunc Confessorem appellet; ne quid lateat, sciendum est, diversa admodum significatione a præsentis temporis usu hanc vocem a majoribus usurpatam. Illi enim neminem eo nomine appellabant, nisi eum qui Christi fidem interpellatus coram fidei hostibus confessus esset. Si vero aliquod genus tormentorum esset expertus, nec tamen martyrio occubuisset; tunc et Martyr vocatus, idemque aliquando etiam dictus reperitur Confessor, quod scilicet nondum martyrium consummasset. Licet si vim harum vocum expendas, eædem sint; nihilominus tam apud Tertullianum, quam etiam Cyprianum et alios plérosque antiquorum, eo sensu, quo diximus, eas voces accipi consuevisse, perspectum satis, exploratumque habetur. Consule, si hæc exactius scire cupis, in primis Cypriani epist. 7, 9, 10, 15, 30, 33, 52, et 81, edit. Pamelii, qui eadem adnotavit in scholiis epist. 9, vir quidem etsi facie mihi incognitus, eruditione tamen satis perspectus.

Qui olim Confessores dicti.

3 Juxta ejusdem Cypriani sententiam, qui non interpellatus se martyrio ingerebat, hic dicebatur Professor. Si adhuc autem quis timore correptus, ne fidem proderet, sua suosque relinquens, exilio spontaneo procul a patria vitam ageret, hic appellabatur Extorris : cujus non erat despicienda conditio; nam et in numero Martyrum recensendus erat, si ea de causa mortem oppetiisset. Hæc omnia more majorum, atque vetusto loquendi genere. Obtinuit postmodum usus, ut omnes qui sancta et laudabili vita vixissent, sanctoque demum ac probato fine in Domino quievissent, Confessores appellarentur. *Hactenus Baronius*

Qui professores.

Qui extorres.

Martyr etiam qui in fuga mortuus.

Qui jam Confessores.

4 *Sunt qui hunc eumdem esse existiment cum Isidoro qui Antiochiæ coli dicitur in Martyrologio Romano, de quo supra hoc ipso die.*

DE S. MACARIO ALEXANDRINO

CIRCIT. AN. CHR. CD.

ABBATE.

II JAN. *Duo Macarii Abbates.*

Duo *fuere celeberrimi Abbates Macarii : prior Ægyptius dictus, alter Alexandrinus, sive Urbanus. Colitur hic ab Ecclesia* II *Januarii, ille* XV, *nam Græci utrumque* XIX *Januar. venerantur. Vetera Martyrologia hoc inter eos discrimen statuunt, quod eum cujus* XV *Januarii agitur natalis, passim S. Antonii discipulum appellent. At fueritne senior Macarius S. Antonii discipulus dubito, etsi id dicat Ruffinus lib.* 2, *cap.* 28, *qui forte memoria lapsus est. Certe Palladius id Alexandrino tribuit, uti et Menæa* XIX *Januarii.*

Uterque 19 *Januar. colitur a Græcis. Uter S. Antonii discipulus.*

NOT. 28. *Rosweydi sententia.*

2 *Censebat Rosweydus noster,* II *Januarii Macarium Ægyptium,* XV *Alexandrinum celebrari oportere. Statuimus tamen a Romano Martyrologio non recedere. Hic igitur primum Martyrologiorum de Macario Alexandrino testimonia proferemus, tum quæ de eo sparsim commemorantur in vitis Patrum. De altero fusius* XV *Januarii agemus.*

S. Macarii Alexandrini memoria in Martyrologiis.

3 *Vetus Martyrologium Romanum a Rosweydo nostro editum, et vetus item* MS. *monasterii S. Martini Treviris :* B. Macarii. *Beda, Ado, aliique :* Natalis B. Maccarii Abbatis. *Usuardus, ac Bellinus de Padua:* In Thebaide S. Macarii Abbatis. *Hrabanus, Notkerus,* MS. *S. Maximini Treviris :* In Antiochia Macarii Abbatis. MS. *S. Richarii, S. Lamberti Leodii, Societatis* JESU *Antverpiæ, quæ omnia Bedæ præferunt nomen :* In Thebaida depositio B. Macarii Abbatis, magnarum virtutum viri. *Idem habent plurima* MSS. *Martyrologia, Wandelbertus.*

Macarius quartum Nonarum dedicat ortum,
Qui tenuit docuitque eremi pius accola morem.

4 MSS. *plurima sub nomine Usuardi, sed non admodum antiqua, Albergense, Ultrajectinum, duo Leydensia, aliaque,* MS. *Florarium, editio Usuardi Colonien. anni* 1490. In Thebaida S. Macarii Abbatis. Hic Alexandrinus; Macarius autem, de quo habetur infra XVIII Kal. Februar. fuit Ægyptius genere : ambo florentes in Ægypto, ambo Antonii discipuli. *At in aditione anni* 1521, *ista solum habentur :* In Thebaide S. Macarii Abbatis. *Martyrologium Romanum :* In Thebaide S. Macarii Alexandrini Abbatis. *Franciscus Maurolycus :* Apud Scythopolim in Thebaide, Macarii Alexandrini Abbatis et eremitæ, qui unicus amator solitudinis et inaccessibilum locorum extitit. *Galesinius :* In Thebaide S. Macarii Alexandrini Abbatis, qui desertissimarum solitudinum amans, diaboli multas tentationes expertus, jejunio et oratione vicit; aliis denique virtutibus et sanctitate clarus, migravit ad Dominum.

Quædam recentiora Martyrologia ambos S. Antonii discipulos faciunt.

NOT. 29.

VITA

VITA

EX VITIS PP. COLLECTA.

CAPUT I.

S. Macarius Presbyter Cellarum, heres virtutum S. Antonii.

De ejus vita et virtutibus ita scribit Palladius in historia Lausiaca, sive lib. 8 *de vitis Patrum cap.* 19, Sanctorum et immortalium Patrum, Macarii Ægyptii et Macarii Alexandrini, egregiorum et invictorum athletarum, honestæ vitæ certamina, quæ sunt multa et magna, et incredulis prope incredibilia, et narrare vereor et scriptis mandare, ne forte mei tamquam mendacis fiat mentio. Quod autem Deus perdat omnes qui loquuntur mendacium, licet aperte videre sancto Spiritu pronuntiante. Psal. 5. 7.

Lauso hanc narrationem dedicat Palladius.

6 Cum ego per Dei gratiam non mentiar, hominum fidelissime Lause, ne sis quoque ipse incredulus de Patrum certaminibus : sed gloriare potius in æmulatione exercitationis eorum, qui vere sunt Macarii hoc est beati.

Duo Macarii.

7 Atque primus quidem Christi athleta nomine Macarius erat genere Ægyptius; secundus autem ætate, sed in iis quæ sunt monachorum præcipua, primas partes obtinens, qui ipse quoque vocabatur Macarius, erat Alexandrinus, qui vendebat bellaria. *Hæc Palladius, qui deinde S. Macarii Ægyptii vitam narrat, ex eoque nos* XV *Januarii; ac deinde de hoc ita pergit :*

Cum Alexandrino egit Palladius.

8 Conveni autem eum qui erat Macarii Ægyptii socius in fidei operibus, et idem venerabile nomen, quod ipse, habebat : dico autem S. Macarium Alexandrinum, qui erat Presbyter earum quæ dicuntur Cellarum. In quibus Cellis ego novem annos habitans (ex quibus tres annos mecum vixit ille Macarius) in quiete sedens, ejus quidem optimæ vivendi rationis alia quidem vidi opera et signa, alia vero didici ab iis qui cum eo vixerunt.

Erat his Presbyter Cellarum.

Non concupiscendum docetur ab Antonio.

9 Is cum apud magnum virum et Patrem Antonium electos palmæ ramos vidisset, quos ipse laboraverat, petiit ab eo unum manipulum ramorum palmæ. Dixit autem ei Antonius : Scriptum est : Non concupisces res proximi tui. Et cum id solum dixisset, rami omnes statim tamquam ab igne torrefacti sunt. Quod quidem cum vidisset Antonius, dixit Macario : Ecce Spiritus sanctus requievit super te : erisque mihi deinceps heres mearum virtutum.

Fit heres virtutum Antonii.

CAPUT II.

Fame tentatus, diabolum superat. Tribunum convertit.

Fatigatus et esuriens tentatur a diabolo.

Hinc rursus eum invenit diabolus in solitudine, corpore valde defatigato, et dicit ad eum : Ecce accepisti gratiam Antonii; cur non uteris auctoritate, et a Deo petis cibum, et vires ad iter ingrediendum? Is autem dicit ad eum : Virtus mea et laus mea Dominus; tu autem ne tentaveris servum Dei. Facit ergo diabolus ut ei phantasma appareat, camelus onera bajulans, et errans per solitudinem, habens omnia ad usum necessaria. Qui cum vidisset Macarium, prope eum assedit. Is autem suspicatus esse phantasma, sicut erat, constitit ad orandum : is vero protinus a terra fuit absorptus.

Phantasma oratione pellit.

11 *a* Aliquando rursus venit hic Macarius Alexandrinus ad magnum Macarium, qui erat in Scete : et cum ambo essent Nilum transmissuri *b* accidit ut ipsi maximum pontonem ingrederentur : in quem ingressi sunt duo Tribuni cum magno fastu et apparatu, ut qui intus haberent rhedam totam æneam, et equos frenis aureis, et quosdam eos stipantes milites, satellites, et pueros torquibus et aureis zonis ornatos. Postquam ergo Tribuni viderunt ipsos veteribus pannis indutos, et sedentes in angulo, humilem illam et tenuem vivendi rationem beatam judicabant; unus autem ex ipsis Tribunis dixit ad ipsos : Beati estis vos qui mundum illuditis *c*. Respondens autem Macarius qui erat urbanus, dixit eis : Nos quidem mundum illusimus, vos autem illusit mundus. Scias autem te non tua sponte hoc dixisse, sed prophetice : ambo enim vocamur Macarii, hoc est beati. Is autem ejus sermone compunctus cum domum venisset, vestes exuens, delegit vitam agere solitariam, multas faciens eleemosynas.

Ex vitis PP.

Beatus cum socio prædicatur a Tribuno.

Monachi mundo, mundus sæcularibus illudit. Tribunum responso convertit.

12 *d* Rursus cum aliquando cupiisset vesci uvis recentibus, perbellisque ad se missis, ostendens continentiam, eas *e* misit ad alium fratrem laborantem, qui ipse quoque uvas desiderabat. Qui cum eas accepisset, et magna affectus esset lætitia, suam celare volens continentiam, eas misit ad alium fratrem laborantem, qui ipse quoque eum cibum appeteret. Cum ille quoque accepisset, rursus hoc ipsum fecit, etsi ipse valde vesci cuperet. Postquam autem ad multos fratres deinde venerunt uvæ, cum nullus eis vesci voluisset, postremus qui eas acceperat, eas rursus misit ad Macarium, tamquam magnum ei donum largiens. Qui cum rem curiose inquisiisset, admiratus et Deo actis gratiis ob tantam eorum continentiam, ne ipse quidem ex iis tandem comedit.

Cibi concupiscentiam domat.

Uvam monachi in orbem transmittunt, temperantiæ et caritatis studio.

a *Idem refert* Ruffin. l. 2. c. 29. Joannes libel. 4, n. 15.
b *Addit Ruffin.* Fratris cujusdam videndi caussa.
c *Addit Ruffin.* et nequaquam ex eo requiritis nisi indumentum vilissimum et parcissimum victum.
d Ruffin, l. 2. c. 29, et l. 3, n. 42.
e *Ruffin,* detulit.

CAPUT III.

Ejus abstinentia. Somnolentiam, tentationis carnis, vindictæ cupiditatem superat.

Omnium virtutes imitatur Macarius.

Atque hæc quidem est magni Marcarii exercitatio, quam ego et multi accurate apud ipsum didicimus. Si quod opus exercitationis aliquem unquam fecisse audiit, omnino id ardenter effecit.

7 annis cibis non coctis vescitur.

14 Cum ab aliquibus audiisset, Tabennesiotas per totam quadragesimam nulla re vesci quæ igni esset admota, statuit hic Sanctus septem annis nihil comedere quod per ignem transisset : et toto illo septennio nihil gustavit præter cruda olera, vel si quæ forte invenisset legumina humectata. Cum hoc ergo recte gessisset, aspernatus est hanc vivendi rationem. Audiit autem ab aliquo alio hic monachorum optimus, quod quidam monachus comedebat libram panis. Quem æmulatus, fregit quod habebat buccellatum, et immisit in lagenam, statuens solummodo tantum comedere, quantum manus ejus sursum ferret. Magna est autem hæc in tractando corpore asperitas. Festive enim nobis narrabat : Plura quidem frusta apprehendebam; sed non sinebar efferre ob angustiam foraminis. Publicanus enim meus mihi non permittebat omnino vesci *a*. Totos ergo tres annos hanc exercuit continentiam, quatuor vel quinque uncias comedens, et aquam quæ eis responderet : olei autem sextarium toto anno consumebat in alimentum.

Parum comedit.

4 vel 5 uncias die uno comedit.

Somnum superare contendit.

15 Alia athletæ exercitatio. Statuit indomitus hic vir somnum superare, etenim utilitatis gratia hoc ipse narravit : Totis viginti diebus et noctibus non sum tectum ingressus, ut somnum vincerem, cum interdiu quidem æstu arderem, noctu vero algore rigerem. Quod nisi, inquiebat, tectum citius essem ingressus, et somno usus essem, ita mihi erat arefactum cerebrum ut deinceps agerer in extasim *b* : et quod ad me quidem attinet; vici somnum; quod autem ad naturam opus habentem, ei cessi.

Resistit spiritui fornicationis.

16 Ei aliquando molestiam exhibuit spiritus fornicationis

Ex vitis PP.

nicationis : et tunc condemnavit seipsum sedere nudum sex menses in palude Scetes, quæ est in vasta solitudine, in qua possunt culices vel sauciare pelles aprorum, ut qui sint æque magni ut vespæ, adeo ut in toto ejus corpore infixerint aculeos : ut nonnulli existimaverint eum esse leprosum. Reversus ergo in suam cellulam post sex menses, ex voce cognitum est eum esse Dominum Macarium.

Culice occiso, morsibus culicum se exponit.

17 *Hoc aliter paullo refertur in Paradiso Heraclidis cap.* 6, *his verbis :* Hic quodam die dum in cella sua matutinus sederet, culicem sensit : a quo vulneratus in pede, dolensque eum manu sua peremit, qui et moriens, plurimum cruoris effudit. Reprehendens igitur factum suum, in eo quod injuriam propriam vindicasset, ita condemnare se voluit, ut in pratis eorum locorum quibus Scithiæ nomen est, qui in solitudinibus extremis jacent, nudus per sex menses sederet, ubi culices crabronibus similes, aprorum quoque perforant cutem. Ergo illic exulceratus est totus, quibusdam tuberibus per omnia ejus membra turgentibus, ut unus crederetur ex illis esse, qui elephantiosi vocantur. Post sex autem menses regressus ad cellam suam, sola (quod ipse esset Macarius) ejus voce patefactum est. *Cum Herveti versione convenit antiqua ignoti interpretis.*

CAPUT IV.

Monumentum Janne et Mambre magorum Pharaonis adit. Lactatur a bubala.

Monumentum Janne et Mambre adire statuit, ut cum dæmonibus contendat.

P*ergit Palladius :* Is cupiit aliquando, ut ipse nobis narravit, quod in hortis erat, ingredi monimentum, quod dicitur κηποτάφιον Janne et Mambre magorum, qui erant tempore Pharaonis, ut id videret, vel etiam ut conveniret eos qui illic sunt dæmones. Dicebatur enim plurimos, eosque ferocissimos, in eo loco ab illis collocatos esse dæmones per infamis artis eorum excellentiam. Hoc autem monumentum factum est a Janne et Mambre fratribus, qui propter magicæ artis excellentiam primas partes habebant illo tempore apud Pharaonem. Ut qui ergo illo vitæ suæ tempore maximam in Ægypto haberent potestatem, construxerunt illud opus ex lapidibus quadratis et suum illic fecerunt monimentum : et cum multum illic auri deposuissent, et omne genus arbores plantassent, maximum quoque puteum aquæ foderunt : est enim locus humidus. Hæc autem omnia fecerunt, sperantes post suum hinc discessum frui deliciis in illo paradiso. Tandem ergo quoniam nesciebat viam quæ ad eum ducit hortum. Dei servus Macarius, conjectura quadam sequebatur astra, et sicut nautæ qui transmittunt maria, totam pervasit Sanctus solitudinem : et cum aliquot etiam accepisset arundines, unam statuit in unoquoque milliari, ut per ea signa remearet. Cum ergo intra novem dies totam illam pervasisset solitudinem, et esset prope illum hortum, succedente nocte parum dormiit. Immanis vero dæmon, qui semper adversatur Christi athletis, cum collegisset omnes illas arundines dormiente Macario, et circiter ad unum lapidem a monumento ad ejus caput posuisset, recessit : postquam ergo surrexit, invenit colligatas arundines, quas ipse fixerat signi causa. Fortasse autem hoc quoque fuit Dei permisso ad majorem ejus exercitationem, ut non speraret in arundinibus, sed in Dei gratia, quæ per columnam nubis deduxit Israel quadraginta annis in terribili illa solitudine. Dicebat autem Macarius : Cum propius accessi ad illud monimentum, ex eo egressi mihi occurrerunt ad septuaginta dæmones variis formis præditi; alii quidem clamantes, alii vero exilientes, alii vero cum magno fremitu in me stridentes dentibus, alii vero tamquam corvi volantes, audebant meo vultui insultare, dicentes : Quid vis, Macari * tentatio monachorum? quid ad nos accessisti? an non nos quoque aliquem ex monachis vexavimus? Quæ nostra sunt tu cum tuis similibus illic habes, nempe solitudinem, et illinc nostros cognatos fugavistis. Nihil est nobis tecum commune. Quid loca nostra invadis? tamquam anachoreta contentus esto solitudine. Qui hunc locum ædificarunt, eum nobis assignarunt : non potes hic manere. Quid quæris ingredi in hanc possessionem, in quam nullus ex vivis hominibus est ingressus, ex quo fratribus, qui hoc condiderunt, sunt a nobis hic factæ exequiæ? Et cum multa adhuc turbarent et insultarent dæmones, dixit eis S. Macarius : Ingrediar tantum, et videbo, et hinc recedam. Dixerunt autem dæmones : Hoc nobis promitte in tua conscientia. Dicit autem Christi servus : Hoc faciam. Dæmones autem evanuerunt. Ingrediente autem eo in paradisum, ei occurrit diabolus cum stricta romphæa, ei minitans : ad quem hanc vocem respondit. S Macarius : Tu venis ad me in stricta romphæa; et ego contra te ingrediar in nomine Domini Sabaoth, in acie Dei Israel. Ingressus autem, contemplatus sum omnia, in quibus inveni etiam cadum æneum catena ferrea pendentem ex puteo, jam tempore consumptum, et fructum malorum Punicorum quæ nihil intus habebant, fuerant enim arefacta a sole, et plurima aurea donaria. Cum Sanctus ergo illinc recessisset absque tumultu et citra ullam perturbationem, reversus est per viginti dies in suam cellam.

Signa viæ noscendæ tollit dæmon.

Dæmones variis formis illi apparent.

* *Heraclid.* tentator monache?

Dæmonis romphææ, nomen Domini opponit.

Descriptio sepulchri magorum.

19 Cum autem defecissent panes et aqua quam portabat, in magna erat afflictione. Viginti enim diebus ingrediens per solitudinem, ut existimo, nihil omnino gustavit, ut etiam res ostendit. Fortasse autem tentabatur quoque intolerantia. Et cum jam parum abesset quin collaberetur, visa est ei quædam puellæ speciem præ se ferens, ut ipse narrabat, munda linea veste induta, et tenens urnam aqua stillantem : quam dicebat Macarius abfuisse ab eo circiter unum stadium, qui tres dies ingressus est eam videns cum urna tamquam stantem, et eum provocantem, non valentem eam assequi : spe autem bibendi, trium dierum laborem fortiter sustinuit. Postquam apparuit multitudo bubalarum, ex quibus una stetit ex adverso ejus habens vitulum, sunt enim multæ in illis locis, et ut dicebat nobis Macarius, uber ejus lacte fluebat, et desuper sonuit vox ei dicens : Macari accede ad bubalam, et lactare. Cum ergo, inquit, ad eam accessissem et lactatus essem, mihi suffecit. Ut autem majorem gratiam ostenderet Dominus, docens meam parvitatem, jubet bubalam me sequi usque ad cellam. Illa vero parens jussui secuta est, me quidem lactans, suum autem non admittens vitulum.

Tentatur inedia et siti multorum dierum.

Lactatur pluribus diebus a bubala.

20 *Subdit antiqua versio Palladii :* Reversus ergo ad fratres cum indicasset de opportunitate loci, multorum inflammati sunt animi, ut pergerent illuc cum eo. Sed ubi sancti Patres senserunt animos juvenum concitatos ad pergendum, represserunt eos salubri consilio, dicentes : Locus iste si vere, ut dicitur, a Janne et Mambre constitutus est, non aliud de eo credendum est, nisi quod diaboli opere ad deceptionem nostram forsitan præparatus sit. Si enim deliciosus est et abundans, quam requiem sperabimus in futuro sæculo, si hic deliciis fruimur? Hæc atque alia dicentes, juvenum animos represserunt. Licet enim diversorum pomorum amœnus esset locus, et abundans omnibus necessariis, sed non posse dicebat adduci illuc plures fratres, ne forte venientes per eremum a dæmonibus deciperentur. Multos enim aiebat esse dæmones, quorum fremitus et calliditates, ferre multitudo fratrum insueta non posset.

Alii monachi ad illud monumentum accedere vetiti.

Eadem habentur lib. 2. *cap.* 29. *Sed falsum puto Ruffinum, dum scribit repertos isthic a Macario duos fratres, qui vetuerunt ne plures eo adduceret.*

CAPUT

CAPUT V.

In Tabennense S. Pachomii monasterium admittitur ignotus. Admirabilis ejus abstimentia.

Aspidis morsus ei non nocet.

Prosequitur *Macarii gesta Palladius* : Aliquando rursus cum puteum foderet hic vir virtute præditus ad recreandos monachos (is autem erat prope folia et sarmenta illic posita) morsus est ab aspide : est autem venenatum et exitiosum animal. Ambas fauces aspidis apprehendens Sanctus ambabus manibus, eam discerpsit, dicens : Cum te non misisset Dominus meus, quomodo ad me ausus es accedere?

Explorat austeritatem Tabennesiotarum.

22 Cum ipse rursus magnus audiisset Macarius, quod haberent præclarum vitæ institutum Tabennesiotæ, veste mutata, et assumpto mundano habitu *a* operarii, spatio quindecim dierum pervenit Thebaidem, ingressus per solitudinem. Et cum venisset in monasterium Tabennesiotarum, quæsiit eorum Archimandritam, nomine Pachomium, virum probatissimum qui et gratiam habebat Propheticam, cui quidem Sancto tunc revelatus non fuerat magnus Macarius. Cum ergo eum convenisset, dicit ei Macarius : Oro te, suscipe me, quæso, in tuum monasterium, ut fiam monachus. Dicit ei magnus Pachomius : Non potes deinceps fieri monachus, qui sis tam provectus ætate : non potes te exercere. Sunt fratres qui se exercent a juventute, et laborem tolerant : tu autem in hac ætate non potes ferre tentationes exercitationis : offenderis, et exibis, et nobis maledices. Neque eum accepit, nec primo die, nec secundo, usque ad septem dies. Ille vero fuit constans, manens jejunus. Postea autem dicit ei senex Macarius : Suscipe me, Abba; et nisi jejunavero et fecero ea quæ ipsi opera, jube me ejici ex monasterio. *b* Persuadet fratribus magnus Pachomius, ut eum admittant. *c* Est autem unius monasterii conventus, mille quadringenti viri usque in hodiernum diem. Ingressus est ergo. Cum autem præteriisset aliquantum temporis, advenit quadragesima; et vidit senex Macarius unumquemque suscepisse diversas vivendi rationes : alium quidem comedere vespere, alium vero post duos dies, alium post quinque; alium stare per totam noctem, interdiu vero sedere ad opus. Ipse autem cum aliquot palmæ ramos *d* sibi madefecisset, stetit in uno angulo, et donec quadraginta dies impleti essent, et advenisset Pascha, non sumpsit panem, non aquam, non genu flexit, non sedit, non accubuit, nihil aliud gustavit præter pauca cruda crambes folia, quæ sumebat die Dominico, ut videretur comedere, et non incideret in arrogantem de se persuasionem : et si quando egrediebatur ad aliquid necessarium, cito rursus ingrediens stabat ad opus, os non aperiens, sed stans silentio, nihil aliud faciens præterquam silentium in corde exercens, et faciens orationem, et ramos palmæ operans, quos habebat in manibus. Cum autem hæc vidissent omnes exercitatores illius monasterii, seditionem excitarunt adversus suum Præfectum : Undenam nobis adduxisti hunc hominem sine carne ad nostri condemnationem? Aut eum hinc ejice, aut, ut scias, nos omnes hinc recedimus. Cum hæc autem a fratribus audiisset magnus Pachomius, de eo est sciscitatus. Et cum didicisset ejus vitæ agendæ rationem, Deum rogavit ut ei revelaretur quisnam sit. Revelatum est autem ei eum esse Macarium monachum. Tunc ejus manum prehendit magnus Pachomius, et eum foras educit : et cum deduxisset in domum oratorii ubi est ara, et esset amplexus, ei dicit : Adesdum, venerande senex. Tu es Macarius, et me id celasti. Multis abhinc annis cupii te videre cum de te audirem. Ago tibi gratias, quod filios meos subegeris, ne se jactent et magnifice circumspiciant propter suam exercitationem. Rogo ergo te recede in locum tuum : nos enim satis ædificasti, et ora pro nobis. Tunc ab ipso rogatus, et eum omnibus fratribus orantibus sic recessit.

7 diebus perseverat petens ut in illorum monasterium admittatur.

Quadragesima a monachis diversimode observatur.

Portentosum Macarii jejunium.

Monachi de eo murmurant.

Agnoscitur a Pachomio Macarius revelatione.

Ex vitis PP.

a *antiqua versio* : rustici.

b *antiqua versio* : Jussit.

c *antiquo versio* : Est autem congregatio per singula monasteria mille quadringenti viri. Multorum enim monasteriorum B. Pachomius Pater erat, et multa millia monachorum congregatio erat, etiam et usque nunc sunt, Christi gratia largiente.

d *Heraclid.* de arboribus dactylorum cortices tenens infusos et copiosos.

CAPUT VI.

Contemplationis studium. Presbyterum a cancro sanat Macarius, jussum a celebratione sacrorum abstinere.

Fervens contemplationis studium.

Aliquando rursus narravit nobis hic vir impatibilis : Quando recte gessissem omnem vitæ monasticæ agendæ rationem, tunc veni ad aliud spiritale desiderium. Statui enim quinque dies solum mentem meam ita componere, ut a Deo avelli non posset, et nihil aliud omnino cogitaret. Et cum id apud me statuissem, clausi meam cellam et aulam extrinsecus, ut nulli darem responsum. Et steti incipiens a secunda, et menti meæ præcipiens, et ei dicens : Vide ne descendas de cælis. Habes Angelos, Archangelos, omnes supernas potestates, Cherubim, et Seraphim, Deum horum omnium effectorem. Illic versare : ne sub cælos descenderis; ne incideris in mundanas cogitationes. Cum duos autem, inquit, dies et duas noctes perseverassem; ita irritavi dæmonem, ut ipse fieret flamma ignis, et combureret omnia quæ habebam in cella, adeo ut etiam storea, supra quam stabam, igne arderet : et sic me quoque existimarem totum conflagrare. Tandem timore affectus tertio die destiti ab hoc proposito : cum non possem amplius mentem meam tenere indivulsam, sed descendi ad hujus mundi contemplationem, Deo fortasse permittente, ne hoc mihi reputaretur in superbiam.

Mentem in cœlestia ut erigeret.

Dæmon omnia in cella ejus comburit.

Presbyter cancro laborans ad eum accedit.

24 Ego ad eum accessi aliquando, et inveni extra ejus cellam jacentem quemdam cujusdam vici Presbyterum, cujus caput ita erat exesum a morbo qui dicitur cancer ut etiam ipsum os totum appareret in vertice. Is accessit ad ipsum, ut curaretur : nec eum admittebat ad colloquium. Rogavi autem eum, dicens : Miserere hujus miseri, et saltem da ei responsum. Is vero mihi respondit, dicens : Est indignus qui curetur; missa est enim ad eum hæc a Domino disciplina. Quod si velis eum curari, persuade ei ut deinceps abstineat a ministerio sanctorum Sacramentorum. Ego autem ei dico : Quamobrem quæso? Is vero dicit : Fornicans sacrum peregit ministerium, et ideo castigatur. Nunc ergo si metu desistat ab eo quod ausus est facere per contemptum, Deus ipsum curabit. Postquam ergo dixi ei qui affligebatur jurejurando est pollicitus se non amplius Sacerdotis partes obiturum. Tunc eum accepit, et dixit ei : Credisne esse Deum quem nihil latet? Respondit ille : Maxime rogo te. Deinde ei dicit Macarius : Non potuisti Deo illudere? Dicit ille : Non potui, Domine mi. Dicit ei Macarius : Si agnoscis tuum peccatum, et Dei disciplinam, propter quam hæc subiisti, corrigitor in posterum. Qui confessus est peccatum, et spopondit se non amplius peccaturum, neque altari ministraturum, sed sortem laicam amplexurum. Deinde sic Sanctus ei manus imposuit, et paucis diebus fuit curatus, capillique ei creverunt, et sanus domum rediit, Deum glorificans : egit autem magno quoque Macario gratias.

Cancro laborat quia conscius fornicationis celebrarat.

S. Macarius varia prius pollicitum sanat.

CAPUT VII.

Diversæ ejus cellæ, variæ curationes, inquietudinis et vanæ gloriæ repressus spiritus.

Variæ Macarii cellæ.

Hic Sanctus habebat diversas cellas : unam quidem in

Ex vitis PP. * *Paradis. Heraclid.* aliam in Lybia ubi Cellæ vocantur. *Quadragesima.*

in Scete, quæ est interior in solitudine, et * unam in Libya, et unam in Celliis, et unam in monte Nitriæ. Et aliæ quidem carebant ostio, in quibus dicebatur sedere in quadragesima in tenebris; alia autem erat angustior, in qua non poterat pedem extendere; alia autem latior, in qua conveniebat eos qui ad ipsum ventitabant.

Multos dæmoniacos curat.

26 Hic curavit tantam multitudinem eorum qui vexabantur a dæmonibus, ut ea non cadat in numerum. Cum nos autem illic essemus, virgo nobilis et dives deducta est ad eum e Thessalonica in finibus Achaiæ, quæ multis annis laborabat paralysi. Hanc ante cellam suam projectam, misericordia commotus, viginti diebus ungens oleo sancto suis manibus, et orans, sanam remisit in suam civitatem. Quæ cum pedibus suis recessisset, ad Sanctos copiosam misit oblationem. *Addit antiqua versio :* Per diversa sancta monasteria.

Item paralyticam, oleo sancto.

Item dæmoniacum abstinentia a carnibus et vino ad dies 40 *imposita.*

27 Me autem præsente adductus est ad eum puer qui vexabatur a spiritu. Ei autem manum imponens in capite, et sinistram supra cor, tamdiu oravit, donec fecisset ipsum pendere in aere. Tanquam uter ergo puer inflatus, adeo intumuit, ut esset maximi ponderis. Et cum repente exclamasset, per omnes sensus aquam emisit; et cum rursus desiisset, rediit ad eam in qua prius erat mensuram. Et tradidit eum patri, cum unxisset oleo sancto, et cum aquam infudisset, præcepit ne quadraginta diebus carnes gustaret, nec vinum : et sic eum curavit.

Vanæ gloriæ et inquietudinis spiritui resistit.

28 Eum aliquando subierunt cogitationes vanæ gloriæ, quæ eum e cella ejiciebant, et suggerebant, ut honesto consilio et justa de causa Romam pergeret, pro beneficio eorum qui ægrotabant : valde enim in eum operabatur gratia adversus spiritus. Postquam autem longo tempore non obediit, valde agitabatur. Cadens vero in limine cellæ, foras pedes emisit, et dicit : Trahite et vellite, o dæmones si potestis. Ego enim non abeo meis pedibus, jurans fore ut jaceat usque ad vesperam, et nisi eum excutiant non esse auditurum. Cum autem diu procubuisset surrexit : cum nox autem adventasset, ei rursus exhibueri negotium. Et cum duorum modiorum sportam implesset arena, et imposuisset humeris, pervadebat totam solitudinem. Huic occurrit Theosebius Cosmetor, genere Antiochenus, et ei dicit : Quid portas, Abba? Cede mihi onus, et ne vexeris. Ille autem dixit : Vexo eum qui me vexat : nam cum sim remissus et ignavus, suggerit mihi peregrinationes. Cum autem diu promovisset, ingressus est cellam contrito corpore.

CAPUT VIII.

Ab hyæna munus accipit : non spuit. Palladii inconstantiæ medetur. Marci sanctitas.

Heraclides hæc de Marco narrat. *Paphnutius Macarii discipulus.*

Narravit autem nobis Dei quoque servus Paphnutius, præclari hujus Sancti discipulus, quod cum quodam die sederet in aula S. Macarius, et Deum alloqueretur, hyæna acceptum suum catulum, qui erat cæcus, attulit ad S. Macarium : et cum capite pulsasset ostium aulæ, ingressa est, eo adhuc sedente, et projecit catulum ad ejus pedes. Cum autem accepisset catulum S. Macarius, et spuisset in ejus oculos, oravit, et statim vidit. Et cum mater eum lactasset, et accepisset, ita exiit. Die autem sequenti pellem magnæ ovis attulit ad S. Macarium : et cum Sanctus vidisset pellem, hæc dixit hyænæ : Undenam hanc habuisses, nisi ovem alicujus devorasses? Quod ergo proficiscitur ab injuria, ego a te non accipio. Hyæna autem humi inclinato capite genu flectebat ad pedes Sancti, et ponebat pellem. Ipse autem ei dicebat : Dixi me non accepturum, nisi juraveris te non amplius offensuram pauperes, comedendo eorum oves. Illa vero ad hoc quoque capite suo annuit, ut quæ Sancto assentiretur Macario. Tunc accepit pellem ab hyæna. Beata autem Christi ancilla Melania dixit mihi, se illam pellem accepisse a Macario illo, quod appellabatur munus hyænæ. Quid vero mirum est apud viros mundo crucifixos, si hyæna beneficio affecta, ad Dei gloriam, et honorem servorum ejus, id sentiens ad eum munera attulerit? Nam qui in Daniele Propheta mansuefecit leonis, huic quoque hyænæ largitus est intelligentiam.

Cæcum hyenæ catulum sputo et oratione illuminat.

Hyæna ovis pellem ei defert.

Adjurat eam ne pauperibus noceat.

Pellem illam Melaniæ dat Macarius.

30 De eo autem dictum est, quod ex quo fuit baptizatus, humi non spuerit, cum essent sexaginta anni, ex quo fuerat baptizatus. Annos enim natus quadraginta baptismum susceperat.

Hoc etiam de Marco habet Heraclides. *Humi non spuit.*

31 Forma autem ejus erat hujusmodi. Oportet enim me quoque tibi hoc significare, Christi serve, ut qui hoc sciam optime, cum mea parvitas ei fuerit tempore æqualis. Erat autem ejus forma satis minuta ac mutila et rara, pilos solum habens in labro. Quinetiam in suprema parte habebat paucos. Nam propter ingentes labores exercitationis, ne pili quidem menti barbæ ei enati sunt.

Qua forma fuerit Macarius.

Consulit eum Palladius spiritu inconstantiæ tentatus.

32 Ad hunc S. Macarium cum quodam die venissem, et essem animo valde anxius, dico illi : Abba Macari, quid faciam? quoniam me affligunt cogitationes mihi dicentes : Nihil facis, recede hinc. Respondit mihi dicens sanctus Pater Macarius : Dic tu tuis cogitationibus : Propter Christum custodio parietes.

Hæc o studiose et amantissime Christi serve, ex multis et magnis signis et certaminibus inclyti et virtute præditi Macarii significavi.

Videt Macarius Eucharistiam Marco ab Angelo dari.

33 Hic Macarius nobis narravit (erat enim Presbyter) se observasse tempore communionis Christi Sacramentorum, se Marco exercitatori numquam dedisse oblationem, sed ei Angelum dedisse ex ara : solum autem se vidisse digitum manus ejus qui dabat. *Plura de hoc Marco narrat Palladius cap.* 21 *historiæ suæ Lausiacæ, sive lib.* 8 *de vitis PP.*

CAPUT IX.

Scithi solitudo in Ægypto. Illusiones dæmonum in oratione, merita communicantium agnoscit Macarius.

Joannes libel. 3, num. 15. *Scithium locus S. Macarii.*

Solitudinem Sceten sive Scithi, *ubi multo tempore habitavit Macarius, ita describit Ruffinus lib.* 2 *cap.* 29. Locus autem in quo habitabat ipse S. Macarius, Scithium appellatur. Est autem in eremo vastissima positus, diei et noctis iter habens de Nitriæ monasteriis; et hoc nulla semita, neque terrenis aliquibus colligitur vel monstratur indiciis, sed stellarum signis et cursibus pergitur. Aqua raro invenitur, et sicubi inventa fuerit, odoris quidem dirissimi est, et quasi bituminea, sed saporis innoxii. Sunt ergo ibi viri valde perfecti (nec enim patitur tam terribilis locus, nisi perfecti propositi habitatores summæque constantiæ) caritatis tamen inter se, et erga omnes, si qui forte ad eos accesserunt, summum studium gerunt.

Scithiotæ monachi perfecti.

Idem Ruff. l. 3. n. 43. *Macarius a dæmone ad collectam vocatur.*

35 *Paullo inferius ista submectit Ruffinus :* Ad fidem confirmatum nobis de eo est ab his qui ex ore ejus audierant, quod quodam tempore noctis dæmon ad ostium cellulæ ejus pulsaverit, dicens : Surge, Abba Macari, et eamus ad collectam, ubi fratres ad vigilias congregantur. Sed ille, qui gratia Dei repletus falli non poterat, intellexit diaboli esse fallaciam, et ait : O mendax et veritatis inimice! quid enim tibi consortii, quid societatis est cum collecta et congregatione Sanctorum? At ille : Latet ergo te, inquit, o Macari, quod sine nobis nulla collecta agitur, nullaque congregatio monachorum? Veni denique, et videbis opera nostra. Tunc ille : Imperet, inquit, tibi Dominus, dæmon immunde. Et conversus ad orationem, petiit a Domino, ut sibi ostenderet, si hoc verum esset, quod gloriatus est dæmon. Abiit ergo ad collectam, ubi a fratribus vigiliæ celebrantur, et iterum in oratione Dominum

Videt dæmones collectis interesse, eorumque varias suggestiones.

Dominum deprecatur, ut sibi veritatem verbi hujus ostendat. Et ecce vidit per totam ecclesiam quasi parvulos quosdam puerulos Æthiopes tetros discurrere huc atque illuc, et velut volitando deferri. Moris est autem inibi sedentibus cunctis, ab uno dici psalmum, ceteris vel audientibus vel respondentibus. Discurrentes ergo illi Æthiopes pueruli, singulis quibusque sedentibus alludebant, et si cui duobus digitulis oculos compressissent, statim dormitabat : si cui vero in os immersisset digitum, oscitare eum faciebant. Ubi vero post psalmum ad orandum se projecissent fratres, percurrebant nihilominus singulos, et ante alium jacentem in oratione quasi mulierum specie ferebantur, et ante alium quasi ædificantes atque portantes aliquid, ac diversa quæque agentes apparebant. Et quæcumque dæmones quasi ludendo formassent, hæc orantes illi in cordis sui cogitatione versabant : a nonnullis tamen, ubi aliquid horum agere cœpissent, quasi vi quadam repulsi, præcipites dejiciebantur, ita ut nec stare quidem prorsus, aut transire juxta eos auderent : aliis vero etiam infirmis fratribus supra cervices et dorsa ludebant, quia non erant in oratione sua intenti. Hæc cum vidisset S. Macarius ingemuit graviter, et lacrymas profundens ad Dominum, Respice, ait Domine, et ne fileas, neque mitigeris Deus. Exurge ut dispergantur inimici tui, et ut fugiant a facie tua, quoniam anima nostra repletur illusionibus. Post orationem tamen examinandæ veritatis gratia seorsum evocatis singulis quibusque fratribus, ante quorum faciem viderat dæmones diverso habitu et variis imaginibus ludentes, requirit ab eis si in oratione vel ædificandi cogitationes habuerint, vel iter agendi, vel alia diversa, quæ unicuique imaginata per dæmones viderat : et singuli eorum ita confitebantur in corde suo fuisse, ut ille arguebat : et tunc intellectum est, quod omnes vanæ et superfluæ cogitationes, quas vel psalmorum vel orationum tempore unusquisque conceperit, ex illusione dæmonum fiant : ab his autem qui omni custodia cor suum servant, tetri repelluntur Æthiopes. Deo enim conjuncta mens, et in ipso tempore præcipue orationis intenta, nihil alienum, nihil superfluum recipit.

Superfluæ cogitationes in oratione opus dæmonis.

Merita et demerita communicantium et illusiones dæmonum videt Macarius.

Psal. 82. 2.

Psal. 67. 2.

36 Aliud quoque multo terribilius addebat, quod vidisset eo tempore, quo fratres accedebant ad Sacramenta ; ubi porrexissent ad suscipiendum palmas, in nonnullorum manibus prævenientes Æthiopes, carbones deponere ; Corpus autem, quod tradi Sacerdotis manibus videbatur, redire ad altare ; aliis vero, quos meliorum merita juvabant, extendentibus manus ad altare, longe recedere dæmones, et cum ingenti metu refugere : Angelum enim Domini assistere cernebat altari, qui cum Sacerdotis manu suam quoque manum in Sacramentorum distributione superponeret. Ex hoc jam permansit a Deo gratia ista, ut in vigiliis fratrum, psalmorum et orationis tempore, si quis aliud aliquid secundum illusionem dæmonum in corde cogitasset agnosceret, et accedentium ad altare vel indignitates eum vel merita non laterent.

DE S. MARTINIANO

ARCHIEPISCOPO MEDIOLANENSI.

CIRCITER AN. CHR. CDXXXI.

II JAN.

S. Martiniani nomen in sacris fastis.

De S. Martiniano, sive Materniano, XVII *Mediolanensium Antistite Romanum Martyrologium hoc die :* Mediolani S. Martiniani Episcopi, *Galesinius :* Mediolani S. Martiniani Episcopi. Hic illius urbis septimus et decimus Episcopus, sanctitate et multis miraculis clarus, Innocentio I Pontifice quievit in Domino.

Quando vixerit et quamdiu.

Hæc ejus chronologia paullo post confutatur ex Josepho Ripamontio, asserente anno Christi CDXXXI. *Cælestini nempe* VIII *decessisse. Estque id necessario asserendum si Synodo Ephesinæ per Legatos interfuit, quæ anno* CDXXXI, *est habita. Hinc et ipse quoque refelleretur Baronius, qui in Notis ad Martyrologium claruisse Martinianum scribit temporibus Papæ Zosimi, cum Zosimus anno* CDXVIII, VII *Kalend. Januar. obierit, Martinianus vero anno demum* CDXXII, *injerit Pontificatum, Bonifacii Papæ anno* IV, *nisi assentiamur Demochari, qui electum scribit anno* CDXVII, *sedisse annos* XIII. *Ejus minimit Claudius Robertus in catalogo Episcoporum Mediolanensium traditque sedisse annis tribus.*

2 *Martiniani vitam* MS. *citat Galesinius ex antiquis Ecclesiæ Mediolanensis monumentis. At Baronius solas tabulas Ecclesiæ Mediolanensis citat ab ipso Galesinio illustratas.*

3 *De eo hæc scribit Josephus Ripamontius lib.* 6, *historiarum Ecclesiæ Mediolanensis :* Nil ferme habuit Maroli Pontificis ætas, quod memoratu sit dignum. Per silentium et oblivio Martinianum et Glycerium secutos Antitistes involvit, nisi quod utrumque Acta conventus Ephesini, Martinianum vero etiam sua scripta vindicavere, queis Nestorianam sectam evertit.

Scripsit contra Nestorium.

4 *Originem deinde exponit hæreseos Nestorianæ, sed vehementer fallitur quod Nestorium Germanum facit. Fuit enim ut Socrates scribit lib.* 7, *c.* 29, *ex Germanicia (ex Germanica vertit Christophorsonus, Grece est* Γερμανικείς) *aut, ut Theodoretus, ex Germanicorum civitate oriundus. Eam vero urbem idem Theodoretus lib.* 2. *histor. Eccles. cap.* 25, *scribit esse in loco ubi Cilicum, Syrorum, et Cappadocum fines terminantur, subjectam Euphratesiæ provinciæ. Vide Ortelium in thesauro, qui ex historia Miscella ait Germaniciam translatam in Palæstinam; ex Glyca, Nestorium ex Germanicia Syriæ oriundum.*

Librum suum mittit ad Theodosium et Concil. Ephesinum.

5 *Tandem de Martiniano subdit Ripamontius :* Martinianus igitur dogma Nestorianum acri et vehementi scripto confutavit : eumque librum Theodosio Principi destinatum transmisit ad ipsos Ephesini Concilii Patres, quos fama est, Mediolanensis Archiepiscopi doctrina et ingenio magnopere delectatos fuisse. Sed grave mendum irrepsit in Ambrosiana monumenta, litterasque. Nam cum septennio ferme ante quam scriptum illud evulgaretur, decessisse Honorium constet, sic habent eæ litteræ, scripsisse Martinianum ad Augustos Honorium et Theodosium de Nestorii mendaciis et vanitate prævaque doctrina.

Quidam rebelles Episcopi fingunt eum a se stare.

6 Illud quoque tralatitium est ac mendosum, quod eadem Ambrosiana monumenta tradunt de litteris, quas Martinianus idem ad Ephesini Concilii Patres cum misisset, hanc inde laudem tulerit, ut Sanctissimus Deoque carissimus appellaretur. Quippe sunt ea verba rebellium quorumdam Episcoporum, qui conventus Ephesini decreta coaspernantes proprioque conciliabulo ad ea labefactanda congregati, cum alia multa fecere fraudulenter ac dolose, tum hancce sparsere famam et aluere, tamquam Italici generis Antistites ab sua parte starent, illos alteros aversarentur. Id utique volentes increbrescere, vulgavere suas litteras, queis gravissimum quemque Pontificum Italorum ceu fautorem et gregalem suum appellarent. Ac alios quidem alio verborum honore per eam artem commentumque sunt prosecuti ; Martino Mediolanensi (id enim nomen accepere pro Martiniano (illa ipsa, quæ retulimus, verba circumdedere.

Ex variis Auct.

7 Tertium denique mendum circa Pontificis hujus ætatem ex quotidiani officii narratiuncula oportebit auferri. Nam ea tres tantum Pontificatus designat annos, cum in nonum usque debuerit pervenire, siquidem is Ephesini Concilii pars fuit. Decessit A. D. IV Non. Januar. jacent ossa in basilica D. Stephani.

Scdit annis 9.

8 Sequitur eum fama tamquam fuerit eximia oris dignitate, ac pudore quodam virginali. Id ego ab aliis traditum omittere non debui, cum alioqui nulla effigies ipsius extet; et mortalium lineamenta, vultusque sermone tantum ac traditione custodiri, et in sæcula, prout fuerunt, venire vix quisquam credat. *Hæc Ripamontius. Extat de Martiniano S. Ennodii Ticinensis Episcopi carmen.*

Dicitur fuisse formosus.

DE S. MACARIO ROMANO,

APUD LAVINUM IN ITALIA.

Circa an. Chr. cdl. II Jan.

Alius hic est ab eo Macario *cujus in vitis Patrum vita extat a Theophilo et duobus sociis monachis scripta; cujusque in Menologio et Menæis obitus refertur* xxiii *Octobris.*

Macarius socius Piniani, aliis Agathon.

2 *Hujus* Macarii *meminit Palladius in historia Lausiaca sive lib.* 8, *de vitis Patrum cap.* 123, *dum ad Pinianum Melaniæ junioris quondam maritum convenisse scribit Pammachium ex Proconsulibus, quemdam nomine Macarium ex Vicaria, et Constantium Assessorem Præfectorum Italiæ, insignes viros et eruditissimos, qui pervenerunt ad summum pietatis et religionis. Hic Palladii Macarius in Græcis quibusdam* mss. *ut annotavit Rosweydus,* Agathon *appellatur. Quod dicitur,* ex Vicaria, *Græce est* ἀπὸ Βικαρίας, Exvicarius, *qui vicariam Præfecturam gessit, ut pulchre Victor Giselinus in cap.* 18, *dialogi* 3 *Sulpitii Severi; ubi* Lycontius ex Vicariis, *uti et cap.* 1, *ejusdem dialogi* Eucherius ex Vicariis. *Ortelius, non recte, existimavit loco cuipiam, unde ille ortus esset,* Vicariæ *nomen fuisse.*

Fuit Vicarius Præfecti urbis.

3 *Vitæ ejus hoc compendium refert Ferrarius in catalogo Sanctorum Italiæ ex officio Ecclesiæ Placentinæ:* Macarius Romanus Præfecti Urbis Romanæ Vicarius, vitæ monasticæ cupidus, spretis omnibus, solitariam herbarum radicibus et aqua vitam egit. Insidias sathanæ assiduis precibus, et corporis castigatione, maxime vero jejuniis superavit: sicque Deo apprime carus, ad summa usque senectutem vitæ cursum sanctissime confecit. Extat ejus ex candido et perlucido marmore sarcophagus in ecclesia S. Helenæ apud Lavinum amnem in agro Bononiensi, ubi eum vitam degisse eremiticam conjicimus. Corpus Placentiæ in basilica S. Xysti sub ara illi dicata conditum est. Vitam ejus a Theophilo scriptam tradunt.

Solitarius ad summam senectutem pervenit.

Corpus ejus Placentiæ.

4 *Existimat ergo, perperam, Ferrarius vitam hujus a Theophilo scriptam, uti et ipse Baronius in Notis ad* II *Januar. Sed utriusque vitam legenti satis patet duos esse Macarios Romanos, quod noster Rosweydus in Notatione ad vitam alterius Macarii Romani lib.* I, *de vitis PP. clare demonstrat.*

5 *Locus vero apud Lavinum, ubi S. Helenæ ecclesiæ parochialis conspicitur, S. Macarii sarcophago insignis, vulgo Chierno dicitur, estque Fratrum Servorum, ut testatur idem in Notis Ferrarius, qui addit Epitaphium S. Macarii in sarcophago hac legi:* Macarius vocor in civitate Rom. natus. *Solere vero Sanctum hunc ab accolis adversus tempestates invocari: a quibusdam illum Abbatem dici, tradique corpus illius diu Nonantulæ fuisse asservatum.*

Epitaphium.

Invocatur contra tempestates Macarius.

6 *Ex vita S. Paulæ per S. Hieronymum scripta infra* xxvi *Januar. colligitur hunc Macarium aliquando a Ruffino Presbytero fuisse Origenis imbutum erroribus, quos tamen deinde ejuravit, uti et ipse, ut suo loco dicemus, Ruffinus.*

Fuit aliquando Origenista.

DE S. MARCO SURDO.

II Jan.

Menæa: Eodem die S. Marcus in pace quievit. *Surdum hunc fuisse indicat additum distichon:*

ὁ Μάρκος οὐκ ἤκουε γηΐων λόγων,
καὶ πρὶν λιπεῖν γῆν ὦτα γῆθεν ἐξάγων,

Marcus non audiit terrestres sermones,
Et priusquam terras relinqueret aures a terra abducens.

DE S. ASPASIO CONFESSORE

MELEDUNI IN GALLIA.

Post an. Chr. dl.

II Jan.

Meleduni (oppidum est Galliæ Celticæ in insula Sequanæ situm, quatuor passuum millibus a Fontisblaudi regia) Divi Aspasii nomen magna religione colitur, ut testatur Papirius Massonus in libro de Fluminibus Galliæ. De eo Kalendis Januarii ista habet Molanus in Addit. ad Usuardum: Castro Mileduno Depositio S. Aspasii Confessoris; cujus ibidem nomini principalis Ecclesia titulatur, licet vita penitus ignoretur. *Eadem fere Martyrologium Germanicum eodem die, et Philippus Ferrarius in generali catalogo Sanctorum, qui addit loci ejus tutelarem haberi. Celebritas ejus* II *Januarii agitur, ob festum fortasse Circumcisionis dilata.*

S. Aspasius Meludini Patronus.

Putatur Episcopus fuisse.

2 *Fuit, ut quidam existimant, S. Aspasius Episcopus Elosensis sive Elusensis Ecclesiæ, quæ Auscum translata est, aut cum Auscensi unita; sed postmodum: nam eodem tempore Proculejanus Auscensis Episcopus erat. Subscripsit Aspasius Concilio Aurelianensi* II, *anno Christi* dxxxiii, *et Aurelianensi* iv, *anno* dxli *item* v, *anno* dxlix, *et Arvernensi* II, *anno* dxlix, *ut videre est apud Jacobum Sirmondum nostrum tom.* I *Concil. Galliæ, et Claud. Robert. in Catalogo Archiepiscoporum Auscensium. Hic tamen Episcopos Auscenses et Elusenses videtur confundere, cum etiam anno* dcxxx. *Concilii Rhemensis tempore diversi fuerint.*

Quando vixerit.

not. 30.

3 *Cum Meloduno transiret Aspasius febri correptus fertur, ex qua deinde mortuus* I, *vel* II *Januarii. Ejus laudes cecinit pluribus hymnis Sebastianus Rouillardus Melodunensis, in Curia Parisiensi Advocatus, eruditione ac pietate celebris. Mortuus est S. Aspasius (si Elusensis Episcopus fuit) ante an.* dlxxiii, *quo Concilio Parisiensi* iv, *subscripsit Laban Ecclesiæ Elosanæ Præsul. Qui Meloduni colitur, solum Confessor dicitur, non Episcopus. Servantur religiose ejus ossa capsis inclusa partim in S. Mariæ, partim in ipsius nomini dicata æde. Appellatur et Euspasius.*

Mortuus Meloduni.

Ejus ossa.

DE

Ex mss.

DE S. MAXIMO
ABBATE MARTYRE IN GALLIA.

An. Chr. DCXXV. II Jan.

Sancti Maximi Abbatis ac Martyris vitam suppeditavit nobis vetustissimus codex monasterii S. Martini Treviris, insignem illam quidem, sed mendosissime descriptam. Alia brevior, imo prioris tantum epitome, extat in Ultrajectensi ms. *Ecclesiæ S. Martini.*

GENEALOGIA S. MAXIMI
MARTYRIS ET PRESBYTERI,

*Qui passus est in parochia Viennense tempore * Heraclii Imperatoris.*

* *tta restitui* ms. *habet* Aureliani. *Majores S. Maximi.*

Fuit vir unus de territorio Celmanes civitate et Dux, cui nomen erat Eonocius, et uxor illius Sivella; quæ genuit ei filium, nomine Wobertum: qui accepit uxorem Helcana, et habuit ex ea filium nomine Maxentium; qui accepit uxorem, nomine Radegundem, ex qua nati sunt ei tres filii, Gundebertus, Gundelaicus, et Radoldus. Erant enim hi tres fratres humiles et timentes Deum: et venit eis sensus ut ad Urbem Romam ad ecclesiam S. Petri Apostoli iter arriperent, quatenus ipse pro eis intercessor apud Dominum existeret: ipsi vero cum magno exercitu, cum equis et mulis, et viris numero centum quinquaginta, cum magno gaudio cœperunt * itinere: sed in primis ad S. Martini Turonis occurrere disponebant.

* *forte* itinerare.

Patrui S. Maximi occiduntur a latronibus.

2 Igitur cœpto itinere atque calle festinantes, super Crosa fluenta in Clavico vico subsequentes eos latrunculi gladio cunctos peremerunt: adeo ut nullus ex illis remaneret nisi Gundebertus solus; qui latrunculis recedentibus stabat inter media cadavera mortuorum tristis, et nimio mœrore affectus, et nesciebat quid agere debuisset.

Pater ab Ansberto in generum adlegitur.

3 Interea accidit ut quidam homo, nomine Ansebertus, ibidem supervenit, vir fortis, atque in substantia rerum dives; cœpit eum diligenter interrogare et dicere: Unde est adventus tuus, aut quo pergis? vel quæ est hæc strages mortuorum, inter quibus cadaveribus solus stas? Respondit ei Gundebertus, et ait: Nos tres fratres ex territorio Clemanense, adcrevit nobis consilium ut ad S. Petri Apostoli urbem Romam pervenissemus: sed dum id agere voluissemus, insurrexerunt in nos latrunculi, qui omnes comites nostros gladio peremerunt: et ego quasi orbatus solus remansi, Dicit ei prædictus Ansebertus: Vade mecum partibus Caturcense: et ego pro pulchritudine tua do tibi filiam meam Magneldem, et ditabo vos ut magnis divitiis affluatis. Perrexitque cum eo Gundebertus et accepit filiam ejus præfatam uxorem, genuitque ei optimum filium, nomine Maximum.

EXPLICIT GENEALOGIA.

PASSIO S. MAXIMI
PRESBYTERI ET MARTYRIS.
CAPUT I.

Maximus in eremum fugit, ne cogatur uxorem ducere.

Nascitur S. Maximus anno Chr. 583.

Igitur S. Maximus ortus est in territorio Caturcense, in villa Margarita, anno VIII sub Brunielde Regina. Hic cum esset annorum septem, derelicto patre et matre ad sanctam Dei ecclesiam urbis Caturca S. Stephani Martyris et Levitæ confugit, ut litteris erudiri potuisset. Audiens hæc pater ejus quod

Fugit ad ecclesiam.

filius suis fuga vertisset, multum timuit ne a bestiis devoratus fuisset: dixitque matri suæ: Mulier ubi est filius noster? cur non posuisti ei custodem? At illa obmutuit, et loqui nolebat: sed manus ad cælum levans et percutiens pectus suum, ait: Angustia est mihi Domine, pro filio meo Maximo. Oro Domine, ut facias illum cum salute revertere ad nos.

5 Audiens hoc Desiderius tunc Caturca civitatis Episcopus sollicitudinem parentis, in eadem die nuntiavit hoc Gundeberto patri suo. Tunc accersivit memoratus Episcopus Notarium suum, et commendavit illi puerum Maximum, ut illum bene instrueret litteris, atque solerter curam de ipso in omnibus ageret. Fuit ibi Beatus Maximus decem annis ad eruditionem Grammatici. Erat enim pulcher et speciosus valde. Qui cum bonis polleret moribus atque litterarum industria, honore illum Magistrali in ipsa urbe sublimaverunt: erat enim pacificus multum, obediensque et humilis corde.

Instituitur litteris.

6 Audiens Beraldus pulchritudinem ejus, ascendens equum suum perrexit ad patrem ejus et dixit ei: Audivi quod filium habes speciosum: voca illum et videam magnitudinem ipsius. Respondit ei pater: Habeo filium parvulum ipse nos dereliquit, et fugiens quasi ad litteras. Dixit ei Beraldus: Voca illum venire ad nos, et videam eum, quia desidero cernere illius pulchritudinem. Tunc præcepit Gundebertus unum ex servis suis, et dixit ei: Vade ad Dominum Desiderium, et pete sanctitatem ejus ut nobis transmittat filium nostrum, baculum senectutis nostræ, quia ego et mater ipsius multum desideramus eum videre, et cras revertetur ad eum. Quod cum servus ille hoc Episcopo nuntiasset, tunc vocavit eum ad se, et dixit ei: Fili Maxime, ecce pater tuus et mater desiderant te videre. Vade ergo et loquere cum eis, et postea revertere ad nos. Qui jussis ejus obtemperans, tamen nolens, ivit ad patrem suum. Cum autem vidisset eum mater ejus cecidit super collum ipsius, et ait: Heu me, fili, cur tam tarde venis ad nos?

Beraldus petit eum filiæ suæ sponsum.

7 Cum autem vidisset eum Beraldus dixit patri suo: Vere hic filius tuus Maximus speciosus et decorus est: da illum mihi, et ego dabo ei filiam meam Hebrelde, et ditabo eos divitiis affluenter. Respondit ei mater ipsius: Spero quod filius noster Maximus, non sit ducturus uxorem. Elevans autem vir ejus manum suam dedit ei alapam, et ait: Non est ita ut loqueris. Videns hæc Maximus magis timuit, et in ipsa nocte fugiens ad civitatem, indicavit Patri Episcopo omnia verba hæc. Videns autem Episcopus sollicitudinem ejus, dixit ei: Noli esse tristis, ego procurabo de te.

Mater desiderans cum cœlibem permanere, a viro percutitur alapa.

8 Sed B. Maximus noluit se credere: et mane consurgens dixit ad Ambrosium discipulum suum secrete. Frater quid faciam de me? Venit ergo Beraldus ad patrem meum, voluit filiam suam mihi in conjugio sociare. Respondit ei Ambrosius: Magister quid vis facere? Dicit ei Maximus: Magis mihi libet in eremo inter feras bestias vitam finire, quam conjugio transitorio sociare. Dixit ei discipulus: Ubi vis pergere? Respondit ei: Nescio, nisi ubi summus conditor et Pontifex viam mihi voluerit demonstrare. Dixit ei Ambrosius: Et ego vadam tecum. Perrexerunt ergo mane ambo pariter, et quærebant eremi solitudinem, ubi eum pater non invenisset. Invenit locum super fluentum Olto, loco vocato Subtus Rocca, habens in circuitu ejus solitarios in singulis cellulis suis servientes Domino.

Fugit in eremum cum Ambrosio discipulo suo.

9 Cum vero invenisset Maximus locum, cœpit inibi instruere

Ex. mss. instruere parvum domicilium, ubi Domino militare potuisset. In eodem namque mense dereliquit eum Ambrosius, et reversus est ad propriam cellam. Qui cum iter ageret per solitudinem, elevans oculos ad cælum vidit in summitate querci diabolum, quasi hominem in mare hamos jactantem a dextris lævaque, magnosque pisces in vento suspendentes. Dixit ei Ambrosius : In sicco magnos pisces trahis? Dixit ei dæmon : Habeo pisces Leoterio et Savino; Maximum autem a me recedere nolebam. Dixit ei Ambrosius : Magister meus Maximus tepidus non est; non habes potestatem adversus illum.

Redit domum Ambrosius.

Videt dæmonem in summa arbore piscantem.

not. 31.

CAPUT II.

Ab eremo abstractus, cogitur sponsalia contrahere : iterum fugit.

Erat inibi S. Maximus in jejuniis, orationibus, ac vigiliis, confidens se in psalmis et hymnis spiritualibus, sine intermissione orabat. Vidit autem dæmon, quod non proficiebant insidiæ suæ contra sanctum hominem; dereliquit eum, et transfiguravit se in Angelico vultu, ad propriam cellulam patris sui perrexit, soporatoque eum somno ait illi : Gundeberte, Gundeberte, ego sum Angelus Domini, noli timere, audi quod loquor tibi. Maximum unigenitum tuum, quem quæris, vade in loco solitudinis, super Olto fluento; invenies ibi locum, quod dictum est Subtus Rocca, et ibi invenies eum. Mane consurge et vade, expelle eum de loco solitudinis.

Dæmon in forma Angeli indicat patri Maximi, ubi ipse habitet.

11 Surrexit mane pater ejus ascendens equum suum, cum suis venatoribus : in modum ursum venantes ad ipsum locum pervenerunt pleni insania contra sanctum hominem. Invenitque eum, accersitisque venatoribus suis, * amodo ursum eum de eremo projicerent. Cum autem vocassent venatores canes, atque ad eum incitassent; tunc canes super ipsos venatores reversi, eodemque die prostrati et mortui sunt. Accepitque Gundebertus filium suum Maximum, et ligavit ei manus et pedes, et imposuit eum super equum suum, et obtulit eum matri suæ; Mulier, inquit, ecce filius tuus, quem quæris; persuas dæmoniacas incantationes, nostri canes, unde delicias habuimus, mortui sunt : mitte illum in carcere, donec mitiget cor ejus : miseruntque eum in carcerem usque dum veniret Beraldus.

Cum venatoribus eum quærit pater.

* *forte* ad modum ursi.

Canes in ipsum incitati, moriuntur.

Ligatus domum reducitur.

Includitur carceri.

12 Nuntians hæc omnia pater ejus Beraldo: quod cum audisset, multum gavisus est; vocavitque; uxorem suam et conservos suos, ut stipendia copiosa post eum adferrent, et cum magno gaudio epularent. Primitus ut domum residerent, Beraldus Maximum quærens, cupiens videre pulchritudinem ejus. Exiens igitur vir Dei Maximus de carcere, induentes eum vestimenta ejus, vocaverunt eum locum sedendi, et dicit ei pater : Accipe annulum de manu Beraldi, et mitte eum digito filiæ suæ arrhabonem. Ille autem noluit eum accipere. Tunc pater ejus, furore repletus dixit ei : Fac citius. Dubitante autem B. Maximo, pater ejus de baculo, quod in manu tenebat, conatus est eum percutere. Ille autem nolens accipit annulum, et posuit illum in digito filiæ ipsius : Ego, inquit, te sponso sponsalitiæ causa, ut tu sis mihi sponsa in Domino, et ego tibi in Christo, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.

Cogitur cum filia Beraldi contrahere sponsalia.

13 Post septem diebus adimpletis, vocavit Beraldus vicinos et finitimos amicos suos ad nuptias celebrandas. Audiens hæc verba sanctus vir Dei Maximus, multum timuit, et veniens de amne portans farinolam in ulnis suis, obviavit Magnentium. Cui Maximus ait: Unde te habemus Frater? Magnentius respondit : Ego peregrinum me confiteor, ex regno Antiochense. Dicit ei Maximus : Quid faciam ego infelix? surrexit enim homo fortis et dives in pecunia sua, vult filiam suam mihi in conjugio transitorio sociare. Dixit ei vir Dei Magnentius : Quid aptum est tibi in corde? S. Maximus respondit : Ego vadam in loco ubi isti insidiatores me non colaphizent. Magnentius ait : Pergamus ergo pariter usque dum voluntas Domini est. Dereliquit autem S. Maximus regionem, patrem, et matrem, fratres, agros, servos, et ancillas; constrinxitque suos lumbos, ac membra justitiæ pleniter sectatus est.

Occurrit Magnentio peregrino.

Fugit iterum cum Magnentio.

CAPUT III.

Angelo duce Viennam venit : ab Episcopo repulsus admittitur in monasterium : fit Sacerdos.

Accepto itinere festinanter ad S. Martialis Lemovico expetierunt occursum, ut ipse pro eis exorator existeret. In ipsa nocte ad gravatus est Maximus somno; Angelus inquit ad eum : Maxime, Maxime; iterum et tertio vocavit eum : Maxime. Cui palpato respondit : Quis es tu, qui ter vicibus vocaris me ex nomine? Angelus Domini inquit ad eum : Noli timere, ego sum Angelus Domini et missus sum ad te, ut te deducerem. Mane consurge una cum Magnentio comite tuo, et egredimini partibus Viennæ : et ego vobis præcipio quid illuc facere debeatis. Qui mane consurgens visionem Magnentio retulit. Tunc Magnentius respondit : Visio hæc Angelica est. Surrexerunt ambo pariter, ad Viennam Angelo nuntiante pervenerunt.

Ab Angelo Viennam deducuntur.

15 Cum autem introissent in civitatem ad S. Mauritii ecclesiam pervenerunt; qui cum pergerent invenerunt virum religiosum, nomine Ermembertum; erat enim sub ditione Domni * Paschasii Episcopi. Videns eos præclaros et timentes Deum, diligenter cœpit eos interrogare, unde essent aut quo pergerent, vel quid quærerent. Respondit ei Maximus, et ait : Hei mihi! Pater, ego dum fui ætate annorum decem et septem, surrexit contra me quidam vir fortis et dives in pecuniis suis, voluit filiam suam mihi in conjugio copulare : et ego ob hanc causam derelicta patria, et parentes obfugiens, et quæro sanctam Dei Ecclesiam ut litteris erudiri possim. Dixit ei Frater ille : Nuntiemus hæc verba Episcopo nostro; forsitan præstabit vobis adjutorium vestri causa. Qui cum hæc Episcopo suo retulisset, dixit ei : Voca illos, ut veniant ad me, et audiam eos loquentes. Qui cum venissent et in præsentia ejus stetissent, cœpit eos interrogare : Unde vos habemus fratres? aut ubi vultis pergere? vel quid quæritis? Respondit ei Maximus : Ego ex territorio Caturcense, in Margarita villa ortus. Insuper dixit ei pro qua causa patriam parentesque dimiserat, et quia aptum quærerent locum, ubi Domino servire potuissent. Dixit ei Episcopus : Vade in obedientia cum fratribus, et prande cum eis. Maximus curam fraternam peragens, dixit ei : Quid faciam de fratre meo Magnentio? ait ei Pontifex : Ite cum pace, nescio vos.

* Non sedit tunc S. Paschasius, qui 22 Febru. colitur.

Ab Ermemberto ad Episcopum Viennensem deducuntur.

Ab Episcopo dimittuntur.

16 Egressi autem foras civitatem, adgravatus est iterum B. Maximus somno, et dixit ei Angelus Domini : Maxime surge de loco quo dormis, et perquire optimum locum, cellulam scilicet S. Joannis Limonico monasterio ubi Sampson Abbas præ est sub ditione Flotarii Regis : et ibi perfice, quod tibi imperatum est. Continet cellam inter montuosa loca super amne Rhodano, ex latere Aquilonis Limonia fluenta, et de parte occidente, montem minorem, qui vocatur Terulius. Fuit autem locus ille granarius Regis, quem Eldebodus cursor Flotarii eodem loco curam peragens, omnes rivoli et guttulas in unum amnem coadunari fecit, qui in Rhodanum defluunt.

Ab Angelo mittuntur ad monasterium.

17 Surrexit enim a somno B. Maximus; festinanter ad ipsum locum ut ei Angelus nuntiaverat, ambo pervenerunt. Cum autem ad portam monasterii pervenissent obviant Abbatem monasterii ipsius; dixit ei

ei Abbas : Fratres quid vultis? Dixerunt ei : Domino ex toto corde obedire. Sustinete hic, inquit, parum, donec revertar ad vos. Reversus est enim Abbas vespere ad cellam suam, et dixit ad Maximum : Sub quo Pontifice vel qua civitate litteris eruditus es? Respondit ei Maximus : Sub Desiderio, Catercense civitate : pater meus dictus Gundebertus, mater vero mea Magneldis. Qui cum per ordinem narrasset ei cur patriam parentesque dimiserat, vel quia congruum locum quæreret, ubi jugiter Deo servire potuisset; tunc Abbas dixit ei, ut cum fratribus in labore manuum pergeret. Respondit ei Maximus : Quid faciam de fratre meo Magnentio? Dixit ei Abbas: Eat et ipse vobiscum, et accipiat stipendia corporis necessaria. Satis gaudens cor viri Dei Maximi, quod acceptus obedientia monasterii.

Recipiuntur in monasterium.

Attondentur in monachos.

18 In eadem nocte accersivit Abbas Sacerdotes et monachos, et cæsariam capitis eorum totondit. Surrexit mane Maximus, partibus eremi perexit, ut curam laboris Fratrum perageret. Cum autem circuisset locum illum, exiliens de condenso prægnans sus ad pedes ipsius S. Maximi pervenit, et ore aperto, cœpit pedes ejus lingere. Dixit ad discipulum : Frater affer nobis de annona, ut domus domesticæ nostræ, quæ ad nos venit. Dedit ei Maximus annonam, et dixit ei : Cibaria nostra comede, destructu quod habes profer nobis ad monasterium. Die autem subsequente cum septenis capitibus porcorum ad virum Dei reversa est. Tunc Abbas imposuit uni de confratribus, nomine Gerontio qui eos custodiret.

Sus a Maximo pasta, 7 porcellos ad monasterium defert.

19 Audiens hæc Paschasius Episcopus, ascendens navem, ad cellam ipsius monasterii perrexit, et ait : Ubi est ille frater per cujus obedientiam Dominus talem virtutem operatus est? Dixit ei Abbas : Custodiam ei imposuerunt fratres : ex arte hanc obedientiam procurat. Dixit ei Paschasius : Vocate illum venire ad me; qui cum fecisset eum venire ad vesperum, tunc Domnus Paschasius Archiepiscopus humiliato capite rogabat eum dicens : Frater digneris pro me orare. Cui Maximus ait : Hei mihi, Domine, quia non sum dignus pro me exorare, quanto magis pro aliis? Dixit Abbas Samson ad Domnum Paschasium : Precamur Domne sanctitatem vestram ut eum nobis per unctionem vestram ad officium sacerdotii consecretis. Respondit ei : Præsto sum; et tunc in mense primo prima Sabbati ejusdem mensis sacerdotalem accepit honorem : atque super omnem curam monaterii constituerunt eum.

Rogat Maximum ut pro se oret Paschasius Episcopus.

Consecrat cum Sacerdotem.

CAPUT IV.

Fit Abbas : percussoribus ultro occurrit : divinitus punitis subvenit : lethaliter vulneratur.

Mortuo Samsone præest monasterio.

Non post multo vero tempore, defuncto Abbate ipsius remansit S. Maximus in vicem Abbatis loci monasterii curam exercens. Interea surrexit unus de conservis * Eldebodi cursoris, et venit ad eum, dicens ei : Nuntius tibi sum Domine de Limonico monasterio, quod Samson defunctus est, et remansit ibi alius, qui se Abbatem esse dicit, et per suas dæmoniacas incantationes mirabilia facit. Et dicit Cursor : Vade ad monasterium, et præcipe ei ut veniat ad me, et dicat mihi, qui posuit illum habere post obitum Abbatis sui custodiam monasterii, vel cur non venit ad me? Tunc servus ille nequam ascendens equum suum, et nuntians ei omnia dicens : Maxime præcepit tibi Dominus meus, ut citius ad eum venias, et dicas ei rationem, qui posuit tibi custodiam hujus monasterii. Respondit ei sanctus vir Dei : Frater dic domino tuo ut veniat huc, et accipiat benedictionem et damus e rationem, quod nobis interrogatus fuerit : nam nobis non est opportunum egredi extra cellulam hanc. Accersivitque eum ut acciperet benedictionem. Respondit ei servus ille : Ego de tuis donis sumpturus non sum. Dixit ei S. Maximus : Vade, fiat tibi sicut dixisti.

* MS. *Ultraj.* Hildeboldi.

Accersitur ab Eldebodo cursore Lotharii.

Renuit monasterio egredi.

21 Et renuntiavit servus domino suo verba hæc. Tunc cursor vocavit alium servum, et dixit ei : Vade ad seductorem illum, et dic ei; quod si noluerit venire ad me, ego vadam illuc, et usque ad injuriam eum expellam. Et nuntians ei servus ille, Maxime, ait, præcepit tibi Cursor ut ad eum pergeres : quod si nolueris, ipse ad te veniet, atque ad internecionem reducet. Tunc S. Maximus dixit : Internecionem suam ego non timeo, sed potius pro nihilo habeo. Cum autem servus ille domino suo hæc nuntiasset; ipse vero furore nimio accensus, ascedens equum suum ad Limonicum monasterium, contra sanctum hominem perrexit, tanta insania repletus ut eum interficeret. Cum autem vidisset eum religiosus Magnentius furore accenso, sollicite nuntians S. Maximo quod Cursor eum interficere volebat. Et dixit ei S. Maximus : Frater Magnenti, ego tormenta sua non timeo, sed vade et tu mecum, ut loquamur cum tyranno illo. Exierunt ergo ambo pariter ad Cursorem; et dixit eis Cursor : Vos magi estis. Respondit ei Magnentius : Nos magi non sumus, sed confidimus in Dominum, cujus præcepto cupimus obedire. Dixit Cursor ad S. Maximum : Fera pessima, quare despexisti mandatum meum, et non venisti ad me? Respondit ei Maximus : Tu es fera ferocissima, et cor indomitum, qui nescis unde venis vel quo vadis; ego autem in Christo me confiteor. Dixit Cursor : Ego te interficiam. Dixit ei S. Maximus : Non habes potestatem adversum me ullam.

Ex mss.

Iterum ad Eldebodum vocatur.

Venit ad eum Eldebodus.

Occurrit ei Maximus.

22 Tunc Cursor elevans baculum, quod manu tenebat, voluit illum percutere : statimque baculus de manu ejus in terram cecidit, et arefacta est manus, et oculi ejus excæcati sunt. Tunc ait Cursor ad Elduinum consiliarium suum : Ego non video lucem, et manus mea arefacta est : dic mihi quid debeam facere. Et dixit ei : Vides quod iste servus Dei est, et super te potestatem habet? Vade ad fratrem Magnentium, ut obsecret magistrum suum ut pro te deprecetur Domino, ut et manus tua reddatur, et oculi tui illuminentur. Obsecrantes igitur religiosum Magnentium hæc verba : Ille vero respondens eis ait : Nullus nuntius sum tui in hac re, quia pessima præsumptione hic in monasterio coram cunctis fratribus egisti.

Volens eum percutere Eldebodus a Deo punitur.

23 Tunc recessit Cursor ad domum suam furore accensus contra Magnentium, sed eis nocere non potuit, atque in sua confusione permansit. Surgentes namque contra eos familiæ domus dicentes : Per vestram dæmoniacam orationem, et per verba diabolica excæcastis dominum nostrum. Audientes autem hæc fratres monasterii dixerunt ad sanctum virum Dei Maximum : Ecce insidiatores contra te insaniunt, ut te interimant. Respondit eis Maximus : Et nos eamus obviam eis. Dixerunt ergo ei fratres : Domne Maxime, quæramus congruum locum ubi cum fratre Magnentio resideas, interim dum isti malitiosi revertant ad domos suas. Quibus e contra respondit : Vos quærite inter vos congruum locum, ego autem in plateam exeam, et verba Patris anuntiabo eis. Dixerunt ei fratres : Nos solliciti sumus propter te. Nolite, ait, pro me solliciti esse, sed faciant quod eis permiserit Dominus. Exiens autem S. Maximus in plateam armis cælestibus præcinctus, locutus est eis dicens : Quem quæritis? Illi autem ignorantes, dixerunt : Illum maleficium quærimus, qui dicitur Maximus, qui dominum nostrum per suas incantationes dæmoniacas excæcavit. Respondit eis Maximus : Ego sum quem quæritis. Dixerunt ei : Tu es ipse? dic nobis quare excæcasti dominum nostrum Cursorem Flotarii per tua verba diabolica? Respondit eis S. Maximus : Ego dico vobis, fratres, excæcatus est ille homo, et lucem non videt, nec lux in eo est, qui contra Dei homines male consurgit.

Maximus ultro occurrit famulis Eldebodi.

24 Tunc respondit unus de prioribus, et dixit ei : Ubi est qui eripiat te de manu mea? Respondit ei S. Maximus

Sicarius punitus.

Ex mss. S. Maximus : Ad præsens est, qui potest me eripere de manu tua. Ille autem evaginato gladio voluit eum interficere; confestimque gladius de manu ejus cecidit, et ipse totus, manus pedesque et caput simul curvata sunt, et nubes de cælo cecidit; et oculi eorum excæcati sunt ab hora tertia diei usque ad horam septimam. Interea S. Maximus monita salutis eis prædicabat. Tunc circa horam septimam oravit S. Maximus, et ait : Oro Domine ut aperiantur oculi istorum, et videant; et continuo aperti sunt oculi eorum, et sani recesserunt, præter eum qui caput ejus amputare voluit. Tunc introivit satanas in unum ex ipsis, et arripuit lanceam suam, et percussit S. Maximum in latere, et mox genu fixit in terra, et ait : Gundramne male egisti, propter quod lancea me perforasti. In ipsa hora Gundramni totum ejus corpus vulneratum est, atque a vermibus consumptum, tertia die mortuus est.

Maximus lancea confoditur.

Interfector vermibus consumitur.

CAPUT V.

Sancte moritur, miraculis clarus.

Suscipientes igitur fratres S. Maximum, portantes eum in claustra monasterii in diversorio loco; flebant enim fratres S. Maximum, quia talem amittebant Patrem. Tertia hora noctis, apparuit ei Angelus Domini et dixit ei : Maxime, Maxime. Cui S. Maximus respondit : Quis es tu? et Angelus ad eum : Ego, ait, sum Angelus Domini, qui te ad locum istum adduxi : noli timere, crastina die videbis mirabilia, quæ hactenus non vidisti. Videbis S. Michaelem cum choro Angelorum gaudentem cum magno psalentium choro ad te venientem, ut te suscipiat leniter, opera enim tua semper lenia fuerunt. Tu Sanctus es, et Sanctorum meruisti consortium. Tu es Martyr, qui pro Christi nomine sanguinem fudisti, qui minas non timuisti, sed semper ad cælestia regna anhelasti. Qui tunc vigilantes in domo illa fuerunt, sermones Angelicos cuncti audierunt.

Maximus ab Angelo Monetur se postridie morituruum.

26 Iterum recordatus est Sanctus Dei Maximus in voce Angeli clamantis et dixit : Domine nuntia nobis de hoc monasterio, cujus cura sit me recedente. Angelus inquit ad eum : Magnentius habebit custodiam hujus monasterii post te, quoniam et ipsi corona est promissa. Die autem crastina hora sexta vocavit ad se S. Maximus monachos suos, quibus circumstantibus, jussit eis vinum dare, et accepto calice S. Maximus gratias Deo agens benedixit eum, et bibit, et monuit fratres bibere in amore caritatis. Et petens eis veniam, si forte contra aliquem peccasset, ut ei indulgerent; et osculans eos, et valefaciens eis.

Jubetur Magnentium præficere monasterio.

Præbibens valedicit suis.

27 Accidit autem ut tunc S. * Augustinus Pontifex urbis Arvernensium provinciæ ibidem interesset, similiter et Paschasius Viennensium Archiepiscopus; ex quorum adventu cor S. Maximi gaudio magno repletum est : Ecce, inquit, adventum Patribus meis : et multi in circuitu ejus adstabant infirmi de variis infirmitatibus, qui quinque ex ipsis sani recesserunt. Tunc Augustinus Episcopus dixit : Laudemus Dominum in beato martyrio S. Maximi. Paschasius Episcopus dixit · Ad virum Dei ægri veniunt, et sanantur.

* non reperitur hic in catalogo Episcoporum Arvern. apud Savaronem.

Ægri adstantes sanantur.

28 Tunc audiens S. Maximus Angelicos spallentium choros, et ait : Precor vos Patres et Fratres ut suscipiatis me, et bonum mihi detis comitatum, et muniens se signo sanctæ crucis migravit in Domino. Et sustolentes eum de eodem loco cum magno spallentio Clericorum, ut mos est, et mane surgentes, cum suis expletis vigiliis cum reliquiis et vas unctione, posuerunt eum in monumento suo. Passus est IV Nonas Januarias in anno XII sub Flotario Rege, et est tumulus ejus bene compositus in domo bene fundata in honore Dei summi, et ibi requiescunt reliquiæ S. Joannis, et S. Victoris ex latere deorsum contra Aquilonis plagam super Limonia fluenta : ibi sacratum corpus S. Maximi requiescit in pace, ipso adjuvante qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

Signans se Cruce moritur 2 Januar. 625.

Sepelitur.

DE S. BLADULPHO

MONACHO BOBIENSI.

Sec. VII.
II. JAN.

S. Bladulphi in Martyrologiis nomen.

Galesinius, Maurolycus, MS. *Florarium, Kalendarium Benedictinum, Usuadi editio Colon. ann.* 1490 *et* 1521. *Ferrarius, Wion, Menardus hoc die S. Bladulphi, sive Baldulphi, aut Blidulphi natalem referunt. Fuit is monachus monasterii S. Columbani Bobii in Liguria ad amnem Trebiam, sub Ducatu Mediolanensi, ut Ferrarius testatur. Ultima Augusti ejus et plurium aliorum translatio celebratur, facta anno* 1482.

Translatio.

2 *Præclarum ad ejus defensionem patratum a Deo miraculum ex Jona Abbate refert Barronius ad annum* DCXXVI, *num.* 31. Cum aliquo tempore Blidulphus Presbyter, ejusdem Bobiensis monasterii monachus, a beato Patre Attala ad Ticinum urbem directus fuisset, ibique pervenisset, obvium habuit Ariovaldum Regem Longobardorum Arianæ sectæ credulum. Is ergo cum vidisset Blidulfum Presbyterum, ait ad suos : De Columbani monachis iste est, qui nobis salutantibus apta denegat respondere. Cumque jam haud procul abesset Presbyter, salutavit eum Rex, ironice tamen. Ad hæc Blidulphus : Salutem, inquit, optarem tuam, si tu seductoribus tuis non faveres, et alienis a veritate Christi doctrinis animum non accommodares. Justum etenim esset, ineffabilem Trinitatem una Deitate confiteri, non tres potestates, sed tres personas; nec unam trium nominum personam, sed tres in veritate, Patris, et Filii, et Spiritus sancti personas, una voluntate, potestate, et essentia.

Ariovaldum Regem de hæresi reprehendit.

3 Hæc paulisper audiens Rex, cum progressus fuisset, iracundia succensus, questus est, se non habere ministros, qui obruente noctis calligine monachum illum ita contumaciter in conspectu suo locutum sollicitarent, et fustibus ac sudibus conscissum morti traderent. Tunc unus vesanior ceteris, ad hoc paratum se respondit esse paratum. Dicit ei Rex : Si voluntati meæ satisfeceris in hoc, muneribus te mox, illucescente die crastino, ditabo. Progressus itaque pessimus ille, alium sibi sceleris socium similem sibi assumit, et obortis tetris tenebris, viam qua monachus a cœna cujusdam Christiani, qui invitaverat eum, ad hospitium regredi debuit, vigilanter custodit. Cum ergo monachus inopinate venisset ad locum custodiæ, percussus in cerebro, et omni compage corporis collisus, pro mortuo cadavere relictus est ab ipsis satellitibus, nullo de populo id sentiente : erat enim abditus locus, sed nec vocem dare quiverat, anticipatus loco, et immanibus ictibus.

Lethaliter vulneratur.

4 Porro is ad cujus domum metatus fuerat, nesciens quidem eventum rei, sed tamen suspicatus hoc

Exurgit, velut a somno, sanus.

hoc ipsum quod evenerat (erat enim et ipse Presbyter) arrepto baculo, venit ad locum, reperiensque jacentem, ac si somno depressum, excitare conatus est. Ad cujus ille vocem, velut ab stratu incolumis surgit, nec plagarum vestigiis apparentibus, cum eo pariter ad hospitium pergit, indicans qualiter a latronibus quibusdam comprehensus, dirissimis plagis mactatus fuisset, nec tamen aliquid inde sensisset.

Percussor arripitur a diabolo.

5 Peractis deinde causis pro quibus exierat, ad monasterium repedavit. Post cujus discessum protinus ille, qui se spontaneum ad iniquum opus patrandum indiderat, dæmonio corripitur, et diversis pœnarum incendiis flagellatur, commissum facinus exitiabiliter confitetur. Universus autem populus in ejus cruciatibus timore perculsus clamavit, et dixit: Quicumque Bobiensibus monachis malum aliquod intulerit, simili ultioni subjacebit: et qui Arianorum persuasionibus acquiescit, tales iras justi Judicis merito sustinebit.

Ex Jona Abb.

6 Videns facinus suum infelix Ariovaldus divinitus manifestatum, confusus inde, et metuens ne sibi tale quid eveniat; ipsum quem vis horrida torquebat, cum conviatoribus ad B. Attalam dirigit, postulans ut commissum malum ignoscat, spondens se multum ejus obsequio paratum fore, si sua dona dignaretur accipere. Beatus Pater Attalas respondit, se numquam in perpetuum Ariani hominis dona suscepturum. Rogat tamen universos fratres, ut pro pestifero, qui adductus fuerat, orationem ad Dominum fundant. Quibus attentius orantibus, pestifer ille sanitati redditur, sed vitæ lucris non diu potitur. Nam cum ad propria redire desideraret, correptus igne febrium, inter pœnales incendii calamitates vita privatus est. Quem nequaquam juxta aliorum sepulchra sepelire ausi sunt, sed procul ab hominibus in quodam conspicuo loco posuerunt, quo prætereuntes dicerent: Hic jacet ille miser humatus, qui Bobiensibus monachis crudelitatem suam ostendit.

Bobiensium monachorum precibus liberatur: brevi post moritur.

DE S. ADELARDO

ABBATE CORBEIENSI.

Circit. an. Chr. dcccxxvi.

II JAN.

S. Adelardi nomen in sacris fastis.

Sancti Abbatis Adelardi *nomen plerique recentiores suis Martyrologiis adscripsere. Hugo Menardus in Martyrologio Benedictino*: Apud Corbejam Galliæ, Sancti Adalardi Abbatis; qui regio genere natus, rebus hujus sæculi spretis, vigesimo ætatis anno fit monachus: de quo illud legitur, quod quotidie bis saltem mane et vespere sua alienaque peccata profusis uberrime lacrymis deploraret. Abbas autem creatus, ita in omni virtute floruit, ut Antonii sanctissimi Abbatis nomine, illum aliqui appellarent. *Eadem fere habent Arnoldus Wion, et Petrus Galesinius. Meminerunt ejus Ferrarius in generali catalogo Sanctorum, Usuardi editio Colonien. anni* 1521. *Martyrologium Germanicum, Molanus in additionibus ad Usuardum, et in Natalibus Sanctorum Belgii, Autbertus Miræus in fastis Belgicis et Burgundicis, Antonius Sanderus in Hagiologio Flandriæ. Quidam cum* 1 *Januarii referunt. Appelatur etiam ab aliis* Adelhardus, Adalardus, Alardus, *et a Baronio* Adelrhadus.

Vita scripta a S. Paschasio Ratberto, et a S. Gerardo.

2 *Vitam ejus scripsit S. Paschasius Ratbertus, de quo nos* xxvi *Aprilis. Ea pridem edita a Surio est, ac deinde a Sirmondo nostro cum ejusdem S. Ratberti operibus: quas inter se editiones contulimus, recensuimusque ad varias lectiones ex* ms. *Corbejensi ab Antonio Fortio monacho Corbejensi ad eumdem Sirmondum transmissas, nobisque ab eo communicatas. Adjecimus aliam S. Adelardi vitam et miracula, auctore S. Gerardo monacho Corbejensi, ac deinde primo Abbate Silvæ Majoris in Vasconia (de quo* v *Aprilis agemus) ex vetusto codice Bertiniano descripta. Habetur alia brevior vita in* mss. *Rubeæ vallis.*

Ejus elevatio 11 *Aug. et* 10 *Octob. Ex Uscia Flandriæ pago oriundus.*

3 *Vitæ S.* Adelardi *compendium habet Molanus in Natalibus Sanctorum Belgii; ac tandem subdit*: Natalem habet die secunda Januarii, sed elevationis memoriam die xi Sextilis, *in nullo tamen Martyrologio eo die illius reperi nomen. At* ms. *Florarium die* x *Octobris elevationem consignat. Sed pergit Molanus*: Multiplici autem de causa inter SS. Belgii est memorandus: Primum quod Mejerus referat eum ex Uscia oriundum esse, prope Aldenardam. Distat autem Uscia a dicta civitate uno miliari, via Brugensi; vulgo *Huyse*. Alibi lego Usciam fuisse patrimonium Adalardi, sicut etiam fuit Berthemum, territorii Lovaniensis non obscurus pagus. Et utriusque parochiæ Abbas Corbejensis est patronus. Accepi autem a Pastoribus Aldenardensibus, non illis quos illustres Martyres cognovimus, sed ab eorum successoribus, festum S. Alardi quondam in Hussia celebre fuisse, et in ore vulgi esse, eum inde oriundum: fontem quoque inibi reliquisse, qui in præsentiarum ab eo nomen servat.

4 Sed et aliæ sunt causæ, ob quas inter Belgas memoretur. Pertinet enim ad genealogiam Pipinorum et Magni Caroli, primorum Brabantiæ Ducum, ut ex supradictis agnoscitur. Et postremo, Corbeja se annue ex donatione Adalardi valde multa ex Belgio recipere, et plura recepisse cognoscit. Vixit tamen extra nostrum Belgium, prout nunc sunt limites, in Corbeja videlicet Franciæ, Artesiis contigua: et cum æquivoco suo Saxoniæ Corbejam struxit. In utroque autem monasterio et pietas et studia multum viguerunt. Imo monasteria hæc plantaria fuerunt primorum Bremensium Archiepiscoporum, qui Aquilonares regiones converterunt.

Corbijæ Francicæ et Saxonicæ laus.

Fabula Berthemiensium de S. Adelardo, ejusque equo, explosa.

5 *Paucis deinde interjectis subdit idem Molanus*: Ex dictis liquet aberrare quosdam Berthemi incolas, qui S. Adalardum describunt Haymonis filium minorem natu, in suo pago nutritum cum giganteo equo, quem in templo depictum habent: cum ex citata historia constet eum fuisse majorem natu, ex patre, ut lectiones festi habent, Bernardo, fratre Pipini Regis. Constat tamen ex authenticis instrumentis, etiam ipsius sancti viri manu subscriptis, multa in Berthem, ex donatione ejus, a Corbeja, quædam etiam ab incolis possideri.

De S. Adelardo, alteroque Adelardo ejus discipulo et Corbejæ Saxonicæ Fundatore haud pauca dicentur ad xv *Junii, cum de S. Viti translatis reliquiis agetur; quamquam Gerardus Abbas in Prologo illius historiæ auctorem reprehendat.*

not. 32.

PER S. PASCH. RATBERT.

VITA S. ADELARDI

AUCTORE S. PASCHASIO RATBERTO.

PROLOGUS AUCTORIS.

Pretium operis est, viros quosque doctissimos imitari, qui * pio mentis affectu, carorum in Christo funera pietatis opere deflevere, flendo quoque miris eos prosecuti sunt laudibus. Quoniam, sicut Beatus Ambrosius in opere super Valentinianum dixit, etsi incrementum doloris sit, id quod doleas scribere, tamen plerumque in ejus, quem amissum dolemus, commemoratione requiescimus, eo quod in scribendo dum in eum mentem dirigimus, intentionemque defigimus, videtur nobis in sermone reviviscere, et totus medullam nostræ mentis influere. Ceterum posteritatis negotium est, ut eorum exempla virtutum litteris commendemus, quatenus et nostrum caritatis debitum proximis persolvamus, et Patrum exempla, quos imitari debeant, filius non negemus. Novimus igitur eos non periisse post mortem, sed beatus immutatos, ut moriendo ad immortalia summæ felicitatis gaudia pervenirent. Idcirco non omnino penitus oblitterandi sunt a memoria, præsertim tales, quorum non desiisse hinc mortis evulsio fuit, sed in melius commutasse. Neque enim fatendum est, juxta quorumdam perfidorum insaniam, quod scriptura inquit: Exiguum et cum tædio est tempus vitæ nostræ, nec est refrigerium in fine hominis, et non est qui agnitus sit regressus ab inferis. Neque hoc dicendum, quod ex nihilo nati sumus, et post hæc futuri sumus, quasi non fuerimus. Verum igitur est et incunctanter profitendum, Christum resurrexisse a mortuis, et mortem moriendo vicisse; ut similiter omnes, qui in Christo moriuntur, non jam mortui, imo in eo vivi atque beati inveniantur. Deus enim vivorum est, et non morientium, eo quod in illo qui vivit, omnes qui in ipso sunt, vivi inveniuntur. Unde et scriptura eos dormientes appellare consuevit.

* *Sur. Sir.* parentis.

Cur scribenda mortuorum gesta.

Sap. 2. 1.

Matt. 22. v. 32.

2 Quapropter officiosissimum est, sicut dixi, sanctos imitari viros, videlicet præfatum Ambrosium, et Beatum Hieronymum, reliquosque sacros imitabiles viros, qui suis epitaphia caris facundissime condiderunt. Etsi non assequi eorum jura facundiæ queo, * materiam tamen loquendi scias non deesse: quia eum recolere scribendo cupio virum, quem sanctum et admirabilem universus pene prædicat orbis: quemque vidimus, et usi familiaritatis ejus amore, licet indigni, sumus, omnino tacere, quamvis indocti, nequimus: ut dum eum oculis videre negamur, saltem mentis officio prosequi mereamur.

Auctor S. Adelardi discipulus.

* MS. *Corb.* materiæ.

3 Sed dum hoc cogitare incipio, duobus valde contrariis afficior intus, mœroris videlicet atque gaudii. Sed contristari Apostolus pro tali negotio vetat; gaudere vero non solum mea, verum omnium nostrorum subita desolatio prohibet. Quibus utrisque taxatis stipendiis pietatum, gaudere magis, multumque congaudere profecto spe promissionis æternæ de tanto patrono oportet: itaque; per felices eum jam transisse agones, quem proculdubio requievisse in Christo, sine fine beate mansurum, minime dubitatur. Sed quia fletu amoris vincor potius, quam desperationis ignavia, mihi parcendum non ambigo: præsertim cum Apostolus non flere prohibeat, nisi tantum ut de dormientibus, tamquam ceteri qui spem non habent, non contristemur. Ergo longe aliud est, cum desperatione contristari; aliud vero dolere et condolere, quod sic peccati causa huc venimus, ut ad modicum vix parum aliquid esse videamur: unde proculdubio carorum lacrymis abluere sepulturam, debitæ pietatis affectio esse debet, non erroris.

1. Thess. 4. v. 12.

Mortuos lugere quatenus liceat.

4 Qua pietate, licet mentis ingenio segnis, tui recordor, virorum carissime Adelarde Pater, senectutis decus, species sanctitatis, forma virtutum: in tantum, inquam, tui recordor, amoris vinculo, ut vix admodum me valeam inter utraque temperare negotia. Qui dum video Dominum Jesum Christum, Lazarum, quem diligebat, flevisse mortuum, et non solum flevisse, verum turbatum esse spiritu; nimirum flere cogor, tali ac tanto cæli destitutus oraculo. Ceterum ipsa natura docet carorum non oblivisci debere, sed quibus possumus eos commendare ingeniis ut et dilectio in mente firma teneatur, visione carnis sublata; et amor in mente qui dudum accensus fuerat, dum melius vivat, quem diligimus, non moriatur. Unde, mi votorum carissime, cui superspargo more vulgi * sepulchri jura ex floribus, ornare cupiens funus litterarum officiis; quatenus tuarum aromata virtutum non tumulo teneantur clausa, sed longe lateque in exemplum futuris fragrent temporibus. Neque enim more quorumdam censeo pueros hinc inde super tumulum constituere, qui tuas fingendo laudes debeant de cantare, ut instar lugubrium carminum ad fletus et gemitum audientium pectora concitent; sed veritatis jura mihimet torpentis otio ne abdicentur, litterarum fidei commendabo, atque ita tuo refrigeratus alloquio, tui per sæcula memorabor. Neque e meo poteris evelli animo, nisi nomen tuum laudesque depromam. Fidelis est mihi conscientia, quod quidquid dixero, a tua minus est laude: ideo persuadere mihi de te talia minime erubesco. Unde tua præsens absentia mihi manens, novos in me generat lacrymarum affectus: ita tamen, ut præsentia absens faciat gratulari, quod jam perveneris ad diu promissa gaudia felix.

S. Adelardi encomium.

Joan. 11.

* *Sur. Sir.* sepulcrum.

5 Ne, quæso, lacrymanti dicas: Gratulari de me potius quam flere, carorum fili debueras, præsertim cum scias me evasisse mundi ludibria, et pervenisse ad fontem æternæ vitæ: qui si me diligeres, gauderes utique et congauderes, quia jam fruor immortalitatis stola, et satior intuendo majestatis gloriam. Scio, mi Pater, scio, inquam, quia exutus carneis indumentis, cælesti jam frueris visione: sed vincor itaque, pio perfusus amore, præsentem tuam flere absentiam, quo mihi triste videtur omne quod intueor, dum te suspirans abesse sentio. Et, ut verbis Fortunati utar:

Dolet Auctor sibi ereptum Adelardum.

Qualiter agnus amans genitricis ab ubere pulsus,
Tristis et herbosis anxius errat agris;
Nunc fugit ad campos, feriens balatibus auras,
Nunc redit ad caulas, nec sine matre placent;

Sic me de tuis Pater absentem suggero verbis. Dies, inquam, obitus tui mihi utinam non duxisset, quia nec poterat pejor esse mihi exiguo, neque sævior ulla tuis omnibus inlucescere: quo quid agam quidve faciam perpendo, sed mœrore amarus non invenio. Prohibente, ut dixi, Apostolo, multum flere volens non audeo; gaudere vero, quamvis invitus, tuæ * claritatis gloria persuadeor. Jam enim tibi hyems, mi Pater, abiit, et recessit imber. Ergo venerunt nuptiæ agni: inter delicias paradisi frueris: vox tua sonuit jam in auribus meis: et audita est vox turturis, ita dicens: Sicut audivimus, fili, sic vidimus in civitate Domini: audivimus quidem gloriosa, sed cernimus potiora, in civitate Domini virtutum: virtutum ergo, et non vitiorum; quia Deus fundavit eam in æternum fundamento perpetuitatis. Intelligo quidem plane talia te canentem, sed suspiro dolens, et gemo anxius, longe interdum a tuo sejunctus consortio. Et quod serius est, orbis te virtutis virum prædicat, nec contingimus, nec videmus.

* *Sur. Sir.* caritatis.

6 Novi igitur quod neque has velis accipere laudes, qui tuas jam in cælo scriptas proculdubio tenes. Ibi tuum prorsus feceras horreum, ibique tuum semper erat

Gratulatur ei suam felicitatem, eumque invocat.

erat mentis habitaculum. Unde quamvis mihi exigam quod impendo, tibi exinde gratulor, quia frueris quod amasti : mihi doleo, quem depulsum a lacte velocius amisisti : jocundor tua causa, sed mea plango. Tuis itaque gaudiis superatus, tandem gratias Deo agere non recuso. Ago quidem gratias, quod talem te habuimus : vincor vero affectu, quia prius te carvimus, quam comites paradisi nos tuo adsciveris consortio. Propter quod obsecro, mi Pater, prospicias per cancellos, per fenestras quoque, Domino concedente, voti intuearis filios. Novi igitur, qua fueris caritate præditus, quave fide firmus, qualique spe diu velut anchora Domino religatus. Certissimum idcirco teneo, quod triplex iste tuus funiculus difficile, imo numquam resolvitur. Miraris non modo sub pedibus nubes ac sidera, sed etiam altam planitiem cæli, niveo candidatus habitu. Ideo precor ne differas misereri humilium, quos dudum ad talia provocabas in certaminis campo. Fortis, mi Pater, fuit ut mors dilectio tua : ideo nullo victus es hoste, nullo superatus agone. Vicisti oblectamenta mundi fortiter, et ideo coronaris, credimus, gloria triumphantis indubitanter. Venite filiæ Hierusalem, et videte diadema, quo coronatus est senex noster solemnitate æterna, quibus ille inauratus est indumentis. Perpendite, quomodo adhuc invenis malignum vicerit hostem, quomodo puer mundum pedibus olim calcaverit.

CAPUT I.

Adelardus aula relicta fit monachus.

Adelardi genus regium.

Qui cum esset regali prosapia, Pipini Magni Regis nepos, Caroli consobrinus Augusti, inter palatii tyrocinia omni mundi prudentia eruditus, una cum terrarum Principe magistris adhibitus, elegit magis justitiæ fore et veritatis amicus, quam in illicita consentire, etiam multis oblectatus blanditiis. Unde factum est, cum idem Imperator Carolus desideratam Desiderii Regis Italorum filiam repudiaret, quam sibi dudum etiam quorumdam Francorum juramentis petierat in conjugium, ut nullo negotio beatus senex persuaderi posset, dum esset adhuc tyro palatii, ut ei, quam vivente illa Rex acceperat, aliquo communicaret servitutis obsequio. Sed culpabat modis omnibus tale connubium, et gemebat puer beatæ indolis, quod et nonnulli Francorum * eo essent perjuri, atque Rex illicito uteretur thoro, propria sine aliquo crimine repulsa uxore. Quo nimio zelo succensus elegit plus sæculum relinquere adhuc puer, quam talibus admisceri negotiis, ut propinquo, quem contra ire prohibendo non posset, non se consentire fugiendo monstraret. Nec minus igitur Joanne pro justitia mori paratus fuisse creditur, qui pari annisu inlicitam reprehendebat Regis audaciam, et spernebat hujusmodi nuptias : nec considerans propinquitatis jura, ut carni assensum præberet contra leges Christi, quas violare non ferens, sibi in animo præponebat. Unde et voluit magis cum Christo mente ingenuus crucis ignominiam ferre, ut fortia quæque confunderet, quam si etiam adoptaretur in regnum, ut esset Regis filius.

* *al.* Deo.

Aula exit offensus quod Carolus uxorem repudiasset.

8 Despiciens itaque Pharaonis regni divitias, pervenit tandem, ut monachus velut Moyses in eremo Dei frueretur aloquiis. Neque enim adhuc sæculo ita calceatus, poterat cæleste visum in monte videre : sed exutus his omnibus et sanctificatus, Dei agente gratia, discipulus factus est Salvatoris. Legerat ergo,

Luc 14. 33. Nisi quis renuntiaverit omnibus quæ possidet, adhuc et semetipsum, non potest meus esse discipulus. Neque igitur ignorabat, quod facilius sit camelum

Matth. 19. 24. per foramen acus transire, quam divitem in regnum cælorum intrare. Et ideo deposuit aselli onera, ut facilius arctam atque strictam viam mandatorum Dei curreret. Quibus depositis, Corbeiæ, imo Christi ibidem expetiit fontem, velut cervus ille Davidicus. Ubi cum parum fuisset immoratus, subito humilitatis discipulus, factus est magister virtutum : et qui pridie pedissequus videbatur aliorum, inventus est dux et prævius suorum in Christo commilitonum. Elegeras enim, bone Jesu, tibi tyronem et puerum : non quidem ille te, sed tu illum elegeras et prælegeras, tua præventum misericordia. Eligisti eum ferme cum viginti esset annorum, quando infelix nimium ætas humana, fragilis et valde proclivis est ac peccandum : tunc quando omnes tyrones tui, cum exirent de terra

Per S. Pasch. Ratber. *Fit monachus Corbeinsis anno ætatis* 20.

Ægypti, a viginti annis et supra, in libro vitæ te Num. 1. 24. conscripti sunt prænomente. Nec non et cum rursus a Moyse et Eleazaro recensentur omnes hac ætate et deinceps, qui possunt ad bella procedere, in cæ- Num. 26. 2. leste collegium supputantur. Hi tantum in castris Domini figunt tentoria, hi soli procedunt ad bella. Sane quia mirum admodum est tunc vincere, cum oblectatur variis blandimentis ; triumphare, multis cum impellitur argumentis. Viginti etenim fiunt, quinque quater ducti ; aut quatuor quinquies supputati. Quibus ita collectis, constat eos tantum ad bella fore promptissimos, qui veteris ac novi testamenti ætate senuerint, et ejus sapientia fuerint educati. Horum igitur virtus est ad bellandum aptissima ; et ut se vincant primum, monenda : præsertim cum tunc hostis, quantum in carne est, majoribus utitur decipiendi ingeniis.

CAPUT II.

Munus hortulani sedulo et pie obit.

Tunc ergo tuus Christe ætate puer, mente ingenuus, prostravit mundi illecebras : tunc deposuit arma Saul Regis, ut te solo lapide, quem gestebat in 1. Reg. 17. pectore, prosterneretur ingens animarum delusor. Te denique elegit secum in præcordiis ferre : te auctore contra spiritalia nequitiæ in cælestibus dimicare. Quid plura ? ita certaminis campum ingressus, pervenit ad cœnobium : ubi annuo pulsans voto, tandem introivit portas justitiæ, per quas soli justi ingrediuntur. Deinde pervenit ad portam, virtute mactus, quæ sola suos quosque ducit ad vitam. Ingressus namque est arctam et strictam viam, quæ paucorum est, ut dilatato animo, viam mandatorum Dei curreret sagacissimæ artis ingenio. Atque cum jam diu ita totus effloruisset inter monasticam disciplinam, ut magis inesse cælestibus quam terrenis crederetur ; nescio quo ducti Patres affectu quasi ex jussu regio hortulanum eum constituunt. Qui gaudens ut bonus *Constituitur hortulanus.* athleta Christi, ac si inter paradisi delicias, ita obediens lætabatur animo : sciebat namque Dominum in hujusce sepultum fuisse spelæo, ibique eum Mariæ ut hortulanum apparuisse sciebat eodem in loco eum resurrexisse, etiam inibi visiones Angelicas apparuisse. Unde profecto thesaurum effodiens in hortis animi, multiplici corpus aromate ungebat Jesu.

Quid tunc putas dicebat, tali adstipulatus officio ? Ni fallor, dicebat (si non voce, mentis tamen affectu) dicebat, inquam : Veniat dilectus meus in hortum Cant. 5. 1. suum virtute consitum, et comedat fructum pomorum suorum. Erant igitur illi in animo diversa virtutum olera ; et idcirco dixisse non ambigitur, ut comedat fructum pomorum suorum ; suorum, inquam, quia non sibi, sed Domini applaudebat gratiæ, si quid boni mente gestaret. Alii labores agrorum superex- *Et hortum et animum suum excolit.* colant, quam virtutes animi, obedientiæ causa defensi : iste talia non omittens, hortum deliciarum animam suam Domino consecraverat. Fecerat enim quod ab eo sibi dictum meminerat : Pone me sicut signaculum erga cor tuum. Quo præsidio vallatus, Cant. 8. 6. secum in animo Domini magis delectabatur colloquio, quam rerum negotiis temporalium : descenderat enim profecto dilectus ejus Christus hortum animi illius invisere : descenderat utique ad areolam aromatis, et in eo virtutum deliciis pascebatur. Hortus autem

PER S. PASCH. RATBER. deliciarum eo vocatus est paradisus, quod intelligitur mens hominis, quia Eden hortus deliciarum interpretatur. Unde et quidam florentem eum dixerunt. Descenderat ergo in eo Christus, ut lilia colligeret castitatis, et videret si jam mala Punica germinassent.

Animus ejus instar paradisi.

10 Est autem boni viri animus, ut dixi, hortus plenus deliciarum virtutibus, atque ita alter denique paradisus. Metitur ibi myrrha, membrorum scilicet mortificatio, cum virtutum aromatibus. Colligitur rosa martyrii sanguine rubricata : nitent poma convallium, cælestibus disciplinis irrorata : germinant mala Punica, propter odoramenta bonorum actuum : absque eo, si quid intrinsecus latet, Dei flagrans pius ardor amoris. Inde est, frater, si velis advertere, quod noster senex totus amabilis et suavis erat : inde, quod aptus omni eloquio puritatis. Nonne tibi videtur mel et lac ex ejus lingua manasse, qui ita se suo influebat eloquio, ut nonnunquam alioquos quasi ebrios redderet sanctitate, omnes vero sibi connexos præ dulcore nimio faciens? Et quid aliud erant ejus labia, quam favus distillans? et ut altius dicam, quid aliud, quam organum sancti Spiritus? Alioquin humana non potuisset apprehendere sapientia, quæ loquebatur. Plena denique sanctitatis munere verba cælesti manabant oraculo.

CAPUT III.

Majoris quietis studio Cassinum petit. Mox revocatur in Galliam invitus.

Qui cum idem ita longe diuque a sancto ageretur Spiritu, recordatus præcepti Abrahæ fuisse dicitur, ubi inquit Scriptura : Exi de terra, et de cognatione
Genes. 12. 1. tua, et de domo patris tui; ac veni in terram, quam monstravero tibi. Qui cum secum talia contulisset, cœpit intra se meditari et dicere, quod nondum hoc præcepti genus opere complevisset. Qui si mente reliquerat nativitatis solum, reputabat quod adhuc corpore interesset. Etsi juxta Evangelii præceptum, patrem, aut matrem, aut cognatos jam relinquerat, ut Deo dignus haberetur discipulus, adhuc etiam amplius molestabatur : quia licet pro dignitatis genere, sæpius tamen eum invisendo propinqui et noti frequentarent, quam quieti viri animus proposcisset. Quo factum est ut illico alter Elias fuga laberetur, non Jezabel sed carnis fugiens voluptatem. Quærebat enim
3 Reg. 19. severus Christi miles effugere, ut sese fugiendo plenius inveniret. Atque ita qui dudum fuerat multis fulcitus blandimentorum obsequiis, factus est hospes peregrinationis : non habens cum Christo (quod egregium
Matth. 8. 20. habendi genus est) saltem ubi caput reclinet. Itaque sic se fugiens, ut se inveniret, pervenit secum in fortitudine verbi usque ad montem Cassinum, nolens patriæ cognoscere curas, neque prædicari de se vento jactantiæ laudes. Cogitabat autem solum se velle tantum percepisse, necdum divisum a vitiis, quousque moraretur infra patriæ fines. Et ne rursus novis diaboli retibus ligaretur, exivit ultra se vadens, si quo modo posset relatu veritatis edicere : Vivo autem jam
Galat. 2. 20. non ego, vivit vero in me Christus.

Non fert propinquorum crebras visitationes.

It Cassinum studio quietis.

12 At ubi ita conscius venit Cassinum, quod totius fons religionis et origo putabatur, susceptus quidem a Patre monasterii; sed Dei disponente judicio, ibi eum paullulum licuit immorari. Fertur namque, quod illico quidam ei anachoreta in Spiritu Dei prædiceret, quinam et unde esset, et ob quam causam eousque advenisset. Ac deinde post modicum prædicit adventuros Regis nuntios, qui eum repeterent, suoque in loco restituerent. Quod ille audiens, turbabatur plurimum, quod votis prospera non succederent. Qui assumens illico Abbatem loci illius, retulit ei sua quæque, rogans atque obsecrans si quo modo posset effugere, clementer annueret, quo nomen illius ultra etiam nec a longe audiretur.

Prædicitur ei reditus in patriam.

13 Sed præoccupavit Deus mox eorum consilia, et dum moras faciunt evolvendi, continuo præoccupatur nuntiis. Qui tenentes eum reduxerunt in patriam. Quid putas, quam amarus erat animus, quam mœstus, quia ad patriæ fines et dulcia proprii soli arva invitus rediret? Audiant igitur hujusmodi virum nostri concives Monachi, qui lenti requiescunt umbrarum delibuti fuligine : audiant, qui post se sæcularium greges trahunt : audiant, inquam, quod non satis tutum sit, suorum se deliniri parentum affectibus. Christus ergo matrem nescit, et ignorat fratres, ut veram nobis mentis ostendat fraternitatem. Si quis, Matth. 12. 50. inquit, fecerit voluntatem patris mei, qui in cælis est, ipse meus frater, soror, et mater est. Deinde revocat discipulum ab officio funeris, ne patrem liceat sepelire debito carnis jure : Sine, inquit, mortuos sepelire Matth. 8. 22. mortuos suos, tu autem sequere me. Hoc igitur totum noverat pius senex noster, et ideo fugere festinabat e medio civium suorum. Recordabatur namque, Matth. 13. 57. quod Jesus non sit signa operatus in patria : neque Propheta sit sine honore, nisi in proprio solo. Hic autem honore mundi expoliatus, idcirco festinabat exire carorum vinculis, ut vere posset sib mentis honorem adsciscere, atque, ut altius dicam, Angelicam in terris degere vitam. Videbatur non satis pauper posse fieri in medio parentum suorum, qui regni pollebant honore, et divitiarum copiis renitebant. Et ideo disruptis vinculis clari nominis, voluit pauper fieri sine ambitione, quondam locuples. Sed sui contemptor eximius paupertate fit ornatior, fuga clarior, vilitate humilitatis sublimior : et ut B. Hieronymi Ep. 2 ad Nepotiam. verbis utar, sint nonnulli ditiores monachi, quam fuerant sæculares : possideant opes sub paupere Christo, quas sub locuplete et fallace diabolo non habuerant : ut suspiret eos Ecclesia divites, quos mundus tenuit ante mendicos : Adelhardus vero noster mundi omnia calcans, vicit in schemate, et cuncta quæ mundi sunt, sub pedibus attrivit.

Cogitur redire ad suos.

Periculosa carnalium propinquorum familiaritas.

CAPUT IV.

Abbas eligitur.

Et dum ita quietus jam victor celsa sederet in mentis arce; dispensante Dei providentia, rursus ei novus constituitur pugnandi ordo. Agitur namque non longe postquam redierat, proprio consentiente monasterii Patre, ut nec multum longe dispar, id est, alter Augustinus, vivente prædecessore successor eligatur : nisi quod ille Episcopus fuerit, iste vero Abbatis loco subrogatus sit : utrique tamen perfecti Dei dispensatores inveniuntur. Erat autem idem beatus præfati Patris Augustini velut pedissequus, operum clarissimus imitator, satis acutus ingenio, voluntate promptus, eloquentia dives, dulcifluus affatu, auditorem tanto afficiens fructu, ut linguam ejus vix aliud, quam calamum sancti Spiritus credere potuisses. Prædicationis ejus officium lacrymæ commendabant, et cordis duritiam gemitus molliebat. Fluebat itaque lacrymarum ab eo serotinus imber, quatenus mentes uberius semen fructificandi caperent, et cor audientium hujusmodi sensu caritatis amore mulceret.

Eligitur Abbas.

Ejus eloquentia.

15 Vox ejus plena viroris gratia, et omni constantia fortior videbatur : ipse vero vultu corporeo nitens, plenus pinguedine sancti Spiritus credebatur. Erat autem, juxta Horatii, quod magnis laudibus prædicatur,

Fortis, et in seipso totus teres atque rotundus. Lib. 2. Serm. Sat. 7.

Fortis siquidem fide, constantia et virtute solidus in tantum, ut nil trepidans, nihilque dubitans videretur, etiamsi totus terrore infractus orbis laberetur. Verumtamen si aliqua terroris procella impulsus esset aliquando spe superabat, aliquando vero ratione vincebat : timor autem mundialis eum nusquam potuit subrigendo transverberare. Teres autem et rotundus ideo in seipso, imo in Domino dicitur fuisse, quia

Magnanimitas et forma corporis.

quia non solum sibimet virtutibus ac moribus aptabatur; verum etiam omnibus congruus erat, et amore dignissimus : in tantum ut omnia omnibus esset, et pene cunctis lucrifieret. Erat siquidem carne nobilis, sed nobilior moribus : plenus Dei sapientia, sed opere non vacuus : pulcra facie, sed fide ac sanctitate pulchrior : dives progenie, sed ditior almitate, quia propago erat natus de propagine cæli.

CAPUT V.

Res ab eo in Italia gestæ : apud Pontificem et Imperatorem auctoritas.

Ejus prudentia ac justitia.

Totus igitur novo homine indutus erat, et quantum hic mortalibus fas est, in intimo Domino recreatus. Equitatus ejus erat quadriga virtutum : rotæ vero quadrigæ illius, prudentia, justitia, fortitudo et temperantia. Porro prudentia tanta illi inerat, ut fons consilii ex ejus animo manare videretur. Cernebat enim simul præterita, præsentia, et futura : ut de singulis prævideret quid agendum, quidve sequendum Dei consilio monstraretur. Justitiam vero quantum sectatus sit, testis est Francia, et omnia regna terrarum, consultu sibi submissa : maxime tamen Italia, quæ sibi commissa fuerat, ut regnum et ejus Regem Pipinum juniorem, ad statum Reip. et ad Religionis cultum utiliter, juste atque discrete honestius informaret : ubi tantam promeruit laudem, ut a quibusdam, ita ut fertur, non homo, sed pro virtutis amore, Angelus prædicaretur. Fatentur enim, quod numquam in *judicio alicujus personam inspexerit : neque juxta proverbium vulgi, aureo pugno sit murus ejus animi fractus. Solus, ut aiunt, potuit illæsus fluvium transire Acherontis avari, et sine discrimine cæcitatis ex Alpibus remeare per annos : ante quem tremebat in promptu superborum altitudo, gloriabatur humilitas mansuetorum. Deposuit enim illico in ingressu omnem inde tyrannicam potestatem, qui velut prædones* iniqui in populo furebant, tantoque audentius, quantum liciti auxiliabantur dominii jure, unde et omnem terram pessima potestate vastabant. Primum ergo his pacem reddidit : deinde sua cuique pius arbiter jura restituit. Ergo tanta inerat ei sapientiæ virtus, ut pro virga censoris judicis uteretur verbo, neque moram faciens, sua cuique quæ justa fuerant, designando. Fecit igitur ut suum quique adimplerent officium, et * nulli jus usurparent alienum. Erat autem thesaurarius pauperum, viduarum patrimonium, pater vero orphanorum, mœrentium consolator, brachium infirmorum, et forte superbientium flagrum. Verumtamen omnes de supercilio mentis artificioso deponebat ingenio, et nullum penitus frangebat, nisi quem conspiceret irrevocabilem esse.

**Sir.* ludicro.

Italiam pacat consilio.

** Corb. iniqua.*

** Sur. Sir.* nullius.

Accipitur humanissime a Leone III Papa.

17 Atque ita virtute validus, mitis et mansuetus, Romanorum pervenit ad fines : ubi a Domino Leone, tunc temporis Apostolico, tanto familiaritatis officio est susceptus, ut neminem constiterit Francorum antea suscepisse. Unde nostrorum quidam narrant, sibi joco dixisse animo : France, inquit, sciendo scias, quia si te aliud invenero, quam te credo, non ultra necesse est Francorum aliquem huc venire, cui credere debeam. Quo profecto patet, quantum pondus idem vir habuerit, cujus evacuatio fidei, Francorum genus omne probaverit non credendum, cujusve firmitatis fuerit.

Lotharium ad promissorum fidem hortatur.

18 Sed quantus sit, plurimum produnt opera promissionis impleta : et testantur litteræ quas de hac, quæ inter homines est tenenda fides. Lothario Imperatori nuper direxit, inter reliqua ita dicens : Quid putas, inquit, o Princeps, si fides sæpe inter cruores et sævientium arma, etiam inter paganos tantum valuit, ut quisque se committeret alterius fidei sacramentis : quantum valere debeat fœdus Christiani, in veritate promissum? Non te decipiat aliquis obsecro, inquit, Imperator : quia fides cum contra aliquem violatur, non homo, sed Deus testis et veritas in ea contemnitur. Talibus dictis proculdubio liquet, quod facilius fuerit, ferri violari vincula, quam hujus viri fidei contaminari promissa, præsertim cum in ejus pectore nil toto, nisi fons veritatis et mera simplicitas radiabat. Quem si diligenter inspiceres, erat in eo animus sigillo Christi impressus : ideo in nullo penitus corrumpi poterat.

PER S. PASCH. RATBER.

NOT. 33.

CAPUT VI.

Variorum Sanctorum virtutes imitatur.

Animus vero ejus erat velut hortus paradisi, fidei muro conclusus, universarum consitus virtutum generibus. Hujus viri imitabatur humilitatem, istius lenitatem : sequebatur autem alterius parsimoniæ victum, et mediocrem vestimentorum habitum : illius quoque habebat patientiam, hujus vero mansuetudinem. Cum frequenti autem suspirio tale mihi verbum pietatis ore dicebat : Super quem requiescam, nisi super humilem et quietum, ac trementem sermones meos? Tu nosti bone Jesu, ut quid talia sibi sedulo replicabat mentis affectu : habebat enim sibi distincte et apposite ad persuadendam hominibus sanctitatem : universa tua præcepta sibi commissa animo tenebat, et inde conferebat secum, habens tuorum dicta mandatorum suos ante oculos, atque ita omnium Sanctorum vitas uno mentis intuitu considerabat, quorum sedulo ruminabat virtutum exempla, ut ex his omnibus unum colligeret virum perfectum, Deo plenum, et religionis officio decoratum.

Isai 66. 2.

Variorum Sanctorum virtutes in se exprimit.

Zeuxim pictorem imitatus.

20 Scribit namque Tullius, rex eloquentiæ Latinæ, in lib. 2 de inventione rhetoricæ artis, quo tempore Crotonienses florerent opibus, atque ita cum beati numerarentur, et templum religionis suæ picturis egregie locupletare vellent; vocasse quemdam Zeuxim, qui omnium pictorum ingenio videbatur excellere : quem magno pretio conductum adhibuerunt, ut sibi pingeret cujusdam Helenæ imaginem..... opus mirabile permansurum. Qui illico quæsivit ab eis si quasdam virgines formosas haberent : illi autem statim deduxerunt hominem in palæstram, atque ei pueros ostenderunt multos magna præditos dignitate : nam honestissimas ex gymnico certamine victorias, domum cum laude maxima retulerunt. Cum puerorum igitur formas et corpora magno hic opere miraretur; Horum, inquiunt illi, sorores sunt apud nos virgines, quæ quanta sint dignitate potes ex his suspicari. Et ille : Præbete igitur illas mihi, quæso, ut ex his dum pingo, formosissima quæque transferam super unius imaginem rei, quam petere censuistis. Quod illi obtemperantes, pictor quinque delegit quarum formam suo probavit judicio pulchritudinis esse. Neque enim putavit omnia quæ quæreret ad venustatem uno se in corpore reperire, eo quod nihil simplici in genere omnibus ex partibus perfectum natura expolivit. Tamquam ceteris non sit habitura quid largiatur, si uni cuncta concesserit.

21 Ita siquidem et senex noster ingrediens palæstram hujus vitæ, postquam ablutus est baptismi fonte, * post abrenuntiationem sæculi, quo puro mentis intuitu conspexit diversos ad diversa tendentes. Alios quidem vidit sudare ad mundi honores, et præsentis vitæ gaudia; alios vero ad luxum et libidinem carnis; nonnullos autem sectari justitiam, necnon et aliquos futuram respicere vitam. Elegit tamen ex omnibus quos potuit intelligere, quinque virgines, quæ pio caritatis oleo suas indesinenter ornant lampades, et parant exire obviam sponso et sponsæ ; et has imitatus est vigilanti animo, ne forte fur nocte veniens, dormientem subriperet. Audivit etiam ex gymnico carmine Sanctorum, quam dignas honore victorias : atque ex his omnibus unam in se Christi reformavit imaginem. Illic in uno videlicet Deo et homine Christo Jesu, omnia quæ sunt venustatis et decoris æternæ vitæ ultra quam intelligi possit, adinvenit. Sed perfectum, quod in omnibus Ecclesiæ partibus natura prohibuit

**Sir.* per.

Quinque virgines prudentes imitatur.

PER S. PASCH. RATBER. *Appellatur Antonius, Augustinus, etc.*

buit, gratia concessit, ut sit Deus omnia in omnibus. Idcirco ex omnibus per omnia satagebat, ut jam Christum in omnibus inveniret. Ob hoc autem ab aliquibus, ut epistolæ Magistri Albini ferunt, Antonius vocabatur : a nonnullis vero, ut supra dictum est, Aurelius Augustinus. Agebat namque istud Gregorii, aliud vero B. Silvestri.

CAPUT VII.

Ejus in egentes effusa liberalitas.

Largus est in indigos, ad id mutuum accipiens.

Testis est mihi conscientia mea, quod sæpe mirabat, cur tantum mutuo vellet accipere, ut indigentibus, vel suorum erogaret usibus, donec vitam B. Silvestri inspexi, cujus in hoc imitabatur exemplum ; ut semper magis mutuando pauper, quam dives inveniretur. Dicebat namque sibi sæpe cohærentibus : Vis nosse, o, inquit, tu, utrum avarus largusve videaris? scias prorsus, quod si timueris quid magis te dedisse quam oportuerit, avarus convinceris. Quod si minus quam debueras, largitatis est utique signum. Et ideo te, fili, moneo, ut magis si neglexeris, in hoc reus appareas, ut de nostro plus censeas tribuere, quam minus aliquid erogare.

23 Novit altissima virtus, quod frequentius in tantum liberaliter tribuebat, ut ipse pauper, ac sui simul viderentur egere. Sed tunc lætus, tunc gaudens exultabat in Domino. Aiebat namque : Utinam vel in modico paupertate Christi participaremur. Sed numquam ei visum est aliquando ad hoc potuisse pervenire negotium, eo quod Christus magis in eo pusillanimes animaret assidue, ut sua liberaliter discerent erogare, et de Dei largitate præsumere. Præoccupabat enim eum divina clementia ministrando. Unde cum quodam die omne pulmentum casei de monasterio hospitibus ex integro expendisset, ita ut nihil fratribus reservaret, contigit ut quidam, cum esset Cellarius, quasi voce minaci quodam mentis affectu diceret. Miror, ait, Pater, quid tua velit ingentis rei expensio. En nihil residui permittis esse fratribus, quo vesci libeat : Tum ille, ut erat suavis eloquio, arridens : Dominus dabit, inquit. Et ille, Tu semper, inquit, ita polliceris : sed non sic exemplo dabitur, quod tu indifferenter effundis. Interim autem dum hæc aguntur, ecce duo adsunt plaustra præforibus, unum nescio quid ferens piscium, et aliud plenum caseis. Quod beatus Pater audiens, lætus pro fratre, jussit eum adesse continuo. Ecce frater, inquit, et quod timebas, argueris. Ecce imprudens convincitur ignavia. Tum ille, ut erat simplex animo, videns se argui beneficiis : Da mi Pater, inquit, deinceps, da quantum volueris. Jam enim non dicam ulterius : Non dabit Dominus : sed dicam prorsus, quia dabitur, quantum volueris.

Ejus liberalitas miraculo compensatur.

Mira ejus in dando discretio.

24 Neque igitur tantus vir prudenti affectu poterat ignorare, quid, cui, et quantum daret. Hoc solum vitii, si libeat, deputetur, quod aiebat : dicebat enim ita : Si ad dandum mihi ita exiguum fuerit, ut non habeam quod duobus impertiam indigentibus, quo solum eorum aliquis adjumentum capiat, bonum mihi videtur, cui jure magis competit, ut ei totum tribuam, quam utrisque nil pene impertiam, aut eos ex toto vacuos relinquam : unde uni impendebat utrumque benevolentiæ munus, alteri pietatis affectum. Videte duri cordes, videte viscera pietatis. Ecce hic licet non posset largiri omnibus, tamen omnium doloribus et penuriis, atque casibus variis, compassionis affectu quasi propriis afficiebatur.

CAPUT VIII.

Pietas et assiduæ lacrymæ.

Bis quotidie lacrymatur.

Vere tantus ac talis erat, ut de se, quippe relatu veritatis, potuisset asserere : Vulneratus, caritate ego sum. Qui nisi vulneratus esset a caritate, omnium casus continuis lamentis ut proprios non lugeret. Flebat autem diebus singulis, si non amplius, semel in die, aut secundo, mane videlicet et vesperi. Ignis ergo erat iste in eo perpetuus, non deficiens ex altari animi ; sed jugiter tali ardebat voto. Ibi enim fiebat suave holocaustum Domino : ibi victimæ mactabantur, præcipue in noctis medio : erat enim pervigil in orationibus. Omnem carnis adipem, et concupiscentiarum illecebras tunc cremabat flammarum incendio, et omnia intrinsecus vitalia, caputque cum pedibus, id est initium vitæ ac finem Domini in sacrificium adolebat. Lavabat enim quæque lacrymis primum, ut deinceps omnia Domino mundius cremarentur. Fateor plane, numquam me virum invenisse, cui fons lacrymarum tantus inesset, tantusque gemitus. Putares enim intrinsecus omnia fletibus resoluta, profundis suspiriis pectus disrumpere. Videbantur in eo quasi tonitrua resonare, dum se crebris tunderet ictibus, ut lacrymarum imbres uberius eliceret. Haud dubium, quin tonitrua fuisse recte dicamus : quia tu intus eras bone Jesu, ut fletibus virtutum rigares semina, et agri pleni, quem benedixeras, fructum fonte adspersionis ablueres.

Lacrymarum causa.

26 Qui, cum exiguus ego aliquando ab eo requirerem hujusce lamenti genus, et tanti fletus gratiam, intulit ita, dicens : Plango, inquit, fili, me plango : non quasi humiliando flere me conveniam, aut ut altiora cæli sacramenta conspiciam : sed me, inquam, quid sim considerans, plangendo lugeo. Plango quidem, non quia sic me vellem plangere : sed quia me ita plangendum novi, proculdubio plango. O profunda humilitas viri, et altissimum mentis ingenium! Dicebas enim hæc, non quod te talem scires, sed ut me, quem talem forte noveras, ad plangendum saltem serius invitares, et pectus saxeum sic tuis fletibus emollires. Alioquin tu ideo flebas, quod velut intra sancta sanctorum ingressus, nondum continuare poteras, quod cernebas : Spes namque quæ differtur, affligit animam. Ergo cernebas mentis oculo cælestem illam patriam, ubi hymni dici chori Deo laudes concelebrant : et fruebaris beato illo et felici cæli concentu, ubi indefessa voce resultant præ gaudio jubilationis organa : et quod majus est adhuc, feceras tuam ipsius animam sancti Spiritus habitaculum. Sed cum idem spiritus paullulum altius evolasset, ut eum requireres, flebas præ amore nimio, multumque flebas ita dicens : Anima mea liquefacta est, ut locutus est mihi, siquidem locutus est et abiit. Abiit, ut mens avida fruendi felicius inardesceret, et flammam cum invenisset in eo caritatis firmius retineret. Inde erat, mi Pater, quod in mortis articulo non recedebat ab ore pius affectus, ac dicebas : Sitivit anima mea ad Deum vivium : quando veniam et apparebo ante faciem Dei? Jam enim cupiebas ingredi tabernaculi locum admirabilis : jam vox exultationis in auribus erat, et confessionis in ore : jam sonus epulantis audiebatur : jam quodammodo intereras his, quorum habitatio est sicut lætantium omnium. Talia quippe, dum fleres, tibi ante oculos assistebant, et ideo amore totus elangueras ac dicebas : Adjuro vos filiæ Jerusalem, si inveneritis dilectum meum, ut nuntietis ei, quia amore langueo. Noverit pius lector, quod si se a talibus paullulum pro quibuslibet negotiis segregasset, quasi a sanctis exiens, festinabat ocyus ut rediret : sed continuo totum se inveniens, totus aderat, quasi si in die nihil aliud inter manus habuisset. Mox etenim aderant lacrymæ, mox gemitus atque omnis devotio. Revirebat quoque animus illico, et omnis sensus corporis continuo mundo moriebatur.

Prov. 13. 12.

Cant. 5. 6.

Ejus in extremis piæ voces.

27 Quod si ad Dei intrasset officium, ut idem jucundo animo solitus erat dicere, mox omnes cogitationes et causas rerum temporalium ante ostium reponebat, et secum totus ingrediebatur, ut totus Deo ac sibi adesset. Quem si conspexisses, subito videres eum introire suæ secretiora mentis, et nescio quid verenti vultu respicere. Tingebat quippe calamum linguæ fonte sancti Spiritus, ut mundus Deo laudes diceret : atque inter ipsas laudes, nescio quid musicum percipiens, aliquando

Officium divinum recitaturus, ad templi januam mundanas curas deponit.

quando abundantissime flebat. Et quid mirum? Cum, ut audivi quodam referente Episcopo, inter ipsas palatii populorum frequentias, dum Rex et Consiliarii ejus, aliud quid intenderent, et turba more solito undique perstreperet, sæpe eorum in medio positus lugebat, quasi ad agonem flendi huc venisset. Itaque ibi residens, alibi cœlorum Regi secretius adsistebat.

28 Quod si inter mundi discrimina huc illucque pro Ecclesiæ negotio occupatus esset, instituta tamen regulæ minime deserebat : sed pro lectione vacabat fletibus, et pro reliquiis officiis mentis jubilo Domino famulabatur. Noverant igitur omnes sui comites et itineris socii, nolle eum ut continue sibi appropinquarent : id circo procul ab eo gradiebantur, quatenus ille soli Deo vacaret. Venerat enim illi jam tempus, ut neque in monte, neque in Hierosolymis, et ut ita dicam, neque in aliquo loco, sed ut in spiritu et veritate adoraret Patrem. Templum autem ejusdem Spiritus suam fecerat animam, veritatisque habitaculum. Idcirco, ut mihi visum est, totus ubique secum totusque cum Deo erat, ac sollicitus cum eo gradiebatur.

Iter agens in anima sua templum statuit.

29 Inde erat quod profecto semper hilaris, semperque mitis ac lætus inveniebatur : inde quod tam patiens, tam longanimis, tamque benignus in omnibus habebatur. Erat enim filius pacis, caritatisque catena, ut fraterna sibi viscera invicem cohærerent. Novit hoc Spoletum et Beneventum : qui cum hostili gladio se invicem indesinenter cæderent, factum est ut idem vir beatus illuc usque ob hoc progrediens deveniret, et Beneventum intraret. Porro ibi cum esset, inter eos tantam restituit pacem, ut usque hodie connexi et confœderati sibi mutuo in pace Christi cohæreant. Unde non solum apud eos, sed etiam apud Græcos et omnes maris insulas nimiam promeruit amoris gratiam, atque famam virtutis. Perpendebat autem in hoc dissidio quod utrique Christiani et fratres essent : neque censuit eos ita Deo placere posse, ut tanta cruentarentur cæde, et suarum prædas facultatum facerent : Quia omnis, inquit Apostolus, qui odit fratrem suum, homicida est : et scimus, quod omnis homicida non habet vitam æternam in se manentem. Unde se medium inter eos pius Pater injecit, et quam diabolus pacem Christi violaverat, sane ad plenum restituit. Igitur in hujuscemodi negotio infatigabilis videbatur, et pro justitia certator eximius.

Spoletinos et Beneventanos reconciliat.

1 Joa. 3. 15.

CAPUT IX.

Ob virtutem invidiæ patet : in exilium mittitur.

Ob egregias virtutes persecutionem in aula patitur.

Unde et factum est, cum Imperator Carolus diem vitæ fecisset extremum, et Ludovicus proles ejus Augustus successisset in regnum, ut diaboli agente invidia, in eo veritas pravorum rursus solitis agitaretur insidiis. Nec novum aliquid : quia apud improbos semper inimica veritas fuisse comperitur, et justitia stultorum criminibus lacerata. Jam enim annosa perversorum improbitas, juxta illud Platonis, beatas et felices Respublicas esse ingemiscebat, si eas studiosi sapientiæ regerent, vel si earum rectores studere sapientiæ contigisset. Unde dolo accensi atque invidia excogitaverunt quomodo ceu Danielem ex Regis latere amoverent, ut justitia, ulterius non habendo defensorem, statum amitteret : et iniquitas suis perempta fraudibus locum dominandi reciperet. Noveras enim omnium animarum Deus inspector, qui hoc consilium illius cordi inserueras ut Regis et Ecclesiæ cederet jussionibus, quod non nisi ob commune omnium bonorum studium hoc fecerat : videlicet ut libertas, potentiorum tyrannide relevata, propensius Domino militaret, et universarum jure laudes Ecclesiarum devotius Domino redderentur. Sed Deus, qui suos ad altiora semper invitat, voluit hunc virum manifestius approbare, quantusque esset in adversis ostendere : ut qui tantus Deo victor in prosperis triumphabat, in adversis etiam triumpharet : ut quia jam gratia Dei septem Evangelii beatitudines vita et moribus sibi acquisierat, octavam quæ supererat, operibus adimpleret : Beati, inquit Evangelium, qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Passus est igitur idem malignorum supercilio, et accusatus fraude humanitatis, qui amore justitiæ ac veritatis in promptu nil sibi tutum servaverat, nisi se pro ea usque ad mortem modis omnibus tradidisset. Numquam enim timore occuluerat veritatem : numquam mendacium locum habere concesserat : sed miseros objecta veri puritate clementer tegebat quos præsertim avaritia et crudelis imperitorum vexabat ignavia. Unde cum cæcitas iniquorum dolosius aranearum telas, quam cautius venandi retia texuisset, noluit ante faciem apparere, ne forte pravitatis turpitudo, justitia relucente, fœdius monstraretur. Quo factum est, ut sine accusatore, sine congressu, nec non sine audientia atque sine judicio, justitia plecteretur in eo. Qui pulsus præsentibus bonis dignitate exutus, vulgi existimatione fœdatus, ob beneficium Reipub. exilium tulit. Sed quam cæca et stulta perversorum calliditas fuit! Cogitabant enim inficere bonorum semper et commaculare virtutis fama, ob dignitatis ambitionem : præsertim cum eo magis alterius torqueantur gloria, quo nolunt assequi eam, qua clari nominis honore digni habeantur. Sed si Deus pro nobis, quis contra nos? Ergo mentiti sunt se posse polluere decus ac felicitate eorum, qui sua in cælum facultatum tulerunt præsidia. Illic enim neque fures effodiunt, nec furantur. Nemo enim aliquid habet post Deum seipso pretiosius. Ideo qui semetipsum bene operando custodit, necesse est se totum et Deum possideat : numquam enim se suo vacuare honore, ac facultatum pretio, quo nihil ditius est, privari poterit, si se quisque extra se non projecerit.

Daniel 6.

Per S. Paschr. Ratber.

Matth. 5. 10.

Præter meritum, exulare jubetur.

Rom. 8. 13.

Matth. 6. 20.

31 Pretiosissimum ergo genus possessionis est virtutum decus, quibus, nihil gravius acquiritur, nil suavius amando percipitur, nihil felicius possidetur. Hunc thesaurum sibi senex noster laborando quæsierat, quærendo felicius adinvenerat, inventum autem, quocumque iret, secum possidendo ferebat. Atque ita quanto exoccupatus rebus mundi fuerat, tanto suæ possessioni intentus, hinc inde locupletius et se cælo restituebat. Noveras jam impudens concupiscentiæ quæstus, quia miles Christi non tuis tenebatur vinculis, neque tua obfuscabatur caligine : sed celsa præsidens caritatis arce, mundum quasi sub pedibus suo liberalitatis dominio subjugarat. Idirco non quocumque invidentium zelus, sed quo Dei agebat Spiritus, quasi ad epulas invitatus, satis admodum ultroneus ibat. Dic, quæso, misera mundi cupiditas, quid inanibus gaudiis raperis? Quid externa bona et momentaneum luxum pro æternis vitæ deliciis amplexaris? Noveris, quod numquam tua facies esse, quæ a te natura rerum fecit aliena. Quod si naturæ satisfacere quæris, scito quia parum est quod requirit. Quod si cupiditatis luxui nil satis esse poterit, o misera mortalium præsumptio, et temeraria virtutum imitatrix cupido, ut quid tantis immergeris fluctibus? Quid mortis æternæ præoccuparis casibus? Ut quid ultra te inconsulte transcendis, cum inde, si quid esse potuisses, totum amittas? Ecce cum justitia, et veritate bellum te semper habuisse novimus; et inde est igitur, quo adhuc livore torqueris. Tu primo mundum in Abel fratricidio cruentasti : deinde per omne tempus Sanctorum millia iniquitatis gladio trucidasti : et quod scelestius est, Dominum cupiditatis pretio vendidisti. Porro adhuc vincendo vinceris, quæ jam Sanctorum predibus conculcaris. Quare non audis infelix adversum te Sanctorum querimonias, sub altari Dei clamantes : Vindica Domine sanguinem nostrum? Forte cogitas, quod in isto sanguinem non fuderis, ideo te excusatum iri? Fateor plane, quia non

Exul pretioso virtutum thesauro fruitur.

Apoc. 6.

PER S. PASCH. RATBER.

mentita est iniquitas sibi. Audisne decentem Dominum : Mihi vindictam, et ego retribuam? Sed quod tu excogitaveras improvise, ut senem nostrum terrarum sedibus exulare cogeres, Dominus ejus hoc usus est ad coronam. Igitur more solito tuum cæcitatis malum convertit in alterius bonum. Ecce rursus ponitur aurum in fornace : ecce tentationis igne probatur : tunditur ac limatur igitur, ut speciosum vas in honorem formatum possit clarius renitere. Sed dum præsens quisque talium contemplatur rerum eventum, fortassis censet, juxta illud Virgilii :

Rom. 12. 19.

Velut aurum in fornace tentationis probatur.

Nec curare Deum mortalia quemquam.

Ecloga 8.

Justus enim aliquando ecce in sua perit justitia, calumniantium fraude perimitur, et pravus sibi quisque vendicat sapientiæ laudem. Verumtamen utrarumque rerum finem rei probavit eventus.

CAPUT X.

Wala et Bernarius fratres ejus, et Gundrada soror, relegantur.

In exilium mittitur ad Heri insulam.

Interim vero senex noster sapientia probus mittitur quasi unus ex ignobilibus ad Heri insulam. Missus vero illuc, omni humano privatus honore, sed cælesti interim undique vallo fulcitur. Dissolvitur autem ad tempus quam felix quadriga germanitatis, in modum illius Ezechielis conjuncta : super quos Jesus, lorica virtutum succinctus, decentissime præsidebat. Erant igitur quinque unius viri semine propagati : quorum trium Imperator Augustus familiari usus consilio, una secum fundabili quadratura Francorum imperium satis admodum dispositum regebat Reipublicæ augmentatum. De his namque equis Habacuc non incongrue Domino cecinerat, dicens : Qui ascendes super equos tuos, et equitatio tua salus. Quorum quidem impar cursus, sed par animus ad palmam in primordio ferebatur. Porro jam deinceps præsidente eis Spiritu sancto, æquo voto in his unum propositum consummatur : qui primo quidem discolores videbantur equi currere, sed voluntate concordes; postremo vero, ut B. Hieronymus ait, unum aurigæ jugum trahunt æqua cervice, et proposito pares, non expectantes flagelli verbera, sed ad hæc vocis Christi hortamenta ita ferventes, ut magistri ac duces exercitui fierent sanctitatis. Erat autem major natu senex noster sanctissimus ætate ac gratia jam Domino consecratus; maturior consilio, eximior omnibus sanctitate Deinde. Wala virorum clarissimus, qui ei successit postea, monachorum pater eximius; tunc temporis primus inter primos, et cunctis amabilior unus; nimia familiaritate Regi inhærens, et maxima Præfecturæ dignitate subvectus, in Senatu clarior cunctis, in militia vero prudenti animo fortior universis. Quem tanta laus sequebatur in omni vitæ negotio, ut longe plus censeretur amore posse, quam omnium fastus etiam et tyrannis reliquorum. Erat enim justitiæ custos, et decus honestatis, oppressorum quoque justus oppressor.

Ezech. 1.

Habac. 3. v. 8.

Epist. 26 ad Pam.

Wala Adelardi frater.

Gundrada soror.

33 Quibus inhærebat ex latere sexu soror Gundrada, nomine dispar, sed virtutibus proculdubio compar, fratribus assiduitate præsens : siquidem virgo familiarior Regi, nobilium nobilissima, quæ inter Venereos palatii ardores, et juvenum venustates, etiam inter mulcentia deliciarum, et inter omnia libidinis blandimenta, sola meruit (ut credimus) reportare pudicitiæ palmam et potuit (ut dicitur) carnis spurcitias illæso calle transire. Pudicitiæ, inquam, sceptra secum tenuit : quia prorsus sibi locupletius fore credidit integritatem servasse carnis, quam roseos castitatum flores violare. Est autem pudicitia virtus, (qua feliciter, ut probatur, coronari meruit) velut Tertullianus facundissimus ait, flos morum, honor corporum, decor sexuum, integritas sanguinis, fides generis, fundamentum sanctitatis, præjudicium omnis bonæ mentis. Ac deinde : Quamquam rara, inquit, nec facile perfecta, vixque perpetua. Hujuscemodi igitur Christi famula inter omnia castitatis discrimina delegit expetere campum certaminis, et meruit triumphum victrix obtinere pudoris. Reliqui vero duo videlicet Bernarius noster, et Theodrada soror ejus Deo devota, quæ jam reddito fructu nuptiarum, secundum castimoniæ gradum arripuerat, ad pedes Jesu cum Maria domi sedebant : illa quidem Suessione Sanctimonialium regens vitam; iste vero Christi discipulatus nobiscum habens formam : utrique tamen ad unum bravium supernæ vocationis currere festinabant.

De Pudic. c. 1.

Bernarius frater, Theodrada soror.

34 Video igitur in hoc eorum quinario numero dulci, sonum utrisque partibus revolutum personare musicum, et ad aliquid harmoniæ horum quantitates concinere. Porro si primum inspicias viros, et secundo duas sorores; erit diapente Græcum, et proportio sesquialteræ quantitatis. Tres enim *a* duplam medietate sui ad aliquid *b* vincunt : et concinit unus videlicet beatus senex noster, inter duos et duas : atque ita mellifluam musicæ symphoniam artis, et pyramidem, Geometricæ disciplinæ formam, reddunt. Sed quod operatur unus, id est, Adelhardus senex inter quatuor, ut bene concinant; hoc vero is idem supereminens, ut in modum ignis quadrati, cælestis patriæ amore ardeant, invitat. Alioquin si respicias eos in negotio Reipublicæ prælatos, erunt rursus tres publicis, velut Martha, mancipati officiis, et duo ad pedes Jesu intenti tantum ut audiant verbum. Atque ita medius est Pater noster senex : qui inter utrasque vitas, activam scilicet et contemplativam, interim medie temperatus incedit. Denique si eos rursus diligenter attendis, tres eorum sunt siquidem qui continentiæ triumphum sortiuntur; et duo qui primum castum meditantur connubium; ad postremum vero, utrique par jugum monasticæ disciplinæ trahunt. In omnibus igitur vestiti duplicibus, in omnibus consoni et concordes atque * concolores prædicantur. Conspicio quidem eos cum Benjamin singulos inter Patriarchas quinque indutos stolis : sed a Jesu nostro veste simpliciter nuptiali postmodum gloriosius decorari. Contueor autem quinque talenta credita, sed his omnibus unum præmium lego superappensum.

Pulcherrima horum inter se consensio.

a *Sirm.* duplum.
b *Sirm.* uniunt.

* MS. *Corb.* conceleres. Genes. 45. v. 22.

35 Qui cum ita his avidius in invicem, pro se et omnibus decertarent, venit invidiæ ventus, et dispersit eos procul ab invicem, in quibus præsertim florebat totius regni decus : ut et ipsi probati manifesti fierent, et ad quos devenirent, eorum virtutibus fulcirentur. At vero Corbeia tunc, multorum quoque ore jam diu laudata, mœrens ac flens, cum de tanto viduata patrono lugeret, in consolationemsui, Domino dispensante, meruit suscipere Walam clarissimum virum, inter reliquos quos habebat nobiles, velut tyronem Christi, quem postea post decessum fratris vice Christi gaudens sibi exultat patrem habere. O providentia Dei, et parati oculi discurrere in omnem terram, attingens a fine usque ad finem fortiter, disponensque omnia suaviter, quam incomprehensibilia sunt opera et judicia tua universa, qui cæcitate humana uteris inæstimabili lucis consilio! flagellas enim ad tempus filios, quos coronare disponis. Inde igitur est, mi Pater omnipotens, quod Bernarius noster Lirinum remittitur : Wala vero tuus in Corbeia, ut dixi, tyro recipitur. Qui deponens militiæ cingulum, ut te totum veste sanctitatis indueret, arripuit primum tyrocinia Paradisi, ut consummaret in se mensuram Christi. Theodrada namque quasi innocens sub sancta professione Suessione relinquitur. Porro præfata Gundrada, ad S. Radegundem quondam Reginam mittitur idcirco, ut cui communicaverat ex parte florens inter palatii discrimina, imitaretur virtutum ejus insignia : et cum ea die noctuque Deum exorans, de se suisque interim consolationem obsecrando reciperet.

Wala amplectitur vitam monasticam in Corbeja.

Bernarius Lirinum mittitur.

Gundradæ secedit Pictavos.

CAPUT

NOT. 34.

CAPUT XI.

De lata in Adelardum sententia queruntur boni omnes, ipse gaudet.

Adelardus lætus in exilium abit.

Sed cum iidem quasi exhonorati secedunt a palatio, procedit senex noster quasi ad epulas invitatus, inter eos, ut aiunt, fortis fide, mente alacer, conscius puritate. Agebat namque gratias, quod dignus inventus fuerit pro veritate contumeliam pati. Deinde nunc fratrem osculo deliniens lacrymantem, nunc sororem blanditiis et Sanctorum afficiens hortamentis, amicis persuadens mentis fortitudinem, Proceribus vero palatii exhibens virtutum exempla, porro in omnibus mirabilem mentis suæ constantiam demonstrabat: ita ut quidam Archiepiscoporum duo flentes ab eo regressi, ut fertur, Imperatori Augusto interroganti dicerent: Quid putas, inquiunt, o Imperator? Numquid vindicare te cupis hunc virum exhonorando, et qualibet terrarum parte eum exulare jubendo? Fatemur, plane, quod numquam ei gaudium huic simile facere potuisses, quo nunc ei probata patientia cælitus condonatur: præsertim cum hodie sibi nimium gratulatur, pristinam in Christo recipere libertatem. Unde scias quod numquam lætior, numquam jucundior a nobis visus est aliquando. Itaque ad nullum ferientis, spe sancta subnixus, pavet occursum, neque eum ullus hinc penetrat dolor. Quod audiens Imperator, pudore suffusus doluit se fecisse, quod jam ruboris erat inhibere.

Excusat Imperatorem.

37 At vero pius Christi famulus hoc Cæsari quasi pro crimine imputantibus aiebat, dicens: Nolite, quæso, fratres mei, nolite attendere, quasi quod de nobis agitur, in hominis sit potestate. Fateor enim, etiamsi idem aliud delegerit, quam quod a Deo semel * prolatum est, non posse penitus retractari, nisi primum hoc opere compleatur: neque possunt compleri disposita, si non idem annuerit. Idcirco moneo vos, carissimi, attendite Deum in nobis, licet per cujus non optassem manus, voluntatem suam explere: quia secundum Job, cum ista expleverit, talia ei præsto et quamplura sunt alia. Alioquin cum expletum fuerit, quod præfixum est, non quod in istius erit voluntate, sed prout suo clementer annuerit nutu, quandoque revocabimur. Interim vero, quæso, parcite a Deo collato nobis Principi, quod non sua quodammodo, sed Domini nostri, cui peccavimus, interdum utitur voluntate. Ceterum juxta B. David vocem, si Dominus incitat eum adversum nos, precor suppliciter exorate, ut sacrificium humilitatis nostræ odoretur, et suos suscipiat pœnitentes in omnibus; ita tamen, ut ejus fiat voluntas. Ecce quanta et quam immobilis patientia illi inhæserat, quanta doctrina, quantaque viscera pietatis. Igitur inter omnia hæc, et inter omnium voces gementium, et lacrymarum alloquia, medius de se consolator erat et persuasor virtutum.

** Sirm.* probatum.

Job. 23. 14.

1. Reg. 26. 19.

38 Erat enim quasi speculum sanctitatis, et inter omnium *a* querimoniarum jura, causidicus irrogantium. Dic, rogo, quis tunc vel saxeum pectus habens? non fleret? Quis præcisus vel de silice non doleret? Aut quis vel ferreis continere se poterat oculis ne lugeret? maxime ea hora, cum omnes una voce plangendo clamarent: Pessima cæcitas malumque consilium, ut fons consilii in exilium deportetur. Istud, inquiunt, non recuperabitur, neque Francorum quisquam ei similis, tantusque caritatis ac veritatis invenietur assertor. Plane fatemur, quia pessima fraus, et callidus hic est veneni dolus. Ecce quam iniquissimum instat tempus, dum justi et boni exhonorantur viri, et nemo est qui interdicat. Quid igitur, putas, erit de nobis? Ecce, aiunt, tollitur pravitatis interdictor, et quis ultra justitiæ locus erit? quæ consilii sanitas? præsertim cum omnes sua quærant? Nemo igitur Reipub. sed pessime sibi quisque consulit, consilium pro muneribus venditur, sequuntur, retributiones, propria lucra considerant.

Defletur ab omnibus bonis exilium ejus.

Per S. Paschasium Ratber.

39 His et hujuscemodi querimoniarum vocibus usi, generaliter omnium corda, singulorum fletibus ingemiscere cogebantur. Ignorabant ergo quod Dei occulto judicio factum sit, ut senex noster mala cum fierent ne videret, et pœna peccati interim in quosdam liberius desæviret. Tunc itaque quasi ei hoc solum deesset, quod primum concupiverat, Domino dispensante, ab humano pellitur orbe: et credimus quod cælestibus pastus sit Sacramentis, ut cui vetitum erat solum terrarum cernere, Joannis exemplo cælestis patriæ inquisitor fieret. Quid putas? numquid Deus oblivisci poterat, quod primum contra ejus decreti voluntatem tali eum ab officio retardarat? Sed nunc fortassis ideo ei votum diu desideratum conceditur, quasi ut quem prius Deus labore hujusce honoris læserat, tandem posterius concessu operis deliniret: quem si vel tenuis pulveris inter hujus mundi discrimina maculæ sordidassent, Angelico assuefactus consortio, fontibus lacrymarum ablueret. Quod factum proculdubio creditur, ut septem annis, qui ad hoc sacratus est numerus, sancto ibidem Spiritu ageretur, si quo modo septiformem ejusdem Spiritus gratiam ex integro accipere meruisset. Alioquin non talis ac tanta fuisset collata virtutum fama, nisi quia divino arbitrio conventum est, ut qui pene omnibus Europæ partibus jam clarus inerat, etiam Aquitaniæ solum extremis finibus illustraret: ut qui sibi pollebat ubique sanctitatis nomine, illuc usque cunctis clarius redderetur, ac deinde ubique fultus Dei auxilio, præmiis meritorum uberius abundaret.

Cur Deus exilium ejus permiserit.

Septennio exulat.

a *Sur. Sirm.* querimonias irrogantium jura causidicus.

CAPUT XII.

Vita in exilio sancte et laudabiliter acta.

In exilio sancte vivit

Hujusce rei testes idonei sunt et assertores sancti fratres, inter quos idem Beatus, ut ipsi fatentur, vita Angelica per septennium visus est habitasse. Quos fratres idem ad omnia, quæ Dei sunt, sancta devotionis flamma movebat: quoniam tanta caritatis virtus in eo erat, ut omnibus se posset influere, et suo eos amore in Dei causa firmius solidare. Dei quippe altissima virtus asperos ei quosque secundabat ubique casus, quæ tribus pueris medium fornacis fecerat tamquam spiritum roris flantem. Unde nec procellis allidebatur, neque vi ventorum impingebatur. Christi enim erat fundatus amore. Et ut cum Apostolo dicam: Quis eum separaret a caritate Christi? tribulatio, an persecutio, an fames, an nuditas, an gladius? Vere, ut evidentius loquar, neque mors, neque vita, neque instantia, neque futura, sed neque ulla creatura poterat eum separare a caritate Dei, quæ est in Christo Jesu. Fundati enim erant pedes ejus supra petram, et ideo non poterat commoveri.

Dan. 3. 50.

Rom. 8. 35.

Ab omnibus amatur et colitur.

41 Unde cognoscentes eum beati viri, inter quos quasi sub custodia degere primum videbatur, cœperunt magno ejus amore inardescere, et nimium eum venerari: non ob regiæ quidem propinquitatis honorem, sed pro venustate morum, et sapientiæ documentis, nec non et pro sublimitate virtutum, in tanto eum honore præferentes, ut etiam ejusdem loci Pater, et omne illud collegium sanctum, Patris eum venerarentur, obsequio, et secundum ejus consilium sua cuncta tractarent, et obedirent ei in omnibus, prout is semel ore aliquid protulisset. Tu enim hæc omnia Deus Pater incomprehensibilis tuo disponebas nutu, ut et devotus tuus famulus tandem aliquando diu optato potiretur otio, et devoti milites tui ejus fulcirentur consilio.

Exilium ei in paradisum mutatur.

42 Vacabat igitur illic jam cælesti Sabbato, fruitione perenni, et gustavit quam suavis sit Dominus. Unde quam immensæ laudes et gratiarum actiones ibidem ejus resonarent ab ore, puto, nemo est qui possit ad plenum edicere. Si quidem erat ei felix illa habitatio

Per S. Pasch. Ratber.

habitatio in modum Paradisi, ex quo serpentis invidia primus ejectus est homo. Et mirabilis satis admodum ordo. Ille quidem projectus inde, confusione tegitur; iste vero ejusdem suasu quasi revectus, ibidem gloriatur, eo quod jam consortio frueretur Angelico. Erat igitur ei, ut quidam Poetarum eximius ait:

Virgil. 2. Georg.

Quam secura quies, et nescia fallere vita,
Dives opum variarum, et latis otia fundis.

Atque ita nimium jucundus, inter mulcentia sanctitatis otia lætabatur, quasi inter florigera Paradisi amœna: nec dubium veritatis odio cum B. Joanne adeo usque exilio deputatus, sicut venerabilis Beda Presbyter ait.

Serm. de S. Joan. Evang.

43 Quin licuit cernere fluctivagas ubique mundi rotas, et Babylonis ac Hierosolymorum mixtim confligere castra, hinc inde vicibus tela atque fugam capi. Inde erat, mi Pater omnipotens Deus, quod tuus athleta tantum pro discrimine hujus vitæ flens lugebat, ac dolore suffusus, nimio lamento gemebat, rogans ac petens præsertim ut tuorum parceres hostium cæcitati. Videbat enim et providebat jam senex Pater, hoc in tempore miseram humani generis vitam deliciis enervari, et Jezabel Propheten se dicere, et seducere servos Dei, fornicari et manducare de idolothytis, ventris ingluviem sequi, et libidine coronari. Quia, inquam, monstrum videri posset si gula sine luxu, aut luxus sine gula regnaret. Heu quam misera conditio ventris, qui talium affinitate partium cohærens, utroque cluditur fine, et malæ felicitatis fastu casso vestitur honore. Unde, quamvis voce Poetica utar, moneo vos:

Orat pro peccatoribus.

Qui legitis flores, et humi nascentia fraga,

hinc fugite, quoniam serpens his usibus latet. At vero præfatus senex noster interim eos flere non cessabat, quos aviditate ditescendi velut quasdam aves nox illuminat et dies cæcat: qui dum non dispositionem Dei, sel suos intuentur affectus, licentiam vel impunitatem scelerum, omnino putant esse felicem. Sed eorum interdum immanitate flagitii, cælesti viro beneficia cumulantur in tantum, ut omne sibi gaudium æstimaret adfuturum, dum tentatione ad victoriam functus sit invidorum. Idcirco quocumque se verteret, proficiens ultra atque crescens ibat.

44 Gaudebat ergo, ut Dei in ipso compleretur voluntas, quia totus Deo subjectus esse parabatur. Aiebat namque inter reliqua patientiæ suæ verba, de suo querenti exulatu, ovium se velle imitari simplicitatis exemplum, et instar leporis mutationem loci non curare. Ovis enim dicebat, propter aliorum caloris indumentum, suo sine invidiæ zelo nudatur vellere, et de sui indumenti exuviis alterius fovetur nuditas. Ita siquidem et in me aliquod si est utilitatis prudens opus, velim ut quilibet id gratis sine meo percipiat quæstu. Atque ita si fuero huc illucque, addebat, pro insidiantis impulsu more leporis fugatus, neque locum quietis, cui dudum prorsus insederam, cum mœrore relinquo, neque ad quem propellor, cum amore teneo. Nostra autem conversatio in cælis esse creditur: idcirco quæ sursum sunt sapimus, et non quæ super terram. Mortui enim sumus cum Christo, et vita nostra cum eo in cælis est abscondita: ut cum Christus apparuerit vita nostra, tunc et nos simul cum eo appareamus in gloria. His et hujuscemodi verbis ad petram, quæ Christus est, fratrum animos solidabat: ut quia inter fluctus marinos extra mundum positi videbantur, spe, quam velut anchoram habemus, cælo profundius firmarentur.

Ovis et leporis exemplo, se in exilio solatur.

CAPUT XIII.

Ab exilio revocatus, honorifice excipitur.

Etiam in exilio propriis fulget meritis.

Quibus paterna ex acie per septennium ita discretione virtutum vallatus, factum est, Domino annuente, ut sui exulatus jam finem faceret, et clarior propriis honoribus redderetur. Propriis ergo dico, quod merito sibi competerent, et idem summum paternitatis officium meritis illustraret. Alioquin honoribus dixi reddendum, quem proprius meritorum honor ubique et sapientia decorabat: non quod amiserit, quo reverentia dignus censeri posset, sed æstimatione vulgi privatus honoris officio, quantum in ipsis fuit, dignitatum fascibus redderetur. Ceterum exhonorari, sicut consulta veritas patefacit, non poterat, quem cælestis gratia illustrabat: præsertim cum indebitus honor potius turpet insipientem, dum summis sedibus inclarescit, quam decoret: quia minus ejus dedecus patuisset, si non altis sublimaretur officiis: quo velut struma, ut quidam ait, in superficie cutis eminet, unde indignus Prælatus videri possit. Sed senex noster non tam alienis quam propriis meritorum honoribus ubique ab omnibus veneratur, ab omnibus interim dignus honore censetur. Verumtamen quia improbos, ut dixi, dignitas reverendos nequit facere dum pluribus eos ostentat, sed despectiores, imo indignos eadem dignitas facit. Ceterum senem nostrum tanta præditum dignitatis magnificentia fuisse constat, ut non solum per sublimitatis gradus illum contingeret videri honorandum; sed quia multo erat fultus consilio, idcirco etiam inter ignotos nimium videretur honorabilis.

Revocatur ab exilio, cunctis gratulantibus.

46 Quo factum est, ut peracto tempore cum summo tandem revocaretur obsequio, ut pristinam reciperet dignitatem, passim omnibus exultantibus et congratulantibus pene cunctis. Unde lætitiæ voces hinc inde ad cælum usque tollebantur. Gratulabantur monachorum cœnobia, resultabat jucunditate Clerus Ecclesiarum, vulgi quoque gaudia ubique ridebant. Factus est autem concursus populi quasi si in communi omnium festo cæli præconio insignis redderetur.

Monachi Herienses cum lacrymis prosequuntur; præcipue Ragnardus.

47 Fratres autem, cum quibus interim degerat, audito suæ regressionis die, cœperunt profecto contristari et mœsti esse, atque quodammodo gratulari: contraque præ nimio amore, ingenti animo lacrymabant: lacrymando quoque vix eum dimittere cogebantur. Inter quos virtute venerabilis Ragnardus, qui postea Abbas eligitur, præcipuo fervebat mentis spiritu, flens mœrore animi, et flendo quoque lætabatur. Lætabatur quidem, quia veritatis amator locum taxati meriti recepisset; sed dolebat valde, quod tanti viri præsentia privabatur. Unde factum est, ut cum pius Dei cultor jam jamque inde abiret, et omnes fratres ardenti animo ejus vestigia gressusque osculando lacrymis abluerent, eique valedicerent, præfatus vir Dei domi intra lacrymarum cubicula sese reciperet, ne proficiscentem videret, quem plus quam se manere secum vellet, pro quo mori etiam proculdubio paratus esset. Sed cum senex eum multum diuque expectando requireret, inventus est in quodam obscuritatis loco flens et ejulans, multaque trahens suspiria. Qui cum vocatus esset, ut seni valediceret, illeque nollet exire, precatus est internuntios, ne eum ibi plorantem detegerent. Quod audiens caritas sancti viri, regreditur jam de navi, ne fratrem, quem sanctum noverat, inosculatum omitteret. Veniente autem ad eum sancto sene, cœpit idem, agnis vocibus inclamare ac dicere: Quid hic quæsiisti felix Pater, vel cur te mihi nunc ostendere voluisti? Testem, inquit, Deum habeo, quia mallem te hic mortuum sepelire, quam me relicto hinc vivum abire. Tunc omnes fratres et famuli magnis eum prosequuntur fletibus: levantur vela, tandem remigia impelluntur: dant omnes gemitum, et ad littus eousque expectant, quamdiu eum possent conspicere. Fervebat vero unus in eis spiritus amoris, et ideo non se poterant continere.

Accipitur honorifice in Regis aula.

48 Ille vero solutis carnis quidem, non cordis, adspectibus, longa corporis attenuatus macie, tandem pervenit ad palatium. Ubi suscepto eo ambitiose ab omnibus, quæsitum est quomodo ei Celsitudo Regia satisfaceret: quia timebant pro tanti viri injuria futurum discrimen incurrere. Tunc beatus senex videns pudore

pudore animi talia meditantes, prorui ad medium, et verecundam Regis mentem blandis delinivit affatibus. Persuasit autem, nil eum de hujusmodi facto in animo retinere, sed omnia se Dei judicio deputare debere.

Redditur suo monasterio Abbas.

49 Interea tum eodem cogente Principe compellitur recipere suum sanctæ vitæ cœnobium, flagitantibus filiis suis ut eum saltem quocumque modo recipere meruissent. Ad quos cum advenisset diu desideratus, ut piis eorum complecteretur jam jamque amplexibus, vexabat eum salutis inimica febris, ita ut geminia affectus singulorum animos sauciarent. Pugnabat siquidem in singulis mœror compassionis, et lætitiæ fervor: eo quod viderent membra carissimi viri sævissime laniari, pro quo libenti animo etiam vitæ quam fortes dispendium sustinerent. Vincebat autem omnes, nunc jucunditatis magnitudo, nunc lacrymarum effusio, et extollebant simul mixtim usque ad cælum lætitiæ laudes, ut in eo Dominum illuc advenisse nullus ambigeret, cui ita suscepto congratulantur omnes, idemque benigne allocutus est universos.

Febri labora.

CAPUT XIV.

Ludovici Pii pœnitentia. Adelardi humilitas et abstinentia.

Revocatur ad palatium.

Sed cum ibidem aliquantisper dulciter quievisset, caritatis officio jucundatus, iterum ab Augusto gloriosius accersitur, et redit ad palatium. Ubi cum introisset, velut quidam ait, virtutum radiis illustratus, quia venit Titan, marcescunt sidera. Apparuit autem illico nudata insipientia quæ tegebatur pallio caliginis, et factus est stupor nimius, quis Senatum populi ad tantam ineptiam deduxisset. Qui, comperto non parum eos invidia fuisse delusos, duxerunt in irritum pene quidquid per hoc tempus, ut eis visum est, ardumentose tractaverant. Solvitur itaque sæva multorum captivitas, eorum maxime qui ex Regio pollebant semine. Redditur ergo in uno libertas omnibus, quocumque in loco tenerentur, nisi quos vita prius mors privarat. Tum deinde quorumdam tonsura, propter furoris sævitiam illata, transiit ad coronam, et dant Deo sponte, quod dudum inviti quasi ad ignominiam susceperant.

Contra eum aliosque insontes acta rescinduntur.

Ludovicus Imperator publice pœnitentiam agit.

51 Quid plura? Ipse gloriosus Imperator publicam ex nonnullis suis reatibus pœnitentiam suscipiens, factus est omnium humillimus, qui quasi Regali elatione sibi pessimus persuasor fuerat : ut quorum oculi offenderant in delicto, satisfactione Regia sanarentur, præsertim quod ejus velle cunctos considerare, ejusque nolle conspicere, manifestum non ambigitur. Sed nisi reversus esset veritatis assertor, interea minime patuisset, quo lethargico spiritu premerentur. Unde etiam matura senectus cæcitatis eorum vulneri, salubri Christi antidoto mederi persuadendo curabat.

Novus ex ejus reditu vigor justitiæ.

1. Tim. 6. v. 20.

52 Ac deinde studuit, ut justitiæ virtus et sapientiæ suas reciperent sedes : ut unusquisque sibi servaret commissum negotium, et sua cuique largirentur jura. Porro novitates vocum, et temerarias, juxta Apostolum, præsumptiones velut pestem in omnibus reprimebat. Omne igitur, quod in lege caritatis non invenisset, inimicum æstimabat Deo et velut venenum repudiabat. Cumque his et hujusmodi præconiis, velut aurum probatum per ignem, clarius enituisset, factus est omnibus decuplo honoratior, ita ut ore omnium egregie resonaret. Amplectebatur autem cunctorum manibus, et quasi Pater ab omnibus colebatur. Eratque Ecclesiarum magistris velut humilitate filius, consilio vero et prudentia quasi subvector inclytus. Qui cum ita satageret indefessus, ut perfecti omnes et Deo digni invenirentur; videtur demum novus renasci Francorum ordo et aurora justitiæ quasi ab ortu surgere. Siluerat enim jam ex parte stratum furoris æquor, et ventosi ceciderant, ut Virgilius ait, murmuris auræ. Redierat ut, idem inquit, virgo cupidinis, si parum liceat immutari : redierant et Saturnia regna, quia progenies bonæ mentis jam quasi cælo refulserat alto.

Eclog. 9.

Eclog. 4

Per S. Pasch. Ratber.

53 Omnibus igitur circumcirca eatenus satisfactionis studio illustratis, et suis cum eo summo fruentibus otio, voluit se demum his exuere curis, ut esset sibimet et Deo totus intentus. Sed nequaquam passi sunt sancti fratres, licet multam eis excusationem senectutis suæ prætenderet : quoniam quanto ætate maturior, tanto ad virtutum culmina tendentibus salubrior videbatur: præsertim cum vigore sancti Spiritus, et viriditate adhuc non exhaustæ carnis satis vigeret, curans se laboribus et vigiliarum negotiis fatigari, etiam plus quam juvenum constantia sequi posset.

Desiderat se Abbatis officio abdicare.

54 Quis enim unquam tam fervidus, quam idem fuerat? Et quis alterius tam crudelis arbiter, quam ille sui videbatur? Fateor plane quod numquam, nisi erga se quod durior esset, necessitatem corrigendi habuit. Unde cum a suis fratribus et filiis quam sæpe corriperetur publice, cur sibi tam infensus esset, qui sic discretus omnibus habebatur; aiebat, ita dicens ut læsos eorum animos mitigaret : Ego mei curam habebo, et prorsus vestro providebo famulo, ne fame aut laboribus fatigatus pereat. Sed hoc peracto, paullulum delitescendo, non diu post resumebat esuriem et laborum negotia, ita ut vix juvenilia membra ferre possent, quibus se parsimoniis et vigiliarum operibus affligebat. Attamen semper erat viroris gratia plenus, semper discreta macie satis admodum rubicundus : vultu quoque decorus, et venustus adspectu. Neque enim faciem ejus ac frontem ignavus rugabat furor : sed totum eum matura hilaritas decorum componebat et aptum. Canities vero sancta eum candore niveo exornabat, et velut lilium super roseos amictus, hinc inde coma capitis, quasi elatæ palmarum, super cutem retinebat : eratque, sicut scriptum est in Canticis, senex noster candidus et rubicundus, electus ex millibus : ita ut culparetur in eo natura humana, quod antequam adulta sit, vitiis corrumpatur.

Jejuniis et vigiliis se macerat.

Æque tamen vividus manet.

Cant. 5. 10.

CAPUT XV.

Multiplex ab animi corporisque bonis petita laus.

Et si velim laudare tantisper glebam corporis ejus multis confertam nitoribus, erit exiguum quod impendo, quod virtutum splendore ornatus, velut lilium inter roseos colores Christo respersus emicuit. Nec dubium, quia omnis caro fœnum, et omnis gloria ejus flos fœni. Virtus autem Christi, quæ semper in eo viguit, permanet in æternum. Ceterum si nobilitatem et personam ejus scribendo, quod Græce χαρακτηρισμὸς dicitur, ad purum pingere voluero, ero ineloquens, super quem facundia Rhetoricæ artis, atque omnis eloquentia puto quod muta sit : silebit illa Demosthenis oratio, et abyssus Tulliana conquiescet. Etsi vero secundum hujus artis peritiam omnibus modis ejus persona consideraretur, ut possit laudi idonea in negotio approbari, non immerito his antefertur, in quo multum quod superest felicius invenitur. Consideratur autem nomine, natione, patria, genere, dignitate, fortuna, corpore, institutione, moribus, victu : quomodo rem familiarem administret, qua consuetudine domestica sit, affectione, arte, conditione, item altera conditione : habitu, vultu, incessu, oratione, affectu. Istis igitur modis consideratis persona censetur : utrum improbus quis ad negotium, an idoneus perhibeatur. Sed videre jam juvat, an luculentus senex noster tot effloruerit præconiis, quot sunt ad laudem sui declamatoriæ artis insignia.

Laudatur Adelardus ab attributis personæ.

A nomine.

56 Nomine ergo harum in catalogo virtutum primum, an sit sapiens, quæritur. Et quis sapientior, quam qui universa cælestis magistri præcepta magis, quam artis eloquentiæ, sollicitus servans, studuit

PER S. PASCH. RATBER.

non admittere causa Dei quæ prohibentur, et servare cuncta, quæ jussa sunt? Porro cum sapientia sit rerum humanarum divinarumque cognitio cum studio bene vivendi, non dubium dici posse sapientem, qui et quæ Dei sunt Deo, et quæ hominum sunt, prudenter norit administrare et velit propter Deum. Hoc igitur negotium prudentis viri est : et ideo is, de quo

A natione.

quærimus, sapiens fuisse non ambigitur. Natione autem carnis (quod cunctis liquet) Francus erat : verum et renatus in Christo, ubi et spiritu conversatus, cælestis efficitur. Patria vero, quamvis hic

A patria.

natus verissime videatur, Jerusalem illa cælestis fuisse, qua nusquam felicius habitatur, propriis perhibetur meretis. Genere quidem, nobilium nobilissimus Francorum, ut paullo ante prompsi, prosapia

A genere.

ortus : sed gratia demum a Deo in filium est nobi-

A dignitate.

lius adoptatus. Qui licet dignitate Regia magnus videretur, en major effectus est sublimitate perennis

A fortuna.

vitæ. Fortuna namque qua fuerit auctus, probatur illo in loco, quo dictum est :

Pauper in angusto regnat habendo Deum.

Siquidem quia contempsit modica, ingressus Domini sui gaudia, sublimatur, et supra multa constitutus erigitur.

A corpore.

57 Corpore vero, utrum validus an decorus fuerit, fides probat, et morum eximietas. Unde nec immerito illi aptatur illud in Canticis : Caput ejus, inquit,

Cantic. 5.

aurum optimum, comæ vero ejus sicut elatæ palmarum : quoniam quidquid ad decorem ei collatum fuerat, sursum ad Deum nitendo conscendere procurabat. Oculi ejus velut columbæ desuper rivos aquarum, quæ lacte sunt lotæ : quoniam totus adspectus ejus simplex fuisse et solum in Deum intentus creditur, nec felle concupiscentiarum immixtus, sed vera innocentia mentis lotus. Porro genæ illius sicut areolæ aromatum, quæ consitæ sunt a pigmentariis, videlicet a sanctis Doctoribus, omni flore doctrinæ et virtutum exornatæ oleribus. Manus illius tornatiles, sanctitatis formam exprimentes, et motu sphærico celeriter ad omne bonum insistentes : plenæ hyacinthis, cæli specie in cælis thesaurizando renitentes, quæ multis replebantur muneribus. Venter ejus eburneus, virtutum distinctus ordinibus. Guttur illius suavissimum, ob favum eloquentiæ : et totus desiderabilis probabilitate morum, atque caritate eximia. Idcirco quærimus te, Pater, dum pascis inter lilia, quærimus quem diligit anima nostra. In lectulo enim per noctes quærimus te cum lacrymis : sonet vox tua, obsecro, in auribus nostris : vox enim tua dulcis, et facies tua decora. Neque enim possumus te patrem non amare, quem pro nobis credimus adfuturum.

Ab institutione.

58 Jam si de institutione agitur, eruditus fuit idem alter Moyses omni sapientia præsentis vitæ, quasi unus ex filiis Regis : deinde perductus ad Sina, in quo ipsius Domini præsentia illustratur, et familiaritate continua fruiturus ingreditur. Moribus vero quibus fuerit exornatus, testis est vita ejus, quæ sum-

A moribus.

mis redolet meritorum insigniis, et præconiis quam

A victu.

maximis prædicatur. Victus namque, quem Philosophi definiunt consummati operis esse fruitionis exercitium, ut perveniat ad quietem, Dominus erat, quem dilexerat, quem amaverat, quem jugiter desiderabat. Gradus autem harum virtutum sunt, cum apud eos primum ponitur affectio mentis. Porro eadem affectio, est animi aut corporis ex tempore aliqua de causa commutatio. Deinde ex hoc quod afficitur, vertit se in studium, ut effectum sui obtineat. Studium autem est animæ assidua et vehemens ad aliquam rem applicata magna cum voluntate occupatio. Postquam habitus induitur acquisitæ rei, cum ad plenum id quod perfectum est, obtinemus, de quo scriptum est:

Psal. 131. 9.

Sacerdotes tui induantur justitia, et Sancti tui exultent. Felix quippe indumentum virtutis est, quo quisquis induitur, et custodit vestimenta sua ne nudus ambulet, hic nuptiali veste indutus, foras non ejicitur : quam si primus parens noster in Paradiso denique conservasset, nequaquam apertis oculis nudus inveniretur. Unde, sicut scriptum est, dum idem descenderet, expoliaverunt eum latrones, et plagis impositis abierunt. Sed senex noster floridus, tali coopertus habitu, jam credimus quod audit : Ambulabit, inquit illi Christus, mecum in albis, quoniam dignus est, et non delebo nomen ejus de libro vitæ. Talique indutus habitu dum esset Pater eximius, exercebat se plurimum ut pro victus alimonia frueretur Christo, quem induerat.

Apoc. 3. 4.

Ab administratione familiæ.

59 Porro restat, juxta præfatam disciplinam requirere quomodo rem suam administrarit. Quid vero dicam, rem suam quomodo administraverit, qui nec se sibi retinuit? Fecerat enim quod audierat a Domino : Si vis, inquit, perfectus esse, vade, vende

Matth. 19. v. 21.

omnia quæ habes, et da pauperibus : et veni, sequere me. Hoc impleto ceterum res Ecclesiæ suæ quemadmodum administraverit, testes idonei sunt sancti fratres, quorum consilio usus est et obsequio : per quos ita cuncta disposuit, ut et omnibus satis esset, nec multum alicui superflueret, neque in vacuum quid periret, sed omnia ad Dei laudem humanius largirentur : fratribus salubria præsentis vitæ tribuens, et nociva quæque ac superflua resecans : hospitibus abundanter omnibus administrans, familiam quoque satis illæsam a jugo servitutis conservans. Siquidem viduas hujusce fæmiliæ destitutas, et cælibes viros per singulas villas constituens, eis stipendia jugiter ministrabat. Orphanorum quoque et debilium, nec non et hospitum in iisdem locis, opportunius velut

Xenodochium instituit.

xenodochium constituerat, ut res Ecclesiæ hujus, suum omnes quasi patrimonium possiderent. Testem Deum habeo, quod idem ipse hujus ministros officii velut medicus sæpe instituebat, ut ipsi excogitarent artificiose, quomodo rerum aliquid eis ad comedendum pararent, et in hujuscemodi cibis eorum sanitas ne periret. Porro Regi et divitibus, nostrorum nullus tam largus erat, idcirco in omnibus Deus largitor omnium glorificaretur : Beatius, inquam, multoties judicans dare, quam accipere, atque medium inter paupertatem, quantum ex se erat, et divitias, propter alios semper incedere : idque ut ii qui habent, tamquam non habentes esse instruerentur, justum etiam percensuerat, ut omnes hujus Ecclesiæ famuli sic tam, quam Patrem eum sentirent, ut tumidi quoque dominum eum esse non ambigerent. Insuper ita eorum virtutibus fautor et institutor existeret, ut vitiorum quoque dominus, quamvis discretus et severissimus fieret persecutor.

A domestica consuetudine.

60 Jam porro qua domestica consuetudine fuerit, novit mensura sancti oraculi, in quo fuit manna absconditum, et urna aurea, altare quoque incensi aureum, et virga Aaron quæ fronduerat; habens illud (Oraculum) XX cubitos in longitudine, et XX in latitudine, XX quoque in altitudine : ut ex omni parte gemino denario consummatus, caritate Dei ac proximi, quadratura perpetua fulciretur : nec dubium, quin Dominus ei fuerit fundamentum. Intra quam mensuram attitulatus, sola novit contemplatio divina, quid senex noster pro suo more domestico tractaret.

Hebr. 9. 3. Reg. 6. v. 20.

Ab affectione.

61 Affectione vero ita illectus omnium bonorum incitamentis, ut super fraterna viscera caritatis officio ceu faculis ureretur. Deinceps igitur arte qua

Ab arte.

fuerit eruditus patet, quia fœcundus inventus est eruditionis consilio. Prudentiæ namque, ut dicitur, mille oculis inspector, virtutum quoque disertissimus disputator, liberalium artium adeo usque sanctissimus institutor, ut probares in eo illud beati Antonii : Quod sensus adinvenerit artem, et qui sensu sit integer, eum arte non indigere. De conditione jam ultra quid loquar? Qui, ut præfatus sum, Regali ex pro-

A conditione duplici.

genie clarus refulsit. Necnon et de altera conditione, utrum

utrum proprius, ut ipsi dicunt, adoptivusve, an abdicatus fuerit, quid ingeram, cum et Bernardi filius fuisse, fratris Magni Pipini Regis, et Dei esse adoptivus non abnuitur?

Ab habitu. 62 Habitu autem quo fuerit infulatus, constat paullo ante me dixisse, quod Christus ejus tunica talaris fuisse probatur. Ceterum vestimentorum habitus, * vix sufficiens monasticus fuisse ostenditur, pro frigore potius membra muniens, quam honoris aliquid gerens. Dicebatur quippe a quibusdam pro ludo, lorica * frigoris : quoniam erat pelliceus et quasi thorax circa viscera fomentum caloris. Vultu autem suavis idem, et statura palmæ adsimilatus erat : eo quod pulcher adspectu et decorus esset, velut Paradisi deliciis enutritus. Quam pulchri gressus ejus, et quam speciosi pedes ad evangelizandum! quippe quibus expeditior damis, in calceamentis ornatior filia Principis.

** Sir.* uni.

** Sirm.* fulgoris.

A vultu.

Ab incessu.

Ab oratione. 63 Porro ejus oratio quam facunda, quam plena sensibus, quam suavis auditu manavit! Extant ejus Epistolæ, ad plurimos directæ, et omnium voces, qui numquam se uberius aut expressius loquentem audisse testantur. Voce quidem canorius cygno mulcebat auditum : sed et melle dulcius palato cordis melodia sapiebat. Erat autem omnis narratio ejus aperta valde, brevis ac lucida, (quod dictionis genus Oratores summis extollunt laudibus) nil fæculentum admiscens, neque dubium quid in sensu reservans : ad vero plano in clausulis procedens gressu : sensus ejus favifluus pinguissimo claudebatur fine. Erat igitur sonus assertionis expositio dictionum; ita ut voce formaretur proprius verborum intellectus, et suis singulæ partium qualitates restituerentur sensibus; habens omnia membra narrationis capitulatim distincta, et ad retinendum facillima, ad persuadendum vero vel dissuadendum promptissima : semper avidius ad intendendum promovens audientes, igne calidius ad desiderandum, torporem discutiendo, incitans desidentes.

Quæ si facundia daretur mihi, luculentius explerem quod conatus sum : nunc autem excusatio pro ignorantia, venia pro voto debetur : præsertim cum stylus nullius ad hoc negotium melius expediret, quam ejus, cujus ut vita præeminet, ita et sermo antecellit. Sed quia id ingenii nuda denegat, voluisse tantum, caritatis jura implesse probabitur.

Ab affectu. 64 Restat nunc, affectu qualis fuerit, intimare. Sed quo artis ingenio pandam ejus affectum animi, qui uno semper mentis ardore afficiebatur in omni vitæ negotio? Jugiter enim cupiens dissolvi et esse cum Christo, se laboribus fatigabat : permanere autem in carne, propter nos necessarium, licet aliter fateretur, penitus sentiebat. Unde toto annisu vitæ satagebat prodesse omnibus, mille, ut ita dicam, caritatum semper negotiis occupatus : præsertim quod esset consilium totius patriæ, et pater omnium indigentium; qui ore ac manibus, cum omni circumstantia facultatum, pro libertate Christi erat omnium servus.

CAPUT XVI.

Corbeiæ Saxonicæ initia, situs, progressus.

Corbeia Saxonica inchoatur. Quoniam cum esset semper accensus ardore, pervenit usque ad Saxoniæ fines ubi jam parvissima cellula a sancto viro, suo æquivoco, Adelhardo nomine, sumptu hujus monasterii ædificari cœperat, eo quod idem beatus vir quia suus fuerat nutritus et familiaris filius, intercesserat loco ejus, dum ipse Hero insula exul haberetur mundi et Paradisi civis. Videns igitur pius Pater ac senex sanctissimus cœptum opus quod pietatis esset officium, Regem adiit, et petivit ab eo, ut daretur ei locus ædificandi : quia ille, in quo situm fuerat, non utilis aut aptus esse probabatur. Quod audiens Imperator Augustus gavisus est valde, volens ei multa largiri, nisi retineret eum ipse, qui nulli unquam concedebat sibi dare quantum quilibet voluisset, sed quantum idem vel si modicum censuisset; agens semper illud Apostoli, quia beatius est dare quam accipere. Accepta autem potestate a Rege, ut ubi vellet, illud ædificaret, elegit locum valde amœnum, et monachis nimis congruum ad habitandum : ubi et Rex postea plurima propter Dei omnipotentis amorem contulit beneficia.

Locum aptiorem impetrat.

PER S. PASCH. RATBER. Act. 20. 35.

Corbeiæ Saxonicæ situs. 66 Est autem locus, pergentibus ad ortum Solis de * Fonte Patris, situs supra littus Uvisiræ, in modum Δ litteræ, vallis planitie collocatus : habet ad ortum Solis præfatum alveum, et montem porrectum in facie juxta fluvium. Porro a meridie mons alius egrediens e fluvio, sinu tendit ad occasum. A septemtrione vero alter e regione pari situ pergit, quousque sibi invicem, viam per medium dantes, copulentur : itaque ita in medio fit vallis, figuram Δ hoc modo, quantum recordor exprimens; nec immerito nam magister veritatis, divino nutu edoctus, talem elegit locum, qui et Christi nutriret discipulos, et suo eos describeret charactere, et signaret situ.

** id est,* Paderborna, *quod* Padi (*fluminis*) fontem *sonat.*

Formæ trigonæ perfectio. 67 Nihil enim in omnibus Geometriæ figuris, triangulari consummatius aut perfectius invenitur. Est enim hic numerus totius * latitudinis et superficiei in Arithmetica solus principium; in Geometria idem planior invenitur. Et quisquis diligenter inspexit hanc figuram, neque in his artibus aliquid mirabilius reperitur, neque in nostra disciplina quidquam majus aut melius prædicatur, quam Trinitas Deus verus. Igitur sine hoc numero formatum aliquid, nihil perfectum innuitur, videlicet sine principio ac fine, et horum medio inter principium atque finem. Hæc vero figura princeps est, ut dixi, latitudinis, eo quod ceteræ omnes superficies in hac resolvantur. Ipsa vero, quoniam nullis est principiis obnoxia, neque ab alia latitudine, nisi a se sumpsit initium, in sese ipsa resolvitur. Quæ si ita sursum erecta fuerit, ut ostensum est, igne caritatis flammare ibidem habitantes debere monstratur. Quod autem ipsius a latitudine fit initium, ostendit latum Dei mandatum nimis, non nisi dilatato corde perfici posse. Quod vero omnes * superficies in se resolvit, liquido signatur, quod omnes reliquæ virtutes ejus latitudine consummantur : et ipsa caritas non nisi Trinitatem colendo in unitate perficitur, ut vera perfectio, in his tribus Unitas individua teneatur. Hæc ideo me dixisse sufficiat, ut monstrarem, quam prudens idem ac sapiens fuerit, quantoque caritatis ardore fervebat, qui talem ac tantum discipulis habitandi locum pararat, irriguum aquis, velut si minor Ægyptus esset, et alter Paradisus Domini, venientibus de Fonte Patris in ortum Solis. Vere, de Fonte Patris, dixi, quia in Christo renati, creduntur exinde non solum ad ortum Solis, sed etiam ultra Solem usque transcendere. Quem locum beatus Pater Corbeiam alterius de nomine vocitavit, ut signum esset in posterum, a quo prius illud esset fundatum.

** Sir.* habitudinis.

Psal. 118.

** Sir.* semper fines.

CAPUT XVII.

Adelardus suis studium paupertatis inculcat. Iis sedulo prospicit.

Juniores instituit. Quis, mi Pater carissime, narrare sufficiat providam doctrinam tuam in omnibus? Vere fateor, quod quoties tui recordor ad liquidum, miror satis quam providus eras in omnibus. Recordor enim doctrinarum tuarum, quibus eos alebas et instituebas tenellos de fide et caritate, inter quas etiam spem mediam collocabas, deque moribus et de omni doctrina vitæ. Qualiter etiam oblatas sibi res a quolibet suspicere debuissent, cum ipsis inter sollicitudinis negotia peragebas; commendans illis per omnia, ut in nullo terrenorum cupidi essent, neque quidquam vellent accipere, unde alii gravarentur : etsi heredes essent rerum largitoris, caute considerarent ne forte ipsi, quorum erat hereditas

PER S. PASCH. RATBER.

hereditas, postmodum inopes fierent. Hæc erat ejus sollicita et pia consideratio in omnibus, quibuscumque præerat locis : ut neque inhonestum quidquam acciperet, neque aliquis quasi causa misericordiæ postmodum pœnitudine premeretur. Dicebat enim, quod multi, non solum rectores Ecclesiarum, sed etiam ipsi ibidem Deo degentes, qui sæculo renuntiasse videntur, ob id decepti essent, quod rebus nimiis abundarent in tantum, ut sæculo servire denuo cogerentur, qui mortui esse mundo debuerant. Quid, inquit, prodesse poterit rebus propriis futuros expoliari heredes, et rursus eos mancipari negotiis sæcularibus? Constat igitur nos in præsenti tempore ideo Reipublicæ deservire, quia ipsa nostris attenuata cupiditatibus, ex se subsistere non posse manifeste causatur. Et idcirco nos infelices, qui liberi esse in Christo debuimus, facti sumus turpissimæ servitutis, etiam inviti, servi. Occasione itaque accepta, quasi in Dei causa mundi militiam bajulamus, cum Apostolus dicat : Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus. Neque enim a nobis exigitur, quod necessaria tantum retinemus; sed quia superflua, ut ab ipsis dicitur, possidemus : et unde miseri lati in possessione esse cupimus, inde angustamur in omni opere bono. Quapropter filioli, estote contenti paupertate Christi, sine qua nemo est dives. Noveritis enim, quod beati sunt pauperes spiritu, quibus regnum cælorum repromittitur. Et ideo fratres mei, nolite, quasi pro pietatis opere, sectando avaritiam, possessionem æternam perdere. Estote igitur, quod vos æterna Christi vocatio esse voluit : ut paupertate Christi participando, divites esse cum eo sine fine mereamini.

Adhortatur eos ad paupertatem.

2. Tim. 2. v. 4.

Gaudebat Adelardus profectu suorum.

69 His et hujusmodi cum eos quotidie corroboraret ac confirmaret, construebatur ibidem, Deo agente, non solum monasterii, sed etiam cælestis patriæ fundamentum. Quid putas, quanto tunc gaudio afficiebatur ejus animus, quantaque lætitia, cum Dei omnipotentis amor ita flagraret in eis, ut etiam omnis illa regio Deum per ipsos benediceret? Fateor itaque quod ad nos nonnumquam rediens, præ amore pio et spiritali gaudio vix se poterat continere, hinc inde exultans atque gaudens, quod Christus per eum glorificaretur in multis; nos quidem rigans ac pascens cælesti pabulo, illos plantans in Christo ac propagans, agebat ut fructum plurimum Deo ferrent. Itaque sic in omnibus se exhibens, Christi vices agere credebatur : etiam et forma humilitatis omnibus anteibat.

Ad Deum semper anhelat.

70 Qui ita jugiter uno jubilationis afficiebatur spiritu, appetebat ingressionis campum : quæ ingressio, secundum B. Augustinum lib. de animæ quantitate, una de septem, et sexta perfectionis est virtus. Quintus siquidem earum gradus, est Tranquillitas : sextus, Ingressio : septimus, Contemplatio. Quæ ita decentissime possunt edici : In seipsa, dum anima quælibet secum ingreditur et versatur : Ad Deum, dum quotidie ardenter desiderando, ad eum ingreditur, ita dicens : Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum : quando veniam et apparebo ante faciem Dei? Apud Deum, cum jam claro lumine indesinenter contemplando ei inhæret, in quem desiderant etiam Angeli prospicere. Quo nunc senex noster se pervenisse lætatur, lætatur meruisse, gratias agit, atque comprehendisse summo alacritatis animo amplectitur.

4. Reg. 2. 12.

71 Unde quid aliud dicam, quam illud Elisæi, Pater mi, Pater mi, currus Israel, et auriga virtutum? Ecce nos quam subito desolatos relinquis : et ideo quærimus te lacrymosa voce, et scrutamur mellifluos mores tuos mane in præcordiis nostris : nec usquam pupilla oculi nostri silet, neque consolatur, nisi cum sibi te pro nobis melius adeste promittit. Recordamur enim, quibus nos lactabas uberibus, vel quanto in te Dei fruebamur oraculo, quantisque ferebamur alarum remigiis, et nutriebamur caritatis visceribus : ita ut si saxei essemus, tua nos molliret pietatis oratio. Omnia enim nobis omnibus factus eras, ut Christo nos lucrifaceres. Quod si ad speciale quorumdam te vertisses negotium, uni in momento dabas vitæ consilium, alium interdum deliniebas osculis. Porro illius manum stringens, alterius animum miro demulcebas affectu, atque ita omnibus unus eras, et totus singulis.

Ejus erga suos caritas.

72 Fratrum vero nomina, licet scripta intra viscera sanctæ sollicitudinis semper teneres, de manu tamen certus eorum numerus diligenter scriptus pene numquam aberat : idque ideo, ut omnes sedulo inspiceres, et mores singulorum apud te sollicitus pertractares. Jam enim de singulis tecum in judicio disceptabas, ne damnum postmodum de creditis ovibus sustineres. Bene igitur noveras, quid cuique expediret : et ideo omnibus exhibebas, quod saluti singulorum congrueret. Erat ergo discretio tua in nullo, quantum dici fas est, exorbitans a proposito, facilitate complendi quæ singulis expedirent; generaliter vero procurando cunctis congrua. Nullum ferme per hebdomadam familiaritatis affectu non allocutum relinquens : nullum quem in die generaliter, nisi ex aliqua impossibilitatis causa, non instrueres : omnibus præbens salubria, nulli prorsus denegans, ut credimus, necessaria. Idcirco filiæ Hierusalem, prout compellor dicere, flete hunc senem nostrum, et lamentum sumite. Flete virum, qui vestiebat nos caritatis coccino, desuper totum deliciis intextum, qui præbebat cultui ornamenta virtutum. Induite cilicium, et amare plangite : quia qui consolabatur nos, et fovebat quasi nutrix in gremio, sublatus est et recessit. Unde plorans plorabit anima mea, et erunt lacrymæ in maxillis meis, quamdiu non intueor quem deligit anima mea. Putasne veniat mihi, Pater, tempus, quando vel si quoquo modo liceat faciem speciemque vultus tui conspicere?

Suorum nomina descripta semper penes se habebat.

Singulos quot hebdomadis alloquebatur.

CAPUT XVIII.

Ad mortem ut sese præpararit.

Sed quid interim jam deinceps agimus, anima? Ecce nunc usque quasi inter roseos versati sumus campos, et conspeximus amœna virtutum, de fonte sancti Spiritus uberius irrorata. Nunc vero instat, ut mortis ejus finem pandamus, quem habuisse talem, glorificandum est; amisisse, flendum; pervenisse vero ad Beatorum gaudia, congratulandum. Sed quanto nobis jucundius est, in eo quod amatur versari; tanto gravius est, ejus absentiam, quam semper præsentem cernimus, tolerare. Unde ceu respersum nebula, mœstum est omne quod inspicimus : caligant oculi nostri, operimur singultibus, tremunt digiti, rotatur caput, funduntur lacrymæ : et insuper est pio amoris effectu quædam flendi voluntas. Unde et quanto hæc prolixius ad consolandum cudimus, tanto ardentius amore afficimur, amando quoque dolore premimur. Idcirco, mi Pater carissime, ocyus transibo obitus tui paginas, in quo diutius immoranti vehemens languor ingruit. Hinc quidem interim adstillat lugendi facultas, sed paullo post consolabimur de perventu, quo tu nunc lætaris in gaudio. Unde quæsumus, priusquam incipiat calamus pulsare tui exitus horam, revertere Sunamitis, revertere, inquam, paullulum, ut intueamur te. Recipiet enim inde spiritum linguæ calamus, et levius transibimus amaros legendi cursus. Revertere, revertere mi carissime. Et quid videbimus in te, nisi ut castrorum acies quomodo sis ordinatus? Ad nos saltem semel, quæsumus, convertere, ut omnes, qualem te prius habuimus, quantusve et modo sis, videamus. Ecce ascendisti, novimus, per desertum quasi aurora consurgens, pulcher ut luna, electus ut sol, terribilis in Deo, velut castrorum exercitus ordinatus.

Maximum sui mortuus desiderium reliquit.

74 Quid

Morituri ad suos oratio.

74 Quid igitur terribilius humanis adspectibus videri potest, quam tui vultus erant adspectus in hora, cum nobis indulgentiam dares? Præceperas enim, petentibus nobis, Pater, ut omnes humi sederemus : quatenus tu os nostrum ex integro, et nos tuum erectis oculis potuissemus conspicere. Quo, fateor, nil me ordinabilius a magistro audisse indultum, nilque flammatius aut horribilius aliquid me vidisse, quam in tuis oculis. Pressius itaque enucleans sensum, ita affatim cunctis es locutus : Ecce, inquis, de creditis ego ovibus rationem redditurus venio : vos autem, o mihi commissus grex, de obedientia et inobedientia vestra sententiam excepturi, attendite, quod idem, qui nunc adsisto, in tremendo judicio vobis coram adero, et quid de talentorum pecunia sim lucratus, vel quomodo illam expenderim, presentabo. Attamen interim, si quid est, in quo excessi in vobis sciens aut nesciens, volens nolensve, indulgete, prout ego, juxta quod oportet, si quid est quod meum sit indulgere, vice Christi relaxo.

Petit ab iis veniam.

Parat se ad mortem.

75 His igitur tum ita præmissis, plenus fervore spiritus recessit, quasi jam futurus arbiter in suo : ut instrueret se, quasi contra spiritalia nequitiæ tunc in cælestibus pugnaturus, rationem villicationis suæ redditurum : licet semper quasi in mortis articulo pertractasset, tunc tamen velut contra legiones iturus, diligentius mentis aciem disponebat, si forte ludibria hujus vitæ sine impedimento posset effugere. Sed quia occursor decuplum ejus vigenti millibus superare legitur, semper quæ pacis sunt, Dominum precabatur : Domine, inquit, pone me juxta te, atque ita cujusvis manus pugnet contra me : alioquin turmas non effugiam iniquorum, quia tu solus inventus es inter mortuos liber. Venit enim ad te exactor, et in te non invenit quidquam quod suum esset. Idcirco fac me firmius in te inhærere, ut et ipse per te tuo in corpore mali totius inveniar liber.

Exacte opera sua discutit.

76 Qui totum se ita discutiens, adhuc invenit in se qualiacumque, quasi nondum exhausta, et præcepit ea coram quibusdam fratribus exponere, (quorum unus, etsi indignus, ego eram) interrogans, si de his se in judicium merito venturum fore pertimesceret. Quibus auditis, juxta divinam scripturam percensuimus, non ad eum pertinere, quæ ipse quasi sua longe diuque plangebat. Quid putas quam subtiliter secum reliqua disputabat? quam sibi severus erat, qui pro alienis etiam, ut pro suis, se puniebat? Interea singulos de singulis monens et instruens, aiebat, ut post obitum suum in electionis pace, caste ac recte secundum Deum inter se convenirent. Exposuit etiam fidem suam coram quibusdam ex nobis, pene et omnem doctrinam quam docuerat, ut ex hoc eam firmius commendaret pectoribus nostris. Hinc est quod tali absentes mœrore suffundimur; inde vero gaudentes sumus, quia de Patre talia recoluntur. Hinc ad hoc afficimur, ad aliud hinc protrahimur. Plangimus in eo siquidem maturitatem morum, fidei firmitatem, soliditatem spei, caritatis fundamenta, ex integro altissimam Christi humilitatem, et ditissimam in omnibus largitatem: nec ut Salvator, inquam, miseram Hierusalem ego lugeo: sed ploro in unius morte pariter omnes virtutes occubuisse : non quod nobis desit ille, qui abiit; sed quod talem videre desivimus, quem sine lacrymis vix aut numquam recordari valemus.

Singulos monet.

Luc. 19. 41.

77 Quis enim siccis oculis ejus recordabitur, in quo pene omne honestatis decus sublatum est? Aut quis non doleat præsidium totius Europæ subito deperiisse? Vel quis sine mentis scrupulo poterit epistolarum ejus nitorem eloquentiæ recitare? Quem si vulgo audisses, dulcifluus emanabat. Si vero idem barbara, quam Teutiscam dicunt, lingua loqueretur, præminebat caritatis eloquio. Quod si Latine, jam ulterius præ aviditate dulcoris, non erat spiritus. Idcirco mihi carissimi o vos omnes, qui nostis quid boni habeat tanti viri præsentia, et transitis per viam, attendite et videte, si est dolor sicut dolor nostrum omnium. Videte igitur quam subito vindemiavit nos Dominus, et facti sumus squallidi, venustate sublata. Aurigo possedit nos, quia decus roseum versum est in favillam.

Peritus erat linguarum, et eloquens.

PER S. PASCH. RATBER.

CAPUT XIX.

Ultima ejus ægritudo : pia mors.

Paraverat ergo se Simeon senex ad natalem Salvatoris accensis lampadibus occurrere, et Regem Regum Dominum Jesum procedentem de thalamo suo ulnis suis lætus suscipere : sed tetigit eum triduo ante natalem Domini validissima febris, dum juxta consuetudinem noctis medio in basilica fleret. Qui ita perdurans ad vigilias una cum fratribus, hostiam jubilationis in pectore Domino consecrabat: et quanto, ut multi testes sunt, altius voce canebant chori, eo amplius idem flebat in jubilo. Sicque se pertrahens ad matutinorum usque laudes, nec minus amore Christi febricitans elanguebat, sicut scriptum est in Canticis: Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo. Et dum quotidie magis magisque multis premeretur doloribus, spiritum non relaxabat, semper Deo intentus. Disponebat igitur ita omnia providus, ac si nihil mali ferret in corpore: instituens et ordinans ita singulas officinas, ut nil finis ejus imperfectum inveniret, præcipue ut et sanctus dies dignis celebraretur honoribus. Quo peracto, vehementius cœpit urgeri febribus : quotidie tamen ad oratorium B. Martini veniens, quem copioso amore in vita semper dilexerat, ibidemque Missas audiens, communionem sanctam percepit, donec ultimus dies vitæ a noctis hujus eum eduxit caligine.

Febri corripitur.

Cant. 2. 5.

Æger quotidie audit Sacrum et communicat.

79 Interim vero audiens beatus vir Hildemannus Episcopus, quem ipse monachum nutrierat, et per concessum Regis tanto Bellovaci sublimarat honore, sanctum ægrotare Patrem, advenit illico, et excubabat jugiter ante eum, donec vivendi finem fecit, et eum propriis manibus una cum cunctis fratribus sepelivit. Qui dum advenisset, gavisus est sanctus Pater alacritate maxima et lætatus, ut vix se ferret præ nimio exultationis gaudio. Agebat namque Deo immensas gratias, quod de hujus eum consolaretur adventu, et dicebat: Deus omnium institutor et rector, gratias tibi ago, quia non sum fraudatus a desiderio meo.

Ægro adest Hildemannus Episc. Bellovac.

80 Interea cum cœpisset idem sanctus Episcopus a nobis percontari, utrum benedictionis oleo, sicut a B. Apostolo sancitum est, deberet perungi; interrogavimus eum, utrumne vellet, quem proculdubio scieramus peccatorum oneribus non detineri. Quod ille audiens, erectis oculis in cælum, cominus obsecrabat ut fieret. Quid putas tum sanctus agebat animus? quantis tunc replebatur lacrymis? Erant igitur oculi ad Deum defixi, manus vero ad cœlos extensæ, invitansque sanctum Spiritum, dicebat: Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace, quia percepi omnia tui mysterii sacramenta: et nunc quid super est, nisi ut ad te veniam? Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu vis : tantum fiat voluntas tua. Alioquin sitiverat jam idem diu venire ad fontem. Unde et quasi jocosa voce, plenus gravitate fidei, frequenter dicebat : Hinc ibo, et ad Deum meum veniam : lætus, inquam, veniam, lætus moriar, lætusque transibo ingentes hujus vitæ foveas: quoniam ad gaudia perventurus sum sempiterna, longe mihi ante promissa.

Jacob. 5. 14.

Ab eo inungitur.

Anhelat ad mortem.

81 His et hujusmodi dictis sedulo se armabat Christi miles, donec ingressus est locum tabernaculi admirabilis, in voce confessionis et laudis: ubi et inventus est exercitus multitudinis festa celebrantis. Ibique jam senex noster tripudians creditur præcinere : Nox præcessit, dies autem appropinquavit. Qui cum quotidianis diebus adhuc in carne febricitans, immensis se Deo taliter commendaret laudibus, contigit subito, dum

Per S. Pahsc. Ratber. dum solus apud se ageret, ad eum ingressum fuisse sanctum Episcopum: ad quem continuo exclamans, ait: Curre velociter, o Episcope, præcipio tibi, et osculare pedes Domini mei Jesu Christi, quoniam ecce adest. At ille audiens, valde contremuit; quia quo iret, vel quid ageret, penitus ignorabat. Ille vero hoc dicto, recepit se sub silentio, et quievit. Tum deinceps peracto die octavo natalis Christi alacrius cœpit insistere, ut jam hinc ei celebratis diebus liceret abire, si quo modo ipse tandem perveniret ad festum quod nox non intercipit, neque morbo corrumpi potest. Et peracto igitur jam noctis mediæ spatio, ita adorsus est, et fratribus dicebat: O filii, semper mihi in Domino multum carissimi, scitote quoniam hodie hinc ibo, datum est enim mihi jam hinc exire, ac videre, (quod utinam fiat) et apparere conspectui Redemptoris mei. Finitus est ergo jam cursus certaminis mei, et restat penitus, quid acceptu-rus sim pro vocationis præmio, ut ignorem. Credimus nos tamen Pater quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, (alioquin vacuus est labor fidei) præsertim qui dicere cum Apostolo veraciter potuisses: Cursum consummavi, fidem servavi: de reliquo quid aliud, quam reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi justus judex in illa die?

Christus ei apparet.

Prædicit mortem suam.

2. Tim. 4. 7.

82 Tum mane jam facto, accersitis nonnullis ex nobis, cœpit idem B. Pater urgere, quatenus matutinas ocyus prævenirent. Quibus dictis, in laude Christi cælestis ejus lingua obmutuit. Tunc vero simul convenientibus omnibus sanctis fratribus, communionem sanctam percepit ferme hora diei prima, sicuti mos est, et cœperunt eum hymnidicis laudibus Domino commendare, atque ita perdurantes in ejus exequiis, usque in horam diei nonam. Tum idem quando et Christus in cruce, emisit spiritum, ut daretur indicium, quod cujus crucem in vita tulerat, quemque secutus fuerat, ejus et in mortis articulo sequeretur vestigia, donec perveniret ad eum quem quæsi erat, quem optarat, quem et diu de toto corde desiderarat. Quis, putas, tunc ea hora luctus omnium erat, et quam præcipua fuerint lamenta monachorum? Attollebatur autem sursum vox una canentium in excelso, et fletus omnium deorsum singulorum scindebat pectora: quoniam, sicut alibi dictum est, et pium erat tanto viro congaudere, et pium erat ejus abscessu flere. Quis enim non fleret, etiamsi de silice natus esset ea hora, cum inclytus Dei pastor hinc abiens, cælos peteret? Ipse enim erat, bone Jesu, quem in toto ex omnibus solum Abbatem reperi: ipse ex universis, quem alterius plus quam sua quærentem inveni. Qui, sicut mater amat unicum, ita quosque tenerrime diligebat, atque ut solidiora caperent invitabat.

Iterum communicat. Felicissime decedit.

Omnes lugent.

not. 35.

CAPUT XX.

Ratberti luctus. S. Adelardi sepultura.

Luget Auctor S. Adelardum sibi ereptum.

Quapropter, quæso, attendite viri, et videte universi populi matrem Corbeiam flentem, (quod est alvearium monachorum) flentem, inquam, ac dicentem: Ablatus est magnificus meus mihi, et nullus est qui consoletur me ex omnibus caris: quoniam complevit Dominus furorem suum in me, et fecit quæ cogitavit. Complevit ergo, quæ præceperat a diebus antiquis: Terra es, et in terram ibis. Idcirco abiit carissimus mihi, et recessit. Reversa est ergo virgo Israel ad civitates suas, et deinceps ambulat gloriose super aquas redemptionis æternæ. Ipse namque est, qui erat mihi votorum carissimus: ipse convertens animam meam, et custos vitæ meæ: ipse qui consurgens pro nobis in principio vigiliarum, effundebat velut aquam cor suum ante conspectum Domini. Nunc vero posuit nos Dominus ad modicum desolatos, propter eum mœrore confectos. Ideo ergo ponimus in pulvere os nostrum, sperantes in misericordiis Domini, si forte sit spes ut pervenire possimus, quo jam pius patronus noster pervenisse creditur. Quod donec fiat, donec optata dies veniat, hæreat lingua mea faucibus meis, si tui non meminero, Pater Adelharde, si non te proposuero in principio recordationum mearum. Alioquin obliviscatur me dextera mea, nisi nomen tuum laudesque pandam. Credo mi carorum carissime, quod prius maternus amor perire possit, quam nos te non diligere. Quia etsi illa suorum obliviscitur, nos tui numquam obliti erimus: sed dum sæcula manent, et nox cum die partitur vices, fama prædicabitur de te semper sanctissimæ vitæ, nosque tua numquam immunes erimus a laude. Tu autem, quæsumus, trahe nos hinc post te, curramus in odorem unguentorum tuorum: quia meliora sunt ubera tua vino, fragrantia unguentis optimis. Recti enim te diligunt: et ideo quærimus, quousque perveniamus, ubi pascis, ubi cubas; scimus namque, quod in meridie.

84 Neque igitur, juxta quod fabulæ ferunt Threicium fecisse vatem, gemimus apud inferos conjugis mortem: sed super astra tollimus patris nomen, quo te solemniter conscendisse fatemur. Ergo etsi felix fuit ille, qui ficte potuit lucidum boni fontem visere; et felix qui potuit vincula gravis terræ solvere; feliciores sumus nos, qui possumus post te Patrem talia et tam sancta vota dirigere. Fingitur enim ille præfatus vates flebilibus modis flendo post conjugem silvas currere fecisse, amnes stare immobiles; junxitque intrepidum latus cerva sævis leonibus; nec timuit lepus jam cantu placidum canem. Cujus cum fervor intima pectoris flagrantia ureret, nec sic mulcerent animum cuncta quæ subegerat; it mites ad superos, quærens conjugem; nec reperta, infernas adiit domos: illic sonantibus chordis blanda carmina temperans, quidquid de præcipuis * Musarum fontibus hauserat. Ad cujus voces umbrarum dea miserans; Tandem, inquit, vincimur arbiter: et ideo donamus conjugem viro, emptam carmine. Quid putas tum ille, juxta poeticam narrationem, luctus dabat? quantosque threnos geminans amor moverat? quantisve precibus veniam implorarat? Cujus nova carmina stupuerat infernus, ultrices scelerum deæ jam mœstæ madebant lacrymis.

Orphei fabula.

**Sur. Sir.* musicorum.

85 Sed nos, Pater carissime, talia non ideo inferimus, quod ignoremus neminem ab inferis sine Christo regressum fuisse; sed quid boni habeat amor, volumus aperire. Amor enim maxima lex sibi est: et ideo imitando quærimus te quasi per legem, quia omnis * vita tua, lex vitæ fuit: ut mereamur pervenire ad te, imo ad te, quia ad Christum, quo te pervenisse credimus et optamus. Et precamur, ut Deus nostris fletibus motus exaudiat, et doneris feliciter nobis, imo nos tibi, quia te Paradiso datum petimus. Credimus namque, quod ibidem coronaris jam de capite Amana, de vertice Sanir, de cubilibus leonum, de montibus pardorum. Ista quippe omnia triumphando vicisti: idcirco factus es suavis inter delicias Paradisi et decorus, nec est in te macula. Dextera igitur Christi amplecteris, et lævam sub capite pacis somno dormiens premis: et ideo factus es coram eo quasi pacem reperiens. Lectus ergo tuus, quia in pace Christi versaris, floridus juxta meriti qualitatem: tigna domus tuæ cedrina: laquearia vero cypressina. Et nos quidem, Pater amicissime nobis, juxta quod intelligimus, gaudemus et gratulamur tibi, quia eversa domo, inventa est in te drachma, quæ perierat: perierat enim noctis caligine circumfusa, sed accensis lampadibus, tibi felicius denuo invenitur. Unde interim quando aliud non valemus, jura sepulchri tui flentes circumsedemus, et superadspergimus orationum flores. Legimus super illud nomen bonum, quod melius acquisisti, quam divitias multas. Nam nostrum alii pallentes violas tibi et candentia lilia carpunt; alii narcissum et florentes rosas; alii serpillum

**Sur. Sirm.* via.

Honores mystici funeri S. Adelardi exhibiti.

lum bene olentem spargunt : isti colocasia et mollibus illud vacciniis pingunt : quidam et suaves intermiscent odores : nonnulli vero falsis lacrymarum rigant fontibus, et ego litterarum superintexo pallas : quatenus ævi temporibus futuris, sanctum servet nomen. Neque enim fucatæ artis eloquentia texo; sed sindone munda, puritatis opere, illud involvo. Alioquin si quis plenius hunc virum nosse desiderat, quam fortiter fide mundum vicerit, legat illud, ubi inscribitur ei nomen novum et nomen civitatis novæ Hierusalem. Et cum intellexerit, quibus civitas fulgeat ornamentis, hoc totum illi conferat : eo quod ibidem quodammodo ipse civitas, et possessor hujusce civitatis a Deo creditur esse factus.

86 Unde gaude et lætare virgo fidei, felix Corbeia, ex antiquo vocata : quia meruisti talem in Christo frui et possidere patronum. Quæso te, mater religionis inclyta, amplectere hunc virum, quem tu tyronem cælestibus sobrie ac discrete instituisti moribus: et imitare illum, qui te postea multis ampliavit honoribus. Quare igitur mœrore consumeris virgo et filia Dei summi, quasi non sit tibi consiliarius? Ecce fratrem reliquit tibi heredem, qui multis adhuc pro te sudabit laboribus. Absterge, quæso, lacrymas : quoniam mittes obviam de medio tui etiam hunc senem, cum universæ terrarum partes miserint eximios quosque viros. Porro vicina monasteria cum dederint, videlicet Vedastum * Atrebates, et Centulum Sanctissimum Richarium, et alia circumquaque viros religione nobiles; dabis forsitan et tu non impari voto virum Deo dignissimum. Neque infecunda tunc eris, cum inter reliquos istum etiam Domino de terræ pulvere generabis : imo lætabunda et gaudens veniendo venies, saltem paucos ferens manipulos. Idcirco confortare et robustius age, donec Amalec occurrit in via, quoniam alter Josue jam tecum dux et prævius virtute, pugnat in acie. Fulci igitur istum, jam in capite inter plurimos dimicantem : attende et illum in monte jam Domino palmas ad sublimia porrigentem. Hic pugnat, ille orat: hic hostem premit, ille vincit. Iste namque est, carissima mihi mater, fratrum amator, et populi Israel. Hic qui multum orat pro suis caritate perpetuus. Hic qui jugis, ut credo, intercessor erit pro civibus. Unde et Domine, juxta B. Ambrosii vocem, quia nemo habet quod aliis plus deferat, quam quod sibi optat ; non nos ab illo post mortem separes, quem in hac vita carissimum sensimus. Sed ubi es, nos facias esse simul cum illo: ut vel sic ejus perpetua visione apud te fruamur in Christo, quem propter te in hac vita carissimum valde dileximus, nunc in pace Christi sepultum.

Hæc sub Wala S. Adelardi fratre et successore scripta.

** MS. Corb.* Atrapis.

87 Sepulta sunt autem decenter membra carissimi senis, in basilica B. Petri Apostoli sub fastigio inter ejusdem medioximæ quatuor ecclesiæ centra, tectus polito lapide : super quem octonis sculptum versibus musici carminis haustu digne legitur :

S. Adelardi sepulcrum.

Epitaphium.

Hic jacet eximius meritis venerabilis Abba,
Noster Adelhardus, dignus honore senex.
Regia prosapies, Paradisi jure colonus:
Vir charitate probus, moribus, atque fide.
Quem dum sub tumulo recolis tu quisque viator,
Cerne quid es, quid eris, mors quia cuncta rapit.
Nam post octavas Domini hic carne solutus,
Succedente die astra petivit ovans.

88 Et sunt ibidem perhumati quatuor circumquaque venerandi viri, qui fuerant uno ejusdem officio servitutis a Domino propagati. Quod factum non casu contigisse puto, sed ut quorum una in Christo fuit militia, post Jesum crucem sublimius eodem in loco ferre propriam, unus esset et sepulturæ locus, qui * eo dumtaxat secundum similitudinem ejusdem Crucis insignius * cohæreret. Quorum medius senex noster cernitur, super quem signa ad horas divini officii pulsantur, ut ex hoc clareat, juxta quod provenisse creditur, quia fuerit lingua ejus cymbalum sancti Spiritus, et Invitatorium ad divini operis officium, ibidem dedicatum. Unde et octoni versus, quod post octavas Domini obierit, titulantur : quantenus monstretur eum opere consummato, quo dudum omnes invitaverat, ad octavam Domini, nullo litterarum imminuto numero feliciter pervenisse.

Alii ibidem Abbates sepulti.

** Sur. Sirm.* eos.
** Sur. Sir.* connecteret.

PER S. GERARD.

NOT. 36 et 37.

ALIA VITA S. ADELARDI

AUCTORE
S. GERARDO ABBATE SILVÆ-MAJORIS.

PROLOGUS.

Magnus Dominus et laudabilis nimis, gloriosus et magnificus in Sanctis suis. Ipse est enim corona Sanctorum, ipse spes, exultatio et gaudium. Ejus singularis visio, eorum est universalis delectatio. Horum autem exultatione fundatur universa terra, mons Sion, Aquilonis latera, civitas Regis magni, universitatis Ecclesia. Quæ numeroso compta germine nuptiarum, et per eas diverso fœcunda ordine filiorum, civibus electis ornat Jerusalem, urbem illam scilicet cælorum, ad cujus hæc terrestris Ecclesia præfiguratur imaginem. In hac spes civitatis illius habetur, in illa res desiderata tenetur. Hæc beatos facit, illa electos reficit. Nec est ista expers civium illorum : Deus enim cognoscitur in domibus eorum. Ubi videlicet Imperatores curvantur ante tumulos piscatorum; piscatores honorantur successione Pontificum; Pontifices religione Abbatum. Et ideo summo nos delectet succumbere bono, tanto voluptas sit subesse Domino; qui non modo fautor est cremento proficientium, sed et remediabiliter providet casibus ruentium, dum et Angelica præstat nobis suffragia non deesse, et patrocinia confert Sanctorum; quos pro reatibus intercessores non dubitemus efflagitare. Quos cum diversis attributos provinciis communibus omnes conveniat passim honorare officiis; singulis tamen quibusque locis misericorditer provisos attribuit, quos specialiter nobis amplectendos et propensius exorandos voluit.

Ecclesia Sanctorum prole fœcunda.

Sancti in cœlis pro nobis intercedunt.

2 De quorum numero lux patriæ B. Adalardus, Corbeiensium extitit Abbas prædicandus, qui non solum Francorum gemma, sed et Saxonum oriens effulsit stella. Genuit filios Ecclesiæ, nutrivit patres Corbeiæ. Denique S. Anscarius, qui a Walone ipsius S. Adalardi fratre in Corbeia fuit electus, ut a Rege Ludovico cum Herioldo Danorum Rege ad prædicationem Danorum mitteretur; quique postea pro fide Christi multis pœnis ab eisdem affectus tandem in Bremia Archiepiscopatu suo requievit, multis meritis decoratus, ejusdem S. Adalardi auditor fuit et nutritius. Ratbertus quoque Paschasius ejusdem Abbas loci, qui luculentum edidit librum de corpore et sanguine Domini; ejus meruit paternitatem digna filiatione sui : cujus etiam corpore cum reliquis illustratur Corbeia : qui diversi per diversa, diversæ sanctitatis in Christo adepti sunt merita. Hic autem qualis fuerit et quantus, in quadam epistola testatur Abbas Lobiensis Herigerus: qui eo tempore inter sapientes habebatur sapientissimus. Quamquam longum est hic interponere.

S. Adelardus discipulum habuit Anscharium Bremensem Archiep. de quo 3 Febru.

Item Paschasium Ratbertum.

3 Ad S. Adalardum, de quo digressi sumus paullisper, calamum studeamus convertere. In cujus caritatis dilatatione, tanta filii sui fervebant dilectione, ut a quodam eorum tanta sit composita prolixitate ipsius vita, tanta lamentationis plena amplitudine, tanto cantici canticorum amatorio languore, ut magis epithalamium dici possit, quam textus alicujus historiæ. Qua confusione non mediocriter offensus Corbeiensis tunc custos Ecclesiæ, sæpe monuit Abbatem ut recidi juberet superflua quæque. Sed illo sæcularibus curis occupato, compunctus iste reverentia Sancti, cui hærebat amoris privilegio, flores ipsius vitæ decerpi jussit e tanto viriditatis prato.

Adelardi vita per Ratbertum, epithalamium potius quam historia.

Cujus

PER S. GERARD. *Hæc vita historice scripta.* Vide 15 Junii.

Cujus parendo jussioni sub brevitate non detrahitur priorum sententiæ; excepta illius, qui non authentice sensit de hac historia in S. Viti translatione, non nisi denique per hanc scribendi viam ingressus. Quomodo enim aliter interponeret Corbeiam novam quam construxit S. Adalardus, licet ad unguem descripserit ipsam translationem factam per successores ejus, inordinate tamen erravit de Chronicis Principum et Sancti successoribus. Ad cujus errorem falsitatis removendum sufficiens sit cunctis legentibus ejusdem scriptoris testimonium, qui etiam hoc quod ignorando asserit, in hac monet historia requirendum. Quapropter nunc ei hujus inordinationis offensam donemus, eo scilicet tenore, ut in his quæ secus quam sunt sentit, a nullo sit per singula credendus, et sic ad rei veritatem scribendi calamum vertamus.

NOT. 38.

CAPUT I.

Adelardi genus : vitæ monasticæ tyrocinium.

S. Adelardi genus.

Tempore igitur quo Carolus agebat in sceptris, ille scilicet Carolus, cui cum sæculo terminavit famam palma virtutis, tirocinabatur in palatio Adalardus, puer bonæ indolis. Cujus quidem genitores non silet antiquitas, et ideo quantæ nobilitatis fuerit celare non potest posteritas. Secundum enim totius generositatis genealogiam, ab ingenuis Francorum Regibus deducens nativitatis lineam, Bernardum fratrem magni Pippini Regis habuit patrem: consanguineum quoque æquivocum Pippini, Pippinum juniorem, consobrinum, quem et collegam sub alas scholares, eumdem Carolum Imperatorem. Fuit quoque Francus natione, qui Franci dicti sunt a feritate; genere scilicet Trojani, qui per Illyricos sinus deducti Mæotidas insederunt paludes, duce quodam Antenore. Unde cum Romanis Æneia signa secutis civilis est eis communitas, et unius imperii quondam fuit et esse debet communis affinitas. Hoc autem eo tempore erat, quo Carolus Romanus Imperator dicebatur et erat. Ipse enim solus fuit, quem fama majorem mundus habuit.

Origo Francorum : sed fabulosa.

S. Adelardi institutio, et mores in juventute.

5 Cum quo postquam beatus puer liberalium fontem transivit non inloto pede, inter primos palatii ætate et sapientia cœpit florere, et primus haberi sub ipso sceptrigerante. Timebat tamen Deum, et omni custodia servabat cor suum. Binos quoque fratres et totidem sorores habebat : quos sicut ætate ita et meritis anteibat. Licet enim utpote juvenis natura cereus esset in vitium flecti, immunis tamen erat ab his vitiis, quibus illa ætas solet inquinari. Semper erat in ore ejus justitiæ attestatio, semper in corde injuriæ detestatio: et quanto junior, tanto perspicacior.

6 Sed ea tempestate, quos sibi amicos obsequium, ab eisdem veritas peperit odium. Imperator quippe Desiderii Regis Italorum filiæ legitimo connubio nupsit : sed postea odio patris, injuria perosam repudiavit, et perjuris Optimatibus Francorum publico adulterio alteram regno superduxit. Quæ res quantum detestabilis fuisset, etiam nunc oriens occidenti nuntiare valet. Et si minus justis omnino displicebat, credo quia bonis et perfectis placere non poterat. Quapropter adolescens omnimodo detestans propinqui sui illicitum conjugium, publice obtestans perjuros esse Optimates Francorum, elegit adhuc puer palatium et cum palatio sæculum postponere, quam talibus videretur communicari et consentire : ut propinquo, quem contraire prohibendo non posset, saltem fugiendo se dissentire monstraret.

Aulam et sæculum relinquit.

Annos 20 natus fit monachus.

7 Abdicatis igitur palatii insignibus et tyrocinio, vicesimum ætatis agens annum, quando juvenilis animus proclivior habetur in peccando, statuit suscipere jugum Christi, libertatem suam ejus servitute nobilitando. Cui quia non ficte militare disponebat, cœnobium in quo militandi exemplum acciperet nova religione quærebat. Cujus religionis officina decens invenitur locus qui vocatur Corbeia. Nec spes eum fefellit, quia quod devote quærebat, devotius sibi cessit. Quantæ enim fuerit nobilitatis tunc locus ille, satis cernentibus adhuc claret vestigiis tantum veteris ruinæ. Ut enim minus quam decet dicam de laude ejus, ipsa erat veraciter aula Dei, et absque concupiscentia pomi alter paradisus. Et qualis tunc erat, quæ modo vix signa Corbeiæ servat? utique talis, qualem decebat militem summi Imperatoris.

Ejus tyrocinium in vita monastica.

8 In hoc itaque loco pulsans, et pulsando admissus secundum regulam S. Benedicti instituendus, primo deposita sarcina et habitu sæculari ingrediendo, cœpit currere viam mandatorum Dei. Statimque discipulus effectus legis divinæ, qui antea jam perfectus erat magister mundialis scientiæ, per summæ humilitatis adeptionem breviter apprehendit utriusque legis perfectionem. Ad hoc enim venerat : ideo non magnus labor discendi erat. Sancti quoque Spiritus gratia omnia sibi faciebat docibilia, omnia penitus possibilia. Quidquid sibi imperabatur, ita parebat ac si divinitus imperaretur. Nulli secundus erat humilitate, et licet novitius, cunctis tamen prior religione. Erga priores digna acclinis veneratione, erga juniores paterna affectus dilectione. Sicque omnibus omnia factus, paullo post, omnes præcedit virtutibus, qui paullo ante omnium erat pedissequus. Postquam conversionem morum actu atque habitu professus, quem quærebat monachum, victorem in cœnobio se fecit monomachum, dextera quippe Dei confortatus, pugnabat contra nequitiæ spiritualia in cælestibus.

Fit Hortulanus ad probationem humilitatis.

9 Cumque jam in tantum effloruisset, ut intra monasticam disciplinam magis inesse animo cælestibus quam terrenis crederetur et esset, committitur ei quædam obedientia, ut in omnibus probetur ille novus cœnobita. Commendatur ei cura horti excolendi, causa scilicet obedientiæ fructum exinde referendi, et (ut quidam asserunt) jussu regali, quasi scilicet hac obedientia injuriatus, flecteretur animo ad palatium regredi. Quam obedientiam monachice et libenter suscepit : et susceptam pro posse et nosse devote supplevit. Excolebat hortum, et cum Maria requirebat in horto resurgentem Jesum. Videre erat novum cultorem nuper inter primos palatii latera sua tenentem, nunc rastro et ligone urticas terræ rapientem. Videre erat juvenem hortulanum, nunc laborantem in cuculla non sua, nuper inter Palatinos sericatum. Sed hæc mutatio dexteræ Excelsi, qui quos vult et quales vult eligit sibi. Prorsus hæc erat via, per quam erat iturus ad astra.

CAPUT II.

Fugit ad montem Cassinum : revocatur.

Nec via sufficit ista, postquam usu progressionis affectata est, posse teneri visa. Quærit arctiorem, ut possit ascendere de virtute in virtutem. Nihil ei videtur ista conversionis ingressio, nisi per hanc procedat sibi major virtutum progressio. Considerat sibi non parum obesse, cognatis et parentibus medium interesse. Nimis quippe diligebatur a suis, et ideo ultra voluntatem suam visitabatur ab eis. Quæ visitation non solamen sibi erat, sed mentis desolatio. Eligens quippe non per vices Christi esse discipulus, quia etiam se ipsum reliquerat totum totus, nolebat propositum suum impediri a parentibus. Oderat nativitatis solum : quia pro talibus quæstum audierat referri centuplicatum. Eo igitur animi processit, ut talia fugiendo, quia aliter non poterat, declinare decreverit. Nam si quæsisset licentiam, sciebat sibi omnino negandam. Quid ergo faceret? Inreligiosum videbatur si ita discederet, sed inreligiosius, si inter luctantes amicos remaneret.

Gravatur frequentes suorum visitationes.

11 Proinde dum talia mente volvit et revolvit, omnem dubitationem bona intentio pessum dedit. Alter Elias statim fuga labitur, fugiens voluptatum carnis

Abit in montem Cassinum.

carnis, quatenus ipse sibi inveniretur. Cujus autem rei gratia loco suo cessit, testis est locus ad quem secessit. Non enim quæsivit aliquod remissioris vitæ diverticulum, sed voluntate et itinere direxit gressus ad montem Cassinum : ubi non parum honeste susceptus, nihil instantis et quæsitæ rei, sed alia pro aliis est commentatus.

Prædicitur ei reditus Corbeiam.

12 Non tamen diu potuit latuisse, quem Deus nolebat latere : imo hac fuga gloriosius magnificare. Quidam eremita ibi habebatur, qui dum cum famulo Dei hospitalitatis humanitate sermocinatur, prædicit sibi quæque futura, et quis esset, et unde esset, et cujus rei advenisset gratia. Addit insuper quæ sibi minime placerent, scilicet quia legati Imperatoris secuti eum ad reducendum, sine dilatione venturi essent. Quibus auditis vir Dei dissimulat quidem, sed tristis efficitur : et brevius prolato colloquio invicem, ab invicem pro se orati petunt, et consolantur. Sicque secedens ad patrem monasterii, causam adventus sui tandem confitetur : quærit consultum, petit auxilium, precatur abscedendi copiam, licentiam, tempus, et locum, ut liceat sibi ulterius migrare, quo nec audiatur nomen suum. At ille laudans intentionem, non avertit petitionem; sed differt responsionem. Cujus responsionis dilatione statim intercipiuntur Imperatoris precatoria legatione. Et quia annus est dum moliuntur, molitiones eorum illico dissolvuntur. Auditur Imperiale mandatum, et audito pariter reditur monasterium.

Legati Imperatoris eum Corbeiam reducunt.

CAPUT III.

Fit Abbas : Italiam pacat : in egenos liberalis.

Et quia ad votum res cœpta sibi non suppeditabat, in suo disponit esse, qualiscumque in alieno loco esse decreverat. Inter parentes stat, et parentes fugit, quia claustrum pro eremo habens, orationibus insistit. Nihil habet præter se : de se ipso regnum Dei studet sibi comparare. Vigiliis vacat : jejunio se excruciat.

Vitæ ejus austeritas.

14 Proinde talis efficitur, ut non solum ordine, sed etiam honore sublimari dignetur. Nec fit aliqua sublimandi dilatio, cunctorum corda ad id disponente Deo. Pater quippe monasterii, corporis viribus se sentiens destitui, electum annutu cunctorum subrogavit Adalardum. Cujus dignitatis honore indusiatus, et a Principe regni legaliter inthronisatus; non efficitur philopompus, non ut plures assolent, pompolentus. Qualis ipse erat, tales suos esse volebat : et ut essent, exemplo trahebat, verbis prædicabat. Nec deerat prædicationi multiplex scientia; scientiam vero fundabat in cordibus auditorum prædulcis facundia. In qua quam decenter emicuit, omnis Gallia, quæ ejus consilio innitebatur, pacata probavit. Maxime vero Italia, quæ sibi a Carolo fuerat commissa, ut Pippino juniori ad regendum magistraret, et ad stateram justitiæ regnum Italicum informaret. Ubi tantam operatus est æquitatem, ut a populo comparaverit sibi Angelicam laudem. Nullius enim in judicio personam accepit, neque in scirpo nodum quæsivit. In ingressu suo omnem tyrannicam deposuit potestatem, eorum scilicet, qui velut prædones in populo exercebant rapiendi tyrannidem : unicuique sua restituit, et sic inter eos jurgandi causam destituit, pacemque unitam constituit.

Fit Abbas.

Verbo et exemplo suos instruit.

Italiam pacat.

15 Taliter igitur disponendo regnum pervenit fines Romanorum, ubi a Leone Papa tanta susceptus est familiaritate, quanta neminem Francorum constat prius susceptum fuisse. Nec id casu evenit, talem quippe eum invenit, ideo hoc ei testimonium perhibuit : Scias, inquit, optime Francorum, quia si aliud te invenero præter quod affeci animum, nihil deinceps credam vestratum. Magnæ auctoritatis homo, cujus fides parum devia unius regni fieret evacuatio. Sed quomodo ab ea posset deviare, qui eam deviantibus studebat redintegrare, et etiam Imperatoribus scriptis intimare. In hac utque dives erat, sed rerum mundi aporiam sponte sibi inferebat, quia in Christo pauper esse volebat. Accipiebat a multis mutuo ut semper daret, et semper haberet, et tamen semper egeret restituendo. Semper inter manus habebat largitatem, quæ sibi affluebat per erogationem. Erogabat et abundabat : donabatur cum dabat; quia divina retributio eum semper præveniebat. Quod suis non credentibus sed ferentibus indigne taliter olim propalatum est divina bonitate.

Honorifice excipitur a Leone Papa.

PER S. GERARD. *In egentes munificus.*

16 Tanta denique super petentes largitate usus est aliquando, ut fratribus pulmenti nihil esset residui omnino, non pisces, non caseus, non aliquis præter panem monachorum victus. Unde plus justo indignatus frater, qui talium erat assignatus minister : Miror, ait, Pater quid sibi velit tanta expensio, et exinde nulla a quocumque repensio. Non animo reducis penurias fratrum, ut deberes : sed egentibus succurris, et ipse eges. At ille subridens dissimulando : Non turberis, ait, frater : inquirentes enim Dominum non deficient omni bono. Tu, inquit ille, ita semper polliceris : sed non sic continuo dabitur quod indesinenter effundis. Prius sentient fratres expendentem, quam debeant videre rependentem. Tanta lacessitum Patrem indignatione, qui indignantem patiebatur fratrem pro caritate, respexit filius caritatis, et porrexit manum largitatis. Statim enim adsunt duo plaustra pro foribus, non boum ministerio, sed ministro Dei deducta divinitus; unum onustum caseis, alterum piscibus. Qua beatus Pater visitatione relevatus, et plus redargutione fratris, quam etiam ipsa relevatione gavisus; jubet, et adest illico ille jussus. Quo præsto : Timentibus, inquit, Deum frater nihil deest aliquando : beatus vir qui sperat in eo. Ecce, quod timebas a Deo arguitur, et incredulitas tua aperte convincitur. Convictus tandem erubesce : et acceptis quæ repetebas, noli amplius desperare. At ille discedens confusus, erat enim simplicitate, sed non sine felle columbinus : Da mihi, inquit, Pater veniam, peto : deinceps quippe credam tibi omnia cedere pro voto. Redditur quod dedisti, quia habes quod accepisti, gratiam quam meruisti. Vera confessio, nec dissona a merito. Non enim erat semilargus, sed ex integro totus. Mentior si testimoniis destituor.

Psal. 33. 11.

Ejus in pauperes misericordiam muneratur Deus.

17 Si quando fortuna egentes sibi præsentabat bis unum, et agapen utrisque competentem non habebat ad manum, satius sensebat alteri totum tribuere, quam uterque eorum pene ineleemosynatus videretur recedere : isti impendebat pietatis effectum, illi benevolentiæ tantummodo affectum.

Mira in eleemosyna discretio.

CAPUT IV.

Adelardi pietas : pacis studium.

Nec erat inanis a visceribus pietatis : quæ quanta sibi inesset, parum corde, minus celare poterat oculis. Semper quippe quasi aliquod aquagium manabant ex eis lacrymæ, quæ, ut videri poterat, testes erant dulcedinis, non reatus, vel pœnitentis conscientiæ. Qui cum a suis secretioribus interrogaretur lamenti causam : Plango me ipsum filii, dicebat, non ostentando humilitatem meam, sed conveniendo conscientiam. Ego me intus et mente novi : ideo plango quod commisi. Dicebat hoc, non quod talis esset, sed qui tales erant, ut ad planctum invitaret. Quandocumque res eum occupabat mundialis, utpote exigebat, et exigit in talibus œconomia temporalis, paulo post exoccupatus aderat totus in divinis. Mox fluebat lacrymarum inundatio, et inter lacrymas dulciter susurrabat spalmorum murmuratio.

Pietatis ejus indices lacrymæ.

Oraturus curas sæculares deponit.

19 Ubi quoque ad divinum officium introibat, omnes cogitationes sæculares secus ostium introitus reponebat, et secum totus utpote ante Deum incedebat. Aliis spallentibus ipse flebat : dulciori enim musica solvebatur in lacrymis, per quam totus constabat. Tantæ enim erat dulcedinis, et dulcissimæ in Deum

PER S. GERARD. *Audiens musicam lacrymatur.*

intentionis, ut si etiam regalibus consiliis assisteret, audita aliqua melodia nullo modo se a fletibus temperaret. Nec mirum, quia dulcedo patriæ, in qua dulcescit, cui semper suspirabat canticum novum, hac dulcedine solvebat eum.

20 Cumque etiam pro Ecclesiæ negotio itineraretur, quod ab hujusmodi ministerio, et si aliquando, raro tamen segregari consequitur, secretus ab omnibus aliis gradiebatur. Nec deserebat instituta regulæ, sed fletibus vacabat pro lectione, et orationibus pro reliquo conventuum tenore. Comites, qui in talibus consueti erant, præcedebant, et sequebantur eum, salibus suis intendendo : ipse autem salebras itineris relevabat sibi psalmodiando.

In itinere solus incedit.

21 Ubicumque gradiebatur, pax secum comitabatur : bellum cum bello habebat : fœdus cum pace inierat. Cum qua olim perveniens Beneventum, invenit eam arma sumpsisse contra Spoletum. In quibus tanto Marte bacchabantur, ut omnia sua armis, prædis, et flammis adnihilarentur : fervebat Bellona in omnium necem : omnibus pulchrum videbatur perdita recipere per medium hostem. Hæc erat mensura belli, prius deficere quam vinci. Tandem vir Dei inter eos medius caduceator deambulat : et utrisque consultum pacis expectorat. Nec ante desistit, quam fœdus inter eos usque ad oscula restituit : pacem partibus redintegrat : mores et fines certo limite antiquat. His ergo et similibus fœderabat regnum indefessus.

Pacem facit inter Spoletinos et Beneventanos.

CAPUT V.

A Ludovico Pio relegatur : in exilio sancte vivit.

Sed ea tempestate visa est e terris justitia migrare. Patiuntur mortales lucente sole deliquium, quia perit inter eos color et decus rerum. Lux denique orbis Carolus Imperator viam universæ carnis ingressus defecit, filiumque suum Ludovicum moriendo Imperatorem effecit; sed non tam bene filiatum, sicut decuisset Imperium. Non enim secutus est viam patris, sed sensit cum Roboam filio Salomonis. Quidquid pater amaverat, odio habet : quidquid illi placuerat, sibi displicet. Removentur paterni consultores : admoventur novi, et priorum osores. Quorum annosa perversitas statim felices esse res publicas ingemuit, eo scilicet quia juxta Platonem rectores earum amplecti sapientiam vidit. Erant autem illi, qui viro Dei sapientia et honori ampliato invidebant tempore Caroli; et malebant, quam hunc regnare, fasque nefasque confundi. Cujus invidiæ adepto tempore vindicta accensi, quatenus eum separent a Latere Regis firmantur convoti, ut justitiam ulterius non habendo defensorem regnum amitteret, et inquitas suis quandoque capienda fraudibus dominandi locum reciperet. Nec erat res perardua : quia suppetebat locus, tempus, persona. Denique, ut aiunt, Regibus boni quam mali suspectiores sunt. His quoque virtus aliena semper est formidolosa. Quod viro Dei ita esse nihil constitit verius, qui sine judice dignitate honoris exutus, ob beneficium reipublicæ exilium tulit; sicque mala pro bonis recepit. O mores! o tempora! ex aureis utique fictilia. Sed beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, pro qua quasi mundus exilium non esset, alterius exilii injudicatus excepit sententiam. Non tamen sine judicio, quia feliciter munerandus divino.

Moritur Carolus Magnus.

Succedit Ludovicus Pius, patri dissimilis.

3. Reg. 12.

Adelardus in invidiam vocatur.

Mittitur in exilium.

23 Dissolvitur itaque illa felix germanitas, quæ sicut aliqua constellatio totius palatii videbatur claritas. Germani erant quinque, ut sexu ita discreti et ætate, sed eadem uniti bonitate. S. Adalardus primum ætatis et sanctitatis tenebat gradum : post quem Walo virorum clarissimus ordinis, justitiæ, et æquitatis heredium. Quibus sancta virgo Gundrada hærens ex latere, dispar quidem erat sexu, sed non dispar sanctitate, quæ sola intra Venereos palatii flores ignem juventutis meruit evadere. Reliqui duo Bernharius et Theodrada : quæ reddito fructu nuptiali ante pedes Jesu verbum Dei elegit audire cum Maria. Et ipsa quidem Suessionis Sanctimonialium rexit vitam; ille vero Corbeiæ Christi discipulatus assumpsit formam.

Germani S. Adelardi : Walo, Gundrada virgo, Bernharius, Theodrada.

24 Hi ergo palatii flores per diversa mittuntur insontes. S. Adalardus ad Heri Aquitaniæ insulæ adeptus Dei dispensatione locum, quem ante quærebat per fugam. Walo providente Deo recipitur Corbeiæ, ut quæ flens et dolens desolata erat tanti Patris decessione, ejusdem fratris consolaretur sanctitatis et prælationis successione. Bernharius Lirino mittitur : Theodrada quasi reliquis innocentior, cum omnes innocentes essent, Suessionis relinquitur. Pictavis dirigitur Gundrada, apud dignam digna, Sanctam scilicet Radegundem ancillatura. O corde tam uniti, cur orbis intercapedine tam discreti? Quos Deus conjunxit, homo cur separavit? Hæc autem proscriptio non sit legalis judicatio, sed furtiva relatio. Loco tamen acceptæ benevolentiæ omnem excludit injuriam malivolentiæ.

Omnes in varia sparsi.

25 Cumque simul egrederentur e palatio, procedit Adalardus, quod dignus fuerit contumeliam pati gratias agendo, fratres et sorores lacrymantes osculis leniendo, amicis fortitudinem mentis persuadendo, Proceribus palatii exempla virtutum exhibendo, porro mirabilem mentis suæ constantiam omnibus demonstrando. Sequebantur enim eum plures, quia aliter non poterant, id sibi displicere lacrymis et contritione cordis ostendentes. Quibus cum recedentibus valediceret, et ipse valedictus ab eis recederet, recedunt cum lacrymis : et duo Archipræsules, qui calido pede et calida mente assistunt Regi, dicentes : Putas te, Imperator, vindicare, quia hunc virum exhonoras hac proscriptione? Aut male es consultus, aut non bene præmeditatus. Non denique exhonoras, sed, ut sibi videtur, pleniter eum honoras. Verumenimvero non te ex illo, sed ex te vindicas illum, quia numquam sibi tanta quanta hodie fuit exultatio et gaudium. Hodie pristinam libertatem in Christo se recepisse gratulatur, et quia non aliquod gaudium huic simile sibi potuisses facere, sine simulatione fatetur. Unde scias proculdubio, quia numquam lætior visus est a nobis aliquando. Ad hæc Imperator perfunditur rubore : dolet se fecisse, quod jam ruboris sibi videbatur irritum facere : sed si foret infectum, non esset utique posthac faciendum. Cui rem cunctis imputantibus pro crimine (nec aliter erat, peccatum enim faciens peccato non poterat carere) vir Dei omnimoda ratione obnititur. Non huic, dicens, non huic, quod non est in hominis potestate, imputetur. Utitur Dei permissione, cui constat nos omnimodis deliquisse. Quod si a Domino adversum nos incitatur, oportet ut sacrificium humilitatis odoretur.

Adalardi constantia.

Eam Episcopi duo deprædicant.

Imperatorem excusat.

26 Hæc et alia prædicando, discedit ad locum ut destinatum usui suo, ita et a se expetitum omni desiderio. Ubi quantæ fuerit humilitatis et gratiæ, testes idonei sunt fratres, inter quos per septennium vitam duxit Angelicam. Quanto enim curis sæcularibus erat exoccupatior, tanto divinis et cælestibus suspirabat attentior. Assiduus erat in oratione, post orationem in lectione, post lectionem in fratrum relevatione. Relevabat eos melliflua ratione, se ipsum præbens speculum quem sequerentur in actione. Parvus erat inter minores, minor inter majores; majores venerans ut dominos, minores colens ut filios. At illi gaudebant ejus paternitate, et quasi sub Abbate suo exhibebant se digna filiatione. Expetebant monentem, et in omnibus audiebant consulentem. Sermo quippe ejus sale erat conditus, et omnes adversos secundabat casus. Pater cœnobii patris eum venerabatur loco, neque aliquid fieri censebat sine ejus consilio. Illi autem minimum erat in talibus consulere, utpote qui alterplicem imperii curam solebat disponere, nisi fratrum diligentia evictus esset aut caritate. Sed quia in cælis erat, secundum Paulum, ejus conversatio, semper

Ejus in exilio vita Angelica.

Omnibus erat venerationi.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

per tenebat eum divina contemplatio. A qua vix aliquando recedebat, nisi fratrum caritas, aut edulii eum relevatio abstrahebat. Et ut fiat cita descriptionis conclusio, quia non potest fieri virtutum ejus plena definitio; talem se ibi exhibuit, qualem nulla valet comprehendere oratio.

CAPUT VI.

Revocatur ab exilio : Corbeiam redit.

Post septennium revocatur ab exilio.

Qua veneratione postquam explevit septennium, ita adhuc novus in Dei obsequio, quasi nondum supplesset biennium; Deus, in cujus manu cor Regis habetur, solita dignatione solvit ejus exilium. Dominus enim in terram aspexit, et justitia de cælo prospexit. Resedit in regno æquitas, et refrigescit multorum iniquitas. Revirescit color rerum; colorantur flores Ecclesiarum. Jam enim tempus miserendi, jam venerat tempus earum : quia clementia Dei inspiravit Imperatorem Ludovicum, quatenus ab exilio Sanctum revocaret Adalardum. In cujus revocatione tanta fuit imperii exultatio, quanta si cælitus descenderet visibiliter ipsa divina visitatio. Nec secus erat, quia Deus per eum mortales visitabat. Gratulantur cœnobia monachorum : resultat jocunditate decus Ecclesiarum : superborum arrogantia humiliatur : humilium patientia exaltatur : fit concursus populi, restituta sibi pristina dignitate : quia qui subtractus fuerat sedentibus in tenebris errorum refulget sol justitiæ. Recepto patre fiunt matrimes orphani, gubernatorem recipiunt viduæ et pupilli.

Omnes ejus reditu gaudent.

Dolent ejus discessu Herienses monachi.

28 Sed quanta istis lætitia, tanta illis a quibus recedebat oritur mœstitia. Gaudent et dolent; quia semper eum habere vellent, et tamen ad suam sedem redire mallent. Hæc erat inter eos discors concordia, et concors pariter discordia. Quem circa lacrymantes pia dilectionis dulcedine, (non enim erant adhuc satiati per septennium, quod multis solet esse tædium, ejus dulcissima dilectione) vix eum fervore caritatis cogebantur dimittere.

Præcipue Raginardus, postea Abbas.

29 Præcipuæ autem inter eos dilectionis quidam erat Raginardus, post eum utique, qui tunc erat, ejusdem loci Abbas futurus, qui unica fervens in eum amoris caritate, gaudebat et dolebat, mutua animi alternitate. Quia enim repatriaret assertor veritatis, lætabatur; sed supra modum dolebat quod tanti viri præsentia privabatur. Cumque monasterium jam egrederetur, et fratres eum lacrymis valedicendo et deducendo prosequerentur, ille delitescens in valle plorationis, dolori satisfaciebat gemitibus et lacrymis, quia præsens ferre non poterat præsentiam abeuntis. Quem ille frequenter requirens et sæpius expectando resistens, statuit omnino non discedere, quamdiu superesset sibi fratri valedicere. Cui tandem reperto cum nuntiaretur, et ne impediret abire volentem rogaretur : Nolite precor, ait, quærentibus me detegere, quia lenius absens possum abeuntem ferre. Renuntiatur Sancto : ostenditur quo delitescat loco : qui statim passibus caritatis regressus venit ad fratrem, ne remaneret insalutatus. Et cum pervenisset ex improviso, exiliens ille consternatus animo : Hei mihi, Pater clamabat lacrymando, addidi peccatum peccato. Nolui ad te exire, ideo miser huc te cogo redire : sed da veniam, quia sperabam latere. Nescio denique quid faciam dilatum, sed jam præsens vix queo ferre tui desiderium. Absit autem ut per me aliqua intricetur tibi mora : Domini tecum comitetur gratia, quia mecum velim nolim tui semper erit præsentia. His dictis dato et accepto vale, diu immorantur in osculi caritate : sicque Sanctus egreditur cum reliquis, etiam illo prosequente.

Discedit Adelardus ex Hero insula.

30 Præparantur rudentes, impelluntur naves : et velis auræ patentibus, solvuntur anchoræ : expapillatis brachiis aptantur remiges, et antennæ. Dant fratres gemitus, et naves sonitum, atque tamdiu super ripam stantes recedenti intentant visum, donec crispantibus oculis pro uno sibi videntur videre numerum. PER S. GERARD.

Excipitur honorifice a Rege et Optimatibus.

31 At ille solutis carnis non cordis aspectibus, post aliquot dies tandem pervenit ad palatium, longa corporis macie confectus. Ubi susceptus favorabiliter a Rege et ab Optimatibus veniam dare petitur lacrymabiliter. Fatentur errorem, et inveniunt injuriæ immemorem. Videns enim suffusos pudore, quibus non fuit pudor olim sibi usque ad effectum invidere satisfactionem eorum prævenit, et demissis oculis jam satisfacientes ita dulciter delinivit : Nihil, ait, o Cæsar fit in terra, nihil, o Proceres, sine causa. Nihil fit in mundo sine Dei judicio. Si nos pro peccatis nostris arguit Deus, quid ad vos? Nos viderimus. Nihil potuisti sine Dei permissione. Modo utamur Dei jussione : dimittite, inquit, et dimittemini quod ego primus faciam : vos me sequimini : fit sine mora ab omnibus : festucantur omnia.

Eorum in se peccatum excusat.

Luc. 6. 37.

Redit Corbeiam.

32 Quibus ita compositis petitur pristinam sedem recipere flagitantibus filiis suis, quibus fatigatis desiderio septennium illud prolixius videbatur centuplicibus annis. Recipit, nec refutat, etenim secundum canones non poterat; imo caritas filiorum sibi imperat : et sic cum multa stipatione suorum Corbeiam remigrat. O quam jocunda dies illustravit tunc Corbeienses! Dies illa, dies lætitiæ, dies exultationis et gloriæ. Quanta denique fuerit receptus ambitione quis valet perorare? Procedit palliatus ordo monachorum, monachosque præcedit candidatus ordo Clericorum : omnis sexus et ætas ruit in obviam : nec est audire, nisi unius laudis concinentiam; Christi scilicet propter reditum patris laudantium clementiam. Consonant et dissonant, quia voces, non laudes sexus mutavit. Nec plures fudit lacrymas ejus discessionis desolatio, quam nunc quoque refudit regressionis consolatio.

Excipitur summa omnium gratulatione.

Laborat febribus.

33 Sed non defuit impedimentum, quo aliquantisper tantum impediretur gaudium. Illum enim pro quo hæc arridebant gaudia, flamma febrium invadens pestifera, membra diu attenuata exilio, attenuabat etiam nunc invaletudinis morbo. Quæ res lætitiam quidem minuebat, sed lacrymas utrimque procedentes et ex gaudio et ex mœrore augebat. Ea tantum relevabantur consolatione, quia malebant eum infirmum, quam nec sanum habere. Quamobrem affluentes erga eum omnimoda humanitate, caritatis officium exhibent ei benigna filiatione.

CAPUT VII.

Ejus consilio reliqui exules revocantur : Imperator pœnitentiam agit.

Revocatur ad aulam.

Cumque aliquantulum remissius quievisset, et quiete vellet nollet se habendo paullulum melioratus fuisset; accersitur iterum ab Augusto : et qui prius gloriose, modo gloriosius recipitur in palatio. Quem introeuntem tanta comitatur gratia, tanta loquentem sapientia, tanta sapientem facundia, ut sua unicuique statim pateret insipientia. Mirantur, et stupent, et super rationem ejus hærent : quia qui prius videbantur sibi perfecti rhetores, nunc digito ori superposito assistunt pene elingues. Quidquid tractaverant fit irritum : quidquid iste eloquitur fit ratum. Solvitur itaque multorum captivitas, eorum maxime quibus regia jungebatur affinitas, sicque in primis resarcitur ejus felix germanitas, et redditur in uno omnibus plena libertas. Revocantur omnes ex diversa regione : nisi quos felicius prævéniens mors remiserat patriæ. Quorumdam tonsura sine jure suscepta, per eum transit ad coronam, et offertur Deo sponte, quod illatum fuerat ad ignominiam.

Multi ab exilio revocantur.

Ludovicus pœnitentiam agit.

35 Ipse publicam suscipiens pœnitentiam, Imperator gloriosus facit se cunctis humiliorem in suis reatibus, qui regali elatione effectus fuerat alter Tarquinius. Quidquid enim exemplo et permissu alios fecerat offendere, tandem salubri consilio institutus sanabat regia

PER S. GERARD. regia satisfactione, omnes præeundo reducens ad viam pœnitendi, quibus factus fuerat iter deviandi. Audiebat in omnibus S. Adalardum : et ad pristinam honestatem precabatur reducere Imperium. Nec defuit ille, sed justitiam et æquitatem restituit in propria sede. Repressit vocum novitates, et temerarias in populo præsumptiones. Et quia discedens cælum non animum mutaverat, mutatum Imperium refrænans timore et amore, decuplum majoratur quam discesserat. Præterea jubetur etiam omnibus Ecclesiis magistrare : quibus consilio et prudentia magister, sed discipulus apparet humilitate. Nec ante destitit, quam regnum Francorum in omni gloria juvenescere fecit.

Multa Adelardi consilio emendantur.

CAPUT VIII.

Adelardi compositio corporis animique, benignitas, cura subditorum.

Vult se officio abdicare Adelardus. Rebus ergo in pace compositis, cogitat se iterum exuere sæcularibus curis, ut reliquum vitæ tempus peragat in divinis. Sed non est permissus, a filiis suis scilicet, quorum erat spes maxima post Deum, et Pater maternus. Quanto enim ætate erat maturior, tanto tendentibus ad virtutem videbatur utilior, et agendis quibusque perfectior. Nec erat aliquis qui super eum id exercere posset, præsertim cum vigore sancti Spiritus, et viriditate adhuc non exhaustæ carnis tantum vigeret, ut in laboribus et negotiis rerum nullius juvenis constantia eum sequi nedum assequi valeret. Adeo perfectus erat in actione, omnia dulciter, se ipsum tractans sine dulcedine. Quis enim unquam ita dominus servi, ut iste erat sui? Quis tam crudelis alterius ut iste arbiter suus? Qui cum a filiis suis obsecraretur aliquando paterna veneratione, cur sibi ipsi tam indiscretus esset, qui alios tractabat discretissime, statim coram eis spondebat correctionem; sed paullo post repetebat vigilias et esuriem.

In se severus, benignus in ceteros.

Forma ejus plena dignitatis. 37 Erat tamen decoris gratia venustus, discreta macie, satis admodum colorus. Non obumbrabat faciem ejus aliquod exterminium, sed assidua hilaritas ut edentem ita et jejunantem componebat decorum. Canities eum candore niveo exornabat : et velut lilium super roseos amictus, coma capitis super cutem puniceam relucebat. Qui si ex millibus electus fuisset, non candidior, non rubicundior eligi potuisset.

Ejus in egentes benignitas. 38 Cetera ejus non est laudari modus. Persona et nobilitate, et sapientia, et honestate non discrepabat ab ipsa ministerii arte. Siquidem res Ecclesiæ quam optime disposuerit testabitur Corbeia quamdiu superit. Ibi erat portus pauperum, respectus divitum, domus materna orphanorum : et ejus exemplo adhuc superest cunctis petentibus refugium. Non dives indonatus, non pauper redibat inrogatus. Cælibes viros et viduas stipendiis destinabat accipiendis per singulas villas : qui ubique locis opportunis accipientes ab eo xenodochium, possidebant res Ecclesiæ communiter ut patrimonium. Thesaurus quippe in cælo sibi et suis parabatur : et domus Dei sapienter a sapiente administrabatur.

Vestitus ejus. 39 Ceterum habitus vestimentorum ejus vix erat sufficiens pro frigore ; tamen potius membra muniens, quam aliquid honoris aut pretiositatis inferens. Prorsus non egebat aliqua corporis compositione : nihil enim sibi deerat pulchritudinis humanæ, nihil etiam interioris animæ. Aspectu erat incomparabilis, statura procerus, incessu virginalis : vox ejus cygnea dulcedine sui mulcebat auditum : et sermo quemque audientem sui faciebat memoriosum.

Compositio corporis, et vocis.

Omnium suorum nomina circumfert. 40 Ipse vero tantam memoriam filiorum habebat in visceribus paternis, ut non solum mores inspiceret, sed etiam numerum et nomina eorum semper haberet descripta in manibus suis, quatenus non sibi excideret, pro quibus rationem redditurus esset Deo, et pro quantis. Ideo maximam gerens curam eorum, nullum ex eis in hebdomada relinquebat inallocutum, ne scilicet inimicus inveniens vacantes zizania superseminaret cordibus eorum.

Omnes quot hebdomadis alloquitur.

41 Proinde quam efficax fuerit in dispositionibus ordinationis suæ qui nosse voluerit, in libro qui de his conscriptus est legere poterit, non sine grandi admiratione : ubi etiam perspiciet quam sapienter a sapiente disposita fuerit domus Corbeiensis Ecclesiæ.

Liber Ordinationum S. Adelardi.

42 Et quid laudandum in eo potius, cum nec Moyse minor, nec Salomone fuerit inferior in ordinandis rebus, et omnibus scilicet quæ sibi voluisset suggerere Spiritus sanctus? Qui si vulgari, id est, Romana * lingua loqueretur, omnium aliarum putaretur inscius : nec mirum, erat denique in omnibus liberaliter educatus. Si vero Theuthonica, enitebat perfectius : si Latina, in nulla omnino absolutius. Testantur hoc quam plures ejus epistolæ, quæ directæ ad plurimos omnium habentur liberalissimæ. Nec enim litteras satis liberaliter non poterat nescire, qui inter alas scholares nutritus et eruditus fuit cum consobrino suo Carolo Imperatore : et postea quam sæculo renuntiavit, satis studiose se habuit in monastica eruditione.

Peritus linguarum.

Epistolæ S. Adelardi.

43 Sic igitur perfectus in utraque disciplina, sæculari videlicet et divina, omnibus omnia factus, sequester erat inter Reges et Principes majores et minores æquissimus in omnibus, Deo placens et hominibus. Consilium vero in eo vigebat totius patriæ : et licet unicum ejus esset desiderium dissolvi et cum Christo esse, tamen precibus suorum evictus imperii pacem et honestatem disponebat circumquaque.

Toti imperio prodest.

* *id est*, vulgari Gallica, quæ ut Italica et Hispanica ex Latina efformata. NOT. 39.

CAPUT IX.

Corbeiam novam ad Visurgim flumen ædificat, rebus necessariis instruit, sæpe visitat.

Theodradus Saxo Corbeiæ monachus. Quibus insistendo pervenit Saxoniam cum hoc etiam certæ rei negotio. Id autem negotii erat, quia ibi religionem theoricam aliquando ponere decreverat, ad quam statuendam per quemdam puerum, nomine Theodradum, a Saxonia Franciam a Rege deductum, et monachum Corbeiæ factum, locum ædificandi a parentibus ejus adeptus fuerat. Quo in loco ecclesiam monachorum usibus aptam ædificare nonnumquam disposuit : sed quia locum non satis aptum intellexit, crepera semper dilatione intermisit. Quam dilationem protelavit usque ad Caroli mortem, et post Carolum usque ad ixilii sui relegationem. Exilii autem tempore, quæque sui juris fuere, qui prius accepit, in sua redegit potestate.

Alter Adelardus novam Corbeiam inchoat. 45 Sed habebat ibi quemdam in Christo filium, præ omnibus sibi monachis familiarem, et univoce æquivocum. Hic ne subintraret aliquis alius, prædictum locum intercepit loco ejus. Et quia hoc eum prius noverat voluisse gratia amoris ejus ex Corbeianis sumptibus cellam ibi cœpit adificare. Cœpit, nec perfecit quousque Sanctus ab exilio remeavit. Cumque remeasset, ordinabat si quid ex suis exordinatum fuisset.

S. Adelardus it in Saxoniam. 46 Quo tenore Saxoniam modo pervenit, perveniens, locum ex omni parte inspectum omnino inutilem intellexit. Suspensus erat mente, quia cœptum religionis opus nolebat dimittere, et aptiorem non habens, hunc locum inhabilem videbat esse. Tandem ad Regem se contulit, et ut locum ædificabilem sibi donaret petivit. Nec momento hæsit ille, sed ejus religiosa gavisus voluntate, ubicumque inveniret, deliberavit sub ejus optione. Ivit, quæsivit, invenit, renuntiavit : et accepta hilariter ædificandi potestate, insuper multis donatus donis regia largitate, dimissa cella cœnobium cœpit ædificare.

Ædificat novam Corbeiam.

Situs Corbeiæ Saxonicæ. 47 Est autem locus super Wiseræ fluvium, maximæ amœnitatis et temperiei elementorum ita competens, ut constet creatus ab initio ad usus monachorum. Dilatatur siquidem in vallis planitie, figuratus in modum

dum deltæ litteræ. Habet denique versus orientem alveum secus quem montem in facie porrectum. Porro a meridie mons alius ex alveo egreditur, qui versus occidentem dilatato sinu tenditur : a Septemtrione autem alter pari situ e regione, quousque viam per medium dantes invicem se videantur copulare. Atque ita vallis planissima in medio remanens, quasi alter paradisus jocunditate totius temperiei apparet florens, hoc modo quantum coincidatur trianguli figuram exprimens.

Instruit novam Corbeiam monachis et aliis rebus.

48 In hoc itaque loco construens Ecclesiam cum officinis, exornat melioribus quos potest invenire monachis : monachos instruit moribus, locum facultatibus, et omnia omnibus, quæ præceptat S. Benedictus. Vocat nomen loci Corbeiam, ut signo esset posteris unde existendi sumpserit materiam, et Corbeiæ Francorum sancit esse filiam. Et merito, quia quidquid erat, ab illa cœpit ab ovo. Nec multum temporis fuit, quo facultate, tametsi non dignitate, matri se comparare potuit. Longe enim exhalante bono odore monachorum, quos Pater sanctissimus ex sinu matris adducebat filiæ omnes electos, tanta abundavit erga Ecclesiam Imperatoris et omnium Optimatum largitas, ut prius deesset recipiendi quam dandi voluntas : tanta erga Patrem sanctum, et ejus filios fervebat veneratio, ut mallent Ecclesiam quam natos suos heredes suorum asscribere.

49 At ille videns sufficienter attributum, quantum scilicet suppetebat, Ecclesiæ in prædiis, in auro, et in ceteris rerum, ponit modum recipiendi, et quotidiana prædicatione a cordibus subjectorum eradicat vitium concupiscendi. Mortui, aiebat, debemus esse mundo, et vita nostra regnare cum Christo. Sed ecce multi, qui sæculo renuntiasse videntur, nimiis rebus abundantes iterum sæculo deservire inveniuntur. Quod quam sit absurdum, advertite nobiscum. Alioquin nihil nobis prodest nos expoliasse propriis rebus, dicente Apostolo : *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus*. Non est nostrum ditari, unde alii inopes fiant : neque nostrum lætari, unde alii doleant. Simus sufficientia contenti, quibus debet esse sufficiens etiam paupertas Christi : qui dives, pro nobis pauper voluit fieri.

Statuit modum in accipiendis eleemosynis.

2. Timot. 2, 4.

Sæpe suos revisit.

50 Hæc et alia prædicando sæpe migrabat de Corbeia ad Corbeiam congaudendo, audiens scilicet quia bonus odor essent in Christo. Lætabatur tam digna plantatione, et delectabatur in earum jam radicata unitate. Erant enim inter se communes, et, quia junior sub eodem patre jam sororiabat, dilectissimæ sorores. Felix Pater tali filiatione! feliciores filiæ tali paternitate! felicissimi filii, si permanserint in hac unitate! Ecce enim Pater migrat : deserit in mundo, non deserit in Christo, quos nutrierat. Adest tempus dissolvi et esse cum Christo, tempus moriendi in terris, et renascendi in cælo.

51 Imminebat itaque solemnitas solemnitatum, illa scilicet solemnitas, qua per incarnationis suæ mysterium in sole posuit Dominus tabernaculum suum. Redierat a Saxonia in Galliam, ut fundata filia in Christo adventum Domini celebraret apud matrem Corbeiam. Jamque alter Simeon senex paraverat venienti Domino occurrere, et Regem Regum procedentem de thalamo suis ulnis lætus suscipere : cum ecce triduo ante natalem Domini tetigit eum validissima febris, orante eo et flente juxta consuetudinem suam in basilica, medio noctis. Qui ita totis vigiliis una cum fratribus perseverans psallebat cum eis, et psallendo flebat, usque ad lucem, hostiam jubilationis in pectore Domino consecrans.

Febri corripitur.

Mortem suam prædicit.

52 Prosequente autem luce, jubet fratres ad se convenire. Quibus coram positis singulos monens de singulis, indicat instare tempus suæ dissolutionis, et in commune perorat de pace et unitate secundum Deum futuræ electionis. Et dicens symbolum cum oratione, ceteris flentibus se commendans, retinuit illos cum quibus sibi erat agendum de rerum ordinatione. PER S. GERARD.

53 Cumque diatim magis magisque languor crudesceret, ita providus omnia disponebat ac si nihil mali ferret : præcipue laborans ne pro tædio suæ invaletudinis sancta solemnitas minus honoris aut obsequii haberet. Cetera vero non minus studebat ordinare, ne post se aliquid sub se imperfectum videretur remanere. Die igitur peracto qua potuit veneratione, quo summa divinitas humanitatem nostram dignata est suscipere, reliqui dies sibi profesti fuere, quia cœpit in eo mortifera febris avidius morbescere. Quotidie tamen ad oratorium B. Martini veniebat, cujus privilegio amoris præ ceteris cum ceteris memoriam recolebat, ibique Missas audiens sanctam communionem percipiebat.

Omnia disponit.

Quotidie communicat.

54 Interim audiens eum ægrotare Hildemannus Episcopus Belvacensis, quem ille monachum nutrierat, et eo sublimarat honore per concessum Regis, nulla detinetur instantis festi celebritate, sed mutatis gaudiis patrem suum visitat infirmitatis compassione. De cujus adventu tanta gavisus est Pater sanctus alacritate, ut nisi ultima esset, pene oblivisceretur infirmitatem, pro tanta consolatione. Reddit Deo gratias et illi, quod non sit fraudatus a desiderio sui. Desiderabat enim eum videre, et inter manus ejus obire.

Visitat eum Hildemannus Episc. Bellovac.

55 Et interrogatus si ab eo benedictionis oleo perungi vellet, erectis in cælum luminibus, omnimodis precabatur ut fieret. Vocatus Episcopus adest, et statim quod petebat factum est. Vix enim ex quo venit absistebat ejus obsequio : sed locato ante lectum sediculo, semper assidebat coram eo. Quadam vero die cum paullulum egressus cameram fuisset, et febricitans solus ille intro remansisset, Dei præsentia visitatus clamare cœpit, cum Præsul redisset : Curre velociter Episcope, præcipio tibi, et osculare pedes Domini mei Jesu Christi, quoniam ecce adest mihi. Ad hæc ille valde contremuit : et ignorans quo iret, hærens stetit : Sanctus quoque se sub silentio recepit.

Inungitur ab Hildemanno.

Christus ei apparet.

56 Bis quarto autem Natalis, id est, Circumcisionis die, alacrius cœpit precibus Deo insistere, ut celebratis diebus tandem liceret eum hinc abire. Nec fuerunt preces sine voto : peracto quippe mediæ noctis spatio præscius futurorum, convocatos fratres adorsus est, hoc modo : O filii, fructus meæ senectutis in Domino : explevi numerum, scitóte quoniam hodie hinc ibo. Datum est mihi ingredi vias carnis universæ, et ante conspectum redemptoris mei apparere. Finitus est cursus certaminis mei : nescio quid accepturus sum præmii. Sed succurrite mihi, quæso : ut ego de vobis, et vos de me possitis gaudere in Domino.

Ultima ejus ad suos oratio.

57 His dictis dedit licentiam ut exirent, retentis nonnullis quos urgebat ut ocyus matutinos prævenirent. Quibus finitis viaticum accepit, et accepto, in laude Christi lingua ejus obmutuit. Sed non defuerunt sibi linguæ filiorum; scilicet quas erudierat in Dei laude. Quorum psalmis, orationibus et lacrymis ab hora prima commendatus Domino circa horam nonam, emisso spiritu, perculit suos tristi deliquio.

Iterum communicat.

Moritur 2 Januar.

58 Subsequitur vox animam Christo commendantium, et singultus voces interrumpentium. Quis enim non fleret, etiam si de lapide natus esset? Plurimæ res intercedunt, quæ lacrymas elicere possunt. Stant filii orphani, et Corbeia mater eorum vidua : quorum dolor et luctus penetrat etiam cæli palatia. Stant oves sine pastore : crescit dolor mutus sine voce. Ipse enim erat, bone Jesu, quem in toto ex omnibus solum Abbatem reperi : ipse ab universis, quem alterius plus quam sua quærentem inveni. Qui sicut mater amat unicum filium, ita quosque tenerrime diligebat, atque ut solidiora caperent invitabat,

Lugetur a suis.

Sequebatur planctus Corbeiæ, vel potius S. Ratberti, ut

PER S. GERARD. *ut in priore vita, et S. Adelardi epitaphium; omnia totidem omnino verbis, nisi quod fabula Orphei Euridicen repetentis erat omissa. Verum hæc omnia expunxi. Si vere a S. Gerardo adscripta fuere, licebit ea legere supra c.* 20, *n.* 83 *et sequentibus.*

NOT. 40.

MIRACULA S. ADELARDI
ABBATIS.
PRÆFATIO AUCTORIS.

Corbeia tria templa habet.

Corbeiæ locus quantæ fuerit apud priores nobilitatis, quicumque taceat, lapides clamant non solum ad aures, sed etiam ad oculos posteritatis. Tres enim in ea principales habentur ecclesiæ, in quibus corda fidelium sanctæ Trinitatis confessio bene possit unire: prima Petrum præfert piscatorem, secunda piscatis Evangelistam Joannem, tertia evangelizatis Stephanum Protomartyrem. Pulcher ordo, ordinatus utique a Deo. Non enim dixerim conditricem horum Baltildem Reginam, sed ejus, ut omnium bonorum, inspiratricem Spiritus sancti gratiam.

Condita est a Bathilde Regina, de qua 26 Januar.

Ejus situs.

2 Proinde situs est salubris et valde decens, totius utilitatis amœnitate florens; usibus monachorum, utpote ad hoc quæsitus, et inventus, omnino conveniens. Ex uno latere Somma fluvius præterfluit, ex altero concurrens Corbeia fluviolus vocabulum loco tribuit; sed illico cadens in Sommam, ubi dat ibi perdit. Sicque pratis, aquis, et campis longe lateque patentibus, similis et dissimilis habetur Saxonum Corbeiæ, illius cujus cum ista rector et fundator extitit S. Adalardus.

Somona fluvius. Corbeia fluviolus.

S. Adelardi sepultura.

3 Cujus expeditis superius gestis et moribus vitæ, sequitur nobilis materies ejusdem mortis pretiosæ. Siquidem sepultus apud ecclesiam Petri principatu principalem, medio jacuit loco, ante gradum cancelli inferiorem. Signo est epitaphii lingua, sed non sepulturæ fit similitudo alia. Ibi diu redit cinis in cinerem, carnis expectans cum electis resurrectionem: donec illa generatio generationem pene integram generaret, et omnes lateret præter litteratos, ubi tam felix thesaurus requiesceret. Latuit diutius sepultura, ut reliquum terræ calcatur ab omnibus: nemo transeuntium, nemo orantium est adversus. Tandem discretor meritorum, volens notificando magnificare sepulturam per sepulti meritum; tale fecit servum suum glorificandi initium.

Diu latuit.

CAPUT I.
Mira sepulturæ ejus manifestatio, per eum qui pedibus hæsit pavimento.

Quidam supra ejus tumulum orans pedibus hæret pavimento.

Suffragia Sanctorum, quibus tantæ Ecclesiæ florent, quidam oraturus venit: et quia sic ordo exigebat, in primis Principem Apostolorum requisivit: quæsivit Petrum, et invenit S. Adalardum: invenit latentem, sed latendo regnantem. Inscius enim se prosternens super tumulum Confessoris, aures supernorum sibi conciliabat quibus poterat precibus et votis. Oravit, et est auditus: surrexit, nescio si exauditus. Cumque signato vultu discedere voluisset pedibus hæsit pavimento, ac si clavis confixus fuisset. Stupuit miser, stupendo cœpit clamare miserabiliter, et quia pedes non poterat, vultum circumferre lacrymabiliter. Novitas rei plures cogit ad tumulum: monachos in primis stupentes, mirantes, sed gaudentes novitate signorum; hominem videlicet non se posse movere, et tamen stare sanum. Interrogat illos si quis ibi requieisceret, et interrogatur ab illis si qua criminis conscientia torqueretur. Scio, ait, Domini, quia peccator sum homo, sed succurrite mihi quæso hinc precibus, hinc consilio. Fit utrumque actutum, oratur ab his, ille rem doctus vovet votum Sancto scilicet Adalardo fabricandi tumulum. Sicque a semetipso ligatus, a quo tenebatur, sine mora est solutus. Oritur utrisque lætitia, illi discedendi licentia, monachis patroni sui magnificentia. Nec defuit Sancto ligandi solvendique præmium: rediens enim ille decentem fabricavit tumulum, statuens insuper omnibus diebus vitæ suæ solvendi census diem anniversarium.

Votum facit S. Adelardo. Liberatur: novum tumulum statuit.

CAPUT II.
De muliere contracta, et per Sancti meritum a Deo curata.

Hæc igitur ligatio multorum posthac fuit solutio. Ex hac enim famosa occasione, locus multa cœpit frequentari veneratione. Conveniunt sani et debiles; illi animæ, isti salutem corporis quæritantes. Inter quos contracta quædam semper adjacens sepulturæ, vim viro Dei quodammodo videbatur facere. Non nox excepto primo conticinio eam excludebat, non dies, nisi quando corpus alimentis recreabat. Vocabatur autem Ulfiardis: et ideo semper ita præsto quia incola erat Corbeiensis, adeo contracta ut magis incederet portantium pedibus, quam suis. Quod si deessent portitores, non bipedem gradientem, sed quadrupedem scabellulis repentem putares. Deerat cetera spes salutem recuperandi, excepta post Deum miseratione S. Adalardi. Quadam igitur nocte sicut solebat veniens ad tumulum, terram capite, sed precibus petebat cælum. Sedebat post orationem, quia stare non poterat: candelam tenendo, lacrymis et miseria sui psallentium visus monachorum in se convertebat. Multiplicabat orationem, quia non alius sed suam quærebat salutem. Tandem affuit divina miseratio, quia interfuit amici sui intercessio. Auditur nervorum crepitus, nervis ad nervos, juncturis ad juncturas resilientibus. Sentiens mulier salutem per S. Adelardi intercessionem, vocavit ad se bajulam suam retro eam residentem. Adit illa vocantem, et dicto citius invenit sanam et erectam stantem. Mirantur qui aderant, eadem petentes, jam jamque salutis suæ redduntur certiores. Monachis quoque tanta accessit exultatio, ut pro laude servi, Domini laudum fieri videretur eis interruptio. Sed intererat matutinis Abbas Ingelrannus, qui eo tempore ceteris philosophabatur altius, quemque hujus signi testem non sors miserat, sed cujus gregis pastor erat Sanctus Richarius. Ante quem accedens Corbeiæ Abbas Heribertus innuit manu, silentium quippe sibi indixerat S. Benedictus, si interruptis matutinis hymnum cantaret, Te Deum laudamus. Abnuit ille, matutinos innuit finiri debere: sicque rem laudibus omnes celebrare. Factum est, mulier laudantibus interest, ipsaque suæ salutis lingua scientibus et nescientibus facta est. Omnibus quoque nota Corbeianis contracta, integram dat fidem miraculo sana.

Ulfiardis Corbeiana contracta assidue orat ad ejus sepulcrum.

Sanatur tempore matutinorum.

Ingebrannus Abbas S. Richarii.

Heribertus Abbas Corbeiensis.

NOT. 41.

CAPUT III.
De manuum mulieris curatione, meritis sancti Confessoris et intercessione.

Mulier quoque erat in ipso cœnobio Corbeiæ, quæ cum varia corporis laboraret infirmitate, ita digiti hæserant palmæ radicibus, ut omnino destituta esset officio utriusque manus. Cujus contractionis spem ex integro ponens in Sanctum Dei, cujus clementia multos infirmorum sæpe videbat ab ipso mortis periculo revocari, quotidie veniebat ad tumulum, et inter reliquos infirmos, Dei, et S. Adalardi implorabat auxilium. Cumque multos multoties videret sanos recedere, quibus ipsa prior et intentior satagebat accedere; nullam inde incurrit desperationem, sed magis animabatur ad petitionem. Imputabat enim peccatis suis, quod minus efficax esset suæ petitionis. Petivit ergo, et accepit: quæsivit, et invenit: pulsavit, et intravit. Et quia non destitit, ut Cananæa, salva facta est in fide sua. Cum enim diutius misericordiam

Mulier contractis manibus, orat ad Adelardi sepulcrum diu et sæpe.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Tandem sanatur.

diam Sancti implorasset, et quotidie adjacens ejus tumulo implorationis effectum expectaret; tandem prima Dominica Passionis Dominicæ, quod diu quæsierat feliciter meruit invenire. Stans quippe intenta mente ante tumulum, ubi sanctum corpus erat tumulatum, inter preces et lacrymas cœpit extendere nodos digitorum. Redditur libertati utriusque manus vola, jam quæque involare, et revolare potest utraque palma. Redeunt ad officium manus : restituitur sospitati quod infirmitate laborabat corpus. Sicque glorificatio Sancti, Te Deum laudamus canendo refertur ad laudem Dei. Et ut omnia referantur sub testimonio, testis est idoneus tunc quidem puer, sed postmodum Abbas Fulco, qui onus et honorem Corbeiæ sortitus est Richardo Abbate humanis exempto.

Richardus, et Fulco Corbeiæ Abbates.

NOT. 42.

CAPUT IV.

De elevatione Sancti, et succensione templi, et periculo regni.

Templum Corbeiense S. Petri conflagrat.

Sed de his hactenus : modo dicendum qualiter sit celebrata elevatio ejus. Ea tempestate plura incommoda Corbeiæ, sed regno Francorum plurima contigit irruisse. Corbeiæ enim principale templum S. Petri, diaboli invidia, igne succenditur : omnis pene Gallia famis periculo addicitur. Fungebatur vice sua in regno Francorum Rex Rotbertus, Corbeiæ vero vice Christi Abbas Richardus : uterque feliciter; nisi cum isto ignis, cum illo fames septem annis regnasset atrociter. Tot quippe populos neci dimittebat esuries, ut non pollice sed ense viderentur rumpere fila sorores. Hæc autem lues morientium, cum ceteras nimis, maxime partes vexabat Ambianensium.

Sævit fames in Gallia.

Præcipue circa Ambianum.

8 Qua compulsi necessitate, statuunt sibi remedium citius providere; Deum scilicet, quem multimodis malis offenderant, aliquibus bonis placare. Visum est siquidem hanc ultionem ideo sibi superponi cælitus, quia pacem numquam servaverant, quam unice diligit et diligi jubet Dominus. Talis quippe consuetudo naturaliter innata est regno Gallorum, ut præter ceteras nationes semper velint exercere rabiem bellorum. Sed quid modo? Non necesse est velle mori in bello, quia catervatim moriuntur famis et pestis gladio. Non potest mundus ferre iram Judicis : initur consilium cum Ninivitis. Una conveniunt pax et justitia : jam jam placet redire Saturnia regna. Superest desperatis unum ex omnibus consilium : ad placandam scilicet iram superni judicis requirere suffragia Sanctorum. Requiruntur reliquiæ : ad reliquias ut quæque loca sibi adjacent conferuntur : ibique pacis inviolabile pactum confirmatur. Ita Ambianenses et Corbeienses cum suis patronis conveniunt, integram pacem, id est, totius hebdomadæ decernunt, et ut per singulos annos ad id confirmandum Ambianis in die festivitatis S. Firmini redeant unanimiter Deo repromittunt. Ligant se hujus promissionis voto, votumque religant sacramento. Fuit autem hæc repromissio ut si qui disceptarent inter se aliquo dissidio, non se vindicarent præda aut incendio, donec statuta die ante Ecclesiam coram Pontifice et Comite fieret pacificalis declamatio.

Galli præ ceteris gentibus proni ad bella.

Pactum quot annis renovandum, de pace servanda, rebusque suis jure, non vi repetendis.

9 Quam gratum vero hoc consilium foret Domino Dominorum, luce clarius demonstravit conventus, qui ibi erat Sanctorum. Ea quippe die probavit Corbeia quanti essent apud Deum meriti patronorum suorum suffragia. Quorum in parte semotis reliquiis, ubi videlicet placuit Abbati et monachis, quotquot illuc debiles oratum venerunt, sani et incolumes absque mora effecti sunt. Sicque composita pace redierunt ad sua quique. Exinde hujuscemodi fama ita longe lateque cœpit vulgari, ut Corbeia merito duceretur altera Roma appellari. Præsentes denique et absentes, vincti et carcerales invocato nomine Corbeiensium Sanctorum, sine mora sentiebant S. Petri principatum.

Infirmi ad Corbeienses reliquias sanati.

10 Cum ergo fama tanti boni de die in diem clareret lucidius; placuit auctori horum locum magnificare nobilius, Beati videlicet Adalardi merita demonstrando, cujus corpus sepulchrali adhuc tegebatur tumulo : tegebatur autem in templo, quod erat igne combustum : fratres vero ad vicinam S. Joannis Evangelistæ transierant ecclesiam cum reliquiis Sanctorum. Ubi qualiter et quibus se revelavit, ad sepulchrum quoque post elevationem ejus quam gloriose Deus eum magnificavit, dicendum quidem est : sed de his prius, de illis autem posterius.

PER S. GERARD.

S. Adelardi corpus elevatum.

NOT. 43.

CAPUT V.

Quibus signis animatus sit Abbas Richardus, ut levaret sanctum corpus.

Himoldo Presbytero apparet S. Adelardus.

Quidam Presbyter, nomine Himoldus, secundum suum propositum satis bona fama potitus, commorabatur in prædicto monasterio S. Joannis Evangelistæ, quia ædituus habebatur ejusdem ecclesiæ. Cui nocte quadam in horamate se idem Confessor offerens, secumque eum per combusti templi diversoria ducens; multa mira et stupenda illi insinuavit, quæ ille insomnis redditus multis narrare dignum duxit. Vidit enim inter cetera quasi hominem quemdam nebulosum, deformis staturæ, nigrum, squallidum, pannis et annis obsitum, qui maxillam inclinans super manum totus erat, ut ita dicam, non dolentis sed doloris signum. Super quo Presbyter somniando in multis requirens sanctum ductorem : Quis est iste, inquit, Domine, qui tantum deducit dolorem? Hic est, inquit S. Adalardus, dæmon ille, cujus sola voluntas est cuncta ad perniciem trahere, quique hoc sacrarium ignis pessum dedit edacitati. Quia vero præter spem nunc cernit sibi evenire, optimos videlicet cœnobitas ad restaurandam elegantius, quam prius foret, domum Dei omnino satagere; ideo quanto vides dolore se afficit, et super hoc dolet quod vos lætos efficit. Ad hæc Presbyter stupefactus, et stupendo expergefactus, non est effectus surdus auditor, sed visionis suæ veridicus prædicator.

Dæmon dolet restauratione templorum.

Richardus Abbas Corbeien. XXIX, *corpus S. Adelardi elevat.*

12 Sicque istis, et anterius dictis, et multis sæpe patentibus signis visum est Abbati Richardo felicis memoriæ, quod Deus volebat, et volendo monstrabat, negligentia sua non differre. Unde missis legatis accipere benedictionem a *a* Joanne Papa, qui tunc temporis *b* Vicarius S. Petri habebatur Romæ Pontificali hierarchia; non solum est permissus, sed etiam Apostolica jussione jussus, quod libenter fecisset et injussus. Et quia aberat Episcopus Ambianensis Fulco, quem ex fratrum consilio Abbas huic præviderat interesse mysterio, accersitur Drogo Tervanensis totius bonæ famæ testimonio prædicabilis. Cum quo postquam ministri dupliciter, cordis scilicet et corporis habitudine, apparantur, sanctum corpus VI Idus Octobris de sepulchro levatur, et manibus Præsulis seu Abbatis expectantibus populis adorandum præbetur. Claudi, surdi, muti, manci, et cæci, confestim sanantur. Densatur cuneus accedentium : non est numerus oblationis fidelium, utpote ubi prius deest locus, et tempus, quam intentio offerentium. Exinde ergo titulus Confessoris cum ceteris Corbeiæ Patronis inscribitur, cum quibus usque ad præsentem diem Corbeiam tuetur, et semper tuebitur. Celebrata est autem hæc sancti corporis elevatio, anno ab incarnatione Domini MXL *c* indictione VIII Romanis Conrado, Francis imperante Rotberto.

Multa miracula fiunt in elevatione.

Quo anno facta.

a Est hic Joannes XX, quem Baronius ait obiisse ann. Christi MXXXIII, VI Id. Novemb. Mirum est hanc elevationem tamdiu deinde esse dilatam, usque ad an. 7 Benedicti IX.

b Minus recte appellatur Pontifex Vicarius S. Petri : est enim S. Petri successor, Christi vicarius.

c Non conveniunt cum hac in dictione Reges Conradus, qui ann. MXXXIX, In dict. VII, et Robertus, qui an. Chr. MXXXIII, Indict. I, scribuntur obiisse.

CAPUT

PER S. GERARD.

CAPUT VI.

De muto et surdo ante sancti Confessoris sepulchrum sanato.

Frequens populus confluit Corbeiam festo S. Petri.

Nec prætereundum oblitteratione, qualiter eum Deus dignatus est post hæc glorificare, sicut didici ab eo ipso qui ea gavisus est glorificatione. Vigilia erat celebritatis illius, qua per passionem crucis cælos ascendit claviger æthereus. Omnis via in circuitu videbatur venire Corbeiam, (tanti fecerat Petrus Corbeiæ suæ gloriam) aliqui oratum, aliqui mercatum, aliqui relevatum, quia combusta erat illa, quam super talem petram Christus fundavit ecclesiam. Inter quos adductus est quidam puer, Rogerus nomine, cujus loquendi et audiendi usum reservaverat natura S. Adalardi clementiæ. Lustratis parentes ceteris orationibus Sanctorum, hora prima die festivitatis venere ad tumulum, quem cinere suo S. Adalardus fecerat gloriosum. Erat autem tumulus in templo ignis deserto combustione; corpus vero cum ceteris honorabiliter locatum in ecclesia S. Joannis Evangelistæ. Orant genitores pro se et pro filio S. Petrum sæpe, sæpius S. Adalardum invocando. Affuit uterque, imo Deus propter utrumque. Puer enim recuperata salute, cœpit eos qui aderant alloqui et audire. O supernam dignationem! Et ne aliquis condonaret ceteris, quod Deus singulariter donaverat S. Adalardo, facta est hæc non ante corpus, sed ante tumulum miseratio. Nuntiantur hæc Abbati et monachis: augetur lætitia festivitatis: festiva processio orditur: S. Adalardus sequente populo circumfertur: venitur ad tumulum, ibi cantant, Te Deum laudamus hymnus oratur, de re gesta paullulum peroratur, sicque abitur.

Puer surdus et mutus ad sepulchrum S. Adelardi sanatur.

CAPUT VII.

De surdo et muto, manibus et pedibus et toto corpore contracto, et super tumulum sanato.

Surdus, mutus, contractus venit Corbeiam.

Alter quidam erat in Normannia, nomine Gislebertus, non solum natura corporis, sed etiam humana effigie pene destitutus. Etat enim contractus toto corpore, curvus, retrorsum reflexa facie, surdus etiam, et mutus, reservatis tantummodo oculis, quibus miseriam suam posset videre. Delatus est a suis Corbeiam: ibi diu stetit fratrum cum reliquis suscipiendo eleemosynam. Tandem post multum temporis a S. Adalardo monitus est in somnis, ut statim quando surgeret ad sepulchrum suum oratum iret. Evigilans ergo ire volebat, sed licet a Sancto jam visitatus, minime ire valebat. Et quia sæpe videndo instructus erat signis monachorum, innuit ut se juvarent his qui erant secum. At illi compatientes ejus miseriæ ferebant eum, ubi Sanctus jacebat cum reliquis, versus ecclesiam S. Joannis Evangelistæ. Ille autem nutu eos avertit, et versus sepulchrum ire convertit; ut nulli dubium esset, a quo visitatus fuerit. Tulerunt illico, et deposuerunt coram tumulo. Ibi paullisper jacuit, oravit, et exoravit: virtutem sensit, surrexit, gratias reddidit, sanus recessit.

Apparet ei in somnis S. Adelardus.

Ad sepulchrum ejus sanatur.

CAPUT VIII.

De Ambianensium indignatione, et muti et surdi curatione.

Ambianensium et Corbeiensium conventus ad confirmandam pacem.

Adoleverat etiam inter Ambianenses et Corbeienses nova quædam religio, et ex religione pullulaverat consuetudo, quæ etiam reciprocabatur omni anno. Octavis denique Rogationum, ab utrisque partibus conveniebatur in unum: ibique conferebantur corpora Sanctorum: solvebantur lites: ad pacem revocabantur discordes: mutabantur a populo orandi vices. Decreta utriusque loci renovabantur: populo perorabatur, sicque redibatur. Sed procedente tempore, cœpit aliquando res ipsa usu vilescere, et inreverentia fieri ex multa veneratione. Uterque siquidem sexus cachinnis et lusibus intendere, ordiri choreas, et inreverenter agere: et sic pene omnes corpora Sanctorum negligere. Displicuit res illa bonis et maxime monachis.

Inde variæ dissolutiones.

16 Præerat Abbas Richardus Corbeiæ, Abbas utique beatæ memoriæ: qui cum talia fieri cerneret pluribus annis, aliquando cum processuri essent, fratribus convocatis: Timeo, inquit, Sanctos qui solent ferri offendere, videtis enim singulis annis quantum fiat eis inreverentiæ. Sed si vobis videtur, in cubilibus suis requiescere sinantur. Non ita oportet, inquiunt fratres, quia venturi cum suis, si nos aliter occurrerimus superbiæ deputabunt Ambianenses. Fiat, inquit Abbas sicut vobis videtur sed si vultis S. Adalardum deferte, quia nullus aliorum circumferetur. Fit ratum quod jusserat, nemo quippe contradicere poterat: imo Deus ita disposuerat, sicque S. Adalardus, quasi indignior ceteris, excipit injuriam, quam pro ceteris jussus erat. Exitur ad processionem: venitur ad statutam indictionem. Occurrunt Ambianenses cum S. Firmino, Corbeienses cum S. Adalardo: utque simul perveniunt, antiphonas ex more imponunt: subsistunt ex utraque parte, et orant debita religione. Sed ex brevi ignorantia, grandis aliquando adquiritur gratia. Fuerunt enim aliqui ferentes indigne quasi monachi ceteras Sanctorum reliquias, S. Petri scilicet et S. Gentiani dedignati fuissent illuc deferre. Revera tamen non erat omissum alio ex consilio, nisi, ut præscriptum est, pro inreverentia quæ fiebat eis a populo. Sed multi multa loquuntur, dum qualiter se res habeat a multis nescitur. Monachi itaque S. Adalardo cominus decenter locato, ea qua debent diligentia assistunt Patrono suo. Populus Corbeiensis ex more agit, S. Firminum muneribus donat, oratione petit. S. Adalardus positus e regione non ea frequentabatur, qua dignus erat veneratione. Nemo apud eum orabat, nemo aliquid ab eo petebat: et tamen nondum petitus jam dare disponebat.

Solius S. Adelardi reliquias eo ferunt Corbeienses.

17 Non tulit itaque Dominus dejectionem servi sui, sed per cujusdam relevationem statim ostendit præsentibus quanti esset apud se meriti. Exaltavit electum suum, et magnificavit præ omnibus, qui delati fuerant ante eum. Quidam enim Retbertus, sicut monitus erat in somnis, veniens cum Ambianensium populo, minister scilicet cujusdam Roculfi ex castro Aliniaco, videntibus cunctis juxta feretrum cœpit orare, et eo attentius, quia privatus erat omnino auditu et voce. Suffundebatur lacrymarum imbre, exprimebat gemitu et capitis nutu quod nequibat voce, quasi Sanctum sibi colloquentem videret ita appetens loquaci corde. Intendebant omnes in eum, ipse autem in neminem: sed stabat percutiens pectus, et exosculans feretrum. Tandem respexit eum divina clementia, ut per eum ostentaret sancti Confessoris sui merita. Cumque paullisper in se sensisset virtutem Dei, diu multumque ossitans cœpit in vocem inniti. Movebat multos ad pietatem, plures etiam usque ad lacrymarum effusionem. Totis autem viribus in vocem enitens iterum, per nares, per os, et per aures expectoravit sanguinis fluvium, qui totum guttatim respersit feretrum. Et sic emissa voce, erupit in hoc quod prius volebat, et non poterat proferre: Deus adjuva me, inquiens, et tu S. Adalarde. Hæc fuit prima vox recuperata salute, statimque omnes currere, et ipse cœpit vix subsistens quasi ebrius talipedare. Sed recipitur, et leniter sessum componitur: interrogatur; virtutem in se factam exponendo confitetur. Lætatur uterque populus, et referunt laudes uterque ordo, et sexus. Nulla insidet dubitatio, ubi tam manifesta facta est curatio. Erat sane maxima materies credendi, persona videlicet ipsis cum quibus venerat Ambianensibus nota, quæ receperat usum loquendi et audiendi. Ipse quoque Roculfus, cujus erat minister, testimonium perhibebat

Mutus et surdus intercessione S. Adelardi sanatur.

bebat fideliter. Deus etiam qui fecerat miraculum, reliquerat evidens credendi signum : et sanguis qui resperserat feretrum ab omnium cordibus extergebat infidelitatis venenum.

Magna solemnitate aguntur Deo gratiæ.

18 Ipsis etiam Ambianensium Clericis quam certa res fuerit hinc perpenditur, quod ab uno eorum in eminentiorem locum statim ascenditur, et de ipsa re, et de ceteris aliquantisper ad populum peroratur. Insonant voces dignæ laudis, crescitque tumultus tantæ exultationis. Fit inaccessibilis circa corpus frequentia, funduntur preces, offeruntur munera, imponitur laus Te Deum laudamus, personat in eo uterque ordo et sexus : sicque Sanctos ab injuria vindicat S. Adalardus, quam pro eis accipere fuerat missus.

Corpus S. Adelardi solemniter refertur Corbeiam.

19 Rebus itaque compositis solvitur conventus, et orditur monachica processio, refertur ad propriam sedem, sequente etiam Ambianensium populo. Respondent campi in ejus laude : occurritur ei a vicinis digna veneratione. Quidam vero ex monachis præeuntes ad ecclesiam, albis et cappis induti cum reliquis Sanctorum pignoribus exierunt ei obviam. Cumque simul ecclesiam hymnizantes repetissent, et corpus S. Adalardi super altare posuissent; iterum ille qui sanatus fuerat ante corpus in pavimento se prosternens, gratias referebat, sanguinem rursus per aures, per os, et per nares emittens. Resonat tota Ecclesia vocibus gavisoriis : nemo in ea cessat a laudibus et hymnis. Nec immerito; tali enim honore dignus est, qui honorari dignatur a Deo.

NOT. 44.

ALIA S. ADELARDI

MIRACULA.

PROLOGUS.

Virtutes et miracula, quibus in præsenti Sanctos suos illustrare dignatur operationis divinæ potentia, quotiens apparent, dignum est posteris transmittere litterarum notitia : ut corda ipsorum ad laudandam Dei virtutem excitentur, et ad exhibendum honorem reliquiis Sanctorum magis accendantur. Unde virtutes aliquas breviter annotamus, quas nostris temporibus Patronus noster, Sanctus scilicet operatus est Adalardus, imo per ipsum operata est divina virtus. Quas quidem oculis nostris non perspeximus, sed fidelium virorum qui viderunt et præsentes interfuerunt relatione didicimus. Quorum relationi plena fides est exhibenda; quippe quos commendat sanctitas morum, et ætatis reverentia. Non enim eis salutis commodum, nec Sancto gloriæ cresceret augmentum, si modo aliquibus astrueretur mendaciis, quem constat multis antea glorificatum miraculis. Sicut autem ab eis accepimus ita et prosequendo referimus.

Auctor quæ scribit a fide dignis viris accepit.

CAPUT I.

Causa cur S. Adalardus asportatus sit in Flandriam.

Corbeia in dotem Flandro data.

Henricus igitur Rex Francorum, qui patri suo Rotberto successerat in regnum, sororem nomine Adelam habuit, quam Flandrensium Marchioni, Balduino scilicet seniori, nuptiali copula conjunxit, et ei Corbeiam quæ regno suo adjacebat pro dotali munere cum aliis pluribus concessit. Pro hac autem conjunctione Rex et Comes fœdus inter se inierunt : et magna inter eos viguit amicitia, quo ad vixerunt. Sed quia, sicut a quodam philosopho dicitur, amicitia sæpe exheredatur; postquam uterque, Rex scilicet et Comes, mortali concessit naturæ, inter filios eorum Philippum scilicet Regem, et Rotbertum Comitem fœdus ruptum est amicitiæ. Philippus autem Rex reputans sibi detrimento esse, quod regnum suum quasi deminutum esset privatione Corbeiæ, quam pater ejus, sicut supra diximus, in matrimonio dederat sorori suæ; ipsam Corbeiam cum regali pompa intravit, et sibi sicut Regi fidelem securitatem oppidanos jurare coegit.

PER S. GERARD. *Philippus Rex Corbeiam vi repetit.*

22 Quod postquam Comiti Rotberto compertum fuit, injuriam sibi factam moleste tulit. Quam quia, sicut ira exigebat, ad præsens in Regem vindicare non potuit, in Corbeiensem Ecclesiam non tale quid meritam retorsit. Nam ejus villas et prædia per terram suam late diffusa statim invasit, et fratribus inibi Christo militantibus quæ vestimentorum eorum usibus deputata erant denegavit. Unde Fulco Abbas, qui tunc temporis Ecclesiæ Corbeiensi præerat, et fratres non modice turbati, querimoniam lacrymabilem coram Regis præsentia fuderunt, et super hoc ejus consilium et auxilium imploraverunt. Sed cum aut impossibilitate aut incuria Regis nulla eis fieret recuperatio perditorum, magnumque damnum perpessi fuissent, suis carendo redditibus fere per biennium; quid facto opus esset cogitantes, super his animo fluctuare cœperunt. Tandem in Domino tamquam in portu jactantes cogitatum suum, anchoram suæ salutis in ipso fixerunt. Nam fuit eorum commune consilium ad divinum confugere auxilium, Sanctumque Comiti præsentare Adalardum, ut Comes ejus præsentia flexus, ei et S. Petro suum restitueret allodium.

Flander Corbeiensium in Flandria bona occupat.

Ad eum placandum mittitur S. Adelardi corpus.

NOT. 45.

CAPUT II.

De asportatione Sancti in Flandriam, et quod in adventu ejus apertæ sunt fores ecclesiæ.

Igitur sanioris consilii fratribus qui Sancto comitarentur electis, et omnibus quæ itineri necessaria essent paratis, cum magno honore, ut decebat, iter arripientes pervenerunt in Flandriam, de Dei misericordia et Sancti merito non desperantes. Fama autem præeunte Comes sibi Sanctum a fratribus præsentandum audierat, et ne illis alicujus ecclesiæ pateret introitus interdixerat, existimans taliter nullum ad se ab illis posse fieri accessum. Sed secus ac ratus est res habita est. Nam tendentibus illis ad villam quæ dicitur Curba, ubi S. Petri jure hereditario habetur ecclesia, Presbyter secundum Comitis præceptum obseratis ecclesiæ foribus, secessum occultum ne posset inveniri petierat cum clavibus. Tandem ad ecclesiam pervenitur, claves requiruntur, Presbyter circumquaque quæritur, sed quærentibus facultas inveniendi denegatur. Mirum dictu, fidelem quærens auditorem! Dum aliqua mora fieret quærendo templi Sacerdotem; illico sponte sua confractis seris, dissilientibus repagulis, patuerunt fores ecclesiæ, et Sancto, cunctisque eum comitantibus se pervias præbuere. Non Magica, non ars ibi operata est Mechanica, sed ad ostendendum S. Adalardi meritum, virtus apparuit cælestis in apertione valvarum. Ecce alter in hoc facto Petrus; Sanctoque Petro, cui commissæ sunt claves regni cælorum, in tali miraculo comparandus. Sancto etenim Petro de carcere per Angelum liberato porta ultro patuit ferrea; isti similiter de carcere, id est, de carnis ergastulo per Angelum consilii jam educto, cesserunt ultro dura portarum robora. O stupenda dignatio! gratiam meruit a Domino, quæ cælesti concessa fuerat clavigero. Jure etiam in aliena terra patuit illi S. Petri ecclesia, qui apud Corbeiam hospitium sortitus S. Petri ecclesiam, quasi pro contubernali fœdere, ad requirenda ejus bona fungebatur legatione. Taliter in ecclesia prius inaccessa Sanctus defertur, populus utriusque sexus, qui convenerat prosequitur; laudes cum vocis cordis-

In Curba pago sponte patent fores templi.

PER S. GERARD. que exultatione a monachis et Clericis divinæ Majestati referuntur, populis applaudentibus et gratias Domino referentibus.

CAPUT III.

De eo quod Comes reddidit ei omnia quæ abstulerat.

Occurrit Sancto frequens populus.

Sequenti die inde asportatur, et ad quærendum Comitem acceleratur iter. Ubicumque autem Sancti audiebatur adventus, a longe pro jam divulgato miraculo immensæ multitudinis populorum ei fiebat occursus. Nec solum jam ei contra præceptum Comitis januas ecclesiarum aperire certabant, sed etiam tam Ecclesiasticæ quam sæculares personæ, ut Sanctus in ecclesiis inferretur postulabant, magis divinam quam Comitis incurrere timentes offensam. Audientes autem fratres Comitem in pago Tornacensi circa Schelmas oppidum, quod obsidione militum cinxerat, commorantem, illuc iter flexerunt, et quo cœperant tandem pervenerunt. Quem cum sibi Comes audiret deferri, ejus præsentiæ se subtrahere festinavit. Tunc Principes qui lateri ejus solebant assistere, et in quorum consilio ejus omnis pendebat dispositio, super hoc cœperunt eum arguere, dicentes, quia nihil ei prospere cederet, quamdiu Sanctorum ecclesias suis rebus spoliaret. Consulebant autem illi ut Sancto cum humilitate occurreret, et quidquid erga Sanctum deliquerat, emendaret. Quorum prudenti consilio Comes adquievit, et humiliter Sancto obvius processit. Videres alium Regem Ninivitarum de suo solio descendisse, pedibusque nudis præ humilitate incedentem, honorem suum deposuisse : cum tanta devotione, militum stipante caterva, Comes ad feretrum Sancti accessit, et sumpto manibus suis gestatorio, militibus onus ejus leve certatim allevantibus in ecclesiam haud longe positam tulit. Ibi quidquid Corbeiensi Ecclesiæ abstulerat coram primatibus suis in præsentia Sancti reddidit : et quidquid erga S. Petrum et S. Adalardum deliquerat, emendavit, postulans per eos sibi a Domino indulgentiam impetrari. Fratres vero vice Domini, qui cor contritum et humiliatum non despicit, Sanctique Petri, cui data est a Domino potestas ligandi atque solvendi, eum absolverunt : et eum gaudentem, suisque orationibus commendatum ad obsidionem oppidi remiserunt. Inde non ingrati divinæ misericordiæ qui gratiam Comitis meruerunt S. Adalardo mediante, immensas laudes Deo altissimo retulerunt, cujus auris, quam precibus pulsaverant, præparationem cordis eorum audierat.

Balduinus Schelmas obsidet :

Reverenter occurrit corpori S. Adelardi :

Omnia Corbeiæ restituit.

CAPUT IV.

De eo quod Comitissa voluit eum retinere.

Sic non cassato itineris labore lætati cum Sancto arripuerunt iter remeandi. Sed intervenit eis aliqua turbationis molestia, ut major subsequeretur lætitia. Contigit enim ut ad oppidum quod dicitur Insula pervenirent, et Sanctum Dei in ecclesia S. Stephani Protomartyris, quæ ibi habetur, deferrent. Illis diebus apud idem castrum Adela Comitissa, de qua supra mentionem fecimus, morabatur; dum ad obsidendum præfatum oppidum Schelmas Comes scilicet filius ejus occuparetur. Quæ cum audisset adesse sanctum Dei Confessorem, gavisa est valde sibi esse oblatam retinendi illum opportunitatem. Accersitis igitur monachis, inter alia quæ protulit verba, dixit eis : Sciatis Domini mei S. Adalardum communis generis consanguinitate mihi esse proximum, et ideo ut honoris gratiam paret mihi in cælis, volo ejus honorem sublimare in terris. Unde sedet mihi in animo eum retinere in hac terra, quia ad exequendum quod volo magis hic ero idonea. Aut enim ei novam construi faciam ecclesiam, quam immensis opibus ditabo, deputatis monachis aut Clericis, qui serviant Sancto; aut in Blandiniensi monasterio, quod in honore S. Petri Apostoli situm est in castro Gandavo, faciam eum deferri, ubi præ omnibus Sanctis, qui ibi habentur, faciam ei honorem exhiberi. Interdico itaque vobis ut eum ab ecclesia S. Stephani non dimoveatis, sed ad locum vestrum redeatis; ni potius cum eo remanere placeat vobis. Denique præcepit portas obseratas, et exitus viarum adhibitis custodibus observari, ne in noctis silentio clam Sanctus posset asportari.

Comitissa Flandriæ vult corpus S. Adelardi retinere, dispositis custodibus.

CAPUT V.

De eo quod per medios vigiles sublatæ sunt sanctæ reliquiæ.

Quid jam monachi facerent? In aliena terra positi, suorumque auxilio destituti, obviare non poterant Comitissæ potestati; ut in asportatione Sancti aliquam violentiam inferrent illi. Illico ad Sanctum reversi sunt Adalardum : et extra spem positi deliberabant quid potius eis esset faciendum. Consilium autem super hac re quærentes, tales inter se conquerendo proferebant voces : Quid faciemus? Quo divertemus? Ad nostros sine S. Adalardo reditus nobis non est necessarius : quia forsitan aut nos expellent, aut, quod turpius est, lapidibus obruent. Denique nos non reverti prohibet improperium et dedecus, quia nobis non revertentibus tantum damnum imponent nostræ assensioni, nostrisque; machinationibus. Ceterum quamvis absque Sancti repræsentatione gratiam eorum possimus habere, ejusdem Patris nostri ablatio, nostræ matris Ecclesiæ fiet desolatio. Ipsa enim mater nostra, quæ nos tamquam filios in suo fovit gremio, relinquetur sicut umbraculum in vinea, et sicut tugurium in cucumerario. Taliter prius navicula cordis eorum turbabatur in mari : et dormiente in eis Christo, quia dubitabant, cœperunt mergi. Sed cum clamassent, Domine salva nos, perimus; illico excitatus est Dominus, ventisque imperavit et fluctibus.

Monachi quid sibi agendum sit deliberant.

27 Illis autem consilium capientibus cælitus inspiratum est ut intempestæ noctis silentio expositas de feretro sancti Confessoris reliquias tollerent, et cum illis fugæ præsidio sibi suisque consulerent. Quod et ipse Salvator fecisse, suosque ut idem facerent legitur admonuisse : Cum vos, inquit, persecuti fuerint in unam civitatem, in aliam fugite, licet figuraliter possimus intelligere. Cunctis igitur per villam somno occupatis, monachi requiem suis denegarunt oculis, opportunitatem quærentes perducendi ad finem quæ inerant illorum animis. Media autem nocte ad thecam argenteam, qua pretiosus thesaurus tegebatur, accesserunt, ipsumque audacibus, ut ita dicam, sed fidelibus manibus exposuerunt. Denique ipsum super aurum et topazion pretiosiorem, omniumque aromatum fragrantiam suo odore vincentem in mundo pallio, postea in byrso cervino involverunt : et uni eorum, Domno videlicet Everardo, qui ad hoc sagacior videbatur, asportandum commiserunt. Qui ceteris cum scrinio Sancti remanentibus, de commisso sibi thesauro sollicitus non modice animo angebatur, qualiter propter vigilum excubias civitatem egrederetur. Dumque totus in hoc studio esset positus, illuxit matutinalis hora, qua expulso vesperi luctu Christi resurrectione demoratur lætitia : tunc Christus, qui est verus sol justitiæ, depellens tenebras erroris et tristitiæ, ostendit illi tramitem salutis et lætitiæ. Nam eadem hora obtulit se illi quidam monachus, quasi missus a Domino, quem Remensis civitatis Archiepiscopus ad Comitem direxerat pro suo negotio. Huic

Reliquiæ S. Adelardi in theca argentea.

Everardus monachus corpus S. Adelardi clam asportat.

Huic sanctarum bajulator reliquiarum sociatus per medios vigilum cuneos, portis patentibus, exivit; Deique providentia per Sancti videlicet Adalardi meritum frustratas illorum excubias reliquit.

Transit per medios vigiles.

28 Renovatum est sane in hoc facto miraculum quod ad Christi resurgentis contigit sepulchrum, si tamen gloriæ Regis audemus æquiparare virtutem militis. Sed non minuimus gloriam Regis, si virtutem prædicamus militis : quia virtus militis gloria est Regis. Custodia enim militum ad Christi posita est sepulchrum, ne a suis furaretur discipulis; diligentia nihilominus excubatorum deputata est portis et exitibus viarum, ne corpus S. Adalardi clam a suis efferretur monachis. Christus summo diluculo milites signatum monumentum custodientes resurgens irritos reddidit; Sanctus quoque Adalardus summo mane vigiles portas et exitus viarum observantes exeundo fefellit. Milites Christo resurgente præ timore facti sunt velut mortui; custodes postquam Sanctus asportatus est Adalardus præ nimia admiratione redditi sunt stupidi.

Magno gaudio Corbeiæ excipitur.

29 Taliter corpus sancti Confessoris Corbeiam refertur, et a monachis cum magno cleri plebisque tripudio suscipitur. Qui cum magno honore, ut dignitas ejus exigebat, repositus in archivo ecclesiæ, ipsam sua decoravit præsentia, quam primum obscuram reddiderat ejus absentia. Fratres autem cum cordis devotione laudes immensas reddiderunt super hoc bonitati divinæ, parvipendentes si scrinii fieret amissio, cum beatos et divites reddidisset eos pretiosi thesauri restitutio. Illud enim erat recuperabile damnum, hic si eum amisissent damnum inreparabile. Sed qui voluit thesaurum corporis restituere, dignatus est etiam vas ejusdem remittere, ut sicut in corporis asportatione, ita etiam Sancti pateret meritum in vasis repræsentatione.

CAPUT VI.

De relatione scrinii, et quod in repræsentatione ejus sanatus est claudus.

Comitissa ceteros domum remittit.

Interea fama volante, cum Comitissæ nuntiatum fuisset taliter S. Adalardum a monachis sublatum esse, moleste tulit se ita delusam esse. Tamen intelligens hoc esse voluntatis divinæ, et ideo jam non posse contra torrentem brachia tendere; postulata venia, concessit illis cum scrinio sancti Confessoris remeare ad propria. Taliter illi, quasi de Ægypto egressi, ubi jam quasi captivi fuerant detenti, protegente eos cælestis defensionis nube, ne urerentur a sole tribulationis, pervenerunt, duce novo Moyse nostro, in terram pacis et securitatis.

Theca Corbeiam refertur.

31 Cumque jam facti fuissent proximi Corbeiæ, præmittentes nuntios mandaverunt fratribus suis, ut scrinio S. Adalardi mature occurrerent cum brachio ejusdem Confessoris. Illico gaudium novum adhuc recenti gaudio superadditur : classica pulsantur : ecclesia tapetibus et palliis adornatur; accensis etiam luminaribus plurimis illuminatur : denique facto populi conventu festiva processio orditur : et cum brachio S. Adalardi præcedentibus cereis et crucibus

1. Reg. 7. obviam proceditur. Tunc filii Israel quasi arcam Domini de Philistæis reductam suscipientes, in tabernaculo Dei referebant : et cum David in voce exultationis et confessionis psallentes præcedebant, variis

2. Reg. 6. musicorum instrumentorum generibus ad augendam lætitiam circumquaque sonantibus.

PER S. GERARD. *Claudus ad vacuum Sancti feretrum sanatur.*

32 Ecce autem quidam claudus ad portam templi jacebat, ita utroque pede contractus, ut plantæ pedum ejus (quod erat visu miserabile) retro hærerent natibus. Venerat autem ibi reptando in quantum poterat manibus et genibus non solum ut alimoniam peteret ab introeuntibus, sed ut S. Adalardum rogaret suis adesse doloribus. Qui cum feretrum Sancti præcedente longo processionis ordine vidisset inferri in quantum ipsa ægritudo patiebatur, clamare cœpit, ut sui misereretur. Sanctus vero Adalardus more B. Petri aurum vel argentum illi non dedit, sed quod melius erat, divina concedente gratia, illi tribuit. Nam mirum in modum statim videres nervos prius contractos extendi, cutem disrumpi, sanguinem manare, pedes cruraque ad naturalem locum redire, illum autem præ nimiis angustiis fatigari, ita ut pene videretur deficere. Tandem in suis erectus pedibus, jam nullius egens adminiculo ad feretrum Sancti accessit. O laudandum Dei donum; o prædicandum Sancti meritum ! Præsentia corporis ejus aberat, et tanta in vase corporis ejus Dominus ostendebat. Sed hoc in vase corporis ejus ostendere potuit, qui per umbram corporis S. Petri ægrotos sanare voluit. Tunc qui sanatus fuerat feretrum prosequens et bajulans, gratias referebat Domino, imitans illum Luc. 17. Evangelicum leprosum, qui reversus laudem dedit Deo. Cum tanto gaudio filiis in sinu matris Ecclesiæ receptis, de thesauro conscientiæ proferentes sacrificium spei et fidei, quæ in ara cordis accenderat fervor caritatis, hymnum Te Deum laudamus cantaverunt coram altario divinæ majestatis.

CAPUT VII.

De repositione sanctarum reliquiarum in scrinio.

Res gesta populo narratur.

Denique ascendentes gradus pulpiti, qui de valle plorationis per gradus virtutum ascenderant in montem exultationis, populis infimis jacentibus, nec ad altiora conscendere valentibus, condescenderunt propinatione salutiferi sermonis rei gestæ temporique præsenti respondentis. Nec siluerunt, ad confirmationem sui sermonis quæ in via accidisset eis, quanta Domini gratia in omnibus affuisset illis, quantisque sibi dilectum Confessorem declarasset miraculis. Et ne aliquis eorum dubius existeret S. Adalardum esse relatum, reliquias ejusdem de secretario, ubi ante repositæ fuerant, præsentari fecerunt. Quas quidem in conspectu populi adstantis extulerunt, ipsasque ut credi decet antiquo ebore lucidiores, visuque pro sui raritate delectabiles, conspectibus omnium adstantium cernendas præbuerunt. Postquam autem præsentia Sancti remota est ab illis omnis nubes dubitationis, eum honorifice reposuerunt in eodem scrinio quod paullo ante relatum fuerat cum gaudio.

Exponitur corpus S. Adelardi.

Reponitur in priore theca,

locaturque juxta S. Gentianum.

34 Quo rite peracto secus S. Gentianum martyrii rosa in domo Dei vernantem collocaverunt S. Adalardum castitatis lilio ante Deum florentem. Felix aula, quæ tantis sustentatur columnis! Felix Ecclesia, quæ tantis illuminatur lucernis! ut taceamus ceteros quorum præsentia feliciter ipsa floret Ecclesia, istis tutoribus protegitur contra ventorum flatus, et tempestatum fulmina. Istis enim illuminantibus, repelluntur ab ea tenebrarum caligines, et mœrorum nubila. Istos itaque honoremus, istos veneremur in terris, ut nostri memores esse dignentur in cælis.

NOT. 46.

INVENTIO CAPITIS S. VEDASTI

ALIARUMQUE RELIQUIARUM ATREBATI.

ANN. MXIV. II JAN.

Anno MXIV IV Nonas Januarii, *inquit Ferreolus Locrius in Chronico Belgico*, Inventio reliquiarum Ecclesiæ Atrebatensis. *De ea Inventione Baldricus in Chronico Cameracensi et Atrebatensi lib.* 2, *cap.* 13. Ibi vero *(Atrebati in templo S. Mariæ)* juxta altare Dei genitricis Mariæ, quod B. Vedastus suis diebus consecraverat, anno quidem secundo Gerardi Episcopi, multæ et multum pretiosæ Sanctorum reliquiæ inventæ sunt, ad quarum illustrationem diversa miracula per tres circiter annos divina clementia operata est. Leprosi enim mundati, contracti humanis usibus solidati, multique a diversis languoribus curati, sospitate donantur.

Miracula ad inventas reliquias facta.

2 *Idem Baldricus lib.* 3, *cap.* 4, *de eadem reliquiarum Inventione ita scribit :* Tunc etiam temporis in monasterio Sanctæ Mariæ Atrebatensium, juxta altare, multorum Sanctorum reliquias pretiosas contigit inveniri. Ad quarum quidem merita propalanda, divina clementia diversi generis signa et prodigia operante, non solum ex vicinis sed etiam longe positis regionibus, per totum fere biennium multitudo maxima confluebat.

Maximi ad eas concursus.

3 *Fatetur Georgius Colvenerius in Notis, se quæ aut quales fuerint reliquiæ, ab Atrebatensi Ecclesia non potuisse resciscere. At Locrius,* Addunt, *inquit,* Ecclesiæ Atrebatensis monumenta MSS. Inter cetera brachium S. Vedasti cum capite ejus, et quibusdam membris ipsius, *etc. De S. Vedasto plura* VI *Februarii, et de festo reliquiarum Ecclesiæ Atrebatensis alio loco.*

Quæ fuerint illæ reliquiæ.

NOT. 47.

DE S. SILVESTRO

MONACHO TRAINÆ IN SICILIA.

ANNO MCLXXXV II JAN. ET II MAII.

Silvester ex ordine S. Basilii monachus colitur II *Januarii et* II *Maii, frequenti populi concursu Trainæ in Sicilia, ex Julii III Pontificis Maximi concessione, ut testantur Octavius Cajetanus noster in Idea operis de Sanctis Siciliæ, et Philippus Ferrarius in generali Catalogo Sanctorum. Est* Traina, *aliis* Trayna, Troina, Troyna, Trojanopolis, Trajanopolis, Dragina, *Mediterranea Siciliæ urbs in colle edito sita, olim Episcopalis, de qua agit Thomas Fazellus rer. Sicular. decad.* I. *lib.* 1 *et* 10, *sed quod eam esse censet* Trajanopolim, *quam L.* 1 *de censibus, coloniam juris Italici appellat Ulpianus, aliis minus probatur, qui isthic* in Cilicia *legendum, non in* Sicilia, *arbitrantur.* Paullo infra urbem, *inquit idem lib.* 10 *Fazellus,* ad P. M. II. Meridiem versus, ædes D. Michaelis super collem erecta, et cœnobium D. Basilii illi adjunctum extat, a Rogerio Comite, parta contra Saracenos victoria, pro triumpho dedicatum. *In hoc S. Silvester vitam degit; a quo locum quemdam* S. Silvestri *appellari existimo apud eumdem Fazellum, ad mille passus a Troina, ubi veteris urbis vestigia etiamnum,* ædium, *inquam,* murorum ac pyramidum ex quadratis lapidibus clarissima spectantur cadavera.

S. Silvester fit monachus.

2 *S. Silvestri res gestas, ex lectionibus quæ ejus die festo recitantur, ita describit Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ ad* II *Maii :* Silvester Troynopoli honestis religiosisque parentibus, Guilielmo Siciliæ Rege, ortus, pieque educatus, cœnobium S. Michaelis Archangeli ordinis S. Basilii, habitum monasticum induens, ingreditur. Ubi brevi eos progressus fecit, ut ceteros vitæ asperitate suique ipsius abnegatione antecelleret. Peregrinandi cupidus de Abbatis licentia V ID. Februarii Catanam ad corpus B. Agathæ Virginis et Martyris venerandnm venit. Qua in re illud mirandum, quod cum Catana a Troynopoli XL millibus passuum absit, (quæ quis equo per diem æstivo tempore vix confecerit) Silvester tamen pedester hiberno tempore Catanam profectus, ac precibus ad Virginis tumulum persolutis domum eadem die reversus est.

Visit sepulchrum S. Agathæ.

3 Cum furnarius panem cocturus, scopam, qua furnum ardentem prunis mundaret, minime reperiret, quereturque quod mora pani detrimentum adferret; Silvester signo Crucis munitus illum ingressus, prunis ardentibus in unum collectis, vestis suæ extremitate tersit. Quare Abbati nuntiata, accurrens cum monachis e furno Silvestrum illæsum exeuntem vidit : ac ex ea die apud monachos Silvester cœpit esse venerationi.

Ardentem furnum intrat.

4 Romam, ut loca sancta inviseret, summique Pontificis (a quo ob sanctitatis famam benigne exceptus est) pedes deoscularetur, profectus; iis peractis, perceptaque Pontificis benedictione navem conscendit, et Panormum appulit. Ubi cum Regis filius gravissime ægrotaret, ad Regem accedens bono animo illum esse jubet; et ad filium jam morti proximum deductus, fore ut brevi incolumis evaderet ait. Quem medici delirare existimantes, et illudere volentes, porcæ urinam afferri curant, ex qua ille ægroti morbum agnosceret : quam illico Silvester esse porcæ decem in utero suillos habentis urinam dixit. Sicque illa Regis mandato mactata et aperta deprehensum est, et Silvestro habita fides : qui omnibus e cubiculo ejectis, cum preces Deo effudisset, filium Regi reddidit incolumem. Cumque Rex Silvestrum, ut quidquid vellet posceret, instanter rogaret; thynni tandem, cujus ingens copia capi solet, parum pro cœnobio petiit. Qui petitionem exilem miratus, aliquot thynnorum tegetes perpetuo quovis anno dandos decrevit : quibus ad hæc usque tempora frui feruntur.

Occulta et futura novit.

Ægrum precibus sanat.

5 Reversus

Fugit hónores.

5 Reversus ad monasterium, defunctoque Abbate, cum Silvestrum ei subrogare cogitarent, is elapsus in silvam non longe a civitate se abdidit: ubi aliquamdiu vitam eremiticam duxit, orationibus, jejuniis, meditationibus aliisque corporis afflictionibus intentus: donec IV Non. Januarii, anno a partu Virginis MCLXXXV, suum Deo tradidit spiritum. Corpus ibidem sepultum est, sacra æde sub ejus invocatione constructa: quo, hac die et II Januarii, innumera hominum multitudo confluit. Solent enim dæmoniaci infirmique ejus intercessione liberari.

Miracula ad ejus tumulum.

6 Anno vero Domini MDLXXV, peste per universam Siciliam grassante, cum Troynopoli multi in dies perirent, ac die secunda Januarii, qua natalis ejus celebratur, maxime effervescente, imaginem S. Silvestri cives in processione deferrent; mox ab ea penitus extincta liberati sunt. Quare Julius III, Pontifex Maximus non modo indulgentias ecclesiam S. Silvestri visitantibus concessit, sed et festum ab omnibus in ea civitate celebrari voluit. *Hæc Ferrarius. Sed manifestum in anno, quo hæc ope S. Silvestri sopita lues dicitur, mendum inest, cum Julius III, anno* MDLV *obierit: aut certe eo miraculo ad festum sanciendum inductus non est, ut vult Ferrarius; qui iterum in Notis Silvestrum ait* MCLXXXIX *decessisse, cum supra, et in generali Catalogo Sanctorum* MCLXXXV, *mortuum asserat.*

Pestis ejus invocatione sedata.

III JANUARII.

SANCTI QUI III NON. JANUAR. COLUNTUR.

Octava S. Joannis Evangelistæ.
S. Anteros Papa Martyr, Romæ.
S. Florentius Episcopus Viennensis, Martyr.
S. Theopemptus Episcopus, Martyr.
S. Theonas Martyr.
S. Zosimus monachus Martyr
S. Athanasius Commentariensis } in Cilicia.
Martyr
S. Petrus Balsamus, vel Abselamus Martyr.
S. Martialis
S. Statilianus
S. Constantius
S. Possessor
S. Hilarinus
S. Firmus
S. Candidus } Martyres, in Africa.
S. Rogatianus
S. Eugenia
S. Lucida
S. Acuta
S. Pœnica
S. Gordius Comes ac Centurio Martyr, Cæsareæ in Cappadocia.
S. Theogenes
S. Primus } Martyres, in Hellesponto.
S. Cyrinus
S. Claudon
S. Eugenes
S. Diogenius
S. Eugentus } Martyres.
S. Rhodus
S. Rhodon
S. Pinna
S. Lucianus Episcopus Leontinus, in Sicilia.
S. Melorus Martyr, in Anglia.
S. Salvator Episcopus, Beluni in Italia.
S. Genovefa Virgo, Parasiis in Gallia.
S. Blidmundus sive Gogus, Abbas in Gallia. NOT. 48.
Inventio S. Quintini apud Veromanduos.
S. Bertilia Virgo conjugata, in Belgio.
Relatio capitis S. Jacobi Apostoli, ad monasterium S. Vedasti.
S. Daniel Levita Martyr, Patavii.

PRÆTERMISSI VEL IN ALIUM DIEM REJECTI.

S. Argæus
S. Narcissus } Martyr. *Martyrol. S. Hieron. Nos* II *Jan.*
S. Marcellinus
Mater cum duobus filiis, igne extincta. *Menæa. Plures idem subiere supplicium cum liberis matres: nil hic certi possum statuere, ideoque eam omitto.*
Daniel monachus Hemmenrodensis. *Kalendar. Cisterciense Divione editum anno* 1617.
B. Angela de Fulginio. *Martyrolog. German. Molanus in addit. ad Usuardum, Usuardi editio Coloniensis anni* 1521. *Nos* IV *Januar.*
B. Ursus Dux Venetorum, postea monachus. MS. *Kalendarium Sanctorum Ordinis S. Benedicti. Hic est* Petrus Urseolus, *de quo* XI *Januar.*
S. Potitus Martyr. MS. *Martyrolog. S. Martini Tornaci. Nos* XIII *Januar.*
S. Malachias Propheta. *Martyrologium Germanicum, Molan. Menæa, Menolog. Galesinius in Notis. Nos* XIV *Januar.*
B. Guillermus X Abbas Cistercii. *Kalendarium Cisterciens. Nos* XXII *April.*
Posenna } sorores S. Gibriani. *David Camerarius lib. 3 de Scotor. pietate. De ipso S. Gibriano agemus* VIII *Maii.*
Prompta
S. Agritius Episcopus Senonensis. MS. *Florarium SS. Nos* XIII *Junii.*

OCTAVA S. JOANNIS.

III JAN.

Celebratur III *Non. Janu. S. Joannis Apostoli et Evangelistæ Octava, quam Martyrologium Romanum, Ado, aliique consignant. In Breviario Romano, Pauli III auctoritate edito a Francisco Quignonio Cardinale, non celebrabatur hæc Octava, sed S. Anteri Papæ festum, de quo et tertia lectio recitabatur. Ubi denuo recensitum ab eodem Quignonio idem Breviarium est, omisso S. Antero Octava agi cœpit (quemadmodum et antea) ut Semiduplex; Duplex a Pio V instituta, uti et S. Stephani atque Innocentium. Vide Gavantum Comment. in Rubr. Breviar. sect.* 6, *cap.* 6.

DE

AN CHR. CCXXXVI.
III JAN.

DE S. ANTERO PAPA ET MARTYRE.

S. Anteros Papa.

Anteros Papa, qui aliis Antherus, Anterus, Antherius, in sacros fastos pridem relatus, ut patet ex veteri Martyrologio Romano, Beda, Usuardo, Adone, Bellino, Maurolyco, et ceteris.

2 *De eo hæc habet liber de Romanis Pontificibus :* Anteros natione Græcus, ex patre Romulo, sedit annis XII, *(expungunt alii annorum numerum)* mense uno, diebus XII, martyrio coronatur. Fuit autem temporibus Maximini et Africani Coss. Hic gesta Martyrum diligenter a Notariis exquisivit, et in Ecclesia recondidit : propter quod a * Maximo Præfecto martyrio coronatus est. Hic fecit ordinationem unam per mensem Decembris, Episcopum unum *(Addit codex Baronii :* Fundis in Campania.) Qui etiam sepultus est in cœmiterio Calixti, via Appia III Nonas Januarii : et cessavit Episcopatus dies XIII. *Philippus Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ tradit ex Petelia urbe magnæ Græciæ maritima oriundum fuisse.*

**Baron.* Maximini.

Ex Petelia urbe ortus.

3 *Porro de Martyrum Actis describi solitis ista habet Baronius tom.* 2, *an.* 238, *n.* 2. A Clemente Papa primum magna diligentia curatum fuit, ut a septem Notariis, per regiones Urbis divisis, gesta Martyrum scriberentur. Deinde Fabianus Papa, qui successit Antero, de quo est sermo, ut magis magisque historiæ veritati consultum foret, septem Notariis huic operi adscriptis, qui Acta Martyrum integra exciperent, septem præfecit Subdiaconos. Porro Notariorum opus fuisse existimamus, ut non ipsa tantum Acta, cruciatus nempe, diraque ac sæpius repetita tormenta describerent, sed etiam quæcumque iidem sancti Martyres locuti essent, dum caperentur, ac publice torquerentur; quæ item ad supplicia ducti, fuissent interlocuti, memoriæ commendarent.

Acta Martyrum per 7 Notarios describi solita.

4 Illa autem quæ intra cancellos, obducto velo, coram judicibus, cum de ipsis quæstio haberetur, iidem rogati dicerent; publicorum Exceptorum muneris erat, cuncta scriptis mandare, et inter publica Acta referre : quæ cum agerentur in provinciis Proconsularia ab Augustino et aliis dicta reperimus. Porro hæc ipsa, vel horum potius exemplum, a Christianis collata pecunia redimi solebant, et inter Acta Martyrum sedulo asservari. Quæ vero extra cancellos cum Martyribus agerentur vel dicerentur, ab Ecclesiæ Notariis, magna adhibita cautela, consuetis notis quam celerrime tabulis adnotabantur. *Hæc Baronius. Olim S. Anteros festo simplici colebatur, ut ante diximus.* NOT. 49

Alia ab Exceptoribus redempta.

CIRCA AN CHR. CCLVIII.
III JAN.

DE S. FLORENTIO

EPISCOPO VIENNENSI MARTYRE,

S. Florentius Episc. Viennen. in exilium missus :

Sanctus Florentius Præsul Viennensis IX tempora Gordiani, Philippi, Decii, Galli, et Volusiani decucurrit : quando Novatus B. Cypriani Presbyter Romam veniens, Novatianam hæresim condidit. Anniversaria ejus dies est III Non. Januar. quando post exilium mortem pro Christo pertulit. *Ita Bibliotheca Floriacensis a Joanne Boscio edita, et Joannes Chenu.*

2 *Claudius Robertus, Martyrologium Usuardi Coloniæ editum auctius anno* 1490 *et* 1521. *Beda, Molanus in Addit. ad Usuard. Martyrologium Germanicum, Ado, aliique, S. Florentium octavum Viennensis urbis Episcopum scribunt fuisse. Credo quod Desiderium et Dionysium confundant.* MS. *Bedæ Martyrologium Bavaricum :* Eodem die S. Florentii Juvennensis (*lege* Viennensis) Episcopi et Martyris VII, ejusdem urbis.

3 *Martyrologium Romanum :* Viennæ in Galliis S. Florentii episcopi, qui tempore Gallieni Imperatoris in exilium relegatus, illic martyrium consummavit. *Ejus præter citatos meminerunt* MS. *Florarium Sanctorum, et Galesinius. Martyrologium S. Hieronymi :* Viennæ, depositio Florentini. *De eo Matthæus Westmonasteriensis in Floribus historiarum :* Anno gratiæ 241 Florentius Viennensis Episcopus vita et doctrina claruit. Mansit autem usque ad Gallieni et Volusiani imperium, exulque martyrium complevit.

Coronatur martyrio

Doctrina claruit.

4 *Notkerus eum* II *Januarii refert, his verbis :* Viennæ depositio B. Florentii Episcopi.

CIRCA AN CHR. CCLXXXIV.

DE SANCTIS MARTYRIBUS

III JAN.

THEOPEMPTO EPISCOPO ET THEONA.

Martyrologium Romanum hos cum Zosimo et Athanasio conjungit, refertque III *Januarii; quos Galesinius, et Ferrarius* IV, *Molanus* V *uti et Menæa ; in quibus ita eorum memoratur certamen :*

2 Sanctus hieromartyr Theopemptus Episcopus, excitatæ a Diocletiano Imperatore persecutionis primam procellam excepit, et quod Christum Deum intrepide confiteretur, corona donatus est martyrii. Captus quippe atque ad Imperatorem pertractus, cum ei errorem suum exprobaret, in ardentem conjectus fornacem, inde innoxius evasit. Tum oculus ei eruitur. Post lethale venenum combibit, cujus tamen vis divinitus, ne labem pateretur, exstincta. Quod cum cerneret Theonas magus, qui illud ei miscuerat, Christi fidem est amplexus.

S. Theopemptus in ignem conjectus, excæcatus, veneno potatus innoxie;

Theonam magum convertit.

3 Sed Theopemptus aliis quoque cruciatibus suppliciisque affectus, demum gladio percussus occubuit. At Theonas in effossam scrobem demissus, injecta desuper terra oppressus est; sicque ad Christum victor migravit.

Uterque pro Christo occiditur.

4 *Eadem Menæa* II *Jan. hæc habent :* SS. Theopemptus et Theodote, quæ fuit mater sanctorum medicorum, qui sine pecunia ægrotos curarunt, *Cosmæ scilicet et Damiani. Hunc Theopemptum eumdem esse censet Raderus noster qui* III *Januarii colitur : sed nullum video certum ejus conjecturæ fundamentum. Theodoten isthic retulimus.* NOT. 50.

DE

DE SANCTIS MARTYRIBUS

ZOSIMO MANACHO ET ATHANASIO

COMMENTARIENSI.

Sub Diocletian. III JAN.

SS. Zosimus et Athanasius passi sub Domitiano Præside

Admirabiles hos viros ita celebrat hoc die Martyrologium Romanum : In Cilicia sanctorum Martyrum Zosimi, Athanasii Commentariensis, Theopempti, et Theonæ, qui in persecutione Diocletiani illustre martyrium obierunt. *Martyres quoque Menæa appellant* IV *Januarii :* Eodem die memoria sanctorum Martyrum Zosimi monachi et Athanasii Commentariensis. *Baronius hos cum Theopempto et Theona conjungit ; aitque in Notis ab Græcorum Menæis passos referri sub Domitiano Imperatore. Verum non Imperator Domitianus hic fuit, sed* Ἀρχῶν *Præfectus aut Præses.* IV *Januarii eos refert Ferrarius in generali Catalogo Sanctorum, uti et Menologium, in quo hæc habentur :* Eodem die commemoratio sancti Martyris Zosimi et Athanasii Commentariensis, qui Domitiano Præside apud Ciliciam illustre martyrium pertulerunt.

S. Zosimus varie torquetur.

2 *Menæa paullo fusius :* S. Zosimus in Cilicia eremum cum feris incolebat. Comprehensus Domitiano Præsidi sistitur, cumque Christum confiteretur, aures ei candenti ferro aduruntur. Deinde in libetem liquato plumbo plenum a capite suspensus mittitur. Verum mirabiliter ex omnibus liberatus, apparente in theatro leone, ac de Christo humana voce loquente, Athanasium Commentariensem ad fidem adduxit. Dimissus a tyranno, redit ad montes in quibus ante pietati vacare consueverat, ibique commorans erudit baptizatque Athanasium. Inde sub disruptas hiantesque petras simul ingressi animas Deo reddiderunt.

Leo humana voce loquitur. Athanasius convertitur.

DE S. PETRO BALSAMO

SIVE ABSELAMO MARTYRE.

An. Chr. CCXCI

III JAN.

De S. Petri Balsami nomine, die, et loco martyrii discrepant auctores.

Hujus gloriosi athletæ pleraque meminere Martyrologia ; sed neque in nomine, neque in loco aut genere martyrii conveniunt. Appellant enim Anselamum, Auselamum, Abselamum, Apselamum, Balsamum, Abesalamiten, Abessalomiten. *Quidam Cæsareæ, alii Aulonæ, nonnulli in ditione Eleutheropolitana passum scribunt. Satius est ipsorum verba Martyrologiorum referre.*

2 *Beda :* S. Petri Martyris. MS. *Societatis* Jesu *Antverpiæ*, et MS. *S. Lamberti Leodii :* In civitate Aulana passio S. Petri, qui crucis supplicio est interemptus. MS. *S. Richarii :* Civitate Aulana S. Petri Martyris. *Vetustum* MS. *S. Martini Tornaci :* In civitate Avelena passio S. Petri, qui crucifixus est sub Maximiano Imperatore. *Usuardus :* Eodem die S. Petri, qui apud civitatem Aulanam crucis supplicio est interemptus. *Eadem habet Bellinus, eadem Martyrologium Romanum, nisi quod civitatem* Aulonam *vocet, ut quædam sub nomine Usuardi* MSS. *Nonnulla* Eulanam. *Maurolycus :* Eodem die S. Petri, qui apud civitatem Aulanam crucis supplicio est interemptus, sub Severo Præside, Diocletiano imperante. *Eadem fere Galesinius et Martyrologium Germanicum.*

3 IV Januarii *eum quidam referunt : Hrabanus et* MS. *Martyrologium S. Maximini Treveris :* Eodem die passio Petri, qui et Balsami, Martyris, sub Maximiano Imperatore, agente Severo Præside, qui eum nolentem sacrificare diis, jussit suspendi et ungulis lacerari : ad extremum vero gladio interfectus est, et in Aulona civitate sepultus. *Eadem iisdem fere verbis Notkerus.*

4 *Molanus* III *Januar. cum Usuardo eum refert, iterumque in Addit. ad Usuardum* XI *Januarii velut diversum :* Cæsareæ Palestinæ S. Petri Ascetæ, id est religiosi sive monachi, qui sæpe rogatus ut adolescentiæ parceret, eorum exhortationibus neglectis, per ignem, velut aurum purissimum, fidem in Christum excelso animo probavit. *Quæ ex Eusebio hausit Molanus. Ille namque lib.* 8, *histor. Ecclesiasticæ cap.* 20, *ita scribit :* XI die mensis Audinæi ; id est,

Ejus patria

ad III Id. Januarii, Petrus qui et Apselamus dicebatur, ἀσκητὴς, id est religiosus vel monachus, vitam solitariam et meditationi deditam secutus, ex pago Anea in finibus Eleutheropolis sita prognatus ; cum Judex et qui ei aderant in concilio sæpissime eum rogassent ut sui ipsius misereretur, suæque adolescentiæ et ætati florenti parceret ; eorum hortationibus penitus neglectis, et spe, quam in Deo omnipotente collocasset, cum aliis rebus omnibus tum vitæ ipsi longe prælata ; Cæsareæ per ignem, velut aurum purissimum, fidem in Christum Dei, generoso et excelso animo accurate probavit.

Vitæ contemptus.

Gloriosum martyrium.

5 *Quod autem Christophorsonus*, religiosum vel monachum, vitam solitariam et meditationi deditam secutum *vertit ; in Græco solum est* ἀσκητὴς, *quod hic fortasse non* religiosum, *sed* robustum, atque ad certamina *(ante conversionem scilicet)* exercitatum *significat. Sic infra ex Menologio*, corporis robore, et animi vigore plurimum valuisse *dicitur ; atque ex Menæis* τῇ κατὰ πίστιν εὐσεβείᾳ, καὶ τῇ κατὰ τὸ σῶμα ῥώμῃ ἀκμάζων, Fidei religione, et corporis robore præstans. *Certe* ἀσκητὴς *sæpe athletam significat, et* ἀσκητήριον *gymnasium ; licet sæpius apud sacros scriptores pro monasterio accipiatur.*

Petrus an monachus, an athleta.

6 *Eodem* XI *die Januarii refertur in Martyrologio S. Hieronymi* Alolamus, *et in* MS. *Rhinowien.* Petrus Absalmus, *ut infra dicemus, qui indubie hic noster est.*

7 *Menæa* XII *Januarii :* S. Petrus Abesalomites Martyr et fidei religione et corporis robore præstans, in flore ætatis libera voce Christum professus est. Inde a Præside Eleutheropolitano captus, cum neque blanditiis emolliretur, neque minis terreretur, in rogum conjectus, ex eo martyrii lauream reportavit. *Raderus noster diversum hunc existimat a* Petro Abselamo *sive* Balsamo, *et quidem quod* Abesalom 2 *Machab.* 11, *v.* 17, *et* Abessalom 3, *Reg.* 15, *v.* 2, *et v.* 10, *propria sint Judæorum nomina, suspicatur et hunc natione Judæum fuisse.*

8 *Eadem Menæa* XIV *Octobris de eodem, nisi fallor :* Sancti Martyris Petri Auselami. Profectus est hic e finibus Eleutheropolis, vico Aneas dicto, generosus et acer animo juvenis, valido quoque corporis robore : sæpe fortiter fecit pro religione, contemptisque omnibus præsentibus sexto Diocletiani anno sacrificium Deo acceptum factus, certamen in flammis absolvit. *Miror, quod Raderus noster se scribat nihil de hoc legisse apud Latinos. Eadem* XIV *Octobr. habet Menologium. Ferrarius quoque in generali Catalogo Sanctorum eodem die :* Aulonæ in Macedonia S. Petri Martyris sub Diocletiano. *Vix mihi dubium est, quin idem et unus sit* Petrus Abselamus, *qui cur adeo diversis diebus colatur a variis, non est facile conjectare.*

9 De

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Cruce, gladio, igne, qua ratione dicatur interemptus.

9 *De martyrii genere non parva quoque esse controversia videtur; dum quidam in crucem actum, alii gladio interemptum, igni alii exstinctum volunt. An cruci affixus est, deinde igne circumposito suffocatus? An e cruce sublatus, in ignem conjectus? an gladio deinde in ipsis flammis percussus? Menæa et Menologium crucis et gladii non meminere.* MS. *Bertinianum expresse habet :* Tunc cruce suspensus, capite est plexus.

Ubi passus.

10 *De loco quoque variant. Cæsareæ interfectum scribit Eusebius, alii Aulanæ, vel Aulone. Est Aulana, ut ex Hegesippo tradit Ortelius, urbs Samariæ. Eleutheropolis vero, in cujus finibus natus est Petrus, primæ Palæstinæ urbs, quæ, ut ait Cedrenus, olim Hebron fuit. Ejusdem vero Palæstinæ primæ Metropolis erat Cæsarea, olim Turris Stratonis. Quare non mirum est eum qui intra jurisdictionem urbis Cæsariensis sit interfectus, Cæsareæ occisum dici ab Eusebio; qui eodem capite alios captos ac peremptos scribit Ascalone in eadem provincia. Deinde non dicitur in Actis Aulanæ occisus, sed comprehensus, ac deinde Præsidi oblatus, forte ad eum Cæsaream pertractus. Sane adduci non possim, ut Galesinio assentiar, qui Aulanam Aulonam interpretatur, vulgo* la Velona, *quæ urbs est maritima in sinu Adriatico : quem secutus est Martyrologii Romani Gallicus interpres et Ferrarius in topographia, qui* Petrum *cum* Balsamo *isthic actum in crucem scribit, corpus vero illius Venitiis asservari.*

S. Petrus Atroæ sepultus.

11 *Eodem die* III *Januarii* Petrum Σημειοφόρον *celebrant Menæa : qui fortassis noster est* Petrus Balsamus, *quem tamen nusquam alibi legi hoc nomine appellari. Ita habent :* Τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ μνήμη τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Πέτρου τοῦ Σημειοφόρου, ἐν τῷ ἁγίῳ ζαχαρια τῆς ἀτρώας κειμένου. Ipsa die Commemoratio S. P. N. Petri qui signum tulit, in S. Zachariæ Atroæ sepulti.

Cur Σημειοφόρος dictus.

12 *De eo ita commentatur Raderus noster :* In Græco est Σημειοφόρο ad verbum *Signiferi, Vexillarii, Antesignani.* Varie potest verbum accipi, quasi Petrus ex Vexillario factus sit monachus; vel Christi vestigia in corpore suo circumtulerit, sicut D. Paulus et alii; vel quod crucem assidue gestarit, uti de quibusdam aliis legimus : σημεῖον enim etiam crucem et signum Filii hominis significat, Matth. 24, vel quod signa fecerit, vel quod litteris in fronte notatus et inustus fuerit, sicut nonnulli infra prodibunt litterati, quod sacras imagines noluerint damnare, aut rejicere, aut proculcare, quod impii quidam Cæsares iconomachi et iconoclastæ factitabant, et ab aliis fieri volebant et cogebant. Reor illum potius in crucem actum pro Christo. Nam ita Martyrologium Rom. docet illum apud Aulonam civitatem crucis supplicio peremptum. *Arbitratur ergo, Raderus eumdem hunc esse Petrum qui Aulonæ passus dicitur.*

Acta unde descripta.

13 *Acta* S. Petri Balsami *ab Anastasio Bibliothecario Latine versa, atque a Surio edita contulimus cum antiquis* MSS. *monasterii S. Bertini, monasterii S. Maximini Treviris, Ecclesiæ S. Audomari, S. Mariæ de Ripatorio, et aliis.*

ACTA.

S. Petri patria.

In illo tempore Petrus, qui et Balsamus, cum comprehensus fuisset apud Aulanam civitatem tempore persecutionis, cum esset oriundus a finibus Eleutheropolitanæ civitatis, oblatus est Severo Præsidi. Severus dixit ad eum : Quis diceris? Petrus respondit : Nomine paterno Balsamus dicor; spirituali vero nomine, quod in baptismo accepi, Petrus dicor. Præses dixit : Quod tibi genus est? Petrus respondit : Christianus sum. Præses dixit : Quod officium geris? Petrus respondit : Hoc majus officium habere non possum : et quod esse potest hoc melius, quam ut sim Christianus? Præses dixit : * Parentes habes? Petrus respondit : Non habeo. Præses dixit : Mentiris : audivi enim te habere parentes. Petrus respondit : In Evangelio mihi præceptum est omnia denegare, cum ad nominis Christi venero confessionem. Præses dixit : Nosti præceptum imperiale? Petrus respondit : Ego præceptum Dei mei novi, qui est verus et perpetuus Rex. Præses dixit : Præceptum est a clementissimis Principibus, ut omnes Christiani aut sacrificent, aut diversis pœnis moriantur. Petrus respondit : Et hoc veri perpetuique Regis est præceptum, si quis sacrificaverit dæmoniis, et non soli Deo, eradicabitur. Quid ergo melius est, a te perire, aut a Deo vero in perpetuum eradicari? Tu judica, si vere est in te aliqua justitia. Præses dixit : Audi me, et sacrifica diis, et comple jussa Principum. Petrus respondit : Ego manufactis diis, ligneis et lapideis, quales vos estis, non sacrifico.

EX SURIO ET MSS.

2 Præses dixit : Injuriam nobis facis. Nescis quia potestatem habeo occidendi te? Petrus respondit : Ego injuriam non facio, sed quod scriptum est in lege divina, hoc dico. Simulacra, inquit, gentium argentum et aurum, opera manuum hominum. Os, oculos, nares, manus, pedes habent : sed de his neque loquuntur, neque vident, neque odorant, neque audiunt, neque palpant, neque ambulant. Deinde sequitur : Similes illis fiant qui faciuntea, et omnes qui confidunt in eis. Si Dominus per Prophetam et Spiritum sanctum hæc dicit, quomodo tu mihi dicis, quod injuriam tibi fecerim, quia dixi similem te lapidibus et lignis mutis et surdis, in quibus dæmonia colitis? Et me persuades tibi similem fieri? Præses dixit : Audi me, et miserere tui, et sacrifica. Petrus respondit : Tunc mei misereor, si non sacrificavero, et a veritate non discessero. Sed quia infidelis es, et nec mihi credis, nec lege divinæ, quia qui dæmoniis sacrificat, eradicabitur : et semper mihi hoc ingeris dictum, fac quod tibi jussum est. Præses dixit : Adhuc gero patientiam, expectans ut tecum cogitans sacrifices et salveris. Petrus respondit : Superflua * mihi persuades; fac jam, quod facturus es, et adimple opera patris tui diaboli. Nam ego quod suades non sum facturus, nec mihi Dominus meus Jesus Christus permittat, quem colo.

Psal. 113. 4.

Idola et eorum cultores ridet.

* *al.* tibi.

3 Præses jussit eum suspendi : cumque fuisset suspensus, dixit ad eum : Quid dicis Petre? Numquid * bene sentis in hac suspensione? numquid reddes sacra? Petrus respondit : Jube adhiberi ungulas : ego enim jam dixi tibi frequenter, quod non sacrifico dæmoniis, nisi soli Deo meo, pro cujus nomine patior. Præses jussit eum fortiter torqueri. Cumque nimium vexaretur prædicabilis Dei Martyr, vocem doloris non dabat, sed tantum psallebat, dicens : Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ. Et iterum dicebat : Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo. Hæc eo loquente, amplius excitatus Præses alios carnifices jussit accedere. Turba vero adstans, cum videret nimium sanguinem currere per pavimentum, doluit, dicens ad eum : Miserere tui homo, et sacrifica, ut te liberes ab his crudelissimis pœnis. Sanctus vero Dei Petrus respondit : Hæ pœnæ nullæ sunt, nec mihi aliquem incutiunt dolorem : quod si negavero nomen Dei mei, * in veras pœnas, et in majora tormenta perpetua ingressurum me esse cognosco. Præses dixit : Quid dicis Petre? Sacrifica, aut pœnitebis. Petrus respondit : Ego nec pœnitebo, nec sacrifico. Præses dixit : Ego sententiam in te profero. Petrus respondit : Hoc est, quod tota aviditate expecto. Tunc Præses dictavit adversus eum sententiam, dicens : Petrum admodum contemnentem invictissimorum Principum jussa propter legem Dei sui crucifixi sententiam subire præcipio. * Sic quoque venerabilis athleta Christi, complens agonem suum, dignus habitus est passionibus Domini sui participari. Martyrizatus est autem testis Christi Balsamus, qui et Petrus, apud Aulanam civitatem, III Non. Januar. sub Maximiano Imperatore, regnante Domino nostro Jesu Christo, cui est gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Torquetur.

* *al.* Sacrificas, an non?

* *al.* innumeras.

Cruci affigitur.

* MS. *Bertinia.* Tunc cruce suspensus capite est plexus.

* *al* Pabulum an parentes sunt tibi?

DE SANCTIS MARTYRIBUS
MARTIALE, STATULIANO, CONSTANTIO,
POSSESSORE, HILARINO, FIRMO, CANDIDO,
ROGATIANO, EUGENIA, LUCIDA, ACUTA, POENICA, IN AFRICA.

III JAN. *De his Sanctis Martyribus Martyrologium S. Hieronymi :* In Africa Martialis, Statuliani, Constanti, Possessoris, Hilarini, Firmi, Candidi, Rogatiani, Eugeniæ, Lucidæ, Acutæ, Pœnicæ. *Usuardi Martyrologium auctius editum Coloniæ :* In Africa Martialis, Cyrici, Claudionis. *De Claudione paullo inferius. Cyricus idem esse videtur, qui Cyrinus dicitur, cum Primo et Theogene passus.*

DE S. GORDIO
COMITE AC CENTURIONE MARTYRE CÆSAREÆ.

SUB LICINIO. III JAN. *Martyrologium Romanum :* Cæsareæ in Cappadocia S. Gordii Centurionis, de cujus laudibus extat præclara Basilii Magni oratio, in ejus die festo habita. *Eadem fere Galesinius. Meminit et Molanus, ac Germanicum Martyrologium.*

2 *Menologium Græcorum hoc eodem die :* Sancti Martyris Gordii ex Cæsarea Cappadociæ : qui cum Licinio Rege esset Comes, et militarem ordinem gereret, propter Christianæ fidei confessionem, nobile martyrium perpessus est : in cujus laudem habita insignis Basilii Magni extat oratio. *Celebrant eum Menæa hoc prolixiore elogio :*

3 Hic Cappadox fuit, Cæsareæ natus, Licinio imperitante. Comes dignitate, centum militibus præfectus. Cum vero impiorum idololatrarum impudentiam et impias voces in Christum spargi solitas nec ferre nec videre posset, longius secessit, et inter feras vitam in montibus egit. Sed Christi ardore incensus, et adversus Paganorum errores animi robore armatus, e solitudine velut leo prosiliit, ut auctorem vanitatis quæreret et invaderet. Jamque in theatrum ingressus Christum publice Deum proclamavit, versoque toto in se spectaculo, ipsoque ludorum Præside ob libertatem in stuporem dato, adeoque in rabiem verso, ferro occubuit.

4 *Surianam vitæ hujus editionem quibusdam locis ex P. Frontonis Ducæi ac P. Andreæ Scotti animadversionibus emendavimus.*

DE S. GORDII LAUDIBUS
S. BASILII MAGNI ORATIO.
EXORDIUM.

Frequentia populi excitat ad dicendum.

Naturæ lex est apibus innata, fratres dilectissimi, ut nisi rex prius agmen præcedat, ab alvearibus nusquam discedant. Vos autem Dei populum, cum nunc primum ad Martyres, tamquam ad flores cælestes exeuntes, et huc frequentes convenire viderim, quo id duce feceritis exquiro. Quis ingentem hunc æstum excitavit? Quis hyemalem hanc tristitiam in vernam serenitatem commutavit, ut populus ex civitatis ædificiis, tamquam ex apum alvearibus, hilaris egressus, ad suburbanum decus præclarumque Martyris stadium confluerit? Quoniam igitur et nos, infirmitatis nostræ oblitos, celebritas Martyris excitavit, age et ipsi quoque quantum voce contendere licet, veluti bombantes apes, vernantibus floribus circumfusæ, præclara ipsius gesta personemus; rem quidem piam agentes, simul et gratam iis qui adsunt. Dum enim justus laudatur, populi lætabuntur. Salomonis lectio nobis nuper recitata, quidnam per latentem hujuscemodi proverbii sensum sibi velit, mecum ipse cogitabam : an forte dicat, quod populus oratione magnifica ac plane culta rhetoris cujusdam potentis, quæ auditorum aures demulceat, oblectetur : præterea sermonis ornatum, rerumque inventionem ac dispositionem elegantem exoptet. Quod profecto mihi verisimile non videtur, cum ipse nusquam hujuscemodi dicendi genere usus fuisse inveniatur. Nam et Sanctorum memorias orationis et eloquentiæ fuco prosequi, non fas erat admonere, illi præsertim, cujus scripta sermone simplici, nulloque styli apparatu conspiciuntur. Prov. 29.

Res gestæ Sanctorum quo fructu commemorentur.

2 Quis ergo illorum verborum sensus? Is videlicet, quod populus spirituali lætitia gaudet, si eorum tantum admoneatur, quæ justi patrarunt; atque inde ad æmulationem recte factorum ab iis, quæ audit, accenditur. Illorum enim, qui in fide claruerunt, historia simplex, velut lucem quamdam Dei cultoribus ad virtutis iter ostendit. Quamobrem cum in sacris voluminibus Moysis vitam, morumque lenitatem, nostræ naturæ magnopere optatam, narrante Spiritu sancto audimus, statim æmulamur. Quod si reliquorum facta virorum eloquentiæ floribus ornantur, Sanctis tantum ad ea, quæ maxima gessere, demonstranda, sat fuerit oratio simplex. Itaque dum vitam eorum, qui in pietate conversati sunt, exponimus, Dominum cum primis per servos suos glorificamus : deinde et justos ipsos testimonio eorum, quæ scimus, celebramus, et populum per auditum recte factorum exhilaramus. Joseph dum audimus aut legimus vitam, illius assequi castitatem magnopere cupimus. Si vero Samsonis narratur historia, ad illius imitandam fortitudinem accendimur. Sacra igitur schola præcepta rhetorum aut instituta non sequitur : nudam rerum expositionem pro encomiis habet, quam et Sanctis ac nobis satis esse existimat; illis quidem ad virtutis eorum præconium, nobis vero ad imitationis gloriam atque formam. Encomiorum namque lex est, patriæ dignitatem ostendere, generis originem ex alto repetere, educationis incunabula diligentius referre. Nostra vero lex præterita vicinorum mentione, ab iis quæ propria sunt unicuique, testimoninm accipit. Quidnam ego sum melior,

Præcepta rhetorum Christianis ubi negligenda.

melior, si mea civitas olim magna bella gessit, aut de hostibus triumphavit? Si eadem optimo sit in loco sita, æstate ac hyeme, cælique temperie fruatur? Si fertilis est viris gignendis, si ager pascendo pecori sufficiat, si meliores nutriat equorum greges, quam usquam reperiantur? Quid, inquam, ista? An ad virtutem commendatiores nos reddere possunt? An vero si forte de vicini montis culminibus narraverimus, quo pacto nubes transcendant, et quam longissime in aerem porrigantur, nos ipsos decipiemus tamquam hominibus per hæc laudem tribuerimus? Ineptum insuper, si Sanctis, qui res orbis universas contempserunt, his esse opus commendationibus putamus.

Sanctorum memoriam, non illorum, sed nostri causa celebrandam.

3 Igitur nostri tantum causa profectus, sat fuerit illorum celebrare memoriam. Non enim nostris indigent laudibus ornari, sed nos ipsorum vitæ historia et commemoratione, imitationis gratia, indigemus. Quemadmodum enim ex igne naturaliter emicat splendor, ex unguento quoque præstanti diffunditur odor; sic e Sanctorum commemoratione gestorum, ad omnes provenit utilitas. Fuerit haud modici momenti, eorum quæ olim gesta sunt veritatem exacte tenere. Nam obscura quædam fama, viri hujus præclara facta conservans, ad nos usque venit. Quamobrem pictoribus recte comparabimur. Illi enim cum ex imaginibus imagines depingunt, uti par est a prima forma plurimum recedunt. Nos item cum rerum gestarum adspectu caruerimus, valde metuendum ne dicendo rerum veritatem atteramus. Verum quando ejus hodie festum celebramus, qui in hujuscemodi die certamen pro Christi nomine subiit, quantum ex ejus historiæ notitia deprehendere licebit, enarrabimus.

NARRATIO.

§ I. *S. Gordii patria, honores, vita solitaria.*

S. Gordii patria Cæsarea.

Fuit hic Martyr beatissimus civis noster Cæsareensis: ex quo non mirum si nostræ mentis affectus ad eum potissimum dirigitur, quod profecto ad verum ac domesticum nobis facit ornamentum. Nam sicut arbores quæ bona ferunt poma, propriæ bonitatis laudem nutrienti tribuunt humo; sic iste ex nostræ urbis prodiens utero, ad summumque gloriæ culmen evectus, patriæ, quæ eum produxit atque aluit, domesticorum pietatis fructuum jucunditatem largitus est. Boni sunt quidem et externi fructus, modo sapore delectent et nutrire possint; sed longe gratiores sunt externis nostrates ac vernaculi, qui nobis ob propinquitatem gloriam quamdam præter jucunditatem conferre videntur. Militiam exercuit, in qua locum admodum insignem tenuit, ita ut centum milites ejus imperio parerent: quodque animi virtute et corporis viribus præcelleret, cunctis inter ordines militibus præstantior habebatur.

Gordius Centurio fortissimus.

Acerba Galerii Maximiani persecutio.

5 Ea sane tempestate, cum tyrannus impius, qui tunc imperitabat, in Christianum nomen virus suæ feritatis effunderet, manumque Deo inimicam adversus Ecclesiam exerceret, tota urbe præconis tuba sonabat, toto foro et per compita tyrannicum promulgabatur edictum, ne quis Christum adoraret: qui vero contra jussa faceret, morte plecteretur. Idola proponebantur adoranda omnibus, lapideaque ac lignea hominum simulachra, pro vero numine colenda: et si qui recusarent, extrema intentabantur. Confundebatur tota civitas, quæ rei novitate attonita, tota tumultuabatur. Christianorum domus singulæ vastabantur. Innocentium facultates diripiebantur. Fidelium et ingenuorum corpora, carnificum manibus discerpebantur. Matresfamilias per vicos trahebantur. Nulla juvenum commiseratio, nulla senum reverentia erat. Insontes noxiis ac maleficis digna patiebantur. Complebantur supra modum carceres, domus insignes et opulentæ vacuabantur. Pleni saltus, plena perfugis loca deserta, ob unum tantum crimen, quod Christum colerent. Prodebat patrem filius: pater filium accusabat: frater adversus fratrem insaniebat: servus domino insultabat. Adeo diabolicis artibus hominum animi affecti tenebantur, ut velut in tenebris agentes, sese minime cognoscerent. Præter hæc autem domus orationis profanorum manibus vastabantur, aræ sanctissimæ evertebantur, nec erat oblatio ulla, nec thymiama, neque locus sacrificandi erat amplius relictus. Cuncta mœror ingens veluti diffusa caligo occupabat. Sacerdotum collegia fugabantur. Sacer omnis conventus cladem insolitam expavescebat. Dæmones vero tripudiabant, et nidore ac sanguine victimarum infecta cuncta dabant.

Per S. Basil.

6 Hæc igitur exempla crudelia cum Centurio generosus conspiceret, judiciorum necessitatem antevertens, abjecto militiæ cingulo, sponte sibi exilium delegit. Itaque relictis honoribus, relictis omnis generis facultatibus, servis, propinquis, amicis, voluptatibus et rebus aliis, quas ceteri maxime appetere ac magno studio parare solent, ad vasta deserta et hominibus invia loca contendit: vitam inter feras actam mansuetiorem societate ac convictu idololatrarum existimans, Eliæ prophetæ secutus exemplum, qui cum Jezabelis conspiceret impietatem quotidie invalescentem, in montis Oreb speluncam secessit, ac sese ab omni humana conversatione, ut Deum quæreret ac videret, abdicavit: vidit tandem, quantum fas est homini mortali. Eodem modo noster Gordius spretis omnibus, urbanos fugiens tumultus, fori clamorem, magistratuum ambitionem, tribunalium fastum, obtrectatores, ementes, vendentes, pejerantes, mentientes, turpiloquium, facetias, et cetera, quæ, velut alligatas puppibus cymbas magnæ naves, secum populosæ urbes trahunt; insuper visu audituque ac animo a vitiis purgato et libero, Deum ipsum contemplando videre metuit, tum magna discere mysteria, quæ non ab hominibus, nec per homines fuit edoctus, sed magno usus præceptore Spiritu veritatis.

Gordius secedit in desertum.

3. Reg. 19.

§ II. *Redit Cæsaream: ludos turbat.*

Quamobrem secum meditans, quam sit fallax et inanis vita humana, quam omni somnio et umbra debilior et imperfectior, in supernæ illius vocationis amorem exarsit, ac veluti fortis athleta, sese jejuniis, vigiliis, orationibus, perpetua et indesinenti Spiritus sancti oraculorum meditatione probe exercitatum, et ad certamen instructum animadvertens, hunc maxime diem observavit, in quo frequens civitas visendo equestri spectaculo erat intenta, quod hoc in loco ea tempestate in Martis, seu potius furentis bellorum dæmonis honorem celebrabatur. Populus omnis ex edito spectabat, nec ullus deerat, non Judæus, non gentilis, non item Christianorum multitudo, quæ negligenter vivebat, et cum vanitatis concilio commixta sedebat, non declinans conventus malignantium, sed et ipsa tum equorum cursum et aurigarum agilitatem spectabat. Servi eo die ab opere liberi, pueri e scholis spectatum currebant, feminæ prostitutæ ac ignobiles aderant: plenum erat stadium, et omnis jam turba consederat, equestre certamen videre intenta.

Ludi equestres in honorem Martis.

8 Tunc magnanimus ac fortis heros per montis clivum in theatrum properans, non populum horruit, non quam hostilibus se manibus traderet pensitavit; sed corde intrepido et animo excelso, quasi quædam continua saxa, aut arbores multas, eos qui circa stadium sedebant prætercurrens, in medio constitit stadio, complens dictum illud Proverbiorum auctoris: Justus ut leo confidenter agit. Quid plura? Adeo intrepido excelsoque animo fuit, ut cum in eminentiore theatri

Venit in medium stadium Gordius.

Prov. 28. 1.

Per S. Basil. theatri parte staret, ingenti voce, quam qui audierunt extant adhuc aliqui, exclamaverit, et dixerit: Ecce inventus sum ab iis, qui me non quærunt: his qui me non interrogabant, palam apparui. Quibus sane verbis se in eum venisse locum significavit minime coactum, sed ultro se ad certamen exhibuisse, Joan. 18. 4. Salvatoris exemplum secutum, qui cum per atram noctem minime videretur, se Judæis manifestavit. Omnium igitur oculos statim in se convertit. Erat enim adspectu horridus, et quod montana diu incoluerat, squallenti capillo, barba promissa, veste obsita, corpore toto aridus, pera præcinctus, baculo innixus. Quæ sane omnia horrorem quemdam vulgo adspicienti incutiebant, simul et eum illustrem magnopere reddebant. Ubi autem quis esset, cognitus fuit, gentilium simul et Christianorum clamor est ortus; his quidem ob gaudium sui commilitonis exultantibus, illis vero qui repugnant veritati, judicis animum ad ejus cædem accendentibus, et jam ad mortem condemnantibus. Igitur clamor atque tumultus omnia complebat: equos, currus, aurigas jam despiciebant: frustra rotarum stridor aerem verberabat: nullus aliud quam Gordium videre malebat: nullus quam Gordium verba sonantem audire studebat. Totum denique theatrum murmure, more venti per aera sonantis, perstrepebat, et equorum cursum superabat.

§ III. *Judicis minas, et blanditias ridet.*

Ubi vero per præconem silentium imperatum, conticuere buccinæ, sopitæ fistulæ, varia musicorum instrumenta siluerunt, solus adspiciebatur Gordius, *Sistitur Præsidi:* solus audiebatur. Hinc ad Præsidis tribunal, qui tum in eodem loco sedebat, certamenque instituebat, confestim adductus, et ab eo quisnam, aut cujas esset miti suavique voce interrogatur. Ubi vero et patriam, et genus, et dignitatis gradum quem tenuerat, præterea causam fugæ ac reditus pariter enarravit: Reversus sum, inquit, palam ostendens, quod tua edicta nihil omnino curo, sed Jesum Christum spem meam, meumque præsidium profiteor: cumque acceperim te reliquos homines crudelitate superare, hoc sane tempus explendo meo voto, maxime idoneum sumpsi.

Jubetur torqueri: 10 Hic sane verbis velut ignis ira Præsidis accensa, quidquid in eo furoris erat, in hunc subito convertit. Præsto sint, inquit, lictores, flagella, plumbatæ: in rota extendatur, in equuleo torqueatur, suppliciorum instrumenta afferantur, bestiæ, ignis, gladius, crux, barathrum paretur. Verum quantum lucri facit vir execrandus, cum semel tantum moriatur? Quin, inquit Gordius, damnum mihi facere profecto videor, si sæpe variisque modis extingui, variaque pro Christo pati supplicia nequeo. At ille his magis irritatus verbis, magis se lædi ac sperni ob talem loquendi licentiam existimabat, ac naturali ejus feritati vehementior accessit impetus: eoque truculentior fiebat, quo ille constantior in contemnenda pœna videbatur; cum nulla tormentorum ratione, nullis armis a cœpto proposito averti posset: quin in cælum oculos attollens, Psal. 117. 6. sacra psalmorum carmina decantabat: Dominus mihi adjutor, non timebo quid faciat mihi homo. Et rursus: Psal. 22. 4. Non timebo mala, quoniam tu mecum es. Et *Ridet tormenta.* alia istis germana, quæ de sacris promebat voluminibus, ad animum confirmandum, et in proposito perseverandum maxime facientia. Tantumque abfuit, ut intentatas horreret pœnas, ut eas ultro in se provocaret, suppliciique moras vehementer increparet: Quid, inquit, tardatis? quid statis? Corripite corpus, membra frustatim cædantur. Denique quodcumque de me supplicium volueritis, sumite. Nolite mihi beatam spem invidere. Quanto enim magis tormenta augebitis, tanto majus mihi præmium comparabitis. Commercia sunt ista nobis cum Domino atque contractus: pro vibicibus in corpore eminentibus, in resurrectione splendido induemur amictu. Pro contumelia atque ignominia, palmas coronasque assequemur. Pro vinculis et carcere, per ampla paradisi spatia læti vagabimur. Pro accusatione demum atque iniqua condemnatione, gloriam ex Deo et Angelis referemus. Minæ vestræ semina mihi sunt divina, unde immortalitatem perpetuaque gaudia metam.

11 Cum tandem vir beatus hac severitate a fide obstinata averti non posset, alia tunc via Præses est aggressus. Illecebris et omni lenitate contaminare *Tentatur b'anditiis, frustra.* conatus est: cum præsertim diabolus hac uti soleat arte, ut timidos metu perterreat, fortes leniat atque palpet. Quod imitatus Præses, ubi illum rebus terribilibus non flexit, dolis ac placabilitate circumvenire quærebat. Quamobrem magna se daturum spondebat; quorum alia tunc haberet, alia Imperatorem daturum ei affirmabat, locum inter milites illustrem, facultates, opes, quidquid denique animus cuperet. At ille nec sic quidem victus, Præsidis insaniam ridebat, qui compensare dignum aliquid supernis sedibus existimaret. Impius ille tunc laxatis iræ habenis, furore percitus, ensem vagina diripit, lictorem coram adstare jussit; et manu et lingua nefanda, ad viri damnationem se accinxit.

§ IV. *Amicis iniqua suadentibus, pulchre respondet.*

Ad tribunal omnis theatri multitudo convenit: reliquus vero populus, qui adhuc in urbe fuerat, pro- *Magnus concursus ad ejus tormenta spectanda.* rumpens, ad hoc novum properavit spectaculum, quod et Angelis et universæ creaturæ fuit admirabile, luctuosum diabolo, ac dæmonibus tremendum. Quid plura? Concurrentibus eo cunctis, urbs pene vacua facta est, fluminis instar tota incolarum multitudine extra urbem ad locum martyrii confluente. Matresfamilias, nobiles, ignobiles properabant: domus sine custodibus relictæ, tabernæ negotiatorum desertæ, in foro venalia disjecta jacebant. Ex hoc tantum urbs tuta, quod omnibus extra mœnia egressis, nemo intus remanserat, qui nefas aliquid perpetrare posset. Servi, ministerio neglecto, avidi spectandi erant: et quantum externi ac vernaculi populi erat, hoc loco apud virum illum aderat. Tunc etiam virgines virorum sese oculis objicere ausæ sunt. Valetudinarii ac senes ipsi quoque extra muros contendebant.

13 In tanto itaque civitatis concursu, Beatum Gor- *Perniciosis amicorum consiliis impugnatur.* dium, alteram vitam jamjam per mortem corporis spectantem atque tenentem, necessariorum amicorumque turba circumsistebat: amplectebantur, oscula dabant, demum flentes adhortabantur, ne sese in ardentes flammas conjiceret, ne florem proderet juventutis, aut æthereas auras solisque dulce jubar relinqueret. Nonnulli quando a fide omnino avertere non poterant, aut fas putarent, quibusdam eum verisimilibus aggrediebantur rationibus, et Christum tantum corde si cuperet retinere, ore autem negare suadebant. Non enim Deum verba, sed loquentis animum, inspicere. Hoc ferme modo exasperatum judicis animum demulceri, et Deum nihilominus propitium posse reddi asseverabant. At ille tamquam cantes immota maris exagitantibus fluctibus, nulla vi, nulloque verborum impulsu quassatus, in obstinato cœptoque proposito inexorabilis permansit. Ut enim sapientis domum supra petram ædificatam, vis nulla ventorum, aut imber e cælo vehemens, nec torrentis impetus quassare potest; ita demum nec preces ullæ, aut minæ constantiam ejus in fidem Christi evertere potuerunt. Cumque mentis acie huc illuc circumcursantem diabolum, et ejus impulsu ac arte hinc lacrymas oriri, inde vim eloquentiæ, suadendique copiam subministrari animadverteret, illud Domini verbum flentibus

Luc. 23. 28 tibus ait: Nolite flere super me, sed flete super Dei inimicos, qui in Christianos continuo grassantur. Ipsos, inquam, flete, qui ignem nobis parant, sibimet gehennæ incendia, iramque in die iræ thesaurizantes. Desinite flere et affligere cor meum. Ego enim non semel tantum mori paratus sum propter nomen Domini Jesu, sed etiam millies si fieri posset. Aliis vero, qui Christum ore negare adhortabantur, respondit: Lingua quidem, quam Christi beneficio retineo, adduci non possum, ut suum neget auctorem. Corde namque credimus ad justitiam, ore vero confitemur ad salutem. Num militaris ordo desperatam habet salutem? Nullusne Centurio pius? Recordor primi Centurionis, qui cruci Salvatoris assistens, ejus divinitatem per prodigia facta cognoscens, non est veritus, adhuc Judæis furentibus in cæde, nomen ejus palam fateri. Quod enim animo sensit, id ore
Matth. 27. 54. subito manifestavit: Vere Dei filius erat iste. Alius
Matth. 8. item Centurio, Christum adhuc in carne existentem, Deum et Regem virtutum esse novit, qui posset solo verbo opem suam per ministros spiritus egentibus adferre: cujus et fidem Dominus Israeli universo prætulit. Cornelius item Centurio Angelum Domini
Act. 10. videre, et per Petrum salvus fieri meruit, cujus Dominus preces, simul et eleemosynas respexit. Horum igitur Centurionum libenter discipulus et imitator esse cupio.

14 Negem ego Deum meum in cujus cultu sum educatus? Nonne horresceret cælum superne? nonne obtenebrescerent propter me sidera? An vero me tellus ullatenus sustineret? Nolite errare. Deus nequaquam irrideri potest. Ex ore nostro nos judicat. Ex
Præclare ea refutat. nostris, inquam, verbis nos servat et damnat. Nonne
Matth. 10. 33. tremendam Domini sententiam audivistis: Qui me negabit coram hominibus, negabo et ego eum coram patre meo, qui in cælis est? Mihi consulitis, ut Deum nosse dissimulem? Quamobrem? Ut vitam prorogem? mortem differam? dies adjiciam? At supernæ vitæ longævos perdam annos. An ut corporis cruciatus effugiam? At sic non videbo bona justorum. Nam iri perditum dedita opera, et fraude ac dolo sævas tartari pœnas mercari, manifesta insania est. Vobis igitur consulo: si male sapitis, sapientiam ac veritatem discite. Si vero dissimulatis, temporique obsequimini; vos hortor rogoque relicto mendacio, vera loquamini. Dicite, quoniam Dominus noster Jesus Christus in gloria est Dei Patris. Nam hanc vocem emittet lingua, PER S. BASIL. quando in nomine Jesu omne genuflectetur, cælestium, terrestrium, et infernorum. Omnes profecto mortales sunt homines, martyres vero pauci. Ne expectemus ut mortui fiamus, sed a vita ad vitam transeamus. Quid *Adhortatio ad martyrium.* naturalem mortem præstolamini? infructuosa est, nullius quæstus, communis brutis et hominibus. Quicumque enim nati sunt, aut senio tabescunt, aut ægritudine corporis resolvuntur, aut violento improvisoque casu aliquo concidunt. Quando igitur omnino semel e vita migrandum est, martyrium pro Christi nomine, ut semper vivatis, alacriter assumite, ac vitæ, quam omnino relinquere oportet, ne parcite. Sit pro necessitate voluntas. Quamquam etiamsi sempiterna essent terrena ista, nihilominus sic quoque pro cælestibus commutanda essent. Verum quoniam fluxa, fragiliaque sunt, et illorum comparatione magnopere indigna; quis furor in his invigilare, et illorum studio spem illam beatam, credentibus repositam, negligere?

§ V. *Generose pro Christo moritur.*

Hæc ubi dixit Christi miles, crucis se signo com- *Crucis signum.* munit, et animi magna constantia, vultu intrepido, colore nusquam mutato, ad supplicium hilaris contendit: ubi tantam cordis præ se ferebat alacritatem, ut non lictorum, sed Angelorum manibus se committere videretur, qui subito post interitum, velut olim Lazarum, sublimem eum in cælum deferrent. Ad hæc *Gordii cædes: populi acclamatio.* tantus illius populi clamor ac tumultus est factus, ut vel tonante cælo numquam similis sit auditus.

16 Hoc igitur hujus præclari martyrii certamen fuit. Hoc hodierna dies spectaculum vidit: quod proculdubio tale est, ut nec temporis diuturnitas unquam abolere, nec longæ consuetudinis fastidium tollere, nec aliud quippiam quamvis magnum exuperare valeat. Nam quemadmodum solem quanto magis adspicimus, tanto magis eum admiramur, nec ullo modo *Æterna Martyris memoria.* assiduitate vilescit; sic et hujus viri sanctissimi memoria, quo majori eam temporis spatio retinemus, eo recentior in nostris animis floret. In memoria enim æterna justus erit: in terris quidem, dum terra durabit; in cælis vero apud æquum et altissimum judicem, Dominum nostrum JESUM CHRISTUM; cui honor et imperium in æterna sæcula, Amen.

DE SANCTIS MARTYRIBUS
THEOGENE, PRIMO, CYRINO.

SUB LICINIO, III JAN. *Sanctorum horum Martyrum celebris est, ac præcipue* Theogenis, *in fastis Ecclesiasticis memoria* III *Janu. Martyrologium S. Hieronymi:* In Hellesponto, civitate Parethia, Cirici, Primi, Theogenis. MS. *vetustissimum monasterii Rhinouviensis:* In Ellesponto Cirici, Primi. *Martyrologium Romanum:* In Hellesponto sanctorum Martyrum Cyrini, Primi et Theogenis. *Eadem Usuardus, nisi quod pro* Cyrino Cyricum *habet;* MS. *domus S. Cæciliæ Leidæ* Tiricum. *At plurima* MSS. *exemplaria, et quædam excusa,* Diogenem *pro* Theogene, *Menæa* Theagenem.

Beda et Rabanus emendati. 2 *Beda:* Et natale S. Theogenis Martyris, et S. Petri Martyris, in Tomis civitate natale S. Filii Episcopi, qui post alia tormenta in mare est mersus. *Transposita sunt hæc. Lege:* In Tomis civitate natale S. Theogenis Martyris, filii Episcopi, etc., et Petri Martyris. *Sic et Hrabanus:* In Tomis civitate natalis Titi Episcopi (*imo Theogenis filii Episcopi*) qui sub Licinio inter tyrones comprehensus, cum nollet militare, cæsus ad mortem, carcere mancipatus, missus in cippo est, donec relatione esset responsum: dimersoque in mare delato corpore ejus in littore, a religiosissimis viris depositum est in villa Amandi religiosi viri, ubi fiunt curationes magnæ. MS. *Martyrolog. Ecclesiæ S. Lamberti Leodii:* In Hellesponto sanctorum Martyrum Cirici, Primi, et Diogenis, *eratque recentiori manu adscriptum:* qui sub tempore Juliani Imperatoris gladio martyrium compleverunt.

3 *Martyrologium Usuardi Coloniæ editum auctius anno* 1490. Item in Cyzico Hellesponti passio S. Diogenis Martyris sub Licinio Rege: qui post multas passiones tandem in mare projectus, a fidelibus honorifice sepelitur. MS. *Florarium SS.* In Hellesponto SS. Martyrum Cyrici, Primi et Diogenis. Passio S. Theogenis Martyris, qui cum militare nollet, palis fustibus cæditur: postea in carcerem mittitur, et a Domino confortatur. Tandem submergio adjudicatus, cum oraret per tres horas, facta est lux magna super eum, cujus fulgore nautarum et militum oculi sunt excæcati: sicque in mare præcipitatus illustre martyrium consummavit. *Quod hic dicuntur nautarum oculi excæcati, idem quoque habet Martyrologium Germanicum, aitque visum deinde a sancto Martyre illis restitutum. Petrus de Natalibus lib.* 2, *cap.* 41, *ait postquam*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

postquam ad Christi fidem conversi fuerunt, et baptismum susceperunt post dies novem, visum recuperasse. In Actis solum dicuntur excæcati ne viderent Angelicam turbam, id est perstricti ac vehementer perculsi.

4 *Maurolycus:* Apud Cyzicum in Hellesponto sanctorum Martyrum Cyriaci, Primi, et Theogenis Martyris, qui sub Licinio palis quatuor alligatus, cæsus, et in mare mersus est. *Eadem fere Galesinius, qui tamen fallitur dum in Notis ait passos circa annum Christi* CCLVI.

Alius Theogenes 26 *Januarii alius* 3 *Octobr.*

5 *Alius videtur* Theogenes, *cujus Hippone Regio extabat basilica, de quo* XXVI *Januarii agemus. Alius item qui in Menologio et Menæis* III *Octobr. refertur, diciturque ignis supplicio extinctus.*

6 *Menæa* Theogenem II *Januarii referunt his verbis:* Eodem die sancti Hieromartyris Theogenis. Hic Episcopus erat ad Parium Hellesponti. Adductus vero ad Tribunum Zelicinthium, Christumque Deum professus, fustibus atrociter cæditur: deinde vinctus in altum spargitur, ubi certaminis curriculum absolvit, *ubi pro* οὗτος ἦν Ἐπίσκοπος. Hic erat Episcopus; *suspicabatur Rosweydus legendum* ἦν ἐπισκοπου *scilicet* υἱὸς, *id est*, erat Episcopi filius. *Est vero Parium urbs Asiæ ad Hellespontum; unde fortassis* Paretia, *sive Diœcesis, sive Præfectura, in qua eum martyrium subiisse refert Martyrologium S. Hieronymi.*

S. Theogenes filius Episcopi, Parii captus.

7 *Eodem quoque die* II *Januarii eum habet Notkerus, sed mendose* Philum Episcopum *appellans, pro filio Episcopi, his verbis:* Item Tomis Phili Episcopi: qui sub Licinio Cæsare inter tyrones comprehensus, cum nollet militare, cæsus ad mortem, et diu in carcere maceratus, et in cippo missus, deinde in mare demersus, martyrium consummavit. Cujus corpus ad littus delatum, et a religiosis viris depositum magnis coruscat virtutibus.

8 IV *Januarii eumdum referunt, qui et hic citati Hrabanus, Notkerus,* MS. *Martyrologium monasterii S. Maximini:* Nativitas Theogenis Martyris, qui sub Licinio Cæsare per Zelycentium (*Hrab.* Telicentium, *Notker.* Licentium) Tribunum passionem complevit in Hellesponto. Primo inter quatuor columnas tensus, fustibus cæsus est: deinde in carcerem missus est, ut ibi fame interiret: sed Domini pietate invisibili cibo ibi per XL dies pastus, in laudibus Dei assidue manebat. Ad ultimum vero in mare missus martyrizatus est (*Hrab. et Notker.* martyrizavit.) Quem Eutychus et Eustochius et Zoticus (*Hrab.* Zozius) atque Germanus (*deest hic Notkero*) tollentes de mari miserunt in loculum, et sepelierunt in foro Hellesponti. *Maurolycus quoque eodem die:* Apud Cyzicum in Hellesponto Theogenis et sociorum, de quibus pridie. *Quarto quoque eos refert Petrus de Natalibus supra citatus.*

Acta hæc unde descripta.

9 *Acta* S. Theogenis *descripsi ex vetusto codice manu exarato Imperialis monasterii S. Maximini, et contuli cum* MS. *S. Mariæ de Ripatorio, Jonino Mombritio, Agonibus Martyrum excusis,* MS. *Ecclesiæ S. Martini Ultrajecti. Eadem refert Vincentius in speculo lib.* 13, *cap.* 60.

ACTA.

Multi Martyres vicerunt diabolum, et omnes adinventiones ejus in nomine Domini Jesu Christi, qui coronavit eos; inter quos annumerare dignatus est Theogenem beatissimum Martyrem, qui sic irrisum *a* vicit inimicum. Tempore enim Licinii paganissimi Tyranni comprehensus est in Phrygia, cum esset Episcopi filius, et perductus est ad legionem quæ dicitur Secunda Trajana, ad Tribunum *b* Zilicentium, et Præpositum Possidonium, quæ legio considebat in Zyzico, quæ est prima Hellesponti; et cogebatur militare a Tribuno Zilicentio et Præposito Possidonio. Ille autem miles fidelissimus veri Dei, plenus Spiritu sancto, *c* constanter in medio legionis dixit: Ego Christianus sum, et milito meo Regi, qui est Rex Regum: illi militans, alii militare non possum. Tribunus Zilicentius dixit: Magis accipe chlamydem et baltheum, et omnia arma felicia, et milita Licinio magno Imperatori. Theogenes dixit: Jam tibi dixi, milito ego meo Regi; alii militare non possum. Tribunus dixit: Non placet tibi Licinius Imperator? Theogenes dixit: Non novi, ego Christianus sum, et non convenit mihi huic sæculo militare, cui abrenuntiavi *d:* sed neque possum negare Regem esse æternum, cui milito. Tribunus dixit: Ecce et isti omnes qui adstant milites, Christiani sunt, et tamen militant. Theogenes dixit. Unusquisque scit quomodo militet, ego etiam novi cui militem Regi.

a MS. *S. Max.* habuit.
Theogenes capitur: cogitur Licinio militare.
b *al.* Zylicintium, *Græc.* Ζηλικίνθιον.
c *al.* stans.
Detrectat Tyranno militare.
d *addit* MS. *Rip.* accipiens fidem.
Quidam Christiani Licinio militabant.

2 Tribunus dixit: Numquid Dii spirituales non sunt, tu vero corporalis? Theogenes dixit: Ego qui sunt dii non novi, nisi unum Deum omnipotentem, per Jesum Christum filium ejus. Possidonius Præpositus dixit: Ergo Deus habet filium? Theogenes respondit: Habet filium ex verbo veritatis suæ natum. Tribunus dixit: Possumus eum nosse? Theogenes dixit: Si Deus dederit vobis sensum talem ut cognoscatis eum, poteritis eum videre. Possidonius Præpositus dixit: Et si cognoscamus eum, possumus derelinquere Regem nostrum, et venire ad eum? Theogenes respondit: Si vultis, nihil est quod impediat vos: præterea si relinquatis tenebras istius mundi, et ad tempus quas habetis dignitates et honores, et veniatis ad Deum vivum, et Regem æternum, et militetis ei, quemadmodum et ego, vivetis in vitam æternam.

Christum Dei filium confitetur.

3 Zilicentius Tribunus irascens quasi leo, et stridens dentibus in eum jussit legioni omni, ut de nocte procederent ad campum foras civitatem: et cum processissent diluculo ad campum, jussit quatuor figi palos, et extendi ibi Beatissimum Theogenem. Cumque ad quatuor palos extensus esset, jussit eum cædi fustibus robustissimis silvestribus, quousque lassarentur Centuriones octo. Tunc Tribunus dixit: Militas, an non? Theogenes dixit: Ego milito Regi Regum, Domino meo Jesu Christo, filio Dei, qui venturus est judicare vivos et mortuos. Tunc nullus erit super terram Rex, neque Princeps, qui possit effugere eum, neque diem judicii ejus.

Ad quatuor palos extenditur, et fustibus cæditur.

4 Hæc eo dicente, iterum jussit eum Tribunus cædi secundo quasi deliramenta prosequentem. Vapulans Beatissimus Theogenes, hymnum dicebat Deo, et exultabat vultus ejus in gaudio et lætitia magna. Cum autem mutarentur decem et octo Centuriones, et fustes omnes confracti fuissent sicut palea; ille majorem spiritus habens virtutem, gratias agens Deo hymnum dicebat: Benedictus es Deus Pater Domini nostri Jesu Christi, qui me dignum habuisti in hanc diem venire, et in hanc lætitiam perduxisti me servum tuum; et benedictus est Jesus Christus filius tuus Rex cæli et terræ, maris et inferorum, et omnium visibilium et invisibilium. Laudo et glorifico te Domine Deus qui dignum me habuisti pro tuo nomine pati, et collegam sanctorum Martyrum fieri.

Fustes instar palearum comminuti.

5 Hæc eo dicente, existimaverunt Tribunus et Præpositus, quod ipsos rogaret, ut eum dimitterent, et dicunt ei: Vis ergo militare? Theogenes Dei famulus majori voce reclamavit dicens: Prius vobis dixi, et nunc dico, quia Christianus sum, et milito Regi Regum, et non possum desertor esse Domini et Regis mei; vos autem me cogere volentes his pœnis, æternas vobis paratis pœnas. Nam has quas mihi putatis esse pœnas, nihil sunt. Dicit ei Tribunus: Si adhuc nihil sensisti de pœnis, majores erunt quæ sequentur. Theogenes respondit: Ego non patior hæc, neque sentio: et vos mihi nihil potestis facere, nec spiritum meum in Domino Jesu Christo firmatum pro his pœnis contristare. In corpore meo solummodo tu potestatem habes: quemadmodum tu vis

Tormenta omnia contemnit.

crucia

crucia illud, non enim tu poteris me separare a Rege meo. Majora ligna affer, et fortiores adhibe operarios ad me: isti autem, quos habes, infirmi sunt, et nihil mihi possunt facere.

6 Cum hæc dixisset, jussit eum duci in civitatem. Erat autem hora quasi nona, et tetendit eum publice in * civitate. Transiens autem ibi Optio legionis, et videns eum dixit: Ubi est Deus tuus, et Rex cui militas? quare non liberat te de istis pœnis? B. Theogenes respondit: Et prius dixi et nunc dico vobis, quoniam istæ pœnæ in judicio Regis mei me non sequuntur: quoniam Rex meus et Deus meus defensor mihi est, et liberat me de pœnis istis. Tu autem eum non vides, quoniam cæcus es mente et oculis. Respondit ei Optio: Si haberem potestatem, gladiis frustari te facerem, et projicerem canibus. Qui B. Theogenes dixit: Tu mihi nihil facere potes: sed venient dies post modicum tempus, et tua et Tribuni tui crura frangentur, et corpora vestra a feris et avibus consumentur, et omnes ex vobis qui non credunt Regi meo, peribunt. Nam et ipse Rex tuus post modicum concidetur a persequentibus se, et erit vobis magna tribulatio qui illi militatis.

7 Talia dicente Theogene, præcepit eum Tribunus in carcerem mitti, et in nervo extendi, et quatuor configi clavis, et signavit ipse carcerem, et dimisit eum, ut illic pœnis et fame moreretur. Ibi autem Theogenes a sancto Spiritu pascebatur. In ipsa autem nocte * adstitit ei Dominus dicens: Theogenes convalesce, ego enim tecum sum; non accipias escam neque potum ex his omnibus. Est enim incorruptibilis tibi vita in cælis. Et hæc dicens recessit ab eo. Recedente autem Domino cœpit psalmum dicere lætus de Domini repromissione: et erant illic respondentes Angeli, quasi populus multus. Tunc custodes cucurrerunt ad ostium carceris, et viderunt ostium clausum et signaculum integrum, et observantes intus viderunt populum multum in albis vestibus psallentes, atque dicentes: Gloria omnipotenti Deo. Timentes autem nuntiaverunt Tribuno.

8 Ille surgens mox cucurrit ad ostium, et inspexit catenam missam, et signaculum integrum: audiens etiam vocem magnam psalmum dicentium cum Theogene. Fecit itaque militum turbam armatam cum scutis stare ante carcerem, et aperiens festinanter carcerem, ingressus est æstimans quod Christiani essent cum Theogene. Intrans autem neminem intus invenit, nisi extensum in nervo psalmum dicentem. Tunc comprehendit Tribunum tremor magnus, et omnem multitudinem militum cum eo; et recluserunt ostium, et recesserunt inde. Tunc Tribunus pœnitens de tali facto, jussit panem et aquam ei dari. Sed Theogenes noluit accipere secundum præceptum Domini quod audierat prius, dicens: Me pascet Rex meus, et accipio ejus annonam quotidie.

9 Et cum mane factum fuisset, misit relationem ad Regem suum Licinium, referens omnia quæ fecerat Theogeni nolenti militare. Rescripsit Licinius, in mare eum mitti, et corpus ejus non colligi. Accipiens autem legationem Tribunus jussit eum in mare mitti. Tunc beatus servus Dei Theogenes, dignus tali sententia ambulavit gaudens in vitam æternam, in quam eum Deus vocavit. Et erat vultus ejus, et omne corpus ejus sanum, quasi a balneo, et non de carcere esset eductus ad lætitiam magnam proficiscens: et exiens de carcere impositus est navi, et perduxerunt eum ad locum, ubi in mare eum præcipitare volebant.

10 Convocavit autem milites et nautas, rogans ut darent ei spatium donec oraret. Et stans contra Orientem beatus servus Dei elevans manus oravit ferme per horas tres: et ecce illic lux facta est, cujus fulgore oculi nautarum et militum excæcati sunt, ne viderent Angelicam turbam, voces tantum audiebant colloquentes Beatissimo Theogeni, ita ut nautæ timore perterriti, nollent eum mittere in mare. Ille autem adjuravit eos dicens: Quod vobis jussum est, facite, et revertentes in civitatem credite Deo, ut habeatis vitam æternam. Talia eo dicente, miserunt eum in mare.

11 Revertentes autem nautæ in civitatem, renuntiaverunt quæ viderant, et crediderunt Christo, et filii ipsorum, et alii multi ex populo in illa die, et nonnulli ex legione ipsa. Post dies autem * sexaginta facta est pugna vehemens contra Licinium: illic ex legione ipsa quicumque non credebant Deum, gladio ceciderunt. Pro quo facto irascens Licinius Imperator eumdem Tribunum, et Optionem legionis ipsius duodecimo milliario a civitate duci, et crura eorum frangi præcepit in exemplum aliarum Legionum, sicut prædixerat beatissimus Martyr.

12 Postquam autem missus est beatissimus Martyr in mare, venerunt fideles fratres, scilicet Eutyches * Eustathius, Zoticus, et alii multi ex fratribus, et sustulerunt corpus ejus de littore; erant autem et ipsi fideles, et timentes Deum, et posuerunt corpus ejus in loculo, et pertulerunt nocte, et sepelierunt illud juxta muros civitatis, in villa Adamanti fidelissimi viri in hypogeo. In quo loco nunc magna fiunt mirabilia, et omnium, quacumque teneantur infirmitate, sanantur ægritudines. Fecit autem ipse Sanctus in carcere dum sperantur relationes, dies quadraginta, mihil omnino cibi gustans, nec aquam, nec alium potum bibens, habens cælestem gubernationem.

13 Hæc omnia scripta sunt per omnes Ecclesias Dei, in Nicomedia, Bithynia, Heraclea, Cyzico, ut in omnibus annuntietur populis passio sancti Martyris, et sit fortitudo fratrum in Dominica fide. Natalis ejus celebratur III Nonas Januarii, præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum, Amen.

* *al.* nervo. *Extenditur in nervo.*
Insultat ei Optio legionis.
Prædicit Optionis et Tribuni mortem, et Lucinii cladem.
Quatuor clavis configitur, enecandus fame.
Apparet ei Christus.
* *Agones excusi:* adfuit illi visitatio Christi per Angelum suum.
Psallenti respondent Angeli.
Cibum oblatum respuit.
Ex mss.
Præcipitandus in mare, educitur sanus e carcere.
Orans fulgore circumfunditur: adsuntque ei Angeli.
Projicitur in mare.
Nautæ et quidam milites convertuntur.
* *Ag. Mar.* 40. *Mombrit.* 9.
Tribuno et Optioni jussu Licinii crura franguntur.
* ms. *S. Max.* Euthasius. ms. *Rip.* Eustachius
Sepelitur S. Theogenes.
Claret miraculis.

DE SANCTIS MARTYRIBUS

CLAUDONE, EUGENE, RHODO, DIOGENIO, EUGENTO, RHODONE, PRIMA.

III JAN.

Martyrologium S. Hieronymi; Et in civitate Tomis Claudonis, Eugenis, Rhodi, trium fratrum Argei, Narcissi et Marcellini pueri Christiani et Diogini, Eugenti, Rhodonis, Primæ. *Quæ, ut plurima alia in eo Martyrologio, obscura sunt; fortassis etiam transposita, ut legendum sit:* Rhodi, Claudonis, Eugenis. Et in civitate Tomis trium fratrum, *etc. An iidem* Claudon, Eugenes, Rhodus, *cum iis, qui mox subduntur*, Diogenio, Eugento, Rhodone? *deinde an* Christiani *conjungendum est cum* pueri? *an nomen Sancti est?* Christianum *omitto, donec major mihi lux aliunde affundatur. De* Argæo, Narcisso, *et* Marcellino *egimus* II *Januar. An ceteri cum ipsis passi, an Tomis, an alibi, non est unde conjiciam.*

Usuardi editio Coloniensis Claudonem *habet; sed* Claudionem *vocat, conjungitque cum* Martiale *et* Cirico, *de quibus ante egimus.*

DE

DE S. LUCIANO EPISCOPO,

APUD LEONTINOS IN SICILIA.

CIRCA AN. CHR. CCCXXX. III JAN.

Lucianum Episcopum et Confessorem apud Leontinos in Sicilia, sub tempora Constantini Magni floruisse, celebrarique hoc die, testatur Octavius Cajetanus noster in Idea operis de vitis Sanctorum Siciliæ, ex tabulis Ecclesiæ Leontinæ; et Ferrarius in generali catalogo Sanctorum, qui iterum eum cum S. Rhodippo refert VII *Novemb. Maurolycus* XII *Februa. Lucianum Confessorem refert, nullo expresso, quo colatur, loco. An hic idem sit, non valeo divinare.*

DE S. MELORO SEU MELIORE

MARTYRE IN ANGLIA.

CIRCA AN. CHR. CDXI. III JAN.

S. Melorus 1 *Octob. mortuus, colitur* 3 *Januar.*

Sanctum Melorum *Martyrem refert hodie Ferrarius in Catalogo generali Sanctorum, et Martyrologium Anglicanum; cum tamen Kalendis Octobris subiisse martyrium scribatur. Sed Nonis Januarii fortassis translatæ reliquiæ. Ad* 1 *Octobr. extat ejus ut Martyris memoria in Usuardi Coloniensibus editionibus, et* MS. *Florario.* Meliorus *in Anglicano Martyrologio appellatur, a Capgravio atque in Usuardi editione an.* 1490. Melorus, *in edit. an.* 1521. Melor, *in Florario* Melon, Melior *a Ferrario. Vitam ejus a Joanne Capgravio scriptam, cum manu exarato codice Rubeæ vallis contuli : in hoc sacræ* B. Melori *exuviæ Meldis asservari dicuntur; quas alioquin ante aliquot sæcula ex Cornubia in Wiltoniam ad celebre cœnobium Ambresburiense deportatas testatur Capgravius : inde sunt fortassis in Galliam advectæ.*

NOT. 51.

VITA.

Dum in exordio Christianæ fidei Apostolica doctrina per orbem terrarum in omnibus gentibus diffunderetur, conversa est Britanniæ gentilitas ad fidem, et multi Domino credentes, et Apostolica præcepta sequentes variis virtutum miraculis fulserunt: de quorum numero B. Melorum fideliter credimus extitisse.

S. Melori patria, et genus.

2 Fuit enim de nobili Britannorum genere, cujus pater Melianus ducatum Cornubiæ tenuit: cujus tempore per septennium pluvia super terram non cecidit. Instigante tandem maligno spiritu septimo anno ducatus sui dum consilium Primatum ad utilitatem patriæ providendam fuisset congregatum, in ipso concilio * Rinoldus veniens, Melianum fratrum suum occidit, et pro illo regnare cœpit.

* MS. *Rub. val.* Reynoldus.

Ejus pater a fratre occisus.

3 Habebat autem Melianus parvulum quemdam filium annorum septem nomine Melorum : quem post patris necem patruus occidere quærebat, timens ne si puer superstes esset et ad virilem ætatem perveniret, ei ducatum auferret. Rinoldus igitur quid faceret deliberans, puerum in Cornubiam secum adduxit, ubi consilium Episcoporum et aliorum multorum fuerat congregatum : et cum puerum occidere vellet, omnium prece factum est ut non occideretur, sed tantum manus dextera cum sinistro pede truncaretur : et factum est ita. Facta est autem post hæc Beato Meloro manus argentea et pes æneus : et pius et innocens de die in diem in virtutibus crescens, nutritus est in quodam monasterio Cornubiæ, et divinas Scripturas usque ad quartum decimum annum legebat.

S. Meloro dextera manus et pes sinister amputatur.

4 Quodam enim æstivali tempore Abbas illius loci nuces colligens, puero quasi Domino suo præsentavit : qui cœpit eas colligere argentea manu, mirumque in modum manus illa argentea quasi reflexus carneos haberet, et manum extendere et recludere cœpit, quasi nativam ossibus, nervis, venis, sanguine atque pelle.

Manu argentea, ut nativa utitur.

5 Quadam vice puer sanctus accepta petra, et projiciens quasi stadio dimidio eam advolare fecit, quæ supra terram durissimam, quasi super ceram mollem, infixa est : cumque veniens ad locum illam de durissimo silice extraxisset, egressæ sunt aquæ largissimæ, et usque hodie in loco illo fons vivus ebullire videtur.

Fontem elicit e terra.

6 Cum autem patruus ejus nutritori suo Cerialtano munera multa et possessiones, si alumnum suum occideret, promisisset, facto iniquitatis commercio, ut Cerialtanus caput innocentis abscinderet, et abscissum Rinoldo deferret, et mercedem promissam reciperet. Decollato itaque puero, filius Cerialtani assentiente patre caput Martyris deferens per murum castri, justo judice Deo annuente, de muro cecidit, et fractis cervicibus expiravit.

Occiditur.

Interfector morte filii punitur.

7 Veniens autem nutrix Martyris ad domum in qua corpus jacebat, et Angelos Dei * et lucernas divino splendore lucentes vidit. Cerialtanus vero caput assumens et fugiens, cum præ nimia siti pene deficeret, sibi ipsi loquens dixit : Væ mihi omnium hominum miserrimo, et omni pœna et cruciatu digno, quid faciam quia sitis ariditate afflictus deficiens morior? Cumque hæc multotiens replicaret, caput pueri in verba humana prorumpens tali voce eum affatur : Cerialtane baculum quem manu gestas in terram impiger fige, et fontem aquæ subito de terra oriri videbis, ex quo copiose refectus imminens sitis periculum evades. Cum autem baculum in terram fixisset, in pulcherrimam arborem versus radicitus terræ adhæsit, ramos et folia produxit, et de radice ejus fons indeficiens emanare cœpit, et Cerialtanus potu recreatus caput ad Rinoldum detulit.

* *Capgr.* ut. *Angeli Martyris corpori assistunt.*

Interfector a Martyre adjutus.

8 Qui cum gaudio magno illud recipiens, dixit : Surge et montis verticem ascende, et quæcumque adjacentia videre poteris, libens possidenda tibi dabo. Ille vero montem ascendens, et circumquaque se videre credens utroque lumine orbatus est, et subita morte præventus interiit : et liquefacta est caro ejus sicut cera a facie ignis.

Dein a Deo punitur cæcitate et morte.

9 Sepulto autem corpore sancto in loco martyrii sui, die sequenti supra terræ faciem inventum est : cumque sepulto in tribus variis locis corpore idem casus accidisset; inito consilio, super plaustrum, sub quo duo tauri indomiti positi sunt, corpus sanctum imponunt; et quocumque virtus eum divina dirigere vellet absque ductore dimiserunt. Et ecce tauri mansueti subito effecti, usque ad quemdam locum corpus trahentes substiterunt, et cum turbæ displiceret ut ibi quiesceret, manus, brachia, et humeros rotis ut eas volverent supponentes, ita fixum divinitus et immobile plaustrum viderunt, ut nulla arte, nullo ingenio, nulla prorsus hominum virtute moveri posset. Cumque sæpius attentantes nihil proficerent, gratias agentes Deo, corpus cum honore in eodem loco sepelierunt; ubi opem ejus implorantes, optatum remedium gaudentes consequi solebant.

Locus sepulturæ S. Melori cœlitus designatus.

10 Delato in præsentia Rinoldi capite Martyris, tyrannus caput sacrum tetigit, et tertia die infelici morte occubuit. Sepulto itaque ab Episcopis et Clericis capite cum sacro corpore, post multorum annorum curricula prædicatores alienigenæ scrinium cum reliquiis

Rinoldus male moritur.

cum reliquiis S. Melori circumquaque deferentes peragratis terrarum tractibus, injunctum sibi officium exercentes, Ambrisburiam tandem devenerunt, et super altare reliquias sanctas posuerunt. Expleto prædicationis officio, cum reliquias secum auferre vellent, et nullo modo ab altari moveri possent, ac velut adamas altari adhærerent, dolore et augustia afflicti, accepta ab Abbatissa multa pecunia recesserunt.

S. Melori reliquiæ Ambrisburiam delatæ.

11 Quidam iniquitatis filii nocte ecclesiam de Ambrisburia intrantes scrinium S. Melori secum auferunt, et laminis auri et argenti abrasis, capsam cum reliquiis in quadam specu projiciunt. Sacerdos autem quidam diluculo surgens, vidit radiosam lucis columnam de cælo super specum descendentem, et accedens ad locum, scrinium invenit, et ad ecclesiam detulit.

Inde sublatæ denuo reperiuntur.

Ex Joan. Capgr.

12 S. Melorus sacristæ nocte quadam apparuit dicens : Godrice surge velociter; ecce testudo ecclesiæ hiatibus conquassata patulis vicinam parat maturare ruinam. Cumque iterum alia nocte idem repetisset, tertia nocte apparens dixit : Godrice cito surge, imagines et altaris ornamenta tecum assumens quantocyus exeas; quia periculum mortis tuis procul dubio in januis adest : et cum egressus fuisset, tota post eum testudo concidit, areæ planiciem subjectæ obvolvens.

Sacristam periculo mortis eripit.

Terrea autem relinquens, cælestia cum corona martyrii penetravit Kalendis Octobr.

DE S. SALVATORE EPISCOPO

BELUNI IN ITALIA.

III JAN.

Templa S. Salvatori Episcopo dicata.

Beluni ad Anassum sive Plavem fluvium in Marchia Tarvisina, hodie S. Salvatorem *Episcopum coli tradit Ferrarius in generali Catalogo Sanctorum, atque in Catalogo Sanctorum Italiæ. Idem ad* III *diem Februarii hæc de eo scribit:* S. Salvator Episcopus, ex antiqua traditione, Belunensis fuit Antistes: eamque Ecclesiam plures annos sanctissime rexit, multis in vita editis miraculis, ac post mortem, circa eos qui opem ipsius implorabant. Quapropter aræ illi erectæ, templaque diversis in locis dicata fuere. Ex quibus etiam nunc in pago Maretio haud procul a Beluno unum sub ejus invocatione conspicitur, et alterum apud Carthusianos, quod præ vetustate maxima ex parte collapsum est. Ejus memoria ab Ecclesia Belunensi anniversaria celebritate colitur; alia tamen die propter intercurrentes solemnitates. *In Annotatione deinde hæc subdit:* Corpus hujus sancti Episcopi in lapideo sepulchro ecclesiæ dirutæ memoratæ apud Carthusianos quiescere putatur, ubi in pariete hujuscemodi adhuc legitur inscriptio: S. Salvator Episcopus Beluni. Qui quo tempore apud nos vixerit, ignoratur. Ejus festum in tabulis ad diem III Januarii adnotatur.

DE S. GENOVEFA VIRGINE

PARISIIS IN GALLIA.

Circa an. Chr. dix. III JAN.

Celeberrimum Genovefæ *nomen omnibus Latinorum Martyrologiis* III *Januar inscriptum. Usuardus:* Civitate Parisius S. Genovefæ virginis, quæ a B. Germano Autisiodorensi Episcopo Christo dicata, admirandis virtutibus late claruit. *Eadem fere Martyrologium Romanum, Bellinus, Maurolycus, Galesinius, Ado, Notkerus, Beda, Hrabanus,* etc.

x *Januarii, ut infra dicemus, agitur memoria* Revelationis reliquiarum *S. Genovefæ, sive apertionis capsæ, quæ facta est eo die anno* MCLXI, XXIX *Octobris* Translatio, *quam tamen in nullo Martyrologio eo die consignatam reperi; sed pridie, ipso videlicet festo SS. Simonis et Judæ, in Usuardi, Bellini, Maurolyci, Ferrarii, aliorumque Martyrologiis refertur, fitque de ea commemoratio in Breviario Coresopitensi,* XXVI *Novembr. celebratur* Excellentia S. Genovefæ, *sive* festum miraculorum; *quo die multis Martyrologiis ejus nomen absolute inscriptum, nulla facta miraculorum mentione. At Usuardi Martyrologium Parisiis editum anno* 1536, *et Molanus:* Eodem die S. Genovefæ et S. Marcelli, de miraculo ardentium facto in ecclesia B. Mariæ Parisiensis. *In uno* MS. *reperi* Elevationem *S. Genovefæ* XXVI *Novembr. relatam. Eo die Nannetis in Ecclesia Cathedrali colitur festo duplici, in memoriam miraculi ardentium, ut ex* 6 *Lectione patet; in qua tamen non recte dicitur an.* MC *sub Ludovico VII factum, cum (ut inferius dicemus) sub Ludovico Crasso Philippi filio acciderit anno antequam in Gallias veniret Innocentius II quod an.* MCXXX *factum scribit Baronius.*

NOT. 52.

2 S. Genovefæ Virginis vita *(inquit Papirius Massonus in libro de fluminibus Galliæ)* temporibus Childeberti Regis a doctissimo quodam viro, cujus nomen periisse doleo, scripta. *Imo* ter senis, *ut ipse auctor testatur,* ab obitu ejus annis. *Eademne tamen sit, quæ est in manibus, ingenue fateor mihi non liquere. Triplicem certe vitam in* MSS. *reperi. Primam in* MS. *ecclesiæ S. Martini Ultrajecti, eamque contuli cum* MS. *S. Mariæ de Ripatorio* MS. *monasterii S. Mariæ Bonifontis; et cui congruunt, quæ habet Vincentius Bellovac. l.* 20, *cap.* 46, *et seqq. Alteram descripserat olim Rosweydus ex* MS. *D. Preudhomii Canonici Cameracensis, quam deinde contuli cum* MSS. *Imperialis monasterii S. Maximini, et Ecclesiæ S. Audomari, aliisque. Tertiam a religioso quopiam monasterii* S. Genovefæ *compositam suppeditavit mihi, sed mendis scatentem, codex Collegii Fullonum Bruxellæ. Hæc vero cum prima in plurimis consentit, nisi quod subinde aliqua adduntur ad explicationem. Eam hic omisi ne in nimis vastam molem opus excresceret. Subjunxi tamen duabus prioribus vitis, quæ de S. Genovefæ miraculis, translatione, excellentia, revelatione, a variis religiosis monasterii S. Genovefæ litteris mandata in eodem reperi* MS.

S. Genovefæ vita perantiqua.

Triplex extat.

3 *De anno mortis sanctissimæ hujus Virginis variæ sunt auctorum sententiæ. Galesinius in Notis existimat obiisse circiter annum* DXV. *Breulius in Antiquit. Paris. et Renatus Benedictus anno* DXIV. MS. *Florarium* DXII *consentit fere Aimoinus lib.* I, *cap.* 24, *scribens usque ad Clotharii et Childeberti tempora vixisse. Baronius anno* 499, *num.* 31, *ita scribit:* Superstes fuit hæc admiranda virgo diutius, utpote quam idem auctor propagasse vitam dicat ultra octoginta annos. *At si anno* 429, *profectus in Britanniam S. Germanus, ut idem scribit Baronius, Sanctamque Genovefam, licet admodum adolescentem, est allocutus, atque ad servandam virginitatem hortatus; non potest profecto illa diu ultra annum* D, *supervixisse. Nam demus tum octo aut novem fuisse annorum, ergo anno* D, *aut* DI, *fuerit* LXXX. *Junior non potest fuisse, quæ, ut dicitur in vita S. Germani l.* I, *cap.* 21, se religiosæ professionis adstringi jam dudum desiderio *sit professa, ejusque ad id benedictionem petierit. Quid quod in priore vita dicatur Clodovæus magnificam basilicam ad ejus sepulchrum extruere cœpisse, quam deinde perfecerit Clotildis?*

Quando obierit S. Genovefa.

4 *Multa de vita et translatione* S. Genovefæ *habet*

In necessitate

cir cumfertur theca corporis ejus.

Jacobus Breulius lib. 2 *Antiquit. Parisiens. ubi et de Abbatia S. Genovefæ ejusque privilegiis: testaturque in communi necessitate consuevisse thecam reliquiarum ejus deponi, et publica supplicatione circumferri, singulari solemnitate, cujus ipse cæremonias omnes describit.*

3 *De* S. Genovefa *innumeri fere scripserunt: fuse Renatus Benedictus in vitis Sanctorum Galliæ, qui et Translationem, miracula aliaque commemorat. Petrum Pontanum Brugensem qui Cæcus a vitio oculorum dictus, testatur Claudius Robertus novem libros carminum de ea scripsisse, quos necdum vidi. In S. Genovefæ laudem carmen geminum cecinit et publicavit Dionysius Petavius noster, recuperata illius patrocinio sanitate.*

P. Dionysius Petavius S. Genovefæ ope sanatus.

VITA EX VETERIBUS MSS.

CAPUT I.

S. Genovefæ virginitatem suadet S. Germanus.

S. Genovefæ patria et parentes.

Beata Genovefa in Nemetodorensi parochia nata est, quæ * septem ferme millibus a Parisio urbe abest. Pater ejus Severus, mater Gerontia vocitata est. Sed primum ab ineunte ætate ejus devotionem, tum demum gratiam Dei, quæ in ipsa collata est, fidelibus censui innotescere.

* *Sur.* quatuor.

Hæresis Pelagiana in Anglia a SS. Germano et Lupo extirpata.

2 Proficiscentibus itaque ad Britanniam sanctis ac venerabilibus viris Germano ac Lupo Pontificibus, ad Pelagianam hæresim, quæ in illis finibus imminebat, superandam; quæ hæresis zizania super triticum seminans asserebat natos ex duobus baptizatis sine baptismo posse salvari; cum omnino prædicatio divina tradat nullum posse habere vitam æternam, nisi renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto. Hanc hæresim et scripturarum testimoniis et virtutum miraculis triumphantes ab eadem provincia effugarunt. Euntes, ut dixi, in Britanniam ad prædictam parochiam, manendi vel maxime orandi gratia, se contulerunt. Quibus cum vulgi multitudo haud procul ab ecclesia benedictionem expetens obviam venisset, et catervatim uterque sexus virorum et mulierum ac parvulorum occurreret, in medio occurrentium cœtu eminus S. Germanus intuetur in spiritu sanctissimam fore Genovefam, quam illico ad se adduci præcepit. Cujus caput deosculans sciscitatur a turba nomen puellæ, et cujus esset filia interrogat. Extemplo nomen Genovefæ a circumstante populo edictum est: et pater vel mater acciti adstiterunt. Ait ad eos S. Germanus: Hæc infans vestra est filia? At illi Nostra, inquiunt, Domine. Quibus ait Sanctus Germanus: Felices vos tam venerandæ sobolis genitores! In hujus nativitate, magni gaudii et exultationis celebratum mysterium in cælo noveritis ab Angelis. Erit hæc magna coram Domino, et multi ejus vitam propositumque sanctum mirantes, declinabunt a malo, et ab improba atque impudica vita conversi ad Dominum, remissionem peccatorum et præmia vitæ a Christo percepturi erunt.

Joan. 3. 5.

S. Germanus prædicit sanctitatem Genovefæ.

3 Et paullo post ait Genovefæ: Filia mi Genovefa. At illa respondit: Audit famula tua, Pater sancte; quæ jubes edicito. Cui S. Germanus dixit: Quæso ne verearis mihi profiteri, si vis in sanctimonio consecrata Christo immaculatum et intactum corpus, quemadmodum sponsa ejus, servare. Cui Genovefa respondit: Benedictus tu mi Pater, quia quæ desidero dignatus es si velim sciscitari. Volo, inquit, sancte Pater, et * oro ut devotionem meam Dominus adimplere dignetur. Ait ei S. Germanus: Confide filia, viriliter age, et quod corde credis et ore profiteris, operibus adimplere satage. Dabit enim Dominus virtutem et fortitudinem decori tuo.

Suadet ei virginitatem.

* MS. *Ultra et Rip.* ora.

Horæ canonicæ.

4 Pervenientes ergo ad ecclesiam, cursum spiritualem, Nonam atque Duodecimam celebrantes, semper S. Germanus manum suam super caput ejus tenuit. Et cibo sumpto ac hymno dicto, jussit Severum cum filia in suo se collocare receptaculo, eumque primo diluculo ante sui profectionem ad se reverti præcepit. Quæ cum fuisset lustrante jam solis lampade terras, ita ut jusserat, a genitore suo allata, nescio quid in ea cæleste deinceps S. Germanus conspicatus, ait ad eam: Ave filia Genovefa. Reminisceris quid hesterna die de corporis tui integritate mihi sis pollicita? Cui Genovefa respondit: Reminiscor, quid tibi Deoque, Pater sancte, promisi; quia castitatem mentis et corporis integerrimam, Deo me juvante, usque in finem servare desidero. Cui S. Germanus nummum æreum Dei nutu allatum habentem *a* signum Crucis a tellure colligens pro magno munere dedit, inquiens ad eam: Hunc transforatum pro memoria mei a collo suspensum semper habeto; nulliusque metalli, neque auri, neque argenti, seu cujuslibet margaritæ ornamento collum saltem digitosque tuos onerari patiaris. Nam si sæculi hujus vel exiguus decor tuam superaverit mentem, etiam æternis et cælestibus carebis ornamentis. Et valedicens ei atque obsecrans ut sui memor tantum crebro in Christo esset, et commendans eam genitori suo Severo, iter quod cœperant, auxiliante Domino, perrexerunt.

Numisma cruce insignitum.

Vanum ornatum dissuadet Genovefæ Germanus.

a In memoriam hujus rei Canicis regularibus S. Genovefæ, in ejus festo dari solebat panis benedictus insignitus figura hujus numismatis. *Ita Renat. Benedict.*

NOT. 53.

NOT. 54.

CAPUT II.

Paralysi laborat, ejus sanctitas varie commendatur.

Mater eam percutiens fit cæca.

Factum est autem post dies aliquot, cum mater ejus die solemni ad ecclesiam pergeret, et Genovefam quam domi remanere præceperat, nequaquam posset abigere clamantem sibi cum lacrimis, et dicentem: Ego fidem, quam S. Germano pollicita sum, Christo me consolante, servabo, et ecclesiæ limina frequentabo, ut sponsa Christi esse merear, sicut ipse mihi beatissimus Confessor repromisit; illico mater ejus, iracundia repleta, ut filiæ alapam dedit, statim luminum percussa est orbitate. Tribus namque mensibus minus a biennio, nutu divinæ majestatis, ad manifestandam gratiam Genovefæ, hanc perpessa est cæcitatem. Tandem aliquando recordata mater ejus quid tunc testimonii de filia sua summus Pontifex dedisset, vocans eam ad se ait ei: Obsecro te, filia mi, accipe hauritorium, et properans perge ad puteum, ut exhibeas mihi aquam. Cumque summa festinatione ad puteum venisset, et super marginem putei fleret, eo quod propter eam mater ejus lumen amiserat; dein ut desiit flere, impleto vasculo detulit aquam matri suæ. Mater vero ejus, extendens manus ad cælum, cum fide et veneratione aquam a filia sua allatam, insuper ipsa suspirante ab ea crucis virtute signatam, accepit; de qua fomentans sibi oculos paullulum cernere cœpit. Cumque hoc bis terve fecisset, lumen amissum integre recepit.

Aqua a filia benedicta linit oculos, et sanatur.

NOT. 55.

Sanctitas ejus Episcopo revelatur.

6 Contigit autem ut cum duabus puellis multum se senioribus ad consecrandum * Julico Episcopo traderetur. Quæ cum juxta ætatem annorum ad consecrandum offerrentur, ut comperit divinitus prædictus Pontifex, Genovefam virginibus, quæ illi præponebantur, meritis multum esse sublimiorem, ait: Illa, quæ retro sequitur, anteponatur: quoniam hæc cælitus jam est sanctificationem adepta. Sic itaque benedictionem consecutæ ab obtutu Pontificis discesserunt.

* MS. *Bonif.* illico. *Cl. Robertus* Flavianum *vocat.*

Migrat Parisios.

7 Denique parentibus B. Genovefæ defunctis, accersita a matre sua spirituali ad Parisium urbem commigravit. Et ut virtus Domini in infirmitate ejus probaretur, et gratia Christi in ea collata plus * luceret; tempore aliquo ita est corpus ejus obsessum paralysi, ut laxatis artubus, nulla compago adhærere suo crederetur loco. De qua infirmitate nimium afflicta, triduo jam corpus ejus exanime, solis paullulum genis rubentibus, custodiebatur. Quæ cum denuo corporalem fuisset adepta sanitatem, profitebatur, se in

* *al.* cresceret.

Paralysi laborat.

in spiritu ab Angelo in requiem justorum * deductam, et ibi se vidisse parata diligentibus Deum præmia, quæ incredibilia apud infideles habeantur.

* *addit* MS. *Ultra* et supplicium impiorum.

8 Pluribus namque in hoc sæculo viventibus secretas conscientias liquido declarabat. Quod propter arrogantes silere satius, quam æmulantibus innotescere malui, qui ingentem devotionem habent detrahendi; nam dum bonis invident suam superstitiosam indicant conscientiam.

Loca beatorum videt. Secreta cordium cognoscit.

S. Germanus secundo it in Britanniam.

9 Adveniente post hæc denuo S. Germano Parisium, ac secunda vice in Britanniam proficiscente, universus populus in occursum ejus ab urbe egressus est. At ille illico sollicitus de Genovefa, quid ageret, inquisivit. Sed vulgus, qui paratior est ad derogandum bonis potius, quam ad imitandum, asserebat eam inferiorem quam opinabatur esse. Quorum iniquam vocem omnino despiciens sanctus Pontifex, in civitatem ingressus ad hospitium Genovefæ usque pervenit. Quam cum tanta humilitate salutavit, ut omnes mirarentur. Et oratione facta ostendit iis, quibus despectui habebatur, in secreto cubili ejus, terram madidam de suis lacrymis irrigatam : et residens disposuit eis vitæ ejus exordium, quemadmodum Nemethodoro palam cunctis edixerat : simulque commendans eam populo in viam, quam cœperat, gressum direxit.

Genovefam honorat et laudat.

CAPUT III.

Hunnos precibus a Parisiis avertit.

Attila imminente alio fugere cupiunt Parisienses.

Exeunte sono, Attilam Hunnorum Regem Galliam sævissime vastaturum, terrore perculsi Parisiorum cives, bona ac stipendia facultatum suarum in alias tutiores civitates deferre nitebantur. Quorum matronas convocans Genovefa, suadebat ut jejuniis et orationibus ac vigiliis insisterent; quatenus possent sicut Judith et Esther, superventuram cladem evadere. Consentientes ergo Genovefæ, dies aliquot in baptisterio vigilias exercentes jejuniis et orationibus, sicut Genovefa suaserat, Deo vacaverunt. Viris quoque idem suadebat, ne bona sua a Parisio auferrent; nam illas civitates, quas esse tutiores credebant gens irata vastaret; Parisium vero urbem incontaminatam ab inimicis, Christo protegente, salvandam.

Dissuadet id Genovefa.

Oritur in eam tumultus.

11 Insurrexerunt autem in eam cives Parisiorum, dicentes pseudoprophetissam suis temporibus apparuisse, eo quod prohiberentur ab ea, quasi a peritura civitate in alias tutiores urbes bona sua transferre. Tractantibus ergo civibus ut Genovefam aut lapidibus obrutam, aut vasto gurgite mersam punirent; interea adveniente ab Autisiodorensi urbe Archidiacono, qui olim audierat S. Germanum, magnificum testimonium de Genovefa dedisse, invenit per loca cives conventicula facere, ac de interemptione Genovefæ concionari. Qui cum consilium eorum cognovisset, dixit ad eos : Nolite, o cives tantum admittere facinus. Istam, de cujus vos interitu jam tractatis, referente S. Germano Antistite nostro audivimus ex utero matris suæ a Deo electam : et ecce eulogias, illi a S. Germano * directas exhibeo. Comperientes igitur Parisiorum cives Genovefam testimonio S. Germani, Dei esse fidelissimam famulam, videntes etiam eulogias, quæ illi deferente Archidiacono fuerant allatæ, metuentes Deum, et hæc quæ ab Archidiacono dicebantur mirantes, dissipato pravo consilio, insidiandi finem fecerunt.

S. Germanus moriens ad eam eulogias mittit.

* *al.* relictas.

12 Impletum est in die illa dictum Apostoli, qui ait : Non enim omnium est fides : fidelis autem Deus qui conservabit vos et custodiet a malo. Summi Antistites Martinus et Anianus pro virtutum suarum admiratione valde laudati sunt, eo quod unus apud Vangionem civitatem postridie inermis pugnæ offerendus utriusque exercitus sævitia sedata fœdus obtinuit; alter vero Aurelianorum urbem ab exercitu Hunnorum circumseptam, juvantibus se Egetio Patricio cum Gothis, meritis orationum suarum ne periret promeruit. Porro Genovefam nonne dignum est honorari, quæ itidem orationibus suis prædictum exercitum ne Parisium circumdaret procul abegit?

2.Thess. 3. 3.

Ex MSS. *Precibus hostem avertit.*

NOT. 56.

CAPUT IV.

Ædificat basilicam, quæ nunc dicitur Prioratus S. Dionysii de Strata.

Ejus abstinentia.

A quinto decimo namque usque ad quinquagesimum ætatis suæ annum, a die Dominico usque in quintam feriam, et a quinta feria usque ad diem Dominicum, jejunium numquam dissolvit. Nam illis solummodo duobus sacris in hebdomada diebus, id est Dominica et quinta feria, aliquantulum cibi sumens, reliquis totius hebdomadæ diebus in abstinentia perdurabat. Esca vero illi erat panis hordeaceus et faba, quam post duas aut tres hebdomadas in olla coctam recommiscens edebat. Vinum autem vel quidquid inebriare potest in omni vita sua non bibit. Post quinquagesimum autem annum ætatis suæ, suadentibus Episcopis, quibus contradicere sacrilegium * est, metuensque Domini dictum quo ait : Qui vos audit, me audit; qui vos spernit me spernit; piscem et lac cum pane hordeaceo edere cœpit.

* MS. *Rip.* fore suspicabatur. Luc. 10. 16.

Cælum aspiciens lacrymatur. Act. 7. 55.

14 Quotiens cælum conspexit, toties lacrymata est : et cum esset mundo corde, quemadmodum Lucas Evangelista descripsit de Beatissimo Stephano, ita et hæc credebatur cælos apertos videre, et Dominum nostrum Jesum Christum stantem ad dexteram Dei, quoniam irritum non est promissum Domini, quo ait : Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Matth. 5. 8.

Ejus mysticus comitatus. l. 3. sim. 9.

15 Duodecim enim virgines spirituales, quas Hermas, qui et Pastor nuncupatus est, in libro suo descripsit, ei individuæ comites extitere; quæ ita nominantur : Fides, Abstinentia, Patientia, Magnanimitas, Simplicitas, Innocentia, Concordia, Caritas, Disciplina, Castitas, Veritas, et Prudentia. Hæ fuerunt indissociabiles et indivisæ Genovefæ.

Erga S. Dionysium pietas.

16 Quanta veneratione et amore dilexit *a* Catholiacensem vicum, in quo Sanctus Dionysius cum sociis suis Rustico et Eleutherio passus est et sepultus, nequaquam silendum esse arbitror. *b* Nam fervens devotio erat ipsi Beatissimæ Genovefæ, ut in honorem Sancti Dionysii Episcopi et Martyris basilicam construeret : sed facultas deerat. Cui cum solito quadam die Presbyteri civitatis occurrissent, ait ad eos : Venerabiles in Christo sancti Patres ac seniores mei, obsecro vos, ut faciatis in unum collationem, ut ædificetur in S. Dionysii honorem basilica. Nam terribilem esse et metuendum locum ejus nemini ambigendum est. At illi responderunt : Forsitan deerunt parvitati nostræ vires ædificandi : nam coquendæ calcis copia deest. Quibus Genovefa Spiritu sancto repleta, claro vultu, mente præclariori vaticinans, manifestum dedit eloquium, dixitque ad eos : Egrediatur, quæso, sanctitas vestra, et deambulate per pontem civitatis, et quæ audieritis renuntiate mihi.

Agit de extruenda S. Dionysio Basilica.

17 Qui cum egressi fuissent in plateam, stabant præstolantes si quid congruum sacræ virginis voluntati audirent. Et ecce duo custodes porcorum non longe ab eis stantes, cum inter se sermocinarentur, ait unus ad alterum : Dum suis vestigium ob * pastum vagantis legerem, inveni furnum calcis miræ magnitudinis. Cui alter pastor e contrario respondit : Item et ego inveni in silva arborem radicitus a vento evulsam, et sub radicibus ejus similiter furnum calcis, de quo nec quidquam credo aliquando esse sublatum. Hæc audientes Presbyteri porrectis ad æthera vultibus, oculisque in cælum præ gaudio fixis, Deum benedixerunt, qui tantam gratiam famulæ suæ Genovefæ dignatus est conferre. Comperientes ergo loca, in

* *al.* partum vacantis.

Miro modo calx ad id necessaria reperitur.

Ex. mss. in quibus siti erant furni calcis, de quibus porcorum custodes concionabantur, regressi Presbyteri quæ a pastoribus didicerant renuntiaverunt. At illa extemplo præ gaudio sinum lacrymis implevit, egressisque de domo sua Presbyteris, poplitibus inclinatis, genibusque in terra fixis, noctem totam in oratione et lacrymis consummavit, obsecrans sibi a Domino opitulationem atque auxilium conferri, quemadmodum possit in honore summi Pontificis ac Martyris S. Dionysii basilicam construere.

Gratias Deo agit Genovefa.

Genesius Presbyter operi præest.

18 Quæ luce prima vigiliis confecta ad Genesium Presbyterum properans direxit, imploravitque eum quatenus basilicam in suprascripti Martyris honore construerent. Cui et de calcibus, quas Deus providerat, indicavit. Etenim Genesius Presbyter, ubi de calcibus audivit, metu superatus, Genovefam pronus in terra adoravit; ac repromisit dies noctesque se obnixe quæ jusserat impleturum. Universis denique civibus, Genovefa implorante, auxilium ferentibus, in honorem sæpedicti Martyris ad fastigium usque basilica constructa est.

Cives varia ad opus contribuunt.

19 Operæ pretium etiam illud indicare, quid miraculi per eam Dominus fecit. Cum collectis carpentariis, qui ad crebro dictum ædificium quæ de lignis opus erant, in saltu alii inciderent ac dolarent, alii in plaustra conveherent; contigit ut potus deficeret. Et Genovefæ erat incognitum, quod potus deesset. Affari Genesius Presbyter Genovefam cœpit, ut opifices cohortaretur, quousque ille ad civitatem pergeret, potumque velociter exhiberet. His auditis Genovefa, vas in quo potus ante delatus fuerat, quod cupam nuncupant, deferri sibi jubet. Quæ cum fuisset allata, jubet a se omnes seorsum discedere. Et illa genibus in tellure fixis, lacrymas fundens, ubi se sensit obtinuisse quod precabatur, surgens oratione completa, signum Crucis super vas poculi fecit. Mirabile dictu, statim cupa usque ad summum poculo impleta est : et ex eo qui ad operandum acciti fuerant, quamdiu omne opus basilicæ consummatum est, uberrime potantes maximas Deo gratias retulerunt.

Operis potum impetrat a Deo.

Potus longo tempore non deficit.

a mss. *Bonif. et Rip.* Catholacensem.

b Hic interserit ms. Ultraj. multa de missione S. Dionisii in Gallias, quæ cum absint ab aliis mss. omittimus.

CAPUT V.

Cæcam et paralyticam sanat : precibus extinctum cereum reaccendit.

Noctem Sabbathi pervigil transigit.

Fuit illi devotio ut omnem noctem sabbathi, quæ lucescit in primam sabbati, juxta traditionem Domini, quemadmodum servus præstolans dominum suum quando redeat a nuptiis, totam pervigilem duceret. Vice quadam post intempestam noctem, jam proximam diem Dominicam gallorum plausu vel cantu indicante, egreditur de receptaculo suo, ut ad basilicam S. Dionysii pergeret. Contigit autem ut cereus, qui ante eam deferebatur, extingueretur; turbatæque sunt virgines, quæ cum ea erant, ab horrore terræ noctis, et a nimio cœno vel imbre, quinimius nubibus defluebat. Illico Genovefa cereum extinctum sibi dari petiit. Quem cum manu accepisset, continuo illuminatus est : eumque manu gestans ad basilicam usque pervenit, et ibi ante eam lucens cereus ipse igne consumptus est.

Cereum extinctum sine igne reaccendit.

Bis alias idem evenit.

21 Similiter eodem tempore ingressa in ecclesiam cum diutissime solo recubans oratione completa a pavimento surrexisset, cereus necdum ab igne contactus, divino nutu succensus in manu ejus illuminatus est.

Ejus cerei particulis multi sanantur.

22 Item in cellula sua aiunt cereum in manu ejus sine succensione ignis illuminatum. De quo etiam cereo plures infirmi, fide instigante, paullulum cum reverentia auferentes, pristinam receperunt sanitatem.

23 Quædam femina furtim abstulit ejus calceamenta, quæ ut ad domum suam pervenit continuo oculorum lumen amisit : ergo ut cognovit furuncula, cælitus in se ulcisi injuriam Genovefæ, alterius ad eam ducatu reportans calceamenta, ruensque ad pedes ejus ignosci sibi pariter et lumen amissum reddi precabatur. Genovefa vero, ut erat benignissima, manu eam ab humo subridens levavit, et signans oculos ejus pristinum lumen restituit.

Quædam furataejus calceos fit cæca. Ab ipsa signo crucis sanatur.

Item alia paralytica

24 In Lugdunensi oppido quid miraculi per eam Dominus fecit edicere series lectionis postulat. Adveniente siquidem Genovefa haud procul ab ipso oppido maxima pars populi in occursum ejus venit; inter quos et parentes cujusdam puellæ, quæ novem annis ita erat paralysi afflicta, ut nequiret * cujusquam membri compage juvari. Supplicantibus ergo parentibus puellæ vel senioribus populi, ab domum puellæ pervenit. Oratione facta, contrectansque dissolutos artus, propriis manibus eam se vestire vel calceare præcepit. Et ita a lecto surgens ad ecclesiam cum populo incolumis perrexit. Quod miraculum cum vidissent turbæ, benedixerunt Dominum nostrum Jesum Christum, qui tantam gratiam diligentibus se præstare dignatus est. Et remeantem Genovefam ab ipso oppido psallentes et exultantes populi deduxerunt.

* *Ita* ms. *Bonifont. sed Ultr.* ut nequiret quisquam indicare compagem membrorum. ms. *Rip.* ut nulla valeret se movere compage membrorum.

CAPUT VI.

Patent ei ostia, ac corda. Dæmones fugat.

Cum esset *a* insignis Hildericus Francorum Rex, venerationem qua eam dilexit effari nequeo : adeo ut vice quadam ne vinctos, quos interimere cogitabat, Genovefa abriperet, *b* egrediens urbem Parisiorum, portam claudi præceperit, At ubi ad Genovefam per fidum internuntium, Regis deliberatio pervenit; confestim ad liberandas animas properans iter direxit. Non minimum admirantis populi fuit spectaculum, quemadmodum se porta civitatis inter manus ejus sine clave reseravit. Sicque Regem consecuta, ne vinctorum capita amputarentur, obtinuit.

Hildericus magni eam facit.

a alii ingens *forte*, gentilis. *b al.* ingrediens.

Portæ Parisienses sponte Genovefæ aperiuntur.

26 Fuit quidam Sanctus in partibus Orientis valde contemptor sæculi, nomine Simeon, in Syria Ciliciæ eminus ab Antiochia manens in columna annis fere quadraginta; quem aiunt sedule negotiatores illuc euntes ac redeuntes de Genovefa interrogasse; quam etiam veneratione profusa salutasse, et ut ejus in orationibus suis memor esset, obnixe poposcisse ferunt.

S. Simeon Stylites (de quo 5 Januar.)

Genovefam sibi per spiritum notam salutat.

27 Puella quædam jam nubilis, et jam desponsata, nomine Cilinia, ut comperit gratiam Christi Genovefæ collatam, petiit sibi ab ipsa vestem mutari. Quod cum adolescens, cui fuerat promissa, audisset, protinus indignatione repletus, Meldis urbem, ubi Cilinia cum Genovefa morabatur, advenit. Mox Genovefa una cum Cilinia ut advenisse adolescentem comperit, cum summa festinatione ad ecclesiam perrexit. Magni miraculi res fuit, quemadmodum eis fugientibus ad ecclesiam baptisterium, quod interius erat, sponte se reseravit. Sic itaque prædicta puella ab hujus mundi naufragio vel contagione liberata, usque in consummationem in abstinentia et castitate perseveravit.

Puellam desponsatam, Deo consecrat volentem, et periculo eximit.

28 Per idem tempus supradicta Cilinia obtulit Genovefæ puellam de ministerio suo, cui biennio fere ægrotanti etiam pedum usus fuerat ablatus. Quam ut manibus Genovefa contrectavit, confestim sanitatem consecuta est.

Debilem sanat.

29 Factum est ut in Parisio propria urbe offerrentur ei inter viros et mulieres duodecim animæ, quæ a dæmonibus gravissime vexabantur. Illico Genovefa Christum sibi in auxilium invocans, ad orationem recurrit : continuoque energumeni suspenduntur in aera, ita ut nec manus eorum cameram, nec pedes terram tangerent.

12 energumenos precibus et signo crucis liberat.

tangerent. Quæ cum ab oratione surrexisset jussit eos ad S. Dionysii Martyris basilicam pergere. * E contra energumeni clamabant nequaquam sibi gradiendi facultatem concedi, nisi ab ea dissolverentur. Et ita a Genovefa signati, vinctis post tergum manibus ac silentes ad basilicam prædicti Martyris perrexerunt. Illaque post duas fere horas eos subsecuta, ad crebro dictam basilicam pervenit : quæ cum orare, ut moris sibi erat, adhærens pavimento, cum fletu cœpisset, vociferabantur energumeni cum ingenti clamore, prope jam esse eos, quos advenire sibi in solatium Genovefa precabatur : forsitan, ut opinor, Angeli, aut Martyres, vel Sancti quique eidem in auxilium conveniebant. Saltem ipse Dominus qui prope est omnibus invocantibus eum in veritate, præsens aderat; quique voluntatem timentium se facit, et deprecationem justorum exaudit, ut salventur ab eo. Elevansque se Genovefa ab oratione, et signans unumquemque eorum singulatim, omnes continuo obsessi a spiritibus immundis curati sunt. Moxque omnium astantium nares fœtor gravissimus perculit, videlicet ut cuncti crederent animas a vexatione dæmonum emundatas. Et magnificavit omnis cœtus Dominum in tali signo.

* MS. *Bonif.* continuo.

Dæmones cum fœtore discedunt.

30 Adveniens quædam puella a Bituricensi urbe Parisium, quæ post consecrationem suam corpus suum violaverat, sed ab hominibus immaculata credebatur; interrogatur a Genovefa, utrum sanctimonialis an vidua esset. At illa respondit se in sanctimonio consecratam, intacto corpore Christo dignum præbere famulatum. E contrario Genovefa locum ad tempus vel hominem eumdem, qui corpus ejus violaverat, exposuit. At illa quæ in cassum se Christi sponsam profitebatur, conscientia convicta, protinus ad pedes Genovefæ corruit. Multa de hujuscemodi hominibus narrare possem; sed propter longam narrationem silentio prætermisi.

Occulta peccata cognoscit Genovefa.

NOT. 57.

CAPUT VII.

Visum, vires, vitam variis restituit. Annonam pauperibus famis tempore procurat.

Puerum submersum vitæ restituit.

Post non longi temporis spatium erat cum ea mulier, quæ ab ipsa fuerat a vexatione diaboli emundata : cui filius annorum quatuor fuerat, qui casu ruit in puteum, et post tres fere horas demersus jacuit, exinde sublatus a matre sua, cum fletu et gemitu ante pedes Genovefæ vultu contrito defunctus depositus est : quem ut accepit Genovefa, et pallio suo cooperuit, prostrata in orationem, tunc flere non cessavit usque dum puerulum mortuum mors dimisit. Erant eodem tempore dies quadragesimæ, et infans ipse jam catechumenus factus fide imbuebatur Catholica; quin imo in Paschæ vigilia baptizatus, * Cellomerus nuncupatus est, eo quod in cellula sæpedictæ Genovefæ vitam, quam amiserat, recepisset.

* MS. *Bonif. et Rip.* Cellomeris. *Ultra* Collomerus.

Cujusdam manum tactu sanat.

32 In Meldorum urbe occurrit ei homo cubito tenus cum brachio manum aridam habens, obsecrans sanitatem sibi per eam restitui : apprehensam ergo manum illius aridam, ac compagem digitorum, brachiumque contractum vexillo crucis muniens; in semihora manus ejus restituta est.

Natalis calicis dies, dictus dies cænæ Domini.

33 A die sancto Epiphaniæ, usque ad natalem calicis diem, qui est Domini cœnæ, erat mos B. Genovefæ ut sola in cellula reclausa maneret; quatenus liberius soli Deo orationibus et vigiliis deserviret. Quadam die advenit quædam * femina curiositate potius quam fide permota, quidnam Genovefa in cellula sua ageret clam cognoscere volens : quæ ut ad fores ejus pervenit, mox lumen oculorum amisit. Nescio quid procul dubio dolose cogitantem ultio divina damnavit. Cujus oculos consummatione Quadragesimæ procedens Genovefa e cellula sua, oratione et signo crucis illuminavit.

* *addunt quidam* MS. religiosa.

Cæcæ visum restituit Genovefa.

34 Tempore igitur, quo obsidionem Parisius * per bis quinos, ut aiunt, annos a Francis perpessa est, pagum ejusdem urbis ita inedia afflixerat, ut nonnulli fame interiisse noscantur. Factum est autem ut Genovefa in Arciacense oppidum, navali evectione ad comparandam annonam proficisceretur. Quæ cum pervenisset ad locum, ubi erat in amne Sequanæ arbor quæ naves mergebat, paullulum Genovefa navigantes ad ripam appropinquare præcepit : et oratione facta arborem incidi jussit. Quam cum ictibus securium navales ejusdem socii cœpissent incidere, ultro orante Genovefa radicitus avulsa est. Protinus duo monstra feruntur * vario colore ab eodem loco egressa, de quorum nidore duabus fere horis navigantes fœtidissimo non modice flatu * gravati sunt. Nullusque deinceps in eodem loco naufragium passus ex navigantibus fertur.

* MS. *Rip.* quinos per annos.

Tempore famis Parisiensibus succurrit.

Arborem nautis exitiosam precibus avellit.

* MS. *Rip.* terrimi coloris.

Dæmonem naufragii auctorem pellit.

35 Deinde cum Arciacum oppidum fuisset ingressa, occurrit ei quidam Tribunus, nomine Passivus, deprecabaturque eam, ut uxorem suam longo jam tempore paralysis languore detentam sua visitatione salvaret. Obsecrante ergo Tribuno vel senioribus loci illius, in domum ejusdem ingressa ad lectum ægrotantis feminæ accessit, statimque, ut sibi semper moris erat, in orationem se dedit : completaque oratione, roboratam mulierem signaculo crucis de lectulo consurgere jussit : confestim mulier, quæ, ut asserebant, annis fere quatuor nequaquam vehi propriis viribus, præ ægritudine, vel dolore quiverat, jubente Genovefa illico de lecto surrexit incolumis. Pro cujus in commune miraculo, omnes magnificarunt mirabilem Deum in Sanctis suis.

* MS. *Ultr.* perculsi *al.* percussi.

Paralyticam signo crucis sanat.

36 Cumque ad civitatem * Trecassium pervenisset, occurrit ei multitudo populi offerentes infirmos. Quos illa signans et benedicens incolumes reddebat. Oblatus est ei in eadem urbe homo, quem Dominico die operantem ultio divina excæcaverat : nec non et puella annorum fere duodecim, similiter cæca : quorum illa oculos facto signo Crucis, invocata individua Trinitate, illuminavit.

* MS. *Bonif.* Tricassim.

Signo crucis multos ægros, et duos cæcos sanat.

37 Quidam Subdiaconus, ut vidit tanta mirabilia per eam fieri, obtulit ei filium suum, quem bis quinis mensibus febrium frigora vehementer afflixerant. Mox Genovefa aquam sibi exhiberi jussit, quam ut accepit invocato nomine Domini, et vexillo crucis signatam infirmo potandam dedit. Tunc propitiato Domino Jesu Christo confestim sanus factus est.

Alium ægrum sanat signo crucis.

38 Plures ea tempestate, fide repleti, auferentes fimbrias vestimenti ejus, a diversis infirmitatibus sunt sanati. Plerique obsessi a dæmonibus per eam mundati sunt.

Fimbriis vestimenti ejus fiunt miracula.

39 Regrediens vero * ab Arciaco, ubi dies aliquot commorata est, et inde redieus ad suam civitatem, uxor Tribuni, quæ per eam fuerat sanitatem consecuta, quousque navem adscenderet eam prosecuta est. Navali igitur evectione remeantibus contigit ut naves eorum vento flante, ita inter scopulos vel arbores periclitarentur, ut * castellæ in quibus fruges exhibebant, in latere versæ, etiam naves aqua implerentur. Illico Genovefa ad cælum manibus expansis opitulationem a Christo flagitavit, confestimque naves in suo sunt cursu directæ. Sicque per eam Deus ac Dominus noster undecim naves oneriferas frugum salvavit. Hæc ut vidit Bessus Presbyter, cujus præ timore calor ossa reliquerat, lætitia repletus, clara voce cecinit dicens : Adjutor et protector factus est nobis Dominus in salutem. Pariterque omnes cum eo in cælum clamore sublato; canticum Exodi in modum celeumæ concinentes magnificaverunt Deum, per quem sunt famula ejus Genovefa deprecante salvati.

* *al.* Archiacum.

* MS. *Bonif.* castellatim.

Precibus naufragium cum suis evadit.

Exod. 15.

40 Regressa itaque Parisium urbem, unicuique prout * opus fuit annonam largita est : nonnullis vero, quibus virtus præ inopia deerat, panes integros præ rogabat, adeo ut sæpe puellæ, quæ in ejus obsequio erant, recurrentes ad clibanum, partem de pane, quem in

* MS. *Rip.* potuit.

Pauperibus liberaliter subvenit.

Ex mss. in eo posuerant, non reperirent : pars enim maxima fuerat ab ea clam pauperibus erogata. Quod tum demum a quo esset panis de clibano sublatus reperiebatur, cum panes calidos per civitatem post paullulum cernerent egenos deferentes, et nomen Genovefæ benedicentes ac magnificantes audirent. Erat illi spes non de his quæ videntur, sed quæ non videntur. * Erat enim verum dictum Prophetæ, qui dicit : Quoniam qui pauperibus erogat Deo fœnerat. Cui etiam patria illa, in qua fœneratores egentium requirunt thesaurum suum, olim per revelationem Spiritus sancti fuerat ostensa : et idcirco sine intermissione flere consueverat, quandoquidem sciebat, se in corpore positam peregrinari a Domino.

Prov. 19. 17. *Cæli gaudia vidit : inde semper lacrymatur.*

* Sequentia usque ad n. 44. desunt in ms. Rip.

CAPUT VIII.

Variis ægris signo crucis subvenit.

Surdum signo crucis sanat. *ms. *Bonif.* Frummius. ms. *Rip.* Frunimius. *Puellam moribundam precibus sanat.*

Defensor quidam ex Meldorum urbe, nomine * Fruminius, annis quatuor clausos habens aurium meatus, Parisium Genovefam expetiit, obsecrans sibi tactu manuum suarum auditum restitui. Cujus cum aures manu contrectans signasset, continuo auditu recepto benedixit Domino Jesu Christo.

42 In Aurelianensi urbe quid miraculi per eam gestum sit, ordo lectionis narrare exposcit. Cujus cum Fraternæ matrisfamiliæ, quæ super filiam suam Claudiam in transitu depositam deflebat, adventus delatus fuisset, pro filia rogatura, continuo ad Genovefam properans direxit. Quam cum in basilica S. Aniani Antistitis orantem reperisset, cadens ad pedes ejus, ejulans hoc tantum deprecata fertur : Redde mihi Domina Genovefa filiam meam. Genovefa, ut vidit fidem ejus, respondisse dicitur : Desine ab injuria ac molestia mea : filiæ tuæ redintegrata est incolumitas. Posthoc responsum Fraterna læta surrexit, una cum Genovefa rediit ad tabernaculum suum. Mirabilis Dei potentia Claudiam ex faucibus inferi revocatam ita extemplo sanavit, ut sospes Genovefæ in auditorio domus occurreret. Et magnificavit universa turba Dominum pro repentina incolumitate meritis Genovefæ, Claudiæ reddita.

Nolens famulo suo ignoscere, morbo corripitur.

43 Factum est in eadem urbe, cum cuidam pro famulo culpabili supplicaret, et ille superbia et pertinacia obduratus nequaquam famulo ignosceret, his eum verbis allocuta dicitur : Si tu me supplicantem despectui habes, non me despicit Dominus meus Jesus Christus, quoniam pius et clemens est ad ignoscendum. Ast ubi in domum suam homo ille rediit, mox ita febre accensus est, ut tota nocte anhelans et æstuans requiescere nequiret : quin etiam in crastinum primo diluculo, etiam aperto ore, morbo, qui quotidianus bos interpretatur, lingua salivam distillans, ad pedes Genovefæ provolutus, veniam, quam pridie famulo non dederat, sibi dari precabatur. Sancta vero Genovefa signans eum, omnis ab eo febris et ægritudo discessit, et ita sanum mente atque corpore dominum, et servum reddidit excusatum. Sine dubitatione Angelus Domini eum affligebat, quemadmodum Anicianum Judicem pertinacissimum, ante cujus januam S. Martinus intempesta nocte pro vinctis rogaturus advenisse legitur, quem etiam colaphizatum ab Angelo lectio tradit, ut ante fores domus suæ S. Martino occurrisse, et omnia quæ peteret præstitisse feratur.

Signo crucis sanatur a Genovefa.

CAPUT IX.

Dæmonem ex humanis corporibus pellit.

Et inde navigio Turonis profecta, multa discrimina Ligeris fluvii perpessa est. Sunt vero ab Aurelianorum urbe usque ad Turonorum civitatem, quæ Tertia Lugdunensis nuncupatur, quasi stadia sexcenta. Et cum ad portum Turonicæ urbis venisset, occurrit ei de basilica S. Martini energumenorum multitudo, clamantes nequissimi spiritus, se inter S. Martinum et Genovefam flammis exuri. Quin et pericula quæ in Ligeri fluvio perpessa fuerat, ad æmulationem sui se profitebantur immisisse. Interea Genovefa basilicam S. Martini ingressa, plures obsessos a dæmonibus oratione, et signaculo crucis emundavit. Verum illi, a quibus immundi spiritus exibant, fatebantur in hora cruciatus sui, quod digiti manuum Genovefæ singillatim velut cerei divinitus cælesti igne flagrarent, et circa se ardere, fœtidissime debacchantes clamabant.

Multos energumenos signo crucis curat.

Iis Genovefæ digiti ardere videntur.

45 Adierunt eam tres viri, quorum conjuges in domibus eorum clam a dæmonibus vexabantur; obsecrantes ut visitatione sua eas a nequissimis spiritibus emundaret. At illa, ut erat benignissima, secuta est eos. Ingressa ergo uniuscujusque domum, matronæ eorum oratione, et benedictione olei unctæ per eam a vexatione dæmonum sunt emundatæ.

3 energumenas oleo benedicto curat.

46 Postperendie cum S. Martini interesset vigiliis, in angulo basilicæ orans, ac benedicens et laudans Dominum, et in media caterva staret incognita, unus de psallentibus arreptus a dæmone, lanians proprios artus, * quos mente captus a se alienos esse credebat, ab absida ad Genovefam properavit. Cumque Genovefa spiritum immundum a corpore hominis juberet exire, et spiritus nequam per oculum se progredi minaretur, imperante Genovefa, fœda relinquens vestigia, fluxu ventris egestus est. Nec mora, dicto citius ejecto dæmone persona mundata est. Multis honoribus tum eam euntem ac redeuntem universi honoraverunt.

Item alium.

**ms. Bonif.* se esse alienum credebat.

47 Per idem tempus stans in aditu domus suæ vidit quamdam puellam prætereuntem ampullam in manu gestantem : quam cum ad se vocasset, interrogat quid ferret. At illa inquit : Ampullam ad liquamen, quod mihi nuper a negotiatoribus venumdatum est. Porro Genovefa conspicata generis humani hostem in ampullæ ore sedentem, comminans insufflavit in eam : statimque pars de ore ipsius ampullæ fracta cecidit. Tunc demum signata ampulla abire puellam jussit. Hæc videntes valde mirati sunt, quod nequaquam ei diabolus se occultare quiverat.

Dæmonem ex ampulla expellit.

CAPUT X.

Imbrem, tempestatem, morbos, precibus depellit.

Puerulus quidam, nomine Maroveus, oblatus est Genovefæ a parentibus suis cæcus, surdus, mutus, et claudus. Quem oleo benedicto delibutum, signaculo etiam Crucis communivit. Sicque roboratis cruribus gressum direxit incolumis, ac recepta visione integre auditum et eloquium adeptus est.

Cæcum, surdum, mutum, claudum sanat.

49 Item in territorio Meldensium urbis congregatis messoribus, cum propriam messem meteret sæpedicta jam virgo, valde turbati sunt messores propter imbrem repentinum, qui cum turbine imminebat. Confestimque Genovefa ingressa * tentorium, solito more, solo adhærens cum fletu orare cœpit. Admirabilem cunctis intuentibus Christus ostendit virtutem : nam cum in circuitu omnium segetes pluvia rigaret, nec messem nec messores Genovefæ saltem ullus guttarum humor illapsus contigit.

Pluviam precibus avertit.

** al.* tritorium.

50 Factum est deinceps cum per amnem Sequanæ navali deveheretur itinere, ita, ut solet fieri, insperate cæli mutata serenitate, hinc orta tempestate navicula ejus vento collisa, pene fluctibus operiebatur : protinus Genovefa suspiciens in cælum, manibus expansis auxilium a Domino precabatur. Talis continuo facta est tranquillitas, ut sine dubio Christus adfuisse et ventis ac fluvio imperasse crederetur.

Tempestatem precibus sedat.

51 Ægros vero jugiter oleo sacro delibutos, sospites reddebat. Factum est ut quemdam a dæmonio vexatum oleo vellet perungere, cui cum secundum præceptionem sui, ampulla, quæ oleum benedictum habuerat, vacua fuisset allata, vehementissime sancta Dei famula Genovefa turbata quidnam ageret hæsitabat.

Oleo benedicto morbos sanat, dæmonem pellit.

tabat. Nam Pontifex qui oleum ei benediceret aberat. Interea solo recubans auxilium sibi affore de cælo ad absolvendum infirmum sacris precibus implorabat. *Ejus precibus oleo repletur ampulla.* Mox ut ab oratione surrexit, in manibus ejus ampulla oleo repleta est. Et ita demum geminæ in una hora virtutes, Christo operante, per eam apparuerunt, ut et ampulla, quæ oleum non habebat, inter manus ejus vacua repleretur; et ab ipso oleo energumeno delibuto, a vexatione dæmonum incolumis redderetur.

Quando scripta sit vita. Post ter senos namque ab obitu ejus annos, quo ad describendam ejus vitam animum apposui, cum ipsa ampulla oleum, quod in oratione creverat, vidi.

CAPUT XI.

Miracula post mortem: basilica ei erecta.

Octogenaria major moritur. Verumtamen de excessu vitæ ejus, et honore funeris, brevitatem secutus, silere studui; quæ transiit in senectute bona plena virtutibus, ampliusque quam decies octonos annos manens in corpore vixit in sæculo peregrinata a Domino, humataque est in pace die III Nonas Januarii.

**MS. Rip. puer. Nephritis ad ejus sepulcrum curata.* 53 Quidam * vir, nomine Prudens, qualiter remedium ac medelam ad ejus sepulchrum adeptus sit, non absurdum fidelibus innotescere, pro reverentia loci ipsius existimo. Quem cum ab infirmitate calculi nimium afflictum genitores sui vivere desperarent, et ad tumulum Genovefæ cum gemitu et fletu medelam ægritudinis implorassent, ipsa die lapis ab eadem infirmitate generatus ab eodem egressus est, et ulterius eum prædicta infirmitas non vexavit.

Manuum contractio sanata. 54 Cuidam Gotho die Dominico operanti manus utræque contraxerant. Hic cum ad sepulchrum Genovefæ sanitatem sibi reddi nocte tota implorasset, in crastinum ab oratorio super sepulchrum de ligno contextum, recepta manuum suarum sanitate incolumis egressus est.

55 Nam et gloriosæ memoriæ Chlodovæus Rex bellorum jure tremendus, crebro pro dilectione sanctæ Virginis in ergastulum retrusis indulgentiam tribuit, et pro criminum animadversione sæpe etiam culpabiles incolumes Genovefa supplicante dimisit. **MS. Bonif. corporis. Basilica ad ejus honorem cœpta a Clodoveo, perfecta a Clotilde.* Quin etiam * honoris ejus gratia basilicam ædificare cœperat, quæ post discessum ejus studio præcellentissimæ Crothildis Reginæ suæ celsum extulit ædificata fastigium. Cui est porticus applicata triplex, nec non et Patriarcharum et Prophetarum, et Martyrum atque Confessorum, veram vetusti temporis fidem, quæ sunt tradita libris et historiarum paginis pictura refert. Atque ideo universi qui Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, secundum substantiam Deitatis adoramus, et unitatem in Trinitate confitemur, incessanter obsecremus fidelissimam Dei famulam Genovefam, ut supplicet pro præteritis malis nostris veniam, quatenus reconciliati, magnificemus Dominum nostrum Jesum Christum, cui est gloria, et honor, et imperium, et potestas in sæcula sæculorum, Amen.

NOT. 58.

ALIA VITA
EX VETERIBUS MSS.
CAPUT I.

S. Genovefæ virginitatem suadet S. Germanus.

S. Genovefæ patria ac parentes. Sancta igitur Genovefa in Nemetrodorensi parochia nata, quæ septem ferme millibus a Parisius urbe est constituta, Severo patre, Gerontia matre progenita est. Hæc quantam ab ineunte ætate scientiam Dei gratia fuerit consecuta, quantaque Deo religionis devotione servierit, fidelium auditui profectuique valitura edita in titulis verba testantur.

2 Proficiscentes itaque ad Britannias Germanus et Lupus præclari maximique Pontifices ad Pelagianam hæresim, quæ tunc in locis illis emerserat, reprimendam, ad memoratam forte parochiam orandi vel manendi se gratia contulerunt: quibus cum obviam utriusque sexus multitudo eminus * ab ecclesia catervatim vico effusa procederet; hæc adolescentula inter reliquam occurrentium multitudinem parentum est vestigia comitata. Quam cum S. Germanus eminus aspexisset, nescio quid in ea, meritorum ejus præscius, spirituale prospiciens, cœpit extemplo et nomen puellæ, et cujus esset filia sciscitari. A circumstantibus illico et puellæ pariter et parentum nomina disseruntur. Ad quos ait S. Germanus: Hæc vestra est filia? Illi, Nostra, inquiunt. Quibus ille respondit: Felices vos tam venerandæ sobolis genitores.

Ex MSS. *S. Germano Episcopo occurrit.*

**MS. Aud. ad ecclesiam.*

3 Advenientes ergo ad ecclesiam * hora duodecima celebrata, S. Germanus parentes pariter et puellam ad hospitii sui receptaculum jussit abire. Quam sibi altera die mature priusquam abscederet injunxit adduci. * Postero die surgente jam jubare parentes ac filia, uti S. Germanus indixerat, adfuerunt. Cumque puellam memoratus Pontifex, præscius futurorum, suaderet religiosæ vitæ propositum blandiloquus hortator assumere; illa se exoptare hujus meriti donum, parvula quidem ætate, haud infantili professione respondit.

**MS. Preudh. nona.*

**MS. Max. Porro diei. Excitatur ad studium castitatis.*

4 Cumque S. Germanus valde in puella et Dei donum et perfectæ fidei jam miraretur exordia, in terram * forte oculis tam admirabilis rei stupore defixis, nummum solo æreum jacere prospexit, crucis signaculo titulatum. Hunc beatus Pontifex a telluris pulvere sublevatum puellæ quasi quoddam pignus religiosi muneris dereliquit, atque ut perforatus collo ejus inhæreret indixit, et ut nullius post hæc metalli aut margaritarum monilibus ornaretur admonuit, ut sæculi ornamenta despiciens veri nitoris et candoris cælestis gratiæ pulcritudine non careret. Et valedicens ei, commendansque eam genitoribus suis, necessitatem cœpti itineris pertinax viator exequitur.

**MS. Aud. fortiter. Numisma cruce insignitum.*

CAPUT II.

Paralysi laborat, ejus sanctitas varie commendatur.

Post aliquot dies mater ejus die solemni ad ecclesiam ire disposuit, et Genovefam * domi remanere ac recedere præcepit. Quam cum a se dum ad ecclesiam pergeret, ne quaquam posset abigere, clamitantem sibimet ac dicentem, quod promissionis suæ memor vellet ecclesiam orationis ac devotionis studio frequentare; mater ejus palma maxillam ejus iracunda percussit. Quæ illico luminis visione privata supplicium continuæ cæcitatis incurrit. Tribus namque mensibus minus a biennio expers lucis fuisse manifestissime perhibetur. Tandem aliquando, ut credibile est, Deo inspirante, recordata est mater ejus quid dudum S. Germanus summus Pontifex filiam suam meriti censuerat habituram, et vocans eam ad se ait ei: Obsecro, cape hauritorium, properansque perge ad puteum, et aquam adfer matri, quæ privata luminis beneficio semiviva est. Soboles ne gravaret illam, summa cum festinatione percurrens ad puteum, impleto hauritorio aquam matri, quam poposcerat, ministravit. Mater vero, extensis ad cælum manibus, aquam a filia, quam deferebat, excepit: et ut collatæ aquæ a filia crucis signum superponeretur expetiit: de qua fomentans sibimet oculos, recepisse se paullulum sensit aspectum. Cumque hoc bis terque fecisset, eam ad puritatem luminis derogati recepta in integrum sanitate manifestum est pervenisse.

**al. dormire mane ac domi residere. Atque ita legisse videtur Surius.*

Mater Genovefæ alapam infligens fit cæca.

Aqua a filia benedicta linit oculos, et sanatur.

6 Accidit etiam ut cum B. Genovefa duæ puellæ multum eam ætatis senio præcedentes consecrandæ * Julico Episcopo ducerentur. Quas cum juxta ætatem annorum promoverent, Genovefam, nescio quid in ea spiritalis

**MS. Preudh. illico. S. Max. Juliaco.*

Ex mss. *Consecratur. ob merita aliis prælata.* spiritalis gratiæ proprium inesse perspiciens, benedictioni ante alias præcepit offerri; sicque et aliæ benedictionem deinceps consecutæ obtutibus prædicti Pontificis pariter abierunt.

Migrat Parisios. 7 Defunctis itaque parentibus, Parisiis urbe, arcessente matre sua spiritali atque etiam adhortante, migravit. Factum est autem postquam in urbem se contulit, ut in infirmitate ejus Christi in ea gratia peculiarius infusa totius populi notitiæ vulgata plus cresceret; et ita corpus ejus paralytici humoris ægritudo acrius dominata dissolveret, ut populante vi morbi nulla prorsus compago suis artubus adhæreret. *Laborat paralysi.* Cujus infirmitatis vehementius afflictatione depressa triduo semianimis, solis tantum genis subrubentibus, palpitavit. Quæ cum corporalem denuo sanitatem, opitulante Dei misericordia, fuisset adepta, multa sibi in spiritu visa quibusdam spiritalibus est professa, quæ propter incredulorum oblocutionem, invidiamque jactantiæ non necesse est enarrari. *Triduo animi deliquium patitur. Multa cognoscit arcana.*

S. Germanus secundo it in Britanniam. 8 Advenienti igitur Sancto Germano Parisios, et iterum ad Britannias ambulanti, cunctus obviam populus ob venerationem tanti Pontificis procul ab urbe pro fidei devotione processit. At ille illico sollicitus de Genovefæ vita vel actibus inquisivit. Sed quidam ex populo bonis invidi, ad loquendum garruli, ad obloquendum parati, voluerunt vitæ illius perspicuam claritatem inani obloquiorum susurratione fuscare. Quos statim S. Germanus Pontificali gravitate despexit, et civitatem ingressus, Genovefæ hospitium sibi poposcit ostendi. *Genovefam adit, ac honorat.* Quam cum summa humilitate et veneratione salutans, vitæ illius qualitatem universo populo uti Nimitodoro fecerat, prædicavit : et ex urbe egressus cursum est dispositi itineris executus.

CAPUT III.

Hunnos precibus a Parisiis avertit.

Attila Gallias vastat. Parisienses alio fugere meditantur. Eodem tempore Attila Rex Hunorum provincias Galliæ gravi cœperat populatione vastare. Tunc Parisiaci, hostilitatis illius vim furoremque metuentes se cum conjugibus ac liberis, fortunisque suis ad urbes tutioribus locis fundatas cœperant relicto Parisio velle transferre. *Dissuadet id illis per uxores Genovefa.* Quorum conjuges S. Genovefa cœpit instantius adhortari, ne urbem, in qua genitæ nutritæque fuerant, sub hac desperatione desererent; sed potius contra gladiorum impetum se vel viros suos jejuniis et orationibus armarent, quo facilius Deo opitulante se confiderent evasuras. Consentientes ergo matronæ S. Genovefæ consiliis, orationibus deditæ, spem suam statuunt in Dei misericordia atque omnipotentis auxilio collocare; virosque suos omnimodis admonebant, ne desperantes bona sua a Parisiis deportarent; sed potius ut Dominum fideliter precarentur, qui eos ab imminenti periculo valeret eripere. Nam civitates illæ, quarum munitionem nitebantur expetere, aiebat illis, quoniam graviori belli impetu * immanius essent quatiendæ; Parisius autem quod intemerata ab inimicis, Deo protegente, maneret.

**mss. in manus.*

**al. fit ut cives.*

Cupiunt cives eam interficere. 10 Unde etiam, * (ut fuit fides) Parisiaci sanctæ ac Deo placitæ Virgini pro communis lucri bono, in quo eos vel uxores eorum commonere minime desinebat, sacrilegos de ea ausi sunt inire conventus et in necem famulæ Dei nefaria societate conjuncti, supplicia, quæ non immerito adulteris flagitiosisque pro * nugacitatis temeritate debentur, sanctæ illi religiosæque Virgini sceleratis cogitationum ausibus sunt inferre moliti. Peracta igitur cunctatione, cum jam nulla restaret de necis illatione dissensio, sed sola esset de mortis conditione utrum lapidaretur an mergeretur contentio, dum deliberatum facinus hæc paullulum causa suspenderet, Archidiaconus ab Autisiodorensi urbe Parisius subito accidit ut veniret. Qui cum sollicite quid ibidem ageretur inquireret, quisnam ille esset civium tractatus agnovit. Quibus ille protinus inquit : Nolite, o cives, tantum facinus mente concipere. Hanc ego S. Germanum Episcopum venerabili voce laudare, et vitæ ejus merita prædicare frequenter audivi. Ecce quæ ei a memorato Pontifice, et per me sunt allata perspicite. Hæc Archidiaconus atque alia plura narrando, civium animos in sese potius quam in benedictæ illius necem commotos, salubri adlocutione compescuit. *Compescit eos Archidiaconus Autisiodor.*

Comparatur SS. Martino et Aniano. 11 S. Martinus virtutum admiratione laudabilis apud Wangionum civitatem a Præfecto militum custodiæ deputatus, atque inermis altera die contra exercitum proferendus, orationum meritis fœdus utriusque partis obtinuit. Beatissimus Pontifex Anianus Aurelianensem urbem Hunorum obsidione vallatam, et prope jam pulsibus corruentem ab imminenti periculo accelerato orationibus Gothorum auxilio liberavit. Hæc vero Hunorum exercitui non solum longius venienti orationibus restitit, verum etiam ne appropinquare Parisius conaretur apud Deum orationibus suis obtinuit. Merito ergo S. Genovefæ eadem, quæ prædictis Antistitibus, venerationis deferuntur obsequia, cui in virtutum meritis probatur esse par gloria.

NOT. 59.

CAPUT IV.

S. Dionysii basilicam ædificat.

Ejus abstinentia. A quintodecimo namque usque ad quinquagesimum annum ætatis suæ bis in hebdomada jejunium modica cibi sumptione dissoluit. Panis hordeacei tantum et fabæ capiens pulmentum; vinum vero vel quidquid inebriare hominem potest, omni tempore vitæ suæ non potavit. Post quinquagesimum annum Episcopis suadentibus, quorum admonitioni nefas est contradici, piscem et lac rara ac modica perceptione gustavit.

**ms. Aud. præclaræ. Ejus mysticæ comites.* 13 Fuerunt ei hæ virgines comites * spiritales, his vocabulorum nominibus nuncupatæ : Fides, Abstinentia, Magnanimitas, Patientia, Simplicitas, Innocentia, Concordia, Prudentia, Caritas, Veritas, Disciplina, omni illi vitæ suæ tempore cohærentes.

Erga S. Dionysium pietas. 14. Vicum Catholicensem, in quo S. Dionysius et passus est et sepultus, grandi amore ac veneratione dilexit. Hic vero Episcopus in sexto a Parisius miliario martyrio vitam finivit, qui a Clemente Episcopo S. Petri discipulo est in Sacerdotium benedictus, et ab eodem dicitur in has partes destinatus, qui Clemens etiam certamen supradicti Sancti Petri Apostoli cum Simone mago in Cæsarea vel alibi gestum admirabili prædicatione descripsit. *S. Dionysius in Galliam a S. Clemente missus.*

S. Genovefa agit de ædificanda ei basilica. 15 Cupiebat enim S. Genovefa huic Sancto Dionysio Martyri in supradicto vico basilicam maxima construere ambitione, sed pro exiguitate census virtus deerat construendi. Ad cujus cum officium Presbyteri solito convenissent, cœpit cum his habere de basilicæ constructione colloquium, ut unusquisque prout posset operi impendium pro fidei suæ devotione conferret. Qui cum ad excoquendas calces se possibilitatis copiam non habere præcipue quererentur; S. Genovefa confidens de auxilio Domini nihil huic operi defuturum, ait ad eos : Egredimini et per civitatem et pontes ac per vias gradientes, unusquisque sollicita quid audire possit aurium sagacitate perquirat. Qui protinus dicto obedientes et creduli quid eisdem de hac re demonstraretur; et egressi stantes in publico, quod unusquisque prætereuntium diceret indicto linguis silentio, usu tantum aurium præstolantes, duos inter se pastores audiunt colloquentes, quod dum *a* degregata ob *b* pastum forte pecora sollicite vestigarent, duos furnos refertos calcibus in desertis locis et abditis se vidisse alter alteri miræ magnitudinis indicabat. Hæc audientes Presbyteri

Calx ad id necessaria mirabiliter reperitur.

a ms. *S. Max.* segregata. ms. *Aud.* decongregata. b. *al.* partum.

sbyteri et lacrymosis gratulationibus Deo gratias referentes, quod famulam suam Genovefam tam peculiaris gratiæ dote ditaret, mox memorati quæ cognoverant retulerunt. At illa egressis e domo Presbyteris, fixis in terram genibus ac solo strata procumbens, Domino supplicavit, ut tenuitati virium suarum ad parandum opus quod voverat pius auxiliator existeret. Quæ consummata prorumpente lucis vigilia ad Genesium Presbyterum festina pervenit, et illi omnia de repertis furnis, uti erant gesta, narravit. Quin Presbyter in hoc opere memorato præcipitans executurum se sedulo, quod illi injungeret repromisit. Sic et auxiliantibus civibus basilica est in honore sancti Martyris Dionysii, eadem adhortante, constructa.

Genesius Presbyter operi præest.

16 Illud etiam censui, quid miraculi dum circa basilicam attentius laboraretur accesserit, nequaquam debere silentio præteriri. Congregatis ergo artificibus, quibus lignorum erat incidendi commitendique notitia, cum plurimi ad perficiendum ædificium memoratum ab eadem invitati pro devotione fidei convenissent, accidit ut poculum, quo propinabatur, pene deficeret. Unde ergo ait ei Genesius, ut illa intentius * operum artifices hortaretur, dum is ad civitatem quod deerat velocius allaturus excurreret. Egresso ergo eodem cuppam sibi S. Genovefa quæ poculum habuerat præcepit ostendi : supra quam signum crucis faciens exhausta cuppæ illius capacitas, ejusdem poculi, cujus dudum fuerat qualitate referta usque ad oris orbitam, quasi nihil ex ea ablatum fuerit, est repleta, ita ut congregatis usque ad abscessum consummati operis miro infusionis genere satis abundeque sufficeret.

**al.* operas artificum. *Operis potum impetrat a Deo.*

CAPUT V.

Cæcam et paralyticam sanat : precibus candelam reaccendit.

Cumque esset illi etiam hæc in vigiliarum observatione devotio, ut noctem sabbathi usque ad crastinam lucem, id est Dominicam diem, pervigili oratione consummaret; accidit uno quodammodo domesticarum volucrium cantu transacto, intempestæ noctis curriculo, ut e cubiculo suo ad basilicam memorati Martyris incenso cereo præeunte properaret : quod officium luminis vis turbinum flatu nimiæ spirationis extinxit. Cumque circa eam euntes comites obscuritas tetræ noctis, ablato luminis ministerio, quo irent vel ubi gressum figerent reddidisset incertas; Genovefa mox ut e puellæ manu cereum rapuit, lumen idem amissæ claritatis excepit : et sic ad basilicam cum comitibus absque ulla gressuum ambiguitate pervenit. Ibique cereus ipsa gestante defixus eadem flamma est, qua incensus fuerat, lambente consumptus.

Noctem sabbathi pervigil in oratione transigit.

Cereum extinctum precibus reaccendit :

18 Aiunt etiam dum in cellula sua orationi diu solo recubans inhæreret, et a pavimento oratione completa fidelis Dei famula surrexisset, cereum ibidem absque ulla ignis appositione esse succensum. De quo plurimi fideliter expetentes feruntur consecuti non modicum diversarum infirmitatum absque ulla difficultate remedium.

Item alias.

Eo cereo multi sanantur.

19 Minimæ etiam rei quædam mulier, pedum calceamenta furti obreptione præsumpsit : quæ statim ut ad domum regressa pervenit, pœnam cæcitatis incurrit. Et ut agnovit quia ob benedictæ illius injuriam, pœnam in se divinitus excepisset, duce prævio gressus illius regente pertracta, ad Genovefæ pedes ruens prona decubuit, quæ indulgeri sibi veniam, lumenque restitui, clausa oculorum sede, siccis ex illata cæcitate lacrymarum imbre luminibus, solis tantum qui fletum proderent ululatibus implorabat. At illa humo eam miserata sustollens, ac de illati furti vilitate subridens, oculis ej us Crucis signaculo confidenter impresso pristini visus restituit sanitatem.

Ejus calceos furata fit cæca :

Ab ea crucis signo sanatur.

20 In * Lugduno vero quid miraculi per eam Dominus fuerit operatus, nequaquam silentio rem tanti meriti patimur præterire. Adveniente igitur memorata, exiens ab urbe totius populi turba in occursum obviam properavit, ibique fuere inter reliquam populi turbam parentes puellæ, quæ jam novem fere annos ita paralytici erat humoris dominatione *a* penetrata *b* ut nullam prorsus haberet membrorum compagis soliditatem. Ad cujus lectulum Genovefa parentum precibus oxorata perducitur. Quæ oratione facta dum singulos puellæ artus manus visitatione contrectat, e lecto quo decumbebat exsurgere, et calceare illico ipsam se posse fecit propriis manibus, et vestire, et secum ad ecclesiam ire jussit incolumem. Quod cum vidisset civitatis illius turba, vehementer attonita præcipua eam veneratione suspexit laudes referentes omnipotenti Deo, qui tantam gratiam diligentibus se dignaretur impendere.

Ex mss. *ms. *Aud.* Leduno.

Paralyticam sanat.

a ms. *S. Max.* vastata.

b mss. *Aud. et S. Max.* ut ad nullum prorsus usum posset membrorum compago converti.

CAPUT VI.

Patent ei ostia ac corda. Dæmones fugat.

Hildericus Rex Francorum cum non fuerit Christianus, grandi eam veneratione * suspexit. Nam quadam vice cum aliquos capitaliter reos pertinaciter decrevisset occidere, ne S. Genovefæ precibus possent liberari, exiens de civitate jussit portas civitatis clavibus obserari. At ubi Genovefæ nuntiatum est, quod Rex ad eos occidendos foras fuisset egressus; protinus ut pro eis Regem precaretur festina perrexit. Advenienti ergo portæ, quæ diligenter fuerant obseratæ, statim ei sunt, stupefactis custodibus, quasi quodam jubentis imperio, vel obtemperantis obsequio, reseratæ. Sic ad Regem perveniens, ne vincti capitibus truncarentur obtinuit, et jam jamque perituri ab imminentis mortis periculo sunt liberati.

*ms. *Max.* dilexit. *Hildericus Rex magni eam facit.*

Portæ urbis sponte Genovefæ aperiuntur.

22 Fuit quidam vir sanctus in Orientis partibus contemptor sæculi, nomine Simeon, quadraginta fere annos in columna eminus ab Antiochia constitutus : hic per negotiatores ad loca ista mercandi gratia sæpius venientes S. Genovefæ salutationes cum plurima veneratione mittebat, et ut pro se Dominum exoraret sedulo precabatur. Quanta namque fideles Dei famuli gratiæ locupletatione ditantur, ut quos a cognitione mutua provinciarum situs et spatia longinqua discriminant, eos Dei providentia interiori quodam mentis aspectu invicem nosse se faciat!

S. Simeon Stylites (de quo 5 Januar.) eam per spiritum cognoscit.

23 Adolescentula quædam valde nobilis, nomine * Cilinia, cuidam puero sponsaliorum obligatione pollicita, petiit a S. Genovefa, ut sibi religiosi habitus indumenta mutaret, maritali copulæ et sæculari pompæ religionis decus et virginitatis ornamenta præferens. Quod cum per mobilis famæ flatus ad sponsi pervolasset auditum, protinus furoris pariter et amoris inflammatione permotus, Meldis ut sponsæ suæ conjungeretur advenit. Comperto igitur adolescentis adventu S. Genovefa una cum Cilinia ad ecclesiam propere tetenderunt. Quibus accurrentibus ecclesiæ pariter interiora baptisterii limina reseratis ultro clavibus mirabili admiratione patuerunt, sicque puella mundi hujus * naufragia perseverantia virginitatis evicit.

* *al.* Licinia. *Puellæ tuetur virginitatem.*

Virginibus ultro templi adytæ patent.

*ms. *Preudh.* naufragio perseverantiam.

24 Quodam iterum tempore accidit, ut Parisius ei duodecim simul animæ, quæ graviter a dæmonio vexabantur, pariter offerrentur. Cumque pro emundatione eorum faciem Dei, ut sibi auxilium e cælo concederetur implorasset; protinus energumeni ad cameram usque prosiliunt, latenti quodam intrinsecus igne succensi, ut intuentium metu in aeris vacuum pondus corporum absentibus vinculis teneretur ad-

Energumenos 12 liberat.

28 pensum,

Ex mss. pensum, et nunc vociferantes quodam vinculorum more curvati, nunc in modum cujusdam voluminis implicantur adstricti, nunc iterum resupini auras brachiorum ictibus criniumque diverberant, et urgeri se gravioribus suppliciis deducta in fletum longius voce deplorant. Sic orante ea diverso tormentorum genere invisibilis quæsituræ visibili quæstione torquentur. Cumque oratione completa a pavimento se Dei famula sublevasset, jussit eis ut ad S. Dionysii Martyris basilicam properarent. Ubi cum illi dicerent se non habere copiam illuc gradiendi, quia non essent Crucis signaculo resoluti ut pergerent; ab eadem illico Crucis signaculo resoluti, his ut pergerent imperavit, et ut perditioni dare corpora non valerent, ire illic tantum ubi jussi fuerant sunt dimissi. Ergo cum ad basilicam, uti eis a S. Genovefa fuerat imperatum nolentes ut malorum auctores, * volantes ut dæmones pervenissent; illa eos ad memorati Martyris aulam feminei sexus gravitate tardata, post aliquot est horarum spatia subsecuta, cum ibidem pro eis beati Martyris adjuta solatio, orationi diu dedita, fideli confidentia Domino supplicasset, totum ægrotorum numerum ab obsidione immundorum spirituum sanitati propriæ reddidit absolutum, ita ut abscessum dæmonum non solum oris querimonia, verumetiam odoris immunditia testaretur.

* ms. *D. Preudh.* volentes.

Occulta peccata cognoscit.

25 Multa vero flagitia in quibusdam personis religionis propositum, habitu non actu, gerentibus, quæ ab his putabantur occulta, cognovit, et pro castiganda eorum impudentia publicavit: quæ propter honestorum auditum silentio debere censui mancipari.

CAPUT VII.

Visum, vitam, vires variis restituit. Annonam Parisiensibus curat.

Puerum a morte excitat. Erat igitur cum ea quædam mulier, quæ ab ea fuerat immundi spiritus emundatione purgata, habens filium annorum quatuor. Hic forte puerulus dum improvidentius ludit, præceps saltu in putei volvitur imum: ibidemque trium ferme vel quatuor horarum spatio devolutus conlisus occubuit, superque eminentis aquæ cumulo tumulatus, a profundo tandem trahitur ad sepulchrum. Quem mater gremio miserandam complectens, sanctæ virginis ante pedes, scissa comis, genis laniata, deposuit. Illa vero corpus exanime rigidumque pallio miserata contexit: et orare cum lacrymis Dominum omnipotentem eousque non destitit, quoad vincens scilicet ac triumphans orationum viribus inferorum claustra perrumpens, matri filium reddidit vivum, ac spoliata morte restituit.

Alterius aridam manum tactu sanat. 27 Meldis in urbe, gratiæ hujus opinione comperta, occurrit ei quidam cubito tenus rigidis intrinsecus nervis manus officio diminutus, postulans orationum ejus suffragio a se morbi illius detrimenta depelli: qui ab eadem in debili membrorum... manus visitatione signatus protinus abscessit sanus.

A die Epiphaniæ usque ad Pascha latet in cella. 28 Hæc ergo famula Dei a sancto Epiphaniæ die usque in Pascha, id est, cœnam Domini, intra cellulæ suæ penetralia secretius Deo, cui se voverat, deserviebat. Quædam ergo femina curiosa potius quam religiosa, cum quidnam ageret contemplari cellulæ proximius admota voluisset, statim oculi ejus, qui ministri rei non * simplices fuerant, lumine sunt privati. Quam illa impleto consuetudinis officio postquam e cella prodiit, restituto lumine orationum suarum intercessione sanavit.

* ms. *Aud.* simplicis. *Cæcæ visum restituit.*

Parisiensibus famis tempore succurrit. 29 Parisiaci post dirum ac diuturnum belli tumentis excidium, mutato exitii genere, non ablato, Francorum exercitus famem miseris perniciosæ posteritatis sobolem dereliquit. Nam furor anterior extra urbem posita ac foris derelicta rapuerat; hic vero peccatores quæque clusa recessibus, ac fibris intrinsecus adhærentia consumebat. Igitur Genovefa miserorum clade permota, navali evectione alimoniam civibus provisura conscendit. Quæ cum per Sequanam fluvium, subigentibus contis, carinarum fulcis adversi amnis fluenta perscinderet, pervenit ad locum, in quo arbor adcreverat, quæ latentibus deorsum ramis nonnullas naves præcipitio perniciosi gurgitis immergebat: Genovefa illico nautis itineris comitibus ut applicaturi ad ripam proram verterent imperavit. Egressa igitur e navi dum inter se nautæ qualiter abscindi possit mutua collocutione tractarent, confestim illa ad orationis suffragia in plurimis rebus sæpius experta secessit. Quæ arbor nullo ictu tacta bipennium, orationum ejus viribus radicitus evulsa de loco, in quo inhærebat, excessit, ita ut nullum ibi deinceps periculum naufragii puppis incurreret; de cujus arboris gremio gemini angues, socii scilicet sceleris, versicoloribus squamis, teterrimi odoris, immensæ magnitudinis, referuntur egressi.

Nautas a naufragii periculo liberat.

Dæmonem naufragiorum auctorem fugat.

30 Ergo cum *a* Archiacam oppidum adventum ejus velox famæ nuntius præisset, occurrit ei quidam Tribunus, nomine *b* Passivus, cujus uxor per aliquot annos paralytici humoris impetu, et gressus vegetatione et omnium membrorum usu privata, mortua corpore, anima tantum intra se hospitalitate demorante, et nihil prorsus de membrorum officio jam possidente languebat. Ad hujus ergo lectulum Genovefa, mariti precibus exorata, perducitur. Quæ cum amotis turbis ante lectulum ejus orationi dedita diu solum lacrymis *c* irrigasset, mulierem e lecto redivivis membris statim surgere, atque ire fecit incolumem.

Tribuni uxorem paralyticam precibus sanat.

Cæcos et ægros multos signo crucis sanat.

31 Has igitur, opitulante Dei gratia, mirabiliter operata virtutes; ab Archiaca oppido ad civitatem Trecas est profecta, ibique cæcos et quam plurimos diversarum infirmitatum ac febrium languoribus semianimes cruciatos virtutum meritis et signi crucis impositione sanavit.

32 *d* De memorata iterum, in urbem Archiacam est reversa, et inde cum comparatis frugibus onustisque navibus Parisius remearet, subita vi turbinis naves ejus inter rupes arboresque tunduntur, ita ut puppes castellis in latus unum proclivius devolutis, vi undarum pene cumulatæ in profundum gurgitis mergerentur. Genovefa elevatis manibus in cælum, auxilium a Deo, cum periclitaretur, expetiit; statimque naves ad prosperum cursum Dei miserantis auxilio famulæque suæ precibus revocatæ, iter, quod cœperant, feliciter exequuntur. *e* Besustus Presbyter, et ceteri navigantes canticum Exodi carminis, ad vicem celeumatis, cum grandi exultatione cecinerunt dicentes: Adjutor et protector factus est nobis Dominus in salutem. Sic Parisius prospero cursu in propriam urbem perveniunt, civesque *f* exesos macie et famis ægritudine decolores *g* in solitam corporis plenitudinem cum studio pascendo reparavit.

Naves precibus a periculo liberat.

Exod. 15.

a ms. *S. Max.* Achaicum. ms. *Aud.* Arcindiacam.
b ms. *Aud. et Sur.* Passius. c ms. *Aud.* infudisset.
d *al.* Demorata.
e ms. *S. Max.* Resuustus ms. *Aud.* Bessustius *forte* Bessustum. f ms. *Aud.* exfessos. g ms. *Aud.* in solidam.

CAPUT VIII.

Varios signo Crucis et precibus sanat.

Defensor quidam ex Meldorum urbe * Prominius jam per aliquot annos obserato aurium meatu, nullum vocum capiebat introitum. Hic Parisius ut ab eadem sanaretur advenit. Cujus aures illa signans, manibusque contrectans, integrum ei, ut dudum habuerat, reseravit auditum.

* *al.* Pronimius.

Surdum signo crucis sanat.

34 Post aliquod ferme tempus memorata Dei famula Turonis proficiscens, Aurelianus forte accidit ut veniret. In qua urbe materfamilias Fraterna filiam suam Claudiam prope jam exanimem cum totius familiæ ululatibus mœsta lamentatione deflebat. Hujus ergo adventu, levi, ut solet, rumore comperto, obviam

Moribundam precibus sanat.

viam ei festina progrediens in S. Aniani basilica pedibus ejus fusa provolvitur. Cumque eam rogaret ut filiam sibi expulsa morte sanam restitueret; Genovefa eam hac adhortatione consolatur: Surge et flere jam desine; nam omnis in filia tua pestilens febris accensa, divina est miseratione restincta. Cumque ad domum Fraternæ de basilica ambæ pariter advenirent, Claudia eis ad januam propriis gressibus obviam processit incolumis.

Nolens servo ignoscere, febri corripitur.

33 In eadem civitate cuidam domino pro servo culpabili dicitur supplicasse: cumque ille pertinaci obduratus insania ad supplicationem illius servo noluisset ignoscere; illa ab eo quia nihil obtinere potuerit mœsta discessit. Statim dominus ut ad domum rediit, ægritudinem mortiferæ febris incurrit. Qui cum instantius febrium * urgeretur angustiis, ad pedes S. Genovefæ spumans æstuansque projicitur. Illa vero mitis orationibus suis et dominum ab instanti tædio sanum, et servum culpæ vinculo reddidit absolutum.

* MS. *Aud.* ureretur. *Genovefæ precibus sanatur.*

CAPUT IX.

Dæmonem ex humanis corporibus pellit.

Dæmon navigantem impedire conatur.

De memorata igitur urbe Turonis itura progreditur. Cumque labentibus carinis prorecta in pronum Ligeris dorsa remorum quaterentur icta verberibus, multum itineri ejus ille nequissimi operis auctor per memorati fluminis vada officere est molitus: sed quæ protectione vallabatur Altissimi, nequaquam cursus ejus potuit nequissimi dæmonis insidiatione turbari. Ergo ut ad civitatis Turonicæ littus navem illius deflui fluminis cursus advexit, occurrit ei egredienti de navi illa sceleratorum immundissimorumque dæmonum multitudo: quam cum euntem ad basilicam vociferando eminus anteiret, urendam se gemino querebatur incendio, eo quod ad venerationem sancti Antistitis aulam ejus introiret socia quæstionis. Multos ibidem tunc dum sancti Sacerdotis exequiis officium venerationis exsolvit, immundis spiritibus adimpletos, orationum meritis ac virtutibus reddidit. Ad aliquorum etiam primorum civium conjuges tribulationis ejusdem ægritudine laborantes, quas prodire in publicum maritalis necessitudinis non patiebatur affectus, per domus earum, maritorum precibus exorata perducitur. Quas, ut limen habitationis introiit, oratione data, effugatis protinus dæmonibus, amota omni in posterum suspicione sanavit.

Multos energumenos liberat.

Dæmonem ex ampulla fugat.

37 Accidit autem ut stans in ostio domus suæ quemdam hominem per plateam ampullam cum liquamine, quod mercatus fuerat, cerneret deportantem; in cujus ore conspexit illum nequissimum spiritum, et adversarium humani generis insidentem; cum ab homine postulatam manus suæ eam contigisset attactu, ab ea crucis impositione signata insidiator ille a creatura, cui se inserverat, cum * oræ ampullæ illius fragmine illico ejectus abscessit. Et licet intra ampullæ illius claustra callidus occultatum se subtilibus credidisset astutiis, tamen aspectu Dei famulæ deprehensus, et ne nocere posset effugatus evanuit.

* MS. *Aud.* oris.

CAPUT X.

Imbrem morbosque pellit: moritur.

Cæcum, mutum, surdum, claudum oleo benedicto sanat.

Quidam puerulus, nomine Maroveus, cæcus, mutus, surdus et claudus, beatæ Virgini recipiendæ sanitatis gratia Parisius a parentibus est delatus, qui ab ea benedicti olei unctione delibutus, videns, loquens, vadens, audiens, recepta in integrum sanitate incolumis domum cum parentibus est regressus.

Pluviam precibus avertit a messoribus.

39 Accidit etiam ut in Meldensi territorio cum rogatis messoribus propriæ segetis culmos spicarum exsecatione truncaret, subito effusus imber ingrueret. Conturbatis operariis tentorium ingressa in oratione solo solito fusa procubuit, et ita in circumjectim positos diversorum agros effusus imber infudit, ut nulla intra campi sui septa aquarum nubiumque gutta defluere: sicque ab operariis mirabili admiratione opus cœptum absque ulla est turbinis perturbatione finitum.

Ex MSS.

Oleum benedictum precibus impetrat a Deo: eo dæmoniacum curat.

40 Quidam ergo habens dæmonium adipiscendæ sanitatis gratia ad sæpedictam Dei famulam cum parentum fletu gemituque perducitur. Quæ cum deferri ampullam sibi, in qua sanctificata unguenta habere consueverat, præcepisset, forte accidit ut oleum non haberet, nec adesset in tempore Pontifex, qui ad præsens oleo gratiam sanctificationis infunderet. Quæ cum anceps quidnam ageret hæsitaret, in orationem protinus solo fusa procubuit. Cumque obsecrationis officium diu terræ inhærens, ut res secuta monstravit, fideliter adimplesset, ampulam inter manus suas plenam olei infusione perspexit. Sicque in unius horæ momento et de emundatione infirmi, et de collatione olei remunerante Christo gratiam geminæ virtutis emeruit.

Moritur octogenaria.

41 Virgo itaque Domini Genovefa decurso ævi spatio vitam in pace laudabili consummatione finivit, humataque est III Nonas Januarias, quæ denos octies annos, peregrina mundo, venerabilis populo, devota Christo vixit in sæculo.

Basilicam in ejus honorem inchoat Clodovæus.

42 Circa hujus ergo tumulum humilis primitus ligni superimpositione contectum gloriosæ memoriæ Hlodoveus Rex norma bonorum, et vir omnibus jure Principibus, virtute, justitia, pietate præferendus, basilicam mirabili dispositione fundavit. Quæ eodem immatura morte prævento, patrante sublimissima conjuge Hlothilde Regina porticibus, atriis, *a* aditibusque decorata celsum protulit elevata fastigium, et virtutibus in perpetuum præcelsum laudis præbitura *b* monumentum, fulget in virginis dignitatem ante Christum, qui cum æterno Patre vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

Perficit Clotildis.

a MS. *Aud.* aditusque *an* adytisque?

b MS. *S. Max.* præconium.

MIRACULA S. GENOVEFÆ
POST MORTEM,
AUCTORE ANONYMO
Ad S. Genovefam Parisiis religioso.

Lampas ad ejus sepulcrum oleo salutifero scaturit.

Post transitum beatissimæ Virginis Genovefæ sepulchro ejus lampas assignata serviebat, quæ instar scatentis fontis olei rivos derivabat: accedente quoque miraculo derivatum mirabiliter oleum, multitudinem languentium triumphavit, et in melius mutata natura: arsit enim ignis in lampade post olei consumptionem, lampade mutata in fontem, oleo in medicinam. Itaque miraculo corporeæ lampadis miracula corporum operatur in terris, sed uberiores rivos sinibus animarum infudit de mensura bona et coagitata et supereffluente in cælis.

Cæcus et mutus sanatur.

2 Homo quidam linguæ oculorumque privatus officio, ante sepulchrum sanctæ Virginis productione temporis sensuum productionem postulaverat. Sed hora sacræ communionis Clericis pro Dei officio cantantibus: Illumina faciem tuam super servum tuum, vidit et locutus est. Simul ergo lumen et vocem supplicanti Virgo restituit; ne aut orbitatem oculorum vox restituta plangeret; aut destituta lingua gratiarum actionem pro luce reddita non referret.

Mutus alius curatur.

3 Revelatur interea cuidam Fulconio, a nativitate muto, territorii Pinciasensis oriundo, ut ad præsentiam beatæ virginis Genovefæ veniat, ibique vocis libertatem, quam negaverat natura, recipiat. Cumque in fide revelationis Dominica quadam pervenisset ad locum, legebatur ad Missam Evangelium, ubi de Domino dicitur: Bene omnia fecit, et surdos fecit audire et mutos loqui. Audivit ille et credidit, statimque solutum est vinculum linguæ ejus, et loquebatur magnificans

Marc. 7, 37.

Ex mss.

* Hic deest in catalogo Abbatum apud Cl. Robertum. *In obsequio Virginis remanet.*

gnificans Deum. Post Missam interrogavit eum Abbas cœnobii, * Optatus nomine, quid post indictum sibi vocis beneficium agere velit. Respondit ille quod a loco recedere nolit quem sibi revelatio divina monstravit, ubi vocis etiam novitatem accepit. Oblitus enim suorum nescit ad propria redire, nescit sine præsentia virginis vivere omnibus diebus vitæ suæ. Votum viri lætus amplectitur Pater, et ei vitæ necessaria benigne fecit ministrari.

Cæcus visum recipit. Joan. 9.

4 Eodem igitur tempore mulier quædam in visione admonita, filium suum a nativitate cæcum ad præfatæ Virginis detulit locum. Cumque ex Evangelica lectione die qua venerat recitaretur miraculum, quomodo Dominus Jesus Christus aperuit oculos cæci nati, continuo sicut audivimus, sicut vidimus in civitate Domini virtutum, in monte sancto ejus, aperti sunt oculi ejus; et novitate rerum arridens stupentes oculos singulis defigebat rebus; candelam quoque, quam mater ejus pro gratiarum actione accenderat, sicut consuetudo in talibus exigebat, videntibus multis qui astabant et mirantibus, amplexatus est. Itaque nativam cæcitatem indociles oculi testabantur, et nova lux novitatis stupore monstrabatur. Miracula sanctæ virginis revelatio divina præcurrit, ut præcurrente, miraculorum fidus effectus deesse non possit, quia omnia possibilia sunt credenti.

Energumenus liberatur.

5 Quidam vero Parisiorum dæmonio agitatus ad multa suffragia Sanctorum ducebatur, nec curabatur. Desperata autem ejus salute, catenis ligatus custodiebatur: sed nocte quadam cum sopor irrueret super fessos custodes, fugit dæmoniacus ille, et direxit Dominus gressus ejus ad præfatæ ecclesiæ limina. Sed quia non potest juxta eam habitare malignus, statim reliquit eum diabolus, virtutem sanctæ virginis passus: et qui in vita numquam prævaluit adversus eam, post vitam non prævalet nec juxta eam. Post paullulum temporis ecclesiæ fores ad nocturnum officium aperiuntur: interea ille ad sepulchrum virginis lætus, et oblata catena qua ligatus fuerat, vadit in domum suam, et narrat quanta sibi fecerit Deus.

Alius a lapsu periculoso servatur.

6 Præterea dum operarii in tecto monasterii laborarent, unus eorum de templi fastigio ruens in foramem asseris cælati laquearii digitos impegit, reliquo corpore in præcipitium lapso. Orantibus igitur pro eo fratribus, ascenderunt ad locum unde pendebat, qui brachiis ejus demissum laqueum subnodantes eum de præcipitio levaverunt. Ille vero assumptus de periculo fatebatur se in præcipitio constitutum, periculi metum ignorasse, et velut in somni revolutione quievisse. Mox quoque ad miraculi fidem accessit miraculum, asser enim qui pondere humani corporis trahi non potuit, nulla vi impellente cecidit, et in partes divisus testimonium miraculi fuit.

Festum D. Virginis violans et blasphemans punitur.

7 Contigit etiam die Nativitatis B. Virginis ut mulier quædam in suburbio Parisiorum lanam carperet, sacra solemnitate contempta. Quæ cum a vicina contemptu tantæ solemnitatis argueretur, iniquitatem adjecit super iniquitatem, et ait: Nonne Maria mulier fuit et servile opus peregit? Ut autem nefandi operis malitiam nefario sermone complevit, indignis ejus manibus pectines tam indissolubiliter conglutinati sunt, ut usque ad transitum beatæ virginis Genovefæ molestiis hujus sarcinæ damnaretur, digna retributione instrumento transeunte in pœnam, unde post perpetraverat culpam. Nocte autem præfatæ solemnitatis ad ecclesiam B. Genovefæ virginis venit, et ad primas voces matutinorum officii sarcina de manibus ejus cecidit. Unde, indubitanter credi oportet sibi assistentes servulos, et ponderis humani levamen suppliciter postulantes, meritis ejus quotidie exonerari et mordacibus culpis exui, quæ venientis ad se mulieris pondus statim dissolvit et excussit. Miraculi hujus fidem non solum homines loquuntur, verum etiam pectines, qui a foris pendent, testantur. Ideo autem, ut credimus, per hanc virginem Virgo placatur, et festivitatis contemptus in hac festivitate remittitur, ut omnibus palam detur intelligi, quanta devotione et veneratione sanctæ virginis transitus debeat celebrari. Audistis, fratres, virgines sanctas de malis et periculis hominum mirabiliter triumphare; audite mirabiliorem ejus in aquis virtutem.

Opes S. Genovefæ sanatur.

8 Quodam hyemali tempore Sequana fluvius continuis imbribus et multarum nivium aquis infusus, tam insolita et inaudita effusione proprios fines excessit, ut urbem Parisiorum totam efflueret, cives simul et Clericos a domiciliis et ecclesiis exturbaret. Inundatione autem facta eximius Pontifex * Richaldus civitatis ejusdem, timens ne suis peccatis aut populi civitas periclitaretur, ad placandum jejuniis Deum populos hortatur, jubetque Presbyteros et alios Ecclesiæ ministros cum sacris codicibus et vestimentis saltem navigio per singulas basilicas experiri si possent in eis divina officia celebrari. Unus autem ex illis, Richardus nomine, ascendit navem et processit usque ad monasterium puellarum penes Sancti domum Joannis Baptistæ situm in prædio et facultatibus B. Genovefæ constructum. Servabatur autem adhuc in monasterio illo lectus, ubi eadem virgo migravit ad Dominum, ambientibus quidem ab aquis circumdatus, sed non infusus, ascenderant enim aquæ usque ad medium vitrearum. Tunc ille, qui ad experiendam lecturi illius virtutem missus fuerat propius accedens, diligentibus oculis miraculi veritatem accepit, et Episcopo nuntiavit: qui continuo cum Clericis et populi multitudine ad locum venit, et viso, quod audierat, miraculo, Deo et Virgini gratias reddidit. Ab illa autem die Sequana tumens ad proprium alveum cogebatur; quem idcirco prius transcenderat, ut inter miracula S. Genovefæ haberet miraculum. Reddita vobis est antiquata historia; sed cum adjecta novitate miraculi. Moyses quondam transituro Israeli mare rubrum divisit, qui post propter transitum pristina loca occupavit: sancta virgo Genovefa, lectum unde migravit virtute suæ præsentiæ non privat, quæ absens corpore, sed virtute præsens, irruentes aquas cohibuit, et in murum suspendit. Merito autem lectulus Virginis post mortem ejus servabatur ab aquis, ubi crucifixerat membra sua cum vitiis et concupiscentiis, et per multas noctes siccis vestigiis quæsierat quod diligebat et sitiebat anima sua, sicut terra sine aqua, donec bibit ad fontem, de quo qui bibit non sitiet iterum.

* Deest hic apud Cl. Robertum.

Lectus S. Genovefæ in Sequanæ inundatione, ab aquis illæsus.

9 Per idem tempus servabatur ad supplicium latro quidam in carcere cum aliis nequam. Verum diei cujusdam vespera carceris custodes deludens ad secessum ire se finxit, et sub hac arte ad ecclesiam B. Genovefæ confugit. Sed quia ex consuetudine proximæ noctis clausa erat cœnobii porta quæ est e regione civitatis, lustrato cœnobii..... venit ad alteram portam, ubi est ecclesia S. Michaelis; jamque de proximo sequebatur eum..... Præses civitatis. Unus autem ex militibus Præsidis, Ratomus nomine, potentiam Virginis audacius ceteris contemnebat, et sancti nulla loci reverentia pronior irruebat in furem. Utroque autem monasterio propinquante, latro supplicabat Virgini, et periturus mox miles quasi jam comprehenso insultabat latroni. Cumque sanctam virginem de impotentia blasphemasset, quod proximum sibi latronem liberare non posset, continuo Virginis potentiam passus cecidit et mortuus est. Igitur sancta Virgine terribiliter magnificata ceteri reverentiam et honorem Deo et virgini exhibentes tulerunt mortuum suum et sepelierunt sine honore extra civitatem. Quapropter terribilis est locus iste, terribilis etipsa virgo præsidens loco; quia zelus domus suæ, ut castrorum acies ordinata, blasphemiam militum stravit, et supplicantem sibi latronem salvavit. Dum ergo morte militis vitam servavit latronis, et terrorem suum sanxit in milite et clementiam in latrone.

Blasphemus subita morte punitur.

NORMANNORUM

NORMANNORUM I INCURSIO.

Miracula in fuga, reditu, et post facta.

Cœnobium S. Genovefæ a Normannis exustum.

Hactenus digesta miracula prius gesta sunt, quam monasterium B. Genovefæ Normannorum flagraret incendio. Nunc autem de innumeris, quibus postea claruit, pauca narrabo. Igitur præfati cœnobii fratres Normannorum tyrannidem declinantes, cum magna populi frequentia deduxerunt dominam suam ad Ategias sui villam. Cereus autem, qui ante eam ferebatur comitantibus miraculis illuminatus est, ne in tenebris ambularet, cujus nulla unquam fuerat participatio ad tenebras. Interea præveniebat miraculis sanctam virginem virtus divina in loco ad quem erat ipsa ventura : ut mirabilis Deus in Sanctis suis et præsentia virginis faceret mirabilem, præsentaret absentem. Altare enim ecclesiæ cui sessura erat, cum cruce et reliquiis suppositis movebatur, quæ simul agitata virginis adventum celeri motu testabatur. Ad ingressum vero sancti corporis cuncta prius mota firmata sunt, et quasi celebrata virginis expectatione quieverunt. Neque enim erat unde jam trepidarent, cum præsentem trepidationis suæ causam tenerent. O admirabilis et prædicanda virgo, quam ad se venientem insensibilia sentiunt et adorant, cujus . . . . . immobilia moventur et exultant, homines mirantur et trepidant. In immobilibus enim motus terræ motus putabatur. Sed mox secuta virgini, et virginem tranquillitate, cujus esset innotuit virtus.

Ejus corpus alio delatum.

Locus corruptus

Altare sponte movetur : reliquiis impositis quiescit.

11 Ab Ategiis transito Sequana deducta est sancta virgo Dravernam. Cumque ibidem multorum languores continuatis ibidem redimeret miraculis ; venit ad eam nostræ congregationis Abbas Herbertus, ut præsentiam adoraret devotior, et foret de ejusdem protectione securior : et quidem cum paucorum conscientia separavit sibi de corpore Sanctæ unum dentem, zelum quidem pietatis habens, sed non secundum scientiam. Unde variis visionibus deteritus, et usque ad novissimam ægritudinem suam molestiis gravioribus deductus, confitebatur se peccasse, sed tum peccatum ignorasse : et cum pœnituisset eum secundum multitudinem dolorum suorum, pretiosum dentem crystallo magnæ quantitatis inclusum purissimo auro coronavit, et sanctæ Virginis cœnobio restituit.

Herbertus Abbas dentem S. Genovefæ auferens visionibus et doloribus punitur.

Eum egregie ornatum restituit.

12 Interea Normanni cum civibus nostris fœderati ad propria sunt reversi. Itaque Parisiensibus cura bellorum solutis, reduximus dominam nostram ad locum sanctum suum, exultantibus et occurrentibus nobis populorum turbis. Cumque alveolum transiissemus, extinctus est cereus qui præferebatur : sed mox orantibus fratribus est accensus. Igitur cum inedicibili populorum laude sanctam virginem in ecclesiam suam inducentes, non in cryptam, unde educta fuerat prius, sed super altare Apostolorum eam composuimus.

Cereus meritis S. Genovefæ reaccenditur. Referuntur Parisios ejus reliquiæ.

13 Venit eo tompore ad præsentiam beatæ virginis Genovefæ mulier magnis detenta febribus de Limiaco villa S. Dionysii : ubi noctis unius . . . . integram . . . . . recepit, et sic ad propria rediit. Post hebdomadam vero reversa, ut pro initiata salute vota sua redderet, post unius noctis excubias reddita est et ipsa integræ sanitati. Altera vero mulier adulterium commisit in pago Pinciatensi, villa quæ dicitur Aurea vallis : unde et vir ejus interfectus occubuit et ipsa sequentibus divinis judiciis loquelam amisit. Confugiens ergo ad suffragia B. Genovefæ strage corporis et gemitibus hebdomada integra ad sepulchrum se affixit. Cumque sequenti Dominica nocte ab oratione, cui vacabat, surrexisset, vomitum sanguinis passa ad primos campanarum sonos loquendi beneficium recepit : altera vero hebdomada in gratiarum actione expleta, sequenti Dominica sine Missa et sine licentia revertebatur ad propria. Sed prius quam e finibus beatæ virginis exiisset, cecidit cruribus et tibiis contracta. Itaque ad locum sanctum reportata, et multo tempore bonorum hominum beneficio sustentata, saluti tandem restituta est.

Mulier febribus liberatur.

Adultera fit muta :

Vocem recepit ope S. Genovefæ :

Ex ms. *Abiens non audita Missa punitur : Iterum sanatur.*

14 Mulier quoque de civitate Parisiorum dum oculorum orbitatem plangeret nocturna revelatione didicit, quod virgineæ lampadis oleum lumen sibi restitueret, si Martinus ecclesiæ custos de sacra unctione oculos ejus liniret. In hujus igitur revelationis fide ad præsentiam sanctæ virginis venit, et revelationem sibi divinitus factam exposuit. Secundum quam Martinus custos postulatam unctionem oculis ejus imposuit, unctio cæcitatem depulit. Post hebdomadam mulier illa miraculorum testis cæcum quemdam adduxit ad virginem, cujus fuerat experta virtutem ; cui etiam sacræ lampadis unctio oculos . . . . virginis præcurrit non solum immissiones Angelorum, verum et præconia hominum : de cælis revelatur, in terris prædicatur. Multitudo languentium ad ipsam adducitur, ipsa continuatis miraculis sanat quidquid sibi præsentatur.

Oleo lampadis ejus duo cœci curantur.

15 Contigit eo quoque tempore, ut venerabilis Magnardus nomine fratris cujusdam apes de nocte custodiens somno irruente gravaretur, et in ipso lumine privaretur. Cumque de gravi somno evigilans damna luminis pateretur ; duas candelas ad quantitatem suam confectas ante sepulchrum sanctæ virginis composuit, ibique per hebdomadam pro restitutione prædicti sensus applicavit : cumque in supplicatione sua usque ad Dominicam noctem perdurasset, sensit quasi vestigium transeuntis, qui de more contigui transitus oculos ejus panno tetigit, et ita pertransiit. Existimabat autem ille aliquem fratrum transiisse, non intelligens ejus virtutem, qui pertransiit benefaciendo et sanando omnes oppressos a diabolo. Sed mox per beneficium miraculi consequentis, virtus innotuit transeuntis. Ad primos enim matutinalis officii pulsus cæcus ille vidit, et pro luminis restitutione gratias retulit.

Cæcus visum recipit.

Act. 10, 38.

16 Eodem tempore quædam ancilla sanctæ virginis ad præsentiam virginis viro trahente adducta est, pro luminis restitutione dominam suam precatura : quæ post expletam orationem oleum virgineæ lampadis postulavit et accepit, devota quoque peccatorum confessione miraculum acceleravit, ne celeritatem miraculi tardaret culpa peccati. Itaque post sacram unctionem et piam confessionem pristino lumine decusata, vidit, et gratias egit. Gentilium quoque metu sancta virgine denuo reportata Dravernum, puer ejusdem villæ contractionis incommodo laborans, sacro corpori subterjacuit, et statim in tempore mortua revixit.

Item cæca.

Alius contractus sanatur.

NORMANNORUM II INCURSIO.

Miracula in fuga et reditu facta.

Sub secunda igitur persecutione Normannorum contra Parisiacam urbem venientium, deducta est beata virgo ad Parisiacam villam, quam Helmegaudis vir nobilissimus dudum dederat per instrumenta chartarum beatis Apostolis Petro et Paulo, atque beatæ virgini Genovefæ, ad memorandum singulis annis suum anniversarium. In hac autem profectione multis claruit miraculis : sed tum exclusit facultatem scribendi sollicitudo fugiendi : et quidem virgini non derogabatur silentio præsentium miraculorum, propter indubitatam copiam futurorum. In præfata autem villa Fulchericus tantam contractionis patiebatur molestiam, ut pedes natibus convoluti nulla arte possent dissolvi, quo ad præsentiam virginis ope manuum dissoluto, statim pedes, qui riguerant, reparantur vestigio. Itaque virginis ope levavit ad cælum exiliens et laudans Dominum.

Secunda incursio Normannorum.

Contractus ope S. Genovefæ sanatur.

18 Quidam

Ex mss. *Dominica laborans cæcitate punitur.*

18 Quidam homo Rebarensis dum nocte Dominica molere præsumpsisset, granum annonæ in oculum ejus de mola resiliit, et luce privavit. Orbitatem oculi gravior passio secuta est. Mox etenim cœpit pectus et ventrem manibus tundere, et assiduis tunsionibus sanguinem vomere. Hujus itaque passionis remedium anno integro per multa Sanctorum loca quæsivit; sed per beatæ virginis clementiam tandem invenit. Veniens enim ad locum, quem sancta virgo miraculis illustrabat, oratione incubuit, et simul orantibus pro eo fratribus reductas a pectore manus levavit ad cælum voce exultationis et salutis. Mirati quoque qui aderant universi glorificaverunt Deum, et resonabat Ecclesia in voces eorum.

Ope S. Genovefæ sanatur.

Paralytica semianimis plene curatur.

19 Interea mulier, nomine Fulchora, cujus media pars morbo paralysis aruerat, ad sanctam virginem defertur; ibique deposita instar veræ resurrectionis post duos dies vivificatur : cumque die tertia in conspectu sanctæ virginis integro corpore veniret, Deo et virgini gloriam dedit, et sic ad propria rediit.

Energumena liberatur.

20 Rursus alia mulier de Marisiaco, a diu dæmonium habens, ad sanctissimum corpus ligatis manibus tracta, vi trahentium ante præsentiam ejus prosternitur : quæ dum dæmonis agitatione ante sanctam virginem spumans diu volutaretur, tandem per vomitum sanguinis a vexatione soluta restituitur.

Cujusdam regida brachia curantur.

21 Juvenis quoque, cujus brachia riguerant, de Caniaco villa, ad præfatum locum ductus est : cumque pro restitutione sua per duos dies virgini supplicasset; tertia die facta sunt brachia ejus ad omnem usum ita flexibilia, ut nunquam fuerint ad opus aliquod promptiora.

Febris et lepra oleo S. Genovefæ pelluntur.

22 Eodem tempore venit de Arciaca villa ad sanctam virginem quidam ipsius servus, febre correptus et lepra percussus; cumque totum ejus corpus oleo sanctæ virginis diligenter fuisset perfusum, lepra periit, et febris evasit periculum : exterius quidem lepræ maculas tersit, interius ardorem febris extinxit, medicamentum mendicans a virgine sapienter.

Quædam oculum recipit.

23 Pari modo puella uno oculo perdito pro ipsius restitutione virgini supplicabat : cumque ab oratione surrexisset, supplicantium more candelam illuminat; et ipsa simul illuminata visum cum integritate recepit, mirantibus iis qui astabant; patri luminum pro restitutione luminis gratias egit, et laudibus virginis perseverans ad propria rediit.

Alia ab infirmitate sanatur.

24 Item de Caniaco villa mulier, Avuldis nomine, ad sanctam virginem deportata, ante basilicam, in qua quiescebat, diu clementiam virginis expectavit. Cumque advenisset tempus miserendi ejus, ante sacri corporis præsentiam intra ecclesiam deportata, totius mox corporis valetudinem recepit : et quæ prius portabatur, sine alieno auxilio incolumis surrexit. Cum ergo mulier et omnes qui aderant, miraculum virginis debitis laudibus extullissent, clamabat mulier illa integram sanitatem se recepisse, et nihil sibi præteriti languoris inesse.

Contracta sanatur.

25 Haud procul a Marisiaco monasterium est S. Germani Confessoris, quod sancta virgo Genovefa sui corporis præsentia semel illustravit, et sequentibus signis. Quædam etenim mulier contracta, alienis manibus illuc deportata, magnis clamoribus replebat locum, ut virginis acceleraret auxilium : cumque ascendisset ad aures virginis magnus clamor mulieris, descendit super mulierem magna misericordia virginis. Itaque restituta est sanitati, ut incolumis ad propria reverteretur, et nihil deinceps præteriti languoris pateretur. Homo etiam dæmonio vexatus,

Energumenus liberatur.

sanctæ virginis adiit præsentiam. Sed quia nulla participatio luci ad tenebras, ab obsesso homine exturbatus adversarius fugit, et homo a dæmonio restitutus gratias egit : post gratiarum honorem et actionem ad propria rediit, de protectione Apostolicæ virginis ubique securus; cui etiam dæmonia subjiciuntur, et quod digne Apostolorum virtus ab ipsa participatur, de quorum societate sicut in cælo et in terra lætatur.

Item alius.

26 Rursus dæmoniacus alter advenit, et innuente sibi quodam homine ad altare virginis denarium obtulit. Sed mox dæmonio agitatus a Martino monasterii custode utrumlibet exigebat, aut oblationem aut mortem; et cum vellent eum comprehendere qui astabant, de medio eorum fugit. Sed tamen mox comprehensus et ligatus ad antrum sanctæ virginis est reductus. Sequenti autem die ad ecclesiam ductus, ab agitatione dæmonis quievit, et quietus ad propria rediit.

Alius quoque energumenus.

27 Erat in eadem villa Marisiaco quidam servus, Flodegisus nomine, tanta dæmonum infestatione agitatus, ut assiduo stridore dentium linguam morderet, et sanguinem vomeret, nulloque rationis usu continuam passionem redimeret : cumque ad sanctæ virginis corpus trahentium vi fuisset adductus, et ultro violentia in terra prostratus, ibidem tamquam mortuus diu jacuit, et post longam temporis moram sine alterius adminiculo surrexit. Itaque a dæmonis potestate solutus vota virgini soluit, et ita cum reddita pristini sensus integritate, redditus est et ipse domui suæ.

Item alius.

28 Dignum est etiam lectione inserere quod in præsentia sanctæ virginis nulli poterant energumeni latere. Dæmoniacus enim, Archamfedus nomine, passionem suam tanta celaverat simulatione, ut alienus crederetur et liber a dæmonum vexatione. Itaque calamitatem suam dissimulans, oratorium sanctæ virginis cum aliis fidelibus adiit, et orationi ibidem incubuit. Sed in præsentia sacræ virginis latere non potuit dæmoniacus, ne in ejus curatione celaretur virginis virtus. Cœpit enim dæmoniacis vocibus terribiliter clamare, manus dentibus et vestimenta manibus lacerare. Volebant hi qui aderant comprehendere eum et ligare : sed ille de manibus eorum elapsus cœpit fugere. Sequebatur eum mater ejus volens fugientem reducere. Conversus vero ille, volebat matrem dilapidare, et post fugientem lapides mittens persecutus est eam usque ad antrum virginis Genovefæ. Sacerdotes magistri vas aquæ benedixerunt et eum ligatum magna violentia in aquam deposuerunt : post immersionem aquæ ad sacri corporis præsentiam ductus, et signo Crucis signatus integræ est sanitati restitutus.

Muta vocem recipit.

29 Venit eo tempore mulier ad sanctissimam virginem, quæ diu perdiderat loquelam; cumque orationi incubuisset et instar Moysi ad Dominum suum vere clamasset, ab oratione surrexit, et loquebatur recte. Itaque cum gratiarum actione et debitæ laudis frequentatione reddita est domui suæ.

Contractus sanatur.

30 Erat illis diebus contractus quidam, nomine Genebaldus, cujus pedes tanta erant contractione natibus complicati, ut nulla inde possent arte deplicari. Cum ergo portantium manibus sacræ virgini fuisset præsentatus, post paullulum temporis porrectis surrexit vestigiis, ita ut nihil superesset præteritæ passionis, nullumque pateret vestigium monstruosæ conversionis.

Plurimi a febribus liberati.

31 Venerunt quoque ad sanctam virginem multi diversis laborantes febribus, quorum salutem sigillatim non scribimus, quia tantæ multitudinis numerum scire non possumus : hoc tamen de omnibus teste miraculorum actore indubitanter confirmantes, quod universi ad propria redierunt.

Versus Parisios reportatur corpus S. Genovefæ.

32 Igitur beatissima virgo Genovefa per quinque annorum curricula mansit extra propriam sedem, populantibus Normannis omnem regionem Sequanæ adjacentem. Quibus ad sua revertentibus reduximus ad locum sanctum suum Dominam nostram : et mota de Marisiaco mansionem primam habuit Marogilum sui villam. Erat in eadem villa compes, vel sicut dicitur

citur vulgo, cippus, ubi stringebatur mulier cum filia sua propter debitum viri sui, quod a creditore mutuum acceperat et aufugit. Cumque appropinquassemus loco ubi hæc fiebant, sancta virgo, tamquam potestatem habens, confregit hominum potentias, et ruptis omnibus vinculis occurrerunt nobis mulieres decem, et procedentes adorabant sanctam virginem, quæ tanta auctoritate et potestate solvit compeditos. Celebrato autem tam insolito et inaudito miraculo, quievimus et pernoctavimus in eodem loco. Venimus inde ad ecclesiam S. Martini Confessoris, quam sancta virgo duobus illustraverat miraculis.

Quædam captivæ ope S. Genovefæ solvuntur.

Surda auditum recipit.

33 Ad ingressum quidem sancti corporis mulier hactenus surda, sicut ex ejusdem confessione cognovimus, integrum recepit auditum. Puella etiam, quæ omnem membrorum usum præter manuum perdiderat, ex parte restituta sanitati. Cur autem salutem minus integram receperat, ejus judicio relinquimus, qui per infirmitatem salutem integriorem perficit et abscondit.

Aliæ ex parte tantum sanantur.

34 Sequenti vero die populis mediam stipantibus virginem, Liciacum venit in ecclesiam S. Medardi Confessoris et pietati ipsius et virgini mancipatam. Jacebat ad fores ecclesiæ puella contracta, quæ ingredienti virgini supplicabat dicens : O Beatissima Genovefa, utinam merear intercessione curari et te ad sedem propriam sequi ! hanc vocem secuta incolumitate surrexit, et virgini devota servivit, donec ex hac luce migravit.

Contracta curatur.

Item alia contracta.

35 Erat in eadem villa mulier, textrini quidem operis artem habens, et præ contractione manuum opus artificii non exercens. Veniens ergo ad sanctam virginem manus post orationem extendit, et articulorum restituta reflexione, in argumentum salutis porrectas manus plicavit sæpius et deplicavit, opusque textrinum sine ulla nervorum ariditate exercuit.

36 Jam comitantibus sanctam virginem populorum turbis, venimus ad villam, nomine Trajectum, et ibi nocte una quievimus. Mane facto exeuntibus nobis de finibus sanctæ virginis, occurrerunt duæ juvenes mulierem contractam portantes, cujus natibus a diu adhæserant pedes. Ubi ante sanctæ virginis corpus a bajulis suis deposita, paulatim saluti restituta est, et sanctam virginem secuta hoc a fratribus postulatum suscepit officium, ut scopis deinceps, sanctæ virginis mundaret domum.

Alia quoque contracta.

Corpus Sanctæ tandem refertur Parisios.

37 Die eadem Redomatum venimus, et ibi noctis unius mansionem habuimus : altera vero die transivimus Sequanam, navibus adhuc imparatis, exultantibus et occurrentibus nobis populorum turbis : adunata quoque simul Clericorum, Monachorum multitudo cum hymnis et canticis beatam virginem accepit in domum suam ; exultantes pro reddita virgine, dederunt ei gloriam et honorem, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum, Amen.

Anno mcxxix, xxvi Nov.

IN EXCELLENTIA
B. VIRGINIS GENOVEFÆ
Ex eodem Bruxellensi ms.
AUCTORE ALIO ANONYMO,
Ad S. Genovefam religioso.

Pacis tempore Franci in vitia solvuntur.

Regnante Ludovico fortissimo Francorum Rege, Philippi Regis filio, tempore quo quam virtutis et pietatis injuriam bellicus furor acceperat, perdidit, et justitia resurgente quievit terra ; sed succedentibus prosperis oblata... dies antiquos, quos misericordiæ operibus redimere debuit tempore pacis. Cum ergo dies malos in amaritudine non recogitaret, nec æternorum memoriam haberet in mente, facta est sicut equus et mulus quibus non est intellectus. Itaque nequam spiritus videns eam vacantem quam sedatam bellorum rabie reliquerat, assumpsit septem alios spiritus nequiores se et veniens habitavit ibi, et facta sunt novissima terræ illius pejora prioribus. Supervenientibus novis criminibus vetera non projecit ; sed secundum Prophetam sanguis sanguinem tetigit. Festinante igitur Francorum populo per degenerem peccatorum conditionem ad portas inferi, benignus Jesus, qui pro salute humana venerat in charitate usque ad inferiores partes mundi, venit etiam in virga, et visitavit in verberibus filios suos ne in æternum puniret ; quia, sicut ait Propheta, non consurget duplex tribulatio. Ideo enim corpus occidit ut animam vivificet, carnem percutit ut spiritum sanet. Scriptum quippe est, quia flagellat omnem filium, quem recipit. Disciplinat itaque misericorditer filios suos pater misericordiarum, dum momentaneæ percussionis igniculo carnem simul et gehennam extinguit. Temporalem enim pœnam pro æterna recipit mutatio dexteræ Excelsi : erudit quoque plaga temporis instantis eos, quibus cooperatur in bonum, et quadam violentiæ manu ad cœlestem patriam impellit. Flagellavit igitur, sicut prædiximus, Domînus regnum Francorum, et membra quæ miseri homines exhibuerant servire injustitiæ et iniquitati ad iniquitatem, cœpit morbus igneus consumere, quem Physici sacrum ignem appellant, ea nominum institutione, qua nomen unius contrarii alterius significationem sortitur. Ideo autem tam exitiabili peste scelerum pœnæ reposcuntur, ut ex ipsis palam detur intelligi, quantum piaculi sit aliquid audere in Deum, et quam gravibus ausa suppliciis expientur. Occurrunt morbo medici, artes et ingenia excitant, experimenta probant : sed hæc omnia reprobantur ; quia digitus Dei erat, et non est consilium contra Dominum. Cum itaque tribularentur, clamaverunt ad Dominum, nec exaudivit eos : dormiebat enim Jesus et non poterat excitari clamoribus eorum, quia non erant de discipulis ejus. Aggravata ergo manus Domini super eos, deportaverunt infirmos suos, nec tantum de proximo, verum et de remotis partibus ad ecclesiam beatissimæ Dei genitricis Mariæ in Parisiaca urbe sitam. Qui ita obtinuerunt ecclesiam ut arctam in ea relinquerent semitam oblationibus populi, et officiis Clericorum vix necessariam. Cessabant tum ex parte consueta officia, quia filii Israel sub hostili damnatione organa sua suspenderant, et pro cantico Domini novo novam Babyloniæ captivitatem deplorabant. Disciplina enim Domini crescebat in dies, et retribuebat abundanter facientibus superbiam.

Ex mss.

Ose. 4. 2.

Puniuntur a Deo, ut resipiscant.

Nahum 1. v. 9.

Hebr. 12. 6.

Grassatur in Gallia ignis sacer.

39 Eodem tempore adornabat Sacerdotium præfatæ urbis Stephanus, religionis cultor, pater pauperum, hospitalitatis exemplar : qui de incumbenti flagello turbatus, et de commissæ sibi plebis salute sollicitus, constituit lugubres processionum dies, quibus affligerent animas suas, et Sanctorum reliquias ad ecclesiam Beatæ Mariæ deportarent, quorum suffragiis et veniam peccatorum et pestis imminentis remedium a Domino impetrarent. Et populi quidem fecerunt sicut constituerat illis Episcopus, et celebraverunt jejunia : per multos tamen jejuniorum dies non exaudiebantur, quia beatæ virgini Genovefæ miraculum reservabatur. Sed sancta virgo, de qua sermo est, nolens auctoritate miraculi eminere recusavit in propria persona et in propria ecclesia honorari. Servans enim formam humilitatis prævenit honore sanctissimam genitricem Dei, ut sicut dignum est illa diceretur auctrix miraculi, ista supplicatrix. Sed jam quomodo ipsum prævenerit miraculum, paucis explicet sermo.

Stephanus I, Episc. Parisiensis instituit supplicationes et jejunia pro avertenda ira Dei.

40 Cunctis igitur salutem desperantibus, recordatus est præfatus Episcopus quomodo beata virgo Genovefa Parisiacam urbem ab exercitu Barbarorum liberavit ; quam præclare virtute meritorum tumentem

Ex mss.

tem Sequanam in alveum coegit et restrinxit. Per argumentum ergo præteritorum de futuro securus miraculo, assumptis secum religiosis personis venit ad ecclesiam præfatæ virginis : et congregatis in capitulo fratribus de periculo imminenti cum eis tractare cœpit, et spem salutis quam ex anteactis virtutibus et clementia virginis mente conceperat, satis pie exposuit. Sed quia votum suum Episcopalis dignitas in præfata ecclesia impetrare non poterat, summis accelerabat precibus, ut pereunti civitati præsentia beatæ virginis subveniret. Itaque singulas voces singula rumpebant suspiria et deformabant in gemitus : alienorum enim pericula in se non segniter transferebat, et cum dolentibus participabat dolores. Piam Episcopi petitionem omnium favor amplectitur, quia plus poterat pietate quam dignitate.

Compatitur suis.

Recurrit ad S. Genovefam.

41 Constituunt igitur diem solemnem Episcopus et Canonici, quo beata virgo Genovefa Deum placatura interpellet pro populo. Specie tua et pulchritudine tua intende prospere. Scriptum est enim, quia concupivit Rex speciem tuam. Ex mandato autem Episcopi salutare consilium per totum Episcopatum divulgatur, universale jejunium indicitur, dies statuta nominatur, et quasi celebre festum ab omnibus expectatur. Indubitatam autem spem salutis præstabat omnibus opinatissima in miraculis virgo. Interea meliores de familia sacræ virginis eliguntur, quorum submissioribus humeris ipsa quoque familiari dominio sedere dignetur : jejuniis et orationibus sanctificantur, balneis lavantur, lotis vestibus induuntur, sicut decet virginis puritatem. Advenerat desiderata dies, et qui parati fuerant deposuerunt beatam virginem de loco suo, prostratis interim fratribus et orantibus : quibus in oratione et lacrymis perseverantibus, advenit præfatus Episcopus cum solemni processione Clericorum, et turba populorum multa, quæ convenerat ad diem festum. Ab antiquis enim temporibus inviolabiliter observatur, ut quando B. Genovefa portatur, solemniter exeat, et solemniter reducatur. Igitur secundum canonicum morem ordinata processione et portantibus dominam suam viris supra designatis, festinabamus, ad optatæ lætitiæ finem. Sed demorabantur futuram lætitiam turbæ quæ sternebantur in via; Episcopus quoque salutem populi pie distulit, qui ad miraculi fidem omnes ante miraculum infirmos numerare fecit. Pia quidem dilatio morbum ad breve detinuit, sed tamen ad sempiternam miraculi attestationem perfecit.

Psal. 44. 12.

Deponitur corpus S. Genovefæ.

Infertur solemni supplicatione in templum D. Virginis.

42 Ingrediente tandem sancta virgine beatissimæ Dei genitricis ecclesiam, excitatus est tamquam dormiens Dominus, et surgens imperavit morbo, et facta est tranquillitas magna. Tribus tamen exceptis omnes male habentes curati sunt : et ita subitum solo feretri tactu de sacro corpore elicuerunt miraculum; sicut quondam mulier hæmorrhoissa tactu fimbriæ de carne Salvatoris sanitatem elicuit. Erant autem qui sani facti sunt numero centum. De tribus quidem exceptis hæc sola ratio occurrit, quia non est omnium fides. Dictum est enim Centurioni a Domino : Sicut credidisti fiat tibi. Assignant autem ex parte miraculum. Si ex integro prosequi volumus, inveniemus sanctam virginem non tantum centum hominibus, sed toti etiam regno indulsisse salutem. Languebant autem omnes languore ita ut jam ipsis mortibus gravior esset metus mortis, dum unusquisque per momenta singula furentem expectaret sententiam. Sed præfata sanctæ virginis caritas, qua dilexit nos, cum ipsa morte foras misit timorem, amplior quoque virtus fuit consumere morbum, quam curare. Decebat quidem virginem totum populum a corruptione defendere, quæ tota meruit incorrupta permanere. Contrariis itaque contraria curans corruptos hominum artus et ex parte consumptos, virginei corporis reformavit præsentia ; jugum quoque morbi computruit a facie olei. Obtulit enim Deo pro salute populi et similam virginitatis et oleum castitatis; unde dimissa sunt ei peccata nostra, et turbatus fugit adversarius noster diabolus, non expectata virginis potestate.

Omnes ægri, tribus exceptis, sanantur. Matth. 8. 13.

Comparatur S. Genovefa cum S. Magdalena.

43 Comparemus si placet virginem nostram illi sanctæ peccatrici, cui dimissa sunt peccata multa quia dilexit multum. Sancta quidem peccatrix, quam diximus, ad pedes Domini procubuit, rigavit lacrymis, capillis tersit, humiliata ab eo qui humiliat peccatores usque ad terram ; et quidem sibi consuluit, sibi prospexit. Si ergo illius humilitas digna laude prædicatur, quis dignus et sufficiens ejus invenietur laudator quæ morbidos peccatorum pedes cælesti rigavit unguento? et hos quidem curavit, non curari venit; dedit, non accepit : cum ex testimonio veritatis beatius sit dare quam accipere. Illa ad sepulchrum Domini, humanis opibus aromata quæsita portavit ; ista gratis accepit, et gratis dedit : illa aromatibus suis nos instruxit ; ista sanavit, et lætificavit civitatem Dei oleo exultationis et salutis. Sed ne insiliamus in temerarias comparationes, revertamur ad narrationem nostram : quia proclivius est ad periculum Sanctorum merita collibrare, quam narrare.

Act. 20. 35.

Omnes gratias Deo agunt pro miraculo.

44 Igitur viso miraculo Episcopus et Clerici secundum Ecclesiasticum morem tentabant sanctæ virginis laudes attollere, sed clamor populi et stupor miraculi non permisit : non enim æquare poterant voces populorum. Clamabant itaque cum populo et confitebantur miraculum virginis clamoribus et lacrymis, quia Deo gratiarum actiones sunt cordis compunctio et vocis exultatio, teste Propheta qui dicit: Servite Domino in timore, et exultate ei cum tremore. Et alia scriptura dicit : Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris. Et cum multa hora fieret in voce exultationis et salutis, audivimus impias voces clamantium ut non reduceretur amplius B. Genovefa ad locum suum, sed præsentia sua protegeret civitatem. Voces ergo illæ terruerunt nos et declinantes impiam populi pietatem acceleravimus ad propria, intentis super sacram virginem oculis ac manibus. Tanta autem nobis obviavit populi frequentia, ut prius profunda vespera diem inclinaret, quam sancta virgo ad locum suum intraret.

Psal. 2. 11.

Isa. 12. 3.

Refertur corpus S. Genovefæ ad suam ecclesiam.

Innocentius II id miraculum annua celebritate recoli jubet.

45 Venit sequenti anno ad partes istas, felicis memoriæ Innocentius Papa, qui audito miraculo, et Virgini gratias egit, ipsumque miraculum tamquam indeficienti laude dignum anniversali laude donavit. Nulli autem in dubium veniant quæ scribimus : quia non audita sed convisa narramus. Credant omnes miraculo, qui B. Genovefæ suffragiis innituntur, ne excipiantur cum illis turbis, qui viderunt et non crediderunt. Expedito perpaucis miraculo et diei hujus auctoritate subjuncta, adjiciendum videtur quomodo procedente tempore divinis sit indiciis consecrata.

Imminuens hujus diei celebritatem, subita morte punitur.

46 Cum enim per annos singulos dies ista celebri memoria revocaretur, contigit ut semel sine ornamentis solemnibus per absentiam Simonis Capisterii celebraretur, cujus officium erat ornamenta providere et luminaria de proprio ministrare; volebat enim per contemptum festivitatis evitare dispendium facultatis. Consequenti vero die solemnitate celebrata dum sanctuarium ascenderet, et jam de summis gradibus pedem in sancta inferret, divinam passus virtutem paullulum retro declinavit in gradus, unde secundo impulsus in pavimentum cecidit, et sine voce, sine ullo sensuum nutu mirabiliter expiravit. Omnium igitur miraculi hujus memoriam recolentium benignus Jesus, et memoria eorum de ligno vitæ non deleatur, in sæculum sæculi, Amen.

REVELATIO

ANNO MCLXII. X JAN.

REVELATIO RELIQUIARUM S. GENOVEFÆ,

Ex eodem MS. Bruxellensi.

EX MSS.

Anno ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi MCLXI, regnante piissimo Rege Ludovico Regis illustris Francorum Ludovici filio, regale per universam processit edictum, ut apud urbem Parisiensem omnes Ecclesiarum Prælati cum Proceribus universis, de regni commoditate celebrarent concilium. Die præfixa ad urbem omnes qui vocati fuerant convenerunt, et de honesta regni utilitate secretius tractare cœperunt: et quoniam maligni semper in pejus malignandi studio provocantur, ad damnationis suæ cumulum quidam prorumpentes in medium, religionis et honestatis hostes, ut gladium acutum in Sanctos Dei linguam suam armaverunt. Quid ultra? falsa delatio regales contigit aures, quod videlicet beatissimæ virginis Genovefæ caput in ecclesia nostra non esset. Hujus rei rumoribus animus Regis aspersus valde confunditur, et obnubilatur aspectus. Consulitur tam Clerus, quam populus, communicatoque eorum consilio ad ecclesiam nostram sine dilatione venitur, et ne quidem aliud caput nocte ipsa in capsa, qua venerabile corpus virgineum quiescebat, a fratribus poneretur, regio charactere capsa eadem communitur. Crastina die hora prima inchoante ex Regis mandato mittuntur ad ecclesiam nostram venerabiles nostri Domini, scilicet Senonensis et Autisiodorensis Antistites, venit et Aurelianensis, Manasses dictus, oblivione potius quam memoria dignus, veritatis inimicus, religionis et honestatis promptissimus persecutor, et cum eo populi copiosa multitudo. Tandem de reseranda capsa inter eos sermo conseritur, et supradictus astutissimus scelerum commutator, ut iniquitatem corde conceptam palliaret virturis imagine, lacrymis profusioribus inundatus, antiphonam de sanctissima virgine primus incepit cantare. Nec mora: de loco sancto suo Domina nostra deponitur, et amoto regiæ dignitatis charactere capsa reseratur, et sanctissimæ virginis corpus linteaminibus amotis in oculis nostris exponitur. Integrum ergo corpus virgineum oculis diligentius perlustrantes in laude Dei cum inedicibili exultatione prorupimus, Te Deum laudamus decantantes. Profunduntur uberius lacrymæ populi, prius exitum nostrum expectantis, sed jam exultantibus nobis gratulantis.

Inquiritur an caput S. Genovefæ cum corpore asservetur.

Nimia scriptoris in Episcopum acerbitas.

Reperitur cum corpore caput.

2 Et quoniam non est pax impiis, dicit Dominus, unde justus exultat et laudat, peccator confunditur et blasphemat. Scriptum quippe est: Peccator cum venerit in profundum malorum contemnit. Toto igitur malignitatis suæ spiritu debacchatus Aurelienensis Pontifex mentitur caput venerandæ virginis esse sublatum, et in dolo nescio cujus vetulæ miserabilis aliud caput esse suppositum. Nec dissimulare valens iniquitatem, quam corde conceperat, totus conversus ad fraudem, venit ad Regem prædictis Præsulibus relictis, ore contumaci garriens, eumdem, quem superius, cœpit replicare sermonem, et prædictos Pontifices, qui caput prædictæ virginis non invenissent, recessisse mentitur iratos. Verumtamen quod iniquitas more mendacii fabricavit,.... non admissit.

Isa. 48. 22.

Prov. 18. 3.

Contrarium Regi persuadetur.

Hugo Archiepiscopus veritatem in sermone ad populum confirmat.

3 Veritatis testis processerat ad populum venerabilis Pontifex Senonensis, qualiter in dubitationem quibusdam venerit de capite sanctissimæ virginis, utrumne scilicet in ecclesia sua; et tunc qualiter cum omnibus membris suis corpus integrum inventum esset diligenter edisserens: Caput, inquit, sanctissimæ virginis hujus, quæ gloria totius est Galliæ, cum integritate corporis sui nos invenisse gloriamur. Et ne hoc ipsum vel vobis aut posteris aliquando eveniat ad dubium, vobis dignum duximus prædicare. Hæc et alia quam plurima in auribus populi prædictus Præsul prædixerat, quæ nimiam et impudentem animositatem inimici nostri comprimere potuissent, si datum desuper esset. Sed quoniam tunc hora erat et potestas tenebrarum, ut inveniretur iniquitas ejus ad odium, modis quibuscumque poterat animum Regis inducere adversum nos conabatur in malum: et cum nec ratione opus jam esset aut consilio, quippe jam enim turbata fuerat adversum nos regia Celsitudo; subiit in mentem ut mitteretur post sæpe dictos Pontifices, quatenus eorum testimonio approbata postmodum in oculis Regis veritas eluceret. Mittuntur itaque Milidunum cum magna festinatione quidam de fratribus; in auribus venerabilium Patrum prædictorum detestandam perversitatem Aurelianensis exponunt, et ut rei veritatem regiæ Clementiæ per litterarum suarum apices non recusent agnoscere, diligenter exponuntur. Igitur viri pacis et veritatis amatores fratrum nostrorum precibus inclinati, justis supplicationibus eorum benigne impertientes assensum, regiæ sublimitati mandantes rei veritatem in hunc modum rescripserunt.

Senonensis et Autisiodoren. Episcoporum de eadem re ad Regem litteræ.

4 Ex mandato regiæ serenitatis ad ecclesiam sanctæ virginis Genovefæ convenimus, et capsam in qua eadem virgo quiescit, in præsentia nostra fecimus reserari, et ejus interiora diligentius oculis ac manibus perlustrantes corpus sanctissimum cum capite suo et omnibus membris integrum et . . . . indubitanter invenimus. Hoc ergo invento in laudem Dei cum magna exultatione prorupimus, et populo circumstanti sine mora curavimus prædicare. Hoc vobis, nec alia Domino nostro mandamus. Ecce per litteras secundo vobis significamus, ut malignorum hominum, quibus est studium quæ bona sunt depravare ut obtractione veritas obfuscetur, . . . valete in Domino.

5 Tantorum virorum testimonio mitissimus Regis animus delinitus, omnes a se tenebras supradictæ dubietatis longius propulsavit, et ecclesiam nostram, ut prius, imo instantius quam prius, et dilexit et protexit. Itaque postquam veritas venit ad lucem, dolet impietas esse se delusam. Ex tunc etenim et deinceps Aurelianensis leo de leone factus est draco, non jam palam nequitiæ suæ virus evomens, sed in occulto; et quia capite contrito cetera membra robur ullum non obtinent, cum molas leonum in ore ipsorum converterit Dominus, complices sui, ministri confusionis, filii perditionis, inimici nostri confusi sunt, quia Deus sprevit eos. Nos ergo quia de potestate eruti sumus et laqueo venantium, dicamus omnes, cantemus singuli: Laqueus contritus est et nos liberati sumus.

Revelatio hæc capitis, sive capsæ apertio, facta est 10 *Janu.* 1161.

6 Revelata est autem Domina nostra anno incarnati Verbi millesimo centesimo sexagesimo primo, mense Januario, decima mensis in Octavis ejusdem sanctissimæ virginis, et a fratribus est dulciter Deo sæculata. Die vero sequente tertia in locum sanctum suum, unde fuerat deposita, cum hymnis et canticis spiritualibus est elevata. Nos in tanti gaudii memoriam dolorem prius habitum subsequentis, communicato fratrum nostrorum consilio ac sensu communiter impertito, diem eamdem nobis et posteris nostris constituimus, celebriter venerari, ita ut devotionem et omnem observantiam die festo nativitatis exhibitam hæc solemnitas nihilominus unquam obtineat. Ut autem singulis annis hujus actionis textus eodem die legatur, curavimus providere, ut et justus habeat unde lætetur, et conscientia peccatoris inveniat quo pungatur; quatenus et benevolis sit gratia benedictionis, malivolis autem et his qui oderunt pacem lapis offensionis et petra scandali.

Dies ille solemniter deinceps celebratus.

In octava Joannis Evangelistæ est festum celebre Genovefæ: In crastino Simonis et Judæ translatio: in crastino Catharinæ Excellentia, quæ dicitur Festum miraculorum ejus.

NOT. 60.

DE S. BLIDMUNDO SIVE GOGO

ABBATE IN GALLIA.

SECULO VII. III JAN.

Hugo Menardus in Martyrologio Benedictino III NON. JANUAR. In territorio Ambianensi S. Blidmundi Abbatis, disciplini S. Valerici. *De eo agitur in vita S. Walerici fuse* I *Aprilis. Ipsius quoque vitam* Blidmundi *ita describit idem Menardus lib.* I *observation. ex monumentis monasterii S. Walerici :*

S. Blidmundus a S. Walerico curatus fit monachus.

2 S. Blidmundus nobilibus parentibus natus est in quodam castro Delphinatus ad Isaram fluvium. Adolescens omnibus membris captus, diuturno languore contabescebat : donec ad S. Valericum Abbatem, cujus fama per universam Galliam percrebuerat, delatus, ejus precibus sanatus est. Blithmundus tanti beneficii non immemor, se totum Deo tradidit sud magisterio S. Valerici.

Eligitur Abbas.

3 Post ejus mortem S. Blithmundus omnium suffragiis et votis ei suffectus est. Sed cum bella in dies deflagrarent, monachis huc et illuc dissipatis, ad S. Attalam Bobiensis in Italia monasterii Abbatem venit : ubi aliquot annos sub districtioris vitæ disciplina commoratus est. Extincto bello in Picardiam ad sepulchrum sancti sui magistri redire appetiit : quod illi concedere S. Attala nolebat, quia a tam sancto viro distrahi non poterat. Interea contigit S. Attalam membrorum usu orbari, ita ut ire in templum non valeret, nisi a S. Blithmundo suffultus. Cumque hoc pacto simul incederent, videbatur S. Attalæ, se per aera sublatum trium pedum altitudine cum S. Blithmundo ambulare. Quo permotus S. Attala ipsi ad sepulchrum S. Valerici remeare concessit.

Bobii degit.

Monasterium S. Walerici restaurat.

4 Cum igitur ad locum venisset S. Blithmundus, eum vepribus et spinis horrentem invenit. Iis accisis cellam ædificavit, in qua aliquot annis vitam eremiticam egit. Cum vero non pauca per Dei gratiam operaretur miracula, multi vitæ monasticæ studio ad eum concurrerunt, et constructo monasterio eum Abbatem elegerunt. Ibi vitam Angelis quam simillimam monachi cum beato suo Abbate traducebant.

Reliquias paganismi extirpat.

5 Circa eumdem locum erant quædam antiquæ superstitionis reliquiæ, quas S. Blithmundus cum suis monachis extirpavit, prostratis etiam quibusdam simulachris, quæ ibi residua erant. Tandem multis exantlatis pro Christo et animarum salute laboribus in cælum traductus est. Ejus sacræ reliquiæ adhuc visuntur in monasterio ab illo ædificato, quod de nomine S. Valerici dicitur, situmque est ad littus maris in diœcesi Ambianensi. Ejus festum celebratur III Januarii in eodem monasterio, ex cujus veteribus monumentis hæc vita deprompta est.

Moritur.

NOT. 61.

INVENTIO SECUNDA

S. QUINTINI MARTYRIS.

CIRCA AN. CHR. DCXLVII. III JAN.

Semper in Ecclesia dies Inventionis sacrarum reliquiarum ac Translationis religiose observati sunt. Quod tum ex Martyrologiis, tum ex variis SS. PP. sermonibus liquet.

2 *De hac S. Quintini secunda Inventione ista reperi in antiquissimo Martyrologio monasterii S. Martini Tornaci :* In pago Viromandensi Inventio corporis B. Quintini Martyris ab Eligio Episcopo, et Translatio ipsius. *Eadem Molanus in Adit. ad Usuardum, et Galesinius, ac Martyrologium Germanicum Ferrarius in generali Catalogo Sanctorum :* Apud Augustam Veromanduorum Inventio corporis S. Quintini.

Somona fluvius.

3 *De Veromanduis,* S. Quintini *oppido, ejusque corporis Inventione hæc scribit Papirius Massonus in descriptione fluminum Galliæ :* Oritur Somma in vico Veromanduorum Fervaquio, unde S. Quintini municipium petit : de quo Usuardus in Martyrologio vetus scriptor sic ait : In Galliis oppido Vermandensi

S. Quintini municipium.

S. Quintini, qui sub Maximino Imperatore martyrium passus, cujus corpus post annos quinquaginta quinque revelante Angelo inventum est. Hæc ille pridie Kal. Novemb. In vita quoque ejus Martyris scriptum invenio quod sequitur : Ejus venerabile corpus licet ab impiis in Somona fluvio cum plumbo fuisset immersum, tamen per annos plurimos latuit, et incorruptum est repertum. Sigebertus historicus ad annum nongentesimum sexagesimum quartum : Ecclesia, inquit, S. Quintini Martyris est in Insula super fluvium Somenæ sita, cujus martyrium anno Christi trecentesimo secundo contigit. Addit Sigebertus ab Eusebia matrona in superiori loco præeminentis oppidi quod antiquitus Augusta Veromanduorum vocabatur, corpus ejus esse collocatum; et rursus ab Eligio Episcopo Noviomensi detectum.

S. Quintini prima et secunda inventio.

Unde hæc historia descripta.

Inventionem hanc commemorat S. Audoenus in vita S. Eligii quam I *Decemb. integram daturi sumus. Hanc autem partem ex quatuor* MSS. *codicibus descripsimus, Rubeæ vallis Lovaniensi, Balthasaris Moreti* V. CL. *S. Mariæ Bonifontis; quæ ita habet:*

S. Eligius Sanctorum corpora perquirit.

4 Eligio viro sanctissimo inter cetera virtutum suarum miracula id etiam a Domino concessum erat, ut sanctorum Martyrum corpora, quæ per tot sæcula abdita populis hactenus habebantur, eo investigante ac nimio ardore fidei indagante, patefacta proderentur. Siquidem nonnulla venerabantur prius a populo in locis quibus non erant, et tamen quo in loco certius humata tegerentur, prorsus ignorabatur. Ex eo ergo tempore, quo Eligius Pontifex consecratus Pastor est datus, ab eo nonnulla inventa populis sunt declarata. Ex quibus primum ac summum sanctum Martyrem Quintinum in principio Episcopatus sui, grandi instantia * quæsitum, olim quoque celatum, promovit palam in publicum.

* MS. *Mor.* quasi tumulum quoque.

Maurini temeritas divinitus punita.

5 Denique priusquam Eligius ejusdem loci datus esset Episcopus, extitit quidam vir improbus, nomine Maurinus, ut videbatur populis, habitu religiosus; cantor etiam in Regis palatio laudatus, atque ex hoc, ut rei docuit exitus, mente tumidus, corde protervus, atque actione dissipatus : qui audacia suæ præsumptionis deceptus, cœpit verbis extollere, a se Martyris Quintini corpus, et inquiri posse, et inveniri. Sed ut ejus proterviam illico et Eligii merita demum Dominus declararet, mox ut terram sarculo * scalpere cœpit, manubrium fossorii manibus ejus inhæsit : sicque miser opus præsumptum relinquens, sequenti quoque die in manibus suis vermibus ebullientibus miserabiliter expiravit. Ex quo facto tantus timor adolevit in populo, ut nullus deinceps, quamvis probabilis vitæ, præter Eligium, hujusmodi negotium auderet appetere.

* MS. *Lou. et Mor.* cavare.

6 Eligius ergo cura Pastorali suscepta statim in exordio suæ ordinationis cœpit assiduare erga locum illum. Est enim haud procul ab urbe Viromandensi, in eo scilicet loco ubi quondam Martyr ex fluvio elevatus

vatus ab Eusebia in monte fuerat tumulatus. Eligius itaque divino nutu instigatus, volvebat in animo, sed et libere proclamabat populo, non illic haberi corpus, quo eum loco venerabatur, sed esse potius in parte ulterius. Cumque diu hujusmodi conditio mentem ejus stimularet, cœpit tandem sagaci inquisitione per basilicæ pavimentum huc illucque tentare, sicubi sacratum tumulum posset deprehendere. Sed cum nullatenus indicium tumuli reperiret, cœpit a fratribus destitui, prosequentibus cum tremore interitum illius, qui dudum ejusmodi investigationem superba mente concipiens, lugubri morte vitam finisset; nec non et antiquitatem corporis longinquitate jam temporis consumpti, atque ad nihilum in pulverem redacti objicientes, conabantur eum a cœpto mentis proposito revocare. Cumque ei istiusmodi impedimenta a fratribus objicerentur, altius ille ingemiscens, aiebat : Nolite fratres, quæso, nolite impedire devotionem meam : nam ego credo in Creatorem meum quod non me dignabitur tanto thesauro, tantumque mihi desiderato fraudare commercio.

S. Eligius S. Quintini tumulum investigat.

7 Tunc ergo attentius persistens, levavit triduanum jejunium, atque enixius Christi Domini divinitatem cum lacrymis exorrans, vovit non se prius quidquam alimoniæ accepturum, quam mereretur desideratum percipere votum. Tanta namque erat ei fides, tantaque constantia, ut plerumque sic facienda præveniret, tamquam jam facta crederet, et nonnumquam ita cum Deo quemadmodum cum terreno suo loqueretur domino, ac propositum, quod ipse statueret in Deo, complere indubitanter se crederet. Unde etiam cum a multis dehortaretur, dicebat; Tu : inquit, Domine Jesu qui omnia nosti priusquam fiant, tu scis quia nisi manifestum ostenderis mihi corpus hujus testis tui, qui propter nomen sanctum tuum passus est, quamquam sim indignus, numquam tamen plebis hujus Episcopatum geram, sed exul potius ab hac provincia procul secedam, ubi, ut dignum est, inter bestias moriar.

Triduo jejunat, vovens se nisi eo reperto non comesturum.

8 Quid multa? cœpto operi persistens, cum adjutores ejus per diversa ecclesiæ loca tentando discurrerent, nullamque inveniendi * spem caperent; leniter ille omnes compescens, unum eis locum, quo nulla esse suspicio poterat, in posteriori ecclesiæ parte effodiendum designat. Tunc omnium labore ibi converso libenter jussis obtemperant : defossaque jam in altum pedes decem, seu amplius, terra, abs spe iterum inveniendi corporis destituuntur. Et cum tertia jam nox media * fluxisset, arrepto Eligius sarculo, rejectoque amphibalo, cœpit totis viribus, cum cereis et lampadibus, terram sanctis effodere manibus, cumque paullulum ima fossæ declinans in latus cavernæ scalpere humum cœpisset, mox reperit tumbam sane veterrimam tegentem corpus sacratum.

* MS. *Mor.* indicia.

PER S. AUDOEN. EX MSS.

* MS. *Mor.* fulsisset. *Eum ipsemet reperit.*

9 Tunc gaudio magno repletus, cum sarculo, quem manu gestabat, * avidissime latus ferisset sepulchri, confestim forato tumulo tanta odoris fragrantia cum immenso lumine ex eo manavit, ut etiam ipse S. Eligius fulgore luminis, odoreque inenarrabili perculsus vix subsistere potuisset. Nam et globus splendoris, qui ex tumulo ad ictum ferientis processit, tantam vim suæ claritatis sparsit, ut cunctorum adstantium obtutibus oculorum retusis, partem maximam regionis illius in diei claritatem mutaret. Unde omnes, quos eadem hora vigilare contigerat, quique rei causam ignorabant, magnum quoddam datum cælitus signum æstimabant. Erat enim transacta media nox, et nox quidem obscura valde et caliginosa : sed procedente fulgore quasi lux diei ad tempus resplenduit, et in tempore claritas recessit.

* MS. *Mor.* audacissime. *Suavis odor et lumen e tumba S. Quintini.*

10 Tunc ergo sacrum inventum corpus Eligius cum gaudio lacrymabili exosculatur; ac de profunda tellure elevato reliquias sibi, undecumque concupivit, segregavit, dentes etiam pro languentium medela ex maxilla sancta abstulit atque ex radice dentis gutta sanguinis exivit : clavos quoque miræ magnitudinis, quos tempore passionis ejus persecutores corpori infixerant, ex cerebro ceterisque artubus abstractos, sibi pro reliquiis sequestravit : capillos etiam pulcherrimos in reliquias separatos delegavit. Deinde holoserico pretiosissimo obvolutum, compositumque honestissime corpus summa cum diligentia * retro altare transposuit. Tumbam denique ex auro argentoque et gemmis miro opere desuper fabricavit : ecclesiam quoque, quæ exigua conventibus populi videbatur, eximio opificio ampliatam decoravit. Ipse demum ex reliquiis, quas a sancto corpore frequestraverat, multa loca condivit, multimodamque medelam diversis ægritudinum incommodis easdem impartiendo præbuit.

Aliquas sibi inde reliquias accipit.

* *al.* citra.

Honorifice corpus recondit. Sacris reliquiis morbos sanat.

DE S. BERTILIA VIRGINE

MAREOLI IN ARTESIA.

CIRCA ANNUM CHR. DCLXXXVII. III JAN.

Sanctæ Bertiliæ *natalem referunt hoc die Martyrologium Gallobelgicum, Kalendarium Benedictinum, Constantinus Ghinius, Arnoldus Wion, Hugo Menardus. Molanus in Kalendario Belgico, et in Indiculo ac natalibus Sanctorum Belgii.*

2 *Ferrarius :* Maricolis apud Atrebates, S. Bertiliæ virginis. *Verum confundit Ferrarius Maricolense et Mareolense monasteria, non recte. Nam Maricolæ, sive Mariliæ, vel Mareoliæ, inferius in vita S. Popponis* XXV *Januar. Mariliacum, vulgo Maroilles, monasterium est ordinis D. Benedicti in Hannonia sub diœcesi Cameracensi, ad Helpram fluviolum, qui non procul inde in Sabim influit; constructum a Choneberto Comite, dotatum deinde a S. Humberto anno* DCLXVII *atque a Ludovico Pio* DCCCXIIX, *postea quoque a Carolo Simplice, aliisque viris illustribus. Mareolum vero est, ut ait* V. CL *Autbertus Miræus,* Canonicorum regularium Abbatia vetusta, apud Atrebates, cujus prædia suo diplomate Lotharius Francorum Rex cum uxore sua Emma ann. DCCCCLXXVII stabilivit. *De eo Chronicon Camerac-*

Mareolum cœnobium diversum a Maricolis.

cense lib. 2, *cap.* 16. Est etiam in vico Maraculo monasterium Canonicorum, ubi Sancta quiescit Bertilia, quæ hoc ipsum suum prædium S. Mariæ tradidit, *et lib.* 1, *cap.* 2. Parent autem usque in hodiernum diem constratis aggeribus loca apud Mariolum, ubi Romanæ acies castra metaverant. *Adhuc visi aggeres illos testantur Molanus et Miræus. Distat* Mareolum Atrebato miliari cum dimidio versus Montem S. Eligii, *ut scribit Georgius Colvenerius in Notis ad cap.* 25, *lib.* 1. *Chronici Camerac.*

3 *S. Bertiliæ vitam, Elevationisque ac Translationis historiam ex* MS. *Mareolensi descripsimus. Ejus adhuc isthic asservari reliquias testatur Arnoldus Raisius in Hierogazophylacio Belgico.*

S. Bertiliæ vita : reliquiæ.

4 XIV *Septemb. an. Christi* MLXXXI *facta est S. Bertiliæ Elevatio, cujus meminere eo die Wion, Menardus, Martyrologium Germanicum, Molanus in Addit. ad Usuardum; ac* III *Januarii idem Molanus in natalibus Sanctorum Belgii, et Miræus. De translatione* VIII *Octob. an.* MCCXXVIII *facta agit ibidem Molanus.*

* PROLOGUS

Ex mss.

PROLOGUS AUCTORIS.

Utile est scribere vitas Sanctorum.

Miracula nec non gesta Sanctorum narrare non modicum legentium seu audientium esse profectum, haud dubium est; quoniam et eorum exemplo informantur ad bona operanda, et præmio invitantur ad gaudia totis virium suarum nisibus quærenda. Hinc Domino nostro Jesu Christo laus et exultatio magis magisque accumulatur; et conversim humani generis inimico confusio atque livor indies potior nascitur, cum et primum ab illo totius Ecclesiæ capite victus aufugit, et imo postea a membris suis legitur quotidie victus, et confutatus. Quocirca pauca de vita, seu virtutibus S. Bertiliæ scribere orsus, efflagito (quicumque es lector) ut seriem ineptæ orationis hic non attendas, sed ut vitam optimæ conversationis, etiam ab ineunte ævo præfatæ Dei famulæ consideres; nec ut exercearis verborum ingenio, sed potius ut ad bona agenda ejus inviteris exemplo. Ast hæc summatim in capite præmissa; hinc textus exordium sumat.

CAPUT I.

Bertiliæ genus, sanctaque adolescentia.

Bertiliæ genus.

Sancta igitur, ac gloriosa Dei famula Bertilia, ex nobilissima Francorum prosapia oriunda fuit. Parentes namque ejus fuerunt ambo generosissimi, nec non larga facultatum suarum possessione admodum locupletes : religionis etiam, seu totius pietatis officiis utrique tunc temporis ad unguem claruerunt. A quibus præfata eorum filia, aliquantulum non degeneravit : verum quidquid illi perfectionis minus habuerunt, hæc postmodum totis nisibus supplere contendit, velut postea in propatulo cunctis enituit.

Ab infantia dedita pietati,

3 Sane a primo infantiæ suæ ævo cœpit loco mentis affectu in Christi amore flagrare, et imis sui pectoris suspiriis ad cælestem æternæ habitationis patriam magis magisque anhelare. At quidquid de Christo, sive supernorum civium agminibus discere poterat, vel audire cunctis prope modum horis spirituali satagebat degustare palato. Adeo enim ejus animum vis interni amoris accenderat, ut vix unius horæ spatium posset interesse, quo jugiter aut orationi non incumberet, aut indigentibus humanitatis officio non subveniret. Studebat præterea in diebus ad ecclesiam convolare, quatenus verbum Dei audire valuisset, unde nimio audiendi amore summopere flagrabat : et quod aure corporis audiebat, in alta cordis sui memoria recondebat. Inerat enim ei jam tunc, quamquam teneris sub annis, maturus intellectus, moribusque sanctis ævum proprie transcendebat infantiæ.

Eleemosynæ, Auditioni verbi Dei.

4 Quæ cum primordio nascentis ætatis tantæ perfectionis extiterit, tantisque virtutum incrementis in infantia sua excreverit, quid putamus postea fuerit? Nempe remota omni titubatione certissime sciendum est, quod in posterum ut ætate creverit, ita quoque sanctitate, morumque honestate pariter profecerit. Denique etiam, velut aliæ solent lascivæ puellæ, non curabat se holosericis vestibus, auro, gemmisque intextis, extrinsecus excollere, ast potius intrinsecus morum probitate semetipsam adornare satagebat semper : haud immemor tunc temporis illius Apostolici præcepti, quo idem mulieres a pretiosarum vestium appetitu compescuit, inquiens : Non in veste pretiosa : cujus tamen usum, utpote generosissimis natalibus orta, non semper declinare poterat. Multa sane insignia de ejus infantiæ sanctitate dicere potuimus; at, ne ultra modum procedendo fastidium gignerent, omittere decrevimus. Qua de re regia gradientes via, scilicet nec ad dexteram, nec ad sinistram divertentes, plus minusve quam oporteat discedendo, sequentia mediocriter perstringamus.

Vestium splendorem contemnit.

1. ad Timoth. 2. 9. 1. Pet. 3. 3.

CAPUT II.

Guthlando nubit.

Guthlandus eam sibi uxorem petit.

Deinde quidam juvenis, vocabulo Guthlandus, superbi sanguinis generositate præclarus, totiusque facultatis copia admodum dives, bonisque etiam moribus incomparabiliter comptus, cœpit præfatam Christi adamare puellam : erat enim alloquio blanda, facie decora, aspectuque pulcherrima. Hancque instantissimis apud parentes ejus efflagitabat precibus, ut sibi eam in connubio sociarent. Offerebat ergo ipse memoratus juvenis, sæpefatæ Christi mirabili puellæ, quatenus eam ad suum pertraheret consensum, vestes quam plurimas, auro gemmisque intextas; offerebat prædia multimoda, et mancipia immodica. Quæ omnia floccipendens, ac pro nihilo deputans, nequaquam eis animus suus flecti poterat, et a proposito sanctitatis inclinari : sed ubi semel obturum mentis suæ fixerat, ibi jugiter immobilis persistebat. Jam enim B. Bertiliæ cuncta labentia subter erant, nullasque labentium rerum voluptates amabat, nullisque lusibus seu jocis, quibus illa ætas implicari solet, delectabatur; verum omnia ut vana, et tamquam nullius momenti vitabat, ac velut stercora refutabat : ita enim illo tempore vis interni amoris ejus animum accenderat, ut consortia hominum amori hujus sæculi inhiantium declinare vellet, et eremum sola habitatura concupisceret : fecissetque votis satis, si sexus infirmitas non fuisset impedimento.

Opes oblatas contemnit.

Vitæ solitariæ desiderio tenetur.

Ægre parentibus tandem consentit.

6 Parentes denique ejus videntes juvenem fore strenuissimum, et sæcularis eminentiæ pompa sublimatum, maximisque fundorum possessionibus valde ditatum; cœperunt indies animum sæpefatæ filiæ suavibus blandisque exhortationibus ad consensum præfati juvenis attrahere. In qua re diutius laborantes, plurimum expendere tempus. Quorum tamen precibus vix tandem devicta, consensit eum cum amore Dei suscipere, non causa exercendæ libidinis, sed gratia propagandæ sobolis.

CAPUT III.

Cum viro castitatem servat.

Guthlandus per eam in virtute proficit.

Porro ipse memoratus juvenis desideratis seu religiosis ejus amplexibus tandem potitus, cœpit quotidie in sanctitate, nec non religione Christi pedetentim succrescere : quod meritis seu precibus B. Bertiliæ actum fore, remota omni titubatione verissime credendum est, videlicet ne ejus pudicitiæ violator existeret, quam ab ipsis cunabulis Deo devoverat.

Bertiliæ et Guthlandi pia exercitia.

8 Digne quis per ordinem enarrare sufficiat, quantæ religionis uterque fuerint, et quam sancte seu juste totum vitæ suæ tempus una pertransierint, nec non qualia, quantave bona in vita sua gesserint. Erant enim ambo religione clari, hospitalitate præcipui, castitatis amatores ferventissimi. Cerneres indies alere egenos, vestire nudos, visitare infirmos, ceteraque pietatis ac sanctitatis officia haud segniter peragere. Nempe universam facultatem suam propemodum in tali disperserunt opere : ita ut veraciter de eis singulis cum psalmographo David suavi dulcique organo decantari valeat : Dispersit, dedit paupe-

Psal. 111. 9.

ribus, justitia ejus manet in sæculum sæculi.

CAPUT IV.

Vidua sancte vivit : moritur.

Post obitum conjugis vidua manet.

Beato igitur Guthlando prius ab hac vita discedente, atque ut indubitanter credimus, et veraciter tenemus, in sede hujus Paradisiacæ amœnitatis collocato, præfata Dei famula a conjugii vinculo soluta, in viduitate almificam studuit conservare castitatem, bonumque, quod prius mente conceperat, prius omnimodis sategit. Nam omnia patrimonia, quæ ejus domino

Bona Ecclesiasticis partitur.

dominio devenerant post obitum patris, matrisque, nec non etiam ea quæ suæ potestati supra memoratus vir suus reliquerat, diversorum locorum Monachis, Canonicis, atque Sanctimonialibus, sub chartarum auctoritate delegavit, præter unum solummodo fundum, usu fructuario sibimet reservatum, qui Mareolo dicitur, in quo propriis largitionibus basilicam condidit, ibidemque aram statuit in honore almi Amandi. Atque ut suavius liberiusque ibidem contemplativæ vitæ intendere posset, cellulam parietibus ipsius basilicæ hærentem sibi fecit construi; quam sola ingrediens, ad visionem supernæ pacis operum bonorum passibus sine cessatione omni hora properabat.

Basilicam construit, et sibi juxta eam cellulam.

10 Cujus sermo unicus edicere sufficiet, quam sancte et religiose inibi vixerit omnibus horis, cunctis momentis, quibus vitales auras carpere quivit? Quod quamvis perlongum est, dicatur paucis qualiter meritis et annis matura de hoc sæculo migravit. Quadam denique nocte cum plus solito orationi incumberet, orationibus, nec non vigiliis tandem fatigata, cellulam repetiit, ubi cum . . . . . perfessa membra sopori dedisset, dura corporali molestia corripitur, et indies languor immodicus augmentatur; non tamen ab oratione cessabat, sed Deo devota femina, quanto acrius dolore premebatur, tanto profusius Christi misericordiam precabatur, expetens ut ejus auxilii tutela ab hostium incursione secura atque immunis consisteret, cujus fidei sacramenta devote susceperat, ut præceptor mandat, his fidelis famula succumbebat.

Orans morbo corripitur.

Constantia in morbo.

Sane licet corporis vires imminente jam morte deficerent, spe tamen gratiæ cælestis roborata, quoniam ad cælestia spiritu certissime se migraturam credebat divinæ virtutis se protectioni commendavit : et sic carnis absoluta vinculis sancta illa anima vivis rebus exempta, Sanctorum superius est collegio sociata.

Moritur.

Sepelitur Mareoli.

11 Venerabile vero corpus ejus in prædicta Mareolensi ecclesia tumulatum, a fidelibus viris summa cum reverentia honoratur, atque solemni multorum veneratione recolitur quiescere : Bertiliæ meritis optata sæpius beneficia consecuti, prona mentis devotione nomen et laudem concelebrant omnipotentis Dei, cui est in unitate Trinitatis gloria, et virtus decentissimæ potestatis, nunc, et semper in sæcula sæculorum, Amen.

VERSUS DE S. BERTILIA.

Progenie clara, Christo Bertilia cara,
Hujus matrona villæ manet atque patrona.
Est data Guthlando conjunx, tamen integra virgo
Perstat, et est virgo secum vivente marito :
Hic ponit * villæ cenum, regale cubile
Intrat, donatur Regi, Regina locatur.
Relliquias hujus continet iste locus.

* *an forte* vile cœnum? *vel* vitæ cœnum?

ELEVATIO.

Privilegium Gerardi II Cameracensis Episcopi de Elevatione B. Bertiliæ.

An. Chr. MLXXXI. XIV septemb.

Secundus Gerardus Dei gratia Præsul Cameracensium, successoribus suis posterisque fidelibus æternum gaudium. Notum sit omnibus, quod in quinto Pontificatus mei anno, Atrebatensium Clerus, et populus, et communentium pia devotio, de elevatione sanctæ Virginis Bertiliæ, ut fieret, suggesserunt. Ut quam meritorum prærogativa, et miraculorum publicaverat ostensio, celebriorem faceret de terra in feretro elevatio. Considerans itaque magnam ab antecessoribus meis præfatæ Virginis claram reverentiam, et cultu frequentatam; ego quo non minus devotus invenirer, omnium precibus consensi, et Virginis elevationem in Exaltatione sanctæ Crucis celebrandam indixi Ante quam diem nutu Dei magnæ infirmitatis præventus molestia, ne tamen populi defraudarem expectationem, bonæ opinionis et religiosos Abbates, D. Gualterum Cameracensem Abbatem, D. Aloidum Attrebatensem Abbatem, D. Alardum Acquicinctensem Abbatem, Dominumque Alardum Marcenensem Abbatem eo direxi, et excusationis agendæ vicem eis credidi.

S. Bertiliæ reliquias elevari petunt Atrebatenses :

Ex mss. *Concedit Episcopus :*

Æger aliis id committit.

14 Elevata est igitur B. Bertilia cum ingenti plebis exultatione, in die Exaltationis sanctæ Crucis. Anno ab Incarnatione Domini MLXXXI, Philippo in Francia, Henrico regnante in Lotharingia.

TRANSLATIO.

An. MCCXXVIII. VIII octobr.

Ad laudem, et gloriam, et honorem Domini nostri Jesu Christi, qui Sanctorum suorum merita gloriosa diu non patitur occultari; sed ut fides Christiana latius suscipiat incrementum, et nomen ejus diffusius amplietur, eorum miracula, quæ per eum fiunt quotidie, ad notitiam omnium vult pervenire. Quædam digna relatu et memoria, quæ per gloriosam Virginem suam Bertiliam temporibus nostris dignatus est Dominus mirabiliter operari, prout nobis divina inspiravit gratia in gestorum * . . . . . præposteratio utque prioribus subsequentia suo more et naturali ordine conjungantur. Paullo superius, videlicet ab elevatione beatæ et gloriosæ Virginis Bertiliæ, inchoantes nostræ narrationis exordium competentius assumamus.

* hic aliquid deest.

16 Cum igitur gloriosum sacrosanctæ Virginis Bertiliæ corporis thesaurum diutius in terra conditum Dominus vellet sublimius elevari, et ipsius reliquias, tamquam aliorum Sanctorum, publice et solemniter in Ecclesia venerari; de mandato speciali piæ recordationis Domini Gerardi quondam Cameracensis Episcopi, non sine multa deliberatione, et magna discretione, Elevationi B. Bertiliæ præfixa est dies Exaltationis sanctæ Crucis. Ad quam venerabiles viri non pauci, et religiosi Abbates ad mandatum prædicti Pontificis, qui infirmitate detentus præsentialiter interesse non potuit, convenerunt, qui pariter congregati ad locum, in quo B. Bertiliæ corpus jacebat, devote et humiliter accesserunt, ipsumque exinde propriis manibus, sicut decuit, extrahentes, in quodam vase ligneo auro et argento protecto, quod ad hoc præparatum fuerat, recluserunt, sicut hoc totum in quodam libro de vita ipsius virginis facto mirabili et rhetorico relatu eloquio plenius continetur. Unde in nominibus Prælatorum recitandis qui præsentes astiterant, et in memoria solemnitatis tantæ rei adhibitæ moram nolumus facere longiorem, ne videamur auditoribus, qui hoc melius cognoverunt, idem repetendo fastidium generare.

Elevatio B. Bertiliæ.

17 Porro cum per centum et quadraginta annos B. Bertiliæ Virginis corpus in vase illo, in quo primum positum fuerat, jacuisset, cœpit vas illud argento suo et auro medio tempore per quosdam fures et sacrilegos spoliatum, vetustate nimia demoliri; ita ut omnibus hoc videntibus dedecus videretur, quod tam sanctæ Virginis speciosæ reliquiæ in tam inhonesto vase et veteri minus honorifice clauderentur. Quod videntes bonæ opinionis et laudabilis vitæ viri Petrus Abbas de Mareolo, et qui cum eo erat conventus, non sine magnis sumptibus vas aliud de novo fabricari fecerunt protectum argento, et superius deauratum, ac diversis imaginibus ac sculpturis ab omni parte nobiliter insignitum : in quo gloriosum B. Bertiliæ Virginis corpus data opportunitate, et habito consilio prudentum, postmodum honorabilius collocarent.

Aurum capsæ S. Bertiliæ furto sublatum.

Fit alia capsa.

18 Quo facto et sicut decebat præparato, prænominati Fratres Abbas scilicet et conventus, ad Venerabilem

Ex mss.

nerabilem Patrem Dominum Pontium Attrebatensem Episcopum accesserunt, cum tota cordis devotione unanimiter et humiliter supplicantes, quatenus piis eorum desideriis, quæ habebant de B. Bertiliæ Virginis corpore transferendo, gratum et benevolum præstaret assensum. Qui devotis eorum petitionibus pio affectu, tamquam Pastor benevolus omni petenti se tribuens, condescendens, tam libenter quam hilariter annuit postulatis, promittens quod si posset ipse tantæ solemnitati vellet præsentialiter interesse,

IIX Octob. indicta translatio.

præcepitque statum diem nominatum præfigi, et prædici VIII Idus Octobris, in quo prædictorum Abbatis et Conventus de Mareolo feliciter desideria complerentur. Adveniente igitur die fecit Deus, qui Sanctis

Inopina serenitas.

suis nescit deesse, magnam aeris serenitatem, licet ante diem illam et etiam post eam pluviosum tempus plurimum extitisset, quod B. Bertiliæ Virginis meritis et precibus contigisse, multi fide digni, quia pium est credere, firmiter crediderunt.

PontiusEpisc. interest translationis.

19 Venit ergo ad solemnitatem præfixam sicut promiserat Pontifex nominatus factaque solemni processione ab ipso, et qui cum eo erant Clericis et Prælatis, erectus fuit quidam scafaldus in curia B. Amandi apud Mareolum, cortinis, tapetis, et pannis variis pulcherrime ornatus, quem Pontifex venerandus, et qui cum eo erant Prælati pariter ascenderunt; ibique a Magistro Assene Canonico Attrebatensi eleganti sermone ad populum facto; præcepit Pontifex antedictus omnibus iis, qui ad solemnitatem diei cum

Indulgentias 30 dierum concedit.

cordis devotione convenerant, indulgentiam fieri spiritualem, triginta dies de injunctis sibi pœnitentiis misericorditer relaxando : adjungens etiam quod per quadraginta dies hujusmodi indulgentia perduraret.

20 Quo facto introductum fuit coram Episcopo vas illud antiquatum, in quo adhuc gloriosum B. Bertiliæ corpus recumbebat : quod propria manu nocte præcedente aperuerat, et confregerat, ad cautelam aperiens et confringens, et exinde eduxit reliquias quas invenit, et caput, quod est membrum hominis principale, et ossa grossiora universis tam clero quam populo apertissime demonstravit. Demum omnia fideliter colligens, et pannis sericis circumligans, et involvens, omni choro Te Deum laudamus, et, Veni Creator Spiritus concinente, in vase novo quod ad hoc specialiter præparatum fuerat interclusit, faciens illud per quemdam aurifabrum subtiliter et firmiter sigillari, intromittens litteras suas proprio sigillo munitas, in quibus tota rei series continetur, et nomina Prælatorum qui cum eo affuerunt subnotantur; quæ in præsenti lectione, ut fidelius a posteris et melius memoriæ commendentur, duximus recitanda, in hunc modum : D. Robertus Decanus. D. Bartholom. Archidiac. Attrebatensis. D. Petrus Abbas Aroasiæ. D. Richardus Abbas de Hinniaco. D. Petrus Abbas de Mareolo. D. Richardus Abbas de Monte S. Eligii. D. Agnes Abatissa Strumensis, et alii multi tam Clerici quam laici, quos ob prolixitate nolumus nominare. His omnibus rite peractis prænominatus Pontifex ad ecclesiam regrediens, in honore B. Bertiliæ Virginis quam transtulerat, Missam, cujus introitus est Gaudeamus, solemniter celebravit: qua completa, et populo licentiato, unusquisque ad propria cum gaudio remeavit.

Reliquias novæ thecæ imponit, cum litteris et testimoniis.

Nomina Prælatorum qui adfuerunt.

Miraculum de Cæco.

Durante vero tempore indulgentiæ. *Cetera nobis desunt.*

RELATIO CAPITIS S. JACOBI APOSTOLI
AD MONASTERIUM S. VEDASTI.

Anno Chr. MCLXXVII. III JAN.

Molanus *in Addit. ad Usuard. III Januar.* Item relatio capitis S. Jacobi Apostoli, fratris S. Joannis, ad S. Vedasti monasterium oppidi Atrebatensis. *Eadem habet Martyrologium Germanicum.*

2 *Arnoldus Raissius in hierogazophylacio Belgico de hoc magni Apostoli pignore Belgio nostro ad salutarem tutelam, atque omen quoddam defendendæ Hispanicis armis Catholicæ in Belgio religionis, commodato, hæc scribit* : S. Vedasti totius pene Belgii cantatissimum cœnobium in urbe Atrebatensi, asservat ac eximio cultu veneratur posteriorem capitis partem S. Jacobi Majoris Apostoli et Hispaniarum tutelaris;

Pars capitis S. Jacobi Atrebati asservatur.

quam in argenteam thecam, auro inductam, mirifici operis et valoris anno MCCCXXXVI, Vedastini ascetæ transtulerunt. In ejus circuitu legitur Gothico charactere :

Anno milleno C. ter, et totidem duodeno,
Hoc vas patratur, caput ac in vase locatur.

3 De qua parte Vuimanus asceta Vedastinus et Historicus, S. Bernardo coætaneus, ita edisserit : Francorum Reges hoc monasterium S. Vedasti successiva devotione semper amplexati sunt, et multorum Sanctorum collectis reliquiis sublimarunt. Hoc nihilominus super aurum et topazion nobile et pretiosum Ecclesiæ nostræ de suis thesauris donarium addiderunt, caput videlicet S. Jacobi Apostoli, fratris S. Joannis Evangelistæ.

A Carlo Calvo iis donata.

4 Licet non exprimat Vuimanus nomen Regis, a quo tam nobili thesauro ditati sunt ascetæ Vedastini; ex aliis tamen monumentis antiquioribus hujusce cœnobii clarissime convincitur, Carolum Calvum Franciæ Regem caput S. Jacobi ipsis donasse; ut diserte narrat Martinus hujus monasterii Abbas Vuimano coævus, in quadam epistola; additque Philippum Flandriæ Comitem qui furtive ipsis præfatum pignus S. Jacobi Hispaniarum tutelaris surripuerat profectum fuisse Compostellam, ut certior fieret an vere esset caput S. Jacobi Hispaniarum tutelaris : tandem magna ac seria indagine adhibita cognovit a multis retro annis, sacrum illud caput in Flandriam fuisse delatum. *Hæc Raissius. Brachium vero ejusdem gloriosi Apostoli, Leodii in monasterio S. Jacobi asservatur, eo delatum anno* 1056, *ut Ægidius Aurea vallis Monachus testatur in Theotwino apud Chapeavillum tomo* 2, *cap.* 3 *et* 6, *de quo nos* XIII *Maii.*

Veritas a Philippo comite examinata.

5 *Hoc vero die memoria agitur relationis capitis, cum Aeria iterum est Atrebatum ad S. Vedasti monasterium deportatum. Qua de translatione ista scribit Ferreolus Locrius in Chronico Belgico* : Anno 1174 Philippus Princeps caput B. Jacobi Apostoli, Joannis Evangelistæ fratris, quod Ariensi B. Petri basilicæ, novis operis instauratæ, donandi studio, Vedastinis abstulerat, atque toto sexennio constanter vendicarat; tandem Alexandri Romani Pontificis monitis, et Henrici Remorum Archiepiscopi, variorumque Principum cohortationibus precibusque expugnatus, priori restituit loco.

Idem eas reliquias aufert, dein restituit.

6 Non deerat partibus suis Abbas Martinus; qui etiam in hæc verba scripsit ad Principem : Philippo Flandriarum Comiti, Illustri et magnifico viro, Martinus Ecclesiæ B. Vedasti indignus Minister, et Capitulum B. Vedasti, dignos agere pœnitentiæ fructus. Venerabilem Abbatem S. Amandi et quosdam potentes in consiliis vestris, nobis a latere vestro direxistis, obsecrantes ex parte vestra, ut injuriam, quam Deo et Ecclesiæ nostræ irrogastis, patienter ferremus, nullamque super hoc querelam vel in Domini Papæ vel

Martini Abbatis Vedastini ad eum litteræ.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

vel in Domini Archiepiscopi Curia faceremus; insuper et quod ecclesiæ nostræ non tam rationis instinctu, quam potestatis violentia rapuistis, vobis concederemus. Et injuriam quidem quam patienter tulerimus, satis vobis notum est, quomodo scilicet sine ulla Ecclesiasticæ censuræ reclamatione, Clementiæ vestræ bonitatem expectaverimus. Sed et nunc quoque, sicut hactenus, quamvis cum multa animorum gravitate et molestia. Nobilitatis vestræ respectum ad tempus sustinebimus. Et insuper ut vos Deus de expeditione, quam agressurus estis, sanum et incolumem, humiliatis hostibus, cum triumphi gloria reducat, et ad honorem sanctæ Ecclesiæ cor vobis pœnitens indulgeat, orabimus. Porro eumdem thesaurum vobis concedere, nostræ facultatis non est, utpote qui Deo et S. Vedasto, magnifica Regum liberalitate collatus

Eas reliquias illi tradere recusat Abbas.

est. Si igitur eas reliquias alii Ecclesiæ conferre, vel de ipsis Ecclesiam, quasi sub obtentu religionis, instaurare disponitis, neque inter nos et vos, neque inter nos et Ecclesiam, quæ eas contra Deum detentura est, pacem ullam ullo pacto futuram, certissime et indubitanter sciatis. Spiritus consilii vobiscum.

Hoc die referuntur Atrebatum.

7 Porro relatum est sacrum hoc pignus in B. Vedasti monasterium III Nonas Januarii, recte in Octava B. Joannis Evangelistæ. Quod quidem an B. Jacobi Majoris sit, an alterius, ipse Princeps Philippus perlustratis postmodum Hispaniis, fidele veritatis testimonium reddidit. Unde Martinum et ascetas, saltem sacri capitis sibi partem darent, magnopere rogavit; nec illi abnuere. Itaque Arienses revisens mirifice affecit, illa iisdem novo munere impertita, quam maximo in cultu habent, et accolæ frequentibus venerantur votis. Martinus autem novum atque ditissimum vas jussit apparari, in quod Petrus tit. S. Chrysogoni Presbyter Cardinalis, Alexandri Papæ in Galliis a latere Legatus, Frumoldo Atrebatensi Episcopo, et Eustathio Montis Eligiani Abbate, cum innumera omnium Ordinum multitudine, præsentibus, XII Kal. Maii, in Octavis Paschæ, sacras reliquias pientissime transposuit.

Pars Comiti datur, ab eo Aeriensi Ecclesiæ.

Miracula in ea translatione facta :

8 Prodigia quæ Translationem (cui Philippus Princeps interfuit) et comitata et subsecuta sunt, plurimaque in vetustis adyti Vedastini codicibus leguntur, quæ hic producere nil necesse. Hactenus ex perantiquo libro MS. qui magna cura inter ejus Cœnobii monumenta præstantiora asservatur; ex quo prolixius hoc nomine hausi, quod Tholosates in Galliis sacrum hoc pignus se habere prædicent.

A quo scripta.

9 *Miracula hic a Locrio prætermissa ex veteri* MS. *Vedastini cœnobii mihi transmisit Joannes Vallon noster, vir humanissimus, quæ hic habes. Auctor fuit ascetes quispiam Vedastinus, qui iis vixit temporibus, ut ex primo et tertio patet miraculo.*

MIRACULA

Quæ contigerunt in relatione capitis S. Jacobi Apostoli ex Aria ad monasterium S. Vedasti.

De quodam puero.

Paralyticus sanatur.

Mulieris cujusdam parvulus filius morbo paralytico, membris omnibus in globum collectis diriguit; sed cum mater mœrens et clamans, universa prosequente vicinia, S. Michaelem, ubi adhuc sanctuarium servabatur, adiisset, et in ipsis foribus ecclesiæ, Dei et S. Jacobi patrocinium lacrymabiliter inclamasset; repente puer convaluit. Quod miraculum meritis beati Apostoli gestum esse nemo ambigat, cum apud Deum et Sanctos ejus magna fides mulieris id obtinuerit, et parvulorum innocentia, qualium est regnum cælorum, in conspectu Domini plurimum possit. Puerum postea in ecclesia nostra frequenter vidimus, et multos eum quasi testem et materiam miraculi amplectentes atque deosculantes aspeximus.

Ex varius Auct.

De Frumaldo Episcopo.

Æger convalescit.

Frumaldus * Canonicus S. Mariæ Atrebatensis, et Ostrevandensis Archidiaconus, postea Episcopus, vir magnæ gravitatis et prudentiæ, in lectum ægritudinis lapsus est, et in tantum vexatus ut de vita desperaret. Cui cum aqua, in qua caput S. Jacobi fuerat intinctum, propinaretur, eamque hausisset, melius habuit, et per paucos dies recepta ad integrum sanitate, se beati Apostoli meritis convaluisse nobis præsentibus asseruit, eique vovit votum, quod eum omni vita sua tenere vidimus.

* *Cl. Rob.* Fruinaldus, *ex cod. Thua. aliis* Frumoldus.

Visio Abbatis S. Vindiciani de Monte Sancti Eligii.

Eustachius Abbas S. Vindiciani de Monte S. Eligii, vir potens in scripturis et arte medicinæ, ea die, qua receptum est sanctuarium, invitatus ad nos veniebat: et juxta aquas de Anpanio agens iter, super ecclesiam S. Michaelis miræ claritatis lucem radiare intuens, suis Canonicis ostendit. Quod cum nobis retulisset, ipsam horam fuisse comperimus, qua nostri Seniores Abbati in ecclesiam S. Michaelis venerant obviam, et sanctas reliquias ad nos delaturi de eadem ecclesia reverenter emiserant. Mirati sunt super hoc universi; maxime cum sol suum jubar adeo mortalibus inviderit, ut tota die illa nebulis caligantibus sepulta, nullum radiorum ejus in aere apparuerit vestigium. Ubi illud etiam in magna admiratione est habitum, quod secundum preces et vota multorum, illa die, quasi in obsequium processuri populi, a mane usque ad horam decimam insolito gelu terræ facies diriguit; cum et ante et postea per totam illam hyemem vel nullum vel rarissimum gelu senserimus, et hyemale tempus ita præter morem a naturalis frigoris jure depropriatum numquam experti fuerimus.

Lumen supra templum ubi erant reliquiæ.

Gelu divinitus immissum.

Visio matronæ.

Relatio hæc eventura præostenditur.

Matrona quædam manens in Castello S. Vedasti, ante circiter octo dies quam ulla reddendi capitis fieret mentio, somnium vidit quod Ecclesiæ nostræ et totius civitatis bonum nude et aperte portendebat. Vidit scilicet monasterium S. Vedasti suis ex integro decoratum insignibus, Dominum Abbatem in sublimi loco assistentem, et columnam eximii splendoris, quam tenebat in manibus, populis ostendentem. Quæ omnia postmodum ex asse compleri vidimus, ecclesiam ornari, structuram ligneam ante altare sanctæ Crucis erigi, et super ipsam præcone vehementer intonante relatum caput populo præsentari. His igitur atque aliis, quæ studio brevitatis omittimus, miraculorum testimoniis, honori atque reverentiæ sancti capitis populorum assuevit devotio : et ex illa die jam celebri concursu et oblationum copiis cœpit honorari.

Fit concursus ad reliquias.

Comes Flandriæ it in Hispanias :

14 Eodem quoque anno, quo prædictus nobilis Comes Flandriarum ipsum venerabile caput B. Jacobi restituit, ad Hispanias orationis gratia et ipsius capitis veritatem inquirendi desiderio accensus, S. Jacobum adivit. Qui eo adveniens cœpit pius explorator curiosius inquirere, an ibi sacratissimum ejusdem caput haberetur; quatenus, an apud nos, an illic verissime haberetur, certior redderetur. Facta inquisitione, quoddam argenteum ei allatum est, in quo a quibusdam esse dicebatur caput, non ipsius Jacobi fratris Joannis, sed Jacobi Minoris ibi repositum ferebatur. Verum cum Comes illud sibi aperiri summopere postulasset, nec ullo modo impetrare potuisset; a senioribus quibusdam omnino illic non haberi, sed

De veritate harum reliquiarum inquirit.

Ex variis Auct.

sed olim in Flandrias translatum fuisse, ipsi intimatum est. Quod audiens cum gaudio repatriavit, et in ipsa nocte festivitatis B. Jacobi Atrebatum veniens, nos super his certiores et alacriores reddidit.

Thecæ pretiosæ includuntur 20 April. 1175.

13 Non negligens itaque Venerabilis Abbas, ad honorem Dei, qui tanto thesauro ejus honoravit tempora, larga manu et liberalibus expensis vas insigne jussit fabricari, in quod non multo post reliquias illas Domnus Petrus tituli S. Chrysogoni Presbyter Cardinalis, qui illo tempore a latere Domini Papæ Alexandri in Gallias destinatus, in regno Francorum Apostolica legatione fungebatur, præsente et inspiciente innumerabili populorum multitudine, adstante etiam Frumoldo Atrebatensi Episcopo, qui illuc ab Abbate vocatus aderat, XII Kal. Maii in Octavis Paschæ solemniter et devote reposuit, et data omnibus benedictione et peccatorum indulgentia, eas in ecclesia S. Vedasti perpetuo honorandas Apostolica auctoritate firmavit. Ubi usque in hodiernum diem multi potenti fide et alacri devotione beati Apostoli memoriam adeunt, et ipsius meritis per sancti Spiritus gratiam peccatorum remissionem accipiunt: præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et eodem Spiritu sancto vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

DE S. DANIELE MARTYRE PATAVII.

III JAN.

Martyrologium Romanum et Molanus in Addit. ad Usuard. Patavii S. Danielis Martyris : *estque hæc Inventionis dies, ut in Notis docet Baronius ex tabulis Ecclesiæ Patavinæ. Ejusdem meminere Maurolycus, Martyrologium Germanicum, Usuardi editio Colonien. anni* 1521.

S. Danielis martyrium, et inventio.

2 *Galesinius* : Patavii, S. Danielis Levitæ et Martyris Inventio. Is enim S. Prosdocimi Episcopi Diaconus, cum Christianam fidem constantissime palam prædicaret, ab urbis Præfecto comprehensus, inter lapideam et ligneam tabulam clavis confossus, martyrio coronatur. Illius corpus diu occultum, Ulderichi ejusdem urbis Episcopi precibus, admirabiliter multis post illius martyrium annis, hoc ipso die inventum est, summa Cleri et populi celebritate. *Eadem fere habet Ghinius.*

Uldericus Episcopus Patavin.

3 *Uldericus ille, anno* MLXIV, *creatus Patavinus Episcopus memoratur. Historiam Inventionis S. Danielis damus ex Agonibus Martyrum : aliamque mortis atque inventionis ex Bernardino Scardeonio, cujus compendium extat apud Ferrarium in Catalogo Sanctorum Italiæ. Episcoporum Patavinorum extat apud Claudium Robertum catalogus : nullum tamen Joannem exhibet, qui circa annum* DCCLXVII *vixerit. Agit de S. Daniele et Petrus de Natalibus lib.* 2, *cap.* 40.

INVENTIO S. DANIELIS
ex Agonibus Martyrum excusis.

S. Daniel Patavii passus.

Daniel Levita martyrium passus est in urbe Patavina ; verum quo tempore, et a quibus ignotum est. Sic tamen passio ejus martyriique modus cognitus est. Nam ipse se revelans cuidam oculis capto in Tuscia dixit illi : Si vis videndi gratiam obtinere, vade, pete Patavium, et Danielis Martyris implora opem, ad memoriam sepulturæ ejus ; ubi et invoca Domini nostri Jesu Christi misericordiam, et ipse te illuminabit. Quo audito, cæcus procuravit se in urbem Patavinam deduci. Erat enim annus Domini septingentesimus sexagesimus septimus. Quo in tempore et urbs illa et in ea multa loca sancta variis tumultibus et incursibus Barbarorum vastata fuerant.

Cæco in Tuscia apparet.

Patavium a barbaris vastatum.

5 Veniens itaque cæcus, per omnia templa, oratoria, et etiam ruinas locorum sanctorum, diligenter inquirit, ubinam corpus beati Martyris Christi Danielis requiesceret. At nullus inventus est qui illi quidquam indicare posset. Unde ipse effectus admodum tristis, se illusum putabat : orabat tamen Dominum per omnia devotionis loca, ut ejus misericordia sibi subveniret, et si usquam in ea urbe Daniel Martyr ejus quiesceret, preces ejus exaudiret, ut ipse visum reciperet.

Iterum cæco apparet Daniel.

6 Cum igitur id per dies complures faceret, et semel orandi causa, sacras divæ Virginis et Martyris Justinæ subiisset ædes, quo in loco Daniel Martyr conditus fuerat, (id quod tunc omnibus incolis ignotum erat) se illi Martyr iterum revelavit, dicens : Hic ora, nam hic jacet Danielis Martyris corpus, quem ut visum recipias requirere jussus es. Oravit ergo eo in loco cæcus ; et visum recepit.

Cæcus visum recipit.

7 Quo facto, ipse et sui duces gratias magnifice Christo et Martyri agentes, adeunt illico Joannem Episcopum, sanctum virum, qui illo in tempore loco præerat, et indicant omnia, quæ beneficio Martyris fecerat Christus cæco, qui illuc ex Tuscia advenerat, et quomodo ad memoriam Danielis Martyris orans, visum receperat. Convocato itaque Clero, sociatus Episcopus, secum ducens cæcum, sed jam gratia Christi videntem, tendit in sacræ virginis Justinæ templum. Cui ingresso ostendit is qui fuerat cæcus orationis locum, ubi et beneficium visus receperat. Jussit ergo Episcopus circumfodi terram, et aperiri locum, et invenit instar sepulcri tabulatum lapideum, longis clavis in summo eminentibus per intima confixum ; quod levari jussit : ubi autem levatum est, vidit in imo aliud tabulatum, quod acies illorum immanium clavorum penetrabant, et juxta breve quoddam scriptum : Hic corpus Danielis Levitæ, pro confessione nominis Domini nostri Jesu Christi sic passi, requiescit. Jussit ergo venerabilis Pontifex tabulata aperiri ; et reperit corpus Martyris per meditullium capitis, per cerebrum, per pectoris medium, per pectinem, et per cetera corporis membra horribilibus illis clavis transfixum ; sanguinemque adeo recentem, ac si modo illum glorioso martyrio in odorem suavitatis fudisset. Neque teter cadaveris odor offendebat assistentium præsentiam, quia Dominus martyrem suum a corruptione præservaverat. Ex quo intellexerunt Pontifex et viri sancti ac religiosi qui assistebant, martyrii Danielis pro nomine Jesu Salvatoris passi modum.

Reperitur corpus S. Danielis.

Defertur corpus ad templum B. Virginis.

8 Levatum igitur corpus, et pretiosis velaminibus adornatum, Episcopus, sancti viri, universus Clerus, et populus innumerus cum canticis et hymnis intulerunt in majorem ecclesiam sub nomine Dei genitricis Mariæ fundatam anno, qui dictus est, septingentesimo sexagesimo septimo. Ubi Christus interventu sui Martyris virtutes fecit et signa ; cui cum Patre et Spiritu sancto honor et gloria in sæcula. Amen.

DE

DE EODEM S. DANIELE
EX BERNARDINO SCARDEONIO.

S. Danielis patria, genus, martyrium anno 168.

Daniel Martyr B. Prosdocimi Episcopi Levita, Patavii, licet Hebræa natus familia, cum constantissime Christianam fidem populum palam publiceque doceret, ab urbis Præfecto comprehensus, inter lapideam et ligneam tabulas clavis ferreis confossus, hoc genere martyrii, inter cælestes reliquos meruit habere triumphum, anno salutis CLXVIII.

Circa annum 1064 *cæco cuidam apparet.*

10 Hujus autem corpus aliquamdiu fuit hominibus ignotum. Sed cum Ulderichus Episcopus Patavinus piis orationibus instaret, ut omnipotens Deus gregem suum et universum populum Patavinum in vera Christi fide, et Catholica religione constantius roboraret, quod intervenientibus Sanctorum precibus facile consequi posse sperabat; accidit anno salutis MLXIV, ut cæco cuidam in Hethruria per quietem juvenis quidam Levitico habitu indutus appareret, visum sibi pro mercede promittens, si Patavium pergat et in basilica D. Justinæ corpus B. Danielis Martyris investiget, humi, haud procul ab ara D. Prosdocimi conditum. Is ergo tanta mercede allectus, et de pollicitis nihil diffidens, Patavium statim contendit, et monasterium D. Justinæ ingreditur, remque omnem monachis exponit; rogatque ut per eos sibi liceat ea nocte in templo in orationibus pernoctare.

11 Annuentibus illis, noctu inter orandum per visum ostensus est ei locus, ubi quæsitus thesaurus defossus latebat. Quare mox ubi illuxit, Episcopus accersitur, et populus convocatur, cæcus locum assignat, et fossoribus præest. Quid multis? humo nondum penitus effossa, parvo labore repertum ac cognitum est, quod homines diu ante latuerat. Ibi namque Martyris corpus constrictum inter duas tabulas; ligneam et marmoream, suavissime, et ultra quam cogitari possit mirifice redolens invenitur. Quo facto extemplo cæco visus redditur: et omnium ordinum homines, qui tunc forte aderant, miro stupore replentur, laudantes, et benedicentes Deum. Interim vero tantæ et tam novæ rei fama per totam civitatem diffusa, undique confluitur, et innumera miracula fiunt, et ita hinc precibus, hinc lacrymis, hinc gaudio tota civitas agitatur. Locus autem subterraneus in hunc diem integer est, in quo venerabile illud corpus tam diu latuerat.

Corpus reperitur. cæcus visum recipit.

Ex variis Auct.

Visitur adhuc locus.

12 Episcopus autem Bernardus postea cupiens his sanctis reliquiis exonare ædem suam cathedralem, egit cum monachis, ut corpus illud eo transferendum concederent, et ne ingratus cuiquam videri posset, in præmium tam pretiosi muneris amplissima ruris lignarii prope urbem prædia Abbatiæ remisit, quæ pridem ei ex paterna (ut dicitur) hereditate contigerant.

Transfertur corpus ad ædem cathedralem.

13 Interim vero non minus mirabile dictu accidit. Cum enim jam sacratissimi corporis Translatio fieret, non sine densa concurrentis undique populi multitudine, illico ubi intra mœnia primum receptum est, sistunt ex onere supra modum pressi et defatigati portantes. Hinc nec vis ulla, nec artes quantumvis ingeniosissimæ reliquum itineris perficere valent. Quocirca Episcopus cum universo populo tali facto perterritus: nuncupatis suppliciter votis de construendo ibidem templo sub titulo S. Danielis, statim progressus, antea nescio quo modo inhibitus, facilis datur: nec ullum amplius obstitit impedimentum, quo minus in templum cathedrale corpus illud, tanto miraculo repertum, deportaretur: ubi ad hoc usque tempus feliciter quiescit.

Templi ædificandi votum.

14 Celebratur autem hujus Inventio III Nonas Januarii: Translatio vero facta ad novam Capellam MCCXCV, fit tertia Dominica Maii. Jacet nunc in arca marmorea, ubi informibus notis insculptum est hoc epitaphium:

Inventio 3 *Januar. Translatio* 3 *Dominica Maii.*

HIC REQUIESCIT MARTYR DANIEL LEVITA.

15 *Hactenus Scardeonius lib.* 2, *class.* 6, *qui ejusdem Sancti meminit lib.* 2, *class.* 5, *cap.* 1. *Capite vero* 32, *testatur extra mœnia Patavina collem amœnum existere S. Danielis, in eoque egregium monasterium exædificatum Canonicorum Regularium.*

Collis S. Danielis.

NOT. 62.

IV JANUARII.

SANCTI QUI PRID. NON. JANUAR. COLUNTUR.

Octava SS. Innocentium.
S. Titus Episcopus, Cretensium Apostolus.
S. Celsus, Episcopus Trevirensis.
S. Mavilus Martyr, Adrumeti in Africa.
S. Aquilinus
S. Geminus
S. Eugentus
S. Marcianus } Martyres, in Africa.
S. Quinctus
S. Theodotus
S. Tryphon
not. 63. S. Neopiste Virgo Martyr.
S. Æduus Episcopus.

S. Hermes
S. Aggæus } Martyres, Bononiæ.
S. Caius
not. 64.
S. Priscus Presbyter
S. Priscillianus Diaconus } Martyres, Romæ.
S. Benedicta
S. Dafrosa, vidua Martyr, Romæ.
S. Gregorius Episcopus Lingonensis.
S. Pharaildis, virgo vidua, in Belgio.
S. Rigobertus, Archiepiscopus Remensis.
not. 65.
S. Theoctistus, Abbas in Sicilia.
S. Libentius, Archiepiscopus Bremensis.
B. Rogerius Abb. Ellantii Ord. Cisterciensis.
B. Angela de Fulginio, vidua.

PRÆTERMISSI VEL IN ALIUM DIEM REJECTI.

S. Martina virgo Martyr. *Breviarium Quignonii, aliaque. De ea egimus* I *Januar.*

S. Theopemptus Episc. } Martyres. *Galesin. Ferrar.*
S. Theonas } *De his egimus* III *Janu.*

S. Zosimus } Martyres. *Menæa, Ferrar. Nos*
S. Athanasius } *supra* III *Januar.*

S. Petrus Balsamus. *Hraban. Notker.* MS. *monasterii S. Maximini. De eo supra* III *Januar.*

S. Theogenes Martyr. *Hraban. Notker. Maurolyc.* MS. *monasterii S. Maximini. Supra* III *Januar.*

S. Croniacus sive Cronanus Confessor in Scotia. *Martyrolog. Anglican. et David Camerar. Dubito tamen an ad hunc diem pertineat, et differo donec certius quid reperiam.*

Vigianus monachus Cluniacensis et in Scotia Episcopus *refertur a Ferrario. Sed eum omitto, donec certius quid mihi de eo constet.*

Dedicatio Ecclesiæ Casalensis in Luguria. *Ferrarius in gener. catal. Sanctorum.*

David Bangorensis in Anglia Episcopus, *refertur a Ferrario hoc die, ut* Sanctus, *a Davide Camerario* XXVI *Martii. Neminem alium legi qui* Sanctum *appellet. Dicitur Henrico V, Imperatori a confessionibus fuisse.*

Cisinandus S. Bernardi discipulus, *ab eo in Occidentales Hispaniæ partes, aut Lusitaniam missus, celebratur ut* Beatus *ab Cirysostomo Henriquez hoc die in Menologio Cisterciensi. Omitto dum mihi constet an colatur.*

Elisabeth virgo, *pietate et patientia celebris, circa annum* MDLX, *excessit e vita in monasterio Vallis rosarum, sive Rosendalensi. Ordinis Cisterciensis, juxta Mechliniam : quam refert Arnoldus Raissius hoc die in Auctario ad Natales Sanctorum Belgii Joannis Molani, et Chrysostomus Henriquez in Menologio Cisterciensi.*

S. Syncletica *vel* Encletica Virgo. *Græcorum Menolog. et Menæa. At Roman. Martyrolog.* V *Januar.*

S. Apollinaris *sive* Apollinaria Syncletică. *Menæa. Nos* V *Januar.*

S. Lucianus Bellovacensium Apostolus, et Martyr. *Hrabanus, Notkerus,* MS. *monasterii S. Maximini. De eo* VIII *Januar.*

S. Bertwaldus Archiepiscopus Cantuariensis. MS. *Kalendar. SS. Ord. S. Benedicti. Nos* IX *Januar.*

B. Hrabanus Magnentius Maurus Archiepiscopus Moguntinus, *refertur hoc die a Davide Camerario. De eo agemus* IV *Februar.*

B. Rogerius de Marchia Ordinis Minorum. *Molan. Galesin. At Ferrarius coli Tuderti scribit* V *Martii.*

S. Agontius *sive* Abundius, Mansionarius ecclesiæ S. Petri Romæ. *Galesin. Ferrar. sed Martyrologium Romanum* XIV *April.*

S. Theopompus } Martyres, Nicomediæ. *Usuardi editio Colonien. ann.* 1521. *Martyrolog. German.* MS. *Florar. sed Martyrol. Roman.* XXI *Maii.*
S. Synesius } not. 66.

S. Ferrutius Martyr. *Beda excusus Martyrol. Germanicum, Molani prima editio, Galesinius et Ferrarius addunt Romæ passum. Cum nihil de eo ejusve Actis certi proferant, hic eum omitto.*

De S. Ferrutione sive Ferrutio Vesuntino Martyre agemus XVI *Junii.*

De Moguntino XXVIII *Octobr.*

SS. LXXII, Christi discipulorum agunt Græci hoc die commemorationem. *De singulis, quos quidem agnoscit Ecclesia, agetur variis diebus : de omnibus simul* XV *Julii.* not. 67.

S. Fausta Virgo colitur hodie Bituricis; *ut habent Maurolyc. Galesin. Ferrar.* MS. *Florar. Martyrologium Germanic. Usuardi editio ann.* 1490 *et* 1521. *Mihi ignota est. De alia Fausta Virgine Martyre, Cyzici passa, agemus* XX *Septembr.*

S. Petrus Episcopus Damascenus Martyr. *Galesin. de eo Martyrol. Roman.* IV *Octobr.*

OCTAVA

OCTAVA SS. INNOCENTIUM.

IV JAN. *Celebratur Sanctorum Innocentium Martyrum Octava in Martyrologio Romano, Notkeri, Bellini, Maurolyci, Molani, Germanico, Galesinii; Usuardi editione Lubecensi an.* 1475 *et Coloniensi an.* 1521 *et plerisque aliis excusis et* MSS. *Martyrologiis. Franciscus Quignonius Cardinalis in Breviario suo Pauli III auctoritate anno* MDXXXV, *edito hanc Octavam expunxerat, substitueratque S. Martinæ Virginis et Martyris festum simplex. Restituit deinde Octavam; quam duplicem esse sanxit Pius V, additis Lectionibus. Vide Bartholomæum Gavantum Comment. in Rubr. Breviar. sect.* 6, *cap.* 6.

DE S. TITO EPISCOPO

CRETENSIUM APOSTOLO.

CIRCA AN. CHR. CV.

IV JAN. *Sanctum Titum omnia hoc die memorant Latinorum Martyrologia, cum Romano, in quo Pridie Nonas Januarii de eo hæc habentur :* In Creta Natalis S. Titi, qui ab Apostolo Paulo Cretensium Episcopus ordinatus, post prædicationis officium fidelissime consummatum, beatum finem adeptus, sepultus est in ecclesia, ubi a beato Apostolo dignus minister fuerat constitutus.

2 *Ejus sæpe meminit Paulus, ad quem et epistolam scripsit Nicopoli in Epiro; in quam qui Commentarios scripsere Patres et Doctores, plura in* Titi *laudem congessere : unum profero Cornelium Cornelii a Lapide nostrum.* Titus, *inquit,* utroque parente Gentilis et Græcus, adeoque, si credimus Chrysostomo hic homilia 1, Corintho oriundus fuit. Unde et identidem Titum nominat Apostolus scribens secundo ad Corinthios, eoque apud eos quasi populares suos administro usus fuit, ad colligendas eleemosynas, aliasque res Ecclesiasticas. Hic Titus a Paulo conversus ad Christum et baptizatus, eidem adhæsit, ac in prædicatione fuit insignis adjutor et interpres. Unde 2 Corinth. 2, vers. 13, Paulus Titum fratrem suum vocat. Fuit enim Titus insigni morum innocentia ac sanctimonia præditus, adeoque tota vita virginitatem coluit et servavit, ut docet S. Ignatius epistola ad Philadelph. Hinc a Paulo creatus est Archiepiscopus Cretæ, aliarumque vicinarum insularum : quin et in Dalmatiam a Paulo missus, ibidem prædicavit; ut patet 2 Timoth. 4, vers. 10. Ac tandem multis Ecclesiis erectis et fundatis, in Cretam reversus, sancte mortuus est, anno ætatis 94, ibidemque sepultus. *Hæc Cornelius.*

S. Titus Pauli interpres.

Semper virgo.

Ubi prædicavit.

3 Titi *meminit S. Ignatius ep.* 3, *ad Philadelphienses; Volaterranus lib.* 19, *Eusebius lib.* 3, *Historiæ Ecclesiast. cap.* 4, *auctor libelli de* 72 *discipulis, S. Isidorus Hispalensis lib. de vita et morte Sanctorum cap.* 87, *et alii. Agit et de eo Baronius ad annum Christi* XLV, *ita scribens :* Interpretis apud Apostolum Paulum functum esse munere Titum S. Hieronymus tradit scribens ad Hebidiam; imo ejus officio adeo Paulum opus habuisse, ut absentia Titi non modicum detrimentum ejusdem prædicationi attulerit, idem ipse ad Corinthios scribens his verbis testatur : Cum venissem Troadem propter Evangelium Christi, et ostium mihi apertum esset in Domino, non habui requiem spiritui meo, eo quod non invenerim Titum fratrem meum: sed vale faciens eis, profectus sum in Macedoniam. Hæc non alia causa accidisse putavit Hieronymus, nisi quod sicut Petrus Marco, ita et Paulus Tito uteretur interprete : in cujus adventu se magnopere gavisum esse testatur, cum ait : Sed qui consolatur humiles consolatus est nos Deus in adventu Titi. Quæ autem (inquit Hieronymus) fuit tanta consolatio, et quæ requies spiritui in præsentia Titi; quem quia non invenit, vale faciens eis profectus est in Macedoniam? Aliquoties diximus, Apostolum Paulum virum fuisse doctissimum, et eruditum ad pedes Gamalielis; cumque haberet scientiam Sanctarum scripturarum, et sermonis diversarumque linguarum gratiam possideret, unde ipse gloriatur in Domino, et dicit : Gratias ago Deo meo, quod omnium vestrum linguis loquor; divinorum sensuum majestatem digno non poterat Græci eloquii explicare sermone. Habebat ergo Titum interpretem, sicut et B. Petrus Marcum, cujus Evangelium, ipso narrante, et illo scribente, compositum est. *Hæc Hieronymus, atque ex eo Baronius.*

Tom. 3, ep. 150. qu. 11. *Paulo necessarius* 2.

2. Cor. 2. 12.

2. Cor. 7. 6.

1. Cor. 14. 18.

EJUS VITA EX MENÆIS.

Græci XXV *Augusti* S. Titi *agunt solemnitatem, de qua ita eorum Menologium :* Item S. Titi Episcopi Gortynæ urbis Cretæ, discipuli S. Apostoli Pauli. Hic B. Titus annos 20, natus, venit ex Creta Hierosolymam, et usque ad Domini nostri Jesu Christi ascensionem expleto anno uno, decem alios annos illic permanens ordinatus est Apostolus. Prædicavit Evangelium annos decem et octo apud Cretam, et reliquas insulas annos sex, in patria vero..... Ex quibus XCIV annorum colligitur numerus.

Colitur a Græcis 25 *Augusti.*

3 *Fusius Menæa :* S. Apostoli Titi Episcopi Gortynæ in Creta, discipuli S. Pauli Apostoli. B. Titus ex Myroi Cretensium Regis stirpe oriundus erat, quemadmodum testatur Zenas Jurisconsultus, qui vitam ipsius perscripsit. Meminit Titi etiam S. Paulus. Titus ergo primos ætatis annos litteris profanis, qui apud Græcos in magna sunt admiratione, consecravit.

Ejus regium genus.

Vita a Zena IC. scripta.

6 Vicennis jam, accipit e cælo vocem, quæ, Tite, inquit, hinc tibi emigrandum est, ut animam serves; parum enim tibi hæc eruditio Græca et profana proderit ad salutem. Cupiebat Titus hanc vocem denuo audire : norat enim etiam ex idolorum statuis subinde voces superstitiosas mitti. Itaque totum adhuc annum substitit. Tum jussus est per visum, Hebræorum volumen legere. Ergo cum Isaiam aperuisset, incidit in hanc sententiam : Innovamini ad me insulæ multæ. Israel salvatur a Domino salutem sempiternam; et quæ sequuntur. Ergo proconsul Cretæ et avunculus S. Titi, cum audisset de Christi Domini salutari nativitate et miraculis, quæ Hierosolymis et alibi patrabat; ex virorum primariorum consilio misit Titum Hierosolymam : hunc enim existimarunt aptum fore, qui audiret et loqueretur cum Christo, et sibi renuntiaret, quæ audisset ipse. Titus ergo cum venisset Hierosolymam, et vidisset et adorasset Christum Dominum, mansit Hierosolymis, et miraculorum ejus spectator præsens factus, vidit etiam salutarem ejus passionem et sepulturam et resurrectionem, et divinam assumptionem, et Spiritus sancti in Apostolos adventum et descensum, crediditque, et centum viginti, et tribus millibus accensus est, qui ex prædicatione S. Petri Principis Apostolorum crediderunt in Christum.

Sacras litteras legit.

Isai. 41. 1. *juxta* LXX *in vulgata :* taceant ad me insulæ.

Mittitur in Judæam.

Convertitur ad fidem.

7 Deinde consecratur Apostolus, et mittitur cum Paulo ad docendum et consecrandum alios, quos visum est Paulo : venitque cum illo Antiochiam, transitque Seleuciam, et Cyprum, et Salaminem, et Paphum, atque inde proficiscitur Pergen Pamphyliæ, et Antiochiam Pisidiæ, et Iconium ad Onesiphori domum

Peregrinatur cum Paulo.

Ex variis Auct.

domum; deinde Lystram, et Derben : et ubique cum sancto Apostolo Paulo verbum Dei prædicavit. Rustilo ergo sororis marito jam alterum annum Cretæ Præsidem agente, appulerunt in Cretam Paulus et Titus, ibique templum ædificarunt : indeque digressi venerunt in Asiam, atque ex Asia peregrinatur cum illo Romam usque, quoad Paulus a Nerone sublatus est.

In Cretam cum eo venit, ac deinde Romam.

8 Inde reversus in Cretam, ibique Episcopis et Presbyteris ordinatis, vitaque ad Apostolorum normam peracta, in Domino quievit. Vixit ad annos quatuor et nonaginta. Erat enim viginti cum e Creta primum Hierosolymam profectus est, ibique annum usque ad ascensionem Christi in cælum, deinde decem alios ibidem mansit : tum delectus Apostolus a Principibus discipulorum Domini, absolvit in prædicatione Evangelii decem et octo. Rursus in Creta et aliis insulis annos sex, et in patria triginta novem exegit, ex quibus annis collectis numerus annorum nonaginta quatuor absolvitur.

Moritur natus annos 94.

EX PETRO DE NATALIB. ET ALIIS.

Eodem quoque xxv *Augusti die eum refert Petrus de Natalibus lib.* 7, *cap.* 108, *hæcque ex Græcorum, ut apparet, monumentis de eo scribit :* Titus discipulus B. Pauli Apostoli fuit, cui idem Apostolus specialem epistolam dirigit. Hujus vitam scripsit Zenas legisperitus, cujus idem Apostolus eadem epistola, tertio capite mentionem facit. Qui a Minoe Rege Cretæ generis duxit originem, in eadem insula nobilibus parentibus ortus. Desiderans autem Homeri et aliorum Philosophorum poemata, vacans circa illa, cum esset annorum 20, audivit de cælo sibi vocem illa psam, quod oportebat eum inde recedere, et animam suam salvare. Post hæc * novem annis elapsis, jussum est sibi, quod librum Isaiæ legeret ubi dicit : Renovamini a me insulæ multæ : Israel servabitur a Domino æterna salute. Missus est itaque ab avunculo suo Proconsule Cretæ Hierosolymam, audire et videre de miraculis Jesu Christi. Qui abiens vidit passionem Christi, resurrectionem, atque ascensionem, et Spiritus sancti adventum in Apostolos. Sicque perfectam certitudinem de Christo assumens credidit, et annumeratus est cum 120 discipulis, in quos Spiritus sanctus corporaliter descendit.

Titi genus.

Vocatio.

* Imo unico, ut habent Menæa. Isa. 41. 1.

Conversio.

10 Postquam autem ab Apostolis Episcopus consecratus est, missus est cum Paulo ad gentes prædicandas. Qui navigantes ad Cretam insulam, Christum prædicabant : quos Rutilius Titi cognatus deridebat. Interea vero Rutilii filius moritur, et a Paulo suscitatur : sicque Rutilius credens cum omni domo sua baptizatur. Paulus vero Titum Cretensem Episcopum ordinavit, ipsumque Cretæ dimittens abiit. Post duos autem annos Titus ad Paulum Romam accessit, cum quo et fuit usque ad interfectionem ejus a Nerone : corpusque ipsius una cum Luca Evangelista sepelivit.

Prædicat in Creta. Rutilium cognatum convertit. Creatur Cretæ Episcopus.

Romam venit.

11 Post hæc Titus ad Cretam devenit, ubi gratiose de fide Christi disputans, tandem cum increduli persisterent, oravit ad Dominum, statimque idolum Dianæ, quod colebant, cecidit et in pulverem redactum est, et mox crediderunt animæ quingentæ in Christo, et baptizati sunt. Consecravit autem Titus Presbyteros et Diaconos, ipse vero metropoli præsidebat. Cum die quadam transiret ante palatium, quod Secundus Proconsul jussu Imperatoris in Jovis nomine construebat, maledixit illud : et statim opus funditus dissipatum est. Tunc Secundus venit ad Titum cum lacrymis rogans se indemnem ab opere conservari. Cui Titus imposuit ut opus in nomine unius Dei Christianorum inciperet, et sic opus perficere posset : quod et factum est. Completo vero opere Secundus cum filio suo baptizatus est.

Paulum sepelit.

Multos convertit.

Secundi Procos. profanum opus maledictione evertit.

Eum convertit.

12 Dum igitur B. Titus morti appropinquaret, vidit Angelos ad se missos : et resplenduit facies ejus sicut sol : qui spiritum suum et plebem sibi commissam Domino commendans in pace quievit, ætatis suæ anno 94, viii Kalend. Septembris : sepultusque est in metropoli Cretæ, ubi et quiescit miraculis coruscans. *Hactenus Petrus de Natalibus, quem sequuntur alii quidam Latinorum, et Titum hoc die venerantur.*

Visitatur ab Angelis. Resplendet facies ejus. Moritur. Claret miraculis.

13 *De* Tito *hæc habet Dextri Chronicum anno* ccxx. Titus, cognomento Justus, Episcopus factus, secutus primo S. Paulum, mox Eugenium, prædicat in Carpetania; ubi ejus memoria magnitudoque miraculorum celebratur. Is Titus converterat ad fidem Plinium juniorem ex Bithynia Pontoque redeuntem, in Creta insula, ubi jussu Trajani Jovi templum erexerat. Nec desunt qui putent vii Sextilis ad Novocomum esse passum. *Sitne Plinius Secundus a Tito conversus, non disputo. Non est saltem ille* Secundus *qui* vii *Augusti Comi colitur, quem constat ex Legione Thebæa militem sub Maximiano subiisse martyrium, ut alibi dicemus. Titus ut in Hispania dicatur prædicasse, facile patior : sed ad annum demum* ccxx, *cur ejus meminerit Dexter, non video.*

Putatur in Hispania prædicasse.

14 *Magni vero Dionysii Areopagitæ epistolam nonam* Tito Pontifici *inscriptam, ad hunc ipsum Titum fuisse exaratam, omnino mihi persuadeo, quod et videre Georgium Pachymeram sensisse. Petrus Halloix noster quæstione* 3, *in vitam S. Dionysii num.* 6, *ait a nemine controverti.*

Dionysii ad eum epistola.

15 *Porro S. Titi venerandum caput integrum Candiæ Archiepiscopali Cretæ urbe asservatur, magnaque cæremonia certis temporibus spectandum populo proponitur. Estque summum templum eidem sancto Apostolo dicatum; ut in peregrinatione sua Jerosolymitana, epistola* 1 *testatur Nicolaus Christophorus Radzivilius.*

Ejus caput in Creta.

Circa An. Chr. cl.

DE S. CELSO EPISCOPO TREVIRENSI.

IV JAN.

Celsi, *quinti Trevirorum Episcopi hodie natalem,* xxiii *Februarii Inventionem celebrari tradit Martyrologium Germanicum. Ejus præterea hoc die meminit Usuardi editio Coloniensis anno* 1521. *Maurolycus,* ms. *S. Mariæ Ultrajecti,* ms. *Florarium; sed in hoc Martyr, in aliis Confessor appellatur. Cratepolius Hyginii Papæ æqualem facit. Brouwerus noster in Annalibus, Auspicio, anno Christi* cxli, *ait successisse. Joannes Even in Epitome gestorum Trevirorum, ait genere clarum fuisse, animo sublimem, ut nomini videlicet suo responderet. Editio Martyrologii Usuardi Colonien. anni* 1490. Treviris S. Celsi Episcopi et Confessoris Christi; qui in cœmiterio S. Eucharii requiescit. xxiii *Februarii de ejus Inventione agemus.*

Circa An. cciii.

DE S. MAVILO MARTYRE ADRUMETI IN AFRICA.

IV JAN.

Martyrologium Romanum : Adrumeti in Africa, Commemoratio S. Mavili Martyris : qui in persecutione Severi Imperatoris a Scapula sævissimo Præside damnatus ad bestias, martyrii coronam accepit. *De hoc Tertullianus lib. ad Scapulam c.* 3. Tibi quoque optamus admonitionem solam fuisse, quod cum Adrumeticum Mavilum *(quidam codices* Mavilium, *ut monet Pamelius)* ad bestias damnasses, et statim hæc vexatio subsecuta est, et nunc ex eadem causa interpellatio sanguinis : *id est, ut Jacobus Pamelius, et Joannes Ludovicus Lacerda noster, persecutio hoc principio excitatat. Ac magis mihi Baronii arridet explicatio, qui clades Africæ*

Africæ intentatas significari ait, quasi iis sanguis interpellaretur, repetereturque, injuste profusus a Præside. *Vide Baronium pluribus tom.* 2, *an.* 203, *num.* 5 *et seqq.* EX VARIIS. NOT. 68.

DE SANCTIS MARTYRIBUS AFRIS
AQUILINO, GEMINO, EUGENTO, MARCIANO, QUINCTO, THEODOTO, TRYPHONE.

IV JAN.* *Recenset hosce Sanctos athletas Martyrologium Romanum* : Item in Africa præclarissimorum Martyrum Aquilini, Gemini, Eugenii, Marciani, Quincti, Theodoti, et Tryphonis. *Beda Usuardus, Ado, Notkerus, MS. Florarium* : Apud Africam præclarissimorum Martyrum Aquilini, Gemini, Eugenti, Marciani, Quincti, Theodoti, Triphonis, quorum gesta habentur. *Ita fere habent omnia Usuardi exemplaria MSS. et excusa. Martyrol. MS. S. Hieronymi* : Pridie Non. in Africa Aquilini, Gemini, Eugenti, Marciani, Quincti, Theodoti, Trifonis. *At nomina diversimode a variis expressa; nam* Aquilinus *alibi* Aquilius *dicitur* : Geminus, *in MS. Societatis Jesu Antverpiæ* Germanus : Eugentus, *in Martyrol. Roman. et Usuardi editione Parisiensi an.* 1536. *Beda, Bellino,* Eugenius; *in MSS. Ultrajectensi, et S. Martini Tornac. Notkero, Petro de Natal.* Eugentius; *in MS. Centulensi* Eugendus; *a Wandelberto, qui eum solum recenset,* Augentus :

Horum SS. natalis, *nomina,*

Tum pridie Nonas Augenti festa recurrunt.

Marcianus, *in MS. Ultraject.* Martinianus : Theodotus *in MS. Soc. Jesu Anverp.* Theodocius; *apud Bellinum, Petrum de Natal. et in quibusdam MSS.* Theodorus : Tryphon, *apud Petrum* Tryphonius.

2 *Petrus de Natalibus lib.* 2, *cap.* 44, *ait in Wandalica persecutione passos, citatque Adonem, qui id non habet. Petrum sequuntur Maurolycus, Galesinius, Martyrologium Germanicum. Quibus ut assentiamur, certum debent antiqui Scriptoris testimonium proferre. Usuardi editio Coloniensis an.* 1521, XXVI *Januarii* Tryphonem Martyrem *refert : hicne sit, an alius, nolumus conjectare. Menæa Græcorum isthæc habent* : Eadem die Sancti sex Martyres in pace finiunt. *Dubitat Raderus noster, an non iidem sint qui in Africa passi. Quis divinet?* *ætas.*

DE S. ÆDUO EPISCOPO.

IV JANV. *Æduum Episcopum, ceteris Martyrologiis, quæ quidem viderimus, ignotum, suggessit nobis MS. Martyrologium S. Hieronymi. Nihil præterea de eo comperimus. Nam esse Æduorum quempiam Antistitem, cujus omissum sit proprium nomen, non est unde suspicemur. Neque alicujus Augustodunensis Episcopi in ullo Martyrologio fit hoc die mentio.*

DE SANCTIS MARTYRIBUS BONONIENSIBUS
HERMETE, AGGÆO, CAIO.

IV. JANV. *Passi Bononiæ sunt pridie Nonas Januarii* Hermes, Aggæus et Caius : *de quibus Martyrologium Romanum* : Bononiæ Sanctorum Hermetis, Aggæi, et Caii Martyrum; qui sub Maximiano Imperatore passi sunt. *Eorumdem meminit Usuardus, Bellinus, Maurolycus, Galesinius, Martyrologium Germanicum, MS. SS. Florarium, Ferrarius in Catalogo SS. Italiæ, Petrus de Natalibus lib.* 11, *cap. ultimo, num* 27. *Baronius tom.* 2, *ann.* 303, *num.* 122, *varia MSS. Martyrologia.*

SS. natalis,

2 *At Martyrologium S. Hieronymi* : In Oriente, civitate Bonania, Hermetis, Aggæi, Caii. *MS. itidem perantiquum monasterii S. Martini Tornaci. S. Hieronymi, Eusebii, Bedæ præferens nomina* : In Oriente, Bononia civitate, Hermetis, Aggæi, Gagii. In Bononia *habent quoque nonnulli excusi codices. MS. Martyrologium Usuardi Sororum regularium Lacus S. Mariæ juxta Leidam, vernacula lingua* : In civitate Balona, in Thracia, SS. Hermetis, Caii, Aggæi.

locus martyrii.

3 *De his (nam Acta interciderunt) ita breviter Carolus Sigonius lib.* 1 *de Episcopis Bononiensibus* : Hermes, Agæus et Caius, pridie Nonas Januarii passi sunt; Proculus Kal. Juniis; Vitalis et Agricola pridie Nonas Novembris. Atque ita dies eorum Ecclesia celebrat. Corpora eorum insciis Christianis inter sepulchra Judæorum fuere projecta. Monstrantur adhuc loca crucibus lapideis ad perennem rei memoriam insignita ubi singuli sacro martyrio esse dicuntur affecti. *sepultura.*

4 *Meminit quoque horum trium sanctorum Martyrum Cherubinus Ghirardaccius lib.* 1 *hist. Bononien. ubi tradit eorum reliquias ab Eusebio Episcopo in æde sanctæ Crucis collocatas, ubi gemina hæc legitur inscriptio : MCCCIII.* Hoc opus fieri fecit D. Munsus de Sabbatinis, ad honorem Dei et beatorum Martyrum Hermetis, Aggæi, et Caii, hic sepultorum, et pro salute animæ suæ, et omnium suorum propinquorum. *Altera* : Memoriæ æternæ sanctorum Martyrum Hermetis, Aggæi, et Caii, gens Sabbatinorum fecit, dicavit. M. Antonius Sabbatinus de Pratis, gentilicii juris patronatus pietatis memor, ædem vetustate corruptam, cum omni cultu restituit, anno Salutis MDLXXX. *Reliquiæ.*

DE SANCTIS MARTYRIBUS ROMANIS
PRISCO PRESBYTERO, PRISCILLIANO DIACONO ET BENEDICTA.

ANNO CCCLXII. IV JAN. *Horum Acta interciderunt.* *Horum Martyrum Acta interciderunt, præter paucula, quæ in* S. Pigmenii *et sociorum qualibuscumque Actis* XXIV *Martii recensentur : eorum tamen meminere cuncta Latinorum Martyrologia. Vetus Romanum:* Romæ martyrum Prisci Presbyteri, et Priscilliani, et Benedictæ. *Usuardus* : Romæ Sanctorum Prisci Presbyteri, et Priscilliani Clerici, ac Benedictæ religiosæ *(quædam MSS.* gloriose) qui sub tempore Juliani Imperatoris gladio martyrium compleverunt. *Eadem fere habent Beda, Ado, Notkerus, Bellinus, Martyrol, Romanum, Maurolycus, Galesinius, MS. Florarium Sanctorum, Constantinus Ghinius in Natalibus Sanctorum Canonicorum, Vincentius lib.* 14, *cap.* 38. *Petrus de Natalibus lib.* 2, *cap.* 42. *Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ. Colitur Carthagine in Hispania* V *Jan.* S. Priscillianus M. *officio duplici. Dubitat Ferrarius, an is sit qui hic Romæ passus dicitur.* *Passi sub Juliano.*

DE

DE SANCTA DAFROSA
VIDUA ROMANA MARTYRE.

Sub Juliano. IV JAN. *S. Dafrosæ natalis,*

Sancta Dafrosa *S. Flaviani urbis Præfecti vidua, hoc die migravit ad cælum. De ea Usuardus:* Item Romæ S. Dafrosæ, uxoris Fabiani *(legendum,* Flaviani) Martyris, quæ post interfectionem ipsius primum relegata exilio; deinde a Præfato Principe capite jussa est puniri. *Eadem habent Martyrologium Rom. Beda, Ado, Notkerus, Bellinus, Maurolycus, Galesinius; hic tamen fallitur, uti et Martyrolog. Germanicum, dum Decii jussu occisam scribit an.* CCLVI.

marítus,

2 *Maurolycus aliique* Darfosam *vocant, quidam* Afrosam, *mendose. Meminit ejus Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ; Petrus de Natalibus l.* 2, *c.* 42, *ast hic fœde hallucinatur, quod eam existimet S. Fabiani Papæ, priusquam Pontificatum iniret, uxorem fuisse, et Decii jussu peremptam, cum integro post sæculo vixerit.*

socii martyrii,

3 *Acta* S. Dafrosæ, *Flaviani, Pigmenii, Bibianæ et aliorum permista sunt, et ejusmodi ut haud levi emendatione egeant. Ea dabimus* XXIV *Martii, quo die S. Pigmenius colitur, licet in Actis* XIIX *Februarii interfectus dicatur, quo die eum referunt quædam Martyrologia. Colitur S. Flavianus S. Dafrosæ maritus* XXII *Decembris; eorum filiæ S. Demetria* XXI *Junii; S. Bibiana* II *Decemb.*

tormenta,

4 *Videntur hi omnes, et alii qui in iisdem Actis memorantur, sub* Aproniano *crudelissimo Urbis Præfecto, Juliani tempore, subiisse martyrium. Et* Dafrosa *quidem post mariti sui mortem, fame primum cruciata, dein* Fausto *cuidam propinquo suo traditur: qui eam conatus inducere ut sibi nuberet, diisque sacrificaret, ipsemet ab ea imbutus fidei mysteriis, a* Joanne *Presbytero (qui* XXIII *Junii colitur) baptizatus, feliciter in ipsius tyranni conspectu extinctus est. Corpus ejus canibus expositum,* Dafrosa *noctu sepelivit. Dein in somnis a viro suo* Flaviano *evocata, post quinque dies orans expiravit.* *mors,*

patria.

5 *Antonius Quintanaduenas lib. de SS. Hispalensibus tradit* S. Dafrosam *ac* Flavianum *Hispali natos, inde Romam cum filiabus migrasse. Nititur præcipue Juliani Petri testimonio, qui in Chronico nu.* 165, *ita scribit:* S. Bibiana S. Flaviani Hispalensis Hispani filia, cum patre Romam petit, ibique martyrium patitur patienter cum matre et sororibus. *Quanta sit illius Chronici auctoritas, nondum discussimus. Unicam* Bibianæ *sororem* Demetriam *omnes numerant; plures hic auctor videtur statuere.*

DE S. NEOPHYTA VIRG. ET MART.

IV JAN.

Sanctæ Virginis Neophytæ *nomen in fastos suos olim retulerat Rosweydus noster, nullo adscripto die:* Neophyta V. et M. in monasterio Limpurgensi. *Carthusiani Colonienses in auctario ad Usuardum,* IV *Januarii ista habent:* Item Neophistæ Virginis et Martyris. *Memoratur* Neopistis *quædam a Baronio in Notis ad Martyrol. Rom.* 28 *Octob. in Cyrilla:* Cyrille Memmiæ, Julianæ, Neopistis, ac Sophiæ Virginum ac Martyrum corpora transtulit Sergius junior in Titulum Equitii, ut vetus inscriptio marmori incisa illic posita testatur. *Verum ad quem diem illa* Neopistis, *quam Anastasius Bibliothecarius* Theopisten *vocat, sit referenda; an* Neophyta *sit, de qua hic agimus nos latet. Alioquin idem fere significant* Neopistis, quæ recens fidem suscepit; et Neophyta, recens insita, *vel* noviter genita, *sive quæ recenter ad fidem accessit.*

S. Neophytæ natalis,

nomen,

Acta;

2 *Cujus vero extiterit* S. Neophyta, *aut quo tempore vixerit, haud satis nobis compertum. Vitam ejus RR. DD. Canonici regulares monasterii Bodecensis in diœcesi Paderbornensi, e præstantissimis suis MSS. codicibus summa humanitate Joanni Gamansio nostro communicarunt. Insunt tamen in ea nonnulla quæ correctionem requirant. Nam quod dicitur mater sanctæ Virginis soror fuisse* S. Osualdi *Regis et Martyris, repugnat Anglicanarum rerum scriptoribus. Utid demus, cui illa et ubi nupta orto e stirpe judaica? ut cetera omittamus. Erit fortasse qui menda hæc, alicunde affusa luce, expurget.*

reliquiæ in cœnobio Limburg.

a Conrado Imp. fundato,

a S. Poppone ædificato.

3 *Ceterum Limburgi cœnobii (ad quod translatæ a Conrado Salico Imp. S. Henrici successore reliquiæ* S. Neophytæ *dicentur) originem ita describit Hermannus Contractus ad an.* 1034. Conradus ex castro suo Limpurgo, inter Nemetes et Vangiones sito, monasterium fecit, quod in honorem sanctæ Crucis et D. Joannis Evangelistæ dedicari jussit. *Idem ex Hermanno Joannes Cuspinianus, Christophorus Brawerus noster, aliique recentiores commemorant. Plenius qui tum vivebat Everhelmus in vita S. Popponis* XXV *Januarii cap.* 9, *nu.* 37, *cum narrasset Episcopatum Argentinensem Popponi a Conrado oblatum, ingeniose ab eo declinatum; subdit, Cæsarem quæcumque abbatiæ rectoribus essent viduatæ, eas illi committere certatim studuisse:* Et primo Lintburg, *inquit,* in Vosago situm, quod hæreditaria forte sibi jam olim in manus venerat, probabilium cum astipulatione testium beato viro legaverat, et pro struendo inibi in honorem S. Joannis Evangelistæ cœnobio preces intenderat. Qui ex regalium precum edicto, eumdem locum, ferarum jam tunc cubile, multo cum labore excolens, servorum Dei conventiculis habitacula non vilia extruxit, et Christi jugum leve sub monastica institutione ipsis injecit, tum Joannem nepotem suum tam illi loco, quam apud S. Maximinum Treverensibus præfecit.

4 *Quod apud Eysengreinium in historia Spirensi tradit quidam ideo Conradum* ex castro suo Lympurg magnificum cœnobium maximis sumptibus ac impensis construxisse, *quod in eo* nuper filiolum Conradum ex præcipitio quodam decidentem amiserat; *fides esto penes auctorem, qui* 500, *post Conradum vixit annis.* Ipse *Eisengreinius Conrandum scribit* prope Spiram urbem in Limpurgica arce habitasse; *quo auctore? Vix hoc tempore cœnobii exstant vestigia.*

VITA

ex MS. cœnobii Bodecensis, descripta a Joan. Gamansio Soc. Jesu.

S. Neophyta nobili genere orta,

a

b

Egregia Virgo et Martyr Christi Neophyta, secundum seculi dignitatem nobilis extitit et gloriosa, utpote regali progenie exorta; sed multum nobilior claruit laudabili morum compositione, et famosa virtutum opinione. Quæ jugiter nominis sui attendens proprietatem, sensuum maturitate teneram transgressa est ætatem: quod continua sanctæ conversationis novitate probatur, quia noviter genita interpretatur. Cujus parentum nomina licet antiqua oblivio subtraxerit; vere tamen constat, quod ex nobilissimo *a* Israelitarum genere pater ejus originem duxerit, ita ut de eadem tribu et parentela qua Dominus Christus processerit, ipse progenitus fuerit. Mater vero nihilominus soror germana *b* B. Oswaldi Regis et Martyris extiterit.

pulcra et pia,

2 De quorum præclara stirpe hæc florida propago excrevit; quibus et ipsa non minori cultu Christianæ religionis æquiparari potuit, et ubere virginitatis et martyrii fructu fertilior resplenduit. Quæ dum in primæva ætate eleganti forma coævulas suas omnes

AUCTORE ANONYMO. EX MSS.

expetitur in conjugem:

omnes præceleret, et in conscientia gratiæ cælestis incremento de die in diem subcresceret; tyrannus quidam ex partibus Hispaniæ, non dispar ei ingenuitate, sed omnino dissimilis intentione, eamdem sibi nuptiali lege confœderare concupivit, et ad hoc impetrandum fideles Legatos destinavit. Sed omnipotens Deus, cui complacuerunt tam merita parentum quam filiæ desiderium, longe aliam mentem illis contulit; et ipsi filiam suam immortali sponso magis dedicare cuperent, et vota illius voluntati parentum concordarent, idque ad effectum perduci omnimodis optarent. Profecti vero legationem Domini sui parentibus puellæ retulerunt, et se cum gaudio reversuros esse, si tamen id propter quod venerant

et minis ac blanditiis spretis

r ecusat nubere:

obtinuissent, speraverunt. Sed spes illorum in contrarium versa est. Quare nec parentes præbuerunt assensum, nec filia recipere voluit triste nuntium; asserentes, quod non alia contradictionis caussa fuisset, nisi quod immortalem sponsum Regem Regum elegissent.

trucidatur cum sodalibus:

3 Frustrato igitur labore, tristes reversi ad domum suam, retulerunt contradictionem parentum suorum, puellæ constantiam suique repudium, dicentes, quid caussæ intercesserit quod desideriis illius par effectus consequi non potuerit. Hac ille relatione nimium

ne a furente proco rapiatur,

permotus, impatientissime suam tulit repulsam, et honoris sui pertimuit incurrere detrimentum, si de formosissima, quod diu conceptum, non impleret desiderium. Igitur superni Judicis iram præ amoris magnitudine non expavit, sed hoc solum magni doloris remedium existimavit, ut perfecta Virgo, si aliquo modo fieri posset, violenter raperetur, et sic demum illius conjugio potiretur. Cum autem rumor pertulisset ad aures parentum, ab hoc cœpto irrevocabilem existere ejus animum; boni Pastoris custodiæ

includitur monasterio;

oviculam suam devote commendarunt, et in monasterium quoddam sanctarum Virginum, in finitima civitate situm, in honore *c* S. Martini et beatorum Martyrum Fabiani et Sebastiani dedicatum, cælestibus disciplinis imbuendam tradiderunt. Ubi cum aliquamdiu moraretur, et probabiliter in omnibus quæ ad sanctæ conversationis studium pertinent, Deo digne et laudabiliter conversaretur, nulla fuit in

ubi sancte vivit:

tota congregatione, quam non præcelleret bonorum gressibus operum, congregans in promptuarium cordis sui splendidum caritatis oleum, obviam cælesti sponso exitura, et ad regales nuptias ornata lampade conscientiæ introitura.

4 Quid plura? Fama volante relatum est illi, de quo supra diximus, tyranno, quod ad portum salutis Deo devota confugisset Virgo; et idcirco speravit se ad id quod ardenter concupivit, facilius posse contigere, perpendens eam parentum familiæque circumspectioni abesse. Inito igitur cum familiaribus

dispositis a proco insidiis,

suis imprudenti consilio, pravorum quorumdam hominum ad hoc negotium abuti elegit auxilio, ut fideliter si aliquando præfata Virgo foras monasterium extra civitatem egrederetur, subito rapienda sibi proderetur. Quod et factum est. Dum enim illa diadematis Christi margarita tam ex omni parte lima disciplinæ perfectissime fuisset exposita, et jam tempus remunerationis laboris illius immineret, quod in locum virgineo germini ante secula præparatum per manum summi artificis componi deberet; quo-

foras egressa cum 8 *sodalibus*

dam die, id est, feria sexta, primo diluculo, impetrata permissione, cum octo convirginalibus suis processit, et orationis caussa ad templum S. Bartholomæi extra civitatem declinavit. Quod dum sedulo pia intentione fecisset, et hoc ille nequam homo per proditores comperisset; convocatis secum complicibus suis in transitu ancillarum Dei insidiose latuit, et agnas simpliciter ambulantes ut lupus rapax feroci-

rapitur,

ter rapuit. Illæ autem vociferantes clamitabant ad Dominum, ne ab eo desererentur, ne lampades earum igne divino succensæ extinguerentur, ne virginea corpora fœdis amplexibus contaminarentur. Cœpit itaque ille impius prædo, hostis pudicitiæ, pirata castitatis, primo blandis sermonibus intrepidas mentes puellarum, copiosa divitiarum promissione, ad consensum suæ suorumque voluptatis allicere; deinde diræ mortis comminatione deterrere. Sed lapides cælestis sanctuarii nulla poterant impulsione de suæ rectitudinis statu moveri, ut vel prosperis extollerentur, vel adversis dejicerentur.

5 Videns igitur unanimiter earum constantiam, et in omnibus infatigabilem in sancta professione perseverantiam, primo in beatam Virginem Neophytam furoris sui crudelitatem exercuit, ita ut transfixam gladiis, manibus et brachiis pedibusque singulatim abscissis, decollari jusserit; deinde singulas ferro trucidari præceperit. Talis est militum Christi triumphus, ut potius eligant bene moriendo in carne, in anima vivere, quam male vivendo in carne, in anima mori peccando. Quod manifesto declaratur in præfatis Virginibus, quæ decurso hujus mundi stadio dignæ factæ sunt supernæ remunerationis bravio: nam ab Angelis susceptæ, et ad consortium virginalis collegii perductæ, duplices coronas a justo meritorum recompensatore acceperunt; alteras quidem pro virginitatis perseverantia, alteras vero pro martyrii palma. Beata autem Neophyta quia plus ceteris afflicta est immanitate passionis, ei Dominus ampliavit mensuram remunerationis; ita ut annuatim in ejus solennitate, ipsius interventu, *d* triginta redimantur animæ; et a quocumque ejus memoria digne celebretur, cælesti mercede remuneretur. *d*

sepelitur a parentibus:

6 Satiata igitur rabie nefandi percussoris, et Sanctarum corporibus bestiarum dentibus in campo relictis, non defuit qui hæc nuntiaret S. Neophytæ parentibus, devotas Deo gratiarum actiones re comperta referentibus, eo quod talem filiam genuerunt, quam nec blandimenta, nec terrores a caritate immortalis sponsi separare potuerunt. Maturata igitur profectione, perfusa roseo sanguine membra repererunt, quæ cuidam vasi ad hoc officium idoneo imposuerunt; et deferentes ad quoddam monasterium S. Stephani Protomartyris dedicatum extra civitatem, exequiis occulte completis sepelierunt: sed immensa Domini pietas tam sacri corporis thesaurum latere non sinebat in perpetuum, quia prodentibus miraculis cujus esset meriti est manifestatum. Cujus etiam

claret miraculis:

sanctissimæ Virginis dum dies passionis ignoraretur, cuidam Christi Confessori, revelante Spiritu sancto, est manifestatum; videlicet quod pridie Nonas Januarii ingressa sit portam cælestis sanctuarii, ubi in conspectu Dei et Agni decantat canticum novum Virginibus sacris singulare, propter castitatis et Angelicæ conversationis meritum.

7 Egestis igitur de terra sanctissimis reliquiis, et per B. *e* Gregorium Papam Romam translatis, post longo tempore regnante Conrado glorioso Imperatore, et cum religiosa Gisela Imperatrice Augusta hoc impetrante, quo Dominus voluit, id est, in Lympurgense cœnobium ipsis fundatoribus ædificatum, sunt translatæ: cujus intercessione et meritis tribuat nobis omnipotens Dominus, ut tam sobrie, tam juste, tam pie in hoc seculo vivamus, ut ad sidereas mansiones immaculati perveniamus. Amen.

e transfertur Romam, postea ad Limpurg cœnobium.

a *Qui illi, ubi, quando, adulta jam Christianitate, vixere Israelitæ, qui regia inirent connubia?*

b *Occisus est* S. Osualdus *Rex Northumbriæ anno Christi* 643. *colitur* 5 *Augusti. At nusquam de sorore ejus aliqua externo Principi nupta quidquam legimus.*

c *Ergo post annum* 400 *si jam dicata* S. Martino *ædes erat, vixit* S. Neophyta; *serius etiam si sorore S. Osualdi Regis nata.*

d *An indulgentia concessa aliqua a Pontifice, an precibus monachorum Limburgensium aliorumque piorum hominum, tot animas e Purgatorio liberari conjectet Auctor, incertum.*

e *Si neptis fuit S. Osualdi, debet hic* Gregorius II *aut* III *fuisse, qui initio octavi seculi vixerunt: nam* Gregorius I *annis facile* 40 *ante S. Osualdum decessit.*

DE

DE S. GREGORIO EPISCOPO LINGONENSI.

CIRCA AN. DLXI. IV JAN.

Martyrologium Romanum ita hujus sancti Antistitis memoriam consecrat pridie Nonas Januarii : Apud Lingonas S. Gregorii Episcopi, miraculis clari. *Refertur et a Bellino, Maurolyco, Molano in Addit. ad Usuardum, Galesinio, Canisio, Carthus. Colon. in auctario ad Usuardum. In MS. vero Florario Sanctorum* VI *Januarii, his verbis :* Depositio B. Gregorii Lingonensis Episcopi et Confessoris. Obiit anno salutis DXXXV. *Galesinius in Notis obiisse tradit anno DXXIV. Browerus noster in carmen* 2, *lib.* 4 *Venantii Fortunati, et Baronius, DXLI sed non recte id colligunt, eo quod Arvernensi Concilio interfuerit : est enim id celebratum anno DXXXV ut recte ostendit Sirmondus; sed Aurelianensi III subscripsit per Evantium Presbyterum anno DXXXVIII. Aurelianensi vero IV habito anno DXLI, nec per se, nec per legatum : unde probabile est tum mortuum fuisse, eodem fortassis anno, ac vacasse tunc eam Sedem. Sed nec solide sedere eum anno DIX cœpisse colligit Baronius ex Concilio Epaonensi; nam id non illo anno, sed DXVII est habitum, ut probat Sirmondus noster.*

S. Gregorius quando obierit.

Vita ejus a quo descripta.

2 *Vitam* S. Gregorii *scripsit S. Gregorius Turonensis in libro de vitis Patrum cap.* 7, *quam Rosweydus noster cum insigni MS. nos cum MSS. monasterii S. Mariæ Bonifontis, S. Mariæ de Ripatorio, ac S. Maximini; editionibusque Suriana, et alia Bibliothecæ Patrum, Mombritio, Vincentio lib.* 21, *cap.* 53, *contulimus.*

3 *Ejus meminit idem Gregorius Turonen. Histor. Franc. lib.* 3, *cap.* 15, *ubi refert, Attalum ejus nepotem in servitutem abductum, Leonis cujusdam coci industria liberatum, quem deinde Sanctus a jugo servitutis absolvens cum omni domo sua, dedit ei terram propriam, in qua cum uxore ac liberis liber vixit omnibus diebus vitæ suæ. Eodem libro c.* 19, *appellat* magnum Dei Sacerdotem, signis et virtutibus clarum; *testaturque in loco Divionensis castri maxime fuisse assiduum. Celebrat eum præter Baronium et Browerum citatos, Claudius Robertus fuse in catalogo Episcoporum Lingonensium, Joannes Chenu, S. Antoninus p.* 2, *tit.* 12, *cap.* 8, §1.

Frequens agit Divione.

VITA EX MSS.

AUCTORE S. GREGORIO TURON.

PROLOGUS.

Egregiæ sanctitatis viri, quos palma perfectæ beatitudinis *a* e terris editos evexit ad cælos, ii sunt, quos aut non fictæ caritatis vinculum ligat, aut eleemosynarum fructus ditat, aut flos castitatis adornat, aut martyrii agonizatio certa coronat : in quibus ad inchoandum perfectæ justitiæ opus illud fuit studium, ut in primis corpus sine macula, præparatum habitaculum Spiritui sancto præberent; et sic ad reliquarum virtutum excelsa contenderent : atque ipsi sibi persecutores facti, dum in se sua *b* perimebant vitia, tamquam Martyres probati, peracto cursu agonis legitimi triumpharent. Quod nullus sine Dei ope valebit efficere, et nisi Dominici adjutorii munimine protegatur, velut *c* parma aut galea; et quod egerit, non sui, sed divini nominis gloriæ deputet; juxta illud Apostoli : Qui gloriatur, in Domino glorietur. In hoc enim et B. Gregorius omnem gloriam *d* contulit : qui de excelsa Senatorii ordinis potentia, ad illam se humilitatem subdidit, ut omnibus sæculi curis abjectis, soli se Deo dicaret opere, quem retinebat in pectore.

a

b

Gratia Dei ad bona opera necessaria.

c 1. Cor. 1. 31.

d

a *Al.* æternis deditos erexit. *Sur.* a terris elevans.
b *al.* premebant, c per arma et galeam. d *al.* habuit.

CAPUT I.

S. Gregorii genus, dignitas, sanctimonia.

Igitur S. Gregorius ex Senatoribus *a* primis Comes institutus, Augustodunensis civitatis Comitatum ambivit. In Comitatu autem positus regionem illam per quadraginta annos justitia comitante *b* rexit, et ita severus et districtus fuit in malefactoribus, ut vix eum ullus reorum *c* sustinere posset. Conjugem de genere senatorio habuit, Armentariam nomine, quam ad propagandam generationem tantummodo dicitur cognovisse; de qua et *d* filios Domino largiente suscepit. Aliam vero mulierem, ut juvenilis fervor assolet inardescere, non contigit.

a

S. Gregorii genus,

b

dignitas in Repub.

c severitas in gubernando, castitas,

d

3 Post mortem autem uxoris, ad Deum convertitur, et electus a Clero et populo, Lingonicæ urbi ordinatur Episcopus. Cui magna fuit abstinentia : sed ne jactantia putaretur occulte sub triticeis panibus, alios tenues ex hordeo supponebat, triticeum frangens aliis erogabat, ipse vero clam hordaceum, nemine intelligente, præsumens : similiter et de vino faciens, cum aquam ei pincerna porrigeret, ad dissimulandum desuper vinum fundi jubebat, tale *e* vitrum eligens, quod claritatem aquæ obtegeret.

promotio ad Episcopatum,

occulta abstinentia,

e

4 Jam in jejuniis, eleemosynis, orationibus, atque vigiliis, tam efficax, tamque devotus erat, ut in medio mundi positus, novus effulgeret eremita. Nam cum energumeni eum in *f* primordio Episcopatus sui confiterentur, rogabant eum Presbyteri ut eos benedicere dignaretur, quod ille, ne vanam incurreret gloriam, viriliter refutabat, clamans indignum se ad manifestandas virtutes Dominicas esse ministrum. Sed tamen quia hoc diutius dissimulare non potuit, adduci eos ad se jubens, sine ullo tactu, facto tantum signo Crucis e contra, dæmonia discedere verbo imperavit. Quod illa protinus audientia, corpora quæ nequitia sua *g* devinxerant, absolvebant. Nam illo absente multi de virga, quam manu ferre solitus erat, suspensos atque signatos energumenos *h* expellebant. Nihilominus et de stratu ejus si quis ægrotus quippiam abstulisset, erat præsens medicamentum.

sanctitas vitæ,

f

humilitas,

miracula,

g

h

5 Armentaria autem *i* neptis ejus, cum graviter quodam tempore in adolescentia sua a quartano fatigaretur incommodo, ac medicorum studio plerumque fota nullum posset sentire levamen; et ab ipso beato Confessore sæpius, ut orationi insisteret, hortaretur; quodam die lectum ejus expetiit, in quo posita, ita febris ejus cuncta restincta est, ut numquam hac deinceps ægrotaret.

i

etiam per ejus lectum.

a *MS. S. Max.* primo, bene litteris institutus. b *al.* correxit. c *MS. S. Max.* evadere. d *Ex his fuit* S. Tetricus *Ep. Lingon. qui colitur* 18 *Martii; et ut fertur,* S. Eustadius *Abb. Divionensis,* 3 *Jan.* e *Quidam* vinum. f *MS. Rip.* primo die. g *al.* divexarant. h *Al.* per pedes confligebant. i *alii* proneptis.

CAPUT II.

Ejus pietas, præcipue erga S. Benignum.

Huic S. Benignus Martyr, qui jure Burgundionum vocatur Apostolus, seipsum revelavit, et de prohibitione, qua ignoranter detestabatur sepulchrum ejus a devotis frequentari, salubriter corripuit; utque super ipsum ædificaret oratorium præcepit. Qua ille territus revelatione, tantum præteritæ delicta ignorantiæ deflevit amarius, quantum de magni inventione thesauri nimium erat lætabundus. Adeo enim laboravit in ejus obsequio tota mentis promptanimitate, ut cryptam antiquitate lapsam decenti transvolveret opere : et sarcophagum ipsius corporis, quod erat gravissimi ponderis, cum duobus tantum Presbyteris vera sanctitate præditis transferret quaqua vellet, ope adjutus divinæ virtutis. Cupiebat quippe pro ejus amore diuturni temporis spatio secus Mausoleum ejus degere, tam pro magnifica ipsius, quam urgebat, constructione *a* templi, et adunatione gregis monastici, quam etiam pro eleganti amœnitate loci.

Apparet ei S. Benignus de quo 1 *Novemb.*

Reparat illius cryptam :

saxum ingens divina virtute movet.

a v. 4 Jan. pag. 61.

7 Cum ergo præfatus Antistes apud Divionense castrum moraretur assidue, et domus ejus baptisterio adhæreret, in quo multorum Sanctorum reliquiæ habebantur; nocte de stratu suo nullo sentiente consurgens,

Noctu templum adeunti, ultro ostia patent.

gens, ad orationem Deo teste tantum pergebat, ostio divinitus reserato, attente psallebat in baptisterio. Sed cum hoc multi temporis spatio ageret, tandem ab uno Diacono res cognita atque manifestata est. Is cum cognovisset hæc agi, a longe, ne eum vir beatus sentire posset, prosequebatur, et quid ageret exspectabat : aiebat enim Diaconus quod veniens Sanctus Dei ad ostium baptisterii pulsans manu propria, ostium nemine comparente aperiebatur : illoque ingrediente, diutissime silentium erat ; postea psallentium tamquam multarum vocum per trium horarum et fere amplius spatium audiebatur. Credo ego quod cum magnorum Sanctorum in eodem loco haberentur reliquiæ, ipsi se beato viro revelantes psallentium Deo laudes in commune reddebant. Nam impleto cursu revertens ad lectulum, ita se caute super stratum deponebat, ut prorsus nemo sentiret : observatores vero ostium baptisterii obseratum invenientes, clave sua solito aperiebant : commotoque signo Sanctus Dei, sicut reliqui, novus ad officium Dominicum consurgebat.

Cum eo SS. psallunt.

CAPUT III.

Mors, sepultura, miracula.

Pie moritur.

Hic itaque post ostensa multarum insignia virtutum miracula, post multiplicia Deo adquisita fidelium animarum lucra, cum jam divinitus disponeretur remunerari pro laboribus suis digno cælestis gloriæ præmio, et ad diem sanctum Epiphaniorum ad civitatem Lingonas ambulasset ; a modica pulsatus febre, relicto sæculo migravit ad Christum in pace. Cujus beata facies ita erat glorificata post transitum, ut rosis similis cerneretur, hæc enim apparebat rubea, reliquum vero corpus tamquam candens lilium refulgebat : ut æstimares eum jam tunc ad futuræ resurrectionis gloriam præparatum.

Ejus facies et corpus post mortem speciosiora.

Refretur Divionem.

9 Deferentes autem eum ad castrum Divionem, ubi ob devotionem S. Benigni se petierat tumulari ; in campania illa, quæ a partibus Aquilonis habetur, haud procul a castro * aggravati gestatores, nec amplius eum ferre valentes, feretrum solo deposuerunt : ibique parumper resumentes vires, et post paullulum elevantes, ad intramuraneam eum castri ecclesiam detulerunt. Advenientibus autem quinta die Episcopis ab eadem ecclesia ad antiquitus constructam, et sepulturis Lingonensium Pontificum insignatam, B. Joannis Baptistæ deferebatur : et ecce vincti carceris, de meritis ejus confidentes, ad beatum corpus clamare cœperunt, dicentes : Miserere nostri Domine piissime, ut quos vivens in hoc sæculo non absolvisti, vel defunctus et cæleste regnum nunc possidens digneris absolvere. Visita nos, quæsumus, et misereri nostri. Hæc et alia illis acclamantibus aggravatum est corpus, ita ut penitus sustinere non possent. Tunc deponentes feretrum super terram, virtutem beati Antistitis præstolabantur. His ergo expectantibus, subito reseratis ostiis carceris, trabes illa, quæ vinctorum pedes coarctabat, repulsis obicibus scinditur media, confractisque catenis omnes pariter dissolvuntur, et ad virtutiferam Sancti glebam nemine retinente perveniunt. Dehinc elevantibus feretrum gestatoribus, ii inter reliquos obsequuntur, qui et postea ex Judicis sententia sine aliquo damno sunt dimissi.

* MS. *S. Max.* fatigati.

Invocant eum vincti.

Feretrum fit immobile.

Vincti miraculose liberantur.

10 Post hæc beatus Confessor sepultus multis emicuit viriutibus. Aiebat enim quidam Religiosus cælos se apertos in die sepulturæ ejus vidisse : nec enim ambigitur quod post actus * cælicos sidereis sit cœtibus aggregatus.

Cæli in ejus obitu aperti videntur.

* MS. *Rip.* Angelicos.

11 Vinctus quidam per viam illam qua beatum corpus a * Lingonis est exhibitum, ad antedictum castrum adducebatur : cumque milites cum equitibus eum præcedentes post terga miserum traherent vinctum, ad locum, ubi beati Confessoris membra quieverant, pervenerunt. Quo prætereuntes, vinctus ille invocato nomine sancti Antistitis petiit ut sua eum misericordia liberaret. Quo orante laxati sunt laquei de manibus ejus : at ille sentiens se solutum, quietum reddidit, coopertisque manibus putabatur adhuc esse ligatus. Ingressi autem portam Castri cum ante atrium ecclesiæ pervenissent, hic illico exiliens, et corrigiam ligaminis in ora trahentium se projiciens, ecclesiam petiit, per quam cum auxilio omnipotentis Dei et obtentu beati Pontificis liberatus est.

* *al.* ad Lingonam.

PER S. GREG. TURON.

Vinctus eum invocans solvitur.

Asylum.

CAPUT IV.

Translatio, alia miracula, epitaphium.

S. Tetricus ejus filius, eum transfert.

Admirabile est et illud miraculum, qualiter beatum corpus ejus, cum post multa tempora transferretur, apparuit gloriosum. Nam cum beatus Pontifex in angulo basilicæ fuisset sepultus, et parvus esset locus ille, nec illuc populi possent accedere ut devotio postulabat ; S. Tetricus filius et successor ejus hæc cernens, et virtutes ibidem assidue operari perspiciens, ante altare basilicæ fundamenta jacit ; erectamque * absidam miro opere construit et transvolvit : qua transvoluta, disruptoque pariete arcum ædificat. Quod opus cum ad perfectum perduxisset atque exornasset, in media abside loculum fodit, ubi corpus beati Patris transferre volens, convocat Presbyteros et Abbates ad istud officium : qui vigilantes orabant ut se beatus Confessor ad hanc præparatam habitationem transferri permitteret.

* *al.* cryptellam.

Longo post obitum tempore corpus ejus et vestes incorruptæ reperiuntur.

13 Mane autem facto cum choris psallentium apprehensum sarcophagum ante altare in absidam, quam beatus Pontifex ædificaverat, transtulerunt : quod sepulchrum dum diligenter componunt, subito, et, ut credo, ad Dei jussum, opertorium sarcophagi motum est in una parte ; et ecce apparuit beata facies ejus integra et illæsa, ita ut putares eum non mortuum esse, sed dormientem : sed nec de ipso vestimento, quod cum ipso positum fuit, aliquid ostensum est diminutum. Unde non immerito apparuit gloriosus post transitum, cujus caro non fuit corrupta ludibrio. Magna est enim corporis et cordis integritas, quæ et in præsenti sæculo præstat gratiam, et in futuro vitam largitur æternam ; de qua Apostolus Paulus ait : Pacem sequimini et sanctificationem, sine qua nemo videbit Deum.

Heb. 12. 14.

Puella sese comens die Dominico punitur.

14 Puella quædam die Dominico dum caput suum componeret, pectine apprehenso, credo ob injuriam diei sancti, in manibus ejus adhæsit ; ita ut adfixi dentes tam in digitis quam in palmis magnum ei dolorem inferrent. Quæ cum basilicas Sanctorum flens atque obsecrans circumiret, nihilque remedii impetraret, ad sepulchrum B. Gregorii Antistitis in ejus virtute confisa prosternitur. Cumque diutissime pii Confessoris præsidium flagitasset, directa manus ejus ad opus pristinum, pectine decidente, reducitur.

Liberatur ad S. Gregorii sepulchrum.

Energumeni liberantur.

15 Sed et energumeni merita ejus ac nomen confitentes, ad ejus sepulchrum sæpe purgantur. Nam plerumque vidimus post ejus transitum virgula, cujus supra meminimus, quam manu gerebat, per parietes ita eos affixos ut putares illos validis atque acutissimis sudibus retineri. Multa quidem et alia de eodem gesta cognovimus, sed ne fastidium alicui facerent, pauca de pluribus perstrinximus. Obiit autem Beatus Gregorius tricesimo tertio Episcopatus sui anno, ætate nonagenaria, qui se virtutibus manifestis sæpius declaravit.

Epitaphium ejus.

16 Ad cujus perpetuandam memoriam tale super ipsius Mausoleum celeberrimus Poetarum Fortunatus composuit epitaphium :

Venant. Fortun. l. 4. car. 2.

Postquam sidereus dirupit tartara Princeps,
Sub pedibus justi mors inimica jaces.
Hoc veneranda sacri testatur vita Gregori,
Qui modo post tumulos intrat honore polos.

Nobilis antiqua decurrens *a* laude parentum,
Nobilior gestis nunc super astra manet.
Arbiter ante ferox, dehinc pius ipse Sacerdos :
Quos domuit Judex, *b* patris amore fovet.
Triginta et geminos *c*.... rexit ovile per annos :
Et grege de Christi gaudia pastor habet.
Si quæras meritum, produnt miracula rerum,
Per quem debilibus fertur amica salus.

Acta sunt hæc pridie Nonarum Januariarum, adjuvante Domino nostro Jesu Christo : cui est cum Deo Patre et Spiritu paraclito omnis honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

a *Brow.* prole.
b *Bro.* Fovit amore patris ms. *Rip.* fovet a. p.
c *Brow.* pie : *quod deest in omnibus meis* mss.

not. 69.

DE S. PHARAILDE VIRGINE, IN BRABANTIA,

VITA

PROLOGUS AUCTORIS.

IV JAN. *Pharaildis Virginis natalem* IV *Januarii referunt Martyrologium Belgicum, Usuardi editio Colonien. ann.* 1490 *et* 1521. *Molanus in addit. ad eumdem Usuardum, Martyrologium German. Ghinius, Galesinius, Ferrarius, aliaque præsertim manu exarata Martyrologia. At Bellini editio Parisiensis anni* 1536, V *Januarii ejus meminit ac* Faraillidem *vocat, alii* Pharildem. ms *Florarium* XIII *Junii natalem*, IV *Januarii elevationem habet :* VII *vero Octobris* (*uti et Molanus aliique*) *Translationem. Sed cum plures factæ sint ejus reliquiarum translationes, quæ potissimum eo die celebretur, mihi compertum non est.*

Quomodo virgo invito viro dicatur permansisse.

2 *Vitam S.* Pharaildis *exhibuit nobis* ms. *codex monasterii S. Adriani Gerardimonte, Flandriæ oppido : in qua tamen cuipiam fortassis scrupulum injiciat, quod illa Guidoni viro in iis, quæ jure naturæ ac divino jubentur, morem gerere nóluisse videatur. Verum illa in matrimonium forte non consenserat, a quo tamen reverentiali metu resilire non audebat; deinde non tam procacia muliebri, quam vi quadam divina eum a se arcebat : et consenserat ipse forsitan Guido ab initio ut continentiam virginalem custodiret : a quo eum proposito si quando animi perversitas revocabat, poterat illa merito repugnare.*

Sacellum S. Pharaildis Steynockeselæ, in Brabantia,

3 *Huic vitæ subjungemus quæ de ea scribit Molanus in Natalibus Sanctorum Belgii, ac deinde miraculum in Steynockerzeel pago, non procul Vilvordia Brabantiæ oppido, patratum, ex ejus ecclesiæ monumentis descriptum ab Hieronymo Franchæo ejus loci Pastore, atque a Gommaro Zuenio nostro ad Heribertum Rosweydum huc missum anno* MDCIX. *Est isthic sacellum quoddam sejunctum a templo, extructum olim in honorem S.* Pharaildis, *in quo solebat illa suum habere oratorium. Ibidem duo ex panibus illis per impiam mulieris imprecationem in lapides conversis visuntur : solet olim ad id sacellum celebris institui peregrinatio, ac miracula ibidem multa patrari. Demum subjiciemus quæ de S. Pharaildis translationibus et ecclesia habet Antonius Sanderus Gandavi lib.* 3, *cap.* 2, *ex antiquis Bavoniani cœnobii monumentis.*

Ecclesia S. Pharaildis Gandavi ab hæreticis eversa. Canonici alio translati.

4 S. Pharaildis *mentio fit in vita* S. *Gudilæ* VIII *Januarii, et S. Emeberti sive Ableberti* XV *Januarii, ubi* Sarachildis *appellatur, fortassis errore Librarii. Ejus meminit et Autbertus Miræus* V CL *in fastis Belgicis, ubi testatur Canonicorum S.* Pharaildis *Collegium Gandavi, ex vetusta S.* Pharaildis *basilica, per Calvinianos vastata, in paræcialem S. Nicolai in foro sitam, nostra ætate esse translatum. Idem totidem verbis scribit Sanderus in Hagiologio Flandriæ. Reædificatum est tamen, ubi olim illa stetit basilica, sacellum honori* S. Pharaildis *dicatum.*

S. Pharaildis reliquiæ in Spinoso-loco.

5 *Arnoldus Raissius in Hierogazophylacio Belgico, ubi de Spinosi-loci conventu, Ordinis Cisterciensis, prope Montes Hannoniæ, agit, ista habet :* Clarent hic miraculis reliquiæ S. Pharaildis, cujus meritis locus iste (ut loquitur Nicolaus Guisius in suo Monte Hannoniæ metropoli cap. XL) non spinosus, sed pingui fecundus gleba; quæ sæculares non modo corporum, sed et cælestes animorum fructus profert, quorum messe numerosus peregrinorum concursus feliciter utitur. *Hæc Raissius. Sanderus inter reliquias Bavonianas, quarum catalogus Alberto Austriaco Belgarum Principi piissimo exhibitus est, S. Pharaildis corpus recenset.*

Quoniam veridica invitamur intelligere sententia, lucernam ardentem sub modio parum fulgoris inferre circumstantibus; divina itaque admonitione commoniti, beatæ virginis Pharaildis opuscula ferme adhuc omnino latitantia, auribus ignorantium enucleare decrevimus : quatenus audientium corda torpentia nostro contacta eloquio, divini amoris exardescant incendio. Verum quia prolixa verborum series tam auditoribus, quam lectoribus plerumque generat fastidia; idoneum disposuimus succincte protelare, quæ mentibus intelligentium intimare proposuimus : quia compendiosa oratio torpentis animi fit exhortatio. Matth. 5. 15.

Auctor non incerta narrat.

2 Si quis detractor Deo dignæ Virginis miracula computaverit pro fabula, quam plerumque lingua fingit garrula; illi profecto pateat, non de apocrypha vel fabulosa conscribi materia, quod tam antiquorum Patrum authentico comprobatur testimonio, quam quorumdam librorum vetustate præditorum reperitur serie. Quidquid enim humano generi videtur impossibile, id divina impendente gratia pro Sanctorum meritis efficitur possibile; quia scriptum est in Evangelio : Si quis habuerit fidem ut granum sinapis, et dixerit huic monti, Transi hinc et transibit. Quare nec mirum videbitur, vel pro fide Christianorum aggeranda, vel pro incredulitate infidelium extirpanda : quod si natura non patitur, id Sanctorum meritis attribuatur. Matth. 17. 19.

CAPUT I.

S. Pharaildis genus, sancta adolescentia.

S. Pharaildis Regiumgenus.

In hujus igitur primordio dictaminis, ut pateat cunctis propago Virginis, ejus ponendum est exordium originis. Notata namque regali progenie, unde virgo profertur descendere, nulli mirum videbitur, si contempto tam regali quam Imperiali conjugio, de infimis ad alta post finem hæc ascenderit, quæ de altis ad infima ante finem descenderit. Regi quippe Theodorico, intra fines Lotharingiæ, et Galliæ tam remotæ, quam admotæ, imperanti patriæ, natorum geminam fuisse sobolem antiquorum auctoritate corroborante cognovimus : quos tam viribus quam opibus, omnique divitiarum genere, Consularique potentia fore præditos, eorumdem Patrum non revellenda comprobavit antiquitas. Eidem vero femineæ sortis tertiam, Pharaildem nomine, magis fidei et religionis meritis, quam sæculari prærogativa nobis cognitam, non repudianda Patrum asseruit auctoritas.

Consilia Evangelica amplecti statuit.

4 Quæ continuata meritorum et operum serie, regali postposita, qua orta fuerat, progenie, Procerumque tam regalium quam Imperialium contempta copia, jussum complevit Evangelicum, ubi dicitur : Nisi quis abrenuntiaverit patri, vel matri, et omnibus quæ possidet propter nomen meum, non potest meus esse discipulus. Hoc itaque præceptum sub ædicula reponens pectoris, dum adhuc maternis inesset thalamis, eleganter suo providens proposito, intemeratam exercendo virginitatem, pro puellaris animi capacitate litterarum successit studiis. Verum licet in propositi tenacitate perseveraus, obnixo mentis affectu litterarum conaretur adipisci scientiam, menti tamen divina inhærebat Luc. 14. 26 et 33.

Litterarum studiis dat operam.

Prov. 9. 10. inhærebat hortatio. Scriptum est enim : Initium sapientiæ timor Domini. Filiali namque non servili timore, Dei desudans servitio præceptum nitebatur
1 Joan. 4. 18. implere Apostolicum. Dicit enim Apostolus : Timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem. His ergo et hujusmodi persuasionibus commota, infra annos adhuc teneros, et divino insudabat servitio, et litterarum inhærebat exercitio.

Vestium luxu non insolescit. 5 Et licet de more regali, utpote Regis filia, indumentis indueretur pretiosissimis et ornatis, cultuque regio quaque die poliretur, non tamen hæc in verborum arrogantiam, vel mentis insolentiam deferebat.
Eleemosynas distribuit. Eleemosynarum vero opulentiam furtim palamve pauperibus subministrabat. Cum vero tam benigno laboraret in officio, licet rudis adhuc in Evangelio, verbum
Matth. 6. 3. tamen complebat Evangelii. Dictum etenim : Cum facis eleemosynam nesciat sinistra tua quid faciat
Eccli. 29. v. 15. dextera tua. Et iterum : Abscondite eleemosynam in sinu pauperis, et ipsa orabit pro vobis. Hujusmodi et consimilibus exemplis corroborata, divina opitulante gratia, Dei servitium affectuosa exercebat efficacitate.

CAPUT II.

In conjugio servat virginitatem.

A variis in uxorem expetitur. Tandem fama regalis filiæ, tam circumjacentium, quam remotarum regionum, Regum, et Imperatorum aures perculit. Qui serie et indolis et sobolis commoti multifaria causa quærendæ filiæ Regis adierunt palatia. Cumque alii sigillatim privatimque; alii publice palamque, sua, quorum causa venerant, propalassent negotia; Rex uni eorum, licet invitam se daturum spopondit filiam. Quam cum despondisset, eamque
Guidoni despondetur invita viro summæ progeniei tribuisset; illis abeuntibus qui eadem de causa venerant, Virgo hæc coacta, patris tamen facta vel dilatare vel violare non est ausa.

7 Igitur ducta in matrimonium, virique nobilissimi adepta conjugium, quo prius intenta fuerat, Dei tamen non desiit servitium. Et propositam violare repudians virginitatem, mentis detinuit sobrietatem,
Virginitatem servat in conjugio. et corporis reservavit integritatem. Nam conviviis perpetratis, et nuptiis de more regali celebratis, cum jam finito diei spatio, nocteque imminente cum marito præcipiente, turba pedissequarum comitante, maritalem ingrederetur thalamum, femineo ritu non distulit thorum adire decorum : et licet maritali videretur gaudere concubitu, Dei tamen interveniente gratia, et libidinis incendia compescuit, et virilem amorem, si aliquis submente fuerat, prorsus edomuit. Viro namque thalamum subeunte, et libidinis incendium in ea exercere cupiente, Virgo devotione sedula hæc ad Deum profudit oracula :

Summe pater rerum, Rex, lux, et origo dierum,
Imperio cujus stat machina temporis hujus :
Cui fiunt grati, qui parent virginitati,
Ancillæ gratæ da fungi virginitate.

Virtute divina extinguitur in ea fomes libidinis, in viro reprimitur. Cum vero aut hæc aut his similia ad Deum profudisset oracula, Dei dextera præsidente, ut in illa, sic in illo fervor extinctus est libidinis. Nec in nocte prominenti, nec in nocte sequenti, et, ut breviter dicam, nullo tempore vitæ suæ succedente, stimulo libidinis stimulari meruit. Sed cum vir more virili libidineum exercere vellet concubitum, prece intercedente virginea, licet ignea exagitante libidine, non tamen ea frui poterat in virgine.

30 annis singulis noctibus adit monasterium. 8 Ipsa vero nocte media, vel galli cantu, nulla eam detinente desidia, non etiam tintinnabulorum præstolata sonitum, vel nullo, vel paucis comitantibus adibat monasterium. Cumque fere per triginta annos tam laboriosum officium nullo subreptante vitio, in divino perseverando coalescebat incendio, humanæ
Matth. 24. v. 13. inserens memoriæ, quod in Evangelica reperitur serie : Qui perseveraverit usquem in fine, hic salvus erit.
Luc. 9. 62. Et iterum : Arator respiciens retro non est dignus mercede. Non itaque torpore vel insolentia animum suppeditare patiens (viro licet nolente, et ab Ecclesiastico obsequio, in quantum poterat, persuasione diabolica eam retrahente) jugi tamen et infatigabili gressu frequentabat ecclesiam.

Ex mss.

CAPUT III.

Maritus crudeliter eam verberans, morbo primum, dein morte punitur.

A marito malum suspicante verberatur. Frequenti igitur matutini itineris assiduitate, sagacem, imo fallacem vir illius incidens suspicionem, quotidiano immoderatoque eam puniebat verbere. Cumque eam tædiosissimis cecidisset verberibus, autumans quatenus sub quolibet indigena vel alienigena contumeliosum perpetrasset adulterium; illa nimirum intolerabili fatigata injuria, cum licet pati decrevisset, pati tamen nequivisset, flexis humi genibus prægravata fletibus, his est usa precibus :

Opem Dei implorat.
Christe Dei fili, quæso, ne sim tibi vili,
Pro prece servili, moveare Dei pie fili :
Quæ prece devota tibi fundo, suscipe vota.
Hunc morbo vel peste grava, qui verbera prava
Dat mihi, meque ferit, feriens me perdere quærit.

Nec id tamen votum erat imprecantis, sed ardor spiritualis gratiæ in ea flagrantis propter demulcendam tyrannicam mariti persecutionem, subministrabat viribus animi constantiam perseverantis.

Maritus in venatione lædiatur, et anno integro ægrotat. 10 Prædictam namque vel huic consimilem postquam ad Deum, non incassum, profuderat orationem, cum vir illius, vel venatum proficiscens, vel venatu rediens, prædam insequeretur ferinam, cupidine prædæ eum incitante, eoque celeriter properante, quadrupede quoque præcipitante corruit. Verum in ipso casu divina ultione providente ossibus comminutis, nasi quoque cartilagine diminuta, fractoque lacerto permultatus, morti ferme traditus est. Quid plura? Cum jam totus circumjacentis patriæ lamentaretur populus, postquam tanti infortunii detrimentum aures Dominæ perculerat; populo quidem deplorate, ipsa equidem quod divina ultione perpetrari noverat deplorare non præsumpsit. Tandem cum vir prædictus longa membrorum ægritudine opprimeretur, et in eorum refectione pene innumerabilia expendisset munera, morbo quippe detentus annuo, vix evasit a mortis periculo.

Sanatus redit ad verbera. 11 Postquam vero paullatim cœpit membris provenire sospitas, et pro modo infirmitatis languore excluso, aliquantula subrepsit firmitas; cupidinea succinctus pharetra conjugalem appetivit thalamum. Virgo vero virgineum prætendens clypeum, nec pharetram nec clypeum præsensit libidineum : virilem namque despuens concubitum, soli Deo non indebitum virginitatis inviolabile destinavit propositum. Verum ipse causa neglecti concubitus irritatus, faceque diabolicæ libidinis instimulatus, ad solita recurrens verbera, beatæ membra virginis oppressit tenera. Nec vir immoderatæ atrocitatis, a consueta desistebat insania, sed usu quotidiano flagra perendinabat ferocia. Carnis autem virgineæ debilitas, cum
Pharaildis patientia. tot tantasque tolerare nequiret angustias, quia scriHebr. 10. v. 30. ptum est : Mihi vindictam, ego retribuam, dicit Dominus; soli Deo vindictam permittere decrevit. Qui tormentorum sui amore fidelibus illatorum existens non immemor, ad deprimendam tyrannicam persecutionem, prædicto viro Guidoni corpoream intulit pas-
Guido moritur. sionem; qui tædiosa membrorum confectus ægritudine, postquam diu languerat, desiit vivere. Et ne B. Pharaildis virginis perturbaretur constantia, Guidonis impii pertransivit insania, juxta illud Davidicum : Vidi impium superexaltatum et elevatum sicut
Psal. 36. 35. cedros Libani; et transivi, et ecce non erat : quæsivi eum, et non est inventus locus ejus.

CAPUT

Ex mss.

CAPUT IV.

Pharaildis mors ac miracula.

Pharaildis vidua permanet.

Marito tandem defuncto, virgo Dei maritalem postposuit thalamum, nec viduali tegmine operiri renuit, quamque prius sub conjugali vinculo non violaverat continentiam, eamdem sub tempore viduitatis observare disposuit : quatenus in regno Dei, alii trigesimum, alii sexagesimum, alii centesimum sint accepturi præmium; virgo equidem soli Deo virginitatem destinans perpetuam, centesimo promereretur coronari bravio. Unde assidue quod Paulus in epistola sua commemorat complere nitebatur. Dicit enim

1. Cor. 9. v. 24. Apostolus : Sic currite ut comprehendatis. Omnis enim qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet.

Opera misericordiæ exercet. Vigilando itaque, exorando, jejunando, infirmos visitando, ægrotos refovendo, eleemosynam largiendo, et pro humana facultate sex opera misericordiæ complendo, totum ætatis suæ præterivit spatium.

Avem a servis comestam resuscitat. 13 Ut vero divinæ potentiæ magnitudo clarificaretur, quoddam egregium et memorabile miraculum ob ejus merita divina pietas operari dignata est. Hyemali siquidem tempore, cum pigro et anili passu agrum, quo triticum seminaverat, viseret, aves quasdam aggregatas reperit, quas alii feles, alii miletas, vulgus vero * gantas nuncupat, easque velut pecudes domesticas baculo percutiens domum adduxit. Quas ubi domum adduxerat, easque velut oves aggregatas in ovili clauserat; nullam earum vel lædi, vel interfici permittens, usque in crastinum reservavit incolumes. Verumtamen cum vel vespertino, vel matutino tempore adisset monasterium, unus clientum, ea quidem ignorante, quamdam supradictarum avium interfecit, eamque cum ejusdem familiæ quibusdam consociis comedit. Virgo vero Domini Pharaildis cum a monasterio redisset, prædictarum reminiscens avium, nullam earum permisit jugulari, et ab ovili, quo eas recluserat, cunctas illæsas præcepit relaxari. Quæ cum relaxarentur, et de more anserum, vel gallinarum imperterrito passu graderentur, beata Virgo siquidem vel pari parem requirente, vel numero, sub quo eas cognoverat, deficiente, vel divino monitu præmonente, unam earum abesse cognovit. Quam cum attente perscrutaretur, obnixeque quo abierat, vel quo profugerat indagare conaretur, ejusdem domus puero sibi referente, interfectam comestamque cognovit affore. Quid plura? Avis ossa, plumasque sibi reportari præcipiens, quæ inde reperiri poterant coadunavit, et mirabili stupendaque compositione, avem pene perditam, prorsusque mortuam vivificavit, eamque ad solita pascua relegavit.

* *Molan. suspicatur potius* ganzas *legendum.*

Moritur fere nonagenaria. 14 Hoc autem et huic similibus perpetratis miraculis, fere transacto nonaginta annorum curriculo, sub nomine Christi Domini Dei nostri migravit ad hoc sæculo. Si vero quæ post, vel ante obitum suum perpetravit miracula, enarrare præsumpserimus, prius profecto, sicut arbitror, deficiemus in ingenio, quam in materia.

EJUSDEM VITA

EX JOAN. MOLANO.

S. Pharaildis parentes, frater, sorores. Gandavi, natale S. Pharaildis Virginis, quæ parentes habuit, Theodoricum *a* Lotharingiæ Ducem, et S. Amelbergam, sororis Pipini Principis filiam; fratrem materno ex latere S. Emebertum, Cameracensem Episcopum; sorores SS. Raineldam et Gudilam.

A S. Gertrude erudita. 2 A B. Gertrude cognata sua de sacro fonte levata, litterisque instructa, pietatem a teneris annis egregie coluit. Cumque impedire non posset quin a parentibus nuptui daretur, per omne tamen conjugii tempus illibatam virginitatem custodivit, eadem nimirum præpotenti sancti Spiritus gratia prædita, qua et ante eam B. Cæcilia, et post B. Henricus Imperator, uxorque ejus in matrimonio claruerunt.

In matrimonio virginitatem servat.

Corpus ejus Gandavum transfertur. 3 Migravit autem virgo ad Christum nonaginta annorum circulo fere transacto, non minus religione quam senectute venerabilis. Cujus corpus ad S. Bavonis Ecclesiam Agilfridus, Episcopus Leodiensis, idemque a Stephano Papa Abbas D. Bavonis Gandensis creatus, Roma veniens, ex Lotharingia attulit anno *b* DCCLIV.

4 Sed non multo post, propter incursiones Nordmannorum, cœnobium Gandense cum sacris corporibus Bavonis et Pharaildis fugit. Quæ corpora tandem, cessante persecutione, ex Lauduno et Nigella relata sunt, ad ecclesiam novi Castelli Comitis, ad ripam Legiæ in Fisco Gandensis cœnobii sitam. Inde tamen reædificata per S. Gerardum ecclesia D. Bavonis, ad eam sunt relata, licet priori ecclesiæ, petente Arnulpho Comite, portio aliqua gratiose sit concessa, ne collegium S. Pharaildis reliquiis suæ patronæ careret.

5 Verum ut iis, quæ ex Ecclesiastico officio deprompsimus, aliunde quædam subjungantur; in primis Christianus Massæus lib. 12 Chronicorum scribit *c* partem corporis Nigellæ, quæ est Lotharingiæ civitas, haberi in ecclesia S. Pharaildis. Quo spectat, quod ex Chronicis Gandensis monasterii constet, eos a Nordmannis fugatos, duos Abbates Nigellæ, et tertium Lauduni sepelivisse.

Pars corporis ejus Nigellæ asservatur.

Sacellum S. Pharaildis in Steenockezele. 6 Deinde est in Steinockerzela apud Vilvordiam sacellum S. Pharaildis, quod propter miracula frequentatur. Sed et panes nonnulli conservantur, qui Dei et prædictæ virginis judicio in lapides sunt conversi. Qua de re anno supra millesimum trecentesimo quadragesimo secundo, Plebani Ecclesiarum in Humelighem, Erpse, Hockezele, Quaderibbe et Corteberge testimonium tulerunt. Simile miraculum refert Gregorius Turonensis de nauta, cujus omne navis onus, quod mandi potuit, in saxa est conversum, cum pauperi dixisset se nihil nisi lapides habere. Ego, inquit, ex his et dactylos vidi et olivas aspexi marmore duriores.

Panes in lapides mutati.

Primarium festum est die quarta Januarii; secundarium Translationis Nonis Octobris.

Imago S. Pharaildis. 7 Pingitur denique cum ave in manu aut ad pedes, quam Teutonice *een trap-gans* vocant, cujus officium Gandavense non menimit. Sed in historia plenius manuscripta legitur ipsam aves ex agro tulisse, quas alii feles, et alii miletas, atque alii vulgariter ganges sive gancas nuncupant, quarum unam prorsus mortuam vivificavit.

a Christianus Massæus 12 lib. Chron. Theoderico Childeberti filio, Rege Burgundiæ, ac deinde Austrasiæ natam scribit. Sed cum Theodericus anno Chr. DCXIII, mortuus sit, qui potuit Pharaildis a S. Gertrude erudiri, et a patre ad nuptias cogi?

b Id si hoc anno accidit, ergo ante initum Episcopatum; cum demum anno 761 Fulcario successerit.

c Verba Massæi sunt : Pars tamen apud Nigellam est : qui locus nunc dicitur Ecclesia S. Pharaildis.

MIRACULUM

Quoddam de panibus conversis in lapides, roboratum litteris sigillatis Officialis Cameracensis, Decani Bruxellensis, nec non diversorum Curatorum infra nominatorum.

Viris reverendis Dominis Præposito, Decano, et Capitulo Ecclesiæ S. Pharaildis in Gandavo, Plebani Ecclesiarum de Humelighem, de Erpsa, de Ockerzele, de Quaderubbe, et de Cortterberghe, Salutem, et rei subscriptæ noscere veritatem.

Testimonium de panibus in lapides conversis. 2 Noveritis, quod lapides, quos vos habetis in ecclesia vestra, qui in capella S. Pharaildis prope Geetbroech apud nos esse consueverunt, virtute omnipotentis

tentis Dei, Sanctæque Pharaildis plurima miracula fecerunt : videlicet portantes in circuitu altaris S. Pharaildis prælibatæ eosdem lapides, de dolore capitis, dentium, nec non de dolore aliarum partium corporis, fidem credulam ad hos habentes, misericordia Dei omnipotentis, et S. Pharaildis Virginis antedictæ, procul dubia sanati fuerunt.

Meritis S. Pharaildis, attactu horum panum dolor capitis ac dentium aliique morbi sanantur.

3 Nec non vos scire volumus, quomodo, et per quem modum dicti lapides ad capellam S. Pharaildis prope nos primo pervenerunt. Una dierum accidebat quod duæ vicinæ ad invicem loquebantur apud nos, quarum una defectum panis habebat, petens ab alia sua vicina, quatenus ipsi unum panem concedere vellet, donec ipsius panes essent pisti : quæ vicina respondendo dixit, quod non haberet panem seu panes, quos suæ vicinæ concedere posset. Iterato dixit alia vicina : Vos enim hac septimana cum panibus vestris fuistis ad furnum. Quæ iterum dixit : Det Deus, et S. Pharaildis, quod omnes panes, quos habeo fiant lapides, si plus panis habeo quam dimidium panis. His vero factis illa veniens domum aperuit cistam suam, et credidit invenisse panes suos in cista: et invenit tres lapides in cista sua cum dimidio lapide. Illa vero videns hos panes conversos in lapides, geniculando veniam a Deo Sanctaque Pharailde de forefactis suis petiit. Itaque quod miraculum illud promulgatum fuit in populo. Et dicti lapides honore et reverentia ad capellam S. Pharaildis prædictæ apud nos fuerunt portati. In cujus rei testimonium sigilla nostra præsentibus litteris duximus apponenda. Datum anno a Domini Nativitate MCCCXLII, quarta decima die mensis Junii.

Recusat quædam vicinæ panes commodare, negans cum imprecatione se habere :

In lapides eos mutatos reperit.

DE ECCLESIA ET TRANSLATIONIBUS S. PHARAILDIS.

EX GANDAVO ANT. SANDERI.

Ecclesia S. Pharaildis quando structa.

Collegiata D. Pharahildis Ecclesia, quæ nuper consensu Principum ad parochialem D. Nicolai migravit, adnitente Flandrorum Comite Arnulfo, juxta novam arcem Comitis ejusdem, a Balduino Ferreo, ut Gramaius arbitratur, conditam, anno DCCCCXII strui cœpit, ac receptaculum profugi a clade Normannica cœnobii Bavoniani fuit. Unde cum ad antiquas sedes circa annum DCCCCXL monachi redirent cum sacris Divorum lipsanis; Arnulfus Marchio (verba sunt Chronici Bavonensis) ecclesiam suam in novo castello ædificatam cernens tantis pignoribus viduari, impetravit a B. Gerardo articulum S. Bavonis, et reliquias B. Pharahildis; ea videlicet lege, ut Ecclesiæ Clerus annuam peregrinationem ad D. Bavonis persolveret, quod multis sæculis factitatum fuit.

Reliquiæ ejus isthic aliquæ.

Translatio reliquiarum an. 1073.

2 Fuit hæc Ecclesia domesticorum Comitis et incolarum atrii Palatini ab antiquo Curialis, et ad servandas eorumdem præcipue Divorum reliquias: et in ea Clericos cum Præposito, in canonicale collegium haud multo post evectos idem Arnulfus Marchio instituit. In translatione porro harum reliquiarum anno *a* MCLXXIII facta, exposcentibus Ecclesiæ Canonicis Remleno, Azone, Fulcrone, Otgero, Meinardo, per Folcardum Blandinii et Sigerum Gandensem Abbates; testes adscripti Folcardus Castellanus et Lantbertus, ejusque frater Stephanus, cum copiosa utriusque sexus multitudine, et duorum cœnobiorum congregatione.

PER ANT. SANDER.

3 Anno etiam MCCCXXXVI, portiones reliquiarum SS. Bavonis et Pharahildis in ecclesia novi castelli, nunc Comitis Castellani nominati, in novo portu Gandensi super ripam fluminis Legiæ sita, et in honore Sanctorum prædictorum olim fundata, translatæ sunt de veteri scrinio in novum per Venerabilem Patrem D. Andream Episcopum Tornacensem, postea S. R. E. Cardinalem, præsente venerabili viro Magistro Joanne de Portali Archidiacono Tornacensi, ac plurimis aliis venerabilibus Presbyteris diversæ dignitatis, ejusdem Tornacensis Ecclesiæ Canonicis, nec non religiosis etiam personis, D. Henrico de Muda Priore, et Balduino Borluyt Præposito Gandensis cœnobii, reverenter eo directis a venerabili viro D. *b* Gerelino Borluyt prædicti cœnobii Abbate; qui prædictæ Translationi interesse a D. Martino supradictæ Ecclesiæ Præposito, et ejusdem Ecclesiæ Canonicis diligenter requisitus fuerat, sed præ nimia infirmitate sua ibidem adesse non valuit.

Alia an. 1336.

Prior translatio iterum aliis verbis relata.

4 Aliam quoque Translationem earumdem reliquiarum an. MLXXIII factam narrat idem Chronicon, in hæc verba : An. MLXXIII portiones reliquiarum S. Bavonis Sanctæque Pharahildis a S. Gerardo Abbate cœnobii Gandensis, Arnulfo magno Flandrensium Comiti gratiose dudum concessæ in ecclesia novi castelli super ripam fluminis Legiæ in Fisco Gandensis cœnobii sita et in præfatorum SS. Bavonis et Pharahildis honorem olim fundata, translatæ sunt per Radbodum Noviomensem Episcopum, præsentibus Sigero Gandensi et Folcardo Blandiniensi Abbatibus. Hanc tamen ego Translationem eamdem puto, quam *c* MCLXXIII factam ante legimus; iidem enim isthic nominantur Abbates.

Immunitas illius Ecclesiæ.

5 Quam fuerit autem olim Principibus Flandriæ carum hoc D. Pharahildis collegium, vel unicum Philippi Boni anno MCCCCLIX, XV Decembris, Bruxellæ datum diploma ostendit. In eo enim Princeps ille, postquam de egregio prædecessorum suorum in eam Ecclesiam adfectu multa dixisset, eam cum omni suo peculio in specialem tutelam ac protectionem suam suscipit, immunem ab oneribus publicis declarat; omnibus denique sibi subditis mandat, ut eam in suis libertatibus ac privilegiis foveant ac tueantur.

Monumenta perdita.

6 Ceterum hujus Ecclesiæ monumenta vetustatis, ultimo incendio, aliaque decora ultimis his bellorum tumultibus perierunt. Constat tamen opulenta admodum et honorifica olim fuisse hujus Ecclesiæ sacerdotia; nunc terrarum inundatione aliisque cladibus imminuta, ob venerabilem ejusdem instituti antiquitatem, Procerum munificentiam, Principumque favorem ac liberalitatem promerentur. Habet D. Pharahildis Ecclesia Præpositum, cum duodecim Canonicis, plures itidem Capellanos.

7 *Deinde recensitis aliquot Præpositorum nominibus, subdit* : Solent in hac Ecclesia, dum Festum S. Pharahildis agitur, duo lapides ostendi panis formam habentes, quos olim panes veros fuisse, et in saxum versos historiis proditum est.

a Imo 1073, ut patet ex cit. Chron. nam 1173, non Sigerus 30, sed Everdeyus 33 Abbas erat, ut ipsemet quoque Sanderus habet l. 4, c. 4. Tum quoque in Blandinio Abbas erat Folcardus, ut idem lib. 4, c. 2.

b *Meus* MS. *catalogus Abbatum Bavonianorum habet* Gerelmus, *non recte. Nam Gerelini nomen etiamnum familiare est nobili domui Borlutiorum.*

c Jam monuimus Sigerum non 1173, sed 1073, Abbatem fuisse, cum Noviomi sederet Ratboldus sine Ratbodus.

DE

DE S. RIGOBERTO
REMENSI ARCHIEPISCOPO.

CIRCA AN. CHR. DCCXLIX.

IV JAN.

De S. Rigoberto Remensi Archiepiscopo hæc habet Martyrolog. Romanum : Pridie Nonas Januar. Remis in Gallia S. Rigoberti Episcopi et Confessoris. *Meminit ejus et Molanus in Addit. ad Usuardum hoc die, Galesinius cum prolixiore elogio, Martyrologium Germanicum, Ghinius in Natalibus Sanctorum Canonicorum,* MS. *Florarium Sanctorum,* MS. *Martyrologium (quod est Adonis, sed auctum) Monasterii S. Laurentii Leodii, Hugo Menardus in Martyrologio Benedictino. Ast* VIII *Januar. ejus natalem habent editio Usuardi Coloniensis anni* 1521, *ac Parisiensis an.* 1536, *iterumque Martyrolog. Germanicum.*

Quando obierit.

2 *Chronologiam vitæ ejus, (quæ a Francisco Haræo correcta est, dum qui in vita dicitur, obiisse anno* DCCLXXIII *eum ipse, satis probabiliter* DCCXXXIII *defunctum scribit; uti et Claudius Robertus in catalogo Episcoporum Remensium) expendemus alibi suo tempore. Milonem certe tradit Hincmarus in Præfat. ad Vitam S. Remigii, Episcopatum Remensem per quadraginta circiter annos pessumdedisse. Si igitur pulsus est in exilium S. Rigobertus anno* DCCXXIII, *ut tradit Sigebertus in Chronico, additis* XL *Milonis efficerentur saltem* DCCLXIII. *Quid si non continuo ei suffectus est Milo? At citius in exilium pulsus videtur, anno videlicet* DCCXVII *vel* DCCXVIII. *Nec necesse est dicere eum usque ad finem vitæ Milonis superfuisse; præsertim cum satis perspicue colligatur ex vita, eum usque ad regnum Pipini non pervenisse.*

Vita S. Rigoberti unde descripta.

3 *Robertum quoque appellatum esse scribit Surius et Galesinius in Notis. Vitam ejus edidit Surius, sed contractam et stylo mutato : quam ex* MS. *S. Mariæ Bonifontis, integram primigenia phrasi damus. Eam exhibebat et codex* MS. *Ecclesiæ S. Martini Ultrajecti, sed passim contractam. Claudius Robertus, Sirmondus, Menardus, Colvenerius, S. Rigobertum* XXVII, *Remensis Ecclesiæ Antistitem scribunt fuisse, uti et Joannes Chenu. At Democharis lib.* 2 *de Missæ sacrificio, cap.* 14, XXVIII, *quia Dyscolium alii omittunt, qui tamen subscripsisse reperitur Concilio Agrippinensi.*

Quotus Archiep. Remen. fuerit.

Epitome vitæ S. Rigoberti per Colvenerium.

4 *Insignem hanc vitæ ejus epitomen habet Georgius Colvenerius in Catalogo Episcoporum Remensium :* S. Rigobertus Comes, patruelis S. Reoli, ex monacho Benedictino ordinatur Archiepiscopus an. 696. Multa contulit Ecclesiæ Remensi. Redegit Clericos ejusdem Ecclesiæ ad regulam canonicam. Sacravit Dagobertum II, Chilpericum II et Theodoricum II Reges. Carolum Martellum, Pipini Herstalli seu Crassi ex pellice filium, de sacro fonte suscepit, a quo tamen postea est expulsus anno DCCXVIII, vel ut Sigebertus scribit DCCXXIII. Cui Martellus subrogavit in Sede Milonem Clericum Abbatem, qui simul etiam Trevirensem Episcopatum usurpabat. Sed mortuo Martello an. DCCXLI censuris Zachariæ Papæ dictus Milo expulsus est a prædicta Sede Remensi an. DCCXLII et S. Rigoberto jungitur Coepiscopus a S. Bonifacio Germanorum Apostolo, Zacharia Papa jubente, S. Abel Scotus. Obiit S. Rigobertus IV Januarii DCCXXXIII, vel rectius juxta alios DCCXLIX. Falluntur qui eum vixisse scribunt usque ad annum DCCLXXIII. Vide scholia nostra ad Flod. lib. 2, c. 14. Sepultus est in ecclesia S. Petri in Gerniaca corte. Sed inde ab Hincmaro translatus ad cœnobium S. Theoderici ann. DCCCLXXII et post annos novem, ann. scilicet DCCCLXXXI ad ecclesiam S. Dionysii, quem ann. DCCCXCII Fulco Archiepiscopus in urbem intulit in ecclesiam B. Mariæ. Verum postmodum iterum refertur ad ecclesiam S. Dionysii ab Heriveo anno DCCCXCVI. *Hactenus Colvenerius.*

S. Abel S. Rigoberti Coepiscopus.

VITA EX VETERIBUS MSS.

CAPUT I.

S. Rigoberti genus, promotio ad Episcopatum, ordinatio Cleri, donationes sacræ.

S. Rigoberti patria, gens, parentes.

Fuit in diebus Childeberti, Dagoberti, Childerici Regum Franciæ, vir Dei Rigobertus, urbis Remensium mirificæ sanctitatis Archiepiscopus. Qui in regione Ribuariorum spectabili de prosapia exortus; patre siquidem ex eodem pago, nomine Constantino, matre autem Francigena, ut ex Porcensi territorio. Ab ætatis primævæ tyrocinio, totum se cælestibus mancipavit disciplinis, castitate præditus, in vigiliis sedulus, oratione pervigil, sermone verax, refertus caritate, deditus abstinentiæ, dapsilis humanitate, sapientia redimitus, justitia insignitus, in consilio prudens, omnique morum honestate pollebat.

Sancti ab adolescentia mores.

Fit Archiepiscopus Remensis.

2 Per hæc virtutum insignia, ocyus occurrens in virum perfectum, quemadmodum cælitus electus, ad Pontificalis apicem honoris est sublimatus. In quo superna adminiculante sibi gratia, talis tantusque illico apparuit, ut omnium oculis et amori esset et timori. Nimirum bonis amori, qui delectabantur ejus monitis salutaribus humiliter obsequi; malis quoque nihilominus erat timori, qui ab eo metuebant tam deprehendi, quam reprehendi : ac per hoc sicut ad locum de Beato scriptum invenitur Remigio, erga bene agentes Petrus apparebat in vultu, erga delinquentes Paulus in spiritu : ac sic conveniente in unum diversitate gratiarum, illius pietatis, hujus erat æmulator districtionis. Stantibus equidem, si caderent, minabatur pœnam; lapsis vero, ut surgere appeterent, promittebat misericordiam. Illos terrebat ne præsumerent in bonis, istos refovebat ne desperarent in malis. Proinde quosdam piis sermonibus assiduæ prædicationis ad meliora evexit; quosdam maturitate et sinceritate multiplicis doctrinæ, desiderio sanctæ conversationis accendit; quibusdam exemplum factus est ad salutem : alios intra septa sui gregis oves fecit; alios educavit : Omnia omnibus factus est, ut omnes salvos efficeret.

Omnium curat salutem.

3 Successit autem in Remensi Pontificatu Reolo, magnarum virtutum viro, hujusque, ut quidam perhibent, proximiori cognato. Et quoniam hoc obeunte nescitur quot annis Pastore vacaverit Sedes Remensis, pleraque in loco erant collapsa, quæ fuerant præcedentium Patrum studio et vigore fundata : quæ cuncta vir iste gloriosus et prudentissimus in pristinum celerius reparavit statum.

Lapsam disciplinam restituit.

4 Nam canonicam Clericis religionem restituit : juxta numerum quoque eorum, quotus illo in tempore erat, sufficientia et continua eis victualia constituit, quatinus divino cultui liberius atque instantius insistere quivissent. Prius quippe quam exoptabilis hic altor ac pater eorum adveniret, non eis dabatur canonicus panis, et non erant ut sunt hodie Canonici, sed sicut matricularii. Et ad hæc res proprias cum habitatoribus earum illis contulit, qui singulis necessitatibus eorum perpetuo deservirent. Primus Remensium hic Episcoporum fertur commune eis instituisse ærarium, generaliter illorum usibus in sæcula profuturum.

Res Canonicorum pulcre ordinat.

Commune eorum ærarium instituit.

5 Prædictarum autem rerum loca, his vocabulis censentur : Gerniaca-curtis, Musceium, Roceium, Ad Vulsiniacum rivulum, Curcella, ad Novam-villam, Ecclesia S. Hilarii in suburbio ad portam quæ vocatur

Varia bona confert Ecclesiæ.

vocatur Martis. Hanc basilicam decrevit præstare in sepulturam eorum. At Gerniacam-curtem, et tria e vestigio consequentia, sanxit ad anniversariam perseverare sui transitus diem commemorandam; ut hinc scilicet eis in illa sufficiens refectio ab ærarii clavigero, quotannis paretur. Et si quid de annuo superfuerit rerum redditu, quod ad præsens expendi non necesse sit, omnibus censuit dividendum, prout opus fuerit unicuique eorum. Item Curcellam et Novam-villam, et novem mansos ecclesiæ S. Hilarii adjacentes, statuit ligna cædere, aquasque comportare ad faciendum eis balneum, insuper et ad suicidium occurrere: et si quid hujusmodi necesse sit in eorum culina, quod facto opus sit. Puteis quoque intra septa monasterii non deesse, qualibet oborta occasione. Denique ipsa si quando exuberaverint rudera latrinarum, efferre in locum hujusmodi colluvionibus aptum. Porro sicut et pollinctores effodiendæ eorum sepulturæ adesse, cum eveniret illorum quempiam defungi, et ab ipsis tamquam a vespillonibus ad sepeliendum eos deferri. Et, ut tandem collectivo quodam sermunculo quid inferatur de eorum multimoda servitute, ad omne opus eis impendendum servile, ut præsentissimos ita jussit paratissimos esse : quorum hujusmodi consuetudo pro lege habetur, ut si omnis familia servorum, qui hos habuere, obierit, sicut sæpe accidit, etiam ingenuus quisque par eis obsequium exerceat servile, si contingat ea habere. Eorum vero summa in quadraginta uno mansis colligitur utrobique coadunata.

Providet omnibus Canonicorum necessitatibus, per servos mansionarios.

* *Flodoardus Histor. Remen. lib. 2 cap. 11 hæc subdit:* Res etiam quibus Episcopium auxit quasdam dato pretio comparavit, ut villam nomine *a* Cartobram in pago Tardonensi a *b* Gamnoaldo, pro qua dedisse traditur auri solidos quingentos : et in villa, cui nomen *c* Turba, mansos duos, a diversis personis. Item portionem de villa, quæ dicitur Campaniaca, super fluvium Vidufam, ab *d* Hosomo : pro qua dedisse reperitur in auro solidos CXL. Item a quadam consobrina sua, nomine Gilsinda, portionem de villa *e* Bracaneto super fluvium Rotumnam, cum mancipiis, ædificiis et omnibus ad ipsam possessionem pertinentibus. Item ab eadem Gilsinda partem quamdam de villa *f* Bobiliniaca supra fluvium Suippiam, cum domibus, mancipiis, campis, pratis, et ceteris ad eamdem possessionem pertinentibus : pro quibus rebus in auro solidos centum invenitur dedisse. Quasdam quoque res trans Ligerim non modico auri dato pondere reperitur emisse. Quædam quoque cum aliquibus personis inveniatur commutasse, pro partium scilicet opportunitate.

A Dagoberto denique Rege præceptum immunitatis suæ obtinuit Ecclesiæ; suggerens eidem Regi, qualiter ipsa Ecclesia sub præcedentibus Francorum Regibus, a tempore Domni Remigii et Clodovei Regis, quem ipse baptizavit, ab omni functionum publicarum jugo liberrima semper exiterit. Qui præfatus Rex hoc beneficium confirmare vel innovare disponens, cum consilio procerum suorum statuit, ad prædecessorum formam Regum præcipiens, ut omnes ipsius sanctæ Dei Ecclesiæ res, tam in Campania, et infra urbem, vel suburbanis, quam in Austrasia, seu Neustria, vel Burgundia, seu partibus Massiliæ : in *g* Rodonico etiam, Gaualitano, Arvernico, Turonico, seu Pictavico, Lemovicino, vel ubicumque infra regna ejus ipsa Remensis Ecclesia, vel basilica Beatissimi Remigii villas aut homines habere videbatur, sub integra immunitate omni tempore possent manere. Sic quoque ut nullus Judex publicus in ipsas terras auderet ingredi, ut mansiones intrando faceret, aut quælibet judicia, vel xenia ibidem exigere ullatenus præsumeret. Sed quodcumque a prædecessoribus suis Regibus Ecclesiæ Remensi vel basilicæ S. Remigii fuerat concessum, cunctis diebus eadem Ecclesia valeret habere conservatum.

Sed et a filio ipsius super hujusce auctoritatis corroboratione, et a ceteris sui temporis Regibus immunitatis, ac teloneorum remissionis præcepta Ecclesiæ suæ obtinuit permanere. Item Theoderici Regis specialiter pro villa Calmiciaco, quam Grimoaldus vir illustris Ecclesiæ Remensi contulerat. Quarum adhuc regalium monimenta præceptionum in archivo sanctæ hujus Remensis conservantur Ecclesiæ.

Non frustra hæc narrari.

6 Inter hæc prudentem paucis monemus lectorem ne abhorreat ista legendo quasi superflua, asserens in chartis eorum donationis et polypticis de eisdem editis satis superque invenienda; sed admiretur hunc virum Dei, quomodo prudentissime et piissime disposuerit inter cetera quæ possidet; et qualiter pauperes Christi, suorum heredes fore delegerit, qui

Luc. 14. 14. secundum illud Evangelii : Beatus est, quia ii non habent retribuere ei, retribuetur enim illi in resurrectione justorum; verumtamen ejus beatitudinis seduli intercessores existunt, prout queunt : et si aliquando forte siluerint, ipsum opus misericordiæ ad Dominum semper pro eo clamabit; quemadmodum scriptura dicit : Conclude eleemosynam in sinu pauperis, et ipsa pro te orabit.

Ex mss.

Eccli. 29. 15.

a *alii*, Carobram, *vulgo* Chartreune. b *Colvener*. Gomnoaldo. c *Gallice* Tourbe. d *al*. Hosonio. e *Colvener*. Bracameio, *al*. Bracaneco, *Gall*. Bricquenay. f. *Gall*. Boul sur Suippe. g *al*. Rodinico, Rodolito, Rodocino.

CAPUT II.

Sibi a Pipino data donat Ecclesiæ.

Pipino Herstallo offert eulogias;

Hic quodam tempore de Culmissiaco Episcopii sui villa veniens, adiit Pipinum Majorem-domus, patrem Carli cognomento Martelli : præmisitque suas ei eulogias, a venatione, quam paullo ante exercuerat, redeunti. Has quippe solebat illi crebrius mittere. Morabatur quoque ipse Pipinus in pago Laudunensi, et loco qui dicitur Gerniaca-curtis; et non illic, ut hodie, villa, sed exiguus mansionilis fuerat : verum et in diebus illis ibi erat ingens silva, et fons in eodem loco, quem apri tamquam ad sua frequentabant volutabra, qui et usque in hodiernum diem permanet ibidem; juxta quem et tunc Pipinus singularem ferum fuit consecutus, cujus assaturam præcepit illic fieri, tamquam revera inibi pransurus. Interea idem istius Episcopi benedictionem gratissime suscipiens, dixit clientibus qui sibi assistebant : Quid faciemus huic Episcopo, qui nobis servire non cessat? Illis autem silentibus, Pipinus ad Sanctum conversus Rigobertum, gratulabundus adjecit : Do, inquiens, tibi optionem petendi quod volueris, et non negabo tibi. Ad quem vir Domini : Da, ait, mihi hunc modicum mansionilem, et sufficit mihi. Tum ille : et hunc tibi do, et quantum volueris accipere in gyro. Concessitque ei (sicut et quondam Rex Clodoveus Sancto legitur concessisse Remigio) ut quantum circuiret dum ipse meridie quiesceret, totum illi donaret. Beatus itaque Rigobertus per fines, qui manifestissime parent, pergens, passim limitem, ut litem discerneret arvis, si forte accideret, poni præcepit. Peragratisque omnibus quæ sibi maluerat dari, confestim regressus est ad Pipinum, qui interim meridiano surgens a somno, largitus est ei omnem, quem lustravit, locum per confinium designatum.

Ab eo Gerniacam-curtem accipit, et quidquid meridie ipso quiescente circuierat.

Simile quid concessit Carolus Magnus S. Arnoldo, 18 Jul.

Terra illa deinceps verdantior.

8 Ad memorabile vero indicium super hoc transitu itineris sui, et æstate et hyeme vernantior, quia viridior herba hactenus ibi gliscere visitur, quam ceteris in locis quæ in circuitu ejus sunt, cum tamen æque teratur a quolibet viatore. Est et non contemnendæ rei miraculum, quod proculdubio meritis ejus constat eisdem rebus a Domino prærogatum. Siquidem postquam dominio ejus cesserunt, numquam eas læsit tempestas, nec grando cecidit super illas. Unde non solum res mira, sed semper omnibus valde est stupenda. Videntur more solito cadere juxta, et non fines earum attingere unquam præsumunt, ne dicatur transire. Proinde omnes hæc divinitus fieri videntes, dicere congruenter super his valent, quod scriptura de terra quondam habitationis filiorum Israel refert; quæ cum præmittit : Pluit Dominus grandinem super terram Ægypti; paullo post annectit, dicens : Tantum in terra Gessen, ubi erant filii Israel, grando non cecidit. Sed quia præsens miraculum, ut præmemoratur, hic quotidie fit, quotiescumque hæc uspiam ruit, magis præsenti tempore quam præterito utendum est. Ita in hac terra possessionis S. Rigoberti grando non cadit, quamlibet in omni Francorum terra cadere videatur ex more.

Numquam grandine vel tempestate læditur.

Exod. 9. 23 et 26.

Omnia sibi donata dat Ecclesiis.

9 Denique universas res istas nullo mundanæ cupiditatis impetravit obtentu, verum Ecclesiæ in cunctis pro viribus consulens, illam constituit heredem earum, sicut partim fuit paullo superius intimatum. Plures etenim Ecclesias earumdem participes fecit,

Ex mss. fecit, * prout corde suo destinavit. Erat quippe, ut canonica dogmatizat institutio, internorum curam in exteriorum occupatione non minuens, exteriorum providentiam internorum sollicitudine non relinquens; ne aut exterioribus deditus, ab intimis aliquando corrueret; aut solis interioribus occupatus, quæ foris debebat proximis non impenderet. Agebat quippe in omnibus utpote fidelis dispensator et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, ut daret illis in tempore tritici mensuram. Procul namque semper ab illo fuit quod Apostolus ait: Qui suorum, et maxime domesticorum, curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior. Quin imo cum eodem veraciter dicere valuit: Instantia mea quotidiana, sollicitudo omnium Ecclesiarum. Quapropter si quando aliquid discriminis alicui membrorum Ecclesiæ acciderat, et hoc sibi non absurde poterat coaptare: Quis infirmatur, et ego non infirmor? Quis scandalizatur, et ego non uror? Et rursus: Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus. Huic vivere Christus fuit, et mori lucrum. Et quia solo corpore in terris positus, spe in cælestibus degebat, profecto de se hoc sibique similibus loquebatur: Nostra conversatio in cælis est. Nempe jam illis connexus quibus ait Dominus: Vos estis lux mundi, et: Non potest civitas abscondi supra montem posita; neque accendunt lucernam, et ponunt eam sub modio, sed supra candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt.

Rebus cœlestibus, et saluti suorum semper intentus.

1. ad Timoth. 5. 8.

2. Cor. 11. 28.

Rom. 12. 15.

Philipp. 3. 20.

Matth. 5. 14 et 15.

Carolum Martellum baptizat et suscipit de sacro fonte.

10 Præfatus ergo Pipinus hunc admodum venerans ac diligens, filium suum misit ei Karlum ad baptizandum, qui propter feros animos, et quia ab ineunte ætate fuerit vir bellicosus, et robore fortissimus, postmodum Martellus est cognominatus. Quem a se baptizatum, ipse vir almus suscepit a fonte sacri baptismatis, ut ejusdem patronus fieret juxta petitionem genitoris. Qui eidem patri Pipino decedenti, in principatum succedens, eumdem patronum suum, tum impie, tum injuste a Sede sua expulit; ceu paullo post sequens narratio declarabit.

Improbis Principibus resistit.

11 Vir deinde sanctus Ecclesiam Domini, ut cœperat, vigilantissime et strenuissime regebat, ascendens ex adverso, et opponens murum se pro domo Israel, ut staret in prælio in die Domini. Ex adverso quippe adscendebat, quando quibuslibet potestatibus prave agentibus, rationis libera voce contraibat; et in die Domini pro domo Israel in prælio stabat, ac murum se opponebat, quia fideles innocentes contra perversorum injustitiam ex justitiæ auctoritate vindicabat. Hinc et illud Beati Job, congruentissime illi convenit quod dicitur: Auris audiens lætificabat me, et oculus videns testimonium reddebat mihi: quod liberassem pauperem vociferantem, et inopem. cui non erat adjutor. Et post pauca: Justitia indutus sum, et vestivi me sicut vestimento et diademate judicio meo. Et iterum: Conterebam molas iniqui, et de dentibus suis auferebam prædam: Unde et tamquam bonus pastor animam suam poneret pro ovibus suis, si persecutor sibi afforet ita crudelis.

Job. 29. 11. et seqq.

* *Addit. Flodoard. lib. 2 Histor. Remen. cap.* 11, ut variis chartarum docemur instrumentis. Sub ipsius Episcopatu dedit Ado quidam Abbas ad Ecclesiam S. Mariæ Remensis res suas sitas in pago Laudunensi, in vico qui dicitur *a* Raosidus, cum adjacentiis earum, domibus scilicet et colonis, campis, vineis, pratis, silvis, *b* pascuis, aquis, aquarumve decursibus, et omnibus appenditiis. Item ad matriculam Sancti Remigii res quasdam in pago Tardonensi in villa Corneciaco constitutas. Diversæ quoque personæ in locis diversis res suas pro animarum remedio Ecclesiæ Remensi sub hoc Patre beatissimo tradiderunt, ut Beroaldus et Sairebertus in monte Betelini et *c* Taxovariis domos, arva, mancipia, vineas, ac silvas: Gaireſredus et Austreberta in pago Laudunensi, in villa Warocio, mansos cum terris adjacentibus, vineis, ac mancipiis. Abbo res suas sitas in pago *d* Porcensi, villa Augusta: *e* Leudemarus in Camarciaco, in pago remensi, mansos cum ædificiis, mancipiis, ruribus, vineis, silvis, pratis, et ceteris adjacentiis. Rodemarus res suas sitas in vico Castricensi. Item Austrebertus suas in eadem villa. Quarum adhuc exemplaria traditionum apud nos condita reservantur.

a *Colven.* Rausidus.

b *Colven.* piscinis.

c *Colven.* Taxonariis.

d *Colven.* Portensi.

e *Colven.* Landemarus.

CAPUT III.

Rigoberti domus. Begonis sacrilegi pœna.

Carolum Martellum prohibet ingressu urbis Remensis.

Cum igitur piis, ut semper, intentus esset operibus, suoque Clero et plebi, tamquam pater filiis, in omnibus consuleret; atque hujus rei gratia in civitate Remensi degeret; orta est post Pipini obitum, inter Karlum ipsius filium et Regem Chilpericum ac Majorem-domus Raganfridum non modica simultas pro invasione regni Francorum; si quo modo hæc fieri posset potissimum per quemvis eorum. Karlus autem propter urbem Remorum transiens, fertur eamdem extrinsecus circuisse universam, quousque pervenit ad portam, super quam structis inibi ædibus sibi congruis almificus manebat Rigobertus: clamavitque ad eum dicens: Domine Rigoberte, jube mihi portam civitatis aperiri, ut vadam orare ad Sanctam Mariam. Cumque idem homo Dei nullum vociferanti daret responsum, orationibus utique suis insistens, quibus jugiter sancta intentione vacabat, perhibetur hoc ipsum tertio exclamasse ad eum. Tandem valido ejus clamore compulsus, respondit ei: Non tibi, inquiens, porta hæc aperietur, quoadusque sciatur cuicumque vestrum Dominus dare hoc voluerit regnum. Tu enim et Raganfridus ambo litigatis super eo, et adhuc nescitur quem finem res habitura sit. Quod si Dominus illud tibi potius dederit, hanc reserabo remeanti, et fidelis existam tibi. Ad hæc Karlus per caput suum jurans, et furibunde intentans: Si reversus, ait, fuero victor in pace, non ultra tutus manebis in hac civitate. Vir tamen Dei inter ejus minas permanens interritus (justus quippe quasi leo confidens absque terrore erat) noluit illam aperire ei; sine dubio advertens, ut perprudens, quod non propter orandi devotionem, sicuti simulabat, introire civitatem cupiebat, quin potius eam volebat vastare; quemadmodum alias vastaverat; ac si et antedictus eum vincens Raganfridus regnum obtinuisset, ne forte hunc sibi infidelem tali in facto reputare valuisset; sicut revera valuisset, si hujus dictis aurem accommodaret.

Habitat supra portam Basilicarem, pietatis causa.

13 Hæc denique, quam prædiximus, porta, ex consuetudine cascorum a plerisque Collaticia, a pluribus usque hodie Basilicaris vocatur; ibique tam hujus quam singularum claves totius urbis portarum apud se reconditas pro tempore servabat. Quæ porta ideo nuncupatur Basilicaris, sive quod in gyro sui reliquis plus portis feratur antiquitus basilicis abundasse; seu quia euntibus ad basilicas in vico S. Remigii consistentes, semper fuit pervia, supra quam et idcirco potissimum mansisse dicitur, quoniam fenestris cœnaculi sui patefactis, eas inde consueverant contemplari, nequaquam sola quasi pulchras et excelsas gratia speculandi, sed multo magis orandi; sicut et dudum Daniel Propheta fenestris apertis in cœnaculo suo contra Jerusalem, tribus horis in die flectebat genua sua et adorabat, confitebaturque coram Deo suo. Propter quod et iste Sanctus ostium in pinnaculo ecclesiæ S. Petri, quæ finitima erat suæ domui, præcepit fieri, per quod in eamdem gradibus adjectis descendebat ad adorandum; indeque revertens, per hoc ipsum intrabat in oratorium, quod juxta domum suam fecerat super civitatis murum, dedicavitque in memoriam S. Michaelis Archangeli.

Dan. 6. 10.

Oratorium S. Michaelis ædificat.

14 Hoc non pauco tempore perseveravit ibidem, multaque ad illud populi frequentia confluebat, et maxime si quando ejusdem Archangeli gloriosa festivitas imminebat. Donec Ludovicus Imperator dedit Monasterium S. Petri filiæ suæ Alpaidi, quod et vocatur solo de situ loci Inferius, propter alterum huic vicinum quod eadem ex caussa dicitur Superius. Hujus mulieris vir, nomine Bego, hoc oratorium dirui jussit, considerans quod præ altitudine sui, quasi

Bego id dirui jubet.

quasi quodam umbraculo obnubebat prædictæ ecclesiæ fenestram; seu potius quia quadam die caput suum in superliminari ejusdem ostioli graviter eliserit, eo quod statura fuerit procerus, et ex tento ambulaverit collo, et ad hæc introeundo, ut oportuerat, non semetipsum humiliaverit. Humilitas quippe caput non frangit. Quocirca de hoc abiens loco, suis præcepit dicens : Cavete ne forte istud hic reperiam, quando revertar. Quoniam quidem si invenero, in vobis hoc vindicabitur.

Arripitur a dæmone.

15 Sed ut destrui cœpit, ille mox a dæmonio arreptus fuit; cum tamen ab hinc procul esset in pago Laudunensi, et loco qui dicitur Begonis-villa. Factæ sunt autem et triduo in civitate Remensi horribiles tenebræ a loco illo, quo destruebatur, donec ultra pontem plateæ ejusdem urbis veniretur, qui ob evitandum cœnum diebus priscis lapidibus magnis stratus erat; unde et hæc hactenus pristinum nomen servat. Porro pulvis et ventus mixtim ferebantur, ita ut per ejusmodi viam vix posset incedere quisquam.

Remis triduo horribiles tenebræ.

Addit Flodoardus Hist. Remen. l. 2. c. 12. Hoc autem oratorium modo reparatum, et in præmemorato Beati Michaelis veneratur honore restitutum.

CAPUT IV.

Caroli Martelli sacrilegia : damnatio.

Carolus Martellus vincit Ragenfridum an. 717.

His ita dimissis, ut ad præmissa vertamus stylum. Præmemoratus direxit aciem Karlus, in campo Vinciaco adversus Chilpericum et Raganfredum Dominica die illucescente, duo decimo Kal. Aprilis in Quadragesima, et triumphum de eis sicut desideravit adeptus, injustissime ab hoc almo Pontifice Episcopium Remense abstulit, qui inde est reversus, sicut ante fuerat illi comminatus. Et hoc ejus factum non est adeo mirum. Et quidem aliis similiter fecit, et eis qui suis partibus faverunt, dedit. De hoc etenim, non Rege sed tyranno, ita legitur ad locum in Annalibus diversorum Regum : iste Karlus omnibus audacior Episcopatus regni Francorum laicis hominibus et Comitibus primus dedit, ita ut Episcopis nihil potestatis in rebus Ecclesiarum permitteret. Et cetera. Hunc ergo Karlum passus est et hic vir Domini inimicum usque ad occasum vitæ præsentis, cum oporteret eum usquequaque fidissimum esse, ac si ipsius filium in baptismate : et hoc Domini pertulit exemplo, qui ab ipso discipulo suo traditus est impiis. Hinc beatus Papa infit Gregorius : Omnes electi, quia summi capitis membra sunt, caput quoque suum in passionibus sequuntur. Paucisque interpositis subjungit atque ait : Ut tanto eis crescat merces operis, quanto eis virtutis lucrum proficit, et ex alienæ damno caritatis.

Rigobertum Sede pellit:

Episcopatus varios dat laicis.

Prov. 17. 13.

17 Verum ut Scriptura dicit, qui reddit mala pro bonis, non recedet malum de domo ejus. Quod huic viro Dei in Episcopatu violentia crudeli dempto, et de aliis rebus aliarum fecit Ecclesiarum, justo Dominus judicio reddidit in caput ejus, sicut antiquorum veridica constat scriptum hujusmodi relatione *a*. S. Eucherius Aurelianensium Episcopus, qui in monasterio S. Trudonis requiescit, in oratione positus, ad alterum est sæculum raptus : et inter cetera quæ Domino sibi ostendente conspexit, vidit hunc Karlum in inferno inferiori torqueri. Cui interroganti ab Angelo ejus ductore responsum est; quia Sanctorum judicatione qui in futuro judicio cum Domino judicabunt, quorumque res abstulit et divisit, ante illud judicium anima et corpore sempiternis pœnis est deputatus; et recipit simul cum suis peccatis pœnas, propter peccata omnium qui res suas et facultates in honore et amore Domini ad Sanctorum loca luminaribus divini cultus, et alimoniis servorum Christi ac pauperum pro animarum redemptione tradiderant. Qui in se reversus, S. Bonifacium *b*, et Fulradum Abbatem monasterii S. Dionysii, et summum Capellanum Regis Pipini ad se vocavit; eisque talia dicens, in signum dedit ut ad sepulchrum illius irent, et si corpus ejus ibidem non reperissent, ea quæ dicebat vera esse concrederent. Ipsi autem pergentes ad prædictum monasterium ubi corpus ipsius Karli humatum fuerat, sepulchrumque illius aperientes, visus est subito exisse draco, et totum illud sepulchrum interius inventum est denigratum, ac si fuisset exustum, etc. Quæ ideo hic inseruimus, ut omnibus hæc legentibus nota fieret istius justa damnatio, per quem facta est harum rerum Ecclesiasticarum injusta ablatio.

Ideo corpore et anima torquetur in inferno.

Ex mss.

Ex ejus sepulchro, interius adusto, exit draco.

18 Hujus vero (haud dubium quin Beati Rigoberti) et Adrianus Apostolicæ Sedis Pontifex, meminit in epistola sua felicis memoriæ * Turpino, hujus successori directa, in qua et multiplicem facit super eo quasi querimoniam, scribens in hunc modum : Tua fraternitas nobis retulit, quia faciente discordia inter Francos, Archiepiscopus Remensis, nomine Rigobertus, a Sede contra canones dejectus et expulsus fuit, sine ullo crimine, et sine ullo Episcoporum judicio, et sine ullo Apostolicæ Sedis consensu vel interrogatione; sed solummodo quod antea non consensit in parte illius, qui postea partem de ullo regno in sua potestate accepit, in qua parte Remensis civitas est : et donatus atque magis usurpatus, contra Deum et ejus auctoritatem, fuit ille Episcopatus, simul cum alio Episcopatu et aliis Ecclesiis, et sæcularibus potestatibus, Miloni cuidam sola tonsura clerico, nihil sapienti de ordine Ecclesiastico : et alii Episcopatus de ipsa Remensi diœcesi diverso modo essent divisi; et aliqui ex magna parte sine Episcopis consistentes; et ad alios Episcopos et Metropolitanos, Episcopi et Clerici ordinationes aliquando accipientes erant, et refugia indebita habebant, et a suis Episcopus judicari et distringi non sustinebant; et Clerici, et Sacerdotes et monachi et sanctimoniales sine lege Ecclesiastica pro voluntate et licentia vivebant. Et reliqua.

* *al.* Tilpino.

Episcopatus Remensis Miloni datus.

a *Baronius ad an. 741 hanc narrationem impugnat multis argumentis, sed quæ non convincunt, ut 20 Februar. ad S. Eucherii vitam ostendemus.*

b *Addit. Flodoar. Hist. Rem. l. 2. c. 12.* Qui tunc Galliis ad restituenda jura canonica fuerat ab Apostolica Sede prælatus.

CAPUT V.

Rigoberti exilium, reditus, vita privata.

Ceterum Sanctus Domini Rigobertus Dominicis obtemperando præceptis, quibus ita jubetur : Cum persecuti vos fuerint in civitate ista, fugite in aliam; secessit in Wasconiam regionem : ibique exulando, dum multas sancta indefessus intentione memorias Sanctorum lustraret, in quamdam introivit basilicam simili modo caussa orationis. Et inter orandum campanæ pulsabantur secundum morem Ecclesiasticum ad fidelium concionem congregandam, ibique fuerunt geminæ quæ nullum dederunt sonitum pulsatæ. Tunc Sacerdos loci et alii qui circumstabant, sollicite ab eo sciscitabantur, quis esset, et unde venisset. Quid inquiens, vultis? Clericus sum, veluti videtis; et de Francia veni. Cui illi adjiciunt, dicentes : Cur nostræ non hodie sonant nolæ tuo in adventu, sicut ceteris in diebus consueverant, priusquam tu venires ad nos? Ad quod ipse : Ignoro, inquit. Verum duas habui in mea ecclesia, quæ mihi furtim ablatæ sunt, cum adhuc essem in Francia; fortassis eæ sunt. Ostendite mihi eas, et ego dicam vobis si illæ sunt an aliæ. Quæ cum sibi fuissent ostensæ, asseveravit ipsas esse. Tunc inito cum Sacerdote ejusdem loci consilio, protinus suæ restituunt eas turriculæ. Et dixerunt ad virum Dei : Tu magis accede, et illas pulsa, ut pro certo experiamur tuorum veritatem verborum. Quod cum ille fecisset, sicut ante solebant

Matth. 10. 23.

Rigobertus secedit in Vasconiam.

Campanæ ei furto sublatæ, eo præsente nullum sonum edunt.

Ab ipso pulsatæ sonum edunt.

Ex mss.

altisone reboabant. Quod cernens omnis populus, Deum glorificavit. Ipse vero quis esset apparuit, quia lumen in tenebris latere non potuit. Eæ vero in præfata Gerniaca-curte, et S. Petri ecclesia, usque hodie permanent, in testimonium hujus mirabilis facti et in ævum mirandi.

Ipsi redduntur.

20 Hunc prædictus Milo Abbas, qui ante Karlum habebat Remense Episcopium, reperit in eadem regione, functus apud eosdem Vascones legatione : cui et dixit : Quid hic agis? Revertere in Franciam, et si proprias res, quas ibi habes, mihi dederis, ego tuum faciam tibi a Principe restitui Episcopatum. Ad quod sanctus Pontifex Domini respondit ei : Quascumque res inibi videor possidere, tibi dabo, si feceris quod polliceris. Regressus est itaque in Franciam, et in memorata Gerniaca-curte, peculiari possessione sua conversabatur : quem e vestigio adiit præfatus Milo : Trade, inquiens, mihi res, quas pollicitus fuisti, tibi quippe apud Procerem obtinui quod spopondi. Cui Beatus ait Rigobertus : Quotquot res habere visus fui, dedi Ecclesiæ Christi : non possum modo tollere ei, et dare alteri. Ad quem furibundus Milo : Quia me fefellisti, tuus nunc tibi non reddetur Episcopatus. Et idem mox illi dedit dignum Episcopo responsum : Altare, aiens, mihi, quæso, obtineas S. Mariæ : de rebus Episcopii facito quod volueris, unde minus curo.

Redit in Franciam.

Recusat Miloni pro recuperando Episcopatu, tradere bona antea Ecclesiæ donata.

Obtinet altare S. Mariæ Remis;

21 Habitavit ergo in Gerniaca-curte tempore non pauco, vitam in parcitate, humilitate, vigiliis, oratione, eleemosynis, ceterorum quoque bonorum operum exhibitione agens : morisque ei fuit sæpissime civitatem Remorum invisere, et in ara Beatissimæ Mariæ, ut præ omnibus optaverat, Missas celebrare, indeque memoriam petere S. Mauritii, deinde almum adire Remigium, tum in Monte Or S. Theodoricum, deinde in villa Culmisiaco B. Cyricum, ac demum remeabat ad S. Petrum in Gerniaca-curte, ubi tunc habitatio sua erat.

Alia multa frequentat Sanctorum loca

22 Quod cum ex pia consuetudine quadam ageret die, devenit in Culmisiacum ad S. Cyricum pro se suaque Ecclesia, ut consueverat, exorandum : et facta oratione locutus est cum Œconomo Remensi, qui aderat, nomine Wiberto. Qui mox suppliciter accersivit eum ad prandium, quod sibi fuerat præparatum. Quod ille renuens, dixit : Ad S. Petrum in basilica mea habeo Missas facere, idcirco quod postulas non possum adimplere. Dumque colloquerentur, paupercula quædam vidua huic Vicedomino in eulogiis attulit anserem, respiciensque Vicedominus ad sanctum Episcopum : Quoniam, inquit, non dignamini nobiscum vesci, vestro præcipite puero saltem hunc recipere, et cum veneritis domum, parate ad opus vestrum. Quem puer viri Dei suscipiens ferebat, quousque subito in via de manibus ejus avolavit, et aliquot horis aliorsum volitans non comparavit. Super quo puer quasi perdito satis ægre tristabatur et dolebat. Quem vehementer anxiatum et quasi flentem conspiciens, blande est consolatus, sicut erat vir mitissimus, docens de temporalium amissione rerum nequaquam contristandum aut flendum; sed in Domino semper sperandum, qui dat omnibus affluenter. Ipse autem in silentio Davidicum, ut solebat, resumpsit canticum suum. In itinere enim semper de Deo aut aliquid contulit, aut cantavit. Et factum est post trium fere horarum spatium revolans sponte sua hæc avis, ad terram coram S. Rigoberto descendit, eumque quasi prævia præcedebat nusquam a recto tramite exorbitans, quousque ad Gerniacam-curtem pervenirent, quo ibant. Sic mansuescebat feritas avis, in operatione virtutis. Fertur hæc multis vixisse diebus, et ante eum cursitare quando ad civitatem ibat et redibat. Non enim passus est eam hic vir magnæ simplicitatis et pietatis occidi, quamdiu vivere potuit.

Donatur ei anser.

In itinere divina meditatur.

Anser qui avolarat ad eum redit.

Sæpe eum in itinere comitatur.

TRANSLATIO.

CAPUT I.

Miracula ad sepulchrum S. Rigoberti.

Sanctus præterea Rigobertus actibus Apostolicis egregius, annis pluribus in hoc loco almifica in conversatione degens, et jugiter innumeris virtutibus pollens, consummata viriliter præsentis vitæ militia, migravit plenus dierum ad patriam æternæ hereditatis. Hic discessit pridie Nonas Januarii * anno Dominicæ Incarnationis circiter septingentesimo septuagesimo tertio, Indictione VIII. Ibique cum debito honore a Sacerdotibus et ceteris Christi fidelibus fuit humatus, in ecclesia scilicet S. Petri Apostoli, quam ipse fundaverat, positusque est secus altare ad dexteram ejus plagam.

Moritur S. Rigobertus.

* De anno mortis diximus supra n. 2.

Sepelitur in ecclesia Gerniacæ-curtis

2 Qui multis ibidem post sanctam depositionem suam refulgens miraculis, quanti sit apud Deum meriti, frequenter innotuit, quæ tamen miracula magnam ob incuriam non fuere descripta. Tres claudi ab incolis ejusdem loci, memorantur inibi ab eo fuisse curati. Quorum certa priscæ debilitatis indicia, videlicet bacilli et scabella, et in abjectione eorum indubia redhibitæ incolumitatis signa, multis diebus in eadem sunt visa, ubi ipse requievit, ecclesia; quousque in mirifica ejus evectione, quæ post narrabitur, a quibusque fidelibus sunt et fideliter et venerabiliter post illum convecta.

Claret miraculis.

Tres claudi curati.

3 Præterea fertur et quædam mulier cæca, nomine Ansildis, ipsius loci habitatrix, ibi pristinum hujus meritis patrocinantibus recepisse lumen oculorum suorum. Cujus miraculi usque hodie quidam testes existunt, adhuc enim superstites sunt qui eam cognoverunt.

Cæca visum recipit.

4 Quidam juvenis scholaribus apud loci Presbyterum deditus studiis, quadam die absente Ædituo, super tumulum ejus ut levis leviter cœpit subsilire, non dans honorem Deo, neque Sancto ipsius in cælo et in terris mirificato : sed ut sepulti meritum panderetur et ejusmodi præsumptio penitus ab omnibus cohiberetur confestim eum pes suus doluit, quasi quævis spina acerrime pupugerit : unde claudus mox effectus, pedem illum perdidit, quia eo quicquam incedere postmodum nequivit. Quod videntes tam Presbyter quam indigenæ, cancellum ibi effecerunt, ne quis forte nesciens temere accessisset, et simile quid pateretur.

Ad ejus sepulchrum ludens claudus efficitur.

5 In hac basilica nocturno tempore, voces tantæ dulcedinis sæpius sunt auditæ, ut non existimarentur aliæ nisi Angelicæ. Lux quoque cælitus tantæ claritatis mediis in eadem noctibus emicuit, ut solis fulgorem vicisse videretur, quæ etiam immenso jubare suo Sacerdotis, qui adhuc inibi superest, ædiculam penetravit mœnibus ecclesiæ hujus inhærentem. Hæc per ostium casu patens vibrando coruscavit, per quod de illa in hanc ecclesiam gradibus suppositis intratur. Quo viso tantus timor et tremor Presbyterum invasit, ut ab illa die majorem huic loco reverentiam exhibere visus sit, quam antea solitus fuerit. Ad quem si quis aliquando ex frigoriticis, aut acerrimo dentium dolore vexatus cum fide accessit, mox remedium sensit. Quapropter usque hodie multi eorum illuc candelam in votis afferunt : et febricitantes quidem abrasum pulverem sepulchri ejus sumunt, quod tenacissimum fuit illitum cæmento, sicut fertur fuisse moris antiquorum in sepulchris eorum. Hunc autem aquæ inditum siticulosius bibunt, quo hausto sanitatem illico adipiscuntur. Quorum quidam Gislemannus hanc misericordiam Domini per eum moderno tempore mirabiliter fuit expertus. Qui cum incurabiliter febricitando, nihil cibi diebus aliquot gustare potuisset, et non diebus neque noctibus optatam quietem invenire potuisset, acceptum eradendo, ut alii, pulvisculum

Voces Angelicæ audiuntur. Lux insolita apparet.

Febres et dolor dentium isthic pelluntur.

Pulvis sepulchri ejus febres sanat.

visculum sarcophagi istius potavit et continuo sanus abcessit. Dentium vero doloribus cruciati hoc sepulchrum debita cum devotione deosculantur, et simul extemplo curari merentur.

CAPUT II.

Translatio I *ad monasterium S. Theodorici.*

Corpus S. Rigoberti transfertur 14 Junii an. 864.

Dum hoc in loco hic inclytus Domini Confessor eatenus recubaret, et his aliisque virtutibus semper glorificatus reniteret, piæ recordationis Domnus Hincmarus, qui ab eo quintus extitit Remensis Archiepiscopus, illum transtulit octavo decimo Kalendas Julii, ad Monasterium B. Theodorici, et posuit eum in dextera parte ad tumbam ipsius pretiosi Confessoris Christi, anno utique Incarnationis Domini DCCCLXIV. Indictione XII.

Isthic quoque miraculis claret.

7 Ibidem iste aliquot annis requievit, ubi et plura per eumdem Dominus patravit signa, ex quibus pauca brevitati studentes scripsimus, ne de eorum nimia prolixitate quodlibet tædium lecturis gigneremus. Quædam febricitans femina diebus illis ad hoc monasterium venit; huic vocabulum * Autdiga, existens de ea, quæ huic contigua est, villula cognomine Colmelecta. Hæc apud se hujuscemodi facere domi voluit : antequam veniret, tres candelas unius quantitatis effecit, quarum unam nomine S. Theodorici, alteram S. Rigoberti, tertiam S. Theodulphi esse voluit. Quas simul accensas, ardere permisit, quousque conspexit quæ earum amplius duraret : hoc experimento cognoscere cupiens, sicut vulgus solet, cui eorumdem Sanctorum facere debuisset votum suum potissimum. At illa, quæ Beati facta fuerat Rigoberti nomine candela, ceteris superfuit diutius ardendo. Quod animadvertens, aliam continuo fecit ejus venerationi solius dicatam. Venitque illa et ante memoriam ipsius obdormivit prostrata, et evigilans protinus omni sospitate gavisa est. Hujus rei testes usque hodie existunt qui affuerunt.

* *Flod.* Audinga. *Quædam febricitans S. Rigobertum sibi legit patronum :*

Ad ejus sepulcrum sanatur.

Alii febribus et dolore dentium liberantur.

8 Similiter et alii in hoc incommodo sunt sæpissime liberati quotquot eum quæsierunt fide ardenti : insuper et in quibus dentes doluerunt, ac per hoc anxiati ad eum cucurrerunt, simili modo fuerunt statim medicati ab hoc medico cælesti. Et quoniam ii præ multitudine nesciri potuerunt, hic nomina eorum ponere supersedimus, quia hæc nos nescimus, qui non singulis adesse quivimus; verum hæc pene omnis in gyro novit populus.

CAPUT III.

Translatio II *ad templum S. Dionysii.*

Iterum transfertur Rhemos eodem die.

Annis novem elapsis, hinc rursus in prædicto mense eisdemque redeuntibus Kalendis a prædicto Præsule Hincmaro ad urbem Remorum transfertur, et in basilica quæ fuerat S. Dionysii honore ab eodem consecrata, ponitur; ubi et Remensium sepultura fratrum tunc habebatur. Tunc mulier cæca, vocabulo Oda, venit de villa secus fluvium Sopiam sita, quæ * Alamandorum-curtis nuncupatur : et ut ad memoriam ejus accessit, statim recepit visum olim amissum. Hæc priusquam advenisset, nocte domi dormiens audivit vocem dicentem sibi : Quid hic facis? Cur jaces? Crastina die Pontifex Hincmarus, et Canonici Remenses Sanctum transferent Rigobertum : vade ad eum, et ille te adjuvabit. At illa diluculo consurgens acceleravit, et candelam ei afferens, suo visui, ut prælocuti sumus, continuo reddita est.

Cæca visum recipit.

* *Flod.* Alamnanorum-cortis, *vulgo* Aumencourt.

Surdus auditum recipit.

10 Surdus quidam æque translationis ejus die advenit. Qui postquam locellum ejus quo gestabatur tetigit, illico apertæ sunt aures ejus et audivit. Quem et divina gratia, antequam sanatus fuisset, sic ad deiferum hunc virum accersire dignata est. Noctu in diversorio quiescentem ignota quædam persona in latere suo leviter percussit et excitavit, excitatumque vocavit : et ille actutum sensit se palpantem, et non audivit ut surdus vocantem; homines tamen qui aderant audierunt vocem, ad B. Rigobertum ire quantocyus eum admonentem, licet viderint neminem. Abiit ergo ad eum, et mox eo quem prædiximus modo promeruit auditum. Hæc ita se habere ipse retulit, postquam auditui suo restitutus fuit.

Ex MSS.

CAPUT IV.

Translatio III *ad templum S. Mariæ.*

Tertio transfertur corpus S. Rigoberti in ecclesiam S. Mariæ.

Hujus sacratissimum corpus (haud dubium, quin Sancti Rigoberti) rursus *a* transtulit dignissimæ devotionis Domnus Fulco Rhemorum Archiepiscopus, in ecclesiam felicissimæ Mariæ Dei genitricis et perpetuæ Virginis, anno scilicet Antistitii sui primo, posuitque retro altare quod vocatur ad sanctam Crucem, et almos decenter collocavit duos Christi Confessores Theodulfum et Basolum hinc et inde, medium autem, ut decuerat, B. Rigobertum.

12 Hunc tam ibi quam alibi plures infirmi experiuntur divinum esse medicum, in subitanea suorum medela morborum. E quibus nuperrime quidam monachus et Levita cœnobii beatissimi Confessoris Christi Remigii, die quadam validissima correptus est febre, ita ut adversa valetudo incessabiliter per horarum incrementa efficeret impotem mentis suæ. Qui ad noctem usque perveniens, cum invalescente hujus morbi efficacia incœnatus dormitum pergeret, et tamen nullatenus quiescere sineretur, ipsum undique arctatus in auxilium sui corde clamavit, et protinus per eumdem sanitati donatus est. Is * Sigloardus vocabatur. Et cum præceptore suo Archisacerdote Theobaldo, sicut ejus ab infantia cliens huc usque conversatur, propter quod et illum, ut solitus erat, in itinere a Domno Archipræsule ei præcepto secum ducere volebat, et iste hodœporicas incommoditates vitando nolebat etiam cum adhuc sospes esset. Præceperat enim huic ejus Magistro præfatus Archiepiscopus ceteris cum fidelibus suis transferre condicto tempore Sanctum Domini Rigobertum ad illum locum, quo Regica Theodrada ei petitoria insinuatione suggesserat transferendum. In ejusmodi obsequio illum assumere quemadmodum adjutorem, optabat, quod ille omnino refutabat. Verumtamen prædicta obsitus ægritudine, confugit tota mentis intentione ad eumdem miræ potentiæ virum sanctum, priusque se reum tacitus fatebatur, eo quod præsumpserit recusare iter post subeundum in ejus excubitum et cultum; deinde annuente Domino proposuit animo se unum proculdubio ex eorum fore numero quicumque essent illuc ituri cum eo. Quodut corde suo destinavit, statim ab infirmitate sua, ut supra dictum est, convaluit per hunc medicum Domini Rigobertum, quem invocavit. Per ipsum itaque quidquid boni cum fide petitur invenitur, et quod religioso quæritur affectu, celeri obtinetur effectu, præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto in trinitate et unitate perfecta, vivit et regnat Deus per infinita sæculorum sæcula, Amen.

* *Flod.* Sigoardus.

Quidam nolens interesse translationi febri corripitur :

Eo invocato sanatur.

a *Flodoardus lib.* 2, *cap.* 13, *id accidisse ait,* quoniam ecclesia prænotata necessitate muri civitatis, ob infestationem paganorum construendi evertebatur.

CAPUT V.

Reliquiæ in Veromanduos deportatæ.

Reliquiæ S. Rigoberti in Veromanduos ad firmandum contractum deferuntur.

Anno Incarnationis Dominicæ octingentesimo nonagesimo quarto, Præsulatus autem Domni Fulconis duodecimo, octavo decimo Kal. Febr. jussione ejusdem Domni Fulconis delatum est sanctissimum corpus egregii Pontificis urbis Remorum Rigoberti, a Clero et plebe ipsius Remensis Ecclesiæ in pagum Veromandensem, in villam scilicet * Nemmicum, sumansos

* *Flod. Sir.* Memnicum. *Colver.* Nemincum.

Ex mss. per fluvium Dalminionem; quam villam, videlicet mansos quinquaginta, idem Pater reverendissimus Fulco per præstariam apud Odalricum Comitem et filiam ejus Hirmintrudim eidem suæ Ecclesiæ acquisivit, et adquisitam ejusdem Ecclesiæ Canonicorum victui perpetualiter adauxit.

Ut et aliæ multæ reliquiæ. 14 Delata est etiam hæc copia pretiosarum reliquiarum cum eo, positaque ad caput ejus : De ligno Domini, de sepulchro Domini, de sancto Calvariæ loco, de columna juxta quam fuit flagellatus Dominus, de petra supra quam stetit ante Pilatum, de panno quem S. Maria manibus suis operata est. Reliquiæ SS. Apostolorum Joannis Evangelistæ, Petri, Pauli, Andreæ, Matthæi, et de vestimentis duodecim Apostolorum, et de pulvere eorum. Reliquiæ sanctorum Martyrum Joannis Baptistæ, Nicasii, Dionysii, Rustici et Eleutherii, Laurentii, Mauritii, Candidi, Exuperii, Georgii, Crispini et Crispiniani, Quintini, Valeriani, Cosmæ et Damiani, Agapiti, Primi et Feliciani. Reliquiæ sanctorum Confessorum, Remigii, Hilarii, Martini, Gregorii, Amandi, Benedicti. Hæc omnia pignora Sanctorum delata sunt pariter in supradictum pagum, et collocata cum omni veneratione in basilica S. Martini, quartodecimo Kal. Februarii.

Hæc translatio facta 19 Januar.

15 Non post multum vero temporis crebrescente ejusdem almi Confessoris Domini Rigoberti longe lateque fama, accidit ut quidam Presbyter, nomine * Figuinus, qui ex monasterio eximii Martyris Christi Calixti, olim nimium crudelitate paganorum grassante illuc advenerat, cui Odalricus quondam Comes ac vir illustris, ejusdem fisci possessor, misericordia motus super eum, concessit, ut in altera ipsius villæ ecclesia, quæ in honore S. Radegundis videtur esse constructa, Sacerdotali fungeretur officio, quoadusque suæ congregationis Ecclesiæ pace reddita, illuc absque offendiculo valeret reverti. Qui magno admodum cruciabatur dentium dolore; sed audiens illuc pretiosissimum Præsulis pignus cum Canonicis Remorum advenisse, non abnuit munusculum propriæ candelæ eidem Sancto Domini, quia per se non poterat ferre, per alium mittere. Sed licet absens, tamen non distulit precibus quibus potuit, et lacrymis uberrimis, mirificum atque gloriosum Sanctum Domini exorare Rigobertum, quatenus ejus adminiculante misericordia sanitati mereretur pristinæ reddi. Verumtamen illico ut perventum est ad Sancti memoriam, isdem se præbuit medicum cælestem impetranti toto mentis affectu medicinam satis superque sibi desiderabilem. Sed postquam convaluit, ad ecclesiam S. Martini, ubi nunc præfatus sanctissimus Domini Confessor corpore dignoscitur quiescere, omni cum festinatione profectus est, ac totum se in lacrymis coram gleba illius prosternens innumerabiles ei condignasque laudes veluti tam evidenti medico retulit, annuntians fratribus, videlicet Canonicis ejus obsequio illic a Domino Fulcone deputatis, quanta illi per merita gloriosissimi Confessoris sui Rigoberti fecerit Dominus.

* *Flod.* Signinus.

Odalricus monachus ad eas dolore dentium, liberatur.

Subjicit Flodoardus lib. 2, *cap.* 15. Nec longum post hæc urbi Remorum sacra membra revocantur : et ecclesia S. Dionysii extra murum civitatis Canonicorum Remensium studio sumptibusque restructa, ibidem cum B. Theodulphi pignoribus honorifice venerantur illata. *Hæc est quarta S. Rigoberti Translatio, sub Heriveo Archiepiscopo facta, qui, ut ait idem Flodoardus lib.* 4, *cap.* 13, Remis ecclesiam in honore S. Dionysii extra murum civitatis a Canonicis urbis constructam consecravit. Ubi et membra Sanctorum B. Rigoberti Episcopi, et S. Theodulfi Abbatis servanda deposuit.

S. Rigoberti 4 translatio.

not. 70.

DE S. THEOCTISTO ABBATE IN SICILIA.

IV JAN. *De hoc sancto Abbate Octavius Cajetanus noster in Idea operis de Sanctis Siciliæ* : In Sicilia in monasterio Cucumi S. Theoctisti Abbatis. *Citat Græcorum Menologium. Aliud id esse Menologium oportet ab eo quod Henricus Canisius vulgavit, in quo nullum Theoctistum Abbatem reperio. Ferrarius tradit vixisse circa annum Christi* DCCC. *Molanus in Addit. ad Usuardum* : Die quarta S. Theoctisti Ducis (forte monachorum, *inquit*, id est Abbatis) in Cucumo. *An idem sit* Theoctistus, *quem* VIII *Januarii ex Menæis dabimus, adducbitat noster Raderus. Mihi diversus ab eo videtur. Nam hunc etiam* V *Januarii eadem habent Menæa* : Commemoratio S. P. N. Theoctisti : *alterum vero etsi monachum fuisse ex adjuncto tetrasticho conjici fortassis queat; non tamen eodem modo refertur cum illa honorifica appellatione, S. P. N. Utriusque mihi ignotæ sunt res gestæ.*

Alius Theoctistus 8 Januar.

not. 71.

DE B. LIBENTIO
ARCHIEPISCOPO BREMENSI.

AN. CHR. MXIII.

IV JAN. *Libentii Archiepiscopi nomen hoc die sacris fastis adscriptum. Nam Ferrarius in generali catalogo Sanctorum hæc habet* : Bremæ in Saxonia S. Lubentii Episcopi. *Kalendarium Benedictinum Maclovii editum* : S. Lubentii Archiepiscopi, qui in claustro, etiam Episcopus factus, sicut unus fratrum vixit : et sua prædicatione multos ad fidem convertit. *Refertur et ab Arnoldo Wion et Hugone Menardo cum fusiori elogio, verbis Krantzii.*

De eo varii scripsere, dabimus hic quæ M. Adamus Bremensis in historia sua Ecclesiastica cap. 71, *sive lib.* 2, *cap.* 29, *tradidit.*

VITA EX ADAMO BREM.
CAPUT I.
B. Libentii egregiæ virtutes.

Libentius sedit annis XXV, pallium suscepit a Papa XV Joanne, * virgam Episcopalem meruit ab Ottone III, primus omnium consecratus est a Suffraganeis. Erat itaque vir litteratissimus, et omni morum probitate decoratus, ab Italia quondam Pontificem secutus Adaldagum : cujus etiam vitam æmulatus et magisterium, solus ex dispositione tanti Patris dignus inventus est, cui Hammaburgensis cura parochiæ crederetur.

B. Libentii consecratio, doctrina, patria;

2 Erat enim vit tantæ castitatis, ut raro se mulieribus videndum præbuerit; tantæ abstinentiæ, ut pallida jejuniis ora portaverit; tantæque humilitatis ac caritatis, ut in claustro sicut unus fratrum vixerit. Multæ nimirum virtutes ejus : quippe contentus acquisitis, raro curiam adiit pro acquirendis. Domi sedens quietus, parochiæ suæ curam egit diligentissimam, totumque studium ad lucra vertens animarum, districtissima regula omnes congregationes suas custodivit.

Castitas, Abstinentia, Humilitas.

Curæ sui gregis. Zelus animarum.

3 Archiepiscopus etiam per se curam egit hospitalis,

Hospitum et

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ægrorum cura.

lis, fratribus et infirmis quotidiano ministrans obsequio : ipse quoque vice sua xenodochium nepoti suo commendavit Libentio. Dum vero adhuc pax esset in * Slavania, Transalbianos populos frequenter visitavit, et matrem Hammaburg paterno fovit amore : legationem suam ad gentes, ut prædecessores ejus, studiose executus est, licet dierum obstaret malitia.

** Krantz.* Wandalia. *Visitat diœcesim.*

* An hoc probabile sit, dicemus in vita S. Gregorii VII, xxv Maii. Scripsit Adamus, cum ea maxime agitaretur quæstio, Henrico IV imperante : ut non mirum videri debeat, si aut faverit Imperatoris partibus; aut alioquin hallucinatus sit, errantem turbam secutus.

CAPUT II.

Sueno tyrannus, et piratæ puniti.

Sueno Rex Daniæ nolens ei acquiescere, bello vincitur.

Quo tempore cum magnam Christianorum persecutionem in Dania Suein Rex exercuisset; supplicibus Archiepiscopus Legatis, crebrisque muneribus laborabat, quatenus ferocis Regis animum, mansuetum redderet Christianis. Quibus ille rejectis in sua nimirum crudelitate ac perfidia sævire non cessavit : unde et ultio divina Regem Deo rebellem est subsecuta. Nam cum contra *a* Slavos bellum susciperet, bis captus et *b* in Slaviam ductus, totiens a Danis ingenti auri pondere est redemptus. Nec tamen adhuc ad Deum reverti voluit, quem primo in morte *c* patris offendit, et deinde in nece fidelium irritavit. Et iratus furore Dominus, tradidit eum in manus inimicorum ejus, ut disceret non blasphemare.

a *Krantz.* Wandalos. b *Krantz.* Julianum *al.* Julinum. *c* B. Haraldi de quo agemus 1 Novemb.

3 Tunc potentissimus Sueonum Rex Hericus, collecto innumerabili, sicut arena maris, exercitu, Daniam invadit, et occurrit ei Suein a Deo derelictus, frustra sperans in idolis suis. Sed cum utrimque bello navali (sic enim gens illa confligere solet) omnes copiæ essent Danorum obtritæ, Hericus Rex victor Daniam obtinuit. Suein ergo depulsus a regno dignam factis suis a Deo zelote recepit mercedem. Et hæc junior nobis in avo suo Suein recitavit contigisse, justo Dei judicio, quoniam illum dereliquit, quem pater ejus bonum defensorem habuit.

Septentrionalium pugnæ navales.

A quo hæc auctor habuerit.

Dani et Sueci inferiorem Saxoniam vastant :

6 Ferunt eo tempore classem piratarum, quos nostri Ascomannos vocant, Saxoniæ appulsam omnia Fresiæ atque Hatulæ vastasse maritima. Cumque per Albiæ fluminis ostium ascendentes irrumperent provinciam; congregati Saxonum magnates, cum parvum habuissent exercitum, egredientes a navibus apud Stadium barbaros exceperunt, quod est opportunum Albiæ portus præsidium. Magnum et memoriale, minusque felix erat illud prælium, in quo viriliter utrisque certantibus, nostri tandem minores sunt reperti. Sueones ergo et Dani totam Saxonum obtrivere virtutem. Capti sunt ibi Sigafridus Marchio, Thiadericus Comes, et alii illustres viri, quos vinctis post terga manibus, barbari traxerunt ad naves, pedesque eorum catena strinxerunt, totam exinde provinciam impune deprædantes. Sed cum ex captivis solus Marchio Sigafridus cujusdam auxilio piscatoris furtim noctu sublatus evaderet; piratæ mox in furorem versi, omnes quos in vinculis tenuerunt, meliores ludibrio habentes, manibus pedibusque truncaverunt, ac nare precisa deformantes, ad terram semianimes projecerunt. Ex quibus nobiles quidam viri erant, qui postea multo supervixerunt tempore, opprobrium Imperio, et miserabile spectalum omni facti populo. Quam videlicet plagam mox cum exercitu supervenientes Dux Benno et Sigafridus Marchio vindicarunt, in tantum ut piratæ omnes, quos apud Stadium egressos fuisse diximus, ab ipsis auxiliante Domino fuerint contriti.

Dirè sæviunt in captivos.

Cæduntur.

Alia eorum manus, in palustria a captivo perducta, cæditur.

7 Altera vero pars Ascomannorum, qui per Wirraham flumen egressi Hahele usque ad Liestmonam deprædati sunt, cum maxima captivorum multitudine pervenerunt ad paludem, quæ dicitur Glindesmor, ubi a nostris qui pone sequebantur offensi, omnes usque ad unum obtruncati sunt; quorum numerus erat xx millia. Quidam enim eques Saxonum ab eis captus, dum eum ducem sui facerent itineris, in difficiliora eos paludis loca perduxit, in qua diu fatigati leviter a nostris sunt superati. Qui Heriward nomen habens, perenni Saxonum laude celebratur.

Brema metu piratarum muro cincta.

8 Ex illo nimirum tempore piratarum hostilisque crebra irruptio facta est in hanc regionem. Nam et omnes Saxoniæ civitates grandi metu perculsæ fuerant. Tunc et Brema muro muniri cœpit firmissimo. Sed et Libentius Archiepiscopus thesaurum Ecclesiæ omniaque Ecclesiastica fecit ad Buccensem deportari Præposituram. Tantus itaque timor in finibus hujus parochiæ omnibus erat. Nam et ipse Pontifex piratas, qui Episcopatum vastabant, anathemate damnavit. Quorum * unus in Norwegia deficiens per annos septuaginta integro corpore permansit, usque ad Domini Adalberti tempora Archiepiscopi, quando Alwardus Episcopus illuc veniens defunctum vinculo excommunicationis absolvit, et mox cadaver in cinerem est solutum.

B. Libentius piratas excommunicat.

* Krantzius ait Ducem eorum fuisse. *Vis Ecclesiasticæ Excommunicationis.*

9 Post vindictam ergo scelerum, quæ in Ecclesias Dei et Christianos commiserat; Suein Rex victus, et a suis desertus, quippe quem Deus deseruit, errabundus et inops auxilii venit ad Nordmannos, ubi Thrucco tunc filius Hacquini regnavit. Is licet paganus esset, nulla tamen super exulem motus est misericordia. Ita infelix ille, et a toto rejectus orbe, in Angliam transfretavit, frustra solatium quærens ab inimicis. Eo tempore Adelrad filius Eggaris Britannis imperavit. Is non immemor injuriarum quas Dani ex antiquo Anglis inflixerant, exulem repulit. Quem tandem, misertus infortunii, Rex Scotorum benigne suscepit, eumque per bis septem annos, quibus exulavit, secum detinuit, usque ad mortem Herici. Hæc parricidæ avi pericula, Suein Rex nobis attonitis, exposuit. Deinde ad Hericum victorem reflexit narrationem.

Sueno profugus errat, a Normannis Anglisque rejectus, a Scotis excipitur.

CAPUT III.

Libentius Episcopos multos ordinat, et ad gentium conversionem mittit.

Poppo Sleswicensis Episc. ferrum candens contrectat illæsus:

Hericus, inquit, duo regna obtinuit, Danorum Sueonumque, et ipse paganus, Christianus valde inimicus. Ad quem missus Legatus Cæsaris ac Hammaburgensis Archiepiscopi Poppo quidam, vir sanctus et sapiens, tunc in Sleswicensem ordinatus Episcopum, de regno Danorum seu pace Christianorum Cæsaris partes expostulavit. Quem etiam aiunt pro assertione Christianitatis, cum Barbari suo more signum quærerent, nil moratum, sed statim ignitum * ferrum manu tulisse, et illæsum apparuisse. Dumque hoc facile omnem gentilibus erroris ambiguitatem tollere videretur, iterum Sanctus Dei pro submovendo gentis illius paganismo, aliud æque magnum ostendit miraculum : Tunicam scilicet indutus ceratam, cum staret in medio populi circo, in nomine Domini præcepit incendi. Ipse vero, oculis ac manibus in cælum tensis, liquentes flammas tam patienter sustinuit, ut veste prorsus ambusta et in favillam redacta, hilari et jocundo vultu nec fumum quidem incendii sensisse testatus sit. Cujus novitate miraculi, et tunc multa millia per eum crediderunt, et usque hodie per populos et Ecclesias Danorum celebre Popponis nomen effertur. Hæc aliqui apud Ripam gesta confirmant, alii apud Sliaswig.

* Addit Krantzius chirothecæ figura conformatum hoc ferrum fuisse.

Item veste cerata exusta manet illæsus.

Odincar Sueonum Danorumque Apostolus.

11 Claruit etiam tunc in Dania felicis memoriæ Odinckar senior de quo supra diximus, qui in Finne, Seland, Sconia, ac in Suedia prædicans, multos ad Christianam fidem convertit. Ejus discipulus et nepos fuit alter Odinkar junior, et ipse nobilis de regio semine Danorum, dives agri, adeo ut ex ejus patrimonio Episcopatum Ripensem narrent fundatum. Quem dudum Bremæ scholis traditum Pontifex Adaldagus manibus suis baptizavit, suoque nomine Adaldagum vocavit

Ejus nepos fit Episcopus Ripensis.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

PER ADA BREMEN.

vocavit. Is ergo a Libentio Archiepiscopo nunc ordinatus in gentes, apud Ripam sedem accepit. Nam et illustri vita, et sanctæ conversationis, Deo et hominibus acceptus erat, et Christianitatem in Dania fortissime defendit. Hos vero comperimus illo tempore claros in ea regione, aliis, qui adhuc supervixerant a diebus Adaldagi, non otiosis. Qui etiam in Norwegiam progressi populum multum Jesu Christo collegerunt.

Libentius multos ordinatet ad gentes mittit Episcopos.

In Rosafelda ecclesiam Præposituræ consecrat B. Libentius.

12 *Idem Adamus paullo inferius cap.* 32, *lib.* 2, *hæc habet :* Eodem tempore venerabilis Comes Henricus in Rosafeldam fecit Præposituram annuente Libentio Archiepiscopo, et ecclesiam consecrante. Hæc facta sunt ultimo tempore senioris Libentii, sub Duce Bernardo filio Hermanni, qui populum Slavorum graviter afflixit. Quo etiam tempore contentio Bernarii Ferdensis Episcopi de Ramsola coram Papa Sergio est terminata. *Fusius hæc Krantzius, qui Libentio adjudicatum eum locum scribit in memoriam S. Anscharii. Sedit vero Sergius IV Papa a* XXXI *Augusti ann.* MIX, *usque ad* XIII *Maii ann.* MXII.

13 Anno igitur Archiepiscopi XXII Benno Dux Saxonum obiit, et Ludgerus frater ejus, qui cum uxore sua venerabili Emma, Bremensi Ecclesiæ plurima bona fecerunt. Apud Magdaburg vero Gisilario Archiepiscopo Daganus successit. Deinde Walthardus meruit cathedram. Interea Archiepiscopus noster de legatione sua in gentes sollicitus, plures ordinavit Episcopos, quorum nomina et Sedes incertæ sunt, quia tempus persecutionis incubuit. Sicut enim patrum relatione cognovimus, Esico apud Sliaswigi Popponi successit, Odinkar, qui apud Ripam insignis fuit, ut supra diximus. Et sermo est post obitum Adaldagi Archiepiscopi, totam regionem Jutland usque ad nostram ætatem in duos Episcopatus bipartitam esse, tertio apud Arhusam deficiente. In Slavaniam vero ordinavit Archiepiscopus Folcquardum, deinde Reginbertum : quorum prior a Slavania pulsus in Sueoniam vel Nordmanniam missus est ab Archiepiscopo, qui multos in Domino lucratus, cum gaudio remeavit.

Moritur Libentius.

14 Post hæc omnibus bene compositis, obiit beatus Archimandrita Libentius, unaque Ferdensis Episcopus anno Domini MXIII, Indictione XI, et sepultus est in medio chori, ante gradus sanctuarii pridie Nonas Januarii.

15 *Eadem fere de Libentio scribit Albertus Krantzius in Metropoli lib.* 3, *cap.* 42 *et* 48. *Et auctor historiæ Episcoporum Bremensium cum historia Adami editæ ab Erpoldo Lindebrogio.*

CIRCA AN. MCLXXV.

DE B. ROGERIO ABBATE ELLANTII.

IV JAN.

Rogerium Abbatem Ellantii in diœcesi Remensi, recenset Hugo Menardus in catalogo Sanctorum et Beatorum ordinis Cisterciensis ex vetusto Missali à 100 *annis excuso. Kalendarium quoque Cisterciensis Divione editum; hoc die, et Chrysostomus Henriquez in Menologio Cisterciensi, qui et nobis vitam ejus a monacho Ellantino scriptam communicavit. Est* Ellantium (*olim* Slam *vel* Slantium) *anno* MCXLVIII *constructum, ut ex hoc versu Chronographico patet :*

NOT. 72.

CLaM dat principium de Slam, sed deme bis unum.

PROLOGUS AUCTORIS.

Optimum semper fuit in Ecclesia Dei Sanctorum describere vitas virorum, ut sint in speculum et quoddam veluti condimentum vitæ hominum super terram. Per hoc enim quodammodo apud nos post mortem vivunt; multosque ex iis qui viventes mortui sunt, ad veram provocant et revocant vitam. Quia vero in diebus istis tepescente caritate superabundat iniquitas in cordibus nostris, signa non videmus, jam non est Propheta, nostrisque exigentibus culpis defecit Sanctus, et diminutæ sunt veritates a filiis hominum; ad refocillandam flammam caritatis in nobis, et ad exemplum posteris porrigendum sanctæ conversationis, maximeque vobis hujus monasterii monachis, videor mihi non supervacue ex his qui empti sunt de terra revocare ad medium dilectum Deo et hominibus, cujus memoria in benedictione est, sanctum et venerabilem Patrem nostrum Rogerium, primum hujus cœnobii Abbatem; qui vere juxta testimonium antiquorum, in diebus suis placuit Deo et inventus est justus. Obsecro autem eos qui lecturi sunt hæc, ut fidem dictis adhibeant, et vos maxime fratres, qui hunc Sanctum Dei penes vos habuistis, et cum fide devotionem adhibeatis; quatenus ejus intercedentibus meritis ad superna polorum gaudia pervenire valeatis.

Auctor monachus Ellantinus.

CAPUT I.

Quomodo in sua provincia mundum contempsit, et de professione ejus apud Locum-Regis, et de adventu ejus apud Ellantium.

Laudabilis igitur Pater Rogerius primus Ellantii Abbas, ex Anglia progenitus, Angelicam vitam duxit in terra, in quantum homini fragili licet et mortali. Qui bonæ indolis factus adolescens, cum intelligeret quod secundum Joannem. Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, concupiscentia oculorum, et superbia vitæ; et Mundus transit et concupiscentia ejus; ipsum jam mundum hujusmodi consilio salutari contemnere cœpit. Vocem enim Prophetæ dicentis attendens. Obliviscere populum tuum et domum patris tui, et concupiscet Rex decorem tuum, quoniam ipse est Dominus Deus tuus; cum sancto Patriarcha Abraham egressus est de terra sua, et de cognatione sua, et de domo patris sui, et venit in terram quam monstravit ei Dominus, terram vero Gallicanam : in qua quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, sic pius ille Pater filios in Dei servitio postmodum congregavit.

B. Rogerius natione Anglus.

1. Joan. 2. 16 et 17.

Psal. 44. 11. *Venit in Galliam.*

3 Cum autem diligenter inquireret in quo loco Creatori suo sanctius famulari valeret; Dei nutu applicuit ad quemdam locum novellæ plantationis Ordinis Cisterciensis, qui dicitur ' Locus-Regis. Relicta igitur domo rebusque patriæ, soli Deo placere desiderans inibi sanctæ conversationis habitum suscepit. Conversationis autem suæ insignia, et quomodo vitam Evangelicam in eodem cœnobio duxerit, sufficienter posse puto neminem enarrare. Solius quippe donatoris de accipiente est nosse, quomodo ab ipso mox conversationis suæ exordio prævenerit eum Dominus in benedictionibus dulcedinis; quanta resplenduerit gratia electionis; quomodo inebriaverit eum ab ubertate domus suæ. Severus vultu, modestus habitu, circumspectus fuit in verbis, in opere timoratus, in sacra meditatione assiduus, in oratione devotus; magnanimus in

Eit monachus in Loco-Regis.

Sancte vivit.

in fide, longanimis in spe, perfectus in caritate, jucundus inter opprobria, inter obsequia verecundus.

Constituitur Abbas Ellantii.

4 Cum autem placuit ei, qui eum segregavit a sæculo et vocavit, ut ampliori gratia revelaret in eo gloriam suam, misit in cor Abbatis Loci-Regis, ut ad ædificandam domum istam mitteret de fratribus suis: super quibus licet multum renitentem constituit Abbatem et Præfectum. Advenientes autem ad locum istum tunc desertum cum Abbate suo viri virtutum, simpliciter aliquanto tempore Domino servierunt in paupertate spiritus, in fame et siti, in frigore et nuditate, in vigiliis, in angustiis multis. Ibi in signis et miraculis pluribus gloriosis, ut experti sunt multi,

Claret miraculis.

fidelem suum famulum Deus glorificavit B. Rogerium Abbatem, sicut est mirabilis in Sanctis suis, et gloriosus in majestate sua. Mansit autem habitu humilis, somno brevis, pane atro, et aqua brevi; incondito

Aspere vivit.

et vix salso olere vescebatur; in mensa nihil penitus volebat deferri, nisi ea quæ communiter conventui parabantur. Quantum vero comitatem inter fratres dilexerit, per exemplum subsequens poterit declarari.

* Locus-Regis *Abbatia est ordinis Cisterc. in diœcesi Bituric. filia* Curiæ-Dei, *fundata an.* 1129, 24 *April.*

CAPUT II.

Quomodo piscem in olus Conventus mitti jussit.

Piscem sibi oblatum non vult solus comedere.

Accidit ut die quadam piscis non modicus ei offerretur et præsentaretur de oratorio revertenti: qui magnitudinem ejus aliquantulum exhilaratus considerans requisivit an ex eo singuli fratres portionem possent accipere ordinatam. Cum autem dicerent: Nequaquam: Projicite inquit, in olus; ne saltem a sapore illius nostrorum aliquis fratrum efficiatur orbatus. O virum per omnia pietate, misericordia, caritate ineffabilem, qui ne pusillum aliquem contristaret, piscis carnibus etiam ordinate noluit saturari! Renuit in hoc cibo consolari anima ipsius, ne fratrum aliquis ab ejus participatione fieret alienus.

CAPUT III.

Quomodo cum asino suo in fluvium cecidit, et illæsus evasit.

Quodam autem tempore cum idem Pater sanctus pro negotiis domus suæ foras exiret, et equitaret asinum, quem semper consueverat equitare; et per quemdam pontem transiret; factum est dum debile animal pedem incaute solo infigeret, de eodem ponte

Incidit in fluvium.

in amnem cecidit cum sessore. Cumque Conversus eum sequens, absorptum ab aquis Abbatem non videret, cum duris et immensis singultibus cœpit acclamare: Heu! Heu Pater! quid accidit? et conversus ad Dominum dixit cum lacrymis et immensis singultibus cordis: Domine, Domine, numquid perdes justum cum impio? Numquid sine causa sanctum et innocentem condemnabis? Numquid morietur prudens parieter et indoctus? Eritque utriusque æqualis

Exit ab aquis, ne madefactis quidem vestibus.

conditio? Cumque hæc et hujusmodi tundendo pectus frequenter ingeminaret, ex adversa parte oculos attollens, vidit Abbatem suum sedentem super asinum juxta ripam. Quo properante velociterque currente præ gaudio, invenit eum ita siccum ac incolumem ac si fluminis undas minime tetigisset. Novum profecto et inauditum in diebus illis in famulo suo miraculum Dominus declaravit: qui enim sua dextera B. Petrum ambulantem in fluctibus ne mergeretur erexit, et coapostolum ejus Paulum tertio naufragantem de profundo pelagi liberavit; ipse etiam dextera sua Abbatem nostrum de undis sine ulla sui læsione reduxit: et qui sua virtute, in deserto quadraginta annis filiorum Israel vestimenta, ne ab aquis madefierent, custodivit; idem ipse non solum servi sui corpus, sed etiam vestimenta ne ab aquis madefierent custodivit. Cum enim suus eum Conversus vellet detergere, non habens alia vestimenta, quæ sibi posset offerre, ita siccum reperit ac si in amnem numquam cecidisset. Quod miraculum ne eo vivente referret, eum per obedientiæ sanctæ vinculum alligavit.

Jubet id silere socium.

CAPUT IV.

De annulo a digito mulieris ejecto.

In confinio autem hujus cœnobii manebat quædam mulier, quæ a parentibus suis juvencula fuerat maritata. Hæc vero quodam annulo pretioso dotata in tantum eum dilexit, quod numquam potuit sustinere, ut vel ad horam a digito suo amoveretur. Unde factum est, ut dum ipsa juventutis annos decurrerat, et incrassaretur digitus, idem impinguatus arctari cœpit graviter in annulo, ac idem annulus carnibus supercrescentibus operiri. Interea mulier suspirat, plorat, lamentatur; non est qui consoletur eam ex omnibus caris ejus. A marito circumcirca medici requiruntur; veniunt, tangunt, medicantur, dicunt nullam manui prævalere medicinam, nisi digitus abscindatur. Cum igitur supra hoc nullum remedium invenire valeret, nullumque recipere posset solamen humanum, cum clamoribus immensis currit ad divinum adjutorium: quærit, rogat, petit singultibus et lamentationibus, Christi benignitatem provocat miserantis: Miserere mei Domine, miserere mei. Inter ipsa autem lamentationis crebra suspiria, sibi a vicinis condolentibus suggeritur, ut eat apud Ellantium, et ab Abbate sancto loci illius, orationum suarum suffragia super hoc confidenter exposcat. Credimus, aiunt, quod per ipsum apud Dominum poteris obtinere salutem, quam nullorum medicorum arte acquisivisti. Consilio igitur tali recepto, accessit instanter et præ foribus monasterii accubans, suppliciter rogat, quatenus ei liceat collóqui cum Abbate. Ad cujus petitionem portarius mox ingressus ad eumdem, ei humiliter intimavit ad portam advenisse quamdam mulierem, quæ cum ingenti desiderio ejus aspectum et colloquium expectabat. Pater autem pius et misericors accessit continuo, et audita gravi querimonia mulieris, respondit: Extrahe manum tuam de sinu tuo, et demonstra digitum, ubi tantus dolor invalescit. Illa igitur manum detrahente, signo crucis elevato Pater sanctus manu propria annulum tetigit, et de digito mulieris sine ullo dolore extraxit, sicque sanam ad propria cum exultatione remisit.

Cuidam feminæ annulus crescente digiti carne cooperitur.

A Rogerio, signo Crucis extrahitur.

CAPUT V.

De adventu Archiepiscopi Remensis apud Ellantium.

Cum igitur hujus viri sancti fama miraculis crebrescentibus diffunderetur circumcirca, multi pro salute tam animarum quam corporum ad eum fideliter confluebant, et remeantes ab eo reportabant antidotum exoptatum. Unde factum est, ut Reverendus Archiepiscopus Remensis, Dominus Henricus Francorum Regis frater germanus, audita fama ejus et fratrum suorum, ad eos visitandi gratia satis devotus accessit. In cujus adventu Pater sanctus ejusque religiosi exultantes, eum cum honore debito susceperunt, et humilitatis officia secundum possibilitatem domus exhibuerunt humiliter et devote. Ipse autem bonus Pastor diligenter victum eorum pariter et vestitum mirabatur, quomodo tam præclari viri vitam tam asperam degissent. Panis enim non solum furfureus, sed et adeo erat amarus, ut vix inde pauperes fragmenta recipere dignarentur. Propterea tamen inter eos

Henricus Magnus Archiep. Remensis visitat Ellantium.

Miratur eorum paupertatem.

Non murmur resonat, non querimonia;
Sed corde tacito mens bene conscia
Conservat patientiam.

Unde

PER MONACH. ELLANT. Unde magis eis compatitur venerabilis Archiepiscopus; ac inter cetera dixit Abbati et fratribus subridendo: Ne cum advenero ad vos de cetero mihi panis iste Propheticus apponatur, concedo vobis ex territorio meo juxta Attigniacum, quantum per annum arare poterunt quinque juga boum: tellus enim bona est, et magis frumentum quam bladum aliud ferre consuevit. *Donat eis certas terras.* Fratribus igitur cum sancto Patre gratias referentibus, eis valedicens recessit, et Abbatem ad distribuendum ei terræ situm deduxit. Advenientes autem ad Attigniacum terras illico partiri præcepit, et Abbatem in possessionem misit, ibique Abbas grangiam instruxit et ædificavit.

CAPUT VI.

Quomodo liber ejus in fluvium cecidit.

Cum autem ad grangiam supradictam Pater sanctus aliquando visitandi causa accederet, loci illius placuit circuire fines. Cumque pedes eundo prata grangiæ transiret, et veniret secus ripam fluminis, tamquam aliquantulum fessus resedit. *Rogerii liber in flumen cadit.* Resurgente autem eo, tempus fuit ut horam canonicam persolveret, ad quam dicendam necessarium fuit ut librum de sacculo detraheret; quo extracto, cum minus caute ipsum teneret, subito ex ejus manu est elapsus, atque in amnem ruit inibi decurrentem. Cum enim supernataret et undis, fluentibus per medium flumen velociter traheretur, aliquantulum ingemiscens super amissione libri, oravit Dominum ut sibi redderet, si placeret. Illico adfuit pius Dominus, qui semper respicit in orationem humilium, et non spernit preces eorum: per Dei enim virtutem libellus ex undis educitur, et per præcurrentem puerum in viri Dei manibus præsentatur. *Illæsum eum recipit.* Nimirum qui Prophetam Jonam in mari, et in ventre ceti sanum servavit, ipse quoque dono suæ misericordiæ librum Patris nostri ne contaminaretur ab aquis custodivit. Revera multum valet deprecatio justi assidua. In Patre namque nostro antiqua renovantur miracula. Precibus Elisæi ferrum de aquarum profundo revertitur ad lignum: precibus Patris nostri liber ex aquis educitur sanus. 4. Reg. 6. Vere gloriosus Deus in Sanctis suis, mirabilis in majestate sua, qui miraculis gloriosum Patrem nostrum Rogerium in diebus suis glorificavit.

CAPUT VII.

De pisce invento in fonte, et de aqua in vinum mutata, et de infirmo sanato, quem ipse visitavit.

Vocatur ad visendos ægros. Per idem fere tempus ad visitandum infirmum, longe tamen positum, est misericorditer citatus: qui licet solito tunc debilior esset, proficisci tamen ob istiusmodi causam non repudiavit, sed festinanter ad eum perrexit. Cum autem pertransiret per quemdam locum desertum, locum horroris et vastæ solitudinis, hora transierat jam refectionis. Cum vero conquereretur Conversus pariter et servus, et ambularent tristes, laborem itineris et famis patienter amplius non ferentes, dicunt Abbati: Dum pergitis ad visitandos infirmos alienos, vos sanos et domesticos fame perire vultis? *Socios esurientes consolatur.* Pater autem sanctus non iratus, non turbatus, sed compassus eorum angustiis respondit: Confidite, et nolite turbari, quoniam cito visitabit nos pius et misericors Dominus. Vix autem verba compleverat, cum ecce respicientes a latere dextro, vident domum non magnam, ibique eum declinare precantur, donec saltem pane reficiantur et aqua. Ipse vero importunis eorum precibus acquiescens, cum ipsis pariter ad eamdem domum accessit. Requisivit autem humiliter a magistro domus illius, si vel pecunia mediante esset ubi refectionem qualemcumque percipere valerent. Ad cujus vocem cum responderet magister, nihil esse paratum ad horam, nisi panem hordeaceum et aquam; Pater sanctus cibum Apostolicum gratanter acceptans: Afferte, inquit, quæ habetis in nomine Domini nostri Jesu Christi. Currit igitur ad fontem famulus ipsius Abbatis, ut ad prandium aquam recentem deportet: eo autem in fontem situlam immergente, *Reperitur ingens piscis in fonte.* in eam intrat piscis miræ magnitudinis, qui cum videret eum in situla palpitantem, citius cucurrit, et omnibus qui in domo erant cum ingenti gaudio demonstravit. Mirari pariter et gaudere singuli super pisce, dicentes numquam vidisse se piscem alias in fonte. *Coquitur in cibum ejus et sociorum.* Quid plura? exenteratur, scinditur, coquitur, coctus dividitur singulis, pro ut cuique opus erat.

11 Interea dum exultant et epulantur, hospes cum gemitu conqueritur quia vinum non habet. Ante Abbatem defertur aqua, quæ ad benedictionem ejus vini meri convertitur in saporem. Bibunt autem ex eo omnes, et cum magna exultatione acclamant: Benedictus Dominus Deus Israel, qui facit mirabilia magna solus. Benedictus Dominus, qui ad benedictionem servi sui, et glorificandum nomen suum inter nos hodie miraculum iteravit, quod fecisse legitur in initio servorum suorum. Surgens igitur a mensa infirmum suum visitavit, et eo per Dei gratiam sanitati restituto, ipse quoque ab ægritudine sua melioratus, ad propria remeavit. O quam bonus Israel Deus his qui recto sunt corde! ita enim vir iste sanctus curam corporis sui totam commiserat Deo, quod numquam manticam panibus onustam bajulasse fertur. In omnibus angustiis et necessitatibus suis illud Propheticum semper in corde, semper in ore versabat: Jacta cogitatum tuum in Domino, et ipse te enutriet. Et illud Evangelii: Nolite solliciti esse dicentes, quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? Hoc attendebat: Primum quærite regnum Dei, et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis.

Ipse aquam in vinum convertit. *Et ipse et æger sanantur.* *Numquam panem secum defert.* Psal. 54. 23. Matth. 6. 31. Ibid. 33.

12 Nec solum in victu, sed etiam in vestitu, adeo paupertatem tenuit, ut cucullam aut tunicam numquam mutaverit, quam diu potuit corpus ejus operire. Si in aliquo dissecta vel disrupta fuit, eam a quolibet faciebat resarciri. Sotulares nihilominus tamdiu frequenter portabat foratos, donec stramen per soleas exiret. Pedales autraro aut numquam dicitur habuisse. Caritas enim illum accenderat usquequaque: nec paupertatis amaritudinem sustinere permittebat amoris magnitudo. Cum autem qualibet corporis molestia laborabat, dicebat illud Apostoli: Quis nos separabit a charitate Dei? tribulatio? an angustia? an persecutio? an fames? an nuditas? an periculum? an gladius? Hæc et hujusmodi sanctarum scripturarum medicamina, ita eum in sanctitate servabant; ut mentem nec gaudio nec mœrore concuteret: sed inter prospera et adversa securus recto tramite viam semper regiam tenebat.

Paupertas ejus in vestitu. *Pietas et patientia in morbis.* Rom. 8. 35.

CAPUT VIII.

De reditu ipsius a Capitulo generali.

Eodem autem Patre aliquando remeante a Capitulo generali cum Converso suo, imbribus et ventorum procellis una die graviter est afflictus, qui cum diætam suam non posset ad plenum implere, in quodam Prioratu nigrorum monachorum coactus declinavit. Petit Conversus pro Abbate suo a Priore et Fratribus suppliciter hospitium. Ducitur in quoddam tuguriolum magis idoneum porcis vel canibus, quam Abbati. Mensa tandem erigitur, in qua panis quasi furfureus superimponitur, in cratere vinum infunditur mixtum aqua. Madidus interea Pater almus, frigore rigescit, pallidus efficitur, frigus in viscera transit. Conqueritur modicum ministro, et suppliciter dicit ei quod eat, et quærat ligna, quibus calefieri possit. Preces porrigit, preces ingeminat; sed in vanum. Converso autem discurrente per domum propter ligna, non est inventus in ea qui vel ad horam super

Fessus et madidus divertit ad quemdam Prioratum. *Male excipitur, et ridetur.*

egenum

egenum et pauperem intelligeret, qui super angustias Abbati ad modicum condoleret. Sed ironice respondebant monachi Converso : Non est in hac domo stipula : non sunt prunæ, non sunt ligna, unde calefieri valeat vester Abbas ; aliud potius hospitium requirere debetis, in quo sibi ignis et cetera necessaria lautius parentur. Humano ergo destitutus auxilio Pater sanctus, ad Dominum, ut solitus erat, recurrit ; Domini nostri Jesu Christi pœnas et penurias revocans : sicque cor suum igne divino succendit. Dixit itaque fratri suo : Noctem istam ducamus pervigilem ; Dominum collaudantes, in fame et siti, in frigore et nuditate, cum Apostolo gloriantes.

Cogitat de Christi passione :

Orat cum socio tota nocte. 2. Cor. 11. 27.

14 Nocte igitur sic transacta iter arripuit summo mane : cumque pergerent, et incedentes sermocinarentur super his quæ sibi acciderant illa nocte, Conversus casu respiciens vidit ex eadem domo flammas egredi copiosas et ferri in sublime, auditque tumultum familiæ proclamantis : Subvenite, succurrite, nostri monachi ardent. Tunc Conversus ad Abbatem : Eia Pater, inquit, heri nostri monachi non habebant unde vel modicum ignem nobis accenderent ; modo tanta abundantia perfruuntur, sicut video simul et audio quod ardent. Talia eo ingeminante subridendo, Pater sanctus eum increpavit cum mœrore, affirmans eum graviter deliquisse in hoc quod de calamitate inimicorum suorum aliquantulum exultasset : inde et pœnitentiam ei superinjunxit. Qui de cetero in via nihil simile patientes, sani et incolumes ad propria sunt reversi. Multa quidem et alia signa per eum fecit Dominus in conspectu hominum et discipulorum suorum, quæ in præsenti opusculo non sunt annotata : hæc autem scripta sunt ut credatis quia ipse fuit vere amicus Dei ; et ut credentes, ejus intercedentibus meritis, per Dominum nostrum Jesum Christum, vitam possideatis æternam.

Conflagrat Prioratus :

Ideo gaudentem socium graviter increpat vir Dei.

CAPUT IX.

De obitu ejus.

Quia vero placita erat Deo anima illius, tempus advenit ut transiret de hoc mundo ad Patrem, secundum quod scriptum est : Constituisti terminos ejus, qui præteriri non poterunt. Aliquantulum igitur in infirmitate detentus, jam jamque languore ingravescente, mortem præ foribus sentiens imminere, Sacramentis salutaribus constipatus, suis fratribus cum lacrymis valedixit, et a sua obedientia absolutus, inter manus eorum animam reddidit Salvatori Domino nostro Jesu Christo ; cui est honor et gloria per omnia sæcula sæculorum.

Job. 14. 15. Munitus sacramentis pie moritur.

CAPUT X.

Quomodo apud Ellantium vitam duxit disciplinatam.

Felix revera cœnobium istud, quod tantum ac talem pastorem in suo principio meruit possidere ! Quis enim virtutes ejus digne poterit enarrare ? Quis misericordiam ejus multimodam poterit indagare ? Semper enim primus fuit ad compatiendum, et promptus ad subveniendum, ad ignoscendum facilis, ad irascendum difficilis, de illatis sibi injuriis ulcisci numquam acquiescens. O vere beatus, sic affectus, sic imbutus rore misericordiæ, sic affluens visceribus pietatis ! Sic enim omnia faciebat, sic factus est tamquam vas perditum, ut ceteris semper occurrerit et succurrerit. Mortuus denique erat sibi, ut omnibus viveret, omnibus subveniret. Multam proinde aggrantiam sparserat vir ille sanctus, quem sic affecerat sollicitudo fraternæ caritatis. Si enim forte aliquem ex suis, quos genuerat in Evangelio, deprehendisset forti aliqua tentatione concussum, et inde turbatum, tristem, pusillanimemque factum, quomodo condolebat, quomodo plangebat, quomodo consolabatur, quot argumenta patientiæ mox reperiebat, ut erigeret desolatum ! Si autem promptum, alacrem, bene proficientem cognosceret, exultabat, instruebat de quibus poterat ut perseveraret, et ut in melius semper proficeret hortabatur. Omnibus se conformabat, omnium in se transferebat affectum. Beatus siquidem iste, qui numquam reddidit malum pro malo, vel maledictum pro maledicto, sed e contrario convitiantes et detrahentes benedicebat ; cum his etiam qui oderunt pacem, pacificus esse studuit, sciens se esse etiam insipientibus debitorem. Quis autem vacua ab eo manu recessit ? Si dives, consilium ; si pauper, subsidium ab eo reportabat. Equidem indefessa manus, oculus simplex, pectus consilii, lingua loquens judicium, sicut scriptum est : Os justi meditabitur sapientiam, et lingua ejus loquetur judicium.

B. Rogerii benignitas.

Per Monach. Ellant.

Erga infirmos compassio.

Psal. 36. 30.

17 Quis illo rigidior in custodia disciplinæ ? Quis illo in castigando corpus suum districtior ? in contemplando suspensior ? in differendo sublimior ? Cumque omnium judicio omnibus esset sapientior, sibi tamen in oculis suis non sapiens videbatur. Utinam multos, etsi minus sapientes, non plus tangeret illa maledictio : Væ, qui sapientes estis in oculis vestris, et coram vobismetipsis prudentes. Quis unquam ex ejus ore sonum detractionis, verbum scurrilitatis, sermonem gloriæ, verbum invidiæ audivit ? Quis vel alios judicantem, vel judicanti consentientem aliquando deprehendit ? Quis eum loquentem inania audire potuit ? Imo quis non ab eo vel si talia forte loqueretur timuit audiri ? Nimirum custodiebat sollicite vias suas ut non delinqueret in lingua sua, sciens quod qui in verbo non offendit, hic perfectus est vir.

Custodia disciplinæ.

Humilitas.

Isa. 5. 21.

Gravitas.

18 Porro quanti fervoris fuerit in opere Dei diebus ac noctibus usque ad diem mortis suæ, non est nostræ facultatis exolvere. A puerilibus annis locatus est in servitio Dei, et usque ad exitum vixit in illius servitio, cui servire regnare est. A principio vero cœnobii hujus non solum conversatus est cum fratribus suis sine querela, sed et cum gratia, cujus ex hoc memoria in benedictione est. Ad sacrum nempe tumulum illius infirmi multi fideliter accedentes, ejus intercedentibus meritis, restituti sunt sanitati. Plurimi quoque tentationibus, et angustiis gravibus depressi, ejus interventu, a Deo sunt misericorditer liberati. Quis ejus consilio, quis auxilio destitutus, non continuo convaluit, si patrocinium ejus fideliter imploravit ? Experti sunt hoc multi, experieris et tu quicumque tribulatus, pusillanimis, vel turbatus es ; si tamen, non ut tentator, sed cum fide non ficta ad eum accesseris, et suffragium ejus devoto et perfecto corde poposceris ; qui etiam pro suis persecutoribus exoravit in terris, non erit dubium quin pro amicis, et sibi famulantibus pie Deum exoret in cælis.

Miracula ad ejus sepulchrum.

Hujus cari et patroni nostri, hujus amici Dei omnipotentis, devotis precibus clementiam imploremus ; ut pro nobis semper suis meritis et precibus intercedat apud Dominum nostrum Jesum Christum, cui est honor et gloria cum Patre, in unitate sancti Spiritus, per omnia sæcula sæculorum, Amen.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

An. Chr. MCCCIX.

DE B. ANGELA DE FULGINIO.

IV JAN.

Beatæ Angelæ *de Fulginio admirabilis vita pridem excusa est Parisiis et alibi: cujus auctor Arnaldus quidam Ordinis S. Francisci religiosus, cui illa confiteri peccata consueverat. Eadem paullo amplior, sed simplicius multo, ac nullo fere ordine servato scripta penes me est ex codice Cornelii Duynii cum aliis* mss. *collata. Videtur Auctor ipse eam postmodum digessisse. Damus hic eam ut excusa est, sed ex* ms. *subinde correctam aut illustratam. Capita, sublatis fusioribus titulis, aliter distinximus, adscriptis tamen ad marginem priorum capitum numeris.*

Angelæ vita.

2 Angelæ *hoc die Natalem refert Ferrarius in Generali catalogo Sanctorum his verbis:* Fulginii in Umbria B. Angelæ viduæ. *Idem habet* ms. *Martyrologium cœnobii regularium sororum Lacus S. Mariæ juxta Leidam. Florarium quoque:* Depositio Angelæ de Fulgineo devotissimæ viduæ anno salutis MCCCLX, *imo* MCCCIX. *Alii* III *Januarii ejus natalem habent, ut ipse Ferrarius in Indice topographico catalogi Sanctorum Italiæ, Molanus in Addit. ad Usuardum; Martyrologium Germanicum, in quo tamen perperam virgo appellatur, uti et in editione Usuardi Coloniensi an.* 1521.

Memoria in sacris fastis.

3 *Martinus Delrio noster hujus sanctissimæ feminæ honorifice meminit Disquisit. Magic. to.* 2, *lib.* 3, *cap.* 1, *quæst.* 4, *sect.* 5, *ubi de morbis a dæmone illatis agit:* Ad eosdem, *inquit*, effectus permittente Deo productos, retulerim cruciatus corporeos B. Angelæ de Fulginio. *Citat deinde quædam ex cap.* 2, *num.* 35, *quæ in priori editione habentur cap.* 19 *et subdit:* Hinc discis sanctam hanc viduam femineo, ut Job virili, sexui, exemplum patientiæ propositam. *Vitam B. Angelæ refert in antiquis Chronicis Minorum Marcus Ulyssipponensis parte* 2, *lib.* 7, *c.* 6 *et seqq. ac Joannetinus Niño parte* 3, *lib.* 3, *cap.* 8 *et seqq. Tranduntque Marcus cap.* 17, *Niño* 19, *Fulginii in ecclesia Ordinis S. Francisci in peculiari sacello honorifice sepultam; spectarique etiamnum ejus corpus capsæ eleganti inclusum.*

not. 73.

VITA

AUCTORE ARNALDO ORDINIS S. FRANCISCI.

PROLOGUS AUCTORIS.

Cur Angela mulier, simplex, conjugata, a Deo electa sit.

Ne inflatura mundanæ sapientiæ, (aliter terrenæ et diabolicæ inflati spiritus eorum qui magna dicunt et minima faciunt) remaneret ab æterna Dei sapientia inconfusa, suscitavit Deus mulierem sæcularis status, mundo obligatam, viro, filiis, et divitiis irretitam, scientia simplicem, viribus impotentem. Sed virtute sibi divinitus infusa per crucem Dei-hominis Jesu Christi vincula mundi dirupit, apicem perfectionis Evangelicæ ascendit, et perfectam et sapientissimam stultitiam crucis Christi perfectorum sapientiam renovavit: et obliteratam viam boni Jesu (quam excelsi gigantes tam verbo quam opere inconservabilem asserebant) non solum ad observandum possibilem ostendit, sed et facilem, et summas delicias continentem. O sapientia cælica perfectionis Evangelicæ, quomodo cum æterno Deo stultam fecisti sapientiam hujus mundi, et tu æterne Deus in ipsa famula tua: dum contra viros feminam; contra inflatos, humilem; contra astutos, simplicem; contra litteratos idiotam; contra religiosam hypocrisim, propriæ conditionis despectum; contra linguatos otiosos et manus remissas, stupendum calorem operum, et verborum silentium; contra prudentiam carnis, prudentiam spiritus, quæ scientia est crucis Christi, opposuisti! Unde in muliere forti apparet aperte, quod in speculatoribus viris cæcis erat carnali expositione sepultum.

2 Procul ergo a sanctæ hujus matris filiis pudor abscedat: et ab Angela magni consilii viam divitiarum, sapientiam crucis Christi addiscite; quæ est paupertas, dolor, et despectus, et vera obedientia Dei, boni Dei-hominis Jesu Christi, et dulcissimæ suæ matris: eamque viros, et mulieres, et omnem creaturam lingua efficacium operum doceatis. Et ut gloriemini in vocatione tanti discipulatus; scitote carissimi, quod ipsa est doctrix disciplinæ Dei, et effectrix operum illius. Recordemini carissimi, quod Christi primo passibilem vitam Apostoli prædicantes, a femina didicerunt eum post mortem suscitatum; sic carissimi filii sanctæ matris Angelæ, regulam in carnalibus mortuam, primo possessam a nostris primis parentibus B. Francisco, et ejus sociis, et prædicatam, nunc in observantia istius matris sanctæ una mecum discite immortalem. Hoc est, contra ordinem divinæ providentiæ, in opprobrium virorum carnalium doctricem facere mulierem, cujus notitia non est similis super terram. Cum etiam B. Hieronymus dicat de Olda Prophetissa, ad quam concurrebat populus, quia in opprobrium virorum, et doctorum legis, qui erant transgressores mandati, est ad femineum sexum prophetia translata.

Parænesis ad filios ejus spirituales.

l. 2. contra Pelag. c. 8.

SECUNDUS PROLOGUS.

In nomine beatissimæ Trinitatis, et Domini nostri Dei et hominis Jesu Christi Salvatoris, et reverendissimæ Matris Virginis ejusdem. Hæc est manifestatio donorum Altissimi, facta super mentem Matris Angelæ de Fuliginio. Secundum enim quod ait Salvator in Evangelio: Si quis diligit me, sermonem meum servabit: et pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus et: Qui diligit me, manifestabo ei meipsum. Quam experientiam, et experientiæ doctrinam ipse Dominus facit probare plenissime: et hoc etiam nuper per aliquorum suorum fidelium devotionem aliqualiter manifestum, et singulariter in mente sanctæ hujus Matris Angelæ, cujus revelationes et visiones ego frater Arnaldus de Ordine Minorum, cum multis precibus, et ex maxima causa vix potui obtinere, licet essem sibi multa familiaritate, et Christi caritate conjunctus. Propter enim clausuram ejus omnimodam, quam habebat in donis Dei (unde et aliquotiens etiam dicebat: Secretum meum mihi, secretum meum mihi) hæc non habuissem, quantum possum advertere, nisi præostensa multum magna displicentia, quam patiebar, videns nos tantis donis propter ejus humilitatem frustrari. Ipsa igitur compassione commota, et quandoque manifesta utilitate proximi, et ut plurimum voluntate, et præcepto et coactione divina, habui infrascripta.

Joan. 14. 23.

Scriptor vitæ hujus Arnaldus ex Ordine Minorum.

B. Angela suas revelationes occulit.

4 Reddebatur etiam difficilis et involuntaria, quia, ut multotiens mihi dixit, nullo modo videbatur sibi aliquid dicere, quando aliquid mihi revelabat: imo potius videbatur sibi blasphemare propter altitudinem revelationum, et propter impossibilatem expressionis, quia humanis verbis nihil exprimi potest, nisi solum illa, quæ juxta nos narrantur vel corporaliter vel imaginaliter esse facta: divina autem, et quæ mens ex influentia divina patitur, omnino sunt nobis ineffabilia. Dum enim ista sancta mulier incepit mihi manifestare secreta divina, dicebat mihi mirabiliora de mundo, et aliis verbis inconsuetis, magnis et efficacibus, et lumine plenis, et frequenter non poterat explicare, quamvis daret mihi intelligere aliquid per illa quæ dicebat: et conturbabatur, et tristabatur, quia non poterat mihi manifestare, quæ cognoverat. Unde et ego in veritate ita parum capere

Divinæ revelationes, ineffabiles.

poteram

poteram quandoque de his, quæ dicebat ad scribendum, quod cogitavi, quod eram sicut cribrum vel saccia, quæ pretiosam substantiam effundit, et retinet magis grossam. Potest autem aliqualiter patere, quod ego non poteram capere de istis verbis divinis nisi magis grossa; quia aliquando dum egò scribebam recte, sicut a suo ore capere poteram, relegenti mihi illa quæ scripseram, ut corrigeret, dixit mihi quandoque admirando, quod non cognoscebat illa: et alia vice dixit mihi, quod sine omni sapore loquebar : et mirabatur de hoc. Et alia vice dixit : Per ista inquit, verba, recordor illorum, quæ dixi; sed est obscura scriptura, quia ista quæ legis mihi, non explicant illa quæ cognovi. Item alia vice dixit: Id quod deterius est et quod nihil est, scripsisti ; sed de pretioso, quod anima sentit, nihil scripsisti.

5 Et hoc sine dubio quandoque erat propter defectum meum, non quod ego adderem aliquid de meo, sed quia in veritate non poteram capere quæ dicebat, propter insufficientiam meam, et quia nesciebam scribere velociter, nec habebam opportunitatem, nec sufficiebat mihi tempus quandoque, nec habebam ad conferendum locum multis causis impedientibus. Unde et quandoque inordinatus in conscientia ivi ad scribendum : et ita mihi et sibi totum detruncabatur, quod nihil poteram scribere ordinatum : et studui aliquando confessionem præmittere peccatorum meorum, ut gratia Dei adjuvante ordinate procederem. Unde propter dictas causas inordinate scripsi : et æstimo divinum mirandum, si aliquid scripsi ordinate. Dolor autem mihi et sollicitudo non modica remanebat, eo quod multa quæ intelligebam digna scribi, omittebam propter prædictas causas. Ego autem meritis ejus in meipso, scribendo frequenter fui expertus gratiam spiritualem, et novam, quam numquam expertus fueram : et ideo cum magna reverentia, et cum timore magno scripsi; ita ut nihil de meo adderem, nec solam unam tantummodo dictionem, nisi sicut ab ore ipsius proferentis capere poteram. Et frequenter faciebam mihi verbum, quod debebam scribere, ab ea pluries iterari. Conabar autem ponere sua propria verba secundum vulgare suum, ne forte mutando in alia vocabula Latina, a sua intentione declinarem. Quandoque etiam dixit mihi : Ego, inquit, haberem conscientiam dicendi ista, nisi esset unum verbum quod dictum est mihi; dictum est enim mihi, quod tanto plus dixero de istis, plus remanebit mihi. Et frequenter dixit mihi, sibe esse revelatum, et sibi dicebatur, quod scribi faceret in fine verborum infrascriptorum istud scilicet : De omnibus istis dictis reddantur gratiæ Deo.

Omnia ex ore B. Angelæ auctor excepit.

6 Fuit igitur hæc sancta mulier de quodam loco, qui vocatur Fulginium juxta Assisium ad tres leucas; in principio suæ conversionis habens virum, et prolem multiplicem : et post conversionem suam maximam peragebat pœnitentiam, quam corpus portare poterat, sicut et ego novi. Et ultra hoc plurimas pertulit tentationes et tormenta in corpore et anima; sustinuit enim et in anima et in corpore, a potestatibus tenebrarum, et a spiritualibus nequitiis tormenta invisibiliter, quæ alii visibiliter et in apparentia patiuntur; et tanto acerbius, quanto maligni spiritus homini humana creatura nocendi et affligendi diversa modorum genera cognoverunt. Unde cum super hoc quidam fide dignus multum miraretur, et compateretur, audiendo ab ipsa fideli Christi quomodo tam horribiliter torquebatur, vidit per revelationem sibi a Deo factam, totum esse verum. Unde et ipse sibi ex tunc mira compassione compatiebatur, et summa devotione afficiebatur.

B. Angelæ patria et vita.

Multa invisibiliter patitur dæmonibus.

7 Erat autem maximæ et ferventissimæ orationis, et in confessione discretissima. Unde in quadam vice ipsa fidelis Christi fuit mihi confessa, sicut consueverat cum tanta perfectione cognitionis peccatorum, et cum tanta contritione, et lacrymis a principio confessionis usque ad finem; et cum tanta virtute humilitatis, quod ego lacrymabar in corde meo, credens certissime, quod si totus mundus deciperetur, Deus non permitteret, quod illa tantæ rectitudinis et veritatis decipi posset.

Auctore Arnaldo. *Pietas et rectitudo in confessione.*

8 Et cum sequenti nocte infirmaretur, quasi usque ad mortem, cum magna pœna mane sequenti venit ad ecclesiam Fratrum : et tunc ego dixi Missam, et communicavi eam : et scio quod numquam communicavit, quin aliquam gratiam magnam fecerit sibi Deus, et quasi novam continue. Tanta autem erat efficacia illustrationum et illuminationum et consolationum, quas recipiebat in anima, quod in corpus evidenter frequentissime redundabant. Unde et quandoque mecum stando anima ejus levabatur : nec aliquid intelligere poterat de his, quæ ego sibi relegebam : et alterabatur in facie et in corpore, ex lætitia allocutionum divinarum, et ex devotione et delectatione consolationum, in tantum, quod aliquando oculi ejus erant sic lucentes, ut candela, et facies ut rosa : et efficiebatur quandoque plena, et pinguis, et splendens, et angelica, et admirabilis in toto vultu ultra humanam conditionem, et obliviscebatur comedere et bibere quasi si ejus spiritus non existeret in corpore mortali.

Consolationes divinæ in corpus redundant.

Obliviscitur aliquando comedere.

9 Referebat enim socia sua, virgo devotissima, quod cum quadam vice ambularent per viam, tota fuit effecta resplendens, læta, rubicunda, ut oculi ejus effecti sunt grossi, et in tantum resplendentes, quod nullo modo videbatur esse ipsa. Unde et hæc videns socia sua, erat tristis, timens, ne aliqua persona obviaret, et respiceret eam : unde et ipsa socia cooperiebat vultum suum, et dicebat : Quare non cooperis vultum tuum? oculi enim tui videntur resplendere sicut candelæ. Et quia erat timida et simplex valde, et nesciebat adhuc dona gratiarum, lamentabatur, et percutiebat se cum pugnis, et percutiebat pectus suum, dicens : Dicas mihi quare accidit tibi istud? de cetero stude subtrahere te ab hominibus, quia amodo non possumus ire per terram. Heu quid faciemus? Et ipsa respondens, confortabat eam, dicens : Ne timeas, quia si homines invenerimus, Deus juvabit nos. Hoc autem dixit accidisse ei totiens, quod nescit numerum.

Facies ejus mutatur et resplendet.

10 Referebat prædicta socia de hac sancta Matre, quod dum quadam vice ipsa jaceret in excessu mentis in latere suo, ipsa vidit quasi stellam unam jucundissimam, et innumeræ varietatis, et colorum innumerabilium resplendentium, et procedebant ex ea radii grossi et subtiles miræ pulchritudinis; et postquam processerant de corpore ipsius jacentis in latere, plicabant se in latere ipsius; et postmodum ascendebant sursum versus cælum : et istud vigilando hora quasi tertia : et stella erat, ut dicebat, non multum magna.

Juxta eam videtur stella.

11 Quandoque etiam propter tormenta animæ, et vehementes tentationes, et vexationes, et infirmitates corporis, et languore amoris ad suum amatum efficiebatur tota languida, sicca, et pallida, quod erat compassio videre, et quasi semper corpore debilis et infirma.

Languet ex amore.

12 Et ego frater scriptor, postquam scripseram omnia, quæ scripta sunt infra, quæsivi, et rogavi prædictam fidelem Christi, ut ipsa oraret Deum, et requireret ab eo, quod si aliquid falsum vel superfluum scripsissem, ipse Deus pro sua misericordia revelaret, et indicaret ei, ut ab ipso sciremus veritatem de ipsis. Et ipsa fidelis respondit mihi, ita dicens : Ego, inquit, antequam tu mihi diceres istud pluries rogavi Deum, ut ipse faceret me scire, si in illis, quæ ego dixi, et quæ tu scripsisti, esset aliquid mendacium vel superfluum. Et pluries certificata sum, et responsum est mihi, quod totum, quod ego dixi, et quod tu scripsisti,

Vita hæc nihil falsi continet.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Auctore Arnaldo

psisti, totum erat verum : nec erat ibi aliquid falsum vel superfluum; quamvis per hunc modum non ita perfecte sint expressa, sicut oporteret.

13 Iterum dictum erat sibi a Deo per hunc modum : Totum, quod scriptum est in isto libello, est secundum meam voluntatem, et a me processit, et ego sigillabo illud : et cum ipsa non intelligeret illud verbum : Ego sigillabo illud; tunc iterum ipse dixit, et ego firmabo illud. Ego autem scriptor verbis ejus nihil addidi; multa tamen dimisi de illis bonis, quæ dicebat, quia ego non poteram capere in intellectu meo. Examinata autem sunt omnia hæc Deo disponente a duobus Fratribus Minoribus fide dignis, facta diligenti examinatione cum ea, et audierunt hæc omnia, quæ scripsi ab ore ejus, cum ea de omnibus conferentes, ut certiores de his omnibus redderentur. Examinata etiam fuerunt omnia per Dominum Jacobum de Columna, et per octo Fratres Minores famosos, quorum quidam Lectores fuerunt in studiis generalibus, alii Inquisitores, alii Custodes, qui fuerunt fide digni, viri utique modesti, et per divinam gratiam multum spirituales, quorum ista dicta de falsitate nullus arguit; sed potius omnes venerantur humiliter, et carius amplectuntur. Non miretur autem, quicumque hunc libellum legerit, de hoc, quod sibi verba dulcia, et amore plena frequentius dicebantur : quia et talis modus loquendi in sacra Scriptura, ut patet in Canticis Canticorum, reperitur ; potissime cum, ut patet legenti, gratia divina ipsam conservarit, ne in elationem modo aliquo laberetur : quin imo ex talibus verbis humillima est effecta. Quoniam autem dicit, quod quandoque elevabatur, et transformabatur in unum statum illuminationis, lætitiæ, vel delectationis, quod non credebat perdere in æternum; ego sic intelligo hoc verbum, et similia : quod scilicet anima benedicta ex illustratione divina formatur de novo in quemdam statum continuum transformationis in Dei infinitissimum lumen, et in sentimentum sibi hactenus inexpertum; qui licet sit continuus (et non interpolatus quasi per modum actus) ut habitus; tamen ille idem actus, ut credo, recipit incrementum novorum fervorum, gaudiorum, et dulcorum, et novorum gustuum, remanente tamen eadem illuminatione et sentimento, quantum ad actum unum continuatum. Et propter hoc potest dici quoad tales modos, et intensiones fervorum majorum, et dulcorum, et illustrationum, et repræsentationum innovari.

Hæc vita examinata.

CAPUT I.

XVIII. *Passus spirituales per quos ad sui cognitionem Angela pervenit.*

c. 1. Passus I. *Cognitio peccati.*

Ego, inquit Angela de Fulginio, proficiscendo ad viam pœnitentiæ, XVIII passus peragravi spirituales, antequam cognoscerem imperfectionem vitæ meæ. Primo enim incepi considerare peccata mea, et adepta sum cognitionem peccatorum meorum : ex qua cognitione anima mea valde timuit, ne damnaretur in inferno, et ex hoc planxi amare.

c. 2. Passus II. *Verecundia confitendi.*

15 Secundo incepi erubescere de peccatis meis, et erat tanta erubescentia, quod præ verecundia non poteram plene confiteri peccata mea. Unde et multotiens inconfessa communicavi, et cum peccatis corpus Domini recepi. Unde die et nocte reprehendebar a conscientia mea, propter quod rogavi B. Franciscum, ut concederet mihi invenire Confessorem idoneum, qui bene cognosceret peccata mea, et cui bene possem confiteri. Ipsa igitur nocte apparuit mihi senex, dixitque mihi : Soror si citius me rogasses, citius fecissem, quod rogasti; quod tamen petisti, factum est. Mane igitur dum irem ad S. Franciscum, inveni unum fratrem prædicantem in S. Feliciano, qui erat capellanus Christi, et habebat ejus potestatem, et statim facto sermone deliberavi ei confiteri. Confessa igitur sum plenarie de peccatis meis, et absoluta. In hac autem confessione non sensi amorem, sed amaritudinem, verecundiam et dolorem.

Vide 24 Januar.

c. 3. Passus III. *Satisfactio.*

16 Tertio perseverabam consequenter in satisfactione et pœnitentia mihi imposita : et adhuc plena dolore eram sine alia consolatione.

c. 4. Passus IV. *Consideratio misericordiæ Dei.*

17 Quarto incepi considerare, et recognoscere divinam misericordiam, quæ mihi concessit gratiam prædictam, et me extraxerat de inferno; et hic incepi illuminari : et nunc plus plangebam et dolebam quam prius, et affectabam facere pœnitentiam arctiorem, quam hic non dico.

c. 5. Passus V. *Cognitio sui.*

18 Quinto cum sic essem illuminata, et nihil in me viderem nisi defectus, condemnabam me ipsam, sciens et cognoscens certissime, quod digna eram inferno : et hic adhuc recipiebam amarum planctum. Et intelligatis quod in istis passibus prædictis erat mora temporis inter unum et alterum. Unde magna pietas et magnum dolicordium est de anima, quæ tam graviter potest se movere et cum dolore et magno pondere versus Deum vadit, et valde parvum passum facit. Et scio de me quod in quolibet passu morabar et plangebam, et non dabatur mihi plus simul : quamvis aliqualis consolatio mihi esset, quod poteram plangere in quolibet passu; sed erat una consolatio amara.

c. 6. Passus VI. *Illuminatio ad cognoscenda peccata.*

19 Sexto consequenter mihi sic continuanti data est quædam illuminatio gratiæ, qua profunde mihi conferebatur cognitio omnium peccatorum meorum : et videbam, eo quod offenderem creatorem meum, offendisse omnes creaturas pro me factas : et profunde reducebantur in meam memoriam omnia peccata, et in confessione, quam faciebam Deo meo, profundissime ipsa ponderabam. Et invocabam omnes Sanctos, et B. Virginem, ut intercederent pro me, et rogarent misericordem Dominum, qui tanta mihi bona contulerat, ut misereretur mei : et quia cognoscebam me esse mortuam in peccatis, me faceret vivam, per suam gratiam vivificando. Et rogabam omnes creaturas, quas omnes me videbam offendisse, quia creatorem eorum offenderam, ut non accusarent me coram Deo. Et videbatur mihi, quod omnes creaturæ habebant de me pietatem, et omnes Sancti similiter, et tunc dabatur mihi cum magno igne amoris orare Deum plus quam solebam.

c. 7. Passus VII. *Aspectus Crucis.*

20 Septimo dabatur mihi specialis gratia respiciendi in crucem, in quâ oculis cordis et corporis considerabam Christum mortuum pro nobis. Sed hæc visio et consideratio erat adhuc insipida : quamvis haberem ibi magnum dolorem.

c. 8. Passus VIII. *Cognitio causæ mortis Christi.*

21 Octavo in aspectu crucis data est mihi major cognitio, quomodo Christus mortuus fuerat pro peccatis nostris : et tunc recognovi omnia peccata mea cum dolore maximo, et sentiebam, quod ego crucifixeram eum. Sed non cognoscebam adhuc, quod passio Christi esset tantum beneficium, aut quomodo me reduxerat de peccatis, et converterat ad pœnitentiam, et pro me mortuus fuerat, non sic profunde intellexi, sicut postea. Sed in ista cognitione crucis dabatur mihi tantus ignis amoris et compunctionis, quod stando juxta crucem, expoliavi me omnibus in proposito, et totam me obtuli ei : et quamvis cum timore, tamen tunc promisi ei servare perpetuam castitatem, et non offendere eum cum aliquo membrorum meorum, accusando de præteritis mea membra sigillatim. Et rogabam eum, quod ipse me faceret istud prædictum observare, castitatem scilicet, et omnium sensuum meorum custodiam, quia ex una parte timebam promittere prædicta, et ex alia parte ignis prædictus me cogebat, et non poteram aliud facere.

c. 9. Passus IX.

22 Postea dabatur mihi desiderium quærendi, quæ esset via crucis, ut possem stare ad pedem crucis, et invenire refugium, ad quam refugiunt omnes peccatores. Et fui illuminata et instructa, et demonstrata est

Viæ crucis cognitio.

est mihi via crucis isto modo. Inspiratum est enim mihi, quod, si ego volebam ire ad crucem, ego spoliarem me, ut essem magis levis et libera, et sic irem ad crucem : scilicet quod parcerem omnibus, qui me offendissent, et quod spoliarem me de omnibus terrenis, et de omnibus hominibus et feminis, et de omnibus amicis et parentibus, et aliis omnibus, et de possessione mea, et de me ipsa, et cor meum darem Christo, qui tanta bona prædicta mihi fecerat, et irem per viam spinosam, viam scilicet tribulationis. Et tunc incepi dimittere pannos meliores, et vestes, et de cibariis delicatioribus, et de pannis capitis similiter. Sed erat mihi adhuc satis verecundum et pœnosum, quia non sentiebam adhuc multum de amore Dei, et eram cum viro meo : unde amarum erat mihi, quando mihi dicebatur aliqua injuria, vel quando fiebat mihi; tamen sustinebam patienter, sicut poteram. Factum est autem volente Deo, quod illo tempore mortua est mater mea, quæ erat mihi magnum impedimentum in via Dei : et similiter mortuus est vir meus, et omnes filii mei in brevi tempore. Et quia inceperam viam prædictam, et rogaveram Deum, quod me de iis expediret, magnam consolationem recepi de morte eorum, quamvis eis aliquatenus condolerem : cogitabam tamen, quod deinceps, postquam Deus fecerat mihi gratiam prædictam, quod cor meum semper esset in corde Dei, et in voluntate ejus, et voluntas Dei, et cor ejus in corde meo.

Abjicit commodiora.

Moriuntur Angelæmater, vir, filii.

c. 10. Passus X. *Apparet ei Christus crucifixus.*

23 Decimo cum quærerem a Deo, quid possem facere, per quod ei plus placerem, ipse pro sua pietate apparuit mihi pluries dormienti et vigilanti crucifixus in cruce, et dicebat mihi, quod ego respicerem in plagas suas, et mirabili modo ostendebat mihi, quomodo omnia sustinuerat pro me; et hoc accidit pluries. Et quando ostendebat mihi omnia singulariter et singillatim quæ sustinuerat pro me, dicebat mihi : Quid ergo potes facere pro me, quod sufficiat? Similiter apparuit mihi vigilanti multotiens, magis tamen placibiliter quam dormienti; quamvis semper appareret mihi multum pœnatus, et dolorosus : et ostendebat mihi pœnas capitis, et superciliorum, et barbæ capillos sibi avulsos, et enumerabat omnes flagellationes, assignando easdem in locis suis sicut sustinuerat, dicebatque mihi : Hæc omnia pro te sustinui. Et tunc reducebantur in memoriam omnia peccata, et ostendebatur mihi, quod propter ipsa peccata mea ego iterum plagaveram Christum Jesum, et quod dolorem maximum debebam habere, et tunc habebam majorem dolorem de peccatis meis, quam numquam habuerim. Similiter et mihi ostendens passionem, dicebat : Quid potes facere pro me, quod sufficiat? Et tunc plorabam multum, et lacrymabar ita ardenter, quod lacrymæ adurebant carnem meam, unde oportebat me ponere aquam frigidam ad refrigerandum.

Dolor de peccatis.

c. 11. Passus XI. *Pœnitentiæ asperitas, fuga sæculi.*

24 Undecimo propter peccata movi me ad faciendum pœnitentiam magis asperam, quam non oportet hic dicere, et imaginabar, et conabar ipsam facere : et cum non videretur mihi, quod possem cum rebus sæculi facere sufficienter pœnitentiam, deliberavi omnino omnia relinquere, ut possem facere pœnitentiam, et venire ad crucem, sicut mihi a Deo fuerat inspiratum : prædicta vero deliberatio fuit mihi a Deo donata per gratiam mirabiliter isto modo. Cum enim ego desiderarem vehementer fieri pauper, et cogitarem frequenter cum multo zelo ne forte morerer, priusquam pauper fierem; et e contrario impugnarer multis tentationibus, scilicet quia eram juvenis, unde mendicare mihi poterat esse periculum et verecundia. Iterum suggerebat mihi cogitatio, quod si hoc facerem, oportebat me mori fame, et frigore, et nuditate, et quod hoc etiam ab omnibus mihi dissuaderetur.

In eo proposito divinitus corroboratur.

25 Tandem miserante Deo venit mihi quædam magna illuminatio in corde meo, cum qua illuminatione venit mihi quædam firmitas, quam tunc non credidi, nec credo perdere in æternum : et disposui et deliberavi, quod si oporteret me mori fame, et nuditate, vel verecundia, ex quo Deo placebat, vel placere Deo poterat, nullo modo propter prædicta ista dimitterem, etiam si certa essem, quod omnia ista prædicta mala mihi acciderent. Quia, etiamsi omnia prædicta mala mihi acciderent, libenter moriebar pro Deo, et tunc vere deliberavi, quod dictum est.

26 Duodecimo consequenter rogavi beatam Matrem Christi, et S. Joannem Evangelistam, per dolorem quem ipsi sustinuerunt, quod ipsi acquirerent mihi certum signum, quo possem semper habere in memoria passionem Christi.

c. 12. Passus XII. *Memoria passionis.*

27 Tertiodecimo mihi perseveranti in ista prædicta oratione et desiderio accidit mihi somnium, in quo ostensum fuit mihi cor Christi, et dictum est mihi : In isto corde non est mendacium, sed omnia sunt ibi vera : et hoc videbatur mihi quod acciderat, quia ego feceram quasi truffas de quodam Prædicatore.

c. 13. Passus XIII.

28 Quartodecimo consequenter quadam vice dum starem in oratione, Christus ostendit se mihi vigilanti magis clare, et dedit mihi majorem cognitionem de se; et tunc vocavit me et dixit mihi quod ego ponerem os meum in plagam lateris sui, et videbatur mihi quod ego ponerem et biberem sanguinem ejus fluentem recenter ex latere suo : et dabatur mihi intelligere, quod in ipso mundaret me. Et hic incepi habere consolationem magnam, quamvis ex consideratione passionis haberem tristitiam, et rogavi Dominum, quod faceret me totum sanguinem meum spargere et effundere propter amorem suum, sicut ipse fecerat pro me, et desiderabam propter suum amorem, quod omnia membra mea afflictionem et mortem paterentur viliorem et acerbiorem passione sua. Et cogitabam et desiderabam invenire, qui me interficeret, dummodo hoc paterer propter fidem suam, vel propter amorem suum, quod ego peterem eum, quod faceret mihi istam gratiam, scilicet quod quia Christus crucifixus est in ligno, me crucifigeret in una rippa, vel in aliquo vilissimo loco, vel in una vilissima re. Et quia non eram digna mori, sicut fuerunt mortui sancti Martyres, sed desiderabam, quod faceret me mori vilius et acerbiori morte, et non poteram cogitare ita vilem mortem, sicut ego desiderabam, et quod omnino esset dissimilis morti Sanctorum, reputabam enim me omnino indignam morte ipsorum.

c. 14. Passus XIV. *Clarior cognitio Christi.*

Optat mori pro Christo.

29 Quintodecimo consequenter figebam desiderium in S. Joanne et in Matre Virgine Dei, in memoria eos tenendo, et cogitando, et rogando eos propter dolorem, quem in passione Domini sustinuerunt, ut acquirerent mihi gratiam, ut semper sentirem dolorem passionis Christi, vel saltem dolorem eorum. Et ipsi acquisiverunt et impetraverunt hanc gratiam, et tantum dedit mihi semel S. Joannes, quod fuit ille dolor de majoribus, quam unquam senserim. Et dabatur mihi intelligere, quod S. Joannes tantum dolorem sustinuerat de passione et de morte Christi, et de dolore Matris Christi, quod existimabam et existimo, eum fuisse plus quam Martyrem. Unde et tunc datum est mihi desiderium expropriandi me cum tota voluntate : et quamvis impugnarer multum a dæmone, et sæpe tentaret me, ut id non facerem, et prohiberetur mihi a Fratribus Minoribus, et ab omnibus, a quibus me conveniebat habere consilium; nullo tamen modo potuissem abstinere pro omnibus malis vel bonis, quæ potuissent mihi fieri, quin omnia mea pauperibus erogarem, et si hoc facere non potuissem, quod saltem omnia omnino dimisissem. Quare non videbatur, quod possem aliquid reservare sine magna offensione ejus, qui me sic illuminaverat. Et tamen adhuc eram in amaritudine pro peccatis, et nesciebam, si ea quæ faciebam, erant placita

c. 15. Passus XV. *Sensus doloris passionis Christi.*

AUCTORE ARNALDO.

placita Deo; sed cum amaro planctu clamabam, dicens : Domine etsi damnata sum, nihilominus tamen faciam pœnitentiam, et expropriabo me de omnibus, et serviam tibi : et cum adhuc essem in amaritudine pro peccatis, et non sentirem adhuc aliquam dulcedinem divinam, mutata fui de isto statu isto modo.

Illustris resolutio in desolatione.

c. 16. Passus XVI. *Consolatio in legendo* Pater noster.

30 Sextodecimo consequenter semel veni ad ecclesiam, et rogabam Deum, quod faceret mihi aliquam gratiam : et dum orarem, et dicerem *Pater noster*, posuit Deus ipsum *Pater noster* in corde meo cum tanta claritate, et intellectu bonitatis divinæ, et indignitatis meæ, quod non possem exprimere. Singula autem verba exponebantur mihi in corde, et dicebam id cum magna mora et contritione et compunctione, sic quod, quamvis ex una parte plorarem propter peccata mea, et indignitatem meam, quam ibi cognoscebam; tamen habui consolationem magnam, et cœpi aliquid gustare de dulcedine divina, quia in dicto *Pater noster*, melius cognoscebam bonitatem divinam, quam in aliqua alia re, et adhuc ibi invenio melius. Verumtamen quia in dicto *Pater noster* mihi indicata fuerunt peccata mea, et indignitas mea, cœpi in tantum esse verecunda, quod non audebam levare oculos meos ad cælum, nec ad crucifixum, nec ad aliam rem. Sed recommendavi me Beatæ Virgini, ut ipsa impetraret mihi gratiam et indulgentiam peccatorum : et adhuc eram in amaritudine pro meis peccatis.

31 O peccatores, in quanta gravedine proficiscitur anima ad pœnitentiam : ita habet fortes compedes, et ita habet malos adjutores, quin imo impeditores, mundum, carnem, et dæmonem. Sciatis autem, quod in quolibet supradictorum passuum fui morata per bonum tempus, antequam me possem movere ad alium passum. Sed in quibusdam passibus morata sum plus, in quibusdam minus.

c. 17. Passus XVII. *Major fides per D. Virg. impetrata.*

32 Decimoseptimo post ista demonstratum est mihi, quod Beata Virgo acquisivit mihi gratiam, per quam dedit mihi aliam fidem, quam humanam : quia videbatur mihi, quod usque ad idem tempus fuisset fides mea quasi mortua in comparatione ad illam, quam impetravit mihi, et videbatur mihi, quod lacrymæ meæ, quas ante habueram, fuissent quasi * per vim, in comparatione ad illas, quas postea habui. Postea enim dolui de passione Christi, et de dolore Matris efficacius, et tunc quidquid faciebam, quantumcumque esset magnum, videbatur mihi parum esse : et habebam voluntatem faciendi majorem pœnitentiam, et tunc inclusi cor meum in passione Christi, et data est mihi spes, quod in ipsa poteram liberari. Et hic incepi habere consolationem per somnia, et habebam pulcra somnia, et dabatur mihi consolatio in eis, et cœpit mihi dari dulcedo, et consolatio de Deo intus in corde, et extra in corpore, continue vigilanti et dormienti. Sed quia adhuc non sentiebam certitudinem, adhuc erat admixta amaritudo, nec quiescebat cor meum, sed desiderabam habere aliud a Deo.

* MSS. parvæ.

Spiritualis consolatio in somniis.

33 *Addit* MS. Et de somniis et visionibus retulit unam de multis dicens : Quadam vice dum eram in carcere, in quo me recluseram pro Quadragesima majori, et diligerem, et meditarer in uno verbo Evangelii, quod verbum erat maximæ dignationis, et excessivæ dilectionis; dum eram juxta unum librum, scilicet Missale, et sitirem videre illud verbum, saltem tantummodo scriptum, et vix comprimens, et coercens me, et timore superbiæ continuissem me ne dictum librum præ nimia siti et amore meis manibus aperirem; quodam somno sopita in ipso desiderio obdormivi : et statim ducta fui in visione, et dictum est mihi, quod intellectus epistolæ est res tantum delectabilis, quod si quis bene intelligeret, obliviscereturomnium mundanorum. Et dixit mihi ille qui ducebat me : Vis hoc probare? Et cum assentirem, et sitirem probare illud; statim duxit me, et fecit me illico probare. Et tunc intelligebam cum tanta discretione bona divina, quod statim fui oblita omnium mundanorum. Et dixit mihi ille, qui ducebat me, quod adhuc intellectus Evangelii est res tantum delectabilissima, quod si quis illud intelligeret, obliviscereturnon solum omnium mundanorum, sed etiam obliviscereturomnino sui ipsius. Et dixit mihi adhuc, et fecit me illud probare : et statim intelligebam cum tanta delectatione bona divina, quod petivi ab illo qui ducebat me, quod ab illo statu non discederem de cetero. Et respondit mihi, quia istud, quod petebam, non poterat esse adhuc : et statim reduxit me : et aperui oculos, et maximam lætitiam sentiebam de iis, quæ videram : sed valde dolebam quod illa perdideram. Et adhuc multum me delectat, quando recordor. Et ex tunc tanta certitudo remansit mihi, et tantum lumen et ardor amoris Dei, quod affirmabam certissime, quod nihil prædicatur de dilectione Dei : et illi qui prædicant, non possunt illam prædicare, et ea quæ prædicant non intelligunt. Et ita dixerat ille qui duxit me in visione.

c. 18. Passus XVIII. *Ardor et assiduitas orationis.*

34 Octavodecimo consequenter incepi habere sentimenta Dei, et habebam tantam delectationem in oratione, quod non recordabar de comestione; et desiderabam, quod non oporteret me comedere, ut possem stare in oratione : et intermiscebat se hic quædam tentatio, quod non comederem, et si comederem, quod in modica quantitate comederem : sed cognovi hoc esse deceptionem. Et erat ignis amoris in corde meo tantum, quod non fatigabar de genuflexionibus, nec de aliqua alia pœnitentia. Postea vero veni ad majorem ignem et fervorem amoris caritatis divinæ. Si enim audivissem loqui de Deo, stridebam in tantum quod si aliquis stetisset cum securi super me, ad me interficiendum, non potuissem me abstinere. Et hoc accidit mihi prima vice, quando vendideram *a* Casalenum, ut darem pauperibus, erat enim melior terra quam haberem. Et prius faciebam truffas de Petrucio, sed nullo modo postea poteram illud facere. Frequenter autem cum de Deo audiebam loqui, stridebam etiam in conspectu quarumcumque gentium. Et quando aliquæ personæ dicebant mihi; quod eram *b* inordinata pro eo, quæ accidebant mihi, ego dicebam similiter, quod eram infirma et *c* deordinata, et non poteram facere aliud, nec poteram maledicentibus mihi propter hoc satisfacere, sed verecundabar valde. Et quando videbam passionem Christi depictam, vix poteram me sustinere, sed capiebat me febris et infirmabar. Unde socia mea abscondebat a me picturas passionis, quantum poterat, ne ipsas viderem. In isto tempore stridendi habui plurimas illuminationes, sentimenta, visiones, et consolationes quarum aliquæ hic infra scribuntur.

a *ita* MSS. *excusus*, casale meum.

b MS. dæmoniaca.

c MS. dæmoniaca.

Videns picturam passionis febri corripitur.

CAPUT II.

Variæ ejus tentationes.

c. 19. *Tentationes a dæmonibus illatæ.*

Ne autem magnitudo et multitudo revelationum et visionum me extolleret, et ne earum delectatio me super me efferret, datus est mihi multiplex tentator, qui multiplici tentatione et afflictione me affligat. Affligor enim tam in corpore et anima ab eisdem. Corporis enim sunt tormenta innumera a multis dæmonibus multipliciter excitata. Vix enim credo quod scribi possent passiones et infirmitates mei corporis : nam non remanet in me aliquod membrum quin horribiliter patiatur. Numquam enim sum sine dolore, sine languore, continue sum debilis et fragilis, plena dolore, sic quod continue oportet me jacere : non est in me membrum, quod non sit percussum, tortum, et pœnatum a dæmonibus, et semper sum infirma et semper tumefacta et plena doloribus in omnibus membris meis, sic quod cum magna pœna possum me movere et sum fatigata jacere, nec etiam comedere ad sufficientiam possum.

Infirmitates corporis.

36 Tormenta vero et animæ passiones (quas sine comparatione acerbiores et plures esse dico quam corporis) patior quasi assidue ab ipsis dæmonibus. Nec scio aliam assignare similitudinem, nisi de homine suspenso per gulam, qui ligatis manibus post tergum et velatis oculis suspensus cum fune remansisset in patibulo, et viveret, cui nullum auxilium, nullum remedium, vel fulcimentum remansisset. Et dico quod adhuc desperatius et crudelius a dæmonibus torqueor. *a* Video enim quod dæmones ita animam meam suspendunt, quod sicut suspensus non habet

Afflictiones animæ.

habet aliquid sustentamenti, ita animæ nullum videtur remanere sustentamentum, et omnes virtutes animæ subvertuntur, sciente et aspiciente anima mea. Et quando anima mea videt subverti omnes virtutes, et discedere, et quod non potest se sibi opponere, *Varii animæ motus.* est tantus dolor animæ, quod vix aliquando possum plorare propter desperatum dolorem et iram; aliquando vero ploro irremediabiliter. Aliquando etiam tanta ira venit in me, quod vix possum me tenere, quin me totam dilaniem; aliquando vero non possum me tenere, quin horribiliter me percutiam, et percutiendo meipsam tumefeci aliquando caput meum et alia membra. Et quando anima videt cadere et discedere omnes virtutes, fit planctus animæ, et vociferor ad Deum meum, et quasi sine intermissione : Deus meus, Deus meus, ne derelinquas me.

37 Item aliud tormentum patior, quia omnia vitia in me revixerunt, et aliquando reviviscunt : non quod sint in vita durabili rationem meam subjicientia, sed præbent mihi et afferunt magnam pœnalitatem. Et *Vitia præterita a dæmonibus resuscitantur.* etiam vitia quæ numquam fuerunt in meo corpore, veniunt in me, et incenduntur, et afferunt mihi magnam pœnalitatem; sed non habent vitam continuam, et quando remoriuntur, dant mihi magnam consolationem. Video enim, quod dæmonibus multis tradita sum, qui reviviscere faciunt vitia, quæ horreo, et quæ fuerunt mortua, et addunt illa, quæ numquam fuerunt. Et ego recordans quod Deus hic fuit afflictus et despectus et pauper, vellem quando oportet quod omnia mala mea duplicarentur.

38 Et quandoque sum in tenebra horribilissima dæmonum, ubi videtur omnino deesse omnis spes boni : et est illa tenebra horribilis; et suscitantur vitia in corpore, quæ cognosco intus in anima esse mortua. Sed extra animam suscitant ea dæmones, et *Generose vitiis resistit.* etiam illa vitia quæ non fuerunt, suscitantur. Et in corpore ad minus patior in tribus locis : nam in locis verecundis est tantus ignis, quod consuevi apponere ignem materialem, ad extinguendum alium ignem concupiscentiæ, donec Confessor meus mihi prohibuit. Tunc cum sum in illa tenebra, credo quod citius eligerem assari, quam prædicta tunc pati : imo tunc clamo, et advoco mortem, ut per quemcumque modum mihi eam Deus concederet evenire : et tunc dico Deo : Domine, si me debes mittere in infernum, ne differas, sed subito facias, et ex quo me dereliquisti, comple et submerge me in profundum. Et intelligo tunc, quod id est opus dæmonum, et quod illa vitia non vivunt in anima, quia anima numquam consentit eis, sed corpus patitur violentiam, et est tantus dolor, et tædium, quod si duraret, corpus pati id non posset. Sed et anima videt, quod est ei ablata omnis potentia, quamvis non consentiat vitiis; non tamen habet potestatem omnino resistendi vitiis, et videt quod est contra Deum; et sic cadit, et torquetur in eis. Et est quoddam vitium permissum a Deo venire in me, quod numquam fuit in me : sed aperte et manifeste cognosco, quod permittitur a Deo venire in me; et prædictum vitium est tam magnum, quod superat omnia alia vitia. Et est quædam virtus quæ datur mihi manifeste a Deo contra prædictum vitium, *Confortatur a Deo.* qua virtuose a Deo liberor. Et si non haberem ego fidem de Deo certam, solum in isto, et non pro aliquo alio remaneret mihi, et in isto remaneret mihi spes certa et secura, de quam non possum dubitare : et virtus prævalet semper, et vitium deficit, et virtus tenet me, et non permittit me cadere in vitium : et est virtus tantæ fortitudinis, quod non solum tenet me, imo dat mihi tantam fortitudinem virtutis, quod vere in isto cognosco Deum, et illuminor, et confirmor in tantum, quod omnes homines mundi, nec omnia dæmonia inferni, nec alia aliqua res est, quæ posset me movere ad minimum peccatum : et cum ista virtute remanet mihi Fides de Deo. Vitium autem est tam magnum, quod verecundor illud dicere : et est tam magnum istud vitium, quod quando prædicta virtus est mihi abscondita, et videtur mihi quod me dimiserit, non est res quæ me posset tenere, nec pro verecundia, nec pro pœna aliqua, quin statim ruerem in peccatum. Tunc tamen supervenit illa virtus, et virtuose me liberat, ita quod nec ego ipsa possem peccare pro omnibus bonis vel malis istius mundi : et istos labores sustinui per duos annos, et plus. AUCTORE ARNALDO.

39 *b* Item in anima mea consuevit pugnare quædam humilitas, et quædam superbia tædii grandissimi. Humilitas est, quia video me cecidisse ab omni bono, et video me esse extra omnem virtutem, et extra omnem gratiam, et video in me tantam multitudinem peccatorum et defectuum, quod non possum cogitare, quod Deus de cetero velit mihi misereri; et video me domum diaboli, et operatricem, et credulam dæmoniorum, et video me filiam eorum, et video me extra omnem rectitudinem, et extra omnem veracitatem, et dignam infimo et ultimo profundo inferni. Et ista humilitas prædicta non est illa humilitas quam aliquando habeo, quæ facit animam meam esse contentam, et facit animam venire in cogitationem bonitatis divinæ. Quia alia prædicta humilitas, non adducit nisi innumerabile malum. Unde intus in anima videtur mihi, quod *Affligitur amaritudine animi.* sim tota circumdata dæmonibus, et video defectus in anima et corpore, et est mihi clausus Deus, et absconditus in omni parte et gratia, ita quod nullo modo possum recordari Dei, nec ipsius habeo memoriam, quia nec ipse permittit : et videndo me damnatam, non curo aliquo modo de damnatione mea, quia plus curo et plus doleo, quia offendi Creatorem meum, quem nollem offendisse, nec offendere pro omnibus bonis et malis quæ possent nominari. Unde et videndo offensiones meas innumerabiles prædictas, pugno cum omnibus membris meis, et contra dæmones, ut possim vincere, et prævalere contra prædicta vitia et offensiones; et non possum per aliquem modum omnino : et etiam non invenio aliquem vadum, nec aliquam fenestellam, nec aliquod omnino remedium, per quod possim evadere, vel me adjuvare, et perpendo quod ego cecidi ita profunde. *Exercet actus humilitatis.*

40 Unde et humilitate frequenter sum inabyssata, *Nimia et mala humilitas.* et facit me videre peccata mea, et superabundantiam malitiarum mearum, et iniquitatum, ita quod non video me posse manifestare, nec discooperire ea per aliquem modum, ut eas simulationes et iniquitates meas et peccata mea possem manifestare, et vellem ire nuda per civitates, et plateas, et vellem appendere ad collum meum carnes et pisces, dicens : Hæc est illa mulier vilissima, plena malis et simulatione, et seminatrix omnium vitiorum et malorum. Faciebam enim bona ad famam hominum, et faciebam dici omnibus qui invitabant nos : Non comedo pisces, nec carnes, et ego eram plena gula, et comessatione, et ebriosa, et ostendebam quod nolebam recipere, nisi quantum sufficiebat mihi : et studebam esse pauper exterius, et ubi jacebam, projiciebam multos pannos, et de mane faciebam eos levari, nec personæ venientes hoc perpenderent. Videte animæ meæ diabolum et cordis mei malitiam : audiatis quomodo sum hypocrita et filia superbiæ, et quomodo sum deceptrix, et sum abominatio Dei. Et ostendebam me esse filiam orationis, et ego eram filia iræ, superbiæ, et filia diaboli. Et ostendebam me habere Deum in anima, et consolationes divinas in cella, et ego habebam diabolum in anima et in cella. Et sciatis quod toto tempore vitæ meæ studui, quomodo possem habere famam sanctitatis, et sciatis in veritate quod propter malitias et simulationes, quæ absconsæ sunt in corde meo, multas gentes decepi, et sum homicida multarum animarum et animæ meæ.

41 Et postea stando in ista abysso, volvebam me *Alii actus illius humilitatis.* ad istos fratres meos, qui dicti sunt filii, et dicebam eis :

AUCTORE ARNALDO.

eis : Nolite mihi de cetero credere, nonne videtis vos quod sum dæmoniaca? Vos qui dicti estis filii, rogate istam justitiam Dei, ut exeant dæmonia de anima mea, et manifestent nequissima opera mea, ut non amplius vituperetur Deus per me. Et nonne videtis quod omnia, quæ vobis dixi, sunt falsa? Et nonne videtis, quod si non esset malitia in toto mundo, ego replerem totum mundum de abundantia malitiæ meæ? Nolite mihi plus credere. Nolite plus adorare idolum istud : quia in isto idolo latet diabolus, et omnia quæ locuta sum vobis, fuerunt falsa verba, simulata, et diabolica. Rogate istam justitiam Dei, ut cadat hoc idolum, et frangatur, et manifestentur opera diabolica ejus, et mendacia, et verba inorpellata et inaurata quæ dicebam, quia deaurabam me verbis divinis, ut essem honorata et adorata pro Deo. Rogate, ut diaboli exeant de isto idolo, ut non plus decipiatur mundus per istam feminam. Unde rogo filium Dei, quem nominare non audeo, quod si non manifestari me per semetipsum fecerit, quod faciat me manifestari per terram, ut aperiatur et deglutiat me, ut facta in exemplum, dicant homines et mulieres : O quomodo erat inorpellata et deaurata, et tota simulata interius et exterius! Et vellem mittere in collum meum vinculum vel unam redortam, et facerem me trahi per civitates et plateas, et pueri ducerent me ac dicerent: Hæc est illa vilissima mulier, quæ toto tempore vitæ suæ ostendit falsum pro vero, et homines dicerent ac mulieres : O ecce miraculum quod fecit Deus, quia fecit per semetipsam manifestari, et dici malitias et iniquitates et peccata, quæ toto tempore vitæ suæ fuerant absconsa.

Vexatur motibus desperationis.

42 Sed istud dicere, parum sufficiebat animæ : et sciatis, quod sum posita in una desperatione, quod numquam habui isto modo, quia omnino desperavi de Deo, et de omnibus bonis ejus, et feci chartam inter me et ipsum. Et ideo sum certa, quod non est aliqua persona in mundo ita plena omni malitia, et damnanda, sicut ego sum : quia quidquid Deus mihi concessit et dedit, ad majorem meam desperationem et damnationem permisit. Unde rogo vos omnes, ut rogetis istam justitiam Dei, ut non plus tardet extrahere dæmonium de isto idolo, et manifestentur nequissima opera quæ intus sunt, quia caput meum dividitur, corpus deficit, oculi mei caligaverunt propter multitudinem lacrymarum, et omnia membra mea disjunguntur, quia non possum manifestare malitias meas et mendacia animæ meæ; sed gaudeo, quia jam incepit aliquid manifestari. Et omnia ista sine humilitate vera esse in veritate videbam. Et scias, quod tu, qui scripsisti, parum scripsisti in comparatione omnium malorum, et iniquitatum et abusionum mearum, quia quando eram parvula, incepi operari mala. Hæc et his similia cogor dicere prædicta humilitate inabyssata et depressa.

Torquetur spiritu superbiæ.

43 Postea incipit superbia, quia efficior tota ira, tota superbia, tota tristitia, tota amarissima et inflata : et aliam amaritudinem maximam recipio de bonis, quæ fecit mihi Deus, quia non recordor illorum ad aliquod remedium, sed ad injuriam et ad admirationem dolorosam. Videlicet quomodo in me numquam potuerit esse aliqua virtus, et dubito quod numquam in me fuerit verax, et etiam non video aliquam rationem, quare Deus hoc permiserit. Et tunc in ista tentatione omne bonum est mihi clausum et absconditum, quia efficior in tantum tota ira, tota superbia, tota tristitia, tota amarissima et inflata, et pœnata, et dolorosa, plusquam possim dicere. Quia si omnes sapientes de mundo, et omnes Sancti Paradisi loquerentur mihi omnes consolationes ad consolandum me, et promitterent mihi omnia bona quæ dici possunt, et etiam ipse Deus daret mihi nisi ipse aliter me mutaret, vel nisi aliter operaretur in anima, nullam consolationem mihi darent, nec aliquod remedium mihi afferrent, nec eis tunc crederem; imo omnia essent mihi ad augmentum dolorum, et malorum, et darent mihi majorem iram et admirationem et tristitiam et dolorem, plusquam possim dicere.

44 Unde pro commutatione prædictorum tormentorum et tentationum, et ut Deus auferret a me prædicta, ego libenter eligerem et vellem omnia mala, et infirmitates omnes et omnes dolores, qui fiunt in omnibus corporibus hominum, sustinere; et crederem, quod leviora et minora mala mihi essent quam prædicta tormenta. Unde pluries dixi, quod pro commutatione prædictorum tormentorum, ego eligerem omne genus martyrii sustinere. Et incepit iste prædictus status istorum tormentorum et tentationum aliquanto tempore ante pontificatum Papæ Cælestini, et duravit plusquam per duos annos; in quibus sæpe sum tormentata, et adhuc non sum perfecte neque plene curata, quamvis parum modo sentiam aliquando exterius, non tamen interius. Sed modo postquam fui in isto statu, cognosco quod inter prædictam humilitatem malam, et prædictam superbiam, est maxima purgatio, et purificatio animæ. In his enim, et per illam humilitatem veram acquiro, sine qua nullus homo salvatur. Et quanto major est humilitas, tanto major est purgatio animæ. Unde cognosco, quod inter prædictam humilitatem et superbiam, comburitur, et martyrizatur anima mea. Et propter cognitionem offensionum et defectuum, quam per prædictam humilitatem anima adipiscitur, anima purgatur a superbia et a dæmonibus : et propterea quanto anima magis complanata et depauperata et humiliata est inferius, tanto magis aptatur et purgatur et purificatur, ut magis elevetur, quia nulla anima potest aliter nec plus elevari, nisi quantum humiliatur, et profundius in humilitate complanatur et radicatur.

Quantum ei tormentum fuerit illa tentatio.

an. 1294.

Tentatio veram humilitatem parit.

a *Addit* MS. Et sicut ego scriptor audivi dici, et didici cum quidam frater Minorum, et sicut credo fide dignus; admiraretur multum et compateretur, audiendo ab ipsa fideli Christi, quomodo et tam vehementissime torqueretur, prædictus frater fide dignus vidit per revelationem sibi factam a Deo quomodo totum erat verum, et plus quidquid illa fidelis Christi dicebat, se pati de martyrio horribilium tormentorum. Unde ille frater multa, et mira compassione, et devotione afficiebatur ad eam continue. Et verba quæ ego frater scriptor festinanter et breviter potui pingere erant istæ, dicebat illa fidelis Christi ita :

b *Addit.* MS. Et ego Frater scriptor vidi prædictam fidelem Christi, esse in prædicto sexto passu, multo horribilius quam possit scribi, sed duravit prædictus sextus passus parvo tempore, scilicet fere duobus annis et cucurrit simul cum septimo passu qui incipit ante sextum passum aliquantulum temporis, et qui sequitur omnibus mirabilior, et vidi quod prædictus sextus passus, deficiendo cessavit, in parvo tempore sed non omnino, et totaliter defecit; maxime quantum ad infirmitates corporis multas, de quibus semper plena fuit. Et vidi quod prædicta fidelis Christi remansit in septimo passu super quam dici potest, semper in Deo crescens, et quamvis semper esset infirmissima et valde parum comedere posset, tamen erat pinguissima et rubicunda, sed tamen tumefacta et plena doloribus in omnibus membris, et in omnibus artubus corporis, quod cum multa pœna poterat se movere, vel ad ambulandum, vel etiam ad sedendum; quamvis ipsa omnes pœnalitates corporis pro valde modico reputaret.

Post omnia prædicta quæ scripta sunt quando ipsa erat in septimo passu, et jam quasi ex toto sextum passum reliquerat dixit mihi loquens de sexto passu, ita dicens :

CAPUT III.

Quinque consolationes Angelæ, in quibus sensit Deum intra se ut omne bonum; viditque ejus pulchritudinem, potentiam, sapientiam, justitiam.

Benedictus Deus, et Pater Domini nostri Jesu qui consolatur nos in omni tribulatione. In omni enim tribulatione me peccatricem consolari dignatus est. Infra enim illud tempus stridendi, de quo supra in decimo octavo passu meæ conversionis facta est mentio, et post illam illuminationem, quam habui mirabiliter, dicendo *Pater noster*, sensi consolationem magnam de dulcedine Dei isto modo. Fuit enim mihi inspiratum, et fui tracta ad considerandum benedictam unionem deitatis et humanitatis Christi, et divinitatem et humanitatem in Christo. In cujus contemplatione

Consolatio ex considerationis unionis hypostaticæ.

templatione et delectatione sensi maximam consolationem, et fuit major consolatio quam fuissem experta, ita quod per magnam partem illius diei steti in pedibus in cella, ubi orabam stupefacta, clausa, et sola; et cor meum erat affectum in illa delectatione, in tantum quod post jacui, et perdidi loquelam : et socia mea venit ad me, et cogitavit, et credidit quod morerer. Sed me tædebat, quia faciebat mihi impedimentum.

46 Quadam autem vice dum in his perseverarem, antequam complessem omnia pauperibus erogare, quamvis parum remansisset ad dandum, dum essem in oratione uno sero, non videbatur mihi, quod aliquid sentirem de Deo, et ideo lamentabar, et rogabam Deum hoc modo dicens : Domine id quod facio, non facio nisi ut inveniam te. Inveniam igitur, postquam perfecero hæc? et multa similia dicebam in oratione. Et responsio facta est mihi ita dicens : Quid vis? et ego respondi : Nolo aurum, nec argentum, imo etiam si dares mihi totum mundum, nolo aliud nisi te. Et tunc respondit dicens : Studeas diligenter, et propera te, quia statim, quando hoc, quod facis, factum fuerit, tota Trinitas veniet in te. Multa etiam alia tunc promissa mihi fuerunt. Et extraxit me de omni tribulatione, et dimisit me cum multa suavitate divina, et tunc expectavi, quod ita fieret, sicut mihi dictum erat. Et ego hæc retuli sociæ meæ in quadam dubitatione, pro eo quod in visione magna mihi dicta et promissa fuerant, sed tamen dimiserat me cum multa suavitate divina.

Unum Deum quærit.

It Assisium.

47 Post hæc ivi ad S. Franciscum apud Assisium, et tunc in via adimpleta mihi fuit dicta promissio : et tamen non compleveram omnia mea erogare pauperibus, quamvis parum remansisset, pro eo quod quidam sanctus vir, qui hoc facere debebat, interim mortuus fuit, et complere non potuit. Erat enim conversus per gratiam Dei ad admonitionem meam, et dum iret ad expropriandum se, et ad erogandum, suam possessionem pauperibus, in via mortuus est. Deus tamen multa miracula per eum fecit, et sepultura ejus habetur in reverentia. Dum igitur ibam ad S. Franciscum apud Assisium, ibam per viam orando, et inter alia rogabam B. Franciscum, quod ipse impetraret mihi a Deo, ut servarem bene regulam B. Francisci, quam noviter promiseram; et gratiam mihi acquireret, quod sentirem aliquid de Christo, et maxime quod faceret me esse, et finire dies meos in paupertate. Pro hac etiam causa, ut supra haberem libertatem paupertatis, iveram Romam ad rogandum B. Petrum, ut ipse acquireret mihi gratiam veræ paupertatis. Unde et meritis Beati Petri, et B. Francisci fuit mihi datum ex gratia divina, ut certissime sensi, donum veræ paupertatis.

Quidam vir sanctus per eam conversus.

Regulam B. Francisci vovet observare.

Obtinet donum paupertatis.

48 Dum igitur prædicta in itinere orando postularem, cum pervenissem inter speluncam et viam arctam, quæ ascendit sursum versus Assisium, et est ultra speluncam, in illo loco dictum est mihi ita : Tu rogasti servum meum Franciscum, et ego volui mittere alium nuntium. Et ego sum Spiritus sanctus, qui veni ad te, ut darem tibi consolationem, quam alias numquam gustasti. Et veniam tecum intus in te usque ad S. Franciscum, et modicum perpendent, qui tecum sunt aliqui. Et volo venire loquendo tecum per totam istam viam, et non dabo finem locutioni, nec tu poteris alteri rei intendere, nisi mihi : quia ego ligavi te et non discedam a te, usque quo secunda vice venies ad S. Franciscum; et tunc discedam a te secundum istam consolationem. Sed alias a te non discedam, si me diligas.

Spiritus sanctus familiari inspiratione invisit eam.

49 Et incipit dicere verba quæ sequuntur, ad provocandum me ad sui amorem : Filia mea dulcis mihi, filia mea templum meum, filia mea delectamentum meum, diligas me, quia tu es multum dilecta a me, multo plus quam tu diligas me. Et sæpissime dicebat mihi : Filia et sponsa dulcis mihi : et sub inferebat : Ego diligo te plus, quam aliquam, quæ sit in valle Spoletana; ergo postquam ego collocavi, et pausavi me in te, modo colloca te in me, et quiesce in me. Ego fui cum Apostolis, et videbant oculis corporis, et non sentiebant me, sicut tu sentis : postquam autem domum redieris, senties aliam dulcedinem, quam numquam experta fuisti : et non loquar tibi, sicut nunc solum, sed senties me. Tu rogasti servum meum Franciscum sperans cum eo et per eum, quæ desiderabas, impetrare : et quia servus meus Franciscus multum me dilexit, ideo multum feci sibi. Et si esset hodie aliqua persona, quæ me plus diligeret, adhuc sibi plus facerem. Dicebat autem mihi, quod pauci sunt hodie boni, et quod erat pauca fides, et conquerebatur dicens : Tantus, inquiebat, est amor, quem habeo animæ, quæ diligit me sine malitia, quod modo, si esset aliqua, quæ perfecte me diligeret, majorem gratiam facerem ei, quam alias fecerim Sanctis, de quibus in tempore præterito multa magna referuntur, quæ Deus fecit eis. Et non est aliquis, qui possit se excusare de isto amore, quia omnis persona potest amare Deum : et ipse non requirit aliud, nisi ut anima requirat et diligat eum, quia ipse veraciter diligit eam, et ipse est amor animæ: hæc autem verba profunda sunt.

AUCTORE ARNALDO. *Amor Dei magnus erga pias animas.*

50 Quod autem Deus sit amor animæ, ostendebat mihi viva ratione per adventum suum, et per crucem, quam sustinuit pro nobis, cum ipse esset ita immensus et gloriosus; et explicabat passionem, et cetera quæ pro nobis fecit : et subjungebat : Vide ergo, si in me est aliud, nisi amor. Et comprehendebat anima mea certissime, quod ipse non erat nisi amor. Conquerebatur autem, quod isto tempore tam paucas personas inveniebat, in quibus posset ponere gratiam suam : et dicebat quod modo multo majorem gratiam faceret illis, quos inveniret modo diligentes se, quam fecerit adhuc aliis Sanctis, qui fuerunt hactenus. Dicebat igitur mihi iterum : Filia mea dulcis mihi, ama me, quia tu es multo plus amata, quam tu ames me. Amata mea, ama me : et dicebat : Immensus est amor, quem habeo animæ, quæ me diligit sine malitia. Et videbatur mihi, quod volebat, quod anima haberet de illo amore, quem ipse erga animam habet secundum animæ potentiam et virtutem, et si hoc tantummodo desideraret, ipse complebat.

Pauci apti ad uberem Dei gratiam accipiendam.

51 Iterum dicebat mihi : Amata mea, sponsa mea ama me, tota enim vita tua, comedere, et bibere, et tuum dormire, et omne tuum vivere, totum placet mihi, si diligas me. Iterum dixit mihi : Ego faciam in te res magnas in conspectu gentium, et in te cognoscar, et glorificabor et clarificabor, et laudabitur nomen meum in te a multis gentibus. Hæc et alia multa similia dixit mihi. Ego autem, dum audirem ista verba, assignabam peccata, et considerabam defectus meos, et quod non eram digna illis magnis amoribus. Et incepi in istis verbis multum dubitare; et dixit anima illi qui mihi loquebatur : Si tu esses Spiritus sanctus, tu non diceres mihi ista, quia hæc non conveniunt mihi, nec decent : et ego sum fragilis, et possum habere inde vanam gloriam. Et respondit mihi : Modo vide, et cogita, si tu de omnibus istis poteris habere vanam gloriam, qua extollaris, ut exeas de verbis istis alia cogitando, si potes. Et ego fui conata habene vanam gloriam, ut probarem, si erat verum hoc quod dixerat, et si erat Spiritus sanctus : et incepi respicere per vineas, ut exirem de illa locutione, et ubicumque respiciebam, dicebat : Nunc vide, contemplare, ista est creatura mea, et sentiebam dulcedinem ineffabilem. Inter hæc autem reducebantur ad memoriam meam omnia peccata mea, et ex parte mei nihil videbam in me, nisi peccata et defectus, et sentiebam in me humilitatem, plus quam numquam senserim.

Excessus amoris Dei erga B. Angelam.

B. Angela humilior redditur ex inspiratione Dei.

Non potest alia cogitare.

52 Plus hæc dixit mihi, quod tantum eram dilecta, quod filius Dei et Virginis Mariæ se inclinavit mihi, et venerat in me ad loquendum mihi. Dicebat autem

AUCTORE ARNALDO.

mihi Christus : Si totus mundus veniret modo tecum, tu non posses loqui modo alteri : modo enim cum ego tecum veniam, venit tecum totus mundus. Et ut daret mihi securitatem de dubio, dicebat mihi : Ego sum qui fui crucifixus pro te, et habui famem et sitim pro te, et tantum te dilexi, quod meum sanguinem pro te effudi ; et dicebat mihi totam passionem : et dicebat : Pete gratiam pro te et sociis tuis, et pro quibuscumque vis, et para te ad recipiendum, quia ego sum multo plus paratus ad dandum, quam tu ad recipiendum. Anima autem mea clamavit, dicens : Nolo petere, quia non sum digna : et reducebantur ad memoriam meam omnia peccata mea. Iterum anima mea dicebat : Si tu, qui ab initio mihi locutus es, esses Spiritus sanctus, tu non diceres mihi tam magna : et si tu esses in me, deberet esse tanta lætitia in me, quod ego vivens non possem sustinere. Et respondit mihi : Numquid esse vel fieri potest, nisi sicut ego volo ? Ideo non do tibi aliam lætitiam, neque plus, nisi sicut habes : et ego jam minus ista dedi alii, et ille cui dedi, jacuit non sentiens, nec videns. Et hoc signum iterum do tibi, quod ego sum. Coneris enim nunc loqui cum sociis tuis, et cogita alia quæcumque vis, aut bonum aut malum, quia non poteris cogitare aliud, quam de Deo ; ego enim sum solus, qui possum ligare mentem. Hæc autem omnia facio tibi non pro tuis meritis, sed pro bonitate mea. Inter hæc reducebantur ad memoriam omnia mala mea, et videbam peccata mea, propter quæ eram digna inferno ; et hoc clare videbam, plus quam nunquam fecerim.

Christus ei indicat quanta sit passus.

Signum præsentiæ Domini in anima.

53 Dicebat etiam mihi : quod si venissem cum aliis, non talibus sicut erant illi cum quibus veneram, quod hæc prædicta non fuissent mihi facta, neque dicta. Ipsi enim aliquo modo perpendebant de languore meo, pro eo quod ego in omni verbo recipiebam dulcedinem magnam, et noluissem pervenire ad terminum, neque quod via illa finiretur omni tempore mundi. Quanta autem esset lætitia et dulcedo Dei, quam ego sentiebam, non possem intimare, maxime quando dixit : Ego sum Spiritus sanctus, qui intro intus in te. Et similiter quando dicebat omnia alia, recipiebam magnam dulcedinem. Venit igitur mecum usque ad S. Franciscum, sicut dixerat mihi, et non discessit a me, et continuavit mecum usque post comestionem, donec secunda vice ivi ad S. Franciscum. Igitur secunda vice quando veni ad ecclesiam S. Francisci, statim quando ego genuflexi in introitu ostii ecclesiæ, et vidi S. Franciscum pictum in sinu Christi, dixit mihi Christus : Ita te adstrictam tenebo, et multo plus quam possit considerari cum oculis corporis, et modo est hora, quod ego te, filia dulcis, templum meum, delectamentum meum, impleam et dimittam : dixi enim tibi quod pro ista consolatione dimitto te : sed non dimittam te si me diligas. Et quamvis esset verbum amarum, tunc tamen in ipso verbo tantam dulcedinem sensi, quod fuit delectabilissimum. Et tunc respexi, ut viderem eum oculis corporis et mentis, et vidi. Et si quæras, quid vidi ; Vidi veracem rem, plenam majestate, immensam, quam nescio dicere, sed videbatur quod esset bonum. Multa autem verba dulcedinis dixit mihi : et recedendo fecit discessum multum placabilem, et cum immensa dulcedine recessit, et recessit plane, et cum mora, et non subito. Inter alia autem verba dixit mihi ista : Filia mea dulcis mihi, multo plus quam ego tibi, templum dilectum meum, tu habes annulum mei amoris, et es arrhata a me, et de cetero non discedes a me, et benedictionem Patris et Filii et Spiritus sancti habes tu et consocia tua. Et statim anima clamavit : O ex quo non recedes a me, non peccabo de cetero mortaliter? Et respondit : Hoc non dico tibi. Et cum ego in recessu petivissem gratiam pro socia mea, respondit mihi : Sociæ tuæ dabo gratiam aliam.

Videt Deum Angela.

Quomodo ab ea recesserit Deus.

54 Sic igitur recessit, et noluit, quod recedendo ego jacerem, sed starem in pedibus meis. Post recessum suum tamen ego cecidi sedendo, et incepi stridere alta voce, et vociferare, et clamare ; et stridebam sine aliqua verecundia clamando et dicendo istud verbum, scilicet : Amor adhuc non cognovi te, quare me dimittis sic ? Sed non poteram dicere plus, nisi quod clamando istud, volebam formare et dicere, et non poteram formare, ita includebatur a voce, et a clamore, et ideo non intelligebatur verbum ab audientibus. Hic autem stridor et clamor accidit mihi in introitu ostii ecclesiæ S. Francisci, ubi post recessum Dei sedebam languens, et stridens, et clamans in præsentia totius populi, in tantum quod qui mecum venerant, et noti mei e longinquo stabant erubescentes, credentes aliam esse causam. Reliquit igitur me cum certitudine et sine dubio, quod ipse qui mihi locutus fuerat erat Deus. Ego autem præ dulcedine ejus, et dolore recessus clamabam, volens mori : et dolor magnus erat mihi quia non moriebar, et quia remanebam post eum, et omnes compages meæ tunc disjungebantur.

In discessu Dei colloquentis, stridet et clamat tanquam moritura.

55 Post ista redii de Assisio, et cum magna dulcedine veniebam per viam loquendo de Deo, et erat mihi maxima pœna tacere ; sed conabat abstinere propter societatem. Dixit autem mihi Christus in via revertendo de Assisio : Do, inquit, tibi signum, quod ego sum Christus, qui loquor tibi, et sum tibi locutus, et do tibi crucem et amorem Dei intus in te, et hoc signum erit tecum in æternum. Et ego statim illam crucem et amorem Dei sentiebam intus in anima mea, et redundabat in corpus, et sentiebam illam crucem corporaliter, et sentiendo liquefiebat anima mea in amore Dei.

Libenter loquitur de Deo.

Donum crucis et amoris Dei intus Angelæ datum.

56 Postquam vero fui reversa, et manebam in domo, sentiebam unam dulcedinem pacificam, quietam, tam magnam, quod ipsam nescio dicere, et erat mihi desiderium moriendi, et erat mihi tanta pœna vivere propter illam dulcedinem pacificam et quietam, et tantum delectabilem, quod ipsam nescio exprimere, ut supra venirem ad illam dulcedinem, cujus aliquid sentiebam, et ut non perderem illam quam habebam, quod ego desiderabam mori, et exire de mundo, et vivere erat mihi pœna super pœnam, et dolorem mortis matris meæ, et filiorum meorum, et super omnem dolorem quem possem cogitare : et jacebam domi languida propter prædicta per octo dies, et clamabam : Domine habeas pietatem de me, et non permittas me plus remanere in hoc mundo.

Præ nimia consolatione vita est ei maxima pœna.

57 Deinceps vero sæpe sensi odores indicibiles, et tanta fuerunt hæc et alia, quod non possum ea dicere, et verba quidem pauca referre possum. Sed delectationem et dulcedinem, quam sensi, non possum referre. Multotiens autem ista collocutio facta est mihi, sed non cum tanta mora, nec cum tanta dulcedine, nec sic profunde. Postquam autem reversa fui de Assisio, et jacebam, sicut dictum est ; socia mea, quæ erat mirabilis simplicitatis, et puritatis, et virginitatis, audivit vocem unam tunc sibi dicentem : Spiritus sanctus est intus in cella : venit igitur ad me, et cœpit inquirere dicens : Dicas mihi istud, quod habes, quia mihi dictum est, quod ad te venirem : et ego respondi, sicut tibi dictum est, placet mihi, et ex tunc communicavi sociæ meæ plura de his secretis.

Sentit suavem odorem.

Sociæ secreta indicat.

58 Quodam tempore eram in oratione, et elevata in spiritu, loquebatur mihi Deus verba multum placibilia, et amore plena, et respiciens vidi Deum mihi loquentem. Si autem quæras, quid vidi ; dico quod vidi ipsum, et aliud nescio dicere, nisi quod videbam, unam plenitudinem, unam claritatem, de qua sentiebam in me tantum implementum, quod ego nescio dicere, nec scio dare aliquam omnino similitudinem, nec vidi aliquid corporale ; sed erat, sicut est in cælo, videlicet pulchritudo tanta, quod nescio aliquid aliud dicere, nisi quod vidi summam pulchritudinem continentem

c. 21.

Videt Dei pulchritudinem.

tinentem omne bonum : et omnes Sancti stabant ante illam pulcherrimam majestatem adlaudandum eam : videtur autem mihi, quod in isto parum steti.

59 Dixit autem mihi Deus : Filia amantissima dulcis mihi, omnes Sancti paradisi habent ad te specialem amorem, et Mater mea similiter, et eris associata a me cum eis. Quamvis autem mihi omnia ista dicerentur, totum tamen istud valde parum videbatur mihi, supra quod dictum est de Matre sua, et de Sanctis. Sed tantum delectabar in eo, et tanta erat dulcedo, quam sentiebam de eo, quod non curabam respicere nec Angelos, nec Sanctos : videbam enim, quod omne illud bonum, et omnis decor Sanctorum et Angelorum erat ab eo, et in eo, et ipse erat omne et summum bonum, et omnis pulchritudo, et tantum delectabar in ipso decore suo, quod non curabam respicere aliquam creaturam. Dicebat autem mihi : Immensum amorem habeo ad te, sed non ostendo, imo obscondo tibi. Dicebat autem sibi anima : Quare habes tantum amorem et delectamentum in me, quæ sum ita turpis, et quæ ita toto tempore vitæ meæ offendi te? Ipse vero respondebat : Tantus est amor, quem habeo in te repositum, quod de defectibus tuis quasi non recordor, quamvis oculi mei videant illos, et in te habeo repositum multum thesaurum. Tunc anima mea sentiebat ita certissime esse verum ; ita quod in nullo dubitabat, et ita sentiebat et videbat quod oculi Dei respiciebant eam; in quibus oculis anima respiciebat, et habebat in hoc tantum delectamentum, quod nullus homo, neque si descenderet aliquis de Sanctis, qui sunt in paradiso, posset hoc manifestare. Et cum dicebat mihi, quod multum amorem abscondebat mihi, quod non possem illum portare, anima respondebat : Si tu es Deus omnipotens, tu potes facere, quod ego possim portare. Et ipse respondit : Si hoc facerem, hic haberes quidquid velles, et non haberes famem de me, ideo nolo tibi hoc facere ; imo in hoc mundo volo, quod habeas famem de me, et desiderium, et quod langueas de me.

Sanctorum amore et pulchritudine non capitur præ delectatione, quam de Deo haurit.

Oculi Dei.

Deus amanti, sui sæpe desiderium relinquit.

c. 22.

60 Quadam vice fuit mihi facta locutio divina dicens : Ego, qui loquor tibi, sum divina potentia, quæ apporto tibi gratiam divinam : et gratia, quam apporto tibi, est talis, quod volo, quod tu prosis omnibus hominibus, qui videbunt te, et non solum illis, sed etiam quod juves, et prosis illis, qui cogitabunt de te, vel recordabuntur et audient te nominari : et illis, qui plus habebunt de me, plus proderis. Et tunc anima, quamvis senserit magnam lætitiam, dicebat : Nolo hanc gratiam, quia timeo ne mihi noceat, et ne inde habeam vanam gloriam. Et respondit subito dicens : Tu non habes inde facere aliquid, quia hoc non est tuum, sed solum es inde* guardiana ; serva id bene, et redde illi, cujus est. Et tunc anima apprehendebat, quod isto modo non poterat mihi nocere. Dixit etiam mihi : Placet, inquit, mihi, quia habes istum timorem.

Bonum est habere memoriam B. Angelæ.

* *excus.* gravanda.

61 Post hæc mihi existenti in ecclesia facta fuit locutio dulcissima, quæ statim refecit totam mentem meam, dixitque mihi : Filia mea dulcis mihi ; vel valde melius dixit, et subjungit : Nulla creatura potest tibi dare consolationem, nisi ego solus. Ego volo tibi ostendere de potentia mea. Et statim fuerunt aperti oculi animæ meæ, et videbam unam plenitudinem Dei, in qua comprehendebam totum mundum, scilicet ultra mare, et citra mare, et mare, et abyssum, et omnia, in quibus non videbam, nisi tantum potentiam divinam modo omnino inenarrabili ; et anima nimis admirando exclamavit dicens : Est iste mundus * plenus de Deo. Et comprehendebam totum mundum quasi quid parum. Et videbam potentiam Dei excedere omnia, et implere omnia. Et dixit mihi : Ostendi tibi aliquid de potentia mea. Et ego comprehendebam taliter, quod poteram melius postea intelligere alia.

Cognoscit Dei potentiam :

* *ms.* prægnans.

62 Et dixit mihi : Vidisti aliquid de potentia mea ; modo videas humilitatem meam. Et videbam tantam profunditatem Dei ad homines, et tantam humilitatem, quod comprehendens anima potentiam inenarrabilem, et videns tam profundam humilitatem, mirabatur et reputabat se nihil omnino, et nihil videbat in se nisi superbiam. Et incepi mecum cogitare, et reputare me omnino indignam communione, ita quod nolebam communicare. Et dixit mihi postquam ostenderat suam potentiam, et humilitatem : Filia mea ad istud punctum videndi, ad quod tu venisti, nulla creatura potest venire, nisi per divinam gratiam elevetur specialissimam. Cum igitur essem in ecclesia prope elevationem corporis Christi, dixit mihi : Ecce potentia modo est super altare, et sum intus in te, et si tu me recipis, recipis me, quem jam recepisti : communica igitur in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti; et ego, qui sum dignus, facio te dignam. Et tunc remansit in me dulcedo inenarrabilis et lætitia magna, qua non credo carere in tota vita mea.

Humilitatem Christi.

Auctore Arnaldo.

Confirmatur a Christo, ut audeat communicare.

63 Quadam vice rogata a quodam, ut rogarem Deum pro quibusdam rebus, quas volebat scire; et dubitarem hoc facere, quia videbatur mihi superbia et stultitia rogare Deum de talibus : dum starem in tali cogitatione, subito fuit mens mea elevata, et fuit posita in prima elevatione ad unam mensam sine initio et sine fine, et non fui posita ad videndum ipsam mensam, sed quod erat super illam mensam, et videbam unam plenitudinem inenarrabilem Dei, de qua nihil possum narrare, nec dicere nisi hoc, scilicet, quod videbam plenitudinem sapientiæ divinæ, et omne bonum. Et videbam illam plenitudinem divinæ sapientiæ, in qua videbam quod non erat licitum inquirere vel velle scire illud, quod vult facere divina sapientia, quia est præcedere eam et inhonorare. Et ideo quando video personas id inquirentes, videtur mihi et intelligo, quod errant. Et ex tunc per id quod vidi super illam mensam, scilicet divinam sapientiam, remansit mihi, quod possum intelligere et judicare omnes personas spirituales, aliaque spiritualia, quando audio de eis loqui, vel ea narrari : et non judico illo judicio, quo solebam judicando errare et peccare; sed alio vero judicio, quo intelligo, unde habeo vel habere possum conscientiam peccandi in isto judicio, et nescio aliquid narrare de illo, quod vidi. Sed anima reportavit de visione ad vocabulum, scilicet mensam, et quod fui posita in prima elevatione ad unam mensam. Sed de illis, ad quæ fui posita videndum super illam mensam, nihil possum narrare, nisi illa quæ dixi.

c. 23.

Non esse inquirendum de futuris.

Obtinet sapientiam dijudicandi spiritualia.

64 Vice quadam dum eram in oratione, quæsivi a Deo non dubitans de aliquo, sed volens plus scire de Deo, et dixi : Quare Domine fecisti creationem hominum, et postquam fecisti quare permisisti ut peccaremus? et quare permisisti tibi fieri tantam passionem, sicut fuit filii tui pro peccatis nostris, cum tu posses optime facere, quod sine omnibus istis fuissemus tibi grati et placuissemus tibi et habuissemus tantumdem virtutis, sicut habemus? cum omnibus istis prædictis. Et comprehendebat anima, quod sine aliquo dubio istud quod dicebam, videlicet quod sine prædictis potuisset Deus facere nos virtutis et salvationis, verum erat. Et videbatur mihi, quod ego cogerer, et immittebar ad interrogandum et cogitandum de istis prædictis, quia cum essem in oratione, volebam in illa esse, et non discedere, sed immittebar a Deo in illis sicut videtur mihi. Et istud prædictum quærere sicut dictum est, feci multis diebus, non dubitas in aliquo sicut dictum est. Et dabatur mihi intelligere, quod Deus ideo fecerat, et permiserat, quia nobis per hoc melius manifestabatur bonitas sua, et nobis melius conveniebat. Hoc autem non sufficiebat mihi, quod plene intelligerem : intelligebam tamen certissime, et sciebam, quod Deus aliter facere potuisset si ipse aliter voluisset salvare nos.

c. 24.

Quare Deus tanta pati voluerit.

65 Una tamen vice elevata fuit anima, et videbat, quod

AUCTORE ARNALDO.

quod istud quod ego quærebam, non habebat initium nec finem, et ipsa anima, cum esset in ipsa tenebra, volebat redire retro ad se, et non poterat: volebat procedere, et non poterat. Subito igitur fuit amplius levata et illuminata, et videbat Dei potentiam inenarrabilem, et videbat Dei voluntatem et justitiam, et bonitatem, in quibus plenissime intelligebam omnia, de quibus quæsieram. Et fuit anima extracta de omni illa tenebra priori : in illa enim tenebra ego jacebam in terra, sed in ista maxima illuminatione steti in pedibus in summitate digitorum grossorum pedum ; et eram in tanta agilitate corporis, et renovatione, quod numquam tantum habueram. Et eram in tanta plenitudine* caritatis, et cum tanta lætitia intelligebam in illa potentia et voluntate et justitia Dei, quod non solum de illis quæ quæsieram, intelligebam: imo etiam satisfaciebat mihi de omnibus creaturis salvandis, et salvatis, et de dæmonibus, et de damnatis, et de omnibus. Sed istud non possum manifestare aliquibus omnino verbis; supra enim naturam omnino est.

Cognoscit potentiam, justitiam et bonitatem Dei in prædestinatione hominum.

* MS. divinæ claritatis.

66 Et quamvis ego plene intelligerem, quod Deus aliter portuisset nos salvare, si voluisset, non tamen poteram cognoscere, quod nobis melius posset fieri cognita ejus potentia et bonitate, nec melius potuisset poni in ore. Et extunc remaneo ita contenta et secura, quod si certissime me scirem esse damnandam, nulla ratione possem dolere, nec minus laborarem, nec minus studerem orare et honorare Deum; tantum intellexi justitiam ejus, et rectitudinem judiciorum ejus : et reliquit in anima mea unam pacem, unam quietem et soliditatem, cujus similem non recordor me habuisse ita plene, et in hac maneo continue. Postquam autem viderem potentiam Dei et voluntatem ejus et justitiam; fui elevata adhuc plus, et tunc non videbam, nec potentiam, nec voluntatem Dei illo modo sicut prius. Sed videbam unam rem stabilem, ita indicibilem mihi, quod de ea nihil possum dicere, nisi quod erat omne bonum : et anima mea erat in lætitia omnino inenarrabili : et non videbam ibi amorem, sed illam rem omnino inenarrabilem : et exiveram de illo statu priori, et eram posita in isto maximo statu inenarrabili, et nescio si eram in corpore, vel extra corpus : et omnia retro habita non videbantur mihi, quod fuerint tam magni status. Et reliquit mihi mortificationem vitiorum, et securitatem virtutum, quibus diligo bona et mala, benefacta et malefacta, quia videlicet non habeo inde displicentiam.

In amore Dei non intepesceret, licet se damnandam præsciret.

Cognoscit ineffabili modo ipsum esse Dei.

67 Relicta igitur sum in magna pace, et veneratione judiciorum divinorum, ita quod quando mane vel de sero in oratione mea dico Deo : Per judicia tua libera me Domine, vel per judicium tuum libera me Domine; tantum delector, et ita confidenter dico, sicut quando dico. Per adventum tuum libera me Domine; per nativitatem tuam libera me Domine : per tuam passionem libera me Domine. Non enim magis cognosco bonitatem Dei in viro beato, vel sancto viro, vel multis bonis et sanctis quam in uno damnato, vel multitudine damnatorum. Sed hoc profundum non fuit mihi demonstratum, nisi semel, et numquam obliviscor illius memoriam, nec illius lætitiam. Et si omnia, quæ sunt fidei, per impossibile deficerent; hic tamen remanet mihi certitudo de Deo, et de suis judiciis, et de justitia suorum judiciorum. Sed o quanta profunditas est hic! totum tamen redit in utilitatem bonorum. Anima enim, quæ istam cognitionem de divinis judiciis, et istis profundis habet, de omnibus habebit fructum ex ista cognitione Dei. *b*

Veneranda sunt Dei judicia.

a *Addit* MS. Quadam vice post prædicta, ego frater reversus fui de Lombardiâ, et quæsivi ab ipsa fideli Christi, de una quæstione, quam ego et socius meus tractaveramus, reversione per viam : et dixeram tunc socio meo me requisiturum ab ea de ipsa quæstione, et ipsa fidelis Christi respondit mihi ita dicens :

b *Subdit* MS. Ista quæstio prædicta, quam Deus tam miraculose revelavit illi fideli Christi, erat quasi ipsa eadem quæstio, quam ego et socius meus habuer mus et tractaveramus per viam in reversione de Lombardia. ut dictum est.

CAPUT IV.

Aliæ consolationes Angelæ, et visiones.

Quadam vice in quadragesima videbatur, quod essem multum sicca, et sine devotione, et orabam Deum, quod ipse daret mihi de se, pro eo quod ego eram sicca de omni bono : et tunc fuerunt aperti oculi animæ, et videbam Amorem, qui veniebat versus me, et videbam principium, sed non videbam finem. nisi solum continuationem ejus. Et nescio dicere aliquam similitudinem coloris. Et statim, quando pervenit Amor ad me, videbam oculis animæ aperte hac omnia, plus quam cum oculis corporis aliquid possit videri, et factus est amor versus me, sicut unius falcis similitudo. Nec est intelligendum, quod fuerit aliqua similitudo quantitativa mensurabilis, sed erat sicut similitudo falcis, quia in principio, quando amor se præsentavit, post retraxit se, non conferens se, quantum se fecit intelligi. Et tunc statim repleta fui amore, et satietate inæstimabili, quæ quamvis me satiaret, tamen generabat in me maximam famem, tantum inæstimabilem, quod omnia membra tunc disjungebantur, ita quod anima languebat, et desiderabat pervenire ad residuum. Et nolebam, nec videre, nec audire, nec sentire aliquam creaturam, et ego non loquebar. Sed anima mea loquebatur intus clamans, quod amor non faceret eam tanto amore languere, quia vitam æstimabam mortem. Et ad hoc invocabat B. Virginem primo, et post invocabat, et obsecrabat omnes Apostolos, quod irent cum ea, et genuflecterent, et nuntiarent Altissimo, quod non faceret seu non permitteret eam amplius pati istam mortem, sed quod perveniret ad eum quem sentiebat : et similiter rogabat B. Franciscum, et Evangelistas obsecrabat, et clamabat ad eos similiter.

c. 25.

Amor Dei ei ostensus.

Ex amore Dei viso languet ad mortem.

69 Et dum ex appropinquatione me totam crederem esse amorem, propter amorem quem sentiebam, dicebam : Multi sunt qui credunt stare in amore, et stant in odio, et multi e converso, qui credunt stare in odio, et sunt in amore. Anima autem mea quærebat hoc videre certissime, et Deus dedit hoc mihi sentire manifeste sic quod ego remansi tunc tota contenta. Repleta autem sum illo amore sic, quod non credo, quod possum carere illo amore de cetero, et non possum credere alicui creaturæ aliud dicenti, et si Angelus aliud diceret mihi, ego non crederem, sed responderem : Tu es ille qui cecidisti de cælo.

Nescit homo, an odio an amore dignus sit.

70 Et videbam in me duas partes, sicut si facta fuisset in me una strata, et ex una parte videbam amorem, et omne bonum, quod erat a Deo, et non a me, et in alia parte videbam me siccam, et quod a me non erat aliquod bonum, et per hoc videbam, quod non eram ego quæ amabam quantumcumque viderem me in amore: sed illud erat solummodo a Deo : et post istud se readunavit amor, et tunc majorem contulit amorem, et magis ardentem, quam prius, et erat mihi desiderium eundi ad istum amorem. Et inter prædictum amorem qui est ita magnus, quod non potui tunc scire, quod major amor possit esse, nisi tunc quando supervenit ille alius mortalis amor. Unde inter purum amorem et alium mortalem et maximum ardorem, est quoddam medium, de quo nihil possum narrare : quia est tentæ profunditatis et tantæ lætitiæ tantique gaudii, quod narrari non potest. Et tunc nollem aliquid aliud audire de passione, nec etiam vellem, quod nominaretur mihi Deus : quia tunc, quando nominatur mihi, sentio eum cum tanta delectatione, quod languore crucior præ amore: et omne aliud, quod minus est illo, est impedimentum mihi. Et nihil videtur mihi, quod dicatur de Evangelio, nec de vita Christi, nec de aliqua locutione Dei, quia majora et incomparabilia video in Deo ; et postquam remaneo

Verus Dei amor creaturas transformat in operando.

maneo ab illo amore, remaneo tota contenta, tota Angelica, quod diligo bottas et bufones et etiam dæmones, et quidquid video fieri, etiam ipsum peccatum, quando video ab aliis fieri, non displicet mihi, credens, quod Deus juste permittat fieri. Et quando sum in illo statu, si comederet me canis, non curarem, et etiam non videretur mihi, quod paterer aliquem dolorem. Nec tunc est, nec esse potest recordatio, nec memoria dolorosa de passione Christi, nec sunt in isto statu lacrymæ.

Amanti Deum nihil displicet.

71 Et iste status est major quam stare ad pedem crucis per continuam recordationem, sicut stetit B. Franciscus, quamvis anima frequenter unum et alium gradum videat, et desideret illam carnem pro nobis mortuam videre, et ad eam pervenire, et est tunc cum lætitia maxima amor sine dolore passionis. Una tamen vice simul cum isto amore se adunavit recordatio inæstimabilis pretii, scilicet, pretiosi sanguinis, per quem data est indulgentia mundo, et mirata sum, quomodo simul potuerint stare, ibi tamen non erat dolor passionis. Passio autem est via et documentum, qualiter debeam facere.

Amor Dei passionis dolorem tollit.

c. 26.

72 Quadam vice fuit elevata anima mea et videbam Deum in tanta claritate, quod numquam ipsum videram in tanta, nec illo modo plenissimo, et non videbam ibi amorem, et ego perdidi illum amorem, quem prius portabam, et facta sum non amor. Et post istud vidi eum in una tenebra, et ideo in tenebra, quia est majus bonum quod nec possit cogitari nec intelligi, et omne quod potest cogitari vel intelligi, non attingit ad illud. Et tunc data fuit animæ fides certissima, una spes secura et firmissima, una securitas de Deo continua, ita quod abstulit omnem timorem. Et in illo bono, quod videtur ita in tenebra, recollegi me totam, et effecta sum ita secura de Deo, quod numquam possum dubitare de eo, quin Deum habeam certissime : et in illo bono efficacissimo, quod videtur in tenebra, est modo spes mea tota recollecta et secura. Frequenter igitur video Deum illo modo, et in illo bono, quod narrari exterius non potest, nec etiam cogitari corde. In illo, inquam, bono certissimo et incluso, quod intelligo cum tanta tenebra habeo totam spem meam, et in videndo, quidquid volo habere, totum habeo; quidquid volo scire, totum scio, et video ibi omne bonum. Nec anima in videndo potest cogitare de discessu illius boni, vel de discessu ab illo bono, nec quod debeat de cetero discedere, sed delectatur ineffabiliter in illo omni bono, et nihil videt omnino anima, quod narrari possit ore, nec etiam concipi corde, et nihil videt, et videt omnio omnia : et quia illud bonum est cum tenebra, ideo magis certissimum, et magis superans omnia, quanto magis videtur in tenebra, et est secretissimum. Et postea video cum tenebra, quod superat omne bonum et omnia, et omne aliud est tenebra, et omne quod cogitari potest est minus illo bono.

Cognoscit Deum in caligine tenebrosa

Consequitur perfectam animæ quietem, et delectationem.

73 Et etiam illud, quando anima videt divinam potentiam, et quando videt divinam sapientiam, et etiam id quando videt divinam voluntatem, quæ mirabiliter et inenarrabiliter alias vidi, est minus illo bono certissimo. Illud enim bonum, quod video est totum, illa vero omnia alia sunt pars, et quando videntur illa alia, quamvis sint inenarrabilia, apportant tamen magnam lætitiam redundantem in corpus. Sed isto modo quando videtur Deus in tenebra, non apportat risum in ore, nec fervorem, nec devotionem in corde, nec ferventem amorem : quia corpus non tremit, nec movetur, nec sic alteratur, sicut consuevit fieri in aliis: corpus enim nihil videt, sed anima videt, et corpus quiescit, et dormit, et truncatur lingua, quia tunc nihil potest loqui.

Nulla inde voluptas in corpus redundat.

74 Et omnes amicitias quas Deus ostendit mihi multas et inenarrabiles, et omnia verba dulcia ab eo mihi data, et omnia alia data et facta in tantum sunt minus illo bono, quod video cum tanta tenebra, quod non pono spem meam in illis : imo si possibile esset, quod essent omnia non vera, nullo tamen modo minuerent spem meam, nec minueretur spes mea securissima, quæ est certa illo omni bono, quod video cum tanta tenebra.

Auctore Arnaldo.

75 Ad istum autem prædictum modum altissimum et omnino ineffabilem videndi Deum cum tanta tenebra et supermirabili gratia visionis, est mens mea tantum tribus vicibus elevata, quamvis multis et innumeris vicibus viderim istud omne bonum semper cum tenebra, sed non prædicto altissimo modo cum tanta tenebra. Et quandoque ex una parte infirmitatibus corpus meum dissipatur, et ex alia parte mundus cum suis spinis et amaritudinibus me expellit; et ex alia parte dæmones cum multa molestia me affligunt, et quasi cum continua persecutione me infestant, habentes potestatem in me : eo quod Deus ad affligendum posuerit in manibus eorum animam meam et corpus, ita quod videtur mihi, quod videam eos quasi corporaliter contra me. Ex alia vero parte Deus trahit me ad se illo bono, quod video in tenebra.

Angelæ corpus infirmitatibus, et tentationibus dæmonum affligitur.

76 Video enim sanctam Trinitatem in tenebra, et in ipsa Trinitate, quam video in tanta tenebra, videtur mihi, quod ego stem, et maneam in ejus medio : et illud trahit me plus, quam alia res aliqua, quam hactenus habuerim, vel aliquod bonum, quod viderim; ita quod istius non est comparatio ad illa. Et quidquid dico de hoc videtur mihi, quod nihil dicam; imo videtur mihi, quod aliquid dicendo maledicam, et meum dicere videtur mihi blasphemare : tantum excedit illud bonum omnia verba mea. Cum etiam videam illud bonum, non recordor tunc, quando sum in illo, de Christi humanitate, nec de Deo homine, nec de aliqua re, quæ formam habeat, et tamen omnia tunc video, et nihil video.

SS. Trinitas in caligine ista eam circumcingit.

77 In separatione vero ab illo bono jam dicto video Deum hominem, et trahit animam cum tanta mansuetudine, ut dicat aliquando : Tu es ego, et ego sum tu. Et video illos oculos, et illam faciem tuam placabilem, ut amplexetur et attrahat animam meam cum immensa arctitudine. Et illud, quod resultat de illis oculis, et de illa facie, est illud bonum, quod dixi, quod ego video in illa tenebra, quod emanat, et venit de intus, et illud est, quod tantum me delectat in tantum quod narrari non potest. Et in isto Deo homine stando anima est viva, et in isto Deo homine sto multum, plus quam in illo cum tenebra. Illud autem bonum de tenebra trahit animam multo plus quam illud de Deo homine sine comperatione. Sed in isto de Deo homine sto quasi continue, et sic continue quod quadam vice fuit mihi data securitas de Deo, quod nihil erat medium inter me et ipsum : et ex tunc non fuit dies, nec nox, in qua non habuerim continue hanc lætitiam de humanitate. Et habeo desiderium cantandi et laudandi Deum, et dico ista : Laudo te Deum dilectum : in tua cruce habeo lectum meum factum. Et pro capitali vel pro plumario inveni paupertatem, et in alia parte lecti ad pausandum inveni dolorem cum despectione : in prædicto enim lecto ipse fuit natus, conversatus, et mortuus; et istum amorem istius societatis, scilicet, paupertatis, doloris, et despectus Deus Pater tantum amavit, quod Deus eam Filio suo dedit, et Filius in isto lecto continue voluit jacere, et semper amavit et concordavit cum Patre. Et in isto lecto ego requievi et quiesco; est enim lectus meus, et in isto lecto spero mori, et per istum lectum credo salvari. Et lætitia quam expecto de illis manibus et pedibus, non potest narrari, quando enim ipsum video, numquam vellem discedere, sed amplius accedere, ideo meum vivere est mori. Et quando de eo recordor, non possum loqui, truncatur enim lingua; et quando discedo ab isto, mundus et illa quæ invenio, compellunt prædicta desiderare magis. Et ideo desiderium

Ex facie et oculis Christi emanat illud bonum, quod in tenebris vidit.

Lectum sternit B. Angela in cruce Christi.

Præsentia Christi suavissima, absentia amarissima.

AUCTORE ARNALDO.

desiderium meum propter languorem expectationis est mihi pœna mortalis. In his autem visionibus et consolationibus anima mea sæpissime levatur et consolatur a Deo dulcissimo cui est gloria et honor in sæcula sæculorum, Amen.

c. 27.

78 Consequenter postea elevata sum in spiritu, et inveni me totam intus in Deo, modo alio quam numquam consueverim, et videbatur mihi, quod eram in medio Trinitatis, altiori et majori modo quam consueverim, eo quod recipiebam majora bona solito, et quia eram in ipsis bonis continue, et plena lætitiis et deliciis et delectamentis maximis et inenarrabilibus, quæ omnino sunt supra omnia, quæ unquam experta fui. Fiebant autem in anima operationes divinæ tantum ineffabiles, quod nullus Sanctus nec Angelus posset narrare vel explicare : et intelligo, quod illas operationes divinas, et illam profundissimam abyssum nullus Angelus, nec alia creatura est ita capax, quod possit eam comprehendere. Et videtur mihi quod illud, quod dico sit maledicere vel blasphemare, et sum extracta de omnibus, quæ prius habueram, in quibus consueveram delectari, scilicet, de vita, de humanitate Christi et de illa consideratione illius profundissimæ societatis, quam tantum Deus dilexit ab æterno, quam dedit etiam Filio suo, in quibus etiam ego consueveram delectari, videlicet in paupertate, in dolore, in despectu filii Dei vivi consuevit esse repausatio mea et meus lectus. Et sum extracta de omni illo modo videndi Deum in tenebra, quæ me tantum consuevit delectare. Et sum extracta de omni illo statu priori cum tanta unctione et dormitione, quod nullo modo percipere potui, nisi quod modo recordor, quod non habeo illa.

Absorbetur in contemplatione SS. Trinitatis.

79 Et in illis bonis ineffabilibus, et in operationibus divinis prædictis, quæ fiunt in anima mea, Deus se prius præsentat in anima, faciens operationes divinas ineffabiles ; et postea consequenter se manifestat, aperiendo se animæ, et donando adhuc ei majora dona cum majori adhuc certitudine et claritate ineffabili. Et præsentat se prius animæ duobus modis. Uno modo præsentatur intime in anima mea, et tunc intelligo eum præsentem, et intelligo quomodo est præsens in omni natura vel in omni re habente esse, in dæmone, in Angelo bono, in inferno, in paradiso, in adulterio, in homicidio, et in omni bono opere, et in omni re habente aliquo modo esse, tam in pulcra quam in turpi. Unde quando sum in ista veritate non minus delector de Deo videndo, vel intelligendo unum Angelum bonum vel unum bonum opus, quam unum malum : et isto modo præsentatur multum assidue in anima mea : et hoc præsentare vel præsentatio est illuminatio cum magna veritate et cum divina gratia, ita quod quando anima istud videt, non potest offendere in aliquo : et hæc illuminatio apportat in anima multa bona divina, et jam tunc intelligens Deum esse præsentem, valde humiliatur, et recipit confusionem de peccatis suis, et recipit hic anima magnam gravitatem sapientiæ, et magnam consolationem divinam, et magnam lætitiam.

Modi, quibus anima in divinam quasi visionem trahitur.

Primus ex intima præsentia Dei cuicumque creaturæ.

Præsentia Dei quanta bona adferat.

80 Alio modo præsentatur magis specialiter, et valde diverso modo a prædicto, et dat aliam lætitiam a prædicta, et recolligit totam animam in se, et facit in anima multas operationes divinas cum valde majori gratia, et cum inenarrabili abysso delectationum et illustrationum, ita quod solum illud præsentare Dei sine aliis donis, est illud bonum, quod Sancti habent in vita æterna. De donis vero, quæ Sancti habent in illa vita æterna, aliqui Sancti habent plura, aliqui pauciora. Quæ dona quamvis non valeam dicere, imo meum dicere plus est devastare et blasphemare, quam aliquid dicere, dico tamen, quod in eis sunt dilatationes animæ, quibus anima fit magis capax ad capiendum, et habendum de Deo : et statim, cum Deus se præsentat animæ, consequenter manifestat se, aperiendo se animæ, et dilatat animam, et donat ei dona, et dulcedines, quas numquam fuit experta, cum valde majori profunditate, quam prædictum sit. Et est extracta tunc anima de omni tenebra, et fit animæ major cognitio Dei, quam intelligam posse fieri, et fit cum tanta claritate et cum tanta dulcedine, et certitudine, et cum tanta abysso, quod non est cor quod ad id possit attingere. Unde nec cor meum potest post redire ad aliquid de illo intelligendum, nec etiam de illo aliquid cogitandum, nisi solummodo, quod a Deo donatur animæ, quod levatur in id, quod numquam cor potest se de cetero extendere in aliquo ad illud. Et ideo non potest aliquid dicere omnino de illo, nec aliquod verbum reperiri potest, quod illud dicat vel sonet, nec etiam cogitatio, nec intellectus aliquis potest se extendere ad illa : tantum superant omnia, sic et taliter, quod Deus per aliquid, quod dicatur, nec cogitetur, commendari non potest.

Secundus ex illapsu aliquo ipsius Dei in animam.

Hic illapsus qua ratione fiat.

Hæc Dei cognitio major, quam quæ in tenebrosa caligine data.

81 Scriptura tamen divina est ita alta, quod non est homo ita sapiens in toto mundo, etiam si habeat sapientiam quantum potest in isto statu, quod possit eam ita plene intelligere, quin superetur intellectus ejus ab ea, et tamen aliquid balbutit. Sed de illis operationibus divinis ineffabilibus illius manifestare Dei, quæ sunt, et fiunt in anima, nihil omnino loqui vel balbutire homo potest. Et quia anima mea sæpe levatur in secreta divina, ideo intelligo illud, quo sancta et divina scriptura facilis est et difficilis, et id quo videtur dicere et contra dicere ; et illud quo nullam utilitatem habet aliquis de ea ; quia non observantes damnantur ex ea, et adimpletur in eis illud, quo alii observantes salvantur in ea. Et sto desuper hæc cognoscens, et ideo rediens de secretis Dei, secure loquor aliqua verbula, quæ sunt de extra illas operationes divinas ineffabiles, nullo modo appropinquans eis, imo meum loqui de eis et meum dicere, est devastare, unde et dico me blasphemare. Si enim omnes consolationes divinæ, et omnes lætitiæ spirituales, et omnia delectamenta divina, quæ unquam in hoc mundo fuerunt, et non solum quæ fuerunt, sed etiam si omnes Sancti, qui fuerunt ab initio mundi usque modo, assidue habuissent explicare de Deo, et si omnia delectamenta mundana, bona vel mala, quæ unquam fuerunt, converterentur in bona delectamenta et spiritualia, et durarent mihi, usquequo perficerentur, et perducerent me ad illud inenarrabile bonum illius manifestationis divinæ ; tamen pro omnibus prædictis ego non darem, seu non cambiarem delectationem, quam ego habeo de illo inenarrabili manifestare Dei, tantum quantum est levare vel claudere oculorum. Et hoc dico tibi, ut aliqualiter isto modo possim ponere in corde tuo, quod adhuc illud inenarrabile bonum, quod ego habeo, superat in infinitum omnia prædicta. Et non habeo solum per unum aperire vel claudere oculorum, imo habeo per bonum spatium sæpe ; et multotiens illo modo, sed multum efficaciter. Alio autem modo, sed non ita efficaciter, habeo quasi continue.

Sacra scriptura est abyssus inscrutabilis.

Mirabilis consolatio illius manifestationis divinæ.

82 Et quamvis ego possim recipere tristitias et lætitias exterius aliqualiter et parum, intus tamen in anima mea est camera, in qua non ingreditur aliqua lætitia vel tristitia, nec delectatio alicujus omnino virtutis, vel alicujus rei quæ nominari possit ; sed intrat in illam illud omne bonum. Et in illo manifestare Dei (quamvis ego blasphemem, sic Christum nominando, quia non possum ipsum aliquo verbo perfecte nominare) est tota veritas : et in eo intelligo et habeo totam veritatem, quæ est in cælo et in terra, et in inferno, et in omni creatura cum tanta veritate et cum tanta certitudine, quod nullo modo, si totus mundus diceret oppositum, possem aliud credere, imo facerem truffas. Videto enim, qui est, esse ; et quomodo est esse omnium * creatorum. Et video, quomodo fecit me capacem ad intelligendum prædicta meliori modo

In anima sua Deo cellulam struxit.

Cognoscit ipsum esse Dei.

* MS. creatoris.

modo, quam fuerim hactenus, quando videbam in illa tenebra, quæ me tantum consuevit delectare. Et video me solam cum Deo totam mundam, totam sanctificatam, totam veram, totam rectam, totam certificatam, totam cælestem in eo, et quando sum in isto statu, non recordor alicujus alterius rei. Et aliquando, quando fui in isto statu, dixit mihi Deus : Filia divinæ sapientiæ, templum dilecti, delicium dilecti, et filia pacis, in te quiescit tota Trinitas, tota veritas, ita quod tu tenes me, et ego teneo te. Una vero operationum animæ quam Deus sibi dat, est, quod intelligo cum magna capacitate et cum magno delectamento quomodo Deus venit in Sacramento altaris cum illa magna et nobili societate. Quando vero remaneo, et sum extra illum maximum statum, video me totam peccatum, et obedientem peccato, obliquam et immundam, totam falsam et erroneam ; sed remaneo quieta, et remanet in me una unctio divina et continua, quæ est summa omnium unctionum, quas unquam habuerim omnibus diebus.

Intelligit mysterium Eucharistiæ.

Elevatur anima in Deum.

73 Ad prædictum vero statum non sum ego profecta, sed sum ducta a Deo et elevata, ita quod ego nescivi istum statum velle, nec desiderare, nec petere, et sum nunc in isto statu continue; et sæpissime levatur anima mea a Deo, et non requiritur meus consensus : quia dum ego nec spero, nec cogito aliquid de eo, subito anima levatur a Deo et Domino; et comprehendo totum mundum, et non videtur mihi quod sim in terra, sed stem in cælo in Deo. Et iste excellentissimus status in quo modo sum, est super alios status quos adhuc habui : quia est tantæ impletionis, et tantæ claritatis, et certitudinis et nobilitationis et dilatationis, quod nullum alium statum sentio appropinquare ei. Et istud manifestare Dei habui plus quam mille vicibus : semper noviter alio modo, et diverso ab alia vice.

Millies passa est talem elevationem Angela.

84 Et semel in festo Sanctæ Mariæ Candelariæ habui illud inenarrabile manifestare Dei : et dum fieret in anima mea, tunc animæ meæ fuit facta repræsentatio suimet, et vidit anima semetipsam tantæ nobilitatis et altitudinis, quantum numquam potueram cogitare nec intelligere, nec alias possem credere, quod anima mea, vel animæ, quæ in Paradiso sunt, possent esse tantæ nobilitatis : et anima mea non potuit tunc comprehendere semetipsam. Unde si anima, cum sit creata et finita et circumscripta, non potest comprehendere semetipsam, quanto minus potest comprehendere Creatorem suum immensum et infinitum et incircumscriptum?

Cognoscit excellentem nobilitatem animæ, ornatæ gratia divina.

Offert seipsam Deo cum summa resignatione.

85 Anima autem mea tunc præsentavit se Deo cum maxima securitate, ita quod nullum portabat secum timorem, sed præsentavit se Deo cum majori delectatione, quam unquam fuerim experta : et cum majori et nova et excellentissima lætitia, et cum tanto novo miraculo et tam claro, quod numquam tale potui intelligere in anima mea. Et in hac obviatione, quam tunc habui cum Deo, quando simul intellexi et habui prædictum inenarrabile manifestare Dei, fuerunt mihi data verba de Deo altissima, quæ nolo quod scribantur. Quando vero anima ad se revertitur, hoc sibi remanet, et hoc invenit in se, quod placet sibi omnem pœnam, et omnem injuriam sustinere pro Deo, et quod pro nulla re, quæ fieri vel dici posset, non posset de cetero ipsam separare a Deo, unde clamavit anima et dixit : O dulcis Domine, quid est, quod possit me a te separare? Et intellexi mihi dici, quod nihil est, quod possit me de cetero a Deo separare, gratia ejus mediante. Hæc autem omnia supra dicta audivi mihi dici a Deo mirabiliori locutione, quam possum ego ipsa referre. Dictum est etiam mihi, quod prædictum inenarrabile manifestare Dei, est illud bonum, quod Sancti habent in vita æterna : nec id bonum est aliud a prædicto, sed est ibi alia experientia et tantum diversa ab illo, quod prædictum est, quod minor Sanctus, qui minus habet in vita æterna, habet plus quam possit dari alicui animæ existenti in hac vita ante mortem corporis : et dico quod anima mea in illo inenarrabili manifestare Dei, hoc intellexit.

Optat injurias pro Christo pati.

Hæc manifestatio Dei similis est visioni beatificæ Sanctorum.

Auctore Arnaldo.

CAPUT V.

Certo intelligit, se in his non decepi.

Quodam tempore in festo B. Mariæ Virginis aliquanto tempore post conversionem meam, rogavi beatam Virginem, ut impetraret mihi gratiam a filio suo, qua cognoscerem, quod non essem decepta in locutionibus quæ fiebant mihi. Facta est autem mihi locutio divina promittens mihi, quod ita fieret. Subjunxitque dicens : Deus ostendit se tibi, locutus est tibi, dedit sentimentum suum de se tibi : tu igitur evites loqui, videre et audire omnia, nisi secundum eum. Et intelligebam omnia prædicta mihi dici cum multa discretione, et magna maturitate : et in prædictis locutionibus, quæ fiebant mihi, ego remansi in lætitia, et in magna spe habendi hoc quod postulaveram. Dixit etiam mihi in prædicta locutione, quod fieret mihi gratia, quod quidquid facerem, facerem cum sua licentia. Cœpi igitur facere illa tria, quæ dicta fuerant mihi : et cor meum fuit levatum ab omnibus terrenis, et positum in Deo : et quidquid faciebam, sive comederem, sive loquerer, non impediebat, quin cor meum semper esset in Deo, et nihil poteram cogitare, nec videre, nec sentire, nisi Deum. Et quando steteram ad orationem, et volebam ire ad comedendum, petebam licentiam, et ipse dabat mihi dicens : Vade, comede cum benedictione Patris et Filii et Spiritus sancti, et dabat mihi licentiam aliquando cito, aliquando magis tarde : et hoc duravit tribus diebus et noctibus. Tandem facta in spiritu, vidi Deum in quadam Missa circa elevationem corporis Christi. Post cujus visionem remansit in me dulcedo inenarrabilis et lætitia magna, qua non credo carere in tota vita mea : et in prædicta visione certificata sum de prædicto quod petiveram, nec remansit in me aliquod dubium de hoc : et ibi fuit mihi satisfactum et totaliter adimpletum, quod non eram decepta in locutionibus prædictis.

c. 28.

Nihil agit nisi in Deo et cum ejus venia.

Videt Deum in elevatione corporis Christi.

87 Alio tempore, dum eram in oratione, subito dicta sunt mihi verba valde placibilia, et dixit ita : Filia mea dulcis mihi multo plus, quam ego tibi, templum meum, dilectum meum, cor Dei omnipotentis stat super cor tuum, et simul cum istis verbis venit mihi sentimentum delectabilissimum, quale numquam fuerim experta; omnia enim membra corporis sensiebant illud, et jacui in istis. Et dicebat iterum : Deus omnipotens suum amorem reposuit in te, plus quam in femina istius civitatis : ipse delectatur in te, et in consocia tua. Et studete, quia vita vestra sit lumen omnium, qui volunt ad illud respicere : illis vero qui non respicient, erit forte judicium et durum. Et comprehendebat anima mea hujusmodi judicium crudele plus litteratorum quam laicorum, quia despiciunt ista divina, et cognoscunt ea per scripturas.

c. 29.

B. Angela proposita est in imitationem, et in judicium nolentium imitari.

88 Iterum subjungebat : Tantus est amor Dei omnipotentis, quem posuit in vobis, quod continue stat vobiscum, sed non cum istis sentimentis, et oculi sui sunt modo in vobis. Et videbatur mihi, quod ego viderem oculis mentis meæ divinos oculos : et delectabant me plus quam possum exprimere, et doleo quia ista dicimus modo pro truffis. Quamvis autem esset ista lætitia magna, reducebantur tamen mihi ad memoriam peccata mea; et nullum bonum videbatur esse in me, et videbatur mihi, quod numquam aliquid fecissem, quod Deo placere deberet. Dubitabam autem pro eo quod ita magna mihi dicebantur, et cœpi dicere : Si tu, qui mihi loqueris, esses filius Dei omnipotentis, numquid anima mea reciperet majorem lætitiam, quam recipiat? Illam enim lætitiam numquam possem

Cognoscit se amice a Deo aspici.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

AUCTORE ARNALDO.

possem sustinere, sentiendo te in me esse, et quia ego sum ita indigna. Et respondit : Quia nolo, non est tibi modo major lætitia, est tamen tibi major parata; et scies, quod totus mundus est plenus de me. Et tunc videbam, quod omnis creatura erat plena ipso, et dicebat mihi ; Ego possum facere omnia, et quod me videas, sicut quando conversatus fui cum Apostolis, et non me sentias. Hæc autem non dicebat verbis corporalibus. Anima autem mea omnia comprehendebat, quod ita diceret, et multo majora, et ita veraciter sentiebam esse.

Deus ubi vult sua dona elargitur.

89 Ad declarandum autem, utrum esset verum quod dicebat, anima mea clamavit : Postquam ita est, quod tu es Deus omnipotens, et sunt vera ista, quæ dicis, quæ sunt ita magna, da mihi signum, quod sim secura, et extrahe me extra dubium. Et quærebam, quod ipse daret vel diceret aliquod signum corporale, quod possem videre, videlicet quod poneret in manu mea unam candelam, aut lapidem pretiosum, aut aliam rem : aut daret mihi aliud quodcumque signum, quod ipse vellet, promittens quod ego non ostenderem illud signum, nisi cui ipse vellet. Et ipse respondit: Istud quod quæris, est signum, quod daret tibi solum lætitiam, quando videres id, aut quando contrectares illud, sed non traheret te de dubio, et posses esse decepta in tali signo. Ego autem dabo tibi signum melius, quam illud quod tu quæris : quod signum erit tecum continue intus in anima tua, et quod semper senties. Signum autem erit istud : Tu semper eris fervens in amore, et de amore Dei, et illuminata cognitione Dei intus in te. Hoc autem signum sit tibi certissimum, quod ego sum, quia hoc signum non potest facere alius, nisi ego, et hoc est signum quod ego dimitto intus in anima tua, quod tibi est melius alio, quod petisti. Dimitto in te unum amorem de me, quo anima tua erit ebria, fervens et calida assidue de me, ita quod tribulationes amore mei tolerabis. Et si quis tibi dixerit malum vel fecerit, tu habebis in gratia, et clamabis te indignam tali gratia. Istum enim amorem habui ego ad vos, qui fuit tantus, quod pro vobis omnia sustinui patienter et cum humilitate. Tunc igitur cognosces, quod ego sum in te, si quando quis dixerit vel fecerit malum tibi, tu habeas non solum patientiam, sed hoc habeas in magno desiderio, et pro gratia : et hoc est certum signum gratiæ Dei. Et ecce ego modo ungo te uno unguento * syrocoso quo unctus fuit unus Sanctus, qui fuit vocatus S. * Cyricus et alii multi Sancti.

Illuminari in cognitione Dei, et fervere in ejus amore est verum signum præsentiæ Dei in creatura sua.

Effectus inflammati desiderii est desiderium patiendi.

* MS. siricoso.
* MS. Siricus.

90 Sentiebam igitur subito unctionem illam cum tanta dulcedine, quod ego desiderabam mori, et quod mors mea esset cum omni tormento corporali, nec æstimabam aliquid tormenta quæ sustinuerunt Sancti pro Christo, sed terribiliora tormenta desiderabam mihi pro Christo inferri. Et desiderabam quod totus mundus diceret mihi verecundiam, et quod mors inferretur mihi cum omni tormento. Et erat mihi multum delectabile, rogare Deum pro illis, qui mihi hæc omnia mala facerent, et non mirabar de illis Sanctis, qui rogaverunt Deum pro interfectoribus et persecutoribus suis : quia non solum debebant rogare Deum, imo etiam conari specialem gratiam pro eis impetrare. Paratissima igitur eram rogare Deum pro illis, qui mihi mala fecissent, et cum magno amore diligere eos, et eis compati. In illa autem unctione sensi tantam dulcedinem intus et extra, quod numquam tantam senseram, quam etiam non possum verbis manifestare in aliquo, nec parum nec multum. Et erat hæc consolatio alia et alterius modi, quam aliæ fuissent, quia in aliis delectationibus desiderabam statim exire de sæculo, sed in ista erat desiderium, quod mors mea esset gravis, et longa cum omni tormento, et quod omnia tormenta de mundo essent in quolibet membro, et tamen hæc omnia videbantur mihi pauca. Et comprehendebat anima mea, quod omne tormentum erat parvum respectu illorum bonorum, quæ promittuntur in vita æterna, et anima mea comprehendebat certissime ita esse. Et si omnes sapientes mundi dicerent mihi aliud, non crederem. Et si jurarem, quod omnes, qui vadunt per istam viam supradictam, salvantur, non crederem mentiri. Et istud signum dimisit sic firmum intus in anima mea, et cum tanto lumine claram et illustratam, quod credo, quod sustinerem martyrium antea quam possem aliter esse. Et hoc signum sentio continue, quod est recta via salutis, scilicet, diligere, et desiderare pati pro amore Dei.

Mystice inuncta, optat multa pati.

91 Et audivi locutionem a Deo mihi factam dicentem : Facias scribi in fine istorum : Reddantur gratiæ Deo : et quicumque vult conservare gratiam, non levet oculos a Cruce, sive sit in lætitia, sive in tristitia, quam ego dem sibi vel permittam. Ea autem, quæ supra dicta sunt de prædicto signo, intelligebat anima mea magis plene, quam possim dicere, et cum plenitudine, qua dabantur mihi intelligi multo plura, quam loquimur, et plenius et cum magna delectatione et affectione, de qua omnino nihil dicemus, nec dicere possumus, et Deus velit, quod non sit mihi peccatum, quia ita male et cum defectu refero.

Gratia Dei in Cruce conservatur.

CAPUT VI.

Septem revelationes circa Passionem Christi.

c. 30. Christus pro hominibus pauper factus.

Quadam vice ego eram in meditando de Passione et de paupertate filii Dei incarnati; Christus autem ostendit mihi, et videbam paupertatem ejus tam magnam, quam clare demonstrabat in corde meo : et volebat quod ego viderem, et bene considerarem ; et videbam illos, pro quibus se fecit pauperem : et tunc habui, et sensi maximum dolorem et reprehensionem ita quod cor meum quasi deficiebat.

Desolatus et a suis derelictus.

93 Post hæc autem amplius demonstravit mihi de sua Passione : et tunc videbam eum pauperem de amicis et parentibus : et videbam eum tam pauperem de seipso quod non posset secundum humanitatem se adjuvare. Et quamvis dicatur quod tunc divina potentia erat abscondita propter humilitatem; ego dico, quod non erat abscondita : et de hoc recepi tunc documentum a Deo, quod non erat abscondita, et tunc habui et sensi majorem dolorem quam antea, quia in illo ego cognoscebam tantam superbiam meam, quod post illud adhuc non possum habere lætitiam. Adhuc ego stabam et eram in meditando de passione istius filii Dei incarnati, et meditabar cum dolore. Et amplius placuit sibi ostendere mihi plura de sua Passione quam fuerant illa, quæ audiveram referri : et intelligebam quomodo Christus in Passione sua videbar omnia corda obstinata illorum impiorum contra se, et videbat omnia membra cum grandi sollicitudine destruere nomen suum. Et videbat quomodo habebant magnam memoriam et studium ad eum destruendum, et videbat omnes subtilitates, astutias, et machinationes, quas impii faciebant contra eum. Et videbat omnia consilia, et multitudinem detractionum et iras illas, et furores grandissimos eorum, et videbat omnes apparatus eorum, et omnes cogitationes, quas habebant et faciebant, quomodo possent eum crudelius affligere. Crudelitas enim passionis suæ fuit multa, et videbat omnes pœnalitates et injurias et verecundias. Et anima mea videbat plus de passione sua, quam ego nolo dicere, imo volo tacere.

Furori Judæorum traditus.

94 Et tunc anima cum clamore dicebat : Sancta Maria mater * afflicta, dic mihi aliquid de ista Passione benedicti filii Dei, quia tu vidisti plus de ista Passione, quam alius Sanctus pro zelo, quem habuisti continue de isto tuo amore. Vidisti enim eam oculis capitis et cum oculis mentis, et intentissime considerasti, pro eo quod summe eum dilexisti. Iterum clamabat anima mea dicens : Est aliquis Sanctus, qui

* *ext.* afflicti.

Petit doceri a B. Virgine et Sanctis acerbitatem passionis Christi.

qui sciat mihi dicere aliquid de ista Passione, de qua non audio fieri memoriam, nec aliquid loqui nec referri, sicut anima mea vidit, quoniam tanta est quod eam referre non possum? Passionem enim Christi tantam vidit anima mea, quod, quantumcumque S. Maria viderit plus, quam alius Sanctus, multismodis tamen intelligo, quod nullo modo posset illam dicere, nec etiam alius Sanctus. Et si quis illam diceret, ego dicerem: Tu es ille, qui sustinuisti eam. Visa igitur sic passione filii Dei, ego fui in majori dolore, quam unquam fuerim. Si enim corpus meum hic deficeret, non esset mirum. Adhuc enim non possum habere lætitiam, quando recordor, et perdidi illum vigorem animi quo solebam esse læta, nec potui lætari de multo tempore.

Inexplicabilis dolor Passionis Christi.

c. 31. 95 Altera vice fuit mihi denuntiatus ille dolor acutus, qui fuit in anima Christi, qui dolor fuit tantus, quod cor non sufficit ad cogitandum, nec lingua ad dicendum. Et quia in filio Virginis vidi tantum dolorem, anima mea facta est afflictissima, et in tantum dolorem transformata, quod numquam fui in tanto dolore, et ideo non poteram invenire aliquam lætitiam. Anima autem mea tunc intelligebat multiplicem causam et rationem, quare dolor ille fuit acutissimus. Anima enim illa erat sine omni peccato et sanctissima, et pro se nullam debebat recipere punitionem.

Causæ, cur dolor passionis Christi fuerit acutissimus.

I. Item quia solum recipiebat eam pro nostro grandissimo amore, et pro nobis ingratis et inimicis et indignissimis, qui etiam dum nos redimebat per passionem, ipsum deridebamus et subsannabamus.

II. Item quia peccatum crucifigentium fuit maximum, quia anima illa, quæ omne peccatum odibat, et sibi displicebat, multum doluit, plus quam de alio peccato.

III. Item quia gentes erant multæ, quæ istud peccatum fecerunt. Gentiles enim, et Judæi, et fere omnis orbis contra eum in die festo fuerunt convenientes, quantum ad nationes, ideo dolor grandis.

IV. Item propter malitiam suorum adversariorum, quorum tantum studium erat ad destruendum eum, et memoriam ejus; et nomen ejus, et electos discipulos ejus.

V. Item quia compatiebatur discipulis a fide cadentibus et persecutionem propter eum sustinentibus.

VI. Item compatiebatur matri dolorosissimæ.

VII. Item quia fuit dimissus in pœnis sine adjutore, sive consolatore.

VIII. Item quia illa sanctissima et nobilissima anima recipiebat dolorem ab omni parte, et recipiebat tristitiam et angustiam, et dolorem de omnibus doloribus, et pœnalitatibus, quas recepit illud sanctissimum corpus delicatum virgineum, quæ omnia adunabantur in una sanctissima sola anima ejus, et multa alia quæ ostendebantur clare mihi, quæ ego nolo, nec possum dicere. Unde extra me facta præ dolore transformata fui in dolorem crucifixi. Divina autem misericordia fecit mihi propter hæc gratiam: primo, quia voluntatem meam firmavit ita, quod ego non possum velle nisi sicut ipse vult.

IX. Secundo, quia ipse posuit animam meam in uno statu, in quo recipio modicas mutationes, et habeo Deum in tanta plenitudine quod jam non sum in illo statu, in quo solebam, sed sum ducta in summam cordis, et carnis, et mentis pacem, et sum contenta de omnibus.

Transformata in dolorem Christi crucifixi, accepit pacem internam, et voluntatis conformitatem.

c. 32. 96 Cogitabam altera vice de magno dolore, quem Christus sustinuit in cruce, et cogitabam de illis clavis, de quibus audiveram dici, quod clavi illi de manibus et pedibus carnem portaverunt intus in ligno, et desiderabam videre, vel saltem illud parum de carne Christi, quam clavi illi portaverunt intus in ligno. Et tunc habui tantum dolorem de illa pœna Christi, quod non potui stare in pedibus. Sed inclinavi caput et sedi et vidi Christum inclinantem caput super brachia mea, quæ projeceram in terra, et tunc ostendit mihi guttur suum et brachia: statim autem prior tristitia conversa est in tantam lætitiam, et sic diversam ab aliis lætitiis, quod non videbam nec sentiebam nisi id: tanta autem erat pulchritudo illius gutturis, quod est ineffabile. Et tunc intelligebam illam pulchritudinem resultare ex divinitate ejus: nihil autem ostendebatur mihi, nisi id guttur pulcherrimum et suavissimum, nec scio comparare illam pulchritudinem alicui rei, nec colori de mundo nisi tantummodo claritati corporis Christi, quam aliquando video quando elevatur.

Dolor Christi ex avulsione carnis manuum et pedum in transfixione clavorum.

Auctore Arnaldo. *Summa cum lætitia videt guttur et brachia Christi.*

c. 33. 97 Altera vice feria quarta majoris hebdomadæ ego eram in meditando de morte filii Dei, et meditabar cum dolore, et conabar evacuare mentem de omni alia impletura, ut possem animam habere magis recollectam in ista Passione, et morte filii Dei; et eram tota occupata in isto studio et desiderio, quomodo possem evacuare mentem de omni alia impletura, ut possem efficacius de hoc cogitare. Et tunc fuit facta ista loquutio in anima dicens: Ego non te amavi per truffam. Istud autem verbum fuit quædam percussio mortalis doloris in anima mea, quia statim sunt aperti oculi animæ, et videbam clare, quomodo erat verissimum hoc quod dicebat. Videbam enim opera et effectum illius dilectionis; et videbam omnia, quæ facit hic filius Dei pro isto amore. Et videbam quæ sustinuit in vita et in morte iste Deus homo passionatus pro isto indicibili et eviscerato amore, et intelligebam prædictum verbum esse verissimum, quod scilicet me non amavit per truffam, sed verissimo et perfectissimo et eviscerato amore me dilexit.

Magnus amor Christi erga genus humanum.

98 Et ego videbam totum contrarium in me, quomodo ego non amabam eum, nisi per truffam, et non veraciter. Et hoc videre erat mihi pœna mortalis et dolor intolerabilis, ita quod credebam mori: et tunc subito dicta fuerunt mihi alia verba, quæ augmentaverunt dolorem meum, quæ fuerunt ista. Iterum, quod prædictum est, subjungendo: Ego, inquit, te non dilexi per truffam; ego non servivi tibi per simulationem; ego te non sensi per elongationem: et tunc augmentata fuit prædicta mortalis pœna et dolor. Tunc autem exclamavit anima et dixit: O magister, istud quod dicis non esse in te, est totum in me, quia numquam te amavi nisi per truffam, et cum mendacio, et simulatione; et numquam volui approximare tibi in veritate, ut sentirem de laboribus, quos tu pro me sentire et tolerare voluisti: et numquam servivi tibi veraciter, et propter te, sed cum duplicitate et negligenter.

Hominum amor erga Christum non sincerus.

99 Videndo igitur hæc prædicta quomodo me veraciter amaverat, et omnia signa verissimi amoris esse in eo, quomodo se totum et totaliter dederat ad serviendum mihi, et quomodo se mihi appropinquaverat, sic quod factus fuerat homo, ut dolores meos in se veraciter portaret, et sentiret; et videndo totum contrarium in me, tantus dolor et pœna erat mihi, quod fere moriebar, et sentiebam, quod præ dolore maximo costæ pectoris disjungebantur, et cor videbatur mihi quod vellet crepare. Et cum cogitarem specialiter in illo verbo: Ego non te sensi per elongationem, ipse addidit dicens: Ego sum, inquit, plus intimatus animæ tuæ, quam anima tua sibimet. Sed et ex hoc augmentatus est dolor, quia quanto magis videbam mihi Deum intimatum, tanto magis cognoscebam me elongatam ex parte mea, et postea dixit aliqua verba manifestantia, et eviscerativa sui amoris, et dixit: Si quis vellet me sentire in mente sua, non auferrem me sibi, et quicumque vellet me videre, cum magno placimento darem sibi visionem meam, et quicumque vellet loqui mecum, cum maximo delectamento loquerer cum eo. Ista autem verba excitaverunt in me unum desiderium, scilicet nolle sentire, nec videre, nec loqui, nec agere aliquid in quo esset offensio Dei. Et hoc est, quod specialiter requirit Deus a filiis suis, et ab electis suis; ut quia vocati sunt et electi ad eum sentiendum, et videndum eum, et ad loquendum cum eo, vult quod omnino

Ob dolorem ex amore Dei et nostro torpore conceptum costæ B. Angelæ disjungebantur.

Signa electionis divinæ.

1. *cavere Deum peccatis offendere.*

AUCTORE ARNALDO. 2. *amare Christum, et sequi, ac crucem ferre.*

caveant a contrariis, sic autem ostensum est mihi et dictum. Illi qui sunt amatores, et sequaces illius paupertatis, doloris, et despectus mei, quæ ego semper habui, illi sunt filii mei legitimi et electi, et quorum mens est fixa in ista passione, et morte : ubi est vera salus et vivificatio omnium, et non alibi, illi sunt filii mei legitimi, et alii non sunt filii.

c. 34.

100 Quadam alia vice, dum essem in ecclesia B. Francisci, circa elevationem corporis Domini, organis cantatibus Angelicum hymnum, Sanctus, Sanctus, Sanctus, etc., et tunc fuit anima mea in ipsum lumen increatum assumpta, et elevata, sic absorpta et attracta quod est totum ineffabile. Et quidquid dicitur hic, est omnino nihil : et nullo humano potest exprimi illa benedicta creatura illius increati Dei omnipotentis. Post talem abyssalem absorptionem in Deum, remanente mihi priori attractu et influentia, apparuit mihi effigies illius benedicti Dei et hominis crucifixi, quasi tunc noviter de cruce depositi : cujus sanguis apparebat sic recens et rubicundus et per vulnera effluens, ac si immediate tunc de recentibus plagis et vulneribus effunderetur. Tunc etiam apparuit in juncturis illius benedicti corporis tanta dissolutio compaginis et unionis in juncturis omnium membrorum ex dira et crudeli protensione, et tractura horribili membrorum virgineorum, facta ab illis homicidis manibus perfidorum super patibulum crucis, quod nervi et juncturæ ossium omnino videbantur laxari a debita corporis harmonia, nulla tamen apparebat in pelle continuitatis dissolutio. Ad hujus igitur aspectum tanta compassione transfixa sunt omnia viscera mea, ita quod vere in crucifixi dolores tota videbar corpore et mente transformata.

Videt Christum quasi primo mortuum et de cruce depositum.

Major dolor passionis Christi in compagum dissolutione.

101 Et majori configebar telo in aspectu diræ solutionis compagum et protensionis membrorum, ex qua omnes nervi videbantur laxati, et dissipati et ossa dinumerata, quam in aspectu vulnerum apertorum, quia in illis magis mihi intimabatur passionis secretum, et dira crudelitas torquentium ipsum. Et erat vere tantæ compassionis aspectus sic cruciati corporis boni et dilecti Jesu, quod omnia non solum interiora mea, sed et ossa, et juncturæ novum videbantur sentire dolorem, et novum provocare lamentum, et terribile doloris transfixivi tam mentis quam corporis sentimentum.

Inde ipsa dolet.

Sanctæ benedictiones a Deo imitantibus et compatientibus Christo donatæ.

102 Dum igitur sic tota starem absorpta ab illo dolore, et quasi in dolores crucifixi transformata, audivi crucifixum super devotis ad suam passionem, et super imitantibus ipsam, et super sibi compatientibus, dulcissimas benedictiones ingeminantem, et dicentem : Benedicti vos a Patre meo, qui mihi compassi, et mecum similiter contribulati, et viam meam secuti, stolas vestras in meo sanguine lavare meruistis. Benedicti, qui mihi pro vobis crucifixo, et immensis doloribus afflicto, ut ab immensis et æternis tormentis pro vobis satisfacerem, et vos redimerem, mihi compati, et mecum paupertatem, dolorem, et despectum pro vobisipsis compatiendo, digni inventi estis. Benedicti qui meæ passionis, quæ est miraculum omnium sæculorum, salus et vita perditorum, solum refugium peccatorum, memores, et devoti, et compatientes eritis, quoniam vere et regni, et gloriæ, et resurrectionis, quæ per ipsam acquisivi, eritis participes mecum, et coheredes in perpetua sæcula sæculorum. Benedicti vos a Patre meo, et Spiritu sancto, et vere benedicti benedictione, quam dabo in extremo judicio, quia me in mea propria venientem, sicut mei persecutores, non repulistis, sed me desolatum in cordis hospitio per compassionem hospitem recipere voluistis, qui mihi in cruce nudo existenti, famescenti, sitienti, infirmo, clavis affixo, et morienti compati, et consocii mei esse voluistis, in hoc vere opera misericordiæ complevistis. Ideo audietis in illa terribili hora : Venite benedicti Patris mei, percipite regnum quod, etc. Esurivi enim in cruce, et saltem per compassionem dedistis mihi manducare, et cetera omnia mirabiliter subjungebat. Dico autem, esse impossibile exprimere ejus ceratum amorem, qui relucebat in aspectu oculorum illius benedictæ faciei Dei hominis Jesu Christi super istos, unde et adhuc subjungebat : O vos vere beati, et omnino benedicti! et si in cruce pro meis crucifixoribus et tortoribus cum lacrymis et fletu rogavi Patrem meum, et excusavi dicens : Pater dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt; quid pro vobis, qui mihi compassi, devoti, et consocii fuistis, dicturus sum, cum non in cruce, sed in gloria felicissimus orbem judicabo? Sic igitur remansi plus quam dici possit consolata, et ad passionem benedicti filii Dei plurimum affecta tanta affectione, quod ipsam exprimere non possum. Verba enim alia plurima, et aliter provocativa, et summe inflammativa proferebat, quæ referre nescio, neque possum.

Opera misericordiæ Christo crucifixo impenduntur.

103 Alia vice, dum orarem, et in passione Jesu Christi meditarer cum cordis summo dolore et compassione, cogitando et ponderando, quanta esset magnitudo iniquitatis in omni peccato meo, cum ad ejus reconciliationem et remissionem, antequam Deus Pater placari posset, oportuit Dei filium, non solum orare, et cum lacrymis rogare, sed omnino oportuit in cruce mori pro eo. Ponderando etiam, quanta potest esse damnatio, et quanta et quam infinita miseria, et innumerabilia tormenta, quæ me expectant pro omni peccato mortali meo, quod pro ejus satisfactione oportuerit, non Angelum, neque Archangelum, sed Deum verum Dei filium Jesum Christum mortis miseriam, et crucis tormentum pati et pro me tolerare. Ponderando etiam meam ingratitudinem, quam pro tanto beneficio non solum illi pro eo facio, imo ipsum quotidie offendo, et nec de beneficio suæ resurrectionis recordari volo, nec ad meam salvationem pœnitentiam agendo, cum eo cooperari curo : stupendo me de istis, de Dei infinita bonitate et misericordia, et de mea summa iniquitate, et stultitia. Dum hæc cogitarem, manifestatum est mihi, qualiter per Passionem Christi liberati sumus ab omni genere peccatorum, et tormentorum, et pœnarum, quæ pro eis meruimus. Et ostensum fuit mihi ita clare, quod vix potui me tenere, quin coram omnibus id clamarem. Dictum est igitur mihi sic a Christo crucifixo mihi apparenti, ut in cruce fuit pro nobis appensus : Nullus homo, nulla persona poterit habere excusationem suæ salutis. Quia ad suam salutem procurandam non oportet plus facere, nisi sicut facit infirmus medico, qui volens salutem, ostendit ei infirmitatem, et disponit se ad faciendum quæ medicus dixit. Ita nunc non oportet, quod aliquis plus faciat, nec aliquid in medicinis expendat, nisi quod ostendat se medico per peccati recognitionem et confessionem, et disponat se ad illa, quæ sibi dicit medicus, et caveat a contrariis.

c. 35.

Ex acerbitate tormentorum et mortis Christi ponderanda est nostræ offensionis magnitudo.

Anima medicina sanguis Christi.

104 Comprehendebat autem anima mea, quod medicina erat sanguis Christi, et ipse dat sine pretio hanc medicinam, et non constat plus infirmo peccatori, nisi quod disponat se, et medicus Christus dat sibi salutem, et sanat infirmitatem. Animæ autem meæ ostendebantur omnia peccata, et videbat, quod omnia membra habebant infirmitatem spiritualem. Et ideo audiens, quod dictum est, statim anima mea conabatur ostendere omnia peccata, quæ cum diversis membris corporis et cum viribus et potentiis animæ fecerat, et dicebat : O Domine magister et medice æternæ salutis Deus meus, ex quo cum sola flebili ostensione infirmitatum mearum et morborum me curare disposuisti; Domine cum sim infirmissima, nec est aliquid in me quin totum sit corruptum et infectum, heu miseranda, tibi ostendo Domine omnes infirmitates meas et omnia peccata mea omnium membrorum

Singulis membris nostris Deum offendimus.

membrorum meorum et partium animæ et corporis. Tunc igitur incepi assignare omnia peccata, et dicebam : Domine misericors medice, respice caput meum, quomodo ipsum cum signis superbiæ frequenter ornavi, capillos torquendo deformavi, et alia multa peccata feci. Respice Domine oculos miserabiles impudicitiis plenos, invidia infectos, etc. Et similiter studebam assignare et ostendere omnia alia peccata omnium membrorum.

Singulorum membrorum peccatis respondent proprii cruciatus Christi.

105 Auditis igitur cum magna patientia omnibus istis Christus lætanter et cum jucunditate respondebat, quomodo per ordinem ista omnia sanabat et multum animæ compatiendo dicebat : Ne timeas, neque desperes filia, quoniam et si mille mortibus et morbis esses infecta et mortua, cum medecina, quam ministrabo, sanari poteris, si tamen animæ tuæ et corpori ipsam applicare per dovotionem volueris. Infirmitatibus enim capitis, quas dixisti, et multipliciter ostendisti, propter quas Deo displices, et tu doles in te, quas incurristi lavando, pectinando, ungendo, colorando, ornando, crines torquendo, te efferendo, superbiendo, vanam gloriam quærendo ut appareres homnibus contra Deum; propter quæ in inferno et in profundissimo lacu dejici et humiliari, et perpetuo tamquam vilissima reputari debebas, ego satisfeci, et pœnitentiam egi, et gravissimam pœnam toleravi. Nam pro lotura, pectinatura, et unctura, qua es abusa, caput meum sanctissimum fuit tractum, depilatum, spinis acutissimis punctum, arundine percussum, et totum sanguine cruentatum, et omni ludibrio et contemptui viliter subjectum, et vili corona coronatum.

Peccata capitis.

Tormenta capitis Christi.

Peccata nostra et Christi tormenta faciei.

106 Infirmitatibus etiam faciei, quas incurristi lavando similiter, et ungendo, hominibus miseris ostendendo, et eorum gratiam quærendo, ego medicinam confeci, et ordinavi. Nam pro peccatis hujusmodi satisfeci, nam sputis sordidissimis vilissimorum tota facies mea fuit inquinata et deturpata, alapis gravissimis fuit tumefacta et deformata, panno sordido fuit velata. Pro oculis etiam tuis, quibus respexisti vana et nociva, et fuisti in ipso aspectu multipliciter delectata contra Deum, ego satisfeci. Cum ipsis enim oculis meis lacrymas amarissimas effudi, et ipsos velatos habui, et sanguine manante a capite habui balneatos. Pro auribus tuis, quibus Deum offendisti, audiendo vana et nociva, et in talibus fuisti delectata; ego pœnitentiam maximam feci : nam auribus meis audivi multa, quæ multam et maximam tristitiam afferebant, scilicet falsas accusationes, detractiones, insultationes, maledictiones, derisiones, subsannationes, blasphemias, et iniquam contra me sententiam, et fletum piissimæ matris meæ, mihi dolorosissime condolentis. Pro peccatis oris tui et gulæ tuæ, quo delectata fuisti in comessatione et ebrietate et ciborum suavitate; ego habui os fame, et jejuniis, et siti tabefactum, et aceto, myrrha et felle amaricatum. Pro peccatis linguæ tuæ, quam ad detractiones, calumnias, irrisiones, maledictiones, blasphemias, mendacia, perjuria, et alia peccata laxasti, ego habui os meum coram judicibus et falsis testibus clausum, et non habui in ore meo excusationem, sed pro malefactoribus meis Deum toto corde rogavi, et semper veritatem prædicavi. Pro peccatis odoratus tui, quo in floribus, et odoribus delectata es; ego fœtores abominabiles sputorum, et sensi, et super faciem meam, oculos, et nares toleravi.

Oculorum.

Aurium.

Oris et gulæ.

Linguæ.

Odoratus.

107 Pro peccatis quæ fecisti cum collo tuo, ipsum ira et superbia et lascivia agitando, et contra Deum extendendo ; ego habui collum meum multiplicibus colaphis et alapis verberatum. Pro peccatis scapularum et humerorum tuorum, quibus offendisti Deum diversa contra Deum portando; ego pœnitentiam feci, crucem, in qua suspensus fui, bajulando. Pro peccatis manuum tuarum et brachiorum tuorum, quibus multos malos amplexus, et tactus, et mala opera fecisti; ego habui manus grossis clavis transfixas, et in ligno affixas, et pressas, totum meum corpus in patibulo sustinendo et sustentando. Pro peccatis cordis tui quo peccasti, ira, invidia, tristia et malo amore et malis concupiscentiis et cupiditatibus; ego habui cor meum et latus meum lancea acuta transfixum; ex quo medicina validissima ad curandum omnes cordis passiones et peccata sufficienter emanavit, aqua scilicet ad refrigerandum malas concupicentias et amores, et sanguis ad remittendum iracundias, tristitias et rancores. Pro peccatis pedum tuorum, quibus peccasti, chorcando vane, et lascive ambulando et evagando, ego habui pedes tortuose non ligatos, sed transfixos et clavatos in ligno crucis; et pro sotularibus rostratis et fenestratis, ego habui pedes sanguinolentos sanguine eorum et totius corporis ad eos defluente.

Auctore Arnaldo.

Cordis.

Pedum.

108 Pro peccatis totius corporis, quo peccasti, ipsum diliciis, sommo et quieti dando, et diversimode delectando; ego fui in cruce affixus, terribiliter verberatus, in modum pellis tractus et in cruce extensus, sudore sanguineo totus usque ad terram madidus, et durissimo ligno strictissime applicatus, et tandem atrocissimo tormento ibidem laborans, clamans, suspirans, flens, plorans et ejulans, mortuus sum, a crudelissimis interfectus. Pro peccatis tuorum ornamentorum et vestium superfluarum, vanarum, et curiosarum, ego in cruce nudatus sum, vilissimis rupam meam et vestes sibi diripientibus et ludentibus in oculis meis. Ego nudus, sicut de Virgine natus sum, frigori, vento, aeri, omnium hominum et feminarum aspectui, in alto, ut melius viderer, et magis irriderer, et verecundiam paterer, expositus sum et expansus. Pro peccatis tuarum divitiarum, quæ fecisti male acquirendo ipsas, expendendo et retinendo, ego pauper fui non habens palatium, neque domum, neque tugurium, ubi nascerer, nec vivens ubi manerem; neque moriens sepulcrum habuissem, sed canibus et avibus fuissem dimissus, nisi quidam pietatis intuitu, et meæ miseriæ compatiens, me in suo sepulcro recepisset. Meum sanguinem, meam vitam hominibus peccatoribus sum largitus, et sic nihil mihi retinui, sed in vita et in morte semper pauper esse volui et permansi. Et quia anima per peccata singula fuerit interius delectata videt Christum in anima sua sanctissima dolores multimodos diversos et horribiles pertulisse; scilicet passionis corporeæ, quia anima indicibiliter cruciabatur; et passionis Matris sanctissimæ, et per peccatum subtractum divinæ reverentiæ; et etiam ex compassione nostræ miseriæ. Qui dolores in anima illa sanctissima simul adunati, ipsum horribilissime et indicibiliter cruciabant.

Totius corporis.

Vestium et ornatus.

Divitiarum.

109 Quid plura? nullum peccatum, nullum animæ morbum assignare poteris, quin ego remedium attulerim, et pro omnibus satisfecerim sufficienter, et pro infinitis tormentis et doloribus, quos misera anima tolerare in inferno debebat pro peccatis supradictis, ego totaliter dolui et tormentatus sum. Quod si in negligentia tua non remaneat, amplius dolere non oportebit : dum tamen hic mecum condoleat et mihi compatiatur, et pœnarum mearum, ignominiarum, et paupertatis, et despectuum socia, dum hic vivit, coexistat. Et quia Maria Magdalena, quæ erat infirma, hæc habuit, et desiderabat liberari, ideo fuit ab omni sua infirmitate liberata : et quicumque hæc haberet, posset invenire sanitatem sicut ipsa. Item crucifixus mihi dicebat : Isti filii mei qui recedunt de regno meo per peccatum, et se faciunt filios diaboli, quando redeunt ad patrem, pater habet magnam lætitiam, et ostendit eis supernalem lætitiam. Tanta enim est lætitia, quam pater habet de reditu eorum, quod supernalem gratiam dat eis, quam non dat illis, qui fuerunt virgines, vel numquam per peccatum recesserunt ab eo. Et hoc fit propter immensum amorem, quem pater ad eos habet, et misericordiam, qua eis et eorum miseriæ miseretur. Et propter hoc quia ipsi habent dolorem, quia

Colli.

Humerorum.

Manuum.

Pœnitentia in peccatorum agentibus singularis confertur gratia.

AUCTORE ARNALDO.

quia offenderunt tantam majestatem et tam clementissimam bonitatem, et recognoscunt se dignos inferno: et propter duo jam prædicta, qui major peccator extiterit, majorem potest gratiam et misericordiam invenire. Item dixit mihi : Quicumque vult invenire gratiam, non levet oculos a cruce, sive concedam, sive permittam eum in tristitia vel lætitia esse vel vivere.

Crux omnis gratiæ fons.

c. 36.

110 Quadem vice ego respiciebam crucem cum crucifixo : et respiciendo crucifixum oculis corporis, subito accensa fuit anima uno amore sic ferventi, quod ipsum etiam membra corporis sentiebant cum magna lætitia et delectamento. Videbam enim et sentiebam, quod Christus amplexabatur animam cum illo brachio, quo fuit crucifixus, et gaudebam summa lætitia, plus quam unquam consueverim. Et ex tunc remansit in me una lætitia et clara illustratio, qua anima cognoscit et comprehendit, quomodo istam carnem nostram videmus unam societatem esse factam cum Deo, et est istud verum delectamentum animæ inenarrabile, et est ista lætitia continua et illustratio clarior, quam alias susceperim. Remanet enim in me tanta securitas et certificatio status mei, quod non remanet in me aliquod dubium, quin iste status certissime sit a Deo, et meæ locutiones, quas in me sentio, sint a Deo. Et miror, quomodo hactenus dubitaverim in hoc : certificata enim sum perfecte de isto statu meo taliter, quod si omnes mundi dicerent mihi oppositum, non crederem, quia de hoc nec dubitare possum, et delector ita videre illam manum, quam ostendebat cum illis signis clavorum, et quam ostendet quando dicet : Ecce illa, quæ sustinui pro vobis.

Admittitur B. Angela in amplexum Christi crucifixi.

Nostra caro socia carnis Christi.

111 Nunc etiam quando sum in ista visione et amplexu, anima mea percipit tantam lætitiam, quod non possum habere aliquam tristiam de Passione; quamvis videam esse illam manum crucifixi et ipsam plagatam. Et tota lætitia mea est modo in isto homine Deo passionato : et aliquando videtur animæ ex strictissimo amplexu prædicto quod anima intret intus in latus Christi, et illa lætitia quam ibi recipit, et illustratio, narrari non potest. Est enim ita magna, quod aliquando stare in pedes non potui, sed jacebam, et perdidi loquelam. Unde et quando repræsentata fuit passio Christi in plate a S. Mariæ, videtur quod tunc fuisset plangendum, et mihi tunc e contrario, tanta lætitia miraculose tacta fui et delectata, quod perdidi loquelam, et jacui, postquam habui illud inenarrabile sentimentum Dei, et studui vel aliquantulum elongari a personis; et reputavi pro miraculosa gratia, quod potui aliquantulum delectari : et jacui, et perdidi loquelam, et membra ; et videbatur mihi quod tunc anima intraret intus in latus Christi : et non erat tristitia, imo tanta lætitia, quod narrari non potest.

Anima B. Angelæ intrat in latus Christi.

CAPUT VII.

Septem consolationes ex sacra Eucharistia.

c. 37.

Quadam alia vice, dum dicebatur Missa, cum cogitatione conarer cogitare humilitatem Dei, et ejus summam bonitatem, quod ad nos in Sacramento altaris vellet accedere, elevata sum in spiritu, et habui novam et claram intelligentiam, quomodo Deus venit in Sacramento altaris. Et dictum est mihi primo, quod corpus Christi poterat esse in omni altari propter divinam potentiam, quæ comprehendi non potest in hac vita. Et quamvis de illa potentia multa loquitur Scriptura, tamen illi qui legunt, parum intelligunt : qui vero sentiunt aliquid de me, plus intelligunt ; et nec isti nec filli intelligunt in hac vita, sed veniet tempus, quando comprehendetis. Postea habui illuminationem, et intellexi, quomodo venit Deus in illo Sacramento, taliter quod nunquam nec ante nec postea mihi ita clare demonstratum est. Et vidi quomodo Christus veniebat cum pulcherrima societate, et ego delectabar valde in videndo illam societatem.

Potentiam Dei, quæ in Eucharistia cernitur, homo non capit in hac vita.

Mirata autem fui, quomodo poteram delectari in illa societate, quia non eram consueta delectari nisi in Christo, et quamvis delectarer in Christo, et in illa sua societate pulcherrima, tamen aliter intelligebam, et aliter delectabar in Christo, et aliter in illa sua societate. Miranti autem mihi de pulchritudine illius societatis, et disideranti scire qui essent, dictum est mihi, quod illa societas erant Throni. Et erat illa societas clarissima, et acies tantæ multitudinis, quod nisi esset, quod ego intelligo, quod Deus facit omnia cum mensura, ego credidissem, quod illa societas esset sine numero et mensura, et esset innumerabilis : non habebat autem aliquam mensuram in latitudine vel longitudine, sed erat ineffabilis.

Christum in Eucharistia videt cum societate Thronorum.

c. 38.

113 In festo Angelorum de Septembri, dum eram in ecclesia de Fulginio, et volebam communicare, rogabam sanctos Angelos, et præcipue S. Michaelem et Angelos Seraphim, dicens : O Angeli administratores, qui Dei habetis potestatem et officium, ut ipsum aliis ministretis, ipsius notitiam et amorem conferendo, supplico, ut præsentetis eum mihi talem, qualem pater misericordiarum dedit eum hominibus, et qualem vult et voluit a nobis suscipi et revereri; scilicet unum pauperem, doloratum, despectum, vulneratum, cruentatum, crucifixum, et in cruce mortuum. Ipsi autem Angeli dixerunt mihi cum indicibili placimento et dulcedine : O tu placibilis Deo, ecce administratus est tibi, et habes eum præsentem, et insuper datum est tibi, quod tu possis eum aliis præsentare et administrare. Revera autem tunc habui eum præsentem, et videbam eum clarissime oculis mentis in illo Sacramento, sicut petiveram, scilicet dolorosum, cruentatum, crucifixum, postea in cruce mortuum : et tunc habebam dolorem acutissimum, ita quod videbatur mihi, quod cor meum vellet crepare ex præsentia talis visionis dolorosæ, et ex alia parte erat mihi delectatio et lætitia ex præsentia Angelorum : quod numquam credidissem, nisi vidissem, quod Angeli tantum essent placibiles, et possent dare tantam lætitiam animo.

Gratiam digne communicandi petit ab Angelis.

Videt Christum in Eucharistia cruci affixum.

114 Dum autem dicebatur Missa quidam Sacerdos celebrans erat prope Communionem, et dum sumeret corpus Christi, frangens hostiam, audivi vocem flebiliter dicentem : Heu multi sunt, qui me rumpunt, et etiam trahunt mihi sanguinem de dorso! Tunc ego cogitavi, quod forsitan Sacerdos non esset in convenienti statu sumendi corpus Christi, et oravi dicens: Fac quod frater ille non sit talis. Et statim vox respondit : Non erit in æternum.

Indignitas Sacerdotum aliquorum.

c. 39.

115 Alia vice stabam in ecclesia Missam audiendo, et circa elevationem corporis Domini nostri Jesu Christi, quando personæ genua flectebant ad elevationem corporis Christi, facta sum in spiritu, et apparuit in visione mihi beatissima Virgo Maria, et dixit mihi : Filia mea dulcis filio meo et mihi, jam filius meus venit ad te, et recepisti suam benedictionem : et faciebat me intelligere, quod filius suus Jesus Christus jam post consecrationem hostiæ erat in altari, quasi diceret mihi nova de nova lætatia. Hæc autem verba tantam lætitiam et gaudium mihi dederunt, quod nescio, nec credo quod sit aliquis qui possit dicere. Dicebat enim mihi beatissima Virgo Maria prædicta verba cum magna humilitate, et cum novo sentimento in anima mea, et cum maxima dulcedine : unde et mirata sum postea, quomodo poteram stare in pedibus, habendo tantam lætitiam. Et postea dicebat mihi : Postquam recepisti benedictionem dilecti filii mei, conveniens est, quod ego venirem ad te, et darem tibi benedictionem meam. Benedixit igitur me, dicens : Sis benedicta a filio meo, et a me, et studeas diligenter et sollicite ad amandum, quantum potes, quia tu es multum amata, et tu venies in rem infinitam : et tunc tantam lætitiam recepit anima mea, quantum unquam receperam. In elevatione autem corporis Jesu Christi augmentata est

B. Virgo docet B. Angelam præsentiam Christi in Eucharistia.

B. Virgo benedicit B. Angelam.

est mihi lætitia prædicta. Tunc autem non vidi aliquid in corpore Christi, sicut consueveram, sed sensi Christum veraciter in anima mea.

Angela sentit Christum sibi præsentem instar ignis.

116 Cognovi autem in hoc, quia nihil est, quod ita stringat animam cum igne ardenti, et cum delectatione amoris, sicut quando Christus est in anima mea : et tunc non erat sicut ignis, qui consuevit aliquando ardere in anima mea; sed erat ignis suavis amoris. Quando autem talis ignis est in anima, tunc cognosco, quod veraciter Deus est in anima : ab alio enim fieri non potest. Nam et omnia membra tunc sentiunt disjunctionem; et etiam sonant membra, quando disjunguntur. Et hanc disjunctionem magis sentio, dum elevatur corpus sacratissimum Christi, et specialiter disjunguntur manus et aperiuntur.

c. 40. Christus in Eucharistia est digne sumentibus omne bonum.

117 Cum venirem alia vice ad communicandum, fuit mihi facta locutio divina, et dicebatur mihi : Amata! omne bonum est in te, et vadis ad omne bonum recipiendum. Ego autem incepi cogitare : si omne bonum est in te, quare vadis ad recipiendum? Et statim facta est responsio dicens : Unum non repellit aliud. Et quando appropinquabam ad communicandum, dictum est mihi ita : Modo est super altare filius Dei, et secundum humanitatem et secundum divinitatem, et est associatus cum multitudine Angelorum. Et cum haberem magnum desiderium videndi eum cum Angelis sicut mihi dictum erat, tunc ostensus est mihi Deus; ut videbam eum : non videbam autem eum secundum aliquam formam, sed videbam unam plenitudinem, unam pulchritudinem, ubi videbam omne bonum, et dictum est mihi : O amata, ita stabis coram eo in vita æterna. Quantam autem consolationem recepit tunc anima mea, explicari non potest.

Miram saporem in sacra hostia sentit.

118 A parvo autem tempore quando communico, hostia extenditur in ore, et non habet saporem panis, nec carnis istius, quam comedimus, sed alium saporem carnis, sed saporis sapidissimi, quem nescio assimilare alicui rei de mundo : et non est dura hostia, sicut prius, nec descendit per frustula, sicut consuevit, sed integre cum tanta suavitate, quod nisi esset, ut audivi, quia cito debet homo glutire, libentissime tenerem eam in ore cum magna mora : et sic descendit integre cum illo sapore carnis incognito, nec oportet postea modo aliquo bibere, nisi esset consuetum, ut melius assumatur. Quando autem descendit, dat mihi unum sentimentum magnum placabile : discernitur autem extra in corpore ita, quod facit me tremere vehementissime, ita quod cum magno labore possum recipere calicem.

Signans se cruce, amore divino excitatur.

119 Nunc autem quando facio mihi signum crucis, et pono manum in capite, quando dico : In nomine Patris, nihil novi sentio : quando vero pono manum super cor, dicendo, Et filii, statim sentio ibi unum amorem, unam consolationem; quod, videtur mihi, quod ipsum ibi inveniam. Hoc autem non dixissem : nec scribi fecissem sicut nec alia nisi fuissem monita.

c. 41.

120 In quadam infirmitate dum desiderarem communicare multum in festo Angelorum, nec esset qui mihi apportaret sacratissimum corpus Christi, cœpi multum dolere : et ecce in ipso dolore et desiderio communicandi cœpi cogitare de ipso festo Angelorum laudem ipsorum, qualiter Deum laudant assidue : et cœpi considerare in exercitio, quod habent Angeli laudando Deum, et sibi ministrando et assistendo. Et ecce subito fui elevata, et statim affuit multitudo Angelorum maxima, et deduxerunt me ad unum altare, et dixerunt mihi : Hoc est altare Angelorum. Et super altare ostenderunt ipsi animæ laudem Angelorum, illum scilicet qui est omnis laus; et dixerunt Angeli animæ : In isto, qui est super altare, est perfectio et complementum sacrificii, quod tu quæris. Et ideo præpara te ad recipiendum illum, qui te desponsavit annulo sui amoris, et conjugium jam factum est; et ideo de novo modo vult facere conjugimentum et copulam. Non possum autem exprimere, quantam lætitiam suscepi, quia totum hoc sentiebat anima in veritate, quia hoc totum erat defectio, multo plenius quam possit exprimi verbo. Per hoc autem significatum est mihi, quod cito migratura eram de hoc sæculo : nam hoc fuit circa principium meæ infirmitatis ultimæ.

Christus dato annulo desponsavit Angelam sibi.

Auctore Arnaldo.

121 Alia vice vidi in hostia consecrata Christum sicut puerum. Videbatur autem esse puer magnus, et multum dominans, quasi teneret sceptrum et dominationem. Videbatur enim aliquid tenere in manibus quasi signum dominationis, et sedere in sede. Sed nescio dicere, quid tenebat in manu, et hoc vidi oculis corporis. Et ego hoc videns, tunc non genuflexi, quando alii genuflexerunt. Habui autem maximam delectationem in videndo eum. Et habui magnam displicentiam et magnum tædium de eo, quod Sacerdos nimis cito reposuit hostiam super altare : erat enim tantæ pulchritudinis et tanti ornatus, quod est ineffabile : et videbatur duodecim annorum. Et fuit tantæ lætitiæ visio ejus, quod eam non credo perdere in æternum : et fuit tantæ certitudinis, quod non dubito aliquo modo, quin fuerit in veritate. Tanta autem fuit delectatio in visione ejus, quod non dixi quod adjuvaret me; et nihil dixi, nec bonum, nec malum. Sed tantum delectata fui illam pulchritudinem videndo, quod nihil scivi quid dicerem.

c. 42. Videt in hostia puerum regia specie.

122 Item alia vice, dum dicebatur Missa, elevata in spiritu, quæsivi a Domino dicens : Ecce Domine tu es in isto Sacramento altaris : dic mihi Domine ubi sunt fideles tui? Et aperiens mihi intellectum, respondit et dixit : Ubi sum ego, sunt fideles mei mecum. Tunc ego ipsa videbam ita esse, et clarissime intuebar me, ubicumque ipse esset : sed illud esse, non est esse in Deo intus, sed est illud, quod est esse foris : et ipse est solus ille, qui est ubique comprehendens omnia. Vidi autem corpus Jesu Christi frequenter sub diversis formis in isto benedicto Sacramento. In isto enim Sacramento vidi aliquando guttur Christi cum tanto splendore, et cum tanta pulchritudine, quod splendor, qui emanabat, est plus, quam sit splendor solis, et ex illa tanta plulchritudine datur mihi intelligi certitudinaliter, quod ibi est Deus. Incomparabiliter enim est major pulchritudo, quam sit pulchritudo solis et multo major. Quamvis domi in illa gula vel gutture, adhuc majorem pulchritudinem viderim, tantam quod de illa visione gulæ, vel gutturis, non credo perdere lætitiam de cetero, et nescio eam manifestare nisi per similitudinem hostiæ corporis Christi. Sed magnam pœnam habeo, quod non possum manifestare. Vidi etiam aliquando in hostia duos oculos splendidissimos, ita grossos quod de hostia non videbatur remanere, nisi solummodo ora. Videndo autem ista, reficior tantis lætitiis, quod unam alteri nescio comparare, sed quælibet est ita magna, quod non videtur mihi, quod possim perdere deinceps.

c. 43.

Ubi Christus est ibi et fideles sunt.

Videt in hostia claritatem corporis Christi.

Alias duos oculos.

CAPUT VIII.

Consolationes ex visione Matris Dei.

c. 44.

Elevata fui quadam vice, et non eram in oratione tunc, sed posueram me ad pausandum, quia erat post comestionem. Unde nec de hoc cogitabam, sed subito elevata est anima mea, et videbam Beatam Virginem in gloria, et intelligens unam mulierem positam in tanta nobilitate, et gloria, et dignitate, sicut stabat, delectabar miro modo; nam videre ipsam erat ineffabilis lætitia. Stabat enim beata Virgo Maria rogans pro humano genere, et videbam cum tanta aptitudine humanitatis et virtute, quod erat inenarrabile, unde et ego ineffabiliter delectabar. Et dum ego ita aspicerem ad prædicta, subito apparuit ibi Jesus Christus, sedens juxta eam in humanitate glorificata. Et intelligens carnem illam, quomodo fuit pœnata, et opprobriata

Maria orat pro genere humano.

Cruciatibus Christi visis summe delectatur.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

AUCTORE ARNALDO.

probriata et crucifixa, et intelligens omnes pœnas, injurias, et despectus, et ignominias quas pro nobis sustinuerat, quas etiam tunc mirabiliter intelligebam, tunc nullo modo dolebam de eis : imo erat mihi delectatio tanta, quod narrari non potest, et ego perdidi loquelam, et putabam mori. Et erat mihi pœna supermaxima, quia non moriebar, et quia non perveniebam statim ad illud inenarrabile, quod videbam. Et duravit mihi ista visio per tres dies continue, et non impediebar a comestione, quæ erat multum pauca, continue enim corpore languido jacebam, et nihil loquebar : non impediebar etiam ab aliqua alia re : quando autem nominabatur mihi Deus, non poteram sustinere pro immensa delectatione.

Triduo in extasin rapta manet.

c. 45.

124 In Purificatione Beatæ Virginis, dum essem mane in ecclesia Fratrum Minorum de Fulginio, facta est mihi locutio dicens : Hæc est hora, in qua Domina Virgo Maria venit cum filio in templum. Et hæc audivit anima mea cum magno amore. Et tunc fuit anima mea elevata, et vidi Dominam nostram intrantem in illa hora, et obviavit sibi anima mea cum magna reverentia et amore. Et cum aliquantulum vererer accedere ad eam, ipsa Domina nostra dedit animæ magnam securitatem, et extendit versus me filium suum Jesum, et dixit : O dilectrix filii mei accipe; tradiditque brachiis meis filium suum, et videbatur habere oculos clausos, quasi dormiret, et erat pannis involutus sive fasciatus.

Deipara Virgo puerum Jesum tradit B. Angelæ.

125 Ipsa autem Domina nostra quasi ab itinere fatigata sedit, et faciebat tam pulchros et delectabiles gestus, et ita honestos, et gratos mores ostendebat, et erat ita dulce et delectabile videre ipsam, quod anima mea non solum poterat respicere puerum Jesum, quem sic astrictum tenebam inter brachia, sed etiam cogebatur respicere ad Dominam nostram. Dum igitur sic starem subito puer remansit in brachiis totus nudus, et aperuit atque levavit oculos, et respexit, et statim in aspectu illorum oculorum sensi et habui tantum amorem, quod vicit me omnino. Exivit enim de illis oculis tantus splendor, et ignis amoris et lætitiæ, quod est mihi indicibile. Et tunc subito apparuit una immensa majestas ineffabilis, et dixit mihi : Qui non viderit me parvum, non videbit me magnum; et addidit : Ego veni ad te, et obtuli me tibi, ut tu te offeras mihi. Et tunc anima mea modo mirabili et indicibili obtulit semetipsam ei : demum obtuli me totam, et filios meos sequentes perfecte et totaliter obtuli, nihil mihi, nec de se, nec de suis reservando. Et intellexit anima mea, quod Deus illam oblationem multum acceptabat, et cum magna alacritate recipiebat. De alacritate vero et lætitia ineffabili, et delectatione, et dulcedine indicibili, quam habui intendendo quod Deus cum tanta benignitate meam oblationem recipiebat et acceptabat, nihil possum dicere quia est mihi impossibile manifestare. Altera vice vidi Beatam Virginem me ad cognitionem exhortantem, et benedicentem, et mihi dolorem suæ compassionis, quam habuit de filio suo, dicentem.

Modestia D. Virg.

Oculi pueri Jesu.

Angela omnia sua Christo offert.

CAPUT IX.

De Angelæ filiis spiritualibus.

c. 46. Videt Christum de cruce depositum.

Quadam vice elevata et attracta pariter et absorpta in lumen increatum, videbam, quæ non possum dicere. Remanente autem hac influentia, apparuit mihi effigies benedicti Dei hominis crucifixi, quasi tunc noviter de cruce depositi. Cujus sanguis apparebat sic recens et rubicundus, et per vulnera effluens, ac si tunc immediate de recentibus vulneribus effluereret. Et apparuit in junctures ejus tanta dissolutio nervorum ex dira protensione extensionis in cruce, quod junctureæ ossium a debito loco videbantur omnino laxatæ, ad cujus conspectum plus, quam possit dici, transfixa sunt viscera mea, et dolebam plus, quam quibuscumque doloribus fuerim ante affecta.

127 Dum igitur sic starem tota absorpta ab illo dolore, ecce subito circa crucifixum multitudo filiorum apparuit, qui devoti erant ad prædicandum, et imitandum paupertatem, despectum et dolorem crucifixi. Benedictus igitur Jesus eos advocatos ad se, et tractos cum tanto amore singulos amplexans, ad vulnus lateris osculandum cum manibus suis eorum trahens et stringens capita applicabat : quod gaudium ex hoc in anima mea genitum de tam eviscerato amore super eos ostenso, me fecit oblivisci dolorem supradictum. Erat autem gradus diversorum in applicatione filiorum ad latus, quia quosdam etiam sæpius applicabat, quosdam plus quam minus infigebat, quosdam intus totaliter absorbebat : apparebatque in labiis rubricatio rubentis sanguinis, qui in aliquibus genas et totam faciem decorabat, et colorabat secundum gradus supra expressos, singulisque largas benedictiones infundens dicebat : O benedicti filii discooperite viam Crucis, pauperitatis scilicet meæ, et despectus et doloris mei, quo modo temporaliter cooperatores abundant : quia ego singulariter vos elegi, ut per vos discooperiatur et manifestetur veritas mea conculcata et absconsa, vestro verbo, et exemplo. Et intellexit anima mea, quod sicut applicatio ad latus secundum diversos gradus apparebat; sic et verba diversimode de singulis filiis proponebantur. *a* Esset autem impossibile exprimere evisceratum amorem, qui relucebat in aspectu oculorum illius benedictæ faciei Dei hominis Jesu Christi, super istos filios, et in applicatione ad sacrum vulnus, et in omnibus signis, et verbis, et benedictionibus super eos factis et prolatis.

Benedicit Dominus Crucis suæ præcones.

a

128 Alia vice dum essem in quadam processione, sensi illum abyssalem attractum increati Dei, modo quo dictum est supra, modo ineffabili. Vidique benedictum Deum trinum et unum in sua majestate, inhabitare mentes filiorum, transformando istos filios diversimode in se, secundum gradus supra expressos, quod videre erat veraciter magna Paradisus. Sic enim viscerose videbatur effundi super eos, quod ego ipsa non poteram satiari respicere eos; tantaque erat benedictio, et tam dulcissime et tam viscerose prolata, quam super filios effundebat Deus increatus, quod totum est ineffabile. *b* Tuncque requirebat a filiis dicens : Estote o filii mei dilecti sacrificium holocausti totaliter mente et corpore. Pensate fratres, quantum per affectus et opera debet amari ille, qui sic nobis viscerose se donat, qui sic amorose et possessive totaliter nos requirit.

c. 47.

Videt Deum in mentibus filiorum habitare.

b

129 Cumque similiter mihi esset facta repræsentatio Dei hominis crucifixi cum dissolutione compagum, sicut prædictum est, efferebatur ante oculos meos per aerem in tota processione nullius manus adjutorio delatus. Filiis igitur congregatis et applicatis ad vulnus lateris sicut dictum est, ipse dicebat : Ego sum qui tollo peccata mundi, et peccata omnia vestra tuli, nec vobis imputabuntur in æternum. Hoc est lavacrum veræ mundationis. Hoc est pretium vestræ redemptionis. Hæc est domus vestræ habitationis. Unde non timeatis filii hanc veritatem vitæ et viæ meæ impugnatam a malis, verbis et operibus defensare et discooperire, quia ego continue vobiscum sum adjutor, et defensor. Ostensa etiam mihi fuit mundatio filiorum omnium in triplici gradu ista vice et multotiens antea. Quædam est aliquorum specialis, scilicet collatio magnæ gratiæ, et vigoris ad faciliter vitanda peccata. Alia est in collatione gratiæ ad delectabiliter perficienda virtutum opera. Alia in omni perfectione animæ et transformatione crucifixi. Et licet multum decoris detur animæ in qualibet harum mutationum et gratiarum tamen in secunda maximus et delectabilissimus decor. In tertia vero est excessus tantus, quod omnino est mihi ineffabile : aliud enim dicere

Gratias triplices Dominus suis dividit amatoribus.

dicere non possum. Sed ipsi videbantur transformati in Deum, sic quod quasi nihil aliud video quam Deum, nunc passionatum, nunc glorificatum, ita quod istos videtur totaliter transsubstantiasse et inabyssasse.

c. 48. 130 In eadem processione appropinquantibus nobis ad quamdam ecclesiam Beatæ Virginis, ecce ipsa Regina misericordiæ, et omnis gratiæ mater super istos filios et filias se inclinans, quæ prius apparebat sursum levata, novo modo et gratiosissimo benedicens, dulcissimas ingeminabat super omnes benedictiones, et omnes osculabatur in pectore, quosdam plus, quosdam minus, quosdam cum prædictis osculis amplexabatur brachiis tantæ charitatis, quod eos, sicut tota apparebat luminosa, ita et in quoddam infinitum lumen videbatur intra suum pectus absorbere. Non tamen est mihi visum, quod viderem brachia carnea, sed quoddam admirandum lumen, in quo absorbebat eos, intra suum pectus includens cum maximo super ipsos eviscerato amore.

Deipara Virgo amplexatur filios ejus spirituales.

c. 49. *Salutatur a S. Francisco.* 131 Item alia die, cum dicebatur Missa, inter alia multa, quæ vidi, apparuit mihi B. Franciscus totus gloriosus salutationem consuetam offerens, quæ est ista : Pax Altissimi tecum sit. Salutat autem semper voce piissima, humillima, gratiosa, et affectuosa. Tunc in quibusdam filiis ardentibus zelo observandæ paupertatis regulæ laudavit multum propositum, sed rogavit quod cresceret per opus. Et dixit : Benedictio æterna, completa et abundans, quam ego habui ab æterno Deo, veniat super caput horum dilectissimorum filiorum tuorum et meorum ; dicas eis, quod vivent, scilicet sequendo viam Christi, per opera manifestando, et per verba ; et non timeant, quia ego cum eis sum, et æternus Deus adjutor est eorum. Et cum tanto affectu laudabat illos filios de bono proposito, et confortabat eos, quod secure procederent, et quod ipsum in sua intentione adjuvarent, et sic amorose benedicebat eosdem, quod totus videbatur eviscerari in amore super ipsos.

S. Franciscus suos religiosos in proposito confortat.

132 Multa alia vidi circa me, et circa filios, quæ non possum exprimere. Sed hoc dico, quod vidi, quod perspexi. Vidi enim certissime, quod ipse benedictus Deus viscerose effunditur super nos, et ipsius Mater dulcissima ; et volunt portare onus nostræ pœnitentiæ : tantum petunt, ut vos filii sitis exempla luminosa vitæ suæ luminosæ, dolorosæ, pauperrimæ, et despectæ, et volunt, et desiderant vos videre mortuos et vivos, et quod habitatio vestra esset in cælo, et solus usus corporis esset in mundo. Ut sicut mortuus non alteratur, nec de honore, nec de dedecore, ita vos omnino essetis immutabiles ad esse extrinsecum mundi, et prædicaretis aliis mortificatione vitæ vestræ magis, quam contentioso sermone. Et semper intentio vestra in omnibus vestris actibus esset in cælo ; in isto benedicto Deo homine crucifixo. Ita quod operando, loquendo, comedendo exterius, semper interius intrinsecati essetis illi benedicto Deo, qui vult vos intra semetipsum continue circumferre, et in omnibus actibus vestris semper sibi assistere. Quod ipse dignetur in vobis implere, qui hæc misericorditer a vobis dignatur requirere per merita suæ sanctissimæ Matris, *c* Amen.

Conversatio nostra qua ratione censeatur esse in cælo.

c

a *Subdit* MS. Et licet viderit omnes singulariter in gradibus suis, noluit tamen de aliquo hic dicere specialiter : nec etiam congruum mihi videbatur requiri, nisi quod unusquisque nitatur, quantum plus potest, isti benedicto crucifixo configi, et ejus mandatum de sequenda via despectus, paupertatis, et crucis totis conatibus amplexari. Dixit autem : Esset impossibile exprimere, etc.

b *Addit* MS. Et ego, qui scribo, occulte aspexi, quod ipsa videbatur in facie tota alterata in angelicam, et in mirandam, et gloriosam lætitiam ; tantaque erat benedictio, et tam dulcissime et viscerose prolata, quam super istos filios effundebat increatus Deus, quod modus per ineffabilitatem magis silentio honoratur.

c *Addit* MS. Per intercessionem dilectæ ancillæ suæ, cujus meritis nos ut ramusculos dignatus est inserere, ut per ipsum tamquam per scalam salutarium exemplorum, et radicalium meritorum, in summitatem suæ excellentissimæ vitæ, et transformationem sacratissimæ passionis suæ adscendamus continue; donec una cum benedicto Jesu introeuntes in paternum sinum, requiescamus cum illo, qui est omnis requies in sæcula sæculorum, Amen.

AUCTORE ARNALDO.

CAPUT X.

De tribulatione, et non proficientibus.

Quadam vice quærebam a Deo, quod daret mihi de se aliquid. Et feci mihi signum Crucis. Et etiam rogabam eum, ut ostenderet mihi, qui sunt filii sui. Et inter alia dictum est mihi istud exemplum : Ponatur, quod unus, qui haberet multos amicos, et invitaret eos ad convivium cum magna diligentia præparatum, si multi remanerent de invitatis, qui nollent venire, numquid doleret de non venientibus, eo quod abundanter parasset convivium, et cum magnis expensis ? Venientes autem numquid reciperet cum magno gaudio ? qui quamvis omnes cum lætitia suscipiat, tamen talis illos, quos plus diligit, ponit in mensa sua juxta se speciali, et adhuc cum illis, quos familiarius diligit, comedit cum una scutella, et cum una cuppa bibit. Ego autem quærebam cum multo animæ placimento, dicens : O Domine, quando tu invitas omnes ? dicas mihi. Respondit autem dicens : Ego invitavi omnes ad vitam æternam, et qui volunt venire, veniant, quia nullus potest excusari, quin sit vocatus. Aliqui autem vocati veniunt, et ponuntur ad mensam, et dabat intelligere quod ipse erat mensa, et cibus, quem dabat.

c. 50. *Qui sint filii Dei.*

Quomodo invitati sint a Deo ad nuptias.

134 Ego autem quærebam de istis vocatis, qui venerunt, qua via illuc iverunt. Ipse vero respondit : Per viam, inquit, tribulationis, quales sunt virgines, casti pauperes, infirmi, patientes ; et nominabat multa alia genera tribulatorum salvandorum. Et ego in omni verbo intelligebam rationem, et expositionem, et delectabar valde. Communiter autem omnes isti vocabantur et nominabantur filii. Dicebatur autem mihi in illa locutione, quomodo virginitas, et paupertas, et febris, et perditio filiorum, et perditio possessionis et rerum temporalium, et tribulatio dabatur prædictis filiis propter bonum eorum a Deo ; ipsi autem non perpendebant, nec cognoscebant nunc : et quamvis in principio tribularentur, postea tamen veri filii ferebant cum patientia, et gratiarum actione, tales sunt communiter omnes, qui adipiscuntur vitam æternam, nec est aliqua alia via.

Per tribulationis viam venerunt invitati.

135 Illi vero, qui invitantur ad mensam spiritualem, quos Dominus ducit secum ad comedendum in una scutella, et bibendum in una cuppa sunt illi, qui volunt et student cognoscere, quis est iste bonus Pater et Dominus, qui invitavit eos, et student ut possint ei placere per imitationem suæ Crucis, et per voluntariam assumptionem paupertatis, despectus, et afflictionis. Istis enim filiis permittit evenire Deus multas tribulationes ; et hoc facit eis pro speciali gratia, ut comedant in una scutella secum. Quia ad istam mensam, dicebat Christus, ego fui vocatus ad bibendum calicem passionis, qui fuit mihi dulcis propter amorem vestrum, quamvis in se esset amarissimus. Isti igitur filii recognoscentes hanc gratiam, quamvis sentiant aliquando tribulationes amaras, tamen totum fit eis dulce propter amorem et gratiam et honorem et valorem, quæ sunt in eis : imo tribulantur, quando non affliguntur ; et tunc magis delectantur, et sentiunt de Deo, quanto magis sentiunt tribulationes. Dico igitur et affirmo, quod filii Dei sentiunt dulcedinem divinam admixtam in persecutionibus, et tribulationibus, et pœnitentia. Et hoc est mihi dictum et ostensum mirabiliter in prædicatione supradicta a Deo mihi facta, unde et ego ipsa vicibus innumerabilibus hoc experta sum. Unde quando fui tribulata a fratribus et a contemnentibus, non possem manifestare dulcedinem, quam tunc sensi, nec lacrymas lætitæ ungentes me, quas tunc sensi.

Amatores crucis assident eidem mensæ cum Christo.

Exultat Angela in tribulatione.

136 Iterum

AUCTORE ARNALDO. *Christus infirmam solatur.*

136 Iterum in magna quadam infirmitate jacenti mihi multum debili et afflictæ apparuit Deus homo Jesus, multum consolatorius, et videbatur mihi compati valde, et ait : Ego veni ad serviendum tibi : servitium autem, quod faciebat, erat, quod stabat ante lectum meum, et ostendebat se mihi tantum placabilem, quod omnino est ineffabile ; et videbam eum oculis mentis longe clarius, quam aliquid videri possit, et erat mihi tanta jucunditas et delectatio, quod de hoc omnino nihil possum dicere, imo est totum ineffabile.

Quærit Christum in hospitali.

137 Iterum in die Jovis sancta, dixi sociæ meæ, quod quæreremus Christum, et dixi : Eamus ad hospitale, et forsitan inveniemus Christum inter illos pauperes, pœnatos et afflictos. Tulimus autem omnes pannos capitum nostrorum, quos poteramus tollere, (aliud enim non habebamus aliquid) et diximus Giliolæ famulæ hospitalis, quod venderet eos, et emeret aliquid quod comederent pauperes de hospitali ; et illa, quamvis multum renueret facere, et diceret, quod vituperabamus nos, tamen propter magnam instantiam, vendidit illos parviculos panniculos, et emit inde pisces, et nos apportavimus panes, qui dati erant nobis amore Dei pro victu nostro. Postquam igitur obtulimus ista eis, lavimus pedes feminarum ibi existentium pauperum, et manus hominum, et maxime cujusdam leprosi, qui habebat manus valde fœtidas et marcidas et præpeditas et corruptas, et bibimus de illa lotura. Tantam autem dulcedinem sensimus in illo potu, quod per totam viam venimus in magna suavitate, et videbatur mihi per omnia, quod ego gustassem mirabilem dulcedinem, quantum ad suavitatem quam ibi inveni. Et quia quædam * scamula illarum plagarum erat interposita in gutture meo, conata sum ad glutiendum eam, sicut si communicassem, donec deglutivi eam. Unde tantam suavitatem inveni in hoc, quod eam non possum exprimere. Propter quod dico, quod in pœnitentia et in afflictione et tribulatione propter Deum accepta, quamvis in principio homo anxietur, postremo tamen maxima consolatio invenitur.

Lavat pedes feminis, manus viris, et leproso, et aquam illam bibit.

* MS. scarpula, *forte* squammula.

Magna consolatio in pœnitentia.

138 Quadam alia vice ego stabam tribulata spirituali tribulatione, et non videbatur mihi, quod aliquid sentirem de Deo per unum mensem, imo videbatur mihi, quod essem quasi derelicta a Deo : et non poteram confiteri peccata mea, et ex una parte videbatur mihi, quod hoc accidisset mihi propter meam superbiam, et ex alia parte videbam tantum profunde peccata mea multa, quod non videbatur mihi, quod cum debita contritione possem confiteri ea, nec dicere solum ore. Videbatur etiam mihi, quod non possem ea manifestare, et ideo non poteram laudare Deum, nec stare in oratione. Sed tantum videbatur mihi, quod remansisset de Deo, quod scilicet non tantum tribulabar, quantum debebam tribulari, propter hoc, quod noluissem a Deo peccando recedere, nec pro omnibus malis vel bonis de mundo Deum offendere, nec malo consentire proposuissem, et sic fui tribulata et afflicta fortiter et horribiliter toto dicto tempore.

Vexatur scrupulis et anxietatibus conscientiæ.

Deus adest tribulationem patienti.

139 Et tandem miserante Deo, facta est mihi locutio talis : Filia mea amata a Deo omnipotenti, et ab omnibus Sanctis Paradisi, Deus amorem suum reposuit in te, et habet ad te amorem plus quam ad feminam vallis Spoletanæ. Et anima mea respondit clamans, quomodo possum hoc credere, eum sim plena tribulatione, et videatur mihi, quod sim quasi a Deo derelicta. Et respondit, quando videtur tibi, quod sis magis derelicta, es magis a me amata, et propinquior Deo, et tunc subjunxit : Pater qui habet filium multum carum, ministrat ei cibaria temperata, nec permittit ei bibere vinum purum, nec comedere nociva, ne ei noceant, sed temperat vinum cum aqua, ut ei proficiat Sic facit Deus : consolationibus enim miscet tentationes et tribulationes, et in tentationibus et tribulationibus tenet animam. Nisi enim eam teneret, impingeretur et deficeret : et quando videtur derelicta, tunc plus amatur. Tunc igitur tribulatio mea fuit aliqualiter temperata, non tamen totaliter ablata : adhuc enim non habueram voluntatem confitendi, sed cœpit mihi venire voluntas confitendi et communicandi, et in brevi tempore ablata est totaliter tribulatio. Et tunc facta est mihi locutio dicens : Placet mihi quod tu communices, quia si tu me recipis, jam me recepisti : et etiam si non recipis me, tu jam me recepisti, et communica cum benedictione Patris et Filii et Spiritus sancti. Et facias ad reverentiam et honorem omnipotentis Dei, et Sanctæ Mariæ Virginis, et istius Sancti, scilicet sancti Antonii, cujus festum erat illa die : fiet enim tibi gratia nova, quam non habuisti adhuc. Fuit igitur mihi reddita gratia confitendi, et voluntas communicandi ; et confessa sum. Dum autem dicebatur Missa, videbam me plenam totam peccatis et defectibus, quod non poteram loqui ; et cogitabam quod communicatio, quam volebam facere, esset mihi ad judicium.

Tribulationes non subito, sed paulatim evanescunt.

140 Post tamen ista facta est in me mirabilis dispositio, qua me poteram totam mittere intus Jesum Christum : et tunc mittebam me intus eum cum tanta fiducia et securitate, quod tantam numquam fueram experta : et mittebam me intus eum et merita ejus, sicut mortua cum mirabili certitudine, quod faceret me vivam. Igitur communicavi in sua fiducia, et post communicationem habui mirabile sentimentum. Et dimisit in me unam pacem, qua dabatur mihi intelligi, et etiam sentire, quod omnis tribulatio, quæ acciderat mihi, acciderat pro bono meo. Et hoc communicare, quod feci, fecit animam meam venire ad istud videre et desiderare, quod scilicet me totam darem Christo, eo quod viderem Christum totum se dedisse nobis, et modo noviter delector in desiderio martyrii, et ipsum desidero, et in pœnis, et in tribulationibus, quæ accidunt delector : et gaudeo plus quam consueveram. Propter quæ dico, quod Deus tandem consolatur omnem animam existentem in tribulatione.

In communione admittitur in intimum amorem Christi.

Flagrat desiderio martyrii.

141 Nam et alia vice cum sic essem tribulata, quod quasi videretur mihi quod essem derelicta, facta est mihi talis locutio dicens : O amata, scias quod non es derelicta ; sed Deus omnipotens tibi est in tribulatione propinquior, et tu Deo. Anima autem clamavit : Si est ita quod Deo sim in tribulatione propinquior, placeat sibi, quod auferat a me omne peccatum, et det mihi absolutionem per merita Passionis suæ, et det mihi benedictionem, et sociæ meæ, et fratri scriptori horum dictorum. Et dictum est sic mihi : Peccata tua tibi sunt ablata, et benedictionem facio vobis cum illa carne illius manus, quæ fuit clavata in cruce. Et tunc vidi illam manum benedicentem super capita nostra, et delectabar in aspectu illius manus, quoniam veraciter delectabilissimum erat videre illam. Et ipse dicebat nobis tribus sic : Benedictionem Patris et Filii et Spiritus sancti habeatis æternaliter, et comprehendaris. Et dixit mihi : Dic illi Fratri tuo scriptori, quod studeat se facere parvum, multum enim est amatus a Deo omnipotente : et ideo studeat ipsum amare. Sic igitur multipliciter me consolari dignatus est, qui consolatur omnes tribulatos ; cui sit et est honor et gloria in sæcula sæculorum, Amen.

Christus peccata ejus dimittit.

Christus impetitur benedictionem ei, sociæ, et scriptori.

142 Quadam vice, dum orarem in cella mea, dicta sunt mihi ista verba : Omnes qui docentur a Deo, illuminantur, ut intelligant viam Dei ; et in isto lumine et documento, quod fit eis spiritualiter a Deo, claudunt aures, ne audiant, et oculos ne videant, nec volunt attendere, nec volunt audire illud, quod loquitur eis Christus in anima, sed omnino ingrossantur, et sequuntur doctrinam aliam a documento, quod intelligunt sibi factum a Deo ; et volunt tenere viam communem

c. 51. *Non esse respuendas illuminationes.*

communem contra conscientiam, illi habent maledictionem a Deo omnipotente. Multotiens autem dictum est mihi istud verbum, quod prædictum est. Ego autem horrebam illud audire, cum videretur mihi valde grave, et timebam esse deceptionem, quod scilicet illis, quibus Deus dat lumen et gratiam, postea det maledictionem. Tunc ponebatur mihi unum exemplum : et præceptum est mihi frequenter, quod facerem scribi. Exemplum autem est de scholare, qui ponitur a patre ad scholas, et pater facit ei expensas sumptuosas, et honorat eum vestimentis et libris, et cum informatus est sub inferiori magistro, procurat post ut transferatur ad altiorem magistrum. Si post hæc scholaris prædictus negligenteragat, et non curet de scientia, quam didicit, sed redeat ad statum sæcularem, et ad vile officium, et ministerium magni laboricii, et de eo quod sic didicerat, nihil ei remaneret; talis, inquam, pater super hujusmodi filio magnam deberet habere turbationem et indignationem. Talis filius est ille, qui prius docetur per prædicationem, et per Scripturas, et postea spiritualiter illuminatur a Deo, et datur sibi intelligere spirituali lumine, et divina inspiratione, quomodo sequatur viam Christi, propter quam addiscendam prius facit eum doceri per alios, et postea docet eum Deus suo spirituali lumine et doctrina, quæ non potest doceri nisi a Deo : et hoc facit, ut ipse se dirigeret, et etiam aliis lumen esset. Si talis negligenter agat, et ingrossetur et incrassetur, et despiciat lumen suum, et Dei doctrinam, et divinam inspirationem, Deus aufert ei illud lumen et gratiam, et habet maledictionem. Et est mihi præceptum, ut hoc verbum scriberem, et uni fratri cui confitebar, ipsum dicerem, quia eum tangebat.

Desertores pristinæ pietatis Deo abominabiles.

143 Iterum dictum est mihi in alia divina locutione : Est quædam generatio, quæ cognoscit Deum solum ex multa bonitate bonorum, quæ fecit eis : et isti parum cognoscunt : et est alia generatio hominum, qui, quamvis cognoscant Deum per prædicta bona ejus, tamen multo melius cognoscunt eum per bonitatem Dei, quam experiuntur in se. Iterum in alia locutione accepi cognitionem, et audivi vocem clamantem et dicentem : O quam magni sunt, o quam magni sunt, sed non magni lectores Scripturæ meæ, sed ejus adimpletores et factores. Iterum dicebat, quod tota Scriptura divina adimpletur in exemplo vitæ Christi. Quadam vice dum orando dicerem Deo : Scio Domine, quia tu es pater meus, quia tu es Deus meus, doce ergo me, quid vis quod ego faciam; et instrue me in his quæ tibi placent, quia sum parata obedire. Cum ergo in his verbis stetissem a mane usque ad tertiam, et vidi et audivi, sed quod vidi et intellexi, nullo modo possum, nec scirem dicere. Sed fuit una abyssus omnino ineffabilis, et ostendit mihi quid est ipse, et qui vivunt in ipso, et qui non; et dixit mihi : In veritate dico tibi, quod non est alia via recta, nisi illa, quæ sequitur mea vestigia, quia in via ista, quæ est mea, nulla est omnino deceptio. Verbum autem istud in veritate et in magna claritate sæpe et in multis locutionibus dictum est mihi.

Grati Deo factores legis non lectores.

Via recta ad salutem sequi Christum.

Explicit multiplex ejus consolatio.

CAPUT XI.

Instructiones B. Angelæ, de præsentia Dei.

c. 52. *Signa præsentiæ Dei in anima, non prorsus certa :*

I. II. III.

Sciendum est igitur quod venit Deus in animam quandoque non vocatus, nec deprecatus, seu rogatus ab ipsa, et ponit in anima unum ignem, unum amorem, unam suavitatem alias inconsuetam, in qua multum delectatur, et gaudet, et credit, quod hoc sit a Deo, ibi præsentialiter operanti : tamen hoc non est certum. Item cognoscit anima Deum esse in ea, quia quamvis non videat ipsum esse in anima, videt tamen gratiam suam esse in anima, in qua multum delectatur : et tamen adhuc non est certum. Item cognoscit, quod Deus venit ad eam, quia Deus loquitur ei verba dulcissima : in quibus verbis anima multum delectatur, et sentit eum sentimento valde delectabili : in quo sentimento anima valde delectatur. Sed adhuc remanet aliquod dubium, quamvis sit parvum; adhuc enim anima perfecte, nec ex toto est certa, si Deus est in anima, quia tales locutiones etiam cum sentimentis possunt fieri ab alio spiritu. Remanet enim dubium sibi; et videtur mihi, quod hoc accidat, aut propter multam malitiam et defectum ejus, aut propter Dei voluntatem, quia Deus non vult eam facere magis certam nec securam.

Auctore Arnaldo.

145 Certificatur autem anima, quod Deus est intus in ea, quando sentit eum aliter quam consuevit, et sentit eum notabili et duplicato sentimento : et cum tanto amore et igne divino, quod aufertur ei omnis amor animæ et corporis, et loquitur, et cognoscit, et intelligit ea, quæ numquam audivit ab aliquo mortali, et intelligit ea cum magno lumine, et est ei maxima pœna tacere illa; et si tacet, tacet propter zelum, ne displiceat amori, et non scandalizet, et propter humilitatem, quia non vult dicere ita altissima ne notetur. Sicut et mihi accidit aliquando : propter enim ardens desiderium salutis proximi aliqua dixi, et fui reprehensa, et dictum est mihi isto modo : Soror, redi ad Scripturam divinam, et te non intelligimus. Item in isto sentimento, quo anima certificatur, quod Deus omnipotens est in ea, datur animæ ita perfecte velle, quod concordat in hoc tota anima veraciter, et in omnibus et omnimode, et concordant cum anima omnia membra corporis, et fiunt unum cum anima veraciter, nec repugnant voluntati ejus, et vult perfecte ea, quæ Dei sunt, quæ tamen ante veraciter non ex toto volebat. Et istud velle datur per gratiam, in quo cognoscit anima Deum omnipotentem esse in se, et dat ei securitatem : datur enim animæ velle Deum, et quæ Dei sunt veraciter ad similitudinem amoris veracis, sicut Deus dilexit nos; et sentit anima, quod Deus immensus est mixtus secum, et fecit societatem cum ea.

Signa præsentiæ Dei, certa.

I.

Tota mente et corpore abripi in Deum.

146 Item quando venit altissimus Deus ad animam rationalem, quandoque datur ei, ut eum videat, et videt sine forma corporali in se, et videt eum clarius quam possit homo mortalis videre alium hominem mortalem : oculi enim animæ vident unam plenitudinem spiritualem, non corporalem, de qua non possum aliquid loqui, quia deficiunt verba et imaginatio. In illo autem videre, delectatur anima delectatione ineffabili, et tunc anima ad nihil aliud respicit, nisi ad illud : est enim id, quod replet animam inæstimabiliter. Et istud respicere et videre, quo sic videt Deum omnipotentem, nec aliud potest respicere, est ita profundum, quod doleo, quia nequeo aliquid manifestare; non enim est res tangibilis, nec imaginabilis, sed est inæstimabilis.

II.

Deum in se videri sine forma corporali.

147 Adhuc cognoscit anima quod Deus est in ea sine dubio multis modis, de quibus dicamus duos. Unus est una unctio, quæ ita subito renovat animam, et omnia corporis membra reddit mansueta, et concordantia cum anima, quod non potest tangi, vel lædi ab aliquo, quo turbari possit anima in modico; et sentit, et audit, quod loquitur ei Deus. Et in ista tanta et omnino ineffabili unctione intelligit anima certissime, et sine dubio, quod Deus omnipotens est in ea. Illud enim non posset facere aliquis Sanctus de paradiso, nec aliquis Angelus de paradiso; sed est hoc tam ineffabile, quod multum doleo, quia non possum aliquid dicere in comparatione, et Deus mihi parcat, quia hoc non facio libenter, quia ex toto corde libenter manifestarem aliquid de bonitate ejus, si possem, et ei placeret. Alius modus, quo anima rationalis cognoscit Deum omnipotentem esse intus in se, est una amplexatio, quam facit Deus animæ rationali, quia numquam pater, nec mater filium, nec

III.

Animam subjici Deo et sensus menti.

IV.

Admitti in amplexum Christi cum summa delectatione.

AUCTORE ARNALDO.

aliqua persona alia cum tanto amore amplexari potest aliam personam, sicut Deus omnipotens amplexatur animam rationalem. Cum tanto enim amore Dominus noster Jesus Christus indicibiliter amplexatur, et stringit animam rationalem ad se, et cum tanta dulcedine, et suavitate, quod non credo, quod aliquis homo de mundo possit dicere, nec exprimere, nec credere expertus, et quamvis possit forsitan aliquis credere aliquid, non tamen illo modo. Apportat enim Jesus Christus in animam amorem suavissimum, quo tota ardet in Christo : et apportat secum unum lumen tam magnum, quo intelligit tantam plenitudinem bonitatis Dei omnipotentis, quam probat in se, quod multo plus intelligit, quam experiatur in se : et tunc assecuratur et certificatur, quod Jesus Christus est in ea. Sed nihil dicimus de omnibus istis in comparatione ad ea, quæ sunt. Tunc autem anima non habet lacrymas, nec lætitiæ, nec doloris, nec alicujus alterius generis, nec alterius status; multo enim minor status est, quando anima habet lacrymas lætitiæ. Item apportat Deus secum in anima tantam superplenitudinem lætitiæ, quod anima nescit plus petere, imo si duraret, hic haberet unum paradisum. Et hæc lætitia resultat, et redundat in omnibus membris corporis : et omnis injuria, quæ infertur, vel dicitur, habetur pro nihilo, et efficitur dulcis : et propter talem alterationem factam in corpore, aliquando non potui latere sociam meam, neque alios, quia aliquando efficior, ut dixit mihi socia mea, resplendens et tota rubicunda, et oculi mei lucentes ad modum candelæ, aut pallida, quasi si fuissem mortua, secundum varietatem visionum et revelationum. Lætitia autem prædicta non finitur per multos dies, et aliquas lætitias habeo, quas numquam credo perdere in æternum, sed credo eas adimpleri et perfici, et modo non sum sine ipsis in vita mea. Unde et quando venit aliqua tristitia, statim recordans illarum lætitiarum, nullo modo conturbor. Tot autem alii modi sunt, quibus cognoscit anima quod Deus sit in ea, quod nullo modo possem omnes dicere et enarrare.

Facies B. Angelæ visa resplendere.

c. 53. *Quomodo anima Deum ut hospitem suscipiat.*

148 In omnibus prædictis modis cognoscit anima Deum in se venisse. Sed adhuc nihil diximus, quomodo hospitatur eum, et totum, quod diximus, est valde minus, quam sit illud, quando anima cognoscit, quod ipsa hospitata est peregrinum. Tunc enim, quando anima est hospitata peregrinum, venit in tantam cognitionem bonitatis Dei infinitæ, quod quandoque, quando fui reducta in me, cognovi certissime, quod illi, qui magis sentiunt de Deo, minus præsumunt loqui de Deo : quia eo ipso, quod sentiunt de ipso illo infinito et indicibili, loqui de Deo minus præsumunt, reputantes in comparatione, quidquid dicunt, nec dicere possunt, quasi nihil. Unde si aliquis prædicator divinorum intelligeret, sicut et ego quandoque intellexi, nihil sciret dicere, neque præsumeret loqui de Deo aliquid, imo obmutesceret et taceret. In tantum enim superat intellectum, et omnia, quæ aliquo modo cogitari, vel dici, vel æstimari possunt, quod perfecte ejus bonitas explicari non potest. Hoc autem non accidit, quod anima perdiderit aliquem sensum corporis, vel quod anima corpus dimiserit, sed percipit illa absque sensibus. Unde ita homo videns per intellectum, illa efficaciter in tanto stupore videt in comparatione ad id, quod dici potest verbo corporali, quod, si aliquis prædicator esset in isto statu, et vellet loqui de Deo, diceret populo : Ite, quia nihil vobis scio loqui de Deo, quantumcumque esset sufficiens. Et ideo intelligo, et dico, quod omnia, quæ dicta sunt per scripturam, vel per omnes homines a principio mundi, non videtur mihi, quod dixerint aliquid de medulla illius bonitatis divinæ, nec unum medium granum milii in comparatione totius mundi.

Intellectus independenter a sensibus fertur in Deum.

Qui perfectius Deum intelligunt minus de eo loqui possunt.

149 Quando autem anima assecuratur a Deo, et reficitur per ejus præsentiam, similiter et corpus recipit saturitatem, et nobilitatem, et reficitur cum anima, quamvis multum minus. Loquitur enim ratio, et anima corpori et sensualitati cum sic reficitur dicens : Vide modo qualia bona sunt ista, quæ experiris a Deo per me, in infinitum autem sunt majora, quæ promittuntur, et fideliter exsolventur, si mihi consentias : et nunc cognosce qualia bona, et quanta perdidimus tu et ego non consentiendo, sed contradicendo mihi : unde de cetero omnino oporte te, in illis, quæ Dei sunt, omnino obedire. Et statim corpus subjicitur animæ, et sensualitas rationi, sentiens participationem delectationis animæ, et respondet animæ dicens: Mea delectamenta quandoque erant corporalia et vilia, quia corpus sum, sed tu, quæ eras tantæ nobilitatis et delectationis divinæ capax, non debebas mihi consentire, nec facere me et te perdere tanta bona: et lamentatur corpus contra animam, et sensualitas contra rationem longa lamentatione, et dulcissima, sentiens dulcedinem, et delectationem animæ majorem, quam potuerit suspicari; et fit sibi obediens.

Dulcis animæ ac corporis conflictus super dulcedinem Dei.

CAPUT XII.

Caussæ et remedia illusionum.

c. 54. *Hominum spiritualium deceptiones :*

Aliqui autem modi sunt, quibus potest esse deceptio in personis spiritualibus. Unus modus est et major, quando amor in anima non est purus, sed admiscetur, et est ibi de amore personali et proprio, id est de sua propria voluntate : habet enim ibi tunc aliquid de amore mundi, et mundus invitat et commendat ipsam, et tamen omnis commendatio mundi, et invitatio ad talem devotionem est falsa. Et talis persona in hoc, quod mundus videt eam et commendat eam, videtur fervere in devotione, et crescunt illæ lacrymæ, et illæ dulcedines, et tremor et stridor, qui fiunt in illo amore spirituali non puro : et quamvis in illo modo spirituali non puro habeat lacrymas et dulcedines, tamen talia non fiunt intus in anima, sed extra in corpore, nec intrat ille amor intus in animam, et cito illa dulcedo deficit in persona, et cito obliviscitur, imo et quandoque adducit amaritudinem. Et hæc omnia probavi in me, et ego nescirem ista prædicta bene discernere; nisi quod anima mea venit in certam veritatem, quia quando amor est purus, omnino se reputat post talia sentimenta mortuam, et videt se esse nihil, et reddit se mortuam Deo et putridam, et inducit ad Dei reverentiam, humilitatem; et non recordatur omnino alicujus laudis, nec alicujus boni proprii, imo in tantum videt se esse deficientem, et plenam malis, quod quandoque non credit ab aliquo Sancto se posse plene liberari, nisi solum ab ipso Deo. Quamvis aliquando citius roget Sanctos, ut eam adjuvent apud Deum, eo quod propter indignitatem suam, non audet Deum rogare; et ideo recurrit ad sanctam Virginem Mariam, ad alios Sanctos, ut adjuvent eam, et quando ab aliquo commendatur, omnino reputat illud truffam. Et iste amor rectus et purus a Deo, est intus in anima, et facit eam videre defectus suos et bonitatem Dei. Et lacrymæ et dulcedines, quæ tunc fiunt, et habentur, numquam adducunt amaritudinem, sed certitudinem et dulcedinem : et talis amor prædictus adducit intus Christum in animam, et intelligit anima nullam deceptionem ibi posse esse vel fieri. *a*

1. *Ex amore Dei non puro.*

Amor purus qualis.

a

151 Alius modus est, in quo Deus permittit deceptionem fieri in personis spiritualibus, et est iste : quando persona spiritualis et devota sentit se multum amatam a Deo, et sentit in se bona spiritualia, et operatur bona spiritualia, et loquitur de eis : tamen quia se nimis assecurat et transit modum; ideo Deus permittit fieri in ea aliquam deceptionem, ut per hæc ipsum Deum, et seipsam recognoscat. *b* Alius modus est, quando persona spiritualis multum sentit de Deo : et est in bono amore, puro, et optimo corde operatur bona

2. *Deceptio ex nimia securitate in gratiis a Deo acceptis.*

b

3. *Ex parva cognitione sui et Dei dantis consolationes.*

bona opera, et deliberavit nullo modo plus placere sæculo, nec habere famam sanctitatis, et deliberavit tota placere Christo, et totam se ponit in Christo, et tunc est tota intus in Christo cum magna et inenarrabili lætitia, et sentit se totam amplecti a Christo. Tamen oportet, ut anima sciat servare id quod suum est, et reddere Deo id quod Dei; quod si non, tunc Deus permittit in eam aliquam deceptionem fieri, ut conserveteam; et quia Deus zelat eam, ne transgrediatur : et adhuc non sufficit animæ id quod prædictum est, donec Deus ducat animam in plenam cognitionem sui ipsius, et in plenam cognitionem bonitatis Dei : et ibi tunc nulla potest fieri deceptio, imo ducitur

Plena cognitio veritatis quæ.

anima in plenam cognitionem veritatis. Plena autem cognitio veritatis dicitur isto modo, quia videt anima, quod ita impletur, quod videtur animæ, quod non plus possit impleri. Primo de cognitione sui ipsius, sic quod non possit videre aliquid aliud, nec recordari alicujus alterius rei, et tunc subito venit in cognitionem bonitatis divinæ; et tunc videt utrumque simul, modo omnino inenarrabili, adhuc tamen non videtur prædictum sufficere, sed zelat eam Deus permittendo ei tribulationes.

c. 55.

152 Res autem quæ non permittit animam decipi in talibus sentimentis, est paupertas spiritus. In locutione enim divina mihi a Deo facta audivi commendari paupertatem pro tanto documento, et pro tanto bono, quod omnino excedit intellectum nostrum. Dixit

Paupertas vera in humilitate fundatur.

enim mihi Deus : Ego, inquit Deus, si paupertas non esset tantum bonum, ego non dilexissem eam tantum; et si non esset ita nobilis, ego non assumpsissem eam. Superbia enim potest esse in illis solum, qui habent aliquid, vel credunt se aliquid habere. Primus enim homo qui cecidit et Angelus ideo superbierunt et ceciderunt, quia æstimaverunt et crediderunt se aliquid habere. Nec Angelus autem nec homo habet aliquid ex se, nisi solum unus Deus. Humilitas vero est in illis solum, qui sunt ita pauperes, quod vident se nihil

Exemplo Christi illustratur.

habere : maximum enim bonum est paupertas. Ipse enim Deus filium suum carissimum fecit esse magis pauperem, quam unquam fuerit nec futurus sit alius homo, ipse tamen est, qui habet esse, plus quam possimus dicere : et tamen fecit eum Deus ita pauperem, sicut si non haberet esse. Hoc autem visum est peccatoribus et mortalibus, qui privati erant vero lumine, quædam stultitia; sed non ita visum est, nec videtur sapientibus, nec vere intelligentibus. Ista prædicta veritas est ita profunda, et ista veritas istius virtutis, scilicet paupertatis, et quomodo paupertas est radix et mater humilitatis et omnis boni, est ita

Bonorum omnium fons et scaturigo est.

profunda quod non potest scribi. Qui enim habet paupertatem, numquam potest ruere, nec cadere per deceptionem. Et qui videret bonum paupertatis, esset Deo amabilis, et qui consideraret immensum valorem ejus, numquam posset aliquid retinere sibi de temporalibus, et qui videret quantum Deus amavit paupertatem veram, nihil retineret. Hoc autem documentum, est documentum divinæ sapientiæ, quæ primo facit videre defectus et paupertatem suam, et pauperem omnium meritorum et bonorum se credere et veraciter æstimare, et consequenter facit esse pauperem, et paupertatem amare; et sic illuminata quodam dono gratiæ, cum viderit et sicut viderit bonum paupertatis, paupertatem diligat. Et postmodum facit

Deo soli confidendum docet.

videre divinam bonitatem, et sic tota diligit Deum omnipotentem, cum nihil æstimet se habere, quod amet, et sicut diligit, operatur, et sic aufertur sibi omnis confidentia de se, et solum de altissimo Deo confidit; et consequenter cum in Deo totaliter confidat, aufertur sibi omne dubium de Deo, ipso illuminante. Qui enim haberet istam veritatem, omnia

Ab omni deceptione spirituali liberat.

dæmonia et omnia alia, quæ possemus dicere, non possent eam decipere, quia in hac spiritus paupertate anima recipit documentum clarissimum et luminosissimum totius usus vitæ hujus, ita quod numquam dum istam veritatem haberet, decipi posset.

AUCTORE ARNALDO.

153 Et ideo intelligo quod paupertas est mater omnium virtutum, et est documentum divinæ sapientiæ. Sicut enim divina sapientia docuit per incarnationem nos mortales, ita et per spiritus paupertatem nos esse beatos : sicut Divina sapientia docuit incarnationem Christi Beatam Virginem, quæ primo fecit eam cognocere seipsam : et postquam agnovit se fuit sibi ablatum omne dubium de Deo; et statim confidit de bonitate Dei; et cognoscens se, et de bonitate Dei, dixit : Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Et similiter docet nos Divina sapientia in humanitate Dei. Qui quamvis esset Deus, tamen illam humanitatem voluit esse ligatam ad obedientiam Patris in omni voluntate Patris. Et ideo omnis sapientia de mundo nisi in istam veritatem introducatur, nihil est et ad damnationem convertitur, et omnes sapientes de mundo, nisi in istam veritatem introducantur, nihil omnino sunt, et, in damnationem vadunt : et quando istam veritatem anima intelligit, tunc operatur sine intentione alicujus vanæ gloriæ, et sine respectu alicujus meriti.

Paupertas mater virtutum.

a *Addit* MS. Et in prædicto amore non potest aliquo modo se admiscere de amore mundi. Et dum ego scriptor dicerem ei in istis verbis historiam de Moyse, quando percussit petram; antequam ego complerem dicere, et ipsa fidelis Christi dixit :

b *Addit* MS. Et dicebat, quod prædicto modo intelligebat factum cum Moyse; quando scilicet complevi sibi dicere historiam illam.

CAPUT XIII.

De extasi, et cognitione sui ac Dei.

c. 56.

Anima igitur nihil intelligit, nec apprehendit in comparatione ad raptum, quando non intelligit, nec apprehendit, nisi id ad quod intus potest attingere. Quando enim anima levatur supra se per Dei præsentiam illustrata, et ponitur in sinu Dei, et Deus in ea, tunc intelligit et delectatur, et quiescit in illis bonis divinis, quæ nullo modo potest referre. Sunt enim supra intellectum, et supra omnem modum loquendi, et super omnia verba. Sed natat ibi anima in gaudio et cognitione, et inde illustrata intelligit rationes verborum obscurorum et difficilium, quæ Christus dixit. Intelligit etiam similiter, quare et qualiter in anima Christi fuit dolor sine temperamento. Anima enim mea, sicut dictum est, illustrata, et in Christi passione transformata, nullum temperamentum invenit in ea : tanta fuit. Unde et anima mea dolorem animæ Christi recolendo, non potest tunc aliquam lætitiam invenire : quod non accidit, quando recolit passionem corporis, quia tunc post tristitiam, reinvenit lætitiam, et istas rationes intelligit ex prædicta elevatione. Intelligit etiam acutum dolorem fuisse in anima Christi, dum erat in utero matris, sicut postea habuit in cruce, præter illud, scilicet quod non habuit experientiam. Anima etiam inde intelligit judicia Dei, et alia ineffabilia ex præsentia Dei ipsam ad se elevantis. Et multotiens facit Deus mirabilia in anima, quæ intelligo, quod nulla creatura posset facere illa, nisi ipse solus. Subito enim aliquando anima levatur in Deo in tanta lætitia, quod si duraret, credo, quod corpus tolerare non posset, imo perderet omnes sensus suos et membra sua. Et facit Deus sæpe istum ludum in anima, et cum anima, et statim recedit, quando anima cupit eum tenere; remanet tamen in anima magna lætitia et securitas, et remanet tanta lætitia, quod nullo modo dubitat, quin Deus sit præsens, et de illo videre vel sentire nescio dare aliquam similitudinem, nec etiam nominare. Et hæc illustratio et elevatio et delectatio sive lætitia aliter consuevit mihi accidere una vice, et aliter alia, ita quod quasi semper novitas ibi contingit, et hoc totum est inenarrabile. Revelationes enim et visiones sunt alterius modi una vice, et alterius alia. Similiter delectatio, gaudium et lætitia : nec aliquid aliud possum dicere, imo istud dicere, plus est maledicere,

Extasis seu raptus ineffabilis.

In raptu intelligit summum Christi dolorem.

Visiones et revelationes non semper uno modo fiunt.

AUCTORE ARNALDO. c. 56.

ledicere, devastare et defectuose exprimere, et blasphemare, quam aliquid manifestare.

155 Ego sum excæcata et obtenebrata, et sine veritate, ideo, filioli mei, omnia verba, quæ habetis a me, habeatis suspecta tamquam a persona maligna: et omnia bene notetis, et nullis verbis meis credatis, nisi solis illis quæ assimilantur vestigiis Jesu Christi, et ad imitationem vitæ ejus provocant et inducunt. Nunc igitur, filioli mei, non me delectat scribere, sed peccata mea et redemptionem eorum, quæ facta est per Christi immaculati passionem assidue deplorare. Sed propter litteras, quas mittitis, cogor vobis rescribere. Hoc autem vobis scribo quod noviter est impressum cordi meo. Scitote filii, quod nihil est vobis necesse, nisi Deus, Deum enim venire, et mentem vestram in ipso recolligere, hoc est vobis necesse. Ad hoc igitur ut melius mens vestra in Deo recolligatur, detruncanda est omnis superflua consuetudo, omnis superflua familiaritas hominum ac mulierum quarumcumque, omnis superflua scientia, et voluntas sciendi multa nova, et omnis superflua operatio et occupatio. Et breviter requiritur ad hoc, ut homo se dividat ab omnibus quibus mens spargitur. Consequenter autem conetur intrare hanc abyssum suarum miseriarum. et cogitare, quid operatus est in tempore præterito, et quid operatur in præsenti; et quid faciet, et qualiter secundum merita sua erit sibi in tempore futuro post mortem, quod erit sine fine: et nulla dies transeat, quin cogitet ista, vel saltem non transeat nox. Et consequenter recogitet, et revolvat, et conetur ad cognoscendum misericordiam Dei, quomodo dispensavit secum misericorditer in omnibus miseriis Christus Jesus: et caveat, quod hujus beneficii non obliviscatur. Cognoscere enim Deum, et se, est perfectio nostra, et in toto mundo nihil modo me delectat scribere, nec dicere, nisi solum hæc duo, cognoscere Deum et se, et hoc est hominem jacere continue in carcere suo, et numquam de carcere suo exire, et si de carcere suo non habet bonum quærat alienum, et non ponetur desuper se.

Vitanda homini spirituali.

Consideranda animo, ac repetenda.

156 O filioli mei carissimi, omnis visio, omnis revelatio, omnis contemplatio nihil facit, nisi homo habeat veram cognitionem Dei et sui. In veritate dico vobis, quod sine hoc illa non proficiunt. Et ideo miror, quomodo quæritis a me litteras meas, quia ego non video, quod verba mea debeant, nec possint vos consolari, nisi de hac cognitione vobis scribam: et nihil me delectat dicere, nisi de hoc; et de omnibus impositum est mihi silentium, nisi de hoc. Rogo ergo, ut rogetis Deum, ut det istud lumen toti proli, et faciat vos in hoc remanere semper. Quod autem notitia Dei sit vobis necessaria, manifestum est; eum enim finis noster sit regnum cælorum, et obtinere illud non possumus, nec debemus, nisi secundum formam, qua Deus et homo obtinuit illud; necesse est nobis cognoscere hunc Deum hominem et vitam ejus, et opera ejus, et illa propter quæ gloriam obtinuit; ut per imitationem operum et transformationem in ipsum similiter, post eum meritis ejus et gratia ad regnum cum ipso possideamus.

Sine cognitione Dei et sui omnis revelatio nihil est.

Notitia Dei necessaria ad finem nostrum consequendum.

157 Maxime autem est nobis necessarium scire et cognoscere Deum hominem, ut crucifixus pro nobis fuit, et passionatus, et in quantum nobis formam vivendi dedit. Sic enim innotuit nobis sua infinita caritas et amor inæstimabilis, plus quam in aliquo alio beneficio nobis a Deo collato. Propter quod nobis est necessarium, ne ingrati existamus, transformari in ejus amorem, ut videlicet ipsum diligamus, sicut ipse dilexit nos, et proximum similiter, et doleamus de ipso nostro amato, quia passionatus fuit, et quia pro nobis, et pro nostro amore purissimo crucifixus est. Cognoscendo etiam quanta Deus fecit pro nobis, potissime pro redemptione nostra, provocamur et inducimur et instruimur ad considerandum, cujus conditionis nos simus, quia videlicet nobilissimæ conditionis, utpote quia sic dilecti a Deo summo, ut pro nobis se morti tradere vellet; nisi enim homo esset nobilissima creatura et magni pretii, hæc non fecisset. Provocamur etiam per hanc notitiam Dei hominis crucifixi ad procurandum nostram salutem: videndo enim, quod ipse Deus ita altus et a nobis remotus et alienus, sic diligens fuit ad redemptionem et salutem nostram procurandum, merito nosipsi curam de nobisipsis et de salute nostra gerere debemus, et ipsum Dominum Deum in sua voluntate coadjuvare, pœnitentiam agendo. Ex notitia igitur Dei hominis crucifixi infinitas alias consequimur utilitates, potissime cum per passionem ejus salvati sumus, ad summum amorem inflammamur.

Cognitio Dei crucifixi necessaria:

Et transformatio in Deum.

Ac memoria beneficii redemptionis.

158 Ad hoc autem est necessaria assidua consideratio et profunda cognitio Dei hominis crucifixi. Sicut enim videmus, ita amamus: ergo quanto plus videmus de illo Deo et homine crucifixo, tanto plus et perfectius et purius eum amamus, et per amorem in eum transformamur. Secundum autem amorem et transformationem in suum amorem similiter transformamur in dolorem, quem videt anima in isto Deo homine passionato. Et sicut quantum quis videt et cognoscit, tantum amat, ita quantum anima videt de dolore amati, tantum dolet, et tantum transformatur in dolorem amati. Et similiter quanto plus quis videt de isto Deo homine passionato, tanto plus amat et tanto magis de ejus dolore dolet, et in eum per dolorem transformatur. Sicut enim transformatur anima in istum dulcissimum Deum hominem per amorem, ita et transformatur per dolorem: hoc autem totum fit per visionem perfectam et cognitionem Dei et sui. Postquam enim anima videt superinfinitatem altitudinis divinæ, quam nominando magis mihi videtur blasphemare quam nominare, et videndo vilitatem et indignitatem peccatorum, cum quibus dignatus est amicitiam et consanguinitatem facere, et pro eis mortem turpissimam subire, tunc anima quanto plus ista cognoscit et quanto plus ista profundius considerat et videt, tanto viscerosius transformatur in ipso amore istius Dei et hominis Jesu Christi. Cum etiam videt peccatores et ipsam creaturam ita tantis defectibus plenam, ut etiam in videndo cæcutiat, quia tot habet anima defectus, quod in comparatione ad ipsos nihil valet comprehendere; cum etiam videt postea anima, ipsam divino lumine illustrante, quod ipsa sola fuit causa tam excessivi, et tam infiniti doloris, sicut pro ea toleravit Christus Jesus; et videndo superinfinitatem, et superbonitatem divinam, quod pro tam vilissima creatura se tantum inclinaret, ut homo mortalis fieret, et vellet tanto ineffabili cruciari dolore continue dum viveret, et qui creator erat cæli et terræ, moreretur ita viliter; cum bene anima hoc videt et cognoscit, tota transformatur in dolore, et quanto plus cognoscit profundius et considerat, magis afficitur dolore. Si enim ullo tempore mundi homo curat homini satisfacere, circa mortem est magis sollicitus. Sed Rex Regum quamvis tota vita sua crux indicibilis fuerit propter ineffabilem dolorem et continuum quem ipse portavit; in morte tamen pro camera deaurata cum lectis purpureis, iste habuit abominabilem crucem, et ita vilissimam, ut in ea sustentari non posset, nisi per clavaturam clavorum sustentantium ipsum in cruce. Ipsi enim clavi per manus et pedes tenuerunt eum in cruce illa, aliter sustentari in illa non potuisset. Pro servitoribus sollicitissimis ad satisfaciendum paratis, habuit satellites diaboli sollicitissime continue paratos ad crudelius affligendum, et viscerosius lacerandum; ita ut etiam in morte modicum de aqua sibi non darent, cum peteret eam, et etiam se sitire clamaret.

Ex perfectiori cognitione amoris et cruciatuum Christi major amor et dolor oritur.

159 Et amplius cum anima videt, quod miserabilis homo propter peccata paupertatem incurrerat omnium bonorum, et dolores meruerat sempiternos, et in despectum et derisum venerat illius indicibilis deitatis

Christus peccata nostra pertulit contrariis pœnis perferendis.

deitatis et Angelorum et dæmonum et omnium creaturarum; et videt quod altissimus Deus et homo Christus Jesus ditissimus factus est pauperrimus, ut hominem a paupertate contraria relevaret; et ipse felicissimus et deliciosissimus factus est dolorosissimus, ut dolore suo quasi infinito hominem a doloribus sempiternis et infinitis redimeret, et pro eo satisfaceret, et pro eo toleraret; item ipse Deus gloriosissimus et superlaudabilis factus est obediens, et humilis, et despici et vilificari et vituperari voluit, et despectissimus deputari et apparere, ut hominem despectum honorabilem et gloriosum faceret; cum hæc anima bene considerat et videt; amplius afficitur et transformatur in dolore, et quanto plus videt et considerat, tanto majori transformatur dolore.

160 Igitur quanto plus anima cognoscit Dei altitudinem et dignitatem, et misericordiam, et infinitam bonitatem, quam homini notam fecit, et per effectum ostendit, et quanto plus videt hominis miseriam et defectum et indignitatem et ingratitudinem, infidelitatem et vilitatem, tanto magis afficitur in amore Dei hominis, et in dolore passionis, et transformatur in similitudinem ejus, quod est tota perfectio hominis. Sic igitur cognoscere Deum et se, est nobis summe necessarium et utile super omnia : et circa cognitionem hujusmodi est continue diebus ac noctibus immorandum : et hæc quanto profundius homo potest contempletur, tunc enim perfectius in Christi similitudinem transformatur, et in amore et in dolore sicuti dictum est. Igitur fili mi, cum tota mente supplicite te rogo, quod tu non leves oculos animæ tuæ de isto Deo homine passionato, quia habet hæc visio et consideratio animam illustrare et ignire in amore et devotionis fervore, si eos ibi teneas. Quod si disperguntur, coneris eos tenere et figere eos ibi. Adhuc exhortor et rogo tota mente, quod si mens tua non est elevata ad videndum istum Deum hominem passionatum, quod reincipias, et rumina omnes vias passionis et crucis istius benedicti Dei hominis passionati. Quod si hoc non potes facere corde, saltem dicas ore ea, quæ pertinent ad passionem, sollicite et frequenter; quia illud, quod cum ore frequenter dicitur, dat finaliter cordi calorem et fervorem. Quicumque enim perfecte viderit istum Deum hominem passionatum, sicut fuit, et ipsum pauperrimum et despectum plenissimum ineffabili et continuo dolore, et omnino exinanitum et annihilatum propter nos, sic sicut fuit, (quod videre est per gratiam) sum certa, quod sequeretur Christum per paupertatem, et continuum dolorem, et per despectum et per vilitatem. De gratia autem divina nullus potest se excusare, quin possit habere et invenire eam, Deus enim cum sit liberalissimus, liberalissime eam omnibus elargitur, hoc est quærentibus et volentibus eam.

Mens in Christum crucifixum semper dirigenda.

161 Desidero igitur fili mi, quod non impleas cor tuum nisi isto Deo increato, et cognitione et amore ejus, et quod in mente tua non sit alia impletura, nisi ista, scilicet increati Dei. Si autem istam habere non potes, teneas et habeas illam quam supra dixi, scilicet Dei hominis passionati crucifixi : quod si utraque tibi subtraheretur, non quiescas fili mi, donec rehabeas, et invenias unam istarum impleturarum, quæ vere replent et satiant cor et mentem omni bono. Igitur, fili mi, firmissime tene, et mihi crede, quod, qui desiderat tenere viam Dei, et desiderat accedere ad Deum, et frui ipso in ista vita et alia, primo oportet, quod cognoscat Deum in veritate, et non solum exterius superficialiter, et quasi per colorem scripturæ vel verborum aut similitudinis alicujus creaturæ, qui modus cognoscendi secundum modum loquendi est quædam simplex cognitio de Deo; sed oportet eum cognoscere in veritate, intelligendo suum summum valorem, suam summam pulchritudinem, dulcedinem, altitudinem, virtutem, bonitatem, liberalitatem, misericordiam et pietatem, et ipsum esse summum bonum, et in summo. Aliter enim persona sapiens cognoscit aliquam rem et aliter persona simplex : persona enim sapiens cognoscit rem in veritate, sed persona simplex cognoscit rem, ut apparet, in apparentia. Sicut gemmam inventam, persona simplex appetit et quærit propter fulgorem et pulchritudinem, et non propter aliud, ignorat enim veritatem ejus; sed persona sapiens ipsam inventam appetit, et desiderat summo fervore, quia ultra fulgorem et pulchritudinem, cognoscit valorem et virtutem ejus in veritate; ita anima sapiens non solum curat cognoscere Deum, quasi in apparentia superficiali quadam consideratione, sed conatur eum in veritate cognoscere et sapere summam bonitatem, et valorem ejus : et ipsum est non solum bonum, sed summum bonum, et sic cognoscendo eum, omnino diligit eum propter suam bonitatem; et diligendo eum, desiderat eum habere, et tunc ipse summe bonus dat se sibi, et anima sentit eum, et gustat suam dulcedinem, et fruitur eo summo delectamento. Et tunc anima participans summum, cum ipse sit summus amor, anima ipso afficitur summo amore, inamorata illius dilectissimi amore, et desiderat eum tenere, et amplexatur eum, et stringit eum ad se, et conjungit se cum Deo et Deus trahit eam ad se cum summa dulcedine amoris, et tunc virtus amoris transformat amantem in amatum et amatum in amantem : id est anima inflammata in amore divino, transformat se per virtutem amoris in Deum dilectum suum, qui diligitur ab ipsa anima cum tanta dulcedine. Sicut ferrum inflammatum accipit in se calorem, colorem, et virtutem et valorem et formam ignis, et quasi fit ignis, et dat se totum et non partem, et eripit se sibi, remanendo in se substantialiter inflammatum; sic anima unita cum Deo per gratiam perfectam amoris divini, quasi tota divina efficitur, et in Deum transformatur, non mutata propria substantia, sed transformat se totam in sua vita in Dei amore, et quasi tota fit divina. Ecce quanta bona affert nobis cognitio Dei. Oportet enim (sicut prædictum est) quod in via Dei, et in eo, qui Deum vult habere, ejus cognitio præcedat, et postea sequatur amor, qui transformat amantem in amatum : hæc est anima, quæ cognoscit Deum in veritate et amat bonum cognitum cum fervore.

Dei cognitio duplex.

Vera Dei cognitio parit perfectum ejus amorem et conjunctionem.

Sicut ignitum ferrum sic anima unita Deo.

162 Istam autem cognitionem non potest habere anima per se, nec per scripturam, nec per scientiam, nec per aliquem rem creatam, quamvis hæc juvare, et disponere possint; sed solum per lumen divinum, et per gratiam Dei. Credo autem quod anima non potest invenire citius vel facilius, nec impetrare et habere ab ipso summo Deo summe bono et summo lumine, et summo amore hanc cognitionem, quam per devotam, puram, et continuam, et humilem, et violentam orationem, non solum oris, sed mentis et cordis et omnium potentiarum animæ et sensuum corporis, postulando et appetendo cum summo desiderio. Consequenter anima quæ vult invenire hunc lapidem, et veram Dei cognitionem, et prædictum lumen invenire, orationem suam faciat studendo, cogitando, et legendo continue in libro, et super librum vitæ, qui liber vitæ est tota vita Christi, quamdiu vixit in ista vita mortali. Deus enim Pater altissimus ostendit, et docet animæ formam et modum, et viam, qualiter possit habere cognitionem ipsius Dei, et qualiter possit venire ad Deum per amorem, et istud exemplum et magisterium ipse Deus Pater altissimus ostendit, et docet in amantissimo filio suo.

Cognitio Dei gratis a Deo datur.

Impetratur oratione et meditatione vitæ Christi

163 Igitur, filii amantissimi, si lumen divinæ gratiæ concupiscitis, si cor a sollicitudinibus vultis elongare, si tentationes noxias vultis frenare, si in via Dei vultis perfecti fieri et esse, ad crucem Jesu Christi fugere non pigritemini. Vere non est alia via Dei filiis reservata, quæ Deum invenire valeat, ad inventum

Via crucis Christi est vera via ad Deum.

AUCTORE ARNALDO. *Et Liber vitæ.*

tum retinere nisi via et vita et mors istius Dei hominis passionnati, quam consuevi dicere et asserere Librum vitæ esse, cujus lectionem nisi per orationem continuam accedere nullus potest : nam oratio continuata animam illuminat, elevat, et transformat. Anima enim illuminata lumine in oratione percepto, clare videt viam Christi præparatam et calcatam pedibus crucifixi, per quam dilatato corde currendo, non solum elongatur a mundi sollicitudine ponderosa, verum etiam supra semetipsam ad divinam degustandam dulcedinem elevatur : elevata igitur divino incendio, et ignita in amore, in ipsum Deum transformatur, et hoc totum in crucis aspectu per continuam orationem invenitur.

164 Unde (fili charissime) ad istam crucem fugiens, ab eo, qui in ea pro te moritur, petas illuminari : ad ipsum vade, ad te plenarie cognoscendum, ut in cognitione tui proprii defectus profundatus, assurgere valeas ad divinam dulcedinem degustandam, et in hoc tibi incomprehensibilis apparebis, cum ficte defectuosum redemerit, et ad suam filiationem te assumpserit, et se tibi promiserit esse patrem : non sis ergo ei ingratus, sed tanti et tam honorabilis et amabilis patris studeas voluntatem in omnibus adimplere. Nam si in legitimis filiis Dei patris beneplacitum non impletur, quomodo adimpletur in adulterinis? Adulterini filii appellantur, qui extra disciplinam patris per carnis concupiscentiam evagantur. Sed filii legitimi sunt illi, qui suo magistro et patri pro se passionnato studeant in omnibus conformari, scilicet in paupertate, dolore, et despectu. Quæ tria, fili charissime, scias, et habeas fundamentum et complementum omnis perfectionis. Nam istis tribus anima illuminatur, perficitur, et ad divinam transformationem apertissime præparatur. Dilectissime fili scias, quod omnis perfectio hominis est in notitia Dei et sui : videre scilicet Dei immensitatem in omni perfectione et bono, et se nihil. Talis autem manifestatio, et cognitio scilicet Dei et sui, non est, nisi legitimorum filiorum Dei, habentium veram orationem et lectionem, et meditationem ferventem in libro vitæ. Ante enim istos veros filios Deus pater expandit et posuit librum vitæ, scilicet vitam Dei et hominis Jesu Christi. In quo nihil volent scire, bene considerent, quin ibi inveniant : ibi implebuntur scientia illa benedicta quæ non inflat, et omnem doctrinam pro seipsis et pro aliis necessariam invenient. Unde si vis superilluminari et doceri, legas in isto libro vitæ : et si non curras, nec leviter transeas in legendo, illuminaberis, et doceberis in omnibus necessariis pro teipso, et per te alii cujuscumque sint status : et si bene legas ibi et mediteris, non percurrendo * informaberis et ignieris igne divino, in tantum quod omnem tribulationem pro maxima recipies consolatione, et facies te videre indignissimum tribulatione. Et etiam (quod plus est) si aliqua laus humana, aut prosperitas supervenerit tibi propter aliquam sufficientiam, quam Deus dedit tibi, non inflaberis, nec extolleris in altum : quia legendo in libro vitæ videbis in veritate et cognosces, quod non est laus tua. Et hoc est unum signorum, per quod homo potest cognoscere, quod homo est in gratia Dei, quando de nullo inflatur, nec extollitur, sed superhumiliatur. Ante omnia igitur, fili, conandum est ad veraciter Deum et se cognoscendum, quod non fit nec obtinetur, nisi per orationem assiduam et ferventem, et lectionem, quæ assidue exercetur in libro vitæ.

Qui filii sint Dei legitimi, et qui adulterini.

Summa perfectio est in cognitione Dei et sui.

* MS. inflammaberis.

Signum gratiæ Dei, in nullo dono vane extolli.

CAPUT XIV.

Christus liber vitæ. Ejus paupertas.

c. 58. Christus est liber vitæ.

Scias igitur, quod hic liber vitæ non est aliquid aliud, quam Christus Dei filius, qui est verbum et sapientia Patris, qui in hoc apparuit, ut per vitam suam et mortem et doctrinam nos instrueret. Videndum est, qualis fuerit sua vita et conversatio, quam egit et indesinenter tenuit in corpore mortali. Sua enim vita est exemplum et forma cuilibet volenti salvari. Vita autem sua non fuit nisi amarissima pœnitentia, cum qua fuit associatus continue in vita præsenti : ita quod ab hora, in qua anima Christi fuit creata et infusa in suo sanctissimo corpore in utero Virginis purissimæ, usque ad illam horam ultimam, in qua illa sanctissima anima recessit ab illo sanctissimo corpore per acerbissimam crucis mortem, numquam stestit sine illa societate : quod non fecerunt Apostoli, nec beata Virgo, nec alii Sancti.

Continua Christi pœnitentia amarissima.

166 Societas autem quam Deus Pater altissimus secundum suam sapientissimam dispensationem voluit, ut filius suus dilectissimus haberet in isto mundo, hæc est : Primo, perfectissima, continua et summa paupertas. Secundo, perfectissimus, summus et continuus despectus. Tertio, perfectissimus, continuus et summus dolor. Ista fuit societas a qua Christus fuit associatus in tota sua vita, ut exemplum nobis tribueret hanc super omnia eligendi et diligendi et tolerandi usque ad mortem : per hanc enim viam ipse secundum quod homo ascendit ad cælum, et per ipsam potest et debet ire anima ad Deum, nec est alia via recta : oportet enim et decet, quod viam quam caput tenuit, teneant corporis membra : et quod ab illa societate, a qua fuit associatum caput, sint etiam associata membra.

Triplex societas Christi in hoc mundo.

167 Societas igitur prima Jesu Christi libri vitæ et salutis nostræ fuit continua et summa et perfectissima paupertas; et ista fuit tribus modis, una grandis, alia major conjuncta cum prima, sed tertia conjuncta cum prima et secunda fuit perfectissima. Primus igitur gradus perfectissimæ paupertatis Christi, qui est liber et via et magister animæ, fuit, quia voluit esse pauper omnium rerum temporalium istius mundi, ita quod non habuit nec terram, nec vineam, nec hortum, nec aliquam possessionen, nec aurum, nec argentum, nec pecuniam, nec ullam rem propriam, nec recepit, nec recipere voluit de rebus mundi hujus, nisi ad sublevandum extremam indigentiam vitæ suæ corporalis, cum fame et siti et penuria, frigore et calore, cum multo labore et austeritate et duritia, nec de rebus delicatis et exquisitis necessitates corporis recipere voluit, sed de rebus grossis et communibus, quæ secundum loca et tempus inveniebantur in illa provincia, in qua Christus sine domo et habitaculo mendicans stabat et vivebat. Secunda paupertas Christi fuit major quam prima, quia voluit vivere et esse pauper amicorum et consanguineorum, et omnis familiaritatis magnorum et potentum, et omnis amicitiæ temporalis; ita quod nec aliquem amicum habuit, nec habere voluit, nec ex parte matris, nec ex parte Joseph patris putativi, nec ex parte discipulorum, nec quorumcumque amicorum, propter quem fuerit sibi dimissa una alapa, nec unus ictus martelli, nec flagelli, nec unum verbum injuriosum : et nasci voluit de matre pauperrima et humillima, et educari sub patre putativo carpentario paupere, et se expoliavit amore et familiaritate regum, potentum, et Pontificum, et scribarum, et amore amicorum et consanguineorum, ita quod nec pro matre, nec consanguineo, nec pro quocumque dimittere voluit aliquid, quod placeret vel placere posset voluntati Patris sui altissimi. Tertia paupertas et summa fuit, quod expoliavit semetipsum seipso, cum Christus pauperem se ostendit in potentia. Et primo quod fecit se pauperem et inopem suæ potentiæ propriæ : cum enim ipse esset omnipotentissimus, cui nihil erat impossibile, voluit apparere et vivere in isto mundo, sicut impotens, sicut infirmus et debilis homo. Ipse enim præter miserias humanas, puerilem infantiam, et alias infinitas debilitates, quas propter nos assumpsit,

c. 59. Tres gradus paupertatis Christi.

I. *Penuria rerum temporalium.*

II. *Repudiato benenolentia magnaum et amicorum quorumcumque.*

III. *Assumptio miseriæ nostræ, et cohibitio splendoris divinitatis.*

psit, præter culpam et peccatum, debilis apparuit et vixit. Fuit enim fatigatus ex itineribus, et prædicationibus, et curationibus, ex visitationibus, ex opprobriis.

Etiam irrationalibus in se potestatem dedit Christus.

168 Et quod plus est, non solum homines peccatores in eum potestatem acceperunt, imo omnia elementa et corpora insensibilia sibi passionem et afflictionem inferendi ab eo, qui ipsa creaverat, potestatem acceperunt, et ipse tamquam impotens non resistebat, sed omnia, ut homo impotens resistere, propter nos tolerabat. Dedit enim potestatem illis spinis intrandi et perforandi crudelissime illud tremebundum et divinissimum caput ejus. Dedit potestatem illis vinculis et ligaturis stringendi et tenendi eum cum columna, et unam manum cum alia, qui terram in sua morte concussit. Lætificate me, o filii Dei, ut isti fidelissimo vobis Deo sitis fideles, et super hanc pro vobis humiliatam, fidelitatem et fidelissimam humilitatem, deviscerate vosipsos totos. Ecce quia solum propter te ipse auctor omnis vitæ tantum seipsum dejecit, ut te exaltaret, quod ipsa insensibilia, ipsum auctorem per omnia percuterent et laniarent, et qui est omnino incircumscriptus loco fixus teneretur. Dedit velo, ut velaret eum, qui est vera lux et verum lumen illuminans omnia. Dedit flagellis, ut durissime verberent eum. Dedit clavis potestatem perforandi et intrandi in suis manibus et pedibus, quibus cæcos illuminaverat et surdis auditum reddiderat. Dedit cruci, ut eum cruentatum, verberatum, et perforatum suspendendo sustentaret, et eum nudum omnibus exponeret, et tandem mortem crudelissimam ibidem toleraret. Dedit aceto et felli, ut os ejus amaricarent. Dedit lanceæ, ut intraret et aperiret et perforaret (quod stupendum est audire) illud divinissimum latus et cor et viscera ejus, ut sanguinem et aquam de visceribus ejus et cordis penetralibus effunderet super terram. Debebant enim ipsæ creaturæ, et poterant, suo Domino, suo factori propriissimo obedire, et non creaturæ ipsis aburenti. Sed profundissima et fidelissima et inusitata humilitas istius altissimæ majestatis deprimat, et confundat superbiam nostræ nihilitatis. Voluit enim esse subjectus, et annihilatus ipse auctor omnis vitæ, qui solus habet esse omnibus creaturis, ipsis etiam insensibilibus, ut tu, qui eras mortuus, et divinorum insensibilis factus, per hanc ejus humillimam dejectionem vitam haberes. Et tu homo qui nihil noras, tam fidelissime et purissime te dilexit iste, qui solus, solum ob tui amorem exinaniri voluit; ut tibi daret perfectissimum esse. Debebat enim ipsa lancea et poterat se plicare, et non obedire creaturæ ipsa abutenti, et non percutere, non perforare illud divinissimum latus sui propriissimi Domini et factoris. Sic et alia insensibilia poterant, et debebant non obedire, contra suum Dominum et factorem, nisi quia potestatem acceperant super ipsum.

169 Dedit crucifixoribus militibus, Judæis, Pilato et aliis nequissimis potestatem, ut ipsum judicarent, accusarent, blasphemarent, sibi insultarent, verberarent, deriderent, et eum interficerent, qui solo verbo omnia impedire poterat, aut solo nutu omnia subvertere et annihilare, aut uni Angelo minimo suo de infinitis millibus potestatum et virtutum suarum imperare, ut hæc omnia uno impetu projiceret in profundum maris. Nisi enim ipse potestatem dedisset, et se passibilem et infirmum exhibuisset, procul dubio nulla creatura potuisset, imo horruisset molestiam suo creatori irrogare. Quid plura? elementis, frigori, calori, fami, siti se subjecit et aliis creaturis insensibilibus, et potentiam suam occultavit, et se in apparentia hominum spoliavit, ut nos miseros, mortales et passibiles de patientia sub tribulationibus habenda informaret; ut hominem qui potestate se privaverat, redimeret, et per gloriam resurrectionis impassibilem efficeret et invictum.

Christus injurias tulit ut invitaret nos ad patientiam.

170 Et quod amplius est, dedit potestatem diabolo super se, ut eum tentaret, et circumduceret, et cum membris suis pessimis hominibus ipsum usque mortem persequeretur, ut hominem de ejus potestate liberaret. Passibilem igitur se exhibuit invictus Dominus et omnium primum agens, et impotentem creator omnium, et debilem Rex fortissimus se fecit: nec repulit, sed subjecit se diabolo, creaturis insensibilibus, et omnibus tribulationibus, et injuriis, omnibus pœnis, omni dolori et afflictioni; in hoc confundens nos miserandos, qui sic delicati esse volumus, ut non solum tribulationes, neque pœnitentiam spontanee non assumanus, verum etiam afflictiones et tribulationes ex ordinatione Dei nobis contingentes, quantum possumus repellimus, et contra Deum omnipotentem nequissime murmuramus. AUCTORE ARNALDO.

Spoliavit se quodammodo sua sapientia.

171 Secundo modo se expoliavit seipso, et pauperem fecit sua propria sapientia: voluit enim Dominus noster Jesus Christus apparere, ut simplex homo, et ignorans, et insipiens, et fatuus inter omnes homines mundi, et non voluit etiam apparere, ut philosophus, vel doctor verbosus, aut disputator ampullosus, vel scriba, vel famosus in scientia, vel sapientia gloriosus, sed in veritate humili conversando, et simplicitate et summa mansuetudine inter homines conversabatur, in virtute vitæ virtutum et miraculorum viam veritatis ostendendo. Cum enim ipse sit sapientia Dei Patris, et scientiarum Dominus, et prophetarum factor et inspirator, potuit scientiarum et rationum subtilitatibus et ingenio uti, et se ostendere, et gloriosum facere, si voluisset, sed sic simpliciter veritatem protulit, ut quasi ab omnibus non solum simplex et idiota, sed insipiens et fatuus et blasphemus reputaretur. Viam veritatis nobis ostendens, quod non de scientia seu sapientia gloriari debemus, neque ipsa inflati velimus coram hominibus nomen magisterii acquirere, seu vanam gloriam manducare.

Christi exemplo de sapientia non gloriandum.

Spoliavit se quasi fama propria.

172 Tertio se expoliavit seipso, et pauperem fecit sua fama sanctitatis et bonitatis et innocentiæ, quod mirabilissimum est. Voluit enim sic tenere viam mystice, ut quasi ab omnibus non solum non haberetur ut sanctus, sed ut peccator, et peccatorum amicus, et sicut proditor et seductor, et patriæ conspirator, et blasphemus reputari, et inter latrones et iniquos condemnari et numerari voluit, dum tamen salutem nostram operari posset in medio terræ. Potuit enim sibi acquirere famam sanctitatis, ut ab omnibus universaliter ipse sanctus sanctorum tamquam sanctus haberetur, utpote qui numquam peccatum fecit, sed peccata omnia tulit, et quod Joanni Baptistæ, quantum ad famam sanctitatis suo servo dederat, ipse Sanctorum summus et rex virtutum sibi inter omnes homines retineret. Sed hoc fecit et fama sanctitatis (salva veritate doctrinæ, vitæ et justitiæ) se expoliare, et pauperem facere voluit, ut nostram hypocrisim refutaret, qui etiam de his bonis, quæ nec habemus nec facimus, gloriam coram hominibus quærimus, et famam sanctitatis et innocentiæ, nos de malis false excusando, et bona opera mendaciter arrogando per fas et nefas, quantum possumus nitimur vendicare.

Exemplum Christi contra hypocritas.

Spoliavit se suo imperio.

173 Quarto expoliavit semetipsum seipso, suo videlicet imperio et principatu omnium rerum et dominationum, quas habebat. Cum enim esset Rex regum et Dominus dominantium, et Rex cujus regni non est finis, ipse inter omnes homines vivere et esse voluit, sicut servus dejectus et venditus et emptitius: Nec cum eum vellent facere Regem, Rex esse voluit, sed Regibus impiissimis semper usque ad mortem subjectus et obediens in iis, quæ petebant, vectigalia scilicet solvendo, esse voluit: curiis et judiciis, et gravaminibus eorum parendo, et se subjiciendo. Et non solum regibus, imo etiam vilissimis servis, et clientibus et ministris eorum semper obediens fuit usque ad verbera

AUCTORE ARNALDO.

verbera et mortem crucis. Et ipse Rex regum, regnum suum de hoc mundo non esse, coram Pilato asseruit, quia de regno et dominatione hujus mundi temporali inter homines non curabat, sed semper subjectus esse volebat, et non dominus, neque Rex, princeps, sed servus humillimus semetipsum totaliter exinanivit. Subjectus etiam fuit suæ humillimæ et pauperrimæ Matri et patri putativo, eis usque ad tricesimum annum humiliter obsequendo et serviendo. Nec inter discipulos, quos paucos, et ignobiles, et pauperrimos elegit, nec ut Rex nec ut Dominus esse voluit, sed asseruit quod venerat ministrare, non ministrari, donec daret animam suam pro ipsis et ceteris peccatoribus redimendis. Quinimo eis discipulis pauperrimis in miseriis caput et magister existens, primus esuriebat et sitiebat, et tribulabatur; non enim fuit magister eorum, quatenus primatum inter eos quæreret, sed ut primus inter eos afflictionem et dejectionem sustineret, et tantum inter eos humiliter fuit conversatus, quod eis in mensa ministravit, et pedes eorum et manus lavit. O immensa nostra dementia, qui post talem ac tantum Dominum et Regem regum, et ignominiosum inter homines, et contemptum, nos ad dignitates et prælationes continue aspiramus, libertatem volentes, et sine jugo viventes, nulli amore ejus subjecti, nec obedientes esse volumus, sed supra alios, quantum possumus, volumus præsidere. Non sic, non sic tu Christe facere voluisti, sciens quod durissimum judicium fiet his qui præsunt, et potentes potenter tormenta patientur, et de vita et regimine, et de peccatis eorum subditorum strictissima ratio exigetur. Confundat igitur hic liber vivus, in se nobis exemplum præferens, superbiam nostram, et semper (sicut ipse) subjecti præsidentibus esse velimus, nostram voluntatem nullatenus retinentes, sed amore ejus, qui omnibus propter nos subjectus fuit, et esse voluit, et propter nostram securitatem statum subjectionis non solum toleremus, sed prælationes fugientes, subjectionem et statum humilem ex corde cum magno desiderio requiramus.

Exemplo Christi studendum omnibus subesse, nulli præesse.

Perfectissima Christi paupertas ad imitandum proposita.

174 Hæc est igitur summa et continua et perfectissima paupertas Dei hominis Jesu Christi omnium Salvatoris, qui quamvis divitiarum Dominus existeret, pauperrimus inter nos esse voluit, ut nos ad amorem paupertatis provocaret. Pauper enim fuit re, voluntate, et spiritu super omnem creaturæ æstimationem, propter infinitissimum et dulcissimum amorem, quo nos dilexit: pauper, inquam, et inops mendicus. In rebus temporalibus pauper et in amicis, pauper in potentia, pauper in sapientia mundana, pauper in fama sanctitatis, pauper in statu dignitatis, pauper in omnibus existens, paupertatem prædicavit, et pauperes beatos esse asservit, et mundi judices affuturos: divites condemnavit, et divitias, et abundantias prædictas esse contemnendas re, verbo, conversatione, et exemplo totis viribus prædicavit. Sed heu, prohdolor! sed heu, prohpudor! hæc paupertas spiritus hodie est expulsa, et quasi ab omnibus est fugata, et (quod est detestabilius) ab illis qui in hoc libro vitæ legunt et intelligunt, et hanc paupertatem prædicant et glorificant, hæc paupertas re, voluntate, studio, et facto totaliter expugnatur. Hanc enim paupertatem mundus odit, Christus autem diligit, et elegit pro se et pro suis, ipsamque beatissimam statuendo. Sed quis homo, quæ mulier, quæ creatura hodie dicere posset, quod sit sociata tali societati, tam gloriosæ, sicut Christus voluit esse sociatus? Beatus est ille, qui in sua pœnitentia, in mundo isto, exemplo Christi, ipsam elegit. Heu me! heu me! Scimus, audivimus, firmiter tenemus, qualiter filius Dei Creator noster et Redemptor, magister et illuminator, et exemplum nobis factus, quali cibo et potu satiatus, qualiter fuit indutus, qualibus vestibus adornatus, qualibus cameris et palatiis hospitatus, quali familia et amicis stipatus, qualibus studiis et scientiis mancipatus, et sic de aliis bonis hujus mundi, et tamen Christianos esse nos dicimus, et nominari volumus, post Christum pauperes nullatenus de facto esse volentes, neque sibi assimilari desiderantes; quamquam verbis dicamus, ejus statum et paupertatem beatificantes, re autem et facto Christi statum et perfectionem suæ paupertatis detestantes. Væ nobis qui post tantum exemplum, doctorem, et magistrum de facto tantam salutem repellimus, et ab ejus statu et doctrina, sumus post abundantias temporales errantes, et vacui finaliter remanentes. Et ideo nostra pœnitentia, et status Christianitatis non vadit per rectam viam Jesu Christi, imo turpiter deviat ab eadem.

Pauci amatores veræ paupertatis.

175 Beatus autem et vere beatus (ut ipse etiam asseruit) est et erit qui paupertatem omnium rerum prædictarum diligit, qui de facto non solum verbo pauper esse vult in rebus temporalibus, et amicitiis, et familiaritatibus, in delectatione, varia scientia, et curiositatibus, et fama sanctitatis, et omnis prælationis et dignitatis; quod si non potest quis se totaliter a prædictis spoliare, saltem deponat affectiones rerum prædictarum, quantum potest: vere enim beatus talis pauper, quoniam ipsius est regnum cælorum. Et qui contrarium fecerit de facto, quidquid de verbo prædicaverit, et sermocinatus fuerit, infelix et maledictus, quoniam ipsius est extrema paupertas, et perpetua esuries domorum inferorum, ubi perpetua fames et sitis, ubi nec amicus, nec frater, nec pater redimere, nec juvare poterit, nec evadendi potentia aderit, nec sapientia mundana valebit, sed omnibus his privabitur de facto, qui de facto hæc contra doctrinam Christi obtinere voluit, et cruciabitur in perpetua sæcula sæculorum.

Qui beati pauperes. Matthæi 5.

CAPUT XV.

Christi voluntarius contemptus.

Secunda societas, a qua continue Jesus Dei filius, quamdiu vixit, fuit associatus, fuit voluntarius et perfectus contemptus, dejectio et ignominia, et verecundia, quæ voluit in hoc mundo continue tolerare. Vixit enim sicut servus dejectus et venditus et non redemptus, et non tantum sicut servus, sed sicut servus qui malus reputatur et iniquus. Fuit enim exulatus et opprobriatus, derisus, ligatus, verberatus, fustigatus, flagellatus, et tandem sine ratione, sine defensore, sicut vilis et miserabilis cum iniquis et latronibus deputatus, et cum eis condemnatus et mortuus morte turpissima ei dejecta. Et dum viveret, si quando aliquis voluisset sibi inferre honorem temporalem, semper contradixit aut verbis, aut factis, et honorem mundi semper fugit, et verecundias semper toleravit, et libenti animo acceptavit, non dando ex parte sua occasionem nec causam. Ipsum enim dominatorem mundi sine ratione, sine causa, sine offensa, sine injuria omnes quasi persecuti sunt et deriserunt, et subsannaverunt. Protinus enim a fasciis et a cunabulis ipsum persecuti sunt, et in terram barbarorum projecerunt. Qui cum adultus esset, quidam eum Samaritanum et idololatram vocabant, quidam vero dæmoniacum, et dæmoniatum et gulosum et seductorem et pseudoprophetam. Dicebant enim: Ecce enim vorator, et potator vini, quoniam non est propheta, nec justus, nec miracula in virtute Dei facit, sed in principe dæmoniorum ejicit dæmones. Quidam ipsum ducebant ad montes, præcipitia, ut ipsum præcipitarent: quidam lapides tollebant, ut ipsum lapidarent. Inter hæc erant diversi contra eum clamores, diversæ irrisiones et subsannationes, detractiones et iniqua consilia, dicentes: Quoniam blasphemat; multas illusiones, et deceptiones in verbis et factis sibi præparantes, ipsum a locis suis repellentes, nec ipsum recipere volentes. Et tandem ipsum viliter ceperunt diversis judicibus et judiciis et conciliis ipsum ligatum

c. 60.

Contemptus sui et abnegatio in Christo summa:

In opprobriis et injuriis tolerandis.

In honoribus fugiendus:

In irrisionibus et contumeliis perferendis:

tum exponentes; et quidam in faciem ejus expuebant, alii alapas dabant, alii eum chlamyde circumdederunt; alii coronaverunt eum spinis, et procidebant, et genua flectebant illudentes ei, caput ejus virga percutientes et faciem ejus velantes, omnem speciem irrisionis superinducebant; alii ipsum flagellis verberabant; alii in eum, sicut canes sanguinis voratores, dentibus frendebant, ipsum condemnantes, reprobantes tamquam malefactorem. Et tandem ad passionem ducebatur nudus, et omnes discipuli eum reliquerunt. Et unus quidem negavit eum, alius vero tradidit, reliqui vero aufugerunt, et solus nudus stabat in medio illarum turbarum: erat enim dies festus qui tunc omnes congregabat. Et sicut malignum in medio malignorum denudatum in altum elevantes suspenderunt, et viliter interfecerunt. Alius eum morientem, flentem et orantem subsannabat et irridebat, dicens : Vah qui destruis, etc. Alius eum contemnebat, dicens : Multos alios salvos fecit, seipsum non potest, etc. Alius vestem suam ludebat. Alius eum aceto et felle potabat, et offerebat morienti, et aquam ad bibendum humiliter postulanti. Et alius ipso mortuo latus lancea transfigebat, et quando de cruce depositus, nudus in terra jacebat, et absque sepulchro, donec quidam quæsivit ut tolleret et sepeliret. Alii querelam adversus eum divulgaverunt dicentes : Recordati sumus, quoniam seductor ille dixit. Alii resurrectionem occultaverunt; alii negaverunt. Et sic in vita et in morte, et post mortem non fuit, nisi in continuo despectu, ignominia et vilitate; et hæc quæsivit et toleravit ut sic ad gloriam resurrectionis in quantum homo perveniret, et nos ad summam gloriam exaltaret.

In morte ignominiosissima et crudelissima subeunda.

177 Igitur factus est nobis forma et exemplum et doctor et magister gloriosus Dei filius, ut gloriam temporalem contemneremus, et non solum modo ipsam non quæreremus, sed etiam præsentatam et exhibitam refutaremus. Ipse enim numquam gloriam propriam quæsivit, sed gloriam sui Patris, imo potius repulit et contempsit, et humiliavit se de cælo usque ad pedes discipulorum, et exinanivit se formam servi accipiens, et factus est obediens usque ad mortem, mortem autem non qualemcumque, sed turpissimam et despectissimam et acerbissimam, scilicet crucis. Sed heu! proh dolor! quæ persona invenitur hodie, quæ diligat talem societatem ut scilicet fugiat honorem, et diligat verecundiam, quæ habetur propter paupertatem, humilem statum, humile officium, et cetera humilia, et quæ velit esse annihilata, dejecta, et contempta, quin de bono, quod habet, vel agit, et facit, et loquitur, vel æstimat se habere, velit commendari et laudari, quin sequatur, vel applaudat adulatoribus? Veraciter unusquisque in viam suam declinavit, nec est usque ad unum, qui faciat bonum istud: et vere si quis est talis, hoc esse non potest, nisi sit conjunctus cum capite Christo per amorem verum, ut vivum membrum ejus. Videndo enim quod Christus Rex suus et magister et caput diligit, et vult talem societatem, et ipse vult similiter.

Christi exemplo gloria mundi vitanda.

178 Sed inveniuntur multi quorum quilibet dicit: Ego diligo et quæro diligere Deum, et non curo, si mundus non faciat mihi honorem, sed nolo quod faciat mihi verecundiam, nec volo esse dejectus, nec vituperatus, nec confusionem in præsentia mundi recipere. Sed istud est signum manifestum parvæ fidei, et parvæ justitiæ, et parvi amoris, et magnæ tepiditatis. Quia vel commisit illud, propter quod est dignus sustinere confusionem, et pœnam et verecundiam, de quo pauci se juste possunt excusare; vel non commisit: si commisit, propter opera sua manifesta vel absconsa, debet sustinere, si vere sit pœnitens, neque justus, cum patientia, imo etiam cum placimento animæ et corporis, et hoc duabus rationibus: primo quia illa verecundia et confusio et pœna quam sustinet cum patientia, satisfacit Deo, et proximo secundum voluntatem divinæ justitiæ. Si vero non commisit mala opera, nec per voluntatem, nec per opera, debet portare et tolerare omnem verecundiam et confusionem, si Deus permiserit, et hoc in centuplum cum majori patientia et gaudio, quam primo modo, quia illa pœna, et illa confusio, et verecundia tota ponitur in augmentum gratiæ: crescente autem merito gratiæ, crescit donum et præmium gloriæ: et sic proculdubio cum toleratione verecundiæ et confusionis, quæ adveniunt absque culpa hominis, crescunt et perficiuntur animæ sanctæ, et amici Dei, sicut et perficiuntur tolerantes propter Deum paupertatem et alias afflictiones. Ideo Christus dilexit verecundiam et fugit honorem, ut doceret amicos suos, quomodo possent crescere in merito et gratia. Ista igitur societas secunda fuit continue cum vita Christi. Si enim volumus videre bene principium, medium et finem ultimum vitæ Christi filii Dei, totum fuit humilitas, et in mundo isto vivere sine honore, et despectus, et reprobatus a mundo, et ab illis, qui diligunt mundum.

Contemptus et abnegatio sui quærenda.

Gratiæ et gloriæ augmentum meretur.

Debet peccatorum pœnam.

CAPUT XVI.

Christi summus et continuus dolor.

Tertia societas sua magis experimentalis et continua, fuit summus dolor, a quo statim anima Christi, quando corpori sanctissimo fuit infusa, fuit etiam associata. In illo enim momento, quo fuit anima illa humano corpori et divinitati unita, statim fuit repleta summa sapientia: et ideo Christus statim fuit viator et comprehensor: et statim in utero Virginis matris suæ incepit sentire summum dolorem. sciendo, videndo, et considerando, et intelligendo universaliter et singulariter omnes pœnas, et quamlibet per se, quas ipsa anima cum sua carne experiri debebat, et pro nobis tolerare. Et sicut propinquus morti factus fuit in agonia, et in tanta tristitia, quod corpus sudorem sanguineum usque ad terram emisit, propter hoc, quod acerbitatem mortis prævidebat; ita anima Christi prævidendo ista tormenta sibi affutura, summo dolore dolebat, quamvis corpus non experiretur tantum, sicut quando passioni fuit Christus propinquus.

c. 61.

A primo tempore Incarnationis Christus cœpit dolere.

180 Anima illa sancta prævidebat cultellos illarum pessimarum linguarum, et verba aculeata cujuslibet linguæ singularis: et sciebat, et continue considerabat a quibus, et quando, et quomodo, et quantum debebat affligi, interfici, deludi, et mactari, et videbat se ad hoc natum, et ad hoc venisse in mundum. Unde non poterat esse nisi in dolore, quando considerabat, qualiter debebat esse venditus, traditus, captus, negatus, derelictus, ligatus, colaphizatus, derisus, verberatus, accusatus, blasphematus, maledictus, flagellatus, judicatus, reprobatus, condemnatus, et sicut latro ad crucem ductus, spoliatus, denudatus, crucifixus, mortuus, lancea percussus. Et sciebat omnes percussiones martellorum, et omnes ictus flagellorum, et foramina clavorum, et omnes guttas sanguinis, et lacrymarum guttas, quas fundere debebat, et omnia suspiria et fletus, et lamenta dolorosa sua et matris suæ; quæ omnia illa sancta anima Christi semper prævidebat, et considerabat, et quando sic se habebat, absque dubitatione non poterat esse sine tristitia, et summo cordis et mentis dolore. Et sic tota vita Christi fuit associata summo dolore, tristitia et afflictione.

Omnes cruciatus et tormenta mortis continuo cum dolore prævidit

181 Præter hoc, Christus Dominus verus liber vitæ innumerabiles toleravit dolores. Statim enim natus non in balneo, nec in plumis positus, nec pellibus involutus, sed in fœno, in stabulo, et duro præsepio inter jumenta collocatus est, et sic infantulus tenerrimus statim natus incepit secundum corpus tolerare corporis afflictiones. Consequenter peregrinationes cum matre sua dulcissima et tenerrima Virgine

Dolores et cruciatus tolerati in nativitate.

In fuga in Ægyptum.

AUCTORE ARNALDO.

gine et Joseph sene usque in Ægyptum per desertum vastissimum peregit; in cujus transitu filii Israel sine cibo humanitus præparato quadraginta annis permanserunt. Consequenter peregrinationes ad templum secundum legis statuta faciebat adhuc puerulus continue pedibus suis ambulando, cum tamen locus suus Nazareth plusquam per duas dietas Hierusalem distaret.

In peregrinatione ad templum Hierosolymitanum.

182 Et factus vir statim post baptismum desertum intravit, ibique quadraginta diebus jejunavit, et esuriit, in tantum quod diabolus credidit eum propter famem ad peccatum posse inclinare. Unde et de hoc primo eum tentavit. Ivit igitur pedibus suis per castella, per loca, per civitates, famem, sitim, pluvias, calores, caumata, frigora sustinendo, sudando, se fatigando, multas molestias sustinendo, et tandem mortis supplicia tolerando. Et hos omnes labores sustinuit, ut viam veritatis prædicaret, et falsitates dæmonum et eorum dominium exterminaret, et ut hominibus pœnitentiam vilissimam demonstraret, et ipsos ad eam induceret, et ut ostenderet in dolorum et afflictionum toleratione stare felicitatem, et bonum hominum, et gloriam, et ut nobis exemplum daret quod prædicta sunt toleranda.

In jejunio et tentationibus dæmonum. In Judæorum conversione et concionibus.

183 De doloribus autem quos tempore passionis sustinuit, nulla lingua sufficit dicere, nec cor cogitare. Fuit enim in Christo dolor ineffabilis multiplex: fuit etiam in Christo dolor intentissimus et acutus, ex compassione, quam habuit humano generi, quod diligebat summo amore: et non solum in communi dolebat pro toto humano genere perdito, dejecto, et damnato; sed compatiebatur unicuique personæ humani generis cum summo dolore; et non solum pro peccatis uniuscujusque personæ in communi, imo etiam secundum mensuram quantitatis uniuscujusque delicti et pœnæ, quam eos incurrisse, et in futurum incurrere sciebat certissime. Quot igitur fuerunt, vel sunt homines, et quot peccata commisit, vel committet quilibet homo, et quot habet vel habebit peccata, tot Christus habuit dolores ex summa misericordia et compassione provenientes. Cum igitur homines et eorum peccata, et pœnæ quas incurrerant, et incurrere debebant, essent infinitæ, manifestum est, summum dolorem et infinitum eum pro nostro amore sustinuisse. Christus enim quemlibet electorum suorum ineffabiliter diligebat; et hoc amore eviscerato in eos secundum mensuram cujuslibet, sentiendo præsentialiter, et continue eorum offensam commissam, et committendam, et pœnam, et pœnas quas propter tales offensas sustinere debebant, et dolebat et compatiebatur eisdem sustinendo eorum pœnas cum summo dolore. Tali scilicet, et tanto dolore, et compassione fuit afflictus propter nos dulcissimus Jesus, ut ipsa compassio summa, qua nobis condolebat, eum impulerit ad sustinendum tormentum crucis, et mortem horrendam et dolores infinitos, ut pro nostris offensis satisfaceret, et nos redimeret, et a pœnis nos alleviaret.

Dolor in Christo ex compassione generis humani infinitus.

184 Fuit etiam in Christo dolor compassionis propriæ scilicet suimet ipsius. Summe enim compatiebatur sibiipsi de dolorosa pœna et ineffabili, quam super se venire ineffabiliter videbat. Videns enim Christus, et considerans se ad hoc missum a Patre, ut omnium electorum suorum dolores et pœnas portaret in seipso, nec posse falli, quod tam excessivum et ineffabilem non sustineret dolorem, et se ad hoc totaliter esse datum; compatiebatur sibiipsi summo dolore. Si enim aliquis dolorem maximum et pœnam super se certissime et ineffabiliter venire cognosceret, et ipsum dolorem sine intermissione haberet præ oculis, absque dubio sibiipsi compateretur, et tanto plus, quanto super se venire cognosceret majorem dolorem: et adhuc quanto plus intelligeret et sentiret qualis et quantus esset talis dolor. Hæc omnia summe fuerunt in Christo, plus quam dicere possim. Sed hoc exemplum dico propter grossitudinem intellectus humani.

Ex compassione propria prævidendo singula tormenta sustinenda.

185 Fuit etiam in Christo dolor compassionis sui misericordissimi Patris. Infinite enim Christus diligit, et dilexit Patrem suum Dominum misericordiarum et totius pietatis. Videns enim ipsum Deum Patrem, quem in infinitum diligebat, tanta affici compassione et misericordia super nos, ut se et suum filium dilectissimum vellet dare, et morti tradere, qui erat sibi in infinitum res carissima, infinito super hoc compatiebatur dolore super tanta compassione Dei Patris: propter quod ut voluntati Patris quodammodo remedium adhiberet, humiliavit semetipsum sibi factus obediens usque ad mortem crucis: et hunc modum doloris impossibile est explicare. Dico igitur quod dolor fuit in Christo ineffabiliter: qui quidem dolor ineffabilis fuit concessus, et in ipso permissus, et dispensatus ex ineffabili sapientia divinitatis. Quæ dispensatio divina ineffabilis et æterna cum Christo ineffabiliter et æternaliter comitata et unita dolorem pati summe in eo dispensabat, et quanto dispensatio divina est mirabilior, tanto dolor Christi fuit acutior et intensior ex divina dispensatione resultans; ita quod nullus intellectus est ita capax, quod illum dolorem unquam potuerit comprehendere. Ista enim divina dispensatio fuit origo omnium dolorum, et in hac oriuntur et finiuntur. Et sicut est impossibile comprehendere aliquem intellectum infinitatem caritatis, quam ostendit in hoc, quod per mortem suam nos redimere vellet, sic est impossibile comprehendere infinitum dolorem in eo dispensatum, quo ipse doluit. Fuit enim iste dolor resultans ex ineffabili lumine Christo dato. Ipsa enim divinitas lumen ineffabile ineffabiliter Christum illuminans, et cum ista divina dispensatione in ipsum vivens et in ipso divino lumine in dolorem transformans, tantum sibi reddebat dolorem, quod ineffabile est totum. Videbat enim Christus quamdam ineffabilem mensuram sibi datam tam excessivi doloris, qui dolor sua ineffabilitate, esset omni creaturæ occultus. Istius enim doloris, scilicet divini luminis sibi dati, divina dispensatio fuit fons et origo.

Ex compassione Patris æterni mortem imperantis.

Ineffabilis Christi dolor, ex divina dispensatione ordinatus.

186 Fuit etiam in Christo dolor compassionis suæ dulcissimæ Matris, quia enim Christus suam Matrem plus quam aliam aliquam creaturam dilexit et diligebat, utpote quia ex ipsa sola carnem virgineam traxit, et quia ipsa suo filio plus quam alia creatura condolebat propter capacitatem nobilissimam, et profundissimam, quam habebat excellentius, quam aliqua creatura; ideo Christus ei condolebat et compatiebatur, quia eam corpore, corde, et animo summe dolere et lamentari videbat: dolebat enim ipsa Mater in summo, et ipse Christus illum suum dolorem in seipso portabat, et hujus doloris fundamentum fuit in dispensatione divina.

Ex compassione Matris suæ tenerrime condolentis.

187 Fuit etiam in Christo dolor de offensione Patris, quem summe diligebat: videbat enim qualiter in sua passione, quando homo suum Dominum et suum factorem crucifigebat, summe offendebatur Deus Pater: majus enim peccatum, quod unquam fuerit, nec futurum sit, fuit interficere et crucifigere filium Dei, et consequenter plus offendebatur Deus, de quo Christus sine dubio in immensum doluit. Unde et dolore et compassione motus tam ex parte Patris, qui offendebatur, quam ex parte hominum, qui eum offendebant, fuit motus ad dicendum illud verbum: Pater dimitte eis, quia nesciunt quid faciunt. Forsitan enim Deus Pater iterum totum humanum genus damnasset propter hoc, nisi Christus quasi oblitis omnibus aliis doloribus in morte sua benigna oratione facta cum lacrymis et clamore Deum Patrem mitigasset.

Ob offensum Patrem peccatis hominum.

188 Fuit etiam in Christo dolor compassionis Apostolorum et discipulorum ipsius: dolebant enim Apostoli, et discipuli, et mulieres quæ secutæ eum fuerant, maximo dolore. Cum ergo eos Christus summo amore diligeret

Ex compassione Apostolorum desolatorum.

diligeret, dolorem discipulorum dispersorum et tribulatorum Christus in seipso portavit.

Quadruplicia genera dolorum Christi.

189 Præter hos dolores, Christus multiplicem dolorem sustinuit. Quadruplici enim genere gladiorum et sagittarum fuit vulneratus et crucifixus iste Deus homo Christus Jesus. Primum fuit obstinatorum cordium perversa crudelitas: erant enim eorum corda continue contra Christum vehementissime obstinata, et in continuo studio et diligentia erant cogitantes, et machinantes, quomodo eum vituperabilius et crudelius exterminarent de terra, et nomen ejus, qui eos salvare venerat, et omnem societatem ejus. Secundum genus fuit malitia et nequitia illarum irarum grandissimarum et odiorum, quas illi crucifixores contra ipsum continue portabant: quot enim contra ipsum cogitationes, et perversæ intentiones, et iniquæ voluntates fuerunt, tot fuerunt cultelli et sagittæ animam Christi transverberantes. Tertium genus fuit malitia et dolositas linguarum vociferantium contra ipsum: quot enim fuerunt accusationes, detractiones, iniqua consilia, subsannationes, derisiones, oblocutiones, blasphemiæ, maledictiones, falsæ sententiæ, falsa testimonia, tot sustinuit dolores animam suam affligentes. Quartum genus fuit crudelissimum opus passionis, quod in eum dirissime exercuerunt; et hoc patet deducendo per totam passionem: quot enim tractus capillorum, et barbæ, et capitis, quot impulsus, quot ligamina, quot alapæ, quot colaphi, quot exspuitiones, quot verberationes, tot sustinuit et habuit passiones, potissime ex parte clavorum: quia acceperunt clavos grossissimos, æquales, scabrosos et quadratos quibus manus ejus et pedes crudelissime perforantes, et transfigentes et totaliter lacerantes et destruentes, ipsum crudelissime affixerunt. Ex tali enim forma clavorum pœna supermaxima resultavit. Supposito etiam, quod ligno manus ejus et pedes non fuissent affixæ, adhuc utique passio durissima perstitisset; sed adhuc non contenti, manus et ejus pedes trahentes, et totum corpus et ossa et nervos extendentes, et disjungentes et dinumerantes, ligno durissimo affigentes strictissime compresserunt. Et nec sic contenti, crucem in altum elevantes, et nudum frigori, vento et aeri, et populo exhibentes; ponderositas totius corporis et gravitas in manibus pendebat, et in pedibus sustentabatur, ut duritia clavorum amplius sentiretur, et sanguinem sine intermissione clavis in plagis existentibus emitteret, et sic in tormento maximo moreretur, et sic omnis eorum malitia compleretur.

1. Obstinatorum crudelitas.

2. Odium crucifigentium.

3. Blasphemiæ accusantium.

4. Crudelissima tormenta passionis.

Et maxime crucifixionis.

190 Et ut ipse Deus et homo de tam excessivo dolore nobis aliquid manifestaret; et quod non pro se, sed pro nobis illum tolerarit patefaceret, et ut de ipso dolore nos semper dolere, et eviscerosius compati nos instrueret; istis tribus de causis illud verbum clamavit cum in isto dolore esset, dicens: Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? Deus enim derelinquere eum non poterat, cum ipse Deus esset. Sed seipsum hominem manifestavit, cum se derelictum in suis doloribus proclamavit: tunc enim clamando manifestavit superacutissimum dolorem et ineffabilem, quem pro nobis tolerabat: Deus enim dolorem Christi bene sentiebat similiter, quia ipsum portabat, ergo solum pro nobis clamavit, ut summum dolorem, non pro se, sed pro nobis se pati indicaret: et sic ad dolendum et condolendum semper et assidue nos provocaret, et moneret. Et ne quis existimet ipsum solum quando in cruce erat doluisse, ex quo formatio corporis, et ejus organizatio, et animæ infusio, et verbi unio simul et semel fuerunt, ex qua supermirabili unione anima illa repleta fuit summa sapientia et ineffabili, omnia sibi præsentia et futura repræsentavit. Et ideo superacutissimum dolorem et omnino ineffabilem sibi videbat advenire, statim quando formatus est et conceptus: et ideo de hoc continue dolens (divina sapientia dispensante) istum dolorem toleravit ab animæ infusione usque ad animæ separationem: et hoc verba sua testantur cum dicat frequenter se crucem bajulare, et cum dicat discipulis non pro se, sed pro illis et pro nobis crucem se tolerare, et se esse tristem: et ideo: Tristis est anima mea usque ad mortem, hoc dictum est, ut nos ad dolorem super suum dolorem efficacius provocaret.

Quibus de causis clamarit, Deus meus, Deus meus ut quid, *etc.*

1. Ut se hominem manifestaret.

2. Ut nos excitaret.

Ab instanti Incarnationis Christus summum hunc dolorem habuit.

191 Et hic dolor cum omnibus supradictis fuit vehemens et acutus propter nobilissimam animam, quam habebat: quanto enim illa anima erat sanctior, et mitior et nobilior, tanto acutiori et intensiori cruciabatur dolore. Anima enim illa summe nobilissima ex omnibus his injuriis et afflictionibus summo cruciabatur dolore: omnes ii dolores originem trahentes ex illa summa et ineffabili dispensatione deitatis, taliter animam Christi cruciaverunt, quod omnis per se dolor in Christi corpore redundavit, vehementissime ipsum corporaliter affligens. Fuit etiam ille dolor intensior propter nobilitatem et delicationem sui virginei corporis, quod fuit nobilius omni alio nato de muliere: et ideo magis sensitivum, et magis affligebatur ex prædicto dolore. Fuit autem acutissimus dolor in Christo ratione personæ, quia verus Deus erat. Unde et omnis afflicto et injuria sibi illata infinitam offensam continebat: nam non solum homini fiebat, imo etiam Deo vero, propter quod rationem dolendi infinitam habebat: et ineffabiliter dolebat de omni contumelia et afflictione sibi illata.

Dolor intensior.

1. Ob majorem sanctitatem et nobilitatem animæ Christi.

2. Ob delicatiorem complexionem corporis virginei.

3. Ratione personæ, quia verus Deus erat.

192 Et in his omnibus Salvator ipse mundi Deus homo Christus Jesus cum pateretur, non comminabatur, nec maledicebat, nec se defendebat, nec se vindicabat; nec cum accusaretur, se excusabat, nec cum in facie spueretur, ipse non eam obscondebat; nec cum manus et brachia in cruce extenderentur, non ea retrahebat; nec cum ad mortem quæreretur, non se abscondebat; sed totaliter, et omnimode se tradidit voluntati eorum, ut per nequitiam eorum etiam ipsis nolentibus et ingratis opus redemptionis ministraret. Imo (quod est ineffabile cogitare) in ipso pessimo opere passionis, quod in eum innocentem exercebant, ipse exemplum patientiæ præbebat, veritatem eos docebat, pro eis cum lacrymis et fletu, et clamore intentissime Patre morabat. Et pro ipso peccato eorum grandissimo (pro quo omnis mundus, et humana natura perire merito debebat) tunc ipse majora beneficia præstabat, utpote quia ipsomet dolore et passione (quam ipsi ministrabant) ipse pro omnibus nostris doloribus satisfecit, et tunc nos redemit, et portas paradisi crucifixoribus, et omnibus aliis aperuit, et suo Patri reconciliavit: et gratiosos nos effecit in tantum quod filii Dei simus, omnino sibi reconciliati in ipso opere, quo damnabilis erat totus mundus, et omnis creatura, pro eo videlicet quod creatura inventa fuerit in suum creatorem tantam injuriam intulisse. O pietas! o immensa misericordia! o inexcogitabilis benignitas, quod ubi superabundavit infinita iniquitas, ibi superabundaret et gratia, talis ac tanta, quæ vere finem non habet!

Ineffabilis Christi mansuetudo et patientia.

193 Hoc mysterium totum fecit infinita illa benignitas, et misericordia, ut nobis esset exemplum patientiæ in omni tribulatione, et adversitate, et non solum inimicis mala non redderemus, imo etiam eis amore Redemptoris bona conferremus. Si enim aliquis Patriarcha, aut sanctus Propheta, aut Angelus, aut alius sanctus exemplum tale dedisset, certe merito acceptandum fuisset: sed quod sapientia Dei infinita apparuerit inter nos incarnata, et veritas infallibilis (quæ decipi, nec decipere potest) nobis tale exemplum vivendi dederit, cum negligentia nullatenus est transeundum: sed summa diligentia perfectissime adimplendum.

Ejus exemplum sequendum.

194 Scimus, audivimus, tota die dicimus et sermocinamur Dei filium in doloribus, et talibus ac tantis doloribus totam vitam peregisse, nec solum casu fortuito tribulationes contingentes cum patientia toleraverit,

AUCTORE ARNALDO.

leravit, sed ipsas (qui peccatum non fecerat) elegit, spontanee assumpsit, ipsas quæsivit, inventas dilexit, et se ipsis subjecit opere tolerando, et sermone ipsas, et eas tolerantes esse beatos prædicando : nec ipsas afflictiones corporis et animæ propter Deum assumptas, aut cum patientia toleratas sermone otioso laudavit, et beatificavit : imo ipsas in corpore suo, et anima assumpsit, quales nullus alius sustinuit, et se dicit per eas et propter eas gloriam suam et suum regnum intrasse. Et omnino asseruit nulla alia via, nullo alio modo quam per dolores et pœnas et tribulationes gloriam æternam ab aliquo esse possibile adipisci : nam et hæc est vere via regia quam Deus assumpsit. Et stolidissimus est, qui dubitat vel negligit, postquam Dei filius creator noster per eam ivit, quin sequatur Dominum suum infallibilem ductorem, pariter et redemptorem.

Regia via ad vitam, via doloris ac tribulationis.

195 Novit enim ipse, et vere novit, et sciebat, quid boni lateret in doloribus et tribulationibus, propterea ipsas assumpsit, ipsas elegit, delectationes fugiendo, consolationes temporales detestando, et detestabiles prædicando. Et quidem priusquam ipse verus Deus, et homo ipsas in seipso elegisset et assumpsisset, (quamvis per sanctos suos Prophetas hoc idem dudum ostendisset) tamen aliqualiter excusari posse viderentur tribulationes fugientes, et voluptates insectantes. Sed ex quo Dei filius, et tales ac tantas elegit adversitates, quis infelix et stultus erit talis, qui dubitare vel negligere debeat post tantam veritatem tam clare ostensam, tam alte prædicatam, et manifesto opere a tanto Domino exemplatam, et exemplo mundo manifestatam? Vere nullus : nisi sit stolidissimus, et omni damnatione dignus. Quali igitur damnatione et confusione digni sumus nos miserandi, qui vilissimi peccatores existentes, non solum tribulationes ipsas in pœnitentia non assumimus, nec recipere curamus, imo illas, quas Deus ad retrahendum nos, et purgandum a malo, nobis ex sua summa misericordia, et sapientia immittit, aut venire permittit, illas cum impatientia refugimus, repellimus, et murmurando conquerimur, et contra eas cum summo studio nos munimus, et consolationes quærimus et remedia, quibus a tribulationibus sublevemur?

Inexcusabiles sunt, qui tribulationes fugiunt a Deo immissas.

196 O infelices et vere miseri, qui non solum de afflictionibus, et pœnis temporalibus, quæ remedia sunt peccatorum, et curationes non curamus : imo a medico oblata sapientissimo refutamus! Si enim summa Dei sapientia ordinante et disponente modicum frigoris occurrat, statim ignis quæritur, vestes superduplicantur : si æstus vel calor evenerit, refrigerium quæritur : si caput vel stomachum dolemus, clamamus, plangimus, suspiramus, ad medicos currimus, remedia quæruntur, lectus mollis disponitur, delicata adhibentur, et ut mitigentur, Deum et Sanctos infestamus, et intentissime flagitamus, et jejunia, peregrinationes, orationes promittimus et vovemus : et tanta et talia facimus pro talibus doloribus et afflictionibus nobis utilibus, et a Deo ministratis amovendis, quæ pro remissione peccatorum, vel pro bono animæ non faceremus. Si etiam Deo disponente et permittente pro nostra utilitate, ab aliquo homine adversitatem, aut injuriam patiamur; statim turbamur, commovemur, irascimur, conquerimur, malitiosum judicamus, maledicimus, detrahimus, et ut possumus, nos vindicamus, et omnem injuriam repellimus, et molestiam refugimus, et evitamus; nec aliquid doloris vel afflictionis, vel adversitatis, quod nobis ab æterno et cælesti medico administretur, cum patientia et complacentia volumus tolerare.

Nimia sollicitudo hominum in malis corporis et injuriis depellendis.

197 O quot et quanta fiunt et facta sunt, expenduntur, et expensa sunt, ut dolores et afflictiones, et adversitates, quæ Deus misericorditer, aut immittit, aut permittit, vitarentur! quæ tamen proculdubio salubria essent, et magis meritoria, si ut quasi spontaneo assumptæ tolerarentur, quam multæ aliæ afflictiones, et pœnitentiæ, quæ pro libito assumuntur : melius enim novit cælestis medicus, quæ afflictiones et adversitates ad animam purgandam, erudiendam et perficiendam requiruntur, quam ipse infirmus insipiens homo. Tales enim afflictiones et pœnitentiæ pro libito voluntatis quæsitæ et assumptæ, vanæ gloriæ vacant multum! quandoque. Contingentes autem ex dispositione divina, et cum magna patientia et complacentia acceptatæ, occultantur hominibus quasi ex necessitate et coactione voluntatis tolerentur. Dico igitur et consulo filiis, ut frigora, rigores, calores, æstus, pulices, sudores, caumata, capitis, stomachi et alios corporis dolores, salva ejus consistentia toleremus; nec curiosi simus ad remedia quærenda, nisi in summa necessitate, quæ omnino bonum animæ impediret. Idem dico, si Deo disponente, aut permittente, paupertates, amicorum mortes, oppressiones, persecutiones, opprobria, verbera, rapinæ veniant et contingant, non doleamus; imo non solum cum patientia toleremus, sed ipsas tamquam a medico summo et nostro Salvatore nobis electas et administratas amore ejus, et pro nostro summo bono cum magna complacentia acceptemus; tamquam si a nobis ipsis spontanee et voluntarie essent quæsitæ et acceptæ. Et tunc proculdubio tantum, imo magis erunt meritoriæ, quam si (non alias contingentes) nosipsi pro libito voluntatis ad peragendum pœnitentiam acciperemus. O miserabiles quid amplius dicemus? Qui non solum dolores et afflictiones et adversitates nobis a Deo sapientissime et misericorditer, sicut ipse sustinuit, administratas refugimus, imo ad contrarium nitimur? nam die ac nocte voluptates et dulcedines corporales insequimur, consolationes temporales summo studio ac diligentia quærimus, et vana gaudia jugiter meditamur. Vere non est hæc via Dei hominis Jesu Christi omnium Salvatoris. Quomodo enim vadit ad illum, qui est via doloris et exemplum, illa misera anima, quæ in mundo isto semper vult habere consolationem? In veritate anima, quæ sapiens est, et quæ sapienter vult vivere, non debet aliud in mundo isto quærere quam dolorem. Imo si attendat ad dilectum suum Jesum, et haberet scintillam amoris, non deberet quærere aliud lucrum, nec alium statum in isto mundo, nisi illum quem ipse habuit, scilicet doloris et angustiæ, et afflictionis : et hæc esset tota consolatio ejus.

Tribulationes a Deo immissæ magis meritoriæ quam spontaneæ.

198 Et non solum dico in istis terrenis, et temporalibus, et corporalibus rebus, imo etiam dico de spiritualibus : non enim in servitio Dei debemus multum curare de consolationibus quæ ibi inveniuntur. Numquid enim Maria Mater Jesu dilectissima videns dilectum suum filium in cruce plangentem et morientem, petivit tunc ab ipso dulcedinem, aut consolationem? Certe nequaquam; sed angustiam ab eo accepit, amaritudinem, et dolorem. Ita debet esse in anima nostra: signum enim est pauci amoris, imo est magnæ præsumptionis, si anima desiderat a Christo in mundo isto aliud sentire quam dolorem. Plus enim placet Deo servitium pauperis, qui servit sibi fideliter propter amorem sine expensis et beneficio, quam servitium divitis, qui quolibet die facit expensas magnas, et servit sibi sub spe recipiendi spirituale beneficium. Ita anima pinguis et dives ex magna dulcedine, quam degustat de Deo in servitio suo, si cucurrerit ad eum per amorem et servit sibi, non est tanti meriti, quanti est illa, quæ currit ad Deum, et servit sibi similiter, et cum simili amore, sine tamen consolatione, sed cum dolore. Igitur ita videtur mihi, quod doceat me lumen divinum quod venit de vita Christi, quæ est via eundi per dolorem ad Deum, et in Deum, quod per viam, per quam ivit caput nostrum, scilicet Christus Jesus, per illam viam debeant ire manus, brachium, pes et cetera membra. Et sic inveniet anima finaliter per paupertatem temporalem divitias æternales; per despectum et verecundiam, summum honorem et magnitudinem

Non est etiam in spiritualibus a Deo petenda consolatio.

Per afflictiones conformantur membra capiti Christo.

gnitudinem gloriæ; et per modicam pœnitentiam perfectam cum pœna et dolore, possidebit summum bonum cum summa dulcedine, et consolatione : licet anima debeat ipsi Deo servire propter ipsum, quia est dignus in infinitum diligi, et quod sic cum summa reverentia serviatur ei a qualibet creatura propter suam summam et altissimam bonitatem. Cui sit honor et gloria, per infinita sæculorum sæcula, Amen.

Varie Deum benedicit Angela.

199 Sit igitur gloria omnipotenti Deo, cui complacuit nos cum nihil essemus, ad esse producere, et ad suam similitudinem nos creare. Sit honor, virtus et gloria sibi misericordissimo, quia nos cum essemus miseri, captivi, et exules, et damnati, per passionem, dolorem, despectum, et paupertatem sui filii, voluit nos redimere, et exaltare. Sed sit gloria rursus Deo benignissimo et misericordissimo, cui in tantum misericordia et bonitas prævaluit, ut nobis miseris et indignis peccatoribus vellet regnum suum quomodocumque dare, ita quod qualitercumque a nobis posset

Hæc via crucis omnibus pervia est;

adipisci. Sed adhuc sit gloria et laus Deo nostro dulcissimo, cui ex sua pietate complacuit, ut vellet nobis dare regnum suum, et sui societatem et fruitionem, mediante tribulatione, dolore, despectu solum et paupertate. Si enim possemus habere suum regnum cum auro, argento, gemmis, et divitiis, fortitudine, sapientia, viribus, cum non omnes tales simus, ut ista habeamus, non omnium posset esse regnum cælorum: nunc autem sibi complacuit, ut per res quæ ab hominibus et faciliter omni tempore haberi possunt, et quibus abundare possumus, regnum ejus consequeremur. Nullus enim est, qui si velit, non possit esse pauper propter Christum, qui non possit laborare, aut pœnitentiam saltem corde, et despectum sustinere: nam et vitam istam nullus transire sine aliquo istorum potest, quæ saltem cum contingunt, si propter Christum patienter et gratiose tolerentur, regnum Dei

Et paucorum in hac vita annorum.

promerentur. Et adhuc amplius sit Deus benedictus, qui in multa et longa tolerantia istorum non posuit pretium regni sui, sed in brevissima hujus vitæ duratione, quæ vere ut momentum est æternitati sui regni comparata. Et certe si mille millibus annorum, aut longissimorum sæculorum nos prædicta amore Dei et tanti regni, tolerare hic asperrima et durissima et pœnosissima oporteret; vere cum immenso gaudio et desiderio, et gratiarum actionibus utique acceptandum junctis manibus erat; quanto magis nunc ubi a Deo misericordissimo nobis est concessum et indultum, ut solum et tantum in tanta brevitate vitæ nostræ, quæ nunc est, prædicta sustineremus? Vita enim hæc nostra vere nihil est, si æternitati et durationi sui regni, qui sine fine est, compensetur. Sit adhuc gloriosus Deus noster benedictus, qui talem regni sui collocationem et commutationem voluit nobis in sua persona apparendo visibiliter in mundo isto suo verbo promittere, et firmiter stabilire, et suo exemplo con-

Hæc certa sunt ex promissione Christi.

firmare. De cetero enim nullatenus dubitandum est, quin per breves labores et afflictiones et pœnitentias hujus brevis vitæ possumus, et oporteat nos regnum suum obtinere, ex quo ipse nobis immediate hoc promisit, et quod est plus, suo exemplo confirmavit. Tribulationes enim ipse tolerare voluit, et non aliter quam per tolerantiam doloris summi, et paupertatis et despectus, regnum suum voluit possidere.

Parænesis ad patientiam.

200 Venite igitur, venite o filii Dei, currite ad Christi crucem, ad dolorem, despectum, et paupertatem: et transformemini cum totis viribus in istum Deum hominem passionatum, qui tantum nos dilexit (o filii Dei!) quod propter nos tam ignominiosam, et omnino ineffabiliter dolorosam mortem amarissime sustinuit Christus; et hoc solum, ut nos redimeret, et exemplum nobis dura tolerandi amore ejus præberet. Est enim perfectio, et signum verax filiorum, Deum amare, et proximum : et sicut iste Deus et homo passionatus fidelissime et purissime nos dilexit in nullo sui misertus, sed totum seipsum impendens doloribus propter amorem nostrum; ita juxta possibilitatem a suis filiis legitimis omnino vult sibi quodammodo responderi. Nunc ergo o filii Dei scitote, quod iste Deus et homo passionatus continue mihi dicit, ut vos moneam et exhorter, ut ipsi fidelissimo sitis fideles, et etiam sitis proximo amore fidelissimo uniti et copulati. Omnino enim qui fidelis est Deo, fidelis est proximo : quomodo autem et quantum iste Deus et homo passionatus purissime et fidelissime nos dilexit, per suam conversationem, et per suam doctrinam, et per suam mortem nobis apertissime demonstravit.

AUCTORE ARNALDO.

B. Angela a Deo monita viam hanc crucis sæpius inculcat.

201 Sed quoniam infideles sumus, ideo ejus pro nobis ortum pauperrimum et despectissimum, nec ejus mortem dolorosissimam, nec ejus conversationem durissimam, nec ejus doctrinam dulcissimam et verissimam, vive et continue non videmus. Et quoniam hæc prædicta divinissima et saluberrima cordialiter non cernimus, propterea ejus mors, quamvis sit pauperrima, humillima, despectissima, tamen non facit nos mortuos mundo, nec peccatis. Et quis est homo qui huic fidelitati fidelissimæ et divinissimæ, quam nobis ostendit Dei filius, etiam parvissima fide viva et continua respondeat? Imo hoc quasi non factum, post tergum projecimus. Venite igitur filii mei benedicti, et respicite istam crucem, et Christum in ea pro nostris iniquitatibus mortuum, mecum plangite : quia nos sumus, et fuimus causa tanti doloris propter innumerabilia scelera nostra. Vos vero qui non ita sicut ego, quæ tota sum peccatum, Deum offendistis, non minus plangatis, nec doleatis, quia vosipsi non restitistis peccatis, sed gratia Dei vos conservavit et defendit meritis crucis Christi; et ideo vobis sanctis et innocentibus non minus dolendum est in illo statu, quam mihi peccatrici et mei similibus. Quanto enim majorem gratiam recepistis, tanto magis debitores ei estis : et ideo, quia ei grati non fuistis, ut debuistis, aliqualiter vitam vestram maculastis, et aliqualiter puritatem vestram amisistis, et ideo omnibus est dolendum, omnibus plangendum, et in istam crucem mentis oculos erigendum. In isto enim crucis aspectu, ad quem anima non nisi per orationem continuam potest attendere, (ut dictum est) recipitur plene cognitio peccatorum, et dolor et contritio de eisdem, et lumen profunde humiliatur. Anima enim videndo in isto crucis aspectu omnia peccata sua et singula, et Christum pro omnibus et singulis peccatis ita passionatum et afflictum, dolet similiter et ipsa, et contristatur, et ex tali dolore ad puniendum, et reformandum se, et singula membra, et spiritus provocatur.

Omnibus de Christi morte dolendum, peccatoribus et justis.

Per continuum crucis aspectum recipitur peccatorum cognitio.

202 Respicite igitur filii Dei benedicti, et videte exemplar vitæ in isto Deo homine passionato, et ex eo formam trahite divinæ perfectionis. Respicite librum vitæ, scilicet vitam et mortem istius Dei et hominis crucifixi, cujus passionis, et crucis aspectus dat animæ cognitionem peccatorum, et cordis contritionem, et profundam humilitatem. Videt etiam anima et cognoscit peccatorum multitudinem, et quomodo cum omnibus membris Deum offendit : videt etiam super se divinæ miserationis eviscerationem ineffabilem; scilicet quomodo iste Deus homo pro peccatis singulorum nostrorum membrorum pœnam sustinuit crudelissimam in membris singulis corporis sui benedicti. Considerat itaque anima in ista cruce quantum et quomodo cum capite Deum offendit, scilicet lavando, pectinando, ungendo, et cetera vana faciendo, ut hominibus placeret contra Deum : et postea intuetur quomodo iste Deus et homo pro peccatis hujusmodi in suo capite pœnitentiam pro hoc fecerat, et pœnam gravem sustinuit : nam pro lotura, pectinatura, unctura, tortura, suum sanctissimum caput fuit capillis depilatum, spinea corona punctum et perforatum, arundine percussum, et totum suo pretioso sanguine cruentatum. Similiter videt de aliis membris, sicut diximus in quadam visione, quod ipsemet Deus et homo in quadam allocutione quasi contra

Ad aspectum Crucis hortatur Angela.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

AUCTORE ARNALDO.

tra nos murmurando et conquerendo deducit per omnia membra. Et non solum videt peccatorum multitudinem, sed omnia membra, imo etiam eorum gravitatem. Infinita enim gravitas cujuslibet peccati manifesta ostenditur; cum anima crucem aspiciendo attendit et cognoscit, quod aliter culpa illa deleri non potuerit, nec offensa remitti, nec pœna, nisi Deus pœnitentiam talem et tantam pro hoc fecerit, quod est ineffabile cogitare.

Christus morte sua satisfecit justitiæ divinæ pro peccatis nostris.

203 Videt etiam anima in hoc libro clarius, quam in alio quocumque divinam justitiam; qualiter est impossibile quod peccatum remaneat impunitum. Et videt, quod Deus Pater ante voluit, quod filius suus mortis pœnam, et tormenta crucis sustineret, quam quod peccata generis humani remanerent impunita. Videt etiam infinitam bonitatem et pietatem Dei in isto libro, qualiter in tantum nobis compassus est, ut cum videret quod nos sufficienter satisfacere non poteramus pro peccatis nostris, nec alia creatura, ipsemet antequam remaneremus in damnatione et despectu, et dolore perpetuo, ipse voluit pro nobis satisfacere. Videt enim ibi infinitam voluntatem Dei, et infinitam diligentiam, et curam, quam habuit ad nos salvandum, et ad patriam nostram reducendum, ut nihil fuerit sibi grave facere usque ad talem mortem, dum tamen posset nos juste ponere in æterna jucunditate, et sua felicissima societate.

Sapientia Dei in hac satisfactione.

204 Videt etiam ibi infinitam sapientiam; ut scilicet per modum ineffabilem et incogitabilem omni creaturæ, sic scivit facere ut nos salvaret et exaltaret per suam misericordiam infinitam, nullam injuriam suæ justitiæ faciendo. Sic scivit nos exaltare, et salvare per mortem suam, ut in sua natura divina nihil minueret. Sic scivit facere, ut sicut seductor et homicida nostri generis, per lignum vetitum nos damnavit, sic ipse verus Deus et homo in ligno convinceret et nos salvaret. Sic scivit facere ut dum mori, et deficere crederetur, ipse tunc omnia vivificaret, et mortem omnium destrueret, et per tormenta, dolores et despectum, delicias, gaudia, et gloriam toti mundo pararet, et mereretur sempiternam gloriam. Sic scivit facere, ut per tormentum crucis, quod hominibus videtur res stultissima, totam mundi sapientiam confunderet, et per talem stultitiam, divinam sapientiam manifestaret. Omnia autem hæc manifestantur in cruce subtiliter consideranti mediante gratia Dei; et alia infinita, quæ sunt ineffabilia.

Mansuetudo Dei in cruce videtur, et humilitas, etc.

205 Item videt ibi anima in isto libro infinitam Dei mansuetudinem, qualiter cum interficeretur non maledixit, nec se vindicavit, sed per peccatum et injurium grandissimam in eum commissam, ipsis committentibus et crucifigentibus gloriam meruit sempiternam. Videt etiam anima in cruce infinitam humilitatem Dei, quæ major esse non potest, quam Regem gloriæ mortem tam vilem tolerare. Videt qualiter tormentum crucis, simul fuit et ereptio, et redemptio de inferno, et Paradisi acquisitio, Patris reconciliatio; similiter etiam fuit nostrum exemplum, et eruditio ad virtutem, firmamentum contra hostes, et pretium gaudii sempiterni, quo nos miseri possumus salvari, nec aliqua alia via est nobis possibilis ullo modo. Infinita autem sunt quæ in hoc benedicto libro legi possunt, quia verus est liber vitæ et veritatis ineffabilis Dominus noster Jesus Christus Dei omnipotentis filius benedictus, cui honor sit et gloria in sæculorum sæcula, Amen.

CAPUT XVII.

De oratione monita B. Angelæ.

c. 62. Ad cognitionem Dei oratio necessaria.

Quia igitur cognitio Dei increati nec Dei hominis passionati, quæ omnino necessaria est ad transformandum mentem in ejus amorem, nullatenus haberi potest, nisi assidue legatur in prædicto libro vitæ, in vita scilicet, et in morte Jesu Christi; talis autem lectio seu intelligentia nullo modo haberi possit sine devota, pura, humili, violenta, attenta, et assidua oratione, quæ oratio non solum sit oris, sed cordis et mentis, et omnium potentiarum animæ; ideo post prædicta de libro vitæ, aliquid dicendum est de oratione.

Oratio est triplex.

207 Oratio est cum qua et in qua invenitur Dominus. Est autem triplex oratio, extra quam triplicem non invenitur Deus. Est enim oratio * corporalis, mentalis, et supernaturalis. Corporalis est continue cum sono verborum et exercitio corporali, ut genuflexionibus, vel aliis inclinationibus. Et hanc ego numquam dimitto, quia enim quandoque volebam me exercere in mentali, et aliquando decipiebar et impetebar a pigritia et a somno, et sic perdebam ipsam, ideo exerceo me in oratione corporali. Hæc autem corporalis mittit ad mentalem. Quæ quidem fieri debet cum attentione, ut cum dicis, Pater noster, consideres, quid dicis, nec curras contendens complere numerum certum, sicut mulierculæ, quæ aliqua opera faciunt ad pretium. Mentalis autem oratio est, quando Dei meditatio ita occupat mentem, quod nihil aliud cogitat, quam Deum : et si alia aliqua cogitatio intrat mentem, non voco hanc orationem mentalem. Ista autem oratio præscindit linguam, ita quod non potest loqui, taliter enim et tantum mens est plena Deo, quod circa nihil aliud potest occupari cogitando, nisi circa Deum, et ideo ex hac mentali venitur ad supernaturalem. Supernaturalis vero est illa, quando anima ex ista Dei cogitatione, et repletione tantum elevatur, quod supra suam naturam extenditur, et comprehendit de Deo plusquam per naturam suam comprehendere possit, et comprehendendo cognoscit, et illud, quod cognoscit, non potest explicare, quia quasi totum, quod videt et sentit, est supra naturam. In his ergo gradibus tribus orationum cognoscit quis se et Deum, et ex quo cognoscit, amat Deum : et ex quo amat, desiderat eum habere, quem amat : et hoc est signum veri amoris, quod qui amat, non sicut partem, sed totum se transformat in amatum.

* MS. vocalis.

Corporalis oratio.

Mentalis oratio.

Supernaturalis oratio.

208 Quia vero hæc transformatio non est continua, nec durat, capit anima omne studium inquirendi omnes modos, quibus possit transformari in suum amatum, et iterum redeat in illam unionem. Divina autem sapientia est ordinatissima, et cunctis rebus suum imposuit ordinem, et ordinavit sapientia ineffabilis, ut nullus perveniat ad orationem mentalem, nisi prius habeat orationem corporalem : et ordinavit nulli dare supernaturalem, nisi habeat corporalem et mentalem. Et vult ista sapientia ordinatissima orationes horarum ad horam illi orationi congruam sibi reddi, nisi omnino fuerint tanta orationis mentalis, vel supernaturalis superveniente lætitia impeditæ, quod lingua omnino absorbeatur ab illa, vel nisi ex tanta infirmitate sint gravati, quod omnino non possint; et etiam vult sibi reddi juxta possibilitatem et ut exsolvantur cum quiete mentali (ut expedit) solitudine et sollicitudine corporali.

Ordo in oratione necessarius.

209 Cum oramus etiam vult ut integre oremus, et non divisim : cor igitur nostrum in oratione integrum habeamus, et non divisum : quia si divisum cor habemus, fructum veræ orationis amittimus. In aliis vero exercitiis, quæ agimus, integri esse non debemus, eis scilicet, in comedendo et bibendo, et alia talia negotia faciendo, sed dum talia negotia interius operamur, cor integrum in Deo habeamus, si fructum veræ orationis sentire desideramus, nam ideo in oratione tentamur, quia cor integrum in Deo non habemus. Ora igitur, et assidue ora : quanto enim plus orabis, tanto magis illuminaberis, et tanto profundius, clarius et nobilius summum bonum et rem summe bonam videbis : et quanto profundius et excellentius illud videbis, tanto plus amabis; et quanto eam plus amabis, tanto te plus delectabis, et tanto magis comprehendes illam, et tu capacior fies ad comprehendendum : postea venies ad plenitudinem

Oratio sit integra non divisa.

Assidua oratio sit.

nem luminis : cognosces enim quæ ante cognoscere non poteras.

Christus docet nos orare.

210 Hujus autem gloriosæ orationis exemplum habemus et doctrinam, et formam, quod summe in ea perseveremus, ab ipso Dei Filio, Deo homine Jesu Christo, qui nos orare docuit verbo et opere multipliciter : nam verbis suis admonuit nos orare, cum discipulis suis dixit : Vigilate et orate, ne intretis in tentationem. Et in aliis multis locis in Evangelio invenies, quomodo de ista venerabili oratione multipliciter nos instruit, et omnibus innuit illam sibi multum esse carissimam, cum de ea totiens nos admonuit : tamquam nos vere diligens, et magnum bonum nobis optans. Et ut nulla nobis excusatio remaneret si gratiam suam non conferret, ex quo effectum exauditionis in nostra oratione posuit, dicens : Petite et accipietis; voluit et ipse orare, ut saltem suo exemplo moti et tracti, hanc præ omnibus amaremus. Ait enim Evangelista : Cum prolixius oraret, factus est sudor ejus, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram. Pone hoc speculum ante oculos tuos, et stude te cum toto te, de exemplo istius orationis habere, quia ipse non pro se, sed pro te oravit, et dixit : Pater si fieri potest, transeat a me calix iste, verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat. Vide ergo quod Christus orando suam voluntatem submisit voluntati patris, fac et tu secundum exemplar suum. Oravit etiam cum ait : Pater in manus tuas commendo spiritum meum. Quid plura? tota vita sua oratio fuit, quia in continua Dei oratione, cognitione, et manifestatione sui permansit. Numquid et Christus frustra oravit? quare et tu negligis, cum sine oratione nihil haberi possit? Ex quo igitur Christus oravit, homo et verus Deus non pro se, sed ut tu veræ orationis exemplum sumeres; si ab eo vis aliquid, de necessitate oportet quod ores, quia sine oratione obtinere non poteris. Si enim ipse verus Deus non nisi orando, et humiliter postulando, quæ placuerunt sibi, recipere voluit ; tu misera creatura sine supplicatione et humiliatione recipere vis? Igitur ora.

Promittit fructus orationis uberrimos.

Ipse orat assidue.

Oratione impetrantur lumen et virtutes divinæ.

211 Nosti fili quod sine divino lumine et gratia nullus homo salvatur. Divinum enim lumen facit hominem incipere, proficere, et ad apicem perfectionis adduci : et ideo si vis incipere et habere istud divinum lumen, ora : si proficere incepisti, et lumen prædictum vis in te augmentari, ora ; si ad apicem perfectionis advenisti, et superilluminari vis, ut possis in ea permanere, ora : si vis fidem, ora : si vis spem, ora : si vis caritatem, ora : si vis amorem paupertatis, ora : si vis obedientiam, ora : si vis castitatem, ora : si vis aliquam virtutem, ora. Orabis autem isto modo, legendo scilicet in libro vitæ, id est, in vita Dei et hominis Jesu Christi, quæ fuit paupertas, dolor, despectus et obedientia vera. Et postquam intraveris istam viam, et profeceris, tribulationes multæ et tentationes carnis, mundi, et dæmonum te affligent multipliciter, et molestabunt, et horribiliter persequentur, et si vis vincere, ora. Quando autem anima vult orare, oportet quod conetur habere munditiam mentalem cum munditia corporali, et rimetur bona et mala, et quærat intentionem bonorum, quæ fecit in jejuniis, in orationibus, et lacrymis ; et de omnibus aliis bonis, quæ fecit, considerando quomodo opus Dei egit negligenter et diminute, et sine reverentia, et cum defectu ; mala autem cum magna diligentia et contemptu : et confiteatur peccatum suum et recognoscat diligenter, et pœniteat abundanter : et in ista confessione et cordis contritione anima inveniet munditiam, et sic vadat ad orationem, sicut ille publicanus, et non sicut Pharisæus ; et sic in oratione illuminaberis. Qui igitur volunt esse ordinati a Spiritu sancto, orent : descendit enim ipse super Apostolos in die Pentecostes, non nisi super eos orantes.

Oratione tentationes superantur.

Oraturo procuranda est mundities.

212 Ora igitur, et custodi te, ne des locum inimicis continue te observantibus : tunc autem dabis locum inimicis, quando desines orare. Et quanto plus tentaberis, tanto magis in oratione persevera. Ratione enim orationis quandoque accidit tentari, utpote dæmonibus orationem impedire conantibus : sed non cures nisi quod ores, quia continue mereris a tentationibus liberari. Oratione enim illuminaris, oratione a tentationibus liberaris, oratione mundaris, oratione cum Deo uniris. Oratio nihil aliud est, quam manifestatio Dei et sui. Et ista talis manifestatio scilicet Dei et sui est perfecta et vera humiliatio : nam status humilitatis est, quando anima videt Deum et se, sicut oportet ; tunc enim est anima in profunda humilitate et ex ista profunda humilitate magis divina gratia infunditur in anima et ibi crescit, quanto enim divina gratia magis animam in humilitate profundat, tanto magis ex ista profundatione humilitatis, ipsa divina gratia crescit ; et quanto divina gratia crescit, tanto magis anima in vera humilitate profundatur, et jacet per continuationem veræ orationis, et sic augmentatur in anima divinum lumen, et gratia semper animam in vera humilitate profundat, legendo sicut dictum est, et meditando in ista vita Dei hominis. Cognoscere enim Dei magnitudinem, et se esse nihil, hæc est perfectio hominis : qualiter autem fiat, per aspectum istius libri dictum est supra. Igitur, fili mi omnem pigritiam et negligentiam a te penitus repelles.

AUCTORE ARNALDO.

Oratio humilis gratiam Dei uberiorem impetrat.

213 Desidero enim fili mi, et te exhortor, quod non minus ores, non minus vigiles, non minus alia bona opera facias, quando subtracta erit tibi gratia et fervor devotionis, quam alio tempore, quo fervoris gratiam obtinebas. Multum enim acceptum est Deo, si cum fervore gratiæ divinæ ores, vigiles, et labores et alia bona opera facias. Sed tunc, fili mi, est omnino gratissimum Deo et acceptissimum sacrificium quando in subtractione gratiæ et fervoris, orationem non dimittis, nec minus ores, nec minus vigiles, illa eadem operare sine gratia fervoris, et cum illius gratia. Unde, fili mi, si divinus fervor et calor te impellit et cogit aliquando ad vigilandum et orandum et laborandum, coneris et tu, dum ignem habes. Quando vero ipsi Deo placet subtrahere tibi fervorem et calorem sive propter tuum defectum (ut plurimum) sive ut gratiam suam in te magis ampliet, et augmentet, non minus orare, vel vigilare, vel bono operi insistere debes : et etiam si tentatio seu tribulatio, qua punire et purgare habet Dei filios, tibi adveniat, et tibi subtrahatur gratia fervoris, coneris tunc non minus orare, non minus vigilare, nec minus bono operi insistere, nec minus contra tentationes resistere et pugnare, ut possis vincere, ut saltem tua omnimoda et continua oratione, tuis vigiliis, tuis lacrymis, tua omnimoda importunitate cogas teipsum, ut Deus sic dignetur tibi reddere fervorem et calorem suæ gratiæ, facias tu quod tuum est, fili mi ; et quod suum est bene faciet Deus. Oratio enim forsata et coacta, et exacta, est multum Deo acceptissima. Sic igitur in orationibus persevera, et non impleas te alia occupatione ex quo incipis sentire de Deo plenius solito, quia palatum tuum est magis dispositum ad saporandum de Deo, quam fuerat ante, et est sibi datum unum lumen altissimum videndi Deum et seipsum. Et cave quod nulli des teipsum, nisi prius addiscas ab aliis separare teipsum, et cave tibi a fervoribus tuis, id est, a spiritu, qui datur cum fervore, antequam sequaris ruinam : et vide quod primum, medium, et finis sequatur : et in quantum assimilatur libri vitæ, in tantum sequaris et non plus. Iterum cave tibi ab iis, qui habent dulcia verba et reddunt se placabiles specialiter in suis locutionibus, et ostendunt revelationes, quæ sunt laquei malignitatis ad trahendos alios post se. Iterum cave tibi ab iis, qui habent speciem sanctitatis, et habent speciem bonorum operum, quod per istam viam te non trahant. Unde vide et revide, et proba, et quantum similatur viæ libri vitæ, in tantum sequaris, et non plus.

In gratiæ subtractione est magis orandum.

214 Et

AUCTORE ARNALDO. *A spiritu libertatis cavendum.*

214 Et cave tibi ab his qui se dicunt habere spiritum libertatis, qui sunt aperte contra vitam Christi, qui sub lege factus est, cum esset conditor legis. Et qui erat liber factus est servus : et ideo necesse est iis, qui volunt sequi Christum, quod conforment se vitæ Christi, non quærendo libertatem in solvendo legem et præcepta divina, sicut faciunt multi ; sed subjiciendo se legi, et præceptis divinis, et etiam consiliis. Et faciunt sibi unum circulum, qui circulus dat eis ordinem, scilicet Spiritus sanctus dat eis ordinem, qualiter debeant vivere, et ligat eos ; et multa essent eis licita ad faciendum, quæ non sunt contra Deum, quæ Spiritus sanctus non sinit eos facere propter multam ordinationem, quam dat eis.

CAPUT XVIII.

De virtute humilitatis monita.

c. 63. *Christus exemplar humilitatis.*

Sine humilitate vana est oratio, ideo post orationem summe est homini necessaria. Respicite igitur filii Dei benedicti humilitatis exemplar in Deo homine passionato, et ex hoc formam trahite omnis perfectionis. Videte vitam, attendite doctrinam, non verbalem, sed veris operibus demonstratam, et miris virtutibus roboratam. Toto igitur mentis affectu post ipsum currite, qui cum in forma Dei esset, seipsum exinanivit, formam servi accipiens, et humiliavit se, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Ipse namque se nobis posuit humilitatis exemplum cum mentis affectu ; et hortatur nos sedule respicere in ipsum, ita dicens : Discite a me quia mitis sum, et humilis corde.

Solum a se humilitatem disci voluit.

216 O filii mei attendite et videte, et alta et sapida consideratione inspicite profunditatem et utilitatem istius doctrinæ, sublimitatem et valorem istius instructionis, ubi radicata sit, ubi fundata sit. Discite, inquit, a me, non ab Angelis, non ab Apostolis, sed a me, inquit, cujus humilitas tanto major, quanto majestas mea sublimior. Discite, inquit, a me, non dixit, jejunare quamvis ipse ad exemplum nostrum quadraginta diebus et noctibus jejunaverit ; nec dixit : Discite mundum spernere, nec in paupertate vivere, quamvis ipse in maxima paupertate vixerit, et in ea vivere suos discipulos mandaverit ; nec dixit : Discite a me quomodo cælum feci ; nec dixit : Discite a me miracula facere, quamvis ipse ex propria potentia miracula faceret, et suos discipulos in nomine suo miracula facere voluisset ; nec alia hujusmodi ; sed solum hoc : Quia mitis sum, et humilis corde : quasi dicat, si non facto et opere vobis humilitatis exemplum monstraverim, nolite credere mihi. Et mirum in modum, quod et iterum nobis de hac materia exemplum proposuit, et ad exemplum suæ humilitatis nos omnino facere et attendere provocavit. Cum enim pedes discipulorum manibus propriis lavisset, ait : Scitis quid fecerim ? Si ergo ego lavi pedes vestros Dominus et magister, et vos debetis alter alterius lavare pedes ; exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita et vos faciatis. Amen dico vobis non est servus major domino. Si hæc, inquit, scitis, beati eritis, si feceritis ea. Vere Salvator mundi humilitatem et cordis mansuetudinem pro fundamento et radice posuit omnium virtutum. Quia nec abstinentia nec jejunii asperitas, nec paupertas, nec vilitas vestimenti, nec virtuosa in apparentia habere opera, nec miracula facere, aliquid est sine cordis humilitate. Tunc autem benedicta et grata erit abstinentia, benedicta asperitas, et vilitas vestimenti, et viva erunt opera et stabilia, quando in hoc fundamento subsistent. Ista cordis humilitas mater est, et in qua generantur et procedunt aliæ virtutes, et ipsarum virtutum operationes, sicut stipitem et ramos procedere cernimus a radice. Quia igitur tam pretiosa est ista virtus, et tam firmum et stabile fundamentum, supra quod consurgit tota perfectio vitæ spiritualis, ideo hanc præcipue voluit Dominus ab eo discere nos debere. Et quia radix custosque est omnium virtutum, ideoque quasi aliarum virtutum in sua anima, et etiam in suo corpore existentium oblita fuerit Virgo Maria, de hac sola se commendavit, et propter hanc præcipue de se Deum humanatum asseruit dicens : Quia respexit humilitatem ancillæ suæ : ecce enim, inquit, ex hoc, et non ex aliis, beatam me dicent omnes generationes.

Humilitas fundamentum omnium virtutum.

B. Virgo Maria studiosissima humilitatis.

217 In hac humilitate, vos o filioli mei, fundare debetis, et omnimodo stabilire, ut tamquam membra unita conjunctaque capiti connexione naturali et vera in ipso et per ipsum invenire possitis vestris requiem animabus. O filioli mei, in quo requiem sive pacem creatura aliqua poterit invenire, nisi in eo qui est summa requies, summa pax, summa pacificatio, summa tranquillitas animorum ? Ad quam nulla anima pervenire poterit, nisi fundata fuerit in ista humilitate, sine qua omnes virtutes quibus ad Deum curritur, sunt vere nihil. Ista enim cordis humilitas quam vos habere et discere voluit Deus homo, est lumen quoddam mirificum, atque clarum, quo intellectus animæ aperitur ad cognoscendum suam vilitatem, et nihilitatem, et divinæ bonitatis immensitatem. Cujus bonitatis magnitudinem quanto magis cognoverit, tanto magis proficiet in cognotione sui ipsius. Videndo autem et cognoscendo senihil, et omnibus ex se bonis inopem, tunc magis assurgit ad laudandam et deprædicandam divinæ bonitatis ineffabilitatem, quam per istam humilitatem videt, et intelligit, et inde incipiunt gratiæ ad eam Dei defluere, et oriri virtutes.

Animæ pax humilitate comparatur.

Humilitas est lumen ad cognitionem Dei et sui.

Humilitas accendit in amorem Dei et proximi.

218 Major enim et principalior omnium virtutum est dilectio Dei et proximi, et ab hoc lumine hæc dilectio trahit originem, sive ortum, qua anima videndo se nihil, et Deum pro tam vili nihilo inclinatum et vilificatum, et etiam suæ nihilitati tam viscerose unitum, accenditur in amorem ; et accensa ipso amore transformatur in Deum ; in quem transformata per amorem, et quæ creatura est quam non diligat juxta posse ? Amore enim creatoris omnem creaturam ab eo creatam, ut sic transformata est, diligit sicut decet, quia in omni creatura Deum intelligit, et videt qualiter a Deo amatur : et consequenter sic transformata amat omne id, quod Deus diligit. Et hinc est, quod de bonis proximi gaudet et lætatur, et in malis ejus dolet et tristatur. Et quia benigna est videndo mala proximi, non inflatur ad ipsum judicandum, et despiciendum, quia illuminata lumine prædicto videt se perfecte, et videndo se, intuetur et cognoscit se in similibus malis vel majoribus, quæ in proximo videt, cecidisse. Quod si non cecidit, cognoscit et intelligit se per se non potuisse resistere, sed auxilio gratiæ ipsam manu tenentis, et eam contra malum et tentationem confortantis, vel tentationem alleviantis : et ideo nullum judicat, sed ex hoc magis humiliatur, quia videndo defectus proximi ad se revertitur, et sic videt, et considerat clarissime mala, et defectus, in quos cecidit ; vel si non cecidit, quod, nisi teneretur a Deo, facilius quam proximus cadere potuisset. Corporalia vero mala, si videt in proximo per affectum amoris transformatum reputat esse sua, et dolet et compatitur, sicut Apostolus dicebat : Quis infirmatur, etc.

Humilitas fidei, spei, etc., fundamentum.

219 Et sicut dixi de ista virtute dilectionis quod originem a radice humilitatis trahit, sic potest dici de fide, de spe, et de virtutibus singulis secundum proprietates ipsarum, quod habent initium atque ortum ab hoc humilitatis fundamento, de quibus per singula longum esset discutere. Videns enim se in intellectu nihil esse et deficere a divinis, credit eis quæ traduntur secundum fidem nostram. Videns etiam per humilitatem se nihil posse, nec se potentem in aliquo, tunc omnino spem ponit in Deo omnipotenti, et sic de aliis, quæ melius per vos docente unctione poteritis

cogitare

cogitare et videre, quam si scripto traderentur. Hoc igitur filioli vobis tantum dico, ut in hoc fundamento stetis, et in hoc fundemini, et in hoc crescere studeatis. Vere enim qui est in humilitate fundatus, habet conversationem Angelicam, purissimam, benignissimam, et pacificam. Et quia hæc pretiosa virtus humilitatis benignum animum facit, ideo homo humilis, omnibus appretiabilis efficitur, et omnibus amorosus, et præcipue electis Dei, quibus convertendis ponitur in lumen et in exemplum, qui propter hanc mansuetudinem citius convertuntur. Et quia pacificatus est pacificatione interna, nulla adversitate turbatur, et potest dicere veraciter cum Apostolo : Quis nos separabit a caritate Christi? etc. O filii mei ab hac inquisitione non quiescatis, donec inveniatis hoc fundamentum, sine quo ruit omnis operatio, et sine quo in via Dei proficere non valetis. Nam istam inquisitionem video vobis utilissimam, et maxime necessariam, quia sine ista humilitate omnes virtutes video nihil esse. Complete filii mei desiderium Regis æterni Domini nostri Jesu Christi, qui vos ita obnixe rogavit, ut hanc virtutem ab eo addisceretis. In hoc fundamento stetis, et in hac profunditate cognitionis vestræ vilitatis et nihilitatis profundemini. Complete desiderium æternæ veritatis et sapientiæ, quæ valorem humilitatis abscondit a sæculi sapientibus, et non revelavit, imo prædicavit, et exemplo ostendit parvulis. Hoc est desiderium meum quo vehementer sitio et famesco, ut in profunditate vestræ nihilitatis et immensitate divinæ bonitatis abyssemini. Si enim in immensitate divinæ bonitatis, et vestræ cognitionis vos firmetis, tunc necessarium est, quod pro fundamento solam humilitatem habebitis, quam prædixi : et tunc ad lites et contentiones non eritis ita proni, sed potius eritis cum isto Deo homine passionnato, sicut surdi non audientes, et sicut muti qui aperire nequeunt ora sua, et ita eritis veracia membra Jesu Christi, quorum consuetudo est secundum Apostolum, non contentionibus, nec carnalibus æmulationibus deservire.

Humilis aliis gratus.

Secum pacificus.

Lites et contentiones evitat.

220 O quanta bona facit ista humilitas! quæ se repletos facit pacificos et quietos, Deo gratos, et gratiis plenos : nam tales ita sunt pacifici ex quietatione interiori exterius, ut cum dura audiunt, vel contra ipsos, vel forte contra aliquam veritatem, ad se excusandos respondere nequeunt, nisi breviter, et submisse, et ad id quod false aliquando eis imponitur, vel dicitur ; potius suam ignorantiam confitentur, et sunt parati cedere, magis quam contentionibus deservire. Hanc autem taciturnitatem non video ab alia radice procedere, quam ab hac duplici inabyssatione divinæ scilicet immensitatis, et suæ propriæ vilitatis, quam inabyssationem anima invenit in lumine prædictæ humilitatis.

Bona orta ex humilitate.

221 Sed ubi quæso ista humilitas? ubi ista utilitas? ubi id lumen? ubi hæc taciturnitas invenitur? aut per quam viam ad hæc, quæ prædixi, venitur? Nempe in oratione ferventi, pura et continua, et cordiali, hæc omnia inveniuntur : et ex aspectu libri vitæ Jesu Christi, vitæ scilicet ejus et mortis compassionem aspiciendo, animæ datur cognitio peccatorum, et videndo multitudinem peccatorum : quomodo cum membris suis omnibus Deum offendit, et ex hoc anima humiliatur, sicut supra ostensum est. O igitur carissimi animæ meæ, desidero de vobis, quod et de me, ut semper idem sapiatis, et non sint in vobis schismata, nec dissensiones. Illud autem, quod et omnes discordes facit in unum consentire, desidero, quod scit anima vestra. Hoc autem est : Esse parvulum, et hoc esse parvulum non facit respicere ad aliquam sufficientiam scientiæ, nec sensus naturalis, sed solum inclinat animam ad videndum defectus suos, et miserias, et contra seipsum movet quæstiones et inquisitiones, et disputationes, ut conveniat defectus suos, et eos emendare conetur. Hoc etiam esse parvulum, nulli præeminere nec præesse suggerit, nec facit hominem onerosum, nec contentiosum in verbis, quamvis vita sua omnes ferat, et faciat huic parvulitati contrarios, et hoc est quod desidero, (o nati mei) quod vita vestra, etiam lingua tacente, in via istius parvulitatis, et zeli, et discretæ compassionis sit clarum speculum adversariis veritatis. O carissimi si audirem de vobis, quod esse parvulum fecisset vos unum cor, et animam unam, tranquillaretur anima mea super vobis : sine enim unitate non video in veritate, quod possitis bene placere Deo. Parcite filii superbiæ meæ, quod ad virtutem humilitatis vos ausa fuerim provocare, quia zelus et vestra caritas facit me loqui.

Vera humilitas acquiritur oratione, et meditatione vitæ Christi.

Esse parvulum tollit lites.

CAPUT XIX.

De virtute caritatis.

Caritas et dilectio Dei est maxima omnium virtutum, et nec sine hac valet oratio, imo sine ea, vana est et Deo ingrata, et ceteræ virtutes sine omni fructu. Quod autem oratio sine ea nullius sit momenti, audi librum vitæ Christum Jesum dicentem : Si offers munus tuum super altare, et recordatus fueris, quod frater tuus habet aliquid adversum te, vade prius reconciliari fratri tuo. Nihil igitur valet orationis munus, nisi offeratur in vinculo caritatis. Item ait, cum in oratione Dominica dimissio peccatorum et debitorum postulatur: Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus, etc. quasi dicat : Sic dimittentur vobis debita supplicationum in oratione, qualiter vos remiseritis fratribus vestris injurias et offensas vobis factas indulgendo, et vos posueritis in statu unitissimæ caritatis.

c. 64 Oratio sine caritate Deo ingrata.

223 Scitote autem filii, quod in amore sicut concluditur omne bonum et meritum, ita etiam omne malum demeritum et peccatum. Unde, filii carissimi, nihil est in hoc mundo, nec homo, nec diabolus, nec aliqua res, quam tantum habeam suspectam, quantum amorem, quia amor penetrat animam plus quam aliud, nec est aliquid, quod ita occupet mentem, et cor totum penetret, sicut amor : et nisi habeantur arma, quibus regatur, leviter præcipitatur anima in millia pericula, et patitur magnam ruinam. Et hoc non dico de malo amore, quia malus amor debet ab omnibus caveri et refutari tamquam res diabolica et periculosa : sed dico de bono amore spirituali, qui est inter Deum et animam, et proximum et proximum. Quod autem amor, qui est inter Deum et animam, debeat esse suspectus omni animæ, apparet: quia amor, quem habet anima ad Deum, nisi sit armatus cum magna scientia et discretione, sed cum fervore indiscreto sumatur, aut cito deficit, aut decipitur, aut in inconvenientem finem vadit: quæ enim inordinate sumuntur, bene nec salubriter continuari non possunt. Multi enim sunt, qui credunt stare in amore Dei, et stant in odio Dei, et in amore carnis, mundi, et diaboli. Unde quando aliquis amat Deum, ut custodiat eum ab infirmitatibus et tribulationibus corporalibus, et temporalibus periculis, amat se et Deum inordinate, Deum postponendo, qui ante omnia et amari debuit, et omnia propter ipsum, et quia de corpore suo, et de se fecit suum Deum, ex quo Deum non diligit nisi propter se. Item talis, qui sic se diligit, omnia alia diligit propter se; diligit enim res temporales propter utilitatem corporis sui, quod sibi Deum statuit. Amat enim consanguineos suos propter utilitatem suam, et honorem quem sibi afferunt. Amat etiam viros, et personas sanctas, et spirituales, ut faciant sibi mantellum de sanctitate ipsorum, cum non vere diligat eos propter bonitatem ipsorum. Et quia talis amor non est purus, ideo fructus taliter amantium est carnis concupiscentia, et corpus cum vitiis et concupiscentiis. Amat etiam talis sufficientias corporales, et aptitudines, ut sciat bene legere, et cantare ad complacentiam aliorum. Amat etiam habere magnam scientiam, ut sciat alios convincere rationa-

Amor spirituali homini debet esse suspectus.

Amor Dei et proximi impurus et malus.

AUCTORE ARNALDO.

biliter et scientifice, et non caritative, et quod possit alios corrigere cum superbia, ut reputetur aliquid.

Alius amor Dei et proximi imperfectus.

224 Sunt etiam alii qui credunt amare Deum, et amant eum, sed amore infirmo et imperfecto. Amant enim Deum ut parcat peccatis, et liberet eos de inferno, et det eis gloriam paradisi, et non propter bonitatem suam. Amant Deum ut conservet eos in bono statu, et non offendant plus, ut non perdant paradisum. Amant alii Deum, ut habeant consolationes et dulcedines divinas, et sentimenta, et consolationes spirituales. Alii amant Deum ut amentur ab eo. Amant alii amicos et parentes spiritualiter, quia desiderant, ut sint spirituales et boni, ut inde non consequantur dedecus, sed habeant utilitatem et honorem. Amant etiam Deum, ut det eis sensum et scientiam, et intellectum scripturæ illi, qui sunt litterati; et illi, qui nesciunt litteras, desiderant ut sciant loqui spiritualiter, et non ad honorem Dei, nec aliorum utilitatem, sed ut magis amentur et honorentur. Amant esse spirituales, ut habeantur in numero spiritualium, et diligantur a spiritualibus, et hæc pro sua speciali utilitate et honore. Amant habere paupertatem, et patientiam, et obedientiam, et exteriorem humilitatem, et virtutes, ut excedant in virtutibus alios, et desiderant, ut nullus alius possit approximare perfectioni eorum: et quia nolunt habere parem, in hoc videntur assimilari Lucifero, qui noluit habere aliquam creaturam parem. Aliqui amant habere universalem famam sanctitatis, ut commendentur a bonis et malis de sanctitate; ipsi etiam commendant omnes spirituales, et non spirituales, ut de temerario judicio non judicentur.

Amor devotæ personæ, est periculosus.

225 Amant etiam aliqui devotum suum, vel devotam suam amore spirituali et perfecto, quia amant ipsos totaliter secundum Deum. Sed iste amor quandoque nimis crescit, et efficitur malus, nisi regatur armis magnæ discretionis; et fit quandoque carnalis, vel inutilis et nocivus, nimis ad invicem conversando, et tempus inutiliter perdendo, quia corda eorum sunt indiscrete colligata. Iste enim amor crescit, et crescendo habet hoc quod desiderat habere, scilicet præsentiam amati, quam ubi non habet infirmatur: et, si habeat, nimis crescit, et crescendo totaliter transformatur in amatum, ita quod omnia, quæ placent alteri, placent ei; et quæ displicent alteri, displicent sibi. Et quia anima non habet arma sufficientia ad regendum istius amoris fervorem, qui continue crescit, et non habet perfectam ordinationem, nec discretionem, necesse est, ut convertatur finaliter in deordinationem. Et si amatus in tali deordinatione careat etiam prædictis armis, et simili gladio amoris sit vulneratus, tunc est valde plus timendum: quia tunc incipiunt sibi invicem manifestare secreta sui amoris, et inter alia manifestant sibi invicem, quomodo se mutuo diligant dicentes ad alterutrum: Non est aliqua persona quam tantum diligam in mundo, nec tantum eam portem in corde. Talia enim dicunt, quia necesse est, ut tractent ea quæ sentiunt, et sic appetunt se etiam propter devotionem mutuo diligere et propter utilitatem spiritualem, quam credunt esse in tali amore; occurrentibus tamen tentationibus de aliquo illicito, quod sequi potest ex tali amore, ratio contradicit a principio, quia non est totaliter amore suffocota. Postea vero amore amplius crescente, ratio incipit obnubilari, et spiritus infirmari, et incipit credere, quod tactus amati et hujusmodi non sint peccatum, nec noceant animæ, et ideo hoc permittit facere, et sic incipit deficere, et cadere a statu perfectionis paullatim. Postquam autem ratio aliquantulum declinavit amore suffocata, incipit ea, quæ periculosa sunt, quasi nulla existimare, et dicere: Hoc potest fieri, quia ad nullum malum intendo, quia non est magnum peccatum. Et paullatim talia reputant licita, et sic amplius amore crescente transformatur et transfertur uterque in voluntatem alterius, ut faciat omne, quod vult alius, nulla alia ratione contradicente; ita quod totaliter sequitur suum amatum ad omne illud, quod vult: et propter inordinationem prædictam, si invitatur ad malum, non potest contradicere; et si non invitatur, ipse invitat, sentiens hoc placere amato: et tunc retrahitur ab oratione, et abstinentia et a solitudine, et ab omnibus virtutibus, in quibus consueverat se exercitare, et totum amorem divinum mutat in hunc miserabilem amorem. Et crescit quandoque tantum talis amor, quod verba amati, nec ejus præsentia non satisfaciunt, cui solebant verba et sola præsentia satisfacere. Sed amplius amans desiderat scire, utrum amatus sic feriatur sagitta amoris, sicut amans: et si scire potest, tunc est periculum utriusque; tunc enim unus confidens et securus de altero, postquam verba, nec præsentia non satisfaciunt, inclinantur amans et amatus ad omne opus otiosum, et pravum. Et ideo dico, quod amor mihi est suspectus super omnia, et in ipso concluditur omne malum: quare cavete a serpente.

Amor sensualis paulatim suffocat rationem, et spiritum.

226 Propter igitur malum amorem volo suspectum habere bonum amorem inter proximum et proximum; quia bonus amor fit malus per prædictum modum. Amor etiam Dei efficitur malus; nisi discretione regatur, et armis suis protegatur. Arma autem, quibus bonus amor Dei vel proximi in Deo regi debet, dantur homini in animæ transformatione. Est autem triplex transformatio qua transformatur anima in Deum. Aliquando enim anima transformatur in voluntatem Dei: aliquando cum Deo: aliquando intra Deum et Deus intra ipsam. Prima transformatio est, quando anima conatur imitari vitam istius hominis passionati: quia in hoc manifesta est voluntas ipsius Dei. Secunda transformatio est, quando anima ultra hoc unitur Deo, et amat Deum non solum per voluntatem, sed cum hoc habet magna sentimenta, et magnas de Deo delectationes, possunt tamen exprimi verbis et cogitari. Tertia transformatio est, quando anima sic est transformata intra Deum, et Deus intra ipsam, quod altissima de Deo sentit et gustat, in tantum quod ea, quæ sentit, nullo modo possent exprimi verbis, nec cogitari, nisi solum ab illo, qui sentit. Prima igitur transformatio quamvis multum regat amorem amantium, tamen non tantum quantum oportet, quia adhuc decipi posset. Secunda autem transformatio, si est bene viva, sufficit ad regendum amorem. Tertia autem est summa in regimine amoris. Ista enim tertia et etiam secunda perfecte infunditur et confertur animæ a gratia: et hæc tertia, et secunda licet non sit perfecta, est quædam sapientia, qua mediante anima scit regere amorem Dei et proximi. Nam sentimenta Dei, et dulcedines, et fervores a gratia Dei in anima provenientes, anima per hanc sapientiam scit componere, et taliter quod durat amor, et in his, quæ incipit, potest perseverare, nec ostendit extra per risus, nec saltus corporis, nec alios gestus. Similiter et in amore proximi vel devoti sic scit sapienter et mature se habere, quod ostendit et dirigit quando, et quantum, et quomodo est condescendendum proximo, et quando non. In unione enim animæ ad Deum anima acquirit dictam sapientiam, et quamdam maturitatem et gravitatem sapientiæ, et sapidam discretionem, et quoddam lumen; ita quod cum istis ita scit regere amorem Dei et proximi, quod non potest decipi nec præcipitari: et qui non sentit se tali sapientia infusum, numquam deberet se cum aliquo, vel cum aliqua in tali amore singulari et visceroso se conjungere, etiam quantumcumque fieret propter Deum, et ex bona intentione, propter pericula jam prædicta, quæ eveniunt ex tali amore, nec aliquis alicui se colligare debet per amorem, nisi ubi didicerit, et sciat, et possit a quocumque faciliter cum voluerit, separari.

Arma quibus amor regatur, triplex animæ transformatio.

Hæc transformatio confert animæ maturitatem et discretionem.

Proprietates veri amoris ad Deum.

227 Qualiter autem per prædictam sapientiam regatur amor Dei, est sciendum, quod amor habet varias proprietates:

proprietates: nam anima amando Deum, primo tenerescit; secundo infirmatur, tertio fortificatur : cum enim anima sentit fervorem amoris divini, anima clamat, et rumorem facit : ad instar lapidis, qui ponitur in fornace solvendus in calcem, qui dum tangitur ab igne, crepitat, sed si fuerit coctus, non facit aliquem rumorem, nec crepitat. Sic anima in principio quærit consolationes divinas, quæ, si subtrahantur, tenerescit, et clamat contra ipsum Deum, et conqueritur dicendo : Tu Domine facis mihi hunc languorem : quare hoc facis? et similia dicit, et hæc audacia nascitur ex quadam securitate, quam anima sumit de Deo : in hoc autem statu est contenta consolationibus. Sciatis enim quod Deus habens ejus creatum amorem erga animam, dat ei blanditias, et quandoque consolationes mirabiles, et ineffabiles, quas anima non debet appetere cum importunitate. Si tamen a Deo dentur, non sunt spernendæ, quia faciunt ipsam post amatum currere, et sunt cibus ejus, et tollitur tædium ab ea : et ex his anima ascendit, et trahitur ad amandum et transformandum se in suum amatum, et ad quærendum ipsum. Ex carentia vero ejus crescit amor, et incipit quærere amatum, quem si non habet, infirmatur: nec contentatur tunc de consolationibus, quia solum quærit amatum, et quanto plus habet de consolationibus et sentimentis, tanto plus crescit amor, et tanto magis infirmatur, et languet, nisi habeat præsentiam amati.

Amor in incipientibus consolatione subtracta tenerescit, et conqueritur.

Amor in proficientibus infirmatur, serio quærit Deum.

228 Sed postquam anima unitur, et ponitur in sede veritatis, quæ veritas est sedes animæ, non clamat, nec conqueritur de Deo, nec tenerescit, nec infirmatur. Imo cognoscit se indignam omni bono, et omni dono Dei, et dignam majori inferno, quam sit ille, qui factus est : et ponitur in ea mira sapientia et maturitas, et fit stabilis et ordinata, adeo fortificata, quod propter amorem amati iret ad mortem et habet in plenitudine quantum capere potest ex tali unione. Et ipse Deus crescere facit animam, ut ipsa sit capax ejus quod in ea vult ponere, et videt illum qui est, et videt, quod omnia nihil sunt, nisi in quantum sunt ab illo qui est. Tunc autem anima omnia, quæ præcesserunt, habet pro nihilo comparative, et etiam omnia creata, nec curat de morte, nec de infirmitate, nec de honore vel de vituperio, et ita pacificatur et quietatur, quod nihil appetit, et perdit desideria, nec potest operari, quia tunc quando habet prædictam visionem est juncta cum Deo. Et ita videt in illo lumine Dei, omnia Deum ordinate facere et debite, quod etiam de ejus absentia non infirmatur. Et ita fit conformis voluntati ejus, quod eum absentem non requirit, sed de omnibus, quæ facit, contentatur, et totum tamquam bene ordinatum ei * remittit. Tunc autem ista vera sunt, scilicet quod anima fit ita fortificata, et quietata in isto amore, et perdit desiderium, nec potest operari quando habet prædictam visionem Dei in dicta plenitudine. Quando vero aufertur visio talis animæ (nulli enim conceditur in vita ista, quod in ea perseveret) datur ei, et remanet ei unum novum desiderium ignitum operandi sine pœna opera pœnitentiæ, fortius quam prius, est enim iste status sublimior aliis. Hic autem amor ignitus est perfectus, et facit imitari animam amantem amatum suum Deum hominem passionatum, quod est perfectio omnis perfectionis : passio autem ejus quamdiu in hac vita mortali vixit semper duravit, ibi cœpit et perseveravit, et finivit : semper enim fuit in cruce paupertatis, doloris, despectus, et obedientiæ, et aliarum operationum arduarum pœnitentiæ. Et quia qui perfecte diligit aliquem nititur ei transformari moribus, et facere illa quæ plus placent illi quem amat, ideo, qui Jesum Deum hominem diligit, nititur et transformari in eum, et ejus mores, et facere quæ sibi placent, et in modo vivendi sibi assimilari. Quanto igitur quis est perfectior et amat Deum, tanto magis conatur facere illa, quæ ille fecit, et vult, et præcipit, et consulit fieri, et vitare omnia quæ sibi possent esse displicentia : et debet continuare toto tempore vitæ suæ : quia iste Deus homo quamdiu vixit in hoc mundo, vixit in continua et amarissima cruce pœnitentiæ : et hæc debet esse longitudo et tempus pœnitentiæ, quam ad formam ejus debemus facere, scilicet quamdiu homo vivit. Magnitudo vero ejus est, quantum homo potest cum discretione. Hæc est autem transformatio in voluntatem ejus, quam ostendit non solum verbis, sed vivendo semper in operationibus crucis et pœnitentiæ, quas Deus homo semper habuit in seipso. Cum vero anima transformatur in Deo, et est intra Deum, et est in illa perfecta unione et plenitudine visionis, quietatur, nec aliquid operatur. Sed quando revertitur ad se, nititur transformari in voluntate ejus quousque redeat in illam visionem. Ipse autem ostendit voluntatem suam per dictas operationes crucis et pœnitentiæ, quam semper habuit in seipso.

Amor in perfectis cor stabile detinet, nullis mutationibus obnoxium.

* ms. committit.

Perfectus amor Dei perfectam inducit imitationem Christi crucifixi.

229 Hac autem visione supradicta tamquam armis dirigitur amor Dei et proximi. Ibi enim anima videt esse Dei, et quomodo omnis creatura habet suum esse ab illo, qui est summum esse. Et videt quomodo nihil est quod habeat esse nisi ab hoc summo esse. In quam visionem anima ducta trahit per ipsam visionem miram sapientiam et ineffabilem scientiam, et maturam gravitatem : et trahit ab illa visione notitiam veram, quomodo quidquid est ab illo summo esse, est optimum, nec potest contradicere, quia in veritate videt, quod omnia, quæ sunt ab ipso, sunt optime facta. Sed male est factum, quando nos destruimus ea, quæ facta sunt optime ab illo summo esse. Hæc autem visio istius summi esse, excitat unum amorem in anima sibi correspondentem, et istud summum esse incitat nos amare omne quod habet esse ab ipso, qualia sunt omnia bona et benefacta, et docet nos amare omnem creaturam rationalem et irrationalem amore summi esse ; et docet nos amare et incitat omne, quod habet esse ab ipso, et quod ipse amat, et vult esse. Et docet nos amare maxime creaturas rationales, potissime illas, quas videmus esse amatas et dilectas ab ipso summo esse. Sicut enim anima videt ipsum summum esse inclinatum per amorem in creaturis, sic ipsa in easdem inclinatur.

Propter amorem divini esse in seipso, omnia creata amanda.

230 Signum autem manifestum illorum, qui sunt in amicitia istius summi esse, est, quod sunt veraces sequaces unigeniti istius summi esse, et sunt semper intenti oculis mentis suæ ad amandum et sequendum et transformandum se totos, et totaliter in voluntate amati, scilicet unigeniti istius summi esse. Amor autem creatus et excitatus a visione istius summi esse, novit et scit amare istud summum esse, novit, et scit amare creaturas secundum earum convenientias, et plus et minus secundum inclinationem istius summi esse ; et in nullo potest transire terminum ejus : et ideo omnia quæ sunt amoris, sunt omnino suspecta quousque hic amor fuerit animæ datus a Deo. Postquam enim anima habet visionem istius esse Dei, et amorem illi respondentem, et sufficientem isti esse, tunc remanet solidata, ita quod quamvis veniant aliæ visiones et elevationes non mutant eam. Et non solum, qui habent hanc ineffabilem visionem Dei, sed qui haberet strictum pensare istius esse Dei, potest sufficere, et est sufficiens ad expellendam omnem malitiam omnis alterius amoris, et bene potest resistere ad gladium omnis amoris illiciti. Non solum autem in prædicta visione datur amor creatus, de quo dictum est, imo ipsa visio increati esse dimittit in anima unum amorem increatum, cui amori anima nihil potest operari, quia anima est totaliter absorpta ab ipsa visione. Sed ipse amor inclytus operatur.

Signum illorum, qui sunt in amicitia summi esse.

Stricte pensari debet esse summi Dei.

231 Attendendum autem est, quod quando hæc visio data fuit animæ, anima operabatur, et tota se desiderabat, quomodo melius ipsi summo esse posset uniri : postea autem ipse amor increatus operabatur in anima, et inspirabat sibi, quomodo recederet ab omni creatura, ut anima posset sibi melius uniri : unde ipse amor increatus operationes amoris operatur.

Principium

AUCTORE ARNALDO. *Amor increatus operatur in anima perfecta.*

Principium autem hujus amoris in operatione sua, est illuminare, et novum desiderium dare. Est enim amor fortis novus, ad quem amorem novum anima nihil operatur : ipse enim amor increatus operatur omne bonum, quod per nos fit; et per nos, nos operamur omne malum; bonum autem non ex nobis, sed ab illo increato amore. Et ista est vera humilitas et annihilatio, videre in veritate, quod nos non sumus operatores alicujus boni et qui sic sentit, habet spiritum veritatis. Amor autem Dei numquam stat otiosus, nam viam crucis cogit sequi corporaliter.

Signa operationis amoris Dei.

232 Et istud est signum operationis veri amoris, surgere, et apportare animæ crucem, id est, longam pœnitentiam quantum vivit, et magnam et duram quantum commode potest. Hic verus amor non apportat risum in ore, nec in comedere, nec in bibere inordinatur, nec affert aliquam alacritatem vanam, nec dicit : Non teneor alicui legi; sed semper legi se subjicit, imo etiam ubi non est lex, ipse sibi facit legem. Et cum amor operatus fuerit operationes crucis et pœnitentiæ vivæ, et longæ, et arduæ quantum vivit, et quantum potest, tunc videbit in veritate se inutilem, et in veritate se non nisi malum operantem. Ipsum autem Deum cognoscet totum amorem, et se totum odium : et habita in veritate hac cognitione, de necessitate oportet quod faciat pœnitentiam corporalem. Sive autem pœnitentia sit homini levis ad portandum, sive difficilis, totum operatur ipse increatus amor, diversimode tamen propter utilitatem animæ. Non igitur gravet nos operatio de pœnitentia, quia Deus in nobis ipse operatur : et ad provocandum voluntatem nostram, et consentiendum Deo in nobis eam operanti, verus magister venit pro nobis ad faciendum pœnitentiam, et ad dandum exemplum ejus nobis, toto enim tempore vitæ suæ in amarissima pœnitentia vixit. Et qui ad visionem increati, et ad visionem esse Dei elevantur in cruce et in operibus virtuosis quietantur, et cum novo amore infocato et ignito ad majus operandum provocantur. Illi autem qui non sunt in hoc spiritu veritatis, faciunt sibi idola de operibus virtuosis, sibi gloriam attribuentes. Et primum idolum faciunt sibi de lumine, et scientia et discretione sibi datis, quod est flendum : nam totum bonum, quod est in nobis, operatur amor increatus, qui non extinguitur in se in æternum; cui est honor et gloria in sæcula sæculorum, Amen.

CAPUT XX.

Via, conditiones, signa Amoris.

c. 65. Via ad amorem.

Via autem ad hunc amorem est per continuam, et assiduam, et devotam, et ardentem orationem, et lectionem libri vitæ, de quo satis dictum est supra, per quam datur et accipitur cognitio Dei, quæ est omnino necessaria ad habendum ejus amorem, ut supra dictum fuit. O carissimi, hortor, ut diligamus Deum, et transformemur totaliter in ipsum. Iste enim Deus homo, Deus increatus, Deus incarnatus totus est amor, et nos totus diligit, et totaliter vult diligi. Unde vult filios suos esse totos transformatos in se per amorem. Voco autem filios spirituales per amorem dilectionis, illos qui vivunt in gratia, et caritate in ipso Deo bono perfecto cum perfectione amoris transformati. Omnes enim sumus Dei filii per creationem, sed filii sui spirituales electi sunt, in quibus ipse Deus amor posuit suum amorem, et in quibus delectatur propter suam similitudinem, quam invenit in ipsis, quam similitudinem in animam cujuscumque filii Dei ponit, et facit, et format solum gratia Dei, et perfectus amor divinus; perfectum dico, qui jam vitam et mores transformavit in similitudinem vitæ Christi pauperis, despecti in hoc mundo, et dolorosi. Itaque Deus nobilis per naturam vult totum cor filii sui, et non partem : et vult ipsum sine medio, et sine societate et impedimento quocumque contrario. Sed ipse est ita curialis erga animam, quod si anima dat sibi totum cor, totum libenter accipit; si partem, partem accipit, licet perfectus amor naturaliter totum velit, et non solum partem. Scimus enim, quod sponsus diligens sponsam suam non potest in ea sustinere, sive in secreto, sive in manifesto societatem aliquam; similiter noster Deus. Sed scio, quod si in Dei filio quilibet homo cognosceret et gustaret ipsum amorem divinum, Deum humanatum, passionatum, qui est summum bonum, daret se totum sibi, et auferret se totum sibi, non solum ab aliis creaturis, et totus diligeret, et toto corde illum Deum amorosum, et transformaret seipsum totum in ipsum Deum humanatum summum amorem.

Quinam filii Dei sint spirituales electi.

234 Si igitur anima vult venire ad istam perfectionem perfecti amoris, qui dat se totum et servit Deo non intuitu præmii, quod hic expectet a Deo recipere, nec est in futuro; sed dat se Deo, et servit Deo, propter seipsum, qui totus est essentialiter bonus, et totum propter se, et per se bonum dignum est diligi propter seipsum; debet anima intrare in viam rectam, et per ipsam ambulare pedibus amoris, puri, recti, ferventis, et ordinati. Primus autem gradus sive passus quem debet facere anima quæ intrat istam viam rectam, et quæ desiderat accedere ad Deum est, quod cognoscat Deum in veritate, non solum exterius quasi per colorem scripturæ, sicut dictum est supra : quemadmodum enim cognoscimus, ita et amamus : si parum obscure, si superficialiter, si perfunctorie ipsum cogitamus et consideramus et cognoscimus; et similiter et consequenter parum amamus. De his autem qualiter et quomodo fieri debeat, jam satis dictum est.

Deo serviendum propter seipsum.

Passus amoris.

Tres proprietates amantium.

235 Sunt autem tres proprietates amantium necessariæ ad sciendum, et etiam aliqua signa amoris, ut quilibet cognoscere possit, si est vere amans. Prima proprietas est esse transformatum in voluntatem amati. Voluntas autem Christi amati videtur mihi, quod sit vita quam ostendit nobis per semetipsum, ostendit autem nobis paupertatem, dolorem, despectum et obedientiam veram, quæ omnia de facto ostendit : et cum anima est viriliter exercitata in istis, nullum vitium, nulla tentatio poterit in eam intrare. Secunda proprietas est, transformatum esse in proprietates amati. Nolo vobis dicere nunc nisi tres. Prima est amor, diligere scilicet omnes creaturas secundum convenientias earum. Secunda est, esse vere humilem et benignum. Tertia est, quam Deus dat legitimis filiis suis, scilicet, immutabilitas : nam quanto anima est propinquior Deo, minores et pauciores mutabilitates in se habet : et ideo nos verecundamur quando aliqua vilis res nos movet, et in hoc cognoscimus nostram miseriam. Tertia proprietas est, esse transformatum in totaliter in Deum : et tunc est extra omnes tentationes, quia non in se, sed in illo est. Et ideo quando revertimur ad nostram miseriam caveamus nos de omnibus creaturis, et a nobisipsis : et rogo vos ut sitis vestri, et nolite vos dare alicui creaturæ, nec præstare ex toto, sed date vos totos illi qui dicit : Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, et ex tota mente, et ex tota anima, et ex omnibus viribus tuis.

1. Indui virtutibus Christi.

2. Amati proprietatibus exornari.

3. Habitare in ipso Deo.

Signa veri amoris.

236 Signa autem amoris sunt hæc. Primum signum veri amoris est, quod amans submittat voluntatem suam voluntati amati. Secundum est, quod facit relinquere omnem aliam amicitiam quæ huic posset esse contraria, etiam facit dimittere patrem et matrem, sororem, fratrem, et omnem aliam affectionem contrariam voluntati amati. Tertium est, quod nihil occultum potest esse in uno quod alteri non revelet : et hæc tertia operatio secundum judicium meum est summa et complementum omnium aliorum signorum, et operationum amoris. Quartum est, quod amans studeat assimilari amato, ut si amatus est pauper, quod amans studeat depauperari; si vilificatus, quod studeat vilificari; si dolorosus, quod studeat de dolore habere

I.

II.

III.

IV.

habere participationem, ut sit similis utriusque conditio. Non enim videtur quod amor perfectus possit fundari inter divitem et pauperem, honorabilem et vilem dolorosum et deliciosum : valde enim distant hæ conditiones, et inter tales non potest esse amor perfectionis, quia unus conditionem alterius non participat. Amor autem est virtus non solum assimilativa, sed unitiva, quæ fertur semper in suum simile non in difforme.

Hæc signa amoris perfectissime in Christo elucent.

237 Amor autem æternus Christus Jesus omnia ista signa habuit, quia submisit voluntatem suam homini, factus obediens usque ad mortem interficientibus ipsum, cum tamen solo nutu posset resistere si voluisset. Item fecit ipsum relinquere omnem aliam amicitiam, parentum, matris, et aliorum, imo et suæ carnis propter amorem hominum, morti se tradens, et eos in cruce derelinquens. Iterum secreta sua nobis revelavit ut ipsemet dixit : Jam non dicam vos servos, etc. Item similem homini se facere voluit : ideo veram humanitatem ejus assumpsit et mortalitatem, factus homini similis per omnia, præterquam in culpa. Ergo et nos omnia hæc facere debemus propter ipsum : alias amor ex parte nostra claudicat, et tanto et tam visceroso amatori facimus injuriam manifestam. Igitur faciamus nos ei per omnia similes, qui nostris miseriis per omnia similem se fecit, pœnitentiam scilicet faciendo in paupertate, despectu, et dolore, et cordis contritione, in quibus ipse semper vixit. Si enim unus solus faceret pœnitentias omnes quas omnes homines de mundo faciunt, non esset sufficiens ad recompensandum minori guttæ sudoris, quem Christus pro nobis effudit, et non esset sufficiens ad promerendum minus gaudium Paradisi, quod nobis promittitur, nec ad satisfaciendum pro minori peccato a nobis perpetrato mortali nec ad satisfaciendum Deo pro nostra creatione. Unde quisque deberet conari ad faciendum pœnitentiam in occulto quanto plus potest, et desiderare quod non potest, et etiam facere in publico, dummodo in intentione nolit videri : quia dimittere bonum ut non videatur,

In publico quomodo faciendum sit bonum.

est tepiditas et pusillanimitas. Unde nullo modo debemus propter hoc dimittere. In his habemus exemplum nostri magistri, qui multa fecit quæ numquam fuerunt scripta, nec scita, cum tamen amore nostri multa fecerit in publico; nec propter hoc quia videbatur ab aliis hoc dimisit. Quod et si nobis durum videatur pœnitentiam facere, tamen tribulationes nobis a Deo immissas placeat cum patientia et gaudio tolerare, et facere de necessitate virtutem. Qui enim sunt afflicti, et tribulati interius et exterius, non est dubium quod est certum signum, quod sunt dilecti ad amato.

In sequendo Christo nulla fraus sed maxima salutis certitudo.

238 Quod enim Deus Pater dilexit et elegit, et dedit suo carissimo unigenito, hoc unigenitus diligit, et infligit et dat carissimis filiis suis. Elegit autem Deus Pater suo filio paupertatem, despectum, dolores, persecutiones, afflictiones exterius, interius vero tædium, pavorem, timorem, angustiam, agoniam, etc. quæ sustinuit Dei filius magister innumerabilia, et tot, et tanta, quod nulla lingua posset exprimere, nec cor cogitare. Studeamus igitur sustinere tribulationes temporales cum patientia, imo et cum gaudio. In eis enim signum recipimus, quod sumus dilecti et electi ab amato, et recipimus arrham suæ hereditatis. Respicite in doloribus vestris dolores istius Dei hominis desolati, et erit remedium omni vestro dolori. Tria enim facit ista tribulatio sanctissima quæ non cognoscimus. Primum est, quod facit nos converti ad Deum, et si converti sumus, facit nos magis converti et adhærere. Secundum est, quod facit nos crescere : sicut enim bona terra bene præparata adveniente pluvia germinat et fructificat, ita adveniente tribulatione anima crescit in virtutibus. Tertium est, quod purificat et confortat, quietat et tranquillat. Ista enim sanctissima tribulatio multum convenit nobis, nec eam vitemus nec abhorreamus, quia secure, et toto corde

Tres effectus tribulationis.

I.

II.

III.

Boni advocati et testes ad Deum veraces pro nostra salute sunt tribulationes.

dico, quod advocati nobiles, et testes veraces, quibus magis creditur in conspectu Dei, sunt istæ tribulationes sanctissimæ et pretiosissimæ; quarum valor est nobis ignotus : eis enim emitur regnum cælorum, paupertate enim et luctu, et dolore, et persecutionibus obtinentur gaudia sempiterna. Credo enim firmiter quod nihil aliud tantum facit ad bene vivendum, sicut hæc tribulatio : unde in omnibus tribulatis ego habeo unam sanctam invidiam. Scio enim, filioli mei, quod nobilitas et valor qui exit de tribulatione, non est nobis cognitus : quia si esset cognitus, esset de ea magna grapila et rapina, et quilibet raperet ab alio de quo tribulari posset. Lumen tribulatorum et solatium confortet nos sub onere tribulationum, cui sit gloria in sæcula sæculorum, Amen.

AUCTORE ARNALDO.

Tribulationes utiles.

239 Tribulationes autem quæ sunt in paupertate, despectu, et dolore, videntur mihi multum utiles nobis et convenientes. Ratio hujus est, quia oportet quod homo cognoscat se et Deum : cognitio autem Dei supponit cognitionem sui, hoc modo, ut videat homo et consideret et videat quem offendit et consideret diligenter quem offendit. Et ex hac consideratione datur gratia super gratiam, lumen super lumen, visio super visionem, et ex his incipit venire ad cognitionem ampliorem Dei : et quanto amplius cognoscit, amplius diligit; et quanto plus diligit, tanto fortius operatur; et ista operatio est signum amoris, et mensura : quia in hoc cognoscitur, si amor est purus, verus, et rectus, si diligit et operatur efficaciter, et tolerat quod dilexit et operatus est ille, quem diligit. Christus autem, quem diligit, operatus est et toleravit cum gaudio tria prædicta quamdiu vixit : qui ergo ipsum diligit, debet illa diligere et operari. Quanto igitur ipse sapientissimus sibi hæc elegit, tanto nobis etiam convenientiora esse monstravit.

c. 66. Dona et conditiones in Dei amorem transformatæ.

240 Hæc sunt dulcissima Dei dona, quæ quicumque obtinere poterit, sciat se perfecte completum, et perfectum, et consummatum in Deo dulcissimo Jesu Christo; et esse perfectum ipsum dulcissimum Jesum Christum in eo per transformationem, et quanto magis in his perfectus erit, tanto magis esse transformatum Jesu Christi erit in eo. Primum est amor paupertatis, quo anima expoliat se ab amore omnis creaturæ, ita quod nullius possessionem vult habere, nisi Domini nostri Jesu Christi, nec sperat in adjutorio alicujus creaturæ in hac vita, et hoc non solum diligat corde, sed ostendat per opus. Secundum est, quod desideret despici et vilipendi, et opprobriari ab omni creatura, et velit quod omnis creatura credat ipsam esse opprobrio dignam, ita quod nullus compaciatur sibi, nec velit vivere in corde alicujus creaturæ, nisi solius Dei, nec ab aliquo alio aliquid reputari quocumque modo. Tertium est, quod desideret dolorari, et puniri, et impleri et superinfundi omnibus doloribus cordis et corporis dulcissimi Jesu Christi, et dulcissimæ Matris ejus; et desideret, quod omnis creatura faciat sibi istos dolores sine intermissione. Et si non potest ista tria velle, sciat quod multum est longe a Christi benedicta similitudine; quia ista tria associaverunt eum in omni loco, et in omni tempore et in omni suo actu, similiter et suam Matrem, scilicet paupertas, dolor, et despectus et ignominia in summo. Quartum est, quod quæcumque persona cogitet se esse indignam tanto bono, et nullo modo posse ista habere a se, et quanto plus de istis habuerit, tanto sibi videatur quod minus habeat : quia de re amata, qui multum se credit habere, perdit amatum. Unde numquam sensiat se ad hoc pervenisse, sed semper videatur, quod incipiat de novo, et quod adhuc nihil fecerit, et quod non habuerit aliquid de istis. Quintum est, quod continue nitatur cogitare, quomodo ista fuerunt in Christo, et continue saporosa oratione clamet ad Deum, quia ista sua vestimenta, et istam societatem mittat in cor suum, nihil aliud petendo, et in perfecta transformatione

1. *Exuisse amorem omnis creaturæ.*

2. *Appetere contemptum.*

3. *Desiderare tormenta.*

4. *Se omni dono cœlesti indignum reputare.*

5. *Prædicta in vita Christi meditari.*

AUCTORE ARNALDO.

tione omnium istorum sit sibi omne gaudium in hac vita, et nitatur ascendere ad cogitandum, quomodo cor dulcissimi Jesu istis plenum fuit, et superplenum et infinitum, plus quam ipse ostenderit in corpore.

6. Impedimenta evitare.

Sextum est quod fugiat tamquam summam pestilentiam omne illud quod impedit eam ab istis, sive sit persona carnalis, sive sit spiritualis, et omne illud quod in rebus hujus mundi sibi appareret dissimile vel contrarium istis, horreat, et despiciat, et fugiat sicut serpentem.

7. Neminem judicare et ab aliis libenter judicari.

Septimum est, quod super nullam creaturam ferat judicium, nec impediat se de judicando alios, sicut dicit Evangelium, imo reputet se viliorem omnibus quantumcumque malis, et indignissimis omni gratia Dei. Scias quod quicumque ista merentur habere in hac vita, et in præsenti pugna, Deum plene habebunt in patria: imo anima per transformationem fit tota Deus, cui in hac vita Deus dat de sua transformatione, quod videlicet sit transformata in suos despectus, penurias, et dolores, quia non debet anima appetere in ista vita consolationes spirituales, nisi forte propter suam infirmitatem refocillandam, sed solum appetere perfectam Christi crucifixionem dolorosam, pauperem, et despectam.

CAPUT XXI.

De sanctissimo Sacramento Eucharistiæ.

c. 67. Effectus Eucharistiæ.

De Sacramento autem amoris et gratiæ, propter quod et Eucharistia dicitur et vocatur, nunc aliquid plus præter dicta est dicendum. Ipsum enim habet efficere in nobis et orationem devotam, et virtute ejus impetrativa efficitur. Similiter dare humilitatem cordis profundam, et totius caritatis, et veri amoris promotivum et collativum est. Non enim dubito, sed sum certa, quod, quæcumque anima videret et contemplaretur in isto sancto Sacramento, non posset esse ita sicca de amore, quin de ipso non esset statim tota infusa, perpendendo quomodo in hoc Sacramento fuit amata. Videtur autem mihi quod veritas istius Sacramenti, et hoc sacrosanctum mysterium ab illis, qui istud sacrificium volunt celebrare et recipere, cum magna diligentia est considerandum: et non debet anima in hac consideratione transire velociter, sed nec cursorie, sed magna diligentia et pondere ibi stet et demoretur: quamvis autem inexplicabilia sint quæ de hoc Sacramento sanctissimo dici possunt, videtur mihi quod ad septem considerationes reduci possunt quæ videndæ sunt et considerandæ sigillatim.

Diligenter considerandum hoc Sacramentum.

Septem considerationes circa illud.

1. Novum mirabile.

242 Primo enim istud sacrosanctum mysterium est novum et summe mirabile, et nostræ rationis excessivum. Istud enim mysterium quamvis antiquitus fuerit figuratum, ut apparet in sacra scriptura, antiquum quidem est, quantum ad figuram, sed novum quantum ad exhibitionem et veritatem ipsius Sacramenti, in quo creatura recipit magnam novitatem: quia bene scimus, et per fidem tenemus sine aliqua dubitatione, quod ille panis, et id vinum per divinam potentiam infinitam ad illa sanctissima verba ordinata, quæ dixit Christus ordinator Deus humanatus, et quæ debet dicere et dicit Sacerdos ejus minister, substantialiter fit Christus, ita quod illa substantia panis et vini transsubstantiatur, et fit corpus Christi, et Christus Deus et homo est in illo mysterio consecrato, remanente colore, et sapore, et virtute, et forma, et modo, et tota qualitate ipsius panis et vini, non in ipso, sed per divinam potentiam supra eorum propriam naturam in seipsis: hic enim color est in seipso, et sapor in seipso, et forma in seipsa, et qualitas in seipsa. Unde grandis est ista novitas in veritate, quam facit divina sapientia sua summa caritate, et infinita potestate, et summa bonitate, quam facit creator in sua creatura; præter alias multas, et spirituales novitates, quas ipsum corpus et sanguis Christi facit in amicis et electis suis. Nullus autem miretur de his, nec de aliis quæ fiunt in hoc Sacramento, si pensemus potentiam facientis. Nec miretur quis, quomodo potest esse in tot altaribus, similiter et ultra mare, et citra mare, et ita ibi, sicut hic et hic, nam ipse dicit: Ego sum incomprehensibilis vobis, et ego Deus feci hoc sine vobis, et operor sine vobis, et non est mihi aliquid impossibile: et ego sum ille, qui feci vos tales, quod nunc propter bonum vestrum non possetis intelligere, quia si voluissem, potuissem vos facere potentes ad intelligendum, sed hoc feci, ut mereamini per fidem vestram, quæ meritum non haberet, si hoc clare quomodo fit videretis; credite igitur nihil dubitantes.

2. Summe amabile.

233 Secundo istud Sacramentum est summe amabile, et ad amorem inflammativum. Illud enim quod movit ordinatorem istius Sacramenti sanctissimi, non fuit timor alicujus rei, nec utilitas, quam ex hoc ipse sortiretur; nec scio quod nomen imponam ei, nisi amorem sine mensura: propter enim ineffabilem amorem, quem habebat nobis, istud Sacramentum instituit: quia enim erat totus evisceratus amore in nobis, ideo se totum ibi posuit, se totum dimisit, et pro semper scilicet usque ad consummationem sæculi.

Christus ex amore id instituit.

Non enim hoc solum fecit propter memoriam suæ mortis quæ est nostra salus, sed etiam hoc fecit ad hoc ut remaneret totus nobis et semper: et quicumque vult intrare istud profundum, oportet quod habeat bonos oculos. Sciens enim corporaliter in cœna sua se cito esse separandum, evictus amore, qui semper amantem et amatum habet conjungere, istud Sacramentum instituit, ut semper posset corporaliter nobis esse junctus. O amor inextinguibilis! amor ardentissimus veraciter est, et fuit iste, quem nobis habebat, quod quantumcumque præsentia mortis esset sibi præsens, et præsentiebat statim dolores horribiles affuturos, eisdem peccatoribus se persequentibus se dare voluit, ut saltem nobiscum in hoc Sacramento posset esse semper, cujus deliciæ sunt esse cum filiis hominum. Et quæ anima est ita crudelissima, quæ considerando istum amorem, si bene et profunde consideraret, non moveretur ad redamandum tantum amatorem, qui nec in vita, nec in morte nostri oblivisci voluit, scilicet se totum ac tantum dare voluit, ut per amorem nobis esset unitus? Veraciter non est anima, si bene pensaret hunc amorem, quin se totam transformaret in amorem, se totam sibi conferendo.

3. Summe compassibile.

244 Tertio istud Sacramentum est summe compassibile, et ad compassionem et dolorem summe provocativum: dolorem enim mortalem et ineffabilem habuit cum istud sacratissimum ordinabat: erat enim in puncto separationis a suis carissimis discipulis, et a Virgine amantissima Matre; et sciebat et videbat in sui præsentia omnes qui eum derelinquere debebant: videbat suum proditorem, et alium negatorem, quibus corpus suum, et seipsum tradebat; et de proximo imminebant dolores acutissimi, in quibus debebat esse derelictus: præsentiebat mortem horrendam, verbera, contumelias, crucem, clavos, et cetera sibi parari; ratione quorum statim post cœnam in oratione sudavit usque ad guttas sanguinis non modici, scilicet decurrentis in terram. Et tamen non dimisit, quin illud instituerit, et se nobis daret, quinimo istud Sacramentum nihil aliud videtur esse ita proprium, quam quoddam memoriale illius acerbissimæ passionis et effusionis sui sanguinis pro nobis miseris; ideo et Christus ait: Quotiescumque hoc facitis, facite hoc in meam commemorationem, et quæ anima posset videre istos dolores, quin transformaretur in dolorem? Certe nulla nisi quæ conmunionem non habet ex corde illius acerbissimæ passionis.

4. Summe venerabile.

245 Quarto istud Sacramentum est summum, dignum et venerabile, et ad reverentiam summe humilitativum. Ordinator enim istius sancti sacrificii est homo Deus, Deus summus et increatus. Anima enim considerando hoc Sacramentum, debet pensare non solum

solum ordinatorem, sed id quod in Sacramento continetur. Continetur enim ibi Deus increatus, invisibilis, omnipotens, omnia sciens, justus, summus, et misericors, creator cæli et terræ, visibilium et invisibilium; et hoc est majus, quod occurrit ibi ab cogitandum. Postea occurrit alia res minor, quam in hoc Sacramento invenit, conjuncta cum illa re majori, quia invenit ibi Deum humanatum, id est, divinitatem et humanitatem in una persona conjunctas et unitas : et quandoque in hac vita præsenti anima recipit majus delectamentum in isto minori, quam in illo majori, quia anima est magis capax, et magis conformis isti minori, quod videt in isto Deo incarnato, quam sit aliud, quod videt in ipso Deo increato; quia ipsa anima est creatura, quæ est vita carnis suæ, et omnium membrorum corporis sui, unde delectatur in hac vita in increato Deo quem ibi videt humanatum, et Christum creatorem et creaturam, et deitatem, et animam cum carne, et sanguine, et cum omnibus membris sui corporis sancti. Videt ibi anima unionem tantarum rerum ibi contentarum, et de minori, scilicet de humanitate, fertur ad divinitatem, et e converso. Videt igitur anima, si bene consideret, primo divinitatem ineffabilem, in qua sunt omnes thesauri sapientiæ, et scientiæ, et divitiarum immarcessibilium. Videt ibi in illa divinitate delicias, quæ solæ satiant mentem nostram, et alia multa ineffabilia. Videt ibi pretiosissimam animam cum omnibus virtutibus et donis Spiritus sancti, et sanctissimam oblationem immaculatam. Videt ibi corpus, pretium pretiosissimum nostræ redemptionis. Videt ibi sanguinem, quo redempti et vivificati sumus, et alia ineffabilia. Quæ quidem omnia hæc summe debent provocare nos ad reverentiam exhibendam : nam ibi veraciter est et continetur ille, quem adorant cunctæ cæli dominationes, timent omnes spiritus cælestes, et tremunt omnes cæli fortissimæ potestates. O si videremus sicut ipsi, in quanta reverentia et humilitate istud Sacramentum tractaremus et reciperemus? Quæ enim superba anima est, quæ, si hæc bene consideraret, et in conspectu hujus sacramenti corde et corpore non humiliaretur?

5. Summe altum.

246 Quinto est summe altum Sacramentum et spirituale, et ad cælestia elevativum. Hoc enim sacramentum ordinavit sancta Trinitas, ut scilicet restringeret ad se rem, quam diligit, ut scilicet traheret animam a se ad se Deum, et extra omnes creaturas, et conjungeret ipsam Deo increato, et sic vitam sibi daret spiritualem, et divinam, et mortificaret a peccatis : et ordinavit ipsum sancta Trinitas et infinita bonitas, ut uniret, et incorporaret nos sibi, et se nobis : et vult, ut recipiamus ipsum, ut recipiamur ab eo; et vult, ut portemus ipsum, et ipse nos, nos fortificando et confortando. Quæ est ergo misera anima, si bene consideraret, quæ non trahi debeat post tantum Dominum, post tantam caritatem, quæ de cælis venit, ut nos ad se trahat de terrenis?

6. Summe utile.

247 Sexto istud Sacramentum est summe utile, et omnium bonorum, et gratiarum animæ collativum. Non enim venit ad nos in isto sacramento Deus increatus cum tanta perfectione deitatis et humanitatis vacuus, sed pro certo dat animæ recipienti (dum tamen se probaverit, et non sit in voluntate peccandi) pœnarum remissionem, robur contra tentationes, impugnatores nostros restringit, et gratiam augmentat, et merita accumulat : unde et frequenter cum magna reverentia est suscipiendum : verbum autem S. Augustini de Eucharistia suscipienda, quando dicit : Quotidie Eucharistiam sumere, nec laudo, nec vitupero; dico quod S. Augustinus fuit sanctus et sapiens; et videns bonos cum malis in Ecclesia Dei mixtos, ut non impediret bonos, non vituperavit; ad hoc autem ut non daret securitatem malis, non laudavit. Alia sunt innumerabilia dona et beneficia, quæ conferuntur nobis si digne ipsum suscipiamus : nec est dicibile, quantam gratiam recipit anima in una sola digna susceptione, dum tamen demerita animæ non resistant.

7. Summe laudabile.

248 Septimo, istud Sacramentum est summe laudabile, et omnium gratiarum, et laudum præconiis summe dignum. Quidquid est boni, quidquid pulchritudinis, quidquid sanctitatis, totum est in hoc sacramento : est enim summum bonum ipsum increatum, scilicet divinitas, et summum bonum creatum, Christi humanitas : unde laudare ipsum assidue debemus. Angeli enim assidue laudare non desinunt, dicentes, Sanctus, Sanctus, Sanctus; et non solum Angeli, sed et Sancti, et cuncti Beati vident et sentiunt illud, et stant intra hoc sacrificium in illo Deo bono infinito, qui facit illos esse beatos : ibi enim habent semper in præsentia Deum increatum, summum bonum, et Deum humanatum, et in hoc sacramento admirabile positum. Et in isto mysterio recipiunt novam dulcedinem, et gaudium; et faciunt novum tripudium, et præconium; et credo, quod hoc sit propter convenientiam, quam habent, quia communicant cum capite et membris, id est, cum Christo capite Deo, et suis fidelibus. Vident enim et sentiunt, cognoscunt, quod Christus in altissimo hoc mysterio multum delectatur, et ibi ostendit, et manifestat suam bonitatem, et ibi habet singularem complacentiam pro bono, et in bono suorum devotorum et amicorum, quos per hoc sacrificium sibi conjungit : et ideo delectantur omnes Angeli et Sancti in isto mysterio cum Christo : et faciunt novum gaudium et tripudium et laudes, quia illud quod placet Christo, placet similiter et eis : placet enim Christo esse cum hominibus in isto sacramento, imo ejus deliciæ sunt esse cum filiis hominum. Gaudent item omnes Beati de Ecclesia triumphanti pro bono et utilitate, quod propter ipsum recipiunt sanctæ animæ in militante Ecclesia. Unde et gaudere debet tota Ecclesia, et laudare Deum de tanto beneficio, et gratiis, gratias et honorem exhibendo Deo.

Consideranda, dum ad hoc Sacramentum accceditur.

249 Quilibet igitur quando debet accedere ad hoc sanctum Sacramentum debet considerare, ad quem vadit, qualis vadit, et quomodo vadit, et quare vadit. Quia vadit ad quoddam bonum quod est omne bonum, et causa omnis boni. Unde ipsum est bonum solum, sine quo non est aliquid bonum. Quod bonum sufficit, et implet omnia, et satiat omnes Sanctos et spiritus beatos, et omnes justos per gratiam, et omnes animas, et corpora illorum Beatorum qui regnant in gloria. Vadit ad recipiendum illud bonum, Deum scilicet humanatum, quod satiat, superat et jocundat in omnibus creaturis, et extra omnes creaturas sine modo, et sine mensura : quod bonum creatura non potest scire, nec habere, nisi in quantum ipsum bonum vult; et tantum ipsum bonum vult, quantum creatura secundum suum esse potest habere de illo, qui est et facit omne esse, et est super omne esse. Vadit ad illud bonum, extra quod, et præter quod, non est aliud bonum. O bonum inconsideratum, incognitum, non amatum, scilicet inventum ab illis, qui se totis totum te volunt. Si igitur homo considerat, et respicit morsellum, quod corporaliter debet comedere; quare aima non respicit, et non recogitat, antequam recipiat tantum bonum, quod æternum est, et infinitum, et quod si indigne recipiatur, est mors animæ et corporis sempiterna? Si vero digne, mortem fugat, et vitam æternam et beatam adducit, et sine ipsius susceptione non est vita : Nisi enim, ait Christus, manducaveritis carnem, etc. Debet igitur accedere ad tantum et tale bonum, et ad talem mensam cum magna reverentia, timore, et tremore, et super omnia cum magno amore; et debet anima accedere tota lota, et ornata : quia vadit ad illum, qui est bonum totius pulchritudinis et gloriæ, et qui est summa sanctitas, felicitas, et beatitudo, et altitudo, nobilitas, et verus amor, et dulcedo amoris sine fine : et

Qualis puritas in communicantibus requiratur.

AUCTORE ARNALDO.

et debet ire ad recipiendum, ut recipiatur : debet ire mundus, ut mundetur; vivus, ut vivificetur; justus, ut justificetur; junctus, ut incorporetur cum ipso Deo increato, et dulciter humanato, et sit idem cum eo per infinita sæcula sæculorum.

CAPUT XXII.

De Incarnatione Verbi, aliisque Dei beneficiis.

c. 68. Hoc est ultimum scriptum et ultima littera, quæ fecit sanctissima Angela de Fulginio Mater nostra, antequam infirmaretur ad mortem, asserens tunc esse ultimam litterarum. Præscivit enim suum felicem transitum longo tempore ante. Unde et cum magno affectu hæc verba locuta est, et quasi coegit scriptorem scribere, et dixit : O Deus meus, fac me dignam, ut possim cognoscere altissimum mysterium tuum, quod fecit ardentissima caritas tua, id est, altissimum mysterium tuæ sanctissimæ Incarnationis, quam fecisti pro nobis, quæ Incarnatio fuit principium salutis nostræ. Ista autem ineffabilis Incarnatio facit nobis duo. Primum, quod implet nos amore. Secundum est, quod reddit nos certos de nostra salute. O quam ineffabilis hæc caritas! supra istam vere non est major, quam quod Deus meus omnium creator fiat caro, ut me faceret Deum. O amor eviscerate! teipsum exinanisti, et defecisti, ut me faceres : formam vilissimi servi recepisti, ut mihi decorem regium et divinum conferres. Quando tamen formam meam recepisti, non sic fecisti ut aliquid a tua substantia minueres, nec a tua deitate detraheres, sed abyssus tuæ humillimæ Incarnationis facit me dicere, et compellit verba hæc eviscerata : O tu incomprehensibilis, propter me comprehensibilis! O increatus, factus es creatura! O incogitabilis, factus es cogitabilis? O impalpabilis, factus es potens palpari! O Domine fac me dignam videre profundum hujus altissimæ caritatis, quam nobis communicasti in ista Incarnatione sanctissima. O felix culpa (non tamen ex te, sed ex Dei pietate) quæ meruisti nobis ostendere occultissimum divinæ caritatis profundum, quod nobis erat absconditum. O in veritate majorem caritatem ego cogitare non possum. O altissime, fac me capacem ad intelligendum hanc altissimam et ineffabilem caritatem.

Prævit B. Angela mortem suam.

Mysterium Incarnationis implet nos amore Dei.

251 O Domine, quinque sunt mysteria, quæ pro nobis fecisti, fac nos Domine capaces ad intelligendum ipsa. Primum est mysterium tuæ sanctissimæ Incarnationis. Secundum est ineffabile mysterium tuæ doctrinæ, exempli, pœnitentiæ, et afflictionis. Tertium est mors acerbissima tolerata pro nobis. Quartum gloria tuæ Resurrectionis. Quintum sublimatio tuæ gloriosæ Ascensionis. Primum est amor ineffabilis Incarnationis. O amor summus et transformatus! O amor ineffabilis! Benedictus sis Domine, quia facis me intelligere quod mihi natus es. O quam gloriosum est istud scire, et intelligere, quod ego videam et intelligam, quod tu mihi natus es : istud intelligere in veritate plenum est omni delectamento, et suavitate. Unde certitudinem, quam habuimus ab incarnatione, eamdem habemus a nativitate; quia ad illud pro quo incarnatus est, ecce natus est. O admirabilis, quomodo sunt mirabilia mysteria tua, quæ pro nobis fecisti! Secundum quod pro nobis fecit, reddit nos certos de modo vivendi : nam natus est et incarnatus, et vixit taliter, quod haberemus præsentiam documenti a Jesu Christo nato de paupertate, dolore, despectu, quia in ipsis natus est, vixit, et finivit.

Mysteria 5 pro nobis Christus fecit.

1. Incarnatio.

2. Conversatio cum hominibus.

252 Tertium mysterium est suæ mortis, quia etiam ad hoc natus est, ut esset redemptio nostra et moreretur pro nobis. Quinque autem sunt consideranda in ista morte Christi. Primum declaratio et operatio nostræ salutis. Secundum est, nostra fortificatio, et victoria contra inimicos nostros. Tertium est repletio, et superabundantia amoris divini manifestati per ipsam mortem. Quartum est, quod nos replevit una altissima, et eviscerata et profunda veritate : possumus enim per hoc cognoscere, videre, et intelligere, quomodo Deus pater nobis ostendit, et clarificavit, et declaravit filium in ista Incarnatione sanctissima. Quintum est, quia per hoc possumus cognoscere, quomodo filius Dei manifestavit nobis Patrem, per obedientiam, quam servavit in tota vita sua usque ad mortem crucis, et per ipsam obedientiam respondit Deo Patri pro toto humano genere. Fac me dignam, o increate Deus, cognoscere profundum amoris tui, et abyssum ardentissimæ tuæ caritatis. Fac me dignam intelligere ineffabilem caritatem, quam communicasti nobis, quando ostendisti nobis filium tuum Jesum Christum in ista Incarnatione, et quando iste filius tuus manifestavit te esse patrem nobis. O admirabilis amor, et jucundus, quia in te est omnis sapor omnis suavitatis, et omne delectamentum : et ita est contemplatio, quæ elevat animam de mundo, et facit eam stare supra se, et esse pacificatam, et tranquillatam.

3. Redemptio in cruce.

Quinque in ea consideranda.

253 Quartum mysterium est in resurrectione, in qua duo sunt consideranda. Primum est, quod sua resurrectio dat nobis firmam spem de nostra resurrectione. Secundum est, quod facit nos cognoscere resurrectionem spiritualem, quam Deus facit per suam gratiam, quando de mortuo facit vivum, de infirmo facit sanum. O altissimum et inenarrabile, et incognitum, et ineffabile mysterium, in quo adimplesti perfectionem nostram! Fac me Domine dignam cognoscere istud altissimum mysterium. Quintum mysterium est, Adscensionis. O Domine fac me dignam esse capacem cognoscere altissimum mysterium Adscensionis tuæ, in quo repleta est tota salus nostra. O Jesu Christe tunc posuisti nos in possessionem Patris tui et nostri. Ista quinque mysteria sunt schola illorum qui sunt veri scholares, schola verax ubi discuntur ista quinque mysteria, est schola continuæ orationis. Fac igitur me Domine intelligere, et cognoscere supernam caritatem, cum qua creasti me, et redemisti. O incomprehensibilis, fac me capacem ad intelligendum tuam inæstimabilem, et ardentissimam caritatem, et illam evisceratam dilectionem, qua elegisti genus humanum ab æterno ad obtinendum visionem tuam, et tu altissime dignatus es velle videre nostram. Fac nos Domine cognoscere culpam nostram, ut effugiamus pœnas, quas minatus es ingratis, et non recognoscentibus hæc ineffabilia mysteria et beneficia tua.

4 Resurrectio. Duo in ea consideranda.

5. Adscensio.

254 Post ista locuta est de septem donis sive beneficiis specialissimis nobis a divina bonitate collatis, et dixit : O dulcissime Domine fac me capacem ad intelligendum ista septem dona, quæ nobis dedisti inter multitudinem aliorum donorum tuorum. Primum donum est ineffabilis creatio. Secundum est, admirabilis electio, qua dignatus es nos eligere ad gloriam tuam. Tertium est, donum ineffabile, quod nobis fecisti, quando tuum filium misisti, ut nobis daret vitam. Quartum est, donum altissimum tuæ bonitatis, quando dignatus es me facere sensibilem, et rationalem, et non bestiam nec irrationalem. Hæc admirabilis ratio, quam in me posuisti, facit in me tria. Primum est, quia per ipsam cognosco te admirabilem. Secundum est, quia facit me cognoscere peccata mea. Tertium est, quia per ipsam mediante gratia tua resisto sensualitati meæ ad peccata inclinanti. O incomprehensibilis, quia nihil aliud est supra istud donum, quod nobis donasti. Formasti nos Domine ad formam tuam, et fecisti nos rationales, et induisti nos tuo lumine, et de tua ratione. Quintum donum est intellectus. Fac nos Domine cognoscere id donum, quod dedisti nobis, scilicet, intellectum, ut possimus te Deum meum intelligere. Sextum donum est sapientia.

c. 69. *Septem dona a Deo homini data.*

sapientia. O Domine fac me sapere ardentissimam caritatem tuam, cum qua donasti nobis istud donum, scilicet sapientiam. O in veritate istud donum omnium donorum est maximum, scilicet sapere te in veritate. Septimum donum est amor. O summum esse, fac me intelligere istud donum, quia omnes Angeli et Sancti non habent aliud videre, nisi videre te amatum, et amare te et contemplari. O donum quod est super omne donum, quia tu ipse es amor. O summum bonum dignatus es facere nos te amorem cognoscere, et facis nos amare talem amorem: et ideo illi, qui venient ante faciem tuam, erunt remunerati secundum amorem, quem habuerant, et nihil aliud est, quod ducat contemplatores ad contemplandum, nisi verus amor. O admirabile, mirabilia facis tu in filiis tuis! O supernum bonum! O incomprehensibilis bonitas, et caritas ardentissima! O divina persona, quæ dignasti nos substantificare in medio substantiæ tuæ! O istud est mirabile supra omne mirabile, quod facis in filiis tuis! O occultum admirabile! Non est intellectus humanus, qui ad istam substantiam non deficiat. Sed cum gratia et lumine divino sentimus dictam substantiam : et ista est arrha illorum, qui sunt veri solitarii : et omnes chori Angelorum sunt hic occupati, et in ista occupatione occupent se omnes illi, qui sunt veri contemplatores, et postea erunt solitarii et a terra separati. Istorum conversatio in cælis est. Deo gratias, Amen.

Vis efficax amoris divini in anima.

CAPUT XXIII.

Angelæ testamentum : mors.

c. 70. Testamentum et ultima admonitio sanctæ Matris Angelæ, quam fecit filiis suis, dum esset morti propinqua, sic dicens : Filioli mei quæ dico vobis, non dico solum nisi propter amorem Dei, et ut promisi vobis, quod non libenter porto sub terram aliquid, quod vobis possit prodesse. Ecce Deus dicit animæ : Omnia mea tua sunt. O quis est, qui mereatur hoc, quod omnia bona Dei sunt sua! o in veritate non est aliud quod mereatur hoc, nisi caritas. In hoc autem quod volo dicere nihil habeo facere ex me, sed totum est Dei. Nam placuit divinæ bonitati dare mihi curam et sollicitudinem omnium filiorum suorum, et filiarum suarum, qui sunt in hoc mundo, et ultra et citra mare : ego autem custodivi eos, ut potui, et doloravi eos, et plures fuerunt dolores pro eis quam vos credatis. O Deus meus amodo reassigno eos tibi, et rogo per ineffabilem tuam caritatem, ut custodias eos ab omni malo, et conserves eos in omni bono in amore paupertatis, despectus, et doloris, et in transformatione, et in imitatione tuæ vitæ, et perfectionis, quam nobis verbo, et facto, et vita viva ostendere placuisti.

Filii spirituales curæ B. Angelæ a Deo traditi.

236 O filioli mei amantissimi exhortor hac exhortatione ultima, ut studeatis esse parvi, et vere humiles, et mansueti non solum opere exterius, imo et ex profundo corde, ut vere sitis scholares, et vere discipuli illius, qui dixit : Discite a me, quia mitis sum et humilis corde. Non curetis de potentia, honoribus, nec prælationibus. O filioli mei studeatis esse parvi, ut Christus exaltet vos in perfectione meritorum et suæ gratiæ. Sitis ita humiles, quod tamquam nihil vos existere continue æstimetur. Maledictæ sunt istæ sufficientiæ quæ tollunt animam, scilicet potentia, honores in prælatione. Fugite ab illis, quoniam magna deceptio, et periculum est in ipsis, licet minor deceptio sit in ipsis, quam in sufficientiis spiritualibus, scilicet in scire loqui de Deo, intelligere scripturam, facere magnas plasmas, habere cor quasi occupatum in rebus spiritualibus. Multotiens enim isti tales in errorem cadunt, et difficilius corriguntur, quam qui habent temporales sufficientias : igitur æstimetis vos esse nihil. O nihil incognitum! o nihil incognitum! In veritate anima non potest habere meliorem visionem, nec scientiam, quam videre suum nihil, et stare in suo carcere.

Commendat suis studium abnegationis.

Auctore Arnaldo.

237 O filioli mei, studeatis habere caritatem, sine qua non est salus nec meritum. Ecce Deus dicit : Omnia mea, tua sunt. O quis est qui mereatur hoc, quod omnia bona Dei sint sua! In veritate non est aliud, quod mereatur nisi caritas. O filioli mei et patres et fratres studete vos diligere invicem, et habere istam caritatem, et mutuam dilectionem, hac enim meretur anima hereditare bona divina : et exhortor, ut non solum habere velitis istam caritatem inter vos, imo etiam ad omnes gentes. Dico enim vobis, quod plus recepit anima mea de Deo, quando ploravi et doloravi peccata proximi, quam mea. Et mundus trufat de hoc quod dico, quod homo posset plorare peccata proximi, sicut sua, vel plus quam sua, quia videtur esse contra naturam. Sed caritas, quæ hoc facit, non est de hoc mundo. O filioli mei studeatis habere istam caritatem, et neminem judicetis ; et si videritis hominem peccare mortaliter, non dico, quod non displiceat vobis peccatum, et quod non debeatis abhorrere peccatum, sed dico, quod non judicetis peccantes, nec contemnatis, quia nescitis judicia Dei : nam multi apud homines videntur damnati, qui apud Deum sunt salvati, et multi apud homines videntur salvati, qui apud Deum jam sunt reprobati, et damnati. Et scirem vobis dicere, quod aliqui sunt, quos vos despexistis, de quibus habeo firmam spem, quod Deus reducet eos ad viam suam.

Inculcat caritatem Dei et proximi.

Cavendum judicium temerarium.

238 Ego non facio aliud testamentum nisi quod recommendo vobis istam mutuam dilectionem, et profundam humilitatem. Et relinquo vobis totam hereditatem meam, quæ etiam Christi Jesu est, scilicet paupertatem, dolorem, et despectum, vitam videlicet Christi. Illi qui habebunt istam hereditatem, scilicet vitæ Christi, erunt mihi filii, filii enim sunt Dei : et non est dubium, quod postea non habebunt hereditatem vitæ æternæ. His dictis imposuit manum suam supra caput singulorum, et ait : Benedicti sitis a Domino, et a me, filioli mei vos, et omnes alii, qui hic præsentes non sunt, et sicut significatum est mihi, et demonstratum a Domino, ita istam æternam benedictionem vobis concedo præsentibus et absentibus : idem Christus det eam vobis cum illa manu, quæ fuit in cruce clavata.

Testamentum Angelæ.

Impartitur singulis benedictionem.

239 Postmodum vero ipsa Angela ultima in infirmitate quassata, ac mente ipsius abundantius solito in abysso divinæ infinitatis absorpta, interrupte et cum interpolatione loquebatur, et raro ; verba tamen illius, prout capere poteramus qui præsentes eramus, breviter recollegimus ; quæ sunt hæc. Dixit quadam vice, circa festum nativitatis Domini, quo tempore ipsa transivit ad Christum, dixit : Verbum caro factum est, et post magnam moram quasi aliunde veniens, dixit : O omnis creatura deficit, et totus intellectus Angelicus non sufficit, et interrogata a nobis : Ad quid deficit omnis creatura, et intellectus Angelicus non sufficit? Respondit : Ad comprehendendum. Et postea dixit : O in veritate, ecce Deus meus, qui mihi reddidit promissum, quia Christus filius suus præsentavit me Patri. Dixerat enim ante : Scitis vos quia Christus erat in navi, et tempestas erat ibi magna? In veritate ita est aliquando in anima, quando permittit tentationes venire, et ipse videtur dormire. Et iterum dixit : In veritate, donec Deus permittat personam totam piecari vel conteri, et suppeditari, non sinit aliquando finire tentationes et tempestates : et hoc facit specialiter filiis suis legitimis. Item alia vice dixit nobis : O filioli mei, libenter dicerem vobis aliqua verba, si scirem quod Deus me non deciperet. Scilicet de promissione sui exitus, quia propter desiderium moriendi timebat multum, sicut ipsa dicebat, ne de illa infirmitate laberetur. Et dixit : Ista

AUCTORE ARNALDO.

quæ volo dicere non dico, nisi ut vos sequamini illud, quod non sum secuta ego. Et postea subjunxit : Anima mea lavata est et mundata in sanguine Christi, qui erat ita recens et calidus sicut si statim exiret de corpore crucifixi. Et dictum fuit animæ tunc : Hoc est illud, quod mundavit te. Et respondit anima : O Deus meus ero decepta? Et dictum fuit sibi : Non. Postea dixit : Christus filius Dei me modo præsentavit Patri, et dicta sunt mihi ista verba : O sponsa et speciosa! o amata a me cum dilectione et in veritate, nolo quod venias ad me cum istis doloribus, sed cum jubilo et lætitia innumerabili, sicut decet Regem ducere sponsam suam diu amatam cum regio vestimento; et demonstravit mihi vestimentum, quemadmodum demonstrat sponsus sponsæ suæ diu et multum amatæ : sed hoc non erat de purpura, nec scarleto : nec de * sendalo, nec de samito; sed erat quoddam lumen mirificum, quo vestitur anima. Et tunc ostendit mihi ipsum sponsum Verbum æternum, ita quod modo intelligo quid est Verbum : et quid est dicere Verbum, scilicet, Verbum quod voluit Incarnari pro me, et ipsum Verbum transitum fecit per me, et totam me tetigit, et amplexatus est me, et dixit mihi : Veni dilecta mea, sponsa amata, cum vera dilectione : veni, quia omnes Sancti expectant te cum lætitia. Dixit etiam mihi : Ego non committam te Angelis, nec aliis Sanctis ut te deducant, sed ego personaliter veniam pro te, et assumam te ad me; tu enim mihi facta es conveniens, et grata meæ majestati.

Vestis gloriosa morienti præparata.

* MS. tendato.

Christus amplexatur morientem.

260 Dum igitur esset prope transitum, scilicet, die præcedenti, dicebat frequenter : Pater in manus tuas commendo animam meam, et spiritum meum. Et semel post illud verbum, dixit nobis præsentibus : Modo ad istud verbum responsio mihi facta est talis : Quod impressum est cordi tuo in vita, impossibile est, quod non habeas in morte. Et tunc diximus : Ergo vis recedere, et relinquere nos? Et illa respondit : Tantum celavi vobis, sed amodo non celo vobis plus, dico vobis, quod omnino debeo recedere. Eodem die cessantibus doloribus cunctis, quibus multis diebus ante per singula membra interius et exterius tormentata horribiliter fuerat, et multipliciter afflicta, in tanta quiete corporis, et spiritus jucunditate jacebat, quod jam videbatur de promissa sibi lætitia degustare. Tunc vero interrogavimus eam, si prædictus jubilus erat sibi adhuc datus, et ipsa respondit, quod jam inceperat jubilus supradictus. Et in hac quiete corporis, et spiritus jucunditate usque post completorium die sabbati lætissima jacens, multis fratribus circumsistentibus eam, et mysteriorum officia exhibentibus, ipsa die, scilicet in octava Innocentium, ultima hora diei, quasi leviter dormiens, requievit in pace. Et anima illa sanctissima soluta a carne, in abyssum diem infinitatis absorpta, innocentiæ et immortalitatis stolam a Christo suo sponso recepit, regnatura cum Christo; quo nos ipse per virtutem suæ crucis, et per merita suæ Virginis Matris, et per intercessionem hujus sanctissimæ Matris nostræ Angelæ deducat, Amen. Transiit autem venerabilis sponsa Christi Angela de Fulginio ex hujus mundi naufragio ad cæli gaudia longo sibi ante tempore promissa, Anno Dominicæ Incarnationis MCCCIX pridie Nonas Januarii, tempore Domini Clementis Papæ V.

In morte occurrunt quæ in vita agitata.

Ante mortem omnibus cruciatibus liberatur.

Quiete moritur quinta Januarii.

DE B. ANGELA, EJUSQUE VITA

Ubertini de Casali, et Maximil. Sandæi, judicia.

Adjicienda huc videntur quæ de B. Angela duo præclari scriptores tradidere. Prior est Ubertinus de Casali, magna pietate et eximio spiritu vir. Hic Prologo I, *lib.* I, *Arboris vitæ crucifixæ Jesu, ita scribit* : Vigesimoquinto autem anno religionis meæ deformatæ (*is fuit, ut ex aliis locis patet, Christi MCCXCVIII*) miro modo, quem prætereo, ad reverendæ Matris et sanctissimæ Angelæ de Fulgineo, vere Angelicæ vitæ in terris, misericorditer me adduxit notitiam. Cui sic cordis mei defectus, et sua secreta beneficia revelavit Jesus, ut dubitare non possem ipsum esse, qui loquebatur in illa : et sic omnia dona mea prima, per meam malitiam perdita, in immensum multiplicata restituit; ut jam ex tunc non fuerim ille qui fui. Et in expertis prius suæ veritatis inflammantis splendoribus totam mentis meæ faciem immutavit; et infirmitates et languores ab anima et corpore sic repulit, et priores distractiones renovavit; ut nullus sanæ mentis, qui me prius cognoverit, habeat dubitare, quin spiritus Christi in me sit de novo genitus. Ac per hoc velint nolint æmuli detrahentes sanctitati irreprehensibilis vitæ illius sanctissimæ animæ, et mutationi divinæ, quæ ad ejus verbum et meritum oritur in vita multorum, ipsa Angela est constituta a Deo, respectu multorum filiorum spiritualium, Mater pulcræ dilectionis et timoris et magnitudinis et sanctæ spei : quia veniunt eis omnia bona pariter cum illa, et innumerabilis honestas per manus illius; etiam multis, qui fuerant prioribus temporibus dissoluti. *Magnum sancti et a Deo illuminati scriptoris de Angela testimonium.*

Ubertinus ad virtutem, Angelæ monitis, inflammatus.

Alter est Maximilianus Sandæus, Societatis nostræ Theologus scriptis longe clarissimus. Is Theologiæ variæ lib. I, *commentat.* 19 *cum de Angela quædam, verbis fere Arnaldi, retulisset, de ejus statu, conditione, occupatione, sapientia, quæ ei divinitus donata, Evangelicæ perfectionis studio, secretorum divinorum notitia, etc., ista subdit* : Ita præludit opusculo, quod narrationes et monita continet Angelæ de Fulginio vir pius. Id opusculum qui legit (et utinam multi legerent!) dicere cogitur : Non est personarum acceptor Deus : sed in omni gente, sexu, conditione hominum destinat aliquos, quibus secreta sua gratiosissime pandit, et sapientiam sacram infundit. Talis fuit Angela, Theologorum Magistra, cujus doctrina, ut est in argumento libri, tota fuit excerpta et extracta ex illo libro vitæ intus et foris scripto, qui est Jesus Christus Dominus noster, verus Deus et homo, Theologiæ infusæ donator.

Vitæ S. Angelæ præconium.

Idem Commentat. 43 *ejusdem libri* 3, *agens de Theologia intuitiva religiosorum divinis visionibus clarorum, de Angela sic scribit* : In hujus quoque pientissimæ matronæ scriptis adeo frequens est mentio visionum, et quidem Dei ac sanctissimæ Trinitatis, ut suspicari quis posset, si cui ex animabus Deo dilectis, in hac vita mortali facta fuisset Theologiæ intuitivæ gratia, eam Angelæ minime defuisse. Præstat tamen et in hac, ut in multis aliis eximiis, quamdam eminentissimæ contemplationis speciem, infra claram Essentiæ Divinæ visionem, quam hoc Beatis proprium donum agnoscere. Quod ipsa nonnumquam insinuat, tenebras visionibus suis immixtas fuisse haud dissimulans. *Confirmat id pluribus ex ejus vita allatis locis.*

An viderit Deum Angela.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

V JANUARII.

SANCTI QUI NONIS JANUARII COLUNTUR.

Vigilia Epiphaniæ.
S. Telesphorus Papa et Martyr.
S. Sais Martyr.
S. Felix, S. Secundus, S. Honorius, S. Lucianus, S. Candidus, S. Januaria, S. Cœlifloria, S. Jucundus, S. Acutus, S. Petrus, S. Marcus, S. Severus, S. Anastasia, S. Telesphorus } Martyres, in Africa.
S. Euprexia vidua, S. Theognia Virgo } Menis in Sicilia.
Plurimi Sancti Martyres in Thebaide, sub Diocletiano.
S. Theoidus Martyr.
S. Domno Martyr Bergomi.
S. Theodorus Martyr Calari in Sardinia.
S. Syncletica Virgo Alexandriæ.
S. Tatiana.
S. Rusticianus Episcopus Brixiensis.
S. Talida, sive Amata Virgo, Antinoi in Thebaide.
S. Apollinaris Syncletica, dicta Dorotheus, Virgo, in Ægypto.
S. Simeon Stylita juxta Antiochiam in Syria.
S. Phosterius Abbas.
S. Æmiliana Virgo, amita S. Gregorii, Romæ.
S. Honobertus, S. Honulphus } Episcopi Senonenses in Gallia.
S. Flamidianus Martyr Cusani in Hispania.
S. Victorinus Abbas
S. Lucas, S. Ambrosius, S. Privatus } monachi } Placentiæ in Italia.
S. Gregorius Acritensis monachus, in Græcia.
S. Eduardus Angliæ Rex, Confessor.
S. Gerlacus Eremita, in Belgio.

PRÆTERMISSI VEL IN ALIOS DIES REJECTI.

not. 74.

S. Theopemptus Episcopus, S. Theonas } Martyres. *Menæa, Molanus in* 2 *et* 3, *edit. Nos de iis supra cum Martyrologio Romano* III *Januarii.*

S. Priscillianus Martyr Carthagine in Hispania. *Ferrar. citans tabulas Ecclesiæ Carthaginensis, sed dubitat an idem sit qui Romæ passus* IV *Januarii.*

S. Faraillidis Virgo Gandavi. *Bellinus edit. Parisien. ann. MDXXI.* Pharaildis *est, de qua egimus* IV *Januarii.*

Barnetus, *sive* Barnitus Confessor in Scotia. *Ferrar. At Camerar.* XIII *Januarii. Ignotus est mihi : nisi sit fortassis* Barnitus *ille aut* Barinthus, *de quo in vita Sancti Brendani* XVI *Maii.*

S. Gaudentius Monachus Monasterii S. Alexii Romæ, et discipulus S. Adelberti, MS. *Kalendarium SS. Ord. S. Benedicti : in quo et* XXIV *Augusti ejus refertur Translatio. De eo agitur in vita S. Adelberti : fuit Archiepiscopus Gnesnensis. Omitto, donec certius intelligam, an et quo die colatur.*

S. Anastasius Abbas Monasterii Pontenatensis, MS. *Kalendar. SS. Ord. S. Benedicti. Non memini me alibi de eo legere : nisi ille sit qui deinde Strigoniensis Archiepiscopus fuit, de quo* XII *Novembr. agemus.*

Cythardus primus Abbas Floridi campi, sive veteris Monasterii, juxta Bolsuardiam Frisiæ oppidum, Beatus *hic memoratur a Chrysostomo Henriquez in Menologio Cistercien. Sed non existimo eum coli : nec id indicat Aubertus Miræus* V. CL. *qui in Chronico Cirterciensi ad an. MCXCI ejus monasterii fundationem refert ex Andrea Cornelio.*

Alachrinus Episcopus Ord. Cisterciensis, Beatus *appellatur a Chrysostomo Henriquez in Menologio Cistercien, laudatur et a Vincentio Bellovac. lib.* 30, *cap.* 110. *Sed neuter prodit an ut* Sanctus *vel* Beatus *uspiam colatur.*

Ægidius a Walcuria fundator et cœnobiarcha primus Monasterii Ogniacensis ad Sabim. *Raysius in Auctario ad Natales SS. Molani. Vitam ejus scripsit Franciscus Moschus. Nondum comperi an Beatus vulgo appelletur, celebreturque.*

Ermenoldus Abbas. *Menard. Nos* VI *Januarii.*

S. Tillon, cognomento Paulus, Confessor MS. *Martyrol. S. Martini Trevir. Carthusiani Colon. in Addit. ad Usuard. De eo agemus* VII *Januarii.*

S. Ealredus Abbas Rievallensis Ord. Cistercien. in Anglia. *Ferrarius et Ben. Dorganius. Nos de eo agemus* XII *Januarii.* not. 75.

B. Odoricus, Ordinis S. Francisci. MS. *Florar. De eo agemus* XIV *Januarii.*

S. Domna sive Domnina. *Menæa Græc. quæ de ea iterum* I *Martii.*

S. Egbertus Abbas, Præceptor S. Willebrordi. MS. *Kalendar. SS. Ordinis S. Benedicti. De eo Martyrol. Roman.* XXIV *April.*

S. Michæas filius Jemla, Propheta et Martyr. *Menolog. Græcor. Nos* XIV *Augusti.*

S. Simeon Propheta, qui Christum in ulnis portavit. *Beda vulgatus, Hraban. Notker. Martyrol. Germanic. variaque* MSS. *Nos de eo agemus cum Martyrologio Rom.* VIII *Octob.*

DE

DE VIGILIA EPIPHANIÆ.

V JANUARII. *De antiquissimo sanctissimoque ritu Vigiliarum, ac hujus nominatim, agit fuse Baronius in Notis suis ad Martyrologium Romanum hoc die, et Galesinius. Hanc Vigiliam pleraque cum Romano exprimunt Martyrologia, et liber Sacrament. S. Gregorii.*

DE S. TELESPHORO PAPA ET MARTYRE.

CIRCITER AN. CHRIST. CLIII. V JANUARII. Sancti Telesphori *Papæ et Martyris vitam scripsit Notisque illustravit* Zegerus Paullus *Ordinis Carmelitarum Theologus et Monasterii Coloniensis Supprior. Colitur a sacro illo Ordine* V *Januarii; quamquam Hrabani, Notkeri atque alia nonnulla* MSS. *Martyrologia* II *Januarii ejus Natalem consignent. Liber quoque de Romanis Pontificibus, alterque sub nomine Luitprandi Ticinensis editus, Abbo Floriacensis* IV Non. *Januarii martyrio coronatum scribunt.* Restituit hoc festum Clemens VIII, vel potius instituit commemorationem, *ut testatur Gavantus comment. in rubric. Breviarii sect.* 7, *cap.* 3.

NOT. 76.

VITA

AUCTORE R. P. SEGERO PAULLO

ORD. CARMEL. THEOLOGO.

§ I. *Sub Antonino Imperatore florescente Ecclesiæ statu, floret quoque vetustum Prophetici, seu Eliani Ordinis Institutum Monasticum.*

* *Potius* 138. Cum anno Christi * quadragesimo supra centesimum mortuo Adriano Augusto, Antoninus ad Romani arcem Imperii evectus esset, Christiana per orbem fides, quæ sub Adriano Cæsare a persecutionis rabie respirare nonnihil cœperat, sub hoc eodem Antonino ampliori pace frui visa est. Nam sicut Hadriani tempore B. *a* Quadratus Propheta, *a* Athenarum Episcopus, et *b* S. Aristides, philosophus Christianus libellos pro Ecclesia Apologeticos Imperatori exhibuerunt, ex quibus is comperta fidelium innocentia, ratus est iis parcendum esse; sic quoque imperante Antonino *c* D. Justinus ex Philosopho Theologus Christianus Romæ docens, Imperatorem (exhibito ipsi et senatui Apologetico libro) deterruit a Christianis cruciandis; tametsi non ipsius mandato, sed ex sententia potius Præsidum, et furore Gentilium nonnulli sub eodem Cæsare (veluti et ipse S. Telesphorus Papa) martyrium passi legantur, ante nimirum a Justino habitam Apologiam. Ipse namque Antoninus cognomento Pius, bonitate, amore et auctoritate Imperium, velut alter Salomon, perpetua pace, nullo penitus bello gesto continuavit annis viginti duobus et ultra; subinde illud Scipionis dictitans : Satius est unum civem conservare, quam mille hostes perdere : et principatum aiens non per severitatem, sed a clementia auspicandum esse.

a *b* *c* *S. Justinus apologiam pro Christianis scribit.*

Vetus institutum Eliæ Prophetæ, sive Carmelitarum. 2 Sub hoc itaque Imperatore pacifico, non tantum Christi fideles feliciorem aspiciebant statum Ecclesiæ, sed et Prophetici seu Eliani Ordinis florebat Institutum Monasticum; quod vetus Carmelitarum Religio a tempore magni Eliæ Prophetæ usque in præsens, licet varie temperatum, *d* Hereditaria successione, ut plures loquuntur Romani Pontifices, continuatum servat : quodque hoc etiam S. Telesphori sæculo non paucos utriusque sexus in variis mundi partibus sectatores habuit; usque adeo, ut ad ipsius quoque Ethnici Cæsaris Antonini aures ejusdem vetustæ Religionis fama nomenque pervenerit. Eo namque tempore, quo viri doctrina ac scriptis illustres apud Imperatorem in pretio habebantur, (qui nihil inconsultis gravibus viris negotiorum peregisse memoratur) florebant Galenus medicorum Coryphæus, Proclus Philosophus, Aulus Gellius, Balbinus, ac plures alii.

d

NOTÆ

EJUSDEM R. P. SEGERI PAULLI

IN VITAM S. TELESPHORI.

Qui de S. Telesphoro scripserunt. Vita hujus Pontificis breviter scripta reperitur in antiquo MS. Codice Carthusiæ Coloniensis, item apud Petrum de Natalibus lib. 2, cap. 46. Cornelium Grasium Carthusianum Tomo 1. Petrum Ribadeneiram Soc. Jesu : quibus inter alios auctores in hac vita conscribenda usi sumus. Meminerunt porro hujus quoque Telesphori, Martyrologia Romanum, Bedæ, Usuardi, Adonis, vetera manu-scripta ac recentiora omnia. Ejusdem insuper ex antiquis Scriptoribus mentionem faciunt Irenæus, Epiphanius, Eusebius, Optatus, Tertullianus, Augustinus, Nicephorus, et alii apud Baronium in Notis Martyrologii. Plures vide infra ad § 3.

S. Quadratus Episc. Atheniens. Prophetа Carmelita, ut plures alii. *a* Quod hoc loco S. Quadratum Episcopum (de quo Martyrol. Rom. 26 Maii) Prophetam præ aliis appellemus, docuit nos Miltiades scriptor antiquus (qui an. Christi 173, floruit) apud Eusebium Cæsariensem hist. Eccles. lib. 5, cap. 16, ubi ista leguntur : In eodem libro Prophetas novi Testamenti recitat, quibus Ammiam quemdam, et Quadratum annumerat. Et post pauca prædictus Miltiades eumdem Quadratum Atheniensem et Ammiam Philadelphiensem cum SS. Agabo, Juda, Sila, et Philippi filiabus novæ legis Prophetis, recenset : qui non idcirco tantum specialiter Prophetæ appellantur, quod prophetiæ dono seu spiritu prædili fuerint, nam et hoc multis aliis Sanctis temporibus istis commune fuit; sed quam maxime quod Prophetici Ordinis sectatores extiterint, cujus professores olim Prophetarum filii, hoc est discipuli, et a D. Hieronymo veteris legis Monachi appellati leguntur. Et idcirco iidem, qui supra, Agabus, Judas, Silas, et alii quidam a Palæonydoro, et Didaco de Coria in Annalibus suis expresse inter Eliani seu Prophetici ordinis viros recensentur.

b De Sancto autem Aristide philosopho Christiano, agit Romanum Martyrologium ad XXXI diem Augusti.

c De S. Justino XIII Aprilis.

Carmelitæ ab Elia descendunt. *d* Hereditariam successionem a tempore S. Eliæ, Carmelitanum Ordinem usque in præsens retinere, ut in hoc 1 § dicitur, testantur præter alios recentiores Romanos Pontifices, Sixtus IV, in Bulla quæ incipit, Dum attenta meditatione, etc., data Romæ. Anno Christi 1476, 4 Kal. Decembris. Julius II, anno 1504, et Gregorius XIII, anno 1577. Qui omnes uno ore sic proloquuntur post alia : Et inter ceteros Regularium Ordinum professores in firmamento Catholicæ fidei militantes, tanquam Religionis speculum et exemplar speciali caritate fulgentes, Sanctorumque Prophetarum Eliæ, et Elisæi, et Enoch, nec non et aliorum Sanctorum Patrum, qui Montem Sanctum Carmeli juxta Eliæ fontem inhabitarunt, successionem hereditariam tenentes, etc. Sic illi. Noverint autem simpliciores, hæc lecturi, prædictum S. Enoch non illum esse qui dudum ante Eliæ tempora translatus

S. Enoch de Anathim. 7 Julii.

tus est, Genes. 5, sed alterum longe juniorem, Joannis Baptistæ et Christi Discipulum, qui postmodum ab Apostolis Episcopus Nicopolis creatus est, de quo Palæonydorus lib. 2, cap. 2 Bibliotheca Tigurina * fol. 214, ubi Enochus de Anathim vocatur, et nos alibi de eo latius, in ejus vita ad 7 diem Julii.

* *edit. an.* 1583.

Alios non paucos hujus Instituti Religiosos, quos eodem S. Telesphori sæculo floruisse, hoc § primo diximus, nominatim recensere, hæ Notæ non patiuntur : de quibus in Annalibus nostris ad idem sæculum, atque in vitis quorumdam Sanctorum seorsim conscribendis, latius agemus : ut inter alios, de Sancto Serapione, octavo Episcopo Antiocheno eruditione clarissimo, qui ex Carmelitarum Ordine an. Christi 191, teste Eusebio in Chronico ad sedem illam sublimatus est; cujus festivitatem annuam Carmeliticus Ordo, auctoritate Sedis Apostolicæ, veluti ejusdem Ordinis Professoris, ad 30 diem Octobris (quo etiam in Romano Martyrol. annotatus cernitur) sub duplici officio celebrat usque in præsens.

S. Serapion Episc. Antioch. 30 Oct.

§ II. *Telesphorus Carmelitanæ Religionis, hoc tempore Ethnicis quoque scriptoribus cognitæ, sectator existit.*

Auctore Segero Paullo.

His propter incredulos quosdam, et domesticæ ignaros historiæ, præjactis necessario fundamentis, ad Sancti, de quo agimus, Telesphori Acta, tametsi brevia, sermonem convertamus.

a Hic autem *a* Balbinus dum inter ceteros Imperatori familiaris esset, quamdam ei inscribens epistolam, in hunc modum hujus, de qua loquimur, vetustæ Religionis Montis Carmeli meminit dicens : Mons est nomine Carmelus, in quo vetus religio, et sanctitas antiqua est : Elias illic sacrificia semper Deo offerebat : apparent etiam et nunc vestigia de ara sacrificiorum. Sicille. Et quidem aræ ac Oraculi hujus Montis, consequenter autem et cultus religiosi, etiam ante hæc tempora, apud Ethnicos scriptores mentio habetur, ut apud *b* Cornelium Tacitum Equitem Romanum anno Christi centesimo decimo; et Suetonium Tranquillum anno centesimo vigesimo, dum uterque Vespasiani Imperatoris res gestas conscribit. Cornelius siquidem in hunc modum : Est Judæam inter Syriamque Carmelus, ita vocant Montem, Deumque. Nec simulacrum Deo aut templum, (sic tradidere majores) ara et reverentia : illic sacrificanti Vespasiano, cum spes occultas versaret animo, *c* Basilides Sacerdos, inspectis identidem extis : Quidquid est, inquit, Vespasiane quod paras, seu domum extruere, seu prolatare agros, sive ampliare servitia, datur tibi magna sedes, ingentes termini, multum hominum. Hæc ille inter alia. *d* Suetonii vero in Vespasiano, cap. 5, ubi agit de præsagiis et signis imperium ejus præcedentibus, sunt ista : Apud Judæam Carmeli Dei oraculum consulentem ita confirmavere sortes, ut quidquid cogitaret volveretque animo, quantumlibet magnum, id esse proventurum pollicerentur. Ita Suetonius. Hoc vero Dei oraculum (inquit Basilius Augussola, Theologus et orator Apostolicus) non fuisse Gentilium, qui ibi non commorabantur, certum est, neque a Judæis, contra quos tamquam hostes procedebat, petiisse est manifestum : unde reliquum est confirmari ibi religiosos Carmelitas commoratos esse. De sortium vero confirmatione loquitur Suetonius Gentilium more. Sic ille. Quod idem intellige de Cornelio Tacito, dum Basilidem eodem Gentilium ritu sacrificio intendisse falso astruit : qui vir Catholicus, sanctimonia præcipuus, et Carmeli Religiosorum Rector seu Abbas erat.

a

b

c

d Vespasionis in Carmelo oraculum consulit.

4 Porro istorum Carmeli montis Religiosorum multo clarius, ac verius Suetonio, et Cornelio meminit Josephus Antiochenus, qui ipsis proxime contemporaneus, et Catholicus scriptor floruit anno Christi centesimo trigesimo, in libro suo, quem inscripsit : De perfecta militia primitivæ Ecclesiæ, capite XII, de quo mox infra. Omitto hic Philonem Judæum, S. Petro Apostolo contemporaneum, doctis viris sat cognitum; plura de hujus instituti viris religiosis, sub Essenorum nomine commemorantem. Similiter chronicon, seu Historiam Romanorum antiquissimam, quæ luce clarius præmissa confirmat; de qua alias.

Esseni religiosi.

a Balbini hujus, ad Antoninum Imperatorem Epistolæ, meminerunt : Philippus Ribotus, lib. 3, de peculiaribus gestis Carmelitarum cap. 3, qui claruit anno Christi 1395. Arnoldus Bostius, in patronatu Mariano cap. 2, anno 1460. Joannes Palæonydorus, lib. 1, cap. 6, anno 1480. Didacus de Coria Dilucidarii Carmel. lib. 1, cap. 26, anno 1570, et alii. Porro cum de hoc Balbino, utique viro celebri, et notæ dignitatis, quis fuerit inquiro, occurrit MS. Inditulus Romanorum Pontificum. Liberii Papæ tempore scriptus, qui apud PP. Societatis Jesu Antverpiæ extat; ex quo sequentia descripta : Telesphorus annis undecim, etc. Fuit temporibus Antonini Macrini a Consulatu Titiani et Gallicani, usque Cæsare et Balbino. Hæc ibi. Potuit igitur hic Balbinus, (alias P. Cælius Balbinus Vibullus Pius, Baronio autem ad annum Christi CXXXIX, dumtaxat Vibullus Pius dictus) qui anno XX Hadriani Imperatoris Consulatum gessisse fertur, postmodum Antonino Imperatori (qui Hadriano in Imperio successit) prædictam scripsisse Epistolam. Sed hæc ex conjectura dicta sint, dum aliud certi de eo non habeo. Hoc tantum dico, Epistolam illam potius videri scriptam esse ad Antoninum Primum ejus nominis, quam Secundum, Tertium aut Quartum; partim quod ipse Antoninus Imperator ab omnibus Auctoribus citatis semper absolute absque cognomine ponatur; et hoc modo cum, exempli caussa, Gregorium Papam, aut Constantinum Imperatorem absolute nominamus, potius ejus nominis primum quam alium intelligimus; partim etiam quod Balbini istius tempus cum hoc Antonino magis cohærere videatur. Si quis nihilominus adversariorum urgeat, posse etiam intelligi Secundum, Tertium aut Quartum ejus nominis Antoninum : esto : nihilominus antiquitati Epistolæ hujus nihil derogabitur; cum omnes isti Antonini intra sexaginta dumtaxat annos vixerint. Nam secundus ejus nominis, cognomento Verus, Antonino Primo (qui Pius cognominatus est) successit anno Christi * CLXIII. Tertius, cognomento Caracalla, Imperium iniit anno *a* CCXIII, et Quartus, cognomento Heliogabalus, anno *b* CCXX, qui quadriennio tantum in Imperio spurcissimam vitam egit. Vide Sebastianum Verronium lib. 6, a cap. XVI usque ad XXV. Baronium in Annalib. etc.

Balbinus de Carmeli religione scribit.

* *Imo* 161, 6 *Mart.* a 211. 4 *Feb.* b 218. 7 *Jul.*

b Ad Cornelii Taciti auctoritatem quod attinet, illa dumtaxat ex eo Auctore Ethnico hic adduximus, quæ nostro congruebant intento, alias ejus verba plenius discussuri in Historia Commemorationis solemnis B. V. Mariæ de Monte Carmeli, ad 16 diem Julii; dum probabimus primum in orbe terrarum templum a Carmelitis Deiparæ Virgini in monte Carmeli erectum et consecratum esse anno Christi 38, ipsa adhuc vivente, non autem 83, ut perperam, et inverso numero in Majori Ordinis speculo legitur, unde liber D. Joannis 44, Jerosolymorum Episcopi desumptus est, et alii quidam errandi ansam ceperunt. Iterum de Cornelio Tacito mox infra.

D. Virgini viventi templum dicatum.

c Agunt de B. Basilide Presbytero et Ordinis hujus Rectore, seu Abbate Montis Carmeli inter alios Didacus de Coria lib. 7, cap. 3, per totum, et fuse Petrus Thomas de Saracenis in Menol. par 1, fol. 77 usque 81, ex quibus et aliunde satis patet Basilidem hunc non Ethnicum et advenam, sed Catholicum Sacerdotem, Carmeli incolam, virum sanctum extitisse; nec Gentilium ritu, sed Christianorum more, per incruentum altaris Sacrificium, non diis gentium, sed Deo cæli viventi, idque in ara ac templo Deiparæ Virgini sacro, præsente Vespasiano, sacrificasse, (quod contigit anno Christi 68, ipso exordio belli Judaici, ante urbis Hierosolymæ excidium anno quinto. Vide Verronium in Nerone, licet Cornelius Tacitus Gentilis, in odium Christianorum, et favorem gentis suæ, prædicta aliter accidisse mentiatur. Sane Tertullianus vetustissimus et celeberrimæ famæ vir (qui haud longe post Cornelium, ann. Christi 197, florebat) hæc de eodem in Apologet. cap. 15. At enim idem Cornelius Tacitus, sane ille mendaciorum loquacissimus, in eadem historia refert. Hæc Tertullianus. Et quid mirum si nos illum mendacii arguamus, dum negat templum in Carmelo, sed aram tantum extitisse? reclamante expresse Josepho Antiocheno, de quo infra. Plura de prædicto Basilide dicenda occurrunt, cur scilicet illum Abbatem appellemus, et qualiter historia illa, de oraculo Carmeli tunc ad Vespasianum facto, in antiquis monumentis et picturis reperiatur, etc., quæ prolixitatis vitandæ caussa in aliud tempus et locum differimus.

Tacitus mendax.

d Ad citatum Suetonii locum ita commentatur Lævinus Torrentius : Carmelum vocant Tacitus et Suetonius Deum qui sine nomine est, et regnat in æternum. *Unde liquet ipsum quoque existimasse sacra isthic Christiana peracta. Tamen Paulus Orosius, lib. 7, cap. 9, scribit quibusdam in Carmelo monte seductos sortibus, quæ portenderent exortos a Judæa duces rerum potituros fore, prædictumque ad se trahentes in rebellionem exarsisse. Nisi forte etiam Christianorum vaticinia illi ad rem suam traxerunt.*

§ III.

AUCTORE SEGERO PAULLO.

§ III. *Idem Telesphorus Romanæ Ecclesiæ Pontifex creatur.*

Is itaque natione Græcus, ex Orientis partibus ortus, Anachoreta Eliani sive prophetici Carmelitarum instituti, ex eorum numero unus fuit, de quibus *a* Josephus Antiochenus vetustissimus Auctor, eidem contemporaneus loco supra citato, scribit in hunc modum : Perfectorum militum Christi, Apostolorum coadjutores surrexerunt, strenuissimi viri solitarii, contemplationique dediti, Sanctorum Prophetaram Eliæ et Elisæi sequaces : qui de Monte Carmeli descendentes, per Galilæam, Samariam et Palæstinam, fidem Christi constantissime sparserunt; quique in Virginis Mariæ honore in Carmeli Montis declivio fabricantes Oratorium Salvatoris Matri specialissime servierunt. Hæc ille. Ab his, inquam, perfectis militibus Christi virisque Apostolicis, Telesphorus fama sanctitatis inclytus, præclarisque in omnes meritis spectatus, descendit. Etquidem ex Anachoreta ipsum ad Pontificatum assumptum esse, *b* Liber Pontificalis S. Damaso Papæ inscriptus, et jam olim ab Ecclesia receptus, aperte contestatur.

a

Carmelitæ initio Ecclesiæ.

b

S. Telesphorus Pontifex eligitur.

6 Cum ergo eximia vitæ sanctimonia nedum Ordinem suum Propheticum exornaret, sed et clarissimis virtutum ac scientiarum radiis Romanam illustraret Ecclesiam, post dura Eremi certamina, summus in terra Christi Vicarius est factus. Nam post Sixti ejus nominis primi Pontificis sanctissimi martyrium, quo is anno Christi centesimo quadragesimo secundo coronatus est, cum cessasset Episcopatus dies dumtaxat duos, S. Telesphorus, qui ex Oriente religionis ergo jam ante Romam advenerat, unanimis omnium applausibus atque suffragiis nonus in ordine ad sacrosanctum illud summi sacerdotii solium Petri evectus est ad octavum Aprilis diem. Fuere autem S. Telesphori mores sanctorum antecessorum Pontificum persimiles, et omnino tales, quales sacrosanctam decebant dignitatem.

a Hæc Josephi Antiocheni in præsenti §, adducta Auctoritas, ab omnibus pene tam antiquis quam modernis citatur pro Carmelitana Antiquitate scriptoribus; nam præter auctores superiori §, memoratos Ribotum, Bostium, Palæonydorum, Didacum, proferunt eamdem Constitutiones Ord. Carmelitarum a Sede Apost. approbatæ part. 1, cap. 1, § 1. Joannes de Molinis in speculo historiali c. 4, qui claruit an. 1360. Bernardus Olerius, Generalis Ord. sui ad Urbanum VI, Pontificem Max. ann. 1378. Thomas Waldensis celeberrimæ famæ doctor et insignis sanctimoniæ vir, Doctrinalis fidei lib. 4, art. 2, cap. 27, an. 1420. Thomas Scropæus cognomento Bradley Episcopus Dromorensis, lib. ad Eugenium IV Papam an. 1440. Baptista Mantuanus notissimus Doctor ac Poeta, in Apologetico ad Sigismundum Cardinalem, an. 1480, et plures alii etiam non domestici. Ipsum autem Josephum Antiochenum claruisse anno Christi 130, videri poterit in Bibliotheca Tigurina fol. 517, et apud Antonium Possevinum Soc. Jesu, in Appar. sacro.

S. Telesphorus Carmelita.

Fuisse vero S. Telesphorum Carmelitanæ Religionis Professorem, partim antiqua istius Ordinis traditio, cum domesticis scriptoribus, præsertim Didaco de Coria Theologo. lib. 7 Dilucidarii sui cap. 11, testatur; partim etiam vetusta Ordinis ejusdem Breviaria ac mss. Psalteria declarant; tum denique et exteri non minimæ famæ viri huic nostræ assertioni subscribunt, ut inter alios Carolus Tapia, nono § citatus, de quo Philippus Metius Straubingensis, Superioris Germaniæ Carmelita, lib. de vitis illustriorum aliquot Ordin. Carmelitarum cap. 2. S. Telesphorus Papa, natione Græcus, fuit monachus Instituti Carmelitani, ut testatur Carolus Tappia in sua Chronica : Hic post multa salubria in Ecclesia decreta, et vitam sanctissime transactam, cum sedisset annis undecim, menses tres, Romæ pro fide Christi martyrium subiit anno 134, sepultus in Vaticano juxta corpus S. Petri. Ex Archivo Carmelitar. Hæc Philippus Metius qui supra. Ejusdem etiam Caroli Tapiæ mentionem facit Dominicus Gravina, Ordinis Prædicatorum in voce Turturis par. 2, cap. 15, dum ait : Cardinea vero, et Episcopali dignitate (in Carmelitarum Ordine) fulgentes multos recenset Carolus Tapia, Regens supremi Concilii, vir doctissimus et religiosissimus, lib. de Relig. et alii scriptores. Hæc Gravina Dominicanus. Accedit Joannes Carthagena Minorita, eodem 9 : sive ultimo § allegatus, qui ait : Sed et his non contentus, alios non minus insignes Sanctos nunc commemorabo. Hi sunt S. Telesphorus, S. Dionysius Papæ; qui fuerunt primi, qui ex monachis assumpti sunt ad Pontificatum. S. Anastasius Persa Martyr; S. Benedictus Papa et martyr. De quibus omnibus, tamquam de palmitibus vineæ Carmeli, Apostolica auctoritate fit officium in Ordine Carmelitarum, et appositi sunt in Calendario et Breviario sub nomine Carmelitarum. Hæc Carthagena inter plura alia.

b Sunt præterea in præsenti § tertio notanda verba illa Pontificalis Romani : Telesphorus natione Græcus, ex Anachoreta; factus scilicet Pontifex : Nam non ex parte Anachoreta, ut Platina, et Onuphrius non recte explicant, quasi pater seu genitor ejus Anachoreta vocatus fuerit, sed ex Anachoreta, hoc est, qui ante Pontificatum Anachoreticam seu Eremiticam vitam duxerit. Sanctus enim Damasus Papa, cui idem liber Pontificalis inscribitur, si tamen is auctor est, nec ullam quidem parentis Telesphori mentionem facit, cum nihilominus in aliis Pontificibus, quorum progenies ipsi innotuit, semper illam voculam : Ex patre, addere soleat, exempli causa : Linus natione Italus, patre Herculano : Cletus natione Romanus, patre Æmiliano : Clemens natione Romanus, ex patre Fausto; Anacletus natione Græcus, ex patre Antiocho. Hæc ibi : et sic deinceps. Dum autem summorum Pontificum genealogiam, seu patris nomen invenire nequit, statum seu conditionem eorum addere solet, ut in Dionysio : Dionysius ex monacho, cujus generationem invenire non potuimus : In Hyginio, Telesphori immediato successore : Hyginius natione Græcus, ex Philosopho de Athenis, cujus genealogiam non inveni, quod similiter in Sixto, Dionysii prædecessore repetit dicens : Sixtus natione Græcus, ex Philosopho de Athenis. Quod si ista Platinæ et Onuphrii explicatio valeret, jam æquali ratione Hyginium et Sixtum ex patre Philosopho, ac Dionysium ex patre Monacho (hoc est quorum parentes Philosophi, vel Monachi fuerint, vel appellati sint) natos dixerim; quod et ridiculum videtur, et communi Patrum ac scriptorum interpretationi repugnat. Siquidem nec apud Baronium vox illa (ex patre) addita reperitur, nec apud alios recentiores Auctores interpretatio ista locum habet, sed illa potius quam nos dedimus.

Ante Pontificatum Anachoreta.

§ IV. *Quadragesimam collapsam instaurat : Clero septem hebdomadarum abstinentiam a carnibus præscribit.*

Porro cum propagandæ, stabiliendæ, ac ornandæ Ecclesiæ vigilantissimus intenderet ac præsideret Pastor, plura utilia in ea sancivit decreta. Congregato namque Episcoporum concilio, statuit primo ut septem plenis hebdomadibus ante Pascha Clerici omnes a carne et deliciis jejunent. Sic enim ejus super hoc statuto sonat decretalis Epistolæ tenor : *a* Quapropter cognoscite (inquit) a nobis et a cunctis Episcopis in hac sancta et Apostolica Sede congregatis statutum esse, ut septem hebdomadas plenas ante sanctum Pascha omnes clerici in sortem Domini vocati a carne jejunent : quia sicut discreta esse debet vita clericorum a laicorum conversatione, ita et in jejunio debet fieri discretio, et infra : Et sicut hi amplius sunt applicati divinis cultibus, et familiares Domini dicuntur Salvatoris, ita moribus et conversatione atque sanctitate debent esse distincti. Has ergo septem hebdomadas omnes Clerici a carne et deliciis jejunent; et hymnis et vigiliis atque orationibus Domino inhærere diu noctuque studeant.

a

7 Hebdomadas jubet Clericos carnibus abstinere.

8 Præterea quadragesimale Jejunium tam clericis quam laicis commune, quod ab Apostolica quidem institutione manavit, cum fideles traditione dumtaxat servarent, atque de ejus observantia diversa esset consuetudo Ecclesiarum; nec non ob persecutionis acerbitatem multis in locis negligeretur; idem Sacer Pontifex primus edita constitutione Apostolica, perpetuo stabilivit. Nam ipsam Quadragesimalis Jejunii observantiam, ante Telesphori tempora S. Ignatius Episcopus et Martyr Apostolorum temporibus, scribens ad Philippenses suadet in hunc modum : Quadragesimale Jejunium ne spernatis; continet enim exemplum conversationis Dominicæ. Sic ille. Ut interim omittamus Apostolicum Canonem sexagesimum octavum idipsum præscribentem. Igitur hoc Jejunium sacrum S. Telesphorus tam exemplo quam doctrina, ritu sanctissimo ita confirmavit, et observandum decrevit, ut laicis omnibus quadraginta Jejuniorum dies sufficerent, clerici autem ob rationem dictam ad septem hebdomadas plenas idem Jejunium extenderent.

Quadragesimale jejunium lege sancit.

a Referuntur hæc in decret. cap. statuimus, dist. 4.

§ V.

§ V. *Tres Missas in Nativitate Domini celebrandas, et hymnum Angelicum, Gloria in excelsis, ac sacrum Evangelium in Missa recitandum decernit.*

3 Missæ in Nativitate.

Insuper, quantum ad Missarum solemnia instituit Primo S. Telesphorus ut in sacra nocte Nativitatis Domini tres celebrentur Missæ; Prima in pullorum seu galli cantu, jam nocte media proximante; quando Christus in Bethlehem nasci dignatus est. Secunda, illucescente Aurora, quando in cunabulis a pastoribus adoratus est. Tertia in ipsa hora diei Tertia, quando illuxit nobis dies Redemptionis nostræ.

Ut Gloria in excelsis.

10 In his deinde, atque aliis Missarum solemniis, hymnum Angelicum, Gloria in excelsis Deo, decantari præcepit dicens : Nocte vero sancta Nativitatis Domini Salvatoris Missas celebrent, et hymnum Angelicum in eis solemniter decantent et infra : Ab Episcopis autem idem Angelicus hymnus pro tempore et loco in Missarum solemniis celebrandus est, atque solemniter recitandus. Ad hæc quoque statuit, ut sanctum Christi Evangelium in Missa ante Canonem, veluti et prædictus Angelicus hymnus pronuntiaretur.

Evangelium.

Missæ solemnes ante Tertiam non fiant.

11 Denique, ut extra noctem Natalis Domini, ante horam diei Tertiam Missæ non celebrentur, instituit, subsequenti tenore : Reliquis etiam temporibus Missarum celebrationes ante horam diei Tertiam minime sunt celebrandæ, quia et eadem hora Christus crucifixus est, et super Apostolos Spiritus sanctus descendisse legitur. Hæc tamen notant quidam accipienda esse de his, quæ frequentiori usu in Ecclesia servarentur, cum alioquin multis constet exemplis, in sacris vigiliis noctu sacrificium offerri consuevisse. Attamen adhuc temporibus nostris sacrum solemne, quod conventuale dicimus, apud Religiosos præsertim ordines, ante horam diei Tertiam (quæ nobis Nona est) communiter, juxta eamdem S. Telesphori constitutionem, non celebratur.

§ VI. *Alia multa præscribit documenta.*

Quantum vero ad reliqua utilissima beati Pontificis documenta, quæ pro Christi fidelium instructione in prænemorata Decretali scribit Epistola, quæque inde veluti e fonte uberius, qui volet, haurire poterit, hæc pauca in præsenti annotasse sufficiat. Statuit namque in primis Episcopos ac Dei Sacerdotes a nullo sæcularium arguendos, accusandos, seu quibuslibet machinationibus maculandos esse. Ad hæc alienum servum, seu proximum nostrum non temere esse judicandum. Adjungit deinde, qui et quales in judicio accusatores admittendi sint. Multis præterea divinæ scripturæ testimoniis malitiam insidiatorum seu accusatorum Dei servorum demonstrat : Ac salubri tandem exhortatione omnes admonens, hanc inter alias, ad resistendum diaboli insidiis, congruam sub finem ejusdem Epistolæ suæ adducit sententiam dicens : Tales enim membra sunt diaboli, qui sursum atque deorsum pervolans, quærit quos possit occidere, quos possit separare, quos possit devorare. Propter quam rem vigilandum est, et armis cælestibus sumus muniendi, ne in ejus compedes incidamus, aut ejus foveis illaqueemur.

Varia utiliter a Telesphoro statuta.

§ VII. *Sollicitam Ecclesiæ curam gerens Telesphorus, per diversas orbis partes divini verbi præcones mittit.*

Verumtamen, ut nedum scripto et doctrina per semetipsum, sed et per idoneos ministros commissum sibi Ecclesiæ ovile fidelissimus Pastor quaqua versum per orbem terrarum studiose curaret, et evangelicæ doctrinæ pabulo esurientes oves pasceret, errantes seu devias Dominicis humeris reimponeret, triginta tres, juxta annorum Christi numerum, ex omni selegit fidelium multitudine viros, vita ac doctrina spectatos; quos juxta illud Magistri sui, euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ, ad simile Evangelici muneris officium selegit. Ex his autem in quatuor a se habitis ordinationibus Episcopos creavit tredecim, Presbyteros duodecim, et Diaconos octo; prout in Pontificali Romano his verbis scriptum reperitur : Hic fecit Ordinationes quatuor per mensem Decembrem, Presbyteros XII, Diaconos VIII, Episcopos per diversa loca XIII. Et hos quidem Episcopos in diversas, ut dictum, misit orbis terræ provincias, Presbyteros vero et Diaconos in Romanæ urbis et vicinarum partium adhibuit ministerium. Recenseri etenim idcirco solent in singulis Romanis Pontificibus non solum ordinationes Clericorum, qui Ecclesiæ Romanæ usui essent, sed et Episcoporum, qui in diversas, longeque dissitas provincias mitterentur : ut vel ex his etiam perspicuum reddatur, fuisse muneris Romanorum Pontificum, non solum urbis, sed et orbis totius Ecclesiæ consulere.

Varios ordinat et ad prædicandum mittit.

§ VIII. *Valentino et Marcioni hæresiarchis, suis temporibus exortis, cum ceteris Apostolicis viris fortiter resistit.*

Consuluit sane Telesphorus Ecclesiæ, modo jam dicto : et non hoc solum, verum etiam cum adverteret suo tempore impiam inter Christi fideles disseminari hæresin Valentinianam, quæ tam in Christum Dei filium, quam in Matrem ejus benedictam blasphema erat; Apostolico armatus zelo, eam debellare aggressus est, ipsamque anathematis fulmine damnavit. Hic quippe Valentinus hæresiarcha, Platonicus Sectator, Antonino imperante ac B. Telesphoro quartum in Pontificatu annum agente, inter alia dogmata perversa docere cœpit Christum Salvatorem nostrum, sic quidem de Virgine natum, ut ex ea tamen nihil carnis acceperit, sed per ipsam velut per canalem seu fistulam transierit, carnemque de cælo secum devexerit. Negabat et Resurrectionem ejusdem carnis, sed aliud esse ex alio corpus componendum, imo nec omnium esse resurrectionem. Addebat Deum creatorem temporis habuisse initium : et his similia. Prodiit insuper ejusdem Pontificis Telesphori quinto, ex quo sedere cœpit, anno, teste Tertulliano, Marcion itidem hæresiarcha, Stoicorum scholæ Philosophus, Cerdonis discipulus, qui uti et magister suus, duos ponebat Deos sibi contrarios, quorum alter bonus, malus alter esset; unus veteris auctor legis, alius novæ; a malo Deo mundum creatum esse, a bono restitutum, ac redemptum. Respuebat ipse vetus testamentum tamquam a malo Deo prolatum, novum vero pro libitu suo mutilabat, aliaque absurda multa et damnata superaddebat dogmata; ipsum nimirum diabolum Deum faciens : ut non immerito S. Polycarpus, D. Joannis Apostoli discipulus, ipsum (ut B. Irenæus attestatur) primogenitum satanæ nuncupaverit.

Valentini et Marcionis hæreses.

His resistit S. Telesphorus.

15 Per hos igitur Valentinum ac Marcionem hæresiarchas eorumque Discipulos, Catholica Ecclesia miris vexata pressuris, longeque molestius ac periculosius horum circumventa dogmatibus quam gentilium persequentium exagitata cladibus, diruta ferme atque convulsa fuisset, nisi super firmam Petram fundata, atque in Petro (ejusque temporibus istis successore Telesphoro) Christi promissionibus stabilita, omnibus hostium, et adversantium potestatum ictibus fortior atque solidior semper inconcussa mansisset.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

Auctore Segero Paullo.

sisset. Hic nempe Pontifex sacerrimus, ceterique quos ea tulit ætas, Apostolici viri, pro veritate tuenda, adversus tantam impostorum colluviem, egregiam navarunt operam. Factumque hinc est, ut magistra veritate, hæretica improbitas, ac probitas Catholica, singulæ suis distinctæ characteribus, agnoscerentur, et illa quidem condemnaretur, hæc autem commendaretur.

§ IX. *Illustri coronatur martyrio Telesphorus, et annua ejus in Ecclesia celebratur festivitas.*

Martyrium subit.

Tandem vero bonorum operum gloria clarissimus Pontifex, cum sedisset annos undecim, menses novem, triduo minus, felici cruore aspersus, ad cælestem patriam magno bonorum omnium gemitu, cum palma migravit martyrii anno Christi centesimo quinquagesimo quarto, *a* Nonis Januarii : sepultusque est in Vaticano, juxta corpus B. Petri Principis Apostolorum. Ejus porro cum illustris martyrii, tum pro Ecclesia impensi studii, Romanum Martyrologium ad quintum diem Januarii meminit in hunc modum : Romæ, S. Telesphori Papæ, qui sub Antonino Pio, post multos labores pro Christi confessione illustre martyrium duxit. Sed et D. Irenæus de eodem : Gloriosissime (inquit) martyrium fecit. Tertullianus etiam, in poemate contra Marcionem, a se, cum esset junior, scripto, de eodem his versibus :

Post expleta sui qui lustri tempora, tradit
Telesphoro : *excellens hic erat, Martyrque fidelis.*

Colitur 5 Januarii.

17 Memoria autem ejus anniversaria non tantum in tabulis Ecclesiasticis Martyrologii Romani, ut jam vidimus, notata reperitur, sed et Clemens Octavus Pontifex Maximus, hoc nostro sæculo, videlicet anno Christi millesimo sexcentesimo secundo, ipsum Romano Breviario, a se reformato inseruit : Tametsi etiam Carmelitarum Ordo ante illa tempora ab antiquo ejus festivitatem annuam quinto die Januarii celebraverit; quo die ipsum in antiquis manuscriptis Psalteriis Carmelitarum annotatum vidimus. Quod proinde jure optimo pro stabilienda Carmelitana antiquitate notavit vir eruditus Joannes de Carthagena Ordinis S. Francisci in Homiliis suis super festo Commemorationis solemnis B. Dei Genitricis Mariæ de Monte Carmeli. Sed et ante ipsum Carolus Tapia supremi Concilii Regens, vir religiosissimus, pariterque doctissimus lib. de Relig. eumdem S. Telesphorum Carmelitanæ adscribit Religioni.

a *Græci eum colunt* XXII *Febru. ut patet ex Menæis.*

DE S. SAI MARTYRE.

V Januarii.

Menæa hunc mari mersum disticho encomiastico celebrant. Alibi altum de eo silentium.

DE SANCTIS MARTYRIBUS AFRICANIS
FELICE, SECUNDO, HONORIO, LUCIANO,
CANDIDO, JANUARIA, CÆLIFLORIA, JUCUNDO,
ACUTO, PETRO, MARCO,
SEVERO, ANASTASIA, TELESPHORO.

V Januarii.

Hi socii fortassis eorum fuere, de quibus VI *Januarii agemus, qui Severi tempore incendio consumpti. Suntque aliqui cognomines, aut certe iidem utroque die relati. Horum nomina extant in Martyrologio S. Hieronymi :* In Africa, Felicis, Secundi, Honorii, Luciani, Candidi, Januariæ, Cæliforiæ (*an* Cælii et Floriæ, *vel* Floræ?) Jocundi, Acuti, Petri, Marci, Severi, Anastasi MS. *Rhinow.* In Africa Felicis, Secundi, Luciani, Jocundi, Petri, Marci. *Notkerus :* In Africa, Felicis, Secundi, Honorii, Luciani, Candidi, Januarii, Telesphori, Jocundi, Anastasiæ. *Idem* VI *Januar.* In Syria S. Anastasiæ. *An eadem est quæ hic refertur? nullam in Syria Anastasiam alibi lego. Nisi sit* Anastasius *de quo agemus* IX *Januar. cum S. Juliano passus* VI *Januar. Usuardi editio Coloniensis anni* 1521. In Africa, Felicis, Secundi, Honoris, Luciani, Candidi, Januarii. MS. *S. Martini Tornaci :* Eodem die Sanctorum Honorii, Luciani, Jocundi. MS. *S. Mariæ Ultrajecti :* et Sanctorum Felicis et Amandi. MS. *S. Martini Treviris :* Felicis et Amandi.

DE SS. EUPREXIA VIDUA
ET THEOGNIA VIRGINE.

Circiter an. Christ. CCLXXX. V Januarii.

Menis, sive Menæi, (oppidum est Siciliæ antiquissimum inter Ennam et Syracusas) Commemorationem hodie agi BB. Euprexiæ *viduæ, et* Theogniæ *Virginis, matris et filiæ, ad quas S. Agrippinæ corpus Roma deportatum, Imperatoribus Valeriano et Gallieno, testatur Octavius Cajetanus Noster et Ferrarius in Generali catalogo Sanctorum* S. Agrippinæ *meminit Martyrologium Romanum* XXIV *Maji, et* XXIII *Junii.*

DE

DE SANCTIS MARTYRIBUS

IN THEBAIDE PASSIS SUB DIOCLETIANO.

CIRCITER AN. CCCII. V JANUARII.

Cum plurimi sint in Thebaide Ægypti provincia gravissima pro Christi nomine perpessi, quorum non Acta modo, sed et nomina intercidere, omnium simul memoriam consecravit Ecclesia hoc die, quo in Martyrologio ista leguntur : In Ægypto commemoratio plurimorum Sanctorum Martyrum, qui in Thebaide sub persecutione Diocletiani diverso tormentorum genere cæsi sunt. *Horum certamina describere dicitur Eusebius libro de Martyribus, si aliud id est opus ab Ecclesiastica historia. In hac lib.* 8, *cap.* 8, *eorum conglobate cruciatus narrat, atque ex eo Baronius tom.* 2, *an.* 302, *num.* 75, *et seq. Nicephorus lib.* 7, *cap.* 8. *Ruffinus lib.* 8, *cap.* 8, *ita Eusebium interpretans :*

Horum in sacris fastis memoria :

2 Apud Ægyptum innumerabiles alii non inferiori gloria tam viri quam feminæ, sed et pueri ac senes, pro fide Domini nostri JESU CHRISTI præsentem vitam parvi pendentes, futuræ gloriæ beatitudinem quæsivere. Quidam ex ipsis post verbera, post vincula, post ungulas, post flagella, aliosque diversi generis horribiles cruciatus, flammis traditi sunt; alii in mare præcipitati; nonnulli etiam capite cæsi, ita ut sponte cervices suas securibus darent; nonnulli inedia consumpti; alii patibulis affixi, in quibus quidam more perverso capite deorsum presso, et pedibus in sublime sublatis.

Varia tormenta.

3 Apud Thebaida vero omnem narrationem superat agitata crudelitas. Pro ungulis testas fictilium vasorum adhibebant tortores, quibus omne corpus eo usque lacerabant, donec totam carnis eraderent cutem. Mulieres quoque nudas, ita ut ne pudenda quidem contegerentur, arte quadem compositis machinis uno pede in excelsum suspensas, et capite in terram demersas, indignissimo spectaculo expositas, pendere per diem continuum sinebant. Alias sicubi vicinæ sibi duæ arbores inveniebantur, vi quadam ab utraque inflexis contra se invicem ramis, eisque singulis singulos pedes Martyris obligantes, subito ramos, quos vi inflexerant, relaxabant. Qui cum ad situm suum naturali impetu referrentur, discerptis * dissecatisque visceribus, avulsa secum membra rapiebant. Et hoc non paucis aliquibus diebus, aut parvo tempore, sed per annos aliquot, quotidie, quando minimum decem, interdum autem et centum in una die viri vel mulieres, sed et parvuli supradictis pœnarum generibus trucidabantur.

Præsertim in Thebaide.

* *Ita editio Jo. Schalli. at Beati Rhen.* despicatisque.

4 Verum et nos ipsi per idem tempus, cum in Ægypti partibus iter ageremus, oculis nostris inspeximus, ut sedenti pro tribunalibus sævissimo Præsidi, offerrentur innumeri fidelium populi, quos ille singulos per ordinem confessos se Christianos, capite plecti jubebat. Cumque hi certatim se et sponte gladio subjicerent, confessione præmissa, ille inhumanus et crudelis, nec multitudinis contemplatione, nec virtutis eorum magnanimitate permotus, duci nihilominus omnes et cædi capite jubet. Egrediuntur cuncti pariter ad contiguum mœnibus campum, non carnificum nexibus tracti, sed fidei vinculis conligati. Nemo defuit, cum nemo eos servaret : sponte omnes, imo et alter alterum prævenientes, cervices cædentibus objectabant. Defecerunt carnificum manus, et succedentes sibi invicem fatigati sunt : hebetata est acies gladii. Videbam fessos residere carnifices, vires resumere, animos reparare, mutare gladios; diem quoque ipsum non sufficere ad pœnam. Nullus tamen ex omnibus, ne parvulus quidem infans, deterreri potuit a morte. Sed hoc solum singuli pavescebant, ne forte, dum properum sol vergens clauderet diem, separatus a consortio Martyrum remaneret. Sic confidentia fidei constanter et fortiter cum lætitia et exultatione mortem præsentem, velut æternæ vitæ principia, rapiebant. Denique dum priores quique jugularentur, reliqui non desidiæ aut torpori animos indulgebant; sed psallentes, et hymnos Deo canentes, locum quisque sui Martyrii expectabat, ut hæc agentes, etiam extremos spiritus in Dei laudibus exhalarent. O vere mirabilis, et omni veneratione dignus grex ille beatorum, turma virorum fortium, corona splendoris gloriæ Christi!

Spectavit ista Eusebius.

Mira alacritas.

Præparatio ad martyrium.

DE S. THEOIDO MARTYRE.

V JANUARII. *S. Theoidum a carnificibus protritum celebrant Græcorum Menæa. Nihil de eo alibi legi.*

DE S. DOMNONE MARTYRE BERGOMI.

SUB. MAXIMIANO. V JANUARII.

Bergomi XVI *Julii S.* Domnio *colitur. Ejus nepos* Domno *fuit, idemque avitæ heres magnanimitatis et gloriæ, frater S. Eusebiæ Virginis et Martyris, quæ* XXIX *Octobris celebratur. Hunc* V *Januarii passum ita celebrat Galesinius :* Bergomi S. Domnionis Martyris, qui Maximino Imperatore pro Christi fide cruciatibus affectus, demum constantissime palmam Martyrii tulit. *Citat Ecclesiæ Bergomensis monumenta. Ferrarius in Generali catalogo Sanctorum :* Bergomi in Gallia Cisalpina S. Domnonis Martyris sub Maximiano. *Idem in Catalogo Sanctorum Italiæ vitæ illius compendium refert, traditque ad ejus avique commune sepulchrum Ecclesiam nunc S. Andreæ stare. Domnonis certanem breviter complexus est Joannes Antonius Guarnerius in libro de SS. Bergomensibus, ita scribens :*

S. Domno nepos S. Domnionis.

2 Domno Domneonis nepos avitos mores et disciplinam imitatus, compositis suis rebus, Eusebiaque sorore herede instituta, in conspectu Præsidis, quem Maximianus ad inspiciendas res Bergomates miserat, se Christianum esse, præsenti animo professus est : idcirco statim in carcerem conjicitur. Paullo post cum

Acta S. Domnonis.

Ex prunis corona.

Ex Ruffino. cum eductus esset, ardentibusque prunis in caput injectis torreretur, non modo non questus est, sed immortales Deo gratias egit, qui occasionem cælestis coronæ adipiscendæ obtulisset. Virtutis ejus admiratione Consiliarius, qui Præsidis erat intimus, ad Christi fidem conversus est. Ipse cum diutissime acerbissimis tormentis excruciatus esset, et ludibrio habitus, tandem extra portam necatus est, et laurea triumphali coronatus cælum ascendit : ejus corpus in avi sepulchro repositum est Nonis Januarii, anno CCCVII.

Consiliarium Præsidis convertit.

DE S. THEODORO

MARTYRE CALARITANO.

V Januarii. *Tradit Seraphinus Squirrus Sanctuarii Calaritani parte* 1, *lib.* 3, *cap.* 1, *dum subterranea basilica S. Restitutæ mundaretur, terraque egereretur; repertam esse, inter alia isthic conditorum Sanctorum monumenta, tabulam marmoream, magnitudine palmi ac semis; cui hæc insculpta erant verba :*

Inscriptio sepulchri S. Theodori.

✠ IK IAKET B. M. THE
ODORVS OPT. QVI
VIXIT AN. PLV
MN. XXXXV REQVI
EBIT IN PAKE. NO
NIS IANVARII IND. IIII. ✠

Observat idem auctor, ut hic Theodoro titulus Optimi *tribuitur, ita alibi legi :* S. Restitutus fidelis, Sanctus Acajus qui vixit pius et justus; Sanctus Guisitanus Pius. *Conjicit vero non solum gente Sardum fuisse, et Calari passum, sed videri eadem, qua S. Restitutam S. Eusebii Vercellensis matrem, tempestati martyrium subiisse. Quæ vero ab antiquo S. Theodori nomine dedicatæ visuntur in Sardinia Ecclesiæ, qui vulgo* Santu Teru *appellatur, huic ait videri Sancto erectas. Talem extare Barumini oppido nobilissimæ Zapatarum domus, quæ Patribus Capucinis tradita est, ædificato juxta eam a Leonora Zapata et filiis Monasterio. Demum in eadem S. Restitutæ crypta fuisse conditas S. Theodori reliquias, etsi necdum repertæ sint, extra quæstionem ponit idem Seraphinus. De S. Restituta agemus* XV *Junii.*

Vulgo Santu Teru *dicitur.*

Ubi sepultus.

DE S. SYNCLETICA

SACRARUM VIRGINUM ANTISTITA.

Sub Constantino M. V Januarii. *S. Syncletica a Græcis* 4 *Januar. colitur.* *Syncleticæ Virginis Ægyptiæ celebris extat in Martyrologio Romano memoria* V *Januarii.* Alexandriæ S. Syncleticæ, cujus res præclare gestas S. Athanasius litterarum monumentis commendavit. *Hoc quoque die eam refert Molanus in Addit. ad Usuardum. At Græci* IV *Januarii eam venerantur. Menologium :* Eodem die commemoratio S. Encleticæ Virginis. *Menæa hoc vitæ ejus compendium exhibent :*

Syncletica vitæ servitutem deserens
Convivit electis Dei serva in polo.

Hæc illustri genere orta, claraque opibus, et in Deum pietate, propter splendorem generis copiamque divitiarum a multis in sponsam et uxorem petebatur : sed illa toto desiderio in Deum ferebatur. Unde demum omnibus mundi curis abdicatis se totam ad religiosas exercitationes studiaque transtulit. Hostem autem nacta adversarium, priusquam a corporis vinculis solveretur, animo jam tum peregrinabatur ad Deum. Sub finem autem vitæ ab generis humani hoste exagitata est. Nam quemadmodum magnus ille Jobus, cum ingentibus corporis morbis conflictata, et verberibus et cicatricibus corpus depastum est. Decessit cum annum ageret octogesimum; quo ipso tempore nihil unquam de solitis exercitationibus præteritæ vitæ remisit, sed ex ipso certamine laborum ad Dominum emigravit.

Vita a S. Athanasio scripta. 2 S. Syncleticæ *vitam scripsit Magnus Athanasius, teste Nicephoro lib.* 8, *cap.* 40, ut sicut in hoc mulieres, ita in illo scripto (*vita Antonii*) viri, quod sequerentur institutum, tamquam in commentario expressum haberent. *Eam vitam periisse non sine gravi totius orbis Christiani jactura, queritur Baronius. Verum tandem in Escuriali Regis Catholici Bibliotheca reperta est, et Latine reddita a Davide Colvillo Scoto, atque ab eo ad Andream Scottum nostrum transmissa, in cujus schedis eam reperi : sed, quod doleo, pueri manu incorrecte variis locis transcriptam. Eam igitur hic dabo : Ex qua in vitis PP. varia S.* Syncleticæ *Apophthegmata referuntur; quæ suis locis adnotavimus. Jacobus Pontanus Noster una cum opusculis Simeonis Junioris Theologi, aliquot aliorum Auctorum capita ascetica de disciplina monachorum olim edidit, interque ea ex S. Syncleticæ vita decem, quæ suis locis indicabimus.*

NOT. 77.

Latine reddita a Davide Colvillo.

De altera Syncletica Virgine hoc ipso die inferius agemus, ubi et de tertia a Cœlio Sedulio celebrata.

VITA

AUCTORE S. ATHANASIO

INTERPRETE DAVIDE COLVILO.

Præfatio.

Omnes homines bonis decet studiis incumbere, quibus si vitam excolerent, non utique ita obnoxii essent damnis. Nam multa utilia sæpe latent simplices, propter imperitiam rerum; quia jam hebetatus est animus eorum socordia : et sæpe etiam pretiosæ margaritæ incidunt in manus pauperum et tenuium, qui nullam unquam notitiam habuerunt margaritarum, qui spernunt illas et abjiciunt tamquam res nullius momenti : sicut et nos cum incidimus in margaritam hanc, velut qui simplici animo eramus et inexperto, nihil magni concipiebamus de ea; intenti tantum exteriori figuræ. Quam longe fateor aberamus a notitia et dignitate gemmæ : et cum modicum cæpimus postea instrui de ea, amor quidam cælitus accendere videbatur studium ad diligentius considerandum id quod oculis tantum usurpabamus; atque etiam ipsi progressus quos indies feliciter faciebamus in cognitione ejus, ad laborem nos animabant.

Syncletica margarita multis incognita.

NOT. 78.

2 Quorsum

2 Quorsum autem traducam quempiam ex iis, quos vivere scimus? quin potius me ipse connumerem inter eos, qui nihil adhuc noveram aut publicaveram de venerabili Syncletica? cujus quidem vitæ enarrandæ, *Ejus pretium inenarrabile.* vix puto omnes humanæ eloquentiæ vires sufficere posse; ut si quis sapientissimus licet dicendi et rerum cognitione versatissimus alioqui, munus istud aggrederetur, quam longe, puto, a proposito fine deficeret. Nam quemadmodum ii, qui pertinacius insistere conantur in radiis solis, eo magis semper offendunt visum; sic et qui intueri conantur vitam et actiones Syncleticæ, non mirum si a magnitudine rerum, velut vertigine correpti, sentiant confusionem in animo.

Un dehæc acceperit Athanasius. 3 Sed nos pro tenui nostra facultate quasi per vestigia quædam rimantes, quæ strictim accepimus a coætaneis de prima ætate ejus, et quæ ex ipsis rebus hausimus, eo animo accessimus ad scribendum, ut NOT. 79. epulas salutares nobis ipsis recondiremus. Nam res gestas illius pro dignitate scribere, non solum nobis τῶν ἀδυνάτων, sed et cuivis alteri perarduum erit.

CAPUT I.

S. Syncleticæ genus, adolescentia.

Oriunda est e Macedonia. Syncletica (ac si Latine senatoriam diceremus, accepta nomenclatura a cælesti Senatu) Macedonia oriunda est. Nam majores ejus cum audissent famam religionis Alexandrinorum, relicto patrio solo, Alexandriam petunt, quæ olim ab Alexandro Macedone condita est. Ubi paululum commorati essent Alexandriæ, et reperissent omnia majora fama, cœperunt eam cum studio incolere; non frequentia populi, nec amœnitate urbis capti, sed uniformi fide, et sincera caritate, alteram patriam in incolatu posuerunt Alexandriæ.

Genere nobilis. 5 Genere quidem et sanguinis nobilitate illustris fuit, tum aliis vitæ pietatis commodis et bonis ornata, hæc nostra Syncletica. Soror ei unica et unanimes fratres duo: quorum alter statim in limine pueritiæ cessit naturæ, alter vero sub annum vigesimum quintum destinatus thalamis a parentibus, et tabulis de more compositis, et aliis omnibus rebus ad nuptias præparatis, jam jam ducturus adolescens uxorem, evolat e clathris, et sponsam terrestrem cum Sanctorum illibato cœtu commutavit.

A teneris pia. 6 Syncletica vero cum hæreret adhuc in ulnis parentum, in tenera ætate cœperat animum vera pietate imbuere: nec tantum impendebat curando corpori, quantum animo, ut quæ omnes motus animi observaret.

A procis expetitur: 7 Forma autem pulcherrima erat, ut multi eam ambirent in thalamos sub primam ætatem, allecti qua opibus, qua parentum honestate, et qua denique pulchritudine puellæ. Et parentes etiam serio adhortabantur eam ad nuptias, ut in qua conservationem generis sui collocassent: sed illa, nequaquam cedens consiliis parentum, animo firmo manebat: mundanas has nuptias auretenus admittens, cælestes hymenæos *Eos rejicit.* cogitabat: et contempta procorum manu unicum Jesum Christum in cælestem sponsum elegit.

8 In Syncletica videre est genuinam discipulam * B. Theclæ, quæ eisdem vestigiis incederet. Unus * De qua 23 septemb. ambarum procus, Christus scilicet; unus auspex et paranymphus, nimirum Paulus; idem communis *S. Theclæ comparata.* thorus, Ecclesia nimirum. Epithalamium cecinit ipsemet Propheta David, qui in cymbalis rite sonantibus amat quam concinne oblectare animas Deo consecratas, et cantica præstantissima modulari tympanis et decachordo. Maria Moysis restim duxit NOT. 80. choreis, præcinens illud: Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est. Fercula etiam posita in medio Exod. 15. 1. vescentibus: Eja gustate, inquit, et videte quoniam Psal. 33. 9. suavis est Dominus. Denique eadem textura et stamen Gal. 5. 27. flammeolorum virginalium utrique. Nam quicumque in Christo baptizati sunt, Christum induerunt. Unde uniformis erat amor utrique erga Christum; quia eisdem dotibus donatæ eisdem studiis incumbebant. Theclæ quidem martyria nulli non nota, per ignes, per feras, et per quæ non tormenta cruciatæ. Nec minus notos arbitror laudabiles sudores et labores Syncleticæ. Nam cum unus et idem dilectus fuerit utrique sponsus, nimirum Christus Dominus, necesse est eumdem fuisse adversarium utrique, diabolum scilicet. Sed in Thecla quidem moderatiores existimo fuisse cruciatus; cum malignitas adversarii in illa grassata videatur in corpore tantum, et in rebus exterioribus: sed in Syncletica, in animo et interioribus; ac proinde omnia acerbiora; cum prælium excitaverit per perniciosas cogitationes animi.

9 Sed numquam pretium vestium fascinavit oculos *Superat omnes illecebras.* Syncleticæ; numquam gemmarum splendor dementavit animum illius; numquam sistra præstrinxerunt autes; numquam Tyria nec deliciæ frangere potuerunt NOT. 81. tenorem animi; non lacrymæ parentum emollire; non consanguineorum preces flectere potuerunt: sed adamantino vigore animi avertebat exteriora spiramenta sensuum ab his omnibus rebus, et præcludebat veluti fores, secreto tractans omnia cum interiori novo sponso, quem jam elegerat, et solemne carmen illud accinebat ei: Dilectus meus mihi et ego illi. Cant. 2. 16. Et cum pestifera colloquia aut conversationes aliquæ malesanæ offerebantur, sedulo eas evitabat, seipsam recolligens ad interiora adyta cordis: ubi vero aliquid salutare agebatur, aut admonitiones spirituales tractabantur, sæpe recolebat eas memoria, et animum oblectabat recordatione earum.

10 Quod vero ad corpus attinet, non immemor *Abstinentiæ dedita.* erat salutaris illius medicinæ, quæ in abstinentia consistit: nam valde familiarem sibi et ordinariam eam fecerat. Appetebat semper æqualis esse reliquis: nam abstinentiam reputabat esse custodiam et fundamentum omnium aliarum virtutum. Et urgente aliquando necessitate si aliquid sumendum erat extra consuetum tempus, non solum non sumeret aliquid, sed penitus abstineret, et inter eas maneret, quæ non comedebant. Unde facies pallebat, et attenuata erat moles corporis. Nam flaccescente quod movet, necesse est una alterari quod movetur: quomodocumque enim principium se habet, reliqua quæ inde dependent quasi omnino sequuntur, et attestantur principiis. Quibus enim cibus ingeritur cum gustu et copiose, iis floridus est habitus corporis: quibus vero e contra subtrahitur, tenuis et sublestus est. Infirmi enim fidem faciunt ei quod dico. Ideo B. Syncletica operam dabat, ut corpore detereretur, et animo vigeret. Faciebat enim juxta id quod ab Apostolo dictum est: 2. Cor. 4. 16. quo magis exterius homo infirmatur eo magis interius renovatur. Et cum seipsam exercebat, illud faciebat in secreto, ut lateret alias.

CAPUT II.

Religiosæ vitæ illustria tirocinia.

Cum vero parentes illius jam supremum diem obiissent, tunc magis inspirata Spiritu et divino consilio, reliquit domum patris: et unicam sororem accepit secum, quæ jam oculis capta erat; et in monumentum quoddam affinis secessit paululum ab urbe remotum, venditis omnibus facultatibus, quæ a parentibus relictæ fuerunt, et statim distributis pauperibus: ac denique accersito sene quodam provectæ NOT. 82. ætatis, curavit præcidi comam capitis sui. Tunc enim primum dicitur abjecisse omnem κόσμησιν, hoc est mundum et compturam. Nam in usu erat apud mulieres, ut comam vocarent κόσμον, et cum comam ponerent dicebantur posuisse mundum et compturam.

Erat

AUCTORE S. ATHANASIO.

Erat autem præscissio ista comæ, symbolum jam animum purum esse, et expurgatum ab omnibus superfluitatibus, et excrementis; et tunc primum dignata est, ut solemni nomine vocaretur Virgo.

Curat comam sibi præscindi.

Dat sua pauperibus.

12 Cum autem bona sua distribuerat pauperibus, referunt ad hunc modum prælocutam esse : Magno quidem nomine accepta sum : non suppetit quod retribuam pro merito ei, qui me isto nomine donavit. Nam si in vilissimis rebus mundi hujus mortales omnes facultates suas impendunt, ut corruptibilem honorem consequantur; quanto magis me decet et corpus una cum putatis bonis ei consecrare? Sed quid nomino bona aut corpus? cum omnia sint illius, juxta id quod scriptum est : Domini est terra, et plenitudo illius. Atque ita cum verbis iis humilitatem amplexa, ut cum Apostolo loquar, tranquillitatem vitæ solitariæ elegit.

Psal. 23. 1.

Antea se ad vitam asceticam pararat.

13 Verumenimvero et dudum intra privatos parietes parentum, jam satis superque præexercitata fuit laboribus; et nunc in stadium producta, admirabiles progressus in virtute edidit. Nam quicumque inconsulto et re non bene expensa accedunt ad mysterium istud, deficiunt a proposito, non considerantes ante ea, quæ rei particulariter insunt. Sicut igitur illi, qui iter facturi sunt, primum curam agunt viatici : ita et Syncletica seipsam præparans exercitiis anteactæ vitæ, velut viatico, intrepide aggressa est iter ad superiora. Nam ante reponens omnia quæ necessaria erant ad ædificationem, exstruxit arcem suam munitissimam. Verum si spectetur ars ædificandi; domus exstruitur ex materia et rebus exterioribus, sed illa contrarium fecit : non enim emendicavit materiam a rebus externis, quin potius seipsam nudavit interius. Nam bona sua distribuens pauperibus, et iram omnem deponens ac memoriam injuriarum, abjiciensque invidiam et ambitionem, ædificavit domum super petram. Perillustris quædam hæc arx et domus est nulla unquam tempestate labefactanda.

Statim superat provectiores.

14 Sed quid opus est multis? prætergressa est initio vel eas quæ jam confirmatæ erant in habitu vitæ solitariæ. Sicut pueri qui solertiori ingenio prædíti sunt, etiam cum in elementis versantur apud magistros, contendunt cum provectioribus in ludo, et iis qui ætate et etiam tempore eos antecedunt; sic et B. Syncletica fervens spiritu prætergressa est alias omnes in asceticis.

NOT. 83.

Occultat bona sua opera.

15 In primis vero cavebat, ne bonæ suæ actiones divulgarentur aut innotescerent aliis, quæ cum illa degebant : nec tantum dixerim curæ ei fuit eas fecisse, quantum ut fierent cum hac cautione, ne aliis innotescerent. Neque vero hoc faciebat ex æmulatione et invidia. Semper enim memoria tenebat dictum illud Domini : Si quid fecerit dextera tua, nesciat sinistra. Atque ita secreto faciebat omnia, quæ ad professionem vitæ solitariæ pertinebant.

Matth. 6. 3.

Vitat consortia virorum et mulierum.

16 A prima vero pueritia usque ad provectiorem et statam ætatem, non solum ab omni virorum consortio abstinebat, sed etiam ut plurimum muliebres recusabat congressus : idque duabus in primis de causis; ne scilicet vel nimium sibi cederet in gloriam exemplaris ille asceticæ vitæ rigor, aut ne quando distraheretur inde propter necessitates corporales.

Observabat etiam animi motus primos.

17 Sic igitur observabat primores insultus animi, non permittens eis, ut distraherentur a cupiditatibus corporeis, sicut in arboribus oportet præscindere, quæ fructum non ferunt, ramalia. Sic Syncletica semper operam dabat producere fructum animi per jejunia et orationes, subjugans appetitum per varios labores.

18 Non solum vero contenta erat natura panis et succulenta pinguedine; sed etiam tenui aquæ paupertate, quæ nullis aut paucis artificiis culinæ indiget. Quandocumque igitur adversarius classicum canebat ad bellum, ante omnia vocabat Dominum ad auxilium : nec solum contenta tenui cibo, in quo parum artificii adhibendum erat, seipsam macerabat; sed etiam operam dabat abstinere omnibus rebus, quæ voluptatem saperent. Pane furfuraceo vescebatur, et sæpe aquam bibebat, et humi dormiebat aliquousque. Cum classicum canebatur ab adversario, istis armis utebatur, orationem induebat cassidem contextam ex fide, spe, et caritate, fides quidem familiam ducebat : aderat etiam eleemosyna si non effectu, saltem affectu : his armis palmam referebat de adversario.

Austeritas ejus in victu et strato.

Arma contra dæmonem.

NOT. 84.

19 Verumenimvero rigorem hunc exercitii temperabat, et seipsam subinde sublevabat, ne membra mortalis corpusculi confestim labascerent : quod quidem signum erat victoriæ; deficientibus enim armis, quæ spes pugnæ esse potest etiam veterano militi? nam quicumque immoderata et indiscreta inedia seipsos absumunt, lethalem plagam inferunt sibi ipsis, et seipsos perdunt, ac si facerent id rogatu adversarii. Verum Syncletica non ita, sed omnia gerebat cum discretione et prudentia : nam inimicum animose propulsabat orando, et exercitiis spiritualibus animi : sed interim eam sollicitudinem corporis gerebat, quæ necessaria erat ad securitatem naviculæ. Nam quemadmodum nautæ, præsente tempestate et agitatione maris, immemores sunt ciborum, et solum incumbunt periculo quod ante oculos est; et cum defuncti sunt periculo, et postliminio veluti incipiunt interum vivere, tum indulgent necessitatibus naturæ, et curam faciunt novæ vitæ, ne totum tempus laboriose ita impendatur in insanam rabiem maris. Verum quamvis videantur ex aliqua tranquillitate maris vel minimam laborum cessationem consecuti, numquam tamen transigunt sine aliqua sollicitudine, neque somno profundo abducuntur, experientiam habentes præteritorum; et inde conjicientes futura. Nam quamvis tempestas una deferbuit, non tamen desinit esse mare : atque etiam quamvis et altera procella desiit, tamen et tertia in procinctu est. Et quamvis id quod factum est, jam transiit et remotum est, tamen manet id quod id fecit. Eodem modo se res habet in præsenti. Nam quamvis spiritus cupiditatis profligatus est, tamen non longe abest ejus auctor : ideoque oportet nos indesinenter orare, ut procellosum hoc mare, et salsuginosam malitiam vitæ hujus transeamus. Sancta igitur exacte callens præsentaneas tempestates vitæ, atque etiam superingruentes ventorum turbines, cum sollicitudine ratem ducebat pietate et religione in Deum. Nam posita anchora illa tutissima fidei in Dominum, inconcussam deduxit navem absque tempestate in salutarem vitæ portum.

Discretio.

20 Cum igitur Apostolica vita ejus fide et paupertate præcincta esset, ac etiam caritate et humilitate reluceret, vere in se complebat dictum illud salutare : Ambulabis super aspidem et basiliscum, et super omnem potentiam inimici, et specialiter attenderat, quod dicitur in Evangelio : Euge serve bone et fidelis, quia in paucis fuisti fidelis, super multa te constituam : quod quidem dictum licet referatur ad dona, tamen hic accommodetur in præsenti : Et quia vicisti, ac si dixisset : Quia vicisti prælium materiale, faciam ut me protectore erigas trophæum de inimico immateriali et spirituali, et ut noscant magnitudinem fidei principatus et potestates, quæ a glorioso servo meo Paulo memoratæ sunt : vicisti enim contrarias potestates, conniteris cum majoribus.

Psal. 90. 13. Matth. 25. 21.

De dæmone trophæum.

CAPUT III.

Præcepta Syncleticæ ad Virgines.

Multæ ad eam confluunt instruendæ.

Ad hunc igitur modum a vulgo secedens, bonas actiones edebat, et procedente tempore ac florentibus virtutibus, diffusa laudatissimorum laborum ejus fragrantia, et ad multos delata est : Nihil enim occultum, (ut dicitur) quod non manifestetur. Nam Deus novit

Matth. 10. 26.

novit eos qui diligunt eum, et divulgat famam eorum, ad correctionem et utilitatem eorum qui audiunt. Eo tempore igitur, ita dirigente supremo numine, cœperunt nonnullæ accedere ad eam, et colloquia agitare in propriam ipsarum ædificationem : nam colloquiis ejus præcepta vitæ sibi comparantes magis ac magis confluebant, cupientes inde proficere et lucrum haurire sibi. Pro consueta igitur conversatione interrogarunt eam, qua ratione anima possit salvari. Illa graviter ingemiscens et ubertim lacrymas effundens, se ipsam colligebat, et videbatur responsum dedisse per lacrymas; iterumque conticuit : attamen illæ concurrentes, vi cogebant eam proferre magnalia Dei. Obstupuerant, enim, vel solo spectaculo perculsæ, iterumque hortantur loqui. Illa igitur veluti coacta atque evicta, post longum silentium submissa voce illud Scripturæ protulit : Non facias violentiam pauperi, quia pauper est. Illæ hilariter accipientes dictum, sed velut melle et favo delibutæ, pergunt interrogando, et vicissim eam aggrediuntur sacræ Scripturæ dictis : Gratis, inquiunt, accepisti, gratis elargire, cave ne abscondas talentum tuum, ne luas pœnam servi illius. Ad quæ illa : Quid tam magnifice sentitis de peccatrice. ac si unquam fecissem aut dixissem aliquid ad rem? communem magistrum habemus omnes, nimirum Dominum Jesum Christum : ex iisdem fontibus haurimus spirituales latices : eodem lacte nutrimur uberum eorumdem, nimirum ex veteri et novo Testamento. Ad hæc illæ : Novimus (inquiunt) nos, unum eumdemque pædagogum esse nobis, Scripturam; et eumdem esse magistrum nobis : sed tu assidua cura et studio antecellis virtute. Cum autem ut quæ in habitu sunt et possessione bonarum virtutum, velut præstantiores instillent tenerioribus præcepta, id nobis præsta, hoc enim præcepit communis Magister noster. Cum hæc audiret Beata, iterum in lacrymas profusa flebat, sicut infantes ad ubera solent. Sed illæ concurrentes continuata interrogatione adhortantur, ut sisteret fletum: cumque cessasset, iterum silentio facto cœperunt illam invitare ad loquendum. Tandem illa commiseratione ducta, et sciens ea quæ dictura erat, non tam sibi laudem paritura esse, quam illis utilitatem, incipit sic verba facere :

Diu se excusat.

Prov. 22. 22.

Matth. 10. 8.

Matth. 25. 30.

Sacra scriptura bonus pædagogus.

22 Audite cuncti et cunctæ. Novimus quidem omnes quomodo possimus salvari, sed deficimus propria nostra incuria. Oportet enim nos primum conservare præcepta ea Domini quæ per gratiam nobis revelata sunt, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde et proximum tuum sicut teipsum: in his consistit principium legis, et in eisdem sita est perfectio et plenitudo gratiæ. Brevis quidem verborum periodus, sed virtus in eis magna atque adeo immensa. Nam hinc pendent omnia quæ spectant ad salutem animæ. Quod et testatur Paulus cum dicit, finem præcepti esse caritatem. Ac proinde quæcumque possunt homines dicere utilia per gratiam spiritus, a caritate sunt, et in caritate desinunt, adeoque salus nostra, ut illa caritas, duplex est.

Dilectio Dei et proximi.

Timoth. 1. 1. 5.

23 Sed addendum est præterea hoc, quod a caritate etiam proficiscitur, ut intelligamus quid sit appetere majora. Sed illæ dubitabant, ægre percipientes quid diceret : interrogant eam de integro. Tum illa ad illas : Non est ignota vobis parabola illa Evangelica semen facientis, de centesimo et de sexagesimo, et de tricesimo. Sumus virginitatem professæ inter centenarios; qui vero continentes sunt, numerantur inter sexagenarios; et temperantes inter tricenarios. Pulchrum est ac gloriosum transire a triginta ad sexaginta; sed a majoribus ad minora delabi non vacat periculo. Nam qui semel incipit vergere ad deterius, ne in minimis quidem poterit consistere, sed fertur in præceps, velut ad imum interitus barathrum. Aliquæ igitur inter nos, quæ virginitatem profitemur, ex infirmitate judicii ratione privatæ et vacillantes, quærunt prætextum in peccatis. Nam ad se ipsas ita loquuntur, vel potius ad diabolum : Quid etsi vixerimus, inquiunt, σωφρόνως, eo magis ἀφρόνως vivemus, hoc est, si temperate et continenter, eo stultius; quamvis dignatæ fuerimus ordine tricenarum? Nam omnes, inquiunt, majores nostræ operam dederunt liberis. Scitote hanc esse suggestionem dæmonis. Nam qui labitur a majoribus ad minora, is ab adversario detruditur; sicut enim miles, emansor et fugitivus judicatur hoc ipso quod fugerit, nec venia dignus est quod ad inferiorem numerum et militiam transierit, sed supplicio traditur, quia fugerat. Oportet igitur nos simili modo, ut dixi, a minoribus progredi subinde ad ulteriora : et hoc est quod Apostolus docet; posteriorum obliti ut ad ulteriora contendamus. Oportet igitur eas quæ centum obtinuerunt, revolvere illa in gyrum in seipsis, nec ullum terminum admittere in numero : nam dictum est; et cum hæc omnia feceritis, dicite, Servi inutiles sumus.

Semper oportet ulterius progredi.

Matth. 13. 8 et 23.

NOT. 85.

Philip. 1. 13.

Luc. 17. 10.

CAPUT IV.

Alia præcepta pro custodia castitatis.

a Oportet nos, quæ professionem hanc virginitatis suscepimus, super omnia tenere *b* temperantiam, quamvis enim σωφροσύνη temperantia videatur et apud sæculares in pretio esse, *c* tamen semper conjuncta est cum illa ἀφροσύνη, aliqua species impudentiæ, quia aliis omnibus sensibus etiamnum peccant : nam aspiciunt indecenter oculis, inordinate rident. Nos vero in primis et illa abjicientes, incumbamus virtutibus, et ab oculis avellamus omnem vanam phantasiam. Etenim sic dicit Scriptura : Oculi tui recta videant. Et reprimamus linguam ab ejusmodi peccatis. Iniquum enim est instrumentum hoc ad laudes Dei conditum proferre turpia verba; verba quæ non solum non proferenda, sed neque audienda quidem.

a

b

c

Temperantia tenenda.

Prov. 4. 25.

25 *d* Possumus autem hæc servare, si non adeo frequenter in publicum prodeamus : latrones enim subrepunt et ingrediuntur etiam nobis invitis per sensus. Quomodo enim domus non denigrabitur fumo extrinsecus ingruente, et foribus apertis? Necessario igitur convenit nos fugere frequentationem fori. Nam si grave est nobis et displicet, videre patres vel parentes nudos; quanto damnosius est intueri alienos in plateis indecenter denudari, atque etiam inhonesta loqui? Ex his enim solent plerumque turpes et pestiferæ phantasiæ exoriri.

d

In publicum non prodeundum.

26 Quando vero et domi nos continemus, non oportet tunc omni sollicitudine vacare, sed advigilandum est. Scriptum est enim : Vigilate. Quo vero magis confirmabimus animum ad temperantiam, eo acerbioribus cogitationibus conflictabimur. Nam qui addit scientiam, addit laborem. Athletæ quo magis proficiunt in palæstra, eo majoribus committuntur antagonistis. Vide quantum abes a meta, et non te geres ignave in præsens. Vicisti fornicationem materialem et quæ in opere consistit? adversarius objiciet tibi eam quæ est per sensus. Et cum etiam hanc represseris, latet hostis in secretis animi, moturus tibi bellum occultum. Suggerit enim eis etiam, quæ vitam sequuntur tranquillam, personas pulchras, facies decoras, et colloquia simplicia. Sed non oportet præbere assensum phantasiis. Scriptum est enim : Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris, nam assentiri istis nihil est aliud, quam præludere fornicationi corporali. Dictum est enim : Potentes potenter tormenta patientur. Magnum igitur certamen est contra fornicationem : hoc enim est principale caput adversarii, quo utitur inducendo suos ad perniciem. Et hoc ipsum innuens B. Job dixit de diabolo : quod virtus illius in umbilico ventris ejus est.

Semper vigilandum contra fornicationem.

Eccl. 1. 18.

NOT. 86.

Eccl. 10. 4.

Sap. 6. 7.

Job. 40 11.

27 Multis

AUCTORE S. ATHANASIO. *Varie insidiatur dæmon.*

27 Multis igitur ac variis machinis vibrat adversarius stimulum fornicationis contra fideles Christi servos. Sæpe enim transmutat amorem fraternum in propriam suam malitiam. Nam virgines, quæ renuntiaverunt nuptiis, et omni cogitationi mundi, supplantavit specie fraterna; atque etiam monachos, qui omnia, atque adeo seipsos fugiunt, lancinavit eos larva ista fornicationis. Quin etiam decepit eos religiosis et timore plenis colloquiis. Hæ enim sunt artes adversarii, ut alienis se vestiat, et clanculum obtrudit sua. Ostendit granum frumenti, sed tegit sub illo laqueum. Et puto Dominum de illi locutum esse cum
Matth. 7. 15. dixit: Venient ad vos in pelle ovium, sed intrinsecus sunt lupi rapaces.

c **28** Dices: Quid igitur faciendum est nobis contra
Matth. 10. 16. ista? *c* Simus prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ. Callido enim consilio utendum contra machinamenta diaboli. Nam illud quod dicitur, ut simus serpentes, innuit non debere nos ignorare conatus illius. Nam simile facile agnoscit simile. Simplicitas deinde columbæ induat puritatem actionum. Omne igitur opus bonum consistet in fuga diaboli.
NOT. 87. Sed quomodo fugiemus quod ignoramus? Oportet igitur nos præcipientes animo vilitatem adversarii, cavere a malis technis ac dolis illius: de quo dicitur:
1. Pet. 5. 8. Abac. 1. 16. Circuit quærens quem devoret: et, cibus ejus electus. Oportet itaque assidue vigilare. Nam inimicus semper vigilat per res exteriores, et regnat per interiores cogitationes; atque adeo magis per interiora: nam die et nocte clam ut spiritus accurrit.

Item continuum exercitium et oratio. **29** Quid igitur, inquies, ad præsens hoc bellum est opus? laborioso scilicet exercitio vitæ spiritualis, et pura oratione ad Deum. Sed hæc quidem ingerere, sunt remedia alexiteria contra quamcumque cogitationem perniciosam; sed opus est præterea singularibus quibusdam præsidiis, ut præsentaneam hanc pestem ex animo extirpemus, et subeunte cogitatione *Particularia remedia: Pulchritudini turpitudinem opponere.* aliqua turpi, oportet contraria inducere. Si enim occurrerit in regione mentis species formosi vultus alicujus, ratione sic est reprimenda: A vultu fac auferas oculos, a genis eximas pulpam, fac præscindantur labra, et deinde dic: Quid est id quod erat amabile vel expetendum? sic quidem refrenari poterit cogitatio vanæ illusionis. Nam formosum illud quod concupiscimus, nihil est aliud quam sanguis commixtus cum phlegmate, et velum quod usum præbet animalibus tegumenti. Sic igitur par est per ejusmodi rationes ut abigamus abominabilem nequitiam, et sicut clavus clavo truditur, sic convenit explodere diabolum. Præterea etiam affingere oportet ulcera graveolentia et verminosa occupasse corpus cupidinis, et ut uno verbo dicam, tantum non esse cadaver mortuum; aut potius te ipsam reputare mortuam oculis internis *Item gulam refrenare.* animi, qui tali specie captus sit. Sed quod est maximum omnium, oportet tenere imperium ventris, sic enim poterimus continere voluptates abdominis.

a *Idem refertur lib.* 5, *de vitis PP. interprete Pelagio, libel.* 4, *n.* 41.
b *Pelagius vertit*, castitatem.
c *Idem*: sed adest ei et stultitia, propter quam aliis omnibus sensibus, etc.
d *Refertur ibidem libel.* 11, *num.* 32.
e *Idem refertur lib.* 6, *de vitis PP. Joanne interprete, libel.* 1, *num.* 2.

CAPUT V.

Paupertatis voluntariæ bona.

Divinum igitur erat convivium istud earum: nam
NOT. 88. poculis sapientiæ exhilarabantur, et B. Syncletica pincerna divinos latices effundebat, quæ et palato suo
a eligebat, quod volebat. *a* Sed una ex eis quæ concur-
b rerant, interrogat num *b* actemosyne, hoc est spontanea paupertas, et plenaria possidendorum bonorum mundi hujus renuntiatio, esset bonum perfectum? Bonum est insigniter perfectum, respondit, eis qui eam possunt sustinere: nam sentiunt quidem in carne afflictionem, sed in spiritu habent tranquillitatem. Sicut enim *c* impilia et compactiora vestimenta conculcata et frequentius convoluta candescunt, sic et indoles animæ generosa magis corroboratur per paupertatem spontaneam. Sed quæ debiliore sunt animo, patiuntur contraria: nam vel tantillum afflictionis ubi senserint, fatiscunt et in nihilum abeunt, velut scruta semilacera, cum non sint ferendo fullonicam virtutis et vitæ spiritualis: et quamvis eadem sit ars fullonicæ in utroque panno, et idem etiam artifex; tamen diversus est exitus. Hi enim rumpuntur et pereunt, illi vero nitescunt et renovantur. Dixit igitur aliquis vere paupertatem hanc spontaneam esse pretiosum cimelium animo generoso: nam est pæne frenum peccatorum. *Paupertas perfectum bonum est.* *c*

31 Verumenimvero prælibanda sunt alia priora *Ad eam præparatio.* ante illa, jejunia dico et humisternia, et alia particularia, per quæ oportet hanc partem virtutis acquirere, quæ in spontanea renuntiatione bonorum consistit. Qui enim non ita faciunt, sed præpropere ad abjectionem bonorum præcipitant; fere semper videmus eos in gravem hanc vocem incidere: Pœnitet fecisse.

32 Vitæ enim deliciosæ incentiva divitiæ: abscinde *Divitiæ incentiva sunt vitæ deliciosæ.* primo pulpæ tuæ magisteria, picam dico gulæ et vitam deliciosam, tum poteris facile præscindere materiam et occasionem divitiarum. Maximum enim puto detrimentum vitæ deliciosæ, organis suis orbari: qui non ante abjicit primum a se, quomodo poterit secundum abjicere? Propterea et Christus Dominus in dis- Matth. 19. 21. sertatione illa cum adolescente divite, non ex abrupto præcepit abjectionem bonorum; sed prius interrogat, an fecisset omnia quæ præcepta essent in lege. Ecce ut Dominus genuini Magistri partes egerit. Interrogat an nosset elementa, an syllabas sciret conjungere, an voces nosset legere. Tunc inquit: Veniamus ad summum magisterium. Vade, inquit, et vende omnia bona tua: veni et sequere me. Et vere equidem opinor, si interrogatus non tam ingenue professus fuisset se ea omnia fecisse, forte non adeo facile hominem movisset ad abjectionem bonorum. Quomodo enim is, qui syllabas nondum novit, poterit derepente ad legendum prorumpere?

33 Paupertas igitur spontanea, bona est eis quæ *Paupertas recta ad Deum fertur.* jam in habitu sunt et possessione aliarum virtutum. Nam qui abjecerunt omnia excrementa et superflua recta feruntur ad Deum, pure canentes divinum illud carmen Psalmistæ: Oculi omnium in te sperant, et Psal. 144. 15. tu dabis escam diligentibus te, in tempore opportuno.

34 Præterea maximum emolumentum lucrantur *Dimensodiurno contenta est.* ex abjectione terrenorum bonorum. Nam cum avertunt oculos a thesauris mundi, respiciunt ad regnum cælorum, et verbum illud proferunt, quod a Psalmista decantatum ita sonat: Jumentum factus sum Psal. 72. 23. apud te. Nam sicut dorsuaria (absit omnis dysphemia comparationi) quotidie opera sua obeuntia contenta sunt dimensis quæ in vitam numerantur; ita et qui amplexi sunt paupertatem spontaneam, nullius faciunt usum argenti aut pecuniæ, sed contenti sunt solo in diem victu, propter usum et ministerium corporis. Hi tenent pinnaculum fidei: nam ad eos dictum est a Domino illud evangelicum: Ne solliciti estote de Matth. 6. 25. crastino: nam volucres cæli neque serunt neque metunt, et Pater cælestis pascit eas. Idcirco quæ his verbis confidunt (Deus enim ea protulit) cum confidentia et libertate proferunt: Credidi propter quod Psal. 115. locutus sum.

35 Plurimum autem detrimenti patitur adversarius a pauperibus istis, qui mundum reliquerunt. *d* Non *d* enim habet in quo noceat eis: nam plurima seges artium et tentationum diaboli versatur in privatione fortunarum. Quid potest adversarius, quæso, facere? *Flagellum est dæmoni.*

an

an prædia incendio delere? sed nulla sunt eis. Jumentane perimere? sed nulla sunt eis, carissima quæque prosternere? sed istis omnibus jam dixerunt longum vale. Nonne igitur paupertas hæc spontanea maximum flagellum adversario simul et prætiosus thesaurus animæ?

36 Quanto vero paupertas illustrior admirabiliorque ad virtutem, eo amor pecuniæ ad vitium vilior et nequior. Vere itaque Apostolus Paulus dixit, esse causam et fontem omnium malorum. Hinc enim sequitur cupiditas deliciarum, perjuria, rapinæ, cædes, invidia, odium fraternum, bellum, idololatria, pleonexia; et stolones istorum, hypocrisis, adulatio, et scurrilitas; omnium istorum caussam in confesso est esse philargyriam, hoc est amorem pecuniæ. Unde et Apostolus vocavit eam velut parentem omnium malorum. Sed Deus non solum punit istos; sed etiam ipsi semetipsos intus destruunt, insatiabilem semper ferentes appetitum: nullum terminum habent appetendi, quare insatiabilis est plaga. Qui nihil habet, pauca desiderat; quæ cum nactus est, plura concupiscit. Centum aureos habet? mox appetit mille: et cum istos acceperit, in infinitum progreditur interminabilis cupiditas. Atque ita ii qui nequeunt ponere terminum, semper deplorant paupertatem. Fert autem semper amor pecuniæ secum invidiam. Invidia vero primo necat dominum: sicut enim viperæ recenter natæ primo necant proprias matres, quam aliis noceant; ita et invidia prius marcescere facit possessorem, quam quempiam petat ex vicinia.

1. Timoth. 6. 10. *Philargyria est fons multorum malorum.*

Est insatiabilis plaga.

Invidiam generat. NOT. 89.

37 Præclarum quidem esset si tot labores sufferre possemus in quærendo vero et puro illo thesauro cæli, quot insanabili studio implicant se venatores mundi hujus vanissimi: naufragia ferunt, nova experimenta fatigant, in terra incidunt in manus latronum tempestates maris sustinent et ventorum vehementissimorum; *e* et sæpe cum rem faciunt, simulant se esse pauperes propter invidos. Nos vero ne tantillum quidem ipsorum laborum et periculorum subimus propter veras divitias: et si quid vel minimum lucratæ fuerimus, erigimus cristas et magni nos facimus, proponentes nosmetipsas conspiciendas hominibus, et sæpe etiam neque prout nude se res habet, proferimus factum in medium sine fuco. Inde statim adversarius, cum videmur assiculum virtutis jam assecutæ e manibus nobis præripit: cum illi e contra, cum vel teruncium lucrati fuerint, plura appetunt, et præsentia tamquam parva habent, semper tendunt ad ea quæ nondum sunt assecuti.

e

In veris virtutibus negotiandum.

NOT. 90.

a *Refertur idem in vitis PP. lib.* 5, *interprete Pelagio libel.* 6, *num.* 13.

b *Simplicius Pelagius:* si perfectum bonum est nihil habere.

c *Pelagius:* fortia vestimenta. Impilia sunt, *inquit Lævinus Torrentius in* MS. *annotat. ad Plinii lib.* 19, *cap.* 2, vestis loco, quibus ex lana coactis pedes involvimus. *Adrianus Turnebus lib.* 11, *adversar. cap.* 14, *negat solis pedibus servire. De iis agit Ulpianus L.* argumento sunt, 25, *ff. de auro, argento, mundo.*

d *Lib.* 6, *de vitis PP. libel.* 4, *n.* 23, *idem refertur.*

e *Lib.* 3, *de vitis PP. libel.* 10, *n.* 70, *ubi idem habetur, aliquanto tamen brevius, hoc paullo aliter refertur:* quando multa lucrantur, tunc plura desiderant, et quæ habent, velut nihilum reputant; ad ea vero quæ necdum habent, omnem intentionem animi tendunt. *Repetitur idem lib.* 6, *libel.* 4, *n.* 24.

CAPUT VI.

Vitæ monasticæ et sæcularis comparatio.

Virtutes celandæ.

Oportet igitur nos omnem curam ponere ut quæstus noster et lucrum fiat clanculum. Quæ enim divulgant prospere sua gesta et prædicant aliis; procurent etiam et una cum illis dicere secus facta sua et imperfectiones suas. Quod si ista alios celant ut culpam vitent et ignominiam apud audientes; quanto magis et illa tacere oportuit, quæ aliena erant a Deo. Nam qui vivunt secundum virtutem spiritualis vitæ, contrarium faciunt: parvos enim lapsus suos libere promunt etiam cum additamento eorum quæ non fecerunt quidem, retro rejicientes post se omnem æstimationem apud homines; et quæ bona fecerunt, tacent, ad majorem securitatem et præsidium conscientiæ. *a* Sicut enim thesaurus publicatus, dissipatur, ita virtus proclamata labascit: et sicut cera liquescit ab igne, ita et animus solvitur a laudibus, *b* et tonum illum vigoris amittit.

a

39 Igitur contrarium istorum contrario modo se habebit. Nam si calor solvit ceram, frigus contra illam compingit; sic si laudationes privant animam bono suo, vituperia et contumeliæ eam deducent ad apicem virtutis. Gaudete, inquit, et exultate cum omne mendacium dixerint adversum vos: et alio loco: In tribulatione dilatasti mihi: et alio: Improperium expectavit cor meum et miseriam; et alia ejusmodi innumera bona videre est ex sacra Scriptura, quæ veluti reditus promissa sunt afflictis, qui opprobriis afficiuntur et lugent.

Non laudes quærendæ, sed opprobria.

Matth. 5. 11. Psal. 4. 2. Psal. 68. 21.

40 *c* Sed est dolor quidam salutaris, et alius exitiosus. Doloris quidem salutaris opera sunt dolere de propriis peccatis, nec non de cæcitate proximi, a recto proposito non excidere, et semper aspirare ut perfecte boni fiamus: hæc enim sunt effecta et species genuinæ tristitiæ. Sed est alia quædam tristitia, quæ ab inimico suggeritur, et istis agglutinari et adhærere solet. Nam injicit diabolus tristitiam et dolorem quemdam brutum et ferinum, qui omnis rationis expers est, et *d* ab aliquibus nominatur acedia: sed oportet abigere spiritum hunc tristitiæ in primis psalmis, hymnis, et oratione.

c

Duo genera doloris.

d

41 Dumque bonis istis curis et studiis detinemur, oportet nos cogitare et existimare, nullum in hac vita carere curis, dictum est enim in Scriptura: Omne caput ad laborem, et omne cor ad dolorem. Unica hac sententia complexus est Spiritus sanctus vitam monasticam et sæcularem. Nam per caput innuit statum monasticum. Caput enim est membrum ἡγεμονικὸν, hoc est regimini destinatum, juxta dictum illud: Oculi sapientis in capite ejus. Ac propterea vis contemplandi opinor, residet in capite. Laborem autem dixit, quia germen virtutis a laboribus perficitur. Per dolorem vero in corde, indicat instabilem et ærumnosum statum sæcularium. Nam dicunt quidam cor esse sedem et officinam iræ et doloris. Si enim non honorantur pro voto, tristantur: alienis inhiantes, si non potiuntur, marcescunt; in egestate cadunt animo; cum affluunt divitiis, debacchantur: nesciunt quid agunt, nec somno frui possunt propter custodiam divitiarum.

Nulla vita expers curarum.

Isai. 1. 5.

Ecclе. 2. 14.

Comparatio vitæ monasticæ et sæcularis quoad mulieres.

42 Ne igitur aberremus a recta sententia, dicentes eas quæ in mundo degunt expertes esse curarum: forte enim, ut ad comparationem rem exigamus, multo majoribus conflictantur. Difficulter enim pariunt, et cum periculo, obnoxiæ sunt doloribus lacticinii, cum filiolis ægrotantibus ægrotant, et cum ista patiuntur, nullum terminum mundi unquam assequuntur. Nam vel recens nati filii febribus infestantur; vel male educati ubi adoleverint, nefando consilio ad parricidium adiguntur. Igitur cum sciamus ista, ne decipiamur ab adversario, ac si illæ delicioso fruerentur vitæ genere, et a curis animo libero: si pariunt, laboribus enecantur; si non pariunt, meris improperiis tabescunt, ut steriles et sine prole contemnuntur.

43 Ista quidem dico, non alio fine, quam ut tutæ et securæ reddamur ab adversario. Non conveniunt autem, fateor, ex se quæ dicta sunt quibuslibet, sed iis tantum quæ vitam solitariam amant. Sicut animalibus non unum est alimentum, ita nec hominibus eadem oratio quadrat. Non enim oportet, ut dicitur, infundere vinum novum in utres veteres. Nam aliter convivantur ii qui contemplationi dediti sunt, ac aliter qui vitam asceticam exercent, et denique aliter ii qui pro viribus justitiam mundi sequuntur. Sicut enim animalium quædam sunt terrestria, quædam aquatilia, et quædam denique volatilia; ita et hominum alii mediam vitam secuti sunt, ut terrestria; alii alta petunt, ut

Non omnia omnibus quadrant.

Matth. 9. 17.

NOT. 91. *Tres ordines hominum.*

AUCTORE S. ATHANASIO.

ut volatilia; alii aquis peccati immerguntur, ut pisces; de quibus insinuavit Propheta : Veni in altitudinem maris, et tempestas me demersit : et ita se habet natura animalium. Sed nos velut aquilæ, quibus alæ concessæ sunt, sublimia petamus, et conculcemus dracones et leones; et sub jugum mittamus adversarium, qui nos olim subjugatos tenebat : hoc autem faciemus, si totum animum consecramus Salvatori nostro Jesu Christo.

Psal. 68. 3.

a *Idem habetur in vitis PP. lib.* 5, *libel.* 8, *n.* 19.

b *Clarius loco cit. in vit. PP.* et amittit virtutum rigorem. *malim* vigorem.

c *Idem refertur in vitis PP. lib.* 5, *libel.* 10, *n.* 71.

d *Melius Pelagius loco cit. in vitis PP. vertit :* quam tædium appellaverunt.

CAPUT VII.

De cavendis dæmonum insidiis.

Diabolus impedit ascensum ad cœlos.

Sed quo magis nos in altum sublevamur, eo magis adversarius impedire conatur volantes, objectis tendiculis ante oculos. Verum quid miri est, ut adversarios habeamus cum ad Deum tendimus, qui vilissima etiam nobis invident? Ægre enim permittunt hominibus eruere thesauros sub viscera terræ abditos. Unde si adversantur nobis in rebus quæ constant tantum exteriori terrestri specie, quanto magis id facient in regno cælorum?

a *Cavendæ tentationes externæ et internæ.*

43 *a* Igitur oportet nos omnino armari contra illos: nam extrinsecus circumeunt, nec minus intrinsecus nos aggrediuntur. Anima quidem nostra ad instar navis aliquando submergitur, a superingruentibus *b* tricyimis et fluctibus undarum extrinsecus, quandoque vero *c* a sentinæ et saburræ intus pondere deprimitur. Perdimur enim aliquando ab extrinsecus peccatis actualibus, quandoque vero ab internis cogitationibus. Igitur oportet nos observare, cum externos insultus dæmonum, tum internam sentinam cogitationum expurgare. Oportet nos omnino vigilare contra cogitationes : semper enim nobis imminent. Sæpe in periculis maris etiam maximis, cum montes undarum ingruunt, nautas servari videmus, implorato a vicinis navigiolis auxilio; sed sentina tranquillo sæpe mari, et nictantibus proretis periculosius discrimen inferre solet, ut incautos sæpe opprimat.

b

c

Varie impugnat nos dæmon.

46 Oportet igitur nos impensissime adhibere animum cogitationibus : nam adversarius statuens convellere animam ac domum, vel dejicit eam funditus a fundamento, vel incipiens a tecto demolitur eam integre, vel ingressus per fenetras, patremfamilias constringit, et inde cetera omnia in potestatem redigit. Fundamentum sunt bona opera, tectum fides, fenestræ sunt sensus : per hæc omnia præliatur adversarius. Igitur oportet eum qui seipsum servare cupit multos oculos habere. *d* Non habemus hic in quo feriemur ab omni cura : dictum est enim in Scriptura : Qui stat videat ne cadat.

d

1. Cor. 10. 12.

Psal. 103. *Comparatio vitæ monast. et sæcul.*

47 In ignoto mari vela facimus; et vita nostra vocatur mare a Psalmista. In mari autem quædam sunt loca petrosa, syrtes et aræ, quædam monstris et phocis plena, quædam denique tranquilla. Nos videmur in tranquillis locis maris navigare, sæculares in periculosioribus. Præterea die navigamus sub ductu proretæ, qui est Sol justitiæ; illi noctu feruntur, quo fors ventusque tulerint; non sciunt quo feruntur. Sed contingit sæpe ut sæculares in tempestate et tenebris existentes ratem suam servent *e* clamando et vigilando; nos vero in tranquillitate maris submergamur, relicto clavo justitiæ.

e

Qui stat videat ne cadat.

48 Videat igitur qui stat ne cadat. Nam qui cecidit, unica modo cura superest, ut resurgat : sed qui stat, det operam ne cadat. Casus enim varii : omnes qui cadunt, vere privantur statione; sed aliqui ubi surrexerint parum notabilis damni accipiunt : qui vero stat non spernat casum alterius, sed caveat sibi ipsi et timeat ne cadens pereat, et in profundissimum barathrum deturbetur. Probabile enim est, ut tanta sit profunditas barathri, ut cum vox inclamantis nequeat exaudiri, opem nec petere neque consequi valeat. Dicit enim justus : Ne absorbeat me profundum, neque urgeat super me puteus os suum. Primus qui cecidit, hæsit in luto; considera illum et vide ne cadas, et tu fias etiam præda feris. Qui cadit non firmavit gressum nec præclusit portam domus. Ne permittas oculis ne nictari quidem; sed semper in ore habe divina illa Psalmistæ : Illumina oculos meos ne unquam obdormiam in mortem. Vigila continuo propter leonem illum rugientem.

Psal. 68. 16.

Psal. 12. 4

1. Pet. 5. 8.

a *Idem habetur in vitis PP. lib.* 5, *libel.* 11, *n.* 33.

b Τρικυμία *dicitur procella maxima, quod triplex fluctus in unum quasi coeat. Latini fluctum decumanum vocant, quia fluctus decimus esse maximus dicitur.*

c *Ibidem Pelagius,* crescente sentina demergitur.

d *Habetur hoc eodem libel.* 11, *n.* 34.

e *Additur recte loco cit.* ad Deum.

CAPUT VIII.

De arrogantia et pusillanimitate curandis.

Verba quidem ista conferunt ad repellendam præsumptionem, ut per pœnitentiam et contritionem salutem consequamur : vide et considera teipsam; tu illa es quæ stat. Duplex tibi incumbit metus, ne aut convertaris ad vomitum per socordiam suggerente tibi adversario materiam, aut inter currendum rumpantur tibi crura, et supplanteris. Adversarius enim a tergo nos trahit ad se, cum videt nos torpescere aut segnescere : aut contra cum videt nos sedulo nimis incumbere exercitiis spiritualibus, clam irrepit et latenter insinuat se animis nostris per præsumptionem, et ita perditum it generosissima quæque pectora et animos viriles mortalium. Præsumptio enim telum extremum est, et præcipium omnium malorum adversarii; a qua ipsemet deturbatus fuit, et per quam potentissimos mortalium conatur diruere. Nam sicut peritissimi rei militaris magistri solent, postquam minora tela consumpta sunt pendente adhuc victoria et stantibus etiamnum adversariis, sumere fortissima arma, in quibus omnis spes victoriæ sita est; ita et diabolus postquam absumpsit primores laqueos, in extremis arripit acinacem arrogantiæ. Sed quænam sunt primæ tendiculæ illius? Patet quod eæ sunt gula, voluptates, lautitia, et luxuria : hæc enim maxime quadrant adolescentibus in tenera ætate : post ista vero sequentur amor habendi, pleonexia, et similia his. Unde cum misera anima se expedierit istis laqueis, ventrem superarit, et voluptates abdominis subjugaverit, et cum pecuniam contempserit; tunc ad incitas redactus male semper animatus adversarius, suggerit animo incompositum motum : inflat eum, ut se indecenter efferat supra sorores. Grave hoc et deleterium venenum adversarii : multos repente occæcatos eo solo perdidit. Suggerit animo cogitationem spurcam et lethalem : facit ut videatur sibi comprehendere ea quæ ab aliis non poterant intelligi, et quod antecellit alias jejuniis, et gravem segetem affingit bonorum operum præ aliis omnibus : memoriam vero peccatorum omnium expungit, ut seipsam extollat supra alias quibuscum conversatur. Nam decumana errata e memoria labuntur. Non facit autem istud adversarius ad utilitatem animæ illius, sed ut misera non habeat unde proferat medicinalia illa et salutaria verba : Tibi soli peccavi, miserere mei. Sicut neque ista : Confitebor tibi Domine in toto corde meo. Sed quemadmodum ipse in superbia sua dixit : Ascendam et ponam thronum meum; sic et miseram istam protrudit ex arrogantia ad principatus, primos consessus, atque adeo magisteria et professionem sanandi. Sed revera talis anima ad hunc modum delusa et insanabili quasi vulnere percussa perit.

Præsumptio cavenda.

Quomodo ea suggeratur a dæmone.

Psal. 50. 6.

Psal. 9. 2.

Isai. 14. 14.

Quid

50 Quid igitur faciendum, cum ejusmodi cogitationes jam subierunt animum, et illum tenent? Incessanter oportet meditari eloquia illa divina Prophetæ : Ego sum terra, et non homo, et alio loco : Ego terra sum et pulvis. Nec non et illa Isaiæ : Omnis justitia hominis sicut pannus menstruatæ. Quod si cogitationes istæ acciderint ei quæ seorsim agit solitariam vitam, ingrediatur cœnobium, hoc est communem cum aliis solitudinem, et cum aliis degat : et si acciderit propter nimium rigorem vitæ ut hoc modo capta sit, cogatur et bis quotidie comedere, et ab æqualibus ætate objurgetur identidem et impropereretur, ac si parum præstitisset : quodlibet ministerium obeat : proponantur ipsi et recitentur Sanctorum præclariores vitæ, quæ sunt supra imitationem et omni prædicatione majores : et virgines quæ cum illa conversantur in hoc incumbant in primis, ut actiones suas et exercitia virtutis ad aliquot dies intendant, ut illa cum viderit præstantiam virtutum aliarum, discat Christiana vela submittere et se ipsam minus æstimare.

NOT. 92. Psal. 21. 7. Isaiæ 64. 6. *Remedia contra præsumptionem.* *SS. exempla.*

51 Verumenimvero ante venenum arrogantiæ præcedit aliud malum, nimirum inobedientia : sed per alexipharmacum obedientiæ præscindere possumus late serpens virus, quod animam perrodit ad instar phagedænæ ulceris. Nam obedientia, ut dictum est in sacris litteris, plusquam sacrificium.

Inobedientia monachalis ante præsumptionem. Eccle. 4. 17.

52 Oportet igitur aliquando præcidere æstimationem in tempore aliquando vero in tempore laudare et ad admirationem usque extollere : laudare quidem cum anima dedita desidiæ torpescit veterno, in primis enim cum mortua videtur ad omnem sensum et progressum virtutis, hanc oportet excitare laudando, et si cœperit vel tantillum boni facere, oportet prædicare admirando, et peccata illius, elephantina licet et inhumana, ducere tamquam minima et parvi momenti. Nam diabolus cum statuit omnia susque deque agere, subtrahit quidem peccata e memoria bonis, et bene exercitatis; intendit enim tunc augere præsumptionem, sed in neophytis, quæ recens susceperunt professionem solitudinis, et leviter tantum imbutæ sunt ascetica disciplina, proponit ante oculos omnia peccata, quotquot fecerint nullo præterito, quia scilicet intendit inducere eas ad desperationem. Oggerit enim aliquando : Quæ spes tibi reliqua esse potest, quæ usuram corporis præbuisti viris? alii vero ita : Tanto desiderio flagras habendi, ut impossibile sit te salutem consequi posse. Sed ejusmodi animas fluctuantes oportet consolari, et hoc modo eis dicere : Raab quidem scortum fuit, sed tamen per fidem servata est. Paulus persecutor erat, sed postea factus est vas electionis. Matthæus publicanus fuit, sed nemo ignorat gratiam quam accepit. Latro etiam furtis et homicidiis infamis, sed tamen primus reseravit fores paradisi : ac propterea ut ad istos intendens oculos ne despondeat animum propter peccata.

Præsumptuosos oportet deprimere. *Segnes excitare laudando.*

53 Sed iis, quæ præsumptionis veneno tinctæ sunt, accuratior medela a majoribus rebus petenda videtur? Oportet enim dicere eis : Quid ita inflaris? an quia abstines carne? sed alii sunt qui etiam a piscibus : an quia vino? sed et alii etiam oleo : an quia profers jejunia usque ad vesperam? sed et alii sine cibo agunt usque ad secundum et tertium diem : an quia non uteris balneo? sed et multi valetudinarii abstinent eo penitus, ob morbum aliquem corporis : an places tibi quia dormis humi in ulva et cilicino stramento? sed quamvis et hoc faceres, non foret alioqui magnum; nam sunt alii qui substernunt scrupulos ut licitis alioqui naturæ priventur, atque alii etiam se suspendunt in oscillis tota nocte : et quamvis hæc omnia faceres, et ad extremum exercitii pervenires, ultra quod non posses ulterius progredi; non debes tamen inde cristas erigere : nam dæmones plura fecerunt et faciunt : nec enim comedunt, nec bibunt, et etiam in eremis agunt, cum tu in antro degens videris tibi magnum aliquid præstitisse.

Ut reprimenda superbia. NOT. 93.

54 His igitur et similibus rationibus sanare poterimus ista carcinomata contraria inter se, nimirum desperationem et præsumptionem : nam quemadmodum ignis cum nimis ventilatur perit, sicut et cum novo subinde respiraculo aeris destituitur non minus extinguitur; ita et virtus enervatur ex præsumptione et arrogantia, quantumvis extremum exercitii consecuta fuerit; atque etiam ex socordia corrumpitur, cum nos metipsos non movemus ad ventilationem Spiritus sancti. Acies acuta proclivius sub cote frangitur; sic et ascesis intentior brevi a præsumptione corrumpitur. Unde oportet nos ex omni parte tenere animam bene munitam, et rigorem exercitii a *a* causone arrogantiæ deflectere ad moderatiora et umbrosa tempe humiditatis. Est quando oportet proscindere superflua ramalia et luxuriantia, ut radix promat bona germina.

Contra præsumptionem et desperationem. *a*

55 Quæ vero capta est periculo desperationis, procurandum est prædictis rationibus, ut cogamus eam quasi vi, si fieri possit, ut animum sursum erigat. Nimis enim tum animus serpit humi. Nam agricolæ periti, cum vident plantam aliquam sublestam et exiguam, largius irrigant, et magnam curam adhibent ut crescat : sed cum vident surculum præcocem, amputant in tempore, et ut superfluum et luxuriantem abjiciunt, nam solent ejusmodi citissime siderari et arescere. Sic et medici aliquos ex infirmis alunt ampliore diæta, et ad deambulandum et exercitia invitant; alios vero quasi vinctos detinent in inedia et tenuiore victu.

Desperatio et torpor animi curandus.

56 Manifestum igitur est arrogantiam malorum pessimum esse ; quod et contraria virtus ostendit, nimirum, humilitas. Sed haud facile est humilitatem assequi. Nisi enim quis rejecerit a se omnem opinionem æstimationis, non poterit thesaurum hunc nancisci. Est enim humilitas virtus adeo sublimis, ut diabolus cum videatur alioqui omnes alias virtutes specie aliqua imitari; sed humilitatem non tantum nequit imitari, sed nihil penitus novit de illa, quid omnino sit. Igitur Apostolus cum probe sciret stabilitatem et firmitatem humilitatis, præcepit nobis ἐγκομβῶσαι, hoc est in sinu illam et ulnis gestare eamque induere, qui bonas actiones agunt, sive jejunant, sive opera misericordiæ exercent, sive docent. Si temperatus es et intelligentia præfulges, pone humilitatem tibi in murum aheneum, cingat humilitas omnes virtutes. Vides hymnum illum trium puerorum, ut aliarum virtutum tam raram mentionem fecerit, et humiles convinxerit cum tribus collaudatoribus illis, nec numeraverit inter eos temperatos, nec eos qui paupertatem susceperunt. *b* Sicut impossibile est navem extrui sine clavis, ita salutem consequi sine humilitate.

Humilitas quam sublimis. 1. Pet. 5. 5. Dan. 3. 87. *b*

57 Quam autem præcellens sit virtus et salutaris humilitas, vel hinc discere licet, quod Christus Dominus cum in terras descendit ut œconomiam incarnationis impleret, humilitatem induerit : Discite, inquit, a me quia mitis sum et humilis corde. Considera quis est qui dixit : Disce ad unguem quod dico : sit humilitas alpha et omega omnium bonarum actionum tuarum. Humilitatem autem seu mentem humilem dicit, non specie tenus exteriori tantum, sed innuit interiorem hominem. Verum quidem, quod exterior homo sequitur interiorem. Novit Dominus, quod omnia mandata fecisti, sed injungettibi de novo, ut redeas ad carceres et sumas principium novæ servitutis : dicit enim, et cum hæc omnia feceritis, dicite, servi inutiles sumus.

Docet eam Christus. Matth. 11. 29. Luc. 17. 10.

58 Humilitas igitur perficitur per improperia, contumelias, et plagas; ut audias amens, stultus, egenus, mendicus, caducus, vilis, inconsideratus in agendo, infans in loquendo, ignobilis, impotens et

Perficitur improperiis.

Auctore S. Athanasio.

similia : hi enim sunt nervi Christianæ humilitatis. Nam Christus Dominus audivit et passus est ista. Vocarunt enim Samaritanum, et dixerunt quod dæmonium haberet : assumpsit formam servi, colaphis cæsus, et contumeliis gravissimis affectus.

Opere ostendenda.

59 Oportet igitur nos imitari humilitatem Christi quæ opere ostensa est. Nam sunt quidam qui specie tenus sumunt larvam humilitatis, et humiliant seipsos; sed nihil aliud intendunt, quam ut captent gloriam : ex operibus vero cognoscuntur. Nam cum in compitis afficiuntur conviciis, non possunt sufferre; sed sicut aspides e vestigio evomunt virus iracundiæ.

a Καύσων æstus, ardens febris.
b *Idem habetur in vitis PP. lib.* 3, *libel.* 15, *n.* 48.

CAPUT IX.

Alia Syncleticæ monita, de ira, detractione, odio vitandis.

Sermonibus istis omnes præ gaudio valde exultare, et constanter adhuc perseverare audiendo, nec satietatem ullam capere bonorum. Unde sermonem continuans : Magnum, inquit, certamen accedentibus ad Deum, et labor ingens in principio quidem, sed exinde gaudium ineffabile. *a* Nam veluti qui ignem accendere cupiunt, primo fumo corripiuntur et lacrymas fundunt, inde optato calore potiuntur; sic oportet et nos divinum ignem accendere cum lacrymis et labore. Ipse enim Dominus protestatus est : Veni mittere ignem in terram. Nonnulli quidem qui tolerant molestiam fumi per socordiam, non tamen accendunt ignem nec calefiunt propter impatientiam, quia recesserunt extra limites Christianæ longanimitatis, et quia gustus eorum valde languidus est.

a Initia piæ vitæ dura.

Luc. 12. 49.

De caritate et ira.

61 Unde caritas magnum fundamentum et cimelium est, de quo Apostolus solide sic loquitur : Etsi omnem substantiam distribueris, et corpus tuum in servitutem redegeris, caritatem vero non habueris, factus es velut æs sonans, et cymbalum tinniens. Unde caritas in bonis præcipuum est, sicut et ira in malis gravissimum. Nam totam animam obtegit tenebris et in feritatem trahit, ut rationis impotentes et brutos reddat. Proinde Christus singularem curam gerens salutis nostræ, nihil omnino reliquit vel minimum non munitum in nobis. Adversarius accendit libidinem, Christus nos armavit temperantia; dæmon præsumptionem induxit, Christus posuit ad manum humilitatem; ille odium excitavit, Christus posuit in medio caritatem quæcumque igitur arma movet adversarius contra nos, pluribus nos armavit contra armis Christus, quibus utamur ad salutem nostram et ruinam adversarii.

1. Cor. 13.

Ira moderanda.

Jac. 1. 20.

62 Iracundia igitur inter mala pessimum. Ira enim viri, ut scriptum est, justitiam Dei non operatur. Oportet igitur eam moderari freno prudentiæ, cum et in tempore utilis sit. Convenit enim animari et concitari contra dæmones, contra homines vero nequaquam, quamvis peccaverint : convertere quidem oportet eos sedato animo, cum deferbuit furor iracundiæ.

Perniciosa memoria injuriarum.

63 Atque ita irasci quasi inter mala minus videri posset; sed memoria injuriarum est omnium gravissimum. Nam excandescentia, velut fumus ad modicum tempus conturbans animum resolvitur et evanescit; sed memoria injuriarum; ut quæ animæ magis infixa est, efferat et terribiliorem facit. Canis etenim rabie licet percitus offulæ lenocinio mitigatus furorem ponit, et alia animalia similiter conversatione curari solent; sed qui vitio isto, retinendarum injuriarum memoria tenetur, non exhortationibus persuaderi, nec alimento mitigari potest; neque tempus, quod alio qui omnia mutat, illum sanare potest. Hi igitur impiissimi sunt omnium mortalium et crudelissimi. Non enim audiunt, nec parent Domino, cum dixit : Vade primum, et reconciliare fratri tuo, et sic offer munus tuum. Et quod alio loco dicitur : Sol non occidat super iracundiam vestram.

Matth. 5. 24.

Eph. 4. 26.

64 Bonum igitur est non irasci. Sed si res ita tulerit, non concessit passioni vel spatium unius diei; dixit enim : Ne sol occidat, cum tu interim expectas dum totum ævum transeat, non potes dicere : Sufficit diei malitia sua. Quid odio habes hominem qui te affecit molestia? non est ipse qui te affecit injuria, sed diabolus. Odio habe morbum, non misellum laborantem morbo. Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate? De te clamavit Psalmista, cum dixit alio loco : Iniquitatem locutus est toto die; hoc est, toto vitæ tempore prætergrederis præceptum legislatoris dicentis : Ne occidat Sol super iram tuam. Dicit autem quod injustitiam cogitavit lingua tua : non enim imposuisti finem obloquendi patri tuo. Ac proinde justissima est castigatio illa Spiritus sancti in te ab eodem Psalmista pronuntiata : Propterea, inquit, destruet te Deus, in finem evellet te et emigrabit te a tabernaculo tuo, et radicem tuam de terra viventium. Hæc scilicet sunt præmia eis qui memoria retinent injurias.

Matth. 6. 34.

Ejus damna.

Psal. 51. 3.

NOT. 94.

Psal. 51. 7.

Noxia effecta.

65 Igitur oportet nos cavere ab hoc vitio, nam sequuntur illud plurima mala gravia, invidia, tristitia, et maledicentia : quorum malitia virulenta, licet parva videantur et nullius momenti fere : (sunt enim velut arma ludicra adversarii,) sed sæpenumero vulnera inflicta a bipenni, et majores in usus reservata machæra (qualia sunt fornicatio, homicidium, et pleonexia) sanantur per salutare pharmacum pœnitentiæ, cum interim præsumptio, memoria injuriarum, sugillatio, quæ leviter cadentia videntur tela et nullius considerationis, clanculum nos perdunt et incautos, ubi principales partes animæ occuparint. Verum quidem quod non interimunt magnitudine vulneris, sed mera negligentia eorum qui vulnerantur. Contemnunt enim et nihili faciunt sugillationem, et alia ista vitia, sed paullatim ab illis perimuntur.

Sugillatio vitanda.

66 Grave igitur et ærumnosum malum est sugillatio. Est enim cibus et ludus et feriatio nonnullis hominibus. Tu vero noli admittere auribus ejusmodi acroamata vana, neque patiaris tam bonum membrum receptaculum esse vitiorum fratris tui : animum redde purum ab ejusmodi inanibus rebus. Nam ubi receperit semel graveolentem illam impuritatem affectuum rationis expertium, inures non dubium animæ per cogitationes ejusmodi teterrimas maculas. Gratis odisti quibuscum conversaris, quia aures jam tinctæ fuerunt et occupatæ inhumano felle obtrectatorum. Aspicis omnes illiberali oculo, quia et oculus, cum a vehementiore aliquo colore imbutus est, nequit de aliis coloribus incorrupte judicare.

67 Oportet igitur nos caute conservare linguam et aures, ne quidquam proferamus aut audiamus ex passione. Scriptum est enim : Stultam auditionem ne admiseris. Detrahentem secreto proximo suo hunc persequebar. Et alio loco : Non loquatur os meum opera hominum. Nos vero ne loquamur ea quæ non sunt facta ab illis. Oportet igitur nos nullo modo adhibere fidem ejusmodi dictis, sed facere et loqui juxta Lydium sacræ Scripturæ : Ego autem factus sum sicut surdus et mutus.

Eccli. 13. 16.

Psal. 100. 5.

Psal. 16. 4.

Psal. 37. 14.

Non lætandum pœnis alienis.

68 Neque lætandum est de adversis proximi quantumvis malus sit et peccator. Sunt enim nonnulli cum vident miserum aliquem fustuario vapulantem, aut abductum in carcerem, barbare occinunt proverbium illud populare et mundanum : Qui male lectum stravit sentiet noctem laboriosam. Tu igitur, quæ præclare stravisti tibi res tuas, confidis scilicet te quietem habituram in vita. Quid autem faciemus istis qui dicunt, eumdem esse interitum justo et peccatori? verum quidem quod ipsum vivere quamdiu hic sumus, est commune omnibus; sed alia ratio vivendi est in hoc, alia in illo.

69 Neque

Inimici non habendi odio. 69 Neque oportet odio habere inimicos : ipse enim Dominus hoc præcepit nobis propria voce, dicens : Matth. 5. 46. Diligite non modo diligentes, quod peccatores et publicani faciunt, etc. Bonum enim et quod honestum est, non eget lenocinio ad amorem sui ; seipso enim attrahit amantes : malum autem, indiget etiam doctrina Dei et labore magno ut evellatur et abstergatur. Regnum enim cælorum non est otiosorum et Matth. 11. 12. hominum sine cura, sed violentorum qui vim faciant.

Nec fugiendum consortium peccatorum. 70 Quemadmodum igitur non oportet nos odio habere inimicos, ita neque oportet nos fugere aut naso suspendere tepidiores et homines desides et pigros. Nam sunt quidam qui dictum illud Scripturæ Psal. 17. 26. accommodant sibi ipsis : Cum Sancto sanctus eris, cum perverso perverteris ; ac propterea, inquiunt, fugiamus peccatores, ne pervertamur ab eis. Ex ignorantia faciunt isti, contrarium dicto. Nam præcepit Spiritus sanctus non conversari, id est perverti una cum perversis, sed advertere eos a perversa via eorum: NOT. 95. συνδιατρίψεις enim est idem eo loco ac συνελκύσεις quod transferendum fuit, cum perverso converteris, hoc est perversum convertes, et trahes ad te a via sinistra ad dexteram.

Tres hominum Ordines: 71 Tres sunt hominum sententiæ de eligendo vitæ genere ; quarum una est extremæ malitiæ, altera in statu mediocri, ut quæ ad utrumque extremum respicit, et participare videtur de utroque ; tertia denique in apice speculationis sita, non solum seipsam stabilit, sed etiam alias duas inferiores conatur quasi manu ducere ad bonum statum. Mali quidem pejoribus mixti plus augent malitiam : medii vero conantur fugere dissolutos et intemperantes, metuentes scilicet hoc ipsum quod modo diximus, ne attrahantur et pervertantur ab illis ; pueri enim sunt adhuc in negotio virtutum. Sed tertii qui virili animo præditi sunt, et judicio confirmato una degunt libere cum malis, et conversantur cum eis ; quia cupiunt servare eos quamvis gravia patiantur ab eis. Nam dæmones insuper eos perditum eunt, ut quorum opera orbantur incendiariis ministris suis. Atque etiam a dyscolis improperia sustinent, et ludibrio habentur ab iis, qui conspiciunt eos una agere cum dissolutis : vituperantur enim ut similes iis quibuscum conversantur. Sed illi audientes ista, quæ ab hominibus profecta sunt, velut encomia sua, intrepide exequuntur opus Dei. Dictum est enim : Gaudete et exultate, cum omne mendacium adversus vos dixerint homines. Vere igitur actiones istorum similes erant actionibus Domini : nam Dominus comedebat cum peccatoribus et publicanis. Magis autem studiosi sunt fratrum suorum, quam sui ipsorum : nam aspiciunt peccatores sicut ædes conflagrare ; propria sua negligentes, aliena procurant servare, et ustulata recolligentes etiam ex mediis flammis acerrimarum contumeliarum ambusti emergunt. Qui vero medii sunt cum vident fratrem flagrantem incendio peccati, aufugiunt, timentes ne et ipsos tangat incendium. Primi denique partes agunt malorum vicinorum insuper augentes incendium, in exitium proximi subministrant propriam malitiam, seu novam materiam igni : ac si quis ardenti navigio ex pice pro aqua suggereret pissasphaltum aut cedriam. Boni vero contra faciunt : nam proprias facultates suas postponunt saluti proximi. Hæc enim sunt signa veri amoris, et hi sunt custodes sinceræ caritatis.

1. *Extreme improbi.*

2. *Medii in virtute.*

3. *Perfecti.*

Matth. 5. 11.

a *Idem habetur lib. 3. de vitis PP. libel. 8, nu. 16.*

CAPUT X.

De eleemosyna spirituali et corporali vitæque religiosæ exercitatione.

Connexa inter se vitia : item virtutes. Sicut vero vitia dependent inter se mutuo unum ab alio : nam cupiditatem habendi sequitur invidia, dolus, perjurium, ira, et memoria injuriarum ; sic et virtutes cohærent cum caritate ; nimirum mansuetudo, tolerantia, longanimitas, et perfectum illud bonum actemosyne dicta, quæ est spontanea abjectio bonorum propter Christum. Nec enim accidit virtutem hanc dilectionis attingere nisi ex abjectione bonorum : neque injunxit Deus caritatem erga unum solum, sed erga omnes. Non oportet igitur divites, quibus suppetit copia, despicere egenos : sic enim abraditur aliquid a caritate : quamvis non sit penes hominem sufficere omnibus, Dei enim hoc opus.

Quomodo eleemosynæ virtus conveniat monachis. 73 Quid igitur, inquit, de eleemosyna angustaris? et ipsa occasio est retinendarum divitiarum. Secularibus injuncta fuit. Non enim tam præscripta fuit nutriendorum pauperum gratia, quam ob caritatem: nam Deus qui regit res divitis, idem nutrit pauperem. Superflue igitur datum est præceptum eleemosynæ? absit, quin potius est initium caritatis idiotis et ignorantibus : sicut enim corporalis præcisio præputii ; delineatio erat præputii cordis, sic et eleemosyna NOT. 96. constituta ut esset pædagogus caritatis, ac proinde quibus caritas ex gratia data est, insuper erit eleemosyna.

74 Hæc vero non ita dicta sunt a me, ut traducam eleemosynam, sed ut ostendam puritatem paupertatis spontaneæ, et abdicationis vel renuntiationis bonorum. Minus non sit impedimento majori. In parvo recte feci sti id quod est minus : omnia enim distribuisti ad assem : age respice sursum ad id quod est majus, caritatem scilicet : sub cruce enim es : liberalem illam vocem emittere debes : Ecce nos reli- Matth. 19. 27. quimus omnia, et secuti sumus te. Dignus factus es imitari libertatem illam linguæ Apostolorum : Dixit Act. 3. 6. enim Petrus cum Joanne : Aurum et argentum non est mihi : gemina quidem lingua, sed fides uniusmodi ambobus.

Eleemosyna discrete facienda. 75 In sæcularibus etiam non simpliciter agendæ eleemosynæ indiscrete pro re nata. Dictum est enim: Oleum peccatorum non impinguet caput meum. Oportet igitur eum qui exercet eleemosynam habere judicium et animum Abrahami, qui factum justum juste exhibuit. Nam cum convivio acciperet hospites, cum epulis et scitum factum edidit. Scriptum est enim : Ipse stabat ministrans, non permittens ut vernæ Gene. 18. participes essent tanti ministerii. Vere tales accipient mercedem eleemosynæ, et in secundo ordine existunt. Dominus enim qui mundum fabricatus est, duplicem ordinem posuit incolarum ; aliis quidem qui recte vitam agerent permisit matrimonium filiorum procreandorum causa, aliis vero propter puritatem vitæ assignavit castitatem, æquales faciens eos Angelis. Illis quidem tradidit leges vindices et disciplinas ; his vero dixit : Mihi vindicta, ego retribuam, inquit Do- Rom. 12. 19. minus. Illis dixit : Laborate terram his vero : Nolite Matth. 6. 31. solliciti esse de crastino. Illis legem dedit, his vero in propria persona intimavit ex gratia mandata sua.

Psal. 140. 5.

Antithesis vitæ cœlibis et conjugatorum.

76 Crux est nobis trophæum victoriæ. Nam professio nostra nihil aliud est quam renunciatio vitæ, et meditatio mortis. Sicut enim mortui non operantur corpori, ita neque nos debemus operari : jam enim fecimus quæ facienda erant corpori, cum eramus pueri. Dicit enim Apostolus : Mundus mihi crucifixus Gal. 6. 14. est et ego mundo. Vivamus igitur animo, et animo ostendamus virtutes, exerceamus animo eleemosynam. Beati enim misericordes spiritu. Sicut enim ibi Matth. 5. 7 et scriptum est, qui concupiverit mulierem, sed sine 28. consummatione operis, facit peccatum quidem, sed ἀμάρτυρον, hoc est, cui nullus est qui testimonium ferat, nisi vermis intus ; ita se habet in negotio eleemosynæ. Nam eleemosyna perficitur, cum anima intus operationem complet, quamvis non adsit pecunia, major honore afficimur.

Eleemosyna interna et externa.

Comparatio vitæ cœlibis et conjugalis. 77 Quemadmodum in mundo patribus familias varia sunt ministeriorum genera ; nam alios rus ablegant ad colenda prædia et sobolis procreandæ caussa ; ex quibus

AUCTORE S. ATHANASIO.

quibus qui nascuntur si viderint aliquos ex eis modestos et sub liberali alioqui forma, domum ducunt et nutriunt eos in propriis ædibus ad ministeria propriæ sibi personæ; sic et Dominus alios quidem posuit in prædiolo mundi hujus, qui honestum matrimonium patrarent; alios vero melioris utpote consilii viros in proprium usum sibi reservavit : et hi quidem sunt qui ab omnibus terrenis negotiis separantur. Nam jam herili mensa dignati sunt, nec sunt solliciti de vestitu; Christum enim induerunt.

Utriusque finis.

78 Amborum igitur unus Christus est. Nam sicut ex eodem frumento est palea et semen; sic ex eodem Deo sunt qui vitam recte traducunt in mundo, et qui vitam solitariam elegerunt. Utrique autem suus usus: Folium quidem ad utilitatem et tutelam seminis, fructus vero et semen ad propagationem. Ideo necessaria inquisitio seminis : ex eo enim generantur omnia. *a* Sicut igitur non est tempore eodem herba cum semine, sic impossibile est, ut circumstante nos gloria mundi hujus cælestem fructum producamus : sed decidentibus foliis, et arescente culmo, seges messoris falcem expectat; sic nos abjectis cogitationibus terrenis velut foliis, et exsiccato sceleto corporis velut arista, et erecta mente in altum, poterimus fructum salutis producere.

a

b Vitæ religiosæ præparanda mens.

79 *b* Periculosum quidem opus, fateor, hominem in ista incumbere, qui non prius in palæstra practicæ vitæ præexercitatus est. Sicut enim si quis sub caduca et ruinam minantia tecta alios domo exceperit, pauperiem facit cadente domo; ita et isti nisi prius semetipsos bene ædificaverint, una perdunt accedentes cum seipsis. Verbis quidem exhortantur et invitant ad salutem, sed malis moribus et exemplis athletas potius gravi damno afficiunt. Nam nudi sermones eorum et monogrammi videntur similes picturis quæ scitis quidem, sed facile delebilibus coloribus exaratæ pereunt brevissimo tempore, et leviusculo auræ flamine, vel aquæ guttula evanescunt. Sed doctrinam practicam quæ agendo comparata est, non omne tempus delere potest : sermo enim ad vivum insidens solida penetralia animæ æternum monumentum et exemplar præbet fidelibus.

Tota excolenda anima.

80 Oportet igitur nos habere curam animæ, non in superficie tantum, sed eam totam excolere quanta est, et in primis ad profunda illius descendere. Abscidimus quidem comam, abjiciamus etiam cum coma et tineas in capite, quæ si diutius relinquentur, non exiguum dolorem excitabunt. Capillamentum erat mundus, vitæ hujus honores, gloria, facultates, vestes splendidæ, stolæ, balneæ, cupediæ : hæc omnia jam dum decrevimus abjicienda : eja agite, quin potius abjiciamus lethales tineas animæ? sed quænam sunt hæ tineæ? sugillatio, juramentum, et amor pecuniæ. Caput igitur nostrum est anima. Quousque quidem in aulis rerum mundanarum tegebantur animalcula ista, videbantur latere; nunc vero præscissa coma denudata omnibusque exposita sunt, propterea in virgine vel in monacho etiam levissima peccata prostituta sunt, sicut in munda domo animalculum vel galbano tenuius fit conspicuum : in sæcularibus vero sicut in teterrimis lustris latent maxima venenatorum monstra stabulantia, et sub densitate silvæ delitescentia. Oportet nos assiduis februis expurgare domum, et circumspicere ne aliquod ex venenoso hoc genere animalium subeat penetralia animæ, et divino suffumigio orationis intimos recessus obire. Sicut enim acerrima pharmacorum fugant animalia venenosa, sic et oratio cum jejunio profligat cogitationes immundas.

Peccata monachorum et virginum magis conspicua.

a *Idem habetur lib.* 5 *de vitis PP. libel.* 8, *n.* 20.
b *Hæc etiam habet Pontanus nu.* 1.

CAPUT XI.

Vana Genethliacorum judicia refelluntur.

Fatum credere, grande nefas est.

Inter lethalia animæ est et hoc, quod sinimus nobis persuaderi ab assertoribus fati, quam et γένεσιν vocant. Gravissimus si quis alius est hic stimulus adversarii : in bonis quidem ubi primum pestiferam notionem menti exhibuerit, abscedit illico; sed in incautis vel tyrannidem exercet. Nemo enim eorum qui cum virtute vitam transigunt, crediderit aut admiserit tam lethalem et subventaneam doctrinam. Deum enim ponunt principium omnium bonorum quæ sunt et fiunt, et secundarium ponunt propriam cujusque voluntatem, penes quam sit arbitrium et imperium virtutis et vitii. Sed cum aliqui ex incuria patiuntur quæ alioqui non sperabant, statim confugiunt ad dæmonem hunc et sacram anchoram fati. Nam sicut filii dissoluti et nepotizantes, qui ægre ferunt ferulam parentum, quamvis in salutem eorum adhibitam et utilitatem, emansores tamen fiunt, et fugiunt in deserta ista loca moriæ, et seipsos mancipant ferinis et barbaris opinionibus dæmoniorum. Nam cum verentur confiteri propriam voluntatem ipsorum caussam esse eorum quæ ab ipsis facta sunt, culpam conjiciunt in nescio quæ, quæ dicunt sibi deesse; ac si illa caussa esset mali, quia illis carent.

Genethliacorum impietas.

82 Atque adeo seipsos plane alienantes a numine Dei, dicunt omnia quæ libidinem sapiunt, provenire a nativitate. Nam cum scortationibus, furtis, avaritia laborant, et sponte dolos elegerunt; ipsi actiones suas et vitam torserunt a recta via veritatis, et finis intentionis eorum est peremptoria desperatio. Necesse est etenim rationibus istis apud eos e medio tolli Deum, et præterea judicia. Dicunt enim : Ita statutum est et ratum in tabulis fati, me scortaturum, aut expilatorem futurum. Frustrane sunt judicia? justa enim est pœna eorum quæ sponte committuntur. Et actiones involuntariæ, quæ ab aliqua caussa fiunt velut coactæ, reddunt auctores inculpabiles : ac proinde tollitur e medio judicium.

Dei majestatem tollunt.

83 Quomodo vero tollatur majestas Dei apud eos etiam, audiendum est. Dicent enim Deum vel primas tenere vel secundas, vel tantum juge coexstitisse aliis causis agentibus, secundum vanam futilitatem eorum. Si dicunt Deum primas tenere, necessario sequitur omnia facta esse per eum : ipse enim in omnibus est; atque ita dominus esset fati. Unde si dixerint se expilatores esse, aut subsessores alieni thori, ex nativitate, necesse est Deum esse caussam mali media nativitate, quod est absurdum et impium dictu. Si vero dicunt Deum tantum secundas tenere, consentaneum est Deum esse ministrum, et sub aliquo alio : necesse est autem secundarium obsequi primario, et quodcumque primarium decrevit facere. Atque ita etiam Deus erit caussa mali secundum eos, quod nefas est dictu. Si denique volunt Deum tantum coexistere aliis causis, ac si nihil operaretur, tunc ea quæ naturas habent inter se repugnantes, continuum bellum agitabunt contra se mutuo. Unde rationibus istis summario convellitur vana istiusmodi opinio, de quibus loquitur Scriptura : Dixit insipiens in corde suo, non est Deus, et Iniquitatem in excelso locuti sunt. Psal. 13. 1.

Vana eorum argumenta, ex Scripturis.

84 Prætendunt autem isti prætextus in peccatis. Cæcutientes enim mutilant Scripturas, ex quibus male sanam doctrinam suam comprobent. Primum venenum suum haurire et evomere conantur ex Evangelio, ubi dicitur : Generatio autem Christi sic erat. NOT. 97. Præterea id quod dicitur Verbum incarnatum esse, insinuat consequenter nativitatem, et si aliquid etiam mentiuntur de stella, discant demonstratum in ea gloriosum adventum illius. Unica stella illa lucidissima fuit nobis præco veritatis. Sed fatuum hoc fatum multos induxit ad captandum nativitates humanas : unde

unde manifestum fit omnibus, quam omnino malitia sibi adversetur. Deinde et Isaiam trahunt in confirmationem amentiæ suæ. Ferunt enim eum dixisse ista : Dominus faciens pacem, et creans mala. Apud omnes in confesso est pacem esse opus Dei, sed malitia apud eos regnat : malitia, inquam, quæ est in anima, sed mala quæ a Deo infliguntur nobis, sunt utilissima; sunt enim ad salutem animæ, et disciplinam corporis, fames, pluviæ, morbus, paupertas, et aliæ ejusmodi calamitates. Salutaria enim medicamenta ista reputant illi mala animæ, et concipiunt ut vere mala. Infliguntur autem ad correctionem bonorum : quis enim filius est, quem non castigat pater? Denique et ista proferunt : Non sunt in homine viæ suæ, sed in propriam confusionem eorum. Nam cum viam non habeant, cupiunt rimari vias : pleonexia non habet viam, neque gula, nec fornicatio : sunt enim ἀνυπόστατα in seipsis, μὴ ὄντα, hoc est res quæ in se ipsis nullum fundamentum habent, nec vere sunt, hæc illi putabant esse vias; sed scriptura eo loco vocat vias illas, nimirum quæ sunt communes omnibus, vitam et mortem : vere enim hæ viæ sunt introitus in theatrum istud mundi, et exitus inde.

Isai. 45 7.

Jeremiæ 10. 23.

Eorum finis. NOT. 98.

85 Omnia igitur faciunt mali ut semetipsos dimoveant a libero arbitrio : et omnem curam suam ponunt in hoc, ut libertatem cum servitute commutent. Hoc enim est proprium opus malitiæ, ut semper seipsum commisceat cum deteriori : ipsi sibi testes assidui sunt et locupletes, ut qui se ipsos manciparunt malitiæ. Sed magisterium impostorii stratagematis hujus est diaboli : operam enim dat per malesanas ejusmodi prolepses deorsum inclinare inertia et servilia ingenia, non permittens eis, ut caput erigant ad recognoscendam veritatem : sicut navis sine gubernaculo in alto semper fluctibus agitatur, sic istis undequaque ingruunt pericula, nec portum salutis petere valent, quia navarchum et proretam dereliquerunt. Atque ita in errore detinet diabolus eos, qui ipsi mancipati et dediti sunt. Sæpe etiam bonis insidiatur, volens per ista cursum eorum laudabilem interrumpere. Suggerit enim illis in mentem, omnem bonam fortunam et prosperitatem a motu astrorum provenire : proponit autem rationem istam adversarius iis, qui a philosophia sæculari transmigrant ad professionem vitæ solitariæ. Prudens quidem diabolus in malo, suggerit congrua naturæ cujusque, aliis quidem assidue instat per desperationem, alios trahit per vanam gloriam, alios supplantat per cupiditatem : in summa, sicut perfidus medicus propinat deleteria hominibus; hunc quidem jecinorosum perdit suggerens venenosum pharmacum cupiditatis; alium vero cardiacum, accendens animum ad iram; aliis denique obtundit hegemonicas partes animæ, vel cæcitate obfuscans, vel vertigine curiositatis distorquens.

Ejus opinionis auctor diabolus.

Stolida quorumdam curiositas.

86 Quosdam igitur pervertit per quæstiones ineptas : nam cum insana libido mentem incesserit Deum et naturam Dei scrutari, impingunt, et naufragium patiuntur : aurigulæ quidem male experti, qui nondum didicerunt lora vitæ practicæ regere, audent se committere alis speculationis; unde pessum cadunt præcipites vertigine acti mysteriorum. Nam id quod primum erat ordini cum non sunt assecuti, aberrant etiam a secundo. Ut qui in primum elementum litterarum incidunt, primo aspiciunt figuram, inde nomen addiscunt, deinde numerum, ac denique tonum et rectam pronuntiationem. Si igitur opus est tanto impendio moræ et artis ad cognoscendum primum tantum elementum, quanto plus temporis et laboris præmittendum est ad contemplandum ineffabilem majestatem creatoris mundi? Verumenimvero nemo gloriose præsumat divinam naturam comprehendere per exoticas scientias gentilium : decipit enim seipsum hic quicumque ita cogitat illusus a diabolo, dicit enim Psalmista : Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem. Et ipse Dominus in Evangelio voce propria dixit : Sinite parvulos venire ad me : talium est enim regnum cælorum, et alio loco dixit : Nisi efficiamini sicut parvuli isti. Eruditus es propter mundum? sis stultus propter Christum : evelle vetera, ut plantes nova : destrue fundamenta caduca, et ponas adamantinam basim Christi, et ædificeris sicut Apostolus super petram firmam.

Psal. 8. 3.

Luc. 18. 16.

Matth. 18. 3.

Fugiendæ vanæ disputationes.

87 Non oportet igitur nos contentiosos esse in inanibus verborum disceptationibus; ne nimium vacemus eis. Nam potest diabolus non parum detrimenti inferre per intempestivam loquacitatem : multos laqueos habet, auceps peritus est, parvos laqueos ponit minoribus avibus, majores et robustiores destinat majoribus. Gravis et perniciosus laqueus est, fidem ponere in nativitatibus. Fugiendæ omnes ratiocinationes, quæ eo tendunt : Atqui nolenti fidem, inquis, extorquebunt per opera et prognostica. Sed tota ratio conjecturalis judiciumque incertum est : non enim quæ ab illis prædicuntur, necessario succedunt. Nam sicut in idiotis et nautis est qualis qualis ratio prædicendi ventos et pluvias ex acquisita experientia et proprietate nubium; ita in istis est putidiuscula quædam notitia prædicendi a dæmonibus profecta : nonnulla enim et ipsi conjectura consequuntur, sicut et ventriloqui pythones. Atque hoc in primis sufficiens est ad detegendum vanam opinionem eorum : nam si conjecturæ et mendacia eorum a dæmonibus profecta sunt, vana est omnis nativitatum calculandi professio.

Genethliaca tota conjecturalis et vana.

Casus et fortuna a diabolo suggeruntur.

88 Et si adhuc perseveraverit diabolus patrocinari scientiæ divinandi; poterimus et hinc eum falsi convincere, ex eo quod alias bellum infert animæ per alias opinionis contrarias huic. Nam quod inconstans, et instabile est; et quod instabile est, proximum est interitui. Non enim contentus est diabolus prima illa malitia, sed etiam suggerit animæ casum et fortunam, quæ sunt contraria fato; et mentem nostram statuit nihil aliud esse, quam germen quoddam naturæ, et dissoluto corpore una interire animum. Hæc suggerit nobis, ut animam sopitam detineat philtro socordiæ. Sed non debemus assentiri ejusmodi suggestionibus tamquam veris : ipsæ enim malitiam suam aliquando prodent, modo hoc modo illo modo observant, et nictu oculi evanescunt. Novi etenim servum quemdam Dei, qui vitam transigebat in virtute : cum sedebat in cellula, observabat insultus cogitationum, et in numerato tenebat quænam prima esset et quæ secunda, et quantum quæque duraret; quo ordine succederent inter se, præcederentne an subsequerentur collatæ cum die præcedente : sic accurate cognoscebat gratiam Dei, et proprias vires suas ac perseverantiam, ac præterea demolitionem adversarii.

Ingressus cogitationum examinandus.

Negotiatio spiritualis assidua.

89 Oportet nos eamdem regulam observare, nam qui mercaturis incumbunt, expendunt quotidie commodas occasiones negotiandi, lucrum semper et plus libenter arripiunt, jacturas fugiunt. Multo magis istis oportet eos vigilare qui mercaturam profitentur verorum thesaurorum et plura bona appetere, et graviter ferre metu judicii, si adversarius vel pauxillum surripuerit; non tamen despondere animum, et desperanter omnia projicere propter dilectum, quod ab invito profectum est, sunt tibi nonaginta et novem oves, vade quæsitum unicam quæ amissa est : ne consterneris propter unam et fugias Dominum. Alioqui sanguisuga ille tartareus diabolus in captivitatem ducet universum actionum tuarum gregem, et te perdet. Ne igitur locum deseras propter unum. Dominus benignus est. Nam per Psalmistam dictum est : Cum ceciderit non collidetur, quoniam Dominus supponit manum suam.

Psal. 36. 24.

CAPUT

AUCTORE S. ATHANASIO.

CAPUT XII.

Profectus spiritualis, ornatus sponsarum Christi.

Omnia hujus mundi nullius momenti sunt respectu alterius.

Quæcumque fecerimus aut lucrati fuerimus in hoc mundo, reputemus parva, si conferantur cum bonis futuræ vitæ. Ita enim sumus in terra, ac si iterum includeremur utero materno. Quemadmodum in claustris matris non est nobis eadem vita, atque hic; neque enim tunc alimur tam solido nutrimento in illis partibus ac nunc, neque possumus actiones ita edere atque hic; nam sumus extra lucem Solis et omnem splendorem cæli. Unde sicut dum sumus in cellulis illis, destituimur multis quibus hic abundamus; ita et in mundo isto copia, qua affluimus, debet esse propter regnum cælorum. Jam fecimus periculum alimentorum quæ hic sunt, appetamus cælestia. Jam usi sumus sole isto mundano : desideremus Solem justitiæ, superiorem Hierusalem reputemus in civitatem nobis et matrem, et Deum vocemus patrem. Temperanter hic vivamus, ut vitam æternam consequamur.

91 Quemadmodum pueri in matrice matris adolescunt, et cum paupere alimento ab angusto vitæ carcere ad amplius theatrum transferuntur; sic et justi a curriculo in hoc mundo transeunt ad vitam cælestem, juxta id quod scriptum est : Ibunt de virtute ad virtutem. Peccatores vero sunt sicut embryones, qui in utero matris moriuntur : transeunt a tenebris ad tenebras : nam dum sunt in mundo, revera mortui sunt, et saburra peccatorum obruti, defunctique vita, post mortem transferuntur ad loca tartarea et tenebrosa in inferno. Ter quidem nascimur in vita : primo e sinu materno, cum a terra in terram transferimur; deinde vero cum a terra ducimur ad cælum, quarum altera est concessa nobis ex gratuita benignitate Dei, quæ fit per divinum lavacrum Baptismi, quam et vere regenerationem vocamus. Tertia denique vita provenit nobis a pœnitentia et bonis operibus. In hoc tertio vitæ genere nos nunc agimus.

Psal. 83. 8.

Tres vitas vivimus.

Virgines, sponsæ Christi, debent virtutibus ornari.

92 Oportet igitur nos ad genuinum sponsum accedentes comptius ornari. Sint nobis exemplo nuptiæ quas cernimus in mundo celebrari. Si puellæ tantum operæ et pretii insumunt in lavacris, unguentis, succo, et id genus aliis, ut viro, qui alioqui facile captatur, mox copulandæ comptiusculæ compareant in thalamo: hac enim via putant se amabiliores fore sponsis; si istæ tantum se vexant in nuptiis temporalibus, quæ in corpore transiguntur; quanto magis decet nos eas excedere animo, quæ desponsatæ sumus sponso cælesti; ut zeloso exercitio virtutis abstergamus sordes peccatorum, et vestes corporales transmutemus cælestibus? Illæ ornant corpus terrenis nescio quibus flosculis, nos animum lucentem reddamus virtutibus loco lapidum pretiosorum : ponamus in capite triplicem illam coronam, fidei, spei, et caritatis. Loco monilium circumponamus nobile illud ornamentum humilitatem; pro zona cingamur temperantia; pro flammeo sit nobis actemosyne et paupertas spontanea; convivio afferantur numquam peritura fercula, preces, psalmi, sed sicut Apostolus dicit, non solum move linguam, sed etiam spiritum. Percipite quæ dixi : nam os sæpe loquitur, cum cor aliis cogitationibus distrahitur. Studium vero adhibere oportet, ne cum accedimus ad nuptias cælestes, laboremus penuria lampadum, hoc est virtutum. Alioqui sponsus nos habiturus est odio, nec ullo pacto nos admissurus est, priusquam acceperit tesseram et pollicitationes nostras virginales. Quænam autem sunt ista promissa et auctoramenta nostra sponso? minus puta sollicitas esse de corpore, animam vero uberius irrigare. Hæc sunt capita tabularum cum sponso.

1. Cor 14. 14. NOT. 99.

Pacta nuptialia sponsarum Christi.

93 Quemadmodum non possumus duas situlas in uno et eodem tollenone ambas simul plenas haurire; nam volvente subinde rota, vacua in altero transennæ extremo subsidente, plena sursum trahitur : eodem modo se res habet nobiscum; cum omnem curam impendimus animæ, et eam implemus latice bonarum actionum et virtutum, ipsa se sursum elevat studio rerum sublimium affecta, et corpus tunc leve redditum exercitio virtutis non deprimet principes partes animæ. Quod et Apostolus testatur cum dicit : Quanto magis qui foris est externus homo corrumpitur, eo magis qui intus est renovatur.

2. Cor. 4. 16.

CAPUT XIII.

Parœnesis ad religiosas.

a Intra claustra cœnobii agis, hoc est vivarii communis voluntarii? Noli mutare locum : plurimum enim nocebit. Quemadmodum avis, si quibus incubat ova deseruerit, subventanea reddet; sic et velata virgo vel monachus cum e loco in locum migrat, refrigescit fides, atque adeo emoritur.

a *Locus non temere mutandus.*

95 *b* Ne te moveant deliciæ, nec inescent opulentorum in mundo lautitiæ, ac si pondus aliquod in se haberent sub specie voluptatis. Colunt illi quidem et in pretio habent peritiam obsonatricem, tu vero jejuniis et vilibus esculentis supera omnem eorum copiam. Scriptum est enim, quod anima saturata favum calcabit. *c* Ne te ingurgites cibo, nec concupiscas vinum.

b *Deliciæ contemnendæ.*

Prov. 27. 7.

c

96 Tria sunt præcipua capita adversarii, unde omnis pravitas oritur, et unum aliud sequitur, sicut annuli in catena. Voluptatem quidem aliqualiter temperare possumus, concupiscentiam vero impossibile : voluptas enim corpore adimpletur, concupiscentia vero ab animo incipit, dolor ab utroque. Ne permittas igitur concupiscentiam in actum exire, et alia facile profligabis. Si permiseris ut primum provergat præponderetque *d* vices daturum secundo, in orbem se mutuo agent sursum deorsum agitata, ut anima nullo sufflamine se ipsam sistere queat, juxta id quod scriptum est : Ne des exitum aquæ tuæ.

Voluptas, tristitia, concupiscentia.

d

Eccli. 25. 34.

97 Non omnia omnibus quadrant. *e* Quæque sibi persuadeat proprio sensu, multis enim expedit in cœnobio vivere, hoc est, communi solitudine cum aliis, multis etiam expedit seorsim recedere. Sicut enim plantarum aliæ uberius crescunt humidiore solo, aliæ firmius in sicciore, ita et hominum alii felicius degunt in subliminibus locis, alii in humilibus : ita ut multi in civitatibus serventur, qui cogitatione solum attigerunt eremum, et multi contra in montibus et eremis pereant. Fieri potest ut qui versatur in magna frequentia hominum, sit solitarius animo, et contra qui in solitudine degit, turbas sentiat in animo.

e *Varia variis conveniunt.*

98 Multa sunt tela diaboli contra nos. *f* Non potuit flectere nos egestate? divitias adducet in escam. Non potuit prævalere per convicia et improperia? laudes objicit et gloriam. Per sanitatem frustra adortus est? valetudinem tentabit. Nam cum non poterat decipere nos voluptatibus, operam dat ut nos ipsæ nos subvertamus propriis laboribus. Nam gravissimas infirmitates, velut poscentibus inferet dedita opera, ut propter illa segniores reddamur, et caritatem erga Deum conturbemus. Sed si corpus cruciatur, et ardentissimis febribus inflammatur, atque etiam intolerabili siti vexatur, si ista quidem pateris peccator existens, recordare pœnarum alterius sæculi, et ignis æterni, et judiciorum inferni; tunc non monstrabis negligentiam circa præsentia : lætare, quia Dominus visitavit te, et semper in ore habe fausta illa verba Psalmistæ : Castigans castigavit me Dominus, et morti peccati non tradidit me. Ferrum enim es, et in igne expurgaris a ferrugine, si vero laboras morbo justus existens, tunc a magnis progrederis ad majora : aurum es, per ignem expurgatior fies. Datus est angelus satanæ carni tuæ qui te colaphizet. Exulta, videns cui factus es similis. Pauli enim honore dignatus es. *g* Per ardores probaris, per rigores erudiris.

f

Multa tela diaboli contra nos

Consolatio afflictorum.

Psal. 117. 18.

2. Cor. 12. 7.

g

Psal. 65. 12. erudiris. Sed et scriptura dicit : Transivimus per ignem et aquam. Refrigerium paratum est. Jam habes primum, præstolare secundum. Dum vita suppetit, semper in ore habe verba illa Prophetæ : Tamquam pauper et inops et dolens sum ego. Perfectus eris ternario ; etenim et scriptum est : In tribulatione dilatasti mihi. In his palæstris exerceamus animas nostras : adversarium præ oculis habemus.

Psal. 68. 30.

Psal. 4. 2.

h 99 *h* Ne tristemur quod propter debilitatem et plagam corporis non sufficimus stando ad orandum, aut voce ad spallendum : omnia ista facta sunt ad exstirpationem cupiditatum. Nam jejunia et humisternia instituta sunt propter fœdissimas voluptates carnis ; quas si morbus præscidit, supervacui erunt labores spontanei. Sed quid supervacuos dico ? deterrima quidem symptomata concupiscentiæ obdormiscunt, fateor, morbo, ceu medicamento magno et robustiori nepenthe. Sed hæc est magna ascesis nobis, morbos patienter tolerare, hymnos effundere Deo optimo maximo, cum gratiarum actione. Oculis orbatæ sumus ? ne feramus ægre : nam organa amisimus *i* insatiabilis cupiditatis ; sed oculis internis animi inspiciamus tamquam in speculo gloriam Dei. Surdæ factæ sumus ? gratias agamus, quod tam vanum auditum penitus amisimus. Manibus mancæ sumus ? sed manus internas animæ expeditas teneamus ad prælium cum internecino adversario diabolo. Infirmitas totum corpus occupavit a capite ad calcem ? *k* sed eo magis vigeat sanitas interioris hominis.

Consolatio in morbo.

i

k

l 100 *l* Cum vivitur in cœnobio, hoc est, communi solitudine vitæ, præferamus obedientiam ascesi : nam ascesis præsumptionem, obedientia vero humilitatem promittit : *m* est enim quædam ascesis intenta a diabolo, et quam discipuli ejus sequuntur. Quomodo igitur distinguemus divinam et regiam ascesim, a tyrannica et dæmoniaca ? ex moderatione scilicet. Tota vita tua quantaquanta est, una æquali et uniformi rubrica jejunii protrahenda : non est jejunandum ad quartum quintumve Solem, et inde farciendum nimia ingluvie corpus usque ad resolutionem virium : sic enim faciendo bene mereberis de adversario. Arma nostra sunt corpus, et miles est anima : utriusque gere curam, in suos quodque usus. Juvenis et sanus jejuniis vaca : senectus cum debilitate præ foribus sunt. Cum vires ferunt, reconde viaticum : ut cum vires non suppetunt, habeas quo utaris. Jejuna cum ratione et diligentia : cave ne stellio velificationi se immesceat : hoc enim puto Dominum insinuasse cum dixit : *n* Estote numularii experti, hoc est diligenter dignoscite regium numisma, sunt enim et alia numismata peregrina, in quibus licet natura auri sit eadem, differunt tamen charactere : aurum quidem sunt jejunia, continentia, et eleemosyna. Sed et Græci, hoc est Gentiles, etiam edidere imagines suas tyrannicas, atque etiam hæretici cristas erigunt, et multum præsumunt sibi in istis. Oportet igitur diligenter intueri numismata istorum, et vitare cum illos tum numismata eorum peregrina. Vide ne cum inciderís in eos sine experientia, damnum accipias, confidenter sumas in manibus crucem Domini cælatam virtutibus, nimirum fide recta cum bonis operibus.

Obedientiæ utilitas.

m

De ascesi bona et vitiosa.

Demoderanda ascesi.

NOT. 100.

NOT. 101.

n

o 101 *o* Oportet nos cum prudentia gubernare res animæ. Cum in cœnobio sumus et communi vita, non oportet sua quærere, neque propriis sensibus vivere ; sed morem gerere communi parenti quæ est secundum fidem. Tradidimus nosmetipsas exilio, hoc est exivimus extra limites mundi, unde ejectæ sumus, ne quæso redeamus : ibi gloriam habebamus, hic ignominiam ; ibi lautitias, hic famem. *p* In mundo si quis quæpiam commiserit, nolens volens in carcerem conjicitur ; nos propter peccata nostra sponte contineamus nosmetipsas in custodia carceris, ut per id quod voluntarie facimus, evitemus supplicium futuræ vitæ.

Voluntaria castigatio.

p

q 102 *q* Cœpisti jejunare ? Ne prætexas postea valetudinem : nam quæ non jejunant, eisdem malis etiam conflictantur. *r* Cœpisti bona facere ? Noli reflectere pedem interrumpente te adversario : nam perseverantia tua ille enervatur. Et qui incipiunt navigare, in principio quidem cum vento secundo utuntur, tum velis ministrant et aplustria pandunt : ingruit deinde ventus contrarius, et omnia adversa ; sed nautæ non propter turbinem istum tum deserunt navem, *s* quiete se gerunt, aut etiam certant cum undis, et velificationem qua datur persequuntur. Eodem modo et nos oportet facere ingruente spiritu diabolico : crucem pro velo pandentes intrepide cursum prosequamur.

AUCTORE S. ATHANASIO. *Perseverandum in bonis.*

r

s

a *Habetur et in vitis PP. lib.* 5, *libel.* 7, *nu.* 15, *et apud Pontanum nu.* 2.

b *Habetur lib.* 5, *de vitis PP. libel.* 4, *nu.* 43.

c *Pontanus nu.* 3. Ne panem usque ad saturitatem comedas.

d *Jac. Pontanus n.* 4, *ubi eadem habet, hoc ita reddit :* cum secundo confusum.

e *Pontan. n.* 5. Unumquodque ab unoquoque circumspiciatur, ac certo quantum valeat cognoscatur.

f *Ibid. libel.* 7, *n.* 16.

g *Clarius in vitis PP.* Si febribus, si rigore frigoris castigaris.

h *Habetur ibidem nu.* 17.

i *In vitis PP.* extollentiæ.

k *In vit. PP.* sed nostro interiori homini sanitas crescit.

l *In vit. PP. lib.* 5, *libel.* 14, *nu.* 9, *ubi pro* ascesi, continentiæ *dicitur præferenda obedientia.*

m *Idem habet Pontanus brevius. Aut aliter in vitis PP. libel.* 10, *n.* 72. Est enim ex immissione diaboli extensa dura abstinentia, nam et sequaces ejus faciunt hoc. Quando ergo discernimus divinam et regalem abstinentiam a tyrannica atque diabolica ? Manifestum est, quia mediocri tempore conversationis tuæ una regula jejunii sit tibi. Non subito quatuor aut quinque dies continuos jejunas, et iterum multitudine ciborum solvis virtutem ? hoc enim lætificat diabolum. Semper enim quod sine mensura est, corruptibile est. Noli ergo subito arma tua expendere, ne nudus inventus in bello facile capiaris ; arma vero nostra corpus nostrum est, anima vero nostra miles est. Utrisque ergo diligentiam præsta, ut paratus sis ad id quod necesse est.

n *Videtur hoc sumptum ex eo loco, ubi Christus ait :* cujus est hæc imago ?

o *Idem habetur lib.* 5, *de vitis PP. libel.* 4, *n.* 10.

p *Ibidem libel.* 7, *n.* 18, *idem refertur et a Pontano n.* 7.

q *Minus apte hæc efferri a Pontano videntur :* Jejunas ? ne morbum simules : nam qui non jejunant, eadem solent fingere.

r *Pontanus idem habet nu.* 9.

s *Clarius in vitis PP.* sed paullulum sustinentes aut pugnantes adversus procellam, iterum rectum cursum inveniunt. *Pontanus :* sed ubi paullulum quieverunt, aut etiam contra adversantem procellam nitentes, navigationem continuant.

CAPUT XIV.

Tribus annis et dimidio hectica laborat, suas interim instruit.

Syncleticæ præclara opera.

Hæc erant gravissimæ et omni virtutum laude cumulatissimæ Syncleticæ documenta, quæ potius actiones erant et exempla, quam verba. Et multa alia plurima et magna gesta sunt ab ea, ex quibus audientes et videntes utilitatem capiebant. Tot enim bona ab ea gesta sunt, et tanta multitudo bonorum ex ea pullulavit, ut humana lingua narrando sufficere nequeat.

Ægritudo.

104 Sed male animatus adversarius et boni odio semper flagrans, ægre ferens tam numerosum proventum bonorum, contabescebat, et in se molitur novas strophas quibus ortum hunc bonorum interturbaret, et tandem in peremptorium prælium deposcit generosissimam hanc virginem Syncleticam ; quam usque adeo odiis exercuit, ut ab exteriori parte corporis noluerit plagam ordiri ; sed interiora petens, in profundo corporis dolorem disseminavit, ut ab humana cura penitus deploratæ salutis ab omnibus haberetur.

Tabes in pulmone.

105 Primum quidem adoritur per necessarium vitæ membrum pulmonem, et paullatim plagam accendit lethalibus plagis. Effecerat enim ut lente et precario quasi morbus vitam finiret : sed velut carnifex sanguinolentus feritatem monstrabat multitudine plagarum et mora temporis. Consumpto enim paullatim pulmone, et etiam per os excreatu ejecto, totum quasi viscus amiserat, inde febris interrupta, hectica dicta, instar limæ corpus depascebatur.

NOT. 102. *Febris hectica.*

Anno ætatis 80.

106 Octogesimum annum ætatis agebat, cum diabolus inflixerat ei plagas istas, quales Job ; nam et flagellis

AUCTORE S. ATHANASIO.

flagellis eisdem usus est, sed in Syncletica abreviavit tempus, graviores reddens dolores. *a* Job quidem transegerat triginta et quinque annos in plaga; in Syncletica vero adversarius delibatis decimis annorum Job velut primitiis ad plagas, quibus tam sanctum corpus virginis torqueret : nam tribus annis cum dimidio, sub glorioso hoc martyrio et laboribus restitit adversario. In Job quidem cœpit ab exterioribus partibus, sed in Syncletica ab interioribus, ideo cum interna membra peteret, longe majores dolores et molestiores excitavit, cujusmodi vix puto generosissimos alioqui Martyres perfunctos ac venerabilem hanc virginem Syncleticam. Illis enim sanguinarius draco infligebat per exteriora : quamvis ensem, quamvis ignem et ejusmodi inferret, tamen mitiora judico tentationibus, quibus Syncleticam aggressus est. Viscera enim velut in fornace adurebat, ignem accendens lente ab intrinseco, et longo tempore ad instar limæ decerpebat florem corporis, ut vere dixeris hoc quam quod maxime grave fuisse et inhumanum. Nam cum judices quibus suppliciorum tribunalia commissa sunt, exquisitius delinquentibus tormenti genus excogitare desiderant, lento igne eos absumunt; eodem modo et carnifex adversarius, ab intrinseco accenderat in Syncletica febrem inextinguibilem, ut quæ carnem absumeret, et tormenta die et nocte foveret.

a *Comparatio Syncleticæ cum Job, cum Martyribus.*

Ejus constantia.

107 Verum illa generose plagam ferens, numquam considerat animo, sed semper fortiter se armaverat contra adversarium. Nam illos qui ab illo vulnerati erant, sanabat bonis documentis, et tamquam e faucibus leonis illæsos extrahebat. Vulneratos enim curabat salutari balsamo Christi : alios vero intactos præservabat a vulnere : nam dolosos laqueos adversarii detegens liberos conservabat et immunes a peccatis.

b *Admonitiones ad Religiosas.*

108 *b* Sæpe admonebat admirabilis hæc virgo animas semel Deo consecratas numquam debere feriari et vacare sollicitudine : nam tales adversarius frequentius adoritur, quæ cum fruuntur tranquillitate solitaria, immane rugit, et voto cadens angitur; sed subducto pede paullulum et recolligens se, observat num aliquando vel minimum nictare cœperint, et ex improviso eas aggreditur, *c* et supplantare conatur per id ipsum, per quod putat eas assiduitatem illam meditandi, et nunquam concessum justitium sollicitudinis habituras. Quemadmodum autem impossibile est insigniter sceleratos non micam aliquam boni habere; sic et contra se res habet in bonis. *d* Sæpe enim qui est omni turpitudinis labe circumdatus, misericors tamen *e* et compatiens est : sic et in bonis regnat sæpe temperantia, abstinentia, laboriosa ascesis; videbis tamen eos subparcos, et alienæ prodigunculos famæ aliquando.

c

d

NOT. 103.

e

Etiam parva non negligenda.

f

109 Non oportet igitur nos contemnere parva, ac si non possent nobis damnum inferre : gutta enim cavat lapidem tempore. *f* Maxima igitur bona in hominibus concessa sunt ex divina gratia, sed quæ parva videntur mala, datum est profligare ea per semetipsos. Unde qui resistit majoribus per gratiam, sed contemnit parva, insigniter lædetur. Nam Dominus velut genuinus pater, tendentibus modo filiolis ad ambulandum manum porrigit, et omnino nos liberat a quocumque periculo magno, sed ad parva permittit nobis a nobismetipsis moveri, ac si pedibus monstrasset liberum arbitrium : nam qui facile capitur in parvis, quomodo poterit cavere magna?

a *Neminem legi qui tam diuturna calamitate exercitum Jobum scribat. Quidam annuo spatio omnes ejus plagas circumscribunt, ut videre est apud Jacobum Salianum nostrum anno mundi* 2398. *nu.* 18, *et seqq. alii ad tres annos et dimidium extendunt; alii denique, uti et ipse Salianus, ad septennium.*

b *Pontanus num.* 10.

c *Aliter Pontanus :* Ac per quæ secorum se quispiam arbitratur, per ea ipsa illum evertit ac prosternit.

d *Additur in Pontano :* Pugnantium quippe inter se bonorum et malorum pars quædam in partibus adversariis est.

e *Pontanus :* et cum bonis habet commercium.

f *Locus hic caute intelligendus juxta ea quæ nunc ab Ecclesia determinata sunt de rebus gratiæ et liberi arbitrii.*

CAPUT XV.

Vocis usu privatur, acerba patitur, pie moritur.

Sed cum malignus adversarius cerneret illam ita animatam et corroboratam contra ipsum, ægre ferebat : et cum videret sublatam tyrannidem, excogitat alium modum malitiæ; vocalia membra ferit, ut * prophoricam vocem virginis præcluderet : sic enim videbatur, ut per hoc aliæ virgines, quæ ad illam accedebant, divinis sermonibus excluderentur. Verum quamvis auditum privavit fructu isto, cessit tamen lucrum ei majori copia : nam cum visu intuerentur martyrium Virginis, magis confirmabantur animo. Vulnera enim in corpore illius vulneratas animas earum sanabant. Erat videre simul medicinam præservativam et curativam in eis quæ intuebantur magnanimitatem et tolerantiam Syncleticæ.

Tabes organum vocis corripit.

* *Id est* externam, *sive corporis, quæ scilicet profertur.*

111 Hanc autem occasionem dederat adversarius malo : in principio molaris male eam habere; inde gingivæ subito putredinem contrahere, et os quidem excidere, labes in totam maxillam serpere, ut lichen in subjectas partes circumreperet : et spatio quadraginta dierum os carie et tetedine exoculatum, et bimestri penitus exesum esset : tum omnia circum putredine nigricantia, caro gangræna, ossa sphacelo paullatim per se ipsa labem contrahentia absumebantur : exinde putredo : graveolentia totum corpus occupaverat, ut ministrantes dixeris plus ipsa passas esse, ideoque cum non possent tam horrendam mephitim tolerare, ut plurimum recedebant, et appetente necessitate, accensis prius in copia suffitibus fragrantibus, ingrediebantur, et subinde egrediebantur, propter horribilem et cadaverosum odorem. Beata tamen semper intuebatur adversarium exporrecta fronte. Nec umquam passa est viriles manus sibi admoveri, monstrans in hoc genuinam fortitudinem animi, ut neque rogantibus licet quæ eo convenerant, ut ipsarum causa id fieret, umquam induci potuerit, ut parietes unguentis saltem ungerentur. Gloriosum enim ducebat externum hominem vinci in societate tam gloriosi martyrii cum illis. Verum cum virgines medicum quemdam accersissent ut videret num spem aliquam salutis promittere posset, nullo modo permittebat, sic dicens illis : Quid me impeditis a palma tam boni certaminis? Quid versatis putamina, et nucleum non cognoscitis? quid satagitis quod factum est, et non respicitis ad eum qui id fecit? Tum medicus qui aderat : Non est, inquit, nobis in animo adhibere medicamentum ullum sanandi palliandive caussa; sed solum ut pro more partes jam corruptæ et mortuæ sepeliantur, ne et ipsæ quæ hic præsentes sunt tecum corrumpantur. Nam quod mortuis applicant, hoc et nos nunc facimus, aloen ecce cum myrrha et myrto in vino maceratam applico. Tum illa potius mota commiseratione comitum, permisit sibi applicari medicamentum, et paullulum mitigata est vehementia graveolentiæ.

Totius morbi origo et progressus.

Ingens fœtor.

Remedium contra fœtorem.

112 Quis vero non perhorresceret qui immanitatem plagæ intueretur? Quis non perciperet utilitatem qui patientiam Beatæ videret? Quis non ædificaretur qui casum adversarii cerneret? Ibi inflixerat plagam ubi erat salutaris et suavissimus fons eloquiorum, et immanitas feritatis adversarii omnem spem mitigationis excluserat. Nam sicut fera sanguinolenta abigere studebat omnia ministrantium et frequentantium officia, ut oblatam prædam solus discerperet. Sed vulpes, quæ prædam captabat, ipsa facta est præda. Allectus enim velut esca ab infirmitate corporis, et videns se agere cum muliere, parvi faciebat eam. Non cognoverat autem virilem animum virginis : considerabat solum morbida membra, cæcutiebat enim cum non poterat intueri tam generosum animum virginis. Tres igitur menses in martyrio consumpsit, et divina plane virtute totum corpus sustentabat : alimenta

enim

Tres menses in hoc conflictu fuit.

enim subtrahebantur quæ ad conservationem faciebant : atrophia jam aderat : quomodo enim poterat alimento indulgere in tanta putredine et fœtore! somno etiam destituebatur ob dolores.

113 Et cum terminus vitæ, et palma victoriæ in vicino micarent, vidit in visione custodiam Angelorum, et virgines invitantes ad ascensum, et splendorem lucis ineffabilis, et regionem Paradisi : et post visionem quasi recolligens se ipsam in se, hæc ultima quæ aderant virginibus in mandatis elocuta, ut generose se gererent, nec in præsens umquam segnescerent : Post triduum, inquit, et ego exuam corpus istud, nec solum hoc, sed et horam secessus etiam prædixerat : qua quidem appetente ad Dominum profecta, regnum cælorum in præmium certaminum accipit.

AUCTORE S. ATHANASIO.

Mortis diem et horam prædicit.

DE S. TATIANA.

V JANUARII.

Menæa : S. Tatiana in pace quiescit. *Aliam* XII *Januarii habes* Tatianam *martyrem. Hujus id solum celebratur ab auctore decus, jejuniis fuisse debitam.*

DE S. RUSTICIANO

EPISCOPO BRIXIENSI.

V JANUARII. *S. Rusticiani memoria in martyrol.*

Galesinius V *Januarii* : Brixiæ S. Rusticiani Episcopi. Is B. Honorio ejusdem urbis Episcopo cum successerit, pietatis Christianæ officiis populum Brixiensem religione instruxit : omnique Episcopali virtute et sanctitate florentissimus, quievit in Domino. *Ferrarius in generali Sanctorum* : Brixiæ S. Rusticiani Episcopi. *Fusius in Catalogo Sanctorum Italiæ.* Rusticianus Episcopus Brixiensis, vigesimo primo loco Ecclesiam Brixiensem administravit : post S. Honorium ad munus Episcopale evocatus. Hic omni Episcopali virtute et sanctitate florens, populum Brixiensem non tam verbo quam vitæ probitate et exemplo erudivit, ac post aliquot annos sancto fine quivit in Domino : illique S. Dominator suffectus est. Corpus in ecclesia S. Zenonis Parochiali conditum requiescit. Cætera ignorantur, ita ut neque patria ipsius, neque tempus, quo Ecclesiæ Brixiensi præfuerit, sciri potuerint. *Hæc ibi : in generali Catalogo tradit sub Constantio Ariano pro fide exculasse.*

Succedit S. Honorio.

Corpus in ecclesia S. Zenonis.

Meminit quoque Rusticiani Ascanius Martinengus discurs. 1, *de Nobilitate Ecclesiæ Brixiensis. Sed cum S. Philastrius et S. Gaudentius S. Ambrosii ætate vixerint, qui potuit Rusticianus longe iis junior, a Constantio Augusto proscribi? De S. Philastrio agemus* XVIII *Julii, de S. Gaudentio* XXV *Octobris, de S. Honorio* XXIV *Aprilis, de S. Zenone* XII *Aprilis.*

DE S. TALIDA, SIVE AMATA,

ABBATISSA ANTINOI IN THEBAIDE.

SECULO V. V JANUARII. *S. Talidæ nomen in Martyrologiis.*

Ammæ Talidæ sive Amatæ *Virginis nomen Usuardi Martyrologio adscriptum a Carthus. Coloniens. Martyrologio quoque Germanico,* MS. *Florario, Catalogo Ferrarii. De ea hæc referuntur cap.* 48, *Paradisi Heraclidis in Appendice ad vitas Patrum* : Sunt in Antinoensium civitate duodecim monasteria Virginum feminarum perfecta conversatione viventium ; in quibus Amatam quamdam nomine, ancillam Christi senem vidi octoginta jam in monasterio suo annos habentem, sicuti vicinæ ipsius et ipsa referebant. Cum qua sexaginta numero mulieres habitantes, atque in abstinentiæ puritate per ejus doctrinam viventes, in tantum eamdem omnes diligebant, ut ne clavem quidem vestibulo monasterii ad similitudinem ceterarum necesse esset infigi. Sola enim illic omnes eas immensa dilectio anus ipsius doctrinaque retinebat, ad in corruptionis gloriam corpora earum mentesque conservans.

80 annis vixit in monasterio. Præest 60 religiosis.

2 Hæc ipsa, quam dixi, senex usque adeo puræ mentis et corporis erat a cogitatione et passione peccati, ut cum ad ipsam ingressus fuissem, atque sedissem, juxta me indifferenter sederet, manus etiam suas supra humeros meos poneret, stupendaque illic erat in Christo immensæ fiducia castitatis.

Fiducia castitatis, miranda, non temere imitanda.

3 *De eadem agit Palladius in Lausiaca sive lib.* 8 *Vitarum PP. cap.* 8, *appellatque Ammam Talidam. Amma appellativum est, ac* matrem spiritualem *significat :* Talida *ejus proprium est nomen. Meminit ejus et Vincentius in speculo lib.* 17, *cap.* 92, *et* sanctam Virginem Amatam *vocat ; uti et in suo Sanctorum Indice* ἀνεκδότῳ, *Raderus noster. Guilielmus Gazæus in Kalendario Sanctarum, quod Cimeliarchio adjunxit, eam* XI *Martii refert, aitque austeram vitam egisse, mortuam absque ullo sensu doloris, itaque sese composuisse uti sepeliri debebat. Quæ unde acceperit, haud scio.*

DE S. APOLLINARE SYNCLETICA,

QUÆ DOROTHEUS DICTA.

INITIO SECULI V. V JANUARII.

Hanc quoque, ut superiorem Syncleticam, *Græci* IV *Januar. Latini* V *celebrant. Martyrologium Romanum* : Eodem die S. Apollinaris Virginis. *Molanus* : Item, ut notat Metaphrastes, B. Appollinaris virginis. *Menæa vero* IV *Januarii* : Eodem die S. Apollinariæ Syncleticæ, *seu Patriciæ. Tum vitam ejus pluribus narrant, quam, quod cum Metaphraste re omnino consentiat, extetque in*

S. Apollinaris nomem in Matyrolog.

AUCTORE SYNCHRONO.

Viridario Matthæi Raderi nostri, hic omittimus. Sed ex ejusdem Raderi doctissimis observationibus quædam hic adscribere est visum.

Unde Syncletica dicta.

2 Syncletica, *inquit*, fortasse ab Anthemii patris dignitate, Senatoria et Patricia dicta est. Quamquam hoc nomine aliæ sacræ virgines legantur. Variant autem scriptorum sententiæ de hoc Anthemio, quem Metaphrastes Imperatorem Occidentis a Leone Magno creatum affirmat. Alii majorem Anthemium Anthemii Imperatoris avum existimant, qui tamen Consularis Præfectus urbi, et pro Imperatore fuit, cum defuncto Arcadio, pro Theodosio juniore pupillo, magna cum fide et laude Imperium administravit. Consulatum gessit cum Stilicone II. Cos. anno Christi CDV, cujus laudes et Acta recitat ex D. Chrysostomo et Theodoreto Baronius ad an. 405, nu. 1, 2, 3, qui illum Anthemii Imperatoris avum nominat. Sidonius Apollinaris hunc Anthemium in Panegyrico Anthemii Imperatoris, socerum Procopii patris, hoc carmine laudat, v. 94.

Pater ejus avus Anthemii Imperatoris;

Huic socer Anthemius Præfectus, Consul et idem,
Judiciis populos, atque annum nomine rexit.

Fuit ergo Philippi Præfecti Constantinopolitani illius, qui *a* S. Paulum Patriarcham Constantinopolitanum interfecit, nepos, Procopii socer, Anthemii Imperatoris avus maternus, vir insigni pietate, æquitate, modestia, dignus omnino tali filia pater, et tali patre filia, indignus tam immani avo, de quo Socrates Eccles. hist. lib. 7, cap. 1. Theodoretus histor. Patrum lib. 9, cap. 8. D. Chrysostomus epist. Cucuso missis, ep. 147. Niceph. lib. 14, cap. 1. Tripart. historia lib. 2. cap. 11. Fuit et Præfectus Prætorio, ut ex Constitut. Arcadii, Honorii, Theodosii constat. Extat ejus cum *b* Aphraate sanctissimo Anachoreta, cum ex Persica legatione rediret, colloquium.

a 7 *Jun.*

Vir præclarus.

b 7 *April.*

Licuit Apollinari virilem habitum sumere.

3 Dorothei nomen sibi adscivit Apollinaris, sacro Monachorum cultu latendi causa sumpto. Quamquam enim sacræ litteræ, et litterarum sacrarum interpretes, Tertullianus, Cyprianus, et alii hos secuti, rem Deo invisam et abominandam tradunt, si vir feminam, aut femina virum simulet; exponunt tamen legem sacri et politici Scriptores, licere pio certoque fine nonnumquam vestem et nomina permutare, cum id periculum innoxiæ vitæ vel pudoris, vel etiam honesta piaque caussa permittunt, vel exigunt. Quod usque adeo certum est, uti multæ cum virgines, tum matronæ miris claræ factis et operibus in Divorum censum venerint, quales memorantur, Eugenia, quæ se Eugenium dixit, cujus laudes omnia Martyrologia cum Alcimo Avito, Fortunato, Altelmo, Metaphraste prædicant, XXV Decembris; Euphrosyna Smaragdus non vano nomine appellata, XI Februarii, Pelagia seu Pelagius, VIII Octobris; Theodora Alexandrina, XXVIII Aprilis; Antonina, III Maii; Athanasia; Susanna, XV Decembris; Marina, XVIII Junii; Anastasia Patricia, X Martii; Anna matrona, XXIX Octobris; Anonyma quoque illa a Sophronio in Prato spirituali laudata cap. 170, et Glaphyra virgo Constantiæ Augustæ Constantini Magni sororis, Licinii conjugis pedisequa, XIII Januarii; Baron. Annal. 3, an. Christi 316, nu. 14. Jachelina virgo illustris, et soror Comitis Apuliæ. Speculum magnum Exemplorum, p. 326. Euphemiana, dicta Euphemianus, Menæa XXIX Octob. *Hactenus Raderus : sed fefellit eum memoria, dum Annam matronam et Euphemianam diversas censuit. Anna enim matrona Constantinopolitana, eunuchum se habitu ferens, inter monachos versata est, dictaque Euphemianus : Euphemianæ nusquam nomen lego. Quod de Jachelina, sive Jakelina, aut Jaquelina refert, id in veteri Speculo Exempl. extat dist.* 5, *Exempl.* 65, *in Speculo Joannis Majoris nostri verbo* Virgo. *Exemplo* 4, *ex Cantipratano lib.* 2, *cap.* 29, § 38.

Variæ quæ idem fecerunt.

4 *Aliam* Syncleticam *virginem, hujus fere æqualem, celebrat Cælius Sedulius Presbyter in epistola ad Macedonium, quæ est Præfatio Paschalis carminis, quam et summis extollit laudibus cum Perpetua sorore conjugata.* Quis non optet, inquit, et ambiat eximio *a* Syncletices sacræ virginis et ministræ Christi placere judicio, quæ superbi sanguinis nobilitatem sic humilitate provexit ad gloriam, ut in cœlestis patriæ Senatu fieri mereatur *b* Allecta? Vere dignum, in quo habitat Dominus, templum, jejuniis castigatum, orationibus refertum, puritate mundissimum! Scripturas etiam Ecclesiastici dogmatis ita sitiens epotavit, ut, nisi sexus licentia defuisset, *c* posset et docere, *d* licet et in membris fœminei corporis animus sit virilis. De quotidianæ vero misericordiæ dispensatione reticeo, quam sic exercet ut sileat; sic largitur ut lateat. Indicat tamen ejus pauper habitus, ubi census proficiat dives. Et ut magnitudo tantæ prudentiæ *e* gemina resplendens lampade, plus luceret, habet et germanam nomine meritoque Perpetuam, annis imparem, factis æqualem, ævo teneram, probitate grandævam : quæ dum nominis sui dignitate pascitur, sic vivit, ut nequeat amittere quod vocatur. Illustris maritali potentia, illustrior religione divina; proximam virginitati continet palmam in conjugii fœdere permanens pudica. Cetera præter conspicuos (utpote nuptæ convenientes) ornatus, quæ de sorore diximus, in hujus quoque moribus invenimus. *Hactenus Sedulius. De nostra autem Appolinare Syncletica miror in vitis PP. nullam fieri mentionem. Si Macarius, in cujus illa cœnobio habitavit, Alexandrinus ille est, cujus vitam* II *Januarii dedimus, (uti omnino probabile fit) facile conjici potest, non diu post annum Christi* CD *fuisse superstitem Appolinarem.*

Alia Syncletica virgo.

a

b

c *d*

e

Syncleticæ sor sor Perpetua.

a MS. *Blandin.* Sincliticis : *edita* Syndeticis.
b *Ita* MS. *et recte. At Scottus noster nescio ex quo codice legebat* Athleta, *mendose.*
c *Scott.* potuisset.
d *Scott. et Rosweyd.* quam.
e *A* MS. *meo abest* gemina lampade.

VITA
S. APOLLINARIS SYNCLETICÆ
AUCTORE
SYNCHRONO APUD METAPHRASTEN.
CAPUT I.
S. Apollinaris proficiscitur Hierosolymam et Alexandriam pietatis caussa.

Imperante inprimis pio *a* Imperatore Anthemio, Imperatoris filio, qui habuit duas filias : ex quibus una habebat spiritum immundum, altera autem ab ineunte ætate vacabat ecclesiis, martyriis, et orationibus. Erat vero ejus nomen Apollinaris. Cum ea autem esset ætatis legitimæ, quærebant ejus parentes eam marito conjungere; ea vero nolebat. Dicit vero quodam die suis parentibus : Cupio ire in monasterium. Ei autem dicunt parentes : Volumus te marito conjungere. Ea vero dicit eis : Nolo conjungi marito, sed spero fore, ut quomodo Deus sanctas suas virgines custodiit impollutas, me quoque in suo timore custodiat impollutam. Novum autem et admirabile videbatur parentibus, quod, cum esset id ætatis, talia diceret, Deum desiderans. Rursus eos rogabat, ut unam adducerent monacham, ut eam doceret spalterium et legere.

a

S. Apollinaris recusat nuptias.

2 Imperator autem non parva affectus est molestia, quod eam vellet jungere matrimonio. Cum ea autem persisteret, et arrhas nollet accipere, ei dicunt ejus parentes : Quid vis filia? Ea vero dicit eis: Rogo vos, ut me ad Deum adducatis, ut meæ virginitatis mercedem accipiatis. Illi autem cum vidissent ejus

Litteris instituitur.

mentem

mentem esse adeo firmam et immobilem, et a Deo adeo fuisse amatam, dicunt ei : Speramus, filia, fore ut fiat Dei voluntas. Paucis vero post diebus adduxerunt ad eam monachas, quæ eam docuerunt psalterium, et legere Scripturas.

Adit loca sancta.

3 Quodam autem die cum uterque considerent, ea dicit parentibus : Rogo vos, ut me dimittatis in loca sancta, ut orem et adorem sanctam *b* resurrectionem, et crucem venerabilem. Illi vero non habebant propositum dimittendi eam, quoniam eam magis amabant, quam sororem ejus, quæ vexabatur. Cum autem interjecto aliquo spatio temporis ea eis esset molesta, jussit Imperator, ut ad eam deferrentur pueri et ancillæ, et aurum et argentum, et ei dicunt : Accipe filia, et recede : imple votum tuum : Deus enim vult te suam esse servam : eaque in navem imposita, his pueris consequentibus, dixerunt ei : Filia, memento nostri in sanctis locis. Ea vero dicit : Quomodo mihi satisfecistis, vos quoque in die malo liberabit Dominus, et parentibus valere jussis, cœpit navigare.

b

c

4 Cum autem paucis diebus pervenissent *c* Ascalonem, paucos dies illic manserunt propter maris jactationem. Ipsa vero orans in omnibus ecclesiis et monasteriis, eis quoque exhibebat, quæ erant necessaria. Aliquot autem post diebus, cum invenissemus comites, venimus in sanctam civitatem. Cumque in quemdam locum divertissemus propter nostras sarcinas, puerosque et ancillas, qui una erant, paullulum requievimus. Eis autem dixit B. Apollinaris : Agite, adoremus beatam resurrectionem, et venerandam crucem. Porro autem eis orantibus, ea orabat pro suis parentibus. Cœpitque benefacere iis, qui opus habebant. Ibant vero assidue ad monasteria virginum perennium, et ad eos qui vitam agebant monasticam, et suppeditabat eis quæ erant necessaria.

Orat pro parentibus.

Servos manumittit.

5 Quodam autem die dicit uni ex iis, qui cum ea versabantur : Volo vos, si Deus velit, liberare. Hoc autem audito, affecti sunt molestia. Illa itaque dixit eis : Ne sitis animo anxii. Si Deus enim quid compungit meam humilitatem, præbebo ad vos alendos. Cumque ii accepissent ejus benedictionem, ei ingentes gratias agebant. Cum vero recessissent, abiit cum iis, qui ei remanserant, ad Jordanem : et illic rursus præbuit iis, qui opus habebant. Cumque illinc profecti essent, rursus veniunt in sanctam civitatem.

6 Elapsis autem aliquot diebus, cum suam complesset orationem, dicit eis, qui una cum ea erant : Fratres mei, volo vos quoque liberare. Sed nunc eamus ad Alexandriam usque, et S. *d* Menam adoremus. Illi vero dixerunt : Ut jubes Domina. Cum descendisset autem Ascalonem, distribuit in via iis, qui opus habebant : inventoque navigio, quod ibat Alexandriam, eo navigarunt. Audivit autem is, qui erat Præses eo tempore, et misit ad eam adorandam. Ea vero non passa est, sed noctu venit in Prætorium, et adoravit Præsidem et ejus uxorem. Illi vero ad pedes ejus procidunt, dicentes : Quæsumus, Domina, cur sic fecisti? Nos misimus qui venirent ad tuos pedes, et tu Domina nostra venisti ad nostros pedes? Ea vero dicit eis : Vultis mihi rem gratam facere? Dicunt ei : Certe Domina. Ea vero dicit eis : Dimittite me, quoniam volo ire oratum ad S. Menam. Illi autem cum præclaris donis eam miserunt. Ea vero accipiens, omnia distribuit pauperibus.

d

Alexandriam abit.

Secularem Præsidem honorat.

a *Fuit hic Anthemius, ut jam ex Radero diximus, Anthemii Imperatoris avus, Theodosii junioris in pueritia moderator.*

b *Id est,* templum resurrectionis Dominicæ.

c *Ascalon urbs maritima Palæstinæ, celebris in sacra Scriptura, vicina Ægypto.*

d *Hic est S. Menas sive Mennas, qui in Phrygia passus, de eo et hoc ejus templo* XI *Novemb.*

CAPUT II.

Auctore Synchrono.

Habitu monachi fugit in solitudinem.

Cum autem in civitate mansisset paucos dies, ibat ubique in monasteria, et assidue eis suppeditabat. In eo autem loco, in quo habebat domum, invenit unam vetulam, cui præbuit modicam benedictionem, et dixit ei : Accipe soror, et abi in ecclesiam, et eme mihi unum *a* lebetonarium monasticum, et similiter humerale, et cucullam, accipe etiam cingulum. Abiens vero vetula, ei hac in re inservit. Cum ea autem attulisset, ei precata est, dicens : Deus te adjuvet, *b* Mamma. Cumque accepisset, occultavit propter pueros. Quando autem voluit egredi ad S. Menam, iis omnibus manumissis, dedit eis id quod erat ad victum necessarium, et eos dimisit. Illi vero ei bene precati, recesserunt.

a

Emit vestes monasticas.

b

8 Cum autem secum accepisset eunuchum unum, et unum senem, navi venit in *c* Lemnam. Cumque pervenissent ad ædes Philoxeni, didicit is qui erat illic *d* Paramonarius, venitque cum magno apparatu, dicitque ei procidens : Domina mea, ubi jubes me manere donec ascenderis, et tuam feceris orationem? Ipsa vero eum rogavit cum sacramento, ut nihil ad se afferretur. Dicit autem ei : Fac officium caritatis. Affer ad me quatuor animalia, ut ascendens adorem S. Menam. Ille autem die sequenti adduxit animalia. Ea vero dixit : Crede, Domine, eis non insidebo, nisi eorum mercedem dedero. Cum dedisset plusquam dari consuevisset, valedixit Œconomo. Ipse autem recessit, accepta ab ea benedictione.

c

d

Recusat quidquam gratis accipere.

9 Cum ea autem ascendisset, fecit ut agaso etiam alterum animal ascenderet. Cumque pervenissent ad S. Menam, ejus venerabile monimentum adoravere. Audivit autem Œconomus, et venit in clero ad eam adorandam. Illa vero ex eo affecta est molestia. Nolebat enim cognosci. Œconomus autem eam rogabat, dicens : Domina, jube in domo mea. Ea vero dicit ei : Ego volo unum diem manere in ecclesia, donec me Deus dimiserit eo, quo sum abitura, misitque ad eam Sancti benedictionem. Distribuit autem iis, qui opus habebant. Post tres vero dies dicit Œconomo : Fungere officio caritatis. Præbe mihi unam lecticam, ut abeam et adorem Patres *e* Scetis. Is autem accersito uno lecticario, dixit ei : In nomine Dei affer ad me lecticam. Ille vero dixit : Jussisti. Beata autem adducit ad se puerum, qui ei remanserat, et benedictione ei data, eum quoque dimisit, dicens : Ora pro me.

Adorat sepulchrum S. Menæ.

e

10 Cum sequenti autem die venisset lecticarius, mansit donec fuit vespera. Cumque valedixisset Œconomo et puero, ascendit in lecticulam, habens intus vestes monachicas, et fecit ut pone ascenderet eunuchus, ante autem lecticarius. Cœpitque Beata orare, cum esset intus, et a Domino Deo petere auxilium. Circa mediam autem noctem pervenit ad paludem prope fontem, qui usque in hodiernum diem dicitur Fons Apollinaris. Cumque lecticæ pelles aperuisset, Dei providentia invenit ambos dormientes. Cumque se vestibus exuisset mundanis, induit se monastericis, dicens : Qui dedisti principium, ut hunc sanctum assequerer habitum, fac me dignam, ut eum ad finem perducam congruenter tuæ voluntati, Domine. Cumque se signasset, dejecit se e lectica, et ingressa est paludem. Deus autem cum vidisset ejus in ipsum caritatem, effecit ut quamdiu vixit, ad nutrimentum ei palma suffecerit.

Habitu monachi, degit in palude.

11 Cum autem lecticarius et eunuchus excitati essent, et cognovissent eam non esse in lectica, valde sunt admirati. Invenerunt enim vestes, quas ferebat, in lectica. Redeuntesque venerunt ad Sanctum, et Œconomo de ea retulerunt, ejus quoque vestes ei ostendentes. Stupefactusque, in civitatem ingressus est cum lecticario et eunucho, et exposuerunt Præsidi rem

AUCTORE SYNCHRONO.

rem universam. Præses vero perterritus, scribit epistolam ad patrem ejus Imperatorem, significans ei omnia consequenter, missis etiam ejus vestibus. Accepta autem ejus epistola et lecta, flevit amare. Cum vero vidisset etiam vestes filiæ, magis suis caligavit visceribus, et cœpit flere cum matre ejus, et toto Senatu. Postea autem quieverunt, Deo agentes gratias. Dixit vero Imperator : Deus qui eam elegisti, confirma eam in tuo timore. Cum omnes ergo rursus flevissent, quidam ex iis dixerunt Imperatori : Revera, Domine, ea est filia pii Imperatoris, ea est filia tuæ potentiæ. Hinc magis apparuerunt tua bona opera. Cumque ea dixissent, et his plura, omnes pro ea orabant.

Renuntiatur ejus fuga parentibus.

a *Lebiton, lebeton, lebitonarium, lebetonarium, levitio, genus quoddam erat colobii linei, ut habet Rosweydus noster in Onomastico ad Vitas PP. at Suidas vestem ait monachicam fuisse e pilis compositam. Nota hic antiquorum monachorum vestes.*

b *Hæc vox aviam significat, usurpatur et pro matre ac nutrice. Hic honoris ergo adhibita a virgine.*

c *Non memini me alibi loci hujus mentionem reperire.*

d *Templi aut monasterii minister aut Œconomus hoc nomine alibi appellatur.*

e *Regio Ægypti a monachorum habitatione celebrata.*

CAPUT III.

In solitudine, et S. Macarii cœnobio sancte vivit.

Mira ejus abstinentia et patientia.

Cum Beata autem multos annos mansisset in palude, et strenue decertasset adversus diabolum, evasit ejus corpus tamquam pellis testudinis. Exesum enim fuerat a culicibus. Ipsa autem consumpta fuerat ab abstinentia, et a regula, quam seipsam docuerat. Quando vero Dominus Christus voluit eam facere dignam corona sanctorum Patrum, fecit ut ea egrederetur e palude. Ignorabatur autem ab omnibus, eam esse feminam, sed putabatur eunuchus. Apparuit vero ei in somnis, qui dicebat : Si quis te interrogaverit, quomodo voceris, dic, Dorotheus. Cum esset autem mane, occurrit ei S. Macarius, et dicit ei : Benedic Pater. Illi autem, data sibi invicem caritate, ambulabant in solitudine. Interrogavit vero Dorotheus, dicens : Pater, quis es? ille autem dixit : Ego sum * Macarius. Is vero dixit : Fungere officio caritatis : sine me habitare cum fratribus. Præbuit autem ei quoque cellam protinus. Totum ergo diem et noctem intense offerebat Deo supplicationes. Cœpit autem eam tentare diabolus nocturnis visionibus. Beata vero illa vehementer adversus eum decertabat, ne declararet se esse mulierem. Se autem supra modum exercebat, neque ecclesiam relinquebat, nec regulam, noctu diuque Deum orans.

Dorotheus vocatur.

Habitat in monasterio S. Macarii.

Tentationibus resistit.

13 Quodam autem die Abbas Macarius venit in ejus cellam, et dicit ei : Fungere officio caritatis, bone frater : emitte nobis preces. Illa vero dicit : Pater, ego a te volo benedici. Cumque fecissent preces, sederunt. Eam autem rogavit Abbas Macarius, dicens : Dic mihi frater, undenam venis, et quod est tibi nomen? Illa vero dixit : Vocor Dorotheus, et cum audiissem de sanctis, qui hic sunt, Patribus, volui una cum eis habitare, si sim dignus. Dicit autem ei rursus senex : Quodnam opus facis? Ea vero dicit : Faciam, si quid me jubes. Is autem ostendit ei, ut faceret catenam. Deus vero volens ostendere ejus animi fortitudinem, non declaravit Abbati Macario eam esse feminam, sed is tamquam virum eunuchum eam esse putabat. Multas autem curationes Deus per eam peregit.

Claret miraculis.

* *Macarius hic non fuit Ægyptius, de quo* XV *Januar. sed videtur Alexandrinus fuisse, quem* II *Januarii diximus in Scete præcipue habitasse, atque ad seculi a Christi nativitate quinti initia pervenisse.*

CAPUT IV.

E sorore sua dæmonem pellit.

Dæmon eam prodere conatur.

Processu autem temporis dæmon, qui est bonis infestus, aggreditur ejus sororem, quæ vexabatur a dæmone : erat autem cum Imperatoribus : cœpitque eam dæmon lacerare, et dicere : Nisi me acceperitis, et tuleritis in solitudinem, ex ea non egrediar. Volebat vero dæmon ejus sororem convincere, quod esset femina. Deus vero obstruxit dæmonem, ne ea diceret. Puellam autem valde urgebat dæmon, ut iret in solitudinem. Quidam vero ex proceribus consulunt Imperatori, ut eam mittat. Tunc Imperator dimisit eam cum magno comitatu ad Patres in solitudinem. Cumque ii venissent in Scetim, novit S. Macarius, propter quamnam causam adsint in illo loco, eisque progressus obviam, excepit eos, et dixit : Quid huc acceditis, o filii? Illi vero dixerunt : Noster inprimis pius Imperator Anthemius misit filiam suam, ut per Deum curetur et preces vestras. Cum eam autem accepisset a cubiculario, deduxit eam ad Abbatem Dorotheum, et dicit ei : Fungere officio caritatis : quoniam est filia Imperatoris, et opus habet Patrum precibus et vestris. Ora pro ea, ut curetur. Hæc est enim merces tua.

Soror ejus dæmoniaca, ei sananda traditur.

15 Hæc autem cum audiisset, cœpit flere, et dicere : Quisnam ego sum peccator, quod de me talem concepistis opinionem? flexisque genibus dicebat : Concede mihi, Pater, ut mea peccata defleam : nam multa sunt. Ego enim sum imbecillus, planeque rudis et ignarus ad hanc rem. Dicit ei Abbas Macarius : An non sunt etiam alii Patres, qui per Deum signa faciunt? Sed tamen hæc remansit merces. Illa vero dicit : Fiat Dei voluntas, et mota pœnitentia, eam accepit in cellam, et novit eam esse sororem, flensque conquievit. Eam autem amplexa, dixit : Bene venisti soror, Dei vero opere fuit os obstructum dæmoni, ne argueret ancillam Dei, quod esset femina. Cum autem dæmon eam diu affligeret, per preces eum domuit.

CAPUT V.

Impudicitiæ accusata ad parentes ducitur.

Dæmonem pellit.

Quodnam autem die dæmon cœpit eam affligere. Illa vero exurgens, manus suas extendit in cælum, et flens Deo supplicavit pro sua sorore. Tunc clamans dæmon, dixit magna voce : O! vi pulsus a te egredior. Eaque prostrata est egressus. Cum eam autem accepisset, fert sanam in ecclesiam ad Patrum pedes, dicens : Ignoscite mihi, quod inter vos peccarim. Illi autem data pace, vocarunt homines Imperatoris, et eis tradiderunt sanam Imperatoris filiam. Qui adoratis omnibus Patribus, profecti sunt ad Imperatorem. Fuitque magnum gaudium in civitate propter filiam Imperatoris, Deumque glorificaverunt, videntes magnam puellæ modestiam. Beatus autem Dorotheus se magis humiliavit, supra modum exercens, fuitque perfectus signifer.

Dæmon eam impudicitiæ accusat.

17 Diabolus autem rursus subit filiam Imperatoris, et facit ut prægnans appareat. Cœpitque Imperator affici magno dolore, et eam interrogavit, dicens : Ex quo es prægnans. Ea vero illic nihil aliud respondit, nisi hoc solum : Nescio undenam hoc mihi acciderit. Imperator vero eam magis examinabat. Tunc ei satanas hanc suggerit cogitationem, quod Monachus, qui eam circumducebat, ipse eam prægnantem reddiderit. Tunc magna ira repletus Imperator, misit ad perdendum eum locum. Cum autem Principes quam celerrime abiissent in Scetin, quærunt intelligere ea, quæ illic fiebant, dicentes : Date nobis Monachum, qui prægnantem reddidit filiam Imperatoris. Dei vero

Sanctus

Sanctus Dorotheus, his verbis auditis, in medium processit, dicens: Ego sum. Afflicti sunt autem sancti Patres, et dixerunt: Nos quoque tecum ibimus. Ea vero dixit eis: Domini mei, solummodo orate pro me, speroque in Deo, et in vestris precibus, forte ut cito vos adorem: et abeuntes in ecclesiam, venerunt cum toto conventu Fratrum, factisque precibus simul egressi sunt, deducentes Abbatem Dorotheum. Sciebat enim Abbas Macarius in illo nil esse mali.

Ducitur ad parentes:

18 Cumque ii pervenissent ad Imperatorem, procidit ad ejus pedes Abbas Dorotheus, dicens: Rogo tuam pietatem ut cum silentio audiat de tua filia. Eamus seorsum, et ego vobis narrabo omnia. Non est enim ei illatum vitium, nec habet quidquam mali: absit. Postquam autem iverunt seorsum ipsa et parentes ejus, dixit eis: Per Dominum promittite mihi, quod si cognoveritis veritatem, dimittetis me in locum meum. Quod cum ei promisissent Imperator et ejus uxor, dixit eis: Qui post Deum sanam fecit filiam vestram, est mea humilitas per Patrum preces. Illi vero his auditis obstupefacti, mansere muti, et attoniti. Eis autem dixit: Ego vos de hac re faciam certiores, et aperto collo sui colobii, ostendit suas mammas, et dixit: Pater, ego sum tua filia Apollinaris. Quod cum audissent ejus parentes, obstupuerunt, et multæ fusæ sunt in illo die lacrymæ. Adduxerunt autem suam sororem, et dixerunt ei: Nostine hunc? Illa vero respondens, dixit: Revera hic est ille eunuchus, qui post Deum me sanavit, et procidens ad ejus pedes, rogavit eum de suo utero. Qui cum eam erexisset, et ejus utero manus imposuisset, eam sanam reddidit. Cum hoc autem vidissent, admirati sunt, et Deum glorificaverunt. Dixerunt itaque: Vere hæc est filia nostra Apollinaris. Fuit autem fletus cum gaudio in aula Imperatoris.

Declarat iis privatim se esse eorum filiam.

Fraudem dæmonis detegit.

CAPUT VI.

Auctore Synchrono.

Reversa ad monasterium moritur, ac mulier agnoscitur.

Cum autem paucos dies versata esset apud parentes, omnia eis narravit. Quæ cum audissent, Deum laudarunt. Rogarunt vero eam, ut cum eis maneret, sed non tunc persuaserunt. Propterea autem quod ei promiserant, eam cum multis lacrymis emiserunt. Rogavit autem parentes suos, ut pro se orarent. Illi vero ei dicunt: Deus cui fuisti desponsa, ipse perficiet tecum misericordiam. Memento autem nostri, filia, in sanctis tuis precibus. Quam cum amplexi essent, ipsam dimiserunt. Voluerunt autem ei dare pecuniam ad usus Patrum, sed eas non accepit, dicens: Patres mei non habent opus pecuniis hujus mundi, ne a bonis excidamus cælestibus. Factisque precibus, dimiserunt suam filiam lætantem et exultantem. Cum ea autem venisset in Scetim, susceperunt eam Fratres et Patres, et Deum laudaverunt, quod rediisset frater eorum sanus, et diem festum ei fecerunt.

Contempta pecunia, redit ad monasterium.

20 Paucis autem post diebus, quando cognovit se esse e mundo exituram, dicit Abbati Macario: Fac officium caritatis. Si contigerit me e vita excedere, ne me componant Monachi. Is vero dicit ei: Quomodo potest hoc fieri? Ea autem consummata, venerunt sancti Patres, ut sanctum ejus corpus lavarent. Viderunt autem eam esse sexu feminam, et exclamarunt, dicentes: Gloria tibi Christe, qui multos habes Sanctos occultos. Admiratus est autem Abbas Macarius, quod hoc sibi non fuisset revelatum. Una vero nocte videt visionem, quæ ei dicit: Ne angaris propterea. Oportet enim te coronari cum sanctis Patribus, qui sunt a sæculo. Tunc ei narravit vitam, et nomen Beatæ. Allatisque sanctis ejus reliquiis, eam posuerunt ad Orientem sanctæ ecclesiæ, in antro Abbatis Macarii cum gaudio et gloria, usque in hodiernum diem, per Deum et sanctos Patres: et post Sanctæ dormitionem peraguntur curationes, gratia et clementia Domini nostri Jesu Christi: cui gloria et potentia in sæcula, Amen.

Moritur.

Agnoscitur femina.

Fiunt miracula ad reliquias ejus.

DE S. SIMEONE STYLITA.

§ I. *Simeonis Stylitæ senioris celebre nomen.*

An. Chr. CDLX. V Januarii. *Tres Simeones Stylitæ.*

Tres Simeones Stylitas fasti ecclesiastici exhibent. Senior, ejusque instituti primus parens v *Januarii colitur a Latinis, a Græcis* i *Septembris. Fallitur enim Baronius dum scribit ejus natalem agi* xxiv *Maii, Menologium Cardinalis Sirleti temere secutus, in quo cum de juniore Simeone eo die agatur, illud non recte adjicitur, res ab eo gestas a Theodoreto Cyri Episcopo litteris traditas esse: constat enim Theodoretum multo ante vita functum esse, quam junior Simeon nasceretur. Alter igitur Simeon Stylita in monte mirabili, in Martyrologio Romano relatus* iii *Septembris, colitur a Græcis* xxiv *Maii, quo die de illo pluribus agemus. Tertius ab iisdem Græcis celebratur* xxvi *Julii, vocaturque Presbyter et Archimandrita; idem fortassis, qui a Joanne Moscho cap.* 57, *Prati spiritualis, sive libri* 10, *de Vitis PP. fulmine ictus memoratur.*

Hic senior celebris in Martyrol.

2 *Seniorem ita celebrat Martyrologium Romanum* v *Januarii:* Antiochiæ S. Simeonis monachi, qui in columna stans multos annos vixit, unde et Stylitæ nomen accepit: cujus vita et conversatio extitit admirabilis. *Eadem fere habent Beda, Hrabanus, Usuardus, Bellinus; et fusius Ado, Notkerus, aliique Menologium Græcorum* i *Septembris:* Commemoratio S. P. N. Simeonis Stylitæ, qui fuit sub Imperatore Leone Magno, et Martyrio Antiochenæ urbis Pontifice, a provincia Ciliciæ ex castello Sesan: qui monasticam vitam ingressus in columnam ascendit; in qua quadraginta septem annos stetit, et multis per eum editis miraculis in pace quievit. *Eadem habent eo die Menæa, et Græcorum Anthologion a Clemente VIII approbatum. Christophorus Patricius et Proconsul Mitylenæus in epitome Menologii eodem die:* Συμεὼν ἀνυμνείσθω μοι, οὗτερ στύλος τὸ γνώρισμα. Laudetur a me Symeon, cujus insigne columna.

Maurolycus correctus,

3 *Franciscus Maurolycus in Martyrologio ad* v *Januarii ita de eo scribit:* Apud Antiochiam S. Simeonis Stylitæ admirabilis: nam in puteo sicco pluribus annis, in columna per annos quadraginta stans super unum pedem vixit. Defunctum etiam aves defleverunt. *Sed fallitur Maurolycus, quod in puteo sicco existimet pluribus annis vixisse, ubi pauculis tantum diebus fuit: neque quod innuit, assidue pede uno nixus in columna stetit, sed uno solum anno. Petrus Galesinius:* Antiochiæ S. Simeonis Stylitæ monachi, qui in columnam cavam annis quadraginta inclusus, in hebdomada cibum semel capiens pane herbarumque radicibus et aquæ potu victitabat. Qua admirabili abstinentia et sanctitate vir, multis etiam miraculis clarus migravit ad Dominum. *Verum unde didicit Galesinius cavæ columnæ inclusum fuisse? Contrarium patebit ex § sequenti. Nec semel in hebdomada cibum capiebat, nisi in principio vitæ monasticæ; sed quadragesimo demum die, ut in Vita dicetur.*

et Galesinius.

§ II.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

Ex Varius.

§ II. *Stylitæ unde dicti. Quæ columnæ forma.*

Origo nominis. **O**peræ pretium est, dum de *Stylitis agimus, quæ vocis notio, quæ columnæ forma fuerit, exponere. Prius ita breviter exequitur Rosweydus noster in Notatione ad S. Simeonis Stylitæ vitam:* Ducitur a Grammaticis et στύλος et στήλη ab eadem origine ἵστημι, sto. Suidas: Στυλίτης, ὁ ἐπὶ κίονος ἱστάμενος, Stylita qui columnam insistit. Quis primus apud Romanos super columnam cellulam struxerit, docet nos Asconius in Ciceronis Orationem in Q. Cæcilium, quæ Divinatio in Verrem dicitur: Mænius cum domum suam venderet Catoni et Flacco Censoribus ut ibi basilica ædificaretur, exceperat jus sibi unius columnæ, super quam tectum projiceret ex provolantibus tabulis, unde et ipse et posteri ejus spectare munus gladiatorium possent, quod etiam tum in foro dabatur, unde ab eodem Mænio dicta sunt Mæniana. Festus: Mæniana ædificia a Mænio sunt appellata: is enim primus ultra columnas extendit tigna, quo ampliarentur superiora. Glossa: Mænianum, ἐξώστρα. Menianus, ἐνθέτης. *Hæc Rosweydus. Eadem fere habet Raderus Viridarii parte* 3, *c.* 4 *de Stylitis, qui addit:* Στήλη erat, proprie cippus sepultorum tumulis impositus, cum inscriptione. *Moxque subdit,* στήλαις *ignominiæ caussa nocentium facta inscribi solita, fuisseque quodammodo tabulas seu columnas proscriptionum. Unde* λόγον στηλευτικὸν, *et epistolam* στηλευτικὴν *pro scripto famoso accipi, quo rei crimina publice legenda proponuntur.*

Ædificium in columna.

Στήλη.

Στηλευτικὸς λόγος.

Columnæ forma. *in ea domicilium.*

3 *De forma ita disserit idem Raderus:* Columnarum, quas ego omnibus Ægypti prodigiosis pyramidibus elaboratis, et pictis obeliscis, colossis, columnisque Trajani, propter ipsa quæ supra illas fulgebant sidera antepono; forma fere fuit, ut arbitror, rotunda, altitudo varia. Auctor enim Stylitarum Simeon primum columellam ascendit non nisi senum cubitorum (sive novem pedum) mox duodenum, postea vicenum duum, postremo tricenum senum, sive, ut Nicephorus et alii tradunt, quadragenum. Modius seu cella sive domicilium columnis impositum, in quo consistebant, in omnem partem binos cubitos seu tres pedes patebat, tecto nullo, ut libere cælum omne comtemplarentur, et omnibus injuriis cæli expositi majorem haberent tolerantiæ segetem et messem. Januas habebant nonnulli, nullas alii, quod tempestatis violentia parietis partem disjecisset. Scalæ admovebantur, cum vel alii ad illos enitebantur, vel illi ad alios se demitterent, quod quidem vel numquam, vel ad summa Reipub. pericula devocati factitabant. Statione porro æterna se cruciabant: nec enim jacendi vel decumbendi spatium erat: poterant tamen sedere; sedisse vero nusquam lego, numquam puto. Nam primis quadraginta diebus Simeon ad trabem se alligari curavit, alterisque quadraginta mox liber absque adminiculo consistebat, medio corpore superne velut Ecclesiastes in ambone extabat. Etsi de omnibus non affirmarim. *Hactenus Raderus. De domicilii supra columnam exædificati mensura, idem testatur Evagrius lib.* 1, *cap.* 13, *viæ duorum fuisse cubitorum, et Nicephorus lib.* 14, *cap.* 51.

§ III. *S. Simeonis Stylitæ ætas.*

De *S. Simeonis ætate hæc tradit Rosweydus noster in Notatione ad ejus vitam lib.* 1, *de vitis PP.* De tempore quo vixit, ex Theodoreto, inquit Baronius, ejus primordia colligi possunt, dum ait columnam jam incoluisse temporibus Meletii Episcopi Antiocheni, qui sub Valente Imp. vixit, desiitque ab humanis eo anno, quo celebrata est magna Synodus Constantinopolitana, Siagrio et Eucharo Coss. qui numeratur annus a Christo juxta veriores Chronographos CCCLXXXI. Supervixit autem Simeon, ut ait Cedrenus, usque ad IV annum Leonis M. Imp. quod etiam colligitur ex Actis Danielis Stylitæ. Est annus is a Christo CCCCLX, qua ratione jam centenario major obdormisse dignoscitur. Apud Nicephorum in margine * habetur vixisse Simeonem CIII annos, sed nihil tale in textu.

Baronii sententia.

Annus obitus.

* edit Paris. ann. 1574.

7 Evagrius summam Vitæ ejus severe actæ ita colligit lib. I, cap. XIII. Διέτριψε τοίνυν ἐν σαρκὶ τόνδε τὸν βίον, διαβλέψας ἔτη ἓξ καὶ πεντήκοντα. Ἐν μὲν τῷ πρώτῳ φροντιστηρίῳ, ἔνθα τὰ θεῖα κατηχήθη, ἔτη ἐννέα· ἐν δὲ αὐτῇ καλουμένῃ Μάνδρᾳ, ἑπτὰ καὶ τεσσαράκοντα· ἔν τινι μὲν στενωπῷ ἔτεσι δέκα τὸν ἀγῶνα διανύσας· ἐν δὲ κίοσι ὀραχυτέροις ἑπτά· καὶ ἐπὶ τεσσαρακονταπήχει, ἔτη τριάκοντα: Iste Simeones hoc severum vivendi genus in carne traducens, vitam ad LVI annos propagavit. Nam in monasterio, in quo primum divinas vivendi præceptiones didicit, annos vixit IX. In Mandra autem, sic enim vocatur, XLVII atque horum annorum, X in loco admodum angusto confecit: in columnis brevioribus, VII denique in columna quadraginta cubitorum, XXX. Eadem habet Nicephorus libro XIV, cap. LI in quo error in numerum irrepsit. Nam pro undetriginta, scribendum triginta. Quæ putatio si vera est, non potuit pervenisse ad centesimum annum. Alioqui necesse esset asserere eum, cum XLIV erat annorum, primum ingressum esse monasterium, quod non quadrat cum Vita hic ab Antonio scripta, qui eum statim ab adolescentia ingressum esse monasterium scribit.

Evagrii calculus.

8 Ex quo hæc Vitæ summa colligitur: Cum erat tredecim annorum, pascebat oves. Inde videtur ingressus monasterium, ubi vixit anno I, inde III annis in clausura: post IV annis in columna cubitorum IV, iterum XII annis in columna cubitorum XII, rursus XII annis in columna cubitorum XX, post IV annos in columna cubitorum XXX, demum XVI annos in columna cubitorum XL. Atque ita exercitationis anni exsurgunt LII haud multum differentes a numero Evagrii.

Rosweydi, ex Latina vita.

9 Apud Theodoretum habetur, quod II annos mansit in primo monasterio: X annis in monasterio Heliodori: III annos in vico Telanesso: XXVIII annis in columna, in id tempus, quo Theodoretus ejus Vitam scripsit. Hic tantum habentur anni XLIII exercitationis sed eo tempore adhuc vivebat.

Theodoreti.

10 Cedrenus in Compendio historiæ ait, an. XXV Theodosii junioris eum columnam ascendisse, et an. IV Leonis vita functum. Ex quo intervallo juxta computum Annalium Baronii conficiuntur tantum anni XXVIII.

Cedreni.

11 *Hactenus Rosweydus. Singula expendenda sunt. De Meletio, qui cum S. Simeone egit, accepit Baronius ex Theodoreto cap.* 26 *Philothei, ita scribente:* Postquam autem Meletius ille admirabilis, cui tunc mandata erat cura Episcopatus regionis Antiochenæ civitatis, vir cordatus et prudentia clarus, et ingenii solertia ornatus, *etc. Ita vertit Gentianus Hervetus. Ast Albericus Longus Salentinus:* Cum vero Meletius, qui tunc Antiochenæ regioni præfectus erat. *Quibus exverbis non liquido constat, Meletium illum Antiochenæ Sedis Patriarcham fuisse, licet id clare asserat Metaphrastes. Si jam inde a Magni Meletii (cujus vitam* XII *Februarii dabimus) tempore, in columna stetisset Simeon, quomodo non ejus uspiam vel S. Joannes Chrysostomus, vel illius æquales historici meminissent? Arbitror igitur hunc Meletium a Theodoreto laudatum, alterius fuisse Sedis Episcopum, in regione Antiochena. Nam præter Meletium illum Theodoreti collegam in Conciliabulo contra S. Cyrillum, qui fortassis a minori aliqua sede sub Antiocheno Patriarcha ad Neocæsareensem fuit translatus; alius sæpe memoratur in Synodo Chalcedonensi Meletius Larissæ Episcopus, qui in ea Synodo vices obiit Metropolitæ sui Domni Apameæ Syriæ* II *Episcopi. Est autem Larissa urbs Cassiotidis, qua in provincia et Antiochia quoque est. Quamquam si hic Meletius fuit, non videtur tum Larissæ adhuc Episcopus fuisse, cum Concilii Ephesini tempore, anno* CDXXXI.

Plures Meletii Episcopi, Simeonis æquales.

Episcopus

Episcopus Larissæ esset Julianus, qui eidem schismaticorum conciliabulo subscripsit. Fuit fortassis Chorepiscopus Patriarchæ Antiocheni: nam et quosdam legimus Concilio Chalcedonensi per Chorepiscopos subscripsisse.

Chorepiscopus quid.

Quod munus esset Chorepiscoporum, exponit Concilium Antiochenum, anno Christi CCCXLI, *Marcellino et Probino Coss. ab Arianis Episcopis celebratum, can.* 8 *et* 10, *ubi eos vocat τοὺς ἐν ταῖς κώμαις, ἢ ταῖς χώραις, ἢ τοὺς καλουμένους χωρεπισκόπους,* qui in vicis vel pagis constituti sunt Chorepiscopi, *ut habet versio Dionysii Exigui.*

Domnus Episc. Antioch.

12 *Si Chorepiscopus ejusmodi fuit ille Theodoreto laudatus Meletius, (ut omnino fuisse conjicio) jam collabascit calculi Baroniani fundamentum. Accedit quod Domnus Antiochenus, ut refert Nicephorus lib.* 14, *cap.* 51, *et Evagrius lib.* 1, *cap.* 13, *ad Simeonem venit, eoque viso consternatus est præ admiratione: unde conjicitur, non multo ante cœpisse Simeonem in prærupta illa columna morari. At Domnus, ut habet Baronius, an.* CDXXXII, *ab eremo, invito S. Euthymio recessit, ut avunculum suum Joannem Antiochenum Patriarcham Nestorio faventem converteret: anno deinde* CDXXXVI, *ei in Episcopatu successit. Quæ vero ei fuisset tanti stuporis caussa, si jam annis quinquaginta stationem illam tenuisset Simeon? Quid? quod ab eo tempore, quo rigidam illam abstinentiæ rationem, sub Blasti aut Bassi disciplina, iniit Simeon, usque dum Philotheum scripsit Theodoretus, anni fluxerunt solum* XXVIII? *Atqui annis minimum tribus ante illum cum Meletio congressum, eam assumpserat inediam. Ergo si Magnus Meletius is fuit, jam ab anno* CCCLXXVII *aut* CCCLXXVIII *numerandi illi erunt anni; sicque anno Christi* CDV *vel* CDVI *scripsisse Theodoretum fateamur necesse est; quod ipsemet refellit, dum in epistola ad Eusebium Ancyræ Episcopum inter alia a se post Synodum Ephesinam scripta recenset librum de vitis Sanctorum.*

Theodoreti Philotheus quando scriptus.

Verior numerus annorum Simeonis.

13 *Cum ergo hæc ita sint, et numerum annorum ab Evagrio traditum sequantur Menæa, Menologium Sirleti, et Anthologion a Clemente VIII probatum, non video cur ei refragemur: præsertim cum et Metaphrastes assentiri videatur, dum ait totos sex et quinquaginta annos vixisse, in vitæ nimirum religiosæ exercitatione.*

14 *Quem vero Rosweydus in numeros apud Nicephorum irrepsisse errorem notat, is nec in Frontonis Ducæi accurata editione correctus est. In Græco tamen expresse dicitur ἔτη τριάκοντα,* annos XXX, *in quadraginta cubitorum columna transegisse.*

15 *Quem deinde ex vita Latina a se edita colligit annorum numerum Rosweydus, is, ut infra patebit, non omnino est certus, cum* MSS. *codices, negligentia librariorum vitiati, haud parum discrepent. Hic juxta eam vitam nobis maxime probaretur (nisi Theodoretus obstaret) calculus: In domo parentum vixit annos* XIII, *in primo monasterio* IV, *in cella* III *vel* IV, *in quatuor pedum columna* IV, *in duodecim cubitorum columna* XII, *in columna cubitorum* XX, *annos* XII *in columna cubitorum* XXX, *annos* IV *tandem in columna* XL *cubitorum annos* XVI, *sicque efficiuntur vitæ* LXVIII *vel* LXIX, *monasticæ exercitationis* LV *vel* LVI *qui ad numerum Evagrii propius accedunt: atque is numerus exprimitur in Latina vita cap.* 8, *nu.* 33. *Pauciores longe annos numerat Antonius in vita prima, quam e Græcis* MSS. *dabimus: sed aliquod mendum irrepsisse in comperto est.*

§ IV. *Vita S. Simeonis a quo scripta.*

Antonius Simeonis discipulus ejus vitam scripsit.

Vitam S. Simeonis scripsit Antonius ejus discipulus, quem Evagrius significat, cum lib. 1 *cap.* 13 *ita scribit:* Τούτου τὰς θεοσημείας γέγραφε μὲν καί τις τῶν ἀυτοπτῶν γενομένων· γέγραφε δὲ, καὶ λογίως ἀπέθετο καὶ Θεοδώρητος ὁ τῶν Κυρεστῶν ἐπισκοπήσας. Hujus res gestas, quæ omnino divinæ virtutis signa erant, scripsit aliquis ex iis qui oculis conspexerant. Scripsit etiam, diserteque exposuit Theodoretus Cyrensis Episcopus. *Duplicem vitam hic damus, cujus Antonius auctor citatur. Priorem Græce scriptam e bibliotheca Serenissimi Bavariæ Ducis accepimus, quam Latine reddidit Guilielmus Gratius Brugensis Societatis nostræ Sacerdos. Eam, quia brevior longe, crediderim potius ab Antonio esse scriptam. Ita namque Metaphrastes:* Μέγας τοίνυν οὗτος ὢν, καὶ πολὺς τὴν φήμην γενόμενος, πολλῶν ἔτυχε καὶ τῶν γραφέων, ἀλλ' οὐδεὶς οὐδέπω κατὰ μέρος τὰ κατ' αὐτοῦ διεξῆλθεν, ὅπως ἅπαντα καθῆκεν ἑαυτῷ; οὐδὲ ἀκριβῶς, ὅπως ἕκαστα εἶχεν, ἔγραψεν. Magnus igitur adeo cum esset, famaque celebratus, multos quidem nactus scriptores est. Verum nemo prorsus omnia quomodo ei evenerint singillatim exposuit; neque accurate, ut singula sese habuerint, scripsit. *Quod scilicet facturum se Metaphrastes pollicetur. Verum altera pridem sub Antonii nomine vulgata vita haud multo pauciora habet Metaphraste.*

Ex Varis. *Ea jam primam editur.*

17 *Arbitramur igitur eam jam olim ex breviore illa Antonii relatione concinnatam, additis quæ vel fama vel aliorum scriptis de eo ferebantur. Certe quem Theodoretus adeo celebrem tradit fuisse Romæ, totoque in Occidente, ejus non isthic quoque vulgatam fuisse vitam, credibile non est. Eam e vetustissimo codice monasterii S. Laurentii Leodii exarato ante annum Christi* MXXXIV *descripserat Rosweydus noster, quam nos cum aliis* MSS. *Imperialis monasterii S. Maximini Treviris, S. Mariæ de Ripatorio, Ecclesiæ S. Audomari contulimus. In codice Ripatorii erat passim contracta. Eamdem, sed phrasi plerumque aliquantulum discrepante, edidit lib.* 1 *de vitis PP. idem Rosweydus.*

Altera Latina.

18 *De hac vita severam olim censuram tulit Joannes Hesselius a Lovanio, adscripsitque libro Parcensis monasterii, qui inscribitur* Passionale de Sanctis per annum, *cum isthic Theologiam prælegeret. Eam vulgavit Joannes Molanus Hesselii discipulus; quæ sic habet:* Vita Simeonis qui in columna stetit, (quæ incipit, S. Simeon ex utero matris suæ a Domino electus est, et meditabatur a pusillo opera placentia Deo. Hic erat filius Isici nomine) displicet, non solum ob fabulosa; sed quia ipse dicitur docuisse homines: Ne præsumas jurare per Deum, quia peccatum est: sed magis per me humilem et peccatorem, et jura sive juste sive injuste. Hanc vitam non scripsit Theodoretus, sed fortassis Metaphrastes Simeon, qui eam post Theodoretum scripsit, teste Nicephoro lib. 14, cap. 51. *Ita Hesselius. Sed bene habet, quod, ut idem Molanus testatur, hanc aliasque id genus censuras dicebat se revisere atque recudere velle, postquam eas historias denuo accuratius relegisset. Fortassis neque fabulosa visa ei tunc fuissent, quæ admiranda in ea vita narrantur: et per suum nomen jurandi facultatem factam barbaris illis hominibus censuisset ea ratione, qua dicitur minus malum suaderi posse ei, qui omnino alterutrum facturus sit, sive ex obstinata voluntate, sive ex mala consuetudine. Vincentius Bellovac. cap.* 53, *lib.* 20 *idem refert. Baronius, cetera severus censor, cum Acta Simeonis citat in vitis PP. edita nihil addit quo ea sibi non probari indicet. Sigebertus Gemblacensis in Chronico ad an.* CDLVIII *hoc ipsum ex Simeonis vita profert.* Simeon, *inquit,* qui XL annis inclusus in columna stetit, mira sanctitate Antiochiæ claruit: qui inter cetera monebat, ne quis per Dei aut Sancti alicujus nomen, imo per nomen Simeonis juraret, promittens impunitatem in se pejeranti se a Deo postulaturum.

Immerito a Joan. Hesselio reprehensa.

19 *Demum S. Simeonis vitam* optime post Magnum Theodoritum, *ut scribit Nicephorus lib.* 14, *c.* 51, ei cognominis Simeon Metaphrastes conscripsit; novum quoddam et admirandum in ea ex omnis generis cibariis convivium omnibus proponens. *Hanc Baronius in Not. ad Martyrol. Raderus parte* 3, *Viridarii SS. cap.* 4. *Molanus in Annot. ad Martyrol. Usuardi, Heribertus Rosweydus in vitis PP. Petrus Ribadineira in Flore SS. scribunt non extare. Nos primi eam proferimus ex* MS. *Græco Regis Galliæ, Latine versam ab eodem Guilielmo*

Tertia scripta a Metaphraste.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ex Variis

Guilielmo Gratio nostro. Priora omnia fere ad verbum e Theodoreti Philotheo cap. 26 *descripta sunt, ut conferenti patebit.*

§ V. *Qui alii scriptores ejus meminere.*

De Simeone agunt Rosweydus, Theodoretus,

Quam *secundo loco damus Simeonis vitam, ea ab Heriberto Rosweydo nostro lib.* 1 *de vitis PP. edita ex aliis est* MSS. *sed phrasi paululum discrepante. Quam vero primus omnium, cum in vivis adhuc esset Simeon, scripsit Theodoretus Cyri Episcopus, ea tum in ipsis Theodoreti operibus vulgata extat, tum a Laurentio Surio tom.* 1 *de vitis SS. ex interpretatione Alberici Longi Salentini, ac deinde in ejusdem Rosweydi nostri lib.* 9 *de vitis PP. ex interpretatione Gentiani Herveti.*

Surius.

Vincentius.

Petrus de Natalibus.

21 *Vitam præterea ejus scripsere alii complures: Vincentius Bellovacensis lib.* 20, *cap.* 31, 32, 33, 34. *Petrus de Natalibus lib.* 2, *cap.* 43. *Corrigendus tamen hic dum ait: Primo, in columna concava eum inclusum quadraginta annis stetisse; Secundo, in puteo sicco pluribus annis miram pœnitentiam egisse; Tertio, in columna* 12 *cubitorum annis* XL *permansisse; Quarto, draconem populis infestum, versus civitatem properantem, ejus oratione, ligno in oculum impacto, in deserta illico abiisse; Quinto, Ab Abbate Antonio, qui ad eum visendum venerat, mortuum repertum esse, ac sepultum. Quæ omnia falsa esse, quivis vita perlecta facile intelliget.*

Haræus. Grasius.

Scripsit et Franciscus Haræus Ultrajectinus; Cornelius Grasius Carthusianus, qui quod translatas S. Simeonis Constantinopolim reliquias tradit, ex S. Danielis vita accepit, ut infra dicemus. Sed quod ait capillos tunc omnino integros repertos, frontisque cuticulam, non recte ad Leonis tempora revocat, cum non ita pridem mortuus Simeon esset; Mauritii anno IV *id accidisse infra dicemus, Christi nimirum* DLXXXVI.

Villegas.

22 *Alphonsus Villegasparte* 1 *Floris SS. in Sanctis Extravagantibus, ut vocat, Simeonis quoque gesta narrat, præcipue ex Theodoreti Philotheo et Evagrio: sed præter alia quæ inferius in Notis observabimus, corrigendum, Primo, quod tradit obiisse sub Theodosio juniore, circa annum Christi* CDXL *cum constet post Concilium Chalcedonense vixisse, a Leone Imper. consultum, ad Basilium Patriarcham Antiochenum scripsisse, etc. Secundo quod ait translatas ejus reliquias Antiochiam Ciliciæ; cum Antiochiam Syriæ, quæ ad Orontem deportatæ sint.*

Ribadineira.

23 *Petrus Ribadineira noster parte* 2 *Floris SS. sed non recte ait celebrari eum a Græcis* XXIV *Maii, ut* § 1 *diximus. Vitam a Ribadineira Hispanice scriptam, vertit Latine Jacobus Canisius, Belgice Heribertus Rosweydus, nostri ambo; Italice Gratiamaria Gratii. Ita omnium gentium linguis magni illius viri celebratæ sunt laudes.*

Theodorus Lector. Glycas. Variæ SS. vitæ.

24 *Multa de eo scripsere Evagrius et Nicephorus sæpe a nobis citandi. Ejus meminit Theodorus Lector lib.* 1 *Collectaneorum; Michael Glycas par.* 4 *Annal. qui tamen fallitur, dum Marciano regnante columnam ascendisse S. Simeonem tradit; Vita S. Danielis Stylitæ* XI *Decemb. vita S. Theodosii Cœnobiarchæ* XI *Januar. Cyrillus monachus in vita S. Euthymii,* XX *Januar. Vita S. Auxentii* XIV *Februar. Suidas verbo* Symeon, *qui testatur Marcianum Imperatorem ad eum plebeio habitu ventitare solitum; Georgius Cedrenus ad an.* XXV *Theodosii, et* IV *Leonis. S. Gregorius Turonensis de gloria Confessor. cap.* 26. *Baronius in Notis ad Martyrol. et in Annalibus variis locis, præcipue ad an.* CDLX, *num.* 17 *et sequentibus; S. Eulogius Episcopus Alexandrinus orat.* 9, *apud Photium Cod.* 230. *Litteræ Theodosii Imperatoris ad S. Simeonem Stylitam datæ, ut pro Ecclesiæ pace atque Imperii incolumitate oraret, et Joannem Antiochenum Patriarcham a Nestorii tuendis partibus revocaret, recitantur in Concilio Ephesino par.* 3, *cap.* 25. *S. Simeonis mentio fit in* 2 *Synodo Nicæna sive* 7 *œcumenica, act.* 4. *Ejus dem meminit S. Joannes Damascenus orat.* 3, *de imaginibus; Alfonsus Ciacconius in Hilaro; Jacobus Gualterius noster in Tabula Chronol. Seculo* 5 *Jacobus Gordonus noster ad an.* CDLX. *Henricus Spondanus et Abrahamus Bzovius in epitome Annal. Baronii. Sigebertus ad an.* CDLVIII. *Extat et Vincentii Guinisii nostri elegans de S. Simeone epigramma* XXI.

Suidas. Cedrenus. Turonen. Baronius. S. Eulogius.

Conc. Nicæn. II. *S. Damascenus. Recentiores Chronologi. Guinisius.*

Vita S. Genovefæ.

25 *Denique S. Simeonis mentio fit perhonorifica* III *Januarii in S. Genovefæ priore vita, cap.* 6, *n.* 26, *in altera cap.* 6, *num.* 22, *quæ loca citans Baronius ita scribit:* In Galliis etiam notissima extitit ejus fama, prædicante ejus admirabilem sanctitatem S. Genovefa, quæ licet longe absens, eum tamen velut præsentem divinitus noverat, ut constat ex ejusdem S. Genovefæ Actis. *Imo potius ex Actis constat, Simeonem Genovefæ sanctitatem prædicasse, eique salutem per negotiatores impertitum, et ut pro se oraret rogasse. In secunda tamen vita innuitur, mutuam hanc fuisse ex divina revelatione notitiam.*

Bellarminus.

26 *Contra calumniatores Magdeburgenses eumdem egregie defendit Illustrissimus Cardinalis Bellarminus tom* 2, *Controv. general.* 2, *lib.* 2, *De monachis cap.* 39, *et Alanus Copus Dial.* 2, *cap.* 18.

VITA S. SIMEONIS

AUCTORE ANTONIO EJUS DISCIPULO
INTERPRETE
GUILIELMO GRATIO SOC. JESU.

CAPUT I.

S. Simeon tredecennis fit monachus.

a

Novum et mirabile *a* nostris temporibus factum mysterium est. Visum proinde et mihi Antonio peccatori, discipulorumque ejus minimo, ea quæ sum assecutus mandare litteris. Magnum enim mysterium hocce ad animi compunctionem habet utilitatem. Quamobrem adhortor vos, advertite aures ad ea quæ narraturus sum vobis.

S. Simeon oves pascit.

2 Sanctus et Beatissimus Pater Noster Simeon ætate etiam tum puer patris sui pecora pascebat, quemadmodum David Propheta. Diebus vero Dominicis sanctam Dei ecclesiam adibat, ac divinas audiebat scripturas. Cumque adolevisset, ac Dei timore compunctus quadam die ingressus esset ecclesiam, audita lectione Apostoli, quæsivit ex sene quodam: Dic mihi pater, quidnam illud est quod legitur? Respondit senex: De continentia animæ, fili. Sciscitatur denuo B. Simeon: Et quid est animæ continentia? Respondit senex: Quid me tentas, ista sciscitando? Video enim te et juvenem ætate, et magna simul teneri ignorantia. Ad hæc B. Simeon: Non hoc, inquit, Pater, ago ut te tentem, sed invitat me continentiæ mentio. Tum senex, Continentia, inquit, salus animæ est, dux lucis, introducens in regnum cælorum. Dicit ei B. Simeon: Doce me, Pater, quæ dicis; rudis enim sum. Respondit senex: Fili, continentia est, si quis jejunat mundo corde, et Deo orationes suas persolvit cum omni timore et reverentia: videlicet *b* prima hora orationem unam, sexta quoque et nona, similiter et nocturnas precationes, aliaque; his similia et quæ consequuntur noctu facienda. Hæc autem omnia rite peraguntur in monasterio. Intellexisti fili, quæ audisti? Perpende hæc omnia in corde tuo. Oportet enim te esurire et sitire; nudum esse, et injuriis affici, et colaphis cædi, et conviciis impeti, gemere et plorare; vigilare, et vix leviter somnum libare, nunc adversa, nunc prospera valetudine uti; expetere et renuntiare, ac humiliari; persecutionem pati et flagris cædi; perquiri et deprehendi, multa ab hominibus perpeti, et necdum ab Angelis Domini solatio levari. Audisti nunc fili hæc omnia? Dominus gloriæ det tibi mentem bonam secundum voluntatem suam.

Dominicis frequentat ecclesiam.

Investigat viam salutis.

b

Quæ patienda monacho.

3 Hæc

Orat Simeon 7 diebus.

3 Hæc cum audisset B. Simeon, exiit de ecclesia, abiitque in locum desertum, et se pronum humi prostravit dies septem plorans, et Deum orans, neque ut cibum sumeret aut potum surrexit. Post diem septimum surgens accurrit ad Monasterium, moxque se ad pedes Archimandritæ abjecit, plorans et obtestans: Miserere, inquit, mei peccatoris, et ærumnosi, serva animam pereuntem, et desiderantem servire Deo. Dixit Archimandrites: Quis es? et cujas? aut quod tibi est nomen? et unde nobis ades? Respondit Beatus: Genere quidem ingenuus suum, nomen mihi est Simeon; atqui parentes et unde venerim quærere noli, Domine, sed redime unicam animam pereuntem. Quod ut audiit Archimandrites, benigne eum a terra allevat: Et, si, inquit, a Deo ades, Deus custodiet te, et defendet ab omni malo, insidiis, periculis et tentationibus: et omnibus fratribus obsequium impendes, ut ab omnibus ameris. At parentes ejus duos annos non destiterunt eum deflere et perquirere. Beatus autem Simeon commoratus est in Monasterio, famulans omnibus fratribus, facileque omnibus se acceptum reddidit, implens omnem Monasterii regulam.

Fit monachus.

a *Hinc etiam probabilius fit, ab Antonio scriptam esse hanc vitam.*
b *En quam antiqua Ecclesiasticarum horarum consuetudo.*

CAPUT II.

Mirabili pœnitentia se macerat, ejectus e monasterio, cum honore reducitur.

Invenit autem ad puteum, ex quo aqua hauriebatur, situlam habentem *a* funem textum e setis; quo dissoluto secedit tantisper, eoque totum corpus circumcingit, ac lacernam suam cilicinam superinduit, ingressusque Monasterium, dixit fratribus: Exii ut aquam haurirem, et funem non inveni. Dicunt ei fratres: Tace, ne resciscat hoc Archimandrites. Et nemo sensit funem ejus corpori esse circumvolutum. Perduravit autem ita circiter *b* anno uno. At vero funis depastus est carnes ejus, et penetravit usque ad ossa, et carne putrefacta tegi cœpit. Præ graveolentia autem nemo prope eum consistere poterat: nec cuiquam mysterium quod patraverat in mentem veniebat. Sed et stratum ejus vermibus repletum est. Accipiebat quoque cibum qui quotidie præbebatur, et erogabat in pauperes.

a Fune cilicino corpus constringit.

b Caro inde putrescit.

Integra hebdomada jejunat.

5 Forte igitur prodiens monachorum quispiam, offendit eum pauperibus panem ac legumina, quæ acceperat, largientem: nam cum omnes jejunarent ad vesperam, ille a Dominica ad Dominicam usque inediam protrahebat. Monachus ille ingressus, apud Archimandritam eum calumniatus est, dicens: Hic homo evertere vult monasterium nostrum, et regulam quam nobis dedisti. Archimandrites: Quomodo, inquit, evertere vult regulam? Dicit ei frater: Nos ad vesperam jejunare recepimus, hic Dominicis solum diebus comedit; cibum vero, quem accepit, dat pauperibus. Neque hoc solum, sed et ab ejus corpore procedit fœtor intolerabilis, ut nemo prope eum stare queat, tum et stratum ejus vermibus scatet: nec amplius perferre possumus. Quin si eum hic diutius retineas, nos hinc discedimus. Eum igitur eo unde advenit dimitte. Hoc ut audivit Archimandrites, admiratione perculsus ad stratum ejus accessit, et invenit vermibus plenum, nec stare ibi præ fœtore poterat. Et ecce, inquit, alterum Jobum, eumque accersitum ita increpuit: Quid hoc fecisti, o homo? unde hic fœtor? quid fallis fratres? quid dissolvis regulam Monasterii? Ecquid umbratilis larva es? si enim revera homo esses, et humano connubio procreatus, indicasses nobis quo genere esses, et unde huc appulisses.

6 Hæc audiens B. Simeon demisso vultu tacebat, et lacrymæ ubertim ab ejus oculis in terram cadebant. Tum Archimandrites quodam quasi furore percitus: Exuite, inquit, eum, ut videamus unde hic fœtor oriatur. Tentarunt ergo eum exuere, sed plane non valuerunt, ita erant ejus indumenta putrefactæ carni agglutinata. Tres igitur dies jugiter eum tepida aqua atque oleo macerarunt, et ægre eum vel sic exuere potuerunt. Repererunt autem ita corpori funem implexum, ut jam propemodum cerni non posset. Vermium vero e plagis scaturientium copia erat infinita. Monachos sane immedicabile id malum attonitos reddidit. Et deliberare inter se cœperunt, quo remedio funem excipere possent. Clamabat autem B. Simeon: Sinite me, fratres, sinite me sic mori, canem fœtidum; sinite scelera mea sic puniri, ego enim peccatorum pelagus sum. Archimandrites autem et fratres ubertim flebant, inusitatam eam plagam intuentes. Dixitque ei Archimandrites: Nondum duo de viginti annos natus es, et quæ tandem habes peccata? Respondit B. Simeon: Propheta David inquit: Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea. Et ego pariter.

AUCTORE ANTONIO EX MSS. GRÆCIS.

Veste carni agglutinata, ægre exuitur.

Psal. 50.

7 Miratus est Archimandrites illius sapientiam, quod adolescens rusticanus ita esset Dei timore compunctus; Medicisque advocatis, magno labore et molestia funem a corpore ejus avelli curavit, ut omnes eum jam pro mortuo haberent. Intra dies tandem quinquaginta magno studio et industria eum ex parte curarunt; dicitque ei Archimandrites: Fili, ecce convaluisti, quo libet discede. Quod ut audiit B. Simeon, monasterio egreditur. Erat vero in propinquo puteus sine aqua. Et magna vis spirituum impurorum eum inhabitabat; nec horum modo, sed et aspidum et viperarum ac serpentium. Quamobrem multi juxta locum illum transire verebantur. At B. Simeon egressus e Monasterio, nemine vidente in eum se puteum dejecit, et in recessu ejus septem diebus delituit.

Curatur.

Dimittitur e monasterio.

Puteum siccum ingreditur.

8 Vidit porro in somnis Archimandrites a magna virorum multitudine circumdari Monasterium, qui candidis omnes vestibus induti, ac faces manibus gestantes inclamabant: Comburemus te, nisi servum Dei Simeonem nobis tradas: cur ipsum ejecisti? quid commisit? an nescis eum te majorem esse, majoremque in die judicii inventum iri? Et simul experrectus Archimandrites, totoque contremiscens corpore, fratribus ait: Quantum ego perspicio, fratres, homo ille verus Dei servus est; multa enim nocte hac passus sum propter eum. Sed, amabo, discurrite et quærite eum; nec vestrum quisquam eo non invento huc redeat. Egressi vero fratres ubique eum quæsiverunt: cumque eum invenire non potuissent, id Archimandritæ renuntiarunt: Nullum prætermisimus locum, ubi non eum quæsierimus, præter solum puteum illum siccum; in eum vero nemo audet se demittere. Dixit Archimandrites: Facto signo Christi, cum facibus descendite, et eum quærite. At illi digressi, preces supra puteum fuderunt, et quinque monachi per demissum funem descenderunt. Reptilia visis facibus in angulos refugerunt. At B. Simeon conspicatus eos, exclamavit dicens: Obsecro vos, sinite me paullisper, dum reddam spiritum: doleo enim non mediocriter, quod cujus gratia huc me conjeci, nondum id implevi: sed monachi correptum eum, quasi mali aliquid perpetrasset, ad Archimandritam adduxerunt.

Visione territus Abbas eum perquirit.

9 Qui ut B. Simeonem vidit, ad pedes ejus procidens: Condona mihi, inquit, serve Dei, quod in te per imprudentiam commisi. Et obsecro te, ut te ipsum præfectum mihi esse patiaris, et doceas quæ scis. Verum B. Simeon non destitit plorare et orare: et tres annos in monasterio commoratus, clam omnibus exiit, et discessit in locum desertum, prope quem vicus erat qui *c* Thalampsin dicitur, ibique ex siccis lapidibus parvam casam construxit, in qua annos quatuor exegit; jejuniis sese, imbribus, æstusque molestia perferenda affligens, multique ad eum accedebant. Victus autem ejus erat lens macerata, et aqua.

Veniam ab eo petit.

c In cella 4 annis habitat Simeon.

a *Græce est, χαίνιον τρίχινον.*
b *Theodoretus habet* 10 *dies.*
c *Græce,* ἔγγυστα δὲ αὐτοῦ ἦν χωρίον ἐπιλεγόμενον Θάλαμψιν.

AUCTORE ANTONIO EX MSS. GRÆCIS.

CAPUT III.

Vitam agit in columna, matri mortuæ bene precatur.

In columna vivit.

Dehinc construxit sibi columnam cubitorum quatuor, et stetit super eam annos septem. Sancta vero ejus fama quaquaversum dimanavit. Post hæc construxerunt ei turbæ duas mandras e siccis lapidibus, ostiumque intra mandram fecerunt, et columnam ipsi cubitorum quadraginta erexerunt: in hac stetit annos quindecim multas curationes faciens, auctorem imitans Christum, cæcis visum restituens, claudis gressum, leprosos mundans, mutis loquendi facultatem tribuens, paralyticis incessum, iis quoque qui longa ægritudine confecti erant, opem afferens. Edixit adhæc et præcepit unicuique: Si quis roget quis te sanaverit, dicito: Deus. Cave dixeris, Simeon; si dixeris, prædico in eadem denuo mala recides. Et hoc dico tibi ne umquam mentiaris, juresve per Deum; sin necesse sit tibi, *a* jura per me humilem, sive serio sive falso: magnum enim peccatum et periculum est per Deum jurare.

Vetat sibi tribui miracula.

a

In suo nomine jurari sinit.

Matrem non admittit in suum conspectum.

11 Miraculum. Audi mirabile mysterium. Mater ipsius septimo demum et vigesimo anno cum rescivisset ubi terrarum degeret, accedens cupiebat eum videre: et cum ubertim fleret in vestibulo mandræ ejus, non est ei concessum ut illum cerneret; sed scalis appositis ad mandræ parietem in terram corruit; significavitque ei B. Simeon: Da veniam mihi in præsentia, mater; et, si digni erimus, in illo sæculo nos invicem videbimus. Mater ut hoc audiit, magis videndi ejus desiderio inflammata est. At significavit ipsi Sanctus dicens: Asside paullisper, et quiesce, moxque te videbo. Deseditque in vestibulo mandræ, et confestim spiritum tradidit Domino. Jussitque eam inferri: posuerunt vero eam ante columnam: ille eam intuitus, sic fari cœpit: Domine Deus virtutum, dux errantium, moderator Cherubinorum, qui deduxisti velut ovem Joseph, qui inclyta auxisti virtute Prophetam David, qui Lazarum quatriduanum resuscitasti, accipe in pace animam famulæ tuæ. Illo ita precato matris corpus commotum est, ac vultu subrisit: omnesque adstantes id viderunt, et Deum laudarunt. Ceterum exequiis ejus factis, sepelierunt eam ante columnam, justa ei ibidem persolventes.

Moritur mater.

Ejus corpus orante filio movetur.

a Vide quæ in Præf. § 4, dicta sunt.

CAPUT IV.

Variæ infirmorum curationes, vermis in unionem mutatus.

Mutis restituta loquendi facultas.

Aliud audi novum ac mirabile. Quidam e longinquo ad orationem ibant, et occurrit illis pascens cerva, eademque prægnans, dixitque unus ex illis: Adjuro te per virtutem S. Simeonis, ista ut te comprehendam: et subito stetit cerva. At illi eam comprehensam occiderunt, carnesque comederunt, pellis vero ibi remansit. Et statim lingua eorum quasi visco constricta est; cumque loqui vellent, nequiverunt. Ocyus igitur accurrerunt, procidentes ante columnam, medelam petentes; et cum aliquamdiu multis præsentibus ibi moram traxissent, et cum magna pœnitudine expectassent, reversi sunt sani ad propria, glorificantes Deum.

Mulier a serpente, quem deglutierat, liberata.

13 Accidit etiam ut mulier quædam nocte siti correpta, cum aqua parvum anguem deglutiret. At ille nutritus magnum incrementum in ventre ejus cepit. Multi vero Medici laborarunt ut eum educerent: at nequicquam. Deportant igitur eam ad Sanctum, eique narrant ut res se habeat. Ille vero: Mittite, inquit, in os ejus aliquantum aquæ et terræ. Et ut sensit fera, humi eam affligit, et egreditur longa quatuor cubitos, proceditque ante columnam, et virum, medio Angelorum inferentem caput, quasi venerata expirat: omnesque qui adstabant Deum laudarunt.

14 Columnam dein ejus altiorem fecerunt; extulerunt quippe ad cubitos circiter quadraginta. Et longe lateque fama ejus sparsa est, adeo ut et Saracenos ad illum exciret, qui et ad timorem Dei ab ipso conversi sunt. Hominum igitur osor diabolus, ut illi mos est tentare servos Dei, et eis insultare, in formam sese Domini transmutavit, currui Cherubico insidens; dixitque Sancto: Ades, et conscende currum hunc, et accipe coronam tuam. Sanctus, non existimans inane esse spectrum, pedem sustulit, curruique imposuit: ubi vero spiritu cognovit diaboli esse technas, ocyus pedem retraxit a deprehenso jam phantasmate, et in femore plagam a diabolo accepit, quemadmodum B. Job: unde morbus *a* Pannucula dictus: et convulsum est femur illius: et uno solum pede deinceps niti cœpit, et in eo stetit longo tempore usque ad mortem. Vermes vero innumerabiles in terram ab ejus femore ceciderunt. Quare ego minimus nil aliud habebam negotii quam ut eos colligerem, sublatosque reponerem in locum unde ceciderant, dicente Sancto: Edite, unde vobis dedit Dominus.

Simeon a diabolo tentatur.

Pannucula laborat.

a

Uno pede nititur.

15 Accidit vero Dei nutu, ut ad eum veniret Rex Saracenorum. Et cum propius ad columnam accessisset, benedictionemque a Sancto postulasset, cœpit eum Sanctus admonere: et dum colloquerentur, cecidit vermis a femore ejus, advertitque animum Saracenus, verumtamen nesciebat quidnam illud esset quod ceciderat: et accurrens vermem illum tollit, oculisque et cordi applicat, abitque foras eum in manu gestans. Significat ei Sanctus dicens: Accede, abjice onus, quod decidit a me peccatore; vermis est enim fœtidus ex fœtida carne. Quid manus tuas violas vir illustris? Et hæc dicente viro Sancto, accessit Saracenus, dixitque ei: Hoc mihi erit in benedictionem, et in remissionem peccatorum: et aperiens dextram videt vermem in unionem pretiosum esse mutatum; et videns Saracenus glorificavit Deum.

Vermis ab ejus corpore lapsus in unionem vertitur.

a Græce παυσίλλα, *quæ vox, ut in Glossario notat Joan. Meursius etiam* λοιμὸν pestem *significat: hic pro magno ulcere accipitur, quod* Chironium *appellat Theodoretus, id est, magnum, quasi Chirone præstante Medico opus habens, quod et* Telephium *dicitur, ut ait Hadr. Junius in Nomenclatore.*

CAPUT V.

Antiochi latronis conversio, pia mors.

Erat in *a* Isaureorum urbe latronum dux quidam, Antiochus Agonatus nomine, cujus ubique celebrabantur latrocinia. Summissa aliquando in eum est valida militum manus, complures item *b* Patricii eum ut pervestigarent, et Antiochiam perducerent: sed nequiverunt propter immane ejus robur. Expedierunt ergo numerum qui sufficeret, omnisque civitas in eum commota est. Exierunt milites lecti, armis instructi centum quinquaginta sex, inveneruntque eum in diversorio vinum potantem. Ille re cognita tragœdiari cœpit. In propinquo autem flumen erat: equam autem habebat, cui velut homini imperabat: et surgens in eam vestimenta sua injecit, dixitque ei: Abi, et ibi me opperire. Nec mora, exiit equa e diversorio mordicans et saltabunda, ac digressa expectavit eum in flumine. Prodiit et latro stricto ense, cœpitque vociferari dicens: Facessite cuncti ocyus, ne omnes contrucidem. Nec ullus ausus fuit manus ei injicere: statimque equam conscendit, abitque celerrime, et Sancti columnam amplexus magna voce clamat: Serva animam pereuntem, serve Dei. At S. Simeon: Quid tibi vis, inquit, homo? At ille: Ego ille sum famosus princeps latronum, qui huc confugi, ut server. Ait Sanctus: Si possis dolorem excitare de peccatis. Respondit princeps latronum: Ejus gratia huc veni. Eo adhuc loquente superveniunt milites, eumque cum Sancto colloquentem inveniunt, et dicunt Sancto: Non æquum est, sancte Pater, ut maleficum hunc recipias; dimitte eum ut pœnas pendat. Respondit ipsis Sanctus Simeon: Ego, filii mei, eum

a

Antiochus latro ad ejus columnam confugit:

b

eum huc non advocavi; sed ille qui scit propositum ejus et facta, faciet cum eo misericordiam. Ego enim persequi eum non possum. Scitote vero pœnitentium esse regnum cælorum. Etenim cum Domino nostro Jesu Christo crucifixi sunt duo latrones; horum unus regno cælorum potitus est, alter prout meritus erat accepit. Si quis autem queat resistere ei qui eum huc misit, veniat, eumque hinc abripiat. Quo quidem dicto dimisit eos.

Pœnitentiæ signa edens moritur.

17 His vero abeuntibus dixit ei latro : Mi Domine, ego quidem abeo. Dixit ei Sanctus : Iterumne ad scelera tua reverteris? Respondit latro : Nequaquam Pater, sed vocat me Dominus Christus. Et extensis in cælum manibus hoc solum locutus est : Domine Jesu Christe Fili Dei, suscipe spiritum meum. Ploravitque horas duas, ita ut et Sanctum et adstantes ad lacrymas quoque provocaret : et inclinato columnam versus capite spiritum Deo reddidit. Turbæ composuerunt eum, et sepelierunt ante mandram. Nec multo post veniunt milites rapturi eum, cœperuntque Sancto dicere : Dimitte maleficum hominem, ut recipiat prout meritus est. Sanctus vero : Fratres, inquit, is qui eum huc misit, potentior est vobis et nobis, ille eo opus habuit ut viro sibi utili. Misit ergo in ipsum duos milites terribiles armatos, qui vel totam valerent exscindere cum incolis urbem. Hi eum abripuerunt : ego vero abjectissimus mortalium, intuitus eorum terribilem speciem, exterritus contradicere eis non fui ausus, ne et me interficerent. Hi autem cognito quid de ipso factum fuisset, et quam præclare animam tradidisset, laudarunt et ipsi Deum, et cum timore reversi sunt Antiochiam.

Duo Angeli eum ex vita evocant.

a Isauria *regio est Asiæ inter Lycaoniam et Ciliciam ad Taurum montem, ejusdemque regionis urbs, quæ Ptolemæo* Isaura, *aliis* Claudiopolis.

b *Græce est* ἀρχιπάτριοι; *quod melius fortassis* Magistratus, *vel* Præfecti *verteretur.*

CAPUT VI.

Aqua accolis, sterili proles obtenta, benedictio absenti impertita, servata navis.

Simeon aquam precibus impetrat.

Accidit ut aqua illius regionis incolis deesset, adeo ut siti extinguerentur, Sanctus Deum precatus diebus septem nemini locutus est, sed orationi intentus erat : et septima die circa horam nonam repente ebulliit aqua copiosissima ad Orientalem partem mandræ : fodiendo autem invenerunt specum immensæ aquarum scaturiginis. Struxerunt vero ibidem turbæ ora septem, omnesque Deum glorificarunt.

Reginæ Saracenorum obtinet prolem et huic vocem ac gressum.

19 Regina quædam erat Saracenorum sterilis. Venit hæc rogans Sanctum, ut sibi precibus prolem a Deo impertraret. Et cum diu multumque precata esset, sancto viro preces suas jungente; significavit ei Sanctus, domum ut discederet; Dominum facturum quod e re ejus esset. Illa domum digressa, paullo post concepit, peperitque filiolam. Hæc jam annos quinque nata, neque locuta est, neque ingressa pedibus. Mater cum viro suo et filiola accessit iterum, seque ante virum sanctum humi venerabunda prostravit. Quibus ille respondit : Expectate, et Dominus opem feret. Cumque jam isthic mansissent diebus septem, nihil auxilii sensere, ac mœsti discessere, dicentes : Noluit Dominus ei mederi. Illi ergo viam ingressi, conversi sunt ut columnam Sancti adspicerent, et ecce, repente filia exclamavit dicens : Gloria tibi Deus S. Simeonis. Parentes ejus viso miraculo laudaverunt Deum, qui mirabilia facit per Sanctos suos.

Mulier virili habitu venit ut eum videat.

20 Die quadam militibus iter facientibus mulier quædam pridem Sancti Simeonis videndi cupida, secumque perpendens qua ratione voti fieri compos valeret, ut eos jam iter ingressos vidit, et ipsa militari ornatu se induit, cumque iis in viam se dedit. Cum ad locum columnæ pervenissent, dixit illa militibus : Si hic relinquere tantisper equos vultis, intrate et sumite a Sancto benedictionem; cumque egressi fueritis, ingrediar et ego, ut et benedictionem ab eo percipere merear. Illis ergo ingressis, Sanctumque veneratis, dixit eis : Miles quidam relictus a vobis est foris. Hi vero dixerunt : Ita est venerabilis Pater. Sanctus vero dixit eis : Exite et dicite ipsi : Bono animo esto, exaudita est enim oratio tua, et benediceris a Domino. Milites rogarunt eam : Quod bonum opus fecisti? Præcepit enim nobis Sanctus : Egressi dicite militi, qui præ foribus præstolatur : Bono animo esto, exaudita est oratio tua, et benediceris a Domino. Respondit illa : Confiteor vobis fratres, quod mulier sum, multumque desideravi videre Sanctum. Peccatrix enim sum ego. Milites re audita, stupefacti sunt, Deumque laudaverunt, et claritatem Sancti, et in pace iter suum prosecuti sunt.

Auctore Antonio ex mss. Græcis.

Simeon nondum ingressæ benedicit.

21 Accesserat aliquando magna hominum multitudo, ut ab eo benediceretur. Ascendit ergo minister cum suffimento, qui magna voce Sancto dicebat : Serve Dei, turba benedictionem tuam patienter exspectat; jube ergo et dimitte eos, ecce enim jam dudum exspectant te. At ille nihil respondit ministro : neque enim spiritus ejus penes illum erat. Dumque ita solus vociferaretur, nec responsum tamen acciperet, cœpit ad columnam ejulare, obiisse Sanctum existimans. Turba id conspicata cœpit lugubriter lamentari et plangere ejulatu magno, dolentes de peccatis suis. Aliquanto post reversus est spiritus ejus, respondensque dixit turbæ : Fratres, magna navis in mari hoc eodem tempore periclitabatur; vehebantur ea animæ trecentæ, et omnes clamabant auxilium meum implorantes planctu multo : ego rem præsentem contemplatus, invocavi longanimem semper in peccatis nostris Deum: et ad mare accedens manum iis præbui, eosque servavi. Et audientes turbæ glorificaverunt Deum S. Simeonis. Ille cum benedictione eos dimisit in propria.

Navi in mari periclitanti absens succurrit.

CAPUT VII.

Serpens curata, sedatus terræmotus, coerciti improbi.

Serpenti ægræ medetur.

Aliud miraculum Sancti Patris Nostri Simeonis cupio vobis narrare. Serpens femina ulcus ingens contraxit, ut e dolore fremitus ejus ac sibilus ad milliare audiretur. Masculus ejus condolens cruciatui, cum ea ad Sanctum adivit; cumque ad columnam pervenissent diversi ire cœperunt, femina enim non audens in Sancti conspectum venire, secessit in eam partem qua mulieres solebant considere. Mas vero cum multitudine virorum ingressus, columnam veneratus est, capite sursum deorsum moto, quasi Sancti viri opem implorans. Turbæ conspicatæ molem serpentis exterritæ fugerunt. Quod ut vidit S. Simeon dixit turbæ : Ne metuite fratres, revera accessit, ut orationis nostræ particeps fiat, quia compar ejus ægra ad locum mulierum concessit. Dixitque serpenti : Tolle aliquantum terræ, et defer eam ad comparem tuam, eique imponens adspira, atque malo illius medeberis. Serpens sumpto luto abiit illam curaturus. Conspicatæ id turbæ secutæ sunt eum, viderunt que feminam rectam stare, et habere ingentem abscessum. Tum masculus sumptum lutum ei imposuit, et adspirans inspectantibus omnibus eam sanavit, unaque discesserunt. Turbæ viso miraculo Deum laudaverunt.

In terræmotu et tempestate ad eum concurritur.

23 Accidit cum magna quædam calamitas hominibus ejus regionis impenderet, ut omnes ad eum confluerent, ad Deum placandum. Multæ enim passim ruinæ ædificiorum cernebantur, mortesque hominum, adeo ut et Sanctus cum columna ut folium a vento concuteretur. Sanctus ergo cum ceteris collacrymans dixit : Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est usque ad unum; non auditis me, sed avaritia certatis. Fornicationes vestræ et injustitiæ superabundaverunt. Facilius mihi est

AUCTORE ANTONIO EX MSS. GRÆCIS.

est loqui cum Domino meo, quam vobiscum infidelibus. Simulque jussit cessare supplicationes. Cumque ipse orasset, iterum cum ventorum tempestate periculum increbuit. Jussitque eos exclamare : Kyrie eleison, id est, Domine miserere. Cumque aliquantisper expectassent, data eis pace, preces fecit; quibus completis, dixit turbæ : Fratres, e vobis omnibus una exaudita est anima. Cujus rei ut vobis plenam fidem faciam, ecce statuam eum in medio vestrum. Jussumque prodire, ita alloquitur : Crede mihi frater quod ex his omnibus tu solus exauditus es. Sed dic mihi, quid boni fecisti? Respondit ille Sancto : Da veniam Pater, homo ego sum peccator. Coactus tandem a Sancto, (nam et veniebat cælitus vox dicens : Exaudita est tua precatio, istiusque rustici qui in medio eorum stat) confessus est iis : Homo ego sum rusticus, soleoque mercedes diurnas in tria partiri; primum largior pauperibus, secundum ad tributum Reipublicæ, tertium sumptibus quotidianis impendo. Hactenus eam vitæ regulam servare non destiti. Omnes ergo eum complexi, venerati sunt, urgebantque ut virum talem possent videre.

Unus ex omni turba cum eo exauditur.

Rustici cujusdam sancta vita.

24 Aliud audite. Homo erat quidam, Julianus nomine, qui *a* Ardaburio serviebat. Hic quadam correptus insania, assidue instare cœpit apud Ardaburium, dicens : Permitte mihi, ascendam et rapiam eum ex columna, probrisque afficiam, et plectam ut volo. Impostor enim est, et decipit homines. Et cucurrerunt ad eum; scalaque admota columnam ascendit Julianus, se eum posse deturbare confidens. Cumque ad tertium ascendisset gradum, sublata est scala a columna, et suspensa est in aere quatuor circiter a terra cubitis. Omnesque qui intuebantur stupebant, timueruntque *b* Ardaburius ira commotus arcum suum tetendit, Sanctum volens transfigere; et confestim manus ipsius stuporem contraxit, nec sagittam valuit emittere; et non tantum manus stupore, sed et pedes podagra correpti fuere, ad vitæ usque finem.

a

Quidam Simeoni injurius punitur.

b

a *Duo fuere Ardaburii : prior Dux egregius sub Theodosio juniore, Consul an.* CDXXVII, *pater Asparis, ut refert Socrates lib.* 7, *cap.* 23, *alter Asparis filius fuit. a Marciano Dux Orientalium copiarum constitutus, ut habet Suidas. Atque is est qui corpus S. Simeonis Antiochiam deduxit, ut infra dicetur.*

b *Alii de ipso Juliano id referunt.*

CAPUT VIII.

Moritur S. Simeon, corpus defertur Antiochiam.

Mortuum deprehendit Antonius.

Stetit Sanctus Simeon in diversis columnis annos quadraginta septem. Post hosce autem evocavit eum Dominus. Eratque *a* dies Parasceves, et advocatus pro more ad benedictionem dandam iis qui flexerant genua, *b*.... et ut vidi minimus ego, secunda die ascendi ad illum, et contemplor vultum ejus, video esse clarum instar solis, talemque qualis esse solebat, cum vel occurreret mihi, vel loqueretur. At nihil respondit. Primum eum suspicatus sum quiescere. Mox vero certiora explorare cupiebam : sed me erga virum Dei reverentia ac metus retrahebat. Tandem sumpta fiducia, dico : Pater, quid est quod mihi non loquaris? Multi tuam exspectant benedictionem. Hodie enim tertius dies est cum salutatione eos privas. Et cum expectassem horam unam, iterum dico : Non loqueris mihi Pater? Et tunc extensa manu contigi barbam ejus, deprehendique corpus ejus languidum factum esse : tuncque cognovi plane quod ad Dominum emigrasset.

a

b

Corpus ejus dulcem odorem spirat.

Movetur cum columna. Vox cælestis.

26 Tum quoque, reducta ejus veste, pedes deosculatus sum : totumque ejus corpus odorem velut unguenti respirabat, adeo ut obstupuerim ad illam fragrantiam. Cumque paullisper constitissem, motum est totum ejus corpus cum columna. Audivique vocem quæ dicebat mihi : Amen, Amen. Ego præ timore ita locutus sum : Benedic mihi Pater, memento mei, sanctifica me in sancta tua requietione.

27 Cumque abiissem, nemini rem aperui, ne forte tumultus oriretur, sed per hominem fidum significavi Episcopo Antiocheno, Præfectoque Ardaburio. Venit ergo Episcopus Antiochiæ cum sex aliis Episcopis, et Præfectus Ardaburius cum sex virorum millibus, ne regionis istius incolæ eum raperent. Sic enim proposuerant. Cortinæ igitur argenteæ pendebant ad cancellos usque columnæ. Ascendunt vero Episcopi tres, demuntque ei vestes, dictisque Psalmis tribus, demittunt eum. Tuncque demum cognovit omnis turba quod diem obiisset. Factaque est confusio totius multitudinis, adeo ut mons non appareret præ turba, suffitibus, et facibus. Vox vero planctus virorum et mulierum exorta, adeo ut mons eis una conlugere videretur. Volucrum istius deserti congregatarum ad mandram non erat numerus.

Antonius mortem nuntiat Episcopo.

Lugent eum innumeri, ipsæ etiam aves.

28 Ut igitur eum deorsum demiserant, jamque funus ei apparabant, cum jam dies esset ab ejus excessu quartus, itatamen compositum erat ad decorem corpus mortui, velut fuerat cum obdormiret. Et videbatur facies ejus quasi rosa floridissima, capillus barbaque; instar nivis purissimæ. Episcopus autem Antiochenus ex barba ejus pilos tollere parabat, et ocyus arefacta est manus ejus. Dixitque ei : Benedicte Dei, salvus es, nihil tibi reliquum est malorum, neque vestimentorum per virtutem Dei. Tuncque manus ei ad sanitatem rediit. Et protinus misit eum in sandapilam.

Deponitur de columna.

Episcopo tollenti Reliquias manus arescit : sanatur.

29 *c* Ego autem, fratres, minimus, quinque ante ejus excessum diebus viri amictum vidi, facies autem erat terribilis, non valeo cuiquam referre habitum ejus. Mens certe mihi rapta est, neque loqui præ horrore potui, quousque; experrectus fuit sanctus Pater Noster. Qui ut accessit, contemplatus sum eum edentem, at quid nescio. Cecinit et Psalmum, qui jam mihi in memoriam non venit, nisi extremum, Amen. Ego quidem ad aspectum viri exhorrui. Facies enim ejus splendida erat ut sol.

c

Antonio objecta ante visio.

30 Imposuerunt vero eum in feretrum cum psalmis et hymnis, turbis plangentibus lessumque canentibus. Similiter fecerunt Antiochiæ, cum infinita turbarum frequentia. Cumque jam pervenissent *d* in locum qui vocatur Mero, quinque circiter milliaribus ab Antiochia, constiterunt mulæ quæ Sanctum portabant, neque processerunt. Mirabile enim ibi mysterium erat. Ad dextram enim viæ illius erat monumentum, in quo habitabat vir quidam. Perdite quippe amaverat matronam conjugatam viginti integros annos, neque ea valuerat potiri. Matrona tandem obiit, inque illo monumento sepulta est. At ille valvas monumenti aperuit, inque mortuo corpore libidinem explevit. Nec mora : ocyus quasi compedibus constrictus fuit, et detentus in monumento. Assidue igitur sedens in gradibus monumenti, a multis passim viatoribus visebatur. Et unusquisque quorum indigebat ei afferebat pretio, alius indumenta, cibum alius. Ordinatione autem Dei factum est, ut cum S. Simeon ad eum locum delatus esset, peccator qui et voce et auditu privatus fuerat, repente stante rheda ex monumento cursim ascenderet, vociferans : Miserere mei S. Simeon; et prehensa rheda statim inde sese moverunt mulæ, omnesque Deum laudarunt, adeo quidem ut locus ille clamore concuteretur. At ille homo omnium maxime clamabat, dicens : Hodie per te servatus sum serve Dei, exemisti enim me ex pœna.

Deducitur corpus Antiochiam.

d

Mutus et surdus ejus meritis curatur.

31 Et universa civitas obviam processit mirando spectaculo : omnesque albo amictu induti erant, cum facibus et hymnis, dicebantque : Venit Pastor noster, thesaurum apportans cælestem. Et exultantes omnes gloriam Deo tribuerunt : intuleruntque eum ecclesiæ Cassiani dictæ. Verum post dies triginta jussit Dux Ardaburius eum deferri in magnam ecclesiam. Et ibidem rursus revelatione Dei exstructum est ipsi oratorium, condignum gloriosis sanctisque ipsius Reliquiis.

Funus magno plausu excipitur Antiochiæ.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

liquiis. Atque ita multa cum gloria et hymnodia deposuerunt eum in sacellum ejus, laudantes Patrem et Filium et Spiritum sanctum. Multi vero homines Episcopo urbis magnam auri summam obtulerunt, ut se participes faceret sanctarum reliquiarum in benedictionem. At non ausus fuit dare quidquam, propter jusjurandum quod dederat. At homo ille, de quo hic sermo, solitarius factus, ad suæ usque vitæ finem perseveravit,... *e* gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui omnis laus, honos, et veneratio, cum æterno Patre et sanctissimo et optimo et vivifico ipsius Spiritu, nunc et semper in sæcula sæculorum, Amen.

Multi Reliquias ejus expetunt.

e

a *Consentit de die Latina vita.* b *Videtur aliquid deesse.*
c *Hæc satis confusa, etiam in Græco.*
d Ἐν τόπῳ ἐπιλεγομένῳ Μέρῳ. *vide vitam per Metaphr. cap.* 14, *num.* 37. e *Aliquid rursus videtur deesse.*

ALIA VITA
S. SIMEONIS STYLITÆ
EX VETERIBUS MSS. LATINIS.

CAPUT I.
S. Simeon salutis studio fit monachus.

S. Simeon puer oves pascit.

a
b
c

Sanctus Simeon ex utero matris suæ a Domino electus est, et meditabatur a pusillo opera placentia Deo. Is erat filius cujusdam *a* Hesychii nomine: mater autem ejus *b* Mathana dicta est. A quibus diligentissime nutritus, cum esset annorum *c* tredecim, ad similitudinem B. David pascebat oves patris sui.

Inquirit de via salutis.

2 Quadam vero die videns ecclesiam fidelium, relictis pecoribus cucurrit ad eam. Ingressusque audivit quemdam Apostolicam lectionem recitantem. Et interrogans quemdam Senem, ait: Domine Pater, quid est istud quod legitur? Cui Senior respondit: Fili, substantia animæ, et continentia, et contemptus sæculi istius, in lectione ista legitur. Et ille: quid est substantia animæ? doce me Pater. Ait Senior: Timere Deum ex toto corde, ex toto animo, et ex tota mente. Respondens autem beatissimus Simeon ait: Quid est timere Deum? Dixit illi Senior: Fili quare me fatigas? forsitan tentas me. Et ille: Non tento te Domine Pater, sed plenius quod dixisti scire desidero. Et addidit ille: Quasi Deum te interrogo. Ista discere volo, quia idiota sum, et ignorans de his quæ dicis Pater. Et Senior dixit illi: Fili, si quod verum est audire desideras, diligenter attende quæ dico: Si quis jejunaverit jugiter, et obsecrationes Deo dignas reddiderit per momenta, et humiliaverit seipsum in conspectu Dei et hominum; et non diligit aurum, neque argentum, neque vestimentum, neque possessiones; et honorat patrem et matrem, et Sacerdotem prosequitur; hic hereditabit Regnum cælorum. Si quis vero fuerit multiloquus aut injuriosus, patrem aut matrem non honorificans, nec seniorem, nec proximum; iste hereditabit tenebras exteriores, quas paravit Deus diabolo. Ista omnia bona quæ commemoravi licet in Ecclesia a multis fideliter impleantur, facilius tamen cum Dei adjutorio in monasterio examinantur et *d* exercentur.

d

Gratus erga Doctorem.

3 Audiens hæc beatissimus Simeon cecidit ad pedes illius Senis dicens: Tu es pater meus et mater mea, et doctor bonorum operum, et tu deductor ad regna cælorum. Tu enim acquisisti animam, quæ jam mergebatur in perditionem. Dominus reddat tibi vicissitudinem pro anima mea. Ista enim sunt quæ ædificant, sicut et salvant. Ego autem, Domine, vadam, sicut docuisti me, in monasterium ubi Dominus voluerit, et fiat voluntas ejus in me. Dicit ei ille Senior: *e* Fili priusquam ingrediaris monasterium, dicam tibi mysterium istud, id est regulam et disciplinam monasterii tibi aperiam. Tribulationes habiturus es. Necesse est tibi, servire et vigilare in nuditate, et *f* patienter

e

f

sustinere mala: injuriæ enim tibi sunt irrogandæ, quia factus es vas pretiosum Domino.

Ex mss. Latinis.

Petit monasterium S. Timothei.

g
h
i

4 Et statim valedicto illi seniori exiliens beatissimus Simeon ibat in monasterium S. *g* Timothei magnifici viri. Projecitque se ante fores monasterii, per *h* tres dies non manducans neque bibens. Die vero *i* quarta egrediens Abbas Timotheus elevavit eum, et dicit illi: Unde es fili, aut de quibus parentibus? Quare sic macie affectus es? Et quod est nomen tuum? Numquid mali aliquid gessisti? Aut forsitan servus es, et dominum tuum timens ad monasterii defensionem fugisti? At B. Simeon dixit cum lacrymis: Nequaquam Domine aliquod crimen admisi, nec alicui homini servitium debeo; sed opto ut sim servus Dei, si ipse voluerit. Si autem volueris servare animam meam perditam, jube me introire monasterium, et fratribus omnibus servire, et ne patiaris me hic *k* excruciari diutius.

k

5 Tunc apprehendit manum ejus, et inducens in monasterium dixit fratribus: Filioli mei, ecce trado hunc juvenem vobis: docete eum canones monasterii. Fecit autem in monasterio illo quasi *l* annos quatuor, serviens Deo sine querela, et omnibus fratribus præstans obedientiam cum omni humilitate. In quibus psalterium velociter *m* et perfecte discendo percurrit. Et accipiens cibum suum *n* diurnum, occulte pauperibus erogabat, non sollicitus de crastino. Fratres enim, ut usus erat, jejunabant usque in vesperum; ille vero septimo tantum die cibum sumebat.

l

m

n

Tota hebdomada jejunat.

a Ms. *Leod.* Isici. *S. Max.* Ysicii. *Aud.* Hisirici, *et in margine* Isici. *Rosw.* Susocionis. *Rip.* Ysichii.
b Ms. *Rip.* Marabana, *aliis* Martha *dicitur. Vide quæ infra de ejus morte narrantur.*
c Ms. *Rip.* viginti septem. d *Rosw.* exaggerantur.
e *In* ms. *S. Maximini hæc fusius exponuntur, fere ut in priori vita.* f *Alii,* indesinenter.
g *Metaphrastes duorum monasteriorum meminit, in quorum altero* u, *in altero* x *annis vixerit. Qui hic* Timotheus, *apud Metaphrasten et Theodoretum* Heliodorus *dici'ur, fortassis priore abdicato nomine,* Timotheus *dictus: aut binominis fuerit. Colitur* 1 *Februar. a Græcis* Timotheus *quidam, quem hunc S. Simeonis magistrum esse conjicit Raderus noster.*
h *Alii,* quinque.
i *Alii,* quinta. k *Alii,* cremari, *alii* ,criminari.
l Mss. *S. Max. et Rip.* menses sex, *alii,* menses quatuor.
m Ms. *Audom.* paravit.
n *Rosw.* divinum; *additque in margine* : quotidie communicat, *quod non probatur; nec habetur in ullo alio* ms.

CAPUT II.
Ob nimium pœnitentiæ studium e monasterio ejectus, cum honore reducitur.

Aspero fune corpus constringit.

a

Una autem die egressus ad puteum, cum vidisset situlam unde hauriebant aquam, funem habentem de palma asperrima, quæ *a* ruscus dicitur; apprehendit illum, et corpori suo nudo arctissime circumtorsit a renibus usque ad scapulas, et regressus dixit fratribus: Exivi haurire aquam, et funem non inveni in situla. Illi autem dixerunt ei: Tace frater, ne forte cognoscat hoc Abbas, donec tempus prætereat. Putrefactum est autem in parvo tempore corpus ejus de obligatione et asperitate funis, quia secabat eum, et usque ad ossa ingressus est, ita ut vix appareret. Quadam vero die exeuntes aliqui ex fratribus, invenerunt eum dantem cibum suum pauperibus, et ingredientes dixerunt Abbati: Unde nobis adduxisti hominem istum? Non enim possumus abstinere sicut ispe. De Dominica in alteram Dominicam jejunium continuat: et cibos quos accipit pauperibus erogat: sed et fœtor gravissimus de corpore ejus ascendit, ita ut nullus juxta eum stare possit: etiam cum ambulat vermes de corpore ejus *b* cadunt. Etenim lectulus ejus vermibus plenus est.

Scatet vermibus.

b

7 Et egressus Abbas, invenit sicut illi dixerunt. Tunc vocavit illum, et dixit: Fili, quid est quod dicunt fratres de te? Non tibi sufficit jejunare sicut et nos? Aut non audisti Evangelium dicens de Doctoribus: Quia non est discipulus super magistrum: erit enim perfectus si sit sicut Doctor ejus? Dic mihi, fili,

Matth. 10. 24.

Ex mss. Latinis.

fili, fœtor iste talis unde procedit ? et unde isti sunt vermes, quibus plenus est lectus tuus ? Stans itaque B. Simeon inclinato capite, nihil respondebat ei. Et iratus Abbas ait : Expoliate eum, et videte unde fœtor iste procedat. Et expoliantes eum, invenerunt funem circa corpus ejus impactum, et rupta cure immersum, ita ut nihil appareret ex eo nisi summitas. Exclamans autem Abbas voce magna ait : Unde nobis advenisti, o homo ? Destruere vis, ut video, regulam monasterii. Rogo ergo te, recede hinc, et perge quo cupis. Et tamen cum labore et dolore tulerunt a corpore ejus funem, de quo erat involutus, una cum *Curatur.* carne ejus putrida. Facientes autem illi studium et diligentiam per multos dies, sanaverunt eum.

8 Post hæc autem exiit de monasterio nullo sciente, et ingressus est in desertum puteum non longe a monasterio, in quo non erat aqua; sed immundi spi- *In siccum puteum intrat.* ritus habitabant ibi. Et ipsa nocte revelatum est Abbati, quod multitudo populorum circumdarent monasterium suum cum fustibus et gladiis, dicentes : Da nobis Simeonem servum Dei Timothee. Sin autem, incendemus te cum monasterio tuo, quoniam exasperasti hominem justum. Et evigilans, dixit ad fratres : Filioli mei, visionem vidi, et multum turbatus sum in illa. Et exposuit Abbas quod viderat. Et in nocte alia vidit multitudinem virorum fortium adstantium sibi, et dicentium : Da nobis servum Dei
c Simeonem : dilectus est ab Angelis. Quare eum *c* vexasti ? Major te est apud Deum et merito et gratia. Omnes enim Angeli contristati sunt propter illum. Istum autem proponere habet Deus mundo, ita ut *Abbas duplici visione territus cum perquirit.* multa signa faciat quæ nemo fecit. Exurgens autem Abbas cum timore grandi, dixit ad monachos : Fratres, requirite mihi hominem illum, et adducite in hunc locum, ne forte propter illum omnes moriamur. Vere sanctus Dei est. Mirabilia enim magna vidi et audivi de illo. Vidi enim eum stantem in medio Angelorum, excubias super eum celebrantium.

9 Tunc omnes Monachi exierunt requirere eum, et ubique perambulantes non invenerunt eum. Et venientes nuntiaverunt Abbati dicentes : Nullum locum reliquimus, ubi non quæsissemus eum, nisi tantummodo in deserto puteo. At ille dicit eis : Rogo vos, fratres, vadam et ego vobiscum ad quærendum eum. Vere sanctus Dei est. Et sumens secum quinque ex illis venit ad puteum. Videnque illos B. Si- *Reperitur in puteo.* meon, cœpit adjurare eos dicens : Rogo vos servi Dei, relinquite me una hora ut reddam spiritum meum. Modicum adhuc deficiens est. Valde autem fatigatur anima mea, quoniam exasperavi Dominum. Dixitque ad illum Abbas : Veni serve Dei, eamus ad monasterium. Nunc autem cognovi de te, quod vere servus
d Dei es, illo vero nolente, *d* adducunt eum vi ad monasterium : et omnes prosternunt se ad pedes ejus flentes et dicentes: Peccavimus in te serve Dei, indulge nobis. Beatus autem Simeon gemebat dicens : Quare me gravatis, fratres, canem putridum et humillimum, infelicem et peccatorem? Vos enim estis servi Dei et patres mei. Fecitque ibi annum unum.

a Ruscus *vulgo* silvestris myrtus *dicitur, Belgis* pungens palma. *Virgilius ecl.* 7, horridior rusco. b Ms. *S. Max.* stillant.
c Ms. *Rip.* contristasti. *Leod.* exasperasti.
d Ms. *Leod.* ingressus in puteum cum quinque monachis adduxit eum vi.

CAPUT III.

In columna stat, multos convertit, tentatur a dæmone.

Post hæc egressus occulte perrexit in montem non longe a monasterio, ibique multum temporis fecit :
a ædificavitque sibi clausuram de sicca petra *a* et stetit
b sic annos *b* tres. Et veniebant ad eum multi ad orationem. Deinde fecit sibi columnam brevem quatuor
c cubitorum, stetitque super eam annos *c* quatuor. Et perambulabat fama sancta de eo per orbem terræ, et *Stat in columna.* cum omni admiratione prædicabatur. Et rursum faciunt ei columnam habentem duodecim cubitos, et stetit in ipsa annos *d* duodecim. Rursumque faciunt columnam cubitorum viginti, stetitque in ea annos
e duodecim. *d*
e

11 Tunc congregati sunt omnes habitatores loci illius, et ædificaverunt juxta columnam duas Basilicas, et columnam cubitorum triginta. Et super ipsam stetit annos quatuor. Et cœpit multas virtutes facere : sed et multi languidi veniebant ad eum, et dæmonia habentes, et curabat eos. Cæsi visum recipiebant, *Claret miraculis.* surdi auditum; debilium manus restituebantur, leprosi *Varias gentes convertit.* mundabantur. Hic autem fide sua humiliavit gentes multas, et ad fidem Christianam adduxit, id est, Saracenos, Persas, *f* Armenios et *g* Lazos et *h* Azabenos. Similiter *i* Allophyli audientes de eo et de virtutibus quas faciebat, veniebant et adorabant eum ; et ita mitigabantur de sua barbarie, ut provincias loci illius omnino non læderent. *f*
g
h
i

12 *k* Tunc autem permittente Deo invidia diaboli *k* vulnus adcrevit in femore ejus, et putrefactum est, ita ut multitudo vermium scatesceret de eo. Decurrebatque ; de pede ejus in columnam, et de columna in terram. Anno autem integro stetit in columna super pedem unum. Quidam autem juvenis adsistens ei, *Antonius colligit vermes, eique reddit.* Antonius nomine, qui vidit et scripsit hæc, juxta præceptum illius colligebat vermes, qui cadebant in terram, et porrigebat illi sursum. At ille ponebat illos sibi ad ipsa vulnera, ad similitudinem justi Job, dicens : Manducate quod vobis Dominus dedit.

a *Addit* ms. *Leod.* nullo bitumine vel cæmento ligatam.
b Ms. *Leod.* quatuor. c Mss. *Rip. et S. Max.* octo.
d Ms. *Rip.* decem. e *Alii*, viginti duos.
f *Rosw.* Armacenos, *ab Armaca, vel potius Armaxa urbe Cappadociæ apud Antoninum, sed legendum censet* Armenios, *uti etiam habent omnes* mss. *codices, quibus sum usus.*
g. *Ita* mss. *aliquot, at Rip.* Lagos, *alii* Lautos, *Rosweydus* Laotos, *in quam vocem ista notat :* Gentem hanc nullibi invenio. Auritum populum vox Græce sonat. An iidem qui Panotii? Isidorus lib. II, Orig. cap. III. Panotios apud Scythiam esse ferunt tam diffusa aurium magnitudine, ut omne corpus ex eis contegant. πᾶν enim Græco sermone omne, ὦτα aures dicuntur. Quas hæc Vita gentes habet, Saracenos, Persas, Armacenos, Laotos, et Allophylos, eorum loco apud Theodoretum habes Ismaelitas, Persas, Armenios, Iberes, Homeritas. Iidem apud Cedrenum exceptis Homeritis; nisi quis suspicari velit, apud eum ὁστμέρας, quotidianos, ex Homeritis depravatum; vel contra apud Theodoretum, vel potius Cedrenus sua expressit ex posteriore loco Theodoreti, ubi Homeritas omittit, licet priore loco eos aliis adjungat. *Hæc Rosweydus, sed* Lazos *legendum.* Ἀᾶζοι, Lazi *Scythiæ populi sunt Stephano, Ptolemæo Tab.* 3. *Asiæ*, Ἀᾶζαι *vel* Ζᾶλαι, *qui maritima Colchidis tenent.* Homeritæ *Arabiæ populi sunt, de quibus pluribus agemus* XXIV *et* XXVII *Octob. cum de SS. Areta et Elesbaan.*
h Ms. *S. Max.* Azabinos. *Arabiæ felicis populi a Ptolemæo numerantur* Astageni *vel* Astapeni, *aliis* Asateni, *an forte* Asabeni *vel* Asapeni? *an* Arabeni? *nomen hoc in vita per Metaphrasten occurrit. Fuere in eadem Arabia* Rhabanitæ, *ut patet ex Ptolem. Tab. Asiæ* 6, *vel* Arabanitæ, *an pro* Adiabenis *Assyriæ populis positi forte* Azabeni? *an qui aliis* Azazeni? *an* Asibeni *sive incolæ Antiochiæ Mesopotamiæ, quæ et Mygdonia dicitur, ab indigenis* Ἀσιβηνὸς, *unde* Ἀσιδηνὸς, *inquit Stephanus?*
i *Haud memini alias hac voce peculiarem gentem significari, at solum generaliter* alienigenas.
k *Fusius hæc narrantur in editione Rosweydi, in hunc modum :* Tunc invidus diabolus transformavit se in speciem Angeli, fulgens in splendore cum equis igneis, et currus igneus apparuit juxta columnam, ubi stabat beatus Simeon, illuxitque cum fulgore et splendore quasi specie Angeli fulgens. Et dixit diabolus blandis sermonibus : Simeon, audi verba mea, quæ tibi Dominus mandavit. Misit me Angelum suum cum curru igneo et equis igneis, ut rapiam te, quomodo rapui Eliam. Tempus tuum jam est. Et tu similiter ascende jam mecum in currum : quia Dominus cæli et terræ transmisit hunc, ascendamus pariter in cælos ; ut videant te Angeli et Archangeli cum Maria matre Domini, cum Apostolis et Martyribus, Confessoribus et Prophetis : quia gaudent videre te, ut ores Dominum qui te fecit ad imaginem suam. Etiam locutus sum tibi, ne tardes adscendere. Simeon completa oratione, dixit : Domine, vis rapere me peccatorem in cælum? Et elevans dexterum pedem ut adscenderet in currum, levavit dexteram manum, et fecit signaculum Christi. Cum signum crucis fecisset, continuo diabolus nusquam comparuit, cum argumento suo evanuit, sicut pulvis ante faciem venti. Tunc intellexit Simeon artem esse diaboli.

Reversus ergo in se, dixit pedi suo : Non reverteris retrorsum hinc, sed stabis hic usque ad obitum meum, donec accersiat Dominus me peccatorem. Interea diabolus in frigore apposuit vulnus super femur ejus, et putrefactum est ita ut multitudo vermium

vermium scatescens de eo, descenderet de corpore ejus, decurrebatque de pedibus ejus in columnam, et de columna in terram. Anno autem integro stetit in columna super unum pedem. Quidam autem juvenis adstitit ei, Antonius nomine, etc.

CAPUT IV.

Vermis in unionem mutatus, matri negatus aspectus : æterna requies obtenta.

a Audiens autem *a* Basilicus Rex Saracenorum famam ejus, venit ad eum cum grandi humilitate et fide, ut ejus benedictionem accipe mereretur. Et videns illum stantem sursum, et orantem, subito cecidit vermis de corpore ejus ad terram; et currens apprehendit illum cum fide, b et posuit super oculos suos. b Beatus vero Simeon videns hoc ait : Quare hoc fecisti vir illustris? et quare me gravasti? quia gravis sum sub peccato meo? Vermis est de corpore meo putrido, quem oculis tuis imposuisti. Cum hæc Basilicus Rex audisset, aperuit manum suam, et invenit pretiosissimam margaritam : et dixit ad B. Simeonem: *Vermis de corpore ejus lapsus in unionem mutatur.* Non est istud vermis putridus, sed est pretiosissima margarita. At ille dixit ei : Homo, hoc secundum fidem tuam non pro meritis meis datum est tibi. Et benedicetur in manibus tuis omnibus diebus vitæ tuæ. Quæsisti benedictionem, a Domino dabitur tibi. Et sic reversus est homo plenus fide et gaudio.

14 Post multum vero temporis cognoscens mater sua de eo, veniens volebat videre eum : et prohibita est, quia mulier in illum locum non ingrediebatur. Et dicit illi : Sustine mater modicum tempus, et simul nos *Matri sui aspectum negat Simeon.* videbimus, si Deus voluerit. At illa hæc audiens cœpit plangere et rogare ut videret eum; et solutis crinibus increpabat eum dicens : Fili, quare hoc fecisti? Pro utero qui te portavit, satiasti me luctu : pro lactatione, qua te lactavi, dedisti mihi suspiria : et pro osculis quibus te osculata sum, reddidisti mihi amarissimas lacrymas : pro labore et dolore, quos pro te passa sum, posuisti mihi sævissimas plagas. Et tantum locuta est ut omnes adstantes faceret flere. Audiens ille voces ponit faciem suam in manus suas, et plorat amarissime, mandans illi et dicens : Quiesce modicum, mater, et videbimus nos in æterna requie. At illa cœpit dicere : Per Christum qui te ædificat, si est possibilitas videndi te in tanto tempore alienum a me. Et, si non est, vel vocem tuam audiam, et statim moriar; quia pater tuus in tristitia propter te mortuus est. Et non me in ista amaritudine perdas, fili. Et de tristitia et planctu in somnum conversa est. Habebat autem tres dies et tres noctes, non cessans deprecari eum.

Illa ipso orante exspirat. 15 Tunc B. Simeon, faciens orationem pro illa ad Dominum, illa reddidit spiritum. Et colligentes corpusculum ejus, adducunt in conspectu ejus, et cœpit amarissime flere dicens : Dominus suscipiat te in gaudio, quoniam tribulata es, et laborasti propter me, et portasti me in utero novem mensibus, et lactasti et nutrivisti me in labore. Et hæc eo dicente, matris c vultus sudavit, et corpus ejus commotum est, *c* om- *Orat pro ejus anima.* nibus qui aderant inspicientibus. Ille autem levavit oculos ad cælum, dicens : Domine Deus virtutum, qui sedes super Cherubim, et scrutaris fundamenta abyssi; qui cognovisti Adam antequam esset; qui promisisti regni cælestis divitias diligentibus nomen tuum; qui locutus es Moysi de rubo ignis; qui benedixisti Abraham patrem nostrum; qui introduxisti in paradiso animas justorum, et animas impiorum mersisti in perditionem; qui duos geminos leones *d* humiliasti, et fortia Chaldæorum incendia mitigasti servis tuis; qui Eliæ corvis deferentibus in montem escam misisti; suscipe animam ejus in pace, et colloca eam in locum patrum, quia tibi est potestas in sæcula sæculorum, Amen.

a *Ita* MSS. *et Vincent. Bellovac. at* MS. *S. Max.* Basilicus.
b *Ritus venerationis hic est.*
c MS. *Rip.* nos omnes gaudere incipientes.
d *Addit* MS. *Leod.* Nabuchodonosor et Holofernem.

EX MSS. LATINIS.

CAPUT V.

Varia mortalibus collata beneficia.

Post hos vero dies rursum fecerunt illi columnam habentem cubitos quadraginta, et stetit in ipsa annos *a* sedecim usque ad obitum suum. Quo tempore a draco grandis nimis habitabat juxta eum, et stabat in parte aquilonis : unde nec herba ibidem nascebatur, cui etiam introivit lignum in oculum *b* sinistrum, b et obtenebravit ei visum. Quadam autem die ecce *Draconem cæcum curat.* veniebat cæcus ille draco trahens se, et applicuit ad ostium monasterii juxta columnam, nemini nocens, et posuit oculum suum dextrum in limine monasterii, per dies tres jacens nulli intrantium insidias faciens. Tunc jussit S. Simeon, ut de terra et aqua perfunderetur. Et statim exilivit de oculo ejus lignum, habens cubitum unum. Videntes autem omnes glorificaverunt Deum : fugiebant tamen propter metum. Sed bestia ipsa involvit se, et mansit in loco immobilis quamdiu omnis populus pertransiret. Et tandem surgens adoravit per duas fere horas ad ostium monasterii, et sic reversus est in cubili suo.

17 Mulier quædam sitiens nocte, venit ad hydriam *Mulierem a serpente, quem biberat, liberat.* bibere aquam, in qua erat parvulus serpens : et bibens transglutivit serpentem illum, et remansit in ventre ejus; et fuit in ea annis tribus. Sed et multi medici, et incantatores et *c* magi adhibentes illi studium, nihil profecerunt. Post multos vero dies adducta est ad sanctum Simeonem. At *d* ille jussit de d terra et de aqua in ore ejus mitti. Et illa exclamavit fortiter. Statimque exivit de ore ejus serpens cujus longitudo erat cubitorum trium. Eodem hora crepuit, et ad multorum testimonium suspensus est ibi septem diebus. Et sana facta est mulier ex illa hora.

18 Multæ autem et innumeræ sunt virtutes ejus, *Aquam oratione impetrat.* quas enumerare vix quis valeat. Tamen prout sunt vires, brevi explicabo sermone. Factum est ut aqua in illo loco non inveniretur, et periclitabatur omnis populus, et omnia animalia præ aquæ penuria. Videns autem S. Simeon contritionem eorum, stetit ad orationem. Circa horam vero diei decimam subito disrupta est terra, et factum est chaos magnum ab Orientali parte ipsius monasterii : et inventa est quasi spelunca inæstimabilem habens aquam. Tunc jussit in ea fieri introitum, id est septem aditus : et ex eo abundavit ibi aqua usque in hodiernum diem.

19 Quodam tempore venientes quidam de longe ad orationem ejus, meridiana diverterunt paullulum ad umbram arboris propter æstum ad repausandum. Cumque sederent, ecce prægnans cerva præteribat secus illos. Et dixerunt ad eam : Per virtutem et *Mutis loquendi facultatem restituit.* orationem S. Simeonis te adjuramus, modicum sta ut comprehendamus te. Et eadem hora stetit. Et apprehendentes eam occiderunt impiissima temeritate : et manducaverunt partem aliquam ex ea; statimque obmutuerunt, et cœperunt balare sicut cerva. Currentes autem venerunt ad virum Dei portantes corium ejus, et fecerunt ibi duos annos : et vix aliquando sanitatem recipere potuerunt. e Iniquum est enim e peccatum eorum. Corium autem ipsius cervæ suspenderunt ibi ad testimonium multorum.

20 Pardus quoque immanis erat in locis illis, qui et homines et animalia interficiebat. Venerunt autem homines loci illius, et nuntiaverunt S. Simeoni, quod tanta mala pardus operaretur. At ille jussit de terra *Sparso pulvere et aqua monasterii pardus interit.* et aqua monasterii aspergi loca illa. Et factum est. Et cum pardus ille ibi venisset, statim cecidit et expiravit. Requirentes invenerunt ipsum mortuum. Cujus pellem tollentes suspenderunt juxta illam quam cervæ detraxerant. Videntes autem omnes glorificaverunt Deum Simeonis.

21 Et quemcumque sanabat, præcipiebat illi dicens: *Curationum honorem Deo tribui jubet.* Vade in domum tuam, et honorifica Deum qui te curavit : et ne audeas dicere quod Simeon te curavit, ne subito

Ex mss. Latinis. subito aliquid deterius tibi contingat. Et ne præsumas jurare per nomen Domini, quia peccatum est : sed magis per me humilem et peccatorem jura, sive juste, sive injuste. Et ob hanc rem omnes Orientales et barbaræ gentes quæ sunt in illis regionibus, per ipsum jurant.

Per se ut jurent permittit.

a Ms. *Aud.* tredecim. ms. *S. Max. et Rip.* quadraginta, *additque* ms. *Rip.* et factum est totum tempus vitæ suæ anni 10, *sed bis habet de columna* xl *cubitorum; primo dicit in ea* xl., *secundo* xvi *annis habitasse. Alterutro loco videtur oscitasse librarius*

b *Al.* dextrum.

c Ms. *Leod.* Marsi. *De Psyllorum Marsorumque vi contra serpentes agit Plinius lib.* 28, *cap.* 3, *et alibi. Italiæ populi sunt Marsi.*

d Ms. *S. Max. solum habet, aquam Sancti orationibus benedictam, ei in potum oblatam.*

e *Non apparet in quo gravitas flagitii hujus consistat, nisi aut alterius fuerit hæc cerva, intraque vivarium aut septum custodita; aut forte cum blasphemiis et jocis impiis eam occiderint; aut denique id factum sit die quo vesci carnibus fas non erat.*

CAPUT VI.

Prodita fraus, avaritia castigata.

a Post *a* hæc duo quidam socii simul laborantes et simul colligentes per annos quinque diviserunt inter se quod visi fuerant acquisisse. Unus autem ex ipsis fraudem fecit socio suo, subtractis de communi labore auri solidis centum : et abscondit in caligulis suis quinquagenos per singulas, ignorante socio suo. Et post hæc quod reliquum fuit, diviserunt æqualiter. Ergo ille alius collega ignorabat fraudem socii sui, et dixit ad eum : Frater laboravimus tot annis, et quod Dominus donavit nobis, partiti sumus æqualiter. Eamus ergo ad S. Simeonem. Et abierunt pariter. Cumque venissent ad eum, rogaverunt ut pro ipsis oraret. Et interrogavit eos S. Simeon : Unde estis? Et dixerunt : Nos socii fuimus, et simul laboravimus: et quod Dominus donavit nobis per orationes tuas, divisimus æqualiter. Nunc ergo venimus gratias agere Deo. Quibus S. Simeon dixit : Videte ne aliquam fraudem feceritis. At illi dixerunt : Nullam fraudem fecimus Domine, sed simpliciter omnia divisimus. Tunc S. Simeon dixit illi qui fraudem fecerat socio suo : Tolle caligulam de crure tuo, et da socio tuo, et sic eritis æquales. Quod cum factum fuisset, dixit S. Simeon illi cui caligula data fuerat : Aperi illam caligulam, et solidos quos inveneris, quibus te socius fraudaverat, habeto tibi, ut ad integrum sitis æquales, quia et in illa alia caligula socius tuus aliud tantum habet, et ad propria redite cum pace.

Fraudem cujusdam detegit.

Pecuniæ non collatæ ad pia opera pereunt.

23 Erat homo quidam dives valde, et hic erat de civitate Antiochia, cujus domus subito incendio combusta, et exinde homo ille nudus exivit. Abiit ergo ad S. Simeonem clamans et dicens ei : Domine, domus mea incendio concremata est, et periit in ea facultas mea. Dixit ad eum S. Simeon : Quantos solidos ibidem habuisti? Et ille ait : Habui tria millia. Et B. Simeon dixit : Ecce non vis dicere : Habui medium modium. Quare non dicis veritatem? O homo, habuisti septem modios solidorum, et numquam aliquid boni fecisti, non fratribus subvenisti, non nudos vestisti, non orphanos continuisti, non viduis solatium præstitisti, non in ecclesia aliquando oblationem obtulisti : et modo quid quæris? At ille respondit : Illos solidos Domine quos perdidi. Dixit ei S. Simeon : Respice sursum. Et respexit, viditque cælum. Et dixit S. Simeon : Quid vides? At ille ait : Video cælum. Et *b* dixit S. Simeon : *b* Quantum altum est cælum, tantum in profundum terræ introierunt illi solidi, pro eo quod exinde nihil boni fecisti.

a *Hoc caput deest in edit. Rosuecydi, et quibusdam* mss. *habetur in Leod. et S. Max.*

b *Hæc est hyperbole. Nam certum est, majus esse inter cælum ac terram spatium, quam sit totius terræ diameter.*

CAPUT VII.

Latronis egregia conversio, mors.

Quidam latro famosissimus nomine Antiochus, qui et cognominabatur *a* Gonathas, multa mala faciens, cum a multis persequeretur, et non posset se ab illis abscondere, quadam die quasi leo a facie multorum persequentium fugiens, subito ingressus est monasterium, et amplexatus columnam S. Simeonis, cœpit amarissime flere. At ille dixit ei : Quis es, aut unde venisti homo? aut cur huc introisti? Respondit ille: Ego sum Gonathas latro, qui omnia mala feci, et venio huc pœnitere. Ait illi S. Simeon : Talium est enim regnum cælorum : sed ne velis tentare meam miseram animam, et iterum inveniaris in ipsa scelera quæ gessisti. Hæc illo dicente, ecce Officiales venerunt ab Antiochia dicentes : Trade nobis inimicum et maleficum Gonathan, ne subito commoveatur in seditionem civitas : bestiæ enim paratæ sunt ad devorandum eum. Respondit eis S. Simeon : Filioli mei, non ego huc illum adduxi : quoniam qui adduxit eum, major nobis est, et istis talibus subvenit : etenim talium est regnum cælorum. Sed si potestis, intrate et accipite eum hinc : ego autem non possum, quia timeo eum qui illum misit ad me.

a Agonatus latro ad eum confugit.

25 Audientes hæc viri illi, regressi sunt cum timore magno, et nuntiaverunt omnia in Antiochia. At vero Gonathas per septem dies amplexans et tenens columnam, dicit ad B. Simeonem : Domine si jubes, ambulare volo. Respondit ille : Iterum ad ipsa mala festinas? Dixit Gonathas : Non Domine, sed tempus meum jam impletum est. Et cum hæc loqueretur, reddidit spiritum.

Feliciter moritur Agonatus.

26 Et cum vellent eum sepelire juxta monasterium, ecce alii Officiales venerunt ab Antiochia, dicentes : Da nobis inimicum Dei et nostrum. Omnis enim civitas turbata est propter illum. Respondit eis B. Simeon: Qui illum adduxit, venit cum multitudine cælestis militiæ, qui potens est in tartarum mittere civitatem vestram cum habitantibus in ea; qui etiam hunc reconciliavit sibi. Et ego timui eum, ne subito et me occideret : ideo benigniter ipsum confugientem ad me recepi. Ne ergo amplius inquietetis et fatigetis me humilem et pauperem. Et reversi sunt cum timore, nuntiantes omnia quæ audierant et viderant.

a *Vincentius Belvac. editio Rosw. et* ms. *Rip.* Jonathas, ms. *S. Max.* Zonathas. *Rectius in duabus aliis vitis* Agonatus.

CAPUT VIII.

Varia mortalibus, communiter et privatim, impensa beneficia.

Regina *a* quædam cum esset sterilis, misit ad S. Simeonem, deprecans ut a Domino obtineret partum dari ipsi Reginæ : improperium enim ex eo non valebat sustinere. Cui sanctus vir ita mandavit : Revertere in domum tuam, præstabitque Dominus petitionibus tuis effectum. Quæ reversa, mox partum concepit, peperitque filium, qui per annos quinque nec ambulabat nec loquebatur. Tunc prope fines viri sancti accedens Regina, misit ad eum virum suum cum infantulo plorans. Qui cum accessissent, dixit eis B. Simeon : Manete hic, potens est Deus adjuvare puerum. Manentibus autem eis, puer sanatus est : et reversi sunt cum pace.

a Reginæ filium impetrat, eique incessum et vocem.

28 Una die ambulantibus quibusdam militibus ad sanctum virum, mulier quædam erat cupiens videre eum. Sed quia non poterat, ut vidit milites plures euntes, accipiens habitum militarem, comitabatur cum eis. Pervenientibus autem eis ad dispositum locum, dicit mulier militibus : Relinquite me, si vultis, ad animalia vestra servanda, quia non audeo vobiscum introire in habitaculum viri Dei. Vos ergo ingredimini

Mulier virili, habitu, agmita ab eo et benedicta.

gredimini ad benedictionem ejus. Cumque fuissent ingressi, dicit eis S. Simeon : Unus miles ex vobis foris remansit? Qui dixerunt : Etiam Domine ; animalia nostra servat. Dixit eis S. Simeon : Ite ad eum, et sic dicite ei : Noli vexari, neque ingrediaris contra propositum meum. Nam et Dominus videns fidem tuam misertus est tui. Qui egredientes precabantur eum, quem adhuc opinabantur esse militem, non mulierem, ut veritatem illis diceret. Et mulier patefecit eis omnem veritatem. Et audientes milites benedixerunt Dominum, admirantes fidem ejus.

Navim periclitantem liberat.

29 Quodam autem tempore veniente multitudine hominum, ut benedicerentur ab eo; ascendit minister ejus secundum consuetudinem cum thymiaterio, clamans : Famule Dei, populus hic benedictionem tuam expectat, jube dimitti eos. Ecce enim multas horas sustinentes expectant te. Et nullam responsionem dedit. Et post paullulum ait ad populum inclinantem sibi : Fratres carissimi, rogo ne molesti sitis mihi de tarditate, quia magnæ navi periclitanti in mari cum hominibus fere trecentis sensi in spiritu præsidio me fuisse, ut pro illis orarem; et oravi pro ipsis ad Dominum Jesum Christum, qui eis suum præstitit auxilium. Et benedicens eos, dimisit in pace.

In terræmotu ad eum confugiunt Antiocheni.

30 Tempore igitur illo erat ira divinæ animadversionis magna in regione eadem, et diffusi sunt ad eum omnes Antiocheni, deprecantes eum, ut oraret pro illis. Multæ enim ruinæ fiebant domorum, et mors hominum innumerabilium, ita ut frequenter terræ motus etiam ipsius Simeonis columnam moverent. Tunc B. Simeon lacrymans dixit eis : Fratres mei, non sine causa hæc mala veniunt. Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt in suis voluptatibus. Non sunt in tanta multitudine qui faciant bonum. Et jubet eos omnes in oratione secum prosterni, ipseque cum eis fecit orationem ad Dominum, omnibus clamantibus cum lacrymis : Domine miserere. Et cum diei partem in vocibus cum gemitu consumpsissent, dixit eis S. Simeon : Ab hac omnium vestrum multitudine unus mecum exauditus est. Nam vox in auribus meis audita est, quæ dixit mihi : Exauditus est tu, et agricola iste, innotescens eum mihi, ut sciretis quantum valet homo justus apud Dominum. Tunc jussit agricolam illum venire coram omnibus; et mirante turba dixit ei : Frater, persistens esto in omnibus bonis operibus tuis. Cognitum mihi est quod tu solus ab hac turba exauditus es a Domino. Sed satisfac nobis, quid tibi boni operis sit, ut isti audientes te imitentur. Ille autem hoc confiteri recusabat : sed se indignissimum ac peccatorem protestabatur. Cui S. Simeon ait : Noli fili bonum opus Dei in te abscondere : nec enim pro jactantia jubemus ut dicas; sed ut Deo gratias agens opera tua ceteris pandas, quatenus ea imitari appetant. Tunc cœpit dicere homo ille : Cum sim agricola, consuetudo mihi est ut diurno labore quæ operatus fuero in tres partes dividam : unam in pauperes, alteram in fisco, tertiam in victu meo; cupiens, juxta illud quod legitur in Evangelio, proprio stipendio contentus reddere quæ sunt Dei Deo, et quæ sunt Cæsaris Cæsari. Sed et numquam insidiatus sum alicui, nec nocui proximo meo, cupiens ei sicut mihi. Hæc audientes Antiocheni honorabant eum, deosculantes benignitatem ejus. Quos B. Simeon dimisit in pace.

Ipse solus cum quodam exauditur.

Justici illius sancta vita.

Matth. 22. 21.

31 Quidam homo malignus, Julianus nomine, Ardaburium Magistrum militum rogavit, dicens : Jube mihi Domine, et ego ascendens, deponam Simeonem illum de columna, et afficiam contumeliis. Seductor est enim, et seducit populum. Et accepto permissu abiit cum plurimis. Accedentes autem socii ejus erexerunt scalam ad columnam ut ascenderet, et inde deponeret S. Simeonem. Et ascendente eo usque ad tertium gradum, segregata est scala a columna, et suspensus est a terra quasi cubitis quatuor, et pendebat in aere, et omnes mirabantur. Pendens autem præ angustia et dolore tetendit arcum suum, volens sagittare S. Simeonem ; et statim arefacta est manus ejus, nec potuit emittere sagittam : et non solum chiragra, sed etiam podagra detentus est, usque ad obitum suum, pro præsumptione et audacia. Stetit autem beatissimus Simeon in columna quadraginta et septem annis.

Cupiens eum injuria afficere, punitur.

Ex mss. Latinis.

a *Hoc caput abest a Rosweydi editione, et quibusdam* mss.

CAPUT IX.

Moritur S. Simeon, corpus Antiochiam defertur.

Post multos vero annos imminente die obitus sui, factum est una die, hoc est *a* sexta Sabbati, inclinavit se ad orationem, sicut consuetudo erat ei, et migravit ad Dominum. Et omnis populus expectabat ab eo benedictionem, sustinens tres dies a sexta Sabbati usque ad Dominicam. Et Sanctus Dei per tres dies quemadmodum se inclinaverat ita permansit. Tunc ego pavefactus ascendi ad ipsum, et non parvo horæ spatio steti in conspectu ejus, dixique ad eum : Surge Domine, et benedic nos; quoniam populus tres dies et tres noctes habet expectans benedictionem a te. Et cum nihil responderet mihi, ego iterum dixi ad eum : Quare me contristas? aut quid offendi? *b* Supplico Angelo tuo remitti mihi. Aut forsitan a nobis migrasti, et quiescis in Dominica pace? et sentiens quod non loqueretur, cogitavi ut nulli dicerem, quia timebam illum tangere.

Moritur feria sexta Simeon.

a

b

33 Et stans quasi hora media inclinavi me, et posui aurem meam ad auscultandum, et non erat flatus, nisi tantum quasi odor multorum aromatum ascendebat de corpore ejus. Et sic intellexi quia requievit in Domino. Et hebefactus nimis ploravi amarissime, et inclinans me *c* osculatus sum oculos ejus, et barbam complexus, crinesque capitis ejus, cum gemitu et rugitu increpans dixi : Cui me Domine derelinquis? vel ubi requiram Angelicam tuam doctrinam? Quale responsum dabo de te? aut quis respiciat columnam tuam sine te, et non lugeat? Quid respondebo infirmis, quando venient et quærent te hic, et non invenient? Quid dicam, aut quid loquar? Ego humilis video te hodie, crastina vero considero ad dextram sive sinistram, non invenio te. At quo amictu operiam columnam tuam? Heu me! quando venient aliqui de longe quærentes te et non invenient, quid respondebo, vel quid agam miser ego?

Mortui corpus suavem odorem spirat.

c

34 Et hæc dicens præ multa tristitia obdormivi, statimque apparuit mihi dicens : Noli timere, non enim derelinquam columnam hanc, nec locum, nec montem hunc benedictum, in quo illuminatus sum, sed descende, satisfac populo, et annuntia de me secrete Antiochiæ, ne tumultus fiat in populo. Ego autem requievi, sicut Dominus voluit. *d* Tu autem ne cesses ministrare in hunc locum, et Dominus reddet tibi mercedem in cælis. Exurgens autem a somno pavefactus dixi : Domine memento mei in requie sancta tua; et sublevans vestimenta ejus, procidi ad pedes ejus, et osculatus sum vestigia illius, et tenens manus ejus posui super oculos meos dicens : Benedic obsecro me Domine. Et iterum flevi et dixi : Quales reliquias tollam a te in memoriam? Et hæc dicente me motum est corpus illius : ego autem timui tangere eum.

Apparet Antonio discipulo suo.

d

35 Et ut nemo sciret, descendi celeriter, et fratrem fidelem misi Antiochiam ad Episcopum. Qui statim *e* veniens cum tribus Episcopis, et cum iis Ardaburius Magister militum cum suis. Et extendentes cortinas circa columnam, defixerunt vestimenta ejus; erant enim *f* confixa propter auram. Et deponentes eum de columna, *g* posuerunt ante altare juxta columnam. Colligentes autem se aves volabant super

Deducitur Antiochiam.

e

f

g

Ex mss. Latinis. *Lugent eum etiam aves.*

columnam clamantes quasi lugentes, ita ut omnes viderent. Et planctus populi et jumentorum resonabat per millia septem. Sed et montes et campi et arbores *h* contristati sunt circa loca illa.

h *Ab Angelis deducitur Simeon.*

36 Ubique autem nebula tenebrosa facta est per circuitum. Ego autem considerabam Angelum venientem ad visitandum eum. Circa horam vero *i* decimam seniores septem loquebantur cum Angelo, cujus vultus erat sicut fulgur, et vestimenta sicut nix. Et vocem ejus in timore et tremore tamdiu consideravi, quamdiu respicere potui. Quod tamen fuerit mysterium ignoro. Nam et ille *k* discipulus qui eum defunctum Episcopo nuntiavit, dixit se secretioribus horis frequenter Angelum vidisse cum illo loquentem, cujus species erat tamquam fulgur, et vestimenta ejus sicut nix.

i

k

37 Cum autem jaceret S. Simeon in feretrum, volens Papa Antiochiæ de barba illius pro benedictione aliquid contingere, ut extendit manum suam, statim arefacta est. Et multæ orationes et obsecrationes fiebant ad Deum pro eo : et sic restituta est manus ejus. Et elevantes corpus ejus cum feretro, deduxerunt Antiochiam. Omnis autem populus, qui erat per circuitum regionis illius, plangebat, quia tales reliquiæ tollebantur ab eis : et quia Episcopus Antiochiæ adjuravit ut nemo tangeret corpus ejus.

Volens Reliquias tollere, punitur.

38 Venientes vero in quinto milliario ab Antiochia in vico qui dicitur Meroe, nullus potuit movere eum. In quo loco erat antiqua memoria juxta viam, et erat ibi quidam homo surdus et mutus per annos *l* undecim, qui subito veniens cecidit pronus ante feretrum, et cœpit clamare dicens : Bene venisti serve Dei : tuus enim adventus me salvavit; et si meruero vivere, ego tibi serviam omnibus diebus vitæ meæ. Et elevans se apprehendit unum de *m* burdonibus qui portabant feretrum, statimque movit se de loco isto : et ita sanus factus est ex illa hora; et omnes dederunt gloriam Deo. Peccatum autem hominis illius tale erat : Hic amabat alterius uxorem, et volens eam adulterare, non potuit; et mortua est, et posita in monumento. At ille ivit et violavit sepulchrum ejus, statimque obmutuit et surdus factus est, et obligatus est in loco illo.

l

Surdus ac mutus sanatur.

m

39 Tunc exeuntes omnes de civitate Antiochia, susceperunt corpus S. Simeonis super aurum et argentum, cum psalmis et hymnis, canticis, et lampadibus, et ramis palmarum, et portaverunt in Cassiani ecclesiam majorem; de qua revelatione Domini transtulerunt in ecclesiam aliam quæ vocatur *n* Concordia pœnitentiæ. Et ecce vir auream virgam in manu tenens, lineis indutus affuit : et tamdiu ibi stetit, quamdiu cum omni diligentia clausum est sepulchrum. Et ultra non apparuit in locis illis, nec aliquando visus est.

n

Apparet ad funus ejus Angelus.

40 Multæ etiam virtutes fiunt ad sepulchrum ejus, magis quam in vita sua. Et homo qui sanus factus est ibi servivit usque in diem mortis suæ. Multi autem obtulerunt thesauros Episcopo Antiochiæ, pro fide, poscentes reliquias de corpore ejus, sed propter jusjurandum nemini *o* præstitit.

Multi Reliquias ejus expetunt.

o

41 Ego humilis et peccator Antonius in quantum potui lectionem hanc breviter *p* exposui. Beatus autem qui habet illam scriptam, et legerit in Ecclesia et in domo Domini, et commemorationem ejus fecerit, mercedem ab Altissimo recipiet, cui est honor et gloria in sæcula sæculorum, Amen.

p

a *Neque quintus Januarii anno* IV *Leonis incidit in feriam* VI, *sed in feriam* III, *neque primus Septembris quo eum colunt Græci.*

b Ms. *S. Maximini* : Te adjuro per Angelum tuum remittas mihi.

c *Rosweydus* : Ritus venerationis, qua præstantissima quæque membra, et partes corporis osculo delibabant. S. Hieronymus in Vita S. Pauli primi eremitæ cap. XI. Osculatis ejus oculis manibusque. Sic mox ex humilitate : Et osculatus sum vestigia illius.

d Ms. *Leod.* vicissitudinem in cælestibus.

e *Addit* ms. *Max.* alio die.

f *Rosw.* conficta ab auro, *quæ lectio non placet, et abest ab omnibus* mss. *quibus usus sum.*

g Ms. *Rip.* super.

h *Pluribus verbis id exponitur in* ms. *Leod.* Cominus stantes, se gravari obitu viri Dei quibusdam indiciis infæcunditatis et sterilitatis significabant. Nam montes cum vallibus, nulla viriditate vernantes, hiemali ariditate horrebant. Arbores vero nulla florum feracitate pubescentes, vel fructuum proventu pinguescentes, ea maledictione credebantur aruisse, qua aruit ficus cui Dominus esuriens legitur maledixisse.

i *Rosw.* septimam.

k *Plures fuerunt S. Simeonis discipuli, e quibus Sergius memoratur in vita S. Danielis Stylitæ* XI *Decemb.*

l *Alii*, quadraginta.

m *Rosweydus* : Etsi burdo ambiguum sit vocabulum, clarum hic intelligi de animali; quia in Græco μοῦλαι. Isidorus lib. 12, Orig. cap. 1. Burdo, ex equo et asina. Glossarium : Burdo, ἡμίονος ἐξ ἵππου καὶ ὄνου θηλείας. sic mulus ἡμίονος ἐξ ἵππου θηλείας καὶ ὄνου. quod apud Varronem est II, de RR. cap. VIII. Ex equa et asino fit mulus; contra ex equo et asina hinnus. Burdonum mentio fit in L. XLIX. D. De legat. lib. III.

n Ms. *Leod.* Concordia et Pœnitentia. ms. *Aud.* Pœnitentialis. *Rosw.* Pœnitentia.

o *Addit* ms. *Leod.* Juraverat enim in angustia manus arefactæ, se compagem corporis ejus numquam solvere, sed integrum uni loco servare; quem tamen, etsi non corpore, ubique crederet meritis esse : et sic in hujus juramenti attestatione, manum suam mortuam ariditate, digitis se subrigentibus ad sanitatem surrexisse.

p *Hinc patet, esse hanc antiquam vitam ab Antonio scriptam, versam jam olim Latine, sed amplificatam, vulgatamque in Occidente.*

ALIA VITA
S. SIMEONIS STYLITÆ
AUCTORE SIMEONE METAPHRASTE
INTERPRETE
GUILIELMO GRATIO E SOCIETATE JESU.

CAPUT I.

S. Simeonis ortus, et vitæ religiosæ rudimenta in duobus monasteriis.

Simeonem virum fama celeberrimum, magnumque habitati orbis miraculum norunt omnes Romanorum imperio subditi : ejus nomen usque ad Scytas et Nomadas pervolavit : Persæ, et Indi, Æthiopumque natio, et quicumque aliam orbis plagam incolunt, alii oculis perspicientes, nonnulli auditu ejus res gestas cognoscentes, eum laudibus prædicarunt. Magnus igitur adeo cum esset ac celebris, multos quidem scriptores consecutus est; qui tamen ejus virtutes hactenus singulatim scripto complecteretur, extitit nemo, neque ullus ad singulas accurate percensendas animum applicuit. Verum qui superioribus temporibus brevi compendio de ejus vita disseruerunt, quædam quæ mediam ejus ætatem continent cursim perstrinxerunt, neque tam celebres ejus actiones ad finem perduxerunt. Quapropter utilis maxime de hoc viro nobis sermo futurus : remque a capite ordiemur, atque ad finem prosequemur. Sed vereor ne posteris fabularum similior, et nuda a veritate narratio videatur. Consueverunt enim homines natura metiri res præteritas : ubi vero quippiam naturæ terminos excesserit, omnis de eo rerum divinarum imperitis falsus esse sermo existimatur. Quoniam vero hic vir naturæ legibus non cessit, ac ne humana quidem passus est, verum incorporeorum in mortali corpore ostendit constantiam; cum præsertim iis qui ab eo divina edocti sunt, terra omnis ac maria ipsa repleta sint; hinc igitur narrationem meam inchoabo.

Simeonis celebritas, res gestæ.

2 Vicus quidam inter Syriam et Ciliciam situs est, incolæ *a* Sisam nominant : ex illo admirandus hic Simeon oriundus fuit. Ac primum quidem a parentibus oves pascere docetur, ut in eo magnarum quondam virtutum viris adnumeretur, Jacob, inquam, Patriarchæ, Joseph continenti, Moysi legislatori, Davidi Regi et Prophetæ, ut et Micheæ, cæterisque demum sanctissimis ejus ordinis vitis.

a

Patria ejus. Puer oves pascit.

3 Cum vero aliquando ob nimiam vim nivium e cælo

cælo labentem oves domi manere cogerentur, otium nactus ad sacram Ecclesiam cum parentibus concessit : illic cum vocem Evangelicam inaudiisset, quæ lugentes et flentes beatos prædicat, infelices vero ridentes denuntiat, itemque imitatione dignos omnes qui mundo sunt corde, et quæcumque his similia adjuncta sunt; unum e præsentibus interrogavit, ecquid quis faciendo horum singula consequeretur : tum alter, qui et virtutis, uti apparet, cultor erat, monasticam ei vitam suadet, ejusque sublimem philosophiam ostendit.

Convertitur.

4 Simeon igitur acceptis divini verbi seminibus, iisque in intimis animi recessibus absconsis, *b* ad proximum sacrorum Martyrum templum confugit, illic facie et genibus in terram defixis, Deum qui omnes homines salvare cupit precatur, ut ad rectam pietatis viam dirigat. Huic rei dum aliquandiu intendit, paullatim in somnum delabitur, ac tale demum visum cognoscit. Fundamenta quædam sibi effodere visus est, einde ab astante quodam audire, ut fossam adhuc altius effodiat. Cum igitur jam, uti jussum fuerat, effossioni institisset, cœpit ab opere quiescere. Cum ecce rursus, qui apparuerat, ulterius effodere jubet, neque ab opere cessare. Cum tertio ac quarto hoc fieri mandasset, ac tandem ob nimiam fossæ profunditatem amplius fodere non valeret, satis jam effossum esse declarat, ac ædificium strui imperat, neque eo a labore jam cessante difficilem deinceps fore structuram monet. Huic vaticinio respondit eventus. Significabat enim visio, quod quæ deinceps ab eo gesta sunt naturæ limites excederent. Monastica enim vita post eximios illos labores, quos in principio exercuit Simeon, illi ex animi sententia successit.

b

Visione excitatur ad perfectionem.

Fit monachus.

5 Inde cum surrexisset, ad vicinum Monachorum cœtum divertit : ubi biennio commoratus, perfectioris virtutis cupidus in *c* Teledam pagum concessit; in quo admirabili viro *d* Heliodoro monachorum cura erat concredita, qui e quinque et sexaginta quibus vixerat annis, totidem, tribus demptis, se in cella concluserat, tres enim in lacte et infantili institutione consumpsit; nam a tertio ætatis anno a parentibus Deo est consecratus, et hunc admirabilem monachorum gregem ingressus est. Vir hic exemplo magni illius Jacob simplex erat, ac eo demum mansuetudinis ac pietatis pervenerat, ut asceticas leges supergressus, homines omnes omni virtutum genere superaret, ac ipsi Deo demum propinquus fieret.

c

d

Heliodori cœnobium in Teleda vico.

Id ingreditur Simeon.

6 Ad hunc quinquertio noster perveniens, ille pietatis certator decem in hoc spirituali certamine transegit annos : qui cum octoginta commilitones haberet, omnes anteivit; aliisque post biduum semper cibum sumentibus, ipse totam hebdomadam sine cibo ducebat : quod reliqua *e* consodalium turba ægre admodum ferebat, quippe qui Simeonem imitari nequibant, ejusque spirituale exercitium confusionem ac temeritatem quamdam esse dicebant.

e

Jejunat tota hebdomada.

a *Theodoretus* Sesan *vocat. Græce hic est* Σισάν.

b *Græce est,* ἐπὶ τὸν πλησίον τῶν ἱερῶν μαρτύρων ἀποτρέχει ναόν, ad proximum sacrorum Martyrum excurrit templum.

c *Fuse describitur* Teledæ *situs* XXIII *Januar. in vita S. Eusebii. In vita S. Danielis Stylitæ* XI *Decemb. Telada,* Τελλαδὰν *dicitur.*

d *Theodoretus addit, non ingressum esse Simeonem monasterium S. Eusebii, sed aliud quod ex eo germinavit; ædificatum ab Eusebona et Abitone, quibus vita functis successit Heliodorus. De hoc autem Heliodoro agere videtur Sozomenus lib.* 6, *cap.* 33 *et* 34, *ubi celebres Cœlesyriæ monachos recenset. Theodoretus cum eo egisse se, ejusque simplicitatem et animi puritatem admiratum scribit.*

e *Etiam ipsos præsides ægre id tulisse ait Theodoretus.*

CAPUT II.

Auctore Metaphraste

Pœnitentia, et abstinentia mirabilis.

Verum non in iis rebus stetit, neque promptitudinem hanc frænavit, sed occultum occultorum omnium scrutatori Deo certamen obtulit. *a* Nostis omnes quam asperi, quamque vel leviter manibus attacti molesti sint funes ex palma contexti. Tali fune Simeon lumbos cingebat, non tantum exterius, sed et cuti quasi agnasci faciebat, ac ita vehementer stringebat, ut omnis illa corporis pars in saniem undequaque difflueret. Decem dies aut amplius ita transegerat, cum ecce, ulcere jam ingravescente, sanies una cum sanguine inde profluens latentem intus plagam denuntiabat. Tum unus ex spectantibus, quæ tanti sanguinis caussa esset, interrogavit. Dum Simeon nihil omnino doloris subesse dicit, neutiquam persuasit, sanguine in omnium conspectu defluente, ac supra omnem viri clamorem et patientiam contradicente, et quasi de mysterio triumphante. Itaque cum quidam e commilitonibus manum violenter in latus intulisset, tandem caussam didicit, remque omnem Præfecto nuntiavit : cui cum eum graviter reprehenderet, ac jurgiis tantam rei crudelitatem argueret, vix tandem vinculo liberavit, quo se solvi quidem patienter tulit : *b* verum ut ulceri aliquod remedium adhiberetur pertinaciter obstitit.

a

Fune palmeo lumbos cingit.

b

8 Quare cum ascetici sodales hæc et ejusmodi alia Simeonem perpetrantem viderent, et hinc quidem neque se cum minimis ejus virtutibus concertare posse; inde superari se non ferentes, jusserunt ut a pago recederet, ne fors, ut aiebant, imbecillioribus damni alicujus caussa existeret. Simeon ad montis solitudinem pergens invenit lacum quemdam sine aqua, nec admodum profundum, in quem se demisit, consuetis precibus ac meditationibus insistens. Post quinque dies facti pœnitere cœpit eos *c* qui caussa dimissionis fuerant : quapropter duos ex omni numero delectos ad Simeonem quærendum miserunt, quibus mandatum, ut si usquam eum invenirent, ad commune cœnobium reducerent. Illi montem passim oberrantes in pastores ovium incidunt, quos cum de illo, viri formam et habitum describentes, interrogassent, lacum eis proximum, in quem se conjecerat, digito ostenderunt. Illi ad locum festinantes, Simeonem nomine suo evocatum, fune demisso e puteo extraxerunt, non sine magno labore : solet enim descensu ascensus esse difficilior.

In lacu sicco moratur.

c

Reducitur ad monasterium.

9 Inde rursum ad cœtum fratrum reduxerunt : ubi Simeon exiguo tempore moratus, ad *d* Telanisum pagum concessit, (is ad pedem montis situs est) ubi parva reperta casa, in eam triennio se conclusit. Hic porro numquam non virtutum divitias sibi accumulare contendebat, cum Moyse et Elia præclarum certamen iniens, quadraginta ipsos dies sine cibo perdurabat.

d

Tres annos in parva domuncula conclusus degit.

10 *e* Blasus vero erat vir in Deum religiosus, et valde attendens ad fratrum approbationem et utilitatem; præterea Sacerdotibus in vicis degentibus tum temporis Præfectus, circumquaque loca sibi concredita obibat, ad vitam spiritualem Monachos magis magisque roborabat, ad precum majorem tolerantiam ac jejuniorum incrementum adhortando. Contigit autem ut aliquando ex officio quoque Simeonem visitaret; qui virum tantum tamquam instituti sui consultorem excepit, cum eoque arcana mentis suæ communicavit. Blasus dum usque adeo arduum ac violentum vivendi modum cognoscit, serio Simeonem monet, suadetque ne mortem violentam virtutis loco habeat; contra vero hujusmodi virtutem extremam dementiam, ac a Deo separationem, animæ denique mortem præsentissimam esse existimet. Enimvero ad hæc Simeon : Decem panes juxta me colloca, necnon aquæ vasculum, ut cum videro corpus alimento indigere,

e

40 dies sine cibo ac potu transigit.

AUCTORE METAPHRASTE

indigere, statim aliquid sumam, illudque: merito refocillem. Probatur Simeonis sententia: panes cum aqua juxta ponuntur, clauduntur domunculæ fores, et seræ loco argilla circumlinuntur, ut locus cuivis adeunti inaccessus maneat. Transactis tandem quadraginta diebus adstat pro foribus admirabilis ille Blasus, Simeonem denuo visitaturus accedens, qui claustro argillaceo sublato domum ingressus, panum numerum ne minima quidem parte minutum, utrem aqua adhuc plenum invenit; ad hæc pugilem suum humi prostratum videt, qui solo respirationis signo se mortuum non esse declarabat; neque enim movere se, neque loqui ullo modo poterat, vitalibus spiritibus per longam inediam fere extinctis. Quapropter divinus ille Blasus aquæ spongia ore Simeonis irrigato, simulque abluto, sacrorum mysteriorum symbola illi porrexit.

Tum Eucharistiam sumit.

11 Quibus sumptis corroborari cœpit: tum e solo paullatim assurgens, levi alimento, lactucis nempe agrestibus ac intybo, corpus reficiebat. Itaque Blasus præ inedia fere consumptum ulterius reprehendere desiit, magis vero viri temperantiam admiratus, ad proprium gregem revertitur, magnum illud miraculum fratribus suis (supra ducentos habebat *f*) narraturus. Simeon vero ex illo tempore *g* in omni vita eadem inedia usus fuit, ac novem omnino et triginta dies sine cibo ullo transigebat; quadragesima dies, præsentis abstinentiæ finis, initium dabat futuræ, corpusque exhaustum, neque par perpetuæ stationi, sed jam jacens velut manu sublevabat. Jejunium cum jam denuo inchoaret, consuetam stationem, cælestes hymnos cantando usurpabat, illosque erectus Deo dedicabat. Cum ad medium quadragesimæ pervenisset, nimia defatigatio etiam nolentem sedere cogebat, corporis facultatibus præ inedia paullatim consumptis. Evoluto deinde certo dierum circulo vitales actiones cessabant, tum et hunc quidem in solum prosternebant: ipse vero neque sic constitutus a sacris hymnis abstinebat; verum laborum remissio, imo alimentum, denique et somnus illi erant divina eloquia. Hæc Simeoni jam cælo digno, licet terram incolenti, vitæ ratio erat.

Tota vita eam abstinentiam servat.

f

g

20 diebus stans psallit, tum sedet, ultimis jacet.

12 Posteaquam vero eum in sublime elevatum columna tenuit, omnium quæ in rerum natura sunt oblitus esse videbatur, omnem sedem ac cubandi opportunitatem recusabat. Ad hæc trabem erectam super columnam statuebat, cui se adeo fortiter alligabat, ut ne volenti quidem aut sedere aut inclinare se liceret, hac ratione illud quadraginta dierum jejunii stadium perficiebat. Postmodum vero uberiorem e cælo adeptus gratiam, neque hoc auxilio indigebat: verum quadraginta totos dies vinculis solutus, sine tecto, erectus, non inclinatus, impastus, imo fere sine carne, columna quædam viva et animata consistebat.

Postea 40 diebus stat, trabi alligatus.

Postea etiam solutus perpetuo stat.

a *Theodoretus hæc se ab eo, qui cum hæc scriberet monasterio præerat, dicit accepisse.*

b *Longe aliter narrantur hæc in aliis duabus vitis.*

c *Theodoretus dicit fuisse illius palæstræ Præfectos.*

d *Theod.* Telanessum, *et addit, vicum illum subjectum cacumini montis, in quo postea sublimis stetit. Hæreus vocat* Telasinum oppidum.

e *Theod.* Bassum *vocat.*

f *Exponit hic Theodoretus austeram eorum vitæ rationem.*

g *Ribadineira ait quotannis semel id Simeonem factitasse, postea vero propter corporis imbecillitatem coactum ei austeritati moderari. Citat Theodoretum: verum id Theodoretus non dicit; cujus hæc verba sunt:* Tempus autem et assuefactio multum detraxit de labore.

CAPUT III.

Maximi ad eum populorum concursus.

Verum ordinem rerum gestarum nostra prævertit oratio, quæ instar florum bene olentium omnia ad se trahunt. Nobis vero prioribus inhærens progrediatur narratio. In prædicta domuncula postquam triennio perdurasset, celebratum illum montis verticem ascendit, ubi circumcirca muro cinctus casam subdialem habuit, in qua cum frigore et calore luctabatur. Ad hæc catenam e ferro longitudine cubitorum viginti sibi comparat, cujus unam extremitatem ingenti saxo annectit, alteram per annulum *a* proprio pedi adaptat, ut ne si vellet quidem limites statutos transire posset. Verum intus perpetuo morabatur, uni cælo intendens; inque ejus ita hærebat defixus aspectu, quasi jam animo inhabitare videretur; majori tamen ac ferventiori desiderio in cælestium rerum conditorem ferebatur. Tunc *b* Meletius, vir in quo religio sedem fixerat, *c* qui Patriarchalis Antiochiæ throni gubernacula tenebat, ad viri spectaculum excitus fama jam longe lateque currente, postquam illum sub dio habitare vidit, ad hæc catenam ferream alteri pedi alligatam; alia quidem admirationis loco habuit, ferream autem catenam minime probavit, superfluam esse dicens, quandoquidem mens sufficeret ad apponendum vincula rationabilia corpori. His sine mora admirandus ille Simeon obtemperat, ac fabro vocari jusso, pedem ferreo vinculo solvi imperat: verum solutus, neque sic catenæ terminos excessit: quippe amor Christi illum omni vinculo ferreo magis strictum tenebat.

Catena se petræ alligat.

a

b

c

Eam, Meletio non probante, solvit.

14 Porro ei tibiæ parti, quæ ferro circumcingebatur, pellis erat ovina supposita, quæ idem cum ferro tibiæ spatium occupabat, ne forte in nudam carnem impingens eam graviter vulneraret. Postquam igitur ferrea catena soluta est, ac supposita pellis ablata, *d* cimices plures quam viginti in tibia ejus latitantes, carnemque depascentes apparuere. Neque me hic quisquam jure reprehendat, qui ista narrem, cum alia magna et supernaturalia suppetant, quæ commemorentur opera. Nam neque hæc tenuissima prætermittam, neque quod cimices exigua sint animalcula, idcirco et exiguos in humano corpore morsibus suis dolores creant, aut minus induntmolestiæ. Norunt id qui experti sunt. Sufficiebat equidem catena ad majoris tolerantiæ specimen, verum accedentibus insuper cimicibus, tanto tempore in hoc malo perdurare, præsertim cum facile esset et manu occidere, et sic a doloribus liberari, quos jam contra et nutrire pergebat, et propria carne saginare, quam non tantem quautumvis illustris tolerantiæ magnitudinem adæquat?

d

20 cimices in ejus tibia.

15 Simeonis igitur fama jam nescio quas non orbis plagas longe lateque percurrente, ad eum confluxisse novimus non tantum vicinos, verum etiam multorum dierum, imo mensium itinere distantes, qua quisque torquebatur molestia, ejus curationem flagitantes. Neque quales ad eum adventabant, tales revertebantur: sed cum tristes et mœsti venirent, læti et hilares recedebant, suarum singuli ægritudinum reperta curatione; denique omni vexatione et calamitate deposita, læta voce et lingua gratias Deo et Simeoni agentes. Omnis igitur via, quæ ad hunc medicum ferebat, fori speciem imitabatur; locus vero, in quem affluens multitudo congregabatur, civitatis formam exhibebat, his morbum miserabiliter deplorantibus, aliis adeptam sanitatem celebrantibus. Neque hoc semel tantum, sed sæpius accidit, ut qui populi turbam eminus cernebat, civitatem esse conjiceret; cominus autem accedenti non jam civitas, sed multarum urbium congregatio secundum multitudinem distinctarum esse videretur.

Magni ad eum concursus.

16 Quid

Ex omnibus orbis partibus.

16 Quid modo attinet Syros aut Cilices, aut Phœnicum greges enumerare, aut quibuscumque Romanorum innotuit sceptrum? Etiam Ismaelitarum natio, et Arabum, Persarum quoque, Armeniorum, et quicumque Iberiam populus incolit, eo confluebat. Quin imo et Homeritæ, et his remotiores, hujus multilinguis multitudinis numerum implebant. Adventabant ex Occidente non pauci, ut Britanni, Hispani, et Galli, et quicumque intermedias regiones inhabitabant.

Imago ejus proposita ad præsidium.

17 Vix verbis exprimere licet, quantum in Italia hujus viri virtus splenduerit: etenim Roma ipsa tantum hunc admirabilem virum obstupuit, tantumque ei honoris, et venerationis exhibuit, ut multis passim columnis, porticibus, thalamorum septis, denique quovis fere loco ejus effigiem insculperet, quasi infinitorum bonorum thesaurum inde consecutura.

Dissidentes solo aspectu reconciliat.

18 Ea in vultu Simeonis gratia et decore elucebat, ut si quis alteri infensus et inimicus, in eum conjecisset oculos, omne illico odium et inimicitiam ei ex animo eraderet vel unus illius aspectus; atque amicitiæ, consensionis ac benevolentiæ vinculo animos invicem adstringeret. Quod inde planum fit. Variæ ex iis gentibus, quæ ad ipsum confluebant, prius mutuo sanguine gaudentes, postquam utrimque in Sancti conspectum venissent, inimicitias primo quidem dissolvebant, fœdus dein inter sè percutiebant; in præclaram deinceps contentionem antiqua convertentes dissidia, dum quisque alios antevertere, ac viri benedictionem prior consequi summo studio enititur. Sancti quoque viri pedes labris aut manibus contingere magnum videbatur. Multi qui pellem tantum,

Vestis ejus attactus, ampla benedictio.

qua vestiebatur (id enim ei solum indumentum erat) contingebant, omnem omnino se benedictionem adeptos fuisse existimabant. Verum manum ejus contrectare, aut ore osculari, id eorum erat quibus familiaritas ex virtute contracta uberiorem aliis libertatem concedebat.

a *Theodoret.* dextro pedi.

b *Quis hic fuerit Meletius, quæsivimus in Præf.* § 3. *Hayæus, Grasius, Metaphrastes, et alii Antiochenum Episcopum faciunt.*

c *Græce : τον ἀρχιερατικὸν θρόνον τοῦ Ἀντιόχου διέπων.*

d *Non recte vertit Villegas* mosquitos *sive* ciniphes, chinces *voluit scribere.*

CAPUT IV.

Columnaris statio, probata a Patribus.

In columna stare incipit.

Cum vero accedentes omnem numerum excederent, primum ut honorem declinaret, deinde quod molestiam gravabatur; tum quia cælo, qua poterat, non tantum mente et cogitatione, sed corpore quoque ipso, tanto esse vicinior percuperet, illam excogitavit in columna stationem. Et primum quidem columna ad sex erecta cubitos est, deinde ad duodecim, post ad viginti duos extensa est, tandem tota altitudo triginta sex constitit cubitis.

20 Si quibusdam novum hoc ac prope incredibile videatur, mirum non est : cum enim multa eaque magna, quorum nullum prius exemplar exstabat, ab hoc pugile primum suscepta sint; tum certe columnaris illa vita, non solum quia exemplo caret contemnenda non est, verum etiam quia sine ullo exemplo in exemplum potius proposita ceteris est, laudanda. Præsertim quod non sine matura consideratione ac divino instinctu factum esse, quæ deinceps sequuntur, testatum facient. *a* Ismaelitas enim, qui ad plures myriadas excreverant, ac impietatis tenebris erant involuti, nova hæc agendæ in columna vitæ ratio inde eripuit, ac divini verbi lumine eorum mentes illustrans, filios lucis et diei, qui noctis prius et tenebrarum filii erant, constituit. Denique susceptis ad divino illo ore ligibus, Veneris orgia (*b* hic enim dæmon patria iis dea erat) prompte abdicarunt. Multi vero Iberorum, uti dictum est, Persarum, ac Armeniorum avitum errorem ludibrio habentes Evangelicæ et ipsi doctrinæ adjuncti sunt :

a

Convertit Ismaelitas, aliosque.

b

21 Igitur dum novam hanc Simeon in columna vivendi rationem excogitasset, fama ejus quam celerrime quaquaversum vulgata (ipsa enim in rebus adeo novis celerioribus quodammodo uti alis consuevit) *c* Patres qui spiritualibus exercitiis ac laboribus ex eremo cælestem quamdam civitatem faciebant, hoc tam inusitato ac peregrino obstupefacti vitæ instituto, quosdam ad sublimem hunc hominem mittunt, iisque præcipiunt ut ob tam peregrinas inventiones eum reprehendant, ac consuetam ac tritam omnibus Sanctis viam inire doceant, neque eam contemnere, quam tantus Beatorum chorus calcavit, quaque ad cælum pervenit, æternaque illa subivit tabernacula. Veriti deinde ne hoc ejus institutum revera Deo placeret, hanc ejus actionem periclitari cupientes, hoc illis quos ad ipsum mittebant mandarunt; ut si virum viderent propria relicta voluntate e sublimi velle descendere, statim se opponerent, ac primo proposito inhærere juberent, neque scopum negligere permitterent. Hac enim ratione id vitæ institutum non nisi a Deo procedere arbitrati, non amplius esse quod de futuris ambigerent : ubi enim bonum est initium, talem et exitum fore liquido constat. Contra vero si indignaretur, nec admonitionem vel in minimo admitteret, verum simpliciter et sine ratione propriæ voluntatis ductum sequeretur, clarum esse, longe eum ab humilitatis virtute abesse, atque adeo ejusmodi cogitationes non nisi a maligno ei suggestas judicari oportere. Itaque mandant ut si ita res habeat, statim inde avellant, et vel invitum descendere a columna cogant.

Auctore Metaphraste

c

Humilis obedientiæ experimento probatur.

'

22 Mandatis hoc pacto conceptis, postquam legati ad Simeonem omnis obedientiæ et humilitatis parentem pervenerunt, hi vel ex solo aspectu compellare eum præ reverentia obliti fuerunt, neque intueri eum ausi sunt : tamen tum propter mittentium Patrum mandatum (hæc siquidem ministerii perfectio) ipsi omnia sibi a Patribus commissa exponunt. Ille vero mansueto animo, vere mansuetus ipse et humilis corde, reprehensionem ferens, non contradixit, non indignatus est, non in convicia prorupit imo neque parum neque multum locutus est; verum vultu maxime hilari, oculisque demissis objurgationem acceptans, gratiis Deo primum religiose actis, atque ipsis deinde Patribus pro tanta cura et sollicitudine plurimum se debere professus, neutiquam cunctatus e columna descendere parat. Illi vero statim id vetuerunt, Patrum mentem aperientes, quorum auctoritate stabilitam perpetuo et approbatam in columna stationem esse declararunt. Denique optimum finem, ac firmam continuorum laborum quietem Simeoni precantes; inde abierunt. Sed et ejus humilitatis sublimitatem, et obedientiæ magnitudinem in aliis multis videre licet.

Jussus e columna descendere, obedit.

In proposito confirmatur.

a *Fusius hæc deducit Theodoretus, et Cedrenus ad annum* XXV *Theodosii junioris.*

b *Idem constat ex Evagrio lib.* 6, *cap.* 21, *ubi refert auream Veneris statuam a Naamane Saracenorum Duce, igne liquefactam, erogatam in pauperes.*

c *Deest hoc Theodoreto. Refertur et ab Evagrio lib.* 1, *cap.* 13, *et Nicephoro lib.* 14, *cap.* 31. *Suidas verbo* Simeon *dicit, ab Ægyptiis monachis hanc ad virum sanctum missam esse legationem.*

CAPUT V.

Divinis inhærens, matri etiam sui conspectum negat : defunctæ parentat.

Verum ordinem, quem incidens præcidit narratio, tandem nostra resumens exponat oratio. Cum Ismaelitæ in tribus distincti ad Simeonem salutis ducem accederent, atque avitam impietatem detestarentur, divino denique Baptismate fruerentur, alii aliis sacrorum rationem tradentes; aderat aliquando et Theodoretus Ecclesiæ *a* Cyri Antistes. Ei igitur non exiguam populi multitudinem vir Dei offert, hortaturque

Theodoretum rogat ut populos baptizet.

a

Auctore Metaphraste *b*

turque ut consuetas super eos preces recitet, eosque *b* baptizet. Dum ejus mandatis obtemperare Antistes aggreditur, illorum quisque primus criminum suorum sordes eluere, necnon impietatis illuviem abstergere contendebat; quivis prior gratiam consequi satagens, litem quamdam ex re sacra faciebat : ita inurbane ad eum concurrebant, alii horsum eum trahebant alii vicissim retrahebant. Qui vero distabant, in alios incurrebant, et manus protendebant. Quidam ejus barbam, nonnulli vestem apprehendebant : parum denique aberat quin virum discerperent, nisi admirandus Simeon ex alto vocem extulisset : ita enim inordinatos illorum impetus compescuit, ut omnes statim mutarentur, atque ad percipiendam gratiam cum omni modestia accederent, ac divino lavacro tingerentur. Ita ejus linguæ fax, et terrere quos vellet, et illuminare poterat; utrumque enim fraternæ salutis caussa præstabat. De divinis præceptis continuas meditationes instituebat. Verum neque in horum observantia ejus quiescebat industria : nisi enim quid amplius his addidisset, non vulgare damnum existimasset : tam irremisso utebatur studio, et tam indefesso in his omnibus erat animo.

Res divinas assidue meditatur.

24 Et patrem quidem, uti prius relatum est, sed et matrem reliquit, illi soli quem amabat adhærens, ejusque amori totus intendens, quod Dominici præcepti caput est. Sed et illud ad cetera ex seipso addidit. *c* Septem et viginti jam lapsi erant anni, ex quo naturæ leges, quæque in mundo sunt, vir hic mundo excelsior abdicaverat : cum ecce mater, innatum filialis affectus ignem intra viscera sua gerens, neque aliter valens flammam extinguere, ad filium suum abiit adhuc in carne sine carne viventem (ita me de eo loqui ratio cogit) cupiens filium intueri, et ejus frui colloquio, quo tanto tempore caruerat. Ipse vero intellecto matris adventu, vide quomodo et matri honorem partitus sit, et præcepto satisfecerit. Ejus congressum quidem non admisit, verum hæc ei jussit renuntiari : Si tibi, o mater, ita visum fuerit, mutuum aspectum in aliud ævum reservabimus; et si quidem grata fuerit Deo conversatio nostra, postquam hinc emigraverimus, in Christo invicem multo familiarius clariusque videbimus. Hæc ad eam referri jussit. Sed cum mater præ amoris flamma, animam intus exurente, quæ dicta fuerant non intellexisset, sed adhuc filii videndi desiderio flagraret : Ego quidem, denuo per nuntium ait, o mater, quod utrique nostrum conveniens est mallem admittere te, neque ita mutuum congressum urgere. Postquam vero cuncta, ut video, votis tuis posteriora ducis antea me quiescere oportet. Te vero brevi videbo : ita enim Deo visum est. Mater, summa cum voluptate ac desiderio promissione acceptata, animum erexit, et spe rei futuræ tantum gavisa ac exhilarata fuit, ut filium prope jam præsentem videre, eumque amplecti ac osculari, denique jam ejus vocem audire videretur. Res hunc exitum sortita est. Illa paullo post vitam finivit, animamque Deo tradidit, quæ felix et beata in vita fuerat, multo sub finem felicior, quod talis filii mater audiverit, tantisque virtutibus ornatum post se reliquerit.

c

Matrem in conspectum non admittit.

Illa pie moritur.

25 Divinus vero Simeon intra mandram (ita columnæ ambitus vocabatur) ejus corpus inferri jussit; erat enim circum columnam murus ædificatus, ut mulieribus ingredi fas non esset. Postquam igitur mater illata esset, vidit eam filius quemadmodum prius pollicitus fuerat : cui postquam consueta impendit, precesque pro ea fudit juxta columnam sepulturæ mandavit. Ita matri debitum honorem impertitus est, et Dominicum præceptum non tantum custodivit, sed et proprio profectu augere perrexit.

Simeon pro ea orat.

a *Cyrus recensetur ab Auberto Mirœo inter metropoles autocephalas, Patriarchæ Antiocheno subjectas. Distat duorum dierum itinere ab Antiochia, ut ipse cap. 2, tradit Theodoretus. Non est ea quæ Ptolemæo* Cyropolis *dicitur : nam Cyropolis in Media est ad mare Caspium; Cyrus vero in Syria,* Κύῤῥος *Stephano, unde* Κυῤῥήστης, *ut ait, et regio ipsa* Κυῤῥηστική. *Ptolemæo quoque* Κύῤῥος *est, sed vereor ut recte. Nam Procopio lib. 2, de ædificiis Justiniani,* Κύῤῥος *dicitur, et traditur a Judæis ædificata et de Cyri Regis nomine dicta.*

b *Apud Theodoretum Baptismi nulla mentio, sed solius Sacerdotalis benedictionis.*

c *Hæc de matre historia deest Theodoreto.*

CAPUT VI.

Varia Ismaelitis collata beneficia.

Exinde iterum quasi fax clarissima omni virtutum eximiarum genere resplenduit : quibus et in densissimis noctis tenebris, quasique maris procellis, impietatis inquam, jacentes, ad verum religionis portum perducebat : multosque videre erat ope Simeonis serenioris auræ tranquillitate perfrui. *a* Erant aliquando simul duæ ejus, quam paullo ante commemoravi, gentis Ismaelitarum tribus; utraque supplex ex ejus ore benedictionem postulabat ut eam quasi donum amplissimum suo Phylarcho deferret : verum circa ipsum donum contentio repente ac seditio inter eos non levis oborta est; una pars suo primum Tribuno benedictionem deferendam censebat, altera suum præferebat Præfectum, ac præripere benedictionem nitebatur. Itaque tribubus inter se dissidentibus, in barbaricam crudelitatem res erupisset, nisi Simeon, vir pacis et concordiæ amantissimus, gravi comminatione *b* tumultum sedasset, et æquali precatione et benedictione impertita in pace eos dimisisset. Tum demum vidisses, prius infideles ac contra pietatem linguam quasi hastam vibrantes, nunc pro viri sancti benedictione quævis facere et pati eligentes. Neque etiam in invicem ita sæviissent, nisi divini hujus viri benedictionem maximam vim habere plane credidissent.

a

Ismaelitæ de benedictione ejus prius accipienda contendunt.

b

27 Nunc alius Præfectus in medium prodeat, Saracenorum et ipse Princeps. Is accedens sacrum illud obtestatur caput, ut ne gravetur opitulari viro in via membris corporis soluto : dicebat autem hunc juxta Callinicum (hæc erat arx maxima) subiisse ægritudinem, eam vero in vigore et adhuc in exordio esse; et morbum ei esse gravissimum, tum quod decumbendi insuetus, tum quod vehementes illas laborum molestias superare optaret. Hæc ille rogabat; simulque jubet hominem membris fractum introduci, atque admirando Simeoni dignum commiseratione spectaculum proponi, si qua ratione ipso calamitatis aspectu eum ad misericordiam inflecteret. Ille vero productus in medium, immissum in se malum deflebat, et sanctum virum ad commiserationem provocabat, denique a malo suo liberari postulabat. Hic vero celer ad commiserandum, ac multus ad compatiendum, de animæ curatione prius quam corporis sollicitus, ægrum parentum suorum impietatem abjurare jubet : sciebat enim eum adhuc hac delectari. Ut vero libens obaudivit et jussa adimplevit, tum Simeon, vere magnum orbis miraculum, sciscitatur ex eo. Num credat in Patrem, ejusque unigenitum Filium, ac in Spiritum sanctum. Dum vero alter se credere palam fatetur: In istas, inquit, personas credens, surge : statimque sermo (o ineffabilem tuam Christe erga virum gratiam!) debili dolorum curatio effectus est. *c* Ille autem, Dominum suum etiam hic imitatus, eum proprium lectulum humeris deferre jussit, quod et præsentes ad majorem gratiarum actionem adhortabatur.

Curat paralyticum.

c

28 Et hoc neutiquam prætereundum silentio est. Vir quidam inter Ismaelitas, qui jam Christo dederant nomina illustris, votum teste venerabili Simeone nuncuparat, se numquam ad mortem usque ex animali quod vitam habuisset gustaturum. Temporis successu nescio qua ratione, sive voti oblitus seu concupiscentiæ illicio inescatus avem occidit; quam dum comedere parat (o rem prodigiosam!) in lapidis evestigio mutata est naturam; unde neque admodum volenti

Votum violanti cibus lapidescit.

volenti gustare licuit, lapis enim appetitum reprimebat. Barbarus homo hac re stupefactus, sine mora pœnitentiæ magistrum accedit peccatum suum et culpam summa contritione cordis aperit, rogat qua fieri id possit, uti Numen sibi propitium reddat, cui datam fidem fefellerit neque petitione sua frustratus fuit. Nam quod circa avem contigit miraculum, licet non statim, post tamen temporis successu plurimorum oculos testes habuit : *d* pectus enim, quod propriam figuram retinuit, a multis postea visum est ex osse constare et lapide, ut os primigeniam declararet naturam; super inducta vero lapidea substantia, carnis testaretur conversionem.

d

e

29 *e* Alius quidam tribus Saracenorum Præfectus fidelium gregi adscriptus, ad magnum et ipse venit Simeonem. Tandemque consecutus id cujus gratia venerat, columnæ assedit, suavissimos sacræ illius linguæ flores carpens, ejusque sermone, dum licebat, perfruens. Interea vermium e sacro crure scaturientium (nam ex assidua illa et irremissa statione pede ulcus contrahente, tibia vermium quoddam habitaculum erat effecta) unus e columna devolutus ante Præfecti pedes decidit, quem ipse evestigio avidis manibus collegit, et honorifice in sinum reposuit, oculisque, ori, auribus, ac membris ceteris, veluti omnium morborum levamen admovebat : et (o amoris excessum!) non vermem esse id quod honorabat, verum quidpiam divinum, et oculis spectare et circumferre se credebat : superabat quippe fides aspectum, et desiderium formam occultabat. Cum magnus Simeon id ex superiore loco vidisset, ob honorem vermi delatum Præfectum increpuit, eumque et quod ex suo corpore decidisset, et quod tantum vermiculus esset cui honorem exhibebat, clare edocuit; neque decens esse ut quod e corruptione ac putrefactione natum esset, vel manibus contrectetur, vel alia corporis parte attingatur. Præfectus manu explicata consideraturus cujusmodi esset vermis, in gemmam (o miraculum!) splendore et pulchritudine conspicuam mutatum deprehendit, qui inde et fidei dono gaudens, et gemmæ miraculo ditatus recessit.

Vermes e Simeonis exulcerata tibia nascuntur.

Unum colligit Saracenorum Præfectus.

Is in gemmam mutatur.

a *Theodoretus se præsentem fuisse ait, et conatum verbis tumultum sedare.*

b *Addit Theodoretus, illos canes ab eo vocatos.*

c *Theodoretus hæc paullo aliter :* Jussit ut tribus Præfectum suis ferret humeris usque ad ipsum tabernaculum (habuit autem corpus maximum) et ille quidem eo accepto statim abiit.

d *Aliter, et non recte, ut opinor, Theodoreti interpres ait,* avis partem ex osse et lapide constantem *visam* in ejus pectore.

e *Deest hoc miraculum Theodoreto.*

CAPUT VII.

Proles sterili impetrata : sanata.

a

Reginæ Saracenorum sterili prolem impetrat.

Mulier *a* quædam haud ignobili genere nata, Saracenorum Principi juncta, sterilis erat; hoc præterea suæ habens calamitatis augmentum, virum frequenter liberorum orbitatem exprobrantem. Quapropter liberorum cupida ad magnum Simeonem perrexit, ubi stans ad septi vestibulum (mulieribus enim aditus omnis erat præclusus) casum suum lugebat, morbum lamentabatur, viri opprobria in medium proferebat, orabat, non raro per eos etiam quibus ingredi licebat supplicabat, obsecrabat, sterilitatis solutionem postulabat : addebat, ut ex se prolem videret, se vitam suam libenter profusuram. Divinissimus Simeon hic nequaquam consuetæ oblitus est commiserationis; verum mueris calidas illas lacrymas miseratus, precibus suis partus ei privationem sustulit, ac domum abire hortatus, addidit, Deum, qui ab initio naturam humanam architectatus est, ejus sterilitatem cum proventu in meliora commutaturum. Tum illa (neque enim ullatenus dubitare decebat his, quæ divinum illud os quasi a Deo motum pronuntiaverat) plurimum animata, domum reversa, sine mora concepit, post filiolæ mater effecta : cujus natalis dies magna pompa a parentibus celebratus est. Verum brevi temporis spatio terminata est felicitas, gaudiumque festivum amara tristitia excepit, ac solutio calamitatis in graviorem conversa est luctum; adeo ut parentes calamitatis loco haberent, quod umquam peperissent; multoque priorem orbitatem præoptarent. Jam filiola tres annos nata erat, jam prima balbuties, et puerilis incessus, quæ res parentibus solent esse jucundissimæ, expectabantur : illa vero lectulo affixa, elinguis plane et immobilis manebat; nam et pedes quasi solutos, et linguam constrictam habebat : parentibus usque monstrum quoddam esse videbatur, talisque familiæ hæres non solum indigna majorum splendore, sed et ipsorum gloriæ ignominiam, omnibusque adeo propinquis extremum dedecus allatura. Cum parentes dolori plus æquo indulgentes nihil omnino proficerent, iterum ad rerum immedicabilium ingeniosum et industrium curatorem confugiunt, et gratias ei quidem pro beneficiis rependunt, rogant autem et vehementer supplicant, ne prolem a se divinitus impetratam, hoc in statu esse diutius permittat, ut donum magis probro et dedecori ipsis esse videatur, unde et majorem mœrorem et tristitiam quam gaudium et lætitiam vita pariat; verum membrorum solutionem tollere, prolemque integram et perfectam reddere dignetur. Hæc cum lacrymis dicebant et perseverabant misericordiam expectantes. Simeon, tamquam commiserationis thesaurus, verbis tantisper calamitatem leniebat, neque diu animo cruciari passus est : septima exinde agebatur dies, postquam eorum perseverantia irrita esse videretur: penitus de salute filiæ desperantes, animi mœrore pleni, vultu inamœno domum revertuntur, filiam secum reportantes, sibi ob intempestiva consilia succensentes, quod et parentes vocari ab initio voluerint. Postquam vero tantum itineris confecissent, ut columnam amplius videre non liceret, puella ad eam plagam, in qua stabat columna, convertitur, et improviso vinculo linguæ solvitur, et, Laus tibi et gloria Sancte Simeon, exclamat. Motum deinde et robur pedum adepta, recta domum pergit, parentibus suavissime inter eundum assultans. Illi improviso miraculo stupefacti, vix suis ipsi oculis credebant, sed præ desiderii magnitudine, ne non vere sanata filia esset, verebantur, sed oculorum fascinationem esse quamdam existimabant. Deinde re diligenter post acuratam inquisitionem cognita, cum filiam omnino sanam deprehenderent, tum Deum ob præstita beneficia laudare, Simeonem ejus famulum deprædicare cœperunt : et natalitiorum filiæ lætitiam longe superavit, ob ejus curationem instituta celebritas. Beatos se demum filiæ partu prædicabant ; et eos quidem cum gaudio et festivitate tota domus exhilaratos excepit.

Auctore Metaphraste *Filiorum natales celebrant Saraceni.*

S. Simeon puellæ mutæ et debili vocem et vires impetrat.

a *Deest hoc Theodoreto, qui alterum refert, quod et hic paullo inferius, de filio Reginæ Ismaelitarum impetrato.*

CAPUT VIII.

Mulier nondum mandram ejus ingressa, agnita et benedicta.

Verum unum me fere Simeonis factum præteriisset. Mulierem sanctum virum coram oculis intuendi, ejusque gratia et benedictione fruendi, divina invaserat cupiditas : verum huic desiderio obicem ponebat septum oppositum, mulieribus aditum omnem præcludens. Pia matrona hoc amoris igne correpta, omnes secum vias et rationes animo agitabat. Milites interea quidam visendi Simeonis gratia capessiverunt iter : mulier simili suscepto habitu, ad omnem se illorum speciem conformavit : ad hæc omnia tuta videns, equo ascenso una cum eis equitando viam celeriter confecit. Ad septum ubi perventum est, ex equis descendentes, eos milites mulieri tamquam uni commilitonum committunt, cum nondum mulierem esse manifestum esset. Illa depositum libens apud se asservandum

Mulier virili habitu ad visendum Simeonem accedit.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Auctore Metaphraste

asservandum suscepit, parem gratiam ab illis consequi volens; ita enim cum iis paciscebatur, ut suum vicissim equum illorum fidei committeret, posteaquam a Simeonis aspectu reduces reversi essent : ea illi unica erat cura, eo omnes cogitationes suas dirigebat, ut viri sancti conspectum obtineret, ejusque benedictione frueretur. Verum neutiquam ei contigit ut votis suis potiretur : posteaquam enim milites ad Simeonem pervenissent, et voti jam essent compotes, tum sic ad eos divinus Simeon : Unus quidem vestrum, ait, relictus est, ad quem cum perveneritis, nuntiate ei in hæc verba : *a* Mentis tuæ oratio ad aures Domini pervenit; jam Dominus Deus, qui intima cordis desideria et cogitationes perscrutatur, benedictionem tibi suam impertitus est : ejus consecutus benedictionem et summa votorum, nihil necesse erit huc venias. His ab admirabili Simeone dictis, milites septo egressi non minus sancti viri alloquium obstupuerunt, quam foris relicti commilitonis admirati sunt virtutem; (adhuc enim milites nomine indigitabant, quam nondum mulierem esse subodorabantur :) tanto enim tamque beato ore deprædicatum non nisi eximiis virtutum ornamentis decoratum esse credebant. Foras igitur egressi, jussa continuo, quæ in mandatis habebant, nuntiarunt; tum variis interrogationibus beatam matronam fatigarunt, et quænam esset, et unde tantis virtutum meritis ornata. Neque enim ullo pacto, addebant, mellifluum illud et suave os, beata illa Simeonis lingua tam honorificam tui mentionem fecisset, nisi latens aliquis virtutum thesaurus in te esset, reconditus. Tum illa, cognito quod nihil rerum suarum virum sanctum lateret, animi sui arcana viris illis vel invita detexit, dicens in hæc verba : Me quidem, fratres, pridem ingens sanctum virum coram aspiciendi, et quæ in eo insunt Spiritus dona et gratias oculis cernendi occupavit desiderium; cum vero vallum oppositum mulieribus nequaquam ingredi liceret, æquum judicavi sexum occultare (mulier enim sum) ejusque contuitum arte assequi : verum cum latere non possim eum qui etiam occultorum est cognitor, lubens hinc recedam, neque mandato huic refragabor, jam enim benedictionem obtinui; neque quia latui, sed quia deprehensa sum, gratiam quam volui impetravi. His dictis a proba illa muliere, multo magis admirati sunt virum milites, et in suam quique ditionem reversi sunt.

a *Non ingressa cœlitus benedictionem impetrat.*

Rogata indicat militibus se feminam esse.

a *Disparem eventum similis consilii, sed cum aliqua (ut apparet) temeritate et procacitate suscepti, refert S. Gregorius Turon. de gloria Confess. cap.* 26, *ubi de S. Simeone agens ita scribit :* Postquam vero columnæ editiori se sanctitate fervens invexit, non modo extraneæ mulieri, verum etiam nec propriæ matri se videndum permisit. Et nunc etiam locum ipsum ab hujus sexus defensat accessu. Nam ferunt, quamdam mulierem indutam fuisse veste virili, et in basilicam ingredi voluisse columnæ. Tractavit secum misera, agere posse per indumentum, quod latere posset Altissimum, ignorans illud Apostoli : Quia Deus non irridetur, et licet ibi veniens ad templum erexit pedem, ut sanctum ingrederetur limen, tamen protinus retrorsum ruens cecidit, et mortua est : satisque fuit populis, ne hæc ultra mulier ulla præsumeret, cum in istam cerneret ultionem pessime irrogatam. *Ado quoque Viennensis in Martyrologio, Notkerus, et quædam* mss. *sub Bedæ nomine, idem referunt.*

CAPUT IX.

Antiochi latronis conversio, pia mors.

Antiochus Agonatus latronum dux.

Et hoc quidem miraculum tale. Quis autem prætereat quod deinceps narratum eo? Latro omnium prædonum longe crudelissimus, et maxime sanguinolentus, Antiochus nomine, cognomento *a* Agonatus, sicariorum cohorti præerat, et non magis consilio quam virium robore et animi audacia subditis imperitabat, atque insigni in adeundis periculis temeritate. Tantum enim corporis robore, et pedum celeritate pollebat, itaque iis fidebat, ut populosissimos pagos, etiam ipsa Antiochiæ urbis suburbia, invadere ac diripere non dubitaret. Si quando equo vehi necesse erat, equas ob majorem celeritatem conscendebat.

a

Hunc postquam multorum fama vulgavit, nullo prohibente vitæ prædatoriæ operam dantem; multi illi insidias struxerunt, tum potissimum quibus flagitiosos puniendi cura commissa est, Antiochum comprehendere totis viribus adnisi sunt. Cum aliquando in hospitio moraretur, ibique potaret, militum cohors quinquaginta supra centum, hoc idoneum ad eum capiendum tempus rata, domum undique circumdant. Hic vero ut sensit insidias, neque ventris onere, neque vini veterno quidquam de prædatoria audacia remittens, iracundia æstuans exsurgit, indumento rum sarcina quanta potuit festinatione equæ imposita, manu gladium educit, eoque assidue in aere instar furiosi et dementis vibrato, nemini sibi appropinquandi fecit licentiam; totusque adeo formidabilis hospitio egreditur. Et equa non parum ad terrorem incutiendum ipsi profuit; illa enim et calcibus anterioribus insiliebat in occurrentes, et dentibus mordebat, planeque sufficiens erat accedentes percellere, et magnum iis terrorem injicere. His omnibus cum militum multitudinem turbasset, habens præterea famam rerum gestarum veluti viam sibi aperientem, multumque cooperantem, ac pluribus, qui eum necdum viderant, terrorem injicientem, extremum periculum devitat : et conscenso jumento, tamquam alter latro ad Simeonem columnæ affixum confugit : noverat enim, cum illius qui pro humani generis salute cruci affixus fuerat, esse discipulum. Ac tum quidem latro, totus dolore fractus, miserandum in modum eminus clamabat : Salva animam pereuntem, Sancte Dei; serva, inquam, hanc animam. E heu! quod mihi erit refugium? quemnam omnis mali depulsorem inveniam? omnis abiit salutis spes : neque mihi curationem ultra quærendi tempus reliquum est : mille mortibus ob malefactorum conscientiam dignus sum : neque eas reformido, licet sæpius mori liceret. Quid enim quæ ferro consciscitur mors formidabile habet? Quantulum hoc supplicii est, semel præsenti solum luce privari, ei qui multis vitam ademit, seque quotidie contribulium sanguine polluit? Verum ignis ille inextinguibilis, et cruciatus perpetuus, mihi timorem incutit, adeoque perturbat, ut tantum non animi impotentiam inducat : ejus meditatione totus cohorresco, quæ intimum mihi cor lancinat, adhuc enim manus fraternum sanguinem distillant, recentes sociorum cædes adhuc animo obversantur. Quænam igitur mihi consolationis spes? quæ salutis via? Adfer opem, serve Dei, consilii omnis inopi; porrige manum animæ in extremum interitus discrimen adductæ.

Perrumpit solus cohortem.

Ad Simeonem confugit.

Magna compuncti animi signa edit.

33 Hæc et similia dum coram sancto viro lamentatur, vehementer eum ad suarum commiserationem calamitatum commovit; qui et antequam sermonem ordiretur, intimi cordis pœnitudinem intuebatur. Condolens itaque latroni, magna verborum humanitate animum ejus recreare cœpit, ac bene sperare jussit. Dum hæc ita agerentur, milites eum non amplius latronum, sed supplicum more manus in altum protendere conspicientes, crudelissime eum ad supplicium deposcunt; usque adeo, ut apud sacrum caput incredibili ausu, non convenire dicerent, neque esse humani judicii, viro qui propria manu tot homines interfecisset, auxiliari. At tranquillum illud ac mansuetum os parvi longas eorum nugas faciens, ita fatur : Qui peccatorum semper pœnitentiam cupit, idem et hunc in perditionis jam barathrum ruentem, præter omnem spem, incolumem servans huc perduxit, non ego. Quomodo igitur quispiam, quem ipse propriis manibus advocavit, eumdem tortorum manibus tradat? Militum illa manus his auditis recessit, viri enim virtutem et ipsi verebantur, licet toto impetu in Antiochum ferrentur. Ipse vero Antiochus pronum se in terram jactat, calidas fundens lacrymas, et amare suspirans. Magno denique affectu, instar latronis

Ad spem eum excitat Simeon.

Contra milites eum defendit.

latronis in crucem cum Christo acti, et pœnitudinem ostendens animi, noxas Deo aperiebat : sed facinorum multitudo omnem illi ad divinæ clementiæ nutum præcludebat accessum. Verum dum sequestro bono utitur, divini Simeonis precibus, brevi et ipse delictorum veniam obtinuit. Itaque vox cælitus audita, sacri oris suffragium confirmavit, acceptam nempe esse latronis pœnitentiam, simulque vitæ exitum ei imminere, et instantem ad communem omnium Dominum discessum, promittens, et hoc signum satis idoneum divinæ erga ipsum benignitatis præbens. Cum igitur et hæc ipsa latronis auribus insonarent, ad pœnitentiæ ducem se convertit, illique inusitatam vocem narrat : dum verba adhuc inter labra cunctantur, Antiochus manus attollens in cælum hæc in verba prorumpit : Domine Jesu Christe, inquit, Fili Patris principio carentis unigenite, qui non justorum gratia; sed pro peccatorum pœnitentia venisti, suscipe spiritum meum et simul hunc in modum orantem evestigio vita defecit, et manifesta viro admirabiliter venia indulgetur. Quapropter ingens omnes tenuit admiratio, et nova pœnitudo populi animos occupavit : theatrum ipsum partim lacrymis, partim voluptate perfundebatur : hæc enim a delictorum remissione, illa vero a pœnitentia proficiscebatur, atque ob hæc omnia laudabatur Deus ab omnibus, et *b* salvator illius famulus Simeon celebrabatur. Sic autem hæc superna administrabat providentia, quæ et magnum Simeonem magis extollebat, omnibusque pœnitentiæ portam ad salutem sine excusatione amplectendam aperiebat.

Latro voce cælesti evocatur.

Pie moritur.

b

34 Milites eorum quæ contigerant ignari, (nam in id unum, ut Antiochum comprehenderent, omnes vires conferebant; præsertim cum rumor rei gestæ propter facti insolentiam haudquaquam ad fidem faciendam sufficere videretur, nisi quis quod factum erat oculis ipse suis spectasset :) itaque majori quam ante a temeritate et impudentia ad magnum Simeonem accedunt, et hominem gravissimorum facinorum patratorem, qui injurias omni venia majores intulisset, in maximis sceleribus deprehensum, denique urbis universæ eversorem, magno clamore tradi sibi postulabant, ista vociferantes : Itane legibus omnibus ac decretis tuum judicium præferendum censes? eorumque contemptorem benigno ad commiserationem aspectu intueris? meritis suppliciis eximere contendis? Ille vero nihil de solita lenitate remittens, hilari et mansueto vultu respondit : Quoniam non ego virum huc accersivi, sed communis omnium Dominus huc eum perduxit, quod primum ego asserui, idipsum nunc ejus tumulus indelebili veritatis testimonio confirmat : qui ad pœnitentiam eum vocavit, idem et hinc transtulit, et ad se ex humanis eripuit. His dictis, cum funus illis admirabilis Simeon coram ostenderet, omnium animos tremor incredibilis occupavit, ex quo ingentem dolorem concepere, deinde erroris sui a beata illa anima venia obtenta, hujus tanti miraculi promulgatores, ac minime fallaces præcones abierunt.

Milites sibi eum dedi postulant.

Re cognita compunguntur.

a Ἀγένατος, *sine genibus. Id forte ei ex aliquo eventu cognomen adhæsit, inquit Rosweydus.*

b *Ita Græce :* Καὶ ἐπὶ πᾶσιν ὑμνεῖτο Θεὸς, καὶ σωτὴρ ὁ ἐκείνου θεράπων ἀνεκηρύττετο.

CAPUT X.

Absentia et futura divinitus cognoscit.

Nobis in hoc miraculorum pelago navis infinita ferens proferatur, salutemque precum ejus interventu, periclitantibus in mari præbeat. Hanc enim aliquando in medio mari gravissima procella invasit, et jam illisis ad eam magna vi fluctibus prope mergenda videbatur. Navigantes omni arte, omnique rei bene gerendæ spe deposita, postrema sibi invicem salutis verba inter amplexandum, periculum exspectantes, impertiebantur : tandem ultimam anchoram jaciunt, et Simeonis ad communem Dominum memoriam refricantes, simulque eum in columna habuerunt pro sua salute deprecantem, et simul ipsis rursus in navi apparentem : et mox mare se datum perceperunt : nam leni mox aura afflante, plenis velis per tranquillum pelagus deducti, ad continentem pervenerunt.

AUCTORE METAPHRASTE *Periclitantibus in mari subvenit.*

36 Nec illud de eo prætereatur. Virgam aliquando e cælo delapsam videre visus Simeon : Flagellum, inquit, nobis Deus post duos annos immittet. Jam tempus ab eo præscriptum aderat, et terra nihil omnino tulit, imbribus carens; ingens siquidem siccitas eam occuparat, et simul fames ac pestis, mala inde provenientia, quavis pœna gravius eam affligebant, hominesque amare cruciabant. Tales igitur habebat oculos mentis Simeon, ita omni terrena caligine perpurgatos, ut futura omnia quasi jam præsentia intueretur. Deinde prædixit erucarum plagam. Verum non ita in Dei ira prænuntianda celer et promptus erat, ut ad malum depellendum negligens aut impotens esset; sed eam ob causam præmonebat, ut prævisa minus nocerent : Intra enim, inquiebat, minas adhuc decreta stat pœna : solum quæ peccavimus corrigamus. Hoc vero dicebat, propriorum laborum recte facta tegens : hinc et non tam suam erga Deum fiduciam, quam illorum pœnitentiam testatam esse volebat; noverat enim se indigna passos non neglecturum, sed ita fore, ut propria interpellatione iram divini Numinis se daret, imminensque flagellum sistere se posse confidebat. Nondum igitur triginta dies elapsi erant, cum ecce ingens erucarum circumfusa nubes, parum abfuit quin totam terræ faciem occuparet. Homines neque quid boni de futuro sperarent, habebant, neque vero, si quæ mali solutio futura esset, cognoscere poterant; denique de tanto reptilium periculo evadendo penitus jam desperabant, neque aliud quam præsentissimum inde exitium expectabant, terræ fructibus partim nondum enascentibus, partim ab erucis jam consumptis. Simeon vero vix Deum erat deprecatus, cum ecce omnis erucarum copia, quæ jumentorum pabulum fere labefactaverat, extemplo consumpta est, terræ frugibus in hominum usus accomodatis nullo penitus nocumento illato.

Famem imminentem prædicit :

tum erucarum plagam.

Erucæ ejus precibus consumptæ.

37 Dignum quod his addatur et illud. Duæ aliquando virgæ huic invisibilium istarum rerum spectatori e cælo deferri visæ fuerant, quarum una versus Orientem solem incumbebat, altera *a* versus Aquilonem. Eam visionem Persarum et Scytharum in Romanos irruptionem indicare declaravit, et hanc visionem præsentibus narravit. Ipse vero multa lacrymarum profusione, et precibus Deo supplicabat : neque prius ab oratione destitit, quam Persæ in Romanos incitati, civili inter se dissensione oborta, apparatum militarem dissolverent. Scythæ vero, cognita Persarum cunctatione, et ipse quieverunt, neque vulgo sensum commotionis præbuerunt.

Imminens a Persis et Scythis bellum prævidet, et precibus avertit.

a

38 Talis erat admirabilis ille Simeon : ita communem omnium salutem curabat, ut nec singulorum etiam negligeret. Sed et hic prænuntius ac vates fuit. Novit id Theodoretus Episcopus, cujus jam antea mentionem fecimus. *b* Vehementer is a quodam oppugnabatur, unde et mœrorem contrahebat, et accusationem graviter ferebat. Postquam vero omnibus, ut proverbio decantatur, rudentibus contenderat, neque ullum ex labore fructum se consequi videbat; tum ad admirabilem Simeonem, tamquam ad omnis spei caput, confugit, eique negotium omne suum committit. Ille mœrentem animum consolatione recreat, calumnias ferendas monet, etiam ex sacris paginis ostendens, quantum ex tentationibus lucrum proveniat : de inde paullulum moratus : Te vero etiam Deo, inquit, gratias quam potes maximas agere oportet, carissime; post quindecim dies tuus morietur adversarius :

b

Theodoretum solatur et futura prædicit.

AUCTORE METAPHRASTE

adversarius : tum demum omnem hanc procellam a te repelles. Eo igitur dierum numero absoluto, vitam ille cum morte commutavit; hic vero extra omnem tempestatem in tranquillo constitit, divini Numinis suffragio S. Simeonis verbis terminum statuente.

a *Aliter Theodoretus*, in terram autem Orientalem cadebant et Occidentalem. *Baronius hæc ad annum* CDXX *refert, quando mortuo Isdigerde successor Vararanes fœdus rupit, malo suo. At non tum in exordio ipso sopitum est ob civiles dissensiones bellum, ut patet ex iis quæ narrat Socrates lib.* 7, *cap.* 18, *quod hic S. Simeonis precibus factum scribit Theodoretus et Metaphrastes. De Regibus Persarum Isdigerdem et Vararanem secutis vide Agathiam lib.* 4, *et Petrum Teixeiram lib.* 1, *de Regib. Pers.*

b *Multa perpessus ab adversariis Theodoretus, quæ recensentur a Baronio Tom.* 5 *et* 6.

CAPUT XI.

Theodosium et Danielem monachos ad sanctiora hortatur, barbaris varie opitulatur.

a Theodosium Cœnobiarcham ad sanctitatem hortatur.

a Theodosius quoque magnus sacræ hujus linguæ eloquio irroratus effloruit, Theodosius, inquam, ille spiritualium exercitationum, nec non pastoralis sapientiæ summa et caput. Ille nuper virtutis amorem in intimo mentis thalamo foverat, nondum tamen in flammam accensum habebat : communem salutis mystagogum accedit, atque ad columnam propius accedens, priusquam ex ore aliquam emitteret vocem, ita ab admirando Simeone compellatur : Bene venisti vir Dei Theodosi. Tum proprii nominis præcognitione stupefactus, quod cum nondum in viri notitiam venisset, quasi multo tempore cum illo habitasset, ita proprio nomine appellaretur. Itaque capite terræ admoto, benedictionem sibi dari postulavit. Cujus petitioni non tantum satisfecit Simeon, sed et ad se sursum ascendere jussit, ad ascetica certamina ad se venientem excitavit; et, Amice, inquit, Theodosi, cum gaudio iter arripe; a Domino gressus tui dirigentur. Neque vero huc usque stitit sermonem, sed et futura illi prædixit, ut quod ad magnam virtutem perventurus esset, multosque sæculari vanitate implicitos ad monasticam vitam inducturus; denique quod hominum gregi præficiendus; quod ad eximiam magnitudinem virtutisque excelsitatem perventurus; quod plures suorum laborum imitatores effecturus, et Deo oblaturus esset. Hæc omnia admirabilis ille Simeon Theodosio prædixit, quæ num postea evenerint, qui illius Theodosii vitam legerit sciet.

Ei eventura prædicit.

b Daniel Stylita ad eum in columnam ascendit.

40 Prodeat in medium *b* Daniel, qui idem cum Simeone suscepit certamen, ejusque propheticæ linguæ in se charismata patefaciat. Adhuc enim sub magistro et pastore asceticæ concertationis labores exercebat Daniel, et ingens eum desiderium invasit ascendendi columnam, et cum Simeone coram agendi. Aliquando igitur cum magistro suo ad Simeonem cum pervenisset, ambos maxime rogavit, hunc quidem, ut sibi columnæ ascensum permitteret; dein magistrum, ut sibi ascensum annueret. Utriusque fit compos voti, columnam enim libere ascendit. Quem dum Simeon convenienter venientem excipit, Confortare, ait, et virum te præbe fili Daniel : multi enim tibi ob communem Dominum labores perferendi sunt. Verum gaude; ejus enim gratia roboratus, communi hoste superato, frueris tandem ea, quæ ita fortiter dimicantes manet, beatitudine. Simulque manu capiti Danielis imposita, precibus a se jam dicta consignavit.

41 Hæc ita dicta, opere deinde fidem fecerunt. Simeon enim Danielem a se gratia et benedictione repletum dimisit, et magis eum posthac in visceribus habuit, magnoque ejus non tantum præsentis adhuc amore, sed post discessum etiam absentis desiderio exarsit. Cum aliquando *c* e Mesopotamia Hierosolymam, loca sancta adorandi gratia, Daniel proficisceretur, inde autem eremum petere cuperet; ecce tibi Simeon, assumpto viatoris habitu, præsens, ab eo itinere, quod jam fere iniverat, detinuit, cum ob multas rationes, tum potissimum ne cum *d* Samaritanorum pravitate quidquam commune haberet : nam ingens tunc et ferox seditio inter eos excitata, viam Hierosolymorum malefactoribus infestam fecerat, qui passim transeuntibus deprædationem et cædem minitabantur. Contra vero Danieli, ut Byzantium versus iter capessat, persuadet, ubi nihil quod ad salutem animæ pertineat ei defuturum. Erat autem circa vesperam, cum S. Simeon viatoris persona assumpta hæc Danieli præcepit. Qui cum ad hospitium diverteret, et itineris comitem ad quietem una expectaret, is nusquam comparuit. Verum Danieli sumpta cœna somnum capienti, iterum Simeon apparuit, ac eadem, quæ prius, præcepit : hic vero animo vigili, somno ab oculis excusso, mandata executus est. Simeon multo post relicto corpusculo et columna, ad immortalium ac beatarum mentium sedes translatus, Danieli rursum secundum quietem adstare visus est, eumque ad columnarem vitam evocatum, columnam quoque ascendere præcepit. His visis e lectulo consurgens, statim ut visio ipsi declarabat, sic ascendere in columnam constituit, eamdemque vitæ rationem, quam Simeon prius servaverat, inivit, visus novus Elisæus qui Eliæ sibi exemplum proposuit. Et hæc quidem hactenus.

Simeon ei in via apparet. *d* *Iterum in somnis.* *Mortuus eum monet ut in columna vivat.*

42 *e* Persarum Rex hactenus a nemine se vinci passus, solius hujus viri fama audita superatus est : ita diligenter omnes, qui Simeonem frequentabant, de eo percunctatus est, et quænam viri vita, qualia miracula : eratque publicis curis non inferior Simeonis memoria; neque vero viri tantum gesta, sed et fama ipsa percellebat. Verum et uxor ejus admirandis Simeonis miraculis simul cum conjuge obstupefacta, oleum benedictum ab illo sibi mitti postulavit, et libentissime accepit : quo non solum proprios morbos curavit, sed et multis e consanguineis, quocumque malo premerentur, medelam adhibuit. Et vero Regis ipsius subditi omnes fama viri capti, accurate rebus ejus gestis cognitis, divinum virum passim appellabant Simeonem.

e Regi et Reginæ Persarum est veneratione. *Oleo benedicto morbi pulsi.*

43 Regina Ismaelitarum sterilis cum esset, ac liberorum carentiam amaro animo ferret, nec ullam e rebus creatis voluptatem hauriret; primo quidem viros quosdam illustres submisit, qui ut prolem concipere et parere posset supplicabant; postquam vero compos voti facta, soluta omni mœstitia; et animæ tranquillitate, sicut et voluptate repleta, natum Regem accipiens, ad S. Simeonem accurrit; et cum septum ejus mulieribus inaccessum esset, misso ad ipsum filio, ejus benedictione impertiri rogabat : Tuus, ait, ille est manipulus, ego enim cum lacrymis et precibus semen conjeci, tu manipulum divinæ gratiæ effecisti, precibus desuper pluviam eliciens. Mulier itaque, quæ magno desiderio quæsiverat consecuta, domum suam læta redivit. Nos vero quousque pergemus res omni humano ingenio sublimiores oratione prosequi?

Reginæ Ismaelitarum filium impetrat.

a XI *Januarii S. Theodosii Cœnobiarchæ vitam dabimus, ubi hæc ipsa narrantur, dicuntur quæ accidisse sub finem vitæ Marciani Imperatoris.*

b *Hæc ipsa fusius narrantur* XI *Decemb. in S. Danielis Stylitæ vita, et alia, quæ inferius referemus, de S. Simeonis reliquiis.*

c *Paullo aliter in vita S. Danielis : dicitur enim, cum e monasterio suo venisset ad mandram S. Simeonis, inde abiisse Hierosolymam versus.*

d *Samaritanorum flagitiis fusius agemus in Simeonis Stylitæ junioris vita* XXIV *Maii. Sed quod Baronius ad an.* CDLII, *nu.* 27, *ait prohibitum esse Danielem proficisci Hierosolymam obtumultum ab Eutychianis monachis excitatum contra Juvenalem Episcopum Hierosolymitanum, id in Danielis vita non dicitur, licet eam citet.*

e *Hæc paullo aliter narrat Theodoretus, atque unde sibi cognita sint ostendit, ita scribens :* Ejus quoque fuit magna fama apud regem Persarum : ut enim narrarunt Legati qui ad ipsum venerunt, diligenter sciscitabatur quænam esset ejus vita, et quænam miracula. Dicunt autem ejus quoque conjugem, et petiisse oleum dignatum ejus benedictione, et tamquam donum maximum accepisse. Quin etiam omnes Regis asseclæ et a fama commoti, et multas in eum a Magis adornatas accipientes calumnias, diligenter rogabant; et cum intellexissent, virum divinum nominabant.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

bant. Cetera vero turba, et ad muliones accedentes et ad famulos et milites, et pecuniam offerebant, et rogabant ut essent participes olei benedictionis.

CAPUT XII.

Quotidianæ ejus exercitationes. Præcepta variis data.

a *Noctu et diu stat.*

a Stabat ille noctes et dies omnibus conspicuus; et ostio aperto, ac septi parte non minima dissoluta, omnibus propositus erat velut spectaculum omnem admirationem superans, nunc multo tempore stando, nunc frequenter corpus inflectendo, Deoque adorationem offerendo. Multi vero adorationes illas numerare conati sunt: Semel autem quidam apud virtutis amantem Theodoretum se mille ducentas et quadraginta quatuor adorationes enumerasse retulit. Flectendo frontem semper pedum digitis applicabat; *b* facile enim venter ob alimenti defectum dorsum inflecti permittebat.

Sæpissime corpus inflectit.

b

Ulcus illi in pede natum:

45 Porro ex illa perpetua et supra naturam admirabili statione effectum, ut in altero pede ingens ulcus contraxerit, e quo plurima sanies defluebat. Verum nihil horum ejus philosophiam repressit; omnia enim generose pertulit, labores animi promptitudine vincens. Ulcus vero istud cuidam aliquando ostendere coactus est. Erat enim vir quidam dignitate Diaconus. virtutis studiosus: Is Simeonis fama excitus, venit *c* Ravenna, et collis illius vertice conscenso, Dic mihi, ait, per ipsam veritatem, An tu homo es, an vero alia quædam natura corporis expers, et humanam effigiem ementita? Hanc interrogationem cum adstantes moleste ferrent, divinus Simeon tumultum sedavit, et ad illum conversus: Quid, inquit, me tu hoc rogas? Subnectit alter: Quia, quoscumque de te audio sermonem facientes, nec cibum sumere, nec somnum capere te affirmant; utrumque vero homini proprium: neque enim quispiam hanc habens naturam sine somno aut nutrimento vivit. Ad hæc Simeon scalas columnæ adhiberi jubet, et ad se ut ascendat monet: quo cum pervenit, primo quidem manus cognoscere præcepit, deinde intra vestem *d* pelliceam manum injicere, neque solum pedes videre, sed et gravissimum illud ulcus aspicere. Vix visa ulceris scaturientis magnitudine, e columna descendit, et ad Theodoretum, de quo prius sermo incidit, profectus, omnia accurate narravit. Inde in patriam revertitur præco disertissimus omnem naturam excedentium viri hujus certaminum.

c

Id cuidam ostendit, non credenti eum hominem esse.

d

Variæ ejus die ac nocte exercitationes.

e

46 Aliis enim certatoribus dierum circumvolutiones grata quadam remissione labores excipiunt; huic vero continuæ illius pœnitentiæ quies, erat laborum mutatio. *e* Sol jam occubuerat, ille ad intelligibilem et inocciduum Solem manus tum extendens, noctes integras stabat, neque somno delinitus, neque ignavia victus, donec ille iterum ad Orientis horizontem reverteretur, et noctis tristitiam diei amœnitate terminaret. His deinde certaminibus exercitia alia, aliæ praxes, aliarum denique precum modi multo difficiliores succedebant.

Affabilitas erga omnes.

47 Ita ille in tantis molestiis, tanta rerum præclare gestarum mole, tanta miraculorum multitudine, virtutis culmine ascenso, multis spatiis omnes mortales longe supergressus, ita erat animi sensu moderatus, ita suavis et gratus, ut singulis accedentibus responsa daret, sive opifices essent, sive mendici, sive agrestes qui illum accederent. Quemadmodum vero ceteros omnes virtutis dignitate longe post se relinquebat, ita præ aliis sermonum spiritualium venustas in ejus labris efflorescebat, et divina quædam suadela, ut bis quotidie adhortationes faceret, gratia quadam singulari conditas, plurimumque affe-

Exhortationes binæ quotidie.

rentes utilitatis: et ut in cælum suspicerent, atque alis virtutum sursum evolarent cohortabatur; et terra relicta præparatum cæli regnum contemplari jubebat: alias iterum gehennæ minas metuere, terrena contemnere, futura denique expectare.

Auctore Metaphraste

Lites componit.

48 Erat etiam ipsum videre judicantem: nam multi, qui prius variis probris vitam suam infamaverant, post ejus judicium insignes justitiæ cultores effecti sunt: Et quem ejus calculus victum declarabat, ille nihilo minus victore lætus recedebat. Sed hæc quidem et similia post horam nonam exercebat, nam noctem omnem et diurnum spatium usque in horam nonam precando transigebat. Post nonam horam primo quidem doctrinam sacram præsentibus explicabat; deinde singulorum postulatis *f* medelam adhibebat, et rectum judicium ferebat, dubitantibus ac inter se dissidentibus controversias dissolvebat. Circa solis occasum iterum cum Deo colloquium inibat.

Catechismum exponit.

f

Judæos, gentiles, hæreticos expugnat.

49 Atque in his cum esset, atque ita in multa divisus, neque Ecclesiarum curam negligebat, nunc Gentilium impietatem oppugnando, nunc Judæorum dissolvendo audaciam, alias denique hæreticorum societatem dissipando; tum Regem de hujusmodi negotiis per internuntios admonens, tum Principum animos in Dei amorem excitando, et Ecclesiarum Pastoribus majorem gregum curam commendando. Dignum autem est de aliquo in particulari meminisse.

Imperatorem, et Episcopos monet.

Theodosius Imp. ob synagogas Judæis restitutas ab eo reprehensus, eas aufert, et veniam petit.

50 *g* Theodosius junior, ad quem Romana sceptra per successionem devoluta erant, (juvenis enim imperavit, ac proinde ad avi discrimen junior appellatus est:) Pius igitur ille Theodosius quorumdam improbitate, qui pecuniis (eheu!) pietatem prodebant, inductus, in urbe Antiochia Judæis, uti prius, suas synagogas concessit. Hoc cognito rerum divinarum et pietatis fervidus admodum zelator Simeon, rei impietatem vehementer arguit, et maxima libertate reprehendit. Hic statim sententiam mutat, et proprias constitutiones revocat, easque non tantum Judæis sustulit, sed et ipsum Prætorem (hic enim ipsi malignas illas inventiones suggesserat) a cura publica removit, et in tantum periculum conjecit, ut de sua vita et incolumitate timeret, ne una cum Prætura ea illi eriperetur. Hæc Theodosius adhuc juvenis præstitit: Deinde epistolam ad Simeonem orbis terrarum miraculum destinavit, veniamque delicti sui, quod aliorum culpa commiserat, supplex rogavit. *h*

g

h

a *Habet hæc Theodoretus.*

b *Paullo aliter Theodoretus:* Nam cum venter semel in hebdomada alimentum accipiat, idque exiguum, quantum est divinorum Sacramentorum participatio, dorso concedit ut facile inflectatur. *Unde colligitur, eum singulis hebdomadis solitum Christi corpus percipere. Nam si de alio cibo ageret Theodoretus secum ipse pugnaret, qui ante scripserit, cum quadragesimo solum die cibo refici consuevisse. Haræus certe sibi contradicit, dum primo non nisi quadragesimo die, postea semel in hebdomada cibum sumere solitum scribit. Idem habet Alphonsus Villegas.*

c *Græce est,* ἀπὸ Ῥαβέννης. *Theodoretus Herveti,* ab Arabena *Longi,* a Rhamene. *Vide notata ad cap.* 3, *vitæ secundæ lit. h.*

d *Villegas et Riba d* .cilicinam.

e *Theodoretus hæc eum festis factitare solitum scribit.*

f *Clarius Theodoretus,* cum aliquas fecerit curationes.

g *Idem narrant Evagrius lib.* 1, *cap.* 13, *Nicephorus lib.* 14, *cap.* 51. *Baronius Tom.* 5, *an.* 432, *num.* 51. *At num.* 49, *recitat* (*quod huc quoque pertinet*) *ejusdem Theodosii litteras, quibus Simeonem rogat, ut ad pacem Ecclesiarum sarciendam adlaboret, ac præcipue ut Joannem Antiochenum Patriarcham a Nestorii defendendo dogmate revocet.*

h *Huc referendum est quod Evagrius lib.* 2, *cap.* 9, *commemorat, nimirum dedisse Leonem Imperatorem litteras tum ad Episcopos, tum ad alios viros pios, ob monasticum vitæ genus commendatos ac nominatim ad Simeonem Stylitam, quibus eos consuluit de Concilio Chalcedonensi, et Timothei Æluri causa, qui flagitiis omnibus coopertus, cathedram Alexandrinam invaserat, S. Proterio* (*de quo* XXVIII *Februar. agemus*) *trucidato. Et respondit quidem Leoni Simeon, atque ad Basilium Antiochenum Patriarcham alias litteras dedit, quas idem recitat Evagrius, et Nicephorus lib.* 15, *cap.* 19 *ac Baronius an.* 458, *qui tamen falli videtur, dum legatum tunc a Simeone ad Leonem Imp. putat Sergium monachum, ut* XI *Decem. ad S. Danielis Stylitæ vitam dicemus: nam mortem tunc nuntiavit Simeonis Danieli Sergius, et donum ad Imperatorem missum ei obtulit. Ad eumdem S. Simeonem Legatum misit Eudocia Augusta, sciscitatum quid de Concilio Chalsedonensi sentiret, cum ipsa Eutychianæ hæresi obstinato animo diu adhæsisset.* Scias, *inquit S. Simeon,* quod malignus, videns opes tuarum virtutum,

AUCTORE METAPHRASTE

tutum, expetivit te ut cribraret sicut triticum, et per pestiferum illum Theodosium (*qui ejecto S. Juvenale Episcopo, de quo nos* II *Jul. sedem Hierosolymitanam invaserat, secta Eutychianus, de quo Baronius ad an.* 452, *num.* 27) tuam corrupit animam. *Deinde ad S. Euthymium eam remittit, ut pluribus narrat Cyrillus monachus in vita ejusdem Euthymii* XX *Januarii, Nicephorus lib.* 15, *cap* 13. *Baronius ad an.* 451, *num.* 18 *et seqq.*

CAPUT XIII.

Mutis vox reddita. Publica calamitas depulsa.

Et hæc quidem res talis fuit : Illa autem quomodo non explicanda ? Viatores nonnulli a via sua deflectentes, in campo non multum remoto, sed eo fere spatio, ad quod oculus aspectu res distinguere potest, ingentem cervum pascentem contuentur : illi feræ amore detenti, cum ad manum non haberent quo cervum ex tempore venari possent, novoretis genere nempe Simeonis nomine invocato usi, statim feram quasi pedicis quibusdam vinctam capiunt, mactant, et cænam parant, utroque simul, et animalis venatione, et convivio recreati. Verum gaudium istud non multo post dolor superveniens excipit. Nam et sermo illis quasi extinctus, et vix subito, cujus ope cervum ceperant, intercepta est. Itaque sese unde quaque discutientes, cum hujus rei caussam ne conjectura quidem assequi possent, nutibus se invicem interrogat, et quam ob caussam vox illos deficeret, inquirebant. Tandem rationem subodorati sunt, et ob malitiam suam se in hanc calamitatem incidisse cognoverunt : Divinus enim Simeon qua erat clementia, benigne illis cervum elargitus est; illi vero crudeliter nimis dono usi, et feram propriis manibus immisericorditer mactare aggressi sunt. Igitur ad Simeonem iterum magno cum dolore et planctu confugiunt, cervinam pellem, quam tunc manu gestabant, suæ inhumanitatis ac feritatis argumentum proferunt, quorum pœnitudinem et confessionem miseratus, loquendi facultate restituta, gratos æque ob beneficium acceptum et gaudentes a se dimisit.

In Simeonis nomine cervus sistitur.

Simeon mutis vocem restituit.

52 Haud multo post *a* terræ motus ingens urbem Antiochenam et loca vicina concusserat : hunc æstus maris secutus, hiatus quoque, qui usque ad montes Orientis horribilem in modum protendebatur. Itaque templa omnia ac ædificia solo stravit, hæc quidem e summo dejiciens, alia a fundamentis evellens. Homines ad hæc cum diversis animalium generibus, illi quidem eversis intus interclusi domibus, simul et ipsi vitam ad exitum perduxere, illi vero terræ scissura veluti ex tempore sibi sepulchro parato miserandum in modum vivi defodiebantur. In tam acerbo exitio, cum flagellum tam intolerabile per omnem sexum et ætatem promiscue ferretur, unicum erat et commune omnibus solatium admirandus ille Simeon. Eo apud Deum reconciliatore utuntur, et levamine invento, a malo suo liberantur. Ipse enim postquam *b* primum luxum et intemperantiam eorum, aliaque scelera reprehendisset, eosque sufficienter increpuisset, tum hortatur ut unanimi voce omnes cum lacrymis inclament : Kyrie eleison, id est, Domine miserere. Dein placare iis Deum, et ad compunctionem excitare eos cupiens, ad preces et ipse convertitur.

a Terræmotus horribilis.

b Luxum populi reprehendit Simeon.

53 Cum in longum cum lacrymis protenderetur deprecatio, annuit populo, manu silentium indicens, ipseque vehementem voce et sensu dolorem præseferens in hæc verba prorupit : Viri fratres, inquit, quæ dicturus sum vobis, primum cor mihi vehementer cruciant, intimumque animum quasi vulnere quodam confodiunt : Scio equidem quod ea ipsa vos etiam vehementer afficient, dicam tamen : Videte, obsecro, quanto numero sitis, quantum lacrymarum fuderitis, quem clamorem emiseritis; tamen uni solum ex omnibus Deus aurem præbuit, ejusque solius deprecatio aures ejus attigit. His dictis virum quemdam nominatim compellat, ac omnibus audientibus ad se venire jubet : Tua, iniquit, oratio justam Dei iram stitit, ac proinde malum omne quantumquantum fuerit, cessabit. Dic vero mihi nihil omittens, qua re potissimum ita Deo placuisti ? Præcipit enim tibi Deus et omnia exponas, ut virtutem æmulati, ad eadem præstanda stimulentur. Hic vero multo magis metuebat, ac peccatorem se, omnique virtute nudum proclamabat, neque conscium esse se in omni vita boni quippiam etiam invitum præstitisse. Cum vero divinus Simeon admodum instaret, et ad dicendum cogeret; tum tandem sic ait : Vitam opere manuum sustento, terræ colendæ addictus, et sub dio dormio, et primo meum mihi agellum colo, alio autem tempore etiam cuivis volenti pacta mercede servio; colligens vero tum quæ ex proprio prædiolo mihi proveniunt, tum quæ ex terræ cultura in mercedem accipio, in tres ea partes distribuo; primam indigentibus elargior, altera annuum vectigal solvo, tertiam partem in necessarios usus expendo. Interim numquam in vita me aliquid boni egisse agnosco. Hæc ab innumera hominum multitudine audita sunt; quæ cum iram Dei placari, flagellisque successum sisti vidit, obstupefacta, ut decens erat, Deum cum lacrymis glorificavit; Simeoni omnes gratias egerunt, rusticum illum faustis acclamationibus deprædicarunt, deduxerunt, salutarunt amplexi sunt, gratias egerunt, virtutem æmulati sunt, seipsos negligentiæ in bonis operibus accusarunt : multis denique in vicinia habitantibus fuit id utile ad meliora animo capessenda exemplum.

Ejus virtutem populo proponit Simeon.

a Accidit hic terræmotus anno 2. *Leonis Imper. narrat eum Evagrius lib.* 2, *cap.* 12. *Nicephorus lib* 15, *cap.* 20. *Baronius ad an.* CDLVIII, *num.* 27 *et seqq.*

b Evagrius caussam hujus terræmotus eamdem videtur assignare. Τινῶν μὲν παρὰ τοῦ κατ' αὐτὴν δήμου παραγεγενημένων, πρὸς πᾶσαν ἐκβακχευθέντων μανίαν, πάσης τε θηριώδους ἐπέκεινα γενομένων γνώμης, ὥσπερ δὲ προοίμιον τοῖς τοιούτοις κακοῖς παραχορεύοντων. Quibusdam e populo, omni debacchantibus insania, atque omnem belluinam longe superantibus indolem, et veluti initium præbituris ejusmodi malorum. *Nicephorus quoque illud ait fuisse malorum istorum principium, quod* πορῤῥω τῶν θείων νόμων δι ἐκεῖσε γενόμενοι, θηριώδεις πρὸς πᾶσαν γνώμην ἐγένοντο, μανίᾳ πάσῃ ἐκβακχευθέντες. *quod* a divinis legibus alieni cives, belluini omni ratione fierent, omni furore debacchantes. *sicque utrique eadem videtur notare, quæ hic Sanctus perstringit scelera,* βαστώνην καὶ ἀκρασίαν: luxum et intemperantiam. *et, quæ scilicet consequi ea solet, humani sanguinis fundendi libidinem. Baronius loco citato, num.* 29, non aliunde mala hæc manasse *existimat,* quam ex impietate hæreticæ pravitatis, *quæ ex Nestorii diu isthic commorati malo semine pullulans sub Joanne Patriarcha adoleverit. Apollinaristas certe isthic multos fuisse, ostendit idem Baronius ad an.* CDLXXI, *num.* 7.

CAPUT XIV.

Moritur S. Simeon, corpus Antiochiam defertur.

a Simeon multis iisque magnis benefactis ornatus, postquam universim *b* quinquaginta sex annos vixisset, soluto corporis vinculo, ad dilectum suum, purius et propius illo fruiturus, transivit. Materia fluente, homo tandem ab iis qui tunc in terris degebant, creditus est, quod antea propter laborum, quæ naturam omnem superabat, tolerantiam, et tanta præclarissimarum virtutum insignia nemo sibi persuadere poterat. A corpore separatus est, qui prius res corporeas omnes abnegaverat, et spiritu in cælestibus versabatur, Angelicisque non raro splendoribus intererat; nunc autem ad priora sua vota revertitur. Corpus jam anima vacuum erat, et sine spiritu relictum : neque tamen vel sic potuit a consuetis exercitationibus abstinere : nam vel ad modicam quietem captandam in terra reclinari recusavit, verum in columna erectum permansit, sui pugilis figuram ad vivum exprimens.

a
b
Moritur Simeon.

Corpus etiam exanime erectum stat.

55 Posteaquam vero in pulverem extenuatum terræ debitum persolvit, neque lutum ejus cælestis opifex quasi honoris expers neglexit; sed venerabili tumulo reconditum multis miraculis claruit : *c* quæ non tantum circa sepulchrum patrata sunt, verum etiam in quibuscumque

Ubicumque antea habitarat, fiunt miracula.

c

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

quibuscumque locis mirificus ille vir versatus egregia illa certamina subiverat, ea omnia quasi specimen quoddam mutuæ miraculorum æmulationis præ se ferentia, uberius undique divinis donis efferebantur.

d 36 Non multo tempore post, cum *d* Leo cognomento Magnus ad Imperii gubernacula sederet, qua tempestate et *e* Martyrius rerum sacrarum erat administrator, splendido admodum apparatu sacri corporis funus ex mandra in urbem Antiochenam deportatum est. Mœstum quodammodo et tristem solem efficiebat luminum ingens copia, commitantium æque atque obviantium; et undequaque omnis ætatis eo confluentium multitudo montem ipsum et campos angustos reddebat. Aderat Orientalium copiarum Dux Ardaburius, qui suos hastatos sacris reliquiis adhibens custodes, et illorum custodiam tamquam murum opponens, adversus urbium vicinarum incursum muniebat : singulæ enim civitates sibi sacrum hunc thesaurum præripere atque apud se collocare studebant.

e *Corpus ejus solemniter defertur Antiochiam.*

Deducit illud Ardaburius.

37 Cum interea sacri corporis sarcina rheda delata *f* ad eum locum, cui Meros nomen, qui Antiochiam venientibus ad dextrum latus situs est pervenisset, currus subito immobilis stetit, atque ab eo quod in urbem ferebat itinere penitus arcebatur. Hæc inopinata currus retentio omnibus admirationem non minus quam terrorem injecit. Vir quidam e monumento, qualia non pauca juxta locum illum erant condita, impetu egressus, magno cursu ad sacrum loculum ferebatur : et cum varios animi tumultus vociferans testaretur, tum scelera ipse sua miserabiliter lamentabatur; adhæc vinculis et flagello solvi postulabat : porro flagellum, quo cruciabatur, erat dæmon malignus, qui olim in ipsum, mulieris cadaveri petulanter vim inferentem, insilierat, statimque manus illi insolubilibus vinculis constringens, et oculos fœde contorquens, tremoremque incutiens, vinctum jam inde juxta violatæ mulieris sepulchrum huc usque detinuerat, et tam insignis contumeliæ pœnas persolventem assidue opprimens. Quibus vinculis mox ut ad loculum sacrum accurrit, statim liberatus est : quo facto, currus illico motus est, et splendidissimo apparatu in urbem illatus, quæ desideratum thesaurum proprio gremio suscepit, ac in illustri Cassiani Ecclesia collocavit. Paullo deinde post divina visione superveniente, aliud templum in vicino loco ædificatum fuit, in quo sacra lipsana collocata sunt. Ille vero qui mali levamem ab ipso consecutus fuerat, non exiguo ab illo tempore in virtute progressu facto, fuit hujus templi ædituus, et vitæ in melius commutationem, justam mercedem Sancta persolvit : nec ulla gratior supplicis ipsius salute accidere ei poterat.

f

Energumenus ope S. Simeonis liberatur.

Templum S. Simeoni ædificatum.

a *Id quoque refertur in Theodoreti Philotheo, sed additum ab alio quopiam, cum mortuus sit ante Simeonem Theodoretus. Et abest in edit. Surii, ex interpretatione Alberici Longi.*

b *In exercitatione scilicet monast-ca. Vide quæ dicta sunt in Præfat.* § 3.

c *In Theodoreto habetur :* Non solum apud loculos sanctarum reliquiarum, sed etiam apud summæ ejus virtutis et diuturnæ decertationis monimentum : magnam, inquam, illam et celebratam columnam hujus justi et laudibus celebrandi Simeonis.

d *Cedrenus anno Leonis* IV, *Christi* CDLX, *mortuum S. Simeonem scribit.*

e *Hic Martyrius anno* CDLIX. *Sedem Antiochenam adeptus, eam anno* CDLXXI, *dimisit ob seditiones Zenonis Comitis et Petri Fullonis opera contra se excitatas.*

f Κατὰ τὴν Μερὸν τὸ χωρίον. *In Latina vita est* Meroe. *Nam præter Meroen Æthiopiæ,* ἐστὶ καὶ Μερὸη, *inquit Stephanus,* κατα ἀνατολὰς τῆς περὶ Δάφνην Ἀντιοχείας. Est et Meroe ad Orientem Antiochiæ quæ ad Daphnem. *ita ille, qui alibi* Daphnen *ait esse* celeberrimum suburbium Antiochiæ versus Orientem.

AUCTORE METAPHRASTE

CAPUT XV.

Reliquiæ a Leone Imp. expetitæ. Templum in monte, in quo stetit.

Cum deinde sacra urna omnem circa regionem miraculorum fama complecteretur, qui Romanum Imperium administrabat, de quo paullo ante sermo incidit, ad Antiochenos litteras scribit, quibus sacri corporis exuvias ad regiam urbem asportari mandat. Illi contra supplicibus votis Imperatorem rogant, ne urbem maximam et admirabilem, toties jam cælestem iram expertam, ac solotenus fere eversam, et in cineres redactam, tanto bono spoliet; ne eum inde tollat, qui et Dei iram avertere, et sistere flagella cælitus inflicta soleat, *a* quem pro mœnibus omnibus, et muro, et armis sibi posuit. Denique omnis spei caput ne auferat rogant : nam ut non eos denuo divina vindicta comprehendat, hostium tamen incursibus urbem munitione carentem patere. *b* His dictis Imperator inductus, Antiochenis communem thesaurum retinere permisit : qui licet apud illos esset reconditus, tamen miraculis suis late omnia peragrabat loca, et proprius cuique fiebat thesaurus.

Leo Imper. jubet corpus Constantinopolim deferri.

Deprecantur Antiocheni.

a

b

39 In *c* montis vertice, in quo tam præclara certamina divinus Simeon perfecit, templum exstructum est, quod ab utroque latere quatuor porticus complectebatur, quas columnæ e secto lapide a summo tecto sustinebant : huic subdialis aula multo sole undique splendida interjacebat : in ea columna illa quadraginta cubitorum visebatur, in qua Angelicam illam vitam transegit. Porro in porticuum summitate fenestræ erant, per quas inferiora loca diei lumen excipiebant. In illa igitur parte, qua ad sinistram ingredientibus columna sita erat, stella fulgebat, quæ cælestia sidera splendore non minus quam magnitudine obfuscabat : illa nunc occidebat, nunc iterum oriebatur; et ad omnem fenestræ partem lucidissime emicabat; ab iis qui præsentes aderant ad terram accedere, eamque circumire videbatur, tamque ineffabili erat splendore et pulchritudine, ut nihil ad miraculi magnitudinem posset accedere, omnes spectatores ad divinas vere divino Simeoni pangendas laudes provocaret, inde conjecturam facientes splendoris quo ipse magno lumini adstans perpetuo fruitur, atque a Trinitate purius illustratus, unumque ex unica divinitate suscipiens radium, in Christo Jesu Domino nostro, cui omnis gloria, honor, et potestas in sæcula sæculorum, Amen.

c

Mirabile templum in monte, ubi in columna stetit.

In eo templo portentosa stella.

a *Idem narrat Evagrius lib.* 1, *cap.* 13, *et rationem hic allegatam clarius exponit :* Διὰ τὸ μὴ ὑπάρχειν τεῖχος τῇ πόλει (πέπτωκε γὰρ ἐν ὀργῇ) ἠγάγομεν τὸ πανάγιον σῶμα, ὅπως ἡμῖν γένηται τεῖχος καὶ ὀχύρωμα. *Quod ita vertit Christophorsonus :* Quoniam civitas mœnibus caret (Imperatoris namque furor ea diruit) sanctissimum Simeonis corpus huc apportavimus, ut nobis et muri et munimenti loco sit. *Verum illud* πέπτωκε γὰρ ἐν ὀργῇ, corruerunt enim in ira, *non videtur mihi apte versum, nec enim alibi ejus rei mentio fit. Rectius ad terræmotum id referatur, utiapud Necephorum habetur :* Πέπτωκε γὰρ ἐν ὀργῇ σεισμοῦ μεγάλου γεγενημένου Corruit (*murus*) magno terræmotus impetu.

b *Aliquas tamen ejus reliquias deductas esse Constantinopolim, patet ex vita Danielis Stylitæ.*

c *Quæ sequuntur, ex Evagrio subjiciemus paullo plenius descripta.*

DE

Ex Evagrio.

DE S. SIMEONIS RELIQUIIS ET TEMPLO.

Ex Evagrio lib. 1, *Hist. Eccles. cap.* 13 *et* 14.

Evagrius Scholasticus, qui sub Tiberio II Quæstor fuit, sub Mauricio vero Tabularum servandarum Præfectus, lib. 1 *Historiæ Ecclesiasticæ cap.* 13 *et* 14, *cum alia narrat de S. Simeone, quæ passim superius in Notationibus indicata sunt, tum de corporis ejus reliquiis et templo hæc sane miranda, quæ ipse coram spectavit.*

2 Istius corporis cum multæ aliæ partes ad nostram usque ætatem fuere reservatæ, tum caput ipse equidem conspicatus sum, *a* Gregorio viro magni nominis id temporis Episcopatum illius Ecclesiæ gerente, et *b* Philippico efflagitante, uti Sanctorum reliquiæ, *c* quo tutius in Oriente expeditiones militares faceret, ad ipsum mitterentur. Atque quod valde mirandum videtur, capilli in capite inhærentes, minime consumpti sunt, sed perinde ac si viveret, et cum hominibus versaretur, integri manserunt. Frontis item cuticula, quamquam contracta fuit in rugas exaruitque, tamen mansit incorrupta : multi etiam ex dentibus, qui hominum fidelium manibus minime fuissent evulsi : hique figura sua indicarunt, qualis divinus ille Simeones fuerit, et qua statura Ibi quoque catena ferrea, quam collo gestabat, reponebatur : quacum (nam ne mortuum quidem carum illud ferrum Simeonem deseruit) corpus omnium sermone celebratum, quod tam graves exantlasset labores, divinos honores consecutum est. Cujus singulas res gestas cum ad meam ipsius, tum ad legentium utilitatem narrando percenserem, nisi de eisdem a Theodorito, ut supra dixi, uberius diffusiusque disputatum esset.

3 Deinceps aliud, quod ipse oculis vidi, scriptis mandabo. Permagno tenebar desiderio templum istius Sancti Simeonis aspiciendi. Abest autem *d* Theopoli, id est Antiochia, stadiis ad summum trecentis, positum in ipso montis jugo. Istud mandriam vocant indigenæ : cui loco severa vitæ disciplina, arbitror, quam sanctissimus Simeones in eo exercuit, istud nomen tribuit. Montis autem acclivitas porrigitur ad viginti stadia. Templi ædificium extructum est in modum crucis, porticibus ex quatuor lateribus pulchre illustratum. Porticibus vero columnæ, ex polito lapide concinne fabricatæ, adjunctæ sunt, quæ tectum scite admodum in sublime erigunt. Versus medium templum, atrium est sub dio, summo artificio elaboratum, in quo sita est columna illa quadraginta cubitorum, in qua vitam cælestem iste terrestris corporeusque Angelus transegit. Atqui porticus, quas diximus, tamquam cancellos, quos fenestras vocant, in tecto habent, tum ad atrium tum ad ipsas porticus vergentes. Ad lævam columnæ in uno cancellorum ipse equidem, cum tota agricolarum circa columnam incedentium multitudine ibi in unum coacta, vidi stellam inusitata magnitudine discurrentem per totam rimam, jubarque fundentem : neque id quidem semel, bisve, aut ter, sed sæpius, eamdemque crebro evanescentem, et ex improviso apparentem denuo : quæ solum in istius sanctissimi viri die festo cernitur.

a

b

c

Caput S. Simeonis vidit Evagrius 126 *annis post ejus mortem.*

Catena ferrea cum corpore servata.

d

Antiochia Theopolis dicta.

Descriptio montis et templi S. Simeonis.

Stella admirabilis ipsius festo die apparet.

4 Sunt qui memorant (ac miraculo sane tum propter fidem eorum qui idem ipsum narrant, tum propter alia quæ ipsi sumus conspicati, credendum est) veram personæ illius effigiem huc illucque volitantem se vidisse, barba demissa, et capite, ut solebat, *e* tiara operto. Viris, qui ad eum locum veniunt, liber et facilis patet introitus : hique cum jumentis suis columnam sæpe circumeunt. Fit autem custodia accuratissima, ne mulier (*f* qua de caussa, haud equidem habeo dicere) aliquando in templum ingrediatur : sed si quæ accedunt, extra limen consistunt, miraculum admiratæ. Nam e regione stellæ fulgentis una ex portis sita est. *Hæc Evagrius, quæ et Nicephorus. lib.* 14, *cap.* 51.

Ipsius quoque persona.

e

Viri cum jumentis columnam circumeunt.

f

Feminæ in templum non intrant.

a *Hic S. Anastasio Sinaita ejecto, (injuste quidem, sed tamen coacto ad id Episcoporum conventu, quasique legitima juris forma servata) Antiochenus Patriarcha creatus est anno* DLXXII *vir præclarus, ut ex Evagrio pluribus locis ostendit Baronius. De eo iterum agetur* XXI *April. in vita S. Anastasii Sinaitæ, et* XXIV *Maii in vita Junioris Simeonis Stylitæ.*

b *Dux hic fuit Orientalium copiarum sub Maurilio Imp. qui suam ei sororem Gordiam matrimonio junxerat. Rebus multis adversus Persas et alios hostes præclare gestis, Phoca imperium invadente, sacerdotio initiatus, quietam vitam sectatus, pariterque conjux Gordia. Multa de eo Baronius Tom.* 7 *et* 8, *ex Evagrio, Historia miscella, et aliis.*

c *Huc quoque spectat quod in Historia miscella lib.* 17, *cap.* 10, *refertur. Philippicum anno Mauritii* IV, *assumpta Christi imagine non manufacta, insignem de Persis victoriam retulisse.*

d Theopolis, *id est Dei-civitas.* Maxima urbs Orientis, *inquit Stephanus Byzantius,* quæ post terræmotum sic appellata est a Justiniano, cum prius Antiochia diceretur. *Idem refert Evagrius lib.* 4, *cap.* 6, *et Baronius ad an.* DXXVIII. *Justiniani* II *nu.* 21.

e *Ex vita S. Danielis Stylitæ patet, eum cucullo tegere caput consuevisse. Nam* κουκάλιον τῆς κεφαλῆς κάλυμμα, cucullum capitis tegmen, *Leoni Imp. missum ab eo munus, Sergius monachus, cum Imperator variis Reipublicæ negotiis occupatus, non satis advertere animum ad ista possel, Danieli donavit. Cucullis proprie puerorum velabantur capita. Ita S. Dorotheus serm.* 1. Λαμβάνομεν δὲ καὶ κουκούλλιον· τοῦτο δὲ ἐστι σύμβολον τῆς ταπεινώσεως· τὰ νήπια γὰρ τὰ μικρά, τὰ ἄκακα, φοροῦσι κουκούλλια, ἄνθρωπος δὲ τέλειος κουκούλλιον οὐ φορεῖ. Ἡμεῖς οὖν διὰ τοῦτο φορούμεν ἵνα νηπιάζωμεν τῇ κακίᾳ, ὡς λέγει ὁ Ἀπόστολος. Assumimus cucullam. Est ea symbolum humilitatis. Parvuli enim pueri, et innocentes, gerunt cucullas, vir autem perfectus cucullam non gerit. Nos igitur ideo eam gerimus, ut malitia parvuli simus, ut ait Apostolus, *etc. Cassianus quoque Instit. lib.* 1, *cap.* 4, *de monachis Ægyptiis loquens :* Cucullis namque perparvis usque ad cervicis humerorumque demissis confinia, quibus tantum capita contegant, indesinenter diebus utuntur ac noctibus; scilicet ut innocentiam ac simplicitatem parvulorum jugiter custodire, etiam imitatione ipsius velaminis commoneantur. *Quod vero* cucullam *Evagrius* tiaram, *vocat, inde patet acuminatam fuisse et* κωνοειδῆ, *qualia multorum in Occidente ascetarum capita Nicephorus lib.* 9, *cap.* 14, *utrumque confirmat, et acuminatos fuisse monachorum cucullos, et ad puerilium imitationem mitrarum assumptos a monachis.* Τοῦτῆς κεφαλῆς κάλυμμα, *inquit,* εἰς ὀξὺ λῆγον ὡσθ' ἁπλοῦς εἶναι καὶ μὴ ἀμύνεσθαι, κάθαρῶς δὲ καὶ ἀκεραίως βιοῦν ἐπίσης τοῖς γάλακτι τρεφομένοις παισίν, οἷς φίλον τιαύταις ἐξ ὀθόνης τιάραις καλύπτεσθαι, αἳ τὸ ἡγεμονικὸν σκέπουσί τε ἅμα καὶ περιθάλπουσι. Capitis vero tegmen acuminatum, ut simplices sint, et injurias non vindicent, pureque et innocenter vivant, lactentium puerorum instar, quorum capita ejusmodi lineis mitris operiri solent, quæ partem rationis principatum imperiumque obtinentem tegunt atque fovent. *Vox cuculla non ita monachalis est, ut putant quidam, quin antiqua sit et Latina; licet* cucullus *apud ethnicos scriptores usitatior sit. S. Hieronymus in vita S. Hilarionis :* Omnes divitias suas ei derelinquens, Evangelium scilicet, et tunicam saccineam, cucullam, et palliolum. *Et paullo post jubet se S. Hilarion sepelvi,* sicut vestitus erat, in tunica cilicina, et cuculla, et sago rustico. *S. Paulinus carm.* 13, *ad Cytherium :*

Donumque tunicæ, quo sodalem ornaverat,
Geminat cucullæ munere.

f *Non dubium, quin id propterea factum sit, quia intra septum mandræ suæ vir sanctus, dum viveret, nullam feminam, ne propriam quidem matrem, admisit, ut superius dictum est.*

DE S. PHOSTERIO ABBATE.

V Januarii.

Sanctum Phosterium ceteris, quos quidem viderim, auctoribus ignotum, ita celebrant Menæa V *Januarii.*

2 Hic S. P. N. Phosterius ex Oriente veluti sol quidam effulgens, Occidentem splendore suo illustravit. Cum enim altam rupem, et ab omni strepitu remotam ascendisset, purissimis Deum precibus coluit, cibique abstinentia, insomniaque et chameuniis, ceterisque corporis afflictationibus se ipsum discruciando, vere

S. Phosterius in rupe austere vivit.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

vere sidus videbatur, nomineque rebus conveniente, orbem omnem luminis fulgore implevit.

Castitate excellit. 3 Corpus autem castimonia illibatum, mentem sanctimonia consecravit, Deique expressam animi similitudinem, uti erat capax, custodiendo, Spiritus sancti sacrarium effecit. Etiam miraculis a Deo auctus et exornatus, morbos omnes omnisque generis ægritudines, a quacumque hominum forte precando depulit; panesque divinitus, ut olim Elias vates, accepit : sed ille per corvum, hic vero per cælitis manum capiebat. Angelus igitur erat, qui huic quotdiebus, certo quodam loco, certa quadam dispensatione panem seposuit. Quod si unus, alterve, aut tres pluresve religiosi fratres peregre advenissent, totidem panes eodem in loco per se reperiebantur.

Miraculis claret.

Panem ab Angelo accepit.

4 Quis umquam tam inusitatum miraculum vel oculis usurpavit, vel per auditionem accepit? Sed cum absque Deo nihil possit nostra deprecatio, non usque ad vitæ finem hoc Dei munus illi est concessum. Sed Prophetæ quidem ad aliquos dumtaxat dies. Beato vero huic ad annos non paucos, quoad nempe vitam solitariam et inopem est sectatus. Postquam vero cœnobium ope Numinis excitavit, plurimosque in eo monachos Deo dedicavit, non e cælo, ut ante, victum accepit, sed ex quotidiano manus opere omnibus necessaria præbuit : non quod id Deus non posset; (apage os impium! quomodo enim qui tot millia ingratorum Hebræorum in solitudine pavit, non possit fidissimos sibique gratissimos cultores et alumnos pascere? Patet res.) Neque rursum sancti viri preces Deus aspernatus est, absit : quin neque pro subtracto pastu umquam deprecatus est. Quærite enim, inquit Christus, regnum cælorum, et hæc omnia adjicientur vobis. Nec rursum placet Deo otium nostrum alere. Hinc præcepit Deus famulo suo Phosterio, uti ne quid ab alio acciperet, sed manus opera omnia sibi suisque compararet. Nihil enim a quoquam accipiebat, atque ab eo tempore non verbo tantum docuit suos alumnos, quo pacto faciendo opere essent occupandi, studioque precandi et legendi vacarent, sed reipsa et factis id ipsis ostendebat.

Monasterium extruit.

Ex Menæis.

Matth. 6. 33.

Labore manuum victitat.

5 Cum porro ea tempestate hæresis in Ecclesia Dei grassaretur, multisque coactis Patribus et ipse evocaretur, venire minime recusavit, reque bene gesta, summam de se omnibus admirationem commovit, multosque ex multis errorum sectis ad veritatem traduxit : pluresque suis adhortationibus ad vitæ monasticæ disciplinam attraxit : multaque miracula vivus mortuusque edidit. Obiit quinta Januarii ad vesperam.

Synodo interest.

Multos convertit.

DE S. ÆMILIANA VIRGINE

AMITA S. GREGORII MAGNI.

Sæculo VI. V Januarii. *S. Æmilianæ nomen in Martyrologiis.*

Martyrologium Romanum v *Januarii* S. Æmilianæ *Natalem refert his verbis :* Romæ S. Æmilianæ virginis, amitæ S. Gregorii Papæ, quæ, vocante Tharsilla sorore quæ ad Deum præcesserat, hac ipsa die migravit ad Dominum. *Meminerunt quoque illius Galesinius, Martyrologium Germanicum,* ms. *Florarium, Carthusiani Colonienses in Addit. ad Usuardum, Hugo Menardus, Arnoldus Wion, Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ, qui testatur, corpus ejus ac Tharsillæ sororis in S. Gregorii æde conditum esse. Colitur S. Tharsilla* xxiv *Decembris.*

2 *De utraque hæc scribit S. Gregorius Homilia* 38 *in Evangel. Dominicæ* 20 *post Trinitatem :* Tremendum est valde, fratres carissimi, quod audivimus. Ecce nos omnes jam vocati per fidem ad cælestis Regis nuptias venimus, Incarnationis ejus mysterium et credimus et confitemur, divini verbi epulas sumimus : sed futuro die judicii Rex intraturus est. Quia vocati sumus, novimus; si sumus electi, nescimus. Tanto ergo necesse est ut unusquisque nostrum in humilitate se deprimat, quanto si sit electus ignorat. Nonnulli enim bona nec incipiunt; nonnulli vero in bonis, quæ inceperunt, minime persistunt. Alter plene totam vitam ducere in pravitate conspicitur, sed juxta finem vitæ a pravitate sua per districtæ pœnitentiæ lamenta revocatur. Alter electam videtur vitam ducere, et tamen hunc contingit ad erroris nequitiam juxta finem vitæ declinare. Alius bonum bene inchoat, melius consummat : alius in malis actibus a primæva ætate se exercet, et in eisdem operibus semper seipso deterior consummatur. Tanto ergo sibi unusquisque sollicite metuat, quanto ignorat quod restat : quia quod sæpe dicendum est, et sine oblivione retinendum, multi sunt vocati, pauci vero electi.

Pauci electi, licet multi vocati.

Matth. 20. 16.

3 Sed quia nonnumquam mentes audientium plus exempla fidelium, quam docentium verba convertunt, volo vobis aliquid de proximo dicere, quod corda vestra tanto formidolosius audiant, quanto eis hoc de propinquo sonat. Neque enim res longe ante gestas dicimus, sed eas, de quibus testes existunt, eisque interfuisse se referunt. memoramus. Tres pater meus sorores habuit, quæ cunctæ tres sacræ virgines fuerunt : quarum una Tharsilla, alia Gordiana, alia Æmiliana dicebatur. Uno omnes ardore conversæ, uno eodemque tempore sacratæ, sub districtione regulari degentes, in domo propria socialem vitam ducebant. Cumque essent diutius in eadem conversatione, cœperunt quotidianis incrementis in amorem conditoris sui Tharsilla et Æmiliana succrescere, et cum solo hic essent corpore, quotidie animo ad æterna transire : at contra Gordianæ animus cœpit a calore amoris intimi per quotidiana decrementa tepescere, et paullisper ad hujus sæculi amorem redire. Crebro autem Tharsilla dicere Æmilianæ sorori suæ cum magno gemitu solebat : Video Gordianam sororem nostram de nostra sorte non esse : perpendo enim quia foras defluit, et cor ad quod proposuit non custodit. Quam curabant blanda quotidie redargutione corripere, atque a levitate morum ad gravitatem sui habitus reformare. Quæ quidem resumebat vultum subito gravitatis inter verba correptionis : sed cum ejusdem correptionis hora transisset, transibat protinus et superducta gravitas honestatis, moxque ad levia verba redibat. Puellarum gaudebat societate laicarum, eique persona valde onerosa erat, quæcumque huic mundo dedita non erat.

Tres S. Gregorii amitæ.

Gordiana tepidior.

Monetur a sororibus.

4 Quadam vero nocte huic Tharsillæ, quæ inter sorores suas virtute continuæ orationis, afflictionis studiosæ, abstinentiæ singularis, gravitate vitæ venerabilis, in honore et culmine sanctitatis excreverat, sicut ipsa narravit, per visionem atavus meus Felix, hujus Romanæ Ecclesiæ Antistes apparuit, eique mansionem perpetuæ claritatis ostendit, dicens : Veni, quia in hac te lucis mansione suscipio. Quæ subsequenti mox febre correpta, ad diem pervenit extremum. Et sicut nobilibus feminis virisque morientibus multi conveniunt, qui eorum proximos consolentur, eadem hora ejus exitus multi viri ac feminæ ejus lectulum circumsteterunt; inter quas mater mea quoque adfuit, cum subito rursum illa respiciens, Jesum venientem vidit, et cum magna animadversione cœpit circumstantibus clamare dicens : Recedite, recedite, Jesus venit. Cumque in eum intenderet quem videbat, sancta illa anima a carne soluta est : tantaque subito

Tharsilla a S. Felice Papa ad cælum evocatur.

Jesum moriens videt. *Suavem odorem spirat.*

Ex S. Gregorio.

subito fragrantia miri odoris aspersa est, ut ipsa quoque suavitas cunctis ostenderet, illuc auctorem suavitatis venisse. Cumque corpus ejus ex more mortuorum ad lavandum esset nudatum, longo orationis usu in cubitis ejus et genibus, camelorum more, inventa est obdurata cutis excrevisse, et quid vivens ejus spiritus semper egerit, caro mortua testabatur.

Ejus pietas.

Apparet Æmilianæ.

3 Hæc autem gesta sunt ante Dominici natalis diem. Quo transacto, mox Æmilianæ sorori suæ per visionem nocturnæ visionis apparuit, dicens : Veni, ut quia natalem Dominicum sine te feci, sanctam Theophaniam jam tecum faciam. Cui illa protinus, de sororis suæ Gordianæ salute sollicita, respondit : Et si sola venio, sororem nostram Gordianam cui dimitto? Cui, sicut asserebat, tristis vultu iterum dixit : Veni, Gordiana etenim soror nostra inter laicas deputata est. Quam visionem mox molestia corporis secuta est : atque ita, ut dictum fuerat, ante Dominicæ apparitionis diem, eadem molestia ingravescente, defuncta est.

Moritur Æmiliana.

6 Gordiana autem mox ut solam remansisse se reperit, ejus pravitas excrevit, et quod prius latuit in desiderio cogitationis, hoc post effectu pravæ actionis exercuit. Nam oblita Dominici timoris, oblita pudoris et reverentiæ, oblita consecrationis, conductorem agrorum suorum postmodum maritum duxit. Ecce omnes tres uno prius ardore conversæ sunt, sed non in uno eodemque studio permanserunt : quia juxta Dominicam vocem : Multi sunt vocati, pauci vero electi. Hæc ergo dixi, ne quis in bono jam opere positus, sibi vires boni operis tribuat, ne quis de propria actione confidat : quia etsi jam novit hodie qualis sit, adhuc cras quid futurus sit, nescit. Nemo ergo de suis jam operibus securus gaudeat, quando adhuc in hujus vitæ incertitudine qui finis sequatur ignorat.

Gordiana nubit.

7 *Hæc S. Gregorius; qui S. Tharsillæ rursum meminit lib.* 4. *Dial. cap.* 16. *S. Felicem S. Gregorii atavum ostendit Baronius Tertium fuisse ejus nominis, qui* XXV *Februarii colitur; non Quartum, qui* XXX *Januarii.*

DE SS. EPISCOPIS SENONENSIBUS

HONOBERTO ET HONULPHO.

Sæculo VIII. V Januarii.

Carthusiani Colonienses in Addit. ad Usuardum, sanctos hos Antistites hoc die referunt his verbis : Senonis Honoberti et Honulphi Episcoporum et Confessorum. *Claudius Robertus in catalogo Archiepiscoporum Senonensium testatur, eorum festivitatem agi* V *Januarii.* MS. *Florarium* XIX *Decemb. S. Honulphi natalem refert; at* XXXI *Augusti translationem his verbis :* In territorio Adartensi translatio S. Honulphi Senonensis Episcopi. *Honobertum vero* XXVIII *Septembr. celebrat. Fuit Honobertus (ut idem Robertus, Demochares, ac Joannes Chenu tradunt) Honulphi filius; nam pater filio in Episcopatum successit. Obiisse autem filium volunt anno* DCCLV, *patrem sexennio post, nimirum* DCCLXI. *Utriusque breviter meminit monachus Altissiodorensis in Chron. sic scribens :* Senonensi Ecclesiæ post S. Ebbonem *(de quo* XXVII *Augusti agemus.)* S. Honobertus præfuit, vir omni honestate præcipuus : cui successit Honulphus, et Honulpho Othbertus. *Hic Othbertus idem est, qui alibi Artbertus sive Hartbertus dicitur, ut ipse scribit Claudius Robertus. Sed cum Zacharias Pontifex in epistola ad S. Bonifacium anno Christi* DCCXLIV *data meminerit Artberti, necesse est fateri ante annum* DCCXLIII *obiisse S. Honulphum.*

not. 104.

S. Honobertus filius S. Honulphi.

COMMEMORATIO

S. FLAMIDIANI MARTYRIS,

CUSANI IN HISPANIA.

V Januarii. *S. Flamidiani Martyr. memoria in sacris fastis.*

Sancti Flamidiani Natalem hoc die refert Ferrarius in Generali catalogo Sanctorum. In territorio, *inquit,* Helenensi S. Flamidiani martyris. *Est* Helena, *vulgo* Elna, *urbs Catalauniæ Episcopalis sub Archiepiscopo Tarraconensi, ad flumen Techum, haud procul a mari distans. De S. Flamidiano hæc scribit Antonius Vincentius Domeneccus Ordinis Prædicatorum in libro de Sanctis Catalauniæ :*

2 Tradunt Ecclesiæ *a* Urgelitanæ, quæ perlustravi, monumenta, eam urbem annis dumtaxat duodecim et dimidiato fuisse in Maurorum potestate. Cum enim excessisset e vivis Dotila Episcopus, eam mox Barbari occuparunt, sed Christianis duodecim annis ac semestri post denuo cessit; creatusque ibidem Antistes Sisebutus eo nomine Primus. Quæ res insignem fidei in ea urbe ejusque pomœrio antiquitatem testatur.

a

Urgella capta a Mauris, mox recuperata.

3 Anno porro DCCXLV cum Galliæ, titulo quidem ac nomine *b* Hildericus, re ipsa *c* Pipinus Major domus præesset; ejusque filius Carolus, cui deinde Magni gloriosum nomen adhæsit, tres vixdum natus esset annos, die Septembris XIII, Sacerdotes quidam, divino afflati instinctu, ex Urgelitana diœcesi ad principium vallis *d* Confluentinæ, cui nomen Exalada, profecti, illic juxta fluvium *e* Tethin ex suis facultatibus monasterium construxere, quod Dei sanctique Apostoli Andreæ honori sacrum esse voluerunt, ac S. Benedicti regi instituto. Eversum est id deinde ejusdem fluminis eluvione, Abbate ac monachis plerisque suffocatis. Quinque dumtaxat superstites fuere: hi ad Protasium Urgelitanum Archidiaconum, cui sacra illa congregatio quadam erat spiritualium ac temporariarum rerum participatione devincta, adiere. Qui funestum illum casum miseratus, cum iis Caroli Magni Regis aulam petiit XXVII Decemb. *f* anno DCCXCIV ac monasterii tristi excidio commemorato, facultatem postulavit aliud in Cusana valle reædificandi. Libenter quod rogabatur concessit religiosissimus Princeps, eos jurejurando contestatus, ut B. *g* Germani Autisiodorensis id nomini dicarent. Atque ejus loci, in quo hæc gerebantur, Episcopo præcepit, ut Protasio manum S. Germani, dentemque *h* S. Amatoris largiretur. Protasium deinde secum *i* Romam deduxit, egitque cum *k* Adriano I Pontifice, uti hic Protasium

b

c

d

e

Fundatur monasterium Exaladæ.

Eluvione subruitur.

f

Reædificatur Cusani.

g

S. Germano dicatur.

h

i

k

sium Sacerdotio initiaret, et construendi monasterii crearet Abbatem. Rediit inde in Hispaniam Protasius cum suis, monasteriumque construxit, ac S. Germano dicavit, uti Carolus jusserat.

Ejus Abbates. 4 Multi ei loco post Protasium præfuere Abbates, Hembertus, Adasimundus, Amatius, Guntida, Blandericus, Adalardus, Aynardus, Raynardus, et Gondefrenus : hic ab *l* Agapito II, exemptionis diploma

l *Restauratur.* suo monasterio impetravit. Huic Pontius successit, qui monasterium vetustate nonnihil labefactatum restauravit, sanctique Archangeli Michaelis patrocinio

m commisit. Guifredo Comite *m* Barcinonensi favorem in eam rem suum sumptusque peramplos præstante, qui tunc fere virorum Principum mos erat. Universa hæc in choro, ut vocant, basilicæ S. Michaelis Cusani asservantur, ex variis diplomatis, atque aliis certissimæ fidei monumentis a Vincentio Pisano collecta, quæ indubitatam cœnobii illius antiquitatem testantur. Nam etsi sæpius reparati sint parietes, nomenque mutatum, eadem tamen permansit religiosorum hominum congregatio.

Hic reliquiæ sunt S. Flamidiani Martyris. 5 In hoc porro nobilissimum cœnobium, atque omnium quæ in Catalaunia a prima institutione non interruptam retinuere religiosam disciplinam, antiquissimum, S. Flamidiani Martyris sacræ sunt exuviæ deportatæ, præsens ad religiosi bravii prosecutionem incitamentum futuræ. Is martyrio coronatus

n memoratur *n* XXV Decemb. ipso Christi natali die, quo ejus in Missa memoria agitur. At postridie Octavæ Innocentium festum ejus ritu duplici celebratur, atque ejus in officio et Missa recitatur nomen. At nihil extat præterea. Nam quas usurpant antiquas Lectiones, eæ nihil ad vitam pertinent, nudi Patrum sermones.

Hæc Domeneccus, atque ex eo Antonius Yepes Chronic. Ord. S. Benedicti centur. 3, *ad ann.* 745, *cap.* 4.

NOT. 105.

NOTATIO.

EX ANT. VINC. DOMENECCO.

a *Urgella, sive Urgellum, urbs est Episcopalis in Catalaunia ad Sicorim, vulgo* Segre *amnem.*

b *Hic Hildericus III fuit, qui deinde in monasterium retrusus.*

c *Pepinus Brevis, Rex deinde Gallorum.*

d *Confluentana sive Confluentina regio. Tethi fluvio irriguo, qui et Perpinianum oppidum alluit. In hac valle* Prata *oppidum visitur, atque ab eo haud procul S. Michaelis cœnobium Cusanum sive* de Cuxano, *Ordinis Benedictini, præclara, ut traditur, ecclesia ornatum.*

e *Hic est, qui Pomponio Melæ lib.* 2, *cap.* 5. Thelis *dicitur.* Inde est ora Sardonum, *inquit,* et parva flumina Thelis et Thicis, ubi accrevere, persæva *Ptolemæo tabul.* 3, *Europæ* Rhuscion, *aliis* Ruscinon, *hodie* Tet *dicitur.*

f *Eo anno celebravit Carolus Domini natalem Aquisgrani, ut patet ex Annalibus Francorum ab Andrea du Chesne editis; priori anno Herbipoli. Sed manifestum, hic falli Domeneccum in numero annorum, cum post eum annum non sit profectus Romam Carolus, nisi anno* DCCC, *ad restituendum Leonem Papam. Potius anno* DCCLXXX, *ad Carolum venisse Protasium crediderim, quo anno Rex natalem Christi Ticini celebravit, indeque Romam profectus est.*

g *S. Germani vitam dabimus* XXXI *Julii.*

h *S. Amatoris Autosiodorensis Episcopi vitam dabimus* I *Maii. Fortassis occurrit Protasius Carolo prius quam in Italiam intraret; et cum duorum Autisiodorensium Antistitum ab eo reliquias impetrasse dicatur, verisimile est, Autisiodori ab Episcopo ejus loci illas accepisse.*

i *Jam diximus, videri id accidisse anno* DCCLXXXI. *Adriani* X, *quo Romam voti solvendi gratia Carolus venit, ibique Pascha celebravit.*

k *Creatus est pontifex Adrianus anno Christi* DCCLXXII, IX *Februarii, obiit anno* DCCXCV, *die* XXVI *Decembr.*

l *Agapetus II, iniit Pontificatum anno Christi* DCCCCXLVI, *decessit anno* DCCCCLV, *die* XXVII *Decemb.*

m *Hieronymus Zurita tomo* I, *Annal. Arragoniæ lib.* 1, *cap.* 8, *tradit, Wifredum II, Barcinonensem Comitem anno* DCCCXII, *obiisse, at cap.* 9, *Senioſredum Miri filium, qui anno* CMLXVII *mortuus est, ait a quibusdam, licet perperam, Guifredum sive Wifredum appellari. Is est fortassis qui Pontii Abbatis conatus promovisse hic commemoratur : nisi id præstiterit Wifredus Comes Rhuscinonensis, qui anno* DCCCCLXXXI, *vivebat, ut ibidem scribit Zurita.*

n *Nullo tamen in Martyrologio eo die nomen illius reperimus.*

TRANSLATIO SS. VICTORINI ABBATIS,

LUCÆ, AMBROSII, PRIVATI, MONACHORUM.

V JANUARII.

Ferrarius in generali Catalogo Sanctorum pridie Non. Januarii ita scribit : Placentiæ in Gallia togata Beatorum Victorini Abbatis, Lucæ, Ambrosii, et Privati monachorum. *Citat in Notis tabulas et antiqua monumenta cœnobii S. Sabini, aitque extare lectionem, eorum die festo recitari solitam, in qua de illorum translatione agitur; tempus vero quo vixerint ignorari : hanc esse translationis diem. De* S. Sabino, *sive* Savino, *Episcopo Placentino, a quo hujus cœnobii ductum nomen, agemus* XVII *Januarii, et* XI *Decemb.*

VITA S. GREGORII ACRITENSIS.

Ex Menæis Græcorum.

CIRCA AN. CHRISTI DCCCXX. V JANUARII. *S. Gregorii patria et parentes. Pecora pascit.*

a *Patriam relinquit.*

b *Abit Hierosolymam.*

Ignotus hic fastis Latinorum, ita celebratur in Græcorum Menæis : Traxit hic genus ex nobilissima Cretensium insula, religiosissimis parentibus Theophane et Juliana ortus. Cumque haud parum temporis litterarum studiis impendisset, jussus est a parentibus pecus pascere : sed ille jam olim cælesti desiderio incensus, relicta patria, *a* Seleuciam se contulit, et inibi non exiguo tempore, modico pane et aqua vitam toleravit. Sexto autem et vigesimo ætatis anno, (qua tempestate *b* Leo Imperator sacrarum imaginum hostis et eversor vitam abrupit, et Catholica religio respiravit, suæque libertati est reddita) Hierosolymam profectus, locaque sacra cum ingenti affectu veneratus, quam multa et gravia, cum ab Saracenis, tum Judæis, totis annis duodecim perpessus sit, litteris tradi non potest ab eo qui epitomas dumtaxat et brevitatem sectatur. *Multa patitur.*

2 Dein inde discedens, se Constantinopolim contulit : ubi sumpto *c* Angelico habitu, corpusculum suum abstinentia et jejunio domuit. Postquam autem extincto *d* Stauratio *e* Michael imperium tenuit, et *f* S. Nicephorus Ecclesiæ gubernacula tractavit, missus est *g* Michael Confessor, *h* Synadorum Episcopus Romam ad sanctissimum *i* Pontificem. Hic Constantinopoli *Fit Monachus.* *c* *d* *e* *f* *g* *h* *i*

Ex Menæis Græcorum.

cum B. Gregorio collocutus, secum illum, cum Roma rediisset, ad sanctissimum cœnobium, quod est in *k* Acrita, duxit, illicque religiosis viris adjunxit: ubi unica contentus tunica, sine calceamentis, in storea ex junco contexta somnum cepit, et post biduum aut triduum aliquid panis et aquæ libavit, vel gustavit potius.

k

Austerissime vivit.

l

3 Tum in altissimam fossam descendit, *l* ibique turbatum et miserabilem Ecclesiarum statum multis lacrymis longo tempore deflevit. Ex qua rursus emersus, angustissima se cella conclusit, unica pelle tectus, dolium, quod in horto stabat, aqua replevit; noctu abjecta tunica illud ingressus, ibi psalterium recitavit, rursusque egressus est: atque hoc tota vita sua factitabat. Cumque ita præclare pro æterna vita certasset, animam suam in manus Domini commendavit.

Noctu in aqua stans psalterium recitat.

NOTATIO.

a *Plures hujus nominis civitates legere est apud Ortelium, Ptolemeum, et alios. Videtur hæc esse vel* Seleucia aspera *dicta, urbs Metropolitana in Cilicia aspera, sub Antiocheno Patriarcha: vel* Seleucia Pisidiæ *in Pamphylia, et ipsa Metropolitana, sine ullo tamen suffraganeo: olim Antiocheno, deinde Constantinopolitano Patriarchæ subjecta.* Seleuciam Pieriam *arbitror tunc in Sarracenorum, cum vicina Antiochia, fuisse potestate.*

b *Mortuus est Leo* IV *Copronymi filius anno Christi* DCCLXXX, *suscepitque imperium Constantinus filius cum Irene matre, piissima femina.*

c *Sic appellatur habitus religiosus. Ita Joannes Moschus in Prato spirituali cap.* 94. An nescis, Domine frater, quia habitum Angelicum fers? *Ejus tradendi ritum ex Græcorum Euchologio explicat Rosweydus noster in Onomastico ad vitas PP. verbo* Schema.

d *Stauratius a Nicephoro patre Imperii consors adlectus anno* DCCCIII *anno deinde* DCCCXI *in prælio contra Bulgaros, in quo Nicephorus interiit, multis affectus vulneribus. Imperio exutus a Proceribus est, subrogato Michaele Curopalate.*

e *Tenuit imperium Michael a* V *Octob.* DCCCXI, *usque ad mensem Julium anni* DCCCXIII, *Catholicus et piissimus Imperator, S. Ignatii Patriarchæ parens.*

f *S. Nicephori Patriarchæ Constantinopolitani gesta dabimus* XIII *Martii.*

g *S. Michaelis Confessoris festum agitur* XXIII *Maii. De hac legatione agit Baronius Tom.* 9 *Annal. ad annum* DCCCXI, *nu.* 18, *et seqq. sed non recte Sinnaculorum Episcopum Michaelem vocat, qui Synadorum sive Synnadon fuit. Misit per eum ad Leonem* III, *Papam S. Nicephorus Patriarcha litteras de sua electione, fidei suæ professionem, et munera. Extant ex apud Baronium loco citato litteræ, in quibus Michaelem vocat Patriarcha* sanctissimum Metrapolitæ Sinnaculorum (*imo* Synnadon) Christo amabilis civitatis. *Tum de eo hæc subdit:* Erga vestram dilectionem valde ardenti et sincero amore afficitur, et in Ecclesiasticis rebus studiosum et alacrem se præbet; sicut et in sermone, et conversatione, ac virtute ceteris antecellit. *Exilii ærumnarumve fidei caussa toleratarum non meminit. Quare quod in Menæis hic* Confessor *appellatur, id dici videtur propter ea quæ paullo post sub Leone Armeno perpessus est. Nam quod in Menologio* XXIII *Maii dicitur, quia Leonis Isaurici hæresim redargueret, in exilium missus, intelligendum est de hæresi a posteris propagata: vel* Isaurici *pro* Armeni *positum est. Quod Baronio occasionem præbuit scribendi ad annum* DCCXXXIII, *num.* 2, *eo tempore pulsum in exilium esse ab Isaurico Michaelem; quod anno demum* DCCCXIV, *contigit, ut ad eum annum num.* 32, *scribit idem Baronius, licet restituat par* Synnadon, Sinnaculorum. *Sed cui nota est Sinnacula Metropolis? Ejusdem Michaelis Synnadensis celebris est mentio in Nicæna* II *Synodo, sive* VII *Œcumenica, quæ anno Christi* DCCLXXXVII, *habita est. Plura nos de eo suo loco.*

h Synada *sive* Synnada *urbs est Phrygiæ Salutaris Metropolitana, ut videre est in Notitia Episcopatuum Auberti Miræi.* Synnas *quibusdam Latinis dicitur.*

i *Erat is Leo* III, *qui anno* DCCXCV, *die* XXVI *Decemb. creatus Pontifex, obiit* XII *Junii, anno* DCCCXVI.

k *Est* Acritas *apud Ptolemæum Tab.* 1, *Asiæ, Bithyniæ promontorium, ad initium Propontidis. In eo arbitror fuisse monasterium, ad quod S. Gregorium deduxit in Phrygiam revertens Michael Episcopus: idemque arbitror esse, cujus Hegumenus sive Præpositus Sisinnius reperitur* VII *Synodo Œcumenicæ, sive Nicænæ* II, *subscripsisse Act.* 4, *licet isthic* Ἡγούμενος Ἀρίτας *dicatur, quod in Latina Conciliorum editione vertitur,* Præses Aretes.

l *Sub Leone Armeno præcipue, ad cujus extrema tempora, aut Michaelis Balbi initia (qui anno* DCCCXX, *ipso Christi natali Imperator est coronatus), videtur Gregorius pervenisse.*

DE S. EDUARDO CONFESSORE

ANGLIÆ REGE.

§ I. *S. Eduardi publica veneratio: res gestæ.*

An. Chr. MLXVI. V Januarii. *S. Eduardi sanctitas.*

Celebris est S. Eduardi Angliæ Regis et Confessoris in Romano Martyrologio memoria Nonis Januarii, testaturque Baronius in Notis, extare in Bibliotheca Vaticana litteras Innocentii IV, *Romani Pontificis de celebratione diei festi illius. Meminere et S. Eduardi Molanus hoc die, et Carthusiani Colonienses in Addit. ad Usuardum, Galesinius, Martyrologium Anglicanum, et Germanicum, ac* MS. *Florarium Sanctorum. In hoc tamen iterum* XIX *Januarii memoratur. Fortassis eo die e terra illius elevatum est corpus anno trigesimo sexto post mortem, ut in vita cap.* II, *dicitur. Nam primaria Translatio, quæ sub Henrico* II, *est facta, celebratur* XIII *Octobris, ut infra dicemus.*

2 *Vitam S. Eduardi scripsit S. Aelredus sive Ealredus, (de quo* XII *Januarii agemus) libris duobus, cujus id esse perhibeturinitium:* Multis veterum studio fuisse. *Scripsit et carmine eamdem vitam ad Laurentium Westmonasteriemsem Abbatem:*

Translatio.

Vita a quo scripta.

Cum tibi, Laurenti, cogar parere. ——

Item de Miraculis S. Eduardi: Rebus humanis exemptus. *Ita Molanus, Pitseus, et alii. Vita tamen olim a Joanne Capgravio, et post a Surio edita, quam et nos dabimus, vulgo S. Aelredo adscribitur a Surio, Galesinio, Vossio, et aliis, uti et in* MS. *Rubeæ vallis. Vitam quoque S. Eduardi scripsit Osbertus Clarentius Prior Westmonasteriensis, ejus ope a gravissima febri quartana liberatus, ut Harpsseldius testatur. Guilielmus Cambdenus, cum Wiltoniensem Comitatum describit, hæc ex S. Eduardi Confessoris vita citat:* Dum S. Edwardus monasterium B. Petri Westmonasterii molitur, Editha ejus uxor Wiltoniæ, ubi educata fuit, regio opere lapideum monasterium pro lignea ecclesia inchoavit, prosecuta affectum Regis affectu suo. *Hæc ex Osberto sumpta sint, an alio auctore, haud scio.*

3 *S. Eduardi laudes prædicant et alii scriptores quamplurimi: Auctor coætaneus in Encomio Emmæ Reginæ, Guilielmus Pictavensis in gestis Guillelmi Ducis, Guillelmus Gemmeticensis in Histor. Norman. Ordericus Vitalis in Ecclesiastica Historia, Ingulphus Abbas Croylandensis, Eadmerus monachus, Wilhelmus Malmesburiensis, Florentius Wigorniensis, Henricus Huntindoniensis, Matthæus Westmonasteriensis, Rogerius Hovedenus, Ranulphus Cestrensis, Matthæus Paris, Nicolaus Harpsfeldius, Polydorus Vergilius, ac ceteri qui rerum Normannicarum atque Anglicarum commentarios edidere: ut mirum sit, neminem unum omnes illius res gestas stylo prosecutum. Nam Ealredus fere solum ea attigit, quæ ejus pietatem vitæque sanctimoniam testarentur; si quidem ea ab Ealredo scripta est vita quæ extat.*

Laudatores alii.

§ II.

§ II. *Eduardi mansuetudo : fortitudo.*

Operæ pretium est, paucula ex aliis delibare ad S. Eduardi commendationem, quæ sunt ab Auctore vitæ prætermissa.

Pacifica indoles. Erat Eduardus, *inquit Polydorus Vergilius Angl. histor. lib.* 8, mitis ingenii, minimeque sagacis, et apprime bellorum ac cædis abhorrens, ita ut etiam exul dicere soleret, malle se vitam privatam perpetuo degere, quam per hominum cædem regnum recipere.

3 *Willelmus Malmesburiensis lib.* 2, *de gestis Regum Anglorum, S. Eduardi gesta fusc prosequitur, parum subinde in eum æquus, uxoremque ejus Editham. Is Eduardi ita mansuetudinem deprædicat.* Anno, *inquit*, Incarnationis Dominicæ millesimo quadragesimo secundo, S. Edwardus, filius Ethelredi, suscepit regnum, mansitque in eo annis viginti quatuor non plenis; vir propter morum simplicitatem parum Imperio idoneus, *Felicitas.* sed Deo devotus, ideoque ab eo directus. Denique eo regnante nullus tumultus domesticus, qui non cito comprimeretur; nullum bellum forinsecus; omnia domi forisque quieta, omnia tranquilla : quod eo magis stupendum, quia ita se mansuete ageret, ut nec *Mira mansuetudo.* viles homunculos verbo lædere nosset. Nam dum quadam vice venatum isset, et agrestis quidam stabulata illa, quibus in casses cervi urgentur, confudisset; ille sua nobili percitus ira: Per Deum, inquit, et Matrem ejus, tantumdem tibi nocebo si potero. Egregius animus, qui se Regem in talibus non meminisset, nec abjectæ conditionis homini se posse nocere putaret. *Auctoritas.* Erat interea ejus apud domesticos reverentia vehemens, apud exteros metus ingens. Fovebat profecto ejus simplicitatem Deus, ut posset timeri, qui nesciret irasci.

6 *De ejus virtute bellica idem Malmesburiensis, cum de bello inter Eduardum ac Godwinum filiosque gesto loquitur, hæc habet* : Nec segnem sensit Regem illa *Diligentia in bellis.* necessitas, cum et ipse in navi pernoctaret, et latronum exitus specularetur, sedulo explens consilio, quod manu nequibat præ senio. *Sane gnavum fuisse et magnanimum, si quæ bella ingruerent, Florentius Wigorniensis, Guilielmus Pictavensis, aliique ostendunt.*

§ III. *Justitia, ac Leges S. Eduardi.*

Nicolaus Harpsfeldius sec. II, *cap.* 3, *de Eduardo inter alia hæc tradit* : Ab exilio in tantam rerum amplitudinem gloriamque provectus, adeo nihil factus est elatiore animo, ut magis se postea ad omnem humi- *Humilitas.* litatem, animique demissionem abjecerit. Et quanto magis omnium rerum splendor ad elationem provocabat, eo ille se magis demittebat.

Justitia. 8 Accessit ad hanc aliarum omnium virtutum consociatio. Summa justitia et æquitate jus judiciumque moderabatur, a qua neque pauperis, neque divitis, aut potentis alicujus gratia deflectebat : ab ira, gula, ceterisque crassioribus id genus vitiis longe remotissimus. Mira in Deum divinaque omnia pietate propendebat. Et ut domesticis æqualem se quodammodo, populoque gratum et plausibilem, ita Dei se Sacerdotibus humilem præbuit. Monasteria dilapsa temporum injuria, Danorumque incursionibus et grassationibus, vel restaurabat, vel alia de novo erigebat. Vultus certe et sermo illius, omnis pietatis index erat. Vultus quidem suavis et jucundus, sanctitatem quam- *Sermo qualis.* dam spirabat. Sermo summa semper gravitate, et cælestium rerum narratione conditus; alias salutari doctrina instruens, alias miseros et afflictos jucunda consolatione reficiens, alias blanditiis leniens, alias pro re nata gravis et regia majestate terrens. Sed inter cetera, duo in eo enimebant, continuata videlicet et intenta pauperum, orphanorum, viduarum, et per- *Liberalitas.* petuæ castitatis cura. Adeo sane a coacervandis per fas nefasque divitiis (qui communis jam fere Principum morbus est) abfuit, ut pæne in alteram partem profusione et dissipatione potius peccarit.

Auctore S. Ealredo.

9 *Idem paullo post* : Eo felicitatis Remp. perduxit Eduardus, ut illa quæ tot annis, quasi immanibus ventis jactata navis, periculose dissipabatur, secure placideque, eo sedente ad Reipublicæ puppim, clavumque tenente, gubernaretur, planeque in eo quasi in quodam portu conquiesceret : ita quidem, ut pius Rex antiquum illud Salomonis, id est, Pacifici nomen obtineret. Tum leges illæ salutares (quas S. Edouardi *Leges Edgari, cur* S. Eduardi leges *dictæ.* leges vulgo appellant) robur viresque suas exeruere, et in summa pace tranquillitateque Rempublicam constituerunt. Quæ non ab illo quidem primum promulgatæ sunt, sed ab avo Edgaro. Quas ille, cum in summa illa Danicorum temporum asperitate sexaginta octo annos exolevissent, ad Reipublicæ usum revocavit, et ex illo tempore, ab illo suum nomen mutuatæ sunt : quas Guilielmus Primus postea ratas habuit, et confirmavit.

10 Quæ partim positæ sunt in rebus civilibus, partim in rebus Ecclesiasticis moderandis, eaque fere continent, quæ priorum Regum Inæ, Aluredi, Ethelstani, et aliorum scita complectuntur : nisi quod præter quædam alia, cautio illa contra eos, qui usuras et fœnus exigunt, Edouardi nostri propria videtur : *Propria ejus sanctio contra usurarios.* qua provisum est, ut hujusmodi homines omnibus facultatibus exciderent, et præterea instar exulum haberentur. O salubrem et sanctam cautionem atque provisionem! sed nullis umquam temporibus, atque nostris hodie, nostræque Angliæ præsertim, ubi immoderatæ usuræ omnia exedunt et exsorbent, adeo necessariam.

11 Harum legum per insequentes Normannorum *Leges S. Eduardi gratæ populo.* Reges antiquatio et abolitio, multas sæpe gravesque in Anglia turbas tumultusque ciebant : nullaque umquam gratior fuit Regum vox populo Anglicano, quam illa illorum, qui, ut nonnullis accidit, vel inescandi devinciendique sibi arctius populi, vel præsentis periculi expediendi gratia, se Leges illas in usum reposituros pollicebantur.

§ IV. *Emmam matrem rebus suis spoliat Eduardus, improborum consilio.*

Godwini contra Emmam machinatio. *Cum fuisset Godwinus, Cantiæ Comes, summa apud Reges Canutum, Haraldum, atque Hardecanutum auctoritate, sed apud hunc Emmam matrem pari aut etiam majori in gratia cerneret extitisse; ut est ambitio semper consortis impatiens, deturbare illam de gradu dignitatis aggressus est : veritus etiam fortassis, ne plus apud Eduardum, pium ac religiosum Regem, matris sanctissimæ prudentissimæque consilia, quam suæ valerent versutiæ; quippe qua et Canutum, ferocem cetera ac bellis assuetum, ita delinierat, ut et coleret religionem pie, et sacra loca ornaret locupletaretque munifice. Accedebat sceleris in Alvidum, Eduardi fratrem, admissi conscientia. Nam etsi placarat utcumque Hardecanutum, juvenem adhuc, et simulata fortassis credulitate ultro falli cupientem, ut res interea suas firmaret; id se Eduardo mater aliquando revocaret in mentem, timendum ei merito erat.*

13 *Sed ne Regi suspecta matris accusatio esset, adjutores sibi novi sceleris legit, quibus plurimum tribui a Rege noverat, atque eos quoque nescio qua arte inductos in fraudem, Leofricum, inquam, Herefordensium, et Siwardum Northumbrensium Comites. Cum his Regi suasit, ut matri omnia eriperet. Paruit iniqua suggerentibus, ut simplicis erat animi, Eduardus. Ergo anno* MXLIII *Christi, regni sui* I, diebus XIV, ante festivitatem S. Andreæ *Emmæ matri omnia aufert Eduardus.* Apostoli, *inquit Florentius Wigorniensis*, festinato Rex cum Comitibus Leofrico, Godwino, et Siwardo, de civitate Glaworna *(sive Glocestria)* Wintoniam venit improvise : et, ut illi consilium ei dederant, suæ genitrici

AUCTORE S. EALREDO.

nitrici quidquid in auro, argento, gemmis, lapidibus, aliisve rebus pretiosum habuerat, abstulit; vel quia priusquam Rex esset effectus, vel post, minus quam volebat illi dederat, et ei valde dura extiterat. Verumtamen sufficienter ei ministrari necessaria præcepit, et illam ibidem quietam manere jussit. *Idem refert Willielmus Malmesburiensis, qui ab æmulis objecta Emmæ crimina ita commemorat :*

Objecta Emmæ crimina;

Angustos filii jam dudum riserat annos,
nihil umquam de suo largita, hereditario scilicet odio parentis in prolem. *(Fuere enim gravia inter Ethelredum Eduardi patrem et Emmam matrem dissidia.)* Nam magis Cnutonem et amaverat vivum, et laudabat defunctum. Præterea congestis undecumque talentis crumenas inferserat, pauperum oblita, quibus non patiebatur dari nummum, ne diminueret numerum. Itaque quod injuste coacervaverat, non injuste ablatum, ut egenorum proficeret compendio, et fisco sufficeret regio. *Ita illi.* Sanctam tamen mulierem, *inquit Auctor*, fuisse comperio, et thesauros suos in ornamenta Ecclesiæ Wintoniæ, et aliarum fortassis, expendisse.

etiam stupri.

14 *Non hic stetit Godwini furor. Crimen ei violatæ pudicitiæ intentat : in partes trahit, a quibus opem præcipue vel sperare Emma poterat, vel ipse ei ultro ferendam suspicari, Normannos ipsos, qui cum Eduardo advenerant : qui ut erant plerique integræ vitæ, severi ultores insurrexere. Sed, ut mox dicemus, ei Deus opportune subvenit. Cuncta hæc præcipue machinatum fuisse Godwinum, Polydorus Vergilius aliique tradidere. Angli fere crimen omne in Roberti Episcopi ambitionem referunt, qui et Emmæ acerrimus hic adversarius fuit, et deinceps Godwini. Inde vero criminis vel fingendi vel suspicandi arrepta occasio, quod frequens ad* Alwinum, *(Polydoro* Advinum, *Wigorniensi* Alfwinum,) *Wintoniensem Episcopum diverteret,* tum quod proxima cognatione illi esset conjuncta, *ut ait Harpsfeldius,* tum ut illius præsentia consilioque viduitatis molestias facilius propelleret; *rebus præsertim suis, et qua apud filium Regem valere debebat auctoritate, per summum nefas spoliata.*

§ V. *Emma ordalio crimen diluit.*

Non erit abs re, *ut Harpsfeldii verbis utar*, ad uberiorem saltem lectoris notitiam, aliqua de his purgationum rationibus, quæ, præter duellum, his et posterioribus temporibus passim tam in Anglia quam alibi usurpabantur, licet ab Ecclesia postea, et multis antea sæculis, atque a primo nostro Apostolo Gregorio improbatis, præmittere. Ordalium hæc purgatio Saxonice dicitur, quod duplex erat, aliud per ferrum candens, aliud per aquam. Ferrum autem candens reus aut manibus ad novem pedes longum gestabat, aut nudis pedibus in pavimento ecclesiæ stratum, ad novem pedes latum pertransibat. In aquam vero aut ferventem aut bullientem manus, aut in frigidam totum corpus rei immittebant, vehementi omnium persuasione (quam rerum sæpe eventus confirmavit) noxios, et culpæ conscios, insigni aliqua calamitate et clade nobilitandos; immunes vero a crimine, a pœnæ quoque totius sensu immunes futuros; ut olim in aqua zelotypiæ apud Judæos accidisse scimus.

Ordalium purgatio per ferrum candens, vel aquam.

Præmittebatur trium dierum jejunium, et Missa.

16 Et trium dierum prævio jejunio, in quo ab omnibus aliis esculentis et poculentis, præterquam pane, sale, aqua, et herbis, temperabatur, cui crimen impingebatur, se expiabat. Tum celebrabatur Missa, cui reus intererat : et interim ferrum accendebatur : multisque cæremoniis et orationibus utebatur præterea Sacerdos, quibus a Deo precabatur, ut veritas rei gestæ, quæ occulebatur, in lucem erumperet. Rei deinde, præsentibus tam Regis quam Episcopi ministris, qui diligenter prospicerent ut omnia accurate ad præscriptam statamque purgationis formulam obirentur, ad locum purgationi designatum producebantur.

17 *Sed præstat de Emma antiquiorem audire Auctorem, Ranulphum Cestrensem, qui lib.* 6, *cap.* 23, *ita scribit :* Rex quoque Godwinum honorabat, filiam ejus Eddithan desponsabat, matrem propriam nec plene nec publice confundebat. De consilio tamen Godwini pretiosa quæque de matre sua cepit, vel quia ipsa nimis dura ante susceptum regnum ei fuerat, vel quia id ei conferri minus curabat. De Neustria quoque quosdam, qui prius sibi benefecerant, remunerando advocabat : inter quos Robertum quemdam Genmeticensem monachum, post Londoniensem Episcopum, deinde Cantuariensem Archiepiscopum fieri fecit. Cujus consilio Rex ipse simplex, qui nusquam nisi alieno consilio ductus perperam egit, in tantum adquievit, ut Godwinum socerum suum cum filiis exlegaret, matrem propriam, ob susceptam cum Wintoniensi Præsule familiaritatem, bonis omnibus privatam in monasterio de Werwelle detruderet, Alwinum etiam Episcopum incarceraret.

Emma in carcerem conjecta.

18 Emma siquidem laxius custodita scripsit Episcopis Angliæ, in quibus confidebat, se plus de Præsulis Wintoniensis dedecore, quam sua verecundia torqueri : paratam se Dei purgare judicio, ferrique candentis examine, Episcopum fore injuste diffamatum. Convenientes vero Episcopi, Regem ad rogata flexissent, nisi Robertus Cantuariensis obstitisset : Quomodo, inquit, fratres, feram illam, non feminam, audetis defendere, quæ filium suum Regem diffamavit, quæ amasium lubricum Christum Domini nominavit? Sed si ista femina vult purgare Pontificem, sed quis purgabit eam, quæ dicitur consensisse in necem Alfridi filii sui, et procurasse venenum Edwardo? Sed æstimo quod auctoritatem habebat supra sexus conditionem. Si tamen pro se ipsa novem passus, et pro Episcopo quinque passus continuos super novem ignites vomeres nudis pedibus et plenis vestigiis illæsa transierit, ab impetitione ista evadat absoluta.

Offert purgationem ferri candentis.

Accusat eam Robertus :

præscribit purgationis modum.

19 Præfigitur illico examinis locus, quo Rex et ceteri Proceres, excepto Roberto solo, convenerunt. Sed nocte præcedente mulier ad sepulchrum S. Swithini Wintoniensis perorans confortatur. Die sequenti, velatis oculis, ignitos vomeres nil læsa pertransit. Tunc Rex ingemiscens, et veniam petens, disciplinas ab utroque, Præsule scilicet et matre, recepit, oblata quoque illis restituit. Regina vero dedit S. Swithino novem maneria, et alia Episcopus novem maneria, præter illos novem vomeres, quos Emma pertransivit. Robertus vero fugit extra Angliam.

Ignitos vomeres illæsa pertransit.

20 *Eadem refert Polydorus Vergilius, eadem Nicolaus Harpsfeldius; sed hic paullo aliter totius rei catastrophen ita exponit :* Postridie statis cæremoniis peractis, a duobus Episcopis flentibus, et hinc inde utrumque ejus latus claudentibus, plebeia veste contecta, pedibus et tibiis ad genu ipsum nudis, per novem illos ardentes vomeres, in ecclesia Divi Suithini positos, populo aspectante ducitur : quos illa, erectis in cælum semper oculis, neque deorsum in pavimentum umquam deflexis, orationique tota intenta, suamque Deo caussam, ut olim Susanna, committens, illis ductantibus, post novem passus pertransiit. Apud populum vero, interim de rei eventu sollicitum, omnia fletu et lugubri ejulatione plena : una omnium vox Dei et Suithini opem anxie implorantium. Jamque extra ecclesiam pergebant Episcopi, quibus illa : Quando, inquit, ad vomeres perveniemus? Illi vero lacrymis oppleti, eam vomeres illos omnes et calcasse et pertransiisse, et egregie suæ conscientiæ, omniumque expectationi satisfecisse. Respexit deinde illa; et tum primum vomeres illos vidit, defunctamque se sua purgatione intellexit. Amplissimas deinde Deo et Suithino gratias egit. Populus, cum quid actum esset intellexisset,

Quo habitu gestuque id egerit.

intellexisset, mira lætitia gestire, miros præ admirationis et gaudii magnitudine clamores edere.

Rex veniam petit, et pœnam subit.

21 Ipsa recta, in eo quo erat apparatu, ad Regem filium proficiscitur, ut certa oculis illius innocentiæ suæ documenta subjiceret. Demisit se igitur ad matris pedes Rex, veniam submisse precatus, quod ita innocentem matrem vexari, tantæque infamiæ exponi passus esset. Tum illa, Naturales, inquit, et materni stimuli facile a me veniam extorquent : sed tu quomodo Alvino Episcopo fatisfacias, iterum atque iterum cogitato. Accersitur deinde ille, a quo Rex veniam nimiæ suæ facilitatis ac credulitatis accurate postulat, et facile impetrat : quam paucis et lenibus nudo corpori per Episcopos, et matrem flentem, impressis virgarum verberibus expiavit. Mox matri et Episcopo omnia, quibus spoliati fuerant, redduntur. Robertus interim in eventum rei intentus, et veritus ne, si Reginæ innocentia palam testata esset, ea res ingenti sibi dedecori et damno foret, subduxit se in Cantiam: et mox celebri illo eventu passim divulgato, mare trajecit, neque in Angliam umquam, ut quibusdam placere video, postea rediit. *Hæc ille.*

21 *Non videtur omnino Anglia excessisse Robertus, aut certe post liminio deinde reversus est : nam quinquennio post, anno nimirum* MD, *ut Westmonasteriensis, Wigorniensis, et alii tradunt, Cantuariensem Archiepiscopatum adeptus est. Porro novem illi vomeres, ut Harpsfeldius tradit, in claustro monasterii Wintoniensis humo obtecti sunt. Vitam S. Suithini, sive Swithuni, dabimus* II *Julii.*

VITA
AUCTORE SANCTO EALREDO.
CAPUT I.

S. Eduardi parentes, ortus, regni et sanctitatis prognostica.

Act. 10. 34 et 35. *Etiam divites sancti.*

Gloriosi ac Deo dilecti Regis Eduardi vitam litteris tradituri, ex verbis beatissimi Petri Apostolorum Principis sumamus exordium; qui Centurionis vocationem admirans, ait: In veritate comperi, qui a non est personarum acceptor Deus: sed in omni gente, qui timet Deum, et operatur justitiam, acceptus est illi. In omni enim gente, ordine, gradu et dignitate novit Dominus qui sunt ejus, et miseretur cui voluerit, et misericordiam præstat in quem sibi placuerit. Neque enim ex suiipsius natura vel paupertas præstat, vel adimunt divitiæ sanctitatem : nec perfectum obscuritas, nec reprobum claritas facit; nec claudit libertas, nec reserat servitus Paradisum. Primus Patriarcha Abraham et dives scribitur et perfectus, cui fides admirabilis et obedientia *a* imitabilis in rerum omnium copia prædicatur. Joseph dominus Ægypti constitutus a Rege, universo orbi præbuit castitatis exemplum. Sanctus Job qualis in divitiis fuerit, earum probavit ademptio, quem morbus corporis, tentatio uxoris, amicorum exprobatio, spectabili patientia reddidit clariorem. Rex David, quo nemo ditior, sed nemo et sanctior; quo nullus sublimior, sed humilior nullus; et inter thesauros innumeros sepelitur, et inter Dei amicos ceteris gratior computatur. Nemo proinde miretur. si noster Eduardus et Rex dicatur et sanctus, quem cernimus in divitiis egenum, et in deliciis sobrium, in purpura humilem, et sub corona aurea mundi contemptorem.

a

b c d e f Eduardi parentes.

2 Cum enim Rex *b* Ethelredus ex filia *c* Comitis Thoreti filium suscepisset *d* Edmundum, cognomento Ferreum-latus, ex Regina autem *e* Emma *f* Alfredum : Beatus Eduardus intra viscera materna conclusus præfertur utrique, agente eo qui omnia operatur secundum consilium voluntatis suæ, qui dominatur in regno hominum, et cuicumque voluerit, dat illud. Fit enim coram Rege magnus Procerum et Episcoporum conventus, et quia jam futuræ cladis indicia sæva processerant, agitur inter eos de regni statu tractatus. Alii vero Edmundum, ob invictissimum robur corporis, æstimant præferendum; alii, ob virtutem Nortmannorum, Alfredum promovendum tutius arbitrantur. Sed futurorum omnium præscius, prioris brevissimam vitam, alterius mortem immaturam prospiciens, in puerum necdum natum universorum vota convertit. Utero adhuc clauditur, et in Regem puer eligitur : non natus, natis præfertur : et quem necdum terra susceperat, terræ dominus designatur; et læti Proceres sacramentum fidelitatis illi jurant, qui utrum nasceretur ignorant.

Auctore S. Ealredo.

g Defertur in Nortmanniam.

h Ibi sancte vivit.

3 Paullo itaque post nativitatem S. Eduardi *g* irruentibus in Angliam barbaris, et maximam insulæ portionem cæde incendioque vastantibus, Regina cum filiis in Nortmanniam transposita est. Vivebat in *h* avita domo inter pueros puer, immunis tamen a vitiis quibus ætas illa solet implicari. Castus erat corpore, sermone rarus, simplex actu, et purus affectu. Frequentare Ecclesiam dulce habuit, crebrius orationibus incumbere, sacris Missarum interesse solemniis, visitandis monasteriis operam dare, et quos sanctiores sciebat, sibi monachos in amicitiam copulare.

Dani Angliam vastant.

4 Sæviebat interim gladius hostilis in Anglia; cædibus et rapinis omnia replebantur : ubique luctus, clamor et desolatio. Incenduntur ecclesiæ, monasteria devastantur, Sacerdotes a suis sedibus fugati, in locis desertis communem miseriam deplorantes delitescebant. Inter quos vir venerabilis *i* Brithwaldus *k* Vuintoniensis Episcopus *l* cœnobium Glastoniense mœrens ac tristis ingressus, orationibus vacabat et psalmis. Qui cum aliquando pro regni plebisque liberatione preces lacrymasque profunderet, quasi in hæc verba prorumpens, ait : Et tu Domine usquequo? Usquequo avertis faciem tuam? obliviscéris inopiæ nostræ et tribulationis nostræ? Sanctos tuos occiderunt, altaria destruxerunt, et non est qui redimat, neque qui salvum faciat. Scio Domine, scio, quia omnia quæ fecisti nobis, in vero judicio fecisti : sed numquid in æternum projiciet Deus, et non apponet ut complacitior sit adhuc? Eritne, Domine Deus meus, eritne finis horum mirabilium? aut in æternum tuus in nos mucro desæviet, et percuties usque ad internecionem? Inter preces tandem et lacrymas fatigatum sopor suavis excepit; videtque per somnium, B. Petrum in eminentiori loco constitutum, et ante eum præclari vultus in forma decenti, regalibus insigniis amictum Eduardum. Quem cum propriis manibus Apostolus consecrasset et unxisset in Regem, monita salutis adjecit : præcipueque cælibem vitam commendans, quot esset annis regnaturus, aperuit.

i k l S. Brithwaldus orans, videt Eduardum inungi a S. Petro.

S. Petrus futura ei revelat.

5 Obstupefactus Præsul tanti miraculi novitate, petit sibi a Sancto hujus visionis mysterium revelari. De statu insuper regni, et de instantis periculi fine Apostolicum exegit oraculum. Tunc placido vultu intuitus intuentem se, Domini, inquit, o Præsul, est regnum, et ipse dominabitur in filiis hominum. Ipse transfert regna et mutat imperia, et propter peccata populi regnare facit hypocritam. Peccatum peccavit populus tuus Domino, et tradidit eos in manus gentium, et dominati sunt eorum qui oderunt eos. Sed non obliviscetur misereri Deus, nec continebit in ira sua misericordias suas. Erit enim, cum dormieris cum patribus tuis, visitabit Dominus populum suum, et faciet Dominus redemptionem plebis suæ. Eliget enim sibi virum secundum cor suum, qui faciat omnes voluntates suas, qui me opitulante regnum adeptus Anglorum, Danico furori finem imponet. Erit enim acceptus Deo, gratus hominibus, terribilis hostibus, amabilibus civibus, utilis Ecclesiæ, laudabilemque vitam sancto fine concludet. Quæ omnia in B. Eduardo completa,

AUCTORE S. EALREDO.

completa, rei exitus comprobavit. Cum autem Episcopus de posteritate Eduardi quæreret, respondit S. Petrus : Regnum Anglorum, regnum Dei est. Post istum providebit Regem ad placitum suum.

Regnum Anglorum regnum Dei.

a *Surius*, inimitabilis.

b *Aliis dicitur* Etheldredus, Egelredus, Agelredus, Adelredus, *filius Edgari et Ælfridæ : hæc ei regnum poravit cæde privigni sui S. Eduardi Martyris, ut* XVIII *Martii dicemus. Coronatus est Ethelredus ann.* DCCCCLXXVIII, *Indict.* VI, *die Dominica,* XVIII *Kal. Maii; mortuus an.* MXVI *Indict.* XIV, IX *Kal. Maii feria* II.

c *Duxit Etheldredus an.* DCCCCLXXXI, *uxorem* filiam cujusdam Ducis *Westmonaster. At Malmesburiensis natum Edmundum scribit ex quadam,* quam fama obscura recondit. *Hanc quidam* Ethelgivam *vocant.*

d *Vir hic fuit egregius et magnanimus, a robore animi et corporis* Ireneside *appellatus, avus S. Margaritæ Reginæ Scotiæ, de qua* X *Junii agemus.*

e *Aliis* Imma, Elfgiva *etiam dicta, ut ait Hovedenus. Nupta est Ethelredo an.* MII. *filia Richardi I, Ducis Normanniæ.*

f *Auctor Encomii Emmæ ab Andrea Duchesnio editi, minorem natu Atfridum facit. Is scelere Godwini, ut post dicetur, trucidatus est.*

g *Anno* MXIII, *mense Augusto misit Ethelredus uxorem et liberos in Normanniam. Westm. Wigorn. Huntind.*

h *Non sic hoc accipiendum, quasi tunc adhuc avus vixerit, qui an.* DCCCCXCVI, *mortuus est, ut testatur Wilhelm. Gemmet. lib. 4, cap.* 20.

i *De* S. Brithwaldo, *sive* Brithwoldo *agemus* XXII *Januar. ubi rursus et de hac visione*

k *Ita Capgravius et Surius. At Malmesburiensis aliique hunc S. Brithwaldum* Wiltoniensem *Episcopum fuisse scribunt, diversum a* Wintoniensi. *Quæ* Wiltonia *quæque* Wintonia *sit, ibi dicemus.*

l *Erat* Glasconia, *aliis* Glastonia *vulgo* Glastenbury, *nobilissimum et antiquissimum in Comitatu Somersettensi monasterium, ad* Brium *flumen.*

CAPUT II.

Eduardus fit Rex : virtutibus floret.

Stabat adhuc spiritus procellæ, et exaltati sunt fluctus ejus, externisque malis accessit civilis discordia, adeo ut quis cui mentis suæ secreta committeret, nesciretur. Plena erat proditoribus insula : nusquam tuta fides, nusquam sine suspicione amor, sermo sine simulatione. Tandem eousque proditio civilis et astutia processit hostilis, ut defuncto Rege Ethelredo, magna pars insulæ, legitimis heredibus abdicatis, *a* Canuto, qui regnum invaserat, manus darent : peremptoque invictissimo Rege Edmundo, *b* etiam filios ejus, adhuc in cunis agentes, Barbaris mitterent occidendos. *c* Alfredus demum Eduardi frater in Angliam transuectus, inaudita crudelitate ab hostibus civibusque perimitur.

Canutus fit Rex.

a

b

Edmundus et Alfredus occiduntur.

c

7 Tunc Eduardus omni humano destitutus auxilio, exul patriæ, regni, et honoris vivebat : impiorum insidias timebat, et ne a suis proderetur, vel ab hostibus ad mortem emeretur, plurimum formidabat. Invento autem consilio salutari, Deo prosternitur, talia prosequendo : Ecce, inquit, Domine, non est mihi auxilium in me, et necessarii mei recesserunt a me : amici mei et proximi mei adversum me appropinquaverunt, et steterunt. Pater meus post multos labores rebus humanis excessit; fratres meos crudelitas proditorum absorbuit : nepotes in exilium acti sunt : *d* mater æmuli nostri nuptiis tradita est. Ita solus relictus sum, et quærunt animam meam. Sed tibi Domine derelictus sum pauper, pupillo te eris adjutor. Tu quondam *e* Edwinum, morti expositum, mirabili modo et vitæ reservasti et regno. Tu illud Angliæ decus, *f* S. Oswaldum ex exule Regem factum, per signum Crucis reddidisti cunctis hostibus fortiorem. Si igitur fueris mecum, et custodieris me, et reduxeris me in regnum patris mei, eris tu mihi semper in Deum, et B. Petrus Apostolus in patronum : cujus sacratissimas reliquias in urbe Roma, te annuente, te regente, te comitante, visitaturum me promitto. Ex hinc enim factus fide robustior, spe alacrior, expectans expectavit Dominum.

Eduardus vovet visaturum se S. Petri sepulchrum regno recepto :

d

e

f

8 *g* Canuto autem Rege rebus humanis exempto, *h* filiis ejus immatura morte præreptis, Angli Danico jugo liberati, Eduardum in Regem elegerunt, *i* et cum maximo honore consecrati et inungi fecerunt. Tunc Sacerdotes sapientia et sanctitate fulgebant, monasteria omni religione pollebant, agebat Clerus in officio suo, populus stabat in gradu suo. Videbatur etiam terra fecundior, aer salubrior, maris unda pacatior. Reges enim et Principes pro tanta rerum mutatione admiratione perculsi, cum tanto Rege *k* fœdus inire, amicitias jungere, pacem componere gavisi sunt. Sola tamen *l* Dacia adhuc spirans et anhelans cædes, Anglorum interitum minabatur. In his omnibus vir beatus in gloriam non est elatus humanam, sed hanc sibi vivendi formam proponens, suis se domesticis præbebat æqualem, Sacerdotibus humilem, plebi gratum, compatientem miseris, et largum egenis. Nulla apud eum personarum acceptio : sed judicabat in justitia pauperes, et arguebat in æquitate pro mansuetis terræ; eratque pater orphanorum, et judex viduarum. Si quidquam petebatur, præbebat; si accipiebatur, tacebat. Nullus umquam eum vidit aut inflatum superbia, aut ira efferatum, aut gula dehonestatum. Supra humanum enim modum pecuniarum contemptor, nec in earum amissione tristior, nec in adeptione videbatur hilarior.

g

h

i

fit Rex.

k

Icit fœdus cum variis Principibus.

l

Omni virtute floret.

9 Recumbente aliquando gratia quiescendi Rege in lectulo, Camerarius accessit ad thecam, in qua æs regium servabatur, et reposito intus quod volebat, et illam claudere oblitus, foras egressus est. Animadvertit hoc quidam, et accedens ad thecam, pecuniam non modicam in sinum recondit, et abscedit. Reversus denuo, Rege inspectante, facinus iteravit. Quod cum tertio attentasset, cernens Rex in spiritu thesaurorum adesse custodem, ait : Importune agis, o homo : si mihi credis, tolle quod habes, et fuge; quoniam si venerit Hugolinus, (hoc enim Cubicularii nomen erat) nec unum tibi nummum relinquet. Fugit ille, et vix pedem extulerat : et ecce minister Regis rediens, et thesaurum ablatum reperiens, timore et tremore concutitur : angustiam cordis et furorem mentis clamor et suspiria prodiderunt. Surrexit Rex, et quasi nesciens quid acciderit, perturbationis hujus causam inquirit : quam cum didicisset, ait : Tace, forte ille qui cepit, plus nobis indiguit, habeat sibi; nobis sufficit quod remansit.

Insignis pecuniæ contemptor.

a Canatus, *sive* Cnuto *Danus, Suani filius, Ethelredo mortuo, partis Angliæ Rex fuit; ceteri Edmundo adhæsere : acre cum hoc bellum inde pax et amicitia. Edmundum nocte S. Andreæ eodem anno* Eadricus, *sive* Edricus, *Dux Merciorum, proditorie interimi Curavit : quam ob caussam ipse a Canuto cujus gratiam parricidio aucupabatur, trucidatus est.*

k Eadwinum, (*vel* Eadwium, *Wigornienst* Eadmundum) *et* Eadwardum, *vel* Eduardum, *Edmundi filios, ad Regem Suconum Canutus perimendos misit. Hic scelus aversatus, ad Salomonem Regem Hungariæ nutriendos ablegavit. Prior isthic obiit : alter Agatham uxorem duxit, suscepitque liberos, de quibus alibi.*

c *Alfredus mortuo Canuto, cum magno Normannorum comitatu in Angliam venit an.* MXXXVI. *Sed Godwini perfidia plerique barbare eviscerati, aliterque trucidati sunt : Alfredo oculi eruti : tum in Elyense cœnobium ignominiose relegatus, ibi paullo post obiit. Laudator Emmæ. cap.* 1, *citatus, tradit, eum miraculis a morte illustratum, et* Martyrem *appellat.*

d *Anno* MXVIII, *Canutus Emmam, Ethelredi viduam a Richardo fratre petiit uxorem, et obtinuit. Ita scilicet Normannus nepotum suorum Eduardi et Ælfredi patrocinium abdicavit, ut res suas nova hac affinitate firmaret.*

e *De S.* Edwino, *mirabiliter apud Redwallum Regem servato, agemus* XII *Octob. in ejus vita.*

f S. Oswaldi *vitam dabimus* V *Augusti.*

g *Mortuus est Canutus* XII *Novembr. an.* MXXXV.

h *Prior fuit* Haraldus, *ex Algiva concubina genitus, qui Emmam thesauris suis spoliatam ejecit. Ea tunc in Flandriam venit. Haraldo an.* MXL, *mortuo, Rex Angliæ factus est* Hardecanutus, *Canuti et Emmæ filius; mortuus vero* VIII *Junii an.* MXLII.

i Eduardus *an.* MXLIII, *die festo Paschæ,* III *Non. April.* erigitur in Regem, *inquit Ranulphus Cestrensis,* apud Westmonasterium, seu Wintoniam secundum quosdam; (*imo secundum plerosque.*) Eduardus igitur III. (*subdit idem scriptor*) in Regem erectus chartam talem scripsit, quæ apud Westmonasterium adhuc servatur; quod quotiens ipse, aut quisquam successor, Regium diadema apud Westmonasterium. Wintoniam seu Wigorniam portaret, eo die Præcentor loci recipiat de fisco Regio 81. marcas, Conventus 100. simenellos, et unum modium vini, *Semenellos arbitror panes similagineos esse.*

k *Inter hos fuit Heraldus Rex Norwegiæ, de quo Wigorniensis anno* MXLVIII.

l *Ita*

1 *Ita Daniam alii quoque appellant scriptores, quod a* Dacis *vel* Dahis *Scythiæ populis ducere originem Danos existiment. Videndus Joannes Isacius Pontanus in Chorographica Daniæ descriptione.*

CAPUT III.

Virginitatem cum uxore servat, hostis mortem divinitus cognoscit.

Proceres autem terræ de successione solliciti, Regem de uxore ducenda conveniunt. Stupet Rex, thesauro metuens suo, qui in fictili vase reconditus, facile poterat calore dissolvi. Sed quid ageret? Si obstinatus resisteret, timebat ne propositi sui prodiretur dulce secretum : si suadentibus præberet assensum, naufragium pudicitiæ formidabat. Tandem importune insistentibus cedere tutius ratus, hujusmodi verbis pudicitiam suam Domino commendabat : Jesu bone, tua quondam misericordia tres pueros inter flammas Chaldaicas illæsos servavit. Per te Joseph, relicto pallio in manibus meretricis, cum titulo castitatis evasit. Admirabilis Susannæ constantia tua virtute de impudicis presbyteris triumphavit. Sanctæ Judith castitas ab Holoferne nec lædi potuit, nec tentari. Ecce ego servus et filius ancillæ tuæ, qualiscumque dilector tuus et unicæ Matris tuæ : succurre mihi Domine, quatenus sic maritale suscipiam sacramentum, ut pudicitiæ periculum non incurram. Rege igitur Procerum voluntati consensum præbente, *a* Godwini filiam duxit in uxorem. Erat autem Godwinus vir magnarum opum, sed astutiæ singularis, Regum regnique proditor : qui doctus fallere, et quælibet dissimulare consuetus, facile populum ad cujuslibet factionis inclinabat assensum. Sed sicut *b* spina rosam, genuit Godwinus Editham.

Invitus uxorem ducit Editham.

a

b

Editheæ virtutes.

Hanc dilecto suo præparavit Christus Eduardo, inspirans ei ab ipsa infantia castitatis amorem, odium vitiorum, virtutis affectum. Legere, aut operari manibus, otium fugiendo consuevit lasciviam vitare, et colloquia invenum declinare. Convenientibus igitur in unum, Rex et Regina de castitate servanda paciscuntur, nec huic fidei alium, quam Deum testem æstimant adhibendum. Fit illa conjunx mente, non carne; ille maritus mente, non opere. Perseverat inter eos sine actu conjugali conjugalis affectus, et sine defloratione virginitatis, castæ dilectionis amplexus. Diligitur ille, sed non corrumpitur; diligitur illa, nec tangitur : et quasi nova quædam Abisag Regem calefacit amore, sed non dissolvit libidine; mulcet obsequiis, sed desideriis non emollit.

Servant virginitatem. 3. Reg. 1.

11 Quadam namque die Pentecostes, cum Rex divinis interesset mysteriis, hora elevationis Corporis Christi subito Rex vultu hilarior, et erectior oculis, in risum modicum, servata tamen regia gravitate, dissolvitur. Mirari, qui aderant, cœperunt; nec sine caussa, cum præter consuetudinem id ei accidisse sciebant. Peractis autem Missarum solemniis, caussam risus instanter adstantes sibi exponi petunt. Ille, ut erat miræ simplicitatis, simpliciter quærentibus simpliciter omnia confitetur, dicens : *c* Convenit Danis cum Rege suo antiquum facinus iterare, et quam nobis propitia divinitas largita est, infestare quietem. In percussione quidem nostra, qua castigans castigavit nos Dominus, ignorantes Dei justitiam, et suam extollentes virtutem, dixerunt : Manus nostra excelsa, et non Dominus fecit hæc omnia. Quia vero Deus patribus nostris iratus, Danorum nos tradidit potestati, suis id viribus tribuentes, facile hoc ipsum et nunc fieri posse arbitrabantur; nescientes quia qui percutit, ipse et sanat; et qui mortificat, ipse et vivificat; et qui ducit ad inferos, ipse et reducit. Igitur Rex Daciæ, coacto in unum exercitu, hodierna die ventis pro voto flantibus naves parari præcepit. Jam naves velis, et vela ventis fuerant committenda : et Rex iniquus ob nimiam superbiam quasi semetipsum non sustinens, dum de scapha in navem conscendere vellet, pede lapso inter utramque, in mare corruit, et statim abyssus vallavit eum, et pelagus cooperuit caput ejus : sicque morte sua utrumque populum, Danorum scilicet et Anglorum, a peccato pariter et periculo liberavit. Et spero in Domino Deo meo, et in dulcissima Matre ejus, quod temporibus meis nullum habebit conatus eorum effectum. Hæc sunt, quæ Christo revelante cognovi, et vidi, et risi, et gavisus sum : risum enim mihi fecit Dominus, et quicumque audierit, corridebit mihi. Notantur tempus et hora : mittuntur nuntii in Daciam; et omnia, quæ beatissimo Regi cælitus nuntiata fuerant, vera et eadem hora accidisse reperta sunt.

Cognoscit divinitus mortem hostis sui.

c

Auctore S. Ealredo.

a *Matthæus Westmonast. anno* MXLIV Rex Eadwardus in patrocinium regni sui, filiam Godwini potentissimi Consulis, nomine Æditham, uxorem duxit. *Idem scribit Hundintoniensis. Malmesburiensis ait,* pactum fuisse, *Eduardum; priusquam Rex fieret,* Godwino amicitiam, filiis honores, filiæ matrimonium.

b *Idem Editheæ elogium recitat Ingulphus Crowlandensis, qui ejus pietatem, castitatem, pulchritudinem, modestiam, doctrinam, aliasque virtutes prædicans, tandem,* in nullo, *inquit, patris aut* fratrum barbariem sapiens.

c *Hæc non memorant Danorum Annales. Constat Magnum Norvegiæ et Daniæ Regem voluisse Angliam invadere, ut ad an.* MXLV *habet Westmonast. Sed Suano sibi bellum indicente, coactum desistere. Suano, ne instructa classe Angliam invaderet, tributum obtulisse S. Eduardum, scribit Adamus lib.* 3, *c.* 12.

CAPUT IV.

Votum ejus de Romana peregrinatione relaxat Papa.

Succedentibus itaque prosperis, Rex voti sui nequaquam oblitus, recogitans quanta sibi fecerit Dominus, qui ditavit egenum, sublimavit humilem, inglorium coronavit, parat reddere vota sua, parat sumptus, parat donaria. Vocatis autem regni Proceribus, habuit cum eis de statu regni, vel de sua peregrinatione sermonem; dicens : Non excidit nobis, quomodo irruentibus in hereditatem nostram Barbaris, facti sumus opprobrium vicinis nostris, subsannatio et illusio his qui in circuitu nostro sunt. Aliis namque interfectis, aliis fugatis, aliis jugo ignominiosæ servitutis oppressis, nihil fere honoris, nihil gloriæ nostro generi reliquerunt. Tandem defuncto patre meo, peremptis fratribus, actis in exilium nepotibus, et cum hostibus nostris in omnibus fortuna faveret, mihi profecto nihil spei superesse videbatur. Ego vero contra spem credens, et Domini mei misericordiæ me totum dedens, peregrinationem meam ad sanctorum Apostolorum limina vovi, et deinceps divinæ me protectioni dispositionique commisi. Ille autem respexit in orationem meam, et non sprevit precem meam, et abstulit opprobrium meum, et restituit me in regnum patris mei. Insuper cumulatum divitiis auxit gloria, donis cælestibus illustravit. Ipse sine sanguine rebelles subegit, hostes subvertit, et omnia nostra amabili quadam pace composuit. Absit ut tot et tantis ejus beneficiis inveniamur ingrati : quin potius de manu inimicorum nostrorum liberati, serviamus illi in justitia et veritate, faciamusque quod ait Propheta : Vovete et reddite Domino Deo vestro. Decernite ergo mecum, quomodo me peregrinante regnum subsistat Anglorum : qua lege, qua pace, qua justitia, quo judice omnia disponantur : quis castra, urbes, privata et publica negotia procuret. Erit autem unus omnium custos et protector Deus, et pacem quam dedit, ipse servabit, nobiscum proficiscens, et nobiscum remanens : qui et vos custodiat, et me reducat.

Romam ire cupit, ut votum solvat.

Psal. 75. 12.

13 Tunc omnes in communi vociferantes ad Regem, se non deserendos, se non exponendos gladiis, patriam hostibus non prodendam, nec pro uno, ut putabatur, bono tot admittenda pericula allegabant. Tunc Rex eorum vocibus et precibus urgeri se sentiens, diu in animo fluctuabat : quia et voto supersedere, periculosum; et tantorum precibus fletibusque non cedere,

Obsistunt Proceres; consulit Pontificem.

AUCTORE S. EALREDO.

cedere, inhumanum arbitrabatur. Tandem peregrinationem differens, expectabat donec Apostolico fultus consilio, aut votum redimeret, aut impleret.

14 Demum Pontifex summus, consideratis præmissis, et diligenter discussis, Regi epistolam subscripta continentem transmisit : *a* Leo Episcopus servus servorum Dei, dilecto filio suo Eduardo Anglorum Regi salutem et Apostolicam benedictionem. Quoniam voluntatem tuam laudabilem et Deo gratam cognovimus, gratias agimus ei, per quem Reges regnant, et Principes justa decernunt. Sed quia prope est Dominus in omni loco omnibus invocantibus eum in veritate, et sancti Apostoli cum suo capite conjuncti, unus spiritus sunt, et pias preces æqualiter audiunt; et quia constat periclitari Anglicam regionem ex tua discessione, qui freno justitiæ seditiosos ejus motus cohibes; ex auctoritate Dei et sanctorum Apostolorum absolvimus te a peccato illius voti, pro quo Dei offensam times, et ab omnibus negligentiis et iniquitatibus tuis, ea potestate usi, quam Dominus in B. Petro concessit nobis, dicens : Quæcumque solveris super terram, soluta erunt et in cælis. Deinde præcipimus tibi sub nomine sanctæ obedientiæ et pœnitentiæ, ut expensas, quas ad iter istud paraveras, pauperibus eroges, et cœnobium Monachorum in honore S. Petri Apostolorum principis aut novum constituas, aut vetustum emendes et augeas, et sufficientiam victualium Fratribus de tuis reditibus constituas : quatenus dum illi assidue inibi Deum laudaverint, et Sanctis augeatur gloria, et tibi indulgentia. Cui loco quidquid contuleris, vel collatum est, vel conferetur, ut ratum sit, Apostolica auctoritate præcipimus, et ut semper habitatio Monachorum sit, et nulli laicæ personæ nisi Regi subdatur : et quæcumque privilegia ibi constituere volueris ad honorem Dei pertinentia, concedimus, et robustissima auctoritate confirmamus, et in fine fractores eorum æterna maledictione damnamus.

a

Matth. 16. 19.

Hic in voto dispensat : alia injungit pia opera.

Dispensatio confirmatur a S. Petro, et revelatur cuidam Eremitæ.

15 Responsalibus autem Regis et litteris Pontificis oraculum cæleste concurrit. Erat enim in Anglia vir quidam Deo dilectus et hominibus, qui in specu subterraneo multis annis inclusus, suorum erat metitorum stipendiis jam vicinus. Huic Petrus Apostolus in visione noctis assistens, ait : Rex Eduardus pro voto, quo se, cum adhuc exularet, adstrinxerat, pro regni etiam pace, pauperumque necessitate preceque sollicitus, Romanam Ecclesiam de omnibus credidit consulendam. Noverit ergo, se mea auctoritate ab hac obligatione solutum, et de cœnobio ad mei nominis honorem construendo a summo Pontifice suscepisse mandatum. Incunctanter itaque litteris Apostolicis fidem habeat, præceptis obediat, consiliis acquiescat. A me enim egressus est sermo, quem sibi quondam patronum elegit, viæ comitem, gratiæ largitorem. Est autem mihi locus in Occidentali parte Londoniæ a me electus, mihi dilectus, quem quondam mihi propriis manibus consecravi, mea nobilitavi præsentia, divinis etiam miraculis illustravi : *b* Thorneia nomen est loci, qui quondam ob peccata populi, Barbarorum traditus potestati, pauperrimus ex divite, humilis ex sublimi, ex nobili factus est contemptibilis. Hunc me Rex præcipiente in habitaculum Monachorum suscipiat reparandum, sublimandum ædificiis, possessionibus ampliandum. Non erit ibi aliud nisi domus Dei, et porta cæli. Ibi erigenda est scala, per quam descendentes et ascendentes Angeli, preces et vota hominum perferant et deferant gratiam. Inde ascendentibus reserabo januas paradisi, ut ex officio, quod meus mihi Dominus ac Salvator injunxit, et ligatos absolvam, et absolutos suscipiam; et quam eis delictum occluserat, justificatis portam patriæ cælestis aperiam. Tu autem omnia, quæ audisti a me et didicisti, litteris tradens Regi mitte, et munere Dei duplicato, et de absolutione securior, et præcepti executione devotior, in mei autem dilectione et obsequio reperiatur propensior. His dictis, lux cum loquente disparuit. Scripsit itaque senex omnia audita, et Regi direxit. Eadem autem hora lecto Papæ rescripto, beati senis apices recitantur. Tunc Rex lætus et alacris, pecuniam quam ad peregrinationem paraverat, pauperibus distribuit, et monasterium ædificavit.

b

a *Hic est* S. Leo IX, *qui ab anno* MXLIX, *usque ad* MLIV, *sedit. Ejus vitam dabimus* XIX *Aprilis.*

b *A spinis* Thorney *dictus is locus, ab occiduo situ et monasterio* Westminster. *Egregie locum describit Guil. Cambdenus in Trinobantibus.*

CAPUT V.

Westmonasterium ædificatur, a S. Petro dedicatur.

Tempore quo Rex *a* Ethelbertus, qui regnavit in *b* Cantia, prædicante *c* B. Augustino fidei sacramenta susceperat, nepos ejus *d* Sebertus, qui Orientalibus Anglis præfuit, fidem eodem Episcopo evangelizante suscepit. Hic *e* Londoniis, quæ regni sui caput habebatur, intra muros ecclesiam *f* B. Pauli fabricavit, et Episcopali honore. *g* Mellitum Episcopum instituens, honoravit. Extra muros vero in Occidentali parte, in honore B. Petri monasterium insigne fundavit, et multis possessionibus ditavit. Nocte autem dedicationem ejusdem ecclesiæ præcedente, piscatori cuidam *h* Thamesis fluvii, qui idem monasterium præterfluit, ulteriori ripa in habitu peregrino B. Petrus apparens, promissa mercede, transponi se ab eodem et petiit et promeruit. Egressus autem de navicula, *i* ecclesiam, piscatore cernente, ingreditur. Et ecce subito lux cælestis emicuit, miroque splendore illustrans omnia, noctem convertit in diem. Adfuit cum Apostolo multitudo civium supernorum ingredientium, melodiaque cælestis insonuit, indicibilis odoris fragrantia nares perfundebat.

a *b c* *d* *e* *f* *g*

Westmonasterium a S. Augustino ædificatum.

h *i*

17 Peractis autem omnibus, quæ ad ecclesiæ dedicationem spectant, solemniis, redit ad piscatorem piscium, piscator egregius hominum. Quem dum divini luminis fulgore perterritum, et alienatum pæne sensibus reperisset, blanda consolatione reddit hominem sibi, animum rationi. Ingredientes cymbam simul uterque piscator, ait Petrus : Numquid pulmentarium non habes? Et ille : Inconsuetæ, inquit, lucis perfusione stupidus, et expectatione tui detentus, nihil cepi, sed promissam a te mercedem securus expectavi. Ad hæc Apostolus ait : Laxa nunc retia in capturam. Paruit imperanti piscator, et mox implevit rete piscium maxima multitudo. Omnes erant ejusdem generis pisces, præter unum miræ enormitatis *k* esocium. Quibus ad ripam extractis, dixit Apostolus : Hunc qui præ ceteris pretio et magnitudine præcellit, Mellito ex mea parte defer piscem Episcopo. Pro nautica vero mercede, cetera tibi tolle. Hujus generis copia abundabis in vita tua, et longo tempore post te progenies tua : tantum ne ultra piscari audeatis in celebritate Dominica. Ego sum Petrus, qui loquor tecum, qui cum meis concivibus constructam in meo nomine Basilicam dedicavi, Episcopalemque benedictionem meæ sanctificationis auctoritate præveni. Dic ergo Pontifici, quæ vidisti et audisti, tuoque sermoni signa parietibus impressa testimonium perhibebunt. Supersedeat igitur dedicatione : suppleat, quod omisimus, Dominici Corporis et Sanguinis sacrosancta mysteria : populumque sermone erudiens, notificet omnibus hunc locum me crebro visitaturum, hic me fidelium votis et precibus affuturum : sobrie vero, pie, et juste in hoc sæculo viventibus cæli januam reseraturum. His dictis, confestim ab oculis ejus disparuit.

A S. Petro dedicatum.

Piscatori et posteris collata felicitas : sed ne Dominicis piscentur.

k

18 Mane autem facto, Episcopo Mellito ad dedicandam ecclesiam procedenti, cum pisce piscator occurrit, et omnia quæ sibi mandata fuerant, pandit.

Stupet

Cæremoniæ dedicationis.

Stupet Antistes, reseratisque ecclesiæ valvis, videt pavimentum utriusque alphabeti inscriptione signatum, parietem bis senis in locis sanctificationis oleo linitum, totidem cereorum reliquias duodenis crucibus inhærere, et quasi recenti respersione adhuc cuncta madescere. Quod videns Episcopus, una cum populo Deum benedicebat, et illi gratias referebat. Dat fidem miraculo piscatoris illius tota successio, quæ sicut a patre acceperat, totius emolumenti, quod ars illa deinceps ei conferret, B. Petro eique servientibus decimas offerebat. Unus tamen semel fraudem ausus inferre, mox tamdiu artis caruit beneficio, donec confessus reatum, et ablatum restitueret, et promitteret correctionem.

Decimas non solvens punitur.

a *S.* Ethelberti *vitam dabimus* XXIV *februarii.*

b Cantia, *sive* Cantium, *aut* Kantium, *Angliæ provincia, Flandriæ proxima.*

c *Colitur S.* Augustinus *Anglorum Apostolus* XXVI *Maii.*

d *Non* Orientalium Anglorum, *sed* Orientalium Saxonum *Rex fuit Sebertus, Sledæ ex Ricula S. Ethelberti sorore filius.*

e *Est* Londinium *Angliæ metropolis, una e præcipuis orbis terrarum civitatibus.*

f *Describit nobilissimum hoc templum Guil. Cambdenus in* Trinobantibus.

g *Colitur S.* Mellitus XXIV *April.*

h Tamisis *celeberrimus Angliæ fluvius,* 60 *ab ostio milliaribus Italicis maris æstu augescens. Eum* Isis, *vulgo* Ouse, Tama *recepto efficit : unde et nomen ductum.*

i *Hujus consecrationis a S. Petro factæ meminit Ordericus Vitalis l.* 3 *Eccles. historiæ.*

k *Ita Surius. Capgr.* esicium. *Beda quoque lib.* 1 *histor. Angl. cap.* 1. Et quidem præcipue issicio abundat et anguilla. *Eumdem arbitror piscem, qui Plinio lib.* 9, *cap.* 15, esox *dicitur. Servius quoque Sulpitius Dial.* 3 *de vita S. Martini, nu.* 13. Ad primum jactum reti permodico immanem esocem Diaconus extraxit. *Eum quidam salmonem, alii forte rectius lucium interpretantur. vocemque Latinam a Teutonica* een snoeck *formasse Plinium volunt.*

CAPUT VI.

Westmonasterio collata a Papa privilegia.

Hæc cum Sanctus Eduardus relatione ac scriptis veterum didicisset, ad monasterium illud ædificiis, possessionibus, et dignitatibus altius extollendum exarsit animus ejus, et pro privilegiis illius loci, ceterisque caussis nuntios Romam transmisit, talem epistolam Papæ deferentes : Summo universalis Ecclesiæ patri *a* Nicolao Eduardus gratia Dei Anglorum Rex, debitam et subjectionem et obedientiam. Glorificamus Deum, quia curam habet suæ electæ Ecclesiæ, quoniam in loco *b* boni prædecessoris vos optimum successorem constituit. Quapropter justum judicamus, apud vos, velut ad solidam petram, acuere et probare omnes bonas actiones nostras, et vestram notitiam atque societatem in bono habere; quatenus eas donationes et privilegia, quæ obtinuimus apud prædecessorem vestrum, renovetis et augeatis nobis, videlicet ut quod ille injunxerat nobis sub nomine obedientiæ et pœnitentiæ, propter votum quod voveram ire Romam, et in remissionem omnium peccatorum meorum, construere cœnobium Monachorum in honore Apostoli Petri, ratum faciatis, et privilegia possessionum et dignitatum ejusdem loci confirmetis, renovetis, et decernatis. Ego *c* quoque pro modulo meo augeo, et confirmo donationes et consuetudines pecuniarum, quas habet S. Petrus in Anglia : et ipsas pecunias collectas cum regalibus donis mitto vobis, ut oretis pro me, et pro pace regni mei, et continuam ac solemnem memoriam instituatis totius gentis Angliæ coram corporibus sanctorum Apostolorum.

a Eduardi ad Nicolaum II Papam litteræ.

b

c

Pecunia S. Petri in Anglia.

Nicolai responsum.

20 Rescripsit autem ei Papa in hunc modum : Nicolaus Episcopus servus servorum Dei, gloriosissimo ac piissimo, omnique honore dignissimo, speciali quoque filio nostro Eduardo Anglorum Regi, visitationem omnimodam, salutem mellifluam, et benedictionem Apostolicam. Omnipotenti Deo referimus grates, qui vestram prudentissimam excellentiam in omnibus ornavit et decoravit, erga B. Petrum Apostolorum principem, et nobiscum habere dilectionem, et omnibus Apostolicis consentire censuris. Litteras igitur vestræ nobilitati transmittimus, et per eas societatem sanctorum Apostolorum, et nostram vobis damus, orantes misericordiam illius, qui est Dominus omnium, et Rex super omnia solus, ut ipse vos participem faciat ex omnibus, si qua sunt coram Deo, bonis operibus nostris, et fratres nos ac socios in sua dilectione constituat in omni tempore amplius, ac non minorem partem obsequii nostri vobis in suo regno reconsignet, quam nobismetipsis provenire optamus. Erimus etiam deinceps pro vobis sine dubio orantes assidue, ut ipse Deus subjiciat hostes et inimicos, qui contra vos voluerint insurgere : et confirmet vos in paterno solio, et propria hereditate, ac B. Petrus sit vobis custos et adjutor in omni tribulatione. Renovamus ergo, et confirmamus, ac augemus vobis privilegia vestra, scilicet ut absolutus sitis ab illo voto quod timebatis, et ab omnibus aliis peccatis et iniquitatibus vestris auctoritate illius, qui me, licet indignum, suæ sanctæ præesse voluit Ecclesiæ.

Auctore S. Ealredo.

Privilegia Westmonasterii confirmat.

21 Præterea illi loco, quem sub nomine sanctæ pœnitentiæ construendum et meliorandum suscepistis, quoniam, ut fertur, primam antiquitus consecrationem a B. Petro accepit, cujus, licet indigni, Vicarii sumus, et quia Regia antiquitus sedes est, ex auctoritate Dei et sanctorum Apostolorum, atque hujus Romanæ Sedis et nostra concedimus, permittimus, et solidissime confirmamus, ut amplius in perpetuum Regiæ constitutionis locus sit atque repositorium Regalium insignium, et habitatio perpetua Monachorum, qui nulli omnino personæ nisi Regi subdantur, habeantque potestatem secundum regulam S. Benedicti per successiones eligere ex se idoneos Abbates, neque introducatur per violentiam extranea persona, nisi quam concors congregatio esse præelegerit.

Illud eximit a jurisdictione Episcopi.

22 Absolvimus etiam eum locum ab omni servitio et dominatione Episcopali, ut nullus Episcopus illuc introeat ordinaturus aut præcepturus aliquid, nisi ex petitione et consensu Abbatis et Monachorum. Et habeat idem locus liberum procinctum, id est, ambitum et cœmeterium mortuorum circa se, absque Episcopali vel cujuslibet respectu vel exactione : et omnia, quæ ad libertatem et exaltationem illius loci ad honorem Dei pertinentia, per nostram auctoritatem accedere possunt, hilari et promptissima voluntate concedimus. Possessiones autem, quas antiqui Reges, seu quicumque alii homines, vos quoque et vestri Barones ad eumdem locum contulistis, et chartas, quæ ex eis factæ sunt, divina et nostra auctoritate roboramus, et ratas ac stabiles esse decernimus; et infractores earum, vel invasores, aut diminutores, aut dispersores, venditores etiam, æterna maledictione cum Juda proditore damnamus, ut in beata non habeant partem resurrectione, sed a B. Petro Apostolo se judicandos sciant, quando sedebit cum suis coapostolis, judicans duodecim tribus Israel. Vobis vero et posteris vestris Regibus committimus advocationem et tuitionem ejusdem loci, et omnium totius Angliæ Ecclesiarum, ut vice nostra cum consilio Episcoporum et Abbatum constituatis ubique quæ justa sunt, scientes pro hoc vos recepturos dignam mercedem ab eo, cujus regnum et imperium non desinet nec minuetur in sæculum.

Regem facit Advocatum et Tutorem Ecclesiarum Angliæ.

a Nicolaus II *an.* MLVIII. *Pontifex electus, sed anno demum sequenti consecratus ; obiit an.* MLXI.

b *Is fuit* Stephanus X *aliis* IX *dictus, qui anno* MLVIII. *Florentiæ* XXIX *Martii obiit; quo die fusius de eo agemus.*

c *De hoc tributo Apostolicæ Sedi pendi solito agit plurimis locis Baronius in Annalibus. Malmesburiensis de gestis Regum Anglorum lib.* 1, *cap.* 2 *de Ethelwlphi Regis Occidentalium Saxonum testamento agens,* semper ad finem sæculi, *inquit,* in omnis suæ hæreditatis decima hida pauperem vestiri et cibari præcepit; omnique anno trecentas auri marcas Romam mitti, quarum B. Petro centum, et centum B. Paulo ad luminaria, centum Apostolico ad donaria expenderentur. *Ac paullo ante de eodem piissimo Rege ita scribit :* Post triumphatos scilicet hostes ad Dei

AUCTORE S. EALREDO.

cultum conversus, decimam omnium hidarum intra regnum suum Christi famulis concessit, liberam ab omnibus functionibus, absolutam ab omnibus inquietudinibus. Sed quantula est hæc ejus gloria? Romam composito regno abiit, ibique tributum quod Anglia hodieque pensitat, S. Petro obtulit coram IV, Leone Papa qui etiam antea Elfredum filium ejus ad se missum, honorifice susceperat, et Regem inunxerat. Ibi ergo integro moratus anno, scholam Anglorum, quæ (ut fertur) ab Offa Rege Merciorum primitus instituta, proximo anno conflagraverat, reparavit egregie.

CAPUT VII.

Subditos levat tributis Eduardus: varios miraculose curat.

a Eduardus remittit tributum grave subditis.

Sanctus autem Eduardus *a* tributum illud gravissimum, quod tempore patris sui classi Danicæ pendebatur, et postmodum fisco Regio inferebatur, Regia liberalitate remisit, et ab hoc onere importabili in perpetuum Angliam absolvit. *b* Cum enim collecta illa pecunia ante illum delata esset, diabolum super cumulum sedentem et ludentem vidit, et ne amplius exigeretur, præcepit.

b

c

24 Cum in palatio juxta ecclesiam B. Petri Rex aliquando moraretur, supervenit quidam *c* vir miserabilis, Hibernicus genere, pedis utriusque privatus officio: nervi enim in poplite contracti ad posteriores corporis partes crura retorserant, tali natibus inhæserant, immersique carnibus pedum articuli, a lumbis ejus et deorsum corpus omne perverterant. Porrectis ad terram manibus, et scamnis suppositis repebat, et factus sibimetipsi gravis, trahebat se post se. Hic videns Regis cubicularium, ait ad eum: Hugoline, non me respicies, nec misereberis, nec movebit te mea tanta calamitas? Et ille: Quid me vis facere? Cui pauper Sexies, inquit, Apostolorum limina repens (ut cernis) visitavi, et sanitatem necdum promerui. Quam tamen mihi Apostolorum Princeps non negavit, sed distulit, socium in hoc miraculo habere volens Eduardum, quem sibi novit in omnibus esse devotum. Ab ipso enim Apostolo in mandatis accepi Regem adire, ut me suo sacro subvectum dorso ad ecclesiam ejus, quæ palatio vicina est, perferat, recepturum, si id fecerit, membrorum meorum integram sanitatem. Hæc ubi nuntiata sunt Regi, gratias agit Deo; et citatus mox æger accessit. Rex vero, ut spiritualis ille asinus fortis, accubans in terminis, supposuit humeros suos ad portandum. Pendet de humero tanti Principis plenus sordibus pauper, squallidis manibus, brachiisque squamosis Regium illud pectus collumque complectitur. Interea ex assistentibus ridebant nonnulli, alii a paupere Regem delusum jocabantur, alii justi simplicitatem, fatuitatem judicabant. Cum itaque Rex paullulum processisset, subito nervi extenduntur, rigantur ossa, carnes marcidæ recalescunt, emergunt a carne articuli, pedes a natibus solvuntur. Distendit homo crura, poplite jam flexibili, et sanie cum sanguine profluente vestis Regia ornatur potius, quam fœdatur. Jam tunc satis esse clamant omnes, sanatum languidum, onus ob sordes ulcerum deponendum. Ille vero memor præcepti quod susceperat, Sirenarum cantus obturata aure pertransiit, ingressusque ecclesiam, ante sanctum altare holocaustum, quod detulerat, Deo ac B. Petro resignat, incolumemque dimisit. Suscepto autem a Rege itineris viatico, acturus gratias Deo et S. Petro Romam profectus est.

Pauperem ægrum ad templum humeris defert, sicque sanitati restituit.

Gen. 49. 14.

Christus Regi benedicit.

d

25 In monasterio autem B. Petri ante altare sanctæ Trinitatis, Missarum solemniis sanctus Rex vice quadam cum *d* Comite Leofrico assistebat. Et ecce speciosus ille forma præ filiis hominum Christus Jesus in ara consistens, oculis utriusque visibiliter corporalis apparuit, sacraque dextera super Regem extensa, signum sanctæ Crucis eum benedicendo depinxit. At Rex, demisso capite, divinæ majestatis adorabat præsentiam. Comes vero quid in animo Regis ageretur ignorans, volensque Regem tantæ visionis esse participem, cœpit velle ad ipsum usque procedere. Verum Rex quid in mente Comitis volvebatur, intelligens: Sta, inquit, Leofrice, sta; quod vides, video et ego. Post missam vero dixit Rex ad Comitem: Per ejus, quem vidimus, majestatem, mi Leofrice, te obtestor, ne quoadusque vixerimus sermo iste proferatur in publicum, ne vel nos in perniciem nostram ob favorem vulgi pulset elatio, vel fidem deroget dictis infidelium æmulatio.

e Eduardus mulierem abluendo sanat.

26 *e* Sub faucibus autem quasi glandes mulieri cuidam succreverant, quæ totam faciem deformi tumore fœdantes, putrefactis sub cute humoribus sanguinem in saniem verterant: inde nati vermes odorem deterrimum exhalabant. Jubetur tandem in somnis adire palatium, et ex Regis manibus sperare remedium: quibus si lota, si tacta, si signata foret, meritis ejus reciperet sanitatem. Cum autem venisset ad Regem, et oraculum exposuisset, ille nec sordes cavit, nec fœtorem exhorruit; sed loca tumentia manibus contrectans, et aqua lavans, signum sanctæ Crucis impressit. Et subito rupta cute, cum sanie vermes ebulliunt, resedit tumor, et dolor omnis abscessit.

Varii cæci aqua, qua manus laverat, velattactu ejus, visum recipiunt.

f

g

27 Cæcus quidam docetur oraculo, lumen amissum sancti Regis meritis se adepturum, si lympha, qua manus ablueret, ipse faciem perfudisset. Cumque id Cubiculario, et ille Regi retulisset, obstupuit ille plurimum indignatus, illusum phantasmatibus hominem, nihil tale de peccatore sperandum; Apostolicæ id esse virtutis, nec fidem somniis adhibendam asseruit. Aqua manus lavit, et ad ecclesiam processit. Cubicularius autem cæco receptam in pelvi aquam illam tradit, cum qua oculos et faciem lavans, visum confestim percipere meruit. Civis quidam *f* Lincolniensis cæcitate percussus, ad palatium Regis veniens, aqua lotionis manuum ejus faciem et oculos lavans, mox tenebris diuturnis optata lux succedit. Quidam cæcus Regem adire, et visum ab eo percipere monitus, Cubicularius, et ille rem Regi pandit. Cui rex: Veniat, inquit, *g* Quis ego sum qui contrister, et non potius exultem, si meis manibus, licet indignis, promissum beneficium homini illi pietas divina contulerit? Vocatus autem vir, et a Rege tactus, et signatus, et inter manus ejus ab oculis utrisque ubertim sanguis effluxit, pupillas serenavit, et tumorem palpebrarum deposuit. Et dixit homo ille: Video te, Domine mi Rex, et facies tua tamquam facies Angeli stantis ante me. Alia autem vice duo cæci, cum uno monoculo, aqua lotionis manuum Sancti perfusi, visum percipere meruerunt.

a *Erat id* 36000 *librarum, ut Hovedenus tradit.*

b *Id paullo aliter refert Hovedenus his verbis:* Quadam die contigit, quod cum prædictus Rex Anglorum Eadwardus, Regina et Comite Haroldo deducentibus, ærarium suum intravit, ut pecuniam videret magnam, quam Regina et Comes Haroldus, Rege ipso nesciente, collegerant ad opus Regis, (scilicet per singulos Comitatus totius Angliæ de unaquaque hida terræ quatuor denarios), ut Rex inde contra Natale Domini pannos emeret ad opus militum, et servientium suorum. Cumque Rex intrasset ærarium suum, comitantibus Regina et Comite Haroldo, vidit diabolum sedentem super denarios illos, et ait illi Rex: Quid hic facis? Cui dæmon respondit: Custodio hic pecuniam meam. Et dixit ei Rex: Conjuro te per Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, ut indices mihi quamobrem pecunia ista tua est. Et respondens dixit ei dæmon: Quia injuste adquisita est de substantia pauperum. Illi autem, qui illum comitabantur, stabant stupefacti, audientes quidem illos loquentes, neminem autem videntes præter solum Regem. Et ait illis Rex: Reddite denarios istos illis a quibus capti sunt. Et fecerunt sicut præcepit illis Rex. *Ingulphus de eodem sublato tributo ad an.* MLI, *sic scribit:* Cum terra non daret solita fertilitate fructus suos, sed fame plurimos habitatores devoraret, in tantum ut blandorum carentia, et panis inopia, multa hominum millia morerentur; misericordia motus super populum piissimus Rex Edwardus, tributum gravissimum, quod Danigeld dicebatur, omni Angliæ in perpetuum relaxavit. Ferunt quidam, Regem sanctissimum, cum dictum Danigeld Cubicularii sui collectum in Regis cameram intulissent, et ad videndum tanti thesauri cumulum ipsum adduxissent, ad primum aspectum exhorruisse, protestantem se dæmonem super acervum pecuniæ saltantem, et nimio gaudio exultantem prospexisse. Unde pristinis possessoribus jussit statim reddere, et de tam fera exactione

ction ne iota unum voluit retinere : quin in perpetuum remisit, anno scilicet trigesimo octavo, ex quo tempore Regis Ethelredi patris sui Swanus Rex Danorum suo exercitui illud solvi singulis annis imperavit.

c *Hunc Nic. Harpsfeldius* Gillemichel *vocat. Totum vero miraculum paullo aliter commemorat Rogerius Hovedenus his verbis :* Quadam die solemni, cum prædictus Rex Anglorum Eadwardus Londoniæ esset coronatus, et regalibus indutus esset indumentis, et versus monasterium ab aula sua stipatus agmine Nobilium, Archiepiscoporum, Episcoporum, Cleri et populi, progrederetur, sedit quidam leprosus ulceribus plenus, in via qua Rex transiturus erat ; et qui præibant, increpabant eum ut taceret, volentes eum inde removere. Quibus Rex ait : Sinite eum ibi sedere. Et cum Rex appropinquasset illi, dixit ei leprosus : Conjuro te per Deum vivum, ut portes me in scapulis tuis usque in ecclesiam. Et statim Rex, demisso capite, præcepit leprosum illum in collo suo poni. Et factum est ita. Cumque Rex procederet, precatus est Dominum, ut ipse sanitatem redderet leproso illi : et exaudita est oratio ejus, et leprosus sanus factus est ex hora illa, laudans et benedicens Dominum.

d *Mortuus est* Leofricus *an.* MLVII. *Ejus ac* Godivæ *conjugis eximium ad sacra loca ornanda studium et liberalitatem celebrant Anglici scriptores.*

e *Hoc miraculum ita narrat Wilhelmus Malmesburiensis :* Adolescentula juxta parilitatem natalium virum habens, sed fructu conjugii carens, luxuriantibus circa collum humoribus, turpem valetudinem contraxerat, glandulis protuberantibus horrenda. Jussa somnio lavaturam Regis exquirere, Curiam ingreditur. Rex ipse per se opus pietatis adimplens, digitis aqua intinctis collum pertractat mulieris : medicam dextram sanitas festiva prosequitur, lethalis crusta dissolvitur, ita ut vermibus cum sanie profluentibus, omnis ille noxius tumor recederet. Sed quia hiatus ulcerum fœdus et patulus erat, præcepit eam usque ad integram sanitatem curialibus stipendiis sustentari : verumtamen ante septimanam exactam ita obductis cicatricibus venusta cutis rediit, ut nihil præteriti morbi discerneres : post annum quoque geminam prolem enixa, sanctitatis Edwardi miraculum auxit. Multotiens eum in Normannia hanc pestem sedasse ferunt, qui interius ejus vitam noverunt. Unde nostro tempore quidam falsam insinuant operam, qui asseverant istius morbi curationem non ex sanctitate, sed ex Regalis prosapiæ hereditate fluxisse. *Harpfeldius tamen testatur,* strumosos sanandi admirabilem dotem in posteros suos Angliæ Reges transfudisse *S. Eduardum.*

f Lincolnia *urbs est præcipua Comitatus Lincolniensis in Anglia.*

g *Hoc ita narrat Wilhelmus Malmesburiensis :* Et ut perfectam viri virtutem, in hac præsertim potentia, cognoscas, subjiciam quod mireris. Wulwinus quidam, cognomento Spillicora, filius Wulmari de Nutegareshale, quodam die in Silva Bruelle ligna cædens, dum diuturno post laborem sopori indulsisset, sanguine, ut credo, circa oculos coagulato, visum decem et septem annis amisit : quibus evolutis, somnio edoctus, octoginta et septem ecclesias circumivit, remedium cæcitatis a Sanctis efflagitans. Postremo ad Regis Curiam veniens, vestibulum cameræ, adversantibus Cubiculariis, frustra diu trivit. Sed perstitit improbus pulsator, donec ægre admodum, Rege ipso jubente, admissus est. Audiens quippe somnium, innocue responderat : Per Dominam meam S. Mariam, multum grate feram, si Deus voluerit per me misero misereri. Itaque quamquam nihil de miraculis audiret, coactus a ministris, cum aqua cæco manum imposuit. Confestim sanguine ex oculis ubertim stillante, clamorem alacrem sanatus produxit : Video te Rex, video te Rex. Ita videns Regali palatio multis temporibus apud Winlesores (nam ibi curatus fuerat) præfuit, sanatoris annos longævitate vitæ transscendens. *Est* Windsor, *sive* Windleshora *villa regia amœnissima in* Bercheria *provincia, a S. Edwardo donata Abbati Westmonasteriensi, sed a Guilielmo I, redempta. Describit eam Cambdenus in Attrebatiis. Isthic Ordo Garterii institutus.*

CAPUT VIII.

Godwino socero, ejusque filiis eventura prævidet.

Futura prædicit.

Sedebat aliquando Rex ad mensam, et a latere ejus *a* Comes Godwinus. Hujus duo filii adhuc pueri, *b* Haraldus *c* et Tostius, ludentes coram eis, cum unus ex illis amarius, quam expetebat ludi suavitas, insurrexisset in alterum, ludum vertunt in pugnam. Et ecce Haraldus vehementius in fratrem irruens, capillis ejus utramque manum inserit, prostratumque, nisi citius eriperetur, virtute superior suffocasset. Tunc Rex versus ad Ducem, ait : Nihil aliud, o Godwine, nisi simplicem in his vel ludum puerorum vel pugnam contemplaris ? Et ille : Nihil aliud, Domine mi. Tunc Rex dixit : Longe aliud mea mihi mens loquitur, et his quid futurum sit pueris, per hoc mihi bellum revelatur. Emensis quippe puerilibus annis, cum in virum uterque profecerit, tandem adversus invicem livor utrumque aduret. Et primum circumventione insidiisque privatis quasi ludere videbuntur ; ad ultimum fortior infirmiorem proscribet, rebellantem prosternet, et prioris mortem post modicum sequens alterius calamitas expiabit. Quæ omnia sic completa, tota Anglia teste, probatur. Nam Tostius ab Haraldo fugatus, cum paullo post in regnum successit Eduardo Haraldus, una cum *d* Rege Norwegiæ Tostius prosternitur, et totus fere exercitus deletur. *e* Eodem anno Haraldus ipse regno spoliatus Anglorum, aut misere occubuit, aut, ut quidam putant, pœnitentiæ tantum servatus, evasit.

Auctore S. Ealredo.

d

e

f Godwinus Comes superbus, proditor, perjurus, a Deo punitur.

29 *f* Godwinus cum in mensa Regi assideret, unus ministrorum in obicem aliquem uno pede immoderatius impingens, pœne lapsum incurrit. Quem tamen alius recto gressu procedens, iterum in statum suum, nihil injuriæ passum, erexit. De hoc eventu pluribus inter se loquentibus, et quod pes pedi subvenerit gratulantibus, Comes quasi ludendo intulit : Sic est frater fratrem adjuvans, et alter alteri in necessitate subveniens. Et ait Rex ad Ducem : Hoc meus mihi fecisset, si Godwinus hoc permisisset. Ad hanc vocem Godwinus expavit, et tristem præferens vultum, ait : Scio enim Rex, scio : adhuc de morte fratris tui tuus me accusat animus, nec eis æstimas discredendum, qui me vel ejus vel tuum vocant proditorem. Sed secretorum omnium conscius Deus judicet, et sic buccellam hanc, quam manu teneo, guttur meum faciat pertransire, et me servet illæsum, sicut nec tuæ proditionis reus, nec de fratris tui nece mihi conscius existo. Cumque vir beatus buccellam manu benedicens signasset, miser ille eam ori inferens, usque in medium gutturis pertraxit. Tentat interius trahere, nec valuit : tentat emittere, sed firmius hæsit. Mox meatus, quibus ducebatur spiritus, occluditur, vertuntur oculi, brachia rigescunt. Intuetur infeliciter morientem Rex, et ultionem in eum sentiens processisse divinam, adstantes alloquitur, dicens : Extrahite canem istum. Et factum est ita. Hic Godwinus simplicitate Regis abutens, multa in regno contra justitiam et Deum faciebat. Cunctos fere Regis cognatos et amicos, quos de Nortmannia adduxerat, fraude sua, dolo et circumventione de patria exturbabat, credens sibi cuncta processura pro voto, si Rex amicis nudatus, suis tantum consiliis uteretur. At Rex cuncta dissimulans, divinis vacabat obsequiis, ultionemque Dei sibi futuram multis prædixit. Aliquando etiam ipsi Godwino idipsum non tacuit.

Prædixit id Eduardus.

a *Socer hic Eduardi fuit, Cantii Comes.*

b *Aliis* Haroldus.

c *Hujus immanissimam crudelitatem commemorat Henricus Huntindoniensis ad annum Eduardi* XXII *traditque illum eo anno in aula Regia apud Windleshores in Haraldi, vina Regi fundentis, capillos involasse. Caussam odii fuisse, quod licet* Tosti *senior esset, Haraldum præ eo Rex diligeret. Tum verum perniciem eorum appropinquare, prædixit Eduardus. Duxerat* Tosti *Juditham Balduini Insulensis, Flandriæ Comitis, filiam.*

d Haraldo Duro *vel* Malo. *fratre S. Olavi.*

e XIV *Octob. an.* MLXVI, *victus occisusque est Haraldus a Guilielmo Notho, Duce Normanniæ,*

f *Hoveden ait an,* MLIII, *secundo die Paschæ, Wintoniæ ad mensam Regi assidentem, improviso morbo percussum, mutum in ipsa sede declinasse : a filiis Haraldo, Tostio, et Girth in Regis cameram deportatum, quinta feria post,* XVII *Kal. Maii obiisse, Idem habet Wigorn. Ingulphus Crowlandensis ait buccella suffocatum, Eadmerus* mala morte interiisse, utpote hostem Ecclesiæ Cantuariensis. *Ambigue loquitur Malmesbur.*

AUCTORE S. EALREDO.

CAPUT IX.

Videt SS. VII *Dormientes moveri : a S. Joanne Evangelista de obitu monetur.*

Videt in spiritu VII *Dormientes in latus moveri.*

In die Dominicæ resurrectionis, cum Rex ad mensam sederet, arctius solito se colligit ad se : et ponens præ oculis Deum, omnia ista mundana arbitrabatur ut stercora. Et ecce subito vultus ejus plus solito serenabatur, interiorque lætitia labia solvebat in risum ; rursumque solita gravitate resumpta, obscuriorem faciem præferebat. Mirabantur qui adstabant : nemo tamen audebat eum interrogare quid accidisset. Mensis tandem sublatis, secutus est ad thalamum Regem Dux Haraldus, cum uno Episcopo et Abbate uno : simulque Regem super hoc sermone conveniunt. Tunc ille ait : Quantum se quisque vanis subtraxerit, tantum veris arctius adhærebit. Ecce enim ego inter fecundos calices, et pinguia fercula, ac radiantis metalli splendorem, recordatus sum Domini Dei mei, et effudi in me animam meam ; dilatatoque mentis sinu oculus interior spirituali perfusus lumine, radios profecto usque ad illam Ephesiorum civitatem mira celeritate porrexit, et usque in montem *a* Celion progressus, Sanctorum quidem *b* Septem Dormientium, quiescentium in spelunca, proprietatem vultuum, necnon membrorum quantitatem, ac qualitatem vestium expressione manifestissima contemplatus est. Hæc dum, interiorem risu significante lætitiam, corde luminoso conspicerem, subito, me cernente, a latere dextro, super quod *c* multis quieverant annis, in sinistrum se latus virtute divina vertentes, dirum mortalibus omen hac laterum suorum mutatione signarunt. Ex hinc enim surget gens contra gentem, et regnum adversus regnum, et erunt pestilentiæ, et fames, et terræmotus magni per loca. His enim *d* septuaginta annis (tantum enim tempus in sinistro latere repausabunt) visitabit Dominus iniquitatem plebis suæ, tradens eos in manus gentium, ut dominentur eis qui oderunt illos. Inimici namque nominis Christi insurgent in Christianos, servi dominis rebellabunt, Reges insidiabuntur Regibus, et Principibus Principes, et in omnibus finibus terræ ultor injuriæ Christi mucro desæviet. Et exposuit eis Rex vitam illorum, et nomina, et passionem, et dormitionis modum. Quibus auditis, inito consilio, ut fidem posteris facerent, ad explorandam sermonis veritatem Dux militem, Clericum Pontifex, Abbas monachum cum litteris Regiis ad *e* Imperatorem Constantinopolitanum direxerunt. Qui omnia vera reperientes, incolumes ad Regem regressi sunt.

a

b

c

d

Inde eventura Ecclesiæ mala vaticinatur.

e

Pius erga S. Joannem Evangelistam :

31 Sanctus Eduardus nulli petenti in nomine S. Joannis Evangelistæ aliquid denegabat : hunc enim post Apostolorum Principem arctius diligebat. Unde contigit, quod quidam peregrinus, absente Camerario, in nomine S. Joannis Evangelistæ importune a Rege eleemosynam postularet. Cui Rex pretiosum annulum, cum nil aliud in promptu haberet, dedit. Accidit *f* post hæc, duos Anglicos ad adorandum Salvatoris sepulchrum Hierosolymam proficisci. Qui die quadam a publica strata declinantes, devia quæque sectati sunt : et sole ruente nox obscura adducta est. Et cum nescirent quid agerent, quo se verterent, apparuit eis senex quidam venerandus, qui eos ad civitatem reduxit. Susceptis autem hospitio, mensa paratur : lautissimeque refecti, dant membra quieti. Mane autem facto, egressis illis de civitate, ait senex : Viri fratres, cum summa prosperitate vos repatriaturos non dubitetis ; quoniam prosperum iter faciet vobis Deus, et ego, ob amorem Regis vestri, in omni via firmabo super vos oculos meos. Ego enim sum Apostolus Christi Joannes, qui Regem vestrum ob meritum castitatis summa dilectione complector. Hunc ergo *g* annulum, quem mihi in habitu peregrino apparenti tribuit, reportate, denuntiantes ei obitus sui instare diem : quem infra sex menses visitans visitabo, ut mecum sequatur Agnum quocumque ierit. His dictis, disparuit : et illi ad patriam prospere redeuntes, quæ viderant et audierant Regi seriatim retulerunt.

f

ei in habitu peregrini annulum donat.

Eum Sanctus remittit, et Regem de obitu monet.

g

a Χειλιον *vocat Græcum* MS. *Malmesb. et Raderus noster Aulæ sanctæ cap.* 13, Cælium.

b *De his agemus* XXVII *Julii.*

c *Malmesb.* ducentis. *alii, ut habet Raderus,* sexcentis ; *a tempore scilicet Theodosii junioris.*

d *Malmesb.* septuaginta quatuor, *enumeratque breviter, quæ iis annis admiranda evenere.*

e Manichetem *vocat Malmesburiensis.* Constantinum Monomachum *fuisse censet Raderus qui an.* MLIV, *excessit e vita.*

f *Hoveden ait eodem die apparuisse S. Joannem peregrino : et hunc ipso die pervenisse in Angliam, ac Regi annulum reddidisse : miraculi veritatem ex comitibus ejus longo post tempore reversis cognitam esse.*

g *Hunc annulum testatur Polydorus lib.* 8, *in templo Westmonasterii* multa veneratione perdiu servatum quod salutaris esset membris stupentibus, valeretque adversus comitialem morbum, cum tangeretur ab illis qui ejusmodi tentarentur morbis. Hinc natum, ut Reges postea Angliæ consueverint in die Parasceves multa cæremonia sacrare annulos, quos qui induunt, hisce in morbi omnino numquam sunt. *Idem narrat Harpsfeldius sæcul.* II, *cap.* 4.

CAPUT X.

Impendentes regno calamitates prævidet ac prædicit.

Cum autem Rex infirmitate gravi detineretur, in mentis raptus excessum biduo fere jacebat exanimis. Tandem quasi de gravi somno evigilans aperuit oculos, et resedit, et assumpta parabola ait : Cum adolescens in Nortmannia exularem, grata mihi semper extitit bonorum amicitia : et quicumque sacræ Religionis meliores videbantur, hi mihi ceteris erant familiariores. Inter quos duos monachos speciali quadam mihi devinxerant caritate conversationis honestas, vitæ sanctitas, suavitas morum, verborum affabilitas. Hos frequentius visitabam. Quam dulcia faucibus meis eloquia eorum ! Hos ante plurimos annos translatos ad cælum, vidi mihi paullo ante in somnis assistere, quid genti meæ post obitum meum sit futurum, ex Dei mihi mandato referentes.

Prævidet calamitates Angliæ imminentes.

33 Impletam dicunt Anglorum nequitiam : et iniquitas consummata iram provocat, accelerat vindicta. Sacerdotes prævaricati sunt pactum Domini, polluto pectore et manibus inquinatis sancta contrectant. Et hi non pastores, sed mercenarii, exponunt lupis oves, non protegunt : lac et lanam quærunt, non oves, ut detrusos ad inferos mors et pastores depascat et oves. Sed et Principes terræ infideles, socii furum, prædones patriæ, quibus nec Deus timori est, nec lex honori : quibus veritas oneri, jus contemptui, crudelitas delectationi. Itaque nec Prælati justitiam, nec servant subditi disciplinam. Et ecce Dominus gladium suum vibrabit, arcum suum tetendit, et paravit illum. Ostendet deinceps populo huic iram et indignationem, immissiones insuper per angelos malos, quibus traditi sunt anno uno et die uno, igne simul et gladio puniendi. Ego vero ob intentatam meæ genti calamitatem dolens atque suspirans dixi : O cælestium secretorum conscii, si conversi egerint pœnitentiam, numquid non ignoscet Deus, et relinquet post se benedictionem ? Pœnitentia certe prolatam Dei ore in Ninivitas suspendit sententiam : quæ etiam imminentem impiissimo Achab debitam distulit ultionem. Suadebo igitur genti meæ, ut pœniteant de præteritis, et caveant de futuris : et forte miserebitur Deus, ut non inducat super eos malum hoc grande ; sed qui punire præparavit aversos, recipiat in gratiam solita pietate conversos.

ob peccata præsertim Sacerdotum et Principum.

Jon. 2. 10. 3. Reg. 21. 29.

34 Nequaquam, inquiunt, hoc erit : quoniam induratum est cor populi hujus, et excæcati oculi, et aures

Nec monitis ejus emendandos subditos.

aures aggravatæ, ut nec audiant corripientem, nec intelligant commonentem, nec terreantur minis, nec beneficiis provocentur. His eorum verbis dum mihi major accresceret sollicitudo, dixi: Num ita in perpetuum irascetur Deus, et non apponet ut complacitior sit adhuc? Quando ergo tot tristibus læta succedent, aut tot adversa qualis consolatio temperabit? Quale sperandum est in his malis remedium, ut sicut illinc terret et contrista futura correptio, ita hinc aliquantulum mulceat divinæ miserationis promissio?

Obscurum signum divinæ clementiæ erga populum.

Ad hæc Sancti tale mihi problema proponunt. Arbor quælibet viridis a suo trunco decisa, ad trium jugerum spatium a radice propria separetur. Quæ cum nulla hominis manu cogente, nulla urgente necessitate, ad suum reversa truncum in antiquam radicem sese receperit, resumptoque succo rursum floruerit, et fructum fecerit, tunc sperandum est aliquod in hac tribulatione solatium, et de ea, quam prædiximus, adversitate remedium. Hæc cum dixissent, ipsi cælo, vobis ego redditus sum. Assidebant narranti visionem Regina, Robertus sacri palatii custos, Dux Haraldus, et *a* Stigandus, qui ascendit cubile patris sui, et maculavit stratum ejus, vivente adhuc Archiepiscopo *b* Roberto cathedram Cantuariensem invadens: ob hoc *c* a summo Pontifice suspensus, paullo post crepuit, et effusa sunt viscera ejus. Hic ad vocem narrantis obduruit, nec terretur oraculo, nec fidem habuit prophetanti: sed potius Regem senio confectum delirare submurmurans, ridere maluit quam lugere. Ceteri verò, quibus mens sanior erat, flebant ubertim et suspirabant, qui nihil secus quam ipse dixerat, aut a Sacerdotibus aut a Principibus fieri non ignorabant.

a *Impii Stigandi pœna.*
b
c

Explicatio signi clementiæ Eduardo in visione propositi.

35 Quidam enim præmissam similitudinem dicunt Regem pro impossibili statuisse, illi maxime, qui totam Anglorum nobilitatem sic deperisse lugebant, ut ex ea gente nec Rex, nec Episcopus, nec Abbas, nec Princeps quilibet vix in Anglia cerneretur. Mihi sane alia mens est, consideranti, sanctissimum virum *d* Dunstanum et ipsam calamitatem prædixisse, et consolationem nihilominus promisisse. Potest proinde sic non inconvenienter exponi: Arbor hæc regnum Anglorum significat, decorum gloria, deliciis divitiisque secundum, excellentia Regiæ dignitatis sublime. Radix, ex qua totus honor iste processit, Regium semen fuit, quod ab *e* Alfredo, qui primus Anglorum a summo Pontifice unctus et consecratus fuerat in Regem, recta successionis linea usque ad S. Eduardum descendit. Abscissa est arbor de trunco, quando regnum a genere regali divisum, ad aliud semen translatum est. Ad spatium trium jugerum hæc facta est separatio: quia in trium temporibus Regum, nulla fuit novis cum antiquo semine regali communio. Haraldus enim succ-
essit Eduardo, Wilhelmus Haraldo, *f* Wilhelmus junior priori Wilhelmo. Accessit ad radicem, quando Rex *g* Henricus, in quem totum regni decus transfusum est, nulla necessitate cogente, nulla spe lucri urgente, sed ex infuso ei amoris affectu, *h* abneptem Eduardi Mathildam duxit uxorem, semen regium Normannorum et Anglorum conjungens, et interveniente opere conjugali, de duobus unum faciens. Floruit sane arbor, quando de utroque semine Imperatrix *i* Mathilda processit. Tunc vero fructum fecit, quando de ipsa *k* Henricus exoriens, quasi lapis angularis utrumque populum copulavit. Habet nunc certe de genere Anglorum Anglia Regem, habet de eadem gente Episcopos et Abbates, Principes et milites, ex utriusque seminis conjunctione procreatos. Si autem alicui hæc displicuerit expositio, aut ipse aliter exponat, aut aliud tempus, quo hæc expleantur, expectet.

d
e
f
g
h
i
k

a *Hic* Stigandus, *homo ambitiosus et avarus* Roberto *Romam profecto, Cantuariensem sedem invasit: sed sub Guilielmo Rege vitam Wintoniæ in vinculis finivit.*

b *Ex Abbate Gemmeticensi Londoniensis Episcopus factus est, ac deinde Cantuariensis, ut supra dictum est, Archiepiscopus.* AUCTORE S. EALREDO.

c *Misit* Alexander II, *an.* MLXX. *Legatos in Angliam Hermenfredum Sedunensem Episcopum, et Joannem ac Petrum Presbyteros Cardinales, qui Concilio Wintoniæ habito,* Stigandum *degradarunt, primo, quod Archiepiscopatum Roberto vivente invasisset: secundo, quod una Wintoniensem Episcopatum retinuisset: tertio, quod a Benedicto Pseudopapa pallium accepisset. Hovedenus et Baronius ad eumdem annum num.* 11. *et* 12.

d *S. Dunstani vitam dabimus* XIX *Maii.*

e *Hic quinquennis a patre Ethelwlpho Romam an.* DCCCLIV, *ut scribit Westm. (alii citius factum tradunt, Baronius anno sequente) ductus est, ut a* Leone IV, *moribus et religione institueretur: estque tandem volente patre a Pontifice Rex coronatus. Anno* DCCCLXXI, *fratri Æthelredo in regnum Occidentalium Saxonum successit, tandemque anno* DCCCLXXXVI *Angliæ monarchiam adeptus est, tenuitque usque ad annum* CM.

f *Obiit* Wilhelmus I *an.* MLXXXVII, IX *Septembris.* Wilhelmus Rufus *filius ejus junior* XXVII *Septemb. die Dominica, apud Westmonasterium Rex Angliæ coronatus est a Lanfranco Archiepiscopo Cantuar. Anno vero* MC *misere mortuus est homo sacrilegus.*

g Henricus I *Wilhelmi II frater, coronatus est apud Westmonasterium Rex Angliæ* V *Augusti* MC *a Mauritio Londinensi Episcopo. Mortuus est an.* MCXXXV, 11 *Decemb.*

h Matildis *filia fuit S. Margaritæ Reginæ Scotiæ, filiæ Eduardi Ethelingi, filii Edmundi Ferrei lateris, fratris S. Eduardi. De ea agemus* VII *Augusti.*

i *Matildis vel Matilda Henrici I et Matildis filia Henrico IV Imperatori quinquennis desponsata est an.* MCVII. *Eo mortuo an.* MCXXV, *ad patrem reversa est, et an.* MCXXVII, *nupsit Galfrido Comiti Andegavensi, cui an.* MCXXXII, *peperit Henricum II.*

k Henricus *Galfridi et Matildæ Imperatricis filius, anno* MCLIV, XIV *Kal. Januar. Dominica ante natalem Domini, in Regem Angliæ unctus est Westmonasterii. Obiit ann.* MCLXXXIX, VI *Julii.*

CAPUT XI.

Mortuus illustratur miraculis. Regnat Haraldus.

Eduardus jubet obitum suum statim propalari.

Sciens itaque Rex, quia appropinquavit hora ejus ut transiret de hoc mundo, suum transitum mox in circuitu propalari jussit, ne mortis suæ cognitione dilata, orationum quoque suffragia differrentur. Sicque senex, et plenus dierum ac bonorum operum, migravit ad Dominum. Obiit autem anno Domini millesimo sexagesimosexto, cum regnasset vigintitribus annis, mensibus sex, et diebus vigintiseptem, pridie Nonas Januarii: *a* cum quo tota pariter Anglorum felicitas ruit, periit libertas, vigor omnis interiit.

Moritur.

a

Ad ejus sepulchrum contractus sanatur:

37 Contractus quidam ad sepulchrum ejus veniens, membrorum sanitatem devotis lacrymis et precibus postulabat. Et ecce vis quædam occulta subito nervos extendit, in naturalem statum crura pedesque retorquet, evulsisque a carne articulis, sanguis profluit, paullatimque succo resumpto, arida prius ossa pristinum robur recipiunt.

item sex cæci.

38 Sex quoque cæci, unum monoculum secuti, ad sepulchrum Regis properantes, cum alter ab altero traheretur, et unus præcedens oculus, viris septem ducatum præberet, Sancto cum lacrymis miseriam exponunt, opem flagitant, contra diuturnæ caliginis tædium sanctissimi Regis deposcunt auxilium. Nec mora, Beati meritis et precibus visum oculorumque claritatem percipere meruerunt.

Haraldus occupat regnum.

b

39 Interea Haraldus filius Godwini, regnum nec jure nec natura sibi debitum usurpans, malum, quod Anglis secundum sancti Regis oraculum Dominus præparaverat, transgressione *b* pacti cum duce Wilhelmo et fidei læsione acceleravit. Ut autem attenuatis viribus facilius ab his, quos injuste provocaverat, hostibus vinceretur, suscitavit ei Deus a parte Aquilonie inimicos, scilicet *c* Haraldum Regem Norwegiæ, et Tostium fratrem suum, quem de Anglia expulerat ipse, quique tempore Regis Eduardi *d* exulabat in Flandria. Hi cum magna classe per *e* Humbriam *f* ad Eboracum properantes, cum exercitum Northumbrensium prælio excepissent, potiti victoria, magnam de obstantibus stragem dederunt. His Haraldo nuntiatis, exercitum copiosum ex omnibus finibus Angliæ collegit.

c

Bello a Norwegis et Tostio fratre impetitur.

d

e f

40 Apparuit

Auctore S. Ealredo. *Ope S. Eduardi eos vincit.*

40 Apparuit autem tunc S. Eduardus cuidam Alexi, Abbati *g* Rameseiæ, viro religioso, dicens: Vade, et dic Haraldo, ut homines, qui contra jus et fas regni hujus fines invadunt, aggrediatur secure. Ego enim ero dux et protector exercitus, quoniam justitiæ gentis hujus deesse non possum. Per me enim reportabit vice hac de hoste triumphum. Et ne verbis tuis fidem deroget, secretum ei sui cordis ostende, ut cum ei, quæ nullo conscio mente volvebat, edixeris, non hæc tuæ adinventioni, sed meæ promissioni adscribat. Nocte quidem præterita, cum dolore femoris torqueretur, licet eum non parum urgeret imminens molestia, siluit tamen, reputans apud se, si publicaret languorem, quod suis esset contemptui, et hostibus irrisioni. Verum quia ab illa peste convaluit, de meo præsumens auxilio contra Barbaros justum bellum suscipiat, et ab imminenti periculo suos eripiat. Quod cum Abbas Haraldo reserasset, ex cælesti promissione factus audacior, in valida manu progrediens, apud *h* Stamfordbrig hostibus occurrit: consertoque prælio, dux uterque prosternitur, scilicet Rex Norwegiæ, et frater Haraldi Tostius, et pæne totus eorum exercitus deletus est.

Corpus S. Eduardi diu mansit incorruptum.

41 Anno trigesimosexto post Sancti Eduardi obitum, cum corpus ejus de terra elevaretur, integrum, incorruptum, et flexibile cum vestibus recentibus repertum est. Quod videns *i* Episcopus Roffensis, pilum unum, devotionis desiderio accensus, extrahere, sibique servare conatur: sed ille firmius hærens, effectum mentis Episcopi et voluntatem defraudavit. Mulier quædam in festo S. Eduardi operibus vacans, paralysis morbo correpta, ad sepulchrum Sancti deducitur, et sanitatem pristinam se recepisse lætatur. Tres viri febre quartana vexati, visitato Sancti sarcophago, quasi in momento curati sunt.

Claret miraculis.

a Feria v, Indict. iv.

b *Id* pactum *cum Wilhelmo inierat Haraldus, et jurejurando ad Sanctorum reliquias firmarat, cum ad eum in Normanniam venisset, ut fratrem suum* Wlnothum, *et* Hacun *fratruelem, quid isthic custodiebantur obsides dati a Godwino, quando Eduardo reconciliatus est, reduceret. Narrat id Eadmer. lib.* i *Novor. Gulielmus Pictav. ait ab Eduardo designatum successorem Wilhelmum, de Optimatum consensu, et hujus rei caussa datos illos obsides, missum deinde Haraldum ut pactum firmaret sacramento. Idem refert Ingulphus.*

c *Hic S. Olavi, de quo* xxix *Julii agemus, frater fuit, cognomento* Haarderaade.

d *Ob immania scelera ex Anglia pulsus, jussu ipsius S. Eduardi, ut refert Westmon. ad an.* mlxv, *et Huntind.*

e *Vulgo* Humber *dicitur, Ptolemæo* Abus. *Vocem utramque ab* Aber *deflexam putat Cambdenus, quæ Britannice* fluminis ostium *significat. Est celebre in Eboracensi provincia æstuarium, a quo quæ ad Boream vergit regio* Nordan-humbria *et* Northumbria *dicta.*

f *Urbs secunda totius Angliæ, Archiepiscopalis, nominis antiqui, quod ab* Uro *flumine, cui adjacet, ducit Cambdenus, quasi* Ad Urum.

g Ramsey, *id est* Arietis insula, *celebris olim Abbatia in Comitatu Hunlindoniensi.*

h *Ingulphus* Staunfordbridge *vocat Wigorniensis* Stanfordebrigge. *Locus est in Eboracensi ditione, qui et* Battle brigde *quasi* Pons prælii *dicitur, quod isthic ad* Derventionis *fluminis pontem, haud procul ab antiquæ* Derventionis *urbis ruinis, hoc commissum inter duos Haraldos Reges prælium est,* vii *Kal Octob. feria* ii.

i Roffa, *olim* Durobriva *vel* Duroprovæ, *urbs in Cantia celebris ad* Medweagum *fluvium, qui gemino ostio infra eam in Tamisis æstuarium se exonerat, vulgo* Medway.

DE TRANSLATIONE

SANCTI EDUARDI.

§ I. *Translationis ejus solemnis memoria.*

Anno mclxiii. xiii Oct. *Festum Translationis S. Eduardi.*

Celebratur S. Eduardi Translatio xiii *Octobr. in pervetusto Martyrologio* ms. *Domus professæ Societatis* Jesu *Antverpiæ, quod Bedæ nomen præfert, Martyrol. Germanico Coloniensis, Anglicano;* ms. *Florario SS. Additionibus ad Usuardum Carthusianorum Colon. Colitur hoc die a sacro Ordine Prædicatorum, nulla facta mentione Translationis, ita enim habet eorum Martyrologium:* In Anglia S. Eduardi Regis, virtute castitatis et gratia miraculorum insignis. Tres lectiones. *Fran. Maurolycus:* Londinii in Anglia Eduardi Anglorum Regis sanctissimi. *Pet. Galesinius:* In Anglia S. Eduardi Regis, miraculis et sanctitate clarissimi. *In Missali quoque Rothomagensi non exprimitur, an natalis illius agatur eo die, an Translatio: ast in Sarisburiensi Breviario* v *Januar. fit solum S. Eduardi commemoratio,* xiii *Octob. celebratur Translatio festo Duplici.*

Orationes de Sancto Eduardo.

2 *In eodem Breviario hæ duæ recitantur de S. Eduardo Precationes:* Deus, qui beatum Regem Edwardum Confessorem tuum æternitatis gloria coronasti; fac nos, quæsumus, ita eum venerari in terris, ut cum eo regnare possimus in cælis. Per, *etc. Altera:* Deus, qui unigenitum Filium tuum Dominum nostrum Jesum Christum, glorioso Regi Eduardo in forma visibili demonstrasti; tribue, quæsumus, ut ejus meritis et precibus ad æternam ipsius Domini nostri Jesu Christi visionem pertingere mereamur. Qui tecum, *etc.*

Canonizatio procurata.

3 *Cum innumera ederentur ad S. Eduardi sepulchrum miracula, id Guilielmus I Rex theca auro argentoque fulgida exornavit. Corpus tandem anno a morte trigesimo sexto e terra sublatum. Deinceps apud Romanum Pontificem agi cœpit, ut solemnes ei honores decernerentur. Præcipue id Henrici II Regis Angliæ precibus datum ab Alexandrò III Pontifice Maximo, qui anno Christi* mclxi, *sui Pontificatus* ii, vii *Idus Februar. Anagniæ edita Bulla, haberi eum deinceps in Sanctorum Confessorum numero jussit, ac coli. Recitat eam Baronius ad eum annum, num.* 1.

Translatio.

4 *Dilata tamen tantisper sacri corporis Translatio, dum Rex e Normannia in Angliam reverteretur, ut ipse quoque solemnitati interesset. Anno tandem* mclxiii Rex Anglorum Henricus, *inquit Matthæus Paris,* finibus transmarinis pro voluntate dispositis, in Angliam rediit. *Et paucis interjectis:* Eodem anno translatum est corpus sancti Regis et Confessoris Edwardi apud Westmonasterium, a B. Thoma Cantuariensi Archiepiscopo, præsente Rege Henrico, qui hæc procuraverat. *Matthæus Westmonasteriensis an.* mclxiv. Dedicata est ecclesia de Radingo, translatumque est corpus S. Eduardi de terra in feretrum a B. Thoma Cantuariensi Archiepiscopo. *Edita est a Surio Translationis hujus historia, sed principio carens: nusquam integram reperire potuimus, ideoque, ut ab eo vulgata est, hic damus.*

§ II. *Bulla canonizationis S. Eduardi.*

Devotio Anglorum erga Sedem Apostolicam.

Alexander Episcopns, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus, Archiepiscopis, Episcopis, et dilectis filiis, Abbatibus, Prioribus, aliisque Ecclesiarum Prælatis, per Angliam constitutis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Illius devotionis constantiam, et fidei firmitatem, quam circa matrem vestram sacrosanctam Romanam Ecclesiam exhibetis, diligentius attendentes, in id propositum voluntatis adducimur, ut vos sicut carissimos fratres, et speciales Ecclesiæ filios, sincera caritate

caritate in Domino diligamus, propensius honoremus, et postulationes vestras, quantum cum Deo possumus, libenti animo admittamus.

Canonizatio SS. in Conciliis concedi solita.

6 Inde utique fuit, quod super petitione, quam de Eduardo glorioso quondam Rege Anglorum canonizando, et in Sanctorum catalogo adscribendo, tam carissimus in Christo filius noster Henricus, illustris Anglorum Rex, quam vosipsi nobis instantius porrexistis, sollicitam cum fratribus nostris deliberationem habentes, libro miraculorum inspecto, quæ, dum in carne mortali viveret, et postquam de præsenti sæculo est assumptus, omnipotens Dominus per suam misericordiam declaravit: visis etiam litteris antecessoris nostri, piæ recordationis *a* Innocentii Papæ, vestris quoque testimoniis inde receptis: quamvis negotium tam arduum et sublime non frequenter soleat nisi in solemnibus Conciliis de more concedi;

a

7 De communi tamen fratrum nostrorum consilio, juxta votum et desiderium prædicti filii nostri Regis ac vestrum, corpus ipsius Confessoris ita glorificandum censuimus, et debitis præconiis honorandum in terris, sicut eumdem Confessorem Dominus per suam gratiam glorificavit in cælis. Unde videlicet inter sanctos Confessores de cetero numeretur, qui hoc ipsum apud Deum signis meruit ac virtutibus obtinere.

8 Quia igitur decet honestatis vestræ prudentiam eum pie colere, et toto studio venerari, quem auctoritate Apostolica venerandum vestra postulavit devotio et colendum; universitatem vestram per Apostolica scripta monemus et exhortamur in Domino, quatenus eum ita deinceps studeatis debitis obsequiis honorare, ut ipsius intercessionibus apud districtum judicem mereamini veniam obtinere, et gloriosum in æterna beatitudine præmium invenire.

b Datum *b* Anagniæ, VII Idus Februarii.

a Innocentius II *sedit a* XVII *Februar.* MCXXX, *usque ad* XXIV *Septemb.* MCXLIII.

b *Urbs est Latii, caput Hernicorum, celebris florente Romana Republica, et superioribus quoque sæculis, sub Pontificibus Romanis; jam semiruta, ut testatur Leander.*

§ III. *Corporis ejus revelatio.*

a Nuntiis itaque ab Apostolica Sede regressis, *a* sæpedictus Abbas, convocatis venerabilibus personis, tam Episcopis quam Abbatibus, in ecclesia Westmonasteriensi, primo coram omnibus recitari fecit litteras Apostolicæ auctoritatis de beati Regis canonizatione: sicque universis applaudentibus, assentientibus, et Deum magna voce laudantibus, de glorioso Domini Confessore Missa solemniter celebrata est: quam tamen Dominus Papa primo in Ecclesia Romana fecerat per unum de Cardinalibus honorifice, sicut dignum fuerat, decantari. Sed quia caussis exigentibus Rex adhuc in transmarinis partibus agebat, juxta mandatum ipsius et desiderium dilata est usque in reditum suum, et eidem servata

Missa de S. Eduardo.

b sacri corporis *b* revelatio.

10 Decursis vero fere duorum annorum curriculis, *c* Rege a Nortmannia in Angliam jam regresso, cupiens Abbas susceptum negotium ad effectum perducere, et illud sacrum corpus, quod jam diu in terra latuerat, in eminentiori et honestiori loco collocare, cum Rege secretum et diligentem de celebranda beati Regis translatione tractatum habuit, postulans ut bono principio manum debitæ consummationis adhiberet, præsertim cum ex ejus mandato acceperit, præsentiam ipsius huic negotio esse expectandam. Annuit Rex justa poscenti, diemque certum, juxta quod utrique videbatur opportunum, indixit.

Elevationi corporis dies statuta.

11 Interim vero accepto Abbas a prudentioribus viris consilio, beati corporis glebam primo secretius inspicere decrevit, ut sic expeditius ad solemnem transire posset revelationem. Sed quia opus hoc sanctum et dignum esse sciebat, suam formidans indignitatem, semel et iterum accessit, et tentavit; sed toties conscia sibi mens infirmitatis suæ, manum pia quadam hæsitatione trepidantem retraxit. At crescente timore, crevit et devotio: crescente devotione, adfuit confidentia cum amore, qui sæpe foras mittit timorem. Ex ipso itaque timore confidentior effectus et minus timidus, tempus observavit, quo tam secretum negotium opportune tractaret. Quadam itaque nocte fratribus post matutinas vigilias ad strata reversis, januis Ecclesiæ clausis, servientibusque laicis exclusis, remansit in ecclesia solus Abbas cum Priore, et quibusdam de fratribus ad hoc delectis, qui se ex mandato Abbatis jejuniis et orationibus ad tam sanctum opus tractandum devotius præparaverant.

Auctore S. Ealredo

Privata apertio sarcophagi, et ad eam præparatio.

Corpus et vestes jampridem defuncti, incorrupta.

12 Quibus omnibus albis indutis, et nudis pedibus, præmissaque oratione, et cum psalmis decantata Litania ante altare, processit ad tumulum Abbas cum Priore, et duobus fratribus, ceteris ante altare in lacrymis et oratione persistentibus. Cumque lapidem, qui sarcophago superpositus fuerat, sustulissent, admotis propius lucernis, conspexerunt virum jacentem in vestitu deaurato, calceatum caligis purpureis et calceamentis pretiosis, caput et faciem cooperta mitra rotunda, auro satis operose intexta: barbam etiam niveam et prolixam, modicumque crispantem, super pectus decenter ordine suo jacentem. Accitis itaque fratribus, qui in oratione ante altare remanserant, et ad tam desiderabile spectaculum admissis, facta est lætitia magna cum gratiarum actione inter illos. Non tamen adhuc stetit, nec sic quievit vehemens ille spiritus devotionis, et ardens desiderium inspiciendi, tractandi, et interius perscrutandi thesaurum illum pretiosum, quem se magna jam ex parte vidisse gratulabantur. Apponentes itaque manus debita cum devotione et reverentia, vestes, capitis operimentum, tunicam et caligas pia quadam inquisitione tractabant, tentantes, si quam forte, sicut dictabat ratio, expetebat natura, admisissent corruptionem. Et ecce omnia ea reperiunt integritatem pristinam retinuisse: ex parte tamen obfuscatum advertunt colorem et decorem eorum, tum ex diuturna lapidis contiguitate, tum ex pulvere, et cæmento, quod in sarcophagi apertione introrsum ceciderat: quod tamen linteo, sicut poterant, amoventes, materiam, opus et colorem facile deprehendere potuerunt. Suppositis itaque manibus cum reverentia et timore, corpus illud gloriosum alii ad caput, alii ad pedes, quidam ad humeros, et per medium levantes, et super extensum tapetum in panno serico pretioso involventes, in cista lignea ad hoc præparata incluserunt, omnia, quæ cum eo inventa fuerant, intus relinquentes, excepto annulo aureo, quem in digito Regis inventum, Abbas propter devotionem retinuit, et ad hujus memoriam satis provide reservare decrevit.

a *Hinc patet, mutilam hanc esse narrationem, cum desit principium, in quo mentio facta sit Abbatis hujus, Westmonasteriensis, ut opinor.*

b *Forte* relevatio, *ut notat Surius.*

c *Anno* MCLXIII, *ut* § 1, *diximus.*

§ IV. *Translatio* XIII *Octobris.*

Advenientе itaque die, quem Rex celebrandæ Translationi præfixerat, omnibus paratis quæ tantæ rei necessaria videbantur, veniens in ecclesiam cum magno Procerum et illustrium virorum comitatu, primo cistam, in qua pretiosus ille thesaurus continebatur, recludi fecit; assistentibusque Archiepiscopo Cantuariensi, et Episcopis quamplurimis, Abbatibus quoque et aliis venerabilibus personis, præsentem illam Regiæ personæ majestatem oculis vidit, manibusque, quantum timor et reverentia permisere, tractavit,

Transferuntur sacræ reliquiæ.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

AUCTORE S. EALREDO.

tractavit, omniaque ita se habere gavisus est, sicut ei ab Abbate primo fuerat intimatum. Facta igitur, sicut diei solemnitas expetebat, Processione, pretiosoque incorrupti virginis corpore per claustrum monasterii Regis humeris præcipuorumque totius regni Procerum manibus reverentissime deportato, posita est super candelabrum præclara illa lucerna in domo Domini, ut qui ingrediuntur, lumen videant, et illuminentur ab ea. Sicque illud vas insigne castitatis, et universæ virtutis domicilium in feretro pretioso, quod ei ex auro et argento construi fecerat illustris Rex et consobrinus ejus, strenuus Anglorum debellator, Wilhelmus, regiis manibus honorifice collocatum est, laudantibus cunctis voce lætabunda, et benedicentibus Deum, qui in Sanctis suis semper est gloriosus, et in omnibus suis operibus mirabilis.

Ipse Rex eas humeris gestat.

Qui adfuerint Episcopi, etc.

14 Celebrata est autem Translatio ista anno ab incarnatione Domini millesimo centesimo sexagesimo tertio, III Idus Octobris, die Dominica, ab excellentissimo Anglorum Rege Henrico, assistentibus venerabilibus viris *a* Thoma Archiepiscopo Cantuariensi, *b* Gileberto Episcopo Londoniensi, *c* Henrico Wintoniensi, *d* Nigello Heliensi, *e* Roberto Lincolniensi, *f* Wilhelmo Norwicensi, *g* Jacelino Salesberiensi, *h* Waltero Roffensi, *i* Hilario Cicestriensi, *k* Bartholomæo Exoniensi, *l* Richardo Cestrensi, *m* Godefrido Episcopo Sancti Asaph : et de Nortmannia Episcopis, *n* Lexoviensi Ernulpho, Ebroicensi *o* Rotroto, *p* Abricensi Achardo ; Abbatibus, Hugone *q* S. Edmundi, Roberto *r* S. Albani, Rogero *s* Radingensi, Gregorio *t* Malmesberiensi ; Comitibus etiam, *u* Roberto Legercestriæ, Hugone Comite de Nottsule, Galfrido Comite *x* de Essexia, *y* Wilhelmo Comite de Arundel, *z* Reginaldo Comite Cornubiæ, *aa* Patritio Comite de Salesbiria, *bb* Wilhelmo Comite de Albamarla, *cc* Richardo Comite de Penbroch ; et Procerum, militum, ceterorumque diversi ordinis et officii innumera multitudine : summi Pontificatus arcem regente sanctissimo Papa Alexandro III, hujus beneficii auctore pariter et largitore, anno ejusdem Papæ quarto, regnante piissimo et glorioso Anglorum Rege Henrico II, anno regni ejus nono, præsente, et huic operi accuratissime præsidente jam dicto ejusdem loci reverendo Patre Laurentio.

a *b c* *d e* *f g* *h i* *k l* *m* *n o* *p q* *r s* *t* *u* *x y* *z aa* *bb* *cc*

a *Hic est* S. Thomas *Martyr, cujus vitam dabimus* XXIX *Decembr.*

b *Hic est* Gilbertus Foliothus, *qui pertinaciter Henricum Regem contra S. Thomam defendit.*

c *Henrici I ex sorore nepos hic fuit, frater Stephani Regis.*

d Nigelius, *secundus Elyensis Episcopus fuit, creatus anno* MCXXXIII, V *Kal. Junii, consecratus Kal. Octob. eodem anno : obiit an.* MCLXIX, III *Kal. Junii, feria* VI, *magnis jactatus tragœdiis, quæ in Chronico Eliensi* MS. *fuse recensentur.*

e Robertus de Chesneio *quartus memoratur, postquam Lincolniam Sedes est Dorcestria translata, illius Antistes, Stephani et Henrici II Regum temporibus.*

f Guilielmus Torbus *bel* Turbus, *Normannus, tertius Norwicensis Episcopus, egregie se Henrici II, conatibus opposuit. Sedisse fertur ab an.* MCLI *ad* MCLXXV.

g *Aliis* Joscelinus *dicitur : obiit an.* MCLXXXIV.

h *Hic Theobaldi Archiepiscopi Cantuarien. frater fuisse dicitur, obiisse an.* MCLXXVII, *cum sedisset annos* XXV.

i *Et hic S. Thomæ adversarius fuit, ut videre est apud Baronium ad an.* MCLXIV, *num.* 21, *et alibi.*

k *Episcopus creatus est an.* MCLXI, *obiit* MCLXXXIV, *insigni vir eruditione.*

l Coventrensem *alii et* Lichfeldiensem *Episcopum faciunt, quia olim tres illæ unitæ sedes fuerunt, obiit an.* MCLXXXII, *cum sedisset annis* XX.

m *Hunc alii volunt* Galfredum *illum* Monumetensem *esse, qui et* Arturius *dictus. De Asaphensi urbe agemus ad vitam S.* Asaphi I *Maii.*

n *Claudius Robertus in Gallia Christiana* Arnulphum *vocat.*

o *Cl. Roberto* Rotrocus, Rotrodus, Roricus, *Ejus meminit Robertus de Monte ad an.* MCLVII.

p *Meminit hujus idem Cl. Robertus.*

q S. Edmundi-burgus, *vulgo* Edmondsbury, *et contracte* Bury, *unum fuit e pulcherrimis monasteriis totius orbis in Suffolcia. Describit id Cambdenus in* Iceni*s, et nos* XX *Novemb. ad vitam S. Edmundi.*

r *De* S. Albani *monasterio, oppido, temploque splendidissimo agit Cambdenus in* Cattieuchlanis, *et nos ad vitam* S. Albani XXII *Junii.*

s Radingum, *sive* Readingum, *aut* Redingum, *nobile monasterium ab Henrico I constructum, amplisque reditibus dotatum, oppidum nunc est elegans et locuples,* Bercheriæ *præcipuum, ad* Cunetionem, *vulgo* Kenet, *fluvium qui* 500 *inde passibus in Tamisim influit. Agit de eo Cambdenus in* Attrebatiis.

t *Nobile in Wiltonia monasterium a* Maidulpho *Scoto sic dictum. De eo pluribus agetur in vita S. Adelmi* XXV *Maii.*

u *Hic est Robertus, cognomento* Gibbosus, *qui contra Henricum II, sumptis pro rebelli filio armis victus captusque est an.* MCLXXIII, *cum paullo ante* Lecestria, *sive* Legecestria *urbs illius Comitatus primaria misere a Regiis esset afflicta.*

x Essexia *regio ampla et opulenta, ab* Orientalibus Saxonibus *dicta.*

y *Hic est* Wilhelmus de Albineio, *qui ducta* Adeliza *Brabanta, Henrici I, Regis vidua, Mathildi Imperatrici constantissime adhæsit : aut certe ejus filius, itidem* Wilhelmus *dictus.*

z *Henrici I, nothus fuit, ab Henrico II, Comitatu* Cornubiæ *sive* Cornwalliæ, *donatus.*

aa *Gualteri et Sibyllæ de Caducis filius hic fuit, primusque* Sarisburiæ *Comes, an.* MCLXIX, *interfectus, cum Compostella rediret.*

bb *Stephanum* Albæmarlæ *in Normannia Dominum, suum ex uterina sorore nepotem,* Albæmarlæ Comitem *dixit Guilielmus I, eumque titulum posteri in Anglia retinuerunt. Surius habebat* de Albamara, *non recte.*

cc Richardus Strongbow, *e* Clarensi *familia,* Penbrochiæ *Comes, Hiberniæ expugnator.*

DE S. GERLACO EREMITA IN BELGIO.

§ I. *S. Gerlaci celebre nomen, et publica veneratio.*

CIRCITER AN. MCLXX V JANUARII. *S. Gerlaci nomen in Martyrologiis.*

Gerlacus *Falcoburgensis ditionis, totuisque provinciæ Ultra-mosanæ columen atque ornamentum, Nonis Januarii celebratur. Ejus non recentem esse cultum, et vita quam dabimus, et Martyrologia testantur. Carthusiani Colonienses in Additionibus ad Usuardum :* Gerlaci Eremitæ et Confessoris. *Martyrologium Coloniense :* Ipso die S. Gerlaci Eremitæ et Confessoris. *Germanicum :* Sancti Eremitæ et Confessoris Gerlaci, qui prius miles fuerat. *Gallobelgicum :* In ditione Falcoburgensi, obitus S. Gerlaci Eremitæ : cujus corpus in diœcesi Ruræmondensi quiescit. *Imo ipse, in quo olim habitavit, locus, quondam Leodiensi, nunc Ruræmondensi subest Episcopo.* MS. *Florarium Sanctorum :* Gerlaci militis et Confessoris. *Molanus in Addit. ad Usuardum :* Apud Trajectum Gerlaci Eremitæ ex milite Confessoris. *Ferrarius :* Apud Falcoburgum in Belgio S. Gerlaci Eremitæ. *Venerabilis D. Joannes Chrysostomus vander Sterren, Abbas S. Michaelis Antverpiæ, in Natalibus Sanctorum Ordinis Præmonstratensis, ad* V *Januarii :* In ditione Falcoburgensi Natalis S. Gerlaci Confessoris et Eremitæ, qui per austeræ pœnitentiæ rigorem, in candidissimo Præmonstratensis Ordinis amictu, beatum ibidem vitæ finem sortitus, plurimis etiamnum miraculis gloriosus requiescit.

2 *Duplicem ejus vitam dabimus : priorem ex vetustis Gerlacensis monasterii monumentis eruit, typisque vulgavit Erasmus Goyæus ejusdem monasterii Præpositus, scriptam circiter annum* MCCXXV, *ab Anonymo Ordinis Præmonstratensis Sacerdote in S. Gerlaci monasterio commorante. Hujus primum librum idem Goyæus Gastoni Spinolæ, supremo Limburgiæ Gubernatori, secundum Henrico Cuyckio Episcopo dedicavit. Alteram breviorem ab Wilhelmo Cripio juniore, Wilhelmi Cripii Gelriæ Cancellarii filio, Henrici Cuyckii Episcopi Ruræmondensis jussu conscriptam.*

3 *Agit de S. Gerlaco Molanus in Natalibus Sanctorum*

Festum. *rum Belgii, ubi hæc habet inter cetera :* Commemoratio ejus fit in vigilia Epiphaniæ Domini : sed quia non est canonizatus, Missæ sacrificium peragitur de æterna Sapientia : et dum Litaniæ canuntur, submissa voce interseritur : Sancte Gerlace, ora pro nobis. *Unde ista hauserit Molanus, anne ejus ætate aut multo ante ista fuerint, haud scio. Nunc sane alia viget Sancti veneratio; de qua ita scribit Aubertus Miræus* V. CL. *in Fastis Belgicis :* Quiescit is in illustri sui nominis monialium *Alia celebritas.* cœnobio, in diœcesi Ruræmundensi, secundo lapide a Trajecto Mossæ ito. Festus ejus dies celebratur quotannis Feria secunda ante diem Pentecostes ibidem, et ab Ecclesia cathedrali Ruræmundensi in Geldria *(et quidem Officio duplici :)* et tres istæ Lectiones a Clero recitari solent. *Ac deinde Lectionibus, quibus ejus vitæ compendium continetur, recitatis :* Festivitas ejus propter Epiphaniæ celebritatem, in secundam Feriam, quæ sacratissimum Pentecostes diem antecedit, translata est. Quo tempore, qui hominum malitia antea obstructus latuerat, miraculosus puteus, anno nonagesimo nono supra millesimum quingentesimum, Hen- *Ossa elevata.* rico Cuyckio Ruræmundensi Episcopo jubente, repertus est. Ossa quoque sancti viri elevata : et ipse *Puteus repertus.* puteus miraculis denuo cœpit clarescere. *Sic fere legitur in Officiis propriis diœcesis Ruræmundanæ, quæ idem Episcopus Cuyckius concinnavit, et Coloniæ an.* MDCIV *typis edenda curavit.*

4 *Idem Miræus Diplomatum Belgicorum Tom.* 2, *cap.* 49, *recitat S. Engelberti Episcopi Coloniensis et Martyris (de quo* VII *Novemb.) diploma, quo confirmat possessiones monasterii Heinsbergensis, facitque* S. Gerlaci *mentionem. Testatur vero Miræus isthic, versus hos marmoreo* S. Gerlaci *tumulo incisos legi :*

Epitaphium.

Gerlacus miles quondam, post cultor eremi,
Hoc mausolæo conditur arte suo.
Contempsitque lares, aras, patriosque penates:
Matta silex, ædes concava quercus erat.
Vita lascivos redimis Gerlace reatus,
Cedens virgineo rura paterna choro.

5 *Meminit S. Gerlaci Arnoldus Rayssius in Hierogazophylacio Belgico. Item Joannes le Paige Bibliothecæ Præmonstratensis lib.* 2, *ubi vitam a Cripio editam recitat, officiumque e Breviario Ruræmundensi, in quo hæc* *Oratio de S. Gerlaco.* *de S. Gerlaco legitur Oratio :* Deus, qui beatum Gerlacum Eremitam tuum, per austeræ pœnitentiæ rigorem, meritorum amplitudine, et miraculorum gloria sublimasti; da nobis famulis tuis, ut ejus meritis ac patrocinio tuæ majestati reconciliati, tuæ quoque indignationis justa supplicia in hoc et futuro sæculo misericorditer evadere valeamus. Per Dominum, *etc.*

§ II. *Hymni de S. Gerlaco.*

Ex Officio Ruræmundensi.

Gerlace, qui domum tibi,
Spretis superbis oppidis,
Et spreto amore sæculi,
Quercum cavatam diligis :
In qua, remotis arbitris,
Tu te supra te tolleres,
Rerum levatus pondere,
Quæ ad ima mentes detrahunt.
Hic pane aquaque victitans,
Raro parumque dormiens,
Vitæ prioris crimina
Vi lacrymarum diluis.
Timor cupidoque exulant,
Et omne curarum genus :
Atque his repulsis, gaudia
Dat pura conscientia.
Hic nocte tendis et die
Cor et preces in æthera.
Sic cella, quamvis parvula,
Magni poli fit æmula.
Gerlace Falcoburgie,
Nunc huc, precamur, respice;
In nomen effusos tuum
Precatione nos juva.
Juvabis, ingentes modo
Pii canamus gratias
Huic, qui tot inter maxima
Nobis dedit te munera.
Gloria tibi Domine,
Qui scandis, *etc.*

7 *Is ad Vesperas utrasque et Laudes recitatur Hymnus; ad Matutinum vero sequens :*

Gerlacus ille, sanctitas
Cujus tot olim claruit,
Claretque adhuc miraculis,
Nunc efferendus laudibus.
Testatur hoc, quæ Cæliti
Huic unda potum præbuit :
Illius haustu plurimis
Est restituta sanitas.
Ter imminente tempore
In astra Divi transitus,
Hanc in merum vis maximi
Mutavit undam Numinis.
Honore Falcoburgii
Hanc prosequantur maximo,
Quibus per illam contigit
Certare Canæ laudibus.
Aqua ista cum sit efficax,
Possitque morbos pellere,
Quod pota quondam sit tibi,
Te multa posse credimus.
Gerlace fac, te quæsumus,
Creator omnium Deus,
Tuo rogatu, supplicum
Ut vota nostra exaudiat.
Gloria tibi Domine,
Qui scandis super sidera, *etc.*

§ III. *Fontis S. Gerlaci inventio.*

Ex Præf. Erasmi Goyæi ad Hen. Cuyckium.

Præclarus admodum, salutifer, amœnus, et tertio *Fons S. Gerlaci diu neglectus.* in vinum commutatus fons extitit, ideo S. Gerlaci dictus, quia ex illo et ipse bibere, et Deus, Sancto intercedente, miracula edere solebat. Hic magna mole injectorum lapidum obstructus, diabolo instigante, et minus bene de Sanctorum patrociniis sentientibus quibusdam malignis hominibus. Atque ita factum est, quod intra quinquaginta et amplius annos nulla ex visceribus terræ manaret aqua, quæ se usui hominum et jumentorum præberet potabilem et salutiferam. Ore igitur putei obstructo, quasi pro pœna peccati in Deum et Sanctum commissi, cœperunt res monasterii retro labi, et gravissima damna et incommoda sub- *Secuta monasterii damna.* sequi, tam in monasterii ædificio flammis penitus exusto, quam in jumentis omnibus emortuis. Ipsæ etiam sacræ virgines, quæ adhuc supersunt, captivæ abductæ sunt : quater omnia monasterii bona prædæ paruerunt ; septuaginta equi interierunt : omnia denique adversa quasi monasterii exitium minari videbantur.

9 Venerabilis Domina monasterii MARIA T'ZEVEL, veridica narratione hæc tibi suo Episcopo omnia ex ordine pandit, anxietatis et mœroris plena. Tum sine mora, Dignissime Præsul, quasi divino Numine af-

AUCTORE ANONYMO. *Fons, Cuyckii consilio, perquiritur :*

flatus, respondisti : Præmissis orationibus a Deo quærite misericordiam et auxilium, et inquirite fontem sancti Patroni vestri; ne si ille diutius delitescat, et misericordiam Dei prohibeat a vobis, et occasio sit quod et viri beati memoria simul intereat. Nam si fontis illius hausta aqua hominibus et jumentis beneficia præstitit sanitatis, si is iterum fluxerit, eadem conferet beneficia; unde S. Gerlaci gloria per singulos dies hic et in cælo feliciter capiet augmenta, et vos ipsæ pristina Patroni vestri optata beneficia. Salubre certe et Episcopo dignum consilium.

Reperitur.

10 Erat tunc, et adhuc modo est, fidelissimus monasterii Œconomus, Winandus Balthasar nomine, qui audito hoc Episcopi oraculo, noctem Ascensionis Dominicæ anno MDXCIX ducebat insomnem, surgensque hora tertia ante solis ortum, excitavit alium antiquissimum monasterii famulum Arnoldum Nalem, natum in Holthem, virum centum quasi annorum, et adhuc anno isto MDC superstitem. Duo isti, orantes, cœperunt in amœni prati lato campo fodientes quærere fontem, et divino munere non sunt fraudati desiderio suo. Quod quæsiverunt, invenerunt. Redeunt, læta certe nuntia universis religiosis et inclytis virginibus reportant.

a Ad eum venit cum multis Episcopus.

11 Reperti fontis rumor ad pias tuas, Reverendiss. Antistes (qui tunc in *a* arce Falconis eras) aures defertur. Præ mentis gaudio exultat Episcopus, et die Lunæ sequenti ad nova Dei reperta munera properans, assumit secum Sacerdotes pietate graves et meritis, nempe Pastorem Valkenburgensem venerabilem, et doctissimum Dominum Wilhelmum Amicum Pastorem in Hulsberch, necnon et egregium Dominum Winandum a Gelria sacræ Theologiæ Baccalaureum eruditissimum Pastorem in Gruntsveldt, devotissimum quoque virum Dominum Wilhelmum Hesium Pastorem in Venloe egregium concionatorem. Istis se adjunxerunt nobiles aliquot Proceres terræ Valckenburgensis, nempe inclytus vir Waltherus Hoen Anthypatus totius territorii Valckenburgensis, Michael Coeken, Petrus etiam vanden Hoeff Dynasta insignis ejusdem territorii; Jacobus quoque Leick generosus, Commissarius Regius. His se sociarunt honesti cives Catholici Valckenburgenses numero XXV.

Facto Sacro instituitur ad fontem Supplicatio.

12 Omnes isti congregati, venerunt ad laudandum Dominum, quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus. Solemne officium Missæ de S. Gerlaco ipse totus festivus peregit Episcopus. Tunc vero qui summi Sacerdotis videbat vultum, mente vulnerabatur, facies enim et color declarabant internam animi pietatem. Sacerdotes autem ante altare jactaverunt se, invocabant et laudabant Deum, pia supplicatione obsecrantes Omnipotentem, ut intercessione viri sancti, omnes in fidei integritate conservarentur. O quot tunc sub sacrificio virgineis oculis piæ devotionis lacrymæ defluxerunt! quot pia suspiria audita! quot pectorum tunsiones! Peracto sacrificio instituitur processio ad Sancti fontem. Præcedit sacer virgineus chorus, Domina quoque, Sacerdotes et Præpositus. Sequitur Præsul stipatus nobilibus et honestis viris. *Te Deum* in amœno loco juxta fontem cantatur, Episcopus benedixit fontis aquam, et biberunt omnes ex ea.

Benedicit eum Episcopus, omnesque ex eo bibunt.

Multa ejus aqua fiunt miracula.

13 Et post aliquot dies gravi admodum et molesta corporis valetudine infestatur nobilis et pia Catharina T'zevel monasterii Supprioriss, et allatam fontis aquam, quam bibere desiderabat, cum bibisset, statim ab infirmitate convaluit. A tempore autem reperti fontis quasi ex aperto divinæ pietatis ostio, hæc sanitatum subsecuta sunt munera. Vetulus ex Hoelant hausto calice frigidæ aquæ statim sanus surrexit. Multi peregrini ex Margraten, Aldenvalckenborch, Heer et Cayr, aliisque diversis locis asserunt, se meritis S. Gerlaci, et salutifera aqua fontis, divina beneficia consecutos, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi.

a Valckenburgum, *Gallis* Faucquemont, *oppidum est ditionis Ultramosanæ, quod in antiquorum itinerariis tabulis* Coriovallum, *et* Coriovallium, *forte olim* Corwalg.

VITA,
AUCTORE ANONYMO.
CAPUT I.
S. Gerlaci natales, adolescentia.

Gerlacus in territorio *a* Trajectensis oppidi, quo *b* B. Servatii reliquiæ venerabiliter honorantur, parentibus secundum sæculi dignitatem inclytis extitit oriundus. Ipse in annis juvenilibus militaribus disciplinis institutus, aliquamdiu secundum morem hujus sæculi præclare militavit, et per militiam celebre sibi nomen comparavit. Erat enim magnus corpore et validus, magnanimus mente; sed et animus acer nimis.

a S. Gerlacus cujas.

b Militiam sequitur.

2 Et quia, testante veritatis eloquio, sensus et cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua, factum est, ut Gerlacus primo suæ juventutis tempore prosperis rebus et secundis successibus elatus, juvenilis calore sanguinis inflammatus, commilitonum suorum moribus et amicitiis incitatus, corruptæ vitæ tramite per latam et spatiosam hujus sæculi viam præcipiti actionum pede percurreret. Quod nimirum non sine magno et occulto divinæ permissionis consilio factum esse credimus : ut videlicet tanti nominis Confessor et fidelis Christi servus futurus, ad exemplum veræ pœnitentiæ cunctis proponeretur : ut nullus, quantumlibet magnis criminibus implicitus, ad indulgentiam divinæ misericordiæ, per condignos pœnitentiæ fructus, se pervenire posse desperaret, dum Gerlacum de tanta voragine liberatum, et de imis visceribus serpentis antiqui parmula divinæ misericordiæ subtractum, in tanto cerneret virtutum culmine collocatum, et tali prærogativa sanctitatis ac *c* nominis videret glorificatum. Adeo quippe primo sui tempore tyrocinii, cunctorum mundi hujus amatorum supergressus est studiorum levitatem, ut in sectandis terrenis lucris, in pauperum exactionibus et angariis, inanis hujus mundi lenociniis, nulli pæne commilitonum, quantumlibet in iis exercitato, reperiretur dissimilis. Vocem quippe divinæ admonitionis, quæ in Evangelio ad vigilandum in prima et secunda vigilia fideles suos commonet, aure surda præterivit : quia in pueritiæ vel in adolescentiæ suæ tempore, quasi in prima et secunda vigilia, circa sempiternam suæ animæ salutem, intellectu non satis sobrie vigilavit. Verum gratia nostri Redemptoris pietasque immensa famulum suum Gerlacum, dum in robore perfectæ constitutus esset ætatis, quasi in tertia vigilia, tanto tonitruo sui timoris de somno lethali excitavit, tantoque disciplinæ spiritualis vigore ad vigilandum in custodia divinorum mandatorum confortavit; ut plerosque, qui a primæva ætate religiosæ vitæ dediti videbantur, igneis virtutum alis subvectus, sanctitatis gratia præveniret; et Patrum præcedentium, quorum apud omnes orthodoxos Ecclesiæ filios non immerito prædicabilis est memoria, meritum simul et præmium divini muneris largitate contingeret : sicut sequentia plenius declarabunt.

Gen. 8. 21.

Vitiis indulget.

c

a *Trajectum, nobilis civitas ad Mosam flumen, quatuor infra Leodium leucis.*
b *Vitam S. Servatii Episcopi dabimus* XIII *Maii.*
c *Ita legendum conjicio. Erat* non.

CAPUT

CAPUT II.

De primordiis conversionis ejus.

Quando complacuit supernæ gratiæ, ut famulum suum Gerlacum de servitute Babylonis liberaret, *Ducit turmam equitum :* et Hierusalem matris nostræ, quæ sursum est, militem eum strenuum et civem fidelissimum ordinaret; contigit, ut quodam tempore ad ludos militares, quos vulgo tornetas vocant, Gerlacus cum suis commilitonibus more solito properaret. Erat enim in quodam officio militari, quod lingua nostra *a ridtmeister*, hoc *a properat Juliacum ad torneamenta.* est, militum magister, dicitur; quod olim forte Tribunus militum dicebatur. Constituta vero die, sub quodam castro Julii Cæsaris, quod ab eo *b* Juliacum *b* dicitur, ordinatis ad exercitium militare militum cuneis, Gerlacus armis instructus, cum militibus, quos sub se habebat, ad ream certaminis properavit.

Audita morte conjugis, sæculo renuntiat. 4 Jam vero palæstræ illi sese inserere tentabat, jam pectori clypeo obducto hastam vibrare parabat; cum ecce gravis mœroris nuntio, de morte videlicet suæ conjugis, consternatus, altius ingemuit; moxque rore supernæ gratiæ inspiratus, apertis intellectualibus oculis cordis, perituras divitias et fugitivos honores, nihil aliud quam vanitates quasdam, et insanias falsas esse cognovit. Confestim igitur coram omni, quæ convenerat, militum multitudine, militiæ cingulo abrenuntiavit : equorum phaleras et subvectionem, armorum gloriam et splendorem, sicut sanctus Rex et Propheta David aquam Bethleemiticam, 2. Reg. 23. 16. Domino libavit; numquam deinceps istis se cor vel manus apponere, melioris vitæ contemplatione, confirmavit. Exemplo igitur Salvatoris ad passionem *Asello insidens ad suos redit.* properantis, humilis aselli terga insedit, sicque ad propria remeavit; et tantæ rei novitate, omnibus hoc intuentibus non minimum admirationis dereliquit.

a *Proprie est* Equitum magister, *a* rijden *quod Belgice* equitare *significat.*

b *Rectius, ut reor, Cluverius a* Julia Agrippina *Neronis matre nomen id ductum conjicit. Caput est Juliæ per ampli Ducatus, inter Rhenum ac Mosam.*

CAPUT III.

De initio peregrinationis ejus.

Peregrinatur cilicio et lorica indutus : Post hæc igitur, disposita domo, et ordinatis rebus, pede nudo, ad carnem cilicio indutus, et desuper lorica ferrea coopertus, per diversa loca Sanctorum peregrinando circuiens, tandem Romam devenit. Visitatis itaque Apostolorum sacris liminibus, a Domino Apostolico et Cardinalibus, confessione peccatorum facta, pœnitentiæ sibi viam demonstrari, et vulneribus sanandis congrua medicamenta satisfactionis sibi rogavit injungi. Apostolicus vero septem *jubetur servire in hospitali; pro pœnitentia.* annorum, alii dicunt quinque, illi pœnitentiam injunxit peragendam, in ministerio pauperum in hospitali Hierosolymitano. Quam ille devote suscipiens, accepta benedictione Apostolica profectus est. Perveniens igitur ad loca sancta, hospitale, quo pauperes et infirmi recipiuntur, expetiit.

6 Fratres vero hospitalis, cognita caussa pro qua venerat, considerantes honestam esse personam, officiis minus laboriosis eum deputare voluerunt. At contra vir Dei, se laborem petere, non fugere; despectionem, non honorem, pro Christo, qui pro nobis humilem se exhibuit, se in ministerio pauperum perpeti velle respondit. Quid plura? Ægre tandem, et vix aliquando obtinuit, ut cura pascendorum animalium sibi imponeretur. Suscepta igitur jumentorum *Pascit greges.* sibi delegata custodia, per septem annos continuos, porcos et alia pecora fideliter procuravit, semper jejuniis ac orationibus, divinisque obsequiis intentus; et inexorabilis castigator sui corporis perseverans.

7 Nec prætereundum, quod die quadam, dum in pascendis gregibus moratur, casu pedem, sicut erat nudus, in quoddam genus spinarum, quod mordacissimæ naturæ est, impegit; et vi illius dumeti ingravescente, magnis doloribus cœpit coarctari. Recordatus autem vir Dei, quod matrem propriam tempore *Pedem lædit quo matrem puer pulsarat.* suæ pueritiæ pede iratus pulsavit, gratias egit Conditori, quod in eodem quo ipse in matrem excesserat corporis membro, paterne ab eo meruit castigari. Dum vero spatium injunctæ sibi pœnitentiæ, septem videlicet annorum curriculum, esset evolutum; itinere quo venerat, iterum Romanam remeavit ad urbem.

Auctore Anonymo.

CAPUT IV.

Qualiter ab Adriano Papa Roma remissus sit.

Ea tempestate præsidebat Apostolicæ Sedi *a* Adria- *a* nus Papa IV, et Romanum Imperium gubernabat *b* *b* Fredericus Imperator, qui etiam de manu prænominati Apostolici consecrationem vel unctionem Imperii suscepit. Iste Fredericus Imperator avus extitit hujus *c* Frederici, qui post patris sui *d* Henrici Cæsaris *c d* obitum, disturbato nimium per contentionem *e* Phi- *e* lippi et Ottonis imperio, tandem legitime succedens, obtinet *f* hodie principatum. Igitur vir Dei Gerlacus, *f* ad supramemoratum Romanæ Sedis Antistitem acce- *Pœnitentia impleta Romam redit.* dens, et injunctam sibi septem annorum pœnitentiam se persolvisse demonstrans; formam et viam religiosæ vitæ, quam deinceps imitaretur, ab eo sibi demonstrari supplici prece postulavit.

9 Dominus vero Apostolicus diversas Sanctorum regulas tam Monasticæ quam Canonicæ professionis ei proposuit. Ad hæc vir Dei quibusdam votis indis- *Austeritas vitæ mira, voto firmata.* solubiliter se obligasse et constrinxisse respondit; videlicet equorum subvectionem, vinique et carnis edulium se asseruit devovisse, et continuata tam æstate quam hyeme jejunia se observaturum, cilicii quoque et aliorum laborum exercitium se inviolabiliter subiturum gratia divinæ remunerationis, quamdiu vitæ sibi spatium superesset. Et hac de caussa Sanctis in communi vita sub regulari professione degentibus, se minime concordare posse affirmavit. Ad hæc vir Apostolicus, adhibito discretionis libramine, considerata rerum qualitate, virum Dei Apostolicis munitum litteris ad propria remisit; talia vivendi præcepta ei tradens, ut omnium quæcumque paterna hereditate possidere videbatur, dispensatorem, non possessorem se sciret esse; et victu vestituque contentus, cetera omnia in caussas pias eccle- *Redit in patriam.* siis et pauperibus erogaret. Hac accepta vir Dei vivendi regula, ad natale solum remeavit, litteras Apostolici secum deferens, et Bullam Adriani IV nomen in se continentem, quæ nunc usque pro hujus rei testimonio in ecclesia nostra conservatur.

a Adrianus IV, *an.* MCLIV, III. *Dec. Pontifex creatus : obiit* I *Septemb. an.* MCLIX.

b Fridericus I, Ænobarbus, *anno regni quarto Imperator coronatus est Romæ ab Adriano,* XVIII *Junii,* MCLV, *mortuus anno* MCXC.

c Fridericus II. *an.* MCCXI. *Imperator electus, sed anno tantum* MCCXIII, *coronatus Aquisgrani, Romæ an.* MCCXIX. *An.* MCCXLV. *excommunicatus et Imperio abdicatus est, eique anno sequenti subrogatus est* Henricus, *Landgravius, huic an.* MCCXLVIII. Wilhelmus *Hollandiæ Comes.*

d Henricus VI *aliis* V, *an.* MCXCI XV *April. Imperator Romæ a Cælestino III coronatus, mortuus an.* MCXCVII, XXVIII *Septemb.*

e *Mortuo* Henrico VI. *electus est* Philippus *ejus frater, ab aliis* Otho *Duæ Saxoniæ, an.* MCXCVIII. *Hinc bellum. Cessit Otho. Occisus est Philippus an.* MCCVIII, XXIII *Junii. Ex pacto Otho successit, an.* MCCIX. *Romæ coronatus : an.* MCCX, *excommunicatus, obiit anno* MCCXVI.

f *Hinc patet quando hæc scripta sit vita; circa annum nempe* MCCXXV.

g *Colligitur hinc, Auctorem in eodem* S. Gerlaci *cœnobio habitasse.*

CAPUT

Auctore Anonymo.

CAPUT V.

Qualiter in quercu concava religiosam vitam sub arctissima districtione duxit.

Regressus autem ad agros proprios, sciens quoniam per multas tribulationes oportet nos introire in regnum Dei, arduum nimis propositum, et austeræ conversationis districtionem nostris inauditam temporibus, arripuit. In eodem enim atrii loco, quo nunc ejus sanctissimum requiescit corpus, et resurrectionis simul et beatæ immutationis expectat gloriam, in proprio scilicet sui juris fundo, quercum veternosam, magna grossitudine circa radices distentam, ampla capacitate cavari, et in ea congeriem magnam lapidum fecit comportari, desuper autem mattam componi, et in hoc lectisternio membra dedit sopori, ad carnem cilicio indutus, et desuper lorica ferrea coopertus. Hujus rei seniores qui hucusque supersunt, et in vicinia nostra demorantur, testes existunt; qui asserunt, de arefactis radicibus prædictæ quercus, tantam copiam lapidum ad fundamenta ecclesiæ, quæ super beati viri membra ædificata est, se extulisse, quantam plaustrum bene instructum duabus vel tribus vicibus devehere vix sufficeret: quin etiam reliquias mattæ, super quam cubare vir Dei consueverat, ibi se reperisse profitentur.

Habitat in excavata quercu.

Abstinentia ejus, victusque austeritas.

11 Jam vero de abstinentiæ illius parsimonia, et de laboris quo in divino desudavit obsequio, infatigabili perseverantia quid dicam? Certe versiculo quodam poetico, quo dicitur,

Nam miranda canunt, sed non credenda, poetæ,
me quilibet inurere posset, quasi gravi cauterio: nisi quod ii, qui tunc præsentes erant B. Gerlaci contemporanei, ejus Angelicam in terra conversationem ita oculis inspexerunt, et manibus contrectaverunt, quod non sunt occultata a filiis eorum in generatione altera, sed pater filio, filius nepoti narrat laudes ejus et virtutes et mirabilia ejus quæ per eum Deus effecit. Nam quidam provectæ ætatis Joannes nomine (qui nunc usque superest in vicino nobis cohabitans) affirmat se, dum puerulus esset, valde annosam quamdam neptem habuisse, quæ sibi referre solita erat, quod eo tempore, quando B. Gerlacus in quercus concava specu vitam solitariam duxit, in puellaribus annis posita, omne panis alimentum, quo vir Dei quotidie sustentabatur, a matre sua, quæ beati viri consanguinea erat, coctum et præparatum, ad ejus refectionem attulerit. Qui panis, ut prædicti Joannis et aliorum multorum veridica relatione didicimus, ex hordeo cineribus mixto confectus erat. Potus vero ejus aqua erat de fonte, qui usque hodie Fons S. Gerlaci denominatur.

Erga pauperes et peregrinos caritas.

12 At contra, de fructibus terræ vel animalium annuatim sibi provenientium, sagacissimo studio magnaque industria, ciborum dulcia condimenta præparari fecit, et iis pauperes et peregrinos hospitio receptos humanissime refecit, ipse in observantia supradictæ parsimoniæ longanimiter perseverans.

CAPUT VI.

Qualiter singulis diebus S. Servatium in Trajecto frequentavit.

Præterea de iteneris, vel potius peregrinationis ejus indefessa consuetudine, qua sanctum solitus erat frequentare Servatium, celebris apud cunctos existit opinionis, et grandis admirationis, sed difficilis, et, ut mihi videtur, impossibilis imitationis. Hujus enim laboriosi famam itineris, non solum omnes per circuitum nostrum commorantes; verum etiam populi de diversis mundi partibus ad ejus sacra limina quotidie properantes, a progenitoribus suis ad se perlatam constanter asseverant: et generatio quæ præterit, generationi quæ advenit, ita de iis consequenter enarrat, quod hujus Sancti memoria quasi fixa æternitate perseveret. Via enim, quæ a B. Gerlaci cella Trajectum ad B. Servatium porrigitur, magni milliarii spatio dilatatur, ex parte montuosa et ascensu difficilis; pluviali vero tempore natura terræ illius adeo tenax est et palustris, quod in equis valentibus vix alicui sit transmeatio. Præterea, tempore hyemali glaciali frigore indurata, ad modum spinarum ita redditur hispida, quod nonnumquam nudis pedibus in ea ambulantium solent cruentari vestigia. Sed vir beatus primo gallorum cantu de lectulo quietis suæ, quod lapidum congerie constratum erat, semper de nocte consurgens, fratres Ecclesiæ B. Servatii, ad confitendum media nocte Domino surgentes, semper prævenit; jejuniorum inedia desiccatus, loricæ pondere gravatus, cilicii asperitate decorticatus, via tenebrosa et lubrica nonnumquam pæne suffocatus, glacialibus ictibus aliquando graviter in plantis terebratus; et quod gravius est, dæmonum visibiliter ei apparentium, et cum eo itinerantium, occursu multipliciter tentatus.

Singulis noctibus Trajectum ad matutinas properat.

A dæmonibus in via vexatur.

14 Evenit namque aliquotiens, ut hyemis asperitate punctus, sanguine guttatim de pedibus profluente, cruenta per totam viam ejus vestigia notarentur. In eodem hyemis horrore quidam eum comitatus, nudis et ipse incedens plantis, dum graviter pedes sibi algere conquereretur: Observa, inquit homo Dei, ut eadem quæ ego terræ imprimo, tuis pedibus teras vestigia. Paruit ille, moxque totam æris intemperiem, quasi vernali tempore sensit rorantem, quam prius fuit expertus male urentem.

Vestigia ejus cruenta.

Ea premens frigus non sentit.

15 Alio item tempore quidam Hermannus nomine, a candore corporis Blankardus cognominatus, religiose alio in loco, a beati viri cella non multum remoto, et ipse conversatus, exemplo ejus incitatus, ad frequentanda B. Servatii limina eum imitatus est. Hoc igitur inter eos convenit, ut ad crucem quamdam, quæ prope Trajectum in bivio posita itinerantibus viam demonstrat, qui prior venisset, alium ibi exspectaret; ut simul ad sacratissimi Confessoris Servatii memoriam venerandam properarent. Contigit ergo multotiens, ut B. Gerlaco solita devotione iter agente, malignus ei spiritus in specie prænominati Hermanni se demonstraret, et cum eo viam carpens, sensim et quasi pedetentim malitiæ suæ venena ei propinaret. At ubi beatum virum serpentinum suum virus, quod auribus et cordi ejus instillabat, sobrio mentis intellectu vidit respuere; de ponte Mosæ fluminis, quæ Trajectum præterfluit, saltu præcipiti, inhonesta relinquens vestigia, in amnem se dejecit; et indicia, diabolum se fuisse, indubia reliquit. Alio item tempore, itineris ejus devotionem retardare volens humani generis adversarius, cupas et dolia et alia hujusmodi monstra coram eo volutare cœpit: sed nec sic equidem per fraudis suæ commenta quidquam efficit.

Hermannus ejus comes.

Ejus figura dæmon Gerlacum tentat.

Ejus iter conatur retardare.

16 Talis observantiæ rigore vir beatus se indesinenter exercebat: talis peregrinationis frequentatione Sanctum Domini Servatium infatigabiliter requirebat. Sabbati tamen die, in quo gloriosæ Dominæ nostræ memoriam Ecclesia consuetudinaliter solemnem agit *a* Aquisgrani, per milliaria circiter tria, cum pera et baculo, peregrinationis suæ insigniis, properavit, ad illam famosissimam toto Romanorum orbe capellam, a *b* Carolo Magno fundatam, et a *c* Sancto Leone Papa, cum numerosa Episcoporum multitudine in honore Dei genitricis et virginis Mariæ, Domino consecratam: ubi etiam ejusdem reverendæ Θεοτόκου memoria venerabiliter a cunctis terrarum populis honoratur, et celeberrime frequentatur. Sed tentationes et immissiones factas per angelos malos, qui juxta iter scandalum

Singulis Sabbatinis Aquisgranum ad cappellam D. Virginis.

a
b c

dalum posuerunt beato viro, quis enumeret: Verum supra firmam petram veræ religionis perseverantia fundatus, nullatenus est ab adversariis superatus.

a Aquisgranum, *sive* Aquægrani, *Galliæ Belgicæ urbs, non procul Trajecto, ut hinc patet, balneis calidis, S Caroli Magni mausoleo, etc. nobilis.*

b *Vitam ejus dabimus* XXVIII *Januar.*

NOT. 106. c Leo III, *an.* DCCXCV, XXVI *decemb. creatus Pontifex, anno* DCCCIV, *in Gallias venit, et basilicam S. Mariæ Aquisgrani dedicavit, obiit an.* DCCCXVI, XII *Junii. Non est relatus in numerum Sanctorum, licet hic* Sanctus *appelletur.*

CAPUT VII.

Quantam persecutionem pro Christo sustinuit.

Adversis probatur. Quoniam igitur omnes, qui pie volunt viverè in Christo, persecutionem patiuntur propter justitiam, tamquam aurum in fornace probavit electum suum Dominus : et ut purgatum defæcatumque, et ab omni hujus mundi aspergine presse pureque detersum, quasi argentum igne examinatum eum purificaret, multifariam multisque modis per caminum tribulationum eum transduxit. Postquam enim præcessit, ut jam prælibavimus, malignorum spirituum occulta et clandestina tentatio, quasi draco sedens in insidiis in occulto; consequenter nihilominus subsecuta est divitum quorumdam et potentum contra eum aperta persecutio, quasi leo rugiens in excelso.

a Vexatur a Monachis Merssensibus. 18 Præpositus enim et Monachi, simul et Clerici cellæ *a* Merssensis, qui in vicino manebant, tantæ rei novitate attoniti et permoti, pro eo quod vir Dei Patrum præcedentium, qui in speluncis et in cavernis terræ latitabant, exemplo, in specu concavæ quercus, vitam duceret Angelicam; quia tamen Religiosorum modernorum consuetudini minime ista concordare videbantur, eum ab hoc proposito revocare modis omnibus nitebantur. Multo igitur studio et summo conamine operam dederunt, ut B. Gerlacus Præposito et Monachis Merssensibus obedientia subderetur. Ad hæc vir Dei, mertuens ne forte, si personis vitæ laxioris obedientiæ voto se constringeret, aliquando vel obedientiæ, vel propositi sui violator existeret, dum religioni vel professioni suæ contraria *b* Præpositus sibi Merssensis quandoque imperaret *b*. Quapropter Monachi et Clerici monasterii Merssensis indignati, cum eum ipsimet, pro eo quod bonæ nationis et celebris extitit opinionis, per se non præsumerent molestare; apud venerandæ memoriæ Dominum *c* Norbertum Leodiensem Episcopum, eum cœperunt multis modis insimulare. Dominus vero Episcopus, credens iis quæ dicebantur, festinato ad locum ubi S. Gerlacus in quercu latitabat, advenit, et quia multam habuisse pecuniam, et eam sub congerie lapidum in quercu repositorum occultasse, Domino Episcopo delatus fuerat; iratus Præsul quercum succidi, et omnem locum diligenter fecit investigari. Cumque nihil aliud nisi districtissimæ vitæ, et austeræ conversationis ejus manifesta reperisset indicia, de tali tantoque viro sibi subreptum fuisse vehementer indoluit, et quod tam innocentem et justum contristasset, ingemuit. Unde ipse Dominus Norbertus Leodiensis Episcopus, spiritualis more Patris eum ab adolescentia suscepit, et ei vice sua *d* Rodensem Abbatem, et alios religiosos, quantum ad curam animæ spectat, præfecit.

b

c

Succiditur ejus quercus.

Præficitur illi in spiritualibus Abbas Rodensis.

d

19 Hunc autem Norbertum Leodiensem Episcopum quidam non bene putant esse S. *e* Norbertum, Præmonstratensis Ordinis initiatorem. Isti in æquivoco falluntur; quia B. Norbertus Madaburgensis Archiepiscopus, qui Religionem Præmonstratensem fundavit, tempore *f* Lotharii Imperatoris migravit ad Dominum : Beatus vero Gerlacus, sicut Bulla quam a Roma detulit testatur, ab Adriano Papa remissus est; qui scilicet Adrianus Papa, ut historiæ testantur, longo tempore, et post Lotharii discessum intervallo, Fredericum I, in Romanorum Imperatorem consecravit.

e Norbertus Episc. Leodiensis, alius a Magdenburgensi.

f

a Marsna, *aliis* Marsana, *vulgo* Mersen, *olim palatium Regium leuca una a Trajecto distans, a Gerberga Regina an.* DCCCCLXVIII *donatum monachis cœnobii S. Remigii Remensis cum villa et prædiis adjunctis; quæ illi ad nostra usque tempora tenuerunt : cesserunt deinde Canonicis regularibus permutatione aliorum in Francia bonorum.*

b *Videtur aliquid deesse . pendet enim sententia.*

c *Nullus inter Leodienses Episcopos* Norbertus *reperitur, nisi binominis fuerit; aut quod potius reor, Chorepiscopus fuerit, aut Vicarius.*

d Claustrum Rodense, *vulgo* Cloosteraet, *cœnobium est in agro Limburgensi Canonicorum regularium, gestantium nigram tunicam, et candidam fasciam lienam e collo pendentem ut Gertrudani Lovanii et Cauwenbergenses Bruxellis. Eorum meminit Aubertus Miræus lib. 1 Donat. Belgic. cap.* 67. *Sita est ea Abbatia ad oppidum* Ducis-rodam, *vulgo* Shertoghenraet, *Gallis*, Rolduc.

e *Colitur* S Nobertus VI *Junii.*

f Lotharius II *electus est an.* MCXXV, *post mortem Henrici V, coronatus Romæ an.* MCXXXIII, *mortuus an.* MCXXXVIII, III *decembris.*

CAPUT VIII.

Quomodo S. Hildegardis prophetissa coronam, cum qua Christo desponsata fuit, ei transmisit.

Igitur sanctum Dei famulum, quem dæmonum infestatio velut latronum multitudo tam frequenter tentavit, et humani cordis vecordia tam crebris injuriis molestavit (ne forte domus supra firmam petram fundata tanti turbinis acta violentia titubaret) Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, dilecti sui merita per Prophetarum oracula mirifice declaravit. Erat eo tempore in partibus *a* Maguntiæ virgo quædam sanctissima *b* Hildegardis nomine, famosissima illa Prophetissa novi Testamenti; cum qua familiariter locutus est Deus, et ostendit ei secreta cælestia. Hæc per manum sanctæ memoriæ Domini *c* Henrici Maguntinensis Archiepiscopi sacro velamine Domino consecrata, cum nullis litteris, nisi tantum Psalmis Davidicis esset erudita, per Spiritum sanctum edocta, de divinis oraculis et sacramentis sibi revelatis, grandia edidit volumina; quæ ab *d* Eugenio Papa, mediante S. *e* Bernardo Clarævallense Abbate, *f* canonizata et inter sacras Scripturas sunt connumerata. Hæc per multa temporum curricula doctrinæ salutaris lampade sanctam Ecclesiam illuminavit, epistolis ad diversas personas missis corroboravit, et claris miraculis illustravit.

a

b

c

d

e

f

S. Hildegardis prophetissæ scripta approbata.

21 Hæc igitur Christi sponsa, dum Regem et Dominum dominantium sedentem in throno more solito in vera videret visione, et assistentium ei Sanctorum distinctos ordines et choros lustrando circuiret, inter Confessorum splendidissimum chorum sedem conspexit lucidissimam, inestimabili decore circumdatam, et mirifice adornatam. Et videns, vehementer super hoc admirata, didicit divino edocta oraculo, hanc gloriam et honorem Sancto præparatam esse Gerlaco, qui S. Servatium quotidiana peregrinatione frequentaret in Trajecto. Hac revelatione virgo Domini de meritis B. Gerlaci certificata, tota in ejus sacrum amorem succensa flagravit; et in signum perpetuæ, quam cum eo quandoque perceptura erat, societatis et felicitatis, coronam, qua in die consecrationis suæ ab Episcopo coronata est, ei transmisit; quæ hujus rei testis, dovote nunc usque in Ecclesia nostra conservatur.

Videt sedem in cælo, paratam S. Gerlaco.

Coronam qua Deo consecrata erat, ei donat.

a *Urbs est celebris ad Rhenum,* Mœni *sive* Mogoni *ostio opposita. Unde et nomen videtur accepisse.*

b *Vitam dabimus* XVII *septemb. in qua, quæ hic de ejus scriptis plenius referuntur.*

c *Sedit ab anno* MCXLII *usque ad* MCLIII.

d Eugenius III, *{qui ab an.* MCXLV *sedit usque ad* MCLII, VIII *Julii, ubi nos de eo agimus} post Concilium Remense an.* MCXLVIII. *Treviris visiones S. Hildegardis diligenter examinatas probavit.*

e *Colitur* S. Bernadus XX *Augusti.*

f *Id est,* approbata.

CAPUT

Auctore Anonymo.

CAPUT IX.

De eo, quod cuidam capillos capitis incidit, qui postea per LX *annos numquam excreverint.*

Denique vir beatus non solum per bonam operationem, lucis exempla quibusque demonstravit; verum etiam doctrinæ salutaris fontem plerisque fideliter administravit. Multis enim ad se venientibus, prout unicuique expedire videbat, singulorum moribus occurrebat. Clericos enim et Pastores Ecclesiarum vehementer arguebat, pro eo quod, soluta zona pudicitiæ, minus caste et sobrie in via Dei ambularent, sed facile pedes eorum per vias non bonas lubricarent : milites de percussione et scissura vestium, de oppressione pauperum, de vanitate alearum, et venationum, et ludorum militarium, et de exactione usurarum : matronas vero notabat de compositione vultus, et vestimentorum strictura et superfluitate; ad nihil aliud hæc utilia esse dicens, nisi ad partus suffocandos, et oculos adulterorum post se trahendos.

Gerlacus vitia reprehendit.

23 Maxima vero invectione adolescentes et juvenes comatulos calamistratos corripiebat, qui in capillatura muliebri tunc temporis insolenter lasciviebant; verbisque persuasibilibus plerosque in tantum inflectebat, quod comam capitis tondendam ultro viro Dei offerebant. Verum in hoc opere devina potentia contra legem naturæ mirabile quid et insolitum dignata est operari. Est Presbyter quidam, nomine Clericus, de loco ab ecclesia S. Gerlaci non longe remoto natus, sed in ripa fluminis Rheni a tempore suscepti sacerdotii conversatus. Hic narrare solet, patri suo (dum in capite adolescentiæ constitutus esset) B. Gerlacum comam capitis incidisse; sed postea eumdem suum patrem commemorat longævum in sæculo filios et filias genuisse, multisque negotiis intendisse, sed capillos capitis ejus ultra metam, quam vir Dei totonderat, postea numquam excrevisse.

Comatos arguit.

Coma ab eo recisa non recrevit.

CAPUT X.

Qualiter supientia hujus mundi, B. Gerlaci vitæ detrahere nitens, sit confutata.

Verum non abs re videtur narrationis ordinem paullisper postponere, et huic operi necessario inserere, qualiter ea quæ de beati viri vita vel virtute præmisimus, a sapientibus hujus mundi, sugillationis intentione et obtrectandi studio curiosius investigata, inexpugnabilium luce rationum sub mira sapientia hujus mundi confudere; et per contradictionem linguarum, quasi per caminum ignis ardentem illæsa transiere; quia non est in eis inventa iniquitas. Est in partibus *a* Hasbaniæ castellum, quod *b* S. Trudonis denominatur, et in castello monasterium Monachorum ab eodem sancto Confessore fundatum, ejusque meritis et corporali requietione glorificatum. Abbas huic monasterio præsidet vir reverendissimus, et magnæ in Christi Ecclesia gloriæ, Magister *c* Johannes Xantensis, fidelis verbi crucis dispensator, et modernæ expeditionis Hierosolymitanæ studiosus coadunator. Quodam itaque tempore, adveniente prædicti Confessoris B. Trudonis anniversario depositionis die, qui in castello supra memorato a populis de tota vicinia confluentibus debitæ venerationis cultu celebriter recolitur, peractis quæ ad cultum divini obsequii pertinebant sacris officiis, plures tam Ecclesiasticæ quam etiam personæ sæculares a prædicto venerabili Abbate ad convivium sunt invitati. Inter quos unus de castelli illius Proceribus, quos sermone patrio *d* Scabinos vocant, Arnoldus nomine, qui sapientia sæculari multum pollere, et in negotiis sæcularibus plurimum efficax esse ferebatur, a *e* Fratre quodam de cella S. Gerlaci, qui tunc forte præsens aderat, de B. Gerlaci conversione et vita et qualitate curiosius primum investigare; deinde mordacius eis quæ dicebantur, conatus est derogare; postremo autem, jocosa quadem urbanite cœpit ea subsannare. Fecit hoc, quia sapientia mundi hujus, tantum iis rebus consuevit fidem adhibere, quæ usu didicit, experientia novit, et sensuum exteriorum, quos cum brutis communes habemus, officio comprehendit. Cæterum ubi flamma divini amoris, electorum cordibus se infundens, supra humanæ infirmitatis possibilitatem triumphales viros de carne propria, de hoste antiquo, de mundo trophæa victoriæ reportare facit; hoc mentes carnalium terrenis solummodo incubantes, et sursum intellectualem respectum non habentes, pondere distortæ vitæ pressæ, non animadvertunt. Eapropter prædictus Satrapa ille (litteras quippe noverat) coram multis, qui festivitatis gratia erant invitati, dogmatizare cœpit, quod iis, quæ de B. Gerlaco referebantur, credere nulla ratio persuaderet; pro eo, quod contra consuetum naturæ cursum fragilia humani corporis membra, in tantis laboribus perdurare non valerent.

a b

Joannes Sanctensis Abbas S. Trudonis.

c

d

e

Scabinus Trudonensis S. Gerlaco detrahit.

25 At contra, prædictus Frater ille : Testimonia (inquit) ista B. Gerlaci merita præconantia, credibilia facta sunt nimis; quia in omnem circumquaque regionem exivit sonus eorum, et in fines totius Germaniæ fama se diffudit eorum : et quod super hoc, patres narrant filiis suis, et filii eorum generationi alteræ : quodque necesse sit quemlibet fidelium indubitatam fidem iis adhibere, aut populos totius Germaniæ, quin etiam multarum exterarum gentium regna, mendacii et falsitatis redarguere, qui ad B. Gerlaci Confessoris Christi sacra limina devote confluentes, laboriosissimæ conversationis ejus, qua in divino desudavit obsequio, a suis progenitoribus ad se perlatam famam constanter asseverant. Præterea et hæc indubia indicia fore, quod Sancti contra carnis jura, legemque naturæ, in stadio vitæ præsentis cucurrerunt; quia videlicet præter in cælis eis conservatam beatudinem, etiam in hoc mundo talem gloriam a Domino perceperunt, quod ad eorum corpora contra consuetum nihilominus naturæ ordinem, mortuis vita, cæcis via, surdis auditus, claudis gressus redditus, et debilis quisque sospes regreditur : apperte et congrue Sanctis et electis Dei juxta modum laboris, consequenter successisse mercedem remunerationis : ut sermo Evangelicus impleatur, quo dicitur : Eadem mensura qua mensi fueritis, remetietur vobis, et super adjicietur vobis.

Ab Auctore refutatur.

Marc. 4. 24.

26 Iis satrapa ille auditis, cum sibi satisfactum esset in omnibus, in una tamen hæsit quæstione, dicens, nec verum nec verisimile esse, B. Gerlacum juxta Psalmistæ vocem, cinerem sicut panem manducasse, et tantis laboribus attritum ejus corpus hoc alimento subsistere portuisse, humanæ carnis materiam magis per hoc dissipari quam vegetari; complexionalis sanguinis, et vitalium humorum rivulos in venarum clementia bona receptacula, per cinerum comestionem minime posse transfundi. Ad hæc venerandus, de quo supra mentionem fecimus, Ecclesiæ B. Trudonis Abbas, altercantibus nobis, partes suas interposuit, et litem nostram decidit, auctoritate sua sententiam nostram confirmavit, et propositæ questioni diffinitivam conclusionis sententiam dedit. Asseruit namque, notam sibi religiosæ vitæ quamdam personam prope castrum quoddam famosissimum, quod dicitur *f* Clivæ, commorantem, quæ inter alia piæ conversationis insignia, tam districtæ abstinentiæ regulam observavit, ut pane quotidiano, qui de simpla farina et dupla parte cinerum confectus erat, ad refectionem uteretur.

An potuerit vesci pane cineribus mixto.

f

27 Hæc per quemdam excessum necessario inseruimus, ut cunctis legentibus luce clarius innotescat,

B. Gerlaci

B. Gerlaci gesta sapientum hujus mundi diligenti inquisitione sæpius ventilata, numquam, palearum more, vento, fuisse rapta falsitatis, sed semper stabili fundamento perstitisse veritatis. Nunc ergo ad narrationis ordinem redeamus.

a Hasbania, *sive* Hasbanium, *regio Belgii est cis Mosam a Leodio Lovanium versus. Ejus mentio est in divisione regni Lotharii inter Carolum Calvum et Ludovicum facta an.* DCCCLXX.

b S. Trudonis *vitam dabimus* XXIII *Novemb. ubi plura de hoc oppido.*

c Joannes Sanctensis *ex Decano Aquisgranensi postulatus in Abbatem S. Trudonis, consecratur sub finem anni* MCCXXII, *anno sequenti simul Abbas Tuitiensis a Legato Apostolico constituitur: moritur anno* MCCXXVIII, X *Kal. Februar. unde clarius patet, quo tempore hæc vita scripta sit.*

d *Ita toto Belgio appellantur urbium pagorumque Senatores, qui jus dicunt, fere* VII *viri aut* XII *viri.*

e *Infra ostendit Auctor sese Fratrem illum fuisse.*

f *Oppidum est a quo nomen nobilissimo Ducatui* Clivensi *factum, cujus partem Cisrhennanam* Gugerni *olim tenuere.*

CAPUT XI.

Episcopi Leodiensis erga eum benevolentia.

Ut superiori narratione nos retulisse meminimus, cum Dominus Norbertus Leodiensis Episcopus, ad suggestionem Cellæ Mercensis Monachorum, B. Gerlacum de cella sua, quam sibi in quercu concava fecerat, ejecisset, et quercum ipsam succidi, et omnem lapidum in quercu repositorum congeriem demoliri fecisset; cum nullam inibi, sicut Monachi detulerant, pecuniam, sed beati viri austeræ conversationis indicia solummodo reperisset; multum indignatus iis qui ei falsa de tali viro suggesserant, ipsum Dei hominem super vulnere, quod ignoranter ei intulerat, paterne lenire curavit. Unde ipse venerandus Antistes beatum virum Dei Gerlacum ad obedientiam et in spiritualem filium suscepit, et eum ab obedientia Mercensium Monachorum et Clericorum subduxit; indignum reputans, quod homo cælibem vitam ducens, et Angelicæ in terra conversationis existens, personis mundo huic deditis obedientia subderetur. Renitentibus Monachis Clericisque Mercensibus, et demembrationem suæ parochiæ conquerentibus, Præsul respondit, affirmans sui juris esse, ut religiosos eremitas, solitarios, inclusos, *a* in suo Episcopatu Domino servientes, a jurisdictione minus religiosorum Clericorum, in quorum parochiis manerent, emancipare sine alicujus contradictione valeret: et Monachos, aliosque religiosos, eis doctores, confessores, et spiritualium administratores præficere.

Eximitur a Mersensium jurisdictione.

a

29 Eapropter ipse Dominus Episcopus de materia quercus, quæ, ut supra retulimus, in offensam viri Dei succisa fuit, duas cellulas fieri præcepit; unam, in qua vir beatus Domino die nocteque supplicaret; alteram vero, in qua vir beatus fatiscentes artus post laborem reclinaret. Quæ videlicet cella in tantum humilis, in tantum terræ acclivis, adeoque (ut veridica relatione didicimus) sepulchro magis quam domicilio similis erat; ut vir Dei in ea supinus jacens, genibus, quod mirabile dictu est, summitatem ejus attingeret.

Cellæ duæ ei ædificantur.

30 Posthæc Præsul virum Dei Abbati de Rhoide, cui nomen Burno erat, aliisque Religiosis commendans, vitæ spiritualis institutores et præceptores, et de his quæ ad animæ curam pertinent, procuratores eos præfecit. Et idem præterea in Oratorio suo, quod ei de materia lignorum succisæ quercus, ut jam præmisimus, præparari jusserat, Missarum solemnia, et talia divini cultus obsequia ei solemniter exhiberi præcepit, et paterna benedictione muniens valefecit eidem, imprecatus illi prospera evenire. Sanctus vero Gerlacus vestimenta Sacerdotalia, vasa sacra, tabulam altaris vice consecratam, et alia utensilia ad divinum mysterium necessaria, diligenter conquisivit, et Sacerdotes religiosos penes se detinens, divina sibi officia solemniter fecit ab eis administrari.

Rhodensi Abbati ejus curam commendat.

a *Hinc patet, falli Andr. Saussayum, dum in Martyrol. Gal. ait diœcesim Ruræmundensem fuisse Remensis portiunculam; hæc enim ejus pars Leodiensi Episcopo subfuit, ceteræ Coloncinsi.*

CAPUT XII.

Qualiter iterato a malignis spiritibus et hominibus sit tentatus.

Et ecce, rediviva tentatio malignorum spirituum et hominum, arietis more, crebris ictibus virum cælestibus intentum pulsare, et vehementer contra eum muscipulas tendere deceptionum, et in capturam ejus laqueos spargere, et retia cœpit laxare tentationum. Nocturno enim tempore, viro Dei post diurnum noctu laborem membra paullulum sopore reficiente, malignus spiritus tantillum quietis eum habere dolens, aliquando voces et tumultus quasi irruentium hostium circa cellam, in qua quiescebat, suscitavit; nonnumquam verro latronum furtive intrare volentium, et aditus tentantium, irruptiones simulavit; aliisque mille nocendi artibus Dei hominem inquietavit. Aliquando autem, viro Dei audiente, furem et latronem se esse, velut vere est, simulans, et cellam ejus more latronis obambulans, quasi ad alium quemdam latrocinii sodalem, in hæc verba prorupit: Ambula, inquit, caute, et a strepitu pedum cave tibi; quoniam in hac cella jacet qui numquam dormitat. Ad hæc vir Dei cellam, in qua jacebat, egrediens, cum nullum adesse cerneret, spiritus maligni cognovit hæc esse machinamenta. Alio item tempore, ad B. Servatium solita devotione iter eo agente, magni montis molem prætendens antiquus ei hostis occurrit. At contra, vir Dei crucem quamdam parvulam, quam semper in pectore gerebat, quæ nunc quoque consuetudinaliter a peregrinis deosculatur, opponens, adversarii phantasma vexilli triumphalis virtute dissipavit. Verum ut in quodam vulgari proverbio dicitur: Omnia vincit amor, in his omnibus vir beatus superavit, propter eum qui dilexit illum.

A dæmone infestatur.

Diabolum cruce obtenta pellit.

32 Rem novam et miram dicturus sum, quam seniores nuncusque superstites se cognovisse profitentur a suis progenitoribus, qui B. Gerlaco viderant in horrore hiemis asperrimæ nudis plantis in nivium densitate itineranti, vaporem calidi fumi de pedibus conscendere ad modum cacabi super prunas positi; quia nimirum mens ejus, et membra corporis ejus, cibus erant ignis illius, quem Dominus Jesus misit in terram, et voluit vehementer accendi. Fertur etiam a nonnullis, quod die quodam, cum solito peregrinationis more nocturno tempore ad ecclesiam B. Servatii advenisset, et fores essent clausæ, quia nondum erat tempus matutinarum, ante faciem ejus valvæ ecclesiæ, nullo mortalium reserante, sponte patefactæ sunt.

Per nives eunti, fumant pedes.

Templum S. Servatii ultro ei patet.

33 Super hæc omnia, Merssensis cellæ Monachi et Clerici, in quorum parochia vir Dei residebat, repleti sunt zelo, et contradicebant his quæ per servum suum Dominus operabatur, indignantes. Unde et oderant eum, nec poterant ei quidquam pacifice loqui: unde et dicebant, virum Dei communione privandum, pro eo quod cum Episcopi licentia et auctoritate, præter parochialem ecclesiam divina mysteria faceret celebrari. Hoc autem eos nullo moderamine rationis, sed tantummodo impulsu præsumpsisse injustæ commotionis, ex hoc certissimum est; quia si aliquo juris adminiculo, legum suffragio, et Canonum juvamine, hæc contra virum Dei allegare potuissent, tot Legatis ab Apostolica Sede huc directis, in cella beati viri per censuram Ecclesiasticam interdici divina fecissent. Verum sicut in Dialogorum libro legitur, quod Sacerdos quidam *a* B. Benedictum in sua parochia monasterium construentem, gravissima persecutione insectatus

Merssenses iterum ei adversantur.

a Aliqui divinitus puniti.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

AUCTORE ANONYMO.

ctatus est; ita nimirum et isti S. Gerlacum gratis impugnantes, ad iracundiam concitavere. Et sicut Sacerdos prædictus pro injuria, quam Beato intulit Benedicto, divinam sensit ultionem; ita nihilominus nonnulli eorum qui ad detrahendum B. Gerlaco plus pertinaces, et ad obloquendum magis procaces, et ad irritandum eum amplius effrænes fuerunt, mercedem, quam oportuit, in semetipsis receperunt: sicut loco suo plenius enarrabimus.

a *Id* XXI *Martii in S. Benedicti vita referetur.*

CAPUT XIII.

Quomodo a quadam nobili matrona sit visitatus.

Post hæc, cum fama virtutum beati viri longe lateque crebresceret, et multi ad videndum eum de remotis partibus properarent, contigit et matronam quamdam nobilem, Odam nomine, de Castro *a* Hinsbergensi, Dominam fundi in quo vir sanctus residebat, ad eum invisendum advenire. Quæ mirabilem mutationem dexteræ Excelsi in eo admirata, et incrementis spiritualium ejus profectuum exhilarata, terrulas quasdam et fundos cellæ ipsius circumjacentes, perpetuali jure ipsi et omnibus heredibus ejus in eodem loco Domino servituris, tradidit possidendas.

a D. Oda fundum ei donat et heredibus.

a Hinsberga *non ignobile ditionis Juliacensis oppidum, tribus Buræmunda milliaribus.*

CAPUT XIV.

De eo qui loricam, qua utebatur, frequenter reparavit.

Lorica ferrea induitur.

Sed et hoc inserendum, quod vir beatus loricam ferream, membra corporis castigans, et spiritui servire cogens, assidue gestavit, qua deliciis et voluptatibus vitæ hujus insultavit; cujus munimine tectus, adversus aereas catervas athleta fortissimus certamine forti dimicavit, et in nomine Jesu gloriose triumphavit *a* longo usu circulis diruptis, et dilapsis scissuris. Hic autem frequenter reparavit; et novis circulis scissuras veteres connectens, adunavit.

a

Senex asello insidens adit templum S. Servatii.

36 Præterea, cum longo ætatis senio fessus, et laboris exercitio viribus corporis exhaustus, solitæ peregrinationis iter ad B. Servatium pedes, sicuti consuerat, conficere non posset; humilis aselli terga insidens, consortem suum quandoque in cælis futurum obsequiis affectuosis in terris delinivit; et salvo lectionis Evangelicæ sacramento, tres panes amicus ab amico, tum devote cum etiam nimis importune requisivit; dum vel intelligentiam Trinitatis, vel fidei, spei, et caritatis augmentum, patrocinantibus ejus meritis, et interventu, a Domino consequi postulavit.

a *Hic aliquid deest.*

CAPUT XV.

De modo orationis ejus.

Sed et orationis ejus modum inserere non superfluum reor, ad utilitatem scilicet eorum, qui Psalmos et longas orationes canere nesciunt: ut noverint affectum potius, quam multa verba postulantium, intra sacrarium divinæ exauditionis admitti. Sacerdos quidam Hinsbergensis Ecclesiæ, quæ in castro sita est, Norbertus nomine narrare solebat, quod eo tempore, dum vir Dei B. Servatium frequentabat, puerulus in *a* stolis existens, multotiens ad B. Gerlacum in *b* crypta B. Servatii in oratione prostratum, auscultandi curiositate appropians, audivit eum hujus orationis verba sæpius replicantem: Kyrei eleison, Christe eleison. Pater noster. Ave Maria.

Orat in crypta S. Servatii.

a

b

Ejus orationes.

a *Forte* Scholis.

b *Venerabilem illam antiquissimæ basilicæ cryptam nos quoque olim pueri frequentavimus.*

CAPUT XVI.

De his, quæ a quodam seniore adhuc superstite, de B. Gerlaco narrantur.

Et ecce, his scribendis adhuc intenti, relatione cujusdam didicimus, civem quemdam Trajectensem, Theodoricum nomine, de vico qui Scinne vulgo appellatur, omnibus his in partibus commorantibus notissimum, adhuc superstitem esse; qui B. Gerlacum se vidisse memorabat in carne constitutum. Ad quem festinato itinere properantes, invenimus hominem ævo jam gravem, et præ senectutis defectu vix gressum ad ambulandum moventem. Hic nobis retulit, virum Dei Gerlacum se, dum pueritiæ annos nondum exegisset, tempore quodam vidisse, a matre sua, quæ ipsius secundum carnem erat propinqua, susceptum hospitio: quem memorabat fuisse statura grandem, vultu decentem, cum barba longa et circa pectus diffusa, corpore amplo, et robusto. De habitu vero ejus hoc asserebat, quod ad carnem cilicio, et desuper lorica ferrea, longo usu multum discissa, atque magna ex parte circa extremitates delapsa, desuper autem vestibus laneis, id est tunica, scapulari cappa, et cingulo, secundum Præmonstratensis Ordinis professionem, tam forma quam colore per omnia coaptatis, utebatur.

Auctor quemdam convenit, qui S. Gerlacum viderat.

Forma ejus et habitus.

39 Quem etiam dicebat matri suæ retulisse vitæ suæ ordinem, et tentationes malignorum spirituum, qui in via, qua Beatum frequentabat Servatium, scandalum posuerunt ei, multiplicibus occursibus et phantasmaticis illusionibus itineris ejus intendentes retardare devotionem. Deinde retulit, pedem unum beato viro gravi ulcere fuisse vulneratum; qui, ut supra retulimus, in quodam spineto, quod mordacis naturæ fertur esse, læsus fuit, dum in pascendis gregibus in hospitali Hierosolymitano demoraretur. Ad ultimum, hoc de homine Dei B. Gerlaco subintulit, quia dum ei lectulus ad quiescendum plumarum mollitie decenter compositus fuisset, talem lectuli suavitatem penitus recusavit, et in palearum simplici et nuda congerie fessa membra reclinavit. Postero vero die, cum puella de domo, ante lucanum diei exortum operis quidpiam factura, focum de more succenderet, omnes qui in domo erant, viderunt beatum Dei famulum in nuda humo prostratum in oratione jacentem. Hic attendere parumper libet, hic homo Dei quantæ fuit fortudinis, et quam invictæ in eo enituit insigne virtutis; qui de sui rigore propositi relaxare quidquam, nec ipsa hospitalitatis gratia suadente, consensit.

Pes unus ei ulcere læsus.

Lectum recusans humi cubat.

40 Postremo, prænominatus (qui nuncusque superest) de beato Christi servo etiam hoc adjecit, dicens, quod ab eo tempore, quo primum conversionis gratia cilicium et loricam arma induit pœnitentiæ, numquam postmodum ea deposuit; sed usque in finem vitæ suæ, per annos circiter quatuordecim, donec frustatim de corpore ipsius decciderent, ea gestavit; cum quibus nimirum et post corporis resolutionem terræ commendatus fuit. Magna præterea vir prædictus affirmavit constantia, quod B. Gerlacus nulla hyemis inclementia, nulla pluviarum inundantia, nulla ventorum violentia vel retardatus vel remoratus fuerit ab itinere, quod eum quotidie ad B. Servatium præmisimus confecisse. Ad hæc, cum seniorem prædictum de tempore, quo hæc facta sunt, diligenter interrogassemus; respondit, quod eodem tempore facta sunt, quo Fredericus Imperator, coadunatis totius Imperii viribus, *a* Mediolanum Liguriæ metropolim obsidens expugnavit; vel cum Dominus Hermannus antiquus de Mulmarchim, illustrissimus tunc temporis heros, *b* Coloniensis civitatis hostes potenter effugavit, ipsamque Coloniam mira industria intactam ab inimicis conservavit. Hæc sicut a prædicto

14 annis loricam et cilicium gestat, cum iis sepultus.

Quando vixerit.

a

b

dicto seniore accepimus, præsenti opusculo beati viri gesta inseruimus. Nunc ad sanctissimum ejus transitum describendum veniamus.

a *Id anno* MCLXII *accidisse scribit Godefridus monachus ad S. Pantaleon Colon. in Chronico.*

b *Anno* MCLXIV *id factum, ut idem auctor narrat. Erat tunc Coloniensis Archiepiscopus Reinoldus, qui in quodam diplomate, ut narrat* V. CL. *Ægidius Gelenius notat ad cap.* II, *lib.* 2. *vitæ S. Engelberti, an.* MCLXI *dato,* Hermannum de Molenarck *(hunc ipsum, ut opinor)* Comitem *appellat.* Castrum Molenarck in Ducatu Juliacensi nunc a nobili familia Meternich tenetur; *ut idem ait.*

CAPUT XVII.

Qualiter B. Gerlaci meritis in vinum Dominus aquam mutavit.

Aqua in vinum ei divinitus mutatur.

Electum suum Dominus de laborioso mundi hujus proponens educere certamine, divitias bonitatis suæ aliquatenus ei prægustare devovit, et meritorum ejus prærogativam indiciis evidentibus declaravit. Est in a castello Trajectensi senior quidam, beati viri ex sorore nepos, et ab eo Gerlacus et ipse denominatus, omnibus in castello prælibato manentibus notissimus; vir ætate provectus, moribus constans, sermone verax; cujus relatione ea, quæ in præsenti opere conscripsimus, non minima ex parte didicimus. Hic magna fide, terribilibusque sacramentis astruere solet, magnum divinæ pietatis indicium, quod eodem anno, quo vir Dei de hoc mundo migraturus erat, juxta potentiæ suæ antiqua miracula, Dominus in servo suo dignatus est operari. Asserit namque quod in quadam Dominica Passionis vir beatus Presbyterum quemdam, Rutgerum nomine, qui eo die divina sibi in capella sua celebraverat, ad hauriendam aquam de fonte, qui usque hodie S. Gerlaci fons denominatur, direxit; et cum gustasset, aquam in vinum commutatam esse persensit. Et nesciens rem gestam, a Presbytero sibi esse illusum putavit; et aliquantulum commotus, exclamavit: Ego, inquit, per quatuordecim annorum curriculum vinum et siceram, et omne quod inebriare potest, non bibi; et tu mihi liquorem, quo tanto tempore abstinui, præsertim in tali die propinasti? Presbytero ad hæc attonito, et se aquam puram, non vinum propinasse affirmanti, vir Dei aquam vinum factam ad crepidinem altaris sui effudit, et Presbyterum rursus haurire aquam rogavit. Paruit ille, et ecce virtus aderat Domini, ut prius,

Quo jussa vinum fundere
Mutavit unda originem.

Tertio idem accidit.

Ad hæc vir Domini tertia vice per seipsum volens experiri, accessit ad fontis marginem, et aquam hauriens, ad locum ubi prandere solebat, apportavit. Et iterum in modum vinei saporis eam factam persentiens, Dominum, qui vere mirabilis est in sanctis suis, et dives in omnes qui invocant eum, cum multa gratiarum actione collaudavit.

a *Ita appellari olim solent loca munita et, siquandoque urbes essent peramplæ. Quamquam Trajectum minus olim fuisse, constat ex veteribus mœnibus quæ etiamnum visuntur.*

CAPUT XVIII.

De eo, quod a B. Servatio in extremis sit visitatus.

Ejus mors vulgaribus cantilenis celebrata.

Jam vero ad ea, quæ de beato transitu ipsius fidelium ore narrantur, mens hæsitat, cogitatio fluctuat, manus describere formidat: quamquam multi honesti, sive constanter, sive pertinaciter hic affirment; sed et cantores, canendi arte hominibus placere studentes, in suis cantilenis, ea quæ dicturi sumus frequenter decantent. Ferunt enim, cum Dominus triumphalem militis sui laborem immarcescibili gloria remuneravit, et ad æternum convivium Sanctum suum vocare decrevit, quod instante hora resolutionis ejus, Sacerdos, qui sacra mysteria ei administrare solebat, forte tunc temporis defuit. Abbates, et ceteri Religiosi, quibus ab Episcopo fuerat commendatus, per nuntium fuerunt evocati: sed opportunitas non erat eis ad transitum viri Dei citius occurrendi. Clerici de Mersene, qui in vicino manebant, dicebant eum sui juris non esse, animæ ipsius providentiam et curam eis non incumbere, quia viris religiosis ab Episcopo fuerat commendatus. Cum hæc viro Dei ultima ægritudine decumbenti narrantur, nihil metuens, sed spei anchoram fixam in Christo tenens, multis, qui causa ipsius advenerant, adstantibus, dixit: Scio cui credidi, et certus sum, quia cui servivi, tanti laboris, quo pro ejus amore desudavi, non obliviscetur. Et ecce, venerabilis quidam senex, niveo indutus habitu, præcedente se quodam juvene, omnibus intuentibus intravit, ubi homo Dei æger decubuit; et salutatis omnibus, ad B. Gerlacum jam in hujus ærumnosæ vitæ termino positum accedens, quasi amicum repatriantem multifarie consolatum, viatico salutari, et omnibus, quæ fidelibus ab hac vita migraturis exhiberi solent, munivit Sacramentis: et peractis omnibus, valefaciens ei discessit; et, ut fertur, postea nulli comparuit. Unde usque hodie dubia super hæc quorundam fertur sententia, quibusdam dicentibus, Abbatem hunc quemdam fuisse; aliis vero, S. Servatium constanter veracissimeque affirmantibus advenisse, et peregrinum suum salutaribus sacramentis communisse. Et quidem, sicut supra retulimus, multos usque hodie, quod a B. Servatio corporaliter visitatus fuit, non solum narrantes, sed et vulgo cantantes audimus. Nos vero super hæc sententiam præcipitare non ausi, totum hoc divinæ dispositioni committimus: quisquis tamen ille fuerit, a Deo directum fuisse non ambigimus.

Auctore Anonymo.

A S. Servatio viatico reficitur.

43 Post hæc vir Dei amicis et fidelibus suis, qui convenerant, de sepultura sua sollicitis mandavit, præcipiens, ut in capella sua lignea, in qua habitarat, cum eadem lorica et cilicio corpusculum suum terræ commendarent. Atque inde valedicens omnibus, in pace reddidit spiritum Domino, Nonis Januarii, Vigilia scilicet Theophaniæ Domini. Fideles igitur qui aderant, et qui ad exequias ejus de tota provincia convenerant, in eadem capella qua ipse sepeliri decreverat, corpus ipsius devote cum lorica et cilicio terræ commendaverunt, Catholicas illi exequias celebrantes.

Moritur et sepelitur cum lorica et cilicio.

LIBER II.

PRÆFATIO.

Postquam pretiosus B. Gerlaci terræ fuit commendatus corporis thesaurus, artifex summus, et universæ conditor creaturæ Deus, meritorum ejus margaritis annulum fidei Ecclesiæ mirifice adornavit; quando ejus sacratissima ossa, de imis terræ visceribus, et de abditis sepulchri receptaculis, absque aliquo humanæ industriæ adminiculo ad terræ superficiem evocavit; dum ejus patrocinantibus meritis, mortuos ad vitam resuscitavit, cæcorum oculos illuminavit, claudis ad ambulandum bases et plantas consolidavit, et omnia morborum genera, tam in hominibus quam in jumentis curavit. Fidei etenim nostræ credentium, quædam jaciuntur fundamenta, spei consurgunt incrementa, caritatis coalescunt fomenta, devotionis accrescunt incitamenta, et bonæ operationis per hæc multipliciter subministrantur nutrimenta; dum mirabilis Deus in Sanctis suis, eorum suffragiis nonnumquam destruit in mortuis corporibus mortis imperium, contra quod humanum non valet ingenium: dum in ægris membris corporalibus, naturæ supplet defectus, in quo medicorum industriæ succumbit effectus. Et quoniam nonnullos B. Gerlaci meritis obniti, et

S. Gerlaci reliquiæ variis fulgent miraculis.

Auctore Anonymo.

miraculis obstrepere nonnumquam cernimus, qui quod ipsi facere non possunt, factum ab alio erubescunt; et idcirco negare hæc, vel quæ negare non valent, sinistra interpretatione depravare contendunt. Idcirco ad hoc describendum nunc primum stilum vertamus, qualiter reliquiarum ejus sanctissima pignora, sola potentiæ divinæ dextera, de sepulchro sunt insolito more elevata : cujus rei tot sunt testes, quot in tota nostra provincia perfectæ ætatis sunt homines.

CAPUT I.

De translatione B. Gerlaci divinitus facta.

Benignus Dominus, qui dives in misericordia, et largus est in præmiis, per S. Gerlaci Confessoris sui merita, fidelium suorum infirmitati consulere, et saluti disponens prospicere, reliquiarum ejus sanctissima pignora non diu sepulchri claustris coerceri, nec terræ congerie passus est occultari : sed ad multorum exhaurienda peccata, et merita cumulanda, mirabili satis atque stupendo modo, conspectibus hominum ea concessit propalari. Multorum siquidem concordi relatione refertur, quod S. Gerlacus, ubi beatum Deo reddidit spiritum, dum debitum sepeliendi officium more fidelium ipsi esset exhibendum, magnæ profunditatis ejus sepulchri receptaculum præparatum est; et corpus ejus ligneo clausum locello, non aliter nisi cum funium adminiculo in designatum sibi terræ hospitium potuit submitti. Verum tempore modico evoluto, terra quæ in superficie sepulchri erat, miro modo cœpit hiare : et quasi votiva quadam (si dici fas est) lætitia, egressuris margaritis viam videbatur præparare. Pauci fideles, qui tunc locum illum frequentabant, hoc intuentes, omni qua poterant industria hiatus atque scissuras sepulcri obducere atque complanare satagebant. Sed sive scienter sive nescienter, frustra humanum ingenium contra divinum quidquam attentat consilium. Quid plura? Contra sepultorum cadaverum conditionem, contra mortuorum cinerum et ossium aridorum consuetudinem, contra ipsius denique leges et decreta naturæ, B. Gerlaci ossa super aurum et argentum pretiosa, nullo mortalium sublevante, de tumba, in qua sepulta fuerunt, emanaverunt, et hominum conspectibus se paullatim repræsentaverunt.

Ossa S. Gerlaci supra terram sponte sua assurgunt.

3 Crux etiam Dominica valde venerabilis, de æramento decenter formata, super ea loco pectoris inventa est; et sub cruce particula quædam cilicii, cum quo vir beatus sepultus fuerat, a corruptione integra inventa est; in ea videlicet quantitate, quantum eadem crux in gyro videbatur obducere. Hæc cilicii particula in modum pulvilli cum eadem cruce coaptata est; et in maxima veneratione nunc utraque a peregrinis deosculantur, multamque curationis opem infirmis impertiuntur. Hanc autem crucem vir beatus ab Hierosolymis secum asportaverat, et eam semper in pectore suo præferebat, et contra omnia phantastica hostis antiqui figmenta, murum inexpugnabilem opponebat; et in extremis suis pectori suo superponendam, sibique mandavit consepeliendam. Ad tantam igitur famam convenit tota provincia : concurrit turba languidorum, et consequitur gratiam beneficiorum. Longum est per singula, quæ super iis audivimus, vel quæ ipsi oculis prospeximus, et manibus contrectavimus, enarrare : sed ad fastidium evitandum libet pauca de multis exempli gratia specialiter explicare.

Crux ejus et pars cilicii asservantur.

CAPUT II.

De Adam milite languido, per B. Gerlacum curato.

Est miles quidam, Adam nomine, de villa quæ dicitur Berge, cellæ B. Gerlaci satis contigua, vir magni nominis, et ob morum honestatem, clarosque militiæ actus, per multa loca divulgatus. Hic narrare solet, magnum divinæ potentiæ miraculum, B. Gerlaci patrocinantibus meritis, in se fuisse patratum. Asserit namque, tempore juventutis suæ, dum primum ad militiam fuit promotus, quoddam ulcerosi tumoris apostema sibi in faucibus excrevisse, viamque gutturis ei totam præclusam fuisse, edendi et bibendi, simul et somnum capiendi, penitus sibi possibilitate sublata. Parentes ejus et amici talem indolem in tanto juvene deperire videntes, tristes et anxii remediorum genera, quibus ei subvenire posse sperabant, attentant. Cumque omnia medicinæ carnalis frustra impenduntur ingenia, parentes ejus, ubi humanum eis deficere cœpit consilium, ad divinum devote se convertunt auxilium. Igitur vehiculo impositum adolescentem Trajectum deducunt; et mirifici Confessoris B. Servatii liminibus eum repræsentant. Et non solum S. Servatii, et aliorum, quorum multa inibi corpora sepulta sunt, Sanctorum pignoribus loca doloris singula pertractant; verumetiam aquam reliquiis eisdem superfusam ori juvenis infundunt. Verum S. Servatius, omnium licet debilium ad se confugientium relevator promptissimus, hac tamen vice distulit ægrum, suum patrocinium requirentem, liberare : quia consorti suo B. Gerlaco gratiam hanc sanitatis voluit reservare.

Adolescens apostemate laborans, ad SS. reliquias ducitur.

5 Ergo ubi parentes juvenis sospitatis munus ei minime collatum viderunt; denuo vehiculo impositum, cum ingenti luctu et planctu, quasi funus quoddam prosecuti, domum eum perduxerunt; non vitam, sed mortem ejus præstolantes. Jam septem dies effluxerant, et ille sine omni vitali alimento perseverans, in solo tantum pectore anhelitum extremum trahere videbatur. Jam de vita ejus desperabatur : jam de ejus exsequiis tractabatur. Interea juvenis ipse S. Gerlaci recordatus, moleste ferre cœpit, quod vicini sibi patroni tam diu suffragia implorare distulisset. Misso igitur celeriter nuntio, terræ portiunculam, quæ circa ossa B. Gerlaci jacebat, sibi præcepit afferri, et allatam aqua commisceri, et sibi in os rogavit infundi. Quo facto, statim ubi antidotum salutare locum doloris attigit, mox mirum in modum, ulcus mortiferum intra fauces crepuit, et humoris lethiferi per os ægri magna copia defluxit. Itaque ab ipsis faucibus mortis miles S. Gerlaci meritis ereptus, continuo potum, et mollia ciborum genera sumens, cum parentibus et cognatis et amicis, qui quasi ad exequias ejus convenerant, cum omni etiam utriusque sexus et conditionis, quæ in tota vicinia commanebat, plebe ad cellam B. Gerlaci descendit : et Dei magnalia, quæ per servum suum operari dignatus est, cum magna gratiarum actione collaudavit, et peractis votis, gaudens et incolumis ad propria remeavit.

Ope S. Gerlaci subito sanatur.

CAPUT III.

De mirabili duarum matronarum curatione.

Prope castrum regium, quod *a* Duren vocatur, quod a Colonia non longo distat intervallo, quidam miles manet, Wilhelmus nomine, vico qui dicitur Binzvelt, omnibus illis in partibus commorantibus notissimus. Hujus uxor, Hadewigis nomine, venit ad Sancti limina Gerlaci, et tam ex devotionis quantitate, quam etiam ex oblationum pondere advertere cœpi aliquam specialem gratiam ei a patrono nostro collatam fuisse curationis.

curationis. Super hoc igitur ad matronam, quæ satis provectæ videbatur ætatis, inquisitor curiosus accessi. At illa matronali rubore suffusa, cum nobili sua verecundia aliquamdiu silentium tenuisset, tandem mihi respondit, causam esse talem, quam revelare non nisi Sacerdoti valeret. At ubi me, licet indignum, nomen Sacerdotis portare intellexit; tragœdiam suæ miserandæ calamitatis, de qua per B. Gerlacum liberata fuerat, mihi per ordinem enarravit. Et quoniam de occultis maternorum viscerum passionibus sermo nunc habendus est, nemo, quæso, qui hæc legit, mihi qui hæc scribo molestus sit : quoniam prædictæ mulieri in abditis naturæ torturis, Pater summus tam ineffabili per servum suum Gerlacum succurrit ope curationis, ut hoc silentio præterire nulla penitus valeam ratione. Asseruit namque prædicta matrona, plures se filios filiasque genuisse ; sed toto tempore, quo quandoque primos liberos primum est enixa, torsiones viscerum tam enormes, tam miserabiles, tam diuturnas, etiam ultra tempus purificationis se memoravit sustinuisse, ut vitam sibi graviorem, mortem vero minime reputaret damnosam. Tempore vero quo quintum liberorum suorum edidit, eadem languoris molestia usque ad animæ exitum fatigata, dum tempus legitimæ suæ purificationis expectaret, assistere vidit in somnis personam quamdam, et diligenter se commonere, ut si vellet ab infirmitate liberari, et optatæ sanitatis munere potiri, B. Gerlaci Confessoris patrocinia suppliciter imploret. Mox somno resoluta, tali visione exhilarata, B. Gerlaco peregrinationis suæ iter, et certam summam pecuniæ singulis annis se exhibituram esse devovit. Nec longa dehinc mora intercessit, et viscera mulieris enormiter e suis sedibus evagantia, sua mox receptacula repetiere, eisque confœderari cœpere, et in tantum sanitas matronæ redintegratur, ut postea frequenter patienti, nihil sibi tale dicat accidisse.

Quædam a doloribus curatur viscerum.

7 Præterea memorata matrona neptem quamdam se retulit habuisse, simili per omnia morbo laborantem, quæ ipsius admonitione, B. Gerlaco se etiam ipsa devovens, simili nihilominus remedio meruit ab eo liberari.

Item alia.

a Marcodurum, *sive* Marcomagum, *oppidum Juliæ ad Ruram, vulgo* Duren, *a transitu Ruræ. Ubicumque enim nominibus locorum apponitur* Durus *aut* Durum, *ea ad fluvios sita reperies : itidem cum* Magus *vel* Magum, *et hoc videtur vadum significare, quod Germani* furt *vocula nominibus addita indicant.*

CAPUT IV.

De clauda erecta.

Winandus quidam frater ecclesiæ B. Gerlaci multis devote servivit annis, cui primum conversionis extitit caussa filia sua clauda, sed per B. Gerlacum pedum officio restituta. Quod qualiter factum sit, sicut ab ipsius ore didici, enarrabo. Filia, inquit, admodum dilecta gressuum officio penitus destituta, ita ut de loco ad locum movere se non valeret, nisi manibus alienis adjuta. Hanc vehiculo impositam, Trajectum ad B. Servatium, et per multa Sanctorum loca deduxi : sed Sancti sospitatis ei munus minime voluerunt conferre ; quia B. Gerlaci merita, per ejus erectionem mundo plenius voluerunt declarare. Ad ultimum ad Sanctum istum eam, inquit, adduxi, et per ostium ecclesiæ, quod ad Aquilonem respicit, cum vehiculo eam introduxi : et juxta corpus B. Gerlaci in sinistro latere collocavi. Ego vero in latere dextro stans, lacrymis ubertim ab oculis fluentibus, sanctum Confessorem, ut meæ subveniret filiæ, suppliciter exoravi. Et ecce cunctis nobis cernentibus cujusdam reverendissimi persona viri ecclesiam ingressa est, candidis induta vestibus, id est tunica et scapulari, secundum Præmonstrati Ordinis professionem per omnia coaptatis. Nos vero personam illam quæ advenerat, religiosum quemlibet esse peregrinum putantes, ut pro ægra Domino preces funderet rogavimus. Ille vero nihil respondens, devote se tantum versus nos humiliavit : et inter hæc ad languidam accedens, de sepulcro pulveris quidpiam sustulit, et super eam posuit. Mox nervi contracti cum magno fragoris strepitu resolvuntur : et puellæ liber ad ambulandum gressus restituitur. Nec mora : Frater Fredericus custos ecclesiæ, et cæteri qui præsentes erant, et rem gestam viderant, signis fortiter insonantes, populum convocant. Concurrit populus diversi sexus atque ætatis. Benedicitur ab omnibus Deus : fit omnium generale tripudium. Interea dum filiæ Sion exultant in Rege suo, divinus ille nuntius, per cujus ministerium miraculum hoc Dominus operatus est, disparuit : ejusque absentia statim notata est. Dum ergo diligenter requiritur, et de ipso nullius indicii vestigium prorsus invenitur ; Sanctus procul dubio Gerlacus visibiliter ad id peragendum, a Deo directus fuisse, ab omnibus non immerito æstimatur. Vehiculum quoque, in quo puella prædicta debilis fuit advecta, pro hujus rei testimonio in ecclesiæ pariete affixum usque hodie conservatur. Huic rei tanta testium multitudo suffragatur, tanta super hoc per omnes fama dilatatur, quod in his partibus a nullo penitus super hujus facti fide dubitatur.

Visibiliter apparens claudam erigit.

Auctore Anonymo.

CAPUT V.

Qualiter Matthæus claudus sit erectus.

Matthæus quoque (qui ab ipsis pæne cunabulis in ecclesia S. Gerlaci infans nutritus est, litteras sacras edoctus usque ad ordinem Sacerdotii promotus est, multisque inibi sub regulari professione servivit annis) a parentibus primum illuc infans claudus allatus, cum S. Gerlaci meritis erectus fuisset, sic demum a parentibus B. Gerlaco, in ejus ecclesia perpetuo Domino famulaturus, oblatus est. Hoc quia cunctis quo gestum sit ordine luce clarius constat, idcirco sub brevitate præterimus.

Claudus curatur :

CAPUT VI.

De quodam mortuo suscitato.

Juxta prædium quoddam *a* Lamberti Martyris, quod dicitur Nivel, villa est quæ Lise vocatur, inter Trajectum et Leodium pæne mediæ viæ spatio posita. In hac quidam juvenis habitat, Franco nomine, genere non ignobili, de partibus illis oriundus. Hic in puerilibus annis in quoddam fossatum, ubi aquarum erat receptaculum, casu incidens, extinctus est, ibique tempore non modico jacuit aquis præfocatus. Tandem quæsitus, et in fossato inventus, de illa palustri aquarum collectione exanimis extractus est. Ad quod factum expalluit mater infantuli, familia conturbatur, tota denique domus in funebres planctus resolvitur. Ad hæc mater infantis, B. Gerlaci, cujus tunc insignis in gratia miraculorum extitit opinio, recordata, lacrymosis gemitibus ejus implorat auxilium; annuum ei censum repromittens, si ejus interventu meritorum, anima pueri intra viscera ejus revocata fuisset. Nec longa dehinc mora, cum ecce calefacta est caro pueri, et laxatis in usum videndi cœpit palpitare luminibus. Mater pueri, quæ prius ibat et flebat fidei suæ semina mittens, nunc filium, qui mortuus fuerat et revixit, lætis amplexibus demulcens, gratos fidei suæ manipulos cum exultatione domum deportat.

a

Mortuus suscitatur.

a *Ejus vitam dabimus* XVII *Septembr.*

CAPUT

AUCTORE ANONYMO.

CAPUT VII.

De puella quadam a morte resuscitata.

a Item aliæ duæ. *b*

In territorio *a* Tungrensi, in vico cui Bloer vocabulum est, quædam vidua quæ Berta vocatur, filiam suam Imzam nomine, in flumine, quod *b* Jecora dicitur, suffocatam, et a sexta usque ad horam diei undecimam mortuam, S. Gerlaco cum annuo censu devovit, et mox vivam et incolumem eam recepit. Item in villa B. Servatii, quæ Mechele dicitur, haud longe a Trajecto, separata in domo parochialis Sacerdotis hospitio recepti, tam prædictum Sacerdotem, quam ejus domesticos audivimus contestantes, in eadem villa puellam ætate satis jam adultam, S. Gerlaci meritis a Domino de morte corporali ad vitam dudum fuisse resuscitatam.

a Tungri *oppidum ditionis Leodiensis, haud procul Trajecto, magnæ quondam et validæ gentis retinet nomen : olim videtur* Atuatuca *fuisse.*
b Jecora, *vulgo* Jeker, *Trajecti in Mosam influit.*

CAPUT VIII.

De puella quadam a duplici malo, cæcitatis scilicet ac orbitatis, servata.

a *b*

In vico qui *a* Golopia, vulgariter *Oudt Gulpene*, vocatur, præclarum gratiæ suæ indicium Deus circa puellam quamdam, per Beatum quidem Gerlacum inchoavit; sed per Apostolum suum Jacobum consummavit. Matrona quædam vidua *b* Marnensis huic rei solet attestari, supradictam puellam suam commemorans fuisse consobrinam. Hanc autem puellam maritus suus a natali suo, scilicet a Golopia, in Saxoniam secum deduxit : ibique in loco quodam sedem erigens habitationis, aliam pellicem superduxit, puellam autem illam, quam secum illo adduxerat legitimam suam uxorem, abjecit. Illa repudiata tristis ad patriam remeavit, et ex continua lacrymarum effusione, oculorum cæcitatem incurrit, ita quod infra spatium undecim annorum, lumen cæli non vidit. Interea crebrescentibus B. Gerlaci miraculorum insigniis, illo se fecit adduci, et cooperante sancti Confessoris patrocinio, ejus oculi claro sunt a Domino lumine vestiti.

Cæca visum recepit, intercessione S. Gerlaci.

13 Et sicut nonnumquam dolor super dolorem quibusdam apponitur, et tristitia super tristitiam accumulatur; ita e contrario interdum votis vota succedunt, et gaudiis gaudia continuantur. Inde factum est, ut puella misericorditer a Deo prius a caligine liberata cæcitatis, post misericordius ab eo a dispendio erueretur orbitatis. Maritus etenim suus, qui, ut jam præmisimus, eam rejiciens, aliam sibi copulaverat, cum aliis quibusdam suis concivibus a Saxonia descendens, B. Jacobi Apostoli limina visitavit, et aliis omnibus ecclesiam introeuntibus, ipse gravem in ostii limine repulsam sustinuit : nullo quippe adjuvante, nullo etiam impellente, ingredi potuit : multis præterea devotas ad Deum pro eo preces fundentibus, nihilominus ipse a locis venerabilibus, et a sacris ædibus remoratus est. Tandem consilio salubri a quodam Ecclesiæ B. Jacobi Sacerdote accepto, ad patriam rediit : et quæsitam suam uxorem et inventam recipiens, eique reconciliatus, post peractam pœnitentiam, cum eadem sua conjuge denuo ad B. Jacobi limina venit : et nullo prohibente, sacram ædem cum multiplici gratiarum actione introivit.

Adulter ingressu templi S. Jacobi arcetur.

Redit ad uxorem ante repudiatam.

a *Fluviolus est in ditione Limburgensi, et pagus : unde nobili* Gulpeniorum *familiæ nomen.*
b Marsanensis *legendum videtur.*

CAPUT IX.

Ulcus secundo sanatum.

Item in quodam loco qui Luvenich dicitur, uxor cujusdam Gerardi, qui Urel cognominatur, ulcus sævissimum et enormiter tumidum in pectore vehementer molestum patiebatur. Hæc in somnis admonita, et de recuperanda sanitate certificata, si nomen et meritum invocaret S. Gerlaci; statim a sumno expergefacta, domum, et in quo quiescebat stratum exivit, et in horti viriditatem introivit : ut feminea simplicitate, vel potius fidei devotione, sine alicujus terreni corporis objecto, quasi liberiores exinde ad Deum, et ad Sanctum ejus Gerlacum, preces et vota sua transmitteret. Nec tamen eam, licet simplex, fidei suæ intentio fefellit. Mox etenim ut vota suis labiis distinxit, et cum hostiis et muneribus sancti Confessoris limina se annuatim visitaturam esse promisit, continuo dolore quo torquebatur, penitus caruit. Verum tempore aliquo evoluto, mulier voti sui oblita, non servavit pactum; quod scilicet voto se constrinxerat, annis singulis visitare recuperatæ sanitatis suæ patronum. Et ecce rediviva doloris molestia, carnem ejus iterato inflare, et quasi dente invido usque ad nervos et ossa rodere cœpit. Igitur fracti voti mulier pœnitentiam gessit, et intermissæ peregrinationis iter arripuit : et confestim præter spem in itinere convaluit. Venit ergo ad Sanctum, et pro geminata suæ sanitatis lætitia, multiplices ei gratiarum actiones refudit, et Fratribus gestæ rei ordinem indicavit; evidentem quoque vulneris cicatricem sana cute jam obductam, in suprema sui pectoris parte demonstravit.

Quædam ab ulcere sanatur.

Votum negligens iterum ægrotat.

ope S. Gerlaci iterum sanatur.

CAPUT X.

Qualiter Cassardus sit curatus.

In expeditione, quæ ante aliquot annos contra *a* Albienses hæreticos in Provincia mota fuit, quidam cognomine Cassardus, de villa Berge, cujus supra fecimus mentionem, graviter infirmatus, Sanctum sæpius exclamans Gerlacum, ægritudine liberatus est.

a Æger S. Gerlacum inclamans sanatur.

a Albiga, *aliis* Albia, *urbs Galliæ Narbonensis, vulgo* Alby : *hinc nuncupati* Albigenses *hæretici, contra quos sacrum bellum Innocentii III, hortatu susceptum.*

CAPUT XI.

De quadam muliere languida curata.

Quidam Monachus Cistertiensis professionis, de quodam celebri monasterio quod *a* Beerda dicitur, venit ad locum S. Gerlaci, et curiosius miraculorum indiciis, quæ in ecclesiæ parietibus appensa sunt, intendens; causam nobis percunctantibus, respondit matrem suam, Elarmam nomine, de Castro *b* Rodensi oriundam, a B. Gerlaco dolore capitis, quo per sex annos graviter torquebatur, liberatam, et ob hoc capillos capitis ejus, pro indicio receptæ sanitatis, inter alia miraculorum testimonia, ibidem memorabat fuisse appensa.

Capilli in anathema suspensi.

a

b

a Beerbach, *aut potius* Erbach *legendum arbitror. Est* Eberbach, *sive* Erbach *per crasin, Ord. Cistertien. celebre monasterium in* Rincavia, *fere e regione* Ingelhemii, *duobus a* Moguntia *milliaribus, in valle, circiter horæ quadrante a Rheno distans. Torrens exiguus in monasterium illabitur. Ab apro et torrente, sive* eber *et* bach *nomen obtinuit. Insignia monasterii aprum præferunt. Hæc me docuit Doctissimus Joannes Crusius Noster. Eadem fere tradit Serarius Noster lib.* 3 *Rerum Moguntiac. in* Adelberto *seniore. Ab apro et fonte ductum nomen contendit Gelenius Not. ad cap.* 50, *lib.* 3, *vitæ S.* Engelberti.
b *Id vulgo,* Ducisroda *dicitur, ut ad cap.* 7, *lib.* 1, *adnotavimus.*

CAPUT

CAPUT XII.

De alia a caduco morbo sanata.

In suburbio Rodensis castri, cujus jam fecimus mentionem, mulier quædam, Megtildis nomine, uxor cujusdam Nicolai, caduco morbo miserabiliter laborans, misericorditer B. Gerlaco succurrente, perfectæ sanitati est restituta.

CAPUT XIII.

Item de eodem.

a Duo a caduce morbo sanati.

Item a remotis etiam partibus peregrinus quidam, Vindemannus cognomine, de villa quæ dicitur *a* Essende, ubi etiam monasterium puellarum ejusdem nominis habetur, ad sancti Confessoris Gerlaci limina venit, et ab eo se et suum quemdam concivem, confessus est a caduco morbo, cui graviter tenebantur obnoxii, sanatos : ob hoc etiam se memorabat certum quemdam abstinentiæ modum, in honore S. Gerlaci singulis hebdomadibus observare.

a *Est* Essendia *nobilium Canonissarum collegium, in Marchia inter Ruram et Luppiam, ad* Asniam *fluvium, unde* Asnede, *et* Asnide, *sive* Asindia *dicta. Condidit B. Alfridus Episcopus Hildeshemiensis, de quo* XV *Aug.*

CAPUT XIV.

De quodam a dolore dentium curato.

Quidam dolor dentium liberatur, et aliis incommodis.

In vico, qui dicitur Nutte, a loco B. Gerlaci haud longe posito, Jordanus quidam nomine laborabat acri dolore dentium; in tantum, ut nulla sibi vel alimenta percipiendi, vel somnum capiendi possibilitas superesset. Venit igitur ad venerandi Confessoris locum sanctum : et mox ut ecclesiæ limen attigit, ab incommodo, quo detinebatur, convaluit. Qui etiam Fratribus ejusdem loci contestatus est, aliis tribus vicibus, a diversis languoribus se ad memoriam ejusdem Confessoris fuisse liberatum.

CAPUT XV.

De cruce quam ab Hierosolymis apportavit.

Per Crucem S. Gerlaci cæca illuminatur.

Sed et per crucem Dominicam, quæ super pectus ipsius, dum ejus sacræ reliquiæ de tumulo emergerent, inventa fuit, multa præclara Dominus operatus est : ex quibus libet pauca commemorare. Frater Winandus, de quo supra retulimus, quamdam cæcam mulierem manibus adductam alienis, cum eadem venerabili cruce super oculos tetigit : et statim de clausis palpebris mulieris largus sanguinis sudor erupit, et ubertim per genas ejus defluxit, et ita lumen oculorum recepit, quod ultra viæ ductorem minime quæsivit.

CAPUT XVI.

De muliere officio pedum restituta.

a Pes sanatur.

Prope castrum quoddam famosissimum, quod dicitur *a* Seyne, vicus est haud grandis, qui vocatur Wisse, de quo mulier quædam venit ad limina sancti Confessoris, pedem unum fere per triennium acriter dolens, quem eadem sancta cruce sibi contingi postulavit : et mox sanum et incolumem reportavit.

a *Est id trans Rhenum, haud procul Confluentia, situm, ad fluvium Seynam, Comitatus titulo insigne.*

CAPUT XVII.

De quodam dysenteria liberato.

Quidam dysenteria liberatur.

In civitate Colonia quidam adolescens, cognomine Vogill, longo tempore dysenteria laborans, B. Gerlaci patrocinio se veraciter ab eadem languoris molestia liberatum affirmat.

CAPUT XVIII.

De eo, quod febricitantes per pulverem sepulchrieju s sint sanati.

Pulvis sepulchri ejus febricitantibus salutaris.

Febricitantibus multis terra, quæ circa beati viri ossa in tumulo jacuit, in potum data est, et tanta languentum multitudo per hujus salutiferi calicis haustum tam a febrium ardore, quam etiam a diverso morborum genere sanitatis gratiam recuperavit; ut facile hoc non sit alicui commemorare, vel scripturarum memoria leve sit commendare. Audivi quemdam civem Trajectensem admodum devotum, Petrum nomine, veraciter contestantem, tantam febricitantium multitudinem, per terram hanc in potu ab eo datam, pristinæ sospitati restitutam; quod talem numerum eorum, qualem ille comprehendit, propter incredulitatis metum hic annotare formido. Multi quippe fidelium devota sacrum pulverem fide postulantes et accipientes, fidei suæ per hoc fructum multiplicem perceperunt. Quidam autem, pulverem hunc de beati viri sepulchro furtive subripere tentantes, præsumptionis suæ pœnas, turpiter de honestati, luerunt.

CAPUT XIX.

Quomodo terra sepulchri ejus, in speciem sanguinis sit commutata.

Terra sepulchri ejus in sanguinem conversa.

Quadam die solemni, mulier quædam de Castro quodam vicino, quod Herle dicitur, de sepulchro S. Gerlaci pulverem furtive sustulit, et in pepli sui extremitate ligavit : et ut opinabile est, in usus non bonos convertere, vel forte minus reverenter habere cogitavit. Et ecce, virtus Domini terram hanc multis videntibus in speciem sanguinis commutavit, ita quod per pepli fimbrias cruor sanguinis distillavit.

25 Quidam autem in vicino manens, Ecclesiæ B. Gerlaci admodum devotus, Hermannus nomine, dentium dolore nimium fatigatus, terra in sanguinem commutata sibi mentum et genas delinivit, et confestim sacrati liquoris unctio dolorem penitus exinanivit.

Dolorem dentium pellit.

CAPUT XX.

Qualiter quidam B. Gerlaco unum dentem mordicitus evelens, sit castigatus.

Dentem S. Gerlaci furatus punitur.

Alio item tempore, de remotis partibus adveniens, et quasi ex devotione caput B. Gerlaci deosculatus, caute dentem ei unum, impie quidem, sed non impune mordicitus evulsit. Post annum vero reversus, dentem retulit, sibi autem pro tanto sacrilegio, dentes omnes divinitus evulsos demonstravit.

CAPUT XXI.

De locello ejus.

Per loculum S. Gerlaci fiunt miracula.

Preterea de frusto lignei locelli, cum quo vir beatus terræ fuit commendatus, mira Deus omnipotens fidelibus suis beneficia præstat : quæ si per singula scribere, et a fidelibus relata præsenti opusculo annotare cuncta tentaremus, promissæ brevitatis metas excederemus, et volumen hoc in nimis prolixam narrationem extenderemus.

CAPUT

AUCTORE ANONYMO.

CAPUT XXI.

Quod contagiis pecorum B. Gerlacus medetur.

Et non solum hominum, verum et pestilentiis quoque jumentorum, multiplici per servum suum, pro fide postulantium, Dominus gratia subvenire dignatur : quod oculis potius comprobari, vel manibus contrectari, quam aliqua scriptura valet exarari. Verum ne nos aliquis inopia potius deficere, quam materiæ arbitretur copia succumbere, pauca primum libet annectere; deinde devotos, et studiosos, vel etiam incredulos B. Gerlaci miraculorum inquisitores, ad testium quorum non vacillat testimonium, multitudinem copiosam destinare.

CAPUT XXII.

De quadam mirabili atque inaudita pecorum conservatione.

Matrona quædam, de partibus trans Rhenum positis, venit ad limina S. Gerlaci, et cum magna devotione super ipsius venerabile monumentum obtulit pondus sex Coloniensium solidorum. Ob quam causam statim notata, et diligenter a Fratribus super hoc inquisita, in hunc modum B. Gerlaci miraculorum potentiam, et apud Dominum meritorum excellentiam enarravit : In partibus, inquit, nostris, generali quodam pestilentiæ mortifero contagio, vastatæ sunt oves et boves, et universa pecora et jumenta, peccatis exigentibus, usque ad internecionem sunt deleta. Eapropter, B. Gerlaco de singulis capitibus pecorum meorum, unum quadrantem me offerre devovi : et omnibus per totam regionem jumentis plaga prædicta morientibus, ego, inquit, omnia mea pecora, B. Gerlaco patrocinante, salva retinui. Et computato animalium numero, quadrante uniuscujusque capiti attributo, summam pecuniæ usque ad quantitatem sex solidorum Coloniensium excrevisse computavi : quos animo volenti, Sancto isti pecorum meorum conservatori apportavi.

Pecora a peste præservat S. Gerlacus.

CAPUT XXIII.

Qualiter equi incolumes sunt conservati.

Item peregrini quidam a S. Jacobi Apostoli liminibus redeuntes, dum equorum subsidia in via sibi defectura timerent, B. Gerlaco pro eorum conservatione singuli suas oblationes devoverunt. Unus autem ex ipsis, meritis Sancti fidem minime adhibens, et sociorum suorum devotionis vota subsannans, ac sanctum Confessorem honorandum eos non est imitatus : et idcirco, sociis suis cum incolumi equorum subvectione in patriam remeantibus, ipse sui equi adminiculo remansit orbatus.

Equos peregrinorum incolumes servat.

CAPUT XXIV.

Item de eodem.

Abbas quidam Præmonstratensis Ordinis, de *a* Frisiæ partibus ad capitulum *b* Præmonstratum properans, equum suum in cella B. Gerlaci moribundum et desperatum dimisit; sed tamen pro reintegranda ei sanitate devote B. Gerlaco supplicavit, et ei vota spopondit. Nec longa dehinc mora : idem Abbas equum incolumem recepit, et quantitatem aliquam pecuniæ pro ejus redemptione Sancto direxit.

a Frisia *nobilis in Germania nostra inferiore regio est.*
b *Caput est nobilissimi Ordinis in diœcesi Laudunensi.*

Equum sanat.

CAPUT XXV.

Item ut supra.

Canonicus quidam de Ecclesia Varlarensi, Warnerus nomine, officio Provisoris exteriorum in eadem Ecclesia functus, equo cui insidebat, quem etiam mutuo acceperat, subito debilitato, satis consternatus, cum licentia sui Abbatis, S. Gerlaco pro reparandis equo viribus, oblationem se transmissurum promisit, et protinus sanum et incolumem eum esse persensit.

Item alium.

CAPUT XXVI.

Item de eodem.

Vidua quædam, ætatis prævectæ, in cella B. Gerlaci nunc usque in habitu religioso conversata, referre solet, quia dum in sæculari habitu in domo maneret, propriam vaccam habuit enormiter tumidam, et morti jam proximam : sed cum S. Gerlaco pro ea preces promisisset, statim ut funiculo ad candelam faciendam, eam circumcinxit, inter manus ejus ab inflatione detumuit, et præter spem in ipso temporis momento a peste convaluit.

Vaccam a peste liberat.

34 Denique per totam Germaniam in plerisque locis, apud multos usque hodie hæc permanet consuetudo, ut pro conservandis domesticis suis animalibus et avibus, argentum, vel alterius cujuscumque votivæ oblationis speciem in ecclesia beati Confessoris quippe soleant apportare, et pro conservatis, nec non et pro augmentatis facultatibus suis, ejusdem Deo dilecti merita cum multa gratiarum actione collaudare. Super his et aliis B. Gerlaci miraculorum insigniis, in frequentia peregrinorum ad limina sacra ejusdem Confessoris confluentium, copiosius satiatur oculus visu, et auris impletur auditu, manus quoque comprobat contactu, quam alicujus linguæ affatu, vel scripturæ comprehendi, vel explicari posset relatu.

Colitur S. Gerlacus contra morbos animalium.

CAPUT XXVI.

De his qui per fontem S. Gerlaci sunt curati.

Per aquam quoque fontis, qui nunc usque S. Gerlaci fons denominatur, de quo vir beatus potare solebat, mira Dei clementia fidelium suorum piæ devotionis affectu exorata nonnunquam gratiæ suæ dona, largifluo rore distillare consuevit. In territorio Aquisgrani, vir quidam cum haberet filium infantulum cæcum a nativitate, in supradicti fontis aqua mitram, quam in capite gestare solebat, intinxit, et domum reversus filio super oculos posuit; qui confestim lumen, quod natura negaverat, recepit. Præterea, multam gratiam curationum pro fide postulantium per supradicti fontis aquæ gustum, vel contactum, divina potentia dignata est operari : pleraque nos, licet indignos contigit experiri, quæ tamen brevitatis studio nunc sub silentio præterimus.

Per aquam fontis S. Gerlaci fiunt miracula.

Cæcus illuminatur.

CAPUT XXVII.

Qualiter Frater quidam ad bene operandum sit excitatus.

Unum vero inserere non superfluum reor, qualiter Frater quidam desidiosus, et a bono opere torpens, correptus, et ad operandum excitatus sit. Quodam quadragesimali tempore, contigit fontem prædictum munimine sepis, quo vallari solet, destitui, et a domesticis animalibus et volucribus aquam ejus turbari, ita ut ad sacrificium Missæ aqua non nisi lutulenta valeret apportari. Quapropter Frater quidam laicus quemdam Canonicum illius Ecclesiæ, qui et divina ibi celebraverat,

Fontem S. Gerlaci purgare renuens ad id divinitus compellitur.

celebraverat, rogavit, ut ad muniendum ab injuria pecorum fontem se vellet adjuvare, asserens hoc tam humanis usibus, quam etiam divinis profuturum Sacramentis. Ille vero excusationis quasdam prætendens, Fratrem in opere bono adjuvare distulit, et illo ad operandum pergente, ipse obfirmatis diligenter ostiis domus, paullulum dormitare cœpit. Et ecce necdum plene dederat somnum oculis, et palpebris suis dormitationem; et factus est repente in domo sonus tamquam alicujus venientis, et quasi cum quodam zelo strepitum non parvum pede facientis. Et quidem sonitum Frater ille, quo etiam a somno expergefactus est, corporeis auribus distincte audivit, personam vero non vidit : sed tamen quamdam venerationem, et cum zelo mansuetudinem, in persona illa quæ strepitum excitaverat, mentis vivacitate comprehendit, vel potius gratuito sibi recordabatur infusam fuisse illapsu. Nullo tamen horrore concussus, fratrem qui ad purgandum et muniendum fontem præcesserat, confestim prosequitur, eique cooperatur. Et ecce quosdam vicinos seniores inibi collaborantes invenit, qui mira satis et stupenda de fonte eodem referentes, hoc etiam adjecerunt, tantam ei quondam ob crebram sanitatum gratiam ab omnibus impensam reverentiam, ut nullus ei immundus et illotus quolibet modo approximare auderet. Hæc audiens Frater ille, non supervacuum eventum illum, qui ei acciderat, fuisse comprobavit. Hoc tamen referentes, nullam sanctitatis substantiam corporaliter inesse fonti, secundum originariam ejus creationem vel naturam affirmamus. Verum sicut Dominus loquitur per Prophetam. Et locum pedum meorum glorificabo, et quemadmodum per Sanctorum vilia utensilia nonnumquam pretiosa gratiæ suæ dona pro fide petentium commendat Deus in nobis; ita nimirum et sancti Confessoris Gerlaci pignora, tamquam pretiosas gazas, *a* medelæ largas curationum suas fidelis populus veneratur : quam tamen gratiam sanitatum fides sola per dilectionem operatur.

Isai. 60. 13.

a

a *Hic aliquod inest mendum.*

CAPUT XXVIII.

Qualiter B. Gerlacus corporaliter se videndum demonstravit.

S. Gerlaci cultus non nihil intermissus, ecclesia neglecta.

Nec mirum, si beatus Confessor Fratrem prædictum inerti somno torpentem, ad exercitium proficuum strepitu, quo voluit, excitavit; qui se corporeis videndum oculis nonnumquam visibiliter demonstravit. Quodam enim tempore, veneratio sepulchri, nec non et reliquiarum B. Gerlaci, sed et cultus et ornatus ecclesiæ ipsius, sive per inopiam sive per incuriam inhabitantium in ea, in tantum neglecta fuere, ut, quod dictu est horrendum, in ecclesia segetes ponerentur, et ad caput ipsius Sancti triturarentur, mures etiam, qui in collectis frugibus copiosius solent pullulare, circa Beati ossa Gerlaci assidue versarentur. Præterea fluvius præterfluens alveum suum egressus, usque in ecclesiam, et intra sepulchrum Sancti, nullo prohibente obstaculo, libero se diffudit excursu, ita ut illa toti mundo venerabilia B. Gerlaci ossa (quod dictu nefas est) in illa palustri aquarum collectione natantia, contaminarentur. Interea dum sic domus orationis quasi quemdam induit vultum desolationis; dum locus reliquiarum factus est repositio vel trituratio palearum; dum ipsa denique beati Confessoris sacra pignora versantur in luto aquarum multarum; quædam religiosa persona, de cujus testimonio nec nos nec aliquis qui hanc novit dubitare permittitur, quodam die circa horam diei primam operis quippiam in domo factitans, videt virum valde venerabilem per eamdem domum, multis intro ad focum sedentibus, transeuntem. De habitu ejusdem reverendi viri hoc ab ejus, qui vidit, ore refertur, quod vestibus laneis candidissimis, id est, tunica et scapulari, et cingulo *a* nostro more aptatis utebatur, et quod multum lugubri videbatur incedere vultu, nimirum domum Dei, cujus decorem semper dilexit, sicut umbraculum in vinea, et sicut tugurium in cucumerario positam dolens, et omnem ejus ornatum sicut in vastitate hostili dissipatum gemens.

Quidam in habitu Præmonstratensi apparet.

Auctore Anonymo.

a

38 Exiit sermo ille inter Fratres Heynsbergenses, et pervenit verbum illud ad virum venerabilem Ecclesiæ Heynsbergensis Dominum Præpositum : Johannem, qui accitis operariis tumbam admodum operosam opere arcuato ei fieri præcepit, scriniumque satis aptum ad recondendas ejus sanctas reliquias præparavit. Et convocata Cleri et populi multitudine copiosa, B. Gerlaci sacra ossa levantes a terra, diligenter cum vino abluerunt; et in scrinio ad hæc præparato ea componentes, sub opere arcuato, sicuti nunc cernitur, cum magnis Dei laudibus collocaverunt.

Nova reliquiis tumba paratur.

a *Hinc patet, Auctorem fuisse Ordinis Præmonstratensis.*

CAPUT XXIX.

De quadam matrona ab infirmitate liberata.

In *a* vico, qui dicitur Wiick, qui in directo trans Mosam fluvium castello Trajectensi est oppositus, vidua quædam Gertrudis nomine, B. Gerlaco admodum devota, et aliquando etiam obsequiosa manet. Hujus dum tempore quodam intrassemus hospitium, multa precum instantia nobis supplicavit, quin etiam pretium se daturam promisit, ut gratiam sanitatis miraculosæ, per B. Gerlacum ei divinitus super magnis corporis passionibus collatam, in ecclesia nostra scriptis ad æternam sancti Confessoris memoriam commendare vellemus. Sed cum ab ea de specie morbi, quo a Deo per beatum Confessorem se asservit liberatam, curiosius inquireremus, ex responsionum ejus ambagibus et verborum diverticulis intelligere nos *b*, sub quadam sermonum honesta palliatione, per sanctum Confessorem se liberatam de quibusdam occultis femineæ fragilitatis incommoditatibus et molestiis, quibus sexus ille, pro maledicti illius invectione quo dictum ei est, Multiplicabo arumnas tuas, crebro nunc usque laborare consuevit.

a

Graviter ægra sanatur.

b

Gen. 3. 16.

a *Jam oppidum est munitissimum.*
b *Videtur deesse* fecit, *aut quid simile.*

CAPUT XXX.

De Reynero clerico a portis mortis reducto.

Item in vico præfato, bonæ indolis juvenis clericus Reynerus commoratur, cujus pater Arnoldus, et mater dicitur Ymma : qui de memorato filio suo referunt, quod in annis pueritiæ, dum cujusdam morbi violentia perductus fuisset ad extrema, et jam penitus a quibusdam diceretur exspirasse; mater ejus B. Gerlaco cum lacrymis annuam pro eo vovit oblationem, et mox anima pueri de corpore suo jam migratura, quasi ab ipsis portis mortis, intra viscera ejus est revocata et perfecta sanitate corpori suo denuo est confœderata.

Moribundus subito convalescit.

CAPUT XXXI.

Item de eodem.

Præterea mater prædicti juvenis hoc etiam subinfert, filiam suam, Aleidem nomine, ardore febrium jam desperatam, et morti proximam, ad B. Gerlaci limina deportasse, et pro ea Sancto preces et vota libasse, et statim post hoc eamdem suam natam perfectæ sospitati restitutam, domum se commemorat reportasse.

Febricitans sanatur.

CAPUT

AUCTORE ANONYMO.

CAPUT XXXII.

De matrona quadam curata.

a In hac, quæ nuper exacta est, indictione, matrona quædam de loco, qui vocatur *a* Redincheim, uxor videlicet militis cujusdam qui dicitur Amilius, qui nomen satis celebre in partibus illis obtinet, venit ad S. Gerlacum, et ei ibi multa cum devotione magnas exolvit gratiarum actiones, pro eo, quod ipsa duodecim et eo amplius septimanis lecto decumbens, ejus adjuvantibus meritis a dolore, quo torquebatur, pristinæ a Domino restituta sit sanitati.

Ægra sanatur.

a Reckem *municipium est cis Mosam, haud procul Trajecto, Comitatus titulo insigne, de quo pluribus agit D. Christophorus Butkens, monasterii S. Salvatoris Ord. Cistertiens. Antverpiæ Prior, in libro de Insignibus gentilitiis familiæ* vander Linden. *Est isthic monasterium nobilium virginum Ord. Præmonstratensis, in cujus fundationis diplomate vocatur* Redinckhem, Radinckhem. Radekem, Rackhem, *nec dubium est, quin hic idem indicetur locus.*

CAPUT XXXIII.

Aliæ curationes.

a b De castello quodam *a* Ardennæ, quod dicitur *b* Uffalis, vir quidam venit ad Sanctum Confessorem Gerlacum, et pro collato sibi magno et diuturno labore et languore optato munere sanitatis, vota laudationis simul et oblationis devotus exolvit.

Languor pellitur.

c 44 Item de territorio *c* Leodiensi, quædam plebis ejus retulit, sibi, dum in pascendis gregibus die quodam detineretur, ulcus sævissimum in pede casu inopinato excrevisse, et officio ambulandi, vel etiam standi statim ei penitus præpedito, mox ubi nomen et meritum Sancti invocavit Gerlaci, dolore caruit, et expedite ambulandi simul, et firmiter in pedibus consistendi facultatem recepit.

Ulcus subito sanatur.

a *Latissime olim patuit* silva Arduenna, *a Mediomatricum finibus ad Vahalim, a Mosella et Rheno ad Scaldim, atque ultra fortassis. Nunc ex parte nomen retinet, vulgo* l'Ardenne, *ad utramque Mosæ ripam in Luxenburgensi ac Leodiensi ditione.*

b *Ad Urtam flumen, in ditione Luxenburgensi.*

c *Celeberrima civitas est* Leodium, *aliis* Leodicum, *et* Leodiacum, *ad Mosam in Belgio, quatuor supra Trajectum milliaribus.*

ALIA VITA
SANCTI GERLACI,
AUCTORE WILHELMO CRIPIO.

CAPUT I.

S. Gerlaci conversio, pœnitentia.

S. Gerlaci patria, genus. Gerlacus in provincia Falcoburgensi prope Trajectum ad Mosam, nobili genere natus, adolescens se ad militiam applicuit: cumque animo et corpore esset pariter magno, barba promissa, et vultu liberali; et ita vitam instituerat, ut solent qui castra plerumque fidei et pietatis vacua sequuntur, brevi ad equestris turmæ præfecturam evectus est. Cumque eo munere fungeretur, indicti ad Juliacum sunt equestres ludi: in quibus cum jam ad certamen accinctus esset, de uxoris morte certior factus est: quo nuntio salutariter consternatus, fili illius, a quo vita resque humanæ pendent, tenuitatem brevi meditatione pervidit. Quare equestri cingulo, et aliis suæ dignitatis insignibus cum non resumendi proposito abjectis, asino vectus domum rediit: ibique rebus constitutis, ad loca religionis caussa adiri solita, cilicio et lorica supra nudum corpus indutus, nudis pedibus profectus est: atque inter alia Romam, ubi a Summo Pontifice *a* Eugenio III sincera criminum confessione facta, pœnitentiam iis delendis sibi injungi postulavit. Cumque illi præscriptum esset, ut in xenodochio Hierosolymitano pauperibus septennio ministraret; idque ipse in se onus cupide recepisset, eo abiit: et summa cum humilitate vilissima sibi quæque, ut porcorum et aliorum animalium custodiam, demandari enixe cupivit: et in eo ministerio aspere et tenuiter vixit.

Vita liberior. *Conversio.* *Mundi contemptus.* *Pœnitentia.* *a* *Peregrinatio.*

Pauperum ministerium.

2 Elapso autem stato ei pœnitentiæ septennio, Romam circa annum millesimum centesimum quinquagesimum quintum rediit, sibique ab Hadriano IV, qui tum Urbis et orbis sacris præerat, instituendæ deinceps vitæ modum præscribi postulavit. Cumque ipsi variæ cum monasticæ tum canonicæ vivendi formæ præ oculis ponerentur; nulla earum, quod laxior videretur, placuit. Quare, cum quid Deo vovisset de continuo vini et carnium in usu, cilicii vero usu et aliis laboribus et exercitiis, Pontifici detexisset, ab eo diploma accepit, quo libertas ei, ut voverat, domi vivendi facta est.

Votum abstinentia a vino etc.

3 Ad sua igitur reversus, veternosam quamdam raræ crassitudinis quercum sibi circa radices excavari, et in eam magnam lapidum vim inferri jussit: et his imponi textum e stramine lectum seu stoream, et in ea, cilicio et lorica, sub candida Præmonstratensis Ordinis veste, semper tectus, necessario somno corpus refecit: nec illam minime mollem vestem totis quatuordecim annis exuit, nisi ut reficeret: sed eam indutus, mortuus et sepultus est. Cibus ei fuit panis ex hordeo cineribus mixto; potus, aqua frigida, ex vicino quodam fonte hausta, qui ab illo etiamnum nomen habet; ad quem propterea, ut post dicetur, multa mira facta sunt. Pauperes vero S. Gerlacus et peregrinos ad se venientes, annuis suis soli et armentorum vectigalibus, liberaliter lauteque tractabat: ipse interim non nisi solito cibo et potu famem sitimque sedans.

Commoratio in cavam quercu. *Cilicii ac loricæ assidua gestatio.* *Victus.* *Hospitalitas.*

4 Idem orationi multum temporis tribuebat: cui cum incumberet, idemtidem repetebat hæc verba, Kyrie eleison, Christe eleison. Pater noster, Ave Maria. Præterea licet habitaret magno milliari Belgico a dicta civitate Trajectensi, in qua tum erant, et etiamnum sunt reliquiæ famigeratæ sanctimoniæ viri Servatii; summo tamen mane, earum venerandarum caussa difficillimo itinere, quippe partim montoso, partim palustri, nullo assumpto lumine, quotidie nudis pedibus, (etsi altero pede ex ulcere, quod illi, dum jumenti Hierosolymitani curam gereret, natum erat, aliquantulum claudicaret;) et demum impotentior factus asino insidens, ad eam properabat, nulla frigoris et pluviæ, quantumvis vehementis, nulla etiam spectrorum occurrentium ratione habita: exceptis tantum sabbatinis diebus, quibus Deiparæ virginis honorandæ causa, ad augustum ejus sacellum Aquisgranense, quatuor a quercu sua milliarium spatio distans, peregrini habitu assumpto proficiscebatur.

Preces. *Quotidiana peregrinatio ad S. Servatium.* *Sabbato Aquisgranum.*

a *Sedit* Eugenius III, *a* XXV *Febr.* MCXLV, *usque ad* VIII *Jul.* MCLII.

CAPUT II.

Ejus innocentia varie impugnata.

Cumque istam ejus virtutem gloria necessario sequeretur, invidentes illi Præpositus et Monachi Merssenses, ipsum a suo ad ipsorum vitæ institutum pertrahere conati sunt. Quod cum non succederet, Gerlacum falsorum aliquot vitiorum apud Leodiensem Episcopum insimularunt: et nominatim quidem singularis avaritiæ, et ex ea reconditi contra paupertatis professionem in quercu sua thesauri: quam cum propter ea (calumniatoribus nimis credulus) Episcopus dirui jussisset, nihil pecuniæ invenit: sed contra aliqua quæ Divo nostro singularis vitæ sanctimoniæ testimonium præberent. Quare doluit Episcopus, suasque in spirituali ejus cura, Brunoni Abbati et Monachis Rodensibus vices demandavit. Neque plures

Innocentia explorata.

ei

ei defuere cum vivo tum mortuo obtrectatores, sed quorum invidiæ et calumniandi cacoethes facile eluxit. Episcopus vero ex succisa quercu duas Divo Gerlaco cellas fieri curavit, in quarum una precibus incumberet, in altera vero somno corporis vires refocillaret: eratque hæc ita humilis, ut in ea supinus jacens, genibus tectum contingeret: illa vero ejusmodi, ut in ea permissu Episcopi res divina commode fieri posset; ad quam ipse ornandam, quæ necessaria videbantur, comparavit, et religiosos Sacerdotes ejus faciendæ caussa apud se habuit. Nec tamen sopitum fuit Merssensium in Gerlacum prope novercale odium: quod illos eousque excæcabat, ut eo obtentu, quod extra pariochialem ecclesiam vir sanctus sibi Missæ sacrificium fieri curaret, ei sacris interdiceretur frustra laborarint.

Iterum ac sæpius oppugnata.

Sedes ei in cælo parata.

6 Fuit huic Gerlaco coæva celebris illa vaticiniis et morum innocentia Hildegardis: quæ cum suo more Deum variis Divorum ordinibus cinctum in throno sedentem videret, splendidissimam inter Confessores sellam vacuam vidit, et Gerlaco nostro paratam didicit. Quare coronam, quam cum velo virginali a suo Monguntinensi Antistite acceperat, in sacræ amicitiæ symbolum ei transmisit.

Amicitia cum S. Hildegarde.

7 Venere ad ipsum varii non optimæ notæ homines, puta Sacerdotes impudici, milites violenti, mulieres superbæ, et calamistrati quidam adolescentes: quos omnes acriter reprehendebat. Nec sine fructu. Adolescentum enim, quos dixi, non pauci se ultro ipsi tondendos obtulerunt: contigitque ut uni illorum crines ab eo tonsi, non amplius excreverint. Ita autem in se severus erat, ut ne domo quidem absens mollibus lectis uteretur, sed humi cubaret.

Monita omnibus ab eo data.

Aqua tertio in vinum mutata.

8 Non diu ante obitum, cum Sacerdos ejus, ea Dominica quæ Passionis dicitur, ex fonte familiari ad sitim levandam aquam ipsi hausisset, et ipse allatam gustasset, vinum se bibere sensit. Quare ea effusa, cum aquam denuo hauriri jussisset, et haustam ejusdem deprehendisset saporis, Sacerdoti suboffensus, ipse ad fontem concessit: et cum quod hauserat biberet, iterum aquam in vinum versam expertus est, et actis Deo gratiis, bibit.

CAPUT III.

Mors, miracula.

Cum vero ipsi post menses complures jam mors immineret, et Sacerdos ejus forte abesset et ex Rodiensi collegio nullus satis cito adesse posset, nec ex Merssensi vellet; nihil eo perculsus est, sed auxilium sibi a Deo adfuturum certo persuasit. Neque falsus est. Nam venit ad eum quidam venerabilis senex in nivea Sacerdotali veste, quem constans fama et communis opinio fuit D. Servatium, de quo supra meminimus, fuisse: a quo omnibus Sacramentis ritu Catholico munitus, paullo post, pridie Theophaniæ, castum Deo creatori spiritum reddidit: et, ut voluit, in memorato suo ligneo sacello inclusus thecæ ligneæ, in profundissimam foveam funibus demissus est, plurimis præsentibus, qui undiquaque ad tanti viri funus confluxerant.

Viaticum ei a S. Servatio allatum.

Ejus mors,

sepultura,

10 Sed corpus tam sanctum Deus non diu passus est terra claudi. Sepulchro enim ultro patefacto, id contra naturæ legem paullatim se conspicuum reddidit, cruce quadam, quæ etiamnum in pretio habetur, quam Hierosolymis attulerat, et cum qua, ut vivus eam semper de collo pensilem habuerat, humatus etiam erat; sed et ea cilicii parte, quam illa texerat, integra relicta. Ad quod miraculum spectandum convenerunt plurimi, et inter eos non pauci languidi, qui hic salutem recuperaverunt: ut etiam post ad hujus Divi intercessionem duobus mortuis vita, et multis gravissime ægrotantibus valetudo restituta est: ac inter alios quidem, Adamo cuidam militi,

corpus ultro e terra emergens,

Crux etiam superest.

Plurima miracula post mortem.

Hadwigi uxori nobilis viri Wilhelmi Binsfeldii, et alteri matronæ, item duabus puellis et mulieri, claudis: feminæ etiam cæcæ et pariter infecundæ, uti et alteri morbo comitiali vehementer afflictæ, cuidam etiam viro ex dentibus non leviter laboranti: ut et aliis dysenteria, et pluribus utriusque sexus hominibus morbidis: nec hominibus tantum, sed et pecoribus. Quin etiam cum a femina quadam aliquid terræ ex ejus sepulchro furtim sublatum esset, id subito in sanguinem conversum est: et cuidam, mortuo ejus corpori dentem evellenti, omnes dentes exciderunt.

Auctore Wilhel. Cripio.

Terra sepulchri in sanguinem versa.

CAPUT IV.

Fons S. Gerlaci, salutaris.

Nec talia tantum ad ossa et sepulchrum beatissimi viri contigerunt; verum etiam ad fontem, qui ei, dum viveret, potum suppeditavit. Qui fons, cum, instigante diabolo, magna injectorum lapidum mole obstructus esset, et annis amplius sexaginta, conniventibus sacris virginibus, quæ in cœnobio, quod circa eum D. Gerlaco erectum est, in Ordine Præmonstratensi Deo serviunt, neglectus, et terra ac virgultis obtectus esset; res monasterii non retrolabi tantum cœperunt, sed et ipsum exustum est, et virgines captæ, et incredibilibus damnis affectæ sunt. Quod cum innotuisset celebri Catholicæ fidei in Belgio defensori D. Henrico Cuykio, Ruræmundensis Ecclesiæ Episcopo, in cujus diœcesi dictum cœnobium situm est, eum fontem, cujus neglectui omnia dicta damna imputabat, quæri jussit. Qui cum ejus jussu a Winando Balthasaro, fideli dictarum virginum Œconomo, et Arnoldo Naeleno sene centenario quæreretur, nocte festi Dominicæ Ascensionis anno MDXCIX inventus est, dicto religiosissimo Episcopo in arce Valckenburgensi agente. Qui optato inventi fontis nuntio accepto, pro summa sua erga Divos (ad quorum aspirat consortium) reverentia plurimum gavisus est: et sequenti Lunæ die, comitantibus insignibus aliquot sacri et profani ordinis viris, ad cœnobium concessit, nimirum Theodoro Molano Falcoburgensi, Wilhelmo Hesio Venloensi, et Wilhelmo Amico Hulsbergensi Pastoribus, Winando a Geldria Persona (ut vocant) Gronsfeldensi; nec non Nobilibus, Gualtero Hoenio Advocato seu Præfecto dicti Falcoburgi, Petro Vanderhoefio ibidem Satrapa, et Jacobo Leickio provinciæ Commissario; pariterque vigintiquinque honestis et Catholicis civibus Falcoburgensibus. Ibique Sacro solemniter facto, dictus Antistes cum iisdem et sacris virginibus, aliisque, vexillo victricis crucis præcedente, ad fontem venerabundus accessit: cumque ei, celebri illo hymno, *Te Deum laudamus*, religiosissime decantato benedixisset, omnes ex eo biberunt.

Fons ejus neglectus: hinc damna.

Jussu Henrici Cuykii Episcopi quæsitus.

Solemniter ab Episcopo visitatur:

12 Paullo vero post ejus potu Catharina Tzevelia, dicti monasterii Propræfecta, ad Medicorum desperationem ægrotans subito convaluit: ut et post eam non pauci alii, et inter eos senex quidam Hoelandensis febricitans, et varii ex Margratensi, Aldtfalcoburgensi, Heerensi, Caijerensi, et aliis pagis; qui reverenter sperati auxilii caussa dictum fontem adierunt. Quibus omnibus eximius ille Præsul motus (qui et ipse ex alvi pertinacissimis obstructionibus mense Novembri anni MDCVI *a* Venloæ laborans, post frustra adhibitas Medicorum operas, illius haustu aquæ, quam eapropter e memorato puteo adferri jusserat, repente incolumitatem recuperavit) hanc illius vitam publicari, et in hoc compendium contrahi jussit; ut laudetur Deus in hoc suo sancto Confessore et Eremita, et hic imitatores inveniat, et ex dicto fonte ad plures beneficia proveniant.

ejus aqua multis salutaris, ipsique Episcopo.

a Venloa, *usitatius* Venlona, *vulgo* Venloo, *oppidum est in* Geldriæ *Ducatu opulentum et elegans, ad Mosam flumen, quatuor a Ruræmunda milliaribus.*

VI JANUARII.

SANCTI QUI VIII ID. JAN. COLUNTUR.

Epiphania Domini.
S. Melchior, Rex Magus, in Oriente.
S. Telesphorus,
S. Florus,
S. Jocundus,
S. Petrus, } Martyres in Africa.
S. Marcus,
S. Acutius,
S. Januaria,
S. Honorius,
S. Julius, } Martyres.
S. Antoninus,
S. Pompeianus, Martyr, Calari in Sardinia.
S. Anastasius, Martyr, Sirmii in Pannonia.
S. Macra, Virgo et Martyr, in territorio Remensi.
S. Nilammon, Reclusus, Geris in Ægypto.
S. Melanius, Episcopus Rhedonensis in Gallia.
S. Petrus, Abbas Cantuariensis in Anglia.
S. Erminoldus, Abbas Prufeningensis, in Germania.
B. Guarinus, Episcopus Sedunensis, in Helvetia.
Gertrudis ab Oosten, Beghina, Delphis in Hollandia.

PRÆTERMISSI ET IN ALIOS DIES REJECTI.

S. Gregorius Martyr apud Lingones, *refertur a Carthusianis Coloniens. in Addit. ad Usuardum. Quis hic sit me fugit; nisi fortassis S.* Gregorius *Episcopus et Confessor,* Martyr *hic perperam appelletur. Refertur certe hoc die in* ms. *Florario. De eo egimus* iv *Januar.*

S. Æmiliana Virgo Romæ. ms. *Kalend. SS. Ord. S. Benedicti. Nos* v *Januar.*

S. Anastasia, in Syria. *Notkerus. Nullam reperio* Anastasiam *in Syria celebratam. Suspicor* Anastasium Martyrem *esse, de quo agemus* ix *Januar. vel* Anastasiam, in Africa passam, *de qua* v *Januar.*

S. Arnual *refertur hoc die a Davide Camerario Scoto, appellaturque* Episcopus Santonum. *Sed nullus inter Santonenses Præsules* Arnual *recensetur apud Cl. Robertum Joannem Chenu. Ant. Democharem. Sigebertus a Camerario citatus ad annum Christi* dcxciv *solum habet,* Arnual Kiliani Wirziburgensis discipulum in Gallia floruisse, *neque significat* Episcopum *fuisse. Trithemius* Abbatem *appellat.*

Viri venerabilis Joannis, Presbyteri et Eremitæ in eremo Rossomanni in Sicilia *obitus hoc die consignatur ab Octavio Cajetano Nostro. Non arbitror ullo publico cultu celebrem.*

Guilielmus Episcopus in Catnesia Scotiæ provincia *refertur a Ferrario ex nescio quo Martyrologio Ne Camerario quidem ipsi notus in Catalogo Sanctorum Scotiæ.*

Adelbertus ex Comite Schoenbergensi monachi Breitenaviensis *natalem refert Hugo Menardus, eumque* Sancti *titulo ornat. Trithemius in Chronico Hirsaugiensi ad an.* mcxxxii, *etiam miraculis divinitus illustratum scribit; sed* Sanctum *non appellat, etsi alias haud parcus in hoc tribuendo honore hominibus vitæ innocentia claris. Fuit* Breitenaw *celebre monasterium in Hassia, fere ad* Werræ *ac* Fuldæ *fluviorum confluentes.*

Joannes Birellus, xxiv Generalis Ordinis Carthusiani, vita et miraculis conspicuus *memoratur in editione Usuardi anno* mdxxi, *per Carthusianos Colonienses adornata.* Beatus *appellatur a Claudio Roberto. Negant PP. Carthusiani ullam ei publicam impendi venerationem. Andreas Saussayus (qui* xxii *Ordinis Generalem facit) ait miraculis clarum etiam post mortem extitisse.*

Jacobus monachus in valle S. Lamberti juxta Leodium, *refertur in Sacrario SS. patriæ Leodien. atque in Menologio Cistertiensi Chrysostomi Henriquez, et utrobique* Beatus *appellatur.*

S. Kanutus Dux et Martyr. *Ferrar. De eo agemus* vii Jan.

S. Raimundus iii Generalis Ordinis Prædicatorum. *Molan. Martyrol. Germanicum, Joan. Marietta, Ferrar. Galesinius in Notis. Propter festum Epiphaniæ, Clementis VIII decreto rejicitur in* vii *Januar.*

S. Julianus, S. Basilissa } Martyres. *Martyrol. S. Hieronymi, multa sub Bedæ nomine* mss. *et videntur hoc die passi: coluntur* ix *Januar.*

S. Celsus, S. Julianus } Martyres. *Martyrol. Germanicum, multa Bedæ* mss. *Carthusiani Colonien. in Addit. ad Usuard.* ms. *S. Hieronymi, et addit:* In India. *Idem est* Julianus, *qui jam relatus. De utroque agemus* ix *Januar.*

S. Marcionilla, S. Antonius, S. Anastasius, } Martyres. *Multa sub Bedæ nomine* mss. *Nos* ix *Januar.*

S. Basilissa Virgo et Martyr Parentii in Istria colitur hoc die ritu duplici, *ut testatur Ferrarius in Catalogo SS. Italiæ. Sed an eadem sit quæ* ix *Januarii celebratur, an alia, negat sibi constare.*

S. Balthasar Rex. ms. *Florar. Nos* xi *Januar.*

S. Marcelli Papæ ac Martyris Exceptionem *celebrari hoc die a Cluniacensibus, testatur Molanus in Natalib. SS. Belgii. De ea agemus* xvi *Januar.*

S. Petrus Thomas, Patriarcha Constantinopolitanus, Ordinis Carmelitarum. *Molanus et Carthusiani Colon. in Addit. ad Usuard. Octavius Cajetanus Noster, Martyrol. Germanic. et Gallic.* ms. *Florar. Galesinius in Notis, Ferrarius, aliique. Colunt eum Carmelitæ* xxix *Januar.*

S. Andreas Corsinus, Episcopus Fesulanus. *Martyrol. Romanum, et Germanic. Molanus et Carthusiani Colonien. in Addit. ad Usuard.* ms. *Florar. Galesin. Carmelitæ eum colunt* xxx *Januar.*

B. Didacus Episcopus Oxomensis *refertur hoc die in Kalendar. Cistertien. Vita extat in Marietta, Vincentio Bellovac. Historia Ibigensium Petri monachi, etc. Rejicimus eum cum Menologio Cistertien. in* vi *Februar.*

S. Artemius Episcopus Senonensis. ms. *Florar. SS. Festum illius agitur, teste Claudio Roberto,* xxiii *April.*

S. Mauronti Abbatis *fit hodie* Duaci in Flandria commemoratio, *ob servatam ejus ope urbem contra hostiles insidias anno* mdlvii. *De eo pluribus agemus* v *Maii*

SS. Sulcanus et socii Martyres, *memorantur a Carthus. Colonien. in Addit. ad Usuard.* ms *Florario, et*

et Maurolyco qui Sultanum *vocat. Fortassis* Solochanus est, *de quo* XVII *Maii*

S. Gurvallus Episcopus Macloviensis, *hoc die mortuus memoratur a Joanne Chenu, Claudio Roberto, Augustino Pazio, Andrea Saussayo. Festum agitur Macloviopoli* VI *Junii.*

S. Edilwaldus Presbyter in insula sacra, *sive* Lindisfarne, *hoc die refertur ab Hugone Menardo; a Martyrologio Anglicano, et Ferrario* XI *Junii.*

S. Germani Episcopi Autisiodorensis Translatio *hoc die adnotatur a Maurolyco, Galesinio, Ferrario, Martyrol. Gallicano et Germanico, ac plurimis* MSS. *De ea agemus ad illius vitam* XXXI *Julii.* Ex variis.

S. Donatiani Remensis Episcopi, *civitatis Brugensis in Flandria Patroni*, secunda Translatio *hoc die facta memoratur, adnotaturque hic in* MS. *Florario, et Martyrologio Gallicano. Plenius de ea agemus* XIV *Octobr.*

DE EPIPHANIA DOMINI.

AN. CHRIS. 1. VI JANUARII.

Hujus diei antiqua celebritas:

Celeberrima semper in Ecclesia Catholica fuit Epiphaniæ festivitas, ut quæ vocationis gentium primordia, gratissima memoria nobis perpetuo recolenda, proponat. Plurimæ extant ab sanctis Patribus habitæ hoc die Homiliæ, quas recenset Galesinius in suis ad Martyrologium Notis. Multa de hujus diei mysterio, atque ipsis Magis, sacræ Scripturæ Interpretes commentantur, quæ hic consulto præterimus, alio fortassis Opere ea postmodum prosecuturi. Nec ipsa quidem Martyrologia proferre visum est operæ pretium, quæ cuncta, etiam antiquissimum S. Hieronymi, Epiphaniam Domini *concelebrant. Disertius plerisque Molanus in Addit. ad Usuardum:* Epiphania Domini, qua

triplex mysterium.

manifestari cœpit gentibus, cum eum Magi adoraverunt, Melchior, Baltasar et Gaspar. Simul hoc die Ecclesia gratam memoriam celebrat Baptismi ejus sacri, et primi omnium miraculorum Christi, ac sub illo ceterorum, quibus celebriter manifestata fuit ipsius divinitas. *Pluribus etiam B. Notkerus, Franciscus Maurolycus, Petrus Galesinius: ac congerit hic in Notis multa de Magis totaque hac solemnitate, illudque inter cetera, Mediolani, ritu Ambrosiano, ut die natali Domini, maximo populi conventu officium matutinum nocte celebrari, accensis more Græco plurimis luminibus.*

Corpora 3 Regum Coloniam translata.

2 *Sanctorum trium Magorum* sacra corpora, *ut idem scribit Galesinius,* Constantinopolim e Persia jam pridem translata, et in Basilica S. Sophiæ augustissimo apparatu collocata: inde ab Eustorgio I, Episcopo Mediolanum delata, ibique sexcentis et septuaginta annis in basilica Eustorgiana religiose asservata; demum Frederico Aenobardo Imperatore Coloniam ab Reinoldo Archiepiscopo asportata, reconduntur. *De hac* Translatione *pluribus agemus* XXIII *Julii de S.* Eustorgio XVIII *Septembris. Ex cujus, a S. Ambrosio laudati, ætate constare potest, hic mendum in Galesinii calculo esse; cum ab* Eustorgio seniore *usque ad* Fredericum I, Imperatorem, *cujus anno* XII, *Christi* MCLXIII *ea Translatio contigit, plures quam octingenti anni intercesserint. Sed* Eustorgio *secundo videtur tribuere, de quo* VI *Junii.*

3 *Græci moderni solum Christi* Baptismum *celebrant hoc die* Theophaniorum, *ut vocant; at* XXV *Decembris, una cum Christi nativitate,* Adorationem Magorum. *Ægyptii vero, ut hic in Notis ad Martyrologium habet Baronius, uno eodemque die* Christi natalem et Baptismum *agunt. Nam, ut Collatione* 10, *cap.* 2, *scribit Cassianus* provinciæ illius Sacerdotes diem Epiphaniorum vel Dominici baptismi, vel secundum carnem nativitatis esse definiunt; et idcirco utriusque sacramenti solemnitatem non bifarie, ut in Occiduis provinciis, sed sub una diei hujus festivitate concelebrant. *S. Epiphanius in Panario hæresi* 51, *natum scribit Christum hoc die* VIII *Id. Januarii; baptizatum* VI *Id. Novembris. Utrumque alii Patres atque Interpretes refellunt.* *Nativitas alibi hoc die.*

4 Celeberrimam, *inquit Baronius,* semper fuisse Christianis ejusmodi solemnitatem, declarat Cæsarum præsentia; adeo ut ne impii quidem Principes ab ea celebritate abessent. Siquidem Julianus Apostata, qui pallio Christianæ simulatæ religionis latentem impietatem studebat contegere, cum esset in Galliis, voluit ea die cum ceteris Christianis sacris interesse mysteriis, ut scribit Ammianus Marcellin. lib. 21. Id ipsum præstitit Valens Imperator Arianus, ut de eo scribit S. Gregorius Nazianz. Orat. in laudem Basilii. Visus enim fuisset a Christiana fide prorsus extorris, qui tantis solemnibus non adesset. Theodosius Imperator sic hujus diei celebritatem coli jussit, ut septem diebus qui præcedunt, ac totidem qui subsequuntur, judicialem strepitum conticescere jusserit, ut L. 2 C. de Feriis. *Epiphaniæ solemnis veneratio.*

DE S. MELCHIORE REGE.

VI JANUARII.

Singulos sanctos Reges Magos peculiari aliqua religione variis diebus, in quibusdam Ecclesiis celebrari, diximus I *Januarii, cum de* S. Gaspare. S. Melchior VI *Januarii colitur, ut ex Martyrologio Coloniensi et Germanico patet; quæ Episcopum fuisse, divinoque sacrificio prius celebrato, sancte in Domino obdormisse tradunt. Alii existimant tres illos Heroas martyrio coronatos: et Dextri quidem Chronicon passos habet an. Christi* LXX. *Sessaniæ in Arabia felice* MS. *Florarium* I *Januarii obiisse* S. Melchiorem *refert, anno ætatis* CXVI. *De eo rursus* XXIII *Julii.*

DE SANCTIS MARTYRIBUS AFRICANIS
TELESPHORO, FLORO, JOCUNDO, PETRO,
MARCO, ACUTIO, JANUARIA.

VI JANUARII.

De his antiquissimum S. Hieronymi MS. *Martyrologium* VI *Januarii:* In Africa Telesphori, Flori, Jocundi, Petri, Marci, Acuti, Januariæ. *Quidam his cognomines* V *Januarii habentur in eodem Martyrologio, et forte iidem, ut supra monuimus.* MS. *Rhinowiense perantiquum:* In Africa Telesphori, Acuti, Januariæ. *Notkerus:* In Africa Flori, Jocundi, Petri, Marci, Acuti, Januariæ. *Carthusiani*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ex variis. *thusiani Colonienses in Addit. ad Usuardum* : Item Petri et Marci.

2 *Videntur ex eorum esse numero, de quibus Martyrologium Romanum hoc die* : In Africa commemoratio plurimorum Sanctorum Martyrum, qui in persecutione Severi ad palum alligati, igne consumpti sunt. *Hæc oculis spectasse, qui tum vivebat, Tertullianum putat Ludovicus Lacerda Noster, ideoque scribere in Apologetico cap.* 50. Licet nunc sarmentitios et semaxios appelletis, quia ad stipitem dimidii axis revincti sarmentorum ambitu exurimur. *Ex quo a gentilibus in nos contorto agnomine patet frequens illud fuisse supplicium.*

DE SANCTIS MARTYRIBUS

HONORIO, JULIO, ANTONINO.

VI Januarii. *Hos refert Martyrologium S. Hieronymi* ms. Et alibi Honori, Juli, Antonini.

DE S. POMPEIANO

MARTYRE CALARITANO.

VI Januarii. *Reliquiæ S. Pompeiani inventæ.* *Seraphinus Esquirrus Ordinis Capucinorum Theologus, lib.* 1 *Sanctuarii Calaritani, sive historicæ narrationis inventarum Calari Reliquiarum anno Christi* mdcxiv, *et aliquot sequentibus, Calari excusæ an.* mdcxxiv, *testatur, in basilica S. Saturnini (de quo* xxx *Octobris agemus) juxta urbem Calaritanam, repertam ex albo marmore tabulam, tres palmos longam, duos latam, intra parietem basilicæ inclusam; sub qua arca erat lapidea, quæ sacras Martyris exuvias continebat; tabulæ vero hæc incisa legebatur epigraphe :*

HIC IACET B. M. POMPEIANVS QVI VIXIT ANNIS PLVS MINVS XXVI. REQVEVIT IN PACE VI. IANVARII.

Ex signo transfixi cordis colligit Auctor Martyrem fuisse, probatque pluribus in eodem libro exemplis. *Videri martyrem fuisse.*

2 *Franciscus Esquivelius, Archiepiscopus Calaritanus, in Relatione inventarum sacrarum Reliquiarum, missa ad Paulum V, Pontificem Maximum, excusa Neapoli anno* mdcxvii, *S.* Pompeiani *quoque meminit.*

DE S. ANASTASIO MARTYRE SIRMII.

VI Januarii. *Sirmium inferioris Pannoniæ præclara quondam civitas fuit. Hic* Anastasium vi *Januarii martyrio coronatum, conjicimus ex* ms. *S. Hieronymi Martyrologio, in quo hæc habentur* : Apud Sirmiam Anastasi. *Plures illius nominis celebrantur in Romano Martyrologio Sancti; nullus, qui Sirmii aut occisus sit, aut præcipue cultus.*

DE SANCTA MACRA VIRGINE

MARTYRE IN TERRITORIO REMENSI.

Circiter an. Christ. cccii. VI Januarii. *S. Macræ in Martyrologiis nomen.* *Macram Virginem hoc elogio celebrant Martyrologia, Romanum, Bedæ, Usuardi, Bellini, Germanicum, ac* ms. *Florarium* : In territorio Remensi passio S. Macræ virginis, quæ *(addit Roman. Martyrol.* in persecutione Diocletiani;) jubente Rictiovaro Præside, cum in ignem esset præcipitata, et permansisset illæsa; dein mamillis abscissis, et squallore carceris afflicta, super testas etiam acutissimas et prunas volutata, orans migravit ad Dominum. *addit.* ms. *Florarium id anno* cccv *accidisse. In* ms. *Societatis* Jesu *Antverpiæ* Maria *appellatur. Meminit illius hoc die Maurolycus, Galesinius, et pleraque* mss. *atque Andreas Saussayus in Martyrologio Gallicano, cum prolixo elogio.*

2 iii *Martii in* ms. *Adonis Martyrologio monasterii S. Laurentii Leodii hæc habentur* : Eodem die S. Macræ virginis, cujus passio annotata est viii Idus Januarii. ms. *Florarium* : Eodem die Translatio S. Macræ virginis, de qua viii Id. Januarii. *Wandelbertus denique* : *Translatio.*

Quinas Macra pio Nonas defendit amore.

ii *Maii in* ms. *Vedastino, quod olim monasterii S. Richarii fuit* : In territorio Remensi S. Macræ virginis, cum aliis virginibus sacris. *Quæ istæ aliæ sint, nondum comperi.*

3 *Acta* S. Macræ *edita sunt in Agonibus Martyrum, exstantque apud Boninum Mombritium, et Vincentium lib.* 12, *cap.* 142. *Eadem fere habentur in Flodoardo lib.* 4 *Hist. Ecclesiæ Remen. cap.* 31. *Agit de ea Petrus de Natalib. lib.* 2, *cap.* 50. *Prolixiora Acta ex codice Branensi descripserat Nicolaus Belfortius in monasterio S. Joannis de Vineis apud Suessiones Canonicus regularis, quæ hic damus.* *Acta.*

4 *Loco martyrii* S. Macræ *habita Synodus anno* dcccxxci. *Joannis VIII, Papæ* ix *extat Tomo* 3 *Conciliorum Galliæ apud Sirmondum, cujus hic est titulus* : Synodus quæ fuit acta in loco, qui dicitur Finibus Remensis parochiæ. *At quæ hæc notat idem Sirmondus Noster* : Hodie Fimas vocitant, celebre oppidum martyrio et cultu S. Macræ Virginis. Olim Fines dicebant, quia in finibus pagi Remensis et Suessionici. Itinerarium vetus : Augusta suessorum. fines. durocotorum remorum. *Eadem fere habet Auth. Miræus in Chronico* *Locus martyrii* Fimes.

Chronico Belgico ad an. DCCCXXCI. *Papirius Massonus in libro de Fluminibus Galliæ* : A Remorum urbe Fimas usque, primum oppidum, portumque Vidulæ, sex leucæ terrestri itinere computantur. *Hincmarus Remensis Epist. ad Hludovicum III, Francorum Regem pro electione Episcopi Belvacensis, cap.* 1 *et* 6, *Fimas* martyrium S. Macræ *appellat; etsi, ut tradit Massonus,* ecclesia Fimarum D. Martino dicata est.

ACTA

Ex MS. *D. Nic. Belfortii.*

Cum sævissima in Christianos persecutio pæne per totum orbem diffunderetur, scelestus quidam, nomine Rictiovarus, a Diocletiano et Maximiano Imperatoribus in Galliam mittitur, ut religionem Christianorum penitus aboleret. Qui cum jussis Principum pareret, et ad provinciam civitatis *a* Augustanæ venisset; ibi quamdam sacratissimam virginem, nomine Macram, invenit Jesum Christum Dominum nostrum sine intermissione incredulis prædicantem. Quam jussit comprehendi, et ante suum tribunal exhibitam sic affatus est : Audio te, o femina, quamdam novæ legis superstitionem hominibus propalare : quod videlicet crucifixus quidam Deus possit esse et homo. Volo ergo te scire, a sacratissimis Imperatoribus legem esse prolatam, qua sancitum et magna deliberatione præfixum est, ut omnis qui Jovis imaginem venerari, imo adorare renuerit, insuperabilibus tormentis addicatur. Quapropter consule tibi, ne juventutis tuæ florem amittas. Si vero meis consiliis acquiescens, diis invictissimis immolaveris, multos a me honores accipies, insuper et ab Imperatore præmiis multis ditaberis. Cui Macra respondit : Pecunia mea est Christus filius Dei, apud quem tu jam condemnatus haberis. Ignoras quid Simoni Mago contigerit, qui putavit donum Dei pecunia possideri; licet ille, quamquam frustra, donum Dei quæsierit? Tu tamen eadem malitia fultus fidelem ancillæ Christi sensum avertere nequibis : sed sicut tunc Simonis pater, sic et nunc itidem pater tuus non invictus abibit : ideoque pecunia tua tecum sit in perditione.

a *S. Macra comprehenditur.*

Præsidis blanditias respuit.

2 His Rictiovarus furore accensus, jussit eam *b* torqueri. Et cum torqueretur, ait ad illam : Quo vocaris nomine? Cui ancilla Christi constanter dixit : Christiana sum, et verum Deum adoro, non falsas imagines. Præses vero : Sacrifica, inquit, diis magnis, ne te diversa tormentorum genera consumant. B. Macra respondit : O crudelissime, cui diabolus est pater, putas te immutare posse sensum meum? Ait Præses : Prospice ad Capitolium, et sacrifica diis. Quæ respondit : Christus, cui me tota devotione commisi, Capitolium est meum, in quem semper respicio : a quo non, sicut a te, despectui habebor; sed per passionem, quæ mihi per te infertur, remissionem peccatorum meorum et coronam æternitatis me adepturam credo. Præses dixit : Prolixæ ambages tuæ diu te vivere faciunt : sed cito his finem impone, et sacrifica. Illa vero : Cum, inquit, latro in cruce suspensus parvi duceret præter gloriam regni Dei quidquam a Domino meo Jesu Christo petere, audivit : Hodie mecum eris in paradiso. Et ego, licet sim indigna, credo tamen bona Domini videre in terra viventium. Ad hæc Præses : Noli me amplius variis objectionibus tuis vexare, sed utere consilio meo, valde tibi necessario, et sacrifica, sicut crebra admonitione jam audisti : sin alias, capitalis tibi mox manebit sententia. B. Macra suspiciens in cælum : Et ego, ait, hoc deprecor Creatorem meum, ut pro confessione sanctæ Trinitatis palmam martyrii adipiscar. Dixit Præses : Adhuc tu inculcando deliramenta prohibita audes proferre? Nunc sacrifica. Quod si non feceris, si capitalis, ut dixi, non fuerit sententia, instabit tibi modo crematio ignis. Cui ancilla Christi respondit : Si ita sit ut loqueris, justam quidem infers corpori meo vindictam : anima autem mea sacrificio tuo numquam fœdabitur, sed mundam eam in conspectu Altissimi exhibeo.

b *Torquetur. Nomen rogata se Christianam profitetur.*

Mortis minas contemnit.

Ex MSS.

3 Tunc Præses a circumstantibus judicium exposcit, quid super hoc feminæ consilio sit agendum, quæ se Christianam esse fateretur. Quorum hæc fuit sententia, ut quando renueret magnis diis immolare, ad Capitolium, quo libare negligebat, viva comburetur. Itaque comprehensa protinus a ministris in insulam, quæ vocatur Litia, ubi Arida fluviolus in fluvium influit *c* Vidulam, ducta est : ubi eam milites exuerunt vestimentis suis, manusque ejus ac pedes ligaminibus nexuerunt. Interim Beata illa hilarem vultum ad cælos elevans, tota animi intentione dixit : Domine Deus Pater Domini mei Jesu Christi, qui non venisti vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam, cujus promissio vera atque manifesta est; qui etiam dixisti : Si conversus fuerit vir ab iniquitatibus suis, a me non recordabuntur amplius; tibi Domine confiteor omnes iniquitates meas quas egi, et condignum pœnitentiæ fructum a te expecto, et tuam deprecor largam et piam misericordiam, ut per confessionem nominis tui liberes me in passione, et in conspectu tuo suscipias. Quibus auditis Rictiovarus nimium excandescens, jussit ei mamillas amputari : quod suo similes domino crudeles ministri impigre expleverunt.

Adjudicatur incendio.

c

Amputantur ei mamillæ.

4 Post mamillarum avulsionem, Præses jam magis aperte iratus, præcipit carcere mancipari, a quo lux penitus haberetur exclusa; omnique panis et aquæ substantia privari. Sed cum circa noctis medium ventum esset, subito lux magna replevit totam domum in qua Virgo beatissima custodiebatur : et domus carceris commota est, ita ut fugientes custodes ad Præsidem, narrarent ei omnia quæ acciderant : ac etiam qui in eodem carcere vincti cum ancilla Christi servabantur, fugere tentarent : quos interim beatissima Virgo blando sermone hortabatur, ne id facerent : Quandoquidem, dicebat, visitans visitasset eos oriens altissimus Christus Dei filius.

Includitur carceri.

Carcer tremit, et illuminatur.

5 Hæc dum ita se haberent, ecce præterea *d* vir canitie aspersus adstabat, unguentum deferens *e* miro odore respersum : qui commissum sibi a Domino medicinæ beneficium impendere non segniter optans, dixit ad illam : En missus sum ad te a Domino meo Jesu Christo, et unguentum istud ad hoc attuli ut mamillæ tuæ redintegrentur. Cui beata Virgo dixit : Absit a me, ut per restitutionem mamillarum, coronam a Domino meo mihi præparatam amittere *f* negligam. Ad hoc subridens senex dixit : Ideo non sinis sanari te? Quæ respondit : Creator omnis carnis, et restitutor sanitatis, si vult me incolumitate gemina in conspectu suo exhibere, exhibeat. Utraque enim salvat, omnes sperantes in se salvos facere potens est. Unde cupio ab eo dissolvi, et transferri in regnum filii claritatis ejus. Denique ipse novit, quia medicina carnalis a corpore meo aliena semper fuit. Et tunc illa orationi incumbens, terramque lacrymis madefaciens, dixit : Domine Pater et Deus vitæ meæ, qui omnia ex nihilo creasti, et cui patent omnia, tu scis quia nec medicamentum, nec aliquid simile, quod ab hominibus arte confectum, et usui infirmantium aptum est, corpori meo umquam adhæsit. Unde si tua est voluntas ut saner, scio potentiam magnitudinis tuæ, quia solo verbo tuo sanabor. Cum ergo ita diu multumque orasset, restitutæ sunt, ut pridem, mamillæ ejus.

d

e

Unguentum cælitus allatum recusat.

f

Sanantur ejus mamillæ.

6 In crastinum vero Præses sedens pro tribunali, accersiri illam præcepit : et videns pristinæ sanitati redditam dixit : Macra, quis te incolumitati reddidit? Quæ respondit : Dominus Deus omnipotens Jesus Christus,

Ex mss. Christus, qui super omnia potens est, ipse me sanavit. Ait Præses : Adhuc insanis, et Christum nominare non times? Beatissima martyr dixit : Ego labiis et corde profiteor Christum semper esse filium Dei vivi, eumque invocare non cesso : neque enim timeo. Tunc jussit tyrannus acutissimas testas expandi, et prunas immitti, ac Virginis corpus desuper volutari. Et cum supra prunas volveretur, ejus animi calor invictus Domini memor semper factus est. Unde etiam expansis manibus ad Dominum oravit dicens : Domine Jesu Christe, qui me in ergastulo positam ferrea vincula vincere fecisti, et ignem corpori meo illatum adinstar roris suavem reddidisti; te deprecor, ut animam meam nunc suscipias; quia jam tempus est ut dimittas spiritum meum in pace. Quibus dictis, anima cælum petiit *g* VI Nonas Martii, regnante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Supra prunas et testas volutatur.

Orans moritur.

g

a *Arbitror hic* Augustam Suessionum *intelligi, vulgo* Soissons.
b *Petrus de Natali, ait* in equuleo suspensam.
c Vidula, *sive* Vela, *oritur e fonte silo supra vicum* Summævelæ; *quod* Fontem Velæ *veteri lingua Campaniensi significat, ut notat Massonus.* Remos *alluit* Vidula, *tum* Fimas *ac* Brannacum, *deinde* Axonæ *miscetur e regione* Condei *vici.*
d *Angelum fuisse, significat Flodoardus.*
e *Vincent.* miro modo confectum.
f *Agones MM.* eligam.
g *Ita* ms. *Belfortii. Nulla illius eo die meminere Martyrologia: quædam Translationem referunt* V *Non. ut in Præf. num.* 2, *diximus Vincent. Mombrit. Agones hic habent* VIII Id. Januarias.

DE SANCTÆ MACRÆ TRANSLATIONE

Ex eodem ms.

Per idem vero tempus, cum adhuc Christiana religio modica haberetur, ab incuriosis corpus ejus non curiose tractatum est. Tumulatum est autem illud haud procul a loco, ubi martyrii palmam acceperat.

Corpus ejus revelatur.

Porro multa post curricula annorum cuidam bubulco, *a* Lendulpho nomine, locus, quo beatissima Virgo condita erat, juxta quamdam ecclesiam in honorem B. Martini constructam, per visionem ostensus est : in quo etiam visu ille est admonitus, ut corpus sacratissimæ Virginis intra præfatam ecclesiam terræ honorificentius commendaret; et dicebat, quatenus incolis ejusdem loci innotesceret. Quod postmodum a prudentissimis et Deo amabilibus viris magno cum decore peractum est : et quamdiu in ea venerabile corpus requievit, insignia miracula per sanctæ Virginis intercessiones patrata sunt; cæcis, claudis, surdis plenam Domino largiente perfectionem et sanitatem.

a

Elevatur, et claret miraculis.

8 Denique cum ab origine protoplasti non defuerint, qui vineam Domini solerti cura excolerent, ita ut jam eminentes palmites longe lateque diffusi crebrescerent; extitit vir quidam venerabilis, *b* Dangulfus nomine, cui merito laus ab hominibus et merces a Deo rependitur, cum præsertim sacrarum ædium strenuus cultor et conditor haberetur. Is ob amorem et honorem factoris sui, domum ei miro splendore fundavit : in quam sacratissimæ Virginis Macræ corpus, de ecclesiola, ubi primum fuerat collocatum, ab eodem viro Dei gloriose perlatum est *c* III Kalendas Junii, regnante excellentissimo Imperatore summo orthodoxo *d* Carolo. Ubi non minima, ut superius relatum est, patrantur miracula, ad laudem Domini nostri Jesu Christi, qui vivit et regnat in sempiterna sæcula sæculorum. Amen. *e*

b

Ædificatur ei templum :

in illud transfertur.

c

d

e

a *Vincent. et Petr. de Natal.* Leuduipho. *Sauss.* Landuipho.
b *Colvenerius in Flodoardo legit* Daugulfus.
c *Agones MM. et Mombrit.* IV Kal. *Neutro die meminerunt* S. Macræ *Martyrologia.*
d *Flodoardus indicat sub* Carolo Magno *id accidisse.*
e *Addit Flodoard.* Quam nuper ecclesiam, tempore scilicet persecutionis Hungaricæ, iidem Barbari succendere cupientes, acervos quosdam frugum magnos, qui parieti ejusdem adhæserant, incendunt : exustisque segetibus, flamma licet ecclesiæ tecta lambente, eamdem tamen accendere nequiverunt.

DE S. NILAMMONE RECLUSO GERIS IN ÆGYPTO.

An. Chr. cdiv. VI Januarii.

Geræ urbs.

Gerrum urbs est Ægypti, apud Ptolemæum Tab. 3, *Africæ, ultra Pelusium versus Palæstinam.* Adipson *vocari Plinius tradit lib.* 6, *cap.* 29. Geras, Γέρας, *appellant Sozomenus et Nicephorus, alii* Gera. *In ejus ruinis* Maseli *vicum ignobilem extare quidam conjiciunt. Urbs olim Episcopalis fuit.*

S. Nilammon Reclusus.

2 *Hic S.* Nilammon *Reclusus vitam sanctissimam egit, sibique imponendum et populi suffragiis et Patriarchæ Alexandrini auctoritate, Antistitii onus, morte divinitus impetrata, declinavit. De quo Romanum Martyrologium* VI *Januarii :* Geris in Ægypto S. Nilammonis Reclusi, qui dum ad Episcopatum traheretur invitus, in oratione spiritum Deo reddidit. *Rem gestam ita commemorat Sozomenus lib.* 8, *cap.* 19.

3 Theophilus (*Patriarcha Alexandrinus, acerrimus S. Joannis Chrysostomi adversarius, ut in ejus vita* XXVII *Januarii dicemus.*) statim nihil cunctatus, quamquam jam hyems ingrueret, fugiens una cum *a* Isaacio monacho Alexandriam abnavigavit. Sed cum tempestas maris urgeret, appulit Geras, quæ civitas est pusilla, plus minus quinquaginta stadiis a *b* Pelusio distans. Hujus urbis Episcopo tum vita defuncto, cives, ut accepi, elegerant Ecclesiæ suæ Antistitem Nilammonem, virum bonum, et qui ad monasticæ vitæ fastigium conscendisset. Is habitabat ante civitatem in domuncula, in quam se ipse concluserat, janua lapidibus obturata, eo proposito ut Sacerdotium aversaretur.

a

b

Eligitur Episcopus.

4 Theophilus itaque veniens, hortabatur ut ordinationem a se oblatam acciperet. Apud quem ille, quamvis frequenter se excusans, nihil obtinuit. Tandem instanti : Cras, inquit, ita facias, o Pater, si placet, ut ego hodie res meas antea disponam. At cum Theophilus postridie ex condicto venisset, atque eum fores aperire jussisset : Age vero, inquit Nilammon, oremus primum. Quo laudato, Theophilus quidem oravit, sed Nilammon inter orandum hanc vitam reliquit. Hoc autem et Theophilo primum, et iis etiam qui una cum illo foris stabant, ignotum erat : verum cum paullatim tereretur dies, quia sæpenumero intentius evocantes non audiret, dejectis, qui ad januam erant, lapidibus, reperiunt hominem mortuum. Involutum igitur quibus oportebat, publica sepultura dignati sunt : ac templum etiam supra illius sepulchrum indigenæ construxerunt, et summa cum solemnitate *c* adhuc diem mortis ejus celebrant. Ac Nilammon quidem ad hunc modum mortuus est : si tamen mortem dicere oportet, quam ille subire maluit, quam Episcopatum suscipere, quo se indignum esse ob ingenii modestiam censuit. *Hæc Sozomenus.*

Orans moritur.

c

Colitur a suis civibus.

Eadem habet Nicephorus lib. 13, *cap.* 17, *atque ex Sozomeno Baronius Tomo* 5 *Annal. anno* 403, *num.* 32.

a Isaac *hic monachus, Presbyter fuit S. Joannis Chrysostomi, ejusque*

ejusque adversarius, ut ex Palladio docet Baronius tom. 5 *Annal. an.* 403, *num.* 14, *ubi Acta recenset Pseudosynodi* ad Quercum.

b Pelusium *urbs Ægypti celebris fuit, unde Orientale Nili ostium* Pelusiacum *dicitur. Plura de hac urbe* IV *Februarii ad vitam* S. Isidori Pelusiotæ.

c *Imo Nicephorus ad suam usque ætatem diem ejus festum peragi solitum tradit: quo magis miror abesse ejus a Græcorum fastis nomen.* EX VARIIS.

DE S. MELANIO RHEDONENSI EPISC.

POST AN. CH. DXXX, VI JANUARII.

Civitas Rhedonum, *Ptolemæo* Condate *dicta, ut viris eruditis placet, vulgo* Rennes, *una est e præcipuis* Britanniæ *Gallicanæ, ad* Vicenoniam *flumen, Episcopatu jam olim insignis, ut ex Notitia provinciarum Galliæ constat. Hic Antistes initio sexti sæculi* S. Melanius *fuit. Ejus natalis* VI *Januarii ita celebratur a Martyrologio Romano:* Rhedonis in Gallia S. Melanii Episcopi et Confessoris, qui post innumerabilium signa virtutum, jugiter cælo intentus, gloriosus migravit a sæculo. *Eadem fere Usuardus et Bellinus de Padua. Meminere ejus Maurolycus, Galesinius,* MS. *Florarium, Ghinius, Martyrol. Germanicum, et plurima* MSS. *nominatim vetustissimum a Laurentio monacho Epternacensi descriptum, quod S. Hieronymi præfert nomen, et ea ratione illud passim citamus, licet auctum sit multis Hieronymo juniorum Sanctorum adjectis nominibus, ut vel hinc patet, id vero ita habet:* In civitate Redonensi natalis S. Melani Episcopi. *B. Notkerus hoc die:* Redonis nativitas, et ordinatio, ac transitus S. Melani Episcopi et Confessoris: cujus corpori superposita, in mediis ignibus illæsa reperta est palla.

S. Melanii natalis VI *Janua.*

Festum VI *Novembr.*

2 *Etsi vero* VI *Januarii mortuus feratur; tamen non eo die, sed* VI *Novemb. in Rhedonensi diœcesi colitur, ob factam eo die Translationem, ut volunt Franciscus Lanovius, Augustinus Pazius, et Claudius Robertus.* Translationis *tamen in officio diei nulla fit mentio. Et sane Appendix Adonis a Rosweydo Nostro edita* VIII *Id. Novembr. ista habet:* In civitate Regidonas depositio S. Melanii Episcopi et Confessoris. *Eadem* MSS. *monasterii S. Laurentii Leodii, Ecclesiæ S. Lamberti ibidem, monasterii S. Martini Tornaci, Lætiense, Ecclesiæ S. Gudilæ Bruxellis, Florarium; sed pro* Regidonas, *fere* Redonas, *aut* Redonis, *habent: Bellinus de Padua, et Usuardi Martyrologium Lubecæ editum, nulla aut depositionis aut Translationis facta mentione:* Redonis S. Melanii Confessoris. *Viola SS. Hagenoæ excusa:* Item Redonis S. Malani Confessoris. MS. *monasterii S. Martini Treviris:* In Gallia Melani Episcopi Confessoris. *Carthusiani Colonienses in Addit. ad Usuardum:* Secundum aliquos hic Melani Episcopi Redonensis, quem Usuardus habet supra VIII Id. Januarii, Ado II Id. Novembris. *Eadem fere monet Martyrologium Germanicum, et Ferrarius.*

3 MS. *Martyrologium ante citatum, quod S. Hieronymi vocamus, iterum* VI *Novembris:* Redonis civitate Galliæ depositio Menelai Episcopi. *Maurolycus quoque utroque die eum refert, sed videtur diversum existimasse. Nam* VI *Januarii,* Redonis, *inquit,* S. Melanii Episcopi et Confessoris, tempore Clodovæi Regis, *at* VI *Novembris:* Apud Rutenos S. Melanii Confessoris. *Ast alia est* Rhedonum *civitas in provincia Lugdunensi* III, *alia* Rutenorum *in Aquitanica* I, Segodunum *dicta Ptolemæo, vulgo* Rodes.

Alibi XII *Novembr.*

4 XII *Novembris* S. Melanium *refert Ado, fortassis quod in Ecclesia Viennensi eo die coleretur:* Eodem die, *inquit,* S. Melanii Redonicæ (MSS. *Lobiense, Petri Scriverii, S. Laurentii Leodii,* Rodonicæ) civitatis Episcopi: qui post innumerabilium signa virtutum, jugiter intentus cælo, emigravit a sæculo. *Eadem habet* MS. *Florarium SS. Eadem fere* MS. *monasterii S. Richarii, Bedæ præferens nomen. At Beda vulgatus, eo die:* Item S. Melanii Rodonicæ civitatis Episcopi. *Maurolycus iterum illum hic Aquitanis adscribit.* Rutenis, *inquit,* S. Melanii Præsulis. *Colitur eo die Coresopiti in Britannia inferiore, ut ex illius Ecclesiæ Breviario liquet.*

5 XI *Octobris S.* Melanium Episcopum Confessorem *exhibet* MS. *Martyrologium Carthusiæ Ultrajectinæ.* Confessorem *solum vocant Carthusiani Colonien. in Addit. ad Usuardum. At distincte* MS. *Florarium:* Redonis civitate S. Melanii Confessoris. *Aliqua fortassis eo die facta Reliquiarum ejus translatio. Certe Argentræus Hist. Britan. lib.* 4, *cap.* 16, *tradit anno Christi* MCCXXXI, *ab Archiepiscopo Turonensi ad* Prulliacum castrum, *vulgo* Preully, *diœcesis Turonensis, S. Melanii corpus esse translatum. Est* Prulliacum *Baroniæ titulo insigne oppidum, ad* Clayam *fluvium; ubi Ordinis Benedictini cœnobium S. Petro dicatum, ut testis est Claudius Robertus. Si hæc celebratur translatio, non saltem* VI *aut* XII *Novembris; nam quæ citavimus Martyrologia, iis diebus consignantia S.* Melanii *memoriam, ea hac translatione antiquiora sunt.*

Et XI *Octob.*

Translatio corporis.

6 *Vitam S.* Melanii *a coætaneo auctore, ut Tom.* 1 *Rerum Francic. Du-Chesnius censet, conscriptam, ex veteri* MS. *mihi transmisit eruditissimus atque humanissimus Jacobus Sirmondus Noster: ejusdem aliud exemplar e Britannia nactus sum opera Jacobi Bernardi Nostri; utrumque cum* MS. *codice S. Mariæ de Ripatorio et Breviario Ecclesiæ Coresopitensis, contuli. Priores duo codices vitæ addita habebant sequentia, quæ et nos hic damus; S. Gregorii Turonensis libri de Gloria Confess. caput* 35. *Miracula in Cenomanis patrata, auctore Gervasio Archiepiscopo Remensi: Miraculum apud Rhedonas factum, descriptumque ab Anonymo monasterii S. Melanii, ut apparet, monacho. Ejusdem sancti Antistitis vitam Gallice edidit Paschalis Robinius, e pluribus rerum sacrarum Scriptoribus, Legendariis, Conciliis, Annalibus Francicis, Britannicis, Andegavensibus, ac Breviario Ecclesiæ Rhedonensis, collectam. Tradit vero inter alia, anno* DCCCLIII, *cum Namnetas populati essent Normanni, S. Melanii corpus Bituricam fuisse deportatum. Franciscus Lanovius in Syntagmate historico de Sanctis Franciæ Cancellariis, primo loco S. Melanium recenset, vitamque ejus a Cornelio Grasio Carthusiano scriptam, Notis illustrat. Agit de S. Melanio Vincentius Bellovac. Spec. hist. lib.* 21, *cap.* 23 *et* 24. *Petrus de Natalib. lib.* 2, *cap.* 49. *Antonius Democharis de divino Missæ sacrificio cap.* 23. *Augustinus Pazius in Catalogo Episcoporum Britanniæ, Claudius Robertus, Baronius Tom.* 6 *Annal. ad annum* DVII, *nu.* 25. *Joannes Chenu, qui nescio unde acceperit, quod scribit, Clodovæum ab eo Christianam religionem edoctum, priusquam a S. Remigio baptizaretur. Idem post Chenu scripsit Andreas Saussayus in Martyrologio Gallicano.*

Vita et miracula.

Alia translatio.

7 *Ædificatum est in suburbio Rhedonensi a Salomone II, Rege Britanniæ monasterium, et S.* Melanii *nomini dicatum, ut testatur Bertrandus Argentræus Hist. Britan. lib.* 1, *cap.* 30. *Id perperam in* Placio *fundo paterno S. Melanii situm scribit Cl. Robertus. Nam ex vita patet,* Placium, *aut* Placionem, *ubi aliud ipse* Melanius *cœnobium suis manibus construxit, in Venetensi esse diœcesi, proculque distare ab urbe Rhedonum. Rectius conjicit Lanovius eo loco S.* Melanii *constructum esse* cœnobium, *ubi ipsius olim sepulchrum insigni ornatum fuerat basilica, de cujus conflagratione infra ex S. Gregorio Turonensi dicemus.*

Monasterium Sancti Melanii.

8 Melanum *indigenæ appellant, ut ait Robinius, pro* Melanio

Ex mss. Alii Melanii.

Melanio, *quomodo antiquitus semper scriptum; vulgo* S. Melen. *Monet Lanovius, a quibusdam confundi cum* Melanio Rothomagensi, *qui* Malonus, Melonus, Mello *audit, et forte rectius* Mellonus. *De hoc* XXII *Octobris agemus. Non ille est tamen, ut putarunt Lanovius et Robinius, de quo S. Gregorius Turon. agit lib.* 7, *Hist. Francor. cap.* 19. *Nam* Melanius Rotomagensis *apud Gregorium, sive* Melantius, *is est, qui S.* Prætextato *(de quo* XXIV *Februar.) in exilium acto intrusus est. Baronius in Not. ad Martyrologium, alium* Melanium *citat S.* Melanii Rhedonensis *æqualem,* Veromandensem *Episcopum, qui Concilio Aurelianensi I, cum eo interfuerit. Sed Concilio illi subscripsit* Sofronius Episcopus Ecclesiæ Veromandensis; Melanius *præter* Rhedonensem *nullus. At Concilio V Aurelianensi per Cautinum Archidiaconum subscripsit* Melanius Episcopus Albensis.

Quando obierit S. Melanius.

9 *De anno obitus S.* Melanii *nil certi possumus pronuntiare; nisi ultra* DXXX *annum Christi produxisse vitam, ante* DXLIX *obiisse. Nam S. Albinus qui Concilio Aurelianensi IV, subscripsit anno* DXLIX, *solum* XX *sedit annos, ac menses sex; quem constat Melanio adhuc vivente Episcopum fuisse. Argentræus scribit a Clotario Rege, cum Chramno filio et Chonoberto vel Chronobro Comite debellatis reverteretur, in Franciam abductum esse S. Melanium. Verum cum illa expeditio suscepta sit a Clothario, postremo regni sui anno, qui Christi* DLXI *fuit; manifesti erroris illa Argentræi assertio convincitur:* Febediolus *enim* Rhedonensis Episcopus *Concilio Aurelianensi V anno Christi* DXLIX *subscripsisse reperitur.*

VITA

Ex veteribus MSS.

CAPUT I.

S. Melanii ortus: promotio ad Episcopatum.

Narranda gesta SS. qualicumque stylo.

Cum Sanctorum priscorum Patrum veneranda memoria in omnipotentis Dei laude venerabiliter sit colenda, et eorum honorabilis vita ad exemplum fidelium fideliter proferenda; quisque in divinis voluminibus reus adscribitur, qui non studuerit dare gratis, quod ipse gratis accepit. Quidquid enim Ecclesiæ filiis proficit, et auditores suos imbuit, eosque ad exemplum provocat bonum, non est silendum, sed potius prædicandum. Idcirco nos timentes de inutili, vel potius de noxia taciturnitate damnari, insignia sanctissimi Christi Præsulis Melanii gesta, qualicumque decrevimus exprimere charactere: ne forte, quod absit, dum præstolatur qui ea luculentius describat, materies multipliciter pro futura vetustate depereat. Præstat siquidem, ut descripta tam salubri historia de syllaba reprehendamur vel litteris, quam inerti somnolentiæ indulgentes; nec nobis excusationem de tantillo nobis commisso talento, nec sapientioribus quandoque futuris in his amplificandis sive corrigendis locum præbuerimus exercitationis. Quapropter sequentes pro posse Psalmistam, qui ait: Justitiam tuam non abscondi in corde meo, misericordiam tuam et veritatem a concilio multo; non ea abscondemus de isto Confessore Christi, quæ veridica relatione comperimus, quamvis ea proferre ut decuerat, non possimus.

Psal. 39. 11.

2 Postquam ergo Dominus noster Jesus Christus mundum sua passione redemit, et Apostolos suos successoresque eorum eligens ad prædicandum misit, qui ab æterno Sole illuminati, divina adjuvante gratia, cæcos ignorantiæ tenebris vero fulgore Christi illuminarent, et longam divini verbi familiæ Redemptoris esuriem epulis æternæ vitæ satiarent, sanctus Dei Sacerdos Melanius Rhedonensis Episcopus prædicare exorsus est. Fuit igitur prædictus Episcopus Melanius admirandæ sanctitatis, de *a* parochia *b* Venetensi, ex nobilissimis parentibus oriundus. Qui in fundo qui

a b S. Melanii patria et genus:

c Placio vocatur nutritus, quamvis emineret nobilitate generis, supereminebat tamen nobilitate fidei: quantoque dignitate sæculi inter suos *d* clarus, tanto divinorum munerum gratia erat præcipuus. Hujus viri infantia cum per divinam providentiam summis Sacerdotibus erudienda fuisset commissa, non solum sacris litteris *e* apprime et divinis imbuta est disciplinis; sed etiam præclarissimorum miraculorum, Domino cooperante, enituit signis.

c

d

Institutio:

e

Sanctitas.

3 Crescente vero in eo corporis ætate, divinæ quoque providentiæ in eo quotidie crescebat effectus. Denique virili tandem potitus ætate, contempsit spurci mundi gaudia, ut liberius impleret summi Regis munia, et *f* religioso sese circumdedit habitu. Fuit autem forma præcipuus, corpore castus, mente devotus, affabilis colloquio, amabilis aspectu, prudentia egregius, temperantia clarus, zelo Dei et amore fecundus, perpetuæque virginitatis haud erat admonitus custos.

Fit monachus.

f

4 Itaque dum sæpedictus athleta Christi Melanius divinis excubiis liber indulgeret, derepente ad eum Primates, omneque vulgus promiscui sexus Rhedonensis urbis convolant, efflagitantes ut fungeretur eis officio Patris. Nam dum venerabilis Dei Antistes *g* Amandus, imminente molestia corporis, acri urgeretur dolore, beatissimum Dei famulum Melanium sibi adesse fecit. Quem blandis leniens sermonibus ita allocutus est: Fili carissime, quem sanctus Spiritus elegit templum sibi delectabile, cura pastorali invigilare stude supra Dominicum ovile, quod tibi est ab æterno Pastore committendum post meum decessum: cunctoque gregi sibi accito edicit in propatulo, se in proximo hominem exiturum, Beatissimumque Melanium relatu sancti Spiritus in patronum eos habituros. Qui, mœrentibus omnibus pro amissione unius, atque gaudentibus pro adeptione alterius vita et meritis haud disparis, fatiscentibus viribus corporis, exit e medio hominum, in cælesti Senatu a Domino stemmate pollenti coronandus. Cujus exequiis rite functis, corporeque visceribus terræ, hymnorum psalmodiarumque resultante Camæna, tradito, cujus felix anima possidet cælum; mox popularis turba, tam Clericorum quam laicorum utriusque sexus, pari voto pariqué assensu dirigit gressum ad B. Melanium: quem renitentem atque contradicentem ejus precibus rapit, sibique in Pastorem elegit. Qui hujusce sedis cathedram sortitus dignitatis, qualia quantave inibi gesserit, impossibile est lingua enarrari.

g

S. Amandus Episc. Rhedon. prædicit sibi successurum.

Fit Episcopus.

5 Adeptusque hunc apicem, multo majoribus vigiliarum, jejuniorum, orationum continuarum, omniumque bonorum operum exhibitionibus, quam eatenus, macerabat corpus. Reputabat quidem secum, onus pastoralis sarcinæ sibi injunctum, ut qui prius fuerat custos sui, postmodum foret speculator publicæ utilitatis. Sicque repugnantibus sollicitudinem vicissitudinibus actum est, ut qui paucorum fugerat conventum, implicaretur curis plurimorum: et dum sæculi contemnit aspectum, irretitur nexibus mundialium sollicitudinum: et qui contraibat propriis voluptatibus, aliquantisper obsecundaret cosmi moribus. In Scripturis itaque sacris ita profecerat assiduitate lectionis, ut universis tam Doctoribus quam sodalibus superatis, cunctos præcelleret parochiæ, quam regendam susceperat, habitatores. In tantum vero erat aptissimus seniorum et coæqualium ac subjectorum, ut eloquentia sua placeret omnibus sibi colloquentibus, ut mœrentibus lætitiam redderet, scelera facientibus disciplinam.

Sanctissime vivit.

Doctrina pollet.

a Parochia *sæpe pro* diœcesi *usurpatur in vitis SS. apud S. Hieronymum, et alibi.*

b Veneti *populi Britanniæ inferioris, quorum urbs primaria vulgo* Vannes, *Ptolemæo* Dariorigon.

c *Eum vicum nunc* Ploelauf *vel* Ploescob *dici scribit Paschalis Robinius, aut potius, ut ait,* Ploemelen, *aut* Ploemelain, *qui juxta* Lominium *oppidum situs. Significat ea vox, inquit,* agros circum vicum S. Melanii jacentes. *Petrus de Natal.* Plautionem *vocat, alii*

alii Plautium; *Breviar. Rhedon.* Placionem; *Lanovius* Placium.

d *Andreas du Chesne Tom.* I, *Hist. Franc.* elatus.

e *Breviar. Coresopit.* a primævæ ætatis suæ tempore, et divinis, *etc.*

f MS. *P. Sirmondi habebat, uti et Breviar. Coresopit.* Sanctique sese Benedicti circumdedit habitu. *Quod refellitur ex iis quæ in Præfat. diximus.*

g *Colitur* S. Amandus *Rhedonensis Episcopus* XIV *Novemb. Hinc patet falli Argentræum, dum inter S.* Amandum *et S.* Melanium *sedisse vult* Athenium, *quem ipse* Arthemium, *alii etiam* Anthemium *vocant, et S.* Riotismum.

CAPUT II.

Melanii Episcopales functiones : miracula.

Clodovæum ad bona opera excitat.

a

b

c

d

His et hujuscemodi virtutibus pollens, *a* Clodovæo Regi Francorum fit cognitus, et ejus *b* strenuus efficitur *c* Consiliarius. Ejus quippe consilio multas a fundamentis construxit ecclesias, *d* desertasque restauravit, et monasteria quædam decentissime fabricavit. Pauperes quoque ejus consilio abundantissime sustentans, Dei servos, cujuscumque fuissent ordinis, condigna reverentia honorabat. Justitiam vero per populos ipsius monitis exercebat, cultumque divinum pro posse amplificabat.

Interest Concilio Aurel. I.

e

f

7 Denique reperitur, quod idem Rex in *e* Aureliacensi civitate congregavit *f* Synodum triginta duorum Episcoporum, quorum omnium in refellendis hæreticorum objectionibus, atque in constituendis Catholicæ fidei sanissimis sententiis, sicut in præfatione ejusdem Concilii habetur insertum, S. Melanius Rhedonensis Episcopus, velut quidam strenuus signifer, enituit. Quanta vero vel qualia capitula de statu Canonico ab ipso Sancto in eodem Concilio fuerint statuta, quamque fuerint, Spiritu sancto profitente, ab omni falsitatis errore eliquata, quicumque plene scire voluerit, ejusdem Concilii descriptionem

g

requirat; et inveniens singulas *g* cum propriis auctoribus sententias, animadvertet hujus sanctissimi viri verba non solum præsentes inimicorum Christi fallacias, sed etiam quandoque futuras, Spiritu providente, jugulasse versutias.

Obit diœcesim et multos convertit.

8 Quantæ siquidem virtutis et gratiæ atque sapientiæ idem Sanctus fuerit, nemo, ut reor, digne valebit explicare. Erat quippe in lege Domini jugiter sine lassitudine persistens : actus vero vitæ suæ omni hora custodiebat : oculum mentis suæ in Dominum semper fixum tenens, et omne consilium atque opus suum ad ipsum convertens. Nam ut merito potiretur Evangelica beatitudine, qua dicitur : Beati pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona; pastoralem gerens sollicitudinem, sæpe lustrabat Ecclesias, et municipia sibi commissa, prædicando pacem, et confirmando cetera virtutum opera. Unde per gratiam Dei prævalentibus Evangeliorum assertionibus, aucta est, eo desudante, per cunctum diœcesis illius pagum fides Christianorum, et miserabilis error gentilium ab eodem radicitus evulsus.

Rom. 10. 15.

1. Reg. 1. 30.

Claret miraculis.

9 Sed Dominus, qui per Prophetam suum loquitus, dicens : Glorificantes me glorificabo, et qui me contemnunt, erunt ignobiles; hunc se glorificantem ista virtutum frequentia sublimavit, ut lampas accensa non sub modio reconderetur, sed emicantibus crebris miraculorum scintillis universo innotesceret climati Occiduo. Ex quibus miraculis quamvis plurima nostræ subduxerit notitiæ, magis *h* vovens inungi veneno, quam *i* mundanis laudibus; tamen ea quæ celare non potuit, hic referre dignum duximus.

Ea occultat.

h

i

Occurrit ei diabolus specie Medici.

k

10 Quadam nempe die dum B. Melanius de Rhedonico pago ad *k* oratorium suum, quod sibi construxerat in fundo qui vocatur Placio, quem ex parentum proprietate retinebat, pergeret; venienti in Martiacum castrum, quod in montis celsitudine situm est, super fluviolum qui vocatur Ava, fit antiquus hostis ei obviam, *l* ferens immania cornua tamquam cornua tauri. Cognovit ergo eum vir Dei. Quem cum requisisset, dicens : Quo vadis? ille respondit : En ad fratres vado, potionem eis dare volens. Et addidit se medicum esse. Itaque perveniens sanctus Confessor ad oratorium suum, mox prosternitur in orationem, qua completa protinus surrexit. Ex MSS.

l

Diabolum e possesso pellit.

11 Malignus autem spiritus unum seniorem de monachis qui ibi morabantur, inveniens aquam haurientem, in eum mox ingressus est; terræque prosternens, vehementissime vexare cœpit. Quem cum vir Dei ab oratione rediens tam crudeliter vexari conspiceret, ei solummodo alapam dedit, et malignum ab eo spiritum, fœda relinquentem vestigia, seque nimis incusantem querimonia, ita expulit, ut ad eum ulterius redire non auderet.

12 Apostolicam denique tenens in docendis hominibus normam, ostendebat contra singulorum peccantium vulnera ornatam regulam et rectam. Ipse vero magis ac magis subjiciebat se divinis obsequiis, vigiliis scilicet et orationibus, jejuniis et eleemosynis, ceterorumque bonorum operum exhibitionibus; ac pro his et hujuscemodi studiis coronam justitiæ fideliter expectabat : non frustra fidelem existimans Deum, qui pie vigilantibus coronam promisit gloriæ. Et quoniam ante oculos mentis illius assidue dies ultima versabatur, oculos corporis sæpius lacrymabiliter erigens ad cælum, animum non relaxabat ab oratione.

Sæpe suspicit in cælum.

Plurima edit miracula.

13 Enimvero quia virtutes illius, et miraculorum signa quæ gessit, pro enormitate sui singulatim a nobis enarrari nequeunt; tamen omnia illibata præterire, dulcedo illius sanctissimæ memoriæ non permittit. Ergo ex iis quædam breviter commemoremus : nam innumerabilibus cæcis reddidit visum, claudis gressum, debilibus virium restaurationem, infirmis sanitatem, mutis loquelam. Porro tantæ virtutis erat, ut dæmon ante illum nullatenus occultare se valeret. Quapropter innumerabiles dæmonibus obsessos suis meritis ac precibus per Dei virtutem liberavit homines.

a *Hic est* Clodovæus Magnus, *qui Francis imperavit ab anno* CDLXXXII, *usque ad* DXI.

b *Andr. du Chesne Tom.* I, *Hist. Franc. citans hanc S. Melanii vitam, habet* præcipuus.

c *Hinc quidam* Cledovæi Cancellarium et Notarium *credidere. Nicolaus Vignerius hinc concludit, subjugatos a Clodovæo Britones, nec alium proprium Regem habuisse, satis debile id est argumentum.*

d *Du Chesne,* dirutasque.

e *Urbs est nobilissima ad Ligerim in* inferiori Belsia, *olim* Genabum *dicta, vulgo nunc* Orleans.

f *Habita est ea synodus* Felice V. C. Consule, an. Christi DXI. Simmachi Papæ XIII, Clodovæi XXX, *estque prima Synodorum Aurelianensium.* Hanc Synodum, *inquit Vicentius lib.* 21, *cap.* 23, congregavit S. Melanius, qui Regi Clodovæo familiaris erat, fuitque auctor Canonum ibi promulgatorum, sicut in præfatione ejusdem Synodi legitur. *Verum ea Præfatio nunc desideratur. Subdit Vincentius :* Hæc et alia plura Ecclesiæ utilia (ut dictum est) auctore S. Melanio Rhedonensi decreta sunt. *Synodi hujus meminit Breviarium Rhedonense, sed non recte* XXXIII *Episcoporum facit, dicitque sub Hormisda Papa celebratam. Addit. S. Melanii* consilio et monitis sancta et toti Ecclesiæ utilia decreta statuta fuisse.

g *Hinc patet, olim extitisse ejus Concilii Acta, nunc solos Canones habemus.*

h MS. *Sirm.* volens.

i *Alterum* MS. humanis.

k *Id monasterium fuisse, patet ex sequentibus, Claudius Rob. in catalogo Episcoporum Rhedon. existimat hoc esse monasterium quod S.* Melanii *dicitur; quod tamen in catalogo Abbatiarum scribit a Salomone Britanniæ Rege conditum; secundo nimirum ejus nominis, qui circiter annum* DCLX *obiit, ut testatur Argentræus. Est monasterium S.* Melanii *in suburbio Rhedonensi situm.* Placio *in agro Venetico. Robinius hoc monasterium vocatum ab eo* Plautium, *sive* Ploemelen *scribit, in memoriam loci natalis, eodem dicti nomine. At potius hic ipse esse locus videtur, in quo natus, vel certe nutritus fuerat Sanctus.*

l MS. *Rip.* In specie tauri, habens cornua.

Ex mss.

CAPUT III.

Variæ curationes per oleum sacrum, et aquam benedictam.

Morbum inveteratum oleo sacro et signo Crucis sanat.

Quadam itaque die dum circumiret parochiam suam, visitando et confirmando populum Dei, nuntiatum est ei, quod quædam matrona nobilis genere in *a* pago Cenomanico, juxta pagum Rhedonensem, jaceret infirma, cui nomen erat Eva : jacuerat autem duodecim annis ægrota, ita ut nusquam pergere, numquam vel de lectulo sine alterius adjutorio potuisset exurgere. Hujus parentes et amici accedentes ad prædictum sanctum Confessorem Christi Melanium, deprecabantur eum, ut ei sanitatem concederet : quia firmiter credebant, quod hoc suis meritis et intercessionibus a Domino impetrare posset. Verens autem memoratus Pontifex Domini sententiam, qua dicit : Infirmus fui, et non visitastis me, et quæ sequuntur, cum iisdem nuntiis ad eam ire perrexit. Et ingressus domum illius, manu dextera signum crucis super eam fecit, et ex oleo sacrato cum oratione Dominica illam linivit, atque ei pristinum sanitatis statum redintegravit, suffragante virtute Altissimi. Quæ mox surgens, et supra pedes proprios se erigens, omnipotenti Deo egit gratias, qui eam per suum sanctum Pontificem Melanium reddiderat sanitati. Ipsa ergo, quæ diutissime jacens infirmitate, omnem substantiam suam Medicis distribuerat, nihilque ei profuerat, sed semper deterius habuerat, mox ut se sanatam deprehendit, sua omnia beato Pontifici tradidit, et ei postmodum, Domino servitura, adhæsit.

a

Matth. 25. 43.

Oleo et aqua benedicta ex humilitate utitur.

13 His et hujuscemodi quamplurimis virtutum prodigiis Domini annuente gratia, beatus Pontifex Melanius effulsit : sed horum maximam partem, ne sibi hanc vanæ gloriæ ventus auferret, multo conamine studuit occultare. Timebat enim ante oculos interni Judicis jactantiæ crimen incurrere, si umquam populari delectaretur favore. Igitur dum infirmantibus sanitates præstaret, sacrato oleo vel aqua benedicta eos fovebat : ut dum viderent pupuli aliqua fomenta ægris adhiberi, non virtutem putarent, sed medicinam. Quod ita fuisse, sequentia miracula paullatim declarabunt.

Paralyticum sanat.

16 Adducitur itidem aliquando ad supradictum S. Melanium quidam paralyticus, universorum membrorum damnatus officio, qui nullam recuperandæ sanitatis fiduciam ulterius habebat in homine, sed tamen de Domini nondum penitus desperaverat juvamine. Hic cum fuisset sancto viro præsentatus, suppliciter postulabat ab eo, ut illius sanctitas sibi sanitatem a Domino impetraret, quod facere nequiverat plurimorum industria Medicorum. Cujus miseriæ Sanctus Dei condolens, ut solito sibi more sacrati olei benedictione eam summotenus linivit, mox morbus excluditur, et salubris vigor illabitur. Qui sanitate percepta, cum omnibus suis prædicti sancti viri Melanii se tradidit obsequiis, atque ejus servitio inhæsit, et ab omnibus se sæculi actibus separavit. Reliquit ergo mundum cum satellitibus suis, et sociavit se, prout potuit, Deo et Angelis illius.

Sanati gratitudo.

Ægrum sanat.

17 Denique alio tempore erat quidam vir, Siagrius nomine, nimiæ ægritudinis incommoda sustinens, quem nullus terreno medicamine valebat curare. Hic cum S. Melanii fuisset præsentatus obtutibus, supplicantibus amicis ejusdem, pro eo ad Dominum orationem fudit, et, sicut semper, cum sanctificati olei delibutione ab eo morbum expulit, et pristinam ei sanitatem, Domini opitulante gratia, restituit.

Contractum curat.

18 Item nom multo post tempore quidam homo pedibus ambobus contractus projicitur ante eum. Cujus miseriam Sanctus Dei cum pietate respiciens, pro eo precem fudit Domino. Deinde lavans infirmi pedes aquæ calidæ fomento, eum pristinæ restituit sanitati; ita ut, Domino opem ferente, per se repedaret ad propria, qui aliorum advectus humeris, sancti viri expetiverat præsentiam. Qui cum se per merita sancti viri intellexisset sanatum, cum nihil melius penes se eidem offerendum reperisset, semetipsum sanctissimi Pontificis tradidit obsequiis, ejusque cunctis diebus vitæ suæ sese commisit servitio. Cujus etiam progenies usque in hodiernum diem sanctum illius custodit sepulchrum, et cum luminaribus accensis ibidem vigiliis et orationibus insistens, pro prædicti viri beneficiis Deo laudes et gratias refert, et ejus ecclesiæ excubiis jugiter inservit.

Is illius se obsequio devovet.

19 Nec illud silendum reor, quod quædam puella dæmonio plena, et idcirco, catenis constricta, adducitur a suis ad sanctum virum sæpius supra nominatum. Ante cujus conspectum cum dæmon, qui eam cruciabat, se celare non posset, dicebat se pro scelere, quod commiserat, in eam fuisse intrare permissum. Mox vero ut signum sanctæ Crucis sanctus Dei Antistes Melanius contra eam digitis expressit, ab ea protinus malignum spiritum expulit, et eam sanam Domino cooperante reddidit.

Energumenam signo Crucis liberat.

20 Alio quoque tempore venit ad eum quidam vir, Medias nomine, cujus filius jacebat infirmus, morti jam proximus. Hic itaque accedens ad sanctum virum, deprecabatur eum, dicens : Homo Dei, restitue mihi filium meum. Et hæc dicens flebat. Erat autem hoc in Placio, *b* juxta fluvium Vicenoniæ. Beatus ergo Melanius pergens ad ægrotum, confortabat eum, et caput et manus illius demulcens, dicebat : Confortare tantum fili, et crede, et implebitur voluntas tua. Et tandem apprehensa manu ejus, elevavit eum; et surrexit stans supra pedes suos incolumis.

Infirmum sanat.

b

a Pagus Cenomanicus, *vulgo* le Maine, *inter Normanniam, Andegavos, Turones, ac Britones sita provincia, cujus caput* Cenomanorum civitas, *vulgo* le Mans, *ad* Sartam *fluvium.*

b *Fluviorum totius Britanniæ celeberrimus est* Vicenonia, *ut habet Papirius Massonus libro de fluminibus Galliæ. Alii* Vidianam *vocant. Vincent. Bellov. et Breviar. Coresopit.* Vicennam; *passim nunc* Vigelania *dicitur, vulgo* la Villaine. *Rhedonum urbem alluit.*

CAPUT IV.

Marsi Episcopi pœna, curatio. Venetensium conversio.

Eodem fere tempore convenerunt simul vir Dei Melanius, et electus Dei *a* Albinus, sanctusque *b* Victor, atque *c* Launus, et S. *d* Marsus, in *e* Andegava civitate intra *f* basilicam sanctæ Dei genitricis Mariæ : ibique B. Melanius ex communi consensu aliorum Missam celebravit in capite jejunii Quadragesimæ. Post cujus celebrationem, antequam recessissent ab invicem, dedit eis beatus Pontifex *g* eulogias in caritate, cum Dei gratia et sua benedictione. Beatus vero Marsus *h* præferens jejunium diei caritati, et eulogiam, qua communicare debuit, vilipendens, particulam, quam acceperat a Sancto Melanio, in sinu suo cadere permisit.

a

b c d e

f

g

h

S. Marsus ne jejunium violet, eulogiam in sinu abscondit.

22 Accepta ergo unusquisque ab altero licentia redeundi ad propriam Sedem, osculati sunt se invicem, et cum Dei gratia iter suum cœperunt peragere. Nec dum vero amplius quam decem milliaria ab urbe discesserant, cum sensit S. Marsus se ab eulogia in serpentem versa circumcingi. Ut ergo cognovit, pœna sua cogente se pro inobedientia sua, et pro caritate contempta, horribili vindicta multatum, provolutus ad pedes B. Melanii, quid ei et qualiter evenisset indicavit. Recipiens autem sanctus Pontifex ejus satisfactionem, ait illi : Perge frater velociter ad Dominum Albinum fratrem nostrum, et confitere ei quod egisti, et quid mali pro hoc ipso tibi accidit. Qui consurgens accelerato itinere venit ad S. Albinum, et enarravit ei delictum suum. Sanctus vero Episcopus audiens negligentiam ejus dixit ei : Me quidem pro te deprecaturum Dominum scias; sed vade ad fratrem

Ea in serpentem vertitur.

fratrem nostrum Victorem Episcopum, et enarra ei omnia quæ fecisti; et, ut pro te misericordiam Domini deprecetur, exora. Qui iterum consurgens, sicut jusserat vir Dei venit Cenomannis ad B. Victorem, et retulit ei omnia quæ gesta fuerant ab eo. Recordans vero B. Victor, quod in ore duorum vel trium testium stet omne verbum, dixit ei : Revertere frater ad sanctissimum Antistitem fratrem nostrum Dominum Melanium : credo enim quod ejus meritis et intercessionibus liberaberis. Arrepta itaque revertendi licentia, venit semivivus ad B. Melanium : et inveniens eum in Placio in sua basilica orantem, narravit ei omnem laborem sui itineris, et quomodo S. Victor sibi dixerat, quod a nemine alio liberandus esset nisi ab eo, per cujus meritum ligatus fuerat, videlicet a S. Melanio. Quod audiens B. Melanius, per totam noctem illam sese pro eo vigilando et orando afflixit.

Rursus serpens in eulogiam.

In crastinum vero absolutionem et benedictionem super eum fudit. Post cujus absolutionem, mox versus est serpens in pristinam eulogiam, quam assumens B. Marsus, gaudens communicavit se de ea, quod prius malo suo facere neglexerat.

23 Huic tam stupendo miraculo successit aliud nequaquam, ut reor, inferius. Senex quidam de Venetensi pago veniens ad S. Melanium, precabatur eum, ut filium suum sanaret a dæmonio, a quo male vexabatur. Cui vir sanctus respondit, oraturum si quidem caritative pro eo, de sanitate vero illius nihil aliud,

Dæmon puerum possessum suffocat.

quam quod Deo placeret, futurum. Dæmon autem intelligens se jam jamque per merita sancti viri ab illo puero ejiciendum, duxit illum in quodam cubiculo, et ibi suffocavit eum, vi extorquens animam illius. Denique pater pueri rediens domum, cum invenisset eum mortuum, flebat multum; et nullam exinde consolationem recipiens, ait amicis suis : Ferte cadaver ejus ad B. Melanium : confido enim quod resuscitare possit filium meum, qui prædicat Deum vivum. Quo audito, amici ejus deportaverunt eum, et posuerunt ante beatum Antistitem. Et accedens pater ejus propius, narravit ei qualiter interfectus esset a dæmonio. Clamabat autem ad eum flens et ejulans, atque dicens : Credo, vir Dei, quod etiam a morte per te possit resurgere filius meus. Conversus autem B. Melanius ad populum qui convenerat, dixit : O Venetenses, quid prodest *i* vobis quod hæc et ceteras virtutes videatis fieri in nomine Domini nostri Jesu Christi, cum tantopere recusetis fidem et credulitatem ejusdem Domini nostri recipere? Erant enim tunc temporis Venetenses pæne omnes gentiles. At illi respondentes dixerunt : Ne dubites vir Dei, quia si istum puerum resuscitaveris a mortuis, omnes credemus Dominum quem prædicas. Hæc illis dicentibus, ait B. Melanius ad Dominum : Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, qui fratrem meum Domnum Martinum *k* permisisti tres mortuos resuscitare; deprecor te, piissime Pater, ut me indignum famulum tuum exaudias, ut populus, qui circumstat, cognoscat potentiam tuam, et in nullo de te diffidat, si tua fuerit voluntas, ut resuscites istum defunctum. Et hæc dicens, posuit Crucem super pectus mortui, et statim revixit. Stupefactus omnis populus in tali miraculo, clamabat dicens : Sufficit, nunc credimus cuncti Deo, quem prædicat B. Melanius. Ac deinde constituto a B. Melanio die et loco, vix aliquis remansit qui non, Baptismatis gratia recepta, fidei Catholicæ jungeretur.

Eum resuscitat S. Melanius.

i

k

Convertuntur Venetenses.

a S. Albinus *Episcopus Andegavensis colitur* 1 *Martii. Sedit annis* XX, *mensibus* VI, *subscripsit Concilio Aurelianensi III an.* DXXXVIII, *et per Sabaudum Abbatem Aurelianensi* V, *an.* DXLIX. *Unde id refellas, quod scribit Paschalis Robinius, quæ hic narruntur contigisse cum ab Aurelianensi Concilio reverterentur : nam S.* Melanius *non nisi primo Aurelianensi interfuit, minimum* XIX *annis antequam Episcopus esset S.* Albinus.

b *Hunc Cenomanensem Episcopum fuisse scribit Robinius, et satis colligitur ex iis quæ infra dicuntur. Deest a catalogo Episcoporum Cenoman. Claudii Rob. Nam quem ille refert* Victorium, *is cum Concilio Turonensi I, Severino* V. CL. *Consule, an. Christi* CCCCLXI *interfuerit, huc non pertinet.*

c *Omittitur hic a Robinio suspicor S.* Laudum *sive* Lautum, *aut* Lautonem *esse, qui Constantiensis Episcopus interfuit Conciliis Aurelianensibus II, an.* 533, *III,* 538, *IV,* 541, *per Escupilionem Presbyterum; et tandem V,* 549. *Colitur* XXI *Septemb. Vincentius expresse* Lautonium *appellat. Lanovius* Lautonum, *sive* Launulphum, *Claudius Rob.* Lannulphum, *Breviarium Coresopit.* Lautorium.

d *Robinius, Lanovius, Argentræus Nannetensem Episcopum faciunt. Extat apud Claudium Rober.* Marcus *quidam,* vel Marcius, vel Martinus, *(ut scribit) Nannetensis Episcopus : sed ab hoc videtur diversus, cum inter primos ejus Sedis Antistites recenseatur ante* Nunechium, *qui concilio Venetico circitur annum* CCCCLXV *subscripsit. Fuit vero S.* Albini *temporibus* Marcus *Aurelianensis Episcopus, qui Concilio Aurelian. IV subscripsit an.* DXLI, *atque alius* Marcus *(sed cujus Sedis Episcopus, non exprimitur) Aurelianensi II, an.* DXXXIII. *Asservatur in Essendiensi illustrium Canonissarum apud Westphalos ecclesia S.* Marsi) *hujusne, an alterius, nondum comperi) corpus, aureæ thecæ inclusum.*

e MS. *Rip.* Andegaviso. *Est* Andegavum, *sive* Andegavus, *aut, ut hic dicitur,* Andegava, *ut sæpe in vitis SS.* Andegavis, Andium *urbs præcipua, vulgo* Angers, *veteribus* Juliomagus, *ad* Meduanam *fluvium, qui haud inde procul in Ligerim se exonerat.*

f *Robinius scribit hæc facta in sacello D. Virginis* de Ronsereio, *quod erat in crypta ad oram* Meduanæ *ædificatum. Est jam* Roncereium, *vulgo* Ronceray, *monasterium feminarum Ord. S. Benedicti in urbe Andegavensi, longo post tempore fundatum* XIV *Julii an.* MXXVIII, *a Fulcone Nerra Comite Andium, ut tradit Renatus Choppinus Politiæ sacræ lib.* 3, *tit* 4, *num.* 13. *Quærit Robinius, qui licuerit Melanio coram Albino in ipsius diœcesi celebrare : respondetque aut fuisse locum illum tunc in Britannia extra Albini jurisdictionem, aut certe detulisse id Albinum seni hospiti.*

g *Sunt* eulogiæ *cibaria, quæ benedictionis gratia transmitti solebant, aut post Missas dari, in signum communionis et caritatis. Robinius, Annales Andegavenses, ut ait, secutus,* sacram Eucharistiam *interpretatur. Verum id mihi non probatur : nec enim eam tam irreverenter vir sanctus tractasset, nec ejus sumptione solvi Ecclesiasticum jejunium existimasset.*

h *Robinius ait, cum occultæ indignationis reum sese* Marsus *agnosceret, nec voluisse, nec ausum fuisse sacram hostiam sumere. Probabilius est noluisse jejunium infringere, et fortasse collegas, qui id facerent, judicasse.*

i *Alterum* MS. nobis.

k *De eo* XI *Novemb.*

CAPUT V.

Eusebius Venetensium Rex, ejusque filia, a S. Melanio curati, alia hujus miracula.

Illud quoque inter præcipua miraculorum opera, quæ per S. Melanium Confessorem suum operatus est Dominus, ponendum puto, quod circa *a* Regem Venetensem Eusebium, et ejus filiam Aspasiam nomine, factum fuisse, fideliter invenitur. Veniens quippe prædictus Rex aliquando de *b* Venetensi civitate cum suo exercitu, pervenit ad parochiam quæ vocatur Cambliciacus *c*, ibique, nobis incertum cur, forte iratus, multorum hominum oculos erui jussit, et manus evelli. In ipsa autem nocte qua hæc operatus est, ægrotare cœpit, et intolerabilibus doloribus urgeri. Metuens autem ibidem vitam finire, Medicos qui cum eo venerant, adscivit, et ut ei in aliquo adjutorium præberent admonuit. Sed ipsi omnem industriam suam in vanum expendentes, in nullo poterant eum adjuvare.

Eusebius crudelis Rex morbo corripitur.

a

b

c

23 Post triduum autem quo ipse ægrotare cœpit, arrepta est filia ejus, Aspasia nomine, a dæmonio, et cœpit volutari per terram spumans. Cumque geminato languore, proprio videlicet et suæ carissimæ filiæ, quo nihilominus cruciabatur acrius, anxiaretur; sagaci inquisitione scrutabatur, quo vel a quolibet hominum desideratum sperare posset remedium. Audiens autem famam B. Melanii, scilicet qualiter Dominum diligeret, qualiterque Dominus hunc diligentem se virtutibus mundo clarificabat; mittens ad eum suppliciter deprecabatur, ut ad se caritatis gratia venire dignaretur. Quo impetrato, eum summo honore ad se adduci fecit, et in eadem parochia, in qua ipse jacebat, in loco qui vocatur Prima-villa, hospitium ei præparari jussit. Veniens autem B. Melanius de *d* monasterio suo, quod propriis manibus fabricaverat in fundo qui vocatur Placio, in honorem Dei, *e* cum paucis monachis ad lectulum jam dicti venit infirmi. Quem cum crudelissimus vir fuisset intuitus,

Ejus filia arripitur a dæmone.

Rex ad se invitat S. Melanium.

d

e

Ex MSS.

Ex mss.

tus, ex imo corde compunctus, confessus est delicta sua, et qualiter ei hæc infirmitas corporalis accidisset, et filiæ ejus Aspasiæ, suppliciter enarravit. Addidit quoque, ut pro utrisque eis dignaretur orare. Quod vir Domini benignissime suscipiens, data prius illi digna pœnitentia pro commissis delictis, ait illi: Infirmitas, frater, hæc non est tibi ad mortem, sed ut salveris per eam, et recognoscas Dominum qui te creavit. Deinde unxit eum de oleo benedicto tribus vicibus, cum trina invocatione divinitatis, et statim surgens sanus, retulit gratias Deo, qui per famulum suum S. Melanium sanitatem illi concessit.

S. Melanius eum sanat.

Filiam a dæmonio liberat.

26 Post hæc accessit S. Melanius ad locum ubi puella a dæmonio vexabatur : quem ut vidit dæmon, cœpit clamare et dicere : Quid me persequeris sancte vir Dei Melani? Jam enim me de alia puella ejecisti, et iterum nunc me hinc ejicere vis? Increpans autem eum B. Melanius, ait illi : Exi ab ea, cruenta bestia, et vade in illum locum ubi numquam deinceps ulli homini nocere possis. Quo dicto statim sana facta est puella, et venit ad patrem suum gaudens, et glorificans Deum.

Eusebius Cambliciacum ei donat.

27 Post hæc cum inde recedere volens B. Melanius peteret missionem, accessit ipsa puella ad patrem, et deprecabatur eum, ut pro recompensatione utriusque salutis, suæ videlicet atque illius, si non amplius, saltem ipsam Cambliciacum B. Melanio condonaret. Quod audiens Eusebius Rex pater ejusdem puellæ, sermoni libentissime annuens, dedit illi totam parochiam superius nominatam per anulum suum, ad suos *f* monachos alendos. Accepta ergo jam dicta terra Beatus benedicens eis perrexit inde ad cathedram Episcopatus sui, ad civitatem scilicet Rhedonensem.

f

Multa alia fecit miracula.

28 Hæc tantummodo de innumerabilibus miraculis, a Deo per B. Melanium in vita et sanitate illius corporali patratis, referenda credidimus; ne forte his, qui merita Sanctorum pro numerositate vel raritate miraculorum metiuntur, nullius putaretur meriti, si non aliquibus insigniretur virtutibus. Ceterum quamplurima omisimus, partim metuentes incredulorum diffidentiam, partim fastidiosorum importunitatem; et, quod est verius, ignavia nostra prævalente, tantæ succumbentes materiæ.

29 His ergo ad laudem Domini nostri Jesu Christi de vita sanctissimi Patris nostri Melanii utcumque descriptis, suademus auditoribus nostris, non frustra sibi narrari vitas sanctorum Confessorum, vel passiones Martyrum: quin potius ut intelligentes quod scriptum est : Ad mensam magnam sedisti? diligenter intellige quæ apponuntur tibi; sciens quoniam talia te oportet præparare. Studeant ex his scripturis, quæ, quasi mensa multiplicium ferculorum speciebus referta, ita diversarum virtutum gemmis stipata sibi imitanda apponuntur, non ventrem cum escis mox periturum, sed mentem perenniter victuram reficere. Hæc itaque breviter, more frendentium Patrum nostrorum Britonum, de vita Patris nostri B. Melanii perstrepentes potius, quam proloquentes; jam de ejusdem transitu, quæ pro certo novimus, proferamus, magis reservandæ memoriæ gratia, quam pronuntiandæ historiæ cupiditate.

Eccli. 31. 12. *Imitanda sunt gesta Sanctorum.*

a *Erant S. Melanii ætate, ut auctor est Argentræus, duo in Britannia Armorica Reges, unus e* Conani, *aliter e* Rivallonis *prosapia, de qua re* XIII *Decemb. ad vitam S.* Judoci, *qui* Judicaelis *Regis e* Rivallonia *familia frater fuit, plenius agemus.* Venetensis *hic Rex, in neutrius familiæ stemmate reperitur. Sed nec* Riothimus *ille, qui* Rex Britonum *appellatur a Jornande de rebus Geticis cap.* 45, *ab* Eurico *Visigothorum Rege victus, dum* Anthemii *Imperat. rogatu, ejus se cupit conatibus objicere. Ab eo fortassis hic* Eusebius Rex *descendit. An alteri Regi tributa solverit, an ejus tantum nomine exercitum duxerit, improprie Rex dictus, alii disputent.*

b MS. *Rip.* Venonica.

c *Addit.* MS. *Rip.* ubi castrum situm est, qui vocatur Marciacus.

d MS. *Rip.* oratorio.

e *Idem* MS. cum suis Clericis et quibusdam discipulis.

f *Idem* MS. discipulos.

CAPUT VI.

S. Melanii mors : a morte miracula.

Prædicit diem mortis suæ.

Igitur sanctissimus Confessor Christi Melanius, Domino revelante, obitum suum ante prænoscens, discipulis suis diem obitus sui prænuntiavit. Deinde tempore congruo absolutionem eis more Episcoporum faciens, et eos sua benedictione confirmans, verbisque divinis instruens, qualiter se agere deberent in servitio Domini, edocuit. Post hæc sese Dominici corporis et sanguinis perceptione munivit, atque vitæ suæ fideliter peracto cursu, feliciter in qua die prædixerat migravit ad Christum, in loco qui vocatur Placio, ubi ipse, sicut jam diximus, propriis manibus ecclesiam construxerat, et monachos ad servitium Dei faciendum congregaverat.

Communicat :

Moritur.

Episcopi ad ejus funus per Angelos convocati.

31 Per visionem autem Angelicam convenerunt ad obsequium corporis illius faciendum sanctissimi Pontifices superius nominati, videlicet S. Albinus, et S. Victor, S. Launus, nec non et S. Marsus, qui per ejus virtutem a serpentis cingulo, sicut superius narratum est, fuerat liberatus. Hi sanctissimi Pontifices, et alii quamplurimi fideles viri, per Dei providentiam ad ejus exequias convenientes, primitus Ecclesiastico more animam ejus commendaverunt Deo; deinde nocte sequenti in orationibus et vigiliis expensa, primo mane Missam pariter audierunt.

Adverso fluvio navis ultro defertur Rhedonas.

32 Exin communi consilio, Deo, sicut postea patuit, ordinante, collocaverunt corpus sancti viri in navi, quæ forte aderat in alveo fluminis Vicenoniæ. Qui fluvius suscipiens sanctum corpus ejus, cum Pontificibus et Clericis atque monachis litanias canentibus, et cum populo qui eum sequebatur, Deo gratias pro ejus gloria, de qua certi erant, referendo, converso impetu, qui deorsum, sicut et ceteri, fluere ferrique solebat, sursum versus perduxit usque ad civitatem Rhedonensem, quæ triginta vel eo amplius millibus ab eodem loco distat, quam ipse Sanctus feliciter gubernaverat. Cumque prope muros civitatis jam advenisset, Clerici et omnis populus, qui in eadem urbe consistebant, processerunt ei obviam cum crucibus et cereis, et vexillis, canentes et laudantes Deum in sublimi, non ideo quia defunctus erat eorum piissimus Pastor, sed quia meruerant saltim corpus defuncti patroni sui recipere.

Captivi Sanctum invocantes liberantur.

33 Audientes autem voces psallentium duodecim latrones, qui tenebantur vincti in una turri, quæ erat contra meridiem juxta murum civitatis opposita, flebilibus vocibus cœperunt ejus misericordiam implorare. Cumque ut eis misereretur clamarent, et Dominum nostrum Jesum Christum, Sanctumque Melanium deprecarentur; scissa est turris quæ erat ex lapidibus, a summo usque deorsum; et soluti sunt a vinculis et liberati, qui tenebantur in carcere. Divulgatum est autem hoc miraculum per diversas provincias.

Cæca illuminatur.

34 Erat quoque in proximo ultra fluvium Vicenoniæ quædam materfamilias, quæ per multos annos, amisso oculorum lumine, permanebat cæca. Hæc autem hoc miraculo, quod Dominus pro meritis sanctissimi Pontificis Melanii declarandis in præsentia ejus exanimis corporis operatus fuerat, cum parentibus et amicis suis festinanter venit ad sanctum corpus defuncti Pontificis. Et cum terræ prostrata pedes ejus osculata fusset, statim et ipsa desideratum recepit lumen. Quo recepto, multo repleta gaudio, Domino egit gratias, et S. Melanio, terramque quam tenebat hereditario jure ultra fluvium Vicenoniæ, ubi et ipsa eatenus habitaverat, tradidit eidem S. Melanio æternaliter habendam.

Sua ei dicat.

Sepelitur S. Melanius.

35 Beati autem Pontifices superius nominati accipientes propriis manibus sancti viri corpus, portaverunt illud usque ad locum a Deo sibi provisum: in quo

quo ab eisdem venerabiliter, sicut pro hoc ipso divinitus fuerant missi, collocatum est: ubi ejus meritis et intercessionibus multa præstantur beneficia indigentibus, et cum fide postulantibus, usque in hodiernum diem. Colitur autem dies depositionis illius VIII Idus Novembris, præstante Domino nostro Jesu Christo, cui est cum æterno Patre et Spiritu sancto virtus, honor, et gloria, imperium, laus, potestas per infinita sæcula sæculorum, Amen.

DE EODEM

SANCTO MELANIO,

EX S. GREGORIO TURONEN.

Melanius Rhedonicæ urbis Episcopus, post *a* innumerabilium signa virtutum, jugiter intentus cælo, emicuit sæculo. Super cujus sepulchrum *b* mira Christiani fabricam celsitudine levaverunt: sed instinctu maligni, qui semper bonis adversatur operibus, quodam tempore ab igne comprehenditur. Palla etenim erat *c* linea, quæ sanctum Confessoris tegebat sepulchrum. Scilicet ubi tignorum congeries flamma dominante truncatur, ruunt tegulæ, cum ligaturis, et reliquo tecti apparatu. Una *d* tamen e trabibus flammato capite impetu ruinæ propulsa, super tumulum Sancti ruit; quæ non modo succendere pallam, verum etiam conterere inter se et lapidem sepulchri potuerat. Ruit insuper et immensa multitudo carbonum. Alia quoque vela, quæ parietibus vel ostiis dependebant, ad primum flammæ flatum exusta sunt. Hæc vero palla non solum non usta, verum etiam nec summotenus ab igne dedecorata est. Igitur expleto incendio, ingrediuntur populi cum ejulatu magno, et usque ad sepulchrum Antistitis properant, inter fletus et lacrymas nova gaudia percepturi. Removent desuper tumulum ligna cum flammis, apprehensumque tumuli velum, excussis prunis, mirantur omnes illæsum.

a *b* *Sepulchrum S. Melanii, templo ardente, manet illæsum.* *c* *d*

a *Utrumque* MS. enituit.
b *Unum* MS. miram.
c *Surius et variæ S Gregorii Turon. editiones*, lignea, *perperam*.
d MS. *Sirm.* tantum.

ALIA MIRACULA

AUCTORE GERVASIO ARCHIEP. REM.

Gervasius Dei gratia Remorum Archiepiscopus Eveno S. Melanii venerando Abbati, salutem in Christo. Petisti a me quondam, frater dilectissime, ut Reliquias insignis Confessoris Melanii, genitori meo mihique valde percaras, tibi tradidissem: quas, ne tanti Patroni pignore locus vester privaretur, et *b* Haimonis genitoris, genitricisque meæ *c* Hildeburgis, necnon Domini mei *d* Henrici Regis, meaque apud vos æterna servaretur memoria, multis precibus impetrasti. Nunc autem, ut sanctum industriumque virum oportet, de ejusdem prædicti Confessoris miraculis dilectionem tuam me sollicitare non piguit; quorum partem mihi visam, partem etiam non frivola quorumdam relatione cognitam, ad ædificationem legentium caritati tuæ breviter expedire non differam.

a *Gervasius Archiepiscop. Remens. dat Abbati S. Melanii ejus Reliquias.* *b* *c* *d*

AUCTORE GERVAS. ARCHIEPIS. REM.

2 Cum quadam die felicis memoriæ *e* Rorans avia mea, in Cenomanensi pago, in villa quadam sui dotalitii, *f* Argentrada nomine, moraretur, prædictæ pars villæ maximo forte incendio conflagravit. Ignis vero validus postquam eo productus est, ut horrei sui juxta ecclesiam positi fastigium crepitantibus lamberet flammis; illa Reliquiarum, quas secum asportaverat, reminiscens, mox sibi afferri præcepit: quibus elevatis, et e regione contra ignem positis, quasi cælitus imbre demisso, subito admiranterque noxius ille ignis extinctus est. Quas reliquias post obitum suum nepoti suo, quem de filio suscepit, nomine Haimoni, patri scilicet meo, cum dotalitio reliquit.

e *f* *Incendium per eas restinctum.*

3 Ipse vero has ad castrum suum, nomine *g* Lith, transtulit: ubi multa pro meritis ejusdem sancti Pontificis patrata sunt miracula; sanitates ægrotantibus multis redditæ, tam de lumine privato, quam de ceteris debilitatibus: et si quis super eas false jurabat, confestim falsitas comperiebatur.

g *Alia ad eas miracula.*

4 Me vidente quidam pugnaturus juravit, qui statim cæcus factus, latrocinium boum confessus est. Alter non impar similiter pugnaturus, falso juravit: et antequam inde se eleverat, mingere cœpit; quo casu illum esse reum, intuentibus notum fuit. Similiter de innumerabilibus sacramentis editis nostri, quæ videbant, referebant nobis signa.

Perjuri puniti.

5 Egomet vero vidi aliud insigne. Cum prædictus genitor meus, a quibusdam divitibus suscepturus fidelitatem, has reliquias secum deferri juberet, in cujusdam forestarii sui domum se recepit. Quarum portitor, ut sibi visum fuit, non aptius locum inveniens, in quadam magna arca super frumentum noctu reposuit: infra quam similiter ex altera parte candelam accensam imposuit. Quo diluculo veniens, partem arcæ invenit concrematam, excepta parte illa, qua sanctæ reliquiæ conditæ erant. Pallium vero, quo involutæ erant, incombustum repertum est, quamvis super illud plurimi incensi invenirentur carbones.

Arcæ pars ab igne immunis.

6 Quam plurimos audivimus super prædictas reliquias captionem jurasse, qui cum fugere vellent, non potuerunt, et reversi sunt. Adhæc quoque quamplurima prædicti Patris audivimus miracula; quæ si per aptum tempus colligi possent, satis in eis quid scriberet scriptor haberet.

Perjuri detecti.

a Gervasius Barbel, *aliis* de la Roche-guyon, *ut testatur Claudius Robertus, an.* MLVI, *factus* Archiepiscopus Remensis, *obiit an.* MLXXII. *Antea fuerat Cenomanensis Episcopus. Deerant sequentia in* MS. *Ripatorii.*

b *Claudius Robert. in catalogo Archiepiscoporum Remen. ait* Gervasium *filium fuisse* Hamelini Bellesmensis, domini de Castro-ledi, *in catal. Ep. Cenoman., filium facit* Guidonis II. Lavallii. *Est* Lavallis, *seu* Vallis Guidonis, *ut ait Papirius Massonus*, dives oppidum *ad Meduanam in Cenomanis*.

c *Claud. Robert. in Cenoman. filiam* Juonis Bellesmii primi Comitis Alençonii, *sororem* Ansgradi Episcopi *Cenoman. scribit fuisse. At mox* Gervasii *matrem vocat* Bertrudem Dominam Castri-ledi.

d Henricus I, *Galliæ Rex, anno* MLX, *regni sui vigesimo octavo obiit.*

e *Alterum* MS. Rogans.

f *Est hoc, opinor, municipium quod in geographica Cenomanorum descriptione exhibet Matthæus Ogerius, ad* Lovenne *fluviolum, haud procul* Lavalle, *vulgo* Argentre.

g Castrum Ledi, (*incolæ* Lidi *dicunt, teste Massono*) Chasteau du Loir, *in Cenomanis ad* Ledum *fluvium, qui non procul Andegavis* Sartæ *permiscetur, deinde* Meduanæ: *hic vero jam plenior in* Ligerim *sese effundit.*

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

Ex mss.

ALIUD MIRACULUM

AUCTORE ANONYMO MONACHO.

Moris est Christianorum, Dominicos dies, ab Dominicæ resurrectionis honorem, ubique venerantium, Sabbatorum diebus laborum sudores, corporumque fatigationes, balneorum aquis lavando frequentius recreare, sordidas lotis vestibus mutare, ut terrenam cælestis Regis curiam, præsentem videlicet Ecclesiam, mundiores ut corde sic corpore valeant intrare. Qua ex consuetudine oppidanus quidam Rhedonis ad meridiem domum habens, super fluvium Vicenoniam, die quadam Sabbati, vigilia videlicet Dominicæ nativitatis, balneum antelucanus propter multum dieculæ impedimentum ingressus, filium, quem habebat unicum, magis pie quam honeste jubet sibi, ut secum balnearet, afferri: parent jussi clientes, patri balneanti filium inter ulnas imponentes. Balneat itaque pater, deosculans et blandiens, condelectansque tam sibi quam filio. Tandem igitur pater ille, signo apud *b* parochialem S. Petri ecclesiam sonante, balneo egrediens puerum dimittit in aqua diutius hac illacque proludentem.

a *Balneorum apud veteres Britones usus.*

b

Puer in balneo suffocatus.

2 Sed dum mater cum famulis patri aliquamdiu obsequerentur, puerum in aqua remansisse solum obliviscuntur. Qui dum ibidem pueriliter ageretur, humani generis inimico insidiante ispsis in aquis, delectationibus præparatis (proh dolor!) enecatur. Demum autem audito in ecclesia divino diei præsentis officio, jam decurso aliquot horarum spatio, pietate præmonita, quærit mater de filio, quo exiverit e balneo. Quæritur horsum, quæritur et illorsum; sed non invenitur aliquorsum, quia quæritur non ubi est, sed aliorsum. Tota igitur die transacta, sed et festivæ noctis parte non modica, cum e cuppa balneum ejiceretur, puer sub aqua jam dudum exanimis invenitur. Conclamat familia, lacrymatur, lamentatur, suspiriis ab imo agitatur: quibus mater subagnitis clamoribus, crine sparso, vultu lacrymis et rubore suffuso, pectore pugnis tuso, fletu materno B. Melanii (nam in ejus monasterio ea hora sonabatur ad nocturnos,) auxilium invocando, se miseram ingeminans, accurrit. Ut vero puerum, imo pueri corpus aquis eductum et exanime comperit, voce compressa in faucibus, stuporis ac doloris immanitate membris rigentibus, mortuæ similis, consternata collabitur. Quæ manibus præsentium excepta, spiritu tandem redeunte, quasi de gravi somno experrecta, ut quid egerit breviter referatur, quod femina, quod mater unici morte filii sic orbata, conquerens vociferatur. Cumque famuli cum vicinia noctem circa defuncti corpus, ut moris est, vigilarent, illa doloris magnitudine superata, et quasi malignorum furiis exagitata, furtim se a turba seduxit, properans se immersum vicino Vicenoniæ flumini, quasi quæ filio superesse non vellet exanimi.

Mater immodice luget.

3 Quo comperto, cum a prudentioribus domum esset reducta, et usque in crastinum a suis custodita, Deo, ut proxime patuit, disponente, classicum in monasterio B. Melanii ad Missam audivit Dominicam. Tum illa ad se reversa, et ad prædicti Sancti subsidium, et per ejus ad divinum conversa: Redde mihi, inquit, o sanctissime Melani, redde mihi filium meum sanctissimis precibus tuis pro ejus resuscitatione fusis ad Deum. Et ad suos: Permittite, ait, o consolatores piissimi, permittite, quæso, ut defuncti corpus filii mei ad ecclesiam Beati deferam Melanii: credo enim ejus sanctis orationibus Deum meis subvenire doloribus. Illis autem quasi divinitus commonitis, fideliter petenti non obviantibus, defunctum suum usque ad prædicti Confessoris monasterium, turba multa comitante perlatum, ante sanctum altare, nullo sibi obsistente, imo admiranter turba eam inspectante, Triscando abbate, ut moris est, Missam celebrante, deposuit. Ubi cum ipsa diutius B. Melanii auxilium vocibus lacrymosis devotissime super mortui precaretur, revocatione, devotissime etiam cunctis adstantibus, cum ipsa pro eodem rogantibus; (quis enim fidelium hoc intuens desisteret a precibus?) preces eorum precibus Sancti ad aures pietatis divinæ perlatis, et efficaciter susceptis, mortuus reviviscit, matrem vocans recognoscit, allatum sibi potum ac cibum sumit, matri redditur incolumis, cunctis qui aderant cernentibus, et pro eo in sublime Deum et Santi merita apud Deum potentia laudantibus.

S. Melanium invocat.

Reviviscit puer.

4 *c* Hæc per eos audivimus, qui rei gestæ præsenter affuerunt, qui *d* et ipsi tunc ejusdem monasterii existentes monachi puerum exanimem delatum per merita B. Melanii viventem remeare viderunt.

c

d

a *Hoc miraculum in solo Jac. Sirmondi* ms. *extabat.*

b *Ea nunc Cathedralis est, teste Claudio Rob.*

c *Hinc de Auctoris hujus ætate ferri judicium posset, si catalogum haberemus Abbatum S. Melanii, et quo tempore* Triscandus *Abbas vixerit, nossemus.*

d *Hinc conjici potest, Auctorem quoque monachum in S. Melanii monasterio fuisse.*

DE S. PETRO ABB. CANTUARIENSI.

Circiter an. Christi dcvi. VI Januarii. *S. Petri natalis.*

Inter primos Anglorum Apostolos connumerari Petrus *jure potest, S. Augustini adjutor, primusque ab eo constitutus Abbas monasterii SS. Petri et Pauli Cantuariæ, quod deinde* S. Augustini *est appellatum. Ejus natalem hoc die consignat Martyrologium Anglicanum, et Ferrarius in generali Catalogo Sanctorum. At* xxx *Decembris eum referunt Hugo Menardus in Martyrologio Benedictino, Constantinus Ghinius in Natalibus SS. Canonicorum, Joannes Molanus in Natalibus SS. Belgii, Ferrarius in citato Catalogo. Ejus meminit et Wion in Appendice, ad librum* 3 *Ligni vitæ, sed nullum ei certum diem tribuit.*

2 *De eo hæc scribit S. Beda lib.* 1. *Histor. Ecclesiasticæ gentis Angl. cap.* 33. Augustinus, ubi in regia civitate Sedem Episcopalem accepit, recuperavit in ea, Regio fultus ad miniculo, ecclesiam, quam ibi Romanorum antiquorum fidelium opere factam fuisse didicerat, et eam in nomine sancti Salvatoris Dei et Domini nostri Jesu Christi sacravit; atque ibidem sibi habitationem statuit, et cunctis successoribus suis.

Ecclesia Christi Cantuariæ.

3 Fecit autem et Monasterium non longe ab ipsa civitate ad Orientem, in quo, ejus hortatu, Edelbert ecclesiam beatorum Apostolorum Petri et Pauli a fundamentis construxit, ac diversis donis ditavit, in qua et ipsius Augustini, et omnium Episcoporum Doroverniensium, simul et Regum Cantii, poni corpora possent. Quam tamen ecclesiam non ipse Augustinus, sed successor ejus Laurentius consecravit.

Alia SS. Petri et Pauli.

4 Primus autem ejusdem Monasterii Abbas Petrus Presbyter fuit, qui Legatus Galliam missus, demersus est in sinu maris, qui vocatur Ampleat, et ab incolis loci ignobili traditur sepulturæ. Sed omnipotens Deus ut qualis meriti vir fuerit demonstraret, omni nocte supra sepulchrum ejus lux cælestis apparuit, donec animadvertentes vicini, qui videbant, sanctum

S. Petrus submersus.

sanctum fuisse virum qui ibi esset sepultus; et investigantes unde et quis esset, abstulerunt corpus, et in Bononia civitate juxta honorem tanto viro congruum in ecclesia posuerunt. *Transfertur.*

6 *Hæc Beda. Quam ille* regiam civitatem *appellat,* Dorobernia *est, sive* Durovernum, *Ptolemæo* Darvernum, *nunc* Cantuaria, *vulgo* Canterbury; *quæ florente Heptarchia Saxonica,* regni Cantii caput, et sedes regia fuit, donec Ethelbertus Rex eam cum jure regali Augustino et Archiepiscopo gentis Anglorum consecrato elargitus esset; *ut scribit Guilielmus Cambdenus in* Cantio. *Cantuaria.*

6 *Ecclesia illa* Christi, *ab antiquis Romanis Christianis, ante Anglorum adventum, ædificata, a S. Augustino recuperata, et rursus Salvatoris nostri Christi cultui dedicata, a posteris instaurata ac mirifice exornata, in medio urbis sinu, insigni majestate in cælum assurgit, procul etiam adspectabilis. De ea agit Cambdenus in* Cantio. *Est vero ea ecclesia Cathedralis, adjunctumque habuit Benedictinorum cœnobium, quod Henricus VIII, dissipavit. De eo fuse agit vir venerabilis Clemens Renerus in Apostolatu Benedictino tract.* 1, *sect.* 1, § 17. *Ecclesia Christi.*

7 SS. Petri et Pauli *monasterium, quod deinde* S. Augustini *dictum, in Orientali Cantuariæ suburbio fuit, Cathedrali illi æmulum, maximis quondam opibus ab Ethelberto Rege locupletatum,* concessa Abbati officina monetaria, cum jure pecuniam signandi, *ut tradit Cambdenus. Pars ejus maxima ruinis involuta, reliqua in ædas regias conversa. De eo cœnobio fuse in suo Apostolatu tr.* 1, *sect.* 1, §13, *agit Clemens Renerus. S. Augustini monasterium.*

Ejus rursum mentio fiet in vita S. Ethelberti XXIV *Februarii, S. Augustini* XXVI *Maii, S. Laurentii* II *Februarii, et alibi.* Ex mss.

8 Bononia, *ubi sanctus hic Abbas sepultus memoratur, urbs est* Belgicæ secundæ, *Episcopatu jam a mille ac ducentis annis ornata; qui postea cum Tarvanensi Morinorum conjunctus fuit, at Tarvana eversa restitutus; vulgo* Bouloigne. *Bononia Belgica.*

9 *Sinum maris* Ampleat, *Capgravio* Amflet, *eum reor esse, qui inter* Bononiam *ac munimentum* Blacnestum *occurrit; unde et vicus propinquus in tabula Mercatoris* Ambleteul *dicitur, vel a vico sinus ipse, ad ostium* Marquisiani *fluvioli. Sinus Ambleat.*

10 *Porro S.* Petri *Abbatis meminit Trithemius lib.* 3, *de Viris illustrib. Ord. S. Benedicti cap.* 35, *aitque fuisse monachum S. Gregorii Romæ. Idem tradit Clemens Renerus loco citato. Fuit a S. Augustino cum S. Laurentio Romam missus, ut S. Gregorio referrent quæ in Anglia a se gesta essent, et de quibusdam eum consuleret: de qua legatione fusius in S. Augustini vita agemus.* De Petro *agit et Harpsfeldius seculo* 7, *cap.* 19, *qui gente* Romanum *fuisse scribit, uti et alii quidam. S. Petrus Romanus.*

11 *Trithemius ait Petrum floruisse anno* DCXX. *Quod refellitur ex epistola Bonifacii IV, data* III *Kal. Martii anno Phocæ Imp.* VIII, *Christi nimirum* DCX, *quam recitat Clemens Renerus. Sed mendum irrepsit in numerum Indictionum; erat enim tunc* XIII, *non* IV, *ut habet. In ea epistola mentio fit* Joannis Abbatis, *qui* Petro *successit: adeoque hunc circiter annum* DCVI, *submersum conjicimus. Quando obierit.*

DE S. ERMINOLDO ABB. AC MARTYRE.

AN. CHRISTI MCXXI. VI JANUARII. *S. Erminoldi nomen in Martyrol.*

Sancti Abbatis ac martyris Erminoldi nomen sacris Fastis adscriptum habet Ferrarius his verbis: VIII Id. Januar. apud Ratisponam S. Ermenoldi Abbatis Brunfingensis et Martyris. *Benedictus Dorganius in Benedictino:* S. Ermenoldi Abbatis et Martyris, Magnarum virtutum viri. *At Hugo Menardus in suo Martyrologio* V *Januarii:* In Germania S. Ermenoldi Abbatis et Martyris, Ordinis Cluniacensis.

2 *De eo ita scribit Trithemius in Chronico Hirsaugiensi, viros illustres commemorans qui ex Hirsaugia prodierunt:* Evernoldus monachus hujus cœnobii Hirsaugiensis, ad monasterium Briverungense in Abbatem constitutus est, vir scientia et conversatione sanctissimus: qui multis in vita et post mortem fertur claruisse miraculis: cujus vita et conversatio cum miraculis in duobus libellis conscripta latius in præfato cœnobio habetur. *Eam vitam ab Auctore anonymo, monacho Prufeningensi, circa annum* MCCXC, *scriptam, Tomo* 2 *Antiquarum lectionum vulgavit Henricus Canisius, extatque in Auctario Surii.*

3 *Meminit S. Erminoldi Baronius Tom.* 12, *an.* 1121, *n.* 7 *et* 8. *Raderus Tom.* 1, *Bavariæ sanctæ, ubi vitæ hujus compendium refert.*

VITA

PRÆFATIO AUCTORIS.

Psal. 11. 1. *Utile est SS. vitas scribere.*

Novissime diebus istis, in quibus (proh dolor!) juxta Psalmistæ querelam, defecit Sanctus, et diminutæ sunt a filiis hominum veritates, bonorum antecedentium sanctitatem et scripto recolere, et memoriæ tradere posterorum, tam rationis instinctu monemur, quam ipsa utilitate allicimur et profectu. Denique Sanctus Sanctorum, a quo sanctitas omnis tamquam a fonte primario, scaturigine multiformi permanat in Sanctos, in rivulorum limpida puritate dum noscitur et laudatur, sui sitim in eis excitat salutarem, qui ab eo dulcedinem derivatam in suorum mirifica suavitate legendo præsentiunt et prægustant. Accedit ad hoc, quod nos, qui futuram inquirimus civitatem, manentem in hoc sæculo non habentes, dum in hujus vitæ ac viæ procinctu eorum calles aspicimus, qui tam adversantis mundi sinistram, quam blandientis dextram contemnendo, viam regiam incedentes servaverunt; ipsi quoque rectorum recta sectando vestigia, non abducimur ad intorta compita deviantium plurimorum, qui se sequentes illaqueant, et illa queatos immergunt doloribus sempiternis. Postremo illud quoque Sanctorum bona commemorando consequimur et scribendo, quod illorum eo ipso meremur auxiliis adjuvari, quo eorum virtutibus congaudemus et gloriæ. Dumque alios hæc legentes ad studium boni, bonorum accendimus et monemus exemplis, ipsorum nos, quos provocavimus, intercessio consequitur, et a Domino, in quo laboramus, certa remuneratio comparatur.

2 Ista considerando ad Beatissimi Erminoldi *a* Priveningensis Ecclesiæ primi Abbatis gesta magnifica describenda, cursum styli dirigimus, qui gregis nostri tamquam aries quidam insignis et prædux et fidelissimus protopastor, ad caulas summi pastoris æthereas nos præcessit. Nec tam arduum opus aggredimur, in nostris, quæ nullæ sunt, viribus confidentes; sed in eo, sine quo nec incipi potest bonum aliquod nec compleri. Animat nos præterea, et id tentandi præstat audaciam ipse inchoationis hujus instinctor præcipuus et injunctor, venerabilis scilicet Pater Dominus *b* Ulricus sextusdecimus Abbas Prufeningensis Ecclesiæ, qui antecessoris tanti virtutibus coexultans, ac per hoc nequaquam carens ipse virtutibus, anno incarnationis Dominicæ MCCLXXXI, primo anno sui regiminis, onus hoc Athlanticum nobis tamquam Pygmæis imposuit, uno eodemque præcepto suo ac jussu, auctoritatis suæ scutum opponens linguæ *a* *b* *Ulrici Abbatis jussu scripta hæc vita.*

AUCTORE MONACHO ANONYMO.

linguæ calumnianti, quæ nos præsumptionis forsan argueret, et insufficientiæ nostræ desperationis obicem auferens, et ausum conferens ad injuncta. Scriptum autem scientes esse : Numquid Deus indiget vestro mendacio, ut pro illo loquamini dolos, optantes nos ad exprimenda vera sufficere, nihil circa rem gestam addere vel mutare conabimur, nihil de proprio confingemus, sed ut fidelis ad nos usque traduxit antiquitas : sive veritate servata, stylum aliquanto tentabimus facere comptiorem, ne rei utilitas, tamquam Falerni nobilitas ac dulcedo ob ruditatem incultioris eloquii, tamquam ob vasculi cariem contemnatur. Sæpius etenim crater tornatilis et elegans, potum bonum et bibilem meliorat; deformis vero catinus, infusi et nectaris minuit suavitatem.

Job. 13. 7.

a Prufening, *aliis* Brufling *et* Prufeninge, *monasterium Ord. S. Benedicti, supra Ratisponam, ad confluentes Danubii et Nabi, fundatum a S. Ottone Bambergensi Episcopo, an.* MCIX, *Wigul. Tom.* 3.

b *Wiguleo* Udalricus *quem ait obiisse an.* MCCCXIV.

LIBER I.

CAPUT I.

S. Erminoldi ortus, religiosæ vitæ tyrocinia.

Multi sancti in Germania.

Igitur cum Apostolicæ prædicationis in omnem terram sonus exisset, et in fines orbis terræ verba eorum, granorum more, dispersa per campos mundi latissimos et patentes, in fructus proficerent copiosos, et ex omni natione, quæ sub cælo est, cæli horrea messe fidelium replerentur; *a* Alemaniæ quoque deserta in ubertatem versa, virorum illustrium plures dignos agricolæ Christo manipulos protulerunt. Ex quibus *b* Augusta quidem rutilat *c* Udalrico, *d* Chunrado *e* Constantia sufflorescit, alio *f* Udalrico *g* Hirsaugia venustatur, gloriatur *h* Henrico et *i* Chunegunda sua *k* Babenberch et *l* Ottone, *m* Altach ac *n* Hildensheim *o* Godehardo illustratur. Alia quoque Germaniæ loca quam plurima pluribus aliis tantis et tot exultant, quod, ut de his taceatur, quos vel hominis segnis ignavia, vel incuria successorum, seu etiam diutini temporis intercursus, memoriæ humanæ subtraxit, quos tamen indelebiliter continet vitæ liber, melius ac felicius semper in Dei præsentia, quam in nostra memoria brevi ac momentanea constitutos; si liceret, horum omnium vellemus mentionem facere nominatim, quorum nomina et virtutes vivacis scripturæ tenacitas, adhuc quasi cujusdam indicis ostensione præsentat, numerositate sola vocabulorum capacissimi certe codices tenderentur. Hæc idcirco diximus, ut in gaudio recordemur, quomodo terra nostra per infidelitatem quondam sterilis, peperit plurimos vere ac veraciter Samueles : qui licet in suo quisque loco divisi, in uno tamen spiritu, prout vult, singulis dividente, soli Domino laudabiliter, ut quondam ille Samuel, servierunt in sanctitate et justitia coram illo.

a

b
c d e
f g h
i k l
m n o

Inter eos S. Erminoldus.

4 Inter quos Deus omnipotens similem illum fecit in gloria Sanctorum, de quo scripturi sumus, beatissimum scilicet Erminoldum Prufingensem primum Abbatem, speculum sui temporis et exemplar, et posterorum lumen et jubar illustre. Et tu ergo Ecclesia Prufingensis nequaquam minima es in præcipuis monasteriis Alemaniæ; ex te enim exiit, non quidem carnis exortu, sed spiritus transitu ex hoc mundo ad Patrem, venerabilis ille Dux, qui de vitæ sæcularis Ægypto eductus, vita pariter et virtute Mosaica, Pharaone, id est, principe mundi relicto, ad terram veræ promissionis, ut alter Josue te præcessit; Seon Regem Amorrhæorum et Og Regem Basan, et omnia regna Chanaan, per quæ multiformis informitas intelligitur vitiorum, strenuo ante congressu triumphans. Ad cujus illustria tandem calamus se convertat, quem Spiritus sanctus et temperare et irrigare dignetur, qui ejus, quem descripturus est, tamquam venerabilis templi sui consecrator pariter extitit et possessor.

p Puer fit monachus.

5 Beatus igitur Erminoldus de gente *p* Suevorum progenitoribus quidem exortus est modo sæculari satis claris. Qui concesso sibi pignore tali divinitus, Dei gratiæ non ingrati, filium suum in Hirsaugiensi cœnobio divinis curaverunt obsequiis mancipare : Annæ illius utique spiritu non carentes, ut, sicut alter Samuel, a juventute sua et usque in senectam et senium coram Domino ministrare consuesceret in eodem. In quo videlicet studio pietatis desiderium eorum attulit eis Dominus, nec sunt fraudati a desiderio suo, dum quod omnimodis optaverunt, completum sibique concessum in filio lætabantur. Denique puer erat ingeniosus, et sortitus est animam bonam, et ingenii quidem capacitate scientiam præpollentem, ac animæ bonitate virtutes eximias apprehendit; bonitatem, et disciplinam, et scientiam doctus a Spiritu, a quo profecto ductus est in desertum vitæ claustralis. Ubi licet a diabolo tentaretur, membrum tamen insigne capiti Christo cohærens, et capitis armatura triumphans exivit vincens, ut vinceret, et victor coronam perciperet repromissam. Beati igitur regulam Benedicti, benedictus ipse a Domino tamquam regni tramitem apprehendens, iter vitæ suæ secundum statutum illius ita direxit, ut Abbas ex Monacho, magister fieri ex discipulo mereretur.

q B. Wilhelmum magistrum suum imitatur.

6 Siquidem *q* B. Wilhelmi tunc Hirsaugiensis Abbatis vitæ modum ac formam ita moribus suis impressit, ita perfectionis illius studuit imitari vestigia, ut jam qualis Pater, talis filius appareret, et magister in discipulo videretur; et nulla jam posset esse dubietas, super hunc Elisæum spiritum Eliæ requievisse. Idem vero venerabilis Wilhelmus, apud ecclesiam sancti Martyris *r* Emmerani in urbe *s* Ratispona sub *t* Ramuoldo, ejusdem monasterii tunc Abbate, Prior extiterat, non fama fallaci solummodo, sed veraci præconio meritorum longe lateque clarescens, ad Hirsaugiensem est electus Ecclesiam, in qua Beatus, ut dictum est, Erminoldus sub eodem spiritualis militiæ tyrocinia taliter exercebat, ut non longi temporis interfluxu, signifer ex athleta, ex satellite campiductor, et ex milite primicerius crearetur.

r s
t

a *Expluribus Galliæ populis conflata gens, Rhenum transgressa, inter Mœnum ac Danubium sedes fixit,* Allemanni *dicti, vel* Allemani, *aut* Allamanni, *quasi* omnes viri, *aut* multitudo virorum undique collecta; all *enim* omnem, man virum *significat nostratibus ac Germanis. Protulere deinde fines Allemanni. Etiammum Galli et Hispani Germanos omnes* Allemannos *vocant, Germaniam* Allemanniam.

b *Splendidissima Rhæticæ provinciæ colonia* Augusta Vindelicorum, *vulgo* Augsburch.

c *Martyrol. Roman.* Uldaricum *vocat. Colitur* IV *Julii.*

d *Colitur S. Conradus* XXVI *Novemb.*

e Constantia *nobilis civitas ad lacum* Brigantinum, *sive* Venetum, *qui et* Constantiensis *dicitur, vulgo* de Bodensee.

f *Hic* Udalricus *videtur is esse, quem Trithemius scribit ex monacho Hirsaugiensi factum Abbatem Cellæ Paulinæ.*

g *Nobile olim Ordinis Benedictini cœnobium* Hirsaugia, *Ludovici Pii temporibus fundatum, situm in Ducatu Wirtenbergensi. Ejus Chronicon conscripsit Trithemius Abbas.*

h *Vitam dabimus* XIV *Julii.*

i *Colitur S.* Cunegundis *Imperatrix* III *Martii.*

k *Vulgatius jam* Bamberga *dicitur. Sita fertur prope in meditullio Germaniæ.*

l *De eo* II *Julii.*

m Altaich *inferius, amplissimum ac ditissimum monasterium Ordinis Benedictini in Bavaria inferiori ad Danubium; ubi Abbas fuit ante Episcopatum S. Godehardus. Est et aliud in eadem inferiori Bavaria, non procul Straubinga,* Altaich *superius dictum.*

n *Vulgo* Hildesheim *appellamus, Urbs est Germaniæ Episcopalis.*

o *Ejus vitam dabimus* IV *Maii.*

p Suevia *Germaniæ provincia, celebris cumprimis, sed angustioribus conclusa quam olim limitibus.*

q *De hoc agemus* V *Julii.*

r *Colitur S. Emmeramus* XXII *Septembr.*

s *Urbs Imperialis ad confluentes* Regi *sive* Regini et Danubii, *alias sæpe* Reginoburgum, *vulgo* Regensburch *appellatur.*

t *B. Ramuoldi vitam dabimus* XVII *Junii.*

CAPUT

CAPUT II.

Abbas Lorsacensis factus, eo se munere intra annum abdicat.

Creatur Abbas Lorsacensis.

Denique sanctitatis illius tam sonora vox in Rama audita est circumquaque, ut lucernam sub modio seu vase subjectionis ulterius tegi non sineret vel abscondi, sed super candelabrum poni regiminis persuaderet. Unde factum est, ut tam fratrum electione communi, quam *a* Henrici Imperatoris ejusdem nominis quinti consensu atque favore, ad *b* Lorsacensis Ecclesiæ regimen vocaretur, quæ regalis est Abbatia, illisque diebus et in copia rerum temporalium abundabat, et in prærogativis plurimis dignitatum.

a *Hic impio patri in regnum Germaniæ successit an.* MCVI *Imperator coronatus an.* MCXI, *mortuus* XXIII *Maii.* MCXXV.

b *Additur ad marginem in postrema Surii editione, veluti explicationis gratia.* Laurishaimensis. *Fuit* Laurissa, *sive* Laurishaimium, *vulgo* Lorsche *vel* Lors, *celebre in agro Wormatiensi monasterium Ordinis Benedictini; postea Præmonstratensibus, dein Archiepiscopo Moguntino donatum. Ejus Chronicon edidit Tom.* I, *Rer. Germanicar. Marquardus Freherus; in quo tamen nulla fit mentio* Erminoldi. *Suspicor potius* Laureacum, *sive* Loracum, *ut etiam hic in Anacephalæosi vocatur, vulgo* Lorch, *intelligendum, nobile in Wirtembergia cœnobium.*

Egregie præest.

8 Hic itaque fidelis servus et prudens super familiam Domini constitutus, subjectis tamen non tam præesse studuit, quam prodesse; nihil subditis faciendum injungens, quod ipse exempli caussa non primitus pertulisset. Etenim jugum ab adolescentia sua portaverat, et ipse Majorum ferendo mandata, imponenda minoribus prædidicerat temperare; Pharisæorum Scribarumque nota prorsus immunis, qui alligant onera importabilia, et ea humeris hominum juxta sententiam Salvatoris imponunt, ipsi ea digito non moventes. Non sic iste, non sic, sed instar boni pastoris forma factus gregis ex animo, creditas sibi verbo pavit oviculas, pavit exemplo Sanctorum, pavit desiderio et subsidio temporali. Propter quod grex, qui datus est sibi pecus inclytum suum, nec imminutus est numero, sed adauctus; nec defecerunt sub ejus cura subsidia temporalia subditis, sed creverunt. Etenim dum in diebus sui regiminis, et numero subditi sui et merito pariter augerentur, nec de multitudine subjectorum, nec de temporalium affluentia, nec de culmine dignitatis intumuit; sed magis in sanctitate atque profectu discipulorum, quam in excellentia prælaturæ vel magisterii lætabatur, quod perpendi faciliter poterit per subjecta.

Matth. 23. 4.

Abdicat se officio, ob munera a fratre data Cæsari.

9 Fratrem namque carnalem vir Dei habebat, præter titulum sanguinis generosi, satis superque et in divitiis abundantem. Quodam vero die cum venissent viri Imperatoris, ut assisterent coram illo, affuit inter eos et ille viri sancti germanus. Cui subridens Augustus, animo forte jocandi: Caussa, inquit, tuæ dilectionis fratrem tuum regali præfecimus Abbatiæ, facientes sibi nomen grande, juxta nomen magnorum qui celebrantur in terra, ut sedeat cum Principibus, et solium gloriæ teneat inter illos. In quo igitur majestatis nostræ munificentiæ respondebis? At ille: Vera, inquit, esse omnia recognosco, quæ proponit Vestra Serenitas, arbitrorque dignissimum, ut vestræ non ingratus inveniar pietati. Dictum duxit in actum, nec multo post decentibus satis Imperatorem muneribus honoravit, famulo Domini Erminoldo tam dicta Imperatoris, quam facta germani penitus ignorante. Ceterum mox ubi ad eum res gesta devenit, licet horum omnium nec conscius extitisset, Lorsacensem resignavit Abbatiam, protinus tam curæ se subtrahens pastorali, quam vel notæ levissimæ Simoniacæ pravitatis. Advertendum est igitur, quam execrabile duxisset hic Sanctus per tale se vitium maculasse, ut et Prælaturam detestaretur, pro qua nihil umquam datum vel præbitum esset adipiscenda; sed pro jam adepta, et de postfacto frater suus Imperatori grates per munera retulisset.

Redit Hirsaugiam cum 40 discipulis.

10 Relicto igitur regimine Lorsacensi, tamquam bonæ opinionis ac famæ diluvio, ad arcam requiei suæ, id est, ad Hirsaugiensem Ecclesiam, et ad suum Noe, Beatum videlicet Wilhelmum, tamquam emissa columba revertitur, non sine ramo tamen virentibus foliis venustato. Nam secuti sunt eum discipuli ejus, non minus quam quadraginta, quos apud Lorsacum sub spatio unius anni, quo inibi præfuit, Deo collegerat, ut quam fructuosus in vera vite palmes hic esset, ipsa ubertate geniminis monstraretur. Denique in baculo suo, curæ videlicet pastoralis, solus transierat ad Lorsacense cœnobium, et nunc cum turmis discipulorum revertebatur Hirsaugiam: quorum collectio tamquam ramusculus de hac sancta radice consurgens, paternæ virtutis gratia virescebat. Hi ergo ab eo separari non sustinentes, sicut oviculæ (dicentes non quidem verbis, sed facto, Verba vitæ æternæ habes, ad quem ibimus?) Pastorem suum usque Hirsaugiam sequebantur. Ubi et tamquam Angelus Domini cum honore susceptus, benignissime pertractatur; quippe cujus ibi sanctitatis præconia non latebant.

Auctore Monacho Anonymo.

Joan. 6. 69.

CAPUT III.

Prufeningense cœnobium fundatur.

Aliis divinitus destinatus.

Porro propter nos homines et propter nostram salutem, qui præsentem locum incolimus, a Domino factum est illud, ut occasione quacumque oliva fructifera, et vere vitis abundans illic evelleretur, et transplantaretur in hac vinea Domini sabaoth, quam dextra Domini per sanctum Ottonem Babenbergensem Episcopum tunc fundaverat et compleverat, ut hæc novella recensque plantatio de mundi Ægypto translata, mitteret altius sub tam industrio vinitore radices; dum quod S. Otto plantaverat, hic rigaret, utriuslibet meritis et obtentu Domino dante desuper incrementum. Deo igitur nobis melius aliquid providente, quam humana solertia prævaleret, actum esse non ambigamus, quod columbinam hanc animam, et venalitatis, ut dictum est, Simoniacæ putre contagium sic horrentem, arca Hirsaugiæ a prima missione recepit, ut occasione hac secundario mitteretur, unde non esset ulterius reversura.

Occasio fundationis cœnobii Prufeningensis.

12 Ipso siquidem tempore Deo dignus Antistes Otto Episcopus Babenbergensis monasterium, sicut diximus, Prufeningense fundaverat: cujus quidem possessionem ac fundum, intercedente coemptione legitima, justisque concambiis, nostro dominio comparavit, cum antea juris alterius extitisset. Ceterum non humana voluntate allata est eadem fundandi voluntas, verum revelatione sibi facta divinitus evidenti, cujus, opportuna occasione accepta, hic modum ac seriem inseremus. Henricus etenim quintus ejusdem nominis Imperator Ratisponæ Curiam solemnem indixerat regni Principibus universis, et misit scriptum suum hora Curiæ memoratæ, convocatis dicere ut venirent. Itaque cum turba plurima conveniret, et de civitatibus properarent ad Curiam Augustalem, affuit et venerabilis Otto Babenbergensis Antistes, velut alter David, fidelis in omnibus, egrediens et regrediens et pergens ad imperium dicti Regis. Verum Ratisponæ non habens ubi caput suum reclinare valeret ad commodum, quoniam Domino disponente civitas ipsa repleta erat hominibus, quasi brucho, domibus omnibus occupatis: memorabilis Pontifex turbulentiam turbæ tumultuosæ devitans, urbe relicta sibi ac suis elegit campi planiciem, quem nunc muri loci hujus includunt.

13 Hic igitur inter duas arbores nucum, quæ tunc ornaverunt faciem campi, ejusdem tentorium sancti Præsulis figebatur. De quibus nimirum arboribus, et longe antequam id quod nunc dicendum est, eveniret,

Auctore Monacho Anonymo.

Eo loco auditus antea sonus campanarum.

tinnitus et strepitus campanarum visus est multotiens sonuisse, quem in vicinia demorantes non sine stupore frequentius audierunt; qui, ut re ipsa jam declaratur, futuram quandoque ibi cultus divini frequentiam utique portendebat. Quo in loco, cum dies abscesserat, noctemque sol reduxerat jam occumbens, recumbens ibi vir Dei somnum oculis suis dedit, dormitationem et palpebris tempori congruentem. Et ecce qui locutus est in visione Sanctis suis antiquitus, ut juvenes quoque nostri visiones videre per illum, et senes nostri somnia somniare demonstrarentur; novo Jacob Patriarchæ suo, insigni videlicet Ottoni, ut merito Israel nomen acciperet, ad imaginem et similitudinem somnii prisci Jacob, conforme omnino somnium revelavit. Vidit etenim a lecto suo porrectam scalam, cælosque summitate tangentem, in qua etiam Angeli ascensus suos atque descensus amicis vicibus alternabant. Quo profecto dabatur intelligi, non defuturos in hoc loco quam plures, qui ad proximum sublevandum cum Martha pia compassione descenderent, et ascenderent cum Maria celsitudinem Domini contemplando. Vir itaque sanctus evigilans, et prudenter intelligens quæ videre meruerat, nihil eorum omisit spiritualiter, in fundatione, consummatione, ac consecratione complere cœnobii, quæ prior ille Jacob in visionis suæ loco peregit, domum hic Dei veraciter et portam cæli quam plurimis construendo.

Visio isthic S. Ottonis.

CAPUT IV.

Præficitur Prufeningensi cœnobio S. Erminoldus.

Quæritur Abbas novo cœnobio.

Monasterio igitur hic fundato et consummato secundum Dei, quam intellexerat, voluntatem, virum vir sanctus idoneum æstuanti animo requirebat, qui Christi familiæ colligendæ in domo, quam sibi construxit, in tempore suo posset tritici dare mensuram; quique, ut rei eventus visioni congrueret, per scalam religionis hic ascensuros, quindecim graduum verbo et exemplo posset docere mysteria; quoque prævio ascensiones in corde suo disponente discerent pedetentim in valle lacrymarum, loco quem posuit ipse fundator, donec dante benedictionem summo legislatore, euntes de virtute ad virtutem, Deum deorum in Sion videre perpetuo mererentur. Cum igitur quæreretur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniretur, non est inventus similis illi, de quo nunc agitur, Beato videlicet Erminoldo; quem Dominus lucernam Christo suo paraverat, ut ardens et lucens hujus cœnobii ruditatem novitiam, et ob hoc cæcutientem adhuc intellectu, et affectu torpentem, et sanctitate conversationis accenderet et exempli, et eruditionis atque doctrinæ splendoribus illustraret. Hujus itaque famam B. Otto comperiens, missis ad eum et Abbatem suum epistolis ab utrolibet impetravit, ut recens incultumque novale colendum assumeret, et jam præexercitus agricola manum ad aratrum mitteret sulcatricem, Prufingensis cœnobii terram patrio visitaret adventu, et inebriaret sacræ institutionis irriguo, locupletaretque multiplici germine meritorum.

Postulatur Erminoldus.

15 Missus igitur de Hirsaugia primus Abbas, ad nutum Domini nostrum dictantis honorem, Ecclesiæ nostræ præficitur : benedixitque nobis Dominus ad introitum ejus, in cujus utique nomine benedictus advenit, non sine discipulorum atque confratrum honorabili comitatu. Denique in suscepti regiminis culmen ascendens, speculatorem se domui Israel meminit constitutum, ita pro animabus commissorum sibi pervigilans, tamquam redditurus pro eis Domino rationem, et juxta dictum B. Job, vere gallus habens intelligentiam, subditos excitaturus ad bona, semetipsum ala exercitii spiritualis primitus excitavit; cavens utique reprobus inveniri vel somnolentus, dum vigilandum aliis prædicaret. Sane familiarissimum semper habebat instare vigiliis, orationibus et jejuniis insudare, verbum Domini prædicare, frequentius regnum Dei et justitiam ejus inquirere anhelanter, fugere gloriam temporalem, quærere sempiternam. Proinde fide dignissimi seniores, qui vitam ipsius agnoverant, constantissime testabantur, nullam sibi septiformis Spiritus gratiam defuisse, quod a considerantibus conversationem illius actusque magnificos faciliter poterat deprehendi. Nam quantum sibi omnis gloria mundi viluerit, quantumque sibi mundus fuerit crucifixus, et ipse mundo, si nullo virtutum ejus indicio alio monstraretur, eo solo diligentius advertenti patesceret, quod ad mentis ejus constantiam declarandam, quam adversus sæculi tam blanditias quam terrores habebat, hoc loco duximus subscribendum.

Job. 38. 36. Sanctissime id munus gerit.

CAPUT V.

Imperator a Papa excommunicatus, ingressu monasterii ab eo prohibetur, nec offenditur.

a Henricus V Imperator ejus monasterium invisit.

Henricus aliquando Imperator, *a* cum propter excessus suos Papalis excommunicationis sententiam incidisset, et tamen a religiosis ac magnis etiam Prælatis Ecclesiæ Imperatoriæ dignitatis intuitu, honor sibi ac solita reverentia deferretur; ob fundatoris nostri præmemorati, quem non modice diligebat, honorem pariter et amorem, cum ipso fundatore grandem sibi demonstraturus affectum, ad novellam ejus Ecclesiam visitandam cum nobilium et magnorum pompa multiplici, sicut mos est regius, adventabat. Jamque B. Erminoldus, Pater videlicet monasterii, tam propter Imperatoriæ celsitudinis claritatem, quam propter concomitantis cum eo, et invitantis reverentiam fundatoris, cum compulsationibus campanarum, Fratrumque processione canora, et reliquiarum ac vexillorum multiplici apparatu, longe insuper extra septa cœnobii excepturus Cæsarem credebatur. Sed servus Dei talium se favori dissimilem demonstrabat. Non enim cogitationes suæ cogitationes eorum, neque viæ suæ viæ illorum, qui consuunt pulvillos sub omni cubito manus, et pretii parietem liniunt adulando, et propter hoc in Regum domibus mollibus vestiuntur. Ceterum iste non ut arundo, nec terroris nec favoris vento quolibet agitata, sed ut columna immobilis, nec metu impellebatur, nec inclinabatur gratia qualicumque, ut ei vel occursu solemni, vel blanditia salutationis applauderet, quem per sententiam Apostolicam communione novit Ecclesiastica tunc privatum.

Ezech. 13. 18.

Excludit eum (quia excommunicatus erat) S. Erminoldus.

17 Proinde cum adventum Imperatoris per præ-nuntios comperisset, omnia monasterii ostia obserari præcepit, ne vel Augusto, ejusve comitibus ulla introeundi via pateret; firmiter prohibens et districte, ne quis egrederetur ad salutationem sive exceptionis aliquam reverentiam exhibendam. Ipse vero Imperatore adveniente ad eum ante claustri septa procedens, ne vel ex fastu aliquo vel contemptu hoc agere crederetur eo insalutato : Libenter, inquit, et officio salutandi, et exceptionis congrua reverentia, honorem tibi impenderem regium, Imperator, si te communione privatum Apostolicæ Sedis auctoritate nescirem. At Imperator ratus, eum hæc non justitiæ zelo, sed ex cordis odio vel rancore proferre, tamquam offensum pro eo, quod quondam ab ejus fratre munera recepisset, propter quæ Lorsacensem resignaverat Abbatiam : Nimis, ait, inconsulte ac præcipitanter honore vos tanto privastis. Cui suspicioni Dei servus occurrens, columbina ut erat simplicitate respondit : Novit Deus omnipotens corda scrutans et renes, non me hujus, si dici posset, injuriæ memorem vel ultorem; sed me fecisse hæc et dixisse, justitiæ defendendæ intuitu, et pro Papalis observatione mandati. At venerabilis Otto Episcopus medium se utrilibet interponens,

interponens : Neminem, ait, devitare debemus et tenemur, de cujus nobis excommunicatione non constat. Quo contra vir Dei, fortitudinis, quo plenus erat, spiritu roboratus, nec gratiæ fundatoris, nec Imperatoriæ deferens majestati, qui veritatem libere testaretur : Non possum, inquit, sententiam ignorare, quam ore meo memini promulgatam.

Talia perstabat memorans, fixusque manebat, a justitiæ suæ proposito non recedens. Quid quæso
Act. 5. 24. in facto hoc Sanctus iste minus fecisse videtur ab his, qui magis obediendum Deo quam hominibus, Principibus Sacerdotum in caussa simili responderunt? Quid Apostolo Paulo, qui in casu ferme eodem, ipsi
Gal. 2. 11. se Cephæ restitisse in faciem gloriatur? Quid postremo *b* Ambrosio præinsigni, qui Theodosio insigni
b Imperatori similiter ecclesiæ interdixit ingressum, donec pro commissis scleribus pœnitentiam ab eo susciperet et compleret? Sed enim si ad antiquiora recurrimus, numquid eum comparare non possumus Samueli, numquid non Nathan, numquid non Elisæo, Prophetisque quam plurimis, qui Regibus temporis sui videlicet peccata sua coram improperantes, vel ad pœnitentiam eos salutarem provocaverunt, vel divinam eis interminati sunt terribiliter ultionem? Nimirum et Imperator in spiritu et virtute Eliæ ista
Abit Imperator. fecisse beatum virum considerans, reverenter cum suis abscessit, non contemptæ majestatis, ut suorum
c aliqui voluissent, ultus injuriam, *c* quod et in summo Pontifice ipsum jam fecisse viderant, sed hominis Dei compertam deinceps semper amplius venerans sanctitatem, quam si caninæ adulationis cauda sibi cum ceteris allusisset, quod facile per subscripta poterit perpendi.

Imperator suos cohibet ne monachis noceant. 18 Denique cum non multo post idem Princeps transitum faceret ante cœnobium cum multitudine militari, Fratres ad opera manuum, juxta morem, hortum forte intraverunt, quem vilis tunc sepes ambivit. Milites igitur, qui præibant et qui sequebantur Imperatorem, cum Fratres in horto viderent, arbitrati Principem memorem sui contemptus, sibique placere volentes : Ecce, inquiunt, cucullati, qui Dominum nostrum temere despexerunt, nec Imperialem sibi dignati sunt exhibere reverentiam, ipsum insuper suis foribus præsumpserunt excludere cum contemptu. Dent ergo pœnas opprobrii et proteriviæ, quas merentur : luant ausus enormes : non ferant impune sprevisse Cæsareum diadema. Et milites quidem hæc dixerunt, et invalescebant voces eorum, odioque Pastoris, dentes lupinos in ejus oviculas acuebant. Jamque jamque insultum facturi in pusillum gregem Domini videbantur : sed evenit aliter, quam putabant. Nam exiit edictum a Cæsare non speratum, ne Fratres videlicet illius omnino præsumerent molestare, vel verbo turbare, vel facto. Sane non reliquit hominem nocere eis, et corripuit pro eis milites Imperator, contra quos incitaturus exercitum credebatur. Hic significante Spiritu sancto et demonstrante, quod meritum B. Erminoldi absentes et filios defensaret, quomodo etsi corpore absens, tamen spiritu præsens erat. Numquid igitur non Dominus magnificavit eum in timore inimicorum, et in verbis suis monstra placavit, cujus absentia etiam merita ipse Princeps intelligens, propriæ despectionis oblitus, ea coram militibus attollebat? Nolite, ait, tangere Fratres istos, et in eis nolite ullatenus malignari : novi enim, cujus Abbas eorum dignitatis sit coram Deo, novi cujus sit sanctitatis; qui etsi mihi non detulit zelo justitiæ, plurimum tamen ejus confido me sanctis orationibus adjuvandum. Nimirum prudens Augustus prudenter adverterat, honorem Imperialem sibi non tumoris alicujus fastu a sancto viro fuisse negatum, sed magis in eo humilitatem obedientiæ mirabatur, qua maluit Apostolico subditus inveniri præcepto, quam Cæsareum adulando venari favorem.

a *Excommunicatus est Henricus V, tum in variis antea Conciliis, tum a Callisto II, in Conc. Rhemensi an.* MCXIX.

b *De* Theodosii *senioris pœnitentia agemus in vita S.* Ambrosii VII *Decemb.* c *Paschalem II, an.* MCXI, *recusantem eum coronare, nisi renuntiaret investituris, captivum ceperat Henricus.*

AUCTORE MONACHO ANONYMO.

CAPUT VI.

Erminoldi erga inimicos benignitas.

Monachi S. Emmerammi Prufingensibus adversantur. Denique ut apparet, quoniam non ex typho superbiæ, sed ex zelo justitiæ Principem Romanorum monasterii septis exclusit, nunc qua humilitate et benevolentia inferiores multo personas non solum exceperit, sed insuper invitaverit, sibi licet et suis adversantes, duximus adnectendum ; ut advertatur, quod altissimum mundi caput, quod honorandi etiam monasterii venit intuitu, non despexit ut vultuosus aut contumax, qui Fratres mundo despectos, qui se suosque insuper molestare consueverant, ad refectionis solatium invitavit submissus et supplex, quod in his, quæ subjicimus, apparebit. Etenim *a* Fratres S. Emmerammi nos aliquamdiu in principio crebris inimicitiis et insidiis fatigabant, impedimenta profectui nostro, quæ poterant, obtendentes. Cumque de die in diem eorum contra nos odium ingravesceret, ad hoc usque devenit, ut per operarios suos ante portas claustri facto fossato, exitus nostros angustiores facere molirentur. *a*

Humaniter eos excipit S. Erminoldus. 20 Et cum, nullo eis in talibus obsistente, huic operi diligenter instarent, venerabilis Erminoldus, ut labores eorum videret, egrediebatur foras, instante jam hora refectionis, pacifice illos atque benigne salutans : et cum lassos fatigatosque videret, tam internæ mentis eorum labori, quam corporis externo sudori compatiens, ad prandendum eos obnixius invitavit, inductosque refecit hilariter et benigne, tantam illis impendens humanitatem, ut magis ex caritatis saginarentur affectu, quam in epulis quæ dabantur. Unde factum est, ut dimissi secum mutuo loquerentur tam Fratrum, qui eos miserant detestantes invidiam et rancorem, quam viri Dei suorumque benignitatem et mansuetudinem admirantes. Quid, quæso, qui hæc lecturi estis, quid vobis videtur de isto, cujus filius sit? Nonne illius, cujus Unigenitus in substantia nostræ mortalitatis apparuit, fratresque quos dignatus est adoptare per gratiam, Spiritu eis adoptionis infuso, in quo clamarent : Abba Pater, instruxit, dicens : Diligite inimicos vestros, et benefacite his, Matth. 5. 44 *et* qui vos odiunt? Et quid ex hoc consequentur, adjungens : Ut sitis, inquit, filii Patris vestri cælestis, qui solem suum facit oriri super bonos et malos, et pluit super justos et injustos. Nec inefficax fuit opus hic caritatis aut sterile, sed in ipsis, quibus impendebatur, sicut semen cadens in terram bonam, fructum peperit salutarem. Nam consilio inito, regerentes in *Conciliantur.* locum suum terram quam egesserant, abierunt, nihil incommodi nobis ulterius ingerentes. Sic igitur, sic Rom. 12. 20. secundum Pauli doctrinam vir Dei vinci volens a malo, vicit in bono malum, inimicum cibans et potans, et per hoc super caput ejus carbones congerens caritatis. Certe videmus hic virum Dei non imparem 4. Reg. 6. Eliseo, qui Syros ad se capiendum hostiliter venientes Samariam introductos, amice ne necarentur eripiens, cibo insuper refectos ac potu, ipsos domino suo remisit. Idem finis secutus utrobique. Nam illi terram Israel ultra non addiderunt intrare, et isti molestare deinceps nos cessarunt : nisi quod Syros stupor timorque cohibuit; istos vero devicit benignitas caritatis.

a *Celebre est hoc S.* Emmerammi *Ratisponæ monasterium; cui, cum hæc accidere, Abbas præerat Richoldus, ut ex Wiguleo patet.*

CAPUT VII.

Liberalitas in pauperes. Miracula

Diximus qua constantia et virtute mundi spreverit dignitates

AUCTORE MONACHO ANONYMO.

Liberalissime pauperibus subvenit.

dignitates oblatas, qua illatas injurias patientia tulerit aut devicerit mansuetudine; superest, ut qua indigentibus proximis liberalitate collata sibi a Deo communicaverit, quamque in his contra deficiendi timorem in Domino confidentiam semper habuerit, ostendamus.

1. Cor. 9. 19

Curam quidem sollicitam ac provisionem receptionemque peregrinorum ac pauperum, inter virtutes ceteras, quibus claruit homo Dei, quasi spiritus sui sponsam elegerat specialem: propter quod et in exercitii ejus solebat amplexibus singulariter delectari, adeo quod egeni et pauperes ipso jam usu in necessitatibus suis cum omni ad eum securitate, tamquam ad debitorem quemdam accedere præsumebant, et quibus egebant, tamquam a quodam œconomo suo fiducialiter postulare. Noverat etenim, quod exemplo Apostoli, cum esset liber ex omnibus, omnium servum se fecerat indigorum.

22 Deus igitur famulum suum tentare constituens, imo miserationis inolitæ sibi virtutem omnibus declarare, vocavit famem super terram; omne firmamentum panis contrivit in tota Bavaria, ita ut plurimi propter inediam pauperes iterirent. Ad Erminoldum igitur ex more concurritur, reserantur cellaria, promptuaria patefiunt, distribuuntur pauperibus universa. Non enim prius Pater sanctus in erogando defecit, quoad deficeret, unde jam posset aliquid erogare. Exhaustis siquidem omnibus officinis, ipse cœpit egere, qui super egenum et pauperem intellexerat. Venerunt namque ministri, qui dixerunt omnia claustri granaria vacuata, nec jam frumenta ad unicum et prandium Fratribus superesse. Quid ergo vir Dei nunc faciat anxiatus? Recurrat ad horrea? sed vacabant: emat in foro? sed pretium emptionis in cælestes thesauros manus pauperum deportaverant. Ad Deum ergo convertitur, et tamquam factus in agonia prolixius orabat ad eum, qui dat omnibus affluenter. Veri autem adoratoris, adorantis Patrem in spiritu et veritate, oratio erat hujusmodi: Domine per naturam, per gratiam vero Pater, salvifica me ex hac hora. Sed propterea veni in horam hanc tantæ necessitatis, ut Fratrum meorum oculi omnium in te sperent, et tu des illis escam illorum in tempore opportuno, quorum propter te victualia sunt expensa: tu itaque redde quod debes, debes siquidem dantibus, qui dixisti: Date et dabitur vobis. Hujusmodi quidem ad Dominum. Porro ad *a* B. Georgium Patronum Ecclesiæ secundum simile erat huic quod orabat: Beatissime Martyr, ecce præceptis salutaribus monitus, et divina institutione formatus et jussu, dispersi, dedi pauperibus quæ habebam: qui Deo tibique in hoc loco deserviunt, nec habent jam quod manducent, et si dimisero eos jejunos, et non fuerint saturati, et murmurabunt adversum me: calices, et vestes, et libros, et alia ornamenta distrahere pro victu compellor: tu ergo subveni, tu succurre, tibi enim revelavi caussam meam atque necessitatem. Hujusmodi famuli sui clamores Dominus exaudivit, B. Georgii, quem mediatorem elegerat, interventu, nec eum distulit consolari. Nam statim in crastino nobilis quidam et dives, cujus Dominus cor tetigerat, supervenit, et honorans Dominum de sua substantia, Fratrum supplevit inopiam copiose, ita ut novi cujusdam meritis Elisei, pristina fames in Prufingen tamquam in porta Samariæ pelleretur.

Famis tempore omnia sua erogat:

eget ipse.

a S. Georgium orat.

insperato juvatur.

23 Adhuc excellentiorem viam ostendendæ sanctitatis ipsius duximus demonstrandam, quibusdam forsitan incredibilem, sed compertam crebra relatione fide dignissimi senioris, qui tanti miraculi testis et conscius fieri meruit et symmista. Die quadam, cum ante januas staret ecclesiæ Pater sanctus, et fores essent clausæ, custode monasterii stante cum illo, cujusdam necessitatis eventu, ecclesiam ipsam servus Dei intrare volebat. Cumque custos propero cursu circuiens, aperire Abbati ecclesiam properaret, invenit eum (mirabile dictu!) quem foris reliquerat, introrsus ante altare sanctæ Crucis intente orantem, in ipso loco ubi nunc ejus venerabile est sepulchrum, januis tamen ecclesiæ non apertis. Cumque custos insolita novitate miraculi staret attonitus, et stupefactus tantæ rei eventum apud se miraretur, surgens oratione completa vir Dei, custodi sub districtæ contestationis interminatione præcepit, ne ante ipsius exitum de hac vita, alicui hominum id quod viderat, revelaret. Quid ergo dicemus ad hæc? nisi quod famulum hunc fidelem in Domino, et Dominum in electo famulo suo laudare, benedicere, et prædicare non desinamus, qui quod in seipso post resurrectionem suam discipulis suis ostendit, ostendit in servo similiter, antequam et a corporeis nexibus solveretur. Nihilominus ista legentes advertant, in quam solidæ humilitatis terra domum mentis suæ vir ille fundaverat, qui omnem flatum favoris humani, ventumque popularis auræ, tanta cautela et studio devitavit.

Clauso ostio templum ingreditur.

a *De S.* Georgio *agemus* XXIII *April.*

CAPUT VIII.

Quidam in ejus necem conspirant.

Ecce jam præcursoris nostri, qui exultavit ut gigas ad currendam viam cælestium mandatorum, passus industrios et veloces, pro tarditate nostra pigris calami gressibus subsequendo prorepsimus, quatumcumque in odore unguentorum ejus admodum delectari, et post eum lætanter currere gestientes: sed ecce, ubi e vestigio Eliam nostrum cum Eliseo consequimur, tristes metas attingimus; jam Baal Pharisim, quod sonat, Virorum divisio, e vicino nos terret, inter fratres dividens et Abbatem, inter pastorem et agnos, inter discipulum et magistrum. Restat vero transitum ejus de hoc mundo ad Patrem, et ejus occasiones tristissimas exequamur; tristes, inquam, non sibi, sed nobis; non sibi, qui semper cupiebat dissolvi et esse cum Christo, sed nobis, quibus in carne utiliter permansisset: propter hoc salus hinc refugit, manus trepidat et terretur, calamus ipse percellitur et formidat. Sed enim velimus nolimus, eundum est: cincti et adstricti necessitate narrandi, ducimur quo nollemus. Ergo quod superest inviti et prosequamur. Quia igitur omnes qui volunt pie in Christo vivere, persecutionem, secundum Apostolum, patiuntur, sanctus Pater iste, quia a via justitiæ flecti non potuit, nec potuit consequenter odia non incidere ministrorum. Non enim potest diem vespertilio non horrere, non potest nec fugere lucem talpa, non potest Solis aspicere noctua claritatem. Denique cum sanctus hic Pater commissi regiminis cura constrictus, sollicite super custodiam suam staret, et vigilias noctis hujus sedulo super gregem suum sataget observare, ut nihil omnino relinqueret incorrectum, quod contra monasticæ religionis fieret instituta, licet tamquam pater spiritualis, vere in spiritu lenitatis corriperet delinquentes; filii tamen Belial, qui cum satan inter Dei filios numquam desunt, videntes et invidentes a suis se voluptatibus coerceri, nec sibi licere quæ licere volebant, crudelibus insectari cœperunt odiis se amantem. In tantumque diatim vesaniæ prorumpebant, quod et captabant in animam justi, sanguinem innocentem condemnantes effundere decreverunt: et jam malitia ingravescente, cultris acutis armati, diem mutuo statuentes, loci opportunitate captata, stabant in insidiis, cum dæmonibus in occultis, ut interficerent innocentem in loco, quem sibi condixerant, quia inibi erat more solito transiturus.

2. Tim. 3. 12.

Domesticæ disciplinæ invigilantem, quidam occidere statuunt.

25 At quidam ista scientium Dei famulum præmunivit, ne illo veniret, paratas sibi mortis insidias manifestans. Sed vir justus tamquam leo confidens absque terrore permansit, et tamquam equus gloriæ Domini,

Mortem contemnit.

Prov. 21. 31.

Domini, qui eo testante exultat audacter, in occursum pergit armatis, paratus cum Domino, imo pro Domino, et in carcerem et in mortem ire; hæc dicenti sibi respondit : Absit ut paratam impediam tergiversando coronam : vadam potius accepturus palmam, quam Dominus exhibet triumphalem. Quid, quæso, aliud erat hoc famulo dicere, quam quod Dominus ipse Petro jam dixerat. Calicem quem dedit mihi Pater, non bibam illum? Erat hoc dicere cum Psalmista : Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo, gratias scilicet referens propinanti. Ceterum quia parum est dixisse, nisi facere consequatur; quod dixit et fecit, procedens ad locum ubi mortem fuerat excepturus, si Domino placuisset; ejus exemplo, qui passurus turbæ processit obviam se quærenti.

Joan. 18. 11. Psal. 115. 13.

Divinitus percelluntur parricidæ.

26 Verum sicut Dominum captivare volentes occurrente ipso conterriti abierunt retrorsum, et corruerunt in terram, donec se ipse capi permisit; sic servum Domini cupientes occidere, cum constantiam viri Dei viderent, irruit super eos formido et pavor in magnitudine brachii Domini, suum tunc pugilem protegentis. Illa igitur vice nemo in eum misit manum, quia nondum venerat hora ejus, quam ille, cujus providentia in sui dispositione non fallitur, in subditorum bonorum adhuc solatium et salutem, et ad cumulatiora famuli sui merita, usque tempus quod voluit, prorogabat.

CAPUT IX.

Vulneratur : obitus sui horam prædicit : pie moritur.

Job. 27. 6. Prov. 4. 18.

Iterum conspirant.

Itaque cum teneret justus, ut ait Job, viam suam, nec justificationem suam, quam cœpit tenere, desereret; nam et semita vitæ suæ quasi lux splendens, juxta Sapientis eloquium, procedendo ad perfectum diem jam creverat; tantæ lucis aspectus filios tenebrarum offendit, gravisque eis erat et ad videndum, qui magis quam lucem tenebras dilexerunt. Proinde cum tempus adesset quo Dominus servum suum decreverat jam in pace dimittere, post pondus diei et æstus, mercedis æternæ denario præmiandum; jam filii pestilentes, ac tanto Patre prorsus indigni, lupaliter vel ut agni degeneres in Pastoris interitum conspirabant.

28 Igitur unus talium campiductor infelix, nomine quidem Aaron, Absalon autem omine, patris persecutor, cum non ut Aaron Pontifex, sed cum esset carnifex anni illius, diabolico exagitatus instinctu, locum ad quem vir Dei venire necesse habebat, diligentius observabat, ligneum vectem utraque manu vibratum, viribus totis insurgens, capiti venientis illisit, tanto annisu percutiens sacrum caput, ut ad terram mox servus Domini sterneretur. Eo igitur instrumento mortis et genere, quo frater Domini est occisus, occiditur, ne gloriæ illius extraneus æstimetur aut exors, qui consors est passionis. Quamvis hic, ut ille, non statim obierit, ut in hac potissimum die gloriosius suæ mortis Domino sacrificium immolaret, quo Magi videlicet eidem tria munera mystica obtulerunt. Denique si advertas, eadem dona nostrum Erminoldum intelliges obtulisse, si per aurum, quod inter metalla malleo plus obedit, obedientiam; in myrrha, quæ carnem a corruptione conservat et vermibus, castitatem; in thure, quod uritur et crematur ut fragret, caritatis ardorem, memineris designari, non sua propria, sed communia requirentis.

Vecte lethaliter percutitur.

29 Igitur ut in illam diem, tunc se sacrificaturus, Domino servaretur, ictu vectis accepto tabescens, viribus corporis cœpit repente destitui, jamque ante festum Epiphaniæ lecto decubuit, et in ipsius sacratissimi festi vigilia, fatiscentibus artubus aliquamdiu jacuit nihil loquens. Et post pusillum ad se reversus, et elevatis oculis in discipulos, qui adstabant, hilari eos aspexit intuitu, sed affatu hilariori omnes, qui aderant, jocundavit. Etenim requisitus, ad thronum Dei testatus est se raptum fuisse cælestem, et verba bona et promissa se ibi consolatoria percepisse. Lætatus sum, inquit, in his, quæ dicta sunt mihi, numquam videlicet defuturum divinum obsequium in hoc loco. Addit et sibi librum vitæ ostensum, fratrum nostrorum nomina mortuorum præsentium et futurorum adscripta litteris aureis continentem. Et hoc, ait, vobis signum, ut certum esse noveritis id quod loquor : Cras inter majoris Missæ solemnia cantante choro, Gloria in excelsis Deo, egrediar ex hoc mundo. Erat autem vigilia, sicut diximus, Epiphaniæ : Cavete igitur, inquit, cum signum mei transitus audieritis, ne quis error aut negligentia hujus occasione in divino contingat officio, sed paucis egredientibus a ceteris cum omni devotione sacra Missarum solemnia more solito peragantur.

Videt suorum nomina in libro vitæ.

Auctore Monacho Anonymo.

Obitus horam prædicit.

Moritur.

30 Ut igitur testimonia sua credibilia fierent, et sciremus quia verum est testimonium ejus, sicut dixit, evenit. Nam in sancto Epiphaniarum die, hora qua dixerat, anima illa beata domum corpoream ac terrestrem, non manu factam in cælis acceptura, reliquit, introiens in potentias Domini sub hymno videlicet Angelorum, ut ibi perenniter inter Angelos ipsum Gloria in excelsis concinat et hymnizet. Transiit autem anno Domini MCXXI, septimo vero postquam de Hirsaugia mense Augusto vocatus est, et ad Prufungensem electus Ecclesiam; quarto vero postquam a venerabili *a* Udalrico Episcopo, rogatu Reverendi *b* Hartwici Ratisponensis Episcopi, ordinatus est solemniter in Abbatem. Quis enim, quæso, non videat, ideo transitum ejus ad eum diem fuisse translatum, qua Dominus sacrificia Magorum accepit, et intercurrentibus annis aliquot, cælos super se baptizatum voluit aperiri, et in Cana aquam convertit in vinum ad nuptias; ut liquido monstraretur, quod die eodem Erminoldus noster domum cælestem introivit in holocaustis; et cæli, qui Regi patuerant, militi et ipso die patere deberent; et quod molestiarum aquæ præsentium inter convivas æthereos in vinum sibi essent æterni gaudii convertendæ? Quis eum præterea purpurata rosaria Martyrum introisse non credat; cum et justitia suæ caussa mortis extiterit, propter quam persecutionem passus est occisoris; et in morte servaverit patientiam, nihil durum interminans imprecansque lictori; et cum postremo tantæ conscientiæ fuerit in eo sanctitas, ut moriturum se præsciens et prophetans de divino curaverit magis officio, quam de suis exequiis ordinare.

a

b

Invocat eum Auctor.

31 Erminolde ergo Abba Pater, memor esto congregationis tuæ, quam possedisti ab initio isto suæ fundationis, et in quam felicem cursum præsentis stadii consummasti, æternæ gloriæ præmium apprehendens. Ideoque suppliciter exoramus, ut gregem tuum pastor bone non deseras, sed apud beatos cives tuos continua protectione custodias tuas oves, quas primus opilio pascendas a Domino suscepisti, cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

a Pataviensis *Episcopus, creatus an.* MXCII, *mortuus an.* MCXXIV, *vir pius.*

b *Vigesimus memoratur ab Hundio* Ratisponensis *Antistes, creatus an.* MCV, *mortuus* III *Mart.* MCXXVI.

CAPUT X.

Gloria ejus cœlitus ostensa.

Duo tamen miracula annectimus, quæ post ejus obitum contigerunt. Unum quidem, quod uni de nostris, alterum quod alterius cœnobii fratri cuidam evenit; ut non solum a suis hic Pater, sed et ab eis qui foris sunt, testimonium habeat sanctitatis : et primum quidem de nostro duximus ordiendum. Erat apud nos Monachus quidam, provectæ quidem ætatis, sed miræ sanctitatis et simplicitatis in vita sua. Hic cum vocandus a Domino, lecto decumbens ad exitum propinquaret,

Videtur quidam in gloria.

AUCTORE MONACHO ANONYMO.

propinquaret, a deputato sibi ministro, si adesset aliquis, inquisivit : erat autem Sabbatum, hora qua sonitu tabulæ ad *a* mandatum Fratres more solito convocantur. Audiens ergo nullum esse præsentem. Ecce, inquit, video cælos apertos, et beatum Patrem nostrum, venerabilem Erminoldum videlicet, assistentem in maxima gloria coram Deo; quod ut verum esse non dubitetur, in testimonium veritatis, jam spiritum exhalabo. Quo dicto, morte intercedente et sermonem confirmante, quod dixerat, protinus comprobavit.

a

Item alius.

33 Accedat et alius testis, qui de remotis partibus venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine meritorum venerabilis Erminoldi. Frater quidam ex nostris, quodam vindemiæ tempore missus in Austriam, claustrum, quod *b* Kotwik dicitur, hospes intravit, hospite quodam alio de claustro dicto *c* Garsten casualiter cointrante. Igitur hora refectionis cum veniretur ad mensam, hospes hospiti ad vescendum pariter est adjunctus. Et cœna facta cum fabularentur, et secum quærerent de diversis, ut fieri assolet, Garstensis ille a fratre nostro diligentius inquisivit, si aliquando habuissemus Abbatem, cui nomen fuerit Erminoldus : et audito quod sic, et quod insuper apud nos fuerit primus Abbas; ille sic orsus est : Quamvis, inquit, nullam omnino notitiam vel vitæ vel nominis ejus prius habuerim, nuper tamen in veritate comperi, quia non est parvi aut mediocris, sed maximi meriti coram Deo. Nam ex fluxu sanguinis mire vexatus, nimia nuper infirmitate et ægritudine laboravi, adeo ut de vita etiam desperarem. Cumque Sanctorum quam plurium pro evasione periculi postularem auxilia, ex nimia mihi debilitate somnus obrepsit. Et ecce rapi ad tribunal Christi me video, et pro culpis et negligentiis meis dura satis animadversione percelli : ubi dum animas plurimas, pro diversitate et exigentia meritorum vel condemnari a judice video, vel salvari; oblatus est ei unus Ordinis S. Benedicti frater, ut videbatur, damnationisque in eum jam jamque debebat ferri sententia : sed retracta est, et remissa clementer, Sancti nescio cujus magni, quem quidem videbam, sed non agnoscebam, obtentu, inter cetera pro damnando taliter allegantis : Licet, ait, Domine, Frater hic vitam suam satis exegerit negligenter, irremuneratum tamen tua pietas non relinquat, quod numquam locum suæ professionis deseruit, nec transgressus est finaliter obedientiæ suæ votum. Sancto ista fiducialiter prosequente, animam rei judex absolvi decrevit, orantis pro ea meritis complacatus. Quem cum optarem scire quis esset, ecce unus adstantium judici, ipsum venerabilem Erminoldum Prufeningensem Abbatem esse, mihi protinus intimavit. Hisque peractis evigilo, mecumque retractans ea quæ videram, statim omnibus quidem omissis, illius potissimum invocare cœpi suffragia; cujus indubitatam expertus fueram sanctitatem. Quod cum per officium Missæ facere decrevissem, sed debilitas vocis obstaret, continuo mihi tantas vires sensi collatas, quod sacris indutus, Missam, quæ de uno Confessore dici consuevit, a fine usque ad finem perfeci. Qua completa pristinæ sanitati sum integraliter restitutus. Hæc frater de Austria rediens, dum nobis sæpius retulisset, superveniens ille Garstensis, cui res ipsa contigerat, sepulchro viri Dei devotissime visitato, Fratris nostri narrationem personaliter confirmavit; qui et ipse in Garsten postmodum factus Abbas, solebat supervenientibus hunc eventum frequentius enarrare.

b

c

Monacho in judicio patrocinatur.

Cuipiam sanitatem restituit.

a Mandatum fieri *dicitur, cum fratrum ac hospitum pedes, Christi exemplo, abluuntur; itaque loquitur Missale Romanum in officio Cœnæ Domini. Vocatur autem* mandatum, *quia mandavit Christus pedum lotionem, veluti officium eximiæ caritatis ac submissionis; et quia Antiphonæ quæ tum canuntur, ab hac incipiunt,* Mandatum novum. *Ita Gavantus Comm. in Rubr. Missalis, part. 4, tit. 8. Fit autem illa pedum lotio in Ordine S. Benedicti omni Sabbato, ut patet ex regula* 35, *quæ est,* De septimanariis coquinæ, *quæ sic habet :* Fratres sibi invicem serviant, et nullus excusetur a coquinæ officio; nisi aut ægritudine, aut in caussa gravis utilitatis quis occupatus fuerit, quia exinde major merces et caritas acquiritur. *Et infra :* Egressurus de septimana, Sabbato munditias faciat; lintea, cum quibus sibi fratres manus et pedes tergunt, lavet. Pedes vero tam ipse qui egreditur, quam ille qui intraturus est, omnibus lavent. *Id vero ita observatur, teste Turrecremata, ut qui exit, lavet; qui intrat, detergat. Cassianus lib. 4, Instit. cap.* 19, *de monachis Palæstinæ et Mesopotamiæ, exhibentibus invicem hebdomadatim obsequia, idem tradit, eo solum discrimine, quod id faciunt ad vesperam Dominicæ diei : tunc enim qui hebdomada illa ministrarunt,* convenientibus in unum fratribus ad concinendos Psalmos, quos quieturi ex more decantant, omnibus in ordine pedes lavant.

b *Hundius* Gotwicum *vocat, traditque ab Udalrico Pataviensi Episcopo, de quo cap.* 9, *num.* 30. *Canonicis ejectis monachos Benedictinos isthuc introductos. Situm est ad Danubium fere e regione* Cremsii.

c *Est* Garsten. *ut lib.* 2, *Metropol. scribit Hundius, monasterium supra* Anassum *in Austria, non procul a* Steyra *urbe.*

LIBER II.

MIRACULA POST MORTEM.

CAPUT I.

S. Erminoldus a morte clarus miraculis.

a

Præfatio libri II.

In his duobus mandatis officio calami *a*, quomodo in eis revelationes et visiones Domini continentur, religiosis viris non diu post felicem transitum sancti Patris ostensæ, ac per hoc quodam jure propinquitatis ad præcedentia pertinebant, scientes quia hora est jam nos terminare sermonem, huic libellulo finem dantes, jugo boves absolvimus lassatos. Porro unum est necessarium, ut videmus. Quomodo enim ipsius libelli distinctio bipartita est, prima quidem ejus particula, peregrinationem Hebræi nostri apud Ægyptios hujus mundi seu Babylonios continente, secunda vero in exitu Israel de Ægypto præsentis sæculi, et ingressu terræ veræ promissionis explicita; consequenter succurrendum et consulendum eorum opinioni existimamus, imo dubitationi eorum et diffidentiæ potius occurrendum, quibus vitæ laudabilis claritas, quibus pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus ostensa non sufficit, sed nisi cum Thoma miracula tangant aut palpent, et nisi signa videant et prodigia, non credentes cum Regulo Judaizant. Ut itaque tales habentes tantam nubem testium interpositam, ad credendum vel ipsius operibus, invitentur, vel potius compellantur; ad virtutes et signa, quibus mirificavit Dominus Sanctum suum, etiam postquam de hac vita transivit, hodieque mirificat, transeamus a fine libri prioris, sequentis initium facientes, de ipsius tractaturi miraculis in libro secundo, de cujus in primo vita et transitu. In principio erat Verbum. Igitur cum jam Domino complaceret, ut tristitia nostra verteretur in gaudium, ut scientes eum cælo vivere lætaremur, quem defunctum sæculo lugebamus, manifestavit se iterum Jesus ipsum Angelorum fecisse consortem, quem ablatum humano dolebamus esse consortio. Manifestavit autem sic.

Suavis odor e sepulchro S. Erminoldi.

2 Honesta quædam materfamilias, Christina vocabulo, cum matre sua, Bertha nomine, Deo valde devota, de civitate Ratispona Prufeningen fratrem suum visitatura accessit. Cumque die jam inclinato vehiculo domum reverti pararent, mater quasi valefactura Sanctis, præ foribus monasterii, quia clausum erat, orare cœpit attentius, et subito miri odoris perfusa est suavitate : quem cum tacite miraretur, ecclesiam aperiri petiit, et obtinuit, et intravit, sensitque fragrantiam illam de sancti viri spirare sepulchro. Divinæ igitur gratiæ non ingrata, regratians, votum vovit Deo Jacob, quod famuli sui sepulchrum Ermi-

Initium peregrinationis ad illud.

noldi, de cujus meritis certiorari meruerat, per circulum anni totius, nudis pedibus visitaret. Quod et implevit, numquam hæc vel pro viæ profunditate, vel madoribus

madoribus pluviarum, niviumve rigoribus intermittens. Et hæc vidua erat, et turba civitatis multa cum illa, ipsius exemplo, quoniam erat ex honestoribus civitatis, cœpit viri Dei memoriam frequentare, et illius auxilium in quibuscumque necessitatibus efficaciter experiri. Hoc initium signorum fecit Jesus coram discipulis servi sui fidelibus, et manifestavit gloriam suam et dignitatem, quam jam accepit in cælis, qui terrenæ dignitatis gloriam non quæsivit. Et congrue satis a suavi odore incipere debuit sua glorificatio, qui se ipsum Deo in odorem obtulit suavitatis, ut apte fracto alabastro sui sanctissimi corporis, meritorum ipsius et famæ dulcis effunderetur unguentum, ex cujus odore domus Ecclesiæ redundantius impleretur.

Pueris ægris subvenit.

3 Illud autem, inter signa quam plurima, Dominus Sancto suo quasi privilegium speciale concessit, quod pueri ægrotantes, ad ejus, ut fieri solet, *b* ponderati sepulchrum, vel continuo ejus meritis convalescunt, aut ab ægritudinis diuturnitate mortis compendio protinus absolvuntur.

b

c Conrado Episcopo petita concedit.

4 Hoc etiam cum piæ memoriæ Dominus *c* Chunradus Moguntinus Archiepiscopus famæ præconio comperisset, cum diutina laboraret infirmitate, quam ex aere inconsueto in Terra sancta contraxerat, nec quidquam sibi conferret experientia Medicorum; ad sepulchrum viri cum marca argenti se ponderans, cum clamore valido et lacrymis, exauditus est pro suæ forma petitionis. Postulaverat etenim, ut a diuturnitate languoris, vel cita evasione, vel beneficio saltem mortis absolveretur. Qui mox antequam Sedem suam attingeret, morte intercedente obtinuit quod petivit Beati meritis Erminoldi.

Cæcum illuminat.

5 Vir quidam re pauper, et luminis orbitate pauperior, devotionis tamen et fidei copiis opulentus, Prufingen viri Dei beneficia petiturus ingreditur, et a pluribus, qui de villa vicina venerant, et ante fores stabant ecclesiæ, ostenso sibi in ecclesia Sancti sepulchro, pueri se ducentis manu circa altare locatus est, ut petivit : egressoque ductore, gressum baculo suo prætentans, ad sepulchrum devotus accessit, et humi prostratus postulavit in fide nihil hæsitans, ut lumen recipere mereretur. Moxque se sentiens exauditum, visu recepto egressus, ductori suo videre se dixit, et omnibus qui astabant, qui eum cæcum viderant introisse, ac sibi sepulchrum ostenderant requirenti. Hos ergo universos et testes suæ illuminationis habuit et præcones. Cumque illuminato congratulantium vox eminus audiretur, nam ipsi loquebantur ad invicem de his omnibus quæ acciderant, ille Deum ac famuli sui merita collaudavit.

a *Aliquid hic deest.*

b *Est id in Belgia quoque nostro usitatum, ut ægros pueros appendant, et pondus tritico aliave re, quam offerre Deo aut Sanctis voluerint, exæquent, addita summa aliqua auri argentive.*

c Conradus I, *an.* MCLXII, *creatus est Monguntinus Episcopus. Biennio post a Frederico I. quod Pontifici Romano faveret, deturbatus; anno* MCLXXX *restitutus :* MCXCVII, *cum aliis Principibus contra Saracenos missus in Terram sanctam, Leonem Armeniæ Regem coronavit. Postea in Hungariam profectus ut Reges fratres dissidentes reconciliaret; dum Monguntiam rediret, in territorio Pataviensi obiit* XXVII *Octob.* MCC *aut, ut quidam volunt, paullo serius. Fusius de his Serarius Noster Rer. Moguntiac. lib.* 5.

CAPUT II.

Blasphemus quidam punitur.

a Blasphemus quidam sepulchrum S. Erminoldi percutit.

Frater quidam, ex his quos *a* Barbatos dicimus, superveniens maligno spiritu stimulatus, et Dei gloriam non ferens, illum qui Dei ac famuli sui beneficia prædicabat, contumeliosis cœpit objurgationibus insectari, eum deceptorem ac mendacem appellans, et hujusmodi artificio venari eleemosynas largiores. Quod ille libera voce refellens abiit et recessit. At ille Barbatus inveteratusque dierum malorum, temerario ausu debacchans, facto flagello de virgis, tribus ictibus tumbam Patris sancti proterve percutiens, ore sacrilego : Quiescas, inquit, tu Erminolde, et nos inquietare desistas. Vix ista finierat, ecce Deus ultionum Dominus, ultione condigna coercuit blasphemantem. Nam facies ejus tamquam aqua ferventi perfusa cœpit incredibiliter æstuare. Qui festinus egrediens de ecclesia, ad suum cubiculum properabat, ut lecto decumbens alleviationem aliquam expectaret. Erat autem magister opilionum. Quem unus de famulis suis e vestigio sequebatur, qui quidem blasphemias suas audierat, divinæ tamen nescius ultionis, blanda ipsum pro verbis suis admonitione corripuit, illo secundum similitudinem serpentis et surdæ aspidis, nil penitus respondente, donec venerunt ad fontem juxta, ubi jumenta monasterii adaquari solebant. De quo hausta sibi aqua per famulum, æstuantem faciem spe refrigerii manibus infundebat, sed vim virtutis suæ oblitus est aquæ liquor, vicemque contrarii peragens elementi, urebat acrius patientem. Itaque lecto decubuit, ac inter flagella Pharaonizans, licet a pluribus, ut resipisceret, moneretur, secundum duritiam suam et impœnitens cor thesaurizavit sibi vindictam insuper ampliorem. Nam de die in diem, cor ejus erga Domini Confessorem in sua duritia persistebat. Et quoniam apposuit adhuc peccare ei, et in iram concitavit Excelsum, apposuit super eum Deus plagas horridiores. Nam percussus lepra terribili, ab hominibus est amotus.

Auctore Monacho Anonymo.

Divinitus punitur.

7 Et cum adhuc suaderetur, ut pœniteret, declinavit cor suum in verba malitiæ ad excusandas excusationes videlicet in peccatis. Nam respondit, se adeo non peccasse, quod mala talia meruisset. In hujusmodi igitur blasphemia perseverans, cum prævaricator ad cor redire contemneret, factum est in una dierum, ut per ministrum apposita sibi mensa, et desuper pane et potu, minister ad cibos pergeret offerendos, quibus allatis, quem misere vivum in obstinatione reliquerat, miserabilius in peccato suo mortuum reperit. Nam in arulam plenam carbonibus, quam gratia calefaciendi sibi habuit antepositam, facie prona ceciderat, et exspiraverat præambustus. In quo patenter apparet, quod qui cæco fideli fuerat odor vitæ in vitam, isti blasphemo factus est odor mortis in mortem, in resurrectionem positus et ruinam, hinc inde, cum diversa utrisque intulit stipendia meritorum, illum fideli devotione illuminans, istum percutiens pro reatu. Et sicut tumulus viri Dei ter virgis cæsus est per protervum, sic triplici plaga percussus est inimicus, ardore videlicet faciei, dehinc lepræ contagio, novissime vero morte pessima peccatorum. Ceterum descripto rigore justitiæ, ad solatia misericordiæ revertamur.

Impœnitens moritur.

a *Explicat hanc vocem titulus capitis in edit. Canisii* : De quodam Converso graviter punito.

CAPUT III.

Infirmi curati. Inhibita miracula.

Fluxus aurium curatus.

Radoldus nomine puer in monasterio, tantum de auribus singulis noctibus sanguinavit, ut mane pulvinar ipsius alicujus animalis perfusum sanguine videretur. Qui cum esset ad tumbam viri Dei tertio ponderatus, illico restitutus est integræ sanitati.

Contracta sanata.

9 Inter hæc augebatur quotidie credentium in Domino multitudo, patrocinium famuli sui requirens. Inter quos mulier quædam, Jeruta nomine, ad sepulchrum Sancti nummo se ponderavit, quem cum in arcellam oblationum mittere debuisset, denario clam retento ad altare illum voluit obtulisse, sed dolum illico vindicta consequebatur. Nam illi ita contracta est manus, ut nec eam extendere, nec nummum excutere prævaleret. Ad cor igitur reversa flagello, redit ad arcam denarium immissura; statimque misericordia et veritas obviaverunt sibi, nam manum, quam dolus concluserat, veritas patefecit. Misso igitur nummo

AUCTORE MONACHO ANONYMO.

nummo quo mitti debebat, gaudens mulier alium obtulit ad altare.

Cessant ad tempus miracula.

10 Cum itaque turba venerantium servum Dei diatim accresceret, Monachus quidam, Wolfframus nomine, sepulchri custodiæ deputatus, super illud ædificare proposuit ædiculam cancelleratam, per quemdam, Berchtoldum nomine, carpentarium, qui homicidio perpetrato nondum Ecclesiæ reconciliari meruerat, dictum opus incipiens consummavit. Porro Dei famulus sacrilegum in ecclesiam illius ingressum, et opera manuum cruentarum aspernans, solita beneficia requirentes per annos aliquot destitit exaudire. Quod cum Fratres solertius perpendissent, ipsam ædiculam prudenti consilio removerunt. Sed non statim finis, ut Dei ac sui famuli dedignatio placaretur.

Iterum fiunt.

11 Igitur quia non obliviscitur misereri, cui proprium est misereri semper et parcere, cum rogatur; aliquanto tempore jam decurso, anno MCCXXIV Dominicæ Incarnationis, stetit Phinees, et placavit, B. Erminoldus videlicet, ut averteret iram ejus, quem opus offenderat homicidæ. Quidam ergo, Waltmannus nomine, civis Ratisponensis, a quodam Ruberto, qui Fratrum vestibus præerat, sibi familiari familiariter requisivit, cujus sepulchrum hoc esset, quod in medio monasterii cerneretur. Et audito, quod primi Abbatis esset istius loci, et quod idem fuisset vitæ sanctissimæ, quodque in carne adhuc et post mortem miraculis claruisset, et ab his destitisset ad horam, ex caussa, qua nesciret; dictus Waltmannus illi Ruberto: Scito, inquit, quod in brevi Dominus iterum ejus merita declarabit. Vidi enim in visione me cum multis intrasse hanc basilicam ad orandum, et ecce a parte capitis tumuli, arbor, ut videbatur, aurea tantæ magnitudinis succrescebat, ut latitudo ramorum ipsius cunctam repleret ecclesiam, et extra januam insuper se protendens. Quo profecto portendebatur,

Visione id præostensum

quia quod olim dixit Dominus Domino meo unigenito suo Christo passo in carne, hoc famulo suo similiter, et si non sicut vox hujusmodi lapsa ad eum a magnifica gloria, ipso tamen effectu esset in brevi dicturus: Et clarificavi, et iterum clarificabo. Clarificavi, videlicet degentem in carne vita insigni, transitu glorioso de mundo migrantem, virtutibus et miraculis jam defunctum; et iterum clarificabo in novissima tuba, inter omnes electos, interim vero sequentibus signis, quæ pro negligentia et reatu quorumdam pro tempore cessaverunt. Quod et rerum eventus in proximo declaravit.

CAPUT IV.

Variæ ægritudines ejus ope depulsæ.

Siquidem paucis diebus elapsis, vespere Sabbati, cum post officium vespertinum Processio ante altare sanctæ Crucis solito ageretur, quidam aderat inter multos, qui puerum cæcum in brachiis deportabat. Cui cum janua clauderetur egresso, Theodericus quidam Monachus ei obvians, et videns puerum esse cæcum, redire consuluit, et Sancti suffragia postulare. Populo itaque, qui jam exierat, redeunte cum puero, Deo ac famulo ejus pro illuminatione pueruli

Cæcus illuminatur.

a cunctis obnixius supplicatur. Et continuo Deus omnium exauditor, cæcos oculos claro lumine revestivit, suum glorificans Confessorem. Rogatus ergo pueri gerulus apud nos aliquamdiu demorari ob tanti miraculi testimonium, recusavit, se quidem et puerum esse protestans patre et matre carentes, et de Gallia Belgica oriundos, ex territorio *a* Treverensi, seque puerum compassione fraterna ad diversos Sanctos spe circumtulisse salutis, cujus subventionem expertus nunc esset B. Erminoldi gloriæ reservatam. Ideo, inquit, jam propter quempiam non tacebo, et propter aliquem non quiescam, donec ad solum natale regressus, annuntiem hujus Sancti præconia circumquaque.

Paralytica curatur.

13 Item mulier quædam juvencula de civitate Ratisponensi a parentibus matrimonio copulata, ita post breve tempus est dissoluta paralysi, ut loquendi usum prorsus amitteret, oculo altero privaretur, dentes haberet ad invicem ita compressos, ut hora refectionis cultello vix solverentur ad escam: manibus quoque contracta et pedibus, miserabile sui spectaculum præbebat. Quæ more solito ponderata juxta sepulchrum viri Dei per suos, mox tam integraliter est sanata, ut quæ ab aliis deportari consueverat, pedibus sanis accederet ad altare, et manibus ante contractis *b* sacrificium offerret, et muto prius ore *b*
Missam a Sacerdote deposceret celebrari, oculoque recepto lætissime remearit ad propria cum amicis.

Contracta restituitur.

14 Sed cum gratias etiam postmodum Domino redditura, sepulchrum Sancti frequentius visitaret, puella quædam allata est, cujus manus contracta erat omnino. Quam manum cum mulier ante dicta tumulo Confessoris imposuisset, ad stantibus Fratribus et orantibus pro eadem puella, clamans: Oh, integra sanitate recepta, in momento in ictu oculi manum ante contractam extendens, ovum quod casu in tumba jacebat, puerili more attraxit, jocunditatem et exultationem risumque excutiens universis.

Facie deformatus sanatur.

15 Alius quidam puer, carne fœda in inferiori palpebra succrescente, turpem faciem præferebat. Quam carnem cum medici et chirurgici dicerent resecandam, amici majus periculum metuentes, consilio sañiori, Deo et servo ejus deferendum puerum sponderunt: cumque mane iter arripere surrexissent, misericordia prævenerat jam fideles, carnemque abstractam penitus invenerunt; in patratæ rei signum, sanguinea tantum macula remanente. Qui beneficio Domini non ingrati, votum devote solventes ad tumbam Sancti puerum adduxerunt, narrantes laudes Domini et virtutes ejus fratribus universis.

Vomitus sistitur.

16 Puer quidam cum continuo vomitu fatigatus esset, nil penitus alimoniæ retinebat. Qui ad tumbam Sancti ponderatus a suis, sine mora plenam adeptus est sanitatem.

Tumor uteri residit.

17 Quædam mulier horrendo ventris adeo fuit inflata tumore, ut ab aliis, et a seipsa gravida crederetur, patiens crebras, sicut solent habentes in utero, punctiones: verum solito prægnantium tempore devoluto, cum se non esse gravidam comperisset, ad sancti viri Dei sepulchrum cum oblationibus et Dei laudibus se præsentans. *c* *c*

d

Tussis bis depulsa.

18 Quædam Agnes in *d* S. Pauli monasterio Monialis incredibili tussis incommodo fatigata; ad invocationem famuli Dei se sensit continuo liberatam. Quæ tempore alio morbo simili repetita, repetita oratione ad Dei servum secundo mox curata est per eumdem.

a Treveri *vel* Treviri *Galliæ Belgicæ populi, quorum urbs primaria* Augusta Treverorum, *vulgo* Trier, *Belgicæ primæ metropolis.*

b *Id est, donum aliquod, nam præter* Missam *nullum est Christianis sacrificium proprie dictum.*

c *Deest aliquid; forte* sanitati restituta est, *aut quid simile.*

d *Est id Ratisponæ, ædificatum a S. Wolfgango an.* DCCCCXCIV, *cui prima Abbatissa præfuit Brigida soror S. Henrici Imp.*

CAPUT V.

Aliæ variæ curationes.

Item dolor capitis.

Juvenus quidam, dictus Ulricus Cewren, dolore gravissimo capitis molestatus, ad sepulchrum Sancti devote se ponderans sine mora est redditus sanitati.

Paralytica sanatur.

20 Mulier quædam paupercula gravissima dissoluta paralysi per decem et octo hebdomadas, pro quantacumque corporis sui necessitate vel se movere de lecto vel surgere non valebat. Quæ de viri sancti virtutibus concepta fiducia, quodam diluculo vestibus suis

suis induitur, in Pruflingen asserens se ituram; quam cum feminæ commanentes insanire præ infirmitate putarent, deduci ab eis ad ostium attente postulans impetravit. Hæc inter tenentium manus Sanctum obnixius obsecravit, ut si votum ejus sibi placeret atque devotio, vires ad deambulandum sibi apud Dominum obtineret. Nec mora : tanta celeritate, quas ductrices habuerat, antecessit, ut primæ novissimæ et novissima prima in itinere viderentur, et vix eam aliæ consequi prævalerent.

Item alia. 21 Alia mulier, dicta Alheidis, de villa vicina cœnobio, sic est percussa paralysi, ut ore retorto deformiter ad maxillam, et uno oculo excæcato, horrendam faciem circumferret. Hæc in vigilia Epiphaniæ, quando in crastino anniversarius Sancti peragitur, ad sepulchrum ejus accedens, ejus suffragia intentissime flagitavit. Itaque mane regressa oravit eumdem sermonem, et statim ore ad statum pristinum reformato, et oculo restituto, similiter plenam est adepta sanitatem.

Item phreneticus. 22 Quidam Hartwicus de Chepen ex nimio morbi fervore raptus in phrenesim, de manibus se tenentium sese proripiens, currensque per silvam, more lymphantium ferebatur. Qui adductus ad tumbam servi Dei per amicos, S. Erminoldi obtentu post modicum integre restitutus est sospitati.

Alius infirmus. 23 Alius quidam Leutwinus de villa eadem a gravi nimis infirmitate juxta idem sepulchrum, Sancti meritis continuo est sanatus.

Contracta. 24 Mulier quædam paupercula, gressu carens, de loco ad locum scabellis se manualibus promovebat. Hæc ad sepulchrum viri sancti deveniens, ipsius auxilium invocavit, et protinus consolidatæ sunt bases ejus et plantæ, ita ut baculi sustentaculo ad ambulandum sit contenta.

Infirmus alius. 25 Cocus Fratrum, Henricus nomine, cognomine Wirth, cum post febres acutas, tibiarum oculorumque dolore maximo laboraret, in die Natalis Domini summo diluculo, ad sancti viri sepulchrum devotius orans accessit, et statim sanitate recepta per illum, suscepit Domini misericordiam in medio templi sui, ubi famulus Domini requiescit.

Item alius. 26 Perchtoldus quidam civis de Ratispona, cum de Terra sancta reverteretur, morbo cœpit gravissimo cruciari. Porro in partes veniens Alimaniæ, auditis B. Erminoldi virtutibus per diversos, pro sanitate recipienda ipsum attentius invocavit, in suæ exauditionis indicium, antequam domum suam intraret, postulans se curari. Quod fideliter petiit, efficaciter consecutus, recepta, imo prærepta potius, integra sospitate, domum reversus est petivit.

Cancer depulsus. 27 Ejusdem Perchtoldi filia filiam habebat Agnetam, cujus pudenda morbus horrendus, qui cancer dicitur, occupavit. Anxia ergo mater pro filia, ipsam ad tumulum viri Dei perduxit, ejusque invocato suffragio pro filiæ sospitate, censum quinque nummorum se sibi promisit annis singulis oblaturam. Quo facto filia plene curata, materna devotio cito se gratulata est exauditam.

Item dysuria periculosa. 28 Altera quoque filia ejusdem Perchtoldi, filium parvum habebat difficultate urinandi graviter laborantem. Cumque medicorum alii esse stranguriam, alii vero calculum judicarent, eumque oportere incidere testarentur; amici ejus ponentes in Deo spem suam, B. Erminoldi patrocinia requirentes, non sunt fraudati a desiderio suo. Nam puer adductus ad sancti viri sepulchrum, illico integraliter est sanatus.

Item dolor oculorum. 29 Alius item civis Ratisponensis, Opertus nomine, filiam quamdam habebat Rapotonis uxorem, quæ oculorum dolore ferme cæcata, ducta ad viri Dei sepulchrum, cum decem nummos in censu eidem promitteret annuatim, insperatam oculorum recepit protinus claritatem.

Idem in alio. 30 Quidam de ipsa etiam civitate Henricus, qui Vicedominus appellabatur, simili dolore laborans, ductu amici sui cujusdam etiam Henrici vocabulo, ad sepulchrum Patris sancti deveniens, simili devotionis affectu, effectu curationis simili est auditus.

Auctore Monacho Anonymo.

Distorti pedes curati. 31 Filius ejusdem Henrici, filium quemdam habebat, qui distortis pedibus difficili gradiebatur incessu, qui et ipse Erminoldi meritis est curatus.

Fluxus sanguinis. 32 Alio autem tempore idem Henricus adeo fluxu cœpit sanguinis infirmari, ut nullo medicamento quidquam proficere se sentiret. Ad nota ergo sibi jam secundo Patris sancti suffragia se revertens, iterum curari meruit, per eumdem Dominum nostrum, famulo ejus fideli manu contacto, cujus fimbriam olim tangens hæmorrhoissa recipere meruit sanitatem. Hic jam tertio manifestavit se Jesus eidem Henrico, in sui gloriam Confessoris.

CAPUT VI.

Energumena curata, aliique ægri.

Mulier, viro imprecante, corripitur a dæmone. In Castro Napurch mulier quædam Leucardis, cuidam juveni matrimonialiter copulata, cum quadam die vitreis annulis more luderet puellari, maritus offensus eo quod necessaria negligens vanis intenderet, maligni spiritus ei imprecans incautus invasionem, conjugi non conjugaliter maledixit. Statimque ut vel vanitas hujus, vel illius acerbitas nimia puniretur, diabolus mulierem invadens acerrime cruciabat, et verba per eam blasphema et turpia proclamavit, accedentium culpas eis improperans et peccata. Cumque Sacerdotes super eam dicerent exorcismum : Vestra, inquit dæmon, verba non curo, nec attendo blateramenta : repellendus Erminoldo reservor; ille accepit rejiciendi me potestatem. Et mirati sunt universi qui aderant, et ipsi nil horum intellexerunt, eo quod nondum ad partes illas viri Dei præconia pervenissent. Et murmur multum erat de eo in populo, quem dæmon diceret Erminoldum; et dicebant ad invicem : Quid est hoc, quod dicit nobis dæmonium? nescimus quid loquatur. Cum itaque crederent se illudi, affuit de Ratispona Rupertus quidam, qui diceret se intelligere id quod diabolus loquatur. Et incipiens interpretabatur illis, qui aderant, verba quæ dixerat inimicus; B. Erminoldi vitam, et sanctitatem, et miracula plurima manifestans. Ille est, ait dæmon, ille est de quo loquor. Instructo ergo vehiculo mulier superposita, in Prufeningen adducta est per amicos. Cumque deventum esset ad fores ecclesiæ, illa teniti manibus cœpit et pedibus, sed vi deducentium et labore non modico, sepulchro est superposita viri Dei. Ubi cum fratres dicerent exorcismos, et preces effunderent pro vexata, vix illa ne effugeret, tenebatur. Cum subito Deo suum famulum honorante, mulier altius ingemiscens, Ach, achque proclamans, quasi resoluta in somnum protinus conquievit. Cumque ablata sepulchro in terra super plumarium reclinata fuisset, et an haberet melius, quæreretur, optime sibi esse ac se liberatam esse respondit, sed nil penitus virium habere. Igitur amici cum illa tota nocte ad Sancti tumulum excubantes, mane viam arripiunt revertendi; et cum iter agerent, vocem hujusmodi dæmonis audierunt : Etsi ad te accedere non præsumo, a te tamen longius non recedam. Sana tamen mulier est domum revecta. Non multum temporis intercessit, et ecce amici feminæ liberatæ, Deo gratias non agentes, obliti sunt beneficiorum ejus, et mirabilium ejus, quæ ostendit eis in illa. Ideoque quantæ culpæ ingratitudo sit apud Dominum, meruerunt protinus experiti. Denique cum Dei ac sui famuli beneficia magnificare inter suos, et laudibus dignis attollere tenerentur; illi magis ea occultare ac tegere satagebant. Cum ecce subito in patris sui conspectu, dæmon revertens in domum suam unde exivit, novissima hominis istius pejora prioribus faciens, per os

Liberatur ope S. Erminoldi.

Denuo ob ingratitudinem occupatur.

AUCTORE MONACHO ANONYMO.

ejus cœpit horribiliter exclamare : Quæ vos occultare nitimini, ego faciam omnibus manifesta. Hoc dicto acrius eam cœpit, quam antea, cruciare. Igitur amici ejus merita ultione confusi, vexatione dante, ut assolet, intellectum, ad cor redeunt, sua ingratitudine pœnitentes. Itaque ad benefactoris sui refugientes auxilium, ut sui misereretur et patientis, negligentiæ ipsorum dignanter oblitus, humillime postulabant. *Liberatur.* Apud sepulchrum igitur viri Dei denuo pernoctantes, Domino sui famuli merita declarante, mane sanam eam et incolumem receperunt. Sicque Dominum collaudantes, ut decuit, cum sana et læta lætantes ad propria sunt reversi.

Monocula visum integrum recipit; 33 Mulier quædam per octo annos oculo uno prorsus orbata, plena fide ad sepulchrum Confessoris accessit. Quæ cum tota devotione mentis oraret, coram omnibus, qui ad Annuntiationis Dominicæ festa convenerant, lumen ad revelationem insignium meritorum et gloriam Christi famuli declarandam læta recipit, turbam non modicam habens suæ testem illuminationis, et Dei et ejus famuli laudatricem.

Distortus gressum : 34 In parasceve quædam de Ratispona mulier puerum fere septennem adduxit ad memoriam viri sancti, distortos imo prorsus inversos pedes habentem, ac impotem ambulare. Pro quo dum mater tota die usque ad horam prandendi precibus institisset, integræ puer est restitutus sanitati, qui et in miraculi perpetrati memoriam de fratrum prandentium manibus sæpe postmodum panem et cibos accipiens, domum detulit matri suæ.

Item alia. 35 Alia quædam mulier puellulam ferme quinquigenem similiter pedes habentem inversos, et numquam valentem aliquid ambulare, ad Sancti sepulchrum in vigilia Pentecostes apportavit. Et ecce inter compulsandum ad Vesperas, plurima turba præsente, plantis ejus ac pedibus ad rectitudinem restitutis, usum gradiendi recepit, juxtaque sepulchrum primo quidem pedetentim obambulabat, deinde vero diatim magis magisque proficiens, integraliter est curata.

Epileptica sanatur. 36 Heroldus quidam civis de Ratispona filiam habuit, quæ morbo epilepsiæ adeo vexabatur, ut quotidie bis vel ter elideretur ad terram. Pro qua dum parentes, per dies triginta continuos, ad sepulchrum sancti viri eam ponderare voluissent, implevissentque quod voverant, filia reddita est integræ sospitati, obviantibus sibi Dei misericordia, et voventium et reddentium veritate. Qui et Sancti beneficio respondentes, curatam eamdem ad viri Dei sepulchrum, cum una candela per annos singulos obtulerunt.

Debili usus membrorum restituitur. 37 Mulier quædam Alhaidis dicta de Tutenwach, omnium destituta membrorum officiis, viro Dei ad censum nummi unius annis singulis se devovit. Nec mora : quæ omnium membrorum usu caruerat, omnium membrorum gavisa est se usui restitutam.

Ex vulneribus diu ægersanatur. 38 Duo quidam satellites simul erant ad prandendum, et capta præda quando dividunt spolia tales, cœperunt mutuo corrixari, uno accusante quod minus sexaginta denariis recepisset, altero propter domini sui potentiam quem habebat, verba socii contemnente, et irrogante insuper illi contumelias et terrores. Ille injuriæ acceptæ non immemor, exinde quærebat opportunitatem ut eum traderet, cum sibi fortuna *a*..... qui gravamem intulerat. Quadam itaque die læsus et læsor obviaverunt sibi, et injuriatorem se agentem incautius injuriatus gladio petiit improviso, vulneratumque gravissime ad terram usque prostravit. Quo jacente, super dolorem vulnerum ejus addidit ampliora, et plagis impositis abiit semivivo relicto. Delatus igitur ad hospitium lacero corpore, biennio lecto decubuit, ita quod nullatenus valebat assurgere de eodem. Uxor autem illius flebat quotidie, et lugebat, eo quod unde conduceret medicum non habebat. Tabescente sic illo, et illa mœrente, nocte quadam reverenda quædam matrona, flenti uxori non per somnum, ut assolet, sed clarissima visione apparens : Quare mœrore consumeris, ait, absque profectu? Virum tuum B. Erminoldo transmitte, et remittet eum incolumem. At illa : Quomodo eum sibi transmittam, cum de lecto nequeat se movere? Respondit quæ apparuerat : Tantummodo voveat se iturum, et vires augebuntur. Hoc dicto disparuit. Uxor vero narravit viro quæ viderat, qui facto voto, mane accepto baculo iter aggressus, licet cum difficultate, ad tumbam Sancti devenit, seque ponderans domum regreditur; plenam, ut credimus, postmodum capiens sanitatem.

a Aliquid videtur deesse.

CAPUT VII.

Alia impensa mortalibus beneficia.

Oculus cuidam restituitur : Aurifex quidam, Gotfridus nomine, gente Suevus, vir miræ simplicitatis, in artis illius omni genere cunctis qui erant Ratisponæ peritior, gravissimam oculorum patiebatur infirmitatem, adeo ut unus oculus excæcaretur, insuper versus in cruentam carnem et nigram; non autem habens pretium medicos conducendi, cum vetularum ac mulierum experimenta quam plurima sine profectu aliquo requisisset, audivit mulierem peritissimam in hujusmodi esse apud *a* Herbipolim; ad quam dum pergere decrevisset, sed careret expensis, consultum est ab amicis, ut omissis omnibus, suffragia Beati requirat Erminoldi : quibus ille consentiens, oculo argenteo fabricato, ad sepulchrum Sancti eo se ponderavit. Mira res! sub spatio noctis unius oculum sanum ac purum perspicaciorem-que recepit, quam ante morbum se meminit habuisse.

a

Alteri gressus. 40 Henricus quidam civis de Ratispona, die quadam venit in Prufening, Deo et sancto suo supplicaturus. Qui audiens inter multos a Sacerdote, qui celebravit, Dei famulum commendari, habere se filiam testabatur, quæ cum octo annis numquam ad ambulandum terram suis pedibus tetigisset, ipseque adductam eam tribus ponderasset vicibus ad viri Dei sepulchrum, adepta est integram sanitatem, quæ firmis nunc gressibus usque in diem utitur hodiernum.

Mulier fraudulenta corrigitur : 41 Materfamilias quædam de Ratispona, cum per se venire non posset, nummum ad offerendum accendendasque candelas, per mulierem manentem secum in domo ad sepulchrum viri Dei transmisit. Quæ cum aliis mulieribus veniens, candelas quidem accendit, nummum obtulit ad sepulchrum, sed clanculo retrahens ipsum, et fraudulenter marsupio suo eum imponere cogitabat et reservare. Sed mirum in modum duo digiti, quibus illum abstraxerat et tenebat, ita continuo sibi sunt coastricti, ut eos nec ab invicem solvere, nec nummum excutere prævaleret. Abiit ergo cum sociabus tristis et mœrens. Quæ cum venisset in campum, causam ab illa fletus inquirunt. Illa suum confessa reatum, manum protulit subtractricem, digitis adhuc tenaciter cohærentibus, et tenentibus quod abstulerant in occulto. Quem cum mulieres avellere niterentur, nihilque proficerent, saniori usæ consilio, cum rea regressæ, manum cum furto super tumulum posuerunt, pro absolutione furis, Deum ejusque piissimum Confessorem suppliciter invocantes. Statimque digiti, qui ad furandum auferendumque cohæserant, ad restituendum laxati sunt et soluti. Denario itaque misso in arcam, mulieres cum gaudio Deum laudantes et famulum ejus, ad propria rediе- *restituitur.* runt. Accepit autem omnes timor, et magnificabant Deum, qui hoc miraculum audierunt.

Alia auditum recipit. 42 Altera quædam Leukardis tantam incurrerat surditatem, ut tinnitu aurium crebro nimium læderetur : quæ tumbam viri Dei tertio visitans, plenam adepta est sanitatem.

Alia oculorum dolore levatur. 43 Alia quædam mulier tantum dolorem patiebatur in oculis, ut multo tempore clausis eisdem cæca esse crederetur,

credederetur, quæ cum ad auxilium viri Dei devota venisset, statim in ipso ingressu ecclesiæ diu clausi sunt aperti. Apertionem autem eorum tanta est lacrymarum effusio subsecuta, ut vestes mulieris usque ad pectus adeo madi darentur, ut perfusæ fluvio viderentur. Accessit ad tumbam, Deo gratias agens, ejusque magnifico Confessori : domum inde rediens, plena post modicum gratulata est sospitate.

Alia miracula intercederunt.

44 Multa quidem et alia signa fecit Jesus, famulum suum honorans, quæ non sunt scripta in libro hoc, quæ vel quorumdam simplicium Fratrum humilitas ultro suppressit, vel aliorum incuria oblivioni tradidit negligenter. Hæc autem, quæ auribus nostris audivimus, Patres nostri annuntiaverunt nobis, et seniores fide dignissimi, brevi calamo perstringentes; futura, quorum Deus sibi notitiam reservavit, adnectenda committimus diligentiæ posterorum. Nam fiduciam talem habemus in Domino, quod nisi requirentibus famuli sui dilecti suffragia devotionis et fidei vasa defecerint, sui oleum non deficiet Elisei, ipso præstante, qui est benedictus in sæcula sæculorum, Amen.

a Urbs est Franconiæ primaria, vulgo Wirtzburch, *ad Mœnum fluvium.*

ANACEPHALÆOSIS.

a Origo monasterii Prufeningensis.

a Cum fidelium pia devotio amplius et perfectius circa nota quam incognita moveatur, ut universi, qui præsentem sunt ingressuri basilicam, cœnobii hujus Prufeningensis originem ac profectum usque in hæc tempora non ignorent, pagellam hanc omnibus accessuris, vice speculi duximus adhibendam. Sciendum est igitur, quod anno post partum Virginis gloriosæ MCIX, beatissimus Pater S. Otto Babenbergensis Episcopus, divina revelatione præmonitus evidenter, *b* ut in gestis ejusdem plenius continetur, locum hunc in Dei ac S. Georgii Martyris victoriosissimi fundavit honorem; eoque in domibus, habitaculis, officinis, claustro, convenientibus, per ipsius studium et industriam laudabiliter consummato, ac communito liberaliter et abunde prædiis, silvis, ceterisque possessionibus, quas necessitas cœnobialis vitæ requirit, Fratres collegit et instituit in eodem, qui sub Beati regula Benedicti Deo ibi perenniter militarent.

b

Abbas Erminoldus, antea Lorsacensis.

46 Collecto ergo conventu B. Erminoldum, cujus sepulchrum in medio basilicæ cernitur, huic Ecclesiæ primum Domino disponente præfecit Abbatem, evocatum tam multiplicibus, quam supplicibus litteris de Hirsaugiensi cœnobio : in quo sub B. Wilhelmi regimine monasticæ vitæ jugum portaverat ab adolescentia sua. Unde jam pridem propter summam perfectionem vitæ laudabilis, cujus famæ præconium longe lateque percrebuerat, ad Loracensem Ecclesiam electus est Abbas, et ab Henrico Quinto nominis hujus Imperatore, regalibus solemniter investitus. Cui Ecclesiæ cum paullo plus quam anno gubernatione sanctissima præfuisset, ac sub tantillo spatio temporis, non minus quam quadraginta Domino sanctæ religioni filios aggregasset; et ibidem, propter quemdam conscientiæ levem scrupulum, culpam timens ubi culpa omnino non erat, dignitatem Abbatiæ illius resignans, cum fratribus Deo collectis ad Hirsaugiense cœnobium remigravit : ubi cum suis jocunde receptus est et servatus, et aliquanto tempore demoratus ibidem. Demum anno Domini MCXIV, a venerabili fundatore nostro, huic loco, ut dictum est, gubernando præficitur primus Abbas, et rogatu venerabilis Domini Hartwici tunc Ratisponensis Episcopi et consensu, per sanctæ memoriæ Udalricum Pataviensem Episcopum in Abbatem solemniter consecratur.

Auctore Monacho Anonymo.

Occiditur.

47 Cumque in cura suscepti regiminis boni pastoris instar, verbo pariter et exemplo subjectos a malo retraheret, provocaret ad bona, nihilque negligeret faciendum, sed invigilaret divinis operibus incessanter; diabolus sua damna et Dei lucra videns et invidens quotidie crescere per eumdem, quosdam malitiæ suæ satellites ad sancti Patris animavit interitum, et armavit. Ne igitur venerabilis Christi Confessor, qui regimine Patriarchas, Apostolos documentis et signis, virgines castitate concives habere meruerat, Martyrum quoque palma careret; post multas injurias, contumelias, et terrores, ab uno ministerio diaboli, ligneo per insidias vecte percussus, aliquamdiu supervivens, tandem in sancto Epiphaniarum die sub Hymno videlicet Angelorum, ad Angelorum Regem et regionem glorioso fine transivit; sicut in ipsius festi vigilia, Prophetico, quo plenus erat, spiritu ipse prædixerat; eo ipso nos, quod pro signo sui dederat vaticinii, certiorans, quod numquam videlicet divinum cessare deberet obsequium in hoc loco : quod et ex tunc usque in hæc tempora, sicut patet, ejusdem Patris, ut credimus, meritis et obtentu in suo statu permanet et vigore.

Illustratur miraculis.

48 Spiritu igitur migrante ad cælos, corpusculum sancti Patris in eo, quod in præsentiarum cernitur, sepulchro, devote reconditum, innumeris mox cœpit virtute Christi miraculis coruscare, cæcis visu restituto, quam pluribus contractis et claudis gressu, resolutione turgentibus et inflatis, epilepticis, paralyticis, energumenis, dæmoniacis, surdis, hæmorrhoicis, sospitate potita; blasphemis vero punitis, igne tabifico, lepra et morte postremo, quæ merebantur punitis et correctis, accedentibus vel agentibus aliquid circa ipsius tumulum fraudulenter, sicut libro miraculorum ipsius plenius manifestatur.

49 Ceterum inter virtutes et signa, quæ diximus, non debet hoc minimum reputari, quod cum aliquanto jam tempore memoria sancti Patris ab hominibus intermissa fuerat et neglecta, nunc tandem tam crebra visitatione accedentium jam continuo renovatur, ut hoc, quod de justo per Sapientem scriptum est : Non recedet memoria ejus, et nomen ejus requiretur a generatione in generationem, ipso facto et evidentia in eo sit impletum. Propter quod profecto speramus, quod Deus omnipotens in suo famulo glorificari, et in se glorificare disponens eumdem, omnes qui per ipsum Domini beneficia postulaverunt, pie, fideliter et attente, misericorditer vel ad votum exauditurus sit vel ad fructum. Cursim ista perstrinximus et summatim, quatenus omnes, qui Dei ac famuli sui patrocinia postulaturi advenerint, ipsius aliqualiter merita cognoscentes, exauditionis suæ fiduciam eo ipso concipiant ampliorem apud Deum, qui est benedictus in sæcula sæculorum, Amen.

Eccl. 39. 13.

a *Sejunxi sequentia a reliqua narratione, cum qua nulla ratione connexa sunt, sed ejus quoddam potius compendium, quod fortassis in tabula quapiam propositum erat in ecclesia Prufeningensi.*

b *Lib.* I *vitæ ab Henrico Canisio editæ num.* 11.

DE BEATO GUARINO EPISC. SEDUNENSI.

SÆCULO XII. VI JANUARII.

Guarini natalis :

Sedunum *Valesianorum civitas est ad Rhodanum, vulgo* Sitten, *Gallis* Sion. *Hic* Guarinus *Episcopus fuit, quem Hugo Menardus, ex vetusto Missali ante centum annos excuso, recenset in catalogo Sanctorum et Beatorum Ordinis Cisterciensis. Ejus natalem refert Chrysostomus Henriquez in Menologio Cisterciensi* VIII *Id. Januarii his verbis :* in Alpibus B. Garinus Episcopus, qui prius in rupibus illis sanctissime vixit, et

Ex variis. et humilitatem demissam amplectens, puritatem et simplicitatem cordis obtinuit. Contemplationi summe deditus, omnem externarum rerum tumultum fugiebat. Monachos laxe viventes reformavit, et eos rigori Cisterciensi subjecit. Cumque virtutum ejus fama se circumquaque diffunderet, Sedunensis Ecclesiæ Episcopus creatur, ibique Pastorem vigilantissimum se exhibens, variis sanctitatis titulis ornatus, in senectute bona piissime obiit. *At Kalendarium Cisterciense Divione editum,* VI *Februarii hæc habet:* Garinus Abbas Altæcumbæ, Episcopus Sedunensis. *Est apud Cl. Robertum aliud ab* Alpensi *monasterium* Altæcumbæ *situm ad lacum* Burgetum. *An* Beati *aut* Sancti *titulus* Guarino *olim ab Apostolica Sede fuerit decretus, haud scio; probabile tamen fit, cum passim et publice* Beatum *haberi et appellari in Ordine suo asserant Cistercienses quamvis nulla de eo in propriis Officiis fiat Commemoratio. Andreas quoque Saussayus in Martyrol. Gallicano* Beatum *vocat, atque insigni ornat elogio.*

not. 107. 2 *Qui vir fuerit* Guarinus, *colligi potest ex S. Bernardi Epistola* 233, *in qua hæc ad ipsum scribit Guarinum, ejusque monachos:* Reverendo Patri et omni veneratione digno Domino Abbati Alpensi Guarino, et universis ejusdem loci Fratribus, Frater Bernardus vestræ sanctitatis servus, de bono in melius semper proficere. Revera nunc in te, Pater, experior, quod in sacris litteris legisse me memini: Cum consummatus fuerit homo, tunc incipit. Jam seni requies, jam corona debebatur emerito; et ecce tamquam novus in Christo miles, nova iterum tibi excitas bella, provocas adversarium, et rem fortium præsumis fessus senex, dum ad iterandum certamen, antiquum hostem, et jam quodammodo invitum compellis. Enimvero dum præter morem tuum, tuorumque prædecessorum traditiones, divinitus inspiratus Ecclesias et Ecclesiastica beneficia relinquis, synagogas satanæ, id est, cellulas extra cœnobium, in quibus tres vel quatuor Fratres sine ordine, sine disciplina habitare solent, destruis, feminas a monasterio arces, ceterisque pietatis ac disciplinæ bonis studiosius invigilas solito; quid aliud primus et maximus ille peccator nisi videbit et irascetur, dentibus suis fremet, et tabescet? Sed quæ cura? Econtra tu in ejus confusione et tua consolatione cantabis Deo tuo: Qui timent te, videbunt me, et lætabuntur, quia in verbo tuo supersperavi. Nec timendum quod succumbat hosti, qui nec cedit ætati: vincit annos animus, et frigenti jam corpore fervet sanctum in corde desiderium; artubusque fatiscentibus, durat tamen incolumis propositi vigor; nec sentit rugosæ carnis infirma spiritus promptus. Nec mirum: ut quid enim metuat veterani domicilii ruinas, qui fabricam spiritualem videt indies in sublime consurgere, proficere in æternitatem? Certus namque est, si terrestris domus ista dissolvitur, quod ædificationem habet ex Deo, domum non manu factam, æternam in cælis.

Eccli. 18. 6. *Vigor in senectute.*

Pia instituta:

3 *Fuse deinde probat S. Bernardus, monachum semper proficere debere, ac tandem subdit:* Quod quidem sic adstruimus exemplis, ut probemus et oculis; dum in te, Pater, manifestum fit nobis quod dicitur: cujus quippe etsi homo exterior corrumpitur, sed interior renovatur de die in diem. Unde enim tantus ardor innovandi Ordinis, nisi ex renovatione mentis? Sic bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bona: sic arbor bona fructus bonos facit. Primi et purissimi fructus tui. Sed quænam arbor hos protulit, nisi puritas cordis? Alioquin quando impurus animus tanto studio regulæ inquireret eligeretque puritatem? Nec de turbido fonte limpidus emanat rivus, nec de sordida mente munda cogitatio. Intus est procul dubio, intus est quod delectat: et ex illa plenitudine intrinseca erumpit totum, quod foris exuberat: atque in mente fulget, quod sic placet in opere.

Quotidiana innovatio:

4 Sequimini filii Patrem: imitatores ejus estote, sicut et ipse Christi. Dicite: In odore unguentorum tuorum curremus, siquidem bonus odor Christi est in omni loco. Nam ut taceam de vobis, qui præsentes cominus percipitis fragrantiam, tanta ad nos usque, qui longe absumus, ex studiis ejus bonis pervenit hujus suavissimæ respersionis ubertas, ut nobis certissime fiat odor vitæ ad vitam. Puto quod et in cælestibus id jam persenserint in odorem suavitatis, et quadam solito festiviori exultatione decantent: Quæ est ista quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ et thuris, et universi pulveris pigmentarii? Et illud: Emissiones tuæ paradisus malorum Punicorum cum pomorum fructibus. Quicumque inter vos hunc in cælis jubilum non audit, invidet. Quisquis hunc non sentit odorem, ut omnium pace dixerim, putet. *Hæc Bernardus, cum adhuc Abbas esset Guarinus.*

Celebre nomen.

Promotio ad Episcopatum.

5 *Electus est deinde Sedunensis Ecclesiæ Antistes. Quam electionem mirifice probavit Bernardus, et mœrentes Monachos Alpenses consolatus est Epistola* 142, *quæ incipit:* Bonus Pater vester atque noster, auctore Deo ad altiorem gradum assumptus est, *etc. Sub finem hortatur, ut ejusdem Guarini consilio, et Godefridi Prioris Claravallensis, maxime idoneum eligant sibi Abbatem.* Alpensis *cœnobii meminit idem Bernardus Epist.* 28. Guarini *vero Bernardus Ab. Bonæval, vitæ S. Bernard. l.* 2, *c.* 8.

DE VENERABILI VIRGINE
GERTRUDE AB OOSTEN BEGHINA
DELPHENSI IN BELGIO.

An. Chr. mcclviii. VI Januarii. *Gertrudis* van Oosten *celebre nomen.*

Hujus sanctæ virginis celebris est in nostratibus Historicis memoria, sacris etiam fastis adscripta, etsi nondum solemni Ecclesiæ judicio consecrata, quod quidem compererim. De ea Carthusiani Colon. in Addit. ad Usuardum editis anno MDXV *et* MDXXI. Item beatæ memoriæ Gertrudis de Oesten Beginæ Delphensis, quæ stigmata Christi impressa habuit in corpore suo. *Eadem habet Martyrologium Germanicum. Molanus in Addit. ad eumdem Usuardum:* Delphis in curia Beghinarum obitus Venerabilis Gertrudis de Oosten, cujus vita habetur. *Martyrologium Gallobelgicum:* S. Gertrudis de Oosten Beghina, nata Vorburgi, sepulta Delphis Hollandiæ oppido in æde S. Hippolyti. *Ferrarius in Generali catalogo Sanctorum:* Apud Delphos in Batavis S. Gertrudis virginis. *Sed in nova Topographia Martyrologii Romani fœde hallucinatur idem Ferrarius, ad nomen* Delphi *ita scribens:* XVII Martii, Gertrudes virgo Ordinis Prædicatorum *A. D.* MCCCXL. Sur. tom. 7, ex qua urbs Hollandica in Brabantiæ confinio S. Gertrudenberch nominata. *Gertrudenberga dicta creditur a S. Gertrude filia Ducis Brabantiæ, quæ colitur* XVII *Martii, non Delphis, sed Nivellis, mortua anno* DCLXIV, *unde patet, non fuisse Ordinis Prædicatorum. Quæ Delphis celebris habetur Gertrudis fuit Begina, mortua anno* MCCCLVIII, VI *Januar.*

2 *Meminit*

2 *Meminit hujus et Authertus Miræus in Fastis Belgicis, et fusius Molanus in Natalibus Sanctorum Belgii his verbis:* Delphis in curia Beghinarum memoria B. Gertrudis de Oosten, natæ in Voerburch, quæ obiit an. MCCCLVIII, in die Epiphaniarum Domini. Hæc virgo erga passionem Domini multum fuit devota; unde et Christi stigmatibus insigniri meruit. De ea quædam leguntur in vulgaribus Hollandiæ Chronicis: sed multo plura Latino sermone extant manuscripta. Ponitur autem quotannis crux illa, unde stigmata accepit, in die obitus in altari, et solemni concursu invisitur. Sepulta est sub campanili ad D. Hippolytum. Et privatæ ædes, quas inhabitavit, etiamnum notæ sunt. *Alia subdit de origine et sanctitate Beghinarum Belgii, de quibus plures his annis scripti sunt libri. Andreas Saussayus in Martyrologio Gallicano:* Ipso die denascitur Delphis in Brabantia *(voluit* in Hollandia *scribere)* venerabilis virgo Gertrudis Oistensis, quæ, ob singularem erga Christum passum pietatem, ejus stigmatibus insigniri meruit.

Crux, unde stigmata accepit, servata.

Vita Gertrudis.

3 *Vitam Gertrudis edidit Surius, sed stylo suo: nos phrasim antiqui Auctoris restituimus ex fideli* MS. *Ecclesiæ S. Martini Ultrajecti. Aliam breviorem exhibebat* MS. *codex Rubeæ vallis, a Joanne Gilmanno aut Antonio Gentio conscriptam. Ejus vita olim Lovanii edita lingua Belgica anno* MDLXXXIX, *et nuper ab Heriberto Rosweydo Nostro in libro de Sanctis Virginibus, quæ in sæculo vitam duxere: utrobique* Sancta *appellatur. Italice eam vertit ex Surio Silvanus Razzius tom.* I *de feminis sanctitate illustribus, qui* Beatam *appellat. Joannes Gerbrandus a Leydis Chronici Belgici lib.* 28, *cap.* 4, *hujus vitæ aliquot capita, iisdem fere quibus eam hic damus verbis, refert, eamque ita citat:* Plura etiam prædixit, et miranda gessit, quæ omnia brevitatis gratia pertranseo. Nam plenius in ejus Legenda inveniuntur descripta. *Mortuus est Joannes Gerbrandus anno Christi* MDIV, *ut Valerius Andreas testatur. Agit de Gertrude fuse Josephus Geldolphus a Ryckel Abbas S. Gertrudis Lovanii in Appendice notarum ad vitam S. Beggæ* §117.

Unde ab Oosten *dicta.*

4 *Dicta vero est* van Oosten, *sive* ab Oriente, *ob vernaculum carmen jambicum dimetrum catalecticum, et numero pedum ac syllabarum certo constans rhythmo, quod illa frequens concinebat, cujus initium est:* Het daghet in den Oosten, *id est*, ab Oriente dies nascitur. *Aliud Lovanii excusum est itidem dimetrum vernaculum carmen, simplex ac pium, quod illa composuisse ac sæpius cecinisse memoratur.*

VITA

EX MS. ULTRAJECTINO.

CAPUT I.

Gertrudis patria: conversionis occasio.

Gertrudis habuit Christi vulnera in corpore suo.

Gheertrudis de Oesten, virgo venerabilis et Beghina devota, sed solemniter, non sine summi Pontificis auctoritate, veneranda, stigmata Domini nostri Jesu Christi nocte Paraseeves an. MCCCXL, suscepit in corpore suo: de quibus sanguis effluxit per dies multos septies in die, stupente populo prograndi miraculo. Quod idcirco præmittitur, ut ejusdem Virginis vita gratius audiatur.

a
b c
d

Ejus patria ac parentes. Gal. 2. 6. Act. 10. 34.

2 Gheertrudis ista de villa quadam *a* Hollandiæ, quæ *b* Voerburch dicitur, et est media inter *c* Hagam-Comitis ejusdem patriæ, et civitatem *d* Delf, fuit orta, villanis parentibus. Unde patuit, sicut scribit in Epistolis Paulus, et dicitur in Actibus Apostolorum: Non est personarum acceptor Deus. Proinde puerilibus annis domi simpliciter transactis, cum Gertrudis, simplex ut columba, cœpisset non solum coram Deo sed et coram hominibus apparere virgo prudentissima; venit in Delf prædictam, more ancillarum ministrare diversis in locis, utpote temporalibus rebus tenuis.

Delphis famulatur.

Ex MSS.

Pie vivit in sæculo.

3 Quamvis autem in illa civitate non erant pro tunc monasteria sororum et fratrum, sed solummodo duo templa, scilicet ecclesia parochialis, habens ad amplius tria altaria; et hospitale pauperum cum altari pro necessitate infirmorum, essentque domus multæ absque habitatione dispositæ; tamen concurrentibus utriusque sexus populis diebus festivis, non ad prædicandum, sed ad chorizandum; attamen hæc ancilla Deo dilecta tam devota fuit in hospitiis serviendo, tamque interna, quod sæpe tantam divinæ bonitatis sensit dulcedinem in medio turbarum, quantam postea frequenter experiebatur in cohabitatione Beghinarum. Sicque per gratiam Dei sensit et experta est inter Beghinas, quam veraciter scriptum est: Spiritus ubi vult spirat. Et iterum: Ubi spiritus Domini, ibi libertas. Hanc autem gratiam Virgini huic datam inter mundi turbines et populares nemo cognovit: sed postmodum Beghinis cohabitans, dum requirebatur a quadam honesta persona, qualiter se gerebat inter mundana servitia, hoc revelavit. Sic igitur cor virginis Gheertrudis erat in sæculo procul a sæcularibus et temporalibus rebus recollectum in Deo: ut pia Virgo, mente benigna, hilaris facie, humilis corde, cunctis placeret laudabili sua conversatione.

Joan. 3. 8. 2. Cor. 3. 17.

De Oosten unde dicta.

4 Nomen vero, imo cognomen sibi contraxit a quodam carmine: ut propter Orientis nomen carmini insertum vocaretur Gheertrudis de Oriente, vel vulgariter magis, de Oosten: sed cantando ferebatur spiritu, referendo carmen ad dilectum suum Jesum Christum. Eodem tempore duæ ancillæ, quarum una dicebatur Lielt, altera Diewer, frequenter veniebant ad præfatam Gheertrudim de Oosten, et frequentabant hoc canticum cum eadem in pontibus civitatis, vel aliis opportunis locis, bene canendo prædictum carmen. Sed et istæ ancillulæ postea, sicut et Gheertrudis, a vana sæculi conversatione ad Dominum sunt conversæ; et Diewerdis Gheertrudi cohabitabat in Beghinagio: quod sic accidit providente Domino.

Duæ ejus sodales.

5 In tempore namque quo Gheertrudis satagebat circa frequens ministerium, fideliter ministrando hominibus propter tale lucrum, gerebat animo servire Domino Deo soli, et placere sponso cælesti; sed experiebatur prius esse fallacem amorem mundi, sufferendo despectum terreni sponsi. Nam desponsata fuerat cuidam adolescenti, qui tamen eam despexit, et alteram ducere voluit: quam cum Gheertrudis monuisset ne sponsum sibi præriperet, illa de monitione nihil curavit, sed Gheertrudim contemnens, viro prædicto nupsit. Deinceps igitur Gheertrudis despecta, considerans fidem sibi non servatam in terris, integritatem suam Domino fideliter servare proposuit, qui et integram fidem demonstrat et servat, utpote Rex cælestis. Cum vero succedente tempore prædicti sic copulati conjugio, filios generarent, supra modum laborabat mater in parturiendo, et partus tempore non potuit liberari vel a prole vel a dolore, nisi prius Gheertrudim virginem placaret, pro infidelitate sibi facta veniam rogando: et sic mulier cruciabatur, donec Gheertrudis eidem succurreret, Dominum pro ea flagitando.

Gertrudis cuidam desponsatur.

Ab eo despecta, Christum eligit sponsum.

a Hollandia *illustris toloque orbe celebrata Belgii provincia.*
b *Vulgo* Voorburch.
c *Oppidum Hollandiæ peramœnum, sedes Comitum olim, nunc Gubernatorum.*
d Delpha, *aliis* Delphi, *oppidum Hollandiæ elegans et opulentum.*

CAPUT II.

Religiosa ejus exercitia: tentationes.

Interim Gheertrudis sic experta infidelitatem adolescentis exonerari volens a cunctis mundi sollicitudinibus, ut sine impedimento serviret cælesti sponso Jesu Christo, qui hactenus eam custodierat in castitate corporis, intravit Beghinagium, cum omni humilitate petens et accipiens locum, secundum suum desiderium

Gertrudis fit Beghina.

Ex mss. desiderium inflammatum. Cum igitur Virgo Deo accepta sic a Beghinis perpaucis esset acceptata, se totam Christo fideliter obtulit cum magna devotione, et omnimoda diligentia, humilem se præbens in verbis, in actu, et habitu, ac omni conversatione; patiens in quacumque superveniente superventuraque adversitate, ut sic Deo foret amabilis, et omnibus hominibus amicabilis.

7 Frequenter autem peccata sua coram Deo et coram Sacerdote confitens, deplorabat sic quod in principio conversionis suæ XIV diebus et totidem noctibus a lacrymis non cessabat. Quo tempore luctus et fletus remissionem peccatorum suorum promeruit, sicut per revelationem sibi Deus manifestavit. Iterumque cunctis illis diebus, quibus lacrymæ suæ fuerant sibi panes die ac nocte, si quid cibi corporalis sumpsit, hoc ipsum valde modicum fuit; nec sine fletu et planctu. Deinde hæc Deo devota filia simpliciter ambulans et confidenter in via immaculata, et in semita mandatorum Dei progrediendo, et perficiendo secundum suum nosse et posse, quæcumque beneplacita constabant illi; satagebat semper peramplius atque perfectius proficere in vera humilitate, in voluntaria paupertate, in sancta Christi caritate, in contemptu suipsius, et omnium terrenorum, ceterisque virtutibus, quibus æstimatione sua placere posset cælesti sponso suo Jesu Christo, pro habenda venia, gratia, et gloria.

Divinitus intelligit peccata sibi remissa.

Præ inopia mendicat.

8 In principio conversionis suæ, propter temporalium inopiam, mendicabat, amore illius maxime spiritualiter affectata, qui cum dives esset, pro nobis egenus factus est. Sin vero invitabatur domum intrare ad manducandum, cum gratiarum actione sumebat panem sua mendicitate procuratum. Frequenter ancillas et alios quoslibet homines admonebat emendare vitam: et cum ancillæ requirerent unde viverent, talem dedit responsionem brevissimam: Ancillis Deo servire cupientibus sufficit fusum digitis apprehendere, adjuncta bona voluntate.

Hortatur alios ad vitæ emendationem.

Frequentes ecstases patitur.

9 Quadam vice Gheertrudis ista invitata ut ederet in domo cujusdam matronæ Aleydis Willemanni cognomine, per posticum ingressa mansit immobilis ibi sedendo super cespites: quam gratia Dei præventam et sublevatam, qui dignoscebant eam, sedere permiserunt admirantes. Nam sæpe contigit illi per gratiam Dei sex hebdomadis aut amplius in sua manere camerula; tuncque Deus ex sua misericordia manifestavit ei sapientiæ suæ secreta. Deinde cum virgo Gheertrudis ab internis ad externa rediret, comedit quidquid manui prius occurit, utpote panem mucidum vel induratum, sumpsit pro potu lac coagulatum, vel liquorem alium.

Insipidis vescitur.

Vigilia se macerat.

10 Septennium peregit sine competenti naturæ suæ sumno. Quo tempore frequenter vexabatur a diabolo, qui diversas Virgini tentationes et molestias immittens, apprehendit ejus brachia vel manicas fremens ac frendens, tamquam pelliceum Gheertrudis exuere cupiens. Cum vero sic vexaretur a dæmone, sæpius eum nominavit nomine suo, dicens improperando: Fuge miser diabole; vel secundum idioma *a* Teutonicum improperabat ei casum quo ceciderat in infernum. Quod dum diabolus audire doleret, sustulit eam sæpe de loco ad locum, et aliquando de terra in aere sublevatam deposuit: *b* nec tamen illi nocuit; nam Deus sponsus ejus eamdem lædi non permisit. Tentatione vero molestiisque transactis, Virgo gaudebat in Domino, sciens quoniam beatus ac felix qui suffert tentationem, et cum probatus fuerit ac cognitus fidelis, accipiet coronam vitæ, quam promisit Deus diligentibus se: et quia nemo coronabitur, nisi qui certaverit legitime.

Tentatur a diabolo.

Ei insultat.

a

b

Ab eo alio sublata non læditur.

11 Infantes dilexit et pueros hæc virgo Gheertrudis. Quapropter diabolus sæpe se transfiguravit non in Angelum lucis, sed in formam pueri plangentis et lugentis, ut sic occuparet animum Virginis, vel averteret a Deo, sine divinis. Sed Christi virgo noscens et respuens dæmonem, dicebat: Discede a me spiritus maligne, quia non es tu dilectus animæ meæ.

Tentatur ab eo specie pueri plangentis.

a *Duplici lingua Belgæ utuntur,* Romana, *sed corrupta, quam vulgo* Gallicam *dicimus: et* Teutonica, *sive* veteri Gallica *aut* Germanica, *sed molliori dialecto, quam superiores Germani: et hanc Flandri, Galli et exteri* Flandricam *vocant; reliqui Belgæ* Teutonicam, *sive* Tuiscam, inferiorem Tuiscam, *aut etiam* Belgicam *appellant. Hac utuntur Frisii, Gelri, Hollandi, Selandi, plerique Brabanti, Flandri, Limburgii, aliqui Luxemburgii et Hannones.* Romana *sive* Gallica *Artesia, Namurcum, pars Brabantiæ, Flandriæ, Limburgiæ, plerique Hannones ac Luxemburgii.*

b *Addit Josephus Geldolphus a Ryckel:* Quamvis (quod de S. Illidio quoque dicitur) onus imponeret dæmoni, seque deferri vel referri potius imperaret, quam imponi sibi sineret. *Quæ nescio unde hauserit. S.* Illidii *vitam* VII *Julii dabimus, a S. Gregorio Turonensi scriptam, in qua tamen nihil simile legitur.*

CAPUT III.

Meditationes ejus de Christi infantia.

Meditationes Gertrudis;

Exercebat autem se hæc devota Christi famula quotidie meditans in vita Jesu, et ejus passione. Verumtamen secundum cursum temporis in suis exercitiis se conformabat officiis Ecclesiæ sacrosanctæ. Nam in Adventu Domini meditabatur recogitans antiquorum Patrum desideria sublimia, et mirabatur quod Altissimus Dominus dignatus est ad nos venire, et assumere naturam humanam de Virgine humillima Maria; et quod nihilominus adhuc ad nos dignatur venire, mansionemque in animabus nostris facere: si tamen sermones ejus servaverimus, et ei fideliter servire velimus. Recogitabat insuper beneficia, quæ noverat a Deo sponso suo gratuita clementia sibi præstita: qualiter eam prævenerat Deus eligens in sponsam et filiam mirabili gratia. Inter hæc et hujusmodi cogitando mirabiliter Deo regratiabatur, et admirando lætabatur.

In Adventu:

In Nativitate.

13 Deinde in festis Nativitatis Jesu Christi Domini nostri, magna devotione suffulta, recogitabat animis elevatis, prout congruebat festivitati, cooperante quod in ea cœperat, gratia Christi. Meditabatur cum summa cordis dulcedine, quam dulciter illa Virgo purissima et gloriosissima mater Maria dulcissimum filium suum Salvatorem et Dominum nostrum peperit, et quam pie virgineis uberibus dulcissimo lacte manantibus aluit. Meditando quoque mirabatur maximam Salvatoris nostri Jesu Christi humilitatem, qui dignatus est ex sinu Patris cælestis infans apparere parvulus in gremio Virginis Matris: insuper quod ex maxima caritate propter nos homines et propter nostram salutem, sustinere voluit esuriem, sitim, et extremam paupertatem.

Ejus ubera 40 dies lacte manant.

14 In prædictis autem meditationibus maxima replebatur mentis dulcedine, totis virium præcordiis laudans et glorificans Deum, cum summa gratiarum actione. Contigit vero signum maximum virgineæ gratitudinis per dies quadraginta, quod Deus ostendere voluit, præter eam quæ latebat intrinsecus, suavitatis gratia. Nam quadam vice, dum talibus meditationibus operam daret cum magna cordis devotione et dulcedine, delectando in Domino Jesu Christo parvulo nato, cœperunt ipsius Gheertrudis Virginis ubera tumescere, lacteque manare: sicque per singulos dies a festo Dominicæ nativitatis usque ad festum Purificationis non cessavit exitus virginei lactis ex uberibus Virginis: et satiabatur illis diebus dulcedine mirabili considerare altitudinem consilii divini super salute generis humani. Prædictum miraculum tanto mirabilius, quanto rarius: sed credent faciliter, qui legerint et crediderint, *a* S. Lambertum nutritum virgineo lacte cujusdam virginis cæcæ, sed per idem lac virgineum, sicut ab Angelo virgini prædictum fuerat, illuminatæ. Nam secundum Hieronymum omnes veræ virgines sunt Domini nostri Jesu matres, si tamen fecerint voluntatem Patris cælestis.

a S. Lambertus virginis cæcæ lacte nutritus. Marc. 3.

a *Vitam*

a *Vitam S.* Lamberti *dabimus* XVII *Septemb. Quod hic narratur, refert et Anselmus Canonicus Leodiensis in vita S. Lamberti, aitque virgini illi nomen* Linæ *fuisse.*

CAPUT IV.

Impressa illi Christi Vulnera.

Mirandis plus miranda succedunt, quibus auditis et creditis, testimonia Dei de Virgine nimis credibilia fiunt. In tempore prædicto dum Gheertrudis exercebatur in Domini justificationibus, et illius vitæ meditationibus, erat devota quædam Beghina, de qua præscriptum est, nomine Lielt, habitans in eodem Delfensi Beginagio, quæ repleta Spiritu sancto, sicut ostenditur facto, dixit mirabilem gratiam virgini Gheertrudi superventuram. Prædixit enim hæc virgo virgini plusquam per annum priusquam fieret, quod anno transacto manibus et pedibus ac in latere suo dulcissima stigmata Domini nostri Jesu Christi susciperet. Quo dicto, turbata humilis ancilla Christi Gheertrudis, indignam se judicans tanta gratia, respondit verbis humilibus: Unde hoc mihi ut fieret in me tanta gratia Dei? Cognosco me peccatricem magnam, nec in me virtutes possideo cogitatione, locutione, vel opere, nisi Deus dederit ex abundantia divinæ miserationis suæ: nec sibi possem respondere reddens unum pro mille beneficiis mihi datis, nam minor sum cunctis donis illius. Igitur quia de beneficiis acceptis teneor, et illi debeo laudes et gratiarum actiones solvere; rogo, soror dilecta, ne verba talia meis ingeras auribus, nec os tuum repleatur tantis mirabilibus nuntiandis: quia quod scio refero, scilicet indignam me tanta gratia, quod stigmata passionis Dominicæ portarem in meo mortali corpore.

Lielta Beghina prædicit Gertrudi, susceptu ram eam Christi stigmata.

16 Post hoc, anno transacto, nocte Parasceves instante, hæc virgo Gheertrudis attentione magna prostravit se coram crucifixo, prolixius orans in camera sua, meditansque replicabat intento corde fervorem caritatis divinæ, quæ Christum Dominum pro nobis miseris peccatoribus coegit consummari morte tum dura, morte crucis turpissima. Recogitabat elevata mente, diligenter pertractans amaritudinem passionis et mortis amarissimam, totius animæ suæ viribus Deum laudans, et exhibens se gratam. Cum vero mirifica devotione sic præventa transformata foret in amorem, vel etiam compassionem dilecti sui Domini Jesu Christi, mirabilis Deus in Sanctis suis tanta fecit mirabilia Virgini mirabili gratia, sic ut quinque stigmata Domini nostri susciperet vere mirabiliter in quinque membris corporis sui virginei.

Gertrudis 5 vulnera recipit in suo corpore.

17 Susceptis igitur quinque stigmatibus, imo quinque vulneribus, ex contemplatione divina veniens ad humana, clamavit ad cohabitantem sibi Beghinam voce magna: Diewerdis veni, et vide quantam gratiam Deus mihi pauperi concessit ancillæ suæ, non meis meritis, sed ex sua superabundanti pietate. Quæ cum veniret, videns tantam gratiam dono Dei virgini Gheertrudi concessam, obstupuit, et Deum pro tantis mirabilibus largiter et patenter ostensis laudans benedixit. Nam non solum nocte Parasceves illa, verum etiam clara die, sed et deinceps diebus multis ex sacrosanctis vulneribus profluxit sanguis pulcherrimus rubicundi coloris septies in die, per singulas scilicet horas canonicas: qui quidem cruor de stigmatibus profluens, receptus est in peplis ejusdem Gheertrudis sollicitudine præparatis.

Ex iis septies in die sanguis emanat.

18 Novitas ista cito cunctis innotuit, nec latere potuit: unde non solum de civitate Delfensi, sed et circumquaque populus multus, audiens in Virgine Dei mirabilia prodigia, properabant videre quæ facta fuerant. Sed hujusmodi concursus Gheertrudi non placuit. Insuper sæpius propter populi frequentiam cordis molestias experiebatur et tædium, visitantibus eam nimis impedientibus a spiritualibus exercitiis et meditationibus devotis, quibus rapiebatur in Deum, vel in mentis excessum. Considerabat interea, quia timor Domini necessarius est omni homini, et nisi se continuerit in timore, cito subvertetur domus illius, scilicet conscientiæ, vel a dæmone, sive a mundo, vel a propria carne; timens ne forte Deum posset aliqua complacentia mente tenus offendere; et turbam visitantum cernens esse quiddam medium inter se et dilectum animæ suæ, propterea quadam vice nimis a visitantibus animo vexata, rogabat Dominum nostrum dicens voce cordis humillima: Dulcissime Domine Jesu, si fuerit voluntas tua, tunc desidero quod hæc quinque vulnera pietatis tuæ gratia mihi concessa rursum tollas, ne forte contingat mihi a te separari per propriam complacentiam, vel quaslibet alias diabolicæ fraudis astutias.

Molesta est illi frequentia visitantium.

Ex mss.

Orat tolli a se vulnera.

19 Exaudivit autem Dominus orationem virginis, et abstulit illi gratiam quinque vulnerum, sic quod ex eis sanguis non emanabat, sed stigmata tantum deinceps usque ad mortem conservabat. Dehinc in circumferentia cordis magnum dolorem sensit: nam consolatione præteritæ suavitatis, quam tempore profluentis rubicundi sanguinis ex vulneribus ante habuerat, eam carere deinceps oportuit. Post hoc tanto fervore ferebatur ad prædictam gratiam resumendam, ut desiderio desideraret, et prorumperet in hanc vocem, vel simillimam: O si dulcissimus sponsus meus Jesus Christus rursum dignaretur mihi conferre gratiam quinque vulnerum suorum, quæ pro salute mea prius ipse suscepit et pertulit in cruce! Si contingeret mihi sanguinea Christi vulnera portare visibiliter in corpore; non rogarem Deum quod iterum tolleret hæc a me. Potius enim desiderarem, sustineremque me poni spectaculum cunctis hominibus in cupa supra foricampum, ut omnes homines cernere possent insignia divinorum mirabilium, et cernentes laudarent ac glorificarent Deum.

Sanguis deinceps non manat.

Privatur dulcedine divinæ consolationis.

CAPUT V.

Varia ejus vaticinia.

Hæc devota virgo Gheertrudis de Oosten, *a* quæ nomine monosyllabo nuncupatur a medio hujus nominis Gheertrudis sumpto, susceperat ante diem Parasceves in nocte quinque Vulnera Christi, de quibus, sicut præscriptum est, septies in die multis hebdomadis emanavit gratia sanguinis rubicundi, vel ad minus usque ad Ascensionem Domini anno eodem, et ejusdem *b* MCCCXL. Vixit autem postea Gheertrudis annis fere XVIII, sed imbecilli gravique corpore: propter quod ecclesiam visitando, bis aut ter in via solebat quiescendo pausare. Et quamvis gravis erat et corpulenta, tamen in sumendo cibum et potum sobrietatis utebatur mensura.

a

b

Mortua est an. 1358.

Corpulenta erat, sed sobria.

21 Quadam vice magno desiderio concupivit edere caseum cum pane; Dominusque Deus exaudiens ejus implere desiderium, suscitavit quemdam rusticum villanum, qui surgens accepit panem simul et caseum, nesciens ad quem deferret, etiam cum esset in civitate Delf. Cum vero prædictus villanus ambulando venisset circa Beghinagium, quo morabatur hæc virgo, cujus domus adhærebat communis plateæ muro, cognoscens hoc in spiritu Gheertrudis, et sciens eum cum caseo et pane venire, quem tamen non novit, aut nota fuit, vocans consororem suam Diewerdim, misit eam suscipere panem cum caseo qui ferebatur a villano. Quæ continuo progrediens, invenit ante Beghinagii portas quemdam portantem panem et caseum, dixitque ad illum: Amice, nunc implesti viam, qua Deo volente venisti, vel etiam venire debuisti. Qui confestim caseum cum pane proferens eidem dedit, et sic post mutuam salutationem uterque viam suam repetendo domum propriam rediit. Gheertrudis igitur panem cum caseo suscipiens

Panis et caseus ei ab ignoto, divino instinctu, defertur.

Ex mss.

piens a villano consorori datum, manducavit gratias agens et benedicens Dominum.

Dono prophetiæ, absentia et futura noscit.

22 Hæc devota Gheertrudis habuit gratiam prophetiæ, sicut et per experientiam demonstratur. Novit Dei præveniente gratia quid fiebat præsentialiter in occulto, velut patuit in prædicto villano. Scivit insuper quæ longe fiebant, et quæ futura erant. Quod enim sciebat ea quæ fiebant instanter et a longe, patuit *c* anno Domini MCCCLI, dum fieret in Mosa prælium, præliante matre Imperatrice Ducisca contra Ducem Wilhelmum filium suum, quo prælio periit diversimode multitudo hominum. Quo quidem prælio durante, et Gheertrude cum Beghinis ceteris in ecclesia parochiali consistente, subito noscens in spiritu Gheertrudis periculum quod institit, toto corpore procumbens in oratione, humiliter Beghinas admonuit, Dominum nostrum devotis precibus placare; dixitque in hæc verba Beghinis : Sorores, nunc tempus est orandi, et magna necessitas, quia tali tempore præliatur in Mosa super undas. Dehinc modico transacto tempore, prælio consummato, noscens hoc in spiritu Gheertrudis, ait orantibus Beghinis : Sorores, laudate Dominum, quia *d* nostra pars obtinuit, et factum est prælium.

c Prælium inter Houckios et Cabilliavios an. 1351.

d

Quasdam pœnitentes certas reddit de salute.

23 Accidit aliquando, quod Beghinæ noviter conversæ plangerent in ecclesia cum magna contritione peccata commissa; et hoc sciebat in spiritu Gheertrudis ista. Quapropter Beghinas easdem domum revertentes advocabat, et consolando dicebat : Sorores, quamvis vitam vestram male vivendo Dominum graviter offendistis, delete peccata lacrymis, et angustiamini modicum in vobis nunc. Dico vobis ex parte Dei, quia numquam damnabimini.

Inundationis periculum deprecatur.

24 Dum quadam vice Gheertrudis sederet in cella sua, sciebat imminere periculum communi patriæ, quia Rheno superfluente, profluerunt super terras aquæ : sed occurrit periculo huic hæc virgo, rogans sorores Beghinas orare propter hoc Dominum humiliter, et ipsa similiter orante Deum prostrata corpore cruciformiter.

a *Nimirum* Truyt. *Familiare est Belgis propria nomina quasi blandiendo dimidiare, et deinde notam diminutivi* ken *vel* jen *addere; uti hic ex* Geertruyt *fit* Truyt, *et inde* Truyken *vel* Truytjen.

b *Tamen Joannes Gerbrandus a Leidis lib.* 29, *cap.* 9, *scribit eam an.* MCCCXLVIII, suscepisse quinque Vulnera a Christo in manibus, pedibus, et latere.

c *Stolidissimum hoc bellum fuit. Quidam se* Cabilliavios (*sic Belgice vocant assellum piscem*) *appellabant, quod ut ille pisces alios vorat sic ipsi adversarios domarent. Præcipui factionis Duces erant* Arkelii *et* Egmondani. *Alii se* Houckios *sive* Hoeckios *dicebant.* Hoeck *Hollandis, quod Brabantis* Haeck, *hamum significat : quasi sese jactarent* Cabilliaviis *futuros, quod est hamus pisci. Factionem hanc præcipue tuebantur* Brederodii *et* Wassenarii. *Margareta, Ludovici Bavari vidua tunc Hollandiam Hannoniamque tenebat. Cabilliavii Wilhelmum Margaretæ filium evocant, eumque Hollandiæ præficiunt; Houckiis Imperatrici servantibus fidem. Hæc auxiliis Anglicis fulta, filium navali prælio vicit juxta* Veram *Walachriæ oppidum; victa deinde circa ostia Mosæ fluvii, inter* Brielam et Arenam-Comitis, *sive* 'sGravenzandam, IV *Julii* MCCCLI. *Pax paullo post inter filium ac matrem facta. Non conquievere tamen factiones sed hac post quinquennium mortua, filio an.* MCCCLVIII, *phrenesi correpto, rursus recruduere.*

d *Primi Delphenses, ut lib.* 29, *cap.* 17, *habet Joan. a Leidis, Wilhelmum susceperunt.*

CAPUT VI.

Aliæ ejus prædictiones.

Cuidam prædicit miserias obventuras.

Quodam tempore venit quædam persona sæcularis ad Gheertrudim, quam sedulo consuevit visitare, curiosis induta vestibus, et in ceteris conversatione moribusque mundo conformis, Elizabeth nomine. Quæ dum quadam vice Gheertrudim requireret qualiter ad regnum cælorum perveniret, responsum tale recepit a virgine : Ecce tempus adhuc veniet, quod tu mundo crux eris, et mundus similiter tibi. Quod accidit tempore subsequenti. Nam paralysis in tantum vexavit eam, quod ibat claudicando, baculisque sustentando.

26 Sciebat etiam Gheertrudis occulta superventura, sicut expertus est Confessor ejus Dominus Nicolaus de *a* Hondepiil, inter adversa et prospera. Hic Confessor prænominatus Capellanus antiquæ Ecclesiæ, Sacerdos erat mirabilis devotionis : quia dum venisset extra cognatos et notos, amore paupertatis mendicabat fragmenta panis per domos. Hic erat dignus virgini Consiliarius, et ductor ejus in acquirendo virtutes. Igitur dum quidam Magister Theodoricus de Renen reconciliatus fuisset cum suis inimicis, et de eodem loquerentur Dominus Nicolaus de Hondepiil et Gheertrudis; addidit ipsa in fine collocutionis : Ecce Magister Theodoricus occidetur ab inimicis suis. Cumque Dominus Nicolaus respondisset, quomodo id fieret, cum reconciliatus hostibus esset; virgo dixit : Veraciter tamen prædico, quia fiet, et subito. Factum est post modicum, quod idem Magister Theodoricus extra portas civitatis Delfensis inter insidias veniret hostium, qui tam crudeliter occisus est ab eis, ut membra trucidati colligerentur et referrentur ad domum in sportulis. Dum hoc doleret Confessor accidisse sicut virgo prædixerat, magis attendebat deinceps quid ipsa dicebat.

a Ejus Confessarius vir pius.

Prædicit Gertrudis cujusdam cædem.

27 Cum deinde Confessor prædictus in Delf emere domum prætendens, hoc virgini se facturum prædiceret, illa dissuadendo dicebat : Domine, domum nunc non ematis, quia breviter in valde bono foro domos venales invenietis. Et hoc accidit, *b* quando postea Delf civitas erat obsessa. Unde patuit, quod præscivit, quamvis post mortem virginis contigit quod virgo prædixit.

Prævidet obsidionem Delphensem.

b

Aleydem Willemanni certam reddit de salute.

28 Quædam matrona nobilis Aleydis Willemanni supradicta, valde metuens extremum horrendum Christi judicium, et æterna tormenta, sæpe visitabat Gheertrudim Beghinam, humiliter rogans, ut ipsa pro ea dignaretur preces effundere, ut æternam damnationem posset evadere, et Dei gratiam misericorditer obtinere. Quæ dum quadam die cameram Gheertrudis intrasset, ubi Dominum pia virgo precibus placans erat contemplatione suspensa; tandem rediens ad se Gheertrudis, clamavit ad prædictam matronam voce magna : Aleydis Willemanni, dico tibi per Dei gratiam et misericordiam, quod tu numquam damnaberis post istam vitam. In quibus verbis matrona se sentit mirabiliter consolatam, et regratiabatur Deo propter tantam misericordiæ suæ gratiam. Postea matronæ prædilectæ ac prædictæ maritus eamdem consolationem sibi fieri petiit : sed idipsum posse se respondere non nisi Deus prius revelaret, Gheertrudis dixit.

a *Joannes a Leidis,* Hodenpiil.

b *An.* MCCCLIX *Delphenses quod contra Albertum Bavarum rebellassent, Hagem expilassent, castella quædam Houckiorum evertissent, ab eo obsessi sunt* 10 *hebdomadis et duobus diebus, coactique ad deditionem, magna pecuniæ summa, et murorum, portarum turriumque demolitione multati sunt.*

CAPUT VII.

Gertrudis hujus, et alterius pia mors.

Munitur extremis Sacramentis :

Dum multis annis sic virgo Gheertrudis inter Beghinas vixisset in magna fervoris et rigoris devotione, venit tempus quo de hoc mundo temporaliter moriendo transiret, et cælesti sponso suo sempiternaliter adhæreret : de quo suaviter solebat loqui, meditarique devote, et sicut supra dictum est dulciter canere. Munita proinde sacrosanctis Christi mysteriis in ultima dixit infirmitate : Sorores, ego ad domum volo. Quod cum præsentes ex infirmitate putarent eam dixisse, respondissentque eam domi esse; dixit illa sana mente : Nequaquam domi sum ego, sed esse volo, ubi plateæ sternuntur auro mundo. Post hoc breviter

Moritur. breviter in manus Dei spiritum suum commisit, et in pace quievit : apparebantque in manibus ejusdem defunctæ digiti sicut eburnei. Obiit autem hæc venerabilis Gheertrudis anno Domini MCCCLVIII, in Epiphaniæ Domini festo : et est sepulturæ tradita humiliter extra januam turris antiquæ ecclesiæ Delfensis, a parte meridionali, quia carebant Beghinæ tunc propria ecclesia et cœmeterio. Sic igitur eodem die quo tres Reges venerunt ab Oriente, et invenerunt Dominum Jesum sponsum animarum sanctarum, invenit eumdem et inventa est ab eodem Gheertrudis de Oosten electa virgo in æternum.

Digiti ejus eburnei apparent.

Sepelitur.

Multæ ibidem sanctæ Beghinæ.

30 Eodem tempore, et multis annis sequentibus fuerunt in eodem Beghinagio multæ personæ mirandæ devotionis, quæ feliciter vitam suam consummaverunt in virtutibus variis. Erat autem in domo conventuali quædam nomine Gheertrudis, quæ puritatis et humilitatis virtutibus institit in vita, sicut Deus ostendit in morte sua. Denique mox anima prædictæ virginis exuta humanis, in *a* Flandria cuidam Cellitæ apparuit, concomitantibus eam duobus Angelis a dextris et sinistris. Quod cum Frater devotioni deditus cerneret, requisivit ab Angelis, dicens : Quo deducitis hanc monialem? Qui responderunt : Non est monialis, sed Beghina Delfensis. Frater igitur tempus et horam consideranter notans, venit ad civitatem Delf nominatam, sperans hanc fuisse sororem suam, quam habuit inter Beghinas devotas devotam. Cum vero sororem reperisset vivam, didicit aliam fuisse, Gheertrudim nomine, quæ ducebatur ab Angelis, ex hoc immundo mundo, perenniter copulanda cælesti sponso Domino nostro Jesu Christo. Quod exemplum hic est appositum prædictis, ut sciatur, alia fore ista quam illa, sicut et frequenter eodem die concurrunt duo Sancti ejusdem nominis, velut in die *b* Bonifacii, *c* Valentini, et *d* Apolloniæ, et *e* aliis multis, ut patet inspicienti Legendas Sanctorum de singulis diebus : quibus Sanctis nos conjungat Deus in cælis, Amen.

Alia Gertrudis ad cœlum ab Angelis deducitur.

a

Ex mss.

b

c d e

a Flandria *una est Belgicarum provinciarum; facile omnium opulentissima, a qua nationes quædam externæ Belgas omnes* Flandros *appellant.*

b XIV *Maii colitur S.* Bonifacius *Martyr Tarsensis, et S.* Bonifacius *Episcopus Ferentinus. Sed fortassis ideo id hic Auctor scribit, quod* V *Junii, quo colitur S.* Bonifacius *Episcopus Moguntinus et Martyr. plurima Martyrologia S.* Bonifacium *Martyrem Tarsensem celebrent, ut suo loco dicemus.*

c XIV *Februarii colitur S.* Valentinus *Presbyter Romanus, Martyr; et S.* Valentinus *Episcopus Interamnensis, Martyr.*

d IX *Februarii colitur S.* Apollonia *virgo Alexandrina, martyr : atque in quibusdam Martyrologiis celebratur alia* Apollonia *virgo Romana sub Juliano Apostata cum Apollonio patre martyrio coronata, cujus extant in quibusdam* MSS. *et in Legenda Antonii Liberi Susatensis, Acta, sed quæ nobis videntur haud mereri fidem, ut ad eum diem dicemus.*

e *Vel in superioribus id manifestum est :* I *Januarii coluntur S.* Clarus *Abbas Viennensis, et S.* Clarus *monachus Salighenstadiensis.* II, S. Macarius *Alexandrinus, S.* Macarius *Romanus; S.* Macarius *Martyr.* V, *S.* Syncletica *virgo; et alia S.* Syncletica Apollinaris *virgo; S.* Telesphorus *Papa Martyr, et S.* Telesphorus *Martyr in Africa.*

VII JANUARII.

SANCTI QUI VII ID. JAN. COLUNTUR.

Relatio pueri Jesu ex Ægypto.
S. Julianus Martyr.
S. Spolicostus, S. Palladas, S. Candida } Martyres, in Græcia.
S. Crispinus I, Episcopus Ticinensis, in Italia.
S. Felix, S. Januarius } Martyres, Heracleæ.
S. Polyanthus, S. Philo, S. Candida } Martyres.
S. Julianus, Martyr, apud Andegavos in Gallia.
S. Senator, Episcopus Veronensis, in Italia.
S. Lucianus, Presbyter Antiochenus, Martyr.
S. Clerus, Diaconus Martyr, Antiochiæ.
S. Theodorus, monachus in Ægypto.
S. Nicetas, Episcopus in Dacia.
S. Valentinus, Episcopus Passaviensis, in Germania.
S. Crispinus III, Episcopus Ticinensis, in Italia.
S. Valentinus II, Episcopus Interamnensis, in Italia.
S. Cedda, sive Ceddus, Episcopus Londinensis. in Anglia.
S. Tillo, sive Hillonius, cognomento Paulus, Solemniaci, in Gallia.
B. Wittekindus, Dux Saxonum, Angariæ, in Westphalia.
S. Reinoldus, monachus Martyr, Tremoniæ, in Westphalia.
S. Aldricus, Episcopus Cenomanensis, in Gallia.
S. Anastasius, Episcopus Senonensis, in Gallia.
B. Vitalis, Abbas Saviniacensis, in Gallia.
S. Canutus, Dux Sleswicensis, in Dania.
B. Albertus, Eremita in Etruria.
S. Raymundus de Pennaforti III Generalis Ord. Prædicator.
S. Benjamini, S. Maximi } Martyrum Inventio, Brixiæ, in Italia.
Venerabilis Ludovicus Blosius, Abbas Lætiensis, in Belgio.

PRÆTERMISSI VEL IN ALIOS DIES REJECTI.

Tres Reges Magi. *Galesin in Notis. De his nos* I, VI, XI *Januarii et de eorum translatione* XXIII *Julii.*

S. Isidorus Episcopus. *Maurolyc.* MS. *Florarium, Galesinius : hic Martyrem facit, et Nicomediæ passum, veteris* MS. *fide. Idem est fortassis, qui Antiochiæ coli dicitur, de quo* II *Janua.* NOT. 108.

S. Timotheus, S. Lucianus } Martyres, in Africa. *Galesinius, ex perveteri Kalendario Ordinis monachorum Vallis Umbrosæ. Celebratur in Martyrol. Romano* XIII *Junii.* Lucianus in Africa passus *cum* Fortunato, *non* Timotheo.

Melania senior. *Carthusiani Colon. in Addit. ad Usuardum, et* MS. *Florar. At Ferrar.* XXI *Januarii. Nobilissima et religiosissima hæc matronam magnam suæ virtuti labem aspersit, dum in Origenis errores visa est descivisse, Ruffino doctore; a quibus tamen sub extremos vitæ annos eam resiliisse existimamus. Sed an ut Sancta uspiam colatur, haud comperimus. Multa de ea extant in vitis Patrum.*

S. Victorinus Abbas, qui scripsit Calculum. *Ita* MS. *Kalendarium Sanctorum Ordinis S. Benedicti. Verum Calculi auctorem puto eumdem esse* Victorium, *sive* Victorinum, *aut* Victorem *Aquitanum, cujus Cyclum Paschalem nuper vulgavit Ægidius Bucherius Noster; qui neque Sanctus alibi appelatur, neque potuit esse Ordinis S. Benedicti, quippe multo S. Benedicto antiquior. Extat Calculus hic* MS. *in Bibliotheca Lobiensi.*

S. Kentigerna vidua, *refertur a Davide Camerario, et Ferrario. Certius quid fortassis aliunde consequemur.*

S. Sabini Translatio. *Maurolyc. Plures sunt* SS. Sabini. *Quis hoc die translatus sit, nusquam reperi.*

B. Matthæus Ord. S. Francisci Episcopus Agrigentinus in Sicilia, *commemoratur ab Octavio Cajetano Nostro in Idea Sanctorum Siciliæ, et Philippo Ferrario in generali catal. SS. At Lucas Wadingus tom.* 2 *Annal. Minor. ad an.* 1300, *num.* 13 *ejus obitum narrans, non indicat eum publico aliquo cultu celebrari. Ideo eum hic omitto.* NOT. 109.

Mariæ Raggiæ *illustris vita extat typis vulgata Barcinone anno* MDCVI *auctore Michaele Llot a Ribera Ord. Prædicator. aliaque auctore Joanne Petro a Cæsar augusta ejusdem Ordinis, Latine reddita ab Arnoldo Raissio Duacensi. Sed quod nesciam an sancte Sedis auctoritate colatur, multaque in ea commemorentur miracula, malui eam hic omittere, quam nuperum S. P. N. Urbani VIII, decretum videri vel leviter transgressus.*

S. Julianus Diaconus *refertur hoc die a Ferrario in Catalogo generali, et SS. Italiæ, ex tabulis Ecclesiæ Novariensis. Ejus ac* Julii *fratris vitam dabimus* XXXI *Januar.*

S. Polyeuctus Melitinæ. *Martyrol.* MS. *S. Hieronymi, et* MS. *Rhinowiense. Eumdem esse arbitror, de quo infra* XIII *Februar.*

S. Valentinus Episcopus Tungrensis. MS. *Florar. in quo iterum* IX *Julii commemoratur. Nos de eo agemus* VII *Junii.*

B. Elizabetha de Wans, virgo vidua, monialis Aquiriensis in Belgio, *refertur hoc die in Kalendario Cisterciensi Divione an.* MDCXVII *edito; ab Arnoldo Raissio* IX *Octob. a Chrysostomo Henriquez, quem sequemur, in Menologio Cisterciensi* I *Julii.*

S. Canutus Rex Daniæ et Martyr *refertur hoc die in in Martyrol. Romano; at colitur, quo et vitam ejus dabimus* X *Julii.*

S. Hathebrandi Abbatis Antiqui-monasterii in ditione Groeningensi, hoc die translatæ sunt Antverpiam reliquiæ anno MDCXX *meminit Chrysostomus Henriquez in Menol. Cisterc. et Andreas Saussayus in Martyrol. Gallicano. De eo agenus* XXX *Julii.*

S. Joannis Baptistæ *dextera hoc die a Jobo Diacono Antiochia allata Constantinopolim, tempore Constantini et Romani Imperatorum : fitque ejusdem sanctissimi Præcursoris hac die commemoratio, ut ex Græcorum Menæis patet, et Notatione Pet. Galesinii ad Martyrol. De ea translatione agemus* XXIX *Augusti.*

S. Fausta Virgo et Martyr cum Evilasio. *Hraban. Notker.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Notker. MS. *S. Maximini, Carthus. Colon. in Addit. ad Usuard. Nos cum Martyrol. Romano* XX *Septemb.*
Amadeus ex Abbate Altæ-cumbæ Episcopus Lausanensis, *hoc die refertur et* Beatus *appellatur a Chrysostomo Henriq. in Menologio Cisterc. De eo agemus* XXVII *Sept.* EX VARIIS.
Melania junior. *Martyrol. Germanic. Nos* XXXI *Decembris.* NOT. 110.

RELATIO PUERI JESU.

VII JANUARII. *Celebratur in Martyrologiis, Romano, Bedæ, Usuardi, Adonis, Wandelberti, Notkeri, Maurolyci, veteri Romano, Germanico,* MS. *Florario,* VII *Idus Januarii,* Pueri JESU relatio, *sive* eductio ex Ægypto. *De qua consuli possunt sacræ Scripturæ Interpretes. Quo anno acciderit, alibi fortassis disputabimus. Alii* XI *Januarii hanc relationem referunt. Quo die Notkerus :* Eductio Domini de Ægypto, quæ secundum alios VII Id. Januarii, secundum quosdam Nonis Januarii, propter multorum dierum profectionem, celebratur. *Consentit Rabanus, et alii.*

DE S. JULIANO MARTYRE.

VII JANUARII. *Celebratur* VII *Januarii in variis Martyrologiis, nominatim Romano, Bellini, Maurolyci, Galesinii, Molani Addit. ad Usuard, etc.* S. Julianus Martyr. *Locus tempusque martyrii non proditur.*

NOT. 111. *L. Magnus Julianus Toleti Martyr.*

2 *In Chronico quod sub Fl. Dextri nomine editum est, ad an.* XCI, *ista habentur num.* 7. *S.* Julianus, civis Toletanus, Toleti patitur VII die Januarii. Fuit Episcopus. *At quæ ita commentatur Franc. Bivarius :* Ignorabatur hactenus quis ille Julianus fuisset, latuitque Baronium : sed nunc Dextri Chronico manifesta multa fiunt, quæ sine eo ignorabantur. *Ad annum vero* LXXXVI, *nu.* 6, *idem Chronicon :* S. Julianus discipulus S. Petri, Martiali carus, Vicum transfertur. *Interpretatur hæc Bivarius, eo anno, Domitiani Cæsaris jussu, Roma relegatum in Hispaniam. Et fuere quidem loca nonnulla apud Hispanos, quibus* Vici *nomen impositum. Addit Bivarius, ante* S. Eugenium *(de quo* XV *Novemb. agemus) civibus suis Toletanis Evangelium prædicasse, fuisseque Toleti et totius Carpetaniæ Episcopum vocatum. Ut probet Martiali carum fuisse, aliquot recitat epigrammata ad* L. Julium *scripta; quæ (ut fatear quod sentio) levis est conjectura. Sane* Eugenium *fuisse primum Toletanorum Apostolum, Franciscus Pisa in Toleti descriptione, aliique tradidere Auctores. Iterum de* Juliano. *Dextri Chronicon ad anno* XCIV, *num.* 4. L. Magnus Julianus civis Toletanus et Martyr, in pretio habetur. *Quod de habitis ei post mortem honoribus, patratisque miraculis Bivarius accipit. Sed hæc Toletanis accuratius discutienda relinquimus.*

S. Julianus Martyr Calari.

3 *Seraphinus Esquirrus Sanctuarii Calaritani part.* 1, *lib.* 2, *cap.* 26, *testatur an.* MDCXV, XXII *Julii, repertas esse Calari in Sardinia* S. Juliani Martyris *reliquias; ossa nimirum totius corporis, apte composita, singula suis locis, ac velut connexa, eaque grandia, caput integrum, tribus saucium plagis, occipite adhuc sanguinolento : in eodem tumulo lapidem juxta caput conditum, sanguine oblitum; unde conjici posset, lapidibus fuisse interemptum. Gemina prius inventa erat epigraphe, quæ* S. Juliani *hæc esse pignora testaretur; prior litteris nonnullis vel humore corruptis, vel ipsa refossione convulsis, ita habebat :*

IC IACET B. M. IVLIANVS
VI BIXIT ANNIS
NVS XC. REQVIEVIT
VIRGINIS PARTV

Eam epigraphen ita Seraphinus exponit : Hic jacet beatus Martyr Julianus, qui vixit annis plus minus XC, requievit in pace anno a Virginis partu.....
Altera inscriptio sic habet :

✠ B. M. IVLIANVS QVI VIXIT ANNIS PLVS MINVS C. REQVIEBIT IN PACE SVB D X KAL MARX

Discrimen ætatis ex omissa littera X ante C fortassis ortum.

Colitur VII *Janua.*

4 *Etsi vero* XX *Februarii occisus dicatur, coli tamen* VII *Januarii tradit Seraphinus, maxima celebritate, ingenti hominum ad ejus ecclesiam tribus milliaribus Calari distantem concursu. Addit genere ac dignitate illustrem fuisse, pingique equestri forma solere, et passim a Sardis appellari* SANCTU JULIANU CONTI, *quasi* Comes *fuerit. Eodem spectat, quod in ejus sepulchro repertus est medius annulus aureus, ac filamenta quoque aurea.*

5 *Philippus Ferrarius* II *Januarii hunc refert his verbis :* Carali in Sardinia S. Juliani Comitis et Martyris; *traditque in Notis, magnam in tota insula venerationem habere, ejusque nomini complures dicatas esse ecclesias; sed tempus martyrii ignorari. Cur vero qui* XX *Februarii martyrio coronatus dicitur, colatur a Sardis* VII *Januarii, nos latet. Franciscus de Esquivel Archiepiscopus Calaritanus in Relatione inventarum reliquiarum ad Paulum V missa, eadem tradit de S.* Juliani *veneratione, sacrisque illi ecclesiis; aitque in vicis circum Calarim dum sub Missæ initium* Confiteor *recitatur, plerosque addere solere, etiam ante hanc inventionem,* et S. Juliano Comiti.

6 *Fateor hæc aliquanto probabiliora videri iis, quæ in Dextri Chronico dicuntur. Si tamen fuit ille Toleti* Julianus, *nihil ejus derogatum honori volumus. Quare iterum de* S. Juliano Calaritano XX *Februarii agemus, præsertim si interea certiora consequamur monumenta.*

DE SANCTIS MARTYRIBUS

SPOLICOSTO, PALLADA, CANDIDA.

VII JANUARII. *Celebrantur hi in pervetusto* MS. *Martyrologio S. Hieronymi his verbis :* Et in Græcia Spolicosti, Palladæ, Candidæ. *Plures reperiuntur* Candidæ, *sed nulla his juncta comitibus.*

DE

Ex variis.

DE S. CRISPINO I, EPISC. TICINENSI.

Circiter an. Christ. CCXLVIII. VII Januarii. *Tres SS. Crispini Episcopi Ticini.*

Tres refert Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ Crispinos *Episcopos Ticinenses, atque eorum primum hoc die coli, secundum et tertium* XXX *Octobris. Sed ut infra dicemus, tertius S. Epiphanii decessor hoc* VII *Jan. die colitur.* Crispini *Episcopi et Confessoris meminerunt Bellinus, Maurolycus, Martyrol. Germanicum, neque exprimunt primusne sit an tertius. Molanus, Galesinius et Baronius in Notis, de tertio, id est, decessore et magistro S. Epiphanii, accipiunt, ut infra patebit. Martyrologium Gallobelgicum* II *Januarii* S. Crispinum *Ticinensem Episcopum refert, absque distinctione.*

I. 7 Jan. colitur.

Ejus vita ex Ferrario.

2 S. Crispini I *vitam sic breviter complexus est Ferrarius in catalogo Sanctorum Italiæ* VII *Januarii :* Crispinus ex nobili Nigrorum familia Papiæ natus, ac in Canonicorum numerum adscriptus, post S. Ursicinum ad Episcopale munus assumitur. Qui cum prædicationis officio prohibitus fungi non posset, totum se ad exornandam Ecclesiam et urbem, ac ad pacem inter dissidentes componendam contulit. Altercantibus enim apud Summum pagum juxta Padum de prædiorum finibus rusticis, Diaconum suum ad eos conciliandos misit. Duos item fratres prati unius caussa districtis gladiis contendentes, oblata illis pecunia, composuit. Pratum illud, quod Pacis appellabatur, civitati donavit. Porranam villam Canonicis attribuit. Urbem cœnosam lapidibus sternendam, Ticinique amnis ripas ponte lapideo jungendas curavit. His, aliisque præclare gestis, populum et Clerum ad religionem pacemque servandam hortatus, cum in Episcopatu annos XXXIV vixisset, migravit ad Dominum.

Dissidentes reconciliat.

3 *Hæc Ferrarius.* Papiæ *nomen, quod vulgo nunc* Pavia *dicitur, unde aut quando primum* Ticino *adhæserit, haud reperi.* Ticinum *prius, et a quibusdam* Ticinus *appellata, a fluvio* Ticino, *qui etiamnum* Tesino *vocatur, infraque Papiam in* Padum *influit. Qui hic* Ursicinus *dicitur* S. Crispini *decessor, is a Martyrologio Romano, Galesinio, ipsoque Ferrario* Ursiscenus *appellatur, colituruque* XXI *Junii. De ejus ætate, ut isthic dicemus, non constat : probabilius censet Ferrarius an.* CCXIV *obiisse. Quod de* Summo *pago, (qui* Suma, *ut reor, in tabulis Mercatoris et Ortelii dicitur, ad Padi lævam ripam, e regione cujus* Copis *torrens Pado miscetur) quod de eo, inquam, agroque Summiate, et lite per* Crispini *Diaconum composita hic scribit Ferrarius, debet ad S. Crispinum III referri, ut patet ex vita S. Epiphanii* XXI *Januarii.*

4 *Idem fortassis dicendum videatur de miraculo quod idem refert Ferrarius ex Papiensibus historiis, id videlicet non a* Crispino I, *sed* III, *esse patratum, aut ab eo certe, cujus Ticini celebrior tunc esset memoria.* Petrus, *inquit,* Diaconus Ticinensis urbe trans Padum pro negotiis Ecclesiæ digressus, cum tonitruis, grandinibus, fulminibusque, ac ventis ruentibus perfugium nullum haberet, ad opem D. Crispini implorandam genuflexus confugit, statimque cælum ex turbatissimo serenum effectum est.

Ejus invocatione sedata tempestas.

5 *Hujus sancti Antistitis* Crispini *meminit et Bernardinus Saccus Ticinensis historiæ lib.* 6, *cap.* 8 *et* 9. Circa Severi, *inquit,* imperium Crispus Niger Ticinensis Episcopus constitutus fuit : qui aperte concionari vetitus, alio labore ac studio Ticinenses fovit. Nam rerum publicarum administrationem complexus, populum ad civitatis ornamentum excitavit, suasitque in primis opportunum fore vias civitatis lapide sternere, fluminis ripas infixis altius palis munire, ne facili incremento ac raptu evadere ab alveo effractis ripis posset; docuitque juxta fluminis latera in locis humilioribus aggeres formari, tellure in altum congesta, ut intra aggeres conclusa prædia tuta essent fluvio inundante, ac pretiosiora fierent. Ponte insuper Ticinum omnino jungendum esse ad civitatis decus et commodum, dixit; ejusque dicto populus audiens fuit, et opus perfecit. Crispo igitur Episcopo hujus nominis primo hortante, populus Ticinensis lapideum pontem in Ticino fluvio ædificavit, circa annum ducentesimum a Natali Domini. Distabant eo tempore muri civitatis a ponte et a fluminis ripa ad jactum lapidis, extantque ipsius antiqui muri monumenta in domo Salaria, et apud ædes Divi Theodori, et Divæ Agathæ, distantiam, quam scribo, attestantia. *Plura deinde de eo ponte ibidem disserit Saccus. Sed quod circa annum* CC *ædificatum esse pontem ait, qui Severi octavus fuit, a Ferrarii chronologia paullo ante relata dissentit.*

Curat aggeres fieri ac pontem.

6 *Confusa mihi videntur trium Crispinorum Acta, meritoque ambigi posse an tres an duo solum statuendi sint, cum ipse Ferrarius in novo Catalogo SS. ad* XXX *Octobris duos solum recenseat; Galesinius quoque eo die illum coli existimet, qui aliis est tertius. Idem Galesinius* V *Decemb. ista habet :* Papiæ S. Crispini Episcopi et Confessoris, cujus multis in rebus spectata est doctrina et sanctitas. *At de quo ea præcipue accipi debeant, non statuo.*

Confusa Crispinorum Acta.

DE SANCTIS MARTYRIBUS

FELICE ET JANUARIO.

VII Januarii.

Martyrologium Romanum : In civitate Heraclea, sanctorum Martyrum Felicis et Januarii. *Consentit Usuardus, Bellinus, Maurolycus, Galesinius,* MS. *Florarium, Martyrol. German.* MSS. *complura, et nominatim antiquissima duo S. Hieronymi. Nihil de his certi possum pronuntiare, nisi non assentiri me Bivario, qui commentariis in Dextri Chronicon ad annum* CCXCVI, *num.* 4, *hos esse censet, quos Græci referunt* XVI *Aprilis cum* Fortunato *et* Septimio; *passosque vult* Heracleæ *civitate Hispaniæ. Nam qui isthic celebrantur a Græcis, ii* XXIV *Octobris colun-*

tur Venusiæ in Apulia, *licet de Martyrii loco haud satis constet. Non tamen videntur* Heracleæ *ad fretum Gaditanum interfecti, nec est in Actis quidquam, unde id conjici possit. An* Heracleæ, *quæ Lucaniæ urbs fuit, culti aliquando* Felix Episcopus et Januarius Presbyter, *eo forte translati, haud dixero. Probabilius est, alios ab his esse, in alia quapiam* Heraclea *passos. De Hispanica* Heraclea *assentiemur Bivario, cum certum attulerit argumentum.* MS. *Martyrologium S. Hieronymi iterum (de iisdem, ut ego quidem arbitror)* XIV *Februarii :* In Heracla natalis Felicis, Januarii.

DE

Ex variis.

DE SANCTIS MARTYRIBUS

POLYANTHO, PHILONE, CANDIDA.

VII Januarii. *Martyrologium S. Hieronymi* VII *Januarii* : Et alio loco Polyanthi, Philonis, Candidæ. *Erit fortassis qui ex nominum affinitate eosdem hos esse conjiciat, de quibus idem Martyrologium* XIII *Februarii* : Et alibi Poliarti, Philoronis, Candidi. *At plures in Martyrologiis celebrantur, non solum similibus, sed omnino iisdem appellati nominibus.*

DE S. JULIANO MARTYRE IN GALLIA.

VII Januarii. *Egimus supra de S.* Juliano Martyre Sardo. *Alium hoc ipso die refert Andreas Saussayus in Martyrologio Gallicano, his verbis* : In tractu Andegavensi natalis S. Juliani Martyris, cujus corpus in asceterio seu Prioratu S. Joannis ad Ligerim quiescit condigno cum honore. *Nihil alibi de eo reperi. Hic, an Sardus ille, a Martyrologio Romano celebretur, non divino : ab illo diversum esse hunc constat, cum utrobique corpus extet.*

DE S. SENATORE EPISC. VERONENSI.

VII Januarii. *S. Senatoris natalis.* *Senatoris Episcopi Veronensis natalem referunt hoc die Galesinius et Ferrarius, licet hic festum propter Octavam Epiphaniæ in* XIX *Januarii rejici testetur.*

Vita ex Ferrario. 2 *De eo ita scribit idem Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ* : Senator inter Sanctos Proculum et Probum Episcopatum Veronensem, Diocletiano et Maximiano Imperatoribus, administravit. Vir fuit sanctitate, doctrina, ac gravitate, ceterisque virtutibus, quæ in optimo Pontifice requiruntur, præditus. Hic gravitati facilitatem adjunxit. Cumque Ecclesiam aliquot annos summa cum laude, et populi utilitate rexisset, tandem VII Idus Januarii ex hac vita migravit. Ejus corpus in basilica S. Stephani conditum in magno habetur honore. *De corpore idem testatur Galesinius in Notis. Colitur S.* Proculus *Episcopus Veronensis* XXIII *Martii, S.* Probus XII *Januarii. Sed quod hic habet Ferrarius, S.* Senatorem *sub Diocletiano et Maximiano floruisse, id* XXIII *Martii in dubium revocat, contendens S.* Proculum *ejus decessorem sub Claudio Maximino, qui an.* CCXXXV *invasit Imperium, floruisse.*

DE S. LUCIANO PRESBYTERO MARTYRE.

§ I. *Luciani sanctitas, doctrina Catholica.*

Anno CCCXII. VII Januarii. *Celebratur gloriosus hic Martyr ac Doctor* VII *Januarii a Latinis, a Græcis nunc* XV *Octobris, ut ex Menologio et Menæis patet, atque Anthologio a Clemente VIII approbato; olim vero eodem quo et obiit die* VII *Januarii, ut liquet ex S. Chrysostomi sermone postridie Theophaniorum in illius laudem habito. De eo Usuardus* : Eodem die B. Luciani, Antiochenæ Ecclesiæ Presbyteri et Martyris, qui satis clarus doctrina et eloquentia, passus est Nicomediæ ob Christi confessionem in persecutione Maximini; sepultusque est Helenopoli Bithyniæ. *Eadem fere de eo prædicant Bellinus de Padua, et Martyrologium Romanum, nisi quod non sub* Maximino *sed sub* Maximiano *passum volunt. Sub* Maximino *passum habent Beda et Ado excusi.*

S. Luciani natalis.

In quatuor partes dissectum quidam scribunt. 2 *Prolixius ejus elogium ab Actis, quæ infra dabimus, paullum discrepans, habet Notkerus, et* MSS. *Adonis Martyrologia, monasteriorum S. Laurentii Leodii, et Lobiensis* : Et Nativitas S. Luciani Antiochenæ Ecclesiæ Presbyteri, et Martyris, viri doctissimi atque eloquentissimi, qui Nicomediæ ob confessionem Christi passus, et in quatuor partes dissectus est : quibus in singulis lapidibus ligatis, et in mare demersis, alia die Helenopoli Bithyniæ integrum corpus cum ipsis lapidibus inventum honorifice sepultum est. Quam urbem, cum prius Drepana vocaretur, in honorem ejusdem Martyris Constantinus Imperator instaurans, ex nomine matris suæ Helenopolim nuncupavit. *Eadem fere* MSS. *Lætiense, et S. Martini Tornaci ac Florarium. At* MSS. *S. Martini Treviris, et S. Mariæ Ultrajecti* : In Nicomedia Luciani Presbyteri, qui in quatuor partes fractus, in mare demersus, integer inventus est. *Meminere quoque* S. Luciani *hoc die vetus Martyrologium Romanum,* MS. *S. Hieronymi, Wandelbertus, Maurolycus, Galesinius, aliique.*

Ejus elogium ex S. Hieron. 3 *S. Hieronymus lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis cap.* 77, *ita S.* Lucianum *celebrat* : Lucianus vir disertissimus, Antiochenæ Ecclesiæ Presbyter, tantum in Scripturarum studio laboravit, ut usque nunc quædam exemplaria Scripturarum, Lucianea nuncupentur. Feruntur ejus de fide libelli, et breves ad nonnullos epistolæ. Passus est Nicomediæ ob confessionem Christi, sub persecutione Maximini, sepultusque Helenopoli Bithyniæ. *Eadem fere Honorius Augustodunensis cap.* 77, *sed fallitur dum Nicomediæ Episcopum fuisse scribit.*

4 *Duo de S.* Luciano *revocari in controversiam possunt : primum, rectene senserit de fide orthodoxa; alterum, quo tempore obierit. Quod ad primum attinet, quia id nostri non est instituti, singulorum Sanctorum scripta expendere, dum constet eos in Catholica fide esse mortuos, atque in cælitum numero ab Ecclesia censeri, id verbo solum hic attingemus; præsertim cum id plenius acturum esse sciamus Petrum Halloix Nostrum; cui eruditissimo viro precor ut multos Deus addere annos velit. Nam quæ edidit jam de Sanctorum scriptorum Ecclesiæ Orientalis rebus gestis volumina, tum sancto illi Lætiensium Abbati Antonio Wingio mirifice probata, tum ab aliis viris eruditissimis ita laudari scio, ut negent se alium scriptorem majori legere animi voluptate; quidquid aliqui secus sentiant. Sed ad S.* Lucianum *revertamur.*

5 *Cum acerrime Sabellianorum errores confutaret* Lucianus, *ardore disputationis eo est provectus, ut paullo licentius*

Ex variis.

licentius in contrariam partem inclinasse; et cum illi personarum in Trinitate tollerent omne descrimen, ita ipse personas distinxisse visus sit, ut ipsam quodammodo separaret substantiam. Quod idem S. Dionysio Alexandrino, (de quo XVII *Novembris) adversus ipsum agenti Sabellium, evenerat. Et sicut Dionysio ab Episcopis Libyæ exhibitum est negotium, adeo ut caussam oportuerit ad Romanum Pontificem deferri, a quo omni hæresis suspicione est absolutus; ita Lucianus eadem caussa exagitatus, atque a tribus sibi invicem succedentibus Episcopis Antiochenis, ab Ecclesia quoque ejectus est. Patet id ex epistola S. Alexandri Episcopi Alexandrini, quam refert Theodoretus Hist. Eccles. lib.* 1, *cap.* 4, *ubi ista leguntur :* Tum pestiferum studium Pauli Samosateni, Episcopi Antiochiæ, qui concilio omnium ubique Episcoporum atque adeo judicio Ecclesiæ ejectus est : cujus perversæ doctrinæ Lucianus successor factus, multorum annorum spatio, hoc est, tantisper dum tres Episcopi, alius post alium, Ecclesiam illam rexere, exclusus ab Ecclesia mansit. *Dum vero scriptis libellis fidei suæ integritatem tueri conatur Lucianus, dolo Pancratii Sabelliani in manus venit persecutorum, et glorioso martyrio coronatus est.*

De hæresi suspectus.

Scripto se defendit.

Catholicus agnitus a SS. PP.

6 *Sed neque Hieronymus, neque alius quisquam aliter de eo scripsit, quam ut de viro egregie Catholico. Ex discipulis tamen ejus quidam, ac fere antea idololatria maculati, in Arii sectam declinarunt : et suos Arius Collucianistas appellabat. Et Nicephorus Callistus lib.* 9, *cap.* 5, *tradit fidei formulam quamdam Arianismum redolentem,* Luciano viro divino, et in sacris litteris supra ceteros apprime erudito *falso a quibusdam adscriptam,* ut amplitudine Martyris suo scripto celebritatem vendicarent. *Idem refert Sozomenus lib.* 3, *cap.* 5. *Macedoniani quoque S. Luciano, ut sui erroris fautore, falso gloriabantur; ut ostendit S. Athanasius Dialogo* 3, *de sancta Trinitate, qui tamen idem se credere, quod* Lucianus, *libere profitetur; et in Synopsi sacræ Scripturæ eum, ut a Catholicorum partibus stantem, hoc illustri laudat elogio, agens de editione sacrorum voluminum, quæ lucianea appellatur :* Septima, *inquit,* et postrema S. Luciani magni ascetæ et Martyris est, qui et ipse cum in prædictas versiones, et Hebraicos libros incidisset, et diligenter quæ vel deerant vel ultra veritatem redundabant verba, inspexisset, ac suis quæque locis correxisset; versionem hanc Christianis fratribus edidit : quæ sane post ejus certamen et martyrium ejusdem S. Luciani, quod sub Diocletiano et Maximiano tyrannis sustinuit, libro videlicet propria ipsius manu conscripto comprehensa, Nicomediæ sub Constantino Rege Magno, apud Judæos in pariete armarii calce circumlito, ubi custodiæ gratia posita fuerat, inventa est. *De hac eadem editione Hieronymus epist.* 107, *quæ est Præfatio in librum Paralipomenon ad Chromatium :* Nam Alexandria et Ægyptus in Septuaginta suis Hesychium laudat auctorem : Constantinopolis usque Antiochiam Luciani Martyris exemplaria probat : mediæ inter has provinciæ Palæstinos codices legunt, quos ab Origene elaboratos, Eusebius et Pamphilus vulgaverunt : totusque orbis hac inter se trifaria varietate compugnat. *Pertractat hæc pluribus Baronius tom.* 3 *Annal. ad an.* CCCXI, *num.* II, *itemque ad an.* CCCXVIII, *nu.* 74, *et seqq. et in Notis ad Martyrologium.*

Versio Lucianea.

§ II. *S. Luciani Acta, tempus mortis.*

Acta S. Luciani.

Acta S. Luciani ab antiquo auctore descripta, insertaque collectioni Metaphrastæ, et Latine edita a Lipomano ac Surio, germana et scriptorum perpetua memoria commendata *vocat Baronius ad an.* CCCXI, *num.* 3. *His ex Ruffini Historia Ecclesiast. lib.* 9, *cap.* 6, *quædam subjungemus. Nam quæ ille, Eusebium interpretans et subinde amplificans, de persecutione post inducias sex mensium Christianis ex Galerii Maximiani Armentarii edicto indultas rursum a Galerio Maximino concitata cap.* 2, *et sequentibus quatuor commemorat, ea in* MS. *Ripatorii et* MS. *S. Maximini Treviris, sub titulo Actorum S. Luciani extabant; quamquam in codice Trevirensi verbis paullum a Ruffini editione discrepantia. Nos ea solum transscribemus, quæ proprie ad S. Lucianum spectant. Addemus quæ in Græcorum Menæis et Anthologio de eo recitantur : ac demum nonnulla ex Homilia S. Joannis Chrysostomi in sanctum Martyrem Lucianum, quæ est* 46, *tom.* 3, *Operum ejus Græcolatine editorum a Frontone Ducæo Nostro.*

Passus sub Maximino.

8 *De tempore martyrii ejus ista scribit Baronius in Notis ad Martyrologium :* Hunc sub Maximino passum, Eusebius tunc vivens, ac gesta Martyrum scribens, testatur lib. 9, cap. 5. Idipsum S. Hieronymus de Scriptor. Eccles. in Luciano. Errore factum videtur, ut tam Metaphrastes quam Suidas eum sub Maximiano martyrio occubuisse dicant. *Ast in Annalibus id visus est revocasse Baronius, ad an.* CCCXI, *num.* 3, *scribens sub* Galerio Maximiano, *non autem* Maximino, *Maximiano VIII, et Licinio Coss. passum esse, priusquam edicto lato persecutionem idem Imperator prohiberet. Idem asserit Dionysius Petavius Noster de Doctrina Temp. lib.* 13. *In eam sententiam inductus hic videtur, atque ipse etiam Baronius, propterea quod Eusebius lib.* 8, *cap.* 25, *recensens celebriores Martyres qui Diocletiani et Maximiani persecutione martyrii palmam adepti sunt, nondum commemorata ejusdem persecutionis inhibitione,* Lucianum *quoque inter eos recenset his verbis :* Ex Martyribus vero Antiochenis, Lucianus ejus parœciæ Presbyter, piis vitæ institutis præstantissimus, qui Nicomediæ ipso præsente Imperatore, cæleste Christi regnum sermone primum per Apologiam, deinde rebus gestis palam prædicavit.

Eadem persecutio Maximiani *dicta.*

9 *Ast ipsius quoque* Maximini *persecutio non alia habita est ab ea quam illi olim suscitarant, licet circa Maximiani Armentarii obitum paullulum intermissa : ut potuerit qui Maximini jussu trucidatus est, Maximiani persecutioni adscribi. Qua ratione explicare ipsi quoque coguntur, quod ex S. Athanasio supra num.* 6, *attulimus, qui occisum S. Lucianum scribit* sub Diocletiano et Maximiano. *Videtur ergo Lucianus postquam Antiochiæ recruduit persecutio sub finem anni* CCCXI, *comprehensus. Idque facile probabitur ei qui initium libri* 9 *Eusebianæ historiæ attente perlegerit. Ubi cum cap.* 1, *simulatam persecutionis remissionem narrasset; cap.* 2. *Theotecni fraudem; tertio nova edicta a Maximino lata; quarto conficta Pilati Acta recenset; ac quinto tandem cædes variis locis perpetratas, ac nominatim* Silvani *Episcopi Emeseni,* Petri *Alexandrini, ac* Luciani *commemorat. Ac de hoc quidem ista scribit Eusebius :* Lucianus item Ecclesiæ Antiochenæ Presbyter, vir cum aliis rebus omnibus facile primus, tum continentia eximius, et in sacris disciplinis diu multumque exercitatus, ad civitatem Nicomediensium, in qua tum Imperator commorabatur, deductus ; cum coram urbis Præfecto apologiam pro Christi doctrina, cujus patrocinium susceperat, recitasset, in carcerem conjectus est, ibique trucidatus. Tot mala et tam gravia brevi temporis spatio a Maximino *(certo liquet ex antecedentibus et consequentibus, de Galerio Maximino, non de Armentario esse sermonem)* virtutis et honestatis adversario, contra nos comparata erant : adeo ut hæc posterior persecutio id temporis excitata, multo acerbior, quam prior, nobis videretur. *Hæc Eusebius. Quæ Baronius cum refutare non posset, ab Eusebio scripta negat, sed ab alio supposita.*

Acta Pilati, a Maximino conficta, refutat Lucianus.

10 *De* S. Petro *Alexandrino agemus* XXVI *Novembr. ubi Baronii argumenta expendentur, quæ ad eum præcipe pertinent. At de* Luciano *manifeste probatur, non nisi sub Maximino recrudescente persecutione interfectum esse. Nam, ut etiam Petavius et Baronius fatentur, Maximini jussu conficta sunt probrosa illa Pilati Acta : atqui ea refutavit, ut infra ex Ruffino dicemus,*

S. Lucianus;

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

S. Lucianus; ergo non erat ante novam illam obortam a Maximino persecutionem sublatus e medio. Id argumentum que convelli possit, non video; nisi forte cuipiam veniat in mentem, hæc a Ruffino esse conficta, eive supposita. Qua ratione quidlibet negari poterit. Nicephorus quoque Hist. Eccles. lib. 7, *c.* 27, *diserte hæc sub Maximino gesta tradit; licet cap.* 16, *Eusebium secutus, cum illustres Martyres Diocletiani et Maximiani persecutione occisos recenset, Lucianum quoque iis adnumerarit.*

11 *At de his satis. Agunt de S. Luciano, præter citatos citandosque in Notis, Vincentius Belvac. lib.* 13, *cap* 13 *et* 14. *Petrus de Natal. corrigendus tamen, dum* sub Maximiano passum *scribit* tempore Antherii Papæ. *S. Antherus sub Julio Maximino, anno* CCXXXVI *occisus est, ut* III *Januarii diximus, S. Lucianus sub Galerio Maximino an.* CCCXII *cum Romæ sederet S. Melchiades, de quo* X *Decembris. Meminit Luciani Marianus Victorius scholiis in Epist.* 107 *S. Hieronymi, Cornelius Grasius tom.* 1 *de vitis SS. Acta ejus Belgice edidit Heribertus Rosweydus Noster; Italice aliquanto copiosius Gabriel Flamma; Gallice Renatus Benedictus per quam accurate. Ejus denique meminit Auctor Commentariorum in Job, quæ Origeni tribuuntur; licet vel inde pateat illius non esse quippe qui diu ante Lucianum obierit: aut certe a librario quopiam hæc adjecta sunt, et quidem (ut videtur) Latino. Hic porro, quisquis demum sit, ita*

Luciani nominis etymon.

scribit lib. 2 *in Job circa medium :* Ita consummatus est beatus atque gloriosus Lucianus, lucidus vita, lucidus et fide, lucidus etiam tolerantiæ consummatione. Ob hoc enim Lucianus cognominatus est, tamquam lucidus, aut proprio lumine sibi fulgens, aut aliis lucens. Hic namque Beatus duodecim diebus supra testas pollinas extensus, tertia decima die est consummatus. *Quid sint* testæ pollinæ, *me latet. Baronius habet* testas multas, *veluti ὄστρακα πολλὰ scriptum esset ab auctore. Quid si testarum pollines interpretemur, sive testas pollinis instar comminutas?*

12 S. Luciani *in Galliam translatas esse reliquias, testatur in Martyrologio Gallicano Andreas Saussayus, ita scribens :* Natalis S. Luciani Antiocheni Presbyteri et Martyris, doctrina, eloquentia, et sanctitate clarissimi, qui Nicomediæ sub Maximino Cæsare ob Christi confessionem passus, et in quatuor partes dissectus est: quibus singulis lapidibus alligatis, et in mare demersis, postridie in Helenopoli Bithyniæ integrum corpus cum ipsis lapidibus inventum est, fideliumque summa cum veneratione sepultum. At decursis aliquot inde sæculis id ex Oriente susceptum Carolus Magnus Arelatum detulit, ædificataque in ejus honorem ecclesia illic honorifice recondidit per Turpinum Archiepiscopum Remensem : qua ex re Arelati festiva hodie tanti Martyris ex avito more colitur memoria.

Reliquiæ Arelatum translatæ.

ACTA

AUCTORE ANONYMO EX SIMEONE METAPHRASTE.

CAPUT I.

S. Luciani patria, virtutes, eruditio.

a S. Luciani patria, institutio :

a Samosata est civitas Syriæ, quam præterfluit Euphrates. Ea civitas fuit patria Luciani, ubi fuit honesto loco natus, ut hæc docebit, quæ de eo tractabit, oratio. Parentes ejus erant Christiani. Magnum autem studium fuit parentibus, ut Lucianum ab ineunte ætate in religione et erga Deum pietate instituerent. Ambo vero e vivis excedentes, eum relinquunt puerum duodecim annos natum. Is autem, hac sola veluti consolatione inventa, propter jacturam parentum confugit ad divinum quoddam templum, omnibus suis divitiis distributis pauperibus, et in prima ætate cum Macario, qui habitabat *b* Edessam, et sacros libros interpretabatur, congressus et versatus, quidquid erat in eis pulcherrimum, pauco tempore collegit.

b

Ex Metaphraste Auctore Anonymo.

2 Et cum primum quidem accessisset ad lavacrum regenerationis, per aquam et spiritum regeneratus, declinavit ad vitam *c* monasticam : deinde cum ei visum esset, a vino et obsoniorum esu omnino abstinere, statim tamquam ex carceribus depugnabat adversus omnes carnis voluptates. Seipsum autem formans jejuniis, se ad hanc firmam et stabilem deduxit consuetudinem, ut nona hora semel in die comederet. Erant autem ei etiam quidam certi dierum ambitus, in quibus tota hebdomada permanebat jejunus. Plurimum autem vitæ suæ tempus impendebat precibus et lacrymis. A scurrilitate et risu tantum aberat, quantum judicabat ea esse vere ridicula. Contra autem eos qui lugebant studebat imitari, et existimabat esse dignos beatitudinibus. Silentium autem amplexus, et assiduæ deditus meditationi, videbatur semper cogitabundus et tristitia plenus iis qui ad eum accedebant, etiamsi spiritu in se perpetuo exultaret et læteratur. Si quando autem verbum ei ex ore visum esset emittere, divinæ Scripturæ erant id quod loquebatur. Tantus enim earum divinus amor ipsum ceperat, ut vix somnum vellet capere propter continuam earum meditationem. Si quando autem corpus volebat modicum requiescere, non absque intensa oratione, nec sine calidis lacrymis et genuum flexione somnum sumebat. Sed hæc quidem, dum puerilem adhuc ageret ætatem, a Sancto recte gesta sunt.

c

abstinentia :

gravitas:

silentium:

Divinorum meditatio :

3 Postquam autem ab ea jam excessit, et cœpit esse adolescens; carnem quidem nullam cum spiritu agitantem seditionem reddidit per sancti Spiritus operationem; quibusdam autem quæ sunt ad esum valde exilia, corpus reficiebat, adeo ut multos dies solo pane vesceretur, et ne pane quidem pluribus, sed iis quæ eo erant ad alendum magis exilia. Aqua autem erat ei potus suavissimus. Nonnumquam autem abstinebat etiam ab usu ignis.

castitatis studium.

4 Cumque sic pervenisset ad omnem humanam virtutem, fuit cito clarissimus omnium sui temporis. Seipsum ergo tradit Ecclesiæ Antiochenæ : et cum processisset ad Sacerdotium, constituit illic maximum *d* ludum litterarium, iis, qui ubique erant studiosissimi, aliunde ad ipsum accedentibus. In celeriter autem scribendo erat exercitatus, et quod ex eo acquirebat, simul quidem et sibi ad alimentum, et pauperibus suppeditabat. Etenim nisi, priusquam ipse cibum sumeret, alii victus, quem manibus quærebat, essent participes, iniquum esse ducebat. Is ergo cum vidisset sacros libros esse valde adulteratos, cum et tempus multa in eis corrupisset, continuaque ab aliis in alia translatio, et quidam homines sceleratissimi, qui gentilitati præerant, conati essent pervertere eorum intelligentiam; ipse omnes rursos sumpsit, et ex lingua renovavit Hebraica, quam ipsam quoque sciebat accurratissime, in eis corrigendis plurimum laboris conferens. Porro autem divinorum quoque dogmatum puritatem quis ab alio ex iis qui fuerunt illo tempore, melius quam ab ipso fuisse servatum invenerit?

d

Antiochiæ scholam aperit.

Scripturam vertit ex Hebræo.

a Samosata *ad dextram ripam* Euphratis, *ubi hic ponte lapideo stratus erat, in* Comagene Syriæ *provincia. Menologium habet* ex Antiochia Syriæ *ortum fuisse S.* Lucianum.

b Edessa *urbs* Mesopotamiæ, *haud procul* Samosatis.

c *De* Monachis, *rituque illos consecrandi antiquis illis temporibus, priusquam cœnobia publice constituerentur, consuli potest c.* 6 *Hierarchiæ Ecclesiasticæ S. Dionysii, et Balthasaris Corderii Nostri in illud Animadversio; Notatio item Petri Halloix Nostri in cap.* 7, *vitæ ejusdem S. Dionysii a se editæ.*

d Scholas *olim, præsertim sacræ catecheseos, a Christianis Doctoribus aperiri solitas, constat ex Eusebio, Baronio, Petro Halloix to.* 2, *de vitis Scriptorum, in* Pantæno, *et hic num.* 1, Macarii *Edesseni exemplo.*

CAPUT

Ex Metaphraste Auctore Anonymo.

CAPUT II.

S. Lucianus comprehenditur. Puerorum constantia.

Cum autem Maximianus Imperator maxima quadam rabie esset percitus adversus Christi Ecclesiam, conareturque Christianum nomen delere ex hominibus, eos qui erant summi inter omnes, longissime removere studens, de illo quidem audit, ut de quo magna fama pervaderet in omnes partes : magnum vero eum incessit desiderium illum in suam redigendi potestatem. Mittit igitur qui eum comprehenderent. *A Sabellianis proditus. comprehenditur.* Ille vero cum id rescivisset, non se sua sponte conjecit in periculum, sed diligenter cavebat, quantum in eo situm erat, ne videretur temere adire pericula, neque Ecclesiæ propter se magnam afferre tristitiam. Sibi ergo cavebat pro viribus, utpote quod hoc quoque Dominus fecisset, et dixisset, et ejus discipuli similiter. E civitate itaque excedens, in agro quodam latebat. Pancratius autem quidam Antiochenus, qui Presbyteri quidem erat honorem assecutus, idem vero sentiebat quod *a* Sabellius, jam diu ante illius gloriæ invidens, ipsum prodit iis qui quærebant.

6 Et ille quidem Nicomediam ducebatur moriturus. Illic enim erat Maximianus, qui magnam et omne genus cædem faciebat eorum, qui Christum non volebant negare. Nam et *b* Anthimum, qui erat Episcopus ejusdem Nicomediæ, interfectum igni tradidit, et *c* Petrum Antistem Alexandriæ, et multos alios præclaros et fortes viros. Quinetiam ad tantam processit sævitiam, ut ne infantibus quidem parceret, sed ipsos quoque interimeret; quoniam nec poterat quidem eis persuadere, ut gustarent ea quæ sacrificabantur dæmonibus. Non enim persuadebat, sed resistebant pueri, aperte corroborati a quodam, quod sub adspectum aperte non cadebat, auxilio, ad magis arguendam dæmonum, et eorum qui eis inserviunt, non solum improbitatem, sed etiam imbecillitatem : siquidem apertæ erat imbecillitatis, non posse firmam ac validam suam reddere sententiam, maxime cum omnia cuperent, et omnia experirentur. Fuit autem maximum auxilium iis, qui considerate et ex judicio decertabant, puerorum ad mortem usque fortitudo et constantia, ut qui erubescerent, si cernerentur pueris inferiores, rebus gravibus et asperis illatis, sicut illi, non resistentes. Quicumque autem rursus frangerentur periculis, iis puerorum perpessiones afferebant reprehensionem, quod non tam propter malorum gravitatem, quam propter animi mollitiem, eos victos fuisse appareret. Sic nihil timere, nec absque optima ratione neque est, neque fuit, neque umquam fuerit eorum, quæ a Deo conceduntur et ejus providentia : quomodo tunc multa quidem varia et multiplicia evenerunt in pueris. Ex quibus omnibus unum narrabo, quod est maxime dignum ut mandetur memoriæ. Sic enim habet :

Duo pueri recusant vesci idolothytis.

7 Maximianus cum duos quosdam pueros genere fratres, illustri loco natos, curasset sistendos; primo quidem conabatur eos quibusdam promissis inescare, quibus existimabat pueros maxime illiciendos : postea jussit eis afferri ex iis, quæ erant apud ipsum, sacrificiis, et quæ videntibus pueris sacrificaverat, ut et gustarent, et nullis malis afficerentur. Illis autem aversantibus, et deflentibus, et ut poterant, lingua eis balbutiente dicentibus, quod non sic didicissent a parentibus, sed alius esset modus, quo ii utebantur; minatus est, ab ira mutatus, quin etiam variis eos affecit verberibus. Cum vero pueri fortiter resisterent, et nullo modo cederent, eos utique divina roborante virtute; quidam e Sophistis, qui illic aderat simul cum Imperatore, et ad hæc eum maxime incitabat et inducebat, pollicitus est se statim effecturum ut ipsi comederent. Ridiculum enim esse dicebat, si a pueris adhuc balbutientibus viderentur superari Romanorum Imperatores. Tale quid ergo machinatur : cum sinapii quamdam acutissimam et toleratu difficillimam excogitasset confectionem, eorum quidem capita pilis nudavit; cum autem medicamenti id, quod erat crassissimum, illivisset, ut ex majore materia, repentina et major simul virtus profundum penetraret, in igne accensum eos intulit balneum. Hoc *Dire torquentur.* in loco pueri, cum veluti quodam fulmine icta essent eorum capita, hac ipsa hora fuerunt inclinati ad solum usque. Nec multo post cadens eorum ætate minor *Pie moriuntur.* prior est mortuus, cum non potuisset resistere magnitudini flammæ accensæ in calvaria. Cum autem alter vidisset fratrem cecidisse, quam maxima potuit voce bona verba est effatus, fratris exultans victoria, eumque amplexus est et osculatus, et eum proclamavit victorem, assidue exclamans : Frater mi vicisti : donec hoc dictum eloquens, eumque complectens et osculans, ipse quoque expiravit et jacuit, fratrem jam ulnis tenens. Accidit autem illo tempore hæc perpessio maxima, et iis, qui videbant, maxime miserabilis, ipsa quidem certe ætate attrahente plurimorum animos ad misericordiam. Et eos quidem ii qui ad ipsos genere attinebant, cum sustulissent, sepelierunt cum aliis pueris, propter caussæ communitatem. Et hoc est martyrium circa Nicomediam, quod nominatur martyrium infantium, usque in hodiernam diem.

a Sabellius *tollebat personarum in sanctissima a Trinitate discrimen, unde sequebatur, Patrem quoque incarnatum esse et passum : adhæc materiam ingenitam asserebat. Quæ fusius tradit Baronius tom.* 2, *an.* CCLX. *num.* 61, *et sequentibus.*

b *De* S. Anthimo *Episcopo Nicomediensi et Martyre agemus* XXVII *April.*

c *S.* Petri *Alexandrini Episcopi vitam dabimus* XXVI *Novemb. ubi de tempore cædis ejus agemus.*

CAPUT III.

Lucianus varios convertit : conjicitur in carcerem.

Cum autem Lucianus, dum duceretur, venisset in *a* Cappadociam, et convenisset quosdam illic milites, *a* qui erant quidem Christiani, coacti autem fuerant *S. Lucianus lapsos convertit in Cappadocia;* abnegare; eorum mentem revocavit, ostendens et exponens, quod sit omnium turpissimum, viros eosque milites videri ignavos ac pusillanimes, et ad mortis adeundum periculum timidissimos, quibus quædam jam feminæ, atque adeo pueri, fuere superiores. Quomodo autem vos, inquit, pro Rege caduco et terreno pericula adibitis, qui cælestem tam cito prodideritis? Quod autem erit vobis munimentum aut præsidium salutis, si ille vos mox hinc accersierit? Non cogitatis eum hoc universum et regere et administrare; illumque et vitæ esse dispensatorem, et mortis Dominum? Est ergo longe melius, præsentem vitam minus curantes, consequi, quæ apud illum numquam desinit, beatitudinem, quam vitam, quæ hic est, amplectentes, ab hac nihilo secius excidere, ut qui forte sitis et hac privandi ab hostibus, et illam non assecuturi, et præterea daturi pœnas puniendi immortales. Illi ergo cum hæc audivissent, resipuerunt, et eos pœnituit se negasse. Et cum rursus ad se rediissent, et libere essent locuti, *b* plurimi propter Christum *b* mortem subierunt, cum essent non pauciores numero quam quadraginta; nonnulli autem cum decertassent adversus omnia genera suppliciorum, vixerunt, adhuc, cum nihil turpe et ignavum præ se tulissent in secunda experientia; sed prius quoque judicium negationis, invicta deinceps pro pietate constantia delevissent.

9 Lucianus autem, cum in transitu itineris hæc *Alios Nicomediæ.* et plura hujusmodi effecisset, delatus est Nicomediam. Hujus autem viri fuere multi familiares, et ex iis nonnulli cum eo aderant decertante Nicomediæ. Ex quibus aliqui cum ad eos accessissent ii, qui cogebant Christianos ritum sequi gentium, primum quidem

quidem cesserunt, ut qui non possent tormentis sufficere; at cum divinus Lucianus (adhuc enim vivebat) eos ad se accersivisset, et omne genus sermonibus eorum animos correxisset, et quantum sit transgressionis periculum ostendisset, et quod nemo eorum, qui suam prodiderit in Christum confessionem, effugiet flammam gehennæ, quæ non potest extingui; ducti pœnitentia, ab eo reducti sunt in Ecclesiam.

c 10 Ex iis autem, qui ad Lucianum venerant Nicomediam, erat etiam *c* Antoninus, discipulorum suorum dilectissimus: quo, postquam venit, usus est ministro ad scribendas epistolas, ut ipse quoque ostendit Lucianus in una epistola. Ex iis autem qui aberant, erant quidem plures viri, ex mulieribus autem Eustolia, et Dorothea, et Severa. Aiunt autem *d* Pelagiam quoque fuisse ex ejus discipulis, quæ Antiochiæ Syriæ vixit: quæ etiam dicitur seipsam e tecto altissimo dejecisse, cum accessissent qui eam erant comprehensuri, timens ne abominandum quid per vim sustineret, (erat enim virgo) et eo modo esse mortuam: quam etiam in hodiernum usque diem honorant tamquam Martyrem, qui sunt amantes Martyrum.

d *Varii ejus discipuli.*

Vultus ejus majestatem timet tyrannus.

11 Porro autem cum de Luciano a multis audiret Maximianus, tantam in ejus facie insidere reverentiam, ut si eum solum vidisset, veniret in periculum ne fieret Christianus; postquam jussit ut ille adduceretur, timens ne sibi tale quid accideret, velo interjecto separat sermonis congressionem, et verba procul ad eum emittebat, intermedio utens sermonis ministro. Et primum quidem pollicebatur se innumerabilia ei esse largiturum, et rerum gerendarum habiturum eum esse consiliarium, et Patrem Imperatoriæ dignitatis, et socium sollicitudinis quæ pro summa rerum suscipitur; et plura alia hujusmodi: pro quibus omnibus unum solum dicebat se petere, nempe ut diis sacrificaret. Cum autem ille audita donorum magnitudine, quæ de eis dicebantur, nihili fecisset, et ne universum quidem mundum esse cum pietate in Deum conferendum dixisset; tunc jam mutatus Imperator, minatus est se ad supplicium ei esse intentaturum, quidquid longum tempus invenisset, et si quid ipse posset invenire novum et inauditum. Illo autem adversus hæc interritam opponente audaciam, et parato prodire in aciem, valde indignatus Imperator, eum quidem noluit quam primum tollere de medio; putabat enim se sic ei gratificaturum, ut qui eum illico liberaret a malis; sed jussit in carcerem conjectum torqueri variis modis.

a *Hinc patet terrestri itinere Antiochia Nicomediam perductum esse Lucianum.*

b *Hi cum aliis fortasse in eadem Cappadocia passis coluntur* XXIII *Maii.*

c *Hic est, ni fallor, quem Niceph. lib.* 8, *c.* 31, *et lib.* 9, *c.* 17. *Antonium vocat, aitque Tarsi Ciliciæ Episcopum fuisse, et postquam cum aliis Luciani discipulis, quos recenset, tormentis victus ad Gentilitias superstitiones deflexisset, Præceptore opem ad pœnitentiam ferente, iisdem renuntiasse, quamvis deinde in Arii declinaverit errores.*

d *Colitur S.* Pelagia IX *Junii.*

CAPUT IV.

In tormentis moritur.

Varie torquetur.

Cum eum ergo accepissent ii, quibus hoc erat imperatum, eum multis et variis affecere cruciatibus, quibus erat quidem gravem accepturus dolorem, longo autem tempore in pœnis duraturus. Et nunc quidem in cippum (est autem hoc tormenti genus oblongum) ambos ejus pedes immittebant, ad quatuor distrahentes foramina: quod quidem est in hoc supplicio gravissimum, cum utrimque coxendices violenter e suis moveantur articulis: nunc autem in toto dorso graves testarum aculeos densos et continuos maligno animo substernebant: et ut ne liceret quidem viro justo se vertere, et ne moveri quidem, dum talibus sauciaretur aculeis; ejus manibus extensis, eas vinciebant in quodam ligno, quod erat positum super ejus caput. Quin etiam aliis quoque multis eum afficiebant probris ac contumeliis, et eum etiam arcebant ab omni cibo, nisi vellet vesci iis quæ ab ipsis sacrificabantur; ea enim affatim porrigebant. Ille autem maluisset subire mortes vel innumerabiles, et lubentius manens jejunus, paullatim a fame esset consumptus, quam vel illorum solum passus esset conspectum. Sic igitur permansit Christi servus, qui a fame consumebatur, totos quatuordecim dies faciens consueta, et verbis doctrinæ animum addens iis qui pro Christo erant inclusi in carcere, et eos confirmans constantissimis et perpetuis precibus.

Ex Metaphraste Auctore Anonymo.

Prædicit diem mortis.

13 Cum autem aliquot jam dies transissent, ex quo eo modo, quo diximus, affligebatur, et jam appropinquaret quidem dies festus Theophaniorum; discipulos autem (jam enim ei plures aderant ex Antiochia, et ex aliis locis congregati) subiisset tristitia, reputantes fore, ut eis statim relictis abeat quidem magister, non valens resistere diuturnæ illi fami; ipsi autem nequaquam digni censeantur, qui Theophaniæ diem festum cum eo celebrent; videbatur enim eis esse adhuc valde remotus, et non posse magistri corpus usque ad eum diem sufficere, utpote quod inedia illud jam magna ex parte consumpsisset; vir ille inclytus eos consolans, jubebat esse bono animo: Ero enim, inquit, vobiscum, et diem festum Theophaniorum vobiscum celebrabo: recedam autem postridie. Ad effectum autem deductum fuit in quod dixerat, aperte divina in hoc ostensa virtute.

Missam celebrat, pectore suo pro ara usus.

15 Cum ergo advenisset dies festus, qui expectabatur, desiderabant quidem discipuli hanc ultimam a magistro consequi mysterii divini celebrationem. Videbatur autem esse dubium, quonam modo mensam quidem in carcerem inferrent, aut laterent impiorum oculos, cum multi quidem tunc partim illic adessent, partim autem accederent; ille vero: Mensa quidem, inquit, erit vobis hoc meum pectus, non, ut arbitror, Deo futura minus honesta ea quæ fit ex inanima materia. Templum autem sanctum vos mihi eritis, me omni ex parte circumdantes. Et sic hæc facta quidem sunt hoc modo. Jam enim, ut quod esset Sanctus in fine vitæ, et remissi erant custodes, Deo, ut ego quidem arbitror, qui Martyrem honorare volebat, et suorum discipulorum non sustinebat inconsolabile videri desiderium, efficiente, ut citra impedimentum fierent ea, quæ erant proposita. Nam cum omnes eos Martyr fecisset in orbem consistere, ut inter se invicem alter prope alterum stantes, eum tuto comprehenderent, jussit suo pectori imponi signa divini sacrificii. Postquam autem hæc fecissent, et in cælum protinus sustulit obtutum, cum jam vix posset extollere, et preces peregit consuetas. Deinde cum divina plurima esset effatus, et sacro ritu omnia peregisset proposita, ipse et fuit particeps Sacramentorum, et transmisit ad eos qui aberant, ut ipse quoque ostendit in ultima ad eos epistola. Et hunc quidem diem cum eis transegit, sicut erat pollicitus.

Sancte moritur.

15 Postridie autem cum venissent quidam ab Imperatore, visuri an adhuc viveret, (videbatur enim eis valde mirandum, quod vitam hucusque produxisset) postquam prope se stantes adspexit eos qui advenerant, cum se, quantum poterat extendisset, et ter dixisset, Sum Christianus; simul cum ultima emisit spiritum.

CAPUT V.

Ejus sepultura. Helenopolis civitas.

Sunt autem qui dicant, eum adhuc spirantem projectum fuisse in profundum maris. Maximianus enim admiratus ejus perpetuam ad finem usque constantiam, jussit iis qui in ejusmodi rebus inserviunt, ipsum in mare jacere, cum magnum lapidem appen-

Ex Metaphraste Auctore Anonymo.

dissent brachio ejus dextero, ut submersus nusquam appareret, et corpus ejus nullam assequeretur sepulturam, nec justa ei fierunt. Atque fuit quidem in profundo quatuordecim dies, nempe totidem, quot in carcere decertarat adversus varias corporis perpessiones. Quintodecimo autem delphinus in siccum eum hoc modo extulit : cum ejus dicipuli circa ripas et littora alius alibi versarentur, ut viderent, si quo modo possent eum e mari ejectum invenire, tempore autem hiberno id valde esset turbatum; diuturnum tempus effecit, ut plane desperarent se posse id invenire.

Corpus in mare abjicitur.

17 Interim vero adveniente quintodecimo die, Martyr in somnis apparens cuidam Glycerio, germano suo discipulo, qui tunc versabatur in regione adversa continenti Nicomediæ, dicit ei : O tu, cum primum mane surrexeris, abi in hunc locum (ostendens locum littoris) te enim, inquit, conveniam, cum illuc veneris. Ille autem, cum primum, ex magna evidentia et admiratione eorum quæ ostensa fuerant, eum somnus dimisisset, et jam dies illucesceret, surgens, et quosdam alios ex piis secum assumens, cum eis venit in locum, qui fuerat ei significatus. In eo autem ingens delphinus ascendebat e mari, jam ex eo emergens : qui cum esset extensus super aquæ superficiem, valde spirabat, et ad terram contendebat : eratque circa ipsum multa spuma, et murmur fluctuum, qui ab ipso scindebantur. Ferebat autem extensum mortuum, tamquam in lecto jacentem. Eratque spectaculum admirabile, super corpus adeo lubricum et rotundum quiete manens mortuus, et nec a suo pondere, neque a vi fluctuum devolutus ab eo, quod ipsum portabat, vehiculo. Cum autem delphinus fuisset prope continentem, fluctu sublime fuit sublatus, et terræ id appulit. Atque ille quidem statim expiravit.

Delphinus id ad terram defert.

18 Mortuus autem statim in arenam delatus, jacebat salvus et omni ex parte integer, nisi quod manus dextra, cui lapis fuerat appensus, non est corpus quoque reliquum consecuta. Et sunt quidam qui dicunt, eam nec postea quidem fuisse e mari emissam, sed mansisse in profundo, effectam id quod Deo visum fuit. Nonnulli autem dicunt, eam quoque non ita multo post fuisse redditam, cum effluxisset ei vinculum; eamque in terram delatam, cum sustulissent ii qui aderant, restitutam fuisse rursus in eamdem compagem corporis. Hoc autem accidit manui, cum Deus, ut arbitror, eam seorsum voluisset honorare, ut qui acceptum habuisset laborem, qui per eam fuit susceptus in corrigendis Scripturis. Nam in perpessionibus, quas pro Christo susceperat, in majori honore fuit ea quæ erat gravior.

Dextera postea reunitur corpori.

19 Non autem existimabit quispiam, corpus mortuum a delphino casu fuisse allatum, neque id factum fuisse forte fortuna. Nam quod revera quidem delphinus eum eo modo, qui dictus est, exportarit, videtur esse manifestissimum, cum multi, qui fuerunt illo tempore, hujus fecerint mentionem. Quin etiam ipse quoque scio ab ineunte ætate de illo cani solitum hoc, cujus est pars extrema :

In terram dorso portansque ex æquore delphin,
Expiravit.

Quod autem non factum sit casu, vel maxime quidem ostendit ipsa magnitudo miraculi quod factum est. Somnium quoque, quod propter id evenit. Quinetiam ea quoque quæ postea sunt ostensa. E mari enim exportatum corpus, erat insigne miraculum iis qui contemplabantur, ut quod præter id quod in mari acciderat, illæsum alioqui maneret, et nec mare tam multis diebus ei nocuisset, neque ulli pisces id tetigissent, neque ullus malus odor illinc emitteretur : adeo ut esset omni ex parte manifestum, fuisse divinum id quod factum est. Neque vero prius aliquo contemptu, neque quod eum non posset defendere, sivit Deus tanta pericula adire Martyrem : neque nunc sine justissima caussa sivit disjungi manum a reliquo corpore is qui in eo tam multa fecerat miracula. Sed et tunc universam ornaturus ejus virtutem, vocavit ipsum ad societatem passionum sui Filii, optimam et justissimam ei præbens occasionem ad hoc ut ipsum quoque illius impertiret gloria. Et hæc est mihi communis ratio in omnibus Martyribus, id est, testibus veritatis. Nunc autem volens confirmare, studium, quod contulit in sacras Scripturas, esse opus plurimi faciendum, manum, quæ ei proprie in hac re inserviit, voluit etiam propriis honorare passionibus; quomodo etiam, ut arbitror, solent spectatores sertis redimire brachia athletarum. Quod si quis etiam crediderit eam in mari mansisse, ei licet et hæc considerare, et quod Deus miraculis sæpe etiam admiscet ea quæ procedunt a natura, ut per illa quidem ostendatur virtus effectrix miraculorum, per hæc autem fides quoque habeatur naturæ. Sed hæc quidem, et propter quam caussam unumquodque contingit, pure demum sciat is qui hæc administrat. Quinetiam in singulis eorum, quæ ab ipso admirabiliter fiunt et geruntur, didicerit quisque aliam quoque esse arcanam, et quæ sit supra nos rationem, optimamque, et quæ comprehendi non potest, administrationem, neque temere aliquid fieri aut fortuito.

Non hæc casu facta, sed certa Dei providentia.

20 Tunc ergo sic a delphino exportatum corpus, delatum est in arenam. Concurrentes autem discipuli, primum quidem, ut decebat, id salutabant, alius aliunde venientes, et osculabantur, et amplectebantur, unusquisque pro viribus, ob promptum et alacre animi studium. Deinde vero cum id sumpsissent, et propriis manibus extulissent, et ei justa omnia de more fecissent, in loco insigni deposuerunt. Et tunc quidem illi sepulchrum, quale potuerunt, prout tempus urgebat, statuerunt. Postea autem, quæ nobis salutarem Domini restituit Crucem, et magnum inter claros Imperatores genuit Constantinum, veneranda Helena, quando revertebatur Hierosolymis, locum honorans, et in eo *a* condidit civitatem, convocatis habitatoribus ex iis, quæ circumcirca erant, regionibus, et effectis operis participibus, et validis eam cinxit mœnibus, et Martyri templum ædificavit maximum : quod nunc quoque insigne et pulchre extructum cernitur ab iis, qui et terra et mari ingrediuntur ac navigant; ad gloriam Domini nostri Jesu Christi, et eorum, qui propter ipsum decertaverunt : quoniam eum decet gloria in sæcula sæculorum, Amen.

Sepelitur S. Lucianus.

Helenopolis ad ejus tumulum condita.

a *Chronicon Alexandrinum anno Constantini* XXII. *Constantio Cæsare V, et Maximo Coss. qui erat Christi* CCCXXVII, *hæc habet :* Constantinus instaurata Drepani urbe in Bithynia ad cultum S. Luciani Martyris, illam a matre sua Helenopolim nuncupavit, donata civitati in Martyris honorem quousque patet ante urbem prospectus, immunitate vectigalium ad hodiernum usque diem. *Nota et Stephano Byzantio* Drepane *Bithyniæ ad sinum* Astacenum *civitas. Socrates lib.* 1, *cap.* 13, *Helenæ* nomine Drepane Helenopolis vocatur, olim vicus, jam civitas ab Imperatore facta. *Nicephorus Callistus lib.* 8, *cap.* 31, *de S. Helena agens.* Perinde enim, *inquit*, atque pignus quoddam futura sæcula habent, ad memoriam ejus sempiternam, in Bithynia unam, et in Palæstina alteram urbem; quibus Imperator filius conditis memoriam illi tribuit immortalem. Admodum vero B. Helenam regione et situ alterius delectatam esse ferunt, quæ antehac Drepanam nominata fuerat; cum quod ibi orta esset, tum quod Lucianum Martyrem post martyrium obitum eo a delphine deportari contigerit. *Baronius tom.* 3, *ad an.* CCCVI, *nu.* 16, *S. Helenam Britannam fuisse asserit, non Bithynam.*

DE EODEM SANCTO MARTYRE
Ex Ruffino, et MSS.

Lucianus vir moribus, continentia, et eruditione præcipuus, Antiochenus Presbyter, cum ad tribunal Judicis fuisset adductus; Cur, inquit ad eum Præses, vir rationabilis et prudens, sequeris sectam, cujus non potes reddere rationem? Aut si est aliqua, audiamus. Tum ille, data sibi facultate dicendi, hujuscemodi orationem de fide nostra habuisse dicitur : In occulto non est, quod nos Christiani quem colimus, Deus unus est, per Christum nobis annuntiatus, et per

S. Lucianus coram Judice reddit fidei nostræ rationem.

per Spiritum sanctum nostris cordibus inspiratus. Non enim, sicut vos putatis, humanæ alicujus persuasionis errore constringimur : nec indiscussa, ut alii, parentum traditione decipimur. Auctor nobis de Deo Deus est. Neque enim posset sublimis illa majestas sensibus humanæ mentis illabi, nisi vel spiritus sui virtute delata, vel verbi ac sapientiæ suæ
a interpretationibus indicata. Fateor, *a* erravimus etiam nos aliquando; et simulacra, quæ ipsi finximus, deos cæli ac terræ putabamus auctores : sed arguebat eos fragilis substantiæ suæ a nobis præstita consecratio; in quibus tantum venerationis inerat, quantum decoris manus contulisset artificum. Verum omnipotens Deus ille, quem non nostris manibus fictum, sed cujus nos decebat esse figmentum, errores miseratus humanos, Sapientiam suam misit in hunc mundum, carne vestitam; quæ nos doceret Deum, qui cælum fecisset et terram, non in manu factis, sed in æternis atque invisibilibus requirendum : vitæ etiam nobis leges ac disciplinæ præcepta constituit, servare parsimoniam, paupertate gaudere, mansuetudinem colere, studere paci, puritatem cordis amplecti, patientiam custodire. Sed et omnia hæc, quæ nunc adversum nos geritis, ventura nobis esse prædixit : educendos nos ad Reges, et ante tribunalia judicum statuendos, ac velut victimam jugulandos.

2 Inde est denique, quod et ipse, qui erat immortalis, utpote Verbum et Sapientia Dei, morti se præ-
b buit, quo nobis in corpore *b* positus patientiæ præberet exemplum. Sed nec nos sua morte decepit : quibus post tertium diem resurrexit; non ut ista, quæ
c nunc falso conscribuntur, continent *c* Acta Pilati; sed
Refellit conficta Acta Pilati. innocens, immaculatus, et purus, ad hoc solum mortem suscepit, ut eam vinceret resurgendo. Quæ autem dico, non sunt in obscuro gesta loco, nec testibus indigent. Pars pæne mundi jam major huic veritati adstipulatur; urbes integræ : aut si in his aliquid suspectum videtur, contestatur de his etiam agrestis manus, ignara figmenti. Si minus adhuc creditur, adhibebo vobis etiam loci ipsius, in quo res gesta est, testimonium. Adstipulatur his ipse in Hierosolymis locus, et Golgothana rupes sub patibuli onere disrupta; antrum quoque illud, quod avulsis inferni januis corpus denuo reddidit animatum, quo purius inde ferretur ad cælum. Aut si vobis adhuc minus digna videntur hæc, quæ in terris substantiam gerunt, accipite etiam e cælo adstipulatorem fidelem. Solem vobis ipsum horum produco testem, qui cum hæc fieri per impios videret in terris, lumen suum meridie abscondit in cælo. Requirite in Annalibus vestris, invenietis temporibus Pilati, Christo patiente, fugato sole interruptum tenebris diem. Quod si terræ, si cælo, si sanguini eorum, a quibus veritatem per tormenta perquiritis, fidem non accommodatis; quomodo meis verbis allegationibusque credetis?

3 Et cum pæne jam his verbis auditoribus suadere cœpisset, abripi jubetur in carcerem; ibique quasi absque tumultu populi necari. *d* Illico ministri iniquitatis mandatum perficientes Præsidis, *e* caput ejus
d *Occiditur.* *e* amputaverunt venerandum; et victricem ejus animam Angeli cum gaudio in cælis deportaverunt : corpusque ejus Helenopoli Bithyniæ sepultum est, ad laudem et gloriam omnipotentis Dei, cujus regnum et imperium sine fine permanet in sæcula sæculorum, Amen. Hæc quoque urbs, in qua beatus Dei Martyr Lucianus est sepultus, Drepana est nuncupata prius, sed Dei servus Imperator Constantinus in honore ejusdem Christi Martyris eam restaurans in melius, Helenopolim nuncupavit, ex nomine matris ejus.
Sepelitur Helenopoli.

a *Non de se id dicit, qui Christianis parentibus erat natus; sed de majoribus suis, qui et ipsi ante Christum natum Gentiles fuerint.*

b Ms. *S. Max.* positis.

c *Quæ illa fuissent Acta Pilati, idem Ruffinus cap.* 5, *ante exposuerat, his verbis :* Configuntur Acta quædam, velut apud Pilatum de Salvatore nostro habita, in quibus adversus Christum omnis blasphemia conscribitur. Quæ Acta per omnes regni sui provincias prælato edicto mitti præcipit, et per urbes singulas, per vicos, per agros etiam proponi; Præceptoribus quoque puerorum tradi jubet uti, pro his quæ ad meditandum vel ediscendum dictare solent, hæc tradant pueris memoriæ commendanda. *Idem cap.* 7. Quando pueris scholaris meditatio de Pilato et Jesu haberi contumeliæ nostræ gratia jussa est, et conflictis referta blasphemiis per totum diem decantari. *Eorumdem Actorum meminit Eusebius lib.* 9, *cap.* 4 *et* 6, *et lib.* 1, *cap.* 9, *ubi ea auctoritate Josephi Judæi confutat, cum hic anno Tiberii* XII *cæpisse Judæam administrare Pilatum scribat, illa vero Christi mortem Tiberio quartum Consule, sive Imperii ejus anno septimo consignent.*

Ex variis.

d *Sequentia deerant in Ruffino, extabant in* MS. *S. Maximini.*

e *Fame mortuum habet Metaphrastes, aut adhuc spirantem in mare abjectum : Notkerus et alii, ut in Præfat. nu.* 2, *diximus, dissectum in partes scribunt. Fortassis seminecem gladio percusserunt impii.*

DE EODEM

Ex Anthologio Græcorum.

a Religiosis parentibus natus Lucianus, ab illorum obitu omnes opes suas in egentes effudit, sacrarumque litterarum meditationi se totum addixit. Quapropter
b multos cum Judæorum tum Græcorum ad Christi fidem pertraxit. Deserta dein domo paterna, et Nicomediam profectus, ibi vacillantes metu suppliciorum Christianos ac deficientes a fide ad certamen subeundum erexit et confirmavit. Cum autem pereleganter scriberet, reliquit Nicomediensi Ecclesiæ volumen
c tribus paginarum columnis distinctum, quo totum veteris et novi sacrarum litterarum instrumenti testamentum complexus est. Tanto autem homine fuit sublimior, ut cum urbem perambularet, a quibus vellet, videretur; a quibus nollet, non cerneretur. Qua de re edoctus Maximianus, et veritus vultum illius coram inspicere, intra tapetem latens cum illo est collocutus. Cumque constantiam animi ejus invictam animadverteret, ad diuturnam ipsum famem damnavit. Multis ergo diebus cibo omni potuque destitutus, in carcere expiravit. Cujus corpus jussu Prætoris in mare est abjectum. Delphinus autem divina providentia exceptum humeris in terram exposuit.

a

b *Multos convertit S. Lucianus.*

c *Invisibilis quibus vult.*

Inedia enecatur.

a *Suidas ait genere nobilem fuisse. Porro quæ hic referuntur ex Anthologio Græcorum, eadem ad verbum habentur in Menæis.*

b *Eadem habentur in Menologio, ut et de profectione Nicomediensi.*

c *Græce est,* γεγραμμένον τελίσι τρισσαῖς.

DE EODEM

Ex S. Joan. Chrysostomo.

Hesterno die Dominus quidem noster aqua baptizatus est, hodie vero servus sanguine baptizatur : hesterno die cæli portæ sunt reseratæ, hodie inferorum portæ sunt conculcatæ. Neque miremini, quod baptismum martyrium nuncuparim : nam et hic Spiritus cum multa advolat ubertate, ac peccatorum abolitio et animæ fit purgatio quædam mirabilis ac stupenda : et quemadmodum ii, qui baptizantur aquis, ita qui martyrium patiuntur, proprio sanguine abluuntur, quod utique et in isto evenit.

Festum S. Luciani postridie Theophaniorum.

2 Verumenimvero antequam de cæde, operæ pretium est ut de diaboli versutia verba faciamus. Nam cum omne suppliciorum ac pœnarum genus ab eo derisum animadverteret; ac se neque accensa fornace, neque barathro effosso, neque rota parata, neque cum in equuleum sustulisset, neque cum in præcipitia projecisset, neque cum dentibus ferarum objecisset, Sancti philosophiam superare potuisse, aliud acerbius genus excogitavit : quærensque circumibat, ut supplicium inveniret, quod simul et acerbissimum esset et longissimum. Quoniam enim eæ quidem pœnæ quæ sunt intolerabiles, hoc afferunt, ut iis ocyssime liberemur; quæ vero longiores sunt, aliquid subtrahunt de dolore; reperire pœnam studuit, in qua utrumque simul esset, et diuturnitas, et intolerabilis doloris excessus; ut cum vehementia, tum longinquitas temporis animum ejus constantem de gradu dejiceret. Quid ergo facit? Fami

Omnia tormenta videt S. Lucianus.

Fame torquetur.

Ex S. Joan. Chrysostomo

Fami Sanctum hunc exponit. At tu cum de fame audis, ne quod dictum est, oscitanter prætereas : est enim illa mors omnium acerbissima, quod illi, qui sunt experti, testantur. Absit enim ut id nos experiamur : recte namque sumus edocti, ut oremus, ne in tentationem intremus. Etenim tamquam visceribus intus insidens carnifex quispiam, omnia membra dilaniat, quovis igne feraque sævius corpus omni ex parte corrodit, et inexplicabilem dolorem inurit.

3 Atque ut quanta res sit fames intelligas, etiam liberos sæpenumero devorarunt matres, cum istius mali violentiam ferre non possent. Et hanc deplorans
Thren. 4. 10. calamitatem Propheta dicebat : Manus mulierum misericordium coxerunt filios suos : quos pepererant, comedebant, et natorum infantium venter qui pepererat sepulchrum est factus, et naturam fames superavit : imo vero non naturam modo, sed etiam
Eam superat. voluntatem. At hujus Sancti generositatem minime superavit. Quis ergo, cum hæc audierit, non obstupescat? tametsi quid potentius est natura? quid contra voluntate mutabilius? Verum ut nihil esse Dei timore validius scias, vehementius aliquid esse natura voluntatem apparuit; eaque matres vicit, ac partus oblivisci coegit; hunc vero Sanctum supplantare non potuit : neque philosophiam supplicium vicit, neque fortitudinem pœna superavit : sed quovis adamante firmior permanebat, seque bona spe oblectabat : materiam agonum se nactum gloriabatur, et ex certaminum oblata occasione consolabatur, præsertim
2. Cor. 11. 27. quotidie Paulum dicentem audiens : In fame et siti, in frigore et nuditate, et rursus : Usque in hanc horam et esurimus, et sitimus, et nudi sumus, et colaphis cædimur. Noverat quippe, noverat probe illud:
1. Cor. 11. Matth. 4. 4. Non in solo pane vivet homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei.

Idolothyta proposita aversatur.

4 Ut autem illum improbus dæmon vidit tanta rei necessitate non frangi, graviorem cruciatum reddidit : etenim sumptis idolothytis, eisque mensa referta, ante conspectum ejus collocari eam curavit; ut facultas utendi ejus animi robur infringeret. Non enim adeo irretiri solemus cum res eæ, quibus allicimur, non apparent, ac cum oculis obversantur; quandoquidem et mulierum cupiditatem facilius quis superaverit, dum mulierem formosam non videt, quam si oculos continue in eam intendat. Verumtamen has quoque insidias Justus vicit, quodque fortitudinem ejus diabolus infracturum putabat, hoc eum magis ad certamina corroboravit et instruxit. Non enim tantum nihil ab idolothytorum aspectu lædebatur, sed ea magis idcirco aversabatur et oderat. Et quemadmodum erga inimicos afficimur, quos quia videmus, tanto eos odio majori prosequimur et aversamur; sic et ille tunc erga impuram illam victimam afficiebatur : eo magis detestabatur, ac refugiebat, quod videbat; et appositorum ciborum aspectus majus odium in eo atque aversationem excitabat : dumque intus magna illum voce sollicitaret fames, et apposita degustare juberet, tum Dei timor ejus manus reprimebat, et ut ipsius naturæ oblivisceretur efficiebat : dumque pollutam et execrandam mensam intueretur, alterius mensæ tremendæ, ac spiritu redundantis recordabatur, adeoque inflammabatur, ut quævis sustinere ac pati statueret potius, quam impuros illos cibos degustare.

Trium puerorum exemplo se animat.

5 Recordabatur et illius trium puerorum mensæ, qui juvenes capti, omnique patrocinio destituti, in terra aliena ac barbara regione tantam philosophiam ostenderunt, ut ad hunc usque diem ipsorum fortitudo celebretur. Ac Judæi quidem dum suam etiam regionem obtinerent, impii in Deum fuerunt, et dum in templo versarentur, idola coluerunt; at illi juvenes in barbaricam terram translati, ubi idola omnisque impietatis occasiones erant, paternos ritus perpetuo retinuerunt. Si ergo captivi, servi, ac juvenes, ante legem gratiæ tantam philosophiam præ se tulerunt, inquit, qua tandem nos venia digni erimus, si ne ad eamdem quidem cum illis virtutem pervenire valeamus? Hæc itaque secum reputans diaboli malitiam irridebat, calliditatem contemnebat, neque ad quidquam eorum, quæ cerneret, flectebatur.

Ad omnia quæsita respondet, Christianus sum.

6 Postquam autem se nihil proficere sceleratus ille vidit, ad tribunal eum rursus deducit, et tormentis adhibitis continuas interrogationes adjungebat. Ille vero ad unamquamque interrogationem tantum respondebat : Christianus sum, ac dicente tortore : Quanam ex patria ortus es? Christianus sum, ait. Quam artem profiteris? Christianus sum. Quibus parentibus natus es? Ille vero ad omnia dicebat, Christianus sum; hoc uno ac simplici verbo diaboli caput percutiens, et illi continua sibique succedentia vulnera infligens. Quamquam ille quidem externis imbutus fuerat disciplinis : at probe noverat in ejusmodi certaminibus non esse opus eloquentia, sed fide; non dicendi facultate, sed anima Dei amore succensa. Unum, inquit, verbum ad omnem diaboli turmam in fugam vertendam sufficit. Ac videtur quidem iis qui rem accurate non examinant, minus conveniens esse responsio : sed si quis attentius eam consideret ex hac quoque sapientiam Martyris animadvertet. Qui enim, Christianus sum, dixit, et patriam, et genus, et artis professionem, et omnia declaravit. Quo tandem pacto? Ego dicam. Christianus urbem in terra non habet, sed Hierusalem quæ sursum est. Illa enim Gal. 4. 26.
inquit, quæ sursum est Hierusalem, libera est : quæ est mater nostra. Christiano terrena nulla artis professio, sed ad supernam conversationem vitæ pertinet. Nostra enim, inquit, conversatio in cælis est. Phil. 3. 20.
Christianus cognatos habet Sanctos omnes ac cives. Sumus enim, inquit, cives Sanctorum, et domestici Eph. 2. 19.
Dei. Itaque uno verbo, et quis esset, et unde, et ex quibus, et quid agere soleret, exactissime docuit, et vitam cum hac voce finivit, abiitque salvum referens Christo depositum; ac posteris ex iis quæ passus est, cohortationem reliquit, ut insistant, nihilque nisi peccatum et negationem tantum reformidet.

Quomodo eum imitari possimus.

7 Hæc itaque nos etiam cum noverimus, pacis tempore bellicis in rebus nos exerceamus : ut cum belli tempus advenerit, illustre nos quoque tropæum erigamus. Famem contempsit ille, delicias et nos contemnamus, ac ventris tyrannidem evertamus : ut si tempus adveniat quod tantam fortitudinem a nobis reposcat, in minoribus antea rebus exercitati præclari in *a* scammate compareamus. Coram *a*
Principibus ille ac Regibus audacter locutus est; hoc nos faciamus nunc quoque : ac si in opulentorum et illustrium Paganorum conventibus consideamus, fidem cum fiducia profiteamur : irrideamus illorum errores. Quod si res quidem suas magnifice efferre, nostras autem deprimere aggrediantur, ne taceamus, neve leviter feramus : sed ipsorum turpitudinem detegentes, multa cum sapientia fiduciaque res omnes Christianorum laudibus evehamus : et quemadmodum Imperator in capite diadema, sic et nos ubique confessionem fidei circumferamus. Non enim illum adeo corona, ut nos fides ejusque confessio solet exornare : non verbis tantum, sed etiam rebus ipsis id agamus, et vitam confessione dignam in omnibus exhibeamus : ne dogmata operum improbitate dedecoremus, sed in omnibus Dominum nostrum glorificantes, cum hujus sæculi tum illius honore potiamur; quem nos omnes utinam consequamur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri gloria, imperium, et honor, una cum sancto ac vivifico Spiritu, nunc et semper in sæcula sæculorum. Amen.

a Σκάμμα, *stadium est, sive locus certaminis. Ita S. Ambrosius lib.* 1, *Offic. cap.* 16. Adhuc populus spectat, adhuc athletæ in scammate sunt, et tu jam otium petis? *et S. Hieronym. ep.* 61, *ad Pammachium contra Joannem Hierosolym. cap.* 5. De Scammate et loco certaminis egrediens.

DE

Ex variis.

DE S. CLERO DIACONO ET MARTYRE.

VII Januarii. *Martyrologium Romanum:* Antiochiæ S. Cleri Diaconi, qui pro confessionis gloria septies tortus, ac diu carcere maceratus, ad ultimum decollatus, martyrium consummavit. *Eadem habent Usuardus, Ado, Notkerus, Petrus de Natalibus, Bellinus, Maurolycus, Martyrol. Germanic. et aliis verbis Galesinius. Meminit ejus Beda, et vetus Martyrol. Romanum a Rosweydo Nostro editum.* ms. *Societatis* Jesu *Antverpiæ, Bedæ præferens nomen,* Bilicerium *appellat;* mss. *Rhinow. et S. Richarii,* Licerium; *plures* mss. *codices* Lycerium ms. *S. Lamberti Leodii, et* ms. *S. Hieronymi* Lucerium. *Alium* xiv *Januarii habes* Clerum *Diaconum, qui non plexus capite, sed in mare mersus dicitur. In* ms. *Martyrologio S. Hieronymi iterum* xv *Januarii:* Antiochiæ Lucerii Diaconi.

DE S. THEODORO MONACHO IN ÆGYPTO.

VII Januarii. *S. Theodorus S. Ammonis discipulus.* *Theodori monachi Ægyptii celebris est in Martyrologio Romano memoria* vii *Id. Januar.* In Ægypto B. Theodori Monachi, qui tempore Constantini Magni floruit sanctitate: cujus S. Athanasius meminit in vita S. Antonii; *capite nimirum* 30 *in edit. Rosweydi, ubi comes fuisse S.* Ammonis *memoratur cum trans Lycum flumen, nolens corpus nudare, divina virtute est deportatus; ut* xvii *Januarii referemus, et* iv *Octob. in vita* S. Ammonis. *Ejusdem mentio fit in vita S. Pachomii* xiv *Maii, Baronius in Notis ad Martyrol. ait S. Antonii fuisse discipulum: verum in citatis S. Antonii et S. Pachonii vitis id non habetur: in Heraclidis vero Paradiso cap.* 2, *et in Palladii Lausiaca cap.* 8, *diserte* S. Ammonis *fuisse discipulus dicitur. Alius est ab eo Theodoro qui* xxviii *Decemb. colitur, et S. Pachomii discipulus fuit.*

DE S. NICETA DACORUM EPISCOPO.

§ I. *S. Nicetæ primus in Italiam adventus.*

Post. an. cdi. VII Januarii. *S. Nicetæ natalis.* *Apostolicum hunc virum ita celebrant Fasti Romani* vii *Id. Januar.* In Dacia S. Nicetæ Episcopi, qui feras et barbaras gentes Evangelii prædicatione mites reddidit ac mansuetas. *De eo S. Paulinus sub finem Epistolæ* 10 *ad Severum:* Quo in genere te et venerabili Episcopo atque doctissimo Nicetæ, qui ex Dacia Romanis merito admirandus advenerat, et plurimis Dei Sanctis, in veritate non magis tui prædicator quam mei jactans, revelavi. *Agit Paulinus de vita S. Martini, ipso adhuc superstite scripta a Severo, quam ab eo sibi communicatam Melaniæ ac S. Nicetæ Episcopo legit.* Dacia *vetus partem Hungariæ, Transsilvaniam, et vicinas aliquot provincias complectitur. In hac prædicasse Nicetam patebit inferius ex ratione itineris: ne quis* Daniam *suspicetur adiisse, quod* Dacia *a medii ævi scriptoribus appelletur. Fidem hæc serius suscepit.*

Quando in Italiam venerit: 2 *Contigit prior ille Nicetæ in Italiam adventus anno* cccxcvii, *cum quintum S. Felicis Natalitium cecinit Paulinus: ut ostendit Baronius ad illum annum num.* 10 *atque ex illo Rosweydus Noster in Notis ad* 10 *Paulini epistolam.*

qua causa. 3 At qui ex Dacia veniens (*inquit Baronius loco cit. num.* 13.) Romanis, ut ait Paulinus, apparuit admirandus, æque innotuisse Romano Pontifici, atque Apostolorum limina visitasse, quis poterit dubitare? Si enim nulla alia caussa quam invisendorum locorum sanctorum tam longam difficilemque peregrinationem obiisse, Paulini assertione dicitur; poteritne præteriisse venerandas Apostolorum Memorias universo antiquitus celeberrimas orbe, et ad eas non accessisse, insalutatasque reliquisse, qui Nolam se contulit ob S. Felicis sepulchrum? Certe quidem (si conjectura interdum verisimili ex similibus comparata exemplis agere concessum est) haud par est credere, qui tantam ad barbaras gentes agebat molem Apostolatus, sub tantæ rei pondere, veluti operibus omnibus feriatum, tot interjacentes, ut iterum in Italiam se conferret, peragrasse provincias, nisi consulendi primariam Apostolicam Sedem summa necessitas incubuisset.

Videtur Papam consulturus venisse.

§ II. *Secundus adventus an.* cdi.

Quarto rursus post anno in Italiam venit S. Nicetas, *ut idem Paulinus testatur Natalitio carmine nono, in quo multa de Niceta suo canit. Et quia magnum censeri debet laudari a tam laudato viro, non pigebit partem ejus carminis aliquam adscribere, unde existimari queat quanti* Nicetæ *eruditionem vitæque sanctitatem fecerit, quantaque eum benevolentia complexus sit Paulinus. Ita ergo scribit:*

Laudatur a S. Paulino.

Salve cara dies, salve mihi, lux mea, salve
Semper festa mihi: sed in hoc mihi clarius anno
Orta refulsisti, quia cum Felicis honore
Nicetam revehis; Sanctorum ut amore duorum
Binum habeam Natalem hodie, quo corpore sumpti
Martyris excessum celebrans, et corpore prompti
Ecce Sacerdotis reditum satiatus adoro,
Suscipiens humili metantem in pectore Christum.
Exultet mea nunc anima, dicatque quod olim
Sponsa canebat amans Domino vocalis amanti:
Imber abit, discessit hiems, vox turturis altæ
In nostra tellure sonat, dat vitis odorem:
Florida et in terris miramur lilia cæli.
Unde repente, precor, versa vice temporis æther
Ver agit, et gelidis flores visuntur in agris?
Unctus adest Domini, Christi comitatus amicis
Nicetes, hinc vernat hiems, hinc undique nobis
Spirat odoratos vegetabilis aura vapores.
Hoc de corde venit benedicti spiritus agri.
Vita pudicitiæ, et liquido mens candida vero,
Nicetam faciunt flores, et aromata verna.

Ejus virtutes.

3 *Ac paucis interjectis:*

—— Video præsenti lumine coram
Niceten rediisse mihi; visoque parente,
Cujus præ cunctis amor in me regnat, et ipse
Nicetes

Ex S. Paulino *Optatus Paulino adventus.*

Nicetes fio, benedicti nominis instar
Mente gerens, quæ nunc voto victore triumphat.
Ergo conspiciens hunc longo tempore longe
Natali venisse tuo, clarissime Felix,
Nonne tua ducente manu adventasse fatebor?
Nam quis tam claro poterit non cernere signo
Hoc prece provenisse tua, ut quod sumere votis
Vix poteram, aut ipso saltem mihi fingere somno,
Nicetam rursus coram Felicis in ipso
Natali, visu simul amplexuque tenerem,
Atque iterum sub eo canerem mea debita, Felix,
Auditore tibi? Sed quid faciam? rogo. Pauper
Divitis assideo mensæ, et miser audeo magnis
Insertare manum dapibus; neque cogito, quod me
Talia consimili vice, qualia sumo, parare
Conveniat, dignumque isto dare judice verbum.
Quare inopida, Sancte, tuo, ut te digna Patrono
Et pariter condigna tuo loquar usus amico.

6 *Ac rursus post pauca :*

Sed quia vox divina decet Felicis honorem,
Et quia Nicetes, Domini puer atque Sacerdos,
Longinqua tellure mihi jam missus, ad istum
Ecce diem venit, vir tam bonus ore magistro,
Quam sacer est victore animo, vel corpore victo.
a *Isa.* 6. 6. *de* Seraphim *id dicitur. Eruditio.* O mihi fulminea *a* Cherubim si forcipe sumptum
Carbonem ex ipsa Domini procul adferat ara,
Et peccatoris male pinguia labra perurat,
Ut defæcato concretis sordibus ore,
Non ut ab ore meo, sed ut auditoris ab ore
Ipsius hausta, meo depromam dignius ore;
Nec peccatoris stolidi sermo asper et æger
Et violet castas, et doctas vulneret aures!
Sed quoniam lateri meus assidet ipse magister,
Cominus e regione situm, venerante frequenter
Lumine conspiciam; forsan sapientis ab ore,
Ut quondam effetæ pecudes pastoris Jacob,
Concipiam sterili fecundos pectore sensus.
Namque et Nicetes Domino benedictus, ut ille,
Jacob Patriarchæ similis. Mitis; ut Israhel ovibus quoque pastor et hœdis
Ante lacum viventis aquæ; sed et hic etiam treis
Corde pari trina sibi legit ab arbore virgas,
Queis in aqua positis pecus advocat, et coeunteis
Ingravidat, virgisque tribus concepta colorat;
Ut de interrasa variatis cortice virgis
Insignita gregis sancti fetura probetur.
At pecori Laban non est nota, sed nota vitæ.
Nam nota mortis erit, Christo non esse novatos.
Sic animas steriles in nomine gratia trino
Innovat, et verbi coitu vir Spiritus implet,
Conceptosque Deo notat intus Ecclesia fetus
Virgineo fecunda utero, materque salutis,
Dum virgis intenta tribus bibit uvida Verbi
Semina, et internus signatur lumine vultus.
Hinc sterilis peperit septem, et defecit abundans,
Dilatante Deo tenues, tenuante superbos.
Sic ego Niceta viso, quasi fonte reperto
Sicut ovis sitiens ad viva fluenta cucurri
Aridus, et sensi mea protinus ubera tendi,
Attentusque diu pascentis in ora magistri,
Inspexi docto varias in pectore virgas,
Conspectumque bibi per lumina fixa colorem,
Et me divinis sparsit mens roscida guttis.

Ejus] præsentia accenditur Paulinus. 7 *Ac paullo inferius :*

Unde mihi hos animos? quæ me levat aura superbum?
Non agnosco tumens mea pectora; major agit mens.
Sentio Nicetam, qui proximus assidet, et me
Tangit, et adjuncto lateri vicinus anhelat.
Acer anhelantis juxta me spiritus intrat,
Insolitumque potens meditantis suscitat ignem,
Frigenteis animans admoto fomite fibras.
Sed reprimam tumidos flatus, nec magna super me
Exiguus spirabo loqui, referarque relicta
Parvus humo, et plano modici pede carminis ibo.
Quamvis Felicis meritum sublime profari
Non possum sine laude Dei, tu sancte paterno
Suscipe me Niceta sinu : et dum pectore docto
Sustineor, caput in blando mihi corde reclinans,
Sal tuus insulsum me condiat, et sitientes
Dives vena riget rivo mihi perpete sensus.
Dicam iterum gaudens, et adhuc vix muneris hujus
Credulus, ingeminabo rogans : Dic, quæso, redisti?
Teque ipsum teneo Niceta? in quo hactenus æger
Noctes atque dies animo tabente pependi?
Venisti tandem quarto mihi redditus anno.
Sed grates Christo, quia te vel sero revexit.
Quam metui ne te mediis regionibus hostis
Disclusum opposita bellorum nube teneret!
Sed desideriis superantibus obvia nobis
Vincula rupisti : nec te mare, nec labor ullus,
Nec Gothici tenuere metus, nec frigora longis
Dura viis. Vere in tantis, Niceta, fuisti
Casibus affectu victus, victorque benigno,
Fortis et infirmus pariter; sed utrumque potenter :
Victus amicitia, victus Felicis amore,
Vicisti duros tenera pietate labores.
Nunc age, sancte parens, animum mihi dede manumque,
Nodemus socias in vincula mutua palmas,
Inque vicem nexis alterno fœdere dextris,
Sermones varios gressu spatiante seramus.
Enarrare libet simul et monstrare parenti
Sollicito nostros toto quo defuit actus *Ei sacra ædificia a se constructa ostendit.*
Tempore. Nam cui jure magis mea gesta retexam,
Felicisque manu nobis operata revolvam,
Quam cui cura sumus? gemino qui jure, magistri
Et patris, ut bene gesta probet, sic improba damnet;
Corrigat errata, et placidus disponat agenda;
Imperfecta juvet precibus, perfecta Sacerdos
Dedicet; atque ita se Felicis in ædibus ultro
Atque citro referat, tamquam ipsum pectore toto
Felicem gerat, et patria se jactet in aula.

Hactenus Paulinus, qui deinde Nicetam orat, ut pro se ad Deum preces fundat. Quod Gothicos metus *refert Paulinus, Daciam a Gothis* veluti genitalem terram possessam *ex Aurelio Victore patet; adeoque et* Thraciam, *in quam a Valente imprudenter admissi. An* Getæ *hi fuerint, ut multi veterum scripsere, an* Gutæ *e* Scandinavia *progressa gens, an* Gothones, *sive* Gythones, Vistulæ *fluminis accolæ; non disputo. Hoc constat ex Aurelio Victore, eos ac Hunnos a Theodosio Magno* variis prœliis victos : *non ita tamen, quin sæpius post graviusque Romanos infestarint. De S. Felice, quem hic toties compellat celebratque Paulinus, agemus* XIV *Januarii; de ipso Paulino* XXII *Junii.*

§ III. *Reditus Nicetæ in Daciam : gentes ab eo conversæ.*

Populi per quos redibat Nicetas.

Extat *ejusdem S. Paulini Propempticon ad Nicetam in Daciam revertentem, e quo tria colligam; Nicetæ iter, gentes ab eo conversas, virtutes. Ad iter hæc spectant :*

Ibis Arctoos procul usque Dacos,
Ibis Epiro gemina videndus,
Et per Ægeos penetrabis æstus
Thessalonicen.
Appulis sed nunc via prima terris
Te vehet, longo spatiosa plano,
Qua Canusino medicata flagrant
Vellera fuco.
Ast ubi paullum via proferetur,
Det, precor, mites tibi Christus æstus,
Et levis spiret sine nube siccis
Aura Calabris.
Te per Hydruntum Lupiasque vectum,
Innubæ fratrum simul et sororum
Ambient, uno Dominum canentes
Ore, catervæ.

Inde

Inde jam terris subeunte ponto,
Adriæ stratus sinus obsequetur,
Unda procumbet, Zephyroque leni
Vela tumescent.
Sed freto emenso superest viarum
Rursus in terra labor, ut veharis
Usque felices, quibus es Sacerdos
Præstitus, oras.
Tu Philippæos Macetum per agros,
Per Tomitanam gradieris urbem,
Ibis et Scupos patriæ propinquos
Dardanus hospes.

Explicatius ostensum iter.

9 *Ita Nicetæ iter ordinat Paulinus, ut deducat* Nola Canusium Apuliæ, *urbem*, Canusio Lupias Calabriæ, *inde* Hydruntum; *tum per sinum* Adriaticum *in* Epirum, *per* Macedoniam, *ac deinde sinum Thermaicum* Ægei *maris* Thessalonicam, *inde* Scupos, *ac* Tomos. *Sed erit cui totum iter relegere lubeat, apteque disponere hospitia. Cum igitur Nola excesserit ac mox Campaniæ finibus, Hirpinorum regio parsque Apennini erit superanda: tum decursis Apuliæ campis* Canusium *deveniet, quæ nunc* Canosa *appellatur, sitaque est ad dextram* Aufidi *fluminis, quod nunc* Ofanto, *sive* Lofanto. *Omni peragrata Apulia in* Calabriam *perveniet, ac* Lupiis *sive* Luppiis *præteritis, aut* Statione Luppia *(quam quidam viri eruditi* Torre di S. Cataldo *vocari nunc arbitrantur, alii vestigium ullum veteris oppidi negant superesse)* Hydruntum *pertinget, quæ Græcis* Hydrus, *vulgo nunc* Otranto *dicitur.*

10 Hydrunto *cum solverit, trajecto sinu* Adriatico *in* Epirum *appellet, quam* geminam *dicit Paulinus, quia illo ipso ævo in* veterem *ac* novam *partita, ut ex Notitia Imperii constat. Deinceps per agrata* Macedonia, *transmissoque sinu* Ægei *maris, quem* Thermaicum, *sive* Thermæum, *ac* Macedonicum *vocant,* Thessalonicam *urbem nobilissimam appellet. Inde* Philippos *ad extremos Macedoniæ fines in* Edonide *provincia, celebrem tunc urbem petet. Nisi per Philippæos Macedonum agros intelligere ipsam generaliter Macedoniam, et non uni regnata Philippo arva, quis velit. Demum Thraciæ partem emensus* Tomos, *Mysiæ inferioris ad Pontum Euxinum sitam urbem (de qua* XXV *Januarii in S.* Britannionis *vita) pertinget. Mox sparsos per utramque Mysiam Gothos, et Daciam Ripensem ac Mediterraneam, verbum salutis serendo, obibit: et* Scupos *interviset, haud alioqui tanto ab Italia spatio dissitam urbem, in* Dardania *Mysiæ superioris provincia.*

11 *Hoc iter Nicetæ. Gentes ab eo conversæ aut in suscepta ante religione confirmatæ excultæque deinceps recensendæ. Ex illis ipsis ortum fuisse regionibus, conjici e Paulino potest, ista scribente:*

Donec optato patriam vehatur
Lætus ad urbem.

Nicetæ patria, ac deinde:

Esto nobiscum, licet ad paternam
Veneris urbem.
Non enim unius populi magistrum,
Sed nec unius dedit esse civem
Te Deus terræ: patria ecce nostra
Te sibi sumit.
Nunc tuos æqua pietate utrisque
Divide affectus; et amore nobis,
Civibus vultu, gemina morare
Civis in ora.
Forsan et major patria hæc habenda,
Non manu factis ubi contineris
Pectorum tectis, hominesque vivam
Incolis urbem.

Et fuit eodem fere tempore alter Nicetas Gothus *martyrio coronatus sub Athanarico in eadem Dacia, ut* XV *Septembris dicemus. Sed ad sanctos nostri* Nicetæ *labores fructusque veniamus, audiamusque de iis Paulinum.*

12 O quibus jam tunc resonabit illa
Gaudiis tellus, ubi tu rigentes
Edoces Christo fera colla miti
Subdere gentes?
Quaque Riphæis Boreas in oris
Alligat densis fluvios pruinis,
Hic gelu menteis rigidas superno
Igne resolvis.
Nam simul terris animisque duri
Et sua Bessi nive duriores,
Nunc oves facti duce te gregantur
Pacis in aulam:
Quasque cervices dare servituti,
Semper a bello indomiti, negarunt,
Nunc jugo veri Domini subactas
Sternere gaudent.
Nunc magis dives pretio laboris
Bessus exultat: quod humi manuque
Ante quærebat, modo mente cælo
Colligit aurum.

EX S. PAULINO *Gentes ab eo conversæ*

13 O vices rerum! bene versa forma!
Invii montes prius et cruenti,
Nunc tegunt versos monachis latrones
Pacis alumnos.
Sanguinis quondam, modo terra vitæ est.
Vertitur cælo pia vis latronum,
Et favet Christus supera occupanti
Regna rapinæ.
Mos ubi quondam fuerat ferarum,
Nunc ibi ritus viget Angelorum:
Et latet justus quibus ipse latro
Vixit in antris.
Euge Niceta, bone serve Christi,
Qui tibi donat lapides in astra
Vertere, et vivis sacra templa saxis
Ædificare.
Avios saltus, juga vasta lustras,
Dum viam quæris, sterilemque silvam
Mentis incultæ superans in agros
Vertis opimos.

Monasteria instituta.

14 Te patrem dicit plaga tota Boreæ,
Ad tuos fatus Scytha mitigatur,
Et sui discors fera te magistro
Pectora ponit.
Et Getæ currunt, et uterque Dacus;
Qui colit terræ medio, vel ille
Divitis multo bove pelleatus
Accola ripæ.
De lupis hoc est vitulos creare,
Et bovi junctum palea leonem
Pascere, et tutis cava viperarum
Pandere parvis.
Namque mansueto pecori coire
Bestias pulsa feritate suades,
Qui feras mentes hominum polito
Imbuis ore.
Orbis in muta regione per te
Barbari discunt resonare Christum
Corde Romano, placidamque casti
Vivere pacem.
Sic tuo mitis lupus est ovili,
Pascitur concors vitulus leoni,
Parvus extracta trucibus cavernis
Aspide ludit.
Callidos auri legulos in aurum
Vertis, et versos imitaris ipse,
E quibus vivum fodiente verbo
Eruis aurum.

Barbari mansuefacti.

15 *Hæc aliaque Paulinus, qui has præcipue gentes ab eo excultas recenset:* Dacos Ripenses, Dacos mediterraneos, Scytas, Getas, Bessos, Riphæos. *At hos si adiit Nicetas, næ ille ut multum obivit terrarum, cum hi in extremo Septemtrione collocentur a Geographis, ita laboris ac molestiæ plurimum tulit. Neque vero leviter cælesti doctrina hos populos aspersit: nec poterat sane*

Ex S. Paulino

sane adeo immites ac feros animos ita subito penetrare, nisi ingenti studio præparatos. Ut vero hoc consequeretur, admirabili præditum fuisse vitæ sanctitate, ac plurima edidisse divina virtute miracula, indubitatum est. Quo deinde firmiores religio radices ageret, et monachorum cœtus instituit, ut jam vidimus, et ipse in eorum, quoad licebat, degit convictu, testante Paulino:

His precor cum te domus alma sancto
Ceperit fratrum numerosa cœtu
In choris, et nos pietate cari
Pectoris abdê.

Monachi inter Neophytos.

Nullæ fere barbarorum nationes Christo additæ, nisi aut monachorum opera, aut mox domiciliis monachorum per ipsos earum Apostolos erectis, ut essent veluti plantaria unde novi idemtidem salutaris doctrinæ magistri educerentur; ut vitæ integerrimæ exemplo ad pietatem intuentes pellicerent; ut denique sanctarum precum sacrificiorumque præsidio novellum gregem munirent, hostisque tartarei conatus eliderent.

15 *Quod ad virtutes attinet Nicetæ, pietatem præcipue celebrat Paulinus, qui vel inter navigandum in media epibatarum turba, ea etiam accidente, sacros hymnos decantaturum ominetur.*

Nicetæ pietas.

Navitæ læti, *inquit*, solitum celeusma
Concinent, versis modulis in hymnos,
Et piis ducent comites in æquor
Vocibus auras.
Præcinet cunctis, tuba ceu resultans,
Lingua Nicetæ modulata Christum:
Psallet alternis citharista toto
Æquore David.
Audient Amen tremefacta cete,
Et Sacerdotem Domino canentem
Læta lascivo procul admeabunt
Monstra natatu.

De eadem ceterisque virtutibus paullo inferius:

Ducat hunc æque famulum suum dux
Ille, qui quondam profugum minacis
Fratris a vultu Deus in salutem
Duxit Jacob.
Namque Niceta fugitivus æque est:
Quod semel fecit Patriarcha, semper
Hic facit, mundo fugiens ad alti
Mœnia cæli:
Et gradus illos, quibus ille vidit — *Similis Jacob Patriarchæ.*
Angelos versa vice commeantes,
Iste contentus superante nubes
Scandere vita;
Per Crucis scalas properans in astra,
Qua Deus nitens ad humum coruscis
E thronis spectat varios labores
Bellaque mentis.
Tuque, Niceta, bene nominatus
Corporis victor, velut ille dictus
Israel, summum quia vidit alto
Corde satorem.
Unde Nicetes meus approbatur
Israelites sino fraude verus,
Qui Deum cernit solidæ fidei
Lumine Christum.

Hæc aliaque de Niceta suo Paulinus. Utinam res ab eo præclare gestæ mandatæ litteris essent! Illustre procul dubio Apostolici præconis exemplar in iis haberemus expressum.

DE SANCTO VALENTINO

EPISCOPO PASSAVIENSI.

Circiter ann. CDXL. VII Januarii. *S. Valentini triumphus.*

Non uno die S. Valentini *memoriam celebrant Martyrologia. Nam Romanum* XXIX *Octobris ista habet:* Eodem die sanctorum Episcoporum Maximiliani Martyris, et Valentini Confessoris. *Molanus in Addit, ad Usuardum, eodem die:* In civitate Pataviensi triumphus sanctorum Episcoporum Maximiliani Martyris, et Valentini Confessoris. *Quis vero ille sit triumphus, non exprimit. Eadem habet Martyrologium Germanicum, additque præcipuos ejus Ecclesiæ et diœcesis patronos esse. In vita S.* Maximiliani XII *Octobr. mentio fit servatæ civitatis Pataviensis anno* MCCLXV, XXIX *Octobris ejus ac S.* Valentini *patrocinio, de quo nos isthic. Corrigendum Gallobelgicum Martyrologium, in quo Patavio Italiæ ambo adscribuntur.*

Non est hic Vianensis in Lusitania.

2 *In Dextri Chronico ad annum* CDXXIV, *num.* 5, *isthæc habentur:* Prope Tudem in Gallæcia, in oppido Vianensi, sancti Pontifices Maximianus et Valentinus Confessores clarent. *Non dubitat Bivarius quin hi sint SS.* Maximilianus *et* Valentinus, *de quibus Martyrologium Romanum* XXIX *Octobris; et fidenter Molanum corrigit, qui locum* Viennæ *male cum* Theodoro *conjunxerit. Ita legendum censet:* Eodem die sanctorum Episcoporum Maximiliani Martyris et Valentiniani Confessoris, Viennæ. Item depositio B. Theodori Abbatis. *Hunc vero* Theodorum *asserit S. Pachomii esse discipulum; neque enim ullum* Viennæ in Gallia *notum esse* Theodorum. *Verum* Theodarium *non* Theodorum *scripsit Molanus; atque is colitur* Viennæ *illo die, ut ex Adonis Episcopi Viennensis Martyrologio constat, et* Theodorus *quoque ab aliis appellatur. Ast ille S. Pachomii discipulus* Theodorus XXVIII *Decemb. colitur. Quamvis probaret Bivarius* Maximianum *hunc et* Valentinum *(quem ipse* Valentinianum *vocat) coli uspiam, sive hoc sive alio die; at numquam eos pro Bataviensibus nostris supponi patiemur, quos constat antiqua religione celebres fuisse.*

3 VII *Januarii ista de S.* Valentino *scribit Molanus:* Patavii, Beatissimi Valentini Episcopi Rhætiarum. *Eodem die Ferrarius in generali Catalogo SS.* Pataviæ in Norico S. Valentini Episcopi, et ejusdem urbis Patroni. *Eo die coli illum Passavii, testatur Matthæus Raderus Noster.* MS. *Martyrologium Bedæ monasterii Richebergensis in Bavaria, eodem die:* Valentini Episcopi. *Ejus natalis.*

4 IV *Augusti eum alii celebrant; quo die Petrus Galesinius:* Patavii in Noricis S. Valentini Episcopi et Confessoris, qui noctu in vigiliis orationibusque frequens interdiu sacrarum lectionum studiis ac pietatis officiis magnopere deditus, cælestium virtutum donis affluens, migrat ad Dominum. *Citat tabulas Passavienses. Carthusiani Colonienses in Addit. ad Usuard.* Translatio S. Valentini Episcopi Pataviensis et Confessoris. *Eadem Martyrologium Germanicum. Martyrologium Colon. solum habet:* Ipso die B. Valentini Episcopi et Confessoris. *Ferrarius:* Pataviæ in Norico S. Valentini Episcopi et Confessoris. MS. *Florarium:* Item Translatio S. Valentini Episcopi et Martyris, *et paucis interjectis:* Item B. Valentini Episcopi et Confessoris. *Agitur ergo* VII *Januarii Natalis S. Valentini, ut ex vita S. Severini* VIII *Januarii patet;* IV *Augusti fortassis translatio et Inventio secunda* XXIX *Octobris vel prima vel alia quæpiam translatio. Ceterum in catalogo Episcoporum Passaviensium non reperitur* Valentini *nomen, quod merito miratur M. Velserus in Notis ad S. Severini vitam.* NOT. 112. *Translatio.*

5 *Eugippius in vita S. Severini* VIII *Januarii S.* Valentini, *ita meminit:* Epiphaniorum die, cum Sanctus se Lucillus Presbyter Abbatis sui S. Valentini, Rhætiarum *Lucillus ejus Presbyter.*

tiarum quondam Episcopi, diem depositionis annua solemnitate in crastinum celebraturum sollicitus intimasset; idem famulus Dei ita respondit : Si B. Valentinus hæc tibi celebranda solemnia delegavit, ego quoque tibi in eodem die Vigiliarum mearum studia observanda, migraturus e corpore, derelinquo. In his sermonibus tremefactus, cum se magis, utpote homo decrepitus, enixius commendaret, quasi primitus transiturus, etc.

6 *Aribo Frisingensis Episcopus in Vita S.* Corbiniani, *quam* VIII *Septembris dabimus, meminit sepulchri* S. Valentini *a Corbiniano religiose frequentati, ejusque ecclesiæ in* castro Magiensi; *ac de corporis translatione hæc habet :* Interea vero dum a Longobardorum gente corpus B. Valentini Confessoris Christi de eodem castro ablatum fuisset, et in Tridentinam urbem deportatum; ac postea a venerando Tassilone Duce in Patavium civitatem, cum summo revocatum honore, etc.

7 *Andreas Braunerus Noster Annal. Boicor. lib.* 4, *de S.* Valentino *ita scribit :* Integritatem adeo philosophiæ Christianæ nondum adultam temeraverat impia Arii lingua, ut, serpente veneno, totus demum orbis terrarum (verba D. Hieronymi sunt) ingemiscens, se miraretur Arianum. Certe Batavium, quod Passavium hodie est (Batava olim castra dictum) ea peste hoc ipso tempore laborabat : verum, quæ Dei bonitas est, non defuit malo medicina, quique illam doctissime faceret, ab ipsis usque Oceani finibus accitus est. Is D. Valentinus fuit, qui ad hunc Vindeliciæ angulum excolendum cum omne studium operamque contulisset, et tamen cum immitibus ingeniis ægre colluctaretur, semel iterumque Romam profectus, summo Reip. Christianæ Antistiti se stitit; a quo Episcopatus honore auctus, cum ad spartam suam ornandam rediisset, et agendo patiendoque, quæcumque bonus animus potest, nihil proficeret; insanabili Arianorum furori cedere coactus, per reliquam Rhætiam, magno operæ pretio, contemptam in Batavis castris veritatem explicavit. Ad Alpes tandem Majas, Meraniæ (quæ Tiroleos urbs est) imminentes profectus, etiam illa aspreta molliit, et ad virtutis elegantiam mansuefecit. *Idem lib.* 5, Magiense castrum, Majense *vocat*, vulgo Matsch, *inquit*, non procul Merania Tiroleos. *Alii* Magiam *esse volunt* Meienfeld *Rhætorum oppidum inter* Cluniam, *quam* Veltkirch *putant, et* Curiam. *De S. Valentini translatione idem Braunerus eodem lib.* 5. Ejusdem Thassilonis studio, Valentinus Passaviensium, Corbinianus Frisingensium Episcopi, sedibus suis redditi, ingenti populorum plausu, et pietatis incremento. Nam Valentini corpore Tridento, quo illud Longobardi Majis exhumatum deportarant, Passavium relato, etc.

Qu æ gesserit Valentinus.

Magiense castrum ubi.

NOT. 113.

8 *Hic dabimus de S. Valentino, quæ de eo tom.* I *Bavariæ sanctæ scripsit Matthæus Raderus Noster; tum quæ ad* IV *Augusti edidit Surius, a quingentis annis ab anonymo Auctore tradita litteris, sed quæ a se paullulum fatetur expolita.*

VITA

AUCTORE MATTHÆO RADERO S. J.

a Divus Valentinus ante *a* Severinum vixit; ad Oceanum (*b* Germanicum, opinor) natus, venit Batava Noricorum, ubi ea tempestate duæ pestes regnabant in urbe, Paganorum, inquam, idololatria, et Arianorum perfidia : contra quos in aciem descendit Valentinus; nec multum profecit. Romam semel ac iterum inde profectus, uti summi Pontificis auctoritate Pontificatu auctus, acrior rediret, necdum pro animi sententia rem conficere potuit. Imo artibus et improbitate Arianorum urbe pulsus, ad Alpes Majas haud procul *c* Merania apud *d* Teriolos, se contulit : ubi felici admodum successu multis ad Christi sacra traductis, ecclesiam condidit, in qua post ingentes labores conditus, post duo triave sæcula a *e* S. Corbiniano Batava est transvectus. Fit hujus Divi mentio apud Eugippium in Historia S. Severini. *f* Plura Surius pridie Nonas Augusti. Ponunt Batavienses hunc Divum non immerito inter primos urbis suæ Pontifices, et tutelares. Agitatur anniversaria ejus celebritas festa cœrimonia VII Idus Januarii. In Batavino Breviario hæc de illo ad verbum exscripta lege :

a b

Valentinus prædicat Passavii.

Fit episcopus.

c d

EX RADERO.

e

f

2 Valentinus vitæ sanctitate insignis, ab Oceano ad Batava oppidum, nunc Passavium nuncupatum, venit. Ubi genti a vero Dei cultu alienæ, verbum vitæ prædicaturus, Romam petiit, ut ad prædicandi munus Apostolica interveniret auctoritas. Reversus inde, et jussit Pontificis pium opus agressus, animas, quarum salutem mire sitiebat, assidua verbi divini prædicatione Christo lucrari diu multumque conatus est. Verum, cum semen verbi salutiferi velut in petram frustra se spargere videret, Romam rediit, petens se ad alium populum facientem fructum mitti. Sed Valentinus a Pontifice in Episcopum creatus, ac, ut Apostoli exemplo adhuc ibidem prædicando opportune importune instaret, remissus est; facultate ei data, post irritos tandem labores, ad alias gentes commigrandi. Cum igitur sanctus Episcopus spiritu Dei fervens, muneri suo iterum ardenter insisteret, et Batavos ad viam veritatis traducere laboraret; illi, Arianorum accedente perfidia, hanc prædicandi instantiam non ferentes, eum e finibus suis excedere coegerunt. Quare vir Dei Rhætias peragrans, hominum saluti, ubique prædicando, quam maxime studebat. Tandem in montana se contulit : ubi multis pro Christo perfunctus laboribus, ingentique animarum fructu reportato, vitæ suæ terminum præsciens, beato fine quievit; in vita et post mortem miraculis clarus. Ejus corpus in Majensi castro in Alpibus sepultum, ad Batava tandem, uti propriam Sedem, unde vivens exsulaverat, honorifice translatum est.

Animatur a Papa.

Pellitur.

Prædicat in Alpibus.

a *Is obiisse dicitur anno* CDLXXXII. *De* Valentino *agit Braunerus post an.* CDI.

b *Laudo conjecturam. Porro cum* Germanicus Oceanus *secundum Ptolemæum et alios Geographos, a freto quod Britanniam a Gallia dividit, procul in Septemtrionem protendatur; hinc sequitur S.* Valentinum *e Belgica oriundum esse. Nam qui alii ea ætate accolæ* Germanici Oceani *Christi fidem receperant? De Morinis, quorum pars Flandriæ nunc Comitatu continetur, testatur S. Paulinus ep.* 28, *a S. Victricio esse conversos, quamquam alii quoque ante Victricium intulere Belgicis provinciis lucem Evangelii. Hinc igitur ille Rhætiarum Apostolus prodiit; vel ea fortassis occasione inductus, ut* Batava *præcipue peteret, quod Belgicæ originis urbs erat,* Castra Batava *a Batavorum Belgarum nomine dicta, et vulgo solo cognomine* Batava, *unde Germani* Battaw, *et propria ipsorum dialecto, qua* t *nostrum in* s *mutant,* Passaw, *nunc etiam Latine* Passavium, *nobilis etiamnum ad Æni ac Danubii confluentes civitas.*

c *Ad dextram* Athesis *fluvii (quem Germani* Etsch. *Itali* Adice *et* Adige *accolæ* Adese *vocant) ripam sita est* Merania.

d 'Athesis sinistræ ripæ (*inquit Philipp. Cluverius Italiæ antiquæ lib.* 1, *cap.* 16.) medio ferme itinere inter fontem amnis et oppidum Bolzanum, adposita est arx cum oppidulo, vulgari nunc nomine Tiroli Italis, Germanis Tirol dicta : unde nobilissimus totius Germaniæ Comitatus Tirolensis cognomentum accepit. *Ostendit deinde jam olim* Teriolis *loco nomen fuisse.*

e *De S.* Corbiniano *agemus* VIII *Septembr. Sed fallitur hic Raderus : non S.* Corbinianus, *sed post ejus mortem Thassilo Dux S.* Valentini *translulit corpus.*

f *Ea hic subjungemus.*

VITA ET TRANSLATIO

NOT. 114.

EX LAUR. SURIO IV AUG.

CAPUT I.

S. Valentini inventio, prima translatio.

a Nostro ævo temporibus *b* Calixti Pontificis Maximi, anno Dominicæ incarnationis *c*.... Patavii inventum est corpus sanctissimum venerandi Confessoris Christi et Episcopi Valentini, idque ab ejusdem Sedis venerabili antistite *d* Dedalrico. Quod quidem sacrum cor-

a b

c

S. Valentini corpus inventum.

d

Ex Surio. *e* pus olim eo translatum a *e* Longobardorum gente e castro Magiensi, jussu venerandi Ducis Tassilonis, Dei benignitate propriæ Sedi restitutum est.

2 Prima vero translationis ejusmodi fuit occasio. *f* Cum beatæ memoriæ S. Corbinianus Episcopus Frisingensis Romam aliquando proficisceretur, captus est a ministris Grimoaldi Longobardorum Principis, qui in Alpibus excubabant, perductusque est in Magiense castrum. Ubi cum maneret sanctissimus vir, accessit ad monumentum S. Valentini, Pataviensis quondam Episcopi, quod in eodem castro in Alpibus sito, idem beatus Antistes Valentinus extruxerat : in quo postquam gentibus prædicaverat, et multos ab ethnicismo ad Christi religionem traduxerat, post obitum suum humatus, requievit in pace. Ubi vero jussu Grimoaldi Principis Corbinianus Episcopus dimissus est e custodia, *g* Romam ire perrexit, atque inde prospero cursu ad eumdem locum reversus est. Cumque non mediocriter doleret sancti Pontificis Valentini corpus a propria ecclesia longius semotum, rogavit *h* Tassilonem Ducem, patrem Grimoaldi Ducis, ut per ipsum propriæ Sedi quandoque vel mortuus restitueretur. Ejus vero precibus annuens Tassilo, præcepit, ut corpus B. Valentini a castro Magiensi Patavium, unde quondam ab improbis hæreticis, Ariana perfidia infectis, expulsus fuerat, honorifice deportaretur. Itaque hunc in modum translatum est corpus sanctissimi viri a Magiensi castro Patavium, positumque inter duos muros ante fores ecclesiæ B. Stephani protomartyris, ubi Episcopi sedes est.

f *Antea Batava translatum.*

g

h

Antiqua vita illius.

3 Ipso autem sanctissimi Valentini pontificis invento corpore nostris temporibus in ecclesia Pataviensi, juxta illud reperta est tabula plumbea, in qua continebantur scripta strictim, et ut vix possent intelligi, ejus sanctissima gesta, tum etiam quis fuerit, quemadmodum Ecclesiæ Pataviensis Episcopatum administrarit; ut expulsus, in locis montanis vitam suam exegerit; ut denique post mortem reductus sit. Quæ quidem scriptura tum vetustate, tum terræ putrefactione dissipata, et ab inventoribus in unum collecta, rerum gestarum ordinem ægre hunc in modum manifestat. Venit ab Oceano vir humilis, Valentinus nomine, in Norici urbem Patavium, idque animo apud illos prædicandi. Sed quia id hominum genus ferum ac belluinum nimis erat, exiguum apud illos animarum fructum capere potuit. Videns autem terræ ejus opportunitatem, et quorumdam hominum frugalitatem, regionemque jam albam ad messem, ita intra se cogitabat : Non debet concionandi munus quisquam sibi usurpare, nisi ex Apostolicæ auctoritatis jussione, sicut scriptum est : Quomodo prædicabunt, nisi mittantur? Hæc dicens, adiit Pontificem Romanum. Qui eum honorifice et reverenter excepit, libenterque eum audivit, et Apostolica auctoritate ejus studium prædicandi confirmavit. Reversus ergo ille Patavium, tentavit illic prædicare verbum vitæ, sed nihil profecit, nondum enim tempus miserendi ejus advenerat. Rursus autem cogitavit adire Romanum Pontificem, ut ab eo vel in aliam provinciam mitteretur, ubi animas Christo lucrifaceret, et suæ quoque salutis acciperet incrementa. Venit ad Pontificem, interrogatur ab eo, quid ita cito reverti voluerit. Respondet in hunc modum : Domine mi, Pater carissime, obstante infelicitate mea, non potui ullum fructum facere. Redii ergo ad te, orans ut ad aliam gentem me mittas, ubi fructum animarum, Christo jubente, colligam, nec minorem animæ meæ profectum percipiam. Respondit Pontifex : Insta frater opportune, importune, et beatus erit fructus laboris tui : si possis tantum uti constantia, donec frangas feritatem diu reluctantis populi. Quod si vero jam tertio conando nihil effeceris, auctoritate Apostolica licebit tibi ad alias gentes prædicandi caussa commigrare. Atque ita imponens ei manum, ordinavit eum Episcopum, dataque benedictione, a se dimisit. Ille celeriter reversus Patavium, prædicavit verbum salutis, et sanctæ Trinitatis. At homines illi videntes ejus prædicandi instantiam, una cum Arianis restiterunt ei, nec sine læsione ejecerunt eum e finibus suis. Ille vero, ut erat homo patiens, excusso pulvere pedum in eos egressus ab urbe, ad montana se contulit, ubi ex Dei providentia ingentem attulit animarum fructum, cum magno suæ salutis augmento : et tandem Deo et hominibus carus, feliciter in Christo defunctus est.

Rom. 10. 15.

a *Hinc patet qua ætate hic Auctor vixerit.*

b Callistus II *electus est an.* MCXIX, *obiit sub finem an.* MCXXIV.

c *Duo* MSS. *ut habet Surius, annum* MXC *exprimebant.* Sed vel in Pontificis nomine, *inquit*, mendum est, vel in numero annorum, legendumque MCXX aut circiter.

d Udalricus *hic est, quem Hundius ab an.* MXCII *usque ad* MCXXIV *ait sedisse.*

e *Confundit vel Auctor, vel Surius, duas translationes : nam, ut diximus, e* Magiensi castro Tridentum *est a Longobardis translatum,* Tridento Batava *Tassilonis jussu.*

f *Hæc fusius narrantur in vita S.* Corbiniani VIII *Septemb. ut ante diximus.*

g *Imo in vita S.* Corbiniani *dicitur id contigisse cum Roma rediret.*

h Grimoaldi *pater Tassilo non fuit, sed* Theodo V, *isque ante Corbinianum, ut et Grimoaldus ipse, vita excessit. Nec Tassilonem rogavit Corbinianus ut ad Sedem suam Valentinus referretur, sed Hugbertum Grimoaldi fratrem, totius tum Boicæ Principem rogavit, ut se in Magiensi castro, ubi sepulchrum erat S.* Valentini, *sepeliri juberet. Utrumque deinde* Batava *reportari curavit* Tassilo, *filius Utilonis.*

CAPUT II.

Prædicatio fidei ac virtutum.

Prædicat in Alpibus

Fuit itaque B. Valentinus Episcopus in Alpibus, in locis nemorosis et silvestribus, in quibus ethnici multi, et feri ac belluini homines morabantur, prædicans ac docens verbum Dei, et virtutes multas efficiens, ita ut ab obsessis corporibus dæmones pelleret, sanaret infirmos, et multos male habentes a diversis languoribus curaret. Erat enim vir sanæ doctrinæ, et fidei Catholicæ regula perfecte imbutus; non palpans vitia hominum, sed pungens; aculeatis sermonibus utens adversus flagitiosos, et tamquam clavis quibusdam in altum defixis; abstinens se ab omni fratre ambulante inordinate.

Claret miraculis.

Hæreticos aversatur.

3 Versutias hæreticorum toto studio declinabat, ita ut nec audire eos, nec in cibo, potu, aut qualibet amicitiæ conjunctione cum eis communicare vellet. Quæ etiam ei partim caussa fuit montana expetendi, ut nulla ipsi daretur alicujus cum eis commercii occasio, aut communicandi necessitas offerretur. Ariana perfidia inter ceteras hæreses per totum orbem pervaserat, et instar serpentis suo veneno infecerat limites, quos olim doctrina Apostolica ad Christi fidem adduxerat. Ne ergo vir sanctus, et Catholicæ religionis firmitate roboratus, hæreticorum, quibus præ multitudine resistere non poterat, tumultuosos clamores audiret, ad montana se contulit : ubi cum sanæ doctrinæ et veritatis prædicationi vigilanter incumberet, multum Domino populum lucratus est.

Multos convertit.

6 Audientes enim eum populi multi, qui non modo in montanis, sed etiam vicinis locis et circa Alpes contra Italiam et Insubres degebant, sacrum ab eo baptisma percipiebant. Quidam etiam ab erroribus, quos ab hæreticis hauserant, resilientes, B. Valentini orthodoxa prædicatione instituti, sanam fidem complectebantur, confitentesque peccata sua, et abstinentes se ab omni opere malo, glorificabant Deum Patrem omnipotentem, et Filium ejus Dominum Jesum Christum, redemptorem et Salvatorem mundi, et Spiritum sanctum paracletum, illuminatorem et consolatorem animarum, veram et sanctam Trinitatem, divini nominis et confessionis unitatem. Non est in hac Deitatis confessione divisio, non est in personis inæqualitas : Pater æqualis et consubstantialis est Filio et Spiritui sancto : attamen alia persona Patris, alia

alia Filii, alia Spiritus sancti; sed una Deitas et consempiterna majestas, quæ cuncta creat, cuncta vegetat, cuncta gubernat. Eam fidem constantissime prædicabat B. Valentinus Episcopus, et in hac sanctæ Trinitatis confessione perdurabat. Hac fide multos ab errore diabolicæ pravitatis liberabat, multorumque animas a præcipitio æternæ damnationis eripiebat. Quos vero subtraxit diabolo, illos adduxit ad Christum : quosque convertit ad fidem, saluti restituit animarum.

Salaturia ejus monita :

7 Docebat autem eos resistere vitiis, pugnare cum mundi hujus pravis cupiditatibus, pristinos errores prorsus abjicere, cunctis vanitatibus valefacere. Docebat populum Dei recte credere, et bene operari, spernere lenocinia blandientis sæculi, perfecteque ambulare in via Domini, et quæ fide recta comprehenderent, ea bonis operibus complere. Cumque hæc alios doceret, nequaquam seipsum neglexit, sed dabat operam, ut posset ipse quoque dicere cum Apo-

1. Cor. 9. 27. stolo : Castigo corpus meum, et in servitutem redigo, ne forte aliis prædicans, ipse reprobus efficiar. Erat ejus doctrina sale sapientiæ condita, non declinans neque ad dextram, neque ad sinistram, id est, nec aspera nimium, nec plus satis remissa. Sic extirpabat vitia, ut virtutes pariter non evelleret, convenien-

Isa. 42. 3. *Insignis moderatio.* ter illi sententiæ de Domino Salvatore : Linum fumigans non extinguet, et arundinem quassatam non conteret. Linum fumigans extinguere, est peccatores quosque et sceleratos seu criminosos propter fumum fœtoris eorum despicere, et ad reconciliationem divinæ miserationis per benevolentiam prædicationis non revocare. Non extinguere vero, est, ne desperent, per lenitatem ad fiduciam salutis æternæ alliciendo temperare. Arundinem quassatam conterere, est anxias, exacerbatas, et propter iniquitatis suæ instabilitatem afflictas mentes, ad constantiam et fiduciam spei, vitæ æternæ promissionibus non erigere, sed severitate maledictionis et desperationis conterere. Quod B. Valentinus prædicator egregius non fecit : sed ita potius peccatoribus prædicabat veniam, ut seipsum etiam peccatorem diceret, summum illum verbi Dei præco-

1. Tim. 1. 15 et 16. nem Paulum imitatus, qui dicit : Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum : sed ideo misericordiam consecutus sum, ut in me primo ostenderet Christus Jesus omnem patientiam, ad informationem eorum, qui credituri sunt illi in vitam æternam. Ita nimirum S. Valentinus Episcopus dulcis erat eloquio, pro concione suavis, non multiplex nec profusus nimium in verbis, non profundus sensibus, non vafer neque implicatus sententiis : sed humilis voce, lenis exhortatione, conspicuus bonitate, universa morum honestate præclarus.

a *Sequentia monet Surius ab eodem scripta esse auctore, a quo superiora hujus historiæ; sed non in eadem plumbea tabula fuisse exarata.*

CAPUT III.

Pietas, mors, translatio.

Precandi studium. Erat apud illum in more positum, noctes et dies ruminare psalmos, tota animi attentione hymnos depromere, preces multas fundere, tota compunctione

Psal. 119. 5. ad Dominum suspirare, et cum Psalmista crebro ingemiscere et dicere : Heu mihi, quia incolatus meus

Philip. 1. 23. prolongatus est! cum Apostolo cupere dissolvi, et esse cum Christo; frequentissime in precibus suspirare ad Dominum, et cum lacrymis atque singultibus dicere: Quando veniam et apparebo ante faciem Dei? Igitur beatus vir, athleta fortissimus, cum permultos in fide Christi et Catholicæ religionis professione confirmasset, delegit vitam solitariam, ut tanto securius quanto secretius Deo adhæreret, divinis contemplationibus vacans, et cælesti dulcedini animum intendens. Fecerat sibi jampridem oratoriolum seorsum ab homi-

num tumultu, in quo crebro pernoctabat in orationibus, vigiliis et jejuniis insistebat, sæpissime lacrymarum imbribus perfusus, ardentissime ad Deum suspirabat. Diebus vero orationi, lectioni, contemplationi vacabat, eleemosynis, ceterisque, quibus poterat, bonis operibus intentus erat, Deoque soli in secreto cordis sui pura conscientia indefessus militabat. Ex Surio. *Amor solitudinis.*

9 Post tot vitæ hujus labores, post tot bonorum operum sudores, post tantas corporis molestias et vigilias, hæreticorumque vexationes et insidias, Deus omnipotens, cui soli jam longo tempore inhæserat, volens ei reddere mercedem et amplissima præmia, in spiritu ei revelavit horam, qua esset abiturus a vita. Tum vero ille præmunivit se vigiliis et precibus, ut posset lætus audire a veniente judice : Euge serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam; intra in gaudium Domini tui. *Mortem suam præscit.*

10 Cumque labores laboribus, vigilias vigiliis, jejunia jejuniis, preces precibus cumularet, aliisque piis operibus incumbendo, diem vocationis suæ cum jugibus lacrymis expectaret, in gravem morbum incidit, quo etiam extinctus est. Sed licet magnis affligeretur corporis molestiis, attamen scutum patientiæ, et obedientiæ virtutem tenens fortiter, non multum contristabatur, sed gaudebat potius, credens a Domino se diligi, quandoquidem tam acriter ab illo castigaretur. Non erat immemor Scripturæ dicentis: Fili mi, noli negligere disciplinam Domini, neque fatigeris dum ab eo argueris. Quem enim diligit Dominus, castigat : flagellat autem omnem filium, quem recipit, et post flagella in hæreditatem patriæ cælestis introducit. Ejusmodi sancti Spiritus consolationibus confirmatus vir Dei, non timebat mori, sciens se a Domino celeriter a mortis cruciatu liberatum iri. *Ægrotat.* Prov. 3. 11. Heb. 12. 5 et 6.

11 Vocatis igitur fratribus et commilitonibus suis, indicavit eis prope adesse suum e vita decessum, cunctosque his compellavit sermonibus : Fratres carissimi, confirmate Ecclesiam in fide Christi, conservate fidem, pacem, unitatem, spem, caritatem et religionem Catholicam : et Deus pacis et dilectionis erit vobiscum usque in finem. Deinde cum lacrymis ita precatus est : Domine Deus, Pater Domini mei Jesu Christi, qui per Spiritus sancti gratiam omnes gentes in unitate fidei congregasti, collige Ecclesiam tuam vinculo veræ fidei et Christianæ religionis : libera eam a pravitate hæreticæ perversitatis : custodi eam a scissura diabolicæ falsitatis. Domine Jesu Christe, Fili Dei omnipotentis Patris, defende et erue oves tuas de ore luporum, pro quibus fudisti pretiosissimum sanguinem tuum. *Extrema ad suos monita.*

12 Hac oratione finita, pariterque exhortatione fidissima, vir sanctus propriis manibus accepit corporis et sanguinis Domini Sacramentum, ita dicens: Domine Jesu Christe mundi conditor et redemptor, qui es dux et illuminator animarum nostrarum; obsecro te per mysterium sacratissimæ passionis et resurrectionis tuæ, ut suscipias animam meam, et perducas eam in regnum tuum, quod præparasti diligentibus te. His dictis, tradidit spiritum in manus Angelorum, ad Christum in paradisum perferendum. *Pie moritur.*

13 Corpus autem ejus in Alpibus in ecclesia, quam ipse condiderat, humatum est. Post *a* aliquantum vero temporis, consopita perfidia hæreticorum, a fidelibus Christianis Patavium translatum est, et in ecclesia B. Stephani Protomartyris honorifice tumulatum. Cumque multis temporibus claresceret locus ille signis et virtutibus, quas fecit per illum Deus, oblatæ sunt multæ visiones nostris temporibus viris religiosis de corpore ejus ex divina voluntate ad locum celebriorem transferendo. Inventum est ergo corpus sanctissimi viri inter duos muros basilicæ S. Stephani, et elevatum cum magno tripudio et populorum conventu a venerabilibus viris et religiosis Episcopis, collocatumque *b* in majori ecclesia ad sedem Pontificis, *a* *Corpus transfertur Passavium :* *b*

Ex variis. *Iterum invenitur.*

ficis, ubi etiamnum plurima fiunt miracula, quæ facit per illum Deus et Dominus noster Jesus Christus, qui in Sanctis suis est mirabilis et gloriosus in sæcula sæculorum. Amen.

14 Celebratur autem festum ejus in Ecclesia Pataviensi cum primis solemniter et honorifice pridie Nonas Augusti, et fit ibi conventus multorum hominum, quærentium auxilium et defensionem ab illo : percipiuntque multi, digne postulantes, mentis et corporis sospitatem per Christum Jesum Dominum nostrum.

a *Imo plusquam tribus sæculis post.*
b *Quæ hæc major ecclesia? Certe Cathedrale templum Passavii est S.* Stephani.

DE S. CRISPINO III, EPISC. TICINENSI.

An Chr. cdlxvi. VII Januarii. *S. Crispini natalis.*

Crispini Episcopi Ticinensis et Confessoris vii *Januarii sacris Ecclesiæ tabulis inscriptum est nomen; refertur quoque a Bellino, Maurolyco, Galesinio, Molano, Martyrologio Germanico; licet Ferrarius, ut supra diximus,* Crispinum primum *hoc die coli velit, hunc ad* xxx *Octobris rejiciat, quo et* Crispini II *memoria celebratur. Galesinius utroque die* Crispinum *memorat, et in Notis utrobique se de Epiphanii decessore loqui ostendit.*

Vita ex Ferrario.

2 *Hujus vitam ita breviter describit idem Ferrarius in Catalogo SS. Italiæ :* Crispinus Episcopus, tertius hujus nominis, post Thomam, qui S. Anastasio successerat, Ecclesiam Ticinensem administravit, Sixto III, Leone I, et Hilaro Pontificibus. Vir fuit magnæ et spectatæ sanctitatis. Cujus S. Epiphanius ejus successor, discipulus, et diaconus fuit. Quo sanctus Episcopus, cum valde senex esset, ut scribit S. Ennodius, in Ecclesiæ regimine utebatur, et brachiis illius incedens sustentabatur. Interfuit Concilio Mediolanensi sub S. Eusebio ejus Sedis Episcopo jussu Leonis I Papæ celebrato, una cum S. Maximo Episcopo Taurinensi, et Abundio Episcopo Comensi, et aliis. Cum autem Ecclesiæ suæ annos xxxiv sanctissime præfuisset, senio confectus, Sede Epiphanio derelicta, migravit e vita anno salutis cdlxvi, quo tempore et S. Prosper Episcopus Regiensis diem clauserat extremum, Hilaro Pontifice Maximo et Leone I Imperatore.

3 *Hæc Ferrarius; qui* xxviii *Maii de* S. Anastasio *Episcopo Papiensi agens, ait* S. Crispini *(secundi, ut arbitror, licet non exprimat) successorem fuisse; idque ipsum mox in dubium revocat. Celebratur is in Romano Martyrologio* xxx *Maii. Sedere, qui hic nominantur Pontifices Romani,* Sixtus III, *a* xxvi *Aprilis* cdxxxii, *usque ad* xxviii *Martii* cdxl, *quo die ab Ecclesia colitur:* Leo I, *a* x *Maii ejusdem anni, usque ad* xi *April.* cdlxi, *quo die ejus dabimus vitam : successit* Hilarus *eodem anno, mense Novembri; obiit* x *Septemb.* cdlxvii, *quo die colitur.* S. Epiphanii *Episcopi Ticinensis vitam infra* xxi *Januarii dabimus a S. Ennodio conscriptam; de ipso vero* Ennodio *agemus* xvii *Julii. Concilii Mediolanensis, Sanctique Crispini meminit Baronius tom.* 6 *Annal. an.* cdli, *num.* 13, *et sequentibus. Qui hic memorantur ei interfuisse sancti Episcopi,* Eusebius Mediolanensis xii *Augusti,* Maximus Taurinensis xxv *Junii,* Abundius Comensis ii *Aprilis, coluntur. De* S. Prospero, *qui hic Regiensis Episcopus dicitur, agemus* xxv *Junii.*

4 *Porro quæ hic Ferrarius de obsequiis decrepito Antistiti ab Epiphanio exhibitis narrat, ea inferius in ipsius vita Epiphanii fusius referuntur; uti et quod de agri* Summiatis *controversia perperam Crispino I tribui supra monuimus; idque inter cetera de eo prædicatur :* At ille venerabilis Crispinus Episcopus, favoris nescius, pertinaci tenens districtione censuram, et quem numquam nisi bona conscientia duxit ad gratiam, sic eum *(Epiphanium)* mulcebat sensibus, ut morderet obtutu; et sub specie frontis rigidæ clandestinum circa discipulum nutriebat affectum : pascebatur alumni sui optabili conversatione Pater, et in omnibus ejus actibus oculos amœnabat. *Paullo deinde inferius :* Postquam tamen invalida senectus, et semper de infirmitatibus querula, venerabilem virum Crispinum Pontificem occupavit; istius sustentabatur manibus, in hujus nitens erigebatur amplexus; pes illius erat, oculus, dextera; cujus ministerio, quidquid optasset fieri, ante jussionem suam videbat impletum.

S. Epiphanium instruit. *Ab eo juvatur.*

5 *De morte tandem* Crispini *hæc scribit :* Circa finem tamen vitæ, quem spiritu prævidebat sanctus Antistes, Mediolanum vicinam expetiit civitatem, *etc. Subdit commendatam civitatem, et Ecclesiam suam, atque Epiphanium discipulum.* Atque Ticinum, *inquit,* quasi ad sepulchrum festinans regressus est : qui aliquantis emensis diebus morbo regio perfusus, lucem sæculi nostri superna habitatione commutavit. *Meminit obitus illius Baronius tom.* 6, *ad an.* cdlxvi, *num.* 16. *De eo et S. Epiphanio illos Guilielmi* lxv *Episcopi Papiensis versus recitat Ferrarius :*

Moritur.

Crispinus vir mitissimus,
Director Epiphanii,
Cui successit protinus
In gradibus officii.

6 *De eodem ista quoque cecinit S. Ennodius Carm. lib.* 1, *Carmine* ix, *sive Panegyrico in tricennalibus S. Epiphanii habito :*

Crispinum petit inde libens, quem dicere digno
Non datur eloquio, nec si modo surgat Averno
Qui potuit rigidas de rupibus Apennini,
Flumina cum starent, ad plectrum ducere silvas.
Helias fuit hic mage nam quis Helisæum
Linqueret in terris, duplicato munere palmæ
Nutrivit quem lacte pio, quod ab ubere Paulus
Pressit Evangelicis plena est cui dextra papillis?
Salve sancte parens : semper salvete recepti
Crispini cineres : ad cujus jura redundat
Quidquid in hoc Christi miramur dogmate dignum.

Laudatur a S. Ennodio.

DE S. VALENTINO II,

INTERAMNENSI EPISCOPO.

Circiter an. Christi dxxxiii. VII Januarii. *S. Valentini II natalis.*

Valentinum Interamnensem Episcopum et Martyrem colit Ecclesia xiv *Februarii. Alium eo multo juniorem ejusdem Sedis Antistitem refert Ferrarius in generali Catalogo Sanctorum* vii *Januarii his verbis :* Interamnæ in Umbria S. Valentini[a] Episcopi et Confessoris. *Et fusius in Catalogo Sanctorum Italiæ ex quodam* ms. *Martyrologio Ecclesiæ Interamnensis, in quo tamen, ut ait, nonnulla de eo dicuntur, quæ ad S. Valentinum Passaviensem pertinent.*

2 *De*

Vita ex Ferrario.

2 *De hoc Interamnenci ista scribit idem Ferrarius :* Valentinus II, hujus nominis Interamnensis Episcopus. Interamnæ natus et educatus est. Hic in liberalibus disciplinis eruditus primum, deinde in Christiana religione ita profecit et litteris et moribus, ut a Gelasio I, Summo Pontifice Romæ Ecclesiæ S. Eusebii præfectus fuerit, ac paullo post ad Interamnæ Episcopatum promotus. Multos ex Arianis, qui in ea urbe tunc temporis erant, ad Catholicam fidem doctrina et vitæ innocentis exemplo perduxit. Præfuit Ecclesiæ annis circiter XXXIX, obiitque VI Idus Januarii. Cujus corpus in ecclesia S. Zenonis Martyris extra urbem conditum, multis miraculis claruit.

Multos convertit.

Hæc ille. Sedit S. Gelasius a II *Martii* CDXCII, *usque ad* XXI *Novemb.* CDXCVI.

Multa patitur.

3 *Hujus* Valentini *meminit et Baronius in Notis ad Martyrologium Romanum* XIV *Februar. cum de* Valentino I *agit, citatque Petrum de Natalibus, qui lib.* 1, *cap.* 15, *tradit, ab hoc S. Proculum sacerdotio initiatum, utrumque a Gothis gentilibus* (Arianis *fortasse scribere voluit) multa passum, imo et martyrio coronatum: quod tamen de Valentino Ferrarius non scribit. De S.* Proculo *agemus* XIV *Aprilis. Est vero hæc Interamna* Umbriæ, *Nare amne circumflua, unde et nomen nacta, vulgo nunc* Terani, *sive* Terni *dicitur. Nam alia est ad* Lirim *flumen, non procul* Aquino: *alia in* Piceno.

DE S. CEDDA SIVE CEDDO

EPISCOPO LONDINENSI.

ANNO CHRISTI DCLXIV. VII JANUARII. *S. Ceddæ Episcopi Londin. natalis.*

Londini Britanniæ metropoli *dudum ante Anglorum irruptionem Episcopi fuere, aut etiam Archiepiscopi, quæ dignitas titulo tenus a Britannis in Walliam compulsis, ad sæcula aliquot retenta est, ut* IV *Februarii ad S. Liphardi vitam dicemus Anglis vero religionem Christianam complexis, primus Londini Antistes* Mellitus *fuit, cujus vitam* XXIV *Aprilis dabimus; secundus S.* Ceddus, *sive* Cedda, *qui tamen an Londini Sedem habuerit, non omnino constat, Episcopus certe Orientalium Saxonum fuit, quorum metropolis Londinum; et Wilhelmus Malmesburiensis expresse Londinensium Episcopum vocat. Ejus obitus diem nusquam se reperisse testatur Joannes Capgravius in Legenda Sanctorum Angliæ. Florentius Wigorniensis diserte scribit* VII *Kalendas Novembr. an.* DCLXIV, *obiisse, sed cum Martyrologium Anglicanum hoc die illum referat, id sequemur. Frater ejus S.* Ceadda *fuit. Lichfeldensis Episcopus, de quo* II *Martii agemus: quamquam subinde is* Cedda *Londinensis vero* Ceadda et Ceada *appelletur, sed sæpius* Ceddus, Cedd, Ceaddus *a Beda et Capgravio. Res ab eo præclare gestas commemorat Venerabilis Beda lib.* 3, *Histor. gent. Angl. cap.* 21, 22, 23, *et alii ex eo.*

VITA

Ex Beda lib. 3, *cap.* 21 *et seqq.*

CAPUT I.

S. Cedda unus e primis Mediterraneorum Anglorum Apostolis.

a His temporibus Middelengli, id est, mediterranei Angli, sub Principe *b* Penda, filio Pendan Regis, fidem et Sacramenta veritatis perceperunt. Qui cum esset juvenis optimus, ac Regis nomine ac persona dignissimus, prælatus est a patre regno gentis illius: venitque ad Regem Nordhumbrorum *c* Oswi, postulans filiam ejus *d* Alchfledam sibi conjugem dari; neque aliter quod petebat impetrare potuit, nisi fidem Christi ac baptisma cum gente cui præerat, acciperet. At ille audita prædicatione veritatis et promissione regni cælestis, speque resurrectionis ac futuræ immortalitatis, libenter se Christianum fieri velle confessus est, etiamsi virginem non acciperet: persuasus maxime ad percipiendam fidem a filio Regis Oswi, nomine *e* Alchfrido, qui erat cognatus et amicus ejus, habens sororem ipsius conjugem, vocabulo Cymburgam, filiam Pendam Regis.

a

b

Peada, sive Penda, Rex convertitur.

c

d

e

f

Baptizatus, curat suos instrui per S. Ceddam et alios.

g

2 Baptizatus est ergo *a f* Finano Episcopo, cum omnibus qui secum venerant, Comitibus ac militibus, eorumque famulis universis, in vico Regis illustri, qui vocatur *g* ad murum. Et acceptis quatuor Presbyteris, qui ad docendam baptizandamque gentem illius et eruditione et vita videbantur idonei, multo cum gaudio reversus est. Erant autem Presbyteri Cedda, et *h* Adda, et *i* Betti, et *k* Diuna, quorum ultimus natione Scotus, ceteri fuere Angli. Adda autem erat frater Uttan Presbyteri illustris, et Abbatis monasterii, quod vocatur ad Capreæ caput. Venientes igitur in provinciam memorati Sacerdotes cum Principe, prædicabant verbum, et libenter auditi sunt: multique quotidie et nobilium et infimorum, abrenuntiata sorde idololatriæ, fidei sint fonte abluti. Nec prohibuit Penda Rex, quin etiam in sua, hoc est Merciorum, natione verbum, si qui vellent audire, prædicaretur. Quin potius odio habebat et despiciebat eos, quos fide Christi imbutos opera fidei non habere deprehendit, dicens contemnendos et miseros esse eos, qui Deo suo, in quem crederent, obedire contemnerent.

h i k

3 Cœpta sunt hæc *l* biennio ante mortem Penda Regis: ipso autem occiso, cum Oswi, Rex Christianissimus, regnum ejus acciperet, factus est Diuna, unus ex præfatis quatuor Sacerdotibus, Episcopus Mediterraneorum Anglorum, simul et Merciorum, ordinatus a Finano Episcopo. Paucitas enim Sacerdotum cogebat unum Antistitem duobus populis præfici. Qui cum pauco sub tempore non paucam Domino plebem acquisisset, defunctus est apud Mediterraneos Anglos, in regione quæ vocatur in Feppingum. Suscepitque pro illo Episcopatum *m* Ceollach, et ipse de natione Scotorum, qui non multo post Episcopatu relicto reversus est ad insulam *n* Hy, ubi plurimorum caput et arcem Scoti habuere cœnobiorum: succedente illi in Episcopatum Trumhere viro religioso, et monachica vita instituto, natione quidem Anglo, sed a Scotis ordinato Episcopo, quod temporibus *o* Wlfheri Regis factum est.

l

Primi isthic Episcopi.

m

n

o

a *Id est circa an.* DCLIII, *ut num.* 3, *dicetur.*

b *Aliis* Peada *dicitur, Ranulfo Cestrensi* Weda, *filius* Pendæ, *sive, ut hic vocatur,* Pendan, *crudelissimi Merciorum Regis.* Penda *occiso anno Christi* DCLV, XV *Novembr.* Merciorum *regno potitus est* Oswius, et Peadæ *genero suo regnum Australium Merciorum dedit. Sed hic an.* DCLVII. *proditione, ut traditur, uxoris suæ, nefarie interfectus est ipso Paschalis festi tempore.*

c *Successit hic S.* Oswaldo *fratri in regnum anno* DCXLII, *obiit Kalendis Martii an.* DCLXX.

d *Harpsfeldius* Aluchefredam *vocat, Cestrensis* Elfledam. *Soror fuit S.* Elfledæ, *de qua* VIII *Februar.*

e *Hic* Egfrido *fratri anno* DCLXXXV, XX *Maii Sabbato, a Pictis interfecto, successit; obiit an.* DCCV, XIV *Decemb. Ejus uxorem Cestrensis aliique* Kyneburgam *vocant, de qua* XV *Septembr.*

f *De S.* Finano *Episcopo Lindisfarnensi agemus* XVII *Februarii.*

g Murus *ingens e cespitibus et palis ab Adriano primum, deinde a Severo (alii alias contra Caledonios prætenturas fecere) veluti Romanæ provinciæ limes, ductus est a mari Germanico ad Hibernicum, sive a* Tinæ *fluminis æstuario usque ad* Itunæ *sinum. Egregie describitur a Cambdeno, qui Britannis dici ait* Gual-sever, Gal-sever, Mur-Sever: *Scotis* Sottiswaith, *Anglis et accolis* The Picteswall, *sive* Pehitswall, *id est,* murum Picticum, The keepe-wall, *id est,* custodiæ murum, *et per excellentiam* The wall; *antiquis*

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

Ex Beda.

tiquis vero Vallum barbaricum, Prætenturam, Clusutam; *Dioni* ὀκτοκίχιμα; *Herodiano* χῶμα; *Antonino, Cassiodoro et aliis* vallum, *Bedæ* murum. *Hujus valli crebra occurrit mentio. Villam hanc regiam.* Ad murum *putat idem Cambdenus eam esse quæ nunc* Waltowne *dicitur, distatque ab Oceano* XII *millibus passuum.*

h *David Camerarius hujus natalem consignat* XVII *Januarii, ut ad eum diem dicemus. Sed cur inter Scotos eum referat non video, cum Beda diserte testetur Anglum fuisse.*

i *Idem Camerarius inter Sanctos Scotos hunc recenset* XI *Februarii et* Bettam *vocat cum Wigorniensi fateturque ab aliis alio die coli; quo vero, nobis incompertum est.*

k *Jure hunc, Beda assentiente, Scotis vindicat Camerarius, adscribitque, kalendis Augusti, et tradit* Diunam, Diumam, Duimam, Dinam, Diurnam, *vocari Godwinus* Dwinam *appellat.*

l *Ergo anno* DCLIII *cum, ut diximus, occisus sit Penda an.* DCLV.

m *Harpsfeldio dicitur* Cellacus, Cellach *Malmesburiensi, aliis* Coellachus. *Camerario præterea* Colathus, Ceolachus, Colachus. *Eum* II *Junii coli, ait idem Camerarius, uti et* MS. *quoddam Kalendarium SS. Ordinis S. Benedicti.*

n Hy, *sive* Hu, *quæ et* Iona, *insula Scotiæ exigua, sed propter sanctissimorum ascetarum Columbæ et sectatorum ejus palæstram celeberrima, vulgo* Columbkil. *De ea ad vitam S.* Columbæ IX *Junii et alibi.*

o *Hic* Pendæ *filius,* Peadæ *frater et successor, anno* DCLIX *adversus* Oswium *rebellavit, sibique Merciorum regnum asseruit; obiit an.* DCLXXV *pater fuit S.* Werburgæ, *de qua* III *Februarii agemus.*

CAPUT II.

S. Cedda Apostolus et secundus Episcopus Orientalium Saxonum.

a *b* *c* *d* *Rex Oswius Regem Orientalium Saxonum Sigbertum convertit.*

Eo tempore etiam *a* Orientales Saxones fidem, quam olim *b* expulso Mellito Antiste abjecerat, instantia Regis Oswi receperunt. Erat enim Rex ejusdem gentis Sigbert, qui post *c* Sigbertum, cognomento Parvum regnavit, amicus ejusdem Oswi Regis : *d* qui cum frequenter ad eum in provinciam Nordhumbrorum veniret, solebat eum hortari ad intelligendum deos esse non posse, qui hominum manibus facti essent : Dei creandi materiam vivam lignum vel lapidem esse non posse, quorum recisuræ vel igni absumarentur, vel in vasa quælibet humani usus formarentur ; vel certe depectui habita, foras projicerentur, et pedibus conculcata in terram verterentur. Deum potius intelligendum majestate incomprehensibilem, humanis oculis invisibilem, omnipotentem, et æternum, qui cælum et terram, et humanum genus creasset, regeret et judicaturus esset orbem in æquitate, cujus sedes æterna : meritoque, intelligendum, quia omnes qui voluntatem ejus, a quo creati sunt, discerent et facerent, æterna ab illo præmia essent percepturi. Hæc et hujusmodi multa cum Rex Oswi Regi Sigberto amicabili, et quasi fraterno consilio sæpe inculcaret, tandem juvante amicorum consensu credidit, et facto cum suis consilio, cum exhortatione faventibus cunctis et annuentibus fidei, baptizatus est cum eis a Finano Episcopo in villa regia, cujus supra meminimus, quæ cognominatur Ad murum, est enim juxta murum, quo olim Romani Britanniam insulam præcinxere, duodecim millibus passuum a mari Orientali secreta.

Mittitur ad ejus populum S. Cedda :

3 Igitur Rex Sigbert æterni regni jam civis effectus, temporalis sui regni sedem repetiit, postulans ab Oswi Rege, ut aliquos sibi Doctores daret, qui gentem suam ad fidem Christi converterent, ac fonte salutati abluerent. At ille mittens ad provinciam Mediterraneorum Anglorum clamavit ad se virum Dei Cedd : et dato illi socio altero quodam Presbytero, misit prædicare verbum genti Orientalium Saxonum. Ubi cum omnia perambulantes multam Domino Ecclesiam congregassent; contigit quodam tempore eumdem Cedd redire domum, ac pervenire ad Ecclesiam *e* Lindisfarnensem, propter colloquium Finani Episcopi : qui ubi prosperatum ei opus Evangelii comperit, fecit eum Episcopum in gente Orientalium Saxonum, vocatis ad se in ministerium ordinationis aliis duobus Episcopis. Qui accepto gradu Episcopatus, rediit ad provinciam, et majore auctoritate cœptum opus explens, fecit per loca ecclesias, Presbyteros et Diaconos ordinavit, qui se in verbo fidei et ministerio baptizandi adjuvarent, maxime in civitate, quæ lingua Saxonum *f* Ithancestir appellatur; sed in illa quæ *g* Tilaburg cognominatur : quorum prior locus est in ripa Penteamnis, secundus in ripa Tamesis : in quibus collecto examine famulorum Christi, disciplinam vitæ regularis, in quantum rudes adhuc capere poterant, erudiri docuit.

multos convertit :

e *fit Episcopus.*

f *g* *Construit monasteria.*

6 Cumque tempore non pauco in præfata provincia, gaudente Rege, congaudente universo populo, vitæ cælestis institutio quotidianum sumeret augmentum ; contigit ipsum Regem, instigante omnium bonorum inimico, propinquorum suorum manu interfici. Erant autem duo germani fratres qui hoc facinus patrarunt : qui cum interrogarentur cur hoc facerent, nihil aliud respondere potuerunt, nisi ob hoc se iratos fuisse et inimicos Regi, quod ille nimium suis parcere soleret inimicis, et factas ab eis injurias mox obsecrantibus placida mente dimitteret. Talis erat culpa Regis, pro qua occideretur, quod Evangelica præcepta devoto corde servaret. In qua tamen morte ejus innoxia, juxta prædictum viri Dei, vera est ejus culpa punita. Habuerat enim unus ex his, qui eum occiderant, Comitibus illicitum conjugium, quod cum Episcopus prohibere et corrigere non posset, excommunicavit eum, atque omnibus qui se audire vellent præcepit, ne domum ejus, intrarent, neque de cibis illius acciperent. Contempsit hoc Rex præceptum, et rogatus a Comite intravit epulaturus domum ejus. Qui cum abisset, obviavit ei Antistes : at Rex intuens eum, mox tremefactus desilivit de equo, ceciditque ante pedes ejus, veniam reatus sui postulans. Nam et Episcopus pariter desilivit, sederat enim et ipse in equo. Iratus autem, tetigit Regem jacentem virga quam tenebat manu, et Pontificali auctoritate protestans. Dico tibi, inquit, quia noluisti te continere a domo perditi et damnati illius, tu in ipsa mori habes. Sed credendum est, quia talis mors viri religiosi non solum talem culpam diluerit, sed etiam meritum ejus auxerit : quia nimirum ob caussam pietatis, quæ propter observantiam mandatorum Christi contigit.

Sigeberti Boni cædes nefaria :

prædicta a S. Cedda.

7 Successit autem Sigberto in regnum Suidhelinus filius Sexbaldi, qui baptizatus est ab ipso Cedde in provincia Orientalium Anglorum, in vico regio qui dicitur *h* Rendlesham, id est, mansio Rendili ; suscepitque eum ascendentem de fonte sancto *i* Edelwaldus Rex ipsius gentis Orientalium Anglorum, frater *k* Annæ Regis eorumdem.

Cedda Suidhelinum Regem baptizat.

h *i* *k*

a *Una de septem Saxo-Anglorum in Britannia dynastiis,* Orientalium Saxonum *fuit, cujus caput ad ipsos Cantii limites* Londinum.

b *Mortuo* Seberto *Rege Christiano, tres ejus filii,* Sexredus, Siwardus, Sebertus, *cultum idolorum restituerunt an.* DCXVI, *et* Mellitum *Episcopum expulerunt.*

c Sigebertus *cognomento* Parvus, Siwardi *filius, patre ac patruis a* Kinegislo *Rege Occidentalium Saxonum et* Quichelino *filio ejus interfectis, regnum suscepit anno Christi* DCXXIII.

d *Eadem paullo brevius narrat Westmonasteriensis ad ann.* DCXLVIII *Wigorniensis ad* DCLIII.

e Lindisfarne *insula, vulgo* Holy-iland, *id est,* insula sacra, *Northumbriæ littori opposita, multorum olim Sanctorum sedes.*

f *Westmonasteriensis vocat* Ithancestriam, *aitque sitam in ripa* Pentæ *fluminis. Cambdenus in Trinobantibus ait, hoc flumen* Blakewater *ab accolis dici, olim* Pant. *De* Ithancestria *sic scribit :* Superius ad Boreale littus floruit urbs priscæ memoriæ, quam Ithancestre majores nostri dixerunt. Scribit enim ex Beda Radulphus Niger : Ceada Episcopus baptizavit Orientales Saxones juxta Maldoniam in civitate Ithancester, quæ erat in ripa Pant fluminis, quod currit juxta Maldoniam in Dengy provincia, sed modo illa civitas submersa in flumine Pant. Locum digito signare non possum, flumen tamen Froshwell hodie dictum, prius Pante fuisse nominatum, minime dubito, cum alter ex ejus fontibus Pantswell nuncupetur ; et Monachi de Coggeshall sic dixerunt. Sunt qui asserunt hanc Ithancester in extremo Centuriæ de Dengy, promontorio impositam fuisse, ubi hodie S. Peters upon the wall, id est, ad aggerem. Per hoc enim littus aggeribus contra Oceanum irruentem vix agros tuentur accolæ. Ceterum hanc Ithancester Othonam fuisse quodammodo credo, ubi numerus Fortensium cum suo Præposito, inclinante Romano Imperio, sub Comite littoris Saxonici contra piraticas Saxonum deprædationes stationem egit. Ab Othona enim in Ithana deflexio

flexio non est duriuscula, et situs ad sinum, in quem plura flumina exonerantur, huic usui erat percommodus. *Hæc ille perquam curiose. Joannes Spedus lib.* 1. *Theatri Britanniæ cap.* 16. *hæc omnia oculis exhibet, censetque* Ilhancestriam *fuisse, ubi nunc vicus ille est S.* Petri ad aggerem.

g *Westmonasteriensis* Tileburg *vocat, modo* Tilbury *dicitur, constatque ex pauculis ad lævam Tamisis ripam casis. Cambdenus ait hic* Ceadæ *sedem fuisse,* cum circa annum DCXXX. Orientales Saxones per baptismum in Christi Ecclesiam insereret. *Sed qui id factum dicamus circa annum* DCXXX, *cum* Oswius, *cujus consilio fidem suscepit* Sigebertus Bonus *Sigebaldi filius, non nisi an.* DCXLII, *regnare cœperit?*

h *Est hic locus in* Suffolcia *ad lævam* Debeni *fluminis ripam. De eo agit Cambdenus in* Icenis.

i *Hinc conjici potest, quo fere tempore baptizatus sit* Suidhelinus, *aut, ut Harpsfeldius scribit,* Suithelmus, Swidhelmus *Cambdeno : nam anno* DCLV, *occiso cum Penda Æthelero factus est Orientalium Anglorum Rex Edwaldus sive* Æthelwaldus : *obiit ann.* DCLXIV, *quo jam* Suidhelini *successor* Sigerus *Orientalibus Saxonibus imperabat.*

k *Interfectus est* Annas *Rex piissimus a Penda an.* DCLIV.

CAPUT III.

Alia Ceddæ opera, abstinentia, mors.

Offertur ei alibi locus ædificando cœnobio.

Solebat autem idem vir Domini, cum apud Orientales Saxones Episcopatus officio fungeretur, sæpius etiam suam, id est Nordhumbrorum provinciam exhortandi gratia revisere. Quem cum *a* Edilwaldus filius *b* Oswaldi Regis, qui in *c* Deirorum partibus regnum habebat, virum sanctum et sapientem probumque moribus videret, postulavit eum possessionem terræ aliquam a se *d*, ad construendum monasterium, in quo ipse Rex et frequentius ad deprecandum Dominum verbumque audiendum advenire, et defunctos sepelire deberet. Nam et ipsum fideliter credidit, multum juvari eorum orationibus quotidianis, qui illo in loco Domino servirent. Habuerat autem idem Rex secum fratrem germanum ejusdem Episcopi vocabulo Celin, virum æque Deo devotum, qui et ipsi ac familiæ ipsius verbum et Sacramenta fidei (erat enim Presbyter) ministrare solebat, per cujus notitiam maxime ad diligendum noscendumque Episcopum pervenit.

a
b c
d

Id construit loco deserto.

9 Favens ergo votis Regis Antistes, elegit sibi locum monasterii construendi in montibus arduis ac remotis : in quibus latronum magis latibula, ac lustra ferarum, quam habitacula fuisse videbantur hominum, ut, juxta prophetiam Isaiæ, in cubilibus, in quibus prius dracones habitabant, *e* orerentur viro calami et junci ; id est, quod fructus bonorum operum ibi nascerentur, ubi prius vel bestiæ commorari vel homines bestialiter vivere consueverant. Studens autem vir Domini acceptum monasterii locum primo precibus ac jejuniis a pristina flagitiorum sorde purgare, et sic in eo monasterii fundamenta jacere ; postulavit a Rege, ut sibi per totum quadragesimæ tempus quod instabat, facultatem ac licentiam ibidem orationis caussa demorandi concederet : quibus diebus cunctis, excepta Dominica, jejunium ad vesperam juxta morem protelans, nec tunc nisi panis permodicum et unum *f* ovum gallinaceum cum parvo lacte aqua mixto percipiebat. Dicebat enim hanc esse consuetudinem eorum, a quibus normam disciplinæ regularis didicerat, ut accepta nuper loca ad faciendum monasterium vel ecclesiam, prius orationibus ac jejuniis Domino consecrent. Cumque decem dies quadragesimæ restarent, venit qui clamaret eum ad Regem. At ille, ne opus religiosum negotiorum regalium caussa intermitteretur, petiit Presbyterum suum Cymbellum, qui etiam frater germanus erat ipsius, pia cœpta complere. Cui cum ille libenter acquiesceret, expleto studio jejuniorum et orationis, fecit sibi monasterium, quod nunc Lestinghem vocatur, et religiosis moribus juxta ritum Lindisfarnensium, ubi educatus erat, instituit.

Isa. 35. 7.
e

Locum prius jejuniis et precibus sanctificat.

f

Moritur peste.

10 Qui cum annis multis et in præfata provincia Episcopatum administraret, et hujus quoque monasterii, statutis Præpositis, curam gereret ; casu contigit, ut ad ipsum monasterium *g* tempore mortalitatis adveniens, tactus ibidem infirmitate corporis obiret : qui primo quidem foris sepultus est, tempore autem procedente in monasterio ecclesia est in honorem beatæ Dei Genitricis de lapide facta, et in illa corpus ipsius ad dextram altaris reconditum. Dedit autem Episcopus regendum post se monasterium fratri suo Ceadda, qui postea Episcopus factus est. Quatuor siquidem, quos diximus, germani fratres, Cedd, et Cymbil, et Ceulin, et Ceadda (quod raro invenitur) omnes Sacerdotes Domini fuere præclari, et duo ex eis etiam summi Sacerdotii gradu functi sunt.

Ex Beda. *g*

Ejus fratres.

11 Cum ergo Episcopum defunctum ac sepultum in provincia Nordhumbrorum audiretur, fratres qui in monasterio ejus erant in provincia Orientalium Saxonum, venerunt illo de suo monasterio homines circiter triginta, cupientes ad corpus sui Patris aut vivere, (si sic Deo placeret) aut morientes ibi sepeliri : qui libenter a suis fratribus et commilitonibus suscepti, omnes ibidem superveniente præfatæ pestilentiæ clade defuncti sunt ; excepto uno puerulo, quem orationibus Patris sui a morte constat esse servatum. Nam cum multo post hæc tempore viveret, et Scripturis legendis operam daret, tandem didicit se aqua baptismatis non esse regeneratum, et mox fonte lavacri salutaris ablutus, etiam postmodum ad ordinem Presbyterii promotus est, multisque in Ecclesia utilis fuit. De quo dubitandum non crediderim, quin intercessionibus (ut dixi) sui Patris, ad cujus corpus dilectionis ipsius gratia venerat, sit ab articulo mortis retentus, ut et ipse sic mortem evaderet æternam, et aliis quoque fratribus ministerium vitæ ac salutis docendo exhiberet.

Monachi 29 ad ejus sepulchrum moriuntur.

Unus servatur ejus meritis.

a Edelwaldus, *Wigorniensi* Æthelwaldus, Oidwaldus *Westmonasteriensi, an* DCLI, *S.* Oswino (*de quo* XX *Augusti agemus*) *in regnum Deirorum successit permittente* Oswio *patruo. Eo mortuo regnum datum Alfrido Oswii filio.*

b *Colitur S. Oswaldus* V *Augusti.*

c *Erat* Northumbria *divisa in* Bernicios *et* Dieros; *hi Australiores.*

d *Videtur desiderari,* accipere, *vel quid simile.*

e *Isaias cap.* 35, v. 7, *ita habet :* In cubilibus, in quibus prius dracones habitabant, orietur viror calami et junci, *arbitrorque omnino Bedam scripsisse* ororetur viror calami, *etc.*

f *Est quidem Quadragesimæ tempore interdictus ovorum et lacticiniorum usus, nisi ob penuriam piscium alicubi eum indulgeant Antistites. Sed verisimile est, aut* Ceddæ *ob stomachi imbecillitatem eo cibo fuisse opus, aut certe apud Scotos eam Ecclesiasticæ abstinentiæ legem aut consuetudinem necdum fuisse receptam. Et quamquam de ea re pridem ad S. Augustini quæsita rescripserat S. Gregorius, id tamen Scoti, apud quos* Cedda *eruditus erat, non admiserant, nec forte audierant. De hac autem salutari abstinentia præclare disserit Stephanus Fagundez Noster in opere de Præceptis Ecclesiæ, et præsertim in apologetico de hac ipsa quæstione libello.*

g *Beda lib.* 3, *cap.* 27, *testatur anno* DCLXIV, *subitam pestilentiæ luem primo Australes Britanniæ plagas depopulatam, deinde Nordhumbrorum quoque ditionem, et Hiberniam. Ea igitur extinctus est* S. Cedda, *ut tradit Wigorniensis ad eumdem annum.*

CAPUT IV.

Alia Ceddæ opera, ac miracula.

Cedda Synodo Streaneshealensi interest.

Cum eo tempore Monachi Huenses, omnesque Septemtrionales Scoti in celebrando Pascha aliisque nonnullis ritibus a Romana Ecclesia discreparent; habita est in Anglia in monasterio S. Hildæ (de quo ad ejus vitam XVII *Novemb.) super ea præcipue quæstione Synodus anno Christi* DCLXIV, *regni Oswii Regis* XXII, *ut refert Beda lib.* 3, *cap.* 25, in qua erat etiam venerabilis Episcopus Cedda, jam diu ordinatus a Scottis, qui et interpres in eo Concilio vigilantissimus utriusque partis extitit. *Confutata isthic Scottorum observatione,* Cedd, *ut idem ait Beda cap.* 26, relictis Scottorum vestigiis ad suam sedem rediit, utpote agnita observatione Catholici Paschæ. *Sed de illa tota quæstione alias erit dicendi locus. Consuli interea potest Ægidii Bucherii nostri commentarius in Victorii Canonem*

Auctore Monacho Anonymo. Ex mss.

nonem Paschalem cap. 10. *Hujus Concilii meminit Wigorniensis ad eumdem annum.*

13 *Idem Beda lib.* 4, *cap.* 3, *refert* cum S. Ceadda de mundo transiret, *visam a quodam viro sancto animam* Ceddi fratris ipsius cum agmine Angelorum descendentium de cælo, et assumpta secum anima ejus ad cælestia regna redire. *Retulit id S. Higbaldus Abbas, de quo agemus* XXII *Septembris. Vitam S. Ceddi ex hac contractam habet Joannes Capgravius. De eodem agit Harpsfeldius sec.* 7, *c.* 13, 22, *etc. Florentius Wigorniensis in Chronico, præcipue ad annum* DCLIII. *Ranulphus Cestrensis lib.* 5, *c.* 15 *et* 16. *Matthæus Westmonasteriensis ad an.* DCXLIX *et alibi. Wilhelmus Malmesburiensis lib.* 1, *de Regis Anglor. cap.* 6, *et lib.* 2, *de Pontificibus Anglor. Polydorus Vergilius lib.* 4, *Histor. Angl. et alii innumeri.*

Animam Ceaddæ fratris ad cœlum deportat.

DE S. TILLONE PAULO
MONACHO IN GALLIA.

Circiter an. Christ. DCC. VII Januarii. *S. Tillonis natalis.*

Tillonis, *sive* Tyllonis, *aut* Hillonii, *sanctissimi Monachi nomen in pluribus commemoratur Martyrologiis hoc die; nominatim a Carthus. Colonien. et Molano in Addit. ad Usuard. Martyrolog. Coloniensi, Belgico, Germanico; Maurolyco, Galesin. Wion. Ferrario, Menardo,* MS. *Florario : licet in plerisque* Stilo *aut* Stillo *non recte vocetur. At* MS. *Martyrol. monasterii S. Martini Treviris, et Carthus. Colon. in Addit. ad Usuard. iterum* V *Janu. eum referunt.*

Vita.

2 *Vitam ejus ex Claromarescani Cisterciensium in Artesia monasterii* MS. *codice damus, ab anonymo Monacho, ut ex Præfat. patet, conscriptam. Habemus et* MS. *de eo Officium, in quo hæc recitatur Oratio :* Deus, qui Beatum Tyllonem Confessorem tuum, piumque doctorem atque ministrum, infra collegium Deo psallentium præfecisti; quique illum honorem mundanum fugere, ac eremum petere monuisti : concede nobis, quæsumus, ut qui ejus festivitatem celebramus, ejus apud te pro nobis semper suffragia sentiamus. Per Dominum nostrum. *Vitam ejus compendio narrant Hugo Menardus lib.* 1 *Observationum, Guilielmus Gazæus in Historia Ecclesiastica Belgii, Andreas Saussayus in Martyrologio Gallicano; atque hic tradit ossa ejus et cineres Sollemniaci asservari.*

Invocatur contra febres.

3 *Molanus in Natalibus SS. Belgii, inter cetera ita scribit :* S. Hillonii festum postridie Epiphaniæ Domini in Yseghem solemne est, quod etiam ab accolis colitur pro sanatione febrium. Eodem die celebratur festum ejus in parochia Gids apud Rollariam, ubi ad memoriam ejus multa edita sunt miracula. *Apostolus Iseghemii.* Cur autem in Yseghem patronus colatur, caussam allegant, quod S. Eligius, cum ad Flandros convertendos e Francia venit, eum servum suum, comitem assumpsit, et ad Yseghemenses, ut eos in fide Catholica instrueret, destinarit. Cui etiam conversionem suam, Dei gratia cooperante, acceptam ferunt. Pingitur ut Abbas cum pedo in sinistra manu, cum calice in dextera, ex quo eo vivente infirmi sanitatem potabant. *Hactenus Molanus.* Rollaria, *quæ et vulgo* Rosselaria, *est celebre Flandriæ municipium.* Iseghem *inter Contracum et Rosselariam pagus est, Comitatus titulo ornatus.*

Consulitur a S. Bonito.

4 *XV Januarii in vita S. Boniti ista habentur :* Qua de re pergit ad quemdam opinatissimum Dei famulum Tillonem, cognomento Paulum, ut ab eo accepto consilio, voto compleret quod mente conceperat. Quo cum pergens Sollemniacense tenus pervenisset Symmionem hoc monasterium, *etc. Idem commemorat Joan. Savaro in Originibus Claromontanis, qui S.* Tillonem Abbatem Sommonensem *vocat. Cum vero ex eadem S. Boniti vita constet, ejus electionem a Theodorico II probatam agente Pipino Herstallo, hinc de S.* Tillonis *ætate fieri conjectura potest, cum an.* DCXCI, *suscepisse primum totius Neustriæ magisterium Pipinus tradatur. S. Audoenus in vita S. Eligii lib.* 1, *cap.* 10. Pollebat itaque magis et magis in vigiliis, in jejuniis, atque in caritate : fabricabat in usum Regis utensilia complurima ex auro et gemmis. Sedebat fabricans indefessum; et contra eum Tyllo vernaculus ejus ex genere Saxonico, qui magistri vestigia sequens, et ipse postmodum venerabilem vitam duxit. *Agit de S. Tillone Aubertus Miræus in Fastis Belgicis, traditque a nonnullis* Tilmannum *appellari.*

Ejus ætas.

VITA
Ex MS. *Claromarescano.*

PRÆFATIO AUCTORIS.

Igitur cum gentiles poetæ studeant sua figmenta
Prolixis pompare stylis, et
Sæva nefandarum renovent contagia rerum; ac
Plurima Niliacis tradant mendacia biblis;

ut eorum vana tantum discurrat gloria, quorum laudem veterum nectunt mendacia; cur nos Christiani salutifera taceamus miracula Christi, cum possimus sermone vel tenui, ædificationis historiam pandere plebi? præsertim et cum Ecclesiastica traditione, et Apostolica admoneamur auctoritate, de Sanctorum miris, seu virtutibus, nonnulla commemorare, ut scriptum est : Memoria Sanctorum cum laudibus. Et illud : Laudemus viros gloriosos, qui vicerunt regna mundi, ut sit memoria eorum cum benedictione, et nomen illorum permanet in æternum. Nos in Christi laudibus recitare Sanctos debemus, quoniam revera Christi est muneris, quidquid in Sanctis ejus laudabile est.

Laudandi Sancti, et in iis Christus.

Prov. 10. 7. Eccli. 44. 1.

2 Quia ergo omnium pæne miracula Confessorum, et multiplices victoriæ Martyrum, litterarum monumentis jam habentur inditæ; nos modo vel exiguum, juxta qualitatem ingenii, tentabimus librum, in quo de ortu, et vita, gloriosoque obitu sancti ac beatissimi Confessoris et monachi Tillonis, adjuvante superna gratia, explicandum suscepimus. Id etiam ante nos jam tentatum ab aliquibus ex nostris monachis, eruditissimis viris, comperimus. Sed quamvis nos ad tantæ rei narrationem minus simus idonei, tamen fratrum caritate frequenter exposcente, si Dei juverit favor, quæ optime mihi comperta sunt, et quæ ad memoriam Dominus reduxerit, quamquam imperito digeram stylo, non leporem sermonis requirens, Sancti simplicem vitam simplici sermone, ipsius animatus precibus, enarrare tentabo : ejus vitæ cursum sermone inculto, legenti tamen amoris obtentu ferre conabor in publicum, ut cujus est vita cum Christo, memoriæ gloria relatu celebretur in mundo, atque in hominum ore dulci commemoratione vivat in terris, qui cum Angelorum cœtibus vivit in cælis.

Vita S. Tillonis scripta ab aliis.

3 At ego cum ultra vires meas præsumo nimium, imperitiæ meæ timeo, cum etiam doctissimi viri, quidquid de eo dicere potuerunt, minus proculdubio sit quam meretur : tamen ardore dilectionis, plus in illo quid velim, quam in me quid possim, consideravi. Nam cum sim debitor decem millium talentorum, velut exiguum meæ rusticitatis reddere debitum festino, culpam scilicet metuens silentii incurrere, si agnita miracula, ut piger servus, silentio abscondam

Styli excusatio.

dam. Unde Lectorem obsecro, ut vilitatem nostri sermonis non usque quaque despiciat : quia etsi utcumque eloquentiæ possit oratio promi, ita stylum placet corrigere, ut nec simplicibus quibusque Grammaticorum displiceat, nec scholasticos etiam nimium
a a contentus rusticitate offendat. Adest plasmator ille, qui linguas infantium facit disertas, cujus gratiam nobis adesse supplices optamus, ut ipso annuente, Confessoris sui palmam gradatim narrare possimus.

4 Quapropter Lectores obsecramus, et per gloriam apparitionis Christi precamur, ut ad nostram hæc simplicitatem oratio, per incolumem statum Catholicæ servetur Ecclesiæ. Sed præmium laboris nostri ultima, confido, pensabit dies. Sed ne prolixa præfatio prius fastidium generet, quam Lector oculum historiæ inclinet, nobis quidem verecundiam, fratribus autem obedientiam impendimus. Confido enim quod devotionem non offendo, cum possim sermone vel tenui ad ædificationem, historiam pandere plebi. Ne in hujus ærumna exilii, laqueo capti teneamur, tanto ad supernam gratiam tendere oportet, quanto huic mundo inhærere minus juvat : quia si consideremus, quæ et quanta nobis promittuntur in cælis, vilescunt omnia quæ cernuntur in terris.

a *Ita* MS. *forte* contemptus.

CAPUT I.

S. Tillonis genus, conversio, sancta conversatio.

Fuit vir vitæ venerabilis ex genere Saxonico, Tillo nomine, quem præ reverentia sanctitatis, Pauli nomine vocare cœperunt. Natus ergo est ex parentibus
a a Arianis. Ergo cum haberet parentes idolis deditos, rosa, ut dicitur, de spinis floruit. Exinde jam divina, ut credo, gubernante providentia, raptus a parentibus suis de patria sua, Galliam quæ circa Rhenum est, more venali ductus est remigando.

a Tillo in Galliam vendendus ducitur.

Ab Eligio redimitur.

6 Erat tunc B. Eligius captivorum redemptor : habebat namque maximum in hujusmodi opere studium. Sane ubicumque venumdandum intellexisset mancipium, magna cum festinatione et misericordia accurrens, mox dato pretio liberabat captivum; nonnumquam vero agmen integrum, et usque ad centum animas, cum de navi egrederentur, pariter redimebat, sed præcipue ex genere
b b Saxonum, qui abunde eo tempore veluti greges pecudum, a sedibus propriis evulsi, in diversa distrahebantur: inter quos etiam inventus B. Tillo et redemptus est.

7 Cum autem vidisset eum S. Eligius juventute infantiæ adspectu decoratum, et pulcherrima facie
c hilarum vultu, tradidit eum monachis c Sollemniacensis monasterii, litteris imbuendum. Commendavit
d illum sancto viro d Rimailo Doctori, qui eo tempore
Instituitur. Ecclesiæ Sollemniaci præerat Pastor. Sic demum Catholica religione imbutus, salubrem vitam adeptus,
Excellit virtutibus. studio erudiendi honoratur. In tantum divina gratia illustratur, ut multi mirarentur eloquentiam ejus in verbis : cujus sermo dulcis, ore mellifluo fragrabat cunctis. Cor senile gerens, semper obedientiæ erat intentus, in omni parte probatus, conversabatur in aula devotus : oderat quippe superbiam, diligebat virtutem; sectabatur itaque indeficientem caritatem, mansuetudinem, et humilitatem, erat quoque serenus aspectu, et tranquillus moribus, semper opera bona factis amplius quam verbis ostendens : diligebat enim Dominum ex toto corde suo, et ex tota anima, et ex tota mente sua, nihilque Christi amori præponens, semper mens ejus cælestia meditabatur.

8 Cum ergo videret Pater monasterii tantum filii ingenium, tradidit eum imbuendum domino suo, Sancto videlicet jam dicto Eligio, fabro auri probatissimo, qui videlicet tunc temporis in palatio Dagoberti Regis Francorum, publicam in opere auri officinam gerebat, a quo in brevi hujus officii usum plenissime edoctus, cœpit intra fines regionis in Domino laudabiliter honorari. Fabricabat ipse B. Tillo in usu Regis utensilia quam plurima, ex auro, argentoque et gemmis; qui et magistri vestigia in omnibus sequens, sedebat ad opus prædictum, et codicem sibimet præ oculis habebat apertum, ut in opere laborans, divinum etiam perciperet mandatum. Sic igitur duplum gerens officium, manus usibus hominum, mentem usui mancipabat divino : gerebat enim jam tunc simplicitatem columbæ, ne cuiquam machinaretur dolum; habebat et serpentis astutiam, ne aliorum supplantaretur insidiis. Dignum quoque in cunctis gerens ingenium, facile loquebatur et pure.

AUCTORE MONACHO ANONYMO. EX MSS.

Inter operandum lectioni vacat.

9 Ecclesiarum etiam conventiculis frequenter in- *Frequens in ecclesia.*
tererat, et quæcumque ibi ex divinis Scripturis recitabantur, aurem libenter accommodans, avidissime hauriebat, atque ita omnia in cordis sui memoria retinebat, ut etiam cum absens esset, ea quæ didicerat, meditatione intentissima ruminaret. Utebatur jam Dominico præcepto, quo dicitur : Quæcumque vultis Matth. 7. 12.
ut faciant vobis homines, et vos eadem facite illis. Et illud : In qua, inquit, mensura mensi fueritis, Marc. 4. 24.
remetietur vobis. Unde et vice quadam, cum opera, quæ in usu fabricæ patrarat, *e*..... Domino suo stre- *e*
nue serviebat, aut certe in ecclesia die noctuque cum eo erat. Ex hoc nempe ad altiora consurgens, factus est vir peritissimus, atque in omni arte fabricandi doctissimus; invenitque gratiam in oculis S. Eligii et coram cunctis ministris ejus.

10 Non post longum spatium cum B. Tillo jam *Confessione animam expiat.*
juventutis ageret ætatem, cupiens se vas Deo exhibere sanctificatum, metuensque ne aliqua suum pectus delicta fuscarent, omnia adolescentiæ suæ coram Sacerdote confessus est acta; sicque austerum sibi imponens pœnitentiam, cœpit resistere carnis colluctationi, spiritus fervore castigans se in laboribus, in vigiliis, in jejuniis, in castitate, in patienta multa, atque in caritate non ficta, secundum Apostolum. 2. Cor. 6. 6.
Proponebat namque sibi adversus ingentes præsentes *Carnis vitia gehennæ metu refrænat.*
carnis ardores, futuri supplicii ignes; ac memoria ardoris gehennæ, ardorem excludebat luxuriæ. Orabat præterea jugiter pro donis cælestibus, deprecabatur Dominum diebus ac noctibus, illud ex libro Job Job. 5.
crebrius revolvens : Ego, inquit, deprecabor Dominum, et ad Deum ponam eloquium meum, qui facit mirabilia magna absque numero : qui ponit humiles in sublime, et morientes in sospitate erigit.

11 Adimebat sibi saturitatem panis, ut cælestem posset promereri panem : et os quidem ei jejuniis pallebat, corpus aridum marcescebat; sed mens durius semper æternæ patriæ amore æstuabat; et unde graviora recordabatur, inde patientius leviora portabat : semper enim terminum vitæ præsentis in- *Semper mortis et judicii memor.*
tuens, futuram Dei sententiam et metuenda judicia formidabat, sciens scriptum : Beatus homo, qui semper est pavidus. Et illud Apostoli : Cum timore et tremore vestram salutem operamini, nec non et illud Job dictum : Semper enim quasi tumentes super me Prov. 28. 14.
fluctus, timui Dominum. Ad Domini pedes noctibus Phil. 2. 12.
jacebat, manibus pectus tundens, lacrymis genas ri- Job. 31. 23.
gans, amaroque suspirio oculis ad cælum levatis, illum semper respiciebat, quem fortasse in minimis delinquendo offendere timebat, lacrymabili voce ingeminans : Tibi soli peccavi, miserere mei secundum magnam misericordiam tuam.

a *Id est, Gentilibus, ut patet ex sequentibus. Sic imperiti solent omne genus infidelium per notam sibi speciem exprimere; ita Geusios quidam vocant, alii Lutheranos, omnes hæreticos.*

b *Fusius hoc in S. Eligii vita traditur. Idem eadem fere ætate mos Anglorum fuit, qui et ipsi Saxonicæ erant originis. Ceterum* in Veromanduis *venditum Tillonem ait Saussayus.*

c *Celebre Ordinis Benedictini in agro Lemovicino monasterium, de quo in vita S.* Eligii 1 *Decemb. S.* Remacli 11 *Septemb. et alibi mentio erit. Ejus ad annum* 637 *meminit Sigebertus Gemblacensis.*

d *Claud. Robertus* Rumasilum *vocat, Molanus* Rymailum,

AUCTORE MONACHO ANONYMO. EX MSS.

Hugo Menardus Remaclum. *Et sane fuit S.* Remaclus *S. Eligii discipulus, præfuitque post eum* Solemniacensi *cœnobio.*

e *Hic aliquid deest.*

CAPUT II.

Sacerdotium, præfectura, monita.

Simonia in Galliis repressa.

Deinde crudeliter in diebus illis Simoniaca hæresis pullulabat, et in urbibus, et in cunctis finibus Francorum regni. Sollicite tamen pro hoc invigilabant sancti Episcopi, Eligius, et *a* Audoenus. Et in commune cum ceteris viris Catholicis habito Concilio, suggesserunt Principibus et Optimatibus ut mortiferos viros cito delerent de corpore Christi, id est, universali Ecclesia. Habuit itaque effectum pia petitio eorum, et libenter obtinuerunt, quod devote rogaverunt. Tunc placuit omnibus simul cum Regis imperio, ut nullus pretio dato, ad Sacerdotale admitteretur officium, qui velut lupi rapaces munera dando, mercari putabant dona Spiritus sancti; sed potius viri vitæ irreprehensibilis ad officium Presbyterii eligerentur.

a

b Tillo fit Abbas.

13 Post hæc elegit S. Eligius S. Tillonem ad supradictum officium, *b* ut præesset monachis Sollemniacensis Ecclesiæ. Ille namque in misericordia Christi confidens, considerabat, ut sicut quotidie peccamus, ita quotidie eleemosynæ essent, quibus piacula tergerentur; et ob hoc pecuniam suam cum Domino dividens, gaudebat substantiam suam Christo sociare. Hujus namque apud suos monita fuerunt nulla alia, quam divina mysteria, et fundamenta ædificandæ spei, et firmamenta corroborandæ fidei.

c

Eremum petit.

14 Itaque hic miles Christi egregius postquam audivit obitum *c* B. Eligii, videns se etiam in monasterio miris honoribus affici, perrexit ad fines Arvernorum, et mutato nomine cœpit vocari Paulus. Sicque ad interiora montium transiturus, quia nunquam, ex quo monachus esse cæperat, in urbibus mansit, egressus per viam solitudinis intravit silvam, sicque ad mediterranea confugit loca. Quæ cum diu lustrans reperisset congruum locum inter secretos asperosque montes, quo vix reptando manibus et genibus potuit accedere; introgressus contemplatus est amœnum valde et remotum locum, arboribusque hinc inde circumdatum, habentem etiam aquas de supercilio collis irriguas, sed et pomaria plurima. Movebatur ipsius nemoris amœnitate, eremitica habitacula olim fore. Cumque ad eum locum pretioso vestigiorum niteretur conamine, aspectu intuens cernere meruit quod optabat. Præbuit celsitudo montis officium tendens ad Austrum; pendentibus enim scopulis, saxa immensa tenduntur ad Austrum. Nec procul habebatur fons aquæ vivæ, qui perduxit lympham inter frondes nemoris. Vir Domini habitationi congaudens, habitatorem se loci illius Deo devovit: putabat enim mens sancta eremi lucrum æternæ vitæ conguere. Multæ namque fuerunt tentationes ejus, et die noctuque variæ dæmonum insidiæ; quas si omnes velim enarrare, modum excedam voluminis. Herbarum succo, et paucis pomis vescebatur semel in die, post Solis occasum. Post triduum vel quatriduum sumebat panem et sal, potuque perpauco deficientem animam sustentabat orans frequenter et psallens, et rastro humum fodiens, ut jejuniorum laborem, labor operis duplicaret. Imitabatur monachorum Ægypti disciplinam, et Apostoli sententiam dicentis: Qui non operatur, non manducet. Sic attenuatus erat vir sanctus, et in tantum exhausto corpore, ut ossibus vix hæreret.

Ejus in victu austeritas.

2. Thess. 3. 10.

Arma contra dæmonem.

15 Quadam vero nocte tentator adfuit, eique importune insistere cœpit. Intellexit miles Christi dæmonum ludibria, et provolutis genibus, Crucem Christi signavit in fronte; talique armatus casside, et lorica fidei circumdatus, jacens fortius deprecabatur. Super nudam humum semper cubitabat, vestem, qua semel fuerat indutus, numquam lavans, et superfluum esse dicens munditias in cilicio quærere. Nec mutavit alteram tunicam, nisi prior penitus scissa esset. Scripturas quoque sanctas memoriter tenens, post orationem psalmos quasi Deo præsente recitabat.

Habitus severitas.

16 Exinde cum diu esset in eremo, notus factus est omnibus loci illius accolis, sicque nobilioribus indicatum est, et ipse cœpit vocare Paulus. Plurimis jam ad se venientibus viris religiosis et mulieribus honestis, exhortabatur eos, dicens: Credite in Deum Patrem omnipotentem, et in Jesum Christum filium ejus, pariterque in Spiritum sanctum, qui est trinus et unus Deus. Mentem a cogitationibus vanis, carnem ab immunditiis servate puram; odite vanam gloriam; orate sæpissime.

Exhortationes ad populum.

Miracula.

17 Plures quoque per eum Dominus liberavit a variis infirmitatibus. Numquam tamen pro incolumitate curatorum, est inflatus ad gloriam: non enim suam aut cujusquam hominum, hanc esse medicinam, sed Dei solius prædicabat. Sic hostem præterea invisibilem orationibus et precibus repellere jugiter contendebat, pugnans ore, non gladio; orationibus, non telis; precibus, non ferro.

Ingens ad eum concursus.

18 Sed cum notum factum esset omnibus Arvernorum urbium habitatoribus, quod vir sanctus in solitudine esset, efferebatur ei testimonium ab omnibus, in tantum, ut multi videndi eum desiderio et studio requirerent, atque ut ante cellulam ejus tumultus fieret cum magno favore. Deinde rogatus a religiosis viris, ut exinde egrederetur, et monasterii cellam, ubi commodum prospiceret locum, ædificaret reperit amœnum locum, ibique cellulam facere cum magna industria cœpit. Quod cœnobium vocavit *d* Braggecte: ibique orationi intentus, hymnis et lectioni vacabat. Plures quoque ex diversis provinciis usque ad *e* tricenum numerum monachos congregavit, et omnes eum Paulum vocabant. Confluebant ad eum undique advenæ, vel monachi, et quidquid ei ab aliquo largiebatur, totum pauperibus distribuit. Obstupebant universi oris gratiam, et corporis dignitatem, quod nec per quietem intumuerat, nec jejunii certamine faciem pallor obsederat. Tam mira namque animi puritas in eo fuit, ut numquam hilaritate nimia resolutus esset in risu.

Monasterium conditum.

d

e

f Monachis datæ exhortationes.

19 Quadam namque die congregati fratres rogabant, ut sibi salutifera largiretur præcepta; qui Prophetica fiducia exaltans vocem, aiebat, *f* ad omnem mandatorum Dei disciplinam, Scripturam posse sufficere. Sed hoc optimum fore dicebat, si mutuis se invicem fratres consolarentur sermonibus. Et vos ergo, inquit, ut Patri mihi referte quæ nostis, et ego quæ per longam ætatem consecutus sum, sicut filiis indicabo. Hoc sit autem primum cunctis in commune mandatum, nullum in accepti propositi vigore lassescere, sed quasi incipientem augere semper debere quod cœpit; præsertim cum humanæ vitæ spatia æternitati comparata brevissima sint. Ita exorsus vir sanctus siluit, admiratus magnam Dei largitatem. Rursusque adjecit dicens: In præsenti hac vita æqualia sunt pro rerum commutatione commercia, nec majora recipit ab emente qui vendit; promissio autem vitæ sempiternæ vili pretio comparatur. Ergo, filioli, non vos aut tædium defatiget, aut vana gloriæ delectatio ambiat: non sunt enim condignæ passiones hujus temporis, ad superventuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. Ut enim contemnit aliquis unam æream drachmam, ad centum aureas comparandas; ita etiam qui totius orbis dominium relinquit propter nomen Domini, centuplum in sublimi sede percipiet. Illud summopere perspicere debemus, quod si nos velimus retinere divitias, lege mortis ab ipsis divellemur inviti. Cur ad lucranda regna cælestia

Cælum parvo venale.

cælestia non ultro relinquimus, quod lucis istius fine perdendum est? nihil curæ sit monachis, quæ secum auferre non possunt. Illud potius debemus expetere, quod nos ducat ad cælum, sapientiam scilicet, castitatem, justitiam, virtutem, sensum pervigilem, pauperum curam, fidem in Christo robustam, animum iræ victorem, et hospitalitatem. Hæc sectantes in terra, mansionem nobis secundum Evangelium præparemus in cælo. Ideoque deprecor ut ad finem propositi omni labore tendamus. Nemo post tergum respiciens Loth imitetur uxorem, præsertim cum Luc. 9. 62. Dominus dicat, nullum ponentem manum super aratrum, et respicientem retrorsum, dignum esse regno cælorum. Respicere autem retrorsum, nihil aliud est, quam in eo pœnitere quod cœperit, et mundanis rursum desideriis obligari. Animam nostram commendavit nobis Deus; servemus propositum, quale accepimus. Nemo caussari potest extrinsecus situm, quod in se nascitur. Facturam suam qui fecit, agnoscit : opus suum inveniat ut creavit. Sufficit nobis naturalis ornatus, nec deturpes, homo, quod tibi largitio divina concessit; quia opera Dei immutare velle, polluere est. Illud etiam sollicite providere debemus, ut tyrannicam superemus iram, quia scriptum est : Jac. 1. 20. Ira viri justitiam Dei non operatur.

Pro. 4. 23. 20 Divinæ præceptum vocis est, ut jugi custodia tueamur animum, quia exercitos ad supplantandum habemus inimicos, contra quos nobis, secundum Apostolicam contestationem, pugna sine fœdere est; ait Eph. 6. 12. enim B. Paulus : Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principatus et potestates hujus mundi, adversus spiritalia nequitiæ in cælestibus. Ingens eorum turba peristum vólitat aerem, non procul a nobis hostium caterva discurrit. Et hoc primum mentibus nostris affigere debemus, nihil Deum fecisse quod malum est, nec ab ejus constitutione, dæmonum cœpisse principium : perversitas ista non naturæ, sed voluntatis est vitium: boni etenim, utpote a Deo conditi, sed proprio mentis arbitrio ad terras ruere de cælis; et nunc nostri torquentur invidia, atque universa commovere non cessant, ne pristinis eorum sedibus succedamus. Idcirco necessarium est donum spirituum discernendorum a Domino petere, ut possimus tantas fraudes eorum Dominicæ Crucis evellere vexillo. Hoc munere quoque 2. Cor. 2. 11. Paulus accepto dicebat : Non enim ejus ignoramus astutias; hostile illis contra omnes Christianos odium est, maxime contra monachos : eorum semitis laqueos semper prætendunt, eorumque mentes impiis atque obscœnis cogitationibus nituntur avertere.

Dæmoni sollicite resistendum.

g Denique et ipsum diabolum *g* B. Antonius a se visum asseruit, quem et B. Job Domino revelante cognoverat : Oculi ejus ac si species luciferi, et ex ore ejus Job. 41. 10. procedunt lampades incensæ : renes quoque ejus incendium spargunt, et ex naribus ejus fumus egreditur, quasi de fornace æstuante : anima ejus ut pruna, et flamma ex ejus ore glomeratur. Sic ille inimicus funereas evomens voces, aliquos bene viventium frequenter illaqueat. Sed nos, fratres, nec pollicitationibus ejus credere, nec minas aut terrores formidare debemus : fallax enim semper, nihil veri promittit, et hamo Crucis, ut draco, aduncatus a Domino est, et capistro ligatus ut jumentum, et quasi mancipium fugitivum vinctus circulo, et armilla labia perforatus, nullum omnino fidelium devorare permittitur. Contemnenda est, filioli, penitus cum inanibus verbis ejus superbia atque jactantia : fulgur quo lucere se simulat, non verus splendor est; sed quibus arsurus est indicat flammas. Nos vero Sanctorum vestigiis inhærentes, eadem gradiamur via, qua ille gradiebatur, qui memoratas fallacias prævidens canebat : Ps. 38. 2. Cum consisteret adversum me peccator, obmutui, et humiliatus sum, et silvi a bonis. Solent ipsi dæmones nocte venientes, Angelos se fingere, laudare homi-

Minæ ejus et promissa spernenda.

num studia, mirari perseverantiam, futura præmia promittere. Quos cum videritis, tam vos quam domos vestras armate Crucis signaculo, et confestim solventur in nihilum.

Tillonis varix virtutes.

21 Postquam B. Tyllo, quem illi Paulum asserebant, dicendi finem fecit, lætantes cuncti in variis virtutibus cupide exardescebant. His ita transactis, jugiter intentus manebat divinis officiis : erat enim eleemosynis largus, in vigiliis sedulus, in oratione devotus, in caritate perfectus, in humilitate profusus, in sermone præcipuus, in doctrina paratus, in locutione cautus, in conversatione sanctissimus, in nulla mundi compage catenatus, in obsequio servorum Dei succinctus, in prosperis et adversis cælo semper intentus. Denique cum frequenter ad eum confluerent monachi ac religiosi viri, non potuerunt saturari eloquio illius.

a *De S.* Audoeno *agemus* XXIV *Augusti.*

b *Abest a catalogo Abbatum Solemniacensium apud Cl. Robertum.*

c *Contigit S.* Eligii *obitus an.* DCLX, *initio regni Lotharii. Saussayus ait, Tillonem onus, invito impositum, sponte excussisse.*

d *Molan.* Braggette. *Non meminit hujus monasterii Cl. Robertus in Gallia Christiana.*

e *Molanus et And. Saussayus tradunt eum* CCC *monachis isthic præfuisse.*

f *Hæc et sequentia monita ex vita S. Antonii* XVII *Januarii sumpta sunt.*

g *Vitæ ejus cap.* 16, *in editione Rosweydi id refertur.*

CAPUT III.

Miracula ante et post mortem.

a Sollemniacense monasterium repetit.

Quodam vero tempore *a* venit in desiderio ei. ut monachos Sollemniacensis monasterii, quibus jam dudum præerat, visitaret. Deinde cum quadam nocte omnes pausare cœpissent fratres, magna gravitate somni sunt oppressi, ita ut ipse relicto monasterio cum duobus discipulis iter arriperet ad supradictum cœnobium. Ubi cum pervenisset, cum gaudio a fratribus est receptus, quia numquam eum in hoc sæculo cernere cogitabant, et ita jugiter oblationem immolabant augmentationis, ut propago beatitudinis in palmite, et palmes fructiferam salutem emanaret. Quis valet enarrare, quanta alumnus Christi Tillo devotione, quantaque humilitate in prædicto monasterio inter fratres incedebat? Erant igitur in eo loco tabernacula plena divinis choris psallentium, legentium, et orantium, tantumque jejunandi, et vigiliarum ardorem cunctorum mentibus sermo ejus affixerat, ut futuræ spei aviditate, ad caritatem mutuam, et misericordias indigentibus exhibendas jugi studio laborarent. Quis tantorum monachorum cuneos aspiciens, quis virile agmen concordiæ cernens non obstupescat? in quo nullus nocens, nulla detractionis susurratio; sed similitudo abstinentium, et certamen officiorum. Nullus ibi quidquam proprium vendicabat, sed, ut in Actibus legitur Apostolorum, erant Act. 4. 32. omnino omnia omnibus communia. Qui locus tam fertilis tamque jucundus extitit; ut quisquis ibidem diverteret inter pomorum nemora, et hortorum amœnitatem, in hæc ei libeat protinus prorumpere verba: Quam bona domus tua Jacob, et quam pulchra tabernacula tua Israel! Num. 24, 5.

Quæ isthic disciplina.

Tillonis humilitas.

23 Dum hæc ita agerentur, quibus indiciis beatæ vitæ studium cresceret, dejecto B. Tillo in terram vultu, depressis luminibus solo, caput humile inclinans, toto etiam subtiliter corpore cum magna gravitate inter fratres incedebat, singulisque se monachis pæne terræ prosternebat, atque ab omnibus petebat devotissime, ut benedictionem acciperet; vilissimam panis tortam ab eis pro benedictione sibimet vendicabat. Præerat autem sub iisdem diebus venerabilis Abba *b* Childomarus. *b*

Mulierem læsam curat.

24 Quædam namque mulier grande vulnus habens, occurrit ad portam monasterii, S. Tillonem videre exorans :

AUCTORE MONACHO ANONYMO. EX MSS.

exorans: ille vero eam minime videre voluit, sed hoc illi mandavit: Mulier, quid meum poscis auxilium? et ego mortalis sum, tuque es socia fragilitatis. Si credis in Christum, cui deservio, vade, et secundum fidem tuam ora Deum, et sanaberis. Confestim illa credens abiit, et invocato Domino Jesu Christo, sine dilatione sanata domum revertitur.

In cella separata sanctissime vivit.

23 Posthæc Sanctus sentiens se ad senectutem propinquare, petiit beatum Abbatem *c* Gundebertum, qui tunc monasterio præerat, ut prope monasterium extra murum, cellam in honore S. Eligii construeret, ubi sequestratus a fratribus Domino serviret. Quam petitionem pius Abbas adimplens, quinque stadiis, et ferme amplius a monasterio, cellulam fieri fecit, ubi vir Dei Tillo orationi intentus, numquam otium duxit, quo non aut lectioni vacaret, aut opus Christi perficeret, aut certe manibus aliquid operis perageret. Egrediens domum, orationis et Crucis muniebatur signo; rediens vero oratio prius ei occurrebat, quam sessio: taliter namque agebat cunctis diebus vitæ suæ, et in his exercitiis ad æternam patriam jugiter anhelabat. Completo vespere omni officio, simulabat se palam quiescere strato; sed mox ut ejus cubicularii obdormissent, ille surgens e lecto ingrediebatur ecclesiam, totum se prosternens in pavimento, ibique noctis spatio Dominum cum lacrymis exorabat, illi

Matth. 6. 6. cupiens placere qui dixit: Ora Patrem tuum in abscondito, et Pater tuus, qui videt in absconso, reddet tibi. Sicque semper faciebat.

Oleum ejus benedictione exundat in vasculo.

26 Alio namque tempore cum Almanna uxor *d* Lantarii Comitis, quæ primum maritum habuit nomine Acronem, misisset ad sanctum virum, ut adversus morborum caussas, necessarium oleum benediceret, ampulla, quam miserat, vitrea nequaquam fuerat plena. Quod Sancto benedicente ita crevit, ut dum ad matronam vasculum reportaretur, inter manus portantis pueri sic exabundaret, ut omne illius vestimentum liquoris unda inficeret. Hoc videns matrona, ipsa quoque eum videre properavit, rebusque suis ecclesiam ditavit, et Sancti orationibus se commendavit. *e*

Ægram Crucis signo curat.

27 Quædam alia mulier prope jam mortua, vulnus gestabat in collo: occurrit ergo sancto viro, obsecrans ut super hoc signum Crucis armaret, quia jam mori timebat. Cumque super vulnus plenum vermibus, Christi signum exprimeret, repente mortui sunt vermes, et femina rediit incolumis.

Item paralyticum.

28 Adjiciantur virtutes operum, quæ vera esse creduntur. Quadam die cum ipse Sanctus portam monasterii vellet ingredi, invenit unum de vernaculis contractis nervis, vestigio debilitatum, et claudicabat pede: qui concitus deprecabatur ut sibi vir sanctus succurreret. Mox pro eo fusa oratione, cum benedictione rediit incolumis, quem tetigit sancta manus.

Vas vacuum benedicens vino replet.

29 Erat etiam in jam dicto monasterio, in cellario fratrum positum vas, quod vulgo tonna vocatur, habens modicum Falerni, unde ipse consueverat fratres caritatem rogare. Accidit ergo quadam die, ut parum fratres Falerni pro benedictione perciperent de eodem vase, deinde sanctus vir benedixit vasculum, atque a monasterio discessit. Facto autem die altero, fortuitu minister ingressus cellarium, invenit tonnam, quæ pridie vacua remanserat, usque ad os vino repletam. Sed vir Domini primum inde modicum gustavit, et fratres qui aderant, largissimos ex eo hauserunt potus.

Mortem suam prædicit.

30 Multa enim sunt virtutum opera, quæ per beatum omnipotens Deus declaravit virum. Ergo quomodo ex hac vita ad Dominum migravit, cupio perstringere adjuvante Domino. Factum est autem, cum jam vir Domini senilem ageret ætatem, post multiplices hujus vitæ labores, post diversa eremiticæ misericordiæ opera, post dulcia exempla, cum esset annorum amplius nonaginta, sciens dissolutionem sui corporis imminere, dixit monachis Sollemniacensis monasterii: Scitote Domini mei, quia me Dominus de laqueo hujus sæculi in proximo liberare dignabitur. Cum hoc audissent fratres, responderunt: Non contingat tibi hoc, Sacerdos sancte, neque nobis videre, sed almitatem tuam Christus mundo adhuc conservet. Quibus prostratus in pavimento cum lacrymis dixit, cunctis oscula libans: Nolite, quæso, fratres mei, tristari, sed magis gaudete, quia hoc olim desiderabam. Sic dicens, siluit.

Episcopum ad se accersit, et sic sanat.

31 Deinde levissima febre correptus, tædere cæpit. Post ipso Dominicæ apparitionis die, Ecclesiæ suæ omnia disposuit, et suum monumentum ubi fieret constituit, vocatoque puero dixit: Festina, fili, cito ad urbem Lemovicum, et dic *f* Pastori Ecclesiæ, ut crastina die huc veniat, corpusque meum sepulturæ tradat. Nuntius quippe jussa adimplens, præfatum Pastorem in gravi languore jacentem invenit, ut nec stare, nec sedere, nec se erigere, neque ad latus aliud declinare valeret. Sed *g* mox ut nuntii verba audisset, eundi caussa erigere se rogavit, atque ad virum Dei, nullo manum ei annuente, propriis pedibus ambulando pervenit, ipsumque sacrosanctum corpus cum monachis, qui ibidem aderant, sepulchro mancipavit. Desuper etiam *h* scripturam ex auro argentoque, miro modo fabricavit. Sicque omnis ægritudo ab eo discessit, et ille gaudens, et benedicens Deum, reversus est ad Sedem suam.

Ab eo sepelitur.

32 Multæ ibi, jubente Domino, et S. Tillonis meritis operantur virtutes. Inter quos etiam et *i* cincentillus exabundante ubertim oleo perfunditur. Ex quo sancto olei liquore, multi peruncti illic a diversis sanantur infirmitatibus, præstante Domino nostro Jesu Christo, cui est omnis honor, gloria, et imperium, in sæcula sæculorum. Amen.

E sepulchro oleum manat.

a *Menardus et Saussayus habent, ab Angelo admonitum ut rediret Sollemniacum.*

b *Cl. Robertus* Childemerum *vocat. Fallitur Saussayus, qui cum rediit S. Tillo, præfuisse cœnobio Gondobertum scribit.*

c *Cl. Roberto est* Gundobertus.

d *Molan.* Lantaris.

e *Addit Molanus:* Munera porro, gratitudinis ergo a Comite missa, cum indignatione rejecit.

f *Saussayus* Ermenomem *vocat.*

g *Saussayus ait*, cum venire nequivisset, audita illius morte, imploratoque ejus apud Dominum ope, repente convaluisse, venisseque ad servi Dei exequias, et cum Monachis sacri corporis sarcinæ humeros supposuisse, atque propriis manibus exuvias sanctas composuisse in tumulo.

h *Menardus et Saussayus,* fornicem.

i *Lego* cicindelis, *qua voce Gregorius Turon. et alii utuntur, significatque vitream lucernam sive lampadem, aut vas in quo ardet oleum.*

VITA BEATI WITTEKINDI MAGNI

WESTPHALIÆ DUCIS.

CAPUT I.

Wittekindi sanctitas publice celebris.

CIRCITER AN. CHRISTI DCCCVII. VII JANUARII.

Quoniam, ut Apostolus prædicat, ubi superabundavit delictum, *sæpe* superabundat et gratia; *evenit quandoque, ut qui acerrimo bello Ecclesiam Dei fuerant persecuti, ii deinde pro ejus honore gloriose depugnent, atque insigni floreant sanctimoniæ laude. Quo in genere eximie sese* Wittekindi *Saxonum Ducis virtus extulit; qui cum annos plures bella cum Francis, non tam pro gentis suæ libertate, quam odio Christianæ religionis gessisset, tandem divina gratia emollitum, ad exosa prius sacra complectenda adjecit animum; eo ardore, ut deinceps et pietatis haud*

Rom. 5. 30.

haud vulgarem gloriam vivus, et Divorum post mortem honores adeptus sit. Nam ita ejus natalem VII *Id. Januarii celebrant Carthusiani Colonienses in Addit. ad Usuardum, anno* MDXV *et* MDXXI *editis :* Item sanctæ memoriæ Wedekindi Ducis Westphaliæ in Angaquiescentis. *Eadem habet Martyrologium Germanicum a Petro Canisio Nostro recognitum. Ferrarius quoque in generali Catalogo SS.* Angariæ in Westphalia S. Wedeckindi Ducis. *Est* Angaria, *sive* Angria, *vulgo* Engheren, *oppidum Westphaliæ in Comitatu Ravensbergensi.*

Wittekindi natalis.

Sanctitas a variis celebrata :

2 *Wernerus Rolevinck Carthusianus, qui ante* CXXX *annos floruit, libro* 3, *de Westphalorum moribus, cap.* 8, *ubi sanctos et illustres viros recenset ac reliquias illius provinciæ, ita scribit :* Sequitur deinde S. Wedekindus, olim Dux vel Rex illius populi, quem Carolus de sacro fonte suscepit, et salutaribus monitis instruxit. Hic deinceps tanto studio pristinam correxit vitam, ut post vitæ excessum clareret miraculis. Ejus ossa in Engers quiescunt, id est, Angaria prope Hervordiam. *Georgius quoque Fabricius (ut etiam ab Ecclesiæ inimicis testimonium petamus) Rer. memorabil. Saxoniæ lib.* I, *ad annum* 807. *Witechindum testatur inter Divos habitum, ut infra dicemus. Factumne tamen id sit Ecclesiæ Romanæ publica auctoritate, haud comperi.*

res gestæ :

3 *Res fortiter ante susceptam Christi religionem, aut pie deinceps ab eo gestas, plerique attigere Gallici scriptores; nemo unus dedita opera integre omnes prosecutus est, qui quidem exstet. Ex variis igitur antiquis Auctoribus paucula excerpemus. Haud vulgare* Wittekindi *decus merito censeri potest, quod ab eo ortam ferunt, ut auctor est Petrus Bertius rerum Germanicar. lib.* 2, *c.* 11, *tot jam sæculis in Gallia rerum potitam, illustrem Hugonis Capeti familiam.*

posteri.

CAPUT II.

Antiqui Saxones. Eorum Dux Wittekindus.

Bellum Saxonicum :

Omnium, *quæ sunt a Carolo Magno gesta, bellorum* nullum, *inquit Eginhardus in vita Caroli,* Saxonico neque prolixius neque atrocius, Francorumque populo laboriosius susceptum est : quia Saxones, sicut omnes fere Germaniam incolentes nationes, et natura feroces, et cultui dæmonum dediti, nostræque religioni contrarii, neque divina neque humana jura vel polluere vel transgredi inhonestum arbitrabantur. Suberant et caussæ quæ quotidie pacem conturbare poterant, termini videlicet Francorum et illorum, pæne ubique in plano contigui, præter pauca loca, in quibus vel silvæ majores, vel montium juga interjecta, utrorumque agros certo limite disterminant : in quibus cædes et rapinæ et incendia vicissim fieri non cessabant. Quibus adeo Franci sunt irritati, ut non jam vicissitudinem reddere, sed apertum contra eos bellum suscipere dignum judicarent. Susceptum est ergo adversus eos bellum, quod magna utrimque animositate, tamen majori Saxonum quam Francorum damno, per continuos triginta tres annos gerebatur. Poterat siquidem citius finiri, si Saxonum hoc perfidia pateretur. Difficile dictu est quoties superati, ac supplices Regi se dediderunt, imperata facturos polliciti sunt, obsides, qui imperabantur, absque dilatione dederunt, Legatos qui mittebantur susceperunt; aliquoties ita domiti et emolliti, ut etiam cultum dæmonum dimittere, et Christianæ religioni se dubdere velle promitterent. Sed sicut ad hæc facienda aliquoties proni, sic ad eadem pervertenda semper fuere præcipites : ut satis non sit æstimare, ad utrum horum faciliores verius dici possint. Quippe cum post inchoatum cum iis bellum vix annus unus exactus sit, quo non ab eis hujuscemodi facta sit permutatio.

ejus caussæ :

diuturnitas :

Incentor Wittekindus; sed non perfidus.

5 *Præcipuus rebellionum incentor Wittekindus fuit usque ad annum regni Caroli* XVII, *licet fidem ipse fregerit fortasse numquam, quam numquam dederat; sed cum ceteri variis cladibus atriti Francis se subderent, vel in Daniam semper profugit, vel munitionem aliquam insedit. Ita Annales Francorum ex codice Joannis Tillii ab Andrea Du-Chesne editi, ad annum* DCCLXXVIII. Tunc domnus Rex habuit placitum ad Patresbrunna prima vice. Ibique venientes Franci et Saxones, excepto Witigingo, qui partibus Normanniæ confugit. *Et alii Annales ex* MS. *Loiselii ad eumdem annum :* Tunc domnus Carolus Rex Synodum publicum habuit ad Paderbrunnen prima vice, ibique convenientes omnes Franci et ex omni parte Saxoniæ undique Saxones convenerunt : excepto quod Witochindis rebellis extitit cum paucis aliis, et in partibus Normaniæ confugium fecit una cum sociis suis. *Iterumque ad annum* DCCLXXXII. Tunc domnus Carolus Rex iter peragens, Rhenum transiens ad Coloniam Synodum tenuit ubi Lippia consurgit. Ibique omnes Saxones venientes, excepto rebellis Windochindus.

Ex variis.

6 *Quia vero* Wittekindum *alii* Regem, *alii* Ducem *Saxonum vocant; operæ pretium est, veteris Saxonicæ Reip. formam ac populos ex antiquis scriptoribus, exhibere, ut quo Magistratu functus sit* Wittekindus *intelligi clarius queat.* Erat certe, *ut ait Eginhardus,* Saxonia Germaniæ pars non modica. *Distinctius ejus populos describit Poeta historicus, qui Arnulphi Imperatoris ævo vixit. Hic ad annum* DCCLXXII, *Indict.* IX, *ista habet :*

An is Rex fuerit.

Paulo Romanæ defuncto Præsule Sedis,
Suscepit post hunc Adrianus Pontificatum.
Et Rex Wormatiam Carolus collegit in urbem
Francorum Proceres ad Concilium generale.
Cum quibus ut bello Saxones agrederetur
Decrevit : quoniam Saxonum proxima Francis
Adjacet ad Boream tellus : vix limite certo
Divisi gentis fines utriusque cohærent.
Quæ tum vicinæ quo plus regione fuere,
Tanto sejunctas animis discordia fecit.
Finitimos sedenim per agros utrimque solebant
Assidue fieri cædes; incendia, prædæ.
Saxonum natura ferox, et pectora dura,
Ferre jugum Christi necdum dignata suave,
Dæmonico nimium fuerant errore subacta.
Christicolæ vero jam longo tempore Franci
Catholicam tenuere fidem, multisque per orbem
Jam dominabantur populis, quibus undique fulti,
Præcipue virtute Dei quem rite colebant,
Hanc unam poterant nimirum vincere gentem;
Quæ nec Rege fuit saltem sociata sub uno,
Ut se militiæ pariter defenderet usu :
Sed variis divisa modis plebs omnis, habebat
Quot pagos tot pæne Duces, velut unius artus
Corporis in diversa forent hinc inde revulsi.
Sed generalis habet populos divisio ternos,
Insignita quibus Saxonia floruit olim :
Nomina nunc remanent, virtus antiqua recessit.
Denique Westphalos vocitant in parte manentes
Occidua, quorum non longe terminus amne
A Rheno distat. Regionem solis ad ortum
Inhabitant Osterlingi, quos nomine quidam
Ost-valos alio vocitant, confinia quorum
Infestant conjuncta suis gens perfida Sclavi.
Inter prædictos media regione morantur
Angarii, populus Saxonum tertius. Horum
Patria Francorum terris sociatur ab Austro,
Oceanoque eadem conjungitur ex Aquilone.

Saxonum veterum indoles.

Tres populi.

Hæc ille. Non tamen Paulo *successit immediate* Hadrianus *Papa, sed* Stephano.

7 *Consentit Witichindus Corbeiensis Annal. lib.* 1 : Usque hodie, *inquit,* gens Saxonum triformi genere ac lege præter conditionem servilem dividitur. A tribus etiam Principibus totius gentis Ducatus administrabatur; certis terminis exercitus congregandi potestate contentis, quos suis locis ac vocabulis novimus signatos, in Orientales scilicet populos, Angarios, atque Westvalos. Si autem universale bellum ingrueret,

Dux belli tempore.

Ex variis.

ret, forte eligitur cui omnes obedire oporteat, ad administrandum imminens bellum. Quo peracto, æquo jure ac propria potestate unusquisque contentus vivebat. *Beda quoque Witichinde multo antiquior lib.* 5, *Eccle. hist. gentis Anglor. cap.* 11, *cum de Sanctis duobus* Ewaldis *agit, qui in Westphalia Evangelium prædicarunt, ita scribit :* Qui venientes in provinciam intraverunt hospitium cujusdam villici, petieruntque ab eo ut transmitterentur ad Satrapam qui super eos erat, eo quod haberent aliquid legationis et caussæ utilitatis, quod deberent ad illum perferre. Non enim habent Regem iidem antiqui Saxones, sed Satrapas plurimos suæ genti præpositos, qui ingruente belli articulo, mittunt æqualiter sortes, et quemcumque sors ostenderit, hunc tempore belli ducem omnes sequuntur, et huic obtemperant. Peracto autem bello, rursus æqualis potentiæ omnes fiunt Satrapæ.

Is e pluribus Satrapis forte legitur.

8 *Albertus Crantzius* XII *ejusmodi Satrapas constituit lib.* 1, *Metropol. cap.* 1 : Ferunt, *inquit*, gentem indomitam Regibus subesse non passam, duodecim primarios viros præfecisse, qui per omnem provinciam publicæ utilitati inservirent, consulentes in medium de rebus gerendis. Annuus erat inter illos per vices magistratus. Quem vero publicum deforis bellum illatum in magistratu deprehendisset, is durante bello Rex appellabatur, cujus imperio parerent universi : bello autem pace mutato, regium nomen pariter deponebat. Sic Edelhardus, unus ex duodecim Proceribus, paullo ante Wedekindum Rex inscriptus legitur : et ab urbe Osnaburga quingentis vix passuum spatiis, reliquias arcis esse hodie commonstrant, quam arcem regiam vocant Wedekindi.

Rex quandoque appellatus.

Tres ordines inter Saxones.

9 *In tres præterea ordines gentem universam, et videlicet trium jam enumeratorum populorum singulos, distribuit Nithardus Histor. lib.* 4. Saxones quidem, *inquit*, sicut universis per Europam degentibus patet, Carolus, Magnus Imperator ab universis nationibus non immerito vocatus, ab idolorum varia cultura multo ac diverso labore ad veram Dei Christianamque religionem convertit. Qui ab initio tam nobiles, quam et ad bella promptissimi, multis indiciis persæpe claruerunt. Quæ gens omnis in tribus ordinibus divisa consistit. Sunt enim inter illos qui Edhilingi, sunt qui Frilingi, sunt qui Lazzi illorum lingua dicuntur; Latina vero lingua hoc sunt, Nobiles, Ingenuiles, atque Serviles.

CAPUT III.

Bella Wittekindi adhuc gentilis.

Belli Saxonici incentor Wittekindus.

Quæ bella gesserit ante conversionem Wittekindus, *haud sane multum attinet indagare, quando ea non tam laudem ei quam dedecus attulissent sempiternum, nisi illum Dei benignitas ruentem ultro in exitium forti dextera revocasset. Quia tamen in iis magna ejus et præclara elucet indoles, sed quam et gentis barbaries ac proprium quoddam odium adversus Francos, dominantem late populum, omnesque adeo Christianos nimium quantum efferarat; et vis quoque divinæ gratiæ multo redditur illustrior, cum ita alte implicitum sceleribus hominem expedit, statuitque in libertatem filiorum Dei, aut etiam cum Principibus populi collocat, in Divorum videlicet cœtu beato et immortali; nec ea quidem nos præterire omnino tacitos fas est. Existimarim sane quæcumque a Saxonibus contra Carolum gesta sunt bella usque ad annum Christi* DCCLXXXV *ea præcipue* Wittekindi *ductu et auspiciis esse gesta; fortassis etiam ultro quæsitam belli occasionem, Francorum limitum assidua infestatione.*

Eo bello gesta per annos distincta.

11 *Anno igitur Christi* DCCLXXII *regni sui* IV *Saxoniam cum infesto exercitu ingressus Carolus, Eresburgum castrum expugnavit, Irminsul idolum ejusque fanum evertit, cum Saxonibus ad Visurgim collocatus,* XII *obsides accepit.*

Anno DCCLXXIII *et* DCCLXXIV *dum Rex Italica expeditione distinetur, ad ultionem acceptorum damnorum insurgunt Saxones, (ut Eginhardus ceterique Francicorum Annalium scriptores narrant) stimulante, ut verisimile est, Wittekindo. Dum vero Frislariæ ædificatam olim a S. Bonifacio basilicam igni perdere nequidquam nituntur, terrore divinitus injecto aguntur in fugam. Carolus Inghelheimium, juxta Moguntiam, reversus, quadruplicem contra eos exercitum misit, aut* quatuor scaras *ut habet Monachus Egolismensis; quæ ter conservere cum Saxonibus manus, prædamque luculentam retulere. Inde habito* Duriæ *(id est,* Marcoduri, *ut reor) conventu, Rhenum ipsemet Carolus anno* DCCLXXV *trajecit, Sigeburgum castrum cepit, Eresburgum rædificatum præsidio munivit; Visurgis transitum intercludere cupientes fudit; Hessonem Ostvalorum Ducem, mox et Brunonem Angariorum in fidem recepit. Sed et aliquam ipse cladem accepit, non exigua manu Saxonum pabulatoribus permista, atque in castra sub noctem cum iis ingressa, lateque cædes miscente.*

Saxones divinitus fugati;

a Carolo Magno victi;

12 *Anno* DCCLXXVI, *iterum profecto in Italiam Carolo, corripuere arma Saxones, Eresburgum deditione cepere, et subruere, Segeburgum aggressi, non sine cœlestibus portentis depulsi ac fugati sunt. Rex cum exercitu ad* Lippiæ fontem *(quod nunc oppidum ditionis Paderbornensis, vulgo* Lipsspring) *venit. Rursus se submisere Saxones, plurimique Christo dedere nomina, ac baptismo lustrati sunt, quacumque demum fide; nam id in ambiguo ponunt Auctores. Communita Francico præsidio castella aliquot.*

rebellant, ac rursum vincuntur.

13 Anno DCCLXXVII, Rex prima veris adspirante temperie, *inquit Eginhardus*, Noviomagum profectus est, et post celebratam ibidem Paschalis festi solemnitatem, propter fraudulentas Saxonum promissiones, quibus fidem habere non poterat, ad locum qui Padrabrunna vocatur, generalem populi sui conventum in eo habiturus, cum ingenti exercitu in Saxoniam profectus est. Eo cum venisset, totum perfidæ gentis Senatum ac populum, quem ad se venire jusserat, morigerum ac fallaciter sibi devotum invenit. Nam cuncti ad eum venerunt, præter Widikindum unum e Primoribus Westphalorum, qui multorum sibi facinorum conscius, et ob id Regem veritus, ad Sigefridum Danorum Regem profugerat. Ceteri qui venerant ita se Regis potestati submisere, ut ea conditione tunc veniam accipere mererentur. Si ulterius sua statuta violarent, et patria et libertate privarentur. Baptizata est ex eis ibidem maxima multitudo, quæ se, quamvis falso, Christianam fieri velle promiserat. *Ita Eginhardus, ceterique Annalium scriptores. Hinc vero conjici potest, motæ toties rebellionis, cædisque etiam fortassis in castris perpetratæ, auctorem extitisse Wittekindum, de quo ante citatus poeta :*

Wittekindus ad Danos profugit.

Quo Carolus veniens, collectos repperit omnes
Pæne Duces, populumque simul, totumque Senatum
Saxonum, nisi quod quidam Widokindus abinde
Aufugit, Regem veritus. Nam conscius idem
Audacis sibimet facti, multique reatus,
Sifridum petiit Danorum sceptra regentem.
Porro Duces illic alii cum plebe gregata
Suppliciter cuncti veniam pacemque petentes,
Paruerant Regi tali sub conditione,
Ut cuncta scelerum dimissa mole priorum,
Si post auderent ejus violare statuta,
Libertate simul prisca patriaque carerent :
Quorum tum Christo se credere velle professa
Magna salutiferum suscepit turba lavacrum.
Sed simulata fides versuto prodiit ore,
Quod notum multis fecere sequentia gesta.

14 *Anno* DCCLXXVIII, *cum in Hispaniam abiisset Carolus, Saxones* persuasione Witigingi, *ut habent Annales Tilliani, iterum rebellaverunt.* Interea Saxones, *inquit Eginhardus*, velut occasionem nacti, sumptis armis ad Rhenum usque profecti sunt. Sed cum amnem

trajicere

Ejus consilio rebellant Saxones:

trajicere non possent, quidquid a Duicia civitate usque ad fluenta Mosellæ vicorum villarumque fuit, ferro et igne depopulati sunt. Pari modo sacra profanaque pessumdata. Nullum ætatis aut sexus discrimen ira hostis fecerat: ut liquido appareret, eos non prædandi, sed ultionem exercendi gratia Francorum terminos introisse. Cujus rei nuntium cum Rex apud Autisiodorum civitatem accepisset, extemplo Francos Orientales atque Alemannos ad propulsandum hostem festinare jussit. Ipse ceteris copiis dimissis, Haristallium villam, in qua hiemaret, venit. At Franci atque Alemanni qui contra Saxones missi erant, magnis itineribus ad eos ire contendunt, si forte in finibus suis eos invenire possent. Sed illi jam re peracta revertebantur ad sua. Quorum vestigia

cæduntur.

secuti qui a Rege missi fuerunt, in pago Hassiorum super fluvium Adernam iter agentes repererunt: eosque statim in ipso fluminis vado adorti, tanta strage ceciderunt, ut ex ingenti multitudine ipsorum vix pauci domum fugiendo pervenisse dicantur.

15 *Nec fracti sunt animis Saxones ea accepta clade: sed delectu habito, haud exiguas rursus copias produxere. De successu scribit Poeta:*

At Rex intente meditans invadere terras
Saxonum, citius Rhenum trajecerat amnem.
Cui se spe vana gens ipsa resistere posse

Rursus profligantur.

Confidens, pariter sumptis occurrerat armis,
In quodam collecta loco, Bocholt vocitato.
Sed cum cœpissent acie confligere, statim
Terga dedit, numero Francorum territa grandi.
Accepit tunc Westphalos in deditionem,
Progressusque; dehinc Wisuram pervenit ad amnem,
Atque dies aliquot mansit statione locata.
Angarios, sed et Ostphalos ad se venientes
Promissam firmare fidem, qua semet eidem
Subjectos fore spondebant, animoque fideles,
Obsidibusque datis sacramentisque coegit.

16 *Anno* DCCLXXX, *res Saxonicas compositurus Visurgim trajecit cum valido exercitu Carolus. Multi baptismum suscepere.*

Alter annus quietus fuit.

Anno DCCLXXXII, *habito apud* Lippiæ fontem *conventu, in Galliam Rex abiit.* Tum Widikindus, *inquit Eginhardus,* qui ad Nordmannos profugerat, in patriam reversus, vanis spebus animos Saxonum ad defectionem concitavit. Interea Regi allatum est, quod Sorabi

Iterum Duce et auctore Wittekindo rebellant:

Sclavi, qui campos inter Albim et Salam interjacentes incolunt, in fines * Euringorum ac Saxonum, qui eis erant contermini, prædandi caussa fuissent ingressi, et direptionibus atque incendiis quædam loca vastassent. Qui statim accitis ad se tribus ministris suis, Adalgiso Cubicularío, Geilone Comite stabuli, et Worado Comite Palatii, præcepit ut sumptis secum Orientalibus Francis atque Saxonibus, contumacium Sclavorum audaciam quam celerrime comprimerent. Qui cum jussa facturi Saxoniæ fines ingressi fuissent, compererunt Saxones ex consilio Widikindi ad bellum Francis inferendum esse paratos. Omissoque itinere quo ad Sclavos ituri erant, cum Orientalium Francorum copiis ad locum, in quo audierant Saxones congregatos, ire contendunt. Quibus in ipsa Saxonia obviavit Thedericus Comes, propinquus Regis, cum iis copiis, quas audita Saxonum defectione raptim in Ripvaria congregare potuit. Is festinantibus Legatis consilium dedit, ut primo per exploratores, ubi Saxones essent, vel quid apud eos ageretur, quanta possent celeritate cognoscerent: tum si loci qualitas pateretur, simul eos adorirentur. Cujus consilio collaudato, una cum illo usque ad montem qui Sontal appellatur, in cujus septemtrionali latere Saxonum castra erant posita, pervenerunt. In quo loco cum Thedericus castra posuisset, ipsi sicut cum eo convenerant, quo facilius montem circuire possent, transgressi Wisiram, in ipsa fluminis ripa castra posuerunt. Habitoque inter se colloquio, veriti sunt ne ad nomen Thederici victoriæ fama transiret, si eum in eodem prælio secum haberent. Ideoque sine eo cum Saxonibus congredi decernunt: sumptisque armis, non quasi ad hostem in acie stantem, sed quasi ad fugientem contendunt. Terga insequi, spoliaque dirípere, prout quemque velocitas equi sui tulerat, qua Saxones in acie pro castris stabant, unusquisque eorum summa festinatione adoriuntur. Quo cum esset perventum, male etiam pugnatum est. Nam commisso prælio circumventi a Saxonibus, pæne omnes interfecti sunt. Qui tamen evadere potuerunt, non in sua unde profecti sunt, sed in Thederici castra, quæ trans montem erant, fugiendo pervenerunt. Sed major Francis quam pro numero jactura fuit: quia Legatorum duo Adalgisus et Gejlo, Comitum quatuor, aliorumque clarorum atque nobilium usque ad XX interfecti, præter ceteros qui hos secuti potius cum eis perire, quam post eos vivere maluerunt.

EX VARIIS.

Francos ingenti clade afficiunt.

17 Cujus rei nuntium cum Rex suscepisset, nihil sibi cunctandum arbitratus, collecto festinanter exercitu in Saxoniam proficiscitur. Accitisque ad se cunctis Saxonum Primoribus, de auctoribus factæ defectionis inquisivit. Et cum omnes Widikindum hujus sceleris auctorem proclamarent, ipsum tamen tradere nequirent, eo quod re perpetrata ad Nordmannos se contulerat, ceterorum qui persuasioni ejus morem gerentes tantum facinus perpetraverunt, usque ad MMMMD, traditi, et super Alaram fluvium, in loco qui Ferdi vocatur, jussu Regis omnes una die decollati sunt. Hujusmodi vindicta perpetrata, Rex Theodonisvillam in hiberna concessit: ibique et Natalem Domini et Pascha more solito celebravit.

Fugit Wittekindus, ceteri multantur.

18 *Anno* DCCLXXXIII, *superiore fortassis victoria elati Saxones, ausi cum Carolo signis collatis dimicare, duplici prælio unius mensis spatio fusi sunt, priori in* campo Thitemello *(hodie* Detmolde *dici scribit Joannes Isacius Pontanus) altero circa* Hasam *flumen. Nec dubium est quin saltem alteri interfuerit* Wittekindus; *quem ferunt deinceps ad Visurgim in arce obsessum, sed inde clam fuga elapsum. Vastata late inter Visurgim et Albim regio. Rursus anno* DCCLXXXIV *et hieme sequenti variis cladibus attriti sunt Saxones, semel a Carolo Caroli filio equestri prælio victi.*

Iterum ac sæpius victi Saxones.

19 *Hæc obiter* Wittekendi *bellis dicta sint; quæ taciti omnino præterissemus, nisi qui vir fuerit antequam Christi jugo submitteret cervices, ignorari noluissemus. Erit fortassis qui res inclytæ gentis Westphalica aliquando illustret, et hæc ipsa plenius exequatur.*

CAPUT IV.

Wittekindi conversio.

Cum jam annus Christianæ salutis post septingentos octogesimus quintus ageretur, *inquit Crantzius Saxoniæ lib.* 2, *c.* 23, et jam tempus venisset ab alto miserendi; Wedekindus visitatus a Domino ad lucem respexit. *Eginhardus in Annalibus ad eum annum* Transacta tandem hieme, *inquit,* et advectis ex Francia commeatibus, publicum populi sui conventum, in loco qui Padrabrunna vocatur, more solemni habuit. Ac peractis iis quæ ad illius conventus rationem pertinebant, in pagum nomine Bardengau proficiscitur: ibique audiens Widikindum et Albionem esse in Transalbina Saxonum regione, primo eis per Saxones, ut omissa perfidia ad suam fidem venire non ambigerent, suadere cœpit. Cumque ipsi facinorum suorum sibi conscii, Regis fidei se committere dubitarent, tandem accepta ab eo, quam optabant, impunitatis sponsione, atque impetratis, quos sibi dari precabantur, suæ salutis obsidibus, quos eis Amalwinus unus Aulicorum a Rege missus adduxerat, cum eodem ad ejus præsentiam in Attiniaco villa venerunt: atque ibi baptizati sunt. Nam Rex postquam ad eos accersendos

Wittekindus a Carolo invitatus cum Albione baptizatur.

Ex variis.

dos memoratum Amalwinum direxit, in Franciam reversus est. Quievitque illa Saxonicæ perfidiæ pervicacitas per annos aliquot. *Poeta quoque Historicus ante aliquoties citatus, eadem narrat.*

Multæ factæ ecclesiæ : bona Wittekindo restituta.

21 *Hanc Ducis Wittekindi conversionem exactius aliquanto describit Crantzius in Metropoli lib.* 1, *c.* 4. Cum jam Widikindus, *inquit,* toties rebellans ad cor rediret, secum reputans, quid tanto labore mercaretur, quidve tanti sanguinis impendio evitaret, cum neque de principatu certaret, neque de vita, sed de sola religione, quam tot provinciæ diu feliciter sequerentur; sumpto secum Albione viro nobili, et inter Saxones primario, qui ditionem ultra Albiam teneret (Holsatiam nunc vocant) contendit ad Carolum, præmisso ex aulicis Regi, qui securitatem adeundi (et si videretur) redeundi, impetraret. Erat tunc annus post septingentos a Christo octogesimus quintus, cum a Rege Dux honorifice exceptus, reddita utrimque factorum ratione, Dux se contulit in gratiam Regis. Ibique factus catechumenus, instruitur in fide; et deinde cum Albione sacrum suscepit baptisma: jam pridem magno victus prælio, ad fluvium Hasam. Erant deinde res per omnem Saxoniam tranquilliores. Unde factum est ut multiplicarentur ecclesiæ per provinciam, cunctis jam sub suo Principe quiescentibus. Arces nonnullas firmavit præsidiis Rex; sed alias Duci restituit: nec tamen satis discernunt Annales quas ab Rege receperit. Arcem tenebat ad ripam Visurgis Dux, in quam a prælio victus ad Hasam se contulit, eamque suo jure servavit, quoad in eodem loco (quod dicemus) Episcopatum Rex constitueret. Tum facta communis Duci atque Pontifici mansio illa, quæ Minda dicitur.

22 *Eadem deinde cap.* 9, *prosequitur:* Mindensis Ecclesiæ eam referunt originem. Wedekindus Saxonum primarius Princeps (sive Regem illum dicere collibeat) magno prælio apud Hasam fluvium victus, se ex fuga recepit in arcem, quæ illi fuit ad ripam Visurgi, sive Wiseræ fluminis. Eam Rex cinxit obsidione. Elapsus ipse, cum defensioni diffideret, pervenit in Daniam. Sed non diu post assumpto (quod diximus) Albione, concessit in gratiam Regis: qui ubi comperit elapsum Wedekindum, obsidionem posthabuit, præsertim quod in hiberna ducendum esset. Rex castra tum habuit ad Oram fluvium, in loco Wolmerstede, in Orientali Saxonia. Incessit cupido

Venit ad Carolum mendici habitu.

Principi Wedekindo lustrare Regis castra: quod etsi palam jam reconciliato liceret, libuit tamen ignoto habitu liberius omnia scrutari. Vicina erat Paschalis solemnitas, et Rex cum universo milite pro Christiana pietate se tum sacris imminentibus apparabat, commemoratione Dominicæ Passionis, et expiatione criminum in purgatione conscientiæ. Wedekindus mendici habitu per fluvium in navicula allabitur: et quo minus nosceretur, mendicus cum mendicis ad stipem sedebat. Ingens quippe pauperum regionis multitudo quotidie assectabatur. Rex illis largam stipem jussit erogari. Wedekindus, ubi ad eum perventum est, dextram et ipse protendit. Attendit, qui distribuit, incurvum in manu digitum, qualem sciebat habere Wedekindum. Vultum ejus diligentius intuetur: agnoscit arridens, qui largiebatur: quid ita mendicus inter mendicos sederet Princeps ditissimus, percontatur. Ille nihil ad hæc, sed ad Regem se jubet introduci.

Videt sumentibus Eucharistiam, ingredi in os puerulum.

23 Erat tum sanctissimus Paschæ dies. Rex hilariter excepit venientem, percontatus quid sibi vellet indignus Principe habitus. Ille sub hæc: Volui, Serenissime Rex, hoc habitu incognitus (ut sperabam) lustrare secreta gestorum, quæ cognitus non tam fidenter adspicerem. Curiositas induxit, ut latibulum quærerem: qui inter tuos nunc in gratiam susceptus, propalam poteram percontari quæ vellem. Quid igitur, inquit Rex, vidisti, quod te vidisse delectat? Ille (ut erat adhuc rerum Christianarum rudis) subintulit: Vidi, quod mirabar, ante biduum te vultu dimisso tristem, incertus quid contigisset, quod tantum Regem contristaret. Commemoratio fuit Dominicæ Passionis, quæ die Parasceves regium vultum obscurasset. Rursum, inquit, vidi hodierna te die primum sollicitum, et ad rem attentissimum: posteaquam vero mensam adieras templo mediam, ita hilari mihi conspectus es vultu, ut repentinæ in te mutationis me caperet miraculum. Stupor autem erat videre, quod de manu purpurati Sacerdotis singuli pulchellum puerum in os susciperent, quem quibusdam ludibundum arridere, ultro properare; aliis vero abhorrentem, avertisse vultum, et tamen in ora demissum, nec redeuntem adspexi. Hoc quid sit, necdum accipio. Tum Rex: Bene, inquit, profecisti: plus tibi aliquid quam cunctis Sacerdotibus et omnibus nobis ostensum est. Inde mutata veste, manu secum abstractum, docuit grande pietatis mysterium in altaris Sacramento. Qua re cognita, exhilaratum Ducem orasse, ut proprium illi Sacerdotem permitteret, qui divinæ rei curam haberet, crebriusque in conspectu perageret altaris sacratum ministerium. Rex etiam Pontificem illi daturum promittit, modo illi habitationem Episcopo dignam provideret. Ducem vero arcem suam ad Wiseram utriusque capacem ostendisse. Deditque in ejusdem arcis non exiguo circo locum ædificandæ ecclesiæ. Ferunt perinde nomen ecclesiæ provenisse, quod MEUM et TUUM, quasi communis duorum possessio, sonat in lingua Saxonum vernacula, M. N. DIN.

Mindensis Ecclesiæ origo.

24 *Georgius Fabricius portentum illud conspecti a Wittekindo pueri Eucharistiam sumentium ora subeuntis, haud scio an bona fide, detorquet et obscurat : sed et alia quædam explicatius narrat, his verbis :* Witechindus, *inquit,* toties victus nullum invenit locum ubi tutus esset: pro solita audacia, navicula quadam habitu servili pannosoque per Ocram fluvium Wolmerstetam defertur, ut exploraret Caroli consilia, et exercitum inspiceret. Cum autem inter mendicos, sacris ibi tum peractis, interesset, viso quodam admonitus cœpit de religione vera melius sentire, cum infantem quemdam quasi inseri Ecclesiæ Christianæ votis hominum precantium et manus attollentium cerneret. Chronicum Maydeburgicum et Cranzius referunt, eum digiti distorti indicio in manu dextra tum agnitum, et ad Carolum ductum; sed nullus præter hos eorum temporum scriptor, istius mentionem facit. Witechindus ab eo tempore cum patruele suo Albrone, quem recentiores Albionem vocant, consultat de gratia et benevolentia Caroli comparanda, et de reliquiis patriæ, tot prælii et cladibus exhaustæ, conservandis. Id autem faciunt paucis consciis, ne aut a gentilibus suis, aut a multitudine nominis Christiani hoste, tamquam proditores rituum majorum atque patriæ opprimerentur, aut diris cruciatibus necarentur. *Et paucis interjectis :* Witechindus Magnus et Albro, impetrata tuti itineris licentia ad Carolum eunt Attiniacum, urbem provinciæ Transrhenanæ, quibus, ne suum congressum vereantur, prius mittit Amalbinum, per quem obsides adduci et tradi jubet. Witechindus secum ducit uxorem Gevam, Danicam; Albro multos nobiles adolescentes, quia cælebs erat. Constituto die sollemni, quod undis sacris tingerentur, ipse Carolus fidejubendo, Witechindo adstat; Gevæ uxori ejus ipsa Regina Fastrada; Albroni et aliis nobilibus, Caroli Principes aliquot, item Præfecti et familiares. Baptismum administrat Lullus, datus olim D. Bonifacio socius, Antistes Moguntinus, qui et eo ipso anno, quo hæc acta sunt, obiit.

Wittekindus clam cum Albione consultat.

Uxor ejus Geva.

25 *Crantzius rursum lib.* 2, *Saxoniæ cap.* 23, *de Wittekindi agit conversione, aitque tradi ab aliis in Bardewico consedisse Regem, cum ad eum ille venit.*

Celebris hæc Wittekindi conversio.

Meminere

Meminere ejusdem conversionis Wittekindi et aliorum Magnatum Saxoniæ, Regino Prumiensis lib. 2, *Chronici, Sigebertus, Adamus Histor. Ecclesiast. c.* 8. *Helmoldus in Chronicis Slavorum lib.* 1, *cap.* 3. *Sed hic non recte anno Caroli* XXXVII *ait contigisse, cum* XVII *acciderit. Fuit autem hujus conversionis tanta ubique lætitia, ut ipse Pontifex Romanus Hadrianus, cui eam Carolus per Andream Abbatem nuntiarat, eam illi per litteras sit gratulatus; triduanasque Litanias, ut Carolus optabat, eo nomine indixerit. In quibus litteris hæc inter cetera scribit Pontifex :* Magis autem inibi, *inquit*, de vestris a Deo præsidiatis regalibus triumphis comperientes, qualiter sævas adversasque gentes, scilicet Saxonum, ad Dei cultum, et suæ sanctæ Catholicæ et Apostolicæ Ecclesiæ rectitudinem fidei perduxeritis, atque Domino auxiliante, et Petri Paulique Apostolorum Principum interventione suffragante, sub vestra eorum colla redacta sunt potestate ac ditione, eorumque Optimates subjugantes, divina inspiratione, regali annisu, universam illam gentem Saxonum ad sacrum deduxistis baptismatis fontem. Unde nimis amplius divinæ clementiæ retulimus laudes, quia nostris vestrisque temporibus gentes paganorum in veram et magnam deductæ religionem, atque perfectam fidem, vestris regalibus substernuntur ditionibus. In hoc quippe freta vestra a Deo fundata existat potentia, quia si, ut pollicita est, fautori suo Beato Petro Apostolo, et nobis, puro corde atque libentissimo animo adimpleverit, maximas ac robustiores illarum gentium suis præcipuis suffragiis vestris substernet pedibus, ut nemine eos persequente, vestris regalibus subjiciantur potentiis, et maximum fructum in die judicii, ante tribunal Christi, de eorum animarum salute offerre mereamini dignissimum munus, et pro amore animarum lucra infinita mereamini adipisci in regno cælesti. *Hinc porro corrigas quod in Chronico Episcoporum Mindensium, studio Joannis Pistorii edito, dicitur, Wittekindum et alios Saxones a* Leone *Papa baptizatos, cum non nisi decennio post* Hadriano *successerit* Leo.

CAPUT V.

Quæ Christianus egerit Wittekindus.

Deinceps Wittekindus pacatus in sua sedit provincia, *inquit Crantzius Saxoniæ lib.* 2, *cap.* 24, Westphaliam solam gubernans. Nam ultra Visurgum provincia et angustiis Wandalorum premebatur, et quod tenuere ditionis Pontifices gubernabant. Armorum insignia, quæ militaribus (ut fit) signis præferebat, pullum equinum habebat atrum : sed placuit Regi, postquam de tenebris gentilium errorum pervenit in lucem veritatis, ut candidum acciperet. *Hæc ille, quæ cum nullius antiquioris confirmet scriptoris auctoritate, ejus fide dicta sunto.* Wedekindus autem, *subdit*, cum Rex illum Carolus baptizatum in sua (ut diximus) provincia gubernare permitteret, ædificato in Anglaria (nunc Angriam vocant) insigni templo, instituto collegio sine fine Deo servientium (quod nunc in Hervordiam ferunt translatum, ibique Dominabus imperitantibus servit) plurimum ipse in Christo devotus religione profecit. Sed erat illi ex magnis caussis cum Geroldo Suevorum Duce atrox bellum, quod varia diu fortuna portrahebatur. Mirum quomodo tam longinquum, ex Suevia in Saxoniam. Sed erant Saxonibus prædia (quod supra ostendimus) in Hercynia, et Suevis in Turingia : unde facile potuit conflari de terminis bellum. Sed eo consumptus periit Wedekindus; Christiano ritu sepultus in ecclesia ejus, quod fundaverat, collegii : ibique aliquamdiu quievit, donec in Padeburnam a filiis transferretur.

Insignia Wittekindi.

Ex variis.

Pietas, sacraque opera.

Mors.

27 *S. Ludgerum Episcopum Monasteriensem (et si nondum fortassis id tunc loco nomen)* consiliis sibi semper intimum fecit, *ut scribit Krantzius Metropol. lib.* 1, *cap.* 5. Plures interea, *ait Joannes Isacius Pontanus Histor. Danicæ lib.* 4, ex Saxonum gente apud Danos Vandalosque latebant, qui Witechindum acerbe oderant, et moris Majorum ac libertatis proditorem nominabant, primum quod suos fasces submisisset Francis, populo superbo et insatiabili; deinde quod abjurasset religionem, et sacra Majorum conculcasset. Hujus factionis Dux erat Thrasico, qui ferro et igne sæpenumero in fines Francorum sæviebat. *Nec dubium quin ea caussa, cum recruduit anno* DCCXCIV, *bellum Saxonicum, multa sit a suis gentilibus perpessus Wittekindus; quæ ille partim suis Francorumque amicorum armis depulit, partim Christiana magnanimitate toleravit.*

Odia in eum reliquorum Saxonum.

28 *Georgius Fabricius Rer. Saxonicar. lib.* 1, *ad annum* DCCCVII *ita scribit :* Witechindus Rex Saxonum ab eo tempore, quo fidem Christo et Carolo Magno dedit, præter omnium opinionem mansit in officio, nec ulla in re, aut consilio aut factis juvit amplius Imperatoris adversarios, neque in ullo postea fuit maleficio deprehensus. Tandem in extrema senectute, bello cum Northardo (seu, ut alii, Geroldo) Duce Suevorum congrediens, eo in prælio fatigatus gravitate armorum, et contentione pugnæ oppetit, in templo a se extructo in urbe Mindensi sepultus, quod cum Henricus I Imp. Valleslebiam, non procul a Brema, transferret, etiam, cineres ejus loco moti sunt, et Paderbornæ repositi, ut Chronicon Cellense habet, qua in urbe Divi honore cultus est. Diem, mensem, annum obitus et translationis, vetustas, locorumque illorum vastitas oblivione obruerunt. *Ita ille. Diem, sive obitus, sive translationis, initio diximus a recentioribus hunc assignari : anno vero alii* DCCCV, *alii* DCCCVII *obiisse scribunt. Quidam* Martyrem *vocant, eique ut* Martyri, *dicata olim templa tradunt.*

Fides ejus erga Carolum.

Inter divos habitus.

NOT. 115.

DE S. REINOLDO MONACHO ET MART.

VII JANUARII.

S. Reinoldi nomen in Martyrologiis.

Reinoldi monachi ac Martyris hodie natalem, aut translationem, varia referunt Martyrologia : quædam MSS. *sub nomine Usuardi, ita habent :* Tremoniæ S. Reynoldi Martyris, viri eximiæ virtutis, cujus gesta habentur. *Martyrol. Coloniense :* Tremoniæ in diœcesi Agrippinensi, Translatio S. Reynoldi Monachi et Martyris. Qui clarissimis ortus natalibus, et in armis strenuus, Coloniæ S. Pantaleonis factus monachus, vita et miraculis clarus, a cæmentariis, quibus a suo Abbate præfectus fuerat, occisus, in lacum projectus est. Unde Domino revelante extractus, Tremoniensibus datus fuit. *Eadem habet Martyrologium Germanicum, eadem fere Galesinius. Addit Molanus in Addit. ad Usuard.* qui ab Archiepiscopo Coloniensi sibi alicujus Sancti corpus dari devotissime postulabant, quo terra eorum reverentior et ab hostibus securior esset. MS. *Florarium :* In Tremonia Translatio S. Reynoldi Martyris anno salutis CDXCV. *At manifestum in hoc annorum numero mendum est. Meminit* S. Rainoldi *Hugo Menardus, (qui* Rainaldum *vocat) et Ferrarius in generali Catalogo SS.*

2 *Arnoldus Wion :* Tremoniæ in diœcesi Agrippinensi, Passio et Translatio S. Reinaldi Monachi et Martyris : qui nobili genere ortus (fuit enim Haimonis viri et Equitis nobilissimi filius) militia sæculari, in qua sibi summum gradum acquisierat, relicta, Coloniæ S. Pantaleonis Monachus factus, vitæ sanctitate et miraculorum multitudine clarus, a nefariis lapicidis, quibus præfectus erat, occisus, in puteum

Coloniæ Monachus fuit.

INCERTO AUCTORE EX MSS.

puteum projectus est: unde post Dei admonitu eductus, Tremoniensibus, ab Annone Archiepiscopo Coloniensi alicujus Sancti corpus sibi dari postulantibus datus est, quo eorum terra reverentior esset, et ab hostibus securior, cujus in honorem insignem construxerunt ecclesiam. *Multa deinde de eo in Notis disputat de ætate, genere, rebus gestis, et vulgatis de eo ejusque fratribus historiis.*

Fabulosi de eo libri.

3 *Fueritne Haymo aliquis Caroli Magni affinis, qui quatuor habuerit filios, fabulosis pridem libris cantatissimos, non est laboris pretium hic disputare; neque an ex eo numero noster hic Rainoldus exiterit. Unum sane doleo vehementer, male feriatorum hominum ineptissimis commentis nobilissimorum virorum Caroli Magni, Oliverii, Rolandi, Adelardi,* Reinaldi *quoque (fortassis hujus) res gestas fœde obscuratas; mirorque toleratos hactenus eos libros, qui Madelgisi, Viviani, filiorumque Haymonis fictitia bella commemorant, ita ad oblectationem legentium ingeniose, ut interim superstitiones varias, ac magiæ studium animis instillent.*

NOT. 116.

Vita unde descripta.

4 *His ergo prætermissis, quæ de* Reinoldi *cæde ac translatione in* MSS. *Rubeæ vallis, Joannis Vlimerii Lovanii ad S. Martinum Canonici regularis viri doctissimi autographo, Antonii Liberi Legenda reperi, hic dabo. Testatur Trithemius lib.* 3, *de viris illustr. Ord. S. Benedicti cap.* 249, *Natalem ejus in Tremonia civitate maxima celebritate agi solitam. Est* Tremonia *urbs Imperialis in Westphalia, vulgo* Dortmundt. *Eam describunt Georgius Brunus lib.* 4, *Theatri urbium num.* 20, *et Pet. Bertius Comment. rer. Germanic. lib.* 3, *ubi et S.* Reinoldi, *cui præcipua urbis dicata basilica est, meminerunt.*

VITA

EX MS. RUBEÆ VALLIS, ET ALIIS.

Summa Dei providentia volens genus humanum, venenosi serpentis illusione obligatum, fidei restituere, Martyres, Confessores, Virgines elegit, qui oves aberrantes ad viam salutis æternæ cognoscendam reducerent. Inter quos beatissimus Martyr Christi Reynoldus, tamquam stella quæ ceteris clarior refulget, emicuit: qui quomodo Deus diligendus esset perfectissime edocuit. *a* Hic siquidem quoniam de Karolidarum stirpe quodammodo primicerius extitit, ejus vitam hic inter eos inserere libuit; quatenus ex ipsius additione clarior appareat; quia virtuosus filius magis nobilitat stirpem suam, quam illa ipsum.

a

Reinoldus genere illustris.

2 Futurus igitur felicissimus Martyr Reynoldus, clarissimis ortus natalibus, paternis prædiis dives, et urbibus, et aliis multis, quæ longum est enarrare, sublimis erat dominiis *b*. At vero patrem ejus Haymonem, virum in rebus militaribus strenuum, quis ignoret? Quatuor hic filios genuit, quorum virtus per orbem maxime celebratur; quia quinam extiterint, per vulgares cantilenas apertissime demonstratur. Sicut autem stella aliqua in claritate superat alias, sic nobilitate morum non solum vicit fratres, sed etiam eos, qui tunc temporis erant, homines. Hic enim a primis annis auctorem vitæ cœpit amare, et quem interius dilexit, plenissime tandem cognescere meruit.

b

Fit monachus.

3 Sapientia itaque Dei illuminatus, reliquit temporalia ut consequeretur æterna, quæ intellexit permanentia. Coloniam igitur veniens monachi habitum induit, atque se totum in ejus amorem, cui servire regnare est, transfudit. Ibi enim virtus divina, quæ diu clausa latuit, per eum virtutes operari mirabiliter cœpit: quia, quod maximum est, gratiam in conspectu Principum invenit. Quid mirum? tantæ siquidem sanctitatis erat, ut amaretur ab omnibus; quem Dominus *c* innumerabilibus coruscum fecit virtutibus. Denique in claustro suo infirmitates curavit, claudis gressum, surdis auditum reddidit, quibusdam etiam cæcis a nativitate visum restituit. Dicitur quoque a multis hominibus id se vidisse attestantibus, quod Dominus mortuum ejus precibus suscitaverit, et matri multum flenti, coram omnibus vivum assignaverit. Puerum etiam quemdam per multos annos febribus laborantem ita sanavit, ut eadem die melius haberet, et ad domum suam, glorificans Deum, cum gaudio remearet.

Claret miraculis.

c

4 Contigit etiam ut populus circumjacentis provinciæ pestilentia infirmaretur, et subita morte mallent damnari, quam æternaliter *d* miserabili peste tormentari. Audientes igitur beati viri famam, miserunt ad eum viros timoratos sanitatem suis corporibus exorare, vel dolorem saltem cum vita finire. Qui cum ad eum venissent, omnes sese illius provolverunt pedibus, multis lacrymis rogantes, ut gentem eorum ab infirmitate pessima liberare dignaretur. Quorum tandem petitioni acquiescens, se in orationem continuo misit, orans devotissime Dominum, ut misericordiam iis præstaret, quibus jam sola mortis imago restaret. Dominus igitur jacentem sanctum virum clementer exaudiens, optatam populo languenti sanitatem contulit: et viros memoratos cum gratiarum actione ad propria remisit. Inde reversi omnes ad patriam unanimiter Deo gratias persolvunt; eo quod per merita dilecti sui salutem corporum recepissent; et pestes, quibus nimis ægre laboraverant, evasissent. Virtutem etiam beatissimi Reynoldi ubique diffamabant: et laudem ad honorem ipsius postea singulis annis decantabant.

Pestem grassantem precibus sedat.

d

5 Vir autem Dei Reynoldus postmodum ex præcepto Abbatis sui lapicidarum magister factus est. Ubi cum plus ceteris laboraret lapicidæ magnam conceperunt adversus ipsum invidiam, et qualiter eum morti traderent, dolosam inter se conspiravere sententiam. Habuit autem servus Dei in consuetudine, monasteria et singulas longe vel prope positas frequentare ecclesias, et eundo pauperibus, qui eum exspectabant, largiri eleemosynas. Quod ubi homines sceleratissimi intellexerunt, incredibilia exinde conceperunt gaudia, quia sceleris jam se adeptos viderunt præmia. Positis proinde pro tempore insidiis, more latronum statuunt illum deprehendere, et inopinata morte perditum, ne tantum scelus appareat, decernunt abscondere. Quorum consilia famulus Dei cognoscens, quasi ad epulas invitatus cœpit ad pœnas currere, et latronibus tamquam amicis se offerens, ut mereretur cælos Martyr ascendere affectabat. Quem viri perditissimi invadentes, malleolis confracto capite cerebrum excutiunt, et vestibus spoliatum in quamdam profunditatem aquæ Rheno vicinam mittunt. Sicque egregius Martyr Reynoldus palmam martyrii invenit: cujus animam cœtus Angelicus cum hymnis et canticis ad cælestia deportavit. Post cujus obitum Abbas cum monachis reliquis fratris sui corpus ubique quæri præcipuit: sed diu per orbem terrarum quæsitum non inveniunt.

Varias visit ecclesias.

Occiditur a lapicidis.

6 Dominus vero, cui digne et laudabiliter serviebat, corpus fidelis famuli sui ulterius latere noluit. Accidit enim ut quædam mulier in lecto ægritudinis per multos annos jaceret; cui nullus medicorum spem salutis promitteret, nisi Pater cælestis hanc potentia suæ virtutis erigeret. Hanc quadam nocte tantus dolor occupavit et opprimere cœpit, ut mortem optaret, et vitam cum dolore finire continuis Deum precibus postularet. Post noctis igitur medium, nimio dolore fatigata, sopore deprimitur: et in eadem dormitione tale somnium vidit. Venit ad eam vir quidam splendidissimus, qui dixit ad illam: Vade ad aquam in qua B. Reynoldus a cæmentariis interfectus est, ibi melius habebis; et locum eidem ostendit. Quæ evigilans hæc se vidisse meminit, et in crastino quæ viderat amicis enarravit: qui statim ad ostensum sibi locum ægrotantem illam præceperunt adferri, ut ibi ab infirmitate sua per merita gloriosissimi Martyris mereretur liberari. Quo cum esset delata, corpus sacrum

Corpus ejus divinitus revelatum, Coloniam defertur.

crum in superficie aquæ apparuit, et mulierem sanitati restituit. Quæ a lecto ægritudinis illico surgens, adminiculo fuit sacratissimum corpus extrahentibus, et in gestatorio, quo deportata fuerat, cum portantibus ipsa portabat illud ad monasterium, ubi vir beatus se fecerat monachum.

7 Inde ubi multum tempus transierat, contigit ut *e* Trotmannensis vicina, id est, Tremonensis civitas, ad *f* Archiepiscopum Coloniensem venit, atque alicujus Sancti corpus, quo terra reverentior atque ab hostibus securior esset, sibi dari devotissime postulavit. Quibus ut satisfaceret, Clerum civitatis ad se vocari præcepit; et ab eis, quem Trotmannis mittere posset Sanctum diligenter investigavit. Qui cum diu dubitarent, Dominus ante ecclesiam in sarcophago beatum Martyrem Reynoldum exposuit, ostendens quia populo *g* noviter converso eum præesse voluit. Adhuc cæca mens hominum dubitabat quid ageret, et quem Dominus satis aperte mittendum innuerat, in ecclesiam reportabant. Cum autem hoc sæpius contingeret, Dominus tandem oculos cordis eorum aperuit, ut apertissime cognoscerent, quod iste ad salvandos populos mittendus esset. Conveniens ergo Clerus cum omni populo, honorifice felicissimum Martyrem Reynoldum capsulæ decenter adornatæ imposuerunt, atque ad Trotmanniæ partes deferendum, turba eum ab urbe Colonia cum innumeris laudibus per tria milliaria prosequente, tradiderunt. In Trotmannorum igitur ecclesiam VII Id. Januar. delatus, dignum ibidem invenit habitaculum; in quo ad se accurrentem benignus patrocinator salvat populum. In qua ecclesia multa per eum Dominus ostendere dignatus est mirabilia, per quæ fecit eum laudabilem, et omni homini in necessitate laboranti desiderabilem. Cæci sunt illic illuminati, leprosi mundati, paralytica etiam membra ad laudem Dei et honorem sancti Martyris consolidata.

e *f* *Tremoniensibus miro modo obtingit.* *g* *Tremoniam deportatur.*

Incerto Auctore Ex mss.

a *Absunt hæc a Joan. Vlimerii* ms. *et Legenda Antonii Liberi. Credo a Joanne Gilmanno vel Antonio Gentio, qui studiose, quos a Carolo Magno ortos putat, aut quoquo modo ei conjunctos, ad Brabantorum laudem commemorat esse addita.*

b ms. *Vlimerii, et Ant. Liberi Legenda:* honoribus.

c ms. *Rub. val.* mirabilibus. d ms. *Rub. val.* insanabili.

e *Witichindus Annal. lib.* 2. *Tremoniam* Throtmanni urbem *vocat. Ad quem locum Henricus Meibomius diploma recitat Caroli Magni datum* IV *Kal. Octob. Indict.* XII, *an. Christ.* DCCLXXXVIII, *regni Caroli* XXI *in* villa Trutmanni, *quo eumdem* Trutmannum *Comitem in illis partibus instituit. Nequidquam igitur Georgius Brunus a* Tormannis *Suevis eam appellationem accersit. Notat Meibomius varie in diplomatis et scriptoribus hoc nomen efferri; dici enim ab Ottone* III Trotmaniam, *a S. Henrico* Druthmanniam, *a Continuatore Reginonis* vicum Droomanni, *Ditmaro,* Trotmunni, *Gobelino* Trotmundam, *Chronico Thuringico* Trudmunde.

f *Is S.* Anno *fuit, ut in Præf. dictum, qui an.* MLV, III *Martii creatus Archiepiscopus Coloniensis obiit an.* MLXXV, IV *Decembr.*

g *Nescio qua fide id dicatur, cum constet aliquot sæculis ante illatam in eas oras Christi religionem.*

DE S. ALDRICO EPISC. CENOMANENSI.

Circiter an. Christi DCCCLVI. VII Januarii. *S. Aldrici natalis.*

Cenomanensis Ecclesiæ Præsul XXII, *memoratur* Aldricus *a Demochare, Joanne Chenu, Claudio Roberto;* XXIII *a Petro Viello infra: Ejus* VII *Id. Januar. Natalem refert Ferrarius in generali catalogo Sanctorum. Andreas quoque Saussayus in Martyrologio Gallicano eodem die:* Apud Cenomanos S. Aldrici Episcopi et Confessoris, qui post Franconem eam Ecclesiam regens eximia cum pietatis, doctrinæ, et ceterarum dotium Episcopalium gloria; *Tempus Sedis.* æmulorum suæ celebritatis machinatione impetitus, sedeque sua deturbatus fuit. At deinde comperta ejus innocentia, Sedis Apostolicæ judicio, Gregoriique IV Papæ præcepto Cathedræ restitutus est. Postquam autem annos XIV Ecclesiam suam magna cum sanctitate et prudentia gubernasset, paralysi affectus, scripta ad Patres Concilii II Suessionensis epistola, sibi et vivo et defuncto orationum Ecclesiæ subsidia humiliter petiit. Quo promisso lætificatus, placido fine in Christo obdormivit, et velut aurum in fornace probatum, vas gloriæ factus, ad aulam cælestem evectus est. *Sed fallitur Saussayus in numero annorum. Nam cum an.* DCCCLIII, *celebratum sit Concilium Suessionense, necesse est saltem usque ad an.* DCCCLIV, *supervixisse: cumque Concilio Aquisgranensi II, an.* DCCCXXXVI, VI *Februarii habito interfuerit; constat minimum* XVIII, *solidos annos sedisse; ut omittam quod in vita n.* 6, *an.* DCCCXXXII, *dicitur Episcopus factus.*

2 *Ejus ex antiquis* mss. *vitam edidisse fertur Joannes Moreau Canonicus Cenomanensis, quam Gallice vertit Petrus Viellus. Ego, quia Latinam consequi hactenus non potui, Gallicam Latine reddidi. Extat tom.* 2, *Concil. Galliæ Gregorii IV, Pontificis Maximi epistola, circiter an.* DCCCXXXV, *data, de* Aldrico *Cenomanensi Episcopo non alibi quam apud Sedem Apostolicam accusando. Fuit idem Aldricus cum Herchinrado Episcopo Parisiensi a Concilio Aquisgranensi II, an.* DCCCXXXVI, *habito, ad Pipinum Regem Aquitaniæ missus. Concilio Parisiensi anno* DCCCXLVI, *Caroli Calvi* VII, *interfuit et subscripsit; et Turonensi IV, anno* DCCCXLIX, *Caroli Calvi* X. *De eodem extat Concilii Suessionensis II, anno* DCCCLIII, *Kalendis Maii celebrati, Canon* IV, *qui ita habet:* Præterea Cenomannicæ urbis Aldricus Episcopus paralysi dissolutus epistolam direxit causam suæ absentiæ insinuans, petensque, ut maxime sibi adhuc viventi, et quandocumque defuncto, sacris precibus opitularentur. Quod exuberantes caritate se facturos omnes promiserunt, et Metropolitano illius, Turonicæ urbis venerabili Episcopo Amalrico, ut ad eamdem urbem accederet, injunxerunt; et quæcumque essent eidem Ecclesiæ proficua, ut strenue exequeretur unanimiter præceperunt. *An sit anno proxime insequenti mortuus Aldricus, non constat. Saltem anno* DCCCLIX, *Concilio apud Saponarias habito subscripsit Rotbertus Cenomanensis Episcopus.*

Vita.

3 *Præter ea quæ passus est S. Aldricus Ludovici Pii tempore, etiam Lothario regnante exagitatus videtur, coactusque sua in Fossatensi cœnobio asservanda deponere; quæ impii quidam homines diripere volentes, cælitus prohibiti sunt, ut infra dicitur* XV *Januar. in miraculis S. Mauri cap.* 7, *S. Liborii corpus Paderbornensi Ecclesiæ, id per legatos petenti, donavit, anno* DCCCXXXVI, *ut* XXIII *Julii ex Auctore coætaneo dicemus.*

VITA.

Aldricus XXIII Cenomanensium Episcopus fuit: antiqua ac nobili prognatus familia, quam proprium quoddam Catholicæ tuendæ religionis, exercitandæque virtutis studium commendabat. Pater Syonius in Gallia ortus, Gerilda mater ex Germanis genus ducebat. A prima ætate ad omnem virtutem ac sapientiam efformatus disciplina ac domestico convictu duorum Cenomanensium Præsulum *a* Franconis I, ac II, quorum eximia probitatis eruditionisque laus celebratur. Hinc ad *b* Caroli Magni aulam a patre est deductus, virtutis omnis bonarumque artium palæstram. Ludovico deinde Pio, non imperii magis quam pietatis ac magnanimitatis paternæ heredi adhæsit. Utrique indolem probavit suam, utriusque celeriter gratiam sibi benevolentiamque conciliavit; ceteris quoque aulicis carus.

S. Aldrici genus. *a* *b* *vita aulica:*

2 Singulari prudentia, vitæ ipse suæ modum ducebat, stabili gradu in præcipiti humanæ consistens felicitatis: quippe quem neque avitæ opes splendorque generis, neque aulæ favor ac dignitas, ab insita modestia ac submissione revocarent. Eo ad res divinas studio ferebatur, ut plurimorum animos tam præclari

Virtutes: *humilitas.*

Ex Gallica Pet. vielli.

præclari consectandi exempli cupiditate inflammaret. Ab ludis aulicisque deliciis alienus, tempore frugaliter sapienterque utebatur; ex consortiis ceterorum suæ eliciens incitamenta virtutis. Nullum ab Ecclesia præscriptum jejunium violavit, nullam sacrarum feriarum neglexit celebritatem. Præcipuæ illi curæ caritatis officia erant.

Consilium mutandæ vitæ.

3 Ab his initiis ad summa sensim nitentem peculiaris divinæ gratiæ instinctus afflavit. Nam cum *c* Aquisgrani, quo plerumque loco Pius Imperator degere consueverat, in templo preces ad Deum insigni animi ardore funderet, urgeri se divinitus sensit, ut humana abdicaret studia, Deique obsequiis totum sese consecraret. Obsecundat igitur divino Spiritui, sed ea moderatione ac prudentia, ut nemo omnium esset, qui mutationem hanc levitati mentis, haud satis rerum mundanarum gnaræ, imputaret. Prius enim quam quod cogitarat aggrederetur, Deum certiora precari institit divinæ suæ voluntatis indicia, ne qua inimici fraude circumveniretur. Nec frustra conceptæ preces. Cælitus confirmata est illius in eo proposito mens.

c

Fit Ecclesiæ Meten. Canonicus.

4 Missionem a Rege postulat, atque ægre tandem impetrat; opimumque in Metensi Ecclesia Sacerdotium, atque alia singula geminis suis sodalibus. Plane induxerat in animum vitam isthic sanctam atque ab omni humanæ conversationis strepitu alienam ducere. Benigne eum honorificeque *d* Gondulphus Metensis Antistes excepit; ac mox explorato ejus proposito, regiisque, quibus prolixe commendabatur, perlectis litteris, Clericorum eum ordini adscripsit. Annum in eo sacrarum functionum tirocinio posuit, ac deinceps sanctioribus sacris initiatum *e* Ecclesiæ S. Stephani Diaconum dixit. Triennium in eo munere exegerat, cum mortuus est Gondulphus, cui *f* Drogo Caroli Magni filius successit. Magno hic Aldricum amore complexus est, et quem præstare ceteris modestia et castimonia didicerat, Sacerdotem consecravit, atque Ecclesiæ suæ Præcentorem constituit. Post quibusdam quasi virtutum gradibus, ad Primicerii dignitatem, totius Cleri consensu et suffragiis, ascendit. Omnibus suam in hoc gerendo munere industriam modestiamque probavit. Nam cum secundum ab Episcopo locum dignitatis teneret, nihil tamen ille aut de morum remisit benignitate, aut ad familiæ ornatum novi adscivit splendoris. Virtus illi auctoritatem, modestia omnium benevolentiam conciliabat. Etiam qui superbia, honorumque cupiditate maxime ardebant, paullum ejus consuetudine usi, ad summissionem animi fluxarumque contemptum dignitatum sensim sese conformatos deprehendebant. Ut quisque arduis negotiis litiumque difficultatibus erat implicitus, ad eum studiosissime concurrebat: nisi opportuno rebus suis consilio instructus recedebat nemo.

d

e

f

Confessarius Imperatoris.

5 Iterum ad aulam eum Imperator accersit, suæque regendæ conscientiæ ei arbitrium credit: quam ad rem non facile aptiorem poterat in Gallia universa reperire. Tantum hic auctoritate apud omnes ordines valuit, ut eum ceu Patrem omnes revererentur. Neque patrisfamilias major esse in sua instituenda, regenda, formanda ad virtutem, idoneis emolumentis augenda familia sollicitudo ac industria potest, quam erat Aldrici in palatii domesticis ac clientibus fovendis studium. Non adulabatur ille cuiquam, non quæ peccarentur dissimulabat. Regem ac Magnates absque ulla personarum acceptione libere admonebat. Ipsi vero omnia æquissimis animis accipiebant. Tanta ejus verbis gratia inerat, insigni condita gravitate, quæ Pontificem, quæ Dei Regum Regis ac Domini dominantium Vicarium deceret.

Episcopus Cenomanensis,

6 Interea Franco junior e vivis excedit. Successor ei ab Rege datur Aldricus, Proceribus Cleroque Cenomanensi consultis. Ab Archipræsule Turonensi *g* Landrano XI Kalend. Januar. an. DCCCXXXII Episcopus consecratur. Insigni nobilium virorum comitatu ad suam urbem Ecclesiamque deductus, tanta populi ac Cleri alacritate atque amore susceptus est, ac si missus e cælis Angelus adesset. Ipse eum haud multo post Ludovicus Pius Imperator invisit: ab eo atque Optimatibus provinciæ Cenomanicæ summo honore acceptus, octiduo isthic substitit, atque interea possessiones quasdam ejus prædecessoribus ereptas restituit, inter quas *h* Villæ-novæ Dominium censetur. Adeo illi grata Antistitis populique in se studia ac publici plausus acciderant.

g

h

Præclara ejus opera: Aquæductus.

7 Animum mox ad basilicarum urbisque ornatum adjecit Aldricus. Cum ergo cives videret aquæ penuria conflictari, quam foris in urbem importari, pretioque redimi oportebat: tantum industria magnificentiaque promovit, ut subterraneis aquæductibus e longinquo in urbem aquæ derivarentur, atque ante ipsam sacram ædem copiose effluerent, ubi haud modico sumptu insignem illum fontem erexit, qui etiamnum *i* S. Juliani appellatur. Tum vero ut Canonici tanto ecclesiæ viciniores, nec vulgo permixti, habitarent, ædificia satis, ut tum usus habebat, opportuna construxit: adhuc locus nomen retinet, ut Claustrum Canonicorum dicatur. Quid, quod communem eis convictum aut præscripsit, aut persuasit? Ædificatam olim a S. Juliano basilicam ætate nonnihil labefactatam restauravit: sed quod angustiorem cerneret, quam ut tantam hominum multitudinem, quæ certis temporibus precum fundendarum, votorumque persolvendorum gratia concurrit, capere posset, novum ipse templum magnis impensis ædificavit, quod nunc S. Juliani chorus nuncupatur, quia in illud transtulerit Aldricus S. Juliani Confessoris reliquias, ex *k* Pratensi cœnobio, ubi antea fuerant sepultæ. Propter illustre hoc depositum, S. Juliani nomine eam basilicam insignivit, quæ primum Virginis Deiparæ fuerat honori consecrata, deinde sanctorum Martyrum *l* Gervasii ac Protasii. Facta hæc est Translatio anno Christi DCCCXXXIV, *m* VIII Kal. Augusti. Ad *n* Sartam deinde flumen vico Berullo, insigne condidit monasterium, atque amplo censu dotavit, ad virorum religiosorum sustentationem. *o* S. Vincentii cœnobium, bellorum injuria Præsidumque negligentia fœde collapsum restituit. Domum Pratenses monachos revocavit, quos fugarat metus *p* Normannorum, adversus quos tum Cenomanorum Comes bellum gerebat.

i

Claustrum et convictus Canonicorum.

S. Juliani ecclesia et translatio.

k

l

m

n

o

Monasteria restaurata.

p

8 Non potuit tamen, quem cœperat, cursum tranquillum ac pacatum tenere. Nam cum improbi homines *q* Ludovici Pii liberos adversus patrem concitassent, qui Pii partes tuebatur, ejectus de Sede sua est Aldricus. Occupato Episcopatu, universas ejus facultates sacrilegi homines diripuere, nec a templis quidem ac monasteriis nefarias manus abstinentes. Nullum extorri perfugium patebat, nisi ad sanctissimum Patrem, supremumque omnium Antistitem, Papam Romanum. Ab hoc benigne acceptus, ejus præcipue nixus præsidio in Galliam tutus rediit, Ecclesiam patrimoniumque recuperavit: conductis fabris, quæ factiosi impiique homines convellerant, reparavit.

q

Ejectus, per Pontificem restituitur.

Crucifixi statua illustris.

9 Inter magnifica ejus opera Jesu Christi cruci affixi statua eminebat argentea, auro eleganter oblita, quæ ad nostram usque ætatem est asservata, magna populorum religione, donec scelerati quidam homines, vipereo semine eorum qui Aldricum olim impugnarant exorti, augustum hoc monumentum rapuerunt, confregerunt, profanarunt, cum aliis sacrorum locorum reliquiis: illustre documentum, non aliter erga mundi Salvatorem esse animis affectos, quam isti ipsorum majores extitere, titiones tartarei, qui nunc æternis inferni flammis exuruntur.

Miraculis claret Aldricus.

10 Aldrici ea demum pietas fuit, ut miraculis vivus sit a Deo cohonestatus. Nam cum ædem S. Juliani dedicaturus sacrum officium perageret, ægri complures, vespertinarum precationum tempore, integram

gram sanitatem recuperarunt, interque eos claudus gradiendi facultate donatus. Postridie, matutinarum tempore, surdus auditum consecutus est : alius a primo suo ortu mutus loqui ac collaudare Deum cœpit : energumenus ab infami hospite liberatus : cæcus, dum Missæ sacrificium Aldricus offerret, visum recepit. Quæ non tam S. Juliani meritis, quam Aldrici precibus tribuenda sunt ; testante Deo quam sibi doctrina ejus ac vita, tot piis sanctisque operibus cumulata, placerent. Tandem cum quatuor et viginti annis diœcesim suam sancte ac feliciter administrasset, *r* lenta febri exaustus obiit, sepultusque est VIII Januarii in D. Vincentii templo, ac vitam cœpit vivere cum Christo beatam ac immortalem, cui sempiternus sit honor et gloria, Amen.

Ex variis.

a Franconem I *ait Claudius Robertus sedisse annis* XXII, *mensibus* III, *diebus* III. Franconem II, *annis* XVI, *mens.* V, *dieb.* XV, *unde sequeretur, non potuisse a* Francone II, *institui* Aldricum, *ac deinde ad Caroli Magni aulam venire ; nisi vel post* Franconis *mortem diu vacasse Sedem dicamus, vel certe ab eo institutum vivo etiamtum* Francone I.

b *De eo* XXVIII *Januar. obiit an.* DCCCXIV.

c *Celebris in Gallia Belgica urbs, inter* Coloniam *et* Trajectum Mosæ.

d *Obiit Gondulphus anno* DCCCXXIII.

e *Ea est Cathedralis.*

f *Drogo Caroli Magni filius naturalis, sub canonico habitu nobilissime vivens, unanimi Cleri ac populi consensu electus est Episcopus, eodem anno.*

g *Aliis etiam* Lantrannus, *et* Landrannus *dicitur. Numeratur inter Missos Dominicos Ludovici Pii, post Concilium Attiniacense ann.* DCCCXXII *habitum. Iterum in Capitulari III, anno* DCCCXXVIII *capitulo I, nominatus reperitur, et in Conc. Parisiensi* VI *an.* DCCCXXIX, *ac tandem in depositione Ebbonis ad Theodonis villam.*

h *Vicus est ad lævum Sartæ fluvii latus, supra Cenomanorum urbem.*

i *S. Juliani vitam dabimus* XXVII *Januarii.*

k *Vulgo id cœnobium S.* Juliani de Prato *dicitur : est monialium Ordinis S. Benedicti.*

l *Coluntur* XIX *Junii.*

m *Eo die adnotatur ea translatio in Martyrologio Germanico, et Usuardi aucto a Carthus. Colon. itemque in edito Parisiis an.* MDXXXVI.

n Sarta *Alençonium, post Cenomanorum urbem alluit ; ac deinde Meduanæ permistus in Ligerim se exonerat.*

o *Est id juxta urbem ; nunc congregationis Casalensis, ut testatur Cl. Robertus.*

p Normanni *circa S.* Aldrici *ætatem maritimas Galliæ provincias infestarunt, ut videre est apud du Chesne in Normannicis.*

q *Id anno* DCCCXXXIII *contigit.*

r *At supra dictum est paralysi confectum ; nisi, quia ea fuisse videtur diuturnior, febris etiam accesserit.*

DE S. ANASTASIO SENONENSI ARCHIEP.

CIRCITER AN. DCCCCLXXIX. VII JANUARII. *S. Anastasii natalis.*

Senonensis in Gallia Archiepiscopus LX *memoratur a Claudio Roberto, Joanne Chenu, et Democharе,* Anastasius. *Hunc Andreas Saussayus in Supplemento Martyrologii Gallicani inter Sanctos connumerat, his verbis :* Apud Senonas S. Anastasii Episcopi et Confessoris, sanctitatis et abstinentiæ exemplis ac meritis clari.

Abstinentia, aliæque virtutes.

2 *De eo hæc tradit anonymus monachus S. Mariani in sua chronologia :* Archembaldo mortuo eligitur Anastasius vir Deo dignus. Hic miræ sanctitatis et abstinentiæ fuit, vigiliarum amator continuis, et eleemosynarum distributor largissimus. Clericorum nutritor, monachorum potissimum venerator. Hic ab illo die quo Sacerdotium sumpsit usque ad finem vitæ carnem non comedit, nec indutus est lino, sed semper usus est cilicio. Huic B. Savinianus apparuit comminans et contestans, ut ecclesiam S. Petri restrueret. Tunc sanctus Præsul locum sanctum reparare cœpit, monachos revocare, terras prædiaque redimere. Ecclesiam quoque S. Stephani perfecte reparasset, nisi citius ex hoc mundo migrasset. Qua nocte autem obiit, cuidam germanæ ipsius sanctimoniali in monasterio S. Faræ Angelus Domini apparuit, dicens : Sciatus hac nocte S. Anastasium ad Dominum migravisse ; surgite itaque et hymnos Domino decantate. Quæ surgentes et diem notarunt et horam, et ita invenerunt factum, sicut ab Angelo fuerat nuntiatum. Post S. Anastasium Sevinus præfuit, vir Deo devotus. *Ita ille ; ac paullo post :* Hic jacturam monasterii S. Petri vivi, quam Anastasius prædecessor suus relevare cœperat, in pristinum restituit statum. *Est monasterium hoc longe antiquissimum, vulgo* S. Pierre le vif, *et* S. Pere. *De eo* XXVI *Augusti in vita* S. Ebbonis, *et alibi agemus.*

Mors ab Angelo alibi nuntiata.

Publica opera.

3 S. Savinianus *sive* Sabinianus, *Senonum Apostolus, celebratur in Martyrologio Romano* XXXI *Decembris ; nos de eo agemus* XIX *Octobris.* S. Stephani *Metropolitana ecclesia, quam* Anastasius *reparare cupiebat, incensa et eversa erat sub* Archembaldo, *restaurata a* Sevino. *De* S. Faræ *nobilissimo monasterio agemus in ipsius vita* VII *Decembris.*

4 S. Anastasium *sedisse ait Cl. Robertus annos* X, *mensem* 1, *dies* XIII, *obiisse anno* DCCCCLXXVIII. *Sed ut sibi constet, cum dicat decessisse* Archembaldum *anno* DCCCCLXVIII *intelligenda hæc sunt veteri more Gallicano, quo annum a Paschate auspicabantur ; atque ita ordinatus dicetur* Anastasius *anno* DCCCCLXVIII, *die* XXIV, *vel* XXV *Novembris, obiisse* VII *Januarii an.* DCCCCLXXIX, *qui tum usque ad Pascha censebatur* DCCCCLXXVIII.

DE BEATO VITALE ABBATE SAVINIACENSI.

CIRCA AN. CHR. MCXX. VII JANUARII. *Vitalis natalis.*

Vitalis Abbatis Saviniacensis natalem hodie refert Chrysostomus Henriquez in Menologio Cisterciensi his verbis : Savigniaci in Gallia B. Vitalis Abbas, qui virtutibus et miraculis celebris e vita discessit. *Andreas Saussayus in Martyrol. Gallicano, eodem die :* Pio hodie exitu decessit venerabilis memoriæ Vitalis Abbas Savigniaci Ord. Cisterc. virtutibus et signis egregie decoratus. *Et quidem solum inter Pios, quibus nullus adhuc publicus decretus sit cultus, connumerat Vitalem Saussayus. At solemniter ab Episcopis elevatum ejus corpus, indubie ad aliquam venerationem, testatur Hugo Menardus, qui Kalendiis Maii ista habet in suo Martyrologio :* In territorio Abrincensi elevatio Sanctorum Saviniacensium, nempe Vitalis, Gaufridi, Guillelmi Abbatum, Petri et Hamonis monachorum. *Libro deinde* 2 *Observationum ista scribit :* Horum beatorum Abbatum et monachorum Saviniacensis cœnobii corpora honorifice elevata sunt, et reposita in quodam loco ejusdem cœnobii, ab Episcopis Cenomanensi, Abrincensi, et Redonensi : in cujus memoriam fit quotannis in eodem cœnobio solemnis processio Kalendis Maii. *Subdit deinde de singulis plura. Andreas Saussayus eodem die illius translationis meminit, sed* Vitalis *nomen omittit. Est* Saviniacum, *sive, ut infra vocatur,* Savineium, *vulgo* Savigny, *in confinio Normanniæ, Britanniæ, Cenomaniæ, et Andium, situm, ut testatur Cl. Robertus, unde hæc translatio a vicinis Episcopis facta,* Rhedonum, *vulgo* Rennes *in Britannia,* Cenomanorum, et Abrincatum *in Normannia, vulgo* Auranches, *cujus et diœcesi continetur cœnobium ; conditum, ut ait Menardus, ann.* MCXII. Radulpho Barone Fulgeriarum *ad id facultates suas conferente.*

Translatio.

2 *De hoc fortassis* Vitale Abbate *agit* MS. *Florarium*

Ex variis. XXIX *Januarii, his verbis :* Ipso die B. Vitalis Abbatis. *Et Carthus. Colon. in Addit. ad Usuardum*, Vitalis Abbatis. *Ejus vitam breviter describit Ordericus Vitalis lib.* 8 *Ecclesiasticæ histor.* Venerandus Vitalis, qui quondum fuerat Roberti Comitis Moritolii Capellanus, et apud Moritolium S. Ebrulfi Canonicus sæcularium curarum ac divitiarum depositis oneribus, leve jugum Christi per Apostolorum vestigia ferre decrevit, et in desertis locis aliquamdiu cum religiosis quibusdam habitavit. Ibi mollioris vitæ pristinas consuetudines edomuit, et rigidioris observantiæ cultus edidicit. Denique Savineium vicum, ubi antiquorum ingentes ædificiorum ruinæ apparent, consideravit, sedemque sibi suisque ad habitandum elegit, et in contiguo saltu monasterium in honore sanctæ et individuæ Trinitatis condere cœpit. Ritus Cluniacensium, vel aliorum qui monachilibus observantiis jamdudum mancipati fuerant, imitatus non est; sed modernas institutiones neophytorum, prout sibi placuit, amplexatus est.

Vita ex Orderico.

Pœnitentiæ vacat.

Monasterium construit.

3 Hic eruditione litterarum erat apprime imbutus, fortitudine ac facundia præditus, et ad proferendum quidquid volebat animosus : non parcens in populari sermone infimis nec potentibus, quasi tuba exaltabat vocem suam, juxta Isaiæ vaticinium, annuntians populo Christiano scelera eorum, et domui Jacob peccata eorum. Reges igitur Ducesque reverebantur illum. Plures turbæ manicabant ut audirent verba ejus : quæ postmodum auditis ab illo latenter olim actis facinoribus, lugubres et confusæ redibant a facie ipsius. Omnis ordo intrinsecus pungebatur ejus veridicis allegationibus. Omnis plebs contremiscebat coram illo ad correptiones ejus, et uterque sexus rubore infectus verecundabatur ad improperia illius. Nuda quippe vitia manifeste premebat, et occultorum conscios probrosis redargutionibus stimulabat. Sic nimirum superbos athletas et indomitos vulgi cœtus plerumque comprimebat, atque locupletes heras Sericis vestibus, et Canusinis pellibus delicate indutas trepidare cogebat, dum verbi Dei gladio in scelera sæviret, et spurcitiis pollutas conscientias valde feriret, grandisonoque divinæ animadversionis tonitruo terreret. Solers itaque seminiverbius multis profuit, multos secum aggregavit.

Prædicat magno fructu. Isa. 58. 1.

Occulta peccata aperit.

Pie moritur.

4 In cœnobio, quod construxerat, per annos VII Deo militavit, et usque ad bonum finem bonæ vitæ permansit. In Oratorio post aliquantam ægritudinem, in qua fideliter confessus fuerat, et sacræ Communionis viaticum devote perceperat, ad matutinos de sancta Virgine Maria Lectori poscenti benedictionem dedit, et a cunctis qui aderant dicto, Amen, mox spiritum exhalavit. Quo defuncto Bajocensis Goisfredus, ac Cerasiacensis monachus successit, qui et ipse immoderatis adinventionibus studuit, durumque jugum super cervices discipulorum aggregavit. *Hæc Ordericus.* Robertus *ille* Moretolii Comes *frater uterinus fuit* Guilielmi I, *Angliæ Regis, ut idem refert Ordericus lib.* 7, *S.* Ebrulphus, *in cujus Ecclesia Canonicus fuit* Vitalis, *colitur* XXIX *Decembris. Ordericus instituti Cisterciensis sectatores* neophytos *vocat; in quos, uti et plures alii monachi sub ipsa Ordinis initia, haud satis æquus fuit.* Goisfredus, *sive* Gaufredus, *ut eum vocat Saussayus, aut* Gaufridus *ut Menardus, antea monachus fuerat in monasterio S.* Vigoris de Cerasayo, *vulgo* Cerisy, *in diœcesi Bajocensi.*

5 *Guillelmus Neubrigensis lib.* 1 *de rebus Anglic. cap.* 15 *de* Vitale *quoque ista scribit :* In transmarinis partibus, sicut a majoribus accepi, tres memorabiles viri uno tempore fuere, scilicet Robertus cognominatus de Arbusculo, Bernardus, et Vitalis. Hi non ignobiliter eruditi et spiritu ferventes circuibant per castella et vicos, seminantesque secundum Isaiam super omnes aquas, de conversione multorum fructus uberes colligebant, pio inter se placito constituto, quod Robertus quidem feminarum communi labore ad meliora conversarum sollicitudinem gereret, Bernardus vero et Vitalis maribus propensius provideret. Robertus itaque famosissimun illud monasterium feminarum de Fonte Ebraudi construxit, et regularibus disciplinis informavit. Bernardus vero apud Tyrocinum, et Vitalis apud Saviniacum Monachis regulariter institutis, suos quisque ab aliis per quasdam præceptorum proprietatis distinxit. Cumque ex his tribus quasi radicibus servorum atque ancillarum Dei per diversas provincias religiosa germina pullularent, quidam Saviniacenses monachi Bellelandam nostram condiderunt. *Paullo deinde inferius ait, Saviniacenses per cujusdam Abbatis religiosam instantiam in ritus Claravallenses transiisse. Imo Menardus Constitutiones a Vitale ad similitudinem Cisterciensium conditas testatur.*

Bernardus de Tironio, et Robertus de Abresello, ejus socii.

Isa. 32. 20.

Monasteria singuli struunt.

6 *De* Roberto de Abresello, *vel* Abrissellis, *vel ut hic vocatur* Arbusculo, *agemus* XXX *Augusti; ubi et de celeberrimo monasterio* Fontis Ebrardi, *aut ut hic dicitur,* Ebraudi. *De* Bernardo, *et monasterio* Sanctæ Trinitatis de Tironio, XIV *Aprilis.* Bellelanda *monasterium fuit in diœcesi Eboracensi, vulgo nunc* Biland, *unico milliari distans a* Neuburgensi, *in quo Guilielmus Neubrigensis se a puero educatum scribit.*

DE S. CANUTO LAWARDO

REGE OBOTRITORUM DUCE SLESWICENSI.

§ I. *Canuti genus, sanctitas.*

Anno MCXXXIII. VII Januarii. *S. Canutus nepos alterius S. Canuti.*

Duo fuere Canuti *Reges, in Sanctorum numerum publica Ecclesiæ auctoritate relati : prior tabulis Romani Martyrologii ad* VII *Id. Januarii inscriptus, colitur* X *Julii, quo die ejus dabimus vitam; alter hoc die coli, rursumque* XXV *Junii, ab Ecclesia Sleswicensi aliisque consuevit. Prioris hic nepos ex fratre, non filius fuit, ut existimavit Baronius, qui ad an.* MCLXIV *num.* 30 *scripsit* Valdemari *patrem hunc juniorem, avum alterum seniorem* Canutum *extitisse.*

2 *Genus* Canuti *utriusque fusius Danicarum rerum Scriptores deducunt : nobis sat fuerit verbo indicasse; quo melius, quæ mox dicentur, queant intelligi.* Canuti Magni *(qui Angliam subjugavit, atque Ethelredi Regis viduam, S. Eduardi matrem, Emmam uxorum duxit, ut* V *Janu. in Eduardi vita narratum est) illius, inquam,* Canuti *sorore* Esthryta, *sive* Estride, *natus est* Sueno, *cognomento* Esthritius, *post* Magnum *Norvagum S. Olavi filium, Daniæ Rex. Nullam is e legitimo thoro prolem suscepit, filios multos habuit naturales, e quibus omnino quinque post eum Daniæ Reges fuerunt,* Haraldus, *S.* Canutus *Martyr (B. Caroli Boni Flandriæ Comitis et Martyris, de quo* II *Martii, parens)* Olavus, Ericus Bonus, Nicolaus. Erici Boni *filius fuit S.* Canutus. Nicolao *Daniæ Rege (cujus filius* Magnus *S.* Canutum *occiderat) a Jutis in ultionem illius cædis interfecto, regnum obtinuit* Ericus Emund, Erici Boni *filius nothus, qui* Magnum *fratris sui S.* Canuti *interfectorem bello vicit peremitque.* Erico *successit* Ericus Lam, Annæ *sororis filius; huic* Sueno *natus* Erico Emundo, *Eschylli interfector, qui a suis coactus regni consortes admittere* Canutum Magni *filium,* Nicolai *nepotem, et* Waldemarum S. Canuti *filium,* Erici Boni *nepotem,* Canutum

Ejus genus.

tum *dolo peremit; a* Waldemaro, *cui insidias quoque struebat, prælio victus occisusque est. A* Waldemaro *prognati, ad plura deinde sæcula Daniæ imperitarunt. De S.* Canuti *genere satis : nunc de publica ejus ad aras veneratione.*

Nomen in Martyrologiis.

3 *Molanus in Addit. ad Usuardum,* VII *Januarii :* Ipso die S. Canuti Ducis Daciæ et Martyris, filii Erici Regis, qui passus est anno MCXXX. *Martyrolog. Coloniense :* Eodem die S. Kanuti Ducis et Martyris. *Carthus. Colon. in Addit. ad Usuard.* Item Kanuti Ducis Slaviæ Martyris, filii Regis Daciæ. *Martyrologium Germanicum :* Sancti Martyris Canuti, Slavorum Ducis, filii Regis Daciæ, sub Alexandro III, canonizati. Passus est ann. MCXXX, MS. *Florarium :* Kanuti Ducis et Martyris. *Petrus Galesinius :* Hoc item die S. Canuti Ducis Slaviæ Martyris, qui Alexandro III Pontifice relatus est in Sanctorum numerum. *Ferrarius pridie, id est* VI *Januarii eum refert his verbis:* Apud Roschildiam in Dania, S. Kanuti Ducis et Martyris. *Monet deinde in Notis, S.* Kanutum *Regem hujus patruum alio die occisum, sed pro Duce videri mendose relatum hoc die. De Translatione infra agemus.*

4 *In Breviario antiquo Ecclesiæ Sleswicensis, hæc in festo* S. Canuti *recitatur Oratio :* Deus, in cujus fide gloriosus Dux Kanutus firmiter incedens, vitæ innocenti violenter subtrahitur; præsta quæsumus, ut sicut ipse immeritæ morti addicitur, mortem quam meruimus, ejus meritis ac precibus evadere mereamur. Per Dominum, *etc. Alia in die Translationis, quam post dabimus, in eodem extat Breviario. Miretur fortasse quispiam cur* Martyr *dicatur* Canutus *in citatis Martyrologiis et aliis infra, cum nec fidei nec justitiæ caussa, licet innocens, sit interfectus. Verum alii quoque haud pauci, qui ab improbis hominibus nefarie erant occisi, Martyres habiti sunt, ut suis locis ostendemus. Et fuit, virtutis exercitatio, favorque Numinis caussa odiorum* Magni *adversus* Canutum, *uti adversus Abelem Caini.*

Cur Martyr dictus.

§ II. *S. Canuti regnum, Ducatus.*

Qui Slavi et Obotriti.

Obotriti, Venedi, Slavi, *Boreales Germaniæ provincias ad mare Balthicum occuparunt, ab Orientali plaga trans Viadrum Vistulamque progressi; sive desertas, Suevis Vandalisque in extera profectis; seu potius pulsis, subjugatisve et in unam secum gentem redactis incolis. Universim* Slavi *omnes dicti; eratque eadem omnibus lingua, qua nunc Bohemi, Moschi, Rutheni, Poloni, Croatæ, atque alii, sed in variam dialectum deflexa utuntur.* Slavorum *porro horum ad Septemtrionem Germaniæ, plures recensentur populi sive ex iis ante gens coaluerat universa, sive una in plures dissecta est dynastias : Duces certe ac Reges iis varii imperarunt.* Obotriti *præcipue Mecklenburgicam ditionem, ac Wagriam quoque tenuerunt, a vestibus versicoloribus, ut quidam scribunt, adepti nomen.* Slavorum *proprio nomine, quod erat alioquin omnibus commune, se ferebant ii qui Pomeraniam Marchiamque Brandenburgicam colebant.* Vandalis, *qui vulgo* Wenden, *unde orta nomenclatura, haud satis inter Auctores constat. De ea disputat Hadrianus Junius in sua Batavia cap.* 21. *Joannes Angelius Werdenhagen in suis rerum Hanseaticarum commentariis parte* 3, *cap.* 9, 10, 22, 23, *etc., varias enumerat* Vandaliæ *civitates, quæ hoc tempore ad Mecklenburgi Pomeraniæque Ducatus spectant. Hæc carptim ex præcipuæ auctoritatis Scriptoribus attulimus (quæ alii, qui de gentium migrationibus agunt, fusius distinctiusque exponunt) ut, quia S.* Canutus Slaviæ Dux, Obotritorum Rex *ac* Wandalorum *dicitur, quibus præfuerit populis intelligatur. Ab eo certe orti Daniæ Reges, ad hanc usque ætatem se* Wandalorum *Reges scribunt, ut etiam superiore sæculo animadvertit Krantzius lib.* 3 *Vandaliæ cap.* 30.

S. Canutus Rex Obotritorum.

6 Slavorum *Principatum, mortuo* Henrico Godescalci *et* Siritæ (*quæ* Canuti *amita erat*) *filio, ut vivens stipulatus erat* Henricus, *adiit* Canutus, *ac* Regis Obotritorum *titulum accepit a* Lothario II, *qui post Henrici V obitum an.* MCXXV, *imperare cæpit. At Ducatum Sleswicensem antea a* Nicolao *patruo emerat* Canutus, *virtutis exercendæ materiam, dum ad fines Daniæ perennes agere excubias contra* Slavos *ac* Saxones *hostes perpetuos cogeretur.*

Ex variis.

Dux Sleswicensis.

7 *Est Sleswicensis Ducatus Jutiæ meridionalis provincia, cujus caput* Sleswicum *civitas Episcopalis, quæ* Haiteby *olim, aut* Hedeby, *ab Hetha Regina dicta. Ita Ethelwerdus Anglus lib.* 1 *Chronic.* Porro Anglia vetus sita est inter Saxones et Giotos, habens oppidum capitale, quod sermone Saxonico Sleswic nuncupatur, secundum vero Danos Haithaby. Sliestorffium *quoque dicta reperitur. Urbs olim fuit opulenta ac populosa. A Slia amne, aut sinu maris, nomen accepit.* Nam Sinus maris, *ut Joannes Adolphus Cypræus vir optimus, mihique, dum viveret, amicissimus scribit Historiæ Slevic. cap.* 2, seu partes littorum propter excursus maris incurvæ, a nautis *Danis* ein wick nominantur. Et Saxo lib. 7, portum Herwig, Latine Exercituum sinum interpretatur his verbis : Hako in portum, qui Danice Herwig, Latine Exercituum sinus dicitur, classe collata militem exponit. *Plura ejusmodi locorum vocabula passim occurrunt, quæ* wick *syllaba terminantur, ut* Kentwick *vel* Kentavicum *emporium in Belgica ad ostium* Quantiæ, *sive* Canciæ, *fluminis; quod nomen non recte quidam a* vico *Latina voce deflectunt, quasi* vicus ad Quantiam *dicatur, cum emporium fuerit ad* sinum Quantiæ.

Quid wyck.

Ut a patruo Nicolao Canutus, *ita Holsatiæ Duces (quibus Wagria, et pars Obotritorum Saxonumque, Osterlingorum, sive Ostvalorum, ditionis paret) a Daniæ Regibus etiamnum in feudum accipiunt Sleswici Ducatum.*

§ III. *Qui Canuti gesta scripsere.*

Scripsere de S. Canuto; Helmoldus,

Res gestas S. Kanuti *varii descripserunt. Proximus ævum ejus attigit* Helmoldus, *discipulus, ut ipse fatetur,* Geroldi *primi Lubecensium Episcopi, qui creatus est anno* MCLXIII, *Episcopatu Aldenburgensi tum Lubecam translato : is erat annus ab obitu S.* Kanuti *trigesimus, ut scribit* Albertus *Abbas Stadensis cœnobii B. Mariæ Virg. Ordinis S. Benedicti, qui relicta Abbatia Ordinem S. Francisci ingressus est. Hic in Chronico, ad annum* MCXXXIII, *et sequentem, eisdem verbis, quibus Helmoldus, describit vitam S.* Kanuti, *pauculis hinc inde omissis. Brevius eadem referuntur ex Helmoldo descripta in Chronicis Slavicis incerti auctoris, studio Erpoldi Lindebrogii editis, capit.* 17. *Texitur hoc Chronicon ad annum* MCCCCLXXXVIII, *quo auctor vixit : Favent hic auctores* Wandalis *seu* Slavis, *et S.* Kanuti *apud eos gesta præcipue attingunt. Danica studiosius descripsit* Saxo Grammaticus, *Danus ipse ex Sialandia oriundus, Roschildensis Ecclesiæ Præpositus, qui floruit circiter annum* MCC.

Albertus.

Chronic. Slav.

Saxo Grammaticus.

9 *Nos duplicem vitam damus, alteram ex* Helmoldi *Chronico, alterum ex historia* Saxonis *decerptam. Helmoldo præfigimus lectiones Officii Ecclesiastici de S.* Kanuto *hoc* VII *Januarii in diœcesi Sleswicensi olim recitari solitas, ex antiquo ejusdem diœcesis Breviario descriptas : Saxoni vero subnectimus, quæ ex variis de S.* Kanuti *in Divos relatione, corporisque elevatione et translatione collegimus, demum et lectiones alias* XXV *Junii recitari solitas ex citato Breviario.*

Vita S. Canuti.

10 *Præter citatos scriptores, incertus auctor historiæ compendiosæ Regum Daniæ ex* MSS. *studio Lindebrogii editæ de* Nicolao *patruo S.* Canuti *agens, sic scribit :* Nicolaus quintus Suenonis filius. Huic erat filius, nomine Magnus ex uxore Margaretha filia Regis Sueciæ, homo crudelissimus et impius, qui etiam interfecit S. Canutum Martyrem et Ducem, ipsius quoque fratrem Haraldum. Iste Nicolaus bello superatus ab Erico Emund, occiso Magno filio fugit ad Sleswicum,

Alii scriptores.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ex variis. cum, ubi a Jutis interfectus est in ultionem Canuti Ducis, qui erat Jutis carissimus, anno Domini MCXXXV.

11 *Ejusdem a Magno occisi meminerunt Annales ab anonymo circiter an. Christ.* MCCLXXXVIII, *conscripti, ab eodem Lindebrogio editi. Liber item cantilenarum Danicarum, Chronicon Holsatiæ, et Chronologicum de rebus et origine Regum Daniæ collectaneum auctore, ut volunt, Erico Pomerano Daniæ Rege. Hoccitat* Joannes Isacius Pontanus *lib.* 5, *historiæ Regum Daniæ in Nicolao Rege* LXXI, *illa* Joannes Adolphus Cypræus *in Annalibus Episcoporum Sleswicensium cap.* 21 *et* 23. *Quibus locis uterque egregie laudat S.* Kanutum, *ejusque vitam et cædem describit. Hujus etiam patruus* Hieronymus Cypræus *hanc historiam illustrat in suis ad Helmoldum annotationibus, quas non nisi a nepote citatas legimus.*

12 *Ad antiquiores redeo. Fusissime acta S.* Kanuti *describit* Albertus Krantzius *Hamburgiolim SS. Theologiæ Professor et Collegii Canonicorum Ducanus, qui anno Christi* MDXVII, *e vivis decessit. Hic lib.* 3, *Wandaliæ cap.* 27 *et sequentibus decem, et lib.* 5, *Daniæ cap.* 1, 4, 7 *et sex sequentibus præclare S.* Kanutum *depingit, in Danica historia secutus Saxonem, in Wandalica Helmoldum et Albertum Stadensem. Meminit ejusdem lib.* 5, *Saxoniæ cap.* 28. *et lib.* 6, *cap.* 2, 3 *et* 4. Krantzio *succedit* Joannes Magnus, *Olai Magni frater, Archiepiscopus Upsalensis in Suecia, qui anno Christi* MDXLIV *Romæ diem extremum clausit. Hic in historia Gothorum et Sueonum, (quibus Magnus, S. Kanuti interfector, Rex præfuit) lib.* 18, *cap.* 14 *et* 16, *obitum ejus narrat, et canonizationem lib.* 19, *cap.* 7, *et lib.* 2, *de vitis Archiepiscoporum Upsalensium in Stephano Archiepiscopo.* Baronius *ejus mentionem facit in Notis ad* VII *diem Januarii, et tom.* 12, *anno* 1164, *num.* 30, *ejus canonizationem refert.* Joannes Angelius Werdenhaghen *ejus bonitatem laudat parte* 3, *Rerum Hansiaticarum cap.* 22, *et alibi. Vitam denique S.* Kanuti *descripsit prolixe* Rannuccius Picus, *Odoardi Farnesii Parmæ et Placentiæ Ducis Secretarius, et in Speculo Principum Italico idiomate evulgavit anno* MDCXXII.

S. Canuti ætas. 13 *De ætate ejus, et annis quibus vixit, et quando occisus sit, id statui potest. Parentes ejus ab itinere Hierosolymitano reduces in insula Cypro circiter an. Christi* MCV, *obiisse communior opinio est : quo tempore puerum eum fuisse octo vel decem annorum, et sub disciplina Skyalmonis existimamus educatum. Krantzius lib.* 3, *Wandaliæ cap.* 28, *scribit, Henricum Obotritorum Principem obiisse anno* MCXXII, *et S.* Kanutum *pro hujus filiis administrationem subiisse. Sed quomodo tum Rex Obotritorum coronatus est a Lothario Imperatore (ut cum aliis refert ipse Krantzius) cum ad Lotharium diu postea a morte Henrici V, quæ contigit mense Junio anni* MCXXV. *Imperium translatum sit? Albertus Stadensis et Auctor incertus Chronici Slavici hanc S.* Kanuti *in Regem Obotritorum coronationem ad annum* MCXXXIII, *referunt, quo eodem anno ejus cædem describunt. Cypræus ex libro cantilenarum Danicarum, Molanus in addit. ad Usuardum, Ranuccius Picus in ejus vita, volunt eum anno* MCXXX, *interemptum. Joannes Magnus lib.* 18, *Hist. Gothorum cap.* 15, *scribit* circa annum MCXXXIX. Regem Gothorum Ragualdum *occisum esse, cui Magnus S. Kanuti interfector successit, ante hanc cædem patratam, ut infra ex Saxone patebit; sed cum Lotharius eo anno aut præcedenti obierit, necessario hæc citius contigerunt. Opinamur S.* Kanutum *circiter annum* MCXXXIII, *esse interfectum, aliquot ante annis in Regem a Lothario coronatum. Favent præter citatos Historici Regum Daniæ qui Nicolaum anno* MCXXXV, *interfectum scribunt.*

VITÆ COMPENDIUM

Ex Breviario Sleswicensi.

S. Canuti virtutes, Beatus Kanutus, Regis Erici filius, Dei dispositione factus Dux Jutiæ, posuit super femur gladium suum. Invasores regni dissipat, perdit raptores, et fures suspendit, et in brevi, ab omni persecutione patriam suam liberavit. In omnibus prospere egit, quia manus Domini erat cum eo. In divinis devotus extitit et curiosus, in sæcularibus strenuus et curialis. A Deo et hominibus jure dilectus erat.

2 Unde Magnus, Regis Nicolai filius, excæcatus invidia, Ducem dolo de terra delere voluit. Contigit interim, ut Dux regi tunc accusaretur. Tunc et Rex, falsis favens suggestionibus, his causis, concilio *a* Ripensi ipsum aggressus est : Tu contra consuetudines terræ, nova quædam induxisti, et in Slavia contra me nomen Regis usurpasti. Super quibus Rex suis responsis auditis (quia simplex erat, et cito moveri non potuit) delatoribus derogavit, commendans opera Ducis, quia erant valde bona.

a Coram Rege accusatus absolvitur.

3 Cum in illo tempore, imminente die Natalis Domini, Regis curia esset *b* Roskildiæ celebranda, et Dux Kanutus ad festum invitatus ire festinaret; uxor ejus, rei eventum prægnitans, hortabatur illum iter omittere. Sed cordis innocentia viro justo eundi proposuit securitatem. Transfretante, venit ad curiam egis ubi cum honore receptus est.

b It Roskildiam ad comitia.

4 Magnus igitur, cui Kanutus se tutius committebat, meditabatur die ac nocte quo eum neci traderet. Hujus perfidi *c* Henricus Sthatelaer fretus consilio, tres Proceres confœderavit, in quibus præ ceteris malefaciendi habebat fiduciam. Deinde tamquam familiarem suum Ducem consuluit, dicens : Frater fidelis præ cunctis mortalibus, cum te sine falsitate aliqua expertus sum, quædam negotia tuo consilio ordinare disposui : volo, ut in secretiori loco mihi soli solus obvies, ubi nemine impediente, quæ deliberanda sunt definire valeamus. Kanutus falsi fratris verbis fidem dedit, et respondit : Locum et tempus assigna, paratus enim tum in omnibus tibi parere.

c Magnus in ejus necem conspirat :

5 Die autem altero Epiphaniæ Domini, summo diliculo, Magnus armatus cum suis sequacibus, ad silvam veniens, in qua fratricidium perpetrare disposuit, doli nuntium ad Ducem direxit, mandans ei ut quod fideliter spoponderat, cum festinatione adimpleret. Igitur S. Kanutus ad locum properans, perfidum per saltum vagantem solum videbat : qui statim occurrens osculatur, amplexatur; pacis osculo Judæ traditoris officio se obligavit, dicens : Frater, sedeamus illic. Sedens cum eo, versipellem latenter sub toga loricatum perpendens, dixit : Frater bone, ut quid arma portas in tempore pacis? Traditor respondit : Inimico meo juxta opus suum vicem reddere teneor, et ad vindictam ad præsens paratus sum. Jam scelus diutius celare non potuit, sed odiose dixit : Kanute, cujus est Dacia? Qui similiter respondit, dicens : Frater, cujus est Dacia, nisi patris tui, et patrui mei, quamdiu Deo placuerit? Cui Magnus : Non sic omnes vadunt post te : tu tollis a nobis locum et gentem; et inter nos hoc modo melius dividi potest. Circumspiciensque Dux vidit armatos, et ait : Frater, scit qui omnia novit, me tibi aut tuis verbo vel opere numquam obfuisse. Et quare hoc fecisti? In hoc Sanctus surgere voluit, sed per cappæ caputium traditor eum indigne retrahens, gladio ab aure sinistra, in dextrum oculum, caput scidit, et cerebrum denudavit. Deinde ceteri lanceas in latere ejus fixerunt, et *d* Martyrem Christi fecerunt.

Pertractum in insidias occidit.

d

a Ripa *urbs meridionalis* Jutiæ, *sive Cimbricæ Chersonesi, adjacet* Nipsæ *fluvio, istic in Oceanum Germanicum illabenti. Sedes istic Episcopalis, una e quatuor quæ in Jutia sunt, subjecta Lundensi Archiepiscopo.*

b Roschildia *urbs Episcopalis, in Selandia, sive Sialandia, insula Danica, olim Regum sedes.*

c *Aliis* Henricus Scatellerus; *filius* Suenonis *qui* S. Kanuti *patruus erat.*

d Martyr *sæpius dicitur in Officio de Translatione. Anonymus in historia compendiosa Regum Daniæ studio Erpoldi Lindebrogii edita, etiam* Martyrem *appellat.*

VITA

VITA EX HELMOLDO.

CAPUT I.

Canuti educatio, dignitas, bella.

Auctore Helmoldo.

a Descripta *a* Henrici *Principis Obotritorum morte, et filii utriusque* Zuentepolci *et* Kanuti, *nepotisque* Zuinike, *post bella intestina, cæde, subjungit Helmoldus lib.* 1, *Chronici Slavorum cap.* 50. *b* Posthæc translatus est Principatus Slavorum ad nobilissimum Principem Kanutum, filium Erici Regis Danorum. Ericus enim potentissimus Rex, cum se devovisset ad iter Hierosolymitanum, fratri suo Nicolao regnum cum filio Kanuto commendavit, accepto juramento, ut, si non rediret, filio suo, postquam adolevisset, regnum contraderet. Cum ergo Regem Hierosolyma redeuntem fata sustulissent, Nicolaus, licet concubina natus, Danorum regnum obtinuit, eo quod Kanutus adhuc esset infantulus. Sed et Nicolao erat filius nomine Magnus. Nutriebantur ergo regalius et magnificentius hæc duo genimina in futuras commotiones bellorum, et *c* multorum ruinam Danorum.

b *Kanutus sub patruo Rege educatur.*

c

2 Ubi autem Kanutus adolere cœpit, timens se insidiis patrui sui facile posse obrui, transiit ad *d* Imperatorem Lotharium, et mansit apud eum multis diebus sive annis, habitus ut regiam magnificentiam decuit cum plena honorificentia. Inde subiens in patriam a patruo benigne receptus, et *e* Ducatu totius Daniæ præditus est. Cœpitque vir pacificus regionem compacare, auferens viros desertores de terra; præcipue vero Sleswicensibus beneficus erat.

d *Adit Lotharium Ducem Saxoniæ.*

e *Fit Dux Daniæ.*

3 Contigit autem latrones forte comprehendi in *f* myrica, quæ interjacet inter *g* Sliam et Egdoram, et perduci in faciem Kanuti. Quos cum ille suspendio addixisset, unus ex eis vitæ consulere cupiens, proclamavit se consanguineum ejus esse, et regia Danorum stirpe oriundum. Cui Kanutus, Turpe, inquit, est consanguineum nostrum vulgarium morte affici, decet nos impendere ei claritatem : et jussit ei in nautica pinu solemne exhiberi suspendium.

f g *Punit malefi-cos.*

Facetum ejus dictum et factum.

4 Interea subiit animum ejus, quod Principatus regni Slavorum vacaret, mortuo scilicet Henrico, et filiis ejus adnullatis. *h* Adiit ergo Lotharium Imperatorem, emitque multa pecunia regnum Obotritorum, omnem scilicet potestatem, qua præditus fuerat Henricus. Et posuit Imperator coronam in caput ejus, ut esset Rex Obotritorum, recepitque eum in *i* hominium.

Fit Rex Obotritorum.

h

i

5 Posthæc transiit Kanutus in terram *k* Wagirorum, et occupavit montem, qui antiquitus *l* Alberg dicitur, imposuitque illic mansiunculas, intendens ibidem communire castellum. Et sociavit sibi in terra Holzatiensium omnem virum fortem, fecitque cum eis incursationes in terram Slavorum, occidens et sternens omnes sibi adversantes. Sed et fratruelem Henrici Pribizlaum et Majorem terræ Obotritorum Niclotum duxit in captivitatem, posuitque eos Sleswich in custodiam, adstringens eos manicis ferreis, quousque pecunia et vadibus redempti, *m* ea quæ subjecta sunt, sentirent. Sæpius et in terram Wagirorum deversans *n* Falderensi hospitio usus est, præbuitque se familiarem *o* Vicelino, et omnibus illic commorantibus, promittens eis bona, si Dominus res suas in Slavia direxisset. Veniens etiam *p* Lubeke dedicari fecit ecclesiam, quam construxerat Henricus, adstante venerabili Sacerdote Ludolpho et ceteris qui de Faldera eidem loco mancipati erant.

k

l

Varia gerit bella.

m

n

o

p

a *De* Henrici *bellis cum Rege Nicolao, et S.* Kanuto, *in sequenti vita ex Saxone plenius agetur.*

b *Albertus Stadensis hæc fere omnia hinc descripta refert, ad annum Christi* MCXXXIII.

c *Hæc ruina contigit a morte S.* Kanuti *in vindictam barbaræ crudelitatis* Magni *parricidæ.*

d *Hic* Lotharius *per quamdam anticipationem* Imperator *dicitur, cum ante annum Christi* MCXXV, *quo ad eam dignitatem evectus est, hæc contigerint. Is ad an. Ch.* MCVI. Inclytus et magnificus Dominus Luderus Dux Saxoniæ et Westphaliæ *citatur, lib.* 1, *Chronic. Schaumburgensis Cyriaci Spangenbergii (excusi in Stadhagen anno Christi* 1614) *cap.* 3, contulisse Comitatum Holsatiæ, Wagriæ, et Stormariæ, Domino Adolfo Comiti de Schawenburg. *Unde ejus in hisce partibus præcipua auctoritas colligitur.*

e *Hic forte titulus honoris datus ei fuit, qui exercitui Danico cum imperio præfuit.*

f *Vulgo* de Cropper-heyde, *ubi a* Magno *S.* Olavi *filio, (qui post* Canutum Durum, S. Eduardi *uterinum fratrem, Daniæ Rex fuit, memorabili prælio cæsa plurima Slavorum millia ; unde vulgare etiamnum proverbium* : Du bist Kroppe noch nicht voor by, *id est,* Coppenhedam nondum prætergressus es; *in eos qui jactabunde se ante periculum efferunt, vel re levi gesta triumphabundi exultant, cum præcipua adhuc molesincumbat. Ita* Pontan.

g *Hi fluvii* Slia et Egdora Isthmum *faciunt, et pæninsulam Jutiæ constituunt. Geographis et Historicis* Chersonesum Cimbricam *dictam.* Slia, *seu aliis* Slea, *infra* Sleswicum *in mare Balthicum influit.* Egdora *vero sive* Eidora *e regione se in Oceanum Germanicum exonerat. Limitem Danorum regni et Imperii Romano-Germanici constituunt.*

h *De his plura in sequenti vita ex Saxone, cum hac conferenda. Quare* Lotharius S. Canutum *ad regiam dignitatem extulerit, docet Krantzius lib.* 3 *Wandaliæ, c.* 30.

i *Albertus Stad.* in hominem.

k Wagiri, Wagriæ *populi in Holsatia ad mare Balthicum inter Lubecam et Sleswicum.* Obotritis *tum subjecti, a quibus caput bubulum pro insignibus dicuntur retinuisse.*

l Est Aldenburg ea, quæ Slavica lingua Starigard, hoc est antiqua civitas dicitur, sita in terra Wagirorum, nocciduis partibus Balthici maris, et est terminus Slaviæ, *Helmoldo c.* 12, *dicta deinde* Sigeberga : *adjacet Travenæ fluvio; distat quinque milliaribus Lubeca, sex Hamburgo; sedes olim Episcopalis, in tres dein divisa, Raceburgensem, Mecklenburgensem, et ipsam Aldenburgensem, quæ Lubecam demum translata est.*

m *Albert. Stad.* Subjectionem promitterent.

n Falderam *scribit Chronic. Slavorum incerti auctoris, suo tempore* Nigemunster *dictam. Oppidum est Holsatiæ ad fontes fere* Storæ *fluvii, qui non procul a Luckstadio in* Albim *illabitur.*

o *De S.* Vicelino *agemus* XII *Decemb.*

p *De* Lubeca *nobilissimo emporio, et Hanseaticarum urbium prima, legendi Petrus Bertius lib.* 3, *Rerum Germanicarum, Werdenhaghen parte* 3, *rerum Hanseaticarum, cap.* 12 *et seqq. et alii rerum Borealium scriptores.*

CAPUT II.

Canuti cædes, ejus ultio.

Quibusdam interjectis pergit cap. 51, *Helmoldus* : Circa tempus dierum illorum accidit, ut Kanutus Rex Obotritorum veniret Sleswich, habiturus cum patruo suo Nicolao curiale colloquium. Cum autem populus venisset in concionem, et Rex senior sedisset in throno, indutus cultu regio; Kanutus assedit ex opposito gestans et ipse coronam regni Obotritorum, stipatusque satellitum agmine. Sed cum Rex patruus videret nepotem suum in fastu regio, sibique nec assurgere, nec osculum ex more dare, dissimulata injuria transiit ad eum oblaturus salutationem cum osculo : cui ille occursans ex medio, sese per omnia patruo et loco et dignitate adæquavit. Quod factum Kanuto lethale odium conscivit.

Nicolao patruo æqualis incedit.

7 Nam Magnus filius Nicolai cum matre huic spectaculo assidens, incredibile dictu est, quanta ira exarserit, dicente ad eum matre sua : *a* Nonne vides quia nepos tuus sumpto sceptro jam regnat? Arbitrare ergo eum hostem publicum, qui vivente adhuc patre tuo nomen sibi regni usurpare non timuit. Quod si longius dissimulaveris, et non occideris eum, scito te et vita et regno ab eo privandum. His itaque verbis instimulatus cœpit insidias moliri, ut Kanutum occideret. Quod sentiens Nicolaus Rex, convocat universos Principes regni, deditque operam, ut juvenes dissidentes confœderaret. Dissensionibus ergo ad pacem inclinatis, jurata sunt utrimque fœdera.

a *Magnus in eum conspirat.*

Conciliantur.

8 Sed pactiones istæ apud Kanutum firmæ, apud Magnum dolis oblitæ sunt. Statim enim ut ficta soliditate animum ejus investigat, et omni suspicionis malo vacuum considerat, rogat Kanutum Magnus, ut occurrat sibi ad singulare colloquium. Dissuadet Kanuto uxor exitum, timens insidias, simul etiam exasperata somnio, quod præterita nocte viderat. Nec tamen vir fidelis retineri potuit, sed sicut laudatum fuerat, occurrit ad locum placiti, comitatus quatuor

Occidit eum Magnus.

AUCTORE HELMOLDO.

tantum viris. Adest Magnus cum totidem viris, amplexatumque deosculatur nepotem, consederuntque tractaturi negotia. Nec mora : surrexerunt insidiæ de latebris suis, percussumque Kanutum interfecerunt, divisoque membratim corpore, crudelitatem etiam in mortuo exaturare gestierunt.

9 Audito autem sinistro hoc nuntio Lotharius Imperator, cum conjuge sua *b* Rikenza, non modice contristati sunt, eo quod corruerit vir Imperio amicitia conjunctissimus. Venitque cum grandi exercitu prope civitatem Sleswich, ad vallum illud notissimum *c* Dinewerch, ulturus mortem funestam optimi viri Kanuti. Consederat e regione Magnus, cum immenso Danorum exercitu, defensurus terram suam. Sed territus virtute Teutonici militis, apud Cæsarem immenso auro, et hominio, impunitatem indemptus est.

b *Lotharium Imperat. placat Magnus.*

c

Ericus Canuti frater ultionem parat.

10 Videns ergo Ericus frater Kanuti, natus de concubina, quia refriguit Cæsaris ira, cœpit armari in ultionem fraterni sanguinis, currensque terra et mari congregavit multitudinem Danorum, execrantium impiam cædem Kanuti. Sumptoque regio nomine, cœpit frequentibus bellis incursare Magnum : sed superatus, sed fugatus est. Unde etiam Ericus Hasenvoeth, id est, pes leporis, propter fugam continuam appellatus est. Dania tandem exturbatus, confugit in civitatem Sleswich. Illi autem memores bonorum, quæ impenderat eis Kanutus, receperumt virum, parati pro eo ferre mortem et exterminium. Quamobrem Nicolaus et filius ejus Magnus præceperunt omni populo Danorum, ut descenderet ad pugnam Sleswich, crevitque obsidio in immensum, …. frustrato tamen labore : nam neque civitate neque hoste potitus est. Laxata enim hieme pariter et obsidione, Ericus elapsus venit in maritimam *d* Sconiæ regionem, conquerens ubique innoxiam fratris cædem, et proprias calamitates. *e* Audiens ergo Magnus quia comparuit Ericus, accedente æstate, direxit expeditionem in Sconiam cum innumera classe. At ille consederat e regione, stipatus accolarum licet brevi numero. Soli enim Sconenses universis Danis restiterant. Cum ergo Magnus in sacro die Pentecostes aciem urgeret ad congressum, dixerunt ad eum venerabiles Pontifices : Da gloriam Deo cæli, et habe reverentiam diei tantæ, et quiesce hodie, pugnaturus in crastinum. Qui monita contemnens, aggressus est prælium. Produxitque Ericus exercitum suum, et occurrit ei in manu valida. *f* Ceciditque Magnus in die illa, percussaque sunt universa Danorum agmina a viris Sconensibus, et ad internecionem deleta.

d

e

Magnum prælio vincit et occidit.

f

11 Et factus Ericus ea victoria insignis, et creatum est ei nomen novum, ut Ericus *g* Enum, hoc est, memorabilis appellaretur. Porro Nicolaus Rex senior navi elapsus venit in Sleswich, percussusque est a viris civitatis in gratiam victoris. Ultusque est Dominus sanguinem Kanuti, quem interfecit Magnus, prævaricator jurisjurandi quod juravit. Et *h* regnavit Ericus in Dania, generavitque ex concubina Thunna filium, nomine *i* Suein. Sed et Kanuto erat filius nobilis Waldemarus. Magnus quoque genuit Kanutum. Remanseruntque hæc regalia incrementa Danorum populis, in quibus exercerentur, ne forte amisso usu præliandi quandoque insolescerent. Solis enim civilibus bellis præpollent. Postquam ergo mortuus est Kanutus, cognomento Lawardus, Rex Obotritorum, successerunt in locum ejus Pribizlaus atque Niclotus, bipartito Principatu, uno scilicet Wargirensium atque *k* Polaborum, altero Obotritorum provinciam gubernante.

g

Fit Rex Daniæ.

h

i

k

a *Ante mater in Ripensi colloquio conata fuit utriusque et S. Kanuti nepotis, et Magni filii, animos exacerbatos pacare, ut infra ex Saxone dicetur.*

b *Aliis* Rixa *et* Richiza *dicitur : filia fuit* Henrici Pinguis *Ducis Gotingensis, et* Gertrudis *filiæ* Egberti *Marchionis Misniæ.*

c *Aliis* Danewirka *et* Dennewerk. *Agger hic ductus est per transversam Chersonesum a Danis contra Saxones Nordalbingos, et Obotritos, quorum frequentes in hos agros erant incursiones. Aimoinus lib. 4, hist. c. 96, hoc opus refert ad Godefredum, sive Gotricum, Danorum Regem,* Gothofredus, *inquit,* limitem regni sui, qui Saxoniam respicit, vallo munire constituit eo modo, ut ab Orientali maris sinu, (quem illi Ostarnalt appellant) usque ad occidentalem Oceanum totam Egidoræ fluminis Aquilonarem ripam munimentum valli prætexeret, una tantum porta dimissa, per quam carra et equites emitti et recipi possent. Diviso itaque opere inter Duces copiarum domum reversus est. *Ad annum* DCCCVIII, *hæc a Chronologis referuntur, quo Godefredus regnabat. Spatium aggeris est octo aut novem milliarium. Hoc opus tum cœptum, circiter annum* DCCCCL, *sub* Rege Haraldo Blaatand *reparatum et communitum luculentius : extructæ in eo turres, vel speculæ potius, per intervalla ita dispositæ, ut ex iis hostis adventans facile conspici posset. Curavit tum opus illud* Haraldi *mater* Thyra, *cognominata* Danebod, Gormonis *seu* Germondi *Regis nuper vita functi vidua. Demum quo esset terrestris molis solidior structura, jussit Rex* Waldemarus *S.* Kanuti *filius cocti lateris murum superjici. Simili prætentura Scotiam ab Anglia distinctam esse, diximus supra in vita S. Ceddæ Episcopi.*

d *Aliis* Scania, Scandia, *seu* Scandinavia, *quam antiqui insulam putarunt. Hæc continens est una cum* Suedia *et* Norwegia. *Divitiis superat reliquas Daniæ provincias. Metropolis ejus* Londa *est, seu* Lundia.

e *Albert. Stad. sequentia refert ad annum* MCXXXIV.

f *Albert. Stad.* Ceciditque Magnus in die illa, cum quatuor Episcopis et multis Clericis, deletique sunt a Sconensibus usque ad internecionem. *Saxo descripta Danorum clade, ita in fine lib. 13. eam concludit :* Crediderim hanc victoriam humanis parum viribus partam; sed Deo piissimi viri interitum ulciscente concessam. Neque bellum aliud crebriorem Pontificum cruorem absumpsit. Quippe Petrus Roskildensis, et Henricus Sueticarum partium Pontifex, omnesque Jutiæ præter unum Antistites hoc prælio oppressi traduntur.

g *Alberto Stad.* Emun, *aliis* Emundt *seu* Emundus.

h *Regnavit Ericus quatuor annis. Occubuit a nobili Juta lancea transverberatus anno* MCXXXIX.

i Sueno *aliis, successit* Erico Lam *an.* MCXLVII *cum* Waldemaro *S.* Kanuti *filio, et* Canuto V Magni *filio.*

k Polaborum *sedes primaria fuit* Raceburgum, *initio Comitatu, post etiam Episcopatu celebre.* Polabos *a regionis planicie nomen sibi indidisse suspicatur* Reinerus Reineccius *in Append. 1. ad Helmoldum.*

VITA EX SAXONE GRAMMATICO

CAPUT I.

S. Canuti liberalis indoles, nuptiæ.

Canuti pater Ericus, Rex Daniæ.

Narrata sancti Regis Daniæ Kanuti cæde, suffectum illi in regnum Olavum fratrem commemorat Saxo Grammaticus : Ericum vero, qui Kanuto semper faverat, in Sueciam cum Botilda Regina fuga elapsum; mortuo deinde Olavo reversum ad suos regnum capessivisse. Fuere autem Erico, *inquit,* filii Haraldus, Kanutus, et Ericus : sed primus concubina, secundus matrimonio, tertius adulterio ortus proditur.

2 *Voti deinde exsolvendi gratia Hierosolymam profecturus Ericus* Haraldum filium, quem præstantior ætas honori tempestivum effecerat, Regis partibus perfunctorie donat. *a* Skyalmoni vero Candido, splendidissimæ atque integerrimæ dignitatis viro, cui non solum totius *b* Sialandiæ sed etiam *c* Rugiæ, vectigalis a se factæ, procurationem detulerat, peragendæ circa Kanutum educationis officium mandat. Ericum autem obscuriore loco natum, hebetiore quoque cura complexus, minoris potentiæ tutoribus applicavit.

a *Pædagogus Skyalmon Candidus :*

b c

3 *Mortuo in Cypro insula cum conjuge Erico (ut lib. 13, prosequitur Saxo) evectus ad regnum est Nicolaus ejus frater, ultro cedente, qui senior erat, Ubbone fratre. Tum Margareta* d *Ingonis* e *Sueonum Regis filia, Nicolai Regis conjux,* filio *Magno* ampliorem propinquorum favorem affinitatum beneficio creare cupiens, Kanuto *f* Ingiburgam sororis filiam conjugio copulavit.

d e

Uxor Ingiburga.

f

4 *Interea* Henricus Guthskalci Wandalorum Principis ex Siritha *Nicolai Regis sorore* filius, maternis a Nicolao bonis indigne spoliatus, acrem eorum repetitorem agere cœpit. *In quodam adversus eum a Nicolao parum prospere commisso prælio,* Kanutus per summam vulnerum acerbitatem pedum firmitate defectus, promptissimam militis fidem expertus est. Qui ne Dominus ab hoste interciperetur, periculum ejus

Canutus in prælio a milite servatus.

ejus suo discutere non dubitavit. Sociis namque de industria fugere jussis, ipse corporis simulatione cursum lentius agens, imminenti sibi Sclavo manus obtulit vinciendas, ejusdemque propius obequitantis habenas corripiens, lata a sociis ope, equo barbarum spoliavit. Quo potitus, protinus eo summam Kanuti imbecillitatem adjuvit. Igitur ut callidæ, ita periculosæ fortitudinis felix exitus fuit.....

5 Ea tempestate missi a Kanuto qui pecuniam, quam educator ejus depositi nomine conservaverat, in *g* Fioniam e Sialandia transferrent, cum ab utroque littore æque distante navigio, procul piratas imminere conspicerent, expensam fune crumenam undis occultavere. Postremo cum se parum potentes remigii animadverterent, fugæ diffidentia implicati, reciso tenaculo, vetustas Regum opes arenis, quam hostibus relinquere maluerunt. Quam rem Nicolaus in Sialandiam ex Fionia trajiciens tametsi eminus specularetur, periclitantibus præsidio fore nequivit, quod exiguis et inhabilibus ad remigium navigiis uteretur. Postea cum Kanutum jocundum præ se vultum ferentem conspiceret, oris hilaritatem increpans ob recentem aviti paternique æris jacturam, dolere ei admodum expedire dicebat. Ille nihil hac se moveri fortuna dicebat, sed ejus beneficio summam liberalitatis occasionem accepisse respondit : ut enim ante nihil ex paternarum opum cumulo decerpere ausum, ita deinceps accessuras abunde erogaturum. Maximum quippe avaritiæ nutrimentum divitias esse, quas quisquis asservare intenderit, humanitati vacare non possit. Qua voce se pecuniæ, sed eam Regi imperare monstrabat. Cujus rei præcipuum extitit documentum quod sequitur.

g

Thesaurorum jacturam æquo animo fert.

Insigne ejus apophthegma.

a *Aliis* Scialmon Vidus, ex illustri Vidorum prosapia oriundus, nec minus facundia et pietate, quam natalibus et prima apud Reges amicitia clarus. *Ita Pontanus Saxo* Candidum *vocat; quod Latine redditum ex Teutonica voce* wit *seu* widt. *De ejus officiis et præfectura agit Saxo præcedentibus libris.*

b Selandia *aliis, et* Zeelandia, Selandt insula, *inquit Adamus Bremensis S. Canuto antiquior*, est in interiori sinu maris Balthici sita, quantitate maxima. Hæc tam fortitudine virorum, quam opulentia frugum celeberrima longitudinem habet bidui, cum latitudo fere sit æqualis. Civitas ejus maxima Roschild, sedes regia Danorum. *Hæc Adamus. Sedes modernorum Regum est* Hafnia, *vulgo* Coppenhaven, *quasi* Kopmanshaven, *id est mercatorum portus. Est* Hafnia *urbs maxima non solum* Selandiæ *hujus, sed totius Daniæ, diu a morte S. Canuti cœpta extrui.*

c Rugia *insula maris Balthici, ab occasu et meridie objicitur Pomeraniæ, qua parte* Bardum *est* Stralesundum, Gryphiswaldum, *et* Wolgastum : *exigua olim fossa, nunc freto sex millibus passuum lato a continenti dissita. Incolæ Helmoldo* Rugiani, Rani, *et* Rimi, populi crudeles, habitantes in corde maris, idololatriæ supra modum dediti, primatum præferentes in omni Slavorum natione, habentes Regem, *etc. Horum instinctu Obotriti seu Slavi occidui,* Godescalcum *Principem suum in odium fidei rebelles subditi occiderunt* VII *Junii, (quo die de eo agemus) et* Cruconem, *sive* Critonem, Regem Rugiorum *sibi Principem elegerunt, exclusis filiis* Godescalci, *quorum junior* Henricus *fugit ad Danos, senior* Buthue *ad Saxones, qui cum exercitu ditionem paternam ingressus perfide Cruconi traditus est, et interemptus. Henricus Dania egressus, collecto de Danis et Slavis navium numero adeo attrivit maritimam Slavorum provinciam, ut Henrico concessa ad habitandum regio et Dano Rugia fieret vectigalis.*

d Ingo CXX, *Rex Sueciæ piissimus describitur a Joanne Magno lib.* 18, *histor. Gothorum et Sueonum cap.* 14.

e *Horum sedes, hodie ipsismet incolis et conterminis Danis* Suerige, *quasi* Suenrige, *sive* Sueenrige, *id est Sueonum regnum. Antiquis Germanis* Sueon : *unde Latinum* Sueones *Eginhardo, Tacito* Suiones. *Germani meridionales dixere* Suethan, *unde Jornandi sub initium de rebus Gothicis* Suethans. *Nunc Germanis passim dicuntur* die Sweden, *et Latine* Suedi, Suethi, Sueci, *Jornandi etiam* Suetidi. *Helmoldus* Sueones *suo tempore* Nordmannos *asserit appellari. Præclare describit eos Adamus Bremensis libello de situ Daniæ. et reliquarum, quæ trans Daniam sunt, regionum.*

f *Ruthena fuit, filia* Jarislai, *qui aliis* Princeps Ruthenorum, *aliis* Rex Russorum *dicitur.* Littus Australe maris Balthici, *inquit Helmoldus*, Slavorum incolunt nationes, quorum primi sunt Ruzi, deinde Poloni, *etc. Deinde:* Russia, seu Ruzia, a Danis Ostrogard dicitur, eo quod in Oriente posita omnibus abundet bonis. Hæc etiam Chunigard dicitur, eo quod ibi sedes Hunnorum primo fuerit.

g *Insula est inter* Jutiam *et* Selandiam *media; Adamo* Fini, *quod vernacule loquentibus* pulchrum *sonat. Metropolis ejus* Ottonia *urbs Episcopalis, templum habet* S. Canuto (*hujus nimirum patruo, isthic occiso*) *sacrum, elegantis structuræ : In eo conventum fieri frequentissimum circa festum Epiphaniæ, omnium propemodum indigenarum et nobilium, scribit Pontanus.*

CAPUT II.

AUCTORE SAXONE GRAMMATICO.

Canuti Ducatus : bella : pax inita.

Cum ob creberrimas acerrimasque finitimorum excursationes, nemine *a* Slesvicensis præfecturæ beneficium, etiam oblatum, recipere audente, Kanutus tam periculosum a patruo honorem, non opum cupiditate, sed fiducia virtutis expeteret, neque gratis eum impetrare quivisset, vendita patrimonii parte, formidolosum aliis munus pretio assecutus est ; eam demum quæstuosam esse militiam ratus, qua gloriæ et claritatis stipendium potuisset acquiri. Ita Rex extimescendum ignaviæ decus virtuti *b* venale fecit : emptor vero plus lucri in militiæ quam opum agitatione reposuit.

a Sleswicensem Ducatum emit.

b

7 Principio siquidem perceptæ potestatis Henrico per legatos mandat, libenter se cum eo de pace acturum, si primum et damna Jutiæ emendatione pensata, et spolia ab ipso restituta fuissent. Quibus profectis, ipse interim, perinde ac responsi præscius, non solum suorum, sed etiam eorum quos ex finitimis amicos habebat, manu contracta, legatorum reditum armis subsequi statuit. Henricus se neque cum Danis amicitias gesturum, neque a maternæ hereditatis petitione cessaturum respondit. Quo accepto Kanutus rursum ad eum legatos mittit, omnem sequestræ pacis communionem publice recisuros. Quorum Henricus irrisa legatione, Kanutum impatienti sessoris equo persimilem ait, se vero petulantiæ ejus frenos injicere curaturum.

Hosti pacem offert.

8 His auditis Kanutus, ut magno impetu, ita minimo tumultu noctu iter ingressus, ferrique et prædæ abstinens, quo minus adventus ejus provideretur, diluculo ad Henrici *c* munitionem pervenit. Ille tam subitæ irruptionis incautus, nec arma capere, nec se præsidio tueri parat ; sed protinus vicinum mœnibus *d* flumen equo attentans, unico aquæ interstitio hostem fefellit ; lætatusque est quod salutem suam amni, quam oppido credere maluisset. Quem cum Kanutus ulteriore jam ripa potitum aspiceret, an maderet, per ludibrium percontatus est. A quo e contrario, quid ita incederet, interrogatus, venisse se, inquit, ut promissa ab eo lora recipiat. Ille minas sibi, quas nuper intenderat, responsi urbanitate exprobratas intelligens, ignominiam joco prosecutus : Adeo mihi, inquit, calcium viribus obniti videris, ut ne tangi quidem continerive queas. Tunc Kanutus prius castrum, deinde ceteræ regionis culta vastavit. Secundo quoque novatis copiis omnem *e* Sclaviam strage atque incendio implicavit : nec solum patriam hoste, sed etiam hostem robore vacuefecit ; adeo ut prius provocare solitum, ne propriæ quidem tutelæ sufficientem relinqueret.

Noctu hostilem munitionem invadit.

c

d

e

Hostilem ditionem vastat.

9 Postremo cum totas Henrici vires prudentia sua ac fortitudine debilitasset, sanguinis, quo illum proxime contingebat, natura actus, ut publice hostem, ita privatim amicum egit. Semel namque dimisso exercitu, viginti dumtaxat equitibus comitatus, ad locum in quo Henricum diversari didicerat, cursum direxit, præmissis qui suæ ei salutationis mandata perferrent. Henricus falso hostem sibi blandiri inquiens, protinus ubinam esset perquirere institit. Quibus eum in porta adesse referentibus, ipse nuntio attonitus, mensam, ad quam forte prandendi gratia discumbebat, vi manus discutere parat. Tunc Legati præsentiam Ducis a pace profectam jurantes, conceptum falso metum affirmationum suarum perseverantia discusserunt. Quibus ut Henricus fidem habuit, fugæ meditationem amoris indicio castigavit. Enimvero tabulæ innixus, suffuso lacrymis ore, infelicem Daniam futuram dum tali viro caruerit, aiebat ; se vero amicitiam ejus sincera amodo fide culturum.

Cum paucis hostem adit, ut eum reconciliet Regi.

Hunc

Auctore Saxone Grammatico.

Hunc nimirum consanguineus amor et suæ infelicitatis oblivisci, et hostis virtutem fateri coegit, utque propriæ fortunæ immemorem, ita alieni laudatorem effecit. Deinde præsentem amplexatus, haud parcius lacrymas quam epulum præbuit. Quippe præsentem ejus mansuetudinem, quam præteritas noxas, attentius intuens, frequentiæ damnorum unius beneficii indulgentiam anteposuit.

10 Sed neque Kanutus profectum a pietate mœrorem ingratus excepit. Quinetiam plus in creanda pace quam fruenda dape voluptatis reponens, et quasi mediatoris partes agere exorsus, Henricum avunculi gratiam expetere jussit, ac demum consensum ejus perseverantia admonitionis obtinuit. Siquidem Henricus rem maternam, cujus repetendæ caussa adversa Danis arma tulerat, pretii pactione interposita, Kanuto in possessionem adscripsit, eamdemque Kanutus ad Regem conditionem, qua acceperat *f* transtulit; ac deinde receptam ab eo pecuniam Henrico numeravit.

Pax initur magna Canuti prudentia.

f

a Quam misere, *inquit Cypræus cap.* 21, hoc bello et irruptione Slavorum, *post necem Godeschalci facta*, urbs Sleswicensis direpta, expilata, et vastata sit, ædificiis dirutis et prostratis, rudera subterranea adhuc indicio sunt. Nam jacientibus nova fundamenta, aut paulo altius fodientibus solum, in quo urbs sita est, ubique tres plateæ, et tria plurave pavimenta sese offerunt: item foci tres pluresve lateribus strati, alter alteri impositus et superinjectus,

b *Ducatum quatuor de caussis S. Canuto a Rege venditum scribit Cypræus cap.* 20. Primo, quod S. Canuto in compensam regni, quod a parente ejus Erico occuparat, ditionem aliquam dare cogebatur. Secundo, ut filium Magnum regni heredem relinquere posset. Tertio, quod Slavos reprimere non posset, nisi ope S. Canuti. Quarto lucri cupiditate, *ut hic dicitur.*

c *Hieron. Cypræus in Annot.* mss. *ad Helmoldum, cap.* 24, *existimat* castrum hoc esse, quod vulgo Jurgensburgum, in honorem D. Georgii prope Sleswicum ædificaverat Henricus. *Addit Adolphus Cypræus*, hujus S. Georgii imaginem sigillo impressam, obsignandis litteris adhibuisse Duces Sleswicenses, quarum plurimas viderit.

d Sliam.

e *Crantzius lib.* 3 *Wandaliæ, cap.* 27, *hæc fusius prosequitur, et* Henricum *ait* fugatum in Lubecam veterem, quo in loco mansio illi fuit cum præsidio.

f *Crantzius*, In eam sententiam, *inquit*, conveniunt, ut Kanutus Henrico argentum dependens ac numerans, ejus (ut in Dania) ab Rege suæ partis accipiat hereditariam possessionem.

CAPUT III.

Slaviæ delatus ei Principatus. Fratres reconciliati.

Heres a Principe Slavorum instituitur Canutus.

A quo etiam postmodum ad convivandum accersitus excipitur, affirmante priori ejus adventui minus quam decuit impense servitum. A quo etiam Henricus nuper se vita atque incolumitate donatum judicans, Sclaviam ei jurisjurandi firmitate legavit. Huic accessit, quod ad gerenda cum *a* Teutonicis bella, a quibus præcipue Sclavia vexabatur, filiorum virtutibus diffidebat, maluitque maturum fortitudine heredem circumspecta arbitrii sui libertate consciscere, quam sub naturali, sed invalido, patrimonium exteris pervadendum relinquere. Hæc offerentem Kanutus impietatis sibi notam, immerentium liberorum contemptu, pariturum affirmat, seque tam injustis ejus promissis usurum negat. Postremo perseverantissimis Henrici precibus superatur, propositi rationem a natorum socordia mutuantis.

a

12 A quo etiam *b* Imperatoris gratia, quod Sclavia in ejus beneficio reponi videretur, admodum egere præmonitus, equum ei *c* calces auro confixum muneris loco transmisit, donumque per se habile inusitatis ungularum ornamentis accipienti venerabilius reddidit. Crediderim tunc Imperatorem plus laudis in dantis industria, quam dono reposuisse, cum primi pretii metallum quo contemptibilius habitum, hoc gloriosius videret oblatum. Absumpto Henrico legatam sibi provinciam *d* nullo refragante possedit.

b

c

Imperatorem sibi conciliat.

d

13 Interea Haraldus cum nec domi clarus, nec foris celeber haberetur, virtutis inopiam quæstuum copia levare cupiens, refertum nequitia animum in imam turpitudinis voraginem egit. Ad rapinas et furta mancipiis utebatur. Servorum labores latrociniis applicabat. Satellitum cultui viciniæ spolia, sumptui impendebantur armenta. Æstatem piratica pariter civibus atque exteris insidiosus exegit. Ceterum quo Roskildiæ damnosius immineret, adversam ei munitionem erexit, quam et sordidissimæ clientelæ frequentia complevit. Itaque ruris opima populatus, pari vernarum maleficio civilia lacerabat. Qui clam noctu meritoriis sese tabernis subjicientes, complacitas animo merces impune tollebant. Aliis interim districtos hospitum jugulis gladios applicantibus, interitumque minantibus, ni injuriæ patientiam præbeant. Ea furti violentia summam civitatis opulentiam ad ultimas rei familiaris angustias redegit.

Haraldus Kanuti spurius frater latrocinatur.

14 Talibus calumniæ stimulis lacessita provincia, accensis indignatione animis, ultrices damnorum manus Haraldi bonis injicere aggressa, spolia spoliis, rapta raptis ulciscitur. Neque enim sibi aliena corripere, sed propria resumere videbatur. Ipse tuto terras tenere nequiens, consternatæ multitudinis impetum navigio vitavit. Quem Kanutus alieni rapacissimum, ac vitiosissimis ubique lucris incumbentem aspiciens, avi persimilem aiebat, omnigenis alitum pennis nidum compaginanti, subito ventorum turbine dejiciendum. Ita Haraldum prædonem omnium effectum, omnibus prædam ex se daturum, aliorumque spolia suorum indubitanter periculo luiturum.

Varie ob scelera exagitatur.

15 At Erico modestum erga populares ingenium erat. Qui cum debitam sibi paternæ rei portionem expeteret, ab Haraldo fratre repellitur, negante adulterio ortum ad hereditatis communionem pertingere. Ea re, ut par erat, motus, acerrimum bonorum ejus pervasorem agere cœpit, fraternisque spoliis injurias suas ulcisci, probitatis loco duxit. Ceterum Arvacum rapta congessit, sordido neglectoque loco splendidas opes complexus. Quem Haraldus noctu ibidem inopinatum adortus, postquam fuga delapsum cognovit, moræ copia non suppetente, circa prædam hærere metuens, recto faces subjecit, refertamque suis opibus ædem flammis absumere, quam raptori intactum dimittere maluit.

Insurgit in eum Ericus frater.

16 Quo comperto, Kanutus profectas a contemptu lites compescere cupiens, metuensque ne degenerati patris fulgor in filiis exolesceret, utrique Slesvicum venire districtius mandat, si supersedeant, parte corporum spoliandos minatur. Præsentes deinde fraterne coarguens, curiosa animi inspectione æquissimam inter eos patrimonii participationem peregit, Ericoque ac Haraldo in paterna bona eundum judicavit.

Canutus eos reconciliat.

a Teutones, *sive* Teutonos, *Daniæ fuisse populos vult Cluverius l.* 1, *Germaniæ cap.* 9. *Canuti ævo Saxones eo nomine appellatos patet ex Helmoldo, qui militem Lotharii Imperatoris* Teutonicum *appellat. Sic lingua passim Germanica* Teutonica *dicitur.*

b *Crantzius lib.* 3, *Wand. cap.* 29, *refert* Henricum apud Lotharium procurasse, ut Wandalia, quæ jam dudum sub Ottonibus in ditionem concesserat Imperii, Kanuto permitteretur administranda.

c *Crantz.* auro undique circumfulgentem, nescio si et auro calceatum, sed auro non sufferratum scio. *Helmoldus et Albertus aiunt multa pecunia a Lothario regnum emisse.*

d *Helmoldus et Albertus Stadensis narrant,* Henrico *filios successisse, et bellis intestinis tranquillitatem temporis perturbasse. Crantzius cap.* 31, *putat eos regnum, S.* Canuto *alibi impedito, invasisse: illis deinde occisis Principatum a Lothario ad S.* Canutum *translatum. Sed nec sic quidem pacifice obtinuit, quod eum* Pribislaus *Henrici fratruelis, et* Niclotus *Major terræ Obotritorum bello sibi vindicarint, quibus in prælio captis* provinciam nullo refragante possedit.

CAPUT

CAPUT IV.

Odii in eum invidiæque initia.

a *In suspicionem incestus vocatur Canutus.*

Eodem tempore *a* Henrici Suenonis filii conjunx, mariti convictum ingenti perosa fastidio, aliena veste sumpta, suis se penatibus intempesta nocte subduxit. Apud quam juvenum quidam (ut fama est) plurimam obsequio familiaritatem adeptus, callide effecit, ut ad suum eam amorem perduceret. Deinde ne res amborum periculo proderetur, muliebriter allectam viriliter cultam furtive devexit. Quam vir ejus fortuitis subsecutus indiciis, apud Alaburgiam in cultu familiari deprehensam, amatore delapso, domum reduxit. Verum hanc ignominiam a clandestino Kanuti consilio profectam ratus, integerrimi viri innocentiam tacitis suspicionis motibus insecutus, insontem notabat.

b *c* *Magnus Canuti patruelis fit Rex Gothiæ.*

17 Interea Suecicarum partium Rege *b* absumpto, *c* Gothi summam, cujus omne penes Sueones arbitrium erat, Magno deferre ausi, alieni privilegii detrimento dignitatis sibi incrementa quærebant. Quorum Sueones auctoritate contempta, veterem gentis suæ prærogativam in aliquanto obscurioris populi invidia deponere passi non sunt. Igitur antiquæ dignitatis speciem intuentes, titulum injusta collatione

d præreptum, novo *d* Regis electu cassarunt. Qui mox a Gothis trucidatus, morte Magno imperium cessit. At Magnus incidentem sibi nuptiarum cupidinem.

e *Ducit filiam Ducis Poloniæ.*

Polonorum Præsidis *e* Bokisclavi filiam postulando complevit. Qua sibi per internuntios desponsa, mox Sclaviæ excitam paterno imperio classem admovit, Rex cujus *f* Vartisclavus diutinas cum Danis Polonisque inimicitias gesserat. Hic Nicolaus urbem *g*

f *g* *h* Ornam oppugnare adorsus, obsidionem pactione redimere coegit. Inde *h* Julinum navigans, Bokisclavum magna manu instructum obvium habuit. Cujus copiis auctus, celerem oppidi expugnationem peregit: deinde relicto victoriæ socio allatam filio sponsam abducit.

18 Vartisclavus rem Slavicam intolerabili vastationis onere fessam conspiciens, pacem colloquio petit. Quo parum prospere habito, pari supplicatione

i apud *i* Strelam discedentes aggreditur, ubi cum pacis pignoribus fretus, navigium Regis ab ipso invitatus intrasset, maligno satellitum instinctu captivi more

Efficit Canutus ut data hosti fides servetur. habitus regredi prohibitus est. Quam rem Kanutus in concione querela prosecutus, magnopere Regem monere cœpit, ne plus alienæ perfidiæ viribus, quam propriæ indulgeret temperantiæ, neve hostem fidem suam secutum captione implicaus, ut eum libertate, ita seipsum perpetuo famæ splendore privaret. Fore enim, ni captivum emitteret, ut privatum crimen publicus patriæ rubor existeret. Itaque efficaci persuasione usus, et amicum oppressione et Dominum infamia liberavit. Quæ tam justa Kanuti sententia totius concionis suffragiis comprobata, magnum alienæ invidiæ irritamentum præbebat.

19 Dimissa classe, nuptialia sacra apud urbem Ripam agi placuit. Illuc siquidem frequens navigiis portus, oppido splendidam mercium varietatem importat. Ubi cum Kanutus in veste Saxonica ceteris cultior progrederetur, Henricus obfusis invidia oculis alieni cultus splendorem ferre nequiens, orta inter ipsos altercatione, latus ejus adversum gladios ostro

k tutum fore negavit. *k* Quem Kanutus nullo magis *Convicium joco repellit.* ovillis securum tergoribus respondit: lacessitum vestis suæ fulgorem urbano rusticitatis opprobrio speciosius quam minis aut conviciis ultus. Itaque exprobratam sibi externi cultus emulationem, domestici cavillatione prosequi contentus extitit.

20 Idem postmodum Orientis partes piratica pervagatus, cum speciosa domum spolia retulisset, ideoque se dignitatis incrementa accepturum speraret, pro gratia accusationem expertus est, culpatus a Rege, quod in re Suecica prædam egisset. Cujus operam valenter editam consimili probitatis genere æmulatus Magnus, inter cetera tropæorum suorum insignia inusitati ponderis malleos, quos *l* Joviales vocabant, apud insularum *m* quamdam prisca virorum religione cultos, in patriam deportandos curavit. Cupiens enim antiquitas tonitruorum caussas usitata rerum similitudine comprehendere, malleos, quibus cæli fragores cieri credebat, ingenti ære complexa fuerat, aptissime tantæ sonoritatis vim fabrilium specie *n* imitandam existimans. Magnus vero Christianæ disciplinæ studio paganam perosus, et fanum cultu, et Jovem insignibus spoliare, sanctitatis loco habuit. Et adhuc quidem eum Sueones perinde ac cælestium spoliorum raptorem sacrilegum autumant. Sed utinam initiis ejus exitus respondisset!

Auctore Saxone Grammatico. *Re bene gesta arguitur.*

l

m *Magnus Sueorum idola et fana diripit.*

n

a *S.* Canuti *patruelis.*

b Ingone, *avo materno* Magni. *Ita Joan. Magnus lib.* 18, *hist. Goth. cap.* 13.

c *Adamus Bremensis ex ore, ut memorat, Suenonis Esthritii, avi S. Kanuti:* Ex ipsis populis Suediæ, *inquit*, proximi ad nos habitant Gothi, qui Occidentales dicuntur, alii sunt Orientales. Verum Westergothia confinis est provinciæ Danorum, quæ Scania dicitur, a qua ferunt diebus septem perveniri usque ad civitatem magnam Scarane. Deinde Ostrogothia protenditur juxta mare, quod Balthicum dicitur, usque ad Birkam. *Joan. Magnus de hac Magni in Regem a Gothis facta electione agit cap.* 16.

d *Is erat* Ragualdus, CXXI, *Sueonum Rex, ab* Ingonis *paternis moribus (si ejus filius fuerit) degener, de quo videndus Joannes Olaus, qui eum mavult a Westrogothis occisum in vindictam mortis* Ingonis *ejus cooperatione acceleratæ; alii ob adventum in Gothiam non præmonitum, ut jura exigebant, interemptum ferunt.*

e *Crantzio in Wandal.* Bolislaus Polonus, *in Dania* Bokisclaus Polonorum Dux, *Joanni Magno* Bogoslavus Præses. *Is fuit* Boleslaus III Crivoustus. *Dlugossus apud Cromerum lib.* 5, *rerum Polonicarum corrigendus, dum refert* anno Domini MCXXVIII. Boleslaum filio suo filiam Regis Daniæ cum ampla dote uxorem accepisse, *cum filiam suam filio Regis Daniæ nuptui tradiderit. Nam quis hic ejus alioquin filius fuerit, prudenter dubitat Cromerus*, quod Vladislaus natu maximus, e Sbislava susceptus, haberet Christianam uxorem superstitem, Casimirus autem vix septimum tunc annum attingeret.

f *Crantzio* Warcislaus *et* Wartisclaus, Princeps superioris Wandaliæ. *Ab eo omnes Pomeraniæ Duces fuisse prognatos ostendit Petrus Bertius lib.* 2, *rerum Germanicarum cap.* 21. *De eo agemus* ii *Julii in vita S.* Othonis *Episcopi Bambergensis, a quo cum fratre* Casimiro *ac ingenti subditorum numero, an. Ch.* MCXXIV *fertur baptizatus.*

g *Crantzio* Usva *et* Cosna *dicitur.*

h *Emporium Vandalorum, amplum olim et potens, in insula* Julina *situm ad lacum magnum, quem fluvii* Panus, Zuvinus, *et* Divinovus *efficiunt. Urbs olim Episcopalis, sed cum perpetuis Danorum bellis attrita esset, Episcopatus est* Caminum *translatus. Legendus de* Julino *Werdenhagen par.* 3. *Hanseat. cap.* 23

i Strela, *vel* Strala, *insula et fretum quod Rugiam a continente dirimit. Ab eo munitissimum oppidum* Stralsunda *denominatur, quasi* fauces Stralæ, *ut Crantzius lib.* 7. *Wandaliæ cap.* 5, *refert, indicans* Sund, *Danicæ linguæ vocabulum*, angustam maris faucem *significare.*

k *Locus obscurus, quem sic refert Crantzius lib.* 5, *Daniæ cap.* 9. Henricus inter acerba joca Kanuti vestem irridens. Nihil, ait, latus ostro, quam panno simplice, adversus gladios esse munitius. Ille refert: Sed ne ovillis quidem pellibus, jocum joco retundens.

l Joviales *hos Sueonum* malleos *describit Joan. Magnus lib.* 1, *hist. Goth. cap.* 13.

m *Pontanus* Sueconibus vicinam, *Crantzius* Jovialem *nominat.*

n *Joan. Magnus ait eos existimasse* religiosum admodum esse bellis Deorum suorum, quos tunc ab aliis oppugnari credebant, sic adesse.

CAPUT V.

Affectati regni crimen confictum.

Verum plerisque Magnum sanguine vel necessi- *Magnus adversus Canutum incitatur.* tudine contingentibus Kanuti invisa felicitas erat. Nihil enim adeo invidiæ faces, quam parium impar virtus, excitat. Sed præcipue æmulum ei Henricum genialis thori contumelia faciebat. Margareta autem benignissima consanguineæ caritatis alitrix, consilii sui tranquillitatem concitatis juvenum ingeniis opponebat, saluberrimaque disciplinæ moderatione insidiosam petulantium rabiem temperabat. Quæ cum intercutis humoris vitio immodico tibiarum turgore premeretur, neque lethiferam morbi rabiem medicamentis

AUCTORE SAXONE GRAMMATICO.

mentis levare quivisset, ad ultimam pæne tabem redacta, Kanutum egregiæ indolis fiducia advocat, impenseque hortatur, patriæ *a* pacem, propinquorumque concordiam fidei suæ beneficio foveat, tutamento stabiliat, tantumque se in rebus domesticis gerat, quantum egerat in externis. Adjecit quoque, existere qui regiæ familiæ caritatem odio disjicere niterentur, se vero plenis salubritatis monitis pestiferos talium instinctus pressisse. Ille Deum simplicitatis suæ testem affirmat, seque omne vitæ tempus innocentia ac fide exacturum; periculorum procellas excipere, quam infligere malle promittit, odiaque beneficiis repensurum testatur. Illa promissionis beneficio delectata, tantæ fidei securam æquo se animo obituram asseruit. Quæ ut juvenilis invidiæ fluctus viva cohibuit, ita consumpta laxavit. Nam ab ejus fato juventutis impatientia primam propositi sceleris licentiam mutuata est.

Canuti benignitas et pacis studium.

23 Sed et Henricus præter communem simultatem etiam privata Kanutum indignatione perosus, injectos malignitati suæ frenos audaci impietate discussit. *b* Ubbonem quoque Præfectum, et *c* Haquinum filium, quo firmius dolum strueret, promptioremque sceleri aditum conciliaret, insidiarum participes facit. Hi tres eximium Kanuti fulgorem virtutis æmulatione pertæsi, grave mendacii incitamentum adversum excellentem ejus claritudinem destrinxerunt. Itaque splendidissimum patriæ lumen densissimis tenebris involvere cupientes, nihil eum Regis vitæ temporibusque deferre, sed ipsius exitum præpropera ambitione præcurrere, jamque regiam sibi potentiam arrogare dicebant.

b c

Tres conjurati eum apud patruum in suspicionem vocant.

24 Movit Regem tanti contemptus opinio, denuntiataque concione, Kanutum jubet accersi. Qui cum prior præstitutum frequentiæ locum adisset, supervenienti patruo Teutonicæ comitatis more, pallio vacuus obviam accurrit, equoque descendentem continendæ sellæ ministerio veneratus est. Tunc Nicolaus fari in concione exorsus, docet Suenonis filios in regni gestione ætatis præcipue respectum egisse, successionis habitum ætatis ordine dispensasse, dominandi jus in annorum prærogativa constituisse, neque minori majorem honore præcurrere licuisse. Quamobrem sese ut natu minimum, ita etiam regno postremum, fraternæ moderationis exemplo nullam fortunæ violentiam intulisse; expectatorem beneficii ejus non raptorem fuisse; neque ad intempestivum ætati culmen manus præpropera porrexisse cupidine. Kanutum vero parum priorum exempla secutum, violato speciosissimæ consuetudinis habitu, regni jus, cum re necdum queat, appellatione præcerpere; singulare nominis insigne celerius quam justius occupare, jamque a suis falso Regis titulo censeri non erubescere : consultius acturum, si regnandi fortunam non in suorum adulatione, sed in extantis adhuc Regis occasu reponere, maturumque præstolari decus, quam intempestivum præripere mallet. His atque consentaneis modis regiæ sibi nuncupationis insigne eripi querebatur.

Patruum honorat Canutus.

Accusatur affectati regni.

a *Ut* varium et mutabile semper femina *dicitur, ita* Margaretam *favisse modo, modo invidisse S.* Canuto *apparet. In primo consessu Ripensi obortam simultatem sustulit; in altero conventu Sleswici habito (quem Saxo omittit, referunt Helmoldus et Stadensis) quod S.* Canutus patruo Nicolao se per omnia et loco et dignitate æqualem gessisset, *invidia inflammata in odium et cædem scribitur filium* Magnum *incitasse. Saxo ad mortem usque eam vult cohibuisse furorem* Magni, *invidiæ fortassis fomite, quem in conventu Sleswici conceperat, successu temporis sopito. Helmoldum et Albertum sequitur Crantzius in Wandalia, in Dania Saxonem.*

b *Nobilis Jutus is fuit.*

c *Hic sororius S. Canuti.*

CAPUT VI.

Defensio innocentiæ. Novæ invidiæ faces.

Canutus se defendit.

Tunc exurgens Kanutus diu vultum humi intentum habuit, dicendique exordium aliquantisper sudore et suspiriis præcucurrit. Tandem et oculos et animum levans, gladiique, ut mos est, capulo innixus : Peccant, inquit, Pater, qui moderationem tuam supra quod aut majestati aut ætati debes, exasperant; quique pacatissimæ mentis tuæ serenum, mendaciorum procellis incitant, obtrectationum sibilis vexant. Sed onustum mihi valde est, quod integerrimam animi tui temperantiam, aliquid ab alienissima tibi iracundia mutuatam, et quasi sinistro rationis ductu transversam ferri conspicio. Rejice, quæso, nugarum auctores mendaciter obstrepentes falsæque hujus criminationis figmentum respue. Neque enim injurioso tibi nomine censeri sustineo. *a* Herum me mei, non Regem appellant. Itaque cum a Sclavis Dominus salutari consueverim, sinistri tantæ comitatis interpretes alienæ urbanitatis occasione insimulationis materiam aucupantur, ipsique venerationis officia negligentes, etiam aliorum justa criminantur obsequia. Ego vero non regnum (ut aisti) vocabulo usurpo, sed temperata nominis dignitate fastuosum salutationis decus fugio, invidendum honoris fastigium sperno. Ita absque omni majestatis tuæ præjudicio barbara circa me resultat humanitas. Meam vero inter alienos venerationem indigne ferunt, qui et mihi lucem, et fidum lateri tuo militem eripere gestiunt. Hos æque tui usus ac mei capitis hostes judico.

a

Herus non Rex appellatus a suis.

Ut Rex diceretur, non esse contra Nicolai honorem.

26 Esto vocari me Regem : en filium tuum Magnum nuper apud Gothiam regii cultus et nominis insignibus potitum comperimus. Mihi quoque, si par apud Sclaviam fortuna favisset, certe binis Regum obsequiis uti jocundum ducere debueras, idemque tuæ quod meæ fortunæ incrementum existimare. Proprio namque parta negotio, tuo quam alacerrime subjectarem fastigio; foretque ut inde servitiorum fructum decerperes, unde alioqui damnorum adversa perferres. Itaque plus amoris quam odii in mea fueras felicitate repositurus. Adde quod pro tua ac patriæ incolumitate excubare, omni sorte lætius, omni studio speciosius duxi. Ipse an efficaciter militaverim, nosti. Littora Dani, si placet, excolite. Æquoribus ædes quantalibet propinquitate jungantur. Ipsi undas cavete, a maritimis ego vos prædonibus præstabo securos. Et si veri confessorem agere non erubescis, ipse jam pridem Sleswici consistens, salutem tuam adversum *b* Saxonum excursationes jugibus excubiis vallare necesse habuisti. Eo si nunc divertere libitum est, liberas metu noctes exigere poteris. Præterea angustias regni tui, sola Daniæ possessione contentas, inusitatis terminorum augmentis explicui. Quos prius infensos habueras, nunc in tributum acti, tuo per me famulantur imperio. Itaque quarum ego rerum sementem jeci, tu fructum absque negotio messuisti. Et quidem impensam ad militem, emolumentum ad Regem redundare par est. Et ne ulterius privatæ militiæ facta prosequar, etiam in publica adverso pro te vulnera corpore excepi.

Sua in patriam et Regem merita commemorat.

b

Queritur de sinistra Regio suspicione.

27 Et tamen sic de te meritum suspicione et querimonia causabundus aggrederis, veterisque militis tui promptissimam fidem et certissimam innocentiam notare, deforme non ducis? Hisne ergo operibus merui, ut adversum me æmulationem tuam in concione destringeres? Hæcne ex labore præmia, ex militia stipendia decerpam, ut cujus beneficentiam sperabam, indignationem experiar? Aliena a te sit ingrati hæc animi labes, ut operum meorum beneficiis, invidia atque obtrectatione respondeas. Verum totam hanc insimulationis vim ab invidia profectam, non tuæ, sed tuorum malignitati imputandam existimo. At in regni

regni fastigio collocatos, difficiles accusatoribus aures, præbere convenit. Diu paternum hoc imperium gere, feliciterque et nominis et regni insignibus utere. Heredem tibi quem natura dedit, fortuna conciliet. Ego vero in quocumque me fortunæ habitu continuero, numquam celsitudinem tuam fide vel obsequio colere supersedebo.

Auctore Saxone Grammatico.

28 Permulsus oratione Rex, placidiorem oris habitum induens, offensam falso instinctu conceptam, in ipsa repente concione deposuit, execratus eos qui simplicitatem ejus scurriliter attentassent, seque deinceps adversum hujusmodi criminationum susurros aures obseraturum promittit. Cumque Henricus omnem obtrectationis suæ molem prudentissima Kanuti responsione subversam videret, familiaribus regem minis aggreditur, summa illum regni affectatione teneri inquiens, incertamque Magno regni petitionem futuram, si populo judice de summa secum foret controversiam habiturus. Quippe Canutum ceteræ nobilium turbæ popularium suffragiis præferendum. Quamobrem debere patrem successionis jus proprio potius quam alieno mandare judicio, destinatumque heredi locum æmulo vacuefacere, dum filii rebus consultum esse velit. Itaque sapere eum si suspectam Kanuti fortunam ferro præcurrere studeat. Hæ voces sæpius lacessiti Regis animum sollicitudinibus implicatum graviori quam ante suspicione torserunt.

Placatus ei Rex iterum ab æmulis exasperatur.

a Herus *nostratibus et Germanis* Dominum *significat, illis vulgo* der Herr, Heer *nobis.*

b Saxones *potius quam* Obotritos, Wandalos, *aut* Slavos *appellat, ut ab his, sibi subditis invidiam amoveat. Crantzius lib.* 3 *Wandal cap.* 20. Holsati, *ait, atque* Stormari, ceterique Saxones Wandalis contigui, juncti Henrico Principi ex animo, cum illo et pro illo parati extrema subire priusquam divellerentur, *et cap.* 27, *agens de bello Henrici cum Nicolao,* Jutiam, *inquit,* crebrius incursabat, cum fœderatos haberet Nordalbingos, (*hi sunt ante citati Saxones, Holsati, et Stormari*) adeoque infestam fecit regionem, ut jam nemo pæne Præfecturam Sleswici desideraret, cunctis rufugientibus crebras et violentas Henrici incursiones.

CAPUT VII.

Nefaria Canuti cædes.

Tunc Magnus perinde ac fortunæ suæ consulendi, tollendique æmuli, a patre licentiam nactus, accitos qui se superius Henrico scelestissimi consilii collegio sociaverant, jurare coegit, fidum se commissi silentium acturos. Adjectus est his Haquinus, cognomine et genere Jutus, neque voci ejus ulla ex parte diffisum est, quamquam Kanuti sororem in matrimonio habere nosceretur. Igitur conjurati diu secum taciteque lustrantes, quibus periculorum procellis, quove exitii pondere divinum Kanuti caput obruerent, pestiferi consilii laqueos humi decubando nectebant, ut si rem casu detegi contigisset, numquam stando sedendove saluti ipsius insidiatos se esse tuto jurare quirent, præsidioque situs innocentiæ sibi munimentum consciscerent, ignorantes verborum artificio juramentum edentem, perjurio obnoxium fore. Quorum fucosa atque errabunda simplicitas, plus criminis in vocis quam actus impietate reposuit; non in manuum, sed labiorum temeritate religionis violationem constituens. Cum autem Haquinus Jutus cœpti modeste sermonis exitum, Kanuti saluti insidiosum adverteret, protinus collegio se pestiferæ conspirationis abrupit, conclaveque excessit, ne latronis potius quam necessarii partes egisse videretur. Igitur a conjurationis auctore, ne jurisjurandi vinculum perrumperet, monitus, neque fautorem consilii, neque proditorem se futurum respondit; quamquam satius esset immerentis periculum indicio præcurrere, quam silentio tolerare.

Magnus in Canuti necem conspirat.

Ridicula elusio perjurii.

Impii juramenti stolida observatio.

30 Ut autem Magnus insidiarum contextum familiaritatis præsidio obscuraret, cunctamque suspicionis notam calliditatis acumine vitaret; ante omnia, consultum duxit, ut cum eo, cujus ardentissime cruorem sitiebat, fictam amicitiæ æqualitatem jurisjurandi pactione consereret, perinde ac religionis pondere propinquitatis vinculum adstricturus. Et ut cunctam malignitatis notam sanctitatis simulatione præcurreret, nihilque perfidum aut obscurum voluere putaretur, iniquissimam molitionem suam insidiosa religionis adumbratione contexit. Quippe contracta apud Sialandiam nobilium frequentia, Kanutoque circa divinum Natalis solemne convivandi gratia Roskildiam vocato, sacræ sibi peregrinationis amorem incessisse perhibuit. Præterea conjugis ipsum ac liberorum tutorem ordinat, eique plenissimam rei familiaris suæ custodiam mandat.

Magnus simulat cum Kanuto amicitiam.

31 Et forte tunc Ingiburga consilii cognitionem consciorum indiciis apprehenderat; statimque virum, ut præparatas capiti suo vitaret insidias, missis litteris monendum curavit. Ille nuntium non tam a deprehensionis certitudine, quam a muliebri pavore profectum existimans, monitionem respuit; seque non minus fidei in Magni quam uxoris præcordiis reponere dixit. Quem si fortuna æque ac conjunx consilio instruere voluisset, objectos perfidiæ laqueos consultius vitasset, neque credulitatem suam alienæ malignitatis hamis implicandam præbuisset. Interea Magnatibus apud Roskildiam quatuor solemnium dies continuo feriatis, Kanutus ac Magnus, publico jam conventu soluto, sacri temporis residuum dividuo peregere contubernio.

Canutus de periculo monetur ab uxore.

32 Eodem forte tempore quidam Kanuto admodum sanguine conjunctus, in ejus conspectu dissidentem secum militem fuste percussum interemit, atque ob id curia abire jussus, Magnum petivit. Providens autem Magnus, ne per eum ullum consilii sui indicium ad Kanutum manaret, nocte qua ad detestabile carnificis ministerium peragendum contendit, ceteris se sequi jussis, solum hunc pristina Kanuti familiaritate suspectum comitem recusavit. Consilii deinde participes jurejurando obstrictos fidem facere compulit, silentio se cuncta tecturos. Post hæc militem latebra claudit, insidiasque circumspecta locorum obscuritate disponit. Mox Kanutum apud oppidum *a* Haralstadium, ab Erico *b* Falstriæ Præfecturæ viro domi exceptum, per conjuratorum quemdam, genere Saxonem, arte cantorem, sine arbitris sibi obvium venire jubet. Occursus locum apud citimum villæ nemus denuntiat.

Evocatur a Magno ad locum insidiarum.

a

b

33 Ille nihil in re doli suspicatus, duobus tantum militaris ordinis viris, totidemque equisonibus in comitatum assumptis, armis vacuus equum petivit, neque lateri suo ferri munimentum adsciscere curæ habuit. Quem cum e famulis quidam gladio vacuum incedere vetuisset, nequaquam se in salutis tutelam ferro opus habere respondit. Tantum enim fiduciæ et pacis in Magni societate reposuerat, ut in occursum ejus ne ense quidem utendum putaret. Monitore vero ne ferrum omitteret insistente, ægre gladium sumpsit. Tunc cantor, quod Kanutum Saxonici et ritus et nominis amantissimum scisset, cautela sensim instruere cupiens, cum jurisjurandi religio, quo minus id ageret, obstare videretur, quia liquido nefas ducebat, sub involucro rem prodere conabatur, integritatem suam inter fidum arcani et pium innocentiæ servatorem partitus. Igitur speciosissimi carminis contextu notissimam Grimildæ erga fratres perfidiam de industria memorare adorsus, famosæ fraudis exemplo similium ei metum ingenerare tentabat. Sed nullis monitorum ambagibus securitatis ejus columen quassare potuit. Tantum quippe fidei in Magni propinquitate repositum habebat, ut salutem suam periclitari, quam ipsius amicitiam notare mallet. Quem cantor certioribus adhuc indiciis aggredi perseverans, loricæ quam sub veste gestabat summa detexit. Sed ne eo quidem suspicionis irritamento refectum fortitudine pectus, ignavia adstringere valuit. Ita solidæ

Inermis, nihil metuens ad eum venit.

industriæ

Auctore Saxone Grammatico.

industriæ satelles fidem suam et perjurio vacuam et innocentia plenam præstare voluit.

34 Jamque Kanutus primos silvæ aditus subibat, cum a Magno, occiduum arboris truncum insidente, falsa oris hilaritate, et fictis osculorum blandimentis excipitur. Cujus ut adstrictum amplexibus pectus ferro tectum agnovit, quid ita eo cultu esset perquirere institit. At ille dissimulandæ fraudis cupidine, munimenti rationem referre cupiens, esse virum inquit vitæ rusticæ, cujus populari penates vellet. Kanutus et rei atrocitatem, et temporis religionem sancte æstimans, quippe Epiphaniæ sacra gerebantur, ne privata ira publicum solemne macularet orabat. Quo neque se ultionem remissurum, neque proposito cessurum jurante, ipse satisfactionis justa promittere, suamque pro ejus correctione sponsionem offerre cœpit.

Maleficium, licet simulatum, dissuadet.

35 Obstrepentibus deinde qui insidiis addicti fuerant, oculos in partem circumferens, quid sibi militum hæc manus velit interrogat. Cui Magnus, jam de regni successione et rerum summa agendum, respondit. Tunc Kanutus, ut patris ejus Majestas diu lætis fortunæ velis prosperum cursum teneat exoptat; tempestivam vero talium mentionem incidere negat. Hæc dicentis verticem exiliens Magnus objurgantis more corripuit. Igitur Kanutus patente jam dolo manum capulo inserens, vagina ferrum abstrahere conabatur: jamque gladium mediotenus destrinxerat, cum eum Magnus capitis media diffissum exanimat.

Occiditur a Magno et sociis.

Ceteri conjuratorum prostratrum crebris confodere cuspidibus. Sanguis ejus terræ redditus salutarem fontis scatebram perpetuis usibus mortalium administrat.

Fons, ubi ejus fusus sanguis.

a Harestadium *aliis.*

b *Insula parva prope Selandiam et Lalandiam, oppida duo continet,* Nicopiam *et* Stubbecopiam.

CAPUT VIII.

Sepultura. Motus populi.

Tenui pompa sepelitur.

Cujus cæde comperta, Skyalmonis filii, quibus multa ad eum ex educationis communione familiaritas erat, petitum illico Regem, ut ipsum in Roskildensium monumentorum area tumulari patiatur, exorant. Ille loci copiam negare, civitatem tanti mali aspectu exasperandam dicere, eosque a quibus funebris Kanuti pompa duceretur, indignationem suam adversum invisam Magni præsentiam acrius destricturos. Quapropter exequias potius seditiosum pugnæ strepitum, quam pium humanitatis obsequium habituras. Hic mihi pavorem specie, revera odium exhibuisse videtur, curasseque ne specioso occisi funere tetrior interfectori labes accresceret. Reversi qui Regi supplicaverant, miserandum amici corpus tenui funere *a* Ryngstadium extulerunt. Nec divina laborantibus beneficentia defuit. Siquidem locum, in quo pausantibus gerulis funebris ejus lectus constiterat, repentino fontis ortu signavit. Aliis quoque compluribus rerum indiciis ingens sanctitatis ejus splendor eluxit.

a

Miraculis illustratur.

37 Facinoris fama, promiscuum patriæ lamentum excivit, omnique penates plangore complevit. Populus enim cum calamitosum de nece ejus nuntium accepisset, protinus conviviorum, quæ ea tempestate gerebantur, hilaritate deposita, morem tempori impensum mœrore mutavit, inque eo lamentando, uterque sexus unius gemebundi amici vocem habuit. Cujus funus publico luctu elatum, quantus ejus amor omnium animis insitus esset, indicio fuit. Itaque cujus vitam patria charitatis officio excoluerat, morti quoque testes grati animi lacrymas erogabat, ut Kanutum ejulatibus, ita raptorem spiritus ejus validissimis execrationibus insecuta. Magnus vero ob impiæ cædis eventum profuso in gaudium animo, Roskildiam repetit, regnumque quasi sublato jam æmulo spei firmitate complexus, erubescendam facinoris fortunam tripudio prosequi deforme non duxit. Quin etiam sanctissimis Kanuti vulneribus, quibus plenas pœnitentiæ lacrymas debuerat, voluptate ex facinore concepta, per ludibrium insultare sustinuit.

Deploratur ab omnibus.

Exultat Magnus.

38 Ne autem sanguis cælo terraque egregie meriti propagine vacuus interiret, heredem Deus extincto subjecit. Nam octava post hæc luce, Ingiburga Kanuti conceptum ex eo marem enixa proditur, cui et materni *b* avi nomen inditur. Tunc Haquinus, quem superius Sunniva ortum significavi, cumque eo Petrus matre Botilda natus, et filii Skialmonis, facinoris atrocitatem gravi querelarum contextu prosecuti, indignam amici necem in popularium ubique conciliis deplorabant, adversum iniquissimum percussoris actum vulgi iram erigere cupiendo. Quin etiam tunicam ejus crebris foraminibus absumptam omnium oculis in concione subjiciebant. Nec parum luctuosam eorum actionem laceræ vestis irritamentum adjuvit: quippe compluribus ingentem ultionis cupiditatem tam fœdæ lacerationis spectaculum ingeneravit. Sed et sanctitas Kanuti crebris signorum indiciis prodita, ac divinis vulgata miraculis, incredibili cladis ejus conquestoribus adminiculo fuit.

Nascitur Canuto filius posthumus.

b

Concitatur contra interfectores populus.

39 *Hactenus Saxo Grammaticus, qui deinde excitatas adversus Nicolaum Magnumque seditiones, ac diuturnas Daniæ calamitates prosequitur; ac tandem libro* XIV *publica veneratione coli cœptum Kanutum narrat, quæ breviter supra perstrinxit Helmoldus.*

Daniæ calamitates ex ea cæde.

a Ringstadium *hodie vetustate propemodum sua obsolevit, Regum olim a cæde S.* Canuti *mausoleis nobilitata. Nam* Waldemarus *S.* Canuti *filius, ejusque conjux* Sophia; *horum filii,* Canutus VI, *et* Waldemarus II, *ambo Reges, et soror* Regisa, *Erici Regis Sueciæ conjux, isthic conditi. Eo demum S.* Erici VI, *Regis et Martyris (hic* Walderamo II, *patre, et S.* Canuto *proavo natus) Slesvico translatum, de quo agemus,* IX *Augusti.*

b *De eo ita Saxo lib.* 11. Sueno puellam Rutenorum Regi Waldemaro, qui et ipse Jarislavus a suis est appellatus, nuptum dedit. *A Polonis scriptoribus* Jaroslaus *dicitur. Dux fuit Vladimiriensium. De eo agunt Matthias de Michovia, lib.* 2, *cap.* 12, *et Crommerus lib.* 3, *in* Boleslao, *a quo et* Colomanno, *S. Stephani Regis Hungarorum fratre, adjutus, Vladimiriam, e qua expulsus fuerat, recepit. Est autem* Vladimiria, *seu* Wolodimiria, *civitas judicialis, seu districtualis regionis Volhiniæ, sita ad* Lugum *fluvium, qui non procul inde in* Bugum *illabitur.*

DE SANCTI CANUTI TRANSLATIONE ET CANONIZATIONE.

S. Canuti Translatio.

Translationi S. Canuti *sacer est* XXV *Junii quo die Martyrolog. Colon. et Carthus. Colon. in addit. ad Usuard.* In Dacia Translatio S. Kanuti Ducis et Martyris. *Florarium* MS. In Dacia S. Kanuti Regis et Martyris translatio. *Martyrol. Germanicum :* Item in Dacia Elevatio sancti Ducis et Martyris Canuti. *At Ferrarius* XXIV *Junii :* In Dania S. Kanuti junioris Regis. *In translatione hæc recitatur Oratio in Breviario Sleswicensi :* Omnipotens sempiterne Deus, qui beatum Ducem Kanutum meritis suis inter Martyres mirificas, et inter mortales miraculis manifestas; præsta, quæsumus, ut nos, qui hodie ejus Translationem celebramus, ipsius precibus de præsenti miseria ad perenne gaudium transire valeamus. Per Dominum, *etc.*

Sepultura Ringstadii.

2 *Pro lectionibus hæc rerum a morte gestarum recitatur descriptio :* Deo dilectus Dux Canutus, terminum tangens, quem nemo præterire poterit, in fidei pignore meritum et nomen Martyris pretiosa morte promeruit. Quamplures igitur tam felici morti dedito (et pro nobilitate germinis, quia Regis filius; et pro excellentia dignitatis, quia Dux et Judex justus; et bonitate innata, quia mente providus, lingua disertus, manu fortis, corpore venustus, facie decorus, fidelibus familiaris, et Factori suo fidelis apparuit) lacrymas madefactas exequiis impendebant. Provocabat siquidem eos ratio multiplex, corpus gloriosum Roschildas deferre : civitas enim erat, Sede Pontificiali

Pontificiali auctorizata, dignitate ceteris excellentior et Patroni patriæ pretioso dotata pignore, tam Principum quam Prælatorum adscripta sepulturæ; majoris dignitatis melioribus apparuit. Terror, inquam, Tyranni, eos a proposito desistere subito compellebat. Inde frustrati voto, dispositione divina, Sancti Martyris reliquias Ringstadiam tulerunt. Membris tandem tanti Martyris in basilica Mariæ Matris et Virginis sepulchro commendatis, virtutem sepulti benignitas divina insepultam manifestavit.

Miracula, frustra ab impiis obscurata.

3 Tempore illo Ecclesiæ sanctæ duo præbendiarii erant, et ambo nequam, qui quia vitiosi, virtutibus Martyris invidentes, quem Dominus manifestum fecerat, sub modio malitiæ abscondere satagebant. Prævaluit, inquam, potentior, falsitate cedente veritati : delatorum Martyrum invectionibus fictis nullus fidelium fidem adhibuit. Perseverantes siquidem in malitia sua, secundi interfectores, pejores prioribus, sedent in insidiis, ut semel interfectum iterum interficiant innocentem. Unde vates vetularum faventes frivolis, sepulchrum Sancti, animalis immundi decoctione adhibita, fœdare frustra festinabant : ut his maleficiis, miraculis cessantibus, Martyris memoriæ meta poneretur. Sed licet filius iniquitatis nocere apposuit innocenti, nihil prævaluit inimicus in eo, quia in Domino dormientis faciente sine favilla lucem ardentem, nequitiæ nebula offuscare non potuit.

4 Annis quidem XV, membra Martyris humata manebant, et fama felix de die in diem, accrescentibus miraculis, longe lateque incrementum accepit. Universis igitur ejus persecutoribus peremptis, perempto etiam Erico, qui leonina feritate in fratris ultione, nulli parcens cædem exercuit. Ericus Spake regnum obtinuit. Tempore illo ætatis discretio, naturæ nobilitas, gratia virtutum, et timoris absentia, Waldemarum, Ducis et Martyris filium, diu latentem in medium duxerunt.

5 *Duo hic memorantur* Erici; *prior* Emundus *dictus, qui* Haraldum absque respectu fraternitatis capitali supplicio affecit, *ejusque filios* Ericum *et* Beronem *contra* promissum aquis submergi *jussit, ut Saxo initio lib.* 14. *Alter est* Ericus Lam, *hic* Spake *etiam Helmoldo dictus : ac forte* Skape *legendum, quod ovem significat, ut* Lam *agnum : ei enim ob pietatem nomen* oviculæ *inditum observant Historici. Hic non tam Rex electus est, quam qui ad provectam* Waldemari *ætatem tutorio regnum nomine procuraret; idque solum ob* S. Canuti *gratam Danis memoriam contigisse testatur Saxo Grammaticus lib.* 14, *his verbis :* Vacantem Daniæ possessionem nemo sanguinis virtutisve fiducia aut petere aut rapere præsumebat. Quippe Sueno Erici, Kanutus Magni, et Waldemarus Kanuti filius nondum regno tempestivi fuere. Christiernus vero Waldemarum paterno, cujus ultionem adjuverat, regno dignissimum prædicabat. Quem honorem mater multis et gravibus periculis obsitum, ac vix quidem adultis gestabilem, perniciosum parvulo futurum advertens, poscenti puerum Christierno tradere recusavit, majoribus id munus deberi præfata. Postremo pertinacius insistentem jurejurando obstringit, in Regem eum eligi non posse passurum. Quo Christiernus ad populum et concionem usque perlato, patris ejus beneficia memorat, ut domi leges et jura stabilierit, ut foris hostem represserit, ut furtis rapinisque patriam vacuefecerit, ut Daniam pæne exhaustam et exsanguem Slaviæ magistram reddiderit, ut etiam unicuique per vim amissa ad integrum restituerit, utque cunctis his operibus sanguini suo regnum deferri meruerit. Verum cum filius ejus nondum maturos imperio annos acceperit, neque Danis sub auspiciis puerilibus rem gerere militarem expediat; virum debere circumspici, qui usque ad provectam pupilli ætatem tutorio regnum nomine procuraret. In quod munus aptius neminem, quam Ericum superioris Erici ex filia nepotem, quod audacia ac pietate præstaret, maternumque genus ex Regibus duceret, adscisci posse, adulto rerum summam pupillo cessuram. Ita Erico et populi favor, et pueri majestas vires regias dedit.

Waldemarus filius Rex creatur : ei Ericus tutor datur.

Ex Saxone Grammatico.

6 *Ubi autem a morte Erici Lam, et cæde Suenonis ac Canuti, Waldemarus pacifice regnum solus obtinuit,* patris S. Canuti canonizationem promovit. *De hac ita Saxo lib.* 14. Per idem tempus Legati Regis, quos, ut sibi paternæ animæ sanctitatem sacris honoribus venerari liceret, Romam transmiserat, consentaneas voto litteras retulerunt. Quibus cognitis Rex omni Danica nobilitate sub edicto Ryngstadium evocata circa solemne Joannis, quod in æstivo solstitio colitur, et parenti cælestes honores, et filio (*Canuto VI*) regios celebrare constituit; maxima claritatis incrementa accepturum se ratus, si una eademque luce ex iis alterum ara, alterum corona donasset; ut et hujus infantiam regnum reciperet, et illius spiritum publica religio consecraret. *Et paullo inferius,* Waldemarum, *inquit,* apud Ryngstadium magna cum Optimatum frequentia regio apparatu feriantem reperiunt. Ubi Lundensis Pontificis ministerio, cujus id exequendi officium erat, et patris ejus ossa aræ traduntur, et filius septem annos natus Kanutus Rex consecratur, regia in sella purpura venustatur. Quibus debita religione celebratis Helgo Pontifex Asloensis (*seu Ansloensis in Norvegia*) et Stephanus Upsalensis (*in Suecia*) ab Erlingo (*Duce Norvagianorum*) missi, editiore loco occupato, pacem Norvagiensibus benigno precabantur alloquio; quam a Rege eo potissimum die concedendam esse monstrabant, quo et filium diademate, et parentem altareo honoratum vidisset. *Hæc Saxo. Priora ejus verba refert Baronius tom.* 12, *an. Ch.* MCLXIV, *n.* 50, *additque :* Habes ex eodem auctore duos Canutos Reges, avum alterum, alterum vero patrem ipsius Waldemari Regis; *in quo falli eum supra monuimus.*

Canuti canonizatio procurata.

Canuti nepotis inauguratio.

Pax Norwegis data.

7 *Historia compendiosa Regum Daniæ e* MS. *a Lindebrogio edita, refert* Waldemarum, cum filiam suam Christinam dedisset Frederici *Aenobarbi* Imperatoris filio *Henrico VI,* uxorem, vidissetque sanctissimum patrem suum Divorum catalogo adscriptum, filium suum regni diademate ornatum, tandem mortuum esse, *etc. Crantzius lib.* 6, *Daniæ cap.* 29. Quo tempore, *inquit,* nuntius et oratores rediere, quos Rex ad urbem Romam misit testificandi gratia de miraculis, quæ ad tumulum D. Canuti fierent, quo Rex patri posthumus filius natus est. Erat autem annus post millesimum centesimus septuagesimus primus. Tum apud Ringstadium, ubi paternus erat tumulus, omnem conventum omnium de regno concivit Rex, litteris a Sede Apostolica proditis. Ibi D. Kanutus solemni precationum genere de tumulo levatus, aræ consecratus imponitur. Quo etiam conventu Rex filium nuper regio nomine insignitum Kanutum, nunc et oleo sancto deliniri, coronaque jubet insigniri, gemina patris et filii medius ipse sollemnitate feriatus. *Hæc Crantzius, qui ejusdem canonizationem paucis iterum attingit lib.* 3, *Wandaliæ cap.* 34, *lib.* 5, *Saxoniæ cap.* 28 *et lib.* 6, *cap.* 2, *Joannes Magnus lib.* 2, *de vitis Pontificum Upsalensium in Stephano Archiepiscopo ita scribit :* Res Norvegianorum ob diuturna bella, quæ Duce Erlingo cum Danis gesserant, pene in extremam ruinam devenissent, ni hujus Stephani prudentissima legatio et excellens facundia pacem a Rege Valdemaro ipsis impetrasset : in quod negotium multum laboris et expensarum impendit, eodemque tempore una cum Eschillo Archiepiscopo Lundensi, D. Canutum Ducem et Regem Obotritorum in Sanctorum catalogum jussu Alexandri Papæ III, inscripsit. *Hæc Magnus, qui similia habet etiam lib.* 19, *Hist. Gothorum cap.* 7, *Cypræus cap.* 27, *scribit ann.* MCLXXI, *cuncta hæc esse gesta.*

Eadem aliis narrata.

DE B. ALBERTO EREMITA

IN TERRITORIO SENENSI.

CIRCITER AN. MCLXXXI. VII JANUARII.

Hugo Menardus in Martyrologio Benedictino VII *Januar.* In territorio Senensi B. Alberti Eremitæ Montis Alceti, Ordinis Camaldulensis, miraculis clari, qui vigesimo septimo conversionis suæ anno migravit ad Dominum. *At Kalendarium Benedicti Dorganii excusum Maceovii an.* 1622, B. Alberti Eremitæ miraculis clari. *Vitam ejus Italice scripsit D. Silvanus Razzi Abbas Camaldulensis libro* 2, *de Sanctis Etruscis; quam nos Latinam fecimus.*

VITA

EX ITALICA SILVANI RAZZI.

CAPUT I.

Sanctioris vitæ initia.

B. Alberti adhuc puert abstinentia.

Natus est B. Albertus honestis parentibus, in territorii Senensis castello, cui Monti-alceto nomen. Mox vero singularis Dei erga illum gratia eluxit : quippe qui nisi stata hora, ritu jejunantium, sugere ubera adhuc infantulus nollet. Quod haustum divinitus institutum, multo etiam illustrius prodidit, cum adolescens tres hebdomadæ dies sibi esuriales esse voluit; cibo, qui præbebatur, propriis manibus erogato in pauperes.

2 Cum jam excessisset ex ephebis, considerans vitam hanc mortalem non nisi peregrinationem esse quamdam, ac militiam super terram; enitendum proinde ut tandem ea emensa felicem portum fas sit ingredi, ratione quam Christus verbo vitæque exemplis commonstravit; Romam discessit ad sanctorum Apostolorum basilicas, inde in *a* Appuliam, S. Michaelis in Gargano monte sitam ædem visitaturus, se contulit; postremo *b* Venetias ad S. Marci reliquias. Hinc vero in Palæstinam navigat : Christi sacrosanctum sepulchrum, aliaque nostræ salutis celebrata monumentis loca veneratur, eo animi sensu ac pietate, ut omnino statueret, voto nuncupato, penitus sese divino cultui consecrare. Cum aliquod isthic spatium temporis exegisset, nullum subterfugiens aut itineris laborem, aut incommodum corporis, duce, quo agebatur, Dei Spiritu in *c* Gallæciam abit, ad S. Jacobi sepulchrum. Hic cum moraretur, sæpius conspecta est in dextrum ejus humerum advolare columba, rostrumque in aurem ejus inserere, et quasi ei quidpiam insusurrare : fortassis argumento futura, quam vir Dei columbina esset animi præditus simplicitate.

Peregrinationes variæ.

a

b

c

Ejus humeris insidet columba.

Exemplo B. Anselmi, pœnitentiæ se dedit.

3 Ex tot tamque longinquis ac molestis itineribus domum tandem reversus est, certus quæ Deo voverat quamprimum exequi, vitamque eremiticam complecti. Cum divino instinctu ad eum B. Anselmus ex quadam Ordinis *d* Camaldulensis eremo adit, inque ejus domum ingressus : Hoc, inquit, est domicilium, in quo me habitare oportet, additque se ejus merita vitæque sanctitatem ex quodam sancto Patre didicisse. Consecrata igitur in religiosam habitationem B. Alberti domus. Dies aliquot cum eo commoratus B. Anselmus, præter ceteram carnis macerationem, singulis noctibus corpus suum flagris acerrime cædebat. Cujus exemplo et in suum quoque sævire corpus Albertus, idque in servitutem redigere, et inedia affligere, magno animo cœpit. Irritata diaboli hac ejus alacritate invidia est. Varia igitur moliri ut eum ab suscepta exercitatione revocaret : et cum alias illecebras complures, tum varias mulierum species objicere. Sed hos omnes inimicis insultus generosus Christi athleta assidua precatione depulit.

Tentatur a diabolo.

4 Haud multo post, divino instinctu, in disciplinam se tradit *e* S. Guilielmi, qui Pictavensi Comitatu ac Ducatu Aquitaniæ abdicato, monasticæ vitæ exemplis florebat, sub annum MCLIV, ac modo eximia veneratione celebratur, præsertim *f* Castilione Piscaliæ, ubi ejus adservatur corpus. Ut vero certius inimici impetum retunderet, carnemque domaret, cilicio sese induit, atque in nuda humo cubare instituit; aut cum labore ac vigilia esset exhaustus, in angusta tabula paullulum quiescere. Cibus illi hordeaceus panis, vinum non nisi Dominicis diebus bibebat. Præterea cum induxisset in animum, Patrum Ægyptiorum more, labore manuum victitare, cœpit operam in agris colendis suam elocare.

e

Sub S. Guilielmi disciplina austere vivit, et manuum labore.

f

5 Hic die quadam cum ardentissima siti torqueretur, alterum quempiam laboris socium pauxillum aquæ rogavit. Is vasculum ei aquæ præbet. Quo aperto, ac liquore degustato : Quid mihi, inquit, illudis? Aquam te rogavi, non vinum. Hoc tu ipse ebibe, ego id nolo. Ea re ad plures vulgata, ceteri qui in vicino operabantur, convenere, atque de vino hoc bibere, et late celebravere miraculum. Plures hac excitati fama ad virum sanctum adire, illumque ut pro se ad Deum preces funderet rogare, ac beatos se credere si cum eo colloqui familiariter potuissent. Aversari hanc frequentiam vehementer vir Dei ac devitare, quod ea nimium sese a sanctis suis exercitiis avocaret. Ex eo igitur loco profugit, ac montem desertum aut spelæum vestigat, ubi solitariam vitam ageret, solusque cum Deo, cum Christo Jesu, cum Virgine Matre, cum Sanctis omnibus ageret.

Aqua ei in vinum mutatur.

Secedit in locum desertum.

a *De S.* Michaelis *apparitione et basilica in* Gargano *monte Appuliæ, agemus* VIII *Maii, et* XXIX *Septemb.*

b *De S.* Marci *Evangelistæ translato Venetias corpore* XXXI *Januarii, et* XXV *Aprilis.*

c XXV *Julii de S.* Jacobo Majore *dicemus, deque fidelium ad ejus corpus, quod Compostellæ in Gallæcia quiescit, frequenti peregrinatione.*

d *De sanctissimi Ordinis* Camaldulensis *ortu dicemus ad S.* Romualdi *vitam* VII *Februarii.*

e *S.* Gulielmi *vitam dabimus* X *Februarii, atque illud inquiremus, an qui hic memoratur* Guilielmus, *vitamque eremiticam egisse traditur ad* Stabulum Rhodis *in territorio Senensi, (qui locus nunc* Malavallis *appellari dicitur) idem sit cum celebri illo Aquitaniæ Duce.*

f Castilio Piscaliæ, oppidum, *inquit Leander Albertus,* faucibus altræ cœno paludis, quam Aprilem lacum Antoniuus vocat, appositum. *Inde lacus hic, qui aliis est* Prillis, *sive* Prilis, *Ciceroni pro Milone* Prelius, *(alii* Pretius *et* Perelius *legunt) vulgo* Il lago di Castiglione *dicitur. In eum* Salebro *labitur, qui vulgo* Brone, Brune, Bruno; *Leandro* Brunus, *et (ut scripsisse Plinium putat)* Prilis. Castilionem *autem* Piscaliæ, *vulgo* Castiglione della Pescaia, *a* Monte Piscalo *dici tradit idem Leander. Est vero hic lacus oppidumque in Senensis territorii ora maritima..*

CAPUT II.

Eremum inhabitat, miraculis clarus.

Devenit una cum Grifolo nepote suo ad montem, cui nomen Tauricella, hactenus a nemine mortalium cultum ob vim horrificam, quæ isthic sæviebat, ventorum. Hic illico cellam extruit : eamque a Deo gratiam est consecutus, ut fusis precibus, religiosa formula loco bene apprecatus, omnem vim ventorum effugarit, nec sit deinceps vehementior isthic flatus auditus.

Ventorum vim in perpetuum sedat.

7 Interea orta inter *a* Asciani et Montisalceti incolas nescio quæ dissensio est; multa invicem damna illata. Ipse quoque B. Albertus cellam suam construi cœptam primo mane revisens, in armatos incidit; qui tamen non ausi injicere in eum manus; nepotem ejus Grifolum in custodiam misere, nummorum aliquid expressuri. Turbari Grifoli parens, ac maledicta in B. Albertum jacere, qui hujus sibi damni, filio periculi

a

Nepotem captum liberat.

culi occasionem præbuisset. Postridie ex hostium manibus elapsus, domum salvus et incolumis Grifolus revertitur. Cumque patrem reperisset in Albertum jactantem convitia, eummet ipse graviter increpare cœpit, innocentem esse Albertum, gratias potius ei agi oportere, cum ejus meritis sic hostium manus evaserit.

Vini vasculo homines 12, *die integro reficit.*

8 Prosequi deinde cœptam extructionem institere. Cum vero duodecim operariis, qui lapides effodiebant, potus deesset; vir sanctus exiguum eis vini vasculum dat, ipso die dono sibi missum. Illi vero, Quid? an hoc tot reficiendis hominibus sat erit? Sumite, inquit Sanctus; potest enim Deus eo vestram omnium sitim restinguere. Sumpto igitur vasculo omnes sæpius biberunt, sitim sedarunt: cumque vasculum sancto viro ad vesperam redderent, animadverterunt nondum vinum omne exhaustum; et gratias Deo egerunt.

Miraculis claret.

9 Cum cella quo cupiverat modo exædificata jam esset, eam inhabitare cœpit; ac viginti septem in ea annos orationibus, contemplationi, aliisque sanctis exercitiis assidue vacavit, eo fructu divinique obsequii amplificatione, ut nemo sanctius ascetica tractare studia ea ætate crederetur: quam pervulgatam opinionem crebra confirmabant miracula.

Lepus atque aviculæ familiariter ad eum accedunt.

10 Cum in agro die quodam operaretur, in leporem incidit, qui non modo non profugit, sed capi se familiariter sivit. Cumque eum socii occidere vellent, Fratres, inquit, si nobis hic nihil nocuit, imo ultro se credidit nobis, cur ei nos noceamus? sicque eum liberum dimisit. Post paullo insectantes fugiens venatores, ad virum Dei denuo accurrit, qui mox eum intra tunicæ suæ manicam abscondit, dum abiissent venatores, ac deinde dimisit. Hinc nempe depingi vulgo Beatus hic solet cum lepore manicæ inserto. Nonnumquam illapsa per fenestram avicula ultro ad manus ejus advolabat, iisque insidebat.

Febrim pellit.

11 In iis regionibus Comes quidam periculosa febri correptus est: cumque nihil adhibita pharmaca efficerent, deportari se ad B. Albertum jussit; utque primum eum vidit, nihildum aliud effatus, quoniam ardentissima siti cruciabatur, aquam potandam flagitavit. Eam præbet vir sanctus: qua epota, integram sibi alter redditam esse sanitatem sensit. Idem cum conjugem sterilem haberet, Alberti sese orationibus commendat, precaturque ut sibi prolem impetret a Deo. Spem in Dei misericordia collocare Sanctus jubet, atque ad conjugem suam accedere. Ex qua non multo post filium suscepit: quem aliquantulum ætate provectum ad Albertum deducit, itaque eum affatur: En filius tuus, non tuo quidem semine procreatus, sed tuis meritis precibusque condonatus a Deo.

Prolem sterili impetrat.

Febrim sanat.

12 Comes Ubertinus, cognomento Spathalonga, ita febri quartana conflictatus, ut medici de ejus salute desperarent, ad eum deportatus, eadem quoque ratione valetudinem pristinam recuperavit. In cujus rei testimonium discedens aureum annulum altari impositum isthic reliquit.

Ulcus tactu curat.

13 Comitissa ejus in quo commorabatur loci, cum filium haberet, quem fœdissimi tabes ulceris consumebat, fessa diuturnæ adhibitæ frustra curationis, magna eum pietate non sine lacrymis Sancto commendat. Manum ille ulceri imponit, idque momento curatum est.

a *Meminit* Asciani *Leander in Thusciæ descriptione: ad lævam* Umbronis *fluvii ripam situm est.*

CAPUT III.

Ex Italica Silvani Razzi.

Variæ curationes, aliaque miracula.

Elephantiacam curat.

Virgo quædam Hispana, ægritudine, quam elephantiacam vocant, ita misere cruciabatur, ut toto pæne e corpore sanies diffluueret, vermesque excrescerent. Multa nequidquam periclitata, in Siciliam spe consequendæ sanitatis ostensa proficiscitur; *a* Salerni B. Alberti sanctitatem, quæque ejus meritis patrarentur a Deo miracula, auditione percipit. Advolat inde in Hetruriam: cum eadem Comitissa et Sacerdote cui Tuscano nomen, ad sanctum virum accedit, ei submississime sese commendat. Ille hæc tantum: Dominus per suam misericordiam et intercessionem Sanctorum Apostolorum tui misereatur. Cumque qui aderat Sacerdos rogatus esset ut sacrificium Deo offerret, dum Eucharistiam ipse sumit, persentiscit puella quasi igni quodam omnia membra pervadi, ut concremari ossa omnia viderentur. Nec multo post omnino sanata est, Deoque gratias egit, appensa isthic in gratitudinis miraculique testimonium imagine: optabatque vitæ reliquum isthic exigere: sed nulla ratione id ut pateretur induci vir sanctus potuit.

a

Febrim precibus sanat.

15 Marianus Sacerdos, multis sæpe impensis B. Alberto obsequiis, cum acutissima febri esset correptus delatus est ab amicis ad beatum virum, qui ita illum affati sunt: Ecce, quem tantopere diligis. Ipse eum deferri in oratorium jubet, proque eo Deum precatur. Æger vero subito veluti a sommo experrectus exsurgit, quæritque admirabundus qua illuc ratione pervenerit. Tanto vero pius ille Sacerdos B. Albertum amore prosequebatur, ut post ejus mortem ab ejus sepulchro recedere noluerit, sed reliquum isthic vitæ exegerit.

Aqua B. Alberti moribundum sanat: vertitur in vinum.

16 Bubulcus quidam ejus regionis, nomine Medulus, ardentissima febri ad extrema perductus, aquam B. Alberti identidem postulabat, eique quo poterat modo sese commendabat. Mittitur qui aquam adferat: interea eo redactus est æger, ut jam funebria ordinari inciperent. Allata aqua, quidam ex adstantibus majori quam ceteri fide præditus, ut extrema ægritudine pressis perfundi identidem os solet, cœpit a qua illa instillata os illi aspergere. Vix guttæ paucula in os ejus erant admissæ, cum resumptis viribus stupentibus cunctis, loqui cœpit, ac cibum poscere. Et continuo integram sanitatem recepit, Deoque gratias agens, quæsivit quodnam id vinum fuisset, quod sibi potandum præbuissent, cujus ea vis extiterat, ut se a portis mortis revocaret ad vitam. Responderunt non vinum ei sed aquam propinatam quam fractis vocibus balbutiens postulasset. Interim ex eodem vasculo prompsere palam quam plurimis, deprehenderuntque in optimum vinum aquam esse conversam. Fixum ad perpetuam rei memoriam in sacra æde id vasculum, plures annos stetit. Simile prodigium haud multo post in simili aqua patratum est.

17 Longum erit si omnia percensere voluerimus a Deo facta B. Alberti meritis precibusque miracula, quæ in Annalibus Camaldulensibus atque alibi descripta sunt. Breviter ista perstringemus. Puellulæ cæcæ in *b* Aretina ditione, manu capiti illius imposita, visum; alteri mutæ, aqua præbita, loquendi facultatem restituit.

b

Cæcam curat: item mutam.

Ejus meritis quædam serpentem evomit illæsa.

18 Memoliandæ, mulieri cuidam aperto ore dormienti penetraverat intra viscera serpens, eamque diris modis cruciabat. Ad B. Albertum semianimis perducitur. Preces ad Deum fundit, aquam deinde mulieri præbet, qua pota serpentem illico evomit.

Convalescit moribundus.

19 Montalceti quædam unicum filiolum morti proximum ulnis complexa e fenestra versus B. Alberti cellam spectante prospicit, itaque intimo affectu precatur: O sancte vir Dei Alberte, si mihi filiolum hunc meum incolumem reddideris, eum mecum perpetuo Dei obsequio devoveo. Vix ea protulerat mater, cum subito filio sanitas est restituta.

20 Mercator

Ex Italica Silvani Razzi.

20 Mercator quidam ex *c* Valdorcia *d* Grossetum tendens, jumentum amiserat. B. Alberti opem imploravit: illud post paullo invenit inter duos lupos securum neque enim valebant audebantve proprius ad illud accedere.

c d *Jumentum servatum.*

21 Quidam ex *e* S. Geminiani municipio ab Comite Montalceti insons missus in vincula, visus sibi B. Albertum coram intueri, atque audire monentem, uti cum bono Deo abscederet liber jam a vinculis. Consurgit ergo compedibus solutus: foribus carceris divina virtute reseratis egreditur, murum pertransit veluti si in plano ambularet, per loca sibi antea incognita, nullo cujusquam nisi divinæ benignitatis adminiculo, Beatique Alberti meritis, ad ejus tandem cellam pervenit, gratiasque egit pro collato beneficio.

e

Captivus miraculose liberatur.

22 Multos et graves dæmonum assultus vir Dei sustinebat. Quandoque luporum tanta vis ad cellam ejus confluxit, ut mons iis coopertus videretur: sed cum fudisset ad Deum preces, ac signum Crucis efformasset, omnes momento evanuere. Alias in cellam ejus immanis serpens ingressus est, quantum vis magna trabe crassior. At ille nihil territus, Deum precatus, sciscitatur ex bellua, quid se velit. Illa nec aspectum ejus ferens, tanto strepitu e monte in præceps devolvitur, ut mons universus subsidere atque everti videretur. Alias formosissimæ mulieris specie assumpta in sancti viri cellam dæmon ingreditur, eoque salutato dicere cœpit se opulentam viduam esse, magna industria præditam; felicem qui benigno sese animo susceperit. Sensit fraudem vir Dei, jubetque in malam rem illico facessere. Illa iisdem verborum blanditiis uti adversus eum pergit. Ille isthæc audire non sustinens eam foras proturbat: quæ mox ex oculis subducta quæ esset recessu prodidit. In viri tamen sancti membris ejusmodi formæ conspectus nescio quam excitavit titillationem, quæ tota nocte consequente negotium illi facessivit. Nec prius compesci potuit omnino, quam advocato Tuscano, quem ante diximus Presbytero confessione expiavit animum. Nec sat id efficax remedium fuit. Diu ergo suum ipse excruciare corpus, et quem admodum Sanctus olim *f* Benedictus, in urticis spinisque acutissimis sese volutare, donec omnem carnis stimulum retudisset.

A dæmone impugnatur specie luporum, serpentis, mulieris.

Stimulos carnis fortiter reprimit.

f

23 Et quoniam immenso tenebatur alienæ salutis desiderio, omnes ad se quacumque occasione adeuntes salutaribus monitis instruebat, atque in precibus, quas pro iis fundebat ad Deum, primum animæ salutem iis postulabat, tum quæ rogatus erat ad corpus spectantia, plerosque dein verbis Salvatoris erudiens. Sanus factus, inquiebat, noli peccare, ne deterius tibi eveniat. Nemini quæ flagitaretur auxilia temporaria negavit. Quæsivit ex eo pauper quidam morbo elephantiaco fœde afflictatus, in quem secedere locum ac commorari posset. Frater, non aliud mihi, inquit, domicilium est nisi cella ista, quam mihi ædificavi. Verum eam tibi nunc cedo: tua erit deinceps. Tradidissetque eam illi, nisi discipuli obstitissent, alia misero illi habitatione curata. Stipem eum mendicus quidam orabat: (atque id sæpius in tam longinquis molestisque itineribus verisimile est illi accidisse) cum quod largiretur non haberet, tenue quo amiciebatur pallium ei donavit.

Omnibus subvenit.

Joan. 5. 14.

Cellam suam leproso offert.

Pallium donat pauperi.

24 Vitæ quietioris desiderio pridem emigrasset alio, magnum imitatus *g* Hilarionem, atque in alias etiam regiones secessisset; nisi eum studium gentiles suos adjuvandi retinuisset: nec sine divinæ providentiæ, ut remur, nutu; quo ferocior aliquanto gens tanti Patris exemplis monitisque proficeret. Cum igitur in ea cella viginti ac septem annos habitasset, ad laborum suorum præmia evolavit in cælum.

g

Pie moritur.

a *Est* Salernum *Picentinorum urbs antiqua.*

b Aretium, *sive* Arretium, *vulgo* Arezzo, *urbs est Thusciæ antiqua, ad lævam* Clusinæ paludis, *cujus aquæ quatuor inde millibus passuum in* Arnum *influunt.*

c Assus *amnis exiguus juxta* Saxum *vicum in* Umbronem *influit, ubi* Orcia *dicitur, teste Leandro. Hinc* Orciana vallis *sive* Valdorcia, *inter* Umbronem *et* Clusium *oppidum.*

d Grossetum, *sive* Grosetum, *urbs est Episcopalis, inter* Prelium *lacum et* Umbronem *fluvium. Alii* Rosetum *dictum volunt; quo argumento, ipsi viderint.*

e *S.* Geminiani *oppidum est Florentinæ ditionis, perhonestum, non longe ab* Elsæ *fluminis læva ripa, a Desiderio Longobardorum Rege conditum, ut testatur Leander.*

f XXI *Martii S.* Benedicti *dabimus vitam.*

g *Colitur S.* Hilarion XXI *Octobris.*

DE S. RAIMUNDO DE PENNAFORTI III

GENERALI ORDINIS PRÆDICATORUM.

Ann. MCCLXXV. VII Januarii.

Ex Ordine Prædicatorum Sancti plurimi.

Ex sacratissima S. Dominici *familia tot, inde a primo ejus exortu, præclarissimi Heroes extitere qui vel aditis Catholicæ Religionis propagandæ caussa laboribus, vel fuso sanguine, vel innocentia vitæ, ac virtutum omnium exercitatione, cælestes honores aut consecuti aut promeriti sunt, ut vere affirmarit Bernardinus Stephonius noster in Oratione de laudibus B. Agnetis Politianæ,* in decernenda cælestibus hujus Ordinis hominibus immortalitate nominis ac honoris non minus sæpe Illustrissimis *purpurati Senatus* Principibus cogitandum sit, quos ex eo genere minime negligendos, quam quos deligendos existiment. Nam, vt superiora, *inquit,* tempora mittantur, vel intra paucos hosce annos, ac potius menses, imo dies, nos ipsi vidimus, quam multos hujus nominis homines, quos cælo sua virtus intulisset ante, post sacrorum celebritate decreta templis addidit Pontificis auctoritas, cum Regum ac populorum expectatione consentiens. Enimvero proprium hoc est vestræ disciplinæ, Patres: vos annuas ferias occupatis: vestra felicitas Latinos fastos propemodum sola conficit: ex vobis quotidie præclarissima lumina proficiscuntur, quæ Romanum annum, quasi Galaxiam cæli, frequentant, densissimis stellarum, hoc est, virtutum splendore dispersum. Ita nullibi jam sæpius quam apud vos, statis accepta cæremoniis religio publice feriatur. *Et post pauca:* Alios jam deinceps templis, ut audio, parturit; et, ut spero, pariet sanctitatis vestræ, Patres semper enixa, numquam effeta fecunditas: nec

—— uno avulso deficit alter
Aureus, et simili frondescit virga metallo.

Quod ex aureo carmine dictum, ad condecorandam vetustæ Familiæ nobilitatem, transtulit Poeta non ignobilis. Sed illud verius in aureum istum tenorem numquam intermissæ felicitatis vestræ cadit.

2 *Religiosissimum porro hunc Ordinem egregie illustravit, sub ipsa fere ejus initia,* Raimundus, *nobilitate generis, eruditionis et sanctitatis laude, etiam antequam eum ingrederetur, clarissimus. Qui anno* MCCLXXV *vita functus,* MDXLII, *coli publice ad aras Barcinone cœpit, tandemque* MDCI. *Clementis VIII, sacrosancta auctoritate, in Sanctorum Confessorum numerum est relatus; tam propensa Pontificis ipsius voluntate, ut ipse de eo Orationem, quam in Officio divino retinuere Prædicatores, hanc composuerit:* Deus, qui Beatum Raimundum, Pœnitentiem Sacramenti insignem ministrum elegisti, et per maris undas mirabiliter traduxisti; concede, ut ejus intercessione dignos pœnitentiæ fructus facere, et ad æternæ salutis portum pervenire valeamus. Per Dominum, *etc.*

Oratio de S. Raimundo.

Obitus dies 6 Januar.

3 VI *Januarii, quo obiit, celebratur in quibusdam Martyrologiis. Nam Molanus in Addit. ad Usuardum ita scribit :* Barcinone B. Raimundi Confessoris, tertii Magistri Ordinis Prædicatorum, qui licet non sit canonizatus, ejus tamen festivitas ex consensu Pauli III, a Barcinonensibus celebratur postridie Epiphaniæ Domini. *Eadem habet Martyrologium Germanicum; eadem fere Galesinius in Notis, qui tamen fallitur, dum* Pauli IV, *permissione celebrari ejus festum cœpisse scribit, quod est* Pauli III, *auctoritate factum. Ferrarius quoque in generali Catalogo SS.* Barcinone in Hispania S. Raimundi Confessoris. *Martyrolog. Coloniense de eo quoque, ut opinor,* XVI *Januarii.* Eodem die S. Remundi Confessoris. *Idem habent Carthusiani Colon. in Addit. ad Usuard. et* MS. *Florarium.*

Celebritas 7 Januar.

4 *Ast* VII *Januarii Martyrologium sacri Ordinis Prædicatorum :* Barcinone in Hispania S. Raimundi de Peñafort Confessoris, tertii Generalis Magistri Ordinis Prædicatorum, doctrina, sanctitate, ac miraculorum gloria insignis : qui Ordinem beatæ Mariæ de Mercede redemptionis captivorum fundavit : Jacobo Aragonum Regi auctor fuit ut sacrum Inquisitionis officium in suis regnis institueret : ex insula Baleari majori Barcinonem mare trajecit nullo navigio, solo pallio super aquas expanso, ingenti miraculo vectus; januis clausis monasterium intravit : et quadraginta mortuos suscitasse memoratur : prope centenarius ad cælestem gloriam evolavit, ipso die Epiphaniæ : e cujus sepulchro perenni miraculo tenuis pulvis materia semper inexhausta enascitur, quo varii languores curantur. Relatus est in Sanctorum numerum a Clemente VIII. Festum totum duplex. *Martyrologium quoque Romanum Urbani VIII, auctoritate recognitum :* Barcinonæ S. Raymundi de Peniafort Ordinis Prædicatorum sanctitate et doctrina celebris.

Qui ejus vitam scripserunt.

5 *Res a* S. Raimundo *præclare gestas plurimi litteris tradidere :* Nicolaus Aymericus *Inquisitor regni Aragoniæ, qui anno* MCCCL, *vivebat. Ea vita extat Gerundæ* MS. *in Conventu Prædicatorum.* Bernardus Guido *in* MS. *libro de Capitulis generalibus Ordinis.* Jacobus de S. Joanne, *qui anno* MCCCCLVI. *Barcinone Inquisitor erat. Hæc* MS. *asservatur Barcinone in eorumdem Patrum Conventu : an idem hic sit, qui infra ad cap. 4, majoris vitæ citatur* Jocobus Dominicus, *haud scio.* Petrus Marsilius *pluribus libris historiam Jacobi I. Aragonii, qui Expugnator, vulgo El Conquistador dicitur, complexus, in eaque plurima de S. Raimundo : an etiam vitam ejus peculiariter scripserit, non comperi.* Michael Llot *canonizationis S. Raimundi procurandæ caussa in Urbem missus, librum isthic edidit an.* MDXCV, *de ejus laudabili vita, et actis hactenus in Curia Romana pro eadem canonizatione.* Joannes Marietta *Historiæ Sanctorum Hispaniæ part. 2, lib. 12, c. 30 usque ad* 39. Franciscus Diagus *Historiæ provinciæ Aragoniæ Ordinis Prædicatorum parte 1, lib. 2, cap. 7, et 20 sequentibus, qui et lib. 7 Annal. Valent. cap. 1, et 2, ejus meminit.* Ferdinandus del Castillo *Historiæ generalis Ord. Prædicatorum lib. 2, cap. 16, 17, 18,* Abrahamus Bzovius *tom. 13 Annalium Ecclesiasticorum, S. Raimundi res gestas prosecuti sunt. Ex professo præterea vitam ejus scripserunt,* Antonius Vincentius Domeneccus *lib. 2 Historiæ Sanctorum Catalaniæ,* Franciscus Peña *commentar. in partem 2, Directorii Inquisitorum Nicolai Aymerici : quem aiunt luculentiorem aliam edidisse post Sancti canonizationem.* Petrus Ribadeneira *noster;* Seraphinus Razzi; Heribertus Rosweydus *noster,* Cornelius Grazius *Carthusianus;* Leander Albertus, *atque ex eo* Laurentius Surius, Franciscus Haræus, Antonius Senensis.

Qui de eo meminerunt.

6 *Meminerunt S. Raimundi,* Stephanus de Sampayo *in Stemmate Ordinis Prædicatorum,* Andreas Scottus, *seu quis alius Bibliothecam Hispaniæ composuit, tom. 2,* Seraphinus Razzius *jam citatus, in Historia virorum illustrium Ordinis Prædicat.* Antonius Senensis *in Chronico, et in Bibliotheca Ord. Prædicat.* Joannes de Friburgo *in Prologo Quæstionum casualium, et in Prologo Summæ.* S. Antonius 3 *par., tit. 23, cap. 10,* § 5, *et cap. 12, ubi inter alia scribit, eum, cum Ordini præsset,* zelum religionis habuisse in observantia cæremoniarum. Marcus Antonius Coccius Sabellicus *Enneade 9, lib. 6,* Hieronymus Zurita *tom. 1, Annal. Aragon. lib. 3, cap. 94,* Joannes Trithemius *lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis.* Joannes Mariana *noster lib. 13, Rer. Hispan. cap. 22, et alibi.* Antonius Possevinus *noster.* Jacobus Ferrandus, *qui, ut scribit Marietta, natione Turca, vir eximiæ eruditionis ac pietatis, bis provinciæ Aragoniæ Ord. Prædicatorum præfuit : hic officium de B.* Raimundo, *cujus est in Clementina mentio, composuit.* Thomas de Trugillo *tom. 1, Thesauri concionum ex Leandro et Ferrando.* Abrahamus Bzovius *iterum ante citatus, tom. 3 Concionum sacrarum.* Petrus Valderama *Augustinianus in Theatro Religionum tom. 2,* Joannes de Mata *in libro Concionum de SS. Ord. Prædicatorum et Minorum.* Thomas Raimundus *in Viridario plantarum divinarum, etc.* Franciscus Hyacinthus Choquetius *S. Theologiæ Doctor, mihi amicissimus, libro qui inscribitur* Mariæ Deiparæ in Ordinem Prædicatorum viscera materna, *cap. 9 et 13,* Fabianus Justinianus *in Indice universali alphabetico.* Ludovicus Granatensis *conc. 2, Dominicæ 22 post Pentecosten.* Platina *in Gregorio* IX, *ita scribens :* Raimundum autem Barcinonensem, quo adjutore in compilando libro Decretalium Gregorius usus est, ita quidam laudant, ut majori commendatione laudari nemo possit.

Ex varrs.

7 Bernardinus Gomesius *in vita Jacobi Regis,* Jacobus Philippus Bergomensis *in supplemento Chronicarum lib. 13,* Jacobus Gaulterius *noster in Tabula Chronol. sæc. 13,* Ludovicus a Paramo *de origine Inquisitionis lib. 2, tit. 2, c. 8,* A. de Salazar *in Inventario Hispaniæ,* Joannes Michael Pius *in vitis illustrium viror. Ord. Prædicat. 2 part.* Hieronymus Blanca *in Indicib. rer. ab Aragon. gestarum l. 2,* Cardinalis Bellarminus *lib. de scriptoribus Ecclesiasticis.* Gabriel Volaterranus *lib. 21. Alii præterea citantur, quos, uti et quatuor primo loco citatos, necdum quod sciam vulgatos, videre mihi non contigit : nimirum,* Nicolaus Rossel *Cardinalis;* Natalis Gaver, *et* Zumel, *ambo Magistri Generales Ordinis S. Mariæ de redemptione captivorum,* Ptolemæus Lucensis; Blasius Verdu; Bernardinus Scottus, Petrus Antonius Beuter *in Chronicis Hispaniæ;* Michael Carbonel *in vita Jacobi Regis,* Hieronymus Romanus *in Chronicis Ordinis Augustiniani,* Salvator Pons, Vincentius Justinianus *in vita B. Ludovici Bertrandi. Dabimus hic vitam a Leandro Alberto scriptam; tum Clementis VIII, bullam, quæ vitam universam accurate complectitur, ejus tres editiones, videlicet Garneveltii qui Surium ampliavit, Bullarii et operum S. Raimundi contulimus; deinde paucula ex aliis, præsertim miracula tum a Michaele Llot edita ex Processu antiquo canonizationis, et Nicolao Aymerico, tum ex aliis subjungemus.*

Vita S. Raimundi hic editas nomen, cognomen.

8 *Varie* S. Raimundi *nomen et cognomen effertur, nam sæpius* Raymundum, *quidam* Remundum *et* Ramundum *vocant. Contendit Diagus lib. 2, cap. 7,* de Pennaforti *dicendum, et familiam, e qua ortus est, semper* de Penafort *sive* Pennaforti *dictam esse; atque ita scribunt nonnulli; ast Hispani fere* Peñafort, *alii* Pegnafort, Peniafort, Penyafort; *Rosweydus noster,* de Rochefort.

VITA.

AUCTORE LEANDRO ALBERTO.

S. Raimundi patria, genus, institutio.

Raimundus de Pennaforti Catalanus, originem retulit in Aragonum Reges. Is postquam adolevit, missus est ad gymnasium, ut scientiam hauriret; in quo

AUCTORE LEANDRO ALBERTO.

Ordinem Prædicatorum ingreditur.

quo tantum brevi admodum tempore profecit, ut ea tempestate in Pontificio atque Imperatorio jure inter viros clarissimos facile connumerari posset. Quamobrem cives nostri Bononienses, tanti viri famam exaudientes, publico stipendio ipsum ad docendum conduxere. *a* Hanc autem ob caussam togam induit Religionis. Forte dissuaserat cuidam scholastico adolescenti plurimis rationibus sanctæ conversationis ingressum. Quapropter deinde conscientia exagitatus, quod illi dissuaserat, ipse amplexus est : videlicet, relictis mundi illecebris, favore, et gloria, cum omnium admiratione Ordinem Prædicatorum ingressus est.

a

Varia ejus officia et opera.

2 Simul ac votum emisit anno evoluto, pro more, accitus est in socium a Legato Pontificis Maximi, in Hispaniam concedente. Demum cognita ejus insigni doctrina, a Gregorio IX, Pontifice jussus est Epistolas Pontificum ac Conciliorum Decretales in unum corpus redigere, quod hactenus in usu habetur in gymnasiis, et ad amussim servatur, prout dignosci potest in proœmio ex ejus nominis citatione ab eodem Pontifice. Fecit et ipsum Pontifex Capellanum suum et Pœnitentiarium : quæ dignitas temporibus illis non nisi valde litteratis conferebatur. Factus est etiam inopum caussarum expeditor. *b* Post epistolas Decretales in unum congestas, Summam de Casibus conscientiæ edidit, opus insigne, et omni admiratione observationeque dignum.

b

c

Episcopatum recusat.

3 Animadvertens Pontifex ejus præclarissimam vitam, mores, ingentemque doctrinam et animi probitatem, Præsulem civitatis *c* Barcinonæ creavit. Quicernens sub tanto honore maximum latere onus, dicto approbante Pontifice, eam ipsam dignitatem missam faciens, ad Ordinem Prædicatorum remigravit, malens tunica pallioque rudi et ignobili tegi, atque sub eo egenus Deo servire, quam post tantæ dignitatis fastigium, mox rationem tantæ villicationis reddere. Igitur ad Ordinem Prædicatorum reversus humillimus Pater, petiit sibi quempiam virum bonum præfici, per quem posset erudiri ea quæ religionis essent : et ut erat mitis, ac naturæ compositæ, sic religionis moribus ornatus brevi admodum tempore evasit, ut in conventu generali duodevigesimo (quod Capitulum generale vocant) Bononiæ anno Domini MCCXXXVIII, celebrato, omnium Patrum consensu, Præsidentia (eo absente) totius Ordinis Prædicatorum dignus nominaretur et approbaretur.

d

Capitulum generale pro eligendo Generali.

4 Exordiar ab initio, ut rem seriatim narrem, placiturum (puto) legentibus. Vita functo *d* Jordane viro sanctissimo, totius Prædicatorum familiæ Præsidente, ad Interregem, ut veterum more Romanorum loquar, ventum est. Interrex, quem Vicarium Generalem totius Ordinis Prædicatorum nostri dicunt. Magnus ille *e* Albertus vi et jussu institutionum nostrarum creatus est. Tandem indicto conventu universali duodevigesimo, Bononiam Electores convenere, ut sibi Ordinique aliquem præficerent. Huic Synodo duo inter ceteros Electores, excepto Magno Alberto, viri et móribus et doctrina apprime pollentes, videlicet *f* Hugo de S. Theodorico, tunc Præfectus Galliæ provinciæ, postmodum Cardinalis Ecclesiæ Romanæ, et Ivo Præfectus provinciæ Terræ sanctæ (hos enim Præfectos, appellant Provinciales Priores) interfuere. Ad certam diem omnes Electores sub quadam porticu convenerunt pro Præsidente eligendo. Datis omnibus suffragiis, pari lance certatum est. Porro in duas se subdiviserant partes : alii quidem Magnum Albertum, utpote Germani; et Hugonem prælibatum Galli elegerant, ceteris partibus utrisque faventibus. Iterum atque tertio res incepta, in idem semper recidit.

e

f

g

h

5 *g* Animadvertentibus Patribus Electores simul non posse convenire, orationes indictæ sunt ante parentis *h* Dominici sanctissimum corpus. Sic igitur orantibus Fratribus, *i* mox extra se quidam positus, videbat omnes Electores cubiculum exeuntes, in templo maximam columnam *k* erigere, guttulis sanguineis purpuratam, a summo usque deorsum attingentem. Verum cum intuens Frater lætaretur, extemplo signum Electoribus datur, ut denuo ad electionem Præsidentis conveniant. *l* In primo itaque scrutinio, cum Barcinonæ esset, Patres ipsum unanimiter et concorditer elegerunt, *m* cum prius ante hanc nulla prorsus illius mentio fieret.

i

k

l

Absens eligitur S. Raimundus.

m

6 Timentes vero, ne oblatam Præsidentiam dictam aspernaretur, pari consilio miserunt Patres Hugonem, *n* Bonisium Placentinum, Pontium *o* de Sperra Præfectum Galliæ Narbonensis provinciæ, Philippum olim Præsidentem Syriæ, sed exauctoratum in dicta Synodo, Stephanum Hispanum quondam Lombardiæ provinciæ Præfectum, cum nonnullis aliis Patribus Barcinonam, ut suaderent Raimundo, ut acceptaret oblatam Præsidentiam. Ut vero convenerunt, virum Dei apprime rogabant, ut cervicem flecteret : sed is secum magis exoptans habitare, quam tam grandem subire provinciam, inexorabilem sese præbebat. Tandem tantorum virorum auctoritate et *p* rationibus suasus, inclinato capite, tantum onus subiit.

n o

Invitus admittit hoc munus.

p

7 Verum biennio dumtaxat hoc officio functus est : quippe in Synodo prima generali, quæ sub ipso celebrata, quæ decimanona fuit, anno Domini MCCXXXIX, edidit legem, ut Præsidens totius Ordinis Prædicatorum, posset officio renuntiare coram Patribus, quos dicimus Diffinitores, et isti obligarentur cessionem acceptare. Id quod tunc facere adnixus est, sed minime potuit, eo quod Patres admittere cessionem noluere. Tandem insequenti anno, videlicet MCCXL, in Synodo vigesima Bononiæ celebrata, cessionem petiit, corporis valetudinem allegans, et nonnulla alia. Et cum plurimum hoc efflagitaret, tandem voti compos factus est ob dictam legem, in præcedente anno editam. Quamobrem animadvertentes Patres, ingentem perturbationem, quæ defacili suboriri posset in Ordine, si pro voluntate hujusmodi Præsidentes seu Magistri generales Ordinis vulgo dicti, officio renuntiare possent, et ipsi eorum vota admittere tenerentur, lege sancitum est, ne in posterum eorum cessio admitteretur, *q* ni propter impedimenta perpetua : sicque illa abrogata.

Eo se biennio post sponte abdicat.

q

8 Raimundus igitur voti compos factus, læto animo Barcinonam rediit, ibique vitam egit sanctissimam, et in studiis assiduis meditationibusque occupatam. Edidit, ut præmisimus, plura opera, et Institutiones Ordinis fratrum Prædicatorum miro quodam ordine distinxit, quæ prius indistinctæ erant. Supervixit, postquam Præsidentiæ Ordinis renuntiaverat, annis quinque et triginta. Vita functus est in die Epiphaniæ, VIII Idus Januarii, ann. MCCLXXV. Ipsius sanctitatem crebra miracula, ad invocationem ejus nominis per Deum facta, protestantur. Porro dum viveret, et post mortem maximis claruit miraculis. Inter cetera enim legitur, *r* quadraginta mortuos eum suscitasse. Rex autem Aragonum, visis miraculis tam insignibus, plurimum apud Pontificem institit, ut inter Divos connumeraretur : sed nescio quo accidente tam egregium opus omissum est : sicque manet. Hæc sunt, quæ ad manus meas de tanto viro pervenere.

Moritur.

Claret miraculis.

r

a *Alii dicunt eum ingressum, quod Novitio suasisset egressum. Ita Petrus de Palude in* 4 *dist.* 15, *quæst.* 2, *art.* 2. *Quibus de rebus facienda restitutio.* Qui etiam a religione retraxit, tenetur inducere ad ingressum vel regressum religionis. Si autem ille nolit intrare vel redire, tenetur æque idoneum procurare. Quod si non possit, tenetur pro eo intrare. Quod fecit Magister Raimundus, quia dederat consilium quod Novitius exiret, et exivit : de quo pœnitens intravit. *Diagus l.* 2, *c.* 9, *citans Paludanum, ait eum scribere, adolescentem illum, quem ab ingressu religionis vel avertit vel revocavit Raimundus, fuisse ejus consobrinum. Sed fefellit Diagum memoria, ut ex allatis Paludani verbis patet. In Collegio Societatis* JESU *Antverpiæ exemplar est Paludani, in quo ad citatum articulum manu Wilhelmi de Alis, Ord. Prædicatorum*

Simile exemplum.

rum Conventus Kalkariensis, hæc adscripta sunt : Sic fecit etiam Magister Theodorus, quia retraxit Frisonem nobilem, cujus fuit Pædagogus : factus est autem postea hujus Conventus Coloniensis Prior.

b *Diagus, ut ad cap.* 4, *Bullæ canonizationis dicemus. probat* Summam *ab eo Barcinone esse scriptam, priusquam Romam evocaretur.*

c *Vereor ut hoc probari possit. Certe nec in catalogo Hieronymi Pauli, ejus extat nomen, et non nisi post recusatum Archiepiscopatum Tarraconensem, et Bracarensem, potuit accidisse, cum Berengarius etiamtum viveret. Post vero, non est verisimile voluisse Pontificem negotium imponendis honoribus facessere : nec sat apparet quando id contingere potuerit; nam* MCCXXXV, *valetudinis caussa Roma discessit* MCCXXXVI, *mense Octobri comitiis Montione interfuit privatus,* MCCXXXVIII *factus est Generalis sui Ordinis, nec verisimile est intermedio tempore id accidisse. An postea forte ab alio quopiam Pontifice, aut Rege Jacobo, delatus ei est ille Episcopatus?*

d Jordani *vitam dabimus* XIII *Februarii.*

e *Colitur* B. Albertus Magnus XV *Novembr. Diagus l.* 2, *c.* 14, *scribit eum tunc fuisse* Provincialem Germaniæ *et* Vicarium Ordinis; *Marietta lib.* 12, *cap.* 35. Coloniæ Professorem Theologiæ, *et mox* Provincialem Germaniæ *facit.*

f *Alias* Hugo de S. Caro, *primus ex Ordine Prædicatorum Cardinalis creatus an.* MCCXLIV *in Adventu, vir doctissimus, qui in omnes sacræ Scripturæ libros commentarios breves, sed moralis succi plenos edidit. Llot c.* 8, *scribit tunc* Provincialem Tolosanum *fuisse.*

g *Diagus, Castillo et Marietta scribunt, post tertium scrutinium statuisse Patres, cibo sumpto in provincias suas discedere, re infecta : quod nulla ratione crediderim; cum ex ea re schisma Ordinis, damnaque haud levia timeri possent. Credibilius est, viros illos sanctos ac sapientes tentaturos fuisse prius alia atque alia consilia. Nec sivisset id divina providentia, quæ, ut erat illius Religionis opera ad res admirandas usura, statim ancipiti deliberatione suspensis adfuit.*

h *De S. Patriarcha* Dominico *agemus* IV *Augusti.*

i *Diagus ait post preces fusas revertisse ad sacellum Capituli electores; ceteros illius Conventus Fratres, et quicumque interesse electioni non debebant, in templo precationem continuasse; tumque uni eorum illam objectam esse visionem.*

k *Addit Diagus,* marmoream, *quæ totum ædificium sustentaret.*

l Nec tamen silentio prætereundum est, *inquit Llot cap.* 8, quod in approbata scriptura antiquissima anni MCCCV, est repertum sub his verbis : Cumque eligeretur inclusis electoribus, ut moris est, orantibus fratribus ceteris ante sacrum corpus B. Dominici, vidit visione imaginaria quidam frater devotus illic orans, omnes electores de camera exeuntes, in medio ecclesiæ maximam unam columnam erigentes, quæ erat guttis sanguineis purpurata, attingens a summo usque deorsum. Quæ cum intuens lætaretur, ecce facto signo ad Capitulum omnes electores venerunt, et electum concorditer ab omnibus in primo scrutinio nominaverunt.

m *Addit Diagus, secundissimo Bononiensis Academiæ plausu acceptam esse electionem; et deinceps visam quodammodo confirmari rursum divinitus, cum accumbentibus mensæ Patribus, cuidam de more sacram lectionem auspicaturo, fortuito ea Joelis verba occurrere :* Filii Sion exultate et lætamini in Domino Deo vestro, quia dedit vobis Doctorem justitiæ.

n *Diagus, Domenec. Marietta, Llot, Castillo* Bonifacium *vocant.*

o *Marietta.* de Espira, *Llot* de Espera, *Castillo* de Spira.

p *Sampayus ait* non sine lacrymis hinc inde prius effusis, *ut omnis susciperet inductum fuisse.*

q *De Quibus in Constitutionibus Ordinis dist.* 2, *cap.* 8.

r *Quatuor in vita, et* XXXVI *post mortem, ut habent Castillo, Diagus, Domenec., Llot, qui id traditione constanti confirmat cap.* 13.

VITA ET CANONIZATIO

EX BULLA CLEMENTIS VIII, PONT. MAX.

PRÆFATIO.

Semper varii Sancti in Ecclesia extiterunt.

Romana Catholica Ecclesia, quæ super fundamentum Apostolorum et Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu ædificata, divinitus a Spiritu sancto regitur, et ineffabili ejus æternæ sapientiæ providentia mirabiliter gubernatur, in eadem unitate fidei et doctrinæ veritate, quam a Christo suo sponso et Apostolis accepit, perpetua consensione perseverans, a Deo Patre misericordiarum continuis gratiæ cælestis benedictionibus cumulatur; ac veluti fecunda mater multiplici Sanctorum prole aucta, eorumdem meritis ac virtutibus illustratur. Atque hanc fidei Catholicæ unitatem unus idemque Spiritus per multas gratiarum divisiones in corpore Christi, cujus nos membra sumus, antea operatus est, et nunc etiam operatur. Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia, primum Apostolos, secundo Prophetas, tertio Doctores, qui unum Dominum, unam fidem, unum baptisma prædicarunt; ac veritatem facientes in caritate, creverunt in illo per omnia, qui est caput Christus, ex quo totum corpus compactum et connexum est per omnem juncturam subministrationis secundum operationem in mensuram uniuscujusque membri. Præcipua vero hujus mystici corporis membra sunt viri sancti, quos elegit Deus, et prædestinavit in vitam, qui eamdem fidem semper tenuerunt, et pro ejus defensione legitime certantes adepti sunt repromissiones, et in cælis coronari meruerunt. Hujus autem fidei unitatem, in qua unum corpus in uno spiritu efficimur, jam inde ab ipsius Ecclesiæ nascentis initio ad hæc usque tempora principes et potestates tenebrarum multis hæresum procellis ac turbinibus excitatis labefactare et convellere tentarunt; sed divina Christi sapientia, qua Ecclesiam suam supra firmam petram fundavit, adversus quam portæ inferi prævalere numquam poterunt, potenti sua dextera eam semper defendit, et usque ad consummationem sæculi conservabit. Atque in hoc admirabilis Dei providentia maxime elucet, quod omnium pæne sæculorum ætatibus, et iis præcipue temporibus, quibus religio Catholica tyrannorum atrocitate, et hæreticorum perfidia impugnata est, invictos Martyres, athletas fortissimos, gloriosos Confessores, et viros sanctos, magnos in virtute, ac *a* prudentia præditos, adversus *a* tyrannorum sævitiam, atque hæreticorum iniquitatem excitarit, qui suo sanguine fidem Christianam decoratam, ac vitæ integritate, doctrinis, virtutibus, et miraculis confirmatam latissime propagarunt.

Ex Bulla Clement. VIII

S. Raimundi laudes.

2 Ac superioribus quidem sæculis ex gloriosi Patris S. Dominici familia B. Raimundus a Peniafort Barcinonensis extitit, qui amator veræ sapientiæ, quæ numquam marcescit, spretis omnibus divitiis, dives factus est in gratia Dei, quæ data est in Christo Jesu in omni verbo et scientia, dives in humilitate et virtute, dives in bonis operibus: in quo denique Deus ostendit abundantes divitias gratiæ et gloriæ suæ. Nam vocavit eum in partem sortis Sanctorum, et implevit agnitione voluntatis suæ, in omni sapientiam, et intellectu spirituali, ita ut plenus Spiritu sancto et fide, in medio Regum et Magnatum sapientiam loqueretur; non sapientiam hujus sæculi, neque Principum hujus sæculi, qui destruuntur; sed Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est a sapientibus hujus mundi, et revelata parvulis : nimirum verus Dei minister in paupertate, in omni patientia, in orationibus, in laboribus Dei gloriam quærens, ac mysterium fidei in conscientia pura, fidelibus et infidelibus summa caritate patefaciens, permultos in cæcitate cordis a via salutis aberrantes, verbo veritatis, et innocentia vitæ in rectam mandatorum Dei semitam traduxit, et adversus hæreticorum impetum et audaciam se tamquam murum fortissimum et inexpugnabilem opposuit. Insuper Deus, qui est mirabilis in Sanctis suis, dedit ei gratiam curationum; ac sanctitam ejus, in virtute Spiritus sancti, per signa et prodigia, cum in ejus vita, tum post obitum ita manifestavit, ut ejus gloria per amplissima Hispaniarum regna permanarit.

Sancti a Deo honorantur.

3 Hæc enim est summa Dei benignitas, qua Sanctos suos, qui in contemptione honorum, in omni rerum humanarum despicientia, et in cruce Christi Domini nostri gloriantes, in hac vita ejus laudem et honorem amplificarunt, nunc eosdem glorificans, a quibus ipse glorificatus est, veluti quadam vicissitudine honoris, omnium bonorum felicitate in cælis remunerat, et tribuit eis nomen sempiternum, quod numquam interibit. Quamobrem ad eorum virtutes imitandas vehementer incitari debemus, cum ejusmodi homines aversos ab honoribus, in tribulationibus, in angustiis tantam adeptos esse gloriam videamus, ut sua tenuitate et humilitate omnium Regum amplitudinem, omnem hujus mundi existimationem et dignitatem longe superarint. Nam diversæ sunt

viæ

Ex Bulla Clement. VIII

viæ Dei a viis hominum, qui in vanis cogitationibus et curis inanibus occupati loquuntur sublimia gloriantes; Deus autem sedes Ducum superborum destruxit, et cessare fecit memoriam eorum a terra, memoriam vero humilium sensu reliquit, et maximis honoribus, amplissimisque monumentis consecravit. Quare B. Raimundum merito laudamus, et Deum in eo benedicimus, qui singularibus gratiarum donis, et summis virtutibus eum ornavit : de cujus vita, morum sanctimonia, fidei puritate, et admirabilium signorum multitudine pauca solum ad communem totius Ecclesiæ utilitatem proponimus; ut omnes intelligant quibus tandem illegradibus in cælum ascenderit, ac Deo gratias immortales agant, ejus nomen in Ecclesia Dei publico hoc nostro et Sedis Apostolicæ decreto, numero Sanctorum fuisse adscriptum.

a *Garnevelt.* providentia.

CAPUT I.

Raimundi eruditio, munia Ecclesiastica,

S. Raymundus litteras gratis docet.

Beatus Raimundus Barcinonensis ex nobili familia de Peniafort originem duxit. Prima in pueritia religionis Christianæ rudimentis imbutus, jam magnum aliquid portendere videbatur, cum esset eximia corporis et animæ indole, et naturæ quodam instinctu ad virtutem et pietatem in dies magis propenderet. Adolescens humaniores litteras tam avide arripuit, ut

a exiguo tempore maximos progressus fecerit, et *a* eas artes, quas plane didicerat, Deo adjuvante, summa cum laude plurimos Barcinone gratis docuerit.

5 Atque ut e talentis sibi a Domino concreditis lucrum faceret amplissimum, *b* Bononiam, velut ad

b Bononiam proficiscitur. commune bonarum artium domicilium, et disciplinarum emporium profectus est, ubi tempus sibi ad negotiationem sapientiæ datum non insumpsit in vanis et carnalibus desideriis, quibus ætas illa juvenilis a studio virtutis abripi sæpe solet, sed pietatis officiis, ac Pontificio civilique Juri toto pectore incubuit, ac

Creatur Doctor. tandem Doctoris laurea, ceterisque doctrinæ insignibus decoratus, sacros Canones publice magna cum hominum admiratione absque ullo stipendio est interpretatus. *c* Cui postea cum Senatus Bononiensis ob

c Docet Jus canonicum. præclaram ejus eruditionem honorarium ex ære publico decrevisset; ipse labores suos Domino sanctificans, datæ sibi a Senatu pecuniæ, omniumque rerum quas sua industria comparasset, Deo in primis, ac suo Parocho decimas fideliter offerebat.

d Redit Barcinonem : fit Canonicus.

6 Quo in munere docendi cum *d* aliquot annis egregiam navasset operam, et jam ejus eruditionis fama per Italiam increbuisset, *e* Berengarius Barcinonensis Episcopus ejus virtutibus ac scientia permotus, Roma suam ad Ecclesiam rediens, Bononiam iter instituit, ubi B. Raimundum convenit : ac multis ultro citroque sermonibus habitis, Berengarius virum admiratus, ac secum ipse reputans eum ingenti Ecclesiæ suæ ornamento et utilitati futurum, vehementer institit, ut secum ad Ecclesiam Barcinonensem, ubi

f educatus fuerat, reverteretur : quod tandem *f* magnis

g ab eo precibus obtinuit, quem etiam aliquanto post ejusdem Ecclesiæ Canonicatu, et *g* quadam Præpositura addita ornavit.

7 Hoc beneficio et dignitate auctus, omnibus Canonicis, et universo illius civitatis populo integritatis ac doctrinæ splendore præfulgébat, eratque tanta ejus in omni gestu motuque corporis modestia, et totius vitæ consuetudine suavitas, ut omnium ætatum atque ordinum homines in amorem sui raperet et admirationem. Deiparam Virginem singulari pietatis affectu

Annuntiationis festum solemniter agi curat. venerabatur, ejusque honorem et cultum pro viribus semper auxit. Nam cum festus Annuntiationis ejusdem Virginis dies ea in Ecclesia minus celebris haberetur, ipse ab Episcopo et Capitulo impetravit, ut duplici ritu solemniter perpetuo coleretur, atque ex Præposituræ suæ redditibus censum annuum attribuit Canonicis in distributiones erogandum, qui sacris officiis eo die interessent.

a *Diagus ait, S. Raimundum* Logicam aliasque philosophicas scientias *docuisse. Llot cap.* 2 *scribit, eum illas artes docere aggressum cum* 20 *esset annorum.*

b *Anno* MCCX *aut* MCCXI, *Bononiam profectum esse S.* Raimundum *vult Diagus, at Domeneccus an.* MCCV. *Socius ei itineris et studiorum fuit Petrus Ruber, qui et ipse Ordinem Prædicatorum postea ingressus est. Conspexere in itinere adolescentem, cui Dei Mater oculos ab inimicis erutos, ac præcisas manus, recens restituerat, ut ipse anno* MCCLXXI *scripto testatus est Raimundus, addens id ab annis sexaginta aut pluribus contigisse, cum Bononiam ad studia proficisceretur.*

Miraculo animatur ad virtutem.

c *Llot ait primariam cathedram ei collatam* cum publico stipendio, quod ille in pauperes et Clericos distribuit.

d Tres, *inquiunt Diagus, Llot, Domenec.*

e *Hic est* Berengarius IV de Palatio *dictus, qui ab Hieronymo Paulo recensetur* XXXIII *illius Ecclesiæ Antistes. Hic, ut Diagus scribit lib.* 2, *cap.* 1, *electus est an.* MCCXII *et Prædicatores eodem anno quo Raimundum in Hispaniam reduxit, advocavit Barcinonem, vel Parisiis, ut quidam volunt, vel Bononia, ut ipse ex veteri* MS. *Kalendario probat. Habitarunt primum in ædibus* Petri Grunnii *in parochia S. Jacobi, quæ etiamnum extant via S.* Dominici; *inque earum pariete S. Dominici (qui eodem anno Barcinonem venit, inque iis ædibus est hospitatus) facies expressa cernitur, subtus eam* Berengarii *Episcopi insignia videlicet Palatium. Alibi deinde ædificatum an.* MCCXXIII *monasterium, quod etiamnum incolunt Prædicatores, dictumque est S.* Catharinæ *quod eam sanctam virginem ac Martyrem singulari pietate colebat S.* Raimundus, *qui promovendo operi aut præfuit, aut plurimum certe allaboravit.*

Prædicatorum Barcinone primum domicilium; monasterium.

f *Domeneccus et alii tradunt, accessisse Papæ mandatum, quod in Ilerdensi conventu statutum esset ut* Jacobo Regi magister daretur; *quod tamen munus non gessit (licet id asserat Marietta cap.* 31) *altero ad id, priusquam veniret, admoto.*

g *Archidiaconum creatum scribit Llot cap.* 3 *et alii.*

CAPUT II.

Religionis ingressus, sanctissima vita. Institutio Ordinis de Mercede.

Ordinem Prædicatorum ingreditur.

Magnam hac ratione apud omnes auctoritatem, et sanctitatis opinionem sibi conciliarat, totiusque civitatis oculos, animosque omnium, ac præcipue Prælatorum et Principum, in se converterat : cum inanem mundi gloriam instar fœni arescentis decusso flore marcescentem apud se ipse contemnens, ad sublimiorem vitæ statum aspiraret. Venerant tunc in eam urbem recenter Fratres Ordinis Prædicatorum, qui Apostolicum in morem Evangelio Christi prædicando populum docebant, et ad cultum Dei, studiumque pietatis incitabant, quorum usu et consuetudine primum delectari B. Raimundus; deinde etiam ad idem vitæ institutum amplectendum vehementer cœpit inflammari. Neque anceps ea difficilisve cogitatio fuit. Nam inclinatum ejus animum, et in via salutis ambulantem, speciosi illi pedes evangelizantium pacem, in montem Domini, perfectionis nimirum Evangelicæ apicem, facile deduxerunt. Itaque jam matura ætate annum circiter quintum supra quadragesimum agens, abdicatis honoribus, spretisque omnibus divitiis, assumpsit pennas ut columbæ; atque in requiem Domini evolans, in Ordine Fratrum Prædicatorum solemnem professionem emisit. *a*

a

Multi eum sequuntur.

9 Quod ut omnibus admirationi fuit, hominem genere nobilem, doctrina præstantem, affluentem bonis, dignitate et fama celebrem, suscepto religiosæ vitæ instituto, spontaneam paupertatem opibus, suique contemptum honoribus et commodis prætulisse; ita ejus exemplo *b* complures litterari, ac studiis doctrinisque dediti nobiles viri eumdem Ordinem sunt amplexi, ac propterea magnum ea Religio in dicta civitate suscepit incrementum.

b

Excellit humilitate.

10 Hic jam novus Christi miles adversus humani generis hostem fortiter dimicare apud se statuens, ac turrim æternæ salutis ædificans, ut sapiens architectus, humilitatis religiosæ, quæ ceterarum est parens custosque virtutum, fundamenta jacere decrevit. Itaque etsi omnibus eruditione et prudentia antecellebat, hoc tamen ipso dimissius sentire de se, aliis omnia, sibi nihil tribuere, singulos honore debito prosequi, denique

denique libentius delitescere, quam in lucem prodire consueverat; cujus ille virtutis tenacissimus in omni vita fuit. Et quoniam obedientia humilitatis vita est, *obedientia.* ad hac tuendam atque conservandam (exemplo mediatoris et Salvatoris Domini nostri Jesu Christi, qui humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem) vir justus die ac nocte meditabatur obedientiam, ac sepulto propriæ voluntatis arbitrio, mortuus huic sæculo, vitam cum Christo in Deo absconderat, ac totus a Superiorum nutu pendebat. Beatam paupertatem regni cælorum præmio dignam, et Christi ore laudatam, toto pectore amplexus est, ac eam veluti fraternæ pacis fundamentum, munditiam vitæ, curarum hujus mundi abdicationem, proximam denique et quasi compendiariam ad Deum viam studiosissime semper coluit, ac semetipsum tamquam aurum igni probatum in camino paupertatis expurgabat. *paupertate.*

11 Castitatis, quæ cælestis et Angelicus thesaurus est, amantissimus fuit, ac præcinctus lumbos, et lucernam boni operis in manibus habens, eam in fictili corporis sui vase in sanctificatione et honore portans, incorruptam et integram usque ad extremum vitæ diem conservavit, et qua erat in Dei Matrem et intemeratam Virginem Mariam pietate, in cujus fidem et clientelam se jamdiu ante contulerat, nullum firmius ad dæmonis vires conterendas, quam ejusdem Virginis præsidium inveniri posse, certum exploratumque habens, ejus patrocinium assidue invocabat: ac tantus erat ejus in oratione fervor et perseverantia, ut ex variis occupationibus se ipse frequenter colligens sederet solitarius, et levans se super se divinæ contemplationi vacaret; in qua cælestes plane spiritus hauriebat, et de fontibus Salvatoris aquas sapientiæ salutaris accipiens, tanto gratiarum imbre omnes vitæ suæ actiones irrigabat, ut flumina aquæ vivæ de ventre ejus in aliorum utilitatem promanarent. In pauperes, ac præcipue captivos dura servitute ab infidelibus detentos, propensissimus erat, nullumque officii genus umquam prætermisit, quo eos liberari posse existimaret: quorum hoc etiam majorem curam et sollicitudinem gerendam esse censebat, quo in graviori periculo Christianæ fidei abjurandæ, et amittendæ salutis æternæ versarentur. *castitate.* *devotione erga D. Virg.* *caritate in pauperes.*

12 Cum itaque ejus hortatu Petrus Nolascus natione Gallus, cujus confessiones B. Raimundus audiebat, vir opibus florens, et insigni pietate præditus, ad inopes alendos, et maxime ad captivos ex Barbarorum vinculis redimendos, suas copias et opes magna cum alacritate, ac libenti animo conferret, egregium pii ac liberalis animi officium pro sua infinita bonitate gratum Deus habuit. *c* Nam proxima nocte insequente beatissima Virgo Dei Mater eidem Petro, qui sanctis meditationibus et orationi vacans cogitabat, qua ratione calamitatibus Christianorum in captivitate degentium succurri posset, serena fronte se conspiciendam dedit, et acceptissimum sibi ac unigenito suo filio fore dixit, si suum in honorem institueretur Ordo Religiosorum, quibus cura incumberet captivos e tyrannide Turcarum liberandi: ac illa ipsa nocte eadem Virgo sanctissima B. Raimundo, et *d* Jacobo I Aragoniæ Regi *e* apparuit, id ipsum de Religiosis admonens. Quare hi collatis inter se consiliis, et consentientibus animis Ordinem B. Mariæ de Misericordia, seu de Mercede redemptionis captivorum fundaverunt: cui B. Raimundus certas vivendi leges *f* præscripsit ad istius Ordinis vocationem accommodatissimas, quarum approbationem aliquot annis post a fel. rec. *g* Gregorio IX, prædecessore nostro impetravit, et dictum Petrum, qui eidem Ordini omnia sua prompte dederat, primum etiam Generalem Ordinis Magistrum suis ipse manibus *h* habitu eodem indutum creavit. *c* *d* *e* *Ordini de Mercede, cælitus instituto, regulas scribit.* *f* *g* *h*

a *Habitum induit, ut ex veteri Barcinonensis cœnobii* MS. *Kalendario tradit Diagus lib.* 2, *c.* 9, *die sancto Parasceves an* MCCXXII, *non a S. Dominico, ut putavit Marietta lib.* 12, *cap.* 30, *cum is Augusto præcedente obiisset; non etiam Parisiis an.* MCCXVIII, *ut habet Castillo; nec in æde S. Jacobi Barcinonensi, sed in veteri illo Grunniano domicilio. Ergo anno vertente*, Dominica Lætare, *quæ erat* II *Aprilis, professionem emiserit. Llot cap.* 5, *scribit an.* MCCIX, *ingressum esse in Ordinem.*

b *Inter eos fuere* Petrus Ruber, *olim ejus Bononiæ sodalis, et* Raimundus de Rosanis *Præcentor ecclesiæ cathedralis Barcinone, cujus ex fratre nepos* Bernardus de Rosanis *an.* MCCLVI. *Prædicatoribus quædam est elargitus, ut habet Diag.*

c *Id primo die Augusti accidisse ait Diagus l.* 2. *cap.* 10. *et Domeneccus, ac fuisse S.* Raimundum *jam tum Regis* Jacobi *Confessarium; vel a Rege assumptum, vel ei a regni comitiis datum; nam eum fuisse apud Aragonios morem, scribunt Marietta cap.* 33 *et Castillo, a quibusdam tradi. De S.* Petro Nolasco *agemus* XXXI *Decembris; de Ordinis* B. Mariæ de Misericordia *institutione* XVII *Januarii, et* X *Augusti.*

d *Alii tradunt, cum, occiso anno* MCCXIII, *ad Muretum* Petro *parente, (qui* Raimundum *Tolosanum Comitem, antesignanum Albigensium tuebatur) captivus a* Simone *Comite Montfortio Carcassonæ detineretur* Jacobus *admodum adolescens, sæpius a* S. Dominico *et S.* Petro Nolasco *visitatum, votum nuncupasse ejusmodi Ordinis erigendi, si in paternum regnum restitueretur; quod deinceps tenuit annis* LXIII.

e *Diagus et Domenec. aiunt Regi pro redemptione eorum qui a Mauris capti erant, ipsorum Maurorum exterminio, noctu oranti appariuisse Deiparam, admirabili splendore conspicuam, et collaudato ejus zelo monuisse quæ hic referuntur.*

f *Suasit ut Officio et Breviario Prædicatorum uterentur, Regulam S. Augustini servarent, et quasdam Prædicatorum constitutiones, suis functionibus magis accommodatas. Diag. Domenec.*

g *Extat hæc approbatio tomo* I *Bullarii, et apud Diagum cap.* 10, *data* XVI *Kal. Februa. Pontificatus Gregorii* IX, *an.* VIII, *sive Christi* MCCXXXV. *Fallitur ergo Castillo l.* 2, *cap.* 17, *et Marietta cap.* 32, *dum scribunt an.* MCCXXX, *approbatum Ordinem, duobus annis et medio ante institutum. Llot an.* MCCXXX, *conditum Ordinem scribit cap.* 9, *mandante Pontifice ut habitum suis manibus* Raimundus *Generali conferret. Quod non satis videtur probabile.*

h *Festo S. Laurentii ann.* MCCXXIII, *id factum in ecclesia cathedrali sanctæ Crucis Barcinone. Dixit ad frequentissimum populum, novique instituti rationem reddidit S.* Raimundus, *et post offertorium Missæ, quam celebrabat* Berengarius *Episcopus, habitum S.* Petro Nolasco *dedit. Ita Diagus, qui multorum Scriptorum testimoniis id confirmat: nam alii* a Berengario *Episcopo, quidam ab ipso Rege datum scripsere, ut testatur Domeneccus. Est autem is habitus, ut scribit Abrahamus Bzovius tom.* 13, *ad an.* MCCXXIII, alba tunica, cum cappa et scapulari candido, itemque cappa alba, atque insignia Regum Aragoniæ, nempe in clypeo rubræ croceæque virgæ cum Cruce candida ante pectus.

CAPUT III.

Apud Legatum, et Pontificem obita officia.

Hæc B. Raimundus, quæ ad unius Dei gloriam, et proximi utilitatem gesserat, etsi occultissima esse volebat, tamen ardentem illius in egenos caritatem et vitæ sanctimoniam jam ubique fama vulgaverat, et sanctæ ejus doctrinæ odorem manifestabat in omni loco. Quamobrem bonæ memoriæ *a* Joannes Cardinalis Episcopus Sabinensis, eruditionis et pietatis laude clarissimus ab eodem Gregorio IX, prædecessore nostro in Hispaniam ad Crucem adversus Saracenos prædicandam, *b* aliaque Sedis Apostolicæ negotia pertractanda Legatus de Latere missus, multorum sermonibus singularem ejus integritatem intelligens, eum sibi legationis accepit adjutorem. *Legato Apostolico socius adjungitur.* *a* *b*

14 Quo in munere B. Raimundus tanta cum prudentia, tanta humilitate et caritate versatus est, ut omnibus esset bonus odor Christi, ad vitam. Nam etsi honestissimo loco natus esset, et jam ætate provectus, multisque virtutibus cumulatus, magna apud omnes, auctoritate polleret; in hoc tamen longinquo et difficillimo itinere nullis unquam ab eo precibus obtineri potuit, ut equo veheretur; sed verus Christi discipulus calceatus pedes in præparationem Evangelii pacis, et assumpto spiritus gladio, quod est verbum Dei, iter suis comitatus sociis pedibus faciebat, et Cardinalem, quo erat venturus, prævertens, quasi viam ante faciem ejus in benedictione præparans, Evangelio Christi prædicando permultos, adjuvante Domino, ad arctam salutis semitam a via lata et spatiosa traducebat; et confessiones audiendo, a censuris et a peccatorum nexibus liberabat. Quodque omnibus mirum fuit, toto illo itinere nihil umquam *Pedes iter agit, regulam ubique observat.*

Ex Bulla Clement. VIII

de solita ciborum abstinentia, vigiliis, jejuniis, precationibus, totiusque religionis severitate remisit: sed observantissimus constitutionum sui Ordinis, ne latum quidem unguem ab illius statutis et legibus discedebat.

15 Quare suspiciebant ipsum universi, colebant omnes; Joannes Cardinalis summopere diligebat: qui perfunctus legatione ad Urbem rediens, cum B. Raimundum una secum adducere decrevisset, numquam id tamen ab eo potuit impetrare; sed cum ad eumdem Gregorium IX prædecessorem nostrum, de rebus legationis referret, tam multa, eaque præclara, de hujus beati viri virtutibus dixit, ut idem Gregorius prædecessor illius videndi desiderio incensus, eum ad se confestim *c* evocarit: cujus ille dicto audiens, quamquam religiosæ quietis avidissimus, Romam venit.

Romam a Gregorio IX evocatur.

c

16 Excepit eum amanter et benigne prædictus Gregorius prædecessor, ac brevi perspectis et exploratis ejus animi dotibus, summisque virtutibus, Capellani sui officio, (quod tunc temporis idem erat, quod nunc est Caussarum Palatii Apostolici Auditorum) et Pœnitentiarii dignitate ornavit; ac tanti semper fecit, ut non nisi adhibito ejus consilio graviores caussas tractaret. Quem cum etiam a sacris sibi confessionibus præfecisset, is, qua erat in egenos caritate, pœnitentiæ loco illi injungebat, ut inopum preces et justas petitiones statim audiret, eorumque negotia expediret et quam citissime conficeret: *d* quare ab eodem Gregorio prædecessore Pater pauperum est appellatus.

Fit ejus Capellanus.

Pœnitentiarius.

Confessarius.

d

17 Decreta Romanorum Pontificum quo quæque tempore condita erant, diversis in Epistolis et Conciliis sparsa, quæ obscuritatem et incertitudinem inducere videbantur, ad communem omnium, et maxime studentium utilitatem, in ordinem et compendium redigi jamdiu omnibus fere placuerat, sed tanto operi vir idoneus quærebatur. Itaque Gregorius prædecessor B. Raimundum huic muneri aptissimum esse ratus, id oneris ei imposuit, quod tandem ipse ingenti labore trium annorum spatio feliciter absolvit, quem admodum in ipso Decretalium proœmio gravissimo ejusdem Gregorii testimonio est comprobatum.

Decretales in ordinem redigit.

a Joannes de Abbatis-villa, *Episcopus Vesontinus* LXII, *cum sedisset duos circiter annos, anno* MCCXXVII, *mense Septemb. a Gregorio IX factus est* Cardinalis Episcopus Sabinensis. *Diagus lib.* 2, *cap.* 11. *Hieronymus Zurita tom.* 1, *lib.* 3, *cap.* 2 *et* 3. *Mariana lib.* 12, *cap.* 14. *Marietta lib.* 12, *cap.* 31 *Castillo l.* 2, *cap.* 17. Cardinalem S. Sabinæ *vocant, non recte. Erat tum alius* Cardinalis Presbyter titulo S. Sabinæ Thomas de Capua; *sed Cardinalis Episcopus Sabinensis fuit hic Joannes.*

b Ea maxime de caussa Roma venerat Legatus, ut de regio conjugio, quod Jacobus consanguinitatis lege vitiosum esse disputabat, *coram eo disceptaretur; ut tradit Mariana lib.* 12, *c.* 14, *et Domeneccus.* Lite contestata, secundum Regis voluntatem judicatum, Reginam dimittendam videri, filium (*ex ea susceptum*) patri in regno substituendum. *Mariana.*

c *Id an.* MCCXXX *factum, ut ait Diag. cap.* 11. *Llot cap.* 4, *scribit*, in virtute sanctæ obedientiæ *mandatum ei fuisse ut Romam veniret.*

d *Addunt Diagus et Llot. Pontificem libenter suscepta pœnitentia, ipsi imponere solitum eorum negotiorum, quæ sibi commendabat, expeditionem, inque litterarum inscriptionibus* Patrem pauperum *eum appellare.*

CAPUT IV.

Declinata dignitas. Generalatus ultro abdicatus.

Hisce lucubrationibus, et assiduo humilitatis studio, quamdiu Romæ vixit, contra otiosam mentis evagationem, et inanis gloriæ cupiditatem se ipse tuebatur diligentissime. Quare oblatos etiam honores, et amplissimas Ecclesiarum cathedras omni conatu repudiavit. Nam cum Gregorius *a* Archiepiscopatum Tarraconensem ei deferre decrevisset, id ille adeo graviter et moleste tulit, ut illico febri correptus

a Archiepiscopatum Tarraconensem recusat.

b aliquot dies ingenti corporis animique dolore torqueretur. Itaque ab hujus mundi gloria alienissimus omni ope contendit, ut eam a se dignitatem averteret: quod cum per se non posset, adhibitis multorum precibus, et quorumdam Cardinalium auctoritate, ejusdem Gregorii prædecessoris animum ita inflexit, ut illius ecclesiæ onus in eum transtulerit, *c* quem ei muneri B. Raimundus aptissimum esse judicavit.

b

c

19 Hac difficultate perfunctus exultabat in Domino, ac veluti suo juri redditus, gratiis Deo peractis, ad solitos labores sese contulit: quorum tandem magnitudine et diuturnitate confectus, in tam gravem morbum incidit, ut illi certam mortem medici denuntiarent, nisi patrium solum repeteret. Itaque dimisso Confessarii ejusdem Gregorii prædecessoris munere, et obtenta abeundi facultate, *d* Borcinonam rediit, atque ita rediit, ut eum animi candorem ab omni ambitionis labe intactum et illæsum, quo imbutus ad Urbem venerat, in patriam reportarit.

Barcinonem redit ob valetudinem.

d

20 Vix ab Urbe recesserat, cum statim ei divinitus per spiritum data est gratia sanitatum, atque operatio virtutum. Nam cum ad eum Cataloniæ, portum, quem *e* Tossa vocant, appulisset, advectum *f* ad se levi cymba quemdam ejus loci incolam, Barcelo de Faro nuncupatum, (qui dum in messem incumberet, adeo gravi et repentino correptus erat morbo, ut statim omnibus orbatus sensibus, nullos neque clamores, neque admotos corpori stimulos perciperet, sed humi jacens exanimis, mortuus esse crederetur) beatus vir miseratus, Deum, qui dives est in misericordia, ardentissime est deprecatus, ut ei vitam, quæ satis esset ad confitendum peccata, produceret: tum magna fide in Deum nixus, infirmum proprio compellans nomine rogavit, an vellet peccatorum sordes sacra confessione diluere. *g* Confestim ille velut e somno excitatus oculos sustulit, receptoque vocis usu, id velle se ac vehementer optare dixit; et confessione facta, atque exonerata peccatorum conscientia, perceptaque absolutione nihil amplius elocutus, spiritum Deo reddidit. Id circumstantes admirati glorificaverunt Deum, quod talem hominibus dedisset potestatem.

Gratiam sanitatum divinitus accipit.

e f

g

Semimortuo sensum restituit ad confitenda peccata.

21 Atque ubi Barcinonem appulit, confirmatis paullulum viribus, statim ad res divinas et cælestes contemplandas animum adjecit. Ejus vero Barcinonem adventus simulatque per Hispaniam innotuit, ingens hominum concursus ad eum fieri cœptus est, partim visendi gratia, partim consulendi, nam Pœnitentiarii potestatem, concessu ejusdem Gregorii, etiam ab Urbe absens exercebat. Quos omnes consolabatur in Domino, et spiritualibus monitis mirifice recreabat. Ejus enim scientia, quasi inundatio in omnibus abundabat, et consilium ejus, sicut fons vitæ, salutem animæ plurimis afferebat. Hac autem Pœnitentiarii potestate, quo liberius Deo sibique vacaret, *h* sponte se abdicavit, quamquam ejus etiam absentis opera idem Gregorius prædecessor, *i* ceterique Romam Pontifices qui eum secuti sunt, prædecessores item nostri, utebantur, ut ex ipsorum litteris facile constat, quibus ei gravissima negotia committebant. Conscripsit etiam *k* Summam Casuum conscientiæ, qui solent in foro pœnitentiæ frequenter occurrere, magnæ doctrinæ atque auctoritatis, et tam confessariis quam confitentibus valde utilem et necessariam.

Consulitur a multis,

h

i

k Summam scribit.

22 Dum sacris et suavibus hisce studiis, et juvandi proximi occupationibus distinetur, anno humanæ salutis MCCXXXVIII Jordanus ejusdem Ordinis secundus Generalis Magister, ex hac vita excessit. Quare novo Generali Magistro deligendo Capitulum generale Bononiæ est congregatum: ubi cum dissidentibus sententiis non satis Patribus inter se conveniret, ad S. Dominici corpus præces indictæ sunt, atque inde ad suffragia ventum; quibus omnibus, nullo penitus refragante, B. Raimundus absens Generalis Magister

Absens Generalis Ordinis eligitur.

est

est declaratus. Cujus ille rei nuntio perculsus, atque animo perturbatus, primum repugnare vehementer cœpit; sed provectioribus ætate ac sapientia Patribus Bononia Barcinonem adventantibus, qui eam omnium et Dei voluntatem esse confirmarunt, ægre tandem acquievit, ac magistratum iniit. Itaque aliorum precibus et auctoritate victus, animum ad regendam eam familiam adjecit. Quam cum integro biennio *l* sanctissime et magna cum laude administrasset, *m* facto, ipso postulante, superiore anno ex communi Patrum sententia decreto, ut liceret Magistro Generali officium Magisterii renuntiare, proximo insequente *n* Capitulo Bononiæ item habito affectam ætatem, infirmamque valetudinem incusans, pristinæ nimirum quietis, vitæque privatæ avidissimus, magistratu mœrentibus omnibus sponte se abdicavit.

Eose munere abdicat.

a *Mortuo scilicet* Aspargo, *sive* Asparago, *Archiepiscopo circiter annum* MCCXXXIII, *ut vult Diagus. Erat id temporis Tarraconensis Archiepiscopus Primas regni Aragoniæ, cum ab eo* Cæsaraugusta *quoque sacra petere consuesset; quam Joannes XXII, in Metropolim erexit.*

b *Tres, ut aiunt Diagus, Domenec. Llot.*

c *Nominavit, teste Diago,* Guilielmum Mongrinum, (*Llot vocat* Gregorium de Monte Grino) *tum Ædilem Ecclesiæ Gerundensis, virum egregium: qui tamen consecratus non est, sed aliquot post annis ultro se quoque dignitate postea abdicavit. Ferunt deinde oblatum* Raimundo Bracarensem *in Lusitania Archiepiscopatum, pari ab eo constantia repudiatum. Plures ei ab aliis Pontificibus et* Jacobo *Rege delatas dignitates, at semper ab eo rejectas, scribit Llot cap.* 5. *Seraphinus Razzius in Historia virorum illustrium Ord. Prædicat. tradit dicere solitum,* Magnam esse dignitatem, in Ordine Prædicatorum laudabiliter perseverare. *Volaterranus lib.* 21, sæpe dictitasse, *ait,* se salubrius ac securius subesse quam præesse.

d *Id non ante Aprilem anni* MCCXXXV *contigit. Mense Octobri anni sequentis comitiis regni Aragoniæ* Montione *sive* Monsonii *interfuit, teste Zurita lib.* 3, *cap.* 26, *quibus in comitiis actum de Valentia urbe eripienda Mauris. Quorumdam conatibus urbi Barcinonensi noxiis isthic intercessit* Raimundus, *Domenec.*

e *Distat* XII *leucis Barcinone,* II, Blanda *Ptolemæi, quæ nunc* Blanes.

f *Diagus ait eodem tempore, quo* Raimundum, *portum subiisse; rogatum Sanctum ad eum cum quatuor sociis adiisse.*

g *Cum primum ad eum venit, alta voce eum compellavit Raimundus: nihil ille se movit, donec facta cum sociis precatione, rursus ejus nomen inclamavit Sanctus. Ita Diag. Llot.*

h *Præterquam, inquiunt Diagus et Domenec. in iis rebus quæ* Prædicatorum *aut* Minorum (*ita Seraphicum Ordinem vir sanctus diligebat* (*propriæ essent. Multa tamen magni momenti negotia ad eum remittebantur a Curia Romana, ut confirmationes Episcoporum et Abbatum, gravium caussarum* (*etiam contra Antistites quosdam, ut Urgelitanum quemdam*) *examen, absolutiones ab excommunicatione, dispensationes ab irregularitate, etc. Domenec. Dissentientibus Ilerdensibus et Rothensibus Canonicis circa numerum eorum qui Episcopum electuri essent,* Innocentius IV, *Pontifex* Petro Albalatio *Archiepiscopo Tarraconensi, S.* Raimundo, *et* Michaeli de Fabra *Ord. Prædicatorum, idoneum eligendi potestatem fecit; estque a tribus illis* Guilielmus de Berberano *Ord. Prædicat. electus. Datus ab Urbano IV, cum Episcopo Barcinonensi, Judex in caussa matrimoniali* Alvari Cabreræ *Comitis Urgelitani, et* Constantiæ Moncadæ, *ut quod ante Oscensis Antistes judicarat, curarent ratum esse. Sed* Raimundus, *imbecillitate virium excusata, rem totam Antistiti reliquit. Domenec.*

i *Sedere post* Gregorium, *dum superstes fuit Raimundus,* Cælestinus IV, Innocentius IV, Alexander IV, Urbanus IV, Clemens IV, Gregorius X.

k Summam *rogatu et jussu* F. Sugerii, *primi Provincialis Hispaniæ a* S. Dominico *anno* MCCXXI *creati, conscripsit* S. Raimundus, *ante quam Romam a* Gregorio IX *evocaretur, ut ex veteri* MS. *probat Diagus; qui asserit hoc primum opus in eo genere scribendi extitisse. Alii inchoatam Barcinone voluni, Romæ perfectam, ut Domeneccus, Marietta cap.* 31, *et Castillo tradunt Romæ scriptam. Ex epistola certe variorum Conventuum ad* Bonifacium VIII, *quam recitat Llot cap.* 14, *videtur deduci, post* Decretales *scriptam, aut saltem perpolitam esse. Edita est Romæ elegantibus typis anno* MDCIII, *cum Glossis* Joannis de Friburgo. *Composuit præterea* S. Raimundus (*ut tradunt Diagus lib.* 2, *cap.* 13, *Domeneccus et Llot*) *quorumdam Episcoporum rogatu,* Tractatum de ratione visitandæ diœcesis, et curandæ subditorum salutis. *Mercatoribus quoque* modum *tradidit* juste negotiandi. Citatur et scriptum ejus de bello et duello, *ut tradit Antonius Senensis et Possevinus noster.*

l *Dicere solitus erat,* eum qui in virtutis exercitatione parva parvi facit, magna quoque non magni esse facturum. *Eratque ipse minimorum studiosus observator. Constitutiones Ordinis in duas distinctiones redegit. Provincias Ordinis fere omnes, et semper pedes, visitavit. Castillo, Diag. Domenec. Llot, Marietta.*

m *Id Diagus conatur refutare, quod Jacobus Dominicus et Bernardus Guido tradunt, omnes Diffinitores qui abdicationem admiserunt, ipsumque* Pontium Sperram, *officio motos in Capitulo, generali, an.* MCCXLII, *Bononiæ habito. Prius illud Capitulum, in quo Decretum Sanctus condidit, ut Generali liceret munere se abdicare, Parisiis celebratum scribit Llot cap.* 8.

n *Decretum est in eodem Capitulo, ut licet munus sponte posuisset, ei tamen, ubi vita functus esset, eadem precum suffragia impenderentur, quæ Generali in administratione Ordinis decedenti solent, verba decreti sunt:* Pro F. Raimundo quondam Magistro Ordinis fiat post mortem, sicut pro Magistro Ordinis.

Ex Bulla Clement. VIII

CAPUT V.

Pro fidei defensione ac propagatione, peccatorumque extirpatione, labores.

Quo veluti onere deposito, lætus et alacer ad consuetas pietatis exercitationes, et proximi ad virtutem incitandi studium se quam diligentissime retulit, ac nihil unquam antiquius habuit quam ut religionem Catholicam longe lateque propagaret, et pro viribus ab hæresum labe vindicaret. Quamobrem cla. me. Jacobo Regi Aragoniæ ejus nominis primo in primis suasit, *a* ut sacrum Inquisitionis officium suis in regnis institueret, ad hæresim videlicet, quæ tunc ex nefaria *b* Valdensium secta recenter exorta erat, omnesque alias procul a finibus ejus regni arcendas, atque hanc ob caussam *c* Concilio Provinciali Tarracone adversus eosdem sectarios habito, jussu ipsius Jacobi Regis interfuit.

Inquisitio ut instituatur suadet.

a

b

c

24 Sub idem vero tempus Saraceni, qui nobilissimas Hispaniæ civitates, et finitimas insulas impia sui generis stirpe multo ante infecerant, armata manu vehementer etiam infestabant, quibus ut in suis regnis Evangelium Christi prædicaretur, eidem Jacobo Regi auctor fuit. Hunc etiam ad majorem insulam *d* ex Balearibus proficiscentem ejus rogatu comitatus est, tum ut ei a sacris confessionibus esset; tum etiam, ut verbo Dei prædicando, fideique Catholicæ mysteriis explicandis, Hebræos et Agarenos, qui ibidem magno numero erant, ad Christianam religionem adduceret.

Item ut Saracenis Evangelium prædicetur.

d

25 Ubi cum idem Jacobus Rex vesano amore captus *e* cujusdam feminæ consuetudine uteretur, B. Raimundus, qua erat dicendi libertate ac prudentia, illum blande primum sermone ab ea conatus est revocare; verum ubi se nihil proficere animadvertit, tum orare, proque sua in Deum fide precibus omnibus cœpit obtestari, ne ob exiguam corporis voluptatem male se ipsum perderet: sed neque preces quidquam profuere. Hic tum B. Raimundus animi dubius et incertus quo se verteret, consulto tandem precibus divino numine, statuit nihil gravius sibi faciendum, quam ut ex insula discederet, ne libidinem ejusdem Jacobi Regis, quam ferre amplius non poterat, probare sua præsentia videretur Itaque eum adiit, serioque ac severe admonitum suæ voluntatis certiorem fecit. Jacobus vero Rex ejus apud se retinendi cupidus, nautas omnes præmoneri jussit, atque capitali edicto prohiberi, ne ullus eum trajiceret. Interim ignarus ejusce consilii B. Raimundus in portum perrexit, ubi ab omnibus naviculatoribus communi consensu rejectus; cognita Jacobi Regis voluntate, in portum Sollar profectus est, itineris sui comiti hoc unum firmissime asseverans, ibi æternum Regem sibi non defuturum. At cum neque in eo portu a nautis admitteretur, id secum ipse demiratus, hoc magna fide pronuntiavit, Regem quidem mortalem ita statuisse, sed Regem æternum aliter provisurum.

e

Regem adulterum deserit.

26 Itaque omnibus in littore salutatis, per quasdam rupes et prærupta saxa in mare porrecta aliquantulum progressus in mare descendit, ac socium allocutus: Videbis, inquit, quemadmodum Deus optimam navem providebit. Quare fiduciæ plenus, expanso super aquis pallio, *f* reductaque ejus ora instar veli ad baculum, quo tamquam malo uteretur, Dei opem invocans, ac signo crucis se muniens, relicto in insula suo modicæ fidei ac dubitante socio, mari se commisit, ac leni prosperoque inflante vento, perambulans

Pallio pro navi usus mare trajicit.

f

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ex Bulla Clement. VIII

bulans semitas maris, ac benedicens Deum qui dominatur potestati ejus, centum sexaginta milliaria sex horis confecit, omnibusque circum littora insolitum navigandi genus admirantibus, Barcinonem appulit: ubi resumpto pallio, quodne quidem aqua perfusum erat, ad monasterium sui Ordinis sub meridiem se contulit, quodque non minus admirandum est, *g* januis clausis illud ingressus, populi acclamationes evitans, ad gratias Deo peragendas in templum secessit. Cujus rei fama totam urbem finesque illius brevi pervasit. Auxit etiam hujus miraculi magnitudinem ejusdem *h* Jacobi Regis emendatio subsecuta. Extant autem usque in hunc diem vestigia turris, et *i* capella eo in loco, ex quo in mare descenderat, extructæ, atque ipsum etiam pallium, ut continuata apud eos populos traditione receptum est, cujus contactu multi a variis corporis infirmitatibus quotidie liberantur.

g *Clausis januis cœnobium intrat.*

h

i *Pallii ejus attactu morbi curantur.*

27 In procuranda Hebræorum et Saracenorum salute, *k* magno caritatis ardore semper incensus fuit, omnemque operam dedit ad eos fidei Christianæ documentis excolendos, ac pro viribus adjuvandos: quod ut ei facilius esset, *l* Seminarium, in quo nonnulli sui Ordinis religiosi Hebraico et Arabico sermone erudirentur, Castellæ et Aragoniæ Regum impensis instituit. Quod opus toti Hispaniæ ornamento, atque infidelibus adjumento fuisse, ex eo satis constat, quod illius ope atque auxilio *m* ingens eorum multitudo Christianam religionem amplexa sit. Neophytos non minori caritate, doctrinæ Christianæ præceptionibus imbuebat, atque tam assiduus erat in illis instituendis, ut eorum parens esse videretur: et ne alimenta eis ad vitam necessaria deessent, undique eleemosynas corrogabat.

k

l *Seminarium Hebraicæ et Arabicæ linguæ instituit.*

m

Initium Inquisitionis in Hispania.

a S. Raimundus Jacobum *Regem summa contentione rogavit, ut delegatos Inquisitores contra hæreticos ejus regna corrumpentes, a summo Pontifice mitti sibi curaret. Rex id* Raimundo *a Pontifice petendum commisit: qui tandem anno* MCCXXXIII, *data Bulla* Esparraco Barcæ *Tarraconensi Archiepiscopo, cognato Regis, ejusque suffraganeis, et quibusdam ex Ordine Prædicatorum, Inquisitionis ejusmodi exercendæ potestatem commisit. Confirmata ea est studio* Guilielmi Mongrini *qui* Esparraco *successerat; quod Pontifex Gregorius IX, litteris ultimo die Aprilis* MCCXXXV, *datis collaudavit, misitque instructionem ad id munus exequendum accommodatam. a S.* Raimundo, *tunc adhuc Romæ agente, confectam. Ubi Archiepiscopatu se abdicavit* Guilielmus, Petrus de Albalat *ejus successor, plura cum* Raimundo *de ea re consultavit. Hæc omnia, et quæ deinceps consecuta sunt, pluribus deducit Ludovicus Paramus De origine Inquisitionis lib. 2, tit. 2. cap. 8, qui ait prius in* Cataloniæ *Principatu regnoque* Aragoniæ, *quam in ulla alia Hispaniæ regione* Inquisitionem *viguisse.*

b Waldenses, *qui et* Pauperes de Lugduno, Waldonem *quemdam Lugdunensem civem, nominis et hæresis auctorem habuere. Eorum errores vide apud Jacobum Gaulterium Nostrum in Tabula Chronologica ad sæculum* XII. *Idem* les Ençabats *dicti, ut scribit Paramus, sive* Insabatati.

c *Nicolaus Eymericus Directorii Inquisitorum 2 part. Severinus Binius tom. 3 Concil., part. 2. Abrahamus Bzovius Annal. tom. 13, hujus Concilii Actorum partem aliquam recitant, quorum hoc est initium:* Cum nos Petrus, miseratione divina Archiepiscopus Tarraconensis, Inquisitionem incœptam per bonæ memoriæ Berengarium Barcinonensem Episcopum contra hæreticam pravitatem in civitate Barcinonensi, vellemus effectui mancipare; inter Jurisperitos qui nobis tum aderant, dubitationes hinc inde variæ emerserunt. Quare ut circa factum hæresis, et Inquisitionis de cetero fiendæ in provincia Tarraconensi, clarius procedatur, collationibus inde factis cum venerabili Fratre Raimundo de Pennaforti Pœnitentiario Domini Papæ, et aliis prudentibus, in processu sententiarum hæreticorum, fautorum, suspectorum, relapsorum, et pœnitentiis eorum, secundum discretionem nobis a Domino datam ita duximus procedendum, *etc.*

d *Anno* MCCXXIX, *occupavit majorem Balearum insularum* Jacobus, *urbemque* Majoricam *ultimo Decembris vi cepit, teste Mariana lib. 12, cap. 13. Anno deinde* MCCXXXI, *cum nuntiatum esset, Regem Tunetanum validam classem adversus eas insulas comparare, eo* Jacobus *transmisit; iterumque* MCCXXXII, *quo et minor Balearis capta. Sed versabatur tunc in Curia Romana* Raimundus; *tamen Marietta, Llot, Castillo, hæc contigisse scribunt in prima illa expeditione, cum occupata est insula. Diagus et Domenec. anno* MCCLXIX, *hanc perfectionem contigisse volunt, quo ex Mariana aliisque constat Regem ingenti adornata classe in Terram sanctam solvisse, sed cum ad minorem Balearem pervenisset, vi tempestatis classem disjectam, Regem in portum quempiam Galliæ Narbonensis repulsum. Verum in ea expeditione hoc contigisse miraculum non arbitror, sed cum alias eam insulam Rex reviseret, statum illius compositurus, Judæosque et Agarenos* Raimundi *opera Christo adjuncturus. Jacobus de S. Joanne, qui anno* MCDLVI. *S.* Raimundi *vitam scripsit, ut cap. 17, testatur Diagus, ait noluisse* Raimundum *iter suscipere, nisi prius stipularetur Rex se consiliis ejus in iis rebus quæ ad ejus populique salutem pertinerent, obtemperaturum. Ut primum appulit, quem deferre ei Primores insulæ cupiebant, honorem declinans, ad cœnobium Prædicatorum divertit: recta ad templum contendit, peracta precatione, Priorem ceterosque religiosos complexus salutavit. Mox dicere ad infideles, multos Christo lucrari; dissidentes reconciliare: pauperes ægrosque visere, animosque eorum et corpora curare. Diagus ex Jacobo citato, et Domeneccus. Unde patet, hæc in prima insulæ occupatione contingere non potuisse, neque enim tum cœnobium in Balearibus habebant Prædicatores.*

e *Eam* Berengariam *fuisse scribit Diagus, cujus amoribus irretitum Regem, etiam prælium inire parantem, noluit alias a peccatis absolvere Arnaldus Segarra Prædicatorum Provincialis, quod nollet se eam dimissurum spondere.*

f *Marietta et Castillo aiunt scapulari pro velo usum, scipione pro gubernaculo. Haud satis id verisimile: nam quo ei gubernaculo opus? Llot gubernaculi non meminit, sed de scapulari velum facit, uti et Ferrandus.*

g *Ferrandus, Castillo, Llot scribunt januas ultro ei apertas.*

h *Qui mox cum aliquot religiosis Ordinis Prædicatorum ad Sollerii portum adiit, ac prominentem in aquas rupem, e qua Sanctus in mare descenderat, lustravit. Diag. Dom. Addit Marietta, missam a Rege triremem quæ Sanctum assectaretur; Llot, plures missas scribit.*

i *Dedicata* S. Catharinæ Martyri, *cujus in fundamentis reperta erat imago, quam ad eum locum sæpius appulsi Mauri, indignis quidem modis tractarunt, numquam tamen avehere potuerunt, Sollerii oppidi incolæ alio deportarunt, ne barbarorum rursus pateret latrocinio. sed vi divina ad suam relata est ædiculam. Ita Jacobus de S. Joanne, qui id se adolescentem de parente suo aliisque ætate provectis, inque ipso Sollerio oppido audisse profitetur. Diag.*

k *Inflammata magis ea caritas cum ei divinitus revelatum esset, teste Diago lib. 2, cap. 16, et Llot cap. 6 Fratrum Prædicatorum opera multos infidelium religionis Christianæ mysteria doctum iri.*

l *Scribit Diagus, Domenec. et Llot, viginti aut plures religiosos missos esse partim Tunetum, partim Murciam, ut linguam isthic Arabicam et Hebraicam condiscerent.*

m *Mauri ad decem millia conversi. Diag. Dom. Llot. Missi deinde Fratres in Africam, qui Evangelium prædicarent, de quibus extat* Alexandri IV, *Bulla data Anagniæ* V *Kal. Julii anno* II *ejus Pontificatus, Christi* MCCLVI. *Ipse S.* Raimundus *quibusdam Maurorum Principibus, ipsique Tunetano Regi notus amicusque erat, qua ratione janua amplior aperiebatur Evangelio. Ipsemet Sanctus in suis ad Generalem Ordinis Magistrum litteris varium fructum commemorat, qui Fratrum opera in Hispania et Africa referebatur. Extant eæ litteræ in libro qui* Vitas fratrum *inscribitur. Diagus de ejus zelo ex Petro Marsilio sequentia recitat:* Conversionem etiam infidelium ardenter desiderans rogavit eximium Doctorem sacræ paginæ, Magistrum in Theologia, Fratrem Thomam de Aquino ejusdem Ordinis, qui inter omnes hujus mundi Clericos post F. Albertum Philosophum maximus habebant, ut opus aliquod faceret contra infidelium errores, per quod et tenebrarum tolleretur caligo, et veri Solis doctrina crederetur volentibus panderetur. Fecit Magister ille quod tanti Patris humilis deprecatio requirebat, et Summam, quæ Contra gentiles intitulatur, condidit; quæ pro illa materia non habuisse parem creditur. *Confutati quoque ab eo ejusque sociis magno fructu Judæorum errores, multique ex iis baptismo lustrati.*

CAPUT VI.

Virtutes, mors, exequiæ.

De rebus dubiis sæpe consultus, singulari prudentia, ac divina plane sapientia omnibus respondebat, *a* atque inter cetera beneficia quæ accepit, hoc præcipue donum a Deo est consecutus, ut eos, quibuscum ageret, mira consuetudinis suæ dulcedine ac voluptate perfunderet. *Consulentibus gratiosus.* *a*

28 Orandi contemplandique summam diuturno usu adeptus est facultatem: nam etsi variis gravibusque negotiis distineretur, tamen ubi se ad orationem composuerat, tanta subito divini spiritus suavitate rapiebatur, ut omnium rerum mortalium cura exutus esse videretur. Ac sæpe intempesta nocte clam observatus est in secretiori templi recessu, tam crebra altaque suspiria inter orandum edere, ut audientes ad lacrymas commoveret. *b* In divinis officiis erat assiduus, atque incredibilem psallendo capiebat voluptatem. *Orationis studiosus.* *b*

30 Sacrosanctum Missæ sacrificium fere quotidie celebrabat. *c* Quanta vero esset ejus in sacrificando animi puritas ac devotionis fervor, vel ex eo facile existimari potest, quod astantes ex ejus solo aspectu ad orationem incitarentur, ac petita a Deo patre misericordiarum beneficia, ejus precibus impetrarent. *c* *In celebrando pietas.*

31 Nam

31 Nam frater Martinus ejusdem Ordinis Conversus, cum, antequam suavi se Christi jugo subjiceret, voluptatibus carnis liberius indulsisset, ac tunc earum rerum, quibus ante assueverat, recordatione, suique corporis illecebris quasi quibusdam stimulis agitatus, mirum in modum vexaretur, omnem hujus tentationis propulsandæ spem in B. Raimundi meritis collocavit. Igitur ejus sacrificiis sæpe interesse, ac summis precibus a Deo flagitare cœpit, ut tanto suo malo remedium aliquod afferret. Quod dum perseveranter peteret, quodam die ex manibus B. Raimundi celebrantis, ac sacram Hostiam populo ostendentis, Christus Dominus sub augustissima pueri specie clarissima luce radiantis spectandum ei se præbuit *d*. Quo viso, tanto est repente gaudio delibutus, ut ex eo tempore ad extremum usque diem, divina gratia et bonitate, ab omni concupiscentiæ carnis commotione fuerit præservatus.

Ejus meritis depulsa tentatio.

d

32 Cum cælestis militiæ Angelo tanta inerat ei familiaritas et amicitia, quæ maximum est puritatis et sanctimoniæ argumentum, ut ab eo *e* frequenter ad orandum a somno excitatus invitaretur.

Angelo familiaris.

e

33 *f* Cibi potusque parcissimus fuit : totam enim hebdomadam, excepto die Dominico, jejunabat. Nullum unquam in eo contumaciæ vel arrogantiæ vestigium animadverti potuit, quin imo lenitate ac patientia fuit maxima, et in Deum tanta caritate, ut ejus amore omnia arbitratus sit ut stercora : ex qua etiam egregia illa in proximos caritas redundabat *g*.

f

Ejus abstinentia et lenitas.

g

34 Omnibus demum virtutibus cumulatissimus, devexa jam ætate, in perpetua quadam erat animi vigilia, expectans Dominum, ut ad cælestes nuptias ab eo vocaretur. Igitur *h* annos fere centum natus cupiens dissolvi, et esse cum Christo, *i* in lethalem morbum incidit : atque Sacramentis omnibus rite munitus, orantibus ad lectulum fratribus, deficiente sensim omni vitæ sensu, ipso die Epiphaniæ Barcinone obdormivit in Domino, salutis humanæ anno MCCLXXV.

Moritur an. 1275, 6 Januar.

h

i

35 Vulgata ejus morte, ingens hominum concursus ad monasterium videndi caussa repente factus est : ac tanta fuit sanctitatis ejus apud omnes opinio, ut multi Episcopi, complures Prælati ac nobiles viri, Clerus etiam et populus Barcinonensis universus, funus ejus summa doloris significatione sint prosecuti. Communem vero illam ejus sanctitatis famam auctoritate sua magnopere auxerunt, *k* Alphonsus Castellæ, et Jacobus Aragoniæ Reges, qui ad ejus exequias, sua præsentia cohonestandas, comitantibus filiis ac domesticis omnibus, summa cum veneratione, et fama sanctitatis beati hujus viri convenerunt, itaque corpus ejus magno totius civitatis luctu, ac Principum virorum dolore, honorifice humatum est : quod paucis annis post in *l* sepulchrum marmoreum translatum fuit.

Ejus exequiæ solemnissimæ.

k

l

a *Sed, ut scribit Diagus et Llot, vix respondebat ex tempore si quid ex eo de Jure quæreretur, cujus tamen erat scientissimus; sed prius Auctores consulebat.*

b *Post Matutinum et Completorium omnia altaria ecclesiæ obibat, eaque corporis humili submissione venerebatur Diag. Domenec.*

c *Semper fere ante Missam expiabat animum confessione. Quo die impeditus sacrificium non obtulisset Deo, eo consueta animi alacritate et lætitia carere se asserebat. Diag. Domenec. Llot.*

d *Addit Domeneccus ex Petro Marsilio lib. 4, de vita Jacobi Regis, simul ac hostiam consecravit* Raimundus, *delapsum ex alto globum sive circulum igneum, qui ei caput et humeros circumcinxit usque ad ejusdem hostiæ sumptionem.*

e *Quotidie, ut scribit Llot, ante mediam noctem.*

f *Sub noctem flagris et zona ferrea in corpus suum acriter sæviebat. Diag. Domenec.*

g *In familiari cum aliis sermone comis ei quædam facundia aderat, aptaque ad eorum instructionem exempla affluebant. Murmurantes, aut aliis detrahentes, quadam urbanitate cohibebat. Diag. Domenec. subinde etiam acriter arguebat, ut Llot ait.*

h *Diagus cap.* 20, *vult solum fuisse* LXXXIX *annorum, quia existimat, cum Bononiam profectus est an.* MCCX, *vel* MCCXI, *fuisse solum* XXIII, *vel* XXIV *annorum. Verum alii citius fuisse Bononiam scribunt.*

i *Petrus Marsilius apud Diagum l.* 2, *cap.* 20, *ita scribit :* Sic jam longo quassatus senio cœpit infirmari, et a Rege, ac Rege Castellæ sæpius visitatus, in die Epiphaniæ Domini circa horam sextam illum Psalmum incipiens : Exaudiat te Dominus in die tribulationis, protegat te nomen Dei Jacob, præsentibus fratribus et orantibus, spiritum reddidit creatori. *Addit Domeneccus, fratres qui aderant prosecutos esse Psalmum, et cum ad illa verba :* Tribuat tibi secundum cor tuum, et omne consilium tuum confirmet, *pervenissent, expirasse Sanctum. Llot ait mortuum in illis verbis Psalmi* 30. In manus tuas Domine commendo spiritum meum.

Ex Bulla Clement. VIII Psal. 19.

k *Pet. Marsilius :* Interfuerunt autem ejus celebribus exequiis Rex Castellæ Ildefonsus, et germanus ejus Ferrandus, et filius ejus Sancius, et duo Infantes minores; Rex Jacobus, et Infans filius Jacobus; Episcopus Barcinonensis, Oscensis, Conchensis, et plures alii Prælati, ac Principes, et Nobiles, et totus Clerus et populus Barcinonensis; et corpus illud tam venerabile sepulturæ dederunt. *Meminit funeris hujus a* Jacobo *Aragonio, et* Alphonso X, *Castellæ Rege, qui* Sapiens *dictus est et* Imperator, *cohonestati, Mariana noster lib.* 13, *cap.* 22, *et Domeneccus, qui* Ferrandum *Alfonsi fratrem cum esse ait, qui a Zurita* Emmanuel *appellatur; adfuisse præterea funeri* Violantem Alphonsi *Regis uxorem, duosque alios* Jacobi *filios* Joannem et Petrum; *officium sepulturæ ab uno e tribus recensitis Episcopis peractum.*

l *Id in peculiari sacello, ejus ac* S. Juliani *nomini dicato, collocatum. Sacellum ædificatum curante* Bonanati *cujusdam civis Barcinonensis filia, cui pater ea lege optimam hereditatem an.* MCCXCVII, *reliquerat.* Jacobus II, *Rex ad illius sacelli ædificationem haud tenuem contulit stipem an.* MCCXCIX, *ut Domeneccus tradit. Llot scribit, ab initio in sepulchro marmoreo conditum, atque ad illud delatum ipsorum Regum manibus; neque usque ad an.* MDXCV, *quo scribebat, apertum fuisse. Ter deinceps apertum sepulchrum : primum anno* MDXCVI, IV *Aprilis, jussu* Clementis VIII, *præsentibus Archiepiscopo Tarraconensi, Episcopis Barcinonensi, Vicensi, Helenensi, Celsonensi, aliisque viris primariis : iterum anno* MDXCIX, VII *Junii,* Philippi III, *Regis Catholici rogatu, præsentibus Rege cum Margarita uxore, et socru, ac Belgicæ nostræ Principibus* Alberto *et* Isabella Clara Eugenia. *Tertio demum* XXIV *Maii* MDCI, *ut cum publica supplicatione gestaretur in solemnitate canonizationis. Domenec.*

CAPUT VII.

Miracula post mortem.

Miraculis post mortem claret.

Barcinonensis populus B. Raimundo vita functo, quasi totius patriæ lumine extincto, mœrore afflictus graviter angebatur, atque ob recentem virtutum ejus ac beneficiorum memoriam eo carere omnibus acerbissimum erat. Sed pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, qui secundum multitudinem dolorum, consolationibus suis timentium se corda lætificat, B. Raimundi meritis beneficia in omnes conferendo plebem suam mirifice recreavit. Nam fidelissimi hujus servi integritatem et sanctimoniam multis quidem in vita miraculis claram, pluribus signis post obitum ingenti omnium lætitia comprobavit.

Lepra ejus invocatione curata.

37 Atque ut omnes intelligerent, quam Deo placita esset anima ejus, eo ipso tempore, quo ex hac vita migravit ad Dominum, insigni miraculo est declaratum. Erat in ea civitate *a* Guillelmus de Villaragut, qui inveterata corporis lepra graviter laborabat, neque eum fœditas morbi dolorisve acerbitas in publicum prodire, solitasque exercitationes et negotia obire patiebatur. Medici adhibitis frustra medicamentis omnibus, deplorata re animum desponderant : ipse vero, Deo ita disponente, qui Sanctum suum clarificaturus erat, in ædes quasdam monasterio Ordinis Prædicatorum vicinas, ea ipsa nocte, qua B. Raimundus excessit e vita, diverterat; ubi cum gravissimo elephantiæ dolore torqueretur, a pio quodam viro *b* Bernardo de Molendinis nuncupato, Canonico Barcinonensi admonitus est, ut B. Raimundi, qui eo tempore dormierat in Domino, meritis se commendaret : quod ille recuperandæ valetudinis cupidissimus simul atque diligenter præstitit, confestim omnis lepra ex ejus membris collapsa est, ac sanum corpus reliquit. In cujus rei signum, et accepti beneficii memoriam, idem Guillelmus *c* monumento suspenso in templo, rem omnibus testatam esse voluit, et posteritatis memoriæ commendavit.

a

b

c

Mortua suscitata.

38 Illud vero maximum est ejus sanctitatis argumentum, quod mortuos etiam ad vitam revocarit. Nam

Ex Bulla Clement. VIII

Nam quædam puella, Margarita nomine, Joannis Physici filia, quatuor aut circiter annos nata, diuturna febri, continuisque alvi fluxionibus exhausta, diem obierat extremum; eamque vere mortuam esse, pallor ipse vultus, contractæ nares, oculi extincti, horridi dentes, ceteraque indicia confirmabant : quin et idem Joannes pater medicæ artis expertissimus asseruit omnia mortis, nullo vitæ vestigia in ejus corpore extitisse. Honesta interim mulier Romea, ejusdem Margaritæ mater, quæ paullo ante ad B. Raimundi sepulchrum accesserat, et auxilium ab eo, filiæque valetudinem precabatur, ubi de morte filiæ certior a Joanne ejus marito facta est, ab eodem sæpius domum revocata fuit : quo illa nuntio perculsa, tanto filiæ recuperandæ desiderio inflammata est, ut neque inde se abituram, neque domum reversuram affirmaret, nisi beati hujus viri meritis et intercessione Margarita ejus filia vitæ restitueretur. Itaque lacrymis ac lamentis omnia miscere, et ardentius orationi instare, atque a Deo per beati viri merita summis precibus flagitare cœpit, ut filiam vitæ sibique redderet. Cujus perseverantem firmissima fide orationem respexit Deus, nec sprevit deprecationes ejus. Nam sub occasum solis Margarita filia, paullo post meridiem defuncta, non modo vitæ, sed etiam integræ valetudini est penitus restituta : quæ postrindie in templum pedes adiit ad gratias pro tanto beneficio agendas, et decem et quatuor annos supervixit.

d Parturiens exempta periculo.

39 *d* Altera item honestæ conditionis femina, Romea appellata, Michaelis videlicet de Sala hominis pii uxor, B. Raymundi opem experta est. Nam cum maturo jam fœtu acerbissimis pariendi doloribus premeretur, ac infantis caput enixa, reliquo intus recluso corpore, tribus integris diebus ac noctibus gravissimo cruciatu torqueretur, nihil propius factum est, quam ut ex hac vita decederet; nam ob languentis stomachi fastidium, cibos omnes haustusque respuebat, atque a sensibus alienata, vocisque usu privata jacebat exanimis. Quo tam præsenti uxoris suæ periculo prædictus Michael vehementer animo consternatus, ad templum illico excurrit, B. Raimundi opem subsidiumque implorans : qui simul ac domum rediit, Romea felicissime partum edidit, atque omni dolore est liberata.

Alius lapsu convulsus, subito sanatur.

40 Præterea juvenis quidam continuos viginti dies acutissima febri agitatus, viribusque exhaustus, in superiorem ædium partem a suis delatus fuerat, ut aura puriore frueretur, animumque relaxaret : quo ex loco deorsum in lapides et saxa corruens, ita convulsus fractusque membris fuit, ut immotus humi prostratus ab omnibus mortuus esse putaretur. Eo, ut fit, cum multi videndi et juvandi caussa accurrissent, adstantium quidam pulveres ex B. Raimundi sepulchro desumptos, quos religiose ac pie secum gestabat, in jacentis ac moribundi os injecit, colloque appendit, atque æger ille continuo valetudini est integræ restitutus. Et illa quidem, aliaque quam plurima multo ante tempore contigerunt, hæc vero recentiora sunt.

a *Idem miraculum inferius aliquanto fusius ex Michaele Llot narrabitur.*

b *Llot* Bertrandum *vocat.*

c *Cerea nimirum imagine, ut Llot ait.*

d *Duo sequentia miracula rursum inferius a Michaele Llot narrantur.*

CAPUT VIII.

Recentiora miracula.

Pestis depulsa.

Anno MDLXXXIX, cum pestilentia Barcinone grassaretur, atque ingenti hominum clade invalesceret; *a* quidam probus vir, Michael Amat appellatus, peste mortifera correptus, ac desperata valetudine a medicis destitutus, Sacramentorum atque Extremæ unctionis susceptione, ad mortem se comparabat; sensim vero per omnia corporis membra serpente morbo, in eas redactus erat angustias, ut præclusis faucibus loqui amplius non posset. Quare intimo cordis et affectu B. Raimundum est deprecatus; ut eam a se infirmitatem depelli precibus suis impetraret. Qua in oratione B. Raimundum sibi videre visus est, atque extensa manu se contingere : quo ex facto ita omni repente morbo levatus est, ut eodem ipso die convaluerit.

a

Item profluvium.

42 Hoc aliquanto recentius est. Nam an. MDXCVI pia quædam mulier, Anna Beneta vocata, Barcinone honestis parentibus orta, ipso Epiphaniæ festo, copioso sanguinis profluvio in summum vitæ periculum adducta erat : neque adhibita medicorum remedia sanguinem ullo modo sistere poterant, neque ipsa in proximam diem victura putabatur. Quare eorumdem hortatu cum sanctissimæ Eucharistiæ, atque Extremæ unctionis Sacramenta, pie et devote sumpsisset, mortem exspectabat. Interim in B. Raimundi præsidium toto animo confugit, ac pulveres ex ejus sepulchro ad se deferri, atque in cyatho misceri sibi jussit, quibus epotis melius se habere cœpit, et absque ullo prorsus alio pharmaco vitæ discrimen evitavit.

Pulvere sepulchri morbi sanantur.

43 Illud vero perpetui ejusdem miraculi vim obtinet, quod ex primo ejus *b* sepulchro terra quædam tenuis, seu pulvis saluberrimus enascitur, qui licet magna in copia inde exportetur, numquam tamen deficit, ac multæ magnæque corporis infirmitates eo curantur.

b

Suavis odor ex sepulchro.

44 Anno itidem MDXCVI cum Judices instituti ad explorandas beati hujus viri reliquias, arcam, ubi erant reconditæ, aperuissent; tantus illico odor ex ejus corpore, qui vivens in odorem suavitatis Deo se consecrarat, exhalavit, ut multi, qui eo confluxerant, nihil eo percipi posse jucundius affirmarent : quinimo egregius vir Ludovicus de Claremunt ex gravi morbo sensu odoratus a *c* sexdecim annis orbatus, cum in ea hominum multitudine videndi desiderio incitatus propius accessisset, eum etiam odorem suavissimum sensit : quo repente ita recreatus est, ut lacrymas præ gaudio continere, nec ullam vocem emittere ullo modo posset : verum tacitus apud se cogitans dubitabat, num istius solummodo odoris olfactum recuperasset, an etiam rerum aliarum; sed domum reversus ubi se varios odores percipere animadvertit, miraculum subito evulgavit. Neque vero hæc odoris fragrantia eo solum tempore ex ejus corpore emanavit, sed aperto quodam ejus sepulchri meatu, idem suavis odor quandoque afflatur, qui ab iis sentitur, quos divina bonitas eo munere dignatur.

c

Odoratus ist-hic recuperatus.

a *Domenec. Equitem vocat, et addit plures scribere Sancto acceptum, quod a contagionis periculo liberati sint.*

b *Quod ideo apertum relictum, ut scribit Mariett. at Llot cap.* 13, *ita scribit :* Ex quodam parvissimo loco, juxta sepulchrum hujus Sancti posito, in quo ejus interiora fuerunt sepulta, miraculose quidem quædam minutissima terra nigri coloris emanat; quæ tenuissima cum sit, et infirmis utilis valde et accommodata, et ideo a die obitus Beati Patris in ingentem quantitatem fuerit propter infirmos a Sacrista extracta, numquam locus ille a terra vacuus fuit umquam repertus. *Eadem fere habet Ferrandus apud Trugillo, qui addit (quod et Ferdinandus del Castillo scribit) hunc pulverem sæpe cibo aut potui infirmorum misceri.*

c *Domeneccus solum habet,* octo.

CAPUT

CAPUT IX.

Cœpta procurari ejus canonizatio.

His pluribusque aliis miraculis, quæ referre longum esset, corda Regum inclinata, plurimique Ecclesiarum Antistites et Prælati, populique integri regni Aragoniæ divinitus excitati, una voce et consensu a multis Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris frequenter petierunt, ut B. Raimundus in Sanctorum numerum referretur. Et quidem quarto ab ejus obitu anno, salutis videlicet humanæ MCCLXXIX, Archiepiscopus Tarraconensis, ac decem Episcopi regni Aragoniæ, multique Abbates in *a* Concilio Provinciali Tarracone congregati, litteras ad fel. rec. Nicolaum Papam III, prædecessorem nostrum dederunt, quibus singularem ejus in Deum caritatem vitæque innocentiam coram Deo et hominibus testificati, ut eum, prævia virtutum ac miraculorum ejus inspectione, Sanctorum numero adscribere vellet, humiliter supplicarunt.

Aragonii supplicant Nicolao III, Pontifici pro ejus canonizatione.

a

46 Cum autem ipse Nicolaus III, prædecessor e vita migrasset, Præfecti civitatum regni Aragoniæ, et Principatus Cataloniæ, totaque civitas Barcinonensis, quin et Priores, ceterique Fratres Ordinis Prædicatorum qui eas provincias incolebant, idem a fel. rec. *b* Bonifacio VIII, etiam prædecessore nostro enixe flagitarunt. Verum ipso Bonifacio prædecessore ab humanis etiam erepto, *c* Concilium Provinciale Tarracone denuo convocatum, apud sanctæ mem. *d* Joannem XXII, prædecessorem etiam nostrum, primam petitionem renovavit. Quo tempore *e* Frater Arnaldus Burguetus Ordinis Prædicatorum Inquisitor, ac Procurator a Capitulo generali ad hanc caussam prosequendam institutus, multos testes super miraculis, quæ de hoc beato viro vulgabantur, examinari curavit. Sed cum per dicti Joannis prædecessoris obitum res transigi non potuisset, cla. mem. *f* Petrus Aragoniæ Rex, datis ad fel. record. *g* Clementem VI, similiter prædecessorem nostrum litteris, vehementer institit, ut beatus hic vir humanis laudibus extolleretur in terris, quem divinæ providentiæ sublimitas, quemadmodum in ejus litteris habebatur, honorare voluerat in excelsis.

Item variis aliis Pontificibus.

b

c

d

e

f

g

47 Cum vero hujus rei tanta sit gravitas et magnitudo, ut exiguo tempore perfici non potuerit, omnis hujus caussæ tractatio usque ad tempora sanctæ mem. *h* Pauli III, similiter prædecessoris nostri fuit intermissa: qui tandem precibus bo. mem. *i* Fratris Joannis a Toleto tituli S. Sixti Cardinalis Burgensis nuncupati inclinatus *k* concessit, ut in omnibus monasteriis et ecclesiis Ordinis Prædicatorum, in regno Aragoniæ existentibus, solemne officium de B. Raimundo celebrari posset.

Officium de eo permissum Prædicatoribus.

h

i

k

a *Huic Concilio præfuit* Bernardus *Tarraconensis Archiepiscopus, interfuere* Arnaldus *Barcinonensis*, Berengarius (*Bzovius* Bernardum *vocat mendose*) *Gerundensis*, Raimundus *Vicensis*, Guillermus *Illerdensis*, Petrus *Urgellensis*, Arnaldus *Dertusensis*, Petrus *Cæsaraugustanus*, Jacobus *Oscensis*, Jaubertus (*Bzovio* Jaspertus) *Valentinus Episcopi, Abbates, et alii Prælati: quorum litteras ad Nicolaum recitat Llot cap.* 12. *In iis hæc, inter alia plurima, de S.* Raimundo *prædicantur:* Neque enim sufficienter explicare sufficimus humilitatem ejus in corde, dulcedinem in sermone, extenuitatem in opere, fervorem in caritate, in orationibus vigilantiam, in consiliis prudentiam, in moribus disciplinam. Sed nec omnino silere devotio patitur, quantum et quomodo zelo fidei succensus ad genera linguarum, ut addiscerentur a fratribus sui Ordinis, studium impenderet et conatum. Diligentiæ quidem ejus pia mediante sollicitudine divulgatum et prædicatum est nomen Christi, fidesque ejus ex multorum conversione amplioribus dilatata profectibus, nuntiata est etiam usque ad barbaras infidelium nationes. *Et post pauca:* Hinc est quod ad multam devotionem ad eum mentes fidelium benigna manus Omnipotentis erexit; et ad ipsius invocanda suffragia, de diversis partibus diversarum concurrit frequentia personarum. Propter quod et Patres hujus dignum veneratione sepulchrum ab illis in multa reverentia visitationis et honoris habetur, multiplicatis quoque luminaribus illustratur. Ubi et numerosa multitudine ceræ diversorum effigiatorum dependentes imagines, quanta et qualia per eum sint facta miracula, etsi homines taceant, clamare non cessant, et rerum evidentia protestatur. *Fallitur Bzovius ad illum annum num.* 8, *scribens*, nihil tunc in gratiam illorum concedere voluisse Nicolaum, quod Rex Petrus a Procyda seductus, jam turbas Italiæ moliretur, neque censum Ecclesiæ Romanæ pendere vellet. *Nam favit* Joannis Prochytæ, Petrique *Aragonii conatibus* Nicolaus, *uti narrat Mariana noster lib.* 14, *cap.* 6. *Potius id ad* Martinum II (*qui* IV, *dicitur*) *referendum, qui* Nicolao III, *anno* MCCLXXX, XVI *Augusti, cum sedisset annos duos, menses octo, dies* XXIII, *vita functo, suffectus an.* MCCLXXXI, XXII *Februarii. Ad hunc missus de* Raimundi *canonizatione legatus; de quo Mariana:* Moritur interea Nicolaus Pontifex successore Martino IV, Turonensi cive, Caroli (*Andegavensis, Siciliæ Regis*) partibus deditissimo: prorsus ut in ejus gratiam Palæologum Cæsarem diris devoverit, de impietate postulatum, quod Romanæ Ecclesiæ nollet obtemperare. Ab Aragonio Rege Hugo Metaplana, vir multarum rerum usu ea ætate præstans, ad novum Pontificem legatus est, ut ejus animum consiliaque exploraret; tametsi legationis species erat Raimundi Pennafortii nomen ut consecraretur. Renuit Pontifex, negavitque aliquid se concessurum ei qui vectigal Romanæ Ecclesiæ debitum pendere recusaret. Præterea decumæ sacerdotiorum Jacobo patri a prioribus Pontificibus concessæ abrogatæ sunt. *Ita ille. At Diagus lib.* 2, *cap.* 27, *citans Petr. Marsilium, scribit curasse* Martinum *Pontificem miracula* S. Raimundi (*nam vitæ sanctitas satis probata videbatur*) *examinari a tribus Cardinalibus: sed cum Siciliam invasisset* Petrus, (*post ferales illas Vesperas an.* MCCLXXXII) *negotium canonizationis intermissum esse. Constat id quoque ex epistola Conventuum Ord. Prædicatorum provinciæ Aragoniæ ad* Bonifacium VIII, *quam recitat Llot cap.* 14. *Domeneccus scribit petiisse tum Regem ut in numerum quoque Sanctorum referretur* Ollegarius *Episcopus.*

b Bonifacius VIII, *an.* MCCXCIV, XXIV *Decemb. creatus, obiit* XI *Octob.* MCCCIII. *Cum hoc Pontifice actum de canonizatione esse an.* MCCXCVII *et* MCCXCVIII, *quando Rex ipse* Jacobus II, *Romam venit, scribunt Diagus, Domenec. Llot, licet hic in caussa illius perfectionis* Jacobi *in Italiam ab aliis discrepet. Recitat vero ternas omnino litteras ad* Bonifacium *de eo negotio datas, quæ omnes singulare* Raimundi *continent præconium. Primæ sunt civitatis Barcinonensis, datæ* IV *Id. Novemb.* MCCXCVI, *quibus omnino similes scriptas tradit a Rectoribus regni Aragoniæ. Secundæ sunt variorum Conventuum provinciæ Aragoniæ, ante citatæ. Tertiæ* Bernardi de Buixedos *Prioris et totius Conventus Barcinonensis, datæ* VI *Kal. Julii* MCCXCVIII.

c *Celebratum est id Concilium an.* MCCCXVII, *et præfuit* Eximinus *Archiepiscopus Tarraconensis, interfuere* Martinus *Oscensis*, Berengarius *Vicensis*, F. Raimundus *Urgellensis*, Guillermus *Gerundensis*, F. Guillermus *Illerdensis*, Berengarius *Dertusensis*, Petrus *Tirasonensis, Episcopi, Abbates, et alii Prælati, quorum litteras recitat Llot cap.* 16, *datas die Cathedræ S. Petri an.* MCCCXVII.

d *Creatus est ann.* MCCCXVI, VII *Augusti, obiit* IV *Decemb.* MCCCXXXIV. *Curavit per Episcopum Barcinonensem formari Processum.*

e *De eo pluribus agit Diagus lib.* 1, *c.* 13, *et obiisse ait an.* MCCCXXIV, *eximio zelo virum. Hic* VII *Kal. Aprilis* MCCCXVIII, *coram* Bernardo de Villalta, *Vicario* Pontii *Episcopi Barcinonensis absentis, examinari testes curavit: miracula infra dabimus.*

f Petrus IV, *anno* MCCCXXXVI, Alphonso *patri successit, obiit* V *Januar.* MCCCLXXXVI, *misit ad Pontificem pro hac canonizatione an.* MCCCXLIX, *ut tradit Domenec.*

g *Electus est* VII *Maii* MCCCXLII, *obiit* XXVIII *Jun.* MCCCLII, *Marietta et Castillo scribunt, tempore* Clementis VII, *novum et amplum Processum institutum pro canonizatione* S. Raymundi.

h *Creatus est* Paulus III, *an.* MDXXXIV, XI *Octob.*

i *Hic* Joannes Alvarez de Toledo, *Albæ Ducis filius, Ord. Prædicatorum, in Collegium Cardinalium adscitus a* Paulo III, XIII *Kal. Januar.* MDXXXIX *Ciaccon.*

k Vivæ vocis oraculo, III *Junii* MDXLII, *sed mox id indultum ipso die a se signatum, misit ad PP. Prædicatores regni Aragoniæ. Id recitat Llot cap.* 17, *meminit ejus Diagus lib.* 2, *cap.* 27.

CAPUT X.

Processus canonizationis varie examinatus.

a Interjecto autem diuturni temporis intervallo, cum Deus, qui est gloria virtutis Sanctorum, B. Raimundi meritis et intercessione plurima in dies beneficia toti Hispaniæ largiretur; *b* cla. etiam mem. Philippus II, Hispaniarum Rex Catholicus *c* per litteras, et per dilectum filium nobilem virum *d* Antonium de Corduba et Cardona Suessæ Ducem, suum apud nos et Sedem Apostolicam Oratorem, supplicavit, ut huic caussæ sub tot Romanis Pontificibus inchoatæ, ipsi vellemus finem imponere: quo sane

a

b

c

d

pio

Ex Bulla Clement. VIII

pio Regis studio vehementer sumus recreati. Nam cum ab ipso Pontificatus nostri principio nihil magis, quam Dei gloriam, et Catholicæ religionis exaltationem spectaverimus; gaudebamus in Domino, cum utramque hisce Regis supplicationibus promoveri cerneremus. Itaque ut religioso ejus desiderio satisfaceremus, venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus Congregationis sacrorum rituum injunximus, ut acta omnia, quæ prius hac in re confecta erant, diligenter inspicerent et examinarent. Hi autem fuere ex triplici ordine assumpti, venerabiles Fratres Episcopi Alphonsus Ostiensis Gesualdus, Inicus Avalos Portuensis de Aragona, Gabriel Sabinensis Paleottus, et dilecti filii nostri Alexander S. Mariæ Trans Tiberim Medices, Franciscus S. Petri ad Vincula de Giojosa, Augustinus S. Marci Veronensis, Dominicus S. Chrysogoni Pinellus, Franciscus Maria S. Mariæ in Ara cæli de Monte, Ascanius S. Pudentianæ titulorum Presbyteri Columna, Odoardus S. Eustachii Farnesius, Antonius SS. Quatuor Coronatorum Facchinettus Diaconi nuncupati S. R. E. Cardinales, coram quibus rite congregatis cum dilectus filius Michael Llot, sacræ Theologiæ Doctor, frater ejusdem Ordinis Prædicatorum professus, ac Procurator legitime hac in caussa constitutus, pro suo munere, in quod per sex annos continuos diligenter incubuit, quasdam scripturas ad hand ipsam caussam spectantes protulisset; quia tamen multæ probationes addi poterant, litteræ ad Archiepiscopum Tarraconensem, atque ad Barcinonensem et Vicensem Episcopos cum opportuna facultate missæ sunt, ut alias omnes scripturas et probationes annis superioribus hoc in negotio factas Barcinone extraherent, et ea denique agerent quæ ad hanc caussam requiri videbantur, omniaque ad nos transmitterent. Quæ cum essent omni jure confecta, summa que auctoritate firmata, et debita cum diligentia et fide transmissa; Nos tribus viris doctrina et integritate præstantibus, ac usu peritissimis, Seraphino videlicet Olivario Razzalio Decano, Petro Francisco Gipsio, et Francisco Peniæ Caussarum Palatii nostri Auditoribus commisimus, ut ea summo studio, quantaque possent diligentia legerent, expenderent ac totius caussæ merita exactissime ponderarent. Quo in munere cum sedulo et accurate versarentur, Philippus II, Hispaniarum Rex Catholicus, cujus memoria in benedictione sit, magno in primis nostro et totius orbis Christiani dolore ac detrimento viam universæ terræ ingressus est. Quare carissimus in Christo filius noster Philippus III, Hispaniarum item Rex Catholicus ejus filius, non modo regnorum, verum etiam paternarum virtutum heres, statim a primo regni sui exordio, ut se suaque omnia in B. Raimundi præsidium ac patrocinium conferret, litteris, et per eumdem Antonium Suessæ Ducem, Oratorem item suum nobis supplicavit, ut in hac caussa progredi vellemus. Idcirco vehementer lætabamur, et benedicebamus Domino, qui pios Reges perpetuo suscitat, ad Sanctos suos honoribus prosequendos, quos elegit in ædificationem corporis Christi, quod est Ecclesia.

Processus canonizationis examinatur.

Omnia in ea caussa acta a Cardinalibus et Pontifice diligenter examinata et probata.

49 Cum igitur prædicti Auditores in discutiendis actis ac universo processu diuturnam et assiduam navassent operam, nihilque eorum, quæ ad hanc rem peragendam pertinent, prætermisissent, omnem rei gestæ seriem, suumque judicium scripto nobis tradiderunt. Quorum integram relationem nos iisdem Cardinalibus Congregationis sacrorum rituum per eosdem Auditores tradi jussimus, atque ut plurium judicio tota hæc caussa examinaretur, alios etiam Cardinales prioribus adjunximus, nimirum dilectos filios nostros Fredericum S. Mariæ Angelorum in Thermis Borromæum, Antonium Mariam S. Agnetis in Agone Gallum, Cæsarem SS. Nerei et Achillei Baronium, Silvium S. Salvatoris in Lauro titulorum Presbyteros Antonianum, atque Andræam S. Angeli in foro Piscium Perettum Diaconum, S. R. E. Cardinales : quos omnes monuimus, ut acta omnia de B. Raimundi puritate fidei, morum integritate, ac miraculorum evidentia, tanto studio perpenderent, quantum et rei gravitas requirebat, et nos merito expectabamus. Qui cum privatim multisque Congregationibus inter se habitis, dilecto filio Pompeio Molella Fisci nostri Procuratore semper citato, et partes suas diligenter præstante, singula rerum capita et acta omnia sedulo examinassent, ac processum, testes, instrumenta, et hujus caussæ momenta, cum Auditorum sententiis diligenter contulissent, eoque adducta essent omnia, ut ad Nos referri oporteret; Nos Consistorium secretum pro more convocari jussimus, in quo præfatus Alphonsus Cardinalis Gesualdus, suo et totius Congregationis nomine, primum retulit, scripturas, processum, omniaque hujus caussæ acta legitime confessa esse, ac maximæ auctoritatis, probatæque veritatis vim obtinere; deinde tota B. Raimundi vita, multisque miraculis enarratis, se et ceteros dictæ Congregationis Cardinales una voce, unaque mente in eam sententiam venisse dixit, B. Raimundum (si ita Nobis videretur) posse catalogo Sanctorum aggregari. In quorum sententiam cum reliqui Cardinales suo quisque suffragio ex ordine ivissent, magnam animi voluptatem capiebamus, quod beati hujus viri sanctitatem in dies magis elucere videremus. Atque ut in hoc gravissimo negotio nihil de pristina nostra consuetudine ac debita diligentia remitteremus; Nos ipsi acta studiose et accurate perlegimus, atque eorumdem Rotæ Auditorum, et venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium relationem verissimam esse comperimus.

a *Iterum sub* Pio V, *de eadem re agi cœptum. Castillo, Diag Domenec. Recitat Llot litteras Consiliariorum Barcinonensium* 1 *April.* MDLXX, *ad Pontificem datas. Constitutus ab Ordine ad eam rem agendam Procurator* Seraphinus Cavalli Brixianus, *ut scribunt Marietta et Castillo.*

b Rudolphus *quoque* Imperator *ad Pontificem scripsit, ut hoc canonizationis negotium expediret.*

c *Litteras* Philippi II, *ad varios, aliorumque ad ipsum et Pontificem recitat Llot cap.* 19, 20, 21.

d *Hujus industria Processus sub antiquioribus Pontificibus olim instituti, cum deperditi putarentur, inventi sunt in monasterio* B. Mariæ supra Minervam *Romæ.*

CAPUT XI.

Decreta canonizatio.

Publica petitio canonizationis.

Quare lapsis paucis post diebus ex Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum instituto Consistorium publicum indiximus, in quo præter Cardinales, Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, Prælati, nostrique familiares nobis adfuerunt, ac in eo dilectus filius Bernardinus Scottus Consistorialis Aulæ nostræ advocatus, eximia B. Raimundi caritate, vitæ innocentia, et miraculis copiosa oratione explicatis, carissimi in Christo filii nostri Rodulphi Romanorum Regis Illustris in Imperatorem electi, et ejusdem Philippi III, Regis Hispaniarum Catholici, et Principatus Cataloniæ, totiusque Ordinis Prædicatorum nomine, ut B. Raimundum Sanctis adjungere vellemus, a nobis suppliciter flagitavit. Quæ cum audiremus, benedicebamus Domino, et gratias Deo agentes lætabamur præcipue, Philippum III, Regem Catholicum in ipso regnandi principio hunc sibi ad felicem regnorum suorum administrationem patronum tanto ardore postulare.

Responsum Pontificis.

51 Itaque respondimus, sanctam ejus petitionem nobis esse gratissimam, et eam ad Dei gloriam inprimis, et communem totius Christianæ Reipublicæ utilitatem pertinere, quod nimirum Deus, qui splendor et gloria Sanctorum est, in Sanctis suis magis laudatur et Christi fideles eo facilius divinæ gratiæ munera,

munera, auctis intercessoribus, obtinent, quo major cultus et honor Sanctis adhibetur. Præterea singularem Regis pietatem commendantes, optare nos pio ejus desiderio satisfacere diximus : hujus tamen rei tantam esse gravitatem, ut maturius adhuc cum venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, et ceteris Episcopis deliberandum esse censeremus. Itaque omnes eos in Domino hortati sumus, ut omnia quæ ad B. Raimundi vitam et miracula spectarent, omni studio et diligentia examinarent : deinde orantes in spiritu, et in ipso vigilantes (quod nos facturi eramus) Deum precarentur, ut daret nobis spiritum sapientiæ et revelationis, quo hæc arcana cælestia, quæ ratione humana comprehendi non possunt, cognosceremus, et illuminaret oculos cordis nostri, ut quid in hac gravissima causa statuendum esset, deliberare possemus.

52 His peractis, secretum aliud Consistorium indiximus, cui etiam Patriarchas, Archiepiscopos, et Episcopos, qui tunc erant in Urbe, ac nostros et Sedis Apostolicæ Notarios, nec non Palatii nostri Auditores et Secretarios voluimus interesse; in quo nos ex gratiæ cælestis abundantia, qua nostra tenuitas in hac suprema Pastorali vigilia, domus Dei, quæ est Ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis, constituta est, ea diximus quæ ad hanc causam spectare nobis visa sunt. Deinde ab iisdem Fratribus nostris petivimus, ut consideratis atque examinatis omnibus actis, id præcise dicerent, quod Spiritus sanctus eis daret eloqui, et an B. Raimundus Sanctis adscribendus esse videretur. Itaque primum S. R. E. Cardinales, deinde Patriarchæ, tum Archiepiscopi, et Episcopi ibidem præsentes, suo quisque loco dictis sententiis, omnes communi consensu ex iis, quæ in universo Processu explorata erant, merito a nobis B. Raimundum inter Sanctos referendum esse censuerunt. Gratias igitur Deo agebamus, qui Fratres nostros omnes in unitate spiritus idem sentire facit, tribuens omnibus cor unum et animam unam, eosque monuimus, ut interim precibus, jejuniis, eleemosynis, Dei gratiam et auxilium nobiscum invocarent.

Consistorium censet canonizari debere.

53 Cumque omnia jam ad præscriptum et normam sacrorum Canonum confecta essent, quod supererat acturi, post aliquot menses diem canonizationis diximus III Kalen. Maii, Dominicam videlicet in Albis, qua Paschalis solemnitas terminatur, Neophytorum habitus candore animi permanente commutatur, et Evangelium in Ecclesia legitur, quo Christus Dominus post resurrectionem ad discipulos januis clausis ingressus, insufflato eis Spiritu sancto, potestatem remittendi et retinendi peccata est elargitus : in quo magna nobis lætitiæ materia oblata est, quia videlicet memineramus B. Raimundum et Sacramenti pœnitentiæ ministrum extitisse, et post trajectionis miraculum januis clausis monasterium sui Ordinis Barcinone ingressum esse; deinde etiam quod eodem solemnitatis et lætitiæ die nos ab hinc septem annis S. Hyacinthum Polonum ejus Ordinis Fratrum Prædicatorum B. Raimundi cœtaneum in Sanctos retulimus. Ad quam quidem animi nostri voluptatem non mediocris accessio facta est, quod hoc ipso die S. Catharinæ Senensis, ac S. Petri Martyris festum in Ecclesia solemniter celebretur, qui sub eadem S. Dominici disciplina vitam sanctissime traduxerunt. Quamobrem in tam accommodata totius Ecclesiæ, ac Sanctorum ejusdem Ordinis ad hanc celeberrimam actionem festivitate, Nos B. Raimundo eum honorem decernere statuimus, qui sanctis Confessoribus adhibetur

Dies canonizationis a Pontifice indictus.

CAPUT XII.

Ex Bulla Clement. VIII

Ordo canonizationis.

Cum igitur præscripta Dominica in Albis, hodierna scilicet dies, advenisset, Nos cum venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis, et Episcopis, qui in Capella nostra Pontificia hanc ob caussam convenerant, vestibus sacris induti, hymnum, Ave maris stella, inchoavimus; reliquum Capellæ nostro choro prosequente, ad B. Mariæ Virginis opem implorandam : atque ita cantantes in viis Domini, Romanæ Curiæ Prælatis, Officialibus, et familiaribus nostris, et sæculari ac religioso Clero longo ordine præcedentibus, singulis cereos accensos gestantibus, ex nostro Palatio Apostolico ad augustissimam Principis Apostolorum basilicam processimus; vario ornamentorum genere instructam, eamque ingressi ad sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum genuflexi procubuimus, orantes ut Deus hanc celeberrimam actionem ad laudem et gloriam nominis sui dirigeret. Inde ad supremam ecclesiæ partem ascendimus alto et sublimi fornice admirandam, ubi amplum regioque sumptu suggestum erectum erat coram altari S. Petri Principis Apostolorum, in quo sacram Pontificalem Missam celebraturi eramus, omniaque facibus cereisque ardentibus collucebant : ac plurimæ circum imagines B. Raimundum erecto corpore egregie pictum referebant, dextera manu clavem in potestatis atque officii Pœnitentiarii memoriam, sinistra librum doctrinæ ac Decretalium monumentum gerentem : ubi statim nobis in mentem venit, nos iisdem, quibus B. Raimundus, Capellani videlicet seu Caussarum Palatii Apostolici Auditoris munere, antequam in numerum Cardinalium assumeremur, et in ipsa Cardinalis dignitate summi Pœnitentiarii officio, quamquam non exacte ac perfecte, functos fuisse, ac propterea Deum in spiritu humilitatis non sine lacrymis precabamur, ut si quid istis in muneribus ex nostra imbecillitate a nobis omissum vel commissum fuisset, id ejus bonitas atque clementia B. Raimundi meritis atque intercessione nobis condonaret. Deinde in suggestum delati ante idem altare Principis Apostolorum oravimus, ut suo nobis auxilio præsidioque adesset. Mox in excelso e regione altaris throno considentes, eosdem Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, et Episcopos sacris indutos vestibus, obedientiam nobis de more præstantes excepimus : tum dilectus filius noster Odoardus S. Eustachii Cardinalis Farnesius nuncupatus, regni Aragoniæ Protector, Catholici Regis nomine, semel, iterum, ac tertio suppliciter a nobis flagitavit, ut B. Raimundum in Sanctos referremus : cujus singulis petitionibus opportune respondimus, ac per interjecta totidem intervalla, Litanias, hymnos, precesque adjunximus.

Processio et ritus canonizationis.

55 Denique absolutis perfectisque omnibus iis, quæ a Romanis Pontificibus hoc ingenere instituta sunt, communibus precibus implorata Spiritus sancti ope, ad honorem sanctæ et individuæ Trinitatis, ad exaltationem fidei Catholicæ, et religionis Christianæ augmentum, auctoritate ejusdem sanctæ Trinitatis, Patris, et Filii, et Spiritus sancti, beatorum Apostolorum Petri et Pauli, ac nostra, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, omniumque Patriarcharum, Archiepiscoporum, et Episcoporum in Romana Curia existentium consilio, communique consensu, B. Raimundum a Peniafort Ordinis Fratrum Prædicatorum expresse professum, ac in ecclesia S. Catharinæ ejusdem Ordinis Barcinone sepultum, de cujus innocentia vitæ et miraculis nobis plane constat, Sanctum esse definivimus, ac Sanctorum Confessorum numero et catalogo adscribendum esse decrevimus, prout per præsentes definimus, decernimus et adscribimus, statuentes, ut ab

Canonizatur.

Ex Bulla Clement. VIII

universa Ecclesia quolibet anno die VII Januarii festum ejus et officium, sicut pro uno Confessore non Pontifice, ad normam in Rubricis Breviarii Romani præscriptam devote celebretur. Insuper omnibus vere pœnitentibus, et confessis, qui singulis annis eodem die prædictam ecclesiam S. Catharinæ Barcinonensis, in qua corpus ejus conditum est, pie et devote visitaverint, easdem Indulgentias et peccatorum remissiones concessimus et elargiti sumus, quemadmodum concedimus et elargimur, quæ ceteris dicti Ordinis monasteriis et ecclesiis diebus festis Sanctorum ejusdem Ordinis concessæ sunt.

Indulgentiæ a Pontifice concessæ.

56 Itaque omnibus, quæ ad B. Raimundi canonizationem spectabant, rite peractis, atque hymno ad Dei laudem et gratiarum actionem decandato, divinaque ope S. Raimundi meritis, peculiari in ejus honorem Oratione, quam nos ipsi fecimus, et clara voce recitavimus, invocata, Nos in eodem loco et altari Principis Apostolorum Missam solemnem de Octava Dominicæ Resurrectionis, cum ejusdem B. Raimundi commemoratione celebravimus, omnibusque Christi fidelibus, qui et canonizationi et Missæ interfuerunt, ad Dei laudem, et Sancti sui gloriam, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam concessimus. Quare Deum mirabilem in Sanctis suis benedicamus, et gratias immortales ei agamus; quia suscepimus misericordiam in medio templi ejus, novum videlicet in Ecclesia intercessorem, cujus meritis ac suffragiis, in omnibus animæ corporisque periculis adjuvemur. Ac singulari plane divinæ providentiæ munere factum est, ut hisce difficillimis temporibus, quibus Religio Catholica inimicorum telis assidue impugnatur, hunc patronum et advocatum universi Christi fideles consecuti sint, ad Ecclesiæ pacem inprimis et tranquillitatem, ad optatam Principibus Christianis concordiam, ac hæreticis in errorum tenebris a via salutis errantibus lucem veritatis impetrandam.

Oratio ab ipso Pontif. facta.

57 Ceterum, quia nimis difficile foret præsentes nostras litteras ad singula quæque loca deferri, volumus, ut earum transsumptis etiam impressis, manu publici Notarii subscriptis, et sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem fides ubique habeatur, quæ hisce præsentibus haberetur, si essent exhibitæ vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum definitionis, decreti, adscriptionis, statuti, concessionis, elargitionis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire : si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac sanctorum Petri et Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MDCI, III Kal. Maii. Pontificatus nostri anno X.

Ego Clemens Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

Protector noster aspice Deus.

Ego Ptolomæus, Episcopus Portuensis, Card. Comensis.
Julius Antonius Episcopus Prænestinus, Cardinalis S. Severinæ.
Hieronymus Episcopus Sabinensis, Cardinalis Rusticucius.
Alex. Episcopus Albanensis, Cardinalis de Florentia.
Ego Antonius Maria tt. S. Mariæ Trans Tiberim Presbyter Cardinalis Salviatus.
Ego Augustinus tt. S. Marci Presbyter Cardinalis Veronensis.
Ego Simeon tt. S. Laurentii in Lucina Presbyter Cardinalis de Terra nova.
Ego Dominicus tt. S. Chrysogoni Presbyter Cardinalis Pinellus.
Ego Fr. Hieronymus tt. S. Mariæ super Minervam Presbyter Cardinalis Asculanus.
Ego Antonius tt. S. Stephani in monte Cælio Presbyter Cardinalis Saulius.
Ego Fr. Gregorius tt. S. Augustini Cardinalis de Mont' Elpero.
Ego Paulus tt. S. Cæciliæ Presbyter Cardinalis Sfondratus.
Ego Benedictus tt. S. Priscæ Presbyter Cardinalis Justinianus.
Ego Franciscus Maria tt. S. Mariæ in Ara-cæli Presbyter Cardinalis a Monte.
Ego Octavius tt. S. Alexii Presbyter Cardinalis Paravicinus.
Ego Hieronymus tt. S. Pancratii Presbyter Cardinalis Matthæius.
Ego Octavius tt. S. Mariæ de Populo Presbyter Cardinalis de Aquaviva.
Ego Flaminius tt. S. Mariæ de Pace Presbyter Cardinalis Platus.
Ego Lucius tt. SS. Quirici et Julitæ Presbyter Cardinalis Saxus.
Ego Franciscus Maria tt. S. Bartholomæi in insula Presbyter Cardinalis de Senis.
Ego Camillus tt. SS. Joannis et Pauli Presbyter Cardinalis Burgesius.
Ego Cæsar tt. SS. Nerei et Achillei Presbyter Cardinalis Baronius, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Bibliothecarius.
Ego Laurentius tt. S. Laurentii in Pane et Perna Presbyter Cardinalis Blanchettus.
Ego Franciscus tt. Sanctæ Crucis in Hierusalem Presbyter Cardinalis Avila.
Ego Franciscus tt. S. Thomæ in Parione Presbyter Cardinalis Mantica.
Ego Pompeius tt. S. Balbinæ Presbyter Cardinalis Arrigonus.
Ego Dominicus tt. S. Petri in Monte aureo Presbyter Cardinalis Tuscus.
Ego Arnaldus tt. S. Eusebii Presbyter Cardinalis Ossatus.
Ego Paulus Æmilius Presbyter Cardinalis S. Marcelli.
Ego Silvius tt. S. Salvatoris in Lauro Presbyter Cardinalis Antonianus.
Ego Robertus tt. S. Mariæ in Via Presbyter Cardinalis Bellarminus.
Ego Bonvisus tt. S. Blasii de Annulo Presbyter Cardinalis Bonvisius.
Ego F. Diac. Cardinalis Sfortia S. Mariæ in Via lata.
Ego Petrus S. Nicolai in Carcere Diaconus Cardinalis Aldobrandinus, S. R. E. Camerarius.
Ego Cinthius Diaconus Cardinalis S. Georgii.
Ego Bartholomæus S. Mariæ in Porticu Diaconus Cardinalis Cæsius.
Ego Joannes Baptista S. Mariæ in Cosmedin Diaconus Cardinalis Detus.

M. Vestrius Barbianus.

GESTA QUÆDAM ET MIRACULA

Ex Michaele Llot, et aliis.

Plurima hactenus commemorata S. Raimundi decora sunt : plura superessent narranda, si non postremos quinque et triginta vitæ annos, quos Ordinis sui Præfectura liber privatus exegit, ita cursim perstrinxissent scriptores; sed aut per annos, quæ gesta sunt ab eo, digessissent, aut in varia virtutum officia tribuissent. Nam ut pietatem ejus ceterasque religiose vitæ exercitationes prætermittam, erat prudentiæ ejus apud Reges ac Pontifices opinio ingens. Id tribus testimoniis imus stabilitum : tum miracula quædam ex variis Auctoribus subnectemus.

Prudentiæ S. Raimundi opinio :

2 *Petrus Marsilius lib. 4 vitæ Jacobi Regis cap. 47, ut eum citat Franciscus Diagus, qua valeret in Curia Romana auctoritate, ita exponit :* Currit post eum cordis affectione Romana Curia, et quem multipliciter præsentem probaverat, de ejus sancta sinceraque circumspectione

In Curia Romana.

spectione pleniorem gerens fiduciam, committebat sibi, exortis negotiis, nunc provisionem fiendam de Archiepiscopo, nunc Episcoporum et Abbatum confirmationem; nunc contra Prælatos aliquos examinationem, nunc examinatorum depositionem (ut cujusdam pravi Episcopi Urgellensis) nunc absolutiones excommunicatorum, et dispensationem cum irregularibus. Sæpe mittebat sibi Romanus Antistes, sæpe quid certum fiendum determinans, sæpius sibi si ei videretur fiendum, committens.

in Aula Regia.

3 *Rex quoque* Jacobus *ceterique Principes magnifice de ejus sapientia prudentiaque sentiebant. Id Bernardinus Gomesius Miedes de vita* Jacobi Expugnatoris *lib.* 19 *hoc B.* Raimundi *elogio confirmat:* Accidit sacro Epiphaniæ die, ut Raimundus Penafortius, tertius a B. Dominico ejus Ordinis Generalis Magister, ibidem e vita excesserit. Quo plane viro nullum summæ eruditionis, religionis, ac veteris sanctitatis illustrius exemplum in Hispania tempora illa tulere. Utpote qui natione Catalanus, Theologiæ Canonicique juris peritissimus, tantam apud omnes sui temporis Pontifices auctoritatem habuit, ut a Gregorio IX ejus Confessor et Pœnitentiarius electus fuerit; eique injunctum onus, ut magnum illud Decretalium opus ex variis innumerabilibusque voluminibus collectum in unum conferret. Ac non modo Christianæ libertatis contra Judæos acerrimum se vindicem præbuit; sed hæreticorum etiam per totam Hispaniam constantissimus insectator fuit. Cujus etiam sapientissimis consiliis Rex sæpe usus, fassus est, in exsequendis illis tum nihil non optime successisse sibi, tum se a malo sæpius quasi divinitus liberatum fuisse, *etc.*

Illustre ejus elogium.

Consilium ejus quanti Rex fecerit.

4 *Oratorem idem* Jacobus *Rex ad Romanum Pontificem misit* Raimundum, *intercessurum ut Ecclesiasticis exsecrationibus solveretur* Manfredus *Frederici expellice filius, Siculi regni invasor, qui filiam suam* Constantiam *cum ampla dote et certa spe Siciliæ deinceps adeundæ* Petro *Jacobi filio conjugem offerebat.* Missus ad Alexandrum *(IV ejus nominis)* Pontificem, *inquit Mariana Noster lib.* 13, *cap.* 13. Legatus Raimundus Pennafortius e Dominicano Ordine vir prudens, eruditus, et sanctus : qui pro ea auctoritate, qua valebat maxime, Pontificem cum Manfredo in pace poneret. *Alii non ad* Alexandrum, *sed ad* Urbanum IV *missum volunt.*

Legatus Romam mittitur.

5 *Adversis quoque exercitus est vir sanctus. Quippe lex est a divina providentia lata regni cælestis candidatis,* 2. Tim. 3. 12. *ut* omnes, qui pie volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patiantur. *Neque ei deesse occasio poterat, qui in Maurorum ac Judæorum sollicite incumbens conversionem, earum sectarum antistites acrius irritaret : qui* Inquisitionis *auctor et administer hæreticos indefesso studio persequeretur; qui quo fuerint in eum odio, vel inde liquet, quod complures illius in hoc sancto bello adjutores immanissime trucidarunt; idem in eum ausuri, nisi virtus Numinis nefarios eorum conatus compressisset.* *Multa passus.* *Quid quod nonnullos quoque, pios alioqui homines, adversarios habuit, zelo fortassis inflammatos gloriæ Dei sed non secundum scientiam arcanorum ejus consiliorum? Offenderat eos præcipue, quod regendæ totius familiæ a se munus abdicasset, haud satis utili futuris temporibus, ut rebantur, exemplo, et iis ipsis periculoso. Testatur id Michael Llot cap.* 11. Cum propter renuntiationem Generalatus officii, *inquit*, magna in toto Ordine perturbatio subsecuta fuisset, non defuerunt aliqui qui detractionibus et murmurationibus beatum virum, ab omni prorsus crimine immunem, persecuti sunt.

6 *Idem Llot cap.* 7 *duo refert ejusdem Sancti meritis, cum adhuc viveret, patrata Barcinone miracula, ex vita a Nicolao Aymerico scripta.* Cum Barcinonem, *inquit (Roma redux, editoque illo ad portum Tossanum miraculo)* advenisset, et Dominam Elyssendam Aymericam ejusdem civitatis, longa ac gravi febrium infirmitate vexatam, consolationis gratia, cum consobrino ipsius Dominæ F. Guillermo Pontio sibi socio deputato, visitasset, et eam dulcedine verbi sui primum confortasset; ac ad patientiæ virtutem habendam fuisset adhortatus, tanta lætitia et consolatione adimplevit Deus cor supradictæ infirmæ, ut cum devotione maxima manu sua apprehendens pallium supradicti beati Patris, eum summis precibus, humilitate qua potuit, deprecaretur, ut pro ejus infirmitate in suam et præsentia ad Deum preces effunderet: sperabat siquidem et confidebat, se meritis ejusdem Sancti cito a tam vehementi febrium angustia fore liberandam. Quod cum beatus Pater humilitatis amator concedere recusaret, volens se ab ea verbis modestis expedire, assequi non potuit. Apprehensis siquidem fimbriis pallii ejus, noluit eum dimittere quousque quod postulaverat impetrasset. Concessa igitur sibi a beato Patre petitione, ac oratione completa, quod cum perseverantia maxima petierat consecuta fuit. Nam ab illa hora ab omni febrium angustia fuit omnino liberata, et salutem perfectam adepta.

PER MICHAELEM LLOT EX PROCESSU CANONIZAT.

Febres precibus sanat.

7 Cujus quidem miraculi cum notitiam maximam habuisset F. Bernardus Romeus ejusdem Ordinis conversus, qui duorum annorum spatio capitis dolore vehementissimo vexatus, in tantam devenerat cerebri debilitatem, ut sonitum aut quemcumque tumultum validum sine maximo gravamine sustinere minime posset, ad pedes B. P. Raimundi provolutus humilitate maxima accessit, eumque obnixe rogavit, ut manus tantummodo suas super debilitatum caput suum imponeret. Per hujusmodi etenim manuum impositionem in Domino sperabat, a prædicta capitis molestia gravissima liberari. Qua manuum impositione a B. Raimundo peracta, tantam non solum in capite, verum etiam in toto ejus corpore consolationem persensit, ut firmiter crederet virtutem aliquam a Beato Patre exiisse, et in capite ac corpore, ejus meritis, receptam fuisse. Quod et rei probavit eventus : nam nec prædictus capitis dolor, nec etiam debilitas aliqua eum ulterius molestavit. Alia etiam quamplurima fuerunt ab eodem Beato Patre in vita patrata miracula. *Hactenus Llot. Utrumque miraculum refert etiam Domeneccus, qui in priori Elysendam ait quartana laborasse, uti et Diagus cap.* 19 *qui addit curatam esse precibus S. Raimundi circa festum Nativitatis.*

Dolorem capitis tactu depellit.

MIRACULA POST MORTEM.

AUCTORE MICHAELE LLOT.

CAPUT I.

Variæ curationes. Ex processu canon.

His igitur omnibus diligentiis, antiquitus pro canonizationis Beati Patris Raymundi negotio obtinendo explicatis et propositis, quoniam ad canonizationem eamdem consequendam miracula necessaria sunt, operæ pretium erit, quibus claruerit B. Raimundus miraculis, enarrare. Quæ etsi innumera a die obitus sui sint et innumerabilia, tamen ea tantum modo, quæ in Processu authentico *a* anno MCCCXVIII formato, contenta reperiuntur, adducemus. Quorum primum est : *a*

2 Bartholomæus de Deo, civis civitatis Barcinonæ, cum gravi infirmitate esset detentus, ad eum extremum devenit, ut nec loqui posset, nec aliquid sentire, nec compos esset sanæ mentis, ita ut, quamvis circa eum fieret magnus tumultus cum vasis æreis ad vires ejus excitandas, nihil prorsus sentiret. Quem cum medici intuerentur, remediaque per eos exhibita nihil proficerent, dixerunt Bartholomæum de Deo nocte illa moriturum. Quibus consentiebant etiam omnes ibidem circumstantes, cum eumdem infirmum in extremis positum conspicerent, affirmantes, nocte illa, quæ erat B. Luciæ, procul dubio fore moriturum. Aderat tamen ibi præsens Bernardus

PER MICHAELEM LLOT EX PROCESSU CANONIZAT.

dus de Vineolis, qui cum videret matrem et duas sorores dicti Bartholomæi plurimum flentes et dolentes mortem ejus, a consortio aliorum illas sejungens, dixit illis : Audivi a plurimis hujus civitatis fide dignis testimoniis, Deum meritis B. Raimundi a Pennaforti multa miracula edidisse : ideo vos nolite flere, sed humili cordis contritione, ac devota oratione ipsum meritis supradicti B. Raimundi commendate. Spero etenim, si hæc feceritis, supradictum infirmum statim salutem consecuturum. Quod quidem consilium statim absque aliqua mora mater et sorores infirmi executioni mandaverunt, et intrantes cubiculum quoddam secretum domus, genibus flexis et nudis, devota oratione eum B. Raimundo voverunt, rogantes ut a mortis periculo, in quo positus erat, infirmus sua intercessione liberaretur. Qua oratione facta, statim dictus Bartholomæus, qui spatio temporis longo extra se positus fuerat, coram omnibus circumstantibus locutus est, et dixit se meritis B. Raimundi fuisse curatum, et in periculo mortis existentem vidisse, quadam visione, dæmonium, qui illum suffocare volebat et occidere, statimque illi obviam venit B. Raimundus, vestibus albis indutus, ut senex veneratione dignissimus, cum magno comitatu Fratrum Prædicatorum, cum cereis incensis in manibus incedentibus omnibus : qui ne a dæmonio interficeretur, impedivit, eidemque loquelam ac sanitatem subito restituit. Hoc autem cum intelligerent mater et sorores ejus, admiratæ vehementer de tam subita salutis recuperatione, et de visione supradicta, cognoverunt statim, meritis B. P. Raimundi procul dubio infirmum fuisse a mortis periculo liberatum, et integræ saluti restitutum. Pro quo beneficio accepto, immensas gratias Deo egerunt, ac supradictum miraculum meritis B. P. Raimundi fuisse operatum omnibus nuntiaverunt. Quæ quidem miraculi veritas novem testimoniis juramento corroboratis fuit comprobata.

Moribundus S. Raimundi invocatione convalescit.

Suffocando a dæmone apparet S. Raimundus.

3 Jaumonus Basseti, filius Jacobi Basseti, civis Barcinonensis, febrim acutissimam quotidianam patiebatur : et cum quadam die, ut sibi videbatur, e vita discederet, coram omnibus stantibus habitum Fratrum Prædicatorum sibi asportari fecit. Quo dicto, statim visum et loquelam amisit. Quem cum in extremis positum avia sua, et Domina Margarita uxor Berengarii Enya, et alii parentes et affines intuerentur, omnes cum lacrymis et devotione maxima, genibus flexis, eum B. P. Raimundo commendaverunt, rogantes eum obnixe, ut a periculis mortis, suis sanctis intercessionibus liberaretur. Qua oratione facta, statim dictus Jacobus oculos aperuit, et locutus est, et totaliter a dicta infirmitate fuit liberatus, ita ut febrim amplius non sentiret. Quod miraculum intelligens B. P. F. Raimundi de Peniaforti meritis fuisse operatum, statim ad ecclesiam Prædicatorum accessit, et cum cereo dicto B. P. F. Raimundi oblato, gratias egit, ut ipsemet, medio juramento, coram Judice fuit testatus, et Margarita ejus soror, et alii duo testes.

Alius moribundus ab eo sanatur.

Item alia.

4 Anno supradicto, VI Kal. Aprilis, coram præfato Judice, miraculum quoddam meritis B. P. Raimundi operatum, juramento medio retulit Paschala, uxor Berengarii Gisberti, civis Barcinonæ, quæ cum visitationis parentum suorum gratia, cum Sibilia de Porta ad *b* castrum de Mayans diœcesis Urgellensis pervenisset, intellexit, Novellam, consanguineam suam, filiam Raimundi Michaelis, in extremis positam esse : quæ cum gravissimam fuisset passa infirmitatem, in eo statu tunc permanebat, ita ut non loqueretur, nec videret, nec aliquid sentiret; sed posita in agone mortis, cruciabatur maxime. Quam cum ipsa Paschala videret, et mater ejus pro morte supradictæ infirmæ multis lacrymis fleret, et alii parentes, qui illic convenerant, ipsa Paschala ad matrem accedens, ut eam consolaretur, inter alia dixit illi, ut devote ac cum maxima cordis intentione filiam suam Novellam, in extremis laborantem, commendaret meritis B. Raimundi de Peniaforti, civitatis Barcinonæ, cujus meritis et intercessione Deus quotidie multa operabatur miracula. Quæ post enarrationem suam et consolationem discessit ab ejus conspectu et domo. Post cujus discessum mater infirmæ ac alii ex parentibus supradictam Novellam humili ac devota oratione B. Raimundi meritis commendaverunt. Hac autem oratione facta, in momento temporis infirma a supradicto mortis periculo fuit liberata, et sine aliquo intervallo, nec medicinæ opera, integræ saluti restituta. Cujus beneficii tam singularis non immemor dicta Novella, post aliquod temporis spatium Barcinonem ad sepulchrum B. Raimundi petiit; et ibidem una cum cereo eidem oblato gratias egit. Cujus miraculi testimonium etiam perhibuit Domina Sibilia de Porta, quæ in omnibus præsens fuit, medio etiam juramento.

b

5 Guillermus de Vilario Acuto, miles Barcinonæ, cum Curiam Regis Jacobi insequeretur, in eam infirmitatem devenit, ut leprosus ab omnibus judicaretur. Quod etiam confirmarunt medici, qui eum visitaverant. Unde, ingravescente morbo lepræ, ad eum statum pervenit, ut nec posset equitare, nec negotia sua in Curia Regis peragere. Erat enim ita horribilis aspectu, ut cum aliis militibus apparere nullo modo auderet. Cum nocte quadam, ob infirmitatem, miles supradictus multum pateretur, et in febrim incidisset, Bertrandus de Molendinis, Canonicus Ecclesiæ Barcinone, in cujus domo supradictus infirmus habitabat, audiens sonum campanæ Conventus Ordinis Fratrum Prædicatorum, media nocte ad infirmum misericordia motus accessit, eumque rogavit, ut se meritis B. P. Raimundi in cruciatibus illis commendaret. Sperabat enim et confidebat, si hoc faceret, intercessione ejusdem Sancti se prorsus convaliturum. Et, cum Canonicus abiisset, supradictus infirmus, qui nec dormire nec quiescere poterat, angustiis et doloribus undique oppressus, maxima cum devotione et fide B. Raimundum in remedium lepræ suæ invocavit. Qua facta oratione, cum aliquantulum quiesceret, se statim sanum atque incolumem invenit, et ab omni lepra curatum, ita ut de mane e lecto surgens equitaverit, et ad negotia pertractanda sanus processerit; Deoque et B. Raimundo gratias agens, in miraculi memoriam imaginem ceræ sepulchro B. Raimundi apponi jussit. Quod miraculum omnibus civitatis Barcinonæ notissimum, medio juramento, duo testes corroboraverunt.

Alius a lepra subito sanatus.

6 *c* Berengaria de Bagiis, civitatis Barcinonæ, filia Petri de Bagiis, et Arsendis uxoris ejus, multo temporis spatio infirmitate febrium oppressa, ad extremum vitæ pervenit, ita ut, cum medici de ejus salute prorsus desperassent, nullum medicinæ remedium ei daretur. Quadam autem nocte amisit visum et loquelam, ita ut in extremis posita ab omnibus videretur. Quam cum vidisset mater sua, lacrymis plena, filiam in agonia mortis positam, et, ut deponit Arnaldus de Horto, jam mortuam decrevit eam ad monasterium coram sepulchro B. P. Raimundi adducere, et pro ea ibidem orationes effundere, eo animo ut filia vitæ restitueretur. Quod, ut cogitavit, evenit. Nam accepit Arnaldus de Horto brachiis suis supradictam infirmam, non loquentem, nec videntem, nec aliquid sentientem, sed ut mortuam : quoniam testatur ipsemet Arnaldus, plus habuisse tunc ponderis, quam numquam antea habuisset, ita ut eam tunc vix portare posset, quam vivam, cum debilis valde esset, maxima cum facilitate adferebat. Venerunt igitur ad ostium monasterii, et cum esset media nox, et invenissent ostium clausum, deposuit dictam Berengariam Arnaldus in liminaribus ostii ecclesiæ monasterii.

c

Quædam mortua, vel mortuæ similis, subito vivit ac valet.

sterii. Ubi mater cum abundantibus lacrymis, et devotione maxima orationem egit ad B. Raimundum, orans ut meritis ipsius ac intercessione filia sua a periculo illo, in quo posita erat, liberaretur, seu ad vitam reduceretur, si mortua erat. In qua oratione cum aliquantulum persisteret dicta mater, et Arnaldus de Horto vellet iterum Berengariam brachiis suis assumere, invenerunt eam oculos aperientem. Quæ statim locuta est eis, et ab omni morbo penitus curata. Quam cum vidisset mater sua, gaudio et lætitia maxima superabundans, ingentes gratias Deo et B. Raimundo egit. Qua gratiarum actione peracta, accepit Arnaldus de Horto supradictam Berengariam multo leviorem quam antea, et sanam ac incolumem ad domum suam perduxit. Quod equidem miraculum, juramento prius præstito, fuit per eumdem Arnaldum de Horto corroboratum, ac per eamdemmet infirmam.

d *Diuturni et magni dolores depulsi.*

7 Subirana, filia Guillermi de Caneto, civitatis Barcinonensis, *d* tanta doloris vehementi opprimebatur in juncturis pedum, et in junctura brachii sinistri, ut prorsus esset contracta et invalida pedibus et brachio sinistro, et non posset aliquid facere vel operari brachio illo. Hic vero dolor spatio septem annorum in eadem muliere perduravit. Cum igitur ipsa esset destructa et invalida, et die quadam vexaretur plurimum ab hujusmodi dolore, Raimunda mater ejus, cum audisset Deum meritis B. Raimundi de Penaforti multa miracula operari, filiam suam vovit B. Raimundo : promisitque quod, si salutem consequeretur filia sua, ad sepulchrum supradicti Sancti imaginem ceræ ad staturam et formam personæ invalidæ et contractæ adferret. Quod votum cum emisisset, statim filia sua absque aliquo humano remedio fuit curata, et ab omni prorsus malo liberata, ideoque Deo et B. Raimundo gratias agens, votumque adimplens, miraculum juramento medio cum alio teste denuntiavit.

In extremis positus subito convalescit. *e*

8 Michael de Sala, civis civitatis Barcinonæ, juramento per eum prius præstito, dixit, se per quindecim dies fuisse febri quotidiana oppressum : et ad eum statum pervenit, ut nec videre, nec loqui, nec aliquid facere posset. Et cum a medicis, qui in civitate Barcinone præstantiores erant, visitaretur, eum tamquam mortuum dimiserunt, ita ut *e* lumen, quod in die obitus consuetum est accendi, ipsi quoque accenderetur. Quem cum vidisset uxor sua, nomine Romia, tot et tantis angustiis vexatum, et tamquam mortuum ab omnibus amicis suis reputatum, cum lacrymarum abundantia et maxima cum devotione *f* ad B. Raimundum de Penaforti preces effudit, ut ejus meritis maritus suus ab illo periculo, in quo positus erat, liberaretur. Quam orationem cum Deus meritis B. Raimundi exaudisset, statim in momento temporis fuit supradictus Michael de Sala ab extremo mortis periculo liberatus : visum enim, loquelam, ac integram sanitatem recuperavit. De quibus omnibus Deo et B. Raimundo gratias egerunt. Quod quidem miraculum juramento etiam præstito verissimum esse, affirmavit supradicta Romia uxor Michaelis de Sala. Quod etiam fecerunt quatuor alii testes veritatem eamdem comprobantes.

f

Mortua suscitatur.

9 Dominus Joannes Medicus Barcinonæ, juramento prius præstito, asseruit filiam suam nomine Margaritam in febrim maximam incidisse, et hujus infirmitatis discursu mortem incurrisse, ita ut propriis oculis eam expirasse et vitam cum morte commutasse videret, et signa mortis eidem Margaritæ fuerunt subsecuta, ita ut ab omnibus circumstantibus judicaretur mortua. Quam cum vidisset Romia ejus uxor et mater supradictæ Margaritæ, cum festinatione et maxima lacrymarum abundantia vociferando et clamando accessit, suaque oratione fide maxima corroborata, eidem B. Raimundo necessitatem exponens postulabat, ut suis meritis Deus filiam sibi dilectam Margaritam restitueret, eamque a mortuis resurgere faceret. In qua oratione cum per spatium plurium horarum mater doloribus plena perseverasset, (ab hora enim nona usque ad vesperam ejusdem diei remansit Margarita mortua) et a sepulchro B. Raimundi nollet recedere, hora post Completorium meritis B. Raimundi filia ejus Margarita est a mortuis resuscitata, videntibus omnibus illic præsentibus : quæ cum oculos aperiret suos; et statim comedisset ab omni morbo et febri fuit penitus liberata. Quod quidem testatur medicus supradictus, et quatuor mulieres quæ huic tanto miraculo meritis B. P. Raimundi operato interfuerunt. Quod equidem miraculum juramento medio quinque testium remanet comprobatum.

Per Michaelem Llot ex processu canonizat.

Moribundus sanatur.

10 Bernardus Oliverius, civis Barcinonæ, in infirmitatem maximam lapsus, spatio viginti dierum febri quotidiana fuit vexatus, qua ad eum statum devenit, ut quam primum mortem ab eo subeundam esse omnes amici ejus et affines affirmarent, et medici de ejus vita omnino desperantes ei tamquam mortuo longum vale dixerunt, sequentique die circa horam tertiam eum moriturum esse annuntiaverunt. Cum igitur in extremis esset positus, et mors ab omnibus Bernardi Oliverii præstolaretur, percunctatum est ab illo, quem Sanctorum in patronum et advocatum haberet. Qui statim respondit, B. Raimundum a Penaforti, Ordinis Prædicatorum. Quo dicto, cum morbus eum plurimum opprimeret, et uxor ejus et qui ibi aderant, eum devota oratione meritis sui advocati B. Raimundi recommendantes expostulaverunt, ut ab illo periculo laboribusque, quibus urgebatur, liberaretur. Qua oratione facta, statim in momento temporis, dictus Oliverius ab infirmitate curatus, omnem supradictam febrim quotidianam ablatam ab eo esse cognovit, sicque se sanum ac incolumem esse omnibus illic stantibus præbuit. Cujus quidem rei miraculum esse, omnes illic convenientes animadvertentes, Deo et B. Raimundo gratias egerunt, et veritatem hanc suis propriis nominibus, et medio juramento firmatam quatuor testes coram Judice denuntiaverunt.

g *Quidam ab inveterata lupia sanatur.*

11 Dominicus Arnaldus, civis Barcinonæ, cum spatio duorum annorum supercrescentiam carnis maximam *g* vulgo dictam lupiam, in junctura quæ est inter manum et brachium habuisset, propter quam in tempore hiemis impotens et invalidus existebat, multaque de medicorum consilio adhibuisset remedia quæ nihil ei contulerant; proindeque medici omnes decreverunt aliter eum curari non posse nisi per abscissionem, quæ, cum in junctura lupia esset sita, non poterat fieri absque magno periculo. Quadam die cum gratia audiendi verbum Dei ad monasterium Fratrum Prædicatorum accessisset, cum maxima devotione coram sepulchro B. Raimundi orationem fecit, a meritisque supradicti Sancti maxima cum humilitate expostulavit suæ infirmitatis remedium, et votum vovit se quamdam eleemosynam daturum Fratribus ejusdem Conventus. Quibus dictis, die Lunæ subsequenti invenit se supradictus Dominicus immunem penitus, et ex omni parte curatum. De quo miraculo gratias agens ad sepulchrum accessit, et votum emissum adimplevit, miraculumque duobus testibus firmatum deposuit.

Paralytica convalescit.

12 Maria filia Guillermi de Solerio, civis Barcinonæ, paralytica, contracta, et invalida manibus et pedibus, ac ceteris membris sui corporis, ita ut per se ipsam non posset se convertere, nec a lecto surgere, nec se ipsam pascere, nec aliquid aliud facere, cum ita contracta ac impotens longo temporis spatio permaneret, Paschala quædam eam visitans, illi consilium optimum dedit, ut speciali devotione B. Raimundum a Penaforti in remedium suæ infirmitatis invocaret. Quod consilium æquo animo accipiens,

B. Raimundo

PER MICHAELEM LLOT EX PROCESSU CANONIZAT.

B. Raimundo maxima cum devotione se ipsam recommendavit. In qua oratione persistens statim obdormivit, videbaturque sibi alloqui Confessorem suum Fratrem Guillermum de Villa-majori Ordinis Prædicatorum, dicentem sibi, meritis B. Raimundi salutem statim consecuturam. Moxque vidit B. Raimundum cubiculum ingredientem, ubi ipsa dormiebat, qui ad ipsam accedens tangebat *h* eam. A quo somno cum ipsa Maria excitaretur, invenit se sanam, et ab omni morbo curatam, ita ut statim a lecto surrexerit et comederit, aliaque opera fecerit, ac si numquam paralytica fuisset. Et die sequenti suis pedibus incedendo, ac ecclesiam Prædicatorum ivit, imaginemque ceream in miraculi memoriam sepulchro B. Raimundi apposuit : illudque juramento corroboravit.

h

13 Bononata uxor Jacobi de Roffex, civis Barcinonæ, cum haberet filium Arnaldum de Roffex, ætatis sex vel octo mensium, infirmitate maxima detentum, quadam die eum mortuum vidit, ita ut nullum prorsus in eo signum vitæ appareret. Cum autem ipsa vehementer fleret, et de morte filii mirum in modum cruciaretur, venit ad eam quædam ejus soror, filia Guillermi de Solerio, nomine Maria, tunc uxor Bernardi de Tosthec. Quæ cum factum considerasset, filiumque prædictum suis oculis conspiceret, de divina confidens misericordia, et in B. Raimundo fiduciam habens, matrem supradicti infantuli admonuit, ut una cum puero mortuo ad sepulchrum B. Raimundi accederet, et pro eo a mortuis suscitando preces ad Deum et B. Raimundum effunderet. Quæ omnia cum matri placuissent, et nutrix quædam, nomine Bartholomæa, puerum mortuum brachiis suis accepisset; ad conventum Fratrum Prædicatorum accesserunt, et coram sepulchro B. P. Raimundi devotam et lacrymis plenam orationem fecerunt, rogantes ut meritis B. P. Raimundi supradictum puerum mortuum ad vitam revocaret. Quæ cum nihil hæsitando in fide esset facta, suum consecuta est effectum. Nam dum in oratione perseverarent, puer ipse cœpit respirare, et oculos aperire, et flere, et alias vitæ operationes exercere; ita ut in momento temporis curatus, nullam aliam febrim passus fuerit. De quibus Deo et B. Raimundo gratias cum egissent, domum suam, gaudio magno et lætitia abundantes, convenerunt : et supradicto anno coram judice, juramento medio, veritatem hanc deposuerunt.

Mortuus suscitatur.

a XIII *Decembr.*

b *Diagus, Marietta. Castillo* Castrum Laurum *vocant.*

c *Decennem hanc fuisse tradant Diagus et Castillo; hic etiam* extrema Unctione *in hac ægritudine munitam.*

d *Castillo, Diag. Marietta scribunt, pedem illi sinistrum et brachium ex lapsu confracta fuisse : deinde ipsammet sese, sed matris consilio,* S. Raimundo *commendasse.*

e *Id videtur intelligendum de sacro cereo, quem moribundi, ritu Catholico, manibus tenent, ut vel sic accensis lampadibus fidei et bonorum operum occurrere se animarum suarum sponso velle profiteantur. Diagus, Castillo; Marietta dicunt, cereos ad sepulturam, et linteum involvendo corpori, apparata fuisse, et ad Sancti monumentum deinde suspensa.*

f *Iidem auctores scribunt, ad sepulchrum S. Raimundi ivisse, ibique orasse.*

g *Iidem* carbunculum *interpretantur, et hunc Dominicum* aurifabrum *fuisse scribunt.*

h *Id est,* manus et pedes affectos, *ut iidem tradunt. Eadem Maria, ut Castillo testatur, filiolum decimo ætatis mense mortuum ad S.* Raimundi *sepulchrum detulit, et vivum recepit.*

Aliud miraculum.

CAPUT II.

Mortui suscitati. Ex Nic. Aymerico.

Verumtamen quoniam superiori capite trium mortuorum resuscitatio (si recte omnia considerentur) suis testibus medio juramento coram Judice roboratis, comprobata est, non erit ab instituto nostro alienum, quosdam alios meritis B. Raimundi vitæ restitutos proponere. Qui etsi in Processu superius memorato non inveniantur contenti, nihilominus in scripturis vetustissimis et antiquissimis sunt reperti. Quæ cum veritate undique plena sint, et a gravissimo auctore conscripta, Notariorumque instrumentis firmata, absque aliquo ambiguitatis scrupulo sunt ab omnibus tamquam verissima recipienda. Nam cum Reverendus admodum Pater Frater *a* Nicolaus Aymericus (quem honoris caussa nomino) sacræ Theologiæ Magister, ac in regnis Aragoniæ olim hæreticorum pravitatis Inquisitor, anno MCCCLX viveret, inter alia memoratu dignissima, quæ posteritati reliquit scripta, usque in hodiernum diem, in Conventu Prædicatorum Gerundæ in Principatu Cataloniæ servata, fuit B. P. Raimundi a Penaforti vita, innumeris fere miraculis condecorata. Quæ quantam firmitatem ac robur et veritatem in se contineant, nullus dubitabit, si supradicti Patris Inquisitoris gravitatem, doctrinam admirabilem, cum laudabili semper vita conjunctam fuerit contemplatus. Cum enim temporibus *b* Urbani V et *c* Gregorii XI floruerit, a Serenissimo Rege Aragonum *d* Petro maximo in honore et reverentia semper est habitus. Et cum in divina Theologia, ad Jure Canonico et civili eruditissimus esset, post assumptionem Fratris *e* Nicolai Rossel ad Cardinalatus dignitatem, Inquisitor totius regni Aragoniæ cum omnium hominum applausu fuit creatus. Quo in munere ita se laudabiliter gessit, ut omnibus Inquisitoribus formam tradiderit suo Directorio Inquisitorum, quo possent sanctissimum Inquisitoris officium maxima cum rectitudine administrare. His itaque supradictus Pater Inquisitor, cum fere temporibus illis post B. Raimundi obitum viveret, quam plurima precibus B. Raimundi et meritis operata miracula consideratione dignissima scripta reliquit. Ex quibus ea eligentur quæ magis instituto nostro videbuntur deservire.

a *Nicolaus Aymericus vitam S. Raimundi scripsit.*

b *c* *d* *e*

15 Aliud igitur a supra commemoratis miraculum miratu dignum evenit in civitate Minorissa diœcesis Vicensis. In qua cum Guillermus Andreas illius civitatis civis, filium suum per annum totum in infirmitate maxima positum, oppressum valde habuisset, quadam die, recreationis ac consolationis gratia, puerum ipsum brachiis suis paternis fovebat obsequiis. Quem cum ipse pater intueretur, et in eum oculos conjecisset suos, inter brachia sua eum spiritum suum exhalasse vidit. Quam exhalationem statim in corpusculo extincto subsecuta est evacuatio, facies denigrata, et labia in tumorem duorum digitorum conversa, et alia mortis signa in eodem puero apparuerunt. Cum autem de morte parvuli, matris absentis in auribus tristis rumor insonuisset, ad porticum domus suæ se transferens, genibus flexis flere admodum cœpit, ac filium suum meritis B. P. Raimundi maxima cum devotione commendavit, precibus summis expostulans, ut filio suo vita restitueretur. Quæ cum aliquantulum in oratione persisteret, oculos aperuit et locutus est, ac incolumitati totaliter restitutus. Cujus quidem orationis pater cum certior factus esset, rem attente considerans, constanter asseruit coram omnibus circumstantibus, meritis B. P. Raimundi filium suum vitam recepisse. Et ut rei veritas constaret, coram Notario publico, juramento per eum præstito, de mandato Domini Arnaldi Barcinonensis Episcopi, roborari ac firmari pater supradicti infantuli voluit, concurrentibus aliis qui huic miraculo interfuerunt, qui omnes veritatem supradictam juramento medio deposuerunt.

Mortuus meritis S. Raimundi suscitatus.

16 Adest etiam miles quidam, nomine Bernardus de Baiona, Barcinonensis civitatis civis, qui cum domi suæ juvenem quemdam haberet, febrium infirmitate, spatio viginti dierum, vexatione morbi pæne consumptum, recreationis gratia eum die quodam in pavimento cubiculi posuerunt : in quo juvenis statim corruens, *f* nec loqui nec respirare potuit, nec sensibus utebatur. Unde a circumstantibus totaliter mortuus fuit judicatus. Ad tam vero inopinatum casum cum

Mortuus terra sepulchri S. Raimundi admota suscitatur. *f*

cum multi convenirent, et de terra, quæ a tumulo B. Raimundi extrahitur, aliqui secum haberent, a quodam de illic stantibus terra B. Raimundi fuit in collo juvenis alligata, et etiam supradictæ terræ tantillum in ore ejus fuit appositum. Qua posita, statim juvenis respiravit et loqui cœpit, et restitutus vitæ præteritæ ac saluti, ab infirmitate penitus incolumis evasit. Quam veritatem juramento medio coram D. Arnaldo Episcopo Barcinonensi firmaverunt supradictus Bernardus, et uxor ejus, et alius miles nomine Spinol, et alii qui supradicto miraculo interfuerunt.

Dysenteria exstinctus suscitatur.

17 In hujus etiam rei confirmationem facit, quod legimus in filio Petri de Baga, civis civitatis Barcinonæ evenisse. Nam filius ejus, nomine Berengarius, cum propter ventris fluxum, qui a medicis dysenteria dicitur, tribus septimanis afflictus, non posset medicinarum adminiculis juvari, a parentibus et aliis circumstantibus quadam die mortuus visus fuit. Nam, cum per capillos et nasum a matre et aliis traheretur, nullus in eo sensus aut motus aliquis apparebat, ita ut omnes qui eum videbant absque dubio affirmarent eum spiritum amisisse. Lacryma etiam ex ejus oculo videbatur effluxisse, quæ mortis indicium est : calor deinde naturalis ab ejus corpore, et præcipue ab extremitatibus, penitus recesserat. Unde et mater ejus, cum de morte filii vehementer tristaretur, de B. Raimundi meritis confidens, decrevit eum ad ecclesiam Fratrum Prædicatorum ad sepulchrum B. P. Raimundi adducere, et eum sic mortuum B. Raimundo lacrymis et orationibus offerre. Quod cum executioni mandasset, suisque brachiis filium suum mortuum asportaret, ostium supradictæ ecclesiæ Fratrum Prædicatorum adinvenit clausum. Cum autem ingredi non valeret, (erat enim hora post Completorium) denudatis genibus, ante ostium posita, cum maximis lacrymis et oratione ferventi B. Raymundum pro filio suo suscitando a mortuis, humiliter invocavit : ut, qui tot tantaque beneficia aliis, et etiam animalibus conferebat, sibi etiam illud unum conferre dignaretur. Quo in loco, post parvum temporis intervallum filius suus revixit. Cum autem puer oculos aperiret, et videret ibi sororem suam una cum matre flentem et lacrymantem, eam interrogavit dicens : Cur ita fles soror mea? scias me meritis B. Raimundi curatum, et ejus auxilio a morte liberatum. Quod equidem miraculum mater supradicti pueri, et soror ejus, medio præstito juramento Domino Episcopo supradicto nuntiaverunt.

Quædam prolem quatriduo mortuam parit.

18 Nec silentio prætereundum est aliud miraculum, quod evenisse legimus Quoquiliberi Elnensis diœcesis ; in quo cum mulier optimæ famæ et bonæ opinionis, Raimunda nuncupata, uxor Bernardi Sutoris, prægnans esset, et die quodam Martis Quadragesimæ anni MCCLXXX, nimis in panibus conficiendis laborasset, mox dolores gravissimos et fortissimos sensit. Et quia adhuc non advenerat tempus commodum pariendi, timuit ne, sicut aliis vicibus ei contigerat, abortivum pareret, quos dolores spatio quatuor dierum continue passa fuit. In quibus quatuor diebus cum non sentiret dictum prægnatum, sicut antea, existimavit proculdubio mortuum esse, et se in periculo moriendi positam. Qua de caussa maritus suus quamdam obstetricem, nomine Ortafanam, vocavit. Quam cum vidisset obstetrix, dixit infirmæ, ut Sanctos aliquos in suo periculo invocaret. Quæ statim maritum suum vocans dixit ei, ut eam B. Raimundo de Penaforti civitatis Barcinonæ voveret, cujus meritis et intercessione confidebat se ab illo periculo evasuram. Quod rei probavit eventus. Nam, cum maritus lacrymis plenus uxoris suæ manus acciperet, et pro ea ad B. Raimundum votum emitteret, promittens quod si a partu liberaretur ejus uxor, eam adduceret Barcinonem ad gratias supradicto Sancto agendas, statim absque ullo dolore sensit se mulier a partu liberatam, quamdam filiam mortuam pariendo. Quam filiam mortuam dicta obstetrix et maritus in manibus per longum temporis spatium tenuerunt, et eam per omnes partes revolvendo, semper mortuam illam invenerunt. Quod conspiciens dictus Bernardus, itерato voto, ad dictum B. Raimundum una cum uxore sua se convertit, et pro filia mortua rogavit, dicens : O Domine B. Raimunde de Penaforti, rogamus vos, quatenus creaturæ huic cum Deo animam tribuatis : promittimusque vobis unam libram cereæ. Qua oratione facta, statim signa vitæ evidentia in supradicta filia mortua apparuerunt. Nam et unum oculum aperuit, et alteram ex tibiis ejus aliquantulum movit, deinde flevit, et tandem multis annis vixit. Quæ omnia supradicta obstetrix cum vidisset, juramento medio, una cum Bernardo Sutore, Raimunda ejus uxore, in honorem B. Raimundi coram Notario publico Petro Sansa, ejusdem villæ, confessi fuerunt, VI Kalendas Junii, anno supradicto. Quos et ad numerum quadraginta pervenisse, gravissimorum virorum, quos supra commemoravimus, et eorum omnium, qui de vita et operibus miraculosis B. Raimundi scripserunt, testimoniis affirmamus. Cum etiam inveniamus ; multos alios in extremis positos omni prorsus humano remedio destitutos, laborantes, meritis B. Raimundi subito et in momento fuisse curatos, de quibus capite sequenti mentio fiet.

PER MICHAELEM LLOT EX NIC. AYMERICO.

Proles revivi-scit.

a *De* Nicolai Aimerici, *sive* Aymerici, *aut* Eymerici *laboribus, scriptis, officiis, etc. agit fuse Diagus lib.* 1. *Hist. provinciæ Aragon. cap.* 24, 25, 26, 27, *et Franciscus Pegna in ejus vita Directorio præfixa.*

b Urbanus V *creatus mense Novemb.* MCCCLXII, *obiit* XIX *Decemb.* MCCCLXX.

c Gregorius XI MCCCLXXI, *fuit electus, obiit vero* XXVII *Martii* MCCCLXXIX.

d *De* Petro IV *supra egimus ad Bullam Clementis VIII.*

e *Creatus est Cardinalis* Nicolaus Rossel *ab* Innocentio VI, *an.* MCCCLV, *vel ut vult Ciaccon.* MCCCLVI. *Pluribus de eo agit Diagus lib.* 1 *Histor. Aragoniæ.*

Aliud simile miraculum.

f *Diagus ait, ex edito in solum lapide stratum corruisse : atque omnino simile idem Diagus, Castillo, Domeneccus referunt miraculum de puerulo, qui noctu e lecto delapsus, examinatusque erat ; sed inserto in os pulvere illo S.* Raimundi *revixit, dixitque virum albis et nigris indutum vestibus, manum sibi porrexisse, ac jacentem erexisse.*

CAPUT III.

In extremo periculo curati. Ex Nic. Aym.

Etsi superiori capite sex miracula, in hominibus in extremis vitæ constitutis, nullo prorsus humano auxilio adjutis, sed meritis B. Raimundi profecta viderimus; instituti nostri ratio postulat, ut eisdem alia non minoris considerationis, roboris, et momenti, operata adjungamus. In villa igitur Ripulli, diœcesis Vicensis, fuit quædam mulier, nomine Avineva, quæ per annum integrum febribus, ac doloribus pectoris et lateris dextri vexata, ad eum statum pervenit, ut nec comedere, nec per se ipsam in aliquo se juvare posset, ita ut mortem sibi propinquam oculis conspiceret suis. Cum autem auxilium plurimorum Sanctorum invocasset, remediumque non fuisset subsecutum, ipsam, et maritus ac soror infirmæ quadam die, in qua signa mortis in ea apparebant, decreverunt ad B. Raimundum de Penaforti recurrere, et auxilium ejus in ea extrema necessitate devota oratione implorare. Quo facto a doloribus suis fuit penitus liberata, et in momento absque aliquo medicamine saluti restituta. Quod beneficium cum meritis B. Raimundi fuisset consecuta, Barcinonem pervenit, et cum sua sorore, ac marito coram B. Raimundi sepulchro gratias immensas Deo et B. Raimundo egit, miraculumque juramento medio corroboravit.

Periculosa febris curata.

20 Petrus de Cassellis, parochiæ S. Petri de Villamajori diœcesis Barcinonensis, cum per annum integrum quartana graviter affectus extitisset, in fine anni duobus mensibus continuis in lecto decubuit, ipsa quartana in continuam febrim commutata; nec poterat

Quidam a diuturna febri convalescit.

Per Michaelem Llot ex Nic. Aymerico.

poterat a lecto surgere, nec se movere sine alterius adminiculo. Cum autem ad extremum vitæ pervenisset, nec ulla jam spes salutis ac vitæ esset relicta, sed extra sensum ac memoriam in extremis laboraret, uxor ejus et soror flexis genibus, elevatis in cælum oculis, ipsum meritis B. Raimundi devotissime devoverunt, addentes, quod si meritis B. Raimundi eum a mortis periculo liberarent, una cum eodem infirmo nudis pedibus ipsius B. Raimundi sepulchrum visitarent. Facto igitur hoc voto, sensum et memoriam, quam deperdiderat, infirmus continuo recuperavit. *a* Quo tempore vidit infirmus, ut postea confessus est, columbam cubiculum ingredientem, quæ caput ejus tangens leviter et obumbrans faciem ejus, toti corpori sanitatem restituit, versusque Barcinonem volatum fecit. Ipse vero sanus et incolumis semper permansit, Barcinonemque nudis pedibus veniens, votum adimplevit, et coram testibus ac Notario publico, veritatem juramento medio fuit confessus.

a

Item depositus puer.

21 Jacobus Torrent, civitatis Barcinonæ puerulus, cum in extremis diutius laborasset, nihil aliud a circumstantibus expectabatur, quam ut spiritum exhalaret. Quem nutrix misericordiæ oculis intuens, B. Patris Raimundi meritis, cum maxima devotione eum devovit. Et post votum ad eum accessit, cui lac elargiens, statim eum sanum et incolumem recepit, et ab omni prorsus periculo liberatum. Quod juramento firmavit mater supradicti pueri.

Item mulier.

22 Mulier quædam, nomine Guillelma Ollaria, quinque septimanis febre continua laborans, ad id extremum vitæ cum devenisset, ut ei Sacramentum extremæ Unctionis fuisset administratum, ut potuit, merita B. Raimundi invocavit, inducens alios circumstantes ut idem facerent, ipsamque meritis B. Raimundi commendarent. Qua commendatione facta, mox sensit se ab omni periculo liberam, ac in brevi temporis spatio sanam, ut ipsa juramento confirmavit.

b

Hydropica sanatur.

23 In Parochia S. Martini de Riu de Arenas, diœcesis Gerundensis, erat mulier nomine *b* Algares, per decem hebdomadas febre, hydropisi, et defectu spiraminis in lecto decumbens, ad eum statum infirmitate gravata pervenit, ut in extremis laborans, nulla spes vitæ esset relicta. Quam cum viderent parentes ejus, et nepos quidam prædictæ Dominæ, genibus flexis, elevatisque in cælum manibus, eam meritis B. Raimundi devotissime commendavit. Qua commendatione facta, absque alicujus adminiculo, ad parietem infirma se convertit, moxque fuit saluti et incolumitati restituta : ut ipsa et alii de circumstantibus sepulchrum sancti viri visitantes dixerunt, et juramento confirmaverunt.

Item alius jam depositus.

24 Uxor Berengarii de Ravira, civitatis Barcinonæ, cum haberet filium in articulo mortis constitutum, ad suffragia B. Raimundi firma fide ac spe recurrens, ad ejus sepulchrum puerum in laboribus extremis positum adduci jussit. Quem meritis B. Raimundi oratione devota commendans, antequam ab ecclesia reduceretur, sanus et incolumis evasit. Sic magna lætitia et gaudio plena, B. P. Raimundo gratias egit.

Item alius.

25 Arnaldus, filius Raimundi de Sancta Catharina, sic dictus, civitatis Barcinonæ, cum infirmitate maxima per quindecim dies laborasset, in tantum afflictus fuit et cruciatus, quod tribus diebus quasi continuis in extremis laboravit. Cujus pater et mater, multorum remediorum auxilium adhibentes, cum nihil proficerent, ipsum meritis B. Raimundi commendarunt, et statim, absque aliquo naturæ juvamine, puer convaluit, salutemque integram acquisivit, ac cum Deo et B. Raimundo gratias egissent, veritatem hanc juramento medio roboraverunt.

Naufragii periculum propulsatum.

26 A mortis etiam periculo erepti fuerunt plusquam septuaginta homines, qui vitam navigio commendantes, a civitate Barcinone ad insulas Baleares transfretantes, cum in medio mari essent, ventus a contraria parte super navigium irruens, ipsum ad littora usque oppositæ terræ Tarraconæ reduxit : moxque alio vento insurgente contrario, iterum usque ad prospectum supradictæ insulæ revocavit. Cumque mare magis ac magis intumesceret, sævientibus undis atque spumantibus, spatio trium dierum gravata est tempestas, ita ut exurgentes fluctus quasi in altitudinem montium, submersionem omnium minarentur. Instante igitur mortis periculo, cum spes evasionis a cordibus omnium aufugisset, Ferrarius de S. Martino, surgens cum lacrymis dixit : Invocemus suffragia B. Raimundi, qui, cum viveret, peccatoribus consuevit esse misericors, et mœrentibus consolator. Quod cum dixisset, gubernator maris in locum altum conscendens, altis vocibus, aliis id ipsum respondentibus, Dei auxilium, et B. Fratris Raimundi a Penaforti, triplicatis precibus ac vocibus invocavit. *c* Quo factum est, ut modico subeunte temporis spatio mare quieverit, et statim facta sit tranquillitas magna, ita ut die sequenti insulas Baleares incolumes et salvi omnes pervenerint. Quod quidem miraculum omnibus narraverunt, et suis nominibus firmaverunt. *c*

Infans pæne suffocatus sanatur.

27 Domina Subirana, civitatis Barcinonæ, cum lac in os filii sui parvuli nimis cum abundantia infudisset, præ nimia lactis infusione parvulus suffocatus videbatur, ita ut nec videre, nec respirare posset, nec sensibus uti. Cum autem mater ejus ipsum spirasse firmiter crederet, illum sic quasi mortuum de una domo in aliam asportabat, amarissimeque pro morte filii lacrymas effundens, a vicinis consilium ac remedium petebat. Quod cum invenire non potuisset, merita B. Raimundi pro filio pæne mortuo devotissime invocavit, statimque puer revixit, et oculos aperuit, tristitiaque matris maxima in gaudium fuit conversa. Die autem sequenti ad ecclesiam Fratrum Prædicatorum veniens cum puero, B. Raimundo gratias egit, ac miraculum in filio suo factum omnibus nuntiavit.

a *Addit Diagus, cibum illico postulasse et comedisse, qui triduo integro cibi expers fuerat.*

b *Domenec.* Algaes, *vel* Aglaes.

c *Addit Diag. vota primum variis Sanctis ac tandem Raimundo facta; eumque a variis navigationis Patronum adoptari, uti et* S. Franciscum de Paula, *similem ob causam, quod nimirum ambo mare supra pallia sua enavigarint.*

CAPUT IV.

Paralytici aliique sanati. Ex Nic. Aym.

Paralyticus vires recipit.

Duos paralyticos meritis B. Raymundi curatos capite 1 adduximus, quibus in capite hoc alios adjungemus. *a* Nam Frater Ollarius, Ordinis Prædicatorum, filius Conventus Gerundæ, pluribus septimanis paralyticus prorsus fuit, ita ut sine adjutorio duorum hominum non posset se vertere ab uno latere in aliud, nec surgere ad sedendum in lecto, nec penitus se movere, et ita omnes medici de sua desperabant salute. Cumque tot ærumnis et laboribus se obnoxium videret, animum suum maxima devotione et lacrymarum abundantia ad B. Raimundum convertit, eum obnixe rogans, ut in illis necessitatibus ei auxilium præberet. Cumque in hac oratione perseverasset, videbatur ei sentire aliquem sibi dicentem, ut se verteret ad aliud latus. Quem cum ipse, nihil hæsitans, crederet, celeriter et expedite, ac si homo sanus fuisset, a dextro ad sinistrum latus se convertit. Mirabile hoc factum cum considerasset, eidem B. Raimundo gratias agens, majoribus cum lacrymis ab eodem petebat, ut ei sanitatem integram suis meritis restitueret. Qua facta oratione, statim se sanum ac incolumem invenit, et absque alicujus adminiculo et adjutorio e lecto surrexit, solusque ambulavit. Quem cum præ gaudio *b* Fratres Conventus lacrymantem invenissent, causamque lacrymarum ab eodem expostulassent, illud miraculum meritis B. Raimundi factum

a

b

factum exposuit, *c* e lectoque sanus surrexit, et statim B. Raimundo una cum aliis Fratribus gratias immensas pro tanto beneficio accepto egit, et coram Episcopo Gerundensi veritatem supradictam juramento medio corroboravit.

c

Item alia.

29 Maria de Guineda per annum integrum et amplius nervorum contractione manus et brachia paralytica gestabat, ipsasque manus per totum annum junctas simul et erectas tenebat, nec ipsas disjungere, nec ex eis aliquid facere, nec se juvare poterat. Cum autem soror ejus *d* miracula quam plurima, quæ Deus per B. Raimundum fuerat operatus, audivisset, nocte quadem maxima cum devotione supradictam infirmam meritis B. Raimundi devovit. Unde sequenti nocte, cum in hac oratione perseverasset, infirma manus retraxit, et restituta est integræ sanitati, ita ut se pascere posset, et alia administrare, quæ sibi necessaria erant ad vitam transigendam.

d

Alius item.

30 Joannes Barcadis, civis Barcinonæ, a cingulo inferius in parte dextra anno integro et amplius dolore nimio et continuo sic gravissime afflictus erat, ut vix se movere posset, nec incedere, et medicinæ adjutorio remedium aliquod non adinveniret. Ad merita autem B. Raymundi se maxima cum devotione conferens, statim ab infirmitate convaluit, et ab omni prorsus dolore curatus, Deo et B. Raimundo gratias agens, adeptus est completam salutem.

Alius infirmus curatur.

31 Bernardus, filius Guillermi de Padio, civis Barcinonæ, cum per annos plurimos in æstate affligeretur diversis infirmitatibus, et opprimeretur maximis doloribus, quibus non poterat medicinæ aliquod remedium adhibere, meritis B. Raimundi perfectam salutem acquisivit. Nam mater ejus, de meritis B. Raimundi multa concepta fiducia, prædictum Bernardum filium suum ei humiliter commendavit, et cum maxima devotione et lacrymarum abundantia eidem humiliter devovit. Qua oratione peracta, filius suus ab omni infirmitate convaluit, et in omni æstate a doloribus et infirmitatibus fuit prorsus liberatus.

Ulcera et scabies curata.

32 Michael Ermengaudi ulceribus ac scabie plenus, cum adeo afflictus esset, ut vix se posset juvare, per annum multorum Sanctorum auxilium invocaverat, ut salutem consequeretur, ac de suis bonis magnam partem medicis et medicinarum remediis expenderat. Quæ cum nihil proficerent, non potuit in eis remedium aliquod adinvenire. Demum, de meritis B. Raimundi cum multam fiduciam concepisset, pro recuperandæ salutis beneficio, humilitate qua potuit se B. Raimundo devovit, et sub brevi temporis spatio plenam atque perfectam consecutus est salutem, et Deo et B. Raimundo gratias agens, votum adimplevit suum.

Quidam vario dolore levatus.

33 Berengarius de Illerda, longo temporis spatio, a cingulo inferius in parte dextra tam graviter dolore nimio torquebatur, quod nec stare poterat sine magno dolore, periculo, ac gravamine, ac totius corporis læsione. Cum autem B. P. Raimundi merita invocasset, ut per suam solitam bonitatem, contra prædictam doloris angustiam sibi apud Deum remedium impetraret; vix verba orationis suæ finierat, quando protinus se ab omni dolore curatum invenit, et integræ saluti restitutum. Cujus beneficii non immemor, Deo et B. Raimundo gratias egit.

Sistitur sanguinis fluxus.

34 Uxor Berengarii Burgeti, civis Barcinonæ, gravissimum et diuturnum sanguinis fluxum patiebatur, ita ut mortis periculum, ac totius corporis non modicum detrimentum formidaret. Supradicta vero infirmitas in tantum aggravata fuit, ut usum omnium sensuum in supradicta infirma impediret, ita ut tota ejus domus lacrymis et clamoribus fuerit repleta, cum omnes existimarent supradictam infirmam cito morituram. Eam cum videret Berengarius Burgeti maritus suus, ab aliis se divertens, meritis B. P. Raimundi suprædictam infirmam commendavit. Cujus suffragantibus meritis, ipsa infra breve temporis spatium ab omni prorsus morbo fuit curata, et perfectæ atque integræ saluti restituta.

PER MICHAELEM LLOT EX NIC. AYMERICO.

Item umbilici dolor.

35 Bartholomæa Bononatæ filia, tribus septimanis in umbilico adeo vehementer dolorem sustinebat, ut nec erecta stare posset, nec cibum aliquem retinere; sed præ doloris angustia frequenter caput in terra agitatione miserabili confricabat, ita ut interdum os suum et faciem graviter læderet ad sanguinis usque effusionem. Quod cum videret mater sua, eam devotione maxima meritis B. Raimundi commendavit. Ipsaque filia in signum devotionis terram e sepulchro B. Raimundi extractam comedit, et partem illius terræ collo proprio alligavit. Quæ statim fuit a doloris angustia liberata, et temporis spatio salus integra in toto corpore subsecuta.

Dolor renum.

36 Bernardus Pontius, Juris peritus Barcinonæ, cum gravissimo renum dolore torqueretur, B. Raymundi sanctitatem et merita, cum devotione maxima cœpit in devotionem suam revocare, et ab eodem vexationis suæ remedium implorare. Qua facta oratione, statim mitigationem sensit doloris, et integrum recepit beneficium salutis.

Item lupia.

37 Bernardus de Villar, Clericus Sedis Vicensis, duobus annis in brachio sinistro juxta manum, supercrescentiam carnis maximam habens, quæ vulgo dicitur lupia, deformitatem et molestiam maximam ei inferebat. Cum autem circa curationem, seu depressionem ipsius, quæ probabiliter conferre debebant, frustra expertus esset, tandem meritis B. Raimundi invocatis, in brevi temporis spatio a prædicto morbo fuit penitus liberatus.

Brachii dolor.

38 Ferraria Coltelaria, duorum annorum spatio brachii dolore fuit vexata, ita ut nullo modo medicinæ remedio posset curari nec juvari. Cum morbus tantum invaluisset, ut brachii officium perdidisset, cum audivisset B. Raimundum miraculis quam plurimis claruisse, maxima cum devotione B. Raimundo se devovit, sperans ejus beneficio liberari. Quod rei probavit eventus. Nam, oratione facta, statim dolor cessavit, et officiis pristinis est brachium restitutum.

a *Hoc miraculum ipse conscripsit* Ollarius, *(referente Diago) se tum* XLVII *fuisse annorum testatus, et sub finem mensis Julii ann.* MCCLXXVIII, *cœpisse illa paralysi laborare.*

b F. Dalmatius de Miniano, et F. Guillermus de Colonico. *Diag.*

c *Nam cum solus per valetudinarium aliquamdiu deambulasset, in lectum iterum se receperat. in eoque considebat.*

d *Addit Domenecus,* et quædam ejus sobrina.

CAPUT V.

Prægnantes liberatæ, aliique. Ex Nic. Aym.

Parturiens adjuta; infanti vires obtentæ.

Romia uxor Michaelis Sala, civis Barcinonæ, cum tempus sui partus advenisset, ita doloribus fuit oppressa, ut spatio duorum dierum fuerit extra se posita, ita ut nec videret, nec loqueretur, nec sentiret, nec aliquam vitæ operationem exerceret, ita ut omnes qui aderant, eam cito morituram existimarent. Quam cum vidisset suus maritus angustiis illis ita afflictam, elevans oculos suos in cælum, et ad ecclesiam Fratrum Prædicatorum se convertens, eam meritis B. Raimundi devota et humili oratione commendavit. Qua facta oratione, statim eodem momento, sine aliquo medicinæ adminiculo vel alio juvamine naturæ, in se revertens, Romia uxor ejus peperit infantem, de cujus vita obstetrix, et qui præsentes aderant non sperabant, et ideo idem maritus meritis supradicti B. P. Raimundi infantem commendans, ab omni prorsus periculo fuit liberatus, et vixit quam plurimis annis. Quæ omnia cum meritis et intercessione B. Raimundi fuisset consecutus, eidem gratias ingentes agens, miraculum hoc medio juramento deposuit et firmavit.

40 Domina Guillerma Januaria, cum ex dolore partus immensis torqueretur angustiis, ad eum sta-

PER MICHAELEM LLOT EX NIC. AYMERICO. *Parturiens alia levata.*

tum pervenit, ut ab omnibus circumstantibus judicaretur eam cito esse morituram. Mater vero ejus superiorem partem domus ascendens, devotissime flexis genibus ac nudis, B. P. Raimundi meritis devotione eam maxima commendavit, in oratione aliquantulum perseverans : statim filia ejus ab omni prorsus periculo fuit liberata, et ab omnibus partus doloribus immunis. Quo accepto miraculo, gratias Deo, et B. Raimundo reddiderunt.

41 Valensa, sic dicta, uxor Domini Urgelles, civis Barcinonæ, cum decem annis infecunda vixisset cum viro suo, nec posset umquam concipere, de medicorum consilio multa erat experta medicamina ad conceptionem utilia, quæ ei nullum utilitatis commodum attulerunt. Decrevit igitur seipsam vovere meritis B. Raimundi. Proindeque ad ecclesiam Fratrum Prædicatorum accessit, imaginemque quamdam ceræ sepulchro ejusdem Sancti oblatam posuit, et ibidem se meritis B. P. Raimundi commendavit. Unde recedens ab eodem sepulchro, infra octo dies concepit, et statuto tempore filium peperit qui quam plurimis annis vixit. *Sterilitas depulsa.*

42 Domina Ricarda, cum sexdecim annis cum viro suo vixisset infecunda, ac super hoc multorum Sanctorum auxilia implorasset, ac multa remedia experimento comprobasset ad prolis conceptionem juvandam utilia, quæ sibi nihil conduxerunt; de meritis B. P. Raimundi confidens, humilitate maxima, et summa cum devotione genibus flexis, ac cum lacrymarum abundantia auxilium B. P. Raimundi imploravit, promittens quod, si meritis ipsius Deus sibi filium daret, offerret imaginem ceræ sepulchro ejusdem Sancti. Quo voto emisso, tertia nocte sensit se vere concepisse, et filium suo tempore peperit. Quo beneficio accepto, votum suum adimplevit, imaginem ceræ sepulchro B. P. Raimundi apponens, et singulis annis in die partus filii supradicti, sepulchrum supradicti Sancti, dum viveret, visitavit, miraculumque juramento medio firmavit. *a* *Alteri proles obtenta.* *a*

43 Franciscus Rovira, a die nativitatis suæ usque ad tres annos et tres menses, continue mutus et debilis extitit, et contractus, nec per seipsum erigere poterat, nec erectus stare, nec de uno loco in alium se movere. Mater autem ejus, nomine Saura, filium suum tot laboribus et angustiis vexatum videns, ad sepulchrum B. Raimundi deveniens, humili ac devota oratione merita ejusdem Sancti invocavit, promittens, si eum a tantis periculis et ærumnis liberaret, imaginem ceræ ad staturam filii sui. Cum autem domum rediret completa oratione, quod postulaverat impetravit. Nam post pusillum temporis spatium supradictus puer absque aliquo alterius adminiculo per se erectus stetit, ambulavit, et ad sepulchrum B. Raimundi accessit. Locutus etiam est, patrem et matrem nominare incipiens, quod numquam antea fecerat. In cujus rei fidem et testimonium parentes ejus, et avia, et alii qui huic miraculo interfuerunt, juramento medio veritatem hanc firmaverunt. *Mutus, contractus, debilis curatur.*

44 Bernardus Pontius, Juris peritus civitatis Barcinonæ, duobus mensibus in lingua et gutture ita gravatus fuerat, ut nec potum sumere, nec dormire, seu verbum aliquod emittere posset sine magno dolore et gravamine. Cum autem medicinæ remedia applicuisset ut sanitatem consequeretur, nec ullum refrigerium adipisci posset, decrevit in festo B. P. Dominici ad ecclesiam Fratrum Prædicatorum se conferre, in qua ad tumulum B. P. Raimundi accedens, se ipsum meritis ejusdem maxima cum devotione, ejus auxilium implorando, commendavit. Cum autem oratione facta domum rediret, invenit se prorsus ab omni morbo liberum, ita ut potum sumere et cibum posset. Locutus etiam est, et ab omni dolore et gravamine fuit curatus. Restitutus itaque integræ sanitati iterum ad monasterium accessit, ibidemque Deo et B. Raimundo gratias egit, cereamque imaginem sepulchro ejus apponi fecit. Et miraculum hoc juramento medio corroboravit. Quod idem uxor ejus, et filia, et ancilla domus deposuerunt. *Dolor gutturis curatus.*

45 Stephania, de villa S. Petri Dor, cum per spatium unius anni gravi infirmitate laborasset, tandem in oculo ejus dextro facta est quædam interruptio cutis, ita ut videre non posset. Cum autem infirmitas hæc perseveraret, gravi molestia et dolore maximo cruciabatur. De miraculis vero B. Raimundi cum certior facta esset, amore maximo in B. Raimundum inflammata, tota cordis devotione se meritis ejusdem Sancti devovit, dicens : Si meritis B. Raimundi curaretur, et visum reciperet, pedestrem ad locum sepulchri supradicti Patris se iturum : quod quidem sepulchrum distabat ab eo loco unius diei itinere. Cum vero votum hoc emisisset, subito fuit curata, et in oculis ejus lumen subsecutum. Quo beneficio meritis B. Raimundi accepto, votum suum sicut promiserat adimplevit. *Dolor oculi sublatus.*

46 Puer, nomine Matthæus, civitatis Barcinonæ, dextri oculi visu per unum mensem omnino privatus extiterat, albugine quadam oculum ejus obumbrante, ita ut nulla prorsus spes humano remedio recuperandi visum esset relicta. Quem cum videret quædam consanguinea sua, de meritis et intercessione B. Raimundi confidens, eum humili devotione meritis ejusdem Sancti commendavit : statimque restitutus est puer pristinæ saluti, et visum integrum recepit. *Albugo ab oculo depulsa.*

47 Puella quædam, nomine Clara, tribus mensibus visu privata, non poterat oculos aperire. Hujus autem mater de cæcitate filiæ suæ admodum dolens, et in meritis B. Raimundi confidens, devotione qua potuit, eam B. Raimundo devovit. Qua devotione peracta, statim puella convalescere cœpit, oculos aperiendo. Et brevi tempore fuit ab omni cæcitate liberata. *b* *Cæcæ redditus visus.* *b*

48 Filia Berengarii Semoleres, civitatis Barcinonæ, quinque septimanis oculum dextrum ita habuit offuscatum, ut nihil omnino videre posset, ita ut, cum multa remedia et medicamina adhibuisset, nullum umquam remedium fuisset subsecutum. Quam cum videret mater sua tot laboribus oppressam, maxima cum devotione meritis B. Raimundi eam commendavit. Cujus suffragantibus meritis, statim supradicta filia oculos aperuit, et visum integrum recepit. *Alteri servatus.*

49 Raimundus de Bybuldone, Gerundensis diœcesis, quatuor annis continuis lumine oculorum suorum privatus fuit, ita ut, cum sutor esset, suum officium exercere nullo modo posset, et sine socio incedere non audebat. Qui ad B. Raimundi merita se convertens, ipsi se tota devotione commisit, expostulans ut meritis ejusdem Sancti visus sibi restitueretur. Quod ut obtineret votum emisit. Oratione igitur facta, et voto firmata, mox manifestæ curationis initium cognovit, et ad breve tempus luminis sui deperditi claritatem fuit consecutus. *Item alteri redditus.*

50 Guillermus Stephanus, civis Barcinonæ, octo dierum spatio tam vehementi passione afflictus fuit, ita ut extra se positus ab omnibus judicaretur, et visum et memoriam amisisse ab omnibus existimaretur. Proindeque non permittebatur ab amicis suis, ut domum suam supra dictus infirmus egrederetur. Quibus angustiis vexatus, ut scivit et potuit, B. Raimundi auxilium imploravit, et statim ad pristinum statum fuit restitutus, ita ut mutatus in alterum virum suffragantibus meritis B. Raimundi ab omnibus videretur, cum in toto corpore salus integra fuerit ei subsecuta. *Alia ægritudo curata.*

51 *c* Puyaceres mercator Barcinonæ, cum ratione suæ negotiationis iter ageret, incidit in latrones, qui cum ejus bona rapuissent, et ipsum captum secum ducerent, de morte ipsi inferenda cœperunt latrones inter sese agere, ut bona ipsius pacifice possiderent. Hæc eadem ipse mercator secum perpendens, et expavescens, meritis B. Raimundi maxima cum devotione *c* *Quidam e latronum manibus ereptus.*

devotione se devovit. Quo factum est, ut statim latrones eidem *d* licentiam concesserint recedendi, retentis tamen omnibus bonis ejus apud illos. Quæ omnia, cum in crastinum latrones fuissent capti, et in præsentiam ipsius mercatoris adducti, per Judicem fuerunt prædicto mercatori restituta. De quibus omnibus Deo et B. Raimundo gratias agens, ad sepulchrum B. Raimundi accessit, et ibidem omnia quæ illi evenerant coram omnibus nuntiavit.

a *Addit Domeneccus, plures alias steriles, etiam sua ætate, S.* Raimundi *patronicio prolem impetrasse a Deo.*
b *Domeneccus ait plures alios cæcos ejus patronicio recepisse visum.*
c *Diag.* Puayceres.
d *Diagus et alii dicunt, jumentum ei a latronibus donatum ut inde abscederet.*

ALIA MIRACULA
Hispanice descripta a Franc. Diago.

Adolescenti cuidam, cui Francisco nomen, læva maxilla paralysi soluta erat, ut nec claudere oculum posset, et os fœde dextrorsum esset contortum. Ingens illi hinc mœror animique ægritudo. Aliis destitutus remediis, S. Raimundi opem implorat, atque incolumitatem illico consequitur. *S. Raimundi ope paralysis curata:*

2 Romiæ de Paleda e parochia S. Baudilii, quintam jam hebdomadem dextrum brachium rigidum fuerat, omnisque expers sensus, ut sine alterius adminiculo attollere illud aut omnino movere nequiret. Ea S. Raimundi sepulchrum adiit, atque in genua provoluta, multis cum lacrymis Sanctum precata, digitos primum movit, atque intra triduum omni levata est incommodo. *brachii rigor:*

3 Abbati cœnobii S. Benedicti de Bagiis, caput ac frontem fœda vitiaverat scabies quinquennio integro. Varia tentata nequidquam remedia. Serpebat pertinax malum, jamque ad ipsa prope pervaserat supercilia. Cum Barcinonem negotii caussa venisset, inaudiit edi S. Raimundi meritis miracula. Memor igitur ejus sanctitatis, innocentiæ, ac benignitatis, (quippe quem, dum adhuc viveret, familiariter norat, cum per eum Apostolica auctoritate sua esset electio confirmata) eum obsecrat, ut sibi impetret a Deo, ne deinceps ea sibi caput labes infestet. Votum addit, se pedibus ad ejus sepulchrum iturum, et decem ceræ libras oblaturum. Haud irritas fuisse preces, postridie expertus est, omni detersa scabie. *scabies:*

4 Ermesenda quædam Castellonensis, quatuor annis asthmate, præsertim æstivo tempore, afflicta, Barcinonem petiit, atque in S. Catharinæ basilica (in qua S. Raimundi conditum tumulo corpus) peccata Sacerdoti confessa, gravius torqueri quam umquam antea cœpit. Id ubi animadvertit alia quæ piam mulier, quæ eam erat domo comitata, suasit ut pie sese ac demisse S. Raimundo commendaret. Paruit Ermesenda, omnique quamprimum ægritudine est liberata. *Asthma:*

5 Petrus Tosellus Presbyter Ecclesiæ de Granulles, duas hebdomadas adeo gravi vexatus est capitis vertigine, ut cerebrum suis convelli sedibus videretur, non sine ingenti dolore. Cum Matutinis interesset, ex quopiam didicit Raimundum vita functum esse, atque cælestibus illustrari prodigiis. Humi se illico prosternit, eumque pie invocat. Mirum dictu. Quem Clerici jam inchoarant, nondum decantarant Psalmum, cum omni molestia liber surrexit. *vertigo capitis:*

6 Sanctio Sacerdoti dextra tibia tot ulceribus abscessibusque referta est, ut et dolor acerbus, et fœtor emanantis inde puris ingens existeret, neque ceteris assidere in Choro posset, ne eos graveolentia offenderet. S. Raimundi ope implorata, illico repressa sanies est, dolor abscessit, cicatrices ulcerum relictæ ad beneficii memoriam. *ulcera.*

7 Puellula quædam, Margareta nomine, ab ipsa infantia ad annum usque duodecimum ætatis, die ac nocte pollicem utriusque manus ori insertum, velut lactis fontem sugebat. Crebro a matre vapulabat, nec tamen inficetum illum morem dediscebat. Ad S. Raimundi opem convertitur mater, et filia inveterata consuetudine illa abstitit. Ex Hispanico Fr. Diagi. *Inolita consuetudo correcta.*

8 Bernardus de Bayona miles (*de quo supra*) equum habebat adeo indomitum et ferocem, ut non sine ingenti labore ac periculo frenum ei posset injici. Vovit uxor ejus S. Raimundo candelam equi ipsius altitudine, si illius domaret ferociam. Mox cicur omnino effectus est. *Equus domitus.*

9 Solverat Valentia versus Peniscolam navis, qua duo ex Ordine prædicatorum vehebantur, F. Raimundus, et F. N. de Sola. Cum decem leucis Peniscola distarent, illico ita agitari mare, ut nec appellere, nec reverti Valentiam possent. Quinque dies tenuit tempestas. Varia nuncupata Superis vota. Tandem cum omnes certissimum sibi imminere in momenta exitium putarent, gubernator navis ter contenta voce S. Raimundum invocavit. Paullo post conquievit mare, navisque optatum subiit portum. *Tempestas sedata.*

10 *Hactenus ex Francisco Diago, qui et quædam superius narrata miracula recenset, atque ex iis quæ mox ex Domenecco dabimus nonnulla. Adjiciendum huc videtur unum ex Michaele Llot cap.* 19. *Luysia Manrique, filia Ducis Najaræ, nupta Duci de Maqueda, a periculis maximis, et gravissimis doloribus partus S. Raimundi meritis liberata est, ac filiam eo partu editam ex voto Raimundam nuncupavit, crebro sepulchrum ejus visit, gratissimis sermonibus solita ejus Sancti laudes prædicare.* *Partus feliciter editus.*

ALIA MIRACULA
Hispanice scripta ab Ant. Vinc. Domenec.

Barcinone quidam *a* enormium sibi criminum conscius, ut ea confessione elueret, S. Catharinæ Martyris cœnobium sæpius adierat, neque tamen a se impetrarat umquam, ut ad genua Sacerdotis accideret, eaque aperiret, domum identidem incurato malo reversus. Tandem astu id fieri dæmonis sensit. Ergo ad S. Raimundi sepulchrum advolutus, ut sibi a Deo gratiam obeundæ, quo par erat modo, confessionis obtineat, precatur. Additum ei est cælitus robur : extemplo accuratam exomologesim peregit, *b* animique quietem reperit. *a* *S. Raimundus confessionis horrorem tollit.* *b*

2 Petrum Martinum Barcinonensem septennio vehemens capitis cruciaverat dolor ac vertigo. S. Raimundi opem implorat, caputque veteris ejus sepulchri foramini quater quiniesve inserit. Vix altera abierat hebdomas, cum omni molestia ac vertigine caruit. Plurimos ea ægritudine idem levavit remedium. *Sanat capitis dolorem ac vertiginem.*

3 Bernardinus Romanus Falques, medicinæ Doctor, publice testatus est, hemicranio se annis pluribus vexatum; at sola S. Raimundi ope implorata liberatum fuisse, ut duodecim consequentibus deinceps annis nullum ejus infirmitatis persenserit indicium. *Item hemicranium.*

4 Burgeto fabro ferrario filia erat, cui ab incunabulis faciem tetra deturpaverat macula. Ea caussa afflictæ ac mœrenti venit in mentem pileoli, quem olim S. Raimundus gestarat, nunc religiose sua avia asservabat. Eum sibi credi tantisper poscit, ac nocte insequenti magna cum fiducia maculæ illi admovet : quæ ita detersa est, ut ne vestigium quidem postridie ejus cerneretur. *Maculas tollit.*

5 Joannis de Togores famulus, trimestri jam spatio surdus omnino, S. Raimundi sepulchrum visit, auditumque recepit. *Reddit auditum.*

6 Paulum Stradam, ex oppido Hostalrico, gravis torquebat catarrhus, ut nec capere cibum, vix etiam aperire os posset, S. Raimundum invocat, statuitque ad ejus aram ut divinum sacrificium fiat curare. Nocte insequenti videre sibi visus est quempiam Prædicatorii Ordinis (indubie Raimundus is fuit) sibi adstantem,

Ex Hispanico Anto. Vinc. Domenec.

adstantem, atque, ut in se conjecerat oculos, abeuntem. Ægro mirifica infusa animi alacritas. Ingredienti in conclave uxori quid viderit narrat. Postridie cum ad Sancti altare Missa, eo procurante, fieret, os ipse nullo negotio aperire, sensimque melius habere, catarrho, qui faciem occuparat, illico defluente. Cum primum confirmatis viribus adire ad templum ei licuit, animadvertit, illius qui sibi apparuerat, in ara depictam imaginem, quæ S. Raimundi erat, claves manu gestantis.

Catarrhum sanat.

7 Petrus de Turno obstrepere Sancti miraculis ausus est, ac temere effutire, qui cæcus illius adiret sepulchrum, cæcum, surdum qui surdus, qui claudus claudum inde reverti. Divina mox hominem corripit vindicta. Tremore ac horrore percelli, cæcutire oculis, vertigine capitis agitari, ut subsidere terram atque omnia susdeque verti crederet : *c* buccella, quam impia illa effatus verba ori ingessit, pæne suffocari, cum nec transmittere eam in stomachum, neque exspuere valeret. Quod verbis non poterat, animo concipit votum : si S. Raimundi meritis hoc periculo esset liberatus, numquam se deinceps ejus miraculis detracturum. Continuo buccellam expuit, non tamen omni statim ægritudine vacuus *d;* donec longo post tempore in S. Catharinæ cœnobio crimen ipse suum publice prodidit, illudque ac cetera ante perpetrata confessione expiavit, et Sancti tumulum religiose est veneratus.

Sancto detrahens punitus; mox ab eo curatus.

c

d

8 Angela Rodes quinque menses gravibus viscerum doloribus cruciata, S. Raimundum invocat, haustoque cum ovo pulvere sepulchri ejus liberata est.

S. Raimundi meritis curati dolores viscerum :

9 Mariam *e* Ximenii Perez Sagræ, domini Baroniæ de Carcel uxorem, ex calculi doloribus morbus lethalis *f* invaserat. Multa experti nequidquam medici, excidendum calculum statuere. Dimidia hora variis instrumentis educere eum chirurgus *g* frustra conatus, tandem desperata curatione plagam obduxit. In his cruciatibus S. Raimundum pia mulier, ut sibi adsit, *h* obsecrat; curaturam se ut ad ejus aram ter sacrificium Missæ offeratur Deo. Triduo pulverem hausit ab ejus sepulchro sibi allatum, ac tertio die lapidem ovi magnitudine absque ullo dolore excrevit.

e

f

calculus :

g

h

10 *i* Maria conjux Petri Desplanes filium cordis palpitatione atque epilepsia laborantem, S. Raimundo commendavit : nec deinceps eum feralis illa ægritudo corripuit.

i

epilepsia.

11 Anno MDXCVI, VI Martii cum triremis S. Barbaræ Barcinone versus Baleares solvisset, medio fere cursu adversis adeoque vehementibus jactata est ventis, ut jam utrimque undam hauriret. Erat inter vectores F. Antonius Arayz ex Ordine Minimorum : is pulverem S. Raimundi in mare jecit. *k* Posuere venti, secutaque paullo post maris tranquillitas. Sæpius alias navigantibus præsto fuit Raimundus.

Sedata tempestas.

k

12 F. Antonius Neapolitanus Capucinus jam depositus a medicis, S. Raimundi benignam implorat manum. Ea nocte, quæ omnino ei suprema fore credebatur, visus sibi est, adstante quopiam e S. Dominici familia Religioso, e duro et aspero in molliorem transponi lectum, magnumque ex illius Prædicatoris præsentia solatium et morbi levamen persentiscere. Neque inane id fuit ostentum : nam postridie non nisi cælesti miraculo ita recreari ejus valetudinem potuisse professi sunt medici. Obtestatus est deinde propitium numen, ut sibi indicaret quis ille esset Prædicator, cujus opera id collatum sibi beneficium rebatur. Sub horam decimam matutinam S. Raimundum cernit in splendida considentem sede, benigno ac renidente vultu sese intuentem. Quod ei visum assidue ad secundam pomeridianam objectum est : tumque et illa ægritudine, et aliis quibusdam inveteratis liberatus omnino est.

Sanatus moribundus.

13 Nec ipsos quidem barbaros, atque a religione nostra alienos, suam implorantes opem, aversatur Sanctus, Maymona, Mahometana mulier, quinque hebdomadas ingentem dolorem, exulcerata, quam in læva manu acceperat, plaga, perpessa, cum nihil chirurgi juvarent, heri sui monitu S. Raimundum ut sibi præsto sit obsecrat. Prece concepta, resolutum illico ulcus est, ipsaque incolumitatem adepta. Quam pluribus aliis ejusdem sectæ hominibus opem tulit S. Raimundus.

Etiam infideles Sancti opem experti.

14 Ad ipsa quoque jumenta suæ benignitatis rivos patitur defluere. Equo Guillermi Aimerici civis Barcinonensis ita collum intumuit, ut quatriduo pabulo potuque abstineret. Guillermus, cum aliud non supeteret remedium, ad S. Raimundum *l* preces fudit. Nocte visus sibi in somnis admoneri a Sancto ut equum viseret, quem esset sanum valentemque reperturus. Experrectus ad equile properat. Equo detumuerat collum, jamque propositi pabuli magnam partem ederat.

Equus curatus.

l

15 Gregorius Cucurella civis Barcinonensis anno MDLX, acuta et continua laborabat febri, ut jam de ejus salute medici desperarent. Media nocte, obseratis domus ostiis, spectare visus est sibi duos ex Ordine Prædicatorum, hunc senem, (indubie Raimundum) juvenem alterum. Ille manu infirmum tetigit, jussitque ad S. Catharinæ monasterium adire, poculum aquæ poscere, eamque admisto e S. Raimundi sepulchro pulvere potare, procurare præterea ut ad ejus aram Missa fieret, nec de valetudine deinceps esse sollicitum. Hæc ubi monuere, subducti ab ejus sunt conspectu : ille uxorem excitat, sanum se atque omni liberum febris incommodo pronuntiat. Devectus primo mane ad monasterium Prædicatorum, cunctis quæ jussus erat rite peractis, incolumis rediit.

Febris depulsa.

a *Diag. l. 2, cap. 25, unius tantum ingentis flagitii reum facit.*

b *Addit Diagus, ita fuisse ad quasvis subeundas pro peccatis pœnas paratum, ut Sacerdotem ipsum ea promptitudo raperet in admirationem.*

c *Nam in convivio hæc accidere, ut ait Diagus, ubi fere solutior ad maledicendum petulantium hominum lingua est.*

d *Nec ipsa nocte edere aut bibere præ consternatione potuit, inquit Diagus.*

e *Cognomen* Pertusa *ei a Diago tribuitur.*

f *Initio Martii, an.* MDXCVII.

g Michael de Loriza *adstante* Doctore Salad, *mense Maio, ut ait Diag.*

h *Mense Augusto duos ex Ordine Prædicatorum Doctores Theologiæ ad eam solandam adiisse, suasisse ut Sanctum invocaret, sacrum illum pulverem præbuisset scribit Diagus.*

i *Idem refert Diagus.*

k *Accepit hunc pulverem a* Marimundo *Milite Barsinonensi qui una vehebatur, auctorque ei fuit ut ad mare pacandum in illud projiceret. Ille primum omnibus edicit, ut Orationem Dominicam, Angelicamque salutationem recitent, ipse in prora consistens, paucula de S.* Raimundi *prodigiosa e Balearibus navigatione locutus ad turbam vectorum, recitata Antiphona et Oratione de S.* Raimundo *aliisque precibus, in mare pulverem spargit, quod illico conquievit. Diag.*

l *Cui fuerat olim familiaris, inquit Diag.*

MIRACULA POST CANONIZATIONEM.

Ex eodem Ant. Vinc. Domenecco.

Hæc miracula in Concilio Tarraconensi 1602, *probata.*

Quæ deinceps narrabimus miracula, edita postquam Raimundo decreti a Pontifice solemnes Cælitum honores. Ea Alfonsus Coloma Episcopus Barcinonensis retulit in Concilio Tarraconensi, docuitque sua auctoritate legitimis roborata testimoniis esse, petiitque ea Joannis Teres Archiepiscopi Tarraconensis et ceterorum ejus Concilii Patrum decreto confirmari. Viris gravibus et eruditis tradita sunt a Concilio : qui accurate ea discusserunt, retuleruntque solide cuncta et legitime testata. Decrevit igitur Archiepiscopus, probante Concilio, bonum factum videri, si Barcinonensis Antistes ea excudi ac publice prædicari juberet, addito, si ita videretur, ipsius Concilii decreto, quod latum erat Sessione XIII, XX Januarii, MDCII pridie Idus Martii excudenda sanxit Antistes, totaque diœcesi publicanda. Ea breviter hic damus.

2 Raphaela

Ex Hispanico Auctore Vinc. Domenec.

Debilitas ope S. Raimundi curata.

2 Raphaela Basia, Joannis Basii civis Barcinonensis filia, cum sex esset annorum, gravi in latere icta est plaga, unde acerrimi deinceps dolores tantaque imbecillitas orta virium, ut nec incedere nec omnino niti pedibus posset, sed perpetuo fere lecto affixa decumberet; nisi quod fulcris nixa subinde ad fenestras prorepebat, aut paullulum per conclave gradiebatur. Anno tandem MDCI, XIV Maii allatis felicibus de S. Raimundi canonizatione nuntiis, a matre ad cœnobium S. Catharinæ deportata est, intraque S. Raimundi sacellum collocata. Ibi recitata ter Oratione Dominica atque Angelica salutatione, visa sibi est cujuspiam adminiculo sublevari, cum nemo ei ita prope adstaret, ut opitulari posset. Surgit igitur neque fulcris, neque cujusdam ope adjuta, atque incedere cœpit, matre ceterisque qui eam norant, miraculo attonitis. Ac deinceps nec fulcris usa est, et firmo incessit vestigio, rhedam sola conscendit eaque exscendit, atque omnes paternarum ædium scalas sursum deorsum vegeta percurrit.

Gressus et vires restitutæ.

3 Helena Molnera cum annum ætatis quintum ageret, e scalis decidit, osque sibi sinistre tibiæ confregit, quæ septem incidi locis debuit. Multa experti frustra medici, statuerunt tandem secandum serra os esse. Nec melius puellæ fuit: quia tres ipsos annos lecto assidue affixa jacuit. Dein paullum fulcris incedere, nec sine ingenti molestia. Anno MDCI, Idibus Maii cum festis plausibus S. Raimundi canonizatio celebraretur, deducta a quadam cognata sua ad S. Catharinæ cœnobium, ante ipsum Sancti tumulum rosarium evolvit, ac deinde septies Dominicam orationem salutationemque Angelicam recitat, et S. Raimundum pie invocat. Mox incolumis consurgit, fulcris, quibus advenerat, isthic dimissis, quippe nil earum nunc egens, ita constante deinceps gressu ac si nihil umquam esset passa adversi, tibia solida et doloris omnis experte; ut postridie matrem, ceteroqui non invalidam, incedendo superaret, cum ipsis decem annis sine fulcris nusquam progressa esset.

Gibbus et varia infirmitas curata.

4 Catharina Cavallera, uxor Jacobi Cavalleri civis Barcinonencis, nata annos tres et quadraginta, testata est, se subito correptam dolore ac horrore, e scalis esse deorsum prolapsam, nec tunc quidem dolorem illico sensisse, sed paucis post diebus alienatam esse a sensibus, ut vinciri debuerit, ne quid sibi aliisque mali consciscceret. Injecta manibus ac pedibus vincula, ipsique digiti funibus constricti sunt. Nec sic violentus corporis coerceri motus potuit, quin ipsa sibi humeros ita læderet, ut curva ac gibbosa incedere cogeretur, nec se erigere omnino posset, adeo ut cum incederet sui ipsa gibbi umbram cerneret. Tres annos id malum tenuit, quibus nec recto stare situ, nec progredi potuit, rebaturque omni se deinceps vita eo incommodo laboraturam. Quo die solemnis, nuntiata S. Raimundi canonizatione, supplicatio est instituta, ejusque sanctissimum corpus circumlatum, sensus ei singularis erga Divum pietatis infusus divinitus est. Sequente Dominica cœnobium adit S. Catharinæ, S. Raimundi ingressa sacellum, quo maximo potuit animi motu ejus implorat auxilium. Diduci sibi non sine strepitu ossa humerorum sensit, viresque sibi suppetere ut jam assurgere valeret. Surgit igitur, jamque quod occuparat humeros, resedisse malum comperit. Agit Numini grates, vovetque se novem continuos dies Divi sepulchrum nudis pedibus visitaturam. Quo vero tempore novemdialem illam supplicationem exorsa est, quoque absolvit, cum fragore mota sibi humerorum ossa asseruit. Recta deinceps cervice, humeris, totoque corpore, ac vegeta incessit. Hoc miraculum ipsa Catharina ejusque conjux atque aliæ mulieres jurejurando testatæ sunt.

Multiplex infirmitas curata.

5 Elisabetha Barba, Antiqui Barbæ filia, ex Castellari vico Barcinonensis diœcesis oriunda, in permolestam incidit ægritudinem, nulla ut pars corporis propriis careret doloribus, adeoque invalida reddita est, ut brachium dextrum nulla ratione, sinistrum non sine ingenti molestia movere posset; sed alterius opera vestiri eam oporteret, regique in omnibus; sæpe etiam cibum illi in os ingeri, quem nec sic quandoque deglutire valebat. Collum ei et caput in lævam partem fœde contortum. Molares aliique dentes ita juncti connexique, ut non nisi intra dentes mussitaret. Invalescebant isthæc in dies mala cum ingenti capitis dolore ac vertigine. Jam humanis destitutam remediis (nam et ipsi eam medici, veluti incurabilem, deseruerant), sui lectica deportavere Barcinonem, alios isthic medicos consulturi. Iter agressi inaudiunt, multa meritis S. Raimundi recens in album relati Cælitum miracula patrari. Maritum obtestatur infirma ad sepulchrum se Divi deportet. Cum in sacello eam aut procula S. Raimundi tumulo in manuali lectica deposuissent sui, ipsi flexis genibus preces funderent, vix horæ lapso quadrante disrumpi cum strepitu lectica, Elisabetha nutu gestuque se sanam ostentare, versare sese, atque erigere, et maritum rogare disertis jam et claris verbis, ut sibi surgere cupienti præberet manum. Vix id viro licuit, ita ipsa subito sese erexerat in pedes, movebat brachium utrumque, ac jungebat manus expedite, inspectante haud parva hominum turba. Ceterorum quoque dolor membrorum omnino detersus est: loquendi restituta facultas. Sine cujusquam adminiculo ad majorem ejus basilicæ aram S. Catharinæ sacram accessit, pedes ad hospitium procul inde dissitum, etsi copiosus imber decideret, revertit: cibum potumque suis manibus, quod antea non poterat, sumpsit. Testati isthæc cuncta sunt, cum ipsa Elisabetha, maritus ejus, ac Doctor Barba illius cognatus.

Rigor brachii sublatus.

6 XXIII Decembris anno MDC, Isabellæ Campos, conjugi Jacobi Campos, ita lævum brachium obriguit, ut id attollere, demittere aut omnino movere non posset ac ne digitos quidem diducere. Cum allatus esset de S. Raimundi canonizatione nuntius, sepulchrum ejus ipsis Idibus Maii, MDCI, cum conjuge filioque visit Isabella. Junctis precibus Sanctum opem flagitarunt. Restitutus illico vigor manui brachioque, quibus mederi tanto tempore ars humana non potuerat.

NOT. 117.

SS. BENJAMINI ET MAXIMI

INVENTIO BRIXIÆ.

MDXXIX. VII JANUARII.

Petrus Galesinius hoc die sanctorum Martyrum Benjamini *et* Maximi *inventas reliquias tradit his verbis:* Brixiæ Inventio sanctorum martyrum Benjamini et Maximi, qui una cum Faustino et Jovita pro Christo Domino martyrium subierunt. *In notis scribit, hanc Inventionem contigisse anno Christi* MDXXIX. *Eadem habet Martyrologium Germanicum, et Ferrarius in generali catalogo Sanctorum; qui tamen negat quidquam in tabulis Ecclesiæ Brixiensis de iis extare. De* SS. Faustino *et* Jovita *ac socii agemus* XV *Februarii.*

DE

DE VEN. PATRE LUDOVICO BLOSIO

ABBATE LÆTIENSI IN BELGIO.

§ I. *Ludovici Blosii vita cur hic edita.*

An. Christi MDLXVI. VII Januarii.

Etsi eorum tantum Acta Sanctorum vulgare hic constituerim, quorum sanctitas vel publica Ecclesiæ auctoritate confirmata, arisque consecrata, vel antiqua populorum pietate celebrata sit; tamen virum venerabilem D. Ludovicum Blosium, nullo quidem adhuc publico cultu sed vitæ innocentissimæ laude, late celebrem, præterire hoc loco nec potui nec debui, ne ingratitudinis accerserer: cum et Societatem nostram in ipsis suis incunabulis benigno patrocinio foverit Blosius, et successorum par adhuc constiterit in nostrum Ordinem benevolentia; ac præsertim Antonii Winghii quarti a Blosio Lætiensium Abbatis, de quo fuse in Prolegomenis actum, accedebat, quod cum Blosii lucubrationum immensus ubique fructus exstiterit, gratum fore Lectoribus existimarem, ejus quoque mores ac vitam nosse, cujus ita libri probarentur.

Cur Blosii hic vita edatur.

2 Vitam vero hanc ex monasterii Lætiensis archivis, et aliis documentis, ac testibus fide dignis concinnavit quidam ex Ordine S. Benedicti sacræ Theologiæ Doctor. Sed cum eam Lætiensibus obtulisset, priusquam ederetur in lucem, ordinem rerum narraturum, ac stylum ii, præsertim vero Wingius Abbas (ut erat acerrimi judicii) varie mutarunt, ut alia videri jam vita posset: quare et nomen reticendum Auctoris illius prioris, ipsimet, Lætiensibus, ac nobis, aliisque amicis visum.

A quo scripta.

3 Ea vita edita primum est cum Blosii operibus, quæ anno MDCXXXII eruditis scholiis a se illustrata, novoque ordine digesta, eleganter excudenda curarunt Lætienses, cum amplissima trium nobilium Academiarum Coloniensis, Ingolstadiensis, Duacensis approbatione. Addiderunt plurima illustrium hominum ac doctrina clarorum de vita et scriptis Blosii elogia, quæ hic prætermittimus: tum varia Prolegomena de Blosii operibus auctis ornatisque; quorum tertium articulum, qui catalogum eorumdem operum chronologicum continet, huc transscripsimus, quoniam ad vitam quoque videtur pertinere. Biennio post edidit Gallice Stephanus Binettus noster librum de præcipuis fundatoribus religiosorum Ordinum, quorum imagines in choro Ecclesiæ Lætiensis cernuntur, atque in iis Blosium quoque memorat, non novi Ordinis auctorem, sed antiqui monasterii reformatorem; profiteturque in dedicatoria triplicis se generis Sanctos Lætiis vidisse, mortuos, in reliquiis; pictos, in tabulis; vivos, ipsos scilicet Religiosos et Abbatem Wingium; horum tamen laudatione sibi ab ipsis interdictum. Sed nec omnino potuit nihil dicere, et ut taceret ipse ceterique scriptores, silvæ ac colles vicini loquerentur, qui ab eorum sanctimonia exultare quodammodo, ut illæ ad transitum filiorum Dei Arabicæ cautes, videntur.

Operum Blosii editio ultima.

Lætiensis monasterii commendatio.

§ II. Scripta Blosii, *ex Lætiensium Prolegomen.*

Lectori non ingratum fore credidimus, si hoc loco ipsum temporum ordinem, ac quasi natales scriptorum Blosianorum annos præmitteremus. Illud eo fecimus libentius, quod Jacobus Frojus noster (qui primus opera omnia Blosii in uno volumine juncta edidit) etsi eumdem ordinem secutum se fuisse existimet (prout videre licet in ejus Præfatione) non tamen per omnia eum est assecutus, quod saltem in conclavi animæ fidelis patet cui locum tribuit longe ante Psychagogiam; cum Blosius ipse in Epistola, quæ est sub finem Conclavis, suadeat illi cui scribit, ut Psychagogiam in manus sumat, quam dicit se superioribus annis collegisse ex Sanctis Augustino et Gregorio.

Opera Blosii ordine annorum, quo edita sunt.

3 Et quidem etiamsi Blosius primo omnium in adolescentia sua Comparationem Regis et Monachi ex Græco D. Chrysostomi Latinam fecerit, nos tamen (quod ejus opusculi non tam auctor fuerit quam interpres) cum Arnoldo Wion, Antonio Possevino, et aliis, primum ejus fetum seu opus numerabimus Speculum Monachorum, quod edidit Blosius sub nomine Dacryani Abbatis (qui non est alius a Blosio, ut Articulo VI et VII eorumdem Prolegomenon solidis argumentis demonstratur) excudente Bartholomæo Gravio Lovanii in 4, anno 1538, qui erat octavus circiter Abbatialis præfecturæ. Idem Speculum secundo recudi curavit ab eodem Gravio anno 1549, in 8, adjecitque Epistolam duodecim Documentorum sub eodem nomine Dacryani, cum brevibus Appendicibus ad singula Documenta: quas Appendices fusiores postea reddidit, et Documentis iisdem iterum subjunxit in Enchiridio parvulorum; præmissa insuper præfatiuncula, quæ in secunda Speculi editione deest: et Documenta variatis subinde verbis, aliter in una quam in altera editione apparent. Subjecit huic editioni secundæ Rhythmicam salutationem ad Jesum et Mariam: eidemque præfixum est privilegium Cæsaris, datum anno 1538, in quo dicitur hoc Speculum a Ruardo Tappero Lovaniensis Academiæ Cancellario visitatum et permissum.

1527 *Comparatio Regis et monachi, versa.*

1538 *Speculum monachorum.*

Epistola 12 Documentorum.

6 Canonem vitæ spiritualis scripsit anno 1539, ut videre et in ejus Præfatione ad Cardinalem Quignonium. Eumdem Canonem, adjectis Epitome Vitæ Christi ex quatuor Evangeliis, Cimeliarchio piarum precularum, Medulla Psalmodiæ, et Officio brevi Horarum de Jesu et Maria, iterum edidit (sed sub titulo Paradisi animæ fidelis) anno 1540, per Guilielmum Montanum Antverpiæ in 8, Ruardo Tappero et aliis Theologis approbantibus. Seorsim deinde Canon vitæ spiritualis auctus et expolitus anno 1549, in 8, prodiit Lovanii apud Gravium, adjecto ad calcem Jubilo amantis animæ. Huic editioni præfigitur aliud Cæsaris privilegium anni 1547, quo dicitur tam Canonem istum quam sequentes quatuor libellos, Cimeliarchion scilicet, Enchiridion, Psychagogiam ac Collyrium ab eodem Ruardo Tappero visitatos esse et approbatos. Hanc Canonis editionem iteravit in 12, Wolfangus Ederus Ingolstadii, anno 1585, additque Endologias, Preces, et Meditationes ad septem dies hebdomadæ accommodatas.

1539 *Canon vitæ spiritualis.*

1540 *Paradisus animæ fidelis.*

7 Cimeliarchion valde diversum a priori in lucem emisit Blosius, excudente Gravio anno 1549, in 8. Rejectis enim in alium librum, quem post scripsit, et pias Preculas inscripsit, plerisque primæ editionis Endologiis, alias novas Endologias ac devotas Orationes substituit, et sub finem ante Precationem ad Jesum Psalmum CXVIII interseruit, divisum in XXII octonarios, tamquam XXII, ut ait, breves Psalmos: quem etsi nos in nostra editione, Jacobum Frojum secuti, ut satis notum, omisimus; epigraphen tamen Psalmo a Blosio præfixam Lectori exhibere voluimus; quia pia est, et ab iis qui Psalmum illum toties in Officio divino recitant serio expendenda. Est igitur hæc: Psalmodia miræ suavitatis miræque virtutis, in cujus singulis pæne versibus anima fidelis verba sua amanter ad Deum dirigit, et gratum miscet cum eo colloquium, per legem, mandata, præcepta, testimonia, vias, justificationes, judicia, eloquia, et similes dictiones, quæ in ipsa Psalmodia frequenter repetuntur, ut intelligatur lex dilectionis, et amabilis Dei voluntas. In fine hujus Cimelarchii, sic innovati, ita loquitur Auctor: Hic finem Cimeliarchio Precularum piarum imponimus. Statuimus enim, si Deus concesserit, brevi scribere Enchiridion parvulorum, in cujus calce etiam Precationes et Doxologias aliquas adjiciemus.

1549 *Cimeliarchion.*

8 Enchiridion

Enchiridion parvulorum.

8 Enchiridion parvulorum eo ipso anno 1549 quo promisit, præstitit et publicavit per Gravium in 8, libris duobus : quorum prior habet Epistolam XII Documentorum sub nomine Dacryani, nonnihil variatis verbis a prima editione, cum uberrimis et devotissimis Appendicibus : posterior præcipue versatur in præparatione ad felicem mortem. Huic editioni in fine addita fuit a Blosio hæc conclusio opusculi : Qui precandi laudandique Deum studio impensius delectatur, si ei ista minus sufficiunt, habet totum Psalterium Davidicum, habet et alias Orationes atque Doxologias eximias a Patribus conscriptas. His immorari poterit secundum gratiam sibi cælitus concessam. Nos quoque nuper edidimus Cimeliarchion piarum precularum : in cujus calce posuimus precationem unam ad Jesum singulariter utilem his qui ad profectum virtutum contendunt, et huic subjecimus alteram continentem Commendationes quotidianas. Quam conclusionem quia in posterioribus editionibus Auctor sustulit, et in editione Froji ac sequentibus desideratur, nos in textu reponendam non judicavimus.

Psychagogia.

9 Prodiit eodem anno 1549, Psychagogia ex sanctis Patribus collecta, excudente Bartholomæo Gravio Lovanii in 8, hanc post in 12 impressit vidua Martini Nutii anno 1560.

Collyrium hæreticorum.

10 Collyrium hæreticorum paullo post evulgavit Blosius, et excudit Gravius anno 1549 in 8, in cujus præfatiuncula aliquot a se editos libellos enumerat, his verbis : Edidimus autem ista : In adolescentia vertimus e Græco libellum Divi Joannis Chrysostomi, in quo Rex cum vero Monacho comparatur. Postea diversis temporibus scripsimus Canonem vitæ spiritualis, Cimeliarchion precularum, Enchiridion parvulorum, Psychagogiam ex Augustino et Gregorio beatissimis Pontificibus collectam, ac Postremo istud Collyrium. Quæ Opuscula nostra incompta et invenusta ut in æternam gloriam Dei cedant, vehementer optamus : atque ea judicio Ecclesiæ Apostolicæ, correctionique Patrum orthodoxorum libenter submittimus.

11 Adjuncta Collyrio tunc fuit Comparatio Regis et Monachi, quam ex Græco D. Chrysostomi Latine reddiderat D. Blosius adolescens anno 1527, Nicolai Clenardi Græcæ linguæ peritissimi litteris eruditus. Dedicavit eam nobili adolescenti Johanni Molembasio, quicum in studiorum curriculo adoleverat. De hoc Collyrio (ut de aliis Controversiarum Fidei a Blosio feliciter ac fortiter pertractatarum argumentis) observationem nostram inveniet Lector ad Sectionem decimam, quæ Defensio fidei inscribitur.

Sacellum animæ fidelis.

12 Sacellum animæ fidelis circa annum Christi 1549 lucem aspexit. Complectitur autem Tabellam spiritualem, Preculas pias, huc ex prima Cimeliarchii editione (ut superius diximus) translatas, Endologias ad Jesum et Mariam, Dicta quorumdam Patrum vere aurea, et Medullam Psalmodiæ. Hanc Medullam Psalmodiæ prius in Paradiso animæ evulgatam sub Græco titulo Myelodochii, post nonnihil a Blosio immutatam, et huic Sacello dedicatam, tandem ad veterem sedem Paradisi animæ fidelis revocavimus.

1551 *Institutio spiritualis.*

13 Institutionem spiritualem conscriptam esse a Blosio anno 1551 constat ex Epistola præfixa ad Florentium de Monte : quam observet Lector plenam esse zeli pietatis et doctrinæ Blosianæ contra depravatos mores hominum indevotorum, et impudentem pervicaciam hæreticorum. Conjuncta est Institutioni Appendix ex Joanne Thaulero et aliis : item Exercitium piarum precationum cum Endologiis : Apologia etiam pro Joanne Thaulero contra Eckium, laudata a Cardinale Bellarmino libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, et ab Antonio Possevino in Apparatu, dum agunt de Joanne Thaulero. Excusa fuerunt hæc omnia junctim Lovanii ab Antonio Maria Bergagne in 8, anno 1553, visa prius et admissa a Petro Curtio Pastore S. Petri, post Brugensium Episcopo.

Ex Prolegom. Lætiensium.

14 Brevis regula Tironis spiritualis impressa est cum Institutione præcedenti anno 1553 et iterum separatim in 16, ab eodem Bergagne anno 1555, additis Piis aliquot exercitiis, et XII Præceptiunculis; approbante eodem Petro Curtio. 1553 *Regula Tironis.*

15 Consolatio pusillanimium, quæ est vera panacea curandis omnibus animorum afflictorum et desolatarum conscientiarum ægritudinibus, prodiit apud Martinum Nutium anno 1555, in 12, addita est Consolationi Paraclesis ex Scripturis desumpta : quam ex Paradiso huc Blosius ipse transtulit. Consolatio iterum excusa est anno 1559, eadem forma apud Martini Nutii viduam. 1555 *Consolatio pusillanimium.*

16 Margaritum spirituale in lucem exiit Lovanii in 8, per Joannem Waem anno 1555, continet vero Epitomen Vitæ Christi ex quatuor Evangeliis, longe copiosiorem ea quam in Paradiso ante collocaverat Blosius; Explicationem Dominicæ Passionis fere ex Thaulero collectam; Farraginem utilissimarum institutionum; Articulos Vitæ Christi; Igniariolum divini amoris; Exercitiola quædam divinarum precationum; sex Psalmos miræ suavitatis et virtutis. *Margaritum spirituale.*

17 Conclave animæ fidelis (in quo reperiet Lector Speculum spirituale, Monile spirituale, Coronam spiritualem, Scriniolum spirituale) prodiit Antverpiæ anno 1558. Rursum ibidem anno 1564, apud viduam Martini Nutii in 12. 1558 *Conclave animæ fidelis.*

18 Faculam illuminandis hæreticis et ab errore revocandis prætulit, et extremo partu quadriennio ante mortem in lucem protulit Blosius anno 1562, edente Petro Zangrio Lovanii in 12. 1562 *Facula.*

19 Ecce tibi, pie Lector, per annos XXIV, fecunditatem egregiam Ludovici Blosii Abbatis nostri : qui licet tum publicis Ecclesiæ et patriæ rebus, tum privatis nostri monasterii in meliorem formam restituendi curis, tum aliis impedimentis distractus esset, tam varia nihilominus in animarum utilitatem Opuscula, seu ascetica, seu polemica, Deo inspirante et adspirante, evulgavit. Hæc Opuscula seorsim suis temporibus edita, veluti membra disjecta in unum corpus collegit primus omnium Blosii Operum in uno volumine junctorum evulgator Jacobus Frojus, Confrater noster, Blosii discipulus, qui semper a nobis cum gratæ memoriæ commendatione nominandus est, quique deinde Hasnoniensium Abbas fuit. Nec edidit tantum, sed et variis Capitum argumentis ac notulis aliisque ornamentis illustravit, ut in sua Præfatione testatur. Impressit autem Lovanii Joannes Bogardus anno 1568, in folio, biennio post pium Auctoris ab hac vita transitum, approbante Laurentio Metzio S. Theologiæ Licentiato, eo qui deinde Silvaducensis Episcopus fuit. Postea Coloniæ anno 1572 et 1589, apud heredes Materni Cholini iterum in folio eadem Blosii Opera prodierunt. Rursum in 4 ibidem apud Bernardum Gualterum anno 1606, 1615, 1618 et 1625. Denuo in 4, 1622 Parisiis apud Societatem minimam. Denique Augustæ Vindelicorum 1626, tomulis quinque in 12, apud Andream Apergerium, edente et recensente Romano Hay Ordinis nostri in Suevia monacho. *Blosii opera simul omnia edita.*

20 Habent et istam laudem hæc Opera, quod variis variarum gentium linguis, Germanica, Belgica, Hispanica, Italica, Gallica, Anglica, translata sint. Unde facile patet, quanto omnium gentium applausu ac fructu sint excepta. Quid? quod annis paucis sexies ac sæpius sermone Hispanico recusa sunt? Neque intra Europam aut fervor hic ea legendi stetit, aut fructus. In ipsas Indiarum Provincias navigavit. Illuc enim, ut viri cujusdam venerabilis, ex nostri Ordinis Hispaniensi Congregatione, gravissimo testimonio didicimus, frequentissima Blosianorum Operum exemplaria transmissa sunt : numquam tot tamen, ut ardentissimam fidelium devotionem satiarent. *Plurimis linguis versa.*

VITA

Auctore Monacho Benedictino.

VITA.

PRÆFATIO AUCTORIS.

Reverendis in Christo Patribus ac Dominis religiosisissimis, sub Regula S. P. Benedicti Deo famulantibus, ejusdem Regulæ professor perpetuam felicitatem.

Occasio vitæ hujus scribendæ.

Cum ab exordio religiosæ conversationis meæ, adeoque ab ipso tirocinio in Ordine S. P. N. Benedicti plurimum spiritualis alimenti hausissem ex scriptis Asceticis venerabilis Patris Ludovici Blosii, magno incensus fui desiderio ejus vitam et res præclare gestas propius ac penitius cognoscendi. Neque enim dubitabam, quin eximia totius vitæ ejus actio, et quasi rediviva forma, acriores mihi ad virtutem stimulos adderet, cui vel muta præcepta, et adumbrata scriptis imago tantum amoris adhuc tironi instillasset. Inita itaque cum Lætiensibus Monachis familiaritate, nihil habui antiquius, quam ut a religiosissimis illis Patribus de venerabilis Blosii moribus ac sancta conversatione inquirerem : quæ postquam summa cum animi mei voluptate cognovi, primum mirari cœpi, tam præclaras eximii hujus Patris actiones, tamdiu nimia prope filiorum modestia occultatas : tum vero enitendum mihi putavi pro viribus, ut abrupto inutili eorum silentio, tantum Ordinis nostri ac Belgii decus merita gestorum laude clarescesceret : non satis arbitratus ejus dignam memoriam ab interitu et oblivione vindicari, sive scriptis libris, pietate ac divino spiritu refertis, qui passim circumferuntur, ac piorum teruntur manibus; sive insigni

In Elog. Belgic.

illo elogio, quod, exhibito a Lætiensibus argumento, Aubertus Miræus adornavit; nisi etiam historica vitæ sanctioris narratio accederet, cum publico bono, tum privato emolumento eorum, qui haustis a librorum ejus lectione salutaribus documentis, plus animi et vigoris ad imitandum conciperent, inspectis in Auctore ipso virtutum exemplis. Tardius enim multo animos hominum haustæ auribus præceptiones solent permovere, quam quæ oculis ipsis conspecta sunt exempla.

2 Quapropter constitui, quæ ex variis Lætiensis Monasterii scriptis, et fida relatione seniorum Patrum (quorum nonnulli ipsius Blosii fuere alumni) aliisque veracibus testimoniis, ac monumentis certis-

Unde hauserit Auctor quæ scribit.

simis didici, in unum colligere, et publico dare : sperans non ingratum hunc meum laborem iis fore, qui piissimi hujus viri instructionibus, magno spiritualis profectus incremento, perfruentur. Et quamvis indecorum videri possit, ut infimus et imperfectissimus Monachus summi et perfectissimi exemplar, non satis dignis coloribus adumbratum, palam omnibus spectandum exhibeat; spero tamen huic meæ contentioni ac studio facile ignoscendum, tum ab iis censoribus qui puriore oculo alienas actiones judicant; tum præsertim a Deo, qui non tam opus ipsum, quam sincerum, quo suscipitur, affectum solet intueri. Neque aspernabitur, uti confido, conatum hunc meum, sed pro sua benignitate efficiet potius, ut cupidis religiose perfectionis, et Blosianæ virtutis æmulis, non inutilis ingratusve reddatur.

3 Hanc autem opellam meam, venerandi Patres ac Domini, vobis potissimum inscripsi, quo majorem in mentibus vestris orexim excitarem, ad gustanda, et identidem ruminanda pia venerabilis Blosii scripta; quæ in assequendo propius Regulæ nostræ spiritu, ceteris, quæ hactenus prodiere in eamdem Regulam, lucubrationibus, peritissimorum ejusdem Interpretum judicio, longe antecellunt. Vos vero etiam atque etiam rogo, ut quidquid affectus meus non tam lambendo perpolivit, quam parturiendo effudit, id pari candore æqui bonique consulere, et apud Deum mei memores esse dignemini.

CAPUT I.

Blosii Ortus, Patria, Parentes.

Blosii patria, genus, parentes.

Natus est Ludovicus Blosius ex antiqua et illustri Blosiorum et Barbansoniorum stirpe, Pontifice Maximo Julio II, Maximiliano I Imperatore anno Domini MDVI, ineunte Octobri, in eo Provinciæ Leodiensis pago, qui non procul ab Hannoniæ oppido Bellomonte situs, Donum-Stephani, vernacule Donstienne appellatur, castro maternæ ditionis. Blosianæ porro familiæ stemma (quod vulgo de Blois) ab illustrissimis Majoribus, Blesensibus videlicet et Campaniæ Comitibus, Gallia universa et utraque Britannia nominatissimis, genus longo ordine deducit. Barbansonia autem domus, et excellentissimos Principes numerat, et inter principes domos in Belgica Nobilitate censetur. Ex hoc utrimque perillustri sanguine Ludovicus patrem habuit Adrianum Blosium, Gerardi Blosii Jumignii Toparchæ ex Margarita Hennin filium, Jumignii quoque et Warelarum insuper Toparcham : qui Philippo Austriaco Regi Hispaniarum ejus nominis primo, ac Belgicarum Provinciarum Principi a Consiliis simul et Cubiculis fuit : matrem Catharinam Barbansoniam Joannis Barbansonii filiam, et pagi Donstienne, Ludovici natalibus magis exinde nobilitati, heredem ac Dominam. His parentibus, non minus virtutis gloria quam generis splendore claris, ortus Blosius, ad omnem domesticæ pietatis exercitationem a teneris unguiculis educatus est.

Fratres ac sorores.

3 Ex eodem lectissimorum conjugum parentum suorum thoro habuit Ludovicus fratres germanos quinque, Guilielmum, Carolum, Richardum, Adrianum, Gerardum : sorores quatuor, Margaritam nempe et Antoniam *a* Andanenses ad Mosam, Franciscam *a*
ac Catharinam *b* Monasterienses ad Sabim in agro *b*
Namurcensi Canonicas. Fratres domesticæ nobilitatis gloriam, tum bellica armorum laude, tum fide erga Principes inconcussa, tum officiis in Rep. præclare obitis, illustriorem reddiderunt. Guilielmus natu primus Serenissimæ Hungarorum Reginæ Mariæ Austriacæ, Belgii pro fratre suo Carolo Cæsare Gubernatrici, a Consiliis et domesticis officiis fuit, ac Regii stabuli Præfectus; Adrianus, et militares ordines duxit; et Avesnas primum, deinde etiam Carolomontem, Richardus Bellomontem, limitanea Gallis Belgii oppida, insigni in Principem fide gubernarunt. Atque Adriani quidem proprium illud decus memoratur, cum sæpe cum hostibus congressus sit, numquam eum pedem retulisse, sed semper eis terrori fuisse; suis militibus ita carum, ut passim Patrem appellarent. Carolus Leodii in celebri D. Lamberti Ecclesia Canonicus, et ad D. Martini Præpositus fuit. Richardus aulæ et mundanarum curarum pertæsus, abdicatis honoribus, privatus Lætiis apud fratrem extremos vitæ annos religiose exegit.

6 Ludovicus vero, quam a Majoribus generis claritatem acceperat, eam calcato mundi fastu per humiles et abjectas Christi consiliorum vias ambulando, vitæ innocentia, cælestium rerum meditatione, Religiosorum statutorum observantia, asceticorum librorum pietatem atque eruditionem spirantium elucubratione, præclaro denique virtutum splendore, et filiorum sanctorum spirituali stemmate, ut in toto vitæ decursu ostenditur, varie illustravit. Fratribus etiam sororibusque ad unicam et veram virtutis nobilitatem sequendam exemplo præivit. Nam ut reliquos prætermittam, Francisca natu minima, sed virtutum æmulatione maxima, ut sanguine ita et animo

animo germana Ludovici soror, fratrem suum spiritalis vitæ ac viæ patrem ducemque secuta, mundi pompis ac vanitatibus nuntium remisit, ac relicto etiam propter amorem Jesu Christi canonicatu, humilitatem ac solitudinem prætulit, æternæque se virginitati consecravit. Ut vero fratris sui piis adhortationibus tanto opportunius liberiusque frui posset, quanto a turba semotior esset, facultatem petiit et impetravit, ut sibi liceret in cubiculo Lætiensis castri (id aquis cinctum, et a Religiosorum claustro sejunctum, non procul ab ecclesia, belli temporibus securitati, pacis excipiendis hospitibus servit) seorsim vivere, ibique ad finem usque vitæ soli Deo, sub fratris sui directione, vacare. Quam solitudinem adeo tenere et arcte complexa est, ut decem totos annos, quibus fratri supervixit, alio pedem non extulerit, quam ad oratorium Lætiense, quotidianis precibus persolvendis, ubi cavendis oculorum ac mentis divagationibus, pluteo undequaque concluso (quem frater ejus rei gratia erigendum curaverat) se continebat, Deumque precabatur. Hanc qui videret ab ore fratris et magistri pendentem discipulam, quod de sororibus
c d Sanctorum *c* Nazianzeni, *d* Bernardi, Thomæ Aquinatis fraterna institutione ad pietatem formatis, accepimus, jucunda memoria recoleret, et vere felicem tali fratre Franciscam diceret, eamque ut olim S. Be-
e nedicto *e* Scholasticam, B. M. Guntardo primo Læ-
f tiensium Abbati *f* Hiltrudem; ita Ludovico spiritualem alumnam, et nobilissimarum virtutum heredem a Deo datam prædicaret.

7 Hæc pauca ex multis de domo et sanguine Ludovici prætermittenda non videbantur. Quamvis enim laus veræ nobilitatis propria virtute comparetur, nec aliena gloria cujusque felicitas aut magnitudo metienda sit; non parum tamen dignitatis Ludovico accedit, tum quod calcato sæcularis nobilitatis fastu, humilem in Religione, Christi exemplo, vitam elegit; tum quod fratribus sororibusque suis ad nobilitatem animi, præclaris virtutibus sectandam, qua doctrinæ monitis, qua vitæ exemplis facem præluxit.

a *De* Andanensi, *sive* Andennensi *Canonicarum Collegio agemus* XVII *Decemb. ad vitam S.* Beggæ *fundatricis.*
b Monasterium *hoc, quod nunc est nobilium Canonicarum, in honorem S. Petri ædificavit S.* Amandus *Trajectensis Episcopus, de quo* VI *Februar.*
c S. Gorgonia *soror* S. Gregorii Nazianzeni *colitur* IX *Decemb.*
d *De* B. Humbelana *sorore* S. Bernardi *agemus* XXI *August.*
e *De* S. Scholastica X *Februarii.*
f *De* S. Hiltrude XXVII *Septemb.*

CAPUT II.

Educatio. Apud Carolum Principem commoratio. Ad Religionem vocatio.

Blosii suavis indoles.

Nobilitatem sanguinis a parentibus acceptam, egregia indole, ac præclara educatione multo Blosius reddidit illustriorem. Ornatus namque iis erat animi dotibus ac corporis, quæ non stirpis dumtaxat splendori augendo, sed et sorti, ad quam divinitus destinabatur, mirifice congruebant. Mores candidi et suaves, ingenium docile et ad divinam humanamque scientiam capessendam factum. Super omnia in eo eminebat lenitas quædam animi et mansuetudo, quam cum lacte matris imbibitam, vel potius e cælo haustam, in omnem deinceps vitam conservavit. Quibus ille rebus id assequebatur, ut omnibus quibuscum familiariter ageret, carus acceptusque esset. Nemo erat qui pueri indolem propius inspiceret, qui non illustre aliquid de eo in posterum præsagiret.

9 Domesticæ educationis apud parentes singularis sollicitudo et cura fuit, ut ad pietatem imprimis ab ipsa infantia instrueretur. Deinde ut ad honorum gradus ac titulos, quos ei perillustres spe ac voto designabant, facilius posset pertingere, ad aulam Caroli Belgarum Dynastæ (qui deinde quintus ejus nominis Romanorum Imperator fuit) proficisci jubent, ut sub tanti Principis tutela et favore, pueris honorariis adscriptus, ad altiora munera aditum sibi paullatim aperiret. Commorantem in aula sua Carolus, præclara ejus indole ac moribus placidissimis delectatus, insigni complexus est benevolentia; quam reliqua omni deinde ætate retinuit, pietatis ejus ac doctrinæ singularis præclara opinione mirifice auctam, quam et multis est argumentis testatus. Eum enim jam Abbatem factum sibi ab Eleemosynis esse jussit: eoque, cum dulcissimæ sanctitatis veneratione, et familiariter in spiritualibus animæ negotiis utebatur, et ad gravia Reip. negotia privatim eum in consilium adhibebat, et libros ejus asceticos libenter lectitabat, et illustriores Ecclesiasticæ dignitatis infulas offerebat. Gratiæ nempe omnis, qua apud Cæsarem provecta jam ætate valuit plurimum illo pueritiæ contubernio prima jacta sunt fundamenta.

Auctore Monacho Benedictino. Ad Aulam mittitur.

Carolo V *carus.*

10 Teneram igitur ætatem Blosius in Aula Caroli Principis inter illustres ephebos transegit, illis artibus moribusque imbutus, quibus generosus quisque adolescens ad gloriam niti, et nobilium parentum expectationi respondere debet. At vero parentum cogitationes splendidas magis quam salubres de Ludovico, quem ex aulicæ fortunæ tirociniis in gloriam tanta nobilitate dignam abiturum sperabant, ad meliora consilia convertit Deus; atque consuetis aulicæ juventuti exercitationibus, ac bellicis rudimentis occupato, hanc Crucis complectendæ, calcandi mundi, Religionis ineundæ, ad cælum adspirandi præclaram occasionem objecit. Luculentam in capite plagam accepit, incerto quidem casu, sed Dei providentia jam tunc omnia ad salutem Blosii multorumque aliorum disponente. Curando vulneri dum chirurgus artem manumque impendit, ferro hiatum pertentans, deprehendit plagam sanari non posse nisi per incisionem dilataretur. Qua de re cum Blosium monuisset, et ut id vellet ac pateretur facile persuasisset, ex eo sciscitatus est, qua figura vellet cicatricem induci. Volo, ait Ludovicus, Crucem Burgundicam. Ita factum fuit, non sine adstantium atque ipsius adeo Blosii præsagio; qui per piam allusionem quodammodo de vitæ mutatione vaticinans, se hoc velut stigmate Crucis inustum in perpetuam Jesu Christi crucifixi servitutem addicendum dixit: ut, qui per lusum jocumque Crucem acceperat, Crucem deinde suam sponte et serio tolleret, Christumque in cruce fixum sequeretur. Ex hoc sane velut novæ vitæ symbolo sancta sua consilia auspicatus est, vanitatem cum pietate, et jugum diaboli cum jugo Christi commutandi. Mox enim ab hoc vulnere capitis curato, vitale cordis vulnus accepit; et gaudium mundi in tædium, honoris desiderium in fastidium, divitiarum copia in nauseam versa est: cumque amarescerent illi terrenæ deliciæ, alias sibi in Religiosæ vitæ paradiso voluptates quærendas, et a Caroli castris ad Christi vexillum, Crucisque militiam, transeundum esse, Deo inspirante, decrevit. Felix omnino capitis vulnus in Blosio, quod pectus sanctis Dei consiliis aperuit. Honorum igitur opumque fluxarum, ac voluptatum contemptor, annum agens vitæ decimum quartum, spes et cogitationes suas ad sæculi fugam, et Religionis ingressum, ab aulica vita transtulit; vel in hac sua a teneris conversione S. P. N. Benedicti imitator, qui (teste S. Gregorio Magno) ab ipso pueritiæ suæ tempore, quo temporaliter libere uti potuisset, despexit jam quasi aridum mundum cum flore; et eum quem quasi in ingressum mundi posuerat, retraxit pedem.

Vulneratur.

Hinc conversionis occasio.

Præf. lib. 2 Dialog.

AUCTORE MONACHO BENEDICTINO.

CAPUT III.

Tirocinium vitæ cœnobiticæ in monasterio Lætiensi : ejusdemque monasterii descriptio.

Fit Lætiis monachus.

Cum hæc novæ ac spiritualis vitæ consilia divinitus immissa cepisset Blosius, non diu, quod potissimum cœnobium ingrederetur, deliberavit : nam et parentum voluntate, et quod ob viciniam patriæ ei notius esset, Lætiense illico delegit, in quo sese novus pugil religiosis institutis spirituali tirocinio erudiendum traderet. Nec vero in prima illa adolescentia advertere potuit mores illius monasterii tunc minus religiose compositos; tum quia non est illi ætati propria illa prudentia, tum quia multa ejusmodi in meliorem partem ab externis vertuntur.

Id monasterium post mire illustravit.

12 Certe docuit optimus eventus, divina Blosium manu in hac electione ductum fuisse, ut paullo post domesticis illius monasterii malis mederetur : quod deinde ab ipso Religiosæ vitæ exemplis, et conditis præstantibus regularis disciplinæ Statutis, additis variis tam domui quam Ecclesiæ ornamentis, scriptis toto orbe evulgatis, ac postremo venerandi corporis illic depositi exuviis, mirifice est illustratum. Hujus Monasterii descriptionem, in gratiam multorum, qui forte de solo nomine illud noverunt, et quia ad vitæ Blosianæ nonnullam illustrationem faciet, hac occasione hic proponere, nec injucundum Lectori nec inutile fore putavi.

Ejus situs :

13 Lætia ergo, vel Lescia antiquo vocabulo (quo etiam S. Bernardus Epist. 326, usus est) vernacula Galorum voce Liessies, quod lætitiam fere obsoleta vel corrupta nonnihil voce sonare videtur, aut lætitiæ sedem, quasi Liesse-icy diceretur; locus est in finibus Hannoniæ, agro Galliæ qui Theorascia dicitur, conterminus, Helpræ fluvio impositus, silvis fere in ambitu et colliculis in modum coronæ cinctus. Nongenti prope anni numerantur ab Heroicis illis Pipini Gallorum Regis temporibus, quando vir illustris Wibertus de Pictavia Comes, Regi percarus, pertæsus invidiæ, ut Annales Lætienses loquuntur, quæ contra eum in Aula Principis ardebat, Lætiensem illum locum, tamquam honorarium donativum ab eodem Rege postulavit, et impetravit; in quem veluti portum ab aulica jactatione, tranquillitati privatæ pietatique consulturus, cum dulcissima conjuge Ada nobilissimi Gallici stemmatis femina, et liberis familiaque, se subduceret. Ea caussa inibi monasterium religiosis viris S. P. Benedicti Regulam professis extruxit, et S. Lamberti Tungrorum, seu Trajectensium Episcopi, *a* non ita pridem Martyrum corona donati nomine inscripsit et honoribus consecravit. Hoc cœnobium, Wibertum cum illustrissima uxore Ada conditorem; B. M. Guntardum Wiberti et Adæ filium, Abbatem primum; S. Hiltrudem Guntardi sororem, dotatricem, jucundissima memoria sanctitatis, cum benedictione agnoscit, et cum gratiarum actione veneratur. Hæc est illa Hiltrudis Lætiensium Patrona, quæ repudiatis Hugonis Burgundiæ Principis nuptiis, e parentum domo ad tempus profugit, et relicta ibidem sorore sua unica, Berta nomine, quæ Hugoni nuberet, suam ipsa virginitatem illibatam Christo sponso, ab Episcopo Cameracensi rite velata, consecravit. Quia vero virginibus latere tutissimum didicerat, solitudinis amore habitationi suæ delegit humilem cellulam Oratorio Religiosorum contiguam; in qua per annos septemdecim reclusa, divinis officiis et sanctis contemplationibus cælestem vitam in terra duxit, et ferventibus fratris sui Guntardi sancti Abbatis adhortationibus desideria bonorum æternorum in semet accendit, donec vocante Sponso ad eum feliciter migravit; Sanctorum catalogo Fastis Ecclesiasticis ad XXVII Septembr. adscripta.

fundatio :

a

1 *Abbas.*

Hiltrudis virgo sancte vivit.

14 Hoc fræternæ pietatis erga sororem exemplum sicut olim a S. P. N. Benedicto et S. Scholastica acceptum, Guntardus in S. Hiltrude æmulatus est, ita nuper in Francisca Ludovicus (quod mox diximus) innovavit. Extant autem apud Lætienses non moritura sanctæ familiæ et de cœnobio a se fundato tam præclare meritæ monimenta. Nam sanctissimi parentes, pia et sancta donatione hereditaria, omnem possessionem suam, (Berta sine liberis defuncta) filiæ Hiltrudis fidei commiserunt; ea lege, ut post mortem ipsa ex testamento paterno Lætiense monasterium ultimis tabulis heredem scriberet. Hoc testamentum illi ipsi parentes, Hiltrudi superstites, in filiæ sepulchro, non procul a cellula jam dicta, condi et asservari voluerunt : quibus deinde vita functis, pientissimus filius Guntardus Abbas parentavit; servata ad amussim ultima eorum voluntate, pietatem spirante, qua jusserant in ecclesiæ limine, seu porticu, sua corpora condi; tum quod se reputarent indignos, qui interius humarentur, tum quod sperarent ea ratione se plus auxiliarium precum a transeuntibus et calcantibus fidelibus (monumento tacite admonente) obtenturos. Demum ipse B. Guntardus, sanctissime vita functus, religiosissimorum Fratrum manibus in medio Oratorii sepultus est. His incunabulis, his fundatoribus in Domino gloriatur Lætia natam se et educatam. Quæ deinde pia posteritatis diligentia sacro et inæstimabili Reliquiarum thesauro aucta atque ornata, non tam censuum aut fundorum amplitudine, vel dominiorum auctoritate, vel substructionum pompa, quam parsimoniæ vectigalibus, disciplinæ regularis, et religiosæ hospitalitatis laudibus, commodissimis denique ad usum vitæ monasticæ officinis et habitationibus (quarum omnium præcipuum splendorem ac decus venerabili Blosio debet acceptum referre) inter celebres Hannoniæ Abbatias computatur.

Lætias dotat.

Celebre nunc id monasterium.

Blosius ab Ægid. Gippo Abb. admittitur.

15 In hanc, Deo duce et auspice, ingressus Ludovicus annos natus XIV, et a R. D. Ægidio Gippo (qui tum Lætiensibus Abbas præerat) susceptus, veterem hominem exuens, ac novum induens, assumpto sacro Religionis habitu in tironem attonsus est Octobris die XXV, anno salutis XX, supra sesquimillesimum; et expleto Novitiatus anno, solemne Religionis votum emisit.

A Jo. Meurissio instituitur.

16 Erat quidem tunc Monasterii Lætiensis disciplina non parum labefactata : sed nimirum Gippus, vir ætate gravis, moribus laudabilis, statim ut Ludovicum vidit, et in eo pariter insignem illam cum bona educatione indolem, atque emicantes quosdam ex vultu et verbis inhabitantis jam tum Spiritus sancti, et ferventioris zeli igniculos observavit, velut Angelum a Deo destinatum complexus est : animo quasi præsagiens illum fore, qui aliquando labentem Monasterii disciplinam, quam ipse senio fractus restituere cum vellet non posset, post se clavum tenens, erigeret et restauraret. Qua spe fretus, surculum illum in paradiso Lætiensi plantatum, et S. P. N. Benedicti habitu a se donatum D. Joanni Meurissio, qui tunc probata virtute Monachus tironum Magister erat, peculiaris culturæ cura rigandum educandumque commendavit. Sub hoc Magistro ea vitæ religiosæ Ludovicus fundamenta jecit, quæ deinceps in tantam, quantam describemus, virtutum molem assurrexerunt.

a *An.* DCXCVI XVII *Septemb.*

CAPUT IV.

Post Tirocinium, studia litterarum in Academia Lovaniensi.

Virtutis studiosus.

Cum ab ipsis conversionis exordiis toto animi impetu Blosius, gratia Dei singulariter adjuvante, et servum suum ad opus, ad quod electus erat, sensim præparante, in omne religiosæ perfectionis studium incubuisset,

incubuisset, e tirocinio prodiit, perfectam religiosarum virtutum in se formam exprimens; unde juvenes in æmulationem, seniores in admirationem, æquales in venerationem, omnes in sui amorem rapiebat. Quid? quod D. Meurissium, tirocinii sui Magistrum et Directorem, deinceps semper præconem habuit et laudatorem, cum fateretur in perfectionis stadio sese procul a Blosio anteverti. De quo Meurissio non est hic silentio prætereundum, libenter ipsum sese suo tironi ac discipulo subdidisse; illoque Abbate constituto, Œconomi ac deinde Prioris officio functum, in omnibus Abbati suo usque ad annum MDLV, quo mortuus est, obtemperasse; atque adeo per XXV totos annos discipulum sui tironis in schola spirituali, sicut de *a* B. Romano et S. P. N. Benedicto olim factum legimus, extitisse.

a

18 In hoc etiam per triennium tirone tantam perfectionem considerans Abbas Ægidius, magna omnia et sibi de eo promittebat, et ab aliis, præsertim provectioribus, narrari lætus audiebat. Interea nil de se sentiebat Blosius, nil de se statuebat, totum sese divinæ providentiæ gubernandum committebat, ad omnia promptus et alacer serviebat Lætiis Domino in lætitia et sanctitate, totum se divinis rebus impendens. Sed aberat magnum pietatis ornamentum et præsidium virtutis, eruditio. Quamobrem Ægidius Abbas pro sua prudentia judicavit satius fore, si virtutem Blosius litterarum scientia ad multorum deinde utilitatem perpoliret ornaretque. Eum igitur regulari disciplina probe initiatum, bonarum deinde litterarum ornamentis perficiendum, ex Lætiensi Monasterio ad Lovaniensem Academiam ablegavit. Mater bonarum artium, et divinæ atque humanæ sapientiæ Athenæum Lovaniensis Academia inter plurimos et præstantissimos Theologiæ sacræ Magistros numerabat Ruardum Tapperum, et Joannem Driedonem, et alios, quibus magno suo bono familiariter usus est Blosius. Habebat etiam illis temporibus Lovanium inter illustres Philologiæ ac humanæ litteraturæ Professores Nicolaum Clenardum, Hebrææ, Græcæ et Latinæ linguæ peritissimum : quo inprimis Magistro Blosius liberalibus artibus sese impendens, non mediocrem Hebraicæ, Græcæ, ac Latinæ linguæ scientiam assecutus est. Testantur hoc libelli varii, quibus titulos Græcos apposuit, ut videre est in Cimeliarchio, Endologiis, Doxologiis, Psychagogia, et aliis. Idem ostendunt in Monasterio et in templo sparsim appensæ inscriptiones Græca lingua, ex cognitione rara Græcarum litterarum depromptæ. Est etiam perpetuum monumentum progressus in Græcis litteris sub Clenardo Magistro, insignis illa translatio Opusculi aurei S. Joannis Chrysostomi, quod inscribitur Comparatio Regis et Monachi : quam Lovanii studiis litterarum incumbens, anno ætatis vigesimo primo ex Græca Latinam reddidit. Extat illa inter Blosii Opera, dedicata generoso Adolescenti, quo tunc familiariter utebatur, Joanni de Lannoy Molembasio: quem deinde Carolus V Imperator (cui a Cubiculis fuit, sicut et postea Philippo ejus filio) in Ordinem Equitum Aurei velleris, ob eximiam vitæ integritatem generisque antiquam dignitatem, adscripsit anno MDXLV.

Mittitur Lovanium ad studia.

Græcæ et Hebraicæ linguæ studet.

19 Ne vero inter Academicas exercitationes et doctrinæ studia, pietatis studium, ut solet, intepesceret, aut aliqua sæcularis societatis contagione inficeretur; quidquid a litterarum gymnasio temporis supererat, id totum animi culturæ consecrabat. Proinde quos sanctiore vita Deo conjunctos animadvertebat, cum illis arctam inibat familiaritatem, ab illorum ore pendebat, illis se tractandum regendumque committebat, illam semper curam ducens antiquissimam, ut ex Academia ad Abbatiam sanctior potius quam doctior reverteretur.

Virtuti præcipue studet.

20 Quid vero in omni illo Academico elegantiorum litterarum cursu Blosii adolescentis quæsiverit labor et industria, et quid religiosis viris in Academia studiisque doctrinæ maxime spectandum sit, monita illa tanto post in Statutis data, de spiritu inter litterarias exercitationes conservando, satis superque commonstrant; in quibus illud præclarum extat, quo cavendum præcipit, ne scientia inflet, verbis istis memoria dignis : Sic permittimus Fratres pro tempore vel ætate dare operam politioribus litteris, ut tamen per illarum studium labem superbiæ et vanæ gloriæ in se non trajiciant, sed omnia ad honorem Dei pure referant. Alioquin præstat Monachos idiotas esse quam elegantes : utilis satis est simplicitas, per quam melius conservatur humilitas. Eodem spectat quod alibi præcipit : Si quis visus fuerit omnino ad vanitatem dare operam politioribus litteris, ac propter earum studium curam pietatis deserere, impediatur arceaturque a vana et damnabili occupatione. Sicut et illud, quo Magistrum litterarum (si forte pro junioribus aut rudioribus earum scientia imbuendis morum Magistro addatur) his instruit verbis : Hujusmodi libros eis prælegat, ex quibus cum litterarum peritia vel pietatem discere, vel certe non discere vanitatem aut iniquitatem possint. Reddens deinde Statuti caussam : Nisi, inquit, juventus, quæ exercetur in litterarum studiis, freno timoris divini contineatur facile amore eloquentiæ correpta, illectaque dulcedine, curam pietatis deseret; et effecta veluti Ethnica, ac sine Deo, abibit in vitiorum præcipitium.

AUCTORE MONACHO BENEDICTINO.

Humilitas in studiis retinenda.

21 Quam autem perfecte, quod aliis præscripsit, et tam sedulo commendatum voluit, assecutus sit ipse Blosius, pia doctaque ejus Opuscula satis superque loquuntur. Et quidem, ex illo Christianæ submissionis spiritu profecta videtur illa styli moderatio, quam in Operibus ejus advertimus, in quibus etsi puram tersamque Latinitatem minime refugiat, ab elegantibus tamen et mollibus illis verborum quasi lenociniis abhorret. Nihil in ejus lucubrationibus aut tumidum aut insolens, nihil quod sæculi vanitatem redoleat; quæ paucorum Scriptorum est gloria : ut in Canonis sui spiritualis Præfatione de se præclare non minus quam modeste dixerit, se aliquid dicere facunde nec posse si vellet, nec velle si posset.

Blosii stylus, tersus, at modestus.

a *De* S. Romano *agemus* XXII *Maii.*

CAPUT V.

In Abbatis sui Ægidii Gippi Coadjutorem assumitur.

Multum omnino debet Monasterium Lætiense Ægidio Gippo Abbati suo, vel eo nomine, quod Blosium in Coadjutorem, futurumque successorem suum, assumpserit. Impares enim humeros sentiens tantæ moli sustinendæ jam pæne decrepitus, veritusque ne minus idoneus sibi deinde substitueretur, tempori de creando successore cogitavit. Ideoque divino, ut res docuit, instinctu, re cum Deo primum, deinde cum senioribus et melioribus Monachis collata, salutis anno MDXXVII Blosium in socium auxiliatoremque sollicitudinis æque ac dignitatis adoptavit. Qua in adoptatione nemo dubitabit Dei spiritum intervenisse, qui considerare volet Blosium ætate infimum, vocatione fere postremum, necdum Sacerdotii dignitate initiatum, nullis cœnobii muniis perfunctum, rei ignarum et invitum, ac studiorum caussa absentem, non ex Abbatis dumtaxat voto, sed Monachorum etiam suffragio ac voluntate, electum fuisse sui Abbatis Coadjutorem. Quantum vero jam tum a Prælatura omni Christianæ submissionis amantissimus Blosius abhorreret, et quam justis momentis formidabilem illam animarum curam ponderaret, litteræ ipsæ, quas ad tirocinii sui Magistrum D. Meurissium Lovanio dedit, abunde testantur. Hic enim, discipulum olim suum, nuntio hoc mœroris pleno dejectum, etiam atque etiam suadendo hortandoque, ne præpostero humilitatis

Blosius fit Coadjutor Abbatis.

A Prælatura abhorret.

AUCTORE MONACHO BENEDICTINO.

tatis amore hanc sarcinam, Dei voluntate, tanto Lætiensis cœnobii bono, cervici imponendam abjiceret aut detrectaret, in spem bonam erexerat. Sic vero in litteris suis Blosius loquitur, ut videas adolescentis animum senili prudentia, matura virtute, spiritu divino plenissimum.

Ejus ad Meurissium litteræ.

23 Ludovicus humilis servus Christi carissimo Confratri D. Joanni Meurisse omne gaudium in cælo accipiendum. Bene fecisti, dilecte Dei, qui me filium tuum spiritualem, quem anxium esse cognoveras, quantum per litteras fieri potuit, es consolatus. Ego, quod possum, tibi gratias ago : Deus autem gratiam reddere dignetur, nam hoc non possum. Carrissime Frater, ego D. Abbati contradicere nec volo, nec possum, cui manum in professione dedi, in quem voluntatem meam omnem transtuli. Inutile Christi jumentum sum : quidquid oneris mihi imponetur, non remurmurabo : perferam, si possum, si non possum, succumbam sub onere. Melius erit cum obedientia sub pondere opprimi, quam sine obedientia Deum inimicum habere. Sed utinam ministerium istud, ad quod destinor, nihil haberet in se molestiæ, præter onera, labores, angustias ac miserias! non solum non refugerem, sed etiam vehementer desiderarem ipsum, cum per hæc cælum inveniri sciam. Ecce autem præter hæc periculis etiam est refertum; periculis, inquam, non corporis, sed animæ. Quid quæso profuit fugisse sæculum, dum ad sæculum iterum redire compellor? Jure jam cum David clamare debeo : Tribulationes cordis mei multiplicatæ sunt. Augent interim dolorem pariter et metum, mores Monasterii, quos a Regula P. N. Benedicti, et breviter ab omni religione multum alienos esse et audio, et ipse reipsa didici, cum isthic viverem. Quis autem sum ego, ut illos corrigere possim? Sæpe quidem lacrymor, sæpe oro ante conspectum Domini, ut ipse suam Congregationem ad meliorem vitam et pœnitentiam convertere dignetur. Sed mea peccata impediunt, quo minus exaudiri merear. Tuum igitur est, carissime Confrater, hac in parte diligentem te exhibere circa orationis studium, ne forte Deus multitudine (quod absit) peccatorum offensus, a Congregatione ista faciem suam penitus avertat. Sed hæc hactenus. Habes, delectissime Frater, quid timeam, habes et quare timeam. Non ministerium recuso, sed propter ministerii periculum angor. Spero tamen quia Dominus meus Jesus Christus, qui cor contritum et humiliatum non despicit, mihi in omnibus aderit, et maxime si tu pro nobis assidue deprecaris. Ipsi honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen. Vale, et ora pro me Dominum. Lovanii, pridie Kalendas Augusti, anno MDXXVII. Tuus humilis Confrater F. Ludovicus Blosius.

Psal. 24. 17. *Monasterium Lætiense minus tum disciplina florebat.*

CAPUT VI.

Revocatur ex Academia. In Lætiensium Abbatem eligitur.

Quod pie prudenterque Blosius detrectavit, noluit pertinaciter excutere. Os enim Domini consulenti visum fuit, ad Dei gloriam, Lætiensium utilitatem, multarum animarum salutem fore, si collum jugo Domini submitteret, et oblatos non quæsitos honores, eosque magnis difficultatibus implexos, propter amorem Dei et obedientiæ observantiam, admitteret. Lætiensis igitur Coadjutor omnium consensu electus, anno sequenti, qui erat ejus sæculi vigesimus octavus, legitime approbatus est, ætatis suæ anno XXII professionis Monasticæ septimo. Lovaniensem nihilominus commorationem, eo titulo auctus, per biennium tenuit; donec anno trigesimo postridie Kalendarum Martiarum, Ægidius Gippus Abbas Lætiensium XXXIII, jam septuagenarius, cum annis supra triginta præfuisset, in Domino mortuus est, Lætiis in Choro sepultus. Ubi quidem imago Gippi, pie ante B. Virginem in genua procumbentis, ad ingressum Chori a Blosio collocata, memoriam illius in benedictione renovat; sed nil adeo, quam quod talem Lætiensibus designavit successorem. Cujus rei gratia posteritas omnis, quæ Blosii Abbatis tum libris, tum monitis, tum exemplis ad æternam salutem proficiet, cum dulcissima recordatione æternum debebit Gippo gratitudinis et venerationis monimentum.

Ægidius Gippus Abbas Lætiensis moritur.

Blosius Lætias redit.

25 Ex umbra igitur in pulverem, Lovanio Lætias revocatur Blosius : postque justa funebria Gippo impensa, in ejus locum subrogatus, XII Julii ejusdem anni MDXXX, Prælaturæ possessionem, ex more et ritu, accepit. Tres deinde idem ille annus continuos dies habuit et Blosianis honoribus illustres, et gratiarum divinarum copia uberes, quos suavi recordatione Lætienses prosequuntur. Dies est Novembris mensis undecimus, quo Sacerdotio inauguratus est; duodecimus, quo sacræ hostiæ primitias Deo immolavit; decimus tertius, quo in magna Procerum utriusque ordinis corona rite consecratus pedum Abbatis pastorale accepit, et in album Lætiensium Abbatum numero XXXIV, (non quidem a prima cœnobii fundatione, sed ab illius post Nortmannorum cladem reædificatione ac Monachorum reductione) adscriptus est.

Fit Sacerdos, deinde Abbas.

CAPUT VII.

Ut se primis Prælaturæ annis gesserit.

Blosius, onere regendi monasterii suscepto, satis gnarus non ad otium et delicias, sed ad curas laboresque vocatum se; primum statuit sibi non parcere, nihilque omittere, quod ad tantum munus rite diligenterque obeundum, aut eorum qui sibi commissi essent salutem promovendam, pertineret. Verum in re ancipiti non satis ei erat expeditum decernere, quo potissimum curas mentemque converteret : perpendebat enim ex virorum sapientum consilio, interdum tempori serviendum esse, et permagni interesse, quid quis primum aggrediatur : ne si quid agat ordine præpostero, in ipso statim meditati operis limine impingat, et propositum scopum minime assequatur. Fluctuanti igitur et creberrimis precibus insistenti, divinum Numen adfuit; et cui desiderium instaurandæ regularis disciplinæ injecerat, rationes quoque ad id opportunas suggessit. Primum itaque in hoc sibi maxime incumbendum censuit, ut graviores monasterii abusus, qui partim temporum calamitate, partim Superiorum conniventia, partim humanæ fragilitate naturæ, in mores Religiosorum irrepserant opportune tolleret, et deformatam disciplinæ monasticæ faciem sensim pristino nitori restitueret. Arduum sane ac molestiæ plenum opus moliebatur, cui perficiendo parum ab ætate, recentissime suscepta dignitate, nec ita longo religiosæ conversationis spatio, accederet roboris atque auxilii : cum præsertim multorum mores, longa jam annorum quasi præscriptione corroborati, obsisterent. Quæ omnia, ceteraque ejusmodi, etsi præsentiret animo, nihilominus perstitit in proposito, confisus, Deum, qui hanc ei piam mentem dederat, auxilia efficacia subministraturum; provisurumque, ne junior ætas (quæ plerumque minorem habere consuevit auctoritatem) contemneretur, aut quidquam ad rem præclare cogitatam impedimenti afferret : eaque de caussa vitam, quam hactenus inculpatam et innocentem traduxerat, novis ac fervidioribus virtutum actionibus studuit exornare; ut fieret forma gregis, et præclarum religiosæ conversationis suis omnibus seipsum præberet exemplum : recte judicans, Abbatis apud subditos auctoritatem, non tam ab ætate, et annorum numero, quam ab exacta instituti observatione pendere.

Abusus inolitos tollere conatur.

27 His

Obsistunt quidam.

27 His etsi usus bonis artibus sollicitus ac providus Pastor, non potuit tamen ipsis statim principiis suos ad ea quæ vellet inducere. Cum enim natura ipsa proclivis sit in sua commoda, non facile flectuntur in meliorem partem assueta licentiæ ingenia. Unde non defuerunt qui ferrent iniquius, concessa sibi a tot annis liberioris vitæ solatia jam subtrahi : ab his enim quibus quis assueverit, vix potest sine magno sensu doloris avelli. Quare Blosium rogare singuli, ut se consuetis hactenus moribus deinceps quoque vivere sineret. Non parum hoc pii Patris mentem cruciabat; nec ideo tamen salubris consilii cogitationem abjecit, sub mole gemere potius, quam cedere paratus; et difficiliores exordiorum morulas, felicioris in posterum successus argumenta interpretans. Tolerat ergo fortiter quidquid contra objicitur, molestias omnes exsorbet, multa dissimulat, tempusque suis consiliis in effectum deducendis opportunum præstolatur; periti naucleri imitatus industriam, qui si ventos minus secundos nactus fuerit, non ideo ad iners otium et turpem quietem deflectit, neque etiam eo dirigit navigii cursum, quo vis illorum major impellit, sed ut tempestati obsecundet, vela obliquat, et qua licet, auras captat; fluctus etiam quos non potest frangere, eludit, ut, quo tendit, tandem aliquando perveniat. Sic sane Blosius nonnihil in suscepto reformationis negotio cunctandum ratus, dum se quorumdam contumacia frangeret; interim ingenii vela in obliquum tendit, et (quod in ejusmodi dubiis facere consueverat) divinæ bonitati supplex accidit, sinum mentis Deo pandit, supplicatque, ut quos suis tam justis monitis habeat minus obsequentes, emollire velit, inspirato melioris vitæ desiderio. Quod ut facilius obtineat, secretas et soli Deo notas ab oculis lacrymas elicit, voti sui testes. Ab his solatium quærit et auxilium. Has cum S. Bernardo arma sua quibus repugnantes suorum animos expugnet, nuncupat. Hæ sunt illæ lacrymæ, quibus ab ipso conflatum est *a* Speculum Monachorum : quod prudenti sane consilio jam tum meditabatur, et anno postquam in Abbatem inauguratus est octavo in lucem edidit, et germanis S. P. N. Benedicti filiis, Lætiensibus maxime, spectandum proposuit, suo dissimulato nomine, et Dacryani, quod Latine Lacrymatorem sonat, ad illa tempora peropportune assumpto.

Orat pro suis Blosius.

a

a *Hunc librum, sub* Dacryani *Abbatis fictitio nomine editum, genuinum* Blosii *fetum esse probant Lætienses solidis argumentis in Prolegom. editionis novæ ejus operum art.* 6, *uti et* Epistolam XII Documentorum.

CAPUT VIII.

Primordia disciplinæ restaurandæ impediuntur. Blosius, per belli Gallici tumultus, cum suis Athum fugere cogitur.

Aliqui consentiunt in reformationem.

Dum hunc in modum lacrymis et orationibus intentus, restaurandæ regulari disciplinæ invigilat Blosius, non alio fere quam bonæ voluntatis et pii conatus fructu, dici vix potest, quam graves animi molestias et internos conflictus, his primis a suscepto regimine annis, subditorum imperfectionibus tolerandis pertulerit : neque tamen arreptam semel propositi constantiam deposuit umquam, aut in eo persequendo factus segnior; quin potius ex objectis sibi difficultatibus, auctis generosæ mentis et divinæ caritatis igniculis, tota animi contentione in hoc unum operam industriamque convertit, ut media exquireret, quibus ad religiosioris disciplinæ puritatem amplectendam, reluctantem suorum voluntatem magis magisque impelleret. Accendebat illum impositi officii consideratio, et optimi Pastoris Christi voluntas, commendantis oves suas, ne deviantes a recto Religionis tramite negligeret. Vicit tandem patientia; et Dei benignitas, afflicti famuli sui sanctos conatus piasque lacrymas respiciens, quorumdam discipulorum animos ad subeundum sanctioris vitæ institutum inflexit. Incredibili sane voluptate Patris optimi mentem hæc divinæ bonitatis miseratio perfudit.

Auctore Monacho Benedictino.

Bellum inter Francos et Belgas anno 1537.

29 In spem igitur successus melioris erectus, cum suis jam ipse votis quasi præsentibus blandiens meliora sibi sponderet; ecce tumultus bellici sub annum Domini millesimum quingentesimum trigesimum septimum inter Carolum V, Cæsarem et Franciscum I, Francorum Regem exorti, incendii miserabilis fumos atque favillas in Belgii fines populabundis excursionibus intulerunt, et speratos jam reformationis progressus penitus abruperunt. Hæc ex antiquo sæpe deplorata Lætiensium calamitas est, *a* ut ad illos, in belli Gallici tumultibus, primus semper rumor timorque perveniat. Igitur turbulentis belli temporibus jam jam imminentibus, tantus Lætienses, et inter eos Abbatem Blosium, qui suis magis quam sibi timebat, metus invasit, ut plerique monasterio (aliquot ad ejus custodiam remanentibus) cederet, et quo cuique tutissimum visum esset, alii alio fugere et dilabi cogerentur. Blosii decessor Gippus domum unam Montibus Hannoniæ, alteram Athi, ad quas Lætienses bellorum periculis cœnobio pulsi perfugerent, a fundamentis olim exstruxerat. Ad hanc Athensem domum Blosius, ut suæ suorumque saluti ac monasterii incolumitati per absentiam consultum iret, una cum tribus aliis Lætiensibus monachis (quos melioris vitæ ardor accenderat) non quasi ad exilium, sed velut ad bonæ spei promontorium confugit. Sed quis in hac temporum calamitate non continuo irritos omnes pii Patris conatus censuisset? Ast hoc nimirum divina providentia gerebatur, ut et Blosii merita majus incrementum acciperent, et opportunitas ineundæ reformationis, ab omnibus Lætiensibus unanimiter amplectendæ, melior (ut sequentia declarabunt) pararetur. Deo enim solemne est, tunc maxime suorum favere sanctis conatibus, quando res omnino deploratæ videntur.

a

Lætiense refugium Athi et Montibus.

Athum secedit Blosius.

a *Quippe a finibus Francorum vix pauculis leucis distantes.*

CAPUT IX.

In domo Athensi rigidiorem disciplinam suis præcribere meditatur.

Fortuita Blosii ad Athensem domum fuga destinatum divinæ gratiæ asylum aperuit. Hic enim opportunitatem iterum captare constituit ejus, quam jam animo designarat, strictioris disciplinæ in monasterii mores introducendæ, ut, quod a plena Lætiensium Congregatione extorquere non potuerat, ut per reformationem collum suavi jugo Domini perfectius subderent, hoc cum tribus illis, quos secum abduxerat, et in suam traxerat sententiam unius moris in domo socios, velut novæ observationis prælusores, inchoaret. Sanctis hisce cogitationibus Numen divinum favere videbatur, cum semina, quæ Dux et Magister spiritualis sapientiæ Blosius jaciebat in trigeminis uno animo discipulis, radices agere, et novæ vitæ formam præ veteri adolescere animadverteret; redeuntibus etiam aliis quibusdam Fratribus, quos huc illuc fuga distraxerat, in ejusdem vitæ contubernium.

Reformationem inchoat cum paucis.

31 His felicibus principiis lætior factus Blosius, tranquillæ in Domino vitæ, et nullis deinceps belli tempestatibus perturbandæ gratia satius fore duxit, si relicta Lætiensi tam periculosa et inquieta per bella Gallica habitatione, et in Prioratum (qui paucorum sedes esset) conversa, monachos Lætiis Athum transferret, et ibi securum de novo monasterium exædificaret. Non intempestivum ipsi videbatur, ut delectu habito, quos suis nutibus minus obsequentes cerneret, illos in Prioratu novo Lætiensi, aliisque locis vivere suis moribus sineret : quos vero melioris vitæ amantes,

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

AUCTORE MONACHO BENEDICTINO.

tes, et ad normam exactioris disciplinæ flexibiles experiretur, eos intra Athensis monasterii nova septa sub sua cura et tutela reclusos, novis etiam cælestis vitæ præceptis informaret. Sic nimirum quos semel sacro suo igne Spiritus sanctus afflaverit, numquam ipsi sibi faciunt satis, donec ad ea pervenerint quæ in eo vitæ genere, quod sibi proposuerint, putantur esse summa. Hoc spiritu animatus Blosius, et ardentissimo pectoris sui æstu aliorum vires metiens, apud animum suum statuit exactam S. Benedicti Regulam in toto rigore suo sibi suisque in hac domo Athensi ad amussim servandam indicere, abjectis atque repudiatis omnibus omnino dispensationibus atque relaxationibus, quas in illum usque diem adversus ejus observantiam, vel subditorum consuetudo, vel blanda Superiorum indulgentia, invexerat. Et sicut cum tribus illis optimæ voluntatis Religiosis in Athensi domo, periculi faciendi gratia, arctissimam Regulæ observantiam auspicatus fuerat, ita cum reliquis ad novum monasterium accessuris deinceps vivere decrevit. Quippe nihil ei ita arduum videbatur, quod non se perficere posse, Deo auctore, speraret. Hæc prima et certissima fuerunt venerabilis Abbatis Blosii consilia, vivere nimirum ad nudæ Regulæ præscriptum : quod iis, quos eadem, quæ ipsum, ardoris flamma accenderet, non difficile fore arbitrabatur. Quæ sine dubio etiam suis omnibus posteris observanda præscripsisset, nisi contrarium ab ipso Cæsare Carolo V consilium, et alia, ut sequentia capita declarabunt, obstacula intervenissent.

Hic cum suis, relictis Lætiis; ad nudæ regulæ præscriptum vivere cogitat.

CAPUT X.

Obsistit rigidiori disciplinæ monachorum quorumdam tergiversatio, et æmulorum invidia.

Constat tam veterum quam recentiorum historiarum monumentis, neminem fuisse umquam res præclaras ad Dei gloriam et animarum salutem aggressum, quin repente vel humanæ mentis socordia, vel perversa æmulorum invidia oblatrarit. Testis est S. P. N. Benedictus, quem in Occidentis oras cogitantem nova Religiosæ vitæ Statuta invehere, in ipsis principiis non sæculares modo, verum etiam in Ecclesiastica dignitate constituti tum Sacerdotes tum monachi, invidiose dictis factisque, etiam veneno propinato, persecuti sunt. Quare mirum videre nôn debet, si magnus S. Benedicti discipulus et imitator Blosius, eamdem cum illo repugnantiæ et invidiæ aleam, sub ipsa statim strictæ observantiæ Benedictinæ in mores introducendæ exordia, subierit. Visus enim quibusdam suorum nimius is vitæ rigor, et quam capesseret austeritas, humanis viribus, maxime posterioribus hisce sæculis, parum accommodata; iis præsertim, qui laxirioribus jam moribus assuevissent. Taceo aliorum quorumdam, qui post tumultus bellicos Lætias se receperant, voces ex dolore natas : hi libertatem honestam in turpem servitutem verti, illi solatia corporis a monasterio ablegari, quidam inveteratam per tempus immemorabile laxamentorum consuetudinem, per exactam Regulæ observantiam jam abrogari, alii alia dictitabant, quæ facilius cogitantur quam scribuntur.

Monachi obmurmurant.

33 Invidit etiam sanctis hisce primordiis cacodæmon, qui ut olim adversus S. P. N. Benedicti fausta principia malignum quemdam Sacerdotem Florentium excitaverat; ita etiam contra Blosii pietatem, audaculum nescio quem Religiosæ cujusdam familiæ alumnum (Ordinis nomen de industria reticendum judico) suscitavit, qui in publicis ad populum concionibus adversus sanctam hanc vitæ rationem rabiem suam bilemque effudit, Blosium ipsum Blosiique filios clara voce novitatis aucupes, hypocritas, ambitiosos, rigidæ austeritatis ostentatores, aliaque velut e plaustro triviali convicia, e suggestu sacro projecit. Siluit quidem ad hæc dicteria, patienterque tulit hominis proterviam verus S. Benedicti æmulator Blosius : sed non tulerunt levissimam concionatoris, vel conviciatoris potius, dementiam gravissimi et prudentissimi auditores quidam, qui ad Superiorem Ordinis detulerunt, ut famosam concionem revocare, palinodiam cantare, et pœnam ob atrocissimæ injuriæ noxam pendere eum juberent. Ita factum : et punitus quidem ille fuit, sed non emendatus, neque ab invidia discessit; quin ipsa pœna factus improbior, vindictam addere decrevit. Blosium enim et socios, quos palam lædere non poterat, aut non audebat, persequi clanculum decrevit; et injurias, quas nullas acceperat, ulciscendi furore inflammatus, nocte intempesta tubos et canales Blosianæ domus perfringendos curavit : ut quos deinceps prohibebatur linguæ petulantia lacessere, eos quoad posset rerum temporalium damnis afficeret. Et hæc quidem pii Patris Blosii, qui similia machinamenta maligni dæmonis arte et instigatione fieri non ignorabat, animum a suscepto semel proposito, tantum abest ut deterruerint, ut potius ad speranda meliora excitarint.

Quidam alius publice eum carpit.

Alia ejus domui damna infert.

CAPUT XI.

Atho Lætias Imperatoris Caroli V, jussu revertitur, et de mitiori vitæ ratione suis præscribenda cogitat.

Exultabat in spiritu Blosius, variis licet contradictionum procellis agitatus, quod aliquos saltem e suis haberet suæ voluntatis et consilii in hac vivendi rigida ratione, ex integro Regulæ Benedictinæ præscripto, sectatores; et sperabat eorum numerum cum boni Dei auxilio paullatim auctum iri. Verum dum hæc in domo Athensi aguntur, et positis fundamentis ejus disciplinæ, quam ibidem pius Abbas instituere cogitabat, jam in opus aliquousque progressus esset; Monachi qui in Lætiensi monasterio remanserant, vel eo etiam tranquilliore tum Republica, et defervescente bellorum æstu, se suaque retulerant, veriti ne si diutius Athi Blosius subsisteret, sua fortassis vecordia domus Lætiensis in posterum fieret desertior, felicibus Abbatis sui auspiciis aperta fronte obstiterunt. Positi namque inter duo extrema, hinc apud se Lætiis disciplinæ solutæ laxam licentiam videbant, atque ex eo monasterii antiqui ruinam exitiumque timebant; inde vero si Athi apud Abbatem suum tantum pondus strictioris vitæ, quantum ex illis principiis conjicere poterant, in humeros attollerent; ob nimiam austeritatem, perseverandi desperationem præsagiebant. Eam ob rem, medium consilium viamque quæsiverunt, et invenerunt. Per supplicem libellum a Carolo Cæsare impetraverunt, ut ad Lætiensem habitationem ex Athensi perfugio Blosius cum suis postliminio redire juberetur : promissione interim facta, si de inchoatæ Athi disciplinæ rigore nonnihil remittere, et ad moderatam aliquam vivendi normam reducere velit, se in ejus fore potestate; paratosque, ad legum suarum præscriptum in posteros usque durabile, vitam moresque componere.

Rogatu suorum jubetur a Cæsare redire Lætias.

35 Ad inexpectatum hoc Cæsaris mandatum obstupescere Blosius, et nonnihil primum commoveri, dolereque, si tam fausta melioris vitæ primordia tam cito in fumos et ventos abirent : paullisper deinde hærere, nec satis secum ipse statuere, præstaretne angustum, quem jam cœperat, callem insistere; an vero, quo plures sibi ad eamdem vitæ societatem adjungeret, a severiore instituto aliquantulum deflectere; neque enim rationum argumenta et momenta deerant, quæ in utramvis partem inclinarent. Re igitur et secum et cum Deo communicata, satius et e Dei honore magis fore tandem credidit, si et suorum qui Lætiis remanserant voto, et Imperatoris mandato

(quod

(quod excutere difficulter poterat) morem gerens Atho Lætias cum suis reverteretur, facturus deinde quod optimum ad Dei gloriam et ad Fratrum suorum salutem judicaret. Nihil autem alicujus momenti inchoare solebat, nihil movere, nisi advocata e cælo Dei Sapientia. Et quamvis id taceremus, pientissimæ tamen illæ et ferventissimæ orationes in hunc finem ab eo compositæ, quæ in libris Blosianis passim extant, abunde hoc testantur. Certo præterea sibi persuadebat verus humilitatis amator, humanam sapientiam pendere a divina, et os Domini per os hominum loqui, et oracula pandere. Quocirca ne sua solius consilia secutus in hac vitæ mitioris introducendæ cogitatione id quod minus pium esset, eligeret, aut amisa divinæ providentiæ Cynosura in brevia et syrtes abriperetur imprudens; divina atque humana prudentia, quasi duabus anchoris sese firmandum censuit, oratione, dico, et aliorum consilio; suosque Lætienses certos reddidit, quandoquidem eos, Deo auctore, laxiorem jam antiquæ licentiæ tramitem deserere paratos reperiret, se quoque procul dubio aliquid de inchoato illo severioris vitæ genere remissurum, si viri graves, qui doctrinæ virtutisque præstantia conspicui essent, et arcanorum Spiritus sancti mysteriorum periti, postquam ad eos de tota re esset relatum, ita faciendum in Domino judicarent. Hæc benigna pii Patris promissio Lætienses, austerioris illius vitæ rigore prius deterritos, vehementer recreavit.

De reformatione mitiori Deum, et viros prudentes consulit.

CAPUT XII.

Sapientium virorum consilio, et aliarum Congregationum exemplo, moderatam vivendi rationem assumit.

Lætias ergo revertitur Blosius: ac fusis primum ferventissimis ad Deum precibus, cum deinde super tanti ponderis negotio non paucos et doctrina et pietate insignes viros in consilium adhibuisset, atque ab eorum tandem suffragio retulisset, nullum violentum perpetuum esse, moderata plus in posterum firmitatis promittere, generosis animis non semper corporis vires respondere, adeoque videri majorem suorum (quorum commodis et saluti maxime studere deberet) quam sui fervoris rationem habendam esse, aliaque ad moderationem persuadendam idonea: hæc ita accepit vir in Dei placitum resignatus, atque si ab ipsomet Deo pronuntiata essent: et in eam tandem sententiam se deduci passus est, ut suum illud strictioris vitæ desiderium secundum exactum Regulæ Benedictinæ præscriptum, quo alioqui maximopere tenebatur, carissimorum filiorum suorum in mediocria propendentium votis postponendum putaret. Neque enim timendum esse aliquod erroris periculum in disciplinæ mitioris proposito capessendo, quod sapientibus et piis viris approbantibus, imo et ipso Deo auctore susceptum videretur.

Virorum Sapientum consilio, Regulæ rigorem temperat.

37 Quo factum, ut præcipuum Regulæ S. P. N. Benedicti in corporis afflictatione rigorem aliis relinquens qui majori austeritati se pares crederent, moderatum ipse vivendi modum suis Lætiensibus præscriberet. Et vero non desunt testimonia, quibus probemus non minorem hac in re apud homines laudem, quam meritum apud Deum, consecutum esse Blosium. Sunt enim qui meminerunt, eum a Reverendissimis Episcopis aliisque prudentibus viris collaudatum fuisse, quod alienæ prudentiæ magis quam suæ innitendo, impetum spiritus sui, ad districtum disciplinæ rigorem impellentis, alieno consilio revocari, et ad durabiliorem temperatæ vitæ rationem reduci passus sit; remque eo consilio præstitisse cum Deo ipsi magis honorificam, tum sibi suisque magis salutarem, quod plus rationi quam fervori indulsisset. Porro non est necesse commemorare quam plurima exempla, tum eorum, qui cum summum rigorem professi essent, moderationem aliquam adhibendam, communi Ordinis judicio, ipsa etiam approbante Sede Apostolica, censuerunt; tum eorum, qui ab ipso sui exordio moderatius vitæ institutum sibi, cum magna orbis Christiani approbatione, delegerunt. Sentiebant nimirum præstare, ut aliquid potius imbecillitati humanæ concederetur, quam exiguo post tempore non sine suo dolore cernere plurimos, qui difficultate victi labori succumberent: omnes enim rigida illa vitæ instituta suspicere et admirari, non multos suscipere; plures æmulari, paucos imitari posse. Satius ergo esse eam vivendi normam proponere, cui nemo se subducere possit: cum alioqui rigida et austera vivendi instituta, quando relaxari incipiunt, in dissolutionem non raro convertantur. Hanc Blosio mentem fuisse in suis Statutis condendis, nemo prudens dubitare poterit.

Moderatus rigor durabilior.

38 Ceterum Statuta hæc Blosiana, ac præclaram quæ ab iis existit in Lætiensi cœnobio disciplinam, tum alii dignitate et prudentia conspicui, tum præsertim Maximilianus a Bergis Illustrissimus Cameracensis Archiepiscopus commendavit, Epistola hac triennio fere ab obitu Blosii scripta, post peractam ejusdem cœnobii visitationem:

Statuta Blosiana laudata ab Archiep. Cameracensi.

Auctore Monacho Benedictino.

Maximilianus a Bergis, Dei et Apostolicæ Sedis gratia Archiepiscopus et Dux Cameracensis, Comes Cameracesii, Sacri Romani Imperii Princeps, etc. Reverendo in Christo Patri Domino Abbati, Priori, et reliquis Religiosis Lætiensis Monasterii, nobis immediate subjecti, Ordinis S. Benedicti, Salutem in Domino. Quamquam compertum habeamus, disciplinam omnem monasticam jam dudum apud vos in eum constitutam ordinem esse, labore, studio, et vigilantia felicis recordationis D. Ludovici Blosii, ultimo defuncti Abbatis vestri cum primis religiosissimi atque devotissimi, ut non immerito vestræ Congregationis bonus odor late penetret, ac longe diffundatur, cum propter prædicti Domini insignem pietatem, tum vero etiam propter laudabilem ejus imitationem, quam retinetis; ut isthinc etiam reformandæ Religionis rationes sumpserint viri quam plurimi, iique judicio non vulgari; noluimus tamen, etiamsi nihil apud vos corrigendum arbitraremur, visitationem facientes nostræ diœcesis, vos prætergredi; sed præsentem nacti opportunitatem, inter Abbatiales Ecclesias hanc primum aggressi sumus, completa visitatione nostræ civitatis Cameracensis, ut ex illa in alias aliquid reportemus melioris ordinis, institutionis, observationisque Monasticæ, ut benemeritis laudibus prosequamur virtutem vestram: utque si non alia, saltem ea vobis tradamus observanda decreta, Pauli Apostoli exemplo, quæ instituta atque ordinata sunt a Patribus. Deinde post pauca de Concilii Tridentini Decretis, quæ huc non pertinent, prosequitur: Monemus et obsecramus in Domino nostro Jesu Christo, ut qua fieri potest diligentia advigiletur ab omnibus, sed maxime a Superioribus, a quibus horum exigetur ratio, ne disciplina regularis ab illo suo laudabili gradu, ulla ratione in vobis declinet aut deficiat; quæ ut hactenus servata honori fuit et laudi, et cetera, quibus Lætienses ad Statutorum Blosianorum diligentem observantiam exstimulat.

CAPUT

Auctore Monacho Benedictino.

CAPUT XIII.

Præparandis suorum ad reformationem animis, a se conscriptum Speculum Monachorum sub Dacryani nomine legendum proponit.

In eam igitur sententiam, piorum et eruditorum virorum consilio adductus Blosius, ut temperatum vivendi modum, relicto regidiori, assumeret; eam tandem, quam per novem circiter primos Prælaturæ suæ annos regularis disciplinæ restaurationem varie multumque apud se meditatus fuerat, totque lacrymis ac votis expetierat, aggressus est. Principio vero illam vivendi rationem, quam animo jam conceperat, in aliquam formam et ordinem per Statuta scripto redigi oportere existimavit: tum ut res durabilior esset, tum ut majori cum prudentiæ pondere ac judicii maturitate conficeretur. In quod non minus præclarum quam laboriosum opus dum diligenter incumbit, prius tamen quam illa ipsa Statuta perficeret, aut suis Monachis observanda traderet; salubri prorsus et sapienti consilio, Speculum Monachorum Dacryani, jam a se, Lætiensibus minime consciis; conscriptum, et eo ipso tempore opportune typis excusum, in loco, ut vocant, Capitulari quotidie prælegendum curavit. Quod quam provide ab eo excogitatum fuerit, rei exitus comprobavit. In hoc enim suo Dacryano, neglectam tunc et pæne collapsam in suo monasterio et alibi priscæ asceseos disciplinam, multis deplorat pius Lacrymator. Illum certe quisquis diligenter evolverit, clare velut in speculo Blosianæ mentis intuebitur; quam ardentibus vir ille desideriis æstuaret regularis observantiæ, qua parte collapsa videri poterat, in pristinum vigorem restaurandæ.

Speculum monachorum scribit, et legi curat.

40 Quia vero in isto Speculo, velut in reformationis præludio, præviam quodammodo languentibus Fratrum suorum animis medicinam exhibebat; scite atque prudenter, ut facilius in eorum animos velut ignotus sese insinuaret, sub alieno sed specioso Dacryani venerandæ quasi antiquitatis nomine, salutis monita propinavit. Hoc enim Religiosis viris non parum a prisca disciplina digressis propositum Opusculum, velut Speculum mentibus deturpatis fuit, ex quo suos ipsæ nævos conspicerent, et conspectos mundarent, et ægris velut antidotum, per quod restaurationis desiderio magis ac magis inardescerent, atque ad eam amplectendam efficacius disponerentur. Hæc autem si suo nomine Lætiensibus legenda in regulari Capitulo præscripsisset, aut omnino ab illis neglecta fuissent, aut certe non ita profunde affectibus eorum insinuata adhæsissent. Ceterum si quis aureum illum libellum attente perlegerit, fateri cogetur, cælestibus omnino clarismatibus affluere debuisse pectus illud, ex quo tanta devotionis dulcedo profluebat. Si quidem quæ ibi de cujusdam Fratris anonymi profectu humiliter, sed valde asseveranter, mysticus iste Dacryanus narrat, de ipsomet Blosio accipienda esse, constans est Lætiensium assertio.

Cur ei Dacryani nomen præfixerit.

CAPUT XIV.

Confirmatum a Paulo III, temperatum vivendi modum quibus considerationibus induxerit.

Satis superque jam Lætienses mentis suæ nævos in illo Dacryani Speculo conspexerant, et ad eos mundandos apprime ferebantur, cum Blosius in omnem suorum posteritatem conservanda Statuta perpolivit, et diu cogitatæ atque in animo delineatæ restaurationis fundamenta jecit. Quæ deinde Religiosis suis volentibus ac lubentibus (paucis admodum, quibus necdum antiquæ consuetudines plane displicebant, exceptis) anno Domini MDXXXIX, promulgavit, et ab illis per posteros in hanc usque diem (Dei gratia juvante, et Prælatorum vigilantia) sanctissime observanda curavit. Deinceps, cum per sex circiter annos magno spiritus gaudio ac fructu horum Statutorum observantia apud Lætienses in mores inducta et recepta fuisset: Paulus III, Pontifex Maximus novum illum vivendi modum juxta Regulam S. Benedicti per Statuta Blosiana temperatam, sexto Idus Aprilis, anno quinto et quadragesimo post sesquimillesimum, per Bullam ad hoc plenissime datam et consignatam, Apostolicæ Sedis auctoritate approbavit confirmavitque.

Statuta sua condit, et promulgat.

Confirmantur a Paulo III.

42 Ceterum præter rationes jam ante allatas, quibus, ut Regulam S. Benedicti per Statuta sua temperaret, adductus fuit Blosius, considerationes ei aliæ non defuere. Animadvertebat enim vir divinus, formam illam Statutorum ad majorem Dei gloriam et uberiorem Lætiensium utilitatem fore, quæ, remisso nonnihil externo Regulæ Benedictinæ rigore, illis olim temporibus et regionibus per commodo, ita temperaretur in externis potissimum laboribus, ut cum non abhorreret a communibus pietatis exercitiis, ob accommodam illam rigoris moderationem durabilior esset, nec dispensationibus quærendis obnoxia. Imo quo plus animo excolendo, quam corpori frangendo, operæ poneret; eo etiam accuratam in celebrandis divinis Officiis diligentiam, tantopere a S. P. N. Benedicto commendatam, et ab ipso Blosio Lætiensibus præceptam (cum veluti anima Religionis sit) minus aut impediret aut retardaret. Has autem pias considerationes pro temperatæ reformationis forma et utilitate habuisse Blosium, nulli poterit esse dubium, qui ipsummet pro se loquentem audire voluerit. Illas enim uti a Spiritu sancto acceperat, ita et in schedam manu sua prudenter retulit. Audiat ergo eum benignus Lector, et pro se modeste, et pro suorum Statutorum introductione nervose disserentem in hunc modum:

Cur per ea externum rigorem temperarit.

43 Quam facilis et a rigida austeritate alienus sit noster vivendi modus, patet ex Statutis nostris, et ex Bulla Pauli Papæ III, qui eumdem vivendi modum ex certa scientia approbavit confirmavitque. Hæc autem vivendi ratio, et mitissima reformatio, ideo istis temporibus recepta atque introducta est, ut transgressiones melius vitentur, et Religionis integritas majori cum promptitudine animi ab omnibus Fratribus servetur, commodiusque perduret; dum scilicet necesse non est aperire januam crebris relaxationibus, et declinare ab institutis susceptis. Sane qui a Deo trahuntur, et quibus Deus dat fortitudinem, possunt convenienter apud nos moderatam austeritatem amplecti, et abstinentiam sectari: velut si quis, dum Fratres bis in die reficiunt, parce admodum ad honorem Dei cœnet; aut alioqui a multis, quæ sensualitas inordinate appetit, abstineat, et exercitia aliquantulum rigida propter Deum assumat. Qui inter nos invenit se alacriorem ad serviendum Deo, dum manducat, potest continenter manducare, si ex Instituto manducare licet. Rursum qui invenit se paratiorem ad spiritualia dum non manducat, potest non manducare. Sive illud, sive istud fiat, si pure ad honorem Dei fit, Deo gratum est. Igitur cœnobiticus noster vivendi modus non idcirco contemni debet, quod sit mitis ac facilis; maxime cum vera sanctitas et perfectio non proprie consistat in magna vitæ austeritate, sed in vera mortificatione et resignatione sui, in vera humilitate et caritate, cordisque munditia. Alias beatissima Virgo Maria Mater Dei non fuisset perfecta, quæ nusquam legitur tenuisse exterius singularem vitæ austeritatem, sicut S. Joannes Baptista tenuit. Profecto, qui pia corda habent, et pro sua salute attenti diligentesque esse volunt, possunt etiam apud nos commodissime proficere in sanctis virtutibus, et placere Deo: ubi scilicet innumeris malorum occasionibus præcisis, devotissimæ lectiones quotidie recitantur.

Rationem suæ mitigationis reddit.

Non in austeritate sita est perfectio.

Nam

Nam qui gerunt corda sæcularia, dura, superba, ac perversa, ubique occasionibus bene vivendi abuntur; et sive in miti, sive in severo sint Ordine, salutem suam misere negligunt, etc.

44 Hactenus pro se et pro suis Statutis Blosius. Ubi observandum est, alia ibidem addi a Blosio, quibus vetat, et quidem gravissimis verbis, ne quisquam successorum, per quamcumque speciem aut caussam, in ista, quam tradidit, vitæ ratione quidquam immutet, eo quod crederet nihil in ea inveniri adeo difficile, quod vel delicatissimus quisque obire non posset. Producit deinde insignem religiosæ vitæ pædagogum Florentium Carthusianum (qui aureos libellos de Institutione vitæ Christianæ scripsit) ex quo pauca jam dictis suis considerationibus plane conformia desumit, quibus et eamdem schedam suam obsignat. Unde (inquit in eadem scheda Blosius) in 28. Cap. 4 lib. Institutionis vitæ Christianæ legimus hæc verba :

Vetat quidquam in Statutis mutari.

45 Pro certo habeas, statum tuum, in quacumque Religiosa ac laudabili societate approbati Canonis positus sis (ubi tria Religionis vota substantialia, puta Obedientiæ, Castitatis, et Paupertatis servantur) æque a Deo institutum, Deoque gratum esse, ut quemlibet alium Ordinem monasticum, quantumvis ille severior ac perfectior habeatur; poterisque in eo non minus placitam, aut fortasse gratiorem Deo vitam vivere, quam in alio multo asperiori : atque ita ex consequenti, poteris etiam majorem (si tamen ipse veles) parare tibi cumulum meritorum vitæque perfectionem, quam alius in quamlibet rigido vitæ instituto. Fieri plane potest, uti et fit ut in remissiore aliquo vitæ monasticæ genere et Ordine homines interim sanctiores perfectioresque inveniantur, quam in sublimi ac valde aspero.

Florentii Carthusiani judicium de moderando rigore.

46 Et 24 capite ejusdem libri (prosequitur Blosius) verba ista habentur : Tibi persuadeas, cunctos Ordines monasticos non nisi unum esse Ordinem, quod ad scopum, essentiam, et rem ipsam attinet; quando quidem omnes ex Deo profecti sunt, atque ad exemplum Vitæ Christi et Discipulorum ejus instituti accommodatique. Dubium non est, quin ex Dei gratia, in mitiori vitæ monasticæ genere, non modo æque perfecte et sancte obsequi et placere Deo queas, quam in alio aspero valde; verum etiam gratiorem (si velis) Deo impendere famulatum, et sanctior perfectiorque fieri, ac majora tibi merita conflare possis. Et revera (quæ hisce temporibus humanæ ut plurimum naturæ debilitas est) tutius fortasse fuerit, in mitiori vivere Ordine, quam plus satis severo ac intolerabili. Et concludit Blosius : Hæc ibi. Quæ quidem (inquit) verba, cum a viro illuminatissimo Deoque conjunctissimo scripta sint (ut prudenti Lectori clarissime liquet) non debent ab aliquo parvipendi.

Tutius aliquando vivitur in mitiori Ordine quam severo.

47 Habes igitur, benigne Lector, pias pii Blosii considerationes in quibus non modo posterioris ævi viros ascetica pietate illustres (ex quibus ille Florentius tam eleganter pro Blosiana moderatione locutus est auctores fautoresque habuit, sed etiam priscorum exempla ac monita secutus est. Namque *a* S. Pachomius tot millium monachorum Pater ac Legislator, cum Statuta commentando rationes cum Deo in oratione poneret, Angelica manu, velut alter mitissimus Moyses in deserto, tabulas Regularum cælitus accepit, in quibus illa leguntur Blosianis considerationibus quam simillima. Illis enim verbis Angelus Domini de præceptis dandis præcepta dat Pachomio, sicut Spiritum sanctum Blosio dedisse confidimus : Singulis (inquit Angelus) juxta vires suas edere concedas et bibere, et pro modo vescentium laborare compellas; et neque comedere modeste, neque jejunare prohibeas. Validioribus quidem et comedentibus validiora opera, leviora vero infirmioribus et abstinentibus imponas. Cum vero de numero duodenario diurnarum, vespertinarum, nocturnarumque orationum, tamquam perexiguo et facili nimium ac molli levique onere Tabennensibus suis imposito, apud Angelum dictatorem suum, fervens magnis ardoribus, queri videretur Pachomius; ita respondit Angelus, ut videatur pro Blosianis Statutis præfari : Has constitui, inquit, quas possent infirmiores absque labore perficere. Ceterum qui perfecti sunt, hac lege non indigent. Apud se namque in propriis constituti cellulis orare non desinunt, qui puritate mentis et divina contemplatione pascuntur. Quid conformius aut accommodatius cælestis ille genius ad Blosianæ mentis considerationes effari potuisset?

a Regula S. Pachomii valde moderata.

a *De* S. Pachomio, *ejusque regula, agemus* XIV *Maii.*

CAPUT XV.

Exemplo suis prælucet.

Quod Timotheo suo, ceterisque Præsidibus animarum ac Pastoribus inculcat Apostolus, uti inter oves suas non annorum multitudine, sed virtutum magnitudine commendari studeant, id a Blosio, canitie potius morum quam annorum venerando, observatum in ista sua vitæ monasticæ restauratione animadvertimus. Exemplum esto fidelium in verbo, in conversatione, in caritate, in fide, in castitate. Proinde exemplum vitæ, doctrinæ verbo addidit; brevissimum iter ad perfectionem discipulorum existimans, si præiret vita docentis. Quoniam illa demum eloquentia consensum extorquet auditoribus, ubi manus Oratoris a lingua non discrepat. Nihil autem Blosius omnino dicendo docendoque monstravit, cujus ipse in moribus suis ac vita non expresserit vivum exemplar. Neque enim (quod de sanctissimo Patriarcha nostro Benedicto Magnus affirmabat Gregorius) potuit aliter docere quam vixit. Igitur in primis sicut aquila provocans ad volandum pullos suos, et super eos volitans, ad cælum solemque ascendere, et alas ad volatum sublimiorem concutere exemplo suo docet; ita Blosius dum ad cælestum vitam filios suos sublevari vehementer exoptat, ad delicias divinas in spiritualibus exercitationibus captandas, et ad vires animi pro futura restauratione colligendas, prior ipse in sublime conspicuo virtutum omnium provolavit exemplo. Nempe boni Pastoris instar, non pedo tantum oves suas et potestate urgebat, sed pedibus et exemplo præibat, quibus præerat. Statuta universim sua rigidissime ante alios ipse observabat : ad Officia divina, ad communem refectionem, ad omnem denique solemnem Conventus actionem, non tam accedebat quam præcedebat, quantum per occupationes, ægritudines, hospitumve illustriorum interpellationes, licebat. Ejusdem virtutis fuit, obitis matura jam ætate S. Ignatii Fundatoris Societatis Jesu spiritualibus exercitiis, suos ad rerum divinarum amorem, eademque pietatis munera frequentanda, exemplo provocasse; uti latius Cap. XVII commemorabitur.

1. Tim. 4. 12.

Quod præscribit, prior facit Blosius.

Li. 2. Dialog. c. 36.

Ad omnes communes actiones primus.

49 Ea vero consuetudo Blosii Abbatis ad Statutorum observationem præeundi suis, ad posteros ab eo ducta in hanc usque diem manavit. Ut enim in Blosio, ita mos invaluit in successoribus, exemplo subditos ad Religiosæ vitæ studium animandi. Neque lucerna hæc Blosianæ reformationis super candelabrum posita, Lætiensibus tantum et domesticis, sed externis etiam ac remotioribus præluxit. Voluit enim gloriosæ memoriæ Carolus V, Cæsar Maximus juxta ac Pientissimus, Blosii præ ceteris opera uti in reformandis nonnullis per Belgium Ordinis nostri Monasteriis; in quibus optimo successu, qua prudentia, qua morum suavitate, qua salutaribus monitis, Regularis disciplinæ observantiam restituit Blosius.

Successores eum imitati.

Alia monasteria reformat Blosius.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

AUCTORE MONACHO BENEDICTINO.

CAPUT XIV.

Sacræ Lectionis frequentatio.

Ad pietatem animis inserendam, nutriendam, augendam, duas res maximi momenti esse censebat Blosius, Lectionem videlicet spiritualium librorum, qua Deus nobis loquitur, et Orationem, qua nos Deo familiari sermone conjungimur. In lectione principem locum dabat Scripturis sacris, quod passim ejus monimenta testantur, ut illud D. Hieronymi de Nepotiano elogium non minus vere de Blosio usurpari possit, quod lectione assidua et meditatione diuturna pectus suum bibliothecam fecerat Christi. Scripturis succedebat assidua sanctorum Patrum lectio, Gregorii præsertim et Augustini. Neque minus ei familiares erant illi Theologiæ mysticæ coryphæi, Thaulerus, Suso, Rusbrochius, ut quivis vel levissime versatus in Blosio facile videt. Denique suavissime sapiebant ei cælestes illæ deliciæ, quibus sanctarum quarumdam mulierum Opera perfusa sunt : Gertrudis inprimis, et Catharinæ Senensis, et Mechtildis et Brigittæ. In quibus evolvendis tanta fuit ejus et tam avida diligentia, ut de eo Tilmannus Bredenbachius S. Theologiæ Doctor in Epistola nuncupatoria ad Insinuationes divinæ pietatis S. Gertrudis a se editas anno MDLXXIX, ita scribat : Unde et factum, quod doctissimus et pientissimus Abbas Ludovicus Blosius, mihi olim familiariter notus, duodecies in anno libros hosce æstuantissimo affectu evolverit, sicut ex intimi cujusdam ejus relatione cognovi. Idem testatur vir religiosissimus Joannes de Castanniza Ordinis nostri in Hispaniis Abbas in suo ad easdem Revelationes Prologo.

Legit diligenter Scripturas, SS. Patres, mysticos scriptores.

Duodecies quotannis Insinuationes S. Gertrudis evolvit.

51 Quam vero Lectionem spiritualem ipse crebro et jucunde usurpabat. Lætiensibus suis serio commendavit; et præter privatam pro cujusque pio affectu usurpari solitam, tribus maxime temporibus frequentandam publice, et suis præcepit, et ipse accurate observavit. Primo, ut ad mensam toto tempore quo Religiosi corpus cibo reficiunt, spirituale Lectionis alimentum animæ præbeatur. Quam publicam Lectionem tanti faciebat, ut illius gratia quantum per hospites licebat, refectorio communi maxime recrearetur. Quoties enim ea non erat hospitum dignitas, aut cognationis affinitas, ut ipse cum iis accumbere cogeretur; illos Œconomo Religioso humaniter ac perbenevole tractandos commendabat, ipse vero ad desideratam Religiosæ mensæ lectionem sese conferebat. Quamquam et ad hospitalem Abbatis mensam, ex devoto et ad captum hospitum utili nec injucundo libello, per certum aliquod spatium, legi jubebat. Sed illam videlicet Conventualem (quam vocant) Lectionem, ut sibi magis propriam, avidius appetebat. Secundo, ut priusquam a meridie in commune colloquium ad honestam animi relaxationem Religiosi prodeant; ad locum Capitularem convocatis per semihoram devoti et spiritualis Auctoris liber prælegatur, unde hauriant quod mox in sanctis et religiosis inter se sermonibus effundere possint. Tertio denique, ut per quartam horæ partem omnibus ad Oratorium convenientibus, antequam Completorium inchoetur, in fine diei pia ac devota de vita et collationibus Sanctorum lectio præmittatur.

Lectionem piam suis inculcat, et præscribit ter quotidie.

52 Pro qua spirituali lectura ad usum fructumque pietatis adsciscenda facit, quod Blosius mandavit, ne in communi aut privata bibliotheca fas sit librum ullum reperiri, a quo Fratrum sincera pietas possit ad noxiam aliquam aut sæcularem vanamque curiositatem detorqueri. Illud etiam cavit, ne in Lectione spirituali fucata verborum vanitas, sed solida animi pietas quæratur; idque aureis hisce verbis commonefecit : Porro ipsos Fratres monemus, ne verborum elegantiam in negotio spirituali intempestive requirant : non quod damnemus sermonis ornatum, sed quod improbemus monachorum quorumdam perversum judicium, quibus nihil sapit, nihil arridet, nisi quod eleganter dictum est. Et mox cum docuisset, per Scripturas verbis simplices, et doctrinas humiles, internæ vitæ profectum acquirendum; ista subdit : Ab eis tanto longius Spiritus sanctus recedit, quanto ipsi ab innocenti simplicitate veraque humilitate magis sunt alieni. Oportet verum monachum sic esse affectum, ut nihil scire desideret, nihil se scire existimet, nisi Jesum Christum, et hunc crucifixum. Quod si alia scire desiderat et laborat, ad hoc tantum desiderare debet, ut in scientia Jesu Christi sanctaque pietate magis proficiat.

Libros vanos et curiosos suis prohibet.

CAPUT XVII.

Oratio, et ex ea profecti Ascetici libelli.

Post sacram Lectionem, altera est pietatis nutrix, devota Oratio. Utramque Blosius ardenter amavit, utramque dulcissimo affectu complexus est : quem vel ideo beatum Abbatem nominare possumus, æque atque ipse beatos Monachos appellat, qui lectioni et orationi dediti sunt, suis illis Statutorum verbis : Beati sunt Monachi illi, qui in sacræ lectionis et piarum precum exercitiis sanctas suas recreationes et delicias constituunt, eoque pacto suum solantur exilium, quousque hinc evocati percipiant ea quæ Deus illic præparavit diligentibus se.

Ejus de oratione judicium.

54 Beatissimus sane suo ipsius calculo renuntiatur Blosius, qui in sacra lectione et piis precibus sanctas suas recreationes et delicias constituebat. Ad Jesum dilectum votorum suorum facillime et libentissime longo pietatis usu a quibusvis occupationibus subito se revocabat, et cum eo in suavissimis complexibus deliciabatur. Hic ardebat, hic æstuabat, hic se recreabat : hinc et suas jaculatorias orationes, et libellos pios, internæ fornacis velut scintillas, emittebat. In oculis enim et manibus omnium sunt evulgati ab ipso libelli : quorum nonnullos appello, qui id luculente testantur. Quid enim est aliud vox Græca Psychagogia, quam Animæ recreatio? quæ meris deliciis ex cælestis paradisi gaudiorum contemplatione animam perfundit. Ut vero perspicue videamus, non aliter Blosium jucundissima perpoliendæ pietatis ornamenta accepisse, quam puellam vanitatis instrumenta; intrandum est in Conclave animæ fidelis, ubi et Speculum invenies, et Monile, et Coronam, et Scriniolum, et Cimeliarchium, seu Ornamentorum arculam, ut nihil ad ornandæ animæ apparatum desiderare possis.

Illius studium.

55 In illa classe deliciosorum libellorum etiam ponendum est Sacellum animæ fidelis, in quo modi viæque omnes aperiuntur ad ineundam cum Deo amoris familiaritatem; cujus in titulo illud legitur elogium : Hic libellus res pretiosas ingentemque thesaurum continet. Margaritum etiam spirituale, ne animæ sui uniones desint : quod ex piis considerationibus vitæ et mortis Domini nostri Jesu Christi velut gemmea catena contextum est : in cujus Præfatione ita exclamat : Beata prorsus anima illa, quæ amabilem vitam et passionem dilecti Jesu Christi, tamquam pretiosum magaritum, in scrinio memoriæ suæ semper reconditam habet, et ubique secum circumfert. Dici non potest, quantum utilitatis adferat devota et frequens meditatio, vel lectio vitæ Domini Jesu. Medulla denique Psalmodiæ sacræ, quam Doxologiis Davidicorum verborum prope ducentis producit, hoc præfixo titulo : Medulla Psalmodiæ sacræ, cujus singula verba gemmis pretiosiora, et nectare suaviora, piam sanctamque animam mirifice exhilarabunt. Actum agerem, si ex libris pientissimis, ex quibus orbis terrarum Blosianam exsuxit pietatem, docere vellem, quo in pretio, quibus ipse in deliciis Asceticos precatoriosque, pietati promovendæ feliciter accommodatos,

Palet id ex ejus libris.

commodatos, libellos habuerit. Fuit omnino Blosius, ut in reliqua omni vita, sic in excollenda pietate atque conscientia curanda, et dulcissimæ tranquillitatis et tranquillissimæ dulcedinis amantissimus. Percurrat, qui id videre volet, Psychagogiam, et Consolationem pusillanimium. Hæc sunt duo velut ubera magnæ matris et nutricis omnium Misericordiæ Dei, quæ filiolos suos lactat dulcissima spe tum remissorum in hac vita peccatorum, tum possidendorum in altera præmiorum. Ex quibus duobus veluti fontibus, anima pia Blosii cælestis gaudii copia cum altissima et suavissima conscientiæ pace redundabat.

Auctore Monacho Benedictino.

56 Porro quanta Blosius diligentia, quanto fructu in illis suis asceticis exercitamentis versatus sit, et quasi volutatus, non est necesse aliunde discere : ipse de se nihil minus cogitans testimonium dicit, dum velut de alio Fratre sibi noto, revera autem de seipso (quæ antiqua Lætiensium traditio est, et prudens Lector facile conjiciet) refert in speculo Monachorum, bene notum sibi Fratrem, suavissimis adspirationibus et ejaculatoriis precibus, ad omnem rerum, temporum, negotiorumque opportunitatem, cum Christo Domino deliciantem; et mox subdit : Satis autem scio, quia idem ipse Frater ex continuata frequentia hujusmodi sanctæ asceseos grandem consolationem et eximium laboris fructum consecutus est. Similia habet de noto sibi Fratre in conclusione Enchiridii primæ editionis, quæ deinde sequentibus editionibus sustulit; veritus nempe, ne nimium ipse se proderet. Affirmat eo loco, quod noverit quemdam pietatis cultorem, qui duas precatiunculas, ibi præcedentes, et omnes fere eas quæ in eodem Enchiridio collocatæ sunt, quotidie (si non impediebatur) ore proferendo, vel mente ruminando, studiose complebat, ipsasque memoriter tenebat, ut temporis ac loci opportunitate habita posset diu suaviterque citra libri adminiculum rebus divinis animum intendere.

Assidue per jaculatorias cum Christo deliciatur.

Omnes preces Enchiridii quotidie recitat.

57 Ex illa pura mente, conversationem continuam in cælis habente, prorumpebant subinde per diem illæ voces, quas ibidem Blosius illi Fratri sibi noto adscribit : O Domine Deus meus! o Creator et Redemptor meus! o spes mea, et refugium meum! o dulcedo cordis mei, et vita animæ meæ! o salus mea et summum atque unicum bonum meum! quando immaculatus ero coram te? quando ardenter diligam te? miserere mei, etc. Denique ait Blosius de illo Fratre, id est, de semetipso, ut merito interpretamur : Etiam totam vitam suam juxta præcepta Epistolæ editæ sub nomine D. Dacryani Abbatis in supradicto Enchiridio positæ diligenter instituere nitebatur. Ex quibus exercitiis se plurimum in spiritu profecisse asserebat, immensas benignissimæ Dei liberalitati gratias agens.

Piæ ejus voces:

Vita juxta Epistolam 12 documentorum.

58 Tam profundus Asceta non poterat esse etiam Deiparæ Virginis non eximius cultor : de qua veritate si quis ambigat, consulat Endologias ejus affectu in Virginem Matrem et amore plenissimas.

Erga D. Virginem pietas.

59 Neque in uno Blosio omnis hæc stetit pietas : voluit benignus Pater id bonum filiis suis esse commune. Quos ut penitius in cellam vinariam, id est, in Orationis secreta pelliceret, hoc insigni stratagemate pleno prudentiæ atque humilitatis usus est. Eminebat per id tempus in hoc spiritualis exercitationis magisterio S. Ignatius Loyola Societatis Jesu fundator, et post eum, ex ejus disciplina Socii, *a* qui nuper in Belgium venerant; nec ita multo post, adnitente cum aliis viris Principibus Blosio, Diplomate Regio admissi sunt. Apud hos humilis Abbas, post exactos in Prælatura annos viginti, Lovanii se abdidit, ut inter primos spiritualibus exercitationibus excoleretur. Testantur id Annales Societatis ad annum Domini MDLIII, cum hac honorifica Blosii mentione : Inter ceteros qui se Lovanii ad Societatis orandi commentandique disciplinam salutariter exercuerunt, primas tulit Ludovicus Blosius Abbas Lætiensis, vir suis scriptis ac monumentis, nec minus virtutum memoria nobilis. Non egebat tum quidem illo Blosius, licet efficacissimo ad pietatem excitamento; tamen et sibi profuit, et vero suos (quod maxime volebat) exemplo traxit.

Exercitia S. Ignatii ab eo obita.

a

60 Ita Blosii factum interpretatus est R. P. Quintinus Charlart Belga, Romæ S. Theologiæ Professor, unus de primis Societatis Jesu Patribus, qui in Belgium ex Italia missi sunt. His super hac re ita Roma scribit ad Abbatem Blosium XXIII Octob. MDLIII. Reverende in Christo Pater, audiveram quidem vestram Paternitatem Lovanium venisse non ita dudum pro faciendis exercitiis nostræ Societatis : sed ubi ad nos pervenerunt D. Joannes Boucquiau et Jacobus vester quondam fidelis in Domino servus, rem ita se habere ab ipsis accipiens, non potui non congratulari in Domino V. P. quæ tantum se demittere voluerit, ut Societatis nostræ tirocinium subire et experiri non sit dedignata; non tam pro se, sat scio, quam ut alios tali suo exemplo ad id alliceret et provocaret. Quod sane virtutis, caritatis inquam eximiæ opus, quantis efferam laudibus nescio. Proinde tacere, et illud sedulo mirari magis expedit, quam hisce chartis illud non ad vivum depingere.

Laudata ejus hac in re humilitas.

61 Extat ipsius Blosii epistola ad R. P. Adrianum Adriani Societatis Jesu Lætiis anno MDL scripta, ejus et pietatis index certissima, et sacrarum meditationum Lætiensibus ab Ursmaro Goissono Bellomontano, ejusdem Societatis Presbytero, traditarum testis. Ea sic habet : JESUS. Gratiam habeo, Domine mi, Caritati vestræ, quod me dignata sit commendare precibus Institutoris et Superioris vestri. Hoc mihi optatissimum et ingens beneficium est. Spero enim, Dominum Deum, propter illum, et vestras orationes, mihi propitium futurum. Puto D. Ursmarum vobis per litteras indicasse, exercitia quædam tradita esse nostris juvenibus. Utinam hoc factum fuisset ante annos XX! ita enim cum senioribus multo melius forte ageretur. Laudamus benignissimum Deum, qui per vos istam rationem nos docuit. Ex ea et ipsius Dei honor et salus animarum, uti confido, consequetur. D. Ursmarus modo abest a monasterio, rediturus ante quatuor dies. Bene valete in Domino Jesu. Lætiis, postridie Animarum. Fuere vero his exercitiis ad ardentiorem pietatem exculti, præter ipsum Blosium, Monachi omnino decem; ut ex schediasmatis, quæ etiamnum Lætiis asservantur, videre licet.

Exercitia tradita Lætiis junioribus.

62 Neque ita privatis precibus ac meditationibus deditus erat Blosius, ut non eoëlem animi ardore divinum Officium, quod a Communitate ex Regulæ Benedictinæ præscripto publice peragitur, assidue frequentaret. Constat ex seniorum relatione, eum divinis Officiis sacrificiisque publice obeundis præsentem semper stitisse, et pensum sacrum una cum monachis persolvisse. Quod Parentis optimi apud successores Abbates hactenus exemplum valuit, ut religioni sibi ducant, si divinis laudibus cum ceteris non interfuerint. Affirmabat, tametsi gravissimis Reipublicæ necessariisque caussis, vel Principum mandato a monasterio abiret, tamen ægerrime ferre se, quod tantisper, dum abesset, dulcissimis illis deliciis, quibus in communi Fratrum psalmodia perfruebatur, privari cogeretur.

Blosius semper intereral officio divino.

Ideo invitus aberat a monasterio.

63 Ceterum in precationum meditationumque exercitio minus amabat vehementes impetus, aut erumpentem foras devotionem : malebat (quantum id in ejus situm erat potestate) suaviter et sine strepitu liquefieri. Hinc, sive divinum Missæ sacrificium celebraret ipse, sive Sacerdoti celebranti adesset, modestia corporis ad venerationem compositi, dulci tranquillitate, clausis oculorum fenestris, quasi Deum intus alloqueretur, sensim sine sensu mente elevabatur.

Ejus suavis devotio.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

AUCTORE MONACHO BENEDICTINO.

batur. Qui coram observarant seniores, Angelo quam homini similiorem prædicabant.

a *Venere primum religiosi Societatis Jesu in Belgicam an.* MDXLII, *quo tempore Martinus Rossemius Antverpiam Lovaniumque frustra obsedit; ut tantisper Bruxellis subsistere coacti sint, dum a Lovanio castra hostis movisset.*

CAPUT XVIII.

Exhortationes Lætiensibus datæ.

Oraculum est Divi Pauli Timotheum alloquentis, quem ad procurandam gregis sibi crediti salutem armabat et animabat : Attende lectioni, exhortationi, et doctrinæ. Hoc Blosius velut sibi datum monitum avide arripuit. Totus enim lectioni, exhortationi, doctrinæque deditus, animos Lætiensium filiorum ad omnem pietatem suaviter induxit, legendo, hortando, docendo. Optandum quidem esset posteritati, uti Blosianis illis, ut amore ardentissimis, ita dulcedine fluentissimis, vivæ vocis exhortationibus, quibus ille suos ad complectendam arcteque stringendam religiosæ disciplinæ observantiam incitabat, frui perpetuo liceret : sed quoniam id fas non est sperare, nunc illud saltem agendum, ut in piam gratamque memoriam revocentur idemtidem, quæ calamo Blosiano expressa vivunt adhuc, et in animis Lætiensium filiorum magno fructu hortando docendoque paterna voce clamant. Nonnullæ ab eo traditæ ac litteris mandatæ Exhortationes hactenus in abdito Lætiensis monasterii recessu latuerunt : nunc tres ex iis, quæ violenta quadam Suada omnes omnino Religiosos pertrahere possent ad ardens perfectionis studium, in publicam lucem producentur. Publicandi consilium fuit, tum ut vita Blosii sic evaderet illustrior, tum ut bono animarum publice consuleretur, tum denique ut studiosus hujus Asceticæ a Blosio introductæ restaurationis observator intelligeret, quanto adjumento fuerit in animis Lætiensium Spiritus sancti in Blosio loquentis impulsus, ad arripiendam avide et stricte complectendam novam vivendi sub Blosianis statutis formulam. Harum Exhortationum prima est dulcissimus ille Statutorum Prologus, in quo brachiis quibusdam inflammatæ caritatis venientes ad monasticen tirones suavissimus Pater amplexatur, dicens :

1. Tim. 4.

Extant MSS. *ejus quædam exhortationes :*

tres hic vulgantur.

1 *Exhortatio. Prologus Statutorum.*

56 Beati, quibus Jesus interius loquitur, dicens : Venite seorsum in desertum locum. Beati, inquam, quos Dominus ex mari magno et spatioso, ex innumeris periculis ejus sæculi, ad portum Monasticæ conversationis transfert : ubi vita vere quieta et secura agitur : ubi tranquillitas, pax, et gaudium spiritus abundat : ubi sine cura et occupatione rerum transeuntium homines sancti die noctuque Regi sæculorum libere famulantur. Quorum videlicet unica sollicitudo est, ut per invictum obedientiæ propositum, per orationum jucundam assiduitatem, per lectionis sacræ melliflua exercitia, per lacrymarum sanctarum dulcia baptismata, ipsi summo Deo placeant. In congregatione monachorum regulariter viventium omnia plena pietate, omnia plena suavitate. Hic fragrantia omnigenarum virtutum gratiose spirat : hic rosæ caritatis igneo rubore flammescunt : hic lilia castitatis niveo candore splendescunt : hic violæ humilitatis imis florentes locis, etiam cælos ipsos lætificant. Nusquam hic tumultus, nusquam confusio locum habet : vociferationes et litigia procul hinc exulant, ubique grata quies et amica solitudo. Hic fortissimi athletæ in arena spiritualis conflictus invisibiles hostes quotidie superant, et seipsos vincunt. Ad quod nimirum beatum spectaculum Angeli promptissime advolantes, Christi milites mirifice confortant : fitque, ut ipsi Angeli in cælo habitantes, cum hominibus in terris; et homines in terra degentes, cum Angelis in cælis, mutua familiaritate versentur. Beati itaque sunt, qui tempestatibus mundi superatis, in tutum amœnumque portum sanctæ Religionis se recipiunt, ut ubi reliquum vitæ suæ in servitio Dei cum gaudio transigentes, inæstimabile præmium regni cælestis aliquando percipiant, et sine fine lætentur.

Felicitas religiosi status.

2 *Exhortatio* προγνωριστική *ad novitios.*

66 Post dulcem illum Prologum, Exhortationum altera Græco nomine et titulo insignita προγνωριστική, Latine Præcognitio, ideo sic dicta, quia tirones, qui in consortium monasterii Lætiensis inscribendi investiendique accedunt, in ipso aditu, priusquam vel ad habitum ipsum monasticum admittantur, veluti in quodam gymnasii præludio ac rudimento, serio instrui, quasique præmoneri solent, ac plena notitia eorum ante informari, quæ in monastica deinceps exercitatione agere ac pati eos oportebit. Sic autem orditur : Quando ad nos aliquis venit, ut in militiam Christi assumptus, monasticæ conversationis habitum suscipiat, etiamsi senior, eruditus, nobilis, aut alioqui in aliqua dignitate constitutus sit, antequam investiatur, ista scriptura Prognoristica de verbo ad verbum ei tradatur :

67 Carissime, si in societatem nostram assumi, et nobiscum in monasterio vivere, Christoque Domino servire desideras, oportet in primis, ut opere compleas, quod dicit Salvator : Qui vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam quotidie, et sequatur me. Si igitur paratus es propter Deum omnia dimittere, et teipsum vere abnegare; si paratus es penitus relinquere tuas voluntates, et frangere, quantum in te est, tuas vitiosas inclinationes ac passiones; si paratus es viriliter abrenuntiare omnibus sæculi pompis, voluptatibus et illecebris; si paratus es cum Dei adjutorio relinquere omnem superbiæ fastum, et quælibet humilia simpliciaque amplecti; si paratus es propter amorem Christi sustinere increpationes, injurias, tentationes, variasque corporis et cordis molestias atque pressuras; si, inquam, paratum te sentis ad omnia hujusmodi complenda et toleranda securus monasticam conversationem assumere potes, confidens de benignissima Dei misericordia : alioquin, si non es paratus ad omnimodam tui derelictionem, non expedit ut Religionem irreligiose ingrediaris. *a* In monasterio, non tuo sed alieno arbitrio vivere, et in omnibus humilem obedientiam exhibere debebis. Quando aliquid tibi præcipietur secundum Deum, et sanctæ Religionis convenientiam, oportebit ut illud sine contradictione aut murmure perficias. Quando optabis quiescere, forte fatigaberis laboribus : quando ad sublimia te præparabis, forte dejicieris ad infima : breviter, quando hoc vel illud facere volueris, forte dicetur tibi ut aliud facias; et in omnibus adniti debebis, ut promptissime sequaris voluntatem præcipientis. Neque aliquando dicere poteris : In his paratus sum obtemperare, sed in illis obtemperare nolo. Oportebit ut simpliciter obtemperes in omnibus quæ rationabiliter præcipientur, et quæ non sunt in se mala, vel sanctæ professioni contraria. Tu quidem diversas tribulationes et difficultates frequenter senties in hujusmodi confractione voluntatum et inclinationum tuarum : sæpe diabolus, sæpe caro, vel homines verum Dei timorem non habentes, tibi suggerent ut murmures et contradicas : sed necesse erit te patienter perseverare in sancto proposito, et pessimas suggestiones repellere. Non jam tibi licitum erit, superflua delicataque intempestive requirere; non erit licitum, inhonestis dissolutionibus, vel ceteris remissioris vitæ ineptiis vacare; sed relicta prorsus lubricitate et vanitate mundi, relicta lata via sæcularium, debebis per arctam et laboriosam pœnitentiæ viam ingredi omnibus diebus vitæ tuæ. Debebis simplicitatem, vel etiam penuriam rerum necessariarum sustinere, frequenter jejunare, perpetuam castitatis integritatem servare; orationibus, meditationibus, sacrisque lectionibus insistere, taciturnitatis et silentii disciplinam

Luc. 9. 23.

Incommoda in Religione sustinenda.

a

Perfecta obedientia.

Pœnitentia.

disciplinam observare, vitam a sæcularium consortio abstractam ducere, monasterium raro egredi, nullam omnino rem, quantumvis modicam, proprietarie habere, puritati cordis jugiter studere, sola cælestia quærere, die et nocte infatigabiliter officio ministerioque divino assistere, sive sit æstus, sive frigus; denique omnibus, quæ sanctæ Religioni conveniunt, fideliter adhærere; et omnia quæ eidem Religioni contraria sunt, prudenter rejicere. Quod si timore Dei relicto, aliquando (quod absit) inceperis negligenter vivere, vel etiam superbia, inobedientia, murmurationibus, atque contradictionibus, Superiorem ceterosque Fratres conturbare aut gravare; scire debes, quia districte omnino punieris. Verumtamen non te absterreant supradictæ difficultates; sed tu de te prorsus diffidens, in Domino Jesu omnem tuam fiduciam repone. Ipse enim confirmat debiles, et jacentes erigit; ipse aspera reddit plana, et amara convertit in dulcia. Ipse ea quæ hominibus importabilia videntur, non solum facillima, sed etiam jucundissima per suam gratiam efficit. Ipse est qui dixit: Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos, et discite a me, quia mitis sum, et humilis corde; jugum enim meum suave est, et onus meum leve. Aditus viæ salutaris plerumque angustus, tristis et difficilis est; sed postea crescente amore divino cordeque per caritatem se dilatante, cum inenarrabili gaudio perficitur iter mandatorum Dei. Ipsi honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

De gratia Dei sperandum.

Matth. 11. 28.

3 Exhortatio Paterna, sive Epilogus Statutorum.

68 Tertia ex Blosianis pro ferventiore disciplinæ regularis observatione suasoriis illa est, quam filii Lætienses, ut vere est, ita Paternam exhortationem a venerabili Blosio Parente optimo sic dictam vocant et venerantur. Est autem Epilogus commonitorius, quem Statutis suis velut coronidem subtexuit his verbis: Filii carissimi, qui sanctæ conversationis habitum suscepistis, qui suave jugum Domini subiistis; hortor, moneo, et oro vos in visceribus Jesu Christi, ut memores vocationis vestræ omnem iniquitatem fugiatis, vanitatemque contemnatis. Inspicite mundum universum attentius, videte quomodo crescat et decrescat, quomodo nihil in se stabile contineat, sed sicut pulvis qui a vento spargitur, sic evanescat ipse et concupiscentia illius. Perpendite quia vita præsens, vapor est ad modicum parens: considerate quia omnis caro fœnum, et gloria ejus sicut flos fœni, qui mox decidit et marcescit. Hæc cogitate, et mentes vestras sursum erigentes, relictis caducis rebus ad ea properate quæ finem non habent. Cognoscite filii, cognoscite felicitatem vestram. Ecce vos elegit Dominus in hereditatem sibi: vos e periculis et multiplicibus laqueis hujus sæculi eduxit: vos e mari turbulentissimo assumptos, in portum tranquillissimum, in paradisum amœnissimum, in sanctæ Religionis monasterium transtulit: ut ibi diebus ac noctibus quasi agniculi sine macula stetis in conspectu ejus, parati videre desiderabilem faciem illius. Sane: Non fecit taliter omni nationi, non omnibus tantam benevolentiam ostendit. Grati igitur estote tam amabili Domino: servite corde perfecto tam dulci Sponso animarum vestrarum. Recordamini Sanctorum Sanctarumque Dei, qui ante multa tempora vos in monastico proposito præcesserunt: veniat vobis in mentem, quomodo ipsi, despecta prorsus vanitate mundi, sub regulari disciplina Deo pure et integre militaverunt.

Beneficium Religiosæ vocationis.

Conjunctio cum Jesu, monacho necessaria.

69 Obsecro, filioli, amici Dei, coheredes Christi, qui in novitatem vitæ spiritualis regenerati estis, qui optimam partem elegistis, currite incessanter post vestigia Agni candidissimi, nolite tardare in amore Jesu Christi. Ipse sit dulcedo animarum vestrarum, ipse sit consolatio peregrinationis vestræ, ipse sit suave condimentum omnium laborum vestrorum. Hunc mentibus illibatis adstringite: ad hunc diebus ac noctibus suspirate: hunc sedulo quærite in libris, in oratorio, in claustro, in refectorio, in horto, in cellula, in lectulo, et ubicumque versamini, donec inclinentur umbræ et adspiret dies, donec misera hæc vita finem capiat, et initium sumat æterna. Cœnobium vobis veluti gratum quoddam sepulchrum facite, in quo paululum quiescatis, quousque resurgentes appareatis cum Christo in gloria. Sit vobis crux vel modico tempore relinquere sancti loci tranquillitatem, relinquere dulces complexus ejus, cui animæ vestræ desponsatæ sunt. In solitudine monasterii habetur Jesus, in turbis sæculi amittitur. Vitate igitur mundi strepitus: declinate superflua cum sæcularibus consortia: ut per omne vitæ tempus cum Jesu, et cum ejus Genitrice Maria viventes atque colloquentes, ad æternam gloriam piis Jesu et Mariæ cultoribus præparatam aliquando tranferri mereamini. In Dei servitio, sacris lectionibus, orationibus, vel meditationibus, caras vestras delicias constituite. Gaudete et exultate in spiritu, quod ad famulandum Regi æterno estis segregati.

Divina officia sedulo obeunda.

70 Estote diligentes in divinis Officiis: ea non ex arida quadam consuetudine, sed ex sincera caritate studiose peragite. Omnia ipsorum divinorum Officiorum verba sacratissima, quæ Spiritus sanctus dictavit, integre et cum reverentia, religiosis vocibus pronuntiate et cantate: certo credentes, nec minimam quidem syllabam, nec unius notulæ cantum, nec modicam inclinatiunculam ibi perire; si spiritus vester vigil, si intentio recta, et affectus purus fuerit. Qui possunt Deo liberius intimiusque; vacare, gratias agant ipsi Domino, et alios non despiciant: qui vero vel opportunitatem vel gratiam non habent, ut multum insistant particularibus precibus aut contemplationibus; studeant saltem communibus Dei laudibus, atque orationibus vel lectionibus, libenter et devote intendere.

Aliæ virtutes Religioso necessariæ.

71 Spiritualem profectum diligite: et quidquid illum in vobis impedire sentitis, solerter vitate. Rursum admoneo vos, filii lucis, abstinete a carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam: abstinete a vino multo: abstinete ab amaris voluptatibus hujus sæculi. Ambulate in sacræ Religionis observantiis, non quasi insipientes, sed quasi sapientes, et cognocentes quæ sit voluntas Dei. Regulæ vestræ et Statutorum vestrorum (quæ facillima mitissimaque sunt) integritatem servate illibatam, quantum in vobis est. Horrete proprietatis labem damnabilem: nolite dare in vobis locum diabolo. Vinculum pacis, unionem spiritus, dilectionis affectum semper inter vos servate. Nam sine his, monasterium in quo vivitis, non poterit esse sanctorum Angelorum habitaculum: sed erit malorum spirituum domicilium. Ergo caritatem habete: hanc, quasi modo geniti infantes, sine dolo sectamini: nulla inter vos murmuratio, nullum odium, nulla detractio, nulla pertinax suspicio, nulla invidia diu locum umquam habeat: ut in domo Dei, non nisi quæ pacis sunt, appareant. Cum omni mansuetudine et dilectionis affluentia alter alterum portet, alter alterius defectus (quantum in se est) toleret, alter alterum juvet, alter alteri compatiatur, alter alterum moneat. Juniores revereantur et honorent seniores: similiter qui seniores sunt, ipsos juvenes diligant; eosque ad puram sanctæ Religionis observantiam tam exemplo quam verbo animent. Voluntatem propriam unusquisque frangere, et eam ad Superioris arbitrium cum spirituali gaudio flectere studeat: atque ea quæ jubentur, mox sine contradictione expleat. Fugite tumorem præsumptionis et arrogantiæ, Deo odibilem. Fugite vanæ gloriæ præcipitium: amate cognosci a solo Deo, nesciri a ceteris. Diligite subesse potius quam præesse; et discere magis quam docere: quia hæc est voluntas Dei, hæc est sanctificatio vestra. Sic sic vitam vestram instituite, sic

AUCTORE MONACHO BENEDICTINO.

sic mundum, sic diabolum, sic carnem, sic naturam ipsam vincite, ut super vos humiles, quietos, et trementes verba Domini, Spiritus sanctus requiescat.

72 Non autem perturbemini, neque sitis nimium pusillanimes, si aliquando gravamini in proposito monastico; si animi lassitudinem, et cordis ariditatem in servitio Dei sentitis; si tentationum molestiis, et tribulationum pressuris affligimini: sed estote constantes, et per brevem laborem, breveque tædium, ad æternæ beatitudinis gaudia festinate. Adhuc modicum, et cessabunt omnia tristia: adhuc modicum, et transferemini in requiem gloriamque sempiternam. Tunc gaudebitis pro diebus quibus vidistis mala; et ossa vestra sicut herba germinabunt. Tunc consolabitur vos Dominus sicut mater consolatur filios suos; et in Jerusalem consolabimini. Tunc mirabitur et lætabitur et dilatabitur cor vestrum, quando videbitis decorem illius sanctæ civitatis: quando facie ad faciem contemplabimini Deum deorum in Sion: quando possidebitis quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit: quæ bona nobis omnibus præstare dignetur Jesus Christus Dominus noster, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus in sæcula sæculorum. Amen.

Non desperandum in tentationibus.

a *Paria fere* S. Simeoni Stylitæ *tradita a seniore monita, ut* v *Januar. in ejus vita diximus.*

CAPUT XIX.

Sartorum tectorum monasterii conservatio, ampliatio.

Domus religiosa Lætiensis ita a majoribus constituta fuit, ut in illa nec pro officinis commoditas, nec pro claustro securitas, nec pro habitatione amœnitas admodum desideraretur. Multa nihilominus adjecit Blosius: multa etiam cogitavit, quæ moriens vel affecta vel delineata reliquit. Non ingratum erit fortassis lectori, si quod nuper evenit, licet non magni admodum momenti, ad rem tamen, qua de hic agimus, accommodatum, subnectam. Ichnographiam, seu planam descriptionem, tum Templi in longum producendi, tum Dormitorii in commodiorem usum refingendi, velut ideam præclari operis, sibi Blosius curaverat. Mors, ne descriptionem in opus educeret, intercessit. Successores deinde Blosii cum Dormitorii formam ad solatium monachorum jam in melius immutassent, et de Templi fundo prolongando conclusissent, ecce tibi in illam ipsam forte fortuna oblatam inciderunt delineationem Blosianam, magno gaudio, quod consentientibus cum Blosio consiliis, ignari quodammodo, ultimam boni Patris voluntatem illis veluti codicillis expressam eadem forma ac descriptione complevissent. Prudens omnino et pium fuit Blosii consilium, ut cum Lætienses monachi stricta admodum clausura detenti, in apertum publicumve raro prodeant, hoc jucundius illo suo voluntario carcere clauderentur, quo, præter illam interius junctam cum Deo familiaritatem, exterius etiam domus, cellæ, porticus, horti, aliaque commodiori amœnitate exhilararent.

Delineatio templi et dormitorii a Blosio relicta.

74 Hoc consilio, præter Conventus hortum communem, amœnum satis ac spatiosum, muris hinc et inde clausum, eaque parte qua prata silvososque colles adspicit, Helpra fluvio alluente irriguum, privatos hortulos in singula suorum capita adornari mandavit. Hic tempus religiosæ laxationis, horis pomeridianis illi deputatis, honeste traducunt, vel hortuli cultura aliove opere manuum, vel honestis colloquiis et inambulationibus, vel harmonico musicæ cantu, vel piarum denique rerum lectione aut commentatione. Ne tamen ex privatorum hortorum cultu, usu, ac fructu aliquid Religiosa puritas paupertasve detrimenti capere posset, providus Pater in Statutis suis ita cavendo prospexit: Quamvis non improbemus, ut Fratres pro honesto solatio et exercitio teneant hortulos, arbores, violaria, et similia: non tamen talia aliquis habeat tamquam propria, sicut nec quidquam aliud.

Hortuli et recreatio monachorum.

75 Præter hos monachorum singulares hortulos, majusculum fundum horto Conventus contiguum, non procul a Prælatorum habitatione muro clausit, et hortum Abbatis relaxationi destinatum esse voluit. Ad quod consilium fatebatur Blosius ea se mente adductum fuisse, ut si quis forte ex Abbatibus venturis, non tam frequenti, quam ipse, sacrorum studiorum voluptate caperetur, haberet saltem, unde seorsim ab aliis, utili illa atque jucunda animi corporisque quiete et relaxatione perfrueretur. Devotioni hic quoque vel fovendæ suæ, vel alienæ excitandæ studuit. Nam supra hortuli hujus, atque exiguæ quæ isthic visitur porticus, ostia ac fenestras, scriptæ Blosii jussu visuntur breves hæ pientissimæque ab eo excogitatæ sententiæ: PULCHRITUDO FLORUM CETERARUMQUE CREATURARUM RAPIAT COR IN ADMIRATIONEM ET AMOREM DEI CONDITORIS. AMOENITAS HORTI IN MEMORIAM REDUCAT DECOREM PARADISI. NON VANITATI, SED PIETATI HIC LOCUS DICATUS EST. FACESSANT HINC QUÆ DEO DISPLICENT. QUÆRANTUR CÆLESTIA. DOMINE DEUS, QUAM ADMIRABILIS ES! DELECTASTI ME IN FACTURA TUA; ET IN OPERIBUS MANUUM TUARUM EXULTABO. LAUDANT VOLUCRES CÆLI DEUM, UT HOMO EUM EX ANIMO LAUDET.

Hortulus Abbatis.

Piæ in hoc scriptæ sententiæ.

76 Ex his apparet, Blosium in domesticæ rei procuratione hoc spectasse, ut ex temporalibus æterna, et ex corporalibus spiritualia lucra atque commoda reportaret. Qui etiam, ne in rei familiaris compendio cælestium rerum atque divinarum jactura fieret, magnopere se cavisse semper, tunc præclare testatus est, quando de litibus non facile suscipiendis ita decrevit: Quantum ad facultates et externa bona monasterii attinet, sollicite provideatur, ne lites propter illa nimis facile adversus aliquem suscipiantur. Verumtamen ea rationabiliter custodiantur et defendantur. Sane honestius est concordiam per arbitros vel oblatam amplecti, vel etiam non oblatam quærere, quam leviter caussas agere. Sed et præstat interdum sustinere modicam jacturam rerum temporalium, prudenter silendo, et in Deo sperando, quam magnum pati dispendium internorum, pertinaciter pro externis litigando. Igitur externis interna, caducis æterna semper præferantur: majorque cura habeatur spiritualium quam temporalium.

Lites leviter suscipi vetat.

77 Enimvero in accumulandis opibus, et augendis monasterii censibus, cum plurimum ea in re polleret, minimum laboravit. In re domestica magnum vectigal Parsimoniam dicebat. Hoc vectigal est, quo solo Blosius divites post se reliquit Lætienses. Cetera quidem ob paupertatis amorem parcus, et ad rem attentus; sed ubi Dei gloria et animarum salus, ac bona monasterii existimatio, honestæque Fratrum tum in morbo tum in sanitate consolationes exigebant, non parcebat sumptibus. Profusiones vero omnes in comessationem, et donaria ob investitiones, professiones, encænia, sacrificiorum primitias, tum ut paupertati consuleret, tum ne illorum dierum sacram et spiritualem solemnitatem violarent, abrogavit. Passim in aliis accuratus œconomiæ observator, nulla tamen in re avarus sordidusve fuit.

Lætiensibus magnum vectigal parsimonia.

Liberalitas pro Dei gloria.

CAPUT XX.

Res sacra, et Dei Sanctorumque honores aucti. Reliquiæ ornatæ.

Qui tam erat in sartis tectis religiosæ suæ familiæ conservandis ornandisque strenuus, non poterat non ecclesiæ sacrarumque rerum ornatum singulari cura complecti. Ac sane tam præclara exstant ejus in Dei Sanctorumque cultu amplificando monimenta, ut quisquis ea etiamnum in ecclesia Lætiensi spectaverit, fateri cogatur, Davidicam eum sententiam, quam

Cura rerum sacrarum:

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

quam sacris templi parietibus inscripsit, cordi suo profundius insculpsisse : Domine, dilexi decorem domus tuæ, et locum habitationis gloriæ tuæ. Hic est ille decor, hæc illa majestas domus Dei, quæ cernitur in divinorum Officiorum sacrificiorumque statis ac solemnibus cærimoniis devota gravitate et gravi devotione obeundis, in Gregoriano cantu clare, lente, sonore, et per congrua intervalla sive respirationes, distincte atque articulate celebrando, in omni denique opere Dei, cum interno sapore et externa modestia rite decenterque peragendo. Hanc piam majestatem et Blosius laudabiliter instituit, et posteri in hunc usque diem conservant.

Psal. 25. 8.

Divinorum officiorum :

79 Post Officia divina, sacra ædificia ad Dei Sanctorumque gloriam illi cordi ac curæ fuerunt. Hic elegans, hic exactus, hic largus et exundans fuit. Hic pompam cum venustate, materiam cum arte, majestatem cum pietate certare volebat, ad basilicam Dei Divorumque extruendam, exornandam, locupletandam. Videmus inter cetera ædificia, a Blosio monimentum, augustam Chori molem : ubi præter alia ornamenta stat, eodem curante, Chori ara princeps, in qua ex candido marmore assurgit tabula, quæ perelagenti Vitruvianæ architecturæ symmetria, per dispositos columnarum ordines, exhibet mysteria passionis et mortis Salvatoris nostri, statuaria arte sculpta, quæ nemo sine venerabunda admiratione intuetur.

Sacrorum ædificiorum.

Chorum et aram maximam ædificat.

80 Porro in Reliquiarum sanctarum honorem ita Blosius incubuit, ac si reliqua negligeret omnia. Erexit in primis *a* sacellum Sanctorum corporibus, sacrisque ossibus ac Reliquiis, cum veneratione, munditia, securitate recondendis. Quas autem Reliquias superiorum annorum Abbates partim ab *b* Henrico Orientis Imperatore, partim a Theodoro Jerosolymorum Patriarcha, aliisque Episcopis et Principibus viris testatissimas acceperant, eas ipse pulcherrima serie digessit, lipsanothecis ex auro et argento inclusit, gemmis et pretiosis lapidibus exornavit : titulos membranæ sua manu inscriptos singulis affixit. Ne ii tamen diuturnitate temporis interirent, aut ex sacris ossibus, quibus affixi erant, decidentes, dubiam eorum fidem facerent; successores lamellis eos argenteis incidendos curarunt. Luculentum hunc sanctarum Reliquiarum thesaurum, tum modernus Abbas, qui viginti jam et duos annos ei monasterio præfuit, pia cura ac sollicitudine insigniter amplificavit; tum ceteri Lætienses tanto studio et veneratione, inde a Blosianis temporibus propagato, fervore custodiunt, ut quidam magni nominis Episcopus aliique singulares viri affirmare non dubitaverint, Sanctorum Reliquias nullibi libentius quam Lætiis commorari.

a Reliquias SS. asserval ornatque.

b

81 Transtulit quoque ad Lætiense Monasterium Blosius sacrum *c* S. Ettonis Episcopi et Confessoris Hiberni corpus. Nam cum sanctæ illæ exuviæ eidem monasterio *d* donatæ anno Domini MCLXII, approbante Nicolao Cameracensi Episcopo, in Oratorio Prioratus juris Lætiensis, in Doni-Petri pago siti, unico ab oppido Avesnensi milliari, a multis retro annis conservatæ fuissent, et frequenter ob Gallicos tumultus eas Blosius cogeretur ad securitatem Montes transmittere; veritus, ne tandem aliquando in hostium potestatem devenirent, prudenti consilio, a Paulo IV, Pontifice Maximo facultatem impetravit, eas Lætias transferendi : atque accepto Pontificio illius concessionis diplomate, dato Julii XXII, MDLV, (perruptis constanti animo variis gravibusque difficultatibus, quas Doni-Petri incolæ, et Avesnensis Dynasta, ne iis destituerentur, objiciebant) re ipsa solemniter *e* transtulit anno MDLVI, Julii XXV, cum die præcedente, bona Reverendissimi Episcopi Chalcedonensis Martini Cuperi Suffraganei Cameracensis venia, Montibus (ubi tum asservabantur) in Oratorio domus Lætiensis separari curasset caput a reliquo corpore, et distincta theca concludi.

c

d S. Ettonis Episc. Reliquias Lætias transfert.

e

AUCTORE MONACHO BENEDICTINO.

82 Universim porro laboravit pie et utiliter Blosius in Sanctorum honoribus varie amplificandis, texuit catalogos, fidem adstruxit, gloriam publicavit, vitæ meritis et obsequiis coluit, et moribus æmulatus est. Sunt in schediasmatis Blosianis nonnulla, pie et docte annotata, quæ stabiliendæ Reliquiarum sacrarum fidei et augendæ venerationi faciant. In quibus quærendis, eruendis, observandis multus erat Blosius. Qua in re præclara est illa ejus de sacris Reliquiis Constantinopoli allatis annotatio; quam in scriptas a se chartas retulit istis verbis : Mirari solent plerique, quomodo ex Constantinopoli urbe Græciæ Reliquias Prophetarum, qui in Judæa fere omnes sepulti fuerunt, acceperimus. Sed mirari desinent, si perpenderint quid B. Joannes Chrysostomus Episcopus Constantinopolitanus, statim in initio cujusdam homiliæ, quam de Elia Propheta conscripsit, dicat; sic enim ait : Olim quidem Judæorum populus gloriabatur quod Prophetas possidebat : et erat sane Prophetarum peculiaris agricultura. Nunc vero hæc ipsa gloriatio ab eis per Ecclesiam ablata est. Ecce enim apud nos et ipsa Prophetarum sunt corpora. Siquidem sterili populo haudquaquam convenit, ut Prophetas agricolas adhuc habeat : neque decet ut apud illos adhuc serventur Prophetæ, qui Deum, quem isti prædixerunt, crucifixere. *f* Rursum nonnulli vix credere possunt, nos veras B. Joannis Baptistæ habere Reliquias; asserentes, eas olim a Paganis penitus concrematas. Qui si historias exacte perlegissent, facile agnoscerent, plurima ipsius B. Joannis sacratissima ossa, dum a Gentilibus concremarentur, collecta et sublata per fideles Christianos fuisse. Sic enim capite 28 undecimi libri historiæ Ecclesiasticæ legimus : Juliani temporibus, velut relaxatis frenis, efferbuit in omnem sævitiam feritas Paganorum. Ex quo accidit, ut apud Sebasten Palæstinæ urbem sepulchrum Joannis Baptistæ mente rabida et funestis manibus invaderent, ossa dispergerent, atque ea rursum collecta igni cremarent, et sanctos cineres pulveri immixtos per agros et rura dispergerent. Sed Dei providentia factum est, quosdam de Jerosolymis ex monasterio Philippi hominis Dei orationis illuc caussa per idem tempus venisse. Qui cum tantum nefas humanis quidem manibus, sed ferina mente fieri viderent, mori gratius habentes quam hujuscemodi piaculo funestari, inter eos qui ossa ad exurendum legebant mixti, diligentius, in quantum res patiebatur, ac religiosius congregantes, furtim se vel stupentibus vel insanientibus subtraxere, et ad religiosum Patrem Philippum venerandas Reliquias pertulere.

Varie Sanctorum honori studet.

Reliquiæ Prophetarum :

f S. Joannis Baptistæ.

Ruffin. l. 2. c. 28.

a *Longe augustius sacellum ad eam rem erexit* Antonius Winghius *Abbas, et præclare exornavit.*

b *Anno* MCCVI Balduino, *fratre a Bulgarorum Rege per summos cruciatus peremplo, Imperium capessivit : moriuus an.* MCCXVI. *Ambo filii fuere* Balduini Magnanimi *Hannoniæ et Flandriæ Comitis.*

c *Vitam* S. Ettonis *dabimus* X *Julii, agemusque de hac translatione, de qua extat* Roberti Croii *Archiepiscopi Cameracensis diploma datum* XVII *Julii an.* MDLVI, *in quo* Pauli IV, *Bullam, cujus hic mentio fit, recitat.*

d *A* Guilielmo de Dono-Petri, *viro nobili, e cujus familia* Guido Dampetræus *aliique Flandriæ Comites prodierunt, ut ipse* Blosius *in quodam schediasmate annotavit. Aliud* Donum-Petri, *sive* Dampetram, *aut* Dominicum Petri, *unde hoc Flandriæ Comitibus cognomen adhæserit, citat Miræus in Chronico Belgico ad annum* MCCC.

e *Reliquit tamen, ut mandarat Pontifex, partem aliquam reliquiarum* S. Ettonis *im pago* Dono-Petri, *thecamque vetustate injuriaque temporum labefactatam reparavit atque ornavit. Sed hæc plenius cum de vita* S. Ettonis.

f *Hæc plenius referentur* XXIX *Augusti, et* XXIV *Februar.*

CAPUT XXI.

Tranquillitas animi, Mansuetudo, Caritas.

Ut liquoribus omnibus tranquillum et suave innatat oleum,

AUCTORE MONACHO BENEDICTINO.

oleum, ita Blosii suavissimi virtutibus omnibus dulcedo quædam tranquillitasque superfluebat caritatis. Cujus quidem tranquillæ caritatis et dulcis mansuetudinis, tum in gestis, tum in scriptis, vivum semper exemplar Blosius fuit. Est hæc porro caritas, mansuetudo, ac lenitas fundamentum ac basis totius Blosianæ vitæ, doctrinæ et asceseos. Hæc mansuetudo, instar dulcissimi lactis e calamo Blosiano, velut ab ubere nutricis promanat, ac per omnia opuscula ejus leniter et suaviter fluit. In hac mansuetudine fundavit consolatoriam illam Bonæ voluntatis toties in libellis suis inculcatam doctrinam. In hoc lenitatis ac mansuetudinis spiritu totam illam suæ temperatæ vitæ et Statutorum œconomiam dictavit, suosque Lætienses ad exactam Statutorum eorumdem observantiam, non velut servos severitate ac minis, sed ut filios amore ac mansuetudine induxit.

Singularis in Blosio suavitas.

Ea in ipsius scriptis elucet.

84 Hoc denique spiritu a lectore scriptorum suorum impetrat, ut per suavem introversionem secure et suaviter cum pinguedine devotionis, divinis pietatis officiis sacrificiisque orando, cantando, meditando assistat; cum proximis vero, absque turbatione vel amaritudine loquendo, agendo, vivendo, conversetur. Magistrum tironum in Statutis Blosius hortatur, ut sit humilibus et obedientibus discipulis tamquam pius pater vel pia mater. At si forte cum duris duriuscule agendum, memor sit inter corrigendum castigandumve misericordiæ ac mansuetudinis. Vulneribus, ait, indisciplinatorum, non vinum tantum, sed etiam oleum infundat, ut curentur. Pius nempe et commiserationis visceribus plenissimus Samaritanus Blosius, non olei minus quam vini suorum vulneribus et infundebat ipse, et ab aliis infundi volebat. Hanc in verbis factisque, hanc in lætis et tristibus, hanc in filiorum suorum virtutibus atque vitiis mansuetudinem inconcussa semper animi tranquillitate servavit.

Eam aliis commendat.

In suis corripiendis lenissimus.

85 Nemo illum audivit acerbe verbis errata corrigentem. Unde passim familiares ei erant istæ increpanti formulæ ad illos monachos, qui aberraverant a recta via, quasi alium alloqueretur : Domnus N. fecit quod non debuit, patietur quod non volet, vel, Domnus N. fecit quod voluit, patietur quod non volet. Eodem lenitatis spiritu etiam conventuales famulos, aliosque domesticos suos corripere consueverat; admonentis potius et exhortantis, quam reprehendentis aut objurgantis vultum ac verba assumens, hac fere formula : An non posses paullo majore modestia hoc vel illud facere? aut : Non posses rem tam facilem curare diligentius? Tranquillitas animi in modestia vultus et suavitate sermonis velut in speculo lucebat. Omni hora molles erant ad illum aditus. Nemo audivit eum elato sermone motus animi prodentem : nemo in eo vultum amarum aut gestum vehementem adspexit. Nemo fuit cui non libenter et prompte sui conveniendi copiam faceret; nec ille umquam aut sine mansuetæ consolationis remedio mœstum a se Fratrem remisit, aut gestu nutuve ullo declaravit molestas sibi intervenire, solatia in afflictionibus ab optimo Patre poscentium, interpellationes.

Turbatos leniter monet.

86 Quod si aliquando ita usuveniret, ut in querelis apud eum exponendis perturbati animi non obscura signa aliquis ederet, non ipse magnopere commovebat se, sed vultu ad serenitatem composito humane ac peramanter : Obsecro, aiebat, mi Frater, ut tantisper abeas a me dum redeas ad te : et cum motus ille deferbuerit, mox ad me redi. Nunc enim, donec nonnihil animus conquiescat, nec tu quod ad pacem conciliandam faciat prudenter petere, nec ego quod in rem sit fructuosum consilium suggerere possum. Habitabat secum, et quietis deliciis apud animum suum perfruens, nullo tumultu evocabatur foras, aut a se exibat, in dissimillimis occasionibus semper sibi similis, et in mediis negotiorum turbis suæ solitudini præsens. Nihil erat quod non lenitate sua velut tenuissimus ligni vermiculus constanter perrumperet, atque perficeret; et (quæ laus nec exigua est, nec omnium in dignitate positorum) ita mansueta sua lenitate utebatur, ut neque de auctoritate lenitas, neque de lenitate auctoritas quidquam detraheret.

Lenitas auctoritatem fovet.

87 Dicenda agendaque prius intra se prudenti mansuetudine ad trutinam revocabat, quam diceret ageretve : ne quod dictum factumve imprudentius elaberetur, quod vel aliis vel sibi dolorem animique pœnitudinem adferret. Præceps consilium paci ac mansuetudini inimicum et retractationi affine judicabat : magnas res magna cunctatione perficiebat; eo felicius, quo lentius. Magni momenti negotia, vel supplicationes in re gravi seu a Fratribus seu ab aliis oblatas, non in eodem vestigio expediebat; sed benigne accipiens, moram apud se considerandi et consilia cogitandi postulans, interea abire, et dum mature deliberasset, ad se redire jubebat. Redeuntibus, quod diu meditatus erat, palam edicebat; et quod optimum factu judicasset, constanter statuebat. Interdum etiam, quæ statuisset, scripto tradebat, laudabili more : sic enim et se tranquillius imperare, et subditos securius parere, usu magistro didicerat. Asservant Lætienses nonnullas autographas Blosii manu schedulas ejusmodi monitorias, quibus tunc maxime utebatur, quando in officiis aut officinis aliquid desiderabat observari diligentiore cura, aut extra publica reprehensionis loca cum aliquo severiuscula castigatione privatæ monitionis agendum judicabat : ne videlicet verbis mensuram lenitatis suæ excederet, rem scripto transigebat.

Nihil temere agit dicitve.

Scripto subinde monebat.

CAPUT XXII.

Hospitalitas.

Caritati, quam modo diximus, et mansuetudini comes erat insignis illa Blosii comitas et urbanitas in excipiendis Benedictinum in morem hospitibus, qua et domi excelluit, et foris bonum odorem et amabilem famam pietatis ac caritatis longe lateque diffudit. Optimum mensis condimentum piam apponebat affabilitatem; et admirabili plane eutrapelia modeste hilaris, religiose urbanus, sobrie liberalis erat. Sermones etiam si qui præter decorum inferrentur, vel suaviter præcidebat, vel ingeniosa pietate solerter ad Dei laudem aut salutiferum documentum inflectebat : ea gratia et dexteritate, ut illi ipsi, qui offendi potuissent, aut non adverterent; aut si adverterent, tamen taciti gauderent, quod tam suaviter manu Blosii a sermonibus futilibus ad utiles abducti essent.

Benignus in hospites.

Prudens et urbanus in sermone.

89 Quamvis paupertatis singulariter amans, sumptibus tamen hac in parte parci nolebat; singulari semper judicio circumspiciens, quid ea in re dignitatem hospitum, quid suam deceret. Neque credebat umquam ullum hospitum numerum oneri fore, sed eum grato animo inter Dei beneficia numerabat. Hinc aliquando nata est illa festiva ejus querela. Aliquantulo tempore hospitibus domus ejus et mensa caruerat : ibi tum Blosius versus ad unum ex Conventualibus (ut vocant) famulis, quicum ob probitatem et candorem pia aut familiaria subinde miscebat colloquia : Quid hoc est, inquit, Anselme? (id famulo nomen erat) an nostri obliviscitur Deus, an irascitur, qui nos jam tanto tempore in hospitibus non invisit? Unde conjicere pronum est, quo vultu hospites exciperet, qui in hospitibus Dominum se credebat amplecti; ut minime mirum sit Blosianam humanitatem linguis hominum scriptisque celebratam. Testis sit Tilmannus Bredenbachius S. Theologiæ Doctor, Scriptorque non ignobilis. Is in Epistola ad Fratres suos,

In hospitibus Deum se excipere censet.

suos, quam Fasciculo sacrarum precationum ex Blosii Operibus concinnato præfixit, ita de eodem loquitur: Erat, inquit, Reverendus Pater D. Blosius spiritu pæne Angelico, moribusque suavissimis, admirabilique erga omnes benevolentia præditus, sicuti tu, mi Frater Theodorice (qui una mecum olim cum ipso Reverendo Patre Blosio familiariter aliquot diebus conversatus es) meminisse consuevisti, asserens te nec graviorem umquam virum vidisse venerando illo D. Petro Homphæo, Decano quondam Embricensi, nec suaviorem ac mansuetiorem R.D. Blosio. Qui utinam multos sibi haberet similes Cœnobiarchas, Clericorumque ac Religiosorum Antistites et Præfectos, qui veræ pietati ac religioni, suorum animis instillandæ, parem operam tam paterno moderatissimoque affectu impenderent: utique magna et pæne potissima sui parte refloresceret Ecclesia Catholica. Hac enim unica ratione et via sacratissimum divini Spiritus unguentum, quo præ participibus suis imbutus est Christus Dominus, a capite Christo flueret in barbam, in membra dignitate et auctoritate Christo proxima, ac deinde in oram totius vestimenti, in universum gregem Dominicum: suoque voto potiretur
1. Cor. 4. 15. Apostolus, ut pro decem millibus pædagogorum in Christo, haberemus multa millia Patrum. Benedictus Deus, qui replens in bonis desideria suorum, multis adhuc in locis facit eminere suæque Ecclesiæ prælucere sidera salutaria; quantumcumque rumpatur satan, ringantur hæretici, et convertantur retrorsum omnes qui oderunt Sion. Hæc ille de Blosio. Cujus gravissimi doctissimique viri testimonium, eo majoris faciendum, quod non ad adulationem (quippe annis quatuordecim post piam Blosii mortem) sed ad memoriam et admirationem virtutis, quam in Blosio oculatus testis notaverat, scriptum fuit.

CAPUT XXIII.

Castitas et mundities.

Sex adjumenta castitatis: **1.** *Temperantia.*

Florem illibatæ castitatis, quem ex utro matris nascens Blosius in mundum intulit, in aulica licentia vivens, servavit; moriens deinde, integrum intactumque in terræ tumulum secum detulit. Tuendæ vero castitatis sex illi potissima præsidia. Primum, Singularis in cibo potuque temperantia, sine qua virtus nulla inter tot hostes tuta esse potest: in qua eximium se omnino Blosius præstitit, et maximum castitatis præsidium collocavit. Nam etiam ad mensam de spiritu magis quam corpore saginando sollicitus, singulas cibi buccellas (ut ipse loquebatur) in Christi sanguine intingebat. Cum monitum illud S. Hieronymi de temperantia semper ante oculos haberet: Venter mero æstuans facile despumat in libidinem; tum gravissimis verbis matrem luxuriæ, laxam scilicet vini liberamque potationem, ac comessationes omnes, clancularias etiam, a suis relegavit; qua de re districtissime servanda ita successores compellat: Hic, hic, ait, summopere vigilet Prælatus, si cupit ut Religio sancta honeste servetur. Et in Paterna exhortatione ad filios: Admoneo vos, inquit, filii lucis, abstinete a carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam, abstinete a vino multo, abstinete ab amaris voluptatibus hujus sæculi. In vino hospitibus propinando liberalis, non prodigus. Æquales haustus, et violentas ingurgitandi se invitationes execrabatur; illamque consuetudinem pestem perniciosissimam appellabat, quam diabolus invexisset in orbem terrarum. Scitum est, quod viro magno, invitanti ut pari haustu bibendo responderet, et ni faceret, se calicem vino plenum in sinum illius effusurum minitanti, fortiter ac facete respondit: Malle sibi sinum fœdari quam conscientiam.

Æquales haustus odit.

2. Fuga periculorum.

91 Secundum castimoniæ præsidium, Fuga periculorum; quam toties tum monitis suis tum exemplis inculcat S. Hieronymus aliique Patres. Ea de causa frequenter in Statutis Blosius velut duo Religiosæ castitatis propugnacula commendavit, silentii et solitudinis amorem. Colloquia, deambulationes animi gratia (quæ ipse Spatiamenta vocat) aliasque relaxationes, vel parce suis indulsit, vel ita temperavit, ut effusos cachinnos, cantilenas profanas, omnes denique lusus indecoros, in quibus aut cursu, aut jactu, aut alio inhonesto gestu corpus vehementius agitandum, aut monastica indumenta vel exuenda vel inconcinne componenda essent, interdixerit. Præterea non solum segregavit a monastico claustro mulierum consortia, sed etiam virorum liberum et promiscuum impedivit accessum. Unde extra Regularis colloquii tempora in conventualibus locis tranquilla apparet et venerationis piæ plena, veluti eremi solitudo. Et quia de mulieribus sermo incidit, tantam in earum congressu, minimis etiam in rebus, circumspectionem adhibendam esse censuit; ut forsitan alicui rerum spiritualium minus perito nimium meticulosus et religiosus videri possit. Sic enim in Instructionibus et monitis ad Abbates successores (quæ codicillis quibusdam, uti ipse vocat, complexus est) agens de violariis, floribus, et similibus quæ monachi solent in hortulis suis excolere, hæc subdit: Neque enim convenit, ut monachus nimis facile porrigat et offerat manu tale quidpiam alicui feminæ. Prorsus vero detestabile est, ut talia a monacho mittantur ad mulieres, vel puellas, ex animi levitate et sensuali amicitia. Hæc eadem fuga periculorum etiam caussa est, ob quam suos e Prioratibus, in quibus magnis omnino periculis Religiosa puritas exposita erat, ad securum monasticæ custodiæ perfugium revocavit.

Auctore Monacho Benedictino.

Immodestiam vetat.

Excludit a claustro feminas.

Vetat munuscula iis mitti.

Abolet Prioratus.

93 Tertium, Custodia oculorum, quæ velut clausa capitis galea facile omnes excutit adversarias castitati oppugnationes. Qua in re Blosiana modestia tam singulariter emicuit, ut oculorum ac vultus compositione, totoque corporis habitu, passim intuentes ad castitatis amorem accenderet. Non ignorabat videlicet ab oculis male custoditis lædi castitatem. Hanc ob caussam, cum ante oculos religiosorum virorum mulieres apparere periculosum judicaret, studuit, quantum fas esset, earum conspectum a suis removere. Ea propter cum antea in horto Conventuali, in quem monachis certis horis pomeridianis patet accessus, mulieres fœno spargendo, cumulando, plaustris imponendo operam ponerent, cavit in antedictis codicillis ne deinceps id fieret, his quæ sequuntur verbis: Herba horti Conventualis ex mea ordinatione solet demeti, verti, exsiccari, atque in plaustro poni per viros vel juvenes, non autem per mulieres aut puellas; maxime illis horis quibus Fratres spatiari possunt in horto, etiamsi pluris constet hoc facere per masculos quam per feminas. Præstat enim pati damnum aliquod in crumena, quam in anima.

3. Custodia oculorum.

Non vult coram suis apparere feminas.

94 Quartum, Corporis castigatio. Floridam animi castitatem in carnis maceratione, velut lilium inter spinas, efflorescere asserebat. Qua in re duo Blosius observatu digna gessit: inprimis quod in prima sua rigidæ observantiæ reformatione extremum, quod in S. P. Benedicti Religiosa familia esse potest, corporis macerandi exercitium sectatus sit. Deinde cum consilio potius alieno quam proprio desiderio inductus a primo illo rigore recederet, non tamen illud singulare castitatis scutum, carnis macerationem, a se rejecit; sed varias corporis mortificationes subivit ipse semper, et subeundas esse docuit: et ad hoc inprimis laborando contendit, ut una cum moderatis corporis mortificationibus pravæ animi cupiditates frangerentur, et velut duplici illo auxilio duplex castitati tuendæ accederet adjumentum.

4. Corporis castigatio.

95 Quintum, Pietas animi. Carnis enim voluptates ajebat amarescere et mori, ubi Spiritus deliciæ dulcescere et vivere videntur. Nutricem etiam castitatis

5. Pietas.

Auctore Monacho Benedictino.

appellabat pietatem : cujus ex uberibus quantum Blosius et turpitudinis odium et puritatis amorem exsuxerit, scripta illius universa abunde loquuntur. Per assiduam cum Deo familiaritatem, quam ipse in mysticæ suæ asceseos libris Introversionem, non incongruo vocabulo, nominat, aiebat omnia exteriora sensuum oblectamenta flaccescere. Hanc familiaritatem cum Deo quanto pluribus et ardentioribus adspirationibus incendebat, tanto se magis in amore creaturarum refrigescere sentiebat.

6. Mundities externa.

96 Sextum, Mundities externa. Nam castitatis internæ index, imo et tutela quædam est illa externa, et a sanctis castitatis amatoribus magnopere semper adamata mundities : in qua Blosianæ castitatis mirifice nitor ac decor eluxit. Si quid in cellis Fratrum invenisset, non dicam sordidum nimis, sed minus decore compositum, ostendebat id sibi displicere, cum diceret, animi et corporis, internam et externam munditiam, dextras jungere, et pari passu ambulare debere; et ad exemplum S. Bernardi, paupertatem amandam esse, non sordes. Erat Blosio maxime cordi in facie et manibus ingenua mundities, in veste decens paupertas, in cubiculo et omni supellectili privatim, publice in culina, refectorio, hospitali mensa ac domo, in templo, in omnibus elegans ac nitida rerum facies, spirans ubique castam munditiem et mundam castitatem. Hoc sibi, hoc aliis dictabat; hoc posteri avide acceptum constanter tenuerunt. Unde in sacrario, templi atque altaris supellictili, ac præsertim Reliquiarum custodia, tam exquisiti tamque illibati nitoris sollicitudo.

CAPUT XXIV.

Magnanimitas. Adversorum tolerantia.

Militiam esse vitam hominis super terram, affirmabat S. Job Propheta. Hæc militia constantes et magnanimos pugiles requirit adversus eos hostes, qui nullas pacis conditiones, ac ne inducias quidem cum homine, quam diu vivit, habere possunt. In hac militia monasterium stadium seu campum vocabat Blosius, in quo magno animo, contra spiritualia nequitiæ in cælestibus, quotidie est monachis in mortificationis bello capitaliter decertandum.

Cap. 7. 1.

Monacho assidue pugnandum.

98 Neque minori fortitudine ea mala toleranda sunt, quæ etiam Dei famulis quotidie a bellorum fortunæque casibus obveniunt. Spectaculum illustre Deo et Angelis exhibuit in calamitatibus, quibuscum luctatus est, sustinendis ac superandis, invictam nimirum constantis animi magnitudinem. Quater intra unum et viginti annos, perturbata bellis Republica, infestos hostili populatione expertus est Francos; semel anno post sesquimillesimum trigesimo septimo, quando sub tempus inchoatæ reformationis sui monasterii Athum profugere compulsus est : rursum post sexennium, quando hinc et inde media Lætia Malbodiensis urbis et Terloniensis arcis, ut alia taceam, fumos ac favillas ab incendio Gallico in vicinia conspexit : iterum post novennium, quando direptum dirutumque est Terlonium : denique post sexennium, quando effractis portis Franci monasterium Lætiense diripiendo populandoque vastarunt. Inter has quidem Reipublicæ ac privatæ peracerbas calamitates ingens ubique perturbatio, et fortunarum jactura fuit : ipse vero Blosius nulla re adversa passus est animi sui constantiam frangi, serenitatem obscurari, tranquillitatem perturbari. In omni calamitate perfugium a tempestate tutum aiebat fiduciam in Deum, illud usitatum crebro iterans : Qui habitat in adjutorio Altissimi, in protectione Dei cæli commorabitur. Dicet Domino : Susceptor meus es tu, et refugium meum. In hoc refugio tutissime latebat : ad hoc, velut ad portum, navem e fluctibus subducebat.

Variæ Francorum in agrum Hannoniensem excursiones.

Constantia Blosii.

Psal. 90.

99 Magnanimitas Blosio ex eo etiam constans et invicta fuit, quod vera bona a falsis, a caducis æterna, externa fortunæ ab internis animi prudentissime segregaret, et sua singulis momenta ita apponeret, ut vera damna ea sola existimaret, per quæ animorum felicitas aut beatitudo perderetur. Cum Franci in Hannoniam populandi ardore et bellicis furiis effusi agrum Lætiensem fœde vastassent, adversus eos cum militaribus aliis patriæ copiis suas duxit Adrianus Blosii frater, et incredibili virtutis ac fortitudinis gloria Francum militem fudit fugavitque. Re præclare gesta, cum exultabundi narratores Blosio et Lætiensibus servatis gratularentur, atque Adriano ob illustrem victoriam virtute partam velut in triumpho applauderent; abstinuit unus inter omnes ab omnibus lætitiæ signis edendis Blosius, sed alta ex imo ducens suspiria. Non est, ait, non est Christiani pectoris gaudere, ubi tantum Christiani sanguinis funditur; et levem brevemque victoriam, tot animarum æternus forte sequitur interitus. O divina vox, et digna Christiano homine! qui cetera immotus, solis animarum damnis concutitur.

Luget, etiam in victoria, cladem animarum.

100 Eamdem animi magnitudinem in Richardi atque Adriani carissimorum sibi fratrum morte alias prætulit. Erat ille Ludovici rebus solatio, domesticus convictor; hic etiam præsidio, ut fortem alioqui virum ea concutere jactura potuisset. At stetit animo vultuque immotus Blosius : neque quidquam questus, Dei potius niti providentia, qua humani auxilii fiducia perrexit. Possem istiusmodi alia nonnulla producere; sed nihil æque Blosianos animos et invictum robur testari potest, quam tot ab eo superatæ et exhaustæ difficultates, dum primum regularis disciplinæ reformationem invexit. Nonnullos e suis expertus est minus obsequentes, quosdam etiam protervos ac repugnantes, ut supra diximus : at omnes constantia vicit, et acerrimum quemque repugnantium invicta patientia tandem flexit.

Constantia in fratrum funeribus.

CAPUT XXV.

Liberalitas in pauperes. Opum honorumque contemptus.

Magnanimitatis pars est, pecuniarum pro Dei gloria, aut proximi utilitate, contemptus : et ut parvi animi est, amare pecuniam; ita animi prorsus magni est, pecuniæ detrimentum facere, ut Christum lucrifacias. Mire erga semetipsum arctus et parcus Blosius, erga alios varie inopes liberaliter propensus; et lata viscera caritatis omnibus aperiens, nomen Patris pauperum suo merito invenit. Semper ab eleemosyna pauperibus impensa hilarior redire solitus, alios etiam ad misericordiæ opera hortabatur. Extat ab eo monitum aureum, successoribus relictum his verbis : Non regnet in viris Deo dicatis plura conquirendi perniciosa cupiditas, quæ in multis Congregationibus disciplinam Religionis sæpius evertisse cognoscitur. Non etiam regnet turpis illiberalisque tenacitas; sed eleemosynæ juxta monasterii facultates cum caritate fiant. Nam quæ supersunt monasteriis, non tam ipsorum monasteriorum, quam pauperum bona sunt. Quod verbis scripsit, rebus fecit. Carolus V Imperator cantharum Blosio metalli pretio et artis elegantia spectabilem donaverat. Hunc mox ut accepit, dono dedit Ecclesiæ Chimacensi, quæ magnam istis temporibus ex hostili vastatione jacturam fecerat, ratus magis sese Deo placiturum liberaliter alienam calamitatem sublevando, quam munus a tanto Cæsare acceptum apud semet domi servando.

Pater pauperum dictus Blosius.

Liberalitatem successoribus inculcat.

102 In angustiis rei domesticæ magno animo dilatabat erga egenos caritatem. Pauperum omnium quidem, maxime vero eorum qui in vicinia prope domestici essent, primam gessit curam. Illos œconomis, ut abundantius iis prospicerent, enixius commendabat. Hoc in Statutis passim inculcat, hoc in mores induxit. Hoc, quantum permiserunt non adeo magnæ

Lætiense cœnobium pauperum asylum.

magnæ Lætiensium facultates, ita radices egit, et a Blosio in immensum excrevit, ut nunc passim, et merito, Lætiense Cœnobium, Pauperum asylum nuncupari videamus.

Blosius dignitates recusat:

103 Paupertatem, quam in aliis miserando et affatim donando sublevabat, ipse sibi gratissimam adscischebat. Pauperem vitam, et procul ab opulentis honoribus remotam, amabat. Opes honoresque sponte oblatos, strenue aversabatur, mundi fastum magnanima demissione calcans atque pessumdans. Imo quantum nonnulli ambiunt dignitatum titulos prehensando, tantum ipse deprecando aversabatur. Carolus Cæsar Blosium aliquando e Lætiensi, minore illa videlicet Prælatura, ad majora et splendidiora honorum culmina evehere, sed frustra, molitus est. Nam Archiepiscopatum Cameracensem ab Imperatore sibi destinatum Blosius magnanimiter demisseque recusavit: quod ipsum familiari joco Maximilianus a Bergis, vir minime ambitiosus, postquam cervices tanto oneri subdidisset, Blosio exprobrare solitus est, quasi vero æquum esset, Blosium, ut suæ quieti ac privatæ consolationi consuleret, tam formidabile onus in debiliores humeros transferre. Sic ille de se ut prudenter et amice, ita submisse et candide judicabat.

Archiepiscopatum Cameracens.

Abbatiam opulentiorem, adhibito intercessore, deprecatur. Amb. lib. 4. in. Luc. cap. 4.

104 Obtulit etiam Blosio Cæsar Abbatiam opulentiorem S. Martini Tornaci, ut eam cum sua Lætiensi, quod bono Ecclesiæ verteret, commutare vellet: sed memor quod est a S. Ambrosio pronuntiatum, carere omni ambitione religiosam devotionem, tantoque futura majora pericula, quanto celsior fuerit dignitas; eam sibi numquam passus est obtrudi. Hanc enim ut a cervicibus suis excuteret, Bruxellam Cæsari supplicatum ivit, et impetravit. Cum autem novo et inusitato ambitus modo in palatio Cæsaris ad amoliendam a se S. Martini Prælaturam versaretur, occurrit res non indigna narratu. Forte in Principem quemdam virum e Cæsareis Optimatibus non ultimum incidit, qui cum Blosiana gratia obligatum se judicaret, ratus fore occasionem gratitudinis declarandæ, si Blosio apud Cæsarem (cui gratiosus esset in primis) opem operamque offerret, promptum se paratumque addixit, si quid ambiret, et sua apud Cæsarem commendatione uti vellet. Tum Blosius, utres erat, animi ægritudinem declaravit ob S. Martini Abbatiam si eam adire cogeretur; vel se magis sorte modica, quæ inter filios Lætienses obtigerat, et jam tranquille atque hilariter in Domino possidebatur, consenescere Lætiis, quam novos honores cum novis oneribus suscipere; proinde rogare se, ut si gratiam rependere vellet, favorem in hac Abbatia repudianda apud Cæsarem interponeret. Hoc Cæsarem rogatum venisse, ut liceat ipsius bona gratia liberari, et in suo nidulo Lætiensi mori. Attonitus alter rei novitate, obsequia, quando ita Blosius vellet, offert sua: mox ad Imperatorem a Blosio discedens: En, ait, Auguste Cæsar, adfero novam prorsus et inusitatam libelli supplicis formulam: Lætiensium Abbas Blosius, longe aliter atque alii subinde solent, orat per me, atque obtestatur Majestatem tuam, ut S. Martini Prælatura absolvi, et in sua Lætiensi vivere ac mori possit. Ita ille, ita ego Majestatem tuam obsecro. Ad hæc admirabundus Cæsar, fiat, inquit, et apud suos, quando ita orat Blosius, vivat et moriatur. Sic nempe Blosius dignitatum et honorum contemptu clarior, quam sint plerique honores ambiendo gerendoque.

CAPUT XXVI.

Zelus contra nascentes hæreses et vitia.

Calamitosis Belgicæ Ecclesiæ temporibus, cum ex Gallia et Germania undique in Belgicas provincias hæretica pestis irreperet, contra nascentes atque adolescentes hæreses, earumque præcones, defensor ac propugnator inter alios a Deo datus videtur Blosius. Visuntur inter Opuscula ejus duo illa adversus Novatores scripta, ex quibus luculentum zeli sui pro domo Dei testimonium Blosius habet, Collyrium hæreticorum, duobus distinctum libris, et Facula illuminandis et ab errore avocandis hæreticis accommoda. De primo pauculis sed appositis verbis præfatur et animi sui sensa erga Fidei hostes palam et ex fide declarat, dum ita orditur: Pia erga pereuntes hæreticos commiseratione motus, hoc Collyrium scripsi. Et mox caussam exponens cur vocet Collyrium (quod Græca voce significat præsens in curandis oculorum affectionibus medicamentum): In quo, ait, pauca, quæ curandis ipsorum hæreticorum oculis apta esse videbantur, congessi. Abunde, quod cupimus, assequemur, si modicus ac rudis hic labor noster, aut aliquos, ex his qui hæresi jam infecti sunt, sanare, aut aliquos, ex iis qui nondum sunt inffecti, servare incolumes potuerit. Neque enim, in illis quæ hactenus edidimus, laudes hominum, sed salutem animarum venamur.

AUCTORE MONACHO BENEDICTINO.

Scripta ejus contra hæreticos:

Collyrium hæreticorum.

Facula:

106 Faculæ vero conscribendæ consilium in Præfatione declarat: quod erat ejusmodi, ut ex quadraginta tum Patrum antiquorum, tum sacrosanctorum Conciliorum dictis atque decretis, totidem velut lucernas accenderet, et super candelabrum poneret; non tam ut luceret omnibus qui in domo Ecclesiæ sunt, quam ut illis qui novitatum ventis in vada aut syrtes abripiuntur, Pharon quamdam accenderet, ad quam cursum dirigere et recta in portum certaque via invehi possent. Est autem Facula, collectis in unum sententiis antiquorum Patrum, Opusculum ita numeris omnibus absolutum, ut pæne nullam earum rerum, quæ nuncinfide controvertuntur, partem relinquat intactam. Et tamen pro sua modestia Blosius, de ea ita censet: Hæc Facula faciem primitivæ Ecclesiæ utcumque ostendens, collecta fuit anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo primo mense Octobri: quæ licet in modum farraginis confusa esse videatur, prodesse tamen poterit hæreticis, si ipsi illam diligenter legere atque expendere voluerint.

Append. Faculæ in fine.

a Appendix Faculæ ad Philocænopolitanos;

107 Post Faculam ingeniosa fictione alloquitur Philocænopolitanos, quos *a* Reverendissimus Lindanus Episcopus, zelo Dei pro Ecclesia Catholica flagrans, in aureo libello Dubitantios vocat. Appendici Blosianæ titulus, post Faculam, ejusmodi præfigitur: Expostulatio Jesu Christi de ingratudine Philocænopoleos, cujus gubernatores novam pravamque doctrinam amant, et hæreticis favent. Est autem Philocænopolis, si Latine ad verbum reddimus, Amans novorum civitas. Hujus civitatis Præsides, qui cum se Catholicos dicerent, et sanctæ Matris Romanæ Ecclesiæ filios jactarent, tamen cum multorum hæreticorum novitates seminantium impunita scelera ferrent, pullulantes hæreses conniventia sua roboraverunt, ita merito expostulans Jesus Christus alloquitur apud Blosium: O imprudentes civitatis gubernatores! quis vos ita fascinavit, ut permitteretis illos veritatem impugnare, et libere prædicare aliam fidem, quam tradita fuit olim a sanctissimis Patribus, atque a clarissimis verisque Senatoribus, et a fideli populo servata? et addit alia, quæ si attente legantur, facile quivis perspiciet, jam tunc præsagiisse Blosium ea quæ pauculis post annis tulit fecitque Philocænopolis Belgica, ab istis novæ doctrinæ vel auctoribus vel fautoribus lamentabiliter afflicta.

Epistola de fide ad cognatam lapsam.

108 Præter hæc quæ publica luce donata sunt, latuit in scriniis hactenus Blosii manuscripta Epistola, qua cognatam quamdam suam ex ovili Christi a lupis illis ovina pelle tectis seductam, et in Germaniæ fines, ut venenum hæreseos majore licentia ac libertate combiberet, e patria profugam, ad Ecclesiam plurimis fortissimisque argumentis retrahere conatur. Quæ quidem Epistola, quia nunc lucem inter cetera ejus opera aspicit, eam hic describere supervacaneum duxi.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

AUCTORE MONACHO BENEDICTINO.

duxi. Hæ fuerunt Blosii lucubrationes, quibus pro Ecclesia sancta Dei adversus hæreses fortissime depugnavit. Brevia illa fortassis et primo aspectu tenuia videri tela possint, si cum omni illa conferantur armatura fortium, quam postea Deus in Ecclesia sua suscitavit : sunt tamen omnino solida, vimque omnem, et quasi succum ac medullam habent eorum quæ fusius solent contra nostræ hostes religionis disputari. Estque id ad Blosii laudem eximium, potuisse eum sub ipsum perniciosissimi schismatis exortum, tam dextre in omni fere quæstione, immanis illius belluæ jugulum configere.

Brevia sed nervosa hæc ejus scripta.

109 Nec vero scriptis Blosianis, pro seductorum ad Ecclesiæ gremium reductione, vel Catholicorum confirmatione, inferiora sunt facta illius. Multa enim in vita sua egit pro reducendis ovibus ab ovili Ecclesiæ et a salute æterna seductis, et pro Catholicis stabiliendis. Serenissima Hungariæ Regina *b* Maria, Caroli Cæsaris soror Provincias Belgias gubernabat. Ea cum probe nosset Blosii insignes ardores, quibus inflammabatur ob zelum Ecclesiæ Dei et a nonnullis deinde Episcopis didicisset, duabus illum manibus pollere, virtute videlicet et doctrina, ad retrahendum a perfidia novatores; illius prudentiæ et pietati credidit claros quosdam nobilitate viros, qui a majorum fide turpiter desciverant, ut domesticis Blosianæ vitæ exemplis, et quotidianis, dum in monasterio essent, dissertationibus impulsi, ad viam salutis, unde per devios errores abiverant, reducerentur. Inter hos unus ante alios eminet eximia nobilitate vir, cujus nomen consulto sileo. Fuerat ei a Regina Maria Lætiense cœnobium, quasi honorificus carcer, assignatum : in quo etiam salutem invenit : nam hominem Blosius menses plusculos apud se benigne habitum, acribus fervidisque commonitionibus, et vero integerrimæ vitæ exemplis ita flexit ut non tantum hæresim ejurarit, sed insignem etiam Christianæ vitæ perfectionem assecutus sit; ut de eo Blosius ipse testatus est scripta ad Reginam epistola, quam hic Latine redditam inserere operæ pretium mihi visum est. Sic ergo scribit : Domina, ingens commiseratio, qua erga Dominum N. in monasterium nostrum Lætiense relegatum feror, has me M. T. scribere compulit. Virum deprehendo sane honestis moribus et indole, quæ sibi præscripta sunt serio observantem. Quod ad Catholicam fidem attinet, magis in ea nunc est confirmatus, quam si numquam ab ea descivisset; ut plane confidam, non facile deinceps, divina secundante gratia, futurum illi novi lapsus periculum. Admodum ille priorem noxam detestatur, non verbis luculentius, quam vita ac moribus : nam et quotidie Sacrificio reliquoque divino Officio assistit, et sentit de Sacramentis, Constitutionibus, Cærimoniis sanctæ Matris Ecclesiæ, omnino orthodoxe. Quare si eum T. M. pro singulari sua clementia pristinæ restitueret libertati, rem sane faceret numquam sibi, ut ego quidem existimo, pœnitendam. Fidentius de eo loquor, quod septem jam ipsos menses cum eo versatus, sincerum atque ab omni fictione alienum reperi; etsi aliqua se olim, in suis tegendis occultandisque erroribus, usum simulatione fateatur. Graviter ille quidem, nec diffitetur, lapsus est, quorumdam malevolorum persuasione deceptus : sed graves jam quoque pœnas dedit, præter infamiam carcerisque molestias, ad ipsas mortis angustias redactus. Numquam me quidem, vel verbo, interpellavit, pro se quidquam ut agerem scriberemve : vehementer tamen quandoque dejici tristitia tædioque animadverto. Est natura ad mœrorem proclivior : quare vereor ne qua illi, nisi tempestivum solatium levamenque calamitatis ei adferatur, desperatio surrepat. Id minimum ei ut T. M. indulgeat obtestor, ut ambitu monasterii egredi fas sit ad honestam animi relaxationem, vel ea lege ne nocte abesse T. M. injussu ei liceat. Id si misero erit concessum, perspiciet saltem non id agi ut his immoriatur miseriis, tantoque alacrius pia sua proposita urgebit, ac tuebitur. Ceterum Creatorem omnium precor, Domina, omnem T. M. felicitatem largiatur. Lætiis VII Augusti MDL. T. M.

humillimus atque obedientissimus Capellanus
Ludovicus Blosius.

b Regina Hungariæ ei Nobiles convertendos commendat.

Virum Principem reducit ad fidem et pietatem.

Pro ejus libertate intercedit.

Hac Blosius epistola felici suo captivo non libertatem tantum, sed et fortunas veteres atque honores impetravit. Qui suis deinde redditus, non pie tantum ex norma Blosiana vixit, sed et familiam universam religioso fere more composuit : cumque de Blosio sermo incideret, non dubitabat eum beatum ac cælestem virum apellare; sancte testatus, eum a se visum aliquando orationi vacantem toto vultu, solis instar, cælitus affuso lumine collucentem.

Blosius solis instar visus collucere.

110 Affine crimen hæresi est magia. Diabolo incantatore in præceps aguntur, et qui hæresi sunt afflati, et qui initiati magia. Ideo appendix erit, spectatæ nobilitatis vir (cujus etiam nomen, ut heredum illustrium honori consulatur, sponte silentio premimus) qui eo dementiæ abreptus fuerat, ut magno pretio incantatum a præstigiatore annulum sibi compararet, quo tamquam Gygis fortunam possidere se crederet. Hoc annulo velut clandestino pacto alligatus dæmon, spectabili hominis forma sese in servitutem dedebat, ad omnia promptus et expeditus. Sic ille quidem, cum hero servire videretur, heri animum mancipium sibi fecerat, et servilibus conscientiæ flagellis laceratum durissimam cogebat servire servitutem. Jam, Deo agente, familiaris ille genius, ob conscientiæ stimulos, minus minusque adlubescebat : jam via ad abrumpendum compedes quærebatur. Ecce vero consuetudo, quæ ei cum Blosio intercedebat, saluti viro fuit. Nam ubi Blosium more suo de Dei erga peccatores misericordia mellifluos sermones miscentem audivit, toto corde commotus, omnes ei conscientiæ captivæ laqueos, et pactam cum domestico dæmone fidem, plorans gemensque exposuit. Hic Blosius magnis viribus conniti, hic animum illi in spem certam erigere : hic, si vellet ipse conscientiam exomologeseos et Eucharistiæ Sacramentis expiare, obviam illi facilemque Dei misericordiam addicere. Quid multa! animum expurgat, diaboli vincula abrumpit, ad bonam frugem experdita vita, ad Sacramentorum frequentiam a mali genii transit consuetudine. Et dæmon quidem ab illa arce ejectus, denuo eam recuperare frustra laboravit. Nam cum in sui castri edito vallo nobilis ille, jam Dei famulus et diaboli hostis orationi intentus obambularet, adfuit hostilis ille servus, malus genius, nigerrimi hirci forma, et vehementi impetu herum quondam suum in plenam aquarum fossam deturbare conatus est. Sed frustra. Nam invocato per preces Deo (Blosii monitorum memor) vir jam solide pius spectrum a se abegit et deinceps ab omni mali genii infestatione liberam Deoque gratam vitam duxit.

Quemdam a familiaritate dæmonis efficaciter revocat.

Is dæmonis impetum precibus frangit.

111 Neque satis Blosio fuit, caritatis suæ zelo, a vera fide alienos, aut seductos a dæmone complecti; sed eodem etiam ardore, quam libet pietatis promovendæ et Christianæ Reipublicæ juvandæ occasionem arripiebat. Eam ob causam ut in Belgium Societas Jesu reciperetur, allaboravit : eidem favit pro viribus, et impetitam calumniis, pæneque oppressam ejus innocentiam tutatus est, gravi scripta ad Viglium Zuichemum Præsidem tunc Concilii secretioris epistola, quam hic placuit e Gallico fideliter versam adscribere: ut qui hæc legent Societatis Jesu Patres, meminerint quid Blosio nostro debeant, quosque præcipue adjutores olim habuerint : Nostri vero eosdem pergant Patres veluti strenuos contra hostes fidei commilitones propugnare, fovere, promovere Blosiana, id est, fideli et religiosa caritate : ceteri autem intelligant, quanta sit rectorum ac proborum ingeniorum semper consensio,

Societatem JESU fovet Blosius.

consensio, quando adhuc recentem pæneque infantem hanc Sodalitatem tam facile Ordinum antiquissimus defendendam sibi ornandamque susceperit, sola sibi virtute commendatam. Ita ergo se habet Epistola :

c

112 c Domine, cum nuperrime tecum pranderem in tuis ædibus, de hominibus Societatis Jesu mentio incidit, ut nosti, longo deinde ducta sermone. Cupiebam sane tecum seorsim de iis loqui, clariusque quid sentirem exponere; sed quia nullam id agendi idoneam opportunitatem nactus sum, mihi nunc ad te de tota ea re scribendum esse judicavi. Domine, magna mihi pridem cum M. Adriano Scholasticorum Societatis Jesu Lovanii Præposito, aliisque ex eadem Societate, familiaritas intercedit. Unde eumdem M. Adrianum verum Dei famulum et amicum judico. Illud vero liquido constat, eam Societatem, veluti postremum sacrorum hominum Ordinem, ad multorum salutem in Ecclesia divinitus his temporibus excitatam : licet plerique, non e vulgo solum, sed sacri quoque homines, atque adeo Religiosi, aut de eorum existimatione detrahant, aut parum sane eorum caussa velint. Magna quidem certe et illustria per eos in Hispania, Lusitania, Italia, Indiis, atque alibi terrarum patrantur a Deo. Perhonorifice de iis mecum egit Nuntius Apostolicus, cum Hallas eum salutatum venissem, magnique eos se facere ostendit, iisque ut familiariter uterer hortatus est. Nec obscurus est fructus quem hactenus Lovanii ediderunt. Quod plenius testificari potest Cancellarius Doctor Ruardus, summa vir prudentia et religione et fide. Quidam tamen aut veri ignorantia, aut animi malevolentia, quod ab illis recte fit et salutariter, in diversum interpretantur. Sed consueverunt videlicet res istiusmodi esse principio ad multos invidiosæ : quod et S. Francisci ac S. Dominici familiæ legimus evenisse. Illud vero bonis ac prudentibus probari unice debet, quod non, ut ceteri, anno uno exacto, sed septimo demum aut octavo post, publice profitentur : quæ res, multa quæ timeri possent, avertit incommoda. Quod ad privilegia attinet, quibus eos Pontifex ornavit, sunt illa omnino isti vocationi necessaria. Quamquam vero ea ampliora sint illis, quæ antiquis Pontificum legibus, ceteris Ordinibus collata sunt; non sunt tamen aut publicæ Ecclesiæ quieti, aut rectæ disciplinæ contraria : sed potius, si res suis momentis recte expendatur, et virtuti, et animorum utilitati, et communi bono maxime consentanea. Bini jam Pontifices, sibi invicem in summam illam Dignitatem succedentes, hanc Societatem matura habita deliberatione confirmarunt : Principes vero Christiani plerique benignissimum jam pridem in eos animum accepere. Quos sane viros ut dignitate ac judicio præstantes, ita cuncta consilio gerentes, qui tanta in re nihil vidisse existimet, næ eum ego a recta ratione lapsum judicem. Utinam ut in ceteris orbis Christiani Provinciis, ita in nostro quoque Belgio aliqua eorum Collegia instituantur! id vero et ad Dei cultum propagandum, et ad animarum salutem fulciendam confiderem vim habiturum esse longe maximam. Sed vereor ut ne hoc Dei immortalis munere necdum digni simus. Domine, si res ita ferret, ut eorum apud Cæsarem, aut Reginam, aut certe in Concilio caussa agitaretur, rem tu quidem, uti ego existimo, Deo gratam facies, si quam minime eis adversabere. Non debet, qui rectam animi conscientiam curat, acrius sese hujusmodi conatibus opponere; ne pugnet cum Deo, pro quo se pugnare arbitretur. Non sunt divina consilia humanis rationibus metienda, quæ omnem excedunt rationem. Hæc te cupio, Domine, prono benignoque animo accipere, quæ unius veritatis, divinique honoris studio impulsus scripsi; precorque Deum Opt. Max. diu te incolumem tueatur. Vale. Bruxellis.

Tuus humilis servus
Ludovicus Blosius Abbas Lætiensis.

Blosii ad Zuichemum pro ea epistola.

Societatis privilegia nemini noxia.

Optat Collegia Societatis in Belgio instituti.

a Guilielmi Lindani, *primi Ruræmundensium, ac deinde Gandavensium Episcopi, elogium et scriptorum catalogum reperies in Andreæ Valerii Bibliotheca Belgica.*

b *Ludovici Hungariæ Regis vidua, ab anno* MDXXX *ad* MDLVI, *Belgicas provincias administravit.*

c *Hanc epistolam inter monumenta Collegii nostri Lovaniensis repertam, Latine olim verti, et Lætiensibus communicavi.*

AUCTORE MONACHO BENEDICTINO.

CAPUT XXVII.

Ægritudo postrema.

Cum jam omnia in misero nostro Belgio ad tumulus turbasque spectarent, quæ mox in magnam rei Catholicæ ac publici boni perniciem erupere; tempus adventabat, quo famulum suum fidelem, et in assidua mortis meditatione ac cælestibus desideriis viventem, bonus Dominus mercede donare, et in gaudium suum introducere decreverat. Quod Blosium minime latuisse, non leve argumentum præbuit ipse, cum se suaque omnia ita comparavit, quasi mox iter universæ carnis ingressurus videretur. Fida relatione constat, paullo antequam e vivis excederet, considerantem attentius ingentem animarum stragem, quas recens exorta hæresis pestifera lue inficeret, ac in orcum deturbaret; et insurgentes undique lupos falsæ doctrinæ magistros, Ecclesiæ ovili excidium minitantes; altiore quodam mentis obtutu prævidisse, longie graviores Belgio a ferina hæreticorum rabie impendere calamitates : qua cogitatione tam alte cordi suo doloris vulnus sensit infligi, tantoque affectu caritatis internæ ac commiserationis viscera commoveri; ut tæderet eum jam vitæ longioris, et summis precibus a Deo exposceret animam suam tolli, et cum B. Paulo corpore dissolvi et esse cum Christo. Cumque eidem petitioni insisteret acrius; et impensiore studio, ab æterni Numinis clementia hominum misere pereuntium salutem efflagitaret; postulata obtinuit : nempe ut quas acie mentis futuras præsenserat miserias, eas, vita functus, mortalibus oculis non conspiceret. Itaque prorsus evenit : nam illo ipso ineunte anno millesimo quingentesimo sexagesimo sexto, qui Iconoclastarum furore infamis fuit, totque Belgii calamitatibus dedit initium, Blosius e vita migravit; ne pios illos oculos ardentis patriæ atque ecclesiarum crematarum fumus inficeret.

Videtur Blosius mortem suam præscisse aut prænuntiasse.

Orat Deum ut mori possit. Philip. 1.

114 Porro morbi, ex quo secuta beata mors, hæc fuit origo. Sub medium circiter anni superioris, ad Synodum Cameracensis Provinciæ evocatus ab Illustrissimo Domino Maximiliano a Bergis, una cum aliis Ecclesiæ Prælatis Blosius adfuit. A Synodo ad monasterium redux, non longo post tempore dum obambulando operarios lustrat, qui fabrilem machinam cuidam ædificio adornabant, forte in tignum quodpiam, transversim humi jacens, tibiam impulit, et levi satis vulnere sauciavit. Ex modico vulnere lenta febris exarsit, quæ tres ipsos menses clam Blosium depasta, cubiculo inclusit, lectoque affixit. Mœstus ob Blosii viri amicissimi ægritudinem et æger animi D. Joannes Lentailleur celebris ille Aquicinctinorum Abbas, familiarem sibi Medicum, ab experientia clarissimum, submisit. Nec remedia medicinæ aspernabatur æger, sed artem opemque omnem vis morbi maligna superavit. Interim in patientia et spe, in exultatione et tremore, venientem Dominum servus vigilans præstolabatur.

Ex læsa tibia, febri laborat.

CAPUT XXVIII.

Mors ac Sepultura.

Quartum jam mensem pertinax eum carpebat ægritudo, cum Kalend. Januar. anni MDLXVI sentiens tempus resolutionis suæ instare, sacra Unctione ad ultimam luctam rite armari ultro, nemine admonente, postulavit, et filios omnes ad moribundi Patris ultima verba convocari. Tum sancto oleo, Christiano more, perunctus, simulque incredibili voluptate animi delibutus,

Sacra unctione munitur.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

AUCTORE MONACHO BENEDICTINO. Lib. 2. c. 2.

butus, suis, qui ægri lectulum (vere corona ejus et gaudium in Domino) cinxerant, morituri Patris benedictionem humidis oculis tristique vultu implorantibus, celebrem illam ex Enchiridio parvulorum a se edito morituri hominis protestationem, quam longo usu memoriæ mandaverat, clare, devote, suaviterque pronuntiavit. Post hæc cygnea voce venerabilis et amabilis Pater filiolos extremis, et fiducia erga Deum et amore erga filios a se educatos plenissimis verbis ita allocutus est, ut hoc Patris filiorum amantissimi testamentum, et ultimæ sanctissimæque voluntatis tabulas semper in manibus, semper in corde habere debeant filii Lætienses. Hanc postremam ejus orationem Latine quidam Lætiensis Religiosus ex Gallico, verbum verbo reddendo, candide ita transtulit :

Recitat protestationem hominis morituri.

Ejus postrema ad suos oratio.

116 Carissimi Fratres mei et amici, tam juniores quam seniores, audivistis Protestationem jamjam a me pronuntiatam, quam iterum hic coram Deo et vobis renovo et confirmo. Dei voluntate factum est, sicut nostis, ut diu satis una vitam duceremus; et probe novi, vix pro humana fragilitate fieri potuisse, quin sinistri quidpiam subinde inter nos tanto temporis spatio intervenerit, quod aliquam mutuæ offensionis dederit occasionem. Quare sicut jam ante vos obsecravi sic etiam nunc quanto possum affectu obsecro, ut velitis mihi condonare, quidquid forte umquam dixi aut feci, quo vel injuriam aliquam, vel molestiam, seu majoribus seu minoribus vestrum intuli. Ego vicissim si quis ex vobis quocumque modo in me peccavit, libentissime et ex sincero corde penitus condono. Et quamquam Dei sit potius quam meum peccata condonare; nihilominus tamen, quantum in me est, simul cum Deo, omnia vobis ex animo condono. Ceterum rectam vivendi viam constanter, obsecro, tenete, et vocationis vestræ memores estote. Puram Dei gloriam in omnibus ubique quærite, sancto Religionis zelo ferventes. Non vos detineant voluptates hujus sæculi. Videtis quo jam loco constitutus sim : non est quod aliud vobis persuadeatis; huc omnibus aliquando veniendum est. Valentissimi quique vestrum ac robustissimi easdem suo tempore angustias, quas ego nunc patior, sustinere debebunt. Quid tunc, quæso, prodesset vobis, si, ut sacra Scriptura in Evangelio nos admonet, universum mundum lucrati fuissetis, animæ vero vestræ detrimentum fecissetis? Contra autem, si vitam ex virtute duxeritis, si Deum quæsieritis, magnæ vobis erit consolationi in extremo illo discrimine constitutis. Decretum mortis est inevitabile. Serius aut citius, sive ad salutem, sive, quod absit, ad damnationem nostram, moriendum est : ex hoc mundo, qui cito transit et perit, nobis tandem migrandum est. Serio igitur perpendite, et curate, ut quotidie vos ad mortem salutarem præparetis, quæ felicem vobis in vitam æternam introitum indubitanter aperiat. Ad me quod attinet, malo, si ita Deo visum est, hac ipsa hora hinc discedere, quam hic diutius commorari, vel eo maxime, quod mundus jam totus in maligno positus sit, et pejora, quantum prævideo, nobis minetur. Quando igitur me Deus hinc evocaverit, estote, quæso, Fratres mei, quieti ac tractabiles, non autem turbulenti et cervicosi, non dissoluti, et disciplinæ frenum excutientes. Ambulate suaviter in sancta humilitate et obedientia; vitæ tenorem, prout cœpistis, honeste prosequentes, et divinum Officium religiose peragentes. Si enim secus faceretis, Deus offenderetur, boni quique scandalizarentur, vobis etiam inureretur infamiæ nota. Sint vobis in exemplum aliæ congregationes Religiosæ. Quæ enim recte sunt institutæ, probe ac prudenter post sui Prælati obitum se gerunt, donec Deus de alio providerit. Scitis quam bona hactenus semper fuerit vestri apud omnes nominis existimatio. Date operam, ne bonum hoc nomen, post mortem meam, perdatis et deleatis. Non quod hujus tantum bonæ existimationis gratia vobis in bono sit perseverandum; sed quia dum bonus de vobis odor spargitur, cedit hoc in honorem Dei et sanctæ Religionis. Ante omnia date operam, ut in pacis et mutui amoris vinculo simul conversemini, non mordentes invicem aut pungentes, sed omnem vitantes rancorem, invidiam et contentionem. Caritatem inter vos puram habete, non fictam, aut fucatam, nec duplicis animi : caritatem, inquam, quæ profundas in corde egerit radices, non quæ ore solum promatur et lingua. Quando autem de alio vobis Prælato Deus providerit, illi in omnibus, quæ rationi consentanea sunt, obedientes estote. Denique satagite vitam vestram sic instituere, ut orationes vestræ mihi auxilio esse possint; maxime ut in recta fide, usque ad extremum vitæ spiritum, firmus et stabilis perseverem. Interea spe bona confido, me vos omnes apud Deum in paradisi gaudiis visurum. Ceterum vos omnes Deo commendo. Orate pro me, et ite in pace.

Petit a suis veniam.

Eos ad religiose vivendum hortatur.

Matth. 16. 26. Marci. 8. 36.

Desiderat mori.

Caritatem et alias virtutes inculcat.

Preces eorum implorat.

117 Hæc erant optimi Simeonis verba, quibus et ipse nunc dimitti a Deo rogabat; et gloriam plebis suæ, id est, posterorum Lætiensium salutem, tam ipsis quam ipsorum bono Deo ac Domino ex intimo corde commendabat. Cumque ita viscera pietatis et misericordiæ ad solandum filios, ob mortem suavissimi Parentis, quem animam agere viderent, mœstissimos, effudisset; illi, ipso volente, ad preces pro felici ejus decessu fundendas digressi sunt. Hinc optatissimam sibi nactus Blosius solitudinem, qua se ad bene beateque ex hac vita migrandum compararet, solus cum solo Deo, ad quem toto corde anhelabat, magna animi voluptate agere cœpit, et propinquis paradisi deliciis veluti præludere. Tandemque post plurimos agones, ardens æstuansque cælestis patriæ desideriis, cum omnibus Ecclesiæ sacramentis rite jam esset communitus, vir per omnia religione et vitæ sanctimonia singularis plenus bonorum operum, plenus humilis et magnanimæ in Deum fiduciæ, plenus multorum meritorum, exactis in religiosa disciplina annis fere XLV in Prælatura amplius XXXV ex hoc exilio in divinos amplexus (ut sperare jubet constans sanctitatis opinio) evolavit die septima Januarii, annos natus LIX maximo summis æque ac infimis sui relicto desiderio. Fuit ea sane luctuosa Lætiensibus filiis dies, qua Parente optimo orbati dulcissimum spiritus solatium et fortissimum robur amisere. Vivit tamen et vivet apud posteros suavissima memoria sanctissimæ restaurationis, quam Blosius plantavit et rigavit : quæ, Deo incrementum dante, ita ipso vivente excrevit ut vidimus, et nunc apud posteros Statutorum Patris sui observantissimos ante oculos omnium viret per XC et amplius annorum observationem. Fuit Blosius, dum vixit, statura mediocri, facie oblonga, utcumque macilenta, colore pallido subfusco, oculis grandiusculis, cælum ac Deum spirantibus, naso aliquantulum aquilino, barba rariore, et canis aspersa, toto vultu ad pietatem modestiamque composito.

Moritur 7 Januarii 1566.

Ejus forma.

118 Mortuo Blosio justis funebribus parentatum est ea pietatis pompa, quæ virum natalibus clarum, sed virtutum nobilitate clariorem, et jam publicam sanctitatis famam adeptum decebat. Officium, exequiarum die, peregit Reverendissimus D. Martinus Cuperus ex Abbate Crispiniensi Chalcedonensis Episcopus, et Cameracensis Suffraganeus, qui, ut vivum Blosium semper amantissime coluit, ita lubentissime supremum mortuo honorem impendit. Pignus sacrarum Blosiani corporis exuviarum humi depositum tunc fuit, ad Chori Lætiensis ingressum, ante portam quam vocant Auream, sub exiguo marmoreo laterculo, hac brevissima Epigraphe ac forma :

Exequiæ.

Sepultura.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

Epitaphium.



Sed ne quis erret, dum legit annum millesimum quingentesimum sexagesimum quintum, advertere debet, isthic anni numerum ex styli veteris supputatione positum esse : nondum enim novus ille erat in Belgium introductus : stylo autem veteri (qui annum a festo Paschatis inchoabat) Januarius mensis, cujus septimo die Blosius ex hac vita decessit, ad annum MDLXV, pertinebat.

119 Sepulchro Blosii R. D. Petrus Philicinus Binchiensis Decanus Epitaphia, quæ sequuntur, adscripsit :

Duo metrica epitaphia.

Siste gradum, quisquis transis hac, siste viator;
Atque lege, quod legisse non parum juvet.
Cui nec nostra tulit, prisci nec temporis ætas,
Futura similem nec videbunt sæcula;
Blosius hac Præsul sub muta clauditur urna,
Vir unus omni superior præconio.
Nam nemo illius doctam memoret pietatem,
Piamque doctrinam, omne vincentem jubar;
Quæ nec nunc cessat totum fulgere per orbem,
Et porro ad ultimum usque fulgebit diem.
Abbatum decus, et Mystarum fulva corona
Vivens fuit, flos et choragus virginum :
Labe carens omni, speculum, rarusque lapillus,
Idea Religionis, in qua splenduit :
1. Cor. 9. 22. Prolixus studiosorum patronus et altor,
Pronusque, tantum-non profusus pauperum,
Perfugium miseris, portus, solamen, et idem
Est factus omnia omnibus cum Apostolo.
Quid, quod vulgatis etiam libris docet omnes,
Atque monumentis vel cedro dignissimis?
Proin Charites illum merito sacræque Camœnæ
Deflent, et Orbis pars triplex mœsta ingemit.
Sed valeant lacrymæ, et planctus lamenta facessant:
Modus querelis adhibeatur tristibus :
Orandum potius, cineri requiem ut Dominus det,
Et remigret in cælum, unde venit spiritus;
Usque Deo laudes æternas ut moduletur
Inter choros lætus beatos Cælitum.

ALIUD.

Blosius, heu! cecidit, tumbaque reconditur ista,
Blosius, augustus Religionis honos.

Ejus ossa ab Archiepiscopo Cameracen, marmoreum in tumulum solemniter translata.

120 Humili illo, quem diximus, loco venerandum Blosii corpus, ad annum MDCXXXI quievit. Tum vero Lætienses ejus filii medio choro elegans ei e vario marmore sepulchrum erexere, quo ab Illustrissimo D. Francisco vander Burch Archiepiscopo Cameracensi e priori tumulo ossa illius translata sunt decimaquinta Junii, quæ tunc erat Dominica sanctissimæ Trinitatis. Sepulchro hæc Epigraphe capitalibus (ut vocant) litteris inscripta legitur :

AUCTORE MONACHO BENEDICTINO.

Novi tumuli epigraphe.

D. O. M.
R. D. LVDOVICO BLOSIO
HVIVS MONASTERII ABBATI XXXIV.
NOBILI BLESENSIVM SANGVINE
RELIGIOSA VITA
ASCETICIS LIBRIS
MONASTICÆ DISCIPL. RESTAVRATIONE
DOMI FORISQ.
CLARISSIMO
CVM ANNIS A MORTE LXV.
SVB VICINO SEPVLCHRI SVI LAPILLO
IACVISSET
ANTONIVS ABBAS XXXVII.
MONACHIQ. LÆTIENSES
DVLCISSIMO PATRI SVO
TRANSLATIS HVC
VENERANDIS EIVS OSSIBVS
AC
HONORIFICENTIVS RECONDITIS
PLÆ GRATITVDINIS
ET
VENERATIONIS
ERGO
ÆVITERNÆ POSTERORVM MEMORIÆ
HOC MONIMENTVM
ANNO SALVTIS M. DC. XXXI.
POSVERVNT.
REXIT ANNIS XXXV.
VIXIT LIX.

121 Eminet

AUCTORE MONACHO BENEDICTINO. *Descriptio novi sepulchri.*

121 Eminet novum hoc sepulchrum (septem pedes longum, latum quatuor) duobus a terra pedibus : hæcque ad quatuor latera quatuor ex albo marmore scutulis incisa ostentat, ex Ecclesiastico sumpta Blosii elogia :

Eccli. 47. 16.

IMPLETVS EST

QVASI FLVMEN

SAPIENTIA.

DE OMNI CORDE SVO LAVDAVIT DOMINVM.

Eccli. 47. 10.

HABEBIT LAVDEM ET INTER BENEDICTOS BENEDICETVR.

Eccli. 24. 4.

IN VITA

Eccl. 50. 1.

SVA SVFFVLSIT

DOMVM.

122 Hoc erectum Blosii honori ad posteritatem propagando monumentum. Etsi nullum ille sui illustrius relinquere monumentum potuit, quam piissime elucubratas commentationes, optimamque restitutum cœnobio disciplinam. Cujus conservandæ zelum, veluti amplissimam hereditatem, duobus discipulis suis, qui successive id monasterium administrarunt, visus est reliquisse. Prior fuit Quirinus Douillet Athensis, qui eodem quo Blosius mortuus est anno gubernacula suscepit, XXVIII Octobris, solemni ritu, S. Martini festo, inauguratus, ac deinde XXVI Aprilis, anno Chirsti MDLXXVIII, ætatis suæ LV, e vivis excessit, magno sui relicto desiderio. Vir erat namque mansuetus ac comis erga omnes; sed qui columbinos mores insigni prudentia temperaret.

Blosii successores: 1. *Quirinus Douillet.*

123 Excepit hunc Nicolaus le Francq Montibus Hannoniæ natus, et ipse e Blosii institutione ad disciplina; ad gerendum feliciter munus anno MDLXXVIII, S. Andreæ Feriis consecratus. Merito hujus quoque vita ad Dei gloriam et posterorum exemplum tradi litteris posset, si Lætiensium id sineret modestia : ita eximiis religiosæ mortificationis ceterarumque virtutum exemplis eluxit. Migravit e vita XXII Junii MDCX, annos natus duos et septuaginta.

2. *Nicolaus le Francq.*

124 Hos secutus, qui etiamnum ei Monasterio præest Antonius de Winghe; Lovanii natus anno MDLXII, XVI Julii, et Lætiis monasticen professus ultimo Aprilis MDXCI. Præfecturam capessivit II Septemb. mense tertio a morte decessoris, eodem anno MDCX. *a*

3. *Antonius de Winghe.*

a *Obiit magna sanctitatis opinione anno* MDCXXXVII, XXXI *Augusti, Montibus Hannoniæ, in templo Societatis* JESU *sepultus. Cui mense Decembri ejusdem anni subrogatus Thomas Luytens Abbas Lætiensium* XXXVIII.

4. *Thomas Luytens.*

EPILOGUS.

Hæc habui, Reverendi in Christo Patres ac Domini, pauca de multis Ludovici Blosii virtutibus, quæ compendio et veluti delibando perscriberem. In paucis illis, quasi Timantes in picturæ tabellis, multo plura, quam scripsi, Blosii gestorum æque ac scriptorum amatoribus colligenda atque intelligenda reliqui. Pauca illa ut æqui bonique consulatis, vos rogo; ut vero iisdem ad animarum vestrarum æternum bonum utamini ac fruamini, Deum Optimum Maximum supplex oro. Plura sane de Blosii vita ac virtutibus, ex singulari meo erga tam illustrem Ordinis nostri virum amore, scribi a me debuissent; nisi partim injuria temporum, partim majorum incuria, partim, et vel maxime, Lætiensium modestia prohibuisset. Nihilominus hac mea etiam tam brevi scriptione id me assecuturum speravi, ut, qui hæc ipsa pauca de tanti viri moribus et conversatione cognoverint, plura in dies ac majora ex piorum Blosii Operum de novo illustratorum lectione, frugum justitiæ suæ incrementa percipiant : ac religiosa inprimis Lætiensium Congregatio, Blosianæ pietatis heres; cui meum hunc qualemcumque vitæ scribendæ laborem, gratum simul et utilem esse percupio. Valete, et pro me orate; ac Deum, in Blosio suo laudate.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

VIII JANUARII.

SANCTI QUI VI ID. JANUAR. COLUNTUR.

S. Semeias, Propheta.
S. Lucianus Episcopus,
S. Maximianus Presbyter,
S. Julianus Diaconus, } Martyres, Bellovaci in Gallia.
S. Patiens, Episcopus Metensis in Gallia.
S. Anastasius,
S. Jucundus,
S. Ratites,
S. Petrus,
S. Florus,
S. Tilis,
S. Florianus,
S. Tatia, } Martyres, Sirmii in Pannonia.
S. Claudius Præfectus militum.
S. Carbonanus,
S. Tibudianus,
S. Planius, } Milites, Martyres, Interamnæ in Umbria.
S. Maximus I.
S. Maximus II. } Episcopi Ticinenses in Italia.
S. Patheus, Martyr.
S. Carterius. Presbyter Mart. in Cappadocia.
S. Theophilus Diaconus,
S. Helladius, } Martyres Afri.
S. Timotheus,
S. Euctus, vel Polyeuctus,
S. Rusticus,
S. Pisseus, vel Cipiseus,
S. Secundus,
S. Lucius,
S. Felix,
S. Januarius,
S. Palladius, } in Græcia.
S. Eugenianus, Martyr, Augustoduni in Gallia.
S. Egemonius, Episcopus Augustodunensis, in Gallia.
S. Atticus, Episcopus Constantinopolitanus.
S. Dominica, vel Domnica.
S. Georgius Chozebites.
S. Æmylianus Confessor.
S. Severinus, Presbyter, Noricorum Apostolus, Neapoli.
S. Severinus, Episcopus Septempedanus in Italia.
S. Afflinus Episcopus.
S. Balduinus, Archidiaconus Laudunensis in Gallia.
S. Maurontus, Abbas S. Florentii veteris in Gallia.
S. Frodobertus, Abbas Cellensis, Trecis in Gallia.
S. Gudila, Virgo. Bruxellis in Belgio.
S. Cyrus, Episcopus Constantinopolitanus.
S. Pega, Virgo in Anglia.
S. Erardus,
B. Albertus. } Episcopi, Ratisbonæ in Germania.
S. Garibaldus, vel Gaubaldus, Episcopus Ratisponensis in Germania.
S. Wulsinus, Episcopus Schireburnensis in Anglia.
B. Torphimus, Episcopus Hamariensis in Norwegia, Brugis in Belgio.
B. Laurentius Justinianus, Patriarcha Venetus.

PRÆTERMISSI VEL IN ALIOS DIES REJECTI.

NOT. 118. S. Rigobertus Episcopus Remensis, *refertur hoc die a Martyrol. Germanico, Carthus. Colon. in Addit. ad Usuard. inque ejusdem Usuardi editione Parisien. an.* 1536. *Vitam dedimus* IV *Januar.*

S. Severinus Episcopus, Neapoli, frater S. Victorini, *celebratur in Martyrologio Romano, et aliis. Colitur hoc die Neapoli* S. Severinus Presbyter, Noricorum Apostolus; *Septempedæ* S. Severinus S. Victorini Confessoris frater, *ut infra dicemus. Tertius nobis adhuc ignotus. Nullus in vetustissimis Ecclesiæ Neapolitanæ monumentis* Severinus Episcopus *reperitur. Imo cum nuper S. D. N.* URBANUS VIII, *Clero Neapolitano concessisset, ut publice et per omnes totius urbis Ecclesias officio duplici omnium Neapolitanorum Præsulum ageretur festum, quorum extaret in Romano Martyrologio nomen; de cæteris quidem illico recitari officium cœpit, de uno hoc* Severino *nihil. Ita huc Neapoli scripsit Antonius Beatillus nostræ Societatis Sacerdos longe doctissimus, et propagandi Sanctorum honoris studiosissimus. Si fuit* Victorini Martyris frater Severinus Episcopus, *is cujuspiam fortassis alterius civitatis Neapoli vicinæ Ecclesiam rexerit. Nobis nil liquet. Petrus de Natal. lib.* 2, *c.* 37, *fratrem facit S. Victorini Pictabionensis Episcopi et Martyris, de quo* 2 *Novemb. agemus. Vide Prolegomena ad vitam S. Severini Septempedani; et Translationem S. Severini Presbyteri, præsertim num.* 7 *et seqq.*

Dedicatio Ecclesiæ Cathedralis Neapolitanæ, S. Mariæ de principio, *agitur hoc die per totam diœcesin, officio duplici, ut patet ex Catologo SS. edito jussu Decii S. R. E. Cardinalis Carafæ, Archiepiscopi Neapolitani.* NOT. 119.

S. Nathalanus, *sive* Nethalenus, *aut* Nethelmus Episcopus, *ab Adamo Regio, Ferrario, Camerario refertur hoc die: atque illustria quædam de eo memorat Camerarius. Plenius de eo agemus, ubi quæ citat, vetera consecuti erimus breviaria, aliaque monumenta. In Aberdonensi diœcesi, ad septemtrionalem Scotiæ plagam, præcipue floruisse traditur.*

S. Agatho. } *Menæa Græcorum. Alium dedimus*
S. Theoctistus. } IV *Jan.* Theoctistum *in Sicilia Abbatem, alius colitur a Græcis* III *Septembr. discipulus magni* Euthymii, *ut* XX *Januarii in ejus vita dicetur. Plures hujus nominis viri præstantes memorantur, ut* IV *Februarii ostendemus. Quis hic potissimum celebretur, assequi haud licuit.* Agathonis *quoque non unius prædicatur in sacris fastis memoria. Erit fortassis qui suspicetur hunc esse nominatissimum illum in vitis PP.* Abbatem Agathonem: *at si is esset, non omitterent Græci ejus elogium. Utrumque tantisper omittimus, dum certius quid eruamus.*

S. Guithelinus, *sive* Guethelinus, *vel* Guithelmus, Londoniensis in Britannia Archiepiscopus, *celebratur hoc die in Martyrologio Anglicano, et Ferrarii Catalogo. Eum Matthæus Westmonasteriensis ad an.* 435, scientia et virtutibus insignem *prædicat, recensetque labores pro afflicta patria ab eo susceptos, uti et Galfredus Monumetensis lib.* 6, *cap.* 4, *et* 5. *Radulphus Cestrensis lib.* 4, *cap.* 33, *Sigebertus editus a Laurentio de la Barre, aliique. Sed quia res ejus ætatis Britannicæ, ut fœdis bellorum turbinibus involutæ, ita luce scriptorum fere caruerunt; ejus hic gesta prosequi minus licuit; præsertim quod Constantinum, quem ille inunxisse in Regem traditur, eum quidam esse volunt, qui invadens Imperium, a Ducibus Honorii an. Chr.* 411, *occisus refertur.*

S. Maximus Presbyter *(non Episcopus, ut perperam quidam scripserunt)* Ecclesiæ Juvaviensis; *sive* Salisburgensis, vir vitæ spiritualis *(ut infra in S. Severini Noricorum Apostoli vita cap.* 7, *num.* 32, *dicitur)* ab Herulis eam urbem incursione nocturna vastantibus, suspensus, *a Radero Bavariæ sanctæ tom.* 1, Martyris *titulo ornatur. Quo die colatur, necdum comperimus.*

SS. LV Martyres Salisburgenses, socii S. Maximi cum eo trucidati, Salisburgi infra arcem in crypta subterranea servantur et coluntur, *ut idem ibidem Raderus, Aventinus Annalium Boicorum l.* 2. *Hundius in Catal. Salisburgen. Episcopor. Braunerus lib.* 4 *Ann. Boiorum ex monumentis Ecclesiæ Salisburgensis. Sed, ut jam diximus, eorum nobis ignotus est natalis, ideo tantisper omittimus.*

Silvinus Presbyter Quintanensis castelli, *vulgo* Kunzen *dicti*, Beatus *a Radero tom.* 2 *Bavariæ sanctæ appellatur*, cum ex magno, *inquit*, vetusto, et nobili scriptore Eugippio passim viris doctis laudato, certo constet Cælestibus accensum. *Aventinus lib.* 2, *tradit* templum extare Quintanis, ubi humatus colitur D. Silvinus. *Dies nos latet. Agit de eo Eugippius infra in vita S. Severini cap.* 5, *num.* 24.

Marcianus Presbyter monasterii S. Severini juxta Fabiana in Norico, *laudatur infra pluribus in ejusdem S. Severini vita, ut cap.* 4, *n.* 19, *c.* 10, *n.* 43, *c.* 12, *n.* 57. *Radero* Beatus *dicitur*, Divus *Aventino. An colatur, et quo die, necdum comperimus.*

Paullinus Tiburniæ in Norico *(non Reginoburgii in Rætia* II*)* Episcopus, *laudatur in ejusdem S. Severini vita cap.* 7, *n.* 29, *et* 33, *et a Radero tom.* 2, *Bavariæ sanctæ, qui et* Beatum *nuncupat; non tamen coli uspiam scribit.*

Lucillus Presbyter, S. Severino perfamiliaris, *ut patet ex cap.* 6, *n.* 27, *et cap.* 11, *n.* 50, *ubi* Sanctus *appellatur ab Eugippio, a Radero* Beatus; S. Severini reliquias in Italiam avexit, *ut cap.* 12, *n.* 55, *Bruschius Fabianensem deinceps Episcopum factum scribit: quam temere, hinc conjici potest, quod an. Christi* 511, *scribens Eugippius, numquam nisi Presbyterum eum vocat, quem an.* 480, *ut ex nu.* 50, *colligitur, decrepitum pæne fuisse significat. Ambrosius Staibanus memoria lapsus est, cum a Severino missum cum Maximo Salisburgum ad prædicandum, ibi a Barbaris e montis fastigio præcipitatum, ac deinde in crucem actum scribit: neque id habet Hundius, quem citat.*

Joannes Eremita Siculus, qui animam Dagoberti Regis Galliæ vidit a SS. Dionysio, Mauritio, Martino contra vim dæmonum defendi, *ut refert Aimoinus lib.* 4, *cap.* 34, *ab Octavio Cajetano hic commemoratur. Necdum nobis constat eum uspiam coli.*

Petrus Episcopus Roskildensis, cognatus Regis Daniæ, dum cruce signatus pergit ad sepulchrum Domini, in Thosano Cisterciensium Monasterio juxta Brugas in Belgio, diem obiit, *ut testatur Molanus in natalibus Sanctorum Belgii.* Sanctus *appellatur in Martyrologio Gallobelgico. Non tamen ei Brugis peculiaris ullus cultus habetur.*

Bernardus Ordinis Cisterciensis, ad monasterium, quod clam deseruerat, a Christo sibi apparente revocatus, ac deinceps pœnitentia et miraculis clarus *memoratur, et* Beatus *appellatur a Chrysostomo Henriquez in Menolog. Cistercien. Inter pios eum recenset Saussaius.*

S. Julianus, S. Basilissa, et Socii } Martyres. *Menæa. Vide* IX *Januarii.*

S. Waningus Confessor. *Hugo Menard. Vide* IX *Januar.*

S. Marcianus Presbyter Constantinopolitanus, *celebratur hoc die in Anthologio Græcorum a Clemente VIII approbato. Vitam dabimus* X *Januar.*

S. Leucius Brundusii. *Martyrol. S. Hieronymi, de eo agemus* XI *Januar.*

S. Fulgentius Astigitanus in Hispania Episcopus, frater SS. Leandri et Isidori, *traditur in Thesauro concionum Thomæ Trugilli hoc die obiisse. Non uno die ab Ecclesiis Hispaniæ colitur. De eo agemus* XIV *Januar.*

S. Liberata Virgo et Martyr. MS. *Florar.* Segontina *esse videtur, de qua* XVI *Januar.*

S. Xenophon cum sociis. *Anthologion Græcorum, et Ferrarius. Vitam dabimus* XXVI *Januar.*

S. Claudius Apollinaris, Hierapolitanus in Asia Episcopus, *celebratur hoc die in Martyrologio Romano. De eo agemus, quo die a plurimis Ecclesiis colitur,* VII *Febru.*

S. Petrus Igneus S. R. E. Cardinalis Episcopus Albanensis, discipulus S. Joannis Gualberti, *refertur hoc die a Ferrario, et Menardo, de eo agemus* VIII *Febru.*

S. Paulus Episcopus Virdunensis. MS. *Kalendar. SS. Ord. S. Benedicti. Nos* VII *Febru.*

Ermenfredus Episcopus Virdunensis. *Ferrarius. Wion quoque Lib.* 2, *Ligni vitæ cap.* 55, Sanctum *appellat, uti et Andreas Saussaius, sed hic, quem potius sequimur.* IX *Febr.*

SS. XL Martyres *coluntur a quibusdam Ecclesiis hoc die, ut patet ex Kalendario Mediolanensi an.* 1560, *excuso. De* XL *iis, qui Sebastæ in Armenia coronati sunt martyrio, agemus* IX *Martii.*

Gudalus Confessor. *David Camerarius. Si hic est* S. Gudwalus Archiepiscopus, *ejus vitam dabimus* VI *Junii.*

S. Guilielmi Archiepiscopi Eboracensis translatæ hoc die reliquiæ an. MCCLXXXV, *ideoque hic ejus adscriptum Martyrologio Anglicano, et Ferrarii catalogo nomen. Colitur* VIII *Junii.*

S. Felix Episcopus Namnetensis *obiit hoc die: sed, ut patet ex Breviario Namnetensi, colitur demum* VII *Julii.*

S. Eucharius Episcopus. MS. *S. Mariæ Ultrajecti. Colitur* S. Eucharius Trevirensis Episcopus VIII *Decemb.*

DE S. SEMEIA PROPHETA.

CIRCITER AN. MUNDI MMMLXXX. VIII JANUARII. *Semeias revocat Roboamum a conflictu.*

Sanctum Prophetam Semeam Elamiten *hodie celebrant Græci in Menæis. Is ipse est qui in vulgata editione* Semeias, *ab aliis* Semaias *appellatur. Hic cum ab Roboami imperio decem descivissent Tribus, easque Roboamus numeroso coacto* 180, *millium exercitu, armis revocare cogitaret; a Deo missus obviam est Regi atque exercitui, jam Sichem oppido, ubi castra fixerat Jeroboamus rebellium Tribuum Dux, appropinquanti,*

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

appropinquanti, atque ista jussus publice edicere : Non ascendetis, neque bellabitis contra fratres vestros filios Israel : revertatur vir in domum suam : a me enim factum est verbum hoc, *permittente scilicet defectionem illam populi in ultionem scelerum Salomonis. Paruit ille intrepidus divino mandato : visque verbis illius addita divinitus est : nam* audierunt sermonem Domini, *ut* 3 *Reg.* 12, 24, *et* 2, *Paralip.* 11, 4, *dicitur*, et reversi sunt de itinere sicut eis præceperat Dominus, nec perrexerunt contra Jeroboam.

2 *Egregie hæc Jacobus Salianus noster expendit tom.* 4 *Annalium veteris testamenti, ad an. Mundi* 3061, *nu.* 4, *et* 5. Eximium plane, *inquit*, et admirabile Regis, et Principum ejus, et universi exercitus obedientiæ exemplum. *Obedientia Principum, et Regis.* Nam si rem ipsam intuemur; agebatur de re omnium maxima, de qua homines inter se contentiosissime decertare solent, eamque rebus omnibus anteferre, rati regnandi caussa, ut aiebat cum Etheocle Julius Cæsar, jus omne violari posse, ceteris autem rebus pietatem colendam. Quanto hic magis ad bellum inflammabantur animi, cum ad commune illud Principum desiderium, vindictæ cupiditas et ignominia amissi regni accederet, quibus quasi gladiis ignis ille fodicaretur? Si gerendæ rei opportunitatem; collectus erat jam exercitus maximus atque validissimus, stabant in armis acies : si finem quærimus; causam justam defendebant, injustam defectionem puniturі, ut merito victoriam sperare possent : si personam a bello revocantem; unus homo prohibebat, qui se Dei jussu loqui profitebatur, qui nullam pro se rationem, nullam caussam, nullum miraculum præferebat. Quem plerique ut delirum senem, cum contumelia procul amandassent : imo et ut proditorem, et ab hostibus subornatum, male mulctatum in crucem egissent.

Regis patientia. 3 Quid ipse Rex Roboam, nonne admirabilem exhibet patientiam, animique demissionem? Qui ne verbo quidem uno contradicit Prophetæ : non opponit belli æquitatem; agi non de injuste acquirendo, sed juste recuperando regno. Non queritur injuriæ sibi factæ atrocitatem, ereptam maximi regni partem, interfectum quæstorem regium; se ipsum conviciis appetitum, et ad fugam compulsum. Non objicit collectum jam magno labore, magnisque sumptibus exercitum; si dimittatur, hostes in armis quamprimum fore, aut etiam jam esse, qui reliquam regni partem eripiant.

Militum animi divinitus permoti. 4 Oportuit utique Deum totum exercitum a pugnæ cupiditate divinitus avertere, metum et terrorem et victoriæ desperationem in corda eorum injicere, eisque certo persuadere se contra Deum ipsum, non contra homines pugnam capessere. Et huc videtur alludere Abia qui Roboamo patri successit in regnum, cum fatetur eum fuisse rudem, et corde pavido; ideo- 2. Paral. 13. 7. que neque Israelitis resistere potuisse. Accedebat non ignotum Roboamo et Principibus Ahiæ Silonitæ facinus et vaticinium. Nec forte miraculum aliquod 3. Reg. 11. defuit : quamquam et hæc ipsa tam inopinata cessatio ab armis, non exiguum prodigium fuisse videatur. Audierunt, *ergo*, sermonem Domini et reversi sunt de itinere, sicut præceperat eis Dominus.

5 *Cum deinde in omne flagitium præceps iret cum Proceribus suis Roboamus, triennio post, irato Numine,* ascendit, *inquit sacer scriptor* 2 *Paralip. cap.* 12, Sesac Rex Ægypti in Jerusalem (quia peccaverant Domino) cum mille ducentis curribus, et sexaginta millibus equitum : nec erat numerus vulgi quod venerat cum eo ex Ægypto, Libyes scilicet, et Troglodytæ, et Æthiopes. Cepitque civitates munitissimas in Juda, et venit usque in Jerusalem. Semeias autem Propheta ingressus est ad Roboam et Principes Juda, qui congregati fuerant in Jerusalem fugientes Sesac, dixitque ad eos : Vos reliquistis me, et ego reliqui *Semeias intrepide impios increpat.* vos in manu Sesac. *Viri sancti aspectu et oratione conterriti cum Rege Principes*, Justus est, *inquiunt*, Dominus. *Flexit ea submissio confessioque benignissimum Numen, ut tantisper furorem Ægyptii Regis compesceret, ne crudelius sæviret in populum, sed tributo urbi imposito, temploque ac regia spoliatis, domum abiret. Idque ab eodem denuntiatum est Semeia, divinorum interprete judiciorum.* Cumque vidisset Dominus, *inquit Scriptura*, quod humiliati essent, factus est sermo Domini ad Semeiam dicens : Quia humiliati sunt, non disperdam eos, daboque eis pauxillum auxilii, et non stillabit furor meus super Jerusalem per manum Sesac. Verumtamen servient ei *(pendendo nimirum tributo)* ut sciant distantiam servitutis meæ et servitutis regni terrarum, *etc.*

6 *Cetera* Semeiæ *acta in obscuro sunt, nisi quod eum* *Ejus scripta.* *quædam scripsisse constat, de quibus* 2 *Paralip.* 12, 15. Opera vero Roboam prima et novissima, scripta sunt in libris Semeiæ Prophetæ, et Addo Videntis, et diligenter exposita. *Verum hi quoque libri, a Jacobo Bonfrerio nostro, Præloquior. in Scriptur. cap.* 6, *sect.* 2, *sacris scriptis accensi, interciderunt.*

DE SANCTIS MARTYRIBUS

LUCIANO EPISC., MAXIMIANO PRESBYT.

JULIANO DIACONO BELLOVACI IN GALLIA BELGICA.

§ I. *S. Luciani et sociorum celebris in sacris fastis memoria.*

VIII JANUARII. *S. Lucianus Bellovacorum Apostolus.* *Bellovaci Galliæ Belgicæ populi inter Somonam, Æsiam et Sequanam amnes, mareque Britannicum siti, Christiana religione a* S. Luciano *instituti sunt; quem quidam* Presbyterum, *ipsi*, Episcopum *fuisse asserunt, itaque a majoribus traditum. Quia de ejus ætate aliqua est inter Auctores controversia, ut* § 2 *dicemus, visum hic est Martyrologiorum, quæ eum celebrant, verba dare, aliquam fortassis lucem allatura. Ex his illud patebit alterum ejus sodalium* Maximianum, Messianum, Massianum, Maxianum *dici. Antonius Loiselius testatur Bellovaci*, Messianum *passim appellari, et in Martyrologio illius Ecclesiæ* Messianum *scribi.*

2 *Beda :* Bellovaco sanctorum Martyrum Luciani et Messiani. MS. *Centulense, Bedæ præferens nomen, et* MS. *Ecclesiæ S. Mariæ Ultrajecti :* Civitate Bellovaco sanctorum Martyrum Luciani, Maximiani *(Ultraj.* Massiani) et Juliani. MS. *Ecclesiæ S. Lamberti Leodii, itidem sub Bedæ nomine :* Belvaco Sanctorum Luciani Presbyteri, Maximiani, et Juliani Martyrum, *Usuardus :* Belvacus Sanctorum Martyrum Luciani Presbyteri, Maximiani, et Juliani : quorum Maximianus et Julianus primo a persecutoribus gladio puniti sunt. Deinde B. Lucianus post nimiam cædem, cum Christi nomen viva voce confiteri non metuisset, priorum sententiam et ipse accepit. *Eadem habet Bellinus de Padua, et Martyrologium Romanum, nisi quod in hoc post illa*, Deinde B. Lucianus, *additur*, qui cum S. Dionysio in Galliam venerat. *Ejus et sociorum nomina in sacris tabulis* 8 *Januar.*

3 *Ado :* Belvaci Sanctorum Luciani et Messiani. *Notkerus :* Melloacia *(legendum*, Belloaci) S. Luciani, socii

Ex variis. socii B. Dionysii. Item Messiani. *Quædam recentiora* mss. *nomine Usuardi insignita vocant S. Lucianum* B. Petri discipulum; *alia* Antiochia cum S. Petro Romam venisse *aiunt, ut Andreas Saussaius in Martyrologio Gallicano, ubi prolixum ejus contexit elogium.* mss. *monasteriorum Lætiensis et S. Martini Tornaci :* Belvaco civitate natalis S. Luciani Episcopi et Martyris, qui ab urbe Roma egressus Galliarum civitatem Belvacensium perveniens, verbo prædicationis et miraculorum signis effulgens, multum ibi Domino populum acquisivit. Quem apparitores Juliani Imperatoris perquirentes, vinctis manibus cæsum decollaverunt. Cujus corpus exanime, ut fertur, se erigens, et manu propria caput sanctum abscissum apprehendens stabili gressu ad locum, quem vir sanctus funeri tradendum elegerat, deportavit. *Addit* ms. *Tornac.* Scriptum in gestis ejus. *Franciscus Maurolycus :* Belvaci Sanctorum Luciani Presbyteri, ac B. Petri discipuli : necnon Maximiani, et Juliani puerorum ab ipso conversorum, et baptizatorum : ex quibus primus Episcopus, secundus Presbyter, tertius Diaconus : quorum primus constantiam secutus, post eos a persecutoribus cæsus est, tempore Clementis Papæ. *Galesinius :* Belluaci, sanctorum Martyrum, Luciani Episcopi, Maximiani Presbyteri, ac Juliani : quos is religionis Christianæ præceptis instituit ac baptizavit. Fuit autem Lucianus Principis Apostolorum Petri discipulus, ab Clemente I Pontifice in Galliam missus, urbisque Belluaci factus Episcopus, multa millia hominum ab idolorum cultu ad Christi Domini fidem avocavit : vir extitit patientia admirabili, summaque abstinentia; herbis solum, et aquæ potu victitabat : quadragesimæ tempore bis cibum in hebdomada capiebat, cœlestis panis vi sustentatus. Decreto Domitiani Imperatoris cum Præfectus Julianus persecutionem teterrimam in Christianos exerceret, istius jussu illi duo primum capite plectuntur; deinde hic, in maxima tuendæ fidei constantia, excruciatus vehementer, eadem capitis pœna afficitur. *Meminere quoque horum sanctorum Martyrum Constantinus Ghinius,* ms. *Florarium, aliique.*

4 etiam ac 7 Jan. 4 *Petrus Lovetus Antiquitatum Bellovacensium lib.* 2, *cap.* 3, *scribit in quibusdam Martyrologiis,* vii *Januarii (quo die martyrio coronatum tradit) ejus extare memoriam.* iv *Januarii Rabanus et* ms. *S. Maximini Treviris isthæc habent :* Eodem die Passio Luciani Presbyteri et Martyris; qui missus a Roma prædicare verbum Dei in Galliis, martyrizavit sub Juliano Cæsare, in iisdem partibus occisus gladio, per cujus prædicationem multi conversi sunt ad fidem : ad cujus sepulchrum multa ostenduntur miracula, et sanitates fiunt plurimæ. *Eadem fere habet ad illum diem Notkerus.*

Item 15 Sept. et 16 Octob. 5 xv *Septembris, et* xvi *Octobr. aliqua facta S. Luciani ac sociorum translatio videtur, quæ et relata in Martyrologio. Nam priori die* ms. *monasterii S. Martini Tornaci isthæc habet :* Belvagiis translatio corporis S. Luciani. *Posteriori vero* ms. *Martyrologium Centulense :* Civitate Belvaco SS. Luciani, Maxiani et Juliani Martyrum. *Idem habent complura, quæ penes nos sunt* mss. *Kalendaria. Usuardi quoque editio Parisiensis an.* 1536. Eodem die Sanctorum Martyrum Luciani, Maximiani, et Juliani. Passa est etiam Maxima virgo cum eis. *Verum hoc de* Maxima *videtur incuria typographi adjectum, cum ea in Africa ab Geiserico cum* Saturiano *et* Martiniano *plurimos cruciatus perpessa, in cœnobio Virginum tandem placido fine quieverit, ut ad eum diem dicemus.*

§ II. *De S. Luciani ætate.*

S. Dionysii Parisiorum Apostoli socius fuit. Socius *fuit S. Dionysii Parisiorum Apostoli* Lucianus. *Illum Areopagitam fuisse, si non antiqui scriptoris certa auctoritate stabilitum, saltem constanti Gallicanarum Ecclesiarum receptum est traditione. Hanc convellere animus non est : quibus nitatur rationibus* ix *Octobris expendemus. Non desunt certe viri eruditi, qui omnino alium ab Areopagita asserant Dionysium illum Parisiorum Apostolum, S. Gregorium Turonensem secuti, qui lib.* 1 *histor. Francor. c.* 28, *ita scribit : Hujus (Sixti Papæ)* tempore septem viri, Episcopi ordinati, ad prædicandum in Gallias missi sunt, sicut historia, passionis sancti Martyris Saturnini denarrat. Ait enim : Sub Decio et Grato Consulibus, sicut fideli recordatione retinetur, primum ac summum Tolosana civitas S. Saturninum habere cœperat Sacerdotem. Hi ergo missi sunt : Turonicis Gratianus Episcopus, Arelatensibus Trophimus Episcopus, Narbonæ Paulus Episcopus, Tholosæ Saturninus Episcopus, Parisiacis Dionysius Episcopus, Arvernis Stremonius Episcopus, Lemovicinis Martialis est destinatus Episcopus. *Hanc S. Saturnini historiam dabimus* xxix *Novemb. in qua verba illa,* sicut fideli recordatione retinetur, *ostendunt esse perantiquam.*

An is Areopagita. 7 *Antonius Loiselius Commentar. Bellovac. c.* 3, *num.* 2, *huic Gregorii Turonensis sententiæ favere ait veteres Gallicas et Anglicas Legendas, et multa ipse quoque de hac quæstione disputat, propendetque in eam partem quæ negat Areopagitam Parisiis prædicasse. Joannes Savaro vir doctissimus, in Originibus Claromontanis profitetur idem se sentire, et in suis ad Gregorium Notationibus id solidis rationibus confirmaturum se spondet : an eæ Notationes prodierint, nos latet. Petrus Halloix Noster conatur Gregorii, ac Sulpitii Severi idem fere scribentis auctoritatem infringere, ac multa congerit argumenta, quibus probet Parisios ab Areopagita conversos : sed non difficile esset fortassis eorum pleraque refutare. Nam quem recitat Fortunati hymnum, suspicari forte quis possit post Ludovici Pii ætatem esse compositum, uti et S. Genovefæ vitam secundam, quam* iii *Januarii dedimus, cujus cap.* 4, *num.* 14, *dicitur* S. Dionysius *a Clemente Papa missus in Galliam. Nam quæ* xviii *annis ab ejus morte scripta fertur vita, ea an extet haud constat, ut in nostra isthic Præfat. num.* 2 *diximus.* not. 120.

Lucianisocius S. Quintinus : 8 *In vita S. Quintini Martyris, quam* xxxi *Octobris dabimus, isthæc habentur :* Hac itaque tempestate Beatissimus Quintinus, et Sanctissimus Lucianus Roma egressi, Domino ducente Gallias venerunt. Fertur etiam, sed et libelli de eorum certaminibus testantur, cum eis Sanctos Crispinum et Crispinianum, Ruffinum, Valerium, Marcellum, Eugenium, Victorianum, Fuscianum, Piatonem atque Regulum pariter advenisse, *etc. In omnibus* mss. *jungitur* Lucianus Quintino, *hic vero sub* Diocletiano et Maximiano *passus dicitur. Baronius in Not. ad Martyrologium duos propterea facit* Lucianos. *Lovetus* Quinctinum, Crispinum, Crispinianum, Piatonem *vult missos quoque a S. Clemente in Gallias : probat ex vita SS.* Sixti *et* Sinicii, *qui S. Petri discipuli fuisse dicuntur, primique Remorum Apostoli, apud quos cum parum se proficere cernerent, ad Suessiones se contulere, et benigne isthic ab iis quos SS.* Crispinus *et* Crispinianus *mysteriis nostræ religionis imbuerant, excepti sunt. At vita SS.* Sixti *et* Sinicii, *quam* 1 *Septembris dabimus ex duobus* mss. *habet eos tempore Diocletiani, occisis jam Crispino et Crispiniano, esse Roma in Galliam missos. Martyrologium Romanum discipulum quidem S. Petri* Sixtum *facit, sed sub Nerone occisum : sicque non potuisset ad urbem Suessionum venire post cædem eorum, qui demum Domitiano imperante isthuc advenissent, ut vult Lovetus.* *Quando is in Galliam venerit.*

Quando SS. Crispinus et Crispinianus. 9 Crispinum *et* Crispinianum *sub* Diocletiano et Maximiano *occisos esse non solum Martyrologium Romanum, sed eorum excusa et manu exarata Acta clamant, in quibus* Luciani, *sive* Lucii, Quintini, Ruffini, Valerii, Eugenii *mentio fit, dicunturque omnes* Romæ claris orti natalibus. *Ea* xxv *Octobr. dabimus. De S.* Piato, *vel* Piatone, *constantior nostratium scriptorum sententia est, ut* 1 *Octobris dicemus, sub Maximiano subiisse*

subiisse martyrium; itaque tradunt Molanus, Buzelinus noster, Miræus in fastis Belgicis et Chronico. S. Paschasius Ratbertus in vita SS. Valerii et Ruffini, scribit eos cum Quintino, Crispino, Crispiniano venisse ab urbe Roma, sed non cum Dionysio. De ceteris singillatim suis locis agemus. De Dionysio et Luciano, *illud unicum nunc statuimus.* Non liquere. *Interea, quia sic expedit, dum certius quid reperiamus, sequemur Ecclesiarum Gallicanarum traditionem.*

§ III. *S. Luciani vita, aliorum testimonia.*

Vita S. Luciani ab Odone Episc. scripta.

Antonius Loiselius Commentar. Bellovac. cap. 3, *scribit in* S. Luciani *cœnobio receptam opinionem esse, ejus ac sociorum res gestas ab Odone I Episcopo Bellovacensi esse conscriptas. Sedit Odo temporibus Caroli Calvi, ex Abbate Corbeiæ assumptus, ut patet ex Epistola Nicolai Papæ ad Trasulfum Abbatem Corbeiensem et aliis tom.* 3, *Concil. Galliæ. Triplicem* S. Luciani *historiam nacti sumus : primam nobis ex* MS. *monasterii* S. Luciani *juxta Bellovacum, transmisit Petrus Lovetus V. CL. Extabat eadem in* MS. *monasterii S. Maximini Treviris, sed plerumque ampliata; cui similem aliam habuisse, cum suos rerum Bellovacensium Commentarios scriberet, eumdem Lovetum video. Priorem tamen dare maluimus, quod probabilius sit genuinam esse, atque ab Odone scriptam :* 1, *quia ex codice illius cœnobii, ubi ea viget traditio.* 2, *quia eadem quæ in hac habentur verba, citat Loiselius ex vita cujus Odonem auctorem putat.*

Aliæ aliquot.

Alteram exhibuit nobis MS. *monasterii S. Mariæ de Ripatorio nobis a Petro Francisco Chiffletio nostro commodatus, cui congruit quæ in Nicolai Belfortii schedis extat. Eam a Monacho quopiam, viro erudito, scriptam putamus. Tertia brevior extat in Bonino Mombritio, Agonibus Martyrum, Vincentio Bellovac. lib.* 10, *c.* 25 *et* 26. *S. Antonino par.* 1, *tit.* 6, *cap.* 26, § I. *Aliam quandam; et, ut conjicio, luculentiorem, citat Lovetus lib.* 2, *cap.* 1, *ex* MS. *codice S. Michaelis Bellovac, ex eaque tradit, cum Julius Vindex contra Romanos Neronis tempore rebellaret, extructam esse arcem Bellovacensem. Citat priorem vitam ex* MS. *monasterii S. Victoris juxta Parisios, et* MS. *Belvacensi, Papirius Massonus, lib. de fluminibus Galliæ, qui et aliam testatur Græcam extare.*

Qui de eo agunt scriptores.

11 *Brevem S. Luciani vitam habet Petrus de Natal. lib.* 2, *cap.* 55. *Gallicam fusiorem Renatus Benedictus. Meminit* Luciani *Metaphrastes in vita S. Dionysii his verbis :* Quemdam ex iis qui cum eo versabantur, inclytum inquam Lucianum, qui etiam Presbyteri dignitate erat ornatus, (eum enim sequebantur multi ex iis qui virtutem amplectebantur : simile enim, ut dicitur, simili gaudet) misit ad civitatem insulæ Belvacensis, prædicaturum pietatem. *Scribere debuisset :* Ad civitatem pagi Belvacensis. *Methodius in ejusdem Dionysii vita :* Aquitaniæ partibus misso S. Saturnino ipse cum S. Luciano, et S. Rustico, et S. Eleutherio Lutetiam Parisiorum venit. Sanctus autem Lucianus Presbyterii honore ornatus, ad Bellovacorum urbem missus est, qui etiam infidelibus populis veritatis Evangelium prædicaret. *Recenset* S. Lucianum *inter cæteros Galliarum Apostolos Petrus Venerabilis, tractatu contra Petrobrusianos.*

Ejus reliquiæ :

12 *Caput* S. Luciani *et alterum brachium asservantur in monasterio S. Luciani ad ipsa fere urbis Bellovacensis suburbia; reliquum corpus in æde cathedrali, thecæ inclusum S. Eligii industria fabrefactæ, ut in hujus vita testatur S. Audoenus lib.* 1, *cap.* 32. *Illud vero monasterium a Chilperico Rege ædificatum, aut restauratum tradit Loiselius. Episcopi Belvacenses adituri Episcopatus possessionem, tenentur noctem in hoc cœnobio transigere : quo deinde ritu a civibus et Clero excipiantur, exponit eodem cap. Loiselius.*

NOT. 121. *sociorum.*

13 *Sanctorum quoque* Maximiani *et* Juliani *reliquias eleganti thecæ a se confectæ inclusit S. Eligius, ut eodem loco testatur S. Audoenus. Cum parum honesto tumulo in loco martyrii sui conditæ essent* S. Maximiani *reliquiæ, apparuit* S. Lucianus *S. Eberulpho Abbati S. Fusciani juxta Ambianos, de quo* XXV *Julii, eumque monuit ut sacras Martyris exuvias ipso cædis loco pervestigaret et cum suis reconderet. In preces se cum Fratribus dat Eberulphus, ac deinde montem Millium petit, terram fodit, Martyris invenit sepulchrum, e quo divina quæ-* *S. Maximiani inventæ.* *dam suavitas odoris exalavit, omnemque late locum complevit. Sacras reliquias inde quo jussus erat transtulit, cumque* S. Luciani *pignoribus collocavit : quo tempore multorum variæ curatæ cœlesti virtute ægritudines, aliaque edita sunt prodigia. Hæc Chilperici, qui tetrarchiæ suæ sedem apud Suessiones habuit ab anno* DLXII *ad* DLXXXIV *temporibus, gesta sunt, narranturque a Loveto lib.* 2, *cap.* 19. *Extat* S. Maximiani, *sive* Messiani *nomine Prioratus medio milliari a* S. Luciani *Abbatia distans, eoque putantur loco trucidati, Loiselio teste.*

VITA.

AUCTORE ODONE EPISC.

Ex veteribus MSS.

CAPUT I.

S. Lucianus mittitur in Gallias.

Christus in Martyribus vincit, et eorum laudibus honoratur. Joan. 16. 33.

Pretiosorum Martyrum victorias et gesta, Fratres carissimi, enarrare, nihil aliud est, quam laudes Christi dicere, et triumphum virtutis ejus in suis Martyribus ad gloriam sui nominis prædicare : quoniam in omnibus ipse victor exstitit, qui ait suis : Confidite, quia ego vici mundum. Ergo in omnibus benignissimus ipse Jesus vicit, qui pro omnibus solus prior pugnavit. Et ideo sancti Martyres tanto proximiores sunt Christo præ omnibus honorificati in gloria, quanto imitatores ejus fuerunt in passione. *a* Ipsi siquidem suppleverunt quæ deerant passionibus Christi : et ideo iterum jure dicitur in his omnibus Christus passus, quia ipsi membra ejus erant. Unde et in ipsis rursus recte victor prædicatur, quia toties per eos vicit, quotiescumque Martyr in passione pro Christo victor occubuit. *b* Oportet itaque nos laudare viros gloriosos, quorum doctrinis longe lateque per orbem gloriosa Christi refulget Ecclesia, et ipsi sub ara Dei, amicti stolis candidis cruore proprio purpurati, et in Christi sanguine dealbati, feliciter requiescunt.

2 De quorum collegio exstitit Beatissimus Lucianus insignis et goriosus Martyr : *c* quem ipso fontis lavacro, *d* divina perfudit gratia, ita ut ex eventu rei daretur indicium, quod magnus futurus esset pro merito sanctitatis in populo. Lucius enim a progenitoribus secundum carnem est vocatus, *e* a magno Consule Lucio trahens non solum carnis originem, verum etiam et vocabulum. Sed demum per gratiam sancti Spiritus, more sanctorum Patrum, in melius commutatum est nomen ejus; ut qui erat parentibus dictus Lucius, diceretur Deo postea per gratiam aucto nomine Lucianus : quatenus ex hoc patesceret indicium, quia in nova luce progenitus ipse lux factus in Domino, tandem eandem lucem, qua renatus erat in Christo, una cum ceteris sanctis viris prædicare primum deberet in gentibus. Claret igitur Romanum eum fuisse genere, nobili ex prosapia : sed nobilior factus est in spiritu, quia per adoptionem gratiæ inventus est æterni Regis filius. Quod si quæritur ab eo, cujus institutus sit doctrina, et eruditus magisterio; vere Petri Apostoli discipulus fuit, et in ejus fundatus fide, atque cælestibus imbutus disciplinis : quod satis series gestorum, tempus, et ordo loquuntur. *f* Conversatus est autem jam renatus in Christo perfectus tiro Christi Romæ positus, ac si in castris militaribus; ut quandoque egressurus ad gentes strenuus haberetur bellator, et propugnator in fide fortissimus.

a

b

c

d

e

S. Lucianus puer baptizatur, ante Lucius dictus.

Romanus erat, S. Petri discipulus.

f

3 Cum autem enutritur doctrina Dei in virum perfectum,

AUCTORE ODONE EPISC. EX MSS.

fectum, factum est ut inclytus Martyr Dionysius Christo duce Romam deveniret : *g* ubi postexcessum Apostolorum jam B. Clementem Pontificem Apostolicæ Sedis apicem gubernantem invenit. A quo idem S. Dionysius, qui et Macarius, officiosissime est susceptus, et digno honore satis venerabiliter habitus, tam pro suæ sanctitatis merito, quam et propriæ vitæ longa jam diu familiaritate in Christo. Unde et apud eumdem summum Pontificem non parvo temporis spatio conversatus est, ut se mutuis recrearent aspectibus, et divinis se refoverent colloquiis, atque suis se vicissim corroborarent virtutum exemplis. Cui inter quamplura scripturarum sanctarum colloquia B. Clemens divino afflatus spiritu ait: Videsne, mi frater carissime Dionysi, quanta est messis in gentibus Dominicæ sationis, et quam pauci sunt operarii in verbo divinæ prædicationis? Quia ergo de omnibus Catholicæ fidei sufficienter es eruditus doctrinis, et omni religione Christiana imbutus, atque virtutibus corroboratus; perge, rogo, in nomine Domini Jesu Christi ad occiduas partes, ut bonus miles, et præliare contra hostes immanissimos prælia Domini Dei tui.

g *S. Dionysius Romam venit:*

mittitur a S. Clemente in Gallias.

4 Quibus ita edictis, cum jam ad hoc Beatissimus Dionysius assensum præbuisset proficiscendi; cœpit S. Clemens socios ei quærere et adjutores strenuos in verbo, nec non in vita et sanctitate idoneos, ministros quoque divini officii præcipuos et quam plures : inter quos etiam elegit idem Pontifex in sanctitate hunc probatissimum virum Lucianum consortem quem et *h* ordinavit Episcopum, quia fuerat sub doctrina Petri Apostoli ad fidem penitus institutus, ut non deessent singula Ecclesiasticæ disciplinæ officia inter tam probatissimos viros. Quem ideo, quia antiquior Christi et Petri fuerat discipulus, ita consociavit S. Dionysio ut ejus esset interpres, et ceteris quasi Pater venerabilis et egregius magister in doctrina et religione sanctitatis. Quibus ita dispositis inter quam plurima doctrinæ Christi instituta et monita pietatis ad ultimum eos ita alloquitur, dicens : Ite carissimi et fortissimi ac strenui bellatores Christi : et sicut fuit Dominus cum sanctis Patribus nostris Apostolis, et cum eorum cooperatoribus; ita sit vobiscum in omnibus operibus verbi divini. Vos enim, inquit, maximam et innumerabilem plebem Domino acquisituri estis ex gentibus, et introducturi in terram repromissionis. Sicque post multa singulis contradita et omnibus simul reserata fidei Sacramenta; dans pacem omnibus, ita eos absolvit, et jussit sanctam illam fraternitatem in pace abire.

Adjungitur ei S. Lucianus.

h

a *Ita nempe S. Paulus epistolæ ad Colossenses* 1, 24. Adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea, pro corpore ejus, quod est Ecclesia.

b MS. *S. Max. quædam hic interjicit de imitandis, qui laudantur, Martyribus.*

c *Addit.* MS. *S. Max.* qui olim a pueritia sacro baptismate a Domino est consecratus, et cælestibus disciplinis plenissime eruditus. *Lovetus lib.* 2, *cap.* 2, *ait a S. Petro Romæ conversum. Benatus Benedictus, ex Oriente cum S. Petro Romam venisse.*

d *Addit.* MS. *S. Max.* sicut ipse suis declarat responsis.

e *Lovetus diserte* filium Lucii Consulis *vocat. Multi prænomine* Lucii *Consules fuere S. Petri Apostoli ætate, uti etiam sequentibus sæculis.*

f *Græce et Latine doctissimum fuisse scribit Lovetus, et* MS. *S. Max. in quo et de ejus constantia zeloque et aliis virtutibus nonnulla subduntur. Saussaius ait, post Petri mortem diversa Italiæ loca perlustrasse, ac late verbi divini sementem dispersisse.*

g *Lovetus scribit Dionysium Romam venisse, ut Petrum et Paulum captivos viseret; sed cum appulit reperisse illis interfectis Clementem jam Pontificem creatum : cum a Petri cæde ad Clementis electionem plures fluxerint anni, Pontificatum gerentibus Lino et Cleto, ut de hoc dicemus* XXVI *April. de illo* XXIII *Septemb. at de Clemente agemus* XXIII *Novembr.*

h *Alii a S. Dionysio; Martyriologia Silvanectensia, teste Loveto, a S. Regulo Episcopum consecratum tradunt.*

CAPUT II.

In Italia prædicat, venit Arelaten.

Qui simul pergentes ac prædicantes primum per omnem Italiam verbum Dei, antequam Ticinum appropinquassent, *a* quodam in loco non multum longe a civitate, quæ dicitur Parma, in via visum est Beatissimo Luciano, ut Evangelizaret populo eodem in loco verbum Dei; et revocaret eos a vana superstitione et cultura idolorum, propter illud quod canitur in psalmo : Euntes ibant et flebant mittentes semina sua; et quæ acceperat acsi fidelis dispensator erogaret in populo. Sed homines loci illius cum essent adhuc gentiles, et nimium idolorum cultibus implicati, injurias deorum suorum non ferentes, neque sibi verbum Evangelizari divinum; mox apprehendunt sanctissimum Lucianum, et contumeliis affectum posuerunt eum in custodia publica, quæ adhuc hodie monstratur omnibus eo in loco transeuntibus. In qua cum ingrederetur, magno psallebat cum gaudio, ita dicens : Deduc me Domine in via tua, et ingrediar in veritate tua, atque illud : Perfice gressus meos in semitis tuis, ut non moveantur vestigia mea.

a *S. Lucianus juxta Parmam prædicat:*

Psal. 125. 6.

conjicitur in carcerem:

6 Sicque vir sanctus in hac se agebat custodia, quasi sub umbra alarum Dei et totus in spe protectionis Christi positus orabat Dominum, ita decens : Educ Domine de custodia animam meam, ad confitendum nomini tuo; quoniam me expectant justi : ut per me, Christe salvator mundi, ad te justificentur ex gentibus, qui prædestinati sunt ad vitam. Cum talia et hujuscemodi beatus et sanctus corde Domino decantaret; mox petitio ejus penetravit cælos, ne sine suis remaneret in via, qui cum eis optabat ire ad passionem, et pervenire ad quos missus fuerat. Non itaque præclarus athleta Christi refugiebat pro Christo vitæ dispendium percipere; sed rogabat devotus, ut prius faceret fructum sibi a Domino repromissum, et tum demum cum multo fœnore messis perveniret una cum sociis suis ad palmam martyrii, et ad vitæ præmium. Cui itaque mox adfuit divina virtus in adjutorium. *b* Erant ibidem jam quidam Christiani, quos tetigit divina virtus : scientes quod factum fuerat in sancto viro, venerunt nocte ad eum in carcerem, et arte qua potuerunt pro Christi amore absolverunt eum de ergastulo, atque una cum sanctis suis commilitonibus liberum abire fecerunt.

b *educitur a Christianis.*

7 At vero illa sancta societas prosperis successibus hinc inde Ticinum veniunt *c* ad regiam Italiæ civitatem. Ibi siquidem paullulum requiescentes, non cessabant a laudibus divinis, neque deficiebant ubi vel ubi prædicare verbum Dei, ita ut cerneres eorum prophetiam, quia speciosi pedes Evangelizantium pacem, Evangelizantium bona. Huc illucque discurrentes confidenter agebant, confisi ex Dei auxilio. Ibant igitur gaudentes memores eorum quæ in Actis leguntur Apostolorum, quoniam et ipsi jam participes erant facti passionum Christi, et digni habiti pro ejus nomine contumelias pati. Qui simul pergentes, nullus est qui edicere queat quot millia hominum conversi sint in tempore ad Christum : et prædicabant evangelizantes omnibus verbum salutis. Comitabatur autem eos virtus divina, ita ut cernentes eos acsi cæli cives, et agnos inter lupos, signis et virtutibus coruscare, portantes et illuminantes Dei electorum animas.

c *Apud Insubres prædicat.*

Rom. 10. 15.

Isa. 52. 7.

Act. 5. 41.

8 Sicque tandem exeuntes ab Italia, ingressi cursu prospero mare flantibus ventis, navigio pervenerunt, ubi eos Spiritus sanctus recto perduxit itinere, et portui appulerunt Arelatensium civitatis alacriter cum gaudio. Qui exeuntes de navi, hospitio recepti sunt ab incolis ejusdem civitatis, qui eis non modicam præstabant humanitatem. Ubi cum essent pariter aggregati, more sanctorum Apostolorum cœperunt ibidem simul conquirere, singuli quas partes in prædicationem eligerent, quive pariter juncti ire deberent. Sicque factum est ut *d* Marcellinum Sanctissimum cum paucis, ut fertur, ad Hispanias mitterent; *e* Saturninum vero Tolosam dirigunt, *f* acsi ad Aquitaniæ caput, ut longe lateque æterni regni Evangelium propagarent

Appellit Arelaten.

d

e

f

rent in gentibus, et plantarent Ecclesias Christi passim usque ad Oceanum Britannicum. *g*

a Fidentiæ Juliæ, *ut mox patebit, inter* Parmam *et* Placentiam.

b MS. *S. Max. et Lovetus ex alio* MS. Erat enim ibidem jam Christi discipulus, Domninus nomine, qui perfectus adhuc hodie Confessor Christi in eodem loco, pro talibus hujuscemodi operibus requiescit in corpore gloriosus. Nam et ipse locus ex ejus nomine vocabulum sumpsit, etc. *narrat ab eo eductum nocte* Lucianum *e carcere, in quem ipse idcirco postridie ab accolis conjectus sit. Eadem refert Saussaius, nisi quod Parmæ velit ista contigisse. Verum hæc si ab Odone scripta fuere, non miror in aliis exemplaribus esse omissa. Nam sive S. Clementis ætate, sive Decii temporibus venit in Galliam* Lucianus, *non potuit eum S.* Domninus *capitis sui periculo liberare, qui, ut* IX *Octobris dicemus, annis post Decium quadraginta, Maximiani Cubicularius erat, ibique pro Christi fide interfectus, loco deinceps nomen fecit, qui jam* Burgum S. Domnini *dicitur.*

c *Non nisi Gothorum temporibus regia urbs fuit* Ticinum, *sive* Papia. d *Hunc omittit Lovetus, nec satis mihi constat quis fuerit, nisi forte S. Eugenius Marcellus primus Toletanus Episcopus, qui S. Dionysii discipulus fuisse traditur, coliturque* XV *Novemb.*

e *Ast Martyrologium Romanum, Ado, aliique* Decii temporibus *Tolosæ occisum tradunt, et consentiunt Acta quæ* XXIX *Novembr. dabimus; refragante Ecclesiæ Tolosanæ traditione, ut patet ex Guilielmo Catellio lib.* 3, *Historiæ Occitanæ.*

f *Non est* Aquitaniæ *civitas Tolosa, sed* Galliæ Narbonensis. *Ideo autem vocat Auctor* Aquitaniæ caput, *quia Aquitaniæ Reges Aripertus Dagoberti frater, et Ludovicus Pius, sedem regiam Tolosæ fixere. Plura de his Catellius.*

g *Lovetus plures enumerat eorum socios, variis populis datos Evangelii præcones, S.* Regulum *Arelatensibus,* XXX *Martii fastis sacris adscriptum;* Ursinum *Biturigibus, qui Nathanaelem fuisse volunt,* IX *Novembris, et* XXIX *Decembr.* Clementem *Metensibus,* XXIII *Novembris;* Crescentem *Viennensibus* XXVII *Junii, quamquam tradant hunc ante Clementis Pontificatum martyrio coronatum;* Andochium *Æduis* XXIV *Septembris, quem tamen Martyrologium Romanum et alii tradunt a S. Polycarpo missum in Galliam;* Benignum *Lingonibus* I *Novembris, sed et hic Polycarpi discipulus dicitur fuisse;* Austremonium *Arvernis* I *Novembr. repugnat Savaro, et ipse Arvernus, omninoque contendit non nisi Decio et Grato Coss. venisse isthuc Austremonium;* Frontonem *Petragoricis* XXV *Octobris, vita habet a S. Petro missum in Gallias;* Eutropium *Santonibus* XXX *Aprilis;* Mellonum *Rotomagensibus* XXII *Octobris. ast hic a Stephano Papa tempore Aureliani Episcopus creatus dicitur : (rectius cum aliis auctoribus* Nicasium *scriberet Lovetus, de quo* XI *Octobris;)* Taurinum *Ebroicensibus* XI *Augusti;* Valerium *Treviris* XXIX *Januarii, sed hunc a S. Petro ad se missum Treviri aiunt;* Mansuetum *Leucis* III *Septembr. sed hunc quoque a S. Petro missum Adso Abbas in ejus vita scribit; Carnutibus* Caraunum XXVIII *Maii.*

CAPUT III.

Bellovaci prædicat; SS. Maximianus et Julianus martyrio coronantur.

Quibus ita dispositis B. Dionysius, qui et alio nomine Macarius pro nimia sanctitatis religione est vocatus, qui et honorem Apostolatus tradente B. Clemente susceperat, et privilegium prædicandi in gentibus, secum adhuc sacratissimum Lucianum retinuisse noscitur, donec Lutetiam *a* Parisiorum oppidum perveniret. Unde paucis secum retentis S. Lucianum, quem sibi nobilitas fidei sociaverat, fidesque Christi germanum fecerat, probitas vero mox et instantia conjunxerat, cum *b* S. Maxiano Presbytero et Juliano Diacono, Evangelizandi gratia Belvacus misit : quo custodia Romanorum et militaris exercitus, ut legimus, residebat, quoniam gens Belvacensium semper bellicosa fuisse narratur. Unde solummodo, sicut in historiis continetur publicis, ex eodem pago *c* sexaginta et eo amplius armatorum millia exisse leguntur obviam ad prælium contra Julium Cæsarem, et contra Romanorum exercitum una cum reliquis Galliarum concivibus. Et ideo propter *d* custodiam ceterarum civitatum Romanus tunc temporis versabatur exercitus.

a *Bellovacum mittitur.*

b

c

d

10 Contra quam feritatem utrarumque gentium fortissimus athleta Christi, solatio fretus discipulorum, non est perterritus venire Christi præcinctus armis, ac divina gratia corroboratus. *e* Erat enim fide constantissimus, sermone facundissimus, et virtutibus cunctis admirabilis. Cœpit igitur prædicare nomen Domini, potestates aerias debellare, Christique Ecclesiam plantare. Spiritus quoque sancti gratia debriatus, non minus exemplis instruebat populum, quam verbis. Accedebat namque virtus miraculorum, et omnes morbos per virtutem Domini depellebat. Tantam enim gratiam in effugandis acceperat dæmonibus, ut imperio ejus audito, mox a corporibus decederent obsessis. Et diebus ac noctibus prædicando non cessans perseverabat adstruere verum et unum Dominum. Semper enim erat occupatus in oratione et *f* officio divino, in vigiliis plurimis, et jejuniis quotidianis, in abstinentia ciborum, et in omni afflictione carnis, qua se quotidie marcerabat, quatenus juxta Apostolum se hostiam vivam, beneplacentem, Christo Domino exhiberet. Unde assiduus ei victus nullus alius erat, nisi modicus panis, esusque herbarum, et aqua frigida potus. Sustentabat autem eum virtus divina, ac membra debilia Christi gratia roborabat : sic quippe anhelabat Beatus pervenire ad palmam martyrii, ut jam mundo mortuus crucem portaret quotidie post Christum Dominum : quia pro certo noverat duo esse martyrii genera, unum siquidem in occulto, aliud vero in manifesto, et idem primum istud ferebat in abscondito, (quamquam manifesta esset omnibus virtus abstinentiæ) ut ad illud perveniret postmodum a Domino coronandus. Erat enim mortificatione carnis confectus, patientia decorus, mira humilitate fundatus, mansuetudine repletus. Unde tanta circa eum excreverat virtus bonorum operum, ut in terris adhuc in corpore positus, cum Angelis jam spiritu videretur conversari in cælis. Hinc erat quod semper vultu placidus videbatur, et mente tranquillus, mira canitie decoratus, ut totus moribus et corpore probaretur conspicuus atque præclarus.

e *Verbo, exemplis, miraculis docet.*

Auctore Odone Episc. ex mss.

f *Ejus pietas, et mortificatio.*

Rom. 12. 1.

11 Sed cum ejus fama longe, lateque percrebuisset, veniebant ad eum plurimi ut ab eo baptizarentur in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Destruebantur idola, a quibus fuerant fabricata. Unde hostis antiquus videns sibi deperire, quos Christus per suos acquirebat famulos, tota artificii sui machinamenta ad impugnandam sanctam Dei Ecclesiam convertit : *g* et Domitianum, qui post Neronem perditionis filium secundam persecutionem in Christianos exercuit, ita inflammavit, et ad tantam rabiem indignationis commovit; ut ubicumque in universo Orbe Romano Christiani invenirentur, cogeret aut diis sacrificare, aut diversis cruciatibus affectos crudeliter interfici. Ex quo per totum sibi subjectum orbem in cunctis civitatibus, oppidis, municipiis quoque et vicis publicum pependit edictum, ut omnes ministri Reipublicæ Christianos idola colere compellerent, et sacrificare diis, aut diversis pœnis perimerent.

Secunda persecutio sub Domitiano.

g

12 Diriguntur proinde huc illucque persecutores Christiani nominis; inter quos *h* Fescenninus Sisinnius ad Gallias una cum reliquis apparitoribus ocyus venire jubetur, ad perquirendos Christi milites, maxime eos qui Roma dudum exierant, quorum fama jam excreverat, quatenus nomen Christianorum a Galliis pellerent. Tunc siquidem missi sunt tres atrocissimi viri, *i* Latinus scilicet, *k* Jarius, et *l* Antor, specialiter ad perquirendum sanctum Dei famulum Lucianum cum suis executoribus; ut ubicumque eum reperissent, aut Præsidis eum audientiæ præsentarent, aut gladio mox feriretur, si nollet idolis immolare. Cumque civitates et loca præfati viri perlustrassent, nequaquam continuo repererunt. Interea pervenit ad eos fama viri Dei, quod prædicando æterni regni Evangelium Belvacensium plebem occupasset. Quo audito, magis magisque ira et indignatione succensi, illuc cursu celerrimo properarunt.

h *Fescenninus Sisinnius venit in Gallias.*

S. Lucianum perquirit. *i k l*

13 Ad quam paullo antequam pervenissent, sentiens eos beatus Martyr, revelante sibi Spiritu sancto, in proximo esse, perstitit in loco quo docebat populum verba vitæ, et cum eo multitudo maxima, quæ jam erat per prædicationem beatissimi viri Dei ad fidem Christi conversa. Exhortabatur autem eos tanto attentius, quanto securior de gloria æternæ retributionis,

AUCTORE ODONE EPISC. EX MSS.

retributionis, dicens : Ecce, fratres et filii carissimi jam mihi Dominus meus Jesus Christus laborum meorum fructus et præmia olim repromissa donare dignabitur. Unde, dilectissimi, perseverate fortes in fide Christi : quoniam ego jam nimia senectute lassatus, cum palma martyrii gaudens ad Christum ire festino. Vos autem in accepta gratia stabiles perdurate. Non vos terror Principum a fide Christi subvertat, non minæ deterreant, non suasio blandimentorum decipiat, non ulla promissorum facultas revocet; ut ibi vos æterna gaudia recipiant, ubi sunt ineffabilia vobis præmia præparata; ad quæ ire intrepidus festino, et ideo sævitiam persecutorum non pertimesco. His ita dictis elevatis oculis in cælum, gratias egit Deo coram omnibus, qui eum dignatus est computare cum sanctis Martyribus, et a suis sanctis sociis non dividere. Gratias, inquit, tibi ago Domine Jesu Christe, fili Dei vivi, qui me cum B. Dionysio ejusque sociis in fine consociasti, et laboribus coæquasti. Unde peto ut me digneris in eorum numero computare, et regni tui consortem fieri.

S. Lucianus suos ad constantiam hortatur.

Matth. 10. 23.

14 Quibus ita per oratis egressus ab urbe Belvaco juxta Domini præceptum paullulum secessit a civitate, non timore supplicii, sed ut juxta Domini præceptum exemplum præberet gregi. Sicque iter faciens cum beatis Martyribus, Maxiano scilicet et Juliano, non cessabat a colloquiis divinis et orationibus per omnem viam, donec perveniret ad montis cacumen, quo tendebat, *m* qui mons situs est secus amnem Tharæ ab urbe ferme tribus distans millibus. Ubi cum venisset, quasi civitas supra montem posita latere non poterat, quoniam et ipse mons pulchrum super fluvium populis præbet prospectum. Ibi itaque quasi in specula positus ipse vir beatissimus suam exspectare decrevit martyrii coronam.

Secedit ad montem Millium.

m

15 Interim milites præfati celeri volatu perveniunt ad civitatem Belvacum : ubi cum sanctum Dei Lucianum requisissent, non invenientes, diligentius perscrutari cœperunt, quo abisset. Quibus dictum est, quod non longe ab urbe populum doceret. Illi vero continuo reascensis equis subito pennigero equitatu adierunt montem, ubi vir Dei cum populo et suis morabatur discipulis. *n* Quo pervenientes ante ullam interrogationem judiciariæ potestatis comprehenderunt Sanctos Dei, Maxianum scilicet atque Julianum. Forte ut eorum pœnis sanctum senem deterrerent, et revocarent ad culturam Deorum. Quibus comprehensis præcipiunt cum auctoritate regia cum omni furore, idolis immolare : Alioquin, inquiunt, nisi sacrificaveritis diis immortalibus, gladio vos mox puniri jubemus. Illi autem fortes in fide dixerunt, numquam se idolis, quia vana sunt, et opera manuum hominum, immolare : Quoniam novimus, dicunt, unum et verum Dominum Jesum Christum filium Dei vivi, pro cujus fide parati sumus mori. Quibus auditis continuo coram Beatissimi Luciani obtutibus jusserunt eos gladio puniri. Quibus ita patratis promissas sibi a Domino immarcescibiles perceperunt coronas, et in numero sanctorum Martyrum, cum pace sunt recepti. Pro quorum gloria B. Lucianus Dominum collaudans voce gratulabunda coram omnibus dixit : Exulto et jucundor in te Deus meus, quia filios meos me præire ad coronam intueor.

n

Comprehenduntur Maximianus et Julianus :

plectuntur capite.

a MS. *S. Max. addit isthic mansisse Dionysium, quod ibi* amplius fervere immanitatem erroris cognovit.

b MS. *S. Max. et Lovetus habent, eos a S. Luciano fuisse conversos, eique adhæsisse, hic gente Bellovacos facit.*

c *Cæsar lib.* 2, *de bello Gallico scribit centum millia eos conficere posse, atque in Belgarum concilio contra Romanos* 60000 *pollicitos.*

d *Addit* MS. *S. Max. et Lovetus,* propter insolentiam eorum, seu propter custodias cæterarum, *etc.*

e *Hic plurima interjiciuntur in* MS. *S. Maximini, de ejus virtutibus, miraculis, plurimisque ab eo et* Maximiano *ac* Juliano *conversis, in urbe, vicis, ac villis; atque hæc inter alia, quæ ex quopiam alio* MS. *recitat quoque Lovetus :* In quibus profecto laboribus interdum, etsi fessus videbatur senio, vigore mentis, et virtute Spiritus sancti confortabatur; ut posset dicere cum Apostolo : Fortis sum et omnia possum in eo qui me confortat. Ad hoc quippe hi sancti viri tam contiguas atque affines in prædicatione Evangelii sibi elegerant partes, quo possent de proximo divinis quam sæpe consolari eloquiis, mutuisque se repræsentare adspectibus. Ideo quibus erat cor unum, et anima una, unaque caritas divini amoris, quia simul esse non poterant propter commissa sibi prædicationis officia, lucraque animarum; neque longe diu ferebant, ut se vicissim sacris recrearent alloquiis. Unde adhuc hodie monumenta monstrantur B. Dionysii, publica, quæ ejus ex nomine vocatur, via, per quam, ut fertur, venire consueverat summus Pontifex, ut has sua præsentia illustraret partes, sanctumque senem et beatissimum Lucianum suo refoveret aspectu, et pariter quantisper decertantes curabant verbo feritatem gentilium ad veri Dei dirigere servitutem.

Visunt se invicem Dionysius et Lucianus.

f *Constans Bellovaci traditio est, ædes, in quibus olim divina officia celebrare consueverat, consecratas deinde in ecclesiam ejus primum, deinceps S.* Nicolai *nomini sacram : inque ejus rei memoriam illius festo die Missa fit supra primum magni altaris fornicem.*

g *Cœpta erat Domitiani persecutio prius quam in Gallias veniret Lucianus, si Clemente Pontifice venit : sed fortassis edicta nondum in omnes perlata erant provincias.*

h *Sub hoc martyrium subiisse S.* Dionysius *traditur. Lovetus scribit Sisinnium intellecta Domitiani morte in Urbem rediisse; Julianum vero Præsidem quendam sævire in Christianos perrexisse, atque ab hujus satellitibus occisum esse S.* Lucianum. *Renatus Benedictus negat jurisdictioni ejus subjectos fuisse Bellovacos, misisse tamen eo milites ad hanc cædem perpetrandam. De tempore cædis S. Dionysii alibi : Baronius sub Trajano, alii sub Hadriano eam volunt contigisse.*

i *Alii* Jachinus, *Vinc.* Jacinus. *Petr. de Natal.* Latrinus.

k MS. *S. Max.* Januarius. *Petr.* Larius.

l *Vinc. et Petr.* Antrus, *Belfort.* Andrus, *Mombr.* Antius. *Lovet.* Anterus. MS. *S. Max.* Auctor.

m *Papirius Massonus de fluminibus Galliæ :* In Bellovacis Picardiæ populis, qui late patent, Tharam majorem, et Therinam minorem amnes omittere non debeo. Uterque ab occasu profluit, uterque in orientem fertur; quod rarissimum est. Milliacum autem locus est Bellovacorum, Castellania hodie a Claromonte dependens, ad Regesque pertinens, certa tamen ex parte ad Hadrianum Boflerium egregie nobilem, cujus domicilium indicamus esse in Bellovacis vico Cagnio. Hi duo fluvioli concurrunt atque confluunt, et aquas suas permiscent, abundantque troctis et cancris. *Et post pauca :* Prope Milliacum autem mons est nomine Millius, et pratum in ejus summo visitur, in quo Lucianus Martyr capite plexus vitam amisit. *Montem illum Gallice* Montmille *vocant, teste Loveto. Renatus Benedictus scribit huc venisse* Lucianum, *non ut se persecutorum furori subduceret, sed ut adventantibus occurreret.*

n *In* MS. *S. Max. sequitur hic exhortatio S.* Luciani *ad suos.*

CAPUT IV.

S. Lucianus varie tortus, occiditur.

Tunc Latinus, Jarius, et Antor cum ira et indignatione, quasi ex uno ore atrociter eum alloquuntur : Tune es ille, inquiunt, qui maleficiis tuis seducis populum, ne obediant jussis invictissimi Augusti atque Senatui Romano, ut immolent diis immortalibus grata libamina? Quibus S. Lucianus respondit : Ego maleficus non sum; sed sum servus Jesu Christi, eruditus divinis doctrinis. Unde Dei populo viam veritatis ostendo, et Dominum meum Jesum Christum, qui facturam suam venit in mundo redimere, et a cultura dæmonum avertere, quomodo inoffenso pede sequi debeant, innotesco, ut ad lucem revocati supernam, a suis tenebris eruti, salventur, quia justum est ut illi soli cervicem cordis inclinent, qui pro omnium salute crucifixus voluit mori.

Lucianus generose carnificibus respondet.

17 At hæc illi : Quomodo, inquiunt, tu Deum asseris quem non solum mortuum pronuntias, verum etiam crucifixum? S. Lucianus respondit : Licet vestra infidelitas clementissimi Regis non mereatur audire arcana; tamen propter multitudinem adstantem paucis edisseram : Deus Dei filius, qui semper fuit cum Patre ante secula, propter prævaricationem primi hominis, in fine temporum pro reparatione humani generis voluit fieri verus homo ex virgine, ut esset verus Deus et verus homo, essetque idem Deus et homo, unus Christus, verus Dei et hominis filius; ut qui erat, impassibilis in divinitate semper manens cum Patre, fieret non solum visibilis, verum etiam et passibilis pro nobis secundum humanitatem. Hinc factus est obediens Deo Patri pro redemptione nostra

Mysterium Incarnationis exponit.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

nostra usque ad mortem, mortem autem Crucis. Alias autem nisi filius Dei, hominis etiam filius dignaretur fieri, nec humanum genus ad veniam, nec mortales redirent ad vitam. Hæc et alia multa beatissimo prosequente Luciano, milites magis magisque furore sunt repleti; qui et dixerunt : Jam enim te senectutis invitaverat tempus, ut ab infantilibus vanitatibus resipisceres; sed quoniam vanitas nimia te decipit, et superflua invitat loquacitas, ad mortem ire temeritate nimia confisus non formidas. Verumtamen nisi cito resipueris et recesseris ab hac audacia, et sacrificaveris diis immortalibus grata libamina, senectutem tuam multis afficiemus tormentis.

De nomine et genere interrogatus respondet.

18 Tunc residentibus illis, adstare eum coram jusserunt. Aiunt itaque ad eum voce minaci : Nomen siquidem nobis tuum conditionemque declara celerius. Quibus athleta Christi respondit : Siquidem a progenitoribus quidem meis vere Lucius sum vocatus; in regeneratione vero, qua renatus sum ad æternam vitam in Christo, Lucianus vocor. Conditionis vero cujus sim, Romanum me esse genere, quod in omni orbe notissimum est nomen, profiteor : sed quod nobilius est mihi, servum me esse Christi Jesu ostendo; quod lucide patet, quia mihi nihil aliud est vivere nisi Dominus meus Jesus Christus, et mori lucrum : ideo me ejus esse servum gaudeo et confiteor. Tunc milites, hoc est, inquiunt, quod locuti sumus; quia magus et seductor es eorum qui te audiunt : insuper contumax comprobaris, quando et procaciter quæque loqui non cessas, et tuæ nescis tandem aliquando fessæ succurrere senectuti. Quod si Romanus es, cur a cultura deorum insanissime recessisti, quos Augustus Cæsar veneratur cum omni Senatu Romano, et

Christum libere confitetur.

colit universus orbis? S. Lucianus respondit : Ex quo renatus sum in Christo, et verum cognovi Dominum meum Jesum Christum, non solum diabolo atque idolis, verum etiam omnibus operibus ejus fide abrenuntiavi. Sed quod ego loquor, et confiteor de Christo Domino, neque auribus percipitis, neque retinere mente valetis. Excæcavit enim vos infidelitas cordis, nec non et Cæsarem Augustum una cum Senatu, a quibus talia detulistis decreta, ut nos homines rationabiles sacrificemus dæmonibus, et inclinemus cervices nostras idolis manu hominum factis.

Flagris cæditur.

19 Latinus vero, Januarius, et Antor hæc audientes injuriam Cæsaris impatienter ferunt : tuncque apprehendentes eum vinctis manibus tradiderunt tortoribus : qui et extendentes eum diris atrociter ceciderunt flagellis. Cumque ab eis nimium flagellatus fuisset, et vinctus admodum teneretur, diu cruciatibus tortus athleta Dei, nec doloribus superatur nec minis deterretur; sed fortis in fide Christi pene jam decrepitæ senectutis membra puro vigore animi roborabat, ita ut semper inter verbera eodem vultu, eadem mente perdurans, Christi nomen viva voce non cessaret confiteri, dicens : Christum Dei filium et corde credo, et ore laudare numquam cessabo.

Plectitur capite.

20 Tunc furore permoti, data sententia jusserunt eum gladio feriri. Sicque unus ex militibus evaginato gladio, parata jam sancta cervice, sanctum et pretiosum ejus caput abscidit. Cumque sancti viri cadaver jaceret, adhuc et palpitaret exanime; videntibus cunctis, etiam ipsis mortis ministris, lux de cœli ingens

Luce ac voce cælesti invitatur ad gloriam.

super corpus sanctum effulsit, et vox magna pariter cum luce venit, dicens : Euge bone famule Luciane, qui pro me sanguinem tuum fundere non dubitasti; veni, et suscipe coronam olim tibi promissam; quia cum Sanctis gratulaberis in cælo. Veni, et percipe mansionem gloriæ olim tibi paratam cum Angelis. Quæ nimirum vox non propter ipsum, qui semper hanc repromissionem in corde gestaverat per fidem, facta est; sed propter adstantes, ut fidem Domini nostri Jesu Christi a S. Luciano longe diu prædicatam, certiores de meritis sancti viri fidissime retinerent. Hoc autem die Sabbathi hora *a* tertia factum est in monte quem supra memoravimus, tertio ab urbe miliario, *b* VI Idus Januarii. Quod cernentes et audientes viri qui crediderant, vel qui non crediderant, omnes nimio terrore perculsi, nutu divino aliqui fugerunt; aliqui vero stupefacti mirantes præ gaudio, quia videbant se liberatos a laqueis diaboli, tamen non ferentes claritatem lucis paulisper recesserunt a loco.

Auctore Odone Episc. ex mss.

a
b

a *Addit Lovetus.* post meridiem.
b *Lovetus,* VII.

CAPUT V.

Caput proprium defert, sepelitur.

Præcisum caput manibus defert,

Tunc erigens se sancti viri corpus exanime, apprehendit propriis manibus sanctum caput abscissum stabili gressu Spiritus sancti gratia, cujus fuerant membra corporis et organa, una cum ministerio Angelico, acsi vivens in corpore, iter plantis firmissimis carpere cœpit : portansque pretiosum caput, ductu Angelico, a monte quasi millibus tribus *a* transvadato fluminis alveo pervenit ad locum, quem vir sanctus sibi funeri tradendum elegerat, uno a prædicta urbe distantem ferme miliario, ubi in agello publico cum palma victoriæ Sanctus requievit in pace.

a

b

22 *b* Unde viri devotissimi, qui ejus fuerant prædicatione conversi, occurrerunt cum aromatibus et sanctum linteaminibus mundis obvolventes corpus, sepelierunt cum magno honore et reverentia in monumento, ut videbatur, tunc novo. Verumtamen ne absque Angelorum officiis viderentur exequiæ celebratæ; dum sanctissimum corpus reconditur, apertæ sunt nares eorum subito, senseruntque mira odoramenta valde fragrantia omnes qui aderant, donec exequiæ beatissimi viri celebrarentur, et corpus humo obtegeretur. Illi autem viri stupefacti admirantesque præ gaudio dicebant ad invicem : Quidnam est hoc? Gloria tibi Domine Jesu Christe : quia nostræ nares odorem talem tantumque numquam senserunt. Gloria tibi Christe Salvator, quia sic sumus repleti, ut nihil nobis ulterius boni deesse credatur. Porro quanto amplius talia loquebantur, tanto amplius odor affluebat divinus, ita ut jam nullus dubitare posset, Angelorum ad has exequias a principio passionis ejus interfuisse ministeria.

Sepelitur a Christianis.

Odor suavis a corpore.

23 Quibus rite expletis prostraverunt se omnes in terram cum nimio timore et magna cordis devotione clamantes et dicentes : Credimus te Jesu Christe verum Dei Filium cum Patre et Spiritu sancto regnantem in cælis; sicut a sancto Martyre tuo Luciano audivimus aure, et didicimus mente. Cum autem multitudo populi qui quasi ad spectaculum de diversis partibus ex villulis convenerant et vicis, talia vidissent, vel audissent a credentibus, eodem die, ut æstimatum est, corde compuncti crediderunt in Dominum Jesum Christum filium Dei vivi ferme quingenti homines ex diverso sexu. Jam enim conversi fuerant per prædicationem Beatissimi Luciani in Galliis non minus quam triginta millia hominum, aut multo amplius diversi generis et ætatis; qui relictis idolis confitebantur Deum Patrem ingenitum, et Filium ejus unigenitum, una cum sancto Spiritu, in trinitate verum et unum Deum. Qua fide per lavacrum regenerationis renati, et innovati, fabricaverunt Domino mox nonnulli eorum devotissime in eodem loco super sanctum corpus, ad honorem ipsius Martyris, basilicam.

500 *convertuntur.*

30000 *a S. Luciano in vita conversi.*

Basilica ad ejus tumulum.

24 Sanctorum autem Maxiani et Juliani corpora in monte, ubi decollati fuerant, sunt sepulta. Sed crescente numero et devotione Christianorum, a fidelibus inde levata beatissimi Luciani corpori sunt conjuncta. Ubi postea in melius ædificata et ornata ecclesia, Domino Patre cooperante, plurima recte petentibus præstantur a Domino Jesu Christo per

SS. Maximianus et Julianus transferuntur.

AUCTORE ODONE EPISC. EX MSS.

merita et intercessionem sanctorum Martyrum beneficia. Quorum, quia una fuit fides, unaque caritas, una et in martyrio confessio; idcirco jure credimus eorum quod una sit in æterna beatitudine societas, unumque consortium meritorum. Et ideo gratias agamus Creatori nostro, quoniam testes Christi trino numero assumpti fidele consummaverunt propter fidem Trinitatis in terra martyrium : quod quia factum novimus, veneramur fideliterque recolimus et agnoscimus.

Epilogus ad Belvacenses.

25 Ecce fratres, etsi purpurata est universa terra sanguine Martyrum, purpurata est civitas nostra horum cruore, Christi respersa sanguine. Etsi floret cælum coronis Martyrum, floret et nostra tellus istorum decorata virtutibus. Ornatæ sunt reliquæ ecclesiæ memoriis Martyrum, ornata est ista horum triumphis, et consecrata reliquiis. Insignita sunt tempora natalitiis Martyrum, insignita est et hodierna festivitas, qua celebratur eorum natalis de ascensione ipsorum ad cælos. Crebrescunt ubique sanitates meritis Martyrum, crebrescunt et hic ad eorum tumulum insignia virtutum et exuberant beneficia sanitatum : ægroti veniunt et sanantur, cæci illuminantur, claudi curantur, vexati a dæmonibus liberantur : et quod majus est, fidelium exaudiuntur preces, suscipiuntur vota, peccatorum vincula resolvuntur, aperitur cælum pulsantibus : præmia assequuntur ecclesiæ. Felix nimium et Deo grata beatorum Martyrum societas, quorum ex consortio Angelorum chori gratulantur in cælis, meritis vero eorum et precibus omnium fidelium digna petitio præstatur in terris, præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum cœterno Patre ac Spiritu sancto vivit et regnat per immortalia secula seculorum. Amen.

Miracula ad Martyrum sepulchra.

a Ms. *S. Max.* Tharæ transposito vado. *Massonus ex vita* MS. Thare transacto. unde *Lovetus ait in vico* Miauroy *Tharam transisse; cerni etiamnum in Monte Millio semitam per quam ille caput gestans incessit, et* Roseam *appellari, sive* Rosetum, la rosiere, *inque ea rosas nasci mirifici ruboris, quales eadem alio transplantata roseta non ferunt : etsi vero asper et præceps ad latus unum sit mons Millius, numquam tamen ex curruum carrucarumve lapsu cuiquam equorum, vini, reive alterius jacturam contigisse : idque etiam hæreticos, qui cultum aversantur Sanctorum, opemque negant eos ferre mortalibus, sæpenumero se coram esse confessos, carrucas isthic suas eversas, perque declive devolutas esse, se tamen cum in ima descendissent, et vinum omne salvum, et equos incolumes reperisse.*

b *Agones MM.* Viri autem loci illius.

ALIA VITA

AUCTORE MONACHO ANONYMO.

Ex MS. S. MARIÆ *de Ripatorio.*

CAPUT I.

S. Lucianus Bellovacis Christum prædicat.

Beatorum Martyrum sacra certamina percurrentes, digno, dilectissimi, obsequio veneremur, et piis obsequiis exequamur. Dum enim illorum sacra martyria pia amplectimur caritate, nostrorum necesse est ut fiat ablutio delictorum. Hic etenim eos temporalis pœna ad tempus afflixit et tersit : illic eos æterna gloria remuneravit et fulsit. De quorum collegio beatissimus Lucianus extitit Martyr; cujus et sacri martyrii palmam et pro Christo certaminis gloriosi cupio retexere gesta, non meo merito nec proprio confisus ingenio; sed ipsius adjutus suffragio, qui mihi suæ dignatus est seriem passionis intimare. Vos itaque obsecro, fratres, sollicite audire contendite : ut dum ejus imitatores martyrii fueritis in terris, ipsius gloriæ consortes esse valeatis in astris.

Sanctorum gesta utiliter leguntur.

a Julianus Præfectus, Christianos persequitur.

2 Illis igitur temporibus cum Julianus impiissimus *a* Cæsar decreta Principum accepisset, ut Christianos, qui diis et cæteris deorum officiis non immolarent, capitalem juberet subire sententiam; per omnes provincias executores constituit et proditores, ut si quis eorum Christianum quolibet advenisse cognosceret, ejus præsentiæ omnimodis nuntiaret. Erat enim tunc Sanctorum persecutio generalis; cum impius persecutor ad extinguendum se Christianitatis nomen armaverat. Nullum tunc in civitatibus Sancti refugium habebant, nulla in montibus et speluncis Martyribus remanserant congesta solatia.

S. Lucianus venit in Galliam. Matth. 10. 23.

3 Eodem itaque tempore beatissimus vir Sanctus Lucianus sanctissimo Martyri consociatus Quintino, urbe Roma, cum B. Dionysio pariter egressi Gallias adierunt, Dominicæ memores jussionis : Si vos persecuti fuerint in una civitate, fugite in alteram; et ut nobis patientiæ suæ præberent exemplum, et effusio sanguinum ipsorum nostrarum fieret documenta virtutum. Vos vero, fratres carissimi, intenta hæc aure percipite, et credite nobiscum implere posse Dominum in Sanctis suis quæ scripta sunt. Inter hæc etiam pensare debemus, quanta sit gratia, Sanctorum sequi vestigia, pro Christo dolores corporum tolerare, mortem momentaneam non timere, mundum cum suis voluptatibus spernere, nec timere una hora ferre dolores corporum, qui optant in æternum gaudere cum Christo.

b Adit Bellovacos.

4 Beatissimus itaque Lucianus, ut supra diximus, ab urbe Roma egressus, a B. Dionysio *b* Presbyterii sumpsit officium, et Belvacensem ad urbem cursu properavit intrepido. Atque tunc S. Dionysius Parisius abiit, Sanctus denique Quintinus Ambianis civitatem elegit, ut unusquisque eorum de propriis civitatibus exemplis suis et traditionibus Christo Domino fructum boni operis consecrarent.

Fidem prædicat.

5 Sanctus igitur Lucianus mox ut Belvacensium penetravit fines, cœpit Christi Evangelium prædicare, quod ejus pectori sanctus Spiritus dignanter infuderat, ut verbo suæ prædicationis homines ad imaginem Dei factos a dæmonum cultura erueret, et ut unum Deum cæli terræque conditorem puris mentibus adorarent, atque ut solum Patrem invocarent ingenitum, Filium a Patre solo confiterentur genitum, Spiritum sanctum ab utroque procedentem crederent. Talibus itaque beatissimus Lucianus populum monitis instruebat. O carissimi filii, invictissimi milites, et divini prælii bellatores, qui antiqui hostis tanto tempore vinculis fuistis obnoxii, a misera servitute laxati, Christum Dei filium pro vestra redemptione venisse per uterum sanctæ et intemeratæ virginis, jam pariter vel sero cognoscite. Ni enim vos ab idolorum cultura sacri baptismatis unda reddiderit emundatos, cælestis regni nequibitis esse consortes. Sed cum et vos pura confessio et sancti lavacri unda resperserit emundatos, a morte poteritis erui sempiterna, quando vestri cordis tenebras lux depulerit sempiterna, et supernæ gloriæ baptismi gratia reddiderit candidatos. Cumque sanctus vir die noctuque hujuscemodi verbis cunctum populum admoneret, et ejus fama sanctitatis regiones finitimas replevisset, cœperunt tunc multi a dæmonum culturis recedere, et Christum Dei filium pro totius mundi salute et redemptione per uterum sanctæ virginis ad terras venisse totis viribus credere, et puris pectoribus confiteri.

Multos convertit.

c

6 Sed prius nos quam passionis ejus gloriosum aggrediamur agonem, sanctissimi Martyris, et *c* perfecti monachi laudabilem continentiam curabimus intimare. Cum esset itaque Spiritu sancto repletus, Christianam et Catholicam sapientiam diligebat, abstinens se ab omni opere malo, et fidem tenens perfectam, Christo sedulum exhibebat officium. De abstinentiæ igitur virtute, qua se quotidie macerabat, ut Christo Domino carnis suæ hostiam immolaret, pauca dicenda sunt. Alius enim illi cibus non erat assiduus, quam esus herbarum virentium, et aquæ frigidæ calicem

Ejus mira abstinentia :

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

cem pro potu fesso corpori tribuebat. Quadragesimæ vero diebus bis in septimana cibum corpori ministrabat. Sustentabat enim eum cælestis alimoniæ victus, et membra debilia divina gratia roborabat. Eratque sanctus vir miræ patientiæ, summæ abstinentiæ, sanctæ humanitatis, et omnium gratiarum copia exornatus. Tempus me deficiet, si omnium virtutum ejus gratiam prosequi voluero. Erat vultu placidus, et mente tranquillus, canis decoratus Angelicis. Tantaque circa eum excreverat sanctitas et virtus operum, ut in terris corpore positus, cum Angelis habitaret in spiritu.

aliæ virtutes.

a *Imo* Præfectus, *ut jam dictum est, et habet Petrus de Natal. Saussaius, et alii.*

b *In superiore vita dicitur a S. Clemente consecratus Episcopus.*

c *Tum ex variis compellationibus fratrum, tum hinc, conjicimus a Monacho quopiam hanc scriptam esse vitam. Non est tamen certa omnino conjectura.*

CAPUT II.

S. Lucianus comprehenditur, socii occiduntur.

Cumque, ut supra diximus, Julianus nequissimus Cæsar, crudelitatis furore succensus in Sanctos Dei sævissima persecutionis rabie ebullisset, nuntiatum est ei, quod sanctus vir Lucianus urbe Roma egressus esset, ut aliis provinciis Evangelium veritatis inferret, et idolorum nomina penitus conterenda doceret. Quo audito impius Cæsar nimio furore turbatus, præcepit tribus pueris suis fortissimis viris, Latino, Jario et Antro, ut Sanctum Dei ubicumque potuissent perquirerent Lucianum. Quod si eum reperissent, aut suæ eum audientiæ præsentarent, aut feriendus gladio traderetur. Quam dum jussionem persecutores acciperent, egressi ab Urbe cum ingenti fremitu, rabie furoris accensi, huc illucque per civitates et provincias Sanctum Dei Lucianum inquirere non cessabant. Cumque regiones et civitates finitimas perlustrassent, et beatissimum Lucianum invenire penitus non valerent; pervenit ad eos, quod prædicando æterni regni evangelium, Galliarum populum occupasset. Quo audito, magis magisque in ira indignationis accensi, Gallias penetrarunt, cursu eum celerrimo persequentes. Cumque jam omnipotens Deus sanctum virum Lucianum a laboribus hujus vitæ vellet quiescere, et ejus martyrium in exemplum hominibus demonstrare, pervenerunt persecutores nequissimi ad civitatem, cui Belvacus nomen est. Sexto itaque sabbato egressionis eorum qui eum persequebantur ab Urbe, sanctum virum Lucianum VI Idus Januarii populum docentem repererunt. In quo loco populi caterva quam plurima sancti viri jam erat admonitione conversa, et idolorum superstitione calcata, ad Christianitatis se nomen ejus monitis conversam gaudebat. Erat enim vox totius populi una lætantium, dum se cognoscerent a mortis laqueo ad vitæ fugisse solatium.

Perquiritur a satellitibus Juliani Præsidis.

Adventantibus lictoribus, pergit populum docere.

8 Interea dum sanctus vir doctrinis insisteret pietatis, et Christi populum ab errore converteret vanitatis, elevatis paullulum oculis, persecutores suos eminus venire conspexit. Quos ut vidit, a prædicationis tamen suæ verbo non destitit, sed salubribus populum monitis hortatus est dicens : Ecce fratres et filii carissimi, jam mihi Dominus meus Jesus Christus laborum meorum retributor esse dignatus est; jam corpus nimia senectute lassatum; cum fructu martyrii anima ad palmam transiet sempiternam. Vos itaque carissimi filii in accepta prædicatione state firmissime, et nec terror Principum, nec minæ Judicum, aut mala suasio amoris, a vitæ vos valeat monitis revocare; ut ibi sequantur merita gregis, ubi præcesserit fortitudo Pastoris. His ita dictis, elevatis oculis in cælum sanctissimus Lucianus, et puras manus inferens cælo, totis cum viribus dixit : Gratias ago tibi Domine Jesu Christe redemptor mundi, qui me ad titulum dignitatis tuæ vocare dignatus es, et beatissimorum Martyrum tuorum Dionysii et Quintini consortem efficere. Dignare ergo Domine Jesu Christe in eorum me numero computare, et regni tui heredem facere sempiternum. His ita gestis, egressus a supradicta urbe Belvaco, cœpit iter suum intrepidus agere, et in accepta se exerere fortitudine, ut in opere divini ministerii martyrii sui cursum impleret. Cumque pervenisset ad montem qui vocatur *a* Amnis, qui situs est super alveum Taræ, qui mons tribus ab urbe millibus distat, pulchrum populis super rivum fluminis spectaculum præbet.

Secedit in montem.

a

9 Cumque S. Lucianus cum duobus pueris, his nominibus Maxiano et Juliano, officii sui omnipotenti Domino dicatum redderet cursum; advenerunt impii persecutores, qui a nequissimo Juliano fuerant directi. Tunc illico apprehendentes Sanctos Dei Maxianum et Julianum, coram beatissimi Luciani obtutibus gladio eos puniri jusserunt. Quibus interfectis, Christo ex effusione suorum sanguinum digni Martyres consecrati sunt. Tunc sanctissimum Dei Lucianum cum ira et indignatione taliter allocuti sunt dicentes : Tune es ille, qui maleficiis tuis seducis populum, ut sacratissimis diis non immolent, et ut invictissimorum Principum decreta contemnant? S. Lucianus respondit : Ego maleficus non sum, sed beneficiis eruditus supernis, Christi populo viam veritatis ostendo, et Dominum meum Jesum Christum, qui facturæ suæ pio semper dominatur affectu, quomodo inoffenso pede sequi debeant, innotesco, ut ad lucem evocati supernam a suis tenebris eruantur; et cognoscentes Dei filium ad terras pro ipsorum redemptione venisse, superstitiosam idolorum sectam spernentes, ipsi soli cervicem cordis inclinent, qui pro omnium salute voluit crucifigi.

SS. Maxianus et Julianus occiduntur.

S. Lucianus intrepide persecutoribus respondet.

10 Ad hæc respondentes ministri dixerunt : Quomodo tu Deum pronuntias, quem asseris crucifixum? S. Lucianus respondit : Licet enim vestra infidelitas et aures idolorum surdæ et polutæ superni et clementissimi Regis audire non mereantur arcanum; tamen propter adstantem multitudinem vulgi, breviter dicam quomodo et Deus est ante secula, et verus homo voluit in fine temporis crucifigi. Deus Pater ingenitus, Deus filius a solo Patre genitus, Deus Spiritus sanctus procedens a Patre et Filio, tres personæ, sed una substantia, qui nec initium habuit, nec ævi poterit fine concludi, cum omnia quæ videntur, et quæ non videntur, ipsius sapientia constet esse fundata; humanis misertus excessibus, sanctam Virginem, de qua in fine seculorum nasci dignatus est, elegit, ut invisibilis permanens in suis, visibilis fieri dignaretur in nostris, factus obediens Patri usque ad mortem, mortem autem crucis : et Deus impassibilis manens, homo, quem assumpserat, crucis patibulum pro omnibus sustineret, ut ubi erat culpa gravior, ibi esset gratia major. Nisi enim filius Dei, hominis etiam filius fieri dignaretur, nec peccatores ad veniam, nec miseri transirent ad Superos.

Mysterium Trinitatis et Incarnationis explicat.

a *Imo* Millius; *de quo et* Thara *amne diximus ad priorem vitam.*

CAPUT III.

Occiditur, sepelitur, clarescit miraculis.

Hæc et multa alia Luciano beatissimo prosequente, milites magis magisque furoris stimulis urebantur, et respondentes dixerunt : jam enim te senectutis invitaverat tempus, ut ab infantilibus vanitatibus resipiscere debuisses. Sed quoniam et vanitas te nimia obsidet, et ad mortem superflua invitat loquacitas, nomen nobis tuum conditionemque declara. S. Lucianus respondit : A carnalibus parentibus vocatus sum Lucius, sed in regeneratione sacræ undæ baptismatis Lucianus sacro Sacerdotis vocatus ore cognoscor.

De nomine et genere interrogatus respondet.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

Auctore Monacho Anonymo. Phil. 1. 21.

gnoscor. Conditionis vero cujus sim lucide patet, cum mihi nihil aliud sit, quam secundum beatum Apostolum et Christo vivere, et pro ipso lucrum mori. Consepultus enim sum illi in fonte baptismatis, et ipsius sequor vestigia, cujus sum sanguine reformatus. Tunc milites respondentes dixerunt : Hoc est quod locuti sumus, quia seductor es, et deorum contumax comprobaris : quando et vana quæque loqui non cessas, et tuæ necis fessæ succurrere senectuti. S. Lucianus respondit : Quod ego loquor, neque auribus percipitis, neque retinere mente valetis. Excæcavit enim vos infidelitas vestra, et Principem vestrum Julianum sævissimum, a quo directi estis, æterna cæcitas et caligo possidet tenebrarum.

Flagellatur.

12 Milites itaque injuriam Cæsaris impatienter ferentes, apprehendentes eum et vinctis manibus ceciderunt. Cumque ab eis nimie flagellatus, et vinctus admodum teneretur, sanctus vir nec terrore concutitur, nec dolore corporis sui superatur, sed confisus in Domino, imbecillia senectutis membra juvenili vigore sustentans, eodem vultu, eademque mente perdurans, Christi nomen vivaci voce confiteri non timuit dicens : Christum Dei filium et corde credo, et ore non cesso laudare. Tunc unus ex militibus evaginato gladio, parata jam sancta cervice, pretiosum caput abscidit.

Occiditur.

Luce et voce cœlesti honoratur.

13 Cumque sancti viri cadaver jaceret exanime, videntibus militibus et vulgi multitudine, lux de cœlo super sanctum corpus emissa est, et vox pariter cum luce venit, dicens : Euge bone famule Luciane, qui pro me tuum sanguinem fundere non dubitasti in terris, cum Sanctis gratulare in astris : Veni ad præparatam tibi in cælestibus mansionem. Veni cum palma Martyrii, accipe promissa quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec cor comprehendere valet humanum, et confratrum tuorum Martyrum consortio perfruere beatorum. Hoc autem factum est diei hora quasi tertia in monte, quem supra memoravimus, tertio ab urbe miliario.

Caput præcisum manibus gestat ad 2 *miliaria.*

14 Dei autem facto consilio qui Sanctos suos cum mensura probat, et sine mensura glorificat, recedentibus a loco ministris nequam, erigens se sancti viri corpus exanime, apprehendensque manu propria sanctum caput abscissum, stabili gressu Domini misericordia suffragante, mirum in modum acsi vivens in corpore iter suum carpere plantis firmissimis cœpit. Portansque eum a monte quasi millibus tribus, Taræ transposito vado, pervenit ad locum quem vir sanctus funeri tradendum elegerat, uno a prædicta urbe miliario ditans in agello publico, ibique cum palma victoriæ Sanctus requievit in pace.

Sepelitur a Christianis.

15 Viri itaque loci illius qui Beatissimi fuerant admonitione conversi, venerunt devotissime cum aromatibus, et sanctum linteaminibus mundis obvolventes cadaver, sepelierunt illud in monumento novo, in quo nondum positus quisquam fuisse videbatur. In quo loco si devotus petitor veniens, S. Lucianum pro peccatis suis pura mente intercessorem precatus fuerit, sine dubio quidquid postulaverit obtinebit. Cumque sanctum corpus viri misericordiæ reconderent, apertæ sunt nares eorum, senseruntque aromata Angelorum, qui a Domino ob sancti viri exequias fuerant destinati. Dixeruntque viri ad invicem : Quidnam sibi vult hoc esse? Odorem talem nostræ numquam nares senserunt. Sicque sumus repleti, ut nihil nobis ultra boni deesse credamus. Quanto autem amplius loquebatur, tanto eos amplius odor reficiebat divinus. Tunc prostrati in terram, cum magno timore et cordis devotione clamabant dicentes : Credimus te Christum Dei Filium cum Patre et Spiritu sancto regnare in cælis, sicut a sancto Martyre tuo Luciano didicimus. Et conversi sunt eadem hora quasi quingenti viri, gratias agentes Deo. Jam enim conversi fuerant per S. Lucianum in Galliis amplius quam triginta millia virorum, exceptis parvulis et mulieribus.

Suavis odor in loco sepulturæ.

Convertuntur 500 *antea supra* 30000.

16 Ædificaverunt autem in eodem loco templum novum, ubi Domino cooperante misericordiam Dei per S. Luciani merita consequitur omnis qui ejus meritis se crediderit exaudiri. Ægri veniunt et sanantur, cæci illuminantur, claudi recuperantur, vexati a dæmonio liberantur, et fidelium exaudiuntur vota precantium. Digne sibi talem Dominus Martyrem approbavit, qui pro ejus nomine passionis non timuit subire martyrium. O beatum virum, castum, sanctum, pudicum, verecundum, cujus exemplo populi convertuntur ad fidem, cujus de meritis Angeli gratulantur in cælis, cujus tactu confortantur infirmi, cujus meritis delictorum sarcina leviatur : quem cunctus populus festina devotione concelebrat, quem terrarum Principes pronis adorant cervicibus. Ille jam choris admixtus Angelicis niveo candore resplendet. Ille cum Apostolis palmam assumpsit martyrii. Ecce ejus hodie solemnia celebramus, qui dum a nobis annua festivitate veneratur in terris, a Domino magnificatur in cælis. Sit tibi Deus Pater laus, sit tibi Deus Fili gloria, sit tibi Deus Spiritus summa potestas, qui sanctum Martyrem tuum Lucianum ita glorificare dignatus es, qui vivis, dominaris, et regnas, ex tunc et nunc et per infinita seculorum secula, Amen.

Illustratur miraculis.

DE S. PATIENTE, VEL PATIENTIO,

EPISCOPO METENSI IV.

Circiter ann. clii. VIII Januarii. *S. Patientis in sacris fastis celebre nomen.*

Metis Galliæ Belgicæ urbs illustris, (olim Divodurum, vel Diviodurum, Mediomatricum) *ab Apostolicis temporibus præcones Evangelii atque Episcopos nacta traditur : quorum primus* Clemens XXIII *Novembris celebratur, secundus* Cælestius XIV *Octobris, tertius* Felix XXI *Februarii. His* S. Patiens *successit, longe Lugdunensi illo, de quo* XI *Septembr. antiquior. Hujus natalem celebrat* VIII *Januarii Martyrologium Romanum, Rabanus, Notkerus, Bellinus, Maurolycus, Galesinius, Molanus, viola SS. aliique. Et quidem Martyrol. Coloniense, atque Carthusiani Colon. in Addit. ad Usuardum,* S. Joannis Apostoli discipulum fuisse aiunt. *Andreas Saussaius in Martyrologio Gallicano :* Metis S. Patientis Episcopi : qui natione Græcus, S. Joannis Evangelistæ discipulus, quartus ordine hanc Ecclesiam rexit, eamque adhuc tenellam spiritualis sapientiæ lacte, et divini verbi pabulo enutrivit, ac sanctitatis suæ gloriosis illustravit insigniis. Huic ferunt S. Joannem a se abscedenti in pignus amoris unum ex suis dentibus dedisse : quem Metis, ubi postea substitit, in ædicula a se, sub amantissimi sui ipsius Præceptoris nuncupatione consecrata reposuit, perpetua observandum veneratione. Cumque multa in Episcopatu mirabiliter ac divine gessisset, piis laboribus perfunctus ad cælestem evolavit beatitudinem. *Ferrarius* XXVIII *Decembr. eum refert.*

2 S. Patientis, *aliorumque primorum Metensis Ecclesia Antistitum Acta intercidisse testatur Paulus Warnefridus in catalogo Episcoporum Metensium. Quam tamen hic damus de eo narratiunculam, ex antiquo* MS. *codice Ecclesiæ Metensis eruit Andreas Dinettus Noster : cui consimilis, sed aliquanto succinctior, extabat in* MS. *S. Martini Ultrajecti.* S. Patientis *meminerunt Claudius*

Ejus Acta, ætas.

NOT. 122.

dius Robertus, Joannes Chenu, Democharesde divino sacris cap. 33. *In* MS. *Florario dicitur obiisse anno* CLII.

NOT. 123.

VITA

Ex veteri MS. *Ecclesiæ Metensis.*

Beneficiorum Dei reminisci salus est mentis, sicut oblivisci torpor exitiabilis. Inde ad memoriam gratiæ Domini nostri Jesu Christi vitam B. Patientis, *a* si Spiritus sanctus adjuvat, qui aspirat ad ordinem, quem nobis et doctorem et cœnobii nostri fundatorem olim direxit.

a

S. Patiens S. Joannis Evangelistæ discipulus.

2 Sanctus igitur Patiens, sicut a prioribus vicaria relatione cognovimus, ex inclyta Græcorum prosapia exortus, sicut nobilitate mundana, sic et opum gloria in minoris Asiæ regione clarus effulsit. Hanc Asiæ regionem dilectus Domini Evangelista Joannes in sorte prædicationis divina dispensatione suscepit, fideique jugo subjugavit: nam dum fulgore virtutum confirmaret suorum claritatem verborum, quamplures ad vitam destinati potentes et divites ac mediocres compuncti gratia ejus doctrinæ obediebant. Itaque inter alios insignes etiam B. Patiens obedientiæ fidei se subdidit, pompam mundi reliquit, sancto Apostolo intime adhæsit.

3 Interim, ut historiæ tradunt, B. Joannes Apostolus a Domitiano Cæsare Romam adducitur. Dominus enim consilium suum per tyrannum crudelem disponebat, ut sicut virtutibus atque signis idem Joannes atque Petrus fuerant pares, sic in Urbe principali haberent sui memoriam triumphi, ut enim *b* Via triumphalis insignita est Cruce Petri, sic et Joannis dolio *c* Latina porta memorialis habetur; *d* in quo fervente oleo, præsente Senatu Romano, immissus, non ambustus, sed velut perunctus exivit. Hinc mundani fremitus victor exilio apud *e* Patmos insulam adjudicatus, et ad secanda marmora decori Romanorum apta palatiorum arctatur. Sed quid agit humanus furor contra Christi fidem? versa vice Joannes ibidem divina revelatione consolatur, de statu suarum septem Ecclesiarum certificatur, ruina malorum et gloria justorum ei visione Angelica demonstrantur. In brevi Domitianus a *f* Senatu detruncatur, ejus edicta cassantur. Unde Joannes suis Ecclesiis redditur, in quibus dum sibi revelata corrigeret, hæreticos detegeret, concilia celebraret, puritatem fidei edoceret, potentia miraculorum prædicationem confirmaret, in communi obsecratur, ut divinitatem Christi ac humanitatem lucidius ceteris elucidaret Evangelistis. Quod cum id agere se denegaret posse, nisi communi supplicatione totius Ecclesiæ, repente supergreditur super altitudinem omnis humani sensus, imo secretum Angelorum. Igitur tuba mirabili coæternitatem Patris ac Filii omnibus insonuit, substantiam divinitatis ac humanitatis Christi in unitate unius personæ declaravit, omnes amfractus hæreticæ fraudis obstruxit, dicens: In principio erat Verbum, et Verbum caro factum est.

b
c
d
e

Joannes proscribitur,

f

revocatur,

scribit Evangelium:

4 His peractis non immemor præcepti, quod in sua perceperat Apocalypsi: Oportet te iterum prophetare gentibus, et populis, et linguis, et multis Regibus, ex suis dignos elegit qui hactenus errore gentili deviantes ad viam reducerent veræ salutis. Gloriosum itaque *g* Polycarpum Smyrnensibus præcepit: plures alios in Orientali regione per diversas urbes ordinavit Sacerdotes. Divina etiam visione admonitus statuit suam provisionem ac sollicitudinem Gallicanis impertiri provinciis: quapropter *h* Irenæus directus est Lugdunensibus, *i* Benignus, Thyrsus, et Andeolus Augustodunensibus: Beatum vero Patientem, qui sibi familiarius in pluribus adhærebat, secretius advocans, pandit ei quæ sibi revelata erant de eo; qui et dixit: Carissime fili, ex quo verbum Dei pro nobis indebitam gustavit mortem, homo redemptus, non est sui juris, sed ejus, qui redemit, servus. Quocirca quæ divinitus nobis imperantur, prompta debemus exequi mente. Carissime, in Spiritu revelatum est mihi, quod Clemens quondam patricius Urbis, atque sui successores, qui a Coapostolo meo Petro ad *k* primam Galliarum Belgicam in civitate Metensi sunt directi, duobus defunctis, qui superest ex nostris sibi præstolatur successorem secundum revelationem. Huc ergo, carissime, secundum dispensationem Dei accelera, curam suscipe pastoralem, Dominicum adauge gregem. Ne itaque difficultatem itineris paveas, non recuses onus: quia qui te ab æterno elegit, et huic officio destinavit, tibi cooperando, superveniendo assistet. Auditis B. Patiens dictis dilectissimi Patris mœstus mente ac supplex voce respondit: Salva dispositione Dominica, salvaque tua jussione paterna, venerabilis doctor, disponebam animo donec adviveres carne nequaquam me separari a te, quod et in præsenti obsecro mihi concedi. Joannes, qui thesaurum scientiæ de Christi hauserat pectore, ipsamque Deitatis substantiam, quam exteris patefecerat, talia subinfert ore prophetali: Solus qui cuncta regit meam emigrationem solus dispensat, tuam vero sine truculentia persecutoris in pace disponit. O sublimem præscientia Joannem, cui et regionum loca, et vocabula spiritu non ignota! cui enim patebant supercælestia, qui Trinitatis et Deitatis deificæ arcanum substantiamque fide cernebat, quid mirum si mundani angustias orbis in dispositione regionum, in diversitate locorum, in vocabulis nationum et urbium cognoscebat? videnti enim Creatorem angusta est omnis creatura, et comprehensibilis amplitudine mentis. Si enim Delphicus furor cogebat ignorata prius designare loca pugnarum vel casuum, sancto Spiritu pleno nomina locorum divino aptorum servitio cur celarentur?

g

cap. 10. v. 11.

Discipulos ad varias gentes mittit;

h
i

EX MSS. *S. Patientem Metas.*

k

5 Licet vero B. Patiens divinæ præordinationis accepisset responsionem, tamen Dei nutu aspiratus, qui hoc quod sibi complacet fieri dignatus aspirare S. Joanni, dixit: Ardor non minimus angit meam mentem super portionem reliquiarum corporis tui. Et beatus inquit Apostolus: Nihil Deo impossibile, sicut enim processu ætatis quædam humani partes corporis cadunt, et aliæ partes succedunt, ut videntibus fieri probatur; et sicut in futura resurrectione corporum, quocumque locorum membra fuerint dispersa, ad priorem redire conjunctionem veraciter creduntur; sic tuum summa potestas desiderium valet implere, si omnium impetratrix fides firma Deo tribuente adsit. Oratione igitur Apostolica præmissa, Apostolus promissionem complevit virtute Dei. Evocat itaque carissimum discipulum, atque in ipsius præsentia apponit digitum ori, dentem absque doloris sensu abstrahit, porrigit, eique dixit: Hunc tibi unum tolle, et ubi tibi Dominus providerit repone, ceteri mei artus corporis sub dispositione Creatoris erunt, qui me hactenus in omni tribulatione protexit. Suscepit igitur carissimus discipulus dentem dilecti Domini, sicut in munimen sui, sicut pignus pii amoris, sicut propitiationem multorum futuram.

Dentem ei e suis unum donat.

6 Rursum subdens Apostolus admonitionem pusillanimis perutilem, dixit: Carissime, cum omnia verbo Dei creata sint in tempore, et ab æterno disposita, sola hominis natura commune aliquid habet cum omni creatura. Perpende igitur carissime, quia sicut ipsa, cum qua esse habent omnia, non gignit frumenta, neque maturat fructus, nisi exculta hominum labore, ventorum exagitata turbine, aeris temperie, ac ignis decocta calore; sic ipsa semen justitiæ anima non parturit, nisi patientia et impulsu tribulationum. Talis est enim ipsa rationalis natura, quod nisi tentationibus prematur, disciplinaque coerceatur, aut libero arbitrio, inani gloria levatur, aut securitate terrenis immergitur.

Hortatur eum ad patientiam.

Ex mss. immergitur. Ut ergo carissime, fructum requiei perpetuæ valeas percipere, per tribulationum patientiam te oportet exercere, aliosque tua prædicatione ac exemplo Christo acquirere, cum quibus gaudeas in cælesti requie. O laudabile doctoris et auditoris vinculum caritatis! Joannes dum *l* suis in nuptiis Christus aquam in vinum mutasset, secutus eum carnale connubium reliquit; Patiens audiens ab ipso Joanne verbum Dei abrenuntiat oblectamentis mundi: Joannes socialiter adhæsit Christo in resurrectione Archisynagogi filiæ in cubiculo; Patiens Joanni præsens fuit dum resuscitat filium *m* fidelis viduæ: Joannes transfigurationi factæ in monte Christo adfuit; Patiens Joanni adstabat *n* dum duos Proceres post conversionem dimissarum pœnitentes divitiarum ab æterna damnatione per auri miram in frondibus reciprocationem reducebat: Joannes Cruci astitit Christi; Patiens eidem Joanni misso in oleo ferventi. Christus morte devicta discipulis mellis favo veræ Deitatis, ac suæ humanitatis unionem commendavit; Joannes Patienti cum suis condiscipulis post libertatem exilii inseparabilem Patris ac Verbi substantiam scripto allucidavit.

l *Patiens cum Joanne confertur.*

m

n

7 Confortatur itaque tanto B. Patiens miraculo, et admonitione paterna, Pastorale suscepit officium, multisque Sanctorum pignoribus ac ipsius Evangelii codice donatus benedictionem petit, accipit: ignotum iter cum suis per Illyrici et Adriatici sinus maria arripit: tandemque Christo duce difficultatem itineris multimodam evadit, Gallorum fines intravit. Mirare! Linguam Barbarorum, quam pridem ignorabat, intelligebat, et respondebat, necessariaque requirebat. Fuit hoc insigne miraculum in Ecclesia primitivorum, ut quos Apostoli chrismate præsignabant, vel ad prædicandum gentibus ordinabant, illico manifeste scientiam linguarum accipiebant, sicut de Cornelio Actus Apostolorum narrant. Itaque certo indicio B. Patiens Metim civitatem devenit: quo deveniente Ecclesiasticus ordo cum fideli populo lætatur, et tam ex habitu quam ex revelatione pridem celebrata, de successore S. Felicis, qui tertius post B. Clementem rexerat Urbem, certificatur, consolatur.

Patiens in Gallias venit:

gentis lingua loquitur.

Act. 10. 46.

8 Revelatio autem, ut fertur, ex ipso B. Patiente talis erat: Dum Beatus Evangelista Joannes sub Domitiani persecutione Romam perductus ibidem detineretur, beatus Princeps Apostolorum Petrus eidem in visione apparens dixit: Carissime frater, jam dudum prima Galliarum Belgica fidem suscepit divina favente gratia; et nunc quia illi qui a me illuc sunt directi solverunt vicissim debitum morti, recens adhuc fides illius populi doctore indiget fideli. Noveris itaque, carissime, quia sicut Dominus noster tuæ sanctitati suam olim commendavit genitricem, sic et nunc tuæ dispensationi Metensem commendat Ecclesiam. Ex tuis itaque auditoribus illuc dirige Patientem nomine, cui Dominicum ovile pascendum injunge.

S. Petri monitu destinatus erat Metensibus.

a *Videtur deesse*, describam, *aut quid simile.*

b *Quo loco crucifixus, quo sepultus sit S. Petrus, dicemus* XXIX *Junii. S. Hieronymus lib. de scriptorib. Ecclesiast. cap.* 1, *ait S. Petrum sepultum in Vaticano juxta* viam triumphalem.

c Latinam portam *nonnulli eamdem fuisse putant, quæ* Capena, *a qua* via Appia *et* Latina *ducerentur. Erat* Capenæ *ad Orientem proxima.*

d *De hac re plenius agemus* VI *Maii.*

e *Alii quoque, ut ad illum diem dicemus,* ad secanda marmora *in* Patmon (*quæ una est e* Sporadibus *insulis*) *relegatum esse* S. Joannem *scribunt.*

f *Non* Senatus, *sed* Stephanus Domitillæ, *Flavii Clementis viduæ* Procurator Domitianum *interemit. Forte hic locus ita legendus:* In brevi Domitianus detruncatur, a Senatu ejus edicta cassantur. *Certe* ejus morte, *ut scribit Suetonius sub finem libri* 8, Senatus adeo lætatus est, ut repleta certatim curia non temperaret quin mortuum contumeliosissimo atque acerbissimo acclamationum genere laceraret: scalas etiam inferri, clypeosque et imagines ejus coram detrahi, et ibidem solo affligi jubere: novissime eradendos ubique titulos, abolendamque omnem memoriam decerneret. *At* Nerva Cocceius *Domitiani successor,* omnes qui impietatis in deos rei fuerant absolvi voluit, et exules in patriam reduxit, *inquit Dio. Imo* edicto vetuit, ne liceret aut impietatis aut Judaicæ sectæ quempiam dehinc insimulari. *Quæ de Christianis accipi debere dubium non est.*

g *De eo agemus* XXVI *Januar.*

h *Colitur* XXVIII *Junii.*

i *De* S. Benigno *agemus* I *Novemb. de* SS. Thyrso *et* Andochio, *qui hic* Andeolus *dicitur,* XXIV *Septemb.*

k *Extant to.* 1, *scriptorum Francicor. Duchesnii divisiones aliquot Galliæ, in quibus primo loco* Belgica *recensetur: celebrantur a Cæsare* Gallorum fortissimi Belgæ. *Verum idcirco potius* Galliarum primam *dici* Belgicam *crediderim, quod* Præfectus Prætorio Galliarum, *Treviris sedem habebat, ut docet Brawerus noster Annal. Trevir. lib.* 4, *sed hoc post Diocletiani ætatem. Id fortassis solum vult hic scriptor,* Metas Belgicæ primæ *urbem esse.*

l *Baronius ad an.* XXXI, *num.* 30, *ait, quod Joannis hæ fuerint nuptiæ, esse* omnino commentitium ac nuper excogitatum, cum penes antiquos Patres nulla prorsus *de hoc* mentio habeatur, *et num.* 31, *ait ridiculam eam esse sententiam, potiusque assentiendum esse Nicephoro asserenti eas nuptias fuisse Simonis Cananæi. At Rupertus Tuitiensis sub finem commentariorum in cap.* 2, *Joannis ita scribit:* Hunc Joannem Evangelistam relictis nuptiis, (ipsius enim istas fuisse nuptias opinio fere omnium est) ipsum Dominum sequi cœpisse arbitramur. *Venerabilis Beda tom.* 7, *vel, ut alii volunt, Alcuinus, homilia in die S. Joannis,* Tradunt, *inquit,* historiæ, quod eum de nuptiis volentem nubere vocaverit. *Idem habet S. Thomas,* 2, 2, *q.* 186, *art.* 4, *ad* 1. *Legitur et in Præfatione in Evangelium S. Joannis in Glossa ordinaria, quam præfationem esse S. Hieronymi tradit isthic Liranus, et vulgo supponunt. In eadem Glossa extat Prologus in idem Joannis Evangelium, qui tribuitur S. Augustino, in quo isthæc leguntur.* Iste siquidem est Joannes, quem Dominus de fluctivaga nuptiarum tempestate vocavit. *Baronius hæc ita interpretatur, quasi uxorem Joannes non ductam dimiserit, sed nunquam duxerit. Ipse S. Joannes Gertrudi sanctissimæ virgini isthæc revelavit. ut ipsa retulit lib.* 4. *Insinuat divinæ piet. cap.* 4. Ego per omne tempus vitæ meæ frequentius recolens quam suavi familiaritatis amicitia amantissimus Magister meus et Dominus meus in me respexerit, imo remuneraverit illam continentiam, qua conjugem relinquens ipsum de nuptiis sum secutus, postea semper in omnibus verbis et factis meis hoc studium adhibui, ut diligenter caverem, ne mihi ipsi vel aliis aliquo modo darem occasionem, unde illa Magistro meo grata virtus, scilicet castitas, aliquo modo macularetur. *Denique* (*ut alios innumeros omittam*) *Jacobus Tirinus noster sub finem Chronici sacri ait neminem veterum huic sententiæ refragari.*

An S. Joannes sponsus fuerit in nuptiis Cananæ. Joan. 2.

m *Hæc referuntur in vita S. Joannis quæ* Mileto, *vel* Melitoni *Laodicensi Episcopo tribuitur, probaturque Joanni Hesselio; desunt in apocrypha illa quæ* Prochori *nomine vulgata.*

n Atticum *et* Eugenium, *de quibus fuse idem Melito.*

DE SANCTIS MARTYRIBUS SIRMIENSIBUS

ANASTASIO, JUCUNDO, RATITE, PETRO,

FLORO, TILE, FLORIANO, TATIA.

VIII Januarii. *Martyrologium S. Hieronymi:* Et in Sirmis Anastasi, Jocundi, Ratitis, Petri, Flori, Tilis, Floriani, Tatiæ. *An idem sit* Anastasius, *quem* VI *Januarii ex eodem Martyrologio dedimus, haud pronum est definire.* Jucundum *hoc die alia quoque habent Martyrologia: Notkeri:* In Græcia Rustici, Timothei (*de quibus infra agemus*) *et* Jocundi. *Idem esse videtur, et locus fortasse in Notkero mutilus.* MS. *Florarium:* In Græcia S. Thimothei et Jocundi. *Idem recentiore manu adjectum erat ad vetus* MS. *Martyrologium Adonis monasterii S. Laurentii Leodii.*

DE

DE SS. MARTYRIBUS INTERAMNENSIBUS

CLAUDIO, CARBONANO, TIBUDIANO, PLANIO.

ANNO CCLXX. VIII JANUARII.

Ferrarius in generali catalogo Sanctorum VIII *Januar.* Apud Interamnam Umbriæ, sanctorum Martyrum Claudii, Carbonani, Tibudiani, et Planii, sub Claudio Imperatore. *De iisdem in catalogo Sanctorum Italiæ ex monumentis et veteri* MS. *Martyrologio Ecclesiæ Interamnensis, ista tradit:*

Sub Claudio Imp. occisi.

2 Cum Claudius Imperator impia in Christianos edicta promulgasset, iique ubique ab ejus Præfectis ad necem conquirerentur; Claudius militiæ Interamnensis Princeps, una cum Carbonano, Tibudiano, et Planio militibus, impii Imperatoris jussa parvipendens, Christianos in carceribus detentos fovebat, et cruciatos ad tormenta pro Christo fortiter ferenda animabat. Quapropter et ipsi jussu Præfecti comprehensi, ac in Christi confessione constantes, martyrii palmam accepere anno salutis CCLXX, quorum corpora secundo ab urbe Interamnensi lapide, ubi nunc Sancti Zenonis Martyris extat ecclesia apud torrentem sepulta sunt. *Hæc Ferrarius. De Interamna hac ad Narem egimus supra* VII *Januarii, cum de S. Valentino II, ejus Antistite.*

DE SANCTIS EPISCOPIS TICINENSIBUS

MAXIMO I ET MAXIMO II.

CIRCA ANN. CCLXX ET DX. VIII JANUARII.

Maximum Ticinensem Episcopum Confessorem præter Martyrologium Romanum, referunt hodie Bellinus, Maurolycus, Galesinius, Molanus, Martyrol. Germanic. Hunc Baronius vult esse S. Epiphanii successorem, qui VI *Synodo Romæ habitæ anno* DIV *subscripsit. Sed præter eum alius fuisse* Maximus *perhibetur, qui tamen quando sederit non omnino convenire inter scriptores tradit Ferrarius, sed probabilius videri octavum ejus Sedis Antistitem fuisse, inter Crispinum I et II de quo hos versus recitat:*

Duo SS. Maximi Ticinenses.

Hunc Maximus ex ordine,
Sed amplior in meritis,
Insequitur ex munere,
Associatus Superis.

De S. Crispino I et III, egimus VII *Januarii, de II agemus* XXX *Octobr.*

2 *Hujus* Maximi *meminit Bernardus Saccus Patricius Papiensis de Italicarum rerum varietate lib.* 6, *cap.* 10, *sic scribens:* Major semper Christianorum fides atque constantia, quam clades, et perturbatio in unoquoque seculo probata est: præcipue in hoc, de quo scribimus, tempore, quod a Severi imperio ad Flavium Claudium fluxit, quem constat Imperatorem factum anno ab ortu Domini CCLXXI, Maximo Episcopo viro innocentissimo et eximio Ticinensibus præsidente. *Ita ille. Ast anno Christi* CCLXVIII, *circiter* IX *Kal. April. imperare cœpit Claudius.*

Sedit prior tempore Claudii.

3 Maximi *(hujusne an secundi haud nobis liquet) et aliorum aliquot Ticinensium Episcoporum Acta a Paulo Diacono scripta testatur Galesinius: sed nusquam eum librum reperiri ait Ferrarius, qui ejus vitam ita describit in catalogo Sanctorum Italiæ:* Maximus Episcopus post S. Crispinum, ut plerique scriptores Ticinenses tradunt, Cathedram Episcopalem Ecclesiæ Papiensis tenuit, magnaque sanctitate et doctrina effulsit. Inter ea quæ scripsisse fertur, multa de Regis officio memorantur. Solebat enim dicere Regem in arce justitiæ, quæ Regina virtutum est, constantem et rectum, sanctarumque legum cultorem, subditorum culpas punire debere, justos autem et insontes tamquam membra Dei, injurias ipsorum ulciscentis, non attingere. Qui si judicat in veritate, thronum suum in æternum firmat; sic enim principatus conservantur: imperia vero violenta non durant. Cum autem sanctus Episcopus populum aliquot annos verbo et exemplo gubernasset, non sine civium lacrymis in cælos abiens, corpore in ecclesia Cathedrali tumulatus fuit.

Ejus vita ex Ferrario.

Fur divinitus punitus.

De quo illud mirum narrant, quod quidam ad illius aram accedens pallium furaturus, ita aræ adhæsit, ut manus pedesve inde retrahere, donec mane Canonicis ad ecclesiam convenientibus crimen suum confessus, veniam a S. Maximo impetravit, non potuerit.

De scriptis S. Maximi.

4 *Hæc Ferrarius, qui Jacobum Guallam, et Stephanum Breventanum citat. Sed quod a* Maximo *multa de Regis officio scripta memorat Ferrarius, non facile adducor ut credam ad hunc pertinere. Nam qui tunc in Italia Reges, quorum occasione ille de Regis officio commentaretur? Deinde ipsi Imperatores adhuc Ethnici erant, neque scilicet institutionem ex hominis Christiani lucubrationibus petituri. Quid ergo? an iis temporibus librum ediderit vir sanctus, cujus nulla privatim aut publice constare posset utilitas?*

S. Maximus II, Assessor Comitis sacrarum largitionum ante Episcopatum: Luc. 16. 10. *castus in juventute:*

5 *Maximo II, missa est a B. Ennodio Dictio* IX *(quæ Sirmondo nostro est* III *sacra) in dedicatione templi SS. Joannis, et Cassiani, et Antonini. In dictione vero* VIII *data Stephano Vicario, dicenda ipsi Maximo ita scribit idem Ennodius:* Ad te, venerabilis mihi Antistes Maxime, sermo est: cui in meritorum testimonio virtus cœpit a vocabulo, in quo actus eloquitur, qui nomen appellat. Provida parentum tuorum diligentia prius te eligi voluit, quam probari. Te olim secularibus inhærentem titulis castrensis sudor excoluit, et ad Ecclesiæ gubernacula pars adversa solidavit: sicut Deus loquitur per Prophetam: *Qui in modico fidelis, et in magno fidelis est.* Te sacrarum Judex et consilii comitem meruit, et laboris. Bene venerandis initiandus altaribus, et in laica conversatione quod sacrum esset elegisti. Tu pudicitiæ in illa ætate custos inventus es, in qua et lex obsequitur desideriis. Satis enim est pueritiæ ambitum, quem licentia fulcit, horreri. Christus milites suos, quos in personam Ducis attollat, inter acies quærit hostiles. Adscitus Ecclesiæ, Pontificem actibus implesti ante tempora dignitatis. Non fuit advena benignitas, quæ naturæ innixa radicibus de cano flore germen ostendit. Temporale est omne quod fingitur; perpetuum quod cum ætate maturescit. Non tibi sacerdotium rem doni credimus evenisse, sed præmii. Alius vulgi aura, gratia lenocinante commendatur: tibi rigida circa culpabiles districtio dedit affectum. Manet te singularis sapientia; quæ licet generaliter optanda est, tamen existit in Magistro necessaria. Frustra monitoris personam suscipit, qui impacti non prævalet æstimare pondus officii. Vilissimis comparandus est, nisi præcellat scientia, qui est honore præstantior. Dedit tibi apicem res judicii, non favoris. Dignus Pontifice amor est, quem censura conciliat. Devenustat institutionis genium, qui per solam gratiam vult placere.

ceteris virtutibus ornatus.

Ex variis. *Exemplo, ceteris prælucet.*

placere. Tu his conditus et formatus cæli beneficiis, plus agendo populum instituis quam loquendo. Illa monita discipulorum conscientiam eruderant, quæ præbentur exemplo. Sine pudore invitat ad innocentiam, qui illam non fuerit ipse sectatus. Te inter secreta penetralium quasi testem metuunt, qui peccare disponunt. Nascentibus culpis metus et reverentia tua negat effectum. Qui inter exordia occurrit vitiis, et occasionem lapsus adimit, et concupiscentiæ purgat auctorem. Hæc beatitudini tuæ quasi strictim pro linguæ meæ dedicatione dedicavi. Si precibus tuis vitæ successus arriserit, gestorum tuorum plena me relatione consecrabo, ut quæ universis nota sunt, mansuris in posterum litteris, quatenus gaudeat ætas secutura, serventur. *Hæc in laudem* Maximi *adhuc viventis Ennodius ejus successor, cujus Dictio sacra* IV *eidem missa Maximo est, et ab eo dicta cum dedicaretur basilica S. Joannis Baptistæ, quem novo exemplo Apostolum nominat, ut hic Lucam Prophetam.*

DE S. PATHEO MARTYRE.

VIII Januarii. **M**artyrologium *S. Hieronymi* : Et alio loco Pathei. *Martyrem remur cum nulla secus sentiendi caussa, ut plerumque in eodem Martyrologio.*

a ACTA S. a CARTERII, PRESB. ET MART.

Ex Menæis Græcorum.

b Sub Diocletiano. VIII Januarii. *S. Carterius Presbyter, populum docet :*

Diocletiano imperante, et Urbano *b* Cæsareæ Cappadociæ Præside, Carterius Presbyter et Doctor Christianorum, domum in templum vertit, et coacta ingenti Christianorum multitudine instituit illos in vera fide, qua discerent Christum solum verum Deum colere; et præter illum, nullum alium Deum agnoscere. Delatus ad Præsidem se ipsum in latebras abdidit. Sed illi Dominus apparuit, mandavitque ut se in apertum daret, seque ultro ipsum quærentibus offerret : Ego, inquit, tecum ero. Multa enim tibi meo nomine patienda sunt, multique per te conversi salutem consequentur. Hic Carterius ingenti perfusus gaudio, Deo gratiis actis, se ipsum in lucem dedit.

quæsitus latet:

dein offert se quærentibus.

2 Ac primum quidem ergastulo conclusus, dein ad Præsidem deductus, jussus est *c* Serapidi litare : sed Carterius precibus idolum dejecit. Tum a sedecim lictoribus fustibus atrociter contunditur, quatuor aliis carnificibus illi imminentibus. Deinde a furca suspenso novacula ungues a manibus et pedibus exscinduntur, ferreisque ungulis totum corpus raditur et carpitur. Qui conspectu dein Angeli recreatus omnibus tormentis superior, atque illico sanus extitit.

c *Serapidis idolum dejicit :*

dire torquetur :

sanatur ab Angelo : rursum cruciatur :

3 Dein rursus Præsidis jussu detentus, talis ferro trajectis, supinus ignitum pectore vomerem gestavit. Præterea coactus est in succensa ferrea sartagine residere : tum ei ardentibus subulis perforati pedes : atque ita rursus in carcerem retrusus est. Sub noctem iterum se ei videndum Salvator obtulit, compedibus solutum omni levavit molestia, atque e custodia eductum liberum dimisit. Quare complures cum sanum spectassent, eum adeuntes ab illo sacro fonte abluti sunt, et ab omnibus, quibus laborabant morbis, curati.

exit e carcere:

4 Appensa deinde pedibus manibusque saxa ingentia, quibus ita innexo distentoque fustibus venter converberatur : aduruntur accensis facibus latera : resinaque plagis infunditur : liquatum in os plumbum instillatur, ignitaque galea capiti imponitur. Ac demum in rogum conjectus, dum laudes gratiarum Deo concinit, in igne illæsus permansit. Hinc e circumstantibus Judæus quispiam in rabiem actus, hastam vibrans per latus Martyris transadigit, mortemque infert, cum prius aquam e latere tam copiosam profudisset, ut etiam rogum extingueret; quam secutus sanguis est, cum quo et animam in Dei manus edidit.

iterum tortus occiditur.

a *Ignotus hic Latinorum fastis. Nam diversus est a Carterio qui 2 Novembr. colitur sub Licinio Sebaste passus.*

b *Hæc Cappadociæ metropolis est, circa Melæ fluminis fontes, magnam adepta a plurimis Sanctis, quos tulit, ac præsertim Basilio magno, celebritatem.*

c *Unus hic e Diis Ægyptiorum fuit.*

DE SANCTIS MARTYRIBUS

THEOPHILO ET HELLADIO.

VIII Januarii. **D**e *his* VIII *Januarii Martyrologium Romanum* : In Libya Sanctorum Martyrum Theophili Diaconi et Helladii, qui primo laniati ac testulis peracutis compuncti, demum in ignem conjecti animas Deo reddiderunt. *Eadem fere habet Menologium Græcorum, addens* sub Proconsule *hæc passos. Paullo fusius Menæa* : Eodem die sancti Martyres Theophilus diaconus, et Eladius laicus passi sunt. Hi Libyes erant. Ob Christi vero confessionem comprehensi, et ad Proconsulem deducti, cum in fide perseverarent, atrociter verberati sunt. Vinctæ dein manus ac pedes tergumque ferro atque igne adustum : tum acutis compuncti testis; cum identidem tormenta plura ingererentur, animas Deo tradiderunt. *Galesinius* : In Græcia beatorum Martyrum Theophili diaconi, et Helladii. Hi, in Libya nati, Christianæ fidei cultores, idolorum cultum cum passim exagitarent, Proconsulis jussu virgis acerbe cæsi, tum ungulis ferreis excarnificati, post in lumbis semiustulati, deinde testularum aculeis confossi, nihil unquam de constantia sua remiserunt. Itaque demum horribilem in modum raptati, confractis totius corporis ossibus, animas Deo reddiderunt.

Horum SS. patria, et tormenta.

DE

DE SANCTIS MARTYRIBUS

TIMOTHEO, EUCTO SEU POLYEUCTO,

RUSTICO, PISSEO VEL CIPISEO,

SECUNDO, LUCIO, FELICE, JANUARIO, PALLADIO.

VIII JANUARII. *De sanctis his Martyribus hæc habet Martyrologium S. Hieronymi :* VI ID. In Græcia, Eucti, Rustici, Pissei, Timothei, Secundi, Luci, Felicis, Januari. *In* MS. *quoque Rhinowiensi itidem perantiquo :* In Græcia, Cipisei, Secundi, Timothei, Lucii, Rustici. *Timothei plures alii meminere : Beda :* Timothei in Græcia. *Notkerus :* In Græcia Polyecti, (*vix dubito quin ille sit* Euctus *jam relatus, voce aut hic per prothesin, aut isthic per aphæresin corrupta*) et Palladii (*fortassis hic est* Palladius, *qui* VII *Januar.* Palladas *vocatur in S. Hieronymi Martyrologio.*) *Et quibusdam interjectis pergit Notkerus :* In Græcia Rustici, Timothei, et Jucondi. *Usuardi editio Lubecensis anni* 1475, *et Parisiensis* 1536. *Bellini editio Parisiensis anni* 1521, *et plurima* MSS. *sub nomine Usuardi :* In Græcia S. Timothei. *Martyrologium Coloniense :* In Græcia S. Timothei Confessoris. *Carthusiani Colonien. in Addit. ad Usuar. et Martyrol. Germanic.* In Græcia S. Timothei Confessoris, qui translatus est Constantinopolim IX Maii. *At* IX *Maii ostendunt se de* S. Timotheo *Pauli discipulo agere, de quo nos* XXIV *Januarii. At de hoc* S. Timotheo *et sociis nihil habemus compertum.* Timotheus Confessor *in Græcia, in eodem Martyrologio Germanico, Maurolyco, Petro de Natalibus lib.* 11, *cap.* 130, § 30, *refertur, sed* IX *Januarii.*

DE S. EUGENIANO MARTYRE

AUGUSTODUNI IN GALLIA.

VIII JANUARII. *S. Eugenianum hodie refert Martyrologium Romanum, Usuardus, Bellinus, Maurolycus, Martyrol. Germanic.* MS. *Florarium, Galesinius, qui Augustodini in Gallia martyrium subiisse in Notationibus testatur, uti et Petrus de Natalibus lib.* 11, *cap. ultimo, num.* 29, *sed hic* V ID. *Januar. ejus memorat Natalem. Antiquum* MS. *Monasterii S. Martini Treviris :* V ID. In Augustoduno Eugenii Episcopi et Martyris. *Idem habet* MS. *S. Mariæ Ultrajecti. Nullum in catalogo Episcoporum* Eugenianum vel Eugenium *reperio, nisi forte inter Martyrium et S. Reticium sederit, nam deesse aliquot Episcoporum nomina suspicatur Claudius. Robertus. Wandelbertus :*

Iduum post sexto Eugeniano vota feruntur. *Dubitavimus an non fortassis idem esset qui Egemonius, de quo mox agemus. Sed eruditissimus Andreas Saussaius ut diversos celebrat; atque Eugenianum quidem hoc elogio :* Augustoduni Æduorum S. Eugeniani Martyris in strenua concertatione pro fidei testimonio laureati.

DE S. EGEMONIO VEL IGOMONO,

EPISCOPO AUGUSTODUNENSI.

VIII JANUARII. *Septimus Æduensis, sive Augustodunensis, Episcopus, memoratur a Claudio Roberto* Igonomus, *sive* Igomonus, *aut* Ægemonius, *vel* Egemonius : *quem* VIII *Januarii Sanctorum catalogo adscriptum exhibet Molanus in Additionibus ad Usuardum, Bellini editio Parisiensis anni* 1521. *Rabanus, Maurolycus, Galesinius, Martyrologium Coloniense, in quo perperam* Egenio *vocatur, uti in Lubecensi Usuardi editione anni* 1475. Eugenianus. *At Carthusiani Colonienses in Addit. ad Usuard. ita habent :* Egmonii, alias Egenionis Augustodunensis Episcopi et Confessoris, alias Martyris. *Ferrarius* Egmonem *vocat.* MSS. *quidam* Egemonem, *et* Eugemonem. S. Egemonii *meminit et antiquissimum* MS. *Martyrologium S. Hieronymi :* Augusto- *Hieron.*
duni depositio Egemoni Episcopi. *Meminit ejus et S. Gregorius Turon. De gloria Confessorum cap.* 75 *et* 76. *Et Andreas Saussaius in Martyrologio Gallicano :* Augustoduni Æduorum depositio S. Egemonii Episcopi et Confessoris, qui religione et doctrina florentissimus, S. Cassiano hac in cathedra succedens, omni Episcopali virtute, et Pastoralis officii exemplis, gregi sibi credito præfuit. Demumque spectata in multis sanctimonia clarus, divina ut visione frueretur, quam vehementer ardebat, migravit ad cælum. *De S. Cassiano ejus decessore agemus* 5 *Augusti.*

DE S. ATTICO EPISCOPO CONSTANTINOPOLITANO.

§ I. *Sanctitatis Attici memoria celebris : cultus sacer. Rerum gestarum Scriptores.*

AN CH. CDXXV. VIII JANUARII. *S. Atticus initio adversatus S. Chrysostomo.* *Multi S. Joannem Chrysostomum acri studio impugnarunt, qui tamen errorem deinde suum agnoverunt, atque omni sanctitatis laude floruerunt. In his S. Atticus Episcopus Constantinopolitanus fuit, qui zelo immoderato et nequaquam secundum scientiam abreptus, non adversatus tantum est S. Chrysostomo, sed post Arsacium in ejus, etiamtum superstitis, Cathedram successit. Quod crimen pœnitentia deinde et recte factis egregie expiavit, et scriptis litteris auctor S. Cyrillo Alexandrino fuit, ut Chrysostomi nomen diptychis inscriberet : quod hic postmodum, partim assiduis S. Isidori Pelusiotæ admonitionibus, partim divina revelatione et Virginis Dei Matris benignitate magis exstimulatus, præstitit.* Erant autem Diptycha, *de quibus crebrior hic et alibi mentio fiet,* Libri Ecclesiastici, *gemini quidem, unde et* δίπτυχα *dicebantur : alter adhuc viventium, in quo a Presbytero vel Diacono nomina illuminatorum et susceptorum scribebantur; alter mortuorum, qui complectebatur nomina, statum, ordinem, obitumque Hierarcharum. De his videndi Meursius in Glossario, et la Cerda in Adversariis sacris cap.* 42, *n.* 1 *et c.* 148, *n.* 6.

2 S. Attici *in repurgandis hæresibus vigilantiam, in orthodoxa fide propugnanda sinceritatem, prædicant* Patres Ephesini Concilii. S. Cyrillus *variis in epistolis ac tractatibus, tum potissimum libro religiosissimis Regi-* *Laudatur a SS. PP. et Cœlestino Pontifice.*

Ex variis.

nis inscripto, et Concilio præfixo. Theodoretus *in Polymorpho*, S. Prosper *lib. de ingratis contra Pelagianos, et præcipue* S. Cælestinus Papa *in epistolis variis; a quo* S. Atticus, sanctæ recordationis, reverendissimæ memoriæ vir, *et* Antistes Catholicus *appellatur, ita epistola* 12, *missa, Fl. Aetio, et Fl. Valerio* VV, CC, *Coss. id est an. Ch.* CDXXXII, *ad Theodosium Imperatorem, de Maximiano electo Episcopo Constantinopolitano:* Fert illi, *inquit*, ac si sui corporis parti Romana testimonium, quæ hunc semper inter suos habuit et numeravit, Ecclesia : ferunt suorum merita, quibus sancte adhæserat, decessorum. Ita enim reverendissimæ memoriæ viro Attico, Catholicæ fidei propugnatori fortissimo, mente pariter et officio cohærebat, ut jam tunc futuri in eodem Episcopatus insignia prælucerent. *In epistola* 13, *eodem anno inscripta dicto Maximiano :* Sequere priorum, *inquit*, a quibus eruditus es et nutritus, exempla Pontificum; Beatissimi Joannis in prædicando scientiam, S. Attici in repurgandis hæresibus vigilantiam, decessoris tui Sisinnii, cujus te successorem credimus, simplicem puritatem, ut de illa (ut solebamus) gratulemur Ecclesia. *Et epistola* 7, *testatur ad se*, gesta a Catholico tunc Antistite Attico directa : *quæ cum aliis ejus operibus, quorum hinc inde apud antiquos Scriptores reliquiæ supersunt, perierunt.*

Colitur VIII Januarii.

3 *Alia S. Cælestini Papæ testimonia ad calcem vitæ referentur : hæc prælibanda duximus ne asperiore aliquorum in S. Atticum stylo ejus fortassis in dubium sanctitas revocetur, cui hunc* VIII *Januarii diem sacrum Græci in Menæis sanxerunt, his verbis :* Eodem die S. Atticus Patriarcha Constantinopolitanus in pace quievit. *Non est quidem hoc die vita functus, sed fortassis aut elevatum tunc ejus corpus est, aut honores illi cælestes primum delati. Obiit enim* X *Octobris, quo eum die celebrant Carthusiani Colon. in Addit. ad Usuardum.* Attici, *inquiunt*, Constantinopolitani Episcopi, et Confessoris, cujus virtutes lib. IX, historiæ tripartitæ tanguntur. *Martyrologium Germanicum eodem die :* Sancti Constantinopolitani Episcopi Attici, de quo legitur in historia tripartita. *Ferrarius in Catal. SS.* Constantinopoli S. Attici Episcopi, *annotatque eum a Cælestino Papa valde commendari.*

et X Octobris.

Gesta ejus qui narrent.

4 *Res illius gestas, præter citatos Auctores, prosequuntur* S. Innocentius Papa *in variis epistolis, qui tamen octo ante eum annis obiit.* Socrates *lib.* 6 *et* 7 *hist. Eccles.* Theodoretus *lib.* 5 *hist. Eccl. c.* 34. Sozomenus *lib.* 8 *et* 9, *hist. Eccl.* Synesius *Episcopus Cyrenes epist.* 66, *ad Theophilum Episcop. Alexandrinum.* Palladius *Episcopus Helenopolitanus in Dialogo de vita S. Chrysostomi, seu quisquis hujus auctor est, de quo agemus* XXVII *Januarii. Atque hi quidem omnes* S. Attico *synchroni extiterunt. Successerunt e Græcis alii vitæ S. Chrysostomi Scriptores,* Georgius Episcopus Alexandrinus, Leo Imperator, *et* Metaphrastes, *de quibus isthic exactius agetur.* Theodorus Lector *lib.* 2 *Collectaneorum.* Auctor Chronici Alexandrini. Nicephorus *in catalogo Episcoporum.* Photius *in Bibliotheca.* Georgius Cedrenus *in Histor. Compendio.* Joannes Zonaras, *et* Michael Glycas *in Annalibus, ab hoc tamen non tam* S. Atticus *describitur, quam ejus gesta aliqua Proclo attribuuntur. Demum citatos secutus plurima prosequitur* Nicephorus Callistus *lib.* 14, *hist. Eccles. Ex Latinis præter citatos* S. Innocentium, *et* S. Cælestinum *Pontifices, memorant eum* Cassiodorus *lib.* 10 *et* 11, *historiæ tripartitæ.* Marcellinus Comes *in Chronico.* Paulus Diaconus *lib.* 14, *hist. miscellæ.* Jacobus Billius *lib.* 1 *observationum sacrarum cap.* 26, *et passim recentiores Chronologi : e quibus pluribus de eo disputat Baronius tomo* 5 *Annal. E nostris eum referunt* Petavius *lib.* 13, *de doctrina temporum, Jac. Gaulterius in Tabula Chronographica, Raderus in aula sancta Theodosii Imperatoris, et alii.*

§ II. *Vita privata. Promotio ad Episcopatum. Translatio reliquiarum S. Samuelis.*

Sozomenus *lib.* 8, *cap.* 27. Arsacius, *inquit*, cum exiguo tempore Ecclesiæ Constantinopolitanæ præfuisset, est mortuus. Hujus successionem multis ambientibus, quarto post obitum illius mense ordinatur Atticus Constantinopolitani Cleri Presbyter, unus ex insidiatoribus Joannis. Hic quidem natione erat ex Sebastia Armeniæ : sed a puero ad religionem institutus per monachos hæresis Macedonianæ sectatores, qui tum temporis Sebastiæ in hujus sapientiæ studio clarebant ex schola Eustathii progressi, quem Episcopum ac Præsulem ibi præstantissimorum monachorum fuisse jam * ante commemoravimus. Hic autem cum ad virilem ætatem pervenisset, ad Catholicam Ecclesiam transiit. Et quoniam natura magis quam doctrina prudens erat, rerum agendarum insidiator fuit; ut qui et ad struendas insidias, et ad easdem evitandas sufficeret, ingenio pellaci, ita ut multis gratus esset.

Patria :

puerilis institutio :

* lib. 3, cap. 13.

conversio :

calliditas:

6 In concionibus ecclesiasticis mediocris, ut hæ neque scripto dignæ viderentur auditoribus, neque eruditionis prorsus expertes. Nam cum affectatus esset, si quando occasionem nactus erat, præcipuos quosque Græciæ scriptores lectitabat : et eo ipso, quod indoctus haberetur, dum de hisce dissereret, etiam doctos sæpenumero latebat. Ferebatur autem erga suæ opinionis homines industrius, adversus diversa sentientes formidabilis; et facile his ipsis quoties vellet incutere metum, et mox mutatus apparere mansuetus. Atque hunc quidem talem fuisse aiunt illi, qui hominem norant. *Ex quibus Sozomenum id potuisse intelligere, ætas utriusque probat, cum lib.* 9, *cap.* 2, *scribat se reliquiarum Sanctorum quadraginta militum et Martyrum apud Sebasten Armeniæ (de quibus agemus* IX *Martii) interfuisse translationi, quæ contigit an. Christ.* CDXXXVIII.

conciones :

In Pseudo-synodo testatur contra S. Chrysostomum.

7 S. Atticum *adhuc* Presbyterum unum ex insidiatoribus Joannis *fuisse constat ex Pseudo-synodo Chalcedone in suburbio Ruffini, in loco qui* Δρῦς, *sive ad Quercum, dicebatur, adversus S. Chrysostomum a Theophilo Alexandrino ann. Ch.* CDII, *coacta, in qua Atticus contra eumdem S. Chrysostomum testimonium dixit; ut habet Photius in bibliotheca, Tmemate* LIX. Mox tertium, quoque, *inquit*, accusationis a Joanne diacono factæ caput examinatur (quod, *ut ante dixit*, pretiosarum rerum magnam vim divendidisset.) In eo capite Arsacius Archipresbyter, qui ipsi Chrysostomo successit, et Atticus Presbyter, nescio quo modo testes adhibiti, testimonium dixerunt, uti et Elpidius Presbyter. Iidem et cum ipsis etiam Acacius Presbyter in quartum criminationis caput testati sunt (quod marmora S. Anastasiæ, quæ Nectarius illi ecclesiæ marmoribus ornandæ reliquerat, ipse vendidisset.) Postquam ita excussa fuere hæc, prædicti Presbyteri, ac præter eos Eudæmon et Onesimus sententiam accelerari postularunt. Itaque Synodi Præses Paulus Heracleæ Episcopus omnes sententiam dicere voluit, statutumque ut ipsis visum, beatum virum Sede pellendum, incipiente Gymnasio Episcopo, et finiente Theophilo Alexandrino numero omnes quinque et quadraginta. *Hæc Photius.* Hæresis Macedoniana, *cujus sectator in prima adolescentia fuit* S. Atticus, *procreata a Macedonio Episcopo Constantinopolitano. Divinitatem Spiritui sancto eripiebat; eam exponunt S. Augustinus hær.* 52, *S. Epiphanius* 52, *et damnarunt Patres in secunda synodo generali, Constantinopolitana prima.*

Creatur Episcopus Constantinopolitanus.

8 *Eadem, quæ ex Sozomeno protulimus, refert Nicephorus lib.* 13, *cap.* 29. *Et breviter ita perstringit Socrates lib.* 6, *c.* 18. Arsacius non diu illum gessit Episcopatum, nam sequenti anno, ad secundum consulatum Stiliconis, Anthemii autem primum, III Idus Novembris mortem obiit. Cum autem de Episcopo deligendo

gendo a multis vehementer laboratum esset, et ob eam causam multum temporis præteriret, proximo anno, Arcadio jam sextum Cos. et Probo primum; Atticus, vir pietate eximius, ex Sebastia Armeniæ oriundus, monasticum vitæ genus ab ineunte adolescentia excolens, doctrina sane mediocri, sed prudentia naturaliter insita magis valens, Episcopus Constantinopol. creatus est. *Fuit autem Stilico II, Consul cum collega Anthemio an. Ch.* CDV, *quo* XI *Novembris obiit Arsacius, a cujus obitu, cum quarto mense* Atticus *creatus sit Episcopus, ut Sozomenus et Nicephorus referunt,* XI *Martii die Dominica id forte contigerit an. Ch.* CDVI, *quo Arcadius Aug.* VI, *et Probus Consules erant.*

Reliquiæ S. Samuelis transferuntur Constantinopolim.

9 *Eisdem consulibus Attico jam Episcopatum gerente, Constantinopolim* ex Judea, ex oppido Silo, *ut vult Salianus noster tom.* 3, *Annal. Eccl. vet. testam. an. mundi* 2977, *nu.* 7 *et* 17, *translatæ sunt reliquiæ magni Sacerdotis et Prophetæ Samuelis, Regum omnium Patris, Magistri ac Judicis. Theodorus Lector lib.* 2, *Collectan.* Sub imperio, *inquit,* illius *Arcadii,* et Patriarcha Attico Constantinopolim allatæ sunt reliquiæ S. Samuelis et in prophetico ipsius loco juxta hebdomum, XII Calend. Julii collocatæ. *Eadem habet Nicephorus lib.* 14, *c.* 10. *S. Hieronymus contra hæreticum Vigilantium, sacra hæc lipsana magnifica pompa translata testatur.* Dolet, *inquit,* Martyrum reliquias pretioso operiri velamine, et non vel pannis vel cilicio colligari, vel projici in sterquilinium, ut solus Vigilantius ebrius et dormiens adoretur. Ego sacrilegi sumus, quando basilicas Apostolorum ingredimur. Sacrilegus fuit Constantinus Imperator, qui sanctas reliquias Andreæ, Lucæ, et Timothei transtulit Constantinopolim; apud quas dæmones rugiunt, et inhabitatores Vigilantii illorum se sentire præsentiam confitentur. Sacrilegus deinde dicendus est et nunc Augustus Arcadius, qui ossa B. Samuelis longo post tempore de Judæa transtulit in Thraciam. Omnes Episcopi non solum sacrilegi, sed etiam fatui judicandi, qui rem vilissimam, et cineres dissolutos in serico et vase aureo portaverunt. Stulti omnium Ecclesiarum populi, qui occurrerunt sanctis reliquiis, et tanta lætitia, quasi præsentem viventemque Prophetam cernerent, susceperunt, ut de Palæstina usque Chalcedonem jungerentur populorum examina, et in Christi laudem una voce resonarent. *Additur in Chronico Alexandrino :* Eodem anno, *Arcadio Aug.* VI *et Probo Coss.* delatæ sunt reliquiæ S. Samuelis Constantinopolim per gradus scalasve Chalcedonenses mense Artemesio, XIV Calendas Junias, pompam ducentibus Arcadio Augusto et Anthemio Præfecto prætorio, Consulibus item, et Æmiliano Præfecto Urbi, et universo Senatu. Repositæ sunt ad tempus in sanctissima Ecclesia magna. *Dum forte ei templum ædificaretur, in quod transferrentur, ut Baronius in notis ad Martyrol. Rom. ad* XX *Augusti, quo die de S. Samuele agemus, et in annalibus hoc anno num.* 56, *et Salianus anno citato n.* 18, *extructum supponunt ex his verbis Procopii lib.* 5, *de ædificiis Justiniani Imperat.* Φρέατα δὲ, ἢ δεξαμενὰς, ᾠκοδομίσατο οὕτως εἰς τὸ τοῦ ἁγίου Σαμουὴλ, φρέαρ καὶ τεῖχος. Puteos autem, vel cisternas ædificavit hoc modo. In S. Samuelis, puteum et murum, *etc. An S. Attici consilio auxilioque cœptum extrui S. Samuelis templum, non conjicimus : proximo sane tempore extructum supponunt verba Theodori Lectoris, et Nicephori, quibus in* propheticum ejus locum *seu* fanum juxta Hebdomum *referuntur illatæ, nulla facta mentione* repositionis ad tempus in sanctissima Ecclesia Magna, *alia a S. Sophiæ templo, quod D. Chrysostomo ejecto a biennio conflagrarat et proximis annis reædificatum, et a S. Attico dedicatum est, ut suo loco dicemus.*

§ III. *Graves inimicitiæ inter Atticum et fautores S. Chrysostomi.*

Ex variis.

Atticus sibi communicare nolentes varie affligit.

Palladius *in dialogo de vita S. Chrysostomi circa medium,* Substituitur, *inquit,* Arsacio Atticus Presbyter, totius contra Joannem machinationis architectus. Qui cum animadverteret Occidentalium sibi Episcoporum communicare neminem, neque ipsius civitatis populum, propter ea quæ adeo injuste ac nefarie admissa fuerant; agit divinarum Scripturarum imperitus, ut qui non communicarent, Rescriptis conventi cogerentur. Habebat autem Rescriptum adversum Episcopos hujusce minas : Si quis Episcopo Theophilo, et Porphyrio, et Attico non communicat, Ecclesia pellatur, et a suis facultatibus prorsus projiciatur. Hinc jam aliis plus æquo gravati pondere, inviti quoque communicant. At vero pauperiores quique et in fide sana imbecilliores muneribus quibusdam ad communicandum attrahuntur. Qui vero genus et patriam, et corruptibilem gloriam, corporumque pressuram contempserunt, fuga ingenuitatem animi servavere; Evangelicum illud crebra memoria repetentes : *Si vos in una civitate persecuti fuerint, fugite in aliam.* Et Proverbiorum illud sibimet dicentes : *Non proderunt substantiæ in die iræ.* Profecti autem sunt alii quidem Romam, alii ad montes, alii in monasteriis servorum Dei a Judaica iniquitate servabantur. Continebat autem Rescriptum contra laicos, qui in dignitate erant constituti, ut magistratu et dignitate omni privarentur, milites ut baltheum amitterent, populares et artifices reliqui, persoluto gravi auri pondere, subjicerentur exilio. Verum dum ista geruntur, preces a fidelioribus quibusque sub dio magna cum afflictione sua quotidie fiebant, Salvatoris studio et amore, qui dixit : *Ego sum via et veritas,* et rursum : *Confidite ego vici mundum.*

Matt. 10. 23. Prov. 1 4. Joan. 14. 6. Joan. 15. 33.

Legati Pontificis aliique Episcopi misere exagitantur.

11 *Hæc Palladius : Similia ab aliis in vita S. Chrysostomi referuntur.* Moritur, *inquit Leo Imperator,* Arsacius : Ei autem succedit Atticus. Quænam ab eo fiebant? Accusationes, ordinationes, Metropolitani indigni qui mandentur memoriæ. Quidam viri boni non ferentes hæc videre, eunt Romam, ex quibus cum rescivisset Antistes, singula refert Imperatori Honorio. *At missisa S. Chrysostomo Romam legatis legatio illa anno præcedenti vivo adhuc Arsacio contigit. Concilio tum Romæ habito, missi hoc anno in Orientem Legati, qui in via, quod cum Attico communicare nollent, dira passi sunt, ad quos, inquit Georgius Alexandrinus* destinarunt, sive qui ex Imperiali aula erant aut asseclæ Attici, offerentes eis ter mille nummos, postulantes ut persuasi Attico communicarent, sententiamque in Joannem latam silentio tegerent. *Aliquanto aliter Metaphrastes :* Incertum, *ait,* an ex iis qui erant Imperatricis, an ex iis qui erant Attici, quidam accedentes volebant eos, non gratis, nec parvo pretio, sed acceptis tribus millibus aureorum cum Attico quidem communicare, Joannis vero caussam negligere. *Similia habet Nicephorus lib.* 13, *c.* 33. *Alii quoque Episcopi, qui partim a S. Chrysostomo Romam missi fuerant, partim ejus innocentiam defenderant, omnes aut relegati aut carceri mancipati, aut aliis modis exagitati. Quibus enarratis in dialogo Palladii additur :* Reliqui de communione Joannis partim quidem Attico communicarunt necessitate compulsi, et ad alias Ecclesias Asiæ translati, partim nescimus ubi sint.

12 *Simultatem hanc cum vita S. Chrysostomi magna ex parte sopitam scribit Synesius epist.* 66, *ad Theophilum. A morte enim ejus (nam* XIV *Novemb. an. Ch.* CDVII. *Comanis ad Pontum Euxinum defunctus est.)* Theophilus Alexandrinus libellum ad B. Atticum scripsit scitum et eruditum, *quem se perlegisse testatur. Eo libello* hic illum adducebat ad recipiendos homines,

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

EX VARIIS. *Mortuo S. Chrysostomo recipiuntur proscripti.*

homines, *ob initam scilicet cum S. Chrysostomo communicationem diversis sententiis damnatos atque proscriptos, vel voluntario exilio extorres; ut sic licentia iis ad propria redeundi impertita, dissensiones cum morte S. Chrysostomi paullatim deponerentur. Interea Pontifex Innocentius litteras ad Imperatorem acerrimas scripsit, quibus tum ipsum, tum Augustam, tum Theophilum excommunicat, et Arsacii mortui nomen declarat ex albo Episcoporum eradendum : Atticum ne vel nominat quidem, ut ex ipsis patet litteris, quas proferunt Georgius Alexandrinus in vita S. Chrysostomi, Gennadius, Glycas, Baronius ex Codice Vaticano Græco, sed ubique translatione varias. Nos eas hic damus ut tom.* I *Conciliorum ex Nicephoro recitantur, et sic habent :*

Epistola S. Innocentii Papæ ad Arcadium Imperatorem.

13 Vox sanguinis fratris mei Joannis clamat ad Deum contra te, O Imperator, sicuti quondam Abel justi contra parricidam Cain : et is modis omnibus vindicabitur. Nec id modo admisisti, sed et jam pacis tempore persecutionem magnam adversus Deum et Ecclesiam ejus concitasti. Ejecisti e throno suo, re non judicata, magnum totius orbis Doctorem, et una cum eo Christum persecutus es. Neque de illo ita queror, (sortem enim, seu hereditatem cum sanctis Apostolis in Dei et Servatoris nostri Jesu Christi regno consecutus est) quamvis intolerabilis jactura ea sit; sed affligor propterea, quod primum de animarum vestrarum salute, deinde de eis quæ sapientissima spirituali et divina doctrina et institutione ejus orbati, fame verbi Dei conficiuntur, sum sollicitus. Non enim Ecclesia tantum Constantinopolitana mellitæ illius linguæ jacturam fecit, sed et orbis sub sole totus ad orbitatem redactus est, viro tam divino amisso, persuasione unius mulieris, fabulam hanc et spectaculum exhibentis. Verum excipiet illa et præsentem hic pœnam, et futurum sempiternum supplicium non post multos hosce dies ei adveniens. Tametsi enim B. Joannes vitam reliquit, fide servata, et fluctuantibus confirmatis, in æterna tamen secula sempiternarum deliciarum et immortalis vitæ hæreditatem est consecutus. Nova autem Dalila Eudoxia, quæ paullatim te erroris, seu seductionis novacula totondit, execrationem ex multorum ore sibi ipsi introduxit, grave et quod gestari nequeat peccatorum pondus colligans, atque id prioribus peccatis suis superaddens.

Excommunicantur Arcadius et Eudoxia;

14 Itaque ego minimus, et peccator, cui thronus magni Apostoli Petri creditus est, segrego et rejicio te et illam a perceptione immaculatorum mysteriorum Christi Dei nostri. Episcopum etiam omnem, aut Clericum ordinis sanctæ Dei Ecclesiæ, qui administrare aut exhibere ea vobis ausus fuerit, ab ea hora qua præsentes vinculi mei legeritis litteras, dignitate sua excidisse, decerno. Quod si, ut homines potentes, quemquam ad id via degeritis, et canones vobis a Servatore per sanctos Apostolos traditos transgressi fueritis, scitote non parvum id vobis peccatum fore, in horrenda illa judicii die; cum neminem hujus vitæ honor et dignitas adjuvare poterit, arcana autem et abdita cordium sub oculos omnium effundentur atque exhibebuntur. Arsacium, quem pro magno Joanne in thronum Episcopalem produxistis, etiam post obitum exauctoramus, una cum omnibus qui cum eo consulto communicarunt Episcopis : cujus etiam nomen sacro Episcoporum albo non inscribatur : indignus enim eo honore est, qui Episcopatum quasi adulterio polluerit. Omnis siquidem plantatio, quæ a Patre nostro in cælis plantata non est, eradicabitur. Ad Theophili anathematismum addimus abrogationem et absolutam a Christianismo alienationem. *Georgius Alexandrinus sic concludit :* Ad Theophili exauctorationem, addimus censuram excommunicationis, anathematismum et a Christianismo omnimodam ac perfectam alienationem.

Arsacius defunctus :

Theophilus Alexandrinus.

15 *Nicephorus lib.* 13, *cap.* 33, *ait* hanc epistolam ad Arcadium, Atticum, et Theophilum datam; qua illos excommunicationi et exauctorationi subjecit, *at c.* 24, *recitata epistola, in qua Attici non fit mentio, addit :* Neque vero etiam Atticum, qui post Arsacium thronum magni illius involavit, non accusavit. *S. Innocentius Papa in epistola* XVII, *tomo* I *Concil. quæ est ad Alexandrum Episcopum Antiochenum* eum a se suspensum fuisse *scribit; seu, ut ante de Theophilo dixit,* exauctoratum : *quam censuram utrique necdum citata epistola ad eos missa inflictam arbitramur.* Arcadius, *inquit Georgius Alexandrinus,* susceptis hisce litteris in mœrore constitutus, et anxio deliquio animi tabescebat. Jubet is inquiri, num qui in civitate supersint ex iis, qui adversus B. Joannem insidiosas molitiones instruxissent. Erant autem in ea civitate (ut fit forte) Menas, Theotecnus, et Eschœrion consobrini Theophili Alexandriæ Episcopi, et Acacius qui ab ejus parte steterat; Severianus item Gabalorum Episcopus. Hos in civitate esse cum rescivisset Imperator, jubet eos omni cum ignominia et dedecore adduci, et illatos includi carceribus tantisper, dum de eorum gestis consulto inquisiisset. Tum sane sedulo inquirit adversos eos Episcopos qui scenam tracam peregerant. *Eadem scripsit Arcadius Innocentio, ut ex codice Vaticano refert Baronius : rejecta enim culpa depositionis S. Chrysostomi in Episcopos addit :* Ex quibus et qui adhuc hic extant, Acacium et Severianum, et eos, qui sceleratum Theophilum secuti sunt, ut quanta maxima celeritate comprehendi jussimus et eos qui illic sunt, ut pœnas dent ausibus suis debitas. *In quibus altum de Attico silentium, forte quod a sacris decreto S. Innocentii* suspensus, *morem illico gessisset, proscriptos exulesque Episcopos ad proprias Sedes revocasset, et dum caussa sua discuteretur, sententiæ ferendæ acquiesceret.*

S. Atticus a sacris suspensus.

Caussa ejus discutitur.

16 *Hæc insinuat Georgius Alexandrinus :* Cum responsi Arcadii lectione, *inquit,* Innocentius Papa intellexisset Imperatoris pœnitentiam, humilem ipsius modestiam demiratus est. Porro relatione eorum, qui pro potestate agebant, cum cognovisset ultionem esse expetitam de his, qui in magnum Joannem inclementer egerant, scribit Proclo pientissimo Cyzici Episcopo, ut ascenderet Constantinopolim, Imperatoresque efficeret participes incontaminatorum mysteriorum, et eam pasceret Ecclesiam tantisper, dum revocaretur, caussa Attici discussa, nummam is dignus foret, cujus fidei concrederetur tantæ illius civitatis Episcopatus. Proclus siquidem susceptis Papæ litteris moderandæ Cyzicenorum Ecclesiæ subrogavit Clericos fide dignos ac sanctos, qui suam absentis vicem supplerent, et ascendit Constantinopolim. Expleto autem sacrificio eis contradidit incontaminatam hostiam. Per dies aliquot moram nectens in civitate, populisque scripturam enarrans, parte aliqua eorum mœrorem solabatur ac levabat, *etc.*

Absolvitur.

17 *Decisionem caussæ S. Attici, quam hic non attingit, feliciter peractam opinamur, ipsis S. Innocentii verbis inducti. Hinc enim multis deinde annis elapsis, cum alia quæstio ob S. Chrysostomi nomen sacris diptychis non inscriptum esset obortа, ita scribit ad Alexandrum Antiochenum :* Scripta autem Attici Episcopi, quoniam cum vestris sunt porrecta, suscepimus, ne per vestram injuriam ille qui olim a nobis suspensus fuerat, repudiaretur. Et tamen satis abunde, quæ in actis statuimus, sicut dignanter relegere procurabis, quid in ejus persona debeat custodiri, ut si per omnia vestris consiliis actibusque tam sanctis se rogaverit esse communem, præstetur sane favore vestro, nostroque beneficio communionis atque litterarum a nobis gratia prorogata, subscripserunt Episcopi XXIV.

Aliam ab hac suspensione minorem excommunicationem postea incurrit.

18 *Hæc Innocentius. Suspensio vero illa olim inflicta,* ἀπὸ τῆς ἀκοινωνησίας, *seu a negata* communionis et litteratum gratia, *distincta et tempore et pœnæ gravitate videtur. Suspensio enim hoc tempore quo S. Chrysostomus vivere desiit, Alexandro nondum ad Episcopatum promoto*

promoto illata est, et sublata : id enim præter citatam Innocentii epistolam, reliqua vita Attici ostendit. Altera vero ἀκοινωνησία non nisi ab Alexandri obitu Theodoto facto Antiochiæ Episcopo sublata, ut ostendetur infra ex Attici ad S. Cyrillum epistola. Quando autem inflicta fuerit, non certo constat. Similis ἀκοινωνησία appellatur a Joanne Morino lib. 2 *Exercitationum Ecclesiasticarum c.* 17, 18 *et* 19, minima excommunicatio, *quam eo tempore plurimum usitatam fuisse ostendit, et fere intra aliqua sequentium capitum constitisse; ut cum Coepiscopis neque civiliter, neque religiose communicaret : ab eo commendati Clerici non susciperentur : ei non esset cum collegis formatarum commercium; auctoritate denique suffragiis, et concessu in Conciliis abdicaretur. Interim tamen in Ecclesia et diœcesi propria auctoritatem et dignitatem, cum Clericis et plebe diœcesana communionem integram et illibatam retineret. Ita jussit S. Leo Episcopos nonnullos, qui in conciliabulo Ephesino hæresi Eutychianæ consensum præbuerant, suæ diœceseos communione contentos, cæterorum caritate et amplexu mulctari. Ejus verba hic attexere non erit supervacaneum, quæ ad Anatolium Episcopum Constantinopolitanum sic scribit :* Illud quidem, *inquit,* quod præsentibus et agentibus nostris constitutum est, approbamus, ut suarum interim Ecclesiarum essent communione contenti. Sed cum Legatis nostris, quos misimus, participata tecum sollicitudine volumus disponatur; quatenus hi qui plenis satisfactionibus male gesta condemnant, et accusare magis se eligunt quam tueri, pacis et communionis nostræ unitate lætentur, etc. *Est epistola* 40, *data Idibus Aprilis Adelphio* v, *Cl. Cos. id est, an. Ch.* CDLI.

§ IV. *Laudabilis administratio Episcopatus. Miraculum Judæi inter baptizandum sanati.*

S. Attici doctrina, prudentia, et conversatio.

Socrates *lib.* 8, *cap.* 1, 2, 3, 4. Mortuo igitur Imperatore Arcadio Kalendis Maii Basso et Philippo Consulibus (*an. Ch.* CDVIII), Imperatore Theodosio octavum jam ætatis suæ annum agente, Atticus triennio Episcopatum Constantinopolitanum cum maxima laude procuraverat : vir, ut supra demonstravimus, doctrina mediocri, sed pietate et prudentia eximius : quamobrem Ecclesiæ ejus temporibus magnopere fuerunt amplificatæ. Nam non modo suæ ipsius fidei fautores concordia devinxit; verum etiam hæreticos sua obstupefecit prudentia : quibus certe nihil voluit exhibere molestiæ ille quidem, sed ubi eos perterrefecerat, rursus se erga illos mansuetum et facilem declaravit. Quin etiam neque doctrinæ studia neglexit : quippe in veterum scriptorum monumentis evolvendis multum operæ posuit, inque eisdem magnam noctis partem contrivit, et propterea neque philosophorum, neque sophistarum argutiis capi et obstupefieri potuit. His qui cum eo in colloquium veniebant urbanus et blandus; qui autem erant affecti mœstitia, cum illis condolescere visus est. Ne multis, omnia (ut est apud Apostolum) omnibus factus. Primum, cum Presbyterii gradum obtinuisset, conciones quas summo studio confecerat, ad verbum ediscens, in Ecclesia recitavit. Postea crebro usu et diligentia majorem audaciam adeptus, ex tempore concionari cœpit, rationemque docendi magis popularem secutus est. Verum ejus conciones non ejus generis fuere, ut merito vel ab auditoribus studiose perdiscerentur, vel monumentis mandarentur litterarum ad posteritatem. Sed de ejus natura, moribus, doctrina denique, satis superque videmur disseruisse. Jam vero ad res ejus temporibus gestas, quæ sunt dignæ hominum memoria, explicandas veniamus.

1. Corint. 9. 22.

Theodosius Episcopus Agapetum hæreticum persequitur ex avaritia.

20 Theodosius quidam Synadorum urbis Phrygiæ Pacatianæ Episcopus, hæreticos (in ea namque urbe complures erant ex secta Macedonianorum) graviter persecutus est, eosque non modo e civitate, verum etiam ex agris relegavit. Atque istud agressus est, non de more Orthodoxæ Ecclesiæ, quæ homines persequi non solet; neque studio rectæ sinceræque fidei incitatus ; sed turpis quæstus aviditati inserviens, ut ex hæreticis pecuniam cogeret. Itaque nihil reliquum fecit, quod ad Macedonianos vexandos pertineret : manusque Clericorum, qui de ejus erant Ecclesia, contra eos armare, ac infinitis fere machinis, quibus illos conturbaret, uti cœpit : in judicio vinctos sistere non desiit : maxime omnium Agapetum, illorum Episcopum, variis incommodis et molestiis affecit. At cum primarii provinciæ viri non satis habere virium et auctoritatis ei viderentur ad supplicium de Macedonianis sumendum, Constantinopolim celeriter contendit, mandatumque Præfecti provinciæ postulat. Dum Theodosius Episcopus his de rebus Constantinopoli moram facit, Agapetus, quem sectæ Macedonianæ præesse docui, ad rectam sanamque de fide opinionem redit. Nam consilio cum universo Clero inito et populo Ecclesiæ suæ convocato, persuadet, ut fidem Consubstantialis recipiant. Quo facto cum ingenti multitudine, imo vero cum populo universo ad Ecclesiam ire maturat. Ac precibus peractis, Sedem, in qua Theodosius considere consueverat, capessit. Simul atque populum concordiæ vinculis in unum colligaverat, de reliquo fidem Consubstantialis docuit : unde Ecclesiarum administratione ad urbem Synada spectantium potitus est.

Ex variis.

Hic eo absente convertitur, et ut verus Episcopus, recipitur.

21 His rebus ita constitutis, post paullo Theodosius Synada revertitur, Præfecti mandato fretus, quod secum attulerat. Atque ignarus rerum, quæ ipso absente acciderant, extemplo ad ecclesiam pergit. Inde ab omnibus, qui ibi aderant expulsus, Constantinopolim denuo proficiscitur. Qui simul atque eo adventabat, graviter suum statum coram Attico Episcopo deplorare, se inique Episcopatu ejectum docere cœpit. Atticus autem, ut intellexerat rem feliciter ad Ecclesiæ commodum cecidisse, verbis Theodosium lenire, suadere uti genus vitæ quietum et vacuum a molestiis consectaretur, communemque omnium utilitatem suis privatis commodis anteferret. Scribit præterea Agapeto, ut Episcopatum teneat nihilque molestiæ sibi ex offenso Theodosi animo suspicetur eventurum.

Atticus suadet Theodosio ut quiescat :

Agapetum confirmat.

22 Atque ut hæc una res, quam temporibus Attici accidisse modo commemoravi, permultum profuit Ecclesiæ; sic eadem tempora et miraculis et donis sanationem nobilitata fuerunt. Nam Judæus, qui a multis jam annis paralysi conflictatus, in lecto decubuerat, cum omnia curationum et medendi genera, omnesque Judaicas preces ac vota expertus, nihil plane inveniret remedii, tandem ad baptismum Christianorum confugit, pro certo persuasus, hujus tamquam veri medici adjumento, se ad integram valetudinem restitutum iri. Quæ res erat quam primum Attico significata. Ille igitur Judæum fidei articulis instituens, et spem in Christum ei annuntians, jubet ad baptisterium in lecto apportari. Judæus paralysi oppressus, simul ac baptismum sincera fide receperat, et ex lavacro baptismatis erat elatus, confestim morbo liberatus est, et ad sanitatem restitutus. Hæc curatio divina Christi virtute nostris temporibus hominibus declarata fuit. Qua quidem ex gentilibus complures ad credendum inducti, baptismum receperunt. Judæi autem quamvis signa et miracula quærerent, signis tamen ad credendum induci non poterant. *Eadem narrat Nicephorus lib.* 14, *cap.* 11 *et* 12.

Judæus paralyticus, ab Attico baptizatus, subito convalescit.

23 *Paulus Diaconus lib.* 14 *historiæ Miscellæ cap.* 1 *et Cedrenus ad annum Theodosii II, Christi* CDIX *hoc de Judæo sanato referunt miraculum.* Anno ab Urbe condita, *inquit Paulus,* MCLXV. Theodosius Junior in Oriente imperat : cujus imperii anno secundo Atticus Episcopus Constantinopolitanus Judæum quemdam paralyticum monens, suadens, atque baptizans, sanum ex lavacro reduxit : secundum enim Deum dicitur provectus

Contigit id anno 409.

Ex variis: provectus fuisse. *Cedrenus etiam :* Secundum, *ait,* Theodosio minore imperante annum, Atticus Constantinopolis Episcopus Judæum quemdam luxatione membrorum affectum, cum persuadendo ad Christianam religionem perduxisset, baptizatum a se sanum lavacro eduxit. *Baronius idem ex Socrate narrat, sed anno Theodosii primo, seu Christi* CDVIII.

§ V. *Ob nomen S. Chrysostomi diptychis non inscriptum dissensio. Varia Attici in Divos et proximos pietas.*

Nomen S. Chrysostomi diptychis inscribere recusat Atticus.

Etsi eximia Attici virtus late splendesceret, nebula tamen adhuc aliqua obscurabatur, quod S. Chrysostomi nomen, falsa persuasione adductus, diptychis seu tabulis sacris non inscriberet; ideoque ipse ab Innocentio Papa aliisque Occidentalibus Episcopis in communionem non reciperetur; frustra hac de caussa Maximiano Episcopo apud Innocentium Papam instante, ut ad Atticum litteras communicatorias daret. Erat hic Maximianus unus ex iis Macedoniæ Episcopis, ad quos extat S. Chrysostomi, cum exularet, epistola 163 *cujus quoque mentio fit in Epistolis Innocentii, una ad Episcopos itidem Macedoniæ sub Consulatu Constantii an. Ch.* CDXIV *in Synodo provinciali congregatos, altera item data in caussa Bubalii et Tauriani cum ipse Maximianus Romæ fungeretur legatione; hæc* VII *illa* XVI *refertur Innocentii epistola tom.* I *Conciliorum parte* I. *Andreas Schottus noster in elogio suo de vita et scriptis S. Cyrilli hunc Maximianum appellat Patriarcham Constantinopolitanum, quasi idem sit, qui Nestorio successit. Verum Schotto non assentimur, quod diu a morte S. Attici, cum ante* in monastica vita vixisset, ab ordine Presbyterorum, *non Sede aliqua Episcopali, in locum Nestorii ad Patriarchatum fuisse assumptum Maximianum scribat Nicephorus lib.* 14, *c.* 37. *Innocentii ad hunc Maximianum in causa Attici datæ litteræ sic habent :*

S. Innocentius Papa negat ei litteras communicatorias.

25 Miramur prudentiam tuam, scripta ad Atticum Episcopum Constantinopolitanæ urbis a nobis et persecutione propria, et dato libello, qui subter annexus est, postulare : a quo nec missas ullas saltem epistolas ad nos, vel ad vestram synodum utique pertulisti. Idque non petenti tribuendum existimes, quod vides deprecantibus, discussa ratione, concessum. Communio enim suspensa restituitur demonstranti causas, quibus id acciderat, jam esse detersas, et profitenti conditiones pacis impletas. Quod neque apud vos, neque apud nos, (ut dixi,) Atticus missis aliquibus suorum, vel dicere voluit, vel demonstrare completum : quemadmodum Antiochenæ Ecclesiæ frater et Coepiscopus noster Alexander digna legatione et persecutus est et probavit. Quibus omnibus utique interesse dignatus, cognovisti quemadmodum singulatim omnia scriptorum nostrorum antehac de caussa beatissimi Joannis quondam Episcopi nostri discusserim, ut quæ illi in omnibus satis ostenderint, universa quæ apud Antiochiam fieri debuerint, fuisse completa. Quorum amplexati pacem, utique fidem facimus, et magno tramite omnibus eamdem postulaturis ostendimus; si modo quæ discussa sunt atque completa, etiam ipsi se pro suo loco fecisse, vel complesse, aliquando monstraverint, communionemque, ut isti, legatione solemniter destinata, sibi rogaverint redhiberi. Expectamus ergo et professionem memorati de completis omnibus conditionibus, quas diversis temporibus prædiximus, et petitionem communionis : ut recte et petenti et probanti se eamdem mereri, reddamus, frater carissime. Nam de omnibus plenissimas ad sanctam nostrorum fratrum synodum dudum litteras percepisti. *Baronius has litteras refert ad annum Christi* CDVIII, *verum non nisi post Synodum Macedoniæ provincialem, ad quam Innocentium an. Christ.* CDXIV *scripsisse diximus, ipsa* Synodus *in epistola citata datas indicat.* Alexander Antiochenus Episcopus, quem primum magni Joannis nomen in tabulis Ecclesiæ inscribendum curasse *notat Theodoretus lib.* 5, *hist. Eccl. c.* 35, *et cujus reconciliationem Innocentius epistola* XV *ad eum data nominat* primitias pacis, *ille, inquam,* Alexander *ad ann. Ch.* CDXX *aut ultra, Antiochenam Ecclesiam rexit, ut infra ostendetur.*

S. Atticus dedicat templum Sophiæ.

26 *Eodem tempore, quo Maximianus pacis Ecclesiarum studiosus apud Innocentium Attico patrocinabatur, hic cum Constantinopolitano populo augustissimam ædem Sophiæ, quæ S. Chrysostomo in exilium ablegato, cum universo ornatu in cineres redacta fuerat, restaurabat. Quod opus an. Chr.* CDXV *perfectum scribit Marcellinus Comes Indict.* XIII, *Honorio* X *et Theodosio* VI *Coss.* Ecclesia, *inquit,* Constantinopolitana dudum igni cremata, his Coss. restaurata dedicataque est, Attico Episcopo eandem regente Ecclesiam. *Et Auctor Chronici Alexandrini :* Eodem anno dedicata est Ecclesia magna Constantinopoli mense Gorpieo, VI Idus Octob. die Dominica, translatæque sunt Constantinopolim per scalam Chalcedonensem reliquiæ Josephi filii Jacob, et Zachariæ patris S. Joannis Baptistæ mense Gorpieo VI Nonas Octob. die Sabbathi, gestantibus pignora in duabus arculis Attico Patriarcha Constantinopolitano et Mose Antaradeno Phœnicis Episcopo, sedentibus ipsis in Burichaliis, quæ in magna Ecclesia deposuerunt; pompam præcedente Urso urbi præfecto cum universo Senatu. *Sunt autem* Burichalia *non navigii aliquod genus, ut opinatur Raderus, sed instrata equorum, ut observavit etiam Meursius in Glossario; et* ἐουρίχος *a Græcis, et* Buricus *a Paulino epist.* 10, *quæ est ad Severum, pro* equo *accipitur.*

In eo reliquias S. Josephi Patriarchæ, et S. Zachariæ reponit.

Quis ille Zacharias.

27 *De S. Josepho agunt Græci in Menæis* XIX *Decemb. De S. Zacharia patre S. Joan. Baptistæ Martyrol. Rom.* V *Novemb. Verum reliquias* vetusti Prophetæ Zachariæ *sub Theodosio juniore inventas fuisse referunt Sozomenus lib.* 9, *cap.* 16 *et* 17 *eumque secuti Nicephorus lib.* 14, *cap.* 9. *Baronius hoc* CDXV *anno, et Raderus cap.* 13. *Aulæ sanctæ eumque omnes affirmant Zachariam, quem Joas Rex Judæ in atrio domus Domini interfecit, Paralip. lib.* 2, *cap.* 24, *v.* 21. *Baronius in notis ad Martyrol. Rom.* VI *Sept. ait fuisse corpus Zachariæ Prophetæ et Hagiographi, qui cum altero Zacharia eo die colitur; remittit Baronius lectorem ad citatos suos Annales, ad Sozomenum quoque et Nicephorum. Tirinus noster in Præfatione ad Zachariam assentitur Baronio. Cedrenus refert hanc translationem ad annum Theodosii undevigesimum his verbis :* Anno undevigesimo reliquiæ Zachariæ vatis, ac principis Martyrum Stephani, et Laurentii depositæ sunt. Tunc primum memoria Joannis Chrysostomi solemniter celebrata est. *Sed hæc post ubitum S. Attici contigissent. In Chronico Alexandrino a Radero edito, alteroque a Scaligero ad Eusebianum Chronicum adjecto, legitur hæc translatio contigisse* μηνὶ Γορπιέῳ πρὸ ἕξ Νωνῶν Σεπτεμβρίου ἡμέρᾳ σαββάτῳ mense Gorpieo VI Nonas Septembris, die Sabbathi. *Mendum est in* VI Nonas Septembris, *et reponendum* Octobris, *cum dies Sabbathi, et mensis Gorpieus consentiant; at September* IV *tantum Nonas censeat.*

Atticus libram scribit de fide et virginitate.

28 Theodosius, *animadversa sororis S. Pulcheriæ, divina prudentia, pietate, castimonia, ut* X *Septemb. in ejus vita dicemus, multo certius se Imperium administraturum putavit, si in partem regiminis et consilium tantam sororis sapientiam adhiberet. Ergo Indict.* XII *Constantio V. C. et Constante Coss. an. Ch.* DCXIV, IV *Nonas Julias, Augustam nominavit. Ita Chronicon Marcellini Comitis, et Alexandrinum. Pulcheria ut fratri Imperium firmaret, et ipsa a nuptiis abstinuit, et ad idem votum trigeminas sorores induxit. Quæ hisce in rebus consilia suggesserit Atticus, scriptores silentio involvunt : multa et præclara eum peregisse colligimus ex Chronico Marcellini Comitis, in quo* Ind. XIV, Theodosio VII et Palladio Coss. *hæc leguntur :* Atticus Constantinopolitanus Episcopus scripsit ad Reginas, Arcadii

cadii Imp. filias, de fide et virginitate librum valde egregium, in quo præveniens Nestorianum dogma impugnat. *Hæc aliaque industriæ, sapientiæ, pietatisque ejus monumenta tempus edax rerum consumpsit. Quanti autem tum ponderis fuerint, ex Theodoreto, Cyrillo, et Patribus Concilii Ephesini discimus, qui ex eo ut erudito et orthodoxo Antistite, Nestorium aliosque hæreticos oppugnant. Horum aliaque loca non abs re judicamus hic proponere.*

Fragmenta operum ejus.

29 *Theodoretus dialogo* 2 *Polymorphi hæc ex Epistola ejus ad Eupsychium profert :* Quid ergo oportuit facere sapientissimum? Assumptæ carnis intercessione, et Dei Verbi ex Maria genito homini unione fit utrumque, ut qui ex utrisque unitus erat Christus, divinitate quidem disponens, in sua impatibilis naturæ maneret auctoritate; cum carne autem morte conversans, simul quidem et carni, cum qua generis affinitate junctus erat, se mortem per mortem despicere ostenderet; et simul etiam novi testamenti jura morte confirmaret. *S. yrillus in libro religiosissimis Reginis nuncupato, qui parte* I *Concilii Ephesini extat, hæc ex S. Attici concione, ut apparet, die natali Christi*
II *habita recitat :* Hodie Christus Dominus pro sua benignitate homo natus est. Nam ex Deo jam pridem ante natus erat. Addit his rursum : Benignitatis Verbum cum suapte natura exinanitionis capax non esset, exinanitur. Servili enim forma suscepta, semetipsum exinanivit. Qui expers erat carnis, carne induitur. Verbum caro factum est. Qui ob naturam corporis expertem sub tactum non veniebat, palpabilis efficitur. Qui principium nesciebat, secundum corpus initium sortitur. Qui absolute perfectus erat, incrementa sumit. Qui converti non potest, proficit. Qui dives est, in diversorio gignitur. Qui cælum nubibus tegit, fasciis involvitur. Qui Rex erat, in præsepio deponitur. *Eadem parte* 2 *Conc. Ephes. act.* 1, *a Pa-*
III *tribus ad hæresin Nestorii refutandam referuntur: Deinde ex eodem hæc adduntur.* Si quem ambiguum facit Unigeniti inhumanatio, et Virginis partus, et passionum communicatio et crux, et mors et resurrectio, discens agnoscat hæc mundo salutem parere : non tamen indigna benignitate præstantioris existimari debent. Si enim turpe est Deo in Virgine habitare, turpius fuerit et eam condere. Quod si eam condens, nullam incurrit ignominiam, nec habitare in creatura dignum opprobrio judicavit. Si vero pati malum est, liberari passionibus quantum est? Quare et mortuus est immortalis existens, ut mortem morti inferret, et resurrexit nostram constituens resurrectionem. Et hæc omnia suscepit, non natura Deitatis, sed assumptione carnis : illa quidem in asylis suæ habitans impassibilitatis, hac autem omnia passus et tolerans, ut fieret optimi instituti dux et legislator. *Num hæc ex egregio ejus de fide et virginitate libro desumpta sint dubitamus.*

30 *Petavius lib.* 13, *de doctrina temporum refert ex Theophane Isdegerdem Persarum Regem Maruthæ Mesopotamiæ Episcopi sanctitate et miraculis impulsum, pœne Christianum esse factum : sed eo mortuo cum Abdaates Episcopus Persarum præpostero zelo templum Ignis incendisset, gravem an. Ch.* CDXV, *ortam in Christianos persecutionem ad annos* V. *Certe Indict.* III. *Thodosio* IX, *et Constantio* III *Coss. id est an. Ch.* CDXX, in Perside in Christianos persecutionem desæviisse *scribit Marcellinus. In hac persecutione Christianis ex Perside ad Romanos confugientibus a S. Attico misericordiæ viscera fuisse expansa scribit Socrates l.* 7, *cap.* 18. Isdigerde, *ait,* Rege Persarum qui Christianos Persidem incolentes minime fuerat persecutus, mortuo, Baratanes ejus filius susceptis regni gubernaculis a Magis ad eam rem impulsus, Christianos acerbe exagitare, cruciatus et tormenta varia Persarum more illis infligere. Itaque Christiani, qui inter Persas habitabant necessitate coacti ad Romanos confugere : orare ne illos tam misere opprimi patiantur. Atticus Episcopus illos supplices benigne excipere : omnem suam curam et cogitationem ad opem illis ferendam convertere : Imperatori Theodosio rem palam facere.

Opitulatur exulibus Christianis.

Ex variis.

§ VI. *Nomen S. Chrysostomi diptychis inscriptum.*

Inter præclara hæc pietatis opera S. Atticum credimus ad Pontificem Romanum Innocentium subinde scripsisse: sed quod oborta controversia de inscribendo tabulis sacris nomine S. Chrysostomi, necdum sublata esset, communio litterarum negata coegit Atticum sua scripta per Alexandrum Antiochenum communicare, ut ex epistola S. Innocentii ad Alexandrum § 2, *diximus. Moritur interim S. Innocentius Papa an. Ch.* 417, *a cujus morte scribit Georgius Alexandrinus* abrogatas et interlitas esse litteras Episcopatus Attici. *S. Innocentio subrogatus* S. Zosimus Græcus : *cui sub finem anni sequentis defuncto successit S. Bonifacius. Ad hos potissimum opinamur eas ab Attico legationes destinatas, quarum meminit Theodoretus lib.* 5, *hist. Eccl. cap.* 34. Quin etiam, *inquit,* isto excellenti totius terræ Doctore *(Chrysostomo)* mortuo, Episcopi Occidentis non prius cum Episcopis Ægypti, et Orientis, et Bospori, et Thraciæ communicare voluerunt, quam nomen illius sanctissimi viri in tabulas, quibus nomina Episcoporum mortuorum continebantur, retulissent. Atque Arsacium ejus successorem ne salutare quidem dignati sunt. Atticum autem qui succedebat Arsacio, quique sæpe Legatos ad eos miserat, sæpeque pacem postulaverat, postea tandem cum Joannis nomen in tabulis inscripsisset, receperunt.

Legatos Romam mittit.

32 *Hanc nominis S. Chrysostomi in diptycha relationem ita describit Socrates lib.* 7, *cap.* 25. Atticus Episcopus mirum quantum rebus Ecclesiæ dederit incrementi : quippe tum eas prudentia administravit, tum populum doctrina ad virtutem studiose cohortatus est. Qui cum videret Ecclesiam propterea divisam esse, quod Joannitæ extra eam conventus agebant, præcepit, ut de Joanne, sicut de aliis Episcopis solet, in precibus mentio fieret. Nam ea ratione complures eorum ad Ecclesiam redituros speravit. *Id anno Theodosii Imperatoris* XIV, *(Christi is erat* CDXXI*) contigisse vult Cedrenus.* Eodem anno, *inquit,* Atticus Episcopus Joannis Chrysostomi nomen in sacras tabulas retulit. *Cum constet ex ipsius S. Attici epistola ad S. Cyrillum, qua ei persuadet ut nomen quoque; Chrysostomi sacris tabulis inscribat, obitum Alexandri Antiochenorum Episcopi, ejusque successoris Theodoti consecrationem ante contigisse, quam S. Atticus memoriam S. Chrysostomi sacris precibus insereret, non nisi an. Ch.* CDXXI, *ut Cedrenus scribit, aut sequenti* CDXXII, *id factum videtur. Baronius refert ad an. Ch.* CDXII, *et obitum Alexandri ad præcedentem; in quo eum falli, præter citatum Cedreni locum, pluribus probari argumentis potest.*

Nomen S. Chrysostomi tabulis sacris inscribit,

circiter anno 421.

33 *Theodoretus lib.* 5, *hist. Eccl. cap.* 35, *docet Alexandrum Antiochenam administrasse Ecclesiam, cum S. Cyrillus Alexandriæ Theophilo succederet; quod factum mense Octobri an.* CDXII. *Non ergo obierat Alexander anno præcedenti. Verba Theodoreti sunt :* Eodem tempore Cyrillus, filius sororis Theophili, Alexandriæ Episcopus fuit, avunculi in eo Præsulatu successor. Ecclesiæ Hierosolymitanæ Episcopatum tunc gessit Joannes, vir plane insignis, successitque Cyrillo, de quo supra facta est mentio. Ecclesiam vero Antiochenam administravit Alexander, cujus pia vitæ ratio pulchre cum Episcopatu consentiebat. *Constat deinde ex supra relata epistola Innocentii Papæ ad Episcopum Macedoniæ Maximianum, post synodum isthic provincialem habitam an. Ch.* CDXIV, *scripta, a S. Attico nec missas ullas ad eum, vel ad synodum fuisse*

Alexander Antiochenus quamdiu superstes fuerit.

EX VARIIS. *fuisse litteras, adeoque eidem communionem negatam : quod biennio post factum, quam putetur nomen S. Joannis sacris tabulis inscriptum. Deinde Alexandrum Episcopum ad an. Ch.* CDXX, *superfuisse certissime convincitur ex Theodoreti Theophilo, seu lib.* 9, *de vitis Patrum cap.* 12, S. Zeno *(quem eo capite descriptum, celebrabimus* X *Februarii) a morte Valentis (quæ contigit ipso Valente* VI, *et Valentiniano* II *Coss. ut notat Idatius, in fastis Cons. id est an. Ch.* CCCLXXVIII, V *Idus Augusti) vitam anachoreticam auspicatus, quadraginta in ea annis perseverarat; cum senex quidem, sed satis adhuc robustis viribus urnam manu ferens cognitus est ab ipso Theodoreto,* qui tum sacros libros legebat Dei populo Antiochiæ juvenis ipse, paucam quandam lanuginem producens, *ut de se testatur. Annum hunc Christi fuisse* CDXVIII, *satis perspicue colligitur. Aliquo deinde elapso tempore, (dubium quanto) valetudine adversa afflictus Zeno, quas habebat pecunias tradidit Alexandro Episcopo, in pauperes distribuendas, atque altero cum supervixisset anno, e vita decessit, cui Alexander ut testamenti executor supponitur superfuisse. S. Zeno forte* X *Februarii an. Ch.* CDXX, *e vivis sublatus est, quem eodem labente anno fuerit secutus Alexander, adeoque Theodotus factus fuerit Antiochenus Episcopus anno sequenti; quo S. Atticus, inscripto tabulis sacris S. Chrysostomi nomine, ad S. Cyrillum potuit scripsisse. Itaque S. Cyrillus scribitur a Nicephoro lib.* 14, *cap.* 28, præsumptæ contra S. Chrysostomum, quam dudum patruum suum Theophilum secutus conceperat, opinioni inserviisse. *Quibus innuitur moram aliquam annorum fluxisse ab Episcopatu S. Cyrilli ad tempus, quo hæc difficultas fuerit submota.*

Quando illi Theodotus successerit. 34 *Evidentius hæc ex epistola S. Attici ad S. Cyrillum patebunt; ut mirum sit ob hanc obitum Alexandri a Baronio accelerari, et erroris condemnari qui Alexandrum ad Bonifacii tempora superfuisse scribunt. Theodoretus certe lib.* 5, *hist. Eccl. cap.* 37, *et Nicephorus lib.* 14, *cap.* 30, *de utriusque sedis, Romanæ et Antiochenæ successione, ita scribunt :* Innocentio Episcopo Romano successit Bonifacius, Bonifacio Zosimus *(inverso ordine, cum Zosimus Bonifacium præcesserit)* Zosimo Cælestinus. Antiochiæ vero D. Alexandro vita defuncto Theodotus, continentiæ velut margarita, Ecclesiæ præsulatum obtinuit, *etc., qui locus ob hujus laudem prolatus, videtur Pontificum Rom. catalogum texere ad Theodoti successionem indicandam. Nicephorus alter in catalogo Episcoporum Antiochenorum, Theodoto (ut ab ejus in Episcopatu mora etiam ratio temporis petatur) quatuor solum annos attribuit. Baronius anno Ch.* CDXXVII, *obiisse decernit, quem tamen vult ante Synodo alicui, cum Sisinnio Episcopo Constantinopolitano, contra Messalianos interfuisse; locum ignorari asserit. Petavius lib.* 13, *de doctrina temporum synodum Sidæ in Pamphylia habitam scribit. Sed Photius, qui solus ejus meminit Tmemate* 32, *Constantinopoli habitam clare indicat; quo* Sisinnii consecrandi gratia *dicit evocatum cum reliquiis Episcopis Theodotum. Facta est ea consecratio Theodosio* XIII, *et Valentiniano* II, *Coss. id est an. Ch.* CDXXVI, *pridie Kal. Mart. ita Marcellinus et Socrates. Ut ad eum annum vixerit, et solum quatuor annos Episcopus fuerit, non potuit nisi an.* CDXXII, *successisse Alexandro : adeoque hoc demum anno Atticus, inscripto diptychis S. Chrysostomi nomine, ad S. Cyrillum epistolam sequentem dederit; quam cum altera de eodem argumento ad Petrum et Ædesium Diaconos ex Nicephoro lib.* 14, *cap.* 26, *hic inseremus.*

Quamdiu sederit.

NOT. 124.

§ VII. *Epistola ad S. Cyrillum de nomine S. Chrysostomi diptychis inscribendo.*

Atticus Cyrillo felicitatem. Incidimus eo quo non putaveramus, et acquiescimus necessitate in eo quod *a* minus ex sententia nostra processit, utilitatem *a* justitiæ præponentes. Et cogitationibus nostris ad populi concordiam inclinati, canonibus quidem Patrum detrimentum nullum afferimus, exactæ autem verberum observationi universi orbis pacem præferimus. Non ignoro equidem et *b* B. Paulinum, cum Ecclesiasticas ederet constitutiones, sapienter occasionibus provida dispensatione usum esse. Scio etiam, qui in Sanctorum numero censetur, Patrem tuum Apostolicum *c* Theophilum in confusione et turba a Græcæ superstitionis studiosis excitata, exactum ad breve tempus observationem paci posthabuisse. Maximæ enim quæque urbes pelago fluctibus exagitato persimiles, ex sententia, civium non tam summa legum et constitutionum observatione, quam expeditissimis consiliis atque judiciis ad pacem et concordiam facientibus, regi atque administrari solent. Qua vero de caussa litteras hasce scribam, accipe.

In servandis sacris canonibus, etiam tempori serviendum. *b*

c

Foris conventus agunt Chrysostomi fautores. 36 Novit sanctitas tua, ac potius illis ipsis oculis intuetur, quibus, qui in sanctis est, Pater noster Theophilus conspexit, qualis et quam ingens turba magnam hanc invaserit urbem, atque ut in ea sanctior fides et pietas, ne funditus erueretur, periclitata sit : adeo etiam, ut populus majore ex parte per factionem scissus, extra muros conventus egerit : et plerique Sacerdotes et collegæ nostri Episcopi a mutua communione desciscentes, bonam plantationem Domini Jesu Christi, parum abest quin evulserint, pacis commoditate scilicet aliquantulum distracta. Sed enim multo sane labore, multo sudore, et periculis multis desperationis plenis, plurima et maxima quæque communium Patrum nostrorum, atque etiam pietatis tuæ precibus et *d* conspiratione sopita sunt mala, et turba quidem illa conquievit, concordia vero et serena tranquillitas in orbis universi Ecclesiis obtinet.

d

Laborat Alexander, ut nomen ejus recipiatur in diptycha. 37 Cum vero nonnulli nomen tantum Beati Joannis mysticis tabulis inscribi vellent; beatus Episcopus Alexander, Antiochenum istum dico, Constantinopolim venit, et multa ore confidenti verba fecit, vehementerque excitare populum voluit, ut vel nobis invitis necessario ejus, quem diximus, nomen ita inscriberetur. Quam rem accurate prorsus pietati tuæ ministri Dei religiosissimi Diaconi, Petrus et Ædesius exposuerunt. Præteriit *e* longum tempus; et nos necessitate ea, quæ a populari rerum administratione provenit, premi incipiebamus, neque tamen quidquam schismatis et dissidii reliquias curabamus : cum ad nos ex Oriente Dei amantissimus *f* Acacius litteras dedit, religiosissimum Antistitem Antiochiæ Theodotum a populo, ut nomen Joannis in sacras tabulas referret, coactum esse, ut veniam rei ei, quam necessitate ille adductus fecisset, daremus, petens. Et tum bonus ille qui litteras ad nos pertulit Presbyter, caussam adventus sui indicans, rem hanc in vulgus magnæ urbis propalavit, et sententiam datæ ad nos epistolæ populo vulgavit : adeo ut parum abfuerit, quin tumultu plebis universæ urbs repleta sit. Ego vero hic demum perturbatus, et de rebus maximis discrimen summum veritus, piissimum Imperatorem adii, et cum eo de pace et tranquillo rerum statu egi. Atque ille, nihil esse periculi aut incommodi, respondit, si defuncti viri nomen, tranquillitatis, pacis, et populi concordiæ gratia inscriberetur.

e

f

Idem suadet Acacius.

Consentit Theodosius.

Atticus tandem id facit. 38 Itaque ego ea re persuasus (quomodo enim necessitate præventus id non facerem?) ne religionis nostræ res ex multitudinis arbitrio, exemplo uno permisso, penderent, neve urbem ipsam populari administrationi assuefaceremus; nomen id in album referri jussi. Quare (ut equidem puto) neque in sacros canones commisi, neque judicio Patrum fraudem feci. Mentio namque ejus fit cum defunctis non solum Episcopis, sed et Presbyteris, Diaconis, et laicis ipsis, mulieribusque, cum quibus omnibus nobis Sacerdotii communio, aut earum rerum, quæ in sacra mensa mystice

mystice percipiuntur, participatio non est. Magna enim est inter defunctos et superstites differentia: ita ut etiam libri propter differentem eorum, quorum memoria conservatur, statum, discreti sint. Nihil enim Davidi obfuit honorifica Saulis sepultura, neque g Apostolis Arii impietatis sectator *g* Eudoxius sub h eadem sanctiore sacrificii ara positus; neque *h* Paulinus et Evagrius Ecclesiæ, qui schismatis et dissidii duces in Ecclesia Antiochena fuere, quod post i obitum *i* non paucis hinc ab annis propter populi pacem et concordiam mysticis tabulis sunt inscripti. *Idem suadet Cyrillo.* Quamobrem ipse quoque Ægypti Ecclesiis, Ecclesiarum orbis totius pacificandarum gratia, ut mortui illius nomen inscribant, præcipe. Ita enim cum Patrum canones non transgrediere, tum Ecclesiarum simul omnium concordiam plurimi facies. Te vero ea nobis, quæ convenit, rescripturum esse ad communem consensum et fraternitatem respicientem, persuasum habeo. Fraternitatem quæ tecum est, omnem ego, quique mecum sunt, salvere jubemus.

39 *Hæc ad Cyrillum Atticus scripsit. Rem autem istam magis etiam urgens, aliam quoque epistolam ad Petrum et Ædesium diaconos ejus, hisce verbis dedit:* Ad Dei amantissimum Episcopum, fratrem nostrum Cyrillum, ita ut decuit, per epistolam scripsimus, ea quæ nomine Joannis in Ecclesiasticas tabulas relato, acta sunt. Nihil vero minus et ad pietatem vestram scribimus, quæ melius quam alii res nostras novit, ad pacem videlicet et tranquillitatem eas evasisse, de sententia præcipue piissimorum Principum, et omnium deinde Orientalium Episcoporum, ipsorumque adeo Occidentalium quoque; de Joanne sacris tabulis, non ut Episcopo, sed qui aliquando Episcopus fuerit, inserto, ut memoria ejus, propter communem orbis universi pacem coleretur. Scribimus autem, ne concordia ubique propemodum obtinente, solis nobis ei non astipulantibus, simul et piissimis Principibus adversari videamur: et summe necessariis rebus nostris, ventis aliquibus adversis obortis, et Ecclesiæ Christi noceamus. De his hactenus. In magnum vero desiderium nos profectio vestra adduxit, quod non eamdem ex eorum qui nunc nobiscum sunt, quam ex vestro convictu percipiamus jucunditatem, adeo ut novitate familiaritatis eorum, quæ a consuetudine vestra multum differt, fere perturbemur. Quapropter rebus omnibus postpositis, operam date, ut deinceps ad nos recurratis, propter morum, quod experti sumus, discrimen, apud nos vehementiorem quam antea reperturi caritatem. Litteris ejusmodi Cyrillus receptis, *addit Nicephorus*, maximopere rem eam aversatus est, sicuti ex litteris ejus satis liquet, *quas. c.* 27, *recitat, de quibus et nos in ejus vita* XXVIII *Januarii. Earum partem recitat Facundus Hermianensis Episcopus, lib.* 4.

a *Caritas et utilitas publica de severitate constitutionum, (quas ardenti nimium zelo hactenus sibi defendendas opinatus fuerat Atticus) semper aliquid remittendum suadet.*

b Paulus *dicitur in editione Græcolatina ex recognitione Frontonis Ducæi, in antiquioribus* Paulinus.

c *De ejus obitu ex Isidoro Diacono, S. Joannes Damascenus lib.* 3, *de imaginibus circa fin. narrat eum quod S. Chrysostomi nomen passus non fuisset in Ecclesia recitari, non potuisse animam agere, donec ei allata fuit imago S. Chrysostomi: eam vero cum adorasset, spiritum emisisse.* v *Martii referunt eum Petrus de Natalibus, lib.* 3, *c.* 178, *et Ghinius in Natal. Sanctorum Canonicorum.*

d *S. Cyrillus, pridem auctoritate nixus Episcopali, remedium histe malis attulerat.* e *Videntur anni aliquot interjecti.*

f *Acacius Berœensis Episcopus, de S. Chrysostomo pessime meritus, sed eam deinde labem detersit cum ad eum hac de re Innocentius Papa epistolam scripsisset, quæ est* 19, *tom.* 1, *Concilior. par.* 1. *Sed infelix oborta postea hæresi Nestoriana, adversus S. Cyrillum et alios orthodoxos obstinate dimicans, labem abolitam fæde duplicavit.*

g *Hic ille est Eudoxius Arianus, a Constantio Imperatore ad sedem Constantinopolitanam promotus. De quo Sozomenus lib.* 4, *c.* 25. *Theodoretus lib.* 2, *c.* 29. *Baronius tom.* 3 *Ann. an. Ch.* 360, *num.* 21, *et seq. Gaulterius in Tabula Chronol. sæculo* 4.

h *Hi fuere Episcopi Antiocheni, factionis Eustathianorum, Catholici. Paulinus electus est an. Ch.* CCCLXII, *cui Evagrius successit an. Ch.* CCCLXXXIX. *De iis agetur* XII *Februar. in vita S. Meletii.*

i *Eos ab Alexandro Episcopo Antiocheno sacris tabulis inscriptos colligimus etiam ex epistola Innocentii* 17 *ad Alexandrum, et* 19 *ad Acacium, et Theodoreti lib.* 5, *cap.* 15.

Ex varius.

§ VIII. *Conversio Eudociæ Imperatricis. Attici auctoritas Ecclesiastica. Eleemosinæ.*

Indict. III, *inquit Marcellinus in Chronico*, Eustathio et Agricola Coss. *id est ann. Christ.* CDXXI, Theodosius Imperator Eudociam Achivam duxit uxorem. *Consentit Chronicon. Alexandrinum his verbis:* Hoc anno, *iisdem Coss. et Indict. citatis*, Theodosius Augustus accepta in conjugem Athenaide dicta Eudocia, celebravit nuptias mense Desio, VII Idus Junias. *Athenais baptizata ab Attico, Eudocia dicitur.* Hanc Athenaida, *inquit Socrates lib.* 7, *cap.* 21, cum Imperator uxorem duceret, Atticus Episcopus, qui eam Christianam efficiebat, inter baptizandum Eudociam appellavit. *Cedrenus etiam:* Eodem anno, *inquit citatum referens*, mortuus est Athenis Leontius Philosophus: is testamento suo omnes facultates filiis legavit, Athenaidi filiæ tantum aureos centum, addita hac caussa: Sua ei sufficiet fortuna. Hanc Athenaidem, Athenis Constantinopolim adductam, cum videret Pulcheria et forma corporis præstare, et ingenio esse egregio atque facundia ornatam, ad Episcopum urbis Atticum missam baptizavit, Eudociæque nomen tribuit, Imperatorique fratri suo nuptum tradidit. *Hæc Cedrenus. Patris obitus, Athenaidis edventus Constantinopolim, et ad fidem Christi conversio ad præcedentem annum referentur in Chronico Alexandrino, quod sequitur Raderus noster cap.* 4, *Aulæ sanctæ. Paulus Diaconus lib.* 14, *histor. miscell. narrata quam Theodosius Persis intulerat clade, addit cap.* 7; Victoria siquidem auxilio Dei de Persis collata, Romani plurimi pollentes eloquiis conscribebant laudes Imperatoris: *Egregie erudita.* cujus uxor heroico metro poemata multa confecit, erat enim eloquens, filia Leontii Sophistæ Atheniensis, a patre omnibus lectionibus erudita; quam dum Imperator ducturus esset uxorem, Christianam Atticus fecit Episcopus, et in baptismate, cum prius vocaretur Athenais, Eudoxiæ nomen imposuit.

41 *Hoc eodem anno rescripsit Theodosius, Constantinopolitani Præsulis jura ad Illyricum extendi, L.* 6, *de Sacrosanct. Eccles. et L.* 45, *de Episc. et Cler. C. Theod. Legis hic est textus:* Omni innovatione *Sedis Constantinopolitanæ eminentia, post Romanam.* cessante, vetustatem et canones pristinos Ecclesiasticos, qui usque nunc tenuerunt, etiam per omnes Illyrici provincias servari præcipimus. Si quid dubietatis emerserit, id oporteat non absque scientia viri reverendissimi sacrosanctæ legis Antistitis Ecclesiæ Constantinopolitanæ, quæ Romæ veteris prærogativa lætatur, conventui Sacerdotali sanctoque judicio reservari. Dat. Pridie Idus Julii, Eustathio et Agricola Coss. *Hæc* veteris Romæ prærogativa, *concessa aut certe arrogata fuit canone* 3 *Concilii* II, *Œcumenici Constantinopoli habiti an. Ch.* CCCLXXXI, *his verbis:* Constantinopolitanæ civitatis Episcopum habere oportet primatus honorem post Romanum Episcopum, propterea quod sit nova Roma *Quod decretum etsi ratum non habuit Romanus Antistes, videtur tamen aut Attico peculiariter eum potestatem delegasse, aut potius dissimulasse. Id Socrates innuit lib.* 7, *c.* 28. Mortuo, *Peculiariter Attico concessa.* *inquit*, Cyzicenorum Episcopo, Sisinius Proclum Cyzici Episcopum designat. Quem ad illam urbem profecturum antevertunt Cizicenі, Dalmatiumque Monachum Episcopum ordinant. Hoc ab illis factum est, neglecta illa lege, quæ jubet, ne quis Episcopus designetur absque sententia et auctoritate Episcopi Constantinopolis. Legem autem propterea neglexerunt, quod Attico soli, ut illi putabant, nominatim illam auctoritatem concederet.

42 *Ejus in egenos liberalitatem ita describit idem Socrates cap.* 25. Porro ad dandum, *inquit*, adeo pro- *Attici liberalitas in pauperes.* pensus fuit, ut non modo pauperibus, qui in ipsius

Ex variis. Ecclesiis erant, diligenter prospiceret; verum etiam vicinis civitatibus pecuniam mitteret, qua egentium levaretur inopia. Nam Calliopio Ecclesiæ Nicænæ Presbytero misit trecentos aureos, simulque litteras dedit in hanc sententiam : Calliopio Atticus in Domino salutem. Certior equidem factus sum, infinitos in vestra urbe fame opprimi, piorumque egere eleemosyna. Cum infinitos dico, intelligo multitudinem, cujus certum numerum ostendere nequeo. Quoniam igitur numerum pecuniæ ipse ab eo accepi, qui divitias large, et quasi plena manu iis qui eas probe administrant, suppeditat, usuque venit, ut nonnulli egestate premantur, quo alii qui opes habent, easque minime istis largiuntur, penitus explorati sint; tu frater carissime, istos trecentos aureos a me accipe, eosque in pauperes, utu volueris impende. Velis autem in eos conferre, non qui ventris caussa quasi mercaturam per totum vitæ tempus mendicando exercent, sed qui mendicare erubescunt. Neque in hac officii parte ullam sectæ aut religionis cujusquam rationem ducas, neque porro respectum ad eos, qui a nobis in fidei sententia dissentiunt, habeas: sed in illud unum incumbas, ut qui fame cruciantur, eos alimentis subleves. Hoc modo ab illo egentibus, etiam qui longo locorum intervallo ab eo distabant, sedulo prospectum fuit.

Quibus præcipue vellet succurri.

43 *Et paullo inferius :* Eodem, accedit, *inquit* quod Atticus in nominibus rebus imponendis disertus fuit. Nam stationem quæ in ostio Ponti Euxini sita est, vetere nomine φαρμακέα, id est veneficam appellatam. ille θεραπείαν, id est medicinam vel curationem vocavit: ne cum ibi forte conventus ageret, locum ad eam rem fœdo nomine nuncupatum præscriberet. Quin etiam suburbium quoddam Constantinopolis Argyropolim nominavit, tali caussa adductus: Chrysopolis est vetus statio in ipso capite Bospori. Hujus mentionem faciunt complures veteres scriptores, ut Strabo, Nicolaus Damascenus, et admirabilis ille ac disertus Xenophon, qui tum in libro sexto de Ascensu Cyri, tum in primo de rebus gestis Græcorum de eo memorat, quod ab Alcibiade muro circumdata fuit, et δεκατευτήριον, id est, locus ad decimas exigendas in illa constructum; nam qui a Ponto nave conscensa solvunt, ibi decimas pensitant. Itaque Atticus cum intelligeret locum e regione situm tam splendido nomine donatum, hunc etiam Argyropolim nominandum esse dixit. Quod simul atque protulerat, locus illico illud nomen obtinuit.

Nomina quibusdam locis apta imponit.

§ IX. *Ecclesia contra Hæreticos propugnata. Obitus S. Attici.*

Refutat et rejicit Pelagianos.

Laudatur S. Atticus a plurimis sanctis Patribus quod insignis fuerit orthodoxiæ, et acer hæreseon expugnator. Egregium ejus facinus in Pelagianorum legatione confutanda atque rejicienda S. Prosper lib. de Ingratis, contra Pelagianos, deprædicat his versibus :

Quid loquar et curam, magnæ quam gessit in urbe
Constantinopoli, docto bonus ore sacerdos
Atticus, antiqua legatos hæreticorum
Confutando fide; de qua tunc impia corda,
Quamvis se obducto tegerent velamine formæ,
Judicii et tacitæ tulerint tormenta repulsæ?

Contra Messalianos rescribit.

Sed et Augustinus, *inquit Baronius an.* 425, *num.* 20, dum agens contra Julianum affirmat Pelagianam hæresim fuisse damnatam Constantinopoli, Attici Episcopi præconia celebravit. *De ejus contra Messalianos hæreticos zelo ita Photius in Bibliotheca, tmemate* 52. Scripsit et Atticus Constantinopolitanus Episcopis in Pamphylia existentibus, ut undique Messalianos veluti sacros ac detestandos exturbarent. Quin et idem ad Amphilochium Sidæ præsidentem similiter scripsit. *Fuit hic Amphilochius Iconii Episcopus, qui cum aliis viginti quinque Episcopis Sidæ in Pamphylia contra Messalianos synodum habuit. Horum errores breviter et dilucide enumerat Gaulterius in Tabula Chronographica seculo* 4, *cap.* 21.

S. Mariam virginem, Deiparam *appellat.*

46 *S. Cyrillus Alexandrinus* sacratissimam Virginem Mariam *a S. Attico* Deiparam *fuisse nuncupatam testatur epist.* 2, *ad Nestorium, ep.* 7, *ad Clericos Constantinopolitanos dissidiis ideo laborantes, ep.* 14, *ad Acacium Beroœensem Episcopum, ubi ad hanc Nestorii blasphemam excommunicationem* si quis Mariam Deiparam esse dicit, anathema sit, *ita arguit :* Quid igitur in Ecclesiis orthodoxorum cum sanctis Patribus anathemate percussi faciemus? Invenio namque in commentariis etiam celeberrimæ memoriæ Athanasium Episcopum sæpenumero eam nominasse Deiparam. Nec hunc solum, sed et beatum Patrem nostrum Theophilum, et multos alios ex sanctis Patribus illorum temporum Episcopos, tam Basilium quoque quam Gregorium, et ipsum etiam beatum Atticum. Arbitror autem neminem fuisse orthodoxorum, qui Deiparam eam vocare sit veritus, *etc.*

Corpus Sabbatii hæretici clam effodi jubet, ne a suis colatur.

47 *Socrates cap.* 23 *citato refert eum, ne Sabbatiani suæ factionis auctorem colerent, effecisse, sublato clam ejus cadavere.* Porro, *inquit,* cum audiret aliquando, eos qui se a Novatianis propter festi Paschatis observationem separaverant, corpus Sabbatii ex insula Rhodo (in ea namque exul mortem oppetiit) transportasse, sepultura cohonestavisse, et super tumulum ei preces adhibuisse; quosdam noctu eo misit, illisque dedit in mandatis, ut corpus Sabbatii in alio sepulchro conderent. Qui autem illuc de more suo venerunt, cum tumulum effossum reperirent, de reliquo sepulchrum Sabbatii colere destiterunt.

Quædam in favorem Novatianorum dicta factaque ab Attico aut ei a Socrate Novatiano afflicta.

48 *De Socrate observavit Billius lib.* 1, *observationum sacrarum cap.* 26, *eum maluisse Novati perfidiam, atque impium schisma sequi, quam Ecclesiæ fidem et unitatem amplecti, ideoque non modo oblata, sed etiam interdum quæsita occasione in Novatianorum laudem multa commemorare; miracula eorum pietati et vitæ sanctitati attribuere atque affingere, etc. quo ex genere ea esse apophthegmata, quæ sequuntur, et ab Attico non tam pronuntiata, quam ei a Socrate afficta credunt Billius et Baronius. Hæc ante præstringenda duximus, quam verba Socratis proferremus.* Præterea, *inquit loco citato,* cum quidam ei dicerent : Novatianos non debere intra civitates conventus agere, respondit : Non nostis quanta sint incommoda perpessi, dum nos, regnantibus Constantio et Valente, gravi persecutionis procella jactaremur; et quod aliis quoque temporibus se testes fidei nostræ præbuerint? Quinetiam jam olim ab Ecclesia separati, nihil de fide novare aggressi sunt. Adde his, quod cum Nicææ esset Episcopi ordinandi gratia, ibique Asclepiadem Novatianorum Episcopum ætate admodum ingravescente cerneret, rogavit, quot annos fuisset Episcopus? Cui quinquaginta, respondenti : Beatus, inquit, es revera qui tanto temporis spatio tam præclarum munus administraveris. Ad eumdem porro Asclepiadem dixit : Novatum equidem laudo, Novatianos autem neutiquam probare possum. Hoc ejus dictum tamquam insolens, et valde peregrinum admiratus Asclepiades : Quomodo, inquit, istud dicis Episcope? Tum Atticus : Ego, inquit, illum laudo, quod cum illis qui idolis sacrificassent, communicare recusavit; nam istud ipsum ipse equidem fecissem. At Novatianos minime probo, quod laicos, qui leviter deliquerint, communione excludant. Ad hæc respondet Asclepiades : Præter idolis sacrificandi peccatum, sunt alia multa peccata ad mortem, uti ex sacris litteris perspicuum est : ob quæ vos solum Clericos, nos laicos etiam communione excludimus, potestate soli Deo illis ignoscendi permissa.

Suam mortem prædicit Atticus.

49 Idemque Atticus suam ipsius mortem præscivit. Quippe Nicæa decedens, dixit Calliopio, illius Ecclesiæ Presbytero : Matura Constantinopolim ante autumnum accedere, ut me vivum denuo cernas : quod

quod si moram feceris, non me vita fruentem reperies. Neque cum istud diceret aberravit a vero : quippe vigesimo primo anno, quo Episcopatum gesserat, VI Idus Octobris morte occubuit, ad undecimum consulatum Theodosii, et Cæsaris Valentiniani primum. Imperator Theodosius Thessalonica revertens, ad funus ejus efferendum non pervenit. Nam pridie quam Imperator Constantinopolim ingrederetur, Atticus sepulchro conditus fuit. *Hactenus Socrates. Eadem fere Nicephorus lib.* 14, *cap.* 24, *quibus reliqui omnes in anno mortis et tempore dignitatis Episcopalis administratæ consentiunt. Denique; S. Cælestinus Pontifex epistola* 7, *quæ extat tomo* I, *Concil. Ephesini cap.* 17, *scripta ad Nestorium Theodosio* XIII, *et Valentiniano* III, *AA. Coss.* (*is est annus Chr.* DCXXX.) *hoc eum elogio exornat* : Sanctæ recordationis Atticus, Catholicæ Magister fidei, et vere B. Joannis etiam ad ista successor, eos *(Pelagianos)* ita persecutus est pro Rege communi, ut iis nec standi quidem illic copia præstaretur. Mansit nos post ejus exitum sollicitudo vel maxima, cum successor ipsius, utrum etiam in ejus fide succederet, quæreremus, quia difficile est continuari, quæ bona sunt: nam sibi sæpe alternis vicibus mala succedunt. Habuimus tamen post hunc, a quo eramus continuo deserendi, sanctum Sisinnium celebratum simplicitate et sanctitate collegam, eam fidem, quam invenerat, prædicantem. *Eum celebrant Græci in Menæis* XI *Octobris. Sisinnio successit Nestorius, quo ob impietatem in exilium acto, fuit Episcopus Maximianus, cujus ante meminimus. Hic successorem habuit* S. Proclum, qui *(ut verba Socratis lib.* 7, *cap.* 40, *huc transferam)* cum ad ætatem virilem perveniret, multum cum Episcopo Attico versatus est, illiusque scriba fuit. Quem in litteris et virtute admodum proficientem Atticus ad gradum diaconatus evexit. Ac cum presbyterii honore dignus putaretur, a Sisinnio, ut supra demonstravi, ad Episcopatum Cyzici designatus est. Sed hæc jam ante factitata erant. Id temporis vero sedem Episcopalem Ecclesiæ Constantinopolitanæ obtinuit. Vir erat morum probitate præter ceteros eximius. Quippe institutus ab Attico omnes ejus virtutes sedulo imitatus est. Tolerantiam, qua etiam Atticus præditus fuit, multo magis quam Atticus excoluit. Nam Atticus cum tempus postularet, hæreticis terrorem incussit. Proclus omnibus se mansuetum et facilem præbuit, *etc. De S. Proclo cum Martyrologio Romano fusius agemus* XXIV *Octob.*

Moritur 10 *Octob. anno* 425.

Laudatur a Cælestino Papa.

DE SS. DOMINICA, GEORGIO CHOZEBITE.
ÆMILIANO CONFESSORE.

CIRCA ANN. CDLXXV. VIII JANUARII.

Dominicam, *sive* Domnicam, *ceteris Latinorum fastis ignotam, uti et* Georgium Chozebiten, et Æmilianum, *in Addit. ad Usuardum retulit Molanus, his verbis* : Die octava sanctæ Matris Dominicæ : et sanctorum Patrum Georgii Chozebisti, et Æmiliani Confessoris. *De iis Græcorum Menæa.* S. P. N. Georgii Chozebitæ, et S. M. N. Domnicæ, et Æmiliani Confessoris.

Vita Dominicæ, ex Menæis.

2 *De* Domnica *deinde ista commemorant eadem Menæa* : Vixit hæc Theodosii Magni imperio, provixitque usque ad Leonem et Zenonem Augustos. Carthagine in Africa nata, ex occasione quadam cum quatuor virginibus Constantinopolim venit. Nectarius ibi tum Archiepiscopus ex divina revelatione illas suscepit, et salutari baptismatis unda tinxit. Veneranda porro Domnica solitariam vitam complexa, et virilibus exercita laboribus, ad summum virtutis culmen provecta, a Deo multis admirandis operibus dignata et illustrata est, multisque, quæ eventura erant, vaticiniis editis, ad Dominum migravit. *Hactenus Menæa. Imperarunt qui hic nominantur Imperatores,* Theodosius Magnus, *a* 16 *Januarii,* 379 *usque ad* 17 *Januarii,* 395. Leo Thrax *a* 7 *Februarii* 457, *usque ad initium anni* 474. Zeno *a mense Februar. an.* 474 *usque ad an.* 491. Nectarius *an.* 381 *creatus Constantinopolitanus Episcopus, sedit usque ad* 27 *Septemb.* 397 *coliturque a Græcis* XI *Octobr.*

3 Domnicam *celebrat quoque Menologium Christophori Proconsulis Mitylenæi, et epitome Maximi Cytheræi. Tres simul recenset Calendarium Græcorum a Genebrardo editum his verbis* : Domneca. Georgius Chozebites. Æmylianus Confessor. *Eorumdem meminit Græcorum Horologium* : Sanctæ Matris nostræ Domnicæ, et SS. PP. NN. Georgii Chozebitæ, et Æmiliani Confessoris.

NOT. 125.

DE S. SEVERINO PRESBYTERO NORICORUM APOSTOLO.

AN. CH. CDLXXXII. VIII JANUARII. *S. Severini in sacris fastis nomen.*

Celebratur S. Severinus *Presbyter hoc elogio a Martyrologio Romano* VI *Id. Januarii* : Eodem die apud Noricos S. Severini Abbatis, qui apud eam gentem Evangelium propagavit, et Noricorum dictus est Apostolus. Ejus corpus ad Lucullanum prope Neapolim divinitus delatum, inde postea ad monasterium S. Severini translatum est. *De eodem Molanus in Addit. ad Usuard.* In Norico depositio S. Severini Abbatis, qui spiritu prophetiæ et miraculis late claruit, et juxta Neapolim translatus est in castrum Lucullanum. *In recentiori editione idem Molanus quæ in Usuardo dicuntur de* S. Severino fratre S. Victorini *(de quo paullo inferius hoc ipso die) ad hunc transtulit, his verbis* : Neapoli Campaniæ natale S. Severini: qui Severinus post multarum virtutum perpetrationem, plenus sanctitate quievit. *Plane hic esse videtur* Severinus *qui Neapoli colitur, ut dicemus cum de* S. Severino Septempedano Episcopo *erit sermo. Meminit quoque S. Severini hoc die* MS. *Martyrologium monasterii Richenbergensis in Bavaria, Bedæ præferens nomen* : Item in Bawaria provincia, Patavino oppido, Severini Confessoris, viri sanctissimi, spiritu prophetiæ prædíti, cujus vita habetur. *Maurolycus* : In Pannonia prope Noricum parvumque oppidum Astarim, Severini Abbatis, viri prophetico spiritu miraculisque clari, tempore Attilæ. *Sed multipliciter hallucinatur Maurolycus: Nam in Norico ipso, sive Austria mortuus est; non Astari, seu potius Asturis, sed juxta Favianas, sive Viennam; nec Attilæ tempore, sed* XXVIII *annis post ejus mortem, id est fere sexennio ante victum ab Odoacre Febanum, quod accidit Cos. Boetio solo, anno Christi* CDLXXXVII. *Galesinius:* In Noricis S. Severini Abbatis, qui et spiritu prophetiæ, et vitæ disciplina singulari, et rebus multis mirabiliter gestis clarus, abiit ad Dominum. Ejus corpus Gelasii Pontificis auctoritate, ab Victore Episcopo ad Lucullanum oppidum, quod est prope Neapolim, translatum est. *Carthusiani Colonienses in Addit. ad Usuardum* : Severini Abbatis, qui defuncto Attila Hunnorum Rege, prophetico spiritu, vita et miraculis claruit. *Martyrologium Germanicum prolixum ejus elogium habet, sed in multis eget correctione; ut cum in Hungaria juxta Astarim oppidum esse sepultum refert, atque in Hungaria vixisse ipso tempore quo Attila late provincias vastabat, etc.*

2 *Vitam S. Severini scripsit* Eugippius *Presbyter ejus*

Vita ab Eugippio scripta.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ex variis. *ejus discipulus, quem alii* Eugipium, *alii* Eugypium, *alii* Egippium, *Crusenius* Egippum, *Lazius* Eugippum, *Sabellicus Ennead. 8, lib. 2.* Egisippum *perperam, ineptius Irenicus Exeg. German. lib. 3, cap. 14,* Cregiptium *appellavit. Meminere* Eugippii *S. Isidorus libro de viris illustrib. cap. 13. Honorius Augustodunensis, et alii. Diversus est ab eo* Eugippio *quem Sigebertus cap. 39, tradit ex operibus S. Augustini codicem magnæ utilitatis ad Probam virginem dedisse, si is, ut ipse quidem scribit, temporibus Pelagii II, Papæ, et Tiberii Imperatoris vixit. Scripsit noster hic, ut ipsemet in epistola ad Paschasium Diaconum testatur, vitam* S. Severini *biennio post Consulatum Importuni, id est* Coss. Felice et Secundino, *anno* Christi DXI, *non igitur, ut vult Ferrarius in Catalogo SS. Ital. S. Gelasii Papæ jussu, qui an. 496 decessit, ut* XXI *Novembr. dicemus. Hanc vitam primus vulgavit Laurentius Surius, atque ex alio* MS. *codice Baronius tom. 6 Annalium; sed perfectius, additis eruditis scholiis, Marcus Velserus. Quas editiones cum* MS. *D. Nicolai Belfortii contulimus, addidimusque Eugippii ad Paschasium epistolam ex eodem* MS. *et tom. 6 Antiq. lect. Henrici Canisii.*

Non fuit Episcopus Ravennas.

3 *Res a S. Severino præclare gestas, ex Eugippio haustas, descripsit Joannes Cuspinianus in Austria, qui tamen Ottonem Frisingensem lib. 4, cap. 30 et Gotfridum Viterbiensem Chron. parte 16, temere secutus, Archiepiscopum Ravennatem facit, prædicationis gratia in eas oras profectum. Fuit Archiepiscopus Ravennas* S. Severus, *de quo* I *Februarii agemus, sed* S. Severino *multo antiquior. Hieronymus Rubeus Histor. Raven. lib. 3, Ottonem Frisingensem citans,* Severinum *Noricorum Apostolum domo quidem Ravennatem fuisse non negat, sed alterius urbis Episcopum, aut ne Episcopum quidem. Velserus minus exacte Rubeum legit, neque enim hic* Severum *negat, ut ille citat, Antistitem fuisse, sed* Severinum, *quem diserte fatetur in Noricum venisse.*

Aventinus notatus.

Acta quoque S. Severini *recenset Joannes Aventinus Annal. Boior. lib. 2, sub finem, parum fideliter, ut conferenti patebit, et nos subinde inferius indicabimus. De ejus patria ac fratre isthæc temere confingit :* Hic Africa oriundus... post mortem Attilæ, haud scio an crudelitatem Vandalorum devitans, ad has Romanorum provincias cum fratre Victorino concessit. *Meliori fide* Severini *gesta commemorant Andreas Braunerus noster lib. 4, Annal. Boicor. Matthæus Raderus noster tom. 1, Bavariæ sanctæ, M. Velserus rer. Boic. lib. 3. Franciscus Haræus, Henricus Fabricius Germanice. Heribertus Rosweydus Belgice, Jacobus Tigeon Gallice. Zacharias Lippelous tom. 1. Petrus de Natalib. lib. 2, cap. 56. Philippus Ferrarius in Catal. SS. Ital. Agit quoque de eo Wiguleus Hundius tom. 1, Metropol. in Episcopor. Laureac. catalogo. Christophorus Gewoldus ibidem in Annotat. Chronicon Richebergense ab eodem Gewoldo editum.*

Qui de S. Severino scripsere.

4 *Meminit præterea* S. Severini *Paulus Diaconus lib. 1 de gestis Longobardorum cap. 19, his verbis :* In his Noricorum finibus Beati tunc erat Severini cœnobium, qui omni abstinentiæ sanctitate præditus, multis jam erat virtutibus clarus : qui cum iisdem in locis, ad vitæ usque metas habitasset, nunc tamen ejus corpus Neapolis retinet. Hic sæpius hunc, de quo diximus, Feletheum, ejusque conjugem, cujus vocabulum Gisa fuit, ut ab iniquitate quiescerent, verbis cælestibus monuit. Quibus pia verba spernentibus, hoc quod eis postmodum contigit, longe antea futurum prædixit. *Sigebertus in Chronico ad an. 479, Vincentius Bellovacensis lib. 20, cap. 99, Carolus Sigonius lib. 15, de Occidentali Imperio ad an. 487. Beatus quoque Ennodius in vita S. Antonii Lirinensis, quam* XXVIII *Decemb. dabimus, ita scribit :* Qui ne sancti instituta propositi per parentum blandimenta frangeret, annorum ferme octo genitoris tutela nudatus est. Mox tamen ad illustrissimum virum Severinum ignara fuci ætas evolavit : qui dum eum mulceret osculis, futura in puero bona quasi transacta relegebat. Fuit enim cujus meritis nihil esset absconditum. Ille hunc sibi futurum participem, pia ubique voce prædicabat : credo, ut incipientis tirocinia spes annuntiata solidaret. *Refert deinde quomodo* Severino *mortuo, ad Constantium Laureacensem Antistitem patruum suum abierit; hoc quoque defuncto in Italiam a famulis sit deductus, tum nimirum cum* S. Severini *reliquiæ e Norico asportatæ sunt.*

S. Antonius 28 Dec. ejus discipulus.

Perperam de Severino scripta.

5 *Agit quoque de Severino Cæsar Eugenius Caracciolus in Neapoli sacra, sed quædam tradit quæ cum Eugippii historia non consentiunt, ideoque fidem non merentur; ut cum natum ait in Norico sive Hungaria, sed Austriam et Hungariam vastante Attila, Romam profectum, ibi monachico habitu indutum; tum Mediolano in patriam rediisse : fundasse duo monasteria in urbe Germaniæ Bettulia, etc. Ea videtur ex Ambrosio Staibano accepisse, qui eadem scribit, nisi quod non Romæ, sed in Tuscia, a discipulis S. Augustini habitum ejus ordinis tradat accepisse; reversum vero in patriam ut Christianis sub Attilæ tyrannide gementibus animos adderet, ac leproso Mediolani reddidisse sanitatem.*

An ordinis S. Augustini fuerit.

6 *Nolumus equidem negare eum S. Augustini sectatum fuisse instituta, cum nihil in alterutram partem, antiqui prodiderint : sed qui id asserunt recentiores, proferre oportet, ut fidem reperiant, veterum certa testimonia. Certe quæ Nicolaus Crusenius Monachismi Augustiniani part. 2, cap. 1, de eo scribit, haud solida sunt, præsertim cum Aventini conjecturam de Africa patria, ejusque relinquendæ caussa, probat, atque ita refert ut ex Eugippio hausta videatur. Tum vero quæ subjicit ridicula sunt :* Hic Severinus, ut auctor est Ambrosius Staibanus, monachus Augustinianus fuit sub disciplina quondam Severi Milevitani Episcopi, de quo sæpius agit S. Augustinus. Hujus dum virtutes imitari studeret, et jam ad illas proxime accederet, ab omnibus Severinus, quasi parvulus Severus, est appellatus. Supervenientibus interim Wandalis, cum fratre Victorino et aliis migrat ad Favianorum urbem et provincias Vindelicias Romanis adhuc subditas, ubi ingentia commoda incolis et vicinis contulit. *Meminit quidem S. Augustinus ep. 34, in fine,* Severi Milevitani Episcopi *condiscipuli sui. Sed unde* condisciplinatum *monachismi constat intelligi debere? Ubi ejus discipulum fuisse* Severinum, *deque ipsius nomine diminutive sic appellatum tradit Staibanus? Et ut traderet, at qua auctoritate?*

Fictitia nominis ejus origo.

Translatio 10 Octob.

7 *Agitur Neapoli S. Severini Translationis celebritas* X *Octobris, ut infra dicemus, cum post vitam de Translatione agemus.*

8 *Christophorus Phreislebius, (haud scimus quem secutus auctorem, nullum certe citat) tradit* S. Severinum Diocletiani tempore Episcopum fuisse Neapolitanum : deinde ad partes Noricas venisse, et juxta Oenum fluvium monasteriolum construxisse, ibique cum paucis monachis juxta Evangelicam Apostolicamque doctrinam, omni pietate et castitate præditum, in oratione et jejunio vitam duxisse. *Incertum, de S. Severino agat Apostolo Noricorum, a quo illud constructum monasteriolum, an de eo quem alii Episcopum fuisse Neapolitanum tradunt. Videtur sane temere utrumque confudisse, et de Episcopi ætate sententiam Petri de Natalibus secutus.*

VITA

AUCTORE EUGYPPIO PRESBYTERO.

Epistola Auctoris ad Paschasium Diaconum.

Domino sancto ac merito venerabili Paschasio, Eugippius in Domino salutem. Ante hoc ferme biennium, Consulatu scilicet *a* Importuni, epistola cujusdam laici nobilis ad quemdam directa Presbyterum nobis

a

Basilicus celebris monachus.

nobis oblata est ad legendum, continens vitam *b* Basilici monachi; qui quondam in monasterio montis, cui vocabulum est Titas, super *c* Ariminum commoratus, post in Lucaniæ regione defunctus est, vir et multis et mihi notissimus. Quam epistolam, cum a quibusdam describi cognoscerem, cœpi mecum ipse tractare, nec non et viris religiosis edicere, tanta per B. Severinum divinis effectibus celebrata, non oportere celare miracula.

b

c

Eugippius rogat Paschasium ut vitam S. Severini scribat :

2 Quæ cum auctor Epistolæ præfatæ rescisset, animo promptiore mandavit, ut aliqua sibi per me ejusdem S. Severini mitterentur indicia, quibus instructus libellum vitæ ejus scriberet, posteriorum memoriæ profuturum. Hac ergo protinus oblatione compulsus, Commemoratorium nonnullis refertum indiciis ex notissima nobis et quotidiana Majorum relatione composui, non sine magno mœrore animi, injustum scilicet reputans, ut te superstite laicus a nobis hoc opus efficere rogaretur : cui et modus et color operis non sine præsumptione quadam possit injungi, ne forsitan seculari tantum litteratura politus, tali vitam sermone conscriberet, in quo multorum plurimum laboraret inscitia; et res mirabiles, quæ diu quadam silenti nocte latuerant, quantum ad nos attinet, ignaris liberalium litterarum obscura dissertitudine non lucerent. Sed non ultra lucernæ illius igniculum, te velut Sole splendente, perquiram, tantum ne mihi peritiæ tuæ radios nube quadam excusationis obducas, imperitiam videlicet accusando. Noli, obsecro, tam duris me verberare sermonibus, dum dicis : Quid tibi aquas expectare de silice? Jam utique non expecto de silice plateæ secularis, sed a te, qui spiritalibus spiritalia comparans, nos de firmissima petra illo quo profluis orationis melle recreabis; de quo jam nectareum suavissimæ promissionis gustum dirigens præcipis, ut Commemoratorium vel

Materiam ei mitti.

indicia vitæ sæpe dicti Severini transmitterem, quæ donec in tuæ constructionis libellum transire mereantur, nequaquam animum recensentis offendant. Quisquis enim ad construendam domum architectum requirit, necessariam sollicite materiam præparet : quod si moles ad instar parietum impolitis componatur, artifice tardante, lapidibus, numquam ædificasse dicendus est, ubi nulla magistri structura prorsus intraverit, nulla rite subjiciuntur fundamenti munimina : sic ego quoque pretiosam materiam ingenio vestro, vilissima compositione vix præparans non putari debeo conscripsisse quod cupio, ubi nulla disciplinæ liberalis constructio, nullus Grammatici culminis decor existit. Habet plane certum fundamentum solius fidei, quo sanctum virum mirandis constat claruisse virtutibus, quod per manus linguæ tuæ nunc offero collocandum, de tui operis fastigio laudes Christo debitas redditurus.

3 Illa quoque precor virtutum beneficia sanitatumque remedia, quæ vel in itinere, vel hic apud

Miracula S. Severini in Lucullano.

ejusdem beatissimi Patris memoriam divina sunt peracta virtute, digneris adnectere; quæ quoniam fidelis portitor filius vester Deogratias optime novit, verbo commendamus intimanda, sperantes nos bajuli nomen etiam de tui operis perfectione jugiter esse dicturos; ut Dei fidelissimus famulus tantis virtutibus opulentus, sicut ad Sanctorum gloriam suis per Christi gratiam meritis evehitur, sic ad humanam memoriam tuis litteris consecretur. Sane patria, de qua fuit oriundus, fortasse necessario a nobis requiritur, ut inde, sicut moris est, texendæ vitæ sumatur exordium. De qua licet me fatear nullum evidens habere documentum, tamen quid hinc habendum, et a te cognoverim, non tacebo.

4 Cum multi igitur Sacerdotes et spirituales viri,

Patriam suam dissimulat.

nec non et laici nobiles atque religiosi, vel indigenæ, vel de longinquis ad eum regionibus confluentes sæpius hæsitarent inter se quærentes, cujus nationis esset vir, quem tantis cernerent fulgere virtutibus, nec ullus penitus ab eo auderet inquirere; tandem *d* Pirmenius quidam Presbyter Italiæ, nobilis et totius auctoritatis vir, qui ad eum confugerat tempore quo Patricius *e* Orestes inique peremptus est, interfectores ejus metuens, eo quod interfecti velut pater fuisse diceretur; post multos itaque familiaritatis adeptæ dies, erupit quasi pro omnibus, et ita sciscitatus est dicens : Domine sancte, de qua provincia Deus his regionibus tale lumen donare dignatus est? Cui vir Dei faceta primum hilaritate respondit : Si fugitivum putas, para tibi pretium, quod pro me possis, cum fuero requisitus, offerre. His talia *f* serio subjiciens mox : Quid prodest, inquit, servo Dei significatio loci, vel generis sui, cum possit id tacendo sanctius vitare jactantiam, utpote sinistram, qua nesciente cupio opus bonum Christo donante perficere, quo merear dexteræ socius fieri et supernæ patriæ civis abscribi? Quam si me indignum veraciter desiderare cognoscis, quid te necesse est terrenam cognoscere, quam requiris? Verumtamen scito, quia Deus, qui te Sacerdotem fieri præstitit, ipse me quoque periclitantibus his hominibus interesse præcepit. Et tali memoratus Presbyter responsione conticuit, nec quisquam ante vel postea beatum virum super hac parte percontari præsumpsit. Loquela tamen ipsius *g* testabatur hominem omnino Latinum : quem constat ad quandam Orientis solitudinem fervore perfectioris vitæ fuisse profectum; atque inde post ab *h* Norici Ripensis oppida, Pannoniæ superiori vicina, quæ barbarorum crebris premebantur incursibus, divina compulsum revelatione venisse; sicut ipse *i* causa secretiore, tamquam de alio loqueretur, ferre solitus erat, nonnullas Orientis urbes nominans, et itineris immensi pericula se mirabiliter transisse significans. Hæc igitur sola, quæ retuli, quotiens de B. Severini patria sermo ortus est, etiam ipso superstite, semper audivi. Indicia vero mirabilis vitæ ejus huic epistolæ conjuncta prælatis capitulis commemoratorio recensita, fient, ut rogavi, libri vestri magisterio clariora. Superest ut ejus orationibus tuas sociare non desinas, et indulgentiam mihi poscere non desistas.

Auctore Eugippio.

d

e

f

g

h

i

a *Aliis* Opportunus *vocatur, Consul fuit solus an. Christ.* DIX, *qui erat Anastasii Imperatoris* XVIII.

b *Belfort.* Bassi. *De monte vero Titane, sive Titano, ubi nunc vicus S.* Marini *nuncupatus, agemus* III *Septemb. ad vitam S.* Marini.

c *Celebris ad mare Adriaticum urbs, cui a cognomini fluvio nomen.* d *Belf.* Pygmenius. *Brauner.* Primenius.

e *Hic Dux militum a Julio Nepote Imperatore creatus, adversus eum rebellavit, filiumque suum Momyllum, qui et Augustulus, pridie kalend. Novemb.* 475. *Imperatorem constituit. Odoacer ab Orestis æmulis advocatus in Italiam, eum fratremque ejus Paulum occidit, Augustulum relegavit in Campaniam, an.* 476, *Basilisco* II, *et Armato Coss.* f *Baronius* Senior *legit.*

g *Editio Hen. Canisii hic interjicit* Africanum, *quæ vox aberat a* MS. *Belfortii et Baronii, nec videtur necessaria. Braunerus Romanum suspicatur : favet Baronius.* Africa oriundum *scribit Aventinus, ut diximus.*

h Noricum Ripense est, quidquid ab Œno, Rætiarum et Vindeliciæ termino, ad Pannones usque in Danubii ripa jacet. *Velser. ad c.* 1.

i *Baron.* clauso sermone.

EPISTOLA PASCHASII DIACONI
ad Eugippium Presbyterum.

a Domino sancto semperque carissimo Eugippio Presbytero Paschasius Diaconus. Frater in CHRISTO carissime, dum nos peritiæ tuæ facundia et otii felicitate perpendens, amaritudines occupationesque multiplices peccatorum retractare contemnis, pudoris jacturam dilectionis contemplatione sustine. Direxisti Commemoratorium, cui nihil possit adjicere facundia peritorum; et opus quod Ecclesiæ universitas possit recensere, brevi reserasti compendio, dum B. Severini finitimas Pannoniorum provincias incolentis, vitam moresque verius explicasti, et quæ per illum divina virtus est operata miracula, diuturnis mansura temporibus tradidisti memoriæ posterorum. Nesciunt facta piorum præterire cum sæculo : ut omnes

a

Paschasius vitam S. Severini ab Eugippio scriptam laudat.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

AUCTORE EUGIPPIO.

omnes præsentem habeant, et secum quodammodo sentiant commorari, quibus eum relatio pervexerit lectionis. Et ideo quia tu hæc, quæ a me narranda poscebas, elocutus es simplicius, explicasti facilius; nihil adjiciendum labori vestro studio nostro credidimus *b*. Siquidem aliter audita narramus, aliter experta depromimus. Facilius virtutes magistrorum a discipulis exponuntur, quæ suggeruntur crebrius conversatione docentium.

b

Utilitas ex vitis Sanctorum.

6 Divinis charismatibus inspiratus, scis bonorum mentibus excolendis quantum gesta Sanctorum utilitatis impertiant, quantum fervoris attribuant, quantum puritatis infundant, de qua re Apostolicæ vocis auctoritas latius innotescens : Forma, inquit, estote gregi : et B. Paulus Timotheo præcepit : Forma esto fidelibus. Unde idem Apostolus justorum catalogum summa brevitate contexens, ab Abel incipiens insignium virorum pergit narrare virtutes. Sic et ille fidelissimus Mathathias, morti gloriorissimæ jam propinquans, filiis suis hereditario jure Sanctorum exempla distribuit, quorum certaminibus admirandis *c* celerius excitati, animas suas pro legibus sempiternis sanctitatis fervore contemnerent. Nec paterna liberos fefellit instructio : tantum enim profuerunt memoratis facta majorum, ut apertissima fide armarentur, Principes deterrerent, castra sacrilega superarent, cultus arasque dæmoniacas longe lateque diruerent, civicamque coronam, sertis decoratam perennibus, splendenti patriæ providerent. Unde et nos ornamentis sponsæ Christi quiddam fraterno ministerio providere gaudeamus, non quo ullis, ut credo, temporibus defuerit clarior vita majorum, sed quod domum magni Regis plurimorum vexilla trophæorum habere conveniat. Non enim vera virtus excluditur numerositate virtutum, sed optatis successibus eatenus ampliatur.

1. Petr. 5. 3. 1. Tim. 4. 12. Hebr. 11. 1. Mach. 2.

c

a *Hanc epistolam contulerat olim Rosweydus noster cum* MS. *Balthasaris Moreti, cum quo fere consentiebat Belfortii codex.*

b *Hinc liquet falli Wiguleum, qui Metropolis tom.* 1. *in Ratisponen. Episcopor. catal.* Paschasium *vitæ S. Severini auctorem facit.* c MSS. *Belf. et Mor.* celebrius.

VITA

S. SEVERINI.

CAPUT I.

S. Severinus in Norico varia prædicit : laborantibus subvenit.

a Tempore quo *a* Attila Rex Hunnorum defunctus est, utraque Pannonia, ceteraque confinia Danubii rebus turbabantur ambiguis : ac primum inter *b* filios ejus de obtinendo regno magna sunt exorta certamina, qui morbo iniquæ dominationis inflati, materiam sui sceleris accepere patris inferitum. Tunc itaque sanctissimus Dei famulus Severinus de partibus Orientis adveniens, in vicinis Norici Ripensis et Pannoniorum partibus, quod *c* Asturis dicitur, oppido morabatur, vivens juxta Evangelicam Apostolicamque doctrinam, omni pietate et castitate præditus, in confessione Catholicæ fidei venerabile propositum sanctis operibus adimplebat. Dum ergo talibus exercitiis roboratus palmam supernæ vocationis innocue sequeretur, quadam die ad Ecclesiam processit ex more : tunc Presbytero, clero, et civibus requisitis, cœpit tota mentis humilitate prædicere, ut hostium insidias imminentes orationibus ac jejuniis, et misericordiæ fructibus inhiberent. Sed animi contumaces ac desideriis carnalibus inclinati, prædicentis oracula infidelitatis suæ discrimine probaverunt. Famulus autem Dei reversus, ad hospitium quo ab ecclesiæ fuerat custode susceptus, diem et horam imminentis excidii prodens : De contumaci, ait, oppido et citius perituro festinus abscedo. Inde ad proximum quod *d* Commagenis appellabatur oppidum declinavit. Hoc barbarorum intrinsecus consistentium, qui cum Romanis fœdus inierant, custodia servabatur arctissima, nullique ingrediendi aut egrediendi facilis licentia præstabatur. A quibus tamen Dei famulus, cum esset ignotus, nec interrogatus est, nec repulsus. Itaque mox ingressus ecclesiam, cunctos de salute propria desperantes, jejunio et orationibus atque eleemosynis hortatur armari, proponens antiquæ salutis exempla, quibus divina protectio populum suum contra opinionem omnium mirabiliter liberasset. Cumque salutem omnium in ipso discriminis articulo promittenti credere dubitarent, senex qui dudum in Asturis tanti hospitis susceptor extiterat, venit, atque a portarum custodibus sollicita interrogatione discussus, interitum sui oppidi habitu verboque monstravit, adjiciens eadem die qua quidam homo Dei prædixerat, barbarorum vastatione fuisse deletum. Quo audito solliciti responderunt : Putasne ipse est, qui desperatis rebus, Dei nobis subsidia pollicetur? Mox igitur in ecclesia recognito Dei famulo, senex ejus pedibus prostratus aiebat, ipsius se meritis liberatum, ne cum cæteris oppidaneis subiret excidium.

b

c

S. Severinus venit in Austriam.

Prædicit adventum hostium.

d

Alio migrat: læta isthic prædicit.

8 His auditis habitatores oppidi memorati incredulitati veniam postulantes, monitis viri Dei sanctis operibus paruerunt, jejuniisque dediti in ecclesia per triduum congregati, errata præterita castigabant gemitibus et lamentis. Die autem tertio cum sacrificii vespertini solemnitas impleretur, facto subito terræ motu, ita sunt barbari intrinsecus habitantes exterriti, ut portas sibi Romanos cogerent aperire velociter. Exeuntes igitur *e* cuncti diffugerunt, æstimantes se quam vicinorum hostium obsidione vallatos, auctoque terrore divinitus, et noctis errore confusi, mutuis se gladiis conciderunt. Tali ergo adversariis internetione consumptis, divino plebs servata præsidio, per sanctum virum armis didicit pugnare cœlestibus.

Miraculo fusi barbari.

e

9 Eodem tempore civitatem nomine *f* Favianis sæva fames oppresserat : hujus habitatores unicum sibi remedium affore crediderunt, si ex supradicto oppido Comagenis hominem Dei religiosis precibus invitarent. Quos ille ad se ventum ire prænoscens, cum hæsitaret utrum pergeret, cum eis necne, a Domino, ut cum eis pergeret commonetur. Quo cum venisset, cœpit civibus suadere dicens : Poteritis pœnitentiæ fructibus a tanta famis pernicie liberari. Qui cum talibus proficerent institutis, beatissimus Severinus divina revelatione cognovit, quandam viduam nomine Proculam fruges plurimas occultasse, quam productam in medium arguit vehementer. Cur, inquit, nobilissimis orta natalibus, cupiditatis te præbes ancillam, et extas avaritiæ mancipium, quæ est, docente Apostolo, servitus idolorum? Ecce Domino famulis suis misericorditer consulente, tu quid de male partis facias non habebis, nisi forte frumenta diu denegata in Danubii fluenta projiciens, humanitatem piscibus exhibeas, quam hominibus denegasti. Quamobrem subveni tibi potius quam pauperibus, ex his quæ adhuc te æstimas Christo esuriente servare. Quibus auditis magno mulier pavore perterrita, cœpit servata libenter erogare pauperibus. Igitur non multo post rates plurimæ de partibus Rhætiarum, mercibus onustæ quam plurimis, insperate videntur in littore Danubii, quæ multis diebus crassa *g* Eni fluminis glacie fuerant *h* congelatæ : quæ Dei imperio mox solutæ, ciborum copias fame laborantibus detulerunt. Tunc cœperunt omnes Deum insperati remedii largitorem continuata devotione laudare, qui malo diuturnæ famis interire crediderant, fatentes rates extra legitimum tempus a glaciei resolutas frigore servi Dei precibus advenisse.

f

Vocatur Viennam.

Ephes. 5. 5. *Recondentem frumenta famis tempore arguit.*

g

h

Insperato adest annona.

a *Anno* 454.

b Quorum, *ut Jornandes de rebus Geticis cap.* 50, *scribit,* per licentiam libidinis pæne populus fuit. *Major natu* Ellac *dicebatur,* Chabas *aliis : hic cum* Aladarico *fratre prælio memorabili congressus*

congressus, quo Hunnorum omnino fractæ vires. Velser. lib. 2, *rer. Boic.*

c *Sur. Baron. Har.* Casturis. *Lazius* Castuns, *et* Casturis, *id est, ut ait,* Castris Augustis, *audaci conjectura, ut Velserus censet. Petr. de Nat. et Ferrar.* Astaris. *In notitia Imperii sub Duce Pannoniæ* I, *et Norici Ripensis extat* Austuris: *Ortelius* Astura *vocat. Aventinus lib.* 2 *Annal.* Asturum oppidum in confinio Norici Ripensis et Pannoniæ periit, *his scilicet Severini temporibus. Cuspinianus in Austriæ descript. in vita S. Colomanni vult* Stokeraw, *esse Guidus Pancirolus Comment. in Notit. Imp. c.* 83. *Mysiæ oppidum facit, Stephano* Asutas *dictum, ut ait. Eam vocem in Stephano non reperimus, sed* Ἄστυρα, *et* Ἄστυρον *civitatem Mysiæ Asiaticæ versus Troadem.*

d *Petrus de Nat.* Commagonis. *Velser* Comagenis, *puta* castris. Comagenas *habet Antoninus in Itinerario. Cuspinianus* Kaumberg *dici, ait, Lazius* Holenburg. *Hoc oppidum Ferrarius tunc hostili obsidione cinctum fuisse scribit; perperam, ut hinc patet.*

e MS. *Belf.* conciti. *Braunerus putat hos barbaros reliquias fuisse exercitus Attilæ, alii Boios.*

f *Cuspin.* Flavabis Gothico vocabulo *dictam scribit,* ut Batabis quæ nunc Batavia. *Velserus* Castra Fabiana, *a cohorte fortassis Fabia aut Fabiana. A* Fabianis, *truncatis extremis utrimque syllabis, et A in E mutata deflexum* Wien, *quæ alias* Vindobona, *Austriæ nunc metropolis. Georgius Brunus in theatro urbium id non probat, sed nil certius profert.*

g Quidam Æni, melius Œni. Rætos a Noricis distinguit, et ad Batava miscetur Danubio. *Vels.* MS. *Belf.* Rheni, *mendose.*

h *Al.* colligatæ.

CAPUT II.

Victoriam, aliaque prædicit, aut impetrat.

Per idem tempus inopinata surreptione prædones barbari quæcumque extra muros hominum pecudumque repererant duxere captiva. Sicque plures de civibus ad virum Dei cum lacrymis confluentes illatæ calamitatis exitium retulerunt, simul ostendentes indicia recentium rapinarum. Ille vero Mamertinum *a b* percunctatus est, tunc *a* Tribunum, *b* qui post ordinatus est Episcopus, utrum aliquos secum haberet armatos, cum quibus latrunculos sequeretur instantius. Qui respondit : Milites quidem habeo paucissimos, et ideo non audeo cum tanta hostium multitudine confligere. Quod si tua veneratio præcipit, quamvis auxilium nobis desit armorum, credimus tua nos fieri oratione victores. Et Dei famulus ait : Etiamsi inermes sunt tui milites, nunc ex hostibus armabuntur : nec enim numerus aut fortitudo humana requiritur, ubi propugnator Deus per omnia comprobatur : *Victoriam pollicetur.* tantum in nomine Dei perge velociter, perge fidenter; nam Domino misericorditer præeunte, debilis quisque fortissimus apparebit : Dominus pro vobis pugnabit, et vos tacebitis. Vade ergo festinus, hoc unum ante omnia servaturus, ut ad me quos ex barbaris ceperis perducas incolumes. Exeuntes igitur in secundo milliario super rivum qui vocatur *c* Dicuntia prædictos *c* latrones inveniunt, quibus in fugam repente conversis, arma omnium sustulerunt : ceteros vero vinctos ad Dei famulum, ut præceperat, adduxerunt captivos. *Captivos cibo refectos dimittit.* Quos absolutos vinculis, cibo potuque refectos, paucis alloquitur : Ite, et vestris denuntiate complicibus, ne aviditate prædandi ultra huc audeant propinquare; nam statim cœlestis vindictæ judicio punientur, Deo pro suis famulis dimicante, quos ita consuevit divina virtute protegere, ut tela hostium non eis inferant vulnera, sed arma potius subministrent. Dimissis itaque barbaris, ipse de Christi miraculis gratulatur, de cujus miserationibus promittit, numquam illud oppidum hostium prædas ulterius experturum, si cives tantum ab opere Dei nec prospera nec adversa retraherent.

11 Deinde B. Severinus in locum remotiorem se- *d* secedens qui *d* ad Vineas vocabatur, cellula parva *Amat solitudinem.* contentus, ad prædictum oppidum remeare divina revelatione compellitur, ita ut quamvis eum quies cellulæ delectaret, Dei tamen jussis obtemperans, monasterium haud procul a civitate construeret, ubi plurimos sancto cœpit informare proposito, factis magis quam verbis animas instruens auditorum. Ipse *e* vero ad secretum habitaculum, quod *e* Purgum oppidum appellatur ab accolis, quinque a Favianis distans milliariis, sæpius secedebat, ut hominum declinata frequentia, quæ ad eum venire consueverat, oratione continua Deo protinus inhæreret. Sed quanto solitudinem incolere cupiebat, tanto crebrius revelationibus monebatur, ne præsentiam suam populis denegaret afflictis. Proficiebat itaque per singulos dies ejus meritum, crescebatque fama virtutum, quæ longe lateque discurrens, cœlestis gratiæ in eo signa pandebat. Nesciunt enim latere quæ bona sunt, cum juxta sententiam Salvatoris, nec lucerna sub modio contegi, nec in monte posita civitas possit abscondi. Inter cetera enim magnalia quæ illi Salvator indulserat, præcipiuum abstinentiæ munus accipiens, carnem suam plurimis subjugabat inediis, docens corpus, quod cibis abundantioribus enutritur, animæ interitum protinus allaturum. Calceamento nullo penitus indutus, ita media hyeme, quæ in illis regionibus sæviore gelu torpescit, nudis pedibus semper ambulare contentus, singulare patientiæ dabat indicium. Ad cujus immanitatem frigoris comprobandam, testem constat esse Danubium, ita sæpe glaciali nimietate concretum, ut etiam plaustris solidum transitum subministret. Qui tamen talibus per Dei gratiam virtutibus sublimatus, intimam humilitatem fatebatur dicens : Ne putetis mei meriti esse quod cernitis, *Ejus humilitas.* vestræ est potius salutis exemplum. Cesset jam humana temeritas, elationis supercilium comprimatur, ut aliquid boni possimus, eligimur, discente Apostolo. Qui elegit nos ante constitutionem mundi, ut essemus sancti et immaculati in conspectu ejus. Orate imo pro me, ut non ad condemnationis cumulum, sed ad justificationis augmentum Salvatoris mihi dona proficiant. Hæc et his similia solebat proferre cum fletibus, miro erudiens homines humilitatis exemplo, cujus virtutis fundamento munitus, tanta divini muneris claritate fulgebat, ut ipsi quoque hostes hæretici, reverentissimis eum officiis honorarent.

12 *f* Rugorum siquidem Rex, nomine *g* Flacci- *f g* teus, in ipsis regni sui cœpit nutare primordiis habens *h* Gothos ex inferiore Pannonia vehementer *h* infensos, quorum innumera multitudine terrebatur. Is ergo beatissimum Severinum in suis periculis tamquam cœleste consulebat oraculum. Ad quem, dum vehementissime turbaretur, adveniens, deflebat se a Gothorum Principibus ad Italiam transitum postulasse, a quibus se non dubitabat, quia hoc ei denegatum fuerat, occidendum. Tunc ergo a viro Dei hoc responsum prædictus accepit : Si nos una Catholica *Rugiorum Regem salutaribus monitis instruit.* fides annecteret, magis me de vitæ perpetuitate debuisti consulere; sed quia de præsenti tantum salute sollicitus, quæ nobis est communis, interrogas, instruendus ausculta. Gothorum nec copia, nec adversitate turbaberis, quia cito securus, eis discedentibus, tu desiderata prosperitate regnabis : tantum ne humilitatis meæ monita prætermittas. Non te itaque pigeat pacem appetere etiam minimorum, et numquam propriis virtutibus innitaris. Maledictus, inquit Scriptura, qui confidit in homine, et ponit carnem brachium suum, et a Domino recedit cor ejus. Disce Jerem. 17. 5. igitur insidias cavere, non ponere; in lectulo quippe tuo pacifico fine transibis. Qui cum tali admonitus oraculo lætus abscederet, perlato sibi quod turba latrocinantium et barbari aliquos captivassent ex Rugis, ad virum Dei misit protinus consulendum. Qui sanctis eum mandatis, ne prædones sequeretur, Domino sibi revelante, præmonuit, dicens : Si eos *Detegit ei paratas insidias.* secutus fueris, occideris; cave ne amnem transeas, et insidiis, quæ tibi tribus locis paratæ sunt, improvida mente succumbas : nam cito nuntius fidelis adveniet, qui te de his omnibus efficiet certiorem. Tunc captivorum duo ab ipsis hostium sedibus fugientes, ea per ordinem retulerunt, quæ a beatissimo viro, Christo sibi revelante, erant prædicta. Igitur frustratis insidiis adversantium,

AUCTORE EUGIPPIO.

Extruit monasterium.

Nudis pedibus etiam hyeme, incedit.

AUCTORE EUGIPPIO.

adversantium, Flacciteus incrementis auctus prosperioribus, vitam rebus tranquillissimis terminavit.

Curat infirmum qui 12 *annis decubuerat.*

13 Post hæc autem quidam Rugus genere, per annos duodecim incredibili ossium dolore contritus, omni caruerat incolumitate membrorum, cujus cruciatus intolerabilis circumquaque vicinis factus erat ipsa diuturnitate notissimus. Itaque nihil proficiente diversitate remedii, tandem vidua mater ad sanctum virum vehiculo filium deduxit impositum, et ante januam monasterii projiciens desperatum, continuatis fletibus reddi sibi unicum filium precabatur incolumem. Sed vir Dei sentiens a se magna deposci, fletu commotus aiebat : Quid opprimor opinione fallaci? Cur æstimor posse quod nequeo? Non est virtutis meæ præstare tam grandia : consilium tamen do, tamquam misericordiam consecutus a Domino. Tunc mandat mulieri, ut pauperibus aliquid pro suis viribus largiretur. Illa nihil morata, vestem qua induta erat se velociter exuens, egenis dividere properabat. Quo audito vir Dei, fervorem ejus admirans, iterum mandat ut suis operiretur amictibus, dicens : Cum tuus filius tecum Domino sanante perrexerit, opere vota supplebis. Igitur indicto paucorum dierum de more jejunio, fusis ad Deum precibus, illico sanavit infirmum, atque incolumem suis gressibus ambulantem remisit ad propria. Qui cum postea nundinis frequentibus interesset, stupendum miraculum cunctis videntibus exhibebat : nonnulli enim dicebant : Ecce ille qui fuerat corporis putredine fractus : aliis autem, quod ipse esset, omnino negantibus, grata contentio nascebatur. Ex illo enim tempore quo est reddita sanitas desperato, universa Rugorum gens ad Dei famulum frequentans cœpit gratulationis obsequium reddere, et opem suis postulare languoribus. De aliis etiam gentibus ad quas tanti miraculi fama pervenerat, multi Christi militem videre cupiebant.

14 Qua devotione etiam ante hoc factum quidam barbari cum ad Italiam pergerent, promerendæ benedictionis ad eum intuitu diverterunt : inter quos et *i* Odovachar, qui postea regnavit Italiæ, vilissimo tunc habitu, juvenis statura procerus advenerat. Qui dum se, ne humile tectum cellulæ suo vertice contingeret, inclinasset, a viro Dei gloriosum se fore cognovit. Cui etiam valedicenti : Vade, inquit, ad Italiam, vade, vilissimis nunc pellibus coopertus, sed multis cito plurima largiturus.

i

Odoacri regnum Italiæ prædicit.

a Præsidem *facit Aventinus : improbat merito Velserus.*

b *Aberant hæc a codice Surii, Velserus glossema suspicatur, quod eodem fere tempore* Mamertus *Viennæ Galliæ Episcopus vixerit, de quo* XI *Maii agemus.* Mamertinum *Viennæ Austriæ primum Episcopum eruit Lazius, veterisque chronici fide confirmat; parum solide, Velsero judice.* c *Sur.* Taguntia. *Belf.* Gyguntia. *Rader* Jaguntiâ, *seu* Dicuntia. *Staib.* Tiguntius.

d *Belf.* Ad Juncas. *Cellæ rudera in pago* Siferinga *extare testatur Lazius, et pago nomen esse a S.* Severino. *Cuspinianus isthic villam, ubi cellæ* Severini *vestigia, ob ejus memoriam emisse se testatur. Distat magno miliari a Vienna. At monasterium majus fuisse ait Lazius in loco qui* Heyligstat *dicitur, id est,* locus sanctus, *a Sanctorum isthic habitatione. Inde saxa abstulit S. Leopoldus ad Neoburgi claustralis ædificationem, ut* XV *Novemb. in ejus vita dicemus. Ferrarius hoc monasterium S.* Severino *a Rugorum Rege constructum scribit.*

e Burckensdorf *interpretatur Cuspinianus : sed quod Flaccitheum Rugorum Regem isthic ait habitasse, non probat. Staibanus et Engenius hic in solitudinem abiisse sanctum scribunt* Burgum *dictam.*

f *Sur.* Rugiorum, *quod magis arridet Velsero. Ii regionem coluisse videntur, quæ Viadro ac Viper a fluminibus continetur in Pomeraniæ Ducatu : unde profectæ quædam eorum copiæ prope Danubium consederunt. Paulus Diacon. lib.* I, *de gestis Longobard. ditionem quam Feletheus Rugorum Rex incolebat,* quam, *inquit,* a Norici finibus Danubius separat, *vocat* Rugiland, quæ Latino eloquio Rugorum patria dicitur. *Raderus putat a Gothis infestatum,* ab Oceano profugum, *eas oras insedisse : cum contra in iis ipsis oris, bello occupatis, a Gothis vicinis premeretur. Staibanus ait eum victoriam de Gothis retulisse, a Severino prædictam.*

g *Aliis* Flaccitheus, Flaciteus, Flacitheus; *Irenico* Flactitetus.

h *Ii post Attilæ mortem a Romanis sedes in Pannonia accepere. Jornandes de reb. Getic. cap.* 50.

i *Belf.* Odovacar. *Jornand.* Odovacer. *alibi* Odobagar, *et* Otachar; *Aventino* Odagrius, *et* Odacer, *vulgo* Odoacer, *qui an.* 476 *Rex Italiæ factus.*

CAPUT III.

Contemptus vindicatur : reliquias conquirit : honores refugit.

a Felecteus quoque Rex, qui et Fava, memorati filius Flacitei, paternam secutus industriam, sanctum virum cœpit pro regni sui frequentare primordiis. Hunc conjux feralis et noxia, nomine Gisa, semper a clementiæ remediis retrahebat. Hæc ergo inter cetera iniquitatis suæ contagia, etiam rebaptizare quosdam est conata Catholicos, sed ob Sancti reverentiam Severini, non consentiente viro, a sacrilega quantocyus intentione defecit. Romanos tamen duris conditionibus aggravabat, quosdam etiam Danubio jubebat abduci. Nam cum quadam die in proximo a Favianis vico veniens, aliquos ad se transferri Danubio præcepisset, vilissimi scilicet ministerii servitute damnandos, dirigens ad eam vir Dei, ut eos dimitteret postulabat. Verum illa facibus feminei furoris exæstuans, mandata reportari jussit asperrima : Ora, inquit, tibi serve Dei in tua cellula delitescens, liceat nobis de servis nostris ordinare quod volumus. Hæc igitur audiens homo Dei : Confido, inquit, in Domino Jesu Christo, quia necessitate compelletur explere, quod prava voluntate despexit. Velox itaque secuta correptio, animum prostravit arrogantis : quosdam enim aurifices *b* barbaros, pro fabricandis regalibus ornamentis clauserat arcta custodia. Ad hos filius memorati Regis admodum parvulus, nomine Fridericus, eodem die quo Regina servum Dei contempserat, puerili motu concitus introivit. Tunc aurifices infantis pectori gladium imposuere dicentes, quod si quis ad eos absque juramenti *c* præfixo ingredi conaretur, parvulum regium primitus transfigerent, et semetipsos postea trucidarent; quippe cum sibi nullam spem vitæ promitterent, macerati diuturnis ergastulis. His auditis Regina crudelis et impia, vestibus dolore conscissis, talia clamabat : O serve Dei Severine, sic a Deo tuo illatæ vindicantur injuriæ? Hanc mei contemptus ultionem effusis precibus postulasti, ut in mea viscera vindicares? Itaque multiplici contritione ac miserabili lamentatione discurrens, fatebatur se pro scelere contemptus, quod in servum Dei commiserat, plagæ præsentis ultione percelli, confestimque directis equitibus veniam petitura, et Romanos quos ea die tulerat, pro quibus rogantem contempserat transmisit; et aurifices protinus accipientes sacramentum ac dimittentes infantulum, pariter et ipsi dimissi sunt. His auditis reverentissimus Christi servus gratias Creatori referebat immensas, qui ob hoc interdum differt vota petentium, ut fide, spe et caritate crescente, dum minora petuntur, majora concedat. Id namque egit virtus omnipotentis ac Salvatoris, ut dum liberos sæva mulier subjecit servituti, servientes cogeretur reddere libertati. Quibus mirabiliter impetratis, Regina statim ad servum Dei properans cum marito, monstrat filium quem fatebatur illius orationibus de mortis confinio liberatum, promittens se ejus nequaquam ultra jussionibus obviare.

a

Regina crudelis S. Severinum contemnit.

b

c

In filii periculo, ejus opem implorat, experitur; gratias agit.

16 Magna quoque Dei famulo, prophetiæ gratia prædito, in redimendis erat captivis industria. Studiosius etenim insistebat barbarorum ditione vexatos genuinæ restituere libertati. Interea cuidam cum conjuge liberisque redempto, præcepit transvadere Danubium, ut hominem ignotum in *d* nundinis quæreret barbarorum, quem in tantum divina revelatione didicerat, ut etiam signa staturæ, capillorumque colorem, vultus ejus ac vestis habitus indicaret, et in qua parte nundinarum reperturus eum foret ostenderet, addens, ut quidquid reperta ei diceret persona, reversus sibi maturius intimaret. Profectus itaque cuncta, sicut vir Dei prædixerat, miratus invenit. Is ergo ab eodem homine, quem reperisse se mirabatur, interrogatus

S. Severinus captivos redimit :

d prophetiæ spiritu claret.

interrogatus audivit dicente : Putasne possum invenire hominem qui me ad virum Dei, cujus ubique fama diffunditur, qua voluerit mercede perducat? Diu est enim quod ipsos sanctos Martyres, quorum reliquias fero, suppliciter interpello, ut tali ministerio tandem aliquando solvar indignus, quod huc usque non temeraria præsumptione, sed religiosa necessitate sustinui. Tunc nuntius hominis Dei, ejus illum aspectibus præsentavit, qui debito *e* Sanctorum Gervasii et Protasii Martyrum reliquias honore suscipiens, in basilica, quam in monasterio construxerat, collocavit officio Sacerdotum. Quo in loco Martyrum congregavit sanctuaria plurimorum, quæ tamen præeunte semper revelatione promeruit, sciens adversarium sæpe subrepere sub nomine sanctitatis.

e SS. reliquias colligit.

Recusat Episcopatum. f

17 Episcopatus quoque honorem ut susciperet postulatus, *f* præfinita responsione conclusit, sufficere sibi dicens quod solitudine desiderata privatus, ad illam divinitus venisset provinciam, ut turbis tribulantium frequentibus interesset. Daturus nihilominus monachis formam, sollicitior admonebat beatorum Patrum vestigiis inhærere, quibus sanctæ conversationis adquireretur instructio, adhibendamque operam ne is qui parentes reliquit et seculum, pompæ secularis illecebras retrorsum respiciendo cuperet quas vitaverat, et ob hoc uxoris Loth exemplum terribile proponebat. Memorabat etiam timore Dei mortificanda esse incentiva libidinum, nec aliter superanda corporalis delectationis asseruit incendia, nisi fuissent per Dei gratiam lacrymarum fonte restincta.

Monacho instruit.

a *Alibi* Feletheus *dicitur, a Paulo Diac. lib.* 1, *c.* 19. Feletheus, *et* Feva, (*Velser. et Lazius l.* 12, *Reip. Rom.* Fethia *legunt*) *aliis* Febanus, Filitheus, Favia, Favianus, Felteus; *Belf.* Seva. *Braunero etiam* Faba. *Rad.* Feletus. *Pet. de Nat.* Feuba. *Staib.* Feletrus *et* Seletus; *et hic uxorem ejus* Lisam *vocat.*

b *Aventinus solita temeritate,* aurifices et Phrygiones Romanos *vocat; pro his intercessisse Severinum ait, morbo tentatum Gisæ filium, sanatum precibus Severini.*

c *Belf. et Baron.* præsidio.

d *Monet Velserus hic non publici mercatus locum, sed vicum paganum intelligi; utrumque eadem Germanica voce* Marckt *efferri.*

e *Coluntur* XIX *Junii.*

f *Staiban. et Engenius ab Odoacre ei oblatum Episcopatum scribunt. Quis id tradit?*

CAPUT IV.

Captivos et afflictos juvat : sacrilegos emendat.

Captivos ex prædonum manibus liberat.

Quidam vero, nomine Maurus, basilicæ monasterii fuit ædituus, quem B. Severinus redemerat de manibus barbarorum. Huic quadam die præcepit vir Dei dicens : Cave ne hodie transgrediaris alicubi; alioquin imminenti periculo non carebis. Hic ergo contra præceptum tanti Patris, secularis cujusdam hominis persuasu, meridie ad colligenda poma in secundo a Favianis milliario egressus, mox a barbaris Danubio transvectus est cum suo persuasore captivus. In illa hora vir Dei dum in cellula legeret, clauso repente codice, Maurum, ait, cito requirite : quo nusquam reperto, ipse quantocyus Istri fluenta prætermæans, latrones properanter insequitur, quos vulgus *a* Scamaros appellabat. Cujus venerandam præsentiam non ferentes, supplices quos ceperant reddidere captivos.

a

Ab omnibus oppidis expetitur.

19 Cum adhuc Norici Ripensis oppida superiora constarent, et pene nullum castellum barbarorum *b* vitaret incursus, tam celeberrima S. Severini flagrabat opinio, ut certatim eum ad se castella singula pro suis munitionibus invitarent, credentes quod ejus præsentia nihil eis adversi eveniret. Quod non sine gratia divini muneris agebatur, ut omnes ejus monitis, quasi cœlestibus terrerentur oraculis, exemploque illius bonis operibus erudirentur. In castellum quoque, cui erat *c* Cucullis vocabulum, devotionibus accolarum vir sanctus venerat advocatus, ubi factum grande miraculum nequeo reticere : quod tamen *d* Marciani post presbyteri nostri, cujus ejusdem loci stupenda miracula, relatione cognovimus. Pars igitur plebis in quodam loco nefandis sacrificiis inhærebat. Quo sacrilegio comperto vir Dei, multis plebem sermonibus allocutus, jejunium triduanum per Presbyterum loci suasit indici, ac per singulas domos cereos afferre præcepit, quos propria manu unusquisque parietibus affixit ecclesiæ. Tunc psalterio ex more decurso, ad horam sacrificii Presbyterum et Diaconum vir Dei adhortatus est, tota cordis alacritate secum communem Dominum deprecari, quatenus ad sacrilegos discernendos lumen suæ cognitionis ostenderet. Itaque cum multis largissimis fletibus, cumque fixis genibus precaretur, pars maxima cereorum, quod fideles attulerant, subito est accensa divinitus, reliqua vero eorum qui prædictis sacrilegiis infecti fuerant, volentesque latere negaverant, inaccensa permansit. Tunc ergo qui eos posuerant divino declarati examine, protinus exclamantes secreta pectoris satisfactionibus prodiderunt, et suorum testimonio cereorum manifesta confessione cuncti propria sacrilegia testabantur. O clemens potentia Creatoris! cereos animosque inflammans, accensus ignis in cereis refulsit et in sensibus. Visibilis lux liquabat ceras in flammas, at invisibilis corda fatentium solvebat in lacrymas. Quis credat amplius eos, quos sacrilegus error involverat, postea claruisse bonis operibus, quam eos quorum cerei fuerant accensi divinitus?

b

c

d

AUCTORE EUGIPPIO. *Nefanda sacrificia miraculose detegit, et abolet.*

20 Alio rursus tempore in finibus ejusdem castelli, locustæ frugum consumptrices copiose insederant, noxiis morsibus cuncta vastantes. Tali ergo peste perculsi mox Presbyteri ceterique mansores, S. Severinum summis precibus adierunt, dicentes : Ut tantæ plagæ auferatur atrocitas, orationum tuarum experta suffragia postulamus, quæ magno dudum miraculo in accensis cereis multum apud Dominum valere conspeximus. Quos ille religiosius allocutus : Non legistis, ait, quid auctoritas divina peccanti populo præceperit per Prophetam dicens : Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio et fletu? et post pauca : Sanctificate, inquit, jejunium, vocate cœtum, congregate populum, sanctificate Ecclesiam, et cetera quæ sequuntur. Hæc explete, ut dignis operibus malitiam præsentis temporis facile evadatis : nullus a me ad agrum exeat, quasi humana sollicitudine locustas vetiturus, ne divina amplius indignatio provocetur. Nec mora, ergo omnibus in ecclesiam congregatis, unusquisque in ordine suo psallebat ex more. Omnis ætas et sexus, quæ etiam voce non poterat, precem Deo fletibus offerebat, eleemosynæ fieri non cessabant, quidquid bonorum operum præsens necessitas exigebat, sicut Dei famulus præceperat implebatur. Omnibus ergo hujuscemodi studiis occupatis, quidam pauperrimus opus Dei cœptum deserens, ad agrum propriæ segetis invisendæ caussa, quæ perparva inter aliorum sata jacebat, egressus est, totaque anxius die locustarum nubem impendentem qua potuit exturbavit industria, moxque ecclesiam communicaturus intravit; sed segetem ejus exiguam, multis vicinorum circumdatam frugibus, locustarum densitas devoraverat. Quibus ea nocte ab illis finibus *e* exterritis imperio divino, probatum est quantum valeat fidelis oratio. Mane quippe sancti operis temerator atque contemptor, rursus ad agrum suum male securus egrediens, eum locustarum pernicie funditus invenit abrasum, et omnium circumquaque sationes integras vehementer admirans, ad castellum lamentosa vociferatione revertitur; cumque id quod acciderat indicasset, ad hujuscemodi videndum cuncti exiere miraculum, ubi quasi ad lineam regularem contumacis hominis segetem locustarum morsus ostenderant. Tunc omnium vestigiis provolutus, intercessionibus eorum delicti sui veniam fusa lamentatione poscebat. Ob quam rem monendi occasionem homo Dei reperiens, docebat

Locustas precibus arcet.

Joel. 2. 12. 13.

Cujusdam punita inobedientia. e

AUCTORE EUGIPPIO.

bat universos ut omnipotenti Deo discerent obedire, cujus imperiis obtemperant et locustæ. Pauper vero prædictus flebiliter allegabat, posse se mandatis obedire de cetero, si ulla spes qua viveret sibi remansisset. Tunc ergo vir Dei ceteros allocutus : Justum est, inquit, ut qui proprio supplicio humilitatis vobis et obedientiæ dedit exemplum, liberalitate vestra anni præsentis alimenta percipiat. Collatione itaque fidelium correptus homo pauperrimus et ditatus, didicit quantum dispendii incredulitas inferat, quantumque beneficii suis cultoribus divina conferat largitio.

a *Belf.* Scameras. *Velserus non gentis sed latrocinii nomen esse scribit.* b *Sur.* intraret, *nec omnino damnat Velserus.*

c *Sur.* Cocullis. *Pet. de Nat.* Cocullo, *Laz.* Catullus, *qui* Tulnam *hodie dici arbitratur. Staiban. et Eugenius hoc Fabianis gestum scribunt.*

d *Al.* Majorani, *et* Majoriani. *Merito reprehendiit Lazium Velserus, quod hinc asserat, Marcianum ex monacho cœnobii S. Severini Fabianensium Episcopum proxime post Mamertinum constitutum.* e Ms. *Belf.* exterminatis.

CAPUT V.

Varia alia edit miracula.

a Item juxta oppidum quod *a* Juba appellatur, cum quadam die intrantes basilicam, æstatis tempore, solemnitatem vespere reddituri, ad accendenda luminaria ignem minime reperissent, flammam concussis ex more lapidibus elicere nequiverunt, in tantum alterutra ferri ac petræ collisione tardantes, ut tempus vespertinæ solemnitatis efflueret. At vir Dei genibus humi fixis orabat attentius. Mox igitur in conspectu trium spiritualium, qui aderant tunc, virorum, cereus quem idem Severinus sanctus manu tenebat accensus est. Quo lucente, sacrificio vespertini temporis ex more suppleto, gratiæ Deo referuntur in omnibus. Quod factum, licet vir memoratus hos qui huic interfuere miraculo celare voluerit, sicut et multa magnalia, quæ per illum divinis sunt effectibus celebrata; claritas tamen tantæ virtutis occultari non potuit, se ad magnam ceteros fidem excellenter accendit.

Cereus S. Severini miraculose accenditur.

Quandam jam depositam sanitati restituit.

22 Accidit etiam ejusdem loci quandam mulierem diutino languore vexatam jacere seminecem, exequiis jam paratis; cujus proximi mœsto silentio voces funereas quodam fidei clamore presserunt, et ante ostium cellulæ sancti viri corpus jam pene exanime deposuere. Videns ergo homo Dei clausum aditum oppositione lectuli, ait ad eos : Quidnam est quod facere voluistis? Responderunt : Ut oratione tua vitæ reddatur exanimis. Tunc ipse lacrymabundus exclamans ait : Quid a parvo magna deposcitis? Cognosco me prorsus indignum, utinam merear veniam pro meis invenire peccatis. Et illi, Credimus, inquiunt, quod si oraveris reviviscit. Tunc S. Severinus fusis illico lacrymis, in oratione prostratus est, et muliere protinus resurgente, allocutus est eos : Nolite quidquam horum meis operibus applicare, hanc enim gratiam fidei vestræ fervor emeruit; et hoc fit in multis locis et gentibus, ut cognoscatur quod unus sit Deus, faciens in cœlo et in terra prodigia, excitans perditos in salutem, et mortuos vitæ restituens. Mulier vero sanitate percepta, opus *b* agrale die tertio juxta morem provinciæ propriis cœpit manibus exercere.

Alienæ fidei id adscribit.

b

c d 23 *c* Quintanis appellabatur *d* secundarum municipium Rætiarum super ripam Danubii situm, huic ex alia parte parvus fluvius, *e* Businca nomine, propinquabat. Is crebra inundatione Danubii superfluentis excrescens, nonnulla castelli spatia, quia in plano fundatum erat, occupabat. Ecclesiam etiam loci ejus mansores extra muros ex lignis habuere constructam, quæ pendula extensione porrecta, defixis in altum stipitibus sustentabatur et furculis, cui ad vicem soli tabularum erat lævigata conjunctio; quam quoties ripas excessisset, aqua superfluens occupabat. Quintanensium itaque fide S. Severinus illuc fuerat invitatus, ubi cum tempore siccitatis venisset, interrogabat cur tabulata nudatis obstaculorum tegminibus apparerent? Accolæ responderunt : quod frequenti fluminis alluvione quidquid fuisset superstratum continuo laberetur. At ipse : Sternatur, inquit, super tabulata in Christi nomine nunc pavimentum, nam videbitis amodo fluvium cœlesti jussione prohibitum. Pavimento itaque perfecto, ipse vir Dei accepta securi subter descendens, postes facta oratione percussit, atque ad aquam fluminis, venerandæ crucis expresso signaculo dixit : Non te sinat Dominus meus Jesus Christus hoc signum crucis excedere. Ex illo itaque tempore cum ex more fluvius crevisset in cumulos, ambissetque viciniam quam solebat, ita spatiis ecclesiæ erat inferior, ut numquam sancti patibuli signaculum, quod impresserat homo Dei, prorsus excederet.

Signo Crucis fluvii eluvionem reprimit.

24 Accidit autem ut castelli *f* Presbyter memorati admodum venerabilis, Silvinus nomine, moreretur : et cum in ecclesia feretro posito noctem psallentes duxissent ex more pervigilem, jam crescente diluculo, rogavit vir Dei fessos Presbyteros et Diaconos universos parumper abscedere, ut post laborem vigiliarum somno se aliquantulum recrearent. Quibus egressis, homo Dei ostiarium, Maternum nomine, interrogat, utrum omnes, ut dixerat, abscessissent. At illo respondente cunctos abiisse : Nequaquam, ait, sed latet hic quidam. Tunc janitor ecclesiæ septa secundo perlustrans, nullum intra eam mansisse testatur. Verum Christi miles Domino sibi revelante : Nescio quis, ait, hic delitescit. Tertio itaque diligentius perscrutans, quandam invenit virginem consecratam, locis se occultioribus abdidisse, quam ergo memoratus sic increpavit ædituus : Cur istic famulo Dei posito tuam credidisti potuisse latere præsentiam? At illa : Pietatis, inquit, me amor talia facere persuasit; videns enim cunctos foras expelli, putavi mecum quod servus Christi invocata divina majestate præsentem mortuum suscitaret. Exeunte igitur memorata virgine, homo Dei cum Presbytero et Diacono janitoribusque duobus, in oratione curvatus postulavit fletu largissimo, ut opus solitæ majestatis divina virtus ostenderet. Tunc oratione completa a Presbytero, ita cadaver vir beatus alloquitur : In nomine Domini nostri Jesu Christi, sancte Presbyter Silvine, loquere cum fratribus tuis. Et subito oculos defunctus aperuit. Vix vero præsentibus homo Dei tacere præ gaudio persuasit; et denuo ad eum : Vis, inquit, rogemus Dominum ut te adhuc servis suis in hac vita condonare dignetur? At ille ait : Per Dominum te conjuro ne diutius hic tenear, et frauder quiete perpetua, in qua me esse jam cernebam. Statimque reddita oratione quievit exanimis. Hoc autem factum S. Severini adjuratione ita celatum est, ut ante mortem ejus non potuisset agnosci; ego tamen hæc quæ retuli Marci Subdiaconi et Materni janitoris relatione cognovi. Nam Presbyter et Diaconus tanti testes miraculi, ante sanctum virum, cui juraverant nulli se quod viderant prodituros, obiisse noscuntur.

f

Divinitus cognoscit aliquem in templo latere.

Mortuum interrogat, ille respondet.

Miraculum celari jubet.

a Ms. *Belf.* Juvao. *Lazius* Juvavo; *et* Juvaviam *interpretatur, improbante Velsero. Pet. de Nat. et Staib.* Joviaco.

b *Ita Belf. alii* sacrale.

c *Notitia Imperii, sub* Duce Rætiæ I *et* II, *habet* Præfectum Aliæ primæ Flaviæ Retorum Quintanis. *Antoninus* Quintianas *vocat*, Kuntzen *nunc dici tradunt, Caspinianus* Cuntzing. *Vicus est ad dextram Danubii ripam, supra Batava.*

d *De* Rætiarum *finibus agit Velserus lib.* 1, *rer. Augustanarum, et Cluverius Germaniæ antiquæ lib.* 3. Secundam Rætiam *volunt lacu Brigantino et Œno flumine conclusam fuisse.*

e *Ita* Ms. *Belfortii.* ms. *Velseri* Quintana, *præfert tamen ipse Surii lectionem* Quintanica.

f *Lazius modo* Silvinum, *modo* Silvium *vocat, et Episcopum facit, a Severino consecratum, qui ipse non nisi Presbyter fuit. Merito rerum Ecclesiasticarum in eo auctore imperitiam reprehendit Velserus, et malam fidem, quippe qui hæc veluti ex Eugippio hausta proferat. Aventinus extare* Quintanis, *sive* Künsen *vico, templum scribit,* ubi D. Silvinus Mysta Vindelicorum, familiaris Severino, humatus colitur. *Raderus eum tom.* 2, *Bavariæ sanctæ, ut* Beatum, *prædicat; sed falsus memoria est, cum tom.* 1 *scripsit isti miraculo adfuisse solos Presbyterum et Diaconum.*

CAPUT

CAPUT VI.

Captivos, pauperes, afflictos, juvat.

Captivis et pauperibus subvenit.

Talibus igitur B. Severinus per Christi gratiam opulentus muneribus, captivorum etiam egenorumque tantam curam ingenita sibi pietate susceperat, ut pæne omnes per universa oppida vel castella pauperes, ipsius industria pascerentur: quibus tam læta sollicitudine ministrabat, ut tunc se crederet tantummodo saturari, vel abundare bonis omnibus, quando videbat egentium corpora sustentari. Et cum ipse hebdomadarum continuatis jejuniis minime frangeretur, tamen esurie miserorum se credebat afflictum. Cujus largitionem tam piam in pauperes plurimi contemplantes, quamvis ex duro barbarorum imperio famis angustias sustinerent, devotissime tamen frugum suarum decimas pauperibus impendebant. Quod mandatum licet cunctis ex lege notissimum sit, tamen quasi ex ore Angeli præsentis audirent, grata devotione servabant. Frigus quoque vir Dei tantum in nuditate pauperum sentiebat: siquidem specialiter a Deo perceperat, ut in frigidissima regione, mirabili abstinentia castigatus, fortis et alacer permaneret. Pro decimis autem, ut diximus, dandis, quibus pauperes

Alios ad idem excitat.

alerentur, *a* Norici quoque *b* Presbyteros missis exhortabatur epistolis. Ex qua consuetudine cum nonnullam ad eum erogandarum vestium copiam direxissent, interrogavit eos qui venerant, si ex civitate quoque *c* Tiburnia similis collatio mitteretur? Respondentibus etiam inde protinus affuturos; vir Dei nequaquam eos venire signavit, sed dilatam eorum oblationem prædixit barbaris offerendam. Itaque non multo post cives Tiburniæ, vario cum obsidentibus Gothis certamine dimicantes, vix inita fœderis pactione, inter cetera etiam largitionem jam in unum collatam, quam mittere famulo Dei distulerant, hostibus, ut prædixerat, obtulerunt.

a b *Tarditas in pio opere punita.*

c

d

26 Cives quoque ex oppido *d* Lauriaco, crebra quondam S. Severini exhortatione commoniti, frugum decimas pauperibus offerre distulerant. Quibus fame constrictis, jam maturitate messium flavescente, vicina subsidia monstrabantur. At ubi rubiginis improvisæ corruptio frugibus nocitura comparuit, mox ad ipsum convenere prostrati, pœnas suæ

Decimarum neglectus punitas.

contumaciæ confitentes. Miles vero Christi, fessos verbis spiritualibus allevabat dicens: Si decimas obtulissetis pauperibus, non solum æterna mercede frueremini, verum etiam commodis possetis abundare præsentibus. Sed quia culpam confessione propria castigatis, de Domini pietate polliceor, quod

Jejunio rubigo aversa.

rubigo præsens tam valide penitus non nocebit; tantum fides vestra ulterius non vacillet. Verum cives ad persolvendas ex illa die decimas hæc promissio reddidit promptiores. Tunc, ut solebat, hortatus est indici jejunium: quo expleto, placidus imber desperatæ messis amputavit incommoda.

e

Sæpe venit Passavium Severinus.

f

g

h

27 *e* Patavis appellatur oppidum, inter utraque flumina, Oenum videlicet atque Danubium constitutum, ubi B. Severinus cellulam paucis solito more fundaverat; eo quod ipse illuc sæpius rogatus a civibus adveniret, maxime propter *f* Alamannorum incursus assiduos, quorum Rex *g* Gibuldus summa eum reverentia diligebat. Qui etiam quodam tempore ad eum videndum *h* desideranter occurrit, cui Sanctus obviam, ne adventu suo eam civitatem prægravaret, egressus est, tantaque constantia Regem allocutus est, ut tremere coram eo vehementius cœperit; sed et postea suis exercitibus indicavit, numquam se nec re bellica nec aliqua formidine, tanto tremore fuisse concussum. Cumque Dei famulo daret optionem impetrandi quæ vellet; rogavit doctor piissimus, ut sibi potius præstaturus, gentem suam a Romana vastatione cohiberet, et captivos quos sui tenuerant, gratanter absolveret. Tunc Rex constituerat ut ex suis

Captivorum liberationem impetrat.

aliquem dirigeret, ad id opus maturius exequendum; statimque missus Amantius Diaconus, e vestigio Regem subsequitur, ejusque pro foribus excubans, multis diebus non potuit nuntiari. Cui re, pro qua directus fuerat, non peracta, tristissimo revertenti apparuit quidam effigiem Sancti præferens Severini, qui eum minaci appellatione perterritum sequi se jussit. Cumque pavens atque concitus sequeretur, pervenit ad januam Regis, statimque dux ille prævius ex oculis mirantis evanuit. Verum Regis internuntius Diaconum, unde esset, et quid speraret interrogat. Ille rem breviter insinuans, oblatis Regi, receptisque remeavit epistolis. Dimissus igitur, revexit fere septuaginta captivos, insuper promissionem Regis gratam deferens, qua spopondit se, cum diligenter provinciam peragraverit, remissurum quantos in eadem reperturus fuisset numeros captivorum. Pro qua re postmodum S. Lucillus Presbyter destinatus, magnam miserorum copiam ex captivitate revocavit.

Auctore Eugippio.

i

Diacono cuidam apparet.

a Noricum mediterraneum *interpretatur Velserus, quoties non additur* Ripense. b Ms. *Belfortii*, populos.

c *Sur.* Tigurina, *Lazio* Tiberina, *et* Tiberia. *Quidam* Ratisponam, *sive* Reginoburgum *interpretantur, parum probabiliter, cum Eugippii ætate* Tiburnia *Norici metropolis esset,* Reginoburgum *Rætiæ secundæ civitas, Aventinus S.* Viti in Carinthia, *oppidum facit, aitque isthic* Tiburniæ *vestigia extare. Apud Ptolemæum civitas Norici est* τευρνία. *Fortassis* τευσυρνία *pro* Teburnia *vel* Tiburnia *scriptum fuit.* Villach *oppidum ad Dravum esse censet Cluverius. Velserus vocem* Tiburnia *suspectam habet: extabat ea in* Ms. *Belfortii, et retinetur a Braunero.* Teurnia *inter oppida Norici recensetur et a Plinio lib.* 3, *c.* 24.

d *Alii* Laureacum *scribunt. Vicus nunc esse exiguus dicitur sub mœnibus Ensii oppidi, vetusto etiamnum nomine* Lorch. Lauriaci *meminit Antoninus in Itinerario, et Notitia Imperii, quæ* Præfectum legionis secundæ *isthic collocat, ac deinde et* Præfectum classis Lauriacensis *nominat. M. Aurelii, aut potius Aureliani opus censet Velser.* 3, *Boicar.*

e *De eo egimus* VII *Januarii ad* S. Valentini *vitam, rectius* Batava *Noticia Imper. sub Duce Rætiæ:* Tribunus cohortis novæ Batavorum, Batavis.

f *Eorum tunc validæ res in Germania magna, e qua in Rætiam quoque progressi, imo et Belgicam, ubi memorabili prælio paullo post domiti a Clodovæo Francorum Rege ad Tolpiacum oppidum ann. Christi* 496. g *Radero* Gibaldus.

h *Hinc colligas Aventini malam fidem, qui simulasse solum, se Severini visendi caussa venire, Gibuldum scribit.*

i Ms. *Belfortii* Lucellus. *Laxius Episcopum facit Batavensem; inde Fabianensem, sine auctore. Aventinus* D. Lucilium Episcopum *vocat.*

CAPUT VII.

Varia divino spiritu prædicit.

Per id tempus quo Romanum constabat imperium, multorum milites oppidorum pro custodia limitis publicis stipendiis alebantur. Qua consuetudine desinente, simul militares turmæ sunt deletæ; cum limite Batavino utcumque numero perdurante, ex eo perrexerunt quidam ad Italiam, *a* extremum stipendium commilitonibus allaturi, quos in itinere peremptos a barbaris nullus agnoverat. Quadam ergo die dum in sua cellula legeret S. Severinus, subito clauso codice, cum magno cœpit lacrymare suspirio, astantes juvenes jussit ad fluvium properanter excurrere, quem in illa hora humano firmabat cruore respergi, statimque nuntiatum est, corpora præfatorum militum fluminis impetu ad terram fuisse delata.

a

Eadem militum absens cognoscit.

29 *b* Paulinus quidam Presbyter ad S. Severinum fama ejus latius percurrente pervenerat: hic in consortio beati viri diebus aliquot remoratus, cum redire vellet, audivit ab eo: Venerabilis Presbyter festina, quia cito dilectionem tuam, populorum desideriis, ut credimus, obluctantem, dignitas Episcopatus ornabit. Mox remeante ad patriam, sermo in eo prædicentis impletus est. Nam cives Tiburniæ, quæ est metropolis Norici, coegerunt prædictum virum summi sacerdotii suscipere principatum.

b

Paulino Episcopatum prædicit.

30 Basilicæ extra muros oppidi Batavini, in loco nominec Boitro trans Oenum fluvium constitutæ, ubi cellulam paucis monachis ipse construxerat, Martyrum reliquiæ quærebantur. Ingerentibus ergo se Presbyteris

c

Cladem Passavio inferendam prænuntiat.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

AUCTORE EUGIPPIO.

sbyteris ut mitterentur ad sanctuaria deferenda, hæc B. Severinus monita proferebat : Quamvis cuncta mortalium opere constructa pereant, hæc tamen ædificia præ ceteris celerrime relinquenda sunt; et ideo pro reliquiis Sanctorum nullum laborem debere suscipere, quia ultro. S. Joannis eis benedictio deferetur. Interea beatum virum cives oppidi memorati supplici-
d ter adierunt, ut pergeret ad *d* Favianam Rugorum Principem, mercandi eis licentiam postularet. Quibus ipse : Tempus, inquit, hujus oppidi appropinquavit, ut desertum, sicut cetera priora castella cultore destituta, remaneat. Quid ergo necesse est locis mercimonia providere, ubi ultra non poterit apparere mercator? Respondentibus illis, non se debere contemni, sed consueto sublevari regimine; quidam Presbyter hæc diabolico spiritu repletus adjecit : Perge, quæso, Sancte, perge velociter, ut tuo discessu parumper a jejuniis et vigiliis quiescamus. Quo dicto, vir Dei lacrymis urgebatur ingentibus, quod in ridiculam vanitatem cunctis audientibus Sacerdos eruperat. Aperta namque scurrilitas latentium est testificatio delictorum. Sanctus itaque, vir cur ita fleret interrogatus a fratribus; Video, inquit, plagam gravissimam nobis absentibus huic loco protinus eventuram; et Christi sacraria (quod non sine gemitu cogor exprimere,) humano sanguine redundabunt, in tantum, ut etiam locus iste violandus sit, nam in baptisterio loquebantur: Ad antiquum itaque et omnibus majus monasterium suum, juxta muros oppidi Favia-
e nis, quod *e* centum et ultra millibus aberat, Danubii navigationibus descendebat. Mox igitur eo discede-
f dente *f* Chunimundus paucis barbaris comitatus, oppidum, ut Sanctus prædixerat, Batavis invasit; ac pene cunctis mansoribus in messe detentis, quadraginta viros oppidi, qui ad custodiam remanserant, interemit.
g *g* Presbyterum quoque illum, qui tam sacrilege contra famulum Christi in baptisterio fuerat elocutus, ad eundem locum confugientem, insequentes barbari peremerunt. Frustra enim illuc offenso Deo veritatis inimicus accessit, ubi tam impudenter excesserat.

S. Joannis reliquias mirabiliter nanciscitur.

31 Igitur sanctissimus Severinus dum in monasterio Favianis Evangelium legeret, oratione completa consurgens, scapham sibi illico jubet præparari, et mirantibus his qui aderant, ait : Sit nomen domini benedictum, reliquiis beatorum Martyrum oportet nos occurrere. Nec mora : transmeant Danubium, inveniunt hominem considentem in ripa ulteriore fluminis, ac multis eos precibus postulantem, ut ad servum Dei, ad quem fama vulgante olim venire cuperet, duceretur. Mox itaque ei Christi servo demonstrato, suppliciter S. Joannis Baptistæ reliquias obtulit, multis apud se servatas temporibus. Quas Dei servus debita veneratione suscipiens, basilicam S. Joannis, sicut prædixerat, ultronea benedictione collata, sacravit officio Sacerdotum.

h 32 Ad habitatores præterea oppidi quod *h* Jopia
i vocabatur, *i* septuaginta et amplius a Batavis millibus disparatum, solita vir Dei revelatione commonitus, Moderatum nomine, cantorem Ecclesiæ destinavit, præcipiens ut habitationem loci illius omnes sine cunctatione relinquerent, mox enim perituros fore si contemnerent imperata. Aliis ergo de tanto præsagio dubitantibus, aliis non credentibus prorsus, iterum
k misit *k* Quintasium quemdam, cui lacrymans ait : Perge velocius, denuntians eis, si in hac nocte remanserint, sine dilatione capientur. Sanctum quoque
l *l* Maximum spiritualis vitæ Presbyterum instantius imperat admoneri, ut saltem ipse contemptoribus derelictis, properaret a cœlesti misericordia liberari; de quo sibi Dei famulus magnam dicebat inesse mœstitiam, ne forte salutiferum differendo mandatum, imminenti subjaceret exitio. Prædictus itaque pergens imperata supplevit, et reliquis incredulitate nutantibus, nuntius viri Dei Presbytero retinenti se, atque hospitalitatem præbere cupienti, nullatenus acquievit. Qua nocte *m* Heruli insperate protinus irruentes, oppidumque vastantes, plurimos duxere captivos, Presbyterum vero memoratum patibulo suspenderunt *n*. Quo audito servus Dei graviter doluit prænonitos non curasse.

Salisburgenses monet ut fugiant.

Negligentes ab Herulis oppressi.

m

n

33 Deinde quidam de Norico, *o* Maximinus nomine, servum Dei frequentare solitus erat. Et cum pro familiaritate, quam meruerat, in monasterio sancti viri diebus aliquot moraretur, ejus informatur oraculis patriam suam grave repente exitium subituram. Qui acceptis litteris ad S. Paulinum Episcopum designatis, remeavit instantius. Igitur memoratus Antistes litterarum tenore perstructus, universas diœceses cive castella, scriptis propriis vehementer admonuit, ut triduano jejunio, quod litteræ viri Dei signaverant, exitio venturæ cladis occurrerent. Quibus jussa complentibus, terminato jejunio ecce Alamannorum copiosissima multitudo feraliter cuncta vastavit. Castella vero nullum sensere periculum, quæ lorica fidelis jejunii, et laudanda cordis humilitas adversus hostium ferociam fidenter armaverat.

o

Hostium incursus prædicti : jejunio propulsati.

a *S. Augustinus lib.* 18, *de civitate Dei, c.* 18, caballum se scilicet factum, annonam inter alia jumenta bajulasse militibus, quæ dicitur retica, quoniam ad retia deportatur; *Vives :* Retia et reticulum genus est sacculi, quo viatores panem, carnes, et poma gestare consueverant. *At Velserus legit :* quæ dicitur Rætica, quoniam ad Rætias deportatur; *putatque stipendium eadem opera delatum. Et sane de Italia isthic Augustino est sermo.*

b *Ab hoc Paulino Episcoporum suorum catalogum auspicabatur Reginoburgenses. Primus id scripsisse fertur Conradus de monte puellarum. Refutat id Velserus, assentiente Radero nostro. Patet ex iis quæ ad cap.* 6 *dicta sunt.*

c *Laz.* Boiotro. *Is locus esse videtur, quem Ptolemæus* Boiodurum *vocat tab.* 5, *Europæ, cap.* 14, *et Vindelicix adscribit, cum inter* Batava *et* Boiodorum *Oenus fluat Norici et Vindelicix limes. Antoninus et Notit. Imp.* Boiodorum, *Tabula Peutingeriana* Bolodorum. Instat *hodie vocatur, quasi* Oeni civitatem *dicas. Est isthic fluviolus,* Boiter, *sive* Boitra, *qui vetustum nomen retinet : visitur isthic ecclesia* S. Severino *sacra, quæ cellæ, cujus hic mentio fit, memoriam servat.* d Favam *videtur legendum.*

e *Censentur inter Passavium et Viennam circiter* 40 *milliaria Germanica.*

f *Jornandi* Hunimundus, *Belfortio* Humibundus. *Suevorum Rex erat.*

g *Aventinus Episcopum facit, ejusque jocum antea in Sanctum conjectum ita exponit, aut depravat potius :* Abi sane quo vis gentium, *inquit,* nam si diutius hic manseris, inedia omnibus nobis, quemadmodum minitaris, pereumdem est.

h *Aventinus, Hundius aliique* Juvavia *legunt, quæ nunc Salisburgum* ms. *Belf.* Lubianum. *Rad.* Topia.

i Ms. *Belf.* viginti. k *Belf. Quintarium.*

l *Belf.* Maximianum. *Laxius et Aventinus, sine tabulis et testibus, Episcopum faciunt. Raderus tom.* 1, *Bavariæ sanctæ* Sanctum *et* Martyrem *vocat.*

m *Laxius hanc irruptionem tribuit Alemannis; Aventinus Herulis, Alemannis, aliisque Germanorum nationibus. Meminit Paulus Diac. lib.* 1, *cap.* 20. *Rodulfi Herulorum Regis, et cap.* 9, *inter populos Odoacri parentes recenset* Herulos. *Braunerus hanc Juvaviæ direptionem Odoacri adscribit.*

n *Addit Aventinus :* Amplius quinquaginta quinque cum ipso symmystas contrucidant, e rumpiumque cavernis, quo fugerant, sicut adhuc monstratur, præcipites agunt. Humati esse referuntur in æde D. Amandi, quæ nunc est D. Margaritæ. *Agit de his quoque Bruschius in Palavia, aitque cavernas illas etiammum Salisburgi apud S. Petrum ostendi. Consentit Braunerus, ut supra diximus.* o *Idem infra* Maximus *appellatur.*

CAPUT VIII.

Periclitantibus, ægris, egenis subvenit.

Post hæc leprosus quidam Mediolanensis territorii, ad S. Severinum, fama ejus invitante, perrexerat : hunc sanitatum remedia implorantem suppliciter, monachis suis indicto jejunio commendavit, qui continuo Dei gratia mundatus est. Cumque recepta sanitate redire suaderetur ad patriam suam, prostravit se pedibus sancti viri, petens ne ulterius ad sua redire cogeretur, cupiens scilicet ut lepram quoque peccatorum, sicut carnis, effugeret, vitamque in eodem loco fine laudabili terminaret. Cujus animum religiosum vir Dei vehementer admirans, paucis monachis paterna jussione præcepit, frequentatis cum eo jejuniis in oratione continua permanere, ut Dominus ei quæ essent opportuna concederet. Tantis itaque remediis

Leprosum mundat.

remediis præmunitus, intra duorum mensium spatium vitæ mortalis est compedibus absolutus.

Romanis victoriam obtinet.

35 Eodem tempore mansores oppidi Quintanensis, creberrimis Alamannorum incursionibus defessi, sedes proprias relinquentes, in Batavis oppidum migraverunt. Sed non latuit eosdem barbaros confugium prædictorum : qua caussa plus inflammati sunt, credentes duorum populos oppidorum uno impetu prædarentur. Sed B. Severinus orationi fortius incubans, Romanos exemplis salutaribus multipliciter hortabatur, prænuntians hostes quidem præsentis Dei auxilio superandos, sed post victoriam eos qui contemnerent ejus monita perituros. Igitur Romani omnes sancti viri prædictione firmati, spe promissæ victoriæ adversus Alamannos instruxerunt aciem, non tam materialibus armis, quam sancti viri orationibus præmuniti. Qua congressione victis ac fugientibus Alamannis, vir Dei ita victores alloquitur : Filii, ne vestris viribus palmam præsentis certaminis imputetis, scientes vos Dei, nunc præsidio liberatos, ut hinc parvo intervallo temporis, quasi quibusdam concessis induciis, discedatis. Mecum itaque ad oppidum Lauriacum congregati descendite. Hæc homo Dei plenus pietate commonuit. Sed Batavinis genitale solum relinquere dubitantibus, sic adjecit : Quamvis et illud oppidum, quo pergimus, ingruente barbarie sit quantocyus relinquendum, hinc tamen nunc pariter discedamus. Talia commonentem secuti sunt plurimi, quidam reperti sunt contumaces, nec defuit contemptoribus gladius inimici. Quicumque enim ibidem contra hominis Dei interdictum manserunt *a* Thuringis irruentibus in eadem hebdomade alii quidem trucidati, alii in captivitatem deducti, pœnas dedere contemptus.

Iterum cladem Passavii prædicit.

a

36 Igitur post excidium oppidorum in superiore parte Danubii, omnem populum in Lauriacum oppidum transmigrantem, qui S. Severini monitis paruerant, assiduis hortationibus præstruebat, ne in sua virtute confiderent, sed orationibus et jejuniis atque eleemosynis insistentes, armis potius spiritualibus munirentur. Præterea vir Dei quadam die cunctos pauperes in una basilica statuit congregari, oleum prout poscebat ratio largiturus; quam speciem in illis locis difficillimam negotiatorum tantum deferebat advectio. Igitur tamquam benedictionis accipiendæ gratia major egenorum turba confluxit, pretiosum quippe ibidem hujus liquoris alimentum auxit turbam numerumque poscentium. Tunc Beatus oratione completa, signoque crucis expresso, solitum sibi scripturæ sanctæ sermonem cunctis audientibus exprimens ait : Sit nomen Domini benedictum. Tunc cœpit oleum propria manu ministris implere portantibus, imitatus servus fidelis Dominum suum, qui non ministrari venerat, sed potius ministrare, sequensque vestigia Salvatoris, gaudebat augeri materiam, quam officio dexteræ sinistra nesciente fundebat. Completis itaque vasculis pauperum, nihil minuebatur in manibus ministrantium. Tantum igitur Dei beneficium dum circumstantes tacite mirarentur, unus eorum cui nomen erat *b* Biennius magno timore perterritus exclamavit dicens : Domine mi, crescit hic cacabus olei, et in modum fontis exundat. Sic liquor ille gratissimus, prodita virtute, subtractus est. Cui statim Christi famulus exclamans ait : Quid fecisti frater? Obstruxisti commoda plurimorum : ignoscat tibi Dominus Jesus Christus. Sic aliquando mulier vidua debitis onerata, Helisæi Prophetæ jussis instruitur, ex olei stilla quam habebat vasa replere quam plurima. Quod cum fecisset, et adhuc vasa a filiis deposceret, ubi audivit numerum defecisse vasorum, mox stetit oleum.

Oleum pauperibus elargitur.

Id non deficit, nisi prodito miraculo.

b

37 Per idem tempus Maximus Noricensis, cujus fecimus superius mentionem, fidei calore succensus, media hyeme, qua regionis illius itinera gelu torpente clauduntur, ad B. Severinum audaci temeritate, vel magis, ut postea claruit, intrepida devotione venire contendit; conductis plurimis comitibus, qui collo suo vestes captivis et pauperibus profuturas, quas Noricorum religiosa collatio congregaverat, bajularent; itaque provecti *c* ad summa Alpium cacumina pervenerunt, ubi per totam noctem nix tanta confluxit, ut eos magnæ arboris protectione vallatos, velut ingens fovea demersos includeret. Et cum de vita sua penitus desperarent, vidit ductor comitum per soporem in effigie virum Dei stantem ac dicentem sibi : Nolite timere, pergite quo cœpistis. Hac vero revelatione protinus animati, cum cœpissent etiam fide magis quam gressibus proficisci, subito divino nutu ingentis formæ ursus e latere veniens viam monstraturus apparuit, qui se tempore hyemis speluncis abditare consuevit, et mox cupitum reserat iter, et per ducenta fere millia non ad sinistram devians non ad dexteram, viam demonstravit optabilem. Tanta enim eos intercapedine præcedebat, quanta *d* regente vestigio semitam præpararet. Itaque progrediens bestia per eremi vastitatem, viros qui egenis deferebant solatia non reliquit, sed usque ad habitacula hominum qua potuit humanitate perduxit, et mox in unam partem officio divertit expleto; ostendens tanto ducatus officio, quid homines hominibus præstare debeant, quantumque caritatis impendere, cum desperantibus iter bestia sæva monstraverit. Igitur cum servo Dei nuntiarentur qui venerant, ait : Sit nomen Domini benedictum. Ingrediantur quibus viam qua venirent ursus aperuit. Quo audito illi stupore repleti; mirabantur enim virum Dei referre id quod in absentia provenerat.

AUCTORE EUGIPPIO.

c

In via periclitantibus apparet :

d

Is ursus viam ostendit.

a *Velserus*, Turcilingis *mavult, qui haud inde procul colebant, Odoacri parentes.*

b Ms. *Belf.* sapientissimus.

c *Hinc sane patet* Paulinum, *hujus* Maximi, *sive* Maximini, *ut num.* 33, *dicitur, Episcopum, non fuisse Reginoburgensem; nec* Tiburniam *esse* Reginoburgum. d *Belf.* recenti.

CAPUT IX.

Multis contra hostes præsidio est; barbaris venerabilis.

Cives item oppidi Lauriaci, et superiorum transfugæ castellorum, ad suspecta loca exploratoribus destinatis, hostes quantum poterant humana sollicitudine præcavebant. Quos servus Dei divinitatis instinctu commonitus, præsaga mente præstruxit, ut omnem paupertatis suæ sufficientiam intra muros concluderent, quatenus inimicorum feralis incursio, nihil humanitatis inveniens, statim fame compulsa immania crudelitatis cœpta desereret. Hæc per *a* triduum contestatus, advesperascente jam die, Valentem nomine, monachum mittens ad S. Constantium ejusdem loci Pontificem, et ad ceteros commanentes : Hac, inquit, nocte dispositis per muros ex more vigiliis districtius excubate, supervenientis hostis caventes insidias. At illi nihil adversi per exploratores sentire se penitus affirmabant. Sed Christi præco prædmonere non desinens, dubitantibus voce magna clamabat, eadem nocte eos asserens capiendos, nisi imperiis fideliter obedirent, sæpius repetens : Me, inquit, lapidate si mentitus fuero. Itaque tandem aliquando muris invigilare compulsi, expleta consueti operis in noctis principio psalmodia, cum celeberrimo cœpissent vigilare concursu, acervus fœni cominus positus, ex facula bajuli nolentis accensus, lumen non incendium reddidit civitati. Qua occasione vociferantibus cunctis, hostes silvarum occultatione morantes, subito splendore clamoreque perterriti, putantes se prœcognitos, quieverunt, ac mane facto circumdantes civitatem et ubique discurrentes, cum nihil victualium reperissent, diripuerunt animalium gregem cujusdam hominis, qui servo Dei prædicente contumax sua tutari contempserat, et recesserunt. Illis autem abeuntibus

Hostium adventum prænuntiat, vigeque ad vigilandum.

a

AUCTORE EUGIPPIO.

abeuntibus cives portis egressi, haud procul a muris scalas jacentes inveniunt, quas ad urbis excidium præparatas barbari vigilantium clamore turbati in nocte jactaverant. Quapropter memorati cives veniam a Christi famulo precabantur humiliter, confitentes corda sua lapidibus esse duriora, qui rebus præsentibus agnoverunt in sancto viro gratiam viguisse propheticam; atque in uno impetuisset plebs inobediens universa captiva, nisi eam liberam viri Dei consueta conservasset oratio, Jacobo Apostolo protestante: Multum, inquit, valet deprecatio justi assidua. Jac. 5. 16.

39 Feletheus Rugorum Rex, qui et Fava, audiens cunctorum reliquias oppidorum, quæ barbaricos evaserant gladios, Lauriacum se per Dei famulum contulisse, assumpto veniebat exercitu, cogitans repente detentos abducere, et in oppidis sibi tributariis atque vicinis, (ex quibus unum erat *b* Favianis) quæ a Rugis tantummodo dirimebantur Danubio, collocare. Quamobrem graviter universi turbati, S. Severinum adiere suppliciter, ut in occursum Regis egrediens, ejus animum mitigaret. Cui tota nocte festinans, in vicesimo ab urbe milliario matutinus occurrit. Rex ergo adventum ejus protinus expavescens, testabatur illius se fatigatione plurimum prægravatum, caussam repentinæ cursionis inquirit. Cui servus Dei, Pax tibi, inquit, Rex optime: Christi legatus advenio, subditis veniam precaturus. Recole gratiam, divina beneficia recordare, quibus pater tuus se frequenter sensit adjutum. Nam cunctis regni sui temporibus nihil me inconsulto gerere præsumebat. Qui monitis non resistens salutaribus, crebris prosperitatibus recognovit, quanti valeret obedientis animus, quantumque triumphatoribus prosit, suis non tumere victoriis. Et Rex inquit: Hunc populum pro quo benivolus precator accedis, non patiar Alamannorum aut *c* Thuringorum iniquorum sæva deprædatione vastari, vel gladio trucidari, aut in servitium redigi, cum sint nobis oppida et castella in quibus debeant ordinari. Cui servus Christi constanter ita respondit: Numquid arcu tuo et gladio homines isti a prædonum vastatione creberrima sunt erepti, et non potius Dei munere, ut tibi paullisper obsequi valeant, reservati? Nunc ergo, Rex optime, consilium meum ne respuas, fidei meæ hos committe subjectos, ne tanti exercitus compulsione vastentur potius quam migrentur. Confido enim in Domino meo, quod ipse qui me fecit horum calamitatibus interesse, in ducendis eis idoneum faciet promissorum. His auditis Rex modestis allegationibus mitigatus, cum suo remeavit exercitu. Igitur Romani quos in sua S. Severinus fide susceperat, discedentes de Lauriaco pacificis dispositionibus, benivola cum Rugis societate vixerunt. Ipse vero Favianis degens in antiquo suo monasterio, nec admonere populos, nec prædicere futura cessabat, asserens universos in Romani soli provinciam absque ullo libertatis migraturos incommodo.

b *Feletheo persuadet ne Romanos in sua oppida abducat.*

c

Futura multis prædicit.

40 Iisdem temporibus Odobagar Rex S. Severino familiares litteras dirigens, si qua speranda duceret, dabat suppliciter optionem, memor illius præsagii quo eum expresserat quondam regnaturum. Tantis itaque Sanctus alloquiis invitatus, Ambrosium quendam exulantem rogat absolvi. Cujus Odobagar gratulabundus paruit imperatis. Quodam etiam tempore dum memoratum Regem multi nobiles coram sancto viro humana, ut fieri solet, adulatione laudarent, interrogat quem Regem tantis præconiis prætulissent? Respondentibus Odobagarum Regem. Odobagar, inquit, integer inter tredecim et quatuordecim annos, videlicet integros regnabit; finem vero regni ejus significans; *d* et his dictis adjecit, citius illos quod ipse prædixerat probaturos.

Ab Odoacre litteras accipit.

Prædicit quot annis sit regnaturus.

d

a Ms. *Belf.* quatriduum.

b *Non tamen hinc sequitur, quod scripsit Lazius, regiam isthic fuisse Rugorum, qui adhuc trans Danubium habitabant, sed Norici oppida aliqua vel habebant tributaria, vel ea pacto stipendio tuebantur contra alios barbaros.*

c *Velserus mavult* Turcilingorum.

d *Hic aliquiddcesse suspicatur Velserus.*

CAPUT X.

Ægritudines curat: pericula prædicit et depellit.

Ab oppidaneis Comagenensibus, apud quos primum quondam innotuerat B. Severinus, suppliciter rogatus advenit. Cujus comperta præsentia, unus ex optimatibus Felethei Regis filium suum adolescentem diuturno languore vexatum, cui jam parabat exequias, transjecto Danubio pedibus ejus projecit, et lacrymans: Credo, inquit, homo Dei, te filio meo velocem impetrare divinitus posse sanitatem. Tunc data oratione, qui semivivus allatus fuerat, statim patre mirante surrexit, et perfecta protinus revertitur sanitate.

Pæne depositum sanat.

42 Elephantiosus quidam, *a* Telo nomine, de longinquis regionibus S. Severini invitatus virtutibus venit, rogans ejus orationibus mundari. Accepto itaque ex more præcepto, jubetur Deum totius gratiæ largitorem sine cessatione lacrymabiliter exorare. Quid plura? precibus beati viri idem leprosus divina opitulatione mundatus, dum commutat mores in melius, mutare meruit et colorem, Regis æterni magnalia tam suis quam plurimorum vocibus longe lateque denuntians.

a *Leprosum mundat.*

43 *b* Bonosus quoque monachus B. Severini, barbarus genere, qui responsis ejus inhærebat, oculorum imbecillitate plurimum prægravatus, medelam sibi præstari ejus oratione poscebat, ægre ferens adventitios et externos salutaris gratiæ sentire præsidia, sibique nullam remediorum opem aliquatenus exhiberi. Cui servus Dei: Non tibi, inquit, expedit fili corporeis luminibus aciem habere perspicuam, et exterioris oculi clarum præferre conspectum: ora magis ut obtutus vegetetur interior. Talibus ergo monitis informatus, dedit operam corde magis videre quam corpore, meruitque absque ullo fastidio mirabiliter in orationis perfici jugitate continuus, et per quadraginta fere annos in monasterii excubiis perseverans, eodem quo conversus est fidei calore transivit ad Dominum.

b *Quibusdam sanitas perniciosa est.*

44 In loco *c* Boitro superius memorato, quosdam tres monachos sui monasterii doctor humilis superbiæ fœditate respersos, dum pro suis singulos excessibus increpatos, durare in pernicie comprobasset, oravit ut eos Dominus in adoptionem recipiens filiorum, paterno dignaretur flagello corripere. Prius ergo quam orationem effusis lacrymis terminaret, uno momento iidem monachi dæmone corripiente vexati, contumaciam suam pectorisque fastum, ac superbiam cordis, miserabilibus vocibus fatebantur. Absit ut cuiquam hoc crudele videatur aut noxium, quia traditi sunt hujusmodi Satanæ in interitum carnis, sicut beatus docet Apostolus, ut spiritus salvus sit in die nostri Jesu Christi; *d* cum B. Ambrosius Mediolanensis Episcopus servum Stiliconis, auctorem falsarum epistolarum deprehensum, dixerit oportere tradi Satanæ, ne talia imposterum auderet admittere; quem eodem momento, cum adhuc sermo esset in ore Sacerdotis, spiritus immundus arreptum cœpit discerpere. *e* Severus quoque Sulpitius refert ex relatione Posthumiani, virum quendam magnis virtutibus signisque mirabilem, ad expellendam de corde suo jactantiæ vanitatem quam incurrerat, exorasse ut permissa in se mensibus quinque diaboli potestate, similis his fieret quos ipse curaverat. Idem post pauca: Itaque correptus a dæmone, tentus in vinculis, omnia quæ energumeni ferre solent perpessus; quinto demum mense curatus est, non tantum a dæmone, sed quod illi erat utilius atque optatius, ab elationis

c *Tres superbi monachi corripiuntur a dæmone, ipso orante:*

1. Cor. 5. 5.

d

e

elationis vanitate. Prædictos itaque monachos vir Dei delegatos fratribus per dies quadraginta arduis abstinentiæ remediis mancipavit. Quibus expletis, data super eos oratione, a potestate dæmonis eruit, nec solum corporis sanitatem, sed et mentis impertit. Quo facto sancto viro reverentiæ terror accrevit, et ceteros major disciplinæ metus obtinuit.

Eos liberat.

43 Marcianum monachum, qui postea Presbyter ante nos monasterio præfuit, ad Noricum cum Renato fratre direxerat. Et cum dies tertius laberetur, ait fratribus: Orate carissimi, quia gravis hac hora Marcianum tribulatio comprimit et Renatum, de qua tamen citius Christi liberabuntur auxilio. Tunc monachi, quæ ab eo dicta sunt protinus annotantes, illis post menses plurimos redeuntibus, diem horamque periculi qua barbaros evaserant indicantibus, sicut signaverant approbaverunt.

Suorum periculum divinitus cognoscit, et propulsat.

46 Item beatissimus Severinus monacho, Urso nomine, repente præcepit quadraginta dierum districtiore jejunio, venturæ calamitati, abstinentia ciborum et lamentis occurrere, dicens: Imminet tibi corporale periculum, quod Dei præsidio parvi panis et aquæ remediis expiabis. Quadragesimo itaque die mortifera papula in brachio jejunantis apparuit, quam mox ad ipsum ingressus suppliciter demonstravit. Cui Sanctus Dei famulus: Noli metuere prænuntiatum tibi ante dies quadraginta discrimen, statimque propria manu signo crucis obducto, mirantibus qui aderant papula lethalis evanuit. Hoc unum de domesticis sanitatibus narrasse sufficiat, prolixi operis fastidium declinando. Nam sæpius suorum ægritudines monachorum Christo sibi revelante prænuntians, iisdem quibus prævidebat muneribus et sanabat.

Prædicit morbos suorum, et sanat.

47 A discipulorum suorum quoque cellula spiritualis doctor non longius habitabat, in orationibus et abstinentia jugiter perseverans, cum quibus tamen matutinas orationes, et propriam noctis principio psalmodiam solemniter adimplebat; reliqua vero orationum tempora, in parvo complebat oratorio, quo manebat. In quibus sæpe cœlestibus informabatur oraculis, multa futura per Dei gratiam prædicabat, multorum etiam occulta cognoscens, ut opus erat proferebat in medium, et singulis remedia, prout poscebat modus ægritudinis, providebat. Status ejus unum erat in oratorii pavimento cilicium, omni tempore ipso quo vestiebatur amictu, etiam dum quiesceret, utebatur. Numquam ante solis occasum nisi certa solvit festivitate jejunium. Quadragesimæ vero temporibus una per hebdomadam refectione contentus, æquali vultus hilaritate fulgebat. Aliena quasi propria errata deflens, quibus poterat præsidiis temperabat.

Oratio ejus:

revelationes:

lectus:

jejunia.

a *Sur.* Thegio.
b *Sur.* Bonos. *Pet. de Natal.* Bonus.
c *Sur.* Barotro. *Belf.* Bolotlo, *mendose.*
d *Refert id Paulinus in vita S.* Ambrosii, VII *Decemb.*
e *Dialogo* 1, *cap.* 3. *referturque lib.* 4, *de vitis PP. cap.* 3.

CAPUT XI.

Mortem suam prædicit, suos ac Reges monitis instruit, obit.

Rugorum Regem et Reginam monet moriturus.

Deinde post multos agones et diuturna certamina, cum se B. Severinus de hoc seculo transiturum Domino revelante sensisset, memoratum Rugorum Regem Favam cum uxore ejus crudelissima, nomine Gisa, ad se venire commonuit. Quem cum salutaribus exhortatus esset affatibus, ut ita cum sibi subjectis ageret, quo se jugiter cogitaret pro statu regni sui rationem Domino redditurum, aliisque verbis intrepide monuisset, *a* protenta manu Regis pectus ostendens, Reginam interrogationibus arguebat his; Hanc, inquit, animam, Gisa, an aurum argentumque plus diligis? Cumque illa maritum se diceret cunctis opibus anteferre. Vir Dei sapienter: Ergo, inquit, desine innocentes opprimere, ne illorum afflictio vestram magis dissipet potestatem: etenim tu sæpe mansuetudinem Regis convellis. At illa: Cur, inquit nos sic accipis serve Dei? Cui ipse: Contestor, ait, vos ego humilis, jam profecturus ad Dominum, ut ab iniquis actibus temperantes, piis mores honestetis operibus. Huc usque regnum vestrum auctore Domino prosperatum est, jam ex hoc vos videritis. His monitis Rex cum conjuge sufficienter instructi, valedicentes ei profecti sunt.

a

Auctore Eugippio.

49 Tunc Sanctus non desinebat de suæ migrationis vicinia suos alloqui dulcedine caritatis, quod quidem facere nec ante cessaverat. Scitote, inquit, fratres, sicut filios Israel constat ereptos esse de terra Ægypti, ita cunctum populum terræ hujus, oportet ab injusta barbarorum dominatione liberari. Etenim omnes cum suis facultatibus de his oppidis emigrantes, ad Romanam provinciam absque ulla sui captivitate pervenient. Sed mementote præcepti S. Joseph Patriarchæ, cujus ego vos indignus et infimus attestatione convenio: Visitatione visitabit vos Dominus, et tolletis ossa mea hinc vobiscum, quod non mihi, sed vobis est profuturum. Hæc quippe loca nunc frequentata cultoribus, in tam vastissimam solitudinem redigentur, ut hostes æstimantes auri se copiam reperturos, etiam mortuorum sepulturas effodiant. Cujus vaticinii veritatem eventus rerum præsentium comprobavit. Levari ergo suum corpusculum Pater sanctissimæ probitatis providis argumentis præcepit, ut dum generalis populi transmigratio provenisset, indivisa fratrum, quos adquisierat, congregatio proficiscens, obtentu memoriæ ejus in uno sanctæ societatis vinculo permaneret.

Prædicit Norici vastitatem:

jubet corpus suum in Italiam deportari.

Gen. 50. 24.

50 Diem etiam quo transiturus esset idem B. Severinus e corpore ante duos et amplius annos hac significatione monstravit. Epiphaniorum die, cum sanctus se Lucillus Presbyter Abbatis sui *b* S. Valentini, Rætiarum quondam Episcopi, diem depositionis annua solemnitate in crastinum celebraturum sollicitus intimasset, idem famulus Dei ita respondit: Si B. Valentinus hæc tibi celebranda solemnia delegavit, ego quoque tibi in eodem die vigiliarum mearum studia observanda, migraturus e corpore, derelinquo. In his sermonibus tremefactus, cum se magis, utpote homo decrepitus enixius commendaret, quasi primitus transiturus, adjecit: Hoc erit, sancte Presbyter, quod audisti, nec enim Domini constitutum humana voluntate præteriet.

b

Diem mortis suæ biennio ante prædicit.

51 Præterea cum *c* Fridericus a fratre suo Rugorum Rege Fava ex paucis quæ super ripam Danubii permanserant oppidis unum acciperet Favianis, juxta quod S. Severinus, ut retuli commanebat, et ad eum idem Fridericus ex more salutaturus accederet; cœpit ei miles Christi iter suum enixius indicare, sub contestatione hæc proloquens: Noveris me, inquit, quantocyus ad Dominum profecturum, et idcirco commonitus præcaveto, ne me discedente aliquid horum quæ mihi commissa sunt attaminare pertentes, et substantiam pauperum captivorumque contingas, indignationem Dei, quod absit, tali temeritate sensurus. Sed Fridericus insperata commonitione perculsus: Cur, inquit, hac contestatione confundimur, cum non optemus tantis orbari præsidiis, et sanctæ largitioni tuæ, quæ omnibus nota est, conferre aliquid nos deceat, non auferre, quatenus solita, sicut et pater noster Flaccitheus, tua merear oratione muniri, qui experimento didicit sanctitatis tuæ meritis se fuisse semper adjutum? Et ille: Qualibet, inquit, occasione meam cellulam volueris lædere, et hic statim probabis, et in futuro solves, quam non opto, vindictam. Tunc Fridericus promittens se Christi famuli monita servaturum, remeavit ad propria. Doctor vero dulcissimus non cessabat suos alloqui per momenta discipulos, dicens: Confido de gratia Christi mei Jesu, quia

c

Frederico Regi justitiam commendat.

AUCTORE EUGIPPIO.

quia vobis in opere suo durantibus, et meæ memoriæ pacata societate conjunctis, æternæ vitæ bona tribuet, nec solatia præsentium denegabit.

52 Nonis itaque Januariis cœpit tenuiter lateris dolore pulsari, quo durante per triduum, medio noctis tempore fratres adesse præcepit, quos de corpore suo commonens, et paterna informatione corroborans, instanter ac mirabiliter talia prosecutus, aiebat: Filii in Christo carissimi, scitis quod B. Jacob conditione mortis instante, filios suos adesse præcipiens, propheticæ benedictionis affatibus singulos quosque remunerans, mysteriorum arcana prodidit futurorum. Nos vero infimi ac tepidi, tantæque impares pietati, hanc prærogativam nostris usurpare viribus non audemus, unum tamen quod humilitati congruit non tacebo, mittens vos ad exempla majorum, quorum intuentes exitum conservationis, imitamini fidem. Abraham namque vocatus a Domino, fide obedivit ut exiret in locum quem accepturus erat in possessionem. et exiit nesciens quo venturus esset. Hujus igitur beati Patriarchæ imitamini fidem, imitamini sanctitatem: terrenam despicite patriam, cœlestem semper inquirite. Confido autem in Domino, quod mihi de vobis æterna lucra provenient. Video enim vos gaudium meum fervore spiritus ampliasse, amare justitiam, fraternæ caritatis vincula diligere, castitati operam dare, humilitatis regulam custodire: hæc, quantum ad hominis spectat intuitum, laudo confidenter et approbo. Sed orate ut quæ humanis aspectibus digna sunt, æternæ discretionis examine firmentur, quia non sicut videt homo videt Deus. Ille siquidem, sicut divinus sermo denuntiat, omnia corda scrutatur, et omnium mentium cogitationes antevenit. Assiduis ergo precibus hoc orate ut oculos cordis vestri Dominus illuminet, eosque, sicut oravit B. Heliseus, aperiat, quo possitis agnoscere quanta nos circumstent adjumenta Sanctorum, quanta fidelibus auxilia præparentur; Deus enim noster supplicibus appropinquat. Non desit militantibus jugis oratio: non pigeat agere pœnitentiam, quos non puduit facinus perpetrare: non pigeat lugere peccantes, si quo modo offensa divini judicii lacrymarum vestrarum inundatione placetur, quia spiritum contribulatum, suum est dignatus vocare sacrificium. Simus igitur corde humiles, mente tranquilli, delicta omnia præcaventes, ac divinorum semper memores mandatorum, scientes non prodesse nobis cum humilitate vestis nomen monachi, vocabulum religionis, speciem pietatis, si circa mandatorum observantiam degeneres inveniamur et reprobi. Mores igitur, filii carissimi, proposito suscepto consentiant: grande nefas est peccata sectari hominem secularem, quanto magis monachos, qui blandimenta sæculi quasi atrocem bestiam fugientes, Christum cunctis affectibus prætulerunt; quorum incessus et habitus virtutis creditur esse documentum? Sed quid vos ultra demoror, filii carissimi, longi sermonis affatu? Superest ut beati Apostoli ultima oratione vos persequar, ita dicentis: Et nunc commendo vos Deo, et verbo gratiæ ejus, qui potens est conservare vos, et dare hereditatem in sanctificationibus. Ipsi gloria et imperium in sæcula sæculorum, Amen.

Monita discipulis data.

Gen. 49.

Rom. 8. 27.

4. Reg. 6.

Act. 20. 32.

Communicat, et cruce se signat.

53 Post hujusmodi igitur ædificationis alloquium, cunctos per ordinem ad osculum suum jussit accedere, et Sacramento communionis accepto fleri se penitus prohibet, totumque corpus signo crucis extenta manu consignans, ut psallerent imperavit. Quibus mœroris effusione cunctantibus, ipse psalmum protulit ad canendum: Laudate Dominum in Sanctis ejus, omnis spiritus laudet Dominum. Sextis itaque Januarii Idibus, nobis vix præ fletu respondentibus, in hoc versiculo quievit in Domino. Quo sepulto, credentes omnimodo seniores nostri quæ de transmigratione prædixerat, sicut et multa alia, infecta præterire non posse, locellum ligneum paraverunt, ut eum prænuntiata populi transmigratio provenisset, prædictoris imperata complerent.

Pie moritur.

a *Staibanus scribit eum Reginæ manum prehendisse, perperam, ut patet.*

b *De eo egimus* VII *Januarii.*

c Ms. *Belf.* Ferdericus. *Vels.* Friderichus.

CAPUT XII.

In Italiam S. Severini corpus transfertur.

Fridericus vero B. Severini morte comperta, pauper et impius, barbara cupiditate semper immanior, vestes pauperibus deputatas, et alia nonnulla credidit auferenda. Cui sceleri sacrilegium, copulans, calicem argenteum, ceteraque altaris ministeria præcepit auferenda. Quæ cum imposita essent sacris altaribus, nec auderet directus villicus ad tale facinus suas manus extendere, quemdam militem, *a* Avicianum nomine, compulit diripere memorata. Qui quamvis invitus præcepta perficiens, mox tamen incessabiliter vexatus omnium membrorum tremore, dæmonio quoque corripitur. Is ergo velociter consilio meliore correxit errata. Suscepto namque professionis sanctæ proposito, in insulæ solitudine armis cælestibus mancipatus, militiæ commutavit officium. Fridericus autem immemor contestationis et præsagii sancti viri, abrasis omnibus monasterii rebus, parietes tantum, quos Danubio non potuit transferre, dimisit. Sed mox in eum ultio denuntiata pervenit; nam intra mensis spatium a Friderico fratris filio interfectus, prædam pariter amisit et vitam. Quapropter Rex Otachar *b* Rugis intulit bellum, quibus etiam devictis, et Friderico fugato, patre quoque Fava capto, eum ad Italiam cum noxia conjuge supra memorata, videlicet Gisa, transmigravit.

Sacra diripiens a dæmone corripitur: fit monachus.

a

Rex sacrilegus punitur.

b

53 Post audiens idem Odachar Fridericum ad propria revertisse, statim fratrem suum misit cum multis exercitibus *c* Aonulphum, ante quem denuo fugiens Fridericus, ad *d* Theodoricum Regem, qui tunc apud *e* Novam civitatem provinciæ Mœsiæ morabatur, profectus est. Aonulphus vero præcepto fratris admonitus, universos jussit ad Italiam migrare Romanos. Tunc omnes incolæ tamquam de domo servitutis Ægyptiæ, ita de quotidiana barbarie frequentissimæ deprædationis educti, S. Severini oracula cognoverunt. Cujus præcepti non immemor venerabilis noster Presbyter Lucillus, dum universi per Comitem *f* Pierium compellerentur exire, præmissa cum monachis vesperæ psalmodia, sepulturæ locum imperat aperiri. Quo patefacto, tantæ nos suavitatis fragrantia omnes circumstantes accepit, ut præ nimio gaudio et admiratione prosterneremur in terram: deinde humaniter æstimantes ossa funeris invenire disjuncta, (nam annus *g* sextus depositionis ejus effluxerat,) integram corporis compagem reperimus. Quo miraculo, immensas gratias retulimus omnium conditori, quia cadaver Sancti, in quo nulla aromata fuerant, nulla manus accesserat condientis, cum barba pariter et capillis usque ad illud tempus permansisset illæsum. Linteaminibus igitur immutatis, in loculo multo jam tempore ante præparato funus includitur, carpentum trahentibus equis mox evehitur, cunctis nobiscum provincialibus idem iter agentibus, qui oppidis super ripam Danubii relictis, per diversas Italiæ regiones varias suæ permigrationis sortiti sunt sedes. Sancti itaque corpusculum ad castellum nomine *h* Montem Feletem multis emensis regionibus opportatum est.

c

d

e

f

S. Severini corpus post 6 annos illæsum, defertur in Italiam.

g

h

56 Per idem tempus multi variis occupatis languoribus, et nonnulli spiritibus immundis oppressi, medelam divinæ gratiæ sine ulla mora senserunt. Tunc et mutus quidam ad id castellum suorum miseratione perductus est, qui dum in oratorium, quo sancti viri corpusculum super carrum positum adhuc permanebat, alacer pervenisset, ac sub eo clauso oris sui ostio in cordis cubiculo supplicaret, illico lingua ejus in orationem

Claret miraculis.

Mutus ejus meritis loquitur.

orationem resoluta, laudem dixit Altissimo. Cumque reversus ad hospitium, quo suscipi consueverat, interrogatus fuisset ex more, nutu signoque pulsatus, et orasse se, et laudem Deo obtulisse clara voce respondit. Quo loquente pavefacti qui eum noverant, ad oratorium cum clamore currentes, sancto Lucillo Presbytero, simulque nobis qui cum illo eramus, ignorantibus quid evenerat indicarunt. Tunc omnes exultantes in gaudio, divinæ clementiæ gratiarum retulimus actiones.

i *Corpus S. Severini in Castello Lucullano magnifice conditum.*

57 Igitur illustris fœmina *i* Barbaria B. Severinum, quem fama vel litteris cum suo quondam jugali optime noverat, religiosa devotione venerata est. Quæ cum post obitum ejus audiens corpusculum Sancti in Italiam multo labore perductum, et usque ad illud tempus terræ nullatenus commendatum, venerabilem Presbyterum nostrum *k* Marcianum, sed et cunctam congregationem litteris frequentibus invitavit. Tunc S. Gelasii Sedis Romanæ Pontificis auctoritate, et Neapolitano populo exequiis reverendis occurente, in castello *l* Lucullano per manus S. Victoris Episcopi, Mausoleo, quod prædicta fœmina condidit, *m* ex parte collocatum est.

k *l* *m*

Multi isthic sanati.

58 Qua celebritate multi languoribus diversis afflicti, quos recensere longum est, receperunt protinus sanitatem. Inter quos quædam venerabilis ancilla Dei, Processa nomine, civis Neapolitana, cum gravissimum ægritudinis pateretur incommodum, sancti funeris provocata virtutibus, in itinere properanter occurrit, ingressa sub vehiculum, quo corpus venerabile portabatur, statim caruit omnium languore membrorum.

n *Cæcus illuminatus.*

59 Tunc et *n* Laodicius quidam cæcus, inopinato psallentis populi clamore perculsus, sollicite suos quid esset interrogat! Respondentibus quod cujusdam sancti Severini corpus transiret; compunctus ad fenestram domus, in qua manebat, se duci rogat, de qua poterat a sanis eminus multitudo psallentium atque vehiculum sancti corporis contemplari. Cumque fenestræ enixius incumberet atque oraret, protinus prospicit sigillatim demonstrans omnes notos atque vicinos. Quo facto, cuncti qui audierant, gratias Deo lacrymantibus gaudiis retulerunt.

o p

60 *o* Marinus quoque Primicerius *p* sanctæ Ecclesiæ Neopolitanæ, cum sanitatem post immanissimum capitis dolorem recipere non posset, caput vehiculo credens apposuit, et mox a dolore liberum sublevavit; memorque illius beneficii, semper in die depositionis ejus occurrens, devotum sacrificium Deo cum gratiarum actione reddebat. Verum multis plura scientibus, sufficiant ista de innumeris, quæ ingressu ejus gesta sunt beneficiorum virtutumque retulisse miracula. Monasterium igitur eodem loco constructum, ad memoriam beati viri hactenus perseverat, cujus meritis multi obsessi a dæmonibus curati sunt, et diversis obstricti languoribus receperunt ac recipiunt, operante Dei gratia, sanitatem, cui est honor et gloria per infinita sæcula sæculorum, Amen.

AUCTORE EUGIPPIO. *Alius dolore capitis liberatus.*

Monasterium S. Severini nomine construitur.

a *Sur.* Avicianum.

b *Id factum an.* 487, Boetio Consule. *Ex iis porro quæ hic narrantur refellitur Irenicus qui lib.* 3 *Exeg. Germ. c.* 14, *Feletheum ait sine liberis defunctum, Gisæ regnum reliquisse: hanc* Subæ *nuptam* Hunulphum *peperisse et* Odoacrem Italiæ Regem.

c *Sur. Brauner. Sigon.* Onulfum. *Aventin.* Anulfum, *Staib.* Mulfum.

d *Hic paullo post, anno nimirum* 489, *Italiam invasit, atque Odoacrem aliquot præliis vicit.*

e *Al.* Novas, *Staib.* Nonas, *mendose. Notitia Imperii plures* Novas *vel ad* Novas *habet. Hæc ad Danubium sita in Moesia inferiore. Credita erat Theodorico tum Moesiæ inferioris et Daciæ Ripensis pars.*

f *Sur. et Staib. Pigerium. Militaris hic fuisse Comes videtur, non ut vult Aventinus, Vindelicæ et Norici Præses.*

g *Migratio hæc contigit post captum an.* 487, *Feletheum ante motum an.* 489 *a Theodorico bellum, ergo* 487, *vel potius* 488. *Unde colligi postest S. Severinum an.* 482, *sexennio nimirum ante esse mortuum; non* 494, *ut scripsit Hundius. Tum quoque S. Antonium, de quo* XXVIII *Decemb. agetur, ex Norico in Italiam migrasse, existimat Braunerus.*

h *Haud satis liquet, quod id castellum fuerit. Est in Venetorum Carnorumque finibus* Feltria *ad* Plavim *flumen urbs Episcopalis, antiqui nominis. An huc S. Severini corpus deportatum? an potius in Umbriam, cujus pars Monte Feltre dicitur inter* Concham *et* Marechiam *flumina, ubi oppidum in edito colle vulgo* S. Leo, *olim* Mons Feratratus, *forte* Feretrus, *Græcis* μόντης φερέντης. *Staibanus ad* Montem Seletum, *Engenius ad* Siletum, *avectas Sancti exuvias scribunt.*

i *Baron.* Barbara.

k *Engen.* Martinum.

l *Situm fuit hoc oppidum, sive castellum, inter Neapolim et Puteolos. Non est vero, ut suspicabatur Velserus, oppidum Picentinorum proxime Nuceriam,* S. Severini *dictum Lucullanum nunc dici* Castellum del Ovo *scribit Cæsar Engenius.*

m *Hæc duo verba,* ex parte, *aberant a* MS. *Belfortii.*

n *Alii* Laodicius.

o *Sur.* Marianus.

p *Addunt Sur. et Belf.* cantorum.

DE TRANSLATIONE S. SEVERINI.

X OCT. AN. CH. CMX. *Tres S. Severini translationes:*

Reliquiæ S. Severini.

Ter reliquiæ sunt S. Severini *translatæ: primum anno* 488, *sexennio ab ejus obitu, ex monasterio quod juxta Fabiana construxerat, in Italiam ad* montem Feletem; *sive is Feltria nunc est, sive oppidum* S. Leonis, *olim* Mons Feretratus, *aut* Feretrus *dictum in Umbria inter Ariminum et Crustuminum, vulgo Marechiam et Concham, amnes; sive* Filetus *vicus Marrucinorum, quem Leander* Falletum *vocat; seu quis alius locus. Eam translationem describit, qui interfuit Eugippius supra cap.* 12, *num.* 55, *uti et secundam quæ post annum Christi* 492, *ante tamen finem anni* 496, *contigit, cum S. Gelasii Pontificis auctoritate ad castrum sive oppidum Lucullanum, quod ad Luculli celeberrimam villam, inter Neapolim ac Puteolos extructum erat, sacra deporta sunt pignora, ac magnifico condita Mausoleo.*

I

II

Monasterium in Lucullano.

2 *Isthic conditum deinceps cœnobium est, cujus meminit S. Gregorius lib.* 2, *ep.* 40, *his verbis:* Mancipia autem si qua de cetero in monasterio S. Severini, vel in alia ecclesia ejusdem castelli de civitate refugerint, *etc. Et lib.* 7, *ep.* 18, *ad Anthemium Subdiaconum, oratorii S. Severini meminit.* Postquam is, *inquit,* qui ad Episcopatum Surentinæ civitatis electus fuerat, aptus nobis visus non est, Amandum Presbyterum oratorii S. Severini, quod in castro Lucullano situm est, elegerunt. *De reliquiis S. Severini agit lib.* 2, *ep.* 38, *ad Petrum subdiaconum Campaniæ:* Quia igitur ecclesiam positam juxta domum Merulanam regione tertia, quam superstitio diu Ariana detinuit, in honorem S. Severini cupimus consecrare; Experientia tua reliquias B. Severini summopere debita cum veneratione transmittat. *Rursumque lib.* 7, *ep.* 85, *Indict.* 2, *ad Fortunatum Episcopum Neapolitanum:* Januaria religiosa femina sanctuaria beatorum Severini Confessoris, et Julianæ Martyris oblata petitione sibi postulat debere concedi; quatenus in eorum nomine oratorium propriis sumptibus constructum possit solemniter consecrari, *etc. Quæ loca de* S. Severino *Abbate accipi debere fatetur Baronius. At si alius erat Neapoli* Severinus *publica veneratione celebris, debuisset sane S. Gregorius utrius mitti sibi, aut Januariæ dari, reliquias vellet, exprimere.*

III *Translatio.* NOT. 126.

3 *Tandem e Lucullano translatæ Neapolim sunt anno Leonis sapientis Imperatoris* 24, *Christi* 910, *ut tradunt Ambrosius Staibanus, et Cæsar Engenius Caracciolus. Nam cum Campaniæ littora varie Saraceni infestarent, veritus Neapolitanus Dux Joannes, ut sustinere eorum impetum Lucullanum posset, id subruit, atque oppidanos Neapolim transtulit. Tum quoque* S. Severini *Neapolim reliquiæ devectæ. Historiam illius translationis scripsit qui aderat, Joannes Diaconus citatus ab Antonio Caracciolo in Notis ad Lupi Pratospatæ Chronicon. Ex eo*

EX VARIIS. NOT. 127.

hausta hæc arbitramur, quæ Staibanus et Engenius recitant: Gregorius itaque Consul, multa super castro Locullano cogitans, super incolis ejus iniit consilium cum Stephano Episcopo, et ceteris habitatoribus suis, *Lucullanum eversum.* ut habitatoribus ejus Neapolim transmigratis, oppidum illud everteretur: cumque decrevissent diem, quo ad id perficiendum universus proficisceretur populus, Joannes venerabilis Abbas monasterii S. Severini Parthenopæ constructi, vir per omnia strenuus, suis efflagitabat precibus, ut corpusculum ejusdem Confessoris non alibi, nisi in suo collocaretur monasterio, ut quatenus congruenter appellatione et ejusdem corpore decoraretur, amplissima esset pietatis honorificentia et salutifera fratrum occursio. Ad hæc Præsul et Consul respondentes dixerunt: Si tibi, Reverendissime Pater, talis tantusque thesaurus cælitus præstitus fuerit, quo pacto reniti audemus? Sin autem, proculdubio tenemus ut non sit ei gratum quoquam transferri, et levari ex Mausoleo, quod illius olim amore Barbaria illustris femina condidit. *Hæc ibi.*

4 *Ne porro piis suis desideriis (ut narrat deinceps Staibanus ex eodem, ut remur, Joanne Diacono) Numen adversaretur, in preces secum suis Joannes dedit, quibus Cælitum sibi precipueque* Severini *patrocinium demererentur. Dicta a Consule dies aderat. Profecti in Lucullanum urbis Primates dirui id jussere. Convenere dein ad* S. Severini *templum: ibi sacris rite procuratis, refodere Divi sepulchrum a Barbaria illustri femina erectum aggressi sunt. Ac primum non sine ingenti omnium admiratione, nihil omnino invenerunt: sed cum altius foderent, corpus* Severini *eruerunt integrum omnino membris distinctum, nervisque et arteriis revinctum, plenumque majestatis, ut omnes incredibilis quidam pietatis sensus pæne exanimaret. Addit Engenius suavissimum inde odorem exhalasse, corpusque ita fuisse integrum ac si ipsa hora esset sepultum. Renuntiari id Abbati jubet Episcopus qui illico isthuc cum suis usitato supplicantium ritu pie psallentibus advolat, ac Divi corpus veneratur. Postridie solemni pompa Episcopo, Consule, atque innumera populi frequentia omnis ordinis atque ætatis comitante, Neapolim deportatum, in* S. Severini *æde subter principem aram collocatur. Tunc ac deinceps plurima patrata sunt a Deo isthic miracula.*

S. Severini corpus integrum inventum:

translatum Neapolim.

Ferrarius correctus.

5 *Hinc corrigas quod Ferrarius scribit in Catalogo SS. Ital.* Inde *(e Lucullano, ut scribit)* Gelasio Summo Pontifice Neapolim in basilicam ejus nomini dicatam delatum magno habetur in honore. *Non enim* Gelasio, *sed vel* Sergio III, vel Anastasio III, *Pontifice actum id est. Cujus fidei sint quæ scribit Crusenius loco supra citato, ipse viderit:* Post mortem etiam S. Severini, *inquit,* sacra lipsana in Italiam ad montem Filetum Lucullanensem fuere delata, nec a confratribus fuere deserta: aliquot enim discipuli eremitæ eadem suæ curæ assumpsere, atque in accessu juxta sanctas reliquias eremitoria construxere, quæ adhuc ab Ordine Eremitarum S. Augustini possidentur. Quamquam postea hæ reliquiæ aliquoties fuerint translatæ, et a nostris ad PP. Benedictinos delatæ.

Templum S. Severino ædificatum.

6 *Quæ deinceps acta, conjicere licet ex iis quæ in historia Translationis S. Sosii (de qua* XXIII *Septemb.) scribit idem Joannes Diaconus:* Post eversionem igitur, *inquit,* Lucullani oppidi, sicut in alio constat libello expressum, cum memoratus Abbas corpus S. Severini meruisset adipisci, cœpit sese omnibus præparare impensis, ut ad honorem ejus, opitulante Deo, basilicam camerato posset ædificare labore: ac pro hoc dum ubique sollicitus investigaret, sicubi tanto operi competentem posset invenire materiem ad Misenate direxit castellum; nam sexaginta evolutos jam pæne per annos ab Ismaelitis erat demolitum oppidum illud, et ad solum usque prostratum.

7 *Monasterium S. Severini, quod Neapoli extat etiamnum, ejusque Ecclesiam prius S. Severini dicta fuisse tradit Engenius a S. Severino Episcopo, qui isthic* sepultus *sit* in loco *uti habetur in vulgato Bedæ martyrologio,* ubi priusquam ad Episcopatum vocaretur conversatus fuerat. *Sed ea verba de* S. Severino Septempedano *videri intelligenda, infra dicemus. Ex tabulis quibusdam an.* 1409, *a Dionysio di Sarno notario signatis, tradit Ecclesiam primo S. Mariæ dictam, tum S. Basilii, S. Benedicti, S. Severini; constructam, aut potius restauratam amplificatamque a Constantino, anno Christi* CCCXXVI, *atque a S. Silvestro consecratam* VIII *die Januarii. Testatur præterea supra antiqui claustri noviter reædificati fores depictam spectari Virginem Deiparam mediam inter* S. Severinum Episcopum, *et Sosium Martyrem; infra* S. Severinum monachum, *et S. Benedictum Abbatem. In veteri quoque basilica tabulam summi altaris exhibere* S. Severinum Episcopum *medium inter SS. Joannem Baptistam et Evangelistam,* Severinum monachum, *ac Sosium Martyrem. In Marmore denique juxta idem majus altare sculptam cerni effigiem Abbatis cujusdam, campanile a se extructum* S. Severino Episcopo *offerentis, cum hac epigraphe:* Anno Domini 1337, Indict. 5, hoc campanarium fieri fecit totum Abbas Petrus de S. Helia, Abbas monasterii S. Viti de Isernia, olim monachus hujus monasterii ad honorem Dei et Virginis Matris, et SS. Severini et Sosii, et ad remissionem suorum peccatorum. *Verum hæc omnia recentiora sunt. Suspicamur appellatum fortassis a quibusdam episcopum, etiam Noricum illum Severinum, uti et de pluribus viris Apostolicis alibi monuimus, qui etsi gradu et ordine Episcopi non essent, tamen populorum pietate Episcopi deinde appellati sunt, vel ita revera sentientium, vel amplioribus titulis humano affectu quos apprime venerarentur extollentium, vel denique sibi gloriosius id fore existimantium, si Episcopos potius, quam solum Sacerdotes nacti essent religionis Magistros. Quid quo non defuere viri eruditi qui vere Episcopum fuisse scripserint? Dionysius Petavius noster, præter eos quos superius citavimus, Rationarii temporum par.* 1, *lib.* 6, *cap.* 19, *ita scribit:* S. Severinus Noricorum Episcopus obiit an. 482, Janu. 8. *Sed pronior errandi occasio fuit postquam Usuardus, qui uspiam et* Severinum *Neapoli coli* 8 *Janu. et coli eodem die* Severinum Victorini fratrem *legerat unicum ratus, scripsit Neapoli coli eo die* Severinum Episcopum Victorini fratrem.

An aliud antea isthic S. Severino Episcopo sacrum.

S. Severinus monachus, etiam Episcopus appellatus.

8 *Nam quod monasterium illud Neapolitanum* S. Severini Episcopi *nomine primum fuisse nuncupatum scribunt Staibanus et Engenius, sed deinceps a* S. Severino *Noricorum Apostolo idem retinuisse nomen, cum isthuc ejus translatæ reliquiæ plurimis illustrarentur miraculis; cujus id antiqui scriptoris auctoritate confirmant? Ex verbis certe Joannis Diaconi citatis videtur colligi ab eodem* S. Severino *fuisse monasterio nomen, etiam priusquam isthuc ejus corpus transferretur; ait enim:* quatenus congruenter appellatione et ejusdem corpore decoraretur. *Cum in oppido Lucullano plurima quotidie cælestia portenta Severini eo advecti meritis ederentur, videtur in ipsa urbe erectum ejus honori templum esse, quod postmodum a Tertullo S. Mauri (de quo* XV *Janu.) parente, ejus patrono traditum ordini S. Benedicti, monasterii isthic extruendi præbuerit opportunitatem. De hoc templo Gordianus in vita S. Placidi, quam* V *octobr. dabimus:* Tertullum æmulatus ad bonum Equitius Senator, obtulit et ipse una cum filio suo Mauro fundum Gentianum cum cella S. Agapiti, et eurtem suam in civitate Neapolitana locatam, cum ecclesia sanctæ virginis Christi Cæciliæ, et S. Severini. *Illa S. Cæciliæ ecclesia jam, ut idem Engenius tradit, sacra est Virginis Dei Matris honori, diciturque* di sancta Palma, *quia sita in platea quæ olim Palmarum cognominata, ut tradit Leo Ostien. Chron. Cassin. lib* 1, *cap.* 39. *Hanc tamen conjecturam, si quis certiora protulerit, haudquaquam tueri mordicus fixum nobis est.*

Templum S. Severini Neapoli quando extructum.

Id S. Benedicto donatum.

9 *Supra januam ecclesiæ S. Severini isthæc leguntur*

marmori

marmori inscripta, teste Engenio : Divis Severino Noricorum in Oriente Apostolo, et Sosio Levitæ B. Januarii Episcopi in passione socio, templum ubi eorum SS. corpora sub altare majori requiescunt : et Apostolico indultu cum oblatione sacra purgantes animæ liberantur. *Ad majus vero altare, sub quo horum Sanctorum condita sunt corpora, hæc leguntur :*

Ejus inscriptio.

Hic duo sancta simul divinaque corpora Patres
Sosius unanimes et Severinus habent.

Plura scribit Engenius de templi ac monasterii magnifico ornatu.

10 *Contigit illa postrema* S. Severini *translatio* x *Octobris, quo die ritu duplici colitur* S. Severinus *in tota diœcesi Neapolitana, ut patet ex Catalogo Sanctorum, quos Decius Carafa tit. SS. Joannis et Pauli Presbyter Cardinalis, Archiepiscopus Neapolitanus, officio de communi celebrari deinceps jussit* III *Septembris* MDCXIX. *Tradit vero idem Antistes in eo catalogo duas olim Neapoli ecclesias nomine* S. Severini *Abbatis ædificatas; primam in Lucullano castro extra urbem a Barbaria matrona (quam* Barbaram *vocat), Eugippio memoratam; alteram intra urbem, quæ sola nunc extet a religiosis monachis Cassinensibus culta ;* inque eam, *inquit,* hac die (x *Octobr.*) translatum fuit sacrum corpus S. Severini, Stephano III, Episcopo Neapolitano concedente. *En quam apposite vir ille maximus conjecturæ nostræ subscribit, non Episcopo, sed Presbytero Severino ædificatam illam fuisse ecclesiam, in quam deinceps est ejus corpus translatum.*

Festum S. Severini Neapoli.

Ex variis.

DE S. SEVERINO EPISC. SEPTEMPEDÆ IN PICENO.

Sec. VI. VIII Januarii. *S. Severinus Septempedanus Episcopus.*

Septempeda Piceni, sive, ut nunc loquimur, Marchiæ Anconitanæ urbs fuit, Ptolemæo in 6 *tabula Europæ, Antonino in Itinerario, aliisque veteribus memorata. Eam* Longobardi, *ut scribit Leander,* solo æquavere. Ex *ejus* ruinis nobile oppidum Sanseverinum ædificatum. *Nomen inditum a* S. Severino *Septempedano olim Antistite. Hunc* VIII *Junii refert Martyrologium Roman. his verbis :* In Piceno S. Severini Episcopi Septempedani. *Quo die nullum Baronii ætate antiquius Martyrologium, quod quidem hactenus viderimus, illius meminit. Ferrarius in Catalogo SS. Ital.* VI *Id. Junii migrasse in cælum scribit : ast in novo Catalogo SS. testatur a Septempedanis* VI *Id. Januarii coli, suspicaturque hunc ipsum esse qui eo die in Romano Martyrologio S. Victorini frater dicitur, sed perperam* Neapoli, *pro* Septempedæ *scriptum esse. Ecclesiæ vero ejus nomine dicatæ consecrationem* VIII *Junii recolunt Septempedani, ut testatur idem Ferrarius.*

2 *Victorinus Martyr, cujus frater fuisse* Severinus *Neapolitanus traditur, celebratur in omnibus Martyrologiis* XV *April. ad aquas Cutylias martyrio coronatus, quod cum SS. Marone et Eutychete S. Flaviam Domitillam confirmare in proposito tuendæ virginitatis crederetur. Atque hunc Amiternini Antistitem suum fuisse putant. Rursum* V *Septembris idem memoratur in Martyrologio Romano et aliis, sed veluti diversus, tamen ad Aquas Cutylias interfectus, cum esset Amiterni Episcopus. Ado eo die* Severini *fratrem vocat, sed manifeste ei quæ Victorini Confessoris sunt tribuit; licet deinde Amiterninum Antistitem creatum velit. Suspicamur* V *Sept. olim S. Victorinum Confessorem, Amiterninum Episcopum, celebratum, qui cum Martyr obiisse, et Severinum fratrem habuisse diceretur, hinc præbita occasio existimandi alium esse a Victorino SS. Nerei, Achillei, Maronis, Eutychetis socio, et a Victorino Confessore. Victorini Confessoris nomen Martyrologio Romano adscriptum* VIII *Junii his verbis :* Camerini S. Victorini Confessoris. *Quod in antiquioribus Baronio martyrologiis non reperimus.* S. Severinum *Victorini Martyris fratrem, alium ab eo quem Victorini Confessoris germanum astruimus, ante Usuardum qui tradiderit, non legimus. Unde libenter Ferrarii conjecturam amplectimur, ita scribentis :* Dum essem Neapoli, ac in tabulis Ecclesiæ Neapolitanæ Severini Episcopi nomen minime descriptum cernerem, diligenter sciscitari a Canonicis aliisque in hujusmodi rebus versatis cœpi, librosque qui de Sanctis Ecclesiæ Neapolitanæ tractant perlegi : tandem me ad Ecclesiam S. Severini contuli, nec quidquam de S. Severino Episcopo, qui Neapolitanus fuerit, scire potui. Severinus enim, qui a Neapolitanis colitur, cuique basilica, in qua corpus ejus asservatur, dicata est, non Episcopus, sed Abbas fuit. Ex quo suspicio mentem meam subiit, nomen Severini Episcopi Neapolitani in Martyrologium alicujus incuria irrepsisse, et uti apud Adonem Acta S. Victorini Martyris cum Actis S. Victorini Confessoris confunduntur; sic Severinum Septempedanum Episcopum, qui, S. Victorini Confessoris germanus fuit, per errorem Neapoli attributum fuisse.

Victorinus ejus frater.

An aliquis Severinus Neapoli Episcopus.

3 *Fatetur quoque Baronius in Notis ad Martyrologium* VIII *Jun. ambiguam et subobscuram de* S. Severino *narrationem esse, propter omnimodam cum* S. Severino *Neapolitano similitudinem. De Victorino Martyre, et Victorino Confessore alibi agemus, et fortassis interea nancisci certiora licebit. Hic solum Martyrologia proferemus. Ado sic scribit* VI *Id. Januarii :* Apud Neapolim Campaniæ, S. Severini Confessoris, fratris beatissimi Victorini clarissimi viri in miraculis. Qui et ipse fratris imitator, post multarum virtutum perpetrationem, sanctitate plenus quievit sepultus in loco, ubi primum abstinentissimus, quam ad Episcopatum vocaretur, conversatus fuerat. *Eadem habet Notkerus; eadem Beda vulgatus.* MSS. *Ecclesiæ S. Lamberti Leodii, et Societatis Jesu Antverpiæ, utrumque Bedæ nomine insignitum :* Neapoli Campaniæ S. Severini Confessoris, fratris beatissimi Victorini clarissimi viri in miraculis. *Addit* MS. *Ecclesiæ S. Mariæ Ultrajecti :* Qui et ipse fratris imitator existens post multarum virtutum insignia, sanctitate plenus in pace quievit. *Quæ, loci dumtaxat mutato nomine (quod facile ob* S. Severinum *Noricorum Apostolum irrepere potuit), S. Severino Septempedano unice quadrant; uti et quæ in veteri Romano habentur :* Neapoli Severini Confessoris Victorini fratris.

Quid de eo antiqua Martyrologia.

4 *Usuardus.* Neapoli Campaniæ Natalis S. Severini Episcopi et Confessoris, fratris beatissimi Victorini Martyris: qui Severinus post multarum virtutum perpetrationem, plenus sanctitate quievit. *Eadem habet Bellinus de Padua. Molanus in duabus posterioribus editionibus ista in Usuardo expunxit :* Episcopi et Confessoris, fratris beatissimi Victorini Martyris. Hunc enim, *inquit in Notis,* Ado habet Nonis Septembris. *At non* Severinum *habet Ado Nonis Septembris, sed Victorinum ejus fratrem. Addit Molanus :* Usuardo addita putarim quæ expunxi, aut ipsum errando duos Severinos confudisse; *Noricorum scilicet Apostolum, et Victorini fratrem. Cum Usuardo convenit Martyrologium Romanum.* MS. *Centulense, Bedæ præferens nomen :* Neapoli Campaniæ S. Severini Episcopi et Confessoris, fratris B. Victorini Martyris. *Subscribunt Romano Martyrologio Maurolycus et Galesinius. Fallitur toto cælo auctor Martyrologii Germanici, dum ita scribit :* Neapoli in Campania Natalis S. Severini Episcopi et Confessoris, qui frater fuit S. Victorini Martyris, et Neapolitanus Episcopus. Venit deinde in Bavariam, ex ædificatoque monasterio cum paucis monachis illic juxta doctrinam Evangelicam vixit, in omni continentia et castitate, in jejuniis et orationibus; obdormivit tandem in Domino.

Quid Usuardus et recentiores.

5 *De*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

EX VARIIS.

5 *De SS.* Severini *et* Victorini *Actis ita scribit Baronius in Notis ad Martyrologium* VIII *Junii* : Horum fratrum Severini et Victorini Acta legimus accepta ab ipsorum Ecclesia, ex quibus novimus hos fratres fuisse uterinos, eremiticamque vitam excoluisse : quorum Victorinus cum aliquando lapsus fuisset, arctioribus se disciplinæ vinculis mancipavit, ac sancto fine quievit : Severinus autem ad regimen Episcopatus assumptus, sanctitate clarus migravit e vita, cujus venerandum corpus ante quadriennium repertum, honorificentius reconditum est. Floruerunt ambo temporibus Justiniani Imp. cum Vigilius Romanæ Ecclesiæ (ut ipsorum Acta testantur) præsideret.

Acta SS. Severini et Victorini :

Eorum nos Acta descripsimus ex MS. *Fuldensis collegii Societatis Jesu, contulimusque cum Bonino Mombritio,* MSS. *Metensi, a Jacobo Sirmondo nobis commodato, S. Maximini Treviris, aliisque. Et sunt quidem ea non ineleganter descripta, et pars, ut apparet, majoris operis de Sanctorum rebus gestis; sed discrepant tamen ab iis quæ citat Baronius, cum in nostris nulla aut* Justiniani *Imper. aut* Vigilii *Papæ mentio fiat. Consentanea his Actis Ado* V *Septembr. memorat, sed quæ de Victorini martyrio subjicit, ea ad alium pertinent Victorinum, de quo* XV *April.*

NOT. 128.

6 *Testatur Ferrarius in Catalogo SS. Ital. ad* V *Julii, S. Philamenæ virginis corpus ne a Gothis inventum discerperetur, in ecclesia cathedrali conditum a* S. Severino *fuisse : quod cum Justiniani ætate consentit. Inde refellas quod Cæsar de Engenio Caracciolus scribit, eodem quo Victorinum Martyrem tempore vixisse alterum in Umbria Victorinum cum* Severino *fratre. Idem Ferrarius inventarum* S. Severini *reliquiarum meminit (quod ex citato Baronii testimonio colligitur accidisse circa an.* 1381), *traditque vitam ejus tribus libris a L. Franco scriptam.*

Ætas.

Inventio S. Severini.

VITA

SS. SEVERINI ET VICTORINI.

Auctore Anonymo, ex veterib. MSS.

a Hucusque nos Patris Hieronymi dicta referentes per interpretem locutos Lector advertat : reliquum opus, ut sermo noster est, vestra caritas libenter audiat. Quæ enim singulis de Sanctis fideli auctore comperimus, in historiam misimus, ne laterent homines quorum Deum non latuerunt virtutes. Primumque a Victorino inchoantes, quem Severini legimus fuisse germanum, ut velut ab optimo fundamento opus nostrum inchoans, ad perfecti ædificii solida tecta consurgat.

SS. Victorinus et Severinus simul virtuti student :

2 Hi post utriusque parentis obitum, se invicem pædagogantes, pari custodia et mutuo obsequio æmulantes, etiam bonis operibus germanitatis vinculo probabiles Deo hostias obtulerunt; Picentinæ accolæ provinciæ, qua vadosus *b* Flusor præterfluit Septempedam. Cum legentes Evangelia venissent ad locum, in quo tentator locuples repercussus est audiens a Deo : Si vis esse perfectus vende omnia, quæ habes et da pauperibus, et habebis thesaurum in cælo, et veni sequere me; ne, ut *c* contristati redeuntes, Domini sequenti sententia ferirentur, facilius camelum transire per foramen acus, quam divitem ingredi in regna cælorum, absolventes se a nexu seculi, omnibus distractis facultatibus, pauperibusque divisis, quorum sciebant esse regna cælorum, nihil sibi præter se invicem relinquentes, expediti post Dominum cucurrerunt, ut merito dicerent : Post te in odorem unguentorum tuorum currimus, possentque cum Petro dicere : Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te. Alter itaque serviens alteri in mutua vice, et æmula caritate, servabat imperium libertas : nihil deerat, cum nihil haberent.

b Matth. 19. 21.

c Ibid. v. 24.

bona sua dant pauperibus.

3 Igitur Victorinus spirans altius, et idipsum quod sibi parebat imperfectum computans, nec satis sibi factum, si alteri liceret in altero; sic germanum allocutus est : Mi frater care, magis jam ex confamulatu Dei quam ex germanitatis vinculo, si ideo vendidimus omnia, ut expediti sequamur Dominum, cur mutua caritate separamur a Deo? Nam cum mihi in te idem, quod tibi in me juris sit, nec mihi deest servitium, nec tibi. Paret alter alteri, dum facio, quod jubes; et quod jubeo, facis; non facimus quod jussit Deus. Sumo indumentum tuum, tu meum : sic geminæ sunt singulæ vestes, cum utrisque suæ communes sint. Eremum peto, quæ perfectos habet. Eumque dictis faciens vale, se de tugurio eliminat, silvas petit vicini montis, quem dicunt *d* Prolacem. Nec defuit habitaculum, quod natura præstiterat : sedit in specu excelsæ rupis, quod subter fluentis aquæ geminum sinuarat abruptum, uni tantum hospitium viro, ut sedens somnum caperet; vel si reciperet alterum, stans oraret. Texit ostiolum vimine, ut ex antro faceret domum. Hic annum perpetim legens, oransque pernoctat, otiosum agens negotium : et cui nullus intercederet, soli se exhibebat Deo.

Victorinus in eremum secedit :

NOT. 129.

d

in specu habitat.

4 Cum hæc antiquus hostis bonorum, solito invidens modo, simulans puellam, seque ad antrum viri velut oberraret, applicuit, et sic humili voce obsidens, ut expugnaret, verba cum gemitu dedit : Heu me miseram, quoniam per diversa trahor silvarum errore et tenebris vaga! Nec locus agnoscitur, et iter quæritur, et aviis impedimur. Quisquis es istius dominus loci proculdubio pararis, cui cælum undique et undique silvæ, fac me virtutum tuarum opus. Eripe frendentibus apris, redditurus statim, ut eluxerit. Nec longum posco habitaculum; unius noctis hospes ero : satis superque sufficeret operiri limine tuo, ni me fragilis sexus urgeret, et transeuntium rictus terrerent ursorum. Ecce sævientes ululant lupi, fer opem, dum potens sit : quod victura sum, tuum erit; si moriar, tuum. Sæve artifex, quid non expugnas dolis? Reserat Victorinus cellulam, et hostem secum, dum miseretur, includit. Jubet, ingressa ut resideat in angulo, quia et ipse in alio sedit, ut caperet utrumque.

Dæmonem puellæ errabundæ specie in specum admittit.

5 Vix horæ spatium intercesserat, dum inter molimina et assiduum corporis motum protenso pede tetigit hominem Dei, et velut compungens *f* vulnere noxio calore succendit. Addit igniculum dulcedo sermonis, et malesana jam viscera decus formæ sauciat. Exquisitos cerneres oculos male radiantes, vultumque feraliter nitidum : quasi per intexta vimina lunares radii fulgebant : urget facinus solitudo : quæ sit acturus, utpote sine teste, mentitur ignorari, cum constet magis id omnibus sciri, quidquid Deo tantum teste peccatur. Sed postquam ad opus sceleris est perductus; resupinus in juvenem prædo consurgit, et qui expugnator fuerat pudoris, censor extitit castitatis. Quid agis, inquit, vir perfectissime, cui etiam frater gravis fuit? Tu ne adjungeris alteri, qui recessisti a tuo? nonne tibi germani tunica gravis erat, adeo ut censum integrum computares; qui vices duorum, ducebas officium servulorum; qui novum silvis dogma constituens, suadebas scopulis castitatem; adeo immemor nostri despectorque roboris, ut vetustum sperneres bellatorem? Disce quanti impugnentur insidiis : jace saucius, qui præsumpseras *g* et coronam. Statim, ut hæc locutus est ex oculis decepti velut fumus evanuit. Jacuit, qui ceciderat, diu : et tanquam cadaver exangue, nocte perpetim sine aspiratione duravit.

f

Ad peccatum inducitur :

videtur a dæmone :

NOT. 130.

g

6 Sed postquam luce clarescente sidera delitescunt, fugiens testem criminis cellulam, nocentes deserit silvas : redit ad germanum : atque in currentes lapsus pedes, diu vocem pudore compressit, prodens tamen lacrymis se dolere, quod erubesceret dicere. Sed postquam caussam victus exposuit, et a consolantis affectu, *h* pœnam sibi ipsi censor imposuit : findens namque

redit ad fratrem :

h

namque arborem, manusque inserens, et prædura-tam cuneis pessulans cicatricem, agit, ut in supplicium pedes pendeant, qui ante Deum stare noluerunt : una sub obtestatione colligat fratrem, ne quis se prius solveret, quam, cui deliquerat, ignovisset.

7 Sed mox Severinus sancto Episcopo nuntiavit de fratris facto, et pœnæ novitatem, quam ipse sibi ingesserat. Deducit *i* suum Pontificem ad locum : qui allocutus pro ingenio, cum satisfactum diceret, volens solvere, prohibetur a revincto. Id ipsum grate obviat differens, orat, benedicit, redit. Cumque idipsum sæpe fecisset, interim vinctus post impetratum jejunium vespere Dominica modicum panem, nec plus aut minus aquæ coactus a fratre capiebat, qui etiam se simili cibo et jejunio pro fratre macerabat.

i

Integra hebdomada jejunat, uti et Severinus.

8 Jam ferme totum transierat triennium, absumptisque inedia visceribus, vixque inhærente cute sola in vinculis ossa pendebant. Laxior pœna nondum retentura suspensum, si voluisset revinctus vitare supplicium. Igitur cum hoc per omnes fama jactaret, in alieno casu sui quisque misericors, coeunt omnes ad Episcopum, qui hujusmodi ambiret invidiam. Clamant esse solvendum, quem etiam pœna ingereret absolutum. Venit cum omnibus ad monasterium : nec, ut solebat, lenis, sed plurima auctoritate succinctus : ac sic erecto supercilio alloquitur revinctum : Satis exhaustum est pœnarum. Crede Victorine mihi, si credis Deum, tecum hoc jam meo agi sacerdotio, quod Petro Christus contulit, cujus nos heredes sumus : in cælo solvitur, quod in terra solvitur, quia et quod ligatur in terra, ligatur in cælo. Cum videam tibi etiam ipsa vincula jam parcere, quæ cernimus laxiora; solvo in terra, quem solutum confido apud Regem cælorum. Sed postquam hæc Episcopus est locutus, statim ad referandum arborem, artificum manus et multitudo colligitur, et dum Victorinus nequiret resistere, nec sic optaret absolvi, petit hebdomadæ jejunium, ut cum cunctis se oratione et jejunio juvantibus solveretur. Impetrato statim, quia non longe distulerat, et ne minus crederetur dolor alienus, impleta hebdomada redit cum populo Episcopus. Omnis ætas, uterque sexus accurrit, magnis ac minimis terra densatur, scanditur tectum monasterii, vicinæ arbores onerantur, clamor idem omnium : Beatissime Papa, absolve quem absolvit Deus. Tunc Episcopus exerta manu facto silentio, sic locutus est : Expletum est, Victorine, jejunium, quod petisti : redde, quod promiseras; stet sermo, quem dixeras; ne iterum mentiendo pecces, et jam non est alia pœnitentia. Tunc S. Victorinus ubi se verbis constrictum vidit, elevans ad cælum vultum post triennium, quia elevare vincula non permittebant manus, oblatoque prius a Sacerdote sacrificio, altum congemiscens sic locutus est! Deus Pater unigeniti tui filii Domini Jesu Christi, cum quo per Spiritum sanctum universa fundasti; per quem hic mundus in diversas est species divisus; qui es omnium creaturarum reparator et conditor; per quem et factus homo et refectus est; per quem et concessa immortalitas et victa mors, inducta per diabolum, sed subacta per Christum; per quem renati secunda nativitate sumus, si tamen peccare desinamus, quia primam peccando violavimus; per quem hujus lucis usum cum fratre commerui, meque vita sine fratre privavi; a quo mundi censum cum luce suscepimus, ob quem mundi censum pro immortalitate distraximus, ut pura tibi servitia exhiberemus; si te pura mente secutus sum, ut essem perfectior, et a fratre discessi; si te omnibus præposui affectibus; si te *k* in nocentibus silvis solum quæsivi; si te in illo meæ carnis ergastulo semper oravi; si et quod sum deceptus a diabolo, misericors fui; si quod persuasus sum admisisse, tamen tibi sine teste peccavi; si ad te statim lapsus cucurri; si tibi me reum cum fratre obtuli, cui sine fratre deliqui; si ut satisfacerem delicto, huic volui subjacere supplicio; si me reum feci ante judicium, si ad te cum mea pœna festino; si satisfeci pœna; converte sententiam : sit absoluti testis hic populus, qui est testis addicti. Si jam mereor veniam, solve vincula mea; si adhuc pœna superest, detur dilatio solventis.

Jubetur ab Episcopo solvi, post triennium.

Deum orat.

k

9 Vix hæc Victorinus ediderat, *l* cælumque ex serena parte contonuit, vinclaque arboris purior ignis absolvit. Ruit in faciem turba circumstans, et qui ceciderat solus erectus est. Itaque omnibus collaudantibus Deum, deductus est ad ecclesiam, in qua degens sine crimine raptus brevi ad urbis *m* Amiterninæ Sacerdotium. Cumque esset omnibus virtutibus pollens, ut Angelicus haberetur, choros meruit introire Sanctorum; regnante Domino nostro Jesu Christo, qui vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

l

Vincula ejus igne cælesti solvuntur.

m

Fit Episcopus Amiterninus.

10 Porro Severinus, quem supra memorati diximus fuisse germanum, dum magno studio edomat carnem suam, ut illius fraudem, qui fratrem deceperat, posset vincere, et omnes ejus impetus evitare, cumque germani culpam velut suum delictum in se ipse damnasset, ut impleret, quod dictum est : Frater fratrem adjuvans exaltabitur, Septempedanæ meruit Ecclesiæ Sacerdotium : *n* quem locum ut merito se probaret indeptum, brevi omnibus æquiparans non potuit superari. Sed quia hic breve est omne quod magnum est, ad cælestia cito meruit regna migrare *o* VI Kalendas Maias; in eodem sepultus loco, in quo habuerat monasterium, et quod dilexit in corpore non deseruit sanctitate : plures enim nunc in spiritu, quam tunc præsens, exhibet medicinas.

Severinus fit Episcopus Septempedæ.

Prov. 18. 19.

n

o

Moritur clarus miraculis.

11 Sed tacendum non puto, quod de ejus comperimus sanctitate. Nam cum Idibus Maiis ejus depositio celebretur, licet et Kalendis Maiis, quibus est indeptus Sacerdotium, turba conveniat; tamen ad supradictum diem velut ex omni orbe devota convenit multitudo : accurrunt plurimi Sacerdotes, ut et devotionem deferant et benedictionem deportent : sed pridie quidam Innocentius vir sui nominis, *p* auctor adhuc et unicus, vicum *q* Faverianum petens, vidit noctis medio lucere silvas ita ut incendium crederet, sed cum *r* strepitus existeret, ingrediens quemdam locum credens iter Rectorem Provinciæ noctu ingredi, paullulum se ex aggere *s* elaterat pavens, ut e vicino caussam disceret. Nec longum post spatium, vidit quatuor cum funalibus præcedere, quorum illud lumen erat : duos post eos stolatos ire cum virgulis, post unum residentem in equo, cujus et vestium candor et capitis nivem antecederet. Post quem calvus alius equo vehebatur : quos magna sequebatur peditum multitudo, e quibus unum, qui claudicans remanserat, curiosius inquirit, qui essent; et ait, quatuor lampadarios quatuor esse Episcopos *t* Xystum, Marcum, Marcellum, et Julium; duos cum virgis, Stephanum et Laurentium : duos sedentes, Duos Apostolos Petrum et Paulum; reliquosque sequentes, Martyres et Episcopos : Sed et *v* Zipherinum ire cum mutatoriis Petri, qui rogatus a Severino semper hac die intersit, ut benedicat populum et visitet. Quis de meritis ambigat Severini, cui tantum videt Apostolos deferre? Vel quis et hunc immerentem æstimet, cui est videre permissum?

p

q

r

s

SS. Apostoli aliisque SS. ad festum S. Severini conveniunt.

t

v

12 Sed si quis etiam vitam vult scire Innocentii, paucis audiat verbis : Cum hæc vidisset, statim ad ecclesiam properavit, factusque catechumenus, interposito tempore etiam baptizatus est. Nec umquam deserens ecclesiam factus Clericus, etiam Presbyterii meruit benedictionem, ut semper innocens atque in sua innocentia permaneret, ut de eo dictum putemus : Ecce vir Israelita, in quo dolus non est. Hic aliquando cum ad S. Severini monasterium properaret, in quo erat ordinatus, sequitur eum ovicula, in qua totus ei census erat, et cum nequiret transire Flosorem,

Innocentii visio, conversio, innocens vita.

Ex mss. *x*

Flosorem, quem imber incitaverat; forte per *x* tigellum, quod ripis superposuerant pastores transiit, ove in alia relicta ripa : quæ erumpens in vocem hoc ait: Cui me hic reliquisti? Tunc vir plenus Deo inquit : Transi, quia ego ipse transivi in nomine Domini Jesu Christi. Tunc animal innocens sumpta per Deum fiducia sequitur Innocentium. Per meritum pastoris, est data vox pecori, et confidentia per Dominum nostrum Jesum Christum, qui vivit et regnat in unitate Spiritus sancti per omnia secula seculorum. Amen.

Ovis mirabiliter locuta.

Explicit vita SS. Victorini et Severini, duorum germanorum ex Picentina provincia, qui prius solitariam simul ducentes vitam, postea Episcopalem sortiti sunt nobiliter eminentiam.

a *Hoc exordium aberat ab aliquot* mss. *Ex eo colligitur, hanc narrationem partem esse majoris operis.*

b *Propter* Septempedam *qui nunc fluit amnis,* Potentia *dicitur. Cluverius* Flusorem *nunc* Chientum *dici putat, qui* Tolentinum *alluit. Potius veteri scriptori habenda fides.*

c *Mombr.* extristati.

d Lacus est in Apennini valle, quem Potentia flumen exhaurit, cui oppidum hodie apud confluentem appositum est, vulgari vocabulo Pioraco. Id antiquis fuisse dictum a situ ante lacum Prolaqueum, ut in Æquis ad Anienis ripam oppidum sub lacu erat Sublaqueum, ex Antonini disco Itinerario, ubi iter est ejusmodi : Nucerie, Dubios, Prolaque, Septempeda, Trea, Auximum. *Ita Cluverius Ital. illustr. lib.* 2, *cap.* 6. *Verisimile est montem huic oppido vicinum intelligi, vel jugum aliquod Apennini.*

e *Alii* silvis, errore, *etc. uti et Ado.*

f *Al.* vulnere noxio, calorem. g *Al.* de corona.

h *Hic fortassis aliquid deest.*

i Camerinensem, *ut ait Ferrarius. Est* Camerinum *inter* Chientum *et* Potentiam *amnes situm, haud procul a* Prolaqueo.

k *Al.* innocentibus. l *Al.* cælique.

m Amiternum *Sabinorum urbs celebris fuit : ea eversa, magnorum operum, theatri, templorumque supersunt vestigia, ut Leander testatur; superest ecclesia D. Victorino sacra, (teste Ferrario) Martyri, ut remur, qui ad Cutilias aquas interfectus tamen juxta Amiternum sepultus est, et Episcopus Amiterninus fuisse illorum populorum traditione creditur. Sedes Episcopalis* Aquilam *Amiterno est translata.*

n ms. *Met.* Quem locum merito indeptum virtutes per eum factæ declarant.

o ms. *Mel.* v Id. Januar. *forte* vi Id. Januar. *scriptum fuit. Certe* xxvi *April.* xv *et* i *Maii, qui dies hic exprimuntur, nullum e nostris Martyrologiis ejus meminit.*

p *Absunt quatuor hæ voculæ a quibusdam* mss. *In nonnullis est* Actor, *id est curator fortassis ac dispensator cujuspiam, aut viri potentis, aut Reip. Suspicetur aliquis legendum,* Actor adhuc et mimus.

q Fabrianum *interpretamur, nobile hac tempestate oppidum inter Sentinum, Camerinum, et Matelicam; in cujus agro* Attigio *vicus, in* Attidii *oppidi ruinis.*

r *Al.* trepidus. s *Mombr.* eximit.

t *Coluntur sancti Pontifices,* Sixtus I, 6 *April.* II. 6 *Aug.* III. 28 *Martii.* Marcus 7 *Octob.* Marcellus 16 *Janu.* Julius 12 *April.*

v ms. *Fuld.* Ziferinum *an* Severinum, *sive ad oppidum* S Severini? *Est alioqui in eadem Umbria* Tifernum Tiberinum, *apud Tiberis ripam, quod nunc* Citta di Castello *dicitur; alterumque* Tifernum Metaurense, *nunc* S. Angelo in vado, *ad Metaurum flumen in Ducatu Urbini. Neutrum tamen Septempedæ admodum vicinum.*

x *Ita* mss. *pro* tigillo. *Mombr.* particellum. NOT. 131.

DE S. AFFLINO EPISCOPO ET CONF.

VIII Januarii. Afflinus Episcopus et Confessor *refertur hoc die in Martyrologio Coloniensi excuso an. Ch.* mdlxxx, *in Addit. Carthus. Colonien. ad Usuardum, Editis an. Ch.* mdxvi, *itemque in Molani* 1 *edit. Martyrol. Germanico, ac Ferrario, qui* Afflinium *vocat. Aliud nihil de eo comperimus.*

DE B. BALDUINO MART., ARCHIDIAC. LAUDUNENSI.

Seculo vii. VIII Januarii. *Balduini nomen in martyrologiis.*

Agitur B. Balduini, *sive* Baldwini, *aut* Baldoeni *natali* viii *Januarii; quo die ista habet* ms. *Florarium Sanctorum :* Ipso die S. Balduini Levitæ et Martyris. *Ferrarius in generali catalogo Sanctorum, et Martyrologium Germanicum:* Lauduni in Gallia S. Balduini Diaconi et Martyris. *Andreas Saussaius in supplemento Martyrologii Gallicani :* Apud Laudunum Clavatum, natalis S. Balduini Diaconis et Martyris, qui filius Alduini Comitis et S. Salabergæ post obitum viri Abbatissæ; ad Christi famulatum ab ineunte ætate se convertit, sacrisque Ordinibus initiatus, apud eam urbem Levitico ministerio cum sanctissime fungeretur, pro pietate et justitia, cujus perpetuo zelo flagravit, ab impiis interemptus occubuit.

2 *Molanus in Addit. ad Usuardum :* Apud Laudunum Galliæ, B. Balduini Archidiaconi et Martyris : cujus actus in vita Salabergæ matris ejus continentur xxii Septembris. S. Salabergæ *vitam habemus ex codice Longpontico a Nicolao Belfortio descriptam, et, ut suspicamur, paullum expolitam : sed in ea licet mentio fiat* S. Balduini, *non tamen narrantur res ab eo præclare gestæ; ut suspicemur Molanum luculentiorem aliquam* S. Salabergæ *vitam vidisse. At* B. Balduini *separatim historiam qualemcumque exhibuit nobis* ms. *codex Corsendoncani Canonicorum regularium monasterii. Brevior aliquanto extabat in* ms. *Sanctilogio Guilelmitarum Brugensium, e qua Belgicam, quam edidit, efformavit Heribertus Rosweydus noster.*

Ætas.

3 *In hac vita ætas non exprimitur* B. Balduini, *solum dicitur mater ejus Salaberga,* regnante Dagoberto, *(qui anno Christi* dcxliv *obiit, regni Neustriæ* xvi, *cum antea Austrasiis aliquot annos imperitasset)* nupsisse Basoni. *Aliquanto distinctius colligi ætas illius potest. Nam* S. Eustasius *in vita S. Salabergæ dicitur, cum* curam fratrum *Luxoviensium* tribus circiter egisset lustris, *vita functus, eique S. Walbertus suffectus, cum necdum Basoni juncta matrimonio esset Salaberga. Sive ab ejectione S. Columbani, sive a Theodorici cæde tria illa ordienda sint lustra; (quod* xxix *Martii in Eustasii vita disquiremus) non potest illud matrimonium ante* dcxv, *forte nec* dcxxviii *Christi annum contigisse. Quinque dein liberos suscepit Salaberga, e quibus tertia fuit* S. Austrudis *Virgo, quintus* Baldoenus, quem et ipsum juxta priores omnipotenti Deo sacravit. *Erat porro* Austrudis, *cum ei mortua est mater, annorum viginti;* Balduinus *aliquanto adolescentior : qui cum deinceps vir prudens, in rebus gerendis industrius, sororis monasterio utilis, ei et quibus ipsa præerat sanctimonialibus familiaris fuisse prædicatur, debet fuisse tum ætate provectior; neque enim juvenem adhuc, quovis consanguinitatis aut pietatis prætextu, decuisset virginum aut res familiariter curare, aut alioquin amicitias colere. Mortua igitur videtur* S. Salaberga *circa annum* dcl, *aut paullo post. Ut enim ex ejus vita colligitur,* S. Ansericus *dudum ante eam decessit, qui tamen minimum usque ad* v *Septembris anni* dcxlvi, *superstes fuit, cum tradatur SS. Crispini et Crispiniani (de quibus* xxv *Octob.) reliquias invenisse, præsente S. Eligio jam Episcopo, qui eo anno mense Maio consecratus est.*

Mors S. Salabergæ.

Balduinus Archidiaconus Laudunensis;

4 *Accedit quod* Archidiaconus *fuisse Laudunensis Ecclesiæ* B. Balduinus *scribitur. Ita enim habet Claudius Robertus in catalogo Laudunensium Antistitum :* x Serulfus, cujus Archidiaconus B. Balduinus S. Austrudis frater. *Andreas Saussaius in supplemento Martyrologii ad* xvii *Octobr.* Cælestem aulam hodie ingressa est S. Austrudis virgo : cujus frater B. Balduinus, S. Seculphi Laudunensis Episcopi Archidiaconus, sectator etiam et socius in gloria æterna, sancta ex conversatione et fideli dispensatione effectus est. *Hujus* Seculphi, *sive* Serulphi *non reperimus adhuc in martyrologiis nomen. Ceterum hoc Archidiaconi munus non nisi ætate et scientia maturo commissum verisimile est. Videri igitur potest Ebroini temporibus esse interfectus*

quando occisus: *interfectus; sub quo ex eadem urbe Laudunensi Martinus Dux dolose evocatus, trucidatus quoque est.*

an Martyr. 5 *Quod* Martyrem B. Balduinum *appellent; eum titulum supra* VII *Januarii, in Præfat. ad vitam* S. Canuti § 1, *num.* 4, *diximus iis quoque tribui, qui vitæ innocentia spectabiles nefarie ab improbis occisi sunt : quamquam videtur justitiæ tuendæ studio odia in se sceleratorum hominum provocasse* Balduinus.

VITA

Ex Ms. Corsendoncano.

CAPUT I.

B. Balduini parentes, sancta soror.

a B. Balduini parentes, Temporibus Dagoberti Regis Francorum fuit in hoc mundo quidam vir, nomine *a* Baso : qui nobilibus ortus parentibus secundum naturam, nobilior factus moribus per gratiam, consilio Francorum Procerum duxit uxorem Salabergam, generosi et religiosi viri *b* Gutwini religiosam filiam. Hæc post sterilitatem peperit sponso suo inter electam *c* turbam natorum filiam unam, quæ *d* Austrudis appellata est.

b c d

soror Austrudis virgo sanctissima; 2 Nutritur a progenitoribus suis hæc cum magno studio totius diligentiæ, tradita religioni Christianæ, discens etiam litteras in diebus teneræ infantiæ. Excedit itaque annos puellares, ambulans de virtute in virtutem, virgo noviter nata; et dum cessat vagire in cunabulis, laudes discit cantare filio virginis. Fit etiam per divinam clementiam capax memoriæ audiendo et legendo, exercens se etiam in magisterio doctrinæ : insignis apparet carnali generatione, insignior mentis sanctitate; pretiosa vultus specie, pretiosior corde : manifestatur mundo plena esse eloquentiæ, sed plus multo sapientiæ; dilecta Deo et hominibus anchoram voluntatis suæ copulavit virtutibus. Insuper tanta repleta est gratia, ut morum maturitas monstraretur in ejus ætate prima.

recusat nuptias, 3 Præterea cum esset in anno duodecimo requiritur a quodam Landranco nobili genere progenito, qui delatas multas secum opes auri et gemmarum ac vestium, tradidit manibus parentum, ut possit Austrudem virginem accipere sibi conjugem. Sed probatur frustra pro Dei sponsa sua dedisse, et frustra ampliora promisisse. Recusat namque Virgo respuens opes

fit monialis, transituras, et perituras nuptias. Dumque incipit militare Deo filia nobilium, lætantur ordines Ecclesiasticorum, offerentibus Clericis illuminatos cereos et cruces in manibus portantibus, ac Deum laudantibus pro tanta virtute, quam cognoverunt esse in virgine Austrude : sicque prosequuntur cantantes usque ad monasterium cui præsuit S. Salaberga mater hujus sacræ puellæ, pie regendo catervam sanctimonialium.

creatur Abbatissa. 4 Post aliquot autem dies venerabilis Abbatissa Salaberga sentiens resolutionem sui corporis imminere, committit pastoralem sollicitudinem filiæ suæ Austrudi, post fugam nuptiarum suarum olim Deo sacratæ, commonens eam habere curam ovilis Christi, in quo erant fere trecentæ puellæ ibidem Deo servientes. Cum consilio itaque Laudunensis Ecclesiæ Pontificis et Francorum Procerum qui præerant huic Provinciæ, atque assensu ac electione et acclamatione sororum tunc in loco illo degentium, sub regali licentia, benedictione Episcopali sacratur in Abbatissam : eratque viginti annorum quando gregem Christi sub suo suscepit regimine. Tota in Deo erat ejus intentio : et quia non diebus aut noctibus a colloquiis et mandatis divinis recessit, in tantum Deo adhærebat; ut ejus habitus, sermo, vultus, incessus doctrina virtutum esse videretur.

a Blandinus, *cognomento* Baso, ex Sicambrorum prosapia spectabili ortus, *dicitur in vita S. Salabergæ* XXII *Septemb. Rosweydus perperam* Kasonem *vocat.*

b *Rosweydus, aut potius socors librarius,* Cutionium *fecit. In vita S. Salabergæ* Gundoinus *et* Gunduinus *dicitur.*

c *Imo peperit S. Salabergæ primum tres filias,* Saretrudam, Ebanen, Austrudim; *tum filios duos,* Eustasium, *qui puer decessit, et* Baldoenum. *Vita S. Salabergæ. Unde corrigas quod Rosweydus noster scribit,* Austrudim unicam filiam Salabergæ natam post plures filios. Ex MSS.

d *In* MS. *Corsendoncano plerumque* Astrudis *dicitur, Rosweydo* Austrudes. *Colitur* XVII *Octobr.*

CAPUT II.

B. Balduini cædes.

Itaque dum beata virgo Austrudis conaretur exercere omnes dies vitæ suæ in Dei laudibus, sagittas doloris occulte fabricat humani generis inimicus. Erat namque ei frater carissimus nomine Balduinus vir probus et prudens, magni nominis, et in Ecclesiasticis gradibus apicem assecutus *a* Levitici ordinis. Adversus hunc dilectum Deo ac hominibus, stimulante diabolo, concipiunt et meditantur dolos qui videbantur esse amici et fideles huic virgini et ejus fratri. Diligebatur autem a sorore nimio affectu Baldewinus, non ipse minus diligens sororem : quoniam non solum carnis affinitas, sed unitas animorum, et morum sanctitudo, germanæ caritatis mutuo conciliabat amorem. Contra hunc itaque, ut prætactum est, artifex doli et omnis malitiæ inventor diabolus, quorumdam concitavit mentes, ut virum justum et sanctum odirent gratis, et machinarentur contra eum consilium malignitatis : et o dolendum facinus, et suspecta semper dies perditorum! Eorum denique contra Virginem et fratrem ejus armavit animos, qui primos se videri volebant in amicitiis amborum. Sed numquid in hoc seculo deest perfidia pravorum quæ probet patientiam bonorum? Semper enim pars malorum infestat partem piorum, ex quo Cain fregit *b* sarculo guttur fraternum. Nam rara fides est hominum de quibus scriptum est : Simulatores et callidi provocant iram Dei.

a In Balduini necem conspirant improbi:

b Job. 36. 13.

6 Denique tenerrime dilectus a sorore S. Balduinus, in simplicitate cordis sui dolose cum peste invidiæ præstructis et præordinatis omnibus quæ ad expletionem doli necessaria videbantur, explorato tempore pariter et loco, invitatur ad quamdam villam vir justus in pago *c* Laudunensi, cui Gohardi Insula nomen est, quasi ad placitum, ut ibi præcipitarent eum in interitum laquei, quod ficto pacis colore ex amore simulato absconderant ei. At ille columbina simplicitate nihil mali suspicatus, assumptis secum duobus tantum equitibus, tertius confestim ivit caussa placiti ad locum, qui insidiarum et doli machinationibus præparatus erat per hostes omnium hominum quos terra sustinet sceleratissimos. Sicque apparuerunt impii sub pacis colore in occisionem justi, qui videbantur esse amici; quorum nomina et stirpem dicere injuriam esse putamus. Nec mora, consiliis detectis latens odium prodit in homicidium, virumque innocentem et nihil mali merentem talibus præventum insidiis occidunt confodientes gladiis.

c dolose evocatum trucidant.

a *Rosweydus solum ait, Ecclesiasticum quoddam munus gessisse.*

b *Pictores mandibula, alii furca lignea ferreave occisum volunt.*

c *Rosweyd.* in't dorp Laudunen, *id est* vico Lauduno. Pagus *hic ditionem sive territorium significat urbis* Lauduni, *quæ* Laon *Gallice dicitur.*

CAPUT III.

Luctus Austrudis sororis.

Nuntiatur occisio fratris auribus sororis, ac illa inter amaras lacrymas Dominum benedixit, sicut simplex et rectus Job de filiorum amissione. Occisio nempe tanti viri diu celari non potuit, exit sermo, serpit murmur in civitate per ora populi : atque ita tandem pervenit ad autes sororis facinus tam execrandi piaculi. Audita igitur germani morte forte pectus virginis in nullo concutitur, nec cedit dolori: sed confortata per inhabitantis Spiritus sancti in se robustam manum, tam grande infortunium virili animo perferebat : sciensque statum humanæ conditionis

Job. 1. 21.

Austrudis id magno animo fert:

Ex mss. tionis esse fragilem, iis deflere querimoniis curavit dilectissimum sibi germanum : Quamvis sim hodie desolata et frustrata proprio fratre, reddo tibi Deus multiplices gratias et refero laudem et honorem Majestati tuæ. Obsecro proinde, Domine piissime Jesu Christe, ne sentiam iram judicii tui, neque auferas faciem misericordiæ tuæ a lacrymis oculorum meorum : sed concede mihi virtutem, ut patienter possim ferre et flere intempestivam amaritudinem cordis commoti, quæ subito mihi accidit pro damno occisi fratris mei prædilecti. O Domine Jesu mœrentium misericordissime consolator quid conquerar prius, quid potius defleam? occisionem fratris, an desolationem meam? Etenim manus tua Domine tetigit me : et accidit duplex incommodum, duplex calamitas; cum alterum eorum vim doloris satis exaggeraret, et excederet modum meæ pusillitatis. Nam etsi mihi superesset fratrum et filiorum multiplex turba, et undique suppeterent suffragia solatii; nonne solus Balduinus utilior mihi erat quam centum fratres? nonne melior quam decem filii? Etiamne tunc inter mille subsidia superstitum meritum tanti viri aliqua deleret oblivio, aut consolatio aliqua provenire posset sorori, cum sibi vivere post ipsum nihil aliud esset quam assidue mori? At nunc mihi geminatur dolor, duplicatur calamitas; quod is mihi ademptus est, qui mihi unicus erat; quem unicum unice diligebam, quem solum anchoram spei, portum consilii, conscium secreti, arbitrum animi, et animæ meæ alterum dimidium esse sciebam. O multiplicia vulnera unius pectoris! Quis quæso vel irata truculentior tigride, vel incantata surdior aspide, obturare posset aditum cordis ad tantos dolores vulnerum, quo minus penetrarent usque ad ipsas medullas viscerum? Sed quoniam magnitudo vires excedit humanas, ad te Domine Jesu confugio, qui iratus misereris, qui vulneras et mederis, qui percutis et sanas : Da sic posse pati duri incommoda fati, ne dolor mentem superet : sed si vulnus agis fac et medicamina plagis, ut dolori mens imperet. Sim licet afflicta quod sim sola relicta, benedico te. Tu, cordi mœsto qui rite mederis, adesto mœrenti Deus animæ. *a* Da requiem fratri, nec exhorreat antra baratri viri fidelis anima. Fac ut Sanctorum consors sit et partis eorum quibus tu es pars optima. Laudo et glorifico ac benedico nomen gloriæ tuæ, quod est sanctum, quod quem mihi dedisti, recepisti. Heu me, iterum dicens, frater innocens, ut quid te dimisi in consiliis crudelissimorum hominum? Numquam fuisset caussa, pro qua ire disposui te dire interfectum : qui eras baculus infirmitatis meæ. Et quia fraternus amor nescit modum, iterum adjecit : Nunc qui carnales fratres habent, memores sint misericordiæ, compatiendo lacrymis dolore plenis. Scriptum est enim : Si patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra.

pie et reverenter apud Deum queritur:

pro fratris anima orat.

a

1. Cor. 12. 26.

Dolorem dissimulans, suas solatur.

8 Inter has et hujusmodi querelas, inter dolorum amaritudines et æstus; moestus licet animus virili vultu tegebatur : et amaritudo tanti doloris Spiritus sancti dulcedine admodum temperabatur. Sancti quoque virginum chori turbatione matris audita et infortunio tali condolebant et compatiebantur plurimum, et occisioni tanti viri, quem valde in Christo dilexerant, et suæ potissimum Matri spirituali. Cum vero prostratæ solo adhærentesque oratorii pavimento pectoribus, intentissimisque precibus commendabant Deo animam defuncti, et nimietatem doloris lenire curabant in sorore ipsius medicamento orationis. Mater vero earum, plus ipsarum compassa dolori, accessit ad eas sustentata manibus ancillarum, quia jam aliter incedere non poterat fatigata nimiis laboribus et effusionibus lacrymarum. Stans autem juxta altare, elevatis manibus vix compescere potuit fletus earum, et suspiria cordis acerba, tandemque facto silentio sic fatur ad eas crebris singultibus interrumpentibus verba : o dulcissimæ sorores, parcite dolori, et jam compescite planctum istum, potius invocantes Spiritum ut et mihi desolatæ fiat refugium, et animæ fratris mei salus ac refrigerium. Recordentur omnes ac recolant singulæ vestrum quam pio vos omnes frater meus dilexerit affectu, et circa communem utilitatem quam sagaci, quam solerti semper institerit effectu. Unde nunc requiritur ut ejus beneficio vicem rependatis, et quia non est homo qui vivat et non peccet, ejus excessibus orationum vestrarum clypeos obtendatis, quo apud judicem omnium misericordiam invenire mereatur non judicium.

Jubet pro fratre orari.

9 His dictis cum suis sororibus inde progrediens, obviam procedit fraterno funeri : stansque in excelso loco montis Lauduni in has iterum voces prorupit ubi primum potuit funus videri : Siccine redis ad sororem, Balduine, ultimum ei vale dicturus? siccine oscula jungis, stringis amplexus, misces colloquia, secreta committis, extremum a sorore divortium accepturus? hæccine mihi munera relinquis monumento germani amoris, ut nullius amodo memor lætitiæ memoriæ funeris tui tota inhæreat et obnoxia sit deinceps vita sororis. O triste divortium ubi talia munera relinquuntur, carorum scilicet funera et vulnera animorum, ubi non obsequiis, sed exequiis, concertat affectus et pietas amicorum! Cui, frater amantissime, cui reliquisti vices tuas, curam scilicet desolatæ sororis, cui tu eras gloria in prosperis, in adversis præsidium, clypeus foris, domi consilium? Quis nostri amoris dulcem fructum tam felici procedentem principio, tam flebili terminandum credidisset exitu; ut vita duorum ex uno pendens, atque eadem morum et animorum æqualitate vigens, uno decideret interitu? Uno sane momento duos deperisse dixerim, quia cum tu viscerum meorum pars esses altera, viscera quæ uno movebantur vitali flatu, quidni moriantur subtracta sibi potiore parte, et vitæ suæ tam miserabiliter dimidiato statu? Inde est, frater, quod me magis superstitem quam te defunctum queror; quoniam post mortem tuam non mihi relinquitur nisi jugis afflictio, dolor continuus, et perpetuus mœror. Hæc dicens et inter manus sororum iterum iterumque recidens super feretrum, deosculabatur illud uberrimis lacrymis fluens; et talia primis adjecit :

Occurrit funeri.

O si forte mori detur cum fratre sorori,
Mortem non timeam, dum simul esse queam.
Affectusque tuos nisi mors mutaret, amares.
Felix morte forem si mors sociaret amorem;
Vincentique fidem nunc quoque simus idem.
Nam necis illa tuæ dum mœsta recurrit imago,
Quid nisi continuæ tempora mortis ago?
Vivo quidem, vivo, sed vulnere sub redivivo.
Mors est non vita vivere semper ita.

a *Quomodo orat pro fratre, quem* Martyrem *diximus appellari? Nescivit illa fortassis cædis caussam.*

CAPUT IV.

B. Balduini virtutes, miracula.

Balduini virtutes.

Sed nemo tam sagacis ingenii, qui querimonias Virginis explicare posset sermone; nemo tam saxei cordis, qui eas audire posset sine doloris compassione. Nec solum soror aut propinqui Virginis hunc virum lamentabantur : sed tota simul civitas, et omnis regio, et cuncti utriusque sexus atque ætatis injustam viri necem querebantur, recordantes defuncti modestiam, et morum sanctitatem, et quam circa omnes semper exhibuerat cordis pietatem. Non igitur mirum est si occiditur tantus vir a diaboli membris, cum constet hunc Martyrem esse illius qui zelo Pharizæorum pro salute mundi fuit crucifixus. Semper enim ab antiquis temporibus virtutes invidia persequitur. Igitur non sine caussa Paulus Apostolus prohibet contristari

1. Thess. 4. 12.

stari pro morientibus, relinquens tristitiam tantum illis qui spem resurgendi non habent. Ex hoc colligitur quia fideliter moritur qui pro Christo victurus occiditur. Securus jam cum Christo vir iste regnat, quia raptus est, ne malitia mutaret mentem ejus; placita enim erat Deo anima ejus: et in brevi spatio consummatus multa complevit tempora. Ideo in pace factus est in æternum locus ejus, et habitatio ejus in Sion. Quapropter quos dormire in sepulchris novimus, in novissima tuba sub brevi momento temporis suscitari a Deo credamus. Scriptum namque est: Justus qua morte præ occupatus fuerit, in refrigerio erit.

Sap. 4. 7. *Ejus sepulchrum.*

11 Monstratur autem locus in ecclesia B. Mariæ Virginis, quæ dicitur Profunda, in qua sanctissimum corpus illud sepultum multis annis requievit: donec inde translatum, *a* et una cum ossibus B. Sălabergæ matris suæ reconditum est in *b* superiori ecclesia B. Joannis Baptistæ. Quas videlicet ecclesias et ante obitum et post multis decoravit virtutibus: quarum quædam exciderunt a memoria, quædam vero, ne Lectori fastidium faciamus, *c* præterimus ex industria. Porro hæc pauca quæ narravimus, ad honorem sui nominis et laudem Martyris, Deus exemplum voluit fieri legentium. Sed et quotidie, si postulantium exigat fides, recentibus miraculis locus ille insignitur, quæ dinumerare longum est, sed et pie petentibus optata largitur Dominus Noster Jesus Christus, qui vivit in secula seculorum. Amen.

a b translatio.

Ex MSS. *miracula.* *c*

a *Rosweydus scribit, una ejus ac matris Salabergæ translatas reliquias; cum videantur filii reliquiæ ad maternas allatæ.*

b *Rosweydus hanc ecclesiam S. Joannis vocat* de hooftkercke, *id est capitalem, sive primariam, ecclesiam. At cathedralis ecclesia Lauduni Deiparæ Virgini sacra est. Est vero S. Joannis nomine cœnobium ordinis Benedictini: an isthic condita Sanctorum pignora fuerint, necdum comperimus.*

c *At nos tibi ob hoc, bone scriptor, gratiam non habemus. Maluissemus tradidisses quæcumque certa erant et testata: potuissent Lectores quæ fastidio essent transilire.*

DE S. MAURONTO, SIVE MAURONTIO,
ABBATE S. FLORENTII VETERIS.

SUB FINEM SEC. VII. VIII JANUAR.

Glanna, *sive* Gloma, *in* MS. *vita S. Florentii* Glomna, *Argentræo in Britannicis* Glouva, *vulgo* S. Florentii veteris, *antiquum in Andegavis ad Namnetum fines cœnobium est. Quo a Britonibus everso aliud juxta Salmurum oppidum in eadem Andegavensi ditione non procul a Lodunensi territorio, ad* Thoedi *sive* Thoedæ *amnis, vulgo* Thoe, *in Ligerim confluentis ostia,* S. Florentii *nomine ædificatum est; cujus isthuc translatum corpus. Prius istud scribit Argentræus lib.* 2, *Historiæ Britann. cap.* 14, *a Carolo Magno constructum, dotatum a Ludovico Pio, quæ cum S. Mauronti, ut mox dicemus, ætate non consentiunt; nisi de quapiam restauratione agatur quæ Caroli aut Ludovici studio et sumptu fuerit facta. Antiquus scriptor vitæ Ludovici ista habet.* Et quidem multa ab eo sunt in ejus ditione reparata, imo a fundamentis ædificata monasteria, sed præcipue hæc: Monasterium S. Mariæ et S. Petri de Ferrariis, *etc.* Monasterium S. Florentii, *etc.* et cetera plurima, quibus veluti lychnis totum decoratur Aquitaniæ regnum. *Addit vero Argentræus, cum Neomenius Britonum Rex illud Caroli Calvi tempore vastasset, vulnus in femore accepisse, haud dubio argumento S. Florentii eo scelere offensi, cujus sub tutela is erat locus; quare id reparandum ære suo curasse. De* S. Florentio *agemus* XXII *Septembris.*

Monasterium S. Florentii: destructum, reparatum.

2 *Antiqui illius cœnobii Abbas fuisse* S. Maurontus *traditur, ac* Childeberti *Regis floruisse temporibus, non primi, (ut in veteribus illius loci monumentis scribi testatur lib.* 2 *Observationum Hugo Menardus, quæ comperisse se ait fœde esse vitiata;) sed illius qui anno* DCXCIV. Clodovæo III, *fratri successit, et* DCCXI *obiit. Unde conficias non anno* DCXCI *(quod scribit idem Menardus et Claudius Robertus) e vita excessisse* Maurontum, *cum necdum regnaret* Childerbeltus. *In S. Hermelandi vita* XXV *Martii dicitur S. Pascharius Episcopus Namnetensis (de quo* X *Julii) curasse Antrense S. Hermelandi cœnobium, et quascumque res ei donarat,* Childeberti *Regis auctoritate confirmari; ac deinceps de* S. Mauronti *morte agitur. Obtinuerat Hermelandum Pascharius a S. Lantberto tum adhuc Fontanellensi Abbate, qui deinde Theodorici* III, *Regis, et Pipini Herstalli studio ad Lugdunensem evectus Archiepiscopatum, successorem habuit S. Ansbertum, paullo post S. Audoeno in Cathedra Rothomagensi suffectum. Ex quibus de ætate* S. Mauronti *certius potest constare.*

Ejus Abbas S. Maurontus, quando vixerit.

3 *De obitu ejus hæc traduntur in vita S. Hermelandi apud Surium :* Nocte quadam vir sanctus *(Hermelandus)* pro sua consuetudine in basilica S. Petri Apostoli divinæ contemplationi intentus, Abbatis Maurenti (MS. *Rubeæ vallis* Mauronti) viri valde venerabilis animam e monasterio S. Florentii, quod Glannam vocant, ab Antrensi cœnobio ad triginta distante milliaria, ducibus Angelis relicto corpore migrare vidit ad cælos, *etc. Claudius Robertus tradit annis ab obitu S. Florentii* CCLXXV, *excessisse Maurontum.*

Ejus obitus:

4 *Ejus natalem in Martyrologio Benedictino ita celebrat Hugo Menardus* VI *Id. Januarii :* In cœnobio Glannensi S. Maurontii Abbatis. *Et in Martyrol. Gallicano Andreas Saussaius :* Apud Salmurum S. Maurontii Abbatis et Confessoris, qui tempore Childeberti Regis, S. Florentii cœnobio præfectus, mira humilitate et innocentia claruit: cujus animam eo ipso die, quo ad Dominum abiit, vidit S. Hermelandus in cælum ab Angelis ferri. Maurontium *quoque eum appellat Cl. Robertus. De alio* S. Mauronto *Abbate, filio SS. Adalbaldi et Rictrudis, agemus* V *Maii.*

anniversarius natalis.

DE S. FRODOBERTO ABBATE,
TRECIS IN GALLIA.

SUB FINEM VII SECULI. VIII JANUARII.

Celebre est Cellense *cœnobium ordinis S. Benedicti, quod et* S. Petri Insulæ Germanicæ, *sive* S. Petri de Cella *et* Cella S. Bobini *appellatur, vulgo* Monstier la Celle; *situm in suburbio urbis Tricassinæ, sive Augustæ Trecarum, in Campania Galliæ provincia. Ædificatum id est a mille prope annis, Clodovæi* II, *et Clotarii* III *temporibus, a* S. Frodoberto, *cujus isthic sacræ exuviæ religiose asservantur.*

Cella cœnobium exstructum a S. Frodoberto.

Ejus natalis,

2 *Obiit* S. Frodobertus *sub finem septimi seculi, kalendis Januarii; sed præcipua ejus celebritas agitur* VI *Idus ejusdem mensis, quo die ejus sanctissimi corporis an.* DCCCLXXII, *facta est translatio. Et kalendis quidem ista de eo leguntur in* MS. *kalendario Cellensi, quod in Antiquitatibus diœcesis Tricassinæ citat Nicolaus Camuzæus :* Ipso die transitus S. Frodoberti. *Ast* VIII *Januarii, Carthusiani Colonien. et Molanus in Addit. ad Usuardum, ac Martyrologium Germanicum :* Trecas S. Frodoberti Abbatis. *Ejus quoque meminerunt Hugo Menardus, Wion, Ferrarius,* MS. *Florarium. Plenius jam citatum Cellense kalendarium :* In territorio Tricassino, in Insula Germanica, festivitas gloriosi Confessoris Christi Frodoberti, qui inter plurimas

translatio:

SUB FINEM VII SECULI. præcipuasque virtutes tanta gratia simplicitatis enituit, ut ad infantilis innocentiæ puritatem beatissima ejus anima pervenire meruerit. *Andreas Saussaius in Martyrol. Gallicano:* Trecis elevatio corporis B. Frodoberti Abbatis et Confessoris, cujus natalis claret anniversario cultu kalendis Januarii.

3 *Idem Saussaius iterum prolixe et eleganti eum elogio celebrat* XXXI *Decembris. At Cellense* MS. XVI *Octobris.* Eodem die in monasterio Insulæ Germanicæ Translatio gloriosissimi Confessoris Christi Frodoberti. *Prior illa translatio infra describitur in vita cap.* 8 *et* 9. *Quæ ea posterior fuerit, necdum nobis compertum. Tradit Camuzæus, anno* MCDLXX, XXIII *Aprilis, capsam ligneam,* quæ adhuc extat in ecclesia ejusdem cœnobii, *contextam esse,* variis exornatam picturis, et imaginibus insignitam, in quam S. Frodoberti reliquias summa cum veneratione intulit Ludovicus Raguier *ejus cœnobii Abbas commendatarius Trecensis Antistes.*

Alia translatio.

Transpositio reliquiarum in novam thecam.

NOT. 132. *Vita a quo scripta,*

4 *Vitam* S. Frodoberti *ex* MS. *Cellensi edidit Nicolaus Camuzæus. Auctor ostendit se ibidem monachum aut Abbatem fuisse, cum cap.* 3, *num.* 11 *scribit:* Quod *(privilegium)* in archivis cœnobii nostri. *Videtur autem Caroli Calvi temporibus vixisse, aut paullo post, sub exitum seculi* 9. *Nam de statura Sancti loquens cap.* 6, *num.* 23. Ut illi quoque perhibent, *inquit,* qui ejus sacratissimi corporis ossa se aspexisse fatentur. *Deinde nihil commemorat gestum post translationem anno* DCCCLXXII *vel* DCCCLXXIII *factam. Citat hanc vitam Andreas du Chesne tom.* I *Francicorum scriptorum.*

quando.

Alia scripta a Lupello et aliis.

5 *Primus Frodoberti* vitæ et conversationis insignia, ut ipsius scripto declaratum est, licet justo brevius litteris allegavit, Lupellus *ejus discipulus, ut cap.* 5, *num.* 21 *dicitur. Videtur tamen post eum alius quispiam, saltem miracula tradidisse litteris. Nam cap.* 7, *num.* 26 *de S. Prudentio Episcopo dicitur:* Quippe qui vitam illius, fide et miraculis plenam, nec lectione perceperat, nec uspiam haberi compererat. *Et deinde:* Cum in urbem reversus, miracula per sanctissimum Confessorem patrata, ex revolutione gestorum ejus curiosius cognovisset, *etc. Vitam quoque Sancti omnem citato elogio complexus est Saussaius. Eamdem Gallice breviter perstrinxit Jacobus Tigeou.*

VITA

AUCTORE MONACHO CELLENSI ANONYMO.

Ex Antiquitat. Tricass. Nic. Camuzæi.

CAPUT I.

S. Frodoberti sancta infantia.

S. Frodoberti patria, Fuit vir vitæ valde venerabilis, egregiæ ac pretiosæ memoriæ Frodobertus, quem singulari fide et probitate sanctissimum, cive felicissimo divinitus cumulata, Trecacensis oppidi tellus effudit; parentibus quidem mediocribus ortum, sed incomparabili mentis nitore clarissimum. Quippe qui inter ipsa jam teneræ ætatis primordia vas electionis manifestissime designatus, in infantis pectore spiritalem ac perfectissimum agebat virum; annorum exiguitatem, sanctitatis et gratiæ dote compensans. Diligentius sane temporis serie revoluta, sub Rege Francorum *a* Clodovæo Dagoberti filio, itemque *b* Clotario juniore ejusdem Clodovæi filio, hic ipse Sacerdos pretiosus et Abbas eximius deprehenditur floruisse; cum apud præfatam urbem Trecassinam, Ragnegisilus Pontifex, vicem Apostolicam ministraret. Fuit autem idem Ragnegisilus natione Aquitanus, septimusdecimus jam dictæ civitatis Episcopus : de quo fertur inter cætera, quod basilicam B. Savinæ Virginis in fundo sui juris construxerit, Ecclesiam cui præsidebat hæredem instituens, in quaque honorifice sepultus jacet *c.* Vixit autem B. Frodobertus sub *d* quinque suæ civitatis Episcopis, usque ad Abbonem, qui vicesimusprimus ejusdem urbis Pontifex exstitisse cognoscitur.

sancta infantia,

ætas.

a

b

Ragnegisilus Trecensis Episcopus.

c d

2 Verum ut ad rerum ordinem recurramus, confestim ut ætas pertulit, prædicti Pontificis Ragnegisili scholis, parentum studio mancipatur. Ibi sanctis studiis enutritus, quid fidei, quid probitatis jam in semetipso prætulerit, explicari non potest. Denique amore cælestis patriæ impense flagrans, quidquid in divinis lectionibus intellectu capere poterat, mox ad effectum sancti operis instantissime transferebat. Itaque indefesso studio, purissima scripturarum fluenta frequentans, interioris hominis faciem, quasi adhibito quodam splendidissimo speculo componebat, scelusque reputabat permaximum, si vel parum quiddam legeret, quod non e vestigio efficaciter adimpleret : illud secum et frequentius et familiarius replicans, non auditores tantum legis apud Deum, sed factores potius justificari. Tum vero cerneres eum priorum sibi Patrum exempla certatim æmulanda proponentem, vixque discernere sufficeres in quo virtutum genere perfectius emicaret. Atque ut se totum Deo rationabilem victimam et spirituale mactaret holocaustum, ad usum se continuæ orationis applicuit, quietisque impatiens, Apostolicum præceptum, quod sine intermissione orandum docet, a seipso importunius exigebat. Jejunii vero observantiam, non tam frequens quam continuus exercebat, doctus auctoritate Dominica, hoc duplici pugnandi genere, nefandissimum illud dæmoniorum genus posse depelli. Hujusmodi armaturam, jam tum in divinæ militiæ scholis novus Christi miles assumpserat, et cœleste nuper professus tirocinium, sese ad debellandas spirituales nequitias circumspectius præparabat.

S. Frodobertus studet, et facit quæ discit.

Rom. 2. 13.

Orationi et jejunio deditus. 1. Thess. 5. 17.

Matth. 17. 20.

3 Interea his tam sanctis tamque optimis studiis, non defuere livida hostis callidi tentamenta : futuræ enim in eo sanctitatis excellentiam, humanæ salutis adversarius jam in annis puerilibus invidebat. Unde, sicut ipso postmodum referente compertum est, dum pro discendo psalterio scholam expeteret, crebro se diabolus ejus aspectibus ingerebat, pavidos per naturam animos ingenti minarum et formidinis arte concutiens. Verum puer divini ingenii, dæmonicæ fraudis et versutiæ non ignarus, salutaris signi clypeo non minus frontem quam pectus armabat, Deumque sibi adjutorem invocans, argumenta inimici callida viriliter proterebat.

Dæmonem signo Crucis pellit.

4 Jamque tempus aderat, ut lucerna, quæ sub modii latibulis eatenus fuerat occultata, sidereæ claritatis in populo jubar infunderet. Namque ut cujus esset apud Deum meriti longe lateque clareseeret, sibi placitam puerilis innocentiæ puritatem, superna dispositio dignata est miraculo declarare. Contigit itaque matrem ejus oculorum suffragio destitutam luminis dispendium incurrisse : cumque longam in cæcitate noctem trahens, vitam mœrore consumeret; die quadam filium inter amplexus demulcens obsecrat, ut manu sua Crucis signum super oculos ejus exprimeret. Quod cum ille abnueret, mater vero importunius perurgeret, tandem materna permotus instantia, invocato Domino, salutiferum signum super oculos genitricis expressit : illico cedentibus tenebris, lux amica revertitur; et parvuli merito filii magnum matri beneficium cumulatur. Hoc confestim miraculum per cuncta vulgatum, universos quidem stupore perculit, quosdam vero etiam ad sanctæ vitæ imitationem ardentius incitavit.

Matri visum signo Crucis restituit.

a Clodovæus II, *Dagoberto patri successit ann. Christ.* 644, *obiit* 660.

b *Patri in regno Neustriæ successit Clotarius* III, *anno* 660, *obiit* 664.

c *Camuzæus testatur arcam lapideam, in qua conditus est, etiamnum extare. De S.* Sabina *agemus* 29 *Januarii.*

d *Recensentur hi a Camuzæo et Cl. Roberto,* Ragnegisilus, Leuconius, *sive* Leoconius, Bertoaldus, Wammirus, *sive* Vammirus, Abbo Felix. *Hunc* Abbonem *cum* Leudegiselo *Archiepiscopo Remensi*

Remensi quædam commutasse scribit Flodoardus lib. 2, cap. 6. Unde refellas catalogum Antistitum Remensium a Colvenerio editum, in quo Leudegiselus obiisse dicitur an. 647, cum Ragnegisilus minimum usque ad regnum Clodovæi II, pervenerit, a quo quintus Abbo *fuit, sub quo S.* Frodobertus *obiit. Rectius Camuzæus* Abbonem *circa an.* 700, *sedisse ait.*

CAPUT II.

Religiosa vita Luxovii et Trecis.

Fit clericus.

Exin prænominatus Pontifex egregiam in adolescente animi puritatem, et præcelsam virtutis efficaciam contemplatus, divinis eum ministeriis, imposito Clericatus officio, mancipavit. Post hæc caritatis sollicitudine, et divini lucri studio animatus, ad *a* Luxovium cœnobium, spiritalis profectus gratia, dirigere instituit, ut religiosorum imitatione allectus, et ipse in virtutibus cresceret, et regioni suæ postmodum sanctitatis ac perfectionis exempla lucidissima reportaret. Præerat tunc ei cœnobio *b* Walbertus Abbas, vir et religione inclytus et sanctitatis opinione famosus. Quo cum ex præcepto Pontificis pervenisset, a sanctis illius loci Patribus, grata exultatione suscipitur, atque in congregationis contubernium deputatur. Cujus animi candor et præclara simplicitas brevi cunctis innotuit. Mirabantur omnes in juvene humilitatem eximiam, abstinentiam incomparabilem, patientiam singularem, quodque cœlestibus semper intentus desideriis vitam Angelicam inter homines proferebat. Erat eo tempore prænominatum Luxoviense cœnobium in Gallicis regionibus pœne singulare, tam in religionis apice, quam etiam in perfectione doctrinæ. Qua ex caussa plurimi, quibus in utramvis partem proficiendi fervor inerat, ad eundem locum certantibus studiis undique confluebant.

a *Mittitur Luxovium.*

b *Virtute floret.*

6 Quo ergo tempore B. Frodobertus inibi morabatur, vir Apostolicus *c* Bertoaldus Lingonicæ urbis Episcopus, quemdam ex cœnobio *d* S. Sequani Abbatem, *e* Teudolenum nomine, eruditionis gratia illuc destinare curavit. Ad cujus diversorium B. Frodobertus frequentius accedebat, ut assolet ætas juvencula cœvorum sibi familiaritates ardentius applicare. Ille autem tanta in viro Dei animi puritate comperta, curiosa levitate impulsus, sedulo explorare cœpit, utrum ea simplicitas ex fonte manaret intimæ puritatis, an sicut nonnullis familiare est, subdolam mentem simulata innocentia palliaret. Ob hanc rem tam ab ipso, quam a quibusdam loci fratribus, ludibriis crebro fatigabatur ineptis: cum tamen ille nulli contradiceret, neminem læderet, sed nec læsus vicem referret. Ita enim vitam instituerat suam, ut illatas injurias patientia vinceret, illud Davidicum frequentius replicans: Ut jumentum factus sum apud te. Itaque simplicitatem infucatam mundanæ semper astutiæ præferebat, eligens ludibriis stultus effici sæculo, ut posset sapiens esse in Deo.

c *d* *e* *Teudolenus Frodoberti virtutem explorat.*

Ps. 72. 23.

Mira ejus patientia et simplicitas.

7 Una igitur dierum, cum se ad præfati Teudoleni hospitium contulisset, ille ludibrii simul et experimenti gratia rogavit eum, ut ad cujusdam fratris in monasterio cellulam pergens, circinum ad se deportaret, asserens usum illius sibi esse necessarium in scribendo. Ille dicto citius gressum rapuit, atque ad designatum fratrem rapido cursu pervenit: qui et simplicitatis ejus conscius, et ludibrii ob quod directus fuerat non ignarus, medium molæ collo ejus imposuit, utque id ad diversorium Teudoleni quam citissime ferret, obnixius imperavit. Nihil ille cunctatus, exceptum onus ferebat æquanimiter, quamquam ita lapidis pondere gravaretur, ut vix alternis passibus promoveret incessum. Inter hæc reverendissimum virum Walbertum Abbatem obvium habuit, cui hoc ipsum a nonnullis fratribus jam fuerat nuntiatum. Cernens igitur venerabilis Abbas ovem Christi mansuetissimam injusto fasce gravari, altius ingemuit, et hujus afflictioni, et illorum condolens levitati. Moxque vehementius increpatum, impositum onus humeris dejicere imperat, caussamque perquirit diligentius, qua se tantopere fatigaret. At vir summæ innocentiæ, scribendi usibus asserit esse necessarium, quem ferebat circinum, dicens quod ex præcepto Teudoleni, ad cujusdam fratris cellulam deportaret. Cum enim esset omnimodæ astutiæ expers, quid esset circinus penitus ignorabat, hoc tantum esse existimans, quod impositum collo ferebat. Tandem Abbas simplicissimum viri animum conspicatus, pietatis intuitu erumpit in lacrymas, accitisque eis qui sanctum virum tanta crudelitate fatigare præsumpserant, acrius solito increpat, ac pro facti temeritate, debitæ satisfactionis pœnitudinem indicit. Hisque ita correptis, ceteri deinceps fratris injuriis temperarunt. O virum Angelicæ puritatis participem, et Salvatoris nostri imitatione felicem, qui sicut ovis ad victimam ductus est, et cum male tractaretur non aperuit os suum! Fidenter dixerim, inquam, præceptis Evangelicis singulariter parens, percutientem se non repercuteret; atque mille passus a quolibet angariatus, duo millia ultro properaret. Utque amplius inferam si quis eum ad supplicium protraheret, pœnalem ei crucem imposuisset, sponte susciperet, mansuetisque ferens in humeris, Christum Dominum sequeretur.

Mediam molam fert pro circino.

Auctore Monacho Cellensi, ex Nic. Camuzæo.

Matth. 5. 41.

8 Annis post hæc pluribus interjectis, ad urbem Trecassium pro Episcopi sui desiderio, et parentum visitatione, cum quibusdam fratribus remeavit. Aliquot sane diebus apud præfatum suæ urbis Antistitem commoratus, redeundi unde venerat licentiam postulabat. At Pontifex saniori usus consilio, tantum ac talem virum a se dimittere non sibi fore integrum arbitratus, violenta hunc auctoritate retinuit. Sancto igitur Quadragesimæ tempore accedente in secretiore se cellula condens, cum orationis et vigiliarum instantia, acerrimis se cœpit jejuniis coarctare. Cum enim semper incomparabili abstinentiæ virtute polleret, his tamen diebus austeriorem sibi carnis macerationem corporis sui hostis indixerat, adeo ut plures continuosque dies absque ullius cibi adminiculo consummaret. Denique annorum curriculo recurrente, dum se duabus vel tribus Quadragesimis hujusmodi crudelitate conficeret, hæc vitæ illius institutio, ad notitiam defertur Pontificis; nec defuere malevoli, qui sanctitatem ejus invido dente carpentes, dicerent eum, aut latenter edere, aut corpus suum inedia velle perimere. Proxima igitur imminente Quadragesima, Pontifex talium curiosus, intra porticum ecclesiæ cellulam ei constituit, in qua solitæ devotionis officio, abstinentiæ tempora consummaret. Sæpius namque cellam ex improviso penetrabat Episcopus, certius cupiens experiri quanto ferveret studio sanctitatis, quantamque in virtute abstinentiæ superna pietas illi gratiam ministraret. Moxque criminatorum fallacia patuit, et sanctæ conversationis ejus sinceritas, Episcopali curiositate probata refulsit. Quodque antea simulationi deputabatur, ad divinæ laudis transiit incrementum.

Trecis retinetur ab Episcopo.

Ejus abstinentia:

ab Episcopo explorata.

9 Ex eo tempore fama beatitudinis ejus longe lateque, personuit, adeo ut ex remotioribus quoque locis, infirmantium ad eum catervæ confluerent, sanctitatis ejus merito, sospitatis beneficia reposcentes. At vir Deo dignus in humilitatis arce persistere cupiens, nil de se præsumere, nil umquam passus est suis viribus assignare. Oleum tantummodo benedicens, super ægrotos Christi nomen obnixius invocabat: quo peruncti, receptis viribus votorum compotes ad propria remeabant. Jam vero in effugandis dæmonibus, ea virtutis præstantia præpollebat, ut cuicumque energumeno in fronte vel pectore signum Crucis imprimeret, mox ejus compellente imperio malignus spiritus effugatus abiret. Jure enim tanta ei potestas in expulsione dæmonum applaudebat, ut eis fiducialiter imperaret,

Oleo benedicto morbos sanat.

Crucis signo dæmones pellit.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

AUCTORE MONACHO CELLENSI, EX NIC. CAMUZÆO. *Suas virtutes ad ædificationem narrat.*

imperaret, qui totum se divinorum submiserat obedientiæ præceptorum.

10 Erat mos viro sanctissimo, ut si quando cum discipulis colloquium familiare inserebat, quæ a se clam gesta fuerant, ædificationis vel exempli gratia eis narraret, bona scilicet opera sua non arroganter ostentans, sed sapienter et humiliter manifestans, ut et divina laus per ipsum, imo in ipso cresceret, et audientium animos ad sanctæ imitationis studium informaret. Quantum enim favoris vel jactantiæ refugus fuerit, cultus vitæ solitariæ declaravit.

a *De nobilissimo hoc cœnobio agemus in vita S.* Columbani XXI *Novembris, S.* Eustasii XXIX *Martii et alibi. Viellius ait* Lucione *monachum factum; sed* Luxovii, *non* Lucione, *Abbas fuit S.* Walbertus.

b *Vitam S.* Walberti, *sive* Waldeberti, *dabimus* 2 *Maii.*

c *Interfuit* Bertoaldus *concilio Cabilonensi circa an.* 630, *celebrato : decessor ejus* Modoaldus *Remensi sub* Sonnatio *Archiepiscopo circa an.* 630.

d *De S.* Sequano *Abbate, ejusque monasterio, quod in diœcesi Lingonensi haud longe a fonte Sequanæ situm, agemus* XIX *Septemb.*

e Tendolinum *vocat Cl. Robertus.*

CAPUT III.

Cœnobium Trecis ædificatum.

Denique humanæ conversationis ardens vitare collegia, sollicita secum frequentius mente volvebat, quonam loco suæ professioni ac proposito opportunum habitaculum collocaret. Et quamquam plurimi nobilium regionis, sanctitati ejus familiarissime cohærerent, ineptum tamen duxit a quoquam eorum partem agri vel prædii postulare, non sibi solum, sed etiam posteris consulens, ne religiosa fraternitas, quam ipse in sacro habitu aggregare cupiebat, a quolibet sæcularium pro loco suæ habitationis, quid inquietudinis vel molestiæ pateretur. Quocirca divino aspirante consilio regiam profectus ad aulam, munificentia Clodovæi illustris quondam Regis Francorum, locum quendam palustrem in suburbio Trecassinæ urbis obtinuit, qui antiquo ritu Insula Germanica vocabatur. Deinceps vero post decessum Clodovæi, filium ejus Clotarium *a* secundo anno regni ejus expetens, annuente venerabili *b* Batilde Regina, ejusdem Clotarii matre, super præfato loco privilegium regiæ auctoritatis denuo meruit adipisci : quod quia in archivis cœnobii *c* nostri usque hodie *d* continetur, hic quidem inserere superfluum duximus, quoniam legere cuique volenti in promptu adesse fatemur.

Clodovæus II ei locum extruendo monasterio donat.

Confirmat Clotarius III.

a

b

c d

12 Erat autem locus idem partium quidem fisci, tamen, ut dictum est, paludibus refluens ac crebra lacunarum eruptione scaturiens, arbustisque refertus silvestribus, bestiarum potius ac serpentum, quam hominum frequentiæ competebat. His itaque Regum auctoritatibus instructus, quodque est maximum superno auxilio roboratus, horribiles loci squallores expetiit, dataque principali opera, virgultis erutis, lacubusque siccatis, spatium habitationi congruum præparavit. Ibi cellula oratorioque Frodobertus constructo, cum paucis primo quidem fratribus solitarius vixit, divinæ contemplationi deditus, et Angelicis semper actionibus occupatus.

Locum ante palustrem excolit.

13 Inclytus ergo Frodobertus jam tunc cœpit amplificare sibi suisque concessum habitationis locum, patrimonii sui quæcumque fuerunt prædia possessionesque ex integro in commune inibi contradens, et quæstum copiosum, servorum, ancillarum, agrorum præterea et vinearum, sub testamentis, quæ hactenus habentur, dato pretio instantissime acquirens. Sed et mox parentes illius viri beati, largissimas ei rerum gazarumque suarum condonaverunt portiones, instrumentis ex lege rite perfectis. Processu vero temporis, locus idem religiosorum frequentia in robur incrementi convaluit, nobiliumque eo confluentium largitate ditatus, rerum ac possessionum terminos dilatavit. Sed et congregationis monasticæ numerus in dies copiose succrescens, nobile ac famosum reddidit usquequaque cœnobium. Nec illud prætereundum, quod ex ejusdem loci cœnobitis B. Frodoberti vitam institutionemque sequentibus, quam plures postmodum in urbe Trecassium extitere Pontifices, inter quos *e* Aldobertus vir summi ingenii et præcipuæ sanctitatis; itemque *f* Bobinus natione Aquitanus : quorum uterque ipsi loco ingentia commoda contulere, intra extraque quibus possibile fuit amplificando modis, sicque in plenitudine bonorum operum diem ultimum consummantes, intra septa basilicæ ejusdem monasterii nobilem sortiti sunt sepulturam. Quibus ita digestis rerum gestarum ordinem repetamus.

Monasterium varie dotat.

Viri egregii ibi eruditi.

e

f

a *Ergo Christi* DCLXI, *vel* DCLXII.

b *Vitam* S. Batildis *dabimus* XXVI *Januarii.*

c *Hinc patet auctorem monachum fuisse in eadem Insula Germanica, sive Cella S. Frodoberti.*

d *Recitat id Camuzæus : sed quod verba illa privilegii* bono crea decem, *sic legenda putat* bonas acras decem, *quod Normanni etiamnum jugerum terræ* acram *vocent, non satisfacit. Nam cur* bonas acras *vocaret in palustri adeo solo et serpentium potius, ut hic dicitur, quam hominum habitationi accommodatas? Haud dubito quin* bonaria decem *legendum sit.*

e Aldobertus, *sive* Aldebertus, XXIV *Tricassinæ Ecclesiæ Antistes memoratur a Camuzæo, et Cl. Roberto.*

f *Fuit* XXIX *Episcopus. Celebratur ejus Translationis dies (nam natalis ignoratur)* XXII *Aprilis. Ab eo Cellense cœnobium* Cella Bobini *dicitur. Camuzæus.*

CAPUT IV.

S. Frodoberti virtutes, revelationes, miracula.

Florebat in sancto viro spiritualium profectuum indeficiens gratia, non exemplis solum et moribus, sed etiam miraculorum splendore solemni commendata. In quo quanta fuerit largitas, quantaque affluentia caritatis, una ipsaque simplici relatione constabit. Contigit eum quodam tempore *a* in puellarum cœnobio, quod B. Quintini Martyris nomini consecratum, intraque urbem situm est, duo vini vascula *b* triginta ferme modiorum capacia commendasse, quod locus idem ei esset familiarissimus, ac speciali caritatis glutino copulatus, ejusque eruditioni ac regimini peculiariter mancipatus. Nam cum pro suæ sanctitatis merito ab omnibus principali reverentia coleretur, id sibi quisque summum deputabat bonum, si ejus familiaritati vel mediocriter conjungi meruisset; utque in omnibus et apud omnes sese affectuosius ageret, deque omnibus incunctanter præsumeret, cunctis gratissimum et peroptabile erat. Cumque illic sæpe caritatis officio, ad sumendum poculum plurimos convocaret; die quadam apothecariam solito cellam ingressus, pavimenti faciem vini exuberantia reperit superfusam, veritusque ne forte vasculi incontinentia liquoris dispendium provenisset, fratrem qui secum forte venerat os superioris meatus inspicere præcepit: quo facto (mirum dictu quod est) vinum superne redundans aspicitur. Satisque aperte constitit, quod quanto hauriebat propensius caritas, tanto benigna Creatoris largitas hausta profusius reformabat. Ejus nimirum hoc factum creditur pietate, qui cum nos misericordes esse jubeat et dare indigentibus, ut nobis quoque plurima dentur; in qua tamen mensura tribuimus, in eadem nobis remetiendum nihilominus repromittit. Est enim manus divina non larga solum, verum etiam dives et profluа. Nec metuendum ne forte largitatem sequatur inopia, quoniam, ut ait Apostolus : Qui seminat in benedictionibus, etc. qui-que administrat semen seminanti, et panem ad manducandum, præstabit, et multiplicabit incrementa frugum justitiæ nostræ.

S. Frodobertus claret miraculis.

a

b

Vinum ejus meritis e vase redundat.

Luc. 6. 38.

2. Cor. 9. 6. et 10.

13 Familiare fuit præterea viro Dei supernam patriam infatigabiliter sitienti, sacra loca devotius circuire, sanctorumque Martyrum vel Confessorum festivitates, si quando revoluto anni circulo recurrissent, debita cum veneratione suscipere. Nam illud sibi specialiter indixerat, ut sacrorum dierum ferias peculiari quadam observatione tractaret, ut putares cum ipsis

Sanctorum loca adit: festivitates religiose colit.

ipsis jam Martyribus commori, nec jam terrenæ molis usibus detineri.

16 Ita quondam adveniente splendidissima solennitate *c* B. Quintini Martyris pretiosi, a monasterii ipsius Abbatissa, Rocula nomine, ceterisque sanctimonialibus religionis gratia invitatus est, ut officiis divinæ celebritatis vir sanctissimus interesset, tantæque festivitatis gaudia, sanctitatis ac meritorum sublimium lampade illustraret. Nam excepta devotione erga Sanctos incomparabili, etiam illud eum sacra loca festis diebus frequentare cogebat, quod eis spirituale regimen adhibebat. Nec distulit quin veniret, devotarum Deo sanctimonialium desideria reputans non debere frustrari. Expleto igitur sacrarum vigiliarum officio vespertino, vulgique multitudine ad nota diversoria redeunte, vir sanctus in ecclesia perstitit, seque ipsum secretis orationibus mancipans, spirituales excubias exercebat. At præfata Abbatissa, quid sanctus vir gereret non nimium curiosa, cum quibusdam sanctimonialibus in basilica se occultans, egregiam orationis instantiam, compunctionisque illius largissimam ubertatem sedulo cum sororibus mirabatur. Mox saluti humanæ contrarius, feliciumque operum quam maxime æmulus affuit inimicus, qui mundissimum Dei holocaustum etsi non penitus tollere potuit, veneno tamen suspectæ fraudis fœdare tentavit. Nam candelabrum, cui cereus impositus erat, subvertit, extinctoque lumine, quod noctis et tenebrarum esset amator evidenter ostendit. Vir tamen Domini in orationis studio perstitit : nec mundanis tenebris fuscari potuit, cui Christus auctor et fons luminis præsentissimus fuit; cujus exterior oculus etsi nocturnis tenebris caligavit, mens tamen intima, semperque ad contemplandum Deum purissima veræ lucis lampade coruscavit.

c

Nocte in ecclesia orat.

Dæmon candelabrum evertit.

17 Interea paucorum dierum interlabente curriculo, ad basilicam *d* B. Aventini Confessoris, ejus gratia ex more Christi famulus accedebat : cumque jam fores ecclesiæ perintraret, contigit quendam energumenum dæmone exagitante vexari; qui rabida peste captivus cum miserum os in amentia verba laxasset, inter cetera famina pectoris furiosi, B. Frodoberti sæpius nomen ingeminans, sancto viro verbis procacibus insultabat, quod eo sacras exercente vigilias, solatium luminis detraxisset. At miles Christi strenuissimus; diabolicæ fraudis conscius, nulla hostis arte concuti, nulla potuit minarum intentatione terreri, cui Christus erat præsidium et contra hostiles machinas inexpugnabile firmamentum. Quin potius, quanto adversum se certamina dæmonum acriora cognoverat, tanto se robustius ad spiritualem pugnam contra invisibiles nequitias præparabat.

d

Id illi in energumeno exprobrat.

18 Operæ pretium est illud quoque fidelium auribus tradere, quod ei sæpe benigno annuente Domino, secreta cælestis curiæ pandebantur : et quoniam semper mente in cælestibus habitabat, haustum supernæ jucunditatis divina ei pietas frequentius propinabat, ut tanto ad hanc ardentius curreret, quanto suavitatis ejus dulcedinem appetentius degustasset. Die enim quadam venerabilis Theudecarius ejusdem Abbas suburbii, visitationis pariter et instructionis suæ gratia, ad eum venerat; ut mos erat cunctis per circuitum religiosis hunc ipsum sanctum virum frequenter expetere, quatenus ejus et exhortatione instrui et benedictione possent sanctissima roborari. Cum itaque circa horam fere tertiam, Frodobertus Spiritu sancto plenus, cum præfato viro christianissimo Theudecario Abbate, fructuosum ac spirituale colloquium sereret, audivit Angelorum choros harmonica suavitate, ineffabilique concentu, cælestes hymnos ad sanctæ et individuæ Trinitatis gloriam concinentes. Cujus canorem dulcedinis postquam aliquamdiu attonitis auribus hausit, præfatum Theudecarium huic miraculo testem adhibuit. Quo etiam postmodum referente, ad notitiam plurimorum res tam mirifica decurrit. O beati viri meritum singulare! qui quamvis adhuc mundi incolatum ageret, voces tamen agnoscebat in cælis Angelicas, Redemptore nostro hoc illi divinitus largiente, qui discipulis suis hora tertia Spiritum sanctum misit de cælo.

Divina ei revelantur.

Audit cantum Angelorum.

19 Quædam ejusdem regionis mulier, Bertha a parentibus nuncupata, sensus rectitudine perdita, miseræ dementiæ alienationem incurrerat, quæ humanæ cohabitationis contubernium fugitans, vaga semper et instabilis incertis sedibus ferebatur. Hanc parentes anxii ad beati viri præsentiam perduxerunt. At ille visceribus pietatis commotus infelicis sortem indoluit; seque mox in orationem corruens dedit, profusis lacrymis alienæ lucraturus commercia sanitatis. Nec diu dilata sunt supernæ clementiæ munera copiosa : namque ut ab oratione consurgens vivificæ Crucis signum capiti ejus imposuit, mox miserabili cedente dementia, plenitudinem sensus sospitatis integritate recepit, longoque vivens postea tempore ad sanctitatis ejus testimonium, suæ secum circumtulit gaudia sospitatis. His et hujusmodi virtutibus, gratissimum sibi militem divina excellentia provehebat : quemque in superni regni apice eminentissimum collocare decreverat, in hujus quoque seculi excursu, insignem ac celebrem reddere per frequentia miracula non cessabat.

Furiosam menti restituit.

a Ecclesia S. Quintini Trecencis, *inquit Camuzæus*, olim fuit puellarum cœnobium; nunc vero est Prioratus a Molismensi ordinis Benedictini dependens, et per monachum ejusdem ordinis haberi et deserviri solitus.

b *Id est sextariorum* 480, *amphorarum Romanarum, sive metretarum* 10.

c XXXI *Octobr.* d *Ejus vitam dabimus* IV *Februar.*

CAPUT V.

Ægritudo, obitus.

Auctore Monacho Cellensi, ex Nic. Camuzæo.

Jam enim tempus e proximo ferebatur, quo athletam suum Christus a periculoso mundi hujus agone subtraheret, atque in statione castrorum cælestium, victorem quietissimum solidaret. Jam, inquam, tempus aderat, ut pro multorum sudore certaminum, pro singularis abstinentiæ cruciatibus, pro universis denique operibus pietatis, fessum jam corpore bellatorem ad sese reciperet; atque in paternis mansionibus collocatum, gloriæ et honoris stemmate decoraret, æternitatisque et immortalitatis amictu circumdatum Angelis insereret, Apostolis sociaret. Itaque facili corporis ægritudine corripitur : qui tamen animo indeficiente robustus, bravium æternæ remunerationis prosequi nitebatur. Jam dudum enim ut Christo coesset, corporeæ molis præoptabat carcere solvi; quamquam propter instructionem fidelium, in carne esse necessarius probaretur : cui ad summæ securitatis solatium hoc etiam muneris divina Majestas adjecit, ut eidem sacri sui transitus diem e sæculo revelaret. Qua tandem revelatione percepta, totum se mox ad divinitatem contulit, nec mori metuens, nec corporeæ depositionis dispendium reformidans : verum id secum sæpenumero volvens, quoniam si terrena hujus nostræ habitationis structura dissolvitur, multo melior in cælestibus reparatur. Quin etiam illi anteactæ vitæ conscientia terroris minimum, fiduciæque plurimum conferebat, quod non præsenti sæculo sed Deo vixerat; quod suæ voluntati divinam semper prætulerat; quod præmiis cælestibus indefesse suspirans, Deum sibi præ oculis posuerat esse præsentem. Igitur ægritudine invalescente, discipulos convocat, eisque quam ex divina revelatione perceperat, sui diem transitus declarat. Cumque grex mitissimus de vigilantissimi Pastoris decessu, simul et absentia tristaretur; altius exhortationis sermone concepto, omnes compescit a fletibus; congratulandum potius sibi quam dolendum affirmans,

Morbo corripitur.

Obitus sui diem prædicit.

AUCTORE MONACHO CELLENSI, EX NIC. CAMUZÆO.

affirmans, quod qui hactenus exul vixerat, nunc patriæ redditus ad sui regis convivium vocaretur. Illud vel maxime sæpe contestans, ut normam sanctæ institutionis, quam ipso et docente didicerant, et operante conspexerant, inviolabili tenore usque ad vitæ terminum conservarent.

Suos solatur.

Petit festo nativitatis consecrari ecclesiam.

21 Interea dies Dominicæ nativitatis cælo terraque festivissimus, ac toto orbe colendus illuxerat. Accitis itaque duobus nominatim discipulis, Leone scilicet viro sanctissimo, qui tum in eodem suburbio Abbas mitissimus existebat, itemque Lupello, qui vitæ et conversationis ejus insignia, ut ipsius scripto declaratum est, licet justo brevius litteris allegavit; ad Abonem virum reverentissimum ejusdem tunc urbis Antistitem summa eos celeritate direxit, obnixius supplicans, ut oratorium quod ipse honori Apostolorum Principis in superius descripta palude construxerat, die ortus Dominici consecraret. Creverat siquidem opitulante Deo monachorum congregatio, et majorem quam prima fuerat alteram construxit ecclesiam. Qua Pontifex supplicatione percepta, atque apud se rationabiliter expenso negotio, prudenti moderatione excusavit factum, asserens illud, die qua petebatur minime posse compleri; quod eum cum Clero suo, et festivitatis officiositas cumulatius occuparet, et consuetudo Ecclesiastica eo die id fieri nullo modo consentiret. Discipuli festinantius remeantes sancto Patri responsa Pontificis detulerunt : quod ille pertractans diligentius et rationabile esse perpendens, elevatis manibus in cælum, et lacrymis ora perfusus : Parcat, inquit, mihi Dominus, vosque filii indulgete, quod minus circumspecte negotium cogitans, fraternitatem vestram in eundo et redeundo casso labore compulerim. Ne tamen sancta mens suis usquequaque desideriis frustraretur, divina est pietate consultum. Siquidem sacri obitus dilatione percepta, in octavum Dominicæ nativitatis diem spatium vitæ produxit, ita Domino vota ejus sanctissima prosequente ut una eademque die, per manus jam dicti Pontificis, et basilica consecrationem, et gleba sacri ejus corporis acciperet sepulturam.

Recusante Episcopo prorogatur et ad 8 dies vita.

22 Itaque cum juxta morem Christianæ observantiæ kalendis Januariis Dominicæ Circumcisionis celebritas immineret, ad felicem transitum urgente ægritudine sancta anima citabatur. Nec sic tamen a sanctis monitis linguæ officium continebat, assistentes sibi discipulos indefessus exhortans, quatenus inter se insolubile caritatis vinculum custodirent, atque in exhibitione salutaris obedientiæ persistentes, timorem Dei semper sibi ante oculos revocarent. Jamque sole ad telluris infima declinante, præfatum Lupellum, qui ei familiarius obsequi consueverat, maturius præcepit evocari. Eo coram adducto ut sacrum Evangelium ante se legeret imperavit. Ille autem dolore capitis acrius torquebatur. Cumque, ut ipse postmodum retulit, ad parendum sanctis imperiis quamvis ægre animum appulisset, in ipso mox legendi exordio, ita universus dolor abscessit, ut nil doloris, pristinæ nil molestiæ resideret. Interea per totius noctis excursum, Deo semper intentus, cum inter spiritualia colloquia hora succederet, expleta solemniter a fratribus in ecclesia psalmodiæ et orationum quantitate, universos denuo jubet adesse discipulos, dumque ante eum textus Passionis legeretur Dominicæ, sub oculis omnium sancta anima carnis exuta velamine, felici decessu cælestia penetravit.

Coram eo evangelium legens capitis dolore liberatur.

Moritur Frodobertus.

CAPUT VI.

Sepultura, miracula.

Et illo quidem ita ex humanis assumpto collegiis, extemplo reverentissimus nepos ejus Waldinus, qui postmodum loco avunculi in eodem ipsius monasterio Abbas successit, gressu concito in cœnobio S. Quintini ad memorabilem Gibitrudem Abbatissam perveniens, sancti viri obitum nuntiavit. Illico omnium pectora novus quidam et pæne intolerabilis dolor irrupit, parsque salutis absumpta putabatur, tanta patris absentia succedente. Universo itaque sanctimonialium cœtu in fletum et lacrymas erumpente, venerabilis Abbatissa viscerali commota pietate, rapto cursu ad sancti viri exequias quam celerrime properavit. Cumque inter eos de funeris diligentia tractaretur, illa perquirente an loculus tumulando præparatus corpori adesset, responsum est, emptum quidem esse a quodam illustri viro, Walberto nomine, lapideum monumentum, verum proceritati corporis ejus nullo modo convenire. Fuit enim ibi sacratissimus vir non solum animo splendidus, sed etiam venusto et procero corpore speciosus, ut illi quoque perhibent, qui ejus sacratissimi corporis ossa se *a* aspexisse fatentur. Missis itaque raptim ministris ad id devehendum, mox mirum in modum miraculo claruit quod summi esset meriti, cui funebres exequiæ parabantur. Nam cum idem Walbertus quosdam e domesticis direxisset, qui emptum sarcophagum iis qui illud deferre venerant assignarent, superna dispensante clementia tanta eos alienatio mentis elusit, ut pro vasculo breviore quod emptum fuerat, aliud spatiosius et capacius, quod sibi idem Walbertus præparaverat, designarent. Quod illi vehiculo imponentes ad locum, quo vir sanctus se tumulandum decreverat, quam citissime perduxerunt. Ita omnipotens Deus, cui cura est de omnibus, nec ipsis quidem cineribus electi sui famuli quidpiam deesse passus est opportunum.

Fuit proceræ staturæ.

a

Miraculose capax ei sarcophagus curatur.

24 Universis igitur ad usus sepulturæ pertinentibus elegantissime præparatis, supradictus reverendissimus Pontifex Abbatum suburbanorum, clerique ac populi agmine circumseptus, ad B. Frodoberti exequias properat, cum adhuc sacrum ejus corpus in cella Christiano more compositum jaceret. Qui primum, ut ratio expetebat, ad præfatæ basilicæ dedicationem accingitur peragendam : quam cum solemni officio explevisset, sacrum corpus cum reverentia elevans in ecclesiam intulit, ac die ejusdem dedicationis, Kalendis scilicet Januariis, cum hymnis et laudibus et universo Ecclesiastici officii apparatu pretiose in eadem basilica, quam ipse construxerat, tradidit sepulturæ. Ita vir Domini terræ visceribus officiosissime commendatus, septimam sabbati cum Christo in anima celebrat, octavam vero nostræ omnium resurrectioni generaliter repromissam interritus, imo de gloria securus exspectat, etsi corpore mortuus, meritis tamen vivacibus in perpetuum gloriosus.

Sepelitur, ecclesia jam dedicata.

25 Requievit itaque in eadem basilica per quamplura annorum volumina, multo confluentium undique populorum agmine frequentatus, et pæne assiduis miraculorum successibus sedulo declaratus. Quis enim ad sanctam ejus memoriam fideliter oraturus accessit, quem non continuo affectus devotæ orationis adjuverit? Varia denique ibi tam animarum quam corporum remedia præstabantur, dum et debilibus optata sospitas, scelerum immanitate depressis felix indulgentia proveniret. Sed et si quis capitali qualibet afflictione detentus, ad Sancti se præsidium contulit, ejus consolatus beneficio, celere mox levamen invenit. Ita benignus conditor per electissimum sui nominis Confessorem multa et mirifica peragebat : quemque viventem copiosis bonorum operum stipendiis cumulaverat, mortuum quoque indefessis miraculorum titulis sublimabat. Quocirca universorum pectora mirus erga Sanctum fervor accenderat, ita ut plurimi contiguorum Nobilium, sed et sanctimonialium feminarum, non modica locum ipsum

Claret miraculis.

Multa donantur monasterio.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ipsum prædiorum quantitate ditarent; tam pro adipiscenda sepultura, quam omnes ibidem quam maxime expetebant; quam etiam ut his qui sacro famulabantur corpori, competens alimonia non deesset, utque ii, quos ex remotis regionibus Sancti fama sedulo contrahebat, impensæ humanitatis officio juvarentur.

a *Probabile est id factum esse in translatione, tempore Caroli Calvi, cujus ætate hanc scriptam videri vitam supra diximus.*

CAPUT VII.

Cultus neglectus, restitutus.

Negligentius colitur: cessant miracula.

Interea currentium temporum labente defluxu, cum et iniquitas abundaret, et multorum cœpisset refrigescere caritas, universus ille erga Sancti officium fervor intepuit, cultuque religionis cessante, illa olim frequentia rarescente, ad tempus tepuere miracula. Hujus autem teporis vel torporis perniciosa incuria, hoc ordine incurrit. Fabrica ejus ecclesiæ, quam ipse, ut superius constitit, ædificaverat, et in qua sacrum ejus corpus debitis obsequiis diutius fuerat frequentatum et conservatum, antiquitate operis paullatim collapsa succubuit, ac nemine fulciente, ruinæ funditus dispendium traxit. In cujus loco altera cum extrueretur ecclesia, venerabile beati Confessoris corpus in crypta prioris basilicæ immotum intactumque permansit. Erat per idem tempus

a præfatæ sedis Antistes, *a* Prudentius nomine, natione Hispanus, Pontificalis vitæ institutione clarissimus, in divinis rebus undecumque non mediocriter eruditus. Is ad prædictæ basilicæ consecrationem a fratribus evocatus diligentius percunctatur, utrum inter sacrandos parietes, sepulta aliquorum cadavera tegerentur. Cumque comperisset inesse quam plurima, universa prius de templo eliminanda præcipit, contestans se non aliter consecrationis officium susceпturum: ignorabat enim adhuc prænominatus Pontifex B. Frodoberti meritorum eximiam claritatem, temporum negligentia obscuratam: quippe qui vitam illius, fide et miraculis plenam, nec lectione perceperat, nec uspiam eatenus haberi compererat.

Nova ecclesia dedicatur, remoto Sancti corpore.

Jubetur corpus reportari.

27 Explicita sane templi dedicatione, cum in urbem reversus miracula per sanctissimum Confessorem patrata, ex revolutione gestorum ejus curiosius cognovisset; primo quidem semetipsum præteritæ ignorantiæ vehementius arguit, quodque tanti Patris caussam minus honeste tractaverat, mordaciter reprehendit, ac deinceps suæ sedis Archidiaconum cum universo Clericorum dirigit apparatu, obnixe præcipiens, ut corpus viri præcellentissimi in ecclesiam cum ingenti reverentia referretur. Simulque terminum diemque præfixit, ut ipse veniens, condigna illud honorificentia collocaret, ac sacræ Translationis ejus festivitatem, publica officiositate percelebrans, perpetuo ritu posteris frequentandam indiceret. Verum hujus sancti proventum desiderii, supervenientis ægritudinis pondus elusit. Nam vicina e vestigio morte præventus, quod pie disposuerat, explere non valuit.

28 Itaque usque ad an. incarnati Verbi DCCCLXXII, qui est annus Caroli Imperatoris et Regis Franciæ *b* XXXI negotium restitit imperfectum. Otulpho religiosissimo ac venerabili Episcopo, qui post

b

c ipsum *c* tertius floruit, Trecassinæ jam Ecclesiæ gubernacula disponente, solummodo intra basilicæ ambitum collocatus, a loci fratribus cauta venerabatur diligentia; nullis populorum conventibus frequentatus, nulla solemni præeminentia celebratus. Non tamen superna benignitas, sidus illud perspicuum, caliginosis latebris diutius passa est occultari, quin et ipsius merita mundo patescerent, et efficax intercessio populis subveniret. Ea itaque tempestate cœpit se erga locum divinæ præsentiæ magnitudo quam plurimis fratrum ostendere, ac frequentium visionum portentis servorum Dei pectora perurgere. Nonnulli enim secretioribus per noctem vigiliis in ecclesia occupati, voces mellifluas super sepulchrum ejus quasi Clericorum concinentium audiebant, alii per gyrum sepulchri, disposita quasi quædam splendidissima luminaria cernebant: ut aperte constaret, quod cui humana obsequia minus aderant, divina ei et Angelica officia suppetebant. Præterea columba candoris lactei de cœlis visa est descendisse, ac postquam aliquamdiu circumvolitaverat, sepulchri abdita penetrasse. Per soporis nihilominus quietem pluribus videbatur, tamquam idem Pater sanctissimus, sacro emergens a tumulo ante aram Apostolorum Principis sese ageret, atque ad orationis studium daret. Per hæc et hujusmodi portenta mirifica, luce clarius eminebat, quod Confessor Domini pretiosus, inertem culturam indigne ferens, et sepulturam sibi condignius præparari, et obsequii reverentiam impensius institui decernebat. Illud quoque ad hanc rem auctoritatis non minimum afferebat, quod quibusque ad sacrum sepulchrum procumbentibus, affectus orationis, et ubertas compunctionis largior afluebat: atque ut quod de eo visiones evidentissimæ suggerebant Cleri consummarentur affectu, omnium inexplebiliter animus æstuabat, occulta nimirum inspiratione Dei singulorum pectora inflammante, atque ad tanti effectum negotii sancti desiderii stimulis perurgente.

Auctore Monacho Cellensi, ex Nic. Camuzæo.

cantus, luminaria,

candida columba.

Sancti apparitio,

sensus pietatis ad ejus tumulum.

a *Colitur* S. Prudentius *Episcopus Trecensis* VI *Aprilis. Recensetur* XXXVII *Trecensis Episcopus. Interfuit Concilio Parisiensi, anno* 846, *Turonensi* IV, *an.* 849. *Suessionensi* II, *an.* 853.

b *Videtur hic scriptor annos Caroli numerare a divisione regni facta inter fratres, alioquin a morte Ludovici Pii erat* XXXII, *vel* XXXIII.

c *Nam post* S. Prudentium *sedit* Fulcricus, *qui concilio Suessionensi, an.* 866, *interfuit. Huic* Otulphus, *sive* Otulfus *successit, qui Pontigonensi concilio an.* 876 *subscripsit.*

CAPUT VIII.

Inventio corporis, miracula.

Talibus tamque conspicuis prodigiis animati, venerabilem Otulfum Pontificem adeuntes, tantique Patris præ manibus gesta ferentes, ut ipse divinæ voluntatis erga Sanctum et cooperator et maturator existeret, instantissime supplicabant. Utque cerneres divinitatem votis famulorum fidelium usquequaque faventem, confestim Episcopus intimæ inspirationis ignibus animatus, eo ardore negotium suscipit; ut Abbatem et fratres a quibus fuerat supplicatus ipse postmodum ad accelerandam cœpti operis efficaciam monitis frequentibus perurgeret, indefessis precibus persistendum exhortans, ut divina pietas quos suæ voluntatis conscios fecerat, votorum quoque utilium compotes esse donaret.

Decernitur facienda translatio.

30 Itaque ad tanti inchoationem operis primam diem Quadragesimalis abstinentiæ delegerunt, in qua ineffabilis divinæ dignatio pietatis, hoc primum humanæ evidentiæ miraculum declaravit. Accedente Abbate cum fratribus ad pavimenti lapides revolvendos, lapis ille qui sacro superpositus fuerat monumento, nemine impellente ita in partem lubricus ruit ut ceteris immobiliter persistentibus hunc summo impellentium nisu coactum violentius cessisse putares. Intellectum est ab omnibus sacri virtute corporis eum fuisse repulsum, quod pie quærentibus ultro se videbatur ingerere. Pertinacius itaque operi insistentes, ad reverendi tandem thecam corporis pervenerunt, cujus intima debitæ cautela reverentiæ illis perscrutantibus, ad augmentum miraculi in quodam osse corporis sanctissimi Confessoris guttæ auri purissimi splenduerunt, credo illud evidentissime monstrantes thesaurum esse locupletissimum, qui divini largitate muneris patefactus, pia fidelium diligentia tractabatur. Et ea quidem nocte sanctum pignus eo perstitit modo, continuis laudibus ac vigiliis

Lapis tumuli ultro revolvitur.

Auri grana in osse apparent.

Varia ad ejus sepulchrum portenta:

AUCTORE MONACHO CELLENSI, EX NIC. CAMUZÆO.

liis sincerius honoratum. Crastino subeunte, Pontifex maturius adesse curavit, solemnique oratione præmissa, ad sacrum tumulum reverenter accessit cum fratribus psalmodiæ et litaniis attente insistentibus. Ipse cum Abbate et Sacerdotibus sancta ossa reverenter elevans, linteisque pretiosis obducens in loco mundissimo rite composuit, quem Pontificali annulo diligentius signans, sacris de more expletis ad propria remeavit.

Quidam matrem verberans, horrende punitur.

31 Exinde pervigili instantia sacri compositio ornatusque sepulchri accuratius parabatur, in cujus dilatione temporis, quid miraculi per præcipuum Confessorem superna dispensatio dignata fuerit declarare, nulla ratione credimus omittendum. Rathertus quidam nomine, pagi Ledunensis indigena, adversus matrem suam pro dividendis forte alimentis in segete jurgabatur : cumque suæ parti majores secernens manipulos, minores quoque matri relinqueret, illa fraudis impatiens, filium, ne talia faciendo Deum in se provocaret, sedulo commonebat. Tum miser furiali pectore inflammatus effertur in matrem, crinibusque ejus sinistro brachio circumplexis, ante pedes suos miseram impudenter elisit. Quem mox divina ultio comes excepit : nam sequenti nocte sinistri oculi cæcitate mulctatus, ejusdem quoque brachii tali afficitur detrimento, ut retro et ante semper illud motu agitans inquieto, conscientiam sceleris, exterioris quoque membri impatientia testaretur. Quin etiam in augmentum vindictæ sensu subducto, amentia plectitur infelici. At mater hujusmodi acerbitate confecta tertia die miserabili morte finivit. Pro hoc nefandissimo scelere, a Sacerdote loci, ad *a* Vigilem Senonicæ urbis Archiepiscopum perductus est : cujus præcepto carceri mancipatus squalores ergastuli triennio pertulit : fame deinceps invalescente dimittitur, ne inopia deficiens moreretur.

a

b

c

Multa visit loca Sanctorum.

32 Hinc ad S. Michaelis ecclesiam properat, eo loci qui *b* ad duas tumbas ex antiquo vocatur : unde digressus Romam expetit, quo tunc *c* Adrianus Papa Sedem Apostolicam gubernabat. Qui cum eum pergentem ad ecclesiam S. Joannis, quæ Lateranensis dicitur, inspexisset, mirabili portento, quod miser ob scelus circumferebat, attonitus, ad se eum præcepit evocari, caussaque ejus sollicitius perquisita, benigne eum ad pœnitentiam exhortatus, denuo eum ad B. Michaelis ecclesiam pergere, itemque ad se imperat remeare. A quo dimissus, cum in pagum Trecassinum fortuitu devenisset, una noctium somnio commonetur, ut ad basilicam sanctæ Dei genitricis et Virginis Mariæ sitam in villa, cui *d* Falcarias vocabulum est, candelam suæ longitudinis deportaret : ad quam qui a labore pariter et ægritudine fessus ire non poterat, per internuntiam personam dirigere curavit. Hinc ad S. Petri cœnobium, quo B. Frodoberti pretiosa pignora venerantur, forte devenit ; cumque die Dominica, quæ Domini Ascensionem secuta est, Sacerdos ex more publicis sacris operam daret, illeque ad ostium ecclesiæ orationi incumberet; vidit, ut ipse postmodum retulit, Clericum quemdam juvenili decorum habitudine ad se accedere, lumbisque ejus acerrime coarctatis toto se corpore validissime concussisse. Quo impulsu in terram elisus, diu immobilis jacuit ut pæne exanimis putaretur, cujus spatio intervalli, et quietem suæ brachii, et sensus capitisque integritatem recepit : indeque consurgens haustu aquæ percepto, præ ingenti lassitudine cum iterum obdormisset, eumdem Clericum, quem supra, conspexit hæc sibi verba familiarius inculcantem : Hoc, inquit, indumentum quo amictus es, suspende ad limina Frodoberti : erat autem pœnitentium more cilicio tantum indutus. Cumque de hoc sermone sollicitus, et domum Frodoberti se nescire fateretur, et non habere indumentum aliud causaretur, inter hæc ab uno de custodibus excitur. Tunc ille anxius enarrans quid viderat, Frodoberti domus quanam in parte esset, sedulus exquirebat. Cumque ipsam ecclesiam comperisset, ante cujus procumbens fores sospitati fuerat reformatus, inexplicabili alacritate profusus, templum insiluit, magnificans eum, gratesque persolvens, cujus beneficio et salutem receperat, et gravissimi levamen sceleris se adeptum esse gaudebat : depositoque illic cilicio ad sancti Archangeli Michaelis Ecclesiam ex præcepto Apostolico properavit. Res vere mirabilis et ad divinæ pietatis præconium solito referenda, quod ejus interventu salvatus est, cujus ne nomen quidem ante perceperat, cujus vocabulum mox ut divinitus didicit, animæ corporisque salutem ejus merito se recuperasse persensit. Multa præterea per eosdem dies, quibus sacri corporis dispositio parabatur, ejus merito beneficia provenere languentibus, hisque maxime qui diversa febrium valetudine profligati, ad B. Frodoberti opem se submissius contulerunt.

Ope S. Frodoberti curatur.

Varii a febribus liberati.

a *Camuzæus legendum putat* Egilem. *Nam sedebat eo tempore* Egil (*Cl. Roberto* S. Egilus) *ad quem extat Nicolai Papæ epistola tom.* 3, *Concil. Galliæ.*

b *Alias* De periculo maris, *in diœcesi Abrincensi : ut dicemus* XVI *Octobr.*

c *Hic est* Adrianus II, *qui ab an.* 867, *usque ad* 1 *Nov.* 872 *sedit.*

d *Forte* Foucheres, *inquit Camuzæus.*

CAPUTIX.

Translatio, anniversaria festivitas.

8 Januarii, Translatio S. Frodoberti.

Interea temporis serie defluente Kalendarum Januariarum dies illuxit, quo illum diximus mundanis exemptum laboribus, ad supernæ civitatis culmina subvolasse. Sed quoniam illa dies Circumcisioni Dominicæ specialiter mancipata, celebritatis alterius non patitur obsolescere superventu, B. Frodoberti dignitas iisdem suscepta Kalendis, minus celebris, minus videbatur esse solemnis; quod populus Dominicæ festivitatis cæremoniis occupatus non haberet liberum ad beati Confessoris gaudia ex voto confluere. Venerabilis itaque et memoratus Trecassinæ urbis Pontifex, cum Abbate et fratribus participato consilio, rationi congruum judicarunt, ut in octavum ab hinc diem prænominata celebritas differetur, quatenus et festivitatis dignitati prospicerent, et populorum desiderio, qui erga B. Frodoberti gloriam jam tunc inexplebiliter ardebant, consultius providerent. Igitur die sexto Iduum Januariarum accedente, nocturnalis officii functione completa, sacrum corpus devotis levantes in humeris, in vicinam B. Michaelis ecclesiam detulerunt. Quod ideo eis decernere libuit, ut et populi frequentia copiosior accederet, et effectus translationis die succedente celebrior redderetur. Ibi itaque matutinalibus hymnis augustius celebratis, Missis ab Abbate fratribus Pontifex invitatur, qui eo quo dictum est fervore succensus, rapto agmine Cleri et populi maturius adesse curavit.

Gelu et nix cæteris obtenta ad convenientium commoditatem.

34 Quid sane miraculi tum quoque contigerit, succincta relatione constabit. Erat tempus implacidum, et, ut se habent hiberna, profusis paludibus inquietum. Noctis itaque præteritæ superventu, cum ea quæ ad futuræ translationis obsequium pertinebant, Abbas cum fratribus præpararet; considerata aquosa temporis qualitate, anxie secum de populi superventuri inquietudine pertractabant. Et utinam, inquit Abbas fratribus, superna pietas per hujus beati Patris meritum paludis mollitiem gelu constringeret, et nivium superventu difficultatem itineris temperaret. Mox devota desideria clementia creatoris excepit, noctemque totam glacialis rigor validissime coarctavit. Circa gallicinium vero tanta nivium congerie terra obducitur, ut universis liquido claresceret B. Frodoborti patrocinio, ad suæ translationis occursum, facultatem opportuni itineris populo præparatam.

35 Itaque omnibus rite provisis, quæ tantæ diei officiositas

officiositas exposcebat, pretiosi gleba corporis de B. Michaelis basilica a Pontifice elevata, hymnorum concentibus in sublime sublatis, in Apostolorum Principis ecclesiam introfertur, tanta gaudiorum pompa, tanto tripudio populorum, ut sole clarius patesceret, præcellentissimi hunc apud Deum esse meriti, cujus apud homines tanta tamque ingens gloria refulgebat. In loco igitur præparato incomparabilis ille sanctissimi corporis thesaurus deponitur, cunctisque sepulchri ornamentis opportune compositis, a parte capitis ara honori Innocentium Martyrum consecratur, sacrorum quoque cultus solemnibus officiis expenditur, et festivitatis ejus privilegium, cunctis postea seculis immutabiliter observandum Pontificali auctoritate sancitur. Dies tota omnibus lætitiis afflata peragitur, quantoque studio a posteris frequentari debeat, iis primis officiis designatur. Ex variis.

Festum Translationis anniversarium.

36 Tantis itaque per B. Frodoberti merita beneficiis cumulati, grates et beneficia et gratias inexplebiles omnipotenti Deo et agimus et habemus : qui nobis sibi famulantibus, nostræ gentis, nostri ordinis peculiarem dignatus est præparare patronum, qui loci istius et a fundamentis propagator existeret, et sua illum habitatione proveheret, exemplis beatissimis illustraret, obitu sanctissimo consecraret, quique vivens signorum dote refulserat, mortuus imo feliciter immortalis locum suum et præsentia lætificaret, et patrocinio protegeret, et miraculis indeficientibus perornaret : horum omnium auctore, auspice, et cooperante immortali Deo, cui perpes gloria, infinita victoria, majestas et dignitas sempiterna, ex tunc et nunc et in omnia secula seculorum. Amen.

DE S. GUDILA VIRGINE, BRUXELLIS IN BELGIO.

Circiter an. DCCXII. VIII Januarii. *S. Gudilæ natalis.*

Bruxellis (quæ Brabantiæ Ducatus urbs est, Belgii Principum sedes) solenni celebritate colitur VI *Id. Januarii S.* Gudila, *sive* Gudula, *aut* Guodila, *Belgis* S. Goele, *sive* Goule, *Virgo. De qua proprium illius Ecclesiæ Martyrologium :* Depositio S. Gudilæ Virginis patronæ nostræ, cujus sacri corporis reliquiæ hic venerantur. *Addit Molanus in Addit. ad Usuard.* Ad cujus tumulum apud Ham Brabantiæ tempore hiberno populus, sine manibus putantium mox excrevit, et virens ut nemus fronduit. Quorum utrumque fecit Deus, officio quo novit et voluit; et potestate qua valuit, in testimonium ejusdem Virginis, in domo Domini ut palma florentis. *Brevius Usuardi Martyrologium auctum editumque Parisiis an.* 1536, *et plurima* MSS. *sub nomine Usuardi, et Carthusiani Colonienses in Addit. ad Usuard.* Apud Bruxellam natale S. Gudulæ Virginis. *Eandem hoc die referunt Ferrarius, Ghinius in natalib. SS. Canonicorum, Andreas Saussaius in Martyrologio Gallicano, Martyrolog. Gallobelgicum, Florarium, alii. Miror in Henrici Adriani Belgico Martyrologio ejus minime nomen extare.*

2 *Petrus Galesinius :* Bruxellis S. Gudilæ Virginis. Hæc illustri genere nata, a B. Gertrude in monasterio instituta, ut ætate, sic Christianis moribus progrediens, perpetuo se religiose exercuit in vigiliis, oratione, jejuniis, et omni pietatis officio. Ejusdem reliquiæ ibidem asservantur magna cum veneratione. *Reliquiæ.* *Eadem fere habet Wion, et Hugo Menardus, qui cur eam, uti et Dorganius, Benedictinis accenseant, non video. Eadem de reliquiis tradit Martyrologium Germanicum. Et fuerunt eæ quidem sex ferme seculis isthic religiose custoditæ; sed, ut scribit in Hierogazophylacio Belgico Arnoldus Rayssius,* ultima Belgicarum dissensionum tempestate, a fanatica Geusiorum rabie dispersæ fuerunt; *aut si a piis hominibus eorum subtractæ sunt furori, et in aliquas abditæ latebras, ignotæ certe adhuc permansere.*

Vita. 3 *Vitam S.* Gudilæ *genuinam damus : priorem ex* MS. *codice Collegii Societatis Jesu Brugis, auctore Huberto quodam, qui quantum ex fine colligere est, post annum* MXLVII *vixit, cum translationis eo anno a Lamberto Baldrico Comite Lovaniensi factæ meminerit. Alteram ex hac, phrasi etiam subinde retenta, plerumque temperata, ab anonymo quopiam concinnatam edidit Surius, quam tomo* I *Historiæ Francorum citat Andreas du Chesne. Franciscus Haræus tom.* I *Annal. Brabant. in* Carolo, *Clericos Bruxellenses facit hujus vitæ auctores. Surius qui eam se ex pervetusto codice descripsisse tradit, phrasim quoque fatetur passim emendasse, sed modice, ut nos quoque cum Breviario Bruxellensi diu ante Surium excuso eam conferentes observavimus. Extat alia brevior aliquanto in* MS. *Rubeæ vallis et Corsendoncano, quæ ex harum alterutra videtur ab Antonio Gentio aut Joanne Gillemanno contracta. Aliam antiquiorem, sed rudem atque incultam, citat initio Prologi Hubertus, quam hactenus nusquam reperimus. Eam citat Baldericus Episcopus Tornacensis in Chronico Cameracensi lib.* 1, *cap.* 16, *quod caput,* XV *Januarii integrum dabimus cum de* S. Ableberto, *sive* Emeberto, *erit sermo.*

4 *Sed lapsus memoria ibidem Baldericus videtur, cum post* Bertoaldum, *ante* S. Autbertum *sedisse* S. Emebertum *scribit, quem fatetur sorori* Gudilæ *fuisse superstitem.* Gudila *a* S. Gertrude *de sacro fonte suscepta, apud eam Nivellæ pietate et litteris imbuta; ea denique mortua ad paternam domum revertit. At mortua est* S. Gertrudis, *ut suo loco ostendemus, anno ætatis* XXXIII, XVI *kal. April. die Dominica, an.* DCLXIV. *Vixit deinde* Gudila *privata ad annum, ut vult Miræus in Chronico Belgico,* DCCXII, *adeo ut* Caroli Magni *temporibus adhuc in vivis esset quidam qui eam adolescens noverat. Unde, ut alibi pluribus deducemus, non* Bertoaldo, *sed* S. Vindiciano *successisse* Emebertus *dicendus est. Scripserunt præterea S. Gudilæ vitam Franciscus Haræus, Zacharias Lippelous; Hispanice Pet. Ribadeneira; Germanice Henricus Fabricius; Belgice Henricus Adriani, et Heribertus Rosweydus; Gallice Clemens Marchantius, Jacobus Doubletius, Guilielmus Gazæus; Italice Silvanus Razzi.* *Ætas.*

5 *Translationes reliquiarum* S. Gudilæ *factæ complures. Nam ex Ham pago Morzellam* Caroli Magni *temporibus deportatæ sunt : inde Capræmontem, vastata a Nortmannis Morzella : huc postliminio revectæ; Bruxellam a* Carolo Duce Ludovici Transmarini *Francorum Regis filio, Brabantiæ Principe, translatæ sunt, atque in* S. Gaugerici *æde collocatæ : ac tandem anno* MXLVII, *a* Lamberto Baldrico *Duce in* S. Michaelis *ecclesia, quæ nunc* S. Gudilæ *dicitur, honorifice reconditæ sunt. Prima Translatio celebrari consuevit ab Ecclesia Bruxellensi* VI *Julii, (non Junii, ut in notis ad Martyrol. scripsit Galesinius) officio duplici, ut ex Breviario illius Ecclesiæ patet. Quo die isthæc habentur in Martyrologio Bruxellensi :* Translatio S. Gudilæ Virginis nostræ patronæ. *Consentiunt Carthusiani Coloniens. in Addit. ad Usuard. Martyrol. Germanic. et Colon. Radulphus de Rivo, ac Ferrarius. At* MS. *Florarium :* Apud Morsellam S. Gudulæ Virginis translatio. Illuc quippe primo fuit transportata de villa Ham, ubi primitus sepulta fuerat, comitantibus miraculis : nam arbor, quam populum ferunt, quæ eadem nocte ad sepulchrum ejus viruerat, huc quoque se transtulit; et in ipso itinere surdus auditum recepit. Postremo vero translata est de Morsella in Bruxellam, ubi nunc quiescit, anno salutis MXLVII. *Sed fallitur Auctor Florarii : non eo anno, sed circiter* CMLXXVIII, *translata est Bruxellam, ut infra dicemus. Referunt illam quoque Translationem Arnoldus Wion, Benedictus* *Translatio prima.* *secunda.*

Ex variis. *nedictus Dorganius, Hugo Menardus, quasi, quod in Nivellensi parthenone sub S. Gertrudis disciplina erudita sit ad pietatem, Benedictinum institutum censeatur complexa; quam rectius Rosweydus noster iis adnumerat Virginibus, quæ in seculo sanctam vitam egere. Remur autem eo die non tam primam illam Translationem recoli qua Morsellam, quam posteriorem, qua Morxella Bruxellam sunt, non sine illustri pompa, deportatæ ejus reliquiæ.*

Tertia. 6 *Deinceps vero ad S. Michaelis ecclesiam translatæ sunt a Gerardo* I, *Cameracensi Episcopo, (in cujus diœcesi tunc erat Bruxella, quæ nunc Mechlinensi subest Archiepiscopo) procurante Baldrico Duce, qui in diplomate suo (apud Miræum in Fastis Belgicis et libris donationum Belgicarum) dato anno* MXLVII, *Indict.* XV, *ita loquitur* : Quapropter ego Baldricus parochialem ecclesiam Brucsellæ consecrari feci, et in ea corpus sanctissimæ Virginis Christi Gudilæ, quanta potui honorificentia transtuli, quod in ecclesiola S. Gaugerici negligenter positum inveni. *Ejus Translationis memoria in Bruxellensi Martyrologio ad* XIV *Septemb. consignata est his verbis* : Eodem die dedicatio hujus ecclesiæ, ac ad illam translatio corporis B. Gudilæ Virginis. *Consentiunt Molanus in Addit. ad Usuardum, Wion, Menardus, Dorganius, Ferrarius, Martyrolog. Germanicum, et Gallicanum Saussaii. An eo die translatio contigerit, an ut in vita dicitur* XVI *Novembris, haud nobis constat. Eo anno* XIII *Septemb. Dominica fuit, fuit et* XV *Novembris. Solent autem ejusmodi solemnitates fere Dominicis peragi, ut majori populi universi tum feriantis frequentia honorentur. Neutra tamen die, sed Dominica post festum S. Dionisii mense Octobri celebrata deinceps dedicationis solemnitas est, ut patet ex veteri Breviario illius Ecclesiæ.*

Ecclesiæ dedicatio.

VITA

AUCTORE HUBERTO.

Ex MS. *Societatis Jesu Brugis.*

PROLOGUS.

a Dilectissimo fratri *a* Alberto, Hubertus servus servorum Dei; et hic secundis successibus Christo obsequi, et in futuro cum tripudio astare ejus conspectui.

b Attulisti ad nos nuperrime *b* quaternium, Frater amantissime, in quo pauca continebantur de virtutibus almæ virginis Gudilæ. Ipsarum quidem rerum continentia auro obrizo topazioque præferenda; sed lectionis compositio barbarismis ac solœcismis pro modulo sui adeo referta, ut probaretur esse plus quam rustica. Quod scriptorisne obtigerit negligentia, an dictatoris inscientia, a nostra omnino remotum est conscientia. Ergo nostra parvitatem appellasti humiliter, ut ipsorum sensus gestorum excipiens fideliter, meis verbis dissererem scholariter, atque ordinarem competenter. Ego autem ad primum hortamen Caritatis tuæ, id ipsum differre, quam malui facere; duas ob caussas maxime deterritus ab attentando hoc opere; tum quia non hactenus attigissem hujusmodi formam materiei, tum quoniam super vires meas viderem esse hoc negotium, in quo meis

Auctor tenuitatem excusat.

c *c*.... ac per hoc prudentioribus omni conamine esset laborandum : ne dum ego juvenculus et, ut vere fateor, salis nullius, præsumerem aptare me ad illud subeundum.

2 Sed iterum et tertio super hac re a tua familiaritate monitus, adjudicavi me tuis assensurum petitionibus. Cum enim voluerem in animo multa meæ timiditatis tardacula, occurrit mihi illa sapientissimi

Sap. 10. 21. viri sententia; quia sapientia aperuit mutorum ora, et linguas infantium fecit disertas; illudque Davidi-

Psal. 80. 11. cum sub sponsione Dei prolatum : Dilata os tuum, et implebo illud. Tandem corroboratus horum fulcimento testimoniorum, ipsiusque caritatis instinctu pulsatus admodum, quæ omnia sustinet, ut testatur Doctor Gentium, arripui onus injunctum. Itaque quo genere hæc sanctissima virgo decurrerit, cujus sanctitatis vitam transegerit, quantisve vivens ac post obitum miraculis effulserit, stylus noster declarabit. Bona vero venia flagito a lectoribus, ut fidem adhibeant dictis, neque autument quicquam me scripsisse, nisi compertum et probatum. Alioquin mihi sanctius esset tacere, quam falsa dicere. Nec attendant nostræ rusticitatis verba, sed facta, meminerintque non ab oratoribus, sed a piscatoribus inchoasse sanctæ Ecclesiæ rudimenta. Nunc adsit virtus Spiritus sancti, quæ moveat organum oris nostri infantissimi. Hæc gloria haudquaquam illi est nova : ipsum enim mutum subjugale Balaam humanas fecit effundere loquelas : primitus etiam credentibus diversas dividebat linguas. Meum quoque palatum suo rore dignetur irrigare, ut sit sufficiens ad enarrandas virtutes domus suæ, scilicet virginis inviolatæ : per cujus intercessionem ego scriptor, tu autem monitor, pariterque universi qui tecum sunt fratres, a nexibus peccatorum expediamur omnes, atque, ab infernali incendio extorres, mereamur fieri divinæ gloriæ participes.

1. Cor. 13. 7.

Non nisi probata scribit.

Num. 22. 28. S. Gudilæ patrocinium implorat.

a *Hic est fortassis* Albertus, *sive* Olbertus, *monachus Lobiensis, ac deinde Abbas Gemblacensis, qui miracula et translationem* S. Veroni *descripsit : cujus æqualis fuit* Humbertus *Presbyter, Lembecanus,* vir, *ut ipse Olbertus testatur,* secundum modernorum hominum vitam non spernendus. *Non inde tamen certo possumus statuere, hunc esse vitæ* S. Gudilæ *auctorem : solum id præstruimus feliciori cujuspiam conjecturæ.*

b *Quaternionem, sive libellum quatuor foliorum.*

c *Aliquid hic deest.*

CAPUT I.

S. Gudilæ ortus, religiosa institutio.

Beata igitur Gudila virgo dignissimum habuit ortum in *a* Brabantensi pago : germine nobilis, sed nobilior indole mentis : parentibus secundum seculi dignitatem excellenti insignitis prosapia, et in administrationem Reipubl. adeptis honorum fastigia. Pater siquidem ejus extitit *b* Witgerus; quem in fascibus Comitatus egisse accepimus : genitrix vero ejus generosissima *c* Amulberga constat nuncupata. Ipsa autem virgo regali celsitudine progenita tam religiosissimam, quam etiam nobilissimam duxit genealogiam. Copulabatur enim sanguine *d* S. Gertrudæ, quæ filia Pippini connubia viriliter contempsit in terris, ut esset apta cælestibus thalamis. Efferebatur quoque sanctarum *e* Aldegundis ac *f* Waldetrudis cognatione; quarum prior, Deo dicata sua virginitate, se sub regulari cohibuit districtione, atque in eodem cælibatu curriculum peragens vitæ, nunc immaculati sponsi comitur diademate; altera vero sub annis pubertatis nupta *g* cuidam Duci post suscepta ex pudico matrimonio *h* sancta pignora, depositis sericis auro gemmisque radiantibus induviis, similiterque supellectilibus reliquis in usus pauperum prorogatis, ex hujus mundi naufragio evasit nuda, diu desiderata capiens velamina sacri Ordinis. Denique, ut fieret in propatulo quam longe esset ab illa domo, cujus indigena erat nostra virgo, improbitas, et quam domestica inhabitaret probitas; habuit sorores sanctitate famosas, videlicet, Reinildem, atque *i* Pharaeldem, germanumque fratrem S. Emebertum Episcopum Cameracensem. Sed nimia verbositatis usi multitudine, dum nobis est intentio seriem ejus generationis adnotare, jam dirigamus ad sequentia cursum orationis nostræ.

a

S. Gudilæ patria,

b

parentes,

c

d

cognatæ,

e

f

g

h

sorores, frater.

i

4 Cum præfata genitrix ejus ex ipsa foret gravida; ut moris est parturientium, anxietatis fluctuabat procella, multo magis futuro partui sollicita, bonisne polleret moribus, an obscœnis inserviret delectaminibus. Sed quis angulus *k* verbi valeret relinqui tristitiæ, ubi rerum sapientia templum sibi visibiliter quodammodo

k

quodammodo noscebatur fabricare, totumque occupaverant virtutum catervæ, ac ardor compleverat cœlestis gloriæ? Nec decebat angore affici diutino, quam tantæ bajulam gemmæ Divina proposuerat prædestinatio. Igitur is de quo Prophetica oracula testantur : Et in servis suis consolabitur, hujusmodi refocillatione famulam suam recreare dignatur. Nox erat, et terris mortales somnus habebat; cum eadem materfamilias sopori dedita Angelum adspicit adesse ab astris, qui videbatur ejus timorem his demere dictis : Solve metum corde, curasque mordaces seclude, utpote pretioso fœcundate germine. Ipse nempe regnator omnium regnorum me tibi claro demittit olympo, qui cælum et terras numine torquet, ipse tibi hæc solamina me ferre jubet : Concepisti fideliter, paries feliciter, venerabilis filiæ mater. Hæc tibi fabor enim, quando hæc te cura remordet, ab ipso puellari ævo adhærebit cæremoniis, in quibus perseverans usque ad metas vitæ brevis, palmam vitæ capiet perennis. Tali locuta ore visio Angelica eam completo sermone reliquit, auramque in tenuem evanuit. At illa talibus exhilarata visis, corpus e stratis corripit, et ad cælum supinas manus cum voce tendit, et parans cœlitus delatis credula corda responsis, largitori omnium bonorum gratias reddidit. Hic prisca renovantur præconia, quæ referre libet a fidis voluminibus prodita. Sic denique Esau et Jacob antequam in lucem profunderentur, matri duo ex ejus utero dividendi præfigurantur populi : sic præsagus Symmysta Dei et abstemius præco Agni Joannes generandus de sterili corpore Elisabeth, heu male ambiguo prætitulatur patri.

2. Machab. 7. 6.

Angelus sanctitatem ejus prænuntiat.

Gen. 25. 23.

Luc. 1.

5 Edita autem virguncula Dei Gudila, et vitali regenerationis lavacro immersa, ex ipso fonte suscipitur a Gertrude sancta, ejus scilicet nepte præmemorata. Sub cujus pedes postmodum adulta traditur Doctoribus scripturarum : et illi quidem eam imbuerunt scientia litterarum non sæcularium, sed sale divinæ legis salitarum. Hæc autem ut apes argumentosa per cordis alvearia sui dispergebat nectar earum, conficiens inde favos mellitorum operum, et concipiens timorem Domini castum, quod est sapientiæ initium. Si quidem inerant ei cum tenera ætate matura jam studia, et, ut audiret incognita, religiosis senibus indagatrix adhærebat solertissima, tenacique memoriæ congerebat sumpta doctrinæ semina. Non suis, ut solet illa ætas, pro variis et delicatis cibis unquam tædio fuit, non sectans escæ mollioris blandimenta : his solum quæ dabantur contenta fuit. Ad ecclesiam sæpe cum sanctimonialibus conveniens, non infantium lascivias, nec puellarum negligentiam sectabatur; sed tantum ea magnipendens, quæ legebantur, utilitatem præceptorum vitæ institutione exequebatur.

a S. Gertrude de sacro fonte suscipitur, eruditur.

Lautitias negligit :

dedita pietati.

6 Sane docibilis adolescentula, cum transmisso communiter stylo surgentis infantiæ, ad bivium Pythagoricæ pervenisset litteræ, incunctanter sinistrum ramum cum sæculi voluptate relinquere, et dextrum cœpit cum cælesti desiderio totis viribus anhelare : non, ut huic inolitum est ætatulæ, proclivis ad ima, aspera erat monitoribus; quinetiam senilibus intenta operibus, non in propriis ambulabat voluntatibus, sed in Dominicis dispositionibus. Crescente enimvero de die in diem ætate, crescebat morum probitate, veluti condecens erat Dei famulæ. Erat enim corpore casta, mente incorrupta, amabilis cunctis, affabilis universis, prudentia callens, fortitudine vigens, frænis temperantiæ serena, justitiæ vigore severa, longanimitate infatigabilis, patientia et humilitate laudabilis, mansuetudine et pietate præstabilis, fervens caritate bis tincta, stabilis fide robusta, longanimis spe inconcussa. Harum omnium virtutum commercia exaggerabat ejus in animo cuncta disponens sapientia.

Floret virtutibus.

a *Magna pars ejus regionis, quæ* Brabantum, Brachbantum, Brachantum, Brachantum, *a scriptoribus appellatur, in Flandrensium Hainoensiumque Comitum jus concessit. Nomen retinuere Lovanii Comites, suæque ditioni late deinceps ad Batavix fines ac Mosam amplificatæ commune fecerunt, ut a pluribus jam seculis Belgicarum provinciarum princeps habita* Brabantia *sit; de cujus antiquis populis atque etymo pluribus agemus in vita B. Pipini* XXI *Februarii.*

b *Is deinceps Lobiis monachus fuit, ut* X *Julii dicemus.*

c *Vulgatius* Amalberga, et Amelberga. *Ea Malbodii in S. Aldegundis cœnobio sanctissime vitam conclusit, colituruque* X *Julii in Binchiensi oppido apud Hannones ubi corpus quiescit, Lobiis, et alibi.*

d S. Gertrudis, *sive* Gertrudæ *Virginis vitam dabimus* XVII *Martii.* e XXX *Januarii.* f IX *Aprilis.*

g S. Vincentio Modelgario, *de quo* XIV *Julii.*

h S. Landericum, *sive* Landricum *Episcopum Meldensem, qui* XVII *April. colitur :* SS. Aldetrudem *et* Madelbertam *Virgines, ambas Malbodii Abbatissas; de* Aldetrude *agemus* XXV *Februar. de* Madelberta VII *Septembris : et* S. Dentlinum, *qui Resæ in Clivia colitur, ut* XIV *Julii dicemus.*

i *De* S. Pharailde *Virgine egimus* IV *Januarii. Sed si illa soror fuit S. Gudilæ, necesse est S. Amelbergam bis nuptam fuisse, licet invitam, primum Theodorico Duci, qui ante ex alia uxore duos filios susceperat, quorum mentio fit in vita Pharaildis, atque ipsam Pharaildem; denique Witgero Comiti.* k *Legendum videtur* ibi.

§ AUCTORE HUBERTO, EX MSS.

CAPUT II.

Sancta ejus vita. Dæmonis insidiæ.

Interea repedat ad limina *a* parentum, pectus sitibundum referens haustu sapientiæ refertum. Utrimque redundabat jucundatio : isti applaudebant proli suæ super fama boni odoris, ac ejus virtutibus almis; illa exultabat de affectibus illorum erga se benevolis.

a Domum redit.

8 Erat autem in confinio villa, *b* Morzella vocabulo, distans ab eorum mansione duorum milliarium interstitio : in qua ædificatum fuerat oratorium in honore Sancti Salvatoris dedicatum. Hunc locum diligens, beata Dei virgo expetiit, remota a suis, vitans eis esse molestiæ in omnibus saltem modicis negotiis, atque appetens vacare solius contemplationi divinitatis. Verum quanto exercitio se ibi aptaverit obtutibus majestatis supernæ, non est humanæ opis explicare; etiamsi cuncta corporis membra verterentur in linguas, et singuli artus voce resonarent humana. Orationibus protelatis deputabat dies, continuabat, et noctes, pernox in vigiliis, strenua in psalmodiis, exercita in jejuniis, mactabat se holocaustum Christi conspectibus, cui se totam devota tradiderat ab annis puerilibus. Et cum solo hic esset corpore, quotidie animo ad æterna transire festinabat : et quam acceptabilem se scrutatori renum cordiumque exhibebat, etiam per exteriora opera clarescebat. Nam eleemosynarum clementiæ dedita, numquam sufferebat vacuam proximi reliquisse miseriam : ad quæ supplenda suppeditabat ei cura parentum affluentia; quandoquidem reipsa probabant, quod super ea Angelicum præconium prætexerat. Sermo quoque illius, juxta Apostolum, sale erat conditus : sæpissimis genuum flexionibus accommoda, cum lacrymis et compunctione cordis Dominum obsecrabat, ut quæcumque meditaretur vel ageret, in conspectu ejus accepta forent. Ipse vero pias illius exaudire dignatus est preces misericorditer, qui eas inspiraverat potenter.

b Adit oratorium Morzellense.

Sanctissime vivit.

Liberalis in pauperes.

9 Cum igitur hoc pacto se instituerat, unde dilectionis omnium flammam in se accenderat, inimicus nominis Christiani diabolus impatienter ferens, tantis eam succrescere virtutum processibus, veterani livoris adversus eam anhelabat æstibus; ac eo magis acriori stimulabatur cruciatu, quo vincebatur a sibi familiarissimo sexu, qui prima caussa perditionis humanæ fuerat suo suggestu. Et primo quidem enitens, si quo modo valeret eam ab abrepto abstrahere proposito, immittebat corporis fragilitatem ejus animo, ætatis spatia prolixa, prorsus maxima cogitationum ejus suscitabat nubila. Sed primo cassatus elidebatur conatus, quod fortiter infixa erat in mandatorum Dei meditatu. Attamen nec sic resipiscens, quamvis prima congressione delusus, variis assultibus eam arguebat irritus; velut ille, qui celsam urbem oppugnat molibus, aut circum montana castella sedens, sub variis armorum

Varie a dæmone tentatur.

AUCTORE HUBERTO, EX MSS.

armorum apparatibus nunc hos, nunc illos pererrat arte aditus. Sed illa ejus machinamenta orationum repellens instantia, stabat quasi immobilis columna, ejus cassis ictibus percussa. Nam ille cogitationes inserebat sordidas : hæc assiduitate orationum submovebat eas. Ille titillabat sensus naturali carnis ardore : hæc fide ac jejuniis corpus vallabat omne. Ille muliebrem naturam facilem ad ruinam proponebat : hac æterna futuri judicii tormenta considerans, illæsam animi puritatem per tentamenta servabat. Ista autem omnia ad confusionem diaboli fiebant : adjuvabat enim ancillam suam Dominus; qui nostri gratia carne velatus victoriam corpori contra diabolum est largitus : ut singulis ita certantibus liceat Apostoli proferre sermonis consultus : Non autem ego, sed gratia Dei quæ mecum est.

Generose resistit.

1. Cor. 15. 10.

Singulis noctibus ecclesiam adit.

10 Ad postremum cum nec hoc argumento posset eam destruere, cunctis fecit manifestum clarius luce, quanto dentium in eam fremeret stridore. Erat siquidem huic Sanctæ consuetudo laudabilis, ut a galli cantu relicto stratu adiret præfatæ limina basilicæ noctibus cunctis, præeunte ejus *c* abra cum laterna prævii luminis, ut inibi in excubias Deo complacitas reliquum expenderet noctis, thurificans seipsam Deo in gemituum, orationumque frequentiis. Nocte igitur quadam, cum usitato more pro hac, quam prælibavimus, caussa eandem peteret ecclesiam, ipse auctor totius malignitatis non immemor suæ artis, indicium suæ præsentiæ declaravit; quoniam adveniens subito candelam extinxit. O quam sibi congruam satelles noctis patefecit technam! Ipse denique qui Lucifer nuncupatur Esaiæ testimonio, ut quemadmodum hic minor stellarum splendore circumsepitur chrysocomo; sic ante ruinam ille cœlestium ordinum veluti gemmarum ornabatur decore præfulgido, nunc ab ipso vocatus princeps tenebrarum, gaudet cœno scelerum, latebras cæcarum fovet mentium. Sed ancilla Christi, prævalescente dolo inimici, amisso lumine, nullo adnisu poterat gressus recta semita dirigere. Tantus plus solito horror fuligineus noctis illius ingruerat. Nam neque ignes astrorum erant, nec lucidus polus in siderea æthra, sed in obscuro aere nubila, et lunam in nimbo occulebat nox intempesta : et, quod facile credi constat, ipse hostis amica sibi caligine obfuscationem augmentaverat. Pedissequa quoque ejus et pervia et devia negat se discernere, nec *d* prorsi tramitis meminisse. Scias dœmonico instinctu tanti nubem obvolui erroris. Quid faceret? Deo devoti pectoris sanctitas æstuabat, quia abripi a bono incepto nolebat. Tandem in semet reversa, a Deo impetranda novit subsidia, memorans illud Davidicum : Tu es Domine refugium meum a tribulatione quæ circumdedit me : exultatio mea, erue me a circumdantibus me. Genu flexo procumbens arenis provolvitur, sordido pulvere crinis aspergitur, totisque animæ medullis Dominum deprecatur, Miserere, inquiens, o Deus mei laboris : miserere mei, quamquam obstantibus reatibus meis digna ferentis, tamen de tua protectione præsumentis : laqueos insidiatoris disjice, obscuritatis ceriferæ repagula remove; istamque candelam reaccendi jube, ne gaudeat inimicus de me. Tu enim servientis plasmatis emancipator, nos sub laxo horrifici anguis jugo captos, tuæ mortis pretio reddidisti liberos. Obsecro igitur, Redemptor fortis, ne nos patiaris rursus subjacere raptui prædonis avidi. Quid multis morer? Annuit his votis Deus dexter, et secundo vultu prosperat, ae suo nutu reaccensa lucerna fidelem suam corroborat. Plus solito micanti vibrat lychnus radio : adeo ut cerneres illum vicum illustrari sole novo. Ad aspectum tam miræ claritatis virgo nitentes suffusa lacrymis oculos se subrigit, faciem ad astra sustollit, magnificentiæ Altithroni laudes persolvit, qui suos in sinistris non deserit. Tibi, ait, clementissime Deus, laus et gloriatio, tibi gratiarum actio. Quænam pro his donis tibi poterit servitus rependi? Nulla vota laudantium compensant tuæ largitatis pretium : vincitur semper etenim minor cura obsequentium. Tu lux vera oculis, tu lux quoque sensibus imis. Tibi igitur Creatori creatura benedicat tua, cujus majestas et pietas regnum triplici numine continuat in sæculorum sæcula. Cum his et talibus hymnologiis domum Dei, quo tendebat, penetrat : ibi quodcumque temporis restat, eousque dum meta noctis clauditur, precibus desudans excubat, psalmorum melodia ad solitum adaucta pensum, cumulo aggerato orationum.

c

Isa. 14. 12.

d

Psal. 31. 7.

Lucernam a dæmone extinctam precibus reaccendit.

a *Ii jam religiosam vitam erant complexi. Nam* S. Amalberga *traditur a S. Aulberto sacrum velamen accepisse; qui mortuus putatur circa annum* DCLIX; *cum Gertrudis non nisi an.* DCLXIV *decesserit, post cujus obitum ad paternam domum rediit Gudila. Hæc deinde una cum Reinilde sorore Lobias abiit. Deo isthic omnes suas possessiones oblatura. Sed cum pulsantibus fores aperire monachi renuissent, negantes isthuc ingredi feminis fas esse;* Gudila *domum, sive indignata, sive ingenue acquiescens nihilque ultra tentandum rata, revertit. Reinildi vero nudis genibus effusæ in preces, tertia nocte, divina virtute, patefactæ templi sunt valvæ: ac* Sanctas *vicum, cum villis quinque, ei cœnobio donavit.*

b *Vicus est* Morsella (*vel, ut hic dicitur,* Morzella. *Surio* Mortsella, *in Breviario Bruxellensi* Mortscella, *Miræo in Chron.* Mortesella) *ad ipsos Brabantiæ ac ditionis Alostanæ limites. At quo præcipue loco parentum ejus domicilium fuerit, haud comperimus; nisi fortassis* Martinis, *qui locus, ut in Emeberto* XV *Januarii indicabimus,* Merchten *nunc dici videtur.*

c *Est* abra, (*Græcis* ἄβρα *et* ἄβρα) *ut scribit Suidas,* οὔτε ἁπλῶς θεράπαινα, οὔτε ἔυμορφος θεράπαινα, ἀλλ' οἰκότριψ γυναικὸς κόρη καὶ ἔυτιμος, εἴτε ὁμογενὴς εἴτε μή. Neque simpliciter ancilla, neque formosa ancilla, sed domestica conjugis puella et honorata, sive dominata sit sive non. *Judith.* 8, 32. Et ego exeam cum abra mea, *et alibi. Vide Serrarium nostrum in Judith. c.* 10, *quæstiunc.* 1.

d *Id est* recti.

CAPUT III.

Mortificationis studium miraculo illustratum.

Nudis pedum plantis incedit.

Interim spargente Phœbo convexa poli, et amplissima terrarum spatia coruscis flatibus, adest Sacerdos loci ipsius, consueta divinæ servitutis mysteria celebraturus. Cum ergo matutinalibus instans officiis, sacrarium extrueret, aram ceu libaturus componeret, huc illuc ob ambulans, et hac illac lumina versans, casu faciem convertit, ubi Virgo Dei solo prostrata congerebat humili prece vota, se juxta Doctoris gentium edictum exhibens hostiam vivam, sanctam, Deo placentem. Qui diligentissimo intuitu eam contemplans, nec non prolixitatem orationum ejus admirans, vidit plantas ejus nudas, cum solummodo summa pedum tegerent opercula crepidarum. Ac primo obstupuit tantæ rei novitate, tum deinde, quia prospere educata et delicate sub tam diro se maceraret rigore. Vere modulatur voce, chorda, et tympano Rex egregius : Intellectus bonus omnibus facientibus eum, laudatio ejus manet in sæculum sæculi. Tu vero o summa sapientia, ut excellentissimus orator disserit eleganter, omnia disponis suaviter. Hæc enim tua famula intellectum adhibens tuis mandatis, complevit quæ jussisti : Videte ne faciatis justitiam vestram coram hominibus, ut videamini ab iis : tu autem quæ spopondisti reddidisti : Nemo accendit lucernam et in abscondito ponit, neque sub modio, sed super candelabrum, ut qui ingrediuntur lumen videant. Hæc humani vitatrix favoris, ne ventus afflaret jactantiæ, læto pudore tegebat, quidquid ad cultum tuum exhibebat : cernis quippe occultum et latentem munere donas; tu autem, quo indicio placuit tibi, eam nobis ad imitandum manifestasti. Prædictus itaque Minister altaris Dei, horrore tanti facti perculsus, ejusque algori compassus, diutissime præstolans, postquam illa ab oratione surrexit, continuo chirothecas a manibus suis extraxit, ejusque vestigiis supponere abiit, ut tam illustris meriti puellam religioso officio honoraret. At illa fortissimi vincla propositi nec Sacerdotis quidem sedulitate laxavit : sed male blandientem perhorrescens insuetam molliciem, quasi accepta permoveretur injuria manibus illas arripuit, ac super pavimentum projecit.

Rom. 12. 1.

Psal. 110. 10.

Matth. 6. 1.

Luc. 11. 33.

Sacerdos chirothecas ejus pedibus substernit:

ipsa eas rejicit:

12 Res

12 Res mira et vehementer laude digna, quippe quam rarissimam compererunt secula tenacibus libellis erudita. Eloquar an sileam? Sed sicut de suis meritis debet nemo se jactare, sic non debet quisquam solius opera Dei, quæ per suos Sanctos fiunt silentiare, sed prædicare : quoniam legitur Angelus Tobiam ita admonuisse : Sacramentum Regis abscondere bonum est; opera autem Dei revelare et confiteri honorificum est. Chirothecæ terram non attigerunt, sed in aere ac si hærentes pependerunt. Et hoc satis juste. Cur enim eas pulverulenta pollueret fœditas, quæ ab illis manibus delapsæ fuerant, quæ simplices inquinamentis vitiorum erant. Videres super hoc magnum inane eas attolli, cum nec in superioribus eas detinerent mobiles funiculi ad laquearia suffixi, nec ab inferioribus eas fulciret cujuspiam adminiculum sustentaculi. Tua sunt hæc igitur Christi opera, tua miracula, qui, affirmante Davidica lyra, mirabilis es in Sanctis tuis, quos multis modis glorificare dignaris. Nos vero considerantes exitum rei tantæ, animadvertimus non ex perturbatione fellis illam repulsam scaturire, sed ex munda intentione. Huic in Evangelio veritas dicit : Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit : quia cum pura est intentio quæ præcedit, bonum est omne opus quod sequitur, etiamsi reprehensibile esse videatur. O gloriosus fervor Virginis, quæ nec puncto quidem temporis a familiarissimo rigore passa est se remitti. O Sacerdotem illum beatum, qui hoc non ad contumeliam suam duxit, sed magnificans illius cum exultatione virtutem, quod vidit circumquaque diffamavit!

Tob. 12. 7.

Pendulæ hærent in aere.

Psal. 67. 36.

Matth. 6. 22.

CAPUT IV.

Alia ejus in vita miracula.

Expletis tandem a Sacerdote Missarum solemniis, in quibus sancta virgo, juxta Psalmistæ vocem, spiritum suum contribulatum sacrificium Deo immolaverat, (cor namque contritum et humiliatum Dominus non aspernandum judicat) ad proprii limina domatis remeat. Jam fere medium iter remensum fuerat; et ecce cuidam mulieri obviat, quam longus mœror et diutina calamitas torquebant. Gestabat siquidem in humeris filium suum, qui cum languore nativo ab alvo ipsius malefœtæ parentis deciderat in hanc lucem; jamque sol aureus per duo dena mundum regens astra nonum annum circumvolvebat, ex quo eundem puerum trina passione debilitatum viderat. Etenim erat contractus, incurvus, caducis vultibus, et solam despectans terram cernuus : spiracula etiam vocis erant *a* obstructa, obmutuerat lingua, plectrum articulatos motus non formabat. Quin etiam insuper dira chiragra contuderat manuum articulos, intantum ut ori non ingereret cibos, nisi adjutorio alienæ manus appositos. Igitur tantillum corpusculum tantis pestibus Sancta Dei spectans obsessum, pectus concutitur visceribus misericordiæ indutum. Tunc tota mente sanctum concipiens Spiritum, inter complexus suorum brachiorum suscipit puerum, et convertitur cum precibus ad Deum : Benignissime, inquiens, Jesu, aures tuas vocibus tuæ famulæ adverte, et opem tuæ indulgentiæ super hunc effunde : quem tua validissima creavit dignatio, tua dulcissima confirmet miseratio. Non de meritis meis, quippe quæ nulla sunt confido, sed spero in tuæ largitatis fonte uberrimo. Tu enim dixisti : Si quid petieritis patrem in nomine meo dabit vobis : ne ergo peccata mea Domine respicias, sed miserias horum duorum miserans, uni sospitate reddita, nos in commune alacres reddas. Quid plura? penetralia cœli oratio scandit : ad supernos auditus pervenit : quæ postulaverat, se impetrare sentit. Nam confestim puero patefactum est iter voculæ solutoque ligamine diu mutæ fauces nunc fiunt loquaces. Attemperantur organa revocata suis nervis, ac erectis exultat membris. Et quem fructum messuisset Sanctæ oratio, ipse puer declaravit subito, advocans genitricem suam sic clamando : Mater veni, mater veni. Sancta autem virgo admirans, quod tam repente in verba prorupisset, qui ab ipso vitæ exordio cum coæva taciturnitate coaluisset, et quod mirabilius erat, adplene vocem formasset, eum ad terram deposuit, quia virtutis divinæ adventum sensit. Ille vero hactenus non suus, sed nunc demum suæ libertati deditus, discurrebat huc atque illuc gratulabundus. Mater vero ubi adinopina vota adspicit, animo obstupescit, versisque modis præ gaudio plangit, ad Sanctæ gressus procidit, quos osculando lambit.

Orat pro puero curvo, muto, chiragrico.

a

Jo. 16. 23.

Auctore Huberto, ex mss.

Puer subito sanatur.

14 Tunc utræqua ineffabili clementiæ Omnipotentis, qui, testimonio Scripturæ, erigit elisos, dirigit justos, confitentur gratanter, laudes rependunt unanimiter. Ex hinc beata Virgo mulieri jubet ne quousque ipsa in corpore viveret, hoc cuilibet indicaret; pertimescens videlicet ne in virtute miraculi ore humano pulsata inde intus inanesceret, unde foris hominibus magna appareret : exemplum etiam Christi sequens, qui cuidam voce relicta, auditu vacuo, medelam impendens, interminatus est instantibus, ne visas *b* proderent virtutes. Sed quid ibi sequitur? Quanto eis præcipiebat, tanto magis plus prædicabant. Sic et hic. Nam vicini, qui nudiustertius noverant puerum horribili membrorum nodositate irretitum, post paullulum speculantes decora ac recta compagine solidatum, sciscitabantur caussam et ordinem hujus facti a matre. Qua revelante, sanctitas ejus innotescebat ubique. Gaudebat nempe femina eadem, quod nancisceretur materiam et occasionem propalandi et magnificandi suæ salutis auctricem. Sic ergo illa sancta Dei virgo in magnis, quæ faciebat, latere quidem habebat in voluntate sincera, sed, ut prodessent, aliis manifestabantur : quatenus et suæ magnæ humilitatis esset, quod sua opera taceri appetebat; et utilissimæ ædificationis aliorum, quod reticeri non poterant.

Psal. 144. 14.

Gudila id celari cupit.

Marc. 7. 36.

b

Mater pueri id divulgat.

15 Itaque opinio fidei ac virtutum ejus longe lateque divulgabatur : ex vicis oppidisque undique ad eam a promiscuo sexu et omni ætate concurrebatur. Gregatim confluentes populi ejus recreabantur aspectu, mulcebantur affatu; aliquanti sospitatis egentes ope, redibant ovantes recepta salubritate. Quid verbis opus est? universi eam ac si matrem venerabantur; dilectam Deo Patri, sponsam Filii, templum Pneumatis almi, vere fatebantur. Inter illam igitur plebem invalidam accessit ad eam mulier leprosa, gerens maculosa portenta, quam Eremfredam nuncupari mandavit posteritati antiquitas provida. Tam graves autem et tam terribiles erant ulcerum eruptiones, ut etiam a collo ejus ebullientes effluerent vermes. Quo viso sancta Dei virgo mentem copioso pietatis rore infusam nequivit cohibere a solito compassionis spiculo. Protinus siquidem eam miti affatu ultronea compellans, primum singula lepræ contagia visu perlustrans, conatur amicales eam leniendo proferre loquelas, profecto in illo, cujus nominis invocatio numquam miseratione vacat, sperans : Æquo animo esto, inquit, Eremfreda : hæc tibi ad salutem, non ad interitum, dedit dispositio divina. Unde magis est providendum, ut sanitas tua nullum conferat periculum. Ipse igitur qui in opportunitatibus in tribulatione est adjutor, sit tibi propitius consolator, et tuorum morborum curator. Post hoc recurrens ad arma, quæ in istiusmodi rebus illi erant familiarissima, cœpit obnixe orationibus cum gemitu et contritione cordis insistere pro ea : Ne, inquit, clementissime Deus, irascaris, quod tuum sanctissimum nomen præsumo invocare ego peccatrix : non enim in justificationibus meis prosterno preces ante faciem tuæ Majestatis, sed in miserationibus tuis multis. Reminiscere

Multi ad eam concurrunt.

Leprosam sanat.

Auctore Huberto, ex mss. 4. Reg. 5.

Reminiscere miserationum et misericordiarum tuarum, quæ sunt a seculo; qui per Elisæum vatem mundasti a lepra Naaman Syrum in Jordanis fluento : et nostra figura circumtectus per te extersisti quam plurimos ab hujusmodi horrore fœdissimo. Tu certe omnia dispensanter agis et prudenter, et levamen tuæ indulgentiæ tribuis largiter. Sive ergo voluisti hanc mulierem immundissima atteri lepra propter ejus peccata, ut pœnituisset correcta, ejus delendo crimina, eam mirabiliter munda; sive idcirco ut ejus curationis omine tua clarescerat magnificentia, eam mirabiliter sana, ut a tua magnificeris factura. Concite ad hæc precamina ad solium Tonantis directa, peregrinam figuram mutarunt mulieris membra, pristino decori restituta, ac si numquam eam turpasset obscœnis figuris discolor pœna. Tunc ambæ non ingratæ liberatori omnium non cessant magnificas laudes rependere : sed et ab ore cunctorum hoc videntium et audientium concinitur Deitati sublimissimæ.

16 Hæc et alia innumerabilia per famulam suam operata est divina excellentia, quæ ad describendum sunt nimium prolixa. Sed et ex his paucis etiam ejus cætera cognoscuntur opera : illa tamen præcipue, in quibus sibi tantum conscia animadvertitur esse; quia gratiam ab hominibus non requirens, quantum in ipsa fuit, voluisset latere omnes suas virtutes. Quod si illius exteriores actus explicari verbis utcumque potuerunt, interiorem vitam illius et quotidianam conversationem, et animum cœlo semper intentum, nulla unquam, (vere profiteor) explicat oratio. Illam scilicet perseverantiam, et temperamentum in abstinentia et jejuniis, potentiam in orationibus et vigiliis, noctesque ac dies ab ea perinde actas; nullumque vacuum ab opere Dei tempus, quo vel otio indulserit vel negotio; sed nec cibo aut somno quidem, nisi inquantum naturæ necessitas cogebat. Non si ipse Mantuanus Poeta ab inferis emergeret, profecto exponere posset. Adeo omnia majora in hac sancta virgine constant, quam ut verbis concipi queant: O vere Beata multis præconiis digna, in qua dolus non fuit, neminem judicans, neminem condemnans, nulli malum pro malo reddens, sed coram Domino et hominibus sancte et juste vivens.

Variæ Gudilæ virtutes.

a Ms. obstrusa.
b Ms. perderent.

CAPUT V.

Obitus, sepultura, miracula.

In hac itaque constantia perdurans animi, nec dicam per singulos dies, verumetiam per singula horarum momenta fervebat flagrantia interni desiderii videre Deum Deorum in Sion cœlesti. O quantis hoc designabat suspiriorum tractibus, tamquam videretur dicere se intuentibus : Cupio dissolvi et esse cum Christo. Sicut enim desiderat ad fontes aquarum cervus, ita anima ejus sitiendo appetebat supernos obtuitus. Tandem ejus tam laudabilem affectum Christus definivit perducere ad effectum, ipsiusque laboribus recompensare æternæ retributionis denarium. Denique modico pulsata incommodo corruptibilis carnis, attigit metam mortis : et sic artubus relictis, cœlum capessit anima fidelis; cui recta celso tramite via reseratur ad Patrem. Angelorum candidi chori hinc inde stipant euntem : quorum evecta ministerio, cœlesti introfertur Paradiso, ubi cum obvio virginum choro suscipitur a Sancta Maria Dei genitrice, sine fine fruens Patriarcharum fide, Prophetarum spe, Apostolorum consessu, Martyrum collegio, Confessorum contubernio, cunctorumque cœlicolarum perenniter oblectatur tripudio.

Pie moritur.

Lugent pauperes.

18 Ejus autem migratio sicut intulit superno conventui gaudium, sic his, qui ejus consortio fruiti eatenus fuerant, gravem et fere intolerabilem luctum. Erat enim videre pauperum ora fletibus rigata, quorum illi Sanctæ maxima fuerat cura; cum Evangelio attestante, nosset talium sustentatione se in æterna recipi tabernacula. Hic indumentum, quo se obtexerat illa, manibus prætendebat, ille suam inediam ejus refocillatione recreatam omnibus plangendo prædicabat. Prorsus cuncti una lamentando sua pectora tundebant, tantæ nutricis solatio se destitui ejulabant. Corpus vero ejus, ut oportuit, religioso officio, ac more Ecclesiastico composuerunt sacri ordinis ministri ceterique fideles, super illud Davidicis cantionibus congruisque orationibus operam dantes. Deinde divina peragentes mysteria odoramentis et accensis *a* faris prælatis, prout postulabat res funebris, condiderunt in sepulchro cum honestate decentissima, quod extruxerant ante fores oratorii in villa, *b* Ham vocitata. Hujus depositio celebratur die octavo ab introitu anni, quod est VI Idus Januarii.

a sepelitur in Ham vico.

b

19 Nunc vale sanctissima virgo amplexibus tui sponsi diutissime concupitis jam inhærens absque dissidio. Tu enim in numero computaris centum quadraginta quatuor millium, qui quocumque ierit, juxta Apocalypsim, sequuntur Agnum; quia labem nivei pudoris nescisti, ex primitiis empta hominum. Adesto nunc et percipe supplices voces precantum, efficax oratrix pro nostris reatibus apud Deum. Nostri miserere, ut Christus placatus suis inclinet prosperas aures, nec noxas imputet omnes. Si rite veneramur ore et pectore diem tibi festivum, si sub tuorum gaudio sternimur vestigiorum, paullisper huc illabere deferens tuis favorem unitatis in Trinitate, et Trinitatis in unitate, cui honor et potestas et imperium per infinita sæcula sæculorum. Amen.

Apoc. 14. 4.

Auctor eam invocat.

20 Post expletum gloriosissimi agonis omnibus sæculis laudabilem triumphum, quo depositis carnalibus exuviis S. Gudila immarcescibilis gloriæ adepta est bravium; ad comprobandum quanti meriti, quantæque sanctitatis fuerit, noluit pius Dominus apud nos manere occultum, quod non latebat apud illum; sed fieret quoque clarum et accolis et externis, quanta pompa ambiatur hæc Sancta in cœlis, cui tanta miracula et prodigia præstat agere in terris. Eo ipso etenim die, quo gremio mandata est terræ, ad pedes ipsius busti visa est arbuscula *c* pullulare, quæ paullatim volventibus dierum gyris protensa in auras excrescens proceritate, non parvum occupavit aeris spatium ramorum crate atque comarum densitate. Nonne dignoscitur divinitus id administrari, et ad tutamen et umbraculum, ut corpus quoad vixit sui arbitrii deliberatione inviolatum, nunc cœlica cautela custodiatur illæsum a caumate et fragore imbrium. Sive ergo caussa hujusmodi, seu ad laudem sui nominis, et ob decus castimoniæ virginalis hoc procuraverit virtus sublimis; tu tamen, o Lector, si certatim sequentia prosequaris, perspicies super hoc ligno et divinæ evidentiam potentiæ, et admirabilem *d* doxam virginis tam egregiæ.

Ad sepulchrum ejus ipso die arbor pullulat.

c

d

a *Faces tedasque ad funeris pompam adhiberi solitas intellige. Ex Beda lib. de ratione tempor. cap.* 24, *patet* pharos *dici* ignium vasa, sive lucernas, quales in templis e laquearibus pendere solent ad honorandos Martyrum natales. *Ad quem locum Joannes Noviomagus :* Pharos vocat coronides illas, in quibus lucernarum ambitus ab imo usque ad fastigium sic sunt disposiii, ut continuo superiores angustiores inferioribus pyramidis, seu turris, formam ostendunt, quales suspenduntur ex laquearibus sacrarum ædium, seu quales succenduntur in sacris funeribus.

b *Molanus in Indiculo SS. Belgii putat hunc esse Flandriæ vicum haud procul Teneramunda : verum qui id decem milliaribus dici potest a Morsella distare? Neque isthic ulla est S. Gudilæ memoria, ut mihi ejus Ecclesiæ Pastor retulit. Rectius Autb. Miræus vicum Brabantiæ esse asserit primo a Vilvordia milliari. Plures enim villæ hoc nomine in Belgica Teutonica appellantur, quod veteri Saxonica lingua domum, sive habitationem, aut prædium significat.*

c *In altera vita, quam mox ex Surio dabimus, non pullulasse tum arbor, sed præter temporis hiberni conditionem subito frondiisse dicitur.*

d *Id est,* gloriam.

CAPUT

CAPUT VI.

Sepulchrum ejus violans punitus.

Quapropter hæc sufficiat tantum prælibasse. Jam vero interim videamus quanta pœna immineat sepulchrorum violatoribus. Factum est, dum humaretur sanctissimum corpus tumuli sinibus, ut præsens esset quidam perversitati crudelissimæ deditus, nocturnis furtis assuetus, doctus exhaurire apothecas divitum clandestinis suffossionibus, suasque crumenas farcire lucris turpibus : qui huc illuc circumvolvens orbes oculorum, tacitisque luminibus pererrans corpus totum, vidit illud sepeliri cum insignibus ornamentis, ut decebat personam cluentissimæ propaginis. Iste ergo illic tamdiu astitit, quamdiu cum omni diligentia clausum fuit. Jamque ille dies, aliusque processerant, et tertiam auroram Phaethontis equi vehebant, cum sub memoria retractat ea quæ viderat. Tunc socialis cupiditatis pruritu cœperunt ejus præcordia titillari, solitique consentaneus vitii inhiabat visorum monilium deprædationi : verumtamen formidans per diem suo *a* prolubio satisfacere, videlicet quoniam metuebat deprehensioni suæ; optimum factu rebatur noctem, quæ instabat, opperiri, auctoritate notatus Dominici hominis, id est, Christi : Qui, inquit, facit peccatum odit lucem, ut non arguantur opera ejus a luce. Tandem astrigeras Hespero inducente umbras, nox atra bigis subvecta offuscabat terras. Tum vero execrandæ aviditatis facinus toto combibens pectore, ardet, quæ infanda suggerebat meditatio, celeriter explere. O sacra fames auri, quid non mortalia pectora cogis? Siquidem fessa corpora carpebant placidum soporem sub nocte silenti : at vero non solvitur in somnos iste, ah demens ac infelix animi, sed immemor sanctæ religionis, oblitusque sui, fas omne abrumpit, sepulcrum Sanctæ silentio adit; quo effosso, quidquid pretiosissimi ornatus invenit, diripit, id est, murænulas a collo, lunulas a pectore, inaures ab auribus, annulos a manibus, armillas a brachiis, et hæc omnia aurea et argentea : præterea vestes purpureas subtegmine picturatas auri, *b* maforam candoris nivei, cingula fulgentia bullis. Sic sanctissimo cinere expoliato, rursumque glebis ingesti pulveris obducto, recedit latro ad sua continuo.

a Joan. 3. 20.

Quidam monilia, aliaque ornamenta, cum quibus sepulta erat, diripit.

b

Detegitur scelus.

22 Post non multos autem interpositos dies, puellæ in platea choreas ducebant, ac tripudiando et concinendo manus conserebant. Inter quas colludens consodalibus coætaneis aderat filia ejusdem latronis, armillas S. Gudulæ abrasas ab ejus tumulo, sui de præda genitoris gestans in brachiis. Quas perspicacissime contemplans quædam virgo, quæ contubernalis S. Gudilæ fuerat, dum adhuc degeret in hoc mundo, post probatissima recognitionis signa exclamavit in publico, se vidisse illas recondi cum corpore sanctæ virginis tumulato. Hæc approbare cœpit, illa negare. Tunc perscrutantibus universis, ut reum tam ferocem proderet sceleris, nec terroribus potuit compelli, nec blandimentis promissionibusve induci, ut vellet hæc, ut erant, confiteri, commentans falsa pro veris. Ita ergo sublato auctore veritas patefacta est rei gestæ.

S. Emebertus auctorem et conscios excommunicat.

23 Jam autem hac fama ubiubi pervolitante, celeri nuntio delatum est ad aures S. Emeberti præsidentis Cameracensi Cathedræ, fratris, ut in primis diximus, S. Gudilæ. Hic itaque pro atrocissimi immanitate sacrilegii, tactus dolore cordis intrinsecus, in quodam festo, quo parietes templi Christianus impleverat populus, sicut adstabat mediis altaribus officii habitu compositus, quandoquidem ille locus, in quo furtum factum fuerat, *c* suæ diœcesi erat attitulatus, et factores et conscios hujus infandissimi flagitii a totius sanctæ universalis Ecclesiæ corpore segregavit, eosque sub interpositione terribilis anathematis tam generaliter quam perpetualiter condemnavit. Cui excommunicationi hoc quoque subintulit : Hujus deterrimi sacrilegii et auctores, et consentanei et complices, omnesque descensuri ex eorum germine plectantur nævo istiusmodi pœnæ, ut uterque sexus lapsante poplite jugiter claudicet, super hæc vero fœmineum *d* gutteria obscœnet. Ita igitur viri et fœminæ illius generationis manserunt et permanent hodieque multati, ut fixit censura sancti viri. Cui saltem parum sciolo non liqueat hoc fieri ad aggerandam gloriam hujus Sanctæ, ut hominibus esset in terris honori et reverentiæ, cui in cœlis Cœlites applaudunt et deferunt sicuti compari suæ?

c

Auctore Huberto, ex mss. *Horrenda et diuturna pœna sacrilegii.*

d

a *Id est, cupidati.*

b *Alii* μαφόριον, mafortem *et* mavortem *vocant. Integumentum capitis videtur, aut certe velum fluens, quo caput humerosque amiciret Virgo. De variis hujus vocabuli notionibus consule eruditissimi Rosweyli nostri Onomasticon in vitas Patrum.*

c *Nunc in diœcesi est Mechliniensi, superiore seculo instituta.*

d *Alibi* gutturnositas *vocatur; in Breviar. Bruxe.* gutturia, *est colli vitium, ut patet ex vita S. Ursmari* XVIII *April. auctore Ratherio Veronensi :* Habebat, *inquit,* sanctus Pontifex neptem in jam dicto monasterio Malbodiensi, quam ipse parvulam commendaverat S. Aldegondi. Quæ postquam fuisset adulta, orta est quædam in ejus collo sæva nimis infirmitas quæ gutteria dicitur sermone Gallico. *Quæ, ut legenti patet, non de S. Aldegunde dicuntur,* (*quod ad cap.* 16, *lib.* 1 *Chronic. Camerac. scripsit Colvenerius*) *sed de ejus alumna.*

CAPUT VII.

Reliquiæ Morzelam translatæ, non sine miraculis.

Posthæc cœperunt reliquiæ sanctæ virginis virtutibus pollere, locusque ejus sepulturæ crebris miraculis enitere. Quamobrem post elapsos a transitu ejus quamplures annos, quique fideles ad alterutrum ea quæ viritim viderant conferentes, quæsitu opus esse dicebant, quod sibi in talibus consilium, quidve esset agendum. Et diu, quaquaversum potuere, trutinantes sententiam, ad hujus tandem consilii ventum est censuram, quoniam oporteret illam inde transferri; quando quidem non esset competens tantæ thesaurum margaritæ occuli angulo humillimi viculi, sed reponi loco celebri, quo conglobata phalanx Christiani populi suas preces deposceret per eam Christo dirigi.

De translatione corporis S. Gudilæ tractatur.

25 Id cum placeret omnibus, assensu Pontificis parochiæ ipsius, ad sepulchrum Sanctæ convenit sacricolarum cætus, junctis sibi aliorum Ecclesiasticorum graduum stemmatibus, itemque plebis ac Procerum Palatinorum agminibus. Tunc apponentes pias manus, reverenter exemptas a sede tumuli sanctas reliquias imponunt feretro honorabiliter. Tunc destinant ferri versus *a* Nivigellam : sed nullo conamine quiverunt elevare *b* libitinam. Ergo ibi ut erant frequentes Pontifices sancti, Archidiaconi, Decani, sanctæ perfectionis Clerici, atque religiosi Laici, agitata quæstione, dum discutiunt ubinam recondendum veheretur hoc corpus sanctissimum; fit optio omnium adjudicantium, aut *c* Castri-locum aut *d* Malbodiense cœnobium esse metandum. Sancta enim Waldetrudis et Aldegundis utriusque monasterii fundatrices ac gubernatrices fuerant S. Gudilæ, ut in principio dictum est, consanguinitate affines. Igitur bajuli toto adnisu corporis adlaborantes erigere feretrum, vires consumebant in cassum : adeo manebat immotum ac si radicitus solo esset infixum. Hoc autem reputando imbecillitati humanæ, alii atque alii se ingerunt subinde; sed ita feretrum est aggravatum, ut nullo modo quocumque ingenio vel a quantiscumque viris posset moveri.

a

b

Nivellam, Montes, Malbodium ut avehatur, moveri non potest.

c d

26 Hic vero videres gelidum manare omnibus sudorem, priæ nimio stupore. Quid potissimum intenderent, vel quo se verterent? hoc restabat solum, aut ab incepto cessandum, aut a Deo obnixe poscendum, ut super hoc negotio possent nosse ejus judicium. Aderat autem ibi quidam canitio crines respersus, marcente

AUCTORE HUBERTO, EX MSS.

marcente senio confectus, cui sancta virgo Gudila fuerat satis nota, et ea tempestate, qua hæc excesserat a corruptibili vita, ille vernabat adolescentia. Hic itaque veterum dierum monumenta revolvens: Audite, ait, o fideles, et vestras addicite preces. Huic Sanctæ viventi in carne mos inoleverat ultroneus, nulla necessitate interruptus, basilicam Sancti Salvatoris in Morzele devotissimis semper frequentare cursibus, ibique jugibus instare orationibus: credite mihi, hisce oculis vidi. Examinemus ergo velitne requiescere in eodem oratorio. Tandem hoc audito omnes coacti petierunt, ut declararet virtus Domini, an vellet in eadem ecclesiola illud sanctissimum corpus reponi. Et ecce tanta motum est feretrum facilitate, ut portantes clamarent nullum se onus sentire. Ac primum fontem misericordiæ voce collaudant consona; deinde ferentes in manibus sanctæ Crucis vexilla et candelabra, sed et varia odoramentorum genera, dirigunt munus copiosum cum psallentium caterva eo, quo delegaverat præmonstratio Divina. Sane per omne iter quantam putas concionem coacervari studiis certantibus! ex cunctis agris atque vicis concurrunt, ex proximis etiam oppidis adventatur: curvus arator in medio opere defixa reliquit aratra, subulcus et bubulcus, necnon et opilio intermissa sua custodia, gaudent sanctas comitari exequias.

Transfertur Morzelam.

27 Interim largiflua æterni benefactoris benignitas nil cuiquam petenti denegans, nec munera retardans, cunctis revelavit patenter, quanta honorificentia in æthereis sinibus hæc Virgo sublimaretur vehementer, quæ sibi in terris famulata fuerat humiliter. Inter illa etenim constipati millia vulgi venerat homo corpore quidem invalidus, sed pectore robustus. Denique ejus aurium meatus olim nimietas languoris obturaverat: jamque longinquitas temporis intercesserat, ex quo magnas opes tenuaverat, ut ei multimodis medicaminum limamentis, vel aliquantisper depilaretur, vel funditus demeretur ipsa surditas, domoque exhausta, nec proficiente medela, proprium censum cum auditu amiserat. Ast ubi efferbuit dives fides in ejus sano corde, credentis sibi posse succurri a Deo per interventionem famulæ suæ; mediis immersus cuneis cœpit abire sub piæ illius vectatione sarcinæ. Ubi spe prompta, audaci pernix fiducia, lacrymosæ devotionis flebilia effundit precamina: O, inquiens, singularis post Deum clementiæ, subveni mihi misero. Ad tui confugio subsidii portum, ne repellas me salutis indignum. Monstra te maternæ caritatis habere ubera, sumatque per te mearum precum donaria, cui ante omne ævum præelecta, modo sine fine copularis sponsa. Revulsis piissima Domina vectibus densissimæ surditatis, dirige callem vocibus percipiendis. Quid igitur? non distulit Sancta Dei preces exaudire sui pauperis. Nam decurso puncto horæ fere unius, aurium auditus, oppanso surdamine diu interclusus, purgat crassa quæque obstacula ruptis obicibus, fitque susurris pervius, et capax loquentibus. Quamobrem in confertissimas prosilit turbas, quæ et quanta sibi contigissent annuntians. Protinus elevata in excelso voce, jubilos Deo et ejus sanctissimæ virgini persolvit, ac laudes gratuitas; atque deinceps sequitur feretrum admodum ovans. Tunc omnis ille conventus extollit sublimiter ora in Christi laudibus, qui concessit illis videre magnalia ejus. Cantica ingeminantur: attonitus cordibus iterum supplicia vota excitantur. Quo comperto habitantes circumquaque magis atque magis conglobantur, religionis amore gestientes rapidum iter post sanctas reliquias carpere, Deoque et ejus Sanctæ student concorditer jubilare. Sic sancti fervore desiderii coadunatis visitatio non defuit divina, quæ laborem illorum vacuum esse non est passa. Ipse etenim Christus hæc in Evangelio suis spondet fidelibus, ita Apostolicis intonans auribus: Ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi sum in eorum medio. Quod si in medio duorum vel trium, quanto magis est in medio tot populorum in suo nomine congregatorum.

Surdus in hac translatione auditum recipit.

Matth. 18. 20.

28 Tandem ventum est ad villam Morzelensem milliariis decem a vico Ham distantem. Ergo in basilicam Sancti Salvatoris sancta ossa introduxere, et cum magna lætitia atque honore, necnon et hymnorum decantatione, sed et cereorum lumine, aromatumque suavissimo odore cum suo loculo post sacrum altare constituere. Quæ ubi ad voluntatem Antistitis composita sunt, S. Gudilæ nomen in serie aliorum Sanctorum juste adscribunt. Advolvuntur humi, et quod timent, quodve petunt, murmurant sanctissimæ virgini. Audit illa preces, ac reddit ratas, quas videt probabiles. Cumque solemnia celebrassent Missarum, perfecto læti honore redeunt domum, prædicantes S. Gudilæ virginis nomen famosissimum, ac in Sanctis suis mirabilem magnificantes Deum, cui est honor, et imperium in sæcula sæculorum.

Gudila, ut sancta, colitur.

29 Hoc vero die, quo translatum est corpus beatissimæ virginis in basilicam Morzelensem, virtus Altithroni ad nominis sui laudem, et virginis suæ ampliandum honorem, patefecit suæ potentiæ ostentationem: quam utique propalavit super ipsam arborem, cujus superius fecimus mentionem, quæ videlicet in vico Ham cœperat crescere ad vestigia sanctissimæ virginis die depositionis ejusdem. Namque submissum solem jam undecima rotabat hora, ac in devexo axe supererat lucis portio duodecima; cum ecce lapsu celeri advolavit avis una secans pennis aera, conseditque in arbore illa clangoribus strepens, ac remigium quatiens alarum, adeo ut in admirationem sui cieret collegium illius loci incolarum. Inter hæc vertitur cœlum, alterumque Titan permeat hemisphærium: cumque fulgeret lutea Aurora in roseis bigis, adducens crepusculum diei succedentis, Morzelenses ditati privilegio optimi pignoris, ocyus surgunt cubilibus spretis, assuescentes invocare suffragia sanctæ virginis, diesque festos agitare in ejus honore publicis privatisque conventiculis. Mira dicturus sum. Ut appropinquant ædiculæ, cui creditum erat tam pretiosæ depositum margaritæ, conspiciunt eandem arborem ardui cacuminis ante fores stare cum prænotata ave desuper incubante: ac primitus procul absistentes diriguere metu ipso, deinde pavore submoto coagulantur erga lignum in uno globo. Res venit in dubium, utrum sub silenti nocte ipsa quæ pullulaverat apud Ham vicum fuisset subactis scrobibus illuc mutata cultu hominum, an alia ejusdem similitudinis et quantitatis exisset sub momento felicibus ramis ad cælum: sed cum fama crebresceret illam apud Ham radicitus erutam esse, et nusquam in ipsa vicinia transplantatam fore; apud Morzelam vere nulla signa comparerent, mortalium labore id actum fuisse; cum insuper non versa terra tam fixa in tartarum tenderet radice; ipsaque media ingentem sustineret umbram extendendo fortes ramos late immota, solida robore, ac si ibi generatim excrescendo videretur multa virorum sæcula vicisse; tunc demum palam fit omnibus, sanctam virginem voluisse per hoc demonstrare signa suæ præsentiæ: hæc enim arbor olim apposita fidissima custos sanctarum exequiarum, non defecit a suo obsequio, nec in translatione earum. Quod ad jussum omnipotentis Dei Angelico ministerio actum intellexit, qui divina providentia disponi omnia credit. Ista arbor vero vocatur populus vulgo. Cur igitur humana in hoc fluitet titubatio? en habemus recentia miracula ex veteribus exemplis, ut video. Certe enim scripturæ testimonio novimus, quod propheta Abacuc prandium cum ferret messoribus, ejus cæsarie apprehensa Angelicis manibus, sicut erat plenis canistris onustus, a Judæa sublevatus, repente est in Chaldæam depositus; quo prandio et Danielem inclusum in lacu leonum refecit, seque

Arbor miraculose transfertur ex Ham in Morzele.

Dan. 14.

seque repente iterum in Judæa invenit. Arguens quo-
Psal. 4. 3 et 4. que Psalmographus insanas falsitates hominum : Filii, inquit, hominum usquequo gravi corde? ut quid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium? Et scitote quoniam mirificavit Dominus Sanctum suum. Mirabilem quippe exhibebat Dominus ancillam suam in terris, quam meritis gloriosam Angelis coæquaverat in cœlis.

a *De* Nivigella, *quæ et* Niviala, *vulgo* Nivella, *celebri Brabantiæ oppido, agemus* XVII *Martii ad vitam S. Gertrudis.*

b *Feretrum, aut capsam cui sacrum corpus inclusum Sarcophagus enim, aut lectulus in quo mortui efferebantur,* libitina *dicebatur; a* Libitina *Dea funerum præside, in cujus æde quæ ad funebrem pompam spectabant, vendebantur. Tertullianus lib. de corona militis :* Ceterum a seculo coronantur et lupanaria, et latrinæ, et pistrina, et carcer, et ludus, et ipsa amphitheatra et ipsa spoliaria; ipsæque libitinæ. *Sidonius lib.* 2, *epist.* 8. Sed cum libitinam flentes omnes, externi quoque prensitarent; remorarentur, exosculerentur.

c *Is locus cœnobio seu collegio virginum a S. Waldetrude fundato celebris, intra urbem Montes, Hannoniæ primariam, conclusus. Visitur pars magna etiamnum castri veteris, ut plenius ad S. Waldetrudis vitam* IX *April.*

d *De Malbodiensi parthenone, et oppido* XXX *Januarii ad vitam S. Aldegondis.*

CAPUT VIII.

Carolus Magnus S. Gudilæ sepulchrum veneratur.

Eodem autem die hujuscemodi rei rumor circumquaque decurrit, et per cunctorum ora volitans ad palatium usque pervenit. In tempore illo sceptrum
a *a* monarchiæ Imperialis tenebat Carolus victoriosissimus piissimusque Augustus, qui ex tropæis frequentibus, triumphatisque nationibus cognominatus est Magnus, qui regni Francorum spatia longe lateque dilatavit, et Christi gloriam in suis finibus ampliavit. Itaque fama pervulgante volucri, certatim studebant illuc adventare tam longinqui, quam et proximi; et miraculum, quod Christus ad gloriam suæ Virginis monstraverat, ardebant intueri. Ducebantur longis ordinibus acies virorum ac mulierum : exultabant variarum fremitus hinc inde viarum, qui venientes et contemplantes quod desiderabant, fletibus præ gaudio ora rigabant, et ingredientes oscula lipsanis Sanctæ imprimebant, egredientesque vernantium florum sertis arborem ornabant. Ut autem in
Carolus Magnus visitat corpus S. Gudilæ : tanto miraculo potentia Domini potissimum magnificaretur, et virtus nota redderetur, pars permaxima extitit Princeps clarissimus præfatus Carolus : qui talibus auditis regali solio exilivit, et una cum primoribus aulæ suæ ad inspiciendum hoc miraculum, et ad corpus Sanctæ accessit; et admirans potentiam Domini, virtutem ejus magnificavit, misericordiam collaudavit, et quia in diebus suis talia ostendere, dignatus sit, gloriosum nomen ejus benedixit : nimioque gaudio permotus, inter pias gratiarum actiones, lætitia eliciente lacrymas fudit : sed et itidem fecit advenientium quisque.

Multa isthic largitur. 31 Rex interea memorabilis ibidem maxima sanctæ virgini devovit, atque attribuit munera, vasa scilicet aurea et argentea, palliaque peregrino opere elaborata. Ipsum quoque fundum Morzelam ei tradidit cum universa inhabitante familia, hoc Sanctæ placere intra se reputans, quoniam specialiter præ omnibus hanc sedem delegerat suis ossibus. Quæ singula testamento mandavit, et subscriptis testibus
Monasterium virginum fundat. assignavit, et Ecclesiæ, in qua Sancta jacebat, in perpetuam hæreditatem delegavit. Super hæc aggregavit illic sanctimonialium gregem, quæ inibi Christo, et ejus Virgini famularentur spiritualiter, et consueta officia persolverent die noctuque incessanter : quæ ut nullius rei inopes, indigentiæ manus darent, atque a proposito sancto deficerent, strenue egit, ut quæ vitæ necessaria forent nulla deessent. Hic videmus Salvatoris verba compleri dicentis :
Matth. 19. 29. Omnis qui reliquerit domum et patrem et matrem, etc., centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit : quia enim hæc Sancta quousque vitali aura pasta est, spem non jacentem horum habens promissorum, abrenunciavit terrulentis, modo et centuplicatæ fructum mercis consequitur in terris, et perpeti vita fruitur in cælis.

Auctore Huberto, ex mss.

32 Posthæc memoratus Rex Carolus exercitio venationis *b* regio more deditus, per circumadjacentem *c* forestem exturbabat rabidas feras a suis saltibus : quadam autem die, cum invia lustra cingeret studiosissima indagine, et ad retia et plagas cogeret clamore silvestres feras diverso distinctas et genere et colore; ecce inter multigena pecora vis canum odorisequa emovit a suis latibulis ursum immanissimi corporis, et violentissimæ ferocitatis, quem palantem statim Rex insequitur cum equitatu et vociferatione virorum, sono lituorum, latratu acerrimorum canum : militum alii obsident compita districtis gladiis; alii discursitant in spumantibus equis, cum arcubus curvatis et apparatis spiculis; quidam cum vasta cuspide adnituntur arboreis truncis, ut si qua sors illum præcipitem obtulisset eis, impeterent eum lati ferri venabulis : sed hæc omnia nequidquam. Tuebatur quippe protectione tua, o Virgo benignissima. Quid opus est ambagibus verborum? Quique prout poterant captioni illius se accingebant. At ille per loca sentibus sita et vepribus diffugit : arbusta diffringit, saxa obvia volvit, fertur cæco terrore, qua sonus atque tremor, qua exagitat furor : feritas eum incendit, impetus rapit, prona et fragosa petit, ardua transilit : postremos elapsus nemorum impedimentis, dum isque exemptus hirsutis, apertis se suribundus ingerit arvis; ubi in vicino erat vicus Morzelensis. Tunc videres venatores arrectis animis exultare, ac si jam captum illum tenerent libere. Insequuntur alæ equitum; contorquent validis lacertis nimbos telorum, quæ omnia cedunt in cassum. Inter hæc jam multo spatio victus, cum nullum esset effugium undique campis late patentibus, ac mortem imminentem jam jamque capiendus crebris differret flexibus, (credo divinitus illi hoc aspirare ingenium :) propere cursu recto tendit ad Morzellam, Sancti Salvatoris irrumpit ecclesiam, seque sub sanctæ Virginis occulit libitinam. Ibi subito feritatis suæ oblitus, deflexa cervice, *Ursus ad Virginis aram fugiens venatorum manus evadit: fit cicur.* summissoque humiliter capite, sanctimonialium advenientium cœpit vestigia lambere, ac more lascivientium catulorum omnibus aggaudere. Unde patenter dabat intelligi se fuisse defensatum patrocinio famulæ Dei, ejusque amodo paratum esse deservire obsequiis. Quod ubi nuntiatum est Regi, perpendens animo qualitatem rei, animadvertit continuo hoc meritis sanctæ Virginis a Domino fieri. Qua de re abstitit protinus ab insequendo, statuitque nihilominus edicto, ut nullus esset infestus eidem urso; sed permitteretur in ejus ministerio, quæ ejus patrona erat in discrimine tanto : quod etiam est factum : manente illo blande veluti agniculo in congregatione Sororum usque ad diem vitæ suæ extremum. In tota ergo illa regione tunc statim quid in ecclesia factum fuisset innotuit : cucurrere viri et feminæ pariter nobiles ignobilesque, videbant ursum deposita belluina rabie morari inter *d* Nonnas ultro citroque quasi animal *d* domesticum tranquille : Deoque, et ejus Virgini concinebant una voce. Quis non obstupescat talia signa mortuorum, quæ fiunt pro excitatione viventium? Intueamur tuam, Christe, etiam in hac parte virtutem, cui omne quod brutum est sapit; cui mite est omne quod sævit : tua est hæc virtus, tui nominis plenus est ille titulus. Quotiescumque enim antiquitus novellam Ecclesiam tremefecisset turbo persecutionis, ac destinassent tyranni tuos cultores trucibus belluis lancinandos voratibus cruentis, mansuescebat subito ferarum ferocitas, procidentesque lambebant tuorum testium plantas.

b
c
In Bracbanto venatur.

AUCTORE HUBERTO, EX MSS.

a *Si vere Imperator erat Carolus, qua dignitate an.* DCCC, *a Leone* III *ornatus est, debuerit is qui* adolescentia vernabat, *ut ante dicitur,* ea tempestate qua *S. Gudila* excessit a corruptibili vita, *minimum centenarius fuisse. At fortassis Hubertus hic* monarchiam Imperialem *posuit pro regno Francorum, quod Carolus ab an.* DCCLXVIII *tenuit.*

b *Francorum Reges venationis studio delectatos, alibi observavimus.*

c *Vox* forestis, *aut* foresta, *vel* forestum, *quæ silvam aut saltum significat, a Teutonico idiomate, ut Tillius ac Nicolius fatentur, in Gallicum aliaque migravit : diciturque et de aquis, ut iidem docent; et disertius Buzelinus noster Gallo-Flandriæ lib.* 3, *cap.* 2, *ex variis Regum diplomatis.*

d *Multa de hac voce reperies in Rosweydi Onomastico.*

CAPUT IX.

Regia virgo sanata : parens cum regno conversus.

a Nos vero repetentes nostræ Virginis *a* fastos in manibus sitos, videmus non esse prætermittendum silentio, quanto nomine eandem famulam suam clarificaverit opifex rerum per fines transmarinos. Ibi b siquidem *b* Rex quidam regebat populos sub placida pace, qui susceperat quandam natam ex legitima conjuge. Huic autem filiæ prima nativitatis dies dedit initium vitæ cum membrorum labe. Nam super totius corporis partes regnabat debilitas, sed maxime super c manus invalidas, quas nodosa *c* arthritis ligaverat. Quid dicam quia stare non poterat, quæ nec in lecto surgere suo, vel ad sedendum, valebat, neque in latus alterum per se reclinare poterat; manus quoque non solum nequibat ad os ducere, verumetiam nec paullulum erigere? Ita igitur a primœva ætate in florem pervenit juventæ cœvo languore, nec spes ulla restabat adipiscendæ salutis; quia omnis illa provincia dedita idolorum culturis, sordebat ritibus

Quædam regia virgo ægra divinitus monetur, ut S. Gudilæ tumulum visat.

fanaticis. O quam sæpe gravatos juvant desperata, et prosperitas celans mœstis principiis læta confinia venit ad vota! Quadam denique nocte, gratissimo somno serpente per ipsius puellæ artus, visa est sibi per somnum astare mulier venusto vultu, sereno aspectu, mulcens eam leni affatu : Longis, inquit, o puella affecta es calamitatibus, sed tui miserendum est amplius : ideo confidens esto, quia instat temporis revolutio, quo tibi medendum est a Christianorum Deo, cui mancipare te oportet ab hac die, relicto paganorum errore. Verumtamen haud aliter sanitatem consequeris, nisi sepulchrum Gudilæ virginis adieris. Hæc locuta, rediit ad supera. At illa expergefacta a somno, patri et matri quæ audierat et viderat indicat extemplo. Rex ut audivit, primo expavit : deinde hæc ore non pressit, sed in hæc verba prorupit : Regio nostra his miraculis numquam fuit alleviata : heu, ut quid veneramur muta, quæ nihil prosunt saxa? hic magnus et verus solus est Deus, cui cedit ægritudo et salus. Sed quis o meorum invenietur fidelium, cui sit notum tantæ virginis Gudilæ bustum? Jam circumvolitans hæc fama regalia compleverat atria : adsunt omnes suo Domino congratulantes : hoc tantum oberat, quod nullius notitia callebat, quæ hæc S. Gudila fuisset, vel ubi recondita foret. Rex interea per totum illum diem magno æstu curarum fluctuat, mentem nunc huc, nunc illuc divisam per omnia versat, videlicet cogitans quem finem visioni filiæ suæ petat.

Iterum confirmatur.

34 Post hoc nox ruit, puella in stratu suo obdormit; denuo præfata venerandi habitus mulier ei in visu assistit, eamque his admonitionibus instruit : Forti, filia mi, vigeas animo : a Christi non exorbiteris obsequio, ut tibi dignetur adesse divina visitatio. Qua visione sublata, puella evigilat, et huic exhortationi obtemperans, idolorum culturam abdicat, se Christo constanter dedicat. In hoc solummodo erat tristis, quod ignotus erat ei tumulus Gudilæ gloriosæ virginis. Hac de caussa portionem quæ supererat noctis expendit in obsecrationibus et vigiliis, totumque sequentem diem jungit precibus assiduis, postulans a Deo, ut fructuosum proventum visionibus his adduceret, sibique patenter revelaret, quonam in loco sua famula, Sancta scilicet Gudila, humata quiesceret. Nec eam fefellit hæc spes, quam confirmabat præcordialis fides. Sic enim ait Dominus in Evangelio : Si haberetis fidem sicut granum sinapis, diceretis huic monti : Transi hinc, et transiret. Namque merso sole cum ingrueret chaos noctis umbrosæ, ipsaque filia Regis membra laxaret quiete; ecce in somnis sæpedicta mulier adest ei jam tertia vice, solidatque eam hac certitudine : Cur tanto gemitu consumeris, o puella? Quæ his doloribus depangetur meta? Certe si te fatigat tam inexuperabilis cupido, ut tibi indicetur S. Gudilæ virginis repositio, accipe ergo, et hæc mea dicta tuo infige animo : Hæc Gudila nobilissimæ celsitudinis virgo, trans Pontum oriunda fuit de Brabanto : quæ donec vixit, omnem pompam sæculi abjecit, solique Domino in virginitate ac cæteris virtutibus adhæsit : post excessum autem vitæ primo sepulta est in villa, Ham vocata; postea vero in alium vicum, nomine Morzelam, est translata : ubi nunc meritis ejus creberrima fiunt miracula, ibidemque ei ancillatur sanctimonalium congregatio devotissima. Expergiscere; age, et genitorem tuum certum redde. Sic ait, et ab oculis somniantis disparuit.

Matth. 17. 19.

Edocetur ubi sepulta sit Gudila.

35 At illa excutitur somnis, parentibus enarrat quæque, ut digesserat visionis ordo. His Rex auditis redditur alacer nimis. Sine mora igitur navim apparari jubet; quam sumptibus et militibus onerat, filiamque suam eis commendatam honorifice transmittit, quo desiderabat, ut regalem munificentiam decebat. Ast illi provehuntur portus statione, currunt immensum æquor cava trabe; spirant optatæ auræ, leniuntur tumentes fluctus eo, quam longum est, navigio, ut nautis constaret liquido, eos regi S. Gudilæ guberaculo. Tandem appulsi optato littori, explorant Morzelam, quam subeunt ab accolis indicatam : sanctimonialibus aperiunt sui itineris caussam : illæ vero puellam suscipiunt, et ad S. Gudilæ memoriam ducunt, ibique pro recuperanda sospitate illius jugi triduo orationibus incumbunt. Res mira : tertio etenim die perseverantibus illis in prece, potens medicina exiliit repente; omnes nervi puellæ attemperantur in concordiam suæ harmoniæ, manus pedesque suum officium exercent libere, prorsus omnia membra convalescunt interius exteriusque. Puella ergo palmas cum facie ad cælum sustollit, Christo ejusque Virgini benedicit. Similiter facit, quicumque hoc cernit, et audit.

Morzelam ducta, tertio post die sanatur.

36 Itaque militibus fuit consilii non ibi diutius immorari, sed continuo cum Domina sua, filia scilicet Regis, navim conscendunt, et remenso pelago Dominum suum repetunt; ei quæque, ut gesta fuerant, referunt. Stat facti manifesta fides, ejus nata sospes. Quanta tunc Regi oborta est, ejusque magistratibus, et regno omni lætitia! per omnes urbes exultatio! per plateas tripudiatio! Rex quoque, ut sapiens, magnitudinem portenti pensans, in hoc consultum statim proripit ita prudenter disputans : O miserrima nostræ gentilitatis dementia, colentis simulacra, quæ nec auribus voces trahunt, nec ore reddunt, et, ut insensibilia, nihil sentiunt. Hicine sunt Dii de rupibus abscissi, metallis fabrili opere fusi, quos timent artifices sui? ei! quantas in his fabricandis impensas perdidimus stolidi, et, quod valde timendun est, rei; quia et dæmonum sunt effigies, et nos secum trahunt ad tenebras infernales. Unde nunc nunc, o optimi satellites, pristinos errores respuamus, soli Deo plasmatori omnium militemus. O fortissima devotio hujus Regis, qui prædicator factus est suæ gentis! Assensus fit omnium, approbant Regis consultum. Ipse ergo Rex in primis aliorum exemplar multo vallatus exercitu transmeat ad Morzelensem vicum : ibi S. Gudilæ offert pretiosorum copiam ornamentorum. Posthæc fecit et se et uxorem suam ac filiam nuper curatam purificari

Rex cum suis convertitur :

Morzelam venit :

baptizatur. cari unda sacri baptismatis : et post mysterium sancti lavacri dedit S. Gudilæ vas argenteum et maximum et pretiosissimum, in quo deinceps offerebat suas oblationes collegium sanctimonialium. Deinde in regnum suum cum aliquot verbi Dei ministris remeans, in gremium sanctæ matris Ecclesiæ induxit gentes sui imperii colonas, sacro fonte regeneratas; simulachra comminuendo in pulverem redegit; templa sanctitatis aquis expiata in memoriam sanctæ Crucis et Sanctorum dedicari fecit, officia Clericorum constituit. Postremum nullum permisit regno militare suo, qui per paganismum rebellasset Christi regno. Sic igitur per salutem corpusculi unius multis provenit animarum salus. Horum autem omnium causa tua sunt merita, o Sancta Gudila, virgo dignissima, vere, ut ita dixerim, transmarinorum Apostola, magnis præconiis digna. Sed nostra jam succumbit fragilitas deficiens ad enarrandas omnes virtutes tuas. Quis enim stylus ad scribendum sufficiat, quanta infirmis præbueris beneficia? Quicumque sub tuæ misericordiæ *d* confugerunt alas, aut *d* pleuresi dira pulsati, aut paralysi dissoluti, sive atro febris felle exesi, seu mille morbis obsiti, recepta sospitate cuncti ad sua redierunt læti.

a *An chronicon cœnobii Morsellensis, an S. Gudilæ res gestas et miracula secundum annorum seriem digesta, intelligat, haud liquet : quidquid id est, videtur intercidisse.*

b *An Pictorum fortassis in Britannia, an uspiam in Septemtrione hic Rex fuerit, non facile est conjicere.*

c Ms. *habebat*, artetisis, *mendose.*

d Pleuritide, *opinor. scribere voluit, id est lateris dolore, sive* τῇ περὶ τὰς πλευρὰς νόσῳ.

CAPUT X.

Morzela vastata, translatum Bruxellum S. Gudilæ corpus.

Post multa, et magna miracula ostensa in vico Morzelæ dispensatione Domini, collocata sanctimonialium congregatione inibi, in honore dilectæ Deo Gudilæ virginis, multiplicata populorum malitia, læta et prospera turbavit diaboli versutia. Ipse quippe adversarius noster, qui bonis invidet, et malis semper aggaudet, dum tamquam leo rugiens circuit quærens quem devoret, si qua adhuc virtutum vestigia remanserant in terris, nititur abolere omni molimine impietatis; ut jacula atrocitatis suæ per corpora exterius transmitteret liberius, (heu dolor et facinus!) primo venena sua in anima diffundit interius, tanto gravius, quanto abundantius. Sic, ut diximus, ascendente ad *Barbari Belgium populantur.* Dominum clamore nequitiæ Christianorum, ut similem moribus invenirent pœnam, fines Lotharingiæ gens invadit *a* paganorum. Fiebant crebræ incursiones, rapinæ frequentes, impietates multiplices et mirabiles, sanctuaria vertebantur in derisum, in prædam substantiæ incolarum. Ita pace turbata res cœnobii Morzelensis paullatim diripit adversariorum insatiabilis cupiditas. Sed *b* Otto senior tunc temporis Imperator gravibus curis, et multimodis regni occupatus negotiis, dum adversantes non cohibet censura regiæ severitatis, majorem et graviorem licentiam injustitias faciendi tribuit etiam domesticis : et dum regno nequit propellere alienigenas, Ecclesiæ Dei inimicos indigenas sentiunt.

38 Igitur post talia et tanta regni flagitia recedentibus paganis, *c* Wenemarus quidam in ecclesiam *Wenemarus bona Ecclesiæ Morzellensis diripit: Moniales vexat.* S. Gudilæ consurgit, omni crudelior bellua, et specie Christianus, non opere, paganos ipsos nimia vincit crudelitate; bona Ecclesiastica in usus suos, et suorum stipendia satis audaciter præsumpsit vendicare, et ancillas Christi injuriis et egestate coactas compulit fugere, et ut oves sine pastore circumquaque vagantes errare. Si quam præterea de numero Deo servientium mors occupabat, locum ejus avaritia Wenemari supplere nolebat : sed non mirum erat, qui et viventibus sua denegabat. Hoc tandem justo judicio Dei tam animæ, quam corporis damnato morte, dolet Ecclesia ipsum filios reliquisse, quorum unus Ermenfridus res Ecclesiæ supradictæ invasas injuste non timuit mortuo patre suscipere, et per aliquot annos tenuit, sine alicujus contradictione, vel defensione; hoc enim tempore, ut clamat veritas scripturæ, neque Rex, neque Dux in Israel erat, sed unusquisque in via cordis sui ambulabat. Tanta denique aliorum malorum pericula, tanta adversitatum undique creverunt incommoda, tanta insuper Principum erat negligentia, vel defensorum impotentia, ut res Ecclesiarum minui, vel diripi in his finibus ab aliquo jam eis esset pro minimo.

AUCTORE HUBERTO, EX MSS.

Jud. 17. 6.

39 Posthæc *d* Ottone secundo tenente Imperium, *d* Carolus *e* filius Lotharii Regis Francorum, in regno *e* Lothario *f* adeptus est Ducatum. Qui statum imperii *f* dolens perturbari multipliciter, ad melioranda negotia multorum animadvertit sollerter. Unde inter cetera res sublatas Ecclesiæ Morzellensi invasorum partibus nisus est subtrahere, et S. Gudilæ famulantibus restituere. Sed quivis scire potest facile, quam difficile corrigantur, quæ in consuetudinem venerint diutina dilatione. Sua loco sancto reddere volebat industria Caroli Ducis; sed obstabat aviditas pervasoris, nec Deum timentis, nec hominem reverentis. Insurgunt testes iniqui, et mentita est iniquitas sibi. Ermenfridum omnes suæ partis clamant esse patris successorem, et paterni boni heredem. Ducis autem prævalente potentia Ermenfridus, suique complices amantes terrena, parvipendentes cœlestia, inito consilio invasas terras retinent sibi, et pretiosam margaritam omnibus datis comparandam, corpus scilicet *obtinet corpus S. Gudilæ;* S. Gudilæ dant bono negotiatori, Carolo videlicet glorioso Duci. O miseros et miserandos omni modo! qui instar brutorum animalium terram respicientes pectore prono, ac ventri obedientes non Deo, ipsi se indignos tanto judicant dono : et sicut paternam capacitatem eis hæreditate cessisse gavisi sunt, et quasi æterno mucrone perfossi, paternæ necis exitum sibi contigisse testati sunt. Nam universos ejusdem possessionis cohæredes inaudita miserabilique nece notum est finiri ad extrema venientes.

Carolus sub Ottone II, Dux Lotharingiæ,

40 Carolus vero Dux pro nihilo ducens damna terrarum, felici commercio gaudet se cælestem suscepisse thesaurum. Bruxellam venit, *g* corpusque tuum, *g* virgo clarissima, cum honore debito in ecclesiam *h* S. Gaugerici intulit, et quid sibi cessisset boni gestiens probare oculis, temere quamvis, devote voluit *h* aperire thecam Virginis. Mox ecclesiam totam nebula circumfundit, oculos præsentium caligo retundit, atque sic providentia Dei omnes ab incepti temeritate retrahit. Dux bono flagrans desiderio, clementiam Domini triduano placare studuit jejunio. Tandem consecutus quod voluit, thecam aperuit, corpus sanctum vidit : rursus clausit, clausam sigillo signavit. Partem etiam villæ quandam, quæ vocatur Molembecca, sanctæ Virginis tradidit, et sex familias addidit, et alia complura altaris vestimenta donavit. Illic non sine magna veneratione quievit usque ad tempora Comitis *i* Lamberti nepotis, de quo prælocuti sumus, *i* Ducis Caroli *k*. *k*

Bruxellam illud transfert.

Id intueri ut potuerit.

a Ms. *Rub. val.* Danorum.

b Otto I, *qui et Magnus, an.* CMXXXVII, *unctus est Rex Germaniæ Aquisgrani, ann.* CMLXII. *Imperator, Romæ. Obiit anno* CMLXXIII, VII *Maii. Ceterum hic aliquid videtur omissum. Nam Suriana vita multa de Belgicarum provinciarum vastatione refert.*

c *Hic esse videtur* Wenemarus Advocatus, *qui diplomati Arnulphi Magni Comitis Flandriæ, quo is varia prædia monasterio Blandiniensi restituit an.* CMXXXVII, *subscripsit.*

d Otto II, *an.* 961, *Rex Germaniæ coronatus*, 967, *Imperator Romæ, patri tandem in Imperii administratione successit an.* 973, *obiit* 983.

e *Imo* frater Lotharii *fuit, filius Ludovici* IV, *Transmarini dicti, Galliæ Regis, et Gerbergæ sororis Ottonis Magni; qui mortuo an.* 986, *Lothario, atque anno sequenti Ludovico V, ejus filio, paternum avitumque regnum, ab Hugone Capeto occupatum, armis repetens, an.* 990, *ab eo captus, sequenti anno Aureliæ in carcere moritur.*

f *Datur*

AUCTORE ANONYMO, APUD SURIUM.

f *Datur Lotharingiæ Ducatus Carolo ab Ottone II, an.* 977, ut et ipse ab insolentiis desistat, et fratris sui Lotharii motibus obsistat. *Sigebert.*

g *Circa annum* 978, *eam translationem factam scribunt Miræus in Chronico Belgico, Hæræus tom.* 1 *Annal. Brabant. Baronius tom.* 10 *Annal. ad eumdem annum nu.* 4, *hic tamen fallitur dum ait Carolum pugnantem adversus Hermenfredum, accepisse ab eo corpus S. Gudilæ. Restitui voluit Carolus Ecclesiæ Morselensi ablata, sed id consequi non potuit, vel iniquis impiorum testimoniis elisa justitia, ut hic innuitur, vel Flandriæ, et Castri Gandensis Comitum, Hermenfrido faventium potentia impeditus ne vim adhiberet.*

h *Extat etiamnum Bruxellæ S. Gaugerici (Episcopi Cameracensis, qui* XI *Augusti colitur) ecclesia, una e quinque parochialibus; non ea, in quam corpus* S. Gudilæ *intulit Carolus, sed alia augustior, ædificata a Lamberto II Lovaniensi Comite, Caroli genero, ut tradit Miræus in Chronico Belg. ad an.* 948. *Haud procul ab ea ecclesia palatium suum habuit Carolus in Sennæ fluminis insula.*

i *Gerberga Caroli filia, Lamberto II, Comiti Lovaniensi, Ragineri II Hannoniæ Comitis filio, nupta, peperit Henricum, Baldricum, Ragineram, Mathildem Henricus I. Lovanii occisus est an.* 1038. *Ei successit Otto filius, huic in juvenili ætate mortuo Baldricus patruus, qui et Lambertus Barbatus, qui collegium septem Canonicorum Lovanii instituit, templum S. Michaelis Bruxellæ ædificavit, atque in illud S. Gudilæ corpus transtulit.*

k *Hic aliquid videtur deesse. Neque enim verisimile est auctorem in ceteris tam verbosum, ita abrupte terminasse hanc historiam.*

ALIA VITA

AUCTORE ANONYMO.

Ex Laurentio Surio.

CAPUT I.

S. Gudilæ ortus, religiosa institutio.

a b *S. Gudilæ parentes,* *c* *d* *e* *frater,* *sorores.*

a Igitur b Sigiberti Regis temporibus, qui fuit Dagoberti Regis filius, extitit quidam Comes Witgerus nomine, in pago c Brabantensi, probabilis moribus; cujus Thalamis inhærebat conjunx dignissima, cujus fuerat nomen d Amelberga, Majoris Domus inclyta e Pipini sorore progenita : qui uterque divinis parili modo obtemperabant monitis. Quibus in seculo pie degentibus, sanctum et justum contulit Dominus germen. Eodem namque germine Sanctus extitit Emebertus, Cameracensium Præsul gloriosus, vitæ admirabilis, et meritis insignis : cujus etiam extitere sorores simili sanctitate probabiles. Reinildis scilicet sanctissima, et Pharaildis moribus egregia.

f *Sanctitas matri prænuntiata.*

2 Horum ergo genitricem tam felici jocunditate prolis pollentem, omnipotens Dominus adhuc futura fœcundavit prole dignissima : et jam more parturientium anxietatis *f* fluctuantem procella, qui in servis suis consolatur, hujusmodi eam refocillatione recreare dignatur. Nox erat et terris mortales somnus habebat, cum eadem materfamilias sopori dedita, Angelum aspicit, hæc sibi proferentem verba : Solve metum corde, utpote pretioso fœcundata germine. Ipse enim Rex cæli ferre me jubet hæc solamina tibi concepisti fideliter, paries feliciter, venerabilis filiæ clarissima mater : quæ ab ipso puellari ævo divinis adhærebit cæremoniis : in quibus perseverans usque ad metas ævi brevis, palmam capiet vitæ perennis. Tali ore locuta visio Angelica, eam completo sermone reliquit auramque in tenuem evanuit. At illa talibus exhilarata visis, corpus e stratis corripit, et ad cœlum manus cum voce tendit, et parans cælitus delatis credula corda responsis, largitori omnium bonorum gratias reddidit.

A S. Gertrude de sacro fonte suscepta, *g*

3 Orta est sane hæc virgo Brabantensium finibus, ut prædictum est a parentibus tam religiosis, quam nobilibus, eo tempore, quo B. Gertrudis vixit celeberrima in Dei rebus. Cum ergo prædicti parentes virginis filiam suam sacro fonte regenerare decernerent, præsentiam supradictæ virginis expetunt, et ut regenerationis ejus testis fieret, in omnes preces descendunt. Beata autem Gertrudis tam piæ preci assensum præbuit, virginisque g Gudilæ regenerationi nom solum interfuit, sed etiam manuum suarum munditia eam sanctificavit, et de sacro fonte levavit. Unde factum est, ut virgo virginis mater per spiritum fieret, atque ulterius sub uberibus doctrinarum suarum educandam suspenderet.

ad studium virginitatis animat.

4 Hujus etiam sanctæ virginis neptes extitere sanctæ sorores Aldegundis atque Waldetrudis, ubertim bonorum operum flore fulgentes. Ergo cum jam beata virgo Gudila intra monasterii claustra sacræ scripturæ lacte aleretur, et a sua sancta consaguinea, nec non spirituali matre pasceretur; Evangelicis sententiis non absurde auditis, mentem ad cælestis patriæ desideria cœpit erigere, et ad beatam atque æternam vitam ubertim exardescere. Beata siquidem Christi virgo Gertrudis ejus animum incessanter pulsabat, ut sacræ virginitatis inviolatam palmam servaret, ut veniente sponso pulsans, non cum stultis ad ostium remaneret, sed cum prudentibus cælestem gloriam feliciter possideret.

Virtutibus floret. Prov. 8. 10.

5 His namque atque aliis hujuscemodi, quampluremis beata virgo accensa monitis, hujus seculi pompam abnegans, moribus ætatem peragrans, et sanctam mentem suspendens ad astra, totam se mirum in modum in Dei redigebat famulatum, a quo perenne flagitabat præmium. Unde contigit, ut semper in dies melior se fieret, ætatulamque sensu præcelleret : quia secundum illud Sapientis doctrinam, et non pecuniam, disciplinamque magis elegit, quam aurum. Crescente enimvero de die in diem ætate, crescebat morum probitate, veluti condecens erat Dei famulæ. Erat sane corpore incorrupta, mente casta, amabilis cunctis, affabilis universis, prudentia callens, fortitudine ingens, frænis temperantiæ serena, justitiæ vigore severa, patienta laudabilis, mansuetudine præstabilis, pietate ineffabilis, fervens caritate bis tincta, stabilis fide robusta, longanimis spe inconcussa. Harum namque omnium virtutum commercia exaggerabat in ejus animo cuncta disponens sapientia.

a *Hinc conjicere licet adjunctam fuisse præfationem, quæ hic omissa.* b *Austrasiis imperitavit ab an.* 639, *usque ad* 654.
c *Surius in* 2 *edit.* Brachantensi, *in* 3 Brachantensi.
d *In* 3, *Surii edit.* Amulberga.
e Pipini *Landensis vitam dabimus* XXI *Februar.*
f *Breviar. Bruxell.* fluctuante.
g *In* 3, *Surii edit. perpetuo vocatur* Gudula. *In* 2 *et in Breviar. Brux. et usitatius vulgo* Gudila.

CAPUT II.

Privata vita. Dæmonis insidiæ.

Domum redit.

Postquam ergo spiritualis ejus genitrix, sanctissima videlicet Gertrudis, de hujus mundi peregrinatione transivit ad patriam, et ab ejulatu et convalle lacrymarum ad cæli regiam, ubi desiderati sponsi facie perfruitur; almiflua Christi virgo Gudila tantæ cognatæ solamine destituta, repedat ad parentum limina, referens pectus sitibundum, haustu sapientiæ refertum; *a* parentibus deinceps subjecta, juxta Apostoli præceptum. Erat autem in confinio villa, Morzella vocabulo, distans ab eorum mansione duorum miliarium interstitio, in quo ædificatum fuerat oratorium in honore Sancti Salvatoris dedicatum. Hunc locum diligens Dei virgo, crebro expetiit, remota a suis, vitans eis esse molestiæ in omnibus saltem modicis negotiis, atque appetens vacare contemplationi solius divinitatis Orationibus protelatis deputabat dies, continuabat et noctes, pernox in vigiliis, strenua in psalmodiis, exercitata in jejuniis, mactabat se holocaustum Christi conspectibus, cui se totam devota tradiderat ab annis puerilibus, et cum solo hic esset corpore, quotidie animo ad æterna transibat. Sermo quoque illius erat, juxta Apostolum, sale conditus : sæpissime genuum flexionibus accommodata, cum lacrymis et compunctionibus cordis Dominum obsecrabat, ut quæcumque meditaretur, vel ageret, conspectui ejus accepta forent.

a Ephes. 6. 1. Colos. 3. 20.

Morzellæ sanctissimam vitam agit. Colos. 4. 6.

7 Quantos autem pro hujusmodi facto adversus virginem

Varie a dæmone vexatur.

virginem Dei fraudum suarum diabolus laqueos tenderit, explicare quis poterit? Sed virgo Dei tot tegebatur divinis adminiculis, quot contra se omnium hostis usus est tendiculis : tantoque ei obnixius resistebat, quanto ad insidiandum instare ipsum videbat. Quadam igitur nocte dum ad idem oratorium Sancti Salvatoris, quod præscripsimus, declinaret, ut in contritione spiritus sui ad cœlestia suspirando illic pernoctaret, ecce hostis, qui primæ parentis Evæ calcaneo insidiabatur, huic virgini fraude, qua potuit, insidiari conabatur. Nam quia nox lumen negabat, secum virgo Dei lucernam habebat, quam pedissequa ejus tunc forte ferebat. Hanc non sine detrimento sui inimicus extinxit, si forte virginem Dei sua fraude præoccuparet, eandemque a cœpto itinere revocaret. Sed elusit fraudem inimici in virgine virtus Christi. Nam virgo Dei, ut diabolicæ fraudis perturbaret laqueos, orationum assumit clypeos : utque lucerna per diabolum extincta reaccendatur, *b* minor genibus Deum deprecatur. Exaudivit Deus preces virginis, quas pro receptione fudit luminis : et tenebras, quas ingessit princeps tenebrarum, disrupit luce misericordiarum suarum. *c* Videns itaque lucernam sine manibus accendentis reaccendi, et in obsequium suum, velut in ictu oculi, lumen extinctum restaurari, Deo gratias egit.

b
Lucernam extinctam precibus reaccendit.

c

8 Cœptum ergo iter læta peregerat, et ad oratorium, quo tendebat, pervenerat, reliquumque noctis obsecrationibus et vigiliis transegerat. Cumque aurora in matutinam lucem prorumperet, rebusque vultu suo colorem redderet, preces vigiliasque, quibus hæc virgo totam noctem pernoctabat, longis suspiriis jam in diem continuabat. Nam pro carnis spiritusque sui contritione, et pro declinando populari favore, sola, propria comite famula, pedibus nudis Sanctorum loca sub nocturnis horis frequentare erat solita. Diebus vero, ut humanum vitaret favorem, talibus, et ut ita dicam, dimidiis utebatur *d* subtalaribus, ut superior pars pedum videretur tecta : sicque Dei fervens amore incedebat, inferiore nuda relicta.

Nudis pedibus noctu sacra loca invisit.

d

9 Sed dum id, quod pie egit, homines latere voluit, fit res palam, quam innotescere noluit. Nam solo prostrata, et ipse atque animo in cœlos erecta; plantas, quas nudas videri noluit, prætereuntium visibus non sine oblivione videndas reliquit. Sacerdos etiam hoc viderat, qui celebraturus Missam advenerat, et quid in hac re caussæ ageretur, satis superque mirabatur. Ipse vero horrore tanti facti perculsus, ejusque algori compassus, diutissime præstolans, postquam illa ab oratione surrexit, continuo chirothecas de manibus suis extraxit, ejusque vestigiis supponere volens abiit, ut tam illustris meriti puellam religiose honoraret. Quas humiliter in manibus virgo recipiens, et recedente Sacerdote in alteram partem se divertens, longe a se projicere exoptavit : sed divina operante clementia, fere unius horæ spatio restitere in aere. Quo stupendo rursus animata miraculo, immensas retulit gratias omnipotenti Deo, non suo imputans merito, sed illi, qui suis semper adest fidelibus.

Chirothecæ in aere pendulæ.

a *Imo, si, quod in ejus vita traditur*, S. Amalberga *a S. Autberto velum accepit, jam parentes seculo renuntiarant.*
b *Sur.* junior, *et in margine* forte junctis.
c *In Surio mutata hic est sententia.* Videres itaque, *inquit.*
d *Ita Breviar. Brux. at Surius* calceis, *Garneveltius* subtularibus *restituit. Forte* Sotularibus, *quæ vox alibi pro calceis posita.*

CAPUT III.

Gudilæ, dum viveret, miracula.

Expletis tandem a Sacerdote Missarum solenniis, in quibus sancta virgo suum spiritum contribulatum Deo sacrificium immolaverat, ad proprii limina domatis remeat. Jam fere medium iter emensum fuerat, et ecce cuidam mulieri obviat, quam longus mœror et diutina calamitas torquebat. Gestabat siquidem filium suum in humeris, qui cum languore nativo ab alvo ipsius malefœtæ parentis deciderat in hanc lucem : jamque sol nonum circumvolvebat annum, ex quo eundem puerum trina passione delibitatum viderat. Etenim erat contractus, incurvus, caducis vultibus, et solam terram despectans cernuus. Spiracula etiam vocis habens *a* obstructa, insuper obmutuerat lingua. Quinetiam dira chiragra contuderat manuum articulos, intantum ut ori non ingereret cibos, nisi adjutorio alienæ manus appositos. Pro cujus incommodo, compassione et pietate Dei virgo *b* pusillanimis facta, et ex visceribus misericordiarum in lacrymas est suscitata, ac si in lacrymarum indicio eum genuisse putaretur, et per omnia mater ipsius crederetur. Accedit ergo, et in humeros suos eum accepit, atque pro sospitate ejus coram Domino aliquantulum flevit. Cujus preces mox in aures Domini Sabaot pervenerunt, effectumque sui celerem invenerunt. Jam enim puero vocis membrorumque retinacula laxabantur, et ad officium suum penitus excitabantur, membra in usum movendi roborabantur, atque lingua ad officium distinguebatur loquendi, primumque sermonem hunc habuit, quo matrem lætus sic inclamavit : Mater veni, mater veni. Mirabatur B. Gudila virtutem Dei ostensam per se ; gaudebat etiam mater pueri, misericordiam Dei per beatam virginem factam in se.

AUCTORE ANONYMO, APUD SURIUM.

Puerum variis morbis vexatum precibus sanat.

a

b

11 Ambæ gaudebant, ambæ stupebant, Dominique misericordiam semper superexaltare judicium perpendebant. Sed hoc factum humilis virgo nube silentii appetens obumbrari, interdixit mulieri, ne id per se aliquando contingeret divulgari. At illa longe aliter actitabat, quam virgo Dei supplicabat : quia pro inopinata salute filii sui, pietatem nequibat tacere filii Dei; non ut verborum virginis Dei aspernatrix, sed ut devota beneficiorum Domini veneratrix. Perlatum est autem hujuscemodi miraculum ad populum circumquaque manentem, et celebre factum usque in præsentem diem.

Divulgatur miraculum.

12 Est adhuc, quod in virgine Dei miremur, quod per eam de excelso cœlorum habitaculo patratum fide fatemur. Nam, ut sibi moris erat, quadam die in cella sua orationis pensum peragebat, et in cœlesti contemplatione spiritum suum suspendebat : cum ecce quædam mulier leprosa accedit, quæ non sine fide sospitatis suæ mox futuræ illo advenit : cujus carnem ex diutina infirmitate putredo pene in vermes consumpserat, et ad mortem usque perduxerat, nisi jam ex pietate divina pretiosa per virginem succurreret medicina. Præterea pro deformitate sui, a præsentia et visibus hominum intantum (ut ita dixerim) exulaverat, ut vix ulla cum aliquibus consortii vestigia inveniret. Sed B. Gudila spiritu contrito et humiliato intrinsecus perfusa, compassione super illam, et sermone cum illa satis est usa, atque ex nomine sic inclamavit, et pro sospitate sui, ne diffideret, admonere curavit : O Herenfrida, inquit, mens tua fidei suæ anchoram in eum figat, qui sanat contritos corde, et alligat contritiones eorum. Preces proinde ingeminat solitas, suspiriorum atque gemituum administratione præstitas, ut qui decem leprosis mundatis, unius tantum alienigenæ fidem invenit, et pro gratiarum actione revertentem laudavit, hujus etiam mulieris fidem inspiceret, et eidem misericordiarum suarum antidoto consuleret. Cujus preces Dominus exaudivit, omnemque lepram miserationis suæ manu detersit, ut nec cicatricum signa in ea relinquerentur. quibus lepræ indicia notarentur. Quantis vero pro subita incolumitate sui gaudiis indulserit, facile ex similibus quisque colligere poterit.

Precibus leprosam sanat.

Lucæ 17.

a *Breviar. Brux.* obstrusa.
b *Id est* mota ad commiserationem. *Teutonicus idiotismus.* Weemoedich, *quasi* Ween-moedich, *id est* ἀριδακρυς, ad lacrymas pronus, *ac* pussilanimis.

CAPUT

Auctore Anonymo, apud Surium.

CAPUT IV.

Obitus, sepultura, miracula.

Hæc et alia innumerabilia, et plura certe quam possit humana colligere scientia, per famulam suam operata est virtus divina : quæ ideo notitiam mortalium fugerunt, quia ex judicio divino publica non fuerunt. Ea tamen, quæ scire contigit relatu antiquorum, suisque ex scriptis fides præstitit majorum, fideli tantum sufficiant, atque pro sanctitate Virginis illi satisfaciant. Hanc ergo Domino miraculis coruscare placuit, quam in vita sua juste et irreprehensibiliter vivere concessit. Igitur in ejus præsenti et *a* inimitabili vita, qualis esset meriti, crebro divina declarabant miracula : quæ ad scribendum nimium sunt prolixa, sed ex his paucis etiam ejus cetera cognoscuntur opera. Soluta ergo ab ergastulo corporis, multa prioribus ampliora et admiranda subsequuntur miracula : quia etsi non vivit corporaliter, vivit cum illo spiritualiter, qui est gloriosus in Sanctis suis, et magnificus in omnibus operibus suis. O vere Beata, multis præconiis digna, in qua dolus non fuit : neminem judicans, neminem condemnans, nulli malum pro malo reddens, sed coram Deo et hominibus juste et sancte vivens. In hac itaque constantia perdurans animi, ne dicam per singulos dies, verum etiam per singula horarum momenta fervebat flagrantia interni desiderii videndi Deum deorum in Sion cœlesti : quarum vicissitudine non est inhibita, a petitione, quam poposcit, ut in domo Domini habitaret omnibus diebus vitæ suæ, non est fraudata. Nam felici et ultimo ejus præsentis vitæ termino mediante, Dominici Sacramenti sese viatico circum quaque vallans, iturum ad cœlos spiritum roborans, *b* Pipino seniore monarchiam tunc regni regente, VI Idus Januarias, flentibus fidelium catervis, supernorum civium gaudentibus turmis, illa sancta anima Sanctorum cœtibus socianda, de mundi ludibrio migravit ad Christum, ab ipso perceptura æternæ felicitatis palmam, cui est honor, virtus, gloria in sæcula sæculorum.

a inimitabili

Pie moritur.

b

Sepelitur.

14 Administrata autem sunt honorifice corporis ipsius funebria, et ut tantæ nobilitatis puellam decuit, ex concursu plebis non modice facta sunt celebria : ubi virtutes ipsius, quibus plurimum usa est quoad vixit, etiam ab invitis lacrymas extorquebant, et ab ipsis vix quemquam abstinere permittebant. Lugebant certe hanc nobiles quique, qui affuere, quibus humilitas et summa ejus subjectio exemplo vivendi fuere. Lugebant etiam orphani et pauperes, ostendentes tunicas et vestes, quibus illos hæc altera Dorcas vestiebat, et quotidianis alimoniarum stipendiis fovebat. Sepulta est autem in villa Ham, quam hodie eo ipso vocabulo constat nominatam. Neque ad tumulum ejus divinæ glorificationis defuere magnalia, quæ viventi ipsi fuere semper præsentia. Nam uno eodemque die ipsius sepulturæ, sole in Capricorni sidere posito, (nunc quippe brumam facit deflexus ad Austrum) arbor, quam ferunt populum, visa est subito ibidem virescere, et quod natura temporis non habuit, in propagines formari et frondescere, in testimonium ejusdem virginis, in domo Domini, ut palma florentis. Tanta namque hincinde frondium seu ramorum jucunditate diffundebatur, ut omne æstivi temporis nemus vicisse putaretur. Magnus proinde in ore omnium super hoc miraculo rumor, et duplex in omnes permiscetur stupor, arborem et insperate et intempestive crevisse. Utrumque enim non satis fuit stupuisse. Mirum namque fuit, arborem subito populasse : sed mirabilius extitit, eam hyemis tempore, quod natura (ut prædictum est) non habuit, vernasse. Fecit autem Deus hæc officio quo novit et voluit : fecit etiam potestate, qua valuit, qui in principio creaturarum terram jussit germinare herbam virentem, semenque juxta genus suum facientem. Deinde pro miraculi hujus admiratione plebs undecumque accurrit cum exultatione, Deumque in tam præclara virgine supplicat, et miraculum, quod viderat, ubique gentium explicat.

Act. 9. 39.

Arbor ad ejus tumulum miraculose viret.

a *Breu. Brux.* immutabili.

b *Non est hic B. Pipinus Landensis. Neque enim hic monarchiam regni rexit, etsi Major-domus in regno Austrasiæ, vir domi militiæque maximus, fuerit. Verum ejus generi Ansigisi filius* Pipinus Herstallus, *in Austrasia primum, deinde et in Neustria Major-domus, et regno et Regibus ipsis imperitabat.* Senior *dicitur respectu nepotis Pipini Brevis, primi ex sua familia Regis.*

CAPUT V.

Sepulchri ejus violator punitus.

Factum est autem dum humaretur corpus sanctissimum, latronem quendam exequiis ejus interfuisse, et ornamenta quædam, cum quibus sepulturæ tradebatur, contemplatum fuisse. Tertia vero nocte, nefas quod corde conceperat malitiose, mortifero debriatus veneno avaritiæ, opere festinabat adimplere. Proh nefas! Ad sepulchrum accessit, gloriosam margaritam detexit, et ut lupus ad prædam, ita impudens et furcifer gloriosum irruit deprædari sepulchrum. Nobilis ergo sancta ut fuerat virgo, atque inclyta prosapia, et præpotentibus ac ditissimis parentibus, ut prætulimus, exorta ; non sua spontanea præmeditatione, sed fidelium potius amicorum apparatu, ejus sacrosanctum corpusculum auro et argento, vesteque pretiosa honorifice fuerat redimitum. Qui talia omnia secum asportans, diripuit, solo relicto sarcophago cum sacræ virginis gleba. Quo facto illius nutu, cujus oculis nuda et aperta sunt omnia, statim ultio subsequitur divina. Nam ejusdem scelesti latronis filia cum non multo post feminarum se choreis interponens, atque cum ceteris per plateas decantando, et huc illuc saltando discureret, quædam illic adfuit mulier, sanctissimæ virgini familiaris et amica; quæ prædicti latronis filiam nimis diligenter intuens, easdem armillas, quas in brachiis sacræ virginis, dum sepeliretur, reliquerat, in ejus lacertis fore certissime recognovit. Tanta itaque admiratione commota, hoc illic adstantibus denudavit celerius.

Ejus sepulchrum diripitur.

Res proditur.

16 Quibus admirantibus, illico talia sanctissimæ virginis fratri, Emeberto scilicet jam superius prælibato delata fuerant quantocyus. Hic namque pro atrocissimi immanitate sacrilegii dolore tactus cordis intrinsecus, quandoquidem ille locus, in quo furtum factum fuerat suæ diœcesi erat adtitulatus, totus ex auctoritate canonica in reos furti insurgens, maledictionis jaculum in eos vibravit, et a sanctæ Dei Ecclesiæ gremio atque fidelium consortio sequestrans, damnavit. Quibus ergo tam merito mulctatis, veluti arbor quædam si a proprio fuerit incisa stipite, continuo ejus universi rami a priori arescunt atque deficiunt viriditate, ita omnis illa progenies, tam detestabili profluens stirpe, gravi et varia postmodum vexatur infirmitate. Nulla enim hujus generationis persona excedit, quin clauda vel aliqua pedum debilitate detenta, vel etiam dira affecta gutturia, præteritum luat facinus. Sic namque a primordio usque in præsens hujusmodi in talibus talis perseverat infirmitas. Unde datur intelligi, sacra virgine intercedente, illis temporaliter pœnitere a Deo concessum fore, ne illos signi inextinguibili (quod multo constat deterius) perpetualiter nimis infelix exureret culpa.

Auctor excommunicatur, et in posteris punitur.

CAPUT VI.

Reliquiæ translatæ : miracula.

Cum autem ex signis ad tumbam ejus quotidie crebrescentibus, odorem virtutum ejus fama adspiraret omnibus, ex consilio et dispositione. Altissimi, placuit fidelibus de loco sepulchri eam levare, et

et in locum honori ipsius magis congruum transferre. Factum est, ut ex consensu pariter et conventu probabilium utriusque sexus personarum, certus præfiniretur dies transferendarum Beatæ Gudilæ reliquiarum, quas ad Nivialense transferre cœnobium ex consilio eorum, qui convenerant, est propositum : quandoquidem non esset competens, thesaurum tantæ margaritæ occuli angulo humillimi viculi, sed loco celebri reponi. Sed consilium humanum, divino roboratum, in ipso suo conatu est frustratum. Nam dum feretrum, receptui membrorum paratum, moveri tentaretur, ut eo, quo prædictum est, transportaretur, tanto fit pondere ibidem fixum, ac si catenis insolubilibus teneretur adstrictum. Quid vero agere debeant, stupore et solicitudine utrobique hæsitant : quia ibi quid agere nesciebant, ubi de occulto Dei judicio quicquam præsumere non habebant. Venit proinde in mentem quibusdam religiosis consanguineis B. Gudilæ, Aldegundis atque Waldetrudis *a* virginum Christi : si forte hæc virgo illuc membra sua transferri vellet, quo quælibet virginum præscriptarum sedem suæ quietis haberet. Erant namque loca, tunc reliquiarum earumdem virginum Christi servatoria, Beatæ videlicet Aldegundis Malbodium, Sanctæque Waldetrudis Castrilocus. Destinabant ergo animo nunc huc, nunc illuc transferre : similiterque in movendo vires perdidere. Nam hujus rei adinventio per omnia redigitur in nihilum. Fatigari poterant, sed sanctam glebam movere non poterant.

Corpus S. Gudilæ ut transferatur Nivellam, moveri non potest.

Nec ut Montes aut Malbodium.

a

18 Singulis vero huic ponderi frustra succedentibus, et in ipso conatu deficientibus, pietas divina diutius suspensos tenere noluit, quos ad id operis inspiratione sua excitare voluit. Nam reverendæ huic elevationi quidam provectæ, imo decrepitæ ætatis intererat, qui usque ad id temporis longum senium duxerat, solusque a diebus S. Gudilæ superstes, cæterisque natu et industria provectior fuerat. Hujus spiritum divina inspiratio mox excitavit, et quo virgo Dei transferri debuit, inspiravit. Namque in hæc verba prorumpens : Videtur, inquit, mihi eam quietis suæ sedem in oratorio Sancti Salvatoris jam elegisse, in quo eam, quoad vixit, assiduis suspiriis spiritum suum claruit Deo vovisse. Tunc ad nutum senis intuitus omnium pendebat, ejusque sententiæ omnium qui aderant consensus respondebat. Et accedentes feretro, tanta mox facilitate usi sunt in ferendo, quanta prius difficultate frustra laboraverant in movendo. Deportandum est ergo ad præscriptum locum Mortzelle illud venerabile corpus, populis promiscui sexus cum laude et tripudio comitantibus, miraculisque ex glorificatione divina prosequentibus. E quibus ea quæ fidelium relatu didicimus, ut posteris notitiæ sint, narrabimus.

Senis consilio transfertur Morzellam.

19 Cumque a plebe sanctum corpus cum hymnis prosequente, dimidium itineris emensum fuisset, et jam ecclesiæ, ad quam festinabat, cantantium populus propinquasset, ecce surdus quidam, cui longa infirmitas aurium meatus clauserat, pro incommoditatis suæ remedio corpori sacro propius accesserat, et ut fidelibus ad deportanda Sanctorum corpora moris est, prope *b* lipsana sacræ Virginis ire religiosum duxerat. Cujus fidem e vestigio sanitas exequitur repentina, quam meritorum B. Gudilæ præstitit medicina.

b

Surdus recipit auditum.

Hauserat aure sonum, chorus inde stuper populorum.

Idem vero pro receptæ sanitatis commodo gratias Deo sanctæque Virginiegit, atque sacrosanctum ipsius corpus sequendo, reliquum itineris peregit, et cum populis pro novitate rei voces in altum dantibus, ad definitum sancti corporis locum usque pervenit. Ergo in basilicam Sancti Salvatoris sancta ossa introduxere, et cum magna lætitia post sacrum altare constituere, et nomen sanctum ejus adscribunt juste in aliorum Sanctorum serie. Cumque solemnia celebrassent Missarum, perfecto honore, læti redeunt domum, prædicantes sanctæ Virginis nomen famosissimum, ac in Sanctis suis mirabilem magnificantes Deum.

20 Hoc vero die, quo translatum est corpus Virginis in basilicam Mortzellensem, virtus *c* Altithroni ad nominis sui laudem, et sanctæ Virginis ampliandum honorem, patefecit omnipotentiæ suæ ostentationem, quam utique propalavit super arborem, cujus superius fecimus mentionem; quæ videlicet in vico Ham cœperat crescere ad vestigia sanctæ Virginis depositionis ejusdem die. Hæc enim arbor olim apposita custos fidissima sanctarum exequiarum, non defecit a suo obsequio, nec in translatione earum. Nam altera die ejusdem translationis, in villam Mortzelle, eadem arbor sacræ Virginis membra fuerat subsecuta, ac in eodem loco tam mirifice *d* radicata, et convenienter transplantata coram prædicti oratorii foribus, quasi ibidem a primordio germinare cœpisset ac crescere, cum utraque villa a se invicem decem milliaria distarent. Neque parum erat spectaculi, arborem ex eo loco, quo olim sine manibus creverat *e* plantantium, etiam sine manibus subito transisse eradicantium. Quod ad jussum Dei omnipotentis Angelico ministerio actum intelligit, qui divina providentia disponi omnia fideliter credit.

c

Arbor ex Ham in Morzele divinitus transfertur.

d

e

a S. Waldetrudis *etsi plurium liberorum parens*, Virgo *dicitur (ut alibi aliæ) quia sacrarum virginum antistita.*
b *Ita Breu. Brux. at Sur.* Lipsanas.
c *Sur.* Altitoni. d *Sur.* eradicata. e *Sur.* putantium.

CAPUT VII.

Sepulchrum a Carolo Magno honoratum.

Hujus rei rumor circumquaque decurrit, et per cunctorum ora volitans ad palatium usque pervenit. In tempore illo sceptrum monarchiæ Imperialis tenebat Karolus, qui ex trophæis frequentibus cognominatus est Magnus. Itaque fama pervulgante volucri, certatim studebant illuc adventare tam longinqui quam et proximi, et miraculum, quod Christus ad gloriam suæ virginis monstraverat, ardebant, intueri. Rex autem Carolus tam mirificis auditis miraculis; illuc devotus advenit, ubi ex miraculo prædictæ arboris res nova spectaculum ipsi injecit, et ex spectaculo compunctionis gratiam adjecit. Qui ut Ecclesiarum Dei amator semper extitit, defensorque strenuus, in cunctis devotissimus, eamdem villam Mortzellensem sacræ Virgini testamentis condonavit legalibus, et prædictum prædiolum Ham, unde arbor advenerat, sub pluribus idoneis tradidit testibus : ut ibi tota villa deinceps subjecta maneret, ubi primum arbor processerat divinitus. Adjecit insuper præfatus Rex Karolus eo in loco sanctimonialium aggregare catervam, decretisque regalibus facultatem illis famulandi Deo asscripsit satis opportunam. Quæ singula testamento mandavit, et subscriptis testibus assignavit, et ecclesiæ, in qua Sancta jacebat, in perpetuam hereditatem delegavit. Quæ scilicet traditio usque ad Wenemarum rata permansit : cujus usurpatione injusta, ad posteros suos eadem villa non sine offensa divina pertransiit.

Carolus Magnus visit S. Gudilæ sepulchrum, varia isthic donat.

22 Post hæc memoratus Rex Karolus exercitio venationis *a* more deditus, per circumadjacentem forestam turbabat rapidas feras a suis saltibus ; inter quas miræ magnitudinis ursum insequitur, qui jam multo spatio victus, cum nullum esset effugium, undique campis late patentibus, ac mortem imminentem jamjamque capiendus crebris differret flexibus, propero cursu tetendit ad Mortzellam, et Sancti Salvatoris irrumpit ecclesiam. Tunc rem contigit evenisse, quam facilius erat stupuisse, quam dixisse. Nam Deus, qui, ut scriptum est, homines salvat et jumenta bestialem quodammodo ursi sensum permutavit, rationemque quandam intelligendi in eo formavit. Erat namque cernere prope lipsana sacræ Virginis se admississe,

a

Ursus ad Sanctæ sepulchrum confugiens, mansuescit.

Psal. 35. 7.

AUCTORE ANONYMO, APUD SURIUM.

admisisse, et sub tanta protectrice, a strepitu insequentium jam securum, procubuisse. Ibi subito oblitus feritatis suæ, deflexa cervice, submissoque humiliter capite, Sanctimonialium advenientium cœpit vestigia lambere, ac more lascivientium catulorum omnibus aggaudere. Unde patenter dabat intelligi, se fuisse defensatum patrocinio famulæ Dei, ejusque amodo paratum esse deservire obsequiis. Quod ubi nuntiatum est Regi, cum suis rem, quæ in bestia divinitus agebatur, intellexit : Deique magnalia in virgine amplectens, recessit, sine ejusdem ursi quidem læsione, sed non sine rei, quam viderat in urso, admiratione. Idem vero ursus desistens esse silvaticus, cœpit esse domesticus, et in reliquum apud ejusdem loci sanctimoniales non aliter vixit, quam sententia omnium ibi manentium ipsi indixit.

a *Videtur deesse* regio.

CAPUT VIII.

Rex transmarinus, filia ope S. Gudilæ sanata, cum suis convertitur.

Regia virgo tertio admonetur divinitus ut S. Gudilæ tumulum visat.

Operæ pretium mihi videtur non prætermitti silentio, qualiter eandem famulam suam clarificaverit opifex rerum per fines transmarinos. Ibi siquidem Rex quidam regebat populos sub placida pace, qui susceperat filiam ex legitima conjuge. Huic autem prima nativitatis dies dedit initium vitæ cum membrorum labe, quam languor coævus debilitate contraxerat. Cui in visu persona mulieris, vultu et statura spectabilis, apparuit, eamque sospitatis suæ indicia ad tumulum Virginis Gudilæ jam cito futuræ edocuit. Expergefacta autem, patri et matri quæ viderat retulit, stuporemque ipsis exinde intulit : quibus provisione gaudium quidem crevit, sed quia locum ignorabant, sollicitudo tristitiam dedit. Tunc nocte insequente eadem visio puellæ apparuit, utque bonis operibus esset intenta, admonuit. Quæ a somno excitata, noctem illam diemque sequentem lamentationibus transegit, donec tertia se nocte eadem, quæ ante apparuit, mulier præsto dedit, et consolationis viam primum ingressa edocuit, quo B. Gudila pago orta, ubi post mortem sepulta, et ad quem locum postea esset translata : adjiciens etiam sanctimonialium catervam, quietis ipsius loco congregatam, atque ad obsequium ejus fidei signo subarrhatam.

Isthic sanatur.

24 Mane ergo iis, quæ viderat, publice enarratis, patreque et matre pro his in gaudium excitatis, navi una cum militum manu imponitur; emenso mari ad locum, ubi virgo Dei sedem suæ quietis elegerat, provehitur. Ubi a sanctimonialibus suscepta, ac prope lipsana sacræ Virginis posita, orationis instantia ab eisdem per triduum fovetur : tandemque sospitatem, quam oraculo accepturam se didicit, meretur. Sicque membrorum officio roborata, atque incredibilibus super hoc gaudiis excitata, licet adhuc paganis detenta ritibus haberetur, Deum in tanta Virgine miraculis coruscantem profitetur, ad patriam repedat, Deum Christianorum publice prædicat. Cujus incolumitas stuporem, gaudium et fidem Regi suisque dedit; stuporem, rei novitate; gaudium, in filiæ recuperatione; fidem, in unius Dei confessione. Tandem et ipse ad cœnobium sacræ Virginis, satis terrarum marisque emensus, una cum plurimis regni sui viris est adductus, baptismumque quibusdam suarum rerum copiis ibidem oblatis, est adeptus. Post cujus perceptionem eidem beatæ Virgini vas argenteum condonavit, quod in deferendis ad ecclesiam oblatis longo post tempore ibidem manentium ætas conservavit. Interea regressus patriam cum suis revisit, ut omnes sui regni homines baptismi fonte abluerentur, decretum dedit : quod late divulgatum, in unum credere Deum fecit. Postremum, nullum permisit regno militare suo, qui per paganismum rebelasset Christi regno. Sic per salutem unius, multis provenit animarum salus. Sed nec dubitare debet, quanta inter circummanentes signorum gloria fulserit, quæ etiam longe remotos populos illustravit miraculis. Magna vere in cœlis et in terris ejus gloria, magna æque ipsi apud Deum inveniendi, quæ postulat, efficacia; cujus meritis obtinentibus, veri notitia Dei transmarinis data est gentibus : non illis, quos vocant Anglos; jam enim illi docente *a* Augustino in Christum credide- *a*
rant, quem admirabili viro, *b* Gregorio auctore do- *b*
centem meruerant : sed longe nimirum remotioribus, in infidelitatis cœno cum temporis sordescentibus.

a *De eo* XXVI *Maii.*
b *Colitur* XII *Martii.*

Ejus parens convertitur.

CAPUT IX.

Belgica vastata : delatæ Capræmotem S. Gudilæ reliquiæ.

Ratum quidem erat sanctimonialium inibi floruisse religionem, et usque ad *a* Hunnorum irruptionem. *a*
Qualiter autem cum eis sanctimonialibus actum sit, *Barbari Belgium invadunt.*
et in Mortzellensi villa religio supradicta defuerit, sequens sermo declarabit. Post multa et magna miracula ostensa in vico Mortzelle dispensatione Domini, collocata sanctimonialium congregatione inibi in honore dilectæ Deo Gudilæ Virginis, multiplicata populorum malitia, læta et prospera turbavit diaboli versutia. Ipse quippe adversarius noster, qui bonis invidet, et malis aggaudet, tum tamquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret, si qua adhuc virtutum vestigia remanserant in terris, nititur omni impietatis abolere molimine. Ut jacula atrocitatis suæ per corpora exterius transmitteret liberius, (heu dolor et facinus!) primo venena sua in anima diffudit interius, tanto gravius, quanto abundantius. Sic, ut diximus, ascendente ad Dominum clamore nequitiæ Christianorum, ut similem invenirent pœnam, fines Lotharingiæ gens invadit *b* Danorum. Sanctuaria vertebantur in derisum, in prædam substantiæ incolarum. *b*
Ita pace turbata, res cœnobii Mortzelensis paullatim diripit adversariorum insatiabilis cupiditas.

S. Gudilæ reliquiæ Capræmontem deportatæ.

26 Qua tempestate, metu paganorum agente, sanctissimæ virginis Gudilæ corpus a supradicto cœnobio, in locum, qui dicitur *c* Capræmons, deportatur. *c*
Interea pagani impietatis suæ funiculos latius protendentes, atque rapinæ vastationisque fomitem magis magisque sitientes, quæcumque poterant consumptionis fine perdidere, nec etiam a cœnobio Mortzelensi manum abstinuere. Nam igni ab eis crematum, et Luc. 11. 17.
irremediabili malo temere est invasum : ita ut nullum nostro nunc tempori reliquerint indicium : sicut nobis Dominica voce testatur Evangelium : Omne regnum in se divisum, desolabitur *d*. Lodovicus Rex *d*
Austrasiorum, fines Francorum injuste invasit contra *e* fratres suos. Facta itaque pactione inter eos, datisque sacramentis cum reverteretur, Nortmannis, qui *e*
erant progressi usque *f* Carbonariam, in loco, qui *f*
dicitur Timnim obviavit supradictus Rex, qui Austrasiis imperaverat : cum quibus absque mora conflixit, et Deo propitiante, ex eis maximam partem gladio stravit. Reliqui in fugam dilapsi, in fisco regio se communiunt, deinde noctu diffugiunt, et ad classem gressum dirigunt.

Variæ a Normannis clades.

27 Postea *g* Walam fluvium ingressi, in Niumago *g*
ad regium palatium applicuerunt, ibique castra posuerunt. Quod factum cum ad notitiam Lodovici perlatum esset, absque dilatione cum exercitu venit, et munitionem obsidione clausit. Conserto cum eis nonnullis diebus certamine, non adeo prævaluit : quia palatium ingentis magnitudinis mirique operis, hostibus tutissimum præbebat receptaculum. Postremo Rex accepta pollicitatione, quod si ab obsidione

dione cessaret, Nortmanni continuo de regno ejus discederent, cum omnibus copiis recessit. Illo recedente, pagani palatium una cum munitione exurentes flammis, navibus ascensis, *h* majori numero congregato, cum inæstimabili multitudine peditum et *i* equitum consederunt in loco, qui dicitur *i* Haslon, juxta Mosam. Et primo impetu finitima loca depopulantes, Leodium civitatem, Trajectum castrum, Tungrensem urbem incendio cremant. Secunda incursione *k* Ribuariorum finibus effusi, cædibus, rapinis ac incendiis cuncta devastant, Coloniam Agrippinam, *l* Bonnam, civitates cum adjacentibus castellis, *l* Tul*m n* piacum, *m* Vulpiacum et *n* Nussam igne comburunt. *o p* Post hæc Aquis palatium, *o* Inde, *p* Malmundarias et Stabulaus monasteria in favillam redigunt. Arduennam percurrentes. Prumiam monasteriumingrediuntur ipso die Epiphaniæ Domini, interfectis omnibus, quos ibi invenerunt, monasterium igne consumunt, et onerati præda, ad castra redeunt.

28 Dum hæc aguntur, Ludovicus Rex apud Fran*q* cofort *q* moritur. Nortmanni audita morte Regis, ni*Item aliæ.* mio exultabant tripudio et jam non de conflictu, sed de præda cogitabant. Igitur cum omni festinatione exeunt, et Trevirorum civitatem nobilissimam die sa*r* cratissimo Cœnæ Domini *r* occupant : in qua usque ad sanctum diem Paschæ fessa ab itinere corpora recreantes, omne territorium urbis circumquaque usque ad solum demoliti sunt. Deinde civitatem flammis exurentes, Mediomatricum dirigunt aciem. Quod *s t* cum reperisset ejusdem urbis *s* Antistes *t* adjunctis sibi aliis Episcopis vel Comitibus, ultro illis obviam ad pugnam procedit. Inito certamine, Nortmanni victores extiterunt, et Episcopo interfecto, ceteri fugerunt. Pagani iter, quod cœperant, deserentes, cum ingenti præda, summa celeritate ad classem revertun*v* tur. Iisdem vero temporibus *v* Carolus, hujus nominis et dignitatis tertius licet gravibus et multimodis regni negotiis occupatus, tamen adversantes Normannos, Deo auxilium ferente, regno depulit.

x 29 Postea vero gens *x* Hungarorum finibus suis *Item ab Hun-* egressa, regnum Baviariorum ac Lotharingiæ occu*garis.* pat, cædibus, rapinis ac incendiis omnia vastat, et usque ad Carbonariam silvam igne et præda est demolita. Sed Otto senior tunc temporis Imperator, multimodis regni et suorum Procerum impeditus incommoditatibus, dum adversantes non cohibet hostes censura regiæ severitatis, majorem et graviorem licentiam injustitiam faciendi tribuit etiam domesticis. Bellum tamen contra Hungarios susceptum, Deo misericorditer dispensante et pro suis pugnante, satis *y z* feliciter peractum est *y*. *z* Rex ipse Hungariorum cum suis Principibus captus est : ceteri vero interfecti et funditus sunt extincti.

a *Sæpius in vitis SS. mentio fit irruptionis* Hunnorum, *(nam et S. Reinildis Gudilæ soror ab iis interfecta memoratur) vel quia omnes exteros gentiles vulgus Hunnos vocabat, vel quia a variis Ducibus eorum turmæ aliquæ in Belgicas provincias, evocatæ sunt; exosa Deo, perniciosa subditis auxilia. Sed et Hunnos appellatos esse quosdam Aquilonares populos Nortwegiæ incolas patet ex Gestis Normannorum ab Andrea du Chesne editis.*

b *Cœperunt sub Ludovico Pio maritima Galliarum Dani infestare, quas sub ejus filiis fœdius deinceps populati sunt. Quando ex Morsella Capræmontem deportatæ sint reliquiæ S. Gudilæ conjici potest ex Gestis Normannorum ab anonymo auctore scriptis, qui ad annum* 847 *refert, vastata a Normannis Frisia, direptisque ecclesiis, Flandrenses vicinarumque urbium Pontifices et Abbates cum Sanctorum reliquiis ad S. Audomarum confugisse,* quia muro valido et turribus atrium ejus divina providentia munitum erat. *Deinde an.* 850 Northmanni, *inquit,* Fresiam et Batavos populantur, et in oppido Gandavo venientes, S. Bavonis monasterium incenderunt. *Ad quem annum ista habet vetus codex* ms. Rorich nepos Herioldi, qui nuper a Lothario defecerat, assumptis Nordomannorum exercitibus cum multitudine navium, Fresiam et Batavum insulam aliaque vicina loca per Rhenum et Vahalem devastat. Quem Lotharius cum comprimere nequiret, in fidem recipit, eique Dorustadum et alios Comitatus largitur. Ceterorum vero pars Menapios, Tarvisios, aliosque maritimos deprædantur, etc.

c *Oppidum fuit diœcesis Leodiensis egregie munitum, vulgo* Chievremont, *et in diplomate Ottonis I apud Miræum in Notitia Ecclesiar. Belgii cap.* 55 Kevermunt. *Id Notgerus Episcopus an.* 980 *quod nidus esset rebellium, insigni stratagemate cepit, ac funditus excidit.*

d *Ludovici Germanici F. Ludovici Pii N. Germaniæ et Lotharingiæ Rex, ad an.* 882. *Hic Carolum Calvum patruum suum injuste fines suos invadentem prælio vicit apud Andernacum* 8 *Octob. an.* 876. *Sed mortuo Ludovico Balbo, Calvi F. regnum ejus invasit, coegitque filios ejus Ludovicum III et Carolomanum portionem ejus aliquam sibi cedere.*

e *Imo patruelis filios.*

f Silva Carbonaria *præcipue eo tractu erat qui nunc Hannoniæ Comitatu Continetur. Cladem hanc Normannorum refert Regino ad an.* 879 *et breviter Sigebertus; Bucherius ad* 880. *Quis locus sit* Timnim *hauddum comperimus.*

g *Alio nomine* Vahalis, *sive* Wahalis *dicitur. Ad Sckenckianam munitionem in duos se fluvios Rhenus dividit, facitque Batavorum insulam; alter nomen aliquamdiu retinet, alter* Vahalis *dicitur : in hujus læva ripa* Neomagum, *sive* Noviomagum, *urbs præclara sita est. Porro quæ hic narrantur, ea ad verbum fere, pauculis omissis, ex Reginone transscripta sunt.*

h *Abiisse scribit Regino, ac deinde reversos mense Novembri.*

i *Ita Sigebertus, Haræus alii. Regino a Pistorio editus,* Haslou, ms. *quo usus fuit Rosweydus noster* Achslon. *Annales Pithœani,* Ascloha (*Haræus* Aschola *legit*) secus litus Mosæ, 14 miliaribus de Rheno. *Chronicon de Nortmannorum gestis ab Andrea du Chesne editum,* Haslac. *Recentiores quidam dum hanc commemorant Nortmannorum irruptionem, hunc locum consulto omittunt. Arbitramur castrum fuisse ad dextram Mosæ ripam quod etiamnum* Elsloo *dicitur; et pro* Aschlio, *vel* Alsloa, *forte* Aschola *vel* Ascloha *scriptum.*

k Ripuaria *dicta olim regio inter Rhenum et Mosam, ut hinc patet, populique* Ripuarii *et* Ribuarii.

l *Vulgo* Zullich *sive* Zulpich, *oppidum diœcesis Coloniensis, ad quod Clodoveus an.* 496 *victoriam de Alemannis retulit, cum prius se Christianum fore fovisset.*

m *Regino editus* Vilipiacum ms. Vilpiacum. *Suspicamur* Juliacum *scriptum fuisse, librarium vero legisse* Viliacum, *et p litteram adjecisse, quo* Tulpiaco *terminatio responderet. Itaque legit Aquisgra cap.* 9 *Petrus Beka, in margine. Est* Juliacum *antiquum ac munitum oppidum, a quo peramplo Ducatui nomen. Alii* Wulfenich *vicum malunt intelligi.*

n ms. Niusam. *Regino edit,* Nuis. *Vulgo* Novesium *appellant.*

o *Sur.* inde, *Regino edit.* iidem. *Celebre est monasterium et oppidum inter Aquisgranum et Limburgum, vulgo* S. Cornelii monasterium. *Annales Fuldenses de hac clade ad an.* 881. At illi instaurato exercitu, et amplificato numero equitum plurima loca in regione Regis nostri vastaverunt, hoc est Cameracum, Trajectum, et pagum Hasbanicum, totamque Ripuariam; præcipua etiam in eis monasteria, id est Prumiam, Indam, Stabulaus, Malmundarium, et Aquense palatium, ubi in capella Regis equis suis stabulum fecerunt. Præterea Agrippinam Coloniam, et Bunnam civitates cum ecclesiis et ædificiis incenderunt. Qui autem inde evadere potuerunt, sive Canonici sive Sanctimoniales. Mogunciacum fugerunt, thesauros Ecclesiarum et Sanctorum corpora secum portantes.

p *De* Malmundario *et* Stabuleto, *pluribus agemus* xxv *Janu. ad vitam S. Popponis, et* iii *Sept. in vita et miraculis S. Remacli.*

q xiii Kal. Decemb. *Annal. Fuld. aut* Septemb. *ut Regino.*

r *Nonis April. ut habet Regino, Annales Fuldenses, et alii, in quas an.* 882 *incidit Cœna Domini. Unde patet non hæc gesta esse postquam mortem Ludovici audivere barbari : sed cum ante Treviros et Metas vastassent, redissentque* Esloam *ad classem suam, intellexerunt obiisse Ludovicum Regem, ejusque exercitum contra se missum insecuti, omnia Confluentiam usque vastarunt; ut iidem Annal. Fuld.*

s Walo, *vel* Walah, *Cl. Roberto* Valla.

t *Regino* Bertulfum *Episcopum, et* Andalhardum (ms. Adachardum) *Comitem nominat.*

v Carolus Crassus *Ludovici Germanici F. Pii N. an.* 880. *Imperator Romæ coronatus, Normannos post Ludovici fratris mortem Esloæ frustra obsessos, certis pactis e regno dimisit. Qui rursus tamen id postmodum invasere. Obiit Carolus an.* 888, 13 *Januar.*

x *Sigebertus an.* 938, Ungari per Austrasiam et Alemanniam multis civitatibus igne et gladio consumptis. Wormatiæ Rheno transito, usque ad Oceanum Gallias vastant. *Idem an.* 955, Conradus Dux Lotharingensium, Dei et Imperatoris transfuga, ad Ungaros se conferens, eos in Lotharingiam usque ad Carbonariam silvam perduxit, et virtute Dei apud Lobias contra eos ostensa ultra prodire prohibiti, impune redeunt. *Consule de his Miræum in Chronico, an.* 955 *et Fulcuini Chronicon Lobiense.*

y *Initum est prælium ad Lycum flumen, an.* 955. *Vide Miræum in Chronico, et Sigebertum anno sequenti.*

z *Zigebertus ait* tres regulos *eorum* captos, suspendio periisse.

Auctore Anonymo, apud Surium.

AUCTORE ANONYMO, APUD SURIUM.

CAPUT X.

Relatæ Morzelam, inde Bruxellam reliquiæ.

Igitur post tanta et talia regni flagitia recedentibus paganis, B. Gudilæ corpus ad præscriptum cœnobium, ab Danis jam in nihilum redactum, rediit. Quod quamquam hostium irruptione suique destructione vilesceret, beatæ tamen Virginis corpus ibidem servabatur, eaque reverentia, qua loci ejusdem valuit paupertas, venerabatur: donec Wenemarus quidam subintravit, qui ut altera pestis eumdem locum injusto possidendi desiderio usurpavit, et omni crudelior bellua, specie Christianus, non opere, paganos ipsos nimia vicit crudelitate. Bona Eccesiastica in usus suos, et suorum stipendia satis audacter præsumpsit vendicare, et ancillas Christi injuriis et egestate coactas, compulit fugere, et ut oves sine pastore circumquaque vagantes errare. Si quam præterea de numero Deo servientium mors occupabat, locum ejus avaritia Uvenemari supplere nolebat: sed non mirum erat, quippe qui et viventibus sua denegabat. Hoc tandem justo Dei judicio tam animæ quam corporis morte damnato, dolet Ecclesia ipsum reliquisse filios. Quorum unus Hermenfridus res Ecclesiæ supradictæ invasas injuste, non timuit mortuo parte suscipere, et quidem per aliquot annos sine alicujus contradictione vel defensione. Hoc enim tempore, ut clamat veritas scripturæ, neque Rex, neque Dux in Israel erat: sed unusquisque in via cordis sui ambulabat. Tanta namque aliorum malorum pericula, tanta undique adversitatum creverant incommoda, tanta insuper Principum erat negligentia, vel defensorum impotentia, ut res ecclesiarum minui vel diripi in his finibus ab aliquo, jam esset pro minimo.

Morzelensis cœnobii bona injuste occupata.

Judic. 17. 6.

31 Post hæc Ottone II tenente Imperium, Carolus frater Lotharii Regis Francorum in regno Lothariensi adeptus est Ducatum. Qui statum imperii dolens perturbari multipliciter, ad melioranda negotia multorum, animum advertit solerter. Unde inter cetera res ablatas Ecclesiæ Mortzelensi invasorum partibus nisus est subtrahere, et S. Gudilæ famulantibus restituere. Sed quivis scire potest facile, quam difficile corrigantur, quæ in consuetudinem venerunt diutina dilatione. Sua loco sancto volebat reddere industria Caroli Ducis, sed obstabat audacia pervasoris, nec Deum timentis, nec hominem reverentis. Insurgunt testes iniqui, et mentita est iniquitas sibi: Hermenfridum omnes suæ partis clamant esse patris successorem, et paterni boni hæredem. Ducis autem prævalente potentia, Hermenfridus suique complices amantes terrena, parvipendentes cælestia, inito consilio invasas terras retinent sibi, et pretiosam margaritam, omnibus datis comparandam, corpus scilicet S. Gudilæ dant bono negotiatori, Carolo videlicet glorioso duci. O miseros et miserandos omni modo, qui instar brutorum animalium terram respicientes pectore prono, ac ventri obedientes, non Deo, ipsi se indignos judicant tanto dono! Et sicut paternam rapacitatem eis hæreditate cessisse gavisi sunt, sic quasi æterno mucrone perfossi, paternæ necis exitum sibi contigisse tristati sunt. Nam universos ejusdem possessionis cohæredes, inaudita mirabilique nece notum est finiri ad extrema venientes.

Corpus S. Gudilæ Carolo Duci traditum.

Ultio in sacrilegos.

32 Carolus vero Dux pro nihilo ducens damna terrarum, felici commercio gaudet se cœlestem suscepisse thesaurum. Quem cum debito honore in ecclesiam S. Gaugerici Bruxellæ intulit, et quid sibi cessisset boni gestiens probare oculis, temere, quamvis devote, aperuit thecam Virginis: sed mirum dictu, ecclesiam totam derepente nebula circumfundit, omnemque diurni luminis aspectum in nocturnas tenebras permutans, oculos præsentium caligo retundit, atque sic providentia Dei omnes ab incepta temeritate retraxit. Saniori interim præscriptus Dux innitens consilio, se una cum aliquanta fidelium plebe in contritione carnis ac spiritus coarctavit triduo, ut quod faciendum incauta persuasit temeritas, summa, quæ omnia vincit impetraret humilitas. Et jam tertia dies illuxit, memoratusque Princeps ad loculum beatæ Virginis cum Sacerdotibus ac thymiamate accessit, aperuit, et quod desiderabat vidit, invocataque Dei majestate reclusit, ac sigillo signavit. Postea vero partem quandam villæ, quæ vocatur Molenbecca, S. Gudilæ tradidit, et sex familias addidit, et alia complura altaris vestimenta donavit. Illic non sine magna veneratione quievit usque ad tempora Comitis Baldrici, nepotis Caroli Ducis.

Corpus S. Gudilæ translatum Bruxellam:

a Duce inspectum,

33 Millesimo quadragesimo septimo anno incarnationis Dominicæ, XV indictione, *a* Damaso Apostolicæ Sedi præsidente Summo Pontifice, *b* Henrico II regnante, dedicatum est in monte Bruxellæ templum *c* XVI Calend. Decembris ad laudem nostri redemptoris, in honore sancti Archangeli Michaelis a *d* Gerardo Cameracensi Episcopo. Lambertus vero, qui et Baldricus Comes, *e* Henrico fratri succedens, cujus præsentia tunc cuncta extiterunt illic decenter ordinata, eodem die illud corpus sanctissimum de ecclesia S. Gaugerici cum Episcopo ceterisque sacris ordinibus levavit, atque cum summo honore in ecclesia S. Michaelis reposuit. Et annuente in omnibus uxore sua Oda, quæ fuit *f* Gozolonis Ducis filia, ad serviendum Deo Sanctæque Gudilæ virgini, ibi Clericos constituit, et ad usus eorum ipsam ecclesiam cum decimis, et alia plura legaliter contulit. Ibi nunc quoque ad ostendenda gloriosæ Virginis merita, multa et magna fiunt miracula. Hæc de Virgine pauca tantum e multis in notitiam nostram venerunt, omissis proculdubio plurimis, quæ nos præterierunt. Sed hic nostra de Virgine claudatur oratio, ejusdemque nobis aperiatur intercessio, quæ me scribentem, et te, Christiane, respiciat legentem, Amen.

a

b

c

d

e

ad S. Michaëlis ædem translatum.

f

a *Baronius aliique putant non nisi sequente anno sedere cœpisse* Damasum. *In diplomate certe Lamberti Baldrici Comitis apud Miræum in Notitia Ecclesiar. Belgii manifestum esse mendum videtur, dum dicitur,* Actum publice Bruxellæ anno Dominicæ Incarnationis MXLVII, Indictione XV, Leone IX, in Apostolica Sede præsidente Pontifice Summo, *etc. Nam consecratus in Pontificem est Leo Dominica prima Quadragesimæ,* XII *Februarii* MXLIX.

b Secundus *erat ejus nominis Imperator, Rex tertius. Quare in citato Baldrici diplomate habetur:* regnante Henrico Imperatore tertio.

c *Forte* XVII, *quæ fuit Dominica.*

d *Primo ejus nominis, laudatissimo viro, qui* XIV *Martii* MXLIX *obiit.*

e *Imo immediate Ottoni, Henrici filio, qui annum in principatu integrum non exegit.*

f *Aliis* Gozilo, *et* Gothilo *dicitur, cognomento* Magnus, *Lotharingiæ superioris Dux.*

DE

DE S. CYRO PATRIARCHA CONSTANTINOPOLITANO.

Circa an. Chr. dccxiv. viii Januarii. *S. Cyrus Episcopus Constantinopolitanus.*

Cyrum orthodoxum Constantinopolitanæ Sedis Antistitem, ac religionis caussa extorrem, publica veneratione celebrant hodie Græci; in quorum Menæis hæc de eo viii *Januarii leguntur :* Eadem die, memoria S. P. N. Cyri, Archiepiscopi Constantinopoleos. Agitur ejus synaxis, (*sive* commemoratio) in venerando monasterio Choras, *(id ubi situm sit infra n.* 9 *dicemus)* et in magna ecclesia, die Dominica.

Tuam concinens carnem, Christe mi, Cyrus,
Carne solutus, tuo adstat throno.

not. 133.

2 *Monachus hic antea in quadam juxta Amastridem insula fuerat, aut etiam monachis præfectus. Eo vero tempore Justinianus secundus, Constantini Pogonati piissimi Imperatoris filius, quod puerili levitate et impotentia rempubl. pessumdaret, populari seditione evecto ad imperium Leontio, hujus jussu naso est mutilatus, ac Chersonam Tauricæ Chersonesi urbem relegatus anno Christi* dcxcv. *Hinc ad Chaganum Regem Avarum profugit, ejusque sororem aut certe filiam Theodoram duxit uxorem, et Phanagoriæ ad Bosphorum Cimmerium sita urbe, illo permittente, domicilium fixit. Sed cum Tiberius Absimarus (qui an.* dcxcviii. *Leontio naribus truncato et in monasterium intruso, imperium occuparat) Chaganum ad tollendum de medio Justinianum sollicitaret, neque abnueret barbarus; is ab uxore admonitus sese periculo tempestive subduxit, et ad Terbellim, sive Trebellium Bulgarorum Regem profectus, ejus auxilio imperium anno* dccv *recuperavit : quod ita eventurum ei Cyrus prædixerat, exulemque in Ponto aluerat.*

Justiniano Rhinotmeto recuperationem imperii prædicit.

Fit Episcopus Constantinopolitanus.

3 *Hujus memor beneficii Augustus, cum in ceteros suos adversarios cruente sæviret, tum Callinicum Patriarcham, hæreticum hominem, oculis prius erutis, Romam relegavit,* ut qui superbe *antea, quemadmodum Baronius tom.* 8, *ad an.* 703, *n.* 2, *animadvertit,* in Romanum Pontificem caput extulerat, *(quod in S. Sergii Papæ vita* ix *Septembr. plenius exponetur)* ab eodem vitæ stipem humiliatus acciperet. *Ejus vero* in locum, *ut S. Nicephorus Constantinopolitanus scribit,* Cyrum substituit, qui Amastride inclusus vixerat, ac de imperio recuperando, cum isthic adesset, prædixerat. *Joannes Zonaras tom.* 3 *Annal.* Cyrum monachum quendam inclusum, qui ei regni recuperationem prædixerat, Patriarcham designavit. *Georgius Cedrenus :* Constantinopoli vero Cyrum, qui in insula Amastride inclusus fuerat, ut qui imperii recuperationem prædixisset, Patriarcham constituit. *At his omnibus antiquior Bedæ lib. de sex mundi ætatibus atque ex eo Marianus Scotus :* Et dedit Episcopatum Cyro, qui erat Abbas in Ponto, eumque alebat exulem. *Paulus Diaconus Rerum Romanar. lib.* 18, Cyrumque Abbatem, qui eum in Ponto exulem aluerat, Episcopum in loco Gallinici constituit. *Quæ in editione Gruteri ita efferuntur lib.* 20 *Hist. Miscellæ, cap.* 9. Et pro eo Cyrum, qui in insula fuerat inclusus Amastridis, tamquam eum qui prænuntiaverat sibi prioris restitutionem imperii, subrogatum provexit.

Ubi prius habitarit.

4 *Videtur ergo in quapiam juxta Amastridem insula monachis præfuisse. Est* Amastris *ad Pontum Euxinum ultra Parthenium flumen, urbs Mariandenorum in Ponto, ut scribit Ptolemæus Tabula* i *Asiæ cap.* i. *Plinius lib.* 6, *cap.* 2, *Paphlagoniæ tribuit, aitque olim* Sesamum *dictam. Quæ vero ea sit insula, in qua sancti viri cœnobium fuit, non produnt auctores citati. Insulas, quæ* Erethini, *sive* Erythini, *aut* Erythrini scopuli *dicuntur, quidam juxta Heracleam, alii juxta Amastridem locant : an in harum altera ei sedes fuit? an ea* Trogessos *dicta? Nicephori Chronicon hæc habet :* lxix, Cyrus Presbyter et monachus, ex Trogesso Amastridos, annis 6 expulsus a Philippico. *Quo tempore ad Cyrum venerit Justinianus non constat. Fortassis eo delatus est cum Chersonam deportaretur, aut cum Chersona profugit, priusquam Chagano se crederet.*

5 *Quæ in Episcopatu Cyrus gessit, non sunt prodita litteris. Verisimile est strenue Monothelitarum, hæresim oppugnasse, et quæ ad quintam et sextam Synodum impii Callinici fraude fuerant assuta, confutasse; atque ejus rei gratia auctorem deinde fuisse Justiniano ut Constantinum Papam accerseret Constantinopolim, cujus auctoritate omnis coram sopiretur de fide controversia. Iturus ergo ad Imperatorem sanctissimus Pontifex, Roma discessit* v *Octobris, Indict.* ix, *sive an. Christi* dccx. Dum vero Hydrunti moras faceret, *inquit Anastasius Bibliothecarius in Constantino,* eo quod hiems erat, illuc suscepit sigillum Imperiale per Theophanium regionarium, continens ita, ut ubiubi denominatus contingeret Pontifex, omnes Judices ita eum honorifice susciperent, quasi ipsum præsentialiter Imperatorem viderent. Unde egressi, partes Græciæ contingentes in insula quæ dicitur Cea *(Ptolamæo Cia, aliis Ceos, in Ægeo mari, ab Eubœa quondam avulsa, teste Plinio lib.* 4, *cap* 12*)* occurrit, Theophilus Patricius et Strategus Caravisianorum, cum summo honore eum suscepit, et amplectens, ut jussio continebat, iter absolvit peragere cœptum. A quo loco navigantes venerunt a 7 milliario Constantinopolim. Ubi egressus Tiberius Imperator filius Justiniani Augusti cum Patriciis et omnibus Inclytis *(Baronius legit,* et omni Syncleto, *sive Senatu)* et Cyrus Patriarcha cum Clero et populi multitudine, omnes lætantes et diem festum agentes, *etc.*

Constantinus Papa invitatur Constantinopolim :

honorifice suscipitur a Tiberio Cæsare, et Cyro Episcopo ;

6 *Deinceps vero de Justiniani quoque occursu subdit :* Domnus autem Justinianus imperator audiens ejus adventum, magno repletus gaudio, a Nicæa Bithyniæ misit Sacram gratiarum actione plenam; et ut debuisset Pontifex occurrere Nicomediam, et ipse venire a Nicæa : quod et factum est. In die autem qua se vicissim viderunt, Augustus Christianissimus cum regno in capite sese prostravit, pedes osculans Pontificis. Deinde in amplexum mutuum corruerunt : et facta est lætitia magna in populo, omnibus aspicientibus tantam humilitatem boni Principis. Die vero Dominico Missas Imperatori fecit : et communicans Princeps ab ejus manibus proque suis delictis ut deprecaretur Pontificem postulans, omnia previlegia Ecclesiæ renovavit, atque Sanctissimum Papam ad propria reverti absolvit. *Hæc eadem Beda breviter, et Paulus Diaconus. Recte vero conjicit Raderus, omnia hæc piissimi Patriarchæ gesta esse consilio, cui Imperator, præsertim in sacris, plurimum tribueret.*

præcipue a Justiniano Imp.

Cyri consilio.

7 *Quæ præterea isthic gesta sint, colligi potest ex iis quæ idem Anastasius in Gregorio II, Constantini successore scribit :* Deinde ad Diaconatus ordinem provectus est : et cum viro sancto Constantino Pontifice ad regiam profectus est urbem, atque a Justiniano Principe inquisitus de quibusdam Capitulis, optima responsione unamquamque solvit quæstionem, etc. *Præcipue de additis Callinici opera ad* 5 *et* 6 *Synodum capitulis actum fuisse apparet, ut in Sergio* ix *Septembr. et in Gregorio II* xiii *Februa. dicemus. Cum vero immanem de Chersonensibus cæpisset exigere vindictam Imperator, novoque misso exercitu delere funditus Chersonem, civesque sine discrimine perdere statuisset; conatus est Constantinus Pontifex eum a cruentis istiusmodi et periculosis consiliis revocare. Ita Paulus Diaconus ante citatus :* Quicum exercitum in Ponto mitteret ad comprehendendum Philippicum, quem ibi relegaverat;

Quid isthic egerit Papa.

Ex variis. rat; multum eum idem venerabilis Papa prohibuit, ne hoc facere deberet : sed tamen inhibere non potuit. *Igem refert Beda de sex ætatibus.*

Redit Romam. 8 Egressus igitur a Nicomedia civitate, *inquit Anastasius*, crebris valetudinibus Pontifex attritus, tandem sospitatem Deo tribuente incolumis ad portum Cajetæ pervenit, ubi Sacerdotes et maximam populi Romani reperit multitudinem, ac XXIV die mensis Octobr. Indict. X (*anno nimirum Christi* DCCXI) Romam ingressus est : et omnis populus exultavit atque lætatus est. Post menses autem tres lugubre nuntium personuit, quod Justinianus Christianissimus et orthodoxus Imperator trucidatus, et Philippicus hæreticus in Imperiali promotus est arce. *Occiditur Justinianus.* *Hæc Anastasius. Ut se hæc habuerint, pluribus narrant antea citati Nicephorus, Zonaras, Cedrenus, etc. Qui ad exscindendam Chersonem missus erat Maurus patricius, cum eam Chazarorum præsidio munitam reperisset, et neque obsidionem urgere posset, nec redire ad Imperatorem auderet, cum Chersonitis conspirans, Bardanem exulem Imperatorem proclamat, quem mutato nomine Philippicum appellat. Hic deinde Justinianum Imperatorem, orthodoxum quidem, sed nimium severum atque immitem, obtruncat, filiumque ejus Tiberium. Gesta hæc sunt sub exitum anni* DCCXI, *vel initium* DCCXII.

Pellitur Cyrus. 9 *Quid* Cyro *Patriarcha tunc factum sit, citati tradunt auctores. Zonaras :* Cyrum Patriarcham Ecclesia, quam per sex annos tenuerat, exegit, et Joannem assensorem suum in ea collocavit. *Consentit Cedrenus. Miscella lib.* 20, *cap.* 20. Reperit autem *Philippicus* sui sensus Joannem, quem Episcopum Constantinopoleos fecit, deposito Cyro Præsule, quem et exilio relegavit in monasterio Choras. *Petavius in Notis ad Nicephorum in Theophane haberi tradit, ἐν τῷ τῆς Δώρας μοναστηρίῳ, sed restituendum χώρας. Hoc ipsum est monasterium, quod in Mœnæis σεβασμία μονὴ τῆς χώρας appellatur. Ubi id situm fuerit exponit, qui tum vivebat, Venerabilis Beda :* Hic ejecit Cyrum de Pontificatu, eumque, ad gubernandum Abbatis jure monasterium suum, Pontum redire præcepit. *Idem habet Marianus Scotus, et Paulus Diaconus. Hinc porro conjici potest, quæ crudeliter a Justiniano acta fuerant, ea Cyro fuisse semper improbata : facile alioquin aliqua ei hinc conflata fuisset invidia; nec temperasset ab eo manus cruentus Bardanes.*

Quando obierit. 10 *Quamdiu superstes fuerit* Cyrus, *non constat. Conjici potest haudquaquam ad annum* DCCXV *supervixisse : eo enim anno Artemius Anastasius orthodoxus Imperator, Joanne hæretico ejecto, S. Germanum Episcopum Cyzico Constantinopolim transtulit, quem eodem quo Cyrum tempore, eamdemque ob causam Sede sua deturbatum, ex Theophane tradit Petavius in notis ad Nicephorum. At si vixisset Cyrus, neque Artemius ejus Cathedram alteri tradidisset, neque admisisset sanctissimus vir Germanus, qui ejus sive vivi sive mortui debebat in diptycha nomen referre. De Germano agemus* XII *Maii.*

Correctus Demochares. 11 *Temere omnino Antonius Demochares de divino Missæ sacrificio cap.* 10, Cyrum hæreticum *vocat, qui, ut vidimus, ab hæretico Imperatore reductus in ordinem est, ut hæretico subrogato orthodoxa religio posset labefactari.*

DE S. PEGA SIVE PEGIA, VIRGINE IN ANGLIA.

Post an. DCCXVII. VIII Januarii. *S. Pega soror sancti Guthlaci:* *Sanctissimi Eremitæ* Guthlaci (*de quo* XI *April.*) *soror fuit* S. Pega, *quæ hodie migravit in cælum, de qua Hugo Menardus in Martyrologio Benedictino :* Romæ depositio S. Pegæ Virginis, sororis S. Guthlaci. *Hanc Guthlacus, qui eo loco anachoriticam vitam degebat, ubi post ejus mortem celeberrimum constructum Monasterium est* Croylandense, *sive* Crawlandense, *in suum venire conspectum non patiebatur : voluit tamen, ubi vita functus esset, corpus suum ab ea involvi syndone ac sepeliri.*

ejus corpus involvit;

2 Transactis autem, *inquit Felix Croylandensis in Guthlaci vita,* sepulturæ ejus bis senis mensium orbibus, immisit in animum sororis ipsius, ut fraternum corpus alio sepulchro reconderet. Aggregatis ergo fratribus, Presbyterisque, nec non et aliis Ecclesiasticis gradibus, die exitus ipsius aperientes sepulchrum invenerunt totum corpus integrum, quasi adhuc viveret, et lentis artuum flexibus multo potius dormienti quam mortuo similius videbatur. Sed et vestimenta omnia, quibus involutum erat, intemerata, verum etiam antiqua novitate et pristino candore splendebant. Quod cum qui intererant prospexerunt, statim stupefacti trementes steterunt, adeo ut vix fari potuissent, vix miraculum intueri auderent, et vix ipsi quid agerent nossent. Quod cum Christi famula Pege perspexit, spirituali gaudio repleta, sacratum corpus cum divinarum laudum venerantia in syndone, quam eo vivente Ecgbrecht anachoreta in officium mittebat, revolvit. Sed et sarcophagum non solum humum terræ condidit, imo etiam memoriale quoddam posuit, *etc. Ordericus lib.* 4, sarcophagum super terram quasi quoddam memoriale posuit.

iterum post annum, adhuc incorruptum, recondit.

Ubi vixerit. 3 *Ipsane quoque eremiticam vitam* Pega *egerit, haud comperi. Cambdenus in Coritanis, de Wellando flumine agens, ita scribit :* Post pauca hinc milliaria Wellandus defluens per Maxey castrum quondam Baronum de Wake, et Peag-kirke, ubi in primitiva Anglorum Ecclesia Pega femina sancta, quæ nomen loco reliquit, S. Guthlaci soror, cum sacris Virginibus pietatis et castitatis documenta vita et exemplo præbuit, paludes quas sæpe dixi, accedit. *Situm est* Peag-kirke, *sive* Pea-kirck, *aut* Pekirck, *id est* Pegæ Ecclesia, *in Northamtoniæ Comitatu. Abbatia quondam virorum fuit,* Pegelandia *dicta. Sed Hardecanuti Regis tempore, fundum ejus ac monasterium sibi Petroburgensis Abbas, corruptis pecunia judicibus, vindicavit : mox varii nobiles plurima, quæ majores sui eidem loco donarant, bona invaserunt, Wulgato Abbate et monachis crudeliter exturbatis, quos Croylandiam deinde S. Eduardus Confessor transtulit, ut pluribus in Croylandensi historia deducit Ingulphus, ubi sæpe* S. Pegæ *meminit. Vidimus* MS. *Diploma Wlferi Regis, datum an.* DCLXIV *in quo cum alia plurima loca largitur monasterio Petriburgensi, tum* Peikirke *quoque. Unde suspicari licet; aut vetus loci nomen a librario omissum, dum diploma transcribit, expressumque recentius; aut quædam adjecta diplomati, non bona fide : nam ante S. Pegam natam obierat Wulferus.*

Pegelandia monasterium.

4 *Videtur aliquamdiu in Croylandensi insula post S. Guthlaci obitum habitasse* S. Pega, *ut patet ex iis quæ ex Felice Ordericus refert, de quodam cæco, qui* tandem cum fide Crolandiam perductus, colloquium Virginis Christi Pegæ appetiit : cujus permissu intra oratorium ad corpus sanctum recubuit. Illa vero partem glutinam salis a sancto viro ante consecratam in aquam rasit, et inde aquam inter palpebras cæci guttatim stillavit. Ad tactum primæ guttæ oculis lumen redditum est, *etc.*

In Croylandensi insula moratur S. Pega.

5 *De ejus morte ita scribit idem Ordericus Vitalis lib.* 4. Tunc temporis *(sub S. Eduardo Confessore)* Pegelandæ cœnobium erat, cui nobilis vir Wlfgeatus Abbas præerat. Illic enim S. Pega soror S. Guthlaci diu Domino militaverat. Quæ postquam venerandus frater defunctus est, austeriori labore vitam suam pro amore Christi examinare satis conata est. Unde Romam adiit, sanctorum Apostolorum limina supplex pro se suisque requisivit, ibique VI Idus Januarii gloriose vitam finivit. In ecclesia, quæ ibidem in honore

it Romam :

a morte claret miraculis.

nore ejus a fidelibus condita est, tumulata quiescit, multisque virtutibus his, qui fideliter eam deposcunt, pie succurrens veneranda nitescit. *Ecclesiam illam* S. Pegæ *arbitror aut vetustate aut quo alio casu collapsam, nec omnino memoriam modo Romæ extare; alioquin esset ejus nomen in Romani Martyrologii tabulas relatum.*

6 *Plura de ea Ingulphus in historia Croylandensi sub initium :* Sancta vero Pega, *inquit*, soror præfati sancti Patris Nostri Guthlaci cito post primi anni revolutionem, ab obitu ejusdem, relicto prius ibidem in manibus Kenulphi Abbatis flagello S. Bartholomæi, et psalterio fratris sui, cum nonnullis aliis reliquiis, ad cellam suam navigio remeavit, ab oratorio prænominati fratris sui per quatuor leucas in Occidentali plaga distantem. Ubi completo biennio, et tribus mensibus in lugubri lamentatione, ad Apostolorum Petri et Pauli limina, in frigore et abstinentia multa peregre profecta est. Cumque civitatem Romanam ingrederetur, omnium signorum classicum repentinum personans, per spatium unius horæ sanctitatis ejus meritum universis civibus indicavit, ubi divino servitio mancipata, in timore Domini dies suos demum complevit; ac ejus sacro corpore terræ illic inter multa alia Romana statuaria commendato, spiritus ejus de præsentis vitæ labore ad æternam requiem ascendit.

ea Romam intrante, campanæ sponte sonant.

Ex varius. *Moritur et sepelitur Romæ.*

7 *Obiit* S. Guthlacus *an.* DCCXIV, *(non* DCCXV, *ut scribit Ordericus) Indict.* XII, III ID. *April. feria* IV, *post Pascha, quod eo anno in* VIII *Aprilis incidit. Pega an.* DCCXVII, *exeunte Romam abiit : quam diu isthic superstes fuerit non constat. Ejus meminit Nicolaus Harpsfeldius sæc.* 8, *cap.* 19, *et Florentius Wigornien. ad an.* DCCXIV. *Alia ab hac videtur* S. Bega, *quæ vulgo* S. Bees *appellatur, a qua Cumbriæ promontorium* S. Bees-head *dicitur.* Bega enim, *inquit Cambdenus,* virgo Hibernica pia et religiosa vitam illic solitariam egit, cujus sanctitati miracula adscribuntur de tauro cicurato, et copiosissima nive, quæ solstitiali die, illa precante, valles et montium summitates alte intexerat. *De ea agemus* VI *Septemb.*

S. Bega virgo. 6 Sept.

DE SS. EPISCOPIS ERARDO ET ALBERTO.

SECULO VIII. VIII JANUARII *S. Erardi natalis.*

Agitur S. Erhardi *natalis* VI *Idus Januarii, ejusque plura Martyrologia meminerunt, Coloniense, et Viola SS.* Eodem die S. Erhardi Episcopi et Confessoris Ratisponensis. *Martyrologium S. Mariæ Ultrajecti, ante* 500 *annos exaratum :* Ratisbonæ S. Erhardi Episcopi. *Consentiunt Ferrarius, Hugo Menardus in Martyrologio Benedictino, et Molanus in Addit. ad Usuardum, qui quod eum in prima editione* Episcopum Ratisbonensem *appellarat, visus est postea retractasse. At Carthusiani Colon. in Addit. ad Usuardum,* Episcopum *quoque* Ratisbonensem *faciunt; uti et Martyrologium Germanicum, in quo hæc leguntur :* Item S. Erhardi Episcopi Ratisbonensis, qui genere Scotus, ac Trevirensis Antistes, inde in Bavariam venit, ibique Evangelium prædicavit : Otiliam a nativitate cœcam baptizavit, visumque ei impetravit; ac tandem, ut diu exoptarat, ad Dominum migravit, et miraculis coruscat. *Ejus meminere alia complura recentiora Martyrologia. Galesinius :* In Germania S. Erharti : is a puero litteris deditus, in doctrina admirabiliter progressus, vitæ etiam innocentia præluxit. Evangelii propagandi studio flagrans, in Germaniam provinciam venit; ubi homines, qui Rheni ripam incolunt, ad Christi fidem perduxit : deinde in Baveriam profectus, et prædicatione et virtutum exemplo, Christianam etiam religionem disseminavit. Quibus meritis, et aliarum admirandarum rerum laude cumulatus, obdormivit in Domino.

2 IX *Januarii* S. Erardi *natalem refert* MS. *Florarium his verbis :* Ratisponæ in Bavaria Erardi, alias Nerardi, Episcopi et Confessoris. Hic natione Scotus, et Presbyter effectus, provinciam Bavariæ prædicandi gratia ascendit, et Episcopus Ratisponensis effectus est. Tunc ex jussu divinæ vocis S. Odiliam cœcam a nativitate baptizavit, quæ statim visum recepit. *David Camerarius* IX *Februarii, et* XIV *Aprilis eum habet, et hic* Eberhardum, Episcopum Ratisbonensem; *isthic* Erehardum, *vel* Erchardum, monasterio præpositum, *appellat. Ast* VIII *Octobris agitur ejus translationis memoria. Martyrol. Coloniense :* Item translatio S. Erhardi Episcopi et Confessoris. *Ejus eodem die meminere Carthusiani Colonienses in Addit. ad Usuardum, Martyrolog. Germanicum,* MS. *Florarium. Modo* Erardus, *alias* Erhardus, Erchardus, Erehardus, Nerardus, Errardus, Arionardus *appellatur.*

Translatio.

Nomen varie expressum.

NOT. 134.

Vita triplex : I

3 *Vitam S. Erardi triplicem damus. Priores duas nobiscum communicavit Joannes Gamansius Societatis nostræ Sacerdos, eruditus cum primis et sacrarum antiquitatum curiosus indagator. Prima e duobus vetustis codicibus descripta erat, altera ex alio antiquiore. Illa titulum hunc præferebat :* Vita S. Erhardi Ratisbonensis Episcopi, auctore quodam Paulo, viro religioso, ejus ferme contemporaneo. *Sed cum non solum* S. Wolffgangi, *sed et* S. Leonis IX, *Papæ meminerit, certum est circiter* 300, *aut etiam* 400 *annis S. Erardo juniorem esse. Indicat ipse ætatem suam auctor, cum et* Heilikæ *monasterii inferioris Ratisbonæ Antistitæ rogatu se eam vitam scripsisse testatur, et quædam ab iis se didicisse scribit, qui S.* Wolfgangum, *et* Kunegundem *Virginem noverant; unde conficitur, eum sub finem undecimi seculi floruisse. Suspicetur quispiam* Paulum *esse* Bernriedensem *illum, qui B. Gregorii* VII, *et B. Herlucæ vitas scripsit, a Gretsero nostro pridem editas : certe neque ætate multum, neque stylo discrepant. Altera fere ex hac contracta, auctore anonymo.*

II

4 *Tertiam scripsit Conradus a Monte puellarum, ex Rectore studii Viennensis Canonicus Ecclesiæ Cathedralis Ratisbonensis, qui floruit non circa annum* MCCCXC, *ut in postrema Bibliothecæ Gesneri editione, et in Possevini Apparatu habetur; sed circa an.* MCCCXL, *cum, ut iidem Gesnerus et Possevinus scribunt,* Œconomicam, grande et nobile opus, *dicarit Lupoldo, sive Leopoldo, Bambergensi Episcopo, qui traditur obiisse an.* MCCCXLI. *Hanc vitam ex veteri codice cœnobii S. Magni Canonicorum regularium ordinis S. Augustini ad pedem Pontis Ratisponæ, descripsit et ad Heribertum Rosweydum ante annos complures misit Stephanus Vitus noster, et lectiones veteris ac novi Breviarii Ecclesiæ Augustanæ, quas subnectemus; testatus, in omnibus ferme Ecclesiis Germaniæ, quot annis in officio divino agi hujus Divi memoriam.*

III

Celebris memoria.

5 *Erhardo* Albertum, *sive* Adelbertum, *fratrem aut certe peregrinationis comitem junginus; quod etsi ejus ignoremus natalem, Sanctum tamen habitum cultumque non dubitemus, vel ipso id cælitus præcipiente* Erhardo, *ut tradit Conradus cap.* 3, *num.* 13, *et* Sanctum *appellat Wiguleus Hundius,* Beatum *Raderus et Braunerus; atque hic de utroque fratre hæc scribit :* Per hæc ipsa tempora (*circa an.* DCCLIV) Erardus et Albertus magnis Boicam virtutibus irradiarunt. Fratres fuisse, et in Hibernia natos accepimus, etsi de utroque aliis aliter visum. Id constat, illum Episcopatus Ardahadensis, hunc Cassellensis honore et onere sponte posito, peregrinari institisse. Roma primum religionis nostræ arx adita : Treviros inde digressi apud Hyldolphum fratrem suum, ejusdem urbis Episcopum tamdiu hæsere,

B. Alberti sanctitas,

Ex variis.

sere, donec eo fatis functo, vel monasticen amplexo (utrumque enim traditur) omnium animos oculosque in se conversos animadverterunt. Ergo iterum ad suas artes et prima consilia versi, imminentes capiti suo mitras, et exosos honores fuga declinarunt; et Erardus quidem Reginoburgi substitit, Albertus longius abreptus, loca nascentis Dei lacrymis, et morientis sanguine sparsa venerabundus obiit, septem sociis comitatus, ex quibus Guillipatricium in Palæstina sepelivit : Salisburgum reverso mors Joannem etiam abstulit; Reginoburgi denique etiam de Erardi fato cognoscit : quo nuntio vehementer commotus, inundare tumulum lacrymis non desiit, donec, pro magno munere, e vita missionem impetravit, exiguo ab Erardo intervallo conditus. Erardi fama tum admirandis rebus plurimis, tum maximæ Otiliæ, quam cœcam natam tolli educarique pater vetuerat, lucis aspiciendæ facultate impetrata, inclaruit. *Hæc ille, quibus consentanea scribit Hundius.*

peregrinatio.

6 *Tria de iis controversa sunt, qua orti gente, quas vexerint Ecclesias, qua vixerint ætate. Traditur eorum frater fuisse* Hildulphus, *sive* Hidulphus, *Trevirorum Episcopus, de quo* XI *Julii. Hunc Brawerus lib.* 7 *Annal. fide vitæ* MS. claro Noricorum genere ortum *scribit. Nos quoque ejusdem vitæ geminum nacti sumus exemplar; in altero, quod est Monasterii S. Maximini Treviris, diserte* Nerviorum claro ortus genere *dicitur; in altero, quod est collegii Paderbornensis Societatis* Jesu, Nierniorum, *forte legendum,* Iverniorum, *sive* Iberniorum. *Hundius quoque* ex Ibernia Scotos *agnoscit. Raderus explicatius, tom.* I *Bavariæ sanctæ :* Ferunt alii S. Erhardum et Hildulphum Albertumque ex nobili Boiorum creatos sanguine, alii Nervios, alii Noricos qui cum Boiis iidem sunt, alii domo Scotos fuisse tradunt, quod M. Velsero placet. Et legi in MS. codice Montis, S. Erhardum Scotum appellari, *ac post pauca :* S. Hildulphum non pono, quod dubia fide scribatur Boius, etsi Aventinus Boium affirmate tradat. *De Alberto vero :* Et hic e Scotiæ tenebris in Germaniæ lucem prodiit. *In animadversionibus ad volumen* 1, *post volumen* 3, *editis, rursum asserit Erardo* patriam *fuisse* Iberniam, seu veterem Scotiam, *ac filium fuisse Regis Iberniæ; Hildulphum vero ejus germanum fratrem natu minimum, mendose a nonnullis Boium appellari. Postea tamen subdit, prodiisse nuper in Gallia vitam S. Hildulphi,* ubi diserte in Bavaria natus affirmatur; *sed id certum non esse. Christophorus quoque Phreislebius S. Erhardum natione Scotum fuisse scribit. Ex his liquet, probabilius videri, sanctos hos Antistites ex Hibernia, sive Scotia veteri oriundos; id tamen non esse omnino indubitatum. Sed quid sibi illud vult, quod in priore vita, et veteri Breviario Ecclesiæ Augustanæ, dicitur Erardus* Narbonensis gentilitate, Nervius civilitate, genere Scoticus? *An in Gallia Narbonensi Hibernis parentibus natus! an parente vel utroque, vel altero saltem, e Gallia oriundo genitus in Hibernia? Inita enim ea ætate Gallos inter atque Hibernos, seu Scotos, sæpius connubia fuere, ut* IX *April. de S. Waldetrude, ejusque conjuge S. Vincentio Madelgario* XIV *Julii dicemus. Quod* civilitate Nervius *appellatur, videtur apud Nervios Galliæ Belgicæ populos vel litteris institutus, vel in Clerum fortassis ascitus; unde Hildulphus Nervius habitus sit. Secunda vita ab anonymo scripta, non Scotum, sed Gothum e Gallia Narbonensi asserit. Recte Hundius :* Propter antiquitatem temporum, ac scriptorum penuriam, illorumque discordantiam vix aliquid certi tradi potest.

Cujas uterque fuerit.

Ubi Episcopi fuerint.

7 Erardum atque Albertum Reginoburgenses Episcopos *fidenter asserit Aventinus. De* Erardo *suffragantur aliquot antea citata Martyrologia, atque auctor libri qui* Panis quotidianus *inscribitur. Negant Hundius, Raderus, alii. Longius abesse a vero videtur quod Auctor* 2 *vitæ, Martyrologium Germanicum, Phreislebius tradunt, Trevirensem quoque Antistitem fuisse. Hundius, Raderus, Brauverus,* Ardakadensem, *sive* Ardahadensem *Episcopum fuisse Erardum, Albertum* Casselensem *existimant. Est* Ardaka, *sive* Ardaha, *vel* Ardraha, *vulgo* Ardagh *urbs Hiberniæ Episcopalis, sub Archiepiscopo Armacano, in Comitatu Longfordensi, haud procul a* Lacu Regio, *sive* Rigio, *quem Sineus fluvius efficit, ad Septemtrionem occidentalis Mediæ.* Casselia *vero, sive* Cassilia, *urbs est Momoniæ, in Comitatu Tipperariensi haud procul a læva* Swiri, *sive* Seweri, *nobilis fluvii ripa, nunc Archiepiscopalis. An vere earum Sedium hi sancti viri fuerint Antistites, an solum consecrati, ut exteris populis, ad quos convertendos profecturi erant, præsentius auxilium afferrent; haud habemus pronuntiare. Hoc ejus ævi moribus, illud S. Hildulphi eorum germani facto consentaneum. Si antequam S. Bonifacius in Bajoariam veniret, hi vixere, non esset abs re suspicari, Erardum munia Episcopalia Reginoburgi exercuisse, veluti adventitium, non proprium ejus Sedis Episcopum.*

Quando vixerint.

8 *Difficilior de eorum ætate quæstio est, quamque decidere nos hic nequaquam posse fatemur. Breviter discrepantes aliquot chronologicos characteres proponemus, eos accuratius in Hildulpho, si lux interea certior affulserit, discussuri. Ac primum Conradi a Monte puellarum (qui negligentius chronologiam, ut infra patebit, expendit,) haud magni facimus auctoritatem. Quamquam utraque prior vita, et, ut diximus, Braunerus quoque sub Pipino Rege floruisse scribat, uti et Brawerus, qui Hildulphum circa an.* DCCLXXIX, *mortuum ait. Phreislebius vult Constantini* VI *tempore Erhardum litteris institutum. Illud ab omnibus traditur,* S. Otiliam *a S. Erardo baptizatam et illuminatam; et S. Hildulphum ejus fuisse vel fratrem, vel saltem æqualem. Ex utriusque ætate statui de Erardo potest.* S. Otilia *filia fuit Adalrici Eticonis, sive Aticonis, qui filius dicitur fuisse Leudesii, filii Erchenoaldi. Obiit Erchenoaldus circiter an.* DCLX, *filius ejus Leudesius, qui et Leuthericus, anno* DCLXVII, *post mortem Childerici Regis fit Major domus, ac paullo post ab Ebroino perfide trucidatur. Athicus, sive Adalricus, ejus filius, regnante Childerico uxorem duxerat Berswindam, filiam sororis S. Leodegarii, sororem Reginæ.* Ob hanc caussam consanguinitatis, *ut dicitur in fragmento historico Auctoris incerti, præfixo Alberti Argentinensis chronico, relatoque, ab Andrea du Chesne tom.* I, *scriptorum historiæ Francicæ,* a præfato Rege Ducatum Germaniæ adeptus est, habuitque sedem in villa regia Ehenheim, et in castro quid Hohemburg nominatur: genuitque filiam a nativitate cœcam, nomine Odiliam, quæ a S. Herhardo Ratisponensi Episcopo, et Hildolfo Treverensi baptizata, in sacro fonte visum recepit. *Hinc patet ad Pipini Regis et Caroli Magni tempora non posse hanc baptizatæ Odiliæ historiam referri. Vitam ejus dabimus* XIII *Decembris.*

Quando S. Odilia, quæ ab Erardo baptizata.

Odiliæ parentes.

Quando vixerit S. Hidulphus.

9 *In duobus* MSS. *codicibus Trevirensi et Padebornensi, ante citatis, dicitur S. Hildulphus Episcopus Trevirensis factus,* Ansigiso *filio S. Arnulphi* publicis utilitatibus invigilante; *mortuus vero an.* DCCVII, V *Id. Julii, tempore Justiniani junioris. Quæ vero de ejus in administratione Mediani monasterii successoribus, ejus vitæ scriptor refert, eamdem plane ætatem confirmant. In vita quoque* S. Deódati *Episcopi Nivernensis apud Surium* XIX *Junii, dicitur S. Hildulphus ei perfamiliaris fuisse; eique supervixisse annis* XXVIII, *obiisse vero Deodatus an.* DCLXXIX, XIII *Kal. Julii, die Dominica, Indict.* 7. *In vita* S. Florentii *Episcopi Argentinensis* VII *Novembr. apud Surium (et consentit Guillimannus in historia Episcoporum Argentinensium) dicuntur Arbogastus, Florentius, Hildulphus, tempore Dagoberti Regis e Scotia venisse.*

10 *In contrariam partem facit, quod in eadem* MS. *vita dicitur* Weomadus *S. Hildulpho in eremum abeunti successisse. At constat, teste Wandelberto in vita S. Goaris apud Surium* VI *Julii, Weomadum sedisse*

disse tempore Caroli Magni, quando ei cum Assuero Prumiensi Abbate controversia fuit de Cella S. Goaris. At si ab anno DCLXXIX, *aut circiter sedisse volumus, ergo expleverit annos minimum* XC, *in Episcopatu. Deinde testatur S. Ludgerus in epistola ad Rixfridum Ultrajectensem Episcopum, quam* I *Martii dabimus, Stephanum II, (sive* III, *ut infra dicemus,) cum in Galliam venisset an.* 754, commisisse vices suas ad experiendum actus, virtutes, et gesta ac miracula S. Swiberti ad canonizandum vice ipsius Sanctum præfatum Swibertum, venerabilibus Patribus et Pontificibus, Sancto scilicet Hildolpho Trevirorum, Bonifacio Maguntinorum Archiepiscopis, Fulchario Leodiensi Episcopo, et præcipue Hildegero Coloniensi Archiepiscopo, etc. *Erit fortassis qui duos suspicetur fuisse* Hildulphos, *priorem qui in Vosago seculo Christiano septimo, alterum qui Treviris seculo octavo Archiepiscopus vixerit, et fortassis etiam relicto Episcopatu anachoreticam sit deinde vitam complexus.*

VITA

AUCTORE PAULLO, VEL PAULULO,
e veteri MS. *eruta a Joan. Gamansio Soc.* JESU.

PROLOGUS.

Inter lilia virtutum pascenti choros Virginum Dominæ ac Matri *a* Heilikæ, prærogativa famosæ, tum virginalis castitatis, tum titulo nobilitatis, Paulus, vel potius Paululus, servorum Christi servulus, quod Matri et Dominæ servus et filius.

a

Heilika jubente hæc scripta vita.

2 Attentare jubes, o Mater beatissima et Virgo virginalis exemplar decoris, ut de B. Erhardi Patris eximiis virtutibus, quasi aliquod poculum propinem desideranter sitientibus; rem prorsus veneratione dignissimam, sed ausu duram. Obcæcatus enim vitiis, de luminosa virtute scribere nescit, nec satis studenti possibile, nec discenti credibile. At dum imperantis personam considero, nec negare quod injungis audeo, nec utile censeo; maxime cum et honesta res sit quæ postulatur, et pia voluntas, quæ cohortatur. Et quis pia volenti non obtemperet? Nam pia volenti non præbere consensum, mea sententia, dissentire est a virtute. At qui dissentit a virtutibus; necessario consentit vitiis. Quapropter, ne aut piæ voluntati non obtemperans, aut non devotus, vel maxime contrarius judicer, postposito pudore ignorantiæ, quamquam vires ultra meas, pensum tamen reddere conor obedientiæ, adhortantibus me tuis etiam virtutibus, quibus carne domita, valentior abundat in te spiritus.

3 Omissis enim, quæ communia possides cum omnibus melioribus *b* stilis, jejuniis, vigiliis, et orationibus, quis in profectu tantæ tamque dignæ tuæ ætatis non admiretur, et amet, et veneretur servatum in te sigillum virginalis castitatis? Quod quantæ sit dignitatis ac meriti, satis pro exemplo nobis est divina Virginis Matris sublimitas; quæ spretis illecebris carnalibus, castitatis virtutibus ascensum merebatur superiorem Angelicis spiritibus. Et merito: nam, ut ait quidam non minimæ auctoritatis, Angelum castum esse, naturæ est; Angelicam promereri castitatem, virtutis. At ne parva videatur tuæ castitatis auctoritas, quot digna Deo habitacula tuæ commonitionis adhortatione præparasti? quæ fundamenta humilitatem ponentia, augmentum castitatis, summum virtutis, summam non supplevere caritatem. Et si dicendum est verius, quot capitum sunt, tot præter communes singularum etiam sunt virtutum. Quæ enim tantam vitam numerosa congregatione sancti virginalis chori non Argeis oculis rimatur plenitudinem scientiæ? quæ non domito corporis ergastulo perfectionem jam luctatur continentiæ? quæ non mundialibus mortuæ desideriis, odiosæ carnalibus illecebris, jure naturæ domito, tuas virtutes jure possiderent hereditario, quas rore lactationis tuæ maternæ imbiberunt, et per quas e visceribus eruditionis tuæ creverunt? Sed quicquid illud est pro laude tua? verumtamen non parum argumenti improbabilis res est, tantus a Deo dignatus tuæ maternitatis fructus, meruisse te benedictionem, quæ promissa est his, qui non aliquando desinent facere fructum. Nam quis tuæ inhabitationi gradus deesset? quasi vero parvæ sit auctoritatis mundum abnegasse. Sunt apud te, quæ vivæ mortuæ, vitam etiam abnegaverunt, ut non tamen abundes cœnobitis, sed auctoriosius fructifices eremitis, quæ in anima meruerunt promissum. Qui autem adhæret Domino, unus spiritus est. Jubes ut scribam de talibus? Scribo. At si hæc displicent, displiceant et illa, quæ jubes, ut scribam. Verum ut devotione defendar contra ignorantiam, quæ imperas, censeo, amplector, diligo, te opponens, ut latus invidiæ, cum vel invitum jubeas scribere.

b Ejus laudes,

et sanctimonialium, quibus præerat.

AUCTORE PAULO, EX MSS.

1. Cor. 6. 17.

a *In catalogo Abbatissarum inferioris monasterii, edito a Gewoldo in Addit. ad Hundii Metropolim to.* 2, Hailka *memoratur,* Comitis Palatini a Wittelspach *filia; quam eamdem cum* Heilika *arbitramur: et ætas congruit, nam quæ ei successit* Bertha, *ibidem obiisse traditur an.* 1120.

b *Ita* MSS. *forte* Antistitis *legendum.*

LIBER I.

CAPUT I.

S. Erardi studia, virtutes, sacerdotium.

Erhardus, qui *a* gloria fortis interpretari potest, Narbonensis gentilitate, Nervius civilitate, genere Scoticus fuit. Hic ad præsagium nominis, normam extendens morum, superædificandis virtutibus in fundo ætatis Christum fundamentum supposuit, ne domus inhabitatione futura cœlestis, ulla tentationis unda quateretur, vel turbine perturbationis permutaretur. Meditabatur ætas jam infirma de fortitudine virtutum, jocorum sterilitatem, studiorum ubertatem laboris fructum, fructus gaudium, quodque bonæ indolis indicium est non minimum, absentem ut præsentem metuere magistrum. Intererat legentibus, dictantibus, scribentibus, et si quem vacationi deditum sedulo viderat, mirabatur puerulus. Inhiabat interrogationibus sedulis, subtilissimus adnotator in singulis, ac tenacissimis memoriæ commendabat cavernulis. Attamen posthabitis mundani sophismatis cavillationibus, totum se divinarum scientiarum utilitatibus dedit, manuum munditia cor tergens inhabitationi sancti spiritus.

a S. Erardi patria:

diligentia in studiis:

5 Beatus ergo puerulus Erhardus cum primos virtutum flores emitteret, studii radices in petra fixit spirituali, et necdum liberi judex ad plenum arbitrii, liberaliter eo usus est. Ab infantia enim plenus Spiritus sancti gratia, in eo loco ubi doctrinæ Christi suscepit semina, multis consodalium per devia morum exorbitantibus, gressus desiderii virtutis adnormavit regula, perfectæque opinionis lucratus est mercimonia. Nam cum alii canum volucrumque delectentur lusibus, hi præceptorum Evangelicorum imbui sitiebat roribus, ac sancti Spiritus aspirante gratia, in cordis ejus plantario vitæ fructificabant germina. Ut enim in aures audientis est dictum, qui replet in bonis desiderium suum, pro bono desiderio pietatis effectum consecutus est. Voluit quod valuit, et velle convaluit, et secundum voluntatis mensuram probatæ, probatissimum ingenium tenera lucratus est in ætate. Illud vero maledictum, Puer centum annorum, etc. non solum evasit, sed et hoc consecutus est: Cani sunt sensus hominis, et ætas senectutis immaculata. Nam intellectus spiritualis convalescens robore, sensus perfecti consenuit canitie, et callis vivifici semitam pede calcans immaculato, privilegii promeruit gaudium prophetici, quoniam initium sapientiæ timor Domini.

gravitas morum:

Psal. 102. 5.

Isa. 65. 2.

Sap. 4. 9.

6 Crevit beatus adolescens Erhardus, crevit decus adolescentiæ,

AUCTORE PAULO, EX MSS.

adolescentiæ, crevit spes juventutis, gaudium senectutis, ordinis regula, clericatus gloria, divitum admonitio, divitiarum despectio, pauperum consolatio, paupertatis dilectio, visus cœcorum, auris surdorum, claudorum pes, pater pupillorum, viduarum adjutorium, fortunæ blandientis obstaculum, adversantis provocator, carnis refrenator, spiritus assectator, ac proverbiorum penuria, totius virtutis armarium, ac sancti Spiritus electum vasculum. Crevit ipse in robur corporis, crevit in ipso robur virtutis. Didicit jam irasci vitiis, tentationibus occurrere, pugnare cum desideriis, jejunia non horrere, despicere nuditatem, contemptum habere vestium : jugulare superbiam, humiliare gloriam, gulam castrare, dare mutuum amicis, ignoscere inimicis, non acquiescere detrahentibus, afflictis compati, pro miseris viscerari, congaudere gaudentibus, flere cum flentibus, divinis laudibus adesse, bonorum cœtibus interesse, de omnibus quærere, nihil negligere. Talibus igitur insistens vestigiis æternæ vitæ semitam ingressus est, nec retardabat eum tantum ætas infirmior, quantum incitabat voluntas promptior.

virtutes aliæ :

Mortificatio sui :

7 Cum vero lustrum exagenale primitus egressus est, beatus vir Erhardus, evacuans omnia quæ erant parvuli, virilis animi robur arripuit, diligendo timens Dominum, timendo diligens proximum, mundialibus abstrahere, divina venerari, pernoctare in orationibus, intendere psalmodiis, compunctione lavari, tædere jam carnalia, suspendi ad æternalia; et quo plures utuntur ad voluptatem corporis, usus est ad necessitatem. Non eum lenocinantis favoris aura moverat, non blandientis fortunæ sapor illexerat, non tulit ab eo victoriam acedia, non obcœcabat eum unquam avaritia, non oblocavit eum desperatio, non inquietavit illum murmuratio ; corpus subjugabat spiritui, spiritum pietati, pietatem ascripsit cœlesti. Odivit jam membra carnalia, inexorabilesque inimicitias carnis et spiritus, quas continuata rebellio renovat : donec jam fatiscente corpore jejuniorum, vigiliarum, totiusque fatigationis continuatione spiritus in eo dominium adeptus est.

Sacerdotium.

8 Postquam vero Presbyteratus ascendit gradum, summum etiam cœlestis scalæ gradum ascendit; jam ex continuo usu non sentiens laborem, sed ex usu laboris resumens consuetudinem. Ad altaris enim consecratus ministerium seipsum vivam hostiam in

Rom. 12. 2.

ara Crucis immolavit, jam secundum Apostolum non conformatus est huic sæculo, sed renovatus spiritu mentis, probans semper quæ sit voluntas Dei bona, beneplacens, et perfecta.

a *Teutonice* Er, *vel Belgica diphthongo* Eer, *honorem;* hard, *sive* herd, *fortem aut robustum significat. De hac nominis notatione vide cap.* 1, *vitæ* 3, *per Conradum infra.*

CAPUT II.

Profectio ad S. Hildulphum.

Interea B. Hildolphus, et ipse par Ecclesiæ luminare, Trevirensis Episcopatus cathedram possedit, vir non minoris scientiæ quam et meritorum : quorum quid in eo non maximum fuerit necdum satis compertum est. Nam ambos et præcellere nobilitate, ac nobiles scientia, scibilesque meritorum fore oblivionis comedine non latet memoriam. Qui venerandus vir cum non paucis diebus sanctam sancte rexisset Ecclesiam æstuans non minimo solitudinis desiderio, ubi sine populari tumultu soli vacaret Domino, quam invitus accepit, sponte deposuit curam regiminis, securioris amore divini serviminis, cujus jam adulta fama cum longe lateque opinionis suæ odorem sparsisset, beatus vir Erhardus, ipse quoque pari Episcopatus infula decoratus, visendi fratrem advenit gratia, quem cum in partibus *a* Vosagi offendisset pro Christi amore jam eremizantem, post communis oblationem orationis, et cœlestis pignoris caritatem, scilicet libationem osculi : Ecce, inquit, frater et carnalis et spiritualis ministerii communis ordine, diu quæsitum et optatum obtines locum; utere nunc in bono desiderio, et alere fame in divino servitio. Non tibi quasi vetus lassumve divini amoris obdormiscat studium : sed expergiscere, evigila, in omnibus labora, opus fac Evangelistæ, ministerium tuum imple, sobrius esto. Cum hujusmodi non pauca in aures audientis effunderet, mansit ibidem diebus sat multis Christique favente pietate, sicut Romanæ testatur historia bibliothecæ, *b* auctore quidem sancto Papa Leone, qui nonus sui nominis sanctam Romanam rexit Ecclesiam, quatuordecim ibidem monasteria construxerunt, ille septem, et septem ille. Nam cum essent genere nobiliores omnique funditus abnegassent patrimonio, in terra peregrinationis et vitæ merito et labore proprio perquisita, divino cuncta mancipavere servitio.

S. Hildulphum in eremo visit.

a

b

Monasteria exstruunt.

Redit in Bavariam Erardus :

10 Inde beatus vir Erhardus proprio consulens ovili, valedicens fratri, sanctisque affatus adhortationibus Bajoariam prædicandi gratia ingressus est. Tempore illo regno Francorum præfuit Pipinus, pater Magni Caroli, sub quibus viris cœlestis exercitus non minima pars Domino militabat. Nam diversi flores virtutum sub his Regibus per tota regni Francorum loca floruerunt, magnæque famam opinionis longe lateque sparserunt. Eo vero tempore inter famosos beatus Pater Erhardus famosissimus effectus est. Nam hic cum et genere præcelleret ac scientia, merito tamen longe præstantissimus habitus est. Mundo enim mortuus, quamquam adhuc spirabile gerens corpusculum, castitate virgo, Sacerdos ordine, paupertate monachus, professione Confessor, laboribus Martyr, legatione Apostolus, munditia carnis Angelus, nullius gradus detrimentum passus est, seipsum negligens, aliis providens : quæ sua sunt non quæsivit, sed quæ alterius. Non enim æmulationis exarsit flamma, non perperam quidquam operatus est. Irritari nesciebat : proximo malum non cogitabat. Non ad metam præsentis temporis super iniquitate gavisus est, sed semper congaudebat veritati, omnia sufferebat, omnia credebat, omnia sperabat, omnia sustinebat. Convaluit in eo scriptura dicens : Si quis diligit me sermonem meum servabit, et pater meus diliget eum, et ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus. Quia ergo Dominum diligebat, non tantum verbo et lingua, sed opere et veritate *c*... cavernulas in æthereos meatus liber ire spiritus optat, doluit carcerem, regnum quærit, et quasi gravi diutinoque fessus onere, deposita sarcina respirare, suspirat ad æternam patriam.

omni sanctitate floret.

Joan. 14. 23.

c

a *Sæpius in vitis SS. mentio fit* saltus Vosagi, Vosaci, Vosegi, Voseci, Vasaci, *qui partem Lotharingiæ complectitur, ut distinctius alibi dicetur.*

b *Hoc scriptum* S. Leonis IX *non vidimus. Bulla fortassis quæpiam fuit. De SS. Wolfgangi et Erardi elevatione et translatione.*

c *Videtur aliquid deesse.*

CAPUT III.

S. Odiliæ cœcæ baptismus, illuminatio.

Verum ne muta prorsus tot sancti Patris obmutescerent merita, quantæ fuerit æstimationis apud se, foris prodeuntibus ostendit miraculis. Nam eo tempore Duci Etichoni filia cœca nascebatur : quo comperto pater erubescens, execrabilem in filiam dedit sententiam, scilicet ut capite plexa relinqueret vitam. At cum materna super filia quaterentur viscera, patris crudelitatem matris frustrabatur pietas : datamque nutrici filiam in monasterio Palma secreto eam nutriri præcepit. At memor Dominus operum suorum, salvandæ scilicet filiæ et matris consolandæ; demonstraturus, quod nec ipsa puella peccavit, neque parentes ejus, sed pro gloria Dei tantum, ut manifestarentur opera Dei in illa illuminanda dilecta, dilectum illuminatorem præordinavit. In partibus ergo Bavariæ

riæ cœlestibus intento B. Erhardo revelatum est, ut ad Rheni fluminis partem repedaret, puellam baptizaret, ac cœcam illuminaret. Qui jubentis vocem obedientiæ pede secutus ad destinata pervenit loca. Quæsitam ergo et oblatam cum vidisset puellam, genas rigatus lacrymis, cum gravi suspirio manus oculosque levavit ad Deum, cumque diu multumque tacita prece cordis divinam laudaret, magnificaret, ac benediceret clementiam, tandem in verba vocem subministrans: Lux, inquit, vera, Jesu Christe, qui illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum, pietatis tuæ rorem instilla famulæ tuæ, corde corporeque illam illuminans. Deinde post fidei sacræ rudimenta dato nomine, pro gestu rerum, Othilia, quod interpretatur *a* Deus sol, cum sacra fontis eam immersisset unda, et post cetera dixisset, ipse te illuminet in anima et corpore; (O virtus admiranda, sanctique Patris merita!) secundum vocem ac voluntatem in terra petentis, virtus agebat in cœlo præsidentis. Nam Hactenus ignota fenestras frontis lucis irrupit jucunditas, et Deo vero sole illuminante per impositionem manus S. Erhardi plenam nativitatis perfectionem tandem puella sortita est. Fit gaudium ingens circumquaque miraculum cognoscentium: pater ad cœlum laudibus tollitur, puella beatificatur, mater consolatur, virtus divina prædicatur.

S. Othiliam baptizat, eique cæcæ visum impetrat.

a

b

12 *b* Sed quia in B. Hildolphi vita scriptum est, ipsum eam baptizasse, istumque sanctum virum eam de fonte levasse, negligenter hunc locum relinquere visum non est, sed admonere, quid horum verius sit, de Sanctæ Othiliæ vita quærendum. Ita enim de sanctorum meritis virorum scribendum videtur meæ parvitati, ut laus Dei ex eorum prædicetur meritis, et non ex nobis, non, inquam, ex mendacio scribentis, sed ex virtute promerentis. Sed revertamur ad cetera.

13 Suscepta de lavacro sancta Virgine, sanctus vir Dei omnipotentis adorata clementia, laudeque debita pro tanto reddita miraculo, (quippe cum testante sacra Evangelii historia a sæculo non sit auditum, quia quis aperuit oculos cœci nati, nisi Christus filius Dei) consolatus sanctam virginem, sanctoque tectam velamine osculatus est, jam reversurus ad propria. Cum vero duram patris cognovisset sententiam, quam super interficienda dederat filia, Pater spiritualis contremuit, et magnitudinem expavescens tanti facinoris, et commiserando puellæ miseriis, misso legato pro reconciliando patre cum filia, monuit ne tales diabolo daret se accusandi occasiones; adjungens, si propter cœcitatem, quam culpa non meruit, prius exosam habuerit; jam propter sanitatem, quam vera salus Christus reddiderit, diligat; intimans etiam si salubris consilii spreverit monita, dignas prævaricatorum pœnas incursurum.

Patrem Othiliæ redarguit.

14 Interea beatus Pater Erhardus jam exosus membra mortalia, cupiens dissolvi et esse cum Christo, totum de præsentibus animum ad futura transferebat, de temporalibus ad æterna, de visibilibus ad invisibilia, de non manentibus ad permanentia. Quoties et quali gemitu decantabat versum istum: Quando veniam et apparebo ante faciem Domini? In tempore quippe novissimo jam positus ætatis, omnem æstimavit diem pro tædio. Sæpe secum loquebatur dicens: Quando me de corruptionis hujus liberabis angustia? quando corporei carceris educes miseria? quando satiabis spem meam? quando mihi manifestabis gloriam tuam? quando sciam placeatne tibi laboris mei devotio? quando videbo, quo me examinabis judicio? Quod est præmium, de quo dixit Apostolus, quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se? Ita quidem secundum Apostolum præteritorum obliviscens, et in futurum se extendens in Christo Jesu mundo se crucifixit, vitiis et concupiscentiis. Videres hominem, jam velut in agone positum, totius vitæ suæ cursum rememorantem; jam quasi ad tribunal judicantis astantem, scuto spei contra omnem desperationem se protegentem; jam scire volentem, quid sit astare divinis obtutibus, non gravari terrenis cogitationibus, interesse Angelicis cœtibus; quæ sit vivendi sine pastu possibilitas, quæ spiritus sine corpore qualitas, quæ continuatio divinæ laudis sine labore, sine fastidio; vel quæ sit justi speranda mansio. Ad quod videbat vel audiebat viluit, sola spe futurorum viguit, soloque motu corporis adhuc vividus, de cetero erat mortuus. Clausis quidem oculis cordis mundum ingressus est, auctore scilicet Spiritu sancto, jam pedem ponens in cœlesti introitu. Appropinquabat interim hora felix felicioris transitus, cum beatus Pater Erhardus aliquot diebus infirmitate gravi præventus, ex ipsa valetudinis inæqualitate spei majoris et certioris viguit abundantia, cupiens jam dissolvi et esse cum Christo. Tum tandem se peregrinum cognovit, et exulem cœlestis patriæ, fervens desiderio, cum videret membra terræ debita se relicturum, et corruptibile corpus egressurum. O quoties et quam ex intimis trahens suspiria victorem mortis sibi vocavit in adjutorium? quoties manus a mundialibus alienas cupiditatibus ad cœlestis plagæ regionem extendit? quoties oculos mundo clausos ad æternæ disciplinæ reverentiam aperuit? in corde spem, in lingua Christum, in oculis reverentiam, in manibus supplicationes frequentabat.

Anhelat ad mortem. 1. Cor. 2. 9.

Phil. 3. 13.

Auctore Paulo, ex mss.

a De hac vocis Othilia *significatione agemus ad cap.* 2, *vitæ tertiæ per Conradum, lit. A a.*

b *Vide ad vitæ tertiæ cap.* 2, *lit. B b.*

EPILOGUS LIBRI I.

Præceptis tuis parui, beatissima Christi Virgo et mater orphanorum et pupillorum ac viduarum, totius nobilitatis decus, ordinis exemplar, virtutis scala; itaque animum induxi quoadusque superest calidus in me et spiritus Dei in naribus meis, non saltem quod imperas tu, tecumque manentes agni cœlestis sequaces, non vel pro posse persequi; sed ipse quærere, niti, cupere, si quid tantæ pietati studentibus possim placitum ostendere. Parvitatem ergo servitii devotionis ardens flamma meum majorabit apud vos studium et voluntatem quibus nec placet quod ordine caret nec quicquam ordinatum displicet. Ad voluntatem igitur et jussionem tui, tuarumque filiarum, quas sanctæ conversationis lactas institutione, beati Patris Erhardi vitam corporis usque ad depositionem percurimus, minus quidem congruenter, sed quam devotissime potuimus. Libellum ergo secundum cudentes, orationum vestrarum auram per Austrum Paradisi flantem contra sudorem invidiæ detractionisque deposcimus, contra quæ scilicet aliquid audere hortatur animus. Virus invidiæ corde felloso hamum detractionis labio gestat mortifero, pacem verbo, corde vibrat gladium. Nam qui aliis detrahit apud te, malum idem loquitur ipse aliis de te. Sed quid faciemus? Clamemus cum Psalmista: Præcipita Domine, divide linguas eorum, quoniam vidi iniquitatem et contradictionem in civitate, et iterum: Descendant in infernum viventes, quoniam nequitiæ in habitaculis eorum. Sed nec ego ad te, ad tuasque filias, in quibus solis nunc temporis virtus posuit habitaculum, ac ceteris despectis, dico amicis, invidiæ te dignam, in sudo laude. *a*

Psal. 54. 10.

Ibid. 16.

a

a *Hic aliquod inest mendum.*

LIBER II. DE MIRACULIS.

CAPUT I.

S. Erardi variæ apparitiones.

Secundum de signis quæ ad tumulum ejus facta sunt librum exaramus, *a* testes habentes, aut qui ipsi viderunt, aut quibus videntes detulerunt, nec a vetu-

a Præfatio libri 2.

AUCTORE PAULO, EX MSS.

sto collectos tempore, sed adhuc viventes in corpore. Adeste, favete precibus, ut si quid forte superbia garriat, humilitatis vestræ virtus defendat.

2 Beatus Pater Erhardus postquam cœlo spiritum, terræ vero quod suum erat reddidit, dignæ memoriam æstimationis miraculorum evidentia consecutus est, sed nos antiquitate repudiata, ea tantum quæ celebria terminatim adhuc diffamat novitas, promere conemur.

b 3 *b* B. Wolffgangi Episcopi temporibus erat quædam sanctimonialis, Beati vero *c* Udalrici Episcopi sororis filia, Kunigundis nomine, quæ custodiæ præerat Ecclesiasticæ, totius quidem et ipsa probitatis et perfectionis consecuta culmen. Cujus in temporibus linteum, quo beati Patris corpus involutum erat, crescere cœpit de tumulo, quasi jam *d* in clamosa protestaretur voce, indigna tam parvuli sepulchri latebra contegi, quem sibi consocium gauderet militia cœli. Ad custodes Ecclesiæ (nobis idem retulerunt, qui utrosque noverunt) dum ecclesiæ pavimentum tergendo verrerent, quoties ad sepulchrum sancti pervenerunt viri, linteamen de terra videntes extare, linimentum aliquod vetustate corruptum credebant, et negligenter abrumpebant. Quod cum non semel, sed sæpius fieret, crux lignea quædam, quæ adhuc in eadem servatur ecclesia, quam et nos vidimus, cum adhuc juxta Beati Patris sepulchrum staret, flevisse dicitur. Quid enim impossibile tibi Deus omnipotens, qui et nostra memoria caput crucifixi prope sepulchrum astantis, de dextera declinabas in sinistram? Et dixit ad prædictam Virginem : Interminare custodibus, inquit, ne ita negligenter abrumpant linteamen, quod de sepulchro hoc extare vident: sub hoc enim jacet tumulo, qui non minimæ æstimationis creditur coram Domino; quod illi quidem tam negligenter abrumpunt, virtutis ejus indicium est, non casus. Hic si quærat aliquis, quidnam caussæ fuerit fletus iste, quia cetera nobis abscondita sunt, magnitudinem peccati custodum æstimamus designasse, qui et negligenter peccaverunt, et vitam grandi delicto obstringentes peccasse se nescierunt. Sed beata virgo quæ divini testimonii meruit audire sententiam, in stuporem conversa, postquam ad se rursus recollegit spiritum, divini testimonii consolata robore, secure quod audivit prædicavit ubique Evangelicum secuta præceptum, quod dicit : Quæ in aure auditis prædicare super tecta. Post quæ verba concurrit multitudo fidelium, et attestatum divinitus sepulchrum, quantum prodesse possit adjutorio, æstimantes divino testimonio. Et vere quidem pensandum est, singularis eam fuisse meriti, cui nec Angelicum venit in testimonium oraculum, nec alicujus dubium visionis somnium, sed vera voce per divinam imaginem præsentis ad præsentem colloquium. Quare Beate Pater æterna gratulare lætitia, cum in medio dicentis et audientis, jaces ipse tacens, et divini colloquii testimonium habes. Et bene quidem per Crucem habes testimonium, qui mundum abnegans crucem tuleras ad sequendum Dominum : pro nostris igitur subvenito reatibus qui brutilitate cordati sumus, cum divinis merueris per lignum aridum testificari vocibus.

Crescit linteum e sepulchro S. Erardi.

Aperit moniali crucifixus S. Erardi meritum.

Matth. 10. 27.

4 Eo tempore B. Wolffgangus sancti viri tumulum frequentare cœpit secretiori semper accedens tempore, supervicturus congaudendo gloriæ. Sed cum nocte quadam secretius post matutinarum solemnia multis lacrymis ac precibus sanctum virum juxta sepulchrum ejus orans alloqueretur; Beatus illi astitit Erhardus, et ait: Frater, secretum doloris mei tibi denuncio, quod te frater advertere jubeo. Tua quidem opera Deo placita sunt, teque correctorem Pastoremque verus Pastor JESUS Christus huic loco gregique præposuit, ideoque si prudenter officium tuum, ut cœpisti, peregeris, æternum laboris tui recipies præmium; scito autem, frater, quod monasterium hoc, quod Deus omnipotens meæ requiei præstitit, multis contaminatur sceleribus, et inhabitantium monialium peccatum multipliciter reclamat meis precibus, quas pro earum negligentiis multis modis effundo sæpius. Dudum jam ipsarum lacrymis commotus, fudi preces ad Dominum, sed quia carnalibus patent fœditatibus, non ad judicium delati sunt earum gemitus. Et ego, frater, non minima conficior hac pro re tristitia, quia victus sum tot scelerum reclamatione, ne possim eis prodesse supplicatione. Quoties ergo tremendi judicis procumbo genibus! quoties emendatiorem vitam promitto pro peccantibus! quoties duram vindicis distuli sententiam! quoties confratres meos adduxi in preces! Tentata sunt omnia, omnia facta sunt. Et quid ego miseræ congregationi faciam amplius? aut quibus precibus agam ante tremendum omnipotentis judicis vultum pro tot luxuriantium fœditatibus? sed, quæso te, ut præstita tibi divinitus prudentia utaris, omnemque hanc destruas congregationem, et monachicam ibi instituas professionem : quam si harum aliqua, quæ nunc inest, velit profiteri, recipiatur; sin autem, omnino quod nunc sunt destrue, nec ultra contaminari locum istum patere. Tunc temporis quippe Canonicarum erat in eodem loco professio, ac carnalis petulantiæ non minima fiebat confusio, adeo ut, cum ad arctiorem vitam cogerentur, aliquæ ipsarum monasterium reliquerint, et fornicatoribus prioribus adhæserint. Sed attendenti mihi talia Beati Patris occurrit clementia ac valentia : clementia, qua semper et indefatigabiliter oravit pro peccantibus; valentia, qua exauditus est ante Dominum, ut si vox posset prohibere, vinceret vitium virtute, pro ea stabiliens monasterium. Post hæc verba B. Wolffgangus cœlesti obediens voluntati, ea quæ jussus est, implere cogitavit, et modis omnibus, quibus potuit, festinavit. Peractis autem a B. Wolffgango, quæ Dominus disposuerat, et vir sanctus rogaverat, postquam professionis districtio locum prius contaminatum emaculavit, totius virtutis cœpit germen florescere, Paterque sanctus extinctis vitiis, signis radiosis cœpit elucescere, ac si *e* auretenus diceret sibi servientibus : Quoniam vos mecum, et ego vobiscum.

Fiunt deinceps ibi miracula.

e

a *Hinc de Auctoris ætate fieri conjectura potest.*
b *Ejus vitam dabimus* 31 *Octob.* c *De* S. Udalrico, 4 *Julii.*
d *P. Joan. Gamansius legendum censebat :* inclamosa, *id est* tacita. e *In* MS. *erat* auretevenus.

CAPUT II.

Varia in ejus ecclesia facta miracula.

His diebus fuit quædam matrona de mundi naufragio ad Dominum conversa, quæ continuando vigiliis et lacrymis, infirmitate præventa, quam medici albuginem oculorum vocant, apertis oculis nihil videbat. Inde jam ad preces frequentior ac sollicitior prædicti Patris frequentabat sepulchrum, in infirmitate gravi postulans suffragium. Eia, inquit, Pater sancte, quid miseræ mihi futurum est, quæ vivo vultu, visu mortua lucis divinæ patior dispendia? si mundum inhabitarem, esset quod pro recuperanda salute donarem medicis, vel saltem qui manum daret permanentibus in me tenebris; nunc ad te confugiens, et his quæ in mundo reliqui, careo, et sola membra, quibus tibi servire debui, perdidi : clamanti ergo sæpius et importunis agenti precibus, tandem aliquando Beatus Pater Erhardus astitit, eique dixit : Molesta mihi es, o mulier, quæ a me petis salutem, cum nemo ante *a* majorem suum aut faciat quid, aut debeat. Sed si vis illuminari, septem pedum spatio a meo sepulcro procumbe; ibi invenies qui te illuminabit. Verba quidem obscura sunt, sed rerum fides manifesta : ubi enim jussa est, venit, procubuit, et vidit.

Cæca illuminatur.

a

6 Esset quidem in dubio, quod dixit ad eam Sanctus Pater, si certiori manifestatione fidem non erigeret

S. Erardus apparet S. Wolfgango, jubetque monasterium inferius reformari.

Energumenus liberatur.

geret credulitas. Nam per idem tempus dæmoniacus quidam ductus in eandem ecclesiam, ut pedibus pavimentum attigit raptus impetu in sublime, suspensus est in aere, testatus propter eorum sanctitatem, qui in ecclesia præfata jacerent, se requiescere non posse. Jussus vero corpusculum quod inhabitabat egredi, ad ostendendam cogentis eum *b* vim fecit corpori. Nos vero etsi qualicumque fama veracium attestante cognovimus, silentium tamen in pluribus æstimantes cautius, illi, quem nobis Deus ibidem patrocinari ostendit, totum asscribimus. Et quis scire poterit, utrum tantæ sanctitatis dignitas obumbratorie de sancto viro prædicetur? an sint etiam aliqui commanentes ibi, magni apud Deum meriti, ut et veterum asserit memoria? Res quoque manifesta : Juditha Ductrix, quæ idem *c* auxit monasterium, dum iret ad sepulchrum Domini Hierosolymam, ut Reges solent, plura vel aperte vel abscondite vel ossa vel corpora conquisivit, quæ ubi terrarum, vel ubi in præfata conderet ecclesia, nec ipsa sciri voluit, nec quisquam nos docere potuit. Ipsa vero quia humata est in ipsa ecclesia, evidenter edocet in illum locum solum maxime studuisse, ubi notum fecit humari se voluisse. Hæc nos de ea strictim, quamquam plura digna vel memoratu vel memoria dicere potuerimus; nam quæ Deus celare voluit, et nos celare voluimus; sed nec ad hæc dicenda stylum acuimus: tanta namque, taliaque propter beatum Patrem fieri credimus, quem Deo disponente corporaliter eodem loco requiescere cognovimus. At si quæ fiant occultius, divinam clementiam in beato Patre cur fiant, quando sibi placuerit, ostendi nobis petimus. Et vere si condignis insudabimus operibus, sicut quondam de eo absconsa non habemus in propatulo, sic etiam potens est Deus adhuc majori eum extollere titulo, sed revertamur ad cetera.

Manus arida sanatur.

7 Manu erat arida quædam mulier, quæ ad sepulchrum ejus in die natalitia propius devenit, salutem petiit, exaudita est, revixit manu. Sed cum sanabatur, tanto cum fragore manus resiluit, ut omnes in quacumque parte vel angulo starent ecclesiæ, resilientem manum audirent et miraculum factum cognoscerent. Non aliis hæc omnia testibus cognovimus, quam qui ipsi viderunt vel audierunt. Quid ego varias virtutes referam? Quam præsens sit omnibus in adjutorium sibi servientibus, placet documentum aliquod proponere, ad solidandam spem eorum, qui sancti Patris toto corde quærunt suffragium.

Tres in profundum puteum lapsi, illæsi educti,

8 Fons est juxta prædictam ecclesiam, quem ipse dilectus Pater fodit suis manibus, sicut erat ei moris omnibus locis, ubi per tempus aliquod mansitabat. Fons iste non minus quinquaginta pedes habet in profunditate, vel eo amplius, quod et nos visu probavimus. Et cum tantæ sit profunditatis, cadentem tamen ministrum sanctarum Virginum ibidem manentium sinu suscepit placido. At quærentibus eundem, non solum vivum, sed et nullum signum casus tanti monstrantem repræsentavit. Accurrunt ergo qui videre cadentem : quis enim vel fragmentatim non potius collisum, quam totum inventurum se crederet, cum in tanta putei angustia lapis eum lapidi redderet? Sed extractus cum rediret ad superna, primo et ipse ratus periculi magnitudinem, postquam mente recepta, omni se vidit alienum periculo, quam attentissimas grates omnipotenti Deo et sanctissimo Patri Erhardo agens, multum secum eventum rei miratus abiit. Nos quoque signi tantum paventes effectum, tantæ facultatis dicimus mortuum suscitare, quam vivum ne moriatur servare. Sed et idem secundo, tertio, in eodem fonte factum est: secundo in muliere gravida, quæ eodem cadens, sana inventa, et extracta est, in laudem et gloriam omnipotentis Dei et sanctissimi Patris : tertio in puero, de quo scribere volumus plenius. Et ut mireris amplius, toties in tantam profunditatem ceciderunt, et sani redierunt : merito utique. Quis enim in illo fonte mortem inveniret, quem ad vivorum salutem salutis amicus præparavit?

AUCTORE PAULO, EX MSS.

9 Mulier erat quædam (quæ etiam adhuc vivit) utraque manu, brachio, et crure contorto, monstro similior quam homini. Pars dimidia ejus in Bohemia ad *d* S. Wenceslaum curata est, dimidia ad sanctum Patrem Erhardum humanæ formæ restituta. Hanc nos mulierem vidimus, ipsam interrogavimus : confessa est cum magna veneratione, partem etiam curatam ostendit.

d Contorta brachia et pedes curati.

10 Quidam etiam diabolica instinctus persuasione, equum furatus, cum latere non posset quod fecerat, ad sancti viri venit sepulchrum, et oblato denario celari rogavit delicti excessum. Oratione fusa, cum ad ecclesiæ rediret januam, denarium, quem obtulerat, secum portavit : rediit, reportat, reponit : egreditur, secum portat : regreditur, orat, exit, denarium toties oblatum secum portat, miratus et timens : statim ut ecclesiam egreditur, occurrunt qui reum tenerent. Ut possit aperte intelligi, virum sanctum respuisse oblationem, eo quod culpa ejus non haberet celationem.

Donum furis respuit Sanctus.

11 Quoties visus sit in sancta ecclesia, in qua requiescit corporaliter, si velim dicere, fastidiosus ero lectori. Quoties luminaria de cælo ardentia in eandem ecclesiam descendant, si quem cælestium tenet reverentia, custodes percunctetur ejusdem ecclesiæ, qui et sub grandi attestatione affirmant sæpe eum vidisse ad altare, quod ipsius sepulchro contiguum est, stantem, et Episcopali cantantem apparatu : quorum unus, qui ceteris dormientibus vigilabat, et serviebat frequentius, cum gausape verreret die quadam altare, ceteraque juxta, de pede Crucifixi, quod supra idem magna positum est altitudine, denarius ante verrentem decidit, ab eo quidem loco, ubi, nisi per scalas nemo vel ascendere potest. Pro tantis itaque virtutibus et signis quæ fecit Deus per servum suum Beatissimum Erhardum Episcopum, glorificemus Deum omnipotentem, qui est mirabilis in Sanctis suis, cui est honor et gloria in sæcula, Amen.

Sæpius apparet.

a *Conradus et alii* B. Albertum *intelligunt.*

b *Aliquid hic deest.*

c *Imo ita videtur ædificia curasse instaurari, ut novum omnino monasterium censeri posset. Ita namque in diplomate S. Henrici Imperat. dato anno* 1002, *Indict.* 2, *dicitur :* Ut monasterium sanctimonialium.... quod divinæ memoriæ avia nostra Juditha olim in honore sanctæ genetricis Dei Mariæ a fundamentis in abbatiam erexit, et donis prædiorum inter alia pro loco ditavit, *etc. Extat illud diploma to.* 2, *Metropolis Wigulei Hundii; ubi et aliud Ottonis (non Primi, ut ibi scribit Hundius, sed Secundi, ut patet, quia an. Christi* 974, *regni Ottonis* 13, *Imperii* 6, *datum) in quo profitetur se varia prædia,* ob interventum dulcissimæ genitricis suæ Adelhaidæ, nec non venerabilis Dominæ Judithæ salubrem petitionem, *donare* sanctimonialibus ad inferius monasterium sanctæ Dei genitricis Mariæ, Christique Confessoris B. Erhardi venerationi constructum. *De eadem donatione Braunerus tom.* 2, *Rer. Boic. lib.* 8. Judithæ religionem nobile insuper cœnobium Ratisbonæ pro sacris Virginibus extructum testatur, inferius vulgo dictum; ubi ipsa condi voluit, incertum quo anno : septuagesimo quarto superstitem fuisse ex Othonis II litteris intelligi potest, quibus eidem monasterio aliquot locorum possessionem transcribit. Judithæ precibus inductus. *Fuit vero Juditha mater Henrici Bixosi, qui et Pius dictus, Bavariæ Ducis; uxor Henrici, fratris Ottonis Magni.*

d S. Wenceslai *vitam dabimus* 28 *Septemb.*

ALIA VITA

AUCTORE ANONYMO.

Ex vetusto MS. *a Joan. Gamansio Soc.* JESU *eruta.*

CAPUT I.

Res gestæ a S. Erardo in vita.

S. Erardi patria,

Erhardus genere Gothus, parentibus licet gentilibus, tamen nobilissimis natalibus ortus, civitate Narbonensi. Hic Spiritu sancto præventus a pueritia Christum timens, multis virtutum et honestorum morum claruit insigniis. Nam, quod bonæ indolis est indicium,

EX MSS. AUCTORE ANONYMO.

institutio,

indicium, Pedagogum suum absentem non minus, quam præsentem semper metuebat : dictantibus et legentibus atque scribentibus semper intererat : et si quem otio et dissolutioni deditum vidit, ipse quamvis parvulus non modicum mirabatur. Competenter itaque habilis mundanis et sophisticis cavillationibus, ad divinarum scripturarum totum animi applicavit studium, radicesque studii in petra spirituali infixit, plenus Spiritus sancti gratia et honestate, vitæ exemplum aliis præbebat. Nam cum alii negotiis alearum,

morum gravitas.

ac levitatis, quæ puerilis ætas amplectitur, lusibus delectarentur; ille Evangelicorum præceptorum roribus imbui sitiebat. In qua etiam ætate multis virtutum insigniis emicuit. Sicut enim corpore, sic et virtutum crescebat decore. Erat enim regula ordinis, divitiarum contemptor, pauperum consolator, paupertatis amator, oculus cæcorum, auris surdorum, pes claudorum, pater pupillorum, adjutor viduarum, carnis infrenator, spiritus insectator; et, ut breviter dicam, omnium virtutum armarium, et Spiritis sancti vasculum.

2 Crevit enim corpore et virtute : vitiis et tentationibus occurrebat, cum desideriis pugnabat, jejunia frequentabat, contemptum vestium non horrebat,

Aliæ virtutes.

humilitatem habebat, gulam refrenabat, detrahentibus numquam acquievit, afflictis et miseris ex corde semper compatiebatur, cum gaudentibus gaudebat, cum flentibus flebat, divinis laudibus semper adfuit, bonorum et sanctorum cœtibus sedulo interfuit, in orationibus sæpe pernoctabat, in devotione cum lacrymis uberrimis abundabat. Talibus igitur et aliis virtutibus insistens, ad sacerdotalem gradum ascendit. Ex tunc crebrorum jejuniorum castigatione seipsum vivam hostiam quotidie immolabat Deo.

Visit S. Hildulphum.

3 Interea Hildolphus vir magnæ sanctitatis et laudabilis meriti, Trevirensis Ecclesiæ Episcopatum regebat : qui cum multis temporibus eandem Ecclesiam, quam etiam invitus suscepit, sancte et provide gubernasset, ipsam regimini resignavit, et diu desideratam eremum est ingressus, sine populari tumultu, soli ibi Domini cupiens famulari. Beatus vero Erhardus in Episcopatus solio sibi successit. Cum autem succedente tempore laudabilis fama Hildolphi longe lateque odorem suum spargeret; B. Erhardus gratia visendi fratrem advenit, et cum ipsum in partibus Rosarum Eremizantem invenisset, ruerunt in amplexus mutuo, et præ gaudio lacrymis se alterutrum perfundunt. Orationibus itaque et aliis Deo gratis servitiis vacantes, aliquantis diebus simul manserunt. Et sicut Romana testatur historia, Leone

a

Papa nono, qui *a* tunc Romanam rexit Ecclesiam, auctore, quatuordecim monasteria ibidem construxerunt, videlicet Hildolphus septem, et Erhardus septem. Nam cum essent nobiles, et omni penitus abnegassent patrimonio, omnia quæ in terra peregrinationis vitæ merito et proprio labore perquisierunt, divino servitio mancipaverunt.

b

4 Tandem B. Erhardus ovili suo consulens, fratrique valedicens *b* Baycatoriam gratia prædicationis est ingressus. Eo autem tempore Pipinus pater Magni Caroli, Francorum præfuit regno. Sub istis igitur Regibus diversi virtutum flores per omnia loca Regni Francorum floruerunt. Inter quos omnes Beatus Pater Erhardus famosissimus est effectus. Nam licet genere et scientia cunctos præcelleret, merito tamen vitæ præcellentissimus habebatur. Nam mundo mortuus, castitate virgo, ordine Sacerdos, paupertate monachus, professione Confessor, laboribus Martyr, legatione Apostolus, munditia Angelus

c

c..... existebat.

5 Eo itaque tempore Duci Ethiconi filia cœca nascebatur : quo comperto patre erubescente, præcepit infantem capite truncari. Quod cum matri innotesceret, miserta soboli fuit; ipsam nutriri in monasterio dedit quod Palma dicitur, ibidem occulte nutriri faciens. In partibus igitur Bavariæ B. Erhardo cœlestibus intento revelatum est, ut ad partes Rheni fluminis rediret, et ibi quandam puellam baptizaret, et eandem illuminaret. Qui obediens ad loca designata pervenit. Quæsitam ergo et oblatam puellam cum vidisset, lacrymando gravi suspirio oculos et manus ad cœlum levavit, tandem voce dixit : Lux vera Jesu Christe, pietatis rorem instilla famulæ tuæ, ac corde et corpore illam illumina. Post itaque sacræ fidei rudimenta, dato nomine Otilia, cum

S. Odiliam baptizat et illuminat.

sacri fontis unda illam immersisset, aperiens oculos visum recepit. Gaudent ergo cuncti et mirantur universi : pater exultat, mater consolatur, divina virtus ab omnibus laudatur. In vita tamen Hildolphi legitur, quod ipse eam baptizarit, Beatum vero Erhardum eam de sacro fonte levasse.

6 Tandem B. Erhardus ad propria est reversus : ubi in maximo rigore vitæ degens domino devotissime serviebat. Semper enim apud se cogitabat cum gemitu dicens : O Domine quando me liberabis a

Moritur.

corruptionibus hujus miseriæ? quando videbo te? hæc et hujusmodi sanctus Pater semper apud se revolvebat. Tandem febre correptus graviter, mortuus est. Cum autem corpus hoc corruptibile se ægrum sentiret, levatis manibus in cœlum auxilium invocabat, ac suspiria trahendo feliciter in Domino obdormivit.

a *Turpissimus contra Chronologiam error, quem merito Conradus infra reprehendit.* b *Legendum* Baioariam.

c *In* MS. *aliquid addebatur, sed litura situque ita corruptum, ut legi non posset.*

CAPUT II.

Miracula post mortem.

Post mortem autem ejus multa gloriosa miracula Dominus per eum fecit. Quædam enim sanctimonialis, nomine Kunigundis, filia sororis B. *a* Martini, magnæ probitatis et perfectionis virgo, custodiæ monasterii præfuit : quæ cum quadam vice monasterium purgari juberet, venientes ad locum, ubi Pater beatus erat sepultus, viderunt pannum lineum

a

Linteum sepulchro ejus prominet et excrescit.

de terra super pavimentum erigi, putantes autem hoc vetus linimentum, et pedibus calcantium pavimento impressum, ipsum abrumpebant : et statim recrevit. Cum autem purgatores sollicite agere volentes, nec intelligentes quid *b* domina intenderet,

b

ipsum linimentum decerpunt; ecce crucifixus de ligno dolatus, qui juxta sepulchrum Beati Patris locatus fuit, *c* capite de dextera in sinistram declinans,

c

flere cœpit, et prædictæ virgini dixit : Prohibe custodes, ut linteamen, quod ex sepulchro extare videtur, ulterius, abrumpere non præsumant : nam in hoc jacet tumulo vir magnæ æstimationis coram Domino. Linteum enim est, quo illud beatum corpus Ethardi est involutum. Illa interim stupefacta, et ad

Fiunt isthic miracula.

se tandem reversa, cunctis quæ audierat et viderat enarravit : multique fidelium ad sepulchrum concurrentes a diversis infirmitatibus sunt sanati.

8 B Wolffgangus sepulchrum beati viri secreto sæpe solebat frequentare. Quadam itaque nocte post matutinarum solemnia, secrete ad tumulum accedens, multis lacrymis ac precibus sancti Patris patrocinium implorabat. Cui assistens B. Erhardus dixit :

S. Erardus apparet S. Wolfgango et jubet monasterium reformari.

Frater, secretum doloris tibi annuntio, quod diligenter avertere debes. Tua opera coram Deo sunt placita, teque rectorem et pastorem verus Pastor Christus huic loco suæque congregationi constituit, et id circo si diligenter tuum officium peregeris, sicuti cœpisti, æternum præmium pro tuo labore recipies. Scito ergo monasterium, quod Deus meæ requiei præstitit, multis sceleribus contaminatum; et peccata monialium, quæ hic conservantur, meas preces, quas pro earum negligentiis sæpe coram Domino effundo,

reclamando

reclamando impediunt, quia, (heu!) carnalibus involutæ. Pro te ergo frater non multum contristor, victus enim sum tot scelerum reclamatione, quod non possim eis prodesse mea prece. Tremendi judicis procumbo genibus multoties, emendationem promitto pro peccantibus multoties, duramque vindictam. Judicis distuli multoties, fratres meos conduxi in preces, omnia tentata sunt, omnia facta sunt : et quid huic congregationi aliud faciam ? aut quibus precibus apud tremendum Judicem pro tot luxuriantium fœditatibus agam? Rogo ut data tibi a Deo prudentia utaris, et omnem hanc monialium congregationem destruens, monachicam hic instituas professionem, quam si aliqua ipsarum velit profiteri, recipiatur: sin autem, omnino conventum earum destrue, nec amplius locum istum contaminari permittas. Tunc enim temporis erat ibi cœnobitarum monialium professio, quæ petulantiæ carnis et aliis vanitatibus nimis erant deditæ. Igitur venerandus vir Wolffgangus jussa implens, professionem monialium mutavit, et
d ibi conventum *d* monacharum arcta regula degentium instituit, et sic locum mundavit. Aliquæ tamen monialium fuerunt tam obstinatæ, ut dum ad arctiorem vitam compellerentur, monasterium reliquerint, et fornicatoribus suis prioribus adhæserint.

10 Quædam matrona relicto sæculo ad Dominum est conversa, quæ vigiliis et lacrymis frequentibus insistens, infirmitatem, quam medici albuginem vocant, incurrit, ut scilicet apertis oculis nihil videret.
Cæca isthic visum recipit. Hæc ad sepulchrum B. Erhardi veniens, suffragium ejus postulabat, dicens: Eia Pater sancte, quomodo mihi miseræ sic factum est, quæ licet corpore vivam, visu mortua sum? si igitur in mundo adhuc manerem, haberem quod pro salario medico darem, vel saltem qui me manu duceret; sed ecce ad te conversa, his, quæ in mundo reliqui, careo, et insuper sola membra, scilicet oculos, quibus tibi servire debui, jam amisi. Clamanti itaque et importunis precibus instanti tandem B. Erhardus astitit, dicens : Molesta es mihi mulier, quæ a me salutem petis. Nescis quod ante majorem nemo facere debet. Si ergo vis illuminari, septem pedum spatio a meo sepulchro procumbes et ita invenies, qui te illuminabit. Quæ veniens ubi jussa fuerat procubuit, et statim lumen recepit.

Energumenus liberatus. 11 Per idem tempus quidam dæmoniacus in eandem ecclesiam ductus, statim ut pavimentum pedibus tetigit, raptus impetu in sublime, suspensus est in aere, et dira voce clamans dixit, quod propter sanctitatem eorum qui in ipsa ecclesia jacerent, non posset habere requiem. Jussus vero corpusculum quod inhabitabat egredi est egressus. Ex hoc igitur et antecedente miraculo colligimus, quod in prædicto monasterio non solum venerabilis Patris Erhardi, sed et aliorum Sanctorum corpora sint recondita. Nam quædam Ductrix fundatrix ejusdem monasterii, quæ etiam ibidem est sepulta, dum iret ad sepulchrum Domini Hierosolymam, ubicumque potuit occulte vel manifeste Sanctorum corpora vel ossa conquisivit, quorum nec nomina scivit, aut scire potuit, et in prædicta ecclesia sepelivit.

Arida manus curata. 12 Quædam etiam mulier manum habens aridam, dum ad sepulchrum B. Erhardi in die ejus natalitio veniret, et salutem cum lacrymis peteret, statim curata est. Tanto autem fragore manus ejus resilivit ut omnes in quacumque parte vel angulo ecclesiæ starent, ex ipso fragore resilientis manus terrerentur.

Furis dona rejecta. 13 Quidam diabolico deductus instinctu equum furatus, cum latere non posset quod fecerat, ad Sancti viri venit sepulchrum, et oblato ibi denario rogavit, ut delictum suum celaretur. Oratione igitur completa cum exire volens ad januam ecclesiæ pervenisset, denarium quem obtulerat in manu sua invenit. Stupefactus ergo et admiratus, ad sepulchrum rediit, et denarium reposuit : et cum iterum exire vellet, denarium apud se, sicut prius, invenit. Tertio igitur rediit et orans denarium secum reportavit, et cum timens miraretur, ecce statim ut ecclesiam egreditur, occurrunt illi quibus equum abstulerat, et eum tenuerunt. Ex hoc manifeste potes intelligere, quod Beatus ejus oblationem respuit, eo quod culpa ejus non habuit celationem.

a *Lege* Udalrici. b *Potius* Dominus *legendum videtur.*
c *Hoc paullo aliter in superiore vita narratur; uti et sequens apparitio.* d *In* MS. *erat* monachorum *mendose.*

ALIA VITA

AUCTORE CONRADO DE MONTE PUELLARUM,

Ex veteri codice Ratisponensi descripta a Stephano Vito Societatis Jesu.

CAPUT I.

S. Erhardi vita usque ad Episcopatum.

Erardi nominis etymon. Erhardus Christi Confessor egregius, et Præsul eximius, et nomen suæ laudis a conformitate sanctitatis accepit : quatenus gloriosus Deus et mirabilis in Sanctis suis, nomine ipsius ostenderet qualem ipsum ad æternam gloriam prædestinaret. Erhardus etenim juxta sacræ paginæ vocabula, vigil vita eligens Dominum interpretatur. Nam *a* Erech, vigil vita; et *a* rara, eligens Dominum, ac Domino vigilans dicitur. Et sic nomen hoc ex duobus corruptis componitur nominibus, ad connotandum tam originalem maculam quam etiam actualem mendam in Christo penitus corrumpendam, priusquam gloriæ cælestis patriam ingrederetur. Cælum etenim scelestum nequaquam poterit sufferre. Igitur in fonte baptismatis, digito Dei demonstrante, Pater ipse beatissimus in statu floris infantilis Erhardus, quasi Erechararus, quod est, vigil vita eligens Dominum, nominatus est. In lingua vero Teutonica, non, ut *b* quidam dicunt, *b* gloria fortis, sed *c* honoris potius thesaurus exponitur. *c*

2 Bene utique honoris thesaurus, quem Dominus tam venerabilem arcam sanctitatis fecit et elegit. Bene insuper vigil vita, bene eligens Dominum nominatus est: quoniam ipsius si quis tractando totam munditiam suæ vitæ mortalis transeat periodum, luculenter ei apparebit, quomodo hic homo Dei teneris sub annis quasi flos vernantis odoris egressus est hominum in aspectus; utpote virtutibus sacris, et moribus sinceris, quantum teneritas puerilis supportare potuit, aromatizans, meditationibus puris respirans, *Pia adolescentia,* magisterio scholastico reverenter obediens, audiendo, interrogando, memoriæ deputata et audita responsa feliciter commendando, aliosque rudis capacitatis sibi cœtaneos caritatis ex visceribus informando. Inter *patria,* vanos igitur scholares, qui ludis fatuis inhiant et aliis sceleribus instant, hic quasi rosa purpurea, in Scotia sibi patria longe disperserat humanæ felicitatis odorem : et quantum corporis crevit viribus, tanto prorsus crevit animæ virtutibus.

3 Floruit in tempestate hujus mundi sævientis illius felix adolescentia, tamquam vitis novella in diebus vernis expandens palmites suos, frondentes amœnis frondibus, et florentes floribus laudabilibus suis : et sic virilem ætatem dulcissimis attigit et continuavit fructibus, tam studiis sacris divinarum scien- *virtutes.* tiarum, quam operibus caritatis invigilans totus; alliciendo populum in Ecclesiam Dei odore quodam mirabili, et suavi castæ vitæ suæ et sobriæ conversationis : ut ad litteram Apostolico dicto connumerari mereretur, Apostolo dicente: Nos Christi bonus odor 2. Cor. 2. 15. sumus. Erat tamen hic beatissimus Dei Confessor paucis popularibus familiaris, cunctis vero benignus, et fidelis ad omnes, adeo ut digno Angelorum et hominum judicio, Præsulari militiæ adscribi valeret in Ecclesia Christi militante. Suis igitur meritis poscentibus

AUCTORE CONRADO. *Sacerdotium, Episcopatus,*

tibus ad Sacerdotii gradum primo, et hinc ad Præsularem apicem ascendit, Deo volente, et hominum fervido desiderio postulante. Et in eodem refulserat statu, tamquam lucifer matutinus in medio nebulæ, et sicut arbor rosaria in spineto, quasi fluvius dulcis

d se derivans in deserto, et tamquam *d* calandrus dulcisonans in myrica, sicut philomela nocturna silentia decorans et torpentes somnos excitans in vigiles delectationes. Hic dulciflua sua doctrina, verbo et opere, tamquam harmonia symphoniæ dulcis inter convivas, in creditum populum feliciter defluxerat, et sicut fons refrigerans in æstu torrido sitim peregrinantium. Felix ille Præsul pœnitentibus se peccatoribus dispensavit : et qui secundum carnis propaginem nobilis erat genere, nobiliorem se exhibuit

genus. virtutum opere; nihil prætermittens eorum, quæ ad

1. Tim. 3. 4. Timotheum Apostolus scribit; sobrius, ornatus, prudens, pudicus, hospitalis, doctor, non vinolentus, non percussor, non litigiosus, non cupidus, et domus suæ præpositus, habens de his testimonium bonum a cuncto vicinio suo, et præcipue in cælis a sanctæ Trinitatis ineffabili triniclio, Patre et Filio et Spiritu sancto, sicut miraculis divinis declarabitur infra.

a *Supervacanea et pæne ridicula hujus scriptoris opera, in indagando et ab Hebraicis fontibus accersendo* Erardi *nominis etymo.*

b *Paulus auctor primæ vitæ.*

c *Violenta iterum derivatio a* Schat, *quod thesaurum significat. Rectius interpretemur Appetentem honoris indolem, ut factam ad honestatem ac decus; ab* Er, *vel* Eer, *et* art *sive* aert, *vel* aerd, *quod indolem, sive ingenium, significat. De hujus et aliorum plurimorum Teutonicorum nominum etymologia consuli potest curiorissima Arnoldi Boecop nostri disceptatio de nomine* S. Huberti *in Historia Hubertina Joannis Roberti nostri.*

d *Curculio vulgo* calandra *dicitur, Teutonibus* Kalander. *An Auctor fortassis cicadam aut gryllum hic intelligit?*

CAPUT II.

Peregrinatio et labores Apostolici.

Frater ejus S. Hidulphus Episcopus Treviren.

Et ipse fratrem carnalem habuit ex eisdem parentibus, nomine Hydolphum, sibi parem in moribus bonis et sancta devotione : qui exulans ad inferiores partes Germaniæ venerat, et sua cognitus sanctitate ad Cathedram Præsularem in Ecclesia Treverensi per Principum et populorum desideria sublimatus est. Eodem quoque tempore universalis Ecclesiæ

a Præsul *a* Leo Papa sui nominis Tertius Romanam sanctam Sedem rexerat. Pius Pater Erhardus gratia visitandi fratrem suum prædictum exierat, quem non

Hunc solitariæ vitæ vacantem reprehendit. in loco Trevirensi, sed in partibus Vosagi pro Christi amore invenerat eremitantem. Et aliquanto secum stans tempore, ipsum ad vigilandum circa gregem

b Dominicum testimonio *b* admonuit scripturarum, quia cæteris paribus plus multo merentur Sapientes prædicando, et populum docendo, quam eremitando, unde et Hieronymus ait : sancta quippe rusticitas solum sibi prodest; et quantum ædificat ex vitæ merito Ecclesiam Christi, tantum nocet si destruentibus

Ps. 118. 54. non resistat. Et iterum Psalmista ait : Cantabiles mihi erant justificationes tuæ in loco peregrinationis meæ. Et Doctor gentium; prædicator veritatis ad

Tit. 1. 5. Titum scribit, hujus rei, inquit, gratia reliqui te Cretæ, ut ea quæ desunt corrigas, et constituas per civitates Presbyteros, sicut et ego disposui tibi. Et

Ibid. v. 7. inter cætera ibidem dicit : Oportet Episcopum sine crimine esse, et sicut Dei dispensatorem. Et paucis interpositis adjungit, amplectentem eum sequi secundum doctrinam et fidelem sermonem; ut potens sit exhortari in doctrina sana, et eos qui contradicunt

et v. 9. arguere. Hæc Apostolus. Licet autem hæc per excellentiam congruant Episcopo, sub remissiore tamen hiatu cuilibet Sacerdoti conveniunt; quem Dominus præ ceteris speciali lumine scientiarum insignivit. Et ergo quamvis Beatus Pater Hydolphus jam Trevirensem, quam invitus acceperat, Sedem voluntarius resignasset; admonendus nihilominus fuerat et excitandus fraterna dulcedine, ut prædicta, quantum licebat, exerceret per operam fidelem.

Uterque septem monasteria ædificat. 5 Acquievit itaque hic illi; et Christo Domino nostro donante, et supradicto vice Christi Leone auctorizante, quatuordecim annos in prædicto loco Vosagi circumfluo *c* monasteria hic septem, et septem ille ad laudem Dei et venerabilis ejus genitricis virginis Mariæ, omniumque cælestium civium honorem, prædicti duo fratres et in Christo felicissimi Patres laudabiliter ædificarunt. Sed unde ipsis opulentia hæc? Jam enim paterno hæreditario penitus renunciarunt. Dicit historiographus, quod in libra peregrinationis, fidelium largitionibus ex vitæ suæ meritis perfecerant ista.

c

Quando vixerint. 6 Illis temporibus regnabant Serenissimi Principes et Deo devoti Reges Pipinus videlicet et duo filii ejus Carolomannus, et Carolus, qui post dictus est Magnus : quos in Reges Francorum unxerat Stephanus Papa *d* ultimo anno sui Pontificatus sub anno

d Domini *e* septingentesimo quinquagesimo tertio; et

e elegit eos ac successores eorum ad Ecclesiam Romanam defendendam. Et Adrianus Papa primus *f* successor immediatus Domini Stephani prædicti, supradictum Carolum cum sancta Synodo quæ Romæ

f tunc celebrata fuerat, *g* Patricium Romanorum *h*

g h circa annum Domini DCCLXXIII. Sed B. Leo Papa III qui *i* successerat immediate Adriano I, *k*, postquam

i k Romani sibi in quadam processione oculos eruissent, et linguam amputassent; sibique Deus gloriosus, qui in Sanctis suis facit mirabilia, visum et loquelam divinitus restituisset; et B. Carolus tunc Romam pergeret pro tam atroci B. Leonis injuria vindicanda; ipsum Dominum Carolum in sancto die natalis Domini in Romanorum Imperatorem coronavit in ecclesia B. Petri, dum surgeret ab oratione, sub anno Domini *l* octingentesimo primo.

l

m 7 Claudicat igitur *m* legenda, quæ communiter habetur de S. Erhardo dicens, quod vivente S. Leone, qui Nonus sui nominis sanctam rexerat Ecclesiam Romanam, et tempore illo quo regno Francorum præfuit Pipinus pater Caroli Magni, hi duo viri sancti Patres floruerunt, Beatus scilicet Erhardus et frater ejus Hydolphus : nondum enim erat Leo IX in rerum natura, imo Leo IX, post Imperatorem Henricum II in Papam fuerat promotus; et fuerat Teutonicus natione, et ab hujus vitæ laboribus exemptus est *n* anno Domini millesimo quinquagesimo

n quinto, Apostolatus sui anno sexto, vir sanctissimæ vitæ. Hic etiam Leo IX *o* transtulit corpus B. Erhardi

o temporibus felicissimi Imperatoris Henrici III, *p* fun-

Translatio S. Erardi. datoris Ecclesiæ Bambergensis sub anno Domini

p millesimo quinquagesimo secundo; qui Henricus succesSerat in imperio Ottoni III, Augusto *q* Romæ

q defuncto.

Corrigitur 2 vita S. Erardi.

8 Illustribus igitur supradictis regnantibus Francorum Regibus, et præcipue Serenissimo Romanorum Augusto Carolo Magno, qui propter vitæ suæ merita

r catalogo Sanctorum ab Ecclesia meruit connumerari, floruerunt in area tempestatis fluidæ, et procellosæ vitæ viri sancti in Hibernia, quæ major Scotia

Hibernia major Scotia. dicebatur, et se disperserant in numero multo per omnia Franciæ et Germaniæ loca, et hinc ad alia terreni orbis climata, ut lumine fidei illuminarent populum tenebrarum, et cæcitatis erroribus extirpatis ad solem justitiæ converterent oculos lippientes. Itaque felicissimus Præsul B. Erhardus tunc temporis coassumpto sibi Adalberto sancto Præsule, cum de proprio gregis Domini disposuisset ovili, vale dixit fratri, et terram olim Noricam *s* ab occidentali

s ejus parte sic dictam, generaliter autem Bavariam, *t*

t a linguæ crassitie, et loquelæ ruditate, quasi Barbariam nominatam ingressus est Dei famulus, gratia prædicandi fidem Catholicam et orthodoxam : et in civitatem veniens Ratisbonam, quæ olim *v* civitas quadrata dicta est, a fundationis suæ figura, vulgariter

r

S. Erardus cum Adalberto venit Ratisbonam.

v

x riter autem x Imbripolis ab Imbre fluvio nominata;
y Ratisbona autem quasi Ratisposita, firmiter fundata,
propter fortitudinem et elegantiam structurarum.

Multos convertit.

9 In ea ibidem vir Dei vixerat tamquam Angelus in humano corpore hospitatus, caritate fervens, castitate et modestia pollens, miraculis clarus; adeo ut errores infidelium et hæreses in fide claudicantium ab ovili Domini feliciter eliminaret. Quibus autem claruerit miraculis, paucis hic verbis perstringere studeamus. Nam cum ipse Christi fidelissimus præco, et citharista dulcisonus Reginæ cælorum tantis floreret virtutibus, revelatum est ei divinitus, ut de Bavaria ad Rheni fluminis partes, videlicet in Alsatiam se transferret, filiamque Ducis z Ericonis cœcam natam baptizaret, et divina juvante gratia tam corporaliter quam spiritaliter illuminaret. Qui divinæ annuens voluntati, se ad locum prædictum receperat, et puellam quam quæsierat inveniens, fide Catholica tempore ad hoc congruo instruxerat, et informatam veritate fidei baptizaverat, imponens ei hoc nomen Ottilia, *Aa* quod interpretatur, Deus Sol. *Bb* Cumque ipsam sacri fontis undis immersisset, feliciter inter cetera in hæc devotionis incidit verba : Domine Jesu Christe, inquit, qui es lux vera illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum; huc famulæ tuæ rorem tuæ dulcedinis instilla, corde ac corpore illuminando eandem. Mox autem puella lumina clara oculorum ad preces beatissimi Patris adepta est, divina clementia operante. Defluxerat hinc miraculum hoc fama multiflua in populos Noricos, qui per hoc in Christiana professione solidati sunt. Et Ottilia beatissima Dei virgo crevit moribus synceris et virtutibus sacris, adeo ut virgineis cœtibus connumerata sit in æternis gaudiis paradisi.

z *S. Ottiliam monitu divino baptizat, et visum ei impetrat.*

Aa
Bb

10 Hinc vir Dei reversus est in Bavariam, et in civitatem Ratisbonam, ubi specialiter ad inferius monasterium in honore venerabilis Dei genitricis fabricatum conversatus est, sanctitate purissima, et devotione mundissima delectatus, tunc temporis in virginea diligentia, qua Deo et Virgini gloriosæ diu noctuque servierunt et servire studuerunt inibi famulæ Deo dicatæ canonicæ cælibis vitæ. Tantum autem eumdem locum dilexerat pius Pater, ut propriis manibus suis ibidem juxta monasterium puteum aquæ dulcis foderat, qui nunc curia Abbatissæ circumdatus est : in quem puteum, licet altum satis, successive inciderunt tres homines olim, videlicet famulus quidam, mulier in prægnatu, et infans quidam : et quilibet eorum illæsus penitus evasit. Quæ miraculis beati viri non incongrue ascribuntur.

Habitat juxta monasterium Virginum.

puteum suis manibus fodit.

a *Sedere cœpit* Leo III, *sub initium an.* 795, *ad quem annum superstitem fuisse S. Hildulphum nec Brawerus quidem asserit.*

b *Aliter paullo hoc in S. Hildulphi vita refertur :* Fama interea præconii ejus circumpositas terras transvolans, remotiores quoque penetraverat. Cumque e diversis partibus multi ad virum Dei venirent, Erhardus vita æque sanctissimus, carne quidem B. Hildulpho germanus, ordine vero Coepiscopus, nomine hujus accitus accurrit. Diu itaque quæsitum cum invenisset, labori ejus congratulans, inquit : Ecce, frater, desiderium cordis tui tribuit tibi Deus, et voluntate tua non te fraudavit. Quem enim diu concupisti locum tuæ conversationi habilem invenisti. Tu ergo sta viriliter in fide, et confortare in Domino et in potentia virtutis ejus, certus quia qui perseveraverit usque in finem hic salvus erit. Per annos igitur aliquot continuos secum manentes, æternæ vitæ vicissim monitis resonabant; fratribusque congregatis utrique vitæ necessaria providebant, et tabernacula erigebant. *Consentit vita a Paulo scripta.*

c *Hoc est forte quod jam dictum est, ex vita S. Hildulphi,* Tabernacula erigebant. *Quamquam hæc quoque alio loco in ejusdem Hildulphi vita habentur :* Inde B. Erhardus constructa ecclesia ex nomine sancti Confessoris Christi Apri, non procul a monasterio, ad lævam scilicet jam dicti fluminis, etc. *De* S. Apro XV *Sept.*

d *Non ultimus hic* Stephani III *annus fuit, qui a* 27 *Martii, an.* 752 *sedit usque ad* 26 *April.* 757

e *Imo an.* 754, v. *Kal. Augusti Pipinum et filios un.xii* Stephanus, *ut ex antiquis ostendit Baronius tom.* 9 *ad an.* 754, *nu.* 5.

f Stephano III, *non* Adrianus, *sed* Paulus *successit. Post hunc creatus* Stephanus IV, *an.* 768, *cui an.* 772 *successit* Adrianus. *Sed hinc Auctori errandi occasio, quod* Stephanus IV *sæpe* III *appelletur,* III *vero* II, *quia* Stephanus II, *vix triduo vixit in Pontificatu, quem immediate ante Stephanum III gessit.*

g *Magni æstimatum fuisse illum* Patriciatus *titulum patet ex epistola ejusdem Caroli ad Leonem III, data* VII *Kal. Janua. an.* 795 *et Adriani ep.* 11 *et* 12 *ad Carolum.*

h *Profectus eo anno in Italiam est Carolus contra Desiderium Longobardorum Regem, evocante Pontifice.*

i 26 *Dec.* 795.

k *Contigit hoc an.* 799.

l *Si annos numeremus a nativitate Christi, coronatus est Carolus an.* 801, *sin a Kalendis Januarii* 800.

m *Hinc patet Conradum non usum esse priore vita a Paulo scripta, in qua id non habetur, sed secunda.*

n *Imo an.* 1034, 19 *April.*

o *Meminit hujus translationis Hundius in Gerardo* III, *Ratisbonensi Episcopo. Raderus vero :* Erhardum Leo IX, Pontifex Maximus præsens Ratisponæ, cum D. Wolfgango cœlesti honore colendum sanxit. *De eadem re Braunerus to.* 2, *lib.* 10. Per eandem occasionem Wolfgangi et Erhardi memoria æternitati consecrata; aris ipsi templisque jure quo qui optimo recepti, et Divi appellati. *At multo ante* Erardo *dicata fuisse templa patet ex Diplomate S. Henrici Imperatoris supra citato. Venerat in Germaniam S. Leo IX, Pontifex an.* 1052, *ut Henricum II (qui Germanis, quemadmodum vel hinc patet, Tertius est) Imperatorem, cum Rege Hungariæ reconciliaret.*

p *Fæde hic hallucinatur Conradus. Non Henricus III sed II, Ottoni III successit, et Bambergensem Ecclesiam fundavit, ut in ejus vita* XIV *Julii dicemus. Is vero jam ante, an.* 1024 *obierat.*

q *Idem alii scribunt; alii vero cum ab Urbe discessisset in itinere obiisse tradunt. Accidit id sub finem Januarii,* 1002.

r *De eo* 28 *Januarii.*

s *Haud satis liquet, quid sibi Auctor hic velit. An Bavariæ occidentalem partem* Noricam *dictam? Falsum est :* Norico *occidua est Bavaria, etsi posterioris ævi scriptoribus* Norici *quoque nomine appellata, quod Boii* Noricum *olim aut certe ejus partem tenuere. An* Norici *ab Occidente notationem petit? Potius a Septemtrione ducta videtur, quem Teutones* Nort *vocant. Unde* Nortgoiæ (*Borealem terram significat, quam Narisci olim tenuere*) perperam hodie, *ut Braunerus ait,* Norici appellatio a semidoctis imposita est.

t *Nec in* Bavariæ *etymo eruendo felicior Conradi conjectura. Braunerus lib.* 4. Ea omnis illa regio est, quæ partem Rætiæ, Vindelicæ, Noricique complexa, prioribus nominibus fere expunctis, diu Noricum, tandemque tracta a Dominis (*Boiis*) appellatione Bojaria dicta est : quod ipsum nomen per monstrosissimas inflexiones, quæ delicatas hodie aures vulnerent, in Bavariæ usitatius vocabulum detortum est. Nam ut modestiores corruptelas sileam, quas sibi Paulus Diaconus, Metellus antiquissimus inter Boios poeta, et Venantius Fortunatus permisere; quis ferat illos qui propemodum saxa locuti Waiwariam, Wawariam, Baugariam, Bawariam, indolato ore rugierunt? *Ita ille. Quæ Boici nominis notatio sit, fatetur Velserus lib.* 1, *rer. Boic. se ignorare, et variorum futiles conjecturas repudiat; addit tamen,* Boiaros *aut* Boieros, quæ Germanis puta Boiorum appellatio, ista etiamnum ætate apud Moschos claritudinis et nobilitatis adhuc haberi vocabulum, quippe quod amplissimo gentis ordini tribuatur.

v *Tomo* I *Theatri urbium Georgii Bruni idem refertur, quod* ad quadratam figuram, et quadratis lapidibus magnis muro circumdata *fuerit,* uti in reliquiis veterum murorum retro S. Paulum cerni potest. *Aventinus* Quartanorum urbem *a quarta legione dictam putat. Ast in Notitia Imperii habetur :* Præfectus legionis tertiæ Italicæ partis superioris Castra Regina, nunc Vallato.

x *Ridet hanc appellationem, ejusque formationem Aventinus; et merito.* Reginus *fluvius, qui Germanis* Regen *dicitur, quæ vox etiam* pluviam *significat, isthic in Danubium influit. Unde* Regina castra, *et Germanica voce* Regensburgh. *Nam quod a* Reginopurga *Theodonis I, uxore nomen urbi inditum scribit Aventinus, id merito inter ineptas fabularum lacinias, quas historiæ suæ illum passim assuisse notat Braunerus, censeri debet. Auctores mediæ ætatis, ut in S. Emmerammi vita* XXII *Septembr. videbimus,* Hyetospolim, Hiatospolim, Hiaspolim *appellarunt, ridicula elegantiæ affectatione; non, ut est apud Brunum,* ob ruditatem populi agrestis, ore hiante verba hiantia proferentis; *sed ab eodem flumine* Regen, *quem ut Conradus hic* Imbrem, *ita illi Græco vocabulo* ὑετὸν, *quod* imbrem *significat, appellarunt.*

y *Ignota nobis hujus nominis derivatio; sed hæc Conradi non placet, nec illa apud Brunum, a ratibus mercimonii caussa confluentibus.*

z *Imo* Etichonis, *sive* Atichonis, *aut* Atici.

Aa *Haud facile est hanc significationem eruere; nisi Auctor vel litteram G præponat, quasi sit* Got, *quod Germanis Deum significat, et* ἥλιος *id est* Sol, *vel ab* ἅλιος, *et* ἁ, *id est* Deus *Hebraice. Verum ut quid difficiles habere nugas?*

Bb *In vita S. Hidulphi narratur id accidisse eo tempore quo apud Hildulphum in saltu Vosago erat Erardus; diciturque eam Hildulphus baptizasse, de sacro fonte suscepisse Erardus. In vita S. Odiliæ, uti hic, dicitur divino monitu e Bavaria in Alsatiam venisse Erardus, eamque baptizasse.*

CAPUT

AUCTORE CONRADO, EX MSS.

CAPUT III.

Post mortem miracula.

Moritur. Cum itaque vir divinitus jugum Domini continuasset in hac valle lacrymarum, ut divina gratia ipsum juberet carnis tunicam exuere, et cives patriæ cælestis Spiritu sancto feliciter adire; infra basilicam supradicti monasterii ad latus septemtrionale tumulatus est : et ibidem post obitum suum crebris claruit et hodie claret miraculis.

a 12 Nam eo tempore quo *a* S. Wolfgangus ex promotione Imperatoris Ottonis II, Cathedram Episcopalem Ratisbonæ fideliter rexerat, ipse B. Erhardi tumulum frequentare solebat tempore quo poterat secretiori. Et cum quadam vice post tempus matutinum Spiritum sanctum alloqueretur lacrymosa devotione, B. Erhardus soporanti dixit B. Wolfgango : Tædet me hic esse inter istas meretrices : tu igitur reforma in melius oves tibi creditas in ovili Christi. Sic enim dilapsa fuit post obitum beatissimi viri Erhardi claustralium inferioris monasterii devotio, ut potius ibi, quantum ad quasdam earum, prostibulum, quam monasterium dici mereretur. Nec sanctimoniales, sed canonicæ nominari volebant, adinstar secularium canonicorum, incedentes sericis et variis induviis. Ejusdem etiam conditionis esse volebant canonicæ *b* superioris monasterii. Beatus igitur Wolfgangus ex Ducum Bavariæ subsidio *c* monasterium S. Pauli Ratisbonæ fundaverat, in quo sanctimoniales sub regula S. Benedicti, et sub habitu quem hodie gerunt, instituerat : et tunc secuta est illas in moribus et in vita tam inferioris monasterii quam superioris major multitudo. Quædam autem ex eis hinc inde infeliciter apostatarunt, et priscæ turpitudini adhæserunt. Non igitur ad detrectationem reputent modernæ felicius ita euntes veterum turpitudines; sed compatiantur eis potius in Domino nostro Jesu Christo.

Monet S. Wolfgangum ut monasterium quoddam reformet.

b

c

13 Eodem etiam tempore S. Wolfgangi, quædam Sanctimonialis, Gunegundis nomine, filia sororis S. Udalrici, quæ tunc custos erat ecclesiæ monasterii inferioris, imaginem crucifixi Domini nostri Jesu Christi ligneam, stantem tunc juxta B. Erhardi tumulum, nocturno tempore lacrymantem vidit, et sibi dicentem : Inhibe custodibus ecclesiæ hujus servis, ne linteamen quo corpus B. Erhardi involutum est tam negligenter abrumpant : non est enim parvæ reputationis coram Domino, qui in hoc dormit tumulo. Crescebat enim, et ad aspectus hominum se foras protendebat hujusmodi linteamen, quasi Dominus per hoc innueret, quod tantæ beatitudinis sacramentum non esset populis in terræ latebris occultandum. Sed ministri Ecclesiæ putabant hoc casu accidere, et quamlibet particulam linteaminis apparentem absciderunt : quousque ad prædictam inhibitionem mulier quædam albuginem patiens oculorum apertis oculis nihil videbat, quæ sepulchrum sancti Patris Erhardi frequentabat, ut ipsius precibus sanitatem a Domino recipere mereretur. Cui B. Erhardus tandem astitit, et ait in visione : Si vis illuminari, septem pedum spatio a sepulchro meo procumbe; ibi enim invenies qui te illuminabit. Innuebat autem per hoc merita sanctitatis B. Adelberti Episcopi, qui comes suæ fuerat peregrinationis, *d* et qui ad caput sepulchri sui tumulatus est. Vult enim illum habere, Deo volente, socium miraculorum, quem in vita temporali habuit socium laborum et meritorum.

Linteamen quo involutum erat corpus ejus crescit.

S. Erardus jubet S. Adelbertum honorari.

d

Contractam sanat. 14 Mulier alia omnibus membris corporis sui arefacta et contracta, partim sospitatem recepit a S. Wenceslao in Praga, partim a B. Erhardo in Ratisbona.

15 Fur quidam furatus equum, ad altare accessit B. Erhardi ad inferius monasterium Ratisbonæ denarium offerens super illud, deprecans sanctum Præsulem, ut furtum suum palliare dignaretur. Sed quia fictam egit pœnitentiam, ter recedens ad altare semper denarium reperit in manu sua, et tertia vice monasterium egrediens a servientibus Judicis detensus est et suspensus.

Furis dona respuit.

16 Nec sub silentio præterire debeo illud miraculum, quod beatissimus Dei Præsul Erhardus mecum operari dignatus est, quamvis indigno, quamvis sordido Christi peccatore. Cum jam enim ante annos sedecim et ultra studium regerem Viennense in Austria, accidit mihi divina correctione, ut post gravem colicam, membrorum, pedum videlicet et manuum incurrerem gravem paralysin, adeo ut nec de loco ad locum progedi valerem, nec manibus meis ori meo buccellam panis porrigere possem. Et visum est mihi per somnia qualiter Ratisbonæ apud inferius monasterium genicularem coram sepulchro B. Erhardi, respiciendo sursum viderem in quadam schedula, cancellis ferreis circumdantibus tumulum ejus affixa, hos duos versus :

Auctor Rector studii Viennensis,

Erhardus mores augmentat, res, et honores,
Huc omni genti pro laude sua venienti.

ope S. Erhardi a paralysi sanatur.

Feceram me ergo deferri in Ratisbonam per naviculam in Danubio flumine : et cum quadam die Missam solemnem super altare B. Erhardi apud inferius monasterium sociorum et amicorum subsidio comparassem, prostratus in modum crucis coram eodem altari, dum cantaretur, Alleluia; O gemma pastoralis lucida; et sequentia, Salve splendor firmamenti; quas laudes Deo donante ad honorem Præsulis infirmus feceram; mox totum meum corpus cum omnibus membris meis in melius est alteratum, et convalui ex toto. Igitur nunc ad honorem Dei, et hujus Sansti gloriam, hanc historiam tradidi, ac legendam ipsius in hoc compendium transformavi.

a *Hundius Episcopum factum scribit an.* 968, *Ottonis Magni* 33, *Ottonis II primo.*

b *Et hoc quoque, post reformationem a S. Wolfgango factam, novis ædificiis ornatum est, ut patet ex diplomate S. Henrici Imper. dato an.* MX, *apud Hundium to.* 3, *ubi hæc inter alia habentur :* Monasterio Ratisponensi, quod ibi vocatur Obermunster, in honore sanctæ Dei genitricis semper Virginis Mariæ dedicato, ipso die quo illud per nos a fundamento perfectum, in præsentia nostri, XV Kal. Maii consecrari fecimus, etc. *Alia extant apud Hundium de ejus antiquitate.*

c *Hundius primam Abbatissam hic constitutam scribit* Brigidam *S. Henrici Imp. sororem; hunc vero versiculum ab ipso S. Wolfgango scriptum isthic fuisse :*

Struxerat ædiculam mandrita Lupambulus istam

Vitæ S. Wolfgangi scriptor testatur eum suum nomen sic fuisse interpretatum, ut se Lupambulum *scriberet. De hujus cœnobii constructione, priorum restaurata disciplina, ac Brigittæ sanctitate, breviter lib.* 8 *Braunerus.*

d *At Raderus eodem cum fratre tumulo compositum scribit.*

DE EODEM S. ERARDO

ex veteri Breviario excuso ante annos 130, *quo Ecclesia Augustana usa est per plurima retro secula.*

S. Erhardi patria. Erhardus, qui Gloria fortis interpretari potest, Narbonensis gentilitate, Nervius civilitate, genere Scoticus fuit. Hic ad præsagium nominis normam extendens morum, super ædificandis virtutibus in fundo ætatis Christum fundamentum supposuit, ne domus inhabitationi futura cælesti ulla tentationis quateretur unda, vel turbine perturbationis verteretur. Meditabatur jam ætas infirma de fortitudine virtutum, jocorum sterilitatem, studiorum ubertatem, laboris fructus, fructus gaudiorum; quodque bonæ indolis est indicium, non minus absentem, ut præsentem metuere magistrum. Intererat legentibus, scribentibus, dictantibus, et si quem vacationi deditum sedulo viderat, mirabatur puerulus. Inhiabat interrogantibus sedule; subtilissimus adnotator in singulis, ac tenacissimis memoriæ conmendabat audita cavernulis.

Diligentia in studiis, aliæque virtutes.

2 Attamen posthabitis mundani sophismatis cavillationibus, totum se divinarum scientiarum dedit utilitatibus, manuum munditia cor tegens sancti Spiritus inhabitatione. Beatus ergo puerulus Erhardus, cum primos virtutum flores emitteret, studii radices in petra fixit spirituali, et necdum liberi judex ad plenum arbitrii, liberaliter eo usus est. Ab infantia enim plenus sancti Spiritus gratia, in eo loco ubi doctrinæ Christi suscepit semina, multis consodalium per devia morum exhorbitantibus, gressus desiderii virtutum adornavit regula, perfectæque opinionis lucratus est mercimonia. Nam cum alii canum volucrumque lusibus delectarentur; hic præceptorum Evangelicorum imbui sitiebat roribus : ac Spiritus sancti aspirante gratia, in cordis ejus plantario vitæ fructificabant germina. Ut enim in aures audientis est dictum : Qui replet in bonis desiderium tuum, pro bono desiderio, pietatis effectum consecutus est. Voluit quod valuit, et velle convaluit, et secundum voluntatem probate probatissimum ingenium tenera lucratus est ætate. Illud vero : Puer maledictus centum annorum, non solum evasit; sed hoc est consecutus : Cani sunt sensus hominis, et ætas senectutis vita immaculata. Nam intellectus spiritualis convalescens robore sensus perfecti consenuit canitie, et callis vivifici semitam pede calcans immaculato, privilegii promeruit gaudium Prophetici, quoniam Initium sapientiæ timor est Domini.

Pietati vacat :

vana aspernatur.

Psal. 102. 5.

Esa. 65. 20. Sap. 4. 9.

Eccl. 1. 16.

3 Crevit beatus adolescens Erhardus, crevit decus adolescentiæ, crevit spes juventutis, gaudium senectutis, ordinis regula, clericatus gloria, divitum admonitio, divitiarum despectio, paupertatis dilectio, visus cœcorum, auris surdorum, claudorum pes, pater pupillorum, viduarum adjutorium, fortunæ blandientis obstaculum, adversantis provocator, carnis refrenator, spiritus affectator, ac per verborum penuriam totius virtutis armarium, ac sancti Spiritus electum vasculum. Crevit ipse in robur corporis, crevit in ipso robur virtutis. Didicit jam irasci vitiis, tentationibus occurrere, pugnare cum desideriis, jejunia non horrere, despicere nuditatem per contemptum vestium, jugulare superbiam, humiliare gloriam, gulam castrare, dare mutuum amicum, ignoscere inimico, non acquiescere detrahentibus, afflictis compati, pro miseris viscerari, congaudere gaudentibus, flere cum flentibus, divinis laudibus adesse, bonorum cœtibus interesse, de omnibus quærere, nihil negligere. Talibus igitur insistens vestigiis, æternæ vitæ semitam ingressus est. Nec retardabat eum tantum ætas infirmior, quantum incitabat voluntas promptior.

Piis actibus intentus.

4 Cum vero lustrum sexagenale primitus egressus est beatus vir Erhardus, evacuans omnia, quæ erant parvuli, virilis animi robur arripuit, diligendo timens Dominum, timendo diligens proximum, mundialibus abstinere, divina venerari, pernoctare in orationibus, intendere psalmodiis, compunctione lavari, tædere carnalia, suspendi ad æternalia, et quo plures utuntur ad voluptatem, corpore usus est ad necessitatem. Non enim lenocinantis furoris eum ira moverat: non blandientis fortunæ sapor illexerat : non tulit ab eo victoriam acedia : non obcæcavit eum unquam avaritia : non oblitavit eum desperatio, non inquietavit eum murmuratio. Corpus subjugavit spiritui, spiritum pietati, pietatem adscripsit vitæ cælesti. Odivit jam membra carnalia : inexorabilesque inimicitias carnis ac spiritus continuata rebellio renovat : donec fatiscente corpore jejuniorum vigiliarumque et totius fatigationis continuatione, spiritus in eo Dominum adeptus est. Postquam vero Presbyteratus ascendit gradus, summum etiam cælestis scalæ ascendit gradum, jam ex continuo non sentiens laborem, sed ex usu laboris resumens consuetudinem. Ad altaris enim consecratus ministerium seipsum vivam hostiam in ara cordis immolavit. Nam secundum Apostolum, non conformatus est huic sæculo, sed reformatus spiritu mentis, probans semper quæ sit voluntas Dei bona, beneplacens et perfecta.

Sese strenue mortificat.

Sacerdos factus sanctius vivit.

Ex variis. Rom. 12. 2.

Ex Breviario ejusdem Ecclesiæ Augustanæ, approbato a Pio V, Pontif. Max.

Erhardus natione Scotus, Deum timere et majoribus suis obedientiam præstare a teneris consuevit. Is cum primis pius, bonis studiis, honestisque disciplinis, ac laudabilibus moribus deditus fuit : vitiis vero irasci, et otio sublato pugnare cum desideriis solitus, tantum profecit, ut refrenata libidine, et tentationibus occurrere, et jejuniis ac vigiliis ceterisque piis actionibus operam dare didicerit. Demum etiam humilitatis habitum ac usum secutus, carnalia omnia respuit, et divinis tantum occupatus et intentus, plenus Spiritu sancto factus est. Qui cum esset monachus et Presbyter, Hindulphum singularis sanctitatis virum, quondam Episcopum Treverensem, vitam solitariam in eremo Wasegi vel *a* Wasegewde agentem secutus, aliquamdiu cum eo divinarum rerum contemplandarum caussa moratus est.

S. Erardi patria, et sancta adolescentia.

Vita monastica.

a

2 Deinde Bavariam ad prædicandum Evangelium ingressus, divina revelatione jussus est ire ad Rhenum et puellam cæcam natam illuminare. Profectus igitur, cum cognovisset Adelrici Etichonis Ducis filiam oculis captam in lucem prodiisse, quam ob id pater jam dudum e medio auferre mandaverat, mater vero creaturæ miserta, occulte nutriendam dederat. Hanc Erhardus ipse accedit, ejusque oculos vi ac potentia nominis Christi aperit, sensumque videndi immittit. Ipsa vero peramandæ lucis desiderio, et admiratione necdum satiata et capta, Christum auctorem lucis appetit et amat. Erhardus igitur eam fide instruit et baptizat, ac Ottiliam nominat.

Odiliæ visus obtentus.

3 Reversus in Bavariam obiit. Cujus sepulchrum Ratisbonæ in inferiori monasterio monialium cum pro more B. Wolfgangus visitaret, S. Erhardus improvisus et inopinatus ei apparuit, ac inter alia conquestus est, quod ædem sui sepulchri luxuria et libidine moniales contaminent. Ego quidem, inquit, Deum pro eis hucusque multis precibus interpellavi; sæpe etiam cælicolas fratres meos promovi, ut una se mecum ante tremendum Judicem prosternerent, eoque modo dura ejus sententia in eum usque rogata diem, quo minus jam lata sit, nostra caussa, spe emendationis vitæ factum est. At vero istæ in fœda luxuria pergunt : et mihi tamen, ut pro ipsis orem, semper instant. Quid agam amplius? aut quibus precibus ante tremendi Judicis sententiam et vultum assistam? tu igitur pro tua pietate et officio, congregationem hanc destrue, et arctiorem institue, omnemque et libidinis exercendæ, et loci contaminandi occasionem aufer. His dictis rursus disparuit. Wolfgangus igitur quod injunctum erat prudenter et graviter executus est : et quæ ex monialibus se jugo arctiori submittere noluerunt, ejecit exclusitque penitus. Atque ita factum est, ut brevi apud sepulchrum Erhardi cæci visum reciperent, claudi sanarentur, aliaque plura miracula fierent.

Dissolutæ moniales, corrigi jubentur.

Miracula ad S. Erhardi sepulchrum.

a *Testatur Cluverius regionem ad utrumque* Vosagi *latus, ad oppidum usque* Zweipruck, *vulgo Lotharingis dici* le pais de Vosques, *Germanis* das Wasgaw. *Et juxta Tabernas Alsaticas, arcem esse, Baroniæ titulo insignem, quæ* Geroltzeck in Wassigaw *dicitur. Quæ nomina a* Vosago, *sive* Vasago, *aut* Wasago *deducta, dubium non sit.*

Ex moderno Breviario a *Augustano.*

a

Erhardus Episcopus, natione Scotus, a prima ætate timori Dei ac obedientiæ assuetus, piisque ac honestis studiis ac moribus apprime ornatus, vitia ac inordinata desideria et otium semper declinare studuit.

S. Erardus fit monachus.

Ex variis. Quo in exercitorum genere tantum profecit, ut summæ humilitatis monachum tandem professus; Hindulphum, qui relicto Treverensi Episcopatu solitariam vitam assumpserat, secutus, cum eo divinarum rerum contemplationi vacarit.

2 Profectus deinde in Bavariam, Evangelium Christi prædicavit: indeque Dei monitu digressus ad Rhenum, cognovit Adelrici Ottichonis Ducis filiam oculis captam in lucem prodiisse, quam patris, qui eam e medio tollere nitebatur, insidiis subtractam, atque in fide instructam et lavacrum regenerationis flagitantem baptizavit, et virtute nominis Christi sanavit, Ottiliæ nomen ei imponens.

S. Ottiliam baptizat.

3 Post hæc reversus in Bavariam Erhardus, miraculis illustris, quem diu ardenti desiderio expectaverat, extremum clausit diem. Ejus corpus Ratisbonæ in inferiori monialium monasterio conditum est: cujus sepulchrum multis quoque claruit miraculis, quod cum B. Wolfgangus pro more visitaret, apparuit ei quodam tempore S. Erhardus, locum et ædem sui sepulchri vitæ dissolutione dehonestari a monialibus conquestus: qua re motus S. Wolfgangus arctiorem vivendi rationem ibidem restituit.

Post mortem claret miraculis.

S. Wolfgango apparet.

a *Eadem fere habentur in Breviario Herbipolensi, in quo fit hoc die de S. Erardo commemoratio cum nona Lectione.*

DE S. GARIBALDO, VEL GAUBALDO
EPISCOPO RATISBONENSI.

Circa ann. dcclii. VIII Januarii. *Reginoburgum illustris Germaniæ civitas, vulgo nunc* Ratisbona, *olim* Reginum, et Regina castra, *ad Danubium contra* Regini *amnis confluentem sita; an proprios olim Antistites habuerit, quo tempore Romanis Rætiæ ac Noricum parebant, non constat. Nam qui aliis memoratur* Paulinus, *is Tiburniæ Norici mediterranei urbe Episcopus fuit. Postquam ad Christi religionem* Boii, *sive* Bajoarii, *qui nunc* Bavari *dicuntur, conversi sunt*, provinciam, *inquit Othlonus Fuldensis lib.* 1, *vitæ S. Bonifacii, quam* v *Junii dabimus*, Otilone Duce consentiente, in quatuor divisit *S. Bonifacius* parochias, tresque magnarum virtutum viros eis præfecit, quos ordinatione facta in Episcopalem gradum sublimavit. Quorum primus nomine Joannes, in oppido quod dicitur Saltzpurg, Cathedram Episcopalem suscepit. Secundus Erinbertus, in Friginsensi Ecclesia regimen Pontificale subiit. Tertius Gowibolt, in Ratisponensi civitate, quæ metropolis Bagoariæ est, Pontifex constituitur. Vivalus quoque *(aliis Vivilus, et Vivilo)* a Præsule Apostolico jam ordinatus, Pataviensi Ecclesiæ prælatus est: sed ejus parochia, quæ quarta erat, a S. Bonifacio, sicut ceteræ, dividebatur.

S. Garibaldus primus Ratisbonæ Episcopus.

Transtulit corpus S. Emmerammi.

2 *Primis igitur in serie Ratisbonensium Episcoporum* Garibaldus *censetur, qui et* Gaubaldus, Gæbaldus, Gaiabaldus, Gariobaldus, Herbaldus, Gariovaldus; *Othlono, ut diximus,* Gowibolt, *S. Willibaldo in ejusdem Bonifacii vita* Gaibald, *et in alio* ms. Goibalch, *in alio* Gaibalt. Nam, *ut recte tom.* 2, *Bavariæ sanctæ Raderus*, in nulla re ita librariorum manus vacillare solent, atque in exprimendis nominibus, præsertim raris, antiquis, et desitis, quæ sæpe aliter populus, aliter scholæ, aliter scriptores edebant. *Hunc autem idem Raderus et Hundius in Metropoli* Sanctum *quidem appellant, sed natalem ejus non produnt. At Martyrologium Germanicum* VIII *Januarii ista habet*: Item S. Herbaldi Episcopi Ratisbonensis et Confessoris. *Et Carthusiani Colonienses in Addit. ad Usuardum*: Eodem die SS. Erhardi et Herbaldi Pontificum Ratisponensium et Confessorum.

Varie ejus scriptum nomen.

Quando Episcopus sit creatus.

3 *Constitutus est Ratisbonæ Episcopus* Garibaldus *anno Christi* dccxxxix, *ut patet ex epistola S. Gregorii III, Papæ ad Bonifacium, qua probat quod Bajoariam in quatuor Episcopatus diviserit. Ea vero data est* IV *Kal. Novembr. Leonis Isaurici an.* XXIII, *Constantini ejus filii* XX, *Indict.* VIII, *jam inchoata. Unde corrigas quod lib.* 1, *Miraculorum S. Emmerammi cap.* 1, *scribit Arnolfus, id post Caroli Martelli mortem accidisse, cum is demum an.* dcccxli, *decesserit. Qua de re iterum agemus in S. Bonifacii vita, et in S. Gregorii III, die* XXVIII *Novembris.* Sedem Episcopalem habuit ecclesiam S. Emmerani, *ut Hundius tradit;* sicut plerique, *inquit*, Episcopatus primo in monasteriis cœperunt. *Deinceps Cathedralis alia constructa basilica est, quæ S. Petro dicata.*

4 *S. Emmerammi reliquias refodit ornatiusque recondidit Garibaldus, quod ita Arnolfus loco citato commemorat*: Gaubaldus dum sibi credita foveret, necnon adaugeret ovilia, inter cetera quæ bene disposuit et ordinavit, consilium iniit cum Clero, quo sepulchrum aperiret B. Emmerammo. Quod crebris miraculis fieri debere clamitantibus, communis omnium comprobavit assensus. Quid plura? Die statuto translationis et elevationis cunctorum vota concurrunt: ad laudes Martyris tanto tempore inter mortales sub negligentia quiescentis, innumera sexus utriusque turma confluxerat. Ad ea, quæ sæpe audierant, Martyris beneficia clarius videnda, festinant cuncti; novis interesse gaudiis properant universi. Demum electi Sacerdotes cum Diaconibus, ac aliis ad aperiendum sepulchrum necessariis, populum extra ecclesiam ejecerant, et ostia intro seris munierunt. Cumque tremebunda religione a sepulchro humum resolvissent, nec non etiam lapidem superpositum a parte dextra in lævam submovissent, mensura tantum quasi palmi et semis; timor super omnes irruit, ita ut præ pavore nimio laborantium manus a lapide laberentur. Ex quo terrore percussi, viribusque dissoluti in terram ceciderunt. Unus autem ex illis qui a dextris astabat, pectus lapidi supponens tam diu solus hunc, cum esset ingens, haud sua valitudine, sustentabat, quousque ceteri posse resumerent, et succurrendo manus ad incepta consererent. Tunc tanta celeritate et securitate amoverunt, ac si in se gravitatis pondus minime haberet. Quid vero hoc trifario miraculo insinuatur? nisi quod prophetico ore prædicatur. Mirabilis Deus in Sanctis suis: Deus Israel ipse dabit virtutem et fortitudinem. Ob reverentiam enim sui Martyris virtus Altissimi hos terribiliter stravit, sed ad ejus laudes in pristinas vires mirabiliter restauravit. Tertio uni sacris cineribus famulanti concessit fortitudinis munus ad gloriam nominis sui, qui est trinus et unus. Pro quo triplicato signo Sacerdotes venerandi gratias agentes almæ Trinitati, cum magno Cleri populique tripudio incomparabilem purpurati corporis thesaurum tumulo, quo eatenus reconditus erat, auferentes, in monumentum novum venerabillime transtulerunt; quod ad id satis accurate jam paraverunt. In quo Principes auri laminas et argenti, apparatu pulcherrimo fecerunt affigi, easque gemmarum ordine vario distingui. *Hæc ibi. De hac translatione plenius* XXII *Septembris, quo die* S. Emmerammus *colitur.*

Quamdiu sederit.

5 Præfuit Garibaldus annis XIII, *inquit Hundius*, sed secundum Chronica S. Haymerani XXII. *At Trithemius supra* XL *annos ei tribuit. Ita enim scribit lib.* 4, *de viris illustribus ord. S. Benedicti cap.* 220. Gaibaldus monachus et discipulus S. Bonifacii Martyris Moguntini, et Ratisponensis primus Episcopus, Doctor et prædicator insignis, tam honestate morum, quam scientia scripturarum præclarus, ad Christum multos sua prædicatione convertit. Claruit anno Domini 780.

6 *Meminerunt*

Qui de eo scripserunt.

6 *Meminerunt* Garibaldi[1] *præter citatos, Velserus rer. Boic. lib.* 3. *Raderus to.* 2, *Bavariæ sanctæ, qui Hundium secutus obiisse ait an.* DCCLII, et ad D. Emmerammi humatum. *Nicolaus Serarius in Moguntiacis Notat.* 28, *ad vitam S. Bonifacii. Joannes Aventinus lib.* 3, *Annal. Boior. Philippus Ferrarius in Topographia Martyrol. Romani. Gewoldus in Addit. ad Hundium. Andreas Brawnerus tom.* 1, *Annal. Boior. lib.* 3, *Arnolphus ante citatus, in vita S. Wolfgangi, ubi isthæc habet :* In primis præfuit Dominus Gaubaldus, vir sanctus et religiosus, sub quo corpus B. Emmerammi vere Martyris et Episcopus translatum est, *etc.*

Ex variis.

DE S. WULSINO, SIVE VULSIO
EPISCOPO SCHIREBURNENSI.

An. Ch. CMLXXXIII. VIII Januarii. *S. Wulsini natalis.*

Wulsinus, *sive* Wlsinus, Wulfsinus, Vulfius, Vultius, Ulsinus, Ulsius, Vulsius, Wlsius, *Schireburnensis in Anglia Episcopus,* VI *Id. Januar. in cælum migravit; quo Hugo Menardus in Martyrologio Benedictino :* Schirburniæ in Anglia S. Vulsini Episcopi et Confessoris. *Martyrologium Anglicanum* XXVI *Septemb. eum refert, et solum Abbatem nominat, uti et Ferrarius.*

Schireburna oppidum.

2 *Est nunc* Schireburnia, (*quod* Fontem clarum *sonat,*) *alias* Sherbona, *oppidum frequens, et lanificio celebre in Comitatu Dorcestrensi; at Willielmi Malmesburiensis ætate, ut ipse scribit lib.* 2, *de gestis Pontificum Anglor.* viculus erat nec habitantium frequentia, nec positionis gratia suavis; in quo mirandum et pæne pudendum Sedem Episcopalem per tot durasse secula. *Primus isthic sedit S.* Aldelmus, *cujus vitam dabimus* XXV *Maii. Translata deinde Sarisburiam Cathedra est, Wilhelmi Normanni temporibus.*

Vita S. Wulsini,

3 *Brevem S.* Wulsini *vitam dabimus ex Joanne Capgravio, tum quædam ex Malmesburiensi lib.* 2, *de gestis Pontif. Anglorum subjungemus. Agunt de eo Matthæus Westmonasteriensis, Nicolaus Harpsfeldius seculo* 10, *cap.* 9, *et seculo* 11, *cap.* 16. *Arnoldus Wion Append. ad lib.* 3, *Ligni vitæ. Godwinus, qui egregie hallucinatur dum ann.* 958 *migrasse scribit e vita, an.* 940, *ad*

ætas.

Episcopatum evectum : cum an. 958, *a S.* Dunstano *Episcopo tum Londinensi, et Rege Edgaro, Abbas Westmonasteriensis constitutus sit; Episcopus vero non nisi tempore Ethelredi Regis, qui an.* 978 *coronatus est. Videtur series Episcoporum Schireburnensium perturbata, dum post S.* Wulsinum *collocatur* Alfwoldus, *qui præcessisse videtur, cum Florentius Wigorniensis scribat eum an.* 978 *defunctum, eodem nimirum quo regnum auspicatus est Ethelredus. Non dubium quin multa in Episcopatu acerba perpessus sit* Wulsinus, *cum sub initia regni Ethelredi, Portlandia et maritima Dorsetensium provinciæ, a Danis piratis sæpius vastata sint : nec potuerit optimum pastorem non graviter affligere sui gregis calamitas.*

VITA EX JOAN. CAPGRAVIO.

a S. Wulsini genus, institutio.

Sanctum *a* enim Wlsinum claris natalibus Londoniis natum, et a parentibus diligenter educatum, in puerilem florem provectum Domino Jesu Christo parentes statuunt offerendum. Lucet enim sub ipsius urbis mœnibus *b* S. Petri cœnobium, nunc Westmonasterium dictum, in quo eum monachum factum perpetuo tradunt Domino famulandum. Excursa autem pueritia ad gradum Sacerdotalem susceptus maturo ævo et moribus clarum sanctitatis speculum effulsit. Contra humani generis inimicum vigiliis decertabat et orationibus, corpus jejuniis castigans : cupiditates seculi cælestibus desideriis contempsit : et omnes animi motus et corporis, omni vigilantia et cura servavit. Humilitate dejectus, fraterna servitute devotus, caritate repletus, lectionibus non solum insistere, sed etiam lecta confratribus exponere, piaque exhortatione ad omnem virtutem eos accendere, et Christo lucrifacere consuevit.

b

Sacerdolium,

eximiæ virtutes.

c d Fit Abbas.

2 Favore tandem *c* S. Dunstani Episcopi *d* Rex Edgarus Wlsinum præfecit eidem monasterio. Quantum enim pro salute multorum invigilaverit, et contra Dominici gregis adversarium insurrexerit, quale exemplum doctrinæ suæ et vitæ omnibus exhibuerit, quis digne explicare sufficit?

c

Creatur Episcopus.

3 Rex tandem *e* Ethelredus, Edgari filius, Ecclesiæ Scireburnensi, favore populi et electione Cleri, eum præfici fecit in Pastorem. Erat enim refugium pauperum, oculos cæcorum, pes debilium, baculus infirmorum, cibus esurientium, vestis nudorum, et redemptio reorum. Quadragesimali tempore inclusus cœnobiali claustro, et mundi tumultu exuto, simpliciter cum monachis mansit, jejuniis, comtemplationi et lacrymis vacans. In cœna vero Domini de cubiculo egressus chrisma confecit, docens et benedicens populum. Peracto Paschali sacramento diœcesim suam Evangelizando visitavit. Sollicitus vero illud antiquitus nobile triumphum Schireburniæ, non solum emendare, augmentare, provehere, studuit, verum etiam perpetua pace stabilire. Æterni namque anathematis mucrone percussit omnem lupum ipsius domus inimicum ovile Christi lacerantem, vexantem, aut dispergentem.

Ejus in omnes liberalitas.

Quadragesimale jejunium.

Sollicitudo Ecclesiæ.

f

Prædicit suam et cujusdam Nobilis mortem.

4 Quinto vero Episcopatus sui anno, exacto boni dispensatoris ministerio, decidit in languorem, et cum eo miles quidam suus nomine *f* Egelwius sibi semper fidissimus. Is audita Domini sui infirmitate, dolore intrinsecus tactus, nuntium mittit, qui quærat si nam spes esset validitudinis suæ. Episcopus enim ad nuntium dixit : Refer celerius, inquit, domino tuo, ut dispositis rebus omni cura præparet se : quia cras mecum proficiscetur ad æterni Regis curiam, ubi fidelis servitii a communi Domino recipiat mercedem suam. Illo autem abeunte, Episcopus præsentes fratres tali voce affari cœpit : Hoc carissimi mei, paterna caritate, rogo, servate; hunc fidelem nostrum, ad Deum mecum migraturum, meum funus præstolando, mecum ad Scireburniam deferri et sepeliri faciatis; ut qui mihi devotus in præsenti vita semper fuit, in morte etiam et in pace assit perpetua.

Jubet eum secum sepeliri.

5 Lugebat plurimum inter ceteros Sacerdos quidam sancto Præsuli merito sanctitatis familiaris, ac secretorum suorum conscius, nomine Wlricus. Cui sanctus Episcopus compatiens, et quasi jam solutus, et in cœlo positus, fiducialiter loquens dixit : Noli flere, inquit, frater carissime, quia vado ad gaudium Domini mei vocantis me. Confide potius et crede quia huic a duodecimo transitus mei anno ac deinceps, recordatus Dominus bonitatis suæ, misericordias suas mecum miraculorum attestatione ostendet, plebem suam gratiæ suæ revelatione in me visitabit : ut sicut de transitu meo dolore affecti estis, ita tunc superno respectu gaudeatis. His dictis elevatis in cælum oculis, in admirabile B. Stephani erupit præconium dicens : Ecce video cœlos apertos, et Jesum stantem a dextris Dei. Et in hac voce VI Idus Januarii in manu Domini efflavit spiritum suum.

Prædicit se miracula post facturum.

Moritur Jesum videns.

a *Hinc colligi videtur Auctoris Præfationem fuisse præfixam, quam omiserit Capgravius.*

b *De hoc cœnobio, magnificentius a S. Eduardo Confessore restaurato, egimus in ejus vita* V *Januarii cap.* 4, 5, 6.

c *Id anno* 958, *accidisse Malmesburiensis testatur.* S. Dunstani *vitam dabimus* XIX *Maii.*

d *Anno demum* 959, *totius Angliæ imperium nactus est* Eadgarus

Ex Capgravio

garus *Eadmundi filius. Sed pars regni, quæ trans Thamesim ad Septemtriones vergit, ei delata erat a populo, Eadwii fratris libidine et stoliditate offenso, biennio ante.*

e *Coronatus est Rex Angliæ* Ethelredus *an.* 978, 14 *April. die Dominica, ut ad cap.* 1, *vitæ S. Eduardi diximus* v *Januar. Unde patet* S. Wulsinum, *ut fuerit anno* 1 *Ethelredi Episcopus creatus, ante annum* 983, *non esse defunctum, cum Episcopatus sui anno quinto decesserit.* f *Harpsf.* Egelinus.

DE EODEM, EX WILL. MALMESBURIENSI.

a S. Wulsinus fit Abbas,

dein Episcopus.

Hunc Dunstanus Archiepiscopus, *a* cum esset Episcopus Londoniæ, Abattem apud Westmonasterium fecerat, instructo ad XII, monachos cœnobiolo, in loco ubi quondam Mellitus ecclesiam S. Petro fecerat. Ita commissum officium sancte et prudenter administranti, honos Episcopalis apud Schireburniam impactus. Qui confestim in Sede Episcopali monachos, Clericis ejectis instituit; ne in tanta *b* contemporaneorum Episcoporum sedulitate dormitare videretur. Cœnobitis nihil ad victus necessitatem ex Episcopatu largitus, sed ex alieno mercatus, Abbatem quoque instituere cogitavit. Illis reclamantibus, quod ejus dulci dominatione, dum adviveret, carere nequirent, cessit invitus, palamque pronuntians magnarum id calamitatum initium successoribus eorum fore.

b Monachos inducit pro Canonicis.

2 Cujus sanctitatis documentum cum in vita sæpe, tum in morte præcipue manifestatum est. Namque cum jam proxime mortis januas urgeret, apertis mentis oculis exclamavit in cantum : Ecce video cœlos apertos, et Jesum stantem a dextris Dei. Quo cantu sine titubantia expresso, inter cantandum defungitur : sancta et venerabilis anima, quæ dictum primi et beatissimi Martyris mutuari potuit ! beata quæ cælum apertum vidit et introire meruit! Servatur ibi adhuc baculus ejus et quædam alia Pontificis insignia, mediocritatis et humilitatis ejus, vivum (ut ita dicam) simulachrum præferentia.

Cantans et Christum videns moritur.

Ejus reliquiæ.

a *Matthæus Westmonaster.* Anno gratiæ 598, defuncto Brithelmo Londoniensi Episcopo, Rex Eadgarus in loco ejus Beatum substituit Dunstanum. Qui protinus apud Westmonasterium constructo ad duodecim monachos cœnobio, in loco ubi quondam Mellitus Episcopus B. Petro ecclesiam fabricaverat, S. Wltium ibidem constituit Abbatem. *De* S. Mellito *agemus* XXIV April.

b *Idem* S. Ethelwoldus *Wintoniensis Episcopus fecit, ut ad an.* 962, *testatur Westmonasteriensis, et nos in ejus vita dicemus* 1 *Augusti; et alii eadem ætate plures sancti Episcopi.*

DE B. TORPHIMO

EPISCOPO HAMARIENSI IN NORWEGIA, BRUGIS IN FLANDRIA.

An. Chr. MCCLXXXIV. VIII Januarii.

Thosanum monasterium.

Thosanum, sivi Dustanum, *celebre olim territorii Brugensis in Flandria, instituti Cisterciensis monasterium fuit, quod Hacketus, ex Decano S. Donatiani monachus Dunensis, primus Abbas administravit. Ad hoc se* Torphimus *Hamariensis Episcopus e patria pulsus contulit, ibique sanctissime diem obiit. De eo ista scribit Molanus in Natalibus Sanctorum Belgii.*

Hic B. Torphimus exul obiit.

2 Apud Brugas, obitus Torphimi Episcopi, in Thosano Episcopali monasterio, quod Flandrice Doest, dicitur : ubi hoc habet epitaphium, etsi simplici stylo, in elevato sarcophago : Hic jacet Dominus Torphimus, ex regno Norwegiæ, civitatis Hamariæ Episcopus, qui pro jure Ecclesiæ de terra sua exulatus, et in mari naufragatus, hic tandem veniens pauper et attenuatus, per triginta septimanas infirmatus, hospitans, et amore Christi misericorditer sustentatus, sancto fine quievit, anno Domini MCCLXXXIV, VI Idus Januarii. Anima ejus, etc. Ejus nulla fit in divino officio mentio. Ante annos tamen circiter septuaginta cum sepulchrum reliquæ planiciei Abbas æquari vellet, ex attacto loculo, suavissimus odor dicitur templum replevisse. Quo facto ab incepto disistebatur. *Eadem fere habet Guilielmus Gazæus in Historia Ecclesiastica Belgii, qui* Sanctum *indigetat.*

Attacto ejus sepulchro odor suavis erumpit.

Vita ejus ex Chrysostomo Henriquez.

3 *Chrysostomus Henriquez in fasciculo Sanctorum ordinis Cisterciensis lib.* 2, *dist.* 10, *cap.* 5, *paullo fusius de eo scribit :* In territorio Brugensi, B. Torphimus Episcopus. Hic natione Danus, magna sanctitatis opinione ab ipsa juventute eluxit, et in sacro Cisterciensium ordine Altissimo militans, mirabili virtutum splendore radiavit. Cujus cum boni exempli odor se circumquaque diffunderet, ne sub modio clausuræ regularis tanta lucerna lateret, ad Episcopatum assumptus est, et Hamariæ Ecclesiæ Præsul et Pastor præfectus. Cumque jura Ecclesiastica, zelo Domini inflammatus, nullam Principum formidans potentiam, contra infractores et comtemptores sacræ et Ecclesiasticæ libertatis defenderet, multas hac de causa tribulationes perpessus est. Quibus exagitatus, immobilis tamen perseverat. Cum tamen adversariorum prævaleret impietas, et sanctus vir tot laboribus quasi opprimeretur, propter Christum propriam Sedem et cognationem deferens, in Flandriam appulit, et in monasterio Dunstano ordinis Cisterciensis, non procul a civitate Brugensi olim constructo, jam vero penitus everso, humaniter susceptus, ibidem aliquamdiu sanctissime conversatus est. Cum magna tandem virtutis opinione ex hac vita discessit, anno Domin MCCLXXXIV. Decursu vero temporis quidam ejusdem loci Abbas, tanti viri sanctitate commotus, ejus venerandas reliquias aperire decrevit. Cum autem sarcophagum demovere inciperent, divinitus fuit ipsis prohibitum. Ex tumulo autem sanctissimi Præsulis divinæ suavitatis odor emanavit, qui se per totum templum spargens, omnes in admirationem convertit, ibi autem jam a centum annis corpus venerandi Patris requieverat. *Subjicit deinde epitaphium quod jam ex Molano retulimus.*

4 *Ejus meminit idem Chrysostomus cum insigni elogio in Menologio Cisterciensi ad* VIII *Januarii, additque in Notis illam sepulchri apertionem cujus et ipse in fasciculo et Molanus in Natalibus meminit, factam anno* MCCCXLV, *at tum nondum* 100 *annis ejus isthic reliquiæ jacuerant. Molani nobis multo probabilior videtur narratio. Ferrarius in generali catalogo Sanctorum :* In Norvegia S. Torphimi Episcopi Hameriensis. *Fuit autem Hamaria, civitas olim Episcopalis in Norvegia sub Archiepiscopo Nidrosiensi. Dicitur nunc Astoensis Episcopi curæ subesse. Torphimi meminit et Martyrologium Gallo-belgicum, ac* Sanctum *appellat; Hugo Mænardus* Beatum : *sed in hoc corrigendum est mendum typographicum, dum in territorio* Brugensi *quiescere dicitur. Andreas Saussaius in Martyrol. Gallicano :* Eodem die perrexit ad Christum, beatæ memoriæ Torphimus Episcopus Hamariæ in Norvegiæ regno, qui quod violatores Ecclesiasticæ libertatis zelo Sacerdotali oppugnaret, Sede sua ejectus, Brugas in Flandriam venit ad monasterium Dustanum Cisterciensis ordinis, cujus a pueritia alumnus erat : ubi cum 30 hebdomadas hospes resedisset, morbo pulsatus ad requiem, felici fine quievit. Ex cujus tumulo centum post obitum annis aperto, divinæ suavitatis odor manavit, cujus fragrantia totum templum perfusum est. *Antonius Sanderus in Hagiologio Flandriæ* Torphinum *vocat.*

DE

DE B. LAURENTIO JUSTINIANO
PRIMO PATRIARCHA VENETO.

§ I. *Origo Congregationis S. Georgii in Alga.*

An. Christ. mcdlv. VIII Januarii.

Floret in plurimis, iisque illustribus, Italiæ ac Lusitaniæ civitatibus, Canonicorum sæcularium Religio, S. Georgii in Alga *Italis, Lusitanis* S. Joannis Evangelistæ *dicta; innumeris privilegiis a Summis ornata Pontificibus; a B.* Laurentio Justiniano *ita amplificata, ut ejus parens auctorque haberi queat. Clemens VIII, an. Chr.* MDCII, *in constitutione sua, quæ incipit :* Quæ ad Religiosorum, *ut tolleretur abusus inductus circa habitum antiquo instituto contrarium, præcipit* Religiosos debere ubique et in omni tempore deferre togam cærulei coloris, Pallandam nuncupatam, juxta constitutiones ejusdem congregationis, et adinstar illius quam deferebat B. Laurentius Justinianus, ejusdem Congregationis Institutor. Fundator *quoque ejus Congregationis appellatur ab eodem Clemente VIII et Paulo V, quorum Brevia citat Daniel Rosa libro qui inscribitur :* Summorum sanctissimorumque Pontificum, illustrium virorum, piorumque Patrum, de B. Laurentii Justiniani Venetiarum Patriarchæ vita, sanctitate, ac miraculis, testimoniorum centuria. Venetiis 1614. *De hac fundatione cum nihil in ejus vita tradatur, hic pauca prælibanda.*

Habitus illius congregationis.

2 Alga, *aliis* Alega, *insula est bis mille passus Venetiis distans occasum versus haud procul a continente Italiæ. Huc* B. Laurentius *an. Ch.* MCD, *ætatis* XIX, *ut infra in vita nu.* 9, ad Marinum avunculum se contulit in religionem Canonicorum collegiatorum, qui S. Georgii in Alga nuncupantur; *quo tempore ecclesia S. Georgii adhuc erat monasterium instituti Augustiniani, quod Bonifacii IX, auctoritate anno Chr.* MCDIV. *Ludovicus Barbo Prior, et duo fratres conversi, Honoratus Venetus et Ludovicus Florentinus, qui soli, et tacite quidem professi, isthic tum Religiosi degebant, resignarunt in manus Angeli Episcopi Kissamensis, cui id Bonifacius IX commiserat. Hic, re mature discussa, consentiente monasterii Priore, in eo collegiatam instituit Ecclesiam Canonicorum et Clericorum secularium in communi viventium, qui tunc ejusdem Prioris hospitio utebantur. Illius vero disciplinæ dux iis et auctor extitit Antonius Corarius, quem ante clericum regularem ordinis Jesuatorum fuisse scribit Paulus Morigia lib.* 1, *historiæ Religionum cap.* 43, *ex codice pervetusto monasterii Jesuatorum Venetiis, et ex eo alii. Adjutor ei et præclari consilii administer Gabriel Condulmerius. Scribit congregationem hanc Silvester Maurolycus lib.* 3. *Oceani historialis Religionum, primum in ædibus Antonii Corarii inchoatam; in palatio deinde auctam Episcopali Angeli Corarii tum Venetorum Antistitis : e quo cum in monasterium S. Nicolai in Littore demigrare statuissent, a Ludovico Priore invitati in cœnobium S. Georgii in Alga concesserunt. Aderant tunc, adsciti jam ante in ejusdem vitæ societatem, Stephanus Maurocenus, Franciscus Barbo Venetus, Mathæus de Strada Papiensis, Romanus de Roduillo Mediolanensis, Lucas Philippi Estensis, Sacerdotes; Marinus Quirino avunculus B. Laurentii, Michael Condulmerius, B. Laurentius Justinianus, Joannes de Pizzinardis, Simon de Persicis Cremonensis, Hieronymus de Mussis Papiensis, Diaconi: Augustinus de Gastaldis Papiensis, Angelus Serdonati Culcitranus, Marcus Condulmerius, Dominicus Maurocenus Venetus, Subdiaconi. In hos omnia dictæ Ecclesiæ jura translata, possessio ejus temporalis concessa, forma eligendi Rectorem Generalem aliæque constitutiones præscriptæ. Quæ cuncta deinde a Gregorio XII, ann. Chr.* MCDVII *confirmata constit.* Illis quæ pro divini, *in qua constitutiones Bonifacii IX et Angeli Episcopi plene referuntur. Accessit mox aliud monasterium collegiatum, nimirum Prioratus S. Augustini, cui Prioratus SS. Firmi et Rustici de Leonico, ordinis S. Benedicti, Vicentinæ diœcesis, canonice fuit unitus. Hæc congregationis exordia.*

Ecclesia S. Georgii in Alga.

Initium congregationis.

Primi ejus alumni.

3 *Initiatus sacerdotio est* B. Laurentius *ubi per ætatem licuit, et* Joannes *appellari cœpit ob humilitatem, ut minus innotesceret mundo, quem animo reque penitus abdicarat, ut interpretatur Daniel Rosa. Haud multo post, cedente Gabriele Condulmerio, Prior monasterii S. Augustini renuntiatur, an. Chr.* MCDVI, *ut patet ex litteris Apostolicis Gregorii XII, ad Episcopum Veronensem, quas idem recitat Rosa. Gregorius deinde Pontifex, Antonii Corarii patruus, et Gabrielis Condulmerii avunculus, ambos hujus congregationis parentes, cum alter ab altero ægre divelleretur, ad se evocat; atque Antonium Camerarium suum, Gabrielem vero Cameræ clericum et Thesaurarium dicit : mox illum Bononiensi, hunc Senensi Ecclesiis præficit. Obstitere aliquamdiu Pontificis decreto Senenses, quod negarent exterum hominem summa apud se sacrorum præfectura fungi fas esse : sed coacti tandem acquievere. Anno dein* MDCVIII, 11 *Junii, utrumque Pontifex in Cardinalium numerum legit; Antonium (qui et Patriarcha Constantinopolitanus erat) S. Chrysogoni, Gabrielem S. Clementis titulo. Fuit ille deinceps Episcopus Portuensis, Ostiensis, et Veliternus; hic demum Eugenius Papa IV, cui cum antea Thesaurarii munus administranti Gregorius ex proventibus Prioratus monasterii S. Augustini trecentos aureos annue pendi, ad sustentandam familiam, jussisset; hos, cum Cardinalis est creatus, B. Laurentio ejusque successoribus in perpetuum transcripsit an. Chr.* MCDVIII, XV *Decembr.*

B. Laurentius Joannes *dictus.*

Fit Prior.

§ II. *B. Laurentii Generalatus. Ordinis cœnobia.*

Anno MCDXIII, *electus est B.* Laurentius *Prior generalis Congregationis S. Georgii in Alga, iterumque anno* MCDXXI. *Utriusque electionis decretum refert Rosa. Eum magistratum ita gessit, creditamque sibi congregationem innocentia vitæ, doctrinæ excellentia, ac præclaris sanctionibus ita exornavit, ut primus ejus fundator haberi cœperit, licet Antonio Corario et Gabrieli Condulmerio initium debeatur :* Non aliter, *inquit Paulus Morigia,* atque Cisterciensis ordinis Patriarcha colitur S. Bernardus, qui tamen ante eum sub B. Roberto inceperat. *Addit Morigia constitutiones a* B. Laurentio *præscriptas, summo totius ordinis consensu susceptas, atque ab Eugenio IV, aliisque deinceps Pontificibus approbatas : ex earum mox observatione congregationem, fama late vulgata, novis fuisse monasteriis collegiatis auctam, et non paucis summo genere natis, doctrina pietate, dignitate, omnique virtute conspicuis Canonicis repletam.*

Bis Generalis ordinis.

Leges scribit.

5 *Scribit Daniel Rosa, se anno* MDXCIII, *in sua Congregatione (cui tunc ipse Rector Generalis præerat) monasteria collegiata tredecim censuisse, quæ professionem juxta Pii V, an.* MDLXIX, *præscriptum, sub regula S. Augustini emitterent. Horum tria sunt in ditione Pontificia : Romæ* sancti Salvatoris de Lauro; *Arimini* S. Juliani; *Bononiæ* S. Gregorii. *Reliqua decem in ditione Veneta :* S. Georgii in Alga *extra Venetias, a quo reliquorum initium ac nomen;* S. Mariæ ab Horto *in urbe Veneta; Patavii* S. Mariæ in Vantio, S. Jacobi in monte Silicis *ejusdem diœcesis; Vicentiæ* S. Rochi, et S. Augustini *extra urbem,* SS. Firmi et Rustici *in Leonico ejusdem diœcesis; Veronæ* S. Georgii in Braida, *et* S. Angeli in monte; *Brixiæ* S. Petri. *Alia ejusdem instituti congregatio in Lusitania*

Cœnobia ordinis.

Ex variis. *Lusitania S. Joannis Evangelistæ a Rectore Generali peculiari administratur, qui anno* MDXCIII, *erat* Michael Spiritus sancti, *sub quo hæc octo illius Congregationis monasteria :* S. Joannis Evangelistæ *extra muros urbis Ulyssipponensis, juxta Tagi ripam;* S. Salvatoris de Villar de Sxades, *in diœcesi Bracharensi;* S. Eligii *Ulyssippone in arce regia, eminentiori urbis loco;* S. Mariæ de Consolatione *in civitate Portuensi;* S. Joannis Evangelistæ *Eboræ;* S. Mariæ de Assumptione *in villa de Arraioles diœcesis Eborensis;* S. Georgii de Raciano *extra muros civitatis Lamacensis, et (quod tum extruebatur)* in villa de Feira *diœcesis Portuensis. Collegium unum Theologorum Conimbricæ. Hospitalia itidem duo, Conimbricæ alterum, alterum in villa Balneorum Reginæ. Silvester Maurolycus in Oceano historiali Religionum, ait in Lusitania monasteria hujus ordinis esse quatuordecim, in Sicilia permulta, eorumque præcipuum* S. Jacobi della Mezzara *Panormi. Alia sunt quædam ejusdem ordinis domicilia apud Ligures, et Insubres. At consulto cavent qui congregationi præsunt ne nimium numerus excrescat, rati in magna domiciliorum hominumque multitudine facilius posse evenire, ut sensim aliquid de pristinæ disciplinæ rigore remittatur.*

§ III. *Patriarchatus Venetus.*

Celebratur B. Laurentius illustri Protopatriarchæ Veneti *appellatione. Nam præter quatuor antiquos illos ac primarios Patriarchas, Alexandrinum, Antiochenum, Constantinopolitanum, et Hierosolymitanum, alii sunt minores, qui vel Romani Pontificis indulgentia aut institutione, vel avita usurpatione Patriarcharum hodie retinent nomen. Eo ex numero est Patriarcha Aquileiensis, Istriæ quondam et Venetiæ Metropolita. Paulus*

Patriarcha Aquiliensis : *Diaconus meminit Pauli Patriarchæ Aquilegiensis lib.* 2. *cap.* 10 *et Miræus lib.* 1, *Notitiæ Episcopat. cap.* 14. *Jam ante Longobardorum in Italiam adventum, more Græcorum et Orientalium, Patriarcham a suis appellatum docet Augustinus Barbosa lib.* 1, *Juris Ecclesiastici universi, cap.* 6, *nu.* 41 *et parte, de officio et dignitate Episcopi tit.* 3, *cap.* 8, *num.* 3. *Cum Attila Hunnorum, aut certe Alboinus Longobardorum Rex toto post seculo et quod excurrit, Aquileiam expugnasset; profugit in Gradum insulam Antistes Aquileiensis, sedesque ex una post gemina facta est. Necdum quidem Attilæ ætate Patriarchale sibi vendicaverant nomen : cœpere paullo ante Longobardorum adventum, in Gradum vel tum primum, vel majorum exemplo,*

Gradensis. *profugit Paulus, sive Paulinus, fatoque ibi cessit. Dicta dein* Gradus, nova Aquileia, *ut ex aliis testatur Leander Albertus in Forojulii. Post restituta Aquileiæ Sede, utriusque Ecclesiæ Præsul* Patriarcha *dici cœpit. Verum et bellorum tumultibus, et eorum qui hæc moliebantur schismate propter celebria illa Tria capitula, ut alibi ostendemus, factum ut minus legitime fortassis absque Apostolicæ Sedis auctoritate cuncta principio gererentur; quæ deinceps tamen pacis caussa prudentissimi Pontifices rata esse, aut certe non convellenda statuerunt. Nam et* Gradum, novam Aquileiam, quæ totius Venetiæ et Istriæ metropolis perpetuo haberetur; *et* Gradensem Antistitem novæ Aquileiæ Patriarcham *vocavit, licet quinto post seculo, Leo IX. Pont. Max. Epist.* 2. *Onuphrius in Chronico Ecclesiastico primum Gradensem Patriarcham memorat an.* DCXI, *Candidianum.*

Episcopus Venetus. 7 *Eo tempore Venetis proprius necdum erat Episcopus : quibus circa an. Ch.* DCCLXXVII, *primus ab Adriano Papa datus, de quo ita Bernardus Justinianus lib.* 12. *Venetæ historiæ :* Coacta igitur Synodo totius Cleri populique, assistentibus Duce et Patriarcha, (*Gradensi*) primus creatus est Episcopus Obeliatus (*aliis* Obelaltus Marinus) Eneagri Tribuni Matheumaceni filius. Constituitur autem Episcopalis Sedes in insula Castellana, quæ Olivolus appellabatur, unde et Episcopo Castellanus semper nomen mansit. Ursus Particiacus (*seu* Participatius) qui eum Episcopatum tertio tenuit loco, ecclesiam erexit, quæ nunc extat, dignam civitate et Episcopo; eam Beatissimo Petro Apostolo dicavit. *Hic Leandro et aliis* Ursus Badoarius *dicitur, et* IV, *Episcopus numeratur, creatus an.* DCCCXLI. *Tandem* LIV, *in hac Sede Episcopus Castellanus, seu Olivolensis, constitutus B.* Laurentius V *Sept. an.* MCDXXXIII. *Quem defuncto Dominico Michaele ultimo Gradensi Patriarcha, Nicolaus V Pontifex Max. translata Gradensis Ecclesiæ dignitate in Venetiarum urbem, Patriarchali titulo auxit : suppressoque utroque titulo et Gradensi et Castellano, primum Venetiarum Patriarcham creavit, anno* MCDLI, VIII *Id. Octob. Omnes trium harum Sedium, Aquileiensis, Gradensis, et Venetæ Antistites refert Claudius Robertus in* 2, *par. Append. ad Galliam Christianam. In Constitutionibus Canonicorum S. Georgii in Alga apud Dan. Rosam citatis, dicitur in Patriarchatu tanta religione, doctrina, et sanctitate excelluisse, ut ex odore sanctissimi viri mos fuerit Venetis per multos annos ex eodem sodalitio sibi Pontifices deligere.*

B. Laurentius primus Patriarcha Venetus.

§ IV. *B. Laurentii vitæ scriptores.*

Vita ejus a quo scripta : Beato Laurentio *an. Ch.* MCDLV, VIII *Januarii vita functo, successit ex eadem S. Georgii in Alga congregatione Maphæus Contarenus; sub quo, aut certe proximis successoribus, patrui sui* B. Laurentii *vitam descripsit Bernardus Justinianus, qui Reip. Venetæ an.* MCDLXXI, *ad Sixtum IV, Pontificem Legatus fuit. Scripsit idem vitam S. Marci Evangelistæ, et de corpore ejus Venetias translato; tum de origine Venetiarum historiam, quam ante citavimus, idque ut Jovii in Elogiis doctorum virorum judicium est, eleganter. De eo videri possunt Philippus Jac. Bergomas in supplem. Chron. an.* 1471, *Trithemius in Catalogo scriptorum; Vossius lib.* 3, *de historicis Latinis; Daniel Rosa in centuria citata; Antonius Stella Clericus Venetus, qui ejus vitam conscripsit, citatam ab eodem Rosa.*

sæpius edita : 9 *Vita hæc* B. Laurentii, *cum Sixtus IV, an.* MCDLXXIV, *jussisset fieri processum ejus Canonizationis, excusa est Venetiis,* VI *Idus Maii an.* MCDLXXV, *et paullo post Italice auctore Nicolao Manerbio Camaldulensi : quas editiones non vidimus. Vidimus vero utramque editam a Dan. Rosa in centuria testimoniorum; præfixam etiam illam operibus B Laurentii simul in fol. editis Basileæ in officina Frobeniana an. Ch.* MDLX. *Venetiis a Bartholomæo de Albertis an.* MDCVI. *Coloniæ typis Quentelii an.* MDCXVI, *ac demum Lugduni a Chevalierio anno* MDCXXVIII, *insertam quoque vitis Sanctorum tom.* 1, *hoc die a Laur. Surio, et ab Abrahamo Bzovio relatam in to.* 17. *Annalium Ecclesiasticorum : e quibus accurate collatis eam hic damus. Vitam eamdem, sed contractam, edidere Franciscus Haræus, Zacharias Lippelous, Petruc Ribadineira in Flore Sanctorum, ex Hispanico in omnes pene Europæ linguas translato; Italice, præter citatos Manerbium, Paulum Morigiam, et Silvestrum Maurolycum, Joannes Petrus Maffæus Societat.* Jesu, *in libro vitarum decem et septem illustrium Christi Confessorum; Gabriel Flamma libro primo de vitis Sanctorum a se notis illustratis. Minora, sed non inelegantia, vitæ compendia referuntur in Catalogo Sanct. Italiæ Philippi Ferrarii, in Fastis Marianis Duci Bavariæ dicatis, et in officio ejusdem* B. Laurentii, *quod ex indultu Clementis VIII, in dictis congregationibus S. Georgii in Alga per Italiam, et S. Joannis Evangelistæ per Lusitaniam, hoc* VIII *Januarii et sequentibus diebus recitatur; in quo hæc de eo legitur Collecta :* Præsta, quæsumus omnipotens Deus, ut B. Laurentiis Confessoris tui atque Pontificis, cujus gaudemus meritis, instruamur exemplis atque doctrinis per Dominum. *Quod officium Paulus V, concessis trium annorum indulgentiis, permisit ab eis omni feria quinta, alio festo non impedita, recitari.*

succinctius narrata.

10 *Ejusdem*

Aliorum de eo testimonia.

10 *Ejusdem* B. Laurentii *memoriam celebrant plurimi passim scriptores, qui ab eo tempore seu historiam sacram, Italiam, Remp. Venetam illustrarunt, seu asceticis tractatibus edendis præclaram ejus doctrinam infarserunt, et arcanum quemdam ex eo spiritum hauserunt. Centenos enumerat Daniel Rosa. Quibus omissis, solum recentiora aliquot miracula, ab eodem in calce operis descripta, dabimus, et Bullam Clementis VII, qua eum Beatorum numerum retulit an.* MDXXIV, *a quo tempore omnibus pæne martyrologiis adscriptum ejus est nomen. Molanus in Addit. ad Usuard.* Eodem die B. Laurentii Justiniani. *Eadem prope Galesinius, Ferrarius, martyrologium Germanicum. M. Antonius Coccius Sabellicus, qui* B. Laurentii *tempora vidit, jam olim scripsit enneade* 9. *Chronicis universalis lib.* 9, eum in Beatorum numero a posteritate haberi, *et enneade* 10, *lib.* 2, eum ob vitæ sanctitatem, et miracula quædam, quæ circa illum in morte edita sunt, Beatorum numero adscribi. *Raphael Volaterranus Anthropologiæ lib.* 21, *refert* Canonicorum Regularium S. Georgii in Alga Venetiis ritum aliquot viros probos sub Gregorio XII, esse aggressos, quorum princeps Laurentius Justinianus vir Patricius fuit, inter Beatos annumeratus, qui se suumque omne patrimonium ei loco dicavit. *Eodem modo, etsi necdum publica Ecclesiæ solennitate in Sanctorum album relatus sit,* Sancti *tamen titulus a plurimis ei gravissimis scriptoribus tribuitur, Gilberto Genebrardo, Joanne Garetio, Petro Canisio, Petro Busæo, Ludovico de Ponte, Zacharia Lippeloo, Philippo Ferrario, aliisque ac potissimum a Clemente VIII, in Brevi Apostolico, quo concedit* indulgentiam plenariam Christi fidelibus, confessis et sacra communione refectis, qui quascumque dictæ Congregationis ecclesias in Sancti *(ut eum appellat)* Laurentii Justiniani festo visitaverint, *etc. Videndus Rosa.*

Beatus pridem vocatus,

et Sanctus.

§ V. *Honores sacri ei habiti.*

Statua et altaria ei posita.

Aram ei primam dicatam in æde D. Mariæ in Horto, extructam a Federico Renerio Senatore Clarissimo, referunt Petrus Justinianus lib. 7, *historiæ Venetæ, et Galesinius in Notis ad Martyrolog. Deinde in ecclesia Patriarchali, in qua sacræ ejus reliquiæ, miraculis celebres, summo cum honore hactenus asservatæ, dedicatum ei sacellum, erectum altare supra sepulchrum; statua marmorea collocata, cum hac inscriptione :* B. Laurentius Justinianus primus Venetiarum Patriarcha die VIII Jan. MCDLV. *Ita Franciscus Sansovinus in descriptione Venetiarum apud Rosam. Novum ei in eadem cathedrali ecclesia* S. Petri di Castello, *sacellum, longe magnificentissimum, construi cœptum : in illud ejus deinde transferetur corpus, quod tantisper in Patriarchali palatio custoditur. In Congregatione sacrorum Rituum decretum fuit* 1 *Februar.* MDXCVII, *ut Patriarcha Venetus Laurentius Priolus S. E. R. Cardinalis, pro sua prudentia et pietate, ut expedire judicaret, sacratissima B. Laurentii ossa elevaret, et transferret; quod morte interceptus efficere non potuit, ut ad Breve illud observat Rosa. Ceterum vix ulla Venetiis basilica est, in qua ei non altare aliquod erectum; vix domus, quæ illius effigie careat : ea populi erga illum religio est.*

Protector Panormitanus adoptatus ob pestem sedatam.

12 *Cum Panormi in Sicilia ac.* MDCXXV, *dira lues grassaretur,* B. Laurentii *publice imploratum patrocinium, voto a Magistratibus nuncupato, tutelarem deinceps eum suæ urbis habituros, quotannis* VIII *Januarii adituros religiose aram, illi in S. Jacobi de Mazara, congregationis S. Georgii Algani, locatam, piumque oblaturos munus. Impetravere dein a sacra Rituum congregatione quod sequitur decretum :* Decretum sacræ Congregationis Rituum, de facultate concessa Panormitanæ civitati celebrandi officium B. Laurentii Justiniani, Congregationis secularium Canonicorum S. Georgii in Alega, in regno Siciliæ, Canonicorum secularium S. Jacobi la Mazara, ejusdem Panormitanæ civitatis Protectoris, die festo dicti Beati VIII Januarii. Cum civitas Panormitana gravi lue annis præteritis premeretur, ad avertendam iram Dei elegit in Protectorem B. Laurentium Justinianum, olim Patriarcham Venetiarum : cujus hodie electionis instrumento in sacra Rituum Congregatione exhibito, Senatus Panormitanus institit confirmari et concedi officium de dicto Beato; et Sacra Rituum Congregatio concessit pro civitate Panormitana, juxta Rubricas, die 26 Februarii MDCXXVIII.

Joannes Baptista Card. Detus.

13 *Eadem civitas sub B. Laurentii effigie hanc epigraphen statuit :*

BEATVM LAVRENTIVM IVSTINIANVM,
CLARISSIMVM
CŒLESTINÆ CANONICORVM FAMILLÆ
FVNDATOREM,
MAGNVM ORBIS COLVMEN,
PANORMITANA PIETAS,
TANTI PRÆSVLIS ADDICATA
MERITIS,
RECENSITVM INTER VRBIS
PATRONOS,
LIBENTER ANNVIT
IN COLVMEN RECENSIRI,
EIVS NOMINE SIBI RATA
FELICITATEM. *

* *Videtur verbum desiderari.*

VITA

AUCTORE BERNARDO JUSTINIANO.

PRÆFATIO AD CARTHUSIANOS.

Etsi non dubito, venerandi Patres, quin Patriarcha Laurentius sicuti vivens solebat, ita etiam vita functus excipietur a vobis omni pietatis officio; jucundiorem tamen ejus adventum fore existimavi, si rationem, qua suavissimus gratissimusque hospes ad vos veniat, cognoveritis. Nam quum eum a teneris annis dilexissem, plus etiam quam parentem, atque illius discessu mœrens, desiderarem aliquid solatii, optabam (ut amantium mos est) aliquam illius imaginem, non Lysippi quidem manibus aut Apellis, sed quæ potius exprimeret et mores illius et actiones et verba; quæ nisi litterarum viva (ut ita dixerim) pictura fideliter atque perfecte repræsentari non possent. Illud igitur unum cupiebam, illud optabam, singulares illius cælestesque virtutes, et cuivis Pontificum veterum merito non impares, præstantis alicujus ingenii litteris illustrari. Quod cum ipse mecum sæpius agerem, sæpe etiam cum his venerabilibus Patribus vestris, qui apud nos sunt, et præsertim cum Angelici spiritus viro Francisco Tarvisano, Præfecto vestri cœnobii; accidit inter nos officii quædam et pietatis plena contentio : quum orarem ego illum, et ille contra me, ut aliquid de vita nostri Pontificis scriberem : dicebam esse illi auctoritatem, esse doctrinam : consuevisse per multos annos cum Laurentio, multa vidisse, multa cognovisse : singulari caritate ac reverentia ei fuisse devinctum. Vereri me præterea dicebam, ne si ego scriberem, sanguinis propinquitas obesset fortasse Laurentii caussæ, et (velut in foro solet) testimonium nepotis in caussa patrui suspectius haberetur.

Auctor primo detrectat vitam B. Laurentii scribere.

2 At ille eisdem contra me rationibus urgebat enixius, et facultatis et consuetudinis et amoris : atque (ut est præstanti doctrina et usu rerum) intueri jubebat D. Ambrosium, qui Satyri fratris laudes duobus libris complexus est : adspicere D. Bernardum, qui Gerardo fratri, inter ceteras nobilissimas super Cantica homilias, locum præcipuum ejus laudibus inseruit. Neque Latinos solum memorabat, sed Græcos etiam. Nam et S. Chrysostomus parentis, et Basilius sororis vitas et laudes, quemadmodum Sanctus noster Aurelius D. Monicæ matris, prosecuti sunt. An (præterea dicebat) si quotidie vides alienos et externi generis homines concurrere ad illius sepulchrum, qui aut

Ser. 26 in Cant.

Persuadet id illi Fran. Tarvisanus.

AUCTORE BERNARDO JUSTINIANO.

aut statuas, aut flores, cereosve in testimonium venerationis apportent; quid tandem tibi necessitudine nepoti, pietate filio; tantis illius beneficiis obstricto agendum est? Te certe audivi, quum diceres illum tibi sæpe magnis in laboribus præsenti adfuisse numine, quemadmodum promisit ipse tibi, dum migraret e vita. Nonne igitur ad illius honorem et gloriam, (nisi ingratissimus esse vis et haberi) quicquid in te est aut facultatis et ingenii, aut denique studii et diligentiæ, conferendum? Hæc igitur ille quum diceret, non minus prudenter quam amice, certe in memoriam redigebat, idipsum usu accidisse fere per omnes ætates. Omitto enim priscos illos gentiles, ut Catonem, ut Cæsarem, ut Thucydidem, et Xenophonta : quorum hi Græcis, illi Latinis litteris, res illustravere suas : adeo non de amicis aut propinquis, sed de se ipsis scribere non dubitarunt. Dicam de nostris. Certe hi sancti viri Athanasius Antonii, Martini Severus, Bernardus Malachiæ, Gregorius Basilii, Gregorii Chrysostomus scripsere vitas, aut discipuli omnes, aut amicissimi.

3 Itaque refragari jamjam poteram summæ auctoritatis exemplis; sed illa præcipue ratione non poteram, quam de illius erga me memoraverat beneficiis. Abiit enim optimus Pater ea maxime tempestate, cum me familiamque meam turbulentissimi fluctus et procellæ variis modis impeterent, ut mergi penitus necesse fuerit, (tu scis bone Deus) nisi invocatus semper a me benignissimus Pater, in tantis malis atque periculis opem tuam impetravisset. Ut extaret igitur aliquod grati animi officium, quod profecto ab nepote erga patruum sine scelere omitti non potuit, appuli animum ad scribendum. Quæ autem narrabimus, vere possumus dicere cum Apostolo, quia non solum a fidissimis testibus audivimus, sed pleraque ipsi vidimus oculis nostris, et manus nostræ contrectaverunt: præsertim cum ab initio Pontificatus ad ultimum usque vitæ diem, ab illius, (ut aiunt) latere numquam fere discesserimus. Placuit autem vobis potissimum inscribere, clarissimi athletæ Christi. Nam quum Leonardi parentis cineres atque ossa mei apud vos habeam; pignus eximiæ erga vos familiæ nostræ observantiæ et pietatis; cur germanos optimos atque dulcissimos, qui se incredibili pietate dilexerunt, quantum in me est, pari quoque contubernio non donem? Venit igitur ad vos Laurentius Pater et vita sanctus, et doctrina instructus, et miraculis coruscans : quibus quidem ornamentis quid accedere possit, non video. Sunt autem summa omnia hæc, et habitant adhuc in oculis omnium : ex quibus et voluptatem in legendo, et fructum in imitando percipere possitis.

Carthusianis eam dedicat.

CAPUT I.

Quo genere, quibus parentibus sit ortus, et quo pacto adolescens ad disciplinam monasticam sit profectus.

a *B. Laurentii patria: genus nobile:*

Natus est igitur Laurentius Venetiis, *a* Bernardo Justiniano patre, matre vero Quirina. De utriusque familiæ nobilitate neque multa dicere, neque omnino silere licet sine illius injuria. Nam sicut his fortunæ donis gloriari, superbæ levitatis est; ita fortiter contempsisse, quod Laurentius fecit, summæ gravitatis. Celebre igitur est, et in antiquis Venetorum monumentis extat, *b* Justinianam familiam a Justiniani posteris defluxisse : tres fratres Constantinopoli pulsos per seditionem, venisse in Italiam, atque Venetiis consedisse. Hujus familiæ virtus cum multis in bellis, tum in *c* eo maxime claruit, quod a *d* Vitali Michaele Duce Veneto adversus *e* Emmanuelem Imperatorem Constantinopolitanum, feliciori initio quam eventu, gestum est. Classem nobilissimam centum triremium, et viginti navium Dux Venetus centum diebus confecit, et in altum deduxit: quæ quum omnem oram Illyrici maris, portus deinde Epiri atque Achaiæ, et deinde maris Ægæi insulas pene omnes recepisset, captaque denique ac spoliata Chio, ad insulam, quæ nunc dicitur S. *f* Panagiæ, divertisset, et descendisset aquatum, (seu pestis illa fuit, corrupto cœli tractu; seu, quod magis creditum est, infectæ ab hostibus veneno aquæ) sane incredibili *g* lue vastata est. Justiniani quicumque per ætatem potuerant capere arma, classem eam conscenderant, quasi patrias sedes bello repetentes : sed tantum conatum infelix exitus excepit. Nam ad unum omnes, sic volente Deo, aut ferro, aut morbo extincti sunt. Domi, præter aliquot senes sufficiendæ soboli frigidiores, forte evenit, ut unus tantum superesset adolescens, Nicolaus nomine *h* apud monachos S. Nicolai.

b *Nicolaus monachus Papa annuente uxorem ducit:*

5 Vitalis Dux laceram, et tam milite quam remige vacuam classem trahens, in patriam reversus; et cum præter alia publica incommoda, tum etiam quasi excidii illius familiæ caussa fuisset, quæ toti civitati fuerat carissima, incidit in populi odium. Et ut quoquo modo posset reconciliaret, statuit non solum restituere illam in lucem, sed copulare etiam sibi sanguine. Impetrat ab *i* Alexandro III Pontifice Maximo, ut liceat adolescenti monacho solvere vinculum religionis, ad reparandam sobolem suæ gentis : eique unicam filiam despondet, Annam nomine. Faustæ fuere nuptiæ. Donavit illos Dominus maribus sex, et tribus femellis. Lætus tam prospera sobole Nicolaus, et Deo gratias agens, voti veteris, religionisque non immemor, ad monasterium reversus est : ædificato prius apud Amianum cœnobio virginum sub nomine S. Adriani : in quo uxor ipsa Anna quoque monasticam cœpit vitam. Multis miraculis ambo claruerunt, atque eorum imagines apud ædem S. Nicolai, in testimonium sanctitatis ad nostram usque ætatem perstitere. Quod, ne cui forte mirum videatur, iisdem temporibus idem Alexander Pontifex Constantiam, Guilielmi Siciliæ Regis filiam et monacham et plus quam quadragenariam, Henrico Imperatori, Frederici Barbarossæ filio, nuptui concessit, ad sobolem Guilielmi patris, qui Siculis fuerat carissimus, suscitandam.

susceptis liberis redit ad monasterium :

sancte vivit, uti et uxor.

6 Ex hac igitur sanctitatis *k* propagine Laurentius ortus. Bernardus pater juvenili ætate in medio magnorum honorum cursu surripitur. Quirina mater, et ipsa clarissimo genere, anno ætatis quarto supra vigesimum, amisso viro, et quinque susceptis liberis, reliquam ætatem cælibem duxit, domum suam regens, ut Apostoli verbis utar, et filios in timore Dei et mandatis instituens, instans orationibus die et nocte : et ne in deliciis vivens mortua esset, cilicium et catenam æream, quoad vixit, circa lumbos gestavit, jejuniis et vigiliis florentem ætatem castigans : præcipue autem in pauperos misericors et benefica, et quæ ad eleemosynas filios semper et verbo instrueret, et exemplo. Accessit ad eximium Laurentii ornamentum, germanorum fratrum par memorabile, *l* Marcus et *m* Leonardus : quorum necessaria mentio me diu tenuit ancipitem, scriberemne hic aliquid de illorum vita moribusque : sed quum magni res operis videretur, malui nunc soli Laurentio dare operam. Unum tamen illud non silebo, cum bona venia legentium, tres ejusmodi fratres tanta virtute, sanctimonia, et omnium bonarum artium scientia præditos (quod quidem scriptorum monumentis exstet) vix ulla unquam secula tulisse. Nec falli me amore, neque fallere prorsus scio.

k *B. Laurentii parentes.*

1. Tim. 5. 9.

Quirina mater vidua sancte vivit.

l m

7 Natus est Laurentius sub finem *n* belli Genuensis illius maximi et periculosissimi; et natus, quo die pro insigni apud *o* Clodiam victoria, universa civitas *p* supplicationibus et omni lætitiæ genere redundabat. Dicere solebat Quirina mater, dum in ea lætitia pareret, gaudio quodam animi perfusa, Deo primum gratias

n

o

p *Quando natus Laurentius, quo matris voto.*

gratias egisse, quod eum partum, quem tantis in laboribus periculisque gestasset, in lucem ederet cum tanta civitatis lætitia; deinde Deum suppliciter orasse, ut hostibus aliquando formidini esset, et saluti civibus: quod certe vidimus evenisse bello Mediolanensi, sicuti suo loco dicemus. Statim autem primæva ætate declaravit morum elegantiam singularem. Nihil illo venustius, aut amabilius: cum majoribus natu libenter esse, cum æqualibus facilis, minores amplecti. Ceterum excellenti videbatur animi magnitudine, et ad summas res semper intenta. Nihil illum ludicri delectabat, ut solet ceteros juvenes: sed ad magnas res divina sapientia rapiebat; ut aliquando Quirina mater metuens, ne aliorsum erumperet ille ardor animi, et mundi honores amplecteretur plusquam par esset: Quin tu, inquit, hanc mi fili insaniam mittis? Infernum sapit ista superbia. Cui subridens Laurentius veluti per jocum: Noli timere, ait, mater: magnum me Dei servum adhuc videbis. Hoc de seipso puerile præsagium haud multo post Dominus implevit.

Pueri indoles.

de seipso præsagium.

8 Annum erat natus undevigesimum, ejus scilicet ætatis, in qua carnis illecebræ ancipitem facere solent humanæ vitæ viam: *q* Dominus autem Jesus manum illi adhibere volens, apparuit illi, sicut ipse in eo libello, qui Fasciculus amoris inscribitur, meminit. Ipsius verba subjiciemus: Eram vestri similis, quærens æstuanti desiderio pacem in rebus extrinsecis, nec inveniebam. Tandem quædam virgo sole splendidior mihi apparuit, cujus nomen ignorabam. Hæc propius accedens, venusto vultu, placidoque affatu: O juvenis, inquit, dilecte, cur effundis cor tuum, et pacem sectando, per multa variaris? Quod quæris, penes me est: quod concupisti, tibi polliceor si tamen in sponsam me habere volueris. Quum vero nomen ipsius, et genus et dignitatem scire peroptarem, se ait Sapientiam Dei esse, quæ propter hominum reformationem humanam formam suscepit. Assensi igitur, et dato pacis osculo læta discessit.

q

Divina sapientia in specie Virginis illi apparet.

9 Hac igitur visione perculsus, rem detulit ad *r* Marinum, Quirinæ matris consobrinum, qui fuit tam vita quam doctrina sanctissimus. Is quamquam magnum aliquid portenderet, et ardentem juvenem ad omnem altissimæ vitæ rationem intelligeret, perspicere tamen penitus illius animum, et corporis infirmitatem experiri maluit: de vestitu nihil mutavit, ne cultus sordidior proderet animi propositum, sed matri nimium amanti secretum esse non potuit: quæ quum præter suspiciones alias, ligna quædam rudia super lectum sternere, superque his lignis cubitare filium deprehendisset (ut est matrum natura mollior) metuens ne filius non satis difficultates religionis intelligeret, induxit in animum tentare illius propositum, et nuptias apparare. Et quidem virgo offerebatur, forma, nobilitate et amplis divitiis præstans, quam ego senem cognovi. Id cum animadvertisset filius, et fratres cum matre conjurasse perspiceret, fugam maturavit, atque ad Marinum avunculum se contulit in religionem Canonicorum collegiatorum, qui S. Georgii in Alga nuncupantur. Dicebat autem initio conversionis proposuisse animo hinc omnia bona fortunæ, nobilitatem, magistratus, honores, uxorem, liberos, pecuniam, et omnis præterea generis voluptates; illinc inedias, vigilias, æstus, algorem, servitutem: sedisse deinde quasi judicem inter ista et ab sese ita exegisse: Considera nunc etiam atque etiam Laurenti, quid agas: Putasne hæc perferre poteris, aut illa contemnere? Tum sese ad Domini crucem convertisse: Tu es Domine spes mea: ibi posuisti certissimum refugium tuum. Sic confirmatus animo, relicta matre fratribusque, calcatis præterea opibus, et honoribus, et florentis ætatis illecebris, ad cælestem militiam profectus est.

r Marinum consulit.

Austerius vivere instituit.

Spernit nuptias, et fugit ad monasterium.

a *Utriusque parentis laudes describit Joannes Bapt. Egnatius lib.* 4, *tit. de Amore conjugali et lib.* 5, *cap.* 4.

b *Daniel Rosa citat concionem in laudem S. Magni Venetiis* 1605 *excusam, in qua ex hac Justiniana familia, præter hunc B. Laurentium, dicuntur prodiisse* B. Nicolaus *et* B. Paulus.

c *Bellum hoc fusius describitur a M. Antonio Coccio Sabellico decad.* 1, *Rerum Venetarum, l.* 7. *Petro Marcello in vitis Ducum Venetorum, et aliis.*

d Vitalis Michael, *ejus nominis II, Dux* XXXVIII *successit Dominico Mauroceno an. Ch.* 1156, *in seditione contra eum oborta cæsus est anno principatus sui* 17.

e Emanuel, *seu* Manuel, Comnenus, *Joannis Comneni, qui et Calojoannes dictus est, filius, imperavit ab an. Ch.* 1143 *ad an.* 1180.

f *Insula parva inter Chium insulam et continentem Asiæ. Eam una cum Chio repræsentat Thomas Porcacchius lib.* 2 *Insularum, eamque* Panaize *appellat.* Panagiam *epithetum Deiparæ Virginis fuisse Græcis, docte ostendit Gretserus in observationibus ad lib.* 3, *Codini Curopolatæ cap.* 3. *An ei hæc insula sacra?* g *Al. Labe.*

h *Sabellicus:* Sacris initiatus, ad Georgii fanum, quod est contra forum, ut alii vero tradunt, in littore ad Nicolai ædem, sacris operabatur.

i *Creatus Pontifex* 7 *Sept.* 1159, *defunctus* 27 *Aug.* 1180.

k *Genealogiam ab hoc Nicolao hanc texit Daniel Rosa:*

Nicolaus —— Anna Michaelia.
Marinus.
Pancratius.
Justinianus.
Leonardus.
Bernardus, Procurator S. Marci.
Petrus, Procurator S. Marci.
Bernardus —— Quirina.
Leonardus. Marcus. B. Laurentius.
Bernardus, auctor vitæ B. Laurentii.

l Marcus Bergomensem præturam gessit, de quo Philippus (*Mediolanensis*) Dux dicere solitus erat, plus negotii sibi ex lanea Marci Justiniani veste exhiberi, quam ex ducentis cataphractis equitibus Venetis capere quotidie soleret. *Ita Egnatius.*

m *De eo pluribus* VI *Decemb. ad vitam S. Nicolai Episcopi, quam paraphrastice ex scriptoribus Græcis consarcinavit. Legendi de eo Franc. Philelphus, qui eum in conviviorum libris non semel laudat, Philippus Jacobus Bergomas lib.* 13 *Supplementi Chron. ad an.* 1427. *Raphael Volaterranus lib.* 21 *Anthropologiæ. Alter ejusdem nominis etiam Orator insignis ab iisdem describitur, quem hujus patrem Bergomas, avum facit Volaterranus; sed perperam ut ex schemate dato constat.*

n *Bellum hoc accurate describit Sabellicus decade* 2 *rerum Venet. lib.* 5, 6, 7 *et Petrus Justinianus lib.* 5 *historiæ Venetæ.*

o Clodia fossa *Plinio, vulgo nunc* Chioggia, *vel* Chioza *dicitur, X millibus passuum ab urbe Veneta dissita, in littore maris Adriatici versus meridiem. Plura suggerent Petrus Justinianus, Sabellicus initio lib.* 6 *citati, et Leander in fine descriptionis Italiæ.*

p *Contigisse hunc triumphum Kalendis Julii refert Egnatius lib.* 4, *tit. de Amore conjugali. Sabellicus tradit Andream Contarenum Venetiarum Ducem* VII *Kal. Julii* Clodiam *recepisse, ibidemque rebus constitutis Venetias rediisse, ubi ingenti lætitia et plausu ab omnibus ordinibus civitatis exceptus est. Annus is erat Christi* 1381.

q *Hanc apparitionem refert Petrus Thyræus noster tractatu de apparitionibus Christi impersonalibus, cap.* 3, *ubi varias ejusmodi enumerat.* r *Al.* Martinum.

Auctore Bernardo Justiniano.

CAPUT II.

De siti, fame, vigiliis, et omni corporis attritione: de dolorum tolerantia per omnem ætatem declarata.

Primum igitur sibi certamen instituit cum corporeis illecebris: cujus viam brevissimam judicavit si nihil illis molle concederet, sed bellum gereret quasi cum hoste capitali. Nihil dicam de cibi parcitate, quem numquam saturitate, sed vix ultima necessitate definiret: nihil de sitis tolerantia, qua numquam sic torreri visus est, ut vel per jejunium, vel manuum operationem, vel peregrinationem, vel valetudinem adduci potuerit, ut potum deposceret: quin si invitaretur a fratribus, dicebat: Quo igitur pacto feremus Purgatorii calores, si parvam hanc sitim ferre non possimus? Vigilias a Patribus institutas, non solum ita servavit, ut ad matutinum primus veniret, ultimus discederet; sed quum multorum monachorum mos sit, post matutinum ad somnum redire, donec sol illucescat, Laurentius per omnem vitam numquam de ecclesia discessit, donec ad Primam fratres convenirent. Rigente hyeme, accedere ad ignem nunquam visus est: quod fuit admirabilius propter corporis imbecillitatem. Accidit autem, ut Pater quidam ad ignem invitaret: recusante illo, palpavit Pater illius manum, quumque obrigentem frigore sensisset, admirans, inquit: O fili, magnus calor est, quo intus ardes, si frigora

Pugnat adversus voluptates.

Ejus inedia, sitis, vigiliæ:

tolerantia frigoris:

AUCTORE BERNARDO JUSTINIANO.

ista non sentis, quibus obriguisti. Quid illud, ut ne in hortum quidem remittendi animi caussa unquam accesserit, quod unum solet esse monachorum *a* remedium?

Statio ejus in templo.

11 Stabat gradu nixus, dum divina canerentur officia; non dextra, non læva sedilibus hærens: quem statum semper in psallendo servavit. Videntur hæc fortasse minus admirabilia his, qui numquam experiuntur. Vos autem nobiles Christi athletæ, qui quotidie facitis harum rerum periculum, scio, factu difficiliora quam dictu judicatis. Hujus propositi atque constantiæ perseveravit usque ad ultimam senectutem, ut in ipsis ægritudinibus vix ulla corpus remissiori ratione foveret. Nam quum medicus eum laborantem jam ferme septuagenarium ad edendas carnes invitaret Quadragesimæ tempore, et quo facilius suaderet, afferret exemplum Sancti cujusdam ex his recentioribus, qui ob ægritudinem haud majorem die Dominicæ passionis pulpam phasiani comedisset; petivit primum Laurentius, an abstinere posset sine vitæ periculo, quum ille non negasset: Unusquisque, inquit, abundet in sensu suo: sed ut verum fatear, valde me delectant veterum exempla Sanctorum. Video autem Confessores per carnis macerationem, Martyres autem per sanguinis effusionem ad cælestem patriam contendisse.

Recusat æger in quadragesima vesci carnibus.

12 Itaque, ut ad priores annos redeam, quum factus esset ætate vergente debilior, cogebant eum Patres ex capituli decreto, ut cibo, et somno, et veste moderatius uteretur. Quod ille ægre ferens, quasi ad delicias compelleretur: Jubete, dicebat, ut lubet, parebo jussis: scire tamen vos velim, ei qui pro Christo pati decreverit, patiendi viam non defuturam. Quærebam ab eo Patre, qui hæc narrabat, quid his verbis significare voluisset. Disciplinas credebat, id est, verbera et plagas, quibus solebat affligi vehementius. Notas quippe et sanguinis maculas sæpissime apparuisse. Non solum autem evicit has communes naturæ necessitates, sed dolorum patientiam admirabilem ubique præstitit. Incidit initio religionis in morbum fistularum, quas medici appellare scrophulas solent. His omne collum repletum est. Desperabant medici de juvenis salute. Unum remedium dabant, si setis equinis per transversum collum sæpe deductis, corrupti humores educerentur; adurerentur deinde ferro candenti. Verum timebant, ne dolorem ferre non posset. At Laurentius vultu, quo semper erat: æquali, Quid dubitatis, ait, Fratres? secet et urat medicus, ut libet: an non poterit Dominus mihi dare fortitudinem, qui tribus pueris dedit in fornace candenti? Trajectus itaque, et sectus, et adustus est. Ubi illud admiratione dignum, quod præter unam vocem Jesu semel emissam, ne minimum quidem gemitum edere deinceps auditus est. Ceterum hoc nobis incredibile fuisset, nisi oculis nostris vidissemus, in ultima ætate quum Pontifex esset, eandem animi firmitatem, et quum guttur intumuisset majorem in modum, ac resolutio tardior appareret, eademque difficilis, angeretur autem animi piissimus Pater, domi atque in cubiculo inclusum vacare non posse ovibus suis, ad ictum ferri stetisse penitus immobilem, quum timenti medico diceret: Incide audacter, neque enim laminas Martyrum novacula tua superabit.

Jubetur moderatius se affligere.

Scrophulis laborat.

Dan. 3. Sectionem ustionemque generose patitur.

a *Al.* solatium.

CAPUT III.

De humilitate et mansuetudine, de contemptu ignominiæ, de paupertatis amore, de dono orationis et constantiæ.

Ejus insignis humilitas.

Hæc de corporis attritione, et quidem pauca de multis. Sed veniamus ad animum, ubi plus negotii videtur. Incipiemus autem ab humilitate, quam ipse ceterarum virtutum reginam appellabat. Si rector erat monasterii, velut id sibi muneris contemptui potius esset, quam honori, infima quæque ministeria diligere, quæ relatu etiam sint indigna: nihil nisi de peccatis suis loqui, sua detestari, contemni ac despici cupere, semper de humilitate Domini Jesu, aut Beatissimæ Virginis loqui. Sed omissis quotidianis istis, videte Patris, quomodo contumelias tulit. Quum de monasterii negotiis aliquando in Capitulo ageretur, Frater quidam simplicioris ingenii, accusavit nescio quid a Laurentio factum. Laurentius autem quamvis intelligeret hominis ingenium, et purgare facile posset quod objecerat, substitit primum, quasi non audiret; tandem leni gradu in medium procedens genibus flexis: Ignoscite, inquit, Patres: peccavi in cælum et coram vobis, ecce pœnitentiam, quam dederitis, agam. Tactus pœnitentia Frater ille, ad Laurentium accurrit, et veniam petens, ejus pedibus advolutus est. Iterum autem quum simile quippiam falso objiceretur, compressa Laurentius mordicus lingua, nihil respondit; scilicet ne aut mendax confessio malum exemplum proderet, aut negatio contentionem gigneret; loquendi et tacendi tempora prudentissime discriminans.

14 Mundi vero fastus atque superbiam quam magnifice perdomuit! Non dico, ut opes reliquerit, et honores: neque enim tantæ virtutis est, honores contemnere, quam contemptum appetere. Plus est enim, ut male affici negligas, quam ut bene affici non cupias. Ceterum illud summæ perfectionis, ut male affici desideres. Itaque non silebo, quod Maphæus Patriarcha, qui illi successit, et fuerat ejus discipulus, mihi narravit. Nam quum de more exissent ad petendum panem, sorte accidit, ut frequentiora urbis loca penetrarent. Sensit eum Laurentius motum loci celebritate, et declinare homines cupientem, Maphæe, inquit, quid moveris? Vadamus constanti gradu. Nihil enim profecimus, si reliquimus verbo mundum, nisi etiam opere declaremus. Eamus cum saccis istis quasi crucibus, et gloriosum hodie de seculo triumphum referamus.

Contemptus fastus mundani.

15 De paupertatis autem amore quid dicam? Accidit forte, ut tectum monasterii igni conflagraret, ubi Fratres omne penu in spem anni reposuerant. Aberat eo die Laurentius. Advenienti vero mœsti fratres triste nuntium cum attulissent, hilari vultu Laurentius. Eia filii, quid mali actum est nobis? Nonne paupertatem vovimus? Benedictus Deus, qui nos voti compotes facit, ipse qui dat semen serenti, panem etiam ad manducandum præstabit: tantum ne amittamus confidentiam nostram, filii, quæ, ut inquit Apostolus, magnam habet remunerationem.

Amor paupertatis.

Damno temporali non movetur.

Heb. 10, 35.

16 Sicut igitur omnes et carnis et mundi illecebræ viluerant, ita una illi voluntas erat, ex ecclesia aut cella non discedere. Et orationis quidem et contemplationis gratia eum nemo superavit. Qualis enim veneratio subibat animum, cum illum ad altare conspiceres! quæ corporis immobilitas, quæ vultus intentio, quæ lacrymæ! Ex fratre quodam audivi, illius imprimis familiari, dum celebraret Missam noctæ Dominicæ nativitatis, post consecrationem Eucharistiæ solutum in mentis excessum: cumque diutius perseveraret, accedit Diaconus semel atque iterum. Ille persistit immobilis. Tandem casula tractus a fratre, velut a somno evigilans: Ecce prosequor, inquit, Frater. Sed quid de infantulo isto tam pulchro faciemus? Quomodo solum et nudum in tanto frigore relinquemus?

Ejus contemplatio et extases.

17 Constantia autem fuit admirabili. Postquam Deum secutus est, maternam aut fraternam domum ingressus non est. Memini puer adhuc cum essem, videre eum ad domus nostræ januam pulsantem, panes petere, domum tamen aut januæ limen non ingredi, sed foris stantem panes opperiri. Mater autem filium ægre ferens tanto onere gravem diutius per urbem vagari, jubebat ministris, ut saccum illi panibus implerent.

Constantia.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

plerent. Recusare semper Laurentius, et panibus duobus contentus discedebat, ut operam navaret humilis mendicationis, et non domestici quæstus. Matris dormitioni interesse, pietatis esse putavit : ibique noctem egit, ut materni amoris præceptum adimpleret. Dignum illud memoria, quod matrem, quam unice dilexit, morientem videre potuit sine lacrymis : et plorantibus aliis, ipse siccis oculis ultimum persolvit officium. Idem ubique erat : numquam eum quisquam aut lætitia exhilaratum, aut ira commotiorem, aut solutiorem remissione animi videre potuit. Non ullum denique vestigium metus, cupiditatis, doloris, voluptatis.

Adest matri morienti.

CAPUT IV.

De dono et efficacia verbi, quo pacto Fratrum tentationibus subveniret. De spiritu prophetiæ : et de vocatione illius ad Pontificatum.

Ejus sermo qualis.

Erat autem illius constantia (quod raro solet accidere) mira simul humanitate et veneratione condita. Sermone fuit suavi, brevi, et pondere pleno : et (ut scriptum est) verbum quod ex illius ore egrediebatur, vacuum non redibat. Fuit illi præcipuus in adolescentia socius, tam genere quam divitiis clarus. Is forte aberat, et in Oriente negotia gerebat, quando Laurentius Dominum Jesum secutus est. Hoc cum accepisset et juvenis et ignarus quid esset animus divino spiritu afflatus, pergit ad monasterium cum cantoribus et citharœdis, et cum aliquibus armatis, plane non dubitans socium ad reditum pellicere, et si Fratres forte negarent, tum vi et armis usurus. Accersit Laurentium; quem cum vidisset non tam habitu vestis mutatum, quam oris et gestus et incessus, obstupuit. Laurentius benigne salutatum, incipit illius animum blando prius sermone tractare; tum paullatim a mundi rebus ad cælestia deducere. Quid multa? Impulit juvenem, et qui laqueum ad amicum capiendum tetenderat, in rete improvisus incidit. Respondens autem Laurentio, inquit : Frater verba æternæ vitæ habes : et quoniam frustrata mea spes est, teque ex hoc loco educere non possum, tu sane ex hoc seculo me ad te deducere poteris : statutum est tecum vivere, tecumque mori.

Isaiæ 53. 11.

Socium, volentem se seducere, convertit.

19 Prædicationis facultas ad populum ei defuit : quia nec spiritu, nec lateribus esset bene firmis : sed nihil fuit suavius, quam sedentem inter fratres audire. Cujus quidem rei vos imprimis, venerandi Patres, optimi testes estis, a quibus vocari sæpe solebat. Ubi aliquando audivi a fratribus vestris, cum sedissent ad umbram patulæ fagi, et dicere aliquid pararet, extemplo nimbis et tonitruis incredibili cum fragore misceri cælum visum esse. Cum vero fratres hinc pluviam grandinemque metuerent, hinc ægre ferrent concupita prædicatione fraudari; subridere cœpit Laurentius, et manu monere : Quiescite, inquiens, Fratres; hæc sunt satanæ ludibria, qui mendax fuit ab initio, et in veritate non stetit. Numquid verbum Dei alligare poterit? Vix igitur sermonem instituit, et ecce cælum visum est aperiri, diesque lætissimus pio fratrum desiderio obsequentissimum præbuit officium.

Ortam diaboli arte tempestatem dissipat.

20 Non minori præterea cura fratribus aderat : mœstos consolari, curare infirmos, laborantibus subvenire, cogitationes et diabolicas insidias exquirere. Vexabatur frater (ut mihi narravit) spiritu ad sæculum redeundi; et aliquoties a Laurentio confirmatum, non cessabat diabolus instigare. Ferre ille amplius tentationem non poterat. Ad Laurentium autem se conferens : Succumbo, Pater, ait, fer opem. Ecce nisi adjuveris, ad seculum redeo. Tum Laurentius : Sine modo, mi frater, et tantum hodie ne abeas. Cras, ut libuerit, deliberato. Nox una in orationibus ac lacrymis absumpta, sic diabolum fugavit, ut numquam deinceps eum sit ausus impugnare. Sed quod sequitur, admirabilius : quod quidem narrare dubitarem, nisi accepissem a Patre venerandæ fidei et auctoritatis. Quum frater quidam simili instigatione premeretur, et ad certissimam Laurentii opem recurrisset, accepit Laurentius lauri ramusculum, qui decoctus aqua, relictus erat in vasculo. Ad fratrem autem conversus : Accipe, inquit, frater, et in horto planta : et si quidem reviviscet, securus esto de perseverantia tua. Abiit ille et plantavit, et reviruit : et de miraculo gaudens, memoriam virgæ Aaron, et palmæ Macarii revocavit.

Confirmat nutantem in vocatione.

Auctore Bernardo Justiniano.

Item alium sicca lauro revirescente.

21 Ceterum prophetiæ spiritu uberrima quadam mensura Dominus eum donavit : et hoc ita celebre et divulgatum fuit, ut non aliter ad eum, quam ad oraculum concurreretur. Innumerabilia dicere possum, et aliqua dicemus sparsim, ubi res postulabit. Interea unum eligemus e multis, vel homine in quo accidit, vel multiplici varietate, vel certitudine rei præstantissimum. Fantinum Dandulum, scio, cognovistis, genere, dignitate, vita et doctrina clarissimum; qui fuit nuper *a* Episcopus Patavinus. Hic dum secularis esset adhuc, et primarium in nostra Republica locum teneret, primo die Quadragesimæ ad suscipiendum de more cinerem accedit : suscepto cinere et benedictione, Laurentius ait : Memento Frater, quia futuro anno tu aliis horum cinerum officium impendes. Quod ut audivit homo secularis, et plus quam quinquagenarius, surrexit admirans : neque aliud tamen ibi percontatus est propter loci majestatem, sed in claustro prætereuntem expectat. Factus autem ad illum propior, rogat quid illis verbis significare voluerit. Laurentius substitit aliquantulum cogitabundo similis, deinde subjecit : Dico tibi frater, quod cinerem quidem non impones, sed certe populo distribues ramos olivarum. Fantinus quamvis majori adhuc admiratione teneretur, quonam modo hoc posset accidere, tamen aliud sub his verbis latere dubitans, discessit. Ecce autem haud multo post *b* Martino defuncto, Eugenius Venetus Pontifex eligitur. Ad eum Fantinus Legatus ab Senatu nostro destinatur. Suscipit eum Eugenius maximo cum honore, et inter sacros ordines initiat. Denique ante vertentem annum Legatum Apostolicum Bononiam mittit : quo cum venisset; et primo die Quadragesimæ, imponere cinerem populo necesse esset, invitatur Legatus ad id muneris. Ille recusat, quod ab alio, quam Sacerdote, fieri non liceret. Instant enixius illi, dicentes id muneris a Legatis semper exerceri consuevisse. Fantinus in proposito permanet, atque id officii non parvo tandem labore deprecatur, nihil adhuc de Laurentii verbis advertens. Die vero Palmarum, cum similis contentio oriretur, et Canonici peterent, ut olivæ ramos populo distribueret, ille autem ex humilitate eadem Sacerdotii excusatione uteretur; tandem Canonici summis precibus postulant, ut si in cineribus Legatum sese gerere noluit, saltem non recuset olivarum officium. Quid multa? Victus Fantinus, illud officium, ut prædixerat Laurentius, propriis manibus absolvit.

a

Spiritu prophetiæ claret.

b

22 Has autem sancti viri virtutes Eugenius Pontifex cum audiret, animum induxit Venetis Episcopum dare. Quo animo acceperit, judicate, si potestis. Bis fugiendi cepit impetum, et in abdita aliqua loca secedendi : *c* bis restitit, et stare demum in Patrum suorum sententiis deliberavit. Erant autem ex iis qui suaderent non esse summo Pontifici obluctandum, sed parendum Christi vicario. Nonnulli vero, ut nullo modo susciperet, suadebant, mundi fastus, onera insueta, et corporis imbellicitatem memorantes. Fuere etiam, qui suaderent ut fugeret : et afferebant singuli exempla Sanctorum, qui vel suscepissent, vel renuissent, vel incogniti profugissent. Indicto tamen jejunio et oratione solemni, decreverunt Patres conari apud Eugenium et litteris et nuntiis,

Designatur Episcopus.

c

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

AUCTORE BERNARDO JUSTINIANO.

nuntiis, ne sibi Patrem ducemque suum auferret, sine quo societas illa plane periclitaretur. Bis misere, bis rescripsit Eugenius; et extant *d* duæ illius epistolæ, quibus dulcissimis verbis Patres illos consolatur. Rationibus præterea gravissimis, et Sanctorum Patrum exemplis admonet, ne divinæ voluntati adversentur. Non parere igitur non potuit Pontifici ter jubenti.

d Munus deprecatur.

a *Episcopus Patavinus ordine 95, creatus ann. Chr.* 1448 *præfuit undecim circiter annis. Meminit ejus Angelus Portenarius lib.* 9, *de felicitate Patavina, cap.* 10, *et* 37. *Blondus Foroliviensis in Italia illustrata, sub titulo Regionis Venetæ; ubi de utroque adhuc superstite sic scribit :* Sunt ex Venetis Laurentius Castellanus, Fantinus Paduanus, Episcopi, viri doctrina et gravitate ac sapientia venerandi.

b *Martino V successit Eugenius IV,* (*ante Gabriel Condulmerius, de quo in prolegomenis*) 3 *Martii an.* 1431.

c *Extant binæ* Eugenii *litteræ ad* B. Laurentium, *unæ ejus ad Eugenium apud Dan. Rosam. Sunt etiam præfixæ operibus. In priori eum Eugenius præficiens Ecclesiæ Castellanensi hortatur, ut velut a Deo vocatus tamquam Aaron, huic ordinationi acquiescere velit, ac pro honore Dei atque animarum salute, et animæ suæ merito hoc onus assumere : non enim se ignorare, quantum verbo, auctoritate, et exemplo illi civitati profuturus sit, et præsertim sanctæ Congregationi suæ. Respondet Eugenio B.* Laurentius, *supplicibus rationibus deprecans hanc curam imparibus suis humeris non imponi. Verum Pontifex hortatur atque injungit ne pertinaciter recuset, neu velit ex humilitate bonum humilitatis et obedientiæ perdere, etc.* d *Una harum refertur a Dan. Rosa, præfixaque est ejus operibus.*

CAPUT V.

De assumptione Pontificatus, familia, veste, victu, et pecuniæ comtemptu.

a Fit Episcopus sine ulla pompa.

Anno ætatis quinquagesimo primo *a* iniit Episcopatum, et quidem nulla pompa aut comitatu, ut fratres etiam germanos adesse noluerit, et advenisse prius novum Præsulem omnis vicinia cognosceret, quam pene intelligeret adventurum. Eam noctem duxit insomnem, Deum precatus orationibus et lacrymis, ut si id muneris ad ipsius honorem suscepisset, nolens alio quin et invitus, ne se desereret : scire se quantum negotii susciperet, nosse populi multitudinem, ordinum varietatem, amplitudinem principatus secularis : quales et quam crebras discordias habuissent cum superioribus Episcopis : contra vero, vires sibi tenues et imbecilles, quippe nusquam nisi in monasticis cellulis exercitatas. Quum hæc et pleraque alia cum lacrymis effunderet, dicebat se tanta animi luce repletum, ut non aliter deinceps illius Episcopatus, quam alicujus monasterii, munera obierit.

Familia ejus qualis fuerit.

24 Familiam sic instituit : Elegit duos de suo cœtu Fratres; quorum altero utebatur ad officia divina, cum altero partiebatur curas majores. Quinque præterea ministros habuit per tres et viginti annos, quibus fuit in eo Pontificatu : quamquam per liberalem jocum dicere solebat, familiam sibi grandem esse, cujus cura premeretur; pauperes Christi significans. Veste usus est colore, quem dicunt, *b* cælestino, justa longitudine. Tapetas et aulæa, et cetera ornamenta ædium omnino sprevit. Mensa non sordida, sed summa munditie, ad quam de more monastico legebatur : nihil omnino agenti. Vescebatur in vitreis et fictilibus : cibo vulgari semper usus, amavit ova, quod et stomacho amica essent, et voluptatem non irritarent. Nihil appetere aut damnare : quidquid apponeres, sumere. Accidit semel ut pincerna deceptus colore, acetum pro vino apponeret. Cum Laurentius admovisset ori, ut acetum esse sensisset, nihil ultra questus, prandium exigebat sine potu. Pincerna ut advertit, veniam supplex errori deprecatur. Cui Laurentius placido vultu : Eia, inquit, curato diligentius deinceps officium tuum. Cubile habuit vix sex pedes protensum, tomento paleari, et opertorio, quod veteres centonem, nostri sclavinam vocant : exclusis semper de thalamo omnibus, ut liberius vacaret lacrymis et orationi.

Ejus vestis :

b

mensa :

cubile.

25 Statim autem operam dedit, ut Pontificalis ecclesia, superiorum Episcoporum aut incuria aut avaritia neglecta, pro dignitate Sedis excoleretur. Canonicorum ordinem, ad nihilum redactum, restituit, addidit Sacerdotes, cantores instituit. Eandem adhibuit curam circa alias ecclesias, ut plurimæ, in quibus vix Missa dicebatur, nunc videantur esse Pontificales. Mores deinde Cleri castigare adortus, deque iis edidit pulcherrimas constitutiones. Sed nihil erat, quod non facile impetraret liberalitate et bonitate naturæ. Erat enim alioquin non gravis. Frui Clerum suis fructibus patiebatur, ut nihil illi oneris imposuerit unquam. Pari cura prosequebatur monasteria, præcipue sacrarum virginum ob sexus infirmitatem, quibus nihil deesse pateretur, vel ad corporis necessitates, vel ad regulares etiam disciplinas. Collapsa restituit, nova construxit. Pulchrum hujus rei testimonium, quod cum initio viginti aut circiter observantia suscepisset, moriens reliquit quinque supra triginta. Non minori studio aliarum etiam ovium curam gerebat. Non fuit credibile, quantus quotidie concursus fieret mœstorum et laborantium, qui consolari cuperent, qui juvari ope, oratione, consilio. Ad eum omnes confluere. Plebanos quidem sedulo monere, redditurosaliquando proprii officii rationem.

Ecclesiam cathedralem instaurat, et alias.

Clerum reformat.

Fovet monasteria, præsertim Virginum.

26 Ceterum pecuniam contempsit, ut neminem unquam magis contempsisse crediderim. Domus erat aperta omnibus, omne penu pauperibus patebat. Si procurator rationes afferret, nihil accepti vel expensi videbat amplius, quam quid deesset aut superesset : indignum omnino ratus, ut qui animarum quæstui præfectus esset, sederet ad calculos. Primum illi de pecunia institutum fuit, ut nullum penitus sibi cum fratribus esset commercium : quia nihil existimavit ad amorem suæ plebis conciliandum, fidemque comparandam efficacius, quam si tolleret prorsus omnem ex animis omnium de hac re suspicionem. A qua ut longius abesset, cum Leonardus frater aliquando pauperem eleemosynam petentem Laurentio commendasset : Vade, inquit ille, et responde Leonardo meis verbis, ut tibi ipse subveniat, postquam a Domino habet, ut de suo dare possit. Illud in amoris fraterni signum retinuit, ut in Paschate, et in Nativitate Domini, et in festo Apostolorum Petri et Pauli, eos donaret duobus panibus, ex farinæ flore confectis. Post mortem autem fratrum, idem tributum mihi semper pependit : quin potius et a fratribus adjutus ipse est pecunia grandi in bullis Apostolicis Episcopatus, et a me deinceps non minori, præsertim cum ad Patriarchatum evectus est.

Pecuniam contemnit.

Nihil amicis donat.

27 In cognoscendis autem penuriis hominum adhibere solebat viduas aliquot spectatæ virtutis et fidei, quod et ille sexus esset ad hujusmodi misericordiæ opera ferventior, aptior etiam ad indagandas paupertates occultas, eorum præcipue, qui ex opibus in inopiam decidissent, quorum generi hominum maxime miserebatur. Malebat autem aliquando decipi, quam nimius esse in examinando, ut si in alterutro esset offendendum, mallet cui non oporteret dare, quam non dare cui oporteret. Libentius dabat res humano usui necessarias, quam pecuniam : et plures libentius summas, quam majores, ut esset communior in tanto populo beneficentia. Oravit aliquando Laurentium consanguineus ejus non ita pauper, ut pecunia eum juvaret in filiæ dotem. Respondit Laurentius : Considera quæso, frater, si parum dedero, non est quo opus habes; si multum, defraudabo multos, ut uni satisfaciam : et præterea quicquid illud est, quod est, ad cibos potius pauperum, quam ad intortos crines aut margaritas, ab Ecclesia traditum est. Igitur ignosce, si dare non possum.

De calamitosis inquirit.

Quales eleemosynas daret.

28 Sed nihil fuit civitati gratius, quam lignorum naves onustæ, quas sæviente hyeme distribuebat pauperibus. Pecuniæ ad eum quotidie confluebant, unde non crederes. Vidi aliquando, cum ab eo eleemosyna

Ligna hyeme distribuit.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

mosyna peteretur, quod pecunia non posset, promissione satisfacere; sæpe, cum domi nihil reliquisset, æs alienum contrahere. Et quum procurator rogaret eum, qua spe faceret; Domini mei, dicebat, qui pro me dissolvere facile poterit. Nec spes illum fallebat. *Debita contrahit; ad eleemosynas.* Nam continuo submittebat illi Dominus pecuniam insperato multis de locis. His moribus et disciplina incredibile est, quantum benevolentiæ et auctoritatis apud omnes ordines comparaverit.

a *Annus is fuit, non* 1442, *ut multi perperam citant, sed sequens* 1443. Eugenii *pontificatus* 3, *successit* 5 *Sept.* Francisco Malipiero, *seu* Malipetra, *non defuncto, ut in Chronico Veneto apud Dan. Rosam legitur, sed jussu* Eugenii *Papæ a Castellanensi ad Vicentinam Ecclesiam translato, ut patet ex epist.* 1, *ipsius Eugenii ad B.* Laurentium. b *De eo in prolegomenis num.* 1, *actum.*

CAPUT VI.

De gratia verbi, consilio, sapientia, prudentia, justitia, conscientia, et infusa scientia; tum scriptis ejus.

Carus omnibus. Habuit autem hoc donum divinitus collatum, ut omnes, cum quibus esset, lætos semper placidosque dimitteret, omnibus satisfaceret. Boni juxta malique, modesti, facinorosi sine ullo pene discrimine illum colebant. Sic verba, et oculi, et motus, et omnia quæcumque aut diceret, aut faceret, (tanta erat virtutis et gratiæ vis) rapiebant animos omnium in amorem.

Compescit mulierum ornatum. 30 Initio quidem Pontificatus, quum de mulierum ornatu decretum edidisset, uxoriis quibusdam maritis ingratum. Dux noster illorum querelis deceptus, quasi libertati seculari metuens, accersiri eum jubet. Queritur ea de re verbis acrioribus, ut fuit natura vehementior. Tum Laurentius Pater mansuete simul graviterque respondens, sic illius animum demollivit, ut Dux conversus ad adstantes, neque lacrymas continens, Angelus, inquit, non homo, locutus est. Vade Pater, et fungere officio tuo. Illum deinceps velut Apostolum veneratus est, ut aliquando per jocum dicere soleret, præter Laurentium neminem esse mortalium, cum quo animam commutaret.

Etiam humanas res egregie callet. 31 Consulebatur autem dubiis in rebus, et quamquam irent quasi ad hominem divino potius quam humano spiritu respondentem, res tamen humanas, tam publicas, quam privatas, quas nondum illi experiri contigerat, (siquidem ante vigesimum annum confugit ad solitudinem, primo et quinquagesimo rediit) sic callere videbatur, perinde ac semper tractavisset: ut dicere non verear, nihilo mihi minus prudentiorem esse visum, quam meliorem; si tamen prudentia, *Æquitas ejus in jure dicendo.* bonitatis pars non sit. Jam vero in jure dicendo sapientiam illi dicant qui viderunt, et præsertim curia Romana, quæ nihil unquam ab eo judicatum rescindi passa est. Sententiæ illius inappellabiles habebantur: et quamquam in irrogandis pœnis clementior est habitus, justitia tamen fuit, quæ neque precibus, neque lacrymis frangi posset. Nulli illius cœnaculum vel cubile non patuit. Non caussarum multitudine potuit, non protervitate litigantium defatigari. Stabat veluti rupes immobilis ad turbines caussarum, quibus nulla fere, ut opinor, in orbe Ecclesia magis agitatur, propter amplitudinem civitatis et Cleri. Gratissima in primis fuit brevitas respondendi, qua et paucis absolvebat, et ceteris adeuntibus satisfaciebat facilius.

32 Sed qua justitiæ luce aflatus ad judicandum veniret, præsertim majoribus in caussis, erit satis apertum testimonium, quod referemus. Matrimonii lis orta Paduæ est inter haud vulgares familias. Ad Fantinum Episcopum, de quo dixi, defertur. Ille caussa cognita, cum leges favere mulieri.... quæ virgo asserebatur, pro muliere pronuntiat. Juvenis, qui sponsionem factam pernegabat, innocentiæ conscius, adversus tantæ auctoritatis judicem, Laurentium pro secundo impetrat. Laurentius autem quum videret a sapientissimo et optimo alioquin judice secundum mulierem judicatum, tamen lacrymis juvenis permotus, opem implorantis caussam non suscipere non potest. Ad orationem autem se confert, quam gravioribus causis habebat pro fidelissimo consiliario. Hac diligentius facta, judicat secundum virum. Propinqui mulieris nihilo segnius tertium judicem petunt, et impetrant Episcopum *a* Tarvisanum. Is quoque pro muliere pronuntiat. In discrimine videbatur Laurentii sententia duabus adversis, et expectabant omnes attentius tantæ contentionis exitum: cum judex æquissimus Deus ipse se pro quarto gerere voluit, et litem omnem dirimere: in lucem producit incestum mulieris, quæ ex consobrino et eodem Clerico gravida, quum partum amplius differre non posset, amisso pudore et patefacto flagitio, divinam fuisse, non humanam, Laurentii sententiam confessa est.

Auctore Bernardo Justiniano. *Oratio illi pro optimo consiliario est.* *a* *Sententia ejus divinitus confirmatur.*

33 Conscientia autem fuit explicata, pura, integra, quæ omnia dirigeret æquitate. Scientia vero potius divinitus infusa, quam humanitus acquisita, videri posset. Vix enim elementa prima didicit a præceptore, et tamen nihil est in sacra Scriptura disputatum, de quo non posset gravissime respondere. Dicam, quod accidisse memini. Venit ad eum Theologus, qui audierat de illius doctrina, et præsertim quod didicisset sine doctore. Audire voluit et periculum facere. Movet illi quæstionem de divinis relationibus. Respondet Laurentius. Ille responsum laudans, repetit adhuc, velut cum circulatore sophista sibi res esset. Tum Laurentius: Scriptum est, Frater: Contentiones et pugnas legis devita; sunt enim inutiles et vanæ. Dixi quid sentirem, si satisfeci, placet: sin minus, quære qui tibi respondeat sapientius. Compunctus ille et gratias agens, petita benedictione discessit.

Scientia ei divinitus infusa. *Tentatur a Theologo.* Tit. 3. 9.

34 Scripsit autem volumina *b* quindecim, et sermones *c* quadraginta. Crebra illius scripturarum usurpatio, devota traditio, stylus redundans et copiosus: qui si gentilium litteris dedisset operam, potuit inter scriptores elegantes annumerari. Voluminum tituli, hi sunt: Lignum vitæ. De disciplina monasticæ *d* professionis. De spirituali et casto connubio verbi et animæ. De humilitate. De spirituali interitu animæ. De triumphali agone mediatoris Christi. De interiori conflictu. *e* De complanctu Ecclesiæ. De *f* corpore Christi et sanguine. De vita solitaria. De contemptu mundi. *g* De sermone Domini in cœna. De *h* officio pastorali. De obedientia. De gradibus perfectionis. Sermonum autem titulos apponere, operæ pretium non judicavi.

b *c* *Scripta ejus.* *d* *e f* *g h*

a Tarvisium *nobilis Euganeorum urbs, Sili amne divisa, Marchionum Longobardorum olim sedes, unde vicinæ regioni adhuc nomen* Marchiæ Tarvisinæ. b *Sedecim extant in ultima editione Colonitensi et Lugdunensi, et titulis nonnihil variatis.*

c *Unus in citatis editionibus deest. Horum elogium præclarissimum profert Thomas de Trugillo parte* 1, *Thesauri Concionatorum, cap.* 3, *quod Livius a Lege in præfatione operum ejus ad Lectorem repetit, ideoque hic omitto.*

d *In operibus,* conversationis, ejusque perfectione. *Artusius in præfatione operibus præfixa:* De disciplina et spirituali perfectione.

e *In operibus:* de compunctione et complanctu Christianæ perfectionis. *Artusius:* de complanctu cordis.

f *Hic videtur* sermo de Eucharistia, *qui etiam* sermo devotissimus de corpore Christi *inscribitur, et aliis* XL *annumeratur.*

g *Deest in operibus, et dedicatione Artusii. Loco horum sunt:* de spirituali interitu animæ. De ejusdem resurrectione spirituali, *et* de incendio divini amoris.

h *In operibus:* De officio et regimine Prælatorum. *Citantur hæc ejus etiam opuscula a Dan. Rosa:* Liber exemplorum, *seorsim editus, et* Hortus deliciarum *inscriptus.* Expositiones in Psalmos *nondum excusæ. Et vernaculo sermone,* Giardino di Oratione. Monte di Oratione. Trattado delle tre vie Gaudio, Dolore, et Gloria, *excusa Venetiis an.* 1494.

CAPUT VII.

De mansuetudine et dono lacrymarum, et corporis figura.

Ejus eximia lenitas. Quanto autem magis auctoritate et gloria crescebat, eo indies fiebat humilior. Audite mansuetudinem.

dinem. Nam quum Prælatus magnæ, plus ob pecuniam, quam vitam, auctoritatis, ductus invidia, variis eum quotidie calumniis laceraret; ut expleret animi malitiam, indicit conventum plurimorum præstantium et doctrina et dignitate virorum, quasi de Theologica aliqua quæstione disputaturus. At conclusiones quasdam proponit, decretis illis contrarias, quæ Laurentius ediderat de sumptu et ornatu mulierum. Ridere partim qui aderant, partim mirari, quam ad rem essent convocati. Qui vero gravius sentiebant, indigne admodum pati, quod illud spectaculum non honor Dei, sed maledicendi cupiditas coegisset. Tandem bonus Pastor manu silentio indicto, longam pro mulieribus orationem habet : cujus epilogo quum misericordiam et lacrymas movere vellet, pluribus simul locis excitatus risus est. Gratiæ iis, qui venerant, actæ. Disputatores ad cœnam vocati, atque ita discessum. Affuit quidam Patris nostri dilectus in spiritu filius, qui hujusmodi re mirifice commotus, quod homo petulans sanctissimum virum hujusmodi contumeliis incessisset, accurrit ad Laurentium. Aderam tum ego forte quum hic et ira et via fessus. Et quid, inquit, Pater? Patierisne honorem tuum ab iis improbis lacerari? Tum Laurentius : Quid est fili? ille rem omnem, uti se habet narrat, non verbis solum, sed et ore et oculis et manibus sic indignantibus, ut non eum solum in quem essent illa jactata, sed quemvis alium immunem ab injuria, facile commoveret. Quid tum Laurentius? Putatisne aliquod irati animi signum protulisse? Testor Dominum Jesum, quum intentos in eum ad id unum conjecissem oculos, nihil mutationis in eo vultu perspicere potuisse. Nihil indoluit aut questus est : imo noluit scire, quis affuit, quis dixit : non fronte aut vultu signum aliquando vel minimum edidit animi commotioris. Ut autem mœrentem filium solaretur, placido vultu : Noli, inquit, afflictare fili : Dominus Jesus, cujus negotium est, ipse aderit honori suo. Neque sane in eo falsus est. Nam paucis post mensibus dux ipse cum satellitibus suis partim exilio, partim vinculis, morte nonnulli affecti sunt.

Ei detrahens divinitus punitur.

36 Quamquam autem nihil videtur addi posse ad hanc mansuetudinem, nescio tamen an id quod accidit iterum in simili genere, sit admirabilius. Nam cum solenni pompa Eucharistiæ sacramentum festo corporis Christi circumferretur, comitatu, ut solet, totius populi frequentissimo, helluo quidam, qui clerici scelera ab Episcopo damnata impudentius defenderat, ante ostium propriæ domus consistens, dum inde Laurentius transit, Deum nihil veritus, qui ante oculos ejus incedebat : En, inquit, qui pro Sancto colitur. O insani, qui talem hominem adoratis. Audit Laurentius. Sed quid arbitramini? Gradu quo vadebat, perseverat : non vultum, non oculos deflectit ab Sacramento : et quum aliquot pii homines commoti rei indignitate, cum facibus ad illius domum vellent concurrere, vix a me, qui tunc aderam, repressi sunt. Quod tamen facinus vindicavit paullo post Senatus, majori Laurentii gloria, illa præter ceteras inflicta pœna, ut perditus ille frequentiori populo in ecclesia Pontificali super pulpito publice mendacium fateretur. Certavit autem Dominus cum Senatu nostro in pœna supplicioque miseri. Nam paullo post pulsus urbe est, profugusque nunc errat procul a domo liberisque inops atque mendicus. Sed pene infinita sunt talis mansuetudinis testimonia.

Alius maledicus punitus.

Dictorum factorumque ejus moderatio.

37 Erat autem verborum actionumque tanta mensura, ut si inferiora hæc cælestibus conferri fas est, (cælestis enim certe animus esset) vix ego motus cælorum et revolutiones et gyros agi majori ordine atque mensura crediderim. Ipse quidem discipulo revelavit, sibi a Deo datum fuisse, ut quovis loco aut tempore se colligere vellet, et in cælum mentem erigere, semper posset. Quod si forte aliquibus, ut solet, imaginibus turbaretur, non aliter abigere se diceret phantasias illas, quam si muscas oberrantes pelleret ab oculis. Erat in illis caussarum actionumque turbinibus semper quietus et immobilis. Nihil audire diceres : quasi in cælo esset animus, corpus in terris. Rursus autem, si stylo aut orationi sese dedisset, et interpellaretur, ut sæpe fit, ab aliquo eum adeunte, videres sine ulla molestia, cœpto opere intermisso, quasi otiosum jucundo vultu venientem excipere, quoad vellet, audire; tanta profecto animi pace, ut Angelica interdum videretur potius, quam humana. Hanc tam admirabilem constantiam sola divinæ bonitatis meditatio poterat emollire.

38 Dixi superius, quum de matris dormitione loquerer, in illius funere lacrymam non emisisse. Videte Patres, ubi lacrymæ profluerent. Donum enim habuit lacrymarum, ut nemo fere alius. Quum post prandium aliquando sederet, et de divinis, ut solebat, sermonem haberet familiarem, conversus ad eos qui aderant, ferventiori quodam mentis affectu : Quid, inquit, agam fratres, quid agam, cum ad Judicem deducar? Quid egi miser, in quo sperare possim? Nihil habeo, nisi quod ad illius sanctissimi ligni radicem provolvar et plangam. Hæc quum dixisset, totus solutus in lacrymas est : quas cum profusius emisisset, et erectus vidisset nos, qui aderamus, compungi, et illas lacrymas admirari, veritus ne quid ex his laudis humanæ surreperet: Videtisne, inquit, has lacrymas? Affectus cujusdam sensualitatis fuerunt, non veræ devotionis, a qua absum longissime.

Donum lacrymarum.

Extenuat lacrymas verbis.

39 At quam pulchre divina bonitas convenientem illi animo sedem tradiderat? Omittite virtutes aut sanctitatis nomen : facite vos tunc primum eum videre : Angelum, non hominem, credideritis. Fuit proceritate corporis altiore quam justa, gracilioribus membris, colore candido, statu erectus et celsus, omni facie admodum decora. Oculis vero universum corpus ita moderantibus, ut venerationem et sanctitatem undique spirare viderentur.

Figura corporis egregia.

CAPUT VIII.

De amore fraterno, de prophetia, de ejectione dæmoniorum, de misericordia, de moniali, cui per spiritum Eucharistiam communicavit.

Sed quia de Marco et Leonardo fratribus nihil hactenus dixi, nolim aliquis existimet, ullos unquam sese majori caritate dilexisse. Visebatur ab his quotidie : ad eum publica omnia et privata deferebant : sed omnes fere illorum sermones erant de æterna vita. Ceterum quam divino spiritu omnibus in actionibus suis ageretur, ultimis illorum horis apparuit. Laboraverat Marcus valetudine diuturna, domo per annum non exierat : cupiebat fratrem videre, quo nihil in terris carius haberet. Recusabat Laurentius venire. Domo enim fraterna, sicuti materna, ut antea diximus, semper abstinuit. At ille orare enixius, et obsecrare per fraternæ jura pietatis, ut mori eum non vellet sine sua benedictione. Solabatur eum, et promittebat venire Laurentius, sed tamen differebat. Ibat ad eum Leonardus pater, ibam ego, orantes ut veniret, si quidem vivum reperire vellet. Dicebat, bono animo essemus : venturum sese, quum tempus exigeret : et certe aliquoties videbatur melius habere. Quum autem apparuit hora, quam expectavit, fallere carissimum fratrem noluit. Ecce venit ad eum, quum minime expectaremus. Jam roppinquus erat, emissioni spiritus. Ingressus, et super lectulum fratris incumbens, salutat eum dulcissimis verbis, quasi promissum persolutum venisset. Marcus hilariori vultu conversus, significato gaudio de illius adventu, inter ejus amplexus lætus et voti compos, in Domino requievit.

Fratrem visit moriturum frustra ante rogatus.

41 Ne

Item alterum, cujus mortis tempus præscivit.

41 Ne tamen aut forte aut casu hoc accidisse aliquis existimet : idem penitus nono post anno in Leonardo fecit. Quintum fere mensem domo exire, et Laurentium videre non potuit. Ibam aut mittebam, qui diceret fratrem extremum spiritum agere. At ille reddebat, horam adhuc non esse. Sic per multos dies rem duximus, ego eundo aut mittendo, ille differendo. Hora ea, qua promiserat, venit : quumque summa cum lætitia eum pater excepisset, vespera ejus diei inter illius brachia spiritum feliciter emisit. Addam illud etiam ad ejus gloriam et solatium meum. Oravit pro fratre illis diebus precibus ardentissimis : et quum post aliquot dies ad eum venissem, afflictus mœrore adhuc recenti, post prima verba salutationis:

Ejus salutem indicat filio.

Gaude, inquit, Bernarde fili : Leonardus pater tuus salvus est. Hoc ego quum ingenti gaudio excepissem. Et quomodo, inquam, scis Pater? Salvus, inquit, est : et aliud ne cures. O lacrymas dulces, plenas lætitiæ et pietatis, quas ibi fudi ante pedes illius, quum tantæ lætitiæ nuntium nuntius tam fidelis attulisset!

Variæ ejus prædictiones.

42 Quid autem alia innumerabilia consecter de spiritu prophetiæ? Vitam sanctissimæ Abbatissæ a medicis derelictam, dilatam a Domino dixit : et paucis diebus liberata est. In eodem monasterio sororem miræ sanctitatis comploratam, et jam pene exanimem, lugentibus aliis bono animo esse jussit : et illo triduo omnino libera evasit. Propinquum suum, qui triremem conduxerat ad convehendas ex Ponto merces, cavere jussit, ne triremem in Ponto dimitteret. Ille vero non solum triremem dimisit, sed maximo etiam fortunarum naufragio est affectus. Ceterum et filiorum orbitates, et lucra, et damna, et honores, repulsasque, ægritudines et incolumitates, aliaque tum prospera, tum adversa, quæ quotidie accidunt, innumerabilia ante dicebat. Filium meum desperatum a medicis, extremum spiritum agere ad eum detuli, ut consuletem de loco sepulturæ. Ille suspenso aliquantulum et vultu et sermone, respondet tempus adhuc non esse talis consilii. Ego, quia ex peste familia extra civitatem aberat, admiratus hujusmodi responsum; Quonam, inquam, modo potero, Pater, tempestive deliberare, quem jam expirasse existimo? Rursus ille : Redi bono animo, tempus adhuc non est. Reversus igitur domum reperi puerum præter omnem spem melius habere. Neque tempus illud benignitate Dei ad hunc usque diem apparuit, et spero filium potius de mea, quam me de filii sepultura cogitaturum. Sane ipse suum obitum prædixit Virginibus sanctæ Crucis per dies aliquot antequam accideret.

Energumenam liberat.

43 Neque minor in eo fuit dæmoniorum pellendorum, et discernendorum gratia spirituum. Qui affuit et vidit, mihi narravit mulierem ad eum deductam, spumantem ore et dentibus frendentem. Quod ille videns : Attulistisne, inquit, mihi nunc dæmonem, tamquam ad Apostolum? Ite Fratres, et quærite qui sit me sanctior : sum enim homo peccator. Enimvero illi magis orabant, genibus provoluti. Age, inquit, valeat fides vestra, quæ Chananææ profuit et centurioni. Imposita arreptitio capiti manu : Quid, inquit, male dæmon venisti pauperculam hanc vexare? Ubi nunc superbia tua, quum de cœlo decidisti? Non te pudet depugnare cum muliercula? Age, dimitte illam : Dominus Jesus te præcipitem agit. Signaculo suo insignita est. Videres inter hæc verba illam contumaciam, atque oris distorti pravitatem explanari, illum tremorem palloremque in naturalem verti faciem. Admirantibus omnibus, et omnipotenti Deo gloriam reddentibus, liberata est.

Arcana animorum novit.

44 Spirituum vero cogitationumque discretio ubinam major apparuit? Decreverat monasterium monialium reformare : quod ut facilius assequeretur, assignare volebat illis in Confessorem virum fidelem et sanctum. Is autem, ut erat bonus et simplex, recusabat, timens cum mulieribus implicari. Postquam negavit, tactus pœnitentia est, deliberat redire. Hunc autem cum Laurentius procul venientem conspexisset, priusquam verbum Presbyter ille faceret, aut diceret ad quid veniret, dextra cingulum tenens. Bene facis, inquit, Frater : novi ad quid venias. Velim autem scias, veluti cingulum istud, (manu siquidem cingulum suum tenebat) sic a Deo te mihi esse permissum. Admirans ille, et magis corde compunctus : Accipe pro servulo me, inquit : numquam mandatatua relinquam.

Hominem desperatum consolans ad melioram convertit.

45 De Plebano non tacebo, adulterio, simonia, furto, et omnibus, probris infami : qui ad ultimam inopiam redactus, ut omnino neque se, neque filios posset alere, quos occultos alebat, impias sibiipsi manus afferre statuerat. Hoc quum cognovisset in spiritu Laurentius, accersit illum, dicit quid cognoverit : solatur eum verbis caritate plenis. Tum declarat, accidisse hoc, permittente Domino, propter ejus flagitia : et nisi resipiscat, majora minitatur : misereri tamen illius inopiæ. Dat illi deinde aliquot aureos. Cum eximiam caritatem miser ille vidisset; quippe qui vitæ male actæ conscius, pœnas potius aliquas, quam eleemosynam expectaret; procidit ad pedes illius, et totus liquefactus in lacrymas, non poterat divelli, promittens et jurejurando contestans vitam reformare, et comprobare quidem opere, quod promisit. Vixit autem postea aliquot annos, timens Dominum, et in mandatis illius incedens, magna cum admiratione hominum, qui eum ante cognoverant.

46 Statueram, optimi Patres, deliberare potius miracula, quam narrare. Mores etenim, et Angelicam in terris conversationem describendam præcipue susceperam, sed veluti incurrens in hæc, silere non potui. Postea vero quam necesse fuit, non omittam hoc, quod est genere præclarum, et magnitudine rarum, et fama notissimum. Sacra quædam virgo erat magnæ sanctitatis. Hæc per multos annos abstinentia, vigiliis, orationibus steterat ante Dominum. Accidit autem, ut solennitate corporis Christi, neque sorores aliæ, neque ipsa communicare divinis mysteriis possent : et cum ægre ferrent, et illa inprimis sanctissima mulier, oratum Laurentium mittunt, quia prope esset monasterium, ut si gratiam communicandi eo die habere non possent, ipse saltem dignaretur, dum celebraret, pro ancillis suis orare. Promittit Laurentius. Cum autem celebraret ad populum, post elevatum sacramentum *a* factus extra seipsum est : detulitque eum spiritus ad illam mulierem in cella clausam, et contemplationi vacantem : quæ forte tunc miro quodam desiderio communicandi teneretur, et sacra illi mysteria communicavit; sive in corpore, sive extra corpus, Deus scit. Ab oculis quidem totius populi non discessit, donec ad seipsum reversus ab illo pietatis officio, reliquum Missæ peregit. Cum autem virgo illa quod acciderat; Sacerdoti nuntiasset, Sacerdos Patriarchæ, jussit ille, ut gratias Deo omnipotenti agerent, non sibi : et ut numquam, donec viveret, manifestarent.

Moniali cuidam absenti Eucharistiam impertit.

a

47 Hæc ego, Patres, et hujusmodi alia multa a Laurentio fieri optimum Deum crediderim voluisse, sive ut suam bonitatem atque potentiam nec temporum edacitate consumi, nec immutari malignitate morum, nec fidei nostræ tepiditate imminui crederemus; sive ut ea etiam, quæ sacris litterarum monumentis edita sunt, et alioquin videri solent impossibilia, facilius crederentur a nobis : quippe cum legerimus *b*. D. Ambrosium, cum esset Mediolani, D. Martini exequiis interfuisse apud ultimas Gallias : D. Severum item Ravennatem Episcopum, ad S. Geminiani exequias Mutinam in spiritu concessisse. Increbrescere tanti viri fama quotidie; et latius atque latius diffundi cœpit. Habere eum sæpe apud se Eugenius Pontifex voluit : semper excusavit, metuens ne quid ei noceret Curia Romana. Cum autem Eugenius urbe pulsus, *c* Bononiam venisset, efflagitatus ab

b

c

AUCTORE BERNARDO JUSTINIANO.

ab eo, refragari non potuit, quod amplius neque Alpes neque itineris longitudinem, sicut antea fecerat, causari posset. Exceptus est a summo Pontifice, frequentibus Cardinalibus, his verbis : Salve decus et gloria Præsulum : ab universa autem curia, maxima veneratione habitus. Voluit eum Eugenius apud se retinere, sed imbecillitatem corporis excusans, paucos ibi moratus dies, rediit inde lætior, quam ierat. Reliquit ibi maximum odorem sanctitatis.

Eugenium Papam adit, sæpe vocatus. Excipitur a Pontifice honorifice.

48 Pari amore seu majore etiam *d* Nicolaus V, Pontifex nobilissimus eum dilexit, ut in illo ornando certaverit cum Eugenio. Nam sicut ille Episcopum, cum primum potuit, fecit; ita hic Patriarcham, cum primum oblata occasio est, creavit. Gradensi siquidem Patriarcha mortuo, Patriarchatum a Grado, nobili quondam urbe, transtulit Venetias; idque nec cognita, nec postulata Senatus nostri voluntate : quippe qui non minus hominem, quam civitatem, eo facto exornare cuperet. Allata res haud satis placuit Senatui, verenti ne spiritualis et Ecclesiastica dignitas, aucta opibus et auctoritate, veteres, quas cum superioribus Episcopis discordias habuerant, renovaret : beatissimi tamen Patris mansuetudo diremit facile dubitationem. Adiit enim continuo Ducem et collegium, sese dixit abhinc duodeviginti annos invitum Episcopum factum, et a quiete sua in hos turbines seculares injectum; desiderare nunc quietem, et minui magis pondus Præsulatus quam augeri, sibi esse in animo, hoc oneris quibuscumque posset modis deprecari, nisi ipse Dux, ad quem civitatis suæ dignitas pertineret, forte sentiret aliud : pro cujus honore, quoniam ita de se merita civitas esset, nullum laborem recusare deberet. Excitavit omnium lacrymas sanctissimi Patris mista caritati humilitas. Dux qui rem hanc ægerrime ante tulerat, et ab Eugenio tentatam semper impugnaverat, statim ex sua totiusque collegii sententia enixe eum rogare cœpit, ut libenti animo id muneris susciperet. Sic quod invidiosum fuerat in dignitate, ex mansuetissimis sancti viri mortibus gratissimum factum est.

d Nicolaus V, fecit eum Patriarcham.

Facit Laurentius ut id Senatui probetur.

a *Miraculum hoc describit in epistolis suis Pancratius Justinianus Eques et Comes, qui extrema B. Laurentii tempora attigit, uti citatur a Dan. Rosa.*

b *Hæc suis locis ad singulorum vitas expendentur. Colitur* S. Severus *Kalendis Februarii, pridie* Geminianus.

c *Id ann. Chr.* 1438 *contigisse scribit Ciacconius :* Quo quidem anno, *inquit,* Florentia Bononiam est profectus, et arcem ædificat ad eam portam, qua Ferrariam itur, et ædes in suo positas, ubi Legatus nunc residet muro prælto et lato, a tergo potissimum, et turribus firmat.

d *Creatus Pontifex* 6 *Martii ann.* 1447, *defunctus* 24 *Martii ann.* 1455.

CAPUT IX.

De dictis ab eo memoratu dignis, et summa nominis ejus celebritate.

Ejus sententiæ memorabiles.

Sed quia mores et actiones illius hactenus prosecuti sumus, subjiciemus etiam de dictis aliqua memoratu digna, quantum meminisse ex domestica consuetudine potuimus. Dicebat, servi Dei non esse, a magnis peccatis cavere; id enim esse secularis hominis : sed parva vitare, ne caritas refrigesceret. Non simul ac corpus extenuatum fuerit, de abstinentia remittendum : propterea enim abstinendum. Tribus monacho opus esse, desiderio, moderatione, et gratia : nam ubi horum aliquid desit, ibi perseverantiam esse non posse. Humilitatem esse torrenti similem, qui æstate tenuior, quasi serperet; hyeme vero atque vere inundaret : sic humilitas in prosperis quidem exigua, in adversis magnanima esse debet. Minime sibi placebant in monasteriis ampla ædificia : et cum videret latiora cœnacula, cellasve ampliores, caput quassans, dicebat : Non sic patres nostri, non sic. Dormitorium ipse fecit apud *a* Leonicum ex sepe et creta, cum tamen lateritium facere facile posset propter monasterii facultates. Dicebat enim nullam rem monachum adspicere debere in hoc seculo, quæ desiderium illius teneret. Maxime pensitanda esse eorum proposita, qui se conferrent ad religionem, ne, dum ineptus suscipitur, ab eo aptus corrumpatur. Dicebatque, cum augeretur nimium numerus, rigiditatem vitæ atque monasticum vigorem diutius non posse consistere. Raram siquidem esse perfectionem. Memini adolescentem nobilem ad monasterium confugisse : quem cum intellexisset fratrum nimiis suasionibus pellectum, patri flagitanti reddidit, dicens : Accipe filium tuum, religionis propositum a sancto Spiritu est, non ab humana suadela : et est longe deterius, ab religionis vita deficere, quam eam numquam suscepisse.

a

50 Ex quo die factus est Sacerdos, quotidie Missam celebravit, nisi valetudine impediretur. Dicebatque, qui, cum posset Domino suo frui, non frueretur, facile se declarare : Domini sui curam non habere. Pudicitiam cum carnalibus blandimentis, nihil aliud esse, quam ignem extinguere velle, et ligna superinjicere. Paupertatis donum quantum esset, neminem nosse, nisi qui secreto cubiculo et contemplatione delectaretur. Consulto Deum gratiam religionis hominibus occultasse : nam si cognosceretur illius felicitas, omnes ad eam concurrerent. Neminem bene scire, quid esset humilitas, nisi qui a Deo accepisset ut esset humilis. In nullo enim tam falli homines, quam in vera humilitate cognoscenda. Veram scientiam esse, scire hæc duo : Deum esse omnia, et se nihil. Sæpe monebat, numquam amittendam de Deo fiduciam. Illam esse, in qua animæ vita consisteret. Divitem dicebat non posse salvari, nisi per eleemosynam. Tanto facilius esse munus Imperatoris aut Ducis quam Episcopi, quanto difficilius esset, quæ non videas regere, quam quæ videas. Inter labores publicos bellorum, quæ ejus ætate plurima fuere, dicebat Senatoribus nostris : Si vultis Dominum vestri misereri, nihil vos ex vobis aut esse aut posse judicetis. Bonum Principem assimilabat capiti : quia sicut caput et lingua implorat auxilium pro reliquo corpore se non movente, ita Principis oratio potest placare Dominum, quamvis populus aliis intendat. Vitanda monebat, quæ multis obstaculis impedirentur : quia opera Spiritus sancti facilia essent et æquabilia, diaboli aspera et plena sentibus. Et cum de rectoribus civitatum secularibus loqueretur, quasi illorum laboribus condolens, non sine clementia Dei fieri putabat, ut virtutis comes esset gloria, et quasi laborum curarumque delinimentum aliquod : tantisper autem gloriæ cupiditati ignoscendum, dum virtutem velut ancilla sequeretur, non autem quasi domina præcederet. Innumerabilia alia sapienter et dixit et sensit, quæ quidem referre infinitum est.

Quotidie celebrat.

Religionis monasticæ felicitas.

51 Ceterum jam plenus erat dierum, nomenque illius et fama latius quotidie fundebatur. Nemo veniebat ad hanc urbem, qui non vel in primis spectaculis appeteret hunc Patrem videre. Taceo vulgus et turbam sine nomine, qui, quacumque incedere, ad eum visendum, veluti ad Angelum de cælo demissum, per vias et compita concurrebant : Cardinales omnes, Duces et Principes domi eum invisere, vitam investigare, thalamum, cubile, cœnaculum, omnia lustrare oculis, et venerari. *b* Franciscus Sfortia Mediolani Dux, et Blanca uxor, *c* Galeatium majorem natu, et magnæ spei filium adhuc impubem Venetias cum misissent, illud imprimis mandavere, ut puerum ad sanctum virum deducerent, ut imponeret illi manum, et ejus orationibus commendarent. *d* Bartholomæus Collionus, clarissimus hac ætate Dux magnam ad eum vim auri detulit, quam in pauperes dispertiret. Quod fuit et in militari viro propter devotionem, et in Patre nostro propter opinionem rarum et singulare. Jam advenæ et peregrini omnis ordinis et generis, Pannones, Germani, Galli, Hispani, vel qui Romam ad

Celebritas nominis sancti viri.

Multi ad eum videndum confluunt.

b

c

d

ad limina Apostolorum, vel qui in Orientem ad Dominicum sepulchrum pergerent, tum felices auras sperabant, si benedictione hujus Patris accepta discederent.

Efficacia precum ejus.

32 In maximis vero patriæ periculis Dux noster atque Senatus non aliter ad illius orationem confugere, quam ad oraculum quoddam. Quantum autem illius oratio proficeret, unum aliquid, prius quam partem hanc claudam, in testimonium referemus. Est prope *e* Corcyram locus asper et incultus, ubi vir habitaverat eremita triginta et amplius annos, vitæ abstinentia et orationibus, et quod primum ferebatur, prophetiæ spiritu insignis. Gerebat forte Corcyræ negotium vir quidam de nostris, tam genere quam moribus præstans, qui cum arderet bellum, quod cum *f* Philippo Mediolani Duce gerebamus, et afflictiores viderentur esse res nostræ, adiit virum Dei : rogat eum, numquid Veneta Respubl. ut ferebatur, deplorata esset. Ad quem eremita : Commotus est furor Domini, inquit, contra vos, quia verbum Domini projecistis: et nisi Pontificis vestri lacrymæ interpellarent pro vobis, jamdudum quasi Sodoma periissetis. Tale de Laurentio testimonium retulit eremita in mediis Corcyræ rupibus et speluncis. Cui non solum Laurentius, sed omnes fere mortales incogniti erant et inauditi.

e

f

Periissent Venetiæ nisi pro iis orasset.

Orat assidue pro suis.

33 Porro caritas illa, qua suas oves prosequebatur, vix animo concipi posset, nedum verbis explicari. Totus illi Pontificatus inter gravissimorum temporum, maximorumque bellorum turbines consumptus est. Non erat contentus propria oratione : animabat hortando, monendo, obsecrando, jubendo, ut profecto tantæ caritatis et ardoris vel minima pars vim cælo inferre potuerit. Et hoc, si mihi liceat, procul dubio dixerim fuisse. Quirinæ matris suæ præsagium, quod filio nascenti precata est : iis præcipue temporibus, quibus ter quaterve in præcipiti fuit Venetum imperium.

a *Oppidum est diœcesis Vicentinæ,* 13 *milliaribus Italicis distans Vicentia, ad dextram amnis Novi, quod Leander* cum opibus et multitudine colonorum ac nobilitate, tum amplitudine, multis Italiæ civitatibus par *existimat. Vulgo* Lonigo *dicitur.*

b *IV Dux coronatus die Annuntiatæ Virginis sacro ann.* 1450 *fuit gener* Philippi Mariæ III *Ducis, ducta uxore* Blanca Maria *ejus filia, et adoptione filius : imperavit annis* 16, *obiitque anno* 1466. *Hujus bellicam virtutem describit Jovius lib.* 3, *Elogiorum.*

c Galeatius Maria Sforlia V *Dux parenti successit, occisus, ann.* 1477. *Ejus vitam et necem perstringit Jovius lib.* 3, *Elog.*

d *Præclara hujus bello paceque facinora lege lib.* 3, *Elogiorum Jovii.*

e *Insula maris Ionii, hodie* Corfu, *vix milliare unum ab Albaniæ continente discreta, ditionis etiamnum Venetæ. Urbem habet ejusdem nominis Archiepiscopalem, quæ olim fuit Metropolis sub Patriarcha Constantinopolitano.*

f Philippus Maria Vice-Comes, *Joannis Galeatii I Ducis filius, socer dicti Francisci Sfortiæ, a cæde Joannis Mariæ fratris sui Dux III, creatus est an.* 1412, *imperavit annis* 35, *obiitque anno* 1447. *Horum trium primorum Ducum res gestas describit Jovius lib.* 2, *Elogiorum. Bellum hoc fuse describunt Sabellicus decade* 2, *rerum Venetarum lib.* 9 *et* 10, *et decade* 3, *sex prioribus libris, et Petrus Justinianus lib.* 6, *historiæ Venetæ.*

CAPUT X.

De ultima ipsius valetudine, et quæ in ipsa dixit aut fecit.

Agebat annum quartum supra septuagesimum, corpore quidem imbecillo et tenui, sensibus autem integris, et sine ullo vitio valetudinis : nisi quod ingravescens ætas, additis inediæ, vigiliæ, algorisque ab ipsa adolescentia susceptis incommodis, totum corpus pariter attriverat. Nos autem de ejus vita plusquam de nostra solliciti, hortabamur, ut audiendi onera deponeret. Quibus ille : Vultisne locum, qui mihi commissus est, deseram? Nam quod ad jejunia, vigilias, et castigationem carnis attineret, senescere corpus, spiritus juvenescere videbatur : et aut D. Paulum referebat, qui nonagenarius vescebatur palmulis; aut D. Hilarionem, qui *a* octogenarius farinula, aut alium de Patribus antiquis. Ut autem nihil ad cumulatam gloriam deesset, perseveravit scribere usque ad eam diem. Forte tunc librum de gradibus perfectionis absolvit.

a

Usque ad finem vitæ scribit.

Auctore Bernardo Justiniano.

33 Dum autem post cibum mecum de more ambularet : Quam libenter abirem, inquit, si Domino placeret! Neque enim melior sum, quam Patres mei : sed tu bone Jesu obsequi non debes voluntati meæ, sed utilitati populi tui. Voluit autem Dominus preces ejus audire. *b* Febri post paucos dies acerrima corripitur. Lectum paramus : ille commotior, et indignanti similis : Mihine plumam paratis? Qui mollibus sternuntur, in domibus Regum sunt. Non in pluma Dominus meus, sed in durissimo ligno cubitavit. An non meministis, quid B. Martinus in re simili responderit, non decere Christianum hominem mori, nisi in cinere et cilicio? Nihil igitur tunc profecimus, victique ad ejus mattam detulimus inter brachia. Cum autem neque medicis neque pecuniæ parceretur, et ministrantium circa se studium videret, compungebatur animo : En quanta, dicebat, ob hujus sacci vilis sanitatem parantur? quanta perduntur? cum interea pauperes Christi non panem, non stratum, non ignem habeant, ubi calefiant. Intellexit autem vir sanctus migrationis diem advenisse. Hactenus, inquit, filii per jocum res acta est, serio nunc agitur. Prope est sponsus : eundum ei obviam. Et sublatis in cælum oculis : Venio, inquit, ad te bone Jesu. Observatum est autem ab iis, qui ministrabant ei, quod aliquando plenus animi, ardore quodam spiritus in cælum ferri gestiebat : interdum vero in profundum sese humilitatis abjiciens, pertimescere videbatur divinum judicium. Nam dum ego ad eum non sine lacrymis dicerem : Quam læto animo migrare debes, o Pater, cui palma cælorum parata est. Decerni, inquit, fili fortibus solet hæc palma, non ignavis meique similibus. Hæc humilitatis. Illa vero quam plena fiduciæ! Nam cum nos lacrymari videret : Abite, ait, hinc cum vestris lacrymis : tempus lætitiæ est, non lacrymarum. Sic in fiducia Macarium, in timore Arsenium referens : inter utrumque incedens, ut cum fiducia metueret, nec sine timore confideret.

Optat mori.

b

Æger lectum respuit.

Fiducia et humilitas instante morte.

36 In campum igitur cum morte descensurus, armari se Sacramentis Ecclesiæ, et ad sacellum inter manus deferri postulavit. Et cum e strato sublevatus, innixus humero meo, labantia membra regere non posset, paullulum resedit. Effundebar totus in lacrymas. Quod ille advertens : Quid ploras, inquit, Bernarde fili? Da mihi dexteram. Quam quum ambabus suis tenuisset : Confide, inquit, et bono animo esto : numquam enim te deseram. O vocem dulcem pariter et acerbam! Nescio quomodo non elanguit cor meum : nisi quod temperata fuit tam certa promissione mœstitia. Certe illius diei, illius loci, Patres clarissimi, debeo nimis crebro meminisse. Legatum, quod a dulcissimo patre mihi relictum est, omni fide et spe veluti brachiis amplexabor, quasi obsignatum ab Angelis, subscriptum a beatis spiritibus : quorum gloriosam et innumerabilem multitudinem ad suscipiendam fidelis conservi animam cubiculum illud complevisse non dubito.

Promittit se nepoti semper adfuturum.

37 Quam vero supellectilem creditis fuisse compertam in his ædibus. Putatisne aurum aliquod aut argentum? Illud admirabilius, quod nullum omnino librum possederit. Cum quotidie legeret aut scriberet, librum tamen ullum possidere noluit. Testamentum omne, quod fecit, efferri sese jussit nulla pompa ad monasterium suum, quod abest duo millia passuum extra civitatem, ibique in sepulchris fratrum reponi. Neque semel præcepisse contentus, quasi divinaret, quid contentionis de illius sepultura esset futurum, vocari nos iterum jubet : Scitis, inquit, quæ de sepultura mandavi? Facite quod jubeo : nolite pompam parare. Neque enim is sum, quem forte existimatis : Divos Antonium imitatus et Hilarionem, qui in locis obscuris sepeliri voluerunt, ne colerentur a vicinis.

Librum nullum habuit.

Sepeliri se jussit sine pompa.

AUCTORE BERNARDO JUSTINIANO.

a *In hujus vitæ editionibus, operibus præfixis,* centenarius, *mendose. Consule ipsius Hilarionis vitam a S. Hieronymo conscriptam, cap.* 39 *et annotationem* 88, *ad eam Rosweydi nostri lib.* 1, *de vitis Patrum.*

b *Martinus Sanudo parte quinta Chronici Veneti, ait eum in Nativitate celebrasse sacrum in Pontificalibus in æde summa, et ob acerrimum noctis illius frigus in febrim incidisse, qua* VIII *Januarii extinctus sit.*

CAPUT XI.

De oratione, quam habuit antequam migraret e vita : et de duobus miraculis.

Suscepta vero paullo ante diem sacri olei unctione, sermonem habuit de mortis utilitate, ac de cælesti vita, miro quodam sensu ac gravitate verborum. Nam ut erat supinus, aliquamdiu tenuit in cælum oculos. Tum denuo semiclausis, in hanc sententiam fari cœpit : (verba etiam, quantum potuimus tenere, subjicientur.) Videtis, o filii, horam meam advenisse : benedictus Deus, qui eam tandem venire voluit, cum nulla sit alia via, quæ ducat in cælum. Ille enim venit nobis via, veritas et vita, ut ejectis de paradiso miseris exulibus, viam signaret in patriam redeundi. Si enim in hac vita tantum sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus. Sed absit a nobis tam stulta cogitatio. Quid enim vita hæc, nisi lanugo quædam, (ut ille inquit) et veluti memoria hospitis unius diei prætereuntis? Christus pro nobis mortuus est primitiæ dormientium. Pudeat nos mortem timere, cum Dominus noster propter nos mori voluerit. Hunc diem semper ante oculos habui; tu scis Domine : quamquam dum vitam meam considero, confusio sit mihi potius appellanda, quam vita. Sed in spiritu humilitatis suscipe me, bone Jesu, vita et salus animæ meæ. Neque enim in justificationibus meis prosterno preces meas ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis. Illa ego ovis amissa, ad te pastorem redeo. Vocem tuam novi, non alienorum : peto Domine, ut ad ovile me reducas. Potesne spernere vocem clamantis et confugientis ad te? Nonne tu ille, qui dixisti : Clamabit ad me, et ego audiam eum : cum ipso sum in tribulatione? Ecce clamo plus corde, quam ore, Domine : ecce tribulatio proxima est, et non est qui eripiat, nisi tu bone Jesu. Sed neque felicium spirituum sedes affectare ausim, qui speciem intuentur sanctissimæ Trinitatis. Portio tamen aliqua creaturæ tuæ, postulat micas suavissimæ mensæ tuæ. Nimium mihi fuerit, et heu quam nimium, si subtus calceos infimi electi tui loculum aliquem huic pusillo tuo servulo non negaveris.

Sap. 5. 15. *Semper suæ mortis memor.*

Psal. 90. 15.

59 Conversus deinde paullulum ad astantes, ait : Vos interea fratres, servate Domini præcepta. Omnis enim caro fœnum, et omnis gloria ejus tamquam flos fœni. Contemplamini me, ecce aruit fœnum, et flos ejus cecidit. Horam hanc quis poterit evadere? Sed mihi credite, filii, nihil est præstantius, quam servire Domino. Hæc cum dixisset, sublato paullisper brachio, quod denudatum tenebat, caligantibus oculis, ut Isaac illum antiquum videre te diceres, adstantibus crucis signe : Benedicat, inquit, vobis Dominus Jesus, fratres et viscera mea, et benedicat filiis meis qui absunt, quos in Domino parturii. Det vobis cor, ut colatis eum : aperiat animum in lege sua, neque vos deserat in tempore malo. Benedicat Principi nostro, et universo Senatui, ut sortem commissi sibi principatus, ad honorem Dei, et commune omnium ordinum bonum, sibi traditam recordentur. Benedicat denique populo meo, cujus amorem, pacem, concordiam Dominus in dies magis atque magis conservare et augere dignetur.

Gen. 27.

Bene precatur morituros omnibus suis.

60 Dilucescere cœperat, et jam antea percrebuerat vivere diutius eum non posse. Mota igitur universa civitas est. Canonici quidem primo diluculo sunt ingressi : quos dulcissime recognoscens, ab his veniam petebat, si muneri suo non satisfecisset. Divinum honorem commendabat et Ecclesiæ cultum : tum ut mutuam inter se caritatem servarent. Postremo rogabat, ut in divinis officiis sui meminissent. Quid ibi rursus lacrymarum, bone Deus, quid clamorum edebatur? Illum patrem, illum dominum, præceptorem, ducem. Paullo post Procuratores S. Marci ingressi sunt, et alii Principes civitatis, Sacerdotes et religiosi viri. Nullus denique civitatis ordo arceri foribus potuit. Loquebatur unicuique aliquid ad salutem. Procuratoribus et Principibus pauperes et justitiam, sacerdotibus honorem Dei, negotiatoribus caritatem, advocatis pauperum caussas, singulis denique officiorum suorum munera commendat : ut admirabile fuerit artus illos pene exanimes, intento semper spiritu laborem loquendi, benedicendique per totum biduum (tantum enim supervixit) perferre potuisse. Nusquam magis enituit illa puritas et altitudo animi. Neminem respuit, omnes pari fronte suscepit : ut neque pauperis, neque divitis, neque secularis ulla apud eum videretur esse distinctio.

Singulis ad ipsum accedentibus optimas tradit institutiones.

61 Plura interea tum prædixit, tum fecit digna memoratu : quorum duo tantum subjiciemus, ut appareat, omnem hujus sanctissimæ vitæ partem, signis atque portentis, sicut ceteris claruisse virtutibus. Erat ei carissimus in Christo filius, Marcellus nomine, clarus genere, sed vita clarior, vir bonus et justus. Laurentium autem sic diligebat, ut palam diceret, si quid de eo accideret, se nullo modo supervicturum. Cum audisset igitur de illius valetudine, continua accurrit; introducitur ad eum : cui ad ejus osculum inclinato Laurentius submissa voce : Marcelle, inquit, quid de discessu meo cruciaris? Ego quidem præcedo, sed tu me propediem sequeris. Sic Domino placitum est, ut hoc Paschate nos iterum mutuo amplexemur. Lætior ille hujusmodi verbo, quam tristior, initio Quadragesimæ acri valetudine corripitur, et in Paschate, ut prædixerat, ad sepulturam elatus est. Dilectissimo autem filio Hieronymo, graviter laboranti, salutem et prædixit et reddidit. Nam cum destitutus a medicis, pro mortuo haberetur, mater autem et sorores nihil jam spei, nisi in Patris hujus orationibus, haberent, misit ad eas sanctus hic Pater, qui dicerent, bono animo essent : neque enim illa ægritudine moriturum. Quod sicut dixit, ita factum est. Paullo enim post reliquit eum febris, et pristinæ valetudini restituitur.

Prædicit obitum Marcelli cujusdam;

alteri ægro sanitatem.

CAPUT XII.

Devota spiritus emissio, et inhumati corporis diuturna permansio.

Sed jam dissolvebantur sanctissima illa vincula carnis et spiritus, et quæ indissolubili pace per tot annos atque concordia vixerant; jubente Deo, illa terræ, spiritus cælo reddendus erat. Claudere paullatim cœpit oculos facie quadam hilariori, et membra omnia explicare, quasi de labore ad requiem transiturus. Quas ibi catervas Angelorum advenisse vidissemus, si corporeis oculis potuisset videri illa societas? Tali igitur comitatu inter eorum cælestes voces et cantus felicissimus ille spiritus, velut igniculus in cælum emicuit. Hic finis sanctissimi Patris, vere felix, vere beatus. O si mihi nunc liceat laxare habenas lacrymis, et liberius lamentari! Vim facio mihi, Patres. Erumpunt lacrymæ, nec cohibere me possum : sed non est hujus loci : secretum cubiculum aptius est : ibi promissa tua, optime Pater, quum necesse fuerit, repetam : ibi dexteram tuam testabor, præsertim cum sæpe alias in maximis periculis invocatus, me miris modis adjuveris.

Moritur.

63 Orta altera luce, effusa incredibili concursu tota civitas est : vi pene fores effractæ, ut in ecclesiam subito deferri necesse fuerit ad oculos populi depascendos. Tanta autem continuo circumstetit feretrum

retrum multitudo, ut a gradibus chori, ubi positus fuerat, raptus deinde sit, non hominum manibus, sed sola sese comprimentium atque impellentium turba, *Reliquiæ ejus.* usque ad valvas ecclesiæ. Discissæ vestes, sublati calcei, omnia ad venerationem direpta. Ceterum ut primitiæ aliquæ sanctificationis, et publicum jam apparere testimonium inciperet, scholæ illæ quatuor celeberrimæ (sic enim eas appellamus) non quasi ad *Opinio sanctitatis.* mortuum, sed ad viventem et sanctum, et viris frequentissimæ, et ornatu ac pompa, non quidem lugubri aut funebri, ut solent in mortuorum elationibus, sed ut in processionibus ac supplicationibus, quum gratiæ publicæ Deo redduntur, sic nullo publice aut privatim jubente suadenteve, sed ipsæ per sese sic instructæ auratis cereis, et omni honoris ac lætitiæ significatione accurrere. Quale illud etiam testimonium, quod bini ex vestris fratribus, quum ad illud officium, ut ceteri, adiissent, audire sibi visi sunt suavissimos quosdam cantus, et inauditas modulationes! Redeuntibus autem ad monasterium, et illis non cessantibus, tum alter ad alterum: Audisne frater has melodias? Quidni audiam, inquit alter: Angelicus plane mihi videtur iste concentus, non humanus. Idem affirmare alius cœpit. Utrisque igitur admirantibus, numquam illi cantus, quoadusque ad monasterium pervenerunt, conticuere. *Angelorum cantus auditus.*

64 Expletis officiis, quum efferendi tempus advenisset, ecce quo pacto, præcipuo quodam Dei judicio, tunc quidem occulto, sed paullo post aperiendo omnibus, lis oriri cœpta inter Patriarchales Canonicos, *Contentio de ejus sacro corpore.* et Fratres S. Georgii. Hi quum ex præcepto Patris nostri repeterent, quod mandaverat de loco sepulturæ; illi sacros canones afferent, ut Prælati in propriis ecclesiis sepelirentur: neque semper defunctorum ordinationibus parendum, ex Marcellini Pontificis exemplo; qui quamquam corpus suum inhumatum sub anathemate permanere jussisset, visum esset tamen sanctis Patribus, non tam hominis, quam Pontificis habere rationem. Interim autem sacrum illud corpus in ecclesiæ sacrario reponitur, quasi litis eventum expectaturum.

Corpus 67 *dies incorruptum manet, et suavem odorem exspirat.* 65 Accidit autem res omnibus retro seculis inaudita, pace dixerim Sanctorum aliorum omnium, quod quidem extet ex eorum monimentis. Nam ibi corpus illud dum reponitur, altero ac tertio die, nec corruptionis aliquid, nec fœtoris apparet. Itemque et quinto et sexto nihilominus integrum perseverat. Tantæ rei miraculo excitata accurrit universa civitas: vident et exquirunt diligentius, numquid sit delibutum unguentis: omnia membra contrectant. Nihil pigmenti aut artis, nihil rigoris in membris, fœtoris longe minus: quin potius odorem suavissimum membra illa spirare videbantur. Additur miraculum miraculo. Nam post biduum rubescere genæ, et vivus per membra sanguis conspici cœpit. Et jam capere non poterat sacrarium illud concurrentem turbam, et sese invicem comprimentem: ut octavo tandem die necesse fuerit in ecclesiam publice deferri, ad oculos populi exsatiandos. Tum vero et admiratio, et stupor, et clamores. Igitur qui litigant, et hi instantius postulant, et hi custodiunt diligentius. Reponitur iterum in sacrarium, ubi per dies quadraginta perseveravit incorruptus et integer. Omnibus illis diebus numquam non visitatus est: numquam sacrarium illud non apertum omnibus fuit, et videre et venerari volentibus, donec septimo supra sexagesimum die, quum alioqui satis commode servari posse non videretur, sepulturæ traditus est officiis et honoribus, non quibus ceteri solent, de quorum virtute et meritis ambigatur; sed quasi Sancti cujusdam reliquiæ, sic cum omni honore collocatæ, decimosexto videlicet Calendas Apriles, quum sexto Idus Januarias migrasset ad Dominum.

66 Multi non solum ex Italia, sed Illyrico etiam atque Epiro, ad id ostentum domo profecti. Medici omnes, et præsertim Gerardus Veronensis, medicus ætate nostra omnium nobilissimus, qui eum in hac ægritudine visitavit, naturæ nulla vi fieri posse testati sunt, præsertim cum putrida febri laborasset. Diffusus enim per venas putridus et corruptus humor, corruperit necesse fuit reliquum corpus: ut impossibile penitus extiterit, absente calore naturali, vel parvum *Sepelitur* 17 aliquid temporis integrum incorruptumque manere. *Martii.* Quantum igitur, quamque admirabile spectaculum fuerit, aliorum sit judicium. Nam si Beatissimo Bernardo honori datum est, ut dandum erat, quod corpus ejus triduo inhumatum substiterit; quid Laurentio nostro tribuendum, qui tot dies et pene menses integer et incorruptus evasit? Mota civitas tantæ rei miraculo, dare operam voluit, ne ejusmodi ornamento, vel primi scilicet, vel sanctissimi, patriarchæ reliquiis Patriarchalis ecclesia spoliaretur. Hoc facto relatum in memoriam illud Beatissimi Martini Turonensis Episcopi, qui quum apud Condatensem Pictavorum urbem diem obiisset, et Pictavi, apud quos obiisset, retinere vellent; Turonenses autem repeterent proprium Antistitem, tamdiu in contentione res illa versata est, donec a Turonensibus furto sublatus, propriæ Ecclesiæ restitueretur. Quæ autem *Miracula creberrima ad ejus sepulchrum.* miracula deinceps acciderint, quæque accidant quotidie, ad sepulchrum illud divinam opem poscentibus, ea non aggredi satius existimavi: quippe quæ innumerabilia sunt. Inquirentur fortassis aliquando diligentius ab iis, quorum sicuti auctoritas major est, et officium solemnius, ita vix crediderim fieri posse, ut tanti luminis splendorem Deus jacere diutius in tenebris patiatur.

Bulla CLEMENTIS VII, Papæ qua B. Laurentium Justinianum Beatorum numero adscripsit, data anno MDXXIV.

Auctore Bernardo Justiniano.

Venerabili fratri *a* Antonio Patriarchæ Venetiarum, *a* Clemens Papa VII, Venerabilis Frater, salutem et Apostolicam benedictionem. Illius, qui semper in Sanctis suis mirabilis est, vices licet immeriti gerentes in terris, piis fidelium, præsertim Ducum et Nobilium, votis, quæ ad Dei laudem et gloriam, ac venerationem Sanctorum cedere dignoscuntur, libenter annuimus, eaque favoribus libenter, prosequimur opportunis. Exposuit nobis dilectus filius Marcus Foscarus Dominii Venetorum Orator ad nos destinatus, pro parte dilecti filii nobilis viri *b* Andreæ Gritti *b* Ducis, et Dominii Venetorum hujusmodi; quod licet *Varii processus pro ejus canonizatione inchoati.* ex processu super canonizatione B. Laurentii Justiniani, de mandato fel. rec. Sixti Papæ IV, prædecessoris nostri, ad tunc Ducis et Dominii Venetorum instantissimas preces habito, et ad Romanam Curiam transmisso, verisimiliter credi posset, omnia quæ ad ipsius B. Laurentii canonizationem necessaria erant, tunc plene ac sufficienter probata fuisse; tamen cum processus ipse casu quodam igne crematus fuisset, piæ mem. Leo Papa X, etiam prædecessor noster ad tunc Ducis et Dominii Venetorum hujusmodi supplicationem ejus tunc Nuntio, et bon. mem. Episcopo Cremonensi tunc in humanis agenti in civitate Venetiarum commorantibus, de Venerabilium Fratrum suorum, de quorum numero tunc eramus, consilio, per suas in forma brevi *c* litteras *c* commisit, ut ad inquisitionem negotii canonizationis hujusmodi procederent. Qui cum ad inquisitionem hujusmodi procedere cœpissent, ac prædictus Leo prædecessor, sicut Domino placuit, fuisset vita functus, recolendæ mem. Adrianus VI. Similiter prædecessor noster ad supplicationem Oratorum prædicti Dominii Venetorum, qui ad Sedem Apostolicam pro præstanda sibi obedientia destinati fuerant, tibi, Frater Patriarcha, et Venerabilibus Fratribus Thomæ Feltrensi

Ex variis. *d* Feltrensi Nuntio Apostolico, et Paulo Nemosiensi Episcopo, per suas in forma Brevis *d* litteras mandavit, ut processum canonizationis alias inchoatum prosequi deberetis, ac si dicti Leonis Papæ litteræ sup. directæ fuissent.

2 Cum autem præfatus Adrianus prædecessor noster dicto processu minime absoluto, fuerit vitam functus, et processus hujusmodi non ita de facili valeat expediri, ac idem Marcus orator pro parte Ducis et Dominii prædictorum nobis humiliter supplicaverit, ut pro æterni Regis laude et gloria, ac ipsius B. Laurentii Episcopi Confessoris reverentia, nec non Ecclesiæ decore, ac Catholicæ fidei splendore, et populorum dicti Dominii devotione liceat singulis annis in die, qua dictus B. Laurentius migravit ad Dominum, festum, et officium de uno Patriarcha Confessore, cum oratione unius Episcopi Confessoris, sub nomine ejusdem B. Laurentii Patriarchæ in tua et aliis Ecclesiis dicti Dominii Venetorum ab omnibus celebrari. Nos qui fideles quoscumque ad Sanctorum Dei venerationem, ac jugem erga eos devotionem, prout possumus, libenter excitamus cum ad præsens aliis gravibus præpediamur impedimentis et negotiis, canonizationisque hujusmodi negotio intendere non valeamus, ipsorum Ducis et Dominii devotis supplicationibus inclinati, ut tam in tua Patriarchali, cujus ipse B. Laurentius Patriarcha fuit, quam in quibusvis aliis cathedralibus, etiam Metropolitanis, ac collegiatis, ac parochialibus, quorumcumque locorum, etiam Religiosorum, ecclesiis totius Dominii Venetorum, officium in memoriam ejusdem B. Laurentii Patriarchæ de uno Episcopo Confessore, sub nomine ejusdem B. Laurentii annis singulis, die qua migravit ad Dominum, celebrari, ac in eorum Missis ac Matutinis, ac vesperis commemoratio sub nomine B. Laurentii Patriarchæ recitari possit ab omnibus, qui illud celebrare ac recitare voluerint, et ejus imago in ecclesiis, sive Christi fidelium personarum domibus, depingi, sine tamen diademate, et non tamquam canonizati, sed tamquam Beati, libere et licite valeat; auctoritate Apostolica, tenore præsentium, licentiam et facultatem concedimus; non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis, quibuscumque. Volumus autem, quod propter præmissa, dictus B. Laurentius catalogo Sanctorum asscriptus minime censeatur. Datum Romæ, apud S. Petrum sub annulo Piscatoris. *e* Die XVIII, *e* ....MDXXIV, Pontificatus Nostri, Anno Primo.

Permittit Papa fieri de eo sacrum et officium.

a *Hic est* Antonius Contarenus, *ex congregatione Scopetinorum electus, qui B.* Laurentium *aliosque Antistites Venetos, suos prædecessores, in aula Patriarchali curavit depingi. Ei successit Hieronymus Quirinus ex ordine Prædicatorum, non anno Ch.* MDXX, *ut Claudius Robertus cum superfuerit ille anno Ch.* MDXXIV, *quo hæc ad eum Bulla missa est. Verum anno sequenti. Jussit Quirinus* in Veneta civitate, quoniam B. Laurentii corpus reconditum est in ecclesia Patriarchali, festum ipsum cum majori solemnitate fieri et celebrari, populumque Venetum per concionatores admoneri ad veneratiönem et festizationem dicti festi, omni anno dicta octava die fiendi. *Integram constitutionem vide apud Dan. Rosam.* b *Hunc describit Paulus Jovius lib. 6, Elogiorum de viris bellica virtute illustribus.*

c *Has refert Dan. Rosa, datas* II *Apr. an.* 1519.

d *Has desiderari notat idem Rosa.*

e *Mensis in omnibus exemplaribus desideratur.*

RECENTIORA MIRACULA

Ex Dan. Rosa, et litteris Venerabilis D. Octavi Gualdi ejusdem ordinis Romæ Canonici.

B. Laurentii meritis curata debilitas.

Quædam annos complures fulcris nixa incedebat, vel nervis contractis, vel quopiam noxio humore debilitatis membris. Ut celebrari publica fama B. Laurentii sanctimoniam intellexit, ejus implorat patrocinium, vovetque procuraturam se, ut ad illius honorem in æde S. Mariæ de Horto Venetiis sacrificium offeratur Deo. Adfuit ipsa sacrificio, subitamque eo peracto sanitatem retulit, suspensis ad aram, quæ etiamnum visuntur, fulcris.

2 Franciscus Michaelius Canonicus et Pœnitentiarius Patriarchalis Ecclesiæ Venetiis, cum sanctimonialibus cœnobii S. Annæ a sacris esset confessionibus, an. MDCVII, lethali morbo correptus est, nec multo post depositus a medicis. Vetula quædam Anna ibidem Religiosa, singulari erga B. Laurentium pietate, votum ei pro Confessarii incolumitate nuncupat; quæ plena ei restituta est, qua etiamnum an. MDCXIII fruebatur. *morbus lethalis,*

3 Joannem Conversam an. MDCXI, enatus sub axilla carbunculus in præsens adduxerat vitæ discrimen; quod B. Laurentii ope implorata subito discussum. *carbunculus,*

4 Eadem fluxu sanguinis prope exanimata, voto nuncupato, eandem B. Laurentii experta est opem. *fluxus sanguinis.*

5 Romæ an. MDCXIII, prodierat in lucem puer frigidus ac teter, ut penitus carere vita crederetur. Facta B. Laurentio pro eo vota sunt : Revixit valuitque. Testatus id Dorotheus Baronius congregationis S. Georgii de Alega Visitator. *Mortuus suscitatus.*

6 Joannes Petrus Sennenzius, primarius chirurgiæ Bononiæ professor, multos menses febri quotidiana conflictatus, tandem beato Patriarchæ votum obtulit, subitoque omni incommodo caruit. *Depulsa febris,*

7 Laurentius Bernardius Bononiensis, Bondanelli in diœcesi Bononiensi Rector Ecclesiæ S. Bartholomæi diuturna ægritudine exhaustus, deductusque ad extrema, cum jam spem nullam medici facerent, an. MDCV, XVII Januarii, votum B. Laurentio nuncupavit, et convaluit. *ægritudo inveterata,*

8 Idem an. MDCVII simili voto gravissimo morbo subito est liberatus. *iterum alias,*

9 Idem mense Maio an. MDCXI, Vigiliis urbe regni Neapolitani solverat, Ravennam petiturus. Tetra dein jactatus tempestate circa eam Apuliæ oram, qua Garganus mons jacet, voto se cum ceteris vectoribus B. Laurentio obstrinxit. Bononiam reversus aram B. Laurentio dicatam in nova S. Gregorii basilica, magnifice exornandam suo sumptu curavit; annuo etiam censu attributo. Chirographo dein Cardinali S. Eusebii Congregationis S. Georgii Protectori, Romæ oblato isthæc cuncta testatus est. *naufragii periculum,*

10 Blasius Marangon ischiade laborabat ita graviter, ut fulcris regere gressum cogeretur. Quodam die magno animi sensu ante altare B. Laurentii, in ecclesia in qua ejus religiose asservatur corpus, humi stratus preces fudit : surrexit incolumis, fulcra appendit, nihilque deinceps molestiæ perpessus est. *ischias,*

11 *a* Marinæ Gritti clarissimæ feminæ, annos natæ 70 mense Decembr. an. MDCXII, atrum fœdumque in pectore ulcus exortum, ingentis ovi magnitudine : medici gangrænam censebant; eorumque jam artem mali vis superabat. Extremis mysteriis, exomologesi, Eucharistia, sacra unctione communita, mortem operiebatur : quinque ipsos dies nec loqui valuit, nec alimenti quidquam sumpsit, nisi quod modicum vini plumula instillabatur ori. Cum jam moritura crederetur, spectandum se illi B. Laurentius obtulit, gangrænam excussit, integramque contulit sanitatem. *a* *gangræna,*

12 Anno MDCXII, XIII Novemb. cum mare horribilis tempestas agitaret, sublatus est subito *(inquit, et jurejurando confirmat Auctor)* clamor ejulatusque puerorum: proripui me ad cellæ fenestram, et conspexi quendam, Sanctium nomine, famulum Domus Contarenæ, in lembo periclitantem. S.P.N. Laurentii opem imploravi, recitata Dominica precatione et salutatione Angelica: subitoque repulsus procella in terram est lembus, Sanctiusque incolumis evasit. *naufragii periculum,*

13 Gravi cruciabat erysipela, quæ genu dextrum infestabat, ut quietem nullam die ac nocte integra hebdomada caperem. Quodam die sub crepusculum matutinum, B. P.N. religiose precatus, mox somno corripior, quo paullo post solutus, simul dolorem resedisse omnem animadverto, adeo ut postridie Deo Missæ sacrificium in gratiarum actionem obtulerim. *erysipelas.*

a *Alia miracula jam probata feruntur.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

IX JANUARII.

SANCTI QUI V ID. JANUAR. COLUNTUR.

S. Paschasia, Virgo Martyr, Divione in Burgundia.

S. Epictetus,
S. Quinctus,
S. Secundus,
S. Jucundus,
S. Saturninus,
S. Vitalis,
S. Quinctus,
S. Vincentius,
S. Felicitas,
S. Quinctus,
S. Felix,
S. Artaxes,
S. Fortunatus,
S. Rusticus,
S. Sillus,
S. Quietus,
S. Pictus et alii v, — Martyres in Africa.

S. Vitalis,
S. Revocatus,
S. Fortunatus,
S. Firmus, vel Firminus,
S. Possessor,
S. Januarius,
S. Saturninus, — Martyres, Smyrnæ.

S. Marciana, Virgo et Martyr, in Mauritania.

S. Julianus,
S. Basilissa,
S. Celsus,
S. Marcionilla,
S. Antonius Presbyter,
S. Anastasius,
Sancti VII, pueri, cognati Carini Imperatoris,
Sancti XX Milites,
S. N. amicus Præsidis Marciani,
et alii plurimi Episcopi, Clerici, Monachi, Virgines — Martyres, Antiochiæ, vel Antinoi in Ægypto.

S. Petrus, Episcopus Sebastenus in Armenia.

S. Marcellinus, Episcopus Anconitanus in Italia.

S. Waningus, Fiscani in Normannia.

S. Filanus, Abbas in Scotia.

S. Adrianus, Abbas in Anglia.

S. Brithwaldus, Archiepiscopus Cantuariensis in Anglia.

S. Eustratius Thaumaturgus in Bythynia.

PRÆTERMISSI VEL IN ALIOS DIES REJECTI.

S. Timotheus Confessor. *Maurolyc. Martyrol. Germanic. Videtur is esse, de quo egimus* VIII *Januar.*

S. Eugenianus, Martyr Augustodunensis. *Petrus de Natalibus lib.* 11, *cap. ultimo, nu.* 29. *De eo egimus* VIII *Januar.*

S. Gudilæ Virginis *natalis consignatur hoc die in Kalendario Radulphi de Rivo. Egimus de ea* VIII *Jan.*

S. Erardus, Episcopus Ratisponensis, MS. *Florar. de eo supra* VIII *Januar.*

XL Martyres Cæsaraugustani. *Ferrar. citans tabulas Cæsaraugustanas. Quinam hi sint, nondum comperimus.*

S. Martialis. *Martyrol.* MS. *S. Hieronymi. At Kalendaria aliquot,* S. Martialis Virgo. *Forte eadem quæ* S. Marciana.

S. Jacobus Presbyter Calari hoc die martyrio coronatus, *memoratur a Seraphino Squirro lib.* 4 *Sacrarii Calaritani cap.* 21, *ex inscriptione tumuli ejus* 3 *Octob.* 1621, *inventi. Sed quia utcumque nobis obscura videtur illa inscriptio, certiora monumenta expectabimus.*

S. Egilfredus Abbas in Africa. *Ferrar. Menard. Dorganius, Galesin. ex veteri* MS. *nihil præterea profertur.*

Ermengarius Episcopus Augustodunensis MS. *Florarium. Hujus apud Claudium Robertum nomen non extat; nisi sit* Ermentarius *qui tamen nec in Martyrologio Saussaii refertur; nec a Joanne Chenu, nec a Claudio Roberto* Sanctus *appellatur.*

Felicianus Abbas. MS. *Florar. Ignotus hic nobis.*

Salomon pœnitens, in Claustro, sive Hemmenrode. *Chrysostomus Henriquez in Menol. Cisterc. ex Cæsario lib.* 11, *cap.* 31, *sed non videtur ut* Beatus *coli.*

Philippus Berrujerius, ex Episcopo Aurelianensi Biturcensis Archiepiscopus, *a Demochare et Joanne Chenu* Sanctus *appellatur,* Beatus *a Claudio Roberto et Carolo Saussaio, qui lib.* 11 *Annal. Eccles. Aurelian. ejus vitam describit. Sed quod Andreas Saussaius, qui nuper Martyrologium Gallicanum edidit, solum piis illum adnumeret, eum hic omittimus.*

Petrus, monachus cœnobii S. Mariæ de Caduno, in diœcesi Sarlatensi, *in Kalendario Cisterc. et in Menologio Chrysostomi Henriquez refertur hoc die, et* Beatus *appellatur. Recensetur et ab Hugone Menardo, in altera appendice ad Martyrol. Benedictinum, ex antiquo Missali ante* 100 *annos edito, inter* Sanctos *et* Beatos *ordinis Cisterciensis. Andreas Saussaius solum Piis illum accenset.*

Urraca fundatrix monasterii de Avia, Ord. Cisterc. in Hispania. *Idem Henriquez in Menol. Cisterc. Neque hæc an colatur comperimus.*

S. Egwinus, Episcopus Wigorniensis. *Ferrar. de eo agemus* XI *Januar.*

S. Agretius Confessor. *Maurolyc. Martyrol. Germanic.* MS. *Florar. Martyrol. Colon. antiquum, et Carth. Colon. in Addit. ad Usuard. sed in quibusdam* Agetius *dicitur. Ignotus alibi, nisi sit* S. Agritius Trevirensis, *de quo* XIII *Januar.*

Festum sanctissimi nominis JESU, *ab Ecclesia Bruxellensi celebrari officio duplici consuevit Dominica intra octavas S. Gudilæ, ut patet ex veteri illius Ecclesiæ Breviario : a pluribus Ecclesiis agitur, ut infra dicemus* XV *Januar.*

S. Antonii magni reliquiarum translatio *facta hoc die Arelate, e cœnobio Montis majoris ad ecclesiam. S. Juliani Martyris : ut tradit Saussaius in Martyrol. Gal. Nos infra* XVII *Januar.*

S. Speusippus,
S. Eleusippus, — tergemini,
S. Meleusippus, — Martyres. *Saussaius in supplemento Martyrologii Gallicani. Acta eorum dabimus* XVII *Jan.*

S. Leonilla avia,
S. Junilla,
S. Neon, exceptor,
S. Turbo, codicilli Auctorum custos,

S. Polyeuctus, Martyr, Melitinæ in Armenia. *Menolog.*

log. Menæa; Surius. Nos XIII *Februar.*

S. Concordia Martyr Tuscanæ in Tuscia, ubi sacræ ejus reliquiæ asservantur. *Ferrarius in generali Catalogo Sanctorum. Iterum* XXII *Februarii refertur a Beda, Rabano, Notkero, et aliis* S. Concordia, *Romæ in via Tiburtina trucidata; quam eandem arbitratur Galesinius, quæ in Actis S. Laurentii nutrix S. Hyppolyti dicitur. An et quomodo hæ tres* Concordiæ *differant non comperimus. Forte quid certius postea nanciscemur et dicemus, vel* XXII *Februarii, vel* XIII *Augusti.*

S. Eulogii Presbyteri, S. Leocritiæ Virginis, Martyrum, Translatio *hoc die facta, atque a nonnullis Hispanicis Ecclesiis celebrari, traditur. Eam referemus, cum de eorum agemus martyrio; Eulogii quidem* XI *Martii.*

Leocritiæ *vero* XV *Martii.*

S. Simeonis Trevirensis Confessoris translatio, *hoc die consignatur in Martyrologiis, Germanico, et Coloniensi,* MS. *Florario, et Carthusian. Additionibus ad Usuardum. Contigit anno* 1400. *De ea agemus ad ipsius Sancti vitam* I *Junii.*

S. Henricus, Episcopus Wintoniensis in Anglia. *Galesin. Ferrar. Martyrol. Germanic. At Martyrol. Anglicanum, aliique auctores eum tradunt obiisse, quo de eo agemus* VI *Augusti.*

S. Foillanus, Abbas et Martyr. MS. *Kalendar. ord. S. Benedicti. De eo nos* XXXI *Octob.*

S. Eucharius, Episcopus Trevirensis. MS. *S. Martini Treviris. Nos* VIII *Decemb.*

S. Judoci Translatio. *Martyrol. Anglic. Refertur et in quibusdam Belgicis* MSS. *Kalendariis. De ea agemus in vita ejus* XIII *Decembr.*

VITA S. PASCHASIÆ VIRG. MART.

DIVIONE IN BURGUNDIA.

Ex antiquis recens collecta a Petro Francisco Chiffletio, Societatis Jesu Presbytero.

SUB M. AURELIO. IX JANUARII.

Auctor Chronici S. Benigni Divionensis, qui se et patria Salinensem, et in Benigniano monasterio monachum fuisse significat, suumque opus conclusit in anno a Christi Incarnatione secundo et quinquagesimo supra millesimum (quo anno Halynardum ex Abbate S. Benigni Lugdunensem Archiepiscopum Romæ exstinctum refert) de S. Paschasia in Willelmo Abbate sic pronuntiat: Hæc a S. Benigno edocta, et baptizata, post ejus martyrium sævitia paganorum rapta est ad supplicium : cumque immobilis in fide Christi persisteret, primo carceris afflicta squalore, postea pro confessione Deitatis, sententia fuit multata capitali; ut quædam vitrea antiquitus facta, et usque ad nostra perdurans tempora, eleganti demonstrabat pictura. Passa est igitur eodem, quo et Benignus, Aurelio imperante. Supplicii genus, et sepulturæ locum declarat idem auctor, haud longe ab initio sui Chronici, cum ait: In hujus sepulturæ ultimis finibus, ad Occidentem, corpus S. Benigni post martyrium positum fuit a B. Leonilla; ædificata super eum humili opere crypta, prout permisit temporis angustia. Juxta illam cryptam jacuit S. Paschasia, et ipsa per ignem martyrio consummata. Cujus ergo animus illo igne Spiritus sancti arserat, quem venit Dominus Jesus mittere in terram, et voluit vehementer accendi, ejus quoque corpus (ne quid ad holocaustum deesset) elementaribus flammis absumptum est.

S. Paschasia in ignem conjecta.

2 Cum autem B. Gregorius Lingonensis Episcopus, sexto post Christum labente sæculo, super S. Benigni corpus, sibi divinitus revelatum, sacram ædem excitaret, visa est Paschasia opus urgere, ac structoribus ad perficiendum animos addere; ut grata Virgo illius se cultum in terris curare ostenderet, a quo se in Christo genitam, adeoque in cælum deductam meminerat. Rem gestam narrat S. Gregorius Turonensis, lib. de gloria Confessorum, cap. 43. Est haud procul et alia basilica, inquit, in qua Paschasia sancta quiescit. Hæc fertur apparuisse structoribus basilicæ S. Benigni Martyris, qui secus habetur, hortans ut opus cœptum insisterent, scirentque, se Martyris adjutorio adjuvari : quæ in basilicam suam regressa, nusquam comparuit. Et pluribus libro de gloria Martyrum cap. 31. In proximo autem est et alia basilica, in qua Paschasia quædam religiosa veneratur. Nam visum est eo tempore structoribus, quamdam anum egressam fuisse ab ipsa basilica, nigra veste, cygneo capite, vultuque decoro, quæ sic affata est structores : Eia, dilectissimi, perficite opus bonum : eleventur machinæ, quibus erigitur hæc structura. Et merito acceleratur, quæ talem habet executorem : nam si permitteretur, ut vestrorum oculorum acies contemplaretur, nempe videretis vobis operantibus Sanctum præire Benignum. Hæc effata, basilicam, de qua egressa fuerat, ingrediens, nulli ultra comparuit. Autumabant enim ejus temporis homines, Beatam ibi apparuisse Paschasiam.

Apparet extruentibus templum S. Benigni.

3 Quo deinceps loco fuerit Paschasia, quove in honore apud Divionenses, docet scriptor Benigniani Chronici supra laudatus; cum enim anno Verbi Incarnati primo et millesimo, Indictione XIV, Willelmus Abbas S. Benigni, et generis splendore, et morum integritate conspicuus, S. Benigno Martyri, novo opere basilicam, columnis marmoreis insignem exstruxisset, e quinque in ea fundatis altaribus tertium B. Paschasiæ nomine dedicatum est. Quinque sane, inquit, in ea continentur altaria; primum in honore ipsius S. Benigni est consecratum: secundum in memoria S. Nicolai, et omnium Confessorum : tertium in veneratione S. Paschasiæ Virginis, quæ ibidem quiescit, et omnium Virginum: quartum in S. Irenæi, et omnium Martyrum : quintum sub nominibus sanctorum Confessorum et Abbatum, Joannis, et Sequani, atque Sancti Eustadii Presbyteri ibidem quiescentis. Hæc erant inferioris tantum cryptæ altaria; alia enim quamplurima reliquæ templi partes capiebant.

Altare ei erectum.

4 Id ædificium vetustas denique abolevit, sed non Paschasiæ generosæ Virginis memoriam : nam quæ hodie stat Divi Benigni ædes, anno Christi MCCLXXXVII, ab Hugone, cognomento de Arcu, ejusdem monasterii Abbate exædificata est: vigetque etiamnum in ea S. Paschasiæ cultus, adscriptus in antiquis S. Benigni Kalendariis ad nonam diem Januarii. Et Divionensium religionem aliæ quoque Ecclesiæ imitatæ sunt. In Martyrologio manuscripto Franciscanorum Salinensium sic habetur : V Id. Januarii, S. Paschasiæ Virginis, cujus venerabile corpus quiescit Divione, in ecclesia S. Benigni. Idipsum notatur postridie, nempe IV Id. Januarii, in Martyrologio monasterii Golliani Canonicorum regularium S. Augustini prope Salinas. Sed in dubio, standum potius reor a domesticis Benignianorum commentariis.

Nomen in fastis sacris.

5 *Hæc Chiffletius Noster. Meminerunt S. Paschasiæ*

Elogium ex Saussaio.

IX *Januarii præter citatos auctores, Petrus Galesinius, Philippus Ferrarius. Martyrol. German. Molanus in Addit. ad Usuardum, his verbis :* Divione S. Paschasiæ Virginis. *Fusius Saussaius :* Divione, *inquit*, Natalis S. Paschasiæ Virginis et Martyris : quæ a S. Benigno Burgundiæ Apostolo Evangelica veritate illustrata, post ejus gloriosum agonem, ibidem Christi fidem, eximia sua sanctitate et zelo pietatis intensissimo, plurimum propagavit. Quamobrem ab impiis dire exagitata, atque squalore carceris inediaque diu afflicta, demum cum nullis minis ac terroribus a puro numinis cultu abduci posset, quin potius multos suæ admirandæ patientiæ et fortitudinis inspectores a spurcissima idolorum religione revocaret, capitis damnata, atque in rogum vehementem conjecta, inter furentes flammarum globos, Christi redemptoris venerabile nomen, majori quam igneo ardore prædicans ac collaudans, purissimam animam efflavit. *De S. Benigno agemus* 1 *Novembris. B. Willelmi Abbatis vitam dedimus* 1 *Januarii.*

Ex variis.

DE SANCTIS MARTYRIBUS AFRICANIS

EPICTETO, QUINCTO, SECUNDO, JUCUNDO,

SATURNINO, VITALE, QUINCTO, VINCENTIO,

FELICITATE, ITEM QUINCTO, FELICE, ARTAXE, FORTUNATO,

RUSTICO, SILLO, QUIETO, PICTO, ET ALIIS QUINQUE.

IX Januarii.

Horum Sanctorum Martyrum Acta intercederunt, nomina in martyrologiis extant. Vetustissimum MS. *S. Hieronymi :* In Africa Epicteti, Quincti, Secundi, Jocundi, Saturnini, Vitalis, Quincti, Vincentii, et Felicitatis, item Quincti, Felicis, Artaxis, Fortunati, Rustici, Silli, Quieti, et aliorum sex. *Unum ex his sex esse existimamus* S. Pictum, *qui in perveteri Kalendario* MS. *monasterii S. Maximini Treviris, ita refertur :* Et S. Picti. Et S. Saturnini, in Africa, MS. *Rhinow :* In Africa Epicteti, Jocundi, Saturnini, Vitalis, Felicis, Fortunati. *Rabanus et* MS. *S. Maximini Treviris :* Natale Epistici, Jocundi, Secundi, Saturnini, Vitalis, Felicis, Rustici, Quincti, et Artaxes, *(Rabanus uno verbo* Etartaxes*)* Fortunati. *Martyrol.* MS. *Lætiense :* In Africa natale Sanctorum Jocundi, Quinti, Firmini, Saturnini. *At* Firminus *Sanctis Smyrnensibus adjungitur ab aliis, ut titulo sequenti dicemus.* MS. *Martyrol. Adonis monasterii S. Laurentii Leodii :* In Africa Epicteti, Jocundi. Item..... et S. Saturnini. MS. *Florarium :* In Africa Epicteti et Jocundi. Item S. Saturnini. MS. *S. Martini Tornaci :* In Africa natalis Epictiti, Jocundi, Quincti. *Carthus. Colon. in Addit. ad Usuard.* In Africa, Jocundi, Quinti, Saturi *(forte* Saturnini) Martyrum. *Galesinius :* In Africa sanctorum Martyrum Epitheti (*in Notis* Epitectum *vocat*) et Saturnii, *citat* MS. *codicem. Quidam ex his commemorantur quoque in antiquissimo Hibernico martyrologio conventus Dungalensis.*

2 *Martyrologium Romanum :* In Africa sanctorum Martyrum Epicteti, Jucundi, Secundi, Vitalis, Felicis et aliorum septem. Fuit, *inquit Baronius in Notis ad Martyrologium Romanum*, Epictetus Episcopus Assuritanus in Africa, ad quem extat S. Cypriani epist. 64. Passus est cum sociis sub Decio Imperatore. *Ita ille. Eum ad quem scribit Cyprianus, Episcopum Assuritanum fuisse conjicit Pamelius; Cyprianus tantum* fratrem *appellat. Nec est argumentum, quo probemus* Epictetum *illum esse, qui hoc die colitur.*

DE SANCTIS MARTYRIBUS SMYRNENSIBUS

VITALE, REVOCATO, FORTUNATO,

FIRMO, SIVE FIRMINO, POSSESSORE. JANUARIO,

SATURNINO.

IX Januarii.

Horum tres Vitalis, Revocatus, Fortunatus, *plerisque Martyrum tabulis adscripti. Usuardi editio Parisien. an* 1536. *Carthusiani Colon. Molanus :* Apud Smyrnam SS. Vitalis, Revocati et Fortunati. *Consentiunt Bellinus, Maurolycus,* MS. *S. Lamberti Leodii, et alia* MSS. *in quibus* et Martyres *appellantur, ut et in Martyrol. Romano :* Smyrnæ Sanctorum Martyrum Vitalis, Revocati, et Fortunati. MS. *S. Richarii :* In Asia apud Smyrnam SS. Vitalis, Revocati, et Fortunati. *Hos tres Martyrolog. Germanicum* Levitas *appellat, Ghinius* Diaconos : *quod soli* Fortunato *tribuunt* MSS. *complura Usuardi Martyrologia, ad usum variarum Belgicarum Ecclesiarum aucta, uti et editio Lubecensis an.* 1475. MS. *Florar. Sanct.* Apud Smyrnam Natale SS. Vitalis, Revocati, et Fortunati Diaconi, *additur* Martyrum *in veteri Martyrol. Coloniensi. Galesinius priorem* Episcopum, *alios* Diaconos *ait fuisse.* MS. *Martyrologium secutus :* In Smyrna sanctorum Martyrum Vitalis Episcopi, Revocati et Fortunati Diaconorum. *De his quoque Wandelbertus :*

Quinto Vitali, Fortunato, et Revocato.

2 *De aliis dubium,* Smyrnæ *an* in Africa *obierint, nisi fortassis error est in Usuardo ita scribente :* In Africa sanctorum Martyrum Revoluti et Firmini, cum aliis tribus. S. Firminus *Martyribus Africanis supra relatis adjungitur in Martyrologio* MS. *Lætiensi : ubi* Revocatus *dicitur, qui Usuardo* Revolutus. *Reliqui in antiquissimo* MS. *S. Hieronymi exprimuntur,* et Smyrnæ *quidem cum aliis :* In Smerna Revocati, Firmi, Possessoris, Januarii, Saturnini. MS. *S. Martini Tornaci :* In Smyrna Revocati, Firmini, Saturnini. *Unicum retinemus* Revocatum, *qui in prioribus* Vitali et Fortunato, *in posterioribus* Firmo, *seu* Firmino, Possessori, Januario, et Saturnino *adjungitur. Cetera nos latent, cum nusquam acta reperiamus.*

3 *Quæri tamen fortasse potest, an non* Vitalis et Fortunatus *iidem sint, quos titulo præcedenti Martyribus Africanis annumerant Martyrologia* MSS. *S. Hieronymi, Rhinow. S. Maximini, et Rabanus, ideoque in* MS. *S. Hieronymi hic omittantur. Martyrol. Rom. duos agnoscit* Vitales *Africanum, et Smyrnensem. Duo quoque*

Ex variis. *quoque* Fortunati, et Saturnini *statuuntur in Martyrol.* ms. *S. Hieronymi. In Kalendario Mediolanensi coluntur* SS. Vitalis et Saturninus Martyres. *Sed Smyrnæine sint, an Africani, an alii, non liquet.* Revocatus, Firmus, Possessor cum duobus sociis, *in martyrologio S. Hieronymi iterum* x *Januarii referuntur, iidemne an ab his diversi, quis e solis nominibus judicabit?* ms. *Rhinow eodem* x *die :* In Sirmis Revocati. In Africa Firmi. *Quid illud* Sirmis? *an Smyrnæ, an Sirmii?*

DE S. MARCIANA, VIRGINE MARTYRE.

CÆSAREÆ IN MAURITANIA.

Sub Diocletiano. IX Januarii.

Acta S. Marcianæ *vulgata sunt hactenus a Bonino Mombritio tom.* 2. *Zacharia Lippeloo tom* 1, *de vitis Sanctorum, Auctore Agonum Martyrum edit. Parisiis, Vincentio Bellovacensi lib.* 13, *speculi historialis cap.* 36 *et* 37. *Petro de Natalibus lib.* 2, c. 58, *et Italice a Silvano Razzi tom.* 1, *de vitis illustrium feminarum, sed in compendium contracta. Eadem ex veteri* ms. *submisit nobis Parisiis vir humanissimus Andreas Duchesnius, quæ hic edimus, collata cum* ms. *S. Mariæ de Ripatorio, et citatis ante auctoribus. Extant eadem* mss. *in codice membraneo ac pervetusto bibliothecæ monasterii S. Bernardi extra muros Toletanos, e quibus partem hujus historiæ allegat Franciscus Bivarius in suis ad L. Dextri Chronicon commentariis ad an. Chr.* clv. *Addimus Actis hymnum sacrum, quem ex Breviario Gothico Ecclesiæ Toletanæ refert idem Bivarius, qui per omnia ipsis actis concordat. Citantur etiam a Baronio in Notis ad* xii *Julii, præter hunc hymnum, ex eodem Breviario* capitula *quibus etiam martyrium egregie describatur, quæ non vidimus.*

Acta S. Marcianæ.

2 *Quæ circa hæc* S. Marcianæ *Acta controvertiqueunt, isthæc fere sunt : E qua regione fuerit oriunda, quo loco ac tempore martyrium subierit. Razzie* Suevia *nescio qua, oriundam scribit, non probat.* Insuegritana *appellatur a Petro de Natalibus, et Vincentio Bellovacensi.* Sueguritana, *a Mombritio.* Rusueguritana *in* ms. *Duchesnii, quæ coincidunt; et forte* Rusuccuritana *legendum. Est enim* Rusuccuritanus Episcopatus in Mauritania Cæsariensi, *ex quo ad Collationem Carthaginiensem anno Christi* cdxi *convenerunt* Fortunatus *Episcopus Catholicus,* et Optatus *Donatista, de quibus agitur cognitione* i, *cap.* 135 *et* 176. *Et ab Hunnerico Rege Wandalorum ejectus in exilium* Mercur *Episcopus Catholicus* Rusuccuritanus *anno* cdlxxxiv, *ut indicat Notitia Provinciarum Africæ a Jacobo Sirmondo edita.*

Ex Mauritania oriunda.

Martyrium passa Cæsareæ Mauritaniæ.

3 *Hæc e vicino martyrii loco probabiliora fiunt. Legitur enim in Actis* Cæsaream *venisse, ibidem vixisse, et obiisse. Est autem* Cæsarea *hæc totius Mauritaniæ Cæsariensis metropolis, cujus meminerunt Plinius, Ptolemæus, Mela, nummi Claudii apud Ortelium, Possidonius in vita S. Augustini. Ejus Episcopus Catholicus* Doutrius *fuit in collatione Carthaginiensi, et refertur cognit.* i, *cap.* 142. *Memoratur infra hujus.* Cæsareæ porta Typasitasina; *quo loco* Tipasitana *forte est legendum, ab aliquo vicino oppido, cum* Tipasitanus *Episcopus* Reparatus *ab Hunnerico in exilium missus, e provincia Mauritania Cæsariensi fuerit, in citata Notitia.*

Nomen in Martyrologiis.

4 *De hac* Cæsarea Mauritaniæ *agunt omnia passim Martyrologia, in quibus hoc* ix *Januarii refertur S. Marciana. Vetus Martyrol. Romanum, Beda, omnia quæ vidimus Usuardi excusa et* mss. *exemplaria (præter duo maxime authentica monasterii S. Germani de Pratis) Ado, Bellinus :* ix Januarii : In Mauritania Cæsariensi Marcianæ *(vetus Rom. Martyrol.* Macræ, *Usuardi editio Paris. anni* 1536, Martinianæ) Virginis et Martyris. *Notkerus :* In Mauritania, civitate Cæsariensi, passio S. Martianæ Virginis et Martyris. *Maurolycus :* In Mauritania Cæsariensi S. Martianæ Virginis et Martyris, feris expositæ, et a leopardo discerptæ. *Martyrologium Romanum :* In Mauritania Cæsariensi S. Marcianæ Virginis, quæ bestiis tradita martyrium consummavit. *In nonnullis Kalendariis habetur* Martialis Virgo. *Legitur* et Martialis *in Martyrol.* ms. *S. Hieronymi. Num* Marciana *ea sit, nolumus conjicere.*

Quando obierit.

5 *De tempore martyrii silent Acta. Ad decimam sub Diocletiano et Maximiano motam persecutionem referre videtur Vinc. Bellovacensis. Et consentit Galesinius :* In Mauritania Cæsariensi, *inquit,* S. Marcianæ Virginis et Martyris, quæ Diocletiano Imperatore bestiis exposita, demum a leopardo dilacerata, in summa fidei constantia ad martyrii et virginitatis præmium abiit in cælum, *et in Notationibus :* Coronatur anno Domini ccc, Diocletiano vii et Maximiano vii Coss. *Eadem leguntur in Martyrologio Germanico. Sed anno præcedenti, id est,* ccxcix *Consules fuerunt Diocletianus* vii, *Maximianus* vi. *In Florario* ms. sub Licinio Imperatore *passa dicitur, sub Judice Baudario an. Ch.* cccvii, *quod erat et* ms. *Adonis Martyrologio monasterii S. Laurentii Leodii ad marginem adscriptum, antiqua tamen manu. Hic Baudarius in Actis Budarius appellatur, et potius Judicis assessor fuit quam Judex*

Colitur ab aliis 11 Julii.

6 xi *Julii referunt eamdem duo vetustissima exemplaria* mss. *Usuardi, monasterii S. Germani de Pratis :* In Mauritania Cæsariensi S. Marcianæ Virginis et Martyris. *Eadem habent Martyrologia* mss. *S. Mariæ Ultrajecti, S. Gudilæ Bruxellis, et Bavaricum Bedæ nomen præferens. Nonnullis* Maria *dicitur. Ita eodem die Martyrol.* ms. *S. Donatiani Brugis.* In Mauritania Cæsariensi S. Mariæ Virginis et Martyris. *Carthusiani Colonien. in Addit. ad Usuard.* Apud Cæsaream Mauritaniæ passio S. Mariæ virginis, quæ sub Budari passa est. *Martyrol.* mss. *S. Maximini, Adonis S. Laurentii Leodii, et Florarium clarius eamdem* Marcianam *sub* Mariæ *nomine exprimunt, his verbis :* Eodem die in Cæsarea Mauritaniæ, passio S. Mariæ Virginis, quæ leonem ferocissimum vicit, et ad stipitem ligata, a tauro feroci percussa in mammilla cruore perfusa est : ad ultimum a leopardo uno morsu evulsa anima de corpore exivit. *Martyrol.* ms. *S. Hieronymi :* In Mauritania civitate Cæsarea Marciani, *quo loco* Marcianæ *nomen censemus reponendum. Et quidem* v Idus Julias *occubuisse Marcianam habet* ms. *Duchesnii, alia vero* v *Id. Januar.*

Toleti 12 julii.

7 xii *Julii in Martyrologio Romano ista leguntur :* Toleti S. Marcianæ Virginis et Martyris, quæ pro fide Christi bestiis objecta, atque a tauro discerpta, martyrio coronatur. *Ejus in nullo alio Martyrologio mentionem eo die reperimus. Citat in Notis Breviarium Toletanum, putatque die uno Natalem, altero translationem illius agi. Franciscus Bivarius in commentariis ad Dextri Chronicon, putat duas diversas esse Marcianas; et hanc quidem, quæ* xii *Julii celebretur, esse Catellii filiam, S. Quiteriæ sororem, citatque illa verba Juliani in Chronico :* Marciana passa est Toleti anno clv, aliquanto post sorores xii Julii, *et infra.* Mentio fit alterius Marcianæ in Martyrologiis, et licet obierit a tauro dilacerata, tamen hæc altera longe vetustior est. *Dextri Chronicon anno Christi* clv, *ista habet :* Toleti patitur S. Marciana filia Catellii Reguli Lusitaniæ, sororque octo aliarum Virginum, Ælio et Laterano Coss. *Hunc restituit Bivarius cum in exemplari editionis Cæsaraugustanæ legeretur* Licentius Cos. *et* annus Christi 255. *Queritur idem in commentariis, hujus Acta,* Africanæ Marcianæ *attributa. Verum quo Hispaniensi*

An ab hac Afra diversa.

Hispaniensi potius quam Mauritanæ ea convenire convincat, nihil profert, et quæ in Actis expressa sunt loca, ad Africam pertinere ostendunt. Sed Bivarius in Actis ex MS. *cœnobii S. Bernardi prope Toletum, quæ suo instituto repugnabant, omisit.*

8 *Ludovicus de Anjos in vitis Sanctarum et illustrium Lusitanarum, beneficio Fla. Dextri reperti* Marcianam *Lusitanis vindicat, cujus nomen testatur mulieribus isthic crebro imponi solere. Verum quod asserat* IX, *eam Januarii celebrari, hæc eadem videtur, quæ in Mauritania passa est. Marietta quoque lib. 4, de Sanctis Hispaniæ, cap.* 60, *Marcianam* Virginem et Martyrem *hoc* IX *Januarii coli refert, eamque ex Hispania oriundam. Ita se legere, apud Cardinalem Baronium in Notis ad Martyrol. Romanum; reliqua ignorari, tempus nimirum, locum, genusque martyrii. Sed quam parum hæc considerate scripta sint, loca Baronii satis indicant. De sorore S. Quiteriæ, alibi agemus.*

ACTA

Ex MS. *Andreæ du Chesne.*

a S. Marciana pie vivit.

Erat beata Martyr Marciana civis *a* Rusueguritani municipii, virgo pulcherrima, Deo dicata, nobilis genere; quæ contemptis divitiis ad Cæsaream veniens, accola in cellula sua castitatem custodiens habitabat, *b* et mundanæ conversationis ambitiones et delicias fugiebat. Quadam die visendæ civitatis gratia processit ad publicum, populares incipiens videre conventus, et ignotam se turbis ambulantibus aggregavit. Ante *c* arcus sedenti vocabantur, et sunt proximi portæ *d* Typasitasinæ. In ipsa platea Diana in marmorea stabat statua, sub cujus pedibus aqua per lapides decurrebat in patena marmorea. Quod profanum simulachrum B. Marciana videns, stare non passa est. Nam truncato capite totam confregit *e* statuam.

Dianæ statuam evertit.

f Verberatur.

2 Quod ubi nefarii *f* municipes aspexerunt, statim furore vesano eam cæde maceraverunt, et totum corpus delicatæ puellæ livoribus infecerunt. Sed ubi ad martyrium robusta membra conspiciunt, cum magnis clamoribus usque ad ipsa atria prætorii congeminatis cædibus devotam Deo virginem protraxerunt. Statim pro tribunali inter carnifices sistitur, et ad spectaculum sacrilegæ quæstionis aptatur. Ante interrogationem Judicis Deum confessa est, et inania figmenta damnavit: Nolite, inquit, Deos colere, quos faber artifex fecit ex ligno, aut marmore, aut auro, aut argento, vel ex quolibet metallo. Dii vestri manu hominum facti sunt, et ab ipsis hominibus venerantur. Convertimini ad Deum vivum, qui est creator omnium rerum. Vana simulacra contemnite; scriptum est enim: Dominum Deum tuum adorabis et illi soli servies.

Ultro Christum in judicio confitetur.

Matth. 4. 10.

Prostituta gladiatoribus ter sejungitur muro divinitus constructo.

3 Iratus Judex talibus dictis, Virginem Deo dicatam, quæstionariorum manibus alapis cæsam, in ludo gladiatorio jussit includi: Tradatur, inquit, uni, et serviat plurimis: ut illic et corpus et pertinax animus puniatur. Gaudens beata virgo Marciana ad custodiam venit. Non territa est sola inter tot viros furentes, quia pudicitiam suam Deo custode servabat. Erat unus inter gladiatores nomine Flammeus; huic tradita est, ut captivitatem pudoris nocturno tempore sustineret. Eadem nocte dormientibus cunctis omnibus horis orationem faciens vigilabat. Sed gladiator ille, nomine Flammeus, dum per tenebras ad cubile virginis venire contendit, subito paries angularis lapidea mole constructus est; et gladiator ille suo deceptus errore usque ad matutinam lucem Deo interdicente Virginem non permissus est invenire. Mane autem facto gladiator cum lacrymis rogare cœpit, ut ei veniam daret, et pro eo a Domino veniam peteret, ut de ludo gladiatorio vivus evaderet. Cui sancta Martyr Marciana respondit: Deus meus, qui ancillæ suæ castitatem tueri dignatus est, te eo die quo martyrium sumpsero liberabit. Alia die illud parietis interpositi miraculum omnes populi loquebantur. Qui sermo usque ad aures Judicis venit. Confestim furore succensus, mutari jubet alterum. Traditur alii, et ipsum similiter paries natus a sancto corpore separavit. Tertia die traditur impudico cuidam, natione barbaro, colore nigro, membris valido, gladiatori crudelissimo, veluti in carcere Christi sponsa nuptura. Simile more dum per nocturnas tenebras hostis ille eam conatur opprimere, soliti parietis murus se interposuit, et audaciam feralis gladiatoris repulit et exclusit. Alia die mirabilia Dei et omnis populus et ipse Judex evidenter expavit, et se ab illo ludibrio deprædandæ virginitatis abstinuit.

Ex MSS.

4 Cœpit jam secura virgo de Deo, totam se deputare martyrio. Quadam die in illo ludo inter gladiatores lanista proponitur, et lethalis ictus vulneris edocetur. Subito de *g* Budarii Archisynagogi domo, quæ in vicino fuerat, ab ejus filia vel filiis, vel aliquantorum Judæorum vocibus gravissima exacerbatur injuria, ut Prophetica voce cogeretur precari divinas insultantibus flammas: Hæc domus, inquit, cælesti incendio ardeat, ut in perpetuum reparari non possit, et lapis ipsius ruinæ omnibus ædificiis, ubi fuerit, sempiternam præstet ruinam.

g Irridetura Judæis.

5 Tandem aliquando *h* v Idus Januarii, exoptata passionis dies venit. Primo mane dum gladiatores de more ornati de *i* ludo descenderent in arenam, ut dicta Martyris complerentur, gladiator ille, Flammeus nomine, ex spectantium populorum vocibus fidelem de more accipiens libertatem. Sed multitudo, quæ ad spectaculum confluxerat, clamare cœpit ut Marciana Martyr objiceretur ad feras. Ligatur ad stipitem devota Christi virgo; et dimissus est leo ferocissimus, qui cum magno impetu veniens erectas manus in puellæ pectus imposuit; sanctum corpus Martyris odoratus, eam ultra non contigit. Omnis pene populus mirari cœpit, et Christianam puellam dicere dimittendam. Sed Budarius cum filiis suis et aliquantis Judæis, quos ad studium clamoris collegerat, in seditionem vociferantur, ut taurum Judex produci præciperet. Quo facto, injectis cornibus percussit eam graviter in papillam. Statim de beato corpore cruor exclusus est, et semanimis cecidit in terram. Recepta est intra portarum claustra, et ad aliam coronæ pugnam siccato sanguine revocatur. Tertia vice ad stipitem ligatur. Quæ exclamans, ait: Christe, te video, te sequor, suscipe animam famulæ tuæ: tu mecum fuisti in carcere; tu meam servare dignatus es castitatem. Judex autem amplius irascebatur. Tunc feram homicidam produci jubet. Producitur leopardus ingentissimus et crudelis. Qui exiliens uno morsu evulsa pene omnium membrorum cute, animam Martyris coegit exire, quæ continuo meruit ad cælos ascendere.

h

i

Objecta leoni non lædit:

A tauro vulneratur:

A leopardo occiditur.

6 At ubi devotæ Virginis exivit spiritus a corpore, eo temporis puncto Budarii *k* blasphemi domus, cum omnibus qui ibidem fuerant, divino arsit incendio. Nam etiam a *l* Judæis frequenter domus eadem ædificari tentata est, et semper recidit in ruinam. Multi etiam qui ad structuram saxa collegerant, portare magis sibi visi sunt ad sepulturam. Manet usque hodie de illa domo æterna Martyris beatæ sententia, et in ævum mansura perdurat. Beata Martyr Marciana contempta divitiarum potentia de mundo transivit ad martyrium, de ludo gladiatorio ascendit ad cælum, et consortium meruit Angelorum, cum quibus beata vivit in perpetuum seculum. Amen.

k

Domus Judæi cælitus comburitur,

l

nec potest reædificari.

a Rusuccuritani *forte legendum, ut supra dictum n.* 2, *Mombrit.* in Mauritaniæ Sueguritano. *Vincent. et Pet. de Natal.* Insue gritani. b MS. *Du Chesne* divitias.

c *Idem* MS. arches. *neutrum sat assequimur.*

d *Forte* Tripasitanæ.

e *Patres Concilii Eliberitani an. Ch.* CCCV *statuerunt can.* 60.

Ex variis. Si quis idola fregerit, et ibidem fuerit occisus, in numerum eum Martyrum non recipi. *Verum, ut bene observat Baronius ad* IX *Aprilis, hanc laudem meretur quis, cum Deus id jubet, et privato quodam instinctu ad illud faciendum impellit : uti multos alios fecisse constat, quod hæc ante illud Concilium in Africa fecit.* f MS. *Du Chesne* mancipes.

g *Razzi* Bindarium *appellat. Florar.* MS. *et Ado* MS. *S. Laurentii Leodii* Baudarium.

h *Mombrit.* Idibus Januarii, *Du Chesne* v Idus Julias.

i *Alii* gymnasio. k *Al.* blasphema domus.

l MS. *cœnobii S. Bernardi prope Toletum ;* a Judæis, Budarii parentibus.

VETUS HYMNUS DE S. MARCIANA.

Ex Breviario Eccl. Toletanæ.

Sacræ triumphum Martyris
Celebret vox Ecclesiæ :
Camœna sit cunctis una,
Marcianæ in laudem Virginis.
Ejus gesta. Quæ passionis præmium,
Dum tendit, adipiscitur :
Ultro ad palæstram gloriæ
Audet prompta concurrere.
Hæc namque astantem dæmonis
Cernens, adlisit effigiem ;
Sub cujus larga perpetim
Fluebat unda gressibus.
Mox flagris cæsa, trahitur
Celsa ad Prætoris atria :
Atque ludis *a* illicitis
Prosternit membra Virginis.
Quam prædo pudicitiæ
Dum inter umbras sequitur,
Oblata extemplo cælitus
Secluditur maceria,
Vincta deinde stipite,
Profana voce includitur :
Sed pœnas fert *b* blasphemia,
Ruinas, et incendia.
Emissa namque bestiis,
Leo percurrit percitus,
Adoraturus veniens,
Non comesturus Virginem.
Taurus dehinc prosiliens,
Forma et mugitu horribili,
Sulcabat ejus teneras
Papillas ictu vulnerans.
At fera pernix corpore,
Et maculoso tegmine,
Lethali dente ad ultimum
Membra puellæ laniat.
Post hos triumphos anima
Vinclis elapsa corporis,
Plaudens petit ad libera
Summi poli fastigia.

a Al. Ædilibus *inquit Bivarius.*

b Budarii *nimirum.*

DE SANCTIS MARTYRIBUS
JULIANO, BASILISSA, CELSO, MARCIONILLA,
ANTONIO PRESBYTERO, ANASTASIO, VII PUERIS FRATRIBUS, XX MILITIBUS, QUODAM AMICO PRÆSIDIS, QUAMPLURIMIS EPISCOPIS, SACERDOTIBUS, MINISTRIS ECCLESIÆ, MONACHIS, VIRGINIBUS.

§ I. *De S. Juliani Actis.*

Sub Dioclet. XI Januarii. Joan. 14. 12. *Cum cerneret Dei Filius grave Apostolis imminere, ex suæ mortis infamia, periculum scandali; ita eorum in ultima cœna confirmavit animos, ut juberet miraculorum suorum meminisse, et vel* propter opera ipsa credere ; *certo quoque confidere, fore ut quotquot constanti sibi fide adhærerent, eadem, adeoque et majora, essent edituri. Quæ cum omni ætate, ac præsertim Heroicis illis, adversus Tartareum serpentem depugnantis in ipsis fere cunis suis, Ecclesiæ temporibus, impleta sunt; tum præcipue Diocletiani et Maximiani atroci ac cruenta persecutione tot sunt ac tanta patrata a sanctis Martyribus portenta, ut non hæretici modo, sed et Catholici non pauci, acri cetera judicio viri, existiment prope supra fidem esse quæ de multis narrantur. Sic dæmon nimirum confundi prodigiorum inanium jactator, sic expugnari aut certe convinci hominum contumacia, sic Christi asseri gloria debuit. Illustria comprimis* S. Juliani *et sociorum miracula ac certamina fuere; ut merito* miram *eorum* passionem *dixerit Usuardus.*

Acta Martyrum miraculis plena.

Hæc ab Auctore coætaneo conscripta.

2 *Acta antiquissima extant, et ab iis, qui interfuere conscripta, uti hæc in præfatione num.* 1, *indicant :* Nos quæ vidimus oculis nostris, Sanctorum gesta scripsimus. Unde nobis aliquam portiunculam beatitudinis credimus esse futuram. *Superfuit scriptor, dum, pace Ecclesiæ restituta, sub Magno Constantino, varia Martyribus hisce extruerentur templa, ut in fine nu.* 63, *dicitur; nisi ea ab aliquo dehinc eos adjecta. Acta porro illa, quacumque primum lingua conscripta sint, proximis sæculis Græce Latineque passim vulgata sunt, extantque in plerisque antiquis* MSS. *E quibus olim a Mombritio edita, sed divulsa, sub Juliani ac Basilissæ tom.* 2, *et sub S. Celsi Romani nomine tom* 1. *Nos ea damus, ex pervetusto codice* MS. *quem cum alio itidem perantiquo a M. Velsero ad Rosweydum nostrum misso, sed plurimis in locis mutilo, contulimus, itemque cum* MSS. *S. Maximini, S. Audomari, S. Bertini, S. Mariæ de Ripatorio, et Lætiensi, in quorum aliquibus phrasis subinde diversa, quædam contractius expressa, non sine ingenti quandoque hiatu. Metaphrastes eadem Græce suis tractatibus de vitis Sanctorum inseruit, quorum solum partem tribus prioribus capitibus comprehensam Aloysius Lipomanus Latine versam edidit tomo* 7, *vitarum Sanctorum, nam reliqua in ejus Græco exemplari deerant. Ex Lipomano eam partem edidit Surius, adjecitque reliqua ex codicibus* MSS. *in quibus tamen stylum mutavit. Nos primogenio stylo integra ex* MSS. *citatis damus; a quibus vix sententia discrepat Metaphrastes. Eadem in veteri* MS. *se habuisse notat Baronius ad Martyrol. Romam. et Galesinius,* duos *testatur* perantiquos codices MSS. in Ecclesia Mediolanensi reperiri, quibus tota horum Martyrum vita accurate narratur.

Unde hic edantur.

3 *Cum his Actis omnia passim concordant martyrologia, antiqua Breviaria, et Græcorum Menæa, quæ* §§ *sequentibus fusius citamus, quo fides historiæ tam mirabili certior constet. Adjunximus in eundem finem, quæ de eisdem S. Aldelmus Episcopus Schireburnensis in Anglia (cujus vitam dabimus* XXV *Maii) ante mille fere annos conscripsit soluta oratione lib.* 1, *de Virginitate cap.* 42, *omissis quæ ab eodem lib.* 1, *de laude Virginum, c.* 26, *carmine Heroico enarrantur. Extat hic de Virginitate liber in monumentis Sanctorum Patrum orthodoxographis Basileæ an.* 1569, *excusis, tomo* 5, *Latinorum, sed vitiosus admodum. Accuratior tom.* 4, *bibliothecæ SS. Patrum in prima editione Parisiensi et to.* 3 *, edit.* 2 *et* 3. *Paris. et seculo* 8, *edit. Coloniensis cum*

Descripta etiam a S. Aldelmo.

cum correctionibus Joannis Meursii in margine notatis. Nos præterea usi sumus exemplari MS. *Anglicano seu Anglo-Saxonico, ut ex vocibus quæ subinde interpretationis loco adhibentur, conjicimus, quod flammis iconomachorum ereptum, fuit olim Abrahami Ortelii, nunc Domus professæ Societatis* JESU *Antverpiæ.*

Et variis auctoribus.

4 *Horum gesta Martyrum enarrata quoque sunt, a Vincentio Bellovacensi lib.* 12, *cap.* 106 *et seqq. S. Antonino par.* 1, *histor. tit.* 8, *c.* 1, § 20. *Petro de Natalibus lib.* 2, *c.* 52. *Zacharia Lippeloo, et Francisco Haræo; Gallice a Jacobo Tigeou, Guilielmo Gazeo, Jacobo Doubletio; Belgice a Matthia Lamberti, Henrico Adriani, Heriberto Rosweydo; Italice a Gabriele Flamma, Paulo Morigia lib* 2, *historiæ Religionum cap.* 15. *Sylvestro Maurolyco in Oceano historiæ religionum lib.* 1, *Hispanice ab Alphonso Villegas et Petro Ribadeneira nostro. Villegas usum se scribit antiquo Toletano S. Isidori Breviario, in quo S. Juliani vita et martyrium eleganti admodum stylo, fusius quam aliorum Sanctorum res gestæ percensentur. Indicat vero Baronius extare in eodem illo Breviario sacrum hymnum, quo horum Martyrum Acta egregie describuntur. Addit Villegas jam olim in Hispania celebrem fuisse eorum memoriam, ac varia eisdem dicata templa, quorum unum erat non procul a mœnibus urbis Toletanæ in monasterio Agaliensi ordinis S. Benedicti, ut ex Concilio Toletano XI an. Christ.* DCLXXV *habito patet, ubi isthæc habentur.* Avila Ecclesiæ monasterii S. Juliani Agaliensis Abbas, hæc gesta synodica a nobis definita consentiens subscripsi. *In eo monasterio S. Hildefonsum Archiepiscopum Toletanum, ante fuisse Abbatem dicemus infra die* XXIII *Januarii ad ejus vitam, descriptam a Juliano Archiepiscopo quoque Toletano, quem aliosque complures ab hoc sancto Martyre sortitos nomen existimamus.*

Citata a S. Eulogio,

5 *Eulogius Martyr qui circa an. Ch.* DCCCI *floruit lib.* 1, *Memorialis Sanctorum, in quarta adversus Martyres objectione, horum Acta citat :* Calumniantur, *inquit*, etiam inimici ultroneum ad mortem eorum progressum, quos passim liberalitas Regum suum incoli jusserat Christianismum. Sed præcessit hoc, reor, exemplum in illis septem fratribus, quos gesta B. Juliani commemorant : qui, ideo quod Augustalibus præpollebant natalibus, ex decreto Principum libere exercebant religionis Catholicæ cultum; sed tamen in agone sudantem B. Julianum cernentes, illico ad bellum prosiliunt, et amore martyrii voluntarium obitum expetunt. *Hæc S. Eulogius. Adnotat Ambrosius Morales, horum Acta extare in Sanctoralibus vetustissimis; et in matutinis omnium Ecclesiarum, sed brevitatis aviditate præcisa. Meminit* S. Basilissæ *Venantius Fortunatus Episcopus Pictavensis, qui circa an. Ch.* DLXX *floruit lib.* 8 *de virginitate, carm.* 4 *quod et Ven. Beda lib. de arte metrica citavit :*

et Venantio Fortunato.

Hic Paulina, Agnes, Basilissa, Eugenia regnant,
Et quascumque sacer vexit ad astra pudor.
Felices, quarum Christi contingit amore
Vivere perpetuo nomina fixa libro.

Agitur de gaudiis et spe vitæ æternæ; *quo modo hoc carmen citat Baronius in notis ad Martyrol. qui addit* Basilissam recensitam inter Martyres, licet martyrium non obierit, quia multa graviaque passa est, et dux Martyrum extitit.

§ II. *De variis SS. Julianis. Hujus et sociorum tempus et locus martyrii.*

Quo loco passus sit S. Julianus.

Sancti, *hoc nomine* Juliani *appellati, in solo Martyrologio Romano triginta sex reperiuntur, quibus alios plurimos, ac solo quidem Januario septem* Julianis *Romani Martyrologii totidem aut plures addemus. In tanta ejusdem nominis multitudine aliqua facile suboritur confusio, ne quo quis loco et tempore obierit distincte ordinetur. Atque hic, de quo agimus,* Julianus *ab aliis* Antiochiæ, *sive ea* in Syria, *sive* in Ægypto, *sive alibi statuatur; ab aliis* Alexandriæ Ægypti; *ab aliis denique* Antinoi in Ægypto, *seu* Thebaïde, *scribitur obiisse : ideoque nonnulla aut ei attribuuntur, quæ aliis* SS. Julianis *conveniunt, aut ipsi propria ad alios transferuntur.*

Ex variis.

7 *Martyrologia pleraque Latina* Antiochiæ *passum scribunt, sed ubi illa sita sit, non exprimunt; quamobrem* ἀντονομαστικῶς Antiochiam Syriæ *passim interpretantur recentiores. Addit in Notis ad Martyrol. Roman. Baronius fuisse apud* Antiochiam *celeberrimam ecclesiam nomine* Juliani, *de qua Procopius lib.* 2 *de bello Persico; adjunctumque eidem monasterium, cujus Presbyter fuit impius Nestorius. Quo loco et Baronius et Procopius magnam et celebrem* Syriæ Antiochiam *intelligunt, quam Cosroes Rex Persarum tempore Justiniani Imperatoris diripuit et incendit.* Extra vero mœnia, *addit Procopius,* etiam barbari cuncta incenderunt, præterquam S. Juliani templum, ac domos ei proximas, ubi Legatos divertere contigit. *Græce clarius cœnobium insinuatur.* Ἐνέπρησάντε καὶ τὰ ἐκτὸς τοῦ περιβόλου οἱ βάρβαροι, πλὴν τοῦ ἱεροῦ ὅπερ Ἰουλιανῷ ἀνεῖται ἁγίῳ, καὶ τῶν οἰκιῶν αἱ δὴ ἀμφὶ τὸ ἱερὸν τοῦτο τυγχάνουσιν οὖσαι· τοὺς γὰρ πρίσβεις ἐνταῦθα καταλῦσαι συνέπεσε. *Eo SS. Andronicus et Athanasia (quorum vitam ex Metaphraste dedit Surius* XXVII *Febr. nos vero daturi sumus* IX *Octobr.) leguntur* in diebus Theosii magni Imperatoris extullisse pueros mortuos, et deposuisse in martyrio S. Juliani : *ubi pernoctanti S. Athanasiæ apparuit in habitu monachi, sive Antistitis illius monasterii,* S. Julianus, *consolans eam, ob æternam pueris salutem concessam. Verum hunc locum alteri* Juliano *consecratum fuisse convincitur ex homilia S. Chrysostomi, quæ extat* XLVII *tomo* 3, *editionis Græco-Latinæ a Frontone Ducæo nostro concinnatæ. Inscribitur ea in codice* MS. *Regio Henrici II et Bavarico.* Εἰς τὸν ἅγιον μεγαλομάρτυρα Ἰουλιανόν; *et in codice,* MS. *Medicæo præfixum habet* XXI *diem Junii quando Græci potissimum celebrant S. Julianum Cilicem, qui in Martyrol. Romano* XVI *Martii etiam dicitur in Cilicia, post diutissimos cruciatus, in sacco cum serpentibus inclusus, in mare demersus esse; quæ eadem in illa homilia referuntur ut istic ostendemus : in qua etiam mentio fit templi huic Sancto extra urbem Antiochenam dicati, et ejusdem reliquiis locupletati. De quo in Menæis et Anthologio Græcorum* XXI *citato Junii additur* τοῦτον καὶ ὁ μέγας Χρυσόστομος ἐγκωμίοις ἐτίμησεν. *An et quo modo ab hoc diversi sint* S. Julianus Flaviade *in mare submersus, cujus corpus ab undis ad insulam Propontidis Proconnesum delatum, atque inde Ariminum translatum est; et* S. Julianus *Flaviobrigæ in oceanum Hispanicum, apud Fl. Dextrum projectus, ibidem dicemus. Huic nostro instituto sufficit ostendisse homiliam S. Chrysostomi, templum et monasterium suburbanum Antiochiæ, ad hunc* Julianum *non pertinere. Secus opinandi inde fortassis orta occasio, quod inscriptio homiliæ utrique et* Juliano *et* Martyri *conveniat, quodque idem huic et Cilici illi adscriptus Præses Marcianus in Menæis et martyrologiis, cujus tamen non meminit S. Chrysostomus.*

Num Antiochiæ Syriæ.

Alterius isthic Juliani templum.

De utro sit S. Chrysostomi homilia.

8 *Præterea eodem* XXI *Junii, quo ille Cilix* Julianus *colitur in Menæis et Anthologio, hic S. Basilissæ sponsus celebratur in Menologio, et perperam additur eum illa homilia S. Chrysostomi celebratum. Verba Menologii sunt :* Certamen Juliani in Ægypto. Hic fuit sub Diocletiano Imperatore et Marciano Præside in urbe Ægypti Antinopoli, qui monasterio illo magno decem millium monachorum congregato, detentus a Præside et Christum confessus, fustibus cæsus; ejusque ovile, et monachi una cum Episcopis et Sacerdotibus fugientibus aufugerunt. Sanctus vero Julianus non verberibus, non carcere, nonnullis tormentis, non ipsa denique morte detineri potuit, quo minus pro Christi confessione sanguinem effunderet. Hunc et magnus Doctor

Ex variis.

Doctor Chrysostomus encomiorum honore celebravit. *Hæc in Menologio verba ultima, quibus passus in Ægypto* Julianus, *a Chrysostomo laudatus dicitur, ab illo* S. Juliano *Cilice ad hunc non recte translata e Menæis, quorum verba Græce paullo superius citavimus; ut etiam in annotationibus suis ad hanc S. Chrysostomi homiliam observavit Fronto Ducæus. Aliter de verbis Menologii citatis sentit Baronius in Notis ad* XVI *Februarii quo die refertur a Beda, Usuardo, Adone, Bellino, aliisque Martyrologiis* MSS. *et Romano.* S. Julianus *Martyr in Ægypto cum aliis quinque militibus interfectus, quem Maurolycus, Galesinius, Ferrarius, Martyrol. German.* Episcopum *scribunt, et socium martyrii habuisse* Diaconum Joannem, *de quibus istic pluribus. Verba Baronii in Notis sunt hæc :* Græci in Menologio de ipso *(S. Juliano)* agunt die XXI Junii, ubi et brevi compendio certamen ejus describunt, passumque esse in persecutione Diocletiani sub Marciano Præside, eumque a S. Joanne Chrysostomo celebri oratione laudatum ibidem testantur. *Verum in Menologio de hoc* S. Juliano *sponso S. Basilissæ agi verius est, quem eo die solemni officio celebrat Ecclesia Mediolanensis, ut* § 3 *dicetur. Deinde constat eum monasterium decem millium monachorum congregasse; sub Diocletiano Imperatore et Marciano Præside, fustibus cæsum, verberibus, carcere, aliisque tormentis vexatum pro Christo sanguinem fudisse. Eumdem Græci in Menæis, ut infra patebit, tradunt in Ægypti urbe Antinoo vixisse, monasterium extruxisse, in quod Episcopi ac Clerici illius provinciæ confugerunt, atque eo jussu Marciani incenso, omnes per ignem martyrii palmam adepti sunt.*

An passus Antinoi in Ægypto S. Julianus.

9 *Alius* XXII *Junii* Julianus *Martyr Antiochiæ celebratur in Martyrologiis variis* MSS. *et apud Notkerum, a quo socius scribitur Agathalicæ, Graphi et* DCCCXIV. *In Martyrol.* MS. *S. Hieronymi :* In Antioch. Syriæ Gangali, Juliani, et aliorum DCCCLXXVIIII. *De iis* XXII *Junii. Tantum observandum, ibidem in Martyrol. S. Hieronymi exprimi* Antiochiam Syriæ; VI *Januarii, quo horum memoriam celebrat sic legi :* In Antiõ passio Sanctorum Juliani et Basilissæ, *quo tam* Antinous *quam* Antiochia *posset intelligi. Nolumus de ceteris Julianis plura congerere, ne tenebras potius quam lucem lectori offundamus. Ex jam dictis facile quivis intelligit, necdum solidum adferri argumentum, quo hi in Syria passi ostendantur : proferri solummodo, id suspicandi occasionem, quod alii istic* Juliani *aut pro Christo Martyres occubuerint, aut alibi occisi eo translati, meruerint templa suo nomini erigi. Mirum autem est, si Antiochiæ in Syria sunt passi. S. Chrysostomum in suis sermonibus tam illustrium Martyrum non meminisse, aut ab eo* S. Julianum *Cilicem in citata homilia cum hoc non conferri. Silet præterea de eisdem Eusebius Pamphili, non procul inde Episcopus Cæsareæ Palæstinæ.*

Tertius S. Julianus Martyr Antiochiæ Syriæ.

10 *Præter hanc celeberrimam Syriæ Antiochiam plures ejusdem nominis urbes fuere, quarum tredecim enumerat Stephanus, quatuordecim Eustathius; solum Seleucum Antiochi filium in suis ditionibus sexdecim condidisse auctor est Appianus in Syriacis. Plures autem se ex classicis auctoribus colligere profitetur Ortelius. Nec mirum foret uni Antiochiæ attribui Sanctos, qui in alia pro Christo occubuissent. Duarum fere mentionem tantum reperimus in tabulis Martyrum Ecclesiasticis,* Antiochiæ Syriæ *Sedis Patriarchalis, et* Antiochiæ Pisidiæ *urbis Metropolitanæ sub Patriarchatu Constantinopolitano; etsi plures Sede Episcopali fuerint celebres, uti* Antiochia Mæandri *in Caria sub Stauropolitano Metropolita,* et Antiochia parva *sub Seleuciensi. Sed iis omissis hanc nostram Antiochiam inquiramus. Martyrol.* MS. *monasterii S. Maximini prope Treviros pervetustum, et Rabanus Maurus, qui ante annos* DCCC *floruit, in suo Martyrol.* XIII *Januarii de hisce Sanctis, ut infra dicetur* § 3, *n.* 19, *nominant* Antiochiam Ægypti. *Consentiunt eisdem Acta in plerisque et præcipuis* MSS. *Nec puto Ægypto defuisse urbes hoc nomine appellatas, cum apud Ptolemæum lib.* 4, *cap* 7, *tab* 4, *Africæ reperiatur* Αντιόκου Σωλήν, Antiochi Solen, *locus Æthiopiæ sub Ægypto ad sinum Arabicum. Verum ab auctoribus in varias itum est sententias, quod nulla ab aliis auctoribus Ægypto tribuatur Antiochia. In quibusdam* MSS. *hic nominatur* Antiochia Syriæ, *a Metaphraste apud Lipomanum et Surium* regio Orientis, *a S. Althelmo* Alexandria Ægypti, *a Græcis in Menologio et Menæis* Antinopolis, Αντινόου πόλις in Ægypto, *quæ a Stephano* Αντινόεια *scribitur, a qua unico tantum charactere differt* Ἀντίοχεια; *ut apud locorum imperitos pronum fuerit* Αντινόειαν *minus natam rejici, et substitui* Αντιόχειαν. *Fuit hæc Antinoia, seu Antinopolis, urbs primæ Thebaidos, ut ex Chronico Victoris Tunnunensis, post Cos. Basilii* XIV *liquet, atque Episcopalis ut annotavit Miræus lib.* 1, *Notitiæ Episcopatuum, cap.* 11, *De urbibus Thebaidos celebrioribus ita Ammianus lib.* 22 : Thebais multas inter urbes, clariores aliis Hermopolim habet et Copton, et Antinoon, quam Adrianus in honorem Antinoi ephebi condidit sui. *De quo legendi Spartianus in Adriano, et Dio lib.* 69. *Eusebius in Chron. et Baronius in Notis die* 22 *Sept. cum de S. Iraide Virg. et Mar. et tom.* 2, *Annal. an. Ch.* 132, *num.* 8. *Ab Adriano dicta eadem Adrianopolis; sita in dextra Nili ripa, nomo Antinoite, media fere inter Babylonem, quæ Cairus dicitur, et Copton, urbes nostra quoque tempestate celebres. Hæc de loco.*

Plures urbes Antiochiæ *appellatæ.*

11 *Tempus martyrii clarius exprimitur:* sub persecutione Diocletiani et Maximiani, *in qua fidelium terræ Coptæ martyrio coronati sunt centum quadraginta quatuor millia; septingenta autem in exilium acta : ut Ignatius Patriarcha Antiochenus a Scaligero consultus respondit in quadam epistola Arabica, quam refert etiam Athanasius Kircherus noster in Prodromo Copto, sive Ægyptiaco, cap.* 2, *ubi multis ostendit Coptos Ægyptios, et Æthiopes Abissinos, ab hac persecutione annos numerasse, quos* gratiæ et misericordiæ, et a transitu Martyrum elapsos *appellant. Scribit idem cap.* 8, *inter codices Arabicos collegii Maronitici Societatis* Jesu *Romæ extare Martyrologium Copticum, in quo Sanctorum Orientalis Ecclesiæ vitæ juxta dies* XII *mensium Coptorum descriptæ spectantur, quas Latinæ Ecclesiæ huc usque ignotas, publico aliquando donandas speramus, e quibus huic nostræ fortassis disputationi lux affulgeret. Eodem etiam tempore ad mare rubrum in Ægypto et Arabia extitisse monasteria cœnobitarum infra dicemus* XIV *Januarii in actis SS. monachorum Martyrum in Sina monte, et in Raithu ad mare rubrum. Antonius quoque jam tum monasticam vitam agebat..*

Dira sub Diocletiano persecutio in Ægypto.

§ III. *Memoria in fastis,* VI, VII *et* VIII *Januarii.*

Juliani et sociorum celebris in Martyrologiis memoria : 6 Januarii.

Sexto *Januarii, quo* S. Julianus *et socii coronam reportarunt martyrii, eorum memoriam celebrat Martyrol. S. Hieronymi :* In Antiõ passio SS. Juliani et Basilissæ, in India Celsi, Juliani : *ubi non dubium a librarii oscitantia mendum. Martyrol. pervetustum Dom. Prof. Soc.* Jesu *Antverpiæ, et Martyrol.* MS. *S. Donatiani Brugis :* In civitate Antiochia natale SS. Juliani Martyris, Basilissæ, et Celsi pueri, et Martianillæ matris ejusdem, et Antonii (*alterum* MS. Antonini) Presbyteri, et Anastasii, sub Martiano Præside, *additur in priori :* tempore Diocletiani et Maximiani. *Martyrol.* MS. *S. Richarii :* Antiochiæ passio SS. Juliani, et Basilissæ, et Celsi pueri, et Marcianillæ matris ejusdem, et Antonii Presbyteri, et Anastasii, tempore Diocletiani. MS. *S. Martini Tornaci, et* MS. *Lætiense :* In Antiochia passio S. Juliani, et S. Basilissæ sponsæ ejus, quam Deus in pace orantem suscepit, et Celsi pueri, sub Martiano Præside, tempore Diocletiani et Maximiani. *Additur solum in* MS. *S. Martini :* Qui Julianus post flagella et catenarum nexus, variasque tortiones, præfatum puerum, nomine

mine Celsum, filium Præsidis convertit: eorumque postmodum custodes, et matrem pueri, uxorem ipsius Præsidis. Postea vero missi in carcerem, ceteris trucidatis, videlicet viginti militibus, et septem germanis, Julianus ad audientiam, et cum filio mater, et Antonius Presbyter, et ille quem S. Julianus de morte suscitaverat, reservati sunt. Postea jussit Præses S. Juliano et Celso puero cutem capitis auferri; Sancto vero Antonio Presbytero, et Anastasio qui suscitatus fuerat, oculos erui. Sanctam autem Marcianillam matrem pueri Dominus defendit; ne tangi posset. Sed post talia tormenta cum sani essent inventi, gladio fuerunt addicti. *Florar.* MS. Passio S. Celsi pueri, filii Præsidi Antiocheni. Hic matrem suam Marcionillam convertit, et cum ea martyrium sustinuit. *Ferrarius in catal. Sanct. Italiæ ex tabulis Ecclesiæ Parentinæ (est autem Parentium civitas Istriæ) tradit ibidem coli hoc die* Basilissam Virginem et Martyrem *ritu duplici. Sed an hæc sit, quæ cum sponso suo* S. Juliano *virginitatem servavit, cum Ferrario dubitamus, cum officium proprium non viderimus. Porro sexto die Januarii ob solemnitatem Epiphaniæ impedito, variis subsequentibus diebus horum memoria celebratur.*

7 Januar. 13 VII *Januarii referunt* S. Julianum Martyrem *Bellinus et ex eo Maurolycus, Galesinius, Molanus, et Martyrol. Romanum, cui in Notis addit Baronius :* Sicut in veteri Rom. Martyrol. *(quod Bellini est)* ita et in manuscript. idem reperitur, quando autem vel ubi passus sit latet, *ut etiam* VII *Januarii diximus, quo loco duos* Julianos *alios, alterum* L. Magnum Julianum Toleti Martyrem *ex Fl. Dexteri Chronico, alterum ex Seraphino Esquirro* S. Julianum Calari in Sardinia Martyrem *adduximus. Verum quem priores auctores citarunt, potius hunc nostrum esse* Julianum *suspicamur, quem etiam eumdem putamus, qui hoc die in diœcesi Conimbricensi in Lusitania, officio novem lectionum celebratur, et nonnullis Kalendariis Germanicis inscriptus legitur, et cum* SS. Basilissa, Martianilla, Celso, Antonio, et XX militibus *refertur a Christophoro Phreislebio in memoria Sanctorum. Silvanus Razzi hoc etiam* VII *Januarii refert vitam* S. Basilissæ *tomo* 1, *de sanctis mulieribus.*

8 Januar. 14 VIII *Januarii celebravimus.* S. Julianum Diaconum *Bellovaci in Gallia cum S. Luciano Episcopo et S. Maximiano Presbytero martyrio coronatum. Quo die Græci* SS. Julianum, Basilissam, et socios *celebrant, de quibus ita Menæa :* Sanctus hic Julianus, temporibus Diocletiani et Præsidis Marciani, Antinoi Ægypti urbe vixit: qui legitimo sibi toro junctam conjugem Basilissam induxit, ut in matrimonio virginitatem retineret; quam in sacro matronarum cœnobio collocatam attonderi curavit, ipseque vicissim ad virorum religiosorum contubernium se contulit, ibique cœnobiarcha duodecim admodum millium monachorum curam suscepit. Comprehensus autem non modo Christum non negavit, sed idola etiam sufflavit et explosit. Unde in rabiem prope actus Prætor, monasterium, in quod omnes Episcopi, Clericique illius provinciæ confugerant, repente incendit; cum quo omnes conflagrarunt, et martyrii lauream acceperunt. Juliano autem humi prostrato et extenso atrociterque cæso, vinculisque ferreis constricto, ossa comminuta sunt. Quo tempore uni ex apparitoribus excussus oculus, qui per S. Julianum curatus, et Christum professus, capite plexus est. Quin et Celsius Præsidis filius, et viginti satellites, Christi fidem receperunt, cum per Juliani preces mortuum in vitam vidissent revocatum. Hinc Præsidis imperio primum in custodiam dati sunt, et in ardentes ollas una cum septem Principiis filiis, jam in Christum credentibus, et Antonio Presbytero, et Anastasio in vitam revocato, conjecti. Hi cum illæsi per Christi gratiam ex lebetibus exissent, multi, et inter hos mater Celsii, Christum agnoverunt. Ceterum stantibus apud Judicem Sanctis, extemplo per eorum preces simulacra idolorum in fano conciderunt, et contrita sunt, et fanum ipsum aquis haustum est. Ducti dein Sancti, fasciis papyri oleo tinctæ ad extrema manuum pedumque alligatis incensi sunt. Sed flamma sanctis Martyribus parcente, nec lædere ausa, Juliano et præsidis filio cutis a capite detracta est, Antonio oculi uncinis effossi, mater Celsii suspensa. Tum Sanctos feris objecere, a quibus intacti conservati sunt, ac demum capite diminuti: quorum dies festus in sanctissimo illorum templo, quod foro proximum est, *(Constantinopoli, scilicet)* celebratur. *Hactenus Menæa. Porro ut hic, ita et in aliquod* MSS. *Latinis pro* Celso Celsius *habetur.*

Epitome Actorum e Menæis. *Ex variis.*

§ IV. *Memoria in fastis* IX *Januarii.*

Celeberrima est hoc IX *Januarii horum Sanctorum in martyrologiis memoria. Vetus romanum :* Et S. Juliani, et Basilissæ uxoris ejus, et Celsi, et Martionillæ, ac XX militum. *Beda vulgatus :* Eodem die apud Antiochiam S. Juliani Martyris, et Basilissæ conjugis ejus. Hi itaque sanctissimo voto casti conjuges, aliquot annos pariter vixerunt, carnem suam virginem Christo servantes, et monasteria de rebus suis instituerunt, ut ad decem millia monachorum Pater B. Julianus fieret; Basilissa vero multarum Virginum Mater: quarum multitudinem cum jam victricem præmisisset ad Dominum, ipsa conversatione vitæ probatissima, inter verba orationis migravit ad Dominum. Julianus vero postmodum a Marciano præside per innumerabilia tormenta et cruciatus, ad ultimum feriri jussus est, cum Antonio Presbytero, et Marcionella, et Celso puero filio ejus. *Eadem habet Molanus et* MS. *S. Mariæ Ultrajecti. Brevius* MS. *S. Lamberti Leodii :* Eodem die apud Antiochiam Juliani Martyris, et Basilissæ conjugis ejus, et Celsi pueri, et Martianillæ matris ejusdem, et Antonini Presbyteri, et Anastasii. *Usuardus :* Apud Antiochiam, sub Diocletiano et Maximiano, natalis SS. Juliani et Basilissæ Virginis, quorum miræ passiones leguntur: ex quorum etiam collegio venerabilis multitudo Sacerdotum et ministrorum Ecclesiæ Christi, igne cremata est, quæ ad eos confugerat propter immanitatem persecutionis. Post quos Antonius Presbyter, Anastasius, et Celsus puer una cum matre, atque alii plures passi sunt. *Eadem habet Bellinus, et* MS. *Florar.*

9 Januar. *Acta eorum ex Beda.* *Usuardo.*

16 *Notkerus hoc eos elogio prosequitur :* Eodem die apud Antiochiam S. Juliani Martyris, et Basilissæ virginis : qui locupletissimorum cura parentum, pro eo quod erant unici, renitentes et inviti specietenus in conjugio copulati, sed sanctissimo voto per aliquot annos pariter in virginitate manentes, monasteria de rebus suis in Antiochiæ municipiis instituerunt, ita multa et frequentia, ut Julianus ad decem millia monachorum Pater, Basilissa vero multarum virginum Mater existeret. Quas ante se ad regnum cœlorum præmittens, et ipsa subsequitur. Julianus vero postmodum a Martiano Præside perquiritur. Quo tempore rabies crudelissima, ad persequendum Sanctos Dei sub Diocletiano et Maximiano exardescens, multitudinem Sacerdotum et ministrorum Ecclesiæ Christi propter immanitatem persecutionis ad eum confugere coegit. Comprehensus itaque cum hac ingenti multitudine, ipse Præsidis audientiæ est reservatus; ceteri servi Dei, jussu crudelissimi Ducis, accenso igne, eisque apposito, in quo consistebant loco, consumpti sunt. Ubi ad commendandam pretiosam mortem Sanctorum, tertia, sexta, nona, sed et vespertina hora, psallentium Deo chori feruntur auditi. Beatus autem Julianus primum auditus, rigidissimis fustibus cæsus est. Cumque cæderetur, unus ministrorum

Notkero.

Ex variis. ministrorum Præsidi necessarius oculum amisit : quem B. Juliano orante illico recepit, et Christo credens statim ab insano Judice decollatur. Inde B. Juliano ducto ad fanum dæmonum, ad quingenta simulachra communita, atque in pulverem sunt redacta. Qui cum pro hoc in profundissimum et obscurissimum carcerem cum Celso puero Præsidis filio, clauderetur, sed odore suavissimo et lumine mirifico donaretur; septem fratres, et viginti milites, qui ad eos visitandi gratia venerunt; priores igni traditi, posteriores sunt gladio trucidati. Porro Julianus cum Celso puero, et Antonio Presbytero, atque Anastasio, diversis pœnis afflicti, et ipsi cum Marcionilla matrona a militibus sunt interempti. *Hæc Notkerus. Sed non probamus, quod ait,* renitentes et invitos specietenus in conjugio copulatos. *Nam* Basilissa *non invita, nec proposito servandæ virginitatis matrimonium videtur iniisse, sed ad hoc a* Juliano *post inducta. Eorum meminere quoque hoc die Martyrologium Germanicum, Galesinius, Maurolycus qui pro* Basilissa Basillam, *pro* Marcionilla, *cum pluribus aliis* Marcianillam *scribit. Martyrol. Roman.* Antiochiæ sub Diocletiano et Maximiano natalis SS. Juliani Martyris, et Basilissæ uxoris ejus, quæ cum viro suo virginitate servata, in pace vitam finivit. Julianus vero (postquam multitudo Sacerdotum et ministrorum ecclesiæ Christi, quæ propter immanitatem persecutionis ad eos confugerat, igne cremata est) Marciani Præsidis jussu plurimis tormentis cruciatus capitalem sententiam accepit : cum quo etiam Antonius Presbyter, et Anastasius, quem ipse Julianus a morte suscitatum, gratiæ Christi participem fecerat : et Celsus puer una cum matre sua Marcionilla, ac septem fratres, aliique plurimi passi sunt.

Martyrol. Rom.

Adone. 17 *Fuse eorum acta prosequitur Ado* : Eodem die apud Antiochiam, natale S. Juliani Martyris et Basilissæ conjugis ejus. Hi itaque sanctissimo voto casti conjuges, aliquot annos pariter vixerunt, carnem suam Christo virginem servantes, monasteria de rebus suis, quia erant parentibus et genere clarissimi, instituerunt, ut ad decem millia monachorum Pater B. Julianus fieret, Basilissa vero multarum Mater virginum. Quarum multitudinem cum jam victricem præmisisset ad Dominum, ipsa conversatione vitæ, et doctrinæ studiis probatissima, inter verba orationis dulcissimis suspiriis plena reddens Domino spiritum, Angelorum consortio in cœlo conjunxit. Julianus vero postmodum a Marciano Præside requiritur, quo tempore rabies crudelitatis ad persequendum Sanctos Dei sub Diocletiano et Maximiano exarserat, ad quem multitudo Sacerdotum et Ecclesiæ Christi ministrorum confugerat propter immanitatem persecutionis. Comprehensus itaque cum hac ingenti multitudine ipse Præsidis audientiæ reservatur; ceteri servi Dei, jussu crudelis Judicis, ingenti accenso igne, eisque apposito, in quo consistebant loco consumpti sunt. Ubi ad commendandam pretiosam mortem Sanctorum, tertia, sexta, nona psallentium chori feruntur audiri. Sed et vespertinos, et matutinos hymnos Deo cecinere. Beatus vero Julianus primum auditus, rigidissimis fustibus cæsus est. Cumque cæderetur, unus ministrorum Præsidi necessarius oculum amisit. Quem B. Juliano orante illico recepit, et Christo credens statim ab insano Judice decollatur. Inde B. Julianus ductus ad fanum dæmonum : simulacra crystallina et electrina, atque diversi generis metallo acquisita, ita comminuta atque in pulverem redacta sunt, ut quid fuerint omnino non pareret. Deinde sanctus Martyr vinculis ferreis arctatus, per civitatem sub voce præconis circumducitur. Cumque pervenisset ad locum, ubi filius Præsidis in scholis erudiebatur, puer idem, Celsus nomine, vidit multitudinem albatorum circa sanctum Martyrem, et coronam pretiosissimis lapidibus renitentem super caput ejus. Quæ visa cum suis condiscipulis narraret, subito divinitus inspiratus projecit volumina magistrorum, et vestimenta quibus erat indutus, et celeri cursu pervenit ad pedes vincti Martyris. Ad quod factum stupens tota pæne civitas accurrit : cum reliquis Præses et mater pueri ejulantes adveniunt. Sed cum puerum a societate beata separare non possent, cum B. Juliano imo carceris mancipatur. Ubi divino lumine consolati, et odore mirifico sunt respersi, ita ut milites, qui eos servabant, circiter viginti, commoti et stupore perculsi, Christo Domino crederent. Ad hos itaque visitandos in carcerem fratres septem una cum Antonino Presbytero venerunt : officioque S. Antonini Presbyteri, tam puer, quam viginti milites baptizati sunt. Quod audiens Præses, septem fratres diu custodia maceratos, ad ultimum tradi igni præcepit : porro milites gladio trucidari. Sicque martyrium victores consummaverunt. Sanctum vero Julianum atque Celsum puerum, Sanctumque Antoninum Presbyterum sibi præsentatos, necnon et Anastasium quem B. Julianus a morte suscitatum participem gratiæ Christi fecerat, in cuppas pice et adipe ferventes injecit, sub quibus lignorum et sarmentorum copiam aggregari jussit. Sed Beati nihil læsi sub igne, in confessione invicti persistunt. Ducti ergo iterum sunt in custodiam. Cum puero autem mater ipsius Martionilla, ut eum mutare posset, volens inclusa est. Sed dum cupit filium prædam fieri diabolo, ipsa prædata Christo, ejusque ancilla fidelis facta, baptismi gratiam recepit. Quo audito, impius conjunx piam Christi famulam in ima carceris trusam Martyribus sociavit. Quos iterum suis conspectibus præsentari fecit, et ad fanum dæmonum, sacerdotibus fani intro expectantibus, ut sacrificaturi mittuntur. Sed mox Sanctis orantibus templo ad solum dejecto, sacerdotum ad mille cum paganorum multitudine occisi sunt. Sed iterum ab irato impio Præside Sancti retruduntur. Qui divina consolatione nocte sunt mirabiliter confortati. Sequenti vero luce producti sunt de custodia : oleoque infuso liciniis, manus et pedes eorum ligantur, ignisque ita supponitur. Sed cum invicti perdurarent, Juliano et Celso cutem capitis auferri jubet, Antonino et Anastasio lumina effodi, Martionillæ equuleum parari. Hæc cum illi fortissime pervicissent, feris intromissis in amphitheatrum ad devorandum eos objecerunt. Sed feræ pedes Sanctorum lingebant. Cumque omnia pervicissent, militibus eos ferire jussit. Atque tali certamine palmam adepti, regna mansura perceperunt *Hæc usque Ado. Hoc eodem die celebratur in Kalendariis plurimis* MSS. *Belgicis, et excusis Ecclesiarum Ultrajectinæ, Eborensis in Lusitania et aliarum.*

§ V. *Memoria in fastis* XI *et* XIII *Januarii; XIII Febr.* XX, XXI *et* XXII *Junii.*

Martyrologia MSS. *Lætiense et S. Martini Tornaci retulerunt hos* VI *hujus, ut ex* § III, *constat, et* S. Julianum XI *repetunt, quo forte de eo officium Ecclesiasticum recitatum. Verba eorum hæc sunt :* Passio S. Juliani Martyris, qui sub Marciano Præside in carcere peremptus est, *additur in* MS. *S. Martini :* in Achaia, *pro quo* in Antiochia *legendum censemus.* 11 *Januar.*

19 XIII *Januarii de iis agit Rabanus et* MS. *Martyrol. S. Maximini, his verbis :* In Antiochia Ægypti, passio Sanctorum Juliani, et Basilissæ conjugis suæ; qui Julianus temporibus Diocletiani, et Maximini nobili prosapia oriundus fuit, philosophorumque disciplinis imbutus, Catholicæ fidei religiosus amator fuit : quem cum parentes sui ad connubii jura persuasionibus validis attraxissent, respondisse fertur : Nec voluntatis est, nec ætatis ut faciam quæ hortamini. Item cum perseverarent pertinaciter in precibus 13 *Januar.* *Vita eorum ex Rabano.*

precibus : Nec permittendi mihi est facultas, nec negandi potestas, quod hortamini. Dei me potestati committo et relinquo. Unius tamen hebdomadis induciasa parentibus poposcit, ut nutum supernæ majestatis argumentis evidentibus experiretur, qua peracta intercapedine, somno sopitus, et sopore depressus, vidit Christum in * horomate dixisse : Exurge, ne timeas, nec suasiones verborum, nec voluntatem parentum horrescas. Accipies enim conjugem, quæ te non polluendo a me separet, sed per te virgo perseveret, et infra : Multi juvenes et virgines per vestram doctrinam, vel vitam cœlestis exercitus probabuntur. *Huc usque* MS. *S. Maximini, pergit Rabanus:* Sicque factum est, ut opitulante Christo, in Antiochiæ municipio monasteria plura construerent, ita ut sub Juliani regimine decem millia monachorum conversarent, sub Basilissæ vero mille virgines Dei servitio mancipatæ fierent. Postea autem idem Julianus cum commilitonibus suis sub Marciano Principe pro Christi nomine martyrizavit, primum fustibus cæsus, qui percussoris sui oculum evulsum restituit. Insuper et plusquam quingentas simulachrorum imagines ad solum diruit. Posthæc in carcerem tenebrosum trusus cum Præsidis filio Hircicallo juvene nuper ad fidem converso, ubi damnatorum corpora putrefiebant : sed mira gratia Christi, fœtidus odor in ambrosiæ dulcedinem versus, cum luce limpida, sanctos Martyres lætificabat. Dehinc rogante Præside defuncti cadaver nondum humati a morte suscitavit. Sed tortoris non cessante vesania, Imperatorum decreto in Circi spectaculo sancti Martyres terdenis cuparum gremiis includuntur, quæ intrinsecus atræ picis massa, et bituminis fomite, sulphurisque fœtore farciuntur, sarmentis cum igne suppositis, in tantum ut flamma XXX cubitis in altum se porrigeret : sed inde illæsi egredientes, rursus digitis manuum, et pedum licinus ardens, olei liquore perfusus aptatur. Sed hoc conamine delusus, exin bestiis ad devorandum proponuntur : quibus sacra membra lacerare non audentibus ad extremum gladiis trucidantur : ad quorum tumulum mox decem leprosi curantur, probantes qualis sit Martyrum gloria.

* *Legendum* horamate, *id est* visione.

13 *Febru.*

20 *Idibus Februarii colitur* S. Julianus Martyr, *cujus tamen et certaminis locus ac tempus, et vitæ genus ac conditio, in ambiguo sunt, ut ibi ostendemus. Wandelbertus visus est hunc nostrum S. Basilissæ virginis sponsum intellexisse; ita enim scribit :*

Idibus æthereum Julianus scandit honorem,
Sponsa beata animum cælo cui junxit ovantem.

XX *Junii festivitatem horum agi scribit Paulus Morigia, quo tamen die nulla eos martyrologia aut Kalendaria referunt.* XXI *Junii celebrant Græci* S. Julianum, *in Menologio :* Certamen Juliani in Ægypto. Hic fuit sub Diocletiano Imperatore et Marciano Præside in urbe Ægypti Antinopoli, *etc. ut ante* § 2, *nu.* 8, *relatum est. Galesinius in Notis ad* IX *Januarii tradit horum Martyrum memoriam in Ecclesia Mediolanensi celebrari mense Junio, cujus certam atque exploratam rationem non repererit.* XXII *Junii hæc in sacrificio Missæ de* S. Juliano Levita et Martyre, *referuntur in Missali Mediolanensi, excuso an. Ch.* 1560. Oratio super populum. Concede, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui triumphum laudabilem beati Levitæ et Martyris tui Juliani recolimus, digna ipsius sectando vestigia, gaudiorum ejus effici mereamur participes. Per Dominum. *Eadem oratio extat in veteribus Belgicis Breviariis, ut Audomarensi et aliis. Extant porro in Mediolanensi etiam ista :* Oratio super syndonem. Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut sicut Beatum Julianum, conjugali toro sociatum, virginitatis cultu decibiliter decorasti; ita et nos famulos tuos, per ejus intercessionis auxilium, a sordibus periculorum abluas, et corda nostra claritate tuæ gratiæ irradiare digneris. Per Dominum, *etc.*

20, 21 *et* 22 *Junii.*

Collectæ et Præfatio ex Missali Mediolanensi.

21 Omitto orationes super oblata et post communionem. *Hæc præfationi e vita inserta :* Per Christum Dominum nostrum. Qui tyrannica potestate depressa, ita suos milites extulit, ut Angelicis in terris fruerentur consortiis, et divinis ubique munirentur auxiliis. Cujus stadium nobilis Julianus lætus accurrens, signifer efficitur fidei dignissimus, Domini præliator elegit cum conjuge membra servare virginea, et fortior ad luctamina properavit : sociavit sibi Sanctorum choros, quos flammeo globo consumptos præmisit coronatos ad Christum. Dehinc contemptis sacrilegis carnificium jussis, acerbissima pœnarum tormenta non metuens, Dei filium voce libera protestatur. O felix et dignissimus miles Christi, qui non solum contempsit tyrannum, sed et filium ejus abstulit, fecitque Christicolam, et ad suscipiendam martyrii palmam secum pariter incitavit. Cæditur, ac ferreis vinculis oneratur : horribili fœtore perfusus custodiæ traditur : flammeis ardoribus urendus immergitur : ex capite cutis adimitur : sævis in theatro bestiis traditur. Sed in his omnibus Angelica protectione defensus, dignam ad ultimum effusione sanguinis meruit victoriæ palmam. Per eumdem, *etc. In Breviario Ambrosiano S. Caroli Borromæi jussu edito, et postremo ann. Ch.* 1625, *recognito Orationes ante citatæ fere eædem referuntur, cum hac lectione* III, *ad Matutinum,* XXI *Junii :* Julianus Antiochiæ nobili genere natus, parentes Christianæ religionis cultores cum ad imitandum sibi proposuisset, Christi fidem amplexus est. Annum agens decimum octavum, patris impulsu Basilissam in matrimonium duxit. Sed uterque mutuo consensu, se in virginali castitate continuit perpetuo. Patre autem mortuo, hereditatem, quam satis amplam habebat, pauperibus distribuit, duobus etiam a se ædificatis monasteriis, quorum unius curationi ipse præfuit; in altero Basilissa multarum Virginum curam suscepit. Edicto autem a Marciano Syriæ Præside proposito, quo sancitum erat Diis immolari, fidei Christianæ accusatus, illius jussu multis cruciamentis affectus, in fide constantissimus, demum martyrio cum aliis multis coronatur; qui ejus exemplo ducti, Christum Dominum confessi, se malle necem obire affirmarunt, quam idolis sacrificare. Tu autem Domine, *etc.*

Ex MSS.

Lectio ex novo Breviar. Mediol.

ACTA

Ex aliquot veteribus MSS.

PRÆFATIO.

Beati Martyres sæculum vel tormenta superantes hoc nobis *a* muneris reliquerunt, quod gesta passionum suarum secum ferre non possunt, sed luctantibus firmum reliquerunt exemplum ; effectique sunt errantibus via, cæcis lumen, titubantibus credulitas. Omnes prorsus virtutum suarum signa declarata gremio sanctitatis includunt. De hac arca justitiæ nullus errare potest, nisi qui incredulus permanet. Vos autem, qui hæc auditis et legitis, credite nobiscum, omnia enim possibilia esse credentibus, ideoque sine ulla hæsitatione hereditarium nobis bonum, quod imitemur, Martyres reliquerunt. Obsecro itaque vos omnes, qui hæc lecturi et audituri estis, ut intento corde credatis, quanta sit gloria sæculum relinquere, ut per angustam viam eorumdem sanctorum valeamus *b* sequipedes esse; ut legentes gesta eorum, vestra esse dicatis. Quæ sicut in Evangelio dominus protestatur, cum dicit : Beati qui viderunt et crediderunt, beatiores autem qui non viderunt, et sic crediderunt. Nos quæ vidimus oculis nostris, Sanctorum gesta scripsimus, unde nobis aliquam portiunculam beatitudinis credimus esse futuram. Vos autem melior exspectat gloria, qui audientes creditis posse implere Dominum in Sanctis suis, quæ hic

a *Gesta Martyrum luctantibus exemplum :*

b

Hæc ab iis qui viderunt conscripta.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ex mss. hic scripta sunt. Beati igitur Martyris Juliani passionem scripturus, qualiter se ab infantia sua Deo carum exhibuerit prius intimare disposui; ut qui cupit gloriam acquirere passionis, primo sequatur innocentiam vitæ. Hæc nunc audientes credite dictis nostris, ut credendo discatis qualis sit merces credulitatis.

a ms. *Vels.* exagiliarum munus titulo reliquerunt.

b ms. *Rip.* sequi vestigia. Metaph. quo per angustam sanctorum hominum viam contendentes, illorum institutionem assequi possimus.

CAPUT I.

SS. Juliani et Basilissæ ortus, educatio, conjugium.

S. Julianus instituitur in doctrina et pietate.

Hic Beatissimus Julianus ex nobili familia ortus, illustris erat in seculo : quem parentes unicum pignus viscerum suorum dulcem susceperant sobolem; quem omni doctrina et sapientia imbuerunt (ut non dialecticum, non rhetoricum fugeret ingenium) omniumque auctorum mundi sapientia. Hæc sibi bonus athleta Christi in thesauro cordis sui captiva tenebat. Legerat enim magistrum omnium Christianorum Paulum dicentem : Præterit enim figura hujus mundi. Et ne cum ipso mundo immundus præteriret, sic se Deo carum exhibebat, ut sapientiam mundi stultitiam reputaret. Optabat enim semper, præteriente mundo, sine sollicitudine esse cum Christo. Erat amator catholicæ fidei : Ecclesiæ sanctæ quotidie liminibus adhærebat; audiens Sanctorum gesta lætabatur : et his quæ de sacris lectionibus legebantur, intentus auditor et operator erat : diemque nullum intermittebat, quo non ad videndos Sanctos properaret : quasi bonus negociator thesauros reponebat in corde, omnium electorum imitans actus, studens singulorum virtutes et gratiam sanctitatis imitari. Florebat infusa visceribus ejus perfecta caritas, quæ foras mittit timorem. Ita se ab omnibus vitiis et concupiscentiis carnis mundo castraverat, ut recte Deo clamaret: Quamdiu sum in hoc mundo, peregrinor a Domino. Et quia hominibus latere volebat, quod Christo placere studebat, celabat propositum, celabat et sanctum desiderium.

1. Cor. 7. 31.

Compellitur a parentibus ad matrimonium.

1. Tim. 5. 14.

3 Hunc parentes cum viderent tanta animi intentione Christianæ religionis cultoribus adhærentem, convocantes ad se venerabilem juvenem his verbis hortabantur : Dulcissimum nobis et venerabile pignus, audi genitorum tuorum salubre consilium, quod in venerabili lege Christianæ religionis per beatum Apostolum Paulum, magistrum omnium Christianorum doctrinis spiritualibus edocemur, qui dicit : Volo juvenes nubere, filios procreare, patres familias esse, nullam dantes occasionem maligno. Pro qua re non solum ut nobis consentias hortamur, quantum ut legi Dominicæ obediens esse cognoscaris. Ad hæc B. Julianus respondit parentibus : Nec voluntatis est, nec ætatis tempus, ut faciam quæ hortamini. Ad hæc parentes responderunt : Annorum es circiter decem et octo, quomodo te excusare poteris ne conjugio socieris? Nolumus ut de tempore causseris. Volumus enim te unius mulieris esse virum, ut procreatione concessa cum pater fueris, ex uno consensu vacetis Deo, cessantibus vel digestis incitamentis carnis; et una cum voluntate, cum tibi fuerit sociata, salutaribus monitis adhæreatis. Hæc agebant parentes, qualiter eorum semen suscitaretur, quod jam finem habere credebant, nisi ipsius procreatione suscitaretur. Cumque parentum molestias non sustineret, et amicorum et omnium affinium suasiones perhorresceret, tunc B. Julianus suadentibus sibi hoc responsum dedit : Nec promittendi mihi facultas est, nec negandi potestas. Hoc quod hortamini in potestate Domini mei committo. Pro qua re dierum septem inducias peto, et secundum quod ipse dignatus fuerit aspirare, a me re sponsum accipietis. Hæc audientes parentes ejus nimio tædio afflicti, cogitationibus tabescebant, quousque dies statutus veniret, quo responsum filii reciperent.

Petit 7 dierum inducias.

4 Venerabilis ergo puer spatium dierum exegit die noctuque in oratione pervigilans, postulans a Domino, ne virginitatem promissam pro qualibet occasione violaret. *a* Septimo autem die, adveniente nocte, cum corpus emaceratum jejuniis sopori dedisset adest *b* Dominus et consolatur fidelem servum, probatamque mentem sibi corroborat : et ista præcepta ut faciat jubet, talique commonitione eum alloquitur, dicens : Exurgens Juliane ne timeas; nec suasionem verborum, nec voluntatem parentum perhorrescas. Accipe conjugem, quæ te non polluendo a me separet, sed per te virgo perseverans, et te et ipsam in cœlis virgines recipiam. Multa enim mihi per vos castitas dedicabitur. Multi juvenes et virgines per vestram doctrinam in vitam cælestis exercitus probabuntur. Adero tibi habitans in te, ut omnes in te carnis voluptates conteras; atque ipsam tibi conjunctam, convertam in meum desiderium et amorem, tuamque *c* pedissequam faciam. Ibique me in cubiculo vobis præparato videbitis, cum Angelicis choris et innumerabili multitudine Virginum utriusque sexus, et quos natura faciebat dispares, una fides in me fecit æquales, quorum tu imitator esse cognosceris. Cum hæc dixisset Dominus, tetigit eum dicens : Viriliter age, et confortetur cor tuum. His *d* virtutibus corroboratus venerabilis puer, exurgens gratias referebat Domino dicens : Gratias tibi ago, Domine, qui es scrutator cordis et renum; qui a me species et delectationes mundi longe fecisti; ut credulo corde, castitate adjuvante et in me regnante, ad id quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparasti diligentibus te, perveniam; qui me dignatus es esse viam et iter verum his qui castitatem diligunt, et integritatem mentis ac corporis amplectuntur. Tu nosti Domine, qui ex die *e* qua in te renatus sum, usque in horam qua me accersire dignatus es, nihil præposui amori tuo. Hoc enim desidero, ut quod ex ore meo procedit, tu confirmes; quia me tunc credo incipere quando finio.

a

b

Cælesti monitu jubetur conjugem accipere, cum qua virginitatem servet.

c

d

e

Nubit illi S. Basilissa.

5 Et completa oratione egreditur de cubiculo lætus, vultus sui lætitia parentum tristitias auferens, ait ad eos : Ecce sicut desiderastis, quia divino præcepto cognovi conjugium mihi non esse peccati sed gratiæ, faciam quæ hortamini. Exhilarantur genitores, sperantes procreationem filiorum futuram. Quid multa? Inquiritur dulcissima puella, quæ illi similis esse possit, in facultatibus ampla, præcipua in genere, et moribus sancta. Itaque procurante misericordia Domini Jesu Christi, qui hoc suo munere sacrum voluit ordinare conjugium, talis invenitur puella, quæ facultatibus locuples esset, nobilitate et genere cœqualis, nomine Basilissa, quæ et ipsa unica noscebatur parentibus filia. Fit sermo, pro consuetudine nuptiali. Suscipiunt parentes puellæ læti sermonem; et, ut se habet nobilitas, ordinatur nuptiarum tempus : firmantur omnia quæ tabulis solent contineri : matronarum constituitur dies, constituitur dies conjunctionis. Beatus vero Julianus ita diem nuptiarum expectabat, ac si bonus athleta devicta libidine Regi cælorum placere studebat. Quid multa? venit dies statutus, in quo vicinæ civitates invitantur. Quæ pompa expetit secularis, unaquæque civitas adduxerat secum, diversa oblectamenta mundi, quæ possunt teneras ætates excitare ad libidinis fluxum. Sonant plateæ organorum fremitu : diversæ voces musicorum resultant : multitudo virginum aureis ornamentis crispabant crines; ad quarum cantilenas et suavissimas voces resultant omnia, ita ut si homo ferreus esset, resolveretur delectamento luxuriæ. Sec inter tantas *f* ac tales acies desudabat athleta Christi B. Julianus Christi bellator, nemini occulta cordis manifestabat, nisi Domino soli,

f

soli, a quo spem victoriæ promissam tenebat.

a MS. *S. Max.* Octavo. b MS. *Rip.* Angelus Domini.
c MS. *S. Max.* Sequipedem. d *Idem* MS. virtutum visionibus.
e *Metaph.* quo genitus sum.
f *Metaph.* barbaricas nationes. *alii*, barbaras mentes.

CAPUT II.

Votum virginatis. Approbatio divina. Vita cœnobitica.

Producitur interea onerata auro et gemmis sponsa de thalamo, suscepit lætus, cum qua lætaretur in Domino : et vultu se læto ostendens, in corde suo Domino psallebat dicens : Domine ure renes meos et cor meum, ne in me antiquissimus serpens libidinis *a* excitet bellum. Appropinquat hora, qua ad thorum conjugii properaret. Traditaque sibi virgine, venerabilis Julianus certus de Domino cubiculum ingreditur : in quo cubiculo oratione facta, talis odor liliorum et rosarum apparuit, ut videretur virgini se in tali loco esse positam in quo solent lilia et rosæ verno tempore tenentibus se suavem odorem gratiæ propinare. Datur silentium noctu, et ait virgo ad sibi conjunctum juvenem : Miram rem sentio, quam si et tu sentis, quæso ne mihi neges. Cui venerabilis Julianus respondit : Quæ sentis fideliter narra. Virgo dixit : Cum sit tempus hyemis, et omnium rosarum vel liliorum naturam necdum gravida terra constricta gelu parturiat, ita in hoc cubiculo mihi omnium odorum suavitas famulatur, ut his suavissimis odoribus satiata, horrescam seculum, nec penitus desiderem thori conjunctionem. Cui B. Julianus ait : Odor suavissimus, qui tibi apparuit, nec initium habet nec finem : qui temporum dat tempora; qui singulis temporibus dat gratiam quam ministrent : ipse est Dominus Christus, ipse est amator castitatis, qui integritatem corporis custodientibus vitam promittit æternam. Nam si hujus monita mecum velis suscipere, ut eum tota intentione diligamus, et virginitatem concessam invicem custodiamus; efficiemur in hoc seculo vasa ejus munda, in quibus habitet, et in futuro cum ipso regnabimus, nec ab invicem separabimur. Ad hæc B. Basilissa respondit : Et quæ melior salus est, nisi ut virginitatem custodiendo, vitam adipiscamur æternam? Quia credo esse ut protestaris, opto tibi consentiens esse; volo ut possideam sponsum æternum Dominum Jesum. Hæc ea dicente, B. Julianus procidens ad orationem, pavimento adhærebat, clamans et dicens : Confirma hoc Deus quod operatus es in nobis. Hæc videns virgo similiter fecit.

Suavi odore, veluti florum, incenditur ad amorem castitatis.

Statuunt simul virginitatem servare.

7 Et ecce subito cum illis fundamenta cubiculi illius commota sunt : et lux inenarrabilis emicuit, ita ut luminaria, quæ præerant cubiculo, illius lucis magnitudine velarentur. Et sicut scriptum est, impletur quod dictum est : Spectaculum facti sumus mundo, et Angelis, et hominibus. Fit ergo in cubiculo spectaculum magnum et spirituale. Ex una parte sedebat Rex æternus Dominus Christus, cum multitudine innumerabilium candidatorum; et ex alia parte innumera multitudo Virginum, quarum principatum Virgo gloriosissima Maria tenebat. Tunc a parte Regis clamabatur : Vicisti Juliane, vicisti; a parte Reginæ clamabatur : Beata es Basilissa, quæ sic consensisti salutaribus monitis, et falsa mundi blandimenta respuens, ad æternam gloriam properasti. Iterum a parte Regis clamabatur : Milites mei, qui vicerunt antiqui serpentis libidinem, de pavimento levantur, et intento corde in thoro qui eis præparatus dignoscitur, libro vitæ æternæ superposito eis legatur; et voce silente ab utraque parte responderunt, Amen. Et advenientes duo albis induti, circa pectora habentes aureas zonas, et singulas coronas in manibus, elevaverunt eos, dicentes : Surgite quia vicistis, et in numero nostro computati estis, aspicite quod videtis

1. Cor. 4. 9. *Apparet eis Christus, B. Virgo, et plurimæ virgines utriusque sexus.*

in thoro, qui vobis est præparatus; legite et cognoscite, quia fidelis est Dominus in verbis suis; et *b* tendentes eis manus applicuerunt eos. Et ecce superpositus erat liber splendidior septies argento, aureis scriptus litteris, et in circuitu thori quatuor seniores, habentes in manibus suis phialas aureas plenas aromatibus, diversum odorem reddentes. Et respondens unus ex his dixit : Ecce in his quatuor phialis continetur perfectio vestra. Ex his enim quotidie in conspectu Dei suavitatis odor ascendit. Pro qua re beati estis, quia seculi falsa blandimenta vicistis, properantes ad illa, quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se. Nunc Juliane lege, quod divina Trinitas jubet. Et accedens sic cœpit legere : *c* Juliane qui pro amore meo mundum contempsit, deputetur in eorum numero, qui cum mulieribus non sunt coinquinati. Basilissa vero, quæ ei integro corde sociata dignoscitur, deputetur in numero virginum, in quibus vera virgo mater Domini Maria principatum tenet. Et hæc dicens clausit librum, et iterum dixerunt millia millium, Amen, una voce exultantes. Et iterum dixit ad eos : In hoc libro, quem videtis, hic scripti sunt casti et sobrii, veraces et misericordes, humiles et mansueti, caritatem habentes non fictam, adversa tolerantes, in tribulatione patientes, et qui super amorem Domini Jesu Christi nihil prætulerunt, non patrem, non matrem, non uxorem, non filios, non agros, non facultates, vel cetera quæ in hoc seculo impedimenta sunt animæ. Qui nec ipsas animas suas dubitaverunt tradere usque ad mortem pro nomine ejus, in quorum numero et vos esse meruistis.

Ex MSS.

b

Vident nomen suum scriptum inter sanctas Virgines.

c

8 Statim visio, quam videbant, ab oculis eorum ablata est. Tunc exultantes in Domino beati virgines, atque in ædificationem suam reliquum spatium noctis pervigiles in hymnis et canticis peregerunt. Quid multa? illuxit dies, quo vulgus qui convenerat, bacchatu lætitiæ ferebatur. Expectabant videre quasi quos in seculo *d* junxerant, nescientes neque intelligentes sanctum fuisse celebratum conjugium. Quid multa? cœperunt esse spiritu, non carne, fructificantes : et mysterium divinæ gratiæ in se collatum occultabant, ut a solo Domino Christo et sanctis Angelis sciretur, quod agebant.

Tota nocte orant.

d

9 Et quia Dominus non privat bonis ambulantes in innocentia; ita divinæ gratiæ dono procuratur, ut intra pauci temporis spatium, utriusque genitores de hac vita migrarent; relinquentes idoneos superstites, per quos cælorum *e* regna non fraudarentur; erant enim et ipsi fidelissimi Christiani. Tunc beati Virgines temporis spatia sibi concessa læti suscipiunt, *f* sibi possessuri licentiæ palmam, quo possent per patrimonium terrenum transmigrare in superna cælorum. Et quia multum laboris est ordine prosequi eorum venerabilem vitam, de tantis operibus pauca prosequendo non taceamus.

Moriuntur utriusque parentes.

e

f

10 Fit consensus communis, quo non solum pro sua salute solliciti essent, sed multarum animarum curam suscipiunt. Dividuntur domicilia, et duæ lucernæ super *g* candelabrum excelsum fundantur; quibus æternus Rex oleum lætitiæ subministrans, per eos sanctam doctrinam ignaris incendebat; igniferi verbi calore tribulos et spinas peccatorum exurens. Ex undique vox illa suavis Domini per os Sanctorum Juliani et Basilissæ invitabat dicens : Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego vos reficiam. Instituunt sancta monasteria, in quibus messes animarum de seculi spinis ac tribulorum suffocatione rapiebant. Nec erat qui posset audire de ore S. Juliani verbum, ut aliqua mora retineretur converti ad Dominum. Relinquebant viri uxores, filii parentes, sponsi sponsas; patrimonia quoque terrena propter vitam æternam pro stercore computabant. Delicias affluentes respuebant, opes suas pauperibus erogabant, viam angustam arripiebant, nec quisquam

g

Matt. 11. 28. *Plurimos convertunt. Julianus 10000 Monachos. S. Basilissa Virgines regit.*

Ex mss. eorum *h* post aratro manum superpositam respiciebat retro. Eratque S. Julianus sanctæ congregationis circiter *i* decem millium monachorum Pater. *k* Et sicut scriptum est : Generatio vadit et generatio venit, quanti migrabant ad cælum, tanti convertebantur ad Dominum. Nec quisquam dinumerare poterat animarum multitudines quæ per S. Julianum perfecte migraverunt ad cælum. Similiter et B. Basilissa, agmina virginum et mulierum, de squaloribus seculi liberatas castissimas animas præmittebat ad cælum. Erantque cum B. Juliano virorum sancta commercia : et per S. Basilissam fulgebat in virginibus et mulieribus castitatis excelsior victoriæ palma. Et quia tunc omnibus innotuit eorum venerabilis vita et conversatio, quæ Domino adjuvante per nos declarata est; nunc ad illud tempus veniam quo martyrium adepti sunt; prosequamur et declaremus eorum gloriosissimas palmas.

h
i k
Eccle. 1. 4.

a ms. *Vels*, exerceat. *alii*, suscitet. *Metaph.* ne vetus ille draco contra me bellum exuscitet. b *Al.* tenentes.
c *Metaph.* quisquis mei desiderio detentus, mundum hunc contempserit, *etc.* d *Al.* vinxerant.
e ms. *Rip.* regno. *Metaph.* regno non privarentur.
f *Al.* licentia sua possessuri victoriæ palmam.
g *Metaph.* super duo candelabra duæ lucernæ altæ effulgebant. h *Al.* ex aratro manu superposita.
i *Menæa :* Ipse in alio monasterio degebat, et præerat duodecim circiter millibus virorum.
k *His omissis, ita Metaph.* Nam quicumque ad cælestem vitam animos suos convertebant, apud Julianum ipsum, ad Deum se transferebant; adeo ut nemo posset enumerare, etc.

CAPUT III.

Persecutio Diocletiani. Obitus S. Basilissæ, et mille circiter Virginum.

Temporibus Diocletiani et Maximiani furor persecutionis incumbebat. Hæc opinio peragravit omnem provinciam *a* Ægypti. Qua opinione comperta sancti virgines se invicem alloquuntur, et talem precem in conspectu Domini fundunt, jejuniis et fletibus studentes : Domine Deus, qui es occultorum cognitor, et mentium testis, scrutator cordis et renum; te deprecamur ut lætum super nos illumines vultum, et pium et exaudibilem præstes auditum. Non enim dormis neque dormitas, qui custodis utriusque sexus castitatis agonem, in quo tu ipse Christe lætari cognosceris. Ne patiaris gregis tui integritatem vitiari; ne habeat potestatem insatiabilis lupus, gregi sancto semper infestus; in nullum licentiam habeat ad dissipandum murum *b* rigoris tui; ut signum fidei, quod inter servos et ancillas tuas per nos sequipedes contulisti permaneat. Cura sit tibi Christe de nobis et de illis, quia plus valet dextera tua ad erigendum, quam fortitudo persecutoris ad dejiciendum. Considera et scrutare singulorum et singularum vires, et secundum præscientiæ tuæ donum omnes perduc ad illam regionem vivorum, ubi nulla est sollicitudo moriendi, sed regnat vera beatitudo vivendi. Et in die illa, qua venturus es magnus et manifestus, præsta Domine omnes famulos et famulas tuas, quos per nos tibi fecisti militare, integros immaculatosque in conspectu tuo inveniri; ut recte exultantes dicamus : Ecce nos, et pueri quos dedisti nobis, et nemo periit ex eis.

a

Pro suis orant.

b

12 Et cum finem orationis implessent, redierunt ad propria domicilia. Ea die tempus quietis advenit, et B. Basilissam ita per visum alloquitur Dominus dicens : Basilissa, *c* nominis tui digna, quæ orasti, hæc me implere delectat; ut omnia vasa, quæ mihi per te mundavi, dum adhuc hic es in hac vita, tu ea præmittas ad cælestia regna. Habebis autem dimidii temporis spatium, quo possis ex omni loco, quo seminasti, triticum colligere, et recondita messe laboris tui tu ipsa me sequaris, claves acceptura horrei pleni pinguedine animarum; ex quo quotidie suavitatis odor ascendit in conspectu sanctorum Angelorum. Julianus autem ut bonus athleta præliabitur, et vincet : nec enim aliquando vinci potest, in quo castitas regnat. Erit enim per eum multitudo acquirenda animarum. Multa eum oportet pati pro nomine meo : multasque virtutes et signa ostendam in conspectu inimicorum ejus : et priusquam invocet me, dicam : Ecce adsum.

c

Divinitus de sua et virginum suarum morte edocetur Basilissa.

13 Hæc audiens B. Basilissa evigilans *d* lætabatur in Domino, vultu splendido ut sol radians in ortu suo : et per ordinem omnia enarravit B. Juliano. Convocansque sanctam multitudinem virginum, hac eas alloquitur voce : O vos omnes, gaudium meum, et corona capitis mei, sanctæ Virgines, Domino nostro vota reddamus, et sacrificium laudis de corde contrito et humiliato, hostiam jubilationis ei immolemus, quia dignatus est nobis revelare abscondita mysteria : viam et tempus acceptum terminavit, quo *e* castificatas animas illi consignemus, dilatione concessa, ut unaquæque nostrum considerans cellaria cordis sui, si est abundantia bonorum operum eructantium ex hoc in illud; hoc est, si in hoc seculo peregrinantes, recte de hac vita migremus ad æternam vitam, ut in nullo in nobis habeant vel cognoscant opera sua illæ potestates, quæ animas pergentes ad cælum retinent et scrutantur; ut nihil in nobis suum invenientes revereantur et timeant, videntes nobiscum sanctum adjutorium pergens, et Spiritum castitatis congaudentem. Considerate et scrutamini arcana pectoris vestri, ut cum tempus habemus, liceat animam ab omni vitio culparum defæcatam *f* splendidi liquoris actu comprobatam restituere Creatori. Hanc enim obtinuimus a Christo petitionem, ut omnes vos ante persecutionem vel vastationem inimici immaculatas præmittamus ad cælestia regna, ubi est sponsus castitatis Dominus Jesus Christus. Pro qua re vos hortor, sanctæ sorores, ne aliquod malitiæ fermentum in corde remaneat, sed omnes donantes vobis invicem, si qua habet adversus aliam aliquid, ut perfectam coronam integritatis animæ et corporis vestri recipiatis; meque matrem integro numero salutis vestræ victricem reddatis : hoc scientes, quia nihil valet virginitas carnis, ubi habitat iracundia cordis.

d

Suas monet, ut parent se ad mortem.

e

f

14 Hæc prosequente S. Basilissa, locus in quo erant congregatæ, commotus est, et columna *g* lucis in conspectu earum apparuit, super se titulum aureum habens scriptum, et vox ex columna processit, cum splendore et odore suavitatis; signum quoque Crucis emicuit dicens : Basilissa nominis tui auctor, quod scriptum vides, lege. Tituli autem scriptura sic continebat : Hæc dicit primus et novissimus : Omnes hæ Virgines, quibus tu ducatum præbes, vasa munda et accepta sunt oculis meis, nec quicquam in eis reprobum inveni, quas lima justitiæ, et igne probationis, ut aurum purissimum, exhibuisti. Venite ad præmia vobis parata. Et hæc legentes, visio ab oculis eorum sublata est. Tunc omnes gratias referebant Domino, qui testimonio suæ majestatis animas sanctas declarasset. Beata vero Basilissa exultans in Domino, dixit : Gratias tibi Domine Jesu Christe, qui pugnas carnales ita *h* devicisti in nobis. Et adjecit : Insulto tibi diabole, quia insidiarum tuarum fructum perdidisti. Insulto tibi serpens *i* libidinis, quia vasa Deo dicata nullis artibus abdicasti. Insulto tibi diabole magister mendacii, quia ex grege mihi credito nullus est qui tecum pereat. Insulto tibi ebrietas, quia sobriam mentem vincere non potuisti. Insulto tibi amor mundi, quia aratro intentas mentes, ad tuum amorem revocare non valuisti. Insulto tibi diabole, quia perfectionem quærentes, nullis artibus, nullis machinis, nullis laqueis *k* retinere valuisti. Tu solus tua confusione utere; tu solus in tua pœna *l* luge. Vides enim prædam de tuis manibus ereptam, ad cælorum regna adscendere, unde tu cecidisti. Gaudete mecum sanctæ sorores, quia regnant in vobis signa virtutum. Contemptus mundi regnum cælorum accepit. Renuntiatio parentum consortia sumpsit Angelorum. Parvi

g

Divinitus discunt se in statu gratiæ esse.

h

i

k

l

temporis

temporis tribulatio æternam meruit requiem. Humilitas, sicut cedrus in Libano exaltata est, et sicut cupressus in montibus Hermon. Devicta libidine castitas fœcundatur. Nulla est ex inimicis nostris audacia, ut pergentes animas ad suum Creatorem retineant. Omnes enim erubescunt, quia nihil in nobis proprium agnoscunt.

15 Hæc cum gaudio dicens, cœpit vineam Domini rore justitiæ maturatam recondere. Et ita divina *m* providentia adimplevit, ut intra tempus promissum migrarent omnes ad Dominum. Beata vero Basilissa secura de reposito fructu, hora diei sexta in oratione constituta soparavit, et vidit omnem chorum sanctarum Virginum numero circiter mille, niveis cycladibus indutas, regalibus zonis præcinctas, crucem Dominicam in manibus gestantes, una voce B. Basilissæ dicentes : Hoc responsum accepimus, ut tecum Regem Dominum adoremus. Ecce expectamus te, ut tu nos offeras Christo, cui nos acquisivisti. Et evigilans B. Basilissa de partus sui gloria lætabatur, et hoc cum lætitia S. Juliano referebat. Unde simul in Domino lætabantur. Domini vero operante misericordia ita completum est, ut constitutis illis in oratione S. Basilissa migraret ad Dominum. Quam B. Julianus tradidit sepulturæ dignissime, et die noctuque memoriæ ejus excubias spirituales adimplens.

m *Moriuntur omnes virgines.* *Apparent Basilissæ.*

Moritur et ipsa.

16 Ipse vero cum choro Sanctorum florebat gratia Dei concessa, ut nullus esset inferior qui non alterum præcederet in virtutibus. Multa enim signa sanitatum per eum, vel per ejus discipulos, Dominus operabatur. Nullum ibi invenit sol irascentem, nec reliquit. Si quis, ut fieri assolet, alicui in verbo *n* contumeliam irrogasset, non capiebat cibum, humilitati et fletibus studens, quousque *o* caritatem renecteret. Et hoc studio laborabant, ut per orationum fructus Deo sacrificium laudis offerrent. Lætatur Pater in hoc studio filiorum. Tunc unusquisque eorum se dicebat incipere quando finiebat. In hac sancta congregatione numquam diabolus potuit aliquem irretire, nullus a caritate discessit, optabant singuli magis adversa quam prospera, omnes illud expectantes præmium, quod nec oculus vidit, nec auris audivit, noc in cor hominis ascendit, quæ preparavit Deus diligentibus se.

n *o* *Julianus cum suis sanctitate et miraculis claret.*

a *Quidam* Syriæ. *Metaph.* Orientis. *ut dictum in prolegomenis num.* 10. b ms. *S. Max.* vigoris. ms. *Rip.* gregis. *Metaph.* fidei tuæ signum, ac murum. c Reginam *enim significat*, Βασίλισσα *et* βασιλίς. d *Metaph.* gaudebat valde, quod Domini nostri Jesu Christi vultum et characterem splendidum et instar solis exorientis effulgentem, vidisset. e *Metaph.* animas nostras purgatas habentes, illius sigillo imprimamur.

f *Idem :* purgemus pura illa aqua, et actionibus insistentes, Deo ipsæ tales nos offeramus (hoc autem si cum fide petierimus a Domino impetrabimus) ut peccatorum maculis purgatæ, ad cælestia illa regna pervenire possimus, ubi est Sponsus noster Dominus Jesus Christus. Quamobrem vos hortor, *etc.* g *Metaph.* ignea. h *Al.* superare jussisti. i *Al.* libido. *al.* libidinose. *Metaph.* serpentis voluptas. k ms. *S. Max.* cruciare. *al.* luere. l *Alii cum Metaphraste*, lætare. m. *Al.* justitia.

n *Al.* superbus fuisset. o ms. *S. Aud.* eum caritati adnecteret.

CAPUT IV.

S. Juliani captivitas. Sociorum combustorum martyrium.

a Hæc agebantur in civitate Antiochia, quæ est metropolis *b* Ægypti. Quid multa? In tempore illo vis persecutionis invaluit. Adveniente autem Præside *c* Marciano *d* in eamdem civitatem, ita furor sacrilegus exarsit, ut non villa, non vicus remaneret, ubi non idolum erigeretur, ut si quis emere vel vendere voluisset, primum idolis immolaret. Urgetur civitas jussu Præsidis, ut unusquisque in domo imaginem *e* Jovis erigeret. Ipse autem Marcianus cum uxore et unico filio erat dux perditionis. Audit Præses B. Juliani fidem, et quia multos secum de hac religione socios habebat, qui pararent se ad mortem magis, quam idolis immolarent. Tunc iratus convocat Assessorem suum, et jubet ut B. Julianum conveniret, ut cum omnibus suis secundum decreta invictissimorum Principum diis immolarent, ne diversas luerent pœnas. Assessor vero cum cornicularío, et Principe, et primatibus civitatis perrexit ad locum ubi S. Julianus Deo vacabat, quo multitudo Sacerdotum et Levitarum vel omnium ministrorum Ecclesiæ confugerant, rabiem persecutionis declinantes. Tunc nuntiatur S. Juliano Assessorem et Principem cum primatibus civitatis pro foribus esse : ipse vero dixit ad eos qui erant congregati : Nunc, fratres, confortemus nos in Domino, quia appropinquaverunt persequentes nos, qui quærunt velut aqua absorbere nos. *f* Armate frontem vexillo sanctæ crucis, et scuto fidei firmate pectora. Jubet itaque eos ingredi, et quia erat *g* Prioris civitatis filius digne honorabat eum ordo civitatis.

a *b* *c d* *e* *Marcianus Præses jubet comprehendi S. Julianum cum suis.*

Ex mss.

f *g*

18 Dicit ei Assessor : Puto non latere te, Juliane, sacratissimorum Principum decreta, quibus mundo subveniunt, ut una apud omnes homines sit cultura deorum. Nam dominus noster Præses Marcianus audiens te nobili genere ortum, hoc pro sua sapientia decrevit, ut secundum moderationem legum, cum gratia conveniaris : quam legem Dominorum Principum habeo præ manibus tibi recensendam, ex cujus salutiferis dictis veritate comperta, reddas te generi tuo, ut propriis bonis fruaris, et opes et Principum amicitias consequaris. Julianus respondit : Sapientiam tuam credo non latere, quia serpens non movetur ex propria sede, nisi ex ore incantantis *h* verborum cognoverit carmina. Nam sicut non proficit, nec valet movere serpentem, qui carmina nescit; ita nec decreta Principum, nec philosophia Judicis, qui *i* in temporalibus temporalis agnoscitur, valere poterit Christianas mentes ad dæmonum inclinare culturam. Assessor dixit : Ergo contemnis audire Principum jussa? Julianus respondit : Audiant Principum jussa, qui ipsis militant; nos autem, qui Regem habemus in cælo, terrenum Principem non audimus. Assessor dixit : Et hoc potes gestis *k* edicere? Julianus respondit : Ipsi gestis aliquid prosequantur, qui in hac vita spem habent; nobis autem, quibus crucifixus est mundus, quid cum foro? Assessor dixit : Ut video, de te desperasti, ne vivas; vel istius multitudinis, quam tibi aggregasti, miserere. Julianus repondit : Istius multitudinis vota simul mecum pendent in Dei arbitrio : qualem audis me loquentem, tales sunt omnes isti tacentes. Unus est Dominus, quem confitemur, qui est Christus filius Dei vivi. Assessor dixit : Hæc quæ prosequeris, renuntio domino meo Præsidi. Julianus respondit : Quod verius cognovisti, occultare non debes. Nos vero parati sumus temporalem magis sustinere mortem, ut in æternum vivamus quam pro vita temporali æternæ morti mancipemur. Assessor dixit : Audio etiam Episcopos et omnem Clerum tecum aggregatos; numquid et ipsi discipuli tui effecti sunt? Julianus respondit : Hi discipuli non sunt, sed Patres; per ipsos enim veram nativitatem suscepimus : pro qua re dignum est, ut filii cum Patribus, et Patres cum filiis pergant ad regna cælorum.

Julianus coram Assessore generose fidem profitetur.

h *i* *k*

19 Rediens ad Præsidem Marcianum Assessor, omnia quæ gesta fuerant intimavit. Tunc Marcianus Præses consilio diaboli armatus, hanc dedit auctoritatem, ut Julianum solum suis obtutibus, suæque audientiæ reservarent; multitudinem vero Sanctorum eodem loco, in quo degebant, et laudibus Dei vacabant, jussit incendio concremari. Impletur jussio Præsidis, et omnes Sancti ibidem in igne consumpti sunt. In quo loco talis divina gratia collata est, ut usque in hodiernum diem omnes prætereuntes tempore psallendi *l* tertiam, saxtam, nonam, vespertinos, nocturnos, matutinos hymnos, ita audiant multitudinem psallentium, sicut in corpore manentium : et si quis his temporibus æger adiverit, quantumcumque

Socii pro fide comburuntur : miraculis illustrantur.

l

Ex mss. tumcumque fuerit ægritudine oppressus, abscedit in nomine Domini nostri Jesu Christi sanus.

a *Sequentia desunt in Metaph. apud Lipomanum. suppleta a Sur. ex* mss. *Latinis.* b *Quædam* mss. *et Sur.* Syriæ. c *Aliis* Marcianus, *Paulo Morigiæ* Martialis *dicitur.* d *Breviarium vetus Audomarense, ab* Antiochia. e *Mombr.* Cæsaris.
f *Al.* videamus quod responsum daturi sunt nobis. Tunc S. Julianus, armata fronte, *etc.* g *Sur.* primarii viri.
h *Al.* vera. i *Al.* tempore. k *Al.* dicere, docere, ediscere.
l *Perspicere hic licet antiquam consuetudinem horarum canonicarum.* Tertiæ, Sextæ, Nonæ, *etc.*

CAPUT V.

S. Juliani in blanditiis Præsidis constantia.

Posteaquam sancti Martyres, velut aurum per ignem probati, migrassent ad regna cælorum, nuntiatur Marciano Præsidi impleta esse omnia quæ præceperat, et Julianum sub custodia detineri. Tunc exarsit inimicus et sequenti die tribunal sibi præparari jubet in foro. Illico Præsidis præcepta complentur : concurrit undique omnis ætas, omnisque sexus advenit, ut B. Julianum pro nomine Jesu Christi, *a* in cujus amore pendebat, viderent cum diabolo dimicare. Tunc Præses sub voce *b* præconaria jussit eum intromitti. Quem cum vidisset Præses dixit : Tu es Julianus, præceptis Principum rebellis, et divinorum numinum contumax? tu es qui innocentium multitudines magicis artibus aggregas, et omnium mentes immutas. Ad hæc B. Julianus studebat silentio. Ad quem iterum Præses dixit : Ut video, reatu tuo oppressus, nihil ad ea, quæ te interrogo, respondes. Julianus sanctus dixit : Ego rebellis *c* et sacrilegus numquam fui; sed legi divinæ, in qua *d* regula vitæ continetur, semper parui. Quod autem silentio me studentem miraris, tecum loqui confundor, quem video mendaci fallacia sic involutum. Nam Imperatorum tuorum lex quomodo esse sacra poterit quæ sacrilegium operatur? Marcianus dixit : Doleo super te, quia te sic video magicis artibus occupatum, ut non intelligas, quantam vim habeant Principum jussa, per quæ obediens consequitur laudem, et Imperatorum meretur amicitias; inobediens autem, sicut tu dignosceris, pœnæ subjacet et tormentis, et mortis hæres efficitur. Nam audio te tam nobili familia ortum, ut adhuc natalibus tuis parcere *e* dignoscar : pro qua re hortor te *f* ut filium meum, ut ad laudem generis tui diis thura offerre lætus properes.

Julianus sistitur Præsidi.

21 Hæc audiens B. Julianus respondit : Malitia tua cœcatus es, ideo non recte ordinem prosequeris, ut intelligas quæ sit laus generis mei. Tu false mihi blandiendo suades, ut diis quos colitis thura offeram, ut gloriam et amicitiam Principum merear adipisci. Vos noscimini multorum deorum dearumque esse cultores, nos vero Trinitatis unicæ veri sumus cultores. Dii vestri aut ærei sunt, aut lapidei; si ærei sunt, satis meliores sunt illis *g* cucumæ, quæ ad usus hominum ex ipso metallo fiunt; si lapidei, respuendi sunt, quia ex ipsis lapidibus plateæ struuntur ad evacuandum lutum. Et cum fuerint homines, quos colitis, ex quolibet metallo aut conflati aut sculpti dicitis eos sacrificiis cælestibus placari, ut per hæc sint propitii his qui eos colunt. Nos autem, qui unum Deum, qui est in cælis, colimus, dicitis magicis artibus esse occupatos, pro qua re torqueri nos jubetis veri Dei cultores. Unde debes scire quæ nescis, quia sicut non est societas luci et tenebris, nec firma habitatio agni cum lupo; ita non potest fides nostra subjugari imperio vestro vel dæmoniis vestris. Præses dixit : Mihi non verbis jussum est agere tecum; sed audi quid jubeant invictissimi Principes, ut ex eorum lege cognoscas, quid te agere oporteat.

Deos irridet et decreta Cæsarum.

22 Julianus sanctus dixit : Quid jubeant audivi, quid autem me oporteat facere salutari consilio definivi. Turpe est enim grege præmisso pastorem minime sequi. Præses dixit : Illi, quos memoras, pro errore suo dignam consecuti sunt mortem : tu autem, ut evadas tormenta, quæ contemptoribus debentur, et generi tuo et natalibus tuis restituaris, hoc elabora. Julianus respondit : Labora pro te vel pro tuis, quos ita sibi diabolus fecit hæredes : pro me autem sollicitus est Dominus meus Jesus Christus, qui me ex limo terræ formavit. Præses dixit : Sic tecum debeo agere, quasi cum infirmo cardiaco medicus, quoadusque sanitatem recipias. Quod si te sanum reddidero, et divinorum numinum cultorem perfecero : magnum mihi apud Principes amorem collocabo. Nam et ipsi Domini rerum multum tuæ vesaniæ condolent. S. Julianus respondit : Numquam auditum est, ut cœcus illuminet videntem, et morbidus curet sanum, et errans corrigat recte gradientem. Præses dixit : Ergo ut dicis, cœcus sum, et morbidus, et errans, qui saluti tuæ cupio esse consultum; et tu solus plenam obtines sanitatem? Julianus sanctus dixit : Hæc omnia in te dominationem habent. Quod si velles te cognoscere ex toto corde, et requirere salutem tuam, non te horreret medicus noster, per quem omnes Christiani verissimam obtinent sanitatem. Quos autem colitis, dæmones esse manifestum est, qui sibi credentes perdere possunt, liberare non valent.

Blanditias Præsidis rejicit.

a *Al.* in cujus amore pendebant, viderent, *etc.* b *Al.* terribili.
c ms. *Rip.* sacris legibus. d *Al.* regalia vitæ mandata, e *Sur.* Imperator velit. f *Al.* cum filio meo. g *Est* cucuma *vas æreum, in quo aqua calefit, aut aliquid maceratur; aliquando tuguriolum significat.*

CAPUT VI.

S. Juliani cruciatus. Miracula idolorum destructorum, excussi et restituti oculi. Martyrium sanati amici Præsidis.

Tunc Præses iratus exclamat tortoribus : Extendatur ad verbera, ut vel sic stultitia ejus omnibus manifestetur. Julianus respondit : Non est stultitia, Deum nosse, sed gloria. Tu autem secularibus oppressus illecebris, quid sit congruum non agnoscis. Præses dixit : Extendite eum, et fustes rigidos nodososque afferte, et omnia membra ejus dissipate. Et cum ita facerent, unus de *a* cædentibus ictu repercussus oculum amisit, et hic erat de necessariis Præsidis, et Imperatoribus notissimus. Hoc videns Præses, infremuit, dicens : Tantum valent magica tua ut nihil sentias pœnarum, et aliis oculos evellas? Julianus respondit : Marciane, vides quia hoc est, quod superius dixi, cœcus, morbidus, et errans es. Tandem amota sævitia tua, qua in me baccharis, audi quæ loquor. Præses dixit : Si pro salute tua est, audiam libentissime. Julianus respondit : Convoca omnes quos habes deorum dearumque probatissimos sacerdotes, et invocent nomina deorum suorum et dearum super oculum evulsum, ut restituant cultori suo visum. Cum ergo non valuerint, ego nomen Domini mei Jesu Christi invocabo, et non solum oculum evulsum, sed et cordis oculos illuminabo.

Cæditur fustibus : percussori eruitur oculus. *a*

24 Tunc Marcianus tam vera ratione confusus, jubet omnes Pontifices adesse, et dicit eis : Ite et immortales deos sacrificiis opimis honorate, ut huic rebelli suo Juliano ostendant virtutem suam, et homini mihi necessario oculum reformantes, et ipsum suæ culturæ inclinent. Ingrediuntur autem lapides ad lapides, lapidis jussa complentes. Qui cum ritu illo nequissimo dæmonia appellarent, hujusmodi accipiunt responsum in templis : Discedite a nobis, quia nos igni æterno mancipati sumus. Tantum enim valet Juliani deprecatio ad Deum, ut a die qua *b* a vobis tentus est, nobis pœna centuplicata sit, et cum in tenebris clausi retineamur, quomodo visum reddemus, quem non habemus? Tunc egrediuntur sacerdotes falsa promittentes. Sanctus autem Julianus, quem nihil latebat, oratione facta dicit ad Præsidem : Marciane, festina celeriter ingredi, in templum, vocant te dii tui. Tunc Marcianus, licet non voluntarie, sed

Dæmonum vires elidit. *b*

Evertit idola. sed invitus, venit ad templum, vidit quoque omnia simulacra crystallina, et electrina, vel aurea, atque argentea, vel ex omni metallo, quæ amplius quam
c *c* quinquaginta dignoscebantur, ita comminuta et in pulverem redacta, ut qui fuerint omnino non appareret. Præses ista videns cœcatus a diabolo clamabat : O maleficia! sic prævalent apodixes carminum, ut vires deorum superent, et pretiosa numina in pulverem redigant? Sed hæc deorum patientia laudabilis : adhuc injurias sibi irrogatas sustinent, ut rebelles suos patientia sibi subjugent. Hunc autem videamus si pollicitationis suæ impleat effectum, ut oculum extinctum, sola invocatione nominis Dei sui valeat reformare.

25 Et dixit ad Julianum : Patientissimos deos superasse te gloriaris, quorum pietatem erga te minime cognoscis : nunc sopito multiloquio promissum imple, ut in nomine Christi quem colis, oculum extinctum restituas. Sed ne hoc magicis artibus exerceas,
Perfunditur lotio, diffundente odorem balsami. lotio te perfundi jubeo, per quod omnia maleficia fugari cognoscuntur. Julianus respondit : Hoc quod facturus es, non ad injuriam meam, sed ad laudem Domini mei proficiet, ut et oculum pristinæ sanitati restituat, et putens lotium in odorem convertat nectareum. Cumque eum perfunderent, ita completum est, ut dixerat, ut non lotio, sed balsamo eum putarent perfusum. Ad quod miraculum, licet incredulus, Marcianus tabescebat.

Restituit oculum. 26 Tunc S. Julianus super oculum extinctum, crucem Salvatoris nostri faciens, et nomen Domini invocans, statim ita restitutus est oculus, quasi nihil fuisset passus. Sed hæc omnia non Dei virtute, sed magicis artibus facta esse credebat impiissimus Marcianus. Ille vero recepto oculo clamabat : Vere Deus
Illuminatus, Christum confitens occiditur. est Christus, ipse solus colendus est, solus adorandus. Dii autem vere dæmonia esse manifestantur. Quem talia prosequentem jussit Marcianus gladio interfici. Quem nullus dubitet, sanguinis sui unda perfusum, Dominum Jesum Christum sibi Martyrem consecrasse, ad laudem et gloriam nominis sui, Amen.

a *Quædam* mss. sedentibus.
b *Al.* ad hæc patibula comprehensus est. *al.* ad hoc patibulum raptus est. c *Al.* quinginta.

CAPUT VII.

Conversio Celsi filii Præsidis.

Sanctum vero Julianum jussit impiissimus Marcianus diversis pœnis afflictum, et vinculis ferreis per omnes artus oneratum, sub voce præconia circuire civitatem, dicens : Hæc merentur rebelles deorum, et Principum contemptores. Cumque venirent ad locum, ubi filius Præsidis studebat litteris, tunc puer
Celsus videt S. Julianum ab Angelis coronari, ad condiscipulos suos dixit : Miram rem video. Qui dixerunt : Quid vides? Et ait : Ecce video reum istum Christianum, quem milites ducunt ore frænatum, multitudinem albatorum cum eo loquentem, et coronam de lapidibus pretiosis et auro super caput ejus ponentes, cujus splendor aeris hujus lumen obtundit; et alios tres viros, albescentibus comis, aureoque
a *a* vultu, in similitudinem aquilarum, super eum excubias celebrantes. Et hoc mihi videtur, quia dignum est huic tali Deo credere, qui sic suos cultores tuetur, et illos tali decore circumdat. Nam credite mihi Fratres, quia in ejus confessione delector, et talia pati desidero, si vellet Deus ejus esse Deus meus.

convertitur ad Christum, 28 Hæc audientes condiscipuli ejus vel magister, turbati sunt valde : quem blando sermone corripientes, ab intentione revocare volebant. Timebant enim, quia unicus erat patri. Dixitque puer : vere magnus est Deus Christianorum, in quem credere consilio salutari decrevi. Ipse est verus Deus, qui credentes in se non deserit. Quæ est enim gloria vitæ hujus? Sicut uter vento distentus plenus apparens, et intus est vacuus; ita et gloria seculi hujus, in qua nos temporalem habemus *b* lætitiam, et æternam Dei potentiam non agnoscimus. Volumus dominationem exercere, et dominatorem *c* verum, qui est in cælis, corde incredulo voluntarie non cognoscimus. Quanto meliora sunt nobis pecora, jumenta, vel canes, qui voces vel jussum dominorum suorum audiunt, et injurias ipsorum morsibus vel calcibus vindicant? Nos vero rationabiles facti Creatorem nostrum, lapides et ligna colentes, non agnoscimus. Sufficiat mihi hucusque errasse, jam non errabo. Quod mihi defuit, ostensum est : tempus acceptum inveni : quare non elaborem ut acquiram tempus sine tempore, fruar luce sine fine, et contemnendo divitias labentes, æternas acquiram? Nam impedimenta hujus mundi separant a Deo. Potestas vero temporalis, vel quælibet dignitas successione finitur, et vita ipsa morte excluditur. Illi debeo credere Deo vero et sancto; in cujus regno si militavero, nullus veniet mihi successor : cujus æternitati si sociatus fuero, casibus æternis non subjacebo, nec mortem pertimesco. Hæc est gloria et nobilitas generis, pro tali Deo pati : pro quo dum torqueor, numquam deficio; quem cum confiteor, numquam derelinquo. Ex mss. *b* *c*

29 Hæc dicens filius Præsidis projecit volumina *libros et vestes projicit, adjungitque se S. Juliano.* doctorum, et ipsas vestes, quibus indutus erat, a se jactavit, dicens : Polluta vestimenta ad Dei hominem properantem projicere necesse est : nudum me maternus uterus huic seculo fudit : quod mundi est, mundo relinquam. Et per plateas civitatis cursum arripuit, quousque ad locum ubi S. Julianus torquebatur, veniret. Ita enim jusserat iniquissimus Marcianus, ut per omnes plateas et vicos civitatis diversis pœnis affligeretur. Tunc puer prostratus pedibus S. Juliani clamabat : Te *d* agnosco patrem secundæ nativitatis, quem mihi Dominus Jesus Christus, sic clarificatum ostendit : Marcianum vero genitorem meum, inimicum veritatis, Dei servorum persecutorem, abnego et despicio. Tibi adhærens opto pro Christo et Salvatore meo, quem usque in hanc diem ignoravi, similia pati. Hæc videntes ministri pœnarum, vel milites, stupore perterriti contremuerunt, et *e* sermo eorum defecit. Doctores vero studiorum fugere quærebant. Tota quoque civitas utriusque sexus ad spectaculum tantæ rei concurrebat : omnesque hæc audientes et videntes tremor invasit, cognoscentes filium Præsidis S. Juliano sic adhærentem, sic vulnera ejus osculantem, talia proclamantem, obstupescebant. Tunc venerabilis puer dixit : O universi populi agnoscite me, quia ego sum Præsidis filius, qui cum impio patre Sanctorum veneranda corpora, licentia paternæ potestatis elatus dissipabam. Sed hæc, quæ miramini, immutatio dexteræ Excelsi laudabilis est. Hæc feci ignorans Deum : ast ubi cognovi Deum, imo cognitus sum ab eo, diis abrenuntio, patrem et matrem abnego, divitias superfluas respuo, Christum confiteor, B. Juliani me *f* vel sequipedem protestor. Quid tardatis ministri vel milites? Ite, nuntiate parentibus meis, me Deum verum cognovisse, et huic adhærere, quem veri Dei cultorem esse cognovi. *d* *e* *f*

30 Innotuit factum omni civitati, totamque pro- *Non potest vi ab eo avelli.* vinciam peragravit; nuntiantur hæc patri ejus et matri. At illi audientes, ut cera igni tabuerunt. Et quia confluxerat innumera multitudo populi, Præses jubet filium suum, a S. Juliano segregatum, sibi restitui. Domini vero misericordia ita affuit precibus S. Juliani, ut si quis vellet manum extendere, ut eum apprehenderet, et separaret a complexu S. Juliani, statim brachia et manus ejus contraherentur.

31 Reperit factum pater, et jubet eos simul ad se *Præses magicis artibus id tribuit.* perduci. Cumque ejus aspectibus sisterentur, ait ad B. Julianum : Tu es qui spei meæ fructum magicis artibus auferre contendis? qui tenerum pectus illicitis carminibus alienasti, et genitorum affectum negare compellis? Hæc patre pueri dicente, mater advenit cum

Ex mss. cum omni familia sua utriusque sexus, circiter quinque millibus, crine soluto, uberibus nudatis, lacerato pectore, et voces dabat ad cælum. Tunc Præses hæc videns, scissis vestibus et lacerata facie clamabat ad B. Julianum : Juliane crudelis aspice dolorem patris et matris. Aspice tantæ familiæ planctum, et magicis artibus solve innocentiam, ut et nobis unicum reddas filium, et huic tantæ familiæ restituas dominum, et pro te Imperatoribus suggeram, ut culpa vacante abscedas. Julianus respondit : Suffragiis tuis opus non habeo, nec ab Imperatoribus tuis dimitti desidero. Sed hoc oro Dominum Jesum Christum, ut una cum isto agno de luporum visceribus nato, vel omnibus qui crediturі sunt, martyrio completo suscipiar in eorum numero, quos tu in innocentia viventes, crudeli incendio concremasti. Nam ecce adest, qui ex te natus fuit, et modo mecum credendo renatus; ætatem habet, ipse tibi responsum det, ipse genitricis aspiciat lacrymas, ipse uberibus, quibus nutritus est, doleat morsibus et cæde consumptis.

Generose respondet Celsus parentibus.

32 Ad hæc venerabilis puer dixit : Contingere solet, ut de spinis rosæ nascantur; nec amittit odorem suavissimum rosa nata de spinis; nec frutex, qui genuit rosam, spinarum amittit aculeos : ut consuevistis parentes pungite, et me odorem suavitatis credentibus permittite propinare. Vobis obediant, qui perire parati sunt; me imitentur, qui de tenebris ad lumen transire contendunt. Hoc scire debetis, quia ego pro Christo Domino meo vos parentes abnego; et vos propter deorum vestrorum culturam, filium tormentis affligite. Credo enim per ista tormenta, et per temporalem mortem, vitam æternam acquirere. Nec possum in vos pius esse, et in me crudelis existere : nec amorem vestrum *g* Dei amori præponere. Quid moramini? Accede tu Marciane quasi incredulus et crudelis pater, non quasi verus Abraham, apprehende gladium et Christo filium victimam offer. Sed si te viscerum pietas monet, dirige me ad sævissimum Principem tuum, ut ego pro Domino meo Jesu Christo, ornamenta martyrii plenius adimpleam. Nam vani et inanes sunt singultus vestri, et falsæ lacrymæ. Ceterum ab hac confessione pietatis nullus me valebit disjungere. In hac parte omnis definitio Philosophorum cessat. Abscedite a me. Paternum nomen et maternum Christi nomini non præpono.

g

a *Al.* volatu. b *Al.* licentiam. c *Sur.* rerum. d ms. desidero. e *Al.* sensus. f *Al.* pedisequem. *al.* sequipedam. g *Al.* æternæ lætitiæ.

CAPUT VIII.

Conversio XX *militum. Adventus* VII *fratrum Christianorum, et Antonii presbyteri in carcerem.*

Hæc audiens Præses, exclamavit : Custodia privata recludantur, et quæ necessariæ sunt opes subministrentur eis. Audiens beatus puer, et B. Julianus, dicunt Præsidi : Opes, quas parari jubes, tibi consentientibus impendi præcipe; nobis vita Christus est. Hæc audiens Præses, fremuit ut leo; et existimans eos pœna terreri, quos blandimentis non valuit obtinere, jussit eos in carceris ima recludi, ubi de damnatorum membris diuturno tempore consumptis horribilium vermium examina bulliebant, et odor omni fœtore nequior. Introducuntur beati Martyres : quos præcedens gratia Domini locum horrendum delectabilem reddidit, tenebras convertit in lucem, exhibens cereorum officia, nectareum odorem reddens : ebulliens vero pœna evanuit.

Carcer illustratur, et suavi odore repletur.

Milites 20 *convertuntur.*

34 Hæc videntes milites numero viginti, qui eos custodiæ mancipandos adduxerant, conversi ad invicem, dicunt : Pudoris est ut ferreum pectus possideamus. Numquid justum est ut ab hac luce ad tenebras redeamus, de vita ad mortem, et de odore nectareo ad horrendas effusiones sanguinum, et a tali patre monente ad Judicem irascentem; a veritate ad mendacium, a sobrietate ad ebrietatem, a castitate ad libidinem? Turpe est reverti et esse quod fuimus, et negligere salutem, quam invenimus. Hæc dicentes, ad pedes volvuntur S. Juliani, laudantes et confitentes Christi nomen. Tunc B. Julianus cum venerabili puero gratias Deo referebant. Audiens hæc itaque Marcianus, præponit custodiæ crudelissimos custodes, quoadusque muneribus præparatis, muneribus pœnas inferret. Sanctus vero Julianus sollicitus pro salute eorum, quos Christo acquisierat, orabat Dominum ut procuraret qualiter baptismi gratia firmarentur. Nec hoc silebo.

35 Aliud magnum donum in eadem civitate concessum est. Ante tempus persecutionis, Imperatores Diocletianus et Maximianus quemdam Priorem civitatis unice diligebant, quia de genere *a* Carini Imperatoris descendebat. Hic defunctus Christianus cum uxore sua, septem filios Christianos superstites reliquit : quos Imperatores retinentes amore patris eorum, jusserunt eos sine aliqua persecutione Christianæ religioni deservire. Hi habuerunt secum Presbyterum, qui eis mysteria sancta celebrabat. Hi visitantur a Domino, et jubentur una cum Presbytero carcerem petere, ut baptismi gratiam venerabilis puer Celsus et milites consequerentur. Statim sancto præcepto obaudiunt, et dum ad carcerem veniunt nocte, vident Angelum Domini ante se præeuntem : qui mox ut tetigit januas, omnia claustra aperta sunt. Ingressi vero et orantes simul cum B. Juliano, Deo vota persolverunt. Tunc illi septem fratres cum Presbytero Antonio, videntes tantum splendorem gratiæ clamaverunt, dicentes : Ecce adsumus : Dominus nos huc direxit cum Sacerdote suo, ut omnes baptismi gratiam consequantur, et nos tirones per te Pater Juliane, in agone martyrii Christo verissime militemus. Hæc audiens B. Julianus, dixit : Gratias tibi ago Domine Jesu Christe, qui ita dignatus es implere desiderium meum, ut, quos per me acquisisti, per baptismi gratiam vera fidei membra confirmentur : et hi, quos *b* pietas impia Imperatorum, quasi agnos inter tanta agmina luporum, reliquerat, ad tui sancti nominis confessionem mereantur pervenire.

a

Pueri 7 Christiani cum Presbytero divinitus in carcerem inducuntur.

b

36 Nuntiatur hoc factum impio Marciano, septem germanos sine aliqua persecutione remissos, S. Juliano sociatos, optantes mori pro Christo. Audiens hæc Præses contremuit, et jubet duci de custodia, et eos sic alloquitur : Quid vobis contigit infantuli, quos ita Principes tuentur et diligunt, ut arbitrii vestri essetis et religionis vestræ cultores? Quid patimini sine aliqua persecutione optare mori, quibus concessum est vivere? Si ego maleficiis filium amisi, et militum mentes nescio quibus carminibus mutatæ sunt; quare vos, qui in vestro arbitrio constituti estis, ultro properatis ad mortem? Audite me, et estote securi, ut fuistis. Ad hæc venerabilis fratrum senior respondit : Præses audi, quæ a me dicuntur. Præses dixit : Dic ergo, ut audiam. Puer dixit : Massa auri naturæ suæ obtinet claritatem, sed nisi per manus artificis, igne, et limis, et malleo in partes dissecetur, diadema regni in capite Regis non perficitur : ex ipso metallo auri, industria artificis, et per ignem et malleum, diversarum ornamentis margaritarum, et lapidibus pretiosis, componitur diadema, ut omnes qui vident mirentur. Sicut auro natura sua splendido diversarum margaritarum et lapillorum natura adhærens; ita sumus et nos nati de Christianis : sed nisi ipsa nativitas in publico fuerit omnibus manifestata, in occulto non coronatur : et nisi Juliani vestigia immaculato *c* calle secuti fuerimus, in diademate æterni Regis Domini Christi esse non possumus. Satis horrenda est arbor, quæ foliis vernat, et *d* cultori suo poma non exhibet. Hæc audiens Præses jubet eos in custodia reduci, in qua pro eis S. Julianus et omnes Sancti Deum deprecabantur, ne serpentis falsa blandimenta

Reddunt Præsidi rationem sui in carcerem adventus.

c

d

dimenta innocua pectora declinarent ad verba maligna. Ita suscipiunt lætos, de quibus erant suspecti.

a *Carinus an. Ch.* 282, *creatus Imperator est cum fratre Numeriano a patre M. Aurelio Caro, et occisus est apud Margum Mœsiæ oppidum an. Ch.* 285. b *Sur.* impietas Imperatorum.
c *Al.* corde. d *Sur.* Creatori.

CAPUT IX.

Mortui suscitatio, et ad Christum conversio.

Tunc iniquus Marcianus suggestionem fecit Imperatoribus, dicens : Piissimi Principes subvenite legibus vestris, et divinis numinibus, quæ remanserunt, præbete munimen : et magum Julianum vestris obtutibus præsentate, qui magicis artibus amplius quam quinquaginta deorum simulacra, per quos mundus florebat, comminuit; filium a me unicum separavit, et militum mentes nescio qua arte immutavit : nam et septem germanos, quos clementia vestra legis suæ jussit esse cultores, magica arte subvertit, beneficiis vestris fecit esse ingratos. Pro qua re quid velitis, jussu vestro decernite. Tunc Imperatores hanc dederunt auctoritatem Marciano, ut si Julianus cum sociis suis in hac confessione permaneret, ad exemplum aliorum convocata universa provincia, singulis singulas juberet præparari cupas et intus picem, sulphur, et bitumen immitti, et singulos in easdem recludi, et igne supposito concremari. Quod si adversus hæc carmen magicæ artis prævaleret, haberet licentiam, quibus vellet pœnis eos affligere.

Ex rescripto Imperatorum comburi jubentur.

38 Accepta hac auctoritate Præses jubet sibi in foro sedem parari. Alia vero die cum sedisset, jubet S. Julianum cum sociis suis aspectibus sisti, quibus Marcianus : Nihil pro vestra salute tanti temporis spatio cogitastis? Julianus respondit : Cogitatio nostra, quæ est ab initio, in quo cœpit in hoc et finiet. Tu si aliquid excogitasti pœnarum, exerce. Præses dixit : Quod cogitavi, ego adimplebo. Et adjecit : Audistis quid de vobis determinaverunt invictissimi Principes? Cui venerabilis puer Celsus dixit : Audisti et tu, nec nominande, nec dicende, nec audiende pater, pœnam quam præparavit Deus patri tuo diabolo et vobis qui effecti estis ministri ejus? Et subsecutus S. Julianus dixit : Quod jusserunt Principes, imple : nam nos audire non delectamur.

Intrepidi sistuntur Præsidi.

39 Cum ista dicuntur, et illa audiuntur, per plateam corpus exanime ferebatur sepulturæ mancipandum. Tunc Præses corde cœcatus, jussit revocari corpus; et in medio foro deponi. Omnes vero, qui hæc videbant, stupore nimio tenebantur. Tunc Marcianus ait ad S. Julianum : Magister vester Christus dicitur, quod antequam crucifigeretur mortuos suscitabat : hic apparebit, si vere Deus est, si vos istum mortuum, sicut magister vester fecit, suscitaveritis. S. Julianus dixit : Quid prodest cœco, quando sol exoritur? Præses dixit : Hic nunc parce fabulis, et si quid prævales tu, aut Deus tuus, istum mortuum suscita. B. Julianus respondit : Licet infidelitas vestra hoc non mereatur a Domino, tamen quia nunc tempus est, ut virtus Domini manifestetur, et ne hoc impossibile putetis; fidele habeo promissum, Domini mei, credens quia quidquid eum peto, non me fraudabit. Statim autem Julianus oculos in cælum defigens ferme horæ unius spatio, facies ejus mutata est et facta est ut nix, et his verbis coram omnibus fudit orationem ad Dominum dicens : Domine Jesu Christe, qui es verus filius Dei vivi, qui in principio natus est de Patre sine *a* tempore, et in novissimo mundi carnem de virgine assumpsisti sine semine, aspice de summitate cælorum tuorum, et ad confusionem inimicorum tuorum, et ad corroborandam fidem in te credentium hæc quæ operatus es positus in terris, exaudi nunc de cælis, et suscita hunc mortuum, ut vivi non moriantur, sed mortui reviviscant. Et completa oratione ait ad corpus : Tibi dico, terra arida, in ipsius nomine qui Lazarum quatriduanum suscitavit, ipse tibi imperat, surge. Et cum hoc dixisset, surrexit qui erat mortuus, et voce magna clamabat : O acceptabilis oratio! o immaculata virginitas quanta meretur! Quo ducebar, et unde reductus sum?

a

Ex mss. *S. Julianus mortuum resuscitat.*

40 Cœcatus vero Marcianus irridens dicebat ad eum : Quo ducebaris et unde redisti? Tunc ille, qui fuerat defunctus, dixit ad Præsidem : Permitte me ordinem prosequi. Præses iterum irridens, dixit : Prosequere. At ille : Ducebar nescio a quibus Æthiopibus, quorum statura erat ut gigantum, et aspectus horridus, oculi ut fornaces ignis, dentes ut leonum, brachia ut trabes, ungues ut aquilarum, in quibus nulla misericordia erat. Hi me lætantes ducebant in infernum : et cum jam prope os putei abyssi essem, adhuc expectabatur, ut caro mea redderetur terræ, ex qua sumpta est. At ubi tu Præses corpus meum fecisti revocari, et ubi B. Julianus pro me orationem fudit ad Dominum cælorum, infernus omnis conturbatus est, et vox de throno Dei audita est, dicens : Propter dilectum meum Julianum reducatur hujus anima, quia in nullo eum volo contristari, in quo sic ego et Pater meus et Spiritus sanctus lætamur. Et venerunt duo albis induti, et tulerunt me de dominatu eorum, et huic luci reddiderunt. Nunc ergo obsecro te, per eum qui me suscitavit, ut agnoscam verum Deum post mortem, quem vivus negabam. Hæc audiens Præses et videns, turbatus est; et ne dissensio fieret inter tantas multitudines, jubet eum cum Sanctis in custodiam recludi, et claustra annulo suo signari. Quem Julianus fecit baptismi gratiam consequi : et cum ipsis in martyrio cœpit agonizare.

Resuscitatus narrat statum alterius vitæ.

Fit Christianus.

a *Al.* matre.

CAPUT X.

Martyres XXXI *ab igne illæsi.*

Impius autem Marcianus jubet pœnam, quam Imperatores jusserant, præparari. Quæ cum parata fuisset, illuxit dies, et populi utriusque sexus currebant quasi ad spectaculum Circi; *a* et qui nolebant venire, a ministris compellebantur. Ordinantur cupæ in ordine triginta et una. Terror intolerabilis augebatur : mediantur cupæ pice, bitumine, et sulphure : adjuncta etiam copia lignorum et sarmentorum.

a

Implentur cupæ pice et sulphure.

42 Jubet impius Præses Sanctos produci de custodia. Sanctus vero Julianus et puer uno vinculo tenebantur : ceteri vero onerati vinculis catenarum trahebantur ad spectaculum, hymnum Deo una voce canentes : Bonum mihi quia humiliasti me, ut discam justificationes tuas. In quorum aspectu omnis ætas novam pulchritudinem mirabatur, quorum mentes ad fletum conversas pietas inclinabat. Clamabatur ab omni ætate inconfuse. Viri clamabant : O injustitia! et nos filios habemus. Mulieres solutis crinibus clamabant : O *b* gemitus amarior felle! ut quid talis juventus igne *c* crematur? O potestas cæca, quæ nec vivis parcit, nec mortuos audit! Tunc S. Julianus silentium petens ait ad populum : Ne prohibeatis fieri permissum Dei. Sinite nos splendidiores fieri auro per ignem; hoc scientes, quia videbitis nos creduli et increduli igne consumpto, sicut videtis nunc ante ignem, illæsos.

Producuntur Martyres.

b

c

43 Jubet eos impius Præses in conspectu suo statui, quibus sic dixit : O desperata voluntas, per quam decus juventutis ad interitum *d* properat, nescio quo carmine mentes alienatæ sunt. Convertimini, *e* et sic tandem pro vestra salute diis immortalibus, qui laborant pro vobis, cervices flectite. Quod si volueritis, ego obtinebo ab Imperatoribus, sine aliqua persecutione religionis vestræ esse cultores; tantum ne unicum mihi filium dulcem, cum talibus ac tantis, in ipso flore vernantem videam cremari igne. O insanabilis dolor pectori meo! Quem primum plangam, cum omnium decora sunt corpora? Filii mei dulcissimi vultum desidero pulchriorem. O Juliane omnium malorum

Objurgantur a Præside.

d

e

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ex mss.

malorum magister, quam multa bona tecum trahis, ut filius negando patrem, per te et matrem non agnoscat? Et ad filium conversus dixit: Vel antequam pereas, fili dulcissime, verba audiam tua: ecce venit et mater, quæ partus sui dolores istos quos non sperabat invenit, ecce et numerosa familia, quæ te sibi futurum dominum congaudebat, funeri tuo valedictura advenit.

Egregium Celsi responsum.

44 Venerabilis puer Celsus dixit: Lugeant se et te; nos autem, quos conspiciunt ad regna cælorum tendere, lugere non debent. Nam nos omnes transibimus per ignem, et illæsi tibi apparebimus, et huic tanto populo qui agonem nostrum expectant. Dæmonia vero quæ colitis, et illas pestes quas Imperatores dicitis, ac si purgamenta *f* despicimus. Præses dixit: Ipsa est contumax audacia vestra, quæ vos vivere non permittit. B. Celsus dixit: Per ipsam vanitatem quam colis, te obtestor, ut intrepido corde petitioni meæ tribuas effectum. Præses dixit: Quidquid volueris pete. Celsus dixit: Cum me videris illæsum post ignem, permitte ad me venire matrem meam, ut habeam consilium cum ea triduo, dilatione concessa. Si mihi unam rem quam voluero concesserit, nec me, nec illam amittes. Hoc audiens mater urgebat fieri. Tunc impius Marcianus cœcatus a diabolo, dixit: Si ex igne illæsus exieris, quod fieri non credo, faciam quod desideras.

f

45 Tunc Præses incendium filii videre non tolerans, Assessorem reliquit, qui jussa Principum compleret; ipse vero scissis vestibus cum uxore domum revertitur. Tunc exurgit luctus immanis, plangentibus cunctis. Lugebant parentes filium, servi dominum, nec erat qui consolaretur. Quid multa? Assessor munus sibi injunctum adimplet. Jubet singulos Sanctos in singulas deponi cupas. Sanctus vero Celsus, qui numquam a latere S. Juliani discesserat, dat ei pacis osculum, et ad præparatum supplicium properat intrepidus. Cumque singuli a ministris comprehenderentur, et deponerentur in cupas, sicut superius dictum est, pice, sulphure, et bitumine semiplenas, aggregata copia lignorum et sarmentorum, et stuppa; jubet Assessor ignem supponi. Quod cum factum fuisset, eructuabat flamma excelsior ab eo loco, et cubitis amplius quam triginta elevabatur. De medio autem igne, ita multitudo psallentium resonabat, quasi vox aquarum multarum. Consumptis vero omnibus igni suppositis, apparent Sancti sicut aurum vel argentum rutilans, et ista modulatione hymnum Deo canebant: Transivimus per ignem et aquam, et induxisti nos in refrigerium. Ignis vero ardens atque coruscans vim virtutis suæ oblitus est Domino jubente, ne Sanctos Dei læderet.

Imponuntur cupis:

non læduntur ab igne.

Psa. 65. 12.

46 Nuntiantur hæc Præsidi, Sanctos Dei omnibus apparere illæsos. Statim Præses cum uxore sua et familia ad spectaculum properat, exitum rei cognoscere. Tunc in hanc vocem prorupit: Juliane, obtestor te per Deum tuum, ut mihi dicas, unde tantam virtutem maleficiorum didicisti? Julianus respondit: Quia per Deum meum me obtestatus es, qui est, horum mirabilium auctor, referam quomodo possit mereri, qui desiderat talia discere maleficia, ut sit sicut ego hujus carminis sanctificator et auctor. Si quis elaboraverit ut se ab omnibus actionibus seculi faciat alienum, ut solam vocem Domini audiat, imperantis et dicentis: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me; nihil amori Dei præponat; nihil aliud desideret, nisi quod ipse Dominus promittit; non consideret nec patrem, nec matrem, non filios, et cætera, quæ noverunt intelligentes impedimenta animæ; ante omnia qui pauperum curam solicite egerint, qui contenti sunt esurire, ut alios refocillent; satis Deo acceptum est munus, quo indigens saturatur, quo nudus vestitur, quo ira non perficitur, quo malum pro malo non redditur, quo iracundiæ tempus non reservatur, quo impatientia per patientiam superatur. Qui non vult dici sanctus, antequam sit, *g* hic placet Deo: multi enim dicuntur quod non sunt, et sola ipsa spe securi, qua dicuntur quod non sunt, segnes efficiuntur; elaborent ut vere sint quod ficte dicuntur: et multi sunt sancti, et de his non dicitur quod sunt; sed humilitate et gratia pleni ab omnibus se sciri nolunt, ut ab illo recipiant mercedem qui novit quod sunt. Hi tales hanc artem, quam ego novi, discere possunt. Nam non solum hoc in corpore constituti hanc gratiam merentur, sed æternas cum Deo collocabunt amicitias, qui primum edocti a Christo aliis subministrant donum per gratiam Dei in se collatum, se primum lucrantes, deinde proximos; facientes quæ dicunt, qui illatam sibi injuriam pro laude deputant; qui sibi injuriæ tempus non reservant; qui reconciliantes se proximo et proximum sibi, sic offerunt Deo munera; qui humilitatem obtinent, quod est culmen omnium bonorum. Marcianus dixit: Et quis tam insipiens est, qui hujus vitæ lætitiam fugiat, et ad tantam injuriam semetipsum inclinet? S. Julianus respondit: Hoc Deus omnipotens omnibus paratus est dare, sed pauci dignos se exhibent munera ejus accipere. Præses dixit: Jam ad te, Juliane, sermo meus finem accipiet. Julianus respondit: Hoc semper optavi.

S. Julianus exponit modum consequendi virtutem miraculorum.

Luc. 9. 23.

g

a *Additur apud Surium:* Sedit autem pro tribunali Præses, et universa ætas concurrit. b Ms. *Rip.* genitor.
c Ms. *Aud.* inciditur, *al.* incenditur.
d *Sur.* quasi ad epulas properat.
e *Sur.* licet tarde, *al.* etsi tarde. f Ms. *Rip.* ducimus.
g *Additur apud Sur.* Sed elaborat ut sit.

CAPUT XI.

Marcionillæ conversio. Cædes XXVII *Martyrum.*

Conceditur S. Celso mater ad triduum.

Tunc Præses dixit ad filium: Ecce mater tua, sicut postulasti: triduo cum ea habebis inducias. Hæc ad omnia tibi parata est consentire, ne te unicum multorum dolorum suorum amittat dulcissimum filium, S. Celsus dixit: Isto triduo matre mihi concessa, nulli licebit tuorum interesse. Præses dixit: Ut vis ita concedo, et adjecit: Excludantur in custodia privata. Statim impletur jussio Præsidis. Tunc sancti Martyres recluduntur civili custodia, una cum matre pueri. Ingressi vero Sancti, hanc orationem fuderunt ad Dominum. Deus qui præscius es futurorum, qui transacta velut præsentia conspicis; qui mentes probas, non ætatem; tu Domine oculos cordis hujus aperire dignare, et acceptabilem terram tibi fac, ex qua suscepisti fructum, unde lætari dignoceris.

Splendore, odore, et musica cælesti invitatur ad fidem.

48 Et statim commotus est locus, in quo Sancti erant orantes, et fulgor argento septies splendidior emicuit, nec odor consuetus Sanctis defuit, et vox psallentium in aere sonabat: Vere pius Deus, qui justificat animas peccatrices sine operibus. Hæc mulier audiens et videns, clamabat: Numquam in diebus vitæ meæ tam suavissimum odorem sensi; nam sicut in amœnissimis hortis, liliorum, et rosarum et balsami nectar, et nardi redundat olfactus. His donis ita sum refecta, ut *a* dolorum omnium meorum oblivionem patiar; nec aliud cordi meo remanere cognoscam, nisi ipsum esse verum Deum, pro quo filius meus agonizatur.

a

Catechizatur a S. Juliano et filio Celso.

49 Hæc audiens B. Julianus cum omnibus Sanctis, talem fertur mulieri propinasse doctrinam: Beata tu credentibus arbor esse dignosceris, quæ sic fructus tui merito et animæ et corporis medicinam celeriter consequeris: nam talis medicus est, qui tuam suscipit *b* infirmitatem, ut non secando curet vulnera tua, sed semel probando fidem tuam. Venerabilis puer subsecutus dixit: Vere nunc te veram matrem profiteor, veram te genitricem meam agnosco: nec tu amittes filium, nec ego matrem, sed una mecum ad illud contendas donum, pro quo Sancti hæc tanta sustinent. Venerabilis mulier, cujus intima pectoris jam gratia divina illustraverat, respondet filio suo: Cognosce fili,

b

fili, quia nil amori ejus præpono, quem tu sic diligis. Pro qua re quidquid saluti meæ necessarium esse cognoscis, exerce. Respondit puer : Corde creditur ad justitiam, et quia ore confessio fit in salutem, hoc deest, ut purificationis baptismum accipias, per quod possis effici habitaculum Spiritus sancti. Mulier respondit : Ecce nos claustra retinent, et custodiæ militum circumvallant, nec introitus est, nec exitus permittitur, et quomodo inveniemus talem hominem, qualem mihi promittis? S. Julianus respondit : Hic habemus sanctum et verum Christi Sacerdotem, qui te purificet; tantum ut tu ex corde abneges deos tuos, et unum Dominum credas qui regnat in cælis, qui est unus in trinitate, et trinus in unitate, sub cujus imperio Reges imperant terræ, cujus gratia confirmantur Duces, cujus tremore contremiscunt gentes, cujus sapientia sanctificantur sapientes, cujus imperio cœli operiuntur nubibus, cujus voluntate datur terræ pluvia, cujus dono terra fœcundatur, cujus voluntate quæ necessaria sunt gignit, cujus dono inundant fontes. Ipse est Christus Deus æternus; Pater in Filio est, et Spiritus sanctus, per cujus splendorem illuminantur cæli, et tenebræ incredulitatis fugantur, ipsius nutu gubernantur omnia, quia ipsius voluntate creata sunt cuncta. Respondit mulier : Qui hæc ita esse non credit, ferreum possidet pectus, nec hominum gerit sensum, sed pecudum. Tum omnes Sancti gratias referunt Deo, qui dignatus est de luporum faucibus ovem perditam liberare. Cui iterum B. Julianus ait : Ita credis, ut audisti, unum et verum Deum esse in cælis, qui est trina majestas et una Deitas? Mulier respondit : Ipsum verum esse credo Deum, quem per tuam prædicationem cognovi, creatorem omnium, qui certis limitibus fixit mare, qui ei posuit terminum quem non transgredietur, qui cælum suspendit, et diversarum stellarum splendoribus adornavit, qui in perpetuo solis ardore fundavit, et lunæ initium et finem instituit. Ipse est Dominus Jesus Christus, in quem relicta vanitate credo, cupiens hac vita temporali carere, ut ad illam vobiscum æternam merear pertingere.

50 Cumque hæc dixisset mulier, locus in quo erant contremuit, et audita est vox in aere dicens : Credidi propter quod locutus sum. Responderunt omnes sancti, Amen. Tunc B. Antonius Presbyter baptizavit eam, cui venerabilis Celsus filius ejus Pater in baptismo factus est. Cumque baptizata fuisset et omnes de ejus salute gauderent, vox Domini audita est dicens : Confortetur cor vestrum in Domino, et viriliter agite. Hæc audiens B. Julianus dixit : Vox, quæ insonuit auribus nostris, pronuntiat nobis futuras passiones, et diversa genera tormentorum, quæ adversum nos cogitat inimicus. Pro qua re fidei nostræ cursum Domino commendemus, qui potens est fidem nostram servare, et cursum consummare, ut repositam justitiæ coronam mereamur percipere.

Baptizatur filio eam suscipiente.

Cælitus confirmatur.

51 Quid multa? Cognovit impius Marcianus uxorem suam Martyrum effectam sociam, Christi amore esse firmatam. Jubet Præses Marcianus intra domum suam privatim Martyres exhiberi. Cumque ejus aspectibus repræsentarentur, ait ad venerabilem puerum : Matrem tuam sub hac ratione postulasti, ut tibi consentiret : modo quid actum sit cognoscere cupio. Venerabilis puer respondit : Gratias ago Deo meo, qui voluntatis meæ fructum ita perfecit, ut in æternum possideam matrem, et ipsa me filium : ut ex hac die cognoscas pro amore Christi in ista vita nos spem penitus non habere. Pro qua re nec ego te novi patrem, nec ipsa maritum. Tunc Præses ira repletus jubet mulierem comprehendi et domi retineri. Ad quam cum appropinquarent ministri, volentes eam contingere cæci facti sunt. Hæc audiens Marcianus, cæcatus a diabolo jubet omnes in imo carceris recludi.

Sistuntur omnes Præsidi.

Marcionillam comprehensuri, excæcantur.

52 Alia vero die sedens pro tribunali, jubet viginti milites, qui in agone certabant, pro Christi nomine decollari : septem vero germanos igni tradi præcepit. Quod cum factum fuisset, martyrium suum cum gaudio et exultatione consummaverunt in pace pergentes ad Dominum, cui est honor et gloria in secula seculorum, Amen. Sanctum vero Julianum cum Antonio Presbytero, matrem et filium, et illum quem infernus reddiderat, suo judicio reservari præcepit.

Ex mss.

Milites 20 *gladio,* 7 *fratres igne interimuntur.*

a *Al.* idolorum. b *Al.* sanitatem..

CAPUT XII.

Subversio templi Jovis.

Cumque sedisset pro tribunali in foro, jubet B. Julianum et reliquos Sanctos exhiberi. Ex officio dictum est : Adstant. Tunc Marcianus sic erupit : Tecum Juliane loqui penitus dignum non habeo. Et adjecit : Tu es Antonius, quem Papam suum isti testantur? Constat ergo te hujus magicæ artis esse auctorem. B. Antonius Presbyter respondit : Gratias ago Domino Jesu Christo, qui hujus gratiæ suæ me indignum fecit esse ministrum. Præses dixit : Vel tu mihi dic Antoni, quæ est magica virtus vestra, ut sic separetis filios a parentibus, et conjugia disjungatis, et bona ipsa vitæ, vel opes, quæ fata concedunt, negare et horrere persuadeatis, et dii immortales per vos blasphementur? Quæ est ergo hæc audacia vestra? dicito mihi : ex ore tuo audiam et cognoscam, qualiter vobis et magicis artibus vestris finem imponam. Tantum enim pervaluistis ad decipiendum populum, ut et gloriemini vos mortuum suscitasse, per quod innocua pectora irretistis. Antonius Presbyter dixit : Optaveram quidem, ut ducem hujus agonis nostri Julianum provocares tibi, et ab eo responsum acciperes : sed quia unus est Deus Jesus Christus, qui tangit organa cordis nostri; percunctatus es, quæ voluisti, audi nunc a me quæ inquiris. Magister et auctor hujus magicæ artis, quam dicis nos exercere, hoc nobis dedit præceptum ne margaritæ pretiosæ a nobis ante porcos mittantur; qui dixit : Non veni mittere pacem super terram, sed gladium : veni enim separare filium a patre, filiam a matre. Et alio loco consequenter dicit : Qui amat patrem, aut matrem, aut filios, plusquam me, non est me dignus. Hanc vocem audiens filius tuus, non plus amavit te carnalem genitorem, quam Christum Creatorem suum. Simili modo et quam dicis uxorem, hac voce Domini comperta contempsit temporalem thorum, ut Christum immortalem Regem sequens requiem æternam consequatur. Et adjecit : Nihil verius, nihil lucidius cognoscere possis. Hæc audiens Præses jubet in custodia recludi, dicens. Excogitabo pœnas quibus isti intereant.

Antonius Presbyter Præsidi respondet de fide.

Matth. 7. 6.

Matth. 10.

54 Alia die convocans ad se sacerdotes dixit : Ornate venerandum templum Jovis, cujus est consuetudo semel in anno patefieri, ubi dignoscuntur veneranda numina Jovis, Junonis, et Minervæ, ex *a* electro puro imagines constructæ, quibus suavissimus Cupido delectamenta ministrat; libationes et incensa præparate. Sacerdotes itaque consuetas præparant hostias. Quid multa? Illuxit dies : patefacto templo universa multitudo convenit admirantes templum patefactum, quod vix semel in anno, Principum natali, patefiebat. Tale enim erat opus fabricæ ut non marmore, sed tabulis *b* argenteis parietes et pavimentum stratum splenderent, auro purissimo et margaritis vel lapidibus crispantes cameræ.

Templum Jovis magnifice apparatur.

a

b

55 Cumque omnia pararentur, ingressus templum Marcianus jubet Sanctos Dei adduci. Quibus præsentatis dicit : Ecce nunc Juliane, et tu Antoni, tempus advenit in quo vos et consortes vestri salutem consequamini. Hoc enim *c* egi pro vestra salute, ut in isto terribili templo thura diis immortalibus incen-

Suadet Præses ut sacrificent Diis.

c

Ex mss.

datis. Quod si adhuc in ipsa contumacia vestra perstiteritis, abnegantes istos, pro quibus huc usque peperci, diversis tormentis in vos debacchabor. Pro qua re, Juliane, qui a te constat esse auctorem hujus sceleris, accede et repropitia tibi deos immortales per quorum divinitatem generi tuo restituaris. S. Julianus respondit : Tu jam dixeras, quia mecum sermonem jam non haberes; sed quia cognosco verum tempus, ut et nos salutem consequamur, et numina a vobis honorentur, fac omnes sacerdotes deorum intus adesse, ut cognoscant quale illis sacrificium

d offeremus. *d* Et adjecit B. Julianus : Bene valeas optime Præses, qui tam acceptabile tempus nobis laudem et gloriam accepturis persuades, et omnibus in uno commanentibus diis vestris præcipis immolari, quod non piget. Nam ideo distulimus, ut in isto templo mirabili, quod habetis, magnum sacrificium

e omnibus immolaremus *e*.

Falso putat S. Julianum perversum.

36 Tunc Præses non intelligens quo ordine prosequeretur, dixit: Gaudeo vos, etsi tarde resipuistis mellifluam hanc lucem cum omnibus bonis redundantem diis immolantes non amittere. Tunc Judex omnium vincula auferri jubet, dicens : Turpe est vinculis retineri, quibus dii cœperunt esse propitii. Et cum exonerarentur vinculis quibus erant constricti, dicit ad venerandum puerum, et matrem ejus : Accedite et repropitiate vobis deos, quibus nunc usque servistis. Cui venerabilis mulier solum hoc dedit responsum : Non mihi faciat verus Deus, quem cognovi, ut ultra tecum colloquium habeam. Per ignorantiam feci, quæ dicis. Jam cognovi veritatem a qua numquam recedo. Tunc Præses conversus ad B. Julianum, dixit : Ecce omnia parata sunt, implete quod spopondistis. S. Julianus respondit : Jam est hora in qua glorificemur, ut omnibus videntibus gloriosi appareamus. Marcianus dixit : Est, si vultis salutem consequi. S. Julianus ad socios suos ait : Appropiemus ut salutem consequamur, et sit in notitia seculi futuri sacrificium quod facturi sumus hodie. Tunc Præses jubet et alios Sanctos a privata custodia venire, existimans esse verum, quod volebat. Ingressi vero Sancti templum, vexillo sanctæ crucis armant frontem. Tunc ait B. Julianus ad Præsidem : Quid præcipis Præses? Omnibus diis offeremus sacrificium? Præses dixit : Omnes, quos conspicis, immortales sunt, pares sunt virtute, æquales et gloria : nec invident sibi in cultoribus suis, præcipue in vobis, qui eos tarde cognovistis.

37 Hæc dicente Præside, fixis genibus S. Antonius Presbyter, et B. Julianus cum sociis suis, dixit: Deus qui es sine initio, sine fine, sine tempore, quia æternum possides nomen, qui non in manufactis delectaris, quem non capit mundus, sed requiescis in corde mundo; qui per Prophetam dixisti : Omnes

Psal. 95. 5. dii gentium dæmonia. Tu autem solus es Deus Abraham, Isaac et Jacob; qui in sapientia tua fecisti cœlos, fundasti terram, congregasti maria, terminum ponens quem non transgrediuntur; quem fluctus ejus murmurosa voce collodant, quem diversarum volatilium garrulæ voces suaviter laudates agnoscunt suum Creatorem, qui in Christi arbitrio creasti universa, aspice nunc in subversionem fani hujus, et ad tantas dæmonum thecas, et tantorum eorumdem cultorum frange audaciam, et ad nihilum redigantur hæc omnia, in quibus gloriantur; ut te solum Deum agnoscant, et glorientur in te, qui credunt nomini tuo, et Jesu Christo filio tuo quem cognoscimus tibi coæqualem et coæternum in unitate Spiritus sancti in secula seculorum. Et cum dixissent omnes Chri-

Templum cum idolis et paganis, precibus Sanctorum subvertitur.

tiani, Amen; omnia sculptilia ad nihilum redacta sunt, templum vero ita submersum est, ut quid fuerit non pareret. Nam et multitudo confusa sacerdotum circiter mille cum templo perierunt, et alia multa pars paganorum simul interiit. Ignis vero eructuans est in eodem loco usque in hodiernum diem. Tunc B. Julianus dicit Præsidi : Ubi sunt manufactæ imagines dæmonum, in quibus gloriabaris? ubi electrum? ubi aurum? ubi est templi pulchritudo? ubi parietes et pavimentum argenteum? ubi metalla pretiosa? Invocato Christi nomine, hæc omnia in terram eversa sunt, unde assumpta sunt, unde et erant. Sicut enim omnia illa uterus terræ suscepit, ita et vos et Imperatores vestros, et omnes cultores dæmoniorum perpetuus accipiet infernus, ubi ignis edax non extinguetur, et vermis devorans non moritur, ubi corpus semper renovatur ad pœnam, ubi misericordia quæritur et non invenitur. Hic vos talis locus, auctori vestro diabolo præparatus, exspectat. Hæc audiens Præses dixit : O virtus magica! o carmen inauditum, sic prævaletis, ut etiam terra sinus aperiat, et cuncta bona ab oculis pie perfruentium auferat? Jam non miserebor : jam non parcam : antequam gladio eos feriri jubeam, de eorum pœna me satiabo. Tunc jubet Sanctos Dei in ima carceris recludi.

a Ms. *Rip.* auro. b *Sur.* aureis. c *Al.* elegi, *al.* eligite.

d *Sur.* Præses ait : Bene sit tibi; optime locutus es. S. Julianus dixit : Quandoquidem multam nos laudem reportaturos dicis et gloriam, hortarisque ut in, *etc.*

e *Additur apud Sur.* Tunc enim lætatur qui convivium parat, si omnes adfuerint invitati, ut nullum prætereat epulum quod paratur, ne postea sit qui succenseat.

CAPUT XIII.

Martyrium S. Juliani, et Sociorum.

S. Basilissa cum Virginibus et Martyribus apparet S. Juliano et sociis.

Ea nocte cum in Dei laudibus epularentur Julianus sanctus et socii ejus, in ipso mediæ noctis silentio adest multitudo Sanctorum cum Sacerdotibus, qui jam martyrii palmam adepti fuerant, omnes stolis albis induti; inter quos et viginti milites et septem germani glorificati advenerunt ; adest et B. Basilissa cum omni virginum choro : in qua multitudine sola vox, Alleluia, resonabat. Tunc B. Basilissa alloquitur S. Julianum dicens : Regna cælorum patefacta sunt vobis. Venite, et hoc præceptum accepimus a Rege æterno Christo, ut in die *a* Appa-

a ritionis suæ cum comitibus tuis ad se te recipiat; et omnis Patriarcharum, et Apostolorum gloriosus occurat numerus, et vos in numero Sanctorum Dominus Christus cum perpetua lætitia sociabit. Et iterum audita est, Alleluia, tertio, et visio ab oculis eorum ablata est.

39 Alia die jubet Marcianus in medio sibi foro tribunal præparari, et adduci præcepit Sanctos. Excogitat iniquissimus serpens nova et inaudita genera tormentorum. Jubet ministris, ut Sanctorum manuum ac pedum digitos *b* liciniis oleo madentibus

b colligarent, et ignem supponi præcepit. Cumque hoc factum fuisset, liciniis consumptis, incontaminata permanebat caro Sanctorum. Tunc impius Marcianus jubet S. Juliano, et venerabili puero cutem capitis auferri; Sancto vero Antonio Presbytero, et Anastasio qui suscitatus fuerat, clamantibus et dicentibus : Gloria tibi Christe, jussit oculos eorum

c uncinis effodi. Sanctam vero *c* Marcionillam matrem pueri, quam Deus præscierat pœnas tolerare non posse, cum juberet eam equuleo applicari, si qui ex ministris eam voluissent attingere, cœci efficiebantur. *d* Sanctos autem suos ita Dominus curavit et

d illuminavit, ut in omnibus apparerent quasi nihil fuissent passi.

Varie cruciantur, illæsi.

Objecti feris non lædun-tur.

60 Tunc exclamavit Marcianus : Heu me ! vincimur. Quid aliud faciam? Superest unum. Jubet amphitheatrum præparari, in quod ingressus cum tribunal ascenderet, jubet Sanctos Dei exhiberi, et omnium ferarum dimitti multitudines. Et cum dimissæ essent feræ, singulæ veniebant ad Sanctos, et pedes illis lingebant.

61 Hæc videns Marcianus, convocat Magistratus civitatis,

civitatis, et jubet omnes custodias perscrutari, et personas jam morte dignas in amphitheatrum intromitti, et Sanctos Dei misceri, et inter sacrilegas personas decollari. Tunc S. Julianus cum sanctis commartyribus suis dixit: Gloria tibi Christe, qui nos usque ad hanc horam salutis perduxisti. Tunc venerabilis puer cum sancta matre ad Præsidem dixerunt: Nota tibi facies nostras, quas in hoc seculo gratia Christi sic vides immutatas. Tua enim perfidia fœditatem nobis conabaris imponere, gratia vero et pietas Christi induet nos magna gloria, et decore, ut in illa die agnoscas nos in gloria cum tu fueris in inferno. Tunc Marcianus jubet eos inter noxios commisceri, et intromisso spiculatore jubet Dei Martyres gladio consummari.

Gladio obtruncantur.

62 Et cum factum fuisset, statim terræ motus factus est, ut prope tertia pars civitatis a fundamentis subverteretur. Nec qualicumque permissum est stare, in quo idolum esse dinoscebatur. Fulgura et tonitrua, et brando intolerabilis facta est, quæ maximam partem incredulam consumpsit. Ipse autem Præses semivivus evasit. Qui non post multos dies vermibus ebulliens expiravit.

Præses cum suis punitur.

Corpora a SS. ostensa sepeliuntur.

63 Ea nocte venerunt populi Christiani et Sacerdotes, et præ multitudine cadaverum reliquias Sanctorum non agnoscentes, positis genibus oraverunt; et oratione completa apparuerunt eis in specie virginum animæ Sanctorum, unaquæque super corpoream thecam suam residens. Sic sanctæ reliquiæ collectæ sunt. Domini gratia ita ordinavit, ut Sanctorum languis, sicut panis lacteus circa unumquemque eorum congelaretur, ut nec terra auderet os suum aperire ad sanctum cruorem recipiendum, quæ sceleratorum sanguine fuerat saciata. Passi autem sunt gloriosi Martyres Julianus et omnes socii ejus, sub die *e* octavo Id. Januarii, quorum sancta corpora auferentes Sacerdotes sepelierunt in sancta matre ecclesia sub sancto velamine altaris.

e

64 Unde Domini pietas indeficientem fontem prodire jussit, cujus undis sacrosanctum baptisterium *f* consecratur. In quo loco tanta divina beneficia affluenter credentibus tribuuntur, ut si quis adveniat fide et credulitate plenus, statim consequatur medicinam, quacumque fuerit infirmitate possessus. Nec hoc silebo miraculum, quod ibi Dominus ad fidelium fidem corroborandam operari dignatus est, *g* ut usque in hodiernum diem nullus ambigat. Decem leprosi, jam decoctæ et putridæ carnis, allati sunt, ut die passionis eorum, hoc est Epiphaniorum, baptismi gratiam consequerentur. Completoque in eis sacramento, cum eos *h* sabanis bajularent, quia manibus tangi non poterant, ita ut unusquisque ex illis intinctus est, talem consecutus est sanitatem, ut in hominum genus numquam talis pulchritudo videretur. Vox autem audita est dicens: Juliani dilecti mei fides hæc omnia meruit, et majora merebitur. In eodem denique loco sancto cœci illuminantur, dæmones effugantur: et non solum ibi, sed ubicumque per nomen Domini Jesu Christi, et Sancti ejus Juliani, basilicæ fabricantur. Gloria Christo, qui est fidelis in verbis suis, et tantam gloriam præstat Sanctis suis, cujus honor et imperium in secula seculorum. Amen.

f Clarent miraculis, fons nascitur, leprosi mundantur, etc.

g

h

a MS. *Rip.* epiphaniæ.
b *Al.* lignis, *non recte melius* liciis.
c *Al.* Marionillam. *Al.* Marcianam.
d *Additur apud Sur.* Nervi adeo contrahebantur, ut manus sua ad se reducere non posset.
e MS. *Rip.* v Idus.
f *Idem* MS. mundatur.
g *Sur.* nec quisquam debet ambigere, quin idem hodieque efficiat.
h *Id est* linteaminibus. *Victor Uticen. lib.* 3, clam furto, nescientibus cunctis, illa quibus eum suscipiens de fonte dudum texerat, sabana bajulabat. *Et mox*: Hæc sunt linteamina, Elpidophore minister erroris, quæ re accusabunt.

EORUMDEM SS. MARTYRUM VITA

AUCTORE S. ALTHELMO.

AUCTORE S. ALTHELMO.

AUCTORE S. ALTHELMO EPISC. *lib.* I, *cap.* XLII.

Porro virginalem Juliani Martyris gloriam, sub clandestino taciturnitatis latibulo delitescere non patiar: qui temporibus Diocletiani et Maximiani, nobili prosapia oriundus fuit. Quem cum parentes in primævo pueritiæ rudimento florentem, tam dialecticæ artis compotem quam rhetoricæ artis participem fecissent; pædagogis quoque et didascalis traditum, multimodis philosophorum disciplinis imbuissent; et jam in tenero pubertatis rudimento adultum parentes animadverterent, eumque amatorem Catholicæ fidei, sacrisque Ecclesiæ liminibus adhærentem, necnon ergastula Confessorum crebro frequentantem comperissent: pertimescebant magnopere, ne si unicum pignus ob religionis prærogativam, et sanctæ conversationis habitum, ab illorum stirpe privaretur, ipsi, ut Patriarcha, lacrymabilem depromerent querimoniam, canos suos cum dolore ducentes ad inferos: quin et optatæ generationis hæredibus et futuris nepotum nepotibus funditus fraudarentur. Idcirco *a* puerum subnixis precibus et inauditis blandimentorum hortamentis inflectere nitebantur ut ad *b* tedas et copulæ consortium ferreos affectus, imo adamante duriores inclinaret: ad argumentum etiam hortandæ suasionis, Apostolicis utuntur oraculis, quibus ait: Volo juvenes nubere, filios procreare, nullam dantes occasionem maligno: Quibus ita respondisse scribitur: Nec voluntatis, nec ætatis est tempus, ut faciam quæ hortamini. Item cum perseverarent pertinaciter in precibus, ait: Nec permittendi mihi est facultas, nec negandi potestas, quod hortamini Dei mei potestati committo.

S. Julianus sollicitatur a parentibus ad nuptias.

Gen. 42. 38.

a

b

1. Timot. 5. 14.

2 Unius tamen hebdomadis inducias a parentibus poposcit, ut nutum supernæ majestatis argumentis evidentibus experiretur. Qua peracta intercapedine, somno sopitus vidit Christum in oramate dixisse: Exurge, ne timeas, nec suasiones verborum vel voluntatem parentum horrescas. Accipies enim conjugem, quæ te *c* non a me separet, sed per te virgo perseveret. Et infra: Multi juvenes et virgines per vestram doctrinam vel vitam *d* cælesti exercitui probabuntur. Suscipitur igitur in thalamo beata virgo, vocabuli præsagio Basilissa, hoc est, regina; formosa frontis effigie, sed formosior cordis castitate: venusta, inquam, lineamentis corporalibus, sed plus venusta *e* suatim cycladibus compta spiritualibus.

Christi hortatu, ducit Basilissam.

c

d

e

3 O quanta caterva credentium in utroque sexu, fœtidas facinorum cloacas calcitrans, et putida vitiorum volutabra abominans, illorum magisterio ad fidem Catholicam conversa, cum martyrii tropæo triumphans agonizavit! Siquidem plura monachorum ergasteria in celeberrimo municipio *f* Alexandri, quæ est metropolis Ægypti, opitulante Christo construxere. In quibus militum Christi circiter x millia, sub districto Juliani regimine conversantia, et nequaquam a sanctæ religionis tramite, per obliquos anfractus dextra lævaque declinantia, regulariter vixerunt. Basilissa vero Deo dicata, bis quingentenos sanctæ messis manipulos, Evangelicæ prædicationis falce metens, in area tortoris triturandos, et horreis cælestibus condendos invexit.

Construunt monasteria.

f

4 Postremo cum effera persecutorum rabies in sacrosanctos Ecclesiæ tirones feralibus edictis, et ferocibus tormentorum cruciatibus truciter ingruens grassaretur; et Catholicæ fidei propugnaculum sæcularis argumenti ballista quassatum, atrocisque machinæ arietibus subrutum funditus evertere moliretur; *g* quis styli textu effari valeat, quanta Julianus cum ceteris commanipularibus, et ejusdem propositi sodalibus,

g

AUCTORE S. ALTHELMO.

sodalibus, martyrizando perpessus sit? Marciano Præside in alto tribunalis culmine, vel theatri pulpito concionante, nodosis fustibus, et cruentis mastigiis, sine respectu pietatis flagellatus, a cultura Christi flecti nequivit: quin imo pupillam percussoris evulsam, qui sibi crudeliter flagrorum vibices irrogabat (quamvis ut magis ac magis pudenti lotio humectaretur, instaret), incolumem restituit. Insuper nefandas simulacrorum effigies plusquam quingentas, quibus Pontifices delubrorum libamina litantes bacchantum ritu thurificabant, ad solutum diruit, quassavit, evertit.

Torquetur Julianus: oculum erutum restituit: idola diruit.

h

3 Item Julianus cum juvenculo filio Præsidis, *h* Effembo Hircitallo, qui neophytus et nuper ad fidem conversus fuerat, in fundum ergastuli profundum retrusus, ubi fœtida damnatorum cadavera diuturno temporis intervallo, horrida vermium examina ebulliebant, squaloris nauseam perpessus est. Sed versa vice pietas divina, quæ suorum semper reminiscitur militum, pro fœtenti sterquilinio, olfactum ambrosiæ et nectaris fragrantiam, carceris illuviem tolerantibus, cum luce limpida clementer contulit. Hæc tanta prodigia milites ad excubias Confessorum deputari, cernentes, spreta fanaticæ superstitionis cultura, orthodoxorum phalangibus adglomerantur. Interea defuncti cadaver prolixis fasciarum ambagibus connexum, nondum in *i* sarcophago terra humatum, flagitante Præside, fusis ad polum precibus suscitavit. Qui omnem isthinc eundi tragœdiam, et illinc redeundi clementiam attonitis spectatoribus, resurgens de tartari profundo, patefecit.

i

Martyres e pice bullienti, et oleo accenso exeunt illæsi.

6 Igitur urgente muneratorum decreto, sancti Martyres in Circi spectacula terdenis cuparum gremiis includuntur, quæ intrinsecus atræ picis massa et bituminis fomite, sulphurisque fœtore replentur, farciuntur, et extrinsecus suppositis crepitantis rogi torribus, et sarmentorum fasciculis conflagrantibus, succenduntur, intantum, ut flammantis pyræ cacumina obelisci proceritatem, sed tamen et rotundum sphæræ apicem triginta cubitis in conum præcellerent. Sed tantum de torrente incendio superna potestate compresso, triumphales viri, velut obrizum rutilans, spectante Circi caterva in publicum processere. Exin reciproca tortoris nefandi ferocitas, quæ semper insontum pœnis pascitur, et fuso sanguine saginatur, athletis et agonothetis Christi magna martyrii merita cumulavit. Dum liciis olei liquore delibutis dignitorum articulos, et palmarum pollices obvolverent, simulque pedum *k* alloces truciter adnecterent: sed liciorum filis flamma combustis, athletas Dei, in scammate mundi, ritu palæstrico agonizantes, a fumigabundis flammarum globis immunes divina tutela protexit.

k

7 Verum hac Confessorum Christi victoria confutatus, in amphitheatrum Sanctos ferreis collaribus connexos cruentus carnifex imperat duci, quatenus patefactis cavearum *l* cisteliis et apertis clatrorum obstaculis, ursorum geminis carperentur et leonum rictibus roderentur. Sic stolida Præsidis præcordia Deoque invisa, spes pascebat inanis, dum furibunda ferarum rabies, et gulosa belluarum ingluvies cælesti nutu compressa, *m* contra oblatam prædam luctari non audens, inultos faucium gurgiliones oppilavit, ut Poeta de Propheta,

l

Objiciuntur leonibus, nec lædiuntur.

m

Et didicere truces prædam servare leones.

8 Ad ultimum B. Julianus cum ceteris commilitonibus stricta machæra crudeliter percussus, et rubicundo cruoris rivo perfusus feliciter occubuit. Ad horum venerabiles sarcophagos cum decem leprosi, quos dira cutis callositas elephantina tabe deturpans, non particulatim, sed membratim maculaverat, illico ad secundæ nativitatis gratia in baptisterio regenerati, qui in sabanis, et syndonibus bajulabantur ægroti, Sanctorum meritis sospites, et voti compotes salubriter abscedunt.

Plectuntur capite.

a *Melius* puberem.
b *Al.* ad thalami tedas, et copulæ consortium.
c *al.* Non polluendo a me separet.
d *Al.* cælestem adscensuri sunt exercitum.
e *Aliter fortassis auctor scripsit, aut peculiarem hujus verbi notionem ipse sibi formavit. Est alioquin* suatim *instar suis. Sunt enim adsimulanter dicta hæc,* canatim, suatim, bovatim, *quæ ab animalibus desumuntur.*
f *Adscriptum in quodam exemplari ad marginem,* Antiochiæ. *Sed hæc non est metropolis Ægypti. Legendus* § 2, *in prolegomenis.*
g *Al.* Quis ubertim angusto styli textu.
h *Melius,* Ephebo Hyrcitallo, *seu* Hircitallo, *quod ejus fortassis antea nomen fuit, in baptismate in* Celsi, *seu* Celsii, *mutatum.*
i *Al.* sarcophagi theca. k *Meursius* allices. *Adscriptum in* MS. alloces esse digitos in pedibus crassiores. l *Al.* Crusteliis.
m *Al.* oblatam prædam lucrari non audens, *omisso* contra.

DE SANCTO PETRO EPISCOPO
SEBASTENO IN ARMENIA.

SECUL. IV. IX JANUARII.

Sebaste, *quæ et* Sebastia, *urbs antiqua et præclara Armeniæ minoris fuit: cujus muros, cum ruinam ævo labefactati minarentur, a Justiniano reædificatos scribit lib.* 3. *Procopius. Ejus sæpe alibi mentio erit. Episcopali cathedra jam olim celebris fuit: quam quarto seculo Christiano exeunte, S.* Petrus *rexit, frater SS. Basilii Magni, Gregorii Nysseni, et Macrinæ Virginis, quos celebrabimus* XIV *Junii* IX *Martii, et* XIX *Julii. S. Petri natalem hoc* IX *Januarii ita refert Martyrologium Romanum:* Sebastæ in Armenia, S. Petri Episcopi, fratris S. Basilii. *Subnotat Baronius, eodem die a Græcis coli. Sed in nullo eorum menologio illius reperimus nomen.*

S. Petri Episcopi Sebasteni natalis.

NOT. 135.

2 *Extat in vita S.* Macrinæ, *a S. Gregorio Nysseno scripta, hoc Petri elogium:* Ad hunc perfectionis tam præclarum scopum assequendum magno S. Macrinæ erat adjumento frater quidam, eodem ex utero editus, qui Petrus appellabatur, in quo pariendi dolores finierat mater. Hic enim ultimus a parentibus susceptus est filius, qui simul et natus, et orbus fuit. Quo enim tempore ipse in lucem edebatur, pater e vita decessit. Hunc, quæ inter liberos erat natu maxima, qua de instituta hæc est oratio, paullo post ejus ortum ab ubere nutricis sublatum, ipsa statim enutriit, excellentique disciplina educavit, sacris institutis a puero ipsum erudiens adeo, ut nihil otii concesserit, quo posset studiis inanibus vacare. Nam illi se et patrem, et magistrum, et custodem, et matrem, et ad optima quæque consultricem, præbuit: talemque reddidit, ut antequam excederet e pueritia, in tenero illo ætatis flore ad excelsum philosophiæ gradum ascenderit. Ea quidem erat ingenii bonitate, ut ad omnia artium genera, etiam quæ manibus exercentur, perdiscenda natus esse videretur. Quare nullo duce perfectam eorum peritiam est assecutus, quæ ceteri multo tempore et labore discunt a præceptoribus. Is ergo studiorum externorum occupationes aspernatus, et ingenium ad omnes bonas disciplinas percipiendas aptum habens, semperque respiciens ad sororem, quam sibi tamquam totius boni scopum proposuerat, eos ad virtutem progressus fecit, ut in reliqua vita Magno Basilio virtutis præstantia nihilo inferior fore judicaretur. Tunc autem sorori et matri erat instar omnium, et una cum illis ad Angelicam illam vitam contendebat.

Puer a Macrina sorore, sanctissime instituitur.

Eam imitatur.

3 Cum autem quodam tempore gravi laboraretur inopia et fame, multique fama beneficentiæ excitati, undique confluerent ad eum recessum, quem incolebant, tantum industria sua cibariorum pauperibus subministravit, ut adventantium frequentia locus ille non

Pauperes alit.

non solitudo videretur esse, sed civitas. Interim senex admodum mater, in utriusque filii manibus moriens, migravit ad Deum. Cujus quæ benedictionis vox fuerit illius, qua erga liberos usa est, commemorare non erit alienum. Nam cum de absentibus singulatim amanter mentionem fecit, ut nullus esset expers benedictionis; tum præcipue præsentes ipsa precibus suis obtulit Deo. Etenim cum ei ex utraque parte lectuli adversi assiderent, altera manu utrumque tangens, hisce verbis postremis Deum allocuta est : Tibi, Domine, et primitias et decumam dico fructuum uteri mei. Primitiarum enim locum hæc mihi obtinet primogenita : decumæ vero, extremus hic decimus filius. Tibi autem lege utraque debentur, et tua sunt munera. In hanc igitur primogenitam meam, et hunc decimum veniat sanctimonia : oratione perspicua designans filiam et filium. Ita benedictioni simul et vitæ finem statuit, cum prius mandasset filiis, ut se in sepulcrum paternum inferrent. Id illi, ut jussi fuerant, cum præstitissent, in reliquum tempus ad sapientiæ fastigium, semper cum anteacta vita pugnantes, et præterita benefacta posterioribus superare studentes, contendebant.

A matre moribunda benedicitur cum sorore.

Fit Sacerdos.

4 Interea insignis inter Sanctos Basilius, magnæ Cæsareæ declaratus est Antistes, et mysticis sacrificiis suis fratrem consecrans, ad sacram presbyterii dignitatem provexit. Atque hic rursus eis vitæ cursus ad graviora sanctioraque dirigebatur, cum sacerdotii dignitas, sapientiæ studio conjuncta, cumularetur. Post autem annis octo transactis, et nono inchoato, per totum orbem celeberrimus Basilius ab hominibus ad Deum concessit, communem patriæ et Ecclesiæ luctus occasionem præbens.

Mors S. Basilii 379.

5 *Post Basilii obitum, ut additur ibidem,* nono mense aut paullo amplius Episcoporum concilium indictum est Antiochiæ. *Quod celebratum fuisse postquam Theodosius Imperator est renuntiatus, scribit Socrates lib.* 5, *cap.* 4. *Porro Theodosius, ut idem refert cap.* 2, *creatus est Augustus* XVII *Kalend. Februar. Ausonio et Olybrio Coss. id est an. Ch.* CCCLXXIX, *quo eodem anno ineunte, Kalendis Januarii decessit S. Basilius, nono Episcopatus anno, quippe Christi* CCCLXX, *Julii* XIV *ordinatus : circa cujus Episcopatus initia* S. Petrus *consecratus est Sacerdos. Baronius hæc omnia anno uno citius scribit contigisse. A Synodo Antiochena antequam annus præteriret, cupiditas incidit S. Gregorio, ut de semetipso testatur, sororem S. Macrinam invisendi. Cumque jam domui appropinquaret, familiarium quemdam interrogavit, primum de fratre suo* Petro, *an adesset. Quo respondente, illum quarto jam die inde abscessisse; cognovit eum sibi alia via obviam prodiisse. Tum de* S. Macrina *sorore perconctatus est; quam ægram intellexit, adiit, et postera die morientis oculos clausit. Annus hic erat Christi* CCCLXXX *et dies Julii* XIX *quo ejus natalem celebrari diximus. Hinc manifestum est* S. Petrum *non migrasse e vita temporibus Valentis Imperatoris, quod in Notis ad Martyrologium Romanum asseritur, cum Valens ad Hadrianopolim dimicans sagitta confossus, et cum tugurio, quo se receperat, vivus a Barbaris exustus sit,* V *Idus Aug. an. Ch.* CCCLXXVIII *ut testis est Idatius in Fastis Consularibus.* S. Petrum *non nisi post mortem S. Macrinæ ad Episcopalem dignitatem promotum fuisse, multo probabilius est. Imo nec forte anno* CCCLXXXI, *quo synodus habita est œcumenica Constantinopoli, Episcopus fuerit, quod illi subscripsisse non reperiatur.*

Mors S. Macrinæ 380.

Vita S. Petri ante Episcopatum.

6 *Quod autem ejus ante Episcopatum vivendi genus fuerit, ab eodem S. Gregorio in fine vitæ S. Macrinæ describitur :* Vir quidam illustris in re militari, qui in civitate Ponti, cui nomen Augustæ, Dux exercitus erat, audita calamitate, atque ægre ferens, cum subditis humaniter obviam processit. Erat enim mihi et sanguinis et amicitiæ necessitudine conjunctus. Hic mihi de ipsa *(S. Macrina)* miraculum narravit, quod unum adjungens historiæ, faciam scribendi finem. Etenim cum lacrymis modum adhibentes, colloqui cœpissemus, ille ad me : Audi, inquit, quale quantumque bonum migravit e vita : atque ita sermonem exorsus est : Magna mihi, uxorique meæ quondam cupiditas incidit videndi virtutis gymnasium. Sic enim, inquit, locum illum, in quo beatus ille animus degebat, appellandum arbitror. Nobiscum autem erat filiola, cujus oculum ex pestilenti morbo calamitas occuparat, adeo ut obducta tunica circa pupillam, contractoque albore, fœdum esset miserandumque spectaculum. Divinam igitur illam domum ingressi, ita separati sumus in eo sapientiæ vacantium loco, ut ego quidem diverterem, ubi habitabant viri, quibus præerat Petrus frater tuus; illa autem intus, ubi erant virgines, cum S. Macrina versaretur. Hic cum aliquantulum essemus commorati, tempus esse duximus, ut discederemus. Jamque discessum adornabamus, cum utrimque nobis humana quædam vis illata est. Nam et frater tuus mihi jubebat, ut manerem, et studiosorum mensæ particeps fierem : et beata illa non dimittebat uxorem meam, sed filiolam in sinu gerens, non prius illam se redditurum aiebat, quam mensam apparasset, et nos philosophiæ divitiis accepisset. Puellulam autem exosculata, et admovens os oculis ejus, ubi pupillam affectam vidit; Si hoc mihi, inquit, concesseritis, ut apud nos esse velitis, gratiam vobis tali honore non indignam referam. Ecquam? inquit puellulæ mater. Est mihi, respondit Magna, medicamentum, ad curandum hunc oculum, appositum. Quæ quidem promissio cum mihi a quodam ex virginum conclavi nuntiata esset, libenter mansimus, posthabita, quæ nos urgebat, proficiscendi necessitate. Cum igitur convivium, quod Petrus humanitate et gratia sua condiverat, haberet finem, uxorque nobis a S. Macrina omni convenienti jucunditate recreata remissa esset, lætitia et gaudio pleni, nos in viam dedimus. Et quæ utrique nostrum contigerant, inter eundum narrabamus : ego quidem quæcumque in virorum conclavi vel videram, vel audiveram, recensebam. Et illa vicissim tamquam ex historia singula repetens, nihil omnino, quantumvis parvum, omittendum existimabat, *etc. Huc usque ex vita* S. Macrinæ, *quam suo tempore integram dabimus, extatque apud Lipomanum tom.* 2, *de vitis Sanctorum, et* XIX *Julii apud Surium, et Græcolatine in auctario operum S. Gregorii Nysseni, a Jacobo Gretsero Nostro edito.*

Ex variis.

Hospitalitas ejus ac sororis.

7 *Meminerunt hujus a S.* Petro *actæ solitariæ vitæ alii scriptores : Socrates lib.* 5, *cap.* 21. Basilius duos fratres habuit Petrum et Gregorium : Petrus solitarium vitæ genus Basilii secutus est. Gregorius autem docendi rationem. *Theodoretus lib.* 4, *cap.* 28. In ejusdem cum illis *(Nazianzeno et Nysseno)* laudis societatem venit Petrus, qui Basilii et Gregorii frater germanus fuit : quique tametsi humaniore litteratura non perinde ut illi instructus erat, pio tamen vivendi genere admodum excelluit. *Eadem fere Nicephorus lib.* 11, *cap.* 44. Petrus eisdem, quibus Basilius parentibus prognatus, profanis quidem litteris non tantopere imbutus, virtutis autem splendore non illis inferior. *Et cap.* 19. Habuit autem Basilius fratres, quorum unus Gregorius fuit Ecclesiæ Nyssenæ lux et ornamentum, *etc.* Secundus Basilii frater Petrus fuit, qui una cum illo vitam monasticam primum consectatus, deinde urbem Sebastiam sacrorum Antistes gubernavit. Tertius Naucratius, qui juvenis in ascetico instituto defunctus est. *Verum ex* Macrinæ *jam citata vita constat Petrum reliquis tam fratribus quam sororibus juniorem fuisse. Forte recenset Nicephorus fratres S. Basilii non ordine nascendi, sed celebritate nominis.*

Studium solitudinis.

8 *Philostorgius Theodoreto synchronos apud Suidam in Basilio, meminit ejus Episcopatus :* Magnus, *inquit,* Basilius quatuor habuit fratres, Gregorium Nyssenæ urbis

Episcopatus

Ex variis. urbis Episcopum, Petrum item et ipsum Episcopum, duos proinde alios monasticen professos. *Et Possevinus noster in Apparatu sacro, de Basilio :* Fratres, *inquit*, duos Episcopos habuit, et hos insignes Gregorium Nyssæ, Petrum Sebastæ; duasque sorores, quæ sæculo valedixerunt, alios item fratres. *S. Petro rogante, confecit frater ejus S. Gregorius librum in Hexaemeron, quem affirmat Socrates supra citatus, a S. Basilio morte prævento imperfectum esse relictum. Exstat etiam inter opera S. Nysseni Epistola ejusdem ad S.* Petrum *fratrem Episcopum Sebastenum de suscipienda refutatione Eunomii, et responsio S. Petri ad fratrem cum hac inscriptione : τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Πέτρου Επισκόλου Σεβαστείας, πρὸς τὸν ἅγιον Γρηγόριον Νύσσης τὸν ἀντοῦ ἀδελφὸν. Epistolam, etsi unicum operum ejus superstes monumentum, hic integram dare operæ pretium non est, quod Græco-Latine extet cum operibus S. Nysseni. Reliqua a* S. Petro *in Episcopatu præclare gesta, tradita littteris non sunt, aut certe etiamnum latent.*

Epistola.

9 *Eum ante Gregorium fratrem e vita discessisse supponit Baronius in Notis ad Martyrol. quod putet de anniversaria die natalis ejus meminisse eumdem Gregorium in epist. ad Flavianum Episcopum. Verba hujus sunt :* Tandem cum memoriam beatissimi Petri, quæ tum primum celebrari cœpta est, apud Sebastenos peregissem, itidemque Sanctorum Martyrum, qui, ut eodem cum Petro vixerunt tempore, ita celebrari una cum ipso consueverunt; converso itinere ad meam me Ecclesiam recipiebam. *Hæc Gregorius; e quibus difficulter probabitur de hoc* S. Petro, *et non de aliquo seniore agi. Nam qui illi sunt Martyres Sebasteni, qui eodem cum illo vixerunt tempore? Obiit quidem S. Gregorius grandis natu, qui in epistola de professione Christiana, lib. de virginitate cap. ult. et alibi senectutem suam excuset.*

Mors.

DE S. MARCELLINO, EP. ANCONITANO.

IX Januarii. Sancti Marcellini *Episcopi Anconitani* IX *Januarii Natalis memoratur in Martyrologio Romano :* Anconæ S. Marcellini Episcopi, qui urbem illam, ut S. Gregorius scribit, divina virtute ab incendio liberavit. *Refertur et a Galesinio, Ghinio, et Carthusianis Coloniens. in Addit. ad Usuardum, Hæc de eo scribit S. Gregorius lib.* I, *dialog. cap* 6.

S. Marcellini vita ex S. Gregorio, podagra laborat. 2 Ejusdem quoque Anconitanæ Antistes Ecclesiæ, vir vitæ venerabilis Marcellinus fuit : cujus gressum dolore nimio podagra contraxerat : eumque familiares sui, sicubi necesse erat, in manibus ferebant. Quadam vero die per culpam incuriæ eadem civitas Anconitana succensa est. Cumque vehementer arderet, cucurrerunt omnes, ut ignem extinguerent. Sed illis aquam certatim projicientibus, ita crescebat flamma, ut jam totius urbis interitum minari videretur. Cumque propinquiora sibi loca quæque ignis invaderet; jamque urbis partem non modicam consumpsisset, et consistere nullus valeret, deductus in manibus venit Episcopus : et tanta periculi necessitate compulsus, familiaribus suis se portantibus præcepit, dicens : Contra ignem me ponite. Quod ita factum est : atque in eo loco est positus, ubi tota vis flammæ videbatur incumbere. Cœpit autem miro modo in semetipsum incendium retorqueri, ac si reflexionis suæ impetus exclamaret, se Episcopum transire non posse. Sicque factum est, ut flamma incendii illo termino refrenata in semetipsum refrigeseret : et contingere ulterius quicquam ædificii non auderet. *Eadem ex S. Gregorio recitat Petrus de Natalibus lib.* 2, *cap.* 59.

Sui corporis oppositu sistit incendium.

Servatur ejus liber.

Ejus contactu ægri sanantur.

Vita ejus ex Ferrario. 3 *Alia se ejus Acta ac miracula ab Ecclesia Anconitana accepisse Baronius testatur in Notis ad Martyrologium Romanum, et Ferrarius in catalogo Sanctorum Italiæ eorum hoc exhibet compendium :* Marcellinus ob ejus virtutes ad sacerdotium et Episcopatum evectus, non superbia elatus, sed jejuniis, vigiliis, et orationibus pervigil, carnem suam vitiis, et concupiscentiis macerans crucifigebat. Plenus erat caritate, mansuetudine, et leninate : castitatem perpetuo coluit : multaque in eo erat apud Dominum fiducia : cum enim civitas Anconitana incendio misere conflagraret, quod eo magis crescebat, quo illud aqua magis restinguere conabantur, Anconitani ad sanctum Episcopum, quem Deo carum, mirabiliaque fecisse sciebant, confugiunt, orantque ut urbi incensæ subveniat : qui, ut S. Gregorius Papa in Dialogis scribit, contra incendium, ubi magis vigebat, deferri se postulat: neque enim præ senio, et membrorum imbecillitate incedere poterat. Ductus eo, signoque crucis munitus, vix finem fecit orandi, cum (mirandum!) flamma ignis, quasi sancti viri conspectum fugiens, retrocedere cœpit, et extingui. Liber adhuc, in quo vir sanctus orare solebat, ostenditur, in quo incendii manent vestigia. Cum enim dæmon in sanctum Episcopum maximam ignis vim retorsisset, illeque illæsus permansisset, in libro tamen, quem præ manibus habebat, signa combustionis remansere : ad cujus contactum in hanc usque diem plures ægroti sanari dicuntur.

Cæcus ad Sancti tumulum visum recipit.

4 Cum autem ex hac vita S. Marcellinus excessisset, corpusque illius apud S. Cyriacum urbis patronum conditum esset, multis claruit miraculis : ex quibus pauca narrare non piget. Quidam nobilis Anconitanus oculorum lumine destitutus, ad tumulum S. Marcellini in ejus die festo, comitantibus consanguineis deductus, opem illius implorat : cui sanctus Episcopus vespere, sociis dormitantibus, sacris vestibus indutus apparet, et tactis oculis visum restituit.

Puer ab igne non læditur.

5 Aliud eadem die sequenti anno mirum hujusmodi contigisse, memoriæ produnt : quod cum civis quidam prædives, gesta et miracula S. Marcellini, quæ audierat in ecclesia, familiæ suæ magna cum devotione referret, id dæmon non ferens filium illius in ignem injecit; qui licet capite et toto pectore in illo aliquamdiu volutatus, extractus tamen illæsus prorsus remansit. Illud quoque non prætereundum, quod, cum sub Thoma Episcopo Vicus Trojanus incendio vastaretur, ut primum eo liber S. Marcellini memoratus delatus est, statim cessavit incendium, quod nulla vi humana potuerat extingui. *Hæc Ferrarius, qui annotat tempus, quo* S. Marcellinus *vixit, sciri haud posse. S. Cyriacus, in cujus æde sepultus, jussu Juliani apostatæ Hierosolymis occisus est : cujus corpus postea Anconam translatum fuit opera Gallæ Placidiæ Augustæ, de eo agemus* IV *Maii.*

Ejus liber incendium sedat.

DE S. WANINGO CONFESSORE, FISCANI IN GALLIA.

Circiter an. Ch. DCLXXXIII. IX Januarii. S. Waningi natalis. Nomen S. Waningi *sacris Fastis adscriptum habet Molanus* V *Id. Januarii :* In Nortmannia, *inquit*, depositio B. Waningi Confessoris. Hic nobile monasterium Fiscanense fundavit, et Leodegarium exulem fovit. *Est* Fiscanum, *seu* Fiscampnum, *vulgo* Fescam, *oppidum cum monasterio, situm in prospectu maris inter Diepam et Portum Gratiæ, quadraginta fere milliaribus a Rotomagensi urbe, ut scribit Glaber lib.* 4 *historiæ c.* 4 *cujus verba dedimus* 1 *Janu. ad vitam* S. Guilielmi *Abbatis Divionensis, qui alter hujus monasterii circa an. Chr. millesimum, rogatu Richardi II, Ducis Normannorum,*

mannorum, fundator fuit, introductis monachis Benedictinis. Consule isthic n. 1, *in prolegomenis, et c.* 6 *et* 16 *vitæ. Cum Molano consentit Wion, qui* Sanctum *appellat; sed fallitur dum scribit floruisse circa ann.* 730. *Potius obiisse videtur circa an.* 683 *cum* 20 *an. vixerit post extasim illam, de qua in vita, quam habuit regnante adhuc Lothario III. Nec probatur quod Ferrarius in gen. catal. eum* Fiscanensem monachum *vocat. Dorganius in Kalendario Benedictino :* S. Waningi Confessoris. *Eadem habet Hugo Menardus, sed pridie, id est,* VI *Id. Januar. Plenius Saussaius :* Eodem die in Normannia, monasterio Fiscanensi, depositio S. Waningi Confessoris. Qui stirpe et virtute illustris, opibusque præpotens, plurima prædia votivo munere ad usum servorum Christi contulit : proprioque et unico filio, spirituali militiæ, sub felici S. Wandregisili moderamine, mancipato, facultates suas omnes in pietatis opera erogavit. Cœnobia etiam multa construxit. Fiscanense autem, admonitione S. Eulaliæ Virginis et Martyris sibi divinitus apparentis, in prædio quo commorabatur ædificans, ipsius memoriæ consecravit : ubi exulem suscipere et fovere promeruit S. Leodegarium Augustodunensem Episcopum, postea Martyrem. Tandemque ejusmodi et aliorum operum bonorum manipulis ditatus; quin etiam divinis visionibus ac revelationibus honoratus, ad æternum commigravit gaudium.

Vita. 2 *Vitam* S. Waningi, *sed mutilam, ex Fiscanensis monasterii schedis descriptam, Rotomago mihi transmisit R. P. Fredericus Flovetus noster, quam brevius expressit lib.* 1, *Observationum Hugo Menardus : qui præterea tradit, S.* Waningum *post extasim illam, de qua in vita, precibus Sanctorum Audoeni et Wandregisili morbo esse levatum. Sanctam vero Hildemarcham, divina revelatione admonitam, sponte Rotomagum venisse, sanctumque Wandregisilum convenisse, a quo cœnobio Fiscanensi præfecta est; quæ ex vitis S. Audoeni, et S. Wandregisili accepit.*

FRAGMENTUM VITÆ

Ex veteri MS. *monasterii Fiscanensis.*

S. Waningi patria, opes, dignitas. Fuit vir quidam in territorio Rotomagensi, nomine Waningus, ex illustri Francorum prosapia ortus, armis strenuus, divitiis locuples, prædiorumque amplitudine pollens. Hic itaque inter primos Palatii, temporibus *a* Lotharii junioris fuit, cum consilio cujus Rex Lotharius regnum Francorum fortiter gubernabat.

a

2 Nam hic vir sanctus oratoria Sanctorum frequenter visitabat suffragiaque eorum sedulis precibus postulabat : monasteria plurima in et de suis possessionibus ædificabat. Piis officiis Illustris Waningus insignis adjutor. B. *b* Wandregisillo in constructione locorum sanctorum extitit, et eidem plurima prædia felici munere ad usus servorum Christi devotissime contulit; atque eidem viro sancto filium suum et heredem Desideratum monasticis disciplinis, sub forma et institutione S. P. Benedicti tradidit imbuendum. Hoc ideo fecit ne idem Desideratus prædia Deo oblata fastu sacrilego subtraheret, propriæque ditioni, ut mos est divitum, injuste vendicaret. Cogitabat hic vir Deo devotus seipsum tradere ordini monachico, et terrena deserere cum seculo. Sed hæc aliter divina providentia Dei disposuerat fieri : diversis etenim ad Deum tenditur studiis. Erat igitur illi studium in restauratione ecclesiarum, in ædificatione cœnobiorum : plurima enim in propriis hereditatibus construxit. Venerabatur Virgines sanctas, quæ de hoc mundo transierant; maximeque sanctam Virginem et Christi Martyrem *c* Eulaliam. Itaque in ejus nomine plurima loca Deo sacraverat.

Monasteria construit. *b*

S. Eulaliam colit. *c*

3 Igitur quia de ædificatione sanctorum locorum, quæ fiebat per S. Waningum Dei famulum, sermo cœpit haberi; miraculum, quod in eodem servo suo Dominus dignatus est operari, non debet silentio præteriri. Notavimus superius prædictum Waningum mundi facultatibus ditissimum fuisse, multaque cœnobiorum habitacula in propriis possessionibus ædificasse; quorum est bene memoria dignum et monastica religione perlucidum, quod ita fuit disponente superna gratia ædificatum. Est in Rotomagensi Archiepiscopio super mare pagus, qui vocatur *d* Calcegius, quo in loco habebat vir memoratus possessiones non modicas; quarum una dicitur Fiscampnus, ubi monasterium statuit in nomine sanctæ *e* Trinitatis, congregationemque virginum monacharum aggregavit, atque illis totum suum studium convertit. Nam beatam Christi Virginem et Martyrem Eulaliam, cujus superius mentionem fecimus, toto corde diligebat, venerabatur, et excolebat, ejusque se orationibus attentius commendabat. Nam ad Christum immortalem sponsum perrexerat, et victoriæ immarcescibilem coronam receperat : dilectorem suum Waningum diligebat, ejusque salutis curam in cælis cum Domino regnans gerebat. Quadam igitur nocte ei Virgo apparens, dixit : Waninge, facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem in regnum cælorum intrare. Tu in hoc mundo possides divitias, quarum partem obtulisti, partemque retinuisti. Monasteria, quæ in tuis possessionibus ædificasti, et prædia quæ per manus Sanctorum *f* Audoeni et Wandregisilli Deo obtulisti, grata habentur in oculis summi Pontificis. Nunc igitur ad cumulum bonorum operum tuorum, in prædio tuo Fiscampno construe monasterium in nomine sanctæ Trinitatis, Collectaque congregatione sanctimonialium Virginum, mittes legationem ad Burdegalensem *g*..... quo facto continget tibi per quod cælesti hereditati restitueris. Quibus dictis evanuit visio Virginis.

Ex MSS.

d

e

Apparet ei S. Eulalia, et monet ut Fiscani monasterium Virginum ædificet.

f

g

4 Tunc vir sanctus a somno excitatus, cœpit meditari qualiter compleret quæ virgo sancta jussisset. Festinato igitur, Beatos Audoenum et Wandregisillum adiit, eisque ordinem visionis exposuit. Tunc viri sancti Spiritu sancto revelante, dixerunt : Visionem quam vidisti, si quantocyus impleveris, aditum cæli tibi reserabis. Festina itaque, Regisque præsentiæ te exhibe; ejusque nisu perficere stude, quæ tibi jussa sunt a beata Virgine. Tunc sancti Sacerdotes, B. Waningi humillimis precibus, Regis præsentiam adierunt, et ut hoc opus fieret, ejus licentiam impetrarunt. Quibus Rex reverenter assurgens, reverentiusque oscula amicabilia præbens, lætabatur in eorum adventu cum suo regio comitatu. Tunc beatus Rotomagensis Archipræsul omnium..... cœpit evangelizare de *h* pœnis gehennæ infernalis, de beatitudine gloriæ cælestis, de corporum corruptione, et de tremendo die judicii in resurrectione. Posthæc a Rege Lothario juniore, qui cum matre sua sancta *i* Baltide Franciam regebat, petierunt secretum, ut proderent, pro quo venerant, consilium. Quod Rex annuit, corque eis accommodans, quod postulant dat, et quæ non poscunt largitur regia dona.

Veniam a Rege petit.

h

i

5 Hinc Beatus Waningus ad propria lætus rediit, licentia prius a Rege habita, et in Fiscampno monasterium celeriter ædificavit. Quo in loco febre valida corripitur, ac in extasi mentis rapitur, pavore simul ac frigore fit mortuo simillimus. Corpus mortuum vestibus funeris ornatur, feretrum indicitur, ad ecclesiam cum luctu portatur; et exequiæ, ut mos est, celebrantur : tuncque vidit pœnas damnatorum, et præmia electorum..... viginti annis supervicturum, et hoc B. Eulaliam, cujus precibus se commendaverat, impetrasse. Tunc a visione tam acerba et a Superis reverso B. Waningo incolumitatique reddito, sancti Confessores Audoenus et Wandregisillus, Rex Lotharius, ejusque cuncti proceres, cum tota populi multitudine cernentes factum miraculum, gratias

Æger videt pœnas inferorum, etc.

Ex mss.

gratias Deo egerunt, quod benigna pietate illustrem virum Waningum a morte reduxerat, vitæque reddiderat. Tunc demum per B. Waningum consummato Fiscampni monasterio, necnon ab Episcopis Galliarum consecrato; congregatis trecentis sexaginta sex virginibus, B. Waningus monasterium commisit viris sanctis prænominatis Audoeno et Wandregisillo, ut sedulius sanctas Virgines regularibus disciplinis informarent, *cetera desunt*.

Convalescit intercessione S. Eulaliæ.

a *Clotharius III, ab ann. Christ.* 660, *ad ann.* 664, *in Neustria regnavit.*

b *In vita B Wandregisili* 22 *Julii, ab auctore fere coætaneo conscripta eadem referuntur his verbis :* Adjutor præterea hujus operis (*in extruendo cœnobio Fontanellensi*) et cooperator insignis Waningus vir illustris extitit, qui viro Dei plurima prædia felici munere ad usum servorum Christi (*qui trecenti erant*) devote contulit, filiumque suum, Desideratum nomine, sub regimine prædicti Patris in eodem loco monasticæ disciplinæ et Christi militiæ tradidit vacaturum. Erat is Waningus ditissimus, et multimoda cœnobiorum habitacula in possessionibus propriis construxerat. Ex quibus unum est, quod vocatur Fiscamnum, *etc.*

c *Duæ celebres sunt Eulaliæ virgines et Martyres, quarum una Barcinone,* 12 *Februarii, altera Emeritæ occisa,* 10 *Decemb.*

d Pagus *hic* Calcegius, *in sequenti relatione dicitur* provincia Calciacensis, *vulgo* le pais de Caulx. *Incolas olim* Caletes *appellatos censent Divæus, Ferrarius, Massonus, alii.*

e *Glaber in vita S. Guilielmi Abb. Divionensis num.* 20, *supra* 1 *Janua. vocat* Ecclesiam sanctæ et individuæ Trinitatis nomini et honori dicatam, in loco Fiscannensi cognomento, antiquitus constructam.

f S Audoeni *Episcopi Rotomagensis vitam dabimus* 24 *Augusti.*

g *Deest aliquid, de evocanda, ut suspicamur, Burdegala Abbatissa* S. Childemarcha, *quæ ex altera relatione supplenda.*

h *In vita S. Wandregisili dicitur, ejus S. Audoeni, et S. Philiberti, dum convenirent,* non aliam fuisse orationem, quam de regno Christi, de paradisi deliciis et de gehennæ suppliciis, *etc.*

i S. Bathildis *vitam damus* 26 *Januarii. In vita S. Wandregisili dicitur* Blitildis, *hic* Baltidis, *alibi* Baldechildis.

ALIUD FRAGMENTUM

Ex alio ms. *ejusdem monasterii.*

Multorum igitur profluxerunt temporum dies, et dignus inveniebatur nullus, qui aut significatum oraculum ædificaret; aut cui summæ clementiæ ineffabilis Trinitas ædificandi significationem declararet. Expectabat enim divinæ providentiæ celsitudo virum, quem carnalis desiderii carne liberum sancto spiritu consecraret et custodiret templum delectabile. Oportebat quippe hominem, spirituale templum Domini, ædificare Domino corporale templum, qui sui interioris considerata imagine, conciperet qualiter exterius rerum universarum Creatori templum ordinare et ædificare deberet. Quocirca tandem tantæ deliberationis ædificando oraculo sanctus et gloriosus Confessor Waningus eligitur, electus promovetur. Cujus nobilium actuum excellentiam Galli Proceres admirabantur, et cælestium morum gratiæ cælestis curia congratulabatur. Possidebat enim, quod non multi, verum divites pauci, possidere solent, et æternorum desiderium, et affluentiam temporalium bonorum : quorum clementi expensa nullorum recipiebat aut favorem aut retributionem mortalium.

Waningus vir illustris, dives, sanctus.

2 Talium igitur meritorum gratia et Domino amicus, et mundo clarus, et Regi Lotario habebatur familiaris et secretarius. Lotarius enim Rex B. Waningo regni sui partem maximam commendaverat. Nihilominus etiam in totius summa ordinanda vel administranda beati viri prudens consilium sequebatur et audiebat. Commendaverat, inquam B. Waningo Rex Lotarius provinciam Calciacensem, quam ob antiquarum silvarum abundantiam, et ferarum diversarum venationem jucundam valde diligebat, nullique nisi familiari et fideli committere rationabiliter judicabat.

Regit Calciacensem provinciam.

3 Commissas igitur silvas fideliter custodiens B. Wanningus frequenter visitabat, visitando prolustrabat, non tantum capiendorum ludo, aut captarum ferarum lucro gaudens, quantum carnalium tumultuum refrigerationem umbra silvarum solitudinis quærens. Tali itaque studio commodiores Fiscannenses saltus judicabat, judicando frequentabat, ignorans Ducis *a* Ansegisi revelationem; revelatione præterita sancti loci manifestationem, et futuri oraculi reverentiam observandam. Loco enim sancto S. Wanningus reverentiam nullam exhibebat. Verum ibi frequenter aut canes copulabat, aut retia tendebat, vel agitabat fugientes feras, vel suis privabat exuviis captas. Quam prævaricationem, imo viri ignorantiam, corrigendam divina sublimitas miserata, sanctum corripuit virum. Et complendi oraculi manifestum dedit indicium. Ingentium quippe febrium virum sanctum repentinus ardor invasit; qui totius corporis compagem labefactans, cunctisque viribus membra omnia inclementer privans, auferre vitam, et mortem minabatur inducere præsentem.

a

Ægrotat.

Sæpe in silvis versatur.

4 Ingravescente ergo molestia, penitus vigor vitalis concluditur, conclusus extinguitur, atque consumpto exteriori suus homo interior in cujusdam extasis translatione maxima extenditur et deducitur. Deducitur, inquam, S. Wanningus ad beatorum virorum gloriosa loca, et ad hominum miserorum crudelia tormenta; ubi quantas et justorum coronas, et reproborum cognovit pœnas, reversus narravit, suorumque actuum evidentia patenter exposuit. Visis gaudio beatitudinis, et miseriæ perpetuis domibus. Judici cuidam S. Wanningus præsentatur, atque excelso suæ majestatis throno deponitur et collocatur. Verum cum et sedis incircumscriptum fulgorem, et sedentis aspectum terribilem circumstantiumque innumeram multitudinem contemplaretur, et contemplans terreretur, corruit, et toto corpore prostratus coram judicantis præsentia, velut exanimis et conturbatus jacuit. Tunc Judex, quomodo, inquit, Wanninge Fiscannensem vallem, nomini meo consecrandam ignoras, et ignorando exhonoras? Qua ratione consecrationis meæ locum nequaquam attendens contaminare non exhorrescis? Non vereris incurrere iram meam, cujus fideliter cognoscis omnipotentem voluntatem? Dixerat et circumstantium seniorum chorus sui Imperatoris sententiam gravitatis severo vultu confirmabat. Sanctus autem Wanningus valde perterritus nullatenus ora solvebat, aut caput solo erigere præsumebat. Sed sui animi puritate et fatebatur culpam, et postulabat veniam, et prætendebat ignorantiæ excusationem solam. Silentibus gloriosis cunctis astantibus, suoque silentio et inferendam disciplinam et exhibendam indulgentiam contestantibus, sola sancta virgo Eulalia surrexit, et jacentis causam suscipiens, clementis Judicis severitatem delinivit, indulgentiamque ignoranti exoravit, suique familiaris et amici S. Wanningi præsente vitam xx annorum protelatione, interventu suo prolongavit. Virgo itaque sancta Eulalia exauditur, eique exauditæ Sanctus commendatur Wanningus, quatenus eum perfecte instruat, qualiter sanctum oraculum constituat, constitutum ne quibus personis committere debeat. Cui virgo, *b* Convalesces, inquit, Wanninge, et vives, tuisque possessionibus restitueris. Adi Fiscannensem vallem : et in Fiscannensi valle Duci Ansegiso manifestatum locum ab incolis diligenter exquire, et inventum festinus excole. Ibi summæ et individuæ Trinitatis congruum templum fideliter construe. Completum autem templum sanctis virginibus commendabis, quibus Childomarcham Burdegalensem virginem, ibique multarum virginum matrem inclytam Abbatissam præponere curabis.

In extasi videt justorum præmia, et pœnas malorum.

S. Eulalia ei impetrat adhuc 20 *annos vitæ :*

b

monet ut monasterium Fiscani exstruat :

5 Finitis demum tantæ revelationis sermonibus, cum vita sospitatem, et cum sospitate vitam S. Waningus suscepit : æqualiterque suis cunctis convalescentibus membris, Regem Rotarium expetiit, suæque revelationis seriem totam explicuit. Quibus Rex Lotarius compunctus et perterritus : Festinus, inquit, fili Waninge regredere, et sanctum locum juxta relationis

lationis tuæ veritatem diligenter inquire : rebusque meis et tuis summum Imperatoris palatium, quam maturius gloriosiusve valueris, construe. Quando læto audiens animo B. Wanningus ad Calciacensem provinciam continuo remeavit : ingressusque Fiscannensem silvam, prænominatum locum exquisivit, invenit, et excoluit. Adhibitis glorioso operi operariis, annosæ quercus cæduntur et prosternuntur, viminaque et vepres extirpantur et comburuntur : et antiquæ solutidinis dumis ac sentibus locus cælestis habitaculi perpurgatur et liberatur. Ponuntur fundamenta et ineffabili celeritate consurgunt parietes sacri, et velut divinæ virtutis omnipotenti operatione collocantur tecta, complectunturque ædificia præmissæ revelationis.

Annuente Lothario illud exstruit.

Visitat id Lotharius.

6 Consummato igitur completoque ædificio, Galliarum Rex *c* Lotarius invitatur : multarum urbium sancti Patres convocantur et congregantur : et rerum omnium Creatoris et administratoris titulo, factumque oraculum insignitur et consecratur, consecratumque Regalibus gazis et prædiis liberaliter dotatur, et divitiarum cunctarum abundantiis ditatur et ampliatur. Imperat Rex Lotarius sanctas virgines congregari, et congregatis virginibus juxta B. Eulaliæ visionem *d* Childemarcham summæ sanctitatis virginem præponi, totiusque Ecclesiæ summam et administrationem sanctis et beatissimis Confessoribus Audoeno et Wandregisilo committit et injungit devote. Virgines sacræ conveniunt, promissæ virginitatis cælesti sponso chirographa immobilia conscribunt, suæque conversationis aromaticis cunctis odoribus circumadjacentes provincias cunctipotenti famulari Domino admonent et accendunt. Congratulatur beata Trinitas, incommutabilis Deus, et completo templo, et convenientium virginum famulatui casto : quarum trecentarum sexaginta sex diurnas nocturnasque et continuas contemplans laudes, et mortis liberatione et in mansura civitate promittit et præparat beatæ retributionis immarcescibilem coronam.

c

d

Collocantur illic sacræ Virgines.

e Mittitur eo S. Leodegarius exul:

7 Illo tempore beatus et gloriosus Martyr *e* Leodegarius Fiscanum deducitur; quem efferus et nefandus apostata Ebroinus Episcopatus sui sede injuste expulerat, rerum affluentia multarum expoliaverat, et lingua inclementer abscissa totius officio sermonis privaverat. Verum cum gloriosus Martyr et Episcopus summi et omnipotentis sacras ingrederetur ædes, et psallentium virginum audiret angelicas voces, ablatæ officium linguæ reperit : et per annorum vertiginem duorum cum sanctis virginibus conversatus, humilitatis et pacificæ formam exhibuit..... Et audientium corda voce cælestis doctrinæ irrigavit et fœcundavit. Cernens gloriosi B. Wanningus inopinatam templi gloriam sanctæque congregationis religionem, et multitudinem cælestem, cunctas suæ proprietatis divitias recensuit, sanctarumque in usus virginum delegavit. Et toto vitæ suæ cursu, totius famulatus humilitatem et obedientiam in eadem Ecclesia ratione et consuetudine servientium exhibuit. Defuncto autem Beato Wanningo..... *cetera desunt.*

linguæ abscissæ usum recipit.

S. Waningus monasterio servit.

a *Ansegisus S. Arnulfi filius, maritus S. Beggæ pater Pipini Herstalli.*

b *Alibi sanitas ei restituta dicitur, precibus S. Wandregisili et S. Audoeni, in quorum vitis sic hæc referuntur gesta :* Quo in loco (*Fiscanno*) dum moraretur, excessum mentis subito passus est, ostensæque sunt ei pœnæ damnatorum, et felicitates justorum, audivitque divinitus viginti annorum spatio ipsum victurum, idque impetrasse a Domino sanctam Christi Martyrem Eulaliam, cui precibus se sedulo commendare solitus erat. Sed et ipsa Christi Martyr ei apparens commonuit, ut in prædicto prædio, quo morabatur, monasterium construeret, et de sua stirpe nulli regendum committeret. Qua reversa ad Superos, virum Dei Wandregisilum accersivit, et ordinem ei visionis exposuit, simulque a febre qua premebatur, ejus precibus curatus, optatam recepit sospitatem, prædictumque cœnobium, ut monitus erat, illico construere cœpit. *Hæc in vita S. Wandregisili. Quibus conformia referuntur in vita S. Audoeni his verbis :* Inter cætera autem virtutum miracula, quæ idem egregius Præsul effecit, illud omnino prætereundum non est, quod illustrem virum Waningum sua oratione optatæ sanitati restituerit. Fuit ille Waningus sane prædives et potens, sed morbo correptus acerbo, in ecstasi multa impiorum supplicia vidit. Cumque eodem morbo adhuc premeritur, B. Audoenus Antistes, cum prius orasset benedictionem ei impertit, et reddita illi est pristina incolumitas. Hortabatur autem eum Audoenus, ut locum illum Deo dicaret. Admonitus enim ille fuerat a B. Eulalia, ut in prædio suo Fiscano, ubi jam diu discubuerat, ad sancti Præsulis Audoeni jussionem cœnobium extrueret : simulque indicatum erat ei, viginti annis illum in corpore victurum. Itaque vitæ redditus et ad sese reversus, clarissimum Pontificem Audoenum orat, ut ad se venire velit una cum Sacerdote Christi Wandregisilo.

Ex mss.

c *In vita S. Audoeni Rex Clotharius dicitur Fiscanum profectus :* Adfuit vero etiam Rex juvenis Clotharius, Clodovæi junioris Regis filius, insigne illud, quod in Waningo perpetratum erat, miraculum magno desiderio cernere cupiens. Non solum autem Rex, sed et cuncti Proceres, et omnis populi multitudo, qui cum illo aderant viderunt, et omnipotentis Dei clementiam collaudarunt, Beatumque Audoenum colere et venerari cœperunt.

d *Colitur* S. Hildemarcha 23 *Octob. ejus vita citatur in actis S. Wandregisili; ubi, uti et in vita S. Audoeni, eadem citantur quæ hic.*

e *Vitam S. Leodegarii dabimus* 2 *Octob. quam edidit Andreas Du Chesne tomo* 1, *Scriptorum Historiæ Francorum, in qua hæc de SS. Leodegario et Waningo :* S. Leodegarium tradiderunt viro nomine Waningo, ut sub ejus gravi dominio emitteret cruciatus spiritum. Cui ait Ebroinus : Accipe, inquit, Leodegarium, quem aliquando vidisti virum superbum, et constitue sub tua custodia. Erit enim cito tempus suæ vocationis, recipiens quod meritus est ab inimicis suis. Cum enim longe ejus esset hospitium, sanctum Dei Martyrem imposuerunt in vili jumento, *etc. Et paulo inferius :* Hermenarius Episcopus Waningum postulat, aditum ad Dei Martyrem accedendi. Cumque etiam sui merito ei fuisset concessum, (omnes enim ut leonem iratum metuebant sævum tyrannum) vulnera ejus studuit diligenter curare; et arte qua valuit, potu ciboque reficere vestemque quam habuit meliorem induere. Non enim jam ut terreno homini, sed ut translato Martyri reverentem impertivit honorem. Qua de re non solum indulgentiam de præteritis, verum etiam benedictionem ab eo promeruit de futuris. Postquam enim Waningus eum perduxit ad propria, Dei comitante gratia, cœperunt velocius ejus contra naturam recrescere labia, una cum lingua, nec non et verba ultra solitum ab ejus ore indesinenter effluere. Cum hoc miraculum cognovisset Waningus, non obdurat animum ei impendere malum, ut a tyranno fuerat jussum : sed versa vice jam Dei Martyrem cognoscens, eum acceptum ad suum perduxit cœnobium, quod vocatur Fiscanum, ubi erat congregatio sanctimonialium ac virginum quibus præerat Childomarca famula Christi.

III. *Ex alio* ms. *ejusdem monasterii.*

a b Fiscanum sub adventum Normannorum tenent Canonici.

c Richardus I pro iis monachos introduci a filio jubet.

d

e

a Interea contigit Fiscannenses *b* Canonicos aliorum Canonicorum mores imitari, latas perditionis vias ingredi, et rerum temporalium luxus et desidias voluptuose sectari. Quam Canonicorum miseram vitam, et viventem miseriam. Dux prudentissimus *c* Richardus audiens, et audiendo cognoscens, valde doluit, hominumque pravorum mores et conversationem exhorrens, legatos festinanter Cluniacum direxit, et *d* S. Majolum magnæ humilitatis precibus Fiscannum accersivit, atque secundum S. Benedicti regulam et institutionem disponi et ordinari novam Ecclesiam exoravit. Cui S. Majolus : Hujus, inquit, laboris magnitudinem talis rationis conditione, carissime fili Richarde, suscipiam, si per totum Ducatum tuum consuetudinem, quæ vulgariter pasnagium dicitur, Domino donaveris, nullumque tuæ potestatis Principem aliquam amplius exigere decreveris. Ubi Richardus Dux, non morbo avaritiæ, verum occulta divini *e* providentia disponente, et S. Willelmo Abbati gloriam ordinandi sanctam Ecclesiam transferente, suorum hominum consilio adquievit, et S. Majoli sanctam interpellationem non exaudivit unde contigit ut S. Majolus Cluniacum reverteretur, et Canonicorum correctio vel expulsio per aliquot tempora protelaretur. *Idem Dux Richardus, ut ibidem habetur, morti proximus filio suo Richardo II præcepit ut Canonicis inde ejectis monachos substitueret.*

a *Subjicimus hæc, ut varia illius cœnobii successio Ordinum innotescat. Videtur ab eodem hoc auctore scriptum, quo præcedens fragmentum. Sunt fortassis amplioris Chronici partes.*

b *Glaber in vita S. Guilielmi Divionensis, num.* 20. Erat enim illic more vivens carnali, jugo soluto regulari Clericorum levis conciola, *quando Canonici monialibus successerint non reperimus.*

c *Richardus I, Dux III Normanniæ, successit puer patri Guilielmo an Chr.* 943, *defuncto, decessit ipse apud Fiscannum an. Ch.* 996. *Guil. Gemeticensis lib.* 3, *cap.* 12 *et lib* 4, *cap.* 20. *In Fragmento Historiæ Aquitanicæ apud Du Chesne tom* 2, *script. hist. Francorum, dicitur :* ædificasse monasterium Fiscanum

Ex mss. in honorem summæ Trinitatis : ubi sepultus est ipse, et monachos constituit. *Ordericus Vitalis lib.* 4, *Eccl. hist. scribit.* Fiscannense cœnobium a Richardo primo Duce Normannorum nobiliter fundatum, a secundo multis honoribus et divitiis largiter ampliatum. *Melius Glaber ante citatus scribit ab eo* Ecclesiam in Fiscanensi loco honorificentius reformatam.

d *S. Majoli vitam dabimus* XI *Maii.*

e *Videtur deesse* numinis.

IV. *Ex alio* MS. *ejusdem loci.*

a Vir Nobilis Normanniæ *a* Ricardus, primi Ricardi filius, a monasterio Fiscannensi Canonicos regulares expulit : qui legatos apud S. Benignum Divionem humiliter destinavit, Guilielmo ejusdem loci præcipuo pastori, magnis precibus compellit, monasterii Fiscannensis sub regula B. Benedicti commisit gubernandum, anno ab Incarnatione Domini millesimo primo.

Reformatur Fiscanum per S. Willelmum.

2 Illo tempore, beatæ memoriæ Willelmus Abbas, suæ religionis affluentia totius partes Romani Imperii illustrabat. Abbatumque multorum tepidos animos sui fervoris imagine reformabat et accendebat : apprime enim liberalibus artibus eruditum atque disciplinis Ecclesiasticis cunctisque spiritualibus officiis, nihilominus etiam fere virtutum omnium gratia imbutum, et illuminatum, Divionensium Ecclesiæ B. Majolus præposuerat et constituerat Abbatem et Magistrum.

Abbates Fiscanenses.

3 *In eodem* MS. *Codice catalogus extat Abbatum Fiscanensium :* Guillelmus primus Abbas Fiscannensis, de Burgundia natus, fuit nobili genere procreatus. In quodam libro memoriali de præfato sanctissimo Patre piæ recordationis et memoriæ discimus, quod suæ religionis affluentia totius partes magni Imperii illustrabat. Et quoniam novit, quod nisi qui legitime certaverit, coronabitur, opus bonum, quod inceperat cœnobio Fiscanensi, studuit perseveranter exercere, qui monasteria per viginti novem annos gloriosissime regens *b* diem clausit extremum, et, ut credimus, feliciter in Christo coronatur. *c* Vixit XXIX annis. *b* *c*

Joannes..... Italus, profectus Jerosolymam : sedit annis *d* 2. *d*

e Guilielmus Virgo, vulgo la pucelle, magnus eleemosynarius, diœcesis Bajocensis, 29 annis. *e*

Rogerius, diœcesis Bajocensis, 31 annis, *hujus meminit Ordericus Vitalis lib.* 12.

Henricus, 49 annis : sub hoc pretiosus sanguis repertus. *De hujus electione agit Ordericus lib.* 13.

Radulphus, Raoul, 30 annis.

Richardus, 3 annis.

Richardus Morinus, 5 annis.

Guilielmus Napaille, 31 annis.

Richardus de Trieges, 16 annis.

Guilielmus de Putot, 12 annis.

Thomas a S. Benedicto, 20 annis.

Robertus du Putot.

Petrus Rogerius, factus summus Pontifex Clemens VI.

a *Richardus II, Dux IV Normanniæ, successit patri an. Ch.* 996, *e vivis excessit an. Ch.* 1026.

b *Obiisse S. Guilielmum Fiscani an. Ch.* 1031, *ostendimus supra in ejus vita.*

c *In regimine, nimirum.*

d *Ordericus Vitalis lib.* 4, *Eccl. hist. ann.* 5 *ejus regimini tribuit.* e *De hoc Guilielmo, quem* de Roz *appellat, pluribus Ordericus lib.* 3, 4, 8 *et* 11.

DE S. FILANO, SIVE FELANO,
ABBATE IN SCOTIA.

VII Secul. IX Januarii. *Sanctus* Filanus *Abbas vetusti in* Fifa *monasterii, cui Pettinwimeum nomen, fuisse scribitur, referturque hoc die a Davide Camerario in Menologio Sanctorum Scotorum.* Fillanus *quoque,* Felanus, *et* Philanus *appellatur. Carthusiani Colonienses in Additionibus ad Usuard. excusis an. Ch.* 1515 *et* 1521. Ipso die Felani Abbatis Confessoris. *Adamus Regius in Kalend. Scotiæ :* In Scotia S. Filanus Abbas. *Ejusdem meminit Ferrarius in catal. generali SS. additque ex Dempsero, ad hujus reliquias venerandas magnum hominum concursum fieri consuevisse. Est vero* Pettinwimeum *in Fifa, ut dictum est, provincia haud procul a S. Andreæ metropoli.*

S. Filani natalis.

Infans a morte servatus.

2 *Ex Chronicis Paslatensibus, et Breviario Aberdonensi (quæ non vidimus) refert Camerarius hanc vitæ S. Filani epitomen :* S. Filanus, ex patre Feriath viro nobili et Kentigerna matre sanctissima traxit originem. Natum jam Filanum pater in vicinum lacum præcipitari jussit quod is in lucem emissus ad instar monstri lapidem in ore videretur gestare. Verum (ut tradit ad hunc diem Aberdonense Breviarium) Angelorum ministerio ab aquis liber, ad ripam lacus ab iisdem conservatus est, donec ab Ibaro Episcopo viro sancto, Filanus inter Angelos inventus, baptizatus est, et matri Kentigernæ (quæ lacrymis a Deo assidue postulabat, ut Filanus filius, quem sciebat a patre in lacum præcipitatum, vitæ restitueretur, et baptismi sacramento donaretur,) redditus est.

Sanctitate et miraculis clarescit.

3 Porro grandior factus Filanus ab Ibaro Episcopo traditur Mundo Abbati Educandus; apud quem omnes numeros solidæ virtutis explere, ejusque fama sanctitatis longe lateque manare cœpit. Sæpe visus est Filanus, dum noctes integras in oratione transigeret cælesti circumfundi lumine, quod sole clarius cellam illustraret totam. Quandoque cum esset in tenebris, sinistra manus instar facis lucidissimæ, dexteræ manui dum scriberet aut legeret, lumen præbere a ceteris monachis videbatur.

Fit Abbas.

4 Abbate Mundo ex hac vita sublato, Filanus consensu monachorum in Abbatem eligitur : quo in officio omnium virtutum ceteris præluxit exemplo. Sed brevi post, diem suæ migrationis ex hac vita adesse sentiens, relicto successore ad solitudinem Sirach non procul a Glenderchy se contulit; quo in loco se totum cælestium rerum contemplationi tradidit, variosque a corporis et animæ infirmitatibus, divina ope, liberavit. *Addit Camerarius sub annum Christi* DCII, *e vita migrasse.*

Moritur.

Victoria Scotorum, ope S. Filani.

5 *Ope S.* Filani *Eduardum Anglorum Regem a Roberto Bruseo Scotorum Rege profligatum, scribit Hector Boetius lib.* 14, *historiæ Scotorum :* Numerum omnium, *inquit,* quos tum peditum equitumque Anglus contraxerat hunc ferunt, videlicet centum quinquaginta peditum millia, et totidem fere equitum... Ex adversa parte Robertus omnia prudenter ac explorate agere, cum triginta millibus peditum equitumque, veteranis plerisque militibus obviam hosti procedens, castra loco plano ponit, seu viribus suorum confidens, seu contemptum sui hostibus audaci consilio adimens..... Interea unumquemque arma expedire jubet, ac sese Deo præparare, confitendo Sacerdotibus delicta, ac Deum veniam orando, ut in posterum diem re sacra audita, ac sumpto Christi corpore, idonei prælium conserere, ac victoria potiri possint. In castris hostium amplississima sibi quisque sperabat, unius diei labore exiguo divitias ingentes ac agros (quæ antea ne per somnium quidem speraverant) amplissimos habituros : nihil vero facilius effecturos sese arbitrabantur, quam primo impetu hostes proterere.

Apparatus ad prælium.

6 Nocte autem quum Robertus de rebus suis sollicitus,

S. Filani miraculose delatum ad castra brachium.

licitus, quietem nullam prope corpori daret, precibus vacans, aut omnia animo volvens, intento eo cum quibusdam in preces converso, (orabat autem Deum ac S. Philanum, cujus brachium inclusum argento in exercitu se habere credebat, ut victoriam propitii dare vellent) visum est brachium argenteum, cui inclusum verum fuerat, repente apertum, ac rursum in nictu oculi clausum, nullo accedente nec se movente quopiam. Quod quum mirandum videretur, Sacerdos ad altare accessit quid actum esset inspecturus : ubi vidit verum inesse brachium, exclamans vere numen adesse divinum, confessus est factum suum Regi, quod roganti brachium S. Philani, capsulam tantum argenteam, veritus ne in tumultu perderetur, exempto vero brachio, vacuam dederit. Plenus igitur Rex spe reliquum noctis in precibus ac gratiis agendis perseverabat.

Scotorum pietas:

7 Postero die præparatis omnibus ad rem sacram, milites convocat, jubetque omnes Christi corpus, quo robustiores spiritu essent, sumere. Erat in exercitu Abbas insulæ Missarum, nomine Mauricius, qui ex editiusculo loco tum rem divinam faciebat : is Regi Eucharistiam ac nobilibus administrabat : deinde a reliquis Sacerdotibus idem factum ceteris militibus..... Mauricius arrepta duabus manibus cruce in qua Christus crucifixus pendebat, ostentansque eam militibus, ut ejus nomine bono animo patriam defenderent, in eoque solo confiderent, ad pugnam eduxit. Ac ubi aliquantum adhuc acies utrimque abessent, Deo sese cunctos in terram prostratos commendare mandat. Quod ubi hostes videre, deditionem eos supplices facere clamant universi. Sed mox ubi consurgentes maximo impetu in sese omnes incurrere vident, converso metu sibi quisque timere cœpit. Primo igitur impetu plurimi cecidere..... Cecidere eo prælio ab Anglis millia quinquaginta; Equites autem aurati ducenti, cum Duce Governiæ : duo tantum Scotorum Equitum auratorum desiderati sunt, Wilhelmus a Vetere ponte, et Walterius Rossensis : vulgi vero periere haud amplius quatuor millia. *Camerarius quoque victoriam hanc, anno Chr.* 1314, *ut ait, relatam propitio numini, a* S. Filano *suis gentilibus conciliato, tribuit. Commissum est prælium ad torrentem* Bannock, *ut Joannes Major lib.* 5, *Hist. Scoticæ cap.* 4, *et Cambdenus testantur, haud procul* Sterlingo *oppido. Joannes Leslæus de rebus gestis Scotorum lib.* 7, *hoc prælium describit atque ad illud piam Roberti Regis et Scotorum præparationem, Mauricii Abbatis exhortationem, et crucis Christi prolationem; non tamen meminit* S. Filani; *uti nec Major; nedum Buchananus, qui antiquam Scotorum pietatem erga Ven. Eucharistiam, Crucem Christi, et Sanctos commemorare, nefas duxisset.*

Ex Beda.

Victoria.

DE S. ADRIANO ABBATE, IN ANGLIA.

Circiter an. Christ. dccix. IX Januarii. *S. Adriani natalis.*

Adrianum *Abbatem, non minori Christianæ humilitatis quam Apostolici zeli laude illustrem, venerantur* IX *Januarii Ecclesiæ Anglicanæ : de quo præter Martyrologium Anglicanum, Galesinius, Molanus et Carthusiani Colon. in Addit. ad Usuardum :* In Cantia Adriani Abbatis et Confessoris. *Ejusdem meminit Ferrarius in generali catalogo Sanctorum, Martyrolog. Germanicum, Ghinius, Wion, Menardus, Tritthemius lib.* 3, *de viris illust. cap.* 115. *Fusius Harpsfeldius sec.* 7, *cap.* 9, *qui anno* 708, *mortuum scribit, Wion anno* 707.

Vita.

2 *Illius geminam hic vitam damus, alteram ex Beda lib.* 4, *hist. Anglic. cap.* 1 *et* 2, *ex Joanne Capgravio alteram, cujus pars prior ex Beda est adumbrata.*

VITA

ex ven. Beda, lib. 4.

a b Anno dclxv *a* Deusdedit sextus Ecclesiæ *b* Dorovernensis Episcopus obiit pridie Iduum Juliarum. Sed *c* Erconbert Rex Cantuariorum eodem mense ac die defunctus, Ecgberto filio sedem regni reliquit, quam ille susceptam per novem annos tenuit. Tunc cessante non pauco tempore Episcopatu, missus est Romam ab ipso simul et a Rege Nordamhumbrorum *d* Oswi *e* Wighart Presbyter, vir in Ecclesiasticis disciplinis doctissimus, de genere Anglorum, petentibus, Ecclesiæ Anglorum Episcopum ordinari; missis pariter Apostolico Papæ donariis, et aureis atque argenteis vasis non paucis. Qui ubi Romam pervenit, (cui Sedi Apostolicæ tempore illo *f* Vitalianus præerat,) postquam itineris sui caussam præfato Papæ Apostolico patefecit, non multo post et ipse, et omnes pene qui cum eo advenerant socii, pestilentia superveniente deleti sunt.

c

d e

Wighart ordinandus Episcopus, peste moritur.

f

2 At Apostolicus Papa habito de his consilio, quæsivit sedulus quem Ecclesiis Anglorum Archiepiscopum mitteret. Erat autem in monasterio Niridano, quod est non longe a Neapoli Campaniæ, Abbas Adrianus, vir natione Afer, sacris litteris diligenter imbutus, monasterialibus simul et Ecclesiasticis disciplinis institutus, Græcæ pariter et Latinæ linguæ peritissimus. Hunc ad se accitum Papa jussit, Episcopatu accepto, in Britanniam venire. Qui indignum se tanto gradu respondens, ostendere posse se dixit alium, cujus magis ad suscipiendum Episcopatum et eruditio conveniret et ætas. Cumque monachum quemdam de vicino Virginum monasterio, nomine Andream, Pontifici offerret; hic ab omnibus, qui eum novere, dignus Episcopatu judicatus est. Verum pondus corporeæ infirmitatis, ne Episcopus fieri posset, obstitit.

Adrianus Abbas Episcopatum detrectat.

Alium offert Pontifici.

3 Et rursum Adrianus ad suscipiendum Episcopatum actus est : qui petiit inducias, si forte alium, qui Episcopus ordinaretur, ex tempore posset invenire. Erat ipso tempore Romæ monachus Adriano notus, nomine *g* Theodorus, natus ex Tharso Ciliciæ, vir et seculari et divina litteratura, Græce et Latine instructus, probus moribus, et ætate venerandus, id est, annos habens ætatis 66. Hunc offerens Adrianus Pontifici, ut Episcopus ordinaretur, obtinuit; his tamen conditionibus interpositis, ut ipse eum perduceret in Britanniam, eo quod jam bis partes Galliarum diversis ex caussis adiisset; et ob id majorem hujus itineris peragendi notitiam haberet, sufficiensque esset in possessione hominum propriorum : et ut ei doctrinæ cooperator existens diligenter attenderet, ne quid ille contrarium veritati fidei, Græcorum more, in Ecclesiam, cui præesset, introduceret. Qui Subdiaconus ordinatus quatuor expectavit menses, donec illi coma cresceret, quo in coronam tonderi posset : habuerat enim tonsuram more Orientalium *h* S. Pauli Apostoli. Qui ordinatus est a Vitaliano Papa anno Dominicæ incarnationis dclxviii, sub die vii Kal. Aprilium, *i* Dominica.

Tum S. Theodorum.

g

Mittitur cum eo in Angliam.

h

i

4 Et ita una cum Adriano vi Kalendas Junias in Britanniam missus est. Qui cum pariter per mare ad Massiliam, et deinde per terram Arelaten pervenissent, et tradidissent *k* Joanni Archiepiscopo civitatis illius scripta commendatitia Vitaliani Pontificis; retenti sunt ab eo, quousque *l* Ebroinus Major domus regiæ copiam pergendi quoquo vellent tribuit eis. Qua accepta Theodorus profectus est ad *m* Agilbertum Parisiorum Episcopum, et ab eo benigne susceptus, et multo tempore habitus est. Adrianus vero perrexit primum ad *n* Emme Senonum, et postea ad *o* Faronem Meldorum Episcopos, et bene cum eis diutius fuit.

Veniunt in Galliam.

k

l

m

Isthic hyeme subsistunt.

n o

Ex Beda.

fuit. Coegerat enim eos imminens hyems, ut ubicumque potuissent, quieti manerent.

Deducitur in Angliam Theodorus.

5 Quod cum nuntii certi narrassent Regi Ecgberto, adesse scilicet Episcopum, quem petierant a Romano Antistite, in regno Francorum; misit illo continuo Redfridum Præfectum suum ad adducendum eum. Quo cum pervenisset, assumpsit Theodorum cum Ebroini licentia, et perduxit eum ad portum, cui nomen est *p* Quentawic, ubi fatigatus infirmitate aliquantisper moratus est, et cum convalescere cœpisset, navigavit in Britanniam. Adrianum autem Ebroinus retinuit, quoniam suspicabatur eum habere aliquam legationem Imperatoris ad Britanniæ Reges adversus regnum, cujus tunc ipse maximam curam gerebat. Sed cum tale nihil illum habere vel habuisse veraciter comperisset, absolvit eum, et post Theodorum ire permisit. Qui statim, ut ad illum pervenit, dedit ei *q* monasterium B. Petri Apostoli, ubi Archiepiscopi Cantiæ sepeliri solent. Præceperat enim Theodoro abeunti Dominus Papa Apostolicus, ut in diœcesi sua provideret et daret ei locum, in quo cum suis apte degere potuisset.

p

Adrianus ab Ebroino aliquamdiu retinetur.

q

Præficitur monasterio S. Petri in Anglia.

6 Pervenit autem Theodorus ad Ecclesiam suam secundo postquam consecratus est anno, sub die *r* sexto Kalendarum Juniarum, Dominica, et fecit in ea annos viginti et unum, menses tres, dies viginti sex. Moxque peragrata insula tota, quaquaversum Anglorum gentes morabantur, (nam et libentissime ab omnibus suscipiebatur atque audiebatur) rectum vivendi ordinem, ritum celebrandi Pascha canonicum, per omnia comitante et cooperante Adriano disseminabat. Isque primus erat Archiepiscopus, cui omnis Anglorum Ecclesia manus dare consentiret. Et quia litteris sacris simul et secularibus, ut diximus, abunde ambo erant instructi, congregata discipulorm caterva, scientiæ salutaris quotidie flumina in rigandis eorum cordibus emanabant: ita ut etiam metricæ artis, astronomicæ, et arithmeticæ Ecclesiasticæ disciplinam inter sacrorum apicum volumina suis auditoribus contraderent. Indicio est, quod usque hodie supersunt de eorum discipulis, qui Latinam, Græcamque linguam æque ut propriam, in qua nati sunt, norunt. Neque unquam prorsus, ex quo Britanniam petierunt Angli, feliciora fuere tempora, dum et fortissimos Christianosque habentes Reges cunctis barbaris nationibus essent terrori, et omnium vota ad nuper audita cælestis regni gaudia penderent: et quicumque lectionibus sacris cuperent erudiri, haberent in promptu magistros qui docerent.

r

Simul obeunt Angliam, et prædicant.

Docent poeticam, astronomiam, computum Ecclesiasticum.

7 *Idem lib.* 5, *cap.* 21. Anno post obitum præfati *s* Patris proximo, id est quinto *t* Osredi Regis, reverendissimus Pater Adrianus Abbas, cooperator in verbo Dei Theodori beatæ memoriæ Episcopi, defunctus est, et in monasterio suo in *v* Ecclesia beatæ Dei genitricis sepultus: qui est annus quadragesimus primus, ex quo a Vitaliano Papa directus est cum Theodoro; ex quo autem in Britanniam venit, tricesimus nonus. Cujus doctrinæ, simul et Theodori, inter alia testimonium perhibet, quod *x* Albinus discipulus ejus, qui monasterio ipsius in regimine successit, intantum studiis scripturarum institutus est, ut Græcam quidem linguam non parva ex parte, Latinam vero non minus quam Anglorum, quæ sibi naturalis est, noverit.

s t

Mortuur S. Adrianus.

v

x

Albinus ejus successor.

a S. Deusdedit, *qui hic* pridie Iduum Julii*arum obiisse dicitur, ipsis Idibus seu* XV *Julii potissimum colitur. Martyrol. Anglicanum et Ferrarius eum referunt pridie Kal. Juliarum, quo alii volunt obiisse.* b Cantuariam *olim* Doroberniam, *seu* Duroverno*m fuisse appellatam diximus* VI *Januarii, cum de S. Petro Abbate Cantuariensi egimus num.* 8, *ubi plura de* Cantuaria.

c *Successit Egbaldo patri an. Ch.* 640 *regnum magna cum laude* 24 *annis administravit, hæres regni et virtutum avi sui S. Ethelberti per quem Cantia Christo est consecrata: cujus vitam dabimus* XXIV *Febr. Fuit et frater S. Ensw*y*dæ,* (*de qua* XII *Septemb.*) *maritus S. Sexburgæ,* (*quæ* VI *Julii colitur*) *ex qua præter Egbertum et Lotharium Reges, suscepit SS. Ermenildam et Erkongatam, quarum hæc* VII *Julii, illa* XIII *Februarii colitur.*

d *Successit hic fratri S. Oswaldo* (*cui* V *Augusti sacer*) *in regnum anno* DCXLII, *obiit Kalendis Martii an.* DCLXX. *De ejus filia S. Elfleda agemus* VIII *Februar.* e *De eo, ejusque Romam legatione et morte plura idem Beda lib.* 3, *cap.* 29.

f *S. Vitaliani vitam dabimus* XXVII *Januar. Ejus ad Oswium Regem litteras de morte Wighardi recitat Beda.*

g *De S. Theodoro Episcopo Cantuariensi agemus* XIX *Septemb.*

h *Varios fuisse coronæ Clericalis ritus, ex Beda constat. lib.* 5, *c.* 22, *et Baronio tom.* 1, *an.* 58, *num.* 130.

i *Erat ea* Dominica Passionis *eo anno.*

k *Abest a catalogo Archiepiscoporum Arelatensium apud Cl. Robertum, inserendus inter Theodosium, seu Theodoricum,* (*ad quem extat epistola Concilii Cabilonensis scripta circa an. Christ.* DCL,) *et Felicem, qui interfuit Concilio Romano sub Agathone circa an. Chr.* DCLXXX, *Joannes Chenu tres exhibet Catalogos Archiepiscorum Arelatensium, in quorum secundo, deprompto ex Historia Provinciali auctore Cæsare Nostrodamo* Joannes *hic Theodosio subjungitur.*

l *Truculenti hujus tyranni mentio fit in omnium fere hujus ævi occidentalium Sanctorum vitis.*

m *Hic Pontifex diu in Hibernia sacram Scripturam prælegerat, dein rogatu Regis Cenwalch Saxonibus Occidentalibus Sacerdotali jure multis annis præfuerat, tandem accepto Episcopatu Parisiensi ibidem senex et plenus dierum obiit, a quo an. Ch.* DCLXIX, *consecratus est S. Wilfridus Episcopus Eboracensis. Ita Beda lib.* 3, *cap.* 7, *et lib.* 5, *cap.* 20.

n *Aliis* Emmo, Anno, Aimo *et* Haymo *appellatur,* XXVII *ejus sedis Archiepiscopus, quam tenuit ab anno circiter* DCLX, *ad ann.* DCLXXV, *subscripsit privilegio libertatis monasterio Corbeiensi concesso a Bertefrido Episcopo Ambianensi ann.* DCLXIV; *successit, ei S. Amatus, qui* XIII *Sept. colitur.*

o *S. Faronis, seu Pharonis, vitam dabimus* 28 *Octobris.*

p *Nobile tunc temporis emporium, ad os fere* Quantiæ, *sive* Canteiæ *fluvii, qui per fines Atrebatium labitur, seque isthic in Oceanum Britannicum effundit.*

q *De eo egimus* VI *Januar. ad vitam S. Petri Abbatis ejusdem monasterii num.* 7. r *Anno* DCLXIX, VI *Kal. Jun. incidit in Dominicam. Non ergo* post biennium *a consecratione* in Britanniam venit, *ut scribit Westmonasteriensis.*

s *S. Wulfridi, de quo egerat, Natalis incidit in* XII *Octob.*

t *Osredus successit patri Alfrido in regno Nordhumbrorum an. Christ.* DCCV.

v *Eam in dicto monasterio construxerat Edbaldus Rex Cantiorum pater Ercomberti, ut notavimus.*

x *Hujus consilio et auxilio fatetur Beda in præfatione ad Regem Ceolwlphum, se historiam Anglicanam scripsisse:* Auctor *inquit,* ante omnes, atque adjutor opusculi hujus Albinus Abbas reverendissimus, vir per omnia doctissimus, extitit. Qui in Ecclesia Cantuariorum a beatæ memoriæ Theodoro Archiepiscopo et Adriano Abbate, viris venerabilibus atque eruditissimis institutus, diligenter omnia quæ in ipsa Cantuariorum provincia, vel etiam in contiguis ejusdem regionibus a discipulis beati Papæ Gregorii gesta fuere vel monimentis litterarum, vel seniorum traditione cognoverat, ea mihi de his quæ memoria digna videbantur per religiosum Londoniensis Ecclesiæ Presbyterum Nothelmum sive litteris mandata, sive ipsius Nothelmi viva voce referenda transmisit. *S. Adriani discipulum fuisse S. Adelmum scribit Harpsfeldius seculo* 8, *cap.* 11, *de quo ad ejus vitam* 25 *Maii.*

ALIA VITA

Ex legenda SS. Joan. Capgravii.

S. Adrianus Episcopatum ex humilitate bis detrectat.

Adrianus, natione Africanus, comes et cooperator Evangelicus Apostolicorum virorum post Primatem Augustinum, magnum lumen refulsit Anglorum. Quod autem S. Augustinus in Anglia plantavit, S. Adrianus cum B. Theodoro ubertim rigavit. Nam cum Papa Vitalianus B. Adriano bis electo imponéret Apostolatum Angliæ, B. Theodorum invenit pro se, quem sibi debitis insigniis induit, suisque titulis sublimavit. O beatum Adrianum, dignum gradu Apostolico, et sanctitatis merito, et doctrinæ studio, et caritatis officio! Qui et Græca et Latina eruditione emicuit, qui etiam electus a Romano Pontifice in Apostolatum Britanniæ, refugit honorem! invasit tamen laborem, de Prælato subjectus, de magistro minister factus Evangelii: malens genti instruendæ prodesse, quam præesse; ministrare, quam ministrari. Primo Andream quemdam virum probi testimonii pro se obtulit: sed hunc infirmitas corporis inhibuit. Rursus raptus Adrianus ad Pontificium, objecto, ut diximus, Theodoro se redemit. Prius tamen a Papa hæc interjecta est conditio, ut ipse Pontifici non solum dux, comes, adjutor, et cooperator Dominicæ legationis in Britannia; verum etiam custos et observator Apostolicæ fidei in omnibus existeret: ne Græca in stitutio gentem Apostolice docendam in aliquo læderet.

Militur cum S. Theodoro in Angliam.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ret. Beatum vero Adrianum Abbatem *a* Viridiani monasterii, quod erat non longe a Neapoli Campaniæ, Afrum natione, monasterialibus et Ecclesiasticis disciplinis sancte informatum, cælesti ac mundiali philosophia, Latina quoque et Græca lingua eruditum, adeo Roma noverat, ut nullum magis Angliæ institutorem optaret; aut tandem pro illo non alium quam quem ipse approbaret, et suo comitatu et suffragio confirmaret.

a

2 Ibat ergo athleta Dei Adrianus cum B. Theodoro sanctisque sociis, laboriosa peregrinatione, ad omnem patientiæ palmam paratus. Illustrissimus autem Adrianus, quia frequenti legatione per Gallias famosus erat, ad cumulum præmiorum detentus est a Duce Francorum Ebroino, quasi legatus Imperatoris ad Reges Britanniæ contra regnum, quod ipse maxime procurabat. Sed tandem innocens repertus, et ad Angliam libere dimissus, regimen monasterii S. Augustini Cantuariæ suscepit. Congregata autem discipulorum caterva metricæ artis, astronomiæ, et arithmeticæ Ecclesiasticæ disciplinam, inter sacrorum apicum volumina suis auditoribus tradidit; ut quidam eorum discipuli Latinam Græcamque linguam æque ut propriam, in qua nati sunt, noverint. Sed et sonos cantandi in Ecclesia, quos eatenus in Cantia tantum noverant, ab hoc tempore per omnes Anglorum Ecclesias discere cœperunt.

Retinetur in Gallia ab Ebroino.

Præficitur monasterio S. Augustini.

Cantum Ecclesiasticum, aliaque docet.

3 Anno autem Domini septingentesimo octavo sanctus Pater Adrianus bonis operibus et exemplis plenus, migravit ad Dominum, v Idus Januarii, et in monasterio suo sepultus est quadragesimo primo scilicet anno, ex quo in Angliam missus fuit. Reliquit autem sanctum et doctissimum Albinum discipulum suum, sibi successorem.

Moritur.

4 Post mortem vero multis effulgens miraculis, nautas Anglorum quosdam ad Frisonum littora appulsos, ab invasione hostili citius liberavit. Nam cum essent ab irruente turba opprimendi; invocato Sancti suffragio, celeri turbine in alta pelagi propellente, ad optatum illæsi portum pervenerunt.

Claret miraculis: ab hostibus liberat.

5 Mortuum resuscitavit : et inter paganos cum quidam Christianus peregrinus sub elevato jam percursoris gladio, Sancte Adriane adjuva me, exclamando proferret; percussor eadem hora trucidatur, et captivus liberatur.

Mortuum suscitat.

Alium a morte subito eripit.

6 Conflagrata, in qua requiescit, ecclesia, in visu cuidam viro apparuit, dicens : Vade et dic Episcopo *b* Dunstano : Hæc tibi mandat famulus Christi Adrianus : Tu in domibus diligenter coopertis requiescis; et mater Domini nostri, atque nos domestici sui, omni cæli jacturæ patemus. Quo audito Dunstanus ecclesiam S. Mariæ reparat : quam æterna dulcedine raptus singulis *c* noctibus frequentare solebat. Nocte autem quadam idem Episcopus ecclesiam ingressus manifeste vidit S. Adrianum inter choros cælestium cum ipsa mundi Domina collaudantem Dominum.

b

Jubet ecclesiam D. Virginis restaurari.

c

Ex Joan. Capgravio.

7 Cum puer quidam doctoris sui verbera timens, Adriani tumbæ fugiendo adhæreret, et invocans Sanctum ictibus afficeretur; dum tertio altius dexteram Doctor elevaret; stetit elevatum in alta brachium, plurima diei parte tenens irreflexum. Demum ab ipso, quem afflixerat, parvulo veniam suppliciter petiit : et ipso interveniente solutum et sanum brachium demum recepit.

Apparet S. Dunstano.

Puerum a plagis liberat.

8 Offendens puer alius doctorem suum, dum ad tumbam S. Adriani, ejus auxilium implorando, confugeret; rapitur a magistro suo, qui ait : Nec ipso, inquit, Christo adveniente impunitum dimitterem te. Et ecce illico columbam candidissimam in vertice tumbæ S. Adriani conspexit : quæ clementer submisso capite, et expansis alis, veniam pro parvulo implorare videbatur. Perterritus ergo doctor puero pepercit, coram Sancto se projecit, et veniam suæ obstinatiæ humiliter imploravit. Columba vero ad summa ecclesiæ tecta evolans, ab oculis ejus disparuit.

Item alium.

9 Vir quidam S. Adriano valde devotus, pro suis commissis ipsum apud Deum intercessorem fore jugiter flagitabat. Cumque repentina morte præventus fuisset, quidam ei familiarior continuis precibus pro anima ejus Dominum exorare non cessabat. Cui demum soporato defunctus lineis indutus apparens, dixit : Scito, inquit, quod peccatis meis exigentibus cum dæmonum traditus essem potestati; tamquam stella matutina radians, subito advenit B. Adrianus, advocatus meus, cum splendida facie, et columbina specie, qui cunctis excussis adversariis eripuit me : et ante tribunal æterni judicis tremendum constituit. Vidi enim vultum Domini erga me terribilem valde, qui S. Adriano conversus ait : O Adriane, inquit, hunc prævaricatorem et meis præceptis non obtemperantem quare huc adduxisti? Cui ille, o Domine clementissime, et misericors æterne pro tui nominis honore mei memoriam semper habuit : et apud te intercessorem et protectorem me constituit. Hac placatus Dominus satisfactione, sensi faciem Domini erga me fore serenissimam, et a *d* culpis meis absolutus in custodia advocati mei Adriani me tradidit Dominus, sub cujus protectione vivo feliciter et æternaliter conregnabo.

De salute periclitanti subvenit.

d

a *Beda et alii* Niridani, *aliqui* Neridani. *Trithemius* Heridanensis.

b *S. Dunstanus rexit Ecclesiam Cantuariensem annis* XXIX, *ab anno* CMLIX, *ad an.* CMLXXXVIII. *Ejus vitam dabimus* XIX *Maii.*

c *Dicitur in ejus vita* ad monasterium beatissimorum Apostolorum Petri et Pauli quadam vice ex more circa mediæ noctis silentium perrexisse, ibique Deo se diutius in oratione prostravisse. Egressus vero, ad oratorium beatæ Dei genitricis et perpetuæ Virginis Mariæ, quod in orientali ipsius monasterii parte situm est, eadem facturus divertisse, *etc., adduntur variæ Sanctorum, et ipsius Deiparæ Virginis apparitiones.*

d *Hæc sane intelligenda, quod in extremis contritionem ei impetraverit S. Adrianus.*

DE S. BRITHWALDO, SIVE BERTHWALDO

ARCHIEPISCOPO CANTUARIENSI.

An. Ch. DCCXXXI. IX Januarii. *S. Brithwaldi natalis.*

Sancti Berthwaldi, *vel* Brithwaldi, *aut* Berechtwaldi *natalem* IX *Januarii celebrant Carthusiani Coloniens. in Addit. ad Usuard.* Bertwaldi Archiepiscopi Cantuariensis Confessoris, *Galesinius :* Cantuariæ item S. Bertwaldi Episcopi et Confessoris. *Wion :* Item Cantuariæ S. Bertwaldi Episcopi et Confessoris, qui ex monasterii, quod Racuulfum nuncupatur, probatione diuturna, ob vitæ meritum ad Ecclesiæ illius regimen assumptus, plenus bonis operibus quievit in pace. *Similia habent Martyrologia Germanicum et Anglicanum, Menardus, Dorganius, Ghinius, Ferrarius, et alii. In Florario Sanct.* MS. *refertur* XIII *Januarii :* In Anglia apud Cantuariam depositio S. Bartwaldi Episcopi et Confessoris anno salutis DCCXXX. *In Kalendario* MS. *ord. S. Benedicti* IV *Januar.* S. Berthwaldi Archiepisc. Cantuariensis in Anglia, primo Abbatis Monasterii Raculfe.

2 *De eo hæc scribit Beda lib.* 5, *hist. Eccles. gentis Anglor. cap.* 9. Successit Theodoro in Episcopatu Berechtwaldus, qui erat Abbas in monasterio quodam juxta ostium Aquilonare fluminis Genlade positum, quod Racuulf nuncupatur; vir et ipse scientia scripturarum

Fit ex Abbate Episcopus.

Ex variis. scripturarum imbutus, et Ecclesiasticis simul ac monasterialibus disciplinis summe instructus, tametsi prædecessori suo minime comparandus. Qui electus est quidem in Episcopatum anno Dominicæ incarnationis sexcentesimo nonagesimo secundo, die primo mensis Julii, regnantibus in Cantia Wichtredo et Suebhardo; ordinatus autem anno sequente, tertio die Kalendarum Juliarum Dominica, a Godwino Metropolitano Episcopo Galliarum, et sedit in Sede sua pridie Kalendarum Septembrium Dominica: qui inter multos quos ordinavit Antistites etiam Gebmundo Rhofensis Ecclesiæ Præsule defuncto, Tobiam pro illo consecravit, virum Latina et Græca et Saxonica lingua, atque eruditione multiplici instructum.

Moritur 9 Januar. 3 *De ejus morte agit idem Beda lib.* 5, *c.* 24. Anno Dominicæ Incarnationis DCCXXXI Bertwaldus Archiepiscopus, longa consumptus ætate, defunctus est die quinto Iduum Januariarum, qui sedit annos 37, menses 6, dies 14. *In Epitome quoque historiæ:* Anno DCCXXXI, Bertwaldus Archiepiscopus obiit. *Ejusdem meminit Willielmus Malmesburiensis lib.* 1, *de gestis Pontificum Anglorum, Rogerius de Hoveden priori parte Annalium, qui citans Bedam ait* 732, *obiisse* Brectwaldum. *Matheus Westmonasteriens. anno gratiæ* 731, *at de ejus electione agit anno* 692. *Trithemius lib.* 4, *de viris illustribus Ord. S. Benedicti cap.* 65, *qui* Berchualdum *vocat.*

4 *De* Bertwaldo *ita scribit Harpsfeldius secul.* 8, *cap.* 2. Theodorum excepit Brithwaldus, Cantianam regionem gubernante Withredo. Permansit in Ecclesiastica administratione triginta septem annos, menses sex, dies quatuordecim, obiitque anno septingentesimo trigesimo primo, quarto Iduum Januarii. Vir, inquit Beda, scientia scripturarum imbutus, et Ecclesiasticis simul ac monasterialibus disciplinis summe instructus. Quidam tradunt eum fuisse Glasconium, et in celebri ea societate educatum, tandemque post Worgresium, quartum illius loci Abbatem. Synodum habuit Londini, in qua imaginum adorandarum caussa tractata est, de qua apertius, cum ad Occidentales Episcopos ventum erit, disseretur. Ordinatus vero est a Goodwino Galliarum Archiepiscopo, ad annum sexcentesimum nonagesimum tertium. Scripsit vero Brithwaldus de origine cœnobii Eveshamensis, vitamque Eguini Wictiorum Episcopi. *Hæc ille. De S. Egwino agemus* XI *Januarii.*

Putatur Glasconiæ Abbas fuisse.

Scripsit vitam S. Egwini.

VITA S. EUSTRATII THAUMATURGI,

EX MENÆIS GRÆCORUM.

Secul. IX. IX Januarii. Eustratius *e* *b* Tarsia, (sic indigitata regio est, Optimatum) ordini subjecta, vico Bitziano, religiosis admodum parentibus et copiosis Georgio et Megethone oriundus; ab illis honeste eductus et institutus, cum annum ætatis vigesimum exegisset, cælesti incensus ardore, profugus parentes reliquit, et ad *c* Olympi oras, *d* Augari cœnobium adit, in quo *e* Gregorius et *f* Basilius ejus avunculi omni virtutum genere et exercitatione elucebant. Ab his receptus, et comam tonsus laboriosum illud monachi vitæ genus amplexatus est.

a b S. Eustratii patria, parentes, institutio.

c d e f Vita monastica.

2 Voti compos, omnibus domesticis, summa cum animi alacritate et mentis demissione, nulla prorsus cura vitæ præsentis habita, abjectis omnibus ministravit; nisi quod cilicinum cucullum et melotam retineret, in qua somnum (ubi ubi nox illum oppressit) modico tempore caperet: nullum enim certum ad quiescendum locum legebat. Fertur numquam supinus jacuisse postquam rebus humanis nuntium remisit, neque totis septuaginta quinque annis, quibus cursum vitæ, certamenque exercitationum peregit, dormiturus in sinistrum latus corpus deposuisse.

Religiosæ virtutes,

somni ratio,

3 Sanctis vero illis, qui monasterio præfuerunt, vita functis, eximio huic cura monasterii demandata est, ipsorum impulsu fratrum, ut præfecturam susciperet, inducto. Postquam vero immanis ille vereque cognominatus *g* Leo, a Bulgarico reversus bello, imperium *h* Michaelis religiosissimi Principis invasit; Michaelem quidem, qui illum humanissime excepérat, et conjuge et *i* liberis spoliatum in vinculis habuit, attonsumque in monachum, in objectam, e regione *k* insulam exulatum ejecit, ac sopitam ante Iconomachorum sectam revocare conatus est; hic omnibus sua (monasteriorum et solitudinum) domicilia relinquentibus, et ipse, magni illius *l* Joannicii hortatu, *m* in patriam venit.

præfectura,

g

h

i

k

labores pro Ecclesia.

l

m

4 Restituto dein Ecclesiæ sacrarum imaginum cultu et veneratione, sancti quoque Patres signis ac miraculis clari suas quisque ædiculas repetivere; quando et divinus iste Eustratius postliminio ad suum se cœnobium contulit: ubi per totos dies fratrum labores labore suo adjuvit; noctes vero pervigili statione genibus insidens exegit. Atque nihilominus dum divina psalmorum ex more odaria cantarentur, ipse assidue intra sacrarium, Kyrie eleison, seorsum clamitabat. *n* Miranda porro opera quæ designavit, ob ingentem eorum copiam tradi litteris per compendium non possunt, quæ quidem quantopere Deo studia sua probarit, certo fuere argumento.

Reditus ad monasterium,

sanctitas,

n

miracula,

5 Tandem hinc emigraturus, coactos qui sub ejus præfectura vixerant, in hæc verba compellavit: Fratres ego in confinio mortis versor; vos etiam atque etiam hortor ac rogo, uti depositum, quod accepistis fideliter custodiatis, haud ignari, præsentia omnia fluxa futura vero esse sempiterna. Enitimini ergo ut in censum Beatorum referamini. Hæc effatus, beneque omnibus precatus, cruce illos signavit, et sublatis in cælum oculis: In manus, inquit, tuas Domine commendo spiritum meum: et grato quietis somno consopitus obdormivit in Domino, *o* cum annos vixisset quinque supra nonaginta. Deus nobis ejus deprecatu misericordiam impertiatur, Amen.

ultima monita,

mors.

o

a Eustrasius *appellatur a Baronio tomo* 9, *An. Eccl. an. Ch.* 821, *num.* 49, *ubi bene observat, ab hoc diversum illum* Eustrasium *monachorum Præpositum, in hæresim occulte lapsum, atque a S. Theodoro Studita (cujus ad eum epistolam recitat ibid. num.* 47) *correctum.* Eustratius *hic in gestis S. Joannicii, a Baronio citatis, dicitur apud Lipomanum, et Surium; et* ευστράτιος *in* MS. *Græco bibliothecæ Medicææ Regis Francorum.*

b Non est, *inquit Baderus*, hæc Cilicia, nec vicus Bitzianus in Cilicia, sed urbs Calabriæ, Antonino Caprasiæ, ut Gabr. Barrius docet. *Hæc a Leandro Alberto ita describitur:* Tarsia senis a Bisiniano milliaribus, inter montes, antiquum, ut incolæ perhibent, oppidum opulentumque, ac frequens, agro quoque rerum ad vitam utilium fertili. Crathis ad lævam præterfluit. *Hanc* Tarsiam *observat Cluverius lib.* 4, *Italiæ antiquæ*, ex itineris ductu, millium intervallo, ac vocabuli quadam similitudine, esse Tabulæ Caprasiam, seu Antonini plurali numero Caprasias. *Verum de tertia* Tarsia *regione Bithyniæ hic agi nobis indubitatum est, quod S. Joannicius etiam ex Bithynia sit oriundus, et reliqua de monte Olympo, monasterio Agaurorum, etc. concordent.* Tarsum *etiam, sive* ταρσίαν, *aut* ταρσίαν, *constituit Stephanus Bithyniæ urbem et regionem.* Tarsia *Asiæ minoris circa Bithyniam regio est Porphyrogennetæ, et Nicomediæ vicina urbs Nicetæ apud Ortelium.*

c *Ex montibus duodecim, Olympi vocabulo insignitis, hic ille est quem Ptolomæus lib.* 5, *Geographiæ cap.* 1, Mysiæ Olympum montem *appellat. Ita enim de S. Joannicio auctor ejus vitæ:* Cum vidisset montem, qui supereminet a dextera Bithyniæ, qui apud nos vocatur Olympus, concepit animo vitam quietam et amantem solitudinis. *Hæc ex sequentibus magis confirmabuntur.*

d *Græce* πρὸς τὴν μονὴν τοῦ Αυγάρου. *In vita S. Joannicii:* In transitu vero (*a monte Olympo*) cum accessisset ad Agaurorum monasterium

monasterium, *transposita littera v. In* MS. *Medicæo Græco :* τῇ τῶν ἀγαύρων μονῇ παραβεβλημένῃ.

e *Huic eidem P. Gregorio monasterii Præfecto, Græci* Προεστῶτι, *S. Joannicius animum suum aperuit de vita solitaria amplectenda: cui Gregorius rude excitavit habitaculum ut esset ei parvum tegumentum ab imbribus et nivibus, in quo semet inclusit Joannicius.*

f *Basilius cum Gregorio ob veritatis confesssionem in carcerem conjectus narratur in epistola S. Theodori Studitæ ad Athanasium fratrem, apud Baronium an. Ch.* 809, *num.* 32, *ubi inter alia :* Cur Naucratius et Arsenius fratres arcta custodia hucusque detinentur parique modo Basilius et Gregorius? Cur Stephanus ille virtutis amans Præpositus cum discipulis quinquaginta sex exactus monasterio, cum una cum centum et decem, et cum eo, qui Episcopus ante fuerat, Mœchosynodum tamquam Evangelii infractricem anathemate damnasset? *et infra :* Cur Æmilianus Frater a Nicomediensi in Thyniam (*id est Bithyniam*) vinctus ductus est, verberibusque et ludibriis affectus, direpto ab iis, qui irruperant, monasterio? *etc. Consentiunt tempus, locus, professio utriusque. Frustra ergo Baderus suspicatur in hisce* Eustratii *Actis mendum esse, quasi SS. Basilius Magnus Cæsareæ et Gregorius Nyssæ Episcopi dicantur ejus fuisse avunculi. An hi a Græcis colantur, et quo die, nobis incompertum est. Æqualis eorum fuit S. Gregorius Acritensis, quem* v *Januarii dedimus. An forte alter eorum est* S. Basilius ad profundas aquas, *qui Kalend. Julii celebratur?*

g *Leo Armenus imperium capessivit anno* 811, *Julio mense. Imperavit annos* 7, *menses* 5, *ipso Christi Natali anno* 820, *trucidatus.*

h *Michael Curopalates tenuit imperium a* 5 *Octob.* 811, *usque ad Julium anni* 813, *quo a Bulgaris victus est, optimus Princeps.*

i *Hi fuere Theophylactus natu major, et S. Ignatius postmodum Constantinopolitanus Patriarcha,* (*de quo* XXIII *Octob.*) *quos castrari jussit.*

k *Insula* Prota, *seu* Princeps, *dicitur Cedreno et Baronio ann. Chr.* 813, *num.* 11.

l IV *Novemb. S. Joannicii vitam dabimus, quam* ab auctore ejusdem temporis fidelissime conscriptam *docet Baronius an.* 823, *num.* 22, *et an.* 825, *num.* 64, *et ann.* 846, *num* 28. *Ejus virtutum studiosus imitator describitur* S. Eustratius *hic verbis :* Quidam enim, Eustratius nomine, qui eandem vitam quam Beatus exercebat, magno in eum erat zelo affectus, et incitabatur ad ejus imitationem, et maximi faciebat videre ea quæ fiebant a Sancto. Eum ergo aliquando secutus cum esset, preces consuetas Domino redditurus, cum se, ut potuit, abscondisset, ne ab illo videretur, et ibi permansisset toto tempore precationis, stupuit quidem quod adeo ardenter, et vehementer esset intentus orationi : stupuit autem etiam quod res divina in eum ostenderetur : et quod non solum spiritu, sed etiam corpore sublimis ab eo cerneretur, et assurgens a rebus terrestribus. Hoc ergo cum cognovisset ille Beatus, tantum abfuit, ut eum propterea laudaverit, ut eum etiam curiosum aliquid fecisse sit suspicatus, et graviter increpaverit dicens : Non habitabit juxta te malignus. *Hujus interim precibus miracula sua imputabat.* Neque enim qui in eum incidebant, ipsum videbant nisi iste voluisset. Et ut sequenti Eustratio esset exemplar humilitatis, si non videretur ab iis qui incidebant, ad ipsum conversus dicebat : Precibus tuis, o frater Eustrati, ne ab iis quidem sum conspectus.

m *In vita S. Joannicii dicitur* a præfectura excessisse Eustratius, *ut qui* viam declinaret impiorum; *cum jam quidam Antonius, qui se hæreticis adjunxerat, præsset monasterio Agaurorum, a S. Joannicio dein conversus.* Eustratius *autem, inquit, auctor,* ex monasterio Agaurorum, ejus amore captus, cum non posset manere in regione, (eum enim cogebat amor ille divinus et quod valde eum inflammaret studium sanctarum imaginum) cum ad eum accessisset, et nihil amplius expectasset, quam consuetam precationem; statim est scisciatus, an diu duraturum esset imperium Leonis. Ille autem videns eum magna animi affectione commotum, quod pro divinis imaginibus maximum caperet dolorem, (in eas enim erat impius hic Leo, ut si quis alius) et ideo properasse ad interrogationem, non substitit, neque responsionem est meditatus; sed, ut qui spiritus profunda scrutaretur, et haud ita diu ab hinc futuram præsignavit ejus eversionem, et prædixit futura. Nam non multo post eo de medio sublato, Michael arripuit imperium : qui non auxit quidem persecutionem adversus Christianos; sivit autem Ecclesiam esse sub hæreticis, utqui neque Iconomachorum hæresi omnino accesserit, sed in ejus zelum effectus sit mollior, ut etiam multis videretur benignus : neque ullum orthodoxum dogma prior inceperit : adeo ut contingeret neque ipsum a vitio abstinere, neque salutem defendere : sed malitiose potius hæresim quidem sivit crescere, fidem autem orthodoxam minui et diffluere. Et hoc quidem ita se habebat. Postquam autem Leo fuit interfectus, venit rursus cum quodam alio Eustratius, divino huic viro renuntians eventum eorum, quæ ipse prædixerat. Contritum est autem ab eis aliquantum temporis in sermone. Quidam vero, Elias nomine, qui exercebatur non procul a Sancto, ipsum magnum Joannicium excepit convivio, et eos qui venerant simul cum Eustratio.

n *Hæc ei* Thaumaturgi *nomen perpererunt; quæ an alibi a blattis arrodantur, nobis incompertum. Sane descripta fuisse opinamur.*

o *Quo anno obierit incertum. S. Joannicius obiit anno* V *Michaelis III, Christi* DCCCXLVI, *ætatis suæ anno* CXV, *natus anno* XIV *Leonis Isaurici, Christi anno* DCCXXXI.

X JANUARII.

SANCTI QUI IV ID. JANUARII COLUNTUR.

S. Nicanor, Martyr in Cypro, unus e primis VII Diaconis.
S. Thecla virgo, S. Justina, } Leontinis in Sicilia.
S. Saturus, S. Vitalianus, S. Felicitas, S. Quintus, S. Artates, } Martyres in Africa.
S. Revocatus, S. Firmus, S. Jucundus et socii, } Martyres.
S. Possessor et duo socii } Martyres.
S. Paulus Thebæus, primus eremita, in Thebaide.
S. Marcianus Presbyter, OEconomus Ecclesiæ Constantinopolitanæ.
S. Florida, virgo, Divione in Burgundia.
S. Valericus, sive Walericus, Belga, eremita in Gallia.
S. Domitianus, Episcopus Melitenæus in Armenia.
S. Joannes Camillus Bonus, Episcopus Mediolanensis in Italia.
S. Agatho Thaumaturgus, Papa, Romæ.
S. Sethrida, virgo Anglica, in Gallia.
S. Aldus, eremita, Papiæ in Italia.
B. Benincasa, Abbas Cavensis in Italia.
S. Guilielmus, Archiepiscopus Bituricensis in Gallia.
B. Gonsalvus Amaranthus, in Lusitania.
B. Christiana, sive Oringa, virgo, in Italia.

PRÆTERMISSI ET IN ALIOS DIES REJECTI.

S. Genovefæ reliquiarum revelatio, *sive apertio capsæ facta an.* MCLXI *vel potius* MCLXII *hoc die annua memoria recolitur, ut diximus* III *Januarii.*

S. Paschasia Virgo Martyr *a quibusdam hoc die colitur, ut diximus* IX *Januar.*

Seneca, *decimus Hierosolymorum Episcopus, uti testantur Nicephorus in chronologia, S. Epiphanius hæresi* 65. *Nicephorus Callistus lib.* 4, *cap.* 5, *in* MS. *Florario Sanctis accensetur hoc die.*

S. Ammonius in pace quievit, *inquiunt Menæa. Plures ejus nominis fuere viri sancti, ut alibi sæpe dicetur : quis hic sit, nos latet; nisi fortassis sit* Scithiotes *ille, cujus ac sodalium singularem abstinentiam cum cordatissima hospitalitate conjunctam prædicat apud Joannem Moschum lib.* 10, *de vitis PP. cap.* 54, *Theodorus Abbas.*

Georgius Episcopus. MS. *Florarium. Quis hic sit, nequimus divinare.*

Silvanus Episcopus Dumblanensis. *David Camerarius. Sed quod* S. Rumoldi *successorem asserit, sibi ipsi contradicit, cum alibi sedem Dumblanensem a Davide Rege fundatam scribat, quem anno* 1153 *ait obiisse, aliquot seculis post* S. Rumoldum.

Gregorius X Papa, *omnibus virtutibus longe clarissimus, hoc die anno* 1276, *obiit Aretii in Thuscia, ubi ejus corpus adhuc integrum conspici tradit Andreas Victorellus in Addit. ad Ciaconium, diemque obitus ejus, a* 200 *fere annis, ex civium Aretinorum decreto, quasi festum celebrari, accensis ad tumulum facibus. Molanus, Haræus, Martyrologium Germanicum et Gallobelgicum* Sanctum *appellant; Ferrarius* Beatum; *Saussaius* beatæ memoriæ. *Bzovius ex monumentis Bibliothecæ Vaticanæ haud pauca ab eo edita miracula recenset. Agitur nunc ut Apostolicæ Sedis auctoritate in Beatorum aut Sanctorum album referatur.*

Oliverius de Sombreffe, Nobilis Belga, Conversus in Villariensi cœnobio ordinis Cisterciensis in Brabantia, *refertur a Chrysostomo Henriquez in Menolog. Cisterc. Sed non existimamus eum coli. Saussaius eum piis accenset.*

S. Hyginus Papa. *Beda, Ado, Notker. Martyrol. Germanicum, et varia* MSS. *Nos* XI *Januar.*

S. Theodosius Cœnobiarcha. *Galesinius, et Martyrolog. Germanicum. Nos* XI *Januar.*

S. Polyeuctus Martyr. *Carthus. Colon. in Addit. ad Usuardum,* MS. *Florarium, Martyrologium Gallo-Belgicum. At nos* XIII *Februar.*

S. Paulus Simplex eremita, *post S. Paulum Thebæum veluti eodem die refertur a Petro de Natalib, lib.* 2, *cap.* 61. *Colitur* VII *Martii.*

S. Gregorius Nyssenus. *Græcorum Menologium, Menæa, Ferrarius. At Romanum Martyrologium* IX *Martii.*

S. Eulogii, S. Leocritiæ } Translatio. *Ferrarius. Cum eorum martyrium referetur, una translatio narrabitur,* Eulogii *quidem* XI, Leocritiæ *vero* XV } *Martii.*

S. Ithamarus Episcopus Roffensis. *Menard. Nos cum Martyrolog. Anglicano et aliis* X *Junii.*

SS. Potentini et sociorum Translatio. MS. *Florar. De iis agemus* XVIII *Junii.*

S. Hermetis Martyris *hoc die ad S. Cornelii monasterium, sine* Indam *curante Lothario Imperatore, Ludovici Pii filio, allatæ sunt reliquiæ : quod in Adonis excuso Martyrologio, aliisque* MSS. *annotatum. De eo plenius agemus* XXVIII *Aug.*

S. Firmini Confessoris, Episcopi Ambianorum tertii Translatio *celebratur hoc die, ut ex Saussaio, Galesinio,* MS. *Florario, aliisque Martyrologiis constat. Mentio ejus fit in vita* S. Salvii XI *Januarii. De* Firmino *plenius agemus* I *Septemb.*

S. Firmini, primi Ambianorum Episcopi et Martyris *Translationem, quæ, ut dicemus, ab aliis* XIII *Januar. refertur, hoc die factam narrat Phil. Ferrarius. Sed* Martyrem *pro* Confessore *videtur accepisse. De* Martyre *agemus* XXV *Septembr.*

S. Wasnulphi Confessoris *celebrari* X *Januar. Translationem Condati in Hannonia scribunt Molanus in Natalib, ad* I *Oct. Ferrarius, et Martyrol. Germanicum hic. De eo agemus* I *Octobr.*

S. Guenaltus Confessor. *David Camerarius. Alii* III *Novemb.*

S. Melchiades Papa. *Raban. Notker. Wandelbert.* MS. *S. Hieronymi, et* MSS. *complura, Usuardi editio Lubecensis, Martyrolog. Germanicum. In* MS. *nostro de obitu Romanorum Pontificum* XI *Januarii dicitur obiisse. Colitur* X *Decemb.*

DE

Ex mss.

DE S. NICANORE MARTYRE

UNO DE SEPTEM PRIMIS DIACONIS.

An Chr. LXXVI. X Januarii. *S. Nicanoris natalis.*

Apud Cyprum, *natalis agitur* x *Januarii*, B. Nicanoris Diaconi de septem primis, qui gratia fidei et virtute admirandus, gloriosissime coronatus est. *Ita Usuardus, Bellinus, Martyrol. Romam. Maurolycus, aliique. Addunt Ado, Notkerus, et quidam* mss. ibi venerabiliter sepultum. *Galesinius* : In Cypro S. Nicanoris : qui unus e septem illis primis Diaconis, cum Evangelium in ea insula prædicasset, ob Jesu Christi fidem multis cruciamentis varie affectus, Vespasiano Imperatore, coronam martyrii accepit. ms. *Florarium ait martyrii palmam tulisse anno Christi* LXXVI, *qui erat Vespasiani* VII. *Ejus hoc die meminere Beda, vetus Romanum Martyrologium, Cermanicum, aliaque, ac Petrus de Natal. lib.* 2, *cap.* 62.

An cum S. Stephano occisus.

2 *Paradoxum est quod de eo scribit Auctor libelli de* 72 *discipulis S. Dorotheo perperam adscriptus* : Nicanor, et ipse unus ex septem eodem die cum syndiacono suo et protomartyre Stephano, et 2000 aliis in Christum sperantibus, mortuus est. *Sed hujus Auctoris dubia in aliis quoque est fides : nec verisimile est, S. Lucam in Actis Apostolorum id præterituruм fuisse : qui tamen cap.* 8 *testatur* magnam in Ecclesia persecutionem factam; *qua haud dubie multi martyrio coronati sunt.*

28 *Jul. et* 28 *Dec. colitur a Græcis.*

3 *Græci* XXVIII *Julii*, sanctos Apostolos Prochorum, Nicanorem, Timonem, Parmenam *una solemnitate venerantur. Menologium a Canisio editum* : Natalis BB. Prochori, Nicanoris, Timonis et Parmenæ. Hi cum essent ex numero Sanctorum Apostolorum, in diversis locis, propter Christianæ fidei prædicationem, ab impiis persecutionem passi, eo quod Christum Dominum filium Dei et perfectum hominem esse confiterentur, martyrii coronam assecuti sunt. *Eadem fere habet Anthologion a Clemente VIII approbatum, et Menæa. Brevius Græcorum Horologium et Kalendarium, a Genebrardo editum* : Sanctorum Apostolorum et Diaconorum Prochori, Nicanoris, Timonis, et Parmenæ. *Latini* S. Parmenam XXIII *Januarii celebrant Philippis occisum;* Prochorum *Antiochiæ,* IX *Aprilis;* Timonem *Corinthi,* XIX *ejusdem.*

4 *Eadem Menæa* XXVIII *Decembris ista habent* : Eodem die S. Nicanor Apostolus in pace decessit. *Quæ ne cum iis quæ ante dicta, pugnare videantur, dicendum* in pace decedere *idem hic esse ac* pie sancteque obire, *quocumque demum mortis genere. Nisi forte de alio quopiam* Nicanore, *nobis ignoto, sit sermo.*

DE SS. THECLA VIRGINE, ET JUSTINA,

LEONTINIS IN SICILIA.

Secul. III. X Januarii. *SS. Theclæ et Justinæ natalis.*

Leontinis, vetusta ac celebri urbe Siciliæ, fere medio inter Ætnam et Syracusas intervallo sita, aliquot a mari passuum millibus, coluntur hoc die S. Thecla Virgo, et S. Justina; *ut testatur Octavius Cajetanus noster in Idea operis de SS. Siciliæ, et Philippus Ferrarius in generali catalogo SS. Earum mentio fit in Actis* SS. Alphii, Philadelphi, et Cyrini, 10 *Maii; in vita* SS. Isidoræ et Neophytæ 17 *April. et* S. Neophyti *Episcopi* 1 *Septemb.*

Lectiones de iis et officium.

2 *Brevem earum vitam damus ex Catalogo SS. Italiæ Philippi Ferrarii, qui eam accepit ex Lectionibus, quæ in propriis officiis Ecclesiæ Leontinæ, a sacra Rituum congregatione sub Paulo V Papa approbatis, de iis recitantur. In iis autem Lectionibus, ut idem testatur, titulus* sanctarum Virginum *illis præponitur, sola tamen Thecla* Virgo, *Justina* mulier *appellatur.*

not. 138.

VITA EX PHIL. FERRARIO.

Thecla Martyres sustentat.

Thecla virgo Leontina nobilis, S. Isidoræ filia, ab ea Christianæ fidei præceptis instituta, plurimos ex fidelibus tyrannorum persecutionem declinantes, in suis prædiis fovebat, Martyrumque corpora pretio redempta sepeliebat.

Sanatur a paralysi.

2 Cum autem hæc agens paralysim sex annos in lecto jacens passa esset, seque Sanctis Alphio, Philadelpho, et Cyrino, qui ad eam visendam venerant, commendasset, pristinæ sanitati restituitur. Quo ex tempore ipsos sanctos Martyres visitare, necessariaque ministrare non destitit, ac eorumdem corpora e puteo extracta sepelivit.

Citatur a Tertullo Præside.

3 Quod ubi Tertullus Præses rescivisset, in judicium illam vocat. Ad quam defendendam, cum ad quingentos ex ejus servis convenissent, quos tamen, soli Deo confisa, dimisit; *a* moritur Præses : ipsaque B. *b* Agathonem Episcopum *c* Liparitanum, in suo prædio latentem cum Neophyto Presbytero *d* Leontium ad publice Christi fidem prædicandam accersit. Quibus Romam profectis illa operam suam in fidelium turba augenda, naviter impendit : ac opes ingentes in exstruendis templis insumpsit; ac primum sanctis fratribus, alterum viginti sanctis militibus, ac SS. *e* Neophytæ, et Isidoræ ædificavit : fanumque vetus idolis expurgatum, Deiparæ Virgini ædificavit. Episcopatum quoque magnificentissime exstruxit, dotemque amplissimam attribuit.

d Laborat pro infidelium conversione.

e Templa ædificat.

4 Tandem in hujusmodi pietatis operibus versata, orationique et eleemosynis intenta, de obitu a sanctis fratribus, per visum ante mensem admonetur. Cujus corpus, cum IV Idus Januar. ex hac vita migrasset, a Neophyto Episcopo in templo eorumdem Sanctorum fratrum tumulatum est. Justina vero et ipsa nobilis genere, ac Christiana religione nobilior, Theclæ cognatæ in Leontinorum conversione socia fuit. Cum autem alterum oculum, quo erat privata, S. *f* Alphii precibus recuperasset; ferventius caritate flagrans, universam substantiam in construendis Ecclesiis distribuit; ac ad cælestem patriam sæpe a sanctis pueris sibi prænuntiatam evolavit.

Præscit obitum suum.

f Justina oculum miraculose recuperat : templa ædificat.

a *De ejus morte Octavius Cajetanus ad* 14 *Julii* : Leontinis sanctorum Martyrum Alphii, Philadelphi, et Cyrini, mira victoria, contra impium Tertullum Siciliæ Præsidem; cum is, ulcicente Deo effusum sanguinem tot innocentium, cælitus a sanctis Fratribus percussus, misere periit.

b *De eo agemus* 27 *Junii.*

c *Est* Lipara, *sive* Liparæ, *præcipua insularum* Æoliarum, *vel* Vulcaniarum, *in qua urbs ejusdem nominis, etiamnum Sede Episcopali clara, sub Archiepiscopo Messanensi.*

d *Ita Ptolemæus quoque urbis nomen extulit. Vulgo* Leontini, *et oppidum ipsum, et oppidani ab antiquis scriptoribus Græcis ac Latinis appellantur, ut videre est apud Cluverium Siciliæ antiquæ lib.* 1, *cap.* 10. e *Amitæ nimirum, ac matri.*

f *In Lectionibus de SS. Alphio et Fratribus, omnibus id tribuitur* S. Justinam altero captam oculo sanarunt.

Ex variis.

DE SANCTIS MARTYRIBUS AFRIS
SATURO, VITALIANO, FELICITATE, QUINTO ARTATE.

X Januarii. Saturi *in Africa complures coronati martyrio, ut alibi sæpe dicemus. Cum* Vitaliano *et* Felicitate, *etc. junctum alium adhuc non reperimus. Hos exhibet* ms. *Martyrologium S. Hieronymi, his verbis :* In Africa Saturi, Vitaliani, Felicitatis, Quinti, Artatis. *Quatuor priores in pervetusto Hibernico Martyrologio conventus Dungalensis referuntur, omisso* Artate, *qui an* Artaxes *sit* ix *Januarii relatus, non definimus.* Quintus *in* ms. *Florario refertur.*

DE SANCTIS MARTYRIBUS
REVOCATO, FIRMO, JUCUNDO,
ET SOCIIS.

X Januarii. Revocatum *ac* Firmum, *sive* Firminum, *martyrio Smyrnæ coronatos dedimus* ix *Januarii. Rursus* x *Januar.* ms. *Martyrol. S. Hieronymi, quod eos* ix, *retulerat, isthæc habet :* iv Id. In Africa revocati, Firmi. *At* ms. *Rhinow., ut isthic indicavimus :* In Sirmis Revocati. In Africa Firmi. *Vetus Martyrologium Hibernicum conventus Dungalensis, eosdem refert nullo adscripto loco, et* Jocundum *addit, ac alios, quorum quod vetustate ac situ corruptus codex esset, distincte assequi nomina non potuimus : videntur esse* Misigabis, Clistus, Arrius, Petrus. *In Florario quoque* Jucundus *memoratur.*

DE SANCTIS MARTYRIBUS
POSSESSORE ET II SOCIIS.

X Januarii. S. *Hieronymi vetustissimum* ms. *Martyrologium :* In Irta Possessoris, et aliorum duorum. ms. *Hibernicum ante citatum :* Possessoris et aliorum duorum. *Diversi videntur ab iis quos* ix *Januarii retulimus, cum illi* Smyrnæ, *hi* in Irta, *aut potius* Cirtæ, *urbe Numidiæ, passi memorentur.*

DE S. PAULO THEBÆO
PRIMO EREMITA, IN ÆGYPTO.

An. Ch. CCCXLI. X Januarii. In Thebaide natalis (x *Januarii*) B. Pauli primi eremitæ : cujus animam inter Apostolorum et Prophetarum choros ad cælum ferri ab Angelis S. Antonius vidit. *Ita Usuardus, et Bellinus in* 1 *editione. Ado :* Apud Thebaidem natalis S. Pauli primi eremitæ, qui a sextodecimo ætatis suæ anno usque ad centesimum, et tertium decimum solus in eremo permansit. Cujus animam inter Apostolorum et Prophetarum choros ad cælum ferri ab Angelis S. Antonius vidit. *Eadem habet Notkerus, et plura* mss. *ac Romanum Martyrologium, in quo hæc adduntur :* Ejus autem dies festus xviii Kal. Februarii celebratur. *Meminerunt ejus hoc die vetus Rom. Martyrol. Germanicum, Coloniense, Bedæ, Rabani, Maurolyci, ceteraque excusa et* mss.

S. Pauli nomen in Martyrologiis, 8 Januar.

15 et 29 Januar. 2 xv *Januarii, in quem Latini ejus celebritatem transferunt propter octavam Epiphaniæ, venerantur eum Græci, ut patet ex Anthologio, Menæis, ac minori Menologio. Molanus quoque in posterioribus Usuardi editionibus in eum diem illum rejicit. Alii denique* xxix *Januarii eum colunt, ut videre est in Martyrologio Prædicatorum, Breviario Eborensi, et Romano Pauli III auctoritate edito, etc.*

Vita a S. Hieronymo scripta, 3 *Vitam* S. Pauli *scripsit S. Hieronymus, ut in libro de illustrib. Eccles. scriptoribus cap.* 135, *ipsemet testatur, et in Chronico ad ann.* 19 *Constantii, et Paulinus in Prologo vitæ S. Ambrosii. De eadem idem Hieronymus ep.* 21, *ad Paulum Concordiensem :* Misimus interim te tibi, id est, Paulo seni Paulum seniorem, in quo propter simpliciores quosque, multum in dejiciendo sermone laboravimus. Sed nescio quomodo, etiamsi aqua plena sit, tamen eumdem odorem lagena servat, quo, dum rudis esset, imbuta est. *De ea aliisque vitis Gelasius cap.* Sancta Romana Ecclesia, *dist.* 15, Vitas Patrum, Pauli, Antonii, Hilarionis, et omnium eremitarum, quas tamen vir beatus scripsit Hieronymus, cum omni honore suscipimus.

Stolide impugnata a novatoribus. 4 *Hanc vitam, tot seculorum judicio probatam, ausi sunt novitii quidam Aristarchi, Erasmus, Magdeburgenses centur.* 4, *cap.* 10, *aliique ludicrum commentum dicere, exercendi ingenii caussa, non serio pertractatum ab Hieronymo. Sed cum alii horum censorum protervam licentiam, castigant, tum egregie Baronius tom.* 3, *an. Christi* 343, *Rosweydus lib.* 1, *de vitis PP. in Prolegomenis ad vitam Pauli, Alanus Copus dial.* 2, *cap* 14. *Et sane verbis jam citatis, non Rhetorum more stylum se exercere Hieronymus ostendit, sed ex industria potius eum, in simpliciorum gratiam, dejicere. Et, præterquam quod suapte natura ab omni fabularum commento maxime abhorrebat, an non demens esset judicandus, si, cum tot adversarios haberet undique occasionem captantes ejus scripta carpendi, non omnino exploratissima, præsertim de rebus sui seculi, scriberet? non hebes Gelasius, qui hanc vitam, joco, non serio scriptam, cum omni honore susciperet? non stolida Ecclesia universa, Græca ac Latina, quæ hanc historiam sit amplexa, ac Paulum semper venerata?*

Refutatus Erasmus. 5 *Nam quod Erasmus ait tantam in exemplaribus fuisse varietatem, ut appareat D. Hieronymum sæpius idem argumentum aliis tractasse verbis, aut alium exercendæ copiæ caussa hoc fecisse; id falsum esse, et ante notavit Rosweydus, collatis diligenter quam plurimis impressis ac manuscriptis exemplaribus, et nos ex septem octove aliorum veterum codicum fide asserimus.*

6 *Existimabat Rosweydus* Hieronymum hæc sua de Paulo ex Amatha et Macario Antonii discipulis didicisse, *quorum in Prologo meminit; eumque primum* Pauli *gesta posterorum memoriæ prodidisse; ac proinde quæ in Bavarica bibliotheca extat de* Paulo *et* Antonio *Græca narratio, eam ex Latino Hieronymi textu translatam. Verum Rosweydo hic assentiri non possumus; cum Græcæ illius vitæ scriptor, ab Antonio accepisse se quæ*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Alia Græca vita antiquior:

quæ de Paulo *scribit testetur. Ita enim habet:* ἐν ἑτέρῳ δὲ ἐρήμῳ ὁ Ἀντώνιος διέτριβεν· ἐνθυμηθεὶς οὖν, ὡς αὐτός μοι ὀνηγήσατο, μὴ εἶναι ἕτερον εἰς τὰ ἐνδότατα τῆς ἐρήμου, *etc.* In alia vero solitudine sese Antonius exercebat. Cum igitur ejus animo incidisset, ut ipsemet mihi narravit, neminem alium in interiori solitudine commorari, *etc.* Amathas *fortassis, aut* Macarius, *aliusve Antonii discipulus hanc scripserit. Indicebat quidem primo suspicari, a* S. Athanasio, *qui* Pauli *in Antonii vita non meminit, separatim hanc scriptam esse narrationem: verum stylus plurimum ab Athanasii stylo discrepat. Eam igitur hic quoque dabimus vitam. Verum codex ille Boicus, unde eam accepimus, perquam vitiosus erat, plurimis passim abrasis deletisque litteris, aliisque scatens mendis.*

a quo scripta.

Qui de Paulo scripserunt.

7 *Meminit* Pauli *alibi quoque Hieronymus, epist.* 22 *et* 27, *ad Eustochium,* 13, *ad Paulinum; præfat. vitæ S. Hilarionis, etc. Sidonius carmine* 16, *eucharistico ad Faustum. Cassianus collat.* 18, *cap.* 5 *et* 6. *S. Aldelmus de laud. virgin. lib.* 1, *cap.* 31, *et lib.* 1, *carmin. num.* 16. *Isidorus lib.* 2, *de officiis, cap.* 15. *Vincentius spec. histor. lib.* 11, *cap.* 86, *et duobus sequentib. S. Antoninus chronici par.* 2, *tit.* 5, *cap.* 3. *Petrus de Natal. lib.* 2, *cap.* 60, *Ribadineira, Surius, Villegas, Silvester, Maurolycus in Oceano Religionum, Paulus, Morigia in hist. Religion. aliique recentiores. Fallitur vero Galesinius qui in Notationibus hoc die ait, hujus* Pauli *meminisse Cassiodorum lib.* 1, *cap.* 11. *Tripartite, et Heraclidem multis locis. Nam Cassiodorus ex Sozomeno de* Paulo Simplice *agit, Heraclides de eodem* Simplice *et aliis* Paulis, *at non de hoc primo eremita.*

Ejus ætas.

8 *De* Pauli *ætate disputat Rosweydus in Præludiis ad ejus vitam, et strictius ac melius Petavius Rationarii temporum par.* 1, *lib.* 6, *cap.* 4. *Breviter ita colligi illius ætas potest:* Natus est S. Antonius, *ut tradit Eusebius in Chronico,* anno 1 Decii, *Christi* 250, obiit *vero, ut S. Hieronymus in Chron.* Constantii an. 19. *Christi* 356 *ineunte,* annos natus 105. *Cum vero nonagenarius esset Antonius, anno nimirum Christi* 340, *vel* 341, Paulus 113 *annorum decessit. Unde sequitur hunc anno Christi* 228, *aut circiter esse natum. Perplexe loquitur S. Hieronymus, dum videtur innuere eum anno ætatis decimo sexto in eremum abiisse, sæviente in Christianos Decio, quod in pleraque martyrologia relatum. At sic non nisi an.* 347, *obiisset* Paulus *annos* 113 *natus, Antonius vero, qui* 15 *annis ei superstes fuit, anno* 362, *qui non Constantii* 19 *fuit, sed Juliani* 1. *Dicendum potius cum annorum esset* 15, *aut* 16 *utroque orbatum parente, cohabitasse deinde sororio usque ad annum* 22, *vel* 23, *Christi* 250, *aut* 249, *quo concitata est a Decio persecutio. Suffragari videtur Græca vita, dum vitæ in solitudine actæ annos* 13, *et deinde* 76 *recenset. Idem de ætate* Pauli *sentiunt Baronius et Rosweydus, licet aliter annos Christi computent.*

NOT. 139. *male ab aliis subducta.*

9 Mirus est, *inquit Rosweydus,* Florarii Sanctorum MS. calculus, quod Pauli obitum ad Christi annum CCCLV refert: mirabilior vero Theodorici Loher a Stratis, qui Coloniensem editionem Vitarum Patrum curavit. Ille enim ad finem vitæ Pauli annotavit, obiisse eum circa annum Domini 287, qui erroneum eum calculum a Petro in Catologo SS. lib. 2, cap. 60, accepit. *Idem habet Viola SS. Notkerus:* qui a XVI ætatis suæ anno, usque ad XCIII solus in eremo permansit. *Sed legendum* CXIII. *Quidam* MSS. *habent* usque ad CIII.

VITA

EX GRÆCO MS. BAVARICO.

Historia S. Pauli Thebæi, et S. Antonii Ægyptii, in interiori eremo commorantium.

Vixit Beatus Paulus Decii et Valeriani persecutorum temporibus; ortus in Ægypto ex inferiore Thebaide, *a* ea tempestate, qua Romæ martyrium subiit Cornelius, *b* in urbe Cypri. Excitata vero a prædictis tyrannis persecutione, multas tentationes Christiani sustinuere, omnesque pro Christi nomine ultro cervices offerebant. Cohabitabat autem Paulus sorori jam viro collocatæ. Mortuis ergo patre ejus ac matre, in amplissima hæreditate relictus est, decimum sextum annum agens ætatis, ac litteris Græcis et Ægyptiis accurate eruditus. Erat vero miti in primis indole. Ex Græcoms. *a* *b* *Quando vixerit.*

2 Igitur sororis ejus maritus *c*..... ejus inhiare hæreditati cœpit. Sed non latuere adolescentem insidiæ. Profugit ergo in desertum montem *d*..... persecutionum necessitatem. Et sensim progrediens lapidosum montem reperit, in quo erat spelunca in brevissimo saxo circum inclinato. Hic, ut in adytis quibusdam, conquievit. Sed mox, pro ingenita hominibus curiositate, insaturabiliter interiora perscrutatur. Ecce vero conspicatur intus fontem purissimum. Igitur desiderans hunc locum quasi a Deo sibi ad habitationem oblatum, omnem isthic ætatem exegit, palmarum arboribus alimentum ei ac vestes suppeditantibus. Ceterum implevit in eo annos *e* tredecim, cælestem in terris vitam agens. *c* *Ob sororum insidias abit in desertum.* *d* *e*

3 Cum vixisset isthic annos *f* septuaginta sex, in alia eremo sese Antonius exercebat. Cum igitur ejus animo subiisset, *g* ut ipsemet mihi narravit, neminem alium in interiori solitudine commorari; nocte illa per somnium revelatum ei est, esse in remotissimis monachum ipso meliorem. Statim igitur baculo nixus iter arripuit. Cum autem viam ignoraret, dixit: Credo Deo meo, quod servum suum, quem mihi indicavit ostendet. *f* *g* *Adit eum Antonius.*

4 Cum iter faceret sub meridiem, vidit hominem mixtum, quem poetæ *h* Hippocentaurum vocant, cui dixit Antonius: In quo monte servus Dei habitat? Respondit ipsi barbara voce, et dextra manu protensa desideratam viam ostendit. Ulterius vero procedens Antonius videt in saxosa ac parva convalle homuncionem, in fronte cornua gestantem, cui et postrema corporis in capræ pedes desinebant: quem cum interrogasset senex, unde esset, respondit: Ego mortalis sum, et unus habitantium solitudinem, Satyrus vocor: præsentiam Christi et diaboli expulsionem *i*..... Hæc audiens senex vehementer gavisus est de Christi gloria, ac diaboli subversione, atque illacrymans miseram deflevit Alexandriam, civitatem meretricem appellans. *h* *Reperit Hippocentaurum et Satyrum.* *i*

5 Cogitans igitur apud seipsum Antonius, nequaquam a Christo sese derelictum iri, et deinceps persistens constanter, hora orationis videt hyænam ascendentem; quam secutus, et propior speluncæ factus, videt interius lumen atque introgrediens, in lapidem quempiam impegit. Sonitu audito B. Paulus illico patentem antea aditum occludit. Tunc Antonius ad januam provolutus jacuit usque ad sextam, aut plures etiam horas. Dixit ei Paulus: Unde es, et quare venisti huc? Respondens Antonius dixit: Scio, inquit, me indignum tuo conspectu. Quid igitur bestias suscipis, hominem excludis? Quæsivi, et inveni. Hic moriar ad fores tuas, ut vel corpus meum sepelias. Nemo, inquit Paulus, ita quærit ut minetur. Et mox amplexantes invicem salutarunt, et post salutationem consederunt. *Admittitur a Paulo in speluncam.*

6 Dixit Antonio Paulus: Quare tanto labore voluisti videre cariosum jam et putrescentem senem, quem brevi videbis pulverem factum. Interrogavitque eum: Quomodo se habet humanum genus, et quomodo mundus gubernatur! Et post hos sermones vident corvum advolantem, qui ad ipsos venit, integrum panem deportans, quem coram ipsis deposuit. Post cujus abscessum dicit B. Paulus: Dominus noster præparavit nobis prandium; vere misericors est et liberalis. *k* Septuaginta quatuor anni sunt, quibus *Corvus iis panem adfert.* *k*

Ex Græcoms. quibus medium panem accipio : sed ob tuam præsentiam duplicavit annonam militibus suis Christus. Et gratias agentes, ac juxta fontem sedentes, comederunt et biberunt.

Prædicit suam mortem Paulus. 7 Deinde dicit Paulus Antonio : Quandoquidem dormitionis meæ tempus advenit, a Deo meo missus est ut corpus meum terra condas. Hoc Antonius audito, lacrymans et gemens, rogavit ne se relinqueret. Et ille ait : Non debes quærere quæ tua sunt. Sed revertere in monasterium tuum, vestemque ad involvendum corpus meum adfer, quam tibi Athanasius Episcopus donavit. Magis ergo stupefactus Antonius, quod audierat de Athanasio et veste ejus, ut ipsum Christum intuens, oculos et manus ejus osculatus, ad monasterium discessit.

8 Adventanti duo de discipulis suis occurrentes quærunt : Ubi tamdiu fuisti Pater? Ipse vero : Væ mihi, inquit, peccatori! fictum monachi nomen tuli. *Anima ejus in cælum evolat.* Vidi Eliam, vidi Joannem in solitudine, et vere Paulum vidi in Paradiso. Et accepta veste statim exivit e monasterio. Altera igitur die, ad horam tertiam cernit in via, inter Angelorum catervas et Prophetarum atque Apostolorum choros confluentes, Paulum summo splendore collucentem cælum intrare. Et statim in faciem procidens, arenam in caput suum superjaciens, flens et ejulans dicebat : Cur me Paule *Corpus ejus a morte adhuc erectum.* reliquisti? Cur extremum vale omisisti? Ingressus deinde monasterium quod erat in spelunca, videt Beatum, flexis genibus, sursum erecta cervice, manibusque elevatis; videbaturque adhuc vivere. Tandem ubi intellexit eum obdormivisse, involvens eum, *Leones ei sepulchrum effodiunt.* ac corpus efferens, psalmis et hymnis prosequitur. Constristabatur interim quod effodere terram non valeret, videtque duos leones, qui Sancti corpus terra contexerunt, acceptaque a S. Antonio oratione rursus in solitudinem abiere. Sanctus autem Antonius accipiens tunicam, quam sibi Paulus ex foliis palmarum contexuerat, ad monasterium reversus est: atque in festivitatibus eam induebat. Per preces igitur Sanctorum Domine salva animas nostras.

a *Ut in vita a S. Hieronymo scripta, eo tempore quo Sancti hi martyrio coronati sunt, profugisse in eremum dicitur, quia eadem persecutione; (fugit enim anno* 1 *Decii, Cornelius sub Gallo et Voluscano occisus, Cyprianus Valeriani ann.* 5.) *ita hic natus eo tempore dicitur, id est circa illud tempus, septimo circiter Alexandri. De* Cornelio *et* Cypriano *agemus* 14 *Septembr.*

b *Haud satis assequimur, quid hæc sibi velint. Græce est* ἐν τῇ πόλει κύπρου. *An de* Cypriani *morte scripsit auctor, sed vitiavit librarius? An potius in* Cypro *urbe inferioris Thebaidis natus est* Paulus? *Certe Notitia Imperii sub dispositione Comitis rei militaris per Ægyptum, habet oppidum* Cefro.

c *Aliquid hic deest.*

d *Iterum.*

e *Forte* centum tredecim *legendum, quod isthic vixerit usque ad annum ætatis* 113.

f *Hic aliquod mendum latet : agebat enim Paulus tum nonagesimum annum in eremo : nisi, ut ante diximus, hi* 76 *anni cum illis* 13 *jungi debeant.*

g *Hinc patet hanc vitam ante Hieronymianam esse scriptam. Ex hac illud hausit Hieronymus :* ut ipse asserere solebat.

h Ms. *habet* ὑποκένταυρον. *An vere reperiantur* Hippocentauri *disputat Joannes Eusebius Nierembergius noster Historiæ naturæ lib.* 5, *cap.* 8. *At cap.* 9 *de* Satyris *agit. Consule dicenda ad secundam vitam ex Rosweydo.*

i *Deest,* confiteor, *aut quid simile.*

k *Alii paucioribus annis impensum viro sancto ab alite famulatum memorant. S. Aldelmus :* Nonne propter florentis pudicitiæ castimoniam fine tenus inextricabili repagulo conservatam, bis senis temporum lustris, id est, vicies terna annorum intercapedine, buccellam crustulæ semiplenam, quam penniger præpes indefessis famulatibus, et reciprocis volatibus hiulco advexerat rostro, usque ad decrepitam vitæ senectam, inexhaustam gratulabundus accepto ferre promeruit?

ALIA VITA
AUCTORE S. HIERONYMO.
PROLOGUS.

Monachorum origo. Inter multos sæpe dubitatum est, a quo potissimum monachorum *a* eremus habitari cœpta sit. Quidam enim altius repetentes, a *b* B. Elia et Joanne sumpsere principium. Quorum et Elias plus nobis propheta videtur fuisse, quam monachus; et Joannes ante prophetare cœpisse, quam natus est. Alii autem (in quam etiam opinionem vulgus omne consentit) asserunt Antonium hujus propositi caput : quod ex parte verum est. Non enim tam ipse ante omnes fuit, quam ab eo omnium incitata sunt studia. *c* Amathas vero, et Macarius, discipuli Antonii, quorum *d* superior corpus magistri sepelivit, etiam nunc affirmant, Paulum quemdam Thebæum, principem istius rei fuisse. *e* Quod non tam nomine quam opinione, nos quoque comprobamus. Nonnulli et hæc et alia, prout voluntas tulit, jactitant : subterraneo specu *f* crinitum calcaneo tenus hominem; et multa, quæ persequi otiosum est, incredibilia fingentes. Quorum quia impudens mendacium fuit, ne refellenda quidem sententia videtur.

Ab Elia et Joanne. *Ab Antonio.* *c* *d* *e* *A Paulo Thebæo.* *f*

2 Igitur quia de Antonio, tam Græco quam Romano stylo, diligenter memoriæ traditum est, pauca de Pauli principio et fine scribere disposui : magis, quia res omissa fuit, quam fretus ingenio. Quomodo autem in media ætate vixerit, aut quas satanæ pertulerit insidias, nulli hominum compertum habetur.

Pauli media ætas ignota.

NOT. 140.

a *Ineptam* Rodolphi Hospiniani *cavillationem, qua Piamonem Abbatem, asserentem apud Cassianum collat.* 18, *c.* 4, *e cœnobiis, prodire solitos anachoretas, perstringit, quod* Paulus *et* Antonius *non fuerint prius in cœnobiis instituti; hanc, inquam, hæretici hominis viris sanctis obtrectandi libidinem egregie refellit Rosweydus : nam licet hi e paterna domo, peculiari ratione, in deserta provolarint; fuerunt tamen deinceps monasteria veluti anachoretarum seminaria.*

b *Plura congerit Rosweydus Patrum et Historicorum testimonia, qui* Eliam *et* Joannem *eremi primos cultores statuunt.*

c *Tres memorantur ab Hieronymo in Chronico, S. Antonii celebres discipuli,* Sarmata, Amathas, *et* Macarius. *Colitur* Sarmata XI *Octob.* Macarius II *Januarii; nam hic Alexandrinus fuisse videtur, ut censet Rosweydus; et nos* 2 *Janu. diximus.*

d *Intelligi videtur* Amathas. *Tamen in S. Posthumii vita dicitur* Macarius, corpus sepelisse magistri. *An forte superior ideo hic dicitur, quia ætate prior, aut gradu Sacerdotii?*

e *In hunc locum ista annotavit Rosweydus :* Hic codices mire variant. Quidam habent : principem istius rei fuisse, quod non tam opinione, quam nomine, alii : principem istius rei, non tantum nominis fuisse, quam opinionem. Nonnulli : principem istius rei fuisse, sed non nominis. Quam opinionem, quæ varietas haud dubie nata ex sensus difficultate. Receptior lectio est, quam in textu expressi.

De cujus etiam sensu dissensio est Matthæus Galenus Westcapellius cap. IV, Orig. monastic. existimat D. Hieronymum dicere, Paulum Thebæum eremiticæ vitæ principem fuisse, quod non tam nomine (puta Amathæ et Macarii discipulorum S. Antonii, qui id affirmabant) quam opinione, nos quoque probamus. Mihi videtur genuinus D. Hieronymi sensus esse. quod opinione et sententia sua Paulus princeps eremiticæ vitæ fuerit, non tantum nomine; id est, quod vere eremiticæ vitæ princeps fuerit Paulus, non tantum ita vulgo (seu vere seu falso) nominetur. *Hæc Rosweydus. Nobis non omnino illa displicet lectio, quam in quibusdam* MSS. *reperimus :* principem istius rei fuisse, non nominis, quam opinionem. *ut sensus sit, primum quidem fuisse qui eremiticam vitam duxerit, non tamen ab eo captum vulgatumque eremitarum nomen; sed ab aliis, qui, cum ille omnibus mortalibus adhuc esset ignotus, eodem ipsi ducti spiritu, solitudines quoque colere instituerunt.*

f *Non* S. Onuphrium *intelligit Hieronymus, licet simile quid in ejus vita referatur* XI *Junii; nam probata ea est vita : nec* Macarium Romanum, *de quo* 23 *Octobr., quia hic posterior fuit.*

CAPUT I.
Qua occasione in eremum secesserit Paulus.

Sub *a* Decio et Valeriano persecutoribus, quo tempore Cornelius Romæ, Cyprianus Carthagine felici cruore damnati sunt, multas apud Ægyptum et *b* Thebaidam Ecclesias tempestas sæva populata est. Voti tunc Christianis erat, pro Christi nomine gladio percuti. Verum hostis callidus tarda ad mortem supplicia conquirens, animas cupiebat jugulare, non corpora. Et, ut ipse (qui ab eo passus est) Cyprianus ait, volentibus mori, non permittebatur occidi. Cujus ut crudelitas notior fiat, duo memoriæ causa exempla subjecimus.

a *Persecutio Decii.* *b* Cyp. ep. 53.

4 Perseverantem itaque *c* quemdam in fide Martyrem, et inter eculeos laminasque victorem, jussit melle perungi, et sub ardentissimo sole, religatis post

c *Martyrum Ægyptiorum certamina.*

post tergum manibus, resupinari : scilicet ut muscarum aculeis cederet, qui ignitas sartagines ante superasset.

3 Alium juvenili ætate florentem, in amœnissimos hortulos præcepit abduci : ibique inter candentia lilia et rubentes rosas, cum leni murmure aquarum juxta serperet rivus, et molli sibilo arborum folia ventus

Inexpugnabilis castitas.

præstringeret, super extructum plumis lectum resupinari jussit; et, ne se inde posset excutere, blandis *d* sertorum nexibus irretitum relinqui. Quo cum, recedentibus cunctis, meretrix speciosa venisset, cœpit delicatis stringere colla complexibus : et, quod dictu quoque scelus est, manibus attrectare virilia; ut corpore in libidinem concitato, se victrix impudica superjaceret. Quid ageret miles Christi, et quo se conferret, nesciebat. Quem tormenta non vicerant, *e* superabat abominata voluptas. Tandem cælitus inspiratus, præcisam *f* morsu linguam, in osculantis se faciem expuit : ac sic libidinis sensum, succedens doloris magnitudo *g* superavit.

d

e

f

g

Pauli eruditio.

6 Per idem ergo tempus, quo talia gerebantur, apud inferiorem Thebaidam, cum sorore jam viro tradita, post mortem amborum parentum, in hereditate locupleti Paulus relictus est, annorum circiter *h* quindecim, litteris tam Græcis quam Ægyptiacis apprime eruditus, mansueti animi, Deum valde amans. Et cum persecutionis procella detonaret, in villam remotiorem et secretiorem secessit. Verum

h

Aen. 3. —— quid non mortalia pectora cogis
Auri sacra fames? ——

Periclitatur a sororio.

sororis maritus cœpit prodere velle, quem celare debuerat. Non illum uxoris lacrymæ, non communio sanguinis, non spectans cuncta ex alto Deus ab scelere revocabat. *i* Ad hæc instabat crudelitas, quæ pietatem videbatur imitari. Quod ubi prudentissimus adolescens intellexit, ad montium deserta confugiens, dum persecutionis finem præstolaretur, necessitatem in voluntatem vertit : ac paullatim progrediens, rursusque tantumdem, atque hoc idem sæpius faciens, tandem reperit saxeum montem, ad cujus radicem haud procul erat grandis spelunca, quæ lapide claudebatur. Quo remoto, ut est cupiditas hominum occulta cognoscere, avidius explorans, animadvertit intus grande vestibulum quod aperto desuper cælo, patulis diffusa ramis vetus palma contexerat, fontem lucidissimum ostendens; cujus rivum tantummodo foras erumpentem, statim modico foramine eadem, quæ genuerat, aquas terra sorbebat. Erant præterea per exesum montem non pauca habitacula, in quibus scabræ jam incudes et mallei, quibus pecuniæ olim signatæ, visebantur. Hunc locum Ægyptiorum litteræ ferunt furtivæ monetæ officinam fuisse, ea tempestate, qua Cleopatræ junctus Antonius est.

i

Desertum petit.

Divinitus oblatum ei habitaculum.

7 Igitur adamato (quasi quod a Deo sibi offerretur) habitaculo, omnem ibidem in orationibus et solitudine duxit ætatem : cibum et vestimentum ei palma præbebat. Quod ne cui impossibile videatur, Jesum testor et sanctos Angelos ejus, in ea eremi parte, quæ juxta Syriam Saracenis jungitur, vidisse *k* me monachos, de quibus unus triginta jam per annos clausus, hordeaceo pane, et lutulenta aqua vixit. Alter in cisterna veteri (quam gentili sermone Syri *l* cubam vocant) quinque caricis per singulos dies *m* sustentabatur. Hæc igitur incredibilia esse videbantur his, qui non crediderint, quia omnia possibilia sunt credentibus.

k

Abstinentia et ciborum delectus.

l

m

Mar. 9. 22.

a Decius *ad bellum Persicum iturus*, Valerianum *Romæ cum summa potestate reliquit. Inde factum ut quæ mota tum adversus Christianos est persecutio*, Decio et Valeriano *attribuatur, quasi eodem tempore imperarint; cum tamen* Valerianus *non nisi an.* 254, *Imperator sit dictus. Hinc multi sub* Decio *passi Martyres, sub* Valeriano *martyrium exegisse traduntur, et contra. Edicta quoque, utriusque nomine promulgata leguntur, in quibus uterque simul* Augustus *appellatur: quod propterea evenit, quia cum* Decii Imperatoris et Valeriani *Censoris vel Vicarii, lata primum nomine essent,* Valeriano *post Imperium adepto,* Augusti *in illis adscriptum nomen est; vel certe ea deinceps* Valerianus *Decii suoque nomine renovavit.*

b *Lege Eusebium lib.* 6, *cap.* 33 *et* 34. *Baronium ad an.* 253, *et quæ superius dicta sunt* v *Januarii.*

c *Celebrantur hi duo Martyres* 28 *Julii in Martyrologiis.*

d *Rosw.* serico. e *Rosw.* superaret voluptas?

f *Alii* MSS. mordicus, *al.* morsibus.

g *Al.* occupavit, *al.* præripuit.

h *Alii,* sexdecim, *non ait S. Hieronymus profugisse* Paulum *simul ac parentibus orbatus est, sed cum postea mota persecutio est, post Philipporum Imperatorum cædem.*

i *Multi* MSS. *a Rosweydo et Gravio citati, et a nobis quoque usurpati :* Aderat, instabat; crudelitate quasi pietate utebatur. *Sic Florus lib.* 3, *cap.* 5. Aderat, instabat; sævitia quasi virtute utebatur. k *Addunt varii codices :* et videre.

l Ms. *S. Maximini* : cumbam. *Gravius,* gubam. *Sic Hieronymus in cap.* 6 *Jeremiæ :* Hoc autem Latinus lector intelligat, ut semel dixisse sufficiat, lacum, non stagnum sonare juxta Græcos, sed cisternam : quæ sermone Syro et Hebraico gebe appellatur. m *Al.* sustentatur.

Auctore S. Hieronymo

CAPUT II.

S. Antonius S. Paulum invisit.

Sed ut ad id redeam, unde digressus sum, cum jam centum tredecim annos B. Paulus vitam cælestem in terris ageret, et nonagenarius in alia solitudine moraretur Antonius (ut ipse asserere solebat) hæc in mentem ejus cogitatio incidit, nullum ultra se perfectum monachum in eremo consedisse. At illi per noctem quiescenti revelatum est, esse alium interius, multo se meliorem, ad quem visendum deberet properare. Illico erumpente luce, venerabilis senex infirmos artus baculo regente sustentans, cœpit ire velle, quo nesciebat. Et jam media dies, coquente desuper sole, fervebat : nec tamen a cœpto itinere abducebatur, dicens : Credo in Deum meum, quod servum suum, quem mihi promisit, ostendet. Nec plura his : interea conspicatur hominem equo mixtum, cui opinio poetarum Hippocentauro vocabulum indidit. Quo viso salutaris impressione signi armat frontem. Et, Heus tu, inquit, quanam in parte hic servus Dei habitat? At ille barbarum nescio quid infrendens, et frangens potius verba quam proloquens, inter horrentia ora setis blandum quæsivit eloquium, et dextræ manus protensione cupitum indicat iter : et sic patentes campos volucri transmittens fuga, ex oculis mirantis evanuit. *a* Verum hæc utrum diabolus ad terrendum eum simulaverit; an, ut solet, eremus monstrosorum ferax animalium, istam quoque gignat bestiam, incertum habemus.

Antonius ad Paulum properat.

Occurrente sibi Centauro, cruce se signat.

a

9 Stupens itaque Antonius, et de eo, quod viderat, secum volvens, ulterius progreditur. Nec mora : inter saxosam convallem haud grandem homunculum videt, aduncis naribus, fronte cornibus asperata : cujus extrema pars corporis, in caprarum pedes desinebat. Infractusque et hoc Antonius spectaculo, scutum fidei, et loricam spei bonus præliator arripuit. Nihilominus memoratum animal, palmarum fructus eidem ad viaticum, quasi pacis obsides, offerebat. Quo cognito, gradum pressit Antonius : et quisnam esset interrogans, hoc ab eo responsum accepit : *b* Mortalis ego sum, et unus ex accolis eremi, quos vario delusa errore gentilitas, Faunos Satyrosque et Incubos vocans, colit. Legatione fungor gregis mei. Precamur, ut pro nobis communem Deum depreceris, quem pro salute mundi venisse cognovimus, et in universam terram exiit sonus ejus. Talia eo loquente, longævus viator ubertim faciem lacrymis rigabat, quas magnitudo lætitiæ indices cordis effuderat. Gaudebat quippe de Christi gloria, et de interitu satanæ : simulque admirans, quod ejus posset intelligere sermonem, et baculo humum percutiens, aiebat : Væ tibi, Alexandria, quæ pro Deo portenta veneraris : væ tibi, civitas meretrix, in quam totius orbis dæmonia confluxere. Quid nunc dictura es? Bestiæ Christum loquuntur, et tu pro Deo portenta veneraris. Necdum verba compleverat, et quasi pennigero volatu petulcum animal aufugit. Hoc,

Item Satyro.

b

AUCTORE S. HIERONYMO *Satyrus visus tempore Constantini.*

Hoc, ne cuiquam ob incredulitatem scrupulum moveat, sub Rege Constantino, universo mundo teste, defenditur. Nam Alexandriam istiusmodi homo vivus perductus, magnum populo spectaculum præbuit : et postea cadaver exanime, ne calore æstatis dissiparetur, sale infusum Antiochiam, ut ab Imperatore videretur, allatum est.

10 Sed ut propositum persequar, Antonius cœptam regionem pergebat, ferarum tantum vestigia intuens, et eremi latam vastitatem : quid ageret, quo verteret gradum, nesciebat. Jam altera effluxerat dies : restabat unum, ut deseri se a Christo non posse confideret. Pernox secundas in oratione exigit tenebras, et dubia adhuc luce procul intuetur lupam sitis ardoribus anhelantem, ad radicem montis irrepere. Quam secutus oculis, et juxta speluncam, cum fera abiisset, accedens, cœpit intro aspicere, nihil curiositate proficiente, tenebris arcentibus visum. Verum, ut Scriptura ait, perfecta dilectio foras mittit timorem, suspenso gradu, et anhelitu temperato, callidus explorator ingressus : ac paulatim progrediens, sæpiusque subsistens, sonum aure captabat. Tandem per cœcæ noctis horrorem procul lumen intuitus, dum avidius properat, offenso pede in lapidem, strepitum concitabat. Post cujus sonitum B. Paulus ostium, quod patebat, occludens fera obfirmavit. Tunc vero Antonius præ foribus corruens, usque ad sextam et eo amplius horam aditum precabatur, dicens : Qui sim, unde, cur venerim, nosti. Scio me non mereri conspectum tuum : tamen, nisi videro, non recedam. Qui bestias recipis, hominem cur repellis? Quæsivi, et inveni : pulso, ut aperiatur mihi. Quod si non impetro, hic moriar ante postes tuos. Certe sepelies vel cadaver meum.

1. Joan. 4. 18. *Paulus in spelunca degit.*

11 Talia perstabat memorans, fixusque manebat. Ad quem responsum paucis ita reddidit Heros : Nemo sic petit, ut minetur; nemo cum lacrymis injuriam facit : et miraris si non recipiam, cum moriturus adveneris? Sic arridens Paulus patefecit ingressum. Quo aperto, dum in mutuos miscentur amplexus, propriis se salutavere nominibus : gratiæ Domino in commune referuntur. Et post sanctum osculum, residens Paulus cum Antonio, ita exorsus est : En, quem tanto labore quæsisti, putridis senectute membris operit inculta canities. En, vides hominem, pulverem mox futurum. Verum quia caritas omnia sustinet, narra mihi quæso, quomodo se habeat hominum genus, an in antiquis urbibus nova tecta consurgant, quo mundus regatur imperio, an supersint aliqui, qui dæmonum errore rapiantur.

2. Aeneid. 6. Aeneid.

Sanctum se salutantium osculum.

Corvus panem adfert Paulo.

12 Inter has sermocinationes, suspiciunt alitem corvum in ramo arboris consedisse. Qui inde leniter subvolans, integrum panem ante mirantium ora deposuit. Post cujus abscessum : Eia, inquit Paulus, Dominus nobis prandium misit, vere pius, vere misericors. Sexaginta jam anni sunt, quod accipio dimidii semper panis fragmentum : verum ad adventum tuum, militibus suis Christus duplicavit annonam. Igitur Domino gratiarum actione celebrata, super vitrei fontis marginem uterque consedit. Hic vero, quis frangeret panem, oborta contentio pæne diem duxit in vesperum. Paulus more cogebat hospitii, Antonius jure refellebat ætatis. Tandem consilii fuit, ut apprehenso e regione pane, dum ad se quisque nititur, pars cuique sua remaneret in manibus. Dehinc paullulum aquæ in fonte prono ore libarunt : et immolantes Deo sacrificium laudis, noctem transegere vigiliis.

Certamen humilitatis.

a Nec insulsa, *inquit Rosweydus*, nec inanis *Hieronymi* dubitatio, an Ægyptus, monstrorum ferax, ejusmodi quoque ex duabus speciebus mixtum animal genuisse potuerit. Quamvis enim, quod de Ixione atque Centauris poetæ cecinerunt, figmentum esse, non est qui dubitet; et secundum Celsum, de exhibendo Centauro vana sponsio habeatur, cum inquit : Si ita stipulatus fuero, te siste; et, ni steteris, Hippocentaurum dari; nec sit, qui exigat a natura Centauros, tamquam speciem animalis; tamen ejusmodi eamdem interdum perperisse monstra, quis neget? nam sic Plinius : Claudius Cæsar scribit, Hippocentaurum in Thessalia natum, eodem die interiisse : et nos principatu ejus allatum illi ex Ægypto in melle vidimus : in melle, inquam; quod ejus virtutis sit, ut computrescere corpora non sinat. Et sic in melle marinum hominem, ab ultima Mauritania ad Hispanias allatum testatur Alex. ab Alexandro, solidæ fidei auctor. Quem qui legerit, de Tritonibus, diversis in locis suo sæculo visis et captis, iisdemque vultu hominem præ se ferentibus, et corpore prorsus humano, absoluta similitudine pubetenus, postremis in piscem desinentibus, haud dubitabit in terris posse reperiri, quæ maria quoque producunt; cum hominis habitatio sit potuis terra, quam mare : ex cujus admixtione cum jumento possint ejusmodi concipi monstra ac generari.

Aug. de civit. Dei, lib. 18. c. 13.

L. 97. ff. de verb. oblig.

Plin. li. 7. cap. 3. Alex. ab Alex. li. 3. cap. 8.

b *Bestias esse* Satyros *ac* Faunos *loco ante citato Nierembergius probat. Baronius idem sentit, et quod hic locutus dicitur, miraculo factum putat, suffragante Rosweydo.*

CAPUT III.

Moritur Paulus : sepelitur ab Antonio.

Cumque jam esset terris redditus dies, B. Paulus ad Antonium sic locutus est : Olim te, frater, in istis regionibus habitare sciebam, olim te conservum meum mihi promiserat Dominus. Sed quia jam dormitionis tempus advenit, et (quod semper cupiebam, dissolvi et esse cum Christo) peracto cursu, superest mihi corona justitiæ; tu missus es a Domino, qui humo corpusculum tegas, imo terram terræ reddas. His Antonius auditis, flens et gemens, ne se desereret, atque ut comitem talis itineris acciperet, precabatur. At ille : Non debes, inquit, quærere quæ tua sunt, sed, quæ aliena. Expedit quidem tibi, sarcina carnis abjecta, Agnum sequi : sed et ceteris expedit fratribus, ut tuo adhuc instituantur exemplo. Quamobrem perge, quæso, nisi molestum est : et pallium, quod tibi Athanasius Episcopus dedit, ad obvolvendum corpusculum meum defer. Hoc autem B. Paulus rogavit, non quod magnopere curaret, utrum tectum putresceret cadaver, an nudum : quippe qui tanto temporis spatio contextis palmarum foliis vestiebatur : *a* sed ut a se recedenti mœror suæ mortis levaretur.

Mortem suam Paulus prædicit.

a

14 Stupefactus ergo Antonius, quod de Athanasio et de pallio ejus audierat, quasi Christum in Paulo videns, et in pectore ejus Deum venerans, ultra respondere nihil ausus est : sed cum silentio lacrymans, osculatis ejus oculis manibusque, ad monasterium, *b* quod postea a Saracenis occupatum est, regrediebatur. Neque vero gressus sequebantur animum : sed quamvis corpus, inane jejuniis, seniles etiam anni fregerant, tamen animo vincebat ætatem. Tandem fatigatus et anhelus, ad habitaculum suum, confecto itinere, pervenit. Cui cum duo discipuli, qui ei longo jam tempore ministrare consueverant, occurrissent, dicentes : Ubi tam diu moratus es, Pater? respondit : Væ mihi peccatori, qui falsum monachi nomen fero. Vidi Eliam, vidi Joannem in deserto, et vere in paradiso Paulum vidi. Et sic ore compresso, manu verberans pectus, ex cellula pallium protulit. Rogantibusque discipulis, ut plenius quidnam rei esset exponeret, ait : Tempus loquendi, et tempus tacendi. Tunc egressus foras, et ne modicum quidem cibi sumens, per viam, qua venerat, regressus est : illum sitiens, illum videre desiderans, illum oculis ac mente contemplans. Timebat enim, quod evenit, ne se absente, Christo debitum spiritum redderet.

b

Vestem ad involvendum ejus corpus defert Antonius.

15 Cumque jam dies illuxisset alia, et trium horarum spatio viam remeavisset, vidit inter Angelorum catervas, et inter Prophetarum et Apostolorum choros niveo candore Paulum fulgentem in sublime conscendere. Et statim in faciem procidens, sabulum capiti superjaciebat, plorans atque ejulans aiebat : Cur me Paule dimittis? cur abis insalutatus? tam tarde notus, tam cito recedis? Referebat postea B. Antonius, tanta se velocitate, quod reliquum erat viæ,

Videt ejus animam in cælum conscendere.

Corpus a morte adhuc erectum.

viæ, cucurrisse, ut instar avis pervolasset. Nec immerito. Nam introgressus speluncam vidit genibus complicatis, erecta cervice, extensisque manibus in altum, corpus exanime : ac primum et ipse, vivere eum credens, pariter orabat. Postquam vero nulla, ut solebat, suspiria precantis audivit, in flebile osculum ruens, intellexit quod etiam cadaver sancti viri, Deum, cui omnia vivunt, officioso gestu precaretur.

16 Igitur obvoluto et prolato foras corpore, hymnos quoque et psalmos ex Christiana traditione decantans; contristabatur Antonius, quod sarculum, quo terram foderet, non haberet, fluctuansque vario mentis æstu, et secum multa reputans, dicebat : Si ad monasterium revertar *c* tridui iter est : si hic maneam, nihil ultra proficiam. Moriar ergo, ut dignum est; et juxta bellatorem tuum ruens, extremum, Christe, halitum fundam. Talia eo animo volvente, ecce leones duo ex interioris eremi parte currentes, volitantibus per colla jubis, ferebantur. Quibus adspectis, primo exhorruit : rursusque ad Deum mentem referens, quasi columbas videret, mansit intrepidus. Et illi quidem directo cursu ad cadaver beati senis substiterunt, adulantibusque caudis, circa ejus pedes accubuere, fremitu ingenti rugientes; prorsus ut intelligeret eos plangere, quomodo poterant. Deinde haud procul cœperunt humum pedibus scalpere, arenamque certatim egerentes, unius hominis capacem locum effodere : et statim quasi mercedem pro opere postulantes, cum motu aurium, cervice dejecta, ad Antonium perrexerunt, manus ejus pedesque lingentes. At ille animadvertit benedictionem eos a se precari. Nec mora, in laudationem Christi effusus, quod muta quoque animalia Deum esse sentirent, ait : Domine, sine cujus nutu nec folium arboris defluit, nec unus passerum ad terram cadit, da illis sicut tu scis. Et manu annuens, ut abirent, imperavit. Cumque illi recessissent, sancti corporis onere seniles curvavit humeros : et deposito eo in fossam, desuper humum congregans, tumulum ex more composuit. Postquam autem dies illuxit alia, ne quid pius heres ex intestati bonis non possideret, tunicam ejus sibi vendicavit, quam in sportarum modum de palme foliis sibi ipse contexuerat. Ac sic ad monasterium reversus, discipulis ex ordine cuncta replicavit : diebusque solemnibus Paschæ et Pentecostes semper Pauli tunica vestitus est.

c

Sepultura Pauli miraculo curata, per leones.

Antonius muta animalia benedicit.

Tumulum mortuo ex more componit.

Diebus solennibus tunica Pauli vestiebatur.

17 Libet in fine opusculi interrogare eos, qui patrimonia sua ignorant, qui domos marmoribus vestiunt, qui uno *d* filo villarum insuunt pretia, huic seni nudo quid umquam defuerit. Vos gemma bibitis, ille naturæ concavis manibus satisfecit : vos in tunicis aurum texitis, ille ne vilissimum quidem habuit indumentum mancipii vestri. Sed e contrario, illi quidem pauperculo paradisus patet; vos auratos gehenna suscipiet : ille vestem Christi, nudus licet, tamen servavit; vos vestiti Sericis, indumentum Christi perdidistis. Paulus vilissimo pulvere coopertus, jacet resurrecturus in gloriam; vos operosa *e* sepulcra premunt cum vestris opibus arsuros. Parcite, quæso, vobis; parcite saltem divitiis, quas amatis. Cur et mortuos vestros auratis obvolvitis vestibus? Cur ambitio inter luctus lacrymasque non cessat? An cadavera divitum nisi in Serico putrescere nesciunt?

d

Monitio ad divites luxui deditos.

e

18 Obsecro, cuicumque hæc legis, ut Hieronymi peccatoris memineris : cui si Dominus optionem daret, multo magis eligeret tunicam Pauli cum meritis ejus, quam Regum purpuram cum *f* regnis suis.

f

a *Aliam caussam addit ex Baronio Rosweydus, ut* Athanasio, *cujus labores æque ac datam Antonio vestem divinitus didicerat, communicare se ostenderet.*

b *Id ipso anno accidit quo mortuus est* S. Antonius, *Constantii* 19 *sive* 20 *inchoato, ut tradit S. Hieronymus in Chronico, id est, Christi* 356. c *Alii* quatridui.

d *Quidam* lino. *Sic Tertullian. lib. de habitu muliebri cap.* 9, uno lino decies sestertium inseritur; saltus et insulas tenera cervix fert. e *Addunt quidam* saxis.

f *Aliqui codices* cum pœnis suis.

AUCTORE S. HIERONYMO

DE S. PAULI TRANSLATIONE.

Aliquæ Pauli reliquiæ translatæ in Galliam :

Translatas in Galliam S. Pauli *reliquias testatur Andreas Saussaius in supplemento Martyrologii Gallicani, his verbis :* In Thebaide natalis S. Pauli primi eremitæ, cujus divinam vitæ rationem S. Hieronymus luculento encomio descripsit. Corpus vero ex Ægypto in Galliam translatum, apud Cluniacum archimonasterium repositum, ibidem religiose servatur. Sed et apud Jotrum, insigne monasterium puellare in Meldorum agro, antiquissima visitur capella, cum crypta hujus sancti Confessoris venerationi sacrata, in qua pleraque Sanctorum corpora dudum sepulta, demum reperta divino favore, inde ad cultum educta debitum, sacrario majoris ecclesiæ Abbatialis, cælitum pignoribus ornatissimo, omni cum honorificentia illata sunt. *Hæc illi. Aliquæ ad utrumque monasterium reliquiæ* S. Pauli, *aut Constantinopoli fortassis, aut Venetiis, aut ex Hungaria allatæ.*

Corpus in Hungariam,

2 *Constat enim* Joannis Archidiaconi de Kikullew, in Ecclesia Transsilvana Vicarii Strigoniensis in spiritualibus generalis antea Regi Ludovico Notarii a secretis, *testimonio; Venetiis in Hungariam ejusdem Ludovici I, Caroli F. Regis Hungariæ tempore deportatum* S. Pauli *corpus. Ita namque scribit lib. de vita Ludovici cap.* 41. Denique ordo fratrum eremitarum B. Pauli primi eremitæ in regno Hungariæ florere incepit et multiplicari. Item corpus ejusdem B. Pauli, Patris dicti ordinis, de Venetiis ad Hungariam est translatum; et in claustro eremitarum apud B. Laurentium prope Budam in vertice montis solemniter depositum : in quo loco et beati hujus Patris venerantur merita, et populorum laudantium Deum concurrit frequentia. Primo enim Rex Karolus beatæ memoriæ, pater ipsius Regis, fratres ordinis prædicti introduxit; et paucos habebant conventus et loca, utputa S. Laurentium, sanctam Crucem, et sanctum Spiritum, et S. Ladislaum in silva de Peliso; et in aliis locis manebant laici sub nomine eremitarum vagabundi.

Sub Ludovico Rege.

3 *Petrus quoque Ranzanus in Epitome rerum Hungaricarum, Indice* 19. Electus et coronatus fuit *Ludovicus* Poloniæ Rex : tantum valuit ejus apud externos auctoritas. Sub eo B. Pauli primi eremitæ corpus e Venetiis in Hungariam translatum est. Constituit autem complura cœnobia, in quibus viverent eremitæ, qui ipsius B. Pauli religionem profiteri se dicunt. *Antonius Bonfinius videtur ut ordinem eremitarum introductum, ita et corpus ipsius Sancti eo sub Carolo Ludovici patre translatum existimasse. Ita enim scribit Rer. Hungar. decade* 2, *lib.* 10 : Cum eremitarum ordo D. Pauli principis in Ungariam venisset, corpusque ejus, Venetiis avectum, in Laurentii ædem, quæ ad tertium lapidem Budæ proxima monti prominet, translatum esset, Carolus pater, primus eremitarum collegia introduxit, qui Laurentii, sanctæ Crucis, Spiritus sancti, et D. Ladislai sacras ædes usurparunt. Ludovicus autem in Nozthre cœnobium his excellentissimum dicavit.

Ordo eremitarum S. Pauli.

4 *Ejus vero congregationis, quæ* S. Pauli *anachoreticam vitæ rationem imitata, eum quoque sibi patronum adoptavit, vel auctor vel præcipuus propagator Eusebius quidam Strigoniensis fuit, ut lib.* 1, *Oceani Religionum scribit Silvester Maurolycus. Huic sociisque tradita quædam fertur pie vivendi norma a Bartholomæo Quinquecclesiensi Episcopo; eo, ut remur, cujus consilio et fortitudine reliquias aliquas profligati a Tartaris exercitus Belæ* IV, *anno* 1241, *servatas scribit Bonfinius dec.* 2, *lib.* 8. *Rogatus deinceps Urbanus IV, Pontifex Maximus, qui a principio Septembris an.* 1261, *ad initium Octobris* 1264, *sedit, uti hanc congregationem sua sanciret auctoritate, juberetque S. Augustini regulam observare,*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ex mss.

observare, abnuit. Ergo Paulus Vespriniensis in Hungaria Antistes quasdam eis leges scripsit anno 1263. *Tum primum a* S. Pauli *primo eremita nomen ordini impositum. Anno demum* 1300, *primus toti congregationi præpositus est Prior generalis F. Laurentius Strigoniensis. Missus a Clemente V, in Hungariam Legatus Gentilis de Monte Floris, Picenus, ex ordine Minorum Cardinalus titulo S. Martini in montibus, anno* 1308, *singulari eum ordinem benevolentia prosecutus, regulam S. Augustini amplectendi, scribendi constitutiones, generales cogendi conventus, potestatem fecit* 6 *Dec.* 1308, *Joannes* XXII, *ad Pontificatum an.* 1316 *evectus eumdem confirmavit ordinem, multisque auxit privilegiis; qui deinde et cœnobiorum multitudine, et sanctitatis fama, crevit mirum in modum. Hæc fere Maurycolycus : qui in publico ordinis sigillo effigiem S. Pauli expressam ait, cum hoc lemmate :* Ecce elongavi fugiens, et mansi in solitudine, *subjicitque hanc rhythmicam ad eumdem Sanctum orationem :*

Legitime approbatus.

Oratio ad S. Paulum.

Sancte Paule eremita,
Infirmorum spes et vita;
Fac me digne te laudare,
Venerari, et amare,
Perpeti memoria.
In adversis sis protector,
Mediator, dux, et vector :
Ne cum pravis condemnemur;
Imo tecum gloriemur
In cælesti patria. Amen.

Translationis historia.

Hæc de ordine. Translatum in Hungariam Venetiis S. Pauli *corpus idem testatur Maurolycus. Translationis historiam e fide digno codice manu exarato nobis exhibuit Joannes Gamansius noster, quam hic damus.*

HISTORIA TRANSLATIONIS.

Ex fide digno codice descripta
a Joanne Gamansio Societatis Jesu.

Præfatio.

Plenus dulcedine et semper eneffabili affluens pietate, Patris æterni Filius Dominus Jesus Christus, qui circa Ecclesiam sanctam Catholicam ita suæ continuat benignitatis affectum, sic suæ roborat roborationis auxilium, ut quam sui commercio sanguinis acquisivit, incessanter custodiat non solum per Angelos cæli cives super muros ipsius, qui non die nec nocte tacent, constitutos : quin etiam per homines luteas domus habitantes; ut hujusmodi auxilio sic vallati in discrimine, accumulatis divinæ providentiæ beneficiis, supernæ militiæ fulciantur præsidio, et in via existentes meritis Beatorum adjuventur. Nam licet post egressum magnifici Redemptoris ad Patris gloriam a qua venerat, animam beati Confessoris Pauli primi Eremitæ spirituali certamine attritam et afflictam; et grato consummato triumpho post labores ad præmium, ut dignis digna rependat evocavit; exanime tamen corpus, quod prius per spatium sexaginta annorum, ut dudum Eliam Prophetam, corvi ministerio in deserti solitudine cælesti pabulo educavit, ob vitæ suæ ingens meritum humanæ laudis præconio minime voluit defraudare. Quinimo per Beatum Hieronymum Doctorem egregium dicti Patris vitam solerti percunctatione præhabita, perpetua successorum memoria, ab omnibus dignissime venerandam pulchro stylo exaravit : quodque ipsum magnus Pater Antonius, pro eodem perficiendo negotio divino spiritu illuc adductus, terribilium leonum suffultus auxilio, inter saxosam convallem ritu fidelium terræ gremio commendavit. Et ut in eodem sepulturæ loco profusius tanti Patris merita venerarentur, idem sanctus senex Antonius *a* aliquos ex Fratribus suis sub disciplina monastica vivere paratos, inibi divino obsequio mancipavit.

a Monachi in solitudine S. Pauli.

2 Tandem revoluto plurimorum annorum curriculo, efficiente virtute dexteræ excelsi Dei, qui justos prosequitur benedictione; Dominus Emmanuel Constantinopolitanus Imperator tanti luminis aspersione gavisus, cupiens hujusmodi sancti senis, qui doloris et amaritudinis tempora reliquit, et in solitudine, in quam volavit, requievit, clara miracula in publicam ducere notitiam, corpusculum incorruptum de loco memorato, ubi ipsum S. Antonius in foveam bestiarum opere paratam subterraverat, in regiam urbem, videlicet Constantinopolim, *b* fecit transportari, et in ecclesia S. Mariæ *c* Pervilepsi, id est circumsepta, quam ipse Imperator fundaverat, pro fidelium loco venerationi aptissimo repausari. Cujus caput, quod diu abduxere deserti abdita, tandem grata devotionis gratitudine, non absque Dei nutu, sed potius ut solitudo fieret patula, Romam est delatum, a Christi fidelibus salubrius venerandum.

1. *Translatio e Thebaide Constantinopolim.*

b

c

3 Deinde instante Dominicæ incarnationis *d* anno millesimo ducentesimo quadragesimo, quidam Jacobus Lantzlo Venetiarum civis, audiens quod felicem Paulum prospera mundi prosperitas non seduxit, *e* civis deserti felicia auspicia, et ex intimis contemplatus, a Fratre Petro Abbate et monachis dicti monasterii sub cautione litterarum, instrumentorum, insertione testium roboratorum, decoro stylo, mira sententia, affatu facundo, devotione non vacua, votivis nimiis desideriis, et operosæ sollicitudinis studio, ipsas sacras B. Pauli reliquias sibi dari impetravit : quas secum alacri gaudio Venetias deferens, in ecclesia sub titulo S. Juliani consecrata, honorifice collocavit; ubi eidem a populo Venetiarum debitus honor est delatus.

d

2. *Venetias.*

e

4 *f* Incerta currunt sua volubilitate tempora, de secretis Patrum in publicum hujuscemodi Sanctus canonizatione Ecclesiæ egressus, religiosorum Fratrum sub ejus vocabulo sincera conscientia famatur, vitæ innocentia ac Religionis decor prædicatur : quod potest spiritus procellarum ad portum ducit gloriæ et salutis : augetur numerus præcipue in Ungaria : Crescit populi devotio, et construuntur monasteria in solitudine copiosa. Deinde (cui dubium, quin ex cælestis altitudine consilii, alta et ineffabili providentia universa disponentis, quæ rerum vicissitudines non sine dispensatione certæ rationis alterat, nunc egentes faciens abundare, nunc abundantes egere; ut humana conditio per alterationem sui status, hujus sæculi instabilitatem agnoscat) actum est, ut ex efficacibus, rationabilibus et justis caussis, invictus Princeps, Ungarorum Rex *g* Lodawicus, in potentia strenuus, in strenuitate prælarus, in claritate benignus, in benignitate sapiens, in sapientia providus, in providentia verbo et opere Christianus, cui sollicitudo regni non defuit, ut cornua contereret elatorum, cum multis militibus, et expensis non modicis, manum potentem in validissimo exercitu contra Venetos destinaret, ut vires et conatus reprimeret eorumdem, in oppugnatione quatuor annis ex dicto continue perduraret; recogitans et infra claustra pectoris sedula meditatione revolvens, quod si Dominus meritis S. Pauli primi Eremitæ, in quo ipse specialem devotionem sub bona confidentia gestabat, sibi de Venetis optatum præstaret triumphum; ex tunc corpus ejusdem Sancti, spe et fide devoti, de Venetiis in regnum suum Ungariæ, ubi per dictos Fratres cultu magnifico venerareturr, et celebris haberetur ipsius memoria, venerabiliter transferri mandaret.

f Ordo S. Pauli.

g Ludovicus Rex Hungariæ bellum contra Venetos gerit.

5 Porro ipse pius Rex, cui non fuit abbreviata manus Domini, ut non posset sublimitatem incurvatorum Venetorum, et altitudinem humiliare virorum, cui felicium semper successuum splendor illuxit, mobilitatis legem imitans, quoniam excelsa ejus mentem minime elevaverunt, et infima non dejecerunt, post plurima bella, rerum gravia discrimina, et sæva pericula, interveniente aliquorum Christianorum Principum pacem zelantium largiente Domino, compositione, tamquam

tamquam pacis amicus, et caritatis patronus, ipsos Venetos ad certam annuam solutionem perpetuo subjugavit. Sic nimirum inter partes pace firmata, sedatis undique dissensionum vepribus, præfatus Christianissimus Rex volens emissi sui voti prosecutioni insistere, et fautori suo sponte oblata exolvere, solemnes Ambasiatores, videlicet venerabiles in Christo Patres et Dominos, Valentinum *h* Quinquecclesiæ, et Paulum *i* Zagabriensem Ecclesiarum Episcopos, viros Ungaros, natione claros, Canonum scientia illustratos, de cursu temporalium non ignaros, cum quibusdam regni sui optimatibus, pro ipso sacro obtinendo thesauro ad civitatem Venetorum destinavit. Qui cum celeritate festinarunt ad obsequium tantæ Majestatis, pleno desiderio aspirantes, modos et vias, quas prædicto norant convenire, operosæ sollicitudinis studio excogitantes, diu desideratum donum obtinuerunt votive.

Obtinet ab iis, reliquias S. Pauli.

Ex in Hungariam transferuntur.

6 Sed cum hujusmodi reliquiæ caræ fuere, communi ne impetu furentis turbæ popularis, rei desideratæ et obtentæ aliquantisper turbaretur exitus, consulta deliberatione, civium usi consilio, in secreto lucifugæ noctis silentio, lucescente die quarto mensis Octobris, anno Verbi incarnati 1381, exanime corpus non indevoti, sed magnæ devotionis affectu de ecclesia S. Juliani memorata suscipiunt, et in capsa lignea artificiose fabricata fortuna celebri, cui arrisit divina clementia, cum duobus aliis corporibus Sanctorum Innocentum, qui ab Herode in Evangelio leguntur occisi, quæ et ipsi Veneti grata sinceritate ipsi domino Regi usque *k* Wudam insignem et amœnissimum Regni Ungariæ locum et præcipuum, sub felicibus auspiciis, imperante Deo cæli vento et mari, omni cessante tempestate, felici cursu, in tranquillitate pacis et optatæ quietis, divina dextera eorum assistente processibus, felicius perduxerunt. Ubi eædem sanctissimæ reliquiæ cum maxima devotione et reverentia a Clero et populo, diverso apparatu ad cultum divinum adornato, incensis luminaribus, venerabiliter sunt susceptæ, et in capella regia sub custodia Fratrum ejusdem ordinis S. Pauli interim deputatæ. Gaudet inclytus Regis animus in voto judicio Dei commisso se attigisse, quod vovit. Gaudet et lætatur Ungaria, sibi tanti Sancti effloruisse solatium, devotione et religione mirabiliter prius in regno plantatum.

Budæ in Capella Regia deponuntur.

7 Volant interim hujus Sancti miracula diffusius, fitque ad ejus reliquias undique devotus concursus; et factus est Confessor regnicolis carus, qui reputabatur, antequam corpus advenerat, fide prædilectus. Crescit amor Regis validus, et quo locaretur, vix reperitur situs. Firmatur Regis et regni majorum consilium, quod Reverendissimus in Christo Pater ac Dominus. D. *l* Demetrius, tituli Sanctorum quatuor coronatorum Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis, sanctæ Otergoviensis Ecclesiæ gubernator perpetuus, aulæque regiæ supremus Cancellarius, Apostolicæ Sedis in regnis Ungariæ et Poloniæ legatus, probitate pius, pietate devotus; moribus mansuetus, et mansuetudine fidus, fidei et sinceritatis alumnus, quem Rex experta scientia et cognita ad plures honores successive affectuose promovit, supradictas sanctas reliquias de capella regia in ecclesiam pretiosi Martyris Christi Laurentii, quæ distat uno milliari a Wuda versus occidentem, et in claro monte Wudensi est situata; ubi est egregia turba monachorum, qui sub titulo dicti Patris degunt, et sancta observatione militant, quique divinis insistunt laudibus, vacant orationibus, atque ibi tamquam suo capiti, filii Patri, Magistro discipuli Duci milites, Deo et ipsi S. Paulo jubilant, et sedulum ac debitum impendunt famulatum, collocaret. Qui ascitis sibi Episcoporum, Religiosorum, secularium, et aliorum multitudine copiosa, tollens corpus S. Pauli de Capella regia XVIII Kalendas Decemb. In ipsa ecclesia venerandum cum suprema reverentia deposuit; et ipsum diem festum Translationis ejusdem deinceps celebrari, vigore et auctoritate suæ legationis instituit et mandavit. Et ut Christi fideles ad frequentationem reliquiarum diligentius illo die animaret, omnibus vere pœnitentibus, contritis et confessis, qui in ipso die translationis memoratas S. Pauli reliquias humiliter et devote visitarent, de omnipotentis Dei et beatorum Apostolorum Petri et Pauli auctoritate confisus, unum annum de injunctis sibi pœnitentiis misericorditer relaxavit. In quo loco suffragium B. Pauli humiliter implorantibus innumera beneficia præstantur a benedicto Domino nostro Jesu Christo, qui facit mirabilia magna solus, cujus sunt hæc dona, cujus sunt hujus deserti sacrificia, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in secula sæculorum, Amen.

Ex MSS. *Transferuntur ad monasterium S. Laurentii.*

a *Plane id credibile est, licet in S. Antonii vita non tradatur.*

b *Imperavit* Emmanuel, *sive* Manuel, Commenus, *Calojoannis F. Alexii N. ab Aprili an.* 1143, *ad Septembrem an.* 1180. *Quando* S. Pauli *corpus sit adeptus non traditur. Fortassis tempore Ægyptiacæ expeditionis an.* 1169, *quam lib.* 3 *narrat Nicetas, est id ad* Manuelis *Duces allatum; vel ante ad ipsum* Manuelem, *simulque injecta petendæ bello Ægypti cupido.* Nam, *ut ait Nicetas,* audita Ægypti fertilitate, et frugiferis Nili exundationibus, classe eam terram petere, et quæ auribus acceperat, oculis intueri et contrectare manibus instituit.

c *Ita* MS. *Omnino videtur legendum* Perilepsi. *Est enim* περιλήψις comprehensio. *Hujus templi non meminit Nicetas cum Manuelis ædificia recenset lib.* 7.

d *Erat is duodecimus annus* Balduini II *Imperatoris. Quo tempore Imperium Constantinopolitanum Latini tenuerunt, innumeræ sunt in Occidentem transportatæ Sanctorum reliquiæ; quas illi variis aut Principibus ac Rebuspublicis, quorum egebant auxilio, aut Ecclesiis et monasteriis, præsertim Belgicis, (utpote Flandriæ et Hannoniæ Comites, aut eorum agnati) ad perpetuum sui nominis monumentum, donabant. Iis nimirum præsidiis spoliari eam urbem cupiebat Deus, quam altero vertente seculo sub barbarorum passurus erat venire servitutem.*

e *Videtur deesse* cernens. f *Videtur legendum* Interea.

g *Successit Carolo patri in regnum Hungariæ an.* 1342, *obiit an.* 1382, 11 *Septembris. De ejus adversus Venetos bellis agunt Hungaricarum, Venetarum, Italicarum rerum scriptores.*

h Quinquecclesiæ; *civitas Episcopalis Hungariæ, a quinque basilicis nomen accepit, teste Bonfinio dec.* 1, *lib.* 1.

i *Ita* MS. *et Bonfinius, nisi sit typographi error : vulgo* Zagrabia. *Urbs est Sclavoniæ Episcopalis.*

k *Vulgo* Buda *dicitur, olim Regum Hungariæ sedes : vel a* Buda *Attilæ fratre, ut vult Nicolaus Olahus Attilæ cap.* 12, *vel a* Budinis, *ut Bonfinius dec.* 1, *lib.* 1 *appellata; Germanis* Offen.

l *Hunc anno* 1379, *ab Urbano* VI *Cardinalem creatum scribit Ciacconius, fuisseque Archiepiscopum Strigoniensem.*

DE S. MARCIANO PRESBYTERO,

ŒCONOMO ECCLESIÆ CONSTANTINOPOLITANÆ.

POST AN. CDLXXII. X JANUARII. *S. Marciani nomen in Fastis Latinis,*

Colitur X *Januarii a Græcis pariter ac Latinis* S. Marcianus Presbyter, et magnæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ, *sive* sanctæ Sophiæ, magnus Œconomus; *quamquam in Antologio Græcorum a Clemente VIII, approbato, non* X, *sed* VIII *Januarii celebratur. De eo Martyrol. Romanum :* Constantinopoli S. Marciani Presbyteri. *Molanus :* Et S. Marciani Presbyteri et Œconomi magnæ Ecclesiæ. *Consentiunt Belgica Martyrologia. Galesinius :* Constantinopoli S. Marciani Presbyteri; qui vigiliis et orationi deditus, in Christi pauperes liberalis admodum, ita ut, qua sola tunica indutus erat, eam de-

Ex variis. derit egenti : multis miraculis clarus, obdormivit in Domino. *Martyrol. Germanicum* : Item Constantinopoli sancti Presbyteri Marciani, in vigiliis et orationibus eximii, erga pauperes omnino munifici, multis miraculis clari.

et Græcis. 2 *Horologium Græcorum* x *Januar.* Et S. Marciani Presbyteri et Œconomi magnæ Ecclesiæ. *Plenius eodem die Menæa* : Vixit hic Marciano et Pulcheria imperantibus, parentibus e veteri Roma oriundis natus. Templum S. Irenes juxta mare construxit, eique oratorium S. Isidori conjunxit. Ædificavit et S. Anastasiæ ædem in Rostris Domnini, quam et ab immani incendio, cum omnia circum ignis late depasceretur, ipse in templi stans fastigio sublatisque ad cælum manibus precatus, intactam servavit. Ejus vero tum miracula, tum in tanta pecuniarum copia inopiam, et indefessum religiosæ exercitationis studium, copiosius quæ de eo scripta est historia recenset. Agitur ejus Synaxis *(sive ad festum celebrandum conventus)* in sacello sancti Prophetæ et Baptistæ Joannis, juxta cisternam Mucianam, in Danielis. Agitur vero ea Synaxis propter ingentem terræmotum, qui eo die sub initium imperii Basilii contigit : quando et templum supersanctæ Deiparæ in loco qui Sigma dicitur, et multæ aliæ ecclesiæ, et privata ædificia collapsa sunt. *Eadem ad verbum habentur in Anthologio* VIII *Januarii.*

Occasio festi celebrandi.

Locus sepulturæ. 3 *Quæ de templis ab eo ædificatis hic dicuntur, ea distinctius infra referuntur in vita, uti et quæ de ejus sepultura. Eadem hinc tamen etiam illustrantur, ideoque visum Græca adscribere* : Τελεῖται δὲ ἡ αἴτου σύναξις ἐν τῷ προφητείῳ τοῦ ἁγίου προφήτου καὶ Βαπτίστου Ἰωάννου, πλησίον τῆς κιστέρνης τῆς μωκησίας ἐν τοῖς Δανιήλ. *Quæ ita vertit Raderus* : Synaxis porro illius, seu dies festus, in sacrario S. Joannis Baptistæ Prophetæ, haud procul cisterna Mocesiæ in Danielis peragitur. *Ast in vita cap.* 5, *nu.* 20, *dicuntur ejus reliquiæ conditæ in monasterio S. Joannis Baptistæ*, quod etiam dicitur Danielis; quod situm est prope divinum templum præclari Martyris Mocii. *De* S. Mucio, *quem Græci, μώκιον appellant, ejusque æde agemus* XIII *Maii.*

Terræmotus sub Basilio. 4 *De templo autem Deiparæ virginis in Sigmate, cujus eversi meminere Menæa et Anthologion, ista scribit in Basilio Macedone Cedrenus* : Aliud Deiparæ templum, cui Sigma nomen, terræmotu prostratum, ex fundamentis refecit, stabileque et priore pulcrius extruxit. *Templum in Sigmate.* *Operæ pretium fuerit quæ de Sigmate, hocque terræmotu commentatur Petrus Gillius in Topographia Constantinopol. lib.* 2, *cap.* 15, *adscribere* : Scriptores, *inquit*, recentes patriæ Constantinopolitanæ tradunt, tempore Basilii Imperatoris terræmotum magnum fuisse, quo Divi Polycleti *(voluit* Polyeucti *scribere, ut infra patebit)* cecidit templum, et oppressit omnes, qui intus essent, ex eoque tempore appellatum fuisse Sigma. Ego potius ita appellatum fuisse existimarem a porticu, quam ante hunc terræmotum multis seculis Sigma a similitudine litteræ appellatam antiqua descriptio ponit in regione Hippodromi. Georgius Cedrinus meminit loci, quem appellat Sigma. Michaelem, inquit, Imperatorem monachi vestitu indutum ex monasterio appellato Studio correptum per forum pedibus traxerunt, et supra monasterium Periblepton nuncupatum ipsum ducentes, in loco appellato Sigma, excœcarunt. Idem Cedrinus ait Basilium Macedonium ædem Virginis Mariæ restituisse a fundamentis, nominatam Sigma. Eunuchus Chrysaphius Zomas excitavit statuam Theodosii minoris in loco nominato Sigma. Ædem Divi Stephani positam prope locum nuncupatum Sigma Constantinum Magnum excitasse scribunt nonnulli. Itaque hoc Sigma alio loco fuisse in urbe, quam illud, quod dixi in tertia regione fuisse, et scribendum esse per e litteram, Segma, ex eo quod dicunt ideo sic appellatum fuisse, quod ædis Polyecti in eo sita, terræmotu concussa oppresserit omnes qui in eo essent. *Hæc ille. At non assequimur unde Segma deducat, nisi* Sema *velit, sive* σῆμα, *id est* sepulchrum.

Vita S. Marciani. 5 *Vitam* S. Marciani, *sive a Simeone Metaphraste, seu quo antiquiore scriptam, Latinam fecit Gentianus Hervetus, edidit Aloysius Lipomanus, atque ex eo Surius. Marciani plures alii auctores meminere, quorum quidam in Annotationibus citantur.* Theodorus *Lector lib.* 1 *Collectaneorum de eo ista scribit* : Designavit autem Gennadius Marcianum Œconomum, ad Ecclesiam relicta Catharorum secta translatum. Qui mox atque Œconomus esset factus, quæ in singulis ecclesiis offerebantur jussit per Clericos colligi, donec magna Ecclesia cuncta acciperet. *Mirum est scriptorem vitæ* S. Marciani *non commemorare eum aliquando sectæ* Catharorum, *sive* Novatianorum, *adhæsisse. Fuit eodem tempore Novatianorum Episcopus* Marcianus *quidam, cujus meminit Socrates lib.* 7, *cap.* 45, *et Nicephorus Callistus lib.* 14, *cap.* 41. *Socrates et Sozomenus, qui viderunt S. Anastasiæ erectum a* S. Marciano *templum, ut infra patebit in Notat. ad cap.* 2, *an siluissent si is ipsorum aliquando factioni favisset, qui tam studiose quid in eorum gratiam dixerit S. Atticus aliique tradiderunt? At non minor laus est* S. Marciano, *si erravit aliquando, tandem resipuisse omnique deinceps virtute floruisse, quam aliis in stabili perstitisse orthodoxæ gradu religionis. Agit quoque de S.* Marciano *Baronius tom.* 6, *variis locis.*

An aliquando fuerit Novatianus.

Officium magni Œconomi. 6 *Porro* magni Œconomi *præcipua post Patriarcham in Ecclesia. Constantinopolitana dignitas erat, ut ex Georgio Codino patet, qui illius officium ita describit* : ὁ μέγας Οἰκονόμος, κρατῶν πάντα τὰ κτήματα τῆς ἐκκλησίας, καὶ πᾶν τὸ ἐσοδιαζόμενον ἐξ αὐτῶν· καὶ οἰκονομεῖ τῷ ἀρχιερεῖ καὶ τῇ ἐκκλησίᾳ. Magnus Œconomus, qui sua in potestate omnes Ecclesiæ facultates, omnesque in illis reditus tenet : et tam Patriarchæ quam Ecclesiæ hac in re dispensator est. *Displicet Jacobo Gretsero nostro lib.* 1 *Commentar. in Codinum, illud μέγας*, natumque *putat* ex recentium Græcorum ambitione, qui officiis et dignitatibus titulum μεγάλου admodum liberaliter præponebant; et sæpe duo officia, cæteroquin paria, aliter non distinguebant, quam vocis τοῦ μεγάλου appositione. Et jam quoque, *inquit*, ex ingenito fastu, μεγάλου titulo mirifice se circumspiciunt : ὁ μέγας ῥήτωρ, ὁ μέγας σακελλάριος, ὁ μέγας οἰκονόμος, cum sint omnium prope mortalium longe miserrimi propter jugum Turcicum.

Conferebatur ab Episcopo : 7 *Conferebat hoc officium* Œconomi *Episcopus, ut ex Theodoro Lectore jam citato liquet* : προεβάλετο δὲ, *inquit*, Γεννάδιος Μαρκιανὸν οἰκονόμον. *Accedebat tamen Cleri consensus aut consilium, ut ex vita cap.* 1, *num.* 2, *colligitur* : fit Œconomus maximæ Ecclesiæ communi suffragio, *et deinde* : eos honorans, qui eum prætulerant. *Idem in aliis quoque Ecclesiis mos erat, ut ex historia Theophili Vicedomini* 4 *Februarii constat de Adenensi Ecclesia in Cilicia, ubi hæc inter alia* : Porro ordinato Episcopo, cum ad propriam remeasset civitatem, quidam de Clero instigaverunt, ut amoto illo alium Ecclesiæ ordinaret Vicedominum. *Ac deinde* : Priorem constituit Vicedominum, præbuitque ei coram omni Clero et populo auctoritatem dispensationis sanctæ Ecclesiæ, atque possessionum ei pertinentium, cunctæque plebis; ac duplo tantum quam antea fuerat præpositus, denuo est honore sublimatus : ita ut peccasse se clamaret Episcopus, quod tam idoneam et perfectam personam, aliorum regiminibus subjecisset, et illum inutilem et minus idoneum promovisset. *Unde et illud manifestum fit, idem, aut certe non admodum diversum fuisse,* Vicedomini *et* Œconomi *munus; tum ex iis quæ subduntur* : Recordatus priorem ejus conversationem, et in quibus sanctæ Dei ministraverit Ecclesiæ, quod viduis, et orphanis, et egenis optime ministraverat, *etc.*

aliquando ab Imperatore. 8 *Postea tamen, ut sensim sibi profani Magistratus auctoritatem*

auctoritatem in res sacras arrogare consueverunt, id munus Constantinopoli conferri ab Imperatoribus cœpit, ut ex Zonara constat, qui tom. 3, in Isaacio Commeno ita scribit : Præterea in Patriarchæ gratiam, etiam Ecclesiasticarum rerum administrationem Ecclesiæ tradidit. Nam cum ad illud tempus magnus Œconomus, ut et vasorum custos, designari ab Imperatore solerent; utrumque id munus Patriarchæ potestati subjecit, utroque Remp. privans. *Idem in Romano Argyropolo :* Fuerat enim aliquando ecclesiæ, quæ a Verbi Dei sapientia nomen habet, magnus Œconomus : ἐπεὶ τῷ βασιλεῖ ἀνοσίτο πρόσθεν οἰκονόμους τῆς ἐκκλησίας τυντησὶ προχειρίζεσθαι· Nam Imperatori permissum fuerat antea Œconomos ejus Ecclesiæ designare. *Vide Glossarium Meursii, qui tamen videtur existimare id ante Isaacium semper fuisse factitatum.*

VITA

EX SIMEONE METAPHRASTE,

interprete Gentiano Herveto.

CAPUT I.

S. Marcianus fit Presbyter, deinde Œconomus.

Sunt quidem multa quoque alia, quæ hanc regiam exornant civitatem, Imperatorum sedes, et opes, et omne genus pulchritudo, situsque et magnitudo, et *a* mœnia, quæ sunt hostili manu potentia : nihil autem ei adfert æque magnum decus et ornamentum, atque vita virorum bonorum et virtutis amantium. Ii enim majorem quidem adferunt delectationem, et majorem etiam admirationem : quin etiam majorem pariunt utilitatem. Propterea major est gloria civitatis, ornari potius viris piis et religiosis, quam murorum propugnaculis. Atque ea quidem multos viros tulit præclaros, qui eam decorant variis virtutis ornamentis : ex quibus si quis primos accurate elegerit, et iis vitam Marciani conferre, vel etiam præferre voluerit, is mihi non videatur a recto excidere judicio. Quod autem non sit mala de eo nostra, sed recta sententia, ipse, ut aiunt, ostendet, eritque procedens fide digna oratio.

a Viri sancti urbium ornamenta.

2 Hic ergo Marcianus floruit quidem tempore ejus cui fuit idem nomen, nempe *b* Marciani, qui tunc erat dominus Romani Imperii. Patriam autem suam veterem Romam ab alto repetens a parentibus, (illi enim ex ea profecti, in hanc Constantini civitatem, quæ erat recentior, migrarunt) consequenter erat et illustri natus genere, insignique opibus et dignitate, et quod nobilitatem referebat ad splendorem Imperatorium. Tanta autem gloria insignes nactus parentes, pietate autem et religione longe insigniores, ipse quoque educatur liberaliter, et eruditionem pulchre docetur, nostram, inquam, et externam. Deinde sicut Moses quoque ad Ægyptios, ita etiam Marcianus optime ventitat ad Byzantinos, et ad majorem et perfectiorem sapientiam, eam, inquam, quæ est ex spiritu, convertitur. Qua quidem ex re et vitæ splendor, et sermonis gratia illi accedens, nomen ei peperit, et insignem fecit inter omnes laicos : paullo post autem etiam cooptat in Clerum Ecclesiæ : et cum sacris esset dignus, deducit ad gradum Sacerdotum. Qui autem ei ad hoc vim attulit, fuit hujus civitatis *c* Patriarcha. Nam illum quoque cepit Siren illius virtutis, et plenæ erant aures iis, qui de illo spargebantur, sermonibus et laudibus. Cum ergo gradus, qui inter Sacerdotium intercedunt, nihil esset quod prohiberet, sed multo magis, ut ad majora procederet, invitaret; cum omnes brevi tempore pervasisset, vocante tempore, refertur etiam in numerum Sacerdotum. Deinde etiam fit Œconomus maximæ Ecclesiæ communi suffragio, non vim afferens, sed invitus, et non tam honoratus, quam eos honorans, qui eum prætulerant. Sed hæc quidem postea.

b S. Marciani patria, genus, parentes:

institutio:

Sacerdotium: c

officium Œconomi:

3 Modo autem cum ei admodum juveni creditum esset Sacerdotium, et ejus parentes e vita jam excessissent, et utriusque facultates, quæ erant luculentæ, accepisset; eum juventutem quidem moderate, Sacerdotium autem honeste, opes vero pie regere et administrare fuit cognitum : ut qui egenos suæ hereditatis assumeret coheredes, et eis majori parte cederet : vel, ut hoc potius dicam, cum eis quæstuosam exerceret negotiationem, et in parvis suppeditandis maxima vicissim acquireret. Atque alias quidem voluptates magno quodam et excelso animo apparuit eum despicere, et eis minime uti; ab uno autem solo victus fuit amore, a verbis, inquam, divinæ scripturæ : et ad illa oculos perpetuo convertebat, et eis perpetuo assidebat : quo fiebat, ut nihil esset in eis adeo occultum et inventu difficile, quod non manifestum et notum evasisset laboriosæ ejus diligentiæ. Ventri autem et oculis fortiter imperabat; ut qui sciret florem et robur juventutis per ea facile impelli ad lapsum. Sunt autem casus, qui ex iis oriuntur, multi et difficiles. Precibus autem et vigiliis se dedebat plurimum, et valde pueros edocebat, quod ad virtutis rationem attinet, non solum eos, qui erant relati in numerum Sacerdotum, sed, ut semel dicam, quotquot in canitie erant pii et religiosi, et curam gerebant philosophiæ.

Ex Metaphraste *prudentia: largitas in pauperes:*

Studium Scripturæ:

abstinentia: pietas: zelus.

a *De* muris *urbis Constantinopolitanæ multa habet Petrus Gyllius lib.* 1, *Topograph. cap* 19.

b *Imperavit* Marcianus *a* 29 *Julii an.* 450, *usque ad finem Januarii* 457.

c *Fuerit ne hic* Anatolius, *qui an.* 458 *obiisse traditur, colituque a Græcis* 3 *Julii, an* Gennadius *ejus successor, de quo* 25 *Augusti et* 17 *Novembr. agemus, haud constat. A* Gennadio *certe constitutus est Œconomus magnæ Ecclesiæ, ut ex Theodoro Lectore diximus.*

CAPUT II.

Templum S. Anastasiæ ædificat.

Illo autem suo præclaro boni et honesti amore, valde quoque amabat sacras ædes Christi Martyrum, et ex eis alias quidem, quæ laborabant, et ruinam minabantur, reficiebat; alias autem, quæ nondum factæ fuerant, excitabat. Quod autem ardentissime amabat, et sui desiderii finem existimabat, hoc erat, ut præclaræ et insigni inter Martyres *a* Anastasiæ præclarum templum extrueret. Laborabat autem in loco inveniendo, in quo opportunissime sacram ei ædem extrueret. Cum de eo autem esset sollicitus, mulier quædam, quæ genus ducebat ex *b* Syrorum Antiochia, Nico nomine, cum paullo ante conjugem amisisset, insignem domum, quæ ei hereditate obvenerat, posita autem erat in medio Constantinopolis foro, volebat vendere, ut cum ejus pretium accepisset, ad sua reverteretur. Hæc cum rescivisset hic ardens amator Martyris, et locum vidisset convenientem, et situm esse aptum suo proposito, pro lucro rem esse ducit : et ad mulierem veniens, loquitur de pretio, et numeratis bis mille aureis, persuadet ei domum vendere.

Templa instaurat et extruit.

a

Emit locum templo S. Anastasiæ.

b

5 Cum sic fecisset, planum erat eum jam velle opus aggredi. Sed qui bonis omnibus adversatur, ne hic quidem ostendit se suæ artis oblitum, neque omnino cessare, aut cessaturum esse malefacere; sed se mulieri astute insinuans, et ei gravem immittens pœnitentiam, ejus mentem valide oppugnabat; tanquam alias machinas ei pudorem admovens, quod scilicet a vulgo haberetur ludibrio; quæ sic pulcherrimas consumeret possessiones, erat enim domus antiqua et magnifica, et cui longo ante tempore, magni scilicet Constantini, contigisset ædificari : locari autem mercedibus et annuis possessionibus, satis magnum commodum afferebat. His mulier, ut mulier, labefactata, contractum solvere conabatur. Marcianus autem, qui nulli volebat esse molestus, nec cogere ut aliquid faceret quod nollet, suo jure cessit, et possessionem dimisit mulieri; quærens actionis sacrum esse fundamentum, et nihil volens offerre sanctæ Martyri,

Eum dimittit.

Ex Metaphraste

tyri, quod non prompto et alacri daretur animo, aut quod esset coactum.

6 Ex hoc ergo videbatur malignus victoria potitus: sed fuit illud principium, quo factum est, ut maxime vinceretur. Nam Deus, qui scit omnia traducere ad id quod est conducibile, is providet, ut hujus rei exitus sit longe melior et præclarior. Hic enim Marcianus cum hoc amore teneretur, et aliquando versaretur in legendis orationibus ejus, qui et sermone, et moribus, et Theologia præclarissime refulsit, sapientis, inquam, Gregorii; et de hujus Martyris templo cognovisset, *c* ut ille dicit, quod positum quidem esset in iis, quæ *d* Domnini Rostra vocabantur; (erat autem tunc veluti quædam sedes Orthodoxis adversus Arianos) : cum ergo cognovisset, quæ ille de eo templo prædixerat, suum gregem incitans, et ei addens animum : *e* Hanc Anastasiam, hanc, inquam, quæ cognomen accepit ex resurrectione, videbitis, sat scio, ampliorem et majorem. Cumque didicisset, non sine Dei numine nec temere prædictum fuisse a magno illo viro; etsi non magis prædictum fuisset de templo, quam de populo; et, utpote quod is, qui per illum hæc prædixisset, posset quoque verba in opus deducere, neque reputans impensarum multitudinem, neque quod major esset conatus, quam qui ejus viribus conveniret, ei quæ omnia potest fidei rem credens, opus cœpit urgere.

c

d *Valicinium S. Gregorii Theologi de hoc templo.*

e

S. Marcianus templum magnificum S. Anastasiæ extruit.

7 Et illud quidem minus et vetus templum relinquit in priori figura; ut sic omnibus ad spectandum propositum, apertius quam lingua prædicaret Theologi prophetiam; alterum autem ei excitat maximum et pulcherrimum, in orbem quidem variis porticibus atriisque et vestibulis, quæ vel ante templum elegantem præ se ferunt speciem, comprehendens; id autem veluti quandam magnam stellam, vel lunam a multis iisque pulchris stellis circumdatam, in medio erigens. Qualis enim id complexa sit pulchritudo, columnarum splendores, et colores, et magnitudo, lapidumque fulgor, et claritas materiæ, aurum tectum supra illustrans, ut ubique picturæ, quæ artis quidem perfectione mentes obstupefaciunt, oculos autem demulcent varietate materiæ. Jam vero *f* domum venerandæ illuminationis, aut eam quæ est constituta ad reponenda sacra vasa et donaria, quomodo quis dicens, non minus dixerit, quam postulet operum dignitas? Ipsorum autem vasorum multitudinem, aut materiam, aut artem, qui volet oratione persequi, sciet omnino, se ea solum mirari posse, non lingua exprimere. Adeo sunt omnia æque excellentia, ut etiamsi nemo prædixerit, vel ex hoc possit esse manifestum videntibus, quod ea mente divina processerunt, et manu divina opem ferente e Superis.

f

a *Acta* S. Anastasiæ *dabimus* 25 *Decembris. Ejus reliquiæ an.* 1 *Leonis, Christi* 457. *Constantinopolim allatæ, occasionem forte sancti hujus consilii Marciano præbuerunt. De his Cedrenus:* Illo anno allatæ sunt Sirmio reliquiæ sanctæ Martyris Anastasiæ; inque ejus templo depositæ, quod est apud Rostra Domnini.

b *Quæ sola sine addito* Antiochia *dici solet, de qua alibi sæpe.*

c *Græcum hujus vitæ exemplar nondum nacti sumus. Hic mendum suspicamur, propter ea quæ subjiciemus.*

d *Lipomanus et Surius edidere* Rostra Domini. *De ea æde Cedrenus in Valentiniano* : Tunc et Theologus Gregorius majori cum libertate verbum veritatis Constantinopoli docebat, in oratorio S. Anastasiæ, quod adhuc erat exiguum, decennium ibi et paullo amplius (*id ad ejus vitam* 9 *Maii expendetur*) moratus. Ibi quoque inaudita eduntur miracula ex apparitione immaculatæ Dominæ nostræ Deiparæ. Duplici enim nomine appellatur templum S. Anastasiæ : nam Anastasis dicitur, *id est Resurrectio*, quod ibi resurrexerit veræ religionis doctrina; et Anastasia, a miraculo quod isthic contigit. Fertur enim mulier quædam ex edito loco collapsa expirasse : facta deinde communi a Catholicis precatione, revocata ad vitam. Id oratorium cum tunc esset exiguum, postea a S. Marciano reædificatum est, uti nunc cernitur. *Ita ille, quæ ex cap.* 4 *fient clariora. Xylander hic verterat,* pius Imperator Marcianus ad eam molem extruxit, *etc. perperam. Græce est* καὶ τοῦ ὁσίου μακρίαυοῦ ἀνοικοδομηθῆναι. *Sozomenus lib.* 7, *c.* 5 *de eodem Gregorii Theologi domicilio sic scribit :* Gregorius autem Nazianzenus præsidebat iis qui Trinitatem consubstantialem profitebantur. Is in exigua quadam cellula cœtum suum colligebat, quæ per quosdam suæ fidei homines, tum ipsi, tum iis qui consimilem religionem amplectebantur, in domum precatoriam constructa erat. Sed eadem postea templum urbis effecta fuit præ ceteris illustre : estque non solum structuræ elegantia et majestate, sed et evidenti quoque divinæ apparitionis utilitate conspicuum. Etenim divina vis manifeste hic apparens, tum per se, tum per somnium sæpe multis, qui et morbis et variis rerum casibus affligebantur, opem tulit. Creditum autem est, hanc esse sacram virginem Mariam, Christi matrem. In hujus enim honorem templum extructum conspicitur. Porro hanc eccleslam Anastasiam appellant, (*quod nomen resurrectionem significat*) ob id, ut ego quidem puto, quod Nicæni Concilii dogma Constantinopoli per diversa docentium potentiam collapsum jam, atque (ut ita dicam) intermortuum, per Gregorii prædicationem hic resuscitatum sit, ac revixerit : seu potius (ut a quibusdam audivi, qui se rem veram referre asseverabant) quod congregato ad concionem populo, gravida mulier e sublimi porticu delapsa hic expirarit : eademque factis super ipsa communibus omnium precibus revixerit, et una cum fœtu salvata sit : ideoque ex miraculo divinitus edito deinceps istam appellationem locus ille sortitus fuerit. *Eadem scribit Nicephorus Callistus lib.* 12, *cap.* 7. *Brevius Socrates lib* 5, *cap.* 7. Eodem tempore Gregorius ad urbe Nazianzo translatus, intra urbem in parvo oratorio conventus faciebat. Cui oratorio Imperatores postmodum maximum templum adjunxerunt, vocaveruntque Anastasiam. *Agit de eadem domo Baronius, ad an.* 378, *nu.* 56 *et seqq.*

e *Ex Græco textu, si is esset ad manum, elici fortassis clarior sensus posset.* Anastasiæ *meminit Nazianzenus orat.* 32 *ad* 150. *Episcopos :* Vale Anastasia, nomen a pietate habens. Tu enim nobis fidei doctrinam, quæ adhuc contemptui erat, excitasti. Vale, inquam, communis victoriæ sedes, nova Silo, in qua primum arcam fiximus, quadraginta annis in deserto circumactam, incertisque sedibus vagantem. Tuque o magnum hoc templum et nobile, nova hæreditas, quod magnitudinem, quam nunc habes, ab orthodoxa doctrina suscepisti : quodque nos, cum prius Jebus esses, Hierusalem effecimus. Vosque etiam aliæ ædes sacræ, *etc. Multa in eandem sententiam habet idem Gregorius in Insomnio de Anastasiæ templo. At in carmine de vita sua, hæc inter alia canit :*

Anastasia, templorum honoratissimum,
Quæ fidem suscitasti in terra jacentem :
Arca Noe, quæ diluvium sola
Mundi effugisti, et fers secundum
Catholicum mundum in semente, *etc.*

f *Id est* baptisterium, *ut infra num.* 17, *exponitur.*

CAPUT III.

Veste pauperi data, ipse splendida indutus cernitur.

Omnibus autem convenientibus, novi quidem templi, ut par est, encænia celebrabantur; et *a* dies quoque, quo ipsa Martyr certamen consummavit, ipso, inquam, Decembre. Vocabant autem encænia et fideles *b* Imperatores et sacrum Senatum, et universam, ut semel dicam, civitatem. Oportebat autem, qui latebat, Marcianum eo die videri, qualis esset moribus, qualis virtute et quantum se ultra mandata extendebat. Nam cum tota concurreret civitas, et egentes una cum ea quodam pacto attraherentur, pauper quidam accedens ad hunc virum egregium, (ii enim exquirunt ac discunt benignas et clementes animas, non secus atque ii qui laborant, medicos) accedens ergo, respexit ad ejus dexteram, et petiit ut acciperet aliquod medicamentum famis. Ille autem (tunc enim nihil gestabat in sinu, sed revera habebat intra animæ sinum benignitatem multam et clementiam, cum remotus fuisset ab omnibus, et locum adspexisset valde latentem, nullo autem alio, nisi una tegeretur tunica, quod quidem fuit ei tota vita familiare, ut duabus non uteretur tunicis; cum sic se haberet vir divinus, etsi facile erat excusando egestatem, repellere supplicationem; nam quod nihil portabat, testes habebat omnia intuentes oculos. Ille, perinde ac si non daret, fieri non posset, ut non Deo afferret molestiam, cum se ea ipsa, qua sola indutus erat, veste exuisset, dat egenti prompto et alacri animo : et de cetero habebat solam vestem Sacerdotalem, et penulam, quæ corpus contegebat, quam etiam unde quaque contrahens, cupiebat quantum fieri poterat, latere, et id quod factum fuerat, omnium celare oculos.

Dedicatur templum.

a

b

S. Marcianus propriam vestem dat pauperi.

9 Postquam autem fuerunt intra ædem sacram, ei autem divinum celebrare sacrificium jussit primus Sacerdotum; ille quidem penulam similiter contrahebat

Videtur splendidissima veste indutus.

bat et complicabat, cupiens, ut diximus rem latere. Qui autem aderant, et una cum eis Pontifex, cum oculos in eum defixissent, vident quoddam novum et arcanum miraculum, et propemodum iis solum credibile, qui adspexerunt; vident eum intus indutum eximia quadam veste regia, et auro nitenti intertexta, quæ tunc etiam magis apparebat in manibus, quando eos qui accedebant, divino corpore impertiebat. Hæc videntes, alii quidem apud se mirabantur; alii autem aliis quoque enuntiabant; nonnulli quidem ut admirantes, nonnulli vero, ut est verisimile, etiam invidentes. Qui etiam ad ipsum
c Pontificem *c* Gennadium accedentes, tamquam existimantes eum nescire, quæ eum scire maxime volebant, ei renuntiant. Deinde ei etiam conabantur detrahere, et movebant calumnias adversus beatam illam animam. Et ille seipsum quoque dicebat vidisse, modum autem ignorare, et se revera de eo dubitare.

Miraculum explorat Patriarcha.

10 Postquam autem a Marciano fuit impositus finis sacrificio, eum accersit Patriarcha : et eum seorsum conveniens, de veste reprehendit, dicens eam magis Imperatoribus convenire, quam Sacerdotibus. Ille autem magis animi dubius, quam is qui dubitabat, procidit ad pedes illius, et in eos multas fundens lacrymas, negabat omnino id quod dictum fuerat, et dicebat deceptos fuisse ejus oculos. Tale quid enim vel solum cogitasse, aperta est insania. Ad hæc Patriarcha (stultum enim existimabat et a ratione aperte alienum, propriis non credere oculis) manu propria statim tangens, relaxat ipse penulam simul cum veste Sacerdotali, et de cetero miraculum videbatur et dicebatur. Nam illa quidem aurea, quæ paullo ante videbatur, tunica, nusquam erat; nudus autem Sanctus videbatur sicut erat, exceptis his indumentis Sacerdotalibus; nudus, inquam, qui vere aureis virtutis tunicis, quæ sub aspectum non cadunt, tegebatur. Hoc Pontificem quidem adducit in admirationem; in admirationem autem adducit etiam Imperatores, cum jam fama ad eos pervenisset : clarum autem erigit trophæum simul et adversus malignam et sceleratam Arii insaniam, quæ, proh dolor, usque ad id tempus defendebatur ab aliquibus. Fidelium enim multitudo, cum miraculo ei esset veluti additus animus, et in recta esset confirmata
e sententia, Arii quidem dogmata respuebat tamquam nugas; ipsi autem perinde ac quædam amnium fluenta, prompto et alacri animo ad templum confluebant, partim quidem contemplaturi ejus pulchritudinem, partim autem rectos quoque audituri sermones. Tanta autem et tam innumerabilis confluebat multitudo, ut vel solum accessisse prope ambitus, esset præmium multorum sudorum, et a multis existimaretur dignum, de quo acriter contenderent.

a *Colitur* S. Anastasia *a Latinis* 25 *Decemb. a Græcis* 22 *ejusdem, quo versimile est hanc dedicationem contigisse. An forte an.* 464, *quo ea dies Dominica fuit? Nam quod Baronius ann.* 459, *contigisse eam dedicationem tradit, id nullius veteris scriptoris confirmat auctoritate : nec verisimile est tam cito eam ecclesiam absolvi potuisse.*

b Leonem *et* Verinam, *quæ aliis* Berina *dicitur.*

c *Sedit Gennadius ab an.* 458 *ad* 471.

CAPUT IV.

S. Anastasiæ templum ab incendio servatum, miraculis illustratum.

Conveniebant ergo, diem unum festum frequenti deinceps tempore celebrantes. Nam ab eo quoque frequentia fiebant miracula. Ex quibus, ne in multis dicendis immorer, aliquod unum accipiens narrabo, quod satis est et ad ostendendam magni Marciani gratiam, et quod hoc sacrum templum Dei voluntate
a factum sit. *a* Incendium, quod non multa habuit similia, exitio dabat Rostra Domnini. Nam cum ignis apprehendisset loca, quæ sunt ad mare Boreale, totam urbem cingebat, et sic serpens ferociter

a Incendium S. Marciani precibus restinguitur.

usque ad mare quod est in meridie, depascebat omnia, quæ intercedebant. Consequenter ergo hanc quoque sacram ædem ignis comprehendebat impetus. Unusquisque ergo propriis neglectis calamitatibus, ad templum acriter procedebat, igni, qui non cernebatur, eorum inflammatis animis. Homo autem Dei nihil perterritus, et, ne si quidem eum in orbem circumsideret ignis, nihili faciens sed fidei in Deum credens omnia cedere; sacris acceptis Evangeliis, in summum tectum ascendit, et stans in medio flammæ, et se convertens ad preces, Christe Deus, dicebat, Deus patrum nostrorum, qui Abrahæ sacri- Gen. 22.
ficium suscepisti, et quem ei ex promissione præter spem præbuisti filium, præter spem a cæde liberasti; qui etiam in fornace Babylonica tres pueros Dan. 3.
captivos eo effecisti potentiores; ipse nunc quoque Domine, hanc tuam domum conserva, ne lædatur ab igne : et ne concedas, ut opus tuum quod nos multo labore et tanto perfecimus desiderio, ignis destruat : ne adhuc pergat inimicus in nos insolenter gloriari; nec ora Arianorum, qui sunt nobis propinqui, nos probris appetant : sed nunc quoque ostende aliquid dignum tua benignitate et majestate, ad gloriam tui nominis, et ad nostram, qui veritati credimus, gloriationem et exultationem. Hæc cum ille diceret, una cum verbis effluebant lacrymæ, et ostendebant eum intus extabescere. Deinde cum subjunxisset, Amen, videbant omnes fere qui aderant, primum quidem ignem sibilantem circa totam ædem, et in illam veluti facientem impetum; deinde vero recedentem, et veluti repressum a quadam inexpugnabili et fortissima virtute. Certe hæc quoque sacra ædes, quomodo divinorum puerorum aliquando corpora, tota illæsa, tota intacta, in tanto; o Christe Servator, igne est conservata.

Ex Metaphraste

12 Nec hoc solum, ut jam ante diximus, sed plu- *Miracula S. Anastasiæ, et D. Virginis.*
rima quoque alia admirabilia in hoc templo ostenduntur; multa quidem et tunc per Marcianum, multa autem post illius quoque mortem, partim quidem magna inter Martyres Anastasia, partim autem ipsa quoque communi omnium Regina intemerata, inquam, Deipara operante. Quæ quidem evidentissime apparens iis, qui in eo sunt paullo meliores, cum figura et forma consueta, non solum in somnis, sed re vera, caussa est ut fugentur dæmones, morbi et ægritudines : veneficiique et aliis malis medicamentum vere est inexpugnabile. Sed hæc quidem dicere certamen est non facile, et enumerare perinde est ac mare metiri cyatho.

13 Quod autem non solum vivi, ut recte viverent, *Mortua S. Marciani precibus suscitata.*
sed etiam jam mortui, ut viverent, in hoc templo acceperunt, jam volens declarare oratio, inveniat eorum, qui adsunt, aures paratas ad accipiendum miraculum. Mulier quædam ex superiori porticu dexteræ partis despiciens, et plusquam tutum esset, se in altum extollens, simul et cadit ex alto, et sibi quidem mortem affert; affert autem, proh dolor, mortem quoque fœtui, qui in eo habitabat. Quod quidem cum vidissent divinus Marcianus et populus, id ferre non poterant : sed in medio festo erat lamentatio et lacrymarum occasio id quod acciderat. Verumenimvero is qui est natura bonus, non sinit diu dominari illam affectionem : sed antequam e templo exirent qui congregati fuerant, (oportebat enim simul et Dei clementiæ, et in eos qui ipsum amabant, gloriæ opus conspici) cum in altum manus sustulisset Marcianus, et communiter oraret cum populo: et mulier surrexit præter opinionem, et intus motus est infans admirabiliter. Sed de miraculis quidem satis sit in præsentia.

a *Contigisse hoc incendium scribit Marcellinus Comes* Basilisco *et* Hermenerico Coss. *Indict.* 3, *anno nimirum Christi* 465. *Consentit Chronicon Alexandrinum, et addit contigisse* seria 4, 2 Septemb. cum celebraretur memoria S. Mamantis. *Quæ ἀσύστατα sunt : nam iis Coss. Indict.* 3, *littera Dominicalis erat C, et* 2 *Septemb.*

Incendium Constantinopoli.

Ex Metaphraste.

ptemb. incidebat in diem Jovis. In vita S. Danielis Stylitæ 11 *Decemb. dicitur cæpisse incendium* vesperi, quando a piis hominibus quæ ad festum pertinent inchoantur, et vigiliæ aguntur. *Cæpit ergo* 1 *Sept. ad vesperam die Mercurii, pridie S. Mammantis, quem Græci* 2 *Septembris, Latini* 17 *Aug. colunt. Cedrenus refert hoc incendium anno* 5 *Leonis, qui erat Christi* 461. *De eo Theodorus Lector lib.* 1. Magnum ortum est eo tempore incendium altera Septembris..... Marcianus vero Œconomus ad tegulas ecclesiæ S. Anastasiæ ascendit, et Evangeliis manu prehensis, lacrymis et precibus domum illæsam servavit. *Cedrenus recenset quæ incendio absumpta sunt publica ædificia; at de S. Marciano hæc scribit:* Marcianus autem Œconomus magnæ Ecclesiæ, qui templum construxerat sanctæ Resurrectionis, illud adhuc recenter ædificatum ab hoc incendio servavit, cum in tectum ascendisset cum Evangelio et thymiamatis, Deumque lacrymis placasset. *De eodem incendio agitur in vita* S. Marcelli *Archimandritæ* 29 *Decembris. Hinc porro refellas Gyllium, qui lib.* 3, *cap.* 6 *ita scribit:* Ex his Sozomini verbis (*superius a nobis relatis*) patet errare recentes, hanc ædem Divæ Anastasiæ Romanæ attribuentes. Descriptio regionum urbis dumtaxat appellat ecclesiam Anastasiam : quam ego arbitror unam fuisse ex his duabus, quas maximas et ornatas omni genere lapidum Cedrenus scribit incendio excitato regnante Leone conflagrasse. *Mirum est illud de æde* S. Anastasiæ *per Marcianum servata non animadversum ab hoc auctore in eodem Cedreni loco.*

CAPUT V.

Templum S. Irenes, aliaque ædificat Marcianus.

a *Templa SS. Irenes et Theodori, construit Marcianus, cælesti visione animatus.*

Oportet autem omnino alia quoque templa complecti oratione, quæ ille pie ac religiose ædificavit: *a* Irenes, inquam, quæ est inter Martyres admirabilis, quod est ad mare positum : et ejus, quod est illi continens, divini scilicet Theodori. Hoc enim templum Martyris Irenes, erat quidem in principio, neque propter magnitudinem, nec pulchritudinem, nec ullum alium ornatum aut magnificentiam, dignum quod spectaretur: sed Deo omnino curæ fuit id excitare in eam, quæ nunc cernitur, magnitudinem et pulchritudinem. Quamobrem Gennadio quoque Patriarchæ divina quædam apparet visio. Dicebat autem visio: Solve hoc templum: tempore enim tui *b* successoris sum id rursus excitaturus. Atque ille quidem simul jussum implevit, et vitam finiit. Marcianus autem ille admirabilis, cum ad ejus aures pervenisset hæc visio, atque ei etiam fuisset *c* tradita magnæ Ecclesiæ dispensatio, existimans somnium id ad se deferre, varias apud se versabat cogitationes, quonam modo fieri posset, ut ei succederet hoc opus ex sententia. Inscientibus itaque fere omnibus, cum paucis aliquot illuc venit. Deinde etiam cum ipsos jussisset recedere, (jam enim erat nox) solus et genu et anima Deo inclinata, ubi nunc sacra ara est posita, orabat dicens : Deus, qui execranda templa simulachrorum tuo nutu et salutati voluntate evertisti, ab eorum autem deceptione opus tuarum manuum liberasti; ædes autem sacras et templa sancta excitari jussisti, in quibus tu quoque semper divina multa signa peragis; ipse nunc quoque convenienter tuo divino promisso, ad hunc locum respice, et eum sanctifica tua ineffabili gratia et virtute; per nos Domine excitans jam tibi prægnitam domum ad tuam gloriam, ad nostram exultationem, ad multarum animarum salutem, quæ tuum nomen invocant. Certe Deus et Rex omnium, cujus voluntati cedunt somnia, et cujus vere est opus cogitatio. Cum sic orasset, ejus oculis somnum immittit Deus, et statim ei ostendit in somnis, et templi situm, et magnitudinem, et aliam omnem ædificationem. Deinde etiam divinam tamquam in somnis audivit vocem : O Marciane, fieri possunt omnia credenti.

b

c

13 Cum itaque surrexisset, metu et gaudio plenus, accedit ad Archiepiscopum, et exponit visionem. Illius autem gratum assensum assecutus, ad opus aggreditur, et ut, prout ei ostensum fuerat, ædem faceret magnificam, cum proximum mare, quod tunc templi fores propemodum alluebat, labore et magnis sumptibus effodisset, templi sic jacit fundamentum : adeo ut huic quoque templo conveniat, quod dictum est : Ipse super maria fundavit eam, omnium scilicet opifex. Jactis autem fundamentis, reliqua quoque pergit ædificare. Magnificas enim columnas per seriem utrimque statuens, deinde alias iis superne imponens, effecit inferiores et superiores porticus. Deinde cum totam ædem omni ex parte comprehendisset *d* ὑπαίθροις, ita tectum imponit, maximis id complexus trabibus. Quid autem dixerit quispiam, quam sint validi parietes, quam sit amœnum pavimentum, quam sint alia omnia ornata, accurata, et elegantia? Nam ubicumque quispiam oculum defixerit, existimans se immorari in eo, quod est pulcherrimum, deinde rursus aliud attenderit; eum pœnitebit moræ, quam in priore traxerit : et sic omnia pervadens inveniet, cum semper id, quod præcessit, videatur vinci ab eo quod adest.

Psal. 23. 2. *Templi S. Irenes mira elegantia.*

d

Dæmon opus impediens, cruce pellitur.

16 Cujusmodi autem invasit quoque dæmon, hoc præclarum opus impedire aggrediens? Nam cum duæ magnæ columnæ, quæ statutæ erant ante aram venerandam, jam essent erigendæ, altera ex iis manibus hominum diu parere noluit, vixque contineri poterat, et a statu concinno divertebat, et instrumenta continenter dirumpebantur : iisque, qui ad hoc administrabat, defatigata jam erat industria. Tandem cum fieri posse veluti desperassent, ad Sanctum uno consensu accedunt, et id, quod factum fuerat, renuntiant. Is autem non statuit se dedere otio et socordiæ. Neque vero afferendi remedii spem abjecit, respiciens imbecillitatem cogitationum et manuum humanarum : sed spei in Deum universum permittens, venit ad locum. Et cum primo manus extendisset, et se totum contulisset ad precationem, et figuram crucis signasset, increpavit dæmonem, qui erat caussa impedimenti : Inimice, dicens, et hostis omnis boni, cessa invidere et ea impedire, quæ fiunt ad Dei gloriam. Deinde ipse quoque cum aliis manibus jam senio affectis, opus una attingens, magnum attulit momentum, ex spiritu potius, ut ita dicam, quam ex corpore : et protinus moveri cœpit columnæ status, et cessit manibus. Apparet autem in hodiernum usque diem in columna miraculum per hoc quod a recto paululum declinaverit. Hanc autem dicimus columnam, quæ posita est a sinistris aræ sacræ iis, qui adspiciunt ad Orientem.

Baptisterii um mirifici operis.

17 Sed quomodo pulcherrimi quoque ab eo constructi illuminatorii, quod quidem solemus vocare baptisterium, paucis explicare quis possit pulchritudinem, quod videntibus cum admiratione magnam profundit voluptatem? Comprehensum enim est a quinque porticibus, sicut Probaticam quoque aiunt piscinam quæ est in Hierusalem. Sed hic quoque majora, quam illic, videntur fieri miracula. Nam in illa quidem erat qui accedebat Angelus, et uno die unus assequebatur curationem. Hic autem non est servus qui ministrat, sed advenit quidem Dominus. Curatio autem non uno fit die, sed assidue : et non solum corporum, sed etiam aperte animarum. Ostendit autem divinus Marcianus hac quoque figura baptisterii, se universum fecisse ad formam hujus, quæ sermone celebratur, piscinæ. Cum enim tectum tholis divisisset, et aureis lapillis quæcumque erant illius ornasset, et ægrotorum figuras descripsit ad unguem, et ipsum etiam Christum ægrotos curantem; ut non solum eos qui laborant, sed medicum quoque videre liceat. Optimum autem fuerit, non ita valde indigendo præsenti oratione, ea quæ dicta sunt, ipsis oculis apprehendere. Nam quæ illic sunt, majora esse existismo, quam ut ea possimus oratione consequi, et quæ possit solus visus comprehendere. Quamobrem ea quidem statuo prætermittere. Quæ autem sunt his germana, et simul propinquo tempore perfecta fuere, ea dicam utique; et quod jam mihi fuit in memoria, divini Isidori templum, adhuc magis litteris memoriæ mandabo.

Joan. 5.

18 Cum

Templum S. Isidori construit.

e

18 Cum divinorum oratoriorum ædificationis quodam vehementissimo teneretur amore bonus revera Marcianus; nec magnum quoque neglexit *e* Isidorum : sed ut ejus sacras afferret reliquias, et magnificentissimam ei ædem extrueret, magno sibi duxit studio contendendum. Nec cessabat omnem locum considerare ac contemplari. Et ideo adhuc quidem differebatur ædificatio; cum autem ejus collegisset reliquias, et in loculo deposuisset, eas statuit in præsentia servare in hoc templo Martyris. Ubi autem brevi aliquo post tempore aggressus est eas transferre, accidit ibi aliquid admirabile et arcanum. Neque enim ipse, nec alia multa manus hominum potuit thecam amplius movere. Divinam ergo aliquam rem esse arbitratus, et *f* cum alioqui ei in somnis ipse significasset Martyr, se loco delectari, neque velle hinc suas transferri reliquias, deinceps parens visioni, construxit hanc ædem, quæ sita est prope templum Martyris Irenes. Quod hæc ædes autem sit grata Martyri, per multa hoc signa significat, evidenter apparens, et magna miracula assidue efficiens, et a dæmonibus quidem liberans eos qui ab eis detinentur; naufragis autem fluctus sedans, et ventorum sævitiam increpans; eos qui molestia afficiuntur consolans, et tristitiæ caussas eis adimens; et alioqui ægrotantibus aut egentibus ea quæ sunt gravia, cessare faciens; et quæ bona sunt, præbens.

f

Multa isthic fiunt miracula.

Moritur S. Marcianus.

19 Hæc cum magnus perfecisset Marcianus, et his veluti aliis muris aureis, ornatus gratia et securitatis, civitatem decorasset, dissolvit vitam in profunda senectute, priusquam maximo templo Irenes celebraret encænia; hoc veluti excedendi appositum quidpiam elocutus : Hæc ambo in manus tuas commendo Domine, nempe animam quam ipse creasti, et templum, quod ego tua voluntate construxi. Quæ cum dixisset, decessit decimo mensis Januarii.

Magnifice sepelitur.

20 Concurrit autem universa civitas, deductura reliquias, ipseque qui tunc erat Pontifex, et quicumque erant sortis Ecclesiasticæ, et multitudo monachorum, et cœtus honestarum mulierum, et ex Magistratibus, quotquot erant pii ac religiosi. Atque sacras quidem ejus reliquias Joannis Baptistæ monasterium, quod etiam dicitur Danielis, suscipit : quod situm est prope divinum templum præclari Martyris Mocii : quod ipsum quoque fuit opus illius manus, vel, ut verius dicam, propositi. Quo quidem in loco in hodiernum usque diem præclare et pie ejus memoria celebratur.

g

Encænia templi S. Irenes.

21 Ædis autem magnæ Irenes, quam ipse fuerat fabricatus, *g* maxime pia Verina (ea autem erat uxor Magni Leonis) curam suscipit. Quæ quidem, quæ ei ad ornamentum deerant, implet diligentissime, auroque tectum ornat magnifice. Hæc autem declarat, quæ illic est inscriptio. Templi vero encænia quotannis peraguntur *h* vicesimo Januarii. Quo tempore magnus quoque est concursus multitudinis, et frequens in ore omnium decantatur Marcianus, tamquam illius filias hæc duo templa videntes multitudine, et ejus memoriam per ea renovante : adeo ut nonnulli inter se lepide dicant cum voluptate : Ecce hæc quoque est alia filia magni Marciani, pulchritudine et magnificentia sororm magnæ Anastasiæ. Quod certe ille quidem ipse solummodo de divina dixit Anastasia, quemadmodum censuerit quispiam esse prætermittendum? Nam cum quidam ex ejus familiaribus magnam miraretur impensam : Si desponsurus essem, inquit ille, meam filiam, non quæ ad ejus decorem pertinerent, et ornatum, statuerem mihi esse præbenda quam possem magnificentissime? Nunc autem cum impensas statuerimus facere in templum sponsæ Christi, et sponsæ adeo pulchræ, et quæ pro ipso sanguinem non parsit fundere; non longe amplius et alacrius sumus sumptus facturi, nullumque ornamentum speciemque et elegantiam prætermissuri? Tam splendidus et magnificus erat Marcianus in iis, quæ Deo grata erant, operibus, neque ullis parcebat sumptibus. Etenim non harum solum fuit conditor, sed multarum quoque aliarum ædium non tantum se præstitit opificem, verum etiam refectorem atque reparatorem. Ut *i* magni quoque Martyris Theodori, qui fuit in Tænaro, et *k* Stratonici Martyris, qui fuit *l* Rhegii.

h

Filiæ S. Marciani, templa ab eo extructa.

Ex Metaphraste

Multa ab eo reparata.

i

k l

a *Baronius in Notis ad Martyrologium, ad* 18 *Septembr. fatetur se ignorare an quæ Constantinopoli erat* S. Irenes *ecclesia ei sacra fuerit quæ illo die cum* Sophia *sorore colitur, an ei quæ* 5 *Aprilis. Alia celebratur a Græcis* 5 *Maii* Irene, *de qua nihil in Martyrologio, multa in Menæis et Anthologio, ac prope incredibilia memorantur. Templum* S. Irenes *inter condita aut reparata a Justiniano memorat Procopius lib.* 1, *de ædificiis : aliquod fortassis templo, cætera elegantissimo, additum ab eo ornamentum est, quod ita rhetor ille solita adulatione celebravit, quasi integrum excitasset templum. Nicetas Choniates in Annalib. Manuelis Commeni lib.* 7, *ita scribit:* ἐπιβαλόμενος δὲ τὸν πρὸς θάλασσαν τῆς ἁγίας Εἰρήνης οἰκοδομῆσαι νεών, ὃν μεγέθει μέγιστον, καὶ κάλλει κάλλιστον, πάλαι Μαρκιανὸς ὁ πάνυ ἀνήγειρε, πῦρ δὲ ἠθάλωσε, μέρη τινὰ τοῦ τοιούτου τεμένους ἐκ βάθρων δειμάμενος, τοῦ λοιποῦ τῆς ναοδομίας ἐπαύσατο. Aggressus templum S. Irenes juxta mare ædificare, quod longe maximum et pulcherrimum magnus olim Marcianus excitarat, ignis vero absumpserat, cum partes aliquas a fundamentis construxisset, navi ejus ædificanda supersedit. *Quod ita vertit Wolfius:* Templum D. Irenæ maximum et pulcherrimum, a Marciano Imperatore conditum, et incendio absumptum, instaurare aggressus, cum partes quasdam ex fundamentis extruxisset, desitit. *Hinc quoque inductus Baronius ut scriberet in Notis ad Martyrol.* 5 *Aprilis :* In honorem S. Irenes Martyris Justianus Imperator excitavit nobilem ecclesiam, ut tradit Procopius lib. 1, de ædif. Justiniani Imp. Ante ipsum Marcianus Imperator (ut scribit. Nicet. Choniat, lib 7, Annal.) id ipsum præstitit. *Ita ille. At nec simpliciter citari debuit Choniates* lib. 7, Annal. *nisi adderetur* Manuelis; *cujus res gestas septem libris, aliorum uno, duobus, tribus prosecutus est. Nec tribui* Marciano Imperatori *basilica S. Irenes potest, quasi sub eo constructa, cum ne incepta quidem sit vivente* Marciano Imper. *sed ut hic dicitur, post mortem Gennadii Patriarchæ, quæ, an.* 471 *contigit. Testatur Gyllius nullum nunc vestigium superesse templorum* S. Anastasiæ *et* S. Irenes. b *Is fuit Acacius, qui ab an.* 471, *sedit usque ad* 488, *homo superbus et versipellis.*

Templum S. Irenes.

c *Non tunc primum tradita est, sed, ut ex Theodoro Lectore diximus, sub Gennadio, adeoque principio ejus Episcopatus.*

d *Id est* areis subdialibus, *tum ne contigua ædificia luminibus officerent, tum ut ecclesia longius abesset ab incendii periculo : cum alioquin etiam in privatis ædificiis, Zenonis Augusti constitutione sancitum eodem fere tempore fuerit,* duodecim pedes oportere relinqui ab eo qui ædificaturus est, inter propriam et vicini domum; *ut habetur L.* Ex quo pace. 12. *C.* ædificiis privatis. e *Hic est* S. Isidorus Martyr, *quem Græci* 14 *Maii colunt, Latini* 5 *Febru. quo die ejus Acta dabimus, quæ et in Surio extant.*

Templum S. Isidori.

f *In Actis S. Isidori hæc habentur :* Sed divinæ quoque memoriæ Marcianus, qui fuit sanctus et beatus Œconomus et Presbyter, qui venerandum templum S. Irenes, et S. Anastasiæ, in hac regia civitate divine excitavit, cum in posterioribus temporibus in somnis responsum accepisset a sancto Martyre (ab eo enim visus fuit sanctus Martyr, præcipiens ei ut excitaret templum in suo nomine) et a somno excitatus S. Marcianus, divina fuit captus cogitatione : et extruxit venerandam ædem, in nomine et ad gloriam sancti et gloriosi Martyris Christi Isidori, prope S. Irenen, quæ spectat ad mare, quam etiam simul dedit ipsi ædi S. Irenes. Deposuit enim sanctus et magnus vir Marcianus, in veneranda et sancta ejus capsa, partem quandam sanctarum ejus reliquiarum, cum aromatibus et unguento sanctificato. Quamobrem ab eo tempore per multa miracula ostendit propriam virtutem et in eo loco præsentiam, dans unicuique divina gratia ea quæ sunt ei conducibilia. g *De* Verinæ (*quæ in quibusdam Græcis* mss. Μαρίνα *dicitur*) *pietate agitur in vita* S. Matronæ 9 *Nov. ubi et mentio fit templi juxta mare siti,* quod, *ut ibi dicitur,* nomine Pacis Dei appellatur. *Existimavit nimirum Auctor, ut* sanctæ Sophiæ *templum a divina Sapientia nuncupabatur, ita et* S. Irenes (*quæ vox* Pacem *significat*) *a divina Pace vocari.* h *Nihil de iis extat illo die in Græcorum Menæis.*

i *Plures celebrantur* Theodori Martyres : *quis hic sit, haud possumus statuere. Procopius lib.* 1, *de ædific. refert ædificatum vel restauratum a Justiniano templum* S. Theodori, ante urbem itum ἐν χώρῳ καλουμένῳ ῥησσίῳ, in loco qui dicitur Rhession.

k *Ejus, ut remur, qui* 13 *Januar. colitur.*

l *An forte* in Rhessio, *ut jam diximus?*

CAPUT VI.

Mortuos sepelit Marcianus : meretrices convertit.

Et quod est magis admirabile, cum in sacris ædibus ejus esset manus tam liberalis, ea erat multo magis profusa in cura gerenda pauperum. Quod quidem nunc vult cursim persequi oratio, adeo ut non solum manifesta fieret illius in egenos benignitas, sed hæc ipsa quoque beneficentia, qualibus donis dignaretur

Ex Metaphraste *Noctu mortuos quærit et sepelit: qui eum ut vivi amplectuntur.*

dignaretur illius amatores. Noctu vir ille admirabilis obiens plateas et civitatis angiportus, hujus quoque curam gerebat. Sicubi invenisset mortuum præ nimia paupertate abjectum, et cujus nemo curam gereret, et quem talem vidisset, tamquam magnum aliquod lucrum assecutus, eum lubenter videbat : cumque eum diligenter lavisset et induisset, et alia justa pro more ei fecisset, deinde etiam mortuum tanquam vivum alloquebatur : Agedum, dicens, sis quoque nobiscum particeps ejus, quæ est in Christo, caritatis. Quæ cum sic diceret, habebat eum qui jacebat, audientem. Surgebat enim, (o miraculum, quod verbis non potest explicari) et bonum amplectebatur Marcianum, curam quæ ejus gerebatur, non illum, sed Christum potius ostendens suscipere. Deinde sic mortuus, rursus erat mortuus : et talis videbatur ab iis, qui erant superstites. Hoc autem fuit alias quoque cognitum : sed ex hoc evasit manifestius.

23 Media nocte, quando maxime putabat fore ut a nemine videretur, ventitabat ad quemdam argentarium sibi familiarem, ut aurum permutaret : et accipiens multum minutæ monetæ æneæ, ut haberet quod posset distribuere pauperibus, statim revertebatur. Argentarius autem accipiens noctem intempestivam ad lucri occasionem, iniqua trutina ponderabat aureos. Ille autem nihil contradicens, nec omnino accurate considerans, aperte ostendebat se omnia permittere conscientiæ ejus qui ponderabat. Cum autem hoc sæpe fieret, et Marcianus simulans se non intelligere, nequaquam insimularet argentarium, eum magna subiit admiratio : et simul tempus considerans, nempe medium noctis, ad meliorem venit considerationem : cœpitque suspicari id, quod erat veritati propius, et Marciani vitæ convenientius. Unum certe ex suis pueris jussit eum sequi egredientem, ut sciret, quidnam ab eo illa minuta fieret pecunia. Neque enim ab argentario cognoscebatur Marcianus, ut qui apte vultum celaret, quando ad ipsum ingrediebatur, ut illam minutam acciperet pecuniam. Atque puer quidem sequebatur. Postquam autem incidit vir divinus in quemdam pauperem mortuum in lecto jacentem, et acceptum ex quadam cauponis domuncula, lavit et induit, et cum surrexisset, est amplexus; et eo deinde reclinato, rursus abiit. Puerum, cum hæc vidisset, horror invasit, et conversus, quam citissime fieri potuit, omnia declarat ei qui illum miserat. Illum autem subiit pœnitentia eorum, quæ fecerat : et quod se iniquissime in Sanctum gesserat, deflebat, et pœnas sumebat de sua conscientia. Certe cum is rursus venisset, ut faceret similia, procidit ei ad pedes, et confessus est ea, quæ male fecerat : et quicquid per fraudem lucratus fuerat, enumeravit. Ita bona tacens actio plura potest facere, quam verborum multitudo : et quibus nihil prosunt reprehensiones et suasiones, iis opus laudabile procedens silentio, et latenter transmissum ad eorum conscientiam, meliores reddidit, et effecit ut bonum sua sponte discerent. Divinus autem Marcianus cum dixisset se fuisse nulla affectum injuria, ab eo quod dabatur, et qui dabat se deinceps abstinuit; non tamquam improbum aliquem aversans : illi enim non solum ignovit, sed etiam professus est se eum habere amicissimum; sed toto pede fugiebat cramben ex vana gloria proserpentem, et non volens sua alicui homini fieri manifesta, sed ea apud Deum solum reponens. Licet ergo ei qui velit, considerare, quidnam prius possit admirari, insignene miraculum, an beneficentiæ studium, an in universa machinatione ejus animi libertatem. Verumenimvero de illius beneficentia oratio aliud quoque bonum mihi revocat in memoria.

Injustum argentarium sua in pauperes caritate convertit.

Fugit vanam gloriam.

Meretrices pecunia et monitis convertit:

24 Hæc virtus ei tantæ erat curæ, ut propter eam ne in meretricum quidem domos venire dedignaretur, neque eam rem esse turpem existimaret : sed ad illum ipsum, quem diligebat, Christum adspiciens tamquam ad exemplar, qui cum publicanis et peccatoribus propter eorum salutem sæpe habuit consuetudinem, et malis suaderet mulieribus, quæ erant salutaria : quibus nonnumquam inopia erat caussa sui interitus, dum vellent (proh dolor) suo corpore quæstum facere. In eas ergo magis erat profusus, et dextra magis promptus optimus Marcianus : et maxime si contigisset festum agi die sequenti. Tunc enim erat paratus plura eis præbere, quam illæ erant accepturæ ex abominanda nequitia : persuadebatque eis et uti lavacro, et se in sequentem diem servare impollutas, et ad ecclesiam deinde accedere, et recordantes eorum quæ præcesserant, horribilis gehennæ metum sibi incutere, et Deum placare lacrymis. Quod quidem cum sæpe factum esset, nonnullas boni vincebat consuetudo; divinusque eis ingruens metus efficiebat, ut non solum stupris, sed omni etiam ornamento valedicentes, ad monasteria et asceteria, id est, loca in quibus se exercerent, prompto et alacri venirent animo. Multæ quoque ex iis statuerunt ire Hierosolymam, cum ab illo accepissent sumptus, qui sufficerent ad viaticum. Quæ cum vitam maxime puram et priori ex diametro oppositam ostendissent, ne boni quidem spiritus donorum fuere expertes : sed aliæ quidem ex ipsis morbos solverunt oratione, aliæ autem dæmones quoque, quos prius diligenter coluerant, facile ejecerunt ex hominibus.

ex iis quædam deinde miraculis claræ.

CAPUT VII.

Marciani paupertas, existimatio, miracula.

Hæc ille, non, ut faceret aliquis ex iis, qui magnis affluunt opibus, id quod redundat exinaniens, sed propter magnum quod egentibus afferebat auxilium, ne ipsis quidem parcens necessariis. Sed nonnumquam cum omnia etiam extulisset et erogasset, quæ habebat in manibus, sibi solam spem bonam, et ad Dei solum manus adspicere, relinquebat : adeo ut cum aliis quæ habebat bonis, etiam quod ad nihil possidentem attinet, primas partes nulli cederet. Hujus autem quod dico, signum est. Dicitur enim, quod a festo Sanctorum revertens aliquando, (nam nec iis, nec Domini, quæ fit in medio multorum, laudationi deerat, divini cultus et religionis gratia,) revertens ergo, quoniam pluviam erumpere contigerat, madefactus et domum ingressus, cum se inclusisset et vestem exuisset, paucis exsiccabat carbonibus. Accidit autem, ut Dei amantissimus Pontifex tunc eum accerseret. Qui autem missi fuerant, cum domum invenissent clausam, pulsabant ostium, et jubebant egredi. Illum vero pudor, ne nudus videretur, cogebat intus manere, quoniam ne alia quidem ei vestis aderat, ut posset indutus progredi. Et ideo renuntiavit quidem se venturum, sed tamen adhuc differebat, donec unus ex iis qui aderant, se gerens paullo curiosius, cum uni foramini oculum admovisset, et contemplatus esset id quod fiebat, et ipse repletus fuit admiratione, et effecit ut aliis uteretur hujus rei testibus, dum suis cernerent oculis. Postquam itaque id quod visum fuerat, omnes obstupefecisset, reversi sunt, et Patriarchæ cum admiratione omnia aperuere. Illi autem non modo venit in mentem admirari, sed potius eos increpare, quod ex adeo parvis statuerint magnum judicare Marcianum, cum liceret ex multis aliis, et quæ nullus posset alius facile efficere, illum existimare admirandum et beatum.

Marcianus unicam hâbebat vestem.

26 Quanta autem fuerit ex æquo omnium in hunc magnum reverentia, populi, inquam et Senatus, et ipsius Imperatoris, testatur quidem fama : testantur autem etiam, qui tunc fuere potentissimi, *a* Aspar et Ardaburius. Qui etsi essent mala opinione præditi, et iis qui recte sentiebant, inimicissimi, divinum tamen Marcianum ne facile quidem intueri poterant, insignem

a Omnibus est venerationi.

insignem ejus virtutem reverentes : et ideo illi magnum honorem tribuebant, et templum magnæ Anastatiæ, quod ab illo fuerat conditum, pretiosis vasis ex auro et argento factis decoraverunt. Ille autem donum remunerans, decrevit ut diebus solemnibus, patria eorum lingua (Gotthi enim erant) divinitus inspiratæ scripturæ in eo templo legerentur. Sed Byzantinis quidem erat Marcianus adeo venerandus. Vocabat autem fama eas quoque, quæ procul sitæ erant, civitates; et undique confluebant, alii quidem percepturi peccatorum curationem, alii vero morborum : et nec deerant quidem, qui a Roma veteri veniebant. Inter quos aliquo quoque, quod factum est dignum memoratu, non par esse arbitror fraudare vestras aures.

Infirmam sanat.

27 Quædam enim mulier laborans diuturno fluxu sanguinis adeo graviter, ut omnis medicinæ, quod ad eam attinebat, vanum existimaretur studium et supervacaneum, ea Roma relicta, (eam enim vocabant divina signa Marciani, quæ canebantur ab omnibus) pervenit Constantinopolim. Neque vero eam tantum iter confecisse pœnituit, ut quæ tanta vexatione nihil dignum consecuta sit; sed simul ut ad justum accessit Marcianum, et morbum significavit, curata est mulier. Talis enim fuit hic vir divinus, ut nec tactu quidem sæpe, sed sola precatione et nudo aspectu liberaret eos qui accedebant, et ei exhibebant negotium. Tantus quidem fuit Marcianus miraculis : talis autem iis quoque, quæ recte et ex virtute gesta sunt, convenienter divinæ promissioni, quæ dicit : Eos qui me glorificant, glorificabo. Cujus intercessionibus nobis concedatur, illius esse bonorum participes, in Christo Jesu Domino nostro, cui gloria et potentia nunc et in secula seculorum, Amen.

Ex METAPHRASTE.

1. Reg. 2. 30.

a Aspar *senioris* Ardaburii *filius, junioris, cujus hic mentio est, pater. Ambo Ariani,* spadonum ensibus interiere, *ut tradit Marcellinus Comes,* Indict. 9, Leone Aug. IV, et Probiano Coss. *anno Christi* 471. *Chronicon Alexandrinum Indict.* 5, Pusæo et Joanne Coss. *an. Christi* 467, *hoc ait contigisse, magnumque in urbe tumultum exstitisse,* cum haberent copiam magnam Gothorum, et Comites, et alios famulos sibi adhærentes.

DE S. FLORIDA VIRGINE.

X JANUARII.

Divione in Burgundia S. Floridæ *Virginis agi hodie natalem tradunt Ferrarius, Molanus in Appendice, Martyrolog. Germanicum. De ea S. Gregorius Turonen. de gloria Confessorum, cap.* 44. In hac basilica, *inquit, (castri Divionensis, in qua* S. Paschasia *Virgo sepulta est, ut* IX *Januar. diximus, et* SS. Hilarius *et* Quieta, *parentes S. Joannis Abbatis Reomensis, de quo* XXVIII *Januar.)* in hac *ergo* basilica et S. Florida quiescit, quæ, ut ferunt incolæ, veste mutata religiosa valde fuit. *Meminit* S. Floridæ *And. Saussaius in Appendice Martyrologii, sed nullo ei assignato natali; et Cl. Robertus in Divione.*

DE S. VALERICO, SIVE WALERICO, EREMITA IN GALLIA.

SECULO VI. X JANUARII.

S. Walerici natalis,

Valericum, *aut* Walericum, *eremitam, (alium a* Walerico *Luxoviensi monacho, de quo* I *Aprilis) refert hoc die Philippus Ferrarius his verbis :* Apud Lemovices S. Valericii Abbatis. *In Notis ait, ex cive opulento, cum relictis omnibus ad sepulchrum S. Martialis esset profectus, factum esse multorum monachorum Patrem. Martyrologium Gallobelgicum :* Eodem die decessit in territorio Lemovicensi S. Valericus eremita, in Belgio nobili genere natus, sed multo virtutum præstantia nobilior.

patria,

2 *De eo ex Lectionibus Ecclesiæ Lemovicensis hæc scribit Joannes Molanus in Natalibus SS. Belgii :* In territorio Lemovicensi S. Walerici eremitæ et Confessoris. Qui dilectus Deo et hominibus, in provincia Galliæ quæ Germania dicitur inferior, illustrium virorum sanguine, Christianis parentibus est natus.

secessus,

Postmodum Christo duce Aquitaniam ingressus, et locum secretum expetens, a Clericis Ecclesiæ S. Martialis Lemovicensis, qui eum summa reverentia prosequebantur, locum solitudinis accepit; in quo ei construxerunt cellulam, et ecclesiam in honorem Martyris Juliani. Multi autem eo confugiebant ob disciplinam. Clarescebat etiam, providente Deo, per miraculorum exhibitionem. Omnibus interea virtutibus ornatus, cum senio gravaretur, sanctitate juvenesceret, sumpto Dominici corporis viatico, inter verba orationis animam Deo lætus reddidit, quinta Epiphaniæ die. *De* S. Martiale *Lemovicum Apostolo, cujus hic mentio fit agemus* XXX *Junii.*

ætas,

3 *Qua ætate floruerit* S. Walericus, *docet hoc paullo prolixiori elogio Andreas Saussaius in Martyrologio Gallicano :* In agro Lemovicensi S. Valerici Confessoris et eremitæ, qui in secunda Belgica sub Rege Clodoveo magno, ingenuis natalibus ortus, cum ab insita naturæ præstantia, ad omnem virtutis habitum mirabiliter formatus esset, a primis annis religioni deditus, sacro scripturarum divinarum eloquio incubuit : quarum studio, cælestis vitæ affectibus incensus, virtutum omnium at maxime humilitatis cultum

miracula,

actibus suis exhibuit. Adeo ut cum miraculorum etiam gratia divinitus decoratus esset; quorum fulgore emicanti sanctitatis ejus fama percrebrescebat, ut humanæ laudis auras vitaret, secessum a solo natali remotum, ubi soli Deo notus degeret, cogitarit. In Aquitaniam igitur profectus, audita miraculorum celebritate, quæ ad tumulum S. Martialis magis in dies coruscabant, Lemovicas venit beatissimi opitulatoris apud Deum præsidium vigiliis et orationibus efflagitans, quo sibi solitariam vitam meditanti consilium felicis successus affulgeret. Divino igitur lumine irradiatus in montem saxis asperrimum, frondibusque umbrosum, prope id oppidum (cui postea sancti advenæ memoria nomen indidit) se recepit, sibi a Clericis Ecclesiæ B. Martialis designatum : illicque cellulam construxit, in qua cælestem militiam exorsus, puri famulatus Deo obsequia reddere instituit, vigiliis, jejuniis et orationibus assiduus. Nec sua ex statione unquam pedem dimovit, nisi festis solemnioribus quibus B. Juliani Martyris prope sitam ecclesiam, vel etiam aliquando S. Martialis sepulchrum, magno cum religionis affectu visitabat.

peregrinatio,

solitaria vita.

4 At latere cupientem, divinæ virtutis magnificentia, quæ eum circumfulsit, invitum propalavit. Ex hujus enim miræ conversationis actibus, cum e solitudine splendor accolis circum degentibus refulsisset, concursus ad eum fieri cœpit infirmorum opem enixe ejus deposcentium, quos ille precibus fusis, impressoque crucis signaculo recreabat. Energumenos siquidem a dæmonum agitatione liberabat, lunaticis mentem tranquillam, cæcis visum, claudis incessum, restituebat. Cumque diu tam signis, quam virtutibus claruisset vir sanctus, confectus senio, susceptis cum incredibili pietatis sensu sacris mysteriis, terreni carceris mole deposita, ad æterna tabernacula conmigravit. Inque S. Juliani Martyris, quem ex cælitibus propensius coluerat, æde sepultus, clariora præstitit mortuus quam vivus suorum meritorum insignia, quæ æternæ venerationi nomen ejus ac pignora apud posteros consecrarunt. *Plura de eo non comperimus.*

plurima miracula,

sepultura,

cultus.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

Ex variis.

DE SANCTO DOMITIANO

EPISCOPO MELITENÆO IN ARMENIA.

Circiter an. dc. x Januarii. *Melitene urbs.*

Melitene, *sive* Militine (Μελιτηνὴ *enim vulgo, et* Μελιτινὴ *a Nicephoro Callisto lib.* 18, *cap.* 20, *et aliis appellatur) urbs est Armeniæ minoris, caput cognominis regionis : statio primum Romani præsidii fuit, inde Trajani Imperatoris nutu urbs facta, exigua quidem, sed valida : nam hic* Præfecturæ legionis Fulmineæ *Tribunus morabatur, ut habetur in Notitia Imperii Oriental.* Sub dispositione viri spectabilis Ducis Armeniæ. *Sensim mirifice amplificata, templis, foro, porticibus, balneis, theatris, et ceteris quæ ad magnæ urbis ornatum faciunt, extra muros in vicino campo constructis; mœnibus est tandem a Justiniano circumdata, qui* effecit, *quemadmodum lib.* 3, *de ædific. scribit Procopius,* ut Melitene magnum esset Armeniis munimentum simul et ornamentum. *Sita erat haud procul a dextra ripa Euphratis, atque* Armeniæ tertiæ, *ab eodem Justiniano constitutæ, (cum prius* secunda *et* minor *diceretur) principatum tenebat. Ubi vero* Armenia prima *et* quarta *ab eo institutæ, vel avulsæ sunt ab Imperio Romano, vel rursus cum aliis coaluere, ut duæ sol um essent, fuit* Melitene, *ut antea,* secundæ metropolis : *ejus vero Episcopus, ut est apud Georgium Codinum Curopalatam, censebatur inter* Hypertimos, *eratque* Armeniæ secundæ Exarchus.

Ejus Episcopus S. Domitianus :

2 *Hic sub finem sexti seculi Episcopus fuis* S. Domitianus *qui* x *Januarii colitur, ut ex Græcorum Menæis et Horologio patet. De eo Molanus quoque in Addit. ad Usuardum :* die decima S. Domitiani Episcopi Melitinæ. *Ferrarius :* Melitinæ in Armenia minore S. Domitiani Episcopi. *Brevem ejus vitam ex Menæis dabimus; paullo longiorem ex Theophylacti Simocattæ historia Mauriciana. Ejus meminit Evagrius, qui eodem tempore vivebat, lib.* 6 *Historiæ Ecclesiast.* *a scriptoribus celebratus.*

cap. 17, *ubi Mauricii Imperatoris* cognatum *vocat,* virum prudentia et ingenio præstantem, verbisque et factis eximium, et ad maxima quæque gerenda negotia longe aptissimum. *Eadem de eo prædicat Nicephorus Callistus lib.* 18, *cap.* 20. *Agit de eo quoque Auctor Miscellæ lib.* 17, *cap.* 22. *Baronius Annal. tom.* 8, *an.* 592, *num.* 27 *et* 28. *Spondanus ad ann.* 591, *num.* 2, *et alii.*

Laudatus a S. Gregorio.

3 *Extat S. Gregorii Papæ epistola (quæ est* 62, *Indict.* 11, *ad* Domitianum Metropolitanum, *hunc videlicet nostrum, qua ejus eruditionem, prudentiam, zelum egregie commendat :* Scripta, *inquit,* dulcissimæ et suavissimæ beatitudinis vestræ suscipiens, valde gavisus sum; quia multa mihi de sacra Scriptura loquebantur. Et quia dilectas in eis epulas reperi, eas avide comedi. In quibus quædam quoque de caussis exterioribus et necessariis sunt permixta. Et quasi menti convivium præparantes egistis, ut oblatæ epulæ ex diversitate melius placerent. Etsi quidem exteriores caussæ, velut inferiores et abjecti cibi, minus sapiunt, ita tamen a vobis prudenter dictæ sunt, ut libenter sumantur : quia et cibi contempti plerumque dulces ex condimento bene coquentis fiunt. *Et quibusdam interjectis :* Ea vero, quæ ex eodem loco a vestra sanctitate in meam consolationem dicta sunt, libenter accipio.

Conatus Cosroen convertere.

4 *Et post pauca :* Valde autem gaudeo quod dulcissima beatitudo vestra, etiam caussis secularibus occupata, ad intellectum sacri eloquii vigilanter ingenium reducit. Sic quippe necesse est, ut si illa omnino caveri non possint, ista non omnimodo postponantur. Sed, per omnipotentem Dominum rogo, mihi in tantis tribulationum fluctibus laboranti, tende orationis manum, ut ex vestra intercessione ad summa relever, qui culparum mearum pondere ad profundum premor. Imperatorem vero Persarum etsi non fuisse conversum doleo, vos tamen ei Christianam fidem prædicasse omnimodo exulto : quia etsi ille ad lucem venire non meruit, vestra tamen sanctitas prædicationis præmium habebit. Nam et Æthiops in balneum niger intrat, et niger egreditur; sed tamen balneator nummos accipit. De Mauricio autem benedicitis, ut in actione ejus ab umbra statuam cognoscam, id est, in minimis majora perpendam. In hoc tamen ei credimus, quia ejus vobis animam sacramenta et obsides ligant.

5 *Ex hac epistola conjicit Baronius, eo potissimum consilio a Mauricio ad excipiendum deducendumque profugum Cosroen missos* Domitianum *et Gregorium Antiochenum, ut per eos Christianam fidem perciperet. Et sane sparsum fuit eum Christiana sacra esse complexum. Ita enim scribit Joannes Abbas Biclarensis, qui tum vivebat, ad an.* 8 *Mauricii :* Imperator Persarum Christi suscepit fidem, et pacem cum Mauricio Imperatore firmavit. *At potius* Domitiano *contrarium ad Gregorium Papam scribenti fides habenda, et Evagrio Scholastico. Illud quoque quod de Rege Persarum ac Regina cum multis Persarum millibus baptizatis, circa tempora Constantis, Heraclii nepotis, scribit Paulus Diaconus lib.* 4, *cap.* 32, *falsum omnino esse censet Spondanus an.* 591, *num.* 2. *Haustum id forte ex illa per Occidentem vulgata de Cosrois conversione fama. Habuit tamen Cosroes uxorem Syram, genere Romanam, religione Christianam, quam et Reginam publice appellavit.*

VITA

Ex Menæis Græcorum.

Vixit hic *a* Justino minore Imperium administrante, natus Thodoro et Eudocia, opibus et pietate illustribus : litteris politioribus et sacris egregie instructus; matrimonio quoque se illigavit; sed ad breve tempus, uxore mox e vita subtracta; secundum cujus mortem statim se totum cælesti philosophiæ consecravit. Mox et Melitenæ Ecclesiæ Episcopus creatus, cum annum jam trigesimum esset ingressus, politicam disciplinam cum religiosa et ascetica conjunxit; ita ut non solum subjectis suis, sed omnibus gentibus salutem procuraret.

a S. Domitiani parentes, conjugium.

Episcopatus.

2 Sæpe accersitus ab *b* Imperatore, Cosroæ regnum Persarum *c* restituit, cum Baramus *d* adversus eum rebellasset, imperioque exuisset : quin et Romanis *e* tributarium illum fecit. Amicus porro Imperatori Romanorum Mauricio factus, ipsiusque uxori, multoque ab iis auro donatus, quidquid pretii accepit, totum in sanctarum ædium instaurationem, et pauperum in hospitalibus victum contulit.

b

publica negotia,

c d e

liberalitas in ecclesias et pauperes,

3 Cum deinde Constantinopolim regiam Imperatorum sedem venisset, ad Dominum emigravit : ubi omnis illum aula, omnisque Clerus meritis honoribus prosecutus, in sarcophago seu feretro reposuit; hymnisque et facibus comitatus in patriam remisit. Multa vivus mortuusque isthic miracula patravit. Ejus ac S. Gregorii Nysseni memoria et celebritas in S. Sophiæ, seu magna ecclesia peragitur.

mors,

translatio,

miracula.

a Justinus junior *Vigilantia Justiniani sorore, et Dulcissimo patre natus, imperavit a* 14 *Novemb. an.* 565, *usque ad* 4 *Octob.* 578.

b *Mauricio nimirum, qui imperare cœpit ann.* 582, 14 *August. Indict.* 15.

c *Græce est* ἀνηκατάστησας conrestituit. *Alii exercitum duxerunt, ipse consilio juvit. De eo Miscella :* Mauricius itaque filium sibi Chosroen Regem Persarum faciens, Domitianum Episcopum Militinensem ad eum direxit, cognatum suum, una cum Narse, cui ducatum belli commisit : qui pervenientes ad Chosroen, omnes Romanicos potentatus in Persidem introducunt. *Contigere hæc*

hæc anno Christi 589; *et initio* 590, *quo Mauricii complebatur septimus, inchoabatur octavus. Chronicon Alexandrinum (si non est mendum librarii) anno Mauricii* 9, *Indict.* 9 *id refert. Cedrenus an.* 7 *additque, uti et Miscella, sequenti Paschate Theodosium Mauricii filium a Joanne Patriarcha coronatum; quod tamen idem Chronicon Indict.* 8, *anno Mauricii* 8, *ait contigisse. Simocatta quoque lib.* 3, *cap.* 6, *scribit anno Mauricii* 8, *victum a Romano in Colchide vivo adhuc Hormisda, Varamum. Sed fortassis annum octavum a Januario anni* 589 *numerat : vix enim tam multa ab Idibus Augusti ad Pascha anni sequentis videntur geri potuisse, quam multa ille aliique commemorant.*

d *Adversus Hormisdam crudellissimum Regem rebellavit Varamus : at cum a Bindoe ac ceteris Proceribus excæcatum Hormisdam Cosroes filius occidisset, complures ad Varamum defecerunt, tantam crudelitatem aversati. Fugit ergo tum ad Romanos Cosroes. Varamus regium sibi decus ac nomen ultro vendicavit.*

e *Id alii scriptores non tradunt : nisi id velit auctor Menæorum,* 1000 *Romanis militibus, quos ad corporis sui custodiam petenti Cosroæ Mauricius concessit, persoluta ab eo stipendia : quemadmodum ipsi quoque Persæ,* (*ut lib.* 3, *cap.* 9, *refert Simocatta*) *pecuniam, quam inter Justinianum atque ipsos icto fœdere, ad alenda communia præsidia, compescendæ finitimorum licentiæ necessaria, erogabant Romani,* tributum *superbe appellabant. Alioquin expresse testatur idem Simocatta, Cosroen nihil dignum pro auxilio Romanis remensum.*

ALIA VITA
EX THEOPHILACTO SIMOCATTA.
CAPUT I.
S. Domitianus Martyropolim a Persis recipit.

Commemorata, Historiæ Mauricianæ lib. 4, *Cosroæ Persarum Regis, post patrem Hormisdam fustuario mactatum, fuga, regnum invadente Varamo Duce; tandem cap.* 14, *Decreta a Mauricio et Senatu Cosroæ auxilia narrantur, utque remissi sint ad eum Persæ qui antea capti a Romanis fuerant. Tum de* Domitiano *Episcopo ista subduntur :*

Domitiani laudes. 2 Paullo post et Melitenes Præsul Domitianus, genere Mauricium attingens, et cum honore sanctus, tum vitæ instituto sanctior, sermone suavis, actione sollers, consilio prudentissimus, auctoritate imperatoria ad Chosroen contendit, quem, Gregorius Antochenus Antistes comitatur : nam et hoc Imperatori placuerat, et voluntati ejus re satisfiebat. Hi *a* Constantinam ingressi, alloquio et *b* donis Chosroen consolatur, afflictumque ad bene sperandum excitant.

Mittitur ad Cosroen.

a b

3 *Fraudem deinde ejusdem barbari Regis sua prudentia discussit Domitianus. Nam cum c Martyropolim, præsidio Persico, Varami partes necdum sequente, munitam, obsiderent Romani;* qui eam tuebantur, *ut idem cap.* 15 *Auctor refert*, clandestinis Chosroæ mandatis morem gerentes, ac deditionem minime facientes, virilitèr admodum vim propulsabant. Proinde ubi astute agere Choroes deprehensus est, Domitianus sollerter excogitatum et labefactatu difficile consilium nequitiæ Persicæ opponens tectam fraudem bullæ instar exsufflando dissolvit. Accersitis enim ad se præcipuis de præsidio, quosdam verbis inducit, quosdam donis pellicit, eos et Romanorum urbi capiendæ insistentium, et Chosroæ Imperatoris subsidio indigentis, et ambiguæ incertæque fortunæ Varami, commonefaciens. Ac tantum valuit Domitiani oratio, ut sententiis discordarent præsidiarii, ἑκόντ' ἀέκοντί γε θυμῷ, volentes nolentesque; (liceat enim nunc mihi eorum sensum Homericis verbis depingere.) Quo circa eunuchum, satellitum regiorum principem, (quem Romanis Præpositum vocare mos est) Martyropolim mittit Chosroes, hortaturque Persas, uti urbem tradant, et Nisibin concedant. Persæ, Chosroe immutato, pacta conventa cum obsidentibus ineuntes, oppido excedunt.

c

Ejus fraudem eludit.

Martyropolim astu recipit.

4 Ducibus ipsis Constantinam intrantibus, inter eos etiam *d* Sittas, qui Hormisdæ Martyropolim dolo prodiderat, apparuit. Domitianus Chosroæ denuntiat, illum adversus Romanos de se bene meritos injustum videri, cum proditorem, deque Romanis ita meritum ut qui pessime, toleret; admonens, eum Varamo quoque amicum fuisse; et hominem pestilentissimum perfidissimumque, benefactis suis malegratiam relaturum; ne forte coeuntes Romani ipsum et una Sittam e medio tollant, bellumque cum Varamo terminetur. Ob hanc caussam prudens Chosroes, et opportunitatem temporis præsentem obsequio emendam censens, Comentiolo Sittam addicit : quem ille postera luce in omnium conspectu flagris cæsum *e* rogo tradit, et flammis delictorum pœnas ab eo reposcit. Domitianus igitur, ut Sacerdotem decebat, et quantum maxime poterat, pro urbe recipienda laborabat. Ast Romanos, qui ad urbem occupandam cum barbaris male conspiraverant, Duci contradidit, quibus pro scelerate contra patriam perpetratis commerito supplicio multatis, Episcopus festum diem partæ salutis civitati instaurans, Martyribusque præclaris victoribus panegyrin, sive celebritatem instituens, e sublimi ecclesiæ suggestu, ad gratulandam Christo victoriam canticum novum cantans, ad populum congregatum ita disseruit :

d

e

Ex Simocatta *Proditorem et transfugas dedi jubet, ad supplicium.*

a *Hæc prius* Nicephorium *dicta Ptolemæo tab.* 4, *Asiæ, et aliis, deinceps* Constantina *est appellata, ut Stephanus et Suidas tradunt; a Constantino Magno. Ejus mentio fit in Notitia Imperii sub Duce Mesopotamiæ.* b *Non solus Mauricius Cosroi, sed Augusta quoque ejus uxori et liberis dona misit, ut scribit Nicephorus lib.* 18, *c.* 20, *ex Evagrio lib.* 6, *cap.* 16.

c *Hanc urbem describit Procopius lib.* 3, *de ædificiis :* In Armenia vero quæ Sophanine (*Ptolemæo et aliis* Sophene) appellatur, urbs est quædam, cui Martyropolis nomen est inditum, juxta fluvium Nymphium sita. Flumen autem illud nunc dividit Romanam ac Persicam regionem, *etc. Numeratur* Martyropolis *inter Metropoles antocephalas sub Patriarcha Antiocheno apud Miræum Notitiæ Episcop. l.* 2, *ex Sirleti* MS.

d *Decurio is erat Martyropoli, quam quod ei cum quodam militum Præfecto non recte conveniebat, Persis prodidit, eorum cohorte cum Romanis insignibus in urbem admissa dum abesset præsidium, ut refert Evagrius lib.* 6, *cap.* 13. *Nicephorus militarem fuisse decurionem scribit lib.* 18, *cap.* 17, *et Persas noctu introduxisse. At Simocatta lib.* 3, *cap.* 5, *auctorem fuisse Persis scribit, ut* 400, *ex iis defectionem ad Romanos simularent, civibus ut transfugas velut socios admitterent.*

e *Evagrius lib.* 6, *cap.* 18, *ait a civibus obrutum lapidibus postea in crucem actum.*

CAPUT II.
Populum ad lætitiam et gratias Deo agendas hortatur.

Non in bellis tantummodo, atque in præliis et congressibus, sed etiam in insigni die solemnitatis, David Deo altissimo tuba canit. Condecet enim bellicis quoque instrumentis collaudare Deum, qui primarius in pugna Dux, fortisque et potens in prælio colitur : et unde natum est decus, inde quoque laudem procedere plane oportet. Agitedum nos quoque tubis, quæ intelligentia percipiuntur, clangamus; animis, inquam, non corneis tubis, quemadmodum lex Judæis præscripta requirebat. Nec enim nos, ut illi, propter mentium hebetudinem animantium brutarum membris venerari Deum jussi sumus. Constituamus itaque diem solemnem, non usque ad cornua altaris dumtaxat; sed usque ad cælestem hierarchiam pertinentem, cujus ἀρχιερεὺς Pontifex in æternum, secundum ordinem Melchisedech, sedens ad dextram majestatis Dei, et est et nominatur. Profecto potentiam fecit in brachio suo : montium fastum humiliavit: et depositis de sede potentibus, rursum magnalia spiritus super Babylone omnibus prodidit. Subiguntur enim leones, et dracones eliduntur, et Bel, atque *a* Mithras captivi abducuntur. Flaccessit Ignis, *b* et quamquam naphta ac pice largiter imbutus, nec vestem quidem Martyrum adurere potest. Iterum dextera Domini fecit virtutem, compressitque spiritus Chaldaicos, non in pariete, sed in cælo prædictionem scribens : et dividuntur sceptra Babylonica, et thronus insolens dejicitur; et regnum temulentum contrahitur : et quod humiliatum erat, denuo honoratur, et quod victum erat, corroboratur. Rursus sterilem urbem propter bellum, ut matrem ob filiorum multitudinem lætantem aspicimus.

cap. 16.

Ps. 80. 4.

Deus Dux nobis in bellis.

Ps. 97. 6.

a b

6 Nemo

Ex Simocatta *Lætandum in victoria.*

6 Nemo vestem hoc panegyrico festo indecoram induat : omnes vitæ morumque candore ac puritate candidum gestemus habitum; ne si animam, secus quam regale convivium deceat, convestiverimus, qui ad id admittamur, indigni judicemur; et his damnemur quæ ab eodem ejectos consequuntur. Renovare, renovare urbs exultationis : venit enim lumen tuum et gloria Domini super te orta est. Hæc enim mihi dicit Spiritus sanctus, et promissa amplector; et quæ nunc est gloria priorem claritatem superat. Haud enim populos Martyrum superiore memoria possidebas, omnem semitam et compita tuorum viscerum inundantes. Plus tibi ad gloriam proficit ita liberatam, quam ita captam esse. Quam enim dolus subjugavit, nunc metus restituit : et quam Regis barbari calliditas improbe pro spolio abstulit, nunc illustrissima receptio probe rependit. Hanc famulus vester missus, vobis reconciliavit, o Martyres, socios sibi conatus adjungere, quos Dei adversarius antea non rogabat, ex infelici successu pietatem doctus; quoniam et Pharao quondam flagellatus, sive admonitus, Deum coli passus est. Hanc vobis consecrat Babylonius tyrannus et advena, e suo ipsius regno profugus, qui pro hoste nunc Romanis est subditus. Talia quippe vos contra inimicos effecistis. Tyrannus super his obstupuit, terra timuit, et contremuit. Increpavit enim gentes qui est ab initio : et dexteræ ejus mutatio hæc est. A summo cælo egressio ejus, et occursus ejus usque ad fines terræ. Et vidimus gloriam ejus , plenam gratiæ, et potentiæ. Vicina flumina secundum Prophetam plaudant manibus. Nunc Euphrates *c* nomini suo congruenter lætetur super magnalibus conditoris. Tigris *d* feritatem in humanitatem mutet : jam enim cæsorum cadaveribus se amplius non ingurgitabit. Cantemus Domino canticum salutis. Cantemus ei cum Martyribus hymnum de parta victoria. Annuntiemus super flumina Babylonis gloriam ejus, in spiritu exilientes. Non enim Judaicis fletibus damnati sumus : nec a prædatoribus captivitatis dedecus nobis exprobratur. Ducem lætitiæ nostræ Dominum præponamus, ne supernæ Hierusalem obliviscamur, et lingua nostra adhæreat faucibus; ut pote quæ male Dei admirabilia non magnificet.

Psal. 97. 8.
c
d

Psal. 136. 3.

7 Nunc filia Babylonis, sicut scriptum legimus, vere misera est, superborum sceptra ascendens, laudaturque Imperatoris pietas, perniciem illi non remetiens, nec retribuens retributionem, quam retribuit nobis. Alterum siquidem testamentum observatur, Israeli intellectuali præcipiens ne malum pro malo reddat. Et hodie Rex hostem miserans non reprobatur : nec Samuel omnipotenti Domino zelans, propter hoc altercabitur. Dominus enim Jesus Christus antiquus dierum, et omni ævo antiquior, misericordiam sacrificio religiosiorem ducit; et paternum regnum misericordibus impertit; et humanitate victus, etiam servi formam accipit, et cum hominibus conversatur; et præsepe noscit, et fasciis involvitur; et tyrannicum gladium fugit, et in Ægyptum emigrat; deinde Nazareth habitat, et Galilæus proclamatur; et sapientia proficit; et ex invidia vituperatur; et a Sadducæis tentatur; et cum peccatoribus commoratur, et tormentis deditur, et crucem suscipit; et cum iniquis reputatur, et sepulchrum non refugit; et ad resurrectionem transit; et omnia libens patitur, unum hunc fructum ex nobis percipiens, quod salvamur. Cantemus Domino, non egressus canticum; est enim scansoria panegyris, et urbs et templum renovantur; et lex patria instauratur; et fides sincera confirmatur, cernoque Christum in medio Ecclesiæ trophæorum symbola humeris sustinentem. Triumphus autem crux, per quam barbari, et peregrini, et exteri abiguntur; Romani contra, ut domestici, introducuntur.

Commendatur Mauricii clementia, exemplo Christi.

8 Cantemus Domino etiam hymnum ἐξόδιον, id est, egressionis. Nam perinde ut sus e silva glandifera, ex urbe natio Persica expellitur; quæ sancta pedibus conculcare audebat, et margaritas fidei ungulis furiose conterebat. Imitemur eos qui Babylone glorificarunt Deum, illorumque choreæ sodales fiamus. Nam et hodie Chaldæorum ignis Martyrum urbem exurendi vim nullam habet. Lætentur cæli, et exultet terra, et campi gaudeant. Prostratæ sunt gentes belli cupidæ. Cognoverunt, juxta Prophetam, quoniam homines sunt, et naturam coagmentationis suæ nunc senserunt : quæque rebus secundis utentes discere nequiverunt, adversis eruditi, jam possunt intueri. Hæc præ gaudio ad vos ex tempore prolocuti sumus, et hymnum vobis imparati proposuimus, mensam Angelorum, convivium simplex, et varietatis expers. Amat enim divinitas etiam non compositis donari, et admittere cultus quamvis non magnificos; ex renovatione cordis, non ex pondere et amplitudine doni, gratiarum actionem æstimans. Nunc Patrem glorificare ne cessemus; Filium adorare, ut natura Deum ne desinamus, Spiritum, ut unam de tribus hypostasibus, venerari ne desistamus. Deus enim hæc tria sunt, cui et ante omnia secula, et post omnia secula, gloria infinita.

Persis hostibus insultatur.

Psal. 9. 21.

9 Postquam Episcopus hæc sapienter disseruit, audientium multitudo disputationem magnificam miris plausibus prosecuta est, magnamque lacrymarum vim gaudio permistam, præ compunctione ex ejus verbis enata, effudit, eratque panegyris omnino lacrymosa, cum dolendi caussa nulla subesset. Sic enim tempus ad collacrymandum hortabatur; quamvis, quod ob molestiam doloremve ad id eos commoveret, nihil esset. Antistes igitur pane et vino solemni ritu consecratis, mysteriis Dei hominisque conventum per communionem sanctificabat. Et hunc in modum civitas dies septem cum oblectamento in feriis consumpsit.

Applaudit dicenti populus.

Missæ sacrificium.

a Mithram, *sive solem, Persæ colunt; uti et ignem.* b *Alludit ad historiam trium puerorum, Danielis* 3. c Ευφραίνεθαι *enim* lætari *significat.* d *Videtur a* tigride *fera fluvii nomen deducere. Sed et fluvius et fera dicuntur a celeritate, quasi ea æquare videantur sagittam, quam* Tigrim *Medi vocant.*

CAPUT III.

Cosroæ fastum egregie castigat.

Primo vere novus dux *Narses, (hunc commentiolo Mauricius substituerat, rogante Cosroe Ducis illi munus abrogari, quod se illi esse ludibrio sentiret, ab eoque cunctando et differendo auxilii opportunitates corrumpi, ut refert hic Auctor lib.* 5, *cap.* 2.) novus *igitur* Dux cum Cosroe, sequente Domitiano, per id tempus Melitenes Episcopo, ut ante diximus, Mardes accedit, quod castellum ab urbe Dara tribus parasangis abest. Qui igitur cum in Arabia prope Nisibim, tum alibi opibus plurimum pollebant, ad unum omnes, simulque ordinum ductores, Chosroen Regem consalutant, ac pro Repub. consanguineos obsidum loco opponentes, eidem ad regiam recipiendam ante viam muniunt. Obsides Rex custodiri a Romanis jussit.

Lib. 5. c. 3.

Multi ad Cosroen redeunt.

11 Inde Narses ad oppidum Daram exercitum adducit. Chosroes Romanas copias viribus florentes, et armis conspicuas, cum apparatu stupendo cernens, in spes novas ingreditur; nec tamen prioris infortunii memoriam deponit. Urbem itaque Rex barbarus iniens, in templum magnificum, in quo Romani religionis mysteria obibant, admodum ferociter et contumeliose, adhuc necessitati subjectus, et rebus ejus a fluctibus fortunæ jactatis, armatus se infert. Dareni factum indignari : præsertim cum Chosroes senior *a* capto oppido *b* nihil ad injuriam divini cultus molitus esset. Quamobrem Domitianus barbaram insolentiam non sustinens, acceptis copiis Constantinam sese rediturum comminatur. Chosroes despectum se videns, mutationemque istam parum gratam habens, ad Domitianum quosdam de nobilissimis suis mittit, qui nomini suo illi satisfacerent. Episcopus barbaro quantum

a b
A Domitiano e templo ejicitur.

quantum decuit ignominia multato, Daram revertitur, ipsumque e templo ejicit.

Muneribus et regio comitatu ornatur a Mauricio.

12 Die sexto Imperator baltheum insertis gemmis, tiaram regiam, lectulos et mensas aureas Daram illi transmittit, comitatumque regium ei conficit : et de suis doryphoris nonnullos honoris caussa adjungit, ne regio destitutus satellitio, Romanis juxta Persisque vilesceret. Stipabant igitur eum undique regii satellites, quo pacto Romanis Imperatorem suum honorare mos est. Intuentes Persæ, quam potentem Imperator Chosroen reddidisset, a tyranno ad ejus partes commutatis voluntatibus accedunt, et Varami exercitu quotidianis defectionibus imminuto, Chosroæ adauctis copiis, res ex sententia procedebat. Mox quantam posset adversus Mauricium benevolentiam sibi declarandam statuens, in membrana regia Daram ei gratis transcribit, et Dolabzanum Satrapam, virum illustrem, Byzantium cum clavibus oppidi, instrumentoque donationis mittit. Legatus in urbem imperantem profectus, Romanis oppidum addicit : cum Imperatore collocutus, ab eo pro Imperatoria magnificentia muneribus cohonestatur. Pactorum præterea fidem Imperator denuo confirmat, et Chosroen filium appellat.

Daram Romanis reddit.

a *Cosroes senior* Daram *urbem munitissimam, post* 6 *mensium oppugnationem cepit, ut narrat idem Simocatta lib.* 3, *cap.* 11, *tempore Justini junioris, qui ejus cladis nuntio in phrenesin incidit.* b *Humanior fuit Rex ille barbarus nostratibus Calvinistis, qui omnem cultum divinum in captis urbibus subvertunt.*

CAPUT IV.

Milites egregia oratione animat ad rem fortiter gerendam.

Cap. 4.

Chosroes Singarum (Mediæ, seu Persidis, urbs est) mulieres ac liberos suos securitatis caussa transfert. Est enim munitissima, et quia simul controversa, custodia numquam vacat, minime hostibus expugnabilis, ac propter paludes informes obsessoribus inaccessa. Posthæc Mebodi dat negotium, ut sumptis duobus armatorum millibus per Singarum in regiam facto impetu, custodes Varami trucidet. Tyrannus ut Mebodem cum Romanis cohortibus adventare comperit, coacto milite fui defendendi prodit. Mebodes mandati, quod ab Rege acceperat, respectu, rem aggreditur. Æstate autem ineunte, et pratis etiamnum herbescentibus, relicta Dara Chosroes cum auxiliis ultra progreditur.

Intrant Persidem copiæ.

Domitianus Romanos hortatur ad fortiter pugnandum;

14 Postquam Ammodium, stadiis quatuordecim Dara dissitum, advenerunt, Domitianus conscenso colle, ad Duces et milites hujuscemodi verba habuit : Tempus, milites, mirificam vobis occasionem conciliat. Mores vestri idoneam pugnandi materiam, locus periculi despicientiam requirit : caussa pietatem denuntiat, exitiosamque tyrannidem respuit. Dignos igitur certamine vos præbetote. Nam in hostili regione versamini, in qua vincere sane quam gloriosum; vinci autem, etiam dictu grave et odiosum est. Habet ergo hic conflictus eximium quiddam et illustre incipiendo decus propositum. Universæ siquidem per orbem terrarum gentes, quæ vos agitis, mentibus inscribunt. Exauditum est quod facitis; bellum est æstimabile; certamina immortalia; trophæa nulla oblivione sepelientur. Quare non cedere malis, sed contra audentiorem ire; aut cum nominis sui gloria projicere corpus expedit. Hunc strenue dimicantes finem laborum nanciscemini. Hac via pax procedit. Nolite plagas subterfugere, ne simul salutem fugiatis. Adverso pectore jaculorum ictus amplectimini, ut triumphos quoque amplectamini. Nullus vestrum sibi tergum concidi patiatur : ignota enim dorso est victoria. Consociamini animis magis, quam corporibus conjungimini; et laborum, non timiditatis, tenere consortium. Qui non summo sese discrimini objecta-verit, exauctoratus esto. Victoriam moriendo concupiscite. Ictibus et vulneribus trophæa comparantur. Haud quidquam laude dignum desidia parit. Nihil dulcius quam in acie mortem oppetere. Si enim senectute premi, et morborum tabe consumi est inutile, viris fortibus vobis adhuc ætate vivida in certamine occumbere, et post funera celebrari, omnino magis est consentaneum. Nec enim fugitoribus immortalitatem dare natura potest, quæ animis nudari corpora metuit. Non est in hac vita locus, quem mors æquo pede non pulset. Nihil rerum humanarum mœstitia et dolore vacat, quibus permista sunt omnia. Vita nostra magna et crudeli necessitate regitur. Ne diem ultimum aliquantum proferri, et amplas inde rerum gerendarum occasiones offerri magnopere desiderate; cum et otio, inertiæque; et vagis voluptatibus perfruendis inde facultas pateat. Viriles præstate animos, et mutationem istam rerum admiramini. Confugit enim ad vos Rex Babylonius, cum potentia sua Persica in servitutem redactus; et cum corpore suo tantum non etiam regnum suum arbitrio potestatique vestræ commisit, in pietate sacrorum quæ profitemur, spe maxima sibi constituta videlicet. Aversantur tyrannidem Persæ. Infido Varamus præsidio nititur, stirpe regia minime procreatus. Quapropter ab insolentiæ et injuriæ legibus imperium auspicatus, brevi seditionibus exagitabitur. Nam ubi violentia, ibi res in tranquillo possideri non solet. Hæc in mentium vestrarum penetralibus, litteris inaspectabilibus inscripta recondite : et quæ opportune a me dicta sunt, ea in ventos diffundi ac dissipari ne permittite, ne dedecus et ignominiam ipsa frustratione tristiorem reportetis. Unigenitus Dei filius, ante sæcula Deus, princeps copiarum Domini Imperator, vos ad prælium deducat, exitumque spe ipsa faustiorem vobis largiatur.

Ex Simocatta

et ad mortem contemnendam.

15 Posteaquam hæc milites Romani auribus hauserunt, divino pleni afflatu, alacritateque et animi robore invicto communiti, de cetero ad opus ipsum peragendum furebant, et sobria quadam insania quasi œstro perciti, arma fremebant. Potest enim contemptum hujus lucis ingenerare etiam virilis et robusta oratio. Ergo discedentes ultra pergunt. Chosroæ, indigenarum fidem suspectam habenti, custodes de corpore Romanorum constituuntur. Domitianus Narse Duce confirmato, in Romanam ditionem regreditur. Exercitus prope Mygdonum fluvium castra metatur.

Cap. 5.

Animatis militibus domum redit.

CAPUT V.

Constituitur filiorum Imperatoris tutor.

Non omittemus etiam illa huic historiæ adscribere, quæ de ejus *(Mauricii)* testamento dicuntur. Imperium ineunte Heraclio, tabellæ involutæ et obsignatæ inventæ sunt, in quibus conscripta patebant, quæ post suum ex hac luce discessum fieri vellet. Nam cum imperii sui anno *a* quintodecimo in morbum difficilem esset lapsus, de imperio constituit, et in litteras constituta redegit. Theodosium filiorum natu maximum Constantinopolis Dominum fecit, cum administratione Orientis. Tiberio Romam veterem cum Italia et insulis in mari Tyrrheno, decrevit. Ceteras Romanæ ditionis provincias inter reliquos filios distribuit, iisque ætate adhuc immaturis Domitianum cognatum suum, nobilis Ecclesiæ Melitenensis Antistitem, virum rebus agendis dexterum, consilio dexteriorem, tutorem designavit. Quamobrem Imperator majoris momenti negotia ei expedienda, ob eximiam prudentiam committebat. Sed de virtute hujus viri nihil nunc quidem attinet agere pluribus.

Lib. 8. c. 11.

a

Testamentum Mauricii.

Ejus executor Domitianus.

a *Christi* 596 *vel* 597. *Unde constat ad eum usque annum vixisse* Domitianum. *Mortuus tamen videtur ante* 603. *non effugisset alioquin immanissime sævientis Phocæ manus, cum et tanta polleret auctoritate, et Mauricium tam propinquo gradu consanguinitatis contingeret, nec funus tam honorifice elatum fuisset, ut ex Menæis dictum est.*

DE

Auctore Josepho Ripamontio.

DE S. JOANNE CAMILLO BONO

EPISCOPO MEDIOLANENSI.

Circiter an. Christ. dclix. X Januarii.

Martyrologium Romanum, ac Petrus Galesinius, S. Joannis Boni *Mediolanensis Episcopi nomen sacris Fastis inscriptum habent* IV *Id. Januarias. Vitam, ut reliquorum Mediolanensium Præsulum, scripsisse fertur Joannes Franciscus Besutius, quam necdum vidimus. Compendium illius habet Ferrarius in Catalogo SS. Italiæ. Ejus quoque post ceteros gesta succincte et eleganter recensuit Josephus Ripamontius, lib.* 8, *cujus hic narrationem dabimus.*

S. Joannis Boni natalis.

2 *Meminit* S. Joannis *Sigonius lib.* 2, *de regno Italiæ ad annum* 639 *et* 669, *et Claudius Robertus in appendice ad Galliam Christianam. Joannes Antonius Guarnerius in vita S. Joannis Bergomensis, ita scribit:* Nonnumquam quoque conjuncta suorum manu cum Joannis Boni Antistitis Mediolanensis copiis, implorantibus Catholicis auxilium tulit; *contra nimirum latrociniis grassantes Arianos. Actorum Ecclesiæ Mediolan. parte* 2, *hæc de* S. Joanne Bono *memorantur:* S. Joannes Bonus Camillius, Genuensis, Joannis Bergomensis Episcopi sanctissimi consuetudine conjunctus, Archiepiscopus creatus, immani Barbarorum dominatu non deterritus, ab urbe Genua, ubi aliqui Archiepiscopi diu manserant, Mediolanum ad stationem sedemque Archiepiscopalem rediit: quam summa cum laude tenuit annos decem. Romam ad synodum Martino I, Pontif. venit: Arianos Bergomo depulit: in oppido Decio ecclesiam S. Materni consecravit. Miraculorum laude clarus, obiit in Domino IV Idus Januarii. *Reperitur* Joannes post synodum *Romanam* consentiens subscripsisse. *Ea vera cum habita sit Constantis, sive Constantini, Heraclii nepotis, anno* 9, *Indict.* 8, *Christi nimirum* 649, *consequens est* Joannem *non anno* 650, *ut scribit Ferrarius, nedum* 639, *ut Sigonius lib.* 2, *de regno Italiæ Episcopum esse factum. Sed fatetur Ferrarius chronologiæ hic videri perturbatam esse rationem.*

Quando sederit.

Translatio corporis.

3 *Cum S. Michaelis, in qua* S. Joannis Boni *conditum olim fuerat corpus, ævo jam fatisceret basilica; S. Carolus Borromæus eam penitus demoliendam censuit, præsertim quod æquo propior cathedrali ecclesiæ esset. Prius igitur visum est faciendum, ut Divorum inde sacra pignora, qua par est religione, transferrentur. Ergo pridie Ascensionis Christi, anno* 1582, *cantatis isthic solemniter vesperis, sancti Antistitis corpus suis ipse manibus in affabre concinnatam thecam stanneam composuit: caput inde exemit, argenteo capiti includendum. Peractis dein solito more vigiliis, postridie, festo nimirum Dominicæ Ascensionis,* XXIV *Maii, celebri instituta supplicatione, cui Cardinalis Palæottus cum Clero populoque universo interfuit, sacras illas exuvias ad Metropolitanam ædem transtulit, (eo quoque animarum quæ S. Michaelis paræcia censerentur, cura revocata,) inque ara recens ad dextram templi partem, ubi alteram januam occluserat, ædificata, Sanctique* Joannis Boni *nomine dicata, collocavit. Ita in vita S. Caroli, Carolus a basilica Petri lib.* 6, *cap.* 3 *et Joannes Petrus Giussanus lib.* 6, *cap.* 15.

VITA

EX HIST. MEDIOLAN. JOSEPHI RIPAMONTII.

Joannes *a* inde Camillus sedet, homo Ligur, cognomento Bonus, sive maternæ gentis hæc appellatio fuerit, sive præmium eximiæ bonitatis animi, et virtuti honos ex communi fama. Is privatis rebus diu versatus in aula Romana, et *b* Gregorio Pontifici Maximo ante omnes acceptus, ejus missu legatus olim ad *c* Theodolindam venerat Mediolanum. Inde gratiosus apud Principes, et expectatione summa. Nam et viderant ab Regina in caritate habitum ac honore; et satis constabat, hujus potissimum opera et auctoritate viri, restituta damna, quæ *d* prima Longobardorum irruptio rebus Ecclesiasticis intulisset. Accedebat eo, quod non alius ea tempestate prudentior omnis humani divinique juris habebatur: eaque fama et prædicatione per ora hominum ibat.

a *S. Joannis Camilli Boni prudentia in legationibus.* *b*

c

d

2 Itaque cum ad solemnia Pontificatus capessenda venisset, nova bonis omnibus affulsisse lux est visa. *e* Monothelani vero, et *f* quisquis rem Catholicam, absque capite ac præside mallet esse, vel certe tale caput, talemque præsidem aversarentur, inhorruere. Terrorem super omnia fecit perdito mortalium generi, quod interritus atque inconcussus ipse, nullo turbarum respectu, nullaque trepidatione, statim ut est Archiepiscopus renuntiatus, ad suum pastorale munus venit; veluti sese periculis objectans, et ultro lacessens ea, quæ suspensi, ac vitabundi ceteri, partim secessione Ligustica, partim domesticis latebris declinassent.

e f

In Episcopatu magnanimitas.

3 *g* Joannes erat alter Borgomensium Antistes, altitudine animi, et studio religionis incorruptæ, recte cum Joannis Boni moribus, et sanctitatæ compositus; acer idem, ac vehemens ingenio, et quamcumque in partem incubuisset, ad finem usque destinatis insistens. Cum hoc Joanne, quia præclaris illius adjumentis ad rem gerendam animosque persanandos indigebat, amicitiam familiaritatemque contraxit Joannes Bonus. Neque ille partem laboris abnuit: præbuitque sese comitem ad confutanda Monothelitanorum dogmata, quæ quotidie magis invalescebant.

g

Adjutor S. Joannes Bergomensis.

4 Ejus negotii caussa, dum Bergomo Mediolanum commeat, rursusque Mediolano domum revertit, flumen *h* Abduam calcasse pedibus dicitur; et in multorum sæpe conspectu veluti per solidum illac incessisse. Sunt *i* qui miraculi gloriam hujus in Mediolanensem trahant, cum hic vicissim ad illum excurreret officii, vel auxilii caussa. Etiam ego malim de nostro verum esse; sed plures ad illum alterum inclinavere.

Hujus miraculum.

h

i

5 Bonus qua suis, qua socii viribus, et auctoritate, cum hæresim labefactasset Monotheletanam, ad ea quæ proxima erant animum convertit, condiditque tum alibi, tum Decii præsertim insigne templum, addito Sacerdotum collegio, qui statis horis psallerent, atque reliqua ibi tum ad Dei cultum, tum ad salutem animarum obirent munera. Decium oppidum decimo ab urbe lapide, vel opportunitate loci, qua multos haud ignobiles pagos, amœna circumfusa planitie, complectitur, vel amplitudine sua, qua plurimas numerat familias; Episcopi præcipue curam advertit, ut illud ad hunc modum esse nobilitandum putaret. Ædes dicata est *k* Materno, census attributus, descriptæ Canonicis leges; neque res ulla omissa, quæ ad constituendam illic disciplinam pertineret.

Joannes Decii templum exstruit.

k

6 Exarsit inde bellum atrox, quo *l* Pertaritus, et Gundipertus, solitis inter fratres odiis in mutuam perniciem armati, seque et Rempublicam perdidere. *m* Neque victor utriusque Grimoaldus meliore usus est fortuna: et Ecclesiæ res inter hasce Regum calamitates miserabiliter fluctuatæ. Refovit eas et confirmavit parva dictu res; sed quæ tantum Catholicæ religioni conciliavit auctoritatis, ut violandi eam et contemnendi verecundia apud omnes oriretur. *n* Erat in Tarentino agro squalibus habitu, vultuque, et magna fama severitatis anachoreta; de quo erat opinio multarum

l

Turbæ inter Longobardos.

m

n

multarum rerum firmata successu, tamquam ea, quæ futura prædiceret, constarent inevitabili necessitate, et illius omnia vaticinia certissimi exitus consequerentur. Sive adversa, sive prospera Regibus populisve denuntiaret; utriusque fortunæ, vel tristitia, vel gaudium, non secus atque præsenti damno, vel utilitate animos occupabat. Hunc hominem Constantinopolitanus Imperator infestus Longobardo nomini, per hæc forte tempora cum in Italiam exercitum trajecisset, adiit cupidine sciscitandi, quem bello finem caneret: et an ex acie victor esset rediturus. Cum ille tristia cœpta, et irritos conatus affirmare non dubitasset, propterea quod scilicet Baptista gentem tueretur, quem sibi Patronum adoptassent; pergit tamen imperator fortunam experiri, vaticinaque denuntiatione nihil permotus, impigre bellum, uti destinarat, molitur. Committitur prælium utrimque summa vi, tanta videlicet, quantam esse oportuit in eo certamine, cujus finis, victori decus Italiæ recuperatæ, victo turpem fugam, finem opum, malorum extrema laturus esset. Ac primo quidem, neutro inclinata spe, diu manibus æquis, et incerta victoria pugnabatur. Mox Amelongus ab Longobarda parte facinus edidit, quo perculsus Imperatorius exercitus, cum attonito similis aliquamdiu fluctuasset, extemplo dedit terga, ultroque hosti victoriam concessit. Hastile regium is forte Amelongus tenebat, et inter ardorem pugnæ, cum ex utraque parte plurimi caderent, aut vulnerarentur, conspicatus inferentem sese ferocius Græcum militem, vibrat repente hastam, hominemque transverberatum tollit sublimem, et, ut erat immani corporis robore, quatiebat ludentis more distentum per aera corpus. Id spectaculum objectum Imperatoriis, fugæ ipsis initium fuit, Longobardo victoriam dedit. Nec dubitavere, quin cædes humana vi major, Baptistæ tutelaris auxilio et præsentia, esset patrata. Ita res Ecclesiastica nacta robur, et auctoritatem : revixitque Mediolanensis Pontificatus, quem memorati paullo antea tumultus oppresserant.

Clades Græcis ab eremita prædicta,

a Longobardis ope S. Joannis, Amelongi robore, illata.

7 Accessit ei confirmando et stabiliendo grave quoque aliud momentum. Namque Rex Grimoaldus, opera Bergomensis Episcopi, quem Bono fuisse comitem et adjutorem memoravi, penitus Arium atque perversam ejus doctrinam abdicavit. Ejus rei monumentum in *o* Abduana glarea ædes D. Alexandri Catholico ritu est dicata, quam antea sacris Arianis sectæ illius antistites profanarant.

Grimoaldi Regis conversio.

o

8 Nec multo deinde postea Joannes Camillus Bonus Archiepiscopus extinguitur. Corpus ejus usque in *p* Hereberti tempora latuit in tenebris, nullo cultu, qui cælestis animæ reliquiis deberetur. Heribertus divinitus repertum, in D. Michaelis ara, non sine pompa solemnibusque cæremoniis collocavit.

S. Joannis Boni obitus.

Auctore Josepho Ripamontio.

p Corporis inventio.

a *Post* Phortium, *sive* Fortem. *Scribit Ferrarius, diu eam dignitatem deprecatum esse.*

b *Obiit S. Gregorius anno* 604, *Joannem oportet, cum decessit, admodum grandævum fuisse, si ab eo ad legationes adhibitus est. Ferrarius scribit ejus potissimum consilio basilicam S. Joanni Baptistæ a Theodolinda excitatam* Modoetiæ, *sive* Modiciæ, *oppido* 12 *millibus distante Mediolano; quod olim* Moguntiacum, *nunc* Monza *dici aiunt, ad Lambrum flumen. De qua basilica, Paulus Diac. lib.* 4, *cap.* 22, *Sigonius lib.* 1, *ad ann.* 601. *Braunerus tom.* 1, *lib.* 4.

c *Garibaldi Boiorum Ducis filia fuit* Theodolinda, *Authari Longobardorum Regi nupta an.* 585, *eo mortuo, Agilulphum, maritum sibi, et genti Regem, sed volenti, adscivit; atque cum cum populo universo ad Catholicam fidem traduxit, circiter annum* 592. *Post hujus quoque excessum, cum Adalualdo filio regnum annis aliquot prudentissima mulier administravit.*

d *Contigit ea anno Christi* 568.

e *Vulgatius et rectius* Monothelitæ *dicuntur, quod unicam in Christo assererent voluntatem, ut sic diversitatem tollerent naturarum. Eorum præcipui duces fuere Athanasius Antiochenus, Pyrrhus Constantinopolitanus, Cyrus Alexandrinus, sub finem imperii Heraclii.*

f Acephali *dicti qui sine certo capite hæresim fovebant. Et primo quidem sic appellati sunt, qui post Concilium Ephesinum adhuc Nestorii errores tuebantur, et nec S. Cyrilli, nec Joannis Antiocheni partes sequebantur, sed seorsim absque capite synaxes agebant. Ita Baronius ad an.* 433, *num.* 21, *ex Liberato Diacono. Ast usitatius, qui Chalcedonense Concilium damnantes, neque Zenonis, quod vocabant* unitivum, *sive* ἑνωτικὸν, *diploma suscipientes, a Petro Mogo Pseudo-episcopo Alexandrino illud amplexo secessionem fecerunt,* Acephali, *sive capite carentes dicti, quod Patriarcha suo relicto, seorsim communicarent. Ut pluribus Baronius ad an.* 482. *n.* 42. *His se postea ducem præbuit Severus, patronum Anastasius Imperator. Ex his nati* Monothelitæ, *qui licet Chalcedonensem synodum amplecti se simularent, duas tamen in Christo voluntates et operationes negabant. Quare ii quoque* Acephali *dicti. De Monothelitis plura mox cum de S. Agathone. Ripamontius nomen Acephalorum visus est hic voluisse interpretari, sed nimium generice.*

g S. Joannis *Ep. Bergomensis et Martyris vitam dabimus* XI *Julii.*

h Addua, *quibusdam* Abdua, *Polybio* Ἀδύας, *Straboni* Ἀδούας, *vulgo nunc* Adda, *e Ræticarum Alpium jugo, per vallem Tellinam, lacumque Larium, sive Comensem fluit, tandemque Pado supra Cremonam miscetur.* i *Inter eos est Ferrarius.*

k S. Maternus IX, *Mediolanensis Episcopus colitur* XVIII *Julii.*

l *His Aripertus pater an.* 661, *ut Sigonius lib.* 2 *tradit, moriens regnum Longobardorum ita divisit, ut prior Mediolani, alter Papiæ regnaret.* m *Cur id hic auctor scribat, haud scimus. Anno regni sui* 10 *obiit* Grimoaldus, *Christi* 672, *ut vult Sigonius; a S. Joanne Bergomensi conversus ad fidem, victoriis aliquot illustris. Consule Sigonium loco citato, Paulum Diaconum, etc.*

n *Sequentem prophetiam, et cladem Græcorum refert Paulus Diaconus lib.* 5. *Sigonius, alii.*

o *Leander Albertus* Adduæ glaream *appellari scribit regionem Addua Serioque amnibus conclusam usque ad Bergomatium montes; a Merula* Insulam Fulcheriam *dici; uberem cumprimis et vicis colonisque frequentem esse.*

p *Hujus meminit Sigonius lib.* 8, *de regno Ital. ad annum* 1047. *In Actis Ecclesiæ Mediolan. dicitur a* Benedicto VIII, *qui ab anno* 1013 *ad* 1024 *sedit, ordinatus, sedisse annos* 27.

DE S. AGATHONE THAUMATURGO

ROMANO PONTIFICE.

Circiter an. Chr. DCLXXXII. X Januarii. *S. Agathonis natalis:*

Sanctissimi Pontificis Agathonis *natalem Martyrologii Romani tabulæ* IV *Id. Januarias consignant, his verbis* : Romæ S. Agathonis Papæ, qui sanctitate et doctrina conspicuus quievit in pace. *Fusius Galesinius* : Romæ S. Agathonis Papæ. Hic patre Romano natus, ex monacho factus Pontifex, multæ mansuetudinis ac tantæ sanctitatis, ut leprosum obviam sibi factum, osculo a morbo liberarit. Contra Monothelitas hæreticos Constantinopoli Concilium habuit. Sedit annos duos, menses tres. Sepelitur ad S. Petrum. *Adhuc prolixiori elogio celebratur a Franc. Maurolyco, et Martyrologio Germanico. Meminerunt ejus hoc die Carthusiani Colonienses in Addit. ad Usuard. Hugo Menardus, Wion, Dorganius, Octavius Cajetanus noster in Idea operis de SS. Siculis,* MSS. *et alii.*

2 XXI *Februarii ista habet Galesinius* : In Græcia S. Agathonis Pontificis. Is parentum cura omnibus sacræ Scripturæ litteris studiose admodum eruditus, eum pietatis fructum tulit, ut illis mortuis, statim congestas unum in locum facultates die uno pauperibus distribuerit. Deinde monachalis vitæ disciplinam amplexus, totum divino cultui se dedit : dies noctesque cum in oratione et precibus esset, Dei munere et gratia id factum est, ut miracula multa ederet, unde Thaumaturgi nomen accepit. Postea Summus Pontifex creatus, re Ecclesiastica publica optime administrata, singulare castissimæ religionis, sanctimoniæ, et admirandæ sollicitudinis exemplum reliquit. *Eodem die Wion* : In Græcia S. Agathonis Papæ, cujus festivitas a Latinis IV Id. Januarii celebratur *et Ferrarius* : Romæ S. Agathonis Papæ.

cognomen Thaumaturgi:

3 *Eadem fere quæ Galesinius memorant Græci in Menæis* XX *Februarii* : Hic S. P. N. et miraculorum patrator Agatho ex Italia oriundus fuit, Christianis, piis, religiosisque parentibus natus : a quibus, ipso allaborante,

Vita ex Menæis:

AUCTORE ANASTASIO BIBLIOTH.

allaborante, sacras et a Spiritu sancto dictatas litteras salutares didicit; in quibus tantum hausit spiritum, tantopereque compunctus est, ut mortuis parentibus omnes illorum opes et thesauros in pauperes, quos evocarat, una simul die expenderit et disperserit, ipseque cœnobium intrarit, et vestem religiosam induerit, Deoque dies et noctes deserviret, ac pro toto mundo preces assiduas funderet. In vita porro monastica tantopere profecit, eoque in virtutibus progressus est, ut gratiam sanitatum acciperet. Tandem inclarescentibus ejus virtutibus, Romanus Pontifex est creatus; in quo munere cum se pro dignitate officii præclare gessisset, ad Dominum emigravit.

4 *Ex Galesinio et Menæis conjicere licet, vitam ejus apud Græcos fusius descriptam legi. Perbrevis extat in libro de Romanis Pontificibus auctore Anastasio Bibliothecario, qua continetur compendium quoddam Actorum sextæ synodi Œcumenicæ, sive tertiæ Constantinopolitanæ, quæ fusius tomo* 3, *Concilior. par.* 1, *digeruntur, etsi a Græcis corrupta; recenset ea quoque Baronius tom.* 8, *ad an.* 679, 680, 681. *De* Agathone *agunt quotquot vitas Summorum Pontificum scripserunt, historiamve Ecclesiasticam prosecuti sunt. Accurate Andreas du Chesne to.* 1. *Historiæ Pontificum. Platina inter cetera illud narrat miraculum de leproso, quem* Agatho *osculo sanavit, quod est in Galesinii ceteraque recentiorum martyrologia relatum. Alia plurima edita ab eo miracula fuisse necesse est, ut* Thaumaturgi, *sive* miraculorum patratoris *nomen mereretur.*

miracula:

NOT. 141. *tempus Sedis*

5 *Haud satis constat quo die, aut etiam mense, Pontificatum inierit* Agatho, *ut in Notis dicemus. Epistola* Constantini Pogonati *ad* Donum Agathonis *decessorem data pridie Id. Augusti indict.* 6, Agathoni *reddita est. Unde saltem habemus anno Christi* 678, *exeunte sedisse. De anno, mense, die mortis minus etiam constat. Extat in Actis sextæ synodi Œcumenicæ* sacrum rescriptum piissimi et Christum diligentis Imperatoris Constantini ad Leonem sanctissimum et beatissimum Papam senioris Romæ, missum per eos qui illuc directi erant a superstite Agathone sanctæ memoriæ, datum 13 Decemb. Indict. 10, *inchoata scilicet, anno* 681, *ut patet ex epistola, quæ ibidem extat, S. Leonis II, ad Constantinum Augustum* data Nonis Maii, *indict.* 10, *anno nimirum* 682. *Unde confici videtur* Agathonem *ante Decembrem anni* 681, *vita functum, subrogatumque* Leonem. *Nisi, ut Acta synodi hujus depravata a Græcis, ita et perturbata chronologiæ ratio est. Baronius scribit* Leonem, *qui menses solum* 10, *dies* 8, *sedisse traditur, adhuc superstitem fuisse cum habitum est concilium Toletanum* 14, *anno Christi* 684. *Verum id solum isthic dicitur cap.* 3, *mandatum* Leonis *perlatum esse in Hispaniam* cum tellus omnis hyemali stricta gelu, glaciali nivium immensitate *duruisset, et jam rediissent Patres a Concilio, Toletano scilicet* 13, *celebrato sub finem anni* 683. *Ex epistola quoque* Benedicti *Papæ ad* Petrum regionarium, *isthuc a Leone missum, videtur colligi, antequam Concilium istud* 14 *haberetur, mortuum fuisse* Leonem, *cum eum hortetur ad commissum sibi ab illo ministerium peragendum. At de hac re rursus ad vitam* Leonis 28 *Junii. In Bibliotheca Floriacensi edita Joannis a Bosco Cælestini opera, extat* Agathonis *ad* S. Edictum Viennensem *Episcopum epistola, pridie kal. Martii data; qua significat se post reditum Legatorum a synodo Œcumenica, Romæ Concilium celebrasse* 100, *circiter Episcoporum, cui* Donatus, Edicti Diaconus, *interfuerit. Unde concludit Henricus Spondanus* Agathonem *diu ultra* x *Januarii superstitem fuisse. Sed quid si pro* Leonis *nomine,* Agathonis *perperam a librario substitutum est?*

VITA

AUCTORE ANASTASIO BIBLIOTHECARIO.

a Agatho natione *a* Siculus ex monachis, sedit annos *b* duos, menses sex, dies tres. Tantum benignus et mansuetus fuit, ut etiam omnibus hilaris, et jocundus comprobaretur. Hujus temporibus *c* Theodorus Archiepiscopus Ravennæ semetipsum Sedi Apostolicæ post multorum annorum curricula præsentavit.

b

c

S. Agathonis benignitas.

2 Hic suscepit *d* Divalem jussionem piissimorum Principum *e* Constantini, Heraclii, et Tiberii Augustorum per Epiphanium gloriosum a secretis, missam Præcessori suo Dono Papæ, invitantem atque adhortantem, ut debeat Sacerdotes, vel Missos suos dirigere in regiam urbem, pro adunatione facienda sanctarum Dei Ecclesiarum. Quod et *f* ordinare non distulit. Et direxit Abundantium *g* Paternensem, Joannem *h* Rhegitanum, et Joannem Portuensem Episcopos; *i* Theodorum, et Georgium Presbyteros, Joannem Diaconum, et Constantinum Subdiaconum, Theodorum Presbyterum Ravennatem, atque religiosos servos Dei monachos.

d

e

Legati missi Constantinopolim.

f

g

h

i

3 Clerum videlicet diversis ordinibus, et super quod competebat, eos honoribus ampliavit. Hic ultra consuetudinem *k* Arcarius Ecclesiæ Romanæ efficitur, et per semetipsum caussam arcariæ disposuit, emittens videlicet de suscepta per nomenclatorem manu sua obumbratas : qui infirmitate detentus Arcarium juxta consuetudinem instituit.

Fuerat Arcarius.

k

4 Hujus temporibus, Indict. 8, Luna eclipsim pertulit mense Junio, die *l* 28. Similiter et *m* mortalitas major atque gravissima subsecuta est, mense suprascripto, Julio, Augusto, et Septembri in urbe Roma, qualis nec temporibus aliorum Pontificum fuisse memoratur, ut etiam parentes cum filiis, atque fratres seu sorores binatim per lectos ad sepulchra deducerentur. Postmodum vero foras circumquaque suburbana, et castra eadem mortalitas devastare non cessavit.

l m

Pestis ejus tempore.

5 Qui suprascripti Missi Sedis Apostolicæ, qui directi fuerant, in regiam urbem ingredientes *n* die 10, mensis Novembris, nona Indict. Domino solante, atque Principe Apostolorum comitante, suscepti sunt a Principe in oraculo B. Petri Apostoli intra palatium, porrigentes ei scripta Pontificis. Quæ dum suscepisset, commonuit eos atque adhortatus est, ut non per schisma aut furorem, sed pacifica dispositione remittentes philosophicas assertiones, puram sanctarum Scripturarum Patrumque, et probatam fidem per Synodalia decreta satisfacerent. Et dans inducias ad retractanda scripta, tribuit eis omnia, quæ ad sustentationem sufficiebant in eorum expensas, in domo quæ appellatur Placidia Die 18, mensis suprascripti die Dominico, advocati sunt in processione ad sanctam Dei genitricem in Blachernas, in tanta honorificentia, ut etiam de palatio caballos stratos dirigeret cum obsequio pietas Imperialis, et sic eos susciperet; ea ipsa commonens, ut pacifica assertione testimonia venerabilium Patrum proponerent.

n

Legati appellunt Constantinopolim.

Honorifice tractantur.

6 Die *o* vigesima secunda mensis Novembris *p* in basilica, quæ Trullus appellatur, intra palatium, sub regali cultu, residente cum Constantino Aug. Georgio Patriarcha Constantinopolitano, ac Macario Antiocheno, suscepti sunt Missi Sedis Apostolicæ; deinde Metropolitæ vel Episcopi Orientalium partium numero *q* centum quinquaginta. Qui proni adorantes; residere eos præcepit una cum nostris. Post hæc Patritii, *r* Hypati, omnesque Inclyti introierunt. Et habita inquisitione ab ejus pietate, cujus partis deberet ostensio approbari, Legati Sedis Apostolicæ dixerunt : Opportuna veritas, et ratio exigit, ut a parte eorum, qui unam voluntatem, et operationem in Domino Jesu Christo asserunt, Apostolicæ Sedis auctoritas exponatur. Qui audientes læti effecti, paratos se esse dixerunt. Et accepta licentia, ea hora suos intromiserunt libros et tomos diversos, et synodos, quas falsaverant. Nam non per veritatem se superare

o p

Sexta synodus Œcumenica.

q

r

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

Fraus hæreticorum in libris corrumpendis.

superare existimabant, sed per mendacia et diversa commenta, quæ in libris suis ipsi addiderant. Et relegentes per singula, reperti sunt mendaces, unam operationem et voluntatem in Domino Jesu Christo esse dicentes. Et in quinta synodo epistolam *s* Vigilii Papæ ad Mennam Patriarcham, atque libellum ejusdem Mennæ in quaternionibus noviter additis, falsaverunt, unam voluntatem et operationem dicentes. Quod coram Principe, et synodo claruit. Alia die Catholicæ fidei defensor pius Princeps in secretario residens, inquisitione de ipsis codicibus facta, ita reperit falsa noviter addita fuisse.

s

t

7 *t* Die 12 mensis Decembris residente synodo cum ejus pietate, suscepti sunt Missi Sedis Apostolicæ, et præcepit eos in synodo residere, præsentantes locum sanctissimi ac beatissimi Agathonis Papæ. Quibus dictum est, ut omnes libros, quos scirent ad caussam fidei pertinere, coram synodo adducerent : quod et factum est. Et vocato Georgio Diacono et Chartophylace Ecclesiæ Constantinopolitanæ, præceptum est ei, ut juxta eorum notitiam codices ex bibliotheca Ecclesiæ ad medium deduceret, et dum adducti essent, et relegerentur, utrique similes reperti sunt, duas naturas, duasque voluntates et operationes in Domino Jesu Christo habentes. Et confusus Macarius coram synodo inventus est mendax. Tunc interdixit pietas Augustalis Georgio Patriarchæ, ut minime in Ecclesia sua susciperet Macarium, vel ejus homines, interdicens ei processum. Hæc prima ejus ruina fuit.

Macarii Antiocheni mendacia detecta.

8 Die XIII mensis Februarii auxiliante B. Petro Apostolo ut veritatis lumen appareret, intromissa sunt coram synodo venerabilium Patrum dicta, *v* Joannis Constantinopolitani, Cyrilli, Athanasii, Basilii, Gregorii, Dionysii, Hilarii, Ambrosii, Augustini, et Leonis, duas naturales voluntates et operationes in Christo dicentium, ad satisfactionem Principis, vel synodi. *x* Sequenti die in eodem secretario residente synodo una cum Principe, Synodica sanctissimi Agathonis Papæ relecta est, et ad singula comprobata Patrum dicta inserta : in qua Synodica Episcopi Occidentalis partis subscripserunt numero *y* centum viginti quinque.

v

PP. duas operationes in Christo docentes.

x

y

Macarii pertinacia.

9 Cumque posthæc adhortatus est, nec dicendus Macarius a sancta synodo, vel a pio Principe, omnique Senatu, ut profiteretur unam aut duas confiteri voluntates vel operationes : qui nullatenus audivit, sed potius neque unam, neque duas in Salvatore dicere voluit. Deinde protulit piissimus et serenissimus Princeps tomum ad relegendum, in quem vanum hæreticum dogma Macarii erat conscriptum, et ejus manu subscriptum, apertissime unam voluntatem in Domino affirmantis. Sub ipsius scriptione, et *z* Theodori Expatriarchæ, utique juxta eum tenorem, ibi subscriptio erat. Et interrogatus Georgius Patriarcha, si eam fidem, quam docet Sedes Apostolica, amplectitur, juxta scripturam venerandi Agathonis Papæ, seu sanctorum, ac venerabilium Patrum. Qui respondit, quod accepta licentia, in scripto quæ opportuna erant responderet. Et in his recedentes; die *Aa* XVII mensis Februarii, die Dominico intra oraculum S. Petri intra palatium astante *Bb* Syncleto, simulque et Patriarcha, Legatos Sedis Apostolicæ suscepit, relegens suggestionem aliam pro eorum commendatione a sanctissimo Papa directam. Qui Georgius sanctissimus Patriarcha professus est eo die in scriptis duas naturas, duasque voluntates et operationes in Domino Jesu Christo se credere et prædicare, sicut Sedes Apostolica credit; anathematizans eos, qui unam naturam, voluntatem, et operationem in Domino Jesu Christo dicunt.

z

Aa

Bb

Georgii Constantinopolitani professio fidei.

Macarius pertinax ejicitur e synodo.

10 Die vigesima quinta mensis Februarii residente synodo, una cum pio Principe, simulque et Legatis Sedis Apostolicæ, Macarium adesse jusserunt. Et data a Principe licentia, ut se partes quis in quas vellet divideret; Georgius Patriarcha regiæ civitatis cum suis in parte Orthodoxorum stetit : Macarius vero cum suis in parte alia hæreticorum. Et deducentes ad medium professionem Georgii Patriarchæ, quam fecerat, porrecta est Principi, et relecta est. Et commonitus suprascriptus Macarius, quid sentiret, vel crederet. Respondit se in ea perfidia, quam ante proposuerat, perdurare, et nullatenus orthodoxæ fidei acquiescere. Ea hora sancta synodus una cum Principe ejus *Cc* orarium auferri jusserunt a collo ejus. Et exiliens *Dd* Basilius Episcopus Cretensis Ecclesiæ, ejus orarium abstulit. Et anathematizantes projecerunt eum foris synodum, simulque et thronum ejus. *Ee* Stephanum autem discipulum ejus cervicibus a sancta Synodo Clerici Romani ejicientes expulerunt.

AUCTORE ANASTASIO BIBLIOTH.

Cc

Dd

Ee

11 Ea hora tantæ telæ aranearum nigerrimæ in medio populi ceciderunt, ut omnes mirarentur, ac dicerent, quod sordes hæresum expulsæ sunt. Et Deo auxiliante, unitæ sunt sanctæ Dei Ecclesiæ. In loco vero Macarii ordinatus est *Ff* Stephanus Abbas monasterii, quod appellatur *Gg* Baias insulæ Siciliensis, Patriarcha Ecclesiæ Antiochenæ. Macarius vero cum suis amatoribus, id est, *Hh* Stephano, Anastasio expresbyteris; et Leontio exdiacono; Polychronio, Epiphanio expresbyteris, et inclusis, in exilio in *Ii* Romanam directi sunt civitatem. Deinde abstulerunt de *Kk* diptychis Ecclesiarum nomina Patriarcharum, vel de picturis Ecclesiæ figuras eorum, aut in foribus, ubiubi esse poterant auferentes, id est, *Ll* Cyri, Sergii, Pauli, Pyrrhi, Petri, per quos error orthodoxæ fidei usque nunc pullulavit.

Symbolum hæreseos.

Ff

Gg

Hæretici relegati, damnati alii.

Hh

Ii

Kk

Ll

12 Tanta autem gratia divina omnipotentis concessa est Missis Sedis Apostolicæ, ut ad lætitiam populi vel sancti Concilii, qui in regia urbe erant, *Mm* Joannes Episcopus Portuensis Dominicorum die octavarum Paschæ in ecclesia beatæ Sophiæ Missas publicas Latine celebraret coram Principe et Patriarcha, ut omnes unanimiter in laudes, et victorias piissimorum Imperatorum, eo die Latinis vocibus acclamarent.

Legati Papæ Græcis gratiosi.

Mm

13 Hic suscepit Divalem jussionem secundum suam postulationem, ut suggessit, per quam relevata est quantitas, quæ solita erat dari *Nn* pro ordinatione Pontificis facienda. Sic tamen, ut si contigerit post ejus transitum electionem fieri, non debeat ordinari, qui electus fuerit, nisi prius decretum generale introducatur in regiam urbem secundum antiquam consuetudinem, et cum eorum conscientia et jussione debeat ordinatio provenire. Hic dimisit omni Clero rogam unam, et ad luminaria Apostolorum, et S. Mariæ ad præsepe solidos duo mille centum et quadraginta. Fecit autem ordinationem unam, Presbyteros decem, Diaconos tres, Episcopos per diversa loca numero decem et octo. Qui etiam sepultus est ad B. Petrum Apostolum sub die IV Idus Januarii : et cessavit Episcopatus annum unum, menses septem, dies quinque.

Nn

Aliæ S. Agathonis res gestæ.

a Pantonio *patre, inquit Ferrarius; quem Galesinius et Platina Romanum fuisse tradunt. At Ciaconius* Pannonii Ammonis filium *facit,* Aquilani castro vallis Siciliana in provincia ulterioris Aprutii natum.

b *Codex Baronii habebat, annos tres, menses* 8, *dies* 15. *Liber Luitprandi nomine editus,* an. 2, menses 5, dies 4, MSS. *quædam et Carthusiani Colon. in Addit. ad Usuard.* an. 5, mens. 6. *Martyrologium Colon.* an. 5, mens 6. dies 15. *Binius tribus annis menses circiter quinque addit. Observat Baronius mendum videri apud Anastasium irrepsisse, dum dicitur* Donus *Papa obiisse* III *Id. April. quod Divalis epistola Constantini Imper. ad eum data sit pridie Id. Augusti, Indict.* 6. *nec videatur potuisse mors Pontificis quadrimestri integro non perferri Constantinopolim. Octavius Cajetanus noster* 10 *Julii ista habet :* Romæ, ordinatio S. Agathonis Panormitani in Summum Pontificem. *Menardus :* Romæ ordinatio S. Agathonis Papæ.

c *Agit hac de re Hieronymus Rubeus lib.* 4, *Histor. Ravennat.* Reparatus *ejus decessor idem fertur meditatus* Doni *tempore, sed morte præventus non perfecisse.*

d *Extat ea ante sextam synodum.*

Auctore Anastasio Biblioth.

e Constantinus Pogonatus *an.* 668 Constanti *patri successit, et fratres* Heraclium *et* Tiberium *in collegas adscivit, quos tamen deinde submovit. Obiit an.* 685, *relicto* Justiniano *filio hærede, qui dein* Rhinotmetus *fuit.*

f *Primum variæ habitæ in Italia, Gallia, Britannia, contra Monothelitas synodi,* Agathonis *auctoritate extat Synodica* Mansueti *Episcopi Mediolanensis, et Concilii, cuiis præfuerat, nomine. De Anglicano sub* S. Theodoro *Dorovernensi (qui* 29 *Septemb. colitur) agit Beda lib.* 4, *cap.* 18. *Celebratum illud est ann.* 679, *mense Septembri. Romæ quoque an.* 680, *habita est synodus* 125, *Episcoporum Abbo solum meminit* 120, *Ciaconius* 105.

g *Hi tres Episcopi Legati fuere ipsius concilii nomine missi. Videtur* Paternum, *cujus Episcopus* Abundantius, *fuisse circa* Traenta *amnem, qui in sinum Tarentinum influit.*

h Rhegiensis *hic in Brutiis fuisse Antistes videtur : at* Rhegii Lepidi, *qui synodo subscripsit,* Mauritius. *Fuit* Joannes *hic postea Pontifex, teste Anastasio.*

i *Hi* 4 *peculiariter ipsius* Agathonis *Legati fuere, ut patet ex litteris* Constantini *Imper. ad* Georgium *Patriarcham, et Actione* 1, *Theodorus vero Theodori Episcopi Ravennatis Legatus.*

k *De* Arcario, *sive arcæ præposito; annonæ, tributorum, vestium, etc. curatore, consule eruditam observationem Joannis Savaronis ad illud Sidonii Apollinaris lib.* 5, *ep.* 7, arcariis pondera invident.

l *Imo* 18, (*ut etiam habet Abbo Floriacensis*) *more scilicet Italico inchoata ab occiduo Sole. Cœpit enim ea eclipsis* 17 *Junii, hora* 8, *vespertina, minut.* 40, *desiit hora fere prima post mediam noctem sequentis diei, anno* 680, *Indict.* 8.

m *De hac peste intercessione* S. Sebastiani *sedata, agit Paulus Diaconus lib.* 6, *cap.* 5, *et Baronius an* 680, *num.* 50, *et nos iterum* 20 *Janu. ad vitam S. Sebastiani. Non assentimur Joanni Stellæ, qui hac peste extinctum* Agathonem *scribit, ideoque tam diu Sedem vacasse.*

n *Imo sub finem Augusti, Indict.* 8, *vel initio Septembris; ut recte Baronius an.* 680, *num.* 26, *et patet ex epistola Imperatoris ad Patriarcham Georgium.*

o *Fuit quidam* 18 *Novemb. Dominica : sed videtur hæc processio contigisse ante inchoatam synodum, quæ tamen, ut edita est, cœpta dicitur* 7 *Novemb. sed neque numerus actionum, neque singularum dies cum Anastasio consentiunt.*

p *In Actis synodi dicitur,* in secretario sacri palatii, quod cognominatur Trullus, *quia nimirum, ut observat Baronius ad an.* 680, *n.* 41, trullo, *sive* trulla, *id est, testudine sursum erecta, et in rotundum concamerata (quam vulgus* cuppulam *vocat) fastigiatum erat.*

q *Alii* 289 *habent, alii* 170, *alii* 171, *alii* 150, *subscripti in ultima actione reperiuntur* 166. *Lege Baronium nu.* 40.

r *In Actis* ἀπὸ ὑπάτων, exconsules, *nominantur,* Nicetas, Theodorus, Sergius, Paulus, Julianus, *etc.*

s *Hæc in actione* 3, *habita* 13 *Novembris, ut est in editis.*

t *Eo die sexta Actio habita, ut est in editis.*

v *Hæc loca Patrum Actione* 7 *quæ hoc die habita dicitur, non referuntur.*

x *Tota hæc Actio deest in editis.*

y 128 *nomina subscripta leguntur illi synodicæ* Agathonis *epistolæ. Quidam postea fortassis subscripsere, et tamen aliqua incuria librariorum videntur excidisse nomina, uti* Abundantii *et* Joannis Rhegitani *Legatorum.*

z *Hic patriarcha Constantinopolitanus creatus anno* 666, *ut isthic num.* 1 *habet Baronius; ann.* 678, *quod hæreticus esset, a* Constantino *Augusto ejectus est, substituto* Georgio. *Sed cum postea se Catholicum simulasset,* Georgio *an.* 682, *mortuo, in Sedem restitutus est, Actaque sextæ Synodi depravavit.*

Aa *Hæc quoque in editis deest Actio. Littera Dominicalis eo anno* 681 *fuit* F, *quæ decimo septimo Februarii respondet.*

Bb *Id est* Senatu. *Alii* Syncelio *legunt.*

Cc *In Actione* 8, *quæ habita dicitur* 7 *Martii, isthæc in* Macarium *pronuntiantur :* Merito Episcopatu alienetur : nudetur circumposito ei pallio, et denudato eo atque in medio astante una cum Stephano, *etc. Est* orarium *hic vestis linea Episcopalis, quam vulgo* rocquettam *vocant. Sic* 1 *Janu. in vita* S. Fulgentii *cap.* 18, *n.* 38. Orario quidem, sicut omnes Episcopi, nullatenus utebatur : pelliceo cingulo sicut monachus utebatur. *S. Gregorius lib.* 6, *ep.* 191, *videtur pro communi linea veste usurpasse :* duas autem camisias : et 4 oraria vobis transmisi. *erant enim viris conjugatis donanda. Vulgatius linteum quod ori admovetur, significat. S. Hieronymus ep.* 2, *ad Nepotianum paullo post medium :* Alioquin ridiculum et plenum dedecoris est, referto marsupio quod sudarium orariumque non habeas gloriari *S. Ambrosius de fide resurrectionis :* Et facies ejus (*Lazari*) orario colligata erat.

Dd Basilius Episcopus Gortinæ insulæ Cretæ, *Act.* 1, *post Patriarcharum, et Occidentalium Legatos primus nominatur.*

Ee *Hoc in Act.* 9, *habita* 8 *Martii refertur.*

Ff *In Actis Concilii* Theophanes *appellatur, apud Abbonem Floriacensem* Theophanius. *Venerat cum Legatis Apostolicis, ut scribit Baronius an.* 680, *n.* 7.

Gg *Abbo Floriac* Bagias.

Hh *Erat* Stephanus *Abbas et Presbyter;* Polichronius *monachus et Presbyter, de hujus superba stoliditate vide Concilii Actionem* 13.

Ii *Ibi a* S. Leone II S. Agathonis *successore,* Macarius, Polychronius, Stephanus, *aliique pervicaces, in monasterium retrusi sunt;* Anastasius *Presbyter, et* Leontius *Diaconus Ecclesiæ Constantinopolitanæ, fidem orthodoxam professi, absoluti. Adeo obstinatus fuit* Macarius, *ut ne quidem mortuo* Stephano, *aut* Theophane, *Patriarcha, cum ei sua Cathedra denuo offerretur a* S. Benedicto II *Papa, si errores pristinos damnaret, parere voluerit, ut ex* 2. *Nicæna synodo refert Baronius an.* 685, *n.* 8.

Kk *De diptychis egimus* 8 *Jan. in vita* S. Attici, § 5 *et* 6.

Ll *Hi antesignani sunt Monothelitarum :* Cyrus *Lazorum in Phaside Episcopus, intrusus ab Heraclio in thronum Alexandrinum an.* 630, *mortuus an.* 640. Sergius *Episcopus Constantinopolitanus creatus an.* 608, *mortuus* 639. *Successit* Pyrrhus, *qui an* 642 *cum in suspicionem venisset conspirationis contra Imperatorem, sponte secessit, suffectusque est ei* Paulus; *quo an.* 652 *mortuo, restitutus est* Pyrrhus : *huic post paullo mortuo, subrogatur* Petrus *an.* 653, *mortuus an.* 656. *Atque hi nunc in Synodo* 6 *damnati omnes.*

Mm *Non erat hic præcipuus Legatorum, (nam ut ex* 1 *Actione patet,* Theodorus *et* Georgius *Presbyteri, et* Joannes *Diaconus Synodo præerant,* vicem agentes Agathonis sanctissimi et beatissimi Archiepiscopi antiquæ Romæ,) *sed quia ordine Episcopus erat* Joannes, *ideo Missam celebravit.*

Nn *Impii primum Gothorum Reges summam pecuniæ pendi sibi a Romanis Pontificibus recens creatis jusserunt : quam et deinceps Imperatores Orientales exegerunt, usque ad piissimum* Constantinum IV *Pogonatum. Luitprandus a* Constantino Heraclio Tiberio *hanc Divalem jussionem obtinuisse Agathonem scribit.*

EPITAPHIUM S. AGATHONIS.

Ejus olim sepulchro incisum, diu deperditum, tandem inter ceteras veteres inscriptiones repertum, atque a Baronio post 12 *tomum Annalium publicatum.*

Pontificalis apex virtutum pondere fultus,
Ut jubaris radiat, personat ut tonitrus.
Quæ modo hoc peragit doctrinæ fomes et auctor,
Format enim gestis quos docet eloquiis.
Dum simul * æquiperat virtus et culmen honoris, * æquiparat.
Officium decorat moribus, arte gerit.
Præditus his meritis Antistes summus Agatho
Sedis Apostolicæ fœdera firma tenet.
En pietas, en prisca fides : insignia Patrum
Intemerata manent nisibus alme tuis.
Quis vero * dinumeret morum documenta tuorum, * numeret, *vel* enumeret.
Formula virtutum dum tua vita foret?

DE S. SETHRIDA VIRGINE,

ABBATISSA BRIGENSI IN GALLIA.

Seculo VII. X Januarii.

Celebre cum primis S. Pharæ monasterium *est, quod antiqui* Eboriacas *dixere, intra Brigensem saltum, unde et* Brige *appellatum, vulgo* Faremonstier, *in Bria Galliæ provincia, diœcesi Meldensi, de quo plenius vel* VII *Decembris, ad* S. Pharæ, *sive* Burgundofaræ, *natalem, vel ad ejus translationem* III *Aprilis. Hic eximia vitæ sanctitate floruit* Sethrida *regii sanguinis virgo, cujus natalem hodie agi testatur Ferrarius his verbis :* In territorio Meldensi S. Sethridæ Virginis, Abbatissæ Brigensis. *Saussaius in supplemento Martyrologii Gallicani :* In territorio Meldensi, Brigensi, seu Pharæmonasterio, S. Sethridæ virginis, quæ Angla natione, hanc ad parthenonam studio religionis profecta, ibidemque professa, votique compos, post Angelicæ vitæ in terris decursum ad sanctissimarum Virginum cæleste consortium migravit. Ejus laudes descripsit Beda venerabilis.

S. Sethridæ natalis.

2 *Beda lib.* 3, *historiæ Eccles. gentis Anglorum, cap.* 8, *isthæc de ea tradit :* Eo tempore necdum multis in regione Anglorum monasteriis constructis, multi de Britannia monasticæ conversationis gratia, Francorum, vel Galliarum monasteria adire solebant, et filias suas eisdem erudiendas ac sponso cæ- *genus,*
lesti copulandas mittebant, maxime in Brige et in Cale, et in Andilegum monasterio : inter quas erat Sedredo, filia uxoris Annæ Regis Orientalium Anglorum, cujus supra meminimus, et filia naturalis ejusdem

dem Regis Edelburg. Utraque cum esset peregrina, præ merito virtutum ejusdem monasterii Brigensis est Abbatissa constituta. *Hæc ille. Ab ipso Anna sanctissimo Rege in Galliam erat missa cum sorore* Sethrida, *ut ex Henrico Huntindoniensi colligitur, ita lib.* 3 *historiar. scribente :* Minorem vero filiam suam Edelburh, et filiam uxoris suæ Setrid miserat Rex Anna ad monasterium Bruges ad serviendum Domino. Quæ utraque cum esset peregrina, merito virtutum Bregensis *vita religiosa,* Abbatissa effecta est. Tunc siquidem mittebant Nobiles Angliæ filias suas erudiendas in Bruge, et in Kala, et in Andilegum monasterio. Misit et Ercembert Bruges filiam suam Erchengotam Christi virginem sanctam et præclaram. Cujus opera virtutum, cujus signa miraculorum ab incolis loci illius usque hodie narrantur.

3 *Meminit quoque* Sethridæ *Nicolaus Harpseldius sec.* 7, *cap.* 17, *et* Sedridonem *vocat : sed quod ejus matrem, Ethelburgæ novercam facit, haud nobis probatur. Fuit enim* S. Hereswida, *soror* S. Hildæ, S. Edwini *Regis et Martyris neptis, primum alteri viro nupta, eique* Sethridam *peperit. Eo mortuo,* Annæ *Regi Orientalium Anglorum jungitur, cui* S. Sexburgam, S. Ethelredam, S. Ethelburgam, S. Witburgam, Adulphum *Regem, et* S. Jurminum *genuit.* Anna *vero a Penda Merciorum crudelissimo Rege, anno Christi* DCLIV *interfecto, in Galliam abiit, inque Calensi cœnobio vitæ reliquum sanctissime exegit, coliturque* XXIII *Septemb.* S. Hilda XVII *Novembr.*, S. Sexburga VI *Julii*, S. Ethelredra XXIII *Junii*, S. Ethelburga VII *Julii*, S. Witburga XVII *Martii*, S. Edwinus XII *Octob.* *Ex ms. mater, sorores, fratres,*

4 *Cum vero ab ipso Anna Rege; qui an.* 654, *occubuit, missa sit in Galliam* Sethrida, *hinc de ejus ætate fieri conjectura potest. An ipsa prior cœnobio præfuerit, an* Ethelburga, *quæ junior erat, non constat. Martyrologium Anglicanum innuit sorori successisse* Sethridam : *sed fallitur dum hanc quoque Annæ Regis filiam vocat. Claudius Robertus in Gallia Christiana* S. Edelburgim *ait S. Pharæ in monasterii regimine successisse, nulla* Sethridæ *facta mentione : at non recte* Regis Orientalium Saxonum *illam fuisse filiam tradit.* Orientalium Anglorum *voluit scribere. Utraque sub S. Pharæ disciplina religiosæ vitæ tirocinia posuit.* *ætas.* *præfectura.*

DE S. ALDO EREMITA, PAPIÆ IN ITALIA.

X JANUARII.

Ferrarius in catalogo generali Sanctorum isthæc scribit, IV *Id. Janu.* Papiæ S. Aldi eremitæ. *Ast in catalogo Sanctorum Italiæ :* S. Aldus quando et ubi vixerit, adhuc scire minime potui : ejus corpus Papiæ primum in sacello S. Columbani conditum fuit, inde in basilicam S. Michaelis translatum est, ibique natalis ejus celebrari solet. Meminere illius Jacobus Gualla lib. 6, cap. 8. Sanctuarii, Stephanus Breventanus lib. 3, histor. Ticinensis; qui tamen corpus in cathedrali ecclesia quiescere scribunt; et Arnoldus Wion lib. 3, ligni vitæ in additionibus : ex quo loco, S. Aldum monachum Bobiensem vitam eremiticam in finitimis locis egisse, conjici potest. *Hæc Ferrarius. De* Bobio *illustri monasterio agemus* XXI *Novemb. ad vitam* S. Columbani.

DE B. BENINCASA, ABBATE VIII CAVENSI.

AN. CHR. MCXCIV. X JANUARII. *Cavense cœnobium.*

Cava civitas est *in Campaniæ agrique Picentini confinibus,* a situ loci vocata, *ut Leander in Campaniæ descriptione, media fere inter Salernum ac Nuceriam.* Juxta Cavam antiquissimum amplissimumque et opulentissimum prædiis cœnobium est, Cavæ nominatum. *De hujus fundatione agemus in vita* S. Alferii. *Coluntur quatuor primi Abbates officiis propriis et Missa.* S. Alferius XII *April.* S. Leo XII *Julii,* S. Petrus IV *Martii,* S. Constabilis XVII *Februarii. In aliorum multorum solemnitatibus fit sacrum de sanctissima Trinitate, nimirum* B. Simeonis *quinti Abbatis* XVI *Novembris,* B. Falconis *sexti* V *Junii,* B. Marini *septimi* XV *Decembris,* B. Benincasæ *octavi hoc die,* B. Petri II *noni* XIV *Maii,* B. Balsami *decimi* XXIV *Novembris,* B. Leonardi *undecimi* XVIII *Augusti, etc.* *Ejus sancti Abbates.*

2 B. Benincasæ X *Januarii natalem consignant Hugo Menardus, Benedictus Dorganius, Arnoldus Wion in Martyrologio monastico, his verbis :* In monasterio sanctæ Trinitatis Cavæ, depositio B. Benincasæ Abbatis, *addunt Wion et Dorganius :* miraculorum gloria insignis. *Electus est illius monasterii Abbas Kalendis Februarii* 1171, præfuitque usque ad IV Id. Januarii 1194, quo vita excessit, et in sacra crypta cum ceteris sanctis Patribus conditus est. *B. Benincasæ natalis,* *ætas.*

3 Hic vir beatus ex Cavensi monasterio centum monachos sub Theobaldo Patre in Siciliam destinavit ad famosissimum Montis regalis cœnobium, quod anno Domini 1174, Rex Guilielmus II, cognomento Bonus, mirifico sumptu constructum atque dotatum, eidem juxta Cavensis congregationis normam instituendum, ac divino cultui regularique observantiæ mancipandum commiserat. Fuitque Theobaldus ipse ejusdem monasterii primus Abbas, ejusque; successor Guilielmus Abbas et Archiepiscopus, aliique post ipsos aliquot Cavenses monachi ejusdem dignitatis et regiminis successores. *Hæc ad nos Neapoli ex Cavensis monasterii monumentis Antonius Beatillus noster. Quibus consentanea refert Wion in Notis. De eodem Montis regalis cœnobio Fazellus rer. sicular. decade* 1, *lib.* 8, *illud inter cetera scribit,* omnibus fanis non solum Italia, sed toto etiam terrarum orbe excitatis, eo genere structuræ præferendum, *etc. Agit de eodem decade* 2, *lib.* 7, *ubi tradit* Guilielmum secundum *ejus* Abbatem, *auctoritate* Lucii III, *(qui ab an.* 1181, *ad* 25 *Novembr.* 1185, *sedit) Archiepiscopum esse factum. Citat ibidem Fazellus diploma variarum donationum ei monasterio factarum an.* 1176. *Montis regalis in Sicilia monasterium.*

DE S. GUILIELMO EREMITA,
ARCHIEPISCOPO BITURICENSI.

AN. CHR. MCCIX. X JANUARII. *S. Guilielmi natalis.*

Non omnium, qui in album relati sunt Sanctorum, inscripta Martyrologio Romano nomina sunt. Guilielmi *certe Bituricensis Archiepiscopi ab Honorio III, anno Christi* 1218 *consecrata canonice memoria est, necdum tamen in publicis Romanæ Ecclesiæ tabulis consignata, licet id asserat hrysostomus Henriquez in Menologio Cisterciensi, ubi eum insigni ornat elogio. De eo Martyrologium excusum Lubecæ an.* 1475. Bituricas depositio B. Valhelmi Episcopi et Confessoris. *Usuardi Martyrologium auctius editum Parisiis an.* 1536. Bituricas natalis S. Guillermi ejusdem urbis Archiepiscopi, vita et miraculis gloriosi. *Eadem fere habent Martyrologium*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ex variis. *Martyrologium Coloniense, Molanus in Addit. ad Usuardum, variaque* mss. *Belgicarum Ecclesiarum Martyrologia, in quorum plerisque* Wilhelmus, *in quibusdam* Guilielmus *et* Guilielmus *appellatur. Carthusiani Colonienses in Addit. ad Usuar.* Eodem die S. Guilielmi, quem nos Germani Wilhelmum dicimus, Biturícensis Archiepiscopi, ordinis Cisterciensis, vita et miraculis clari. Erat iste Sanctus fere semper hilaris et jucundus, quod quibusdam displicebat austeris. *Ejusdem meminere Martyrologia, Germanicum, Gallobelgicum, Gallicanum Saussaii, Ferrarius,* ms. *Florarium, Dorganius. Martyrologium Lemovicense citatum a Claudio Roberto :* Depositio S. Guilielmi, eximii Præsulis, et egregii Confessoris; cujus vita claret in terris plena fide, et mors in conspectu populi miraculis pretiosa fulget. *Galesinius :* Biturícis S. Guilielmi Episcopi : quem vitæ sanctitate et miraculorum gloria insignem, Honorius III Pontifex Sanctorum numero adscripsit. *Eadem habent Wion et Menardus.*

canonizatio,

2 *Maurolycus* xi *Januarii eum refert, cum tamen constet ex* 2 *vita obiisse* Sabbatho, *quod an.* 1209 *incidebat in* x *Januarii. Kalendarium Cisterciense Divione editum,* x *Janu.* Guillermus Archiep. Viruticensis, xiii *ejusdem :* S. Guillermus Vituricensis traditur sepulturæ, vii *Maii isthæc habet Chrysostomus Henriquez :* In Gallia elevatio corporis Guillelmi Archiepiscopi Biturícensis. *Facta illa an.* 1217, *a* Girardo, *sive* Giraudo, *successore, ut scribit Joannes Chenu in Chronologia Archiep. Bituric.*

elevatio,

vita a quo scripta, et quando,

3 *Vitam* S. Guilielmi *a Petro Abbate Caroli-loci scriptam tradit Henriquez in Menologio Cisterciensi. Eam esse ait Wion quæ edita est a Surio. Fuit quidem illius vitæ scriptor* S. Guilielmi *æqualis sed non Abbas Caroli-loci, tum saltem cum eam scripsit; at potius Biturícensis quispiam. Indicat id cap.* 11, *nu.* 39. Multi et nostræ urbis homines, et locis finitimis degentes. *Ætatem vero suam ostendit cap.* 1, *num.* 1, *de* Henrico *Archiepiscopo* Guilielmi *decessore loquens :* Qui inter nos degens, erga Clerum et populum summa semper usus est mansuetudine, *etc. Et cap.* 3, *num.* 11. Ex iis sane *(quos S.* Guilielmus *manus impositione sanaverat)* quosdam nos vidimus bonæ existimationis viros, qui hæc nobis ita, ut diximus, gesta testarentur. *Et cap.* 8, *num.* 29. Quas *(Guilielmi moribundi voces)* nos coram positi ægre possemus intelligere. *Cum vero canonizationis non meminerit, suspicari licet antequam ea fieret scriptam esse hanc vitam. Est porro hæc vita*

contracta a Surio;

a Surio, ut ipse fatetur, in compendium contracta; neque ullum reperire ms. *codicem potuimus, unde primigeniam phrasim restitueremus : eam igitur e Surio damus.*

alia,

4 *Aliam nacti sumus e veteri* ms. *Domus professæ Societatis Jesu Antverpiæ, a Coætaneo quoque scriptam, sed post canonizationem. An is Abbas fuerit Caroli-loci non possumus pronuntiare. Verisimile id fortassis videatur ex iis quæ cap.* 2, *num.* 9, *narrat, cum ait :* Cujus rei exemplum si velim in medium ego deducere, qui opusculi hujus materiam sum aggressus, ex injuriarum molestia, propter quam nec immerito contra me debuerat gravius indignari, gratiam ejus ultra quam crediderim, me profiteor et gaudeo habuisse. *Pars hujus vitæ extabat in* ms. *Nicolai Belfortii.*

tertiæ antiquæ fragmentum.

5 *Alterius vitæ, (ab utraque priore diversæ, ut ex stylo licet conjicere) fragmentum ex* ms. *Legendario Ecclesiæ S. Audomari subjungemus. Auctor se Biturícæ fuisse ostendit, cum sepultus est Sanctus; ita enim ait num.* 4 : Quamplures ex ipsis *(infantibus, qui satiari adspectu sacri ejus corporis non poterant)* renitentes pro viribus, et ejulantes præ dolore recessus, vidimus violenter asportari. *Quod iisdem verbis habetur in veteri Breviario Corisopitensi, de quo inferius.*

6 *Vitam* S. Guilielmi *describit Chrysostomus lib.* 1, *Fascicul. SS. ord. Cistercien. dist.* 20, *fere ex Surio. Franciscus Haræus, qui tamen fœde hallucinatur dum mortuum tradit circiter annum* 1136. *Petrus de Natal. lib.* 2, *cap.* 63. *Petrus Viellius Gallice, ex Surio, et accuratius Andreas Du-Vallius : Jacobus Doubletius, et Guilielmus Gazæus. Agunt quoque de eo Barnabas de Montalbo lib.* 3, *histor. Cisterc. cap.* 6, *et sequentibus, ubi cum se profiteatur, quæ scribit, ex Surio et Vincentio hausisse, in multis tamen eorum sensum non est assecutus. Agit præterea Claudius Robertus in Gallia Christiana, Joannes Chenu in Chronologia Archiepiscoporum Bituric. Chronicon monachi Autisiodorensis, Guido Coquillius in hist. Nivernensi, Carolus Saussaius in Annal. Aurelianen. citandi infra. Vincentius Bellovac. lib.* 29, *cap.* 62. *Cæsarius lib.* 2, *cap.* 29, *Bzovius tom.* 13. *Annal. ad an.* 1218, *num.* 7. *Demochares de divino Missæ sacrificio cap.* 24. *S. Antoninus par.* 2, *tit.* 17, *c.* 9, § 30. *Ciaconius in Honorio III. Jacobus Breulius lib.* 4 *Antiquitat. Parisinarum, ubi testatur eum auctorem fuisse Congregationi ad S. Antonium Parisiis, ut se ordini Cisterciensi subjiceret, et Confessarium Visitatoremque ab ejus ordinis Præsidibus constituendum admitteret.*

Qui de eo scripserunt.

Sacri honores ei habiti.

7 *Testatur Joannes Chenu* SS. Stephanum, Ursinum, Guillelmum *esse* tutelares Biturigum Præsides : Guilielmi *præterea in Ecclesia Mimatensi celebrari hoc die commemorationem Claudius Robertus scribit in academia Parisiensi* Patronum haberi nationis Francicæ : *coli in Ecclesia Lingonensi officio duplici, semiduplici Parisiis et Rotomagi. Ast in veteri Missali Rotomagensi fit solum ejus memoria, ut ibi dicitur. In veteri Breviario Ecclesiæ Corisopitensis in Britannia Armorica recitantur novem de* S. Guillermo *lectiones inque iis isthæc :* Quadam die quidam Nobilis febricitans dixit ei : Domine date licentiam huic febri, quod recedat. Cujus affectionem pius Pater respiciens, dixit ei : Adhuc unam accessionem habebis, et postea liberaberis. Quod ita contigit ut prædixit.

Febris ejus meritis pulsa.

Vetus de eo sequentia.

8 *In Missali Rotomagensi hæc de eo recitatur sequentia :*

Ecce dies specialis Confessorum gloria,
Qua præfulget triumphalis Guillermi victoria,
Qua æterna Christo duce migravit ad gaudia,
Sempiterna gaudens luce ejus in præsentia;
Cui mente spiritali hærebat per omnia
Vita fruens temporali, aspirans cælestia :
Morum clero præstans forma, ut jubar Ecclesiæ,
Plebi vitæ fulsit norma, ut fomes justitiæ,
Lapsis vitæ dans solamen, spem reformans veniæ,
Oppressorum relevamen de valle miseriæ.
Hujus ergo prece pia cælesti militiæ
Nos ascribat vitæ via, Rex æternæ gloriæ. Amen.

VITA

AUCTORE COÆTANEO ANONYMO,

a Laur. Surio, stylo mutato, contracta.

CAPUT I.

S. Guilielmi ad Episcopatum promotio.

Cum ex hac luce migrasset felicis memoriæ *a* Henricus Biturícensis Archiepiscopus *b* qui inter nos degens erga Clerum et populum summa semper usus est mansuetudine et humanitate; paucis post diebus Ecclesiæ illius Clerici ad eligendum idoneum successorem convenere. Sed cum primum inter se non concordarent, tandem ex instinctu Spiritus sancti in eam pariter iere sententiam, ut Ecclesiæ Parisiensis, *c* Antistitem, qui ex illorum collegio ad id erat dignitatis assumptus, accersirent, ejus in Episcopo eligendo consilio et prudentia usuri. Erat enim vir magnus, et cunctis venerabilis, consiliis providus, justus ac timens Deum : cumque erga alias Galliarum Ecclesias multa uteretur sollicitudine, æquum esse existimabat, ut matri suæ, id est, Ecclesiæ desolatæ, in qua a teneris annis fuisset enutritus, tam necessario

a

b

Episcopo Parisiensi electio Episcopi Biturícensis defertur.

c

sario tempore minime deesset. Ille vero nullas nectens moras, tamquam devotus filius afflictæ matri, omnibus quibus posset modis consulturus, vocatus mox advenit. Itaque ubi ad præfixum diem conventum est iterum ab ejus Ecclesiæ Clericis, post multam deliberationem, id tandem omnibus unanimiter placuit, ut ex ordine Cisterciensi, cujus tum erat in Ecclesia Dei eximia sanctitas, Abbas aliquis in Pontificem deligeretur. Ibi tum inter ceteros, quos morum sanctitas commendabat, crebro nominatus est Guilhelmus, id temporis *d* Caroli-loci religiosissimus Abbas : qui, postquam arduum illud amplexus fuerat institutum, indies ad perfectiora contendebat, et sicut generis nobilitate, ita vitæ sanctimonia ceteris antecellere videbatur. Tandem ex compromisso et hunc et alios ab ipsis nominatos, ad Parisiensem Episcopum detulerunt, ex ejus arbitrio proculdubio suum Antistitem habituri quem ipse esset indicaturus : quippe qui illorum omnium mores probe cognitos haberet.

d

Is divinum lumen implorat.

2 Sed quia jam hora tardior erat, vir ille prudentissimus noluit in re tanti ponderis præcipitare sententiam; sed negotium omne in diem alterum distulit. Etsi autem invitus admodum eam in se provinciam recepit, nulla ratione recepturus, nisi schismatis certa discrimina impendere vidisset; at cessit tamen, decrevitque ea nocte solitis vigiliis et precibus incumbere, et divinum implorare auxilium, ut Dominus destitutæ Ecclesiæ Pastorem idoneum daret. Sequenti inde die in beatissimæ Mariæ Virginis templo mane sacrificium Missæ cum ingenti devotione obtulit. Aderant vero illi duo eximiæ sanctitatis et prudentiæ viri, quorum unus postea Turonensi, alter Meldensi Ecclesiæ præfectus est. Sub horum conspectu schedulas, quibus cera obsignatis Abbatum nominatorum erant inscripta nomina, sub altaris palla reposuit, penitus ignorans, quæ cujus nomen haberet. Absoluto autem sacrificio, cum lacrymis et multo gemitu humi prostratus, orat Dominum Jesum et ejus sanctissimam genitricem, ut qui solus corda nosset omnium, ostendere dignaretur, quem vellet ejus Ecclesiæ Pastorem constitui. Expleta oratione, nihil jam hæsitans de misericordia Dei, surrexit, et ex omnibus schedulis unam solam apprehendens, nomen invenit Domini Guilhelmi Caroli-loci Abbatis : moxque rem duobus illis sociis suis indicavit : atque una cum illis properat ad Clericos congregatos, et ipsius adventum præstolantes. Interim rem apud se et duos illos tacitam habet, dilaturus ejus propalationem, donec certius aliquod divinitus indicium appareret.

Sorte Guilielmi nomen e multis educit.

Idem a Canonicis ultro petitur.

Et ecce non minima pars eorum, qui convenerant, obviam illi procedit : una voce clamitant omnes, Guilhelmum Abbatem, utpote virum religiosum, justum, sanctis moribus conspicuum, sacris instructum litteris, illustri ortum prosapia, reliquis omnibus debere anteferri. Ita Dominus Jesus, quem ipse jam designasset Pontificem, illorum quoque animis inspiravit. His vero auditis, et lætitia et admiratio cepit Episcopum, ita ut lacrymas tenere non posset,

Psal. 117. 23.

videns rem divinitus geri, exclamavitque : A Domino factum est istud : simul Deum benedicens, mox properat cum illis ad reliquos paucos, qui in electionis loco permanserant. Atque inde cum omnibus ad B. Stephani Metropolitanam accessit ecclesiam : ubi ante aram prostrati cum preces Domino fudissent, ex omnium fratrum voluntate et consensu, ipso die *e* S. Clementis Guilhelmus Abbas in Archiepiscopum et totius Aquitaniæ Primatem eligitur.

e

Reluctans, cogitur electioni assentiri.

3 At illum quidem res tota latebat. Postquam vero illi innotuit, non est superbia elatus : imo vero dolere cœpit et mœstus esse, quod a sublimi divinarum rerum contemplatione animus ad tractanda secularia et temporalia deinceps avocandus esset. Hinc ergo gemitus, hinc ex imo pectore ducta suspiria. Sed quanto ille a tanti honoris dignitate magis abhorrebat, tanto honor ipse eum arctius complexus est, ut possit de illo quoque dici, quod de S. Paula D. Hieronymus ait : Fugiendo gloriam merebatur, quæ virtutem quasi umbra sequitur, et appetitores sui deserens, appetit contemptores. Interea positus in deliberatione, quid potissimum sequi deberet, acciperene tam molestum in se onus, an fugere potius, vidit solennes ad se venire nuntios Ecclesiæ Bituricensis, obnixe rogantes, ut vocationi divinæ obsecundet, et electioni de ipso factæ assensum præbeat. Et hi quidem, licet cum veneratione multa suscepti, passi fuissent hauddubie repulsam, nisi major auctoritas obstitisset. Accessit igitur ad has preces Cisterciensis Abbatis mandatum, cui jam reluctari, nisi suæ professionis vellet esse transgressor, non poterat. Et ne posset ulla ratione effugere, addidit gravius præceptum etiam Apostolicæ Sedis Legatus, qui id temporis in Galliis erat. Scripserat autem uterque epistolam ad illum, plenam ponderis, admonentem illum, ne se divinæ voluntati præberet refractarium; cogitaret vero quandoque reversurum Dominum, et talenta collata repetiturum cum usuris.

Ex Surio.

26 Janu.

4 Ita igitur ille compulsus, licet valde initio reniteretur, seque indignum clamitaret, velle tandem cogitur, quod nolebat, sciens meliorem esse obedientiam quam victimam. Valedicens vero fratribus, quibus præfuerat, nec sine multis lacrymis multoque cordis gemitu, singulorum se precibus commendans, recessit ab illis corpore tantum, non animo. Porro festinus iter habuit Bituriges. Quo cum pervenisset, a populo et Clero illi procedente obviam, imprimis reverenter acceptus est; deinde ab Episcopis ritu solenni consecratus, curam commissi sibi gregis, non ut mercenarius, sed ut verus pastor suscepit.

Inauguratur : 1. Reg. 15. 22.

a Henricus de Soliaco, *obiit* m *Id. Septembr.* 1200, *ut habet Claudius Robertus, et Joannes Chenu.*

b *Hinc patet auctorem et cœvum fuisse, et Bituricæ vixisse.*

c *Is fuit* Odo de Soliaco, *frater* Henrici *Bituricensis.*

d Carolilocus, *vel* Carilocus, *ut habet Cl. Robertus, vulgo* Challis, *vel* Charlis, Chailly, Charlieu, *abbatia ordinis Cisterciensis in diœcesi Silvanectensi*, filia Pontiniaci. e 23 *Novembr.*

CAPUT II.

Vita in Episcopatu sancte acta.

Et ne sibi deesset, suique ipsius curam neglexisse videretur, omnes animi motus ita studuit rationis continere imperio, adeoque omnia quæ sunt mundi hujus contemnere, ut nihil in ipso reprehensione dignum animadverti posset a subditis, quibus seipsum virtutis et sanctitatis atque bonorum operum exemplar præbere volebat : non ignorans, quod

Exemplo suis præit.

—— semper componitur orbis
Regis ad exemplum : nec sic inflectere mentes
Humanas edicta valent, quam vita regentis.

Domabat carnem, ut et antea consueverat : et qui cunctis animi perturbationibus et affectibus a puero bellum indixerat, nunc acrius indicit, ut posset ex sententia dicere cum Apostolo : Castigo corpus meum et in servitutem redigo : ne forte, cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar. In opibus et copiis, in honore et dignitate eximia, quæ solent permultos evertere, pauper esse spiritu studebat : inter lautas epulas et in ciborum apparatu noverat esurire : inter vestitos mollibus asperrimo cilicio terrebat corpus, monastico retento habitu, ut non tam Pontifex quam monachus videri posset. Vestes habebat, quæ corpus regerent, non quæ luxum et pompam præ se ferrent : neque his quicquam aut aspera hyeme adjici, aut fervente æstate detrahi sivit : pondere illarum pressus potius, quam adjutus. Ab eo tempore, quo, relicto seculo, monasticum vitæ genus amplexus est, numquam carnibus vesci voluit; licet ob gratiam hospitum, tam ex aucupio, quam venatione apparata fercula juberet mensæ suæ inferri, cum id ratio postularet.

1. Cor. 9. 27.

Habitus austeritas.

Abstinentia a carnibus.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ex Surio. stularet. Inter mundanos strepitus et aulæ tumultus, inter litigantium rixas et controversias, pacem pectoris ita coluit, ut etiam cum his qui oderant pacem, foris pacis studiosum se exhiberet.

6 Cum sciret autem non posse eum incendere alios, qui ipse non ardeat, igne sancti Spiritus inflammatus, subditos quoque suos accendebat sanctæ conversationis exemplis; non modo nulla admittens illicita, sed a multis etiam licitis ultro abstinens. Si qua autem ab aliis essent mala perpetrata, ea haud secus atque propria lugebat: ut e diverso bonis alienis non aliter qua suis delectari videbatur. Interioris hominis sui maculas, si quas invenisset, lacrymis compunctionis diluebat: ita ut deinde facilius non modo festucas, sed etiam ingentes vitiorum trabes, ab aliorum oculis verbo sanctæ prædicationis et irreprehensibilis conversationis exemplis amoveret. Cavebat enim, ne si propriis scateret morbis, audiret illud sibi objici: Medice, cura teipsum. Qui enim apud Deum pro aliis intercessor est, non debet suis offendere culpis, quem pro alienis deprecatur. Verumenimvero cum sanctus Pontifex nihil sibi male esset conscius, attamen servum se putabat inutilem, semperque sibi ipsi suspectus et pavidus, ibi etiam culpam agnoscebat, ubi non erat, clamans cum Propheta: Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me: et ab alienis parce servo tuo.

Studium puritatis animi.

Luc. 4. 23.

Psal. 18. 13 et 14.

7 Porro non ignorans virtutum omnium custodem fidissimam esse humilitatem; tum quoque unigenitum æterni patris filium, cum Dominus esset omnium, non tamen venisse, ut ipsi ministraretur, sed ut ministraret; ad illius se componens exemplum, omnibus humilem et benignum sese exhibuit: quantoque major erat ex dignitate Pontificia, tanto se gerebat summissius, humiliabatque in omnibus, memor illius Apostolicæ sententiæ. Non dominantes in Clero, sed forma facti gregis. Valde autem dabat operam, ut nec integram vitam perversa doctrina, nec sanam doctrinam vita improba deturparet. Agebatque diligenter apud subjectos, ut ex animis eorum tribulos et spinas vitiorum extirparet, et virtutum semina insereret; sciens non ad otium, sed ad immensum negotium a Domino se esse vocatum, cui quandoque administratæ tam amplæ provinciæ rationem esset exactissimam redditurus.

Humilitas.

Cura subditorum.

1. Petri 5. 3.

8 Etsi autem ob patientiæ et humilitatis studium, quas in virtutum structura fundamenti loco posuerat, quibusdam videretur justitiæ censuram non nihil negligere, ab iisque propterea temere remissus et tepidus diceretur; at Cleri tamen et Ecclesiæ jura atque libertatem, in nullo passus est violari. Visus quidem fuit indulgentior erga delinquentes; sed pius Pastor sua patientia illos provocabat ad pœnitentiam: quos si vidisset ea humanitate fieri obstinatiores, jam zelo accensus justitiæ, ad castiganda et vindicanda flagitia commissæ potestatis gladium exerebat; nihil ea in re nec minis Principum, nec tyrannorum sævitia absterritus, nec amicorum blandis precibus fractus aut delinitus.

Erga lapsos lenitas.

1. Reg. 2.

9 Non se sinebat instar Heli sacerdotis falsa superari pietate, qui quod in corrigendis filiis esset remissior, cum illis pariter extinctus est. Attamen contemplans humanæ conditionis fragilitatem, et ex natura vitiis depravata semper in deteriora proclives hominum animos, in alienis culpis propriam attendebat infirmitatem: sicque seipsum considerans, libenter veniam dabat peccata sua lugentibus ex vera cordis contritione: ita maternis eos fovens complexibus, ut tamen, ubi res posceret, etiam paternæ virgæ adhiberet disciplinam: severus in vitia hominum, benignus erga naturam. Itaque nec in misericordia remissus, nec in humanitate mollis et effeminatus; nec in rigore justitiæ sævus et crudelis, nec in pietate plus æquo indulgens fuit; sanandis peccatorum vulneribus et vinum et oleum prudenter infundens; ut vini acrimonia vulnerum saniem abstergeret, et olei lenitas dolorem temperaret.

Severitas moderata.

10 Quam autem circa misericordiæ et benignitatis opera sedulus et intentus fuerit, non est silentio tegendum, Miseris et egenis præstabat alacriter eleemosynam, sciens scriptum esse, quod hilarem datorem diligit Deus: quosque abjectiores noverat, eos sua liberalitate solitus erat antevertere ac prævenire: debiles et claudos reficere, maxime a quibus nullam expectaret beneficii compensationem: hospites et peregrinos non modo tecto recipere, sed compellere etiam ut intrarent. Eos vero dumtaxat admittebat ad familiaritatem, quos sanctitatis opinio commendabat: a quibus ut magis magisque disceret esurire et sitire justitiam, crebris eorum collocutionibus frui volebat: illis plane a familiaritate exclusis, quos vel sciret notatos infamia, vel quibus ipsa familiaritas caussa esset ejus contemnendæ dignitatis et functionis.

Benignitas in pauperes.

2. Cor. 9. 7.

Familiaritas cum viris sanctis.

CAPUT III.

Varia ejus meritis facta miracula.

Neque tamen quemquam non amabat in Christo: imo vero prodesse cupiebat omnibus. Nudos pro cujusque conditione, paucis admodum consciis, vestiebat; non ab hominibus gloriam quærens, sed mercedem expectans a Domino, Ægrotos et carceribus inclusos et visitare et consolari studuit; adversus desperationem et impatientiam, Scripturæ divinæ sententiis et exemplis eos confirmans. Erant in iis tertiana et quartana febre vexati, qui concepta in Deum fiducia, quod per sancti viri preces et merita curari possent, rogabant eum, ut manu ipsis imposita, febrem discedere juberet. At ille molestissime ferens se sanctum vel appellari vel existimari, eos silere jussit, et ad divinam poscendam opem se conferre. Illis autem cum ingenti gemitu in sua prece persistentibus, ut erat mitis et humilis corde, manus illis imponebat: et alii quidem quamprimum, alii paullo post integram recepere sanitatem. Ex iis sane quosdam nos vidimus bonæ existimationis viros, qui hæc nobis ita, ut diximus, gesta testarentur. Et quia vitæ sanctitas studiose occultata, per miracula se solet prodere, libet hic quædam sancti viri miracula commemorare, quæ per eum Dominus efficere dignatus est, dum adhuc in carne degeret.

Alia misericordiæ opera.

Ægros tactu sanat.

12 Cum more solito vir sanctus diœcesin suam circumiret, et gregem sibi creditum paterna sollicitudine visitaret, suumque munus fideliter exequeretur concionando, sacros ordines conferendo, templa et aras consecrando, discordes conciliando, baptizatos sacro chrismate confirmando; puer quidam continuo capitis tremore jam menses tres et amplius agitatus, apud Montem Falconis illi a parentibus offertur: quem cum vidisset vir pius, manus illi imposuit, et intra triduum ille se sensit incolumem.

Ægrum manus impositione curat.

13 Capellanus S. Germani de Podio, cujus ecclesia duobus a nostra urbe milliaribus abest, dimidio fere anno sinistræ manus officio privatus, Missas celebrare non potuit. Ea re non mediocriter ille afflictus et confusus, a medicis petiit tanti mali medicinam; sed frustra. Tandem ad virum Dei venit, manum illi prope aridam ostendit. Susceptus ab illo benigne, hoc responsi accepit, ut humiliter peccata sua confiteretur. Abiit ille, accepta prius sancti Patris benedictione, et paullo post reddita sanitate, die tertio Missæ sacrificium obtulit.

Manum aridam sanat, imperata peccatorum confessione.

14 Consecraverat quodam die vir sanctus ecclesia quandam, et tanto defatigatus labore, cum Clericis et aliis inde revertens, in prato consedit, paullum ibi cibi sumpturus. Illi prato conjuncta domus erat, ex qua egressa mulier, Huberta nomine, jam partui

Fœminam a periculo abortus liberat.

partui vicina, sanctum virum alloquitur, eique cum multis suspiriis infelicitatis suæ pertexit historiam, quod jam quarto aut quinto peperisset quidem, sed non nisi fœtum mortuum : se vero eo nomine accusans, sua culpa id fieri aiebat. Cernens pius Pastor calamitatem oviculæ suæ, blandis eam verbis consolatur, simulque jubet Sacerdoti sua peccata cōfiteri, ac deinde bono esse animo. Denique extensa manu benedixit illi, et de cibo ac potu suo præbuit. Ubi illa cibo sumpto confortata est, abiit, et adveniente partus tempore, prolem salvam et incolumem enixa est, nec unquam postea abortum fecit, licet crebro deinde pepererit.

CAPUT IV.

Pietas, opera misericordiæ, tentationes repressæ.

Defendit libertatem Ecclesiasticam.

Si quos vir sanctus comperisset in Ecclesiastici juris et libertatis injuriam carceri mancipatos, tam diu ante fores carceris sub dio persistebat, donec ei essent redditi illæsi. Exemplo autem Tobiæ provocatus, non tantum mortuos sepulturæ mandabat, sed etiam sine personarum acceptione fratrum funera prosequebatur, pauperum et peregrinorum humandis corporibus libens necessaria præbebat. Intererat autem hujusmodi tristibus spectaculis, ut inde in memoriam rediret conditionis humanæ, extremorumque suorum, et hac cogitatione adversus peccata se muniret.

Curat et prosequitur pauperum funera.

Opera misericordiæ spiritualia exercet.

16 Eadem autem misericordiæ opera etiam spiritualiter suis impendebat. Esurientes pane verbi Dei pascebat, sitientes aqua sapientiæ salutaris et doctrinæ cælestis reficiebat, nudos secundum animam, ac bonorum operum indumentis destitutos, verbis et exemplis optimis communiebat, ad caritatis studium eos provocans, quæ est vestis nuptialis. Christum Dominum ad sui cordis hospitium invitabat, cælestibus cogitationibus intentus, ne quid intra ipsum, tantum hospitem offenderet. Infirmos et in carcere detentos visitabat; vitiorum æstu tamquam quibusdam febribus exagitatos, saluberrimarum admonitionum medicamentis fovens et curans, et peccatorum nexibus constrictos et vinctos absolvens. Mortuos sepeliebat, peccata mortifera oris confessione docens explicanda. Cum enim sponte hic nostra in confessione peccata detegimus, id efficimus, ut in suo judicio Christus ea tegat.

1. Thes. 5. 17.

17 Crebras ad Deum fundebat preces, idque et secreto et prolixe, sciens dictum ab Apostolo : Sine intermissione orate. Sub ipsis autem precibus et Missæ sacrificio mirabili afficiebatur gracia compunctionis. Vidisses ex oculis, tamquam ex fonte quodam indeficienti, ubertim manare lacrymas, pia quadam dulcedine et sanctæ devotionis ardore conditas. Si quæ se animo illius voluissent peregrinæ cogitationes ingerere, cum S. Abrahamo eas abigebat; nostræ redemptionis mysteria in tanto sacrificio non sine maxima spiritus delectatione revolvens; nec aliter illud peragens sacrificium, quam si Christum Dominum coram cerneret pati et crucifigi. Erat ejus animus totus in cælis, ardenti desiderio cupiens ad illam beatam patriam pertingere : sed interim tamen non sic uni vacabat sibi, ut suarum ovium obliviscereturr. Ab illis sublimibus animi exercitiis, ab illa cælestium sublimi contemplatione dimittebat se ad consulendum subditis suis, ad defendendos pupillos et viduas, ad subveniendum oppressis, ad tractanda multifaria negotia crediti sibi gregis. Itaque et divinis sic inhærebat studiis, ut curam populi sui non negligeret : sicque vacabat suorum procurandæ saluti, ut a cælestibus appetendis et consecrandis non avelleretur.

Pietati deditus.

Genes. 15. 11.

18 Videns autem serpens tortuosus, antiquus nostræ salutis adversarius, virum sanctum multiplici gratia et variis virtutum vernare floribus, multas, easdemque occultas, contra eum instruit machinas; modo generis nobilitatem, modo functionis excellentiam, modo ordinis Cisterciensis præstantiam, modo vitam in eodem ordine ab adolescentia innocenter, transactam, ob oculos illi statuens; ut tam multis vanæ gloriæ incitamentis, ad animi tumorem et fastum eum impelleret, hortareturque præ se alios contemnere, nec omnino sui ferre contemptum, subditis imperare severiter, immorigeros punire atrociter, cuncta sibi licita arbitrari, plus omnibus sibi sapere videri. At vero hostis versuti fraudes intelligens vir sanctus, doctus ad prælia spiritus, inexpugnabili humilitatis scuto se munit, et superbi hostis callida machinamenta in illius caput retorquet : sicque fraus in se conversa eliditur. Nam quæ ille ad commovendam superbiam adhibuerat, vir sanctus Scripturæ divinæ et sententiis et exemplis facile profligavit. Simul autem ad fortissimum sanctarum precum præsidium confugiens, ita Dominum orabat : Domine Jesu Christe, qui ad te clamantes, a tua misericordia non repellis, quique dixisti. Ego sum lux mundi : qui sequitur me, non ambulabit in tenebris, sed habebit lumen vitæ : Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte, ne quando dicat inimicus meus, Prævalui adversus eum. Qui tribulant me, exultabunt si motus fuero : ego autem in misericordia tua speravi. Non veniat mihi pes superbiæ, et manus peccatoris non moveat me.

Ex Surio. *Tentationibus superbiæ strenue resistit.*

Joan. 8. 12.

CAPUT V.

Aliena pervicacia quibus armis domita.

Pecuniam ab excommunicatis non extorquet.

Postquam autem virulentus serpens suis se artibus nihil in sancto Episcopo profecisse vidit, etsi turpiter pudefactum se doluit, at nec sic tamen a nocendi studio cessavit. Suggerebat animo illius, ut quos ob illorum scelera communione privasset, illis ex more totius Ecclesiæ Gallicanæ mulctam pecuniariam irrogaret, præter illam satisfactionem, quam pro qualitate criminum imposuerat : ut vel sic a similibus admittendis coercerentur. Nec hic deerant viri magni nominis, qui dicerent ejusmodi pecuniam posse eum in suos usus convertere, aut certe, si id mallet, pauperibus erogare. Sed hac in re vir sanctus admirabili usus est moderatione et discretione, ut nec Deum offenderet, cui soli placere cupiebat; nec proximis scandali materiam offerret, quos videbat non ita subito ab hac consuetudine posse revocari, nec æquo laturos animo, si ea pecunia privarentur : imo potius hac occasione majoris quæstus rationes et vias meditaturos in suæ salutis perniciem. Itaque media quadam incedens via, morem patriæ nec damnare plane voluit, nec approbare : sed accepta cautione de solvenda mulcta pecuniaria, congrua satisfactione, pro criminum ratione, imposita, excommunicatos clementer absolvit, gratias agens Deo, quod rebelles filii ad sinum matris Ecclesiæ se recepissent : pecuniam vero postea nullam ab eis accepit, licet ob incutiendum salubrem timorem, sæpius se acceptura minaretur. Omnes enim mundi hujus opes haud secus atque stercora aspernabatur, thesauros suos in cælis collocans, ubi tota animi ejus intentio versabatur.

Obstinatos non armis domat, sed sermone efficaci.

20 Eumdum in modum cum illi persuaderetur, ut in malitia obstinatos et incorrigibiles collecto exercitu debellaret, quo illis profligatis, tranquillitate et pace Ecclesia frueretur, et liberius divinis officiis vacaret; quam ad rem confirmandam itidem adducebantur Patrum exempla, mos regionis a Patribus institutus, a posteris observatus; ne quid præpopere vir sanctus ageret, ad deliberandum, Deumque obsecrandum temporis spatia accepit. Valde enim ab effundendo abhorrebat sanguine, nec libebat militaribus accingi

Ex Surio. accingi armis, hostilesque vastare terras, et prædas agere. Ne tamen vel ritum patriæ temere damnare, vel Majorum instituta explodere videretur, promisit quidem se facturum, quæ illi suasissent : sed hostes non ferro aut igni, sed spiritaliter oppugnandos suscepit. Obduratos igitur et pervicaces seorsum ad se evocat, acriter objurgat, gladio spiritus, quod est verbum Dei, prosternit : adhibet comminationes æstuantis gehennæ, illam fornacem pice et sulphure semper arsuram ob oculos ponit : et ne parum efficax sit sermo, assiduis et quotidianis se macerat jejuniis, orationibus, et vigiliis, ut Deus illorum duritiam emolliat. Nec est spe frustratus sua : non sine stupore et admiratione multorum, subito ex lupis agni, ex persecutoribus amici, ex alienis amici et familiares fiunt : et quibus antea contemptibilis et vilis habebatur, jam non modo Archiepiscopum, sed sanctum vocant Archiepiscopum : parent subditi suo pastori, ad votum celeriter jussa capessunt. Si qui autem necdum obtemperare volunt, ab aliis non alio quam ethnicorum et publicanorum loco habentur. Felices putantur, quibus imperare dignatur, quibus obviam procedentibus bene precatur, quibus vel fimbriam vestimenti ejus contigerit attigisse. Sancta conversatio ejus omnium animos conciliabat, præsertim quod ex signis haud obscuris animadverterent eum esse apud seipsum humilem, quod merito deberent imitari; nec deesse illi auctoritatem, quam non immerito formidarent.

Ephes. 6. v. 17.

Humilitate omnes sibi conciliat.

CAPUT VI.

Infestationes patientia superatæ.

Persecutiones patitur, a Rege et Principibus.

In ipsis sane Pontificatus sui initiis multas persecutiones et infestationes pertulit : quibus etsi fortasse concuti potuit, dejici tamen, aut everti nequaquam potuit. *a* Regem Francorum alioque Christianissimum, ob caussas quasdam, quæ in Ecclesiastici juris detrimentum cederent, diu iratum patienter sustinuit. Non deerant æmuli, qui Regis ex ignorantia peccantis iram, admotis facibus magis magisque inflammarent. Videre tum licuit multos ex iis, qui sereno tempore amici putabantur, inimicorum induisse animos, et quidem regni optimates. Erant et satrapæ Regis, plus homini, quam Deo placere appetentes, qui improbis sermonibus hortarentur eum, ut Regem injuste, ut mentiebantur, offensum sibi reconciliaret : quod si cunctaretur, se illius facultates minarentur in fiscum regium redacturos, et illum tamquam læsæ majestatis reum, proscripturos. Sed Ecclesiæ columna nec blanditiis enervatur, nec terroribus concutitur, sciens, Deo magis oportere, quam hominibus, obedire.

a

Vexatur a Clericis.

22 Extiterunt autem, sua zizania seminante omnis dissensionis satore diabolo, etiam discordiæ gravissimæ inter ipsum et Clericos Metropolitanæ Ecclesiæ, adeo ut quidam ex illis non levibus eum contumeliis et probris afficerent : quorum sane ille furori cedere maluit, quam maledictum reddere maledictis et liti atque contentioni inservire. Verum omnipotens Deus quorundam bonorum virorum opera et intercessione, et Regem Pontifici, et filios Patri conciliavit, omni illa tempestate sedata. Sanctus autem Pontifex ex utraque hac infestatione crevit existimatione, et gloria, ubi robustæ mentis ejus constantia et præclara apud Deum merita, quæ prius homines latuerant, sese declarare cœperunt. Rex enim auditis sanctitatis ejus testimoniis, suo illum favore complexus est : et Clerici puncti pœnitentia. Patrem suum et amare ardentius, et majori prosequi reverentia studeant. Ille e diverso rebelles prius filios amplius et veneratur et diligit, et aliis, qui numquam eum offenderant, etiam præfert et anteponit. Nulla postmodum in illa Ecclesia extitit rebellio : omnia pro suo arbitratu statuit : cujus rei nos testes sumus oculati. Tam enim certis indiciis plenum eum esse Spiritu sancto crebro comperimus, ut aliquid illi statuere volenti si quis eo absente resistere deliberasset, illo præsente non posset : imo vero, quod plus habet stuporis et admirationis, votis omnium non sine miraculo in id consentientibus, ut jus conferendi Sacerdotia, quæ vulgo Præbendas vocant, in illum, et ejus gratia in successores illius transferrent, quod antea semper ad totum illorum collegium pertinuerat; ille hoc præsentiens ad Ecclesiæ damnum quandoque cessurum, sponte et liberaliter hanc oblatam donationem nullo pacto admittere voluit.

Reconciliatur Regi et suis.

Jus omnes Præbendas conferendi recusat.

23 Interim vero ne deesset sancto viro satan suus, qui ejus patientiam exerceret, erat quidam vir dolosus, qui sicut ejus antecessores, ita et illum pertinaci odio infestabat. Cernens enim sanctum Episcopum mansuetum, modestum, simplicem, confidentius jura Ecclesiæ violare tentavit, et toto malignitatis spiritu debacchari in hominem Dei. At ille hominis versuti fraudes non ignorans, columbæ simplicitatem serpentis prudentia temperat, minimeque patitur ab impio Ecclesiam ipsi creditam opprimi : sed opponens se murum pro domo Israel, quantum exigere justitia videbatur, eousque humiliter restitit illi persecutori, donec ex hac luce migraret.

Defendit Ecclesiæ jura.

a *Is fuit* Philippus Augustus, *qui mortuo an.* 1180. 18 *Septemb. feria* 5, *Ludovico VII, patre, solus cœpit regnare, annum agens ætatis* 16, *obiit* 14 *Julii* 1223.

CAPUT VII.

Expeditio cruciata contra Albigenses.

Albigensium dogmata quædam, et impietas.

Extitit autem alia quædam longe gravior persecutionum procella, et pugnandi magna necessitas, ut victori sua gloria et præmia cumularentur. Eo namque tempore in Aquitania, in extremi Regis finibus, *a* hæretici Ecclesiam Dei adeo exagitarunt, ut pene mergi videretur. Solvebatur ab illis Catholicæ fidei unitas, et jam in eam evaserant multitudinem, ut instar locustarum operirent terræ superficiem, non occultantes, sed palam prædicantes perfidiam suam. Cumque Scripturæ divinæ sententias prave interpretarentur, vinum sibi vertebant in venenum, et ex lumine sibi faciebant materiam cœcitatis. Jactabant miseri licere ipsis omnia, sectatoribus suis impunitatem promittebant flagitiorum, cœci duces cœcorum. Ea autem proposita impunitate, facile homines, alioqui nimium in vitia proclives, sibi alliciebant plurimos. Utque apud vulgus imperitum scientiæ sibi existimationem pararent, summopere in eam curam incumbebant, ut ab aliis recte intellecta corrumperent, et pravas suas opiniones falsis assertionibus communirent. Jam cultus divinus illis locis maxima ex parte erat abolitus, et templa haud secus atque jumentorum stabula vilescebant, dum nemo parietes ruinam minitantes instauraret, et brutis animantibus in ea pateret aditus, quæ locum baptisterii et altaria tua Domine contaminabant : atque etiam sordes et immunditiæ in conspectu introeuntium hominum ante fores jactarentur, ut polluerunt sanctuarium Dei.

a

b c Frustra moniti, bello sacro appelluntur.

25 Ad horum indoctam doctrinam confutandam, sanandamque insaniam, missi sunt a sanctissimo Pontifice *b* Innocentio *c* viri religiosi Cisterciensis Ordinis, multa sanctitate conspicui : qui cum eo venissent cum magna humilitate verbum Dei seminaturi, invenerunt terram prorsus sterilem et inutilem : planeque derisi sunt et contempti ab illis superbis hæreticis, nec fructum apud illos facere potuerunt. Ea re comperta, et animo et corpore a deploratis hominibus recesserunt, excusso in illos pulvere pedum suorum. Verum ne modicum fermentum totam massam paullatim corrumperet, visum est Summo Pontifici, ut funestæ arbores, non nisi acerbos et exitiosos ferentes fructus, ne latius suos propagarent

rent ramos, radicitus succiderentur. Mittit igitur litteras ad provincias omnes, ut arma cappessant ad edomandam hæreticorum pervicaciam, abolendumque eorum nomen in terris, quorum jam nomina de libro vitæ deleta erant. Dignum enim erat, ut qui a capite Christo se separaverant contumaciter et obstinate, nec ullis admonitionibus ab errore poterant revocari, meritas pœnas luerent.

S. Guilielmus Cruce se signat.

26 Pontificis acceptis litteris, omnium animi accensi sunt ad capiendas et profligandas vulpeculas, vineam Domini Sabaoth demolientes. In iis autem facile primus fuit beatissimus Primas noster Guilhelmus, qui non sine lacrymis multis magnoque animi mœrore, lectis publice sanctissimi Pontificis litteris, instar Phinees zelo inflammatus est, crucemque vesti assuens, eam voluit virtutum suarum quasi coronidem vel consummationem relinquere, ut Ecclesiasticæ unitatis perturbatoribus eliminatis, pacem Ecclesiæ restitueret. Etsi autem esset imbecillis corpore, non tamen illi deerat animi constantia et fortitudo : nec tam erat senio fractus, quam jejunio assiduisque vigiliis confectus. Igitur convocatis subditis suis, exponit illis Christi Salvatoris beneficia humano generi collata; crucis mysteria explicat, in ea sola eos gloriari docet; et ut se gratos declarent, hortatur ut cruce se signari sinant contra crucis irrisores : profert illam Christi sententiam : Si quis vult post me venire, abneget seipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me. His aliisque ejus sermonibus egregie animati, pollicentur se quocumque intendere velit iter, illum alacriter secuturos. Et illi quidem promissis stetere suis. At sanctus Episcopus *d* prius e vivis excessit, quam posset voto suo satisfacere. At nec sic tamen putandus est sacræ militiæ non interfuisse. Cum enim in Domini exercitu Abbas Cisterciensis Dux et præceptor esset constitutus, sub cujus ille magisterio in habitu monastico diu Christo militaverat, quonam pacto in re tanti momenti illum deserere potuit? Etsi igitur corpore absens, sed præsens erat spiritu. Nam visi sunt multis militiæ cælestis exercitus, præcedente crucis signo, quo etiam illi signati erant. Hinc illa insignis victoria Christianorum Catholicorum, qui illos impios mirabiliter debellarunt, neque ætati parcentes, neque sexui. Capta est velut momento temporis populosa urbs, quam *e* Biteres vocant, quæ jam non exigua scelera meditabatur, sed in id usque amentiæ prorupit, ut magnam sibi videretur assumpsisse religionem, quod nullam respuisset falsitatem. Inter ubera matrum parvuli quoque cæsi sunt, et neque ecclesiæ, neque monasteria tueri eos poterant, qui Ecclesiæ sciderant unitatem. Inde itum est *f* Carcassonem munitissimam urbem, ex eaque perfidi omnes *g* ejecti sunt. Tandem etiam terræ *h* Princeps comprehensus est, genere quidem spectabilis, sed moribus, ac religione degener, qui illam hominum fæcem susceperat fovendam atque tuendam. Detentus autem est in vinculis, donec miserandum in modum spiritum exhalavit. Contritis igitur et exterminatis impiis, expiantur altaria, extruuntur templa, ecclesiæ dirutæ instaurantur : in iisque constituuntur Sacerdotes, Diaconi, et Clerici, qui divina celebrent officia, cultumque divinum reparent.

Idem suis persuadet.

Lucæ. 9. 23.

d Sancti cruce signati præcedunt.

e Profligati hæretici.

f

g

h

a *Albigenses dicti ab* Albiga *Cadurcorum oppido, docebant templa dirui, cruces dejici oportere, in Eucharistia verum Christi corpus non esse, preces ad Deum pro mortuis frustra fieri, etc. Belli adversus eos suscepti historiam descripsit Petrus monachus Vallis-Sarnensis, ordinis Cisterciensis, qui tum vivebat. De iis agunt Papirius Massonus in Philippo Augusto, Nauclerus tom. 2, ad an.* 1212. *Matthæus Paris in Joanne Rege, Cæsarius, aliique.*

b *Is sedit ab initio an.* 1198, *usque ad* 16 *Julii* 1216.

c *Primi fuere* Petrus de Castronovo, *de quo* 14 *Martii, et* Radulphus, *monachi Cisterciences : dein alii.*

d *Hinc refellas quod Chrysostomus Henriquez lib.* 1, *Fasciculi SS. ord. Cister. de* S. Guilielmo *scribit,* qui primus contra Albigenses hæreticos decertavit. *De hac* Guilielmi *expeditione monachus Autisiodorensis in Chronico :* Anno Domini 1209, Guillelmus Bituricensis Archiepiscopus, cum se cruce signasset, ob hoc præcipue quia provinciæ suæ multas Ecclesias et aliquas urbes hæresis pestilens occupasset, dum propositum iter aggreditur, ægritudine tangitur, et intra quinque dies sancto fine decedit, vir religiosus et simplex et humilis, cujus vita quam accepta Deo extiterit, signorum frequentia innotescit. *Quod in Breviario Cistere. dicitur anno* 1208, *obiisse, id antiquo more Gallorum annum a Paschate auspicantium, accipiendum.*

e *Captæ sunt* Biterræ *festo S. Magdalenæ an.* 1209. *Petrus Sarnensis cap.* 16, *Chronicon Altisiodor.*

f *Oppugnationem et deditionem* Carcassonæ *describit Petrus cap.* 17 *et brevius Chronicon Altisiod.*

g In lineis tantum vestibus. *Chr. Altisiod.*

h Raimundus Rogerius *Vicecomes Biterrensis, captivus obsesve detentus, excedentibus civibus, postea dysenteria extinctus. Biterræ et Carcassona cessere* Simoni Montfortio *hujus expeditionis Duci fortissimo et religiosissimo. Consule Guilielmum Catellium lib. 4 historiæ Occitanæ.*

CAPUT VIII.

Præparatio ad mortem.

Ex Surio.

Sed, ut ad narrationis ordinem revertamur, cum B. Guilhelmus audivisset, migrasse ex hoc seculo venerabiles Antistites, *a* Turonensem et Parisiensem, valde quidem contristatus est, et planxit planctu magno. Erant enim illi quasi duæ olivæ speciosæ et fructiferæ in domo Dei, et velut lucernæ superno ardentes lumine, quas verus Oriens miserat ad Occidentis regiones illustrandas. Expectabant autem mox ipsos secuturum Bituricensem Pontificem, ut qui in vita se eximie dilexerant, in morte quoque non separarentur. Fuerat enim inter illos sincera quædam familiaritas, et cum se animi caussa invicem invisserent, de his quæ ad animarum et Ecclesiarum ipsis commissarum curam, administrationem, et salutem pertinerent, inter se secreto conferebant, suaque inter se arcana sibi mutuo communicabant. Illis igitur vita functis, paucis mensibus noster Episcopus supervixit. Cupiebat enim dissolvi, et esse cum Christo, et licet obitus sui diem ex divina revelatione præsciret, tamen longa illi omnis mora videbatur. Interea sic vixit in carne, ut quasi carnis sarcinam exuisse videretur : adeo jam consumptis carnibus, pellis ossibus adhærebat, et artus admodum confecti atque extenuati visebantur; nec tamen cessabat exigere a carne, ut spiritui serviret. Porro cum non parum vereretur, ne post ipsius obitum gregem suum lupus rapax, ceu pastore orbatum, dissiparet et discerperet, valde cœpit animi esse dubius, quid potissimum eligeret. Nam nec a beata illa supernorum civium jucundissima societate diutius esse, nec gregem volebat desolatum relinquere : sed inter hæc totum se divinæ permisit providentiæ et voluntati.

a

Præscit diem obitus sui.

28 Jam Salvatoris natalem diem, Circumcisionem quoque sanctus Præsul cum fideli populo solemniter celebraverat : porro pridie Epiphaniæ Domini sentiens adesse tempus migrationis suæ ab hoc exilio ad patriam diu concupitam, populi multitudine congregata in ecclesia Protomartyris Stephani, cœpit ad illos concionari, uti sæpius consueverat; nec ab hoc officio, neque a laudibus Dei se retrahi passus est febre acutissima, qua tunc laborabat. Nam etsi vi morbi corporis vires tabescerent; at spiritu roborabatur, ut posset dicere cum Apostolo : Cum infirmor, tunc potens sum. Interioris enim hominis vires ipsa firmat corporis infirmitas. Sumpserat autem sibi thematis loco illud Apostolicum : Hora est jam nos de somno surgere, etc. Nimirum pastor bonus jam propediem discessurus ab ovibus suis, exhortabatur ad vigilandum, ne intrarent in tentationem : et ne improvisa illis subreperet mors, admonebat ut semper essent parati, et id genus alia multa, tamquam ultimum vale illis dicens, proponebat. Sermone absoluto, et data populo benedictione, ex imbecillo imbecillior factus abscessit. Sæviebat tum solito acrius hyemis frigus, et ille nihilominus caput habebat nudum, membris febrili languore fatiscentibus. Locus enim ille, in quo sermonem habuit ad populum, omni ex

Festo Epiphaniæ concionatur, febri laborans.

2. Cor. 12. 10.

Rom. 13. 11.

Ex Surio.

parte vento erat expositus, quod sic affecto corpori non potuit non esse incommodissimum. Et tamen perinde ac si opus non haberet, nullius poscebat auxilium, et sine adminiculo domum revertebatur.

29 Crevit indies febris, et sanctum Pontificem egregie exercuit. Deinde v Idus Januarii, cum jam omnibus rite peractis, etiam testamentum, multis assistentibus religiosis et prudentibus viris, condidisset, fratribus convocatis, extremæ Unctionis sacramentum humiliter ac devote percepit : eo percepto, *b* etiam sacrosanctam Eucharistiam sibi porrigi instantissime postulavit, ut tanto itineris duce munitus, posset securus hostium cuneos penetrare. Ut autem Dominum Creatorem suum ad se venisse cognovit, illico resumptis viribus, de stratu prosiliens, tamquam febris omnis abscessisset, non sine stupore circumstantium, maxime quod jam fere in supremo spiritu positus videretur, et vix aliquid liquoris posset in os admittere, concito gradu procedit obviam suo Salvatori, vires certe subministrante caritate, flexisque genibus, totus lacrymis diffluens, illum adorat : utque sæpius genua possit flectere, crebro prostratus erigitur, illique suum agonem tota devotione commendat, orans ut quicquid purgandum superest, ipse purgare dignetur, ne quid funestum in ipso possit invenire inimicus. Fuerat autem biduo fere maxima ex parte loquendi privatus facultate, ita ut extremas vocum partes tantummodo exprimeret, quas non coram positi ægre possemus intelligere : sed interim tamen nutibus et signis evidentibus declarabat, integram ipsi semper permanere memoriam. Porro coram Domino sic prostratus, prolixe oravit; sed ejus verba ad plenum intelligi non poterant, linguæ, ut diximus, impedimento obstante. Deinde expassis in crucis formam manibus, et oculis in cælum sublatis, carnem Salvatoris non sine lacrymis, corde contrito et humili, manducavit. Hoc facto, lætior effectus, confortatur in Domino, sciens se fortissimum in illo supremo certamine habere adjutorem, ducem itineris, præmii largitorem.

b Extremam unctionem accipit.

Flexis genibus communicat.

a Odonis *Episcopi Parisiensis mortem an.* 1208, *refert Chronicon Autisiod. cum eximia illius commendatione. Turonensis vero, ab eodem Odone ad cathedram illam promotus erat* Gofredus, *sive* Gaufridus, *in eodem Chronico laudatus.*

b *Ex hoc aliisque exemplis ostendit Bellarminus lib.* 2, *de arte bene moriendi cap.* 7, *olim ægros inungi solere antequam viatico munirentur; cum nunc prius hoc illis præbeatur, tum unctio adhibeatur.*

CAPUT IX.

Testamentum, ultima pietas. Obitus.

Vult Caroli-loci sepeliri.

Mox ad stratum rediens, sublevantium illum manibus adjutus, cum paullulum respirasset, cœpit nutibus indicare, velle se ut corpus ipsius defuncti apud Caroli-locum humaretur. Illi enim monasterio diu præfuerat, nec immerito locum illum præ ceteris amare visus est. Aderant autem etiam illi morienti aliquot ejus monasterii fratres, nec deerant, qui putarent, illis petentibus hoc illum ita constituisse. Verum initio ab omnibus ibi coram positis reclamatum est, ita dicentibus : Absit a nobis, Pater sancte, ut corpus tuum nostræ Ecclesiæ subtrahi patiamur. Corporis tui præsentia carere nolumus, quæ nobis boni Pastoris memoriam jugiter refricabit. Obnixe oramus, ut sicut hactenus plebem tuam ab imminentibus malis protexisti vivus, ita tuearis et vita functus : quosque in vita variis malorum casibus sæpe eripuisti, etiam sepultus apud nos, tuis meritis et precibus eripere digneris. Ille vero nulla ratione se passus est a sententia deduci, sed cum lacrymis obsecrabat, ut quod cuivis Catholico licet, liceret etiam ipsi, nempe sepulturæ locum sibi deligere. Cedunt igitur qui aderant, et ne Patrem affligerent, coguntur velle quod nolunt. Sacrilegum enim putabant, ea præsertim hora, ejus supremæ resistere voluntati.

31 Ea re ab invitis impetrata, omnes osculatus est, nutibus orans, ut pro ipso Dominum deprecarentur, et ceu filii pacis pacem inter se amarent et colerent. Illi vero omnes se ejus precibus commendabant, et cum vicissim petiissent omnium, si quæ intercessissent, offensionum veniam, veriti ne multorum præsentia illi esset onerosa, accepta ab eo benedictione et licentia discedendi, non sine lacrymis domum abierunt. Manserunt autem apud illum pauci familiares et domestici, secretorumque ejus conscii. At ille nihil a morbo impeditus, ut erat semper orationi intentus, totus in Dei opere versabatur. Labia divinis assueta laudibus, sine intermissione moveri ad preces videbantur : et ut sanus consueverat, temporibus et horis congruis divina coram se officia celebrari voluit, et quos ore promere non poterat psalmos, patulis auscultare auribus, et animo altius affigere studebat. Ita omni tempore aut vacabat precibus, aut raptus in spiritu cælestia contemplabatur : nec jam de præmio hæsitabat, qui se Angelicorum spirituum visionibus sentiebat confirmari.

Suis se commendat; pacem inculcat.

Assiduc orat.

32 Nocte vero subsequente (solet autem nox exaggerare vim morbi) vir sanctus acrioribus cœpit urgeri doloribus : et jam præsentiens extremam fere adesse horam, jussit sub adspectum suum e scriniis proferri vestes Pontificales. Ex iis quasdam minoris pretii ad se adduci voluit, quibus etiam tunc usus fuerat, quando est consecratus Antistes : quas immutabili animi proposito ad suam sepulturam diligenter curarat asservari. Eas vero omnes cuidam e suis familiaribus, cujus fidem habebat exploratam, ad breve tempus seorsum servandas tradidit.

Vestes in sepulturam disponit.

33 Solitus erat vir sanctus circa noctis medium surgere ad preces nocturnas, hymnos, psalmos, et alia a sanctis Patribus instituta, cum omni devotione, et qua par erat solennitate decantare, illud observans Propheticum : Media nocte surgebam ad confitendum tibi. Iis vero omnibus rite peractis, invictum ab oratione spiritum non relaxans, numquam dabat membra sopori, numquam defatigata sinebat quietem capere : sed tamdiu manebat in oratione prostratus, donec illucesseret dies. Sed nunc morbo magis magisque invalescente, cum statutum tempus expectare non posset, quo, ut diximus, ad persolvendas noctis preces surgere solebat; ne illis nondum absolutis hinc fortassis abscederet, horam solitam voluit antevertere, ne mors ipsum anteverteret. Signo itaque dato iis, qui ipsi aderant, Fratribus, ut laudes Domini inchoarent, ipse prior labiis et pectori suo signo crucis impresso, hæc duo verba : Domine labia utcumque pronuntians, reliqua formare, non potuit.

Psal. 118. 62.

Nocturnas preces jam moriturus, inchoat.

34 Illi autem mente ejus perspecta, finem illius impendere, ex precum anticipatione verisimilibus conjecturis didicerunt. Itaque unus ex iis Sacerdos religiosus, admodum illi familiaris, a memoratis verbis preces auspicatus est, et cetera omnia, quæ sequuntur, aliis adjuvantibus debito ordine ad finem usque perduxit, viro sancto mente easdem preces persolvente. Quibus completis, voce et manu significavit, se velle in terram deponi. Parent illi jussis ejus : et quia non decet Christianum nisi in cinere et cilicio mori, in sparsos humi cineres eum deponunt, cilicio semper indutum licet pauci admodum ejus rei essent conscii : quod etiam numquam sibi passus est ab aliquo detrahi. Cumque paullo spatio temporis sic jacuisset, benedicens Fratribus, spiritum suo reddidit conditori.

In cinere et cilicio moritur.

CAPUT X.

Concursus ad funus. Sepultura.

Audito autem piissimi Patris obitu, universa civitas commota est : passim omnis ætas et uterque sexus cum cereis et luminaribus properant ad ecclesiam beati

Ad funus ejus innumeri concurrunt; etiam suis neglectis, sed indemnes.

beati Protomartyris Stephani, quo corpus exanime cum hymnis et canticis psallentium deferebatur. Videre illic multos licebat, qui nullam vivo reverentiam præstare voluerant, et eam nunc defuncto exhibent, seque hominem sanctum aliquando contempsisse, aut dictis vel factis afflixisse, ducti pœnitentia, palam lugere non erubescunt, et ad sanctum corpus prostrati, adorare non desinunt. Denique tota illa nox ab aliis in psalmis et jubilo, ab aliis in planctu et mœrore exacta est. Illucescente altera die, sparso jam circumquaque rumore de morte sancti viri, ex locis vicinis multitudo populi haud aliter atque ad festum confluxit diem, domus et tuguria custode vacua relinquuntur. Vidisses ibi feminas, dum se verentur ad pii patris exequias tardius venturas, relinquere in cunis vagientes parvulos, et non obseratis domorum foribus, properare ad funus. At eædem, cum quid egissent, et quo in periculo parvulos reliquissent, secum postea perpenderent, consternatæ animis, quod metuerent ne infantes a feris belluis devorarentur, cum multo ejulatu accedentes ad corpus sancti Pontificis, illi suas proles commendabant: quas deinde, domum reversæ, non sine magna admiratione salvas repererunt : sicut etiam illi, qui ostiis apertis, præ sancti Patris amore, discesserant propere ad exequias, postquam domum rediere, nullum penitus alicujus detrimentum se passos admirati sunt. Diem autem illum omnes habuere festivum et solemnem, nec ullo admonente, omnes ab omni servili opere sponte abstinebant. Erat sane et jucundum et admiratione dignum spectaculum, videre omnis generis et ætatis homines ad sanctum corpus undique confluere, ut vultum intueantur Angelicum, et manus ac pedes deosculentur : quos tamen semel exosculari non fuit satis, sed crebro revertebantur, ut oscula denuo infigerent.

36 Eodem autem die circa horam vespertinam, cum universus Clerus et populus ad celebrandas Pastoris sui exequias convenisset, *a* quasi globus igneus in aere suspensus, supra sancti Protomartyris Stephani ecclesiam instar stellæ coruscantis apparuit : quem non solum illi qui aderant, sed etiam nonnulli aliunde ad nostram urbem properantes, dimidiæ fere horæ spatio se vidisse, cunctis admirantibus, nuntiabant. Interim parabatur cum multa festinatione feretrum, quo sacrum corpus ad Carolilocum, quemadmodum Sanctus vir decreverat, deportaretur, populo hanc ejus voluntatem adhuc penitus ignorante. At postquam rei veritas innotuit, subito commoti sunt universi : et sole jam ad occasum inclinante, omnes unanimiter statuerunt, ut omni studio, adhibitis custodibus, valvas et omnes aditus templi etiam armata manu observarent, ne quis sacrum corpus per vim posset auferre : neque illorum pars minima intra ecclesiæ parietes tota illa nocte egere excubias. Mane autem alterius, id est, Dominicæ diei, juxta altare sancti Martyris humo altius effossa, et omnibus ad sepulturam necessariis celeriter præparatis, ne quod posset impedimentum incidere, sanctum corpus etiam ante sacra Missarum solennia sepulturæ mandare constituerant.

a Globus igneus supra templum, in quo jacebat.

Cives non sinunt eum ad Caroli-locum deferri.

37 Verum ille moderator et rerum et temporum, qui servi sui gloriam nulla ex parte minui, sed augeri potius voluit, nihil absque ratione et ordine fieri permisit. Celebrato igitur prius Missæ solenni sacrificio, stabant seorsum fratres Caroliloci, animi dubii quid agerent : et neque propius audent accedere, neque ut supremæ sancti Patris voluntati fiat satis, postulare. Jam enim turbæ conspiraverant, ut si alienæ manus auferendo sancto corpori admoverentur, aut si qui advenæ vel ignoti illud apprehendere conarentur, repente trucidarentur. Et quidem ex senioribus et majoribus Ecclesiæ nonnulli, ne fidem datam sancto Episcopo infringerent, liberam illis Fratribus tollendi corporis fecere potestatem : sed ideo et libentius et liberius, quod satis scirent ne seipsos quidem, etiamsi vellent, cæteris Fratribus Ecclesiæ illius non consentientibus, et turbis renitentibus, sacrum corpus inde posse amovere. Ita ergo fratres Caroliloci videntes se nihil posse proficere, Cleri et populi mirantur devotionem : cedunt que turbis, spe et expectatione sua frustrati, præsertim cum ipsis præsentibus cum honore debito sacrum corpus beatissimi viri sepulturæ traderetur.

Caroli-locenses coacti dissimulant.

EX SURIO.

a Αὐξητικὸς *Dorganius:* in cujus transitu visa est stella supra domum, quæ a Solis radiis non obscurabatur.

CAPUT XI.

Miracula ad ejus sepulchrum.

Puer curvus et debilis ad corpus ejus sanatur.

Nec defuerunt miracula, quæ illius sanctitati illustre redderent testimonium. Nam eo ipso die per merita illius, necdum humato ejus corpore, inter cetera insigne quoddam contigit miraculum, quod noluimus silentio præterire. Puer quidam non omnino decem annorum, toto curvatus corpore, cælum intueri non potuit, sed prono semper vultu terram spectabat. Jam triennio id incommodi pertulerat, manuum ac pedum officio penitus destitutus. Cibus aliena manu ejus ori inferebatur, et ad naturæ necessaria a matre portabatur; quæ sic languente filiolo suo ipsa pariter languebat, ejusque afflictione acrius affligebatur. Ut autem percepit hic puer sanctum Episcopum e corpore excessisse, multa instantia obsecrat matrem, ut ipsum perferre non gravetur ad ecclesiam, quo possit sancti Patris corpus exosculari. Acquiescit tandem mater ejus crebro repetitis precibus, eumque suis complexa ulnis, difficulter in templum inferre potuit præ turba. Ut autem propius accessit, constanti animo prostravit se cum parvulo suo coram sacro corpore, et ambo osculati sunt ejus manus et pedes. Ea ipsa hora audit mater quasi fragorem quemdam et commotionem ossium filii sui, quæ (ut ipsa testabatur) potuisset etiam audiri a multis, si non obstitisset circumstantis populi strepitus et tumultus. Redit mater cum illa sua sibi multum cara sarcinula, et cum jam procul a turba recessisset, exclamat filius, et dicit : Sine me mater, meis ingredi pedibus : ecce enim per merita sancti Episcopi sentio me redditum sanitati. Quibus auditis, mater illum deponit, et consolidatæ sunt bases ejus et plantæ, et sine ullo adminiculo, cunctis admirantibus, iter capessit. Stupet mater, stupent vicini omnes, qui noverant puerum triennio tam male affectum fuisse. Timens autem mater puero ob recentem adhuc curationem, nisi ad ecclesiam reversa, gratias ageret omnipotenti Deo, et ejus gloriosissimo Confessori Guilhelmo, illuc redire statuit post turbæ discessum. Sed dum illa expectat, et miranda Dei opera secum admiratur, ecce Dominus volens clarificare Sanctum suum, ad ejus tumulum catervatim confluentibus populis, antiqua potentiæ suæ innovat miracula, signis aliis alia succedunt. Igitur nolens expectare diutius, apprehensa manu pueri, non obstante populi concursu, ad ecclesiam properat, et cum aliis sanitati restitutis, atque ea caussa gratias agentibus, ipsa quoque pro filii sui salute gratias agit totius gratiæ largitori.

Alia fiunt miracula.

Multi infirmi curantur.

39 Eodem Dominico die, cum turbæ recessissent, multi et nostræ urbis homines, et locis finitimis degentes, variis afflicti morbis, qui præ populi frequentia ingredi antea non poterant, humiliter ac devote ad Sancti tumulum accesserunt, sperantes in eo qui sanat contritos corde, ut per ejusdem beati Patris merita, optata potirentur sospitate. Sed quia nimis longum est, imo impossibile, non ea modo, quæ ad sancti viri sepulchrum, sed etiam in diversis regionibus ad ejus invocationem quotidie eduntur miracula

Ex Surio. miracula, singulatim commemorare, dicemus in summa dumtaxat: nempe, videre cæcos, claudos ingredi, hydropicos curari, surdos audire, loqui mutos, dæmoniacos liberari, aperiri carceres, vincula solvi, sanari lethaliter saucios, mortuos ad vitam revocari: atque adeo etiam bruta animantia, non uno morbo liberari: multos jam pene desperatione obrutos, ad sancti Patris recordationem mirifice relevari: denique quacumque vel ægritudine correptos, vel periculo expositos, a malis omnibus ejus intercessionibus ereptos, sentire præsentem virtutem Domini nostri Jesu Christi, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

ALIA VITA

AUCTORE ANONYMO COÆTANEO.

Ex ms. *Domus professæ Societatis* Jesu *Antverpiæ.*

CAPUT I.

S. Guilielmi vita ante Episcopatum.

Beatus Willelmus Bituricensis Archiepiscopus, quia veritatem dilexit intantum, ut simplex etiam mendacium abhorreret, in præsenti opusculo dignus est obtinere, ut secundum juratam veritatem a testibus, sicut in sequentibus audire poteritis, vitam ipsius et merita, necnon et miracula, prout possumus veritate simplici disseramus: quibusdam tamen salva veritate appositis, quæ oportuit ex necessitate apponi, ut legendæ series texeretur.

2 Hic itaque vir beatus dum in minori constitutus ætate, traditus ad erudiendum et educandum suo avunculo Archidiacono Suessionis Ecclesiæ, qui *a* Eremita cognomine vocabatur, quia mores in simplicitate a convictu formavit, meruit Willelmus Eremita vocari. Quem licet nobilitas generis in fastum potuisset extollere mundialem, morum tamen nobilitas præminens hunc in humilitate servavit, ut castitas mentis et corporis integritas, quam Sacerdotum, quibus suam conscientiam revelavit, asseveratio jurata probavit, in futuro Pontifice firmum constituerent fundamentum.

a *Guilielmus Suessione educatus.*

3 A pueritia quidem in Parisiensi et Suessionensi canonicatus Ecclesia; dum in robur virile maturior excrevisset, molestias seculi ferre non valens, quæ sanctum ejus propositum videbantur impedire, ruptis hujusmodi molestiarum compedibus, ad *b* Grandimontensem eremum convolavit. Ubi in quanta sinceritate mentis vixerit et conscientiæ puritate, quidam Prior Grandimontensis vir religiosus, astantibus Archiepiscopis, Episcopis, et pluribus aliis in solemni consistorio coram reverendæ memoriæ Innocentio Papa tertio, qui eos ad Concilium evocarat, solemni et affirmativa in ordine suo protestatione monstravit: ejusdem Domini Papæ nihilominus testimonio concurrente, quo ipsum, dum quadam vice olim Archiepiscopus confiteretur eidem, asseruit peccata quæ diceret mendicare.

Ibidem et Parisiis Canonicus, *b* *inde monachus Grandimontensis,* *purissimæ conscientiæ.*

4 Quadam vero die in eodem ordine Grandimontensi *c* turbatione suborta, B. Willelmus, qui suæ mentis tranquillitati timebat, ad Cisterciensem ordinem in monasterio *d* Pontiniacensi se transferendum piæ studio deliberationis elegit. Conversatus ibi diutius, factusque verus ordinis in humilitate professor, quanto amplius in virtutum acquisitione profecit, tanto apud Deum et homines meruit exaltari. In eodem namque monasterio factus Prior, postmodum in Abbatem *e* Fontis Joannis, et inde translatus ad Karolilocense monasterium, ibidem per electionem officium suscepit Abbatis.

c *d* *Fit monachus Cisterciensis;* *e* *Mox Prior, Abbas.*

5 Sed si velimus inspicere in quanta mansuetudine ubique subditos pertractavit, et quot ubique virtutum propagavit exempla, nimia prolixitate onerabimus auditores. Ex iis tamen aliqua perstringentes, sub testimonio veritatis possumus protestari cum illis qui hoc ex confessione ipsius dato protestati sunt juramento veraciter accepisse, quod carnem suam nullo tempore maculavit. In abstinentia rigidus: ex quo seculum dereliquit, numquam carnes aliqua infirmitatis necessitate, seu alicujus victus persuasione, comedit.

Castitate eximius. *Semper abstinet a carnibus.*

6 Hoc etiam speciale virtutis exemplar ex aliis duximus exprimendum, quod licet tantis videretur pollere virtutibus, in hoc se mirabilem imitatorem exhibebat, quod appetitum inanis gloriæ, quæ virtuosis viris se multipliciter ingerit importunam, sub quadam simplicitate cautelæ et modo mirabili elidebat; ab aliis non minus exemplo quam verbo doctrinæ, hoc pestiferum et generale vitium repellendo, intantum ut aliquid, quod simplicitati posset potius imputari, mallet in opere publico demonstrare, quam ad ostentationem inanem aliquid facere virtuosum.

Inanem gloriam vincit.

a *In* 3 *vita agetur breviter de* S. Guilielmi *nobilitate. Vixit* 100 *annis ante celebris ille* Petrus Eremita, *de quo pluribus agemus* 8 *Julii. Is sacræ expeditionis in terram sanctam auctor fuit: unde reversus cœnobium condidit ad mœnia oppidi Huensis, vulgo* Novum monasterium *dictum, ubi sancte obiit. Liberos ex legitima conjuge susceperat, unde* Eremitarum *in Gallia Belgioque nobilis propagata est familia, ut Petrus d'Oultremannus noster in libello de vita ejusdem* Petri Eremitæ *erudite ostendit. Ea ortum domo esse hunc quoque* Petrum Eremitam *Archidiaconum Suessionensem, non improbabile est.*

b *De hac eremo agemus in vita* S. Stephani *fundatoris illius ordinis, qui ab aliis* 8, *ab aliis* 13 *Februarii colitur.*

c *Hæc fuit, opinamur, dissensio inter Clericos et laicos illius ordinis, de qua Jacobus de Vitriaco historiæ Occident. c.* 19.

d *Illustre ordinis Cisterciensis cœnobium, in diœcesi Autisiodorensi, ad* Sœniam, *sive* Senaem *amnem, qui in* Icaunam, *sive* Yonam *influit.*

e *Vulgo* Fontaine-Jehan, *diœcesis Senonensis.*

CAPUT II.

Vita in Episcopatu. Miracula.

Contigit autem ut Bituricensis Ecclesia suo viduata Pastore sub electionis dubio fluctuaret. Cumque mentio facta fuisset de tribus Abbatibus Cisterciensis ordinis, de isto videlicet beato viro, et de duobus aliis, ut aliquis istorum eidem præficeretur Ecclesiæ; electionem contrariam diversorum altercatio impedivit. In hoc tamen vota omnium convenerunt, ut cuidam viro religioso, videlicet Odoni Parisiensi Episcopo, quondam cantori Bituricensis Ecclesiæ, optio conferretur, ut quemcumque vellet ex iis tribus Archiepiscopum nominaret. Qui in ecclesia B. Mariæ de Salis unam noctem cum quibusdam viris religiosis, quos secum habebat, in oratione et vigiliarum observatione deducens, cum Missarum officio, non sine multa lacrymarum effusione ac devotione peracto, ex revelatione divina eligendum Abbatem Karoliloci evidentius comperisset, et ad nominandum eum properans ad Capitulum, præfatam ecclesiam fuisset *a* ingressus; quosdam a Capitulo missos invenit, qui eundem Abbatem sibi per concordiæ unitatem nominari Archiepiscopum instantissime postulabant. Quod factum esse potius creditur ex vocatione divina, quam electione humana.

Divino instinctu eligitur Archiepiscopus Bituricensis. *a*

8 Pontificali igitur infula decoratus, licet invitus cum multorum persuasionibus religiosorum, qui ejus noverant sanctitatem, victus fuerit, et vix tractus oblatæ sibi dignitatis *b* oneri succubuit, non honori. Suscepti prius ordinis observantia non mutatur: pristina retinetur humilitas, conservata intantum, ut Pontificalis fastigium dignitatis mentem ejus nulla elationis ostensione corrumpere videretur, nec exteriorem habitum immutare. Abstinentiæ consuetudo prioris, licet Archiepiscopales delicias inveniret, usum sobrietatis antiquæ retinuit illibatum. Orationum instantia consueto cursu olim noctes cum somni brevissima degustatione deducens, non amittitur in mutatione

b *Episcopus pristinam retinet humilitatem, abstinentiam, pietatem, etc.*

mutatione officii, sed mutatur. Negotiorum enim occupatio, quam officii necessitas ingerebat, horam consuetam orandi præpediens, consuetudinem orandi non studium alternavit : quia datum sibi tempus in otio non consumpsit, sanctæ meditationi, quam prædicationi consultius reservabat, vel orationi vacando quam pro se ac pro commisso sibi populo fundere necesse habebat. Misericordia exuberans, quam erga pauperes et afflictos semper habuerat, in assumpto Pontificali officio non defecit, sed collatarum simul cum officio abundantia facultatum, usu largiori mentem simul et intentionem *c* secuta est largitoris. De animarum commissa sibi cura sollicitus, aut recipiendis confessionibus eorum, quos in multa recipiens lenitate spiritus confovebat, ut lucrifaceret Christo, aut prædicationi per se vel per alios sedulus intendebat.

c

Erga inimicos benevolus.

9 Superabundantem gratiam caritatis, qua præminens in sublimitatem virtutum, multorum ad se corda convertit, sicut multi noverunt, qui hoc per experientiam didicere, non possumus satis abundanter exprimere : quia quoslibet inimicos sibique injuriantes dilexit intantum, ut gratis obsequiis quorumlibet amicorum, graves etiam injurias visus fuit prætulisse. Cujus rei exemplum si velim in medium ego deducere, qui opusculi hujus materiam suum aggressus, ex injuriarum molestia, propter quam nec immerito contra me debuerat gravius indignari, gratiam ejus ultra quam crediderim, me protestor et gaudeo habuisse, et jam si dici possit, aut debeat, meruisse.

Auctor illi convixit.

Claret miraculis adhuc vivens.

10 Cumque his atque aliis plurimis virtutibus præmineret, addidit Dominus servo suo illam gratiam meritorum, ut vivens etiam miraculis coruscaret. Accidit namque quod quidam Presbyter, *d* Guiraudus nomine, Cappellanus S. Germani de Podio juxta Bituricas, usum manus sinistræ ita omnino amiserat, ut celebrare non posset. Qui cum fere per dimidium annum hujus infirmitatis incommodo laborasset, ad eumdem beatum virum accessit. Idem autem palpans manum ipsius languidam, dixit ei ut confiteretur peccata sua, et melius se haberet. Post tertium vero diem ita convaluit, quod ipse die tertia celebravit.

d

Languidam manum sanat confessione imperata.

11 Inter miranda etiam ipsius Sancti opera, quibus sanctitas ejus latere non potuit, illud etiam mirabile duximus exprimendum : quod cum quidam puer, Odo nomine, filius *e* Artaudi Pinaudi, manentis prope castrum de Monte Falcenia, tremorem capitis incurrisset, et ex illius concussione tremoris, cerebro perturbato et oculis vehementius angeretur; contigit ut B. Willelmus in quadam ecclesia ejusdem castris solemne dedicationis officium celebraret : ad beatum virum deductus est puer ille a parentibus. de dolore pueri dolentibus vehementer. Qui cum ei fuisset oblatus, vir sanctus dolori eorum solita pietate compatiens, puero manum imposuit, caput ejus blanda contrectatione palpando. At vero palpantis pura devotio, sua non est intentione fraudata : quoniam et capitis tremor omnino cessavit, et in lætitiam parentum mœrore converso, virtus miraculi declarata, in laudem et gloriam Salvatoris erupit. Et quid amplius? Si vitam ejus subtiliter velimus inspicere, non minus vita ipsius, quam habere pro viva lectione potuimus, quam et hæc et alia miracula refulserunt, quibus vitæ sanctitas potius attestatur, quam miracula sanctitati.

e

Item tremorem capitis.

a Ms. *Belfort.* egressus.
b *Idem* ms. non oneri succumbit, sed honori.
c *Hæc duo verba* secuta est *adjecimus ex Breviario Cisterc. deerant in* ms. *sensus tamen ea videbatur exigere.*
d *Breviarium antiquum Corisopitense :* Girandus.
e Ms. *Belf.* Archaudi.

CAPUT III.

Variæ virtutes, sancta mors.

AUCTORE ANONYMO, EX MSS.

Quamvis autem in hujus operis narratione proposuerimus breviter et succincte procedere, ne per multiloquii evagationem veritas læderetur ; duo tamen huic narrationi delectat inserere pro utilitate, ut creditur, auditorum. Quippe vir iste beatus, cum fere semper hilaris et jucundus, quod quibusdam displicebat austeris, se socialem et amabilem exhibebat; vitium detractionis, quod in locutionis cursu subrepere consuevit viris etiam sibi studiose cavendis, summa intentione vitabat, ita quod cum occasio detractionis incideret, aut verba detractoria incidebat, mutando materiam, aut si verba persisterent detrahentis, penitus abscedebat nolens pollui audiendo, quæ vix aut numquam ipsum polluere consueverant in loquendo. Verum cum vitam et pollutos mores alicujus, quem carnis lubricum infamabat, aliquis tamquam improperans et insultans deducebat in medium, ipse hoc vitium patienti benigne compatiens excusabat, hoc modo dicens : Frater dic ei qui cum membrorum tremore febricitat, quod a tremore hujusmodi se compescat; et probare sic poteris si propter hoc tremere vel febricitare desistat. Nolens facit forsitan id quod facit, et vellet cessare si posset. Subveniendum est talibus orando pro ipsis : et compati patientibus potius quam insultare improperando debemus.

Semper jucundus.

Detractionem odit.

Peccata aliena benigne excusat.

13 Postpositis his et aliis, quæ narratio nimis longa portenderet in immensum, ad describendum modum exitus, quo ex hac luce migravit, stylum vertimus breviorem. Cruce quidem assumpta volens ad fines Albigentium contra hæreticos proficisci, cum itineri necessaria præpararet quadam infirmitate corripitur, quæ licet dolorem ingereret infirmanti, numquam tamen sensum ejus vel rationis vigorem pristinum immutavit. Sed cum quadam scilicet die Mercurii post Epiphaniam ad visitandum ipsum sui Clerici more solito convenissent, et videntes eum gravatum, de accipienda communione Sacramenti, ac de rerum suarum dispositione monerent; tamquam certus de termino vitæ suæ dixit se instanti die Veneris id facturum. Qua die adveniente per quemdam religiosum Abbatem Missam faciens celebrari, et eucharistam cum debita veneratione deferri; Sacramento accepto reverenter, extremæ quoque unctionis sacramentum *a* subsequenter accepit, petita venia prius a singulis, et recepto postmodum pacis osculo ab eisdem. In sequenti nocte Veneris, omnibus rite dispositis, et eo etiam ordinante seorsum positis Pontificalibus vestimentis, quæ sepulturæ Pontificalis necessitas postulabat; abscedentibus universis, exceptis familiaribus monachis et conversis, cum jam nox profunda somnum mortalibus induxisset, eo nutu quo potuit matutinas decantari præcepit, quarum psalmos ipse non oris voce, sed cordis, prout consueverat, decantavit. Completo matutinali officio, se proprio nisu deponens in terram, et manu, prout potuit, elevata, benedictionis signaculum in astantis consueto more depingens, spiritum benedictum cum ipsa gratia benedictionis emisit. In transitu vero ipsius v Idus Januarii terminus est signatus.

Morbo corripitur.

Eucharistia et extrema unctione munitur.

a

In terra jacens, ac suis benedicens moritur.

a *Ordo contrarius in sup. vita expressus, nu.* 29.

CAPUT IV.

Canonizatio.

Sed prætermissis eis quæ circa sepulturam ejus acta sunt, monachis Karoli-loci ad suum monasterium corpus ejus transferre volentibus; et miraculis etiam prætermissis, quæ ipso sepulto in Bituricensi Ecclesia statim coruscare cœperunt, cum in subsequenti

AUCTORE ANONYMO, EX MSS.

quenti volumine plenius sint descripta; illud speciale miraculum, quod in Canonizatione ipsius Dominus evidenter ostendit, ut de sanctitate ac meritis ipsius omnis penitus dubietas auferretur, specialiter duximus exarandum. Miraculorum gratia simul et gloria crebescente, Cleri et populi devotio excitata, sanctitatem beati viri quam Dominus per miraculorum assiduitatem in tanta gloria revelabat, sub tenebris ignorantiæ apud exteras regiones non est passa teneri. Ad sedem namque Apostolicam solemnes Nuntii semel, secundo, et tertio diriguntur. Impetrato vero rescripto a Præsule Sedis Apostolicæ *a* Honorio Papa III, super inquisitione de vita ejus, meritis, ac miraculis facienda; venerabilis vir *b* Willelmus Autisiodorensis Episcopus, et duo religiosi Abbates Cisterciensis ordinis, qui hoc suscepere mandatum, plures viros religiosos et alias personas Ecclesiasticas et seculares juratas examinant diligenter, et ad eandem Sedem testimonia diligenti et solemni examinatione probata, sub sigillorum suorum cauta inclusione transmittunt.

Claret miraculis post mortem.

a

b

Fit inquisitio pro canonizatione.

15 Præsentibus ergo ibi bonæ memoriæ *c* Giraudo Archiepiscopo, Cantore, et pluribus aliis Canonicis Bituricensibus, et pro canonizatione viri sancti vehementer instantibus, cum usque adeo fuisset in negotio illo processum, ut sententia proferri deberet infra diem præfixam, ad hoc judicium humanum quod aliquando titubat, in divinis hujusmodi virtus declarata miraculi confirmavit. Eo tempore præsens erat ibidem venerabilis vir Decanus de Boemia, vir honestus et timens Deum, qui de remotis valde partibus veniens, pro quodam arduo Ecclesiæ suæ negotio, sub grandi ejusdem negotii discrimine laborabat. Quodam sero post *d* diurnum laborem oratione completa in ecclesia B. Petri Apostolorum Principis, cui sui curam negotii commendarat, rediens ad hospitium obdormivit. Et ecce vir facie resplendens, et veste nitidus, in somnis illi apparuit, eum suo nomine vocans ita : Decane quid turbatis de tuo negotio? Acquisce consilio meo, et expedietur in brevi. Dic sæpe et sæpius Psalmum illum : Judica Domine nocentes me, etc. usque in finem psalmi, et in memoriam B. Willelmi Bituricensis Archiepiscopi subjunge orationem illam : Exaudi Domine preces nostras, quas in Sancti Willelmi, etc. Cui taliter visus est respondere : Domine nescio quis sit ille Willelmus, nec nomen illius civitatis agnovi. At ille eadem exhortans ut diceret, id adjecit, scilicet quod ille erat Sanctus, qui per Apostolicum infra breve tempus canonizari debebat. Expergefactus Decanus et aliquantulum de visione turbatus Archidiaconum Ecclesiæ suæ, qui sui negotii particeps et socius venerat, dormientem secum in eodem thalamo excitavit, admonens ut ad matutinas consurgerent decantandas. Sed advertens Archidiaconus, quod *e* interdum tempestiva hora venerat ad surgendum, et intelligens eum ex aliquo accidenti esse turbatum; caussam somnii præter solitum interrupti sciscitatur ab eo. At ille semiplene respondens : Visum est, inquit, mihi quod quidam mihi apparens in candido habitu loquebatur, sed quæ mihi dixerit vereor enarrare. Cui Archidiaconus : Dormite Domine mi, et requiescite. Nec enim de talibus visionibus est curandum. Cumque Decanus iterum obdormisset, ecce præfatus vir, sicut in primo visu, apparuit, et omnia quæ prius dixerat replicans, hortatus est diligenter, ut omnia retineret et diceret, si suum vellet negotium expediri. Et etiam minas adjecit ad ultimum quod ei male accideret, si circa hæc ageret negligenter. Surgens ergo quam citius, et horis matutinalibus decantatis, adiit quendam virum honestum pariter et maturum, Pragensem Episcopum, qui et ei notus erat, et secretæ vinculo familiaritatis adstrictus. Cui vocato seorsum quæ viderat secretius revelavit, ea volens sub confessionis clave clausa servari, donec ea necessitas exigeret revelari.

c

d

Apparet cuidam Decano Bohemo Romæ.

Psal. 34.

e

Iterum eidem apparet.

Decanus id Episcopo Pragensi narrat.

16 Deliberaverat interim præfatus Papa cum Fratribus de negotio B. Willelmi, et de Fratrum consilio universos Archiepiscopos, et Episcopos, qui tunc erant præsentes, ad tractatum hujus negotii præceperat evocari. Quibus præsentibus, dum in principio tractatus illius Willelmi miracula legerentur, Pragensis Episcopus recordatus visionis illius, quæ ipsi a Decano fuerat revelata, et intelligens non esse tacendum, surrexit in medio, et persona Decani commendata decenter, sicut de vita ejus et moribus sibi notis fuerat commendanda, ea quæ ab ipso audierat, coram omnibus satis compendiose narravit. Sed ut ex ore ipsius Decani veritas gratius audiretur, vocatus est ipse Decanus, et in medium introductus, adjuratus a Domino Papa, ut plenam et planam diceret veritatem, ea quæ sibi apparuerant semel atque secundo, sicut prius Episcopus dixerat, retulit seriatim. Omnes vero commoti ad lacrymas, Deum benedicere, ac laudando Deum glorificare cœperunt, qui Sanctum suum ita mirificare per aperta indicia dignabatur. Cumque summus Pontifex aliquantulo monitionum sermone præhabito consilium requisisset, omnis unanimiter multitudo consentit, ut ad sanctitatem beati viri solemniter declarandam, quam Dominus tot et tantis indiciis manifestius ostendebat, sententia proferretur. Exeuntibus universis ad publicum, et in publico Consistorio, ceteris consueto more dispositis, missæ ab examinatoribus litteræ ac miracula sollemniter publicantur. Quibus distincte perlectis Summus Pontifex surgens in medio B. Willelmum Bituricensem Archiepiscopum sententialiter et cum debita solemnitate pronuntians Sanctorum catalogo adscribendum, in die depositionis ipsius festivitatem *f* præcepit solemnem de cetero celebrari. Ipse vero debitis ex more laudibus celebratis, illam eamdem orationem, quam B. Willelmus dicendam Decano revelaverat antedicto, videlicet : Exaudi Domine preces nostras, quas in S. Willelmi, etc. non sine multis lacrymis profluentibus ex devotione subjunxit.

Id refert Episcopus in Consistorio Pontificio.

Advocatur Decanus.

Canonizatur S. Guilielmus.

f

a 17 *Julii* 1216 *electus, coronatus* 24 *Julii die Dominica; obiit* 13 *Martii* 1227.

b *Qui deinde Parisiensis Episcopus fuit, obiitque an.* 1223, vir religiosus ac prudens, *ut est in Chronico Autisiod.* et in hostes Ecclesiæ rigidus executor justitiæ. *Scripsit summam Theologiæ quæ extat.*

c *Successit hic* S. Guilielmo; *Claudio Roberto* Geroldus, Geraldus, Girardus : *obiit Nonis Julii* 1218, *cum sedisset an.* 9, *men.* 4. *dies* 12, *dicitur in Chronico Lemovicensi citato a Cl. Roberto*, fide, sanctitate, doctrina, et miraculis clarus. *Sanctus appellatur a Ghinio, et Chenu. Sed fallitur Ghinius, dum eum scribit mortuum ann.* 1210. Guilielmum *vero Episcopum factum an.* 1189.

d Ms. *nostrum*, diuturnum.

e *Videtur legendum*, necdum tempestiva. MS. *Belfortii habebat*, quod intempestiva esset hora ad surgendum.

f *Ciaconius scribit* VI Non. Julii 1218, *id esse factum.*

PRÆFATIO IN LIB. MIRACULORUM.

Quoniam superabundante malitia, multorum caritas refrigescit quotidie, necesse est ut Deus omnipotens ordinator rerum ac temporum, sine quo nihil est validum, nihil sanctum, Sanctos suos quos hereditatis æternæ voluit esse participes, quosque jam glorificatos coronavit in cælis, ad laudem et gloriam nominis sui clarificare dignetur in terris, populis ad eorum tumulos undique confluentibus, quorum corpora in pace sepulta sunt, et vivunt nomina eorum in æternum, signa et prodigia sua sæpius manifestans. Nonnumquam enim fiunt miracula divina operante clementia ob Sanctorum suorum merita declaranda, ut in omnem terram exeat sonus eorum, et in fines orbis terræ exempla eorum; quatenus ad contemptum mundi, et ad amorem cælestis patriæ ipsorum sanctis provocemur exemplis. Insuper et excitanda est Sanctorum devotio, ne fervor fidei in humanis

Cur ad sepulchra Sanctorum fiant a Deo miracula.

humanis cordibus per insolentiam tepescat, quoniam signis et miraculis credimus nutriendam. Sed nec tacenda sunt opera Conditoris, quæ mens humana cogitare, scriptura comprehendere, lingua laudare, supernorum civium exercitus mirari non sufficit. Suppleat ergo defectum nostrum divina miseratio, ut quod possibilitas nostra non obtinet, nobis ejus munere concedatur.

2 Sane propositum, quod ad quorumdam instantiam super miraculis B. Willelmi Bituricensis Patriarchæ, scripto commendandis assumpsimus, diu distulimus prosequi, tam temporis negligentia soporati, quam aliorum negotiorum occupatione detenti. Verum licet vereamur indigni digna tractare, ne lacerandi objiciamur morsibus detractorum; quamvis etiam ex eo, quod cum simus inferioris ingenii, valde timendum est, ne si huic operi nos præponimus, cui propter imperitiam sufficere minime credimus, quasi ponere os in cælum videamur, et potius debeat imputari temerariæ præsumptioni, quam caritati adscribi; considerantes tamen, quod cum mundus in maligno sit positus, nullusque adhuc scriptorum in simili opere potuit declinare quod timemus, inter procellas linguarum expositi, nec submersi omnino nec tuti ex toto, proposuimus navigare. Igitur quasi horum obliti et excusso torpore robustiores effecti, propositum opus, quod vires nostras transcendit, aggredimur, miraculorum insignia, quæ vel vidimus, vel a viris fide dignis audivimus, prout Dominus dederit, qui meritis ejusdem Sancti eadem operatur, stylo humili descripturi. Et tamen multa prætermittamus miracula tanquam oblivione deleta, et alia etiam, quæ propter temporis lapsum labilisque memoriæ vitium in ea nobis veritatis specie non..... *codex* MS. *hic laceratus erat, sicque reliqua desideramus.*

Excusat auctor imperitiam.

ALIUD VITÆ COMPENDIUM,

AUCTORE ANONYMO COÆTANEO.

Ex MS. *Ecclesiæ S. Audomari.*

Beatus Guillermus, *a* nobilis genere, longe fuit *b* nobilior vitæ laudabilis sanctitate. A primæva quidem ætate cuidam avunculo suo Suessionensis Ecclesiæ Archidiacono, miræ honestatis viro, qui Petrus Eremita dicebatur, a parentibus traditus fuit, moribus et litteris informandus : a quo, vel forte quodam præsagio futurorum, fuit Guillermus Eremita postmodum nuncupatus. In Suessionensi quidem primo, deinde in Parisiensi Ecclesia factus Canonicus, timens ne rerum affluentia, et blandimenta seculi eum a sancto proposito revocarent, ad Grandimontensem eremum convolavit. Ubi cum seminator discordiæ omnis humani generis seminasset discordiam inter Clericos et Conversos, de licenciatis Clericis a Domino Papa transferendi se ad religionem aliam, prout Dominus unicuique inspiraret, B. Guillermis Cisterciensem Ordinem prælegit.

a
b

Instituitur a Petro Eremita.

NOT. 142.

Fit monachus Grandimontensis, tum Cisterciensis,

2 Factus autem monachus apud Pontiniacum, dum in observatione ordinis aliorum devotionem præcellere niteretur, in Priorem concorditer est assumptus. Fama vero religionis suæ magis ac magis crebrescente, primo *c* Fontis-Joannis, deinde Karoli-loci factus Abbas, tandem cooperante divina gratia in Primatem Bituricensis Ecclesiæ per electionem canonicam est electus.

Abbas, Prior, Archiepiscopus.

c

3 Accidit enim cuidam Presbytero, Giraudo nomine, repentina, gravis, et vehementer angens infirmitas in sinistra manu, per quam fere per dimidium annum factus est impotens celebrare. Hæ sitabant medici quid de morbo dicerent, quia caussam ejus penitus ignorantes, videbant *d* symptomata sibi ad invicem adversari : et probatis, sed inutiliter circa infirmum diversis curationum generibus, unusquisque post alium recedebat confusus, et dolens quia ei non poterat subvenire. Qui de medicorum subventione desperans ad B. Guillermum accedit, totam spem suam in eum projiciens, ut eo mediante a solo Domino curaretur. Videns pius Pater morbum, caussam cognoscit, et impresso signo sanctæ Crucis, manum tangens et palpans leviter, dixit infirmo : Confitere peccata tua, et melius te habebis. Lætus facit quod præcipitur, corde contrito et humiliato confitetur, et statim ita plene convaluit, quod die tertia celebravit.

Manum languidam sanat confessione imperata.

Ex MSS.

d

4 Cum autem post transitum B. Guillermi, priusquam corpus esset traditum sepulturæ, catervatim populus civitatis conveniret ad exequias sancti viri; tanta fuit in populo puerorum devotio, quod non cessabant osculari pedes et manus ejus, et etiam lactentes pueri satiari non poterant visione corporis sancti viri : quamplures autem ex ipsis renitentes pro viribus, et ejulantes præ dolore recessus, vidimus violenter asportari.

Puerorum erga corpus ejus mortuum devotio.

5 Tunc quidam, qui nondum ætatis suæ decimum compleverat annum, capite scapulis cohærente, collo inter humeros intercepto, spina dorsi quasi confracta, curvus incedens cælum videre non poterat, nisi faciem versus humerum obligaret : qui tantam demum infirmitatem incurrit, quod pedum et manuum privatus officio pascebatur a matre, et de loco ad locum ubi suadebat utilitas, seu cogebat necessitas ferebatur. Hic auditis quæ fiebant in ecclesia, suspirat, lacrymatur, omni petit constantia, quod eum ferat ad ecclesiam mater sua. Currit mater cum sarcina, se per turbam ingerit importuna, pudoris nescia, dolore simul et devotione penitus absorpta. Simul ambo mater et puer osculantes pedes sanctos, et ejulantes clamabant : O Beate Guillerme miserere nostri, et attende miseriam nostram, qui spiritualiter superstes in parvis abundabas visceribus pietatis. Nec mora : quasi fragor ossium in puero est auditus. Cum autem mater extraxisset de turba puerum, clamat puer : Mater dimitte me, quia per virtutem B. Guillermi sanus sum : et consolidatæ sunt ejus plantæ, et cunctis admirantibus per se rectus et extento collo domum lætus regreditur, qui tristis a matre fuerat asportatus. Stupet mater præ gaudio, stupet fere tota vicinia, et mirantur mirabilia Creatoris. Tandem mater ad se revertitur et proponit, ut cum corpus sanctum esset traditum sepulturæ, rei veritate manifestata Canonicis, cum eis sollenniter Deo actiones ageret gratiarum.

Mirabiliter contortus, ejus intercessione sanatur.

a Mathildis *Comitissa Nivernensis, in publicis litteris asservatis in tabulario Nivernensi, quibus donat Ecclesiæ Bituricensi* 12, *libras Parisienses annui census ad accendendum perpetuo cereum ante* S. Guilielmi *corpus, datis mense Julio* 1223, *vocat eum avunculum suum : ut testatur Guido Coquillius in historia Nivernensi, et Claudius Robertus, traduntque diserte Coquillius et Joannes Chenu,* oriundum *ipsum* ex familia Comitum Nivernensium *Robertus ait* Archesiis vico Nivernensi natum. *Carolus Sausseius lib.* 11 *Annalium Ecclesiæ Aurelianensis tradit eum* fratrem *fuisse* Geraldi Berruyerii, patris Philippi Berruyerii Episcopi Aurelianensis, ac deinde Archiepiscopi Bituricensis *quem idem Sausseius inter* Beatos *censet, ut* IX *Janu. diximus.*

b *Chrysostomus Henriquez lib.* 1 *Fasciculi SS. ord. Cistercien. dist.* 20, *cap.* 1, *eadem, quæ hic duobus primis numeris, recitat, tum vitam reliquam verbis Surii prosequitur. Legit autem hic, uti et* MS. *Audomarense,* nobilioris vitæ laudabilis sanctitate. *Breviarium Cisters.* nobilior vita, laudabilis sanctitate.

c *Idem habetur in Breviario Cisterc.*

d Ms. Sancti thomata, *mendose.*

DE

DE S. GONSALVO AMARANTHO,

ORDINIS PRÆDICATORUM IN LUSITANIA.

VITA

a Didaco de Rosario Lusitanice scripta, versa a Stephano Sampayo.

PRÆFATIO INTERPRETIS.

Ratione non levi, Christiane Lector, in animum induxi mihi, D. Gondisalvi, Dei famuli fidelissimi, ordinis Prædicatorum alumni olim, gesta exscribere, Latinoque utcumque idiomate traducere, atque exteris etiam nationibus ejus sancta virtutum exempla, mira prodigia, et efficacissima merita ostentare. Etenim patronum illum, et meum, si fas est dicere, Mœcenatem, a multis annis jam agnosco, atque fateri compellor : tum quia ex eadem provincia, et professionis instituto, per Dei gratiam me contigit esse; tum etiam, quia me olim quodam peculiari miroque devinxit beneficio, quod quamvis occulte receperim, publice nihilominus fateri nunc teneor. *Cur hanc vitam edat Sampayus.*

2 Cum enim pueriles adhuc annos transigerem, naturali quadam premebar invaletudine, quæ tametsi periculosa non esset, fastidiosa tamen et gravis adeo mihi videbatur, ut non solum corpore, sed et mente etiam, illius caussa, valde afflictarer. Consilio tandem atque exhortationi piæ meæ matris ac acquiescens, quæ valde mihi compatiebatur, sepulcrum D. Gondisalvi Amaranthi, quod per viginti circiter distabat milliaria, religionis ergo visitare institui. Iter igitur postea lætanter aggressus, non sine magna sanitatis obtinendæ fiducia, propter crebra miracula apud ejusdem Divi tumulum quotidie patrata, cum aliis turmatim voventibus, ea quam puerilis ætas ferebat devotione, ad illius templum reverenter accessi. Deinde petitione mea utcumque sancto Dei famulo proposita, sacro etiam pro me facto, a quodam Sacerdote sui instituti et nondum mei, ad paternam domum sum reversus. Non multo post tempore præfinitum incolumitatis instans minime deprehendens, gratias Altissimo, in suo famulo Gondisalvo, me ab illa nativa et satis onerosa invaletudine omnino liberatum persensi, et usque ad hanc horam, qua hæc scribo, clare experior. Hoc Dei beneficium a me indignissimo receptum, meritis et precibus D. Gondisalvi Amaranthi adscribere nec vereor nec dubito. Exstant enim quotannis, imo fere quotidie tot tantaque sanitatum genera a voventibus, ejus meritis apud Deum impetrata, ut illorum respectu, quæ ad ejus tumulum cernuntur in dies, hoc quod retuli minime comparandum veniat. *S. Gonsalvi ope, a morbo sanatus.*

3 Hujus Divi gesta, tam ante religionis ingressum, quam postea, eum in modum compendiosa et confusa reperiuntur ubique in Lusitania, ut quasi fragmenta potius quædam historiæ videantur, quam integer tractatus. Reperitur tamen hoc qualecumque compendium, sufficienter authenticum sermone Lusitano Bracharæ Augustæ excusum, per quemdam religiosæ memoriæ Patrem, ejusdem ordinis fratrum Prædicatorum, qui F. Didacus de Rosario dicebatur, de mandato Reverendissimi Domini F. Bartholomiæ de Martyribus, Archiepiscopi Bracharensis, ejusdem professionis alumni. Alius etiam Lusitanus Pater et prædictorum frater, jam vita functus in lucem hoc opusculum ante me aliquando voluit emittere; sed cum ad manus meas pervenit, taliter Latinitate erat donatum, ut vere possim affirmare illius lectionem ad nihil aliud mihi deseruisse, quam ad veritatem historiæ hujus cum illo concordandam aliquando. Hæc omnia boni consulas pie lector. *Vita a quo scripta.*

CIRCA AN. CH. MCCLIX. X JANUARII.

Agitur B. Gonsalvi Amaranthi *natalis* x *Januarii. Ferrarius in generali catalogo SS.* Vimarani in Lusitania S. Gonzali Presbyteri ord. Prædicatorum. *At non* Vimarani, *vel obiit vel quiescit nunc, verum* Amaranthi, *unde illi cognomen. Martyrologium Lusitanicum :* In oppido Amarantho S. Gonzali Confessoris, ex regione inter Durium et Minium sita, vico Tagilde orti : hic obitis magna pietate sacris locis urbis Romæ ac Hierosolymorum, habitum ordinis Prædicatorum sumpsit, ac vitæ reliquum sanctis operibus, ac saluti proximorum impendit. Corpus ejus Amaranthi in monasterio ejusdem ordinis conditum, summa populi frequentia visitur, multisque illustratur miraculis. *B. Gonsalvi natalis :*

2 *Vitam* S. Gonsalvi *Lusitano sermone scripsit Didacus de Rosario ordinis Prædicatorum, jubente Bartholomæo de Martyribus Archiepiscopo Bracharensi. Latinam fecit, edidilque in lucem Lutetiæ typis Thomæ Perierii an* 1586. *Stephanus Sampayus ejusdem instituti alumnus. Ejus meminit in descriptione Lusitaniæ Antonius Vasconcellius noster, his verbis :* Abbatibus cereo præluxit. D. Goncalus ab Amarante, quem desiderium exosculandi ea loca, quæ Christus, vivens pedibus lustraverat, vocavit in Palæstinam, et ex ea in patriam reversus, vitam posuit in maximarum virtutum gloriosissima palæstra. *Et alibi cum illustriora Sanctorum templa enumerat, num.* 30. Divi Consalvi de Amarante nobile fanum est, cujus sepulchrum universa Interamnensis regio religiose frequentat, ut ægritudinibus faciant medicinam. *Et cum de fluviis agit num.* 16. Alius est Tamaca fluvius, qui antiquum servans nomen, S. Gondicali ab Amarantho oppidum frequens, et ob Divi sepulchrum satis nobile interfluens, ad Duos fluvios (ita locum appellant incolæ) Durio immiscetur. *vita :*

3 *Prolixum* B. Gonsalvi *elogium habet Antonius Senensis in Chronico Prædicat, ad an.* 1250. *Agit de eo quoque Choquetius cap.* 23 *et cap.* 29, *libri, qui inscribitur* Mariæ Deiparæ in ordinem Prædicatorum viscera materna. *Ferdinandus Castillo Historiæ ordinis Prædicatorum par.* 1, *lib.* 2, *cap.* 60 *et seqq. Joannes Marietta lib* 12, *Historiæ Ecclesiasticæ Hispan. cap.* 1 *et seqq. qui de publica illi decreta veneratione cap.* 10, *hæc tradit :* Cum plura in dies miracula ejus meritis patrarentur, Pius IV, Pontifex Maximus regnante Sebastiano Rege sanxit, ut horæ canonicæ ac sacra de eo in Lusitaniæ regnis celebrari possent. Res tota Cardinalis Henrici ac Nuntii Apostolici fidei commissa : ii publicis perlectis testimoniis, quæ partim Pompeius Cambrianus olim ibidem Nuntius Apostolicus potestate sibi a Julio III, Joannis III, gloriosi Regis rogatu, facta; partim recenter Rodericus Pineyro Portuensis Episcopus, et Doctor Balthasar Alvarez Provisor Archiepiscopatus Bracarensis legitime collegerant; reque omni serio ac mature discussa, hunc S. Gundisalvo haberi ab omnibus publicorum sacrorum honorem in universis Lusitanici Imperii provinciis posse decreverunt. *Bullam ab iis hac de re editam, Hispanice versam, recitat idem Marietta et Castillo. Meminit et B. Gonsalvi L. Andreas Resendius infra citandus. A multis ejus vitam Lusitanice scriptam testatur Castillo, atque integros extare miraculorum ejus meritis editorum libros. Ferrarius circa annum* 1259, *defunctum tradit : circa idem tempus referunt alii : licet Sampayus dicat de ætate non constare.* *festivitas :* *ætas.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Compendium gestorum et sanctæ conversationis Divi Patris Gondisalvi Amaranthi Lusitani, ordinis Prædicatorum, ex proprio illo idiomate fideliter traductum.

Auctore Didaco de Rosario.

CAPUT I.

Præambulum historiæ, de regione Interamni Durii et Minii.

Inter reliquos populos, quos antiqui scriptores in nostra Lusitania certis nominibus finibusque propriis distinxerunt, aliqui sunt Bracari olim dicti, qui modo Interamnes vocantur, *a* Durii *b* Miniique fluminum angustati fluentis. Hæc provincia parva quidem et contemptibilis judicabitur, si amplitudinis spatium geometrice quispiam mensurare velit. Quippe quæ longitudine tantum decem octo leucarum Hispanicarum, alibi vero sex, alibi etiam quatuor, clauditur mensura. Si vero climatis naturam, glebæ pinguedinem, et rerum omnium ad humanæ vitæ usus desiderabilium, inexhaustum thesaurum introspicias; adeo spatiosam vel potius portentosam invenies, ut non dubitem quin septem mundi miraculis hoc octavum partim a natura productum, partim vero ab arte et industria humana elaboratum, meritissimo superaddere possis. Illic enim a sollicito agricola subacta terra quater in anno sæpe fructus uberrimos semenque cum fenore reddit.

a b *Interamnensis regionis in Lusitania fines.*

Fertilitas,

frequentia,

2 Illic propter propitiam aeris temperiem, humani generis propagatio tam multiplicata cernitur, ut veritatem non solum dubiam narrare volentis, sed falso simillimam efficiat. Est enim tota illa regio ubique fere locorum taliter exculta, atque urbibus, oppidis, pagis, castris, ruribus, prædiolis, monasteriis occupata et referta; ut una tantum amplissima civitas affabre constructa, ex his omnibus populosis locis, surgens videatur. Extat hujus rei clarum in multis auctoribus testimonium qui de gestis Romanorum loquentes, asserunt illorum Duces et Imperatores per spatium quadraginta annorum, multis prius hinc inde fusis exercitibus absumptis, insudasse antequam hanc regionem Interamnem debellaverint. Imo et L. Florus idem confirmans testificatur, quod *c* in una sola æstate, *c* cum L. Posthumius aperto Marte cum Bracharis Interramnibus bis obstinato et ancipiti semper bello pugnaret, ex illis populis pertinaciter constanterque resistentibus non minus quam viginti quinque millia in illis duobus prœliis occubuerint. Cæli namque temperamentum illic adeo humanam vegetat naturam ac multiplicatam conservat, ut nec tempus hibernum in rigido frigore, nec æstivum in calore nimio nisi in quam paucissimis anni diebus sentiatur.

c

temperies,

amœnitas,

3 Arbores omnis generis fructiferæ tam in præruptis montium quam in agrorum planitie, semper fere virentes, faciem terræ operire conantur. Quocumque se viator vertat limpidissimos fonteis in æstate frigidos, in brumali frigore tepidos, a petris et saxosis ripis umbrose scaturire suspiciet. Illorum copiam numerum viginti quinque millium implere *d* Joannes Vazeus, et Germanus quidam, auctor tabularum Hispaniæ, ausi sunt asserere. Doctor tamen quidam Palacius, professione medicus, natione Lusitanus, qui in eadem regione diu habitavit, in libello quodam, quem de mirabilibus ejus composuit, duo mille quingentos tantum fontes, et flumina septem magna, reperiri asserit. Pontes vero ex quadrato lapide elegantissime constructi *e* tercentesimum numerum, monasteria centesimum trigesimum; portus maritimi navigabiles senarium etiam numerum complent. In Metropolitana Bracharæ Augustæ Sede, *f* mille centum baptisteria, totidemque parochiales Ecclesiæ hodie numerantur. Nec proinde mirum si Romani milites illic *g* Lethæum flumen invenisse, quem incolæ Limiam vocant, non sine superstitioso affirmaverint timore. Postquam enim Limia transito Interamnem regionem penetrabant; illius deliciis et amœnitate allecti, ad proprios redire lares minime amplius recordabantur. Quinque in hac nostra ætate tantum in ea divites Ecclesiæ collegiatæ florent, et tres Sedes Episcopales, quarum præcipua Brachara Augusta, ut diximus, *h* totius Hispaniæ Primas, hodie cernitur, quæ *i* S. Petrum Apostoli Petri discipulum, primum meruit habere Pastorem et Martyrem. In hujus ergo Metropolitanæ Sedis districto, (ut ad historiam accedamus) natus est Divus hic Gondisalvus. In quo olim Divus etiam *k* Damasus ex Vimaranensi oppido ortus, Ecclesiæ Dei non parum contulit splendoris.

d

fontes,

e

pontes,

f

cœnobia, Ecclesiæ.

g

Lethæum flumen.

h

i

k

a *Vastum flumen, ad urbem* Portum *oceano miscetur.* Duero *accolis dici testatur Nonius.*

b *Nomen a* minio, *quod ripa profert, mutuari scripsit Justinus. Consule Vasconcellium nostrum, et Nonium.*

c *Circa annum V. C.* DLXXVIII.

d *Chronici Hispaniæ cap.* 8. *Vasconcellius idem refert.*

e *Jam citati auctores solum* 200 *agnoscunt.*

f *Idem solum* 800 *habent. Vasæus in tota Interamnensi provincia* 1460.

g *Florus lib.* 2, *cap.* 17, flumen Oblivionis *vocat. Epitome Liviana* 55, fluvium Oblivionem. *Originem hujus nominis referunt ex Strabone Vasconcel. et Nonius.*

h *Cautius Vasconcellius :* Licet adhuc lis indirempta a multo jam tempore cum Toletano Præsule intercedat.

i *Colitur hic* XXVI *Aprilis.*

k *De hoc* XI *Decembris. Resendius in ep. ad Kebedium :* Vimaranensis est civitas, sancti Pontificis Damasi quondam patria, si per vestros liceret. *Vulgo* Guimaraes dicitur.

CAPUT II.

De particulari D. Gondisalvi patria, ejusque parentibus, et infantia.

Incognitus ille antea pagus, in quo primum Divus hic Gondisalvus lucis usura frui visus est, Lusitano idiomate, *a* Tagilde, vocatur; parœcia vero sancti Salvatoris, non longe a flumine *b* Avicella olim dicto, ad differentiam alterius, *c* Avis vocati, qui in eadem regione per *d* invictæ Cininiæ radices, nubilosus semper labitur; nunc autem corrupto partim antiquo ejus nomine, flumen hoc Vizzella, et urbis ruinæ Citania nominantur. Parentes ejus illustris stemmatis splendore clari extitere, quo multoties gratuito naturæ beneficio, tamquam angulari lapide virtutibus multis, stabile firmumque illa fundamentum jacere consuevit. Est enim stirpis nobilitas (teste D. Hieronymo) futuræ virtutis quoddam certum pignus, atque veluti flos quidam suavissimus, amœnissimum fructum tempore opportuno promittens.

a

b

c

d

S. Gonsalvi patria, parentes.

5 Præscriptum vero et indubitatum seculum, in quo vir hic Apostolicus claruit, nec ex nostris Lusitaniæ Annalibus, nec etiam ex monimentis ordinis satis constat. Imo (quod magis miror) perlustratis multis Galliarum bibliothecis conventuum nostrorum, a tribus jam annis, cum de aliis Lusitaniæ Patribus antiquis vestigia nonnulla invenerim; D. Gondisalvi Amaranthi, nec saltem nomen (ut de gestis taceam,) aut memoriam reperire potui.

Incertum quando vixerit.

6 Ac proinde Patrum nostrorum crassa incuria, re tanti momenti oblivione sepulta, quæ non parum ad ordinis nostri splendorem conducere videbatur; opportuna occasio æmulis nostris fuit oblata in dubium vertendi, cujusnam professionis aut instituti D. Gondisalvus Amaranthus olim extiterit. Cum tamen res adeo sit clara et per se nota quamvis de tempore non nobis constet, ut a seculo immemorabili in tota Lusitania, vulgare sit et celebratum, illum fuisse Dominicanum, ordinisque fratrum Prædicatorum alumnum : atque non nisi obstinatis æmulatoribus, oppositum contigat liceatve suspicari. Minime tamen me opponam cuicumque opinari volenti, illum ante ordinis Prædicatorum ingressum Canonicum regularem ordinis D. Augustini, aut in-

Cujus ordinis fuerit.

AUCTORE DIDACO DE ROSARIO.

stituti D. Benedicti prius alumnum fuisse. Argumenta enim in oppositum me ad hoc concedendum licet non adducant, tamen invitant : sic enim et Patriarchæ nostro D. Dominico aliquando contigisse legitur. Erant utique tunc temporis, tot almi ordinis Benedictinorum propagines, per totum orbem diffusæ et dilatatæ, cum tanto cælestis doctrinæ fructu luxuriantes; quod vix Ecclesia aliqua parœcialis, (ut de Episcopalibus sileam) in tota Lusitania, imo et in Europæ majori parte reperiretur, quæ ex ordine D. Benedicti Curionem Pastoremve non possideret. Quod similiter etiam legitimo D. Augustini ordini in Gallia contigisse, saltem quoad Ecclesias multas Episcopales conjecturari licet. Hæc in gratiam pii lectoris, pro subsequentis historiæ faciliori intelligentia interserere non piget.

Quando videatur vixisse.

7 Si vero ex temporum circumstantiis conjectari nobis licet, floruit D. Gondisalvus illo aureo nostri initiantis ordinis seculo : quando vitis Apostolicæ palmites, (Divi, inquam, Dominici discipuli) per totum orbem terrarum, (ut in brevi compendio huic volumini apposito videre licebit) verbum Dei gloriose annuntiabant. In eodem namque cœnobio Prædicatorum Fratrum, ubi illius sacræ venerantur reliquiæ, regalibus extructo expensis, in quo jam et antea illius sacellum extiterat, antiquissima cernitur sculptilis quædam imago ejus, sacris Dominicanæ familiæ indumentis ornata. In cœnobio etiam secundo Vimaranensi, quod fere eodem tempore, licet in alio situ distincto fuit inchoatum, quando Patriarcha *e* D. Dominicus Hispanias, post ordinis confirmationem, a Gallia discedens, perlustravit; ejusdem D. Gondisalvi, qui ibidem sacro fuit habitu primo indutus per traditionem immemorabilem, antiquitus depicta conspicitur illius effigies habitu Prædicatorum ornata, in qua miraculum illud Divi patris apparet, quando pro constructione pontis Tamacani (de quo postea) pisces se illi certatim ad fluminis oram offerebant ut operis constructoribus victum ministraret.

e

8 Natus igitur hoc circiter tempore, Christi miles futurus Gondisalvus, atque pro regenerationis lavacro suscipiendo die constituta, et ut novum hominem indueret in ecclesiam deportatus, eodem momento, in quo per sanctum baptisma fuit renovatus, futuræ sanctitatis cælestia claraque indicia, coram omnibus, præbuit. Ut enim a sacro fonte fuit levatus, patris sui Gondisalvi nomine eodem sibi indito; præstolanti nutrici, ut solet fieri, cum confestim esset traditus, quo a querulosis vagitibus, lactis dulcedine tractus, temperaret; novus ille lucis filiolus, ad cælum solummodo anhelare incepit. In brachiis namque novæ altricis reclinatus et ab ea constrictus, ubera prorsus respuens, siccis subito ocellis, et versus quandam Christi crucifixi imaginem defixis, lamenti oblitus et lactis, tenera brachiola ad idem cæleste objectum inenarrabili jubilo protendebat. His utique signis Crucifixi effigiem se amplexari velle insinuabat. Hæc inopinata res, astantes omneis illi primo atque devotissimo Ecclesiæ sacramento, non sine magno stupore in inusitatam traxit admirationem.

Conspecta Christi imagine infans recreatur.

9 Peracto vero solemnissimo illo sacramentali catechismo, successivo post temporis labente fugaci cursu, solebat educatrix illa spectatissimi infantuli aliquotiens eamdem sancti Salvatoris parochialem ecclesiam simul cum alumno suo, sacrum audiendi vel orandi caussa, repetere atque frequentare. Puerulus autem Gondisalvus, instinctu motus plusquam humano, a collo pendens illius, in ingressu protinus ecclesiæ, oculis circumcirca elevatis, totam perlustrando sacram domum, supramemoratam Christi passi imaginem sollicite quærebat. Postquam vero eam suspexisset, atque devotis comprehendisset ocellis, a sollicito et inquieto motu quam citissime abstinebat. Si autem tentandi gratia, aut potius recedendi proposito, nutrix sua illum ab eo spectaculo abstrahere nitebatur; tali protinus renitendo distractioni cælesti vel actioni tam incessabili quiritabat ejulatu, tamque impense, quod altrix victa subsistens, prodigium hoc non sine magna animadversione conspiciebat.

Vix ab ejus conspectu abstrahi potest.

10 Quadam vero die, cum sanctus puerulus (gratia supplente ætatem) in eadem Christi cruce pansi similitudinem oculis immotis diu absorptus et intentus permaneret; anxia illius nutrix (moram timens trahere longiorem infantulum multoties ad se convertere tentavit, ut in paternam illius domum, cui inserviebat, properaret. Attamen tales ille vagitus sæpe sæpius infantiliter vociferando emisit, quod mulier aliquandiu plus immorari fuit compulsa. Metu nihilominus isthinc perculsa servili, illinc vero religione tacta, et immorari timebat, et discedere verebatur. In his ergo angustiis constituta, ad quandam Deiparæ Virginis imaginem conversa, ab Angelorum Regina spiritus gemitibus enixe opem efflagitabat. Quatenus, ejus interveniente auxilio, ita omnia suaviter disponerentur, quod nec genitoribus infantuli, quorum servitio erat addicta, diuturna mora molestiam inferendo, displiceret; nec etiam illum puerulum a sanctæ imaginis conspectu dimovere cupiendo, divinam offenderet Majestatem. Huic orationi cum primum timorata mulier intenta fuit, ecce tener infantulus quasi divino edoctus et oculatus numine, oranti etiam se assimilans et ad eandem imaginem conversus, totus erectus Brachiola extensa levavit. Quasi in hoc corpusculi gestu nutricem suam in afflictione spiritus, et oratione existentem, comitari vellet demonstrans. Post paullulum vero temporis, capite versus eandem figuram devote inclinato, quasi valedicendi gratia, in sinum et ubera altricis suæ se quiete recipiens, recessui facilem præbuit assensum.

Ideo e templo non facile referri se patitur.

11 Post hoc miraculum, non tanquam si clausis oculis aut surda mente incederet mulier illa, quæ Sanctum Dei Gondisalvum lacte pascebat, circa illius educationem se gerebat. Imo potius, cum deinceps infantulus aurora lucente, ubera oblata voces emittendo querulosas respuebat quasi prius lac cæleste sugere appeteret; jam illa præsentaneum sedandi lamenti illius remedium hoc plus certo cognoverat : et ad ecclesiam, boni pastoris caulam, agnellum hunc deducebat : quam postquam ille ingrediebatur, atque hilariter lætantibus oculis perlustrabat, picturis sanctis attente circumspectis, tunc ubera nutricis lætus sugebat *f*. Sin minus ita aliquando fieri contigeret, adeo se morosum et impatientem reddebat, ut a querulosis clamoribus nullatenus jejunus et morosus cessaret. Nec mirandum, quamvis mirum. Patet enim præposterum et præter legem rationis usum servari contingere ordinemque, quando esuriente anima cæleste alimentum prius in corporis obsequium, pecudum ritu, obsonia, lautitiæ, nectareique cibi, primo mane maxima cum sollicitudine, ab helluonibus, qui se Christianos esse dicunt, quæruntur.

Flens et ubera abnuens, ad templum portatur.

f

a *De hoc Resendius* : A Vimaranensi civitate interstitio sedecim millium passuum, hoc est leucarum ad nostram rationem quatuor, oppidum est Athanagilde Viscellæ impositum, Athaagilde Lusitane vocatum, e regione oppidi S. Verissimi, in altera fluvii ripa locati *et infra* : Fueritne Athanagildi id nomen a Gothorum Rege sortitum, an aliam ob caussam, adseverare modo non possum. Extant vestigia quædam non contemnendæ antiquitatis, et ædes semidirutæ, Palatia vulgo appellatæ, structura plane Gothica, non Romana.

b Viscella *est Resendio*, Lusitane, *inquit*, Vizella dictus; in Avum majoris famæ fluvium ingreditur.

c *Imo* Avus *est Resendio, ut jam diximus.* Juxta Vimaranum habet fontem, *inquit Vasconcellius*, ad Villamcomitis ostium.

d *Valerius Maximus lib.* 6, *c.* 4. Cum se ei (*D. Bruto*) tota pæne Lusitania dedisset, ac sola gentis hujus urbs Cininia (*alii* Cinania *legunt, Ortelius ex tribus* MSS. Cininia) pertinaciter arma retineret; tentata redemptione, propemodum uno ore Legatis Bruti respondit: ferrum sibi a majoribus, quo urbem tuerentur;

rentur; non aurum, quo libertatem ab Imperatore avaro emerent, relictum.

e *Approbatus est ordo ab* Honorio III, *an.* 1216, 22 *Decembris: obiit* S. Dominicus 6 *Aug.* 1221.

f *Alias, ad compescendos ejus vagitus et ejulatus, domi ei Deiparæ Virginis imago ostendebatur, ut scribit Marietta.*

CAPUT III.

De studio, et ejus sacerdotio.

His præsagiis, bona indole, et futuræ pietatis præviis auguriis, quasi adjurati atque divinitus obstricti, infantuli hujus parentes, immota mente firmoque animo decreverunt, illum non mundo sed cælo dignum, in perpetuum holocaustum Deo consecrare. Hac de caussa, cum jam per ætatem licitum esset, intra pueriles tamen adhuc annos inclusum, ad ecclesiam frequenter secum ducere consueverant. Nec modica afficiebantur lætitia, dum pueruli pronam voluntatem et cor docile ad res cælestes et spirituales conspiciebant. Ætate deinde jam usum rationis admittente, utcumque eum cuidam probatæ vitæ Sacerdoti, litteris et bonis moribus instruendum manciparunt. Hunc devotus puer nactus Præceptorem, in dies se Deo et hominibus magis reddebat amabilem. Postquam vero in prædictis, ab eodem Presbytero mediocriter edoctus fuit; ad altiora charismata promovere cupientes, illum Archiepiscopo Bracarensi, Hispaniarum Primati Antistiti, (sub cujus districtu et ditione habitabant) solliciti parentes ejus consultissime præsentarunt. Fore enim confidebant, ut in tanti Pontificis sacra aula, ingenuis liberalibusque disciplinis dilectus puer Gondisalvus perfectius excultus, ad Sacerdotii gradum, (quod impense cupiebant) digne posset promoveri. Non torvis oculis, nec indignanter pius Antistes munus hoc sibi oblatum aspexit. Imo potius ingenuum jam juvenem vultu verbisque non minus cordatum, quam modestum inspiciens, lubenti animo in suorum familiarium collegium excepit.

Litteris eruditur.

Fit Sacerdos,

13 Decurso vero postmodum temporis curriculo, quod secundum sacros Ecclesiæ canones expectandum erat, ut sacris posset initiari, non minus moribus et vita, quam litteraria disciplina idoneus tanto muneri obeundo effectus, ad sacerdotalem gradum fuit promotus. Nec muldo post tempore, dignus ab eodem Antistite judicatus, qui tamquam lucida lucerna supra candelabrum reponeretur; in *a* Abbam *b* Ecclesiæ S. Pelagii paterno solo vicinam, Mœcenatis sui electione et injuncto præcepto fuit confirmatus. Tanti igitur muneris onustus pondere novus Christi minister, villicationis suæ non immemor, ut alter Salomon regni suscepto gubernaculo, in quandam protinus ecclesiam confugiens, obortis lacrymis, coram quadam Virginis Deiparæ imagine prostratus, Virginem Matrem affectuose rogabat, ut sibi intellectum et sapientiam impetrare ab unigenito suo Dei filio dignaretur, quo tam grave et periculosum obedientiæ et curæ pastoralis jugum posset debite tollere.

dein Abbas, sive Curio.

a b

D. Virginem orat.

Suis verbo et exemplo præit ad virtutem;

14 Deinde sacra Archiantistitis sui benedictione obtenta, sodalibus vel collegis suis valedicens, patriamque non multum distantem repetens, ad suam Ecclesiam, novamque Christi sanguine redemptam sponsam se contulit. Ibi vero, hora quadam prius assignata, ovibus suis, intra sacras ædes convocatis, piam illis exhortationem proposuit : et verbis spiritu dilectionis plenis in Dei et proximi dilectione, tamquam in plenitudinis legis observatione secundum Paulum, illos perseverare suasit. Quia vero satis sibi persuaserat ad virtutem amplexandam, quæ circa difficilia versatur, homines magis operibus quam verbis induci, (longum enim per verba est iter, ait Seneca, facile et breve per exempla) sese omnium virtutum exemplar, subditis sibi Christi ovibus præbere diligenter curavit. In omnibus autem necessariis ad vitæ præsidium, frugalitatem libenter amplectens, parco utebatur cibo et vili veste, atque humilitatem cordis et corporis super omnia præseferebat. Pudicitiam Sacerdotis annexam dignitati, ex sanctissima Ecclesiæ Romanæ consuetudine, taliter semper custodivit, ut virginitatis lilium in corpore cum maxima semper animæ puritate conservaverit. Erga pauperes paterna viscera, tamquam fidelis œconomus, liberaliter et misericorditer exhibens, alienum ab humano corde judicabat, avaras erga egenos habere manus, atque eis denegare, quod pro illorum inopia sublevanda, ditioribus tamquam dispensatoribus superabundanter largitum, vel potius creditum erat. Etenim Ecclesiarum uberiores redditus annuales, tamquam Christi verum patrimonium in terris relictum esse pro pauperibus alendis, retento solum necessario subsidio, pro moderato scilicet victu et vestitu Prælatorum, pie pius Pater judicabat.

Rom. 13. 10.

frugalis,

Auctore Didaco de Rosario.

castus,

liberalis erga pauperes.

a *Vasconcellius de hac Interamnensi provincia:* Ultra centum et triginta monasteria tantula visuntur in provincia; alias ut præteream magnorum redituum Ecclesias, (vulgo dicimus Abbadias) nec non plures alias, *etc.*

b *Resendius:* Non procul ab Athanagildi, secundo flumine, Vimaranum versus, oppidum et templum S. Pelagii est, cujus Gundisalvus rector fuisse perhibetur, antequam Hierosolymam petiit. *Celeberrimo Martyri Cordubensi* Pelagio, *qui* XXVI *Junii colitur, sacram fuisse hanc ecclesiam suspicamur. Vulgo* S. Payo, *vel ut scribit Castillo par.* 1, *lib.* 2, *cap.* 60. San Payo de Riba de Vicela. *Idem pro Abbate* Curionem *vocat* Gonsalvum.

CAPUT IV.

De peregrinatione ejus in Hierusalem.

Frugali igitur hac et pia vivendi norma sibi a semetipso præscripta, fideliterque observata, in timore et amore Dei, diu sine intermissione, sanctus Abbas Gondisalvus perseverans, mysteria passionis Christi redemptoris nostri multoties meditabatur : speciali namque devotionis affectu in Dominicam passionem ferebatur. Unde ejus afflicta mente, in Christum passum sæpe translata, ex assidua sanctæ crucis meditatione, maximo in dies angebatur desiderio loca invisendi sacra, in quibus Deus et homo verus Jesus Christus nostræ redemptionis mysterium operatus fuerat. Sed tamen dum de ovibus suis, alicui mercenario comendandis tam longo temporis intervallo cogitabat, eum conscientiæ stimulus a desiderato itinere deterrebat. Timebat enim ne gregem Dominicum, antea sibi commissum, quispiam leo rugiens, se absente dilaniaret. Hac diutius timorata consideratione impeditus atque immoratus, vario secum fluctuabat animo. Nunc conceptæ devotionis desiderio, seposito conscientiæ ad horam scrupulo ad iter conficiendum jam se accingebat; nunc iterum stimulis ejusdemmet conscientiæ punctus, ab incepto desistere proposito, invitus cogebatur. Tandem translato tempore non modico, animi remorsum sanavit, penitusque ratione exclusit; de quodam consobrino suo, Presbytero tunc bonæ indolis, spe magna rationabiliter concepta, qua Dominicum gregem illi ad tempus usque suæ reversionis, commendare decrevit.

Statuit visere loca sancta.

16 Erat hic juvenis Sacerdos, ab infantia sua sanctis moribus ab eodem sancto Abba vigilanter educatus : quem postquam ad hoc munus obeundum elegit, ad se venire jussum, talibus exhortatus est verbis : Fili carissime, arcanum non parvi ponderis tibi committere intendo; si tamen mihi prius, sacramento adactus, promiseris, quæ tibi modo injunxero fideliter exequuturum. Adolescens vero, quia istam avunculi sui jam firma mente propositam peregrinationem longinquam penitus ignorabat, confestim in ejus verba juravit. Tunc sanctus et venerandus Abbas sermonem suum sic est prosecutus : Noveris, fili mi, quod a multo jam tempore, satisque diuturno, in votis est mihi terram sanctam perlustrare, et oculis meis, si possim, redemptionis nostræ loca, in quibus Salvator mundi pro nobis passus est mortem, videre; atque etiam

Nepotem suum sibi vicarium legit.

AUCTORE DIDACO DE ROSARIO.

etiam sanctorum Apostolorum, qui Romæ quiescunt, sanctas reliquias invisere. Usque ad hanc horam, ab itinere isto mente concepto, me Ecclesiæ meæ sollicitudo, et necessaria residentia satis ægre hoc ferentem retardavit. Quia vero de re talem jam olim opinionem concepi, ut vices meas sufficienter supplere posse te credam, atque taliter has Christi oves ducturum, ne interim eas teneat mei desiderium: auctoritate mihi commissa, te imprimis Vicarium meum constituo : deinde enixissime precor, ut in omnibus, quæ ad istius Ecclesiæ regimen spectant, mea semper sequaris vestigia. Super omnia autem tibi injungo atque præcipio, ut necessariis tantummodo sumptibus ad frugalem vitam transigendam contentus, omne quod residuum fuerit ex annuis vectigalibus, egenis et pauperibus Christi humaniter et fideliter distribuas. Hac finita exhortatione, Deo prius suppliciter invocato pro fausta peregrinatione agenda, vilibus indutus vestibus, ut peregrinum decebat virum, desideratum iter est ingressus *a*.

Piis monitis eum instruit.

Iter ingreditur.

a

17 Non multum temporis effluxit spatium post sancti Abbatis discessum; quando novus viduæ Ecclesiæ Vicarius, sanctæ monitionis avunculi sui oblitus, delitiarum allectus dulcedine, longe diversam ingressus est viam. Atque antiquus humani generis hostis, varia in mentem ejus voluptatum fomenta immittens, seculi vanitatibus pompæ et fastus primo irretitum, omnique generi venationum et ludorum deditum, taliter infecit, ut ovium sibi ante commissarum, pauperumque cura postposita, de canibus venaticis accipitribusque alendis, et magno servorum famulatu solummodo cogitaret atque sollicitus esset. Taliter autem illius erat denigrata fama circa officium pastorale, et erga pauperes ubique inhumanitas divulgata diffusaque ut in ore vitia ejus essent omni populo.

Vicarius dissolute vivit.

18 Hoc tempore B. Gondisalvus, (Deo votis suis aspirante) a multis in via primo ereptis periculis, peregrinationem suam usque ad terram sanctam feliciter perfecit. Divina autem transportatus dulcedine, multis effusis lacrymis sacra illa passionis Christi loca osculari non satiabatur, atque immotis oculis devotissime intueri. Unde factum est, quod non uno nec duobus jam annis illic laudabiliter transactis, a sancta civitate recedere sibi persuadens, spatio quatuordecim annorum ibidem Deo inservire voluit. Quæ sancti viri, hoc temporis intermedio fuerint exercitia, devoto lectori consideranda relinquam. Transacto itaque hoc tam longo quatuordecim annorum curriculo, anxiam cœpit mentem persentire, conscientiæ acuto morsu illius intellectum cruciante, et dubitare cogente, utrumne fidelem in Ecclesia sua Vicarium et dispensatorem reliquerit.

Gonsalvus 14 annos, magna pietate, exigit Hierosolymis.

19 Interea autem, tam diuturnæ peregrinationis interposito spatio, nullo revertente nuntio, aut peregrino qui de sancti Abbatis Gondisalvi incolumitate rationem redderet, in caussa fuit, ut illius Vicarius occasionem callide considerans et captans, testimoniales finxerit litteras dolose compositas, in quibus D. Gondisalvi avunculi sui mors, in ultramarinis regionibus continebatur. Atque Archiepiscopum Bracarensem adiens, morte avunculi sui illi litteris fictitiis denuntiata et comprobata absolutam ab illo Ecclesiæ S. Pelagii jurisdictionem, utque in Abbatem absolute confirmaretur, enixe postulavit. Acquievit venerandus Antistes, doli inscius, precibus fraudulentæque postulationi hujus rapacissimi lupi, qui in Rectorem absolutum confirmari solum cupiebat, ut securius, omni pulso timore, Epicuream posset vitam et geniales dies agere. At vero Divus Abbas Gondisalvus, iterum tunc ab eodem remorsus conscientiæ stimulo non ultra acquiescens in corde suo, totius terræ sanctæ sacris locis ultimate salutatis, quanta cum celeritate potuit, oves suas revisurus discessit.

Vicarius ejus morte falso jactata, Abbatiam obtinet.

20 Emensis igitur iterum longissimis illis itineribus, inedia et labore confectus, lassa consumptaque membra scipione quodam sustinens, totus pannosus et in alium jam transmutatus virum, *b* ad valvas tandem Ecclesiæ suæ sospes pervenit. Ibi positus, cum nihil minus, quam antiquam illius Ecclesiæ Abbatis speciem omnino incognitus præ se ferret, ad domum sui Vicarii, non longe distantem, eleemosynam, tentandi caussa, petiturus accessit. Canes vero venatici, quibus illius helluonis domus erat plena, petitionem, quam sanctus peregrinus exponebat, antequam finiret, ferocibus atque magnis editis latratibus interruperunt. Ille tamen iterum atque iterum egestatem suam, imbecilli voce proferebat. Quo facto irritati canes instantem jam ægre ferentes, non solum acrioribus latratibus, sed morsibus illum denuo aggressi sunt; atque Christi egenum baculo sæpe sæpius interposito ab illis se defendere pro viribus procurantem retrocedere, et a foribus discedere cogebant. Hac turgidus Abbas offensus pauperis incogniti persistentia, (non enim illum peregrini clamores latebant propter parvam inter utrumque distantiam) per quemdam famulum statim illinc discedere jussit, subjungens se pauperibus similibus eleemosynam erogare non consuevisse.

Redit Gonsalvus.

b

Eleemosynam petens, a nepotis canibus allatratur ac mordetur,

ab ipso nepote abigitur,

21 His dimissus verbis, beatus Dei famulus Gondisalvus; sui adulterini Vicarii non sine magno cordis dolore impietatem experimento cognoscens, zelo Dei in iram commutato, quin liberis verbis illum argueret se continere minime potuit. Atque de illo palam conquestus, non talem se dicebat Pastorem et Vicarium Ecclesiæ suæ reliquisse. Deinde sermone etiam non obscuro se manifestans, alta voce narrabat quomodo illum sanctis moribus prius instructum, cum magna fiducia Vicarium, non lupum Dominici gregis, instituisset. Non etiam pro canibus alendis, sed pro pauperibus, in illius potestatem redditus illius Abbatiæ tradidisse conquerebatur. Intentus illius querelis, atque diligenter omnia auscultans, ad mensam dapibus onustam impius mercenarius sedebat loco Pastoris, quousque de Ecclesiæ vero Pastore illic existente verba percepit. Tunc enim iracundus a mensa exiliens, atque recta properans ad ostium domus, sanctum avunculum suum eodem baculo, quo illemet erat subnixus, acriter percussit. Patienter et æquo animo sanctus Abbas has plagas et verbera ab alumno suo inflicta tulit. Sed tamen, a paterna correctione minime abstinendum sentiens, illum coram his verbis redarguit : Nonne ego te, inquit, ab incunabulis semper enutrivi? Nonne honestis te instruxi disciplinis? Nonne mihi discedenti fidem dedisti, juramento etiam superaddito firmatam, de pauperum cura? de frugalitate servanda? Nonne semper me vidisti, hujus Ecclesiæ vectigalia, pro majori parte, egenis dare? Hæc sancti viri libera reprehensio, non solum consobrini sui viscera non emollivit; imo potius, majoris iracundiæ fomitem ministravit. Unde recrudescente atræ bilis incendio, sanctum senem iterato verberans, canes, ut eum morsibus suis e foribus arcerent, instanter provocabat. Demum, postquam ejectum jam pauperem peregrinum discedentem respexit, minacibus etiam verbis atrocioris vindictæ eum a tergo insecutus est, si ultra super illa re verbum auderet proferre; non satis reputans illum sua spoliatum Ecclesia, verberibus affectum expellere.

et verberibus excipitur.

a *Marietta et Castillo primo Romam adiisse, sanctorumque Apostolorum sepulchra religiose visisse scribunt.*

b *Jam canus, ut iidem scribunt.*

CAPUT

CAPUT V.

De constructione basilicæ apud flumen Tamacam.

Talibus S. Gondisalvus affectus injuriis, Deo gratias agens, et illi soli debite inservire cupiens, de temporalibus transitoriisque bonis nihil penitus cogitans, ac si nihil novi aut mali sibi contigisset; Evangelicam doctrinam, in qua sufficienter erat instructus, et verbum Dei cum magno spiritus fervore, per totam illam regionem prædicare exorsus est. Vitæ illius sancta conversatio, in tanta coram omnibus incepit esse veneratione; ut suo exemplo et solida doctrina, multos a perditionis tramite efficaciter revocaret. Post aliquantulum vero temporis, piorum fidelium adjutus eleemosynis, oratorium quoddam exiguum Deiparæ Virgini dicatum, in quodam inculto et agresti pago, qui nunc Amarantha vocatur, juxta flumen quod *a* Tamaca dicitur, pro peregrinationis vitæ suæ refugio, et animæ solatio erexit atque construxit. Erat hic oppidulus antea desertus, invius atque omnino ab hominum notitia absconditus, nunc autem tanti Patroni miraculis et præsentia decoratus, ecclesiis non paucis, monasteriis etiam duobus, et nobilium equitum multorum aulicis ædibus insignis factus, atque ab omni Lusitania frequentatus justæ urbis faciem et apparatum, ut postea dicemus, prospectantibus offert. In hoc igitur parvo sacello, tamquam alter Paulus aut Hilarion, in inculta positus eremo, Deo et Angelorum Reginæ continuo inserviens, prædicationis officio circumcirca semper exercito, eremiticam et Apostolicam simul vitam traducebat.

Verbum Dei prædicat.

Oratorium extruit Amaranthi.

a

23 Exinde enim parvum tugurìolum suum egressus rudium populorum factus Magister et Apostolus, necessitatibus et inopiæ utriusque hominis, caritatis visceribus omnino diligenter subveniebat. Cum autem, quadam die mente ancipiti secum cogitaret, utrumne talis vivendi forma (qualem ipse sibi elegerat) altissimo placeret Deo, et Virgini matri unigeniti ejus, super hoc divinum precibus assiduis responsum habere cupiebat. Ne autem precationes suæ frustraneæ et cassæ devenirent, stricto jejunio, panis nempe et aquæ pro quotidianæ refectionis obsonio, contentus, assiduæ semper orationi intentus, integram quadragesimam perseveranter transegit. Non defuit piissimi Redemptoris nostri benignitas, et pia erga D. Gondisalvi votum commiseratio. Etenim Paschali festo adveniente, in nocte immediate sequenti, ferunt aliqui hanc illi revelationem esse factam. Erat tunc temporis sanctus Dei famulus coram altari Virginis almæ in oratione prostratus, et in sua supra memorata petitione perseverans: cum subita undique luce, ex omni parte se circunfultum vidit, et post illam a dextro ejusdem altaris cornu Deiparam Virginem astantem sibique alloquentem aspexit, atque auribus inaudivit: Surge, et inter religiosorum varios, et per totum orbem dispersos ordines, illum tibi ingrediendum elige, in quo officium sive servitium mihi dicatum, audieris ab Angelica salutatione exordium et conclusionem finalem sumere. Hunc enim religiosorum ordinem mihi speciali dilectione vendico, faveo et exalto; atque etiam habitum, quo religiosi communiter utuntur, illis gratiose donavi. Hanc ingredieris religionem, ut residuum vitæ tuæ puro corde sub illius observantia et obedientia Deo altissimo offerens, optatum finem consequaris. His dictis visio illa cælestis, cum claritate simul disparuit.

Dei voluntatem circa vitæ statum exquirit.

D. Virgo ut Prædicator fiat, præscribit.

24 Hic siste gradum, oculos externos claude, Christiane Lector, et Fratrum Prædicatorum erga Virginem Mariam, a primævo jam ordinis sui instituto, debitam considera gratitudinem. A sanctissima enim hac virginum Virgine, ordo hic initium, incrementum, et perfectionem suscepisse satis constat. Postquam namque ab unigenito Dei filio, pietate ducta, ordinem hunc pro peccatorum conversione procuranda precibus suis almis impetravit, religiosis semper selectisque undique Patribus fulciri et conservare hactenus non cessavit. *b* Reginaldum nobis primo concessit morti jam Romæ proximum. Novitios multos a diabolo tentatos, miraculis perseverare in ordine persuasit. *c* Rosarii sui selectissimam devotionem, nobis conservandam tradidit. *d* In multis etiam tribulationibus, tam communibus quam specialibus, subsidium sæpe præstitit. Innumeros pietatis et gratiæ suæ favores, (quibus plenus est liber antiquus, *e* Vitæ fratrum dictus) piissimæ Matris nostræ visceribus indutis, nobis semper ostendit. Væ nobis terque quaterque, si harum immemores gratiarum indigni suo patrocinio efficiamur.

AUCTORE DIDACO DE ROSARIO.

D. Virginis erga ordinem Prædicatorum beneficia.

b

c

d

e

25 Hac cælesti revelatione sibi a Virgine facta, vir Dei Gondisalvus confortatus, veluti Angelico pane cælitus refectus et roboratus mansit. Deinde de investiganda religione sibi revelata sollicitus, in qua servitium Virginis Mariæ per Ave inciperet et finiretur; illius primum provinciæ Interamnis instituit statim singula invisere et explorare monasteria. Cum vero in multis preces Virginis audiret in versiculo illo finiri, Benedicamus Domino, anxiata nimis dubiaque mente distractus, et omnia circuiens; ubinam gentium quove loco supradictum ordinem inveniret, penitus non capiebat.

Quærit religionem sibi a D. Virgine designatam.

a *Lusitanis* Tamaga. Oritur is, *inquit Resendius*, non procul a Monte regio Gallæciæ oppido: inde Aquas adluens Flavias, de quibus alibi, Amaranthum descendit, mediamque secat, ut duplex oppidum efficiat, duplici foro, duplicique judicio, ponte nobili lapideo a Gundisalvo extructo utrimque junctum.

b *De hoc agitur fuse in vita S. Dominici* 4 *Augusti, lib.* 2, *c.* 11 *et seqq. et lib.* 3, *cap.* 1 *et* 2. *Obiit Parisiis ann.* 1220. *Huic D. Virgo habitum ostendit, quem deinceps ordo Prædicatorum esset gestaturus. Consule Hyacinthi Choquetii librum qui inscribitur Mariæ Deiparæ in ordinem Prædicatorum viscera materna, cap.* 8.

c *Hanc rem fuse prosequitur idem Choquetius, c.* 22.

d *Idem cap.* 14.

e *Is liber a Gerardo Lemovicensi conscriptus jussu Humberti quinti Generalis, nuper Duaci editus est. Habemus eum* MS. *cum brevi Chronico ab anno* 1211, *usque ad Humberti electionem factam an.* 1254, *addit tamen auctor in fine de Humberto:* obiitque operibus bonis plenus.

CAPUT VI.

De ingressu ejus in ordinem Fratrum Prædicatorum.

Postquam autem aliquo jam longiori temporis spatio transcurso, ordinem sibi a Virgine Matre revelatum sollicite, frustra tamen, investigaret; quadam die inopinate in oppido Vimaranensi Bracharensis diœcesis absconditam margaritam invenit. Sunt in hac urbe, Vimaranum dicta, quatuor insignia monasteria; inter quæ duo visuntur antiquissima, sanctorum Patriarcharum, Apostolici D. Dominici, et Seraphici D. Francisci, quæ adhuc nostra florent ætate. Igitur cum famulus Dei Gondisalvus, apud Dominicanos Fratres hospitium pernoctandi caussa elegisset, postquam hilari Fratrum animo fuit ab illis exceptus, ut in tota Lusitania hodierna die, in omnibus cœnobitarum conventibus, per Dei gratiam solet fieri.

Vimarani ad Prædicatores divertit.

27 Tempore quo campana ad vespertinum servitium implendum pulsabatur, vocationis suæ diligens et sollicitus indagator, ad ecclesiam tacitus se contulit. Nemini vero sui arcani sigillum aperiens, preces horarias, quæ primum dicebantur de Domina, attentus devote auscultavit. Et cum eas Angelica salutatione inchoari primitus audisset, posteaque eodem themate finiri perspexit; quanta, heu bone Deus, lætitia cor ejus sit repletum, non facile esset enarrare. Nihilominus tamen, adhuc quasi somnians, sensuum non fidens experientiæ, nocte subsecuta ecclesiam repetens, pervigil ibidem ante altare Virgini dedicatum, ab illa precibus de novo fusis clarum oraculum impetrare curavit; quo intelligeret utrumne illemet esset

Ad eum ordinem vocari se intelligit.

AUCTORE DIDACO DE ROSARIO.

esset ordo, quem illa antea, sibi ingrediendum assignarat. Non etiam tunc (quamvis jam secundo) divinum famulo Dei defuit responsum, Angelico datum ministerio, quo clare intellexit, labante mente firmata, illam nempe esse religionem, de qua primitus a Deipara Virgine, præceptum salutare receperat.

a Ineum admittitur.

28 Atque proinde die eadem dilucescente, conventus ejusdem *a* Præfectum conveniens, caussa hujus novitatis omnino suppressa, habitum religionis ab eo humiliter postulavit. Non aliquod super hac ejus petitione dubium vel impedimentum conventui religioso emersit; cum de ejus honesta vita, matura ætate, sanoque et deliberato consilio sinistram suspicionem, clara ejus fama abscinderet. Quapropter omnes religiosi in suum consortium D. Gondisalvum libenti animo, veste simili novitiorum indutum, receperunt. Habitu igitur monachali, sanctus jam antea, Dei famulus Gondisalvus vestitus, sanctiorque effectus nova Deo inserviendi formula; primum annum conversionis suæ ad religionem, quem probationis appellant, cum magnis suæ sanctitatis indiciis, cunctis Fratribus unice gratus, laudabiliter transegit.

Prædicat Amaranthi.

29 Facta deinde perpetuæ obedientiæ solemni protestatione per voti emissionem, cum nihil illi deesse videretur, quo minus posset Apostolicum prædicandi ministerium deinceps perfecte implere, a Prælatis suis illi statim fuit indulta facultas, ut socio sibi assignato, ad oratorium quod ante prope Tamacam construxerat, concionandi gratia reverteretur. Lubentissimo animo famulus Dei Gondisalvus, licentia sibi concessa, oppidulum Amaranthum repetiit, ut populos illos verbi Dei solida egentes doctrina, illuminaret perfectius.

a *Marietta et Castillo scribunt hunc fuisse* B. Petrum Gondisalvum, *qui vulgo* S. Telmus *dicitur, colituruque a nautis; de quo* XIV *April.*

CAPUT VII.

De ædificatione pontis Amaranthi, et miraculis quibusdam.

De ponte struendo cogitat.

Postquam vero ibidem existens, animarum saluti consilio, exhortatione, et sanctæ vitæ exemplo provide aliquamdiu consuleret; propriis expertus est oculis, flumen illud, Tamaca dictum, cui suum oratorium vicinum erat, barbaris et incautis viatoribus in seipso submersis, repentinum multotiens esse sepulchrum. Namque loca vadosa, vel parva navigia, fluminis transeundi caussa intrantes rapido alluviei aquarum impetu, aquis abrepti rustici peribant. Quapropter D. Gondisalvus proximorum utramque salutem fraterno amore sitiens, de fabricando quodam ponte in illius mortiferi fluvii ripa cœpit cogitare. Licet autem hic incidenter et cursim annotare, quantum semper ubique terrarum, instituti ordinis hujus Prædicatorum professores, bonum commune Reipublicæ procurare conati sunt. Qui vere, inquam, et non falso habitum hunc a Virgine Maria concessum gerunt. Non enim sacratus hic ordo homines particularitatem amantes, et qui sibi solis nati sint, educare unquam somniavit aut intendit; sed illos tantummodo qui de Christiana Republ. semper bene meritos se esse studeant, atque pro illius conservatione in omnibus laborent. De *a* S. Vincentio Apostolico Confessore Vannetis quiescente, me legisse recordor in quodam manuscripto Nannetis Pergameno, quod pro pontium etiam structura in aliquibus mundi locis laboravit. *b* S. Petrus Gondisalvus similiter, ut infra suo loco patebit; *c* S. Laurentius Menendius itidem, de quo etiam aliqua de ejus vita dicentur inferius. Pro defensione etiam obedientiæ Romanæ Sedi exhibendæ, proque bono communi, coram Imperatoribus et Regibus; pro pace, pro expeditione contra Turcas, quantos semper exantlaverint Patres hujus ordinis labores, qui scire cupit, ordinis Chronicos, et antiquos Annales legat. Sed de hoc satis.

Laus ordinis Prædicatorum.

a

b

c

Ubi pons struendus, cælitus docetur.

31 Quamvis autem hoc opus, quod D. Gondisalvus mente volutabat, nimis esset arduum; pauperem scilicet cœnobitam, et in pauperrima rusticanæ gentis regione constitutum, vastum pontem argenti tantum pondus exigentem velle fabricare; Deo tamen Opt. Max. bonis cœptis semper annuente, propositum suum hac revelatione firmavit. Cum enim super eodem negotio aggrediendo semel cogitabundus hæsisset, quonam alvei loco, faciliori sumptu pontem inchoare satius esset; per Angelum Domini facta revelatione fuit præmonitus, ut inter illas duas angustissimas fluminis fauces, quæ coram suo sacello imminebant, pontis fundamenta jacere jussisset. Fiducia igitur, nova revelatione animus auctus, et in spem firmam erectus, divinam illi opem, in pio illo opere prosequendo non defuturam, eleemosynis aliquibus congregatis, in prædicto pontis Amaranthi situ per architectos cæmenta sunt locata. Tam difficile vero, aut potius impossibile, rusticanæ illius regionis plebi videbatur, virum Dei Gondisalvum ad metam usque opus inchoatum perducturum; ut nihil minus quam de futuro pervio olim viatoribus ponte cogitarent. Ille vero tacitus hæc audiebat, soli Deo innixus, cui nihil impossibile esse firmiter credebat, artifices eorumque ministros undequaque, prout poterat, convocabat. Interdum etiam opere jam fervente, ipsemet Sanctus propriis manibus lapides magnæ molis evellens, solus ad structuram faciliter admovebat, atque non modica circumspicientium admiratione portabat. Tunc omnes clarum in hoc facto mirifico cernentes miraculum, ædificium illud superbissimum futurum, quod secundum eorum opinionem vires superabat similes, fauste et perfecte finitum fore jam confidebant.

Lapides ingentes ad opus convehit ipsemet.

32 Contigit aliquando hunc Dei servum caussa quæstum faciendi, vel eleemosynas emendicandi, per circumvicinos populos sollicite discurrere; quemdam Magnatem ditissimum in via offendisse. Quo prius salutato, ab eo propter Dei amorem et proximorum suorum petiit, ut aliqua se digna contributione, bonum commune, pro ponte suo construendo, vellet juvare. Ille vero in brevi schedula aliquas velociter depingens lineas; firmatam prius chartam et D. Gondisalvo in manu tradens: Perge, inquit, Pater ad domum meam, et schedulam istam uxori meæ dabis, cui super tua hac postulatione vicem meam delego. Vade securus, quia illa tibi eleemosynam justam præstabit. Lætus et confisus in domum hujus impii Magnatis D. Gondisalvus properavit: atque illam postquam est ingressus, matrifamilias epistolam, quam secum deferebat, viri sui nomine firmatam, cum magna magni subsidii spe tradidit. At illa matrona postquam a marito suo conscripta verba perlegit, tacita subridens D. Gondisalvum, omnino negata eleemosyna, ut discederet suadebat. Verba namque quæ in chartula continebantur erant hujusmodi : Huic pauperi Fratri tantum dabis eleemosynæ pro subsidio pontis construendi, quantum papyrus hæc ponderis habet. Voluit enim hic inhumanus proximus servum Dei D. Gondisalvum verbis illudere, et itinere conficiendo fatigare. At ille nullatenus inopinato responso perturbatus, caussam denegatæ eleemosynæ ab illa matrona inquisivit. Quam postquam secundum rei eventum audivit et percepit, fiducia in Deo collocata, feminam illam enixe rogare cœpit, ut marito suo obediret, atque papyro illa in statera aliqua reposita, ex altera parte linum, vel grana, vel ceram, vel quodcumque aliud, in eleemosynam erogandum haberet, ex opposito etiam collocaret. Satis enim se contentum futurum affirmabat, si æquale pondus schedulæ acciperet. Acquievit illa faciliter novi nihil verita; atque apposita in una lance papyro, Deo ita disponente,

A quodam sibi illudere volente, ingentem eleemosynam accipit, aucto divinitus chartulæ pondere.

tam

tam grave effectum est pondus, ut ex altera parte eleemosynæ materia in magna quantitate cumulata, justa bonaque portio D. Gondisalvo divinitus limitata contigerit. Atque ita et avarum illum delusum, et uxorem ejus stupore inenarrabili affectam reliquit.

a *Ejus vitam dabimus* V *April.*
b *De eo* XIV *April. ut ad cap.* 6 *diximus.*
c *Hujus brevem vitam idem edidit Sampayus. Meminit Joannes Lopez* 3 *par. histor. ord. Prædical. lib.* 1, *cap.* 7. *Antonius Senensis, qui* Mendezium *vocat, uti et Castillo par.* 1, *lib.* 2, *cap.* 62.

CAPUT VIII.

De miraculo piscium confluentium ex Tamacano flumine.

Precibus pisces obtinet in cibum opificum.

Non prædictum miraculum ultimum fuit, antequam pontis opus ad summum deveniret. Cum enim aliquando, pro victu cæmentariis et lapicidis ministrando, sumptus necessarii D. Gondisalvo deficerent, ad alvei fluminis crepidinem accedens, in oratione prostratus, e cælo subsidium et penuriæ illius levamen, afflictus animo, precibus fiducia plenis imploravit. Deinde crucis signo super fluenteis Tamacæ aquas facto, tanta multitudo piscium ad eum confluxit, ut aquæ superficiem cooperire conarentur. Tunc sanctus vir Gondisalvus manu protensa scipione suo, illorum necessariam foras extraxit summam, pro suis alendis opificibus; reliquos vero benedictione illis impertita, in profundum pelagus relabi permisit et præcepit. Hoc miraculum non semel tantum aut bis ab auctoribus contigisse refertur.

Vinum e petra ad potum necessarium tantum; aquam vero perennem elicit.

34 In potu etiam subministrando mercenariis, non multum dissimile miraculum viro Dei contigisse legitur. Namque cum non in promptu, ut necesse erat, aut facili negotio D. Gondisalvus aut vinum haberet, aut saltem fontis aquam, distabat enim intervallo non modico; atque proinde ut siti laborantium subveniretur, non præsentaneum laborioso operi prosequendo remedium erat. Quapropter D. Gondisalvus ad Deum super potus annona confugiens, eadem fide, qua antea, præditus, de quadam petra, in qua scipione suo in nomine ejus percusserat, vinum sufficienter scaturire fecit. Tanta D. Gondisalvi de divina providentia erat fides : tantum et coram Deo meritum. Vinaceis igitur vasis miraculoso fonti approximatis, pro familiæ suæ conductitiæ siti sublevanda, quantum suppetere poterat, tantum solummodo Dei famulus haurire permittebat : et statim lapillo quodam manu prehenso, et ad fontis orificium apposito, illud occludens sive obstruens siccum penitus ad tempus, aut potius incommunicabilem reddebat. *a* De fontis etiam limpidissimi aqua non dissimile miraculum a sancto viro prope suum sacellum patratum legitur. Extant hodierna die utriusque fontis vestigia, vel, ut proprius loquar, manifesta indicia; altero adhuc perenni et saluberrima aqua manante, quam omnes peregrini illuc devotionis ergo concurrentes, non sine magna veneratione suis oculis devote conspiciunt, atque etiam inde aquam haurientes, non solum sitim sedant; sed aliquando sanitatem pristinam, qui ægrotant, fiducialiter accedentes se lavando vel bibendo, miraculose recuperant.

a

Fons ægris salutaris.

35 Tot igitur visis miraculis ab artificibus et conductitiis operariis, quot obsonium illud et refectio sæpe constabat, non poterant non convicti humiles et summas Deo gratias referre : majori deinceps animi læta fiducia operi pontis incumbentes, quousque ad debitum finem et perfectissime consummatum evasit. Hoc tandem spectato tempore adveniente D. Gondisalvus innumeras Deo pro gratiarum actione laudes tribuens, artifices et mercenarios opere solutos dimisit : et illius rapidissimi fluminis Tamacani horrendus et profundus alveus pervius jam factus, sine aliquo deinceps transeuntium vitæ periculo visus est. Communicato deinde ex utraque fluminis ripa incolarum commercio, ad famulum Dei Gondisalvum majori deinceps frequentia ex omni parte confluebant. Quibus ille, redintegrato spiritus fervore, quod aliquo modo occupationibus artificum præpeditus intermiserat, fructuose et cum magna multorum conversione frequentius verbum Dei prædicabat.

Iterum vacat prædicationi.

Auctore Didaco de Rosario.

36 Evenit autem hoc tempore, quod nonnulli confinium illorum habitatores tremendam Pastoralis excommunicationis censuram parvipendere videbantur, et non ita de illa expavescere, ut fides docet, et viros decet pietatis Catholicæ amatores. Quem abusum et periculosissimum errorem D. Gondisalvus olfaciens, maximo super hac irreligiosa temeritate affectus dolore, ut illam a fidelium mentibus eliminare atque extirpare posset, sæpe sæpius in suis concionibus de industria in hoc propositum incidebat. Erat tamen, ut experientia monstrabat, admonitio sua super hac re pro majori parte irrita et inanis. Hanc cordis duritiam, mentis cæcitatem cum D. Gondisalvus percepisset, contigit semel, ut, dum ille in suggestu staret, de eodem crimine duris reprehensionibus conquereretur. Præteribat tunc temporis casu et inopinate per eamdem partem mulier quædam panes aliquot albos in cista quadam supra caput deferens : quam feminam ut ille coram se transeuntem prospexit, prope accedere præcipiens, sermone interrupto, sarcinam panum ante pedes suos deponere jussit. Atque post hoc ad astantem populum conversus ait : Ut vero sciatis deinceps excommunicationis sententiam cognoscere et reverenter timere, ego ex parte Dei et sanctæ sponsæ ejus Ecclesiæ matris nostræ, hos præsenteis panes excommunicationi subjicio. Mirum sane dictu; sed non apud Deum difficile factu, qui semper mirabilis fuit in Sanctis suis. Quamvis enim excommunicatio secundum Theologicam doctrinam, solum in animam rationalem sit proportionata, et in eam possit de ordinaria lege cadere; quæ sola capax est gratiæ inter omnes terrestres creaturas, atque consortio bonorum operum sanctorum et fidelium privari vel admitti; ut tamen piissimus Deus barbaro et agresti illi populo, invisibilem excommunicationis effectum circa animam existentem, suaviter et suo modo rusticano insinuaret, ut docilis et timoratus in obedientia suorum Prælatorum contineretur; panes illi omnes in canistro positi post excommunicationis verba a sancto viro prolata; subito in *b* bustos nigrosque carbones conversi, horrendum omnibus circumstantibus spectaculum præstitere.

Contra excommunicationis contemptores laborat.

Panes candidos maledictione nigerrimos reddit.

b

37 Ne tamen hoc miraculum in eruditionem aliquorum ordinatum, feminam, quæ panem portabat, lædere aut incommodare videretur; postquam D. Gondisalvus circumstantibus in parabola panis illius excommunicati, animabus aliquid simile contingere innuit, aquam benedictam sibi portari jussit. Postea vero excommunicationis præmissæ, vel potius maledictionis illius, absolutione injuncta, panem illum aqua lustrali aspergens, in pristinam albedinem et perfectionem restituit. Prodigium hoc experientia sensuum comprobatum, multis astantibus resipiscendi caussa fuit, quo, timore saltem perterriti, deinceps excommunicationi parere minime recusarent. Hæc tantum summatim ab immemorabili ævo per traditionem antiquorum de miraculis a D. Gondisalvo in vita operatis ad posteros pervenerunt.

Iterum aqua lustrali aspersos, et benedictos, restituit ut erant.

a *Marietta et Castillo addunt, cum ponte perfecto operæ utribus ac cantharis vinum secum asportare domum vellent, reperisse jam omnino exaruisse illum vini fontem, datum divinitus ædificantium necessitati, non otiantium voluptati.*
b Ustos *voluit scribere.*

CAPUT

AUCTORE DIDACO DE ROSARIO.

CAPUT IX.

De transitu illius glorioso.

Diem mortis suæ præscit.

Postquam autem laboribus multis attritus, diu in vinea Domini sub instituto ordinis Prædicatorum, Dei gratia, laboravit, nulli parcens labori, ut proximorum saluti consuleret; tempus opportunum instavit, quo illum, Deo ita misericorditer disponente, fatis cedere oporteret. Atque febri quadam gravi correptus, divinam hoc tempore meruit habere revelationem, per quam certior est factus, se quam brevissimo tempore, deposita carnis sarcina, a vita mortali ad immortalem feliciter transiturum. Prævisa igitur ab illo instante dormitione sua, sanctissimam Dei genitricem Patronam suam instantissime interpellans rogabat, ne in tam tremendo agone principis tenebrarum territamentis perturbari, aut laqueis ejus inescari se permitteret. Comperta ab omnibus illico tunc sancti viri infirmitate, multa promiscuæ plebis turba, et inter reliquos, aliqui etiam ex suis consanguineis viri, illum visitationis gratia in hac ultima ægritudine convenerunt. Summo namque omnes afficiebantur dolore, tanto Patre et Præceptore destitutos remansuros. Atque amare flentes illius jam desiderio ante mortem affecti, voces doloris et devotionis plenas emittebant. Consolatus est illos tunc dulcibus verbis, sanctus Deis famulus: atque spe etiam non contemnenda lactatos, majora de illo post mortem veræ amicitiæ indicia expectare illis præcepit, quam in hoc mundo tunctenus erant experti. Sperabat enim se coram Altissimo filios et devotos suos efficacius posse juvare. Postera die sacrum Christi corpus, et verum, sub panis specie a socio suo illi oblatum summa cum devotione sumpsit. Deinde appropinquante jam ultima transitus ejus hora, clementissima virgo Maria, Angelorum stipata exercitibus, S. Gondisalvo visibiliter apparuit, ut eum, quem speciali semper favore suo dignum fecerat, ab omni dæmonum illusione, salutis æternæ consequendæ dubitatione omni penitus exclusa, securum omnino redderet *a*.

D. Virginis opem implorat.

Ab ea certus redditur de sua salute.

a

Moritur.

39 Post hanc cælestem visionem, quæ antelucano tempore illi fuerat demonstrata et communicata, anima illa sanctissima a corporis carcere soluta, cælum penetravit. Eademmet hora, qua vir Dei spiritum exhalavit, per totum Amaranthi oppidum vox quædam nemini ante vel post cognita, sub hac verborum forma insonuit: Surgite, et ad funebria sancti viri properate. Ad hanc inusitatam vocem *b* omnes festinanter a propriis domibus egredientes, mutuo se interrogabant, quonam properare deberent? Nesciebant enim adhuc D. Gondisalvum in extremis esse positum. Cum vero post disquisitionem factam, illum eadem hora a vita migrasse audierunt, nullumque alium e vivis tunc discessisse, ad oratorium D. Gondisalvi omnes catervatim confluxere. Ibi vero sancti viri cadaver jam syndone involutum invenientes, non sine lacrymis multorum, debita veneratione justa solventes, sepulturæ tradiderunt.

b

Omnium concursu sepelitur.

a *Marietta et Castillo ægrum aiunt in nuda decubuisse palea.*
b *Etiam ex propinquis vicis, ut Marietta, Choquetius, Castillo.*

CAPUT X.

De miraculis ejus post mortem.

Epist. 27.

Quanta miracula hujus sancti Patris meritis omnipotens Deus, a tempore sui gloriosi transitus ad hanc usque horam, ostenderit, etiamsi (ut D. Hieronymi verbis utar) omnia membra mea in linguas converterentur, et omnes artus humana voce resonarent, nec numerum, nec illorum processum crederem me vel quam succincte posse enarrare. Ut autem unico verbo hujus rei veritas demonstretur, hoc solum utar argumento. Non tantum in Portugalliæ regnis in Hispania constitutis, sed in ultimis Orientis finibus, quos Indias orientales vocamus, atque in Africæ regione, ubi aliquas Lusitani urbes munitas custodiunt, tam frequentia sunt miracula per merita hujus sancti viri D. Gondisalvi a Deo exhibita, ut in ore omnium Christi fidelium, pro majori parte, in quocumque labore, periculo, vel ægritudine sint positi, Divus Gondisalvus statim sit, et communiter versetur. Nec præterit annus, in quo ad ejus sepulchrum accedentes, a seculo jam immemorabili, non aliquod, vel aliqua, ne dicam multa, miracula in ægrorum sanitate divinitus patrata conspiciantur. Hoc tam clarum, nudum, et expertum etiam ab incredulis aliquando est, quod nulla potest tergiversatione, celari, aut etiam quispiam inficiari. Tam repentina et palpata manibus sæpe illic miracula videntur; ut claudus a multis annis, illius templum ingressus, sospes et sanus gressus suos dirigendo, lætus statim in domum suam revertatur. Obsessus a dæmone liber evadit. Ægrotus diuturno tempore, aliquando illic repentina obtenta sanitate, taliter astantibus peregrinis stuporem gignit; ut intellectus ipse convinci quodammodo videatur. Ne tamen, dum brevis esse laboro, obscurus fiam, aliqua, exempli caussa, raptim perstringam.

Multa facit miracula.

41 Anno CIↃCCCC Tamaca fluvius (de quo supra meminimus) mirum in modum pluvialibus adauctus aquis inundavit, atque ex saxosis rupibus, altissimis arboribus coopertus, sæpe potius cadendo, quam fluendo descendens, multi generis truncos radicitus evulsos secum devehit ac rapit. Stabat vulgus Amaranthum stagnantis fluminis horrendo spectaculo suspensum, atque multi a longe in eminentioribus ascensi locis, illam alluviem, non solum ex aquis sed ex multis etiam diversarum rerum fragmentis conflatam, attente prospiciebant. Et ecce inter reliqua in alveo supernatantia, quandam mirandæ molis quercum transversaliter decurrentem, et versus pontem rapido properantem motu, animo consternati aspiciunt. Opus enim illud a sancto viro antiquitus extructum, arboris illius impetu quassatum, statim ruiturum judicabant atque deflebant. Ac proinde gemitu precationis plenas voces emittentes, non majori timore quam devotione prolatas, dicebant: O S. Gondisalve succurre: custodi pontem tuum, quem in commune bonum ædificasti. Hanc brevem orationem, quousque quercus illa ad pontem usque decucurrit, repetere non cessabant. Nec vana fides illorum. Protinus enim, antequam horrenda illa machina pontem quatere posset ab oratorio in quo D. Gondisalvi sacrum corpus erat sepultum, quendam religiosum habitu D. Dominici indutum, corporeis oculis visibiliter exire omnes conspexerunt, baculum in manu gestantem; qui nigram cappam ex utraque extremitate humeris superimponens, maturo et lento gradu versus pontem processit. Postquam vero ad radices pontis pervenit, ex eadem fluminis ripa, in medium quoddam pontis ejusdem propugnaculum anterius, quod ex utraque parte fluminis ostia substinet, quasi per scalas conscendens, in illa substitit parte, quam fluminis involucrum et inundatio attingebat. Approximante vero annosa quercu transverse a fluentis impetu rapta, taliter illam incognitus Pater direxit baculo, quem in manu tenebat, ut per pontis ostium intacte ingrediens, sine aliquo illius nocumento inferius excucurrerit. Post hoc religiosus ille ab omni astante populo, attente consideratus, in sacellum, unde exierat, pari passu reversus est. Accurrunt omnes quam citissime, scire cupientes quisnam talis prodigii fuisset auctor. Sed sacellum ingredientes, in quo nondum monasterium ordinis

Tamaca exundante, pons S. Gonsalvi, abe servatus.

Prædicatorum

Prædicatorum extructum erat, neminem penitus invenerunt. Ex quo clare intellexerunt, sanctum Dei famulum Gondisalvum, a loco sui sepulchri egressum, ab illa imminenti ruina pontem suum divinitus liberasse *a*.

a

Matronam exulceratis uberibus periclitantem sanat.

42 Quædam nobilis matrona Domina Isabella de Sousa dicta, edito masculino fœtu ex prima partus conceptione, tam gravem in altera mamilla contraxit infirmitatem, humore superfluo ibidem coagulato, ut medecis omnia exquisita sanitatis remedia tentantibus; omnino cassus fuerit illorum sollicitus labor. Anni jam unius integri spatium decucurrerat in illo medicando ulcere. Atque resolvendæ, saniei gratia fistula quædam plumbea, a medicis et chirurgis fuerat excogitata, longitudinis digitalis, qua in putridæ carnis hiatum immissa, internus sanguinis putor foras ut efflueret conabantur. Post aliquot vero dies ulcere interius serpente, fistula taliter se intrinsecus recondidit, ut medici varia remedia adhibentes non solum non extrahere, sed nec etiam ut appareret efficere poterant ullomodo. Itaque plumbeum illud organum spatio quinque mensium intra pectus ejus latuit. Demum mortali jam periculo occurrere tantum cupientes chirurgi, communi consensu incisionem faciendam esse in mulieris pectore decreverunt. Post illam finalem ab illis jam latam sententiam, gratia visitandi infirmam, vir illustris Joannes de Sousa socer illius, supervenit: et cognita medicorum deliberatione, ægrotantis nurus compatiens, illam verbis fide plenis admonere incepit, ut B. Gondisalvo Amarantho voto emisso, tamquam cælesti et probatissimo medico curandam se commendaret. Paruit confestim dictis soceri sui afflicta matrona, ejusque consilio acquiescens, votum vovit D. Gondisalvo tota illam comitante familia. Et lacrymis deinde obortis humiles preces pro mortis periculo evadendo, atque sanitate pristina recuperanda effundere cœpit. Quid plura? Eademmet die, cum medici et chirurgi vespertino tempore venientes, emplastrum pectori femineo appositum purificandi humoris caussa extraxissent; fistulam a tanto tempore reconditam, fasciis et linamentis medicinalibus sponte sua adhærentem invenerunt. Denique ne dubium aliquod suboriretur, D. Gondisalvi meritis hoc factum esse intra spatium octo tantum dierum perfectissime se sanatam vidit. Hoc miraculum adeo manifestum fuit et palpatum ut communi multorum lætitia, omni exclusa dubietate, gratiæ sint Deo relatæ, in D. Gondisalvi meritis, et sancta coram illo intercessione.

a *Eo ipso tempore post hoc miraculum, ubi ejus sacra ossa quiescebant, structum est templum ejusque honori dicatum, ac paræciæ Amaranthinæ annexum, ut scribit Castillo et Marietta; atque an.* 1540, *a* Joanne III, *Lusitaniæ Rege Dominicanis religiosis transcriptum: ubi deinceps erectum cum augustiori basilica cœnobium est, luculento dotatum censu, studio et industria Hieronymi Padillæ, qui ordini Prædicatorum in ea provincia præerat.*

CAPUT XI.

Qualiter D. Gondisalvus fuerit in sanctorum numerum relatus.

a Tempore *a* Julii III, Romani Pontificis, qui D. Gondisalvum Sanctorum catalogo referre curavit; D. Rudericus Pinnarius Episcopus Portuensis in Lusitania, de ejusdem summi Pontificis mandato disquisitionem de miraculis ejus fecit exactam; et particulariter testibus fide dignis juramento astrictis, supradicti miraculi veritatem certissimam, esse cognovit. Et non solum de fistula plumbea subito egressa, atque sanitate ulceris subsecuta; sed etiam de filio ejusdem matronæ, ab eodem Divo mirabiliter sanato, qui antea ab utroque inguine ruptus prolapsis intestinis, satis exosam patiebatur infirmitatem, testimonia certissima invenit.

Pueri herniam sanat.

44 Anno CIↃIↃXXXXVI, quædam honesta mulier *b* Micia Petreia dicta, a quatuor jam mensibus paralysi morbo percussa, non solum corpus, sed nec membra sigillatim omnia, absque alicujus adminiculo movere poterat. Hæc ægrotans suorum ministerio ad sepulchrum D. Gondisalvi fuit asportata: ubi vigilias nocturnas (ut solet fieri a peregrinis voventibus) in oratione prostrata, sequenti nocte permansit. Sequenti vero die mirabiliter se sanatam inveniens; et mox sine alicujus juvamine gressus dirigens, per totam ecclesiam lætanter incedere visa est. Hujus miraculi testes fuerunt oculati, non paucæ utriusque sexus personæ, quæ illic etiam astantes D. Gondisalvi patrocinium postulabant. Non enim, ut videre est, aliquando illius sacellum sine voventibus peregrinis reperitur.

AUCTORE DIDACO DE ROSARIO. *b*

Paralyticam curat.

45 Quidam homo paralytico etiam morbo laborans, insurper et oculorum cœcitate, diœcesis Lamacensis in eadem Lusitania in quodam ligneo grabato ad sepulchrum D. Gondisalvi fuit asportatus. Ibi fidei devotione inflammatus preces, lacrymas, suspiria Deo offerebat, divinam opem implorando, ut per intercessionem D. Gondisalvi exaudiri mereretur, atque sanitatem desideratam obtinere. Antequam paralyticus hic inde deduceretur, et visu et omnium membrorum sanitate recepta, ad domum suam sanus reversus est. Nec mirum, cum Christus majora habentes fidem testificetur in Evangelio miracula operaturos.

Alium paralyticum et cæcum.

46 His et aliis multis miraculis per intercessionem D. Gondisalvi patratis, et a prædicto Antistite diligenter examinatis, idem summus Pontifex Julius III, prævio sacri collegii Cardinalium maturo consilio, eumdem D. Gondisalvum Amaranthum Sanctorum catalogo adscribendum quodammodo censuit; atque illius festum decima die Januarii in tota Lusitania solemniter celebrari permisit.

Ejus publica veneratio a Papa permissa.

47 Tanta vero est devotione cultus, tantus confluentis ad sepulchrum ejus populi concursus, præcipue tempore veris, ut per nullam illius Interamnis regionis viam quispiam possit transire, quin voventes obvios habeat, aut audiat turmatim incedentes, fistulis, tibiis, et aliis multis secundum morem patriæ, musicis instrumentis undique perstrepentes. Qui omnes devotionis ergo Amaranthum frequentius quam Compostellam non tam multum distantem petunt. In octavis vero Pentecostes, in quibus D. Gondisalvi præcipua celebratur solemnitas aut potius iteratur propter viatorum opportuniorem commoditatem *c* triginta circiter hominum millia a curiosis scrutatoribus quotannis numerantur. In hujus veritatis ineluctabile testimonium contigit non a multis retro annis, quod ex minutissimis candelis, quas pauperes peregrini religionis ergo in ejus altari solent offerre, mille ducentæ octuaginta sex libræ justo pondere, a quodam curioso ædituo sunt inventæ. Istius admirandi populi concursus meminit merito L. Andreas Resendius in altero hymnorum, quos officio ejusdem D. Gondisalvi *d* ab eo composito interseruit: nec parum doleo illos hic ad manum non posse habere, ut tamquam angulares lapides huic apponerem summario, hoc tamen ejusdem hymni fragmentum, de quo recordor, hic juvat inserere:

Magnus ad sepulchrum concursus.

c

d

Non capit duplex Amarantus amplas
Sæpe catervas.

48 Non etiam loci amœnitas, in quo sanctus Dei famulus requiescit, parum peregrinos invitat, atque pulcherrimum ibidem, ejusdem ordinis Prædicatorum, et sumptuosissimum monasterium existens; quod Serenissimi Regis Joannis III favore et munificentia exstructum, reditibusque magnis dotatum est; quod pro gratiarum actione D. Gondisalvo debita, ut fertur, invisitur. Fit de illo in tota Lusitaniæ provincia, quæ in Africam et Orientalem

Cœnobium ad ejus sepulchrum.

AUCTORE DIDACO DE ROSARIO.

Asiam usque protenditur, omnibus sextis feriis post Completorium memoria, cum Antiphona et propria festi ipsius oratione. Ejus precibus, piissimus luminum Pater, et provinciæ nostræ, et Ordini, quem ipse professus est, incolumitatem, et pristinum Apostolici spiritus fervorem, donare dignetur, qui gloriosus vivit in secula, Amen.

a *Sedit* Julius *a* 7 *Febr.* 1550, *ad* 23 *Martii* 1555.
b *Ea* Mencia Perezia *dicitur Marietta et Castillo.*
c *Imo Marietta et Castillo scribunt* x *Januarii sæpe confluere ad* 30000, *feriis Pentecostalibus ad* 50000. *Testatur Resendius anno* 1567, x *Januarii supra* 14000 *convenisse. Reliquis vero anni diebus plurimi isthuc adveniunt, etiam subinde paræciæ integræ, supplicantium ritu, sacris labaris prælatis Castillo.*
d *Agit de eo officio Resendius in citata epistola, hosque duos versus ex eo citat.*

ALIA MIRACULA

a Jo. Marietta, et Ferd. Castillo Hispanice scripta.

Mulier quædam Portuensis altero oculo undecim jam menses cœca, multa nequidquam tentarat remedia: sed spem omnem nova oculo obducta nebula ademerat. Hic tum illa seriis S. Gondisalvum vocare precibus, argenteum ei oculum, religiosamque ad ejus sepulchrum peregrinationem vovere. Nec mora aut pietati ejus, aut medicinæ cælesti. Adit illius ædem: sacrificium offerendum Deo ad Sancti honorem atque ad suam incolumitatem procurat, eique assistit. Domum redeunti, ad vicinam Amarantho stationem restituitur oculus, nullo penitus relicto pristinæ cœcitatis vestigio.

Cæcæ visus restitutus.

2 Alia itidem Portuensis comitiali morbo tenebatur, sane molesto, qui tristi paroxysmo, subito nihil tale metuentem, miseram incessebat, ac solo quandoque, præsenti cum vitæ periculo, affligebat. Ancilla heram miserata, adit ad S. Gondisalvi ædem, cereum offert, corque argenteum; ac rem fieri divinam jubet. Qua peracta, hera illius eo in perpetuum morbo liberatur.

Alia morbo comitiali liberata:

3 Portuensis quoque alia, molesta humoris ad stomachi orificium concretione, aliisque symptomatis quartum mensem torquebatur. Adhibita quidem curatio, non indiligens; nihilo tamen ægræ melius fuit, donec in lævam tibiam humor ille defluxit: quæ die unico in parem humano corpori crassitiem intumuit. Præcidi tibiam oportere censent medici, nec sic tamen cautum iri miseræ, de vita. Peccata ergo confessa, sacrum accipit viaticum: extrema etiam unctione, quod verebantur, ne inter medentium manus expiraret, communitur. Dum feralem illum fieri cernit apparatum, ad B. Gondisalvi implorandam opem se convertit: multa ei nuncupat vota interim somno corripitur, a quo mox experrecta movere tibiam cœpit; ex hac tumor penitus effluere. Quid multa? paucis diebus nullo alio usa medicamine integre convaluit.

Quædam a tibiæ periculoso tumore.

4 In eadem Portuensi civitate mulieri cuipiam manus innumeris erant verrucis confertæ, tum fœdis ad adspectum, tum ad sensum molestis, adeo ut manuum nullo uti officio posset. S. Gondisalvum pie invocat. Vix dies quindeni abiere cum illa manus suas contemplans adeo deformes subito resolvi, atque abscedere verrucas cernit, nulla vel cicatrice vel vestigio relicto.

Alia a verrucis.

5 Anno 1576, Patres Prædicatores in urbe Portuensi, decem Amarantho leucis, agendum illius provinciæ conventum, sive Capitulum, indixerant. Ipsa qua Capitulum inchoatum est Dominica, mulier quædam Pontelimana, septem omnino annos paralytica, non sine magno bajulorum labore Amaranthum delata est, sacras ad S. Gondisalvi sepulchrum excubias actura. Postridie quam advenerat, in sacellum introducta, in oratione perstitit donec Angelica salutatio decantaretur. Tum vero, ad adstantem quempiam conversa, si sibi manum præberet paullulumque juvaret, confidere se dixit, futurum ut firmis posset consistere pedibus, atque adeo incedere. Nec vana fiducia. Præbita ei est dextera: surrexit: per templum, universo inspectante populo, incessit. Vulgata illico tanti mariculi fama. Necdum eo soluto conventu, est id Bartholomæi de Martyribus ex eodem ordine Episcopi Bracarensis auctoritate confirmatum; atque e sacris pulpitis solemni præconio publicatum, ad Dei gloriam, et S. Gondisalvi honorem.

Paralytica sanata.

DE B. ORINGA, SIVE CHRISTIANA,

VIRGINE IN ETRURIA.

AN. CHR. MCCCX. X JANUARII.

Beatæ Oringæ, *sive* Christianæ, *ex* MS. *codice cœnobii S. Claræ, Florentiæ, vitam Italice edidit* Silvanus Razzi *Camaldulensis, tom.* 1 *de vitis feminarum sanctitate illustrium; traditque hoc die obiisse. Aliam paullo luculentiorem, (sed haud leviter quandoque discrepantem, ut conferenti patebit) vulgavit ann.* 1636, Cornelius Curtius *Ordinis Augustiniani Historiographus generalis, qui alium ad calcem citabat* F. Honorium *Italum scriptorem: ait vero* IV *Januarii vita functam Oringam.*

VITA

A SILVANO RAZZI *Italice scripta.*

CAPUT I.

Oringæ sancta adolescentia.

B. Oringæ patria,

Orta est B. Christiana, vallis Arniensis municipio, quod Castellum sanctæ Crucis dicitur; humili quidem genere, sed eximio virtutum gratiæque divinæ splendore illustranda. Cum primum Christiano ritu, sacro baptismo est expiata, Oringæ sortita est

nomen,

nomen, quod in Christianæ deinceps transiit.

sancta puritia.

2 A primis pueritiæ annis cœpit cælestia contemplari, ac precibus assidue vacare. Ferunt eam boves pascentem, ut liberiori animo orationi se dederet, iis præcepisse ut silvestres tantum carperent herbas, segete aliisque satis abstinerent. Paruerunt brutæ animantes; ita exacte ac prope religiose, ut neque pedibus conculcarent, neque ore lamberent folium unicum aut segetis, aut herbæ alterius ex iis quibus sibi Virgo interdixisset. Ipsa interim in meditationem rerum divinarum, precationemque non secura magis quam ardenti pietate incumbere.

Boves, quas pascebat, verbo coercitæ.

3 Vile illi, ut diximus, genus, humilisque conditio; animus tamen Christi exæstuans amore, majoris semper appetens abjectionis, etiam infra suos natales ac sortem submittere sese cupiebat. Hinc nempe divinorum charismatum, virtutum, miraculorum e tam sublimi humilitate scaturire fons cœpit. Tantus a prima ætate lascivarum turpiumque rerum ejus animum horror incesserat, ut si quod audisset verbum minus honestum proferri, illico ad vomitum provocaretur; atque adeo gravem a frequenti vomitu ægritudinem incurrerit. Tandem vero ejusmodi vomitum patienti vox divinitus allapsa est, monens uti aures oppositis manibus obturaret, ne obscœna illa haurire verba cogerentur. Paret illa cælesti monito. Nec frustra: valetudinem illico recuperat. Quid? quod non impudicos tantum sermones aversabatur, sed vanos etiam otiososque; quos si imprudens

Humilitas:

turpium, et otiosorum quoque, verborum detestatio.

dens percepisset, ita vultu quoque ipso perturbabatur, ut etsi tacite, acriter tamen eos proferentem reprehenderet.

Ad nuptias coacta fugit, flumine non madefacta.

4 Cum ad nubilem jam pervenisset ætatem, anteaque Christum sibi ultro sponsum delegisset, ac fidem ei obstrinxisset; importune instare fratres cœperunt uti mortali cuipiam, æqualium ritu, conjungi se viro pateretur, acerbis eam conviciis insectantes ac verberibus quando quemultantes. Illa vero, ne aut datam Deo fidem falleret, aut florem virginitatis contaminari pateretur, sæpenumero in *a* Guscianam amnem insiliit, egressa semper vestibus ita siccis ac si eas aqua non attigisset. Sed cum sentiret neque sic fratrum conatus conquiescere, tandem omnino flumen transmisit, ne leviter quidem madefactis vestibus, ac Lucam versus iter arripuit.

a

b Contra dæmonis terrores defenditur ab Angelis.

5 Cumque ad celebre xenodochium, quod vulgo *b* Altumpassum vocant, pervenisset sub solis occasum, objicit se illi dæmon feroci terribilique equo invectus, ut vel horrore ipso eam ab instituto itinere revocaret. Ipsa vero nihil ejus verbis minisve ac cetero terrore perculsa, constanter divini auxilii fiducia animum erigebat atque a metu allevabat suum. Neque fiduciam aut fefellit aut protraxit benignissimum numen. Nam subito bini candidissimis vestibus viri adstiterunt; ad quorum conspectum tetrum illud dissipatum est spectrum, et ipsi quoque sese paullo post Oringæ oculis subduxere.

6 Iter ergo prosequitur animo assidue in oratione defixo, sublatisque ad cælum oculis : tandem in medium sese prati amœnissimi, sed a publica via nonnihil semoti, innumeris herbis floribusque odoriferis consiti, ac fragrantissimis arboribus admirabili ordine dispositis præsepti devenisse animadvertit; ubi et lepusculum reperit, qui circum eam subsilire ac gestire familiariter cœpit, velut si ab ea esset educatus. Ita et in sinum illius deponebat caput, blandeque saltu alludebat. Illa vero : Atqui ego te, si vellem, detinere possum : quid ita ergo adstas securus? Oriri tandem diei crepusculum, sed cum ita densis vallato arboribus prato Oringa exitum non reperiret, præire lepusculus cœpit, ac semitam commonstrare, quæ eam ad publicam viam deduxit. Tum et ipse sublatus ex oculis lepus est. Oringa iter repetiit, ac Lucam urbem tandem appulit. Isthic se ancillam elocat viro nobili ex Aula veteri, civi Lucensi, probo ac pio. Nullum vero ab eo stipendium aliud operæ solvi sibi postulavit, præter victum eumque tenuissimum; et, qua indueretur, unicam vilem ac tritam lacernam, mundam tamen.

A lepore recreatur, et in viam reducitur.

Famulatur civi Lucensi.

7 Etiam media hyeme nudis pedibus incedebat, frigusque asperrimum perpetiebatur, ut sanguis etiam quandoque vi frigoris expressus deflueret. Plerumque, quantumvis fatigata, in nuda humo cubabat. Ita erat abstinentiæ dedita, ut sæpenumero die toto cibum omnino non gustaret. Quandoque rogata ac prope coacta, vesperi escæ aliquantum capiebat, pondere fere ac mensura pomi vulgaris. Interim fatebatur se, nisi vanæ gloriæ titillationem vereretur, pluribus etiam diebus nullum cibum sumpturam fuisse.

Nudis pedibus hyeme incedit.

Humi cubat.

Parce comedit.

Faciem deturpat.

8 Quod vero facie esset eleganti ac formosa, ne cujus ea species animum turpi sui amore inflammaret, studiose sese nescio quo succo aliisque artibus deturpabat, ut vel sic quoque majori passim contemptui esset. Pactumque cum oculis suis fecerat, ut, quoad liceret, humiliter demissi terram spectarent, ne quid forte intuerentur quo mentis puritas vel levissime inquinari posset. Ita denique ab omni erat humano consortio segregata, collectoque semper et intento ad cælestia animo, ut longissimo intervallo temporis neminem agnoverit vicinorum. Si cujus operis gratia exire foras cogebatur, saxum ad ostii limen collocabat, ut heriles dein reperire ædes posset. Sermo illi blandus, pius, mansuetus. Et quamvis numquam litteris operam dederat, si quando tamen inter viros sapientes adesset, ita graviter de arduis abditisque rebus disputabat, easque ita pertractabat et explicabat dilucide, ut omnes eam suspicerent, amarent, venerarentur, quippe quæ cælestem doctrinam traderet, ac verba vitæ æternæ haberet.

Oculos demittit.

De divinis sapienter disserit.

Ex Italico Silvani Razzi.

9 Ad eum pertigerat innocentiæ gradum, ut corpore esse incorruptibili videretur. Porro etsi venusta facie esset, ac perquam juvenis, atque cum hominibus satis familiariter conversaretur, salutaribus eos monitis erudiens; videbatur tamen nec ipsa alteri cuipiam, nec ipsi quisquam inhonestæ esse tentationis occasio. Neque sane mirandum est, eam aut ita fortem fuisse ac prudentem; aut tanta cum auctoritate agere cum omni hominum genere secure ac citra periculum solitam; cui ipse Deus promisisset, propterea quod in nullius hominis faciem oculos conjiciebat, per faciem deinde cujusvis hominis intima cordis arcana perspecturam.

Nemini caussa est tentationis.

Arcana animorum perspicit.

10 In oratione ardere ejus animus videbatur : unde uberes prorumpebant ab oculis lacrymæ ex laboriosæ Christi vitæ, mortisque meditatione expressæ : quibus velum ejus, pectus, terra ipsa irrigabatur. Omni feria sexta non solum inedia se macerabat, sed ignominiosam Christi passionem mortemque acerbissimam attentissime contemplabatur. Assidue sacro quodam incredibilis erga Deum ac proximum caritatis vulnere configi sibi videbatur, cum Jesum suum cerneret maxima injuria fraudari mercede, pro qua adipiscenda tantos tamque arduos ac multiplices labores suscepisset; totque in æternum interitum ob scelera sua ultro incurrere animas.

Lacrymatur in oratione.

Passionem Christi meditatur.

11 In suprema hærentem ædium parte, ubi illius erat conclave, noctu adortus est dæmon, tam vasto rictu oris, ut immanis quædam janua videretur, tantoque strepitu ac fragore, ut vicina concuterentur universa. Ipsa vero perculsa, omni prope evadendi spe interclusa, Archangelo Michaeli se commendat, utque sibi in eo discrimine adsit, precatur. Nec frustra conceptæ preces. Non solum erepta periculo est, sanctissimi hujus Archangeli præsidio, sed singulari ac varia consolatione perfusa. Nam turpi illo spectro depulso, multas ei res Michael objecit, et visu jucundissimas, et odore gratissimas. Sicque eam tandem reliquit eximio mentis gaudio jubiloque exultantem.

Per S. Michaelem a dæmonis terriculamentis liberatur.

a *Hic forsan amnis est, quem* Mitivolem *Leander appellat, qui se* Arno *infert sub* Phocetio, *e regione* S. Miniati.

b Altus-passus *oppidum est haud procul* Luca, *cujus in Thusciæ descriptione meminit Leander.*

CAPUT II.

Peregrinationes ad sacra loca.

a Ad Garganum montem peregrinatur,

Inde cum aliquot comitibus iter ad *a* Garganum montem, ejusdem sacratissimi Archangeli ædem veneratura, ingreditur. Quo in itinere ab improbis quibusdam hominibus in avios saltus sub noctem perductæ sunt, commonstrato iis veluti recto, qui isthuc ducebat, tramite. Parabant enim scelerati iis et vestes eripere et pudorem. At Michael, quem Oringa religiose colebat, subito speciosissimi juvenis forma iis adstitit, ac Diaconi fere habitu, hisque eas affatus est verbis : Filiæ, discedite hinc quamprimum; nam qui vos in deserta hæc et vasta loca induxere, meditantur non temporariis solum, sed et spiritualibus vos bonis spoliare. Tum clarissima lux emicat, dictis fidem factura : omnisque ea detergitur fatigatio : ducem iis se præbet Archangelus. Priusquam tamen in publicam viam restituit, ad amœnissimum prius fontem perduxit, ubi elegantissimum vasculum protulit, variis esculentis confertum, atque eas quo quæque maxime exoptasset cibi genere recreavit. Tum ad turrim quamdam perducit, quæ ad publicum callem sita erat, ubi et diversorium percommodum reperere in quo omnia illis ad iter necessaria sunt abunde subministrata.

In viam a S. Michaele reducitur, ac cibo reficitur.

Ex Italico Silvani Razzi.

subministrata. Tum eas tandem dimisit admirabili solatio delibutas. Sæpe alias hoc itinere B. Oringæ visendum se sanctus idem Archangelus præbuit, eique cælestem adhibuit consolationem.

Romam abit.

13 Posteaquam illam Archangeli ædem summo animi sensu visitarat Oringa, Romam adiit, uti sacrosanctas ecclesias, Martyrumque reliquias veneraretur. Oranti in basilica S. Petri multum molestiæ dæmon facessivit, quem demum velut inanem umbram a se abegit. Paullo post Frater *b* Rinaldus ordinis Minorum, vir singulari prudentia, cum cerneret Oringam velle Romæ commorari, esseque non corpore quam animo formosiorem, effecit ut nobilissima quædam piissimaque vidua, Marga ita nomine, quæ dudum ejusmodi innocentis animæ contubernium exoptarat, in familiam suam libentissime eam reciperet. Quæ mox invitæ et reluctanti suo accommodatas gradui vestes tribuit. Sed non diu eas Virgo gessit: nam intra paucos dies pauperem peregrinam fere nudam reperit eamque suis illis vestibus induit, ipsa priores quas ante posuerat resumpsit. Eo vero Christi virginem optima vidua amore prosequebatur, ut non solum eam sibi famulari non pateretur, sed ei ipsa potius versa vice famularetur, cum id mereri ejus virtutem cerneret. Cœpit sub id tempus Oringa, quasi per antonomasiam et excellentiæ cujusdam testificationem, ab omnibus non jam Oringa, sed Christiana appellari, quod ei deinceps nomen adhæsit.

Dæmonem superat.

b

Cohabitat piæ viduæ.

Vestes suas dat pauperi.

Christiana appellatur.

It Assisium.

14 Venerant Assisium Christiana et Margarita sepulchrum gloriosi Patris Francisci invisuræ: cumque isthic preces funderet in ejusdem æde Patriarchæ Christiana, divinam quamdam extasim passa, visa sibi est ad Castellum, ubi nata erat, deportata, ibique cernere in vilissimo abjectissimoque loco ædificatam domum, sed angustam ac modicam, ea omnino forma qua multis deinde annis post monasterium eo loci a pagi illius inquilinis ipsi est constructum. Hic porro videre sibi videbatur habitantes religiosas virgines, seque solam credebat eas omnes (quod re ipsa deinde evenit) sustentare. Hancque visionem ipsa cuidam gentili suo, non procul Assisio Judicis munus gerenti, narravit; qui unde haurire spiritualem debebat consolationem, ad scelus pellicere lascivis persuasionibus virginem est conatus. Ac repulsam passus, incantationibus præstigiisque diabolicis impugnare eam cœpit. Igitur in locum ubi aderat Virgo, delatus, capite resupino rogare tetros spiritus cœpit, ut se juxta virginem collocarent, quæ immensa quadam erat luce circumfusa. Negant illi se illud aggredi aut velle aut posse; quod Angelus, qui olim Cæciliam defendit, is nunc quoque præfervido quodam zelo, gladium manu vibrans, ejus integritatem tueatur. Quæ effati subito cum horrisono ululatu abscessere Virgo signo sese sanctissimæ crucis communit, atque ad S. Francisci ecclesiam se proripit, ejus identidem opem adversus crudeles has insidias implorans. Igitur Christi virtute, Sancti Francisci patrocinio, victoria potita est, summamque adepta animi tranquillitatem.

In extasi videt futura.

Angelus S. Cæciliæ ejus castitatem tuetur contra præstigias.

Cæli gloriam in extasi speculatur:

15 Quin et mox in cælum rapta est, ubi Christum conspexit splendore suo immenso supernæ illius civitatis immensa spatia collustrantem, præ cujus radiis corporei solis lux omnis obscura quodammodo erat. Videbatur qui a vestimentis ac throno Christi absistebat splendor, materialem nostrum solem illuminare, non secus atque Sol ipse Lunæ lumen communicat suum. Ipsam quoque vidit gloriosam virginem Deiparam in uno cum filio throno considere, eodem conspicuam splendore, alba veste pretiosissima indutam. Hanc porro Augustam Reginam Angeli ac Sancti omnes venerabantur, singulari gaudio exultantes. Tum turmatim a throno abscedere, cælestique illa regione peragrata, iterum ad ejus se prosternere pedes, atque ab ea favoris ac benevolentiæ exhibito testimonio ac benedictione impertita reverti, suavissime interim psallentes, decentissimeque tripudiantes: atque id sæpius factitabant. Quæ dum fierint prostrata ad Dei solium Oringa stuporis plena, cum beatis illis cæli civibus Christum ac Christi matrem adorabat. Compellat interim eam Christus: Miraris Christiana honorem, qui ab Angelis hodie matri meæ gloriosæ exhibetur, et qua induta est, vestem: sed scito hodie agi in cælo celebritatem immaculatæ Conceptionis ejus, quæ me deinde concepit ac peperit, verum Deum ac hominem, illibata semper virginitate. Vestimenti ejus candor prærogativa est singularis innocentiæ: sola enim mater et virgo esse meruit. Scito vero filia ubi tempus tuæ resolutionis advenerit, in hanc te quoque gloriam deportatum iri.

et Sanctorum lætitiam die conceptionis D. Virginis.

16 Ad se reversa Oringa, ad visionis hujus testificationem tria in se admiranda raptus illius indicia remansisse animadvertit; corporis agilitatem, quæ aliquanto tempore tanta fuit, ut sæpius sese palpando, corpore sibi carere videretur; odorem quemdam incredibilem raptus illius tempore ex arborum florumque cælestium fragrantia naribus suis adspiratum; eximiam in auribus suavitatem, ab cælesti concentu, adeo ut novem ipsos menses in eadem versari gloria, fruique cælesti harmonia instrumentorum ac floribus videretur. Propter hanc visionem voluit Christiana monasterio, quod deinde erexit, nomen esse S. Mariæ Novellæ. Statuitque ut in eodem (salva sacræ Sedis Apostolicæ, summique Pontificis auctoritate et reverentia) quotannis sacræ Conceptionis solemnitas celebraretur.

Diu signa hujus raptus retinet.

a *De celeberrimo hoc Apuliæ monte agemus pluribus* 20 *Septemb. cum de* S. Michaelis *apparitione.* b *Curtius* Monaldum *vocat.*

CAPUT III.

Constructum cœnobium. Vaticinia, aliaque miracula.

Discessit e S. Francisci æde atque urbe Christiana venitque Castellum Florentinum *a* B. Viridianam honoratura. Ut vero ab ea didicit Margarita quam prope ab ejus patria abessent, eam se dixit velle visere. Invita ac fere coacta ad sanctæ Crucis pagum eam perducit Christiana. Dum paullo post inde parant discedere, nescio quo divinitus addito pondere earum retenti sunt pedes, quasi terræ essent affixi. Ut sententiam mutavit Christiana, statuitque inde non recedere, hoc solutæ ambæ pondere sunt. Romam ergo reversa est Margarita, Christiana isthic substitit, sed certa religiosum cum aliis virginibus vivendi genus arripere, uti etiam illi incolæ Castelli Franci, sanctæ Crucis, vicinique persuadebant.

a

In patria sua vi divina retinetur.

18 Dum quadam die pergit ad locum, in quo deinde monasterium ædificavit, radios intuetur e cælo vibratos omne illud suavissima luce solum perfundere. Et brevi isthic ut cœnobium construeretur, ab accolis vicoque sanctæ Crucis obtinuit. In illud vero sese inclusit cum aliquot sororibus, quibus tamen præesse aliqua officii, gradusve prærogativa noluit: neque ullam sibi ministrare quantumvis gradu aut ætate inferiorem permisit. Si fortassis, etiam leviter, ullam sororum, etiam juvenculam verbo offendisset, subito sese peccatricem accusabat, culpamque flexis genibus professa, veniam precabatur.

Monasterium loco cælitus monstrato, construit.

Ejus humilitas.

19 Paupertatem semper dilexit, multo impensius (quod rarum et illustre) quam etiam avari divitias, atque in ea inopia veluti in amplissima copia, singulari Dei beneficio, abundare videbatur. Nam cum bene longo temporis spatio non nisi cucurbitam vini haberet, quæ totius erat penu monasterii, atque excisum in muro armarium ad recondendum cibum; omnibus tamen præbitum annonæ quantum naturæ necessitas poscebat, honestusque vestitus: quodque magis mirandum videtur, omnibus egenis ac servis Dei magno numero ad earum monasterium concurrentibus, quo quisque egebat benigne largiebantur: ita ut cum nihil

Dives paupertas,

nihil haberet, simul tamen, cum eo qui est omnia in omnibus, omnia possidere viderentur. Fuit cum poscenti eleemosynam egenæ propriam tunicam et florenum, quem unicum habebat, tribueret Christiana; itaque paucis ac vilibus panniculis induta, omni, quo sibi suisque necessaria compararet, peculio orbata.

Vestem suam et omne peculium dat pauperi.

20 Alias in summa annonæ caritate cum in agello quodam, quem solum possidebat id cœnobium, fabas haberet; instar vexilli signum erexit, ut liceret omnibus isthic fabas carpere, ac si ager publicus foret. Complures eo facto permoti exemplum sunt imitati. Creduntur plurimi, cæteroquin fame morituri, vitam iis fabis, cælesti miraculo multiplicatis, sustentasse.

Tempore famis fabas suas publicas facit. Ex cælitus multiplicantur.

21 Alias vini perparum, quodque vix ad diem unum satis esset, in vase reliquum erat, quod ita Oringæ precibus a Deo auctum est, ut vini penuriam nullam optimæ virgines passæ sint. Id miraculum, ut solis erat domesticis exploratum, omnino celari externos jussit Oringa. Id vero ipse Deus publicavit: nam cum quidam iis vinum attulisset, cœpissetque id vasi, quod vacuum videbatur, infundere, vix medium vulgati canthari instillarat, cum redundare undique vas cœpit. Quod ille conspicatus, ut foras exiit, palam id prædicavit miraculum.

Vinum ejus precibus auctum.

22 Adeo inflammata ac vehemens erat Oringæ precatio, tamque arcta mentis cum Deo conjunctio, ut plures dies continenter persisteret omni carens corporis cibo, a sensibus suavissima extasi alienata, itaque in Deum ipsum immersa quasique absorpta, ut crebro in divinæ claritatis speculo hominum corda consiliaque cognosceret, ac res futuras prædiceret. Et fere vaticinia ejus, ut certus, ita celer, sequebatur eventus: ut cum cladem incolis sanctæ Crucis a *b* Fucecchianensibus illatum iri præmonuit. Nam cum inter eos populos acerbum esset dissidium odiumque, quodam die summo mane erumpere cum armis, hostesque invadere Sanctacruciani parabant. Christiana cogi concilium rogat: multis solidisque rationibus eam illis expeditionem dissuadet: edicit nisi ab ea desistant multos ipsorum interficiendos, multos in hostium venturos potestatem. Atque ita evenit. Nam spretis salutaribus Oringæ monitis, ipso die adversarios aggressi, fusi fugatique sunt, multi trucidati, multi captivi Fucechium abducti. Ei vero qui repudiandi Oringæ consilii auctor populo extitit, mortuo, uti et filio ejus, evulsa retrorsum est lingua.

Multos dies rapta permanet. Multa prædicit; b cladem non parentibus suo consilio:

23 Prædixit duarum familiarum Sanctæcrucis, quæ sæpius infestis telis concurrerant, prius confringenda utrimque arma, quam quisquam eorum ex hac dissensione occumberet: idque deinde est factum. Civi Lucensi prænuntiavit nasciturum ei filiam, quæ deinde in suo cœnobio religiosum institutum capesseret: nata est, ibique religiosa effecta.

reconciliationem inimicorum: prolem, vitæ genus:

24 Audiebat vagientem in cunis infantulum: Ploret, inquit, pessimam vitam acturus puer mortemque infamem obiturus: nam ubi adoleverit, scelera addet sceleribus, tandemque patibulo appendetur. Huic quoque vaticinio exitus respondit.

mortem infamem infanti:

25 Salutaverat sanctam virginem agmen religiose peregrinantium Assisium ad S. Francisci indulgentias, cumque post modicam quietem discessum pararent, accersito Fratre Joanne cœnobii Sacellano: Ex hoc cœtu, inquit, solus huc revertetur, juvenis quidam, Thomasinus nomine, (signis, quem non viderat oculis, describit) hicque commorabitur Deo famulaturus. Quare omni illum officio ac benevolentiæ significatione prosequere. Cogitabat Thomasinus alio cum comite abire, ceteri vero isthac redire statuerant. Abscesserunt paullo post ab invicem ad vicena prope millia passuum; ac Thomasinus priore abjecto consilio solus ad Oringæ monasterium rediit, ubi benigne exceptus substitit, fuitque deinceps monialium Sacellanus, uti ab Oringa erat prænuntiatum.

reditum cujusdam sibi ignoti, contrarium parantis.

26 Quidquid Deum rogabat Christiana (magnum divini favoris argumentum) illico impetrabat. Iter illa cum quodam Castellifranci municipe Alexandro ad montem Rapolim faciebat: obviam iis venerunt quidam ex pago Martio, quibuscum Castellofrancinis controversia erat. Hi Alexandrum cum socio captivum abducunt, nequidquam deprecante Christiana. Hæc tandem in desertam ingressa ecclesiam, quæ propter viam erat sita, Deum cœpit precari. Egressa Alexandrum inclamat, signumque sanctæ crucis efformat; monetque libere abeat, nihil metuens, quo libuerit. Paruit ille nemine prorsus obsistente. Quæ res adversarios male habuit, mirantes qui eum dimisissent innoxium.

Ex Italico Silvani Razzi. *Quidquid petit a Deo impetrat.*

Captivum precibus liberat.

27 Dum adhuc in æde S. Francisci Assisii versaretur, aderant proscripti duo, quos Banditos vocant, qui dum divina mysteria peragerentur in somnum inciderunt: tempore consecrationis eos compellat arguitque, ac hortatur ut surgant, ac reverentiam augusto Sacramento exhibeant. Monentem ambo audierunt, tamen unus duntaxat surrexit et sacratissimam hostiam adoravit, alter quasi virginem irridens, iterum somno se dedit. Interim in templum ingreditur familia Rectoris provinciæ; dum ante venerabile Sacramentum venerabunda subsistit, fortuito conspicatur eum qui Virginis obtemperarat monitis, eumque in vincula compegit, capite plectendum. Quod cum Christiana cerneret, ad Deum conversa: Domine mi, inquit, Jesu Christe cur id pateris, ut qui monitus illico surrexit, teque adoravit, capiatur, trahaturque ad mortem? Te deprecor Domine, mihi, ut eum liberum incolumemque restituas. Vix ea Virgo protulerat, cum ipse ex eorum manibus elapsus, qui eum arcte constrictum tenebant, profugit, nec multo post in ordinem S. Francisci adscriptus est, in quo pie ac religiose vitam conclusit. Alter vero captus plexusque capite est.

Alium ex satellitum manibus, sacræ hostiæ contemptore punito.

28 Venerant ad B. Christianæ monasterium fratres quidam ex ordine *c* S. Dominici, gravi animi mœrore afflicti: nam cum in Tartariam essent profecturi, in itinere privilegia quædam Apostolica, ac litteras Magistri sui Generalis amiserant, quibus auctoritas continebatur, qua uti in illis barbarorum regionibus possent. Preces Virgo effundit: postridie monet ut ad locum quemdam procul a monasterio remotum abeant, res suas sub junipero reperturi: quod ita evenit.

Res amissæ ejus meritis et indicio repertæ. *c*

29 Architectus quidam nescio quid moliens operis, clavo pedem sibi transfixit, summo cum dolore ac periculo: sed cum vulnus ei Virgo obligaret, magna mota commiseratione, subito dolorem illi omnem abstersit, vulnusque persanavit.

Vulnus curat architecto.

a *Ejus vitam dabimus* 1 *Februarii.*

b Phocetium *horum oppidum vocat Albertus, a Phocensibus Pelasgis.*

c *Curtius Franciscanos ait fuisse. Missi certe et Dominicani et Franciscani ad Comanos aliosque Orientales barbaros a Nicolao IV, ut ad an.* 1288, *n.* 11, *Bzovius refert.*

CAPUT IV.

Ægritudo, mors, miracula.

Tandem 70 annos nata paralysi correpta est, lectoque tres annos afflixa decubuit, itaque morbi molestiis est extenuata, ut mortem in lucro merito posset reponere: cum ei miserabilis hæc vita assidua mors esset. Etsi vero diuturno illo situ dextrum illi latus plane emortuum esset, et reliquum omne corpus gravissimos dolores sustineret; tantam illa tamen animi alacritatem præ se ferebat, quantam vix alius quilibet etiam maxime firma ac vegeta valetudine.

Paralysi corripitur;

31 Cum vero finis vitæ instaret, vetuit monasterii Præfecta ne se amplius sub tempus elevationis vivificæ hostiæ deportari ad oratorium curaret, uti consueverat,

Ex Italico Silvani Razzi.

sueverat, quod et sororibus ceteris molestia, et gravior ipsi dolor crearetur. Deinceps igitur (uti ipsa F. Joanni Capellano suo sub secreto confessionis aperuit) quotidie cum in sacra æde sacrificii tempore sancta hostia elevaretur, Christus se corporea specie in loco, in quo decumbebat, spectandum illi offerebat. Eidem Fratri Joanni octiduo ante diem suæ mortis prædixit, eventuras patriæ calamitates, aliaque complura ad monasterium illud pertinentia. Ipsa obitus sui hora tanta relucebat in ejus vultu lætitia, serenitas, splendor, ut facile appareret felicissimam illam animam migrare ab hac vita, ut Christo æternum conjungeretur in cælis. Convocatis igitur universis sororibus, suavissimis verbis materno affectu eas consolata, feliciter requievit in Domino sub initium Januarii mensis, anno 1310.

Christus ei sæpe apparet.

Ipsa diem mortis, aliaque prædicit.

Moritur, splendenti facie.

Animam ejus in cælum deferri videt quædam.

32 Pia quædam matrona, Tergia nomine, dum precibus in majori æde Pisana vacat, ipsa qua e vita excessit hora, ejus animam vidit in candidissima veste ab Angelis in cælum gloriose deportari, quæ et ipsam his visa est verbis affari : Mecum nunc exulta amica mea Tergia, nam, ut cernis, Angelorum obsequiis ad æternæ vitæ stationem devehor. Permansit corpus ejus a morte multo quam ante speciosius et clarius; oportuitque, ut populi undique magno numero concurrentis pietati fieret satis, decem ac septem dies insepultum illud asservare. Non est vero silentio prætereundum, inter ceteros adfuisse quamdam non integræ famæ feminam, quæ ut in sacrum Virginis corpus defixit obtutum, illico Oringa faciem sibi veste, qua erat cooperta, propriis manibus contexit.

Impudicos etiam mortua aversatur.

Multi reconciliati in ejus morte.

33 Præter alia innumera signa ac miracula ejus meritis et intercessione perpetrata, multa hominum millia sub mortis ejus tempus, uti ipsa prædixerat, cum ante animis dissiderent, tum divini Spiritus gratia compuncti, in gratiam mutuo rediverunt. Aliquot ab obitu illius diebus Thomas Clericus, de quo supra egimus, cum gravi capitis dolore torqueretur, Virgini beatæ se commendat, et subito est liberatus.

Dolor capitis curatus ejus meritis.

Visus restitutus.

34 Quidam ex Comitatu Florentino jam ab annis quatuordecim cœcus, visitato sacro corpore visum recepit.

Mortuus suscitatus.

35 Puerulum quemdam ex pago S. Miniati ad Tedescum in fossam aqua plenam prolapsum, ac die integro submersum, sub noctem inde mœsti parentes eduxerunt, ac Virgini commendarunt, voto nuncupato : is subito restitutus est vitæ.

Corpus Oringæ diu integrum, cum templo combustum.

36 Alia plurima acciderunt miracula meritis beatissimæ hujus Virginis. Cujus corpus diutissime integrum, formosumque permansit, quasi recentissime vita esset destitutum. Sed Deo id permittente anno 1514 cum candela accensa esset relicta ad sacras reliquias, ingens exortum est incendium die 14 Augusti, quo et illud sacrum pignus omnino consumptum est, et pars magna monasterii. Orate pro nobis.

ALIA VITA

AUCTORE CORNELIO CURTIO,

Ord. Augustiniani Historiographo Generali.

CAPUT I.

Oringa ut virginitatem servet, domo profugit.

1

a

b

Christianæ patria, et natales.

In Etruriæ valle ad flumen *a* Arnum castellum vetus est, nomine sanctæ Crucis illustre, pauca millia passuum distans a Florentia, *b* cujus imperium semper hactenus tulit. Ibi Virgo nostra lucem accepit, obscuris progenitoribus et non extra viciniam notis. In lustrali fonte nomen ei Oringæ datum, quod postea usu perdidit; Romano populo eam a virtutibus nuncupante.

Puerilia purissima.

2 Ætatem primam duxit puritate ipsa puriorem. Verba prætextata, quæ hodie pueri prima fari docentur, auditu illi tam molesta erant, ut a fundo stomachum cierent ad certum vomitum. Non ferebat candidus ille cælestis Sponsi thalamus vel minimi pulvisculi asperginem. Sermo omnis impurus illi morbus erat : et, quia non aliquando eum audire non poterat, infirma admodum valetudine utebatur. Ab hoc ergo malo in ætate adhuc puerili febrientem accedebat Sacerdos invocatus, ut eam de noxis, quas non potuit nisi levissimas habere, absolveret : sed quam pæne illam de vita prius absolvisset. Ut enim sub ejus oculos venit, tota cohorruit Oringa, ab intimis viscerum sedibus turbata, ut tantum non animam excreaverit : ita nescio quo occulto flagitio sordidus Presbyter ei continuam stomachi tempestatem, et perpetuum vomitum commovebat. Diceres eam, mare, sordium omnium impatientem. Quas ut evitaret, præmoneri a cælo, et præmuniri debuit illo Ecclesiastici antidoto : Sepi aures tuas spinis. Igitur intra *Cap.* 28. 28. domus suæ cancellos, conchæ in modum, se cohibuit. Oportuit bene magnum esse necessitatis articulum, qui eam foras extruderet. Quando tamen prodeundum erat, signabat nota aliqua ædium suarum limen, et ultimum plateæ angulum, quæ agnosceret reversura : ita raro viciniam exibat. Credidisses eam oculis orbam esse, quos in terram fixos numquam inter ambulandum attollebat; non curiosa obtueri alios; verecunda magis ab aliis videri. Imo ut despicatui esset omnibus, adfectata sorditie deturpabat vultum. Culcitam, somnumque humi capiebat, nuda pedes hibernis etiam in nivibus, quas sanguinis sui purpura passim tingebat.

3 Quam primum fari didicit, didicit affari Sponsum suum, cui a cunis ipsis placuerat. Huic totas noctes sæpe dabat : dies non poterat, præsertim in ætate majuscula, quando ad rusticum opus domesticæ ærumnæ eam urgebant. Abi Oringa, et hunc scipionem in manus sume, ac cura gere boum pascendorum; patris præceptum erat. Quid reponeret puella octennis? Vidisses alteram istam Rebeccam, confestim ad patris nutum se accingere, ad pascua boves Boves, quos pascit, illi obediunt. vocemanuque abigere, domum redigere Sole vocante. Sed dum pecua ruri Virgo pascit, suum interim Pastorem non negligit. In silva aut campis designat bobus certum pascui loci spatium, præcipitque ut ne frumentum bonum vel lambendo attingant, herbis tantum sibi proficuis vescantur. Illa interea in foveam aliquam aut truncum arboris sese abdit, et Sponsum, cujus amore flagrabat, repetitis precibus invocat. Quis non credat prorupisse e carectis statim cælestem istum Amasium, et ad desideratæ suæ calida vota advolasse? Enimvero, dum Oringa Sponsi deliciis fruitur, boves magistræ suæ sarta tecta mandata servare, graminibus vagis et silvestribus se implere, ultra præscriptum spatium ne latam quidem ungulam transire. Quidni bruta illi obedirent, quando, qui ea creaverat, Sponsæ suæ servire non abnuit?

Ad nuptias a fratribus frustra cogitur.

4 Vix alterum vitæ suæ lustrum superaverat, cum germani ejus fratres (ad plures abiverat cum matre pater) illam nuptum collocare volunt. Quid hoc erat aliud, quam saxa et lapides virgini loqui? Ea, quæ cælo se desponderat, quomodo cœnum amet? Quis ei nuptias persuadeat, cui verba nuptialia vomitum excient? Oringa benigne respondere fratribus; Christo se copulatam esse, non posse alii conjugari. Illi vero, ceu fatuam, sororem increpare, et ad nuptias urgere verbis, cogere etiam verberibus obstinatam. Nihilo tamen illa mollior, jam cautem induerat, indurueratque ad omnes linguæ et manus injurias. Quotidiana tamen procella, qua in puellam teneram sævi fratres immaniter debacchabantur, minabatur aliquod naufragium, nisi ratem huic tempestati commode subduceret. Æstu ergo cogitationum dubia huc illuc

illuc se flectit, quæritque qua porro evaderet. Ut erat ætate et sexu infirma, alieno consilio atque auxilio indigebat. Utrumque solus ei Sponsus dare poterat, et qui negaret?

Fugienti flumen cedit.

3 Auctore illo proripit se in fugam, procul a malesuadis fratribus. Sed curriculum ejus nimis cito stitit obvium sine ponte flumen. Hic instar damæ trepidans a latratu insequentium canum, vertit se ad eum, cujus instinctu tantum stratagema adornarat; et in preces effusa, eum integritatis suæ tutorem invocat. Satis erat se illi commendasse. Non ultra sollicita, recta flumen ingreditur; et ecce, dividentibus se, et in muros crystallinos aquis surgentibus, via aperitur Virgini, quam pede omnino non madidato transivit.

a Arnus *Florentiam Pisasque perfluit, nobiles Etruriæ urbes.*
b *Silvanus Razzi dicit esse* in Comitatu Pisano. *Fere medio inter Pisas Florentiamque spatio situm est.*

CAPUT II.

Lucam tendit, civi ancillatur, peregrinatur ad montem Garganum.

Dæmonem ei vim minantem Angeli fugant.

Nondum tamen putavit se reperisse securum a fratribus tutamentum, nisi Lucam eodem pede iret. Et jam Altumpassum attigerat, Sole pæne emortuo, cum alterum Virgini obicem molitus est omnis boni æmulator diabolus. Ille monstrum pro more fœdum horridumque induerat, ascenderatque equum terribilem et omnimodis informem; videbaturque furiali cursu ruere in Oringam. Illa autem subito pavitare, et credere se jamjam obtritum iri immanibus hujus equi soleis; nisi submissi cælo candidi duo equites atrum istum suo obtutu ceu fulmine dissipassent. Sed et illi ipsi sensim agnorum mitissimorum instar disparuerunt. Ibi Oringa, Dominus, inquit, mecum est, quasi bellator fortis : qui persequuntur me, cadent, et confundentur vehementer. Tranquillitatem porro hanc tempestas nova et repentina turbavit.

In silva pernoctantemilli iidem recreant.

7 Ceciderant de altis montibus densæ umbræ, et lucem mundo eripuerant: surgebant silvarum crebra dumeta, quæ viam mero meridie impedirent. Hic manere Oringa, hic sub dio noctem traducere, et hospitium gratuitum capere debuit, ferarum omnium rictibus exposita. Cui hæc etiam virilem animum non frangant? Ut ne virgineum turbarent, effecit cælestis anteambulo, qui splendore multo illustravit, eamque nemoris partem florida amœnitate temperavit. Attollebant se per continuum ordinem hinc inde veluti industria manu consitæ arbores; fragrabant sub pedibus suaveolentes herbæ; ridebat multicoloribus passim floribus variegatum pavimentum : totum denique locum dixisses opus esse illius qui paradisum plantavit. Accedebat ad tantas delicias aliud solatium, quo Virgo noctem et curas falleret. Lepusculus, qui hominis etiam umbram timet, ausus est Oringam adire intrepide, et ludos facere; non aliter, quam in nutricis manu catellus, familiariter blandiri, in gremium ejus declinare caput, et omnino suaviari. Admirata Virgo animalculi confidentiam : Cur non arripis citam fugam, inquit, o miselle lepuscule? Quid si te prehendam? liceret enim, si liberet. An in isto meo sinu te securum putas, quæ ego ipsa trepida fugam capesso? Inter hæc puellæ et lepusculi suaviludia, aurora mari caput suum extulit, et Solem ac diem vicinum nuntiavit. Ubi nunc cælestis ille ductor, qui Oringam in viam regiam collocet? nullum enim vestigium apparet, nullum rectum iter, quod queat insistere. Ibi lepidus ille lepusculus ducis assumit officium, monetque hæsitantem nutu, supra quam brutali, ut sequatur. At vero, ubi Lucensis semita videri potuit, lepusculus, quisquis ille fuit, seu Angelus, seu lepus Angelicus, videri etiam desiit.

Pro ancilla servit.

8 Lucam ubi ventum est, fortuito, sed non sine numine, reperit illic primi nominis civem quendam; cui in obsequium se dicavit, nihil pro servitio pacta, præter spatium aliquod temporis extra ordinem liberum, quod supremo Domino impenderet. Justa ab justis impetrare facile est. Non tantum ergo de die solido bona pars, sed totæ illi noctes concessæ, quas genuflexa inter preces sæpe integras transmittebat.

Auctore Corn. Curtio.

Dæmonem iterum ei insidiantem S. Michael repellit.

9 Secretum porro elegit in summo ædium, ubi procul a strepitu Deum suum alloqueretur. Bene si turbam hominum fugiebat : sed dæmonum insultum neque illic potuit effugere. Primum ergo infernalis hostis occultam pugnam et vim animo ejus facere suggestionum ignitis jaculis; deinde, cum frustra conatus iste esset, manifestum bellum bellare. Orantem noctu aggreditur, horrendum hians, ore tam late diducto, ut ipsam inferni januam crederes. Fremitum addidit, ediditque tam immanem, ut contiguæ domus a fundamentis concuti, et susque deque rapi viderentur. Virgo primo quidem pro naturæ suæ imbecillitate tremere ad rictum tam horrendum monstri tartarini; sed paullo post animum recipere, et convertere se ad principem cælestis militiæ Archangelum, quem subitario in timore invocare assueverat. Simul adfuit, et solo adspectu longe jubens facessere inane terriculamentum, Oringam plenis solatii gaudiis inundavit.

Alio migrare divinitus jubetur.

10 Divinis ergo quotidie hostentis recreata cœpit magis ac magis suo se Sponso Jesu allegare : a quo deinde jussa alium terræ angulum, ubi habitaret, quærere, statim herum suum adiit, et, ut nutum suum cælesti imperio subscriberet, obsecravit. Ille autem, cui religio erat Dei placito non extemplo obsecundare, vale illi libentibus quidem, sed madentibus oculis dixit.

Ad Garganum montem peregrinatur.

11 Inde paullulum provecta, reperit aliquot de sexu suo comites paratas ire ad Garganum montem; ubi summo Angelorum Michaeli, cui jam pridem religiose devota erat, singulari obsequio, pro præstita paullo ante ope, gratias ageret. Et jam isto in itinere plusculos dies insumpserat imbellis hæc turba; cum altera sexus alterius eam assequitur, visa ad simile pietatis officium idem iter moliri. Sed revera latrones erant, quibus de earum corpore simul et anima rapere spolia certus animus erat. Una ergo itum est; donec ambigua quædam semita occurreret, qua in transennam duci possent imperitæ; Sole etiam, qui cubitum abibat, connivente.

Ope S. Michaelis prædonum manus evadit.

12 Trahunt prædones femineum hunc cœtum in viam aviam, ad desertam casam, destinatum latrocinio specum, jam nunc exercituri ad vim brachia; nisi iste, cui hanc peregrinationis molestiam consecraverant, in tempore, novo auxilio, adfuisset. Ecce enim, juvenis quidam exuvias draconis indutus, homine altior, illustratis luculento radio tenebris (pro Hercule suo Ethnici eum adorassent) voce Stentorea : Exite, exite, ait, filiæ : frustratur vos animarum corporumque latro capitalis, et utrorumque vobis bonum eripere ardet. Dixerat, et a via fatigatas intus atque extus recreat, et sequi se jubet. Porro cum illis secedens ad fontem, aquis supra omnem ambrosiam dulcibus scaturientem, eduxit, quod sub veste gerebat occultum, haustrum, et liba quædam; eaque cum fonte, pro cibo et potu illis propinavit. Manna sumpsisse se dicebant, quod pro palati diversitate diversos saporis dulcedine appetitus earum accenderet potius, quam satiaret. Inde itum ad honestum diversorium, in quo corpora humano modo curarent; si quid curandum restabat, post cauponis illius divini Angelicum epulum. Ibi tum S. Michael evanuit, qui tamen post iterum iterumque illas in via aspectu suo recreavit.

CAPUT III.

Roma Assisium profecta, sæpius divina ope defenditur, illustratur.

A monte Gargano descendit ad sacra Apostolorum limina;

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Auctore Corn. Curtio. Romæ in familiam cujusdam matronæ transit.

limina; quæ, et alia Urbis templa, religiose devenerata est. Inter hæc pietatis exercitamina, de monasterio extruendo consilium capit : quod obturbavit, divino indubie nutu, Monaldus Franciscanus, qui Margaritæ viduæ cuidam piæ atque opulentæ eam commendavit. Placuit matronæ eximia Virginis indoles : quam benigne habitam, juxta morem Urbis et familiæ suæ, splendida veste amicivit. Oringa vero, quæ aurato vestitu non plus delectabatur, quam equus phalerato tegmine, peregrino primum obvio amictum hunc pretiosum condonavit, vili suo et paupertino integumento contenta. Quod non semel ab ea factitatum, urgente, qua erga pauperes ardebat, caritate. Illudque non modo Margarita vidit oculis non iniquis; ut etiam sibi blandiretur et gauderet animo de hac famulæ suæ prodigalitate.

Illic a virtutibus nomen *Christianæ* accipit.

14 Imo illa ipsa, quæ, uti matrona, poterat ab ea abjectiora obsequia exigere, in parte felicitatis habuit, si Oringæ suæ posset ancillari. Denique tam rara in Virgine hac eminebant Christianarum virtutum specimina, ut passim Romæ solo Christianæ nomine appellaretur. Quod usucapione tam celebre esse cœpit postea, ut Oringam nemo cognosceret.

Assisium tendit.

15 Romæ non admodum diu hæserat, cum interea loci sentit accendi se desiderio visendi Assisium Umbriæ oppidum, celebri fama et religione S. Francisci insigne. Postquam secum, deinde cum Deo rem serio deliberasset; viduam etiam, quam pio sanctæ necessitudinis vinculo sibi arctissime obstrinxerat, comitem peregrinationis istuc trahit. Simul eo pervenit, venerabunda templum ingreditur. Ibi porro quid inter orandum ei acciderit, operæ magnum pretium est cognoscere.

Ædificandi monasterii graphidem in somno videt.

16 Precibus longis ferventibusque cælum seque fatigaverat, cum repente dulcis illi obrepit somnus, rerum post venturarum clara imago. Videt monasterii (quod Crucis-Castellani postea civi suæ erexerunt) prototypum exemplar; et in eo virginum egregium gregem, quas in clientelam tutelamque suam Deus dato fidelis promissi arrhabone recipiebat. Videt quoque angulum oppidi, fundanti cœnobii locum vilem atque abstrusum celebrari, et animarum divite cum lucro statim inclarescere. Incredibile memoratu est, quanto istud non inane in somno simulacrum eam gaudio perfuderit : ut partem ejus dare voluerit populari cuidam suo, qui id temporis magistratum Assisii gerebat. At ille, veluti anilem fabellam et merum somnium risu excipiens, cœpit spiritualem istam sementem vertere in carnale zizanium. Captus est, inquam, forma Virginis, et insano amoris igni correptus ardere visus est furialem in modum. Cujus incendii non jam scintillæ, sed faces erant putida impudentis linguæ lenocinia, quæ inverecundo et prorsus in omnem lasciviam solutissimo ore, vesanus ille procus ejaculabatur. Virgo mirari primum ineptiam petulantiamque hominis; deinde reddere illi pro blandis aspera, pro libidinantibus minacia mordaciaque verba, et indignatione totum accendere, qui prius amore arserat.

Pudicitiam ejus quidam tentat.

Cum ille nihil posset, diaboli opem advocat.

18 Judex igitur duplici igne æstuans et amoris et furoris, cum humana omnia molimina incassum fore divinaret, diabolica imploravit; quibus infestam Virginem habuit miserandis modis. Illa, ubi sensit immanem hostis occulti impetum, desperare de victoria, nisi aliud alicunde præsidium inveniret. Ergo uno curriculo ad ædem sacram confugere, in qua S. Francisci auxiliatricem, Sponsi vero sui in primis protectricem manum invocavit. Dum pugnam autem hanc pugnat Christiana, et vincit, ad lauream immortalitatis invitatur mirabili ostento.

Ostento mirabili a Deo honoratur.

19 Ecstatico animi motu extra se rapta vidit mentis oculis urbem novam Hierusalem; quam Angelus non memorabili fulgoris sui radio tam clare illustrabat, ut Sol, qui diem nobis facit, nox videri possit ad hanc Angeli lucem comparatus. Vidit et sedere Sponsi sui Matrem Virginem, quæ augusto in throno filii sui, induta sidereum vestimentum, ex argenteis quasi stellis divina manu contextum, præ se ferebat humana omni majorem majestatem. Porro cives novæ illius Hierusalem, veluti sacri quidam Salisubsuli, ad numerum et in orbem circum urbem totam saltabant numquam cessante tripudio, nisi cum thronum perfecto circulo repeterent; ubi tum cernua modestaque veneratione Reginæ inclinabant, Christiana vero dum humi flexis humiliter poplitibus, et in preces, corde, quantum erat, effuso adorat Sponsum suum, Genitricemque ejus, et sanctum Saliorum istorum chorum, audit Christum in hæc dulcissima verba loquentem : Cara mihi sponsa Christiana, attonito animo miraris tantum honoris deferri Matri meæ a cæli incolis; obstupescis ad chlamydis ornamentum, quo fulget. At nescire non debes, solenniter hodie celebrari in cælis festum Conceptionis ejus quæ me Deum hominem, sancto Spiritu cooperante peperit; vestem quoque illius, singulari candore illustrem, significare virginitatis ejus incommunicatum aliis privilegium, quo meruit esse semper Virgo Mater. Subdiditque : Tu autem promissam hujus gloriæ partem a me accipies, quando naturæ, quod debes, solveris. Et cum aperto ore quasi hians conaretur dignas Creatori suo gratias dicere, ecce, eodem in loco, quo precandi initium fecerat, solam se videre doluit, quæ paullo ante Beatorum consortio se frui in cælo gaudebat. Neque statim credere sibi potuit se esse Christianam : quod perpetuaret in vultu ejus splendor quidam cælicus, nares floridulum adhuc odorem spirarent, aures Angelicæ harmoniæ musico sonitu tinnirent, ipsum denique corpus, quasi carnis excussa mole, agilitatem spiritualem induisset. Ab hoc viso cœnobium suum nomine Mariæ Novellæ indigitavit, et sanctæ Conceptionis festum quotannis celebriter colendum perpetua lege sanxit. Sed unde abieram, ad impudentem atque impudicum istum amasium, Judicem Assisiensem revertor.

Qui vitium afferre Virgini tentat, a dæmone rapitur.

20 Is ad decerpendum, qua vi, qua astu, hoc castitatis pretiosum lilium, impurum animum obstinaverat. Infernales ergo genios horrendo evocare metro placuit; a quibus in Virginis oratorium se transferri severo magici imperii edicto jubet. Rapiunt miserum dæmones capite resupinum, proxime loco, in quo, splendidissimo miræ lucis radio circumfusa Christiana cum Deo loquebatur; neque potentes aut obtueri in Virginem, aut adire propius, ululando horrendum clamittant : Actum se agere et operam perdere; Cæciliæ olim custodem Angelum Christianæ adstare, manumque exerere et fulminantem gladium minitari in accedentes. Quo dicto, immanem ululatum repetunt, et quem advexerant sceleratum Judicem, abripiunt secum ad carceres pœnarum æternarum.

Virum legibus proscriptum satellitum manibus eripit, et ad Deum convertit.

21 Per idem tempus Assisii, dum in æde D. Francisci assidua est, contigit res maxime memorabilis, quæ de pietate ejus erga Deum et homines palam fecit. Illic dum forte sacris assistit, subintrant viri duo legibus proscripti, et contra omnem loci atque officii, quod sacerdos in ara peragebat, reverentiam, ad sessibulum et somnum sese componunt, et condormiscunt. Ad arcanum sanctæ transsubstantiationis mysterium ventum erat, et illi non movere se. Quod limis oculis notat Virgo, impiosque aggreditur, et verbis acribus castigat, simulque jubet corpus et cor erigere ad Deum quam mox sub panis umbra aspectabilem. Unus sermo non eodem modo utrumque pupugit. Hic enim cum luctantes somno oculos detertisset, genu ad pietatem flexus adoravit latentem sub orbiculo orbis conditorem : ille vero ad ronchos caput declinavit iterum, Dei suique negligens. Culpam pœna premit comes. Ecce, ædem ingreditur cum apparitoribus suis Prætor, ære campano ad Christianæ pietatis

pietatis jussum obsequium vocatus; an ad vindictam potius tanti flagitii divinitus missus? et proscriptos hosce a vultu et notis aliis confestim agnitos raptari jubet ad vincula et supplicium ultimum. Obstupida quasi ad hanc vim Virgo : Bone, inquit, Jesu, istene ad mortem rapiatur, quem ego impio lethargo eripui atque excitavi ad veram tui latriam? Obsecro te, Domine clementissime, ut hunc, quem tibi quodammodo peperi, filium mihi restituas. Dictum, factum. Proscriptorum iste se expedivit e vinculis satellitum, omisso pallio, effugitque virtute ejus, cui omnia obediunt. Asylum autem reperit ædem eamdem S. Francisci : ubi monachum quoque induit, et vitam religiosam sancto fine transegit. Alter vero, qui aures bene monenti Virgini dare noluit et Deum suum agnoscere, agnovit Judicem, caputque dedit carnifici amputandum.

CAPUT IV.

Cœnobium construit : obstacula perrumpit.

B. Verdianam invisit.

Ceterum Assisio egressura, locum in valle Elsæ non obscurum, Castrum-Florentinum petere instituit, B. Verdianæ salutandæ ergo, quæ Vallis-Umbrosiani Ordinis sanctionibus conformiter vivere professa, illic ab hominum adspectu reclusa habitabat. Quia vero illinc non multa passuum millia aberat Crucis-Castellum, Christianæ natale solum, Romana vidua ejus videndi cupidine urgeri cœpit. Reluctari primum visa est Christiana : sed cum eodem cælum impelleret, eundum tandem erat.

Ex oppido Crucis-Castellano exire volens occulta vi tenetur.

23 Ibi cum hæsissent ambæ dies aliquot, ambæ exire frustra nitebantur : Christianam enim pedes deficiebant. Ut sciret non esse de nihilo hanc infirmitatem, in Castello ambulabat gressu quidem libero; sed non tam cito de exeundo cogitaverat, quam obrigescerent illi pedes, terræ quasi adfixi. Stupere utraque, et mirari miraculum. Quid facerent? Deum vocantem sequi Virgo cogebatur : eidem non obsequi vidua nefas putabat. Videns igitur se divelli ab ea, quam Christus tenebat, tenerrimo osculo Christianam suam amplexata, cum se ejus precibus amice commendasset, abiit unde venerat.

Ibidem parthenonem, juxta visam ante graphidem, instituit.

24 Sola jam Virgo, inter primas statim curas secum reputat, quibus eximiis studiis Sponsum sibi potissimum demereri queat. Redit memoria instituendi parthenonis, cujus voto jam diu ante flagraverat : accedebat et accendebat civium amor, desiderio ejus impense faventium. Statuit ergo Dei nutum examinare pensiculatius, et rogare, ut, quid a se fieri velit, manifesto ostendat. In medio harum sollicitudinum æstu animo varie fluctuata, videt luminosos a cælo radios descendere, qui totum illum locum, quantus nunc monasterii est, incredibili splendore colluminabat. Non diu deliberandum fuit, quid magistra hæc lux doceret, rogavit, impetravitque a Crucis-Castellanis civibus fundum illum, ubi nasciturae familiæ cunabula poneret.

Vicinam ædiculam cum heres pretio vendere nollet, gratis impetrat.

25 Succedebat pulchre sub manus novum ædificium, non tam lapidum mole, quam virginum, quas congregaverat, sanctitate admirandum. Sed incommodabat novo huic collegio exiguum in vicinia domicilium, quod civis quidam nomine Tridianus possidebat. Interpellat heredem Virgo, non hominem, sed lapidem, imo omni lapide duriorem; neque prece neque pretio ullo flexilem. Ad cælum ergo conversa, quod multo esse mollius sæpe experta fuerat, cum Matre-Virgine Filium invocat, qui rigidum hunc virum cælesti virtute flectant, aut certe frangant. Audiit cælum. Postridie multo mane festinat Tridianus ad monasterii januam, et crebro grandique sonitu evocatis sororibus offert suapte sponte, prius denegatam ædiculam. Accipite eam, inquit, si libet, etiam sine pretio. Isto enim in loco conspicabilem se mihi præbuit hac nocte Cælitum Regina, et quam nunc fixam teneo, mentem indidit. Ut autem pro beneficio gratiarum officium Christiana redderet, aram illic erigi jussit Mariæ Benefactrici.

Auctore Corn. Curtio.

26 Vix etiamdum procellosus hic contumaciæ ventus posuerat; ecce alius a sacro ordine surgit longe periculosior turbo. Potentem enim adversarium Lucensem Antistitem experta est; qui de jure suo, quod perditum iri quadantenus dicebat per hoc oratorium, nihil remittere voluit. At vero Episcopi pertinaciam fregit illa ipsa, quæ Tridianum; minitando eidem asperrime, si sancto ancillæ suæ proposito obicem vel minimum poneret.

Episcopum Lucensem Virgini difficilem Deipara terrefacit.

Parochum sibi adversarium precibus conciliat.

27 Et tamen non est veritus novam illi et multo acriorem tempestatem quidam ad S. Viti Curio excitare. Erant per ea tempora in oppido Crucis-Castellano parœciæ quatuor, S. Viti, S. Andreæ, S. Thomæ, et S. Donati, quæ postea in unum Canonicorum collegium coaluerunt. In ista autem S. Viti diœcesi cœnobium situm erat. Hic, inquam, Curio graviter sæpe aspereque cum B. Christiana contendere, et velle plenissimum in toto Ecclesiæ suæ territorio jus dicere, et servare. Mollia quidem verba benigna Virgo reponebat; quibus non modo non mitigavit implacabilem viri iracundiam, ut etiam magis extimulaverit, odioque tanto accenderit, ut jam clare et palam monasterii se hostem profiteretur. Quam animi præfracti plusquam ferream obstinationem dolens Virgo (nam cetera vir probus erat) indixit sodalitio suo fervidas pro Parocho preces, persuadens certo sibi et sororibus, intestinum istud odium aliquando in amorem sincerum conversum iri. Fusæ preces ex corde intimo : quæ vi quasi divina grassatæ in cor viri penitissimum, ita turbarunt a fundo, mutaruntque; ut quanto antea opere cœnobium oderat, tanto id postea tueri et protegere, qua verbis, qua factis, voluerit.

CAPUT V.

Monasterium ordinat, litterarum cantusque scientiam sibi suisque impetrat.

Statum sui cœnobii viso cognoscit.

Perfuncta feliciter omnibus hisce molestiis, convertit ad virgines, quas legerat, animum : quarum cœtus eximius videbatur, et de quo sibi blandiri Christiana posset. Sed pretium hic virtutem, non numerum facere, in mediæ noctis tenebris satis clare didicit : quando sepultis somno profundo sensibus, mentis oculis aperuit, viditque in cœnobii sui area excrevisse multis ramosam brachiis arborem nucem; sub ea autem jacere magno numero dispersas juglandes : virginum quoque unam, ex primis, quæ in disciplinam Christianæ se dederant, Mariam nomine, nuces omnes in unum acervum accumulare, seligere deinde bonas, vitiosas vero aut cassas e monasterio foras projicere. Somno solutos oculos vix Christiana deterserat; cum illi, quam dixi, Mariæ portentosum hoc insomnium ordine recitat, eamque de mysterio, quod occuli non ignorabat, sententiam rogat. Tum illa : Ne nescias, o mea Christiana, nuces vitiosas, quas mea ejici manu vidisti, significare Virgines fatuas, quæ secundum parabolam Evangelicam, non habent oleum in vasis lampadarum suarum, et Sponsum suum præstolantur oscitantes, dormientesve; bonæ vero, quas me coacervare et conservare vidisti, prudentes Virgines sunt, quæ hoc sacro in contubernio religiosam vitam ducent, anxie curioseque ad Sponsum suum anhelantes, cujus nuptiis dignissimæ probabuntur. Atat me, subjunxit, miseram et ter miseram, quæ de numero insipientium sum, adeoque ex hoc sancto virginum collegio foras projicienda. Vaticinio respondit eventus : non multo enim post, cum aliquam-multis aliis puellis ad sæculi delicias nuptiasque egressa, cælestem Sponsum morari noluit,

Auctore Corn. Curtio.

luit. Sic defæcatum sodalitium mira animorum in Christo tranquillitate gaudere ac frui cœpit, supra omnes vero Christiana eminere : quæ ubi de divinis sermonem instituerat, videbatur posito molestæ carnis amicimine Angelum totum tota induisse.

Omnibus se sororibus posthabet.

29 Nihilo tamen minus ea fuit modestia, ut, quæ revera mater erat reliquarum, auctorque cœnobii, indignam se arbitraretur, quæ ferret nomen Antistitæ; et quanto antistabat omnibus, tanto posthaberi omnibus voluerit, omnium mancipium quasi de lapide emptum, servire ad nutum paratissima, et culpam fateri veniamque petere prostrato corpore, cui non satis apto servitio minus placuisset. Sed non caruit suo fructu ista animi submissio. Respexit humilitatem ancillæ suæ mundi Domina.

Magistram litterariam Dei Matrem habet.

30 Rogantibus virginibus (quæ uti matrem eam semper coluerunt) dederat pensum orationum familiarium quotquot diebus numerato et memoriter absolvendum : nempe imperitæ omnes erant, et legere indoctæ. Quanti vero referat non omnino ineruditas esse monachas didicit Virgo a nocturno spectaculo. Sedebat Deipara eo in loco, ubi Christiana amicis extraneis præsentiam suam commodare, aut dare aures negotiosis solebat. Tenebat autem manu altera codicem aureis litteris perscriptum, quem Christianæ in genua provolutæ obtulit, ore neque ridenti neque severo, dicens : Lege Christiana. Ipsa vero, profunda cum animi demissione : Domina, nescio legere. Illa vero cum jussum suum iterum iterumque repeteret, Christiana iterum iterumque reposuit tria sua verba : Domina, nescio legere. Tum Deipara : Efficiam, inquit, ut scias. Simul hæc dixit, disparuit. Reddita sensibus suis Virgo, pensiculatius ruminavit hoc insomnium, examinando ætatis, quæ jam non parva erat, ineptitudinem; et tamen judicavit commode actum iri cum cœnobio, si haberet gnaram litterarum Antistitam, a qua reliquæ virgines instrui possent. Ecce adest statim præ foribus desideratæ commoditatis articulus. Sacris monasticis initiatæ in album sanctimonialium adscribuntur sex puellæ, quarum duæ aliquando psalterium inspexerant, et pauxillum, quod in eo discendo libaverant, alias vicissim docere cœperunt : deinde facinus palmarium ausæ, Romanum Breviarium volutare, et de horis Canonicis balbutire aliquid. Eoque crevit, auctore Deo, scientiæ cupido; ut, cum verba passim in compendium paucis litteris consonantibus contracta, magistri opem exposcerent, datus sit earum alteri a cælo doctor, Presbyter quidam venerabilis, a quo olim legendi initium hauserat, qui dubia ei dormienti exponeret, et difficiliores nodos expediret Non potuisset vigilanti dari magister vigilantior. Omnia enim illius præcepta tam studiose observavit, et retinuit fideliter, ut eadem dare sororibus, et apprime imprimere posset. Et tamen multa adhuc eam reliquasque latebant. Itaque Christiana pro omniscientia Deum Deiparamque frequenti, sed inani prece rogavit. Tandem ergo corde effusissimo sic exclamat : Regina mundi utriusque et Sponsi mei optimi Mater optima, quando me hac, quam rogo gratiam, indignam video, agnoscoque, collubitum tibi sit, obsecro, ut minimum sororibus meis aperire, quod ancillæ tuæ absconditum esse placuit. Hoc dicto, codicem sumit, vicinæ sorori explicat, discitque ab illa eodem temporis puncto, quod antea utraque ignoraverant. Mundi ergo Domina respexit humilitatem ancillæ suæ, quod omnium magistra ad sui magisterium æquo animo sororum minimam admisisset.

Ipsa et reliquæ Virgines canere sine doctore discunt.

31 Sed non satis erat virginibus sacris callere litteras, nisi quoque ad Ecclesiastica odaria scirent vocem canoro modo inflectere. Ille ergo, qui argutam linguam doctumque ad carmina guttur volucribus, pio etiam huic choro eam modulandi artem dedit, ut ad aures demulcendas plusquam humanis viribus instructæ viderentur. Id ita esse ut omnes credant, rem auctorem dabo. Ad oratorium Christianæ in S. Joannis Baptistæ pervigilio viri religiosi concurrerant, ut vespertinas preces solenni cantu peragerent. In hymno dissonis vocibus male perstrepebant omnes, cujus initium pluries repetitum non poterant tamen legitimo tono reddere : ibi sanctimoniales divino instinctu animatæ tam suavem vocum harmoniam ordiri, et quem vix unquam ante legerant, hymnum modulari cœperunt, ut Angelorum melos se audisse non unus aliquis crederet.

CAPUT VI.

Arcana, et futura cognoscit, prænuntiat.

Monstrata sibi a cælo mysteria virginibus suis explicat.

Transeo ad aliud ostentum didacticum, quo ancillam suam Deus non tam erudiebat, quam delectabat. Vidit a cælo in terram defluere amplissimum conopæum; cujus pars maxima toto olympo latissime diffusa, ea vero, qua oratorium suum tangebat, strictissima erat. Non erat opus alio augure, qui somnia hæc explicaret : ipsa Christiana suis ita sororibus aperuit. Viam, quæ ad cælos ducit, angustam esse atque difficilem, asserens; neque eum dignum rosam carpere, qui a spinis adhorreat; neque fruiturum deliciis spiritualibus, qui temporalium passionum amaritiem gustare abnuit. Falli eum, qui gestatorio in vehiculo, aut molli lectica ad gaudia Beatorum se commode transvectum iri credit : assiduo cum hoste potentissimo confligendum; militiam esse vitam hominis. Hisce ergo spectaculis et quotidianis ad virtutem excitamentis solari sodales suas consueverat; omnibus interea interdicens, ne quidquam eorum, quæ contigisse sibi candide narraverat, ad extraneas aures se superstite dimanaret.

Viri ejus doctrina instrui rogant.

33 Neque tantum intra claustrorum septa puellis innocentibus salutaria hæc documenta prædicabat, sed astutos quoque et peritos viros erudito captabat eloquio, et quasi manu, pro suo arbitrio, movebat. Illa, inquam, quæ neminem unquam hominem docentem audierat, tantum doctrinæ et habitantis in se sapientiæ specimen dedit, ut omnem quantumcunque perplexam et intricatam quæstionem sine difficultate enodaret. Quare frequens illustrium doctorumque virorum concursus erat ejus audiendi cupidine flagrantium, et profitentium, spirare ex ejus ore cælestem quandam divinæ sapientiæ auram, quæ ad salutis portum fluctuantes animas dirigeret.

Videt hominum cogitata.

34 Quid mirum? cælesti voluptate per singulos fere dies delibuta, sæpe etiam destitutis sensibus, et exanimæ similis, nescio quo rapta, intuebatur divinæ claritatis speciosissimum speculum, ex quo mentium humanarum non obscuram scientiam hauriebat : ut quoties defigeret in vultum hominis suos oculos, in penitissima simul ejus viscera sese penetraret, atque secretissima cordis arcana curiosa quæstione rusparetur. Indidem vaticinii spiritu inclaruit, ut futura non minus certo, quam præsentia videret.

Crucis-Castellanis cladem prænuntiat.

35 Suis profecto civibus opportuna, si credita, vates fuisset. Jamdudum ætatem inter eos et Fucecchinos (vicini habitant) vetus et capitalis inimicitia fuerat. Ferro et flamma in se invicem sævire quotidianus ludus erat. Videns ergo Christiana suos Crucis-Castellanos ardere animo, et parare arma, quibus postridie in hostiles agros excurrerent vasta populatione, obnuntiare voluit, et cladem, quam prævidebat, avertere. Sub auroræ primos radios, signo dari jusso cogit magistratum, ad quem verba habet pauca, sed prudentiæ pondere gravia, solidaque : Non subito procurrendum, quo rapit malus animus, pessimi semper consilii auctor; non tentandum temere, unde pœnitentia et ipsa pœna sequi potest. Si porro ire vellent, quo proposuissent, manere eos ipsos vincula, quæ aliis paraverant, et certissima gravissimaque

gravissimaque damna. Ibi unus reliquis impudentior : Numquam tutum, ait, fidem dare mulierculæ : statimque cum risu exsibilato Virginis consilio, rapta arma, et pede citato itum in hostem. Jam flumen Arnum transiverant (Christiana interim sociæ suæ commonstrat horridum visu serpentem, qui ex altera fluvii ripa se Crucis-Castellanis objecerat) et vim faciebant in prædium dudum ante ad prædam destinatam. Fucecchini, cognito hostium insultu, non segnes et illi arma expediunt, ferunturque in adversarios tam immaniter, ut non quæsito vado, quod nullum dabat fluminis æstus, neque metum facientibus Crucis-Castellanis, qui ripam omnem præsidio tenebant, sine ullo detrimento tranaverint, hostem ceciderint, admodum multis in vincula abreptis. Inter alios insultus ille blatero, qui non dandam esse fidem mulierculæ, stolide clamaverat, cum filio suo cæsus occubuit, linguis per cervicem a radice evulsis. Miraculi id loco apud omnes habitum, et creditum pœnas contemptæ Virginis sumpsisse Numen de membro illo quod peccaverat.

Futura Umbronico prædixit.

36 Oraculum sibi suisque magis propitium ab eadem Umbronicus quidam audivit. Turbabat illustres duas familias internecinum odium, quod extingui posse nulla spes erat. Alterius pater erat hic, quem dixi, Umbronicus : qui osus tam longum periculosumque dissidium, rogat Christianam, ut discordiæ hujus radicem funditus orando evellat. Illa crebro importuneque interpellata, benignis tandem verbis jubet securum parentem in utramque aurem dormire; familias quidem totas provolaturas in certamina cruenta multa, nullum tamen fatale, adeoque neminem periturum; arma prius in ipsis pugnantium manibus disruptum iri. Quæ omnia examussim evenere. Nam ruentibus in prælium utrisque, hic vidit dissilire in manu sua ferrum quod stringebat, ille gulam sibi transadigi, vulnus iste grave infligi, sed extra vitæ discrimen omnes, conformiter sanctæ Virginis prænuntio.

Franciscanis ad Tartaros proficiscentibus perditas litteras restituit.

37 Eodem spectat, quod addo. Quidam de familia Seraphica graves Patres ad Tartaros (homines pæne tartareos) destinati Apostoli, in via B. Christianam salutarunt. Longos illic logos de longissimo itinere, de amplissima officii Evangelici dignitate atque auctoritate multa verba serebant : privilegia etiam ad id muneris rite obeundum non vulgaria ostendere gestiebant. Quæsita in manica, in sacculo, in pera : frustra ; in via, nescio ubi, exciderant. Ibi omnes subito gravis mœror incessere, et tantum non delinqui animo. At vero Christiana : Bono animo este, inquit, o boni, salva sunt vobis vestra privelegia. Et remotis arbitris in preces statim incubuit, quas totam noctem perpetuavit ; donec indice cælo videret ea jacere sub junipero, quæ dimissus mane famulus reperit integra incorruptaque ab imbre, qui per eam noctem densus ceciderat. Inter restituendum vero, in Patrem, nomine Jacobum, qui ad iter et Evangelii messem paratissimis pedibus prurire videbatur, intuita, pronuntiavit non perseveraturum. Quod ille cum stupore tum quidem audivit ; sed majori postea cum stupore viderunt omnes vatem falsam non fuisse.

Eorum unum ferventissimum præsagit non perseveraturum.

Nati pueri malam vitam, et mortem infamem prævidet.

38 Imo multa prævidit prædixitque vix nata fieri. Ex illis est, quod sequitur. Invisebat ad mulierem puerperam, et obtutu in vagientem infantulum defixo, dixit lacrymans pietatis lacrymas : O infelix pusio, quantum me tui miseret ! Et ad circumstantes : Iste vitam ducet flagitiis infamem, finiet vero infamissime : quia spreto Numine, legibusque calcatis, totum se nefariis sceleribus cooperiet, tandem pro sepulcro crucem habiturus. Folium Sibyllæ recitasse visa est. In firmata enim ætate, abominandorum criminum reo et damnato gulam carnifex fregit.

Prædicit Thomasini sacerdotium.

39 Vidit quoque Thomasinum adolescentem, qui religionis ergo secutus turmam quandam peregrinorum, S. Franciscum Assisii solemni cum ceremonia salutaverat, a recta via fortuito desciscere, et vagum errare. Monet igitur Joannem, sibi a conscientiæ arcanis venerabilem Patrem, ut ad monasterium cum rubore verecunde declinantem benevole excipiat; eumdem Thomasinum vice Sacerdotis aliquando in cœnobio perfuncturum. Venit; et quod præsagivit, evenit. Sed quis stylo complectatur omnia, quæ illa prædixit? Potius est, manum mentemque ad virtutes ejus convertere, et quasdam ex eis singulares breviter persequi, unde nobis quisque vivendi exemplum optimum sumamus.

Auctore Corn. Curtio.

CAPUT VII.

Virtutes ejus, ac miracula.

Magnam Virginem principe studio semper coluit : cujus amorem semper virginibus suis serio mandare voluit, commendare etiam impense nobis, qui castitatis donum petimus, aut speramus præmium. Argumentum ejus illustre fuit, quod hic dabo. Deiparæ in cælos Assumptæ festam diem ornaturæ monachæ, magnam præcedentis noctis partem laborando consumpserant. Jam oppido defatigatas tam profundus sopor alligaverat, ut non in aurem tantum, sed utrumque simul oculum dormire viderentur. Spissiori nocte discussa, plenum diem facturo Soli rubens aurora aliquamdiu præcurrere cœperat, priusquam somnum virgines excussissent. Pudore ergo non minus propter magnum undique advenarum concursum, quam dolore afflictæ propter festi reverentiam, quid agant omnino nesciunt. Christiana licet cum morbo difficili (qui letalis ei fuit) conflictaretur, protinus accurrit, easque ab omni animi molestia liberas esse jubens : Date inquit, filiolæ meæ, solemne æris campani signum, et matutinas preces celebri, tantaque festivitate digno cantu peragite : neque enim se quoquam motabit aurora, atque uti nunc semel exorta est, donec vos officio finito quieveritis. Dictum bona fide a Christiana : factum eadem a virginibus. Scin' quomodo? Josue olim, (orbis miratus est) Solem ad occubitum properantem edicto suo stitit : Virgo hæc nostra (orbis quoque noster stupeat) surgere ultra auroram vetuit, donec ei, quæ Lunam sub pedibus habet, debitum obsequium sorores persolvissent.

Solem orientem sistit.

Diebus noctes orando conjungit.

41 Singulare in ea fuit orandi studium, in quo cum die noctem non semel conjunxit. Tam intenta frequenter precibus, ut dies totos eosque plures non meminerit aut certe neglexerit cibum potumve capere. Rogata a sanctimonialibus, quæ valetudini ejus nimium quantum timebant, ut pro sustentando corpusculo pauxillum gustaret; frustillum panis cibarii sumere pro more habuit, antequam se in preces effunderet, ut pietati sororum daret aliquid, et ne gloriolæ vanæ fumo afflaretur: a quo nisi cavendum sibi maxime credidisset, non se ullum unquam cibum sumpturam sæpe asseruit. Non poterant enim illi, quæ de spiritu gustaverat, ea quæ carnis sunt, sapere.

Orare alios docet.

42 Porro dixisses pectus Virginis Ætnæam aliquam fornacem esse, quæ flammas evomeret, et orationis ignibus ambureret omnes, qui eam propius accessissent. Nemo enim vel perfunctorio tantum alloquio eam salutavit, quin statim quotidianum ab ea orandi exercitium acciperet, et ad id servandum flexanima ejus dictione, quasi dictatorio imperio cogeretur.

Misericordia ejus in pauperes.

43 Profusissima fuit in egenos : quibus, quod habebat præsentarium, dispertiebat sine discrimine. Pannuceo cuidam mendicabulo pro foribus monasterii, stipem miseriæ suæ levamen flagitanti, tunicam, quam induta erat, cum aureo nummo, quem solum habebat, donavit.

Fame laborantibus civibus mirabiliter succurrit.

44 Crucis-Castellum, et vicina circum loca fames acriter infestabat. Communi malo commune remedium quærendum erat : Christiana invenit. In medio enim cœnobii sui arvo, multa faba consito, altam crucem

Auctore Corn. Curtio.

crucem plantavit, quæ invitaret omnes ad communem usumfructum. Novo quoque portento Deus adfuit. Accurrebant omnes turmatim, et pro stomachi inanitate rapiebant quantum volebant: neque tamen fabarum messis visa decrescere; ut omnibus a mortali fame unus iste agellus salutem daret.

45 Nec in pauperes solum pia, sed in omnes passim mortales singulari amore ferebatur: ut si qua cuiquam posset, libentissime commodaret. Sacrum iter ad Montem-Toparium aliquando instituerat cum Alexandro pio et copioso adolescente, et altero quodam, civibus Castello-Francis. Enimvero, dum inter ambulandum de rebus divinioribus et amore cælestium disserit Christiana, ecce Martis-Castellani, qui adversus Castello-Francos jus represaliorum (ut vocant) obtinuerant, obviam facti, in Alexandrum comitemque ejus insiliunt, prehensosque ambos trahunt in captivitatem. Consectatur fugientes Virgo nostra, orans, obtestans per sacrosancta Jesu Christi viscera; ut liberos eos recipiat, queiscum viam cœptam finiat. Surdo asello fabula canebatur. Ædiculam ergo proximam ingreditur, et brevi sed ardenti precum jaculo cælum ferit, penetratque. Iterumque gradum accelerat, vociferatur voce vocalissima, et ut expeditum pedem reflectat, Alexandrum monet. Audiit ille, vertitque se, et revertit ad Christianam, et Montem-Toparium. Porro, ut vi occultiori factum id scias, exultabundi prædones Martis-Castellum attigerant prius, quam Alexandrum abesse cognoscerent. Illic ore indignabundo suam quisque indiligentiam accusantes, quando opulentum amiserant, alterum quoque paupertinum non illubentes dimiserunt.

Captivum adolescentem miraculose liberat.

Vulnus subito curat.

46 Non minus commodam opem ab eadem Sabbatinus quidam, architecton Pisanus accepit. Is ædificando monasterio sedulam applicans manum, pedem offendit graviter in clavo, cujus periculosam cuspidem improviso calcaverat. Sed non tam ei vulnus doluit, quam quod Pisas frustra cogitaret; quo illi ex negotio proficiscendum erat. Condolere Virgo, et prece ad Deum concepta, obligare plagam ejus levi fasciola, atque ut postridie Pisas ambulet intrepide, animum addere. Simul ad urbem pervenit, sollicitus de plaga inquirit. Sed illius etiam vestigium fascia, an manus Virginis? neutra tamen sine numine, quasi deterserat.

Mulieri infœcundæ prolem impetrat.

47 Crebra hæc et stupenda erga multos beneficia, quæ tota Etruria rumore magno differebantur, accenderunt etiam civem Lucensem, Francuccium, ut et ipse aliquid Christianam rogaret, certus impetrassere. Erat viro improles uxor, sed liberorum cupientissimus animus. Venit ergo Crucis-Castellum, et conjugis vitium, suum desiderium Virgini explicat, supplicatque ut voto suo potiatur. Se nihil dubitaturum de eventu, si illa tantummodo annueret, quæ cælum hactenus semper habuisset exorabile. Illiusmodi precibus Virginem dies aliquot fatigaverat, cum ad Lucense iter expeditus, spes iterum suas ei commendat. Tum Virgo (sciebat Deum non surdas aures roganti præbuisse) ad Francuccium: An satis, ait, factum tibi erit, si filiam tibi tua uxor genuerit, quam huic postea monasterio offeras? Ille vero: Multo potius, inquit, hoc, quam aliud quidvis ambio. Audivit te Deus, reddidit Christiana: in ejus nomine revertere, et voluntati ejus conformiter vivere memento. Paullo post Francuccii uxor portavit uterum, ipse deinde filiam (Jacobam dixere) ad Christianam: quæ, ubi per ætatem licuit, monachæ habitum induta tam religiose vixit, ut non tam precibus impetrata, quam electa et a Deo in custodiam singularem accepta videretur.

Exhausta vasa vino miraculose implet.

48 Suis quoque deesse non poterat, quæ tam prona erat ad extraneos. Bono gloriosæ famæ odore excitatæ concurrebant undequaque virgines, et monastico instituto initiandas se Christianæ dederant tam multæ, ut earum numerus jam grandior esset, quam ut commode ali omnes possent. Deficiebat ergo quodam die in vasis vinum, ut nihil reliqui esset, quod postridie sororibus ministraretur. Sollicita Virgo tenellarum agnarum, quibus pascua defore prævidebat, nisi provideret supremus Pastor; nuncupatis precibus eum rogat, ut suarum in necessitatis articulo ne oblivisceretur. Uno verbo id insinuasse plus satis erat. En ille adest illico, et ubere vindemia implet penum. Quod mirandum ne per vulgi ora iret, severis silentii legibus sanctimoniales omnes obligaverat. Erupit tamen. Quidam enim, cum ad replendum vas, quod inane momento temporis ante fuisse non ignoraverat, amphoram admovisset, vidit magna vi ebullire, et in terram vinum abundanter diffluere. Attonitus ergo primo obtutu ad numquam eatenus visum prodigium, proripit se foras, et quod viderat, statim toto oppido divulgat.

CAPUT VIII.

Obitum suum aliaque prædicit: moritur: sepelitur.

Illisce studiis occupatam, non imparatam tamen morbus invasit. Neque enim satis visum est Domino, sponsam habere diligentem per omnia magnarum virtutum vestigia subsequam, nisi passionis quoque suæ torculari eam subjiceret, et expressis sordium omnium minutis etiam pulvisculis, ceu dignum holocaustoma amoris sui igni consummaret. Paralysi ergo illam tres omnino annos lecto affixit, afflixitque tam valide, ut latere dextero penitus funerato, quotidie cetero corpore millies mori videretur. Nihilo tamen minus læta exporrectaque fronte, et ore ridenti, laudabat eum inter tormenta, quem pro se mortis amaritudinem gustavisse non illibenter, dicebat. Docebat suas ipsas sorores condolescentes forti animo esse ad sufferendum pro dulci Jesu, quæcumque tempestas ingruerit. Certe nulla pœna tam gravis illi unquam incubuit, quæ mentem ejus, quam in cælum defixerat, turbare posset, aut flectere ad humanæ infirmitatis deliquium. Sed quo major erat dolorum procella, tanto altius firmiusque fundabat suæ in Deum fiduciæ anchoram: adeoque, tum primo veram animi malaciam experiri, dilectoque suo tranquillius inniti meditando orandoque videbatur. Non est tamen passa Antistita, eam transire ultra ad oratorium, ubi sacris operanti Presbytero assistere, et præsentem in hostia sacra Deum adorare solebat. Notaverat enim viribus eam omnino destitui. Edictionem ergo illi imperiosam habet, et jubet quiescere: Deum, scilicet omni-tuentem esse; et cordis intima, ipsamque mentem penetrare. Non ausa contra hiscere, tanto libentius auscultavit Antistitæ, quanto se graviorem sororibus molestiam addidisse sciebat, quarum humeris ad sacellum ferebatur. Verum enim non caruit præmio suo tam prompta obedientia.

Paralysi laborat annis tribus.

50 Nam, quem videre sub panis velo latentem non licebat, cernebat extra omnem nubem conspicuum, quoties Sacerdos faciebat. Id conscientiæ suæ præfecto Patri Joanni indicavit quidem, sed sub eodem, quo peccata solebat, sigillo: a quo non prius liberum pronuntiabat, quam ipsa in vivis esse desiisset.

Videt Christum.

51 Pulsante fores ejus, et vocante ad coronam immarcescibilem ultimasque nuptias Sponso dulcissimo, cœpit propinquam æterni gaudii felicitatem quasi concipere, emissis toto corpore radiis, qui adstantium oculos fulgore suo præstinguebant. Itaque summam vitæ suæ horam prædixit; ut et pleraque multa de patriæ tumultibus, monasterii raris eventibus, aliisque: quæ non incassum dicta fuisse, post-nata tempora deprehenderunt. Vocatus cœtus sanctimonialium cum Antistita universus. Ab hac primum, deinde reliquis singulatim, Christiana, veniam, si qua deliquisset, submisso animo flagitare, omnium amplexus ambire; monere deinde omnes simul piis lacrymis, vota quæ Deo nuncupaverant, libenter reddere; virtutum

Horam obitus sui prædicit: multaque alia post secutura.

tutum omnium basin humilitatem in caris et primis habere; sequi alacriter animarum Sponsum quo præierat, assumpta in humeros cruce : denique proximum amare, sed super omnia Deum, et hunc pro ultimæ voluntatis testamento sororibus discipulis suis scribere. Ibi continuo omnes in fletum prorumpere, et femineum ululatum. Hæc vero nomen Jesu identidem salutando, corporis relicto impedimento libera ad cælos evolavit pridie Nonas Januarias cIↃcccx, cum lxx, annos vixisset, quos omnes ab ipsis matris uberibus, Deo ejusque obsequio impendit. Sanctum Augustinum et Divos Augustinianos Christianæ in transitu adfuisse scriptorum firma opino est: credo, ut quam aliis sæpe, ei quoque ad cælum viam præmonstrarent.

Vita defungitur.

Ab Angelis in cælum animam ejus ferri videt Fregia.

53 De Angelis nullam habet res dubitationem; quorum inter brachia ad Superos evehi visa est a Fregia, muliere inter Pisanos nobili, cum summa in æde precibus intenderet. Ad quam, voce jam ultra quam humana : Gaude ait, amica mea Fregia, quia ad æternas delicias felicibus Cælicolarum manibus subvehor.

Corpus ejus radiis illustratur.

54 Corpus fulgentibus circum beatitatis indicibus radiis illustre, excivit ad sui spectaculum vicina dissitaque oppida, quæ undatim sese effundebant : ut totos dies decem neque sepeliri, neque a concurrentium halitu vitiato aere corrumpi potuerit.

55 Primo ejusdem diei, quo animam dedit, vespere, solitis vestitum indumentis, eo loci deportatum est, ubi facile ab omnibus videri posset, alto in capulo, circumque lucentium tedarum denso ordine stipatum. Et ecce novum ostentum. Omni populo spectante prodeunt e claustris monasterii quinque monacharum biniones, sereno vultu omnes venustæ, pares corporis habitudine et viridi ætate, quæ annos non amplius xxii numerare videbatur, indutæ vestem quasi Angelicam, concolorem illi, quam ferre Christianæ in more erat, velo oblongo tectæ caput; ambiunt feretrum, et componunt reverenter corpus ad considendum. Populus mirari publico abstinere solitum sodalitium, hærere in tam luculento earum vultu obstupidi, et quasi saxei a monstro Medusæo. Venisse ad officium funerale defunctæ persolvendum, eamque in rem veste tam splendida donatas esse ab Agnolo cœnobii benevolo Mæcenate, suspicio erat : quare fuit, qui vulgus arcere, et oratorio excludere vellet, ne qua sororibus justa parantibus impedimento esset. Sed cum ore ad gravitatem composito quidem, sed muto, aliquam-longo tempore religiosam stationem servassent, ingruenti densæ noctis caligine, eodem, unde exierant, redierunt. Persuasum id sibi omnes diu habuerunt, donec cum Virginum Antistita Presbyteri quæsiti, responderunt numquam ad id officii sorores convenisse; sed neque esse in toto cœnobio tres id ætatis et formæ; præter-illa singularum indumenta esse vetera et lacera, ut non potuerint decenter se oculis vulgi conspicuas dare : credere se potius (si illi vellent oculis sui credi) fuisse sodales B. Christianæ pridem mortuas (erant illæ numero decem) quæ matri suæ et magistræ honorem illum publicum exhibitum ivissent. At nihil hoc quidem videri potest, præut alia sunt, quæ ab obitu plurima maximaque patravit.

Funus ejus sanctimoniales pridem defunctæ stipare visæ.

CAPUT IX.

Varia ejus meritis edita miracula.

Morbus comitialis curatur.

Ex famultio cœnobii domestico mulier ancilla, quæ negotia foris expediunda accurabat, nomine Laurentia, morbo comitiali obnoxia, tam crudelem interdum paroxysmum patiebatur, ut jactato immaniter corpore, vultum aliave membra laceraret, multis post sequentibus diebus ad omne opus inutilis. Cum se eo, quo vivere desiit, temporis momento, Beatæ Christianæ commendasset, numquam dein valetudinis ullum incommodum, nullum morbum experta, gratias egit suæ sospitatrici.

Auctore Corn. Curtio. Qui cereum illi oblatum abstulerat punitur.

57 Per eos dies puellus quidam, seu innocenter, seu petulanter, ex oblatis cereis unum secum asportaverat. Domi jussus patri eadem vespera ad promendum vinum in cellam descendenti prælucere, non veretur sacrum hunc cereum accendere. Sed accedere ad dolium ipsum non potuit : dissiliebant enim fragore magno rupti circuli, et soluta tabularum compage undique vinum fluebat. Pater, qui pone puerum sequebatur, quo nescio religionis scrupulo anxius, rogat voce aspera, quid culpæ isto die admiserit. Ille, nihil circumlocutus planis verbis fatetur se candelam istam ex ara monasterii hodie subduxisse. Illico pater in genua provolvitur, et a cælo filii delictum deprecatur, restituendi cerei voto concepto. Et ecce novum prodigium. Subito, quasi conglaciatum stetit vinum, non potens ultra fluere dolio quantumvis soluto.

Invocata sistit sanguinis profluvium.

58 Eadem virtute et sanguinis profluvium stitit. Factum tribus verbis edicam. Mulier quædam laborabat hæmorrhoide nullis medicinæ subsidiis curabili. Fluentem enim sanguinem prohibere nemo medicorum poterat, nemo sistere imminentem mortem. Jam linguæ usum amiserat, et animam ipsam agebat stantem in limine ad exeundum. Aderat pollinctor qui lavaret cadaver, vocabantur sandapilarii qui ad sepulturam efferrent, cum parentes filiam ad sepulcrum Christianæ abjiciunt : quæ pie invocata, sanguinem e vestigio stitit, et fugientem animam revocavit. Sed quid miramur stare vinum, aut sanguinem ad Virginis nutum, quando orientem solem vidimus ejus jussu stetisse?

Decem energumenas liberat.

59 Ut mirum quoque non sit rebelles genios magnum in se Virginis imperium fassos esse; quando eodem statim, quo ad Superos transiit die, obsidionem qua decem Crucis-Castellanas feminas diu impotenter presserant, solvere coacti sunt.

Cæco oculos reddit.

60 Hinc crescens tam rarorum miraculorum fama, mirum, quantum et fiduciæ et religionis finitimis Florentinis adjecerit. Inter eos civis quidam decem et quatuor annos oculorum usu carverat, omni in posterum videndi spe destitutus : nisi quod videret jam plus sibi in Christianæ meritis subsidii positum esse, quam in omnium medicorum arte. Ad aram illius perductari voluit. Venit, vidit, et vicit pia prece potentiam omnium chirurgorum. Sacerdos gravis ex ordine Prædicatorio, qui hunc a privatione ad habitum miraculosum transitum præsens notaverat, eodem loci pro concione bene denuo examinatum prodigium explicavit, et ad Dei laudem, Beatæque venerationem luculento præconio homines, qui circiter bis mille accurrerant, excitavit.

Apostema curat.

61 Alterum Florentinum sub annum cIↃcccxxiix vexabat apostema, inquietum malum. Is erat Lippus Adimarus, vir sanguine nobilis; quem in dextero latere id mali modo tam crudeli exercebat, ut omnem diu noctuque quietem illi interturbaret. Porro Adimari uxor habebat in pretio crucem corallinam, quæ a venerandis Christianæ lipsanis pro ornamento aliquando pependerat : credebat enim (ut semper ad pietatem pronior hic sexus est) a tactu tam sancti corporis virium supernaturalium aliquid cruci suæ adhæsisse. Eam ergo pro malagmate, malo applicat, et in Christianæ tutelam conjugem suum prece calida mulier committit. Non fuit inanis ea fiducia. Momento temporis rupto apostemate dolor etiam omnis fractus est, et vidit clare Lippus se integre convaluisse.

Paralytico vires restituit.

62 Monachus quoque Alti-passanus, monacham Sanctam, quæ in alios tam rara beneficia quasi defluebat, se habiturum facilem credidit, si adiret. Hic a diutina paralysi male habitus, manum alteram pro trunco gestabat, etiam ad cibum sumendum ineptam. Incommodi hujus gravi tædio adfectus, ad Christianæ tumulum visit : illic, inter precandum cælesti instinctu monitus, triduum trinoctiumque obhæret, et salutem integram pie exspectat, et plene adipiscitur.

63 Multo

AUCTORE CORN. CURTIO. Mortuum puerum ad vitam revocat.

63 Multo illustrissimum et maxime stupendum est, quod S. Miniati oppidum vidit. Ibi puerulus, cui nomen Petrus, improviso lapsu in fossam aquæ plenam sese immerserat. Suffocatus in ea jacuit solidum diem, mortuum fuisse quis ambigat? talem eum parentes post longam quæstionem repererunt. Tollere ex aqua placuit, ut terræ mandaretur. Oculi sedes suas exierant, ut nemo non crederet, animam quoque suas reliquisse. Nihil parentibus præter plorare relictum erat. Quod ubi insigniter factum, venit iis in memoriam prodigiorum copia, quæ ad invocationem B. Christianæ facta ubique deprædicabantur. Salutem filio certam sibi promittunt, si eum sanctæ Virginis fidei commendarent. Votum ergo concipiunt, si puer ad vitam redeat, eum perpetuo monasterii obsequio se dicaturos, deinde miraculi testimonium, puerulum cereum ad aram ejus oblaturos. Non fefellit eventus. Respiravit mortuus, et cum eo tantum non mortui parentes.

Ex puella dæmonem ejicit.

64 Non minus miserandum spectaculum fuit suis parentibus filia quædam Crucis-Castellana, quam hospes infernalis distinuit diuturno incolatu, et habuit pessimis sane modis. Cui enim non ipsa morte videatur vita magis miserabilis, cum tali inquilino; præsertim, quando nullum pellendo huic malo remedium invenitur? Frustra adhibebantur sacra carmina, preces cassæ virium erant. Non poterat contumax dæmon ullis devotionibus moveri. Humani auxilii nulla specula supererat. Hinc, ut fieri amat, quando hoc deficit, itum ad Deum et B. Christianæ aram. Corrigiam Virginis (Augustinianæ religionis discriminale signum) in vexatam puellam injiciunt: et ecce (quantulæ rei quantam virtutem!) ejulare mox stygius obsessor, et hospitium excedere, puellamque exinde liberam sospitemque relinquere.

CAPUT X.

Alia Oringæ miracula.

Duobus post annis, millesimo, inquam, trecentesimo et trigesimo, Sacerdos quidam de familia Carmelitarum (nomen ei P. Henricus erat) cum altero fratre itineris comite, Crucis-Castellum Pisis advenerat, B. Christianæ sacra lipsana deveneraturus: et jam solutis, quas conceperat, precibus, domum maturabat. Fluvius Era transmeandus erat. Aberat a pontone suo portitor; neque erat alius, qui vicem ejus, in alteram illos ripam transmittere auderet. Valide enim auctum menstrua pluvia flumen in vicinos agros exundaverat, et rapidius volvebatur, quam ut imperitus aliquis naviculæ clavum regere posset. Carmelitæ nihilominus rogare duos ibi propter aquam stantes viros, ut hanc sibi operam gratificarentur.

Carmelitas a naufragii periculo expedit.

Negare hi primum, et excusare ruentium aquarum insuperabilem impetum; donec irremissa monachorum flagitatione victi, tandem in navigium ingressi, trajicere nisi sunt, sed fluvium iratum. Ille enim nove e nubibus cadenti imbre irritatus insurgit, fluctibusque tam gravibus cymbam oppugnat, ut irrumpenti aquarum turbine oppressa, nutare et sidere clare videretur. Periclitari maritos suos cernunt stantes in ripa mulieres, et miserabiliter vociferantur. Præficarum istarum lessu monitus P. Henricus advertit vitæ discrimen, in quo cum aliis jactabatur: spe humani auxilii conclamata, in cælum vertit lacrymantes oculos, et conceptissimis verbis. Gloriosa, ait, Virgo Christiana, non ignoras tui caussa hoc itineris a me susceptum; auxiliatricem in his angustiis mihi manum præsta, et ego tibi perpetuum obsequium spondeo annui in pane solo et aqua virgine jejunii, quo pervigilium natalis tui cultum et veneratum ibo. Nondum votum totum edixerat. Et vident se, sed quo bono vento nesciunt, ad ripam Eræ appulisse.

Saccucium quoque Liburnensem.

66 Nisi medio in oceano hæc aura felix Saccucio aspirasset, certum mari et ventis ludibrium anno CIↃCCCCXLV debuisset. Is ex Italia solverat de portu suo, (Liburnensis erat) iter in Flandriam instituens. Satis prosperum cursum aliquandiu tenuerat, cum ventorum formidolosa procella surgere, et in navim incubare, momentoque huc illuc disjicere cœpit. Omnium oculis præsentissima mors oberrabat. Salutis anchoram Saccucius sibi B. Christianam invocat. Vovet ei peregrinationem, si periculum hoc salvus evadat. Voto facto, posuere venti, iratique maris furor subsedit. Ille vero Crucis-Castellum reversus, invisit ad beatæ Virginis tumulum, et cereum gratiarum testem ad aram ejus obtulit.

Crucis-Castellum a prædonibus servat.

67 Cum nullus Etruriæ angulus sit, qui non aliquod beneficium acceptum B. Christianæ ferat, tum vero Crucis-Castellum se civi suæ maximis patrocinii vinculis obstrictum fatetur: ut non modo Sospitatricis illi titulum, sed Alexicacæ et Averruncæ nomen debeat. Argumenta huic rei edisseram. Magna hostium manus, Crucis-Castellanum iter populabundi tenebant, ut in oppidum subitario impetu irruerent, et quantum quantum erat deprædarentur. Sub ipsos pæne muros accesserant ad prædam inhiantes; cum rebelles et refractarii equi nullis calcaribus adigi possent, ut procederent; sed flexis poplitibus quasi venerabundi, locum, quem direptum ibant, adorarent. Incessebat religio nescio quæ milites, ut oppidum, quod bruta venerarentur, vererentur accedere. Coire jussi Præfecti et rogati sententiam, quid agendum. Statutum, in oppidum emissarios dirigere, qui indagarent, esset ne intra muros aliquid honore non vulgari, cultuve dignum. Audiunt Christianæ sacras exuvias fulgere istic miraculis, et in numero Cælitum apud cives et finitimos haberi. Dux militiæ præstito ante jurejurando nihil damni se illaturum oppido, oppidanisve, copiam tumuli visendi impetrat. Reverenter oratorium Virginis ingreditur, factisque ad Deum et Divam humiliter precibus, reliquit posteris ad miraculi testatissimi memoriam, equi sui ferream soleam, quæ ad ædis januam clavis trabalibus adfixa etiamnum monstratur.

Militum Hispanorum Tribunum monasterii annonam auferre parantem cæcitate punit.

68 Alterum patrocinii ejus magis recens est argumentum, quod Clementis VII tempore accidisse historiæ memorant. Hibernabant Castello-Crucis turma militum Hispanorum, et non aliter quam Sagunti olim, simul pugnabant cum hoste crudelissima atque infestissima fame; quæ horreis omnibus exhaustis, despoliatisque granariis mortale jejunium toti oppido interminabatur. Ut ei fortiter resisterent quæsita media remediaque, non inveniebantur. Sycophanta quidam, cui ad infimum ventrem fames adhæserat, ut inanimentis explementum aliquod reperiret, clamat in cœnobio abundare insignem annonam. Facile persuadebatur præda esurientibus lupis. Nulla mora; militum Tribunus illuc se proripit. Vident, accurrunt Crucis-Castellani: et ad tumultum respectare cœpit. Ibi ille multa excusare, non esse animum sibi noxium, non modo nullum se virginibus damnum illaturum, sed prohibiturum etiam vim omnem, et serio ac severe puniturum: tantum rogare, ut liceat de rumoris veritate oculorum suorum testimonio arbitrari. Tam lenibus verbis facile priorem januam occupare potuit: sed ut ne alteram videret, divina manus ei glaucoma ob oculos objecit. Clamantem Tribunum: Educite me, milites rapuerunt. Cæcus jam, cum videret facinus suum, severo militibus edicto vetuit propius monasterio accedere, et post fusas ad Virginem preces, iterum pulsa nocte lucem vidit: ut in Christiana tum Solem agnosceret, quæ oculis diem pro lubitu auferret, referretque.

Resipiscentem curat iterum.

Hæc de multis pauca, cui hæc non sufficiunt, licebit ei F. Honorium Crucis-Castellanum adire, miraculorum B. Christianæ Italico calamo pleniorem scriptorem.

XI JANUARII

XI JANUARII.

SANCTI QUI III ID. JANUAR. COLUNTUR.

S. Balthasar Rex, unus e tribus Magis.
S. Hyginus, Papa Martyr, Romæ.
S. Philoromus, S. Eugenius, S. Quinctus, S. Januarius, S. Saturninus, S. Vincentius, } Martyres, in Africa.
S. Polyeuctus, S. Candidianus, S. Philoromus, } Martyres.
S. Leucius, Episcopus, Brundusii in Italia.
S. Agentus, S. Donatus, S. Augustinus, S. Salvius, S. Felix, S. Donatus, Presbyter, S. Florus, S. Geminus, S. Pacius, S. Pausalinus, S. Eugenius, S. Stephanus, S. Philo, S. Felicitas, } Martyres, in Hispania.
S. Cyriacus, S. Ebiciarius, S. Castolius, S. Morositus, S. Castolius et alii VI, } Martyres, in Hispania.
S. Petrus, S. Severus, S. Leucius, } Confessores, Alexandriæ.
S. Salvius, Martyr, in Africa.
S. Alexander, Episcopus Firmanus, Martyr, in Piceno.
S. Palæmon, Abbas, in Thebaide.
S. Hortensius, Episcopus.
S. Theodosius, Antiochenus, Abbas in Scopulo.
S. Honorata, Virgo, Papiæ.
S. Theodosius Cœnobiarcha, in Judæa.
S. Anastasius Abbas, et IX monachi } Suppentoniæ, apud montem Soractem, in Italia.
S. Vitalius, sive Vitalis, monachus Gazæus, Alexandriæ.
S. Salvius, Episcopus Ambianensis in Gallia.
S. Egwinus, Episc. Wigorniensis in Anglia.
S. Tato, monachus in Samnio.
S. Paulinus, Episcopus Aquileiensis.

PRÆTERMISSI VEL IN ALIOS DIES REJECTI.

S. Gaspar Rex. *Molan. Ferrar.* MS. *Florarium, Saussaius in supplemento Martyrologii Gallicani; qui, cum aliis quoque auctoribus, tertium eum facit inter Reges Magos, ut mox dicemus, cum de* S. Balthasare *sermo erit. De* Gaspare *egimus* I *Januar.*

S. Absalmus. MS. *Rhinowiense, ast Martyrologium S. Hieronymi a Laurentio Epternacensi transcriptum* Alolamum *vocat. Remur eundem esse, de quo nos* III *Januar.*

S. Petrus Ascetes. *Molanus in Addit. ad Usuard. Idem est qui* Absalamus III *Januar.*

Eductio Domini de Ægypto. *Raban. Beda, Notker.* MSS. *De ea egimus* VII *Januar.*

S. Julianus Martyr, sub Marciano Præside gladio peremptus. MSS. *Lætiense et S. Martini Tornaci. Eum celebravimus* IX *Januar.*

S. Guilielmus Bituricensis Archiepiscopus. *Maurolyc. Nos* X *Januar.*

Sancti Angeli *coluntur hoc die a Græcis. Ita Menæa :* Eodem die, Synaxis Sanctorum innumerabilium Angelorum. Agitur vero in martyrio, sive templo S. Anastasiæ in Rostris Domnini. *De eo templo egimus* 10 *Januarii ad vitam* S. Marciani.

S. Marcus Apostolus *a Græcis celebratur hoc die, de quo Menæa :* Et commemoratio sancti Apostoli Marci, juxta Taurum. *Vicus erat Constantinopoli* Taurus, *cujus Zonaras meminit tom.* 3, *in Nicephoro Botoniate, et Descriptio urbis Constantinopolitanæ regione* 8, *ubi et* porticus sinistra Taurus usque basilicam Theodosianam. *Hic porro* Marcus *vel est Evangelista, de quo* 25 *Aprilis agemus; vel* Joannes Marcus *Bibli Episcopus, de quo* 27 *Septembris.*

S. Stephanus. *Menæa :* Et S. Stephani in Placidianis, *scilicet ædibus, prima vel decima regione. An hic sit protomartyr* Stephanus, *an alius, nos latet.*

S. Felix in Africa. *Rhinowiense* MS. *Forte is est* Felix, *qui hoc ipso die inter Hispanos Martyres recensetur.*

S. Theodori *fit Constantinopoli commemoratio, ut patet ex Menæis : sed quis ille sit e pluribus ejus nominis, non exprimunt.*

Dius, *Hierosolymorum* 31, *vel* 32, *Episcopus, (de quo S. Epiphanius lib.* 2, *hæresi* 65, *et Nicephorus,)* Sanctus *appellatur, referturque hoc die in* MS. *Florario Sanctorum. Nihil adhuc de ejus publica veneratione reperimus.*

S. Eupraxiæ *faciunt Græci commemorationem, ut ex Menæis patet. Mater est fortassis* S. Euphrasiæ, *quæ, ut in hujus vita* 13 *Martii dicetur, religiosissima mulier fuit; sed* Euphraxia *usitatius appellatur.*

S. Agapius Archimandrita *memoratur in Græcorum Menæis, ignotus etiamnum nobis.*

Lohemellus, *unus e primis sodalibus* S. Convoionis *hoc die obiit, vir* prudentia, scientia, et pietate conspicuus, *miraculis in vita et post mortem illustratus, ut in vita* S. Convoionis 28 *Decembris dicemus.* Sanctus *a Menardo appellatur, referturque hoc die;* Beatus *a Saussaio, qui nullum ei certum natalem assignat. Albertus Magnus de Morlaix, qui nuper vitas Sanctorum Britanniæ Armoricæ magna diligentia collegit, hunc inter Sanctos aut Beatos non recenset; licet ejus in* S. Convoionis *vita honorifice meminerit.*

Petrus Urseolus, *ex Duce Venetorum monachus in cœnobio Cusanensi S. Michaelis, (de quo cœnobio egimus* 5 *Januarii in* Flamidiano*) refertur hoc die ab Hugone Menardo, Wion, Ferrario; a quibus* Beati *titulo ornatur,* Sancti *a Dorganio et Saussaio. Antonius Vincentius Domeneccus, cum diligenter Sanctos Cusanensis monasterii recenseat,* Petri Urseoli *non meminit. Laudatur ejus sanctimonia a B. Petro Damiano in vita S. Romualdi* 7 *Februarii, et aliis. Hunc*

Ex variis.

3 *Januarii inter omissos confudimus cum* Urso Patriciaco, *sive* Badoario, *qui in cœnobio S. Felicis monachus factus vitam sancte exegit; nec ipse tamen, quod quidem sciamus, Cœlitum catalogo ab Ecclesia adscriptus.*

Wernerus Episcopus Merseburgensis. *Ferrar. Multos hic quidem et graves pro Ecclesiæ defensione labores suscepit; haud remur tamen publice coli.*

Commemoratio fit hoc die in ordine Cisterciensi Episcoporum et Abbatum ordinis, *ut patet ex Breviariis, et Menologio Chrysostomi Henriquez.*

Petrus Confluentinus, monachus in Hemmenrode, Ord. Cisterciensis, Apostolus Livoniæ. *Chrysostomus Henriquez Kalendarium Cisterciense Divione editum; non produnt an colatur.*

Bernardus *ordinis Prædicatorum Catanæ in Sicilia,* Beatus *appellatur ab Octavio Cajetano, et Ferrario. Haud comperimus an colatur.*

Ludovicus Potier, Prior Carthusiæ Gandensis. *Raissius in Auctario ad Molanum. Non colitur.*

Joannes Hortulanus, *ordinis Minorum, hoc die obiisse traditur anno* 1501. *Salmanticæ, magna opinione sanctitatis. Cujus vitam fuse describit Marcus Ulyssiponensis* 3 *part. Chronic. lib.* 8, *decem capitibus, et Joannes Marietta lib.* 17, *cap.* 21, 22, 23.

S. Tatiana Martyr *refertur a Galesinio in Notis hoc die. Ea est, de qua* XII *Januar.*

S. Ealredus Abbas Rievallensis. *Menardus. Nos* XII *Januar.*

S. Martha, conjux S. Marii, Martyr, *refertur hoc die a Silvano Razzi tom.* 1, *de feminis sanctitate illustribus. Ejus, mariti, ac filiorum Acta dabimus* XIX *Januar.*

S. Mairus multis verberibus excruciatus exspiravit. *Menæa. Raderus suspicatur hunc* S. Maurum *esse, qui cum* S. Papia *fustibus cæsus colitur* XXIX *Januar.*

S. Paulus Simplex. *Maurolyc. et Martyrol. Germanic. Nos de eo agemus* VII *Martii.*

S. Gregorius Nazianzenus. MS. *monasterii S. Martini Treviris, et* MS. *S. Mariæ Ultraject. At* MS. *Rhinouw. solum habet* : Et S. Gregorii Episcopi. De Nazianzeno *agemus* IX *Maii.*

S. Beandanus Abbas *refertur hoc die a Saussaio, Maurolyco, Martyrologio Germanico, Dorganio, Wion, aliis. Quidam* Blandanum *vocant. Wion eumdem esse censet qui* Brandanus, *de quo* XVI *Maii.*

David Rex Scotiæ. *David Camerar. An sit in Sanctorum aut Beatorum album relatus disquiremus* XXIV *Maii.*

S. Potentini Diaconi, S. Felicii Presbyteri, S. Simplicii militis, Martyrum, *ad Steynfeldense monasterium Translatio hoc die consignatur a Carthus. Col. in Addit. ad Usuard. et Martyrologio Germanico. De iis agemus* XVIII *Junii.*

S. Salvius, Episcopus Engolismensis, Martyr. *Martyrologium Germanicum. Galesinius vero et alii eum hic cum* Ambianensi *confundunt, ut dicemus hic ad vitam* S. Salvii Ambianensis. *Colitur* Engolismensis XXVI *Junii.*

S. Aunarius, Episcopus Autisiodorensis. MS. *Florar. Nos* XXV *Septemb.*

S. Egelnotus, Archiepiscopus Cantuariensis. MS. *Martyrologium SS. ord. S. Benedicti. Verum Menardus, Wion, Martyrolog. Anglicanum, aliique eum referunt* XXX *Octob.*

S. Melchiades Papa. MS. *monasterii S. Martini Treviris. Et certe in* MS. *nostro de Natalibus Pontificum, mortuus dicitur* III Id. Januar. *Colitur tamen* X *Dec.*

DE S. BALTHASARE REGE.

XI Januarii.

Trium Regum natales :

Supra diximus sanctorum trium Regum Magorum *agi quidem die Epiphaniæ memoriam, Translationem celebrari Coloniæ* XXIII *Julii, singulorum tamen diversis diebus natalem recoli,* Gasparis *quidem* I *Januarii,* Melchioris VI, Balthasaris XI, *quamquam non desunt, qui* Melchiorem I, Balthasarem VI, Gasparem, *quem tertium inter sanctos illos* III *viros faciunt,* XI *venerentur. Ita enim* MS. *SS. Florarium hoc die :* Commemoratio obitus tertii Regis in Oriente, scilicet S. Jaspar, qui obiit anno ætatis suæ CIX *Molanus in addit. ad Usuardum :* Coloniæ, obitus Jasparis, tertii Regis, festum duplex. *Ferrarius :* Coloniæ Agrippinæ festum S. Gasparis Magi. *Consentit Saussaius in supplemento Martyrologii Gallicani, et Broelmannus infra.*

S. Balthasaris XI Januar.

2 *Secuti sumus martyrologia : antiquum Coloniense excusum ann.* 1490, *in quo isthæc habentur :* In Oriente S. Balthasar Regis et Antistitis; qui hac die obdormivit in Domino, divino sacrificio in ecclesia prius celebrato ac sumpto. *Carthus. Colon. in addit. ad Usuardum editis anno* 1521. In Oriente S. Balthasar Regis et Episcopi; qui tertius inter tres Magos, hac die obdormivit, divino sacrificio in ecclesia prius celebrato ac sumpto. *Eadem fere Martyrologium Germanicum.*

Aliorum eo die commemoratio.

3 *In eadem Coloniensi Ecclesia commemoratio fit hoc die omnium trium Regum. Iidem Carthusiani Colon.* Hoc etiam die, vel secundum aliquos sequenti, festiva memoria agitur trium insimul Magorum. *Consentit Martyrologium Germanicum, et quædam Kal.* MSS. *Galesinius* VII *Januarii in Notis, eo die illorum consignat natalem his verbis :* Hoc ipso die agitur etiam dies natalis trium sanctorum Magorum.

4 *De hac tum communi trium Regum, tum peculiari* S. Balthasaris *solennitate, isthæc ex Ægidii Gelenii, viri eruditissimi,* MSS. *Fastis Sanctorum Coloniensium, nobis suppeditavit Joannes Gamansius noster* III Id. Januarii : Metropolitana Coloniensis Ecclesia, præsentibus Canonicis Diaconis collegiorum Cunibertini et Mariani in gradibus, et Scabinis Coloniensibus, celebrem agit natalem obitus tertii Regis ex illis tribus Orientalibus Evangelicis Magis, Gentium primitiis, qui natum Salvatorem cum muneribus adorarunt : in cujus honorem totus chorus quasi festivi tripudii signum prodit, quod omnes dextra facem tenentes, diademate hederino, aurichalcho et purpura intexto, coronati, divinis assistant. Reliquis quidem duobus sanctis Magis, in vetustis MSS. et ex Ecclesiæ Coloniensis traditionibus, suus emortualis dies adscribitur; videlicet ipsæ hujus mensis Kalendæ, et sexta dies; sed quod universalis Ecclesia illis diebus majoribus festivitatibus præpediatur, proprio officio divino non honorantur, atque hic tertius, de quo MSS. nostra Martyrologia sic loquuntur : III Idus Januarii, in Oriente S. Balthasaris Regis et Antistitis, qui obdormivit in Domino divino sacrificio in ecclesia prius celebrato ac sumpto. Usuardus MS. Philippus Ferrarius hodie de S. Gaspare habet multa. Ipsis Evangelicis Magis L. Flavius Dexter martyrii palmam tribuit. In vetustis rituum sacrorum libris dicitur, hodie in obitu tertii Regis tripudium esse.

Hujus diei Coloniæ celebritas.

5 *De hoc tripudio et celebritate idem Gamansius ex* MS. *Kalendario Sanctorum Coloniensium Stephani Broelmanni V. CL ista nobis eruit :* Celebris natalis est in Metropolitana Coloniensi basilica, non aliis, obitus tertii Regis, qui Gentium primi primitus obtulerunt cum adoratione sua munera. Ut Sancti in Metropolitana eadem Coloniensi Ecclesia in generali Litania (Sancti tres Reges orate pro nobis) invocantur, et nocturnos habent Lectionum IX Memorabile, quod pro Lectionibus matutinis basilica Metropolitana tunc canit : Anno Christi Salvatoris LIV (opinio an

a Passione an a Nativitate) Magos hos, jam Sacerdotes post Evangelizationem, ac velut Episcopos, ad Natalitia concelebranda in regalem ecclesiam urbis Sewe cum aliis pluribus convenisse, ibique natu majorem, Melchiorem nomine, centum decem et sex annorum, octava Natalis Domini, quæ Januarii prima est; inde sexta mensis ejusdem die Balthasarum secundum, suæ ætatis annum duodecimum centesimum agentem; mox et tertium Jasparum anno ætatis CIX, et singulos quidem peracto liturgiæ sacrificio feliciter decessisse : ipsoque in sepulchro, humationis tempore, pluribus aspicientibus, primum secundo dexterum locum, duos medium tertio veneranter cessisse. Cui relationi consentit insignis vetus pictura, quæ hodieque conspicitur interiori facie muri, quo meridionale latus chori basilicæ Metropolitanæ clauditur. Ibi quoque cum habitu Episcopali et infulis depinguntur, velut qui gentibus evangelizarant Asiaticis, quod item etiam coloribus expressum est.

Mors trium Regum et sepultura.

6 Inter ecclesiasticos nostros sæpe quæstionibus jactitatum recordor, quid sibi velit illud quod in vetere Breviario quoque notatur, ex responsoriis de festo tribus postremum non cani, ut habent notationis verba Propter tripudium. Ubi fabellam alii, quasi quod Capitolinæ Virgines cum Metropolitanis Canonicis in claustro sanctorum Apostolorum choreas aliquando publice celebrarint, quibus videndis decurtatæ preces vesperarum. Alii quod pro veteri more Christianorum in signum lætitiæ Natalitiorum festorum, cum cantu ab laicis in ecclesiis tripudiatum : cui locum dederint breviatæ preces solitæ. Sicut et hodie pueriles retenti cantus cum tintinnabalis et cantu. Et Hispanorum saltationes festivæ militum hisce in partibus, ac nostratium laicorum multis locis observat consuetudo, more ab Judæis accepto, Judicum libro, cap. ult.

7 Qui primam tenuere sententiam, joco credo lepidam dare voluerunt et ridiculam fabulam : præterquam enim quod tripudium in tali loco ac tempore, inter tales personas, longe fines excedat honestatis, et disciplinæ Clericalis, quod notissimum; certum etiam non multos supra centum annos excurrisse, cum Capitolinæ Virgines, sub S. Benedicti regula, satis arcta clausura tenebantur, nondum seculares Canonicæ factæ. Posterior sententia viris doctis perplaceret, si qua moris istius apud nos reperiremus vestigia. Ecquid vero vetat conjicere, tripudium notare festiva cantica Natalitia, quæ de more Ecclesiarum nostratium Natalitiis diebus frequenter ac prolixe, versibus alternis ab choris, tum canentium tum organa musica pulsantium, certatim, ac prolixius hoc die, exaudiuntur : cui bono ac zelo ordinariæ preces aliquantum abscissæ tripudioque tali Christiano locus datus sit? Equidem absque auctore, sola fide mea, nihil asserverim. Et bene habet : etiam majores nostri dum Breviarium reviderent recudendum, velut impertinens absciderunt.

EX VARIIS.

Quale illud.

8 *Hæc Broelmannus. At quod subtimide conjicit, id omnino verum existimamus; nam in vitis Sanctorum aliisque scriptis Ecclesiasticis vox illa* Tripudium *frequentissime ea significatione occurrit. Unum idem suggessit Gamansius ex historia Translationis S.* Annonis *an. Domini* 1183, *factæ, cui scriptor ipse interfuit, et visa narrans ait :* In crastinum, quod erat Dominica intra Ascensionem Christi et Pentecosten, eadem Canonicorum candidata et spectabilis multitudo, Fratrum se conventui devote immiscuit, ita ut choro dimidiato unam partem Canonici, reliquam monachi adimplerent : ibi cum tanta solemnitate et tripudio, in voce exultationis, Deo et sancto Confessori processionis insignia, ac Missarum solemnia, in communi persolverent, etc.

Tripudium pro jubilo usurpatum.

DE S. HYGINO PAPA.

AN. CHR. CLVI. XI JANUARII. *S. Hygini natalis* 11 *Janu.*

Romæ III *Id. Januarii agitur* natalis S. Hygini Papæ, qui in persecutione Antonini gloriose martyrium consummavit. *Ita Martyrologium Romanum. Brevius Bellinus de Padua :* Eodem die S. Igini Papæ et Martyris. Hic composuit Clerum, et distribuit gradus. *Consentit Molanus in Addit. ad Usuard. Maurolycus, Galesinius, Florarium, aliaque, excusa et* MSS. *A quibusdam* Iginius, *a Græcis* Υγῖνος *appellatur.*

alibi 10.

2 *Multi* X *Januarii eum celebrant, quo die Beda excusus, Ado, et* MSS. *quædam :* S. Hygini Papæ, qui sedit Romæ annos 4. Hic constituit Clerum et distribuit gradus. Sepultus est in Vaticano, IV (*Beda* III) Idus Januarii. *Notkerus :* Igini Papæ, qui constituit Clerum, et gradus Ecclesiasticos distribuit. *Martyrolog. Germanicum :* Natalis S. Iginii Papæ; cujus sepultura sequenti die recolitur. MS. *Martyrologium Ecclesiæ S. Mariæ Ultrajecti a* 500 *annis exaratum :* Item Yginii Papæ et Confessoris. MS. *Martyrol. Ecclesiæ S. Gudilæ Bruxellis :* Romæ natale S. Iginii Papæ et Confessoris, qui Clerum componens, officia per gradus distribuit, et ut baptizandum seu confirmandum patrinus levet, constituit. *Galesinius quoque in Notis :* In Martyrologio Cremonensi, jam inde usque a tempore Alexandri III, Pont. Max. (*qui sedit ab an.* 1159 *ad* 1181,) conscripto, fit etiam hoc die de S. Iginio Papa, quem Beda item huic diei in Martyrologio suo adscribit : at de omnium fere scriptorum sententia, et, quod caput est, Breviarii Romani auctoritate, nos in sequenti die adscripsimus.

NOT. 143.

Quando sederit, quamdiu.

3 *Quo anno Pontificatum inierit, quo migrarit e vita, quamdiu sederit, non omnino constat, uti nec de aliquot ejus ævi Pontificibus; quorum ordinandæ ætati diutius immorari, nobis integrum non est. Liber de Romanis Pontificibus* a consulatu Magni et Camerini *anno Christi* 138, usque ad Orfitum et Priscum *sedisse ait, id est an. Christi* 149, *Antonini Pii II. Interim ei solum annos quatuor tribuit, menses* 3, *dies* 8, *manifesto, ac sibi ipsi, aut certe tabulis consularibus contradicente, errore. Catalogus Romanorum Pontificum, Liberii tempora concinnatus :* Higinus annis 12, mensibus 3, diebus 6. Fuit temporibus Veri, a consulatu Gallicani et Veteris, usque Præsente et Ruffino. *Consules fuere* Romulus Gallicanus et Antistius Vetus *anno Christi* 150. Brutius Præsens II, et M. Antonius Ruffinus *an. Christi* 153. *Atque ita se rursus character Consulum, spatiumque temporis interimunt. Eusebius Pontaci anno* I *Antonini Pii, Christi* 139. Romanæ Ecclesiæ Episcopatum octavus suscepit Hyginus, annis 4. *Scaligeri editio :* annis 8. *Notat Pontacus ab aliis anno* 2. *Antonini consignari* Hygini *initium. At diserte rursum Eusebius lib.* 4 *historiæ cap.* 10. Telesphoro vero, primo hujus (*Antonini*) imperii anno, undecimo autem sui ministerii completo, ex hac luce migrante, Hygino Pontificatus Ecclesiæ Romanæ sorte obvenit. *Idem omnino Nicephorus habet lib.* 3, *cap.* 25. *Verum hos aliosque Græcos calculus fefellit, quod* Cletum, Anacletum *rati, omiserint, ut notavit Baronius ann.* 154, *num.* 1, *qui eo anno* Hyginum *scribit Pontificem esse creatum; rectius Petavius* 152, 13 *Januarii; defunctum vero hic* 11 *Januarii an.* 156, *ille* 158 *censet. Abbo Floriac. ait sedisse* an. 15, mensibus 3, diebus 4.

4 *Mirum igitur non est tantam reperiri in recentioribus Martyrologiis Chronologiæ diversitatem. Martyrol. Germanicum obiisse tradit anno Christi* 144, MS. *Florarium ann.* 153. *Carthusiani Colonienses* persecutione Severi. *At* Severus 1 *Junii anno* 193, *capessivit Imperium, longo post* Hygini *mortem intervallo.* Veri *fortassis scribere auctor voluit; nam et liber de*

Ex variis. *Romanis Pontificibus ait :* Fuit autem temporibus Veri et Marci. *Nam hi, etsi anno demum Christi* 161, *Imperium suscepere Antonino Pio nonis Martii mortuo, tamen jam ante erant Cæsares dicti : in Fastis enim consularibus, anno Pii* 16, L. Aurelius Cæsar *et* Sextilius Lateranus *Consules leguntur.*

5 *Porro de* Hygino *pauca admodum sunt prodita litteris. Liber de Romanis Pontificibus tradit natione Græcum fuisse, ex philosopho de Athenis, ejusque genealogiam non inveniri, ac deinde :* Hic Clerum composuit et distribuit gradus. Hic fecit ordinationes tres per mensem Decembrem, Presbyteros 15, Diaconos 5, Episcopos per diversa loca 7, *(alii* 16*)* qui etiam sepultus est juxta corpus B. Petri in Vaticano, III Idus Januarii, et cessavit Episcopatus dies 3, *Abbo;* dies 2. *Quod Clerum composuisse dicitur, Baronius antiquæ formæ Hierarchiæ Ecclesiasticæ, jam a temporibus Apostolorum constitutæ, aliqua ab eo addita, vel illustrata existimat : aut certe quæ Trajani et Adriani persecutionibus collapsa erant, restituta ab eo sunt. Ciaconius* Cardinalium *munus, non nomen, a principio Ecclesiæ viguisse docet; (neque enim unius hominis viribus tantam geri molem potuisse, nisi plures Presbyteros aliosque administros haberet et adjutores) horum regiones, officia, necessarios ad sustentationem proventus, titulos, ab* Hygino *aliisque Pontificibus, varie ordinata, distributaque.* Ejus res gestæ.

6 Sub Hygino Romanæ urbis Episcopo, *inquit Eusebius in Chronico ad annum Antonini Pii* 2, Valentinus hæresiarches et Cerdo magister Marcionis Romam venerunt. *Insigni zelo et industria impiorum hominum fraudes discussisse videtur Hyginus, ut conjicere licet ex iis quæ S. Irenæus scribit lib.* 3, *cap.* 4: Valentinus enim venit Romam sub Hygino, increvit vero sub Pio, et prorogavit tempus usque ad Anicetum. Cerdon autem, qui ante Marcionem, et hic sub Hygino, qui fuit octavus Episcopus, sæpe in Ecclesiam veniens et exomologesin faciens sic consummavit, modo quidem latenter docens, modo vero exomologesin faciens, modo vero ab aliquibus traductus in his quæ docebat male, et abstentus est a religiosorum hominum conventu. *Eadem scribit Eusebius lib.* 4, *cap.* 10. *Hæc si cuncta sub Hygino facta, ut videtur asserere Irenæus, næ ille insigni fuit vigilantia, eruditione, magnitudine animi; qui versipellem illum impostorem deprehenderit, confutarit, ejecerit e fidelium cœtu, nihil veritus quas concitare turbas poterat, eo præsertim tempore.* Vigilantia et zelus contra hæreticos.

7 *Quæ alia sanxisse traditur* Hyginus, *aliis examinanda relinquimus. Extant duæ sub ejus nomine epistolæ, quæ* Magno et Camerino Coss. *datæ dicuntur, altera ad Athenienses, altera ad omnes Christi fideles. Tum a Gratiano capita quædam citantur ex* Hygini *Decretis. Baronius certe ea quoque consulto omisit. Nec desunt quidam viri docti, qui nonnulla saltem ex iis suspecta habeant. Referuntur tom.* I *Conciliorum, a Ciaconio in Hygino, Ribadeneira in vita Hygini, Platina, Jacobo Doubletio, Petro de Natalibus lib.* 2, *cap.* 64, *Andrea du Chesne, atque aliis qui Pontificum Romanorum vitas scripsere; imo et in Breviario Pauli III auctoritate, Francisci Quignonii opera concinnato.* Epistolæ, Decreta.

8 *Tandem* Plautio Silvano, et Sentio Augurino Coss. *Antonini Pii anno* 18, *Christi* 136, *gloriosos labores martyrii triumpho terminavit* Hyginus. *Nam quod in omnibus Martyrologiis* Martyr *appellatur, id proprie accipiendum videtur, nisi quæ alia manifesta obstet ratio. Repressa quidem fortassis tunc erat, Antonini Pii edicto, persecutio, at non omnium impiorum mittigata sævitia, ut non potuerit vel alio prætextu a quopiam Judice morti addici, vel tumultu plebis ab idolorum sacrificulis concitatæ trucidari. Molanus in Notis ad Martyrologium Usuardi, et Onuphrius Panvinius in Addit. ad Platinam,* Martyris *titulo honorari existimant, quia pro Christi confessione multa passus sit.* Martyrium.

DE SANCTIS MARTYRIBUS AFRICANIS
PHILOROMO, EUGENIO, QUINCTO, JANUARIO, SATURNINO, VINCENTIO.

XI Januarii. *De his* MS. *Martyrologium S. Hieronymi :* In Africa Philoromi, Eugenii, Quincti, Januarii, Saturnini, Vincentii. *De* Philoromo *(eodemne an alio, non omnino liquet) agemus titulo sequenti. Duo* Philoromi *referuntur in antiquissimo Martyrologio* MS. *conventus Dungalensis in Hibernia, quod et* Eugenii, Quincti, Januarii, Vincentii *meminit;* Saturnini *nomen vetustate ac situ obliteratum est.*

DE SANCTIS MARTYRIBUS
POLYEUCTO, CANDIDIANO, PHILOROMO.

XI Januarii. *Horum SS. natalis.* *De his vetus Martyrologium monasterii S. Martini Tornaci :* Passio Sanctorum Polyeucti, Candidiani, et Philoromi : qui pariter in confessione Christi perseverantes igni traditi sunt. MS. *Hibernicum conventus Dungallensis et* MS. *Rhinowiense, itidem pervetusta, hoc ipso die* Philoromum *referunt. Carthusiani Colonien. in Addit. ad Usuardum editis anno* 1515 *et* 1521, XVI *Januarii,* Polyeucti, Candidiani, et Philoromi Martyrum.

Acta. *Acta eorum damus ex codicibus antiquis* MSS. *bibliothecæ Marci Velseri, et monasteriorum S. Maximini Treviris et S. Bertini in civitate S. Audomari. In* MS. *S. Maximini* Poleuctus *dicitur, qui aliis* Polyeuctus. *Tempus et locus martyrii non exprimitur.*

ACTA EX VETERIBUS MSS.

Vivunt concordes: Si quis unanimitatem Polyeucti, Candidiani etiam, et Philoromi sanctorum Martyrum contemplatus sit, non solum eos pro passionibus suis admirabitur, sed et per fidei firmitatem, atque immobilem et inconcussam eorum unanimitatem quam semper ad invicem servaverunt, multo magis stupescet. Ita enim convenienter atque unanimiter propter Dei verbum, et ejus fidem quam plurimum transegerunt tempus, ut etiam facile et manifestius conspiciantur intemerati ac stabiles sensus eorum. Ita fideliter ad invicem justitiæ amicitias salvaverunt, ut prorsus in nullo delinquerent. Tales erant circa fidem, tales etiam circa verbi doctrinam, ut facile quis contemplari posset probatissimam eorum unanimitatem.

2 Necnon et illud etiam his superadauctum bonum silentio non decebat præterire, fratres carissimi, sed magis laudibus condignis cumulare, ut in tantis supertenti periculis, tantis etiam decretorum tumentibus minis, non terrerentur; sed brevissimas quidem temporales minas judicantes, breviores vero et ejus cruciatus, simul se disposuerunt in illo diaboli fervore errantes docere, et a malis arcere, et pro Verbo pati. Ita in omnibus festini et unanimes curcitabant, ut eos quidem, qui *a* conscii erant quod circa divinum verbum, suaderent : eos vero qui animo *b* incredibili erant Fidem Christi prædicant. *a* *b*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

erant circa Dei verbum et fidem, verbo divino subigerent. Et hæc non latenter neque in operto facere studebant, sed palam, et manifeste obviam veritati venientes culpabant. In religiosis et ignorantibus Dei verbum ita ostendebant, ut opus eorum non vanum videretur, nec longe a spe. Et hi quidem suadebant eos ab errore discedere; illi vero qui suadebantur recipiebant cum gaudio doctrinam.

Comprehenduntur. 3 Sed ut jam ultra modum et contra decreta hos Sanctos quam plures facere sperarent, comprehensos trahebant ad judicia : illi vero Sancti nihil contradicentes sequebantur, et nec tantum cruciatus plagarum aut sugillationes trahentium patiebantur, sed et omnia *c* ad cædem eorum festinantes obviam ibant : religiosissimi et illi quidem servi Dei, his *Sistuntur Judici,* passionibus increscentes ridebant : filii vero diaboli in majore ira cumulabantur : et in contentionibus exardebant. Et quidem novissime offeruntur Judici. Judex vero respiciens eos, et de vultu et de habitu *d* verecundos, et honore dignos, stupefactus ait ad eos: *Objurgantur.* Admiror vos viros, quomodo ad tantam ætatem venientes, derelinquere sustinetis : aut quomodo ipsi a merita vobis prudentiæ regula excidistis, qui alios docere deberetis, scire non possum. Vel passiones præcessorum *e* metum injiciant vobis : verecundor enim ætates vestras, et has cruciare pigritor, de habitu vestro stimulatus.

f 4 Et hæc quidem Judex ad eos nimia *f* verecundia tactus dixit. Illi vero Sancti respondere jussi semetipsos considerantes; respondit Polyeuctus : Non est *Polyeuctus intrepide respondet.* lamentationis hoc tempus. Tunc etenim nobis erat lamentandum, quando patrum nostrorum errorem sequentes, digna lamentationis opera faciebamus : tunc miseri, scelesti, atque Deo ignobiles, quando verbum ejus nesciebamus. Ita audi nunc contraria eorum quæ dixisti : non propter nosmetipsos verecundi, nunc tibi assistimus; sed propter Deum nostrum. Non honoras nos propter ætatem, ut dixisti, sed propter verbum, cui credidimus. Itaque si condigna recti sensus sapis, depone nunc tyrannicam potestatem, et verbo Christi Domini nostri suasus liberam ceteris ingredere viam, quæ sine errore est : salva in errore constitutam gentem, cui creditus es, sed ab homine corruptibili et tyrannica potestate conniventi. Si hanc vanam tutelam, quam ab adversariis salvare creditus es, incipies relinquere, accipies a Christo tutelam, et multo melius tibimetipsi subvenies : et ejusdem possessores magis magisque verbum docebis, et si *g* tyrannicæ legi non suadetis, ille te salvum faciet, et ejus dolores tibi vitam æternam donabunt. *Ex mss.* *g*

5 Hæc cum dixisset vivacissimus vir Polyeuctus, intolerabilitur ferebatur in silentio Principis, et jocundo quidem provocatori ad respondendum obticuit, ad pœnas vero ejusdem præparabatur : quique respiciens ad prædictos sodales, ait : Forsitan et vos huic similia sapitis. At illis devotissimis viris confessis Can- *Adjudicantur* didiano etiam et Philoromo, tamquam ex una voce, et *igni.* una lingua, et eandem professionem promulgantibus; irreligiosus Princeps respondit : Ergo eadem cum illo sentitis? similia sapitis? Et hæc dicens, quæstionariis Sanctos tradens, igni corpora eorum consummari præcepit.

a Ms. *Velseri,* inconscii. b *Idem* ms. debili animo.
c *Idem* ms. ad sedem eorum festinati. ms. *S. Bertini* ad cædere eorum festinantia.
d Ms. *S. Maximini,* verendos, *et forte rectius.*
e Ms. *Velseri,* modum. f Ms. *S. Max.* iracundia.
g *Idem* ms. tyrannicæ legioni suaseris.

DE S. LEUCIO EPISCOPO BRUNDUSII, IN ITALIA.

XI JANUARII.

S. Leucii natalis. In *Romani Martyrologii tabulas restituisse se* S. Leucii *nomen ex veteri* ms. *fatetur Baronius. Ita nunc legitur* XI *Januarii* : Brundusii S. Leucii Episcopi et Confessoris. *Martyrologium S. Hieronymi, a Laurentio monacho Epternacensi ante complura secula litteris Gothicis descriptum,* 8 *Januarii sic habet* : Et in Brundisio Leucii.

2 *Fuit olim quinto ab Urbe lapide ecclesia* S. Leucii Martyris, *cujus meminit S. Gregorius lib.* 9, *Registri ep.* 73, *cumque inde fuissent ablatæ ejus reliquiæ, alias ejusdem Sancti reliquias ad se Brundusio mitti per Hydruntinum Episcopum jussit. Quæ de hoc* S. Leucio *in Notis Baronius intelligit; qui tamen et in propria Ecclesia ut* Confessor et Episcopus *colitur, et* Confessor *ab ipso Baronio appellatur. Michael Monachus in Sanctuario Capuano,* Martyrem *dici arbitratur, quod fidei caussa tormenta tulerit, licet in iis mortuus non sit; qua ratione* S. Hyginum *retulimus a quibusdam Martyrem dictum existimari. Ast qui in antiqua operum Gregorii editione a Pamelio correcta* Leucius *dicitur, in recentiori, auctoritate Sixti V, emendata,* Leontius *scribitur; ut suspicari quis possit de alio esse sermonem. Translatæ deinde* S. Leucii *reliquiæ Brundusio Tranium, inde Beneventum; earumque pars Tranensibus et Brudusinis reddita.* *Reliquiæ.*

3 *Michael Monachus, Canonicus Capuanus, Sanctuarii Capuani parte* 4, *aliquot recitat Kalendaria illius Ecclesiæ, in quorum duobus primis,* III *Id. Januarii hæc habentur* : Depositio S. Leucii Episcopi et Confessoris. *In quarto* S. Leuti Episcopi et Confess. L. IX, *in quinto,* Leutii Episcopi et Confessoris. Semiduplex. *Adnotat Auctor* : Concordant kalendaria et Martyrol. ms. et Martyrol. Romanum. S. Leucius habet in civitate parochialem ecclesiam apprime divitem. Ecclesiam quoque in Casertana (olim Capuana) diœcesi, dantem monti vocabulum : nunc diruta est. *Patrocinium contra pleuritidem.* Solent fideles laborantes morbo (vulgo puntura) affectæ parti tegulam inde sumptam applicare. *Hæc ille. Est* puntura *Hieronymo Victori* pleuritis.

4 *Acta testatur Baronius in Brundusina Ecclesia* *Acta.* *extare, sed mendis referta. Ea nos ex codicibus Ecclesiarum Beneventanæ et Tranensis ab Antonio Beatillo nostro accepimus; descripta, aut potius illustrata, ab auctore anonymo, quem ex epilogo possumus conjicere Syncellum fuisse Archiepiscopi Tranensis, cui vitæ ac translationis* S. Leucii *historiam dedicat. Ea ut magis perspicua sit, præmittemus quæ ex Breviarii Capuani Lectionibus, et Lectionario monialium S. Joannis recitat idem Monachus; qui non* Theodosii *Imperatoris ætate, sed* Commodi, *sub finem nempe secundi seculi, vixisse censet, propter ea quæ de* S. Eugeniæ *conversione narrantur. Vitæ epitomen dat Ferrarius in Catalogo Sanctorum* NOT. 144. *Italiæ, ex monumentis Ecclesiæ Brundusinæ, et Breviario Capuano, hymnumque, quem subjungemus, ex iisdem haustum Brundusinis officiis.*

VITA

Ex a Lectionibus Breviarii Capuani. *a*

Regnante venerabili et magnifico *b* Theodosio Im- *b* peratore, cultore Dei, qui Ecclesias condidit, et præ- Lect. 1. cepta Apostolorum servavit, erat orthodoxæ fidei Christianorum in totius Imperii latitudine intemerata et loculenta cultura; intantum ut omnia idola confracta et ad nihilum redacta viderentur, et unusquisque publice et licenter Deo omnipotenti servire poterat. Quo tempore in civitate Alexandria erat vir quidam venerabilis, nomine Eudecius, simplex, et rectus, ac timens Deum; cui unicus erat filius, nomine Euprescius.

Cum autem complesset puer annos decem, mater autem

Ex Sanctuario Capuano. *S. Leucii patria,* Lect. 2. *institutio.*

autem ejus, Euphrodisia nomine, migravit ex hoc seculo : pater vero cum filio Euprescio monasterium B. Hermetis ingressus est, et prædictum puerulum ad studium litterarum tradidit. Tantam quidem spiritualem gratiam accepit, ut in omni celeritate fortior fieret, quam ii, qui videbantur in scholis collegæ esse : et non secundum genus, sed secundum spiritum hæc agebat : sed devenerat actio ejus, ut intra monasterium nullus quidem obedientiam disciplinæ ejus potuisset superare.

Lect. 3. *Festum Assumptionis D. V.*

Factum est autem non post multum tempus, ut adveniente solemnitate Dei Genitricis et Virginis Mariæ, ex more Christiano celebranda. B. Euprescius cum patre suo Eudecio ac aliis fidelibus ad ejus sacratissimam ecclesiam, quæ non longe erat a monasterio, convenirent. Contigit etiam ut B. *c* Elenus Archiepiscopus simul cum Presbyteris et Diaconibus ibidem deveniret, et per totam noctem in Dei Genitricis laudibus perseverarent.

c

d

Lect. 6.

d Factum est autem ut B. Eudecium sopor deprimeret, et ei a Domino visio spiritualis revelaretur, quomodo ipse jam prope esset de hac vita fragili migraturus, et B. Euprescius filius ejus ad Pontificale opus accederet, et hæresim, quæ in civitate Brundisiopoli erat, per eum Dominus ad veram et orthodoxam fidem Christianitatis perduceret. In ipsa igitur visione dixit ei : Eudeci fidelissime, et decoritate præclare, ecce enim jam non Eudecius, sed Eudeclius vocetur nomen tuum, id est, mitissimus consolator, et filio tuo, quem Euprescium vocas, non Euprescius, sed Leucius nomen erit, id est, Advenit in eum spiritus Domini.

Prædictus Leucii Apostolatus.

Lect. 7.

Prædicatio Brundusii.

Beatus itaque Leucius cum Clericis suis veniens Brundisiopolim, erat foris civitatem contra portam partis occidentis juxta amphiteatrum, et illic docebat, et baptizabat eos, qui ad verbum ejus credebant in Christum. Tunc misit Antiochus, et fecit S. Leucium ad se cum mansuetudine vocare. Qui cum venisset dicit ei Antiochus : Si vis ut faciam credulitatem juxta tuam prædicationem, fac ut per tuam obsecrationem misereatur nobis Deus tuus, et donet nobis pluviam, quia ecce duobus annis sine pluvia esse videmur.

Lect. 8.

e

Precibus impetrata pluvia.

Beatus igitur Leucius convocatis ad se Clericis suis et universis Christianis, fecit litanias Domini. Mox igitur ut elevavit oculos ad cælum, *e* tanta pluvia irrigata est, ut omnis terra Italiæ cognosceret divinitatem Dei quæ ostendebatur per B. Leucium. Interea credidit in Dominum Jesum Christum Antiochus, et universa civitas Brundisiopolis; et baptizati sunt omnes numero viginti septem millia, ad laudem et gloriam Domini nostri Jesu Christi, et fabricaverunt ecclesiam in honorem beatæ Dei Genitricis et Virginis Mariæ, et B. Joannis Baptistæ, in media civitate, in loco ubi sanctum baptismum acceperant.

Lect. 9.

Tunc quidem confirmavit eos in fide et doctrina perfectius, et sic in pace obdormivit in Domino. Tunc quidam secundum suam visionem in eodem loco fecit sepeliri corpus venerabile B. Leucii, ubi navis descenderat, quando de Alexandria advenisset. Dormitionis ejus festiva solemnitas undecimo die intrante mense Januario celebratur, Amen.

a *Hæ lectiones videntur concinnatæ ex longiore vita, quam mox dabimus; continent tamen nonnulla, quæ in ea desiderantur.*

b *Si vere, ut infra dicetur, ad* S. Eugeniæ *conversionem cooperatus est* S. Leucius, *verisimile est auctorem quæ de pace Ecclesiæ sub Imperatore quopiam, puta* Commodo, *in antiquiore vita narrabantur, ea* Theodosii *imperio temere adscripsisse.*

c *De* S. Heleno *plenius agitur in vita* S. Eugeniæ 25 *Decemb. Ægidius Leoindelicatus Horti Carmelitani parte* 2, *cap.* 2, Episcopum Alexandrinum et Martyrem *vocat, uti et Joannes Palæonydorus lib.* 2, *operis trimerici cap.* 3. *In vita* S. Eugeniæ *dicitur* Episcopus Heliopolis, *quæ non admodum sane vicina est Alexandriæ. Ex eadem tamen vita constat haud procul Alexandria situm fuisse monasterium, sive habitationem* S. Heleni.

d Lectiones 4 et 5, de Epiphania, *ideo hic omissæ.*

e Hinc ortum habuit, *inquit Monachus,* antiqua illa nostræ Capuæ consuetudo, oblivioni tamen quasi tradita, ut nimirum tempore magnæ siccitatis ad pluviam exorandam, Capitulum, Clerus et populus, Litanias faciant, ad ecclesiam S. Leucii procedant, supplicesque in ea Deo preces effundant.

ALTERIUS VITÆ FRAGMENTUM,

Ex ms. Lectionario

monialium S. Joannis, Capuæ.

Beatus autem Leucius sedens præ foribus ecclesiæ, Lect. 1. in annua celebritate Beatæ Virginis, cælorum gloriam populis omnibus cœpit enarrare, quam recepturi sunt electi, et pœnas inferni, quas recepturi sunt reprobi.

Cumque audisset Eugenia talia loqui B. Leucium, Lect. 2. dixit ei : Ecce ego et hi duo fratres mei, timentes ista quæ tu prædicas, reliquimus omnem nostram gloriam, et divitias, quas obtinemus, et venimus ad conversationem Christianorum; numquid merebimur pro his bona in cælo, quæ tu prædicas et promittis omnibus istis Christianis?

Beatus autem Leucius gaudio repletus est magno, Lect. 3. cum talia audisset ab Eugenia, et dixit : Certe et cælorum regna merebimini, et Dei misericordiam obtinebitis, si ex toto corde vestrum animum ad Dominum revocetis, et a mundi hujus nequitia vos sequestretis. Eugenia dixit : Ecce, parati sumus, date nobis fidem vestram. B. Leucius dixit : Ita fiat, ut asseritis.

S. Leucius S. Eugeniam instruit.

Tunc post hæc instituta, venit quidam, et dixit ad Lect. 4. B. Leucium : Vir Dei, Pater Elenus vocat te. B. Leucius dixit ad Eugeniam : Expectate hic modicum, et modo vos faciam ingredi ad Dominum meum Archiepiscopum. Cumque B. Elenus expectaret B. Leucium, ut ei enarraret visionem, quam viderat; ecce B. Leucius ingrediens dixit ad B. Elenum : *a* Pater sancte tres eunuchi foris stant, quærentes loqui tibi, qui se dicunt ex palatio *b* Philippi Patricii advenisse ad concordiam Christianitatis.

a

b

Beato autem Leucio hoc dicente, surrexit gaudens Lect. 5. B. Elenus de lecto, et dixit : Vocate eos festinanter, *c* etc.

c

Jussit autem statim eos catechumenos facere, et Lect. 8. alia die ipse eos baptizavit, et vestibus monachicis eos vestivit, et præcepit, ut in ipso monasterio eos deportaret, ubi idem B. Leucius fuerat, ad ecclesiam B. Hermetis Confessoris Christi : et præcepit fratribus monasterii, ut nimium diligerent B. Eugeniam Virginem Christi, et Protum, et Hyacinthum, et de fide sancta eos docerent.

Fratres autem monasterii dixerunt B. Eleno Ar- Lect. 9. chiepiscopo : Scias Domine Pater, quia ecce modo plusquam septem annos habemus, quibus *d* sine Abbate viximus, et unusquisque quomodo voluit, sic egit. Nam cum habuimus virum sanctum Euprescium, qui modo per voluntatem Dei Leucium se vocat, ut Pater nobis erat, qui ab infantia sua, a quo ibidem venit, nullus eum per obedientiam superaret, sed semper orantem, legentem, scribentem, et in omnibus operibus bonis perseverantem, omnes eum sedule videbamus, cum in tam bonis actibus sequebamur vestigia ejus.

d

Expetitur in Abbatem.

Modo autem Pater, scias, quia si eum nobis non Lect. 10. reddis, relinquimus omnes monasterium illud. B. Elenus dixit : Modo fratres mei ne irascamini nobis, quoniam ego habeo dirigere eum ad vos; et si ille vos diligit, per meipsum ego veniam, et eum ordinabo Abbatem. Sin autem, ordinabimus alium.

a *In vita* S. Eugeniæ, *qui eam ad* Helenum *Episcopum deduxit,* Eutropius *appellatur.*

b *Is erat pater* S. Eugeniæ, Præfectus Augustalis Ægypti, *ac postea Martyr, cujus natalis agitur* 13 *Septemb.*

c *Ita Sanctuarium Capuanum : indubie aliquid deest, uti et Lectio* 6 *ac* 7, *quæ forte sunt de Epiphania.*

d *In vita* S. Eugeniæ, Theodorus *sanctus Presbyter præfectus monasterio* S. Heleni *fuisse dicitur. An tamen ab eo diversum sit S. Hermetis cœnobium, nos latet.*

HYMNUS

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

HYMNUS DE S. LEUCIO,

Ex Officiis Ecclesiæ Brundusinæ.

Optata dies advenit
Exultans in deliciis,
Qua Patriarcha Leucius
Lætus migrat ad Dominum.
Hic clarus vitæ meritis,
Refulgens et miraculis,
Pulsis procul erroribus,
Plebem lavat baptismate.
Præcepta Christi prædicans,
Et sanctitate radians,
Medelam confert languidis,
Functos ad vitam revocat.
Gaude Brundusia prolis
Tantis ornata titulis,
Sed clarior, eximium
Patrona habens Leucium.
In Brundusina claruit
Urbe Confessor Domini,
In hac relinquens terrea
Migravit ad cælestia.

VITA AUCTORE ANONYMO,

Ex MSS. Ecclesiar. Benevent. et Tranen.

PRÆFATIO AUCTORIS

ad Joannem Archiepisc. Tranensem.

Sicut variis assueti deliciis sæpe delectantur oleribus, sic et Sanctitas vestra, Beatissime Pontifex, inter Doctorum delicias, quibus optime satiaris, et nostra præcipis olera exhiberi. Exigis itaque, imo compellis me, ut gloriosissimi Confessoris Christi Leucii gesta, *a* rescissis ineptiis, congruisque adhibitis, emendando clarificem. Ardet quidem caritas Pontificalibus parere præceptis; sed pavet ignorantia, ne aggrediatur, quod digne explere non possit. Neque enim tanti oneris sarcinam perferre poterit, qui nullius scientiæ luce illustratur. At quia sollicitudinis tuæ cura est, et divinis inhærere præceptis, et Sanctorum agones, vel scriptoris vitio, vel doctoris inertia corruptos, ad meliorem statum mira animi alacritate corrigendo clarescere, et Christi Ecclesias mirabiliter decorare; nec diu passus es tanti Confessoris actus continentem libellum inemendatum relinquere. Sed miror, quia, dimissis præcipuis Doctoribus, id a nostra exigis parvitate, ut nuper in Archiepiscopatus, atque *b* synkellatus tui tempore, Beatissimi Leucii Confessoris gesta clarescant, et quo ordine gloriosum ejus cadaver translatum sit, sicut in scriptis reperi, et veridico relatu agnovi, sollicite præcipis explicari. Et dum mentis fragilitatem considero, valde pertimesco ne, dum corrigere aliena invitor, corrigenda ipse committam. Tamen quia non audet famulus resistere Domino, quæ præcipis expedire conabor; utinam tam efficaciter, quam libenter : potens est enim omnipotens Dominus, Summe Pontifex Joannes, tuis intervenientibus meritis, et tui Confessoris, ignorantiæ meæ suo lumine illustrare caliginem, et ut tuæ satisfaciam voluntati, loquendi administrare materiem.

a Joannis Archiepiscopi jussu scripta hæc vita,

ex alia antiquiore.

b

a Ms. *habebat* resceptis, *conjecimus legendum* rescissis, *vel* rejectis.

b Syncellus *dicitur quasi ejusdem cellæ consors. Sic olim appellabatur qui Patriarchæ, aut etiam alteri Episcopo, successurus erat, ut multis exemplis docet Gretserus noster cap.* 14, *lib.* 3, *Commentar. in Codini Curapalotæ cap.* 20. *Fuit et politica dignitas. Cœpit deinceps honoris titulus esse, et multis tribui qui forte numquam in patriarchio habitaverant, uti nunc sunt* S. D. N. Domestici, *titulo tenus.*

CAPUT I.

S. Leucii ortus, vita monastica.

AUCTORE ANONYMO, EX MSS.

Regnante venerabili et magnifico Theodosio Imperatore, Dei cultote, qui Ecclesias condidit, ex præcepto Apostolorum servavit requisitionem de his, quos antiqui per hæresim dolose perdiderant, et per orthodoxam fidem eos acquisivit. Factum est autem temporibus ejus, ut Christianorum fides acciperet incrementum; et qui Domino servire volebat, publice sive ad prædicandum, sive ad exercenda bona opera gradiebatur. Eodem vero tempore erat vir venerabilis Alexandriæ, nomine Eudecius, vir simplex et decoritate plenus, in eleemosynis, jejuniis, et orationibus, in vigiliis, in caritate, et castitate, et animi alacritate perspicuus; cujus unicus erat filius Euprescius.

S. Leucius cujas, quibus parentibus ortus.

3 Cum autem complevisset puer annos decem, mater ejus, Eufrodisia nomine, migravit ex hoc seculo. Pater vero cum Euprescio filio suo, monasterium B. Hermetis ingressus est, et eum litterarum studiis tradidit. Tantam quidem spiritualem gratiam accepit, ut in omni celeritate fortior fieret, quam hi, qui videbantur in scholis collegæ esse, et non secundum ingenium, sed secundum spiritum, ita agebat, ita devenerat actio ejus, ut intra monasterium nullus quidem obedientiam disciplinæ ejus potuisset superare. Denique cum jam esset annorum decem et octo, Fratres monasterii eum diligebant, videntes eum honestum vultu, decoritate perspicuum, sermone luculentum, obedientia simplicem, caritate largum, sanctæ Scripturæ diligentem.

Fit monachus.

Litteris instituitur.

4 Factum est autem, ut Pater monasterii Niceta migraret ad Dominum, tunc B. Euprescius jussit corpus ejus diligentissime collocari : et non post paucos dies Fratres monasterii congregaverunt se, ut B. Euprescium sibi Abbatem eligerent. Sed hoc ille multum confutans, non se dignum esse dicebat; et pater ejus Eudecius taliter eum monebat, ut non se dignum fateretur esse Abbatem. Cum autem esset B. Euprescius annorum viginti et quinque, dixerunt ei Fratres monasterii : Cur nos ita in necessitate perturbas, et nec teipsum, nec alium Patrem præponis? Ecce enim septem anni sunt, quibus sine Abbate sumus, ex quibus Dominus noster felicissimus Niceta obiit : jam enim ex tunc sine rectore fuimus, et unusquisque secundum propriam voluntatem vivit. Vide, ne rationem nobis facias, ne lupus veniat, et gregem Dei diripiat, jam opera tua cognovimus, et actiones tuas probavimus, quoniam dignus es hoc honore fungi. Tunc B. Euprescius ait illis : Quid mihi, et vobis, Fratres sanctissimi, molesti estis ex hoc, quod facere minime possum? In primis autem in hoc, quod monet, et regula mandat fieri, pavidus obedire non possum : secundo vero, cum nec monachus sim, nec honore Ecclesiastico fungor, et quomodo potest fieri, ut ego super vos Pater sim, cum etiam nec prædicationem vobis possum exhibere, nec quidquam in gestis monere.

Recusat monasterii præfecturam.

CAPUT II.

Vocatio ad Episcopatum mirabilis.

Factum est autem non post multum tempus, ut solemnitas devotæ Assumptionis Genitricis Dei et Domini nostri Jesu Christi Virginis Mariæ celebraretur, et B. Euprescius simul cum patre Eudecio ibidem adveniret caussa obsecrationis Genitricis Dei Domini nostri Jesu Christi, quia non longe erat a monasterio sacratissima ejus ecclesia, in qua conveniebant omnes Christiani, qui Alexandriæ habitabant, et hi qui circumquaque morabantur per vicina loca. Contigit autem, ut B. Eudecium patrem B. Euprescii

Patri divinitus revelatur futurus filii Episcopatus.

AUCTORE ANONYMO, EX MSS.

cii sopor deprimeret, et ei a Domino spiritualis visio revelaretur, et qualiter ipse ex hac fragili vita esset migraturus, et ejus filius Euprescius ad Pontificale opus accederet, et *a* hæresim, quæ in civitate *b* Brundusiopoli erat, Dominus per eum ad veram et orthodoxam fidem perduceret. In ipsa igitur visione ait illi : Eudeci, Eudeci fidelissime, et decoritate præclare, ecce enim non jam Eudecius, sed Eudeclius vocatur nomen tuum, id est, *c* mitissimus consolator; filio vero tuo non jam Euprescius, sed Leucius erit nomen, id est, Advenit in eum spiritus Domini. Expergefactus Eudecius, vocavit Euprescium filium suum, qui statim enarravit ei omnia, quæ fuerant ei revelata, et de obitu suo, et quomodo eum Dominus alio nomine vocaret, ipsumque Euprescium jam non vocaret, sed Leucium, dixitque illi : Vide, fili, quoniam ego jam delibor, et tempus resolutionis meæ advenit, tu vero ne seducaris a mundi hujus inquinamento, et a fragili nequam seculi hujus blandimento, quoniam hoc mihi revelatum est a Domino meo, quod Pontificale stemma indues, et quomodo per te Dominus hæresim, quæ in Brundusiopolitana civitate est, vult curare.

a b

c

Utrique nomen mutatur.

6 Eo autem silente, B. Leucius, qui antea Euprescius vocabatur, prosternens se pronus in terram, oravit, et dixit : Benedictus es Domine Deus patrum nostrorum Abraham, Isaac, et Jacob, qui non spernis sperantes in te, nec deseris misericordiam tuam ab inopia miserorum, sed misertus es mei; ideoque Domine Deus cæli, et terræ, te laudo, teque glorifico, quoniam tu es Domine, qui animas diligis : tibi sit laus per immensa secula. Amen. Cumque complesset orationem B. Leucius, vox de cælo facta est, dicens ei : Leuci, Leuci, lucidissime tam mente, quam corde; ecce nomen tuum in libro vitæ adscriptum est, et memoriale tuum non delebitur de libro viventium. Tunc in ipsa voce conturbati omnes, ceciderunt in terram, vocem quidem audientes, sed neminem videntes : sed et B. Leucius in eadem paviditate prostravit se simul cum omnibus, pallens. Omnes quidem audierant vocem, sed non sciebant unde, vel de quo diceret. Tunc quidem surrexerunt de terra omnes tremebundi, et cœperunt in psalmis, et hymnis, et canticis perseverare Domino.

Voce divina confirmatur Leucius.

7 Mane autem facto, ascendit Archidiaconus in altum, et cœpit clamare, dicens : Cui hoc nomen Leucius est? et cum tertio clamatum esset, et nemo responderet, dixit B. Leucius : Mihi hoc nomen est, quia non ab hominibus, sed a Domino meo Jesu Christo illud accepi. Tunc omnes mirati, qui eum noverunt, cœperunt dicere : Nonne hic est Eudecii filius, et nomen ejus Euprescius est, et quomodo dicit quod Leucius sit nomen ejus? Ait autem B. Leucius : Vere, quia sic habui nomen, sed Dominus in ista voce per revelationem patri meo illud mutavit, dicens : Eudeci, Eudeci, ecce nomen tuum in libro vitæ scriptum est, et nomen jam non Eudecius, sed erit Eudeclius, id est, mitissimus consolator; qui statim subjunxit, dicens : Filio tuo, quem vocas Euprescium, jam non Euprescius, sed Leucius erit nomen. Ille autem a somno evigilans ait : Fortitudo mea, et laudatio mea Dominus, et factus est mihi in salutem, vox lætitiæ et salutis in tabernaculis justorum : dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltavit me; non moriar, sed vivam, et narrabo hæc opera Domini. Cumque hoc dictum esset, dixit mihi ita, sicut et audistis. Cum autem talia audissem ego ab eo, cœpi gratias agere Domino meo Jesu Christo. Tunc in ipsis meis indignis precibus facta est vox illa de cælo super hanc sacratissimam ecclesiam, quam omnes audistis. Ecce in hoc ego dico, quia meum est hoc nomen.

Aperit populo, quomodo nomen sibi cælitus mutatum sit.

Idem pater testatur.

8 Tunc omnes dixerunt : Accedat pater tuus, ut audiamus de ore ejus, si vera sunt, quæ dicis. B. Leucius dixit : Accedat. Tunc jusserunt, ut adduceretur Eudecius, pater B. Leucii in conspectu omnium populorum, qui ibi aderant. Erat enim B. Eudecius senectute grandævus, annorum jam nonaginta septem. Tunc interrogaverunt eum, dicentes : Enarra, pater, quoniam tu nemini parcis, et neminem condemnas; non enim respicis personam quamcumque. Dixit B. Eudecius : Quid vultis, ut enarrem? qui dixerunt ei : De voce illa, quæ tonuit super sanctam istam ecclesiam in hac nocte, quia omnes nos scimus, quod filius tuus Euprescius vocabatur nomine nunc usque; dicit vero modo, quia meum est illud nomen, quod audistis. B. Eudeclius dixit : Verum dicit, quia ipsius est, quoniam mihi illud Dominus hac nocte per visionem ostendit, dicens, quoniam prope esset dies obitus mei, et mihi non Eudecius, sed Eudeclius esset nomen; et de hoc filio meo dixit, ut non Euprescius, sed Leucius vocaretur nomine. Et ait mihi, quoniam oportet eum Pontificale induere stemma, et hæresim, quæ Brundusiopoli est, per eum Dominus ad veram et orthodoxam fidem perduceret. Hæc igitur ad me facta est revelatio; proinde certus sum, quoniam ipsius est nomen illud, quod audistis hac nocte. Exhilarati denique de hujus rei narratione, cuncti pariter immensas grates almifico Patri, ejusque dilectissimo Genito, sanctoque Flamini reddiderunt, atque ab illo jam tempore in summa devotione Beatum quoque Leucium venerari cœperunt.

a *Infra ostendit idololatriam fuisse.*

b Brundusium, *et* Brundisium, *promiscue appellant Latini; Græci* Βρεντέσιον, Βρεντήσιον, Βρενδήσιον, Βρεντίσιον; *Itali* Brindisi. *Urbs olim celebris fuit, uti infra dicitur, et constat ex omnibus Græcis Latinisque scriptoribus, atque ex tabula Peutengeriana, ubi primariæ urbis signo notatur. Portum habet præclarum, quo fere solo nunc, et Sede Archiepiscopali commendatur.* *Brundusium.*

c *Hæc Eudeclii et Leucii interpretatio, non est ab etymo Græco petita.*

CAPUT III.

Sacerdotium, a miracula. *a*

Post hæc autem Alexandrinus Pontifex cœpit admonere B. Leucium, ut eum Archipresbyterum consecraret. Tunc B. Leucius ait : Non sum dignus hoc honore fungi, sed sicut placitum est Domino meo, fiat. Omnes vero populi clamantes dixerunt : Non tantum Archipresbyteratu, sed etiam Episcopatu dignus est. Tunc quidem B. Leucius ordinatus est Archipresbyter Alexandrinæ Ecclesiæ.

Leucius fit Archipresbyter.

10 Eodem vero tempore quidam vir Æthiops genere venit ad conversationem Christianorum, quem tenere invidus diabolus cœpit atque infestare, et antiquus hostis per os ejus clamore cœpit, dicens : Christianus esse volo. Tunc quidem tulerunt eum ad B. Leucium, dicentes : Domine sanctissime Pater, vir iste ab immundo spiritu crudeliter vexatur. Vidensque eum B. Leucius, ait : Obmutesce spiritus diaboli. Ad hanc statim vocem intremuit, et cœpit cum fletu clamare, dicens : Si ex hoc exeo, ubi ingrediar, quia non habeo meliorem hac domo? Cui B. Leucius inquit : Immunde spiritus, absens esto a plasmate Dei, et non præsumas jam ibidem habitare, sed obstrictus et depressus exi ab eo, quem invidia ductus usque modo tenuisti religatum catenis tuis pessimis; et exiens, ingredere in his vasis, quæ non credunt Domino nostro Jesu Christo; nec vivificam Crucem ejus adorant. Tunc ipse dæmon horribilis exiit de corpore viri Æthiopis per os ejus in similitudinem avis nigerrimæ, flendo, ita dicens : Quid mihi, et tibi, serve Dei Leuci? quare me habitare prohibes, et dejicis ab hac domo mea, quam ego ipse mihi acquisivi? et hoc timens, nolui ingredi cum his, qui pulchri sunt vultu, sed dixi cogitans, quia si in hanc ingredior domum, quæ est ad videndum deterrima, ex hinc nemo me expellet. Statim vero consignavit eum vexillo Crucis B. Leucius, et dæmon pessimus abscessit, et amplius loqui non est ausus.

Dæmonem e catechumeno possesso ejicit.

11 Tunc

Dæmon multos alibi occidit.

11 Tunc quasi terræmotus locum concussit, et pergens in Ægyptum, plurimos Judæorum, atque gentilium humanæ generationis invidus fellea face succensus interemit, et introgressus civitatem in Ægyptum, in serpentis effigie pergere cœpit per mediam civitatem; et si ei vel homo, vel bestia obviabatur, perimebat eos usque in locum, qui dicitur Galgather, qui ex Syro in Latinum vocitatur piscina omnium. Factum est autem, ut B. Leucius ab Alexandria Ægyptum eadem hora transiret : qui dum pervenisset ad locum, ubi hoc gestum fuerat, et invenisset multitudinem populorum flentem, dixit ad eos, qui illic astabant : Quid est talis fletus inter vos, et hos, qui mortui sunt, quis interfecit? At illi dixerunt : Draco ingressus est civitatem hanc et istos, quos mortuos vides, ipse illos occidit : nunc hac hora antequam tu advenires, in mare se præcipitavit, et demersus est. Tunc B. Leucius aquam adferri

Suscitat eos Leucius.

præcepit, quam cum benedixisset, super mortuos cœpit illam aspergere : cumque aspersa esset per manus ejus, dicit ita : In nomine Domini Sabaoth, surgite, quia non mortis vinculo, sed veneno diaboli oppressi estis, et non valetis a potentia virtutis ejus absolvi propter diabolicum pessimumque genus serpentium, quod nec vos, nec Judæorum, nec Gentilium stultitia potuit consummare : sed ideo usque modo aggredi valuit nequitiam vestram, quia cœcitas cordis vestri vobis dominata fuit. Sed surgentes reddite laudem ei, qui creavit vos. Et statim, hæc dicens, B. Leucius cum baculo, quem tenebat, tetigit cadavera mortuorum : confestim autem ad vocem B. Leucii omnes elevati sunt, et cœperunt tenere sacratissimos pedes ejus, dicentes : Quis est Deus, quem oportet adorare, nisi Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, quem predicas tu, Beatissime Leuci, famule

Plurimi convertuntur.

ejus? Tunc in illa die tam de infidelibus, quam ex Judæis crediderunt in Dominum nostrum Jesum Christum, quasi tria millia fere hominum, exceptis parvulis et mulieribus, laudantes, et benedicentes Dominum nostrum Jesum Christum, propter signa et mirabilia quæ fecit Dominus per sanctum famulum suum Leucium ad laudem sui nominis, et baptizati sunt universi.

Seditio adversus Christianos.

12 In ipso autem tempore surrexerunt viri iniqui numero sex, Carason, et Armogen, Paragytis, et Arvalis, Algar, et Mofianus; et inierunt consilium, et diviserunt populum, et concitaverunt bellum adversus Christianos, et fecerunt seditionem, ut non dimitterent aliquem Christianum intus civitatem habitare, sed aliquantos ejicere, aliquantos vero gladiis tradere conabantur. Interea unus ex illis, Carason nomine, ingressus est ecclesiam B. Marci, Apostoli et Evangelistæ, evaginato gladio, ut interficeret Christianos. Quem mox ut viderunt partes Christicolarum, surrexerunt, et eum apprehensum ignibus tradiderunt, et universos qui cum eo aderant occiderunt.

De translatione S. Marci παραχρονικῶς.

13 Et in his seditionibus, Christi fidem nimium colentes venerunt nautæ deprædati Veneticorum genere se vocitantes, et ingressi civitatem cœperunt eleemosynas quærere, et dabatur eis. At illi, transactis multis diebus, occulte abstulerunt *b* reliquias B. Marci plusquam medias, et fugam petierunt. Custodes vero ecclesiæ mox ut ingressi sunt, invenerunt capsam discoopertam, et reliquias B. Marci minutatas : tunc cœperunt tœdiari, et murmurationem inducere ex hoc, quod sibi accidisse dolebant. Cum igitur hoc audisset B. Leucius, ab Ægypto Alexandriam rediit, et reliquias B. Marci de capsa abstulit, et eas loco alio clausit.

b

a *Plura, quam quæ hic narrantur, S. Leucii miracula continebat codex quo usus est Ferrarius*, de Melantia nobili muliere Alexandrina ab hydropisi liberata. De Zerca (*ut ipse scribit*) mago ab igne combusto, cum Leucius, signo sanctissimæ Trinitatis munitus, illæsus exisset. *Illud de* Zarca *mago ignis examine convicto simul et punito*, S. Heleno *tribuitur in vita* S. Eugeniæ. Melantiam *vero matronam Alexandrinam non hydropisi, sed quartana liberasse ipsa* S. Eugenia *traditur*.

NOT. 145.

b *Longe id postea contigit, ut* 31 *Januarii dicemus.*

AUCTORE ANONYMO, EX MSS.

CAPUT IV.

Profectio in Italiam. Brundusinorum conversio.

Interea, defuncto Alexandrinæ Sedis Antistite, ab universa Christianorum multitudine B. Leucius *a* ordinatus est Archiepiscopus. At vero non post multum temporis Saturninus Præses, inito consilio, voluit B. Leucium gladio trucidare. Audientes Christiani hoc consilium, irruerunt, ut interficerent Præsidem Saturninum, et B. Leucium divinis voluminibus intentum, ostenderent a Domino liberatum.

Leucius fit Archiepiscopus.

a

Liberatur a morte.

15 Tunc B. Leucius convocat omnes Christi fideles, et admonendo cœpit eis divinam visionem ostendere, et exponere, dicens : Sciatis igitur, quia Dominus meus per visionem mihi apparere dignatus est, ut

Brundusium abiturus, alium Episcopum creat.

alium vobis hic ordinarem Pontificem, et ego ad Brundusium pergerem civitatem. Audientes vero hoc Christiani omnes Catholici a B. Leucio, cœperunt prostrare se ad pedes ejus cum fletu, dicentes : Pater sancte, noli nos deserere, et orphanos relinquere, et populum, quem Domino conquisisti, nequaquam spernas, sed cum agone certaminis usque ad finem perducas. Ad hæc Beatissimus Leucius, respondens, ait : Omnes vos scitis, cum adhuc essem in adolescentia mea, quod Dominus, per visionem digatus est ostendere patri meo Eudeclio, ut nomen meum commutaretur; et qualiter hoc, quo dignus non fui, fungi honore deberem, ut hæresi, quæ in Brundusiopoli inest, per me Dominus dignaretur suo sancto destruere lumine, et nostri participes eos homines efficere. Ideoque Dominus meus Jesus Christus præcepit, et ab eo mihi revelatum est, ut vobis Patrem proponam, et ego exequar, quod mihi ipse mandavit. De Saturnino interea sciatis, quod persecutionem

Prædicit mortem Saturnini tyranni.

non committet in Christianos, quia in modico est vita ejus, et opinio virtutis ejus. Scitote enim, quia post meum discessum ex hac civitate ruet domus ejus, et opprimet eum cum omnibus habitantibus in ea, ita ut numquam jam inveniatur, qui persecutionem faciat vobis dominandi. Tunc quidem secundum quod dixit B. Leucius ita actum est.

16 Interea per voluntatem Domini, ordinato illic Pontifice, ipse vero cum Eusebio, et Dionysio, Archidiaconibus suis, et aliis quinque discipulis secum assumptis, ad locum Stipitem pervenit, et cum eo universa plebs fidelium Christianorum usque ad mare pervenit fere quinque millia hominum, exceptis parvulis, et mulieribus, qui nimio ardore flentes, dicebant : Cur nos omnes deseris Pater, et non affectum præstas infelicibus tuis servis? Tunc B. Leucius conversus in fletu et ipse, cum vidisset quod eum quasi mortuum flerent omnes, oravit ad Dominum, et dixit : Domine Deus meus Jesu Christe si est tua voluntas, non me permittas separari ab istis, inter quos me dignatus fuisti ad serviendum tibi ministrum eligere, et antequam navem ascendam demonstra tuam promissionem, quam promisisti mihi, ut credant omnes, quia per tuam voluntatem hoc mihi est exhibendum, ut ubi volueris, Domine ego velociter pergam. Audientibus quidem cunctis, qui ibidem aderant, vox de cælo facta intonuit ad

Voce cælesti rursus jubetur migrare.

eum, dicens : Leuci spiritu et actione præclare, ne contemnas, quod tibi jussum est a Domino, sed ascende navem, et proficiscere in pace. Cum igitur hoc clamatum esset ad eum, ait B. Leucius ad universos cleros et populos : Ecce proinde rogavi Dominum meum Jesum Christum, ut agnoscatis omnes, quia per ejus voluntatem proficiscor. Et accedens omnis ordo Clericorum, osculatus est eum; et ita ascendit navem, et profectus est in pace.

17 Tunc

AUCTORE ANONYMO, EX MSS.

17 Tunc quidem navigantes diebus quindecim pervenerunt civitatem *b* Adrianopolim, et illic *c* adhæsit sibi duos Sacerdotes Leonem, et Sabinum, et inventa alia navi de Rhegio civitate, dato naulo, ascendit in eam, et pervenit Hydruntum. Ibi vero coactus descendit de navi, et profecta est navis in propria sua accepta benedictione a B. Leucio, et ab his qui cum eo erant. Beatus igitur Leucius ascensa navi Dalmatinorum cum Clericis suis, et veniens Brundusiopolim, egressus de navi, applicuit non longe ab urbe eadem, et interrogavit quendam de civibus, dicens : Quis præest dominus civitati huic? Ille respondit : Numquid audistis magnum Antiochum? *d* en iste præest cunctæ Italiæ dominus. S. Leucius dixit : Quam fidem colit? Tunc subridentes, dixerunt illi astantes : Et est alia fides, vel Deus adorandus, nisi Sol, et Luna, qui illuminat mundum universum? nam omnes aures possunt audire, quando voces eorum super nubes resonant. Quid enim fulgure solis celerius? quid splendidius luna? quæ futuræ tempestatis indicia, et venturæ serenitatis gaudia manifestis signis declarant? Quibus S. Leucius, suspirans, ait : O miseri et ignari, quomodo a luce divina estis alienati? Nam lux Solis et lunæ famulantur ei; nec Deos oportet appellari, qui localiter currunt, oriuntur, et occidunt, in quibus nulla est divinitas, et cum stare non audeant, ab Oriente in Occidente reciproco cursu volvuntur, et quandoquidem unius nubeculæ obfuscantur caligine, ut apparere non possint, nec lucere colentibus se; lumen vero eorum crescit atque decrescit, tantumque differt ab eo lumine, quod Deus est, quem nos colimus, quantum creatura a Creatore, locale ab illo locali. Deus enim noster creavit Solem, et lunam; cælum, et terram, et omnia quæ in eis sunt, ipse lux vera, quæ illuminat omnes credentes in eum. Hæc lux creavit solis et lunæ lucem, et humano mysterio famulari permisit, ut Sol diem illuminaret, luna vero depelleret tenebras noctis. Si enim Dei nostri lucem invisibilem agnosceretis, numquam visibiles his luminibus colla subderetis. Tunc Armaleon Tribunus inquit : Et quæ est illa lux, quam asseris, et oculi nostri videre non possunt? S. Leucius dixit : Christus, Dei filius, qui natus est de Spiritu sancto per Mariam Virginem. Cumque exposuisset ei omnem ritum, quomodo natus, crucifixus, et sepultus, et mysterium resurrectionis, et ad cælum ascensus, et qualiter sedet ad dexteram Patris, et venturus sit judicare totum seculum per ignem, et reddere unicuique secundum opera sua. Audientes autem eum talia prosequentem, in terram se statim prostravere, dicentes : Obsecramus, Pater, ut facias nos participes vitæ æternæ. Eadem vero hora catechizavit eos omnes, atque baptizavit, numero videlicet quasi sexaginta et septem.

b c *Hydruntum appellit, inde Brundusium:*

d

Deum prædicat.

Armaleonem Tribunum et alios 67 *convertit.*

18 Cumque hoc gestum esset, nuntiatum est Antiocho, quia Armaleon Christianus esset effectus cum plurimis; qui misit, et fecit eum ad se adducere : qui cum adductus esset, ait illi : Vere, ut audio, Armaleon Christianum te esse dicis? cui Armaleon non respondit. Tunc iratus Antiochus, inquit : Quare non loqueris? Armaleon respondit : Et in te quid furibundum debet apparere, si Christianus sim? Antiochus ait : Ego non furibunde, sed simpliciter interrogo, ut dicas, quis tibi dedit istam doctrinam, quia cum te sapientem in nostris litteris scimus, et usque modo Christianorum repellebas doctrinam, miror, quomodo ad hoc pervenisti, ut fatearis te esse Christianum? Armaleon respondit : Usque modo cœcus fui, sed modo in claritate sum vivens. Antiochus ait : Quomodo vivens? Armaleon respondit : Si cupis, et eam vitam cognoscere poteris. Antiochus dixit : Si recte eam ostendas, volo videre; sed non credo, quod sit vita alia, atque aliud lumen, nisi Solis, et Lunæ. Armaleon respondit : Sol, et Luna non sunt Dii, sed ipse eos posuit in firmamento cæli, qui creavit eos, et illis imperat deservire nobis : nos vero convocat ad serviendum sibi.

Citatur ad Antiochum Præfectum Armaleon.

19 Tunc vero stupefactus Antiochus, cum talia audisset ab Armaleone, ait illi : Quis te ista omnia docuit? Armaleon respondit : Quidam Alexandrinus, Leucius nomine. Erat interim B. Leucius extra civitatem contra portam occidentalem juxta amphitheatrum; et illic docebat, et baptizabat eos, qui ad verbum ejus credebant in Christo. Tunc misit Antiochus, et fecit ad se B. Leucium cum magna mansuetudine vocare. Qui cum advenisset, dixit ei Antiochus : Si vis ut credam juxta tuam prædicationem fac, ut tuo interventu misereatur nobis Deus tuus, et det nobis pluviam, sine qua transactis duobus annis esse videmur. Beatus igitur Leucius, convocatis ad se Clericis suis, et universis Christianis, fecit Litanias Domini. Mox ut elevavit oculos ad cælum, tanta pluvia irrogata est, ut omnes regiones Italiæ agnoscerent Divinitatem Dei ostensam per B. Leucium.

Citatur ad Præfectum Leucius.

Pluviam precibus elicit.

20 Interea credit Christo Antiochus, et universa civitas Brundusium, et baptizati sunt omnes numero quasi viginti septem millia, ad laudem et gloriam Domini nostri Jesu Christi, et fabricaverunt ecclesiam in honorem Beatæ Dei Genitricis, et Virginis Mariæ, et B. Joannis Baptistæ in loco, ubi sacrum baptismum acceperunt. Tunc quidem confirmavit eos in fide et doctrina perfectius, et sic in pace obdormivit in Domino. Antiochus quidem secundum visionem B. Leucii fecit sepelire corpus ejus venerabile eo loco, ubi de navi descenderat, cum de Alexandria advenisset, idemque venerabilis memoriæ Antiochus jussit construere ecclesiam in nomine ejus cum omni diligentia et dignitate, quæ dedicata est ab Episcopo III Idus Maii. Dormitionis vero ejus festiva solemnitas celebratur III Idus Januarii. Plurima autem mirabilia per eumdem famulum suum Leucium ad laudem sui nominis omnipotens Dominus operari dignatus est, cui est honor et gloria per infinita secula, Amen.

Præfecto et aliis 27000 *conversis, moritur.*

a *Fortassis alterius in Ægypto Sedis creatus est Episcopus, aut Patriarchæ Alexandrini Chorepiscopus, inque ipsa fortassis urbe Alexandrina munus gerens Episcopale, sed sub Patriarcha : quod et de* Philippo S. Eugeniæ *patre dicendum videtur; cum uterque absit a catalogo Alexandrinorum Antistitum, diligenter alioquin contexto.*

b *Non est hæc Thraciæ* Adrianopolis; *ast ea fortassis, qu æin vetere Epiro erat, ut habetur in conc. Chalced. act.* 1.

c *Forte* adjunxit *legendum.*

d *Ignotus in historiis* Antiochus, *qui toti Italiæ præfuerit, Totam fortassis circa Brundusium provinciam gubernavit : unde agrestes homines eum totius Italiæ dominum crediderint; aut certe totam Italiam appellarint, vicinam et sibi notam regionem.*

DE TRANSLATIONIBUS S. LEUCII.

Gloriosum, et omni devotione venerandum Beatissimi Leucii Confessoris corpus, qualiter, volente Christo, Brundusinis ablatum, et Tranensibus, sit concessum, seriatim insinuare curabo.

Igitur postquam sacratissimum corpus hujus Confessoris apud urbem Brundusium digne traditum est sepulturæ, plurimisque decursis temporibus, exigentibus accolarum meritis, divinoque judicio contigit, ut præfata urbs hostili manu funditus everteretur, et quæ quondam fuerat divitiis sublimis et gloria, parvissimi sub specie oppidi nunc usque incolitur et videtur : cujus quidem ruina intueri eam volentium, oculis patet.

Evertitur Brundusium.

2 Eversa vero atque diruta urbe, Oratorium sancti Confessoris, quod foris constructum fuerat, extra oppidum colebatur. Unde factum est, ut quidam Tranensium religiosi viri, divinitus inspirati, ad idem Oratorium, quo pretiosum pignus quiescebat, devotissime properarent. Cum vero pervenissent ad locum

Corpus S. Leucii aufertur a Tranensibus.

locum, ubi gloriosi Antistitis admirabile et præclarum corpus habebatur, nullumque illic reperientes, inito consilio, abstulerunt inde sacratissimum corpus, et summa cum lætitia repedantes, applicuerunt non longe aburbe Trano, quasi stadia fere duodecim. Illic vero gaudentes, et exultantes deposuerunt venerabile pignus. Audito vero hoc, cunctus populus de sancti corporis adventione, cum ingenti lætitia festinabant videre, quod desiderabant habere. Ad hujusmodi vero spectaculum omnis ætas quæ poterat uterque sexus catervatim confluebant, laudantes et benedicentes Omnipotentis magnalia, qui suis famulis tantum actalem dignatus est destinare Patronum.

a Solenniter Tranum transfertur.

3 Tandem vero *a* Canusinus Pontifex cum universo Clericorum comitatu, et populorum conventu præcedentium, atque sequentium, et cum omni cautela et devotione, suscepit sacratissimum pignus, et cum lampadibus, et thymiamatibus, cum lacrymis et canticis, ingressus est civitatem Tranensem, secum afferens tantum thesaurum usque in ecclesia sanctæ Dei Genitricis et perpetuæ Virginis Mariæ, in qua deposito tanto pignore; nec mora, lætanter cives effodientes magno cum gaudio ibidem oratorium eo modo, quo idem gloriosus Confessor Christi apud Brundusium meruit, construxerunt, ubi cum omni diligentia honorifice sacratissimum ejus condiderunt corpus agentes gratias Domino Jesu Christo, qui per suum Antistitem Leucium plurima beneficia, admirandasque virtutes illic exhibere dignatus est. In loco vero, quo prius depositum fuerat sacratum illius corpus, non longe ab urbe eadem, ut præfatus sum, ædificaverunt basilicam in ejus honore et nomine consecratam, in qua devote petentes diversorum languorum suscipiunt sanitatem usque in hodiernum diem.

Claresci miraculis.

4 Accidit autem post longa annorum curricula, ut gens Ismaelitarum propter delicta populorum præfatam invaderet civitatem, et dirutis mœnibus, passimque per loca vicina dispersis habitatoribus, templa Sanctorum destrueret; et, quod dici nefas est, in quibus divina canebantur officia, irrationabilium animalium voces intonarent; et ubi Christianus populus vitæ cibum et potum sumebat, illic (proh dolor!) præsepia facta erant equorum, oratorium namque Beatissimi Confessoris in contemptione et concultatione sine reverentia a Barbaris habebatur. Audiens itaque hoc vir quidam illustris genere, Beneventi Comes, quia venerabile et omni honore dignum sacratissimi Leucii corpus ab Ismaelitis pro nihilo haberetur, protinus eorum Principi studuit nuntiare, promittens plurima auri pondera se illi daturum, si pretiosum pignus ei daretur. Allectus vero ille auri cupiditate, tale dedit responsum, ut, si promissum aurum deferret, nullatenus contradiceret de sancti corporis ablatione, et hoc jurejurando fide affirmavit. Tunc vero idem Comes gavisus gaudio magno, dedit quod promiserat munus, et accepit gloriosissimum pignus, cum omni diligentia et alacritate Beneventum perducens.

Transfertur Beneventum.

5 Sed Deus omnipotens nolens urbem Tranensium tanto frustrari Pontifice ac Patrono, effugatis hostibus dedit requiem fessis, et diu laborantes populos respirare permisit. Et quia tantum thesaurum perdiderant, magna afficiebantur mæstitia : et cum anxie quærerent, quo pacto adipisci possent admirabile corpus, consilio habito, Beneventum miserunt, ut si vellet idem Comes, datum munus acciperet, et oblatum in necessitate sanctum corpus sibi donaret. Qui cum multum resistens, nollet satisfacere petentibus' tunc germanus ejus, qui cum æqua lance idem beatum pignus diviserat, inquit : Si vero dederitis mihi quantum pro toto corpore paganis tribuimus, integram a me habebitis ejusdem corporis medietatem : sin alias, sine tanto thesauro ad propria remeabitis. Audientes itaque hoc, qui missi fuerant, quamvis tristes, tamen intra se colloqui taliter cœperunt : Melius, inquiunt, nobis est participes sancti corporis effici, et nobiscum partem afferre, quam cum rubore et confusione sine effectu repedare. Datoque auri pondere, susceperunt integram divisi corporis medietatem, et cum omni lætitia devote attulerunt sacratissima lipsana B. Leucii Confessoris in urbem Tranensium, ponentes ea per manus religiosorum Sacerdotum eo loco, quo prius fuerant cum omni cautela et reverentia collocata, glorificantes et collaudantes clementiam Redemptoris, qui afflictis Tranensibus populis diuturnam hostium oppressionem abstulit, et concessit benignum tutorem atque custodem. Vir igitur ille non solum qui sanctum corpus, sumpto pretio, vendiderat, verum etiam qui ex eo propagati sunt in generatione et generatione, famis penuria cruciantur usque in hodiernum diem.

AUCTORE ANONYMO, EX MSS.

Pars media restituitur Tranensibus.

b Pars Brundusinis.

6 Interea Theodosius *b* Orietanæ Sedis Antistes cum Beneventano Principe caritativam inierat amicitiam; in cujus dilectione confisus, petiit ab eo aliquantum partis pretiosi corporis. At ille petitionibus ejus satisfaciens summa cum diligentia concessit, quod fraterna devote caritas poscebat : suscipiensque tanti thesauri munus magna cum exultatione apud Brundusium loco pristino collocavit.

Epilogus, cum Sancti invocatione.

7 Ideoque, dilectissimi fratres, in hujus diei solennitate Beneventum gaudeat, et exultet Tranum, Brundusium lætetur, quia meruimus tantum ac talem habere Patronum. Idem enim beatissimus Christi Confessor cunctorum attendat affectum, exaudiat preces, et sicut in cælestibus regnis cum Sanctorum agminibus sine fine jubilat; ita et nos, qui ejus colimus celebritatem in terris, perpetuæ beatitudinis gaudii faciat esse consortes. Potens est enim gloriosus Antistes sua nos intercessione ab imminentibus liberare periculis, et a futuris adversis. Rogemus itaque cum toto cordis affectu, et nostri Patroni suffragia imploremus suppliciter, dicentes : S. Leuci adjuva nos, miserere supplicantibus te, succurre miseriis populorum tuorum, sentiamus patrocinium salutis tuæ in tempore nostræ necessitatis; attende vota, lacrymas respice, subveni afflictis, tuere pupillos, et viduas, protege Abbates, annue monachis, Præsules dirige, Clericos robora, memento Christianorum omnium, præcipue Joannis *c* Tranensis, Sipontini, atque Garganensis Archiepiscopi; nec non Pontificalis et Augustalis *d* Sinkelli, qui tua præ omnibus devotissime festa venerantur, præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per infinita secula seculorum. Amen.

c

d

NOT. 146

a *Ea Sedes cum Barensi unita nunc est.*

b Uria, Ὑρία *Græcis, et* Ουρία, *atque* Οὐρητον, *vulgo nunc* Oria, *urbs inter Brundusium et Tarentum, Episcopalis, sub Archiepiscopo Tarentino.*

c *Nunc* Sipontinus, *sive* Manfredoniensis *Archiepiscopatus cum* Montis Gargani *Episcopatu conjunctus est, at non cum Tranensi.*

d *Cum soleant scriptores præcipue sibi ipsis implorare Sanctorum patrocinium, verisimile est hunc auctorem Syncellum fuisse, cum solum Archiepiscopi et Syncelli peculiariter meminisse Sanctum velit.*

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

DE SANCTIS MARTYRIBUS HISPANIS, AGENTO, DONATO, AUGUSTINO, SALVIO, FELICE, DONATO PRESBYTERO, FLORO, GEMINO, PACIO, PAUSALINO, EUGENIO, STEPHANO, PHILONE, FELICITATE, CYRIACO, EBICIARIO, CASTOLIO, MOROSITO, CASTOLIO ET VII ALIIS.

XI JANUARII.

Martyrologium MS. *S. Hieronymi* : In Hispaniis Agenti, Donati, Augustini, Salvii, Felicis, Donati Presbyteri, Flori, Zemini, Pati, Pausalini, Eugeni, Stephani, et aliorum XII. *In antiquo* MS. *Hibernico conventus Dungallensis quorumdam ex his mentio fit, nimirum* Augenti, Donati, Felicis, Pausalini, Eugenii; *nisi hic socius sit* SS. Quincti, Januarii, Philoromi, *etc. de quibus actum est. Aliquorum detrita nomina sunt. Adduntur* SS. Philon, Felicitas, Cyriacus, Ebiciarius, Castolius, Morositus, item Castolius. *An hi ex duodecim illis sociis sunt, quorum Martyrologium S. Hieronymi reticet nomina?* MS. *Rhinowiense* : In Africa Felicis. *An hic est forte qui cum aliis in Hispania passus dicitur, et in alterutro loco mendum inest; Florarium Sanctorum* MS. *Carthusiani Colon. in Addit. ad Usuardum, et Maurolycus iisdem prorsus verbis* : Item Eugentii et Felicitatis Martyrum. *Martyrologium Coloniense antiquum* : Eodem die Sanctorum Eugencii et Felicitatis Martyrum. *Hic forte* Eugenius, *aut qui supra inter Martyres Africanos, aut inter hos Hispanos recensetur.* Felicitas *seorsim celebratur in antiquissimis* MSS. *Kalendariis monasteriorum S. Maximini et Epternacensis, quorum hoc annectitur* MS. *Martyrologio S. Hieronymi.*

DE SS. PETRO, SEVERO, LEUCIO, CONFESSORIBUS, ALEXANDRIÆ.

XI JANUARII.

Beda, Usuardus, Ado, Notkerus, Bellinus, Maurolycus : Apud Alexandriam natalis sanctorum Confessorum Petri, Severi, Leucii, quorum gesta habentur. *Vetus quoque Romanum, aliaque omnia Martyrologia* Confessores *appellant : solum Romanum ex editione Baronii* Martyres *facit.* Leucii *nomen varie expressum. In vetere Romano,* MS. *Hibernico conventus Dungallensis, et Maurolyco* Lucius *dicitur; in multis excusis et* MSS. Leontius : *in Lubecana Usuardi editione anni* 1475, Genucius, *uti et* Severus, Severinus : *in Notkero et* MS. *S. Hieronymi* Leucus, *in* MS. *S. Richarii* Eutychius : *in* MS. *monasterii S. Laurentii Leodii,* Seleucus : *in* MS. *Florario* Leontius, alias Seleucus. *Martyrologium* MS. *S. Hieronymi sic habet* : In Alexandria Petri, Leuci, (*deinde verbum unum alterumve est litura inductum*) Confes. et Alolami. MS. *Rhinoviense* : In Alexandria Petri, Absalmi, Philoromi. Absalmus *idem hic est verisimiliter, qui in S. Hieronymi,* Alolamus *dicitur, de quo pluribus egimus* III *Januarii.* De Philoromo *actum ante.*

DE S. SALVIO MARTYRE IN AFRICA.

XI JANUARII. *S. Salvii natalis.*

Hujus omnia Latinorum Martyrologium meminere; vetus Romanum, Adonis, Bedæ, Usuardi, Notkeri, Rabani, Bellini, Maurolyci, Galesinii, etc. adduntque in ejus natali sermonem a S. Augustino habitum ad populum Carthaginensem; cujus meminit Posidius in Indiculo cap. 3, per natalem S. Salvii Martyris contra supradictos, *etc. At cap.* 9, *meminit alterius,* de natali S. Salvii tractatus. *Ejus corpus, ut scribit in Notis Galesinius,* in basilica Carthaginensi honorifice religioseque olim reconditum fuit. *De eo Wandelbertus* :

Salvius hinc trinas Karthagine consecrat Idus.

Male MS. *Cusanum,* Salvimus. *Bellinus, Maurolycus, et alii,* Silvium *vocant : editio Parisien. Usuardi anno* 1536 *male* Salinium, *et Lubecana anni* 1475, Salinum : MS. *Martyrol. monasterii S. Maximini Trevir.* Sale. *Perperam idem* MS. *et Rabanus* Confessorem *appellant, cum ceteri ex Posidio* Martyrem *fuisse tradant. Neque sat probatur quod* MS. *Martyrol. monasterii S. Martini Treviris, et* MS. *Ecclesiæ S. Mariæ Ultrajecti habent* Episcopum *fuisse.*

2 *Ne quis autem decipiatur, alius longe ab hoc est* Salvius *ille hæreticus Donatista factionis Maximianistarum. Membresitanus in Africa Pseudoepiscopus, qui, ut refert S. Augustinus lib.* 4. *Contra Cresconium Grammaticum cap.* 48 *et* 49, *coram Serrano Procos. a Restituto itidem Donatista, sed alterius factionis, jam gravis ætate accusatus, atque a Procos. ex Bajacensi Donatistarum synodo damnatus est.* Sed cum pro defendendis ex quantacumque parte sedibus suis, etiam post Procos. judicatum, turbæ sibi faventis (*Membresitanorum scilicet*) fiducia repugnare tentaret, victus aliquando comprehensus est *ab Abitinensibus,* non jam ducendus ad judicium, ubi in partes fuerat prolata sententia, sed pompa miserabili triumphandus. Capto enim seni, mortuos canes aligaverunt in collo, et sic cum illo quantum libuit saltaverunt : et quidem, *ut idem ait Augustinus lib.* 3, *contra epistolam Parmeniani cap.* 6, ad turpes voces cantationesque plagasque et contumelias intulerunt. *Non tamen narrat Augustinus ab iis occisum, ut vult Baronius in Notis hic, qui* Pseudomartyrem *appellat.*

Alius Salvius *hæreticus.*

Hæretici in suos sævi.

DE

DE S. ALEXANDRO MARTYRE,

EPISCOPI FIRMANO, IN PICENO.

XI JANUARII.

Martyrologium Romanum : III Id. Januarii, Firmi in Piceno S. Alexandri Episcopi et Martyris. *Acta ejus videntur intercidisse, urbe Firmana a Frederico I, Imperatore incensa. Hæc de eo scribit Ferrarius in catalogo Sanctorum Italiæ, et ex tabulis Ecclesiæ Firmanæ :* Alexander Firmanus patria, ex Sinigarda familia fuisse traditur: qui factus Firmanæ Ecclesiæ Episcopus, ab hostibus fidei Catholicæ, haud procul ab urbe, in via quæ ad cœnobium S. Savini ducit, ob ejusdem fidei defensionem interfectus, martyrio coronatus est. Cujus corpus in basilica Metropolitana, in arca marmorea conditum quiescit : ubi epitaphium litteris Longobardicis scriptum hoc legitur : HIC JACET RECONDITUM BEATISSIMUM CORPUS GLORIOSI MARTYRIS ET EPISCOPI ALEXANDRI. Cujus memoria III Id. Januarii Firmi celebratur, prout in Romano Martyrologio annotatur.

DE S. PALÆMONE ANACHORETA.

SECULO IV. XI JANUARII. *S. Palæmonis natalis.*

Natalem Palæmonis Abbatis consignat hoc die Martyrologium Romanum, hic verbis : In Thebaide S. Palæmonis Abbatis, magistri S. Pachomii. *Quædam de eo commemorat scriptor vitæ S. Pachomii, qui infra num.* 8, *quæ scribit testatur se* didicisse a sanctis hominibus Dei, qui simul cum *Pachomio* multo tempore erant morati. *Eam vitam Latine vertit Dionysius Exiguus initio sexti seculi, accurate in vitis PP. edidit Rosweydus noster; nos post Rosweydi mortem cum aliis aliquot* MSS. *contulimus.* *Res gestæ.* *Eam* XIV *Maii dabimus, hic illa solum excerpemus, quæ ad* Palæmonem *pertinent. Eadem vita a Lipomano et Surio edita est alio interprete; in ea passim pro* Palæmone Palamon *appellatur.*

VITA

EX HISTORIA VITÆ S. PACHOMII.

CAPUT I.

S. Palæmon monachum consecrat S. Pachomium.

Constantinus Imperator pietate ac fide, qua Christo credidit, *a* victoriam de hostibus consecutus, tirones jussit absolvi. Sic Pachomius optata sibi libertate concessa, protinus ad Thebaidis ulteriora regreditur: et ingressus ecclesiam, quæ est in vico, cui cognomen est *b* Chinoboscium, fit illico catechumenus, et post paullulum gratiam lavacri vitalis adipiscitur : et ipsa nocte, qua mysteriis sacris imbutus est, vidit in somnis veluti rorem cælitus allapsum suam replesse dexteram, *c* et in mellis crevisse pinguedinem : audivit quoque vocem dicentem sibi : Considera Pachomi quod geritur. Est enim hoc signum gratiæ quæ tibi a Christo collata est. Hinc itaque divino inflammatus affectu, et ex dilectionis jaculo salubri vulnere sauciatus, totum se disciplinis atque institutionibus divinis subjugavit.

a

b *Pachomius baptizatur, ad studium pietatis excitatur.*

c

2 Audivit autem quemdam anachoretam, cui nomen erat Palæmon, intra eremi secreta Domino servientem : ad quem confestim cum eo cupiens habitare, perrexit, et pulsans ostium cellulæ ejus, precabatur ingressum. Cui senex aliquantulum patefaciens aditum, dixit : Quid vis? aut quem quæris? Erat enim severo adspectu, propter quod multo tempore solitarius vitam rigidæ conversationis exegerat. Respondens autem Pachomius, ait : Deus me misit ad te, ut monachus fiam. Cui senior : Non potes hic, inquit, monachus fieri : non enim parva res agitur, si veri monachi conversatio casta pensetur; nam plures huc dudum venientes, affecti tædio, perseverantiæ non tenuere virtutem. Et Pachomius : Non sunt, inquit, æquales omnium mores : idcirco precor, ut me digneris excipere : et processu temporis tam voluntatem meam, quam possibilitatem plenius approbabis. Et senior ait : Jam tibi præfatus sum, quod hic fieri monachus nullo modo possis : perge magis ad aliud monasterium; et cum tantisper ibidem continentiæ operam dederis, tunc ad me regredere, teque sine mora suscipiam. *Adit S. Palæmonem, petitque fieri monachus.*

3 Verumtamen adverte quod dico. Ego hic, fili, satis frugaliter vivo. Nam nimis ardua et durissima conversatione me castigo, nullius rei cibo utens, nisi tantum panis et salis; ab oleo autem et vino in totum prorsus abstineo. Vigilo dimidium noctis : quod spatium vel in oratione solemni, vel in meditatione divinæ lectionis insumo : interdum quoque totam noctem duco pervigilem. Hæc autem audiens Pachomius, expavit; ut solent pueri magistrorum vereri præsentiam : sed gratia Domini roboratus, omnem hunc laborem tolerare proposuit, senique respondit : Credo in Domino Jesu Christo, qui mihi fortitudinem patientiamque præstabit, ut dignus efficiar tuis adjutus precibus, in sancta conversatione per omnia vitæ meæ curricula permanere. *Palæmonis abstinentia, vigiliæ, preces.*

4 Tunc S. Palæmon spiritualibus oculis intuens Pachomii fidem, tandem patefecit aditum : eumque suscipiens, habitu monachi consecravit. Morabantur ergo simul, abstinentiæ atque precibus operam dantes. Texebant quoque cilicia, et laborabant manibus suis, juxta beatum Apostolum, non tantum pro sua refectione vel requie, sed ut haberent unde tribuerent necessitatem patientibus. In vigiliis etiam cum nocturnas orationes celebrarent, si quando senior vidisset somno Pachomium premi, educens eum foras, arenam portare præcipiebat de loco ad alterum locum : et tali exercitio mentem ejus gravatam somni pondere sublevabat, instituens ac formans eum, ut sollicitus esset in precibus, dicens ei : Labora Pachomi, et vigila, ne quando (quod absit) ab hoc nunc incepto proposito te amoveat is qui tentat, et inanis fiat labor noster. Quæ cuncta Pachomius obedienter ac sollicite suscipiens, ac de die in diem sanctæ continentiæ profectibus crescens, venerabilem senem nimis alacrem lætumque reddebat, ita ut Christo semper pro conversatione ejus gratias ageret. *Pachomium monachi habitu consecrat.* Ephes. 4. 28. *Ejus somnolentiam pellit.*

a *Debellati* Maxentius *anno Christi* 312, *sequenti* Galerius Maximinus, *sæpius* Licinius, *qui tandem Thessalonicæ, quod novas res moliretur, anno* 325 *peremptus est, et finem dedit armorum civilium. Sed Maxentiano bello, non Liciniano, militasse* Pachomium *ostendit Rosweydus in Notat. ad ejus vitam.*

b *Urbs est Thebaidis* χηνοβοσκία, *in Panopolitenomo, apud Ptolomæum, quæ a pascendis anseribus habere nomen videtur; est enim* χὴν anser, *et* βόσκειν pasco, *et* χηνοβοσκεῖον, locus ubi aluntur anseres. *Verum Stephanus, ex Alexandri Ægyptiacis, negat ullam extare illius appellationis caussam, cum nemo isthic pasci anseres viderit. Alioquoties in vita Pachomii mentio fit Chinobosciorum monasterii.* *Chinoboscia.*

c *In*

Ex vita S. Pachomii. *Lac et mel,*

Vinum et lac, post baptismum.

c *In primitiva Ecclesia baptizati mellis et lactis dulcedinem degustabant. Tertul. de corona militis, cap.* 3. Inde suscepti lactis et mellis concordiam prægustamus. *Et lib.* 1, *contra Marcionem, cap.* 14, nec mellis et lactis societatem, qua suos infantat *S. Hieronymus adversus Luciferianos cap.* 4, *id* per traditionem in Ecclesiis observari *scribit* ad infantiæ significationem. *Sic in Occidentis Ecclesiis lac et vinum præberi solere baptizatis idem testatur in cap.* 55, *Isaiæ ad significandum innocentiam et sapientiam. Consule Rosweydi Notas ad vitam Pachomii.*

CAPUT II.

Pascha celebratum. Monachi arrogantia et incontinentia punita.

Per idem tempus sacratissimus dies Paschalis advenerat, et ait ad Pachomium senior : Quoniam cunctorum Christianorum universalis est ista festivitas, nobis quoque para, quæ usui nostro sunt congrua. Tunc ille promptus ad obtemperandum, id quod sibi præceptum est implevit : præter solitum namque parumper accipiens olei, cum salibus tritis admiscuit. *a* Lapsanas enim, id est agrestia olera, et herbas alias præter oleum consueverant edere. Cum ergo præparasset, ait ad senem : Feci quod tua paternitas imperavit. Cumque post orationes B. Palæmon accessisset ad mensam, vidissetque olei apparatum cum salibus, fricans manibus frontem, et ubertim fundens lacrymas ait : Dominus meus crucifixus est, et ego nunc oleum comedam? Cumque rogaret eum Pachomius, ut modicum quid ex eo sumeret, nullatenus acquievit. Tunc pro more sale et pane allato ad manducandum pariter consederunt. Quæ senex Crucis Christi signo, sicut consueverat, benedicens, cibum uterque sumpserunt, Domino gratias (ut par fuerat) humiliter exhibentes.

a

Lautioribus cibis, etiam in Paschate, abstinet ob Passionem Christi.

6 Una vero dierum, cum vigilantes simul Palæmon et Pachomius accederent ignem; quidam Frater superveniens, apud eos manere voluit. Qui cum susceptus esset, inter verba (ut fieri solet) erupit, et dixit : Si quis fidelis est ex vobis, stet super hos carbones ignis, et orationem Dominicam sensim lenteque pronuntiet. Quem B. Palæmon intelligens superbiæ tumore deceptum, commonuit, dicens : Desine Frater ab hac insania, nec tale quid ulterius loquaris. Qui correptione senis non solum non profecit in melius, sed plus elatione mentis inflatus, super ignem stare cœpit audacter, nullo sibi penitus imperante : eratque conspicere, quomodo cooperante inimico humani generis, et Domino permittente, nequaquam perustus fuerit ignis attactu. Hoc ipsum vero quod gessit impune, ad augmentum profecit ejus insaniæ, secundum quod scriptum est : Ad pravos pravas vias mittit Dominus. Hoc itaque cum fuisset factum, postera die idem Frater mature proficiscens, ac velut exprobrans eis, aiebat : Ubi est fides vestra?

Reprehendit arrogantis monachi factum.

Prov. 28. Eccli. 2.

Hic a dæmone fœde delusus, in luxuriam consentit.

7 Post non multum vero temporis cernens diabolus, eum sibi per omnia mancipatum, et facile ad quæ vellet facinora eum posse impellere, transfiguravit se in mulierem pulchram, splendidis vestibus adornatam, et cœpit ostium cellæ ejus vehementer extundere. Qui cum apperuisset, ait ei diabolus in habitum mulieris immutatus : Obsecro te, quia nimis a creditoribus urgeor, et metuo ne me aliqua pericula comprehendant, recipias me in tuam cellulam, quoniam debitum solvere nequeo, quatenus per te salva facta, gratias referam; Deus enim me direxit ad te. Qui a cœcitate mentis penitus obscuratus, nec valens discernere quis esset, qui sibi talia loqueretur, diabolum miser in suum recepit exitium. Tunc hostis nostræ substantiæ, videns eum ad omne scelus esse præcipitem, immisit ei turpem concupiscentiam. Qui mox cessit inimici suggestionibus : et ejus, quasi muliebres, petivit amplexus. Quem spiritus immundus invadens, elisit atrociter : et revolutus super pavimentum, veluti mortuus diu multumque permansit.

8 Post aliquantos autem dies tandem in se reversus, et dementiæ propriæ sero pœnitens, ad S. Palæmonem venit : et cum magno fletu quid sibi accidisset exposuit, vociferans et dicens : Agnosco, Pater, agnosco, quod ego caussa perditionis meæ existam. Bene enim me commonere dignatus es, sed ego infelix, qui te audire contempsi. Quapropter obsecro, ut me sanctis orationibus tuis adjuvare digneris, ne sub ingenti periculo constitutum discerpat inimicus et perimat. Cumque ista cum lamentis prosequeretur et fletibus, et S. Palæmon Beatusque Pachomius lacrymas pro eo funderent compatientis affectu; subito correptus ab immundo spiritu, de conspectu eorum prosiliit, et per deserta discurrens agebatur infrenis. Pervenit autem ad civitatem *b* Panos nomine, ac deinceps in fornace balnei per amentiam sese præcipitans, incendio protinus interiit.

Implorat preces S. Palæmonis.

Misere perit.

b

a *Proverbium* Lapsana vivere, *de tenui et paupere victu Dioscorides lib.* 2, *cap.* 142, λαψάνην *vocat; Cassianus lib.* 4, *instit. cap.* 11 *et* 22, Lapsanium, *et* Lapsania *appellat.*

Lapsana.

b Panopolis *Ptolomæo urbs Thebaidos.*

CAPUT III.

Pachomii virtutes et revelationes Palæmoni indicatæ. Hujus obitus.

Hæc audiens videnque Pachomius, magis ac magis incubuit abstinentiæ tenere mensuram : et cum in omnibus, tum maxime in orationibus animum servare pervigilem, juxta illud quod scriptum est : Omni custodia serva cor tuum : intantum, ut eum senex miraretur attonitus, quia non solum consuetam abstinentiæ regulam alacer extrinsecus exequebatur, sed etiam intrinsecus conscientiam suam juxta cælestium formam studebat exhibere purissimam, sicut beatus Apostolus dicit : Gloria nostra hæc est testimonium conscientiæ nostræ : certus, ex hoc magnam sibi in cælestibus parare mercedem. Nam et cum divinas Scripturas legeret, memoriæque mandaret, non id passim negligenterque faciebat, sed unumquodque præceptum solerter examinans, ac pia mente pertractans, studebat indies opere perficere, quæ memoria retentabat. Præcipue vero humilitatis ac patientiæ munere, et erga Deum proximumque purissima dilectione præ multis nitebatur excellere. Hæc autem aliaque ejus plurima didicimus a sanctis hominibus Dei, qui simul cum eo multo tempore sunt morati; quibus etiam vitæ spiritualis exempla contulerat, post lectionem divinæ legis, ea quæ ad ædificationem animarum pertinent, diligenter exponens. Quæ quia multa sunt, et vires nostræ parvitatis excedunt, non omnia præsenti stylo perscripsimus. Non enim sumus idonei, tanti viri merita eloquio pari depromere.

Pachomii perfectionis studium.

Prov. 4. 25.

2. Cor. 1. 12.

Attentio in lectione.

Aliæ ejus virtutes.

10 Igitur erga locum montis, ubi Sancti morabantur, plena spinis eremus adjacebat : ad quam sæpe Pachomius veniens ligna legere, super spinas nudis pedibus incedebat, et cum infigerentur ei plurimæ, lætabatur, patienter ac fortiter ferens, recolens quod Dominus noster in cruce clavis fuerit dignanter affixus. Diligebat autem anachoresim plurimum, frequenter expetens solitudinem; et illic diu in oratione persistens Domino supplicabat, ut tam se quam omnes homines ab universis inimici fraudibus clementer eriperet.

Patientia.

Amor solitudinis.

11 Quodam vero tempore contigit, ut Pachomius procul a cella sua progressus, veniret ad quemdam vicum, cui nomen est *a* Tabennense, in quo tunc nullus penitus habitator existebat. Ubi cum pro more diutius in orationibus perduraret, vox ad eum cælitus delata est, dicens : Mane hic o Pachomi, et monasterium construe. Venturi sunt namque ad te quamplurimi, tua cupientes institutione proficere; quibus ducatum præstabis, juxta regulam quam monstravero tibi. Et protinus apparuit Angelus Domini, deferens ei tabulam, in qua erat omnis forma institutionis adscripta, qua docendi forent, quicumque ad ejus magisterii

a

Divinitus jubetur monasterium construere.

Regulam ab Angelo accipit.

gisterii studia pervenissent. Quam regulam Tabennenses hodieque custodiunt, eodem cibo semper utentes et habitu, ipsam quoque disciplinam sollicita circumspectione servantes. Nam monachi qui ibidem commanent, non solum more, sed et robore corporis, et locorum situ præceteris longe diversi sunt: et necesse est, eos diversam quoque regulam custodire.

12 Hanc ergo vocem Pachomius mentis sinceritate discernens, quam illi divina gratia et merita vitæ contulerant, agnovit ad se cælitus delatam, Regulasque valde mirabiles approbavit. Tunc reversus ad venerabilem senem Palæmonem, retulit quemadmodum voce sit divina commonitus, obsecrans, ut secum pariter veniret ad locum, quo possent Domini mandata explere. Qui nolens eum in aliquo contristare, utpote carissimum filium, precibus ejus illico paruit, atque ad præfatam villam cum eo pervenit, modicamque ibi cellulam construentes, lætabantur in Domino, promissionum ejus beneficia præstolantes. Post aliquantum vero temporis ait Palæmon ad Pachomium : Quoniam cerno gratiam a Deo tibi collatam, et deinceps istic permanere disponis; veni statuamus inter nos pactum, ut non dividamur ab invicem, sed quamdiu in hac luce versamur, visitatione nos consolemur assidua. Utrique placuit hæc pactio, quam omni tempore vitæ suæ tam beatus senex quam Beatus Pachomius sollicitius sunt executi.

Cum Palæmone Tabennam pergit.

Invicem postea invisunt.

13 Inter hæc venerabilis idem Palæmon dolore splenis, qui ex nimia continentia illi provenerat, toto corpore gravi cœpit ægritudinis incommodo laborare. Nam sumebat escam, potu sæpius abstinens : item solummodo bibebat, nihil cibi percipiens. Rogatus igitur ab aliquibus Fratribus, qui ad eum gratia visitationis advenerant, ne penitus corpus debile frangeret, sed ei aliquantulum solatii pateretur impendi, tandem cessit orantibus, ut victu congruo attenuata membra refoveret. Sed non hoc diutius pertulit. Nam graviores solito dolores splenis expertus, relicta ciborum insolentia, ad antiquum victum sine dilatione revertitur, dicens : Si Martyres Christi alii per frustra lacerati, alii capite cæsi, nonnulli etiam ignibus sunt cremati, et tamen usque ad finem fortiter pro fide toleraverunt; cur ego patientiæ præmia, parvis cedens doloribus, impatienter abjiciam, et desiderio vitæ præsentis, afflictiones momentaneas inaniter expavescam? Denique suadentibus acquievi cibos insolitos sumere, qui mihi dolores auxerunt potius, quam ullam requiem præstiterunt. Recurram igitur ad prisca remedia, et continentiæ subsidia non relinquam, in quibus est (ut ego certus sum) omnis post Deum requies et vera lætitia. Non enim propter homines hæc arma suscepi, sed ob amorem Christi his certare disposui.

Palæmon ægrotat.

Pristinam abstinentiam in morbo retinet.

Ex vita S. Pachomii.

14 Sic itaque viriliter agens, intra mensem dierum valido languore consumptus est. Ad quem Pachomius veniens, fovebat eum ut patrem, deosculans pedes ejus, atque complectens; et veluti valefaciens, sic eum videbatur affari. Venerabilis autem senex, omni virtutum gratia cumulatus, et plenus dierum, sicut scriptum est, quievit in pace. Tunc sanctus Pachomius corpus ejus sepelivit : cujus anima suscepta choris Angelicis, ad cælos evecta est. Quo peracto, Pachonius ad proprium diversorium revertitur.

Moritur.

Sepelitur a Pachomio.

a *Cassianus lib.* 4, *Institutionum cap.* 1. Quædam scilicet de Ægyptiorum, quædam Tabennensiotarum regulis admiscentes, quorum est in Thebaide cœnobium, quanto numero copiosius cunctis, tanto conversationis rigore districtius. Siquidem in eo plusquam quinque millia Fratrum sub uno Abbate reguntur, *et cap.* 30. Monasterium Tabennensiotarum, expetivit, quod sciebat cunctis monasteriis esse districtius. *Erat id ad ultimas partes Thebaidis, ut ibidem dicitur.* Sub Syene, *ut in epistola ad Lausum scribit Palladius. Fuit ut lib.* 3 *de vitis PP. ait Ruffinus*, monasteriorum multorum in regione Tabennensiotarum Præpositus *Pachomius. Erat isthic et monasterium feminarum, ut constat ex lib.* 5, *de vitis PP. libel.* 18, *num.* 19.

Tabenna.

DE S. HORTENSIO EPISCOPO.

XI JANUARII. *Martyrolog.* MS. *S. Hieronymi :* Et depositio Hortensii Episcopi. *Idem celebratur in* MS. *Martyrol. Hibernico conventus Dungallensis. Nihil alibi de eo legimus.*

DE S. THEODOSIO ANTIOCHENO,

ABBATE MONASTERII IN SCOPULO.

CIRCITER AN. CHR. CDXII. XI JANUARII. *Duo hoc die Theodosii Abbates.*

Duo hoc die celebrantur a Græcis Theodosii, *ambo vitam initio anachoreticam auspicati, ambo deinde celebris fundatores cœnobii; juniori nomen adhæsit* Cœnobiarchæ; *seniori vero* Antiocheni; *inde namque ortus erat, e Cappadocia alter.* Antiocheni *hic duplicem vitam damus, unam e Menæis, alteram ex cap.* 10, *Philothei, seu libri* 9, *de vitis Patrum, auctore coævo Theodoreto Cyri Episcopo. Subnectimus de miraculis ab eodem patratis caput* 80, 81 *et* 85. *Prati spiritualis, seu libri* 10, *de vitis Patrum, in quo libro frequens hujus* S. Theodosii *ejusque monasterii mensio fit, et variæ anachoretarum, qui deinde in ejus monasterio vixerunt, virtutes et miracula describuntur, ut cap.* 82, 83, 84, 86, 90, 91, 95 *et* 190, *in quibus passim mominantur* montes monasterii Abbatis S. Theodosii in Syria, *et quidem eorum unus dicitur* Phterigius, supra Rosum, prope Priapen fluvium, et juxta monasterium Abbatis Theodosii in Scopulo. *Multa tamen eodem libro narrantur de monasterio* S. Theodosii Cœnobiarchæ, *quæ perperam in titulis capitum tribuuntur monasterio* S. Theodosii Antiocheni, *sive in Scopulo.*

VITA

Ex Menæis Græcorum.

Hic sanctus Pater noster diversus est asceta, seu anachoreta, a *a* priore Theodosio, civis Antiochenus, claris parentibus natus. Hic cum olim Dominicam vocem attentius audiret, relicta domo, opibus, cognatis, aliisque omnibus, silvas mari proximas ingressus, cellam angustissimam excitavit; vitamque solitariam amplexus, vestes cilicinas induit, gravesque ferro catenas interius, unam a cervice pendentem, alteram lumbos stringentem, singulasque alias in singulis manibus gestavit; precibusque et manuariis laboribus intentus, prava corporis desideria, fastumque, et alias improbas cupiditates domuit et fregit. Squallenti erat coma et ad pedes usque promissa. Conficiebat subinde sportulas; subinde *b* hortulos in rupe excolebat, oleraque conserebat, ex quibus sibi et peregrinis adventantibus victum parabat.

a

S. Theodosii patria, genus,

vita eremitica perquam austera,

externa exercitatio.

b

2 Temporis autem progressu cum fama viri gloriaque longe lateque spargeretur, hominumque concursus ad illum frequentes fierent, qui illius vitam et institutum sequi cupiebant, receptis illis solitudinem quasi in cælestem urbem convertit.

Discipuli.

3 Cum

AUCTORE THEODORETO.

3 Cum vero *c* Agareni, seu Saraceni, viciniam illam eremi percurrerent, illæso quidem Beato, cujus aspectum verebantur, recessere. Theodosius tamen frequentiorem illorum transitum veritus, solitudine illa relicta in patriam rediit, ibique modicum tuguriolum fixit, ubi cum vitæ consortibus, cælestibus exercitationibus vacavit; præfatus apud suos, et si tum Agareni ipsos reveriti fuissent, scriptum tamen esse in litteris sacris ad nostram cautelam, uti demus locum iræ, Christumque ipsum refugisse ab Herode in Ægyptum, quo doceret ne periculis nos objiceremus. Quid enim volentibus religiosam vitam exercere obsit patria? Cum ergo paullulum ibi supervixisset, abiit ad cælum.

c reverentia apud Barbaros, reditus in patriam,

Rom. 12. 19. Matth. 2.

mors.

a Prior *dicitur Theodosius Cœnobiarcha, quia licet junior prius tamen in Menæis celebratur.*

b *Græce* εἰργάζετο μικρᾶς ἀρούρας ἐν τῇ νάπῃ. *De* arura *consule Onomasticon Rosweydi ad vitas Patrum.*

c *Theodoretus* Isauri.

ALIA VITA

Ex Theodoreti Philotheo, cap. 10.

a b S Theodosii cella,

a Rosus est oppidum Ciliciæ, *a b* dextra ei qui navigat in Pontum Cilicium. Hujus ad Orientem et meridiem est mons altus, spatiosus; et umbrosus, alit autem feras in nemoribus. In eo cum quemdam ad mare vergentem *c* lucum invenisset magnus et vulgo celebratus Theodosius, quadam modica extructa domuncula, Evangelicum vivendi institutum solus amplectebatur, vir oriundus quidem Antiochia, insignis autem claritate generis : sed tamen et domo, et cognatione, et omnibus aliis relictis, pretiosissimam, ut Evangelice dicam, emit margaritam. Ac de ejus quidem a cibo abstinentia, et quomodo humi cubaret, et cilicio indueretur, supervacancum est dicere iis, qui ejus vident discipulos et solades, et in eis eamdem cernunt vivendi formam. Hæc tamen ille insigniter persequebatur, ut qui seipsum certantibus exemplar proponeret. His autem adjiciebat ferreum onus collo et lumbis et ambabus manibus. Porro autem gestabat quoque *d* comam sortidam, et quæ ad ipsos usque pedes pertingebat, et ulterius etiam progrediebatur, et ideo erat lumbis ejus aligata.

c patria, genus,

Matth. 13. 46. *austeritas vitæ,*

d coma prolixa,

2 Deprecatione autem et hymnodia utens assidue, cupiditatem, et iram, et arrogantiam, et alias animi belluas sopiebat. Labores autem semper augens laboribus, persequebatur eam quoque quæ manibus fit operationem : nunc quidem sportellas quæ vocantur, et vimineas crates contexens; nunc autem parva prædia in saltu efficiens, et semina dejiciens, et illinc quantum victui satis esset, colligens.

oratio,

opus manuum,

discipuli,

3 Postquam autem procedente tempore ejus fama pervasit in omnem partem, multi multis ex locis concurrebant; ejus et habitationis, et laboris, et instituti esse socii cupientes : quos quidem excipiens, ad eamdem vitam deducebat. Et videre licebat alios quidem vela, alios vero sagum ex pellibus textentes : alios vero crates vimineas vel sportellas connectentes, alios vero terram colentes. Et quoniam locus erat maritimus, ad transmittendum quoque quadam constructa navicula, quæ ponto appellatur, ea utebantur ad ea quæ erant inferenda, et exportans opera eorum qui simul habitabant, et importans ea quæ erant necessaria. Memor enim vocis Apostolicæ quæ dicit : Noctu diuque operantes, ne essemus oneri alicui vestrum; et : Manus hæ mihi et iis qui erant me cum suppeditarunt; et ipse laborabat, et hortabatur suos contubernales, ut cum animæ laboribus, corporis quoque labores conjungerent. Est enim absurdum, ut ii quidem qui aluntur in vita seculari, se affligentes et laborantes alant filios et uxores, et præterea et tributa conferant, et ab eis exigantur vectigalia, et Deo offerant primitias, et mendicorum pro viribus medeantur inopiæ; nos autem non quæramus ex laboribus ea quæ sunt necessaria, idque cum vili quidem et modico cibo, vili autem veste utamur, sed sedeamus quidem compressis manibus, alienis autem fruamur laboribus. Hæc et talia dicens, hortabatur ad operandum, in tempore quidem, quæ sunt ubique præscripta, divina peragens officia; id autem quod intercedebat temporis, impendens operi.

2. Thessal. 3. 8. Act. 20. 34.

adhortatio ad laborem,

4 Non levem autem curam gerebat hospitum, vi- *hospitalitas,*
ris lenitate et morum mansuetudine ornatis, et in proximum caritate præditis, ut eis providerent, committens; ipse autem visebat et inspiciebat omnia, perscrutans an ex latis legibus unusquisque suo fungeretur officio. Hinc factum est, ut tam insignis et *miracula,*
celebris esset ejus fama, ut qui navigabant, et plusquam mille stadiis aberant, Deum Theodosii invocarent in periculis, et Theodosii appellatione sedarent tempestatem.

5 Eum audaces quoque et immanes hostes sunt reveriti, qui maximam Orientis partem sunt de populati. Quis enim ex iis qui in nostro habitabili orbe *reverentia*
terrarum habitant, non auditione accepit ea, quæ *apud barbaros,*
illo tempore facta sunt, ab iis qui olim quidem Solymi, nunc autem nominantur *e* Isauri. Illi tamen, *e*
qui nec *f* oppido, nec vico pepercerunt, et quæcum- *f*
que capere potuerunt, diripuerunt, et igni mandaverunt, sunt illam reveriti philosophiam, et cum solummodo panem petiissent, et ut pro se orarent significassent, illud illæsum reliquere monasterium : idque non semel sed etiam bis fecere. Veriti tamen *reditus in patriam, et quare,*
Præsides Ecclesiarum, ne pecuniæ cupiditate illis barbaris a diabolo immissa, captivum abduceretur magnum illud lumen (erat enim verisimile fore, ut magna vis pecuniæ ad eum redimendum transmitteretur ab omnibus qui habent in honore res divinas) ei persuadent ut se conferret Antiochiam. Jam enim captivos ceperant duos Præsides Ecclesiarum, eos quidem omni officii genere sunt prosecuti : cum autem quatuordecim millia aureorum pro utrisque accepissent, permiserunt ut redirent quo vellent. Postquam autem pervenit Antiochiam, habitavit quidem in habitaculo, quod invenit situm prope fluvium, omnes autem traxit ad seipsum qui sciunt talia colligere.

6 Dum autem me trahit impetus orationis, prætermisi narrare miraculum, quod a divino illo viro factum est, quod multis quidem fortasse videbitur esse incredibile, et tamen remanet in hodiernum usque diem, oratione testificans, et ostendens qualem apud Deum gratiam et fiduciam est consecutus hic vir admirabilis. Præceps quædam petra imminet mo- *rivus e petra precibus elicitus,*
nasterio quod ipse ædificavit : erat autem primo sicca, et omni humore vacua. In ea fecit aquæductum, qui a vertice fertur in monasterium, tamquam qui motum aquarum haberet in potestate. Plenus autem fiducia in Deum, et firmiter credens, ut est verisimile, se Dominum habere benevolum et fidem habens in quam nulla cadebat dubitatio, ascendit in supremam partem ejus qui nunc est aquæductus, priusquam surrexissent solades ad preces consuetas. Et Deum pre- Psal. 144. 19.
catus, fretus eo qui facit voluntatem timentium eum, virga, cui innixus erat, petram percussit. Ea vero rupta, aqua instar fluminis scaturiit : et monasterium ingrediens per aquæductum, et quantum ad omnem usum sufficit abunde suppeditans, in mare propinquum influit : et in hodiernum usque diem ostenditur, operans Moysaica magni Theodosii gratia. Sufficit vel hoc solum ad ostendendam viri hujus erga Deum fiduciam.

7 Cum autem Antiochiæ vixisset parvo tempore, *mors,*
migravit ad choros Angelorum. Per mediam autem urbem ferebatur sacrum corpus, tamquam aureis quibusdam coronis, feretro illo decoratum, cum omnes *funus,*
Duces concurrissent, et qui magnos suæ fidei creditos

reliquiæ,

tos gerebant magistratus. De cubili autem erat magna iis et decertatio, cum id omnes auferre contenderent, et ex eo benedictionem et utilitatem percipere cuperent. Sic elatus, ponitur in æde sanctorum Martyrum, cum *g* Juliani, victoria insignis in pietate athletæ, fuisset et contubernalis et eodem tecto usus. Idem autem loculus eum excepit, qui illum quoque divinum et beatum *h* Aphraatem.

g

sepultura,

h

i

successor,

8 Gregis autem præfecturam accepit *i* Helladius ille admirabilis, qui in illis quidem locis perpetuis fuit sexaginta annis, deinde Cilicum divinitus electus est Antistes, cum neque priorem reliquisset philosophiam, et illis laboribus Pontificatus sudores quotidie adderet. Hujus cum Beatus quoque Romulus fuisset auditor dux maximi gregis fuit creatus. Permansit autem illius chorus in hodiernum usque diem, idem servans vitæ institutum. Est autem prope monasterium vicus, qui Syriace appellatur Maratus. Ego autem fine imposito huic narrationi, rogo ut ejus quoque consequar benedictionem.

cœnobium.

invocatio.

a Rhosopolis *urbs Ciliciæ in miraculis* S. Simeonis Stylitæ in monte mirabili, *in* 2, *Nicena Synodo Act.* 4, Rhosus *Stephano.* Rossus *Ptolomæo ad Issicum sinum inter Issum et Seleuciam. Perperam ad* Russos, *seu* Roxolanos, *confugit Iaderus in Notis ad vitam* S. Romani Thaumaturgi *in Menæis* 27 *Novemb.*

b *Respectu* Antiochiæ, *seu* Syriæ ulterioris, *in qua Theodoretus scripsit.*

c *Idem Theodoretus sequenti capite* 11. Magnus ergo Theodosius ab Antiochia profectus, cum in montibus Rosicis decertasset, et Antiochiam reversus esset, sic vitæ finem accepit.

d *Theodor. ibidem de S. Romano :* Erat autem coma magno Theodosio similis : vestis autem ferrum similiter.

e *Populi ad montem Taurum inter Lycaoniam et Ciliciam Stephano. Consule Ptolemæi tabulam* 1 *Asiæ, et lib.* 5, *cap.* 4, *de situ Galatiæ. Infestarunt* Isauri *Armeniam et vicinas regiones circa ann. Chr.* 405, *ob quorum rabiem tum S. Joannes Chrysostomus e Cucuso Arabissum abductus est. Conveniunt tempora, quod* S. Theodosii *discipuli et sodales a Theodoreto referantur in vivis fuisse, cum hæc scriberet, qui citato anno* 405, *circiter octavum ætatis annum agebat. Consule dicta VIII Januarii ad vitam* S. Attici, *num.* 33.

f *S. Chrysostomus epist.* 131 *ad Elpidium :* Nam ne castello quidem, perinde atque carcere, nunc inclusi, fidenti animo esse possumus, propterea quod Isauri hujusmodi arces obsidere non dubitent.

g *Hic est* S. Julianus Sabas, *cujus ante vitam descripserat Theodoretus cap.* 2, *et referemus infra* XIV *Januarii, quo colitur.*

h S. Aphraatem *celebrabimus* VII *Aprilis, hunc Theodoretus adolescens vidit, et sanctæ illius dexteræ benedictionem percepit, ut cap.* 8, *in vita ejus refert. Hinc conjicimus* S. Thodosium *ad ann. Chr. circiter* 412, *vitam produxisse.*

i *Raderus suspicatur Helladium hunc coli a Græcis in Menæis* IX *Novemb. quod istic examinabimus.*

DE EODEM S. THEODOSIO,

Ex Prato spirituali Joan. Moschi.

De fonte concesso a Deo fratribus monasterii in Scopulo ad orationes Abbatis eorum Theodosii.

Cap. 80.

Pervenimus ad monasterium Abbatis Theodosii in Scopulo : (est autem mons inter Seleuciam et Rosum Ciliciæ) Patresque loci illius duxerunt nos supra monasterium, quantum est jactus sagittæ, et ostenderunt nobis fontem magnum valde ac speciosum, dixeruntque nobis : Fons iste, fratres, naturalis non est, sed nobis divinitus indultus est. Sanctus enim Pater noster Theodosius multum jejunavit, multumque lacrymarum fudit, ac multis orationibus et genuflexionibus obtinuit, ut Deus nobis aquæ istius solatium et usum præstare dignaretur. Ante enim ex torrente patres nostri aquam hauriebant : sed Deus, qui facit voluntatem timentium se, sua, infinita bonitate præstitit nobis aquæ istius benedictionem per orationes sancti Patris nostri.

Fons precibus S. Theodosii elicitus.

2 Verum ante hoc biennium quidam ex fratribus petierunt a Patre monasterii, ut lavacrum ædificarent in monasterio. Abbas autem graviter id quidem ferebat, cessit tamen, fratrum infirmitati condescendens. Ædificatum est igitur lavacrum in monasterio, semelque tantummodo lavatum est in eo, cum statim exsiccatus est talis tantusque a Deo nobis præstitus fons. Et in veritate vobis dicimus, Christiani, multum jejunavimus, multum oravimus, multas genuflexiones egimus, ut aquam reciperemus, nihilque profecimus. Annus ergo integer sine aqua fontis impletus est, eramusque in magna tribulatione. Statim vero ut Pater noster bonus et mitis destruxit lavacrum, Deus aquam iterum reddidit nobis.

AUCTORE THEODORETO.

Exarescit ob lavacrum construction.

Iterum fluit.

De puteo aqua impleto, submissa imagine ejusdem Abbatis Theodosii.

Narraverunt nobis Patres ipsi et istud, dicentes : Mulier quædam fidelis in partibus Apameæ his diebus puteum fodit : cumque plura expendisset, ingentesque labores tolerasset, et effosso puteo in magnam altitudinem, aquam non invenisset, in mœrore et afflictione multa erat, et propter laborem et propter impensas. Apparuit autem ei sic afflictæ mulier quædam in somnis, dicens : Mitte in Scopulum, et adduci tibi fac imaginem Abbatis Theodosii, et per ipsum tibi Deus aquam præstabit. Mulier autem protinus duos homines misit ex suis, accepitque imaginem Sancti. Quam cum in puteum submississet, statim aqua manavit, ita ut dimidium putei impleretur. Tulerunt autem nobis ex eadem aqua, et bibimus, et glorificavimus Deum.

Cap. 81.

Theodosii imago in puteo aquam evocat.

Quomodo triticum ejusdem monasterii germinaverit propter cessationem consuetæ eleemosynæ.

Narraverunt autem nobis rursus et hoc, dicentes : Consuetudo fuit ut in cœna Domini pauperes omnes et pupilli regionis hujus confluerent huc, et acciperent medium tritici sextarium, benedictiones tredecim, et sextarium vini, mediumque sextarium mellis pro quolibet. Ante hoc autem triennium, magna tritici sterilitas fuit, vendebaturque triticum in regione hac, sextarii duodecim uno numismate. Cum ergo venissent jejunii dies, dicunt Abbati nostro quidam ex Patribus : Noli Domine Pater, secundum consuetudinem dare pauperibus triticum, ne desit monasterio, triticum enim non invenitur. Abbas autem cœpit dicere Fratribus : Non infringamus, filii, benedictionem Patris nostri Theodosii. Videte, mandatum, senis est, non expedit nobis illud transgredi. Vere ipse est qui curam nostri gerit. Fratres autem in sua perstiterunt sententia, dicentes Abbati : Non suppetit nobis quod dare possimus. Tunc Abbas contristatus ait illis : Ite, et secundum quod vultis facite. Non itaque, ut consuetum erat, dederunt benedictionem in die sancto Cœnæ et Parasceves. Præfectus postmodum qui præerat horreis, aperuit ostia, et reperit triticum totum germinasse : quare coacti postea sumus illud in mare projicere. Tunc cœpit Abbas noster dicere Fratribus : Qui Patris nostri monita irrita facit, ista patitur : labores nunc inobedientiæ metite. Quingentos modios daturi eramus et Patri nostro Theodosio per obedientiam placuissemus; fratresque nostros pauperes consolati fuissemus; nunc vero quinque fere millia modiorum tritici perdidimus. Quid lucrati sumus, filii? quantum nobis ipsis nocuimus? Duo profecto mala egimus : unum, quia mandatum Patris nostri præterivimus; alterum, quia spem in Deum non habuimus, sed in horreo nostro. Vel ex hoc discamus, Fratres, quia Deus est qui disponit omne humanum genus; quodque S. Theodosius invisibiliter pro nobis filiis suis curam sollicite gerit.

Cap. 83.

Triticum in Cœna Domini erogatum pauperibus.

Negatum in horreo germinat.

DE

AUCTORE PHIL. FERRARIO.

DE S. HONORATA VIRGINE,

TICINI IN ITALIA.

CIRCITER AN. D. XI JANUARII.

Honoratæ Virginis vitam MS. *extare testatur Ferrarius in catalogo Sanctorum Italiæ ex qua quod subjiciemus compendium concinnavit. Addit coli ejus memoriam Papiæ* XII *Januarii,*

Quo die colatur.

quo die eam refert, esse tamen diem illum translationis, non natalis, qui omnino ignoretur. XI *Januarii ex manu exarato Martyrologio vetere, et Kalendario Ecclesiæ Papiensis, refertur a Galesinio ac Martyrologio Romano :* Papiæ S. Honoratæ Virginis, *quo etiam die ejus meminit* MS. *Florarium Sanctorum. At Carthusiani. Colon. in addit. ad Usuardum, et Martyrologium Germanicum :* In Steynvedt Honoratæ Virginis. Item ibidem translatio SS. Potentini Diaconi, Felicii Presbyteri, et Simplicii Martyrum. *Nulla Steynfeldiæ ejus memoria.*

VITA AUCTORE PHIL. FERRARIO.

a *Fit religiosa.*

Honorata Virgo, S. *a* Epiphanii Episcopi Ticinensis soror, ceterarum, hoc est Luminosa, Speciosa, et Liberata, natu minima. Hæc a teneris in monasterium S. Vincentii, quod extra portam Palatinam situm erat, ingressa, *b* Luminosæ a S. Epiphanio *c* Romam profecturo, ut illam institueret, traditur. Quo tempore cum *d* Odoacer Rex captam urbem *e* Ticinensem deprædatus fuisset, *f* Luminosa et Honorata cum aliis monialibus abducuntur in captivitatem. Cum autem eas Epiphanius *g* redemisset, ac Luminosa paullo post decessisset, Honorata optimis moribus instituta aliquot annos mira sanctitate pollens, piisque operibus addicta, supervixit : donec et ipsa extremum diem clausit.

b c

d e

f

Capitur ab hostibus.

g

Moritur.

h

2 Cujus corpus primum in eadem S. Vicentii æde sepultum est, postea a *h* S. Litifredo Episcopo, in somnis admonito, triduano jejunio indicto, ac populo visione patefacta, ad ecclesiam *i* S. Mariæ veteris, quæ nunc S. Mariæ Capularum nominatur, translatum est. In qua translatione miraculum contigit. Nam juxta basilicam S. *k* Michaelis, Clero præcedente, et populo subsequente, corpus tamdiu substitit immobile, donec sanctus Episcopus illi suum pallium superposuit. Mulier quoque ægra, ut nec loco moveri nec loqui posset, viso sanctæ Virginis corpore, opeque ejus postulata, integram sanitatem retulit : præter alios corpore vitiatos et ægrotos, ac dæmoniacos eo tempore sanatos. *l* Quod multis ad famam miraculorum ex vicinis locis confluentibus, ut corpus Virginis in medio ecclesiæ triduo asservaretur : quod III Idus Januarii apud altare S. Mariæ cœnobii prædicti, quod monialium est, Historiarum antea dictum, decenter reconditum fuit.

i

Ejus translatio multis miraculis illustrata.

k

l

a *Vitam* S. Epiphanii, *a B. Ennodio scriptam, dubimus* XXI *Januarii, in qua* S. Honoratæ *honorifica fit mentio :* Erat illi germana natu minor, religione non impar, Honorata nomine, cujus vitam per singula virtutum genera longum est eloqui; sufficit tamen ad laudum ejus cumulum, dignam tanti viri sororem dixisse.

b *Ennodius in vita* S. Epiphanii : Hanc in ipso, quo e legatione rediit, anno consecravit; quam tamen imbuendam disciplinis cælestibus, quasi scientia illi natura sufficeret, Luminosæ cuidam feminæ stupendæ sanctitatis et singularis exempli, commisit, cujus oporteret fortassis natalium culmina relegi, nisi insignior fuit vita quam sanguine. Hæc enim fuit taliis, de qua se crederet habere et ipse quod disceret, cui eruditendam consortem uteri committebat. Nam brevi apud hanc depositum Antistitis pignus efflоruit, et ad maturitatem bonæ frugis plantaria honesta perduxit. *An duæ* Luminosæ *statuendæ, cum hæc* Epiphanii *et* Honoratæ *soror non videatur fuisse? De* Luminosa *agemus* 9 *Maii.*

c *Hanc* S. Epiphanii *legationem ad* Anthemium *Imperatorem refert Baronius tom.* 6, *ad an. Christ.* 471, *quo eodem anno consecratam esse* Honoratam *observat in Notis ad Martyrolog. ex citatis Ennodii verbis, quæ* XXI *Januarii expendemus.*

d *Odoacer an.* 476. *Rex Italiæ factus. De eo egimus* VIII *Januarii ad vitam* S. Severini *Noricorum Apostoli.*

e *De Ticini direptione et eversione agit Bernardus Saccus lib.* 7, *Historiæ Ticinensis cap.* 7, *sed non recte an.* 470 *refert.*

f *Ennodius :* Diripitur etiam sancta ejus germana, et seorsum ab eo captivitatis sorte deducitur. Omnes nobilium a suis familiæ sequestrantur. Luminosa gloriosissima femina parili necessitatis conditione constringitur.

g *Ennodius :* Venerabilem germanam suam, prius quam in vesperam diei illius lux funesta laberetur, eripuit. *De* Luminosa *silet : forte matribus familias tum ab eo liberalis accensenda.*

h S. Litifredus *putatur interfuisse Concilio Ticinensi an. Ch.* 855. *De eo agemus* VIII *Martii. Scribit in ejus vita Ferrarius, eum, antequam in somnis admoneretur, tentasse corpus* S. Honoratæ *transferre, nec potuisse.*

i *Aliqua hic in Ferrario confusio. Nam ad vitam* S. Epiphanii *eam sepultam asserit in monasterio veteri, quod Historiarum dicebatur apud episcopium. Unde anno* 1597, *die* 7 *Aprilis in cœnobium S. Mariæ, quod Capularum vocant, translata sit. Saccus lib.* 8, *cap.* 13, *ait* ejus ossa in sacello monasterii veteris, vulgo Historiarum appellati, collocata fuisse; cumque ab eo loco exportari tentatum esset, ut in eminentiore delubro conderentur, amoveri nulla humana industria exinde potuisse.

k *Ferrarius in vita S. Litifredi, ædem* S. Nicolai *appellat.*

l *Hic aliquid videtur deesse, ut sensus constet.*

NOT. 147.

DE S. THEODOSIO COENOBIARCHA.

JUXTA HIEROSOLYMAM IN JUDÆA.

§ I. *S. Theodosii natalis, sacri honores.*

AN. CHR. DXXIX. XI JANUARII.

Quatuor uno seculo Ecclesiam illustravere Theodosii; *Imperatores duo, duo Archimandritæ; illi prudentia, pietate, Catholicæ studio religionis, senior etiam bellica virtute; hi vitæ sanctimonia, gloriaque miraculorum. Horum utrique publica decreta uno eodemque die sacrorum veneratio est, priori fere abs solis Græcis, ut supra diximus, alteri etiam a Latinis. Ille Antiochenus fuit, condiditque in Cilicia celebre etiam apud posteros, cœnobium,* in Scopulo *appellatum : hic Cappadox in Palæstina monasterium construxit, de quo post paullo : junior hic fuit, aliquot post alterius obitum annis natus, ut qui sacram populo scripturam explicaret, cum* Theodosius II, *Imperator e vivis excessit an.* 450. *Longe alius ab his* Theodosius *ex monacho pseudoepiscopus Hierosolymitanus Eutychianus, qui Marciani Imperatoris vixit ætate, ut infra in vita* S. Euthymii 20 *Januarii dicetur.*

Duo hoc die SS. Theodosii.

2 *Natalem igitur* S. Theodosii Cœnobiarchæ *hoc die ita celebrant Græci in Menologio a Canisio edito :* Commemoratio S. P. N. Theodosii Cœnobiarchæ, ex oppido Marissi Cappadociæ. *Refertur et in Horologio, ac Menologiis Maximi Episc. Cytheræi, atque Christophori Proconsulis Mitylenæi : in Kalendario quoque Græcorum a Genebrardo edito, et eisdem verbis a Molano in addit. ad Usuard.* Die undecima sancti Patris Theodosii Cœnobiarchæ *Martyrologium Romanum :* In Cappadocia, in vico Magariasso, S. Theodosii Cœnobiarchæ, qui multa pro fide Catholica passus est. *Galesinius secutus Græcorum Euchologion, eum* X *Januarii refert :* In Græcia S. Theodosii Cœnobiarchæ. Is incredibili abstinentia fuit, ut per triginta ipsos annos panem non gustarit, palmæ fructu et paucis siliquis victitans : sicque corpori cum cibum detraheret, animam diu noctuque pavit assidua cælestium rerum contemplatione. *Galesinium sequitur Martyrologium Germanicum.*

S. Theodosii Cœnobiarchæ natalis.

3 *De eo isthæc prædicant Menæa :* Venerandus hic S. P. N.

Vita ex Menæis. S. P. N. Theodosius in Mogariso Cappadociæ pago, Christianis et religiosis admodum parentibus, Proæresio et Eulogia, natus; vitam complexus monasticam, sacram induit religionis vestem : Hierosolymamque profectus, inde, Antiochiam adiit, ubi Simeonem eximium illum Stylitam convenit, a quo futura illius vitæ sanctimonia illi prædicta, ut qui magni gregis ovium ratione pollentium futurus esset Pastor. Deinde apud Longinum laudatissimum quemdam virum rebus divinis in solitudine eruditus, ad eam pervenit abstinentiam, ut in hebdomada non nisi semel cibo corpus reficeret, tandemque totis triginta annis panem non gustaret : pariterque in aliis virtutum studiis tantum promovit, ut in summum pietatis culmen enisus, illustria ederet miracula. *Miracula.* Basilium quemdam monachum defunctum, et in tumbam depositum, vidit unus ille cum altero quodam monacho Fratribus adstantem, et psalmis accinentem. Carbones nullo subjecto igne, ubi monasterium erat conditurus, accendit. Feminam ad se adeuntem sanguinis profluvio liberavit. Ex uno frumenti grano per preces integra granaria replevit. Puerum in altam putei delapsum voraginem, inadspectabili præsentia extraxit. Fœtuum abortiones repressit, qui dum in vitam immaturi prodibant, per mortem ex vita exturbabantur. Quare horum matrem ob hanc affectionem perinde ac si sterilis fuisset fœcundam reddidit. Ingens locustarum agmen verbo increpitans abegit. Kericum Orientis Comitem veste sua cilicina, qua pro thorace illum induerat, invulnerabilem præstitit. Sata terræ ardore læsa, impetrato per preces imbre recreavit. Prædixit ingentem per terræ motum Antiochiæ ruinam. Multos, qui naufragium fecerant, cum fluctibus colluctantes, periculo spectabilis eripuit. Multis auctor vitæ religiosæ factus, ad Dominum e vita excessit. Dies illi solennis in veneranda B. Petri Apostoli æde peragitur. *Hactenus Menæa. Quæ hic dicitur femina* sanguinis profluvio *liberata, in vita num.* 58, *refertur* cancro in mamilla *laborasse. Eadem, omissis tamen plerisque miraculis, leguntur in Anthologio Græcorum, a Clemente VIII approbato.*

§ II. *Vitæ S. Theodosii Scriptores.*

Vita edita, Vitam S. Theodosii *ex Metaphraste edidit Lipomanus tomo* 5, *atque ex eo Surius. Plurima ex ea Baronius tomo* 6 *et* 7, *suorum Annalium intexuit. Nos eamdem damus cum* MS. *Græco bibliothecæ Vaticanæ collatam, et pluribus locis emendatam. Eadem extat, sed contracta, Latine in vitis Francisci Haræi et Lippeloi, ac Fastis Marianis; Italice edita a Gabriele Flamma; Hispanice a Ribadineira nostro, etc.*

5 *Acta vero hæc asserit Baronius in Notis ad Martyrolog.* omni acceptatione dignissima *et tom.* 6. *Annal. an. Chr.* 511, *num.* 20, quam exactissime descripta, etsi ab incerto, certo tamen temporis ejusdem auctore, ut nihil sit quod jure revocari possit in dubium, utpote veritate omni ex parte constantia. *solida,* *a coævo scripta.* *Coævum auctorem fuisse probant quæ de* Anastasio *Imperatore scribit num.* 45. Tulit aliquando nostrum quoque tempus Imperatorem, qui quidem prius fuerat (quantum apparebat) paradisus voluptatis, postremo autem rebus fuit cognitus campus destructionis, et unus scilicet ex his pastoribus qui gregis oves dispergunt, et perdunt, et eas turbida potant subversione, et, ut reliqua illius prætermittam, hoc quidem accipiet quod post nos sequetur tempus.

Baronius existimat a Cyrillo. 6 *Auctorem hunc conjicit Baronius fuisse* Cyrillum *monachum, a quo Acta* SS. Euthymii, Sabæ, *et* Joannis Silentiarii *descripta sunt. Ita an. Ch.* 491, *num.* 14, *scribit* : Sed et ejusdem auctoris creduntur esse Vitæ Theodosii Cœnobiarchæ, nec non Quiriaci Anachoretæ, qui iisdem temporibus claruere viri sanctissimi : sed quod illæ careant auctoris inscriptione, feruntur nomine ejus, qui postremo edidit Metaphrastes, cum tamen ipse ea antiquitus scripta tantum exscripserit *et anno* 511, *n.* 21. Auctor etsi nomine habeatur incognitus, Cyrillum hunc ipsum existimo, qui sicuti Sanctorum Sabæ et Euthymii atque Joannis Silentiarii et aliorum vitas scriptis est prosecutus, ita haud par est credere, quem habebat præ oculis, Theodosium præteriisse, prætermisisseque res ab eo præclare gestas, minime præ sui dignitate obruendas silentio, posteris tradere. Conjicio quidem ab imprudente aliquo obliteratum Cyrilli auctoris nomen, qui referens illud ad Cyrillum Hierosolymitanum Episcopum, qui claruit sub Constantio Imperatore, falso putarit tribui Cyrillo historiam, qua res gestæ sub Leone, Zenone, et Anastasio Augustis tractantur, ignorans ipsum de quo est sermo, nobilem historicum Cyrillum, atque Palæstinum, hoc vixisse tempore. EX VARIIS.

7 *Hæc Baronii conjectura* Cyrillus *juvenis admodum eo tempore fuit, quo* S. Sabas *ex suscepta ad* Justinianum *Imperatorem legatione anno* 530, *reversus est, haud diu dein superstes. Eum tunc Scythopoli adiverunt* Cyrilli *parentes atque ipsi puero impetrarunt benedictionem. Ita de se ipse Cyrillus in vita* S. Sabæ : Cum me magnus Sabas adspexisset, et salutasset, et sua dignatus esset benedictione; Hic exhinc, inquit patri, est meus discipulus. Doceatur ergo psalterium : eo enim opus habeo. *In vita S. Quiriaci* XXIX *Septembris, dicitur fuisse* ex monasterio Magni Euthymii, et a Magni Euthymii Laura ad B. Sabæ Lauram accessisse, ut videret Silentiarium Joannem Episcopum, cui fit minister litterarum ad B. Quiriacum et ab hoc didicisse res gestas SS. Euthymii et Sabæ, quas conscripsit. *Plura* 20 *Januarii ad vitam S. Euthymii. Hæc sufficiant ut professio ejus, et ætas agnoscatur.* *Cyrilli ætas, et vitæ institutum.*

8 *Alium tamen ab hoc arbitramur vitæ* S. Theodosii *auctorem; vel ideo, quod nusquam in ea mentio fiat aut* S. Euthymii, *aut certe* S. Sabæ, *inter quem tamen et* S. Theodosium *constat summam amicitiam atque familiaritatem intercessisse, ut infra* § 5, *patebit. Deinde multus est* Cyrillus *in describendis circumstantiis, loci, temporis, sociorum, etc., quas alter vix attingit. Denique seipsum alibi citat, et vitas a se descriptas : at ne quidem in* S. Sabæ *actis, ubi toties meminit* S. Theodosii, *vel leviter indicat a se ejus esse vitam compositam.* *Non videtur scripsisse hanc vitam;*

9 *Dicuntur infra num.* 40, *multi eruditione insignes* S. Theodosii *institutum amplexi et num.* 39, *multi ex hac eruditione prodiisse, Ecclesiæ Episcopi et Pastores, et variorum monasteriorum Antistites. Quidni aliquis horum præclaras magistri sui optimique, Parentis virtutes descripserit? Quod haud diu post ejus obitum, sub successore fortassis, factum indicat citatus locus, in quo et qui* S. Theodosii, *et qui ejus successoris eruditi sunt disciplina, enumerantur. Fuit inter Theodosii discipulos Julianus, quem magnus* Theodosius, *ut num.* 71, *legitur,* semper habebat socium vitæ ex Christo agendæ, volebatque cum eo philosophari, et esse eum sibi socium solitudinis. *Ex ejus relatione, aut forte etiam commentariis, haud pauca hausisse hunc auctorem, conjicere licet ex iis quæ cap.* 16, *n.* 71, *dicuntur. Fuit vero Julianus vir magnus, dignusque tanto magistro discipulus, ipso etiam tum vivente factus Episcopus* Bostrensis, *coactusque quod Severo Antiocheno hæretico consentire nollet, fugam ultro arripere, ut Evagrius lib.* 3, *c.* 33. *Isque ipse est, cujus vitam, seu potius miraculum calicis venenati, signo crucis ante edito, innoxie epoti, narrat cap.* 94. *Prati Spiritualis Joannes Moschus; qui et ipse, ut in præfatione operis refertur,* principio quidem sæculo renuntiavit in monasterio S. P. N. Theodosii Abbatis et Archimandritæ omnium, quæ sunt Hierosolymis cœnobiorum, sive monasteriorum, *ad cujus cœmiterium reliquiæ ejus Romæ, ubi obierat, delatæ requiescunt.* Est autem, *ut* *sed alius anonymus.* *Laus Juliani Bostrensis,* *et Joannes Moschi;*

Ex variis. *ubi hic sepultus.*

ibidem additur, locus cœmiterii spelunca, in qua, cum a Magis illusus esset Herodes, juxta Evangelii oraculum, illi inde solventes, cum in patriam redirent, manserunt. In hac spelunca sanctus Pater noster Theodosius cum religiosæ vitæ certamina confecisset, gratia donatus est dæmones ejiciendi : neque tantum in hac temporaria brevique vita, sed etiam post obitum illos ejicit ad hunc usque diem, ad gloriam et laudem Christi veri Dei, et Salvatoris nostri, cui gloria in sæcula sæculorum, Amen. *Hæc in Elogio Auctoris, ex* mss. *Græcis in posteriori editione a Rosweydo nostro præfixo, quod ab obitu ipsius Moschi ab aliquo ejusdem cœnobii monacho concinnatum suspicamur. Multa ex eo in bibliotheca Photii, Tmemate* 199 *citantur. Quæ porro hic de Magis, sepultura et potestate* S. Theodosii *in dæmones referuntur, eadem leguntur in vita num.* 9, 10, *etc., quam pridem antea conscriptam fuisse vel inde conjicere fas est, quia non alioqui ejus virtutes non idem commemorasset Moschus, nisi in omnium jam fuisset manibus scriptus de iis libellus.*

§ III. *Ætas ejus. Tempus obitus.*

Tempus mortis ejus examinatur.

Ut Cyrillus in temporis ratione annotanda diligens fuit atque accuratus, ita hic auctor eam fere neglexit; unum hoc dixisse contentus num. 84. S. Theodosium *obiisse,* cum annos vixisset centum et quinque et paullo amplius. *Ex quo, si annus aut nativitas aut obitus sit compertus, reliqua facile deducentur. Tempus obitus (nam quæ senex potissimum gessit, ea diligentius descripta sunt) prius inquirendum. Supervixit* S. Theodosius Anastasio *Imperatori (nu.* 55), *extincto an. Ch.* dxviii. *Prædixit terræmotum Antiochiæ (nu.* 76) *aliquot diebus priusquam fieret, an. Ch.* dxxvi. *Sepulturæ ejus (num.* 87), *interfuit* Petrus III, *hujus nominis Hierosolymorum Patriarcha, qui* Joanni II, *an.* 524, 22 *Aprilis, Indict.* 2, *mortuo, successit, supremum diem clausit an.* dxlvi. *Hæc ex vita. Nicephorus Callistus lib.* 17. *Hist. Ecclesiast. c.* 24, *ita scribit :* Justiniano adhuc imperium administrante, et magnus ille Sabbas et præclarus Theodosius, eremi præsides, superstites erant. Verum prior Theodosius ad Deum transiit. Sabbas autem nonagesimum tunc agens annum ab Æliensi Antistite legatus interum Constantinopolim ad Justinianum, in tenui atque imbecilli admodum senecta fluctuans, profectus est. Samaritani namque, Juliano quodam Rege sibi creato plurimas Christianis superbe injurias tulerant, *etc., quæ Nicephorus e vita S. Sabæ desumpsit, ubi ea sic refert Cyrillus :* Cum jam autem imperium assumpsisset Justinianus, et rerum suscepisset administrationem, agebat quidem B. Sabas xci annum, finem vero vitæ acceperat divinus Theodosius. Qui in Palæstina quidem erat populus Samaritanorum, cum Julianum quemdam, qui ipse quoque erat Samaritanus, sibi Regem creassent, multas injurias faciebant Christianis, *etc. Petavius noster lib.* 13, *de Doctrina temporum, scribit an. Ch.* dxxix, *Junio mense, a Samaritanis et Judæis rebellantibus hunc* Julianum *Regem constitutum : et deinde a copiis Justiniani cum suis rebellibus interemptum. Anno sequenti* dxxx *refert legationem* S. Sabæ *ad Justinianum, quo tempore* S. Sabas *agebat annum ætatis* xci *utpote natus sub* Consulatu xvii Theodosii, *id est anno Ch.* cdxxxix *ut ex Cyrilli assertione apparet initio vitæ* S. Sabæ. *Obierit ergo* S. Theodosius *hoc* xi *Januarii anno Ch.* dxxix, *ante inchoatam Samaritanorum seditionem, secundo anno imperii* Justiniani, *qui* Justino *avunculo anno* dxxvii, *Augusti* 1, *aut* 2, *(variant auctores) defuncto, successerat, ipsis ante kalendis Aprilis, feria* 5, *in Cœna Domini, ad eo Imperator creatus. Quo imperante supervixerit S. Theodosius anno uno, mensibus quinque, aut novem. Quo tempore* Kericus *victoriam de Persis reportavit, indutus* S. Theodosii *cilicio, ejusque admonitione ante confirmatus, ut num.* 73 *et* 74, *dicitur. His ita constitutis, natus fuerit* S. Theodosius *anno Ch.* cdxxiii. *Decesserit e patria, post sacram scripturam populo diu prælectam, num.* 4, *anno ætatis* xxviii, *Christi* cdli, *dum Chalcedonensis synodus congregabatur.*

Vivebat adhuc an. 527, *initio Augusti.*

Mortuus ante motum Samaritanorum an. 529.

Obiit 11 *Jan.* 529.

An post Sabam obierit, ut vult Baronius.

11 *Baronius tomo* 7, *Annal. Eccl. an. Ch.* 532, *num.* 21, *censet* Theodosium longe post S. Sabam diem extremum clausisse, et vixisse adhuc temporibus Agapeti Romani Pontificis; itaque plane corrigendum, quod additum est in actis Sabæ, Theodosium ante eum diem obiisse. *Hæc Baronius. Sed quomodo id Actis additum probat? Ipse to.* 6, *an. Ch.* 475, *num.* 43, *hunc* Cyrillum diligentem et veritatis cultorem illorum temporum florentem historicum dixerat. *Et an. Ch.* 491, *num.* 5, historiam *ejus* scitu dignam, et Annalibus Ecclesiasticis congruam *vocarat;* cum præsertim, *inquit,* a Cyrillo monacho discipulo admirandi illius Euthymii, qui his vivebat temporibus, scripta fuerit. Liceat absque invidia dicere, me neminem reperisse post SS. Athanasium atque Hieronymum, qui majori fide scripserit sanctissimorum virorum res gestas, digerens eas atque distinguens accurate per tempora, ac ipse Cyrillus, dum quæ ipse vidit, vel sanctorum omni probitate præstantium virorum relatione didicit, absque levi suspicione mendacii sinceram veritatem veluti sacrosanctum depositum posteris tradidit, nempe acta Euthymii, itemque Sabæ atque Joannis Silentiarii. *Cur non igitur illæsam atque intactam hanc tanti scriptoris historiam suscipimus, a Patribus quoque Synodi Nicænæ* 11, *actione prima, honorifice citatam?*

Cyrillus historicus a Baronio laudatus.

An Theodosius vixerit tempore synodo Constantinopol. an. 536.

12 *Caussam corrigendi hæc Acta deducit tom.* 7, *anno Chr.* 536, *num.* 1, *ubi relato ex Synodo Constantinopolitana sub Menna act.* 1, *libello monachorum, oblato* Agapeto *Papæ contra* Anthimum, Severum *et cæteros hæreticos, subjungit :* Inter alios affuit legatio a magno illo Theodosio Cœnobiarcha, de quo plura superius laude dignissima pro fide perfuncta enarrata sunt. Hesychius enim Presbyter ejus monasterii, Theodosii legatus subscriptus eidem libello legitur. Vivebat adhuc quidem Theodosius ipse, de quo ista in ejus vita, post alia suscepta pro fide orthodoxa certamina, leguntur : Cum de eo (Theodosio scilicet) intellexisset et qui veteris Romæ Sedem pulchre tenebat (is autem erat Agapitus) et qui Antiochenam Sedem regebat Ephraim, sive Ephræm; ipsi quoque populis rectam fidem prædicabant. In quibus multa sunt ad laudem hujus Beati composita, quæ non minorem gloriam afferunt iis qui scripserunt, quam ei qui laudabatur, quod non ad gratiam, sed plane ad veritatem fieret laudatio. *Ita Baronius. Verum neque* Agapetus *Papa, neque* Ephraim *Patriarcha, dicuntur vivum laudasse* S. Theodosium; *sed cum certamen ejus, cum* Anastasio *Imper. pro fide orthodoxa jam pridem initum, huic laudationi ibidem num.* 55, *conjungatur, videtur oblatus ab ejus successoribus libellus occasionem præbuisse laudandi non ita pridem defunctum* Theodosium, *piissimum eorum Parentem et monasterii fundatorem. Creatus est* Agapetus ii *Junii anni* 535, *decessit anno sequenti.*

Laudatus ab Agapito Papa.

13 *Deinde difficile probatu est* Hesychium *hunc (qui* Isychius, Isichius *dicitur) missum fuisse a B.* Theodosio *tum superstite; et nonpotius a* Sophronio *ejus successore. Ita enim actione* 1, *ejusdem Synodi, in libello a morte* Agapeti *ab iisdem monachis oblato subscribitur :* Hesychius divina miseratione Presbyter et monachus monasterii Beati Abbatis Theodosii, locum tenens Sophronii Presbyteri et Archimandritæ ipsius monasterii et primi totius eremi Hierosolymorum, cum omnibus his, qui mecum missi sunt, Archimandritis Hierosolymitanis ad hanc regiam urbem, qui faciunt pro omnibus Archimandritis et monachis, qui habitant ipsam eremum et tres Palæstinas, qui una mecum supplicarunt; subscripsi de consensu omnium et porrexi. *Imo hic* Hesychius, *qui cum* Polyeucto

Hesychius Sophronii, non Theodosii, legatus.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

cto *Diacono et* Juliano *monacho, utroque ejusdem monasterii B.* Theodosii *alumno, interfuit illi Synodo, modo dicitur* Ambasiator, *ut actione* 2 *et* 4, *modo* Prior, *ut act.* 5, *modo etiam* Archimandrita, *ut act.* 1 *et* 5, *vel quia alterius cœnobii, illi Theodosiano subjecti, Præfectus jam fuerit, vel quod mortuo* Sophronio *successerit, additusque in exemplaribus sit* Archimandritæ *titulus a librariis. Præfuit huic monasterio* Gregorius *Archimandrita tempore* Tiberii *Imperatoris circa an. Ch.* 580, *cujus meminit Joannes Moschus cap.* 92, 93 *et* 94. *Prati Spiritualis. In Elogio Joannis Moschi, cum corpus ejus anno* 619, *vel* 620, *ineunte, (ut colligitur ex initio indictionis* 8) *referretur Roma ad hoc monasterium, nominatur Antistes ejus* Georgius, *Gregorii forte illius successor.*

Alii Abbates monasterii S. Theodosii.

14 *Hæc de ætate S.* Theodosii, *quasi velitando, subtimide quia contra magni Annalium Ecclesiasticorum auctoris sententiam, nusquam tamen nisi in solido firmum figentes vestigium, disputaveramus : cum novum oblatum est nobis, quo conjecturam nostram stabiliremus, argumentum, idque ejusmodi, ut convelli non posse existimemus. Nam quæ a Metaphraste edita est S.* Sabæ *vita, hactenus hic citata a nobis, iterumque infra citanda, quia in omnium est manibus; eam e vetusto codice, ante annum Christi* 1034 *exarato, nacti sumus Latine versam ante ipsius Metaphrastæ ætatem : e qua cum illud animadvertimus, eam quæ vulgata est esse a Metaphraste paullum hinc inde amplificatam, tum S.* Theodosii *obitus annum diemque didicimus. Ita enim habet :* Incipiente autem nonagesimo primo ætatis anno Patris nostri Sabæ, Beatus supradictus Theodosius jam senex et plenus dierum, vitam hanc terrenam deserens, ad cælum transivit, Mense Januario, die undecima, Indictione septima. Cui in monasterii regimine Sofronius successit, in monachicis actionibus satis perfectus. Post defunctionem autem Abbatis Theodosii irruentes Samaritani, totam gentem Palæstinæ concitaverunt, multa illicita operantes, ecclesiasque deprædantes atque incendentes, Christianos absque ulla misericordia occidentes, omnem regionem igni tradebant. Venientes autem ad Neapolim, nimisque superbientes, Imperatorem sibi constituerunt Julianum quemdam; invadentesque civitatem, Episcopum interfecerunt, virum sanctitate plenum, Mamon nomine. Similiter et quosdam Presbyteros apprehensos, diversis suppliciis laniatos, igni tradebant; viasque, quæ regiæ vocabantur, Christianis invias exhibuerunt.

Irrefragabile de ætate S. Theodosii testimonium.

§ IV. *Situs monasterii S. Theodosii.*

Patria S. Theodosii.

Quod *supra* § 1, *num.* 2 *et* 3 *in Martyrologiis nominatur, veluti S.* Theodosii *sedes,* Cappadocia, Græcia, *vicusque* Magariassus *(qui in Anthologio* μαγαριτσός, *in vita* MS. *bibliothecæ Vaticanæ* μαγαριασσὸς, *in Menelogio* Marissus) *non ita id accipiendum est, quasi isthic aut obierit, aut præcipuam vitæ partem exegerit; sed quod circiter an. Christ.* CDXXIII, *ut diximus, in lucem isthic editus, educatusque ad annum ætatis* XXVIII *vixerit, et sacram populo exposuerit Scripturam.*

16 *Inde anno Christi* CDLI, *cum Concilium Œcumenicum* IV *Chalcedone celebraretur, profectus Hierosolymam, aliquot isthic annos moratus est, et spiritum hausit vitæ solitariæ. Abiit itaque in solitudinem aliquam vicinam, quam* eremum sanctæ Christi Domini nostri civitatis *appellat Joannes Moschus in Prato spirituali cap.* 92 *et* 105. *Hic incoluit speluncam eam, ad quam traduntur Magi adorato in Bethleem Christo divertisse, cum ab Angelo jussi essent per aliam viam in suas redire provincias.* In hanc speluncam descensum per decem et octo gradus *patuisse docet Moschus cap.* 105.

Vita solitaria.

17 *Fama sanctitatis ejus deinde exciti alii, se ejus disciplinæ subjecerunt; et præclari ibidem ædificandi cœnobii occasionem præbuerunt. Locum, ubi id statuere monasterium deberet, divinitus sibi monstrari precatus, instinctu divino thuribulum carbonibus implet, absque igne suffitum imponit, per solitudines Judaicas quaquaversum defert : ad ripas maris mortui transit : conatu necdum succedente redit ad speluncam : accedit et ecce fumum ex carbonibus videt ascendentem : jacit fundamenta, templumque ac monasterium ædificat, quod deinde dilatatis pomœriis amplissimum fecit extructis in eo quatuor templis ut nu.* 37 *dicitur. Prima et præcipua pars ejus ad speluncam* Cathisma *dicitur in vita S.* Sabæ *his verbis :* Theodosius jam recesserat ab ecclesia quæ dicitur Cathismatis, et in parte Lauræ, quæ vergit ad Occidentem, constituerat monasterium, quod vitæ communiter degendæ conveniebat, distans a Laura *(S. Sabæ)* triginta quinque stadiis, *id est fere sesquimilliari Belgico, seu quatuor millibus passuum.*

Monasterii locus divinitus ostensus.

Ex variis.

Unde Lauræ nomen.

18 Lauram *hoc fere tempore vocabant monachorum mansiones seu cellas, quas additis propriis nominibus discernebant, ut* Lauram S. Euthymii, S. Sabæ, Pharan, *etc. Origo ejus videtur repetenda a fluvio* Laura, *qui regioni vicinæ, quam præterfluit, et monasteriis in ea ædificatis nomen dedit. De hac* Laura *ita scribitur in vita S.* Quiriaci XXIX *Septembris :* Divinus rursus Quiriacus venit in eam partem solitudinis, in qua nullus anachoreta nec manserat, nec umquam transierat. Nominabatur autem locus ab accolis Susacim, et in eo et novæ Lauræ et Sucæ fluvii ambo conveniunt, eorum quos scimus maximi et profundissimi. Feruntur autem ii esse de quibus Christo dictum a Davide : Tu siccasti fluvios Ethan.

Ps. 77. 15.

Ethan locus.

19 S. Isidorus Pelusiota *de hoc loco consultus ab* Epiphanio *Diacono, ita respondet lib.* 2, *Epist.* 66. Ethan locus erat in Palæstina fluviis irriguus, atque arboribus et fructibus abundans, et ob ingentium animantium ac piscium copiam ad venandum accommodus, *etc. Allegat deinde auctoritatem Josephi, cujus hæc verba sunt lib.* 8. *Antiquit. Judaic. cap.* 2. Aberat autem ab Hierosolymis duorum schœnorum spatio prædium quoddam, nomine Ettan, hortis et inductis fontibus amœnum simul et opulentum : in hoc exitus faciebat libens (*seu* exire delectabatur) Salomon. *Est autem* Schœnus, σχοῖνος, *mensura terræ Ægyptiaca, continens sexaginta stadia, Herodoto auctore lib.* 2, *cap.* 6, *licet Plinius lib.* 12, *cap.* 14, *quadraginta stadia dicat; ubi tamen notarum errorem suspicatur Budæus in Annotat. priorib. in π. Distabat ergo hic locus Hierosolymis, juxta Herodoti calculum, septem millibus et quingentis passibus seu duarum horarum ac dimidiæ itinere. Consonat Peregrinatio Hierosolymitana Christophori Radzivilii, qui egressus extra portam Piscium, emensis tribus milliaribus magnis, pervenit ad monasterium S.* Sabæ, *quod etiamnum extat; e quo circa mediam noctem egressus, itinere nocturno confecit tria passuum millia, et in aurora mare Asphalticum conspexit, ad cujus littus hora diei secunda pervenit. Consulendus Adrichomius, qui id collocat ad Austrum* Herodii, *inter* Herodium *et* Thecuam. *Ab hoc distabat monasterium S.* Theodosii *sesquimilliari versus Occidentem, Hierosolymæ propinquius; ut exigit* visio *in eo facta* S. Sabæ, ostendens Torrentem, qui a Siloe defluit ad Austrum, et denuntians ut habitaret Torrentis speluncam, quæ vergit ad Orientem. *Hic* Siloe, *seu piscina natatoria, respectu Hierosolymæ ad Austrum, illabitur in* Cedron, *vulgo* Torrentem; *qui fluviolis ac fontibus auctus per plana deserti versus Orientem in mare mortuum influens, absorbetur. Huic* Torrenti *immiscentur citati fluvii* Laura *et* Suca, *ad hujus vero confluentes* Susacim S. Quiriaci, *nonaginta a* Laura S. Sabæ *stadiis situm erat. Hæc de loco et* Lauræ S. Sabæ *et monasterii S.* Theodosii.

Schœnus.

Laura S. Sabæ.

Cœnobium S. Theodosii.

NOT. 148.

Visitur ab Eudocia Augusta.

20 *In hoc* celeberrimi Theodosii doctrinæ fructum percepisse *dicitur (in vita S. Sabæ)* beata Imperatrix Eudocia, *Theodosii II defuncti uxor, cum hæresim Eutychianam, quam a pseudomonacho* Theodosio *hauserat, abjurasset, et remissa a* Simeone Stylita *ad S.* Euthymium,

Ex variis.

mium, *una S.* Theodosium *inviseret : obiit illa anno Chr.* DCLX. *De ea actum in Notis ad vitam S.* Simeonis Stylitæ *auctore Metaphraste* V *Januarii cap.* 12. *Lit. h. et pluribus agetur in vita S.* Euthymii XX *Januarii. Hoc S.* Theodosii *monasterium, ab obitu ejus ita semper denominatum, præclaros habuit fidei orthodoxæ propugnatores, quibus præ reliquis Palæstinæ monasteriis præeminentia summa apud Imperatores, et in Conciliis fuit. Sæpius eorum virtutes deprædicat Joannes Moschus in Prato spirituali, potissimum cap.* 3, 22, 23, 92, *et duodecim sequentibus, et* 109, *quorum nonnulla perperam titulum monasterii S.* Theodosii in Scopulo Ciliciæ *præferunt, ut capita* 95 *et* 99, *quod mirum a nemine hactenus fuisse animadversum.*

Præeminet cæteris Palæstinæ cœnobiis.

§ V. *SS. Sabæ et Theodosii familiaritas.*

Prima notitiæ occasio.

Auctor vitæ S. Theodosii *ne vel nomen quidem S.* Sabæ *exprimit. In hujus vita pluribus utriusque amicitiam collaudat Cyrillus.* Accedit ad Sabam, *inquit,* quidam monachus, nomine Anthus, vir amicus virtutis, qui ipsi quoque longo tempore versatus fuerat cum magno Theodosio… *Hic in vita Latina* Florus *appellatur.* Tunc primum divinitus hic Sabas evadit notus B. Theodosio, cum eis ad hanc cognitionem Anthus pulchre intercessisset. Deinde autem etiam solitudinem facit Sabas, et Lauram in ea constituit. *Annus is erat Christi* DCLXXVII.

22 Divinus Sabas *(pergit ibidem Cyrillus)* si quem ex iis qui mundo renuntiabant videret ejusmodi, cui scilicet facies nondum esset tecta pilis, eum mittebat

Mutuus amor.

ad Theodosium, qui eos qui mittebantur lubenter admodum excipiens, omnibus modis studebat eorum curam gerere, ei qui miserat gratificans : erant enim magno inter se amore conjuncti divinus Sabas et hic B. Theodosius : et uterque alterius voluntatem præferebat voluntati suæ, imo vero voluntatem alterius putabat esse suam; cum Christi amor sic eos conjunxisset, et ut idem sentirent eis persuasisset. Hoc autem erat omnium sermone celebratum, et aliud

Par Apostolorum dicti :

par Apostolicum ab Hierosolymitanis judicabantur atque nominabantur. Eis ab Archiepiscopo, a Salustio, inquam, qui erat in Christo consummandus, mandata fuit præfectura universi cœtus monachorum, non quod ipsi eam rem concupiissent, sed potius electi fuissent a monachis, et præmium virtutis

præfecti ceteris cœnobiis.

eam accepissent præfecturam. Quonam modo autem ad hanc administrationem pervenerint, dicam paucis.

23 Cum Elpidius et Elias, successores magni Pasarionis, e vita excessissent, consequenter ad Lazarum transit administratio. Sic etiam ad Gerontium. Qui cum decessisset, Anastasio cura Fratrum committitur. Cum ii ergo, Lazarus, inquam, et Anastasius, præessent administrationi, res monachorum erant admodum turbulentæ, et maximis agitabantur fluctibus. Cum hi ergo, quos diximus, Lazarus, inquam, et Anastasius, monasticæ perfectionis parvam aut nullam curam gererent, ad quasdam autem mundanas

a Salustio Patriarcha ceteris monachis præficiuntur;

curas et pecuniæ emolumenta tota mente et anima conversi essent; maxime cum Anastasius tunc post Zenonem suscepisset imperium, et schismata cum summa impudentia et licentia loquerentur adversus Ecclesiam. Cum tunc ergo divinus Salustius (erat autem is Patriarcha Hierosolymitanus) statuisset liberare Fratres ab illa tempestate, primum quidem constituit, ut, qui jam a me dictus est, Marcianus eis præesset, et eorum susciperet rectionem. Cum autem intercessisset aliquantum temporis, ægrotabat quidem divinus Salustius, et corpore erat male affectus : ad eum vero conveniunt omnes qui erant in solitudine : ipse autem communi suffragio eorum qui simul convenerant, statuit ut monasteriis, quæ

Theodosius simul vivenibus,

erant circa sanctam civitatem, præessent Sabas et Theodosius, ii, quos præsens vobis ostendit narratio. Ab illo ergo tempore Theodosius quidem iis, qui communiter vivebant : Sabas autem iis, qui cum nemine congrediebantur, et erant omnino separati, præerant. *Subjungitur obitus* Salustii *ut is ei morbus videatur fuisse letalis. Decessit anno Christi.* DXIII.

Sabas solitariis.

24 Cum Sabas a Joanne Hierosolymitano Pontifice vocatus esset ad convivium, quoniam una etiam aderat Antonius Episcopus Ascalonitanus, qui erat frater Archiepiscopi, cum illi Sabam medium intercepissent, illi amice propinabant, et pro viribus eum invitabant et accipiebant. Sed neque rursus Sancto erant manus otiosæ : sed, ut par erat, remota omni fictione et simulatione, vescebatur appositis. Aderat autem divinus quoque Theodosius, qui erat ei valde amicus et familiaris, ut jam a me sæpe dictum est : qui cum veluti quoddam condimentum, vellet mensæ speciosam aliquam et gratam injicere orationem, urbane admodum et lepide inferens dixit, divinum Sabam ita esurire, ut ne vos quidem ambo, aiebat, qui sufficitis ad totam simul alendam Palæstinam, possitis ejus ventrem alere ad satietatem. Tale et tam validum ac robustum corpus B. Sabæ generosæ contigerat animæ. Erat autem summa modestia præditus, et moribus lenis ac facilis. Et ad eum quidem conveniendum facilis patebat aditus : erat vero in sermone jucundus et moribus quidem simplicissimus, prudentia autem constantissimus, caritatem non fictam et synceram apud omnes conservans. Erat vero valde affectus in Theodosium, adeo ut quotidie

Ambo convivio excipiuntur a Patriarcha.

Visunt sæpe invicem.

ad se invicem ventitarent, et inter se de virtute conferrent, et essent ambo instar luminarium omnibus, qui vitam amplectebantur monasticam. Sed ille quidem eorum, qui vitam exercebant communem; hic autem, Sabas inquam, eorum qui a congressione separatam et quietam, susceperat præfecturam. Dicitur certe B. Sabam urbane sæpe dixisse divino Theodosio illum quidem puerorum, se autem esse Præfectum Præfectorum, ὡς ἐκεῖνος μὲν παίδων, αὐτὸς δὲ ἡγουμένων ἡγούμενος εἴη. *Quod nempe solos adultos, ille etiam imberbes et eunuchos admitteret, ut de his infra dicitur.*

25 *Non minor animorum conjunctio in fide Catholica contra hæreticorum vim propugnanda emicuit. Ita cum prædictus* Joannes *in Sedem Hierosolymitanam, pulso Elia, esset ab* Olympio *Cæsariensi intrusus, quod Severi susceperat communionem videretur, anathemati vero subjecturus Synodum Chalcedonensem, tum B.* Sabas, *cui* S. Theodosium *socium fuisse mox patet, assumpto sacro monachorum exercitu,* in Joannem incidens, novum Patriarcham testificatur, et denuntiat, ne Severum admittat in communionem : sed tueatur potius Synodum Chalcedonensem, et pro ea ad sanguinem usque periclitetur. Quod quidem facit ille, reveritus Patrum protestationem, omnino oblitus conventorum cum Olympio. *Deinde a submisso* Anastasio *Duce varie exagitatus, in templo S. Stephani caute, præter Ducis præsentis opinionem, fidem Catholicam profitetur.* Protinus ergo ascendit suggestum Joannes, utraque manu tenens Sabam et Theodosium pietatis propugnatores. Cum se autem sustinuisset aliquantulum, visus est sensim susurrantem audire multitudinem, et dicentem, oportere ferire anathemate eos qui non recte sentiunt. Hoc ergo ille cum tamquam divinum aliquod signum accepisset, et cor habuisset repletum audacia, unam emittit vocem cum multitudine : Si quis ea sentiat, quæ Eutyches, Nestorius, Severus, et Soterichus Cæsareæ Cappadociæ Episcopus, sit anathema. Tunc sentit Dux fraudem, et veritus populi consensum unanimem, satis habuit si se subducens silentio fugeret, et abiit Cæsaream.

Pro fide simul laborant.

Joannem III, Hierosolymitanum Patriarcham revocant a communione Severi.

26 *Eadem referuntur actione* I, *Synodi* VII *Œcumenicæ, seu Nicænæ* II, *ubi* S. Theodosius *præponitur :* ἔχων Ἰωάννης μεθ' ἑαυτοῦ Θεοδόσιον καὶ Σάββαν, τοὺς τῶν μοναχῶν κορυφαίους καὶ ἡγεμόνας. *At vita Sabæ Latina, post anathematismos a Joanne Patriarcha pronuntiatos,*

Theodosii publica fidei professio.

nuntiatos, subdit : Hæc dicentes, descenderunt. Iterumque Abbas Theodosius ad populum conversus, magna cum voce sic effatus est : Qui, inquit, quatuor Synoda non suscipit, sicut et quatuor Evangelia, sit anathema. His ita peractis, Dux multitudinem monachorum valde pavescens fugit in Cæsaream. Consul autem *(Zacharias, nepos Imperatoris)* multis juramentis se constringens ita ad venerandos Patres locutus est, dicens : Quia veni huc, non ut consentire Severo velim, sed ut vestram promereri possim societatem. Hoc dicto obtulit centum libras auri sanctæ Resurrectioni, sanctoque Calvariæ centum, et sanctæ Cruci centum. Insuper autem et centum venerabili Theodosio, sanctoque Patri nostro Sabæ alias auri libras centum, ad distribuendum his qui per regionem erant monachis, dedit. Imperator autem Anastasius dum audisset quæ facta fuerant Hierosolymis, cogitavit et consilium iniit, ut Archiepiscopum Joannem, et Theodosium, Sabamque exilio condemnaret.

27 *Demum utriusque amicitiam et monasteriorum propinquitatem indicant varii ab uno ad aliud transmissi monachi. Ita quidam,* Jacobus *nomine, ob sui ex præpostero zelo castrationem a* Saba *e monasterio expulsus,* S. Theodosio *intercedente receptus est, ad quem cum jussus fuisset descendere, eumque salutasset, pie obdormivit.* Aphrodisium *etiam quemdam a* S. Theodosio, *quod mulum pugno interemisset, expulsum, in monasterium suum excepit* S. Sabas, *eique concessit ante mortem descendere ad* S. Theodosium, *ut ab eo remissionem consequeretur. Ad hæc* S. Sabas, *cum ex suis monachis duos, qui in Turre monasteriorum ab* Eudocia *Imperatrice ædificata habitabant, in Nestorianam hæresim prolapsos intelligeret, eis locum in conventu* S. Theodosii *impetrat, et quem Turris curationi præficeret,* Joannem Byzantinum, *moribus et doctrina excellentem.*

Magna utriusque cœnobii inter se communicatio.

VITA EX METAPHRASTE,

AUCTORE ANONYMO COÆTANEO,

cum MS. *Græco biblioth. Vaticanæ collata.*

CAPUT I.

S. Theodosii ortus, educatio, peregrinatio ad S. Simeonem Stylitam.

Nomen Cœnobiarchæ,

Inter tempora quidem ver est jucundissimum, inter stellas autem sol est pulcherrimus : inter vitas autem optima quoque est vita magni Theodosii. Theodosii, inquam, qui nomen non solum esse nomen ostendit, sed id ad rerum perduxit veritatem; ut qui vere conspectus sit hominibus Θεοῦ δόσις, id est, donum Dei, et universæ vitæ, quæ virtutis amore tenetur, exemplar commune : qua quidem de causa eum justius fuerit nuncupare Cœnobiarcham, quam quod cœnobio præfuerit. Nam hoc quidem est magis ejus proprium; alterum vero, multorum quoque aliorum : et hoc quidem ostendit imperii beatitudinem, sicut re vera fuit; alterum autem finem habet incertum, et nondum manifestum eventum. Is autem quisnam fuerit ab initio, et ex quibusnam ortus sit parentibus, et quemadmodum ad spiritualia aggressus sit certamina, prius oportet persequi : deinde vero dicere de ejus monasterio, quod ab omni lingua communiter decantatur, et de aliis rebus illius dicere pro viribus, nec aures gravando immoderata oratione, neque rursus nimia brevitate in iis quæ sunt opportuna, dando damnum egregiis animis.

a patria, parentes.

2 Beatum Theodosium tulit quidam vicus, nomine *a* Magariassus, situs in regione Cappadocum : qui tunc quidem erat multis ignotus et obscurus; nunc autem fere omnibus propter ipsum cognitus. Oportebat enim eum esse potius causam splendoris patriæ et parentibus, quam illa vitæ Theodosii decus afferre et gloriam. Erant autem ei parentes et vero Dei cultu religiosi, moribusque pii et Deo grati : qui vel ex ipsis nominibus bonam vitam et mores ingenuos optime significabant. Vocabatur enim pater quidem Proæresius, Eulogia autem, quæ eum genuerat. Quæ quidem postea quoque vitam amplexa monasticam, ut quæ boni hujus instituti occasionem invenisset ex bona vita filii carissimi, eum patrem habuit spiritualem, cujus ipsa fuerat mater secundum carnem : pro carnali generationi recte accipiens spiritualem regenerationem. Et si difficile est filio, dignas gratias referre parentibus, qui ut sit sunt auctores; cur non hic quoque est superior, qui fuit causa matri, ut bene esset?

AUCTORE ANONYMO. *Mater ejus exemplo fit monacha.*

3 Ex his ergo ille ortus, generosa et beata planta, pie ac religiose nutritur et augetur, simul in corporea et spirituali ætate, et quomodo omnino oportebat eum, qui ex talibus quidem esset natus, et talis quoque esset evasurus. Cum autem eam jam attingeret ætatem, quæ providet et discernit, statim ostendit, ad quænam esset ejus propensus animus, non amans pecunias, non corpora, quæ quidem sunt exultationes et germina non generosæ et non recte eductæ juventutis; tamquam equini pulli qui fræno minime assuevit, et terræ, cui non obtigere manus et labores agricolæ : sed vitæ philosophicæ amorem parturiens, et loca sancta videre cupiens, in quibus omnium opifex et Deus, toti mundo salutares sustinuit passiones, has ipsas Christi utique reveritus passiones; si illas ipse tam parvi faceret, ut propter corporis laborem cedens otio ac socordiæ, ad sancta illa loca non veniret : præterea autem volens etiam accipere solitudinem, adjutricem egregiam ad philosophiam, et amplecti vitam plane solitariam et quietam. Non enim cupiebat nomen, quod eam, quæ est in rebus, mentitur veritatem. Quænam autem fuerit ei occasio hujus peregrinationis, vult jam persequi oratio.

A puero quibus deditus fuerit.

Statuit visere loca sancta.

4 Dexter erat ad divinas legendas Scripturas præclarus Theodosius, si ullus alius. Libenter enim audiebatur, non solum quod hac in re pulchre esset eruditus; sed etiam, quod acre injiceret omnibus desiderium, et ex morum moderatione et verecundia, qua nihil aliud magis decet juvenes. Propterea ergo ei mandatum fuerat, ut sacros libros legeret populo. Quos quidem concinne et diligenter legens, cum aliquando quidem Deum Abrahamo præcipientem audiret, ut exiret e terra et cognatione; aliquando autem et patriæ derelictionem, et domus et parentum et fratrum, quæ sit propter ipsum, ut sacra loquuntur Evangelia, iis qui sic fecerunt, esse causam vitæ æternæ; hæc legens, et ea quæ sunt his similia, et in mentis sinus immittens, ita ut par erat, accendebatur animo, et sequendi Christum magno tenebatur desiderio, per viam angustam et asperam. Cumque has assidue versaret animo cogitationes, preces fundit, quæ vitæ pulcherrimæ fuere proœmium : Deduc me Domine, dicens, in via tua, et ambulabo in veritate tua. Deinde diligenti studio init viam, quæ ducit Hierosolyma, illo quidem tempore, quo *b* Marcianus Imperator erat in vitæ occasu; *c* Chalcedonensis autem Synodus (eam autem esse quartam et sanctam cognoscimus) congregabatur adversus *d* Nestorium et alios hæreticos.

Lectoris fungitur officio.

Genes. 12. 1.

Matth. 19. 29.

It Hierosolymam.

b

c

d

5 Cum autem jam venisset Antiochiam omni ex parte bonus Theodosius, non statuit oportere eam transire, nisi ad insignem *e* Simeonem, Simeonem, inquam, Stylitem, id est, in columna stantem, prius veniret, et ejus vultum contemplaretur, et sermones audiret, et ex his veluti viæ solatium caperet, orationisque et benedictionis ejus esset particeps, quæ simul et virtutis viam, quam habebat in animo, et eam, quæ cernebatur, levem facilemque redderet. Cum ad eum autem abiret, statim non contemnendum nec leve signum accipit illius apud Deum fiduciæ et familiaritatis, priusquam ad sacram accederet columnam et vocem emitteret, ipse desuper illum audiens

e

Simeonem Styliten invisit.

AUCTORE ANONYMO.

diens clamantem, et ipsum nominatim vocantem. Vox autem ita habebat : Bene venisti homo Dei Theodosi. Ille autem obstupefactus, et ei genu inclinat, et vultum humi prosternit, gloriosiorem appellationem specie humiliore respondens. Deinde ad ipsum lætus ascendit, cum ille jussisset, et amplectentem est complexus; hoc quoque magni faciens, membra attingere venerabilia, et illius complexum suscipiens tamquam divinum aliquod signaculum, confirmans ei gressus ad virtutem. Ille autem ei omnia divinissime prædixit, et qualemnam sit hujus viæ finem inventurus, et cuinam sit gregi postea præfuturus, et quod multas pecudes ratione præditas abrepturus sit a lupo, qui pereipitur intelligentia; et alia, quæ paulo post finem singula accepere, quæ etiam per unumquodque tempus procedens dicet orato.

Simeon illi futura prædicit.

a *In* MS. *exemplari Græco* μεγαρισσός; *aliter Menæa, Anthologion et Menologium, citata in prolegomenis n.* 2, 3 *et* 15.

b *Capit Marcianus imperare an. Ch.* 450, *obiit exeunte Januario anni* 457.

c *Capta est* 8 *Octob. absoluta post* 13 *sessiones* 1 *Novemb. ann. Christ.* 451.

d *Ita etiam Græcum* MS. Νεστόριον, *impropric. Damnati in ea sunt* Eutyches *Constantinopolitanus Archimandrita, qui naturarum in Christo discrimen tollebat, ejusque fautor* Dioscorus *Patriarcha Alexandrinus.* Nestorius *vero sub Theodosio juniore ann. Chr.* 431, *in Synodo Ephesina Œcumenica* 3 *damnatus, quod Christum asseret duplici constare persona, ac B.* Mariam *haud esse* θεοτόκον.

e *De eo fuse actum* v *Januarii, ubi in vita ex Metaphraste n.* 39, *hæc eadem narrantur.*

CAPUT VII.

Hierosolymis habitatio. Secessus.

Visitat reverenter sanctam civitatem.

His ergo adhuc magis animo confirmatus, cum preces admirabilis Simeonis tamquam duces quasdam et custodes accepisset, alacrius quam prius iter persequebatur, et pervenit ad sanctam civitatem, cum *a* Juvenali tunc esset commissus Archiepiscopatus Hierosolymorum. Cum autem totum illum divinum locum obiisset, et sancta sancte adorasset, apud se in animo versabat, quomodo inciperet philosophari, et utrum ex duobus vitæ institutis eligeret; idne, quod est plane solitarium, et quod non habet aliquam cum ullo consuetudinem; an quod agitur cum aliis piis, et qui eundem scopum persequuntur. Ceterum separatim silere, et quietem agere, non probavit in præsentia, id nequaquam tutum esse judicans ei, qui nondum esset expertus per se luctari cum spiritibus nequitiæ. Si enim ex iis qui in mundo militant, nemo, inquit, est tam invicta audacia, et tam insigni stultitia, ut si sit plane rudis et in re militari omnino inexercitatus, a linea in medios statim hostes irruat; quomodo ego, cui manus non sunt eruditæ ad prælium, nec digiti ad bellum, neque superna sum accinctus potentia; idque cum sit conflictus longe periculosior et incertior, adversus principatus, adversus potestates, adversus mundi principes tenebrarum hujus sæculi, adversus spiritualia nequitiæ, possem in acie consistere? Restat ergo, ut postquam ego a sanctis Patribus didicero, qui se in his prius recte exercuerunt, et satis ab eis fuero institutus ad decertandum contra hostes, qui percipiuntur intelligentia, deinde in tempore percipiam fructus, qui colliguntur ex quiete et silentio.

a

Cœnobiticam vitam ad tempus præfert solitariæ.

7 Hæc cum sapientissime cogitasset (erat enim ei inter alia perfecta quoque intelligentia) statim se convertit ad eos quærendos, qui bonum cum labore meditantur : ut qui sciret, quod patiendo tutius docetur et discitur. *b* Longino itaque beato seni, qui erat excellentissimus Patrum sui temporis, seipsum tradit : undique cum eo et degit et habitat, illius moribus admodum delectatus, et ideo totus ei veluti inhærens, et ut dicam cum divino Davide, anima post eum agglutinatus. Nam cum quo quis versari delectatur, talis etiam esse creditur : et id pulchre dicitur ab antiquis. Admirabilis autem hic Longinus se in quadam domuncula *c* turris divini David (hoc enim perhibet longi temporis traditio) inclusserat, et illic dulce mel virtutis laboriose conficiebat.

b

Longino se tradit in disciplinam in Turre David. 1. Reg. 18. 1.

c

Migrat postulante Icelia, ad templum Deiparæ.

8 Apud quem cum omnes sensus pius Theodosius, ita ut oportebat, exercuisset, et in iis quæ sunt expetenda et fugienda, discernendis summe elaborasset, in Veterem sedem (eum enim locum ita vocant : est autem in via publica, quæ tendit versus Bethleem) commigrat, invitus quidem, sed cedens paternæ voluntati, cui potius, quam sibiipsi morem gerebat. Quænam autem fuit causa migrationis? Mulier quædam admodum pia et honesta, nomine Icelia, dives facultatibus, sed virtute ditior. Ea cum aliquo quidem prius cohabitavit; postea autem Christi sit ministra propter pietatem. Etenim templum quoque quod illic est, dicitur posuisse omnium Dominæ et Deiparæ. Cum ea ergo tunc seni magnopere supplicasset, ut in templo, quod ipsa condiderat, collocaret Theodosium; ille quidem paret invitus : persuadet autem multo magis nolenti Theodosio, ut admittat translationem. Cui enim jucundum erat simul habitare, consequens est, ut ei quoque molesta fuerit separatio : maxime cum B. Theodosius mallet parere, quam imperare, sicut declarabit oratio.

Discedit in speluncam.

9 Cum itaque persuasus et translatus esset, et divinum illud templum habitasset, ejus deinde fama ad omnes pervadente (solet enim virtus non minus eum, qui eam possidet, conspicuum reddere, quam eum, qui eam fert, lucerna) non ferens illic versari diutius, transit in hunc sacrum montem et hanc *d* speluncam : ex qua facit ille unam solam eam, quæ est ad Deum, transitionem, illic relicto corpore. Tribus autem de causis pie fit ejus in montem translatio. Primum quidem, ut præfecturam tamquam magnum aliquod onus fugeret, quam illi erant imposituri Patres, vel potius ejus virtus eximia. Secundo, ut loci quoque translationem, ad excelsioris vitæ institutum translationem efficeret, solitudinem ab hominum convictu secretam multiplices virtutis fructus producere arbitrans. Tertio autem, quod non a se, sed a Deo motus fuerit, ut isthic ei Christi phalanx ducenda committeretur, ubi tot militum, vel potius spiritualium Procerum millia, erat communi Domino oblaturus. Sic ergo pia mente commotus, accedit ad verticem montis, et in hac spelunca perpetuo habitat, quæ etiam hucusque ejus sacris dives est reliquiis.

d

In ea olim 3 Reges pernoctasse perhibentur.

10 Quædam autem fama ab alto a Patribus tradita, ad nos usque pervenit, quæ dicit, fideles illos Magos, qui Bethleem venerunt ab Oriente, cum Deo, qui ex superna specula in Occidentem hujus mundi venerat, aurum, thus et myrrham pie admodum obtulissent, deinde ab Angelo responsum accepissent, ne eamdem viam rursus inirent, sed per aliam potius redirent in suam regionem : Hos, inquam, dicit *e* Magos in hac spelunca in reditu fuisse diversatos : cumque hic noctu dormiissent, mane ingressos esse viam, quæ ducebat in patriam. Et tale quidem id est, quod dicitur, et fortasse eam nulla labefacta improbabilitas. Nam primum quidem, cum statuissent ingredi iter per Hierosolyma, non est admodum facile, ut ii alia ex Bethleem domum reverterentur. Sicut etiam nunc videmus eos, qui a Bethleem, vel ab ea quæ est circumcirca regione, transeunt, per hanc proficisci.

e

Traditio de loco sepulturæ Adami.

11 Præterea autem multa ex iis, quæ olim quidem facta sunt, sita autem non sunt in divina Scriptura, sola scriptis non mandata traditio, efficit ut in hodiernum usque diem pro certis habeantur. Qualia sunt ea, quæ dicuntur de loco cranii, quæ sunt, inquam, tractata a magno *f* Basilio. Ille enim dicit in quadam sua oratione, (oportet enim ea tamquam condimentum aliquod addere orationi) non scriptam nobis exponens traditionem, Adam, inquit, primus noster parens in hoc, qui nunc dicitur cranii, loco dicitur esse sepultus : ubi meus quoque Christus pro nobis crucem et mortem suscepit, propter eam, quæ verbis explicari non potest, benignitatem. Et hæc quidem sic.

f

a Juvenalis *Episcopus ordinatur mortuo* Prahylio *an. Chr.* 429 *interfuit Synodis Œcumenicis Ephesinæ et Chalcedonensi : moritur an.* 457.

b Longinus *quidam anno Christ.* 469 *a* S. Euthymio *præfectus monasterio inferiori non procul a Laura* S. Euthymii; *de quo in hujus, et* S. Sabæ *vitis agitur. Græci in Menæis* XVII *Novemb. referunt* pium S. Longini obitum, *quod forte de alterutro intelligendum.*

c *Eam exhibet Adrichomius in topographia et descriptione urbis Hierosolymitanæ. Willermus Tyrius lib.* 9, *de bello terræ sanctæ cap.* 3, *refert in arce et turri Davidis omne urbis munimentum fuisse, cum a Christianis reciperetur.*

d *De hac spelunca et loco fuse actum in prolegomenis,* § 4.

e *Eadem referuntur in Elogio Joannis Moschi supra relato in prolegomenis.* Didicerant, *inquit Barradius noster tomo* 1, *in comment. in Concordiam Evangelicam*, speculam palatiis anteponere, cum Christum in spelunca natum conspexissent.

f *Basilius in cap.* 5 *Esaiæ* : Obtinuit fama quædam in Ecclesia memoriam conservans, non quidem scripto proditam, quæ et talis est; quod prima utique Judææ hominem habebat incolam, nimirum Adam, simul atque excidit deliciis paradisi, in hac terra collocatum, ad mitigandam jacturam bonorum quibus fuerat exutus. Prima igitur etiam mortuum hominem excepit, qui et illic eam, cui addictus erat, sententiam condemnationis plene est executus. Itaque insolens esse ac novum videbatur illius ætatis hominibus spectaculum, os capitis defluente carne nudum. At illi recondentes cranium, loco illi nomen indidere Κρανίον, id est, Calvariam. Probabili ratione potuit Noe non ignorasse sepulchrum principis hujus, et mortalium omnium primigenii : siquidem hac de re fama a diluvio mox per orbem propagata est ab ipso, et dimanavit, eoque Dominus excussa origine humanæ mortis, in loco qui Κρανίου dicitur, id est, Calvaria, passus est, ut quo in loco corruptio, sive mors hominum initium accepit, illic vita regni suum sumeret exordium; *Hæc Basilius. Idem sentiunt Tertullianus, Cyprianus, Origenes, Epiphanius, Athanasius, Chrysostomus, Ambrosius, Augustinus, alique, quos refert Salianus noster tomo* 1 *Annal. Eccl. veteris testamenti anno mundi* 930, *num.* 7, *et seqq.*

Locus Calvariæ *unde dictus.*

CAPUT III.

Exercitatio virtutum in spelunca.

Sapiens autem Theodosius cum fuisset in hoc loco, et semper cuperet excelsiora, divino Apostolo sibi veluti exemplari proposito, evasit illius imitator, omnia quidem sacra amans mandata similiter, præcipue autem captus amore divinæ dilectionis. Ejus enim suavi jaculo sic erat illius sauciata anima, et ita ejus insolubilibus adstringebatur vinculis, ut excelsum illud et divinum præceptum : Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua, re ipsa ab eo impleretur : quod quidem non aliter fieri potuerit, nisi omnes naturales animæ facultates ad nihil aliud, quod adsit, contendant, nisi ad solum Creatoris desiderium. Has, inquam, intelligeres animæ operationes, ut musicæ peritus, pius Theodosius concinne et numerose movens ad ea, quæ oportet, et quando, et quantum oportet, et ut par est, unamquamque conjungens, omnium harmoniarum numerosissimam et jucundissimam effecit suæ vitæ temperaturam; unum solum scopum sibi proponens, ut ex Deo a se omnia fierent, et nihil ab eo dissentiret et discreparet.

Amor ejus in Deum.

Matth. 22. 37.

13 Quis enim in iis, quæ pro Deo suscipiuntur, periculis æque excelsi et fortis animi visus est atque ille, qui neque vincebatur a minis potentiorum, neque illiciebatur inducebaturve blanditiis, quando de Deo fortasse, sed non ex Deo, erat quod jubebatur? sed de ea re quidem differatur oratio. Quis autem ita novit discernere cordis cogitationes, et accurate eas examinare, et maligni nosse artes, *a* dextræ subrepentes, sicut ille? Quis sic animo moderari, spiritum conterere, omnem intelligentiam et altitudinem deprimere, quæ extollitur adversus Dei cognitionem? et ut breviter dicam, quomodo qui res illius imitetur, quas ne digne quidem laudare possit? jejunii constantiam, vigilandi perseverantiam, orandi assiduitatem, pulchrum psalmodiæ ordinem, oculorum in lachrymas innatam profusionem, ut prius spes esset sisti perennia fluviorum fluenta, quam fontes illius lacrymarum; per totas noctes stationem; occulta lora, quibus, eo quod in somnum difflueret et resolveretur, cum inguinis dolore suffulciebatur; humilitatem spiritus, mansuetudinem, animum ut plurimum cogitabundum et attentum, acre ingenium, et quod admodum facile recta ad cælos usque volabat? Hæc optare quidem possunt etiam alii; sunt autem ad imitandum omnino difficilia.

a

Varia virtutum exercitia.

Auctore Anonymo.

14 Quis ventri ita imperavit, aut eum abstinentiæ legibus magis habuit obedientem? Qui eo utebatur non secus ac ancilla, cibum sumente quando ipse juberet; sumente, inquam cibum, non quantum ipse vellet, sed quantum sufficeret ad continendum vinculum naturalis conjunctionis. Alimentum autem erat fructus palmæ, aut paucæ siliquæ, aut legumen aliquod aqua madefactum, aut etiam quæ ex agrestibus herbis erant esui aptæ. Quod si horum quoque, quæ dicta sunt, erat penuria propter summam solitudinis inopiam, ossa dactylorum madefacta, erant illi lautum et splendidum nutrimentum propter necessitatem, et famis scitum solatium. Perpetuis autem triginta annis panis nihil gustavit penitus. Sed etsi ita parce et stricte se gerebat in iis, quæ pertinebant ad usum corporis, non ita tamen se habebat in iis, quæ pertinebant ad animam : sed illam contra abunde et copiose noctu diuque alebat : ut qui in lege Domini quotidie meditaretur, et sacris oraculis quotidie rigaretur. Quo factum est, ut visus sit tamquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, et fructum dedit in tempore jucundissimum et copiosissimum. Atque corporis quidem in juventute ad libidines incitationem sic pulchre effecit conquiescere. Hanc autem abstinentiæ legem non statuit simul abjicere cum flore juventutis, neque eam repulit tamquam adhuc inutilem et minime necessariam; sed conservavit usque ad profundissimam senectutem, augens, et non remittens : et non secus ac quemdam socium navigationis, qui una navigavit in hyeme et tempestate, multorumque laborum et ærumnarum fuit particeps; cum jam fuerit in portu, erubescens amandare.

Abstinentia, victusque asperitas.

a *Græce* τέχνας εἰδέναι τοῦ πανοῦργου διὰ τῶν δεξιῶν κλεπτούσας. *Lipomanus*, maligni nosse artes, quæ suffurantur per dexteras.

CAPUT IV.

Accessus Discipulorum. Pius Basilii obitus.

Amplectebatur itaque labores, sicut alii voluptates : remissiones autem et delicias repellebat ut hostes, cum longa consuetudo ei talem impressisset habitum. His non secus ac stella jucundissima, splendidissime ac pulcherrime micans radiis, jam etiam procul apparebat. Nam civitatem quoque sitam supra montem, est celari difficile. Ergo nec latuit, etiamsi illud ipsum perpetuo fugeret. Cum non lateret autem, consentaneum erat omnino, ut boni et honesti studiosas animas ad se traheret, non secus ac magnes ferrum, aut potius ut bonas quasdam apes, jucundum illud mel virtutis. Ad illum itaque jam ventitabant quidam ex iis, qui erant amatores virtutis, et malebant cum eo incolere solitudinem, quam cum Imperatoribus præclaras civitates. Qui vim afferentes, vix quidem, sed tamen persuadent, ne sua solum consideraret, sed ea etiam, quæ sunt proximorum : et ejus, quæ est ex Deo, vitæ eum accipiunt veluti pædotribam. Et tunc quidem sex vel septem numero erant chorus qui erat circa ipsum.

Conveniunt ad illum discipuli.

16 Cum autem sciret ille magnus, iis qui ex Deo vivere elegerint, nihil æque conducere ad parandam virtutem et ad partam conservandam, ac mortis memoriam, quæ etiam vera philosophia et dicitur et creditur; quid facit? Sepulchrum jam construere his suis jubet discipulis : simul quidem ut ejus esset monumentum finis, sicut etiam vocatur, et sic eos magis excitaret ad decertandum, et diligentius stimularet ad virtutem; et simul etiam et mortuos acciperet; quin etiam ille ex futuris aliquid prævidens et præsagiens; jam enim hæc charismata et gradus attigerat, in luce gratiæ lucem videns. Quid autem erat

Jubet eos sibi sepulchrum ædificare.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

AUCTORE ANONYMO.

erat quod præsagiebat, jam declarare aggreditur oratio. Paratum enim erat sepulchrum, et adstabat quidem ipse desuper; discipuli autem ipsum circumsistebant. Ille autem acuto mentis oculo intuens id, quod erat eventurum, sic lepide dicit, eos adspiciens: Sepulchrum quidem est paratum, quisnam autem ex vobis est encænia ejus celebraturus? Et ille quidem sic, lepidæ et urbanæ orationi miscens seria : solebat enim ipse quoque inter alia tempus nosse, austeritatemque et tristitiam gratia moderata solvere.

17 Quidam autem Basilius, dignitate quidem Sacerdos, propter rerum autem bonarum desiderium, expressos aperte servans pater nos characteres; et eum qui ipsum genuerat spiritaliter, non minus referens similitudine virtutis, quam carnales patres ii qui ex illis nati sunt, et alioqui sciens quæstionem non frustra esse propositam a magistro, primus arripiens sermonem, erat prompto et alacri animo ad mortem eligendam, tamquam rem non repudiandam, sed valde utilem et conducibilem. Protinus ergo genibus flexis, cum se humi projecisset : Benedic mihi, inquit, Pater. Ego autem, inquit, hujus sepulchri primus celebrabo encænia. Hic ergo petiit, ille vero dedit. Et ipsum quidem habuit sepulchrum. Jubet autem Pater omnia ipsi fieri, quæ lex vult fieri mortuis; tertianas, inquam, et novenas, et consequenter etiam quadragenas. Cum autem jam finem acciperent quadragenæ, (o quomodo explicaverit oratio id, quod est valde quidem verum, sed est valde creditu difficile, propterea quod modum exuperat!) Basilius neque a febre arreptus, nec capitis dolore vexatus, nec ullum dolorem sentiens in ulla parte corporis, tamquam molli quodam et suavi somno sopitus, excessit ad Dominum : præmium virtutis, et illuc migrandi promptitudinis. Quod quidem aperte significavit eum eorum, quæ hic sunt, nequaquam affici voluptate : ut qui primus ut ante Deum sisteretur, et primus coronaretur elegerit; adeo ut ipse hac in re laudem magistri superaverit : nisi forte nimis videatur curiosum id, quod dictum est; siquidem magna res est, Dei faciem placidam ac benignam intueri.

Basilio vivo fiunt tertianæ, novenæ, et quadragenæ, ut defuncto :

Moritur is absque dolore :

18 His sic perfectis, miraculo miraculum successit. Quadraginta enim deinceps dies, in canticis vespertinis inter sacrum chorum discipulorum hic divinus quoque stans Basilius, et una cantans videbatur et audiebatur a magno Theodosio. Et ex aliis quidem nullus alius, aut vocem audiebat, aut illius formam cernebat. Solus autem quidam Aetius, (qui ipse quoque magistri sequebatur vestigia, et volebat esse discipulus Theodosii non ex eo solum, quod res illius et sciret, et narraret, sed eum etiam imitaretur) ipsum quidem videre non poterat, sed vocem audiebat. Rogavit autem magistrum, an ipse mortui quoque vocem audiret. Ille vero dixit se et videre et audire : et, si vellet, se ei esse ostensurum eo tempore, quo apparuerit. Atque nox quidem successit, et peragebatur conventus, et homo Dei rursus plane videbat Basilium cum iis, qui stabant et canebant, simul stantem et canentem, eumque digito ostendens Aetio, preces quoque addidit : Aperi Domine, dicens, hujus quoque oculos, et videat hoc quoque magnum tuorum operum mysterium. Cum is autem statim vidisset et agnovisset, atque etiam accurrisset, et præ desiderio eum complecti voluisset, Basilius non solum apprehendi non potuit, sed etiam evanuit, cum dixisset aliis audientibus, Salvi estote, o Patres et Fratres, salvi estote : me autem de cetero non videbitis amplius. Quamobrem id quod a Christo dictum fuit in Evangeliis : Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet, ostendit id quod factum fuit, esse verissimum et fide dignissimum.

mortuus 40 dies cum vivis psallit.

Videt eum Theodosius et Aetio ostendit.

Joan. 11. 25.

CAPUT V.

Annona ei divinitus submissa.

Hoc fuit primum testimonium virtutis Theodosii. Secundum autem mea jam vult persequi oratio, quod priori nullo modo est inferius. Dies erat festus, et festorum omnium primus et præcipuus, ipsum, inquam, Pascha, mei Christi, vel mea potius resurrectio et reformatio. Sacræ autem noctis aderat quidem vespera : iis autem, qui ad eum ventitabant, nihil erat eorum, quæ sunt ad vescendum necessarias non panis, non oleum, non aliquid aliud erat ex iis, quæ sunt esculenta. Atque chorus quidem discipulorum ægre ferebat, ut est verisimile, qui jam erant numero duodecim : ægre ferebant autem non pro se tantum, sed quod cum jam non adesset panis, qui offerretur ad sacrificium, erat eis futurum Pascha absque sacrificio, et absque corpore Christi dies festus celebrandus. Circumsistentes itaque adversus magistrum murmurabant, cum causam rationi consentaneam veluti ex re cepissent. Ille vero cum tantum dixisset, Parari oportet sacram mensam; reliquorum autem, inquit, nihil ulli curæ sit. Nam qui olim tot Israelis millia in solitudine, deinde etiam non parvam multitudinem aluit ad satietatem, hic ipse nostri quoque curam gerit, nec est viribus imbecillior, nec ad providendum debilior. Hæc ille quidem dixit : sed quemadmodum ejus verba effectum sint quam primum consecuta, nec spe fraudaverint discipulos, jamjam dicet oratio.

In Paschate desunt panes ad sacrificium, aliaque alimenta :

20 Quomodo enim olim ovis in vepribus *a* Sabec adfuit, Abrahæ parata ad holocaustum; ita etiam huic quoque Beato, sole jam terram relinquente, accedit quidam par mulorum ducens, per quos afferebatur sarcina variorum alimentorum, convenientium hominibus, qui se exercent : et nec aberat quidem ipse sacræ mensæ, qui videtur et intelligentia percipitur, panis, sed erat una cum aliis. Propter quod magis lætati sunt Theodosii discipuli, Christi cultores. Et hoc quidem donum, fuit donum illius precum, quod non ex cælo pluerat, ut prius manna; sed ex terra scaturierat nutibus cælestibus, et aluit non solum sensibiliter, sed etiam spiritaliter, quod ad panem quidem attinet, qui fuit oblatus sanctificationibus. Sic ergo cum simul terrestribus bonis et cælestibus se jucunde satiassent, qui apud ipsum erant, usque ad sanctam Pentecosten, paullatim discebant, qualis esset illorum Doctor. Et hoc quidem ita se habuit.

a insperato afferuntur S. Theodosio.

21 Quod autem consequitur, illius dico esse fraternum, et similis fidei et spei fœtum germanissimum. Vir quidam cujus erant magnæ opes, bonis autem operibus laudem assequi statuerat, suas facultates distribuebat in benedictionibus, et pecuniæ materiam efficiebat animæ salutarem. Is, inquam, cum omnibus aliis, et præcipue iis, qui vivebant ex Christo, et se a mundo removere, ad Deum autem prope accedere recte cogitabant, dextera apparuisset jucundissima, ut divina dicit Scriptura; aut rursus, ut cum Scriptura magis dicam, hortus ejus non conclusus, et fons conspectus esset non signatus; solis Theodosii discipulis, per oblivionem aut ignorationem non impertiit beneficentiam; aut forte etiam Deo in his Sanctum probante aut glorificante. Atque discipuli quidem accedentes, ei exhibebant molestiam, ut et se et illos manifestos redderet divisori, et magno studio instabant : neque enim se habere, quo deinceps alantur, qui paucas quidem habebant siliquas, et cum eæ nonnumquam deficerent, ea quæ restabant ossa coquebant, ut jam dictum est, et eis utebantur ad famis solatium. Sic ergo illi hominem, qui semper latere studuerat, manifestum fieri cogebant propter pusillum suum et abjectum animum : et eum, qui ad Deum oculos convertere consueverat, urgebant, ut turpiter

Inopiam suorum viro locupleti et beneficio indicare renuit. Cant. 4. 12.

turpiter manus porrigeret hominibus, relicta manu, quæ est aperta, et implet omne animal benedictione, ut qui eam esse angustam vel parcam ac sordidam judicasset in præsentia. Atque illi quidem erant tristes. Is vero eos sensim admonens : Quis, aiebat, ex iis qui in Deo confisi sunt, omnino est derelictus? At quis, qui ipsum ad finem usque sustinuit, non accepit consolationem? Qui inebriat omnem sitientem animam. Hæc nobiscum dicat divinus Hieremias : Et omnem esurientem implet animam. Qui præparat corvis cibum, et pullis corvorum; ut Job quoque et divinum David introducam simul loquentes. Cognoscamus quantum interest inter humanum studium et divinam providentiam, quæ pertingit usque ad extrema : et sciemus, quemadmodum iis etiam, quæ propter Christum lubenter reliquimus, divina rursus providentia abunde et copiose fruimur.

Suos consolatur.

Jer. 31. 25. Job. 38. 4. Ps. 146 9.

22 Hæc dixit, et paulo post apparuit quidam, ducens animal onustum. Ibat autem non ad magni Theodosii monasterium; sed scopus quidem erat ei id transire, onus autem in aliquo alio loco deponere. Postquam vero fuit jam prope monasterium, vel invitum virum sistit jumentum : cumque ei flagello multas plagas incuteret, illud erat immobile, non secus ac si esset saxum. Cum homo ergo recte existimasset id non fieri sine Dei numine, mox converso ordine, animali utebatur tamquam duce, et laxato fræno ei permittebat ire, quo eum ferret impetus. Cum homo sic fecisset, animal confestim nusquam quidem alio, sed perinde ac si aliquis frænum, cum a nemine videri posset, traheret et dirigeret, recta vadit ad monasterium. Quo cum vir esset ingressus, et inopiam, quæ eos urgebat maxima, didicisset, et Dei providentiæ arcanum esset admiratus, quemadmodum scilicet effecisset, ut inopiæ molestia eis esset occasio coronarum, et ut ipse eam solveret molestiam; et quod ea de causa non parebat animal, eum divina vocante providentia ad alendas animas, quæ Deo quidem ministrabant, ministrantis autem corporis laborabant imbecillitate. Hæc cum ille didicisset, duplum præbuit ejus eleemosynæ, quam primus divisor dederat. De cetero ergo ejus discipuli cessantes ei exhibere molestiam, et esse pusillo et abjecto animo, studebant potius eum imitari, beatumque eum ducebant propter firmam spem et fidem in Deum. Sed hæc quidem hucusque.

Quidam divinitus monetur, ut eis alimenta subministret.

a *In Hebræo legitur Gen.* 22, 13, detentus aries cornibus suis in Sabech, *quod* LXX, *et Theodotion ut proprium retinuerunt* : κριὸς εἷς κατεχόμενος ἐν φυτῷ σαβέκ. *Significat autem* Sabech, *Hebraice perplexitatem, cujusmodi est illa, quæ in condensis vepribus cernitur, a radice* sabach, implecti, intricari, *ut optime in vulgata editione* : Vidit arietem inter vepres hærentem cornibus.

CAPUT VI.

Extruitur monasterium.

Augetur numerus discipulorum.

Quoniam autem ei quotidie accedebant discipuli (fontes enim illius gratiarum vocabant bonas et virtutis studiosas animas; cervas rationis compotes dixerit aliquis, aquas amantes spirituales) aliique plurimi accesserunt, et non pauci ex iis, quorum magna erat auctoritas et opes. Et jam magnus quidem erat numerus discipulorum : spelunca autem exigua, et plane minor, quam ut eos posset capere; ipsi autem accedentes solicitabant, ut excitaret monasterium, et ampliorem eis faceret caulam ovium spiritualium, dicentes, nihil oportere eum curare sumptus faciendos ad ædificationem. Nam et sumptu, aiebant, qui ad eam sufficit, manus, et manu nobis animus largior. Sic cum majori gregi cogeretur præesse vere bonus pastor, dici non potest quantis jactaretur curis, et quam variis distraheretur cogitationibus. Quando enim ad bonum quietis et silentii respiciebat, et ad puram et tranquillam mentem, ab hac cara quiete tamquam a matre se avelli dolebat. Quando autem considerabat, curam esse gerendam eorum qui ventitabant, et non oportere sibi soli vivere, sed multo magis etiam proximis, et ejus rei ipsum Dominum fuisse nobis ab initio exemplar propositum, qui et sibi congregavit discipulos, et conspectus est pastor ovium rationis compotum, et pro eis emisit animam.

Divinum nutum in dubiis exquirit, et sequitur.

24 Hæc ergo quando per otium considerabat, et in contrariam partem trahebatur animus, neque sciebat cuinam pure adhæreret. Nam quietis quidem et silentii fructus non ignorabat; rursus autem sciebat, quinam essent fructus curæ, quæ gerebatur Fratrum : et ideo utrisque adhærebat, et neutrius erat penitus : et ab utroque recedebat, et cum ambobus rursus conveniebat. Quid ergo facit? Deo permittit universum, qui vel solus potest miscere, quæ misceri non possunt : et illius auxilio credit posse fieri, ut et conservetur bonum quietis et silentii, et non privetur mercede præfecturæ. Non enim in eo, quod sit corpus solitarium, sed in eo, quod sit cor bene compositum et tranquillum, vitam recte geri monasticam, ut a divino David est definitum. Certe etiamsi ita se haberet, judicium tamen Deo permittit, et ei supplicat, si omnino ei gratus esset conatus, (ei enim in mente versabatur, quod olim divinus Simeon de eo prædixerat) si ergo omnino Deo placeret, ut hoc signo declararet, et locum aperte indicaret, in quo erat monasterii jacturus fundamenta.

Orat sibi divinitus monstrari ædificandi monasterii locum.

25 Cum ergo in manus sumpsisset thuribulum, et implesset carbonibus, et deinde absque igne imposuisset suffitum, pervasit solitudinem, labris preces decantans. Preces autem ita habebant : O Deus, qui per multa et magna miracula olim Israelem confirmasti, qui famulo tuo Moysi multis et variis prodigiis persuasisti, ut eos regendi onus subiret, et virgam quidem in serpentem, in alborem autem leprosam manum mutasti, et deinde ei rursus priorem restituisti colorem; qui aquam quidem mutas in sanguinem, ipsum autem rursus facile in aquam restituis; qui Gedeoni signum victoriæ vellus exhibes, et quæ circa vellus; qui omnia fabricaris et contines; qui Ezechiæ umbræ graduum retro reversione descripsisti vitæ additamentum; qui etiam Eliæ preces prius exaudiisti, ignemque de cælo demisisti; et propter eorum, qui se impie gerebant, ad te conversionem, ligna et holocausta et aquam una cum ipsis lapidibus combussisti; ipse etiam nunc es Domine, ipse quoque exaudi me servum tuum, et ostende ubi tibi placeat, ut templum quidem tuæ potentiæ, tuis autem servis et meis discipulis habitaculum ædificem. Ostendes autem omnino, ubi jubebis accendi nos carbones, ad gloriam quidem tuam, multorum autem agnitionem, et veritatis confirmationem. Hæc et his similia decantans, obibat loca, quæ noverat aliis aptiora.

26 Cum autem solitudinis multam terram pervasisset usque ad locum, qui dicitur *a* Gutilla, et ripas *b* lacus Asphaltidis, sic mortuis et minime ignitis carbonibus, cum vidit eos minime accendi, neque conatum ei ex animi sententia succedere, constituit reverti. Cum hoc autem fecisset, et parum esset remotus a specunla, (o quis tuam digne laudarit potentiam, Rex immortalis!) fumus repente ascendit ex carbonibus, fumus bene olens, cum ignis modo ineffabili percurrisset carbones, et eos latenter suscitasset. Cum itaque ignis melius quam lingua locum significasset, et jacta sunt fundamenta, et templum extructum est, et ædificatum est *c* monasterium, vel, ut melius dicam, virtutum habitaculum, aut tabernaculum in terra, quod est revera terra superius et cæleste : quod quidem est et magnitudine maximum, ut quod paullatim creverit iis, quæ factæ sunt, accessionibus, et abundat bonis omnibus, non iis solis, quæ sunt ex spiritu et virtute, sed iis etiam, quæ sunt ad usum corporis. Nam eis quoque erat illis opus, cum essent homines, non lautis quidem et supervacaneis, sed quorum est necessarius usus et inevitabilis. Quomodo enim in præclara civitate et populo frequenti, ita etiam hic quoque licet videre omnigenas artium offi-

a
b
Carbores sponte accenduntur.

c
Ædificat monasterium amplissimum.

AUCTORE ANONYMO.

cinas, quæ communi fraternitati omnia præbent citra laborem, et ab externis, quæ eos avellant, curis liberant.

a Ms. *Græcum* Κουτιάζ.

b Lacus Asphaltudos, *id est bituminis, vulgo* mare mortuum *dicitur, post eversas ibidem Sodomam, Gomorrham, aliasque urbes.*

c Cathisma *appellatur in vita S. Sabæ, vide prolegom.*

CAPUT VII.

Benignitas in pauperes, ægros, hospites, divinitus remunerata.

Variæ hospitum mansiones.

Jam vero habitationum varietas et diversitas quemnam oculum quidem non movet ad contemplandum? quamnam autem non linguam ad laudandum? Quam enim omnino animam, aut quod corpus eorum, qui diversantur, non curat? Hæc est monachorum, illa eorum qui promiscue vitam agunt; alia egenorum, alia eorum, qui alias peregrinantur. Et ut in summa dicam, unicuique eorum, qui accedunt, et locus quo excipiantur, et modus quo curentur, alius alii est attributus. Unum est, quod ex æquo omnibus exhibetur, nempe summa hospitii hilaritas et benignitas. Ceterum pauperum quidem magnam curam gerebat Theodosius : quorum ille egestatem vincens suppeditatione, eam rursus habebat voluntate inferiorem: quomodo etiam voluntatem semper victam a liberalitate et munificentia spiritus, ut paullo post ostendetur. Hoc autem est ipsis rebus consentaneum et valde consequens. Si enim ipse cum esset homo, studebat hominum egentium superare cupiditates voluntatis magnitudine; quomodo non humana rursus voluntas superanda erat ab opibus divinis et benignitate?

Theodosii benignitas in pauperes;

28 Cum autem in omnes, qui egestate premebantur, ita esset misericors, ejus magis augebatur misericordia in eos, in quibus rursus erat malum gravius, et cum egestate erat præterea morbus, aut membrorum mutilatio excrucians, eaque sacra, quod est gravissimum. Ea ratione erat etiam oculus quidem cœcorum, pes vero claudorum, indumentum autem nudorum, eorum, qui tecto carebant, tegumentum, ægrotorum medicus, largitor, administer, famulus; omnibus omnia factus propter excellentem benignitatem; sanguinem abluens, vulnera mundans, labra admovens labris eorum, quorum erat caro mutila, et ita eos sapienter consolans, et persuadens, ut moderate ferrent calamitatem, cum scirent eos, qui sapiunt, non modo ipsos non aversari, sed eos potius beatos ducere et amplecti. Non autem se superbe et inhumane gerens, ut complures, quos cum oporteret miserando fratres, Dei sibi conciliare benignitatem et clementiam, illi (o inhumanitatem) adeo sunt elati et sublimis animi, aut (ut verius dicam) nimis sui amantes, et tam pusilli et abjecti animi, ut non solum eos non admittant, sed eos etiam videre non inducant in animum : perinde ac si nolint meminisse neque omnino scire, quod ipsis quoque sunt carnes subjectæ talibus affectionibus. Sed non sic hic Beatus, sed fuit magno (sicut diximus) et generoso animo. Et sunt hujus quidem multi oculi testes : maxime autem ex iis, qui hoc ministerium una cum eo obibant : qui cum primo hanc insignem benignitatem et commiserationem similiter atque alii aversarentur, illius deinde egregiam reveriti moderationem, persuasi fuerunt recte sapere, et juxta imbecillitatem humanam et humilitatem.

in ægrotos.

Alii eum imitantur.

Nemo inde repellitur.

29 Quamobrem si quis eum dixerit communem portum, et communem medicinæ officinam, communem domum, commune penu, recte dixerit et congruenter veritati, ægrotantium, esurientium, algentium, peregrinantium. Eorum enim omnium, quam par erat, curam gerebat. Qui autem contemneretur aut despiceretur, propterea, quod esset vilis et humilis, si quæsivisses, illic invenisses neminem : sed propter hoc ipsum, quod esset, inquam, vilis et minimus, majorem consequeretur curationem; quoniam Christus quoque est inter minimos, et quæ sunt illorum, aperte sibi tribuit. Quare eorum qui expellerentur, nulla illic habebatur ratio. Nullus despiciebatur, nullusque indignus reputabatur commiseratione. Quod quidem patrum quoque nonnullis non est admodum facile servare in filios. Sed aliis quidem vestes quoque dabantur, quibus iis erat opus : omnibus similiter dabantur alimenta. Atque meminerunt quidem, qui ad hæc ministrabant, se uno die plusquam centum mensas parasse. Et humanus quidem misericordiæ fons erat hujusmodi, et tam abunde scaturiens. Dei autem fons qualis? Numquid est manifestum, quod multis atque adeo infinitis partibus superabat? Nunc autem declarabit oratio, quibusnam indiciis, et finem imponet ei, quod est pollicita.

Uno die plusquam 100 mensæ parantur.

30 Castigabat aliquando terram Deus, castigabat autem fame : erat autem non brevis aliqua fames, neque in hos quidem dominabatur, in alios vero non; sed ex æquo omnes invaserat flagellum. Cum sic autem affligerentur homines, ut eorum, quæ scelerate fecerant, pœnas darent (malorum enim studiorum hæc esse fructum, dicit divinus Micheas) et adesset dies festus Palmarum, quo pauperum et agrestium multitudo, festi accepta occasione, in eum locum convenerat jam hoc quidem pro more facientes, sed tunc magis a fame jussi. Qui itaque ad parandum prandium inserviebant, ad tantam caligantes multitudinem, conabantur quibusdam libris et trutinis alimentum distribuere, ut hac accurata subtilique ratione et parcitate posset pluribus alimentum sufficere. Pondus autem eis ad libram, ut dixerit quispiam utens lingua Romanorum, redibat. Accedens autem magnus ille Theodosius, cum id quod fiebat, visu apprehendisset, et a magna multitudine vim afferri januis, et idem quod Job, didicisset sentire et dicere : Foris non diversabatur hospes, et patebat ostium omni viatori; jubet portas aperiri, et permittere, ut omnes volentes possent ingredi : et hominibus mensas consuetas apponere, quos difficile erat vel numerare, non solum eos cibo satiare. Quicumque ergo ei erant inservituri, quando ad solam tantummodo adspiciebant multitudinem, non credebant : tantum abest, ut aliquid facerent, propterea quod modum jussio exuperabat. Postquam autem adspexerunt ad virtutem et gratiam ejus, qui jubebat, ab humanis destiterunt, et altius adspexerunt, et portas statim aperuerunt, et lubenter admiserunt eos qui veniebant: et deinde etiam parandis mensis dabant operam, et hilariter ea etiam apponebant, quæ habebant. Quid ergo Deus admirabilium? Rursus quoque suffecit ad paucis alendam magnam multitudinem, sicut etiam prius quinque panibus quinque millia. Simul ergo eorum impleti sunt ventres, et arcæ panariæ ostendebantur plenæ panibus : et illi quidem existimabant fore, ut omnia deficerent : eæ vero erant plenæ, et plura tenebant quam præbuerant, et per orationem veluti ad replendos ventres pauperum plurimum fructum produxerant. Sic pro ejus proposito Deus ipsum est remuneratus, et pro ejus beneficentia in pauperes, non solum abunde desuper pluens propter ejus munificam voluntatem; sed etiam efficiens, ut vir ille in admiratione haberetur et celebraretur, propterea quod sit minime falsum promissum. Promisit enim eos glorificare, qui eum sciunt glorificare per opera.

Mich. 6. 13.

Job. 31. 17 *et* 18.

Famis tempore omnes pauperes admittit.

Multiplicatur divinitus annona.

1. Reg. 2. 30.

31 Post hoc autem aliud quoque dicatur, quod parem continet et voluntatis munificentiam, et patrandi miraculi virtutem. Rursus erat dies festus, et festus virginis Dei matris : in quo, propterea quod erat valde insignis ac solennis, tam magna convenerat multitudo (oportebat enim et festi caussa esse multos celebraturos, et ejus qui festi celebritatem peragebat, dexteram, aut ut potius dicam, propositum, habere etiam convenienter multos qui alerentur) ut ne sufficerent quidem ad faciendum accumbere eos, qui accedebant, illi quibus hoc commissum fuerat;

Festum S. Mariæ celeberrimum.

Iterum annona divinitus augetur.

rat; tantum abest, ut haberent quod satis esset ad eos alendos, nisi in singulis mensis oporteret unum panem apponere. Qui autem arcas panarias ante impleverat Dominus, (larga et copiosa dextera, quæ aperitur et nutrit, quicquid ab ipsa est creatum) is tunc quoque mensas implevit, vel ut potius dicam, ventres : adeo ut cum innumerabilis ille hominum conventus fuisset plenus ad satietatem, tot essent sportæ reliquiarum, ut ipsi quoque, qui accubuerant, multa domum tulerint, et iis qui serviebant, ex iis sint opiparæ postea mensæ appositæ.

32 Videntur autem hæc esse difficilia non solum ad imitandum, sed etiam ad laudandum, et ad recte explicandum oratione. Quis enim adhuc videns Ægyptios confluentes ad magni Theodosii monasterium, non existimaverit vel puteos esse tantæ multitudini defecturos ad solum potum? Illi autem ita ad satietatem fruuntur appositis, ut iis etiam, qui post ipsos veniebant, sufficerent quæ remanserant, ad secundum convivium. Quis ergo videns, quæ in hodiernum usque diem fiunt in solitudine, non statim est habiturus fide dignum testimonium, quod qui per Moysem in solitudine mirabile prius pluit Hebræis nutrimentum, hic ipse nunc quoque per Theodosium (etenim in Christo vivere creditur) hoc quoque magnum et divinum efficit, et tot viris nutrimentum copiose suppeditat? Propterea ergo multos quoque videtis ad hunc locum festinantes, hunc ipsum revera esse illum existimantes, propter quem Servator et quinque prius panes benedixit, et tot hominum millia aluit ad satietatem. Sed hæc quidem ita se habent. Nobis autem redeundum est ad ea, quæ consequuntur.

Sæpius id accidit.

CAPUT VIII.

Varia valetudinaria extructa. Energumeni liberati.

Quoniam enim præcipuum indicium caritatis in proximum, est cura quæ geritur ægrotorum; quæ etiam maxime novit purgare patibilem nostræ animæ facultatem : quoniam non sufficit ad perfectionem, fratrem nutrire esurientem, et potum dare sitienti, eumque qui est hospes et nudus, in domum introducere et vestire; sed oportet præterea ejus etiam cum mutuo quodam sensu misereri, ut non sit solummodo bonum, sed etiam bene fiat, ex animæ scilicet affectione : ut non manu solum, verum etiam anima ostendat misericordiam. Qualis autem ille esset in ea re, jam vult declarare oratio. Cum tres domos ædificasset, unam quidem iis, qui propter Christum erant sejuncti, et toti mundo crucifixi, tribuit ad curam corporis in infirmitatibus. Deinde duas permisit iis, qui in mundo vivebant et versabantur : et ex iis ipsis unam quidem iis, qui erant insigniores et honestiores; alteram vero iis, qui erant viliores et pauperiores, et qui opus habebant alterius auxilio. Quinetiam suis monachis, quorum propter senium et labores longæ exercitationis soluta erat vis membrorum, (Oportebat enim ne hoc quidem effugere Theodosii solicitudinem) iis cum in loco separato aptum extruxisset gerontocomion, id eis permisit ad recreationem diuturnæ afflictionis, tamquam bonis viatoribus, longa via et aspera defessis, accommodatum diversorium. Præterea autem aliud quoque ab eo constructum est nosocomium, nempe ad opera commiserationis vere misericorde et clemente anima : quod etiam erat donum mulieris vere honestæ moribusque piæ et religiosæ : quæ quidem ejus admirans bonitatem, domumque et seipsam cum filiis ei largitur, mundo quidem renuntians, Deo autem totam seipsam permittens, et volens ut sui filii sub illo viverent.

Extruit valetudinaria :

1. monachis,

2. honestioribus externis,

3. vilioribus.

4. senioribus monachis recreandis.

5. e bonis piæ mulieris.

Pia opera sibi adscribentes monachi, tra-

34 Quinetiam, quod majus est signum clementiæ et benignitatis, quicumque in montibus et speluncis degere quidem propter Christum, sed non ex Christo, elegerant, inconsiderato et non stabili calore secuti exercitationem, et humanæ quidem imbecillitatis, et Christi verborum, quod absque illo nihil possumus facere, obliti; inani fastu et vana persuasi arrogantia, et quæ recte gesserant miseri sibi adscribentes (o mea mala! o grandem insolentiam, vel potius amentiam! Quid enim boni fecerit humana natura, tuo o Salvator, nudata auxilio? qui me doces per linguam Prophetæ, dicentem : Remisi manus, et aruerunt, et facti sunt tamquam fœnum siccum super tecta, tamquam gramen. Quid vero per hæc significat? Quod amisso flore virtutis, quem qui tuam habent manum opem ferentem, amplexi sunt, deinde exiccati defectu tuæ pinguetudinis, dedecus deformitatis miserabiliter induerunt.) Qui ergo sic stulte senserant, et ideo traditi erant satanæ ad interitum carnis, ut ait Paulus, ut salvus fiat spiritus; aut alioqui mente erant læsi et male affecti, et pœnas dederant in eo quod peccaverant; ut discerent cum in honore essent, effecti rationis compotes, intelligere ac noscere opificem et auxiliatorem, et non esse ingrati in eum, qui eis dederat gratiam; ii experti sunt eum valde benignum, et paterne in ipsos se gerentem. Pro eis enim accendebatur, tamquam pro filiis propriis, et alioqui benevole in eos afficiebatur. Cumque eis constituisset locum quietum et tranquillum, permisit ut in eo agerent : ut esset ei quodammodo alterum monasterium, et ob multitudinem eorum, qui erant congregati, et ob ordinem ministerii, et ob statum eorum qui ministrabant, et ob sumptum eorum, quæ suppeditabantur.

AUCTORE ANONYMO.

duntur satanæ. Joan. 15. 5.

Isa. 37. 27. juxta LXX.

1. Cor. 5. 5.

Eos benigne excipit Theodosius.

35 Magis ergo quam aliorum, homo Dei, sicut diximus, vincebatur ipsorum commiseratione, et in eis recreandis magnam adhibebat curam et diligentiam, et eos consolabatur verbis aptis ad persuadendam tolerantiam. Nequaquam o filii, dicens, nequaquam resolvamini, et enervemini hac temporali afflictione. Neque hoc vobis videatur optandum, a Deo omnino non corrigi. In laboribus enim, inquit, et in flagellis castigare Hierusalem. Sic dicit Deus per Hieremiam : Anima mea numquam a te deficiat. Castigat enim, sed benigne : et castigat omnem filium, quem recipit, possum discere ex divina scriptura, adeo ut disciplina ejus et castigatio non sit iræ, sed dilectionis, ad correctionem peccatorum, inducta propter benignitatem. Bonum est ergo, o fratres, et valde bonum, cum hic spiritualiter castigati fuerimus, illic Dominicas plagas non experiri : et cum hic ad tempus afflicti fuerimus, quæ finem non habent tormenta effugere. Hic enim nihil pati, longe est gravius quam pati : et excedere e vita absque tentationibus, ut cujus non fuerit purgata materia peccatorum multis afflictionibus, quod est apertum indicium terribilium afflictionum, et nothorum potius, quam germanorum filiorum signum evidens. Quamquam ne illud quidem omnino conturbabit animum eorum qui sapiunt, si figmenti divini dæmon evadit dominus. Nam datur quidem eis potestas ab eo, qui creavit, tamquam quibusdam punitoribus, (hei mihi!) ad castigationem filiorum qui declinarunt. Datur autem, quantum ille novit sufficere ad castigationem, non quantum ipsi volunt. Vix enim parcerent hominibus, qui ne brutis quidem pepercerunt, ut sacra docent Evangelia. Conspiciamur ergo per hanc disciplinam sensum accipere eorum quæ peccavimus, et non egere aliis plagis gravioribus, quod incorrecti maneamus post plagam. Efficiamur probati per afflictionem. Quod contra nostram voluntatem est illatum, fiat etiam proprium voluntatis, in eo quod moderate feramus ea quæ contigerunt : et gratias agamus ei, qui intulit disciplinam legibus benignitatis. Ipse percussit, et ipse nos sanabit. Et hoc habeo a Prophetis : Percutiet et alligabit, et non tardabit ad curationem.

Hortatur eos ad patientiam.

Jerem. 6. 8. juxta LXX.

Hebr. 12. 6.

Cur diabolus sinatur possidere homines.

Matth. 8. 32.

Osee 6. 2.

36 Hæc dicens admirabilis Theodosius, omnibus quidem procurabat consolationem, et nonnullis etiam

Quosdam liberat Theodosius.

AUCTORE ANONYMO.

a morbo liberationem : alios admonens, ut forti et magno animo ferrent eam calamitatem, et persuadens esse utilius eam tolerare, quam ab ea liberari. Hac ratione plurimum studii ponebat Theodosius, non ut eos, qui male habebant, liberaret ab eo, quod erat eis molestum; sed ut potius eis persuaderet, ut ea forti et magno animo ferrent.

CAPUT IX.

Varia templa extructa. Exercitatio monachorum.

Sed enim quomodo aliorum illius bonorum epulis auditores excipiemus? Quid enim, perinde ac si desint res præclare ab eo gestæ, excogitabimus, quemadmodum possimus immorari in oratione? Quis enim cum eas, quæ hic fiunt, audierit hymnodias, non demulcetur quidem auribus, lætatur autem animo, corde autem vehementer exilit, promptoque et alacri animo labra movet ad laudandum eum qui fecit, quod diversis quidem linguis, una autem mente et sententia canantur pie et religiose? Quomodo enim in lyra, ea quæ fit vicissim pulsatione, contemperatur vocum diversitas numero admirabili; ita etiam hic quoque diversis linguis, quidam varius et valde concinus cantatur hymnus. Hic etiam vir sapiens, sicut olim Beseleel divini architector tabernaculi, sapientissime et pulcherrime dispensat et administrat in hoc sancto monasterio, et *a* quatuor ædes intra id ædificat. Ex quibus unam quidem dimisit iis, qui lingua Græca utuntur; in qua et ipse et aliorum quoque Patrum chorus hymnum canebat. In secunda autem genus *b* Bessorum sua voce communi Domino fundebat preces. Tertiam autem sortita fuit gens *c* Armeniorum : in qua quidem ipsi quoque lingua patria Deo hymnos emittebant. Ultimam autem et quartam seorsum ab aliis ii, qui vexabantur a dæmone : qui cum erant alioqui furiosi et emotæ mentis, ut ante meminimus, cum ipsi ad se reversi erant compositæ mentis, cum iis, qui eis ministrabant, in ea preces emittebant Altissimo.

Ædificat in suo cœnobio 4 ecclesias.

a

b

c

38 Ita ab eis peragebatur *d* hymnodiæ regula, quæ (ut dictum est) septies in die offerebatur Deo universorum. Sed hæc quidem alio tempore. Nam quando oportebat veneranda participare Sacramenta, lex erat apud eos pulchre admodum constituta, ut usque ad divinitus inspirata Evangelia unusquisque in sua ecclesia simul et lingua, divinam audiret vocem; postea autem omnes congregarentur in una, exceptis dæmoniacis; in magna scilicet Græcorum ecclesia. Quod quidem in hodiernum usque diem faciunt : et illic sunt participes sanctificatorum.

d

In una earum omnes communicant.

39 Et quid opus est omnia recensere, illius, inquam, sacri pastoris et gregis; et utrum eorum magis admiretur quis virtutem, an multitudinem? Nam quos tota sua vita parturiit spiritualiter, paterne autem nutriit, et deinde etiam ad Deum emisit, cum pulchre suam vitam finissent, fuerunt numero sexcenti et nonaginta tres. Quos autem *e* Præfectus, qui post illum successit monasterio, fuerunt plusquam quadringenti, paternæ virtutis apertum servantes characterem, filii patrem amantes, et filii qui insigniter amabantur a patre. Causa autem amoris, qui erat in utrisque, erat non natura, quæ est res laude carens et mercede; sed bona voluntas et bonum animi institutum, amans id quod bonum est et honestum, et ideo laudem omnino meretur. Et possem quidem dicere cum magna voluptate, quot Pastores, quot *f* Episcopos protulerit ejus educatio, et quot ex ejus ovibus fuerunt pastores aliorum, et præfuerunt sacris *g* monasteriis, non ipsi amantes imperium, sed potius judicati digni qui imperarent, et digni quibus crederetur præfectura animarum : et quot solitarie vixerunt, propter quietis ac silentii desiderium, et cupiditatem majorum certaminum : quorum nonnullis producta fuit exercitatio usque ad octoginta annos, et eis annorum multitudo congregavit multitudinem divitiarum spiritalium. Per quæ omnia cognoscebatur et prædicabatur Theodosius, et ei aureum conservabatur genus, quod honore, inquam, antecellit : per quæ ei implebantur fructus et manipuli, et merces augebatur. De unoquoque ergo eorum libenter meminisset oratio, nisi produceretur ad immoderationem. Oportet ergo paucis dicere, nullum fuisse relictum locum, qui non commodi et utilitatis aliquid ex eo sit consecutus.

e

Multi ejus discipuli monasteriis et Ecclesiis præfecti.

f

g

40 Postquam ergo hujus viri divini fama per universum orbem terræ jam pervasisset, et virtutis studiosas ad se attraxisset animas; multi quidem ex militibus, bella multum valere jubentes, referebantur in numerum ejus phalangis : multi autem ex iis quoque, qui valebant dignitate, et honores fuerant consecuti, hæc non secus atque somnia despicientes, aut potius ut alias Sirenes, quæ demulcent ad eorum, qui eas attendunt, exitium, dimittentes, toto pede ad ipsum contendebant, propter Christum ignominiam, veram esse gloriam et ipso etiam regno meliorem credentes. Multi autem ex iis quoque, qui erant insignes eruditione, libros quibus adhærebant, tamquam aliquibus uberibus aut fontibus, vel tamquam jucundissimas voluptates, vel tamquam pulcherrima spectacula despicantes, maluerunt attingere institutiones elementorum vitæ, quæ ex Christo agitur : relictisque plausibus et laudibus civilibus, humanæ sapientiæ prætulerunt eam, quæ est propter Christum, stultitiam. Quibus admodum apte usus fuit hic bonus pastor, imbecillioribus quidem labores allevans, augens autem robustioribus; adeo ut neque imbecellitas opprimeretur immoderatione, neque vires insolescerent si non comprimerentur; erga omnes seipsum varians et mutans spiritali sapientia : non virga castigans, sed sermone instituens, sermone sale condito, et qui animam penetrabat, ac pervadebat usque ad profundum motuum mentis, ut qui vim haberet ex ipsa operum fiducia. Ea ratione et consolans, erat multis terribilis; et increpans, desiderabilis, et jucundus in omnibus.

Multi eum sequuntur illustres, docti, etc.

Ejus in illis instituendis prudentia.

a *Recessisse* S. Theodosium *ad partem* Lauræ *Occidentalis, ibidemque extruxisse monasterium, refertur in vita* S. Sabæ, *quæ de hac ampliatione intelligenda esse diximus in prolegomenis.*

b Bessi, *seu* Bessæ, *populi Boreales sunt. Meminit eorum S. Paulinus Episcopus Nolanus in poemate de reditu* S. Nicetæ *in Daciam, quod* VII *Januarii dedimus, ubi num.* 22 *hæc canit :*

Nam simul terris animisque duri,
Et sua Bessi nive duriores,
Nunc oves facti, duce te gregantur
Pacis in aulam.

Ovidio etiam Danubii accolæ habentur, et Getis vicini, ita lib. 3, *Tristium Eleg.* 3.

Sauromatæ cingunt fera gens, Bessique Getæque.

An hæc eorum lingua fuit fortassis, quæ hoc ævo Slavonica *dicitur, et late per Septemtrionem in officio Ecclesiastico usurpatur?*

c *De lingua Armenica quædam habet Athanasius Kircherus noster in Prodomo Copto.*

d *Antiquus horarum canonicarum usus.*

e *Hic est* Sophronius *ille, cujus legatus* Hesychius *hujus monasterii Presbyter pro eo interfuit Synodo Constantinopolitanæ sub Menna. De utroque actum in Prolegom. Sub hoc* Sophronio *aut non multo post, hanc historiam* S. Theodosii *descriptam ex subjuncta laude subditorum putamus.*

f *Ex his* Julianus *Episcopus* Bostrensis, *de quo infra num.* 71, *et supra in prolegom. Ita tempore Joannis Moschi* Theodosius *quidam creatus Episcopus* Capitoliadis, *de quo in Prato spirituali cap.* 109. *Tres Episcopi morienti* Theodosio *adfuerunt num.* 84.

g *Præerat cum* S. Saba, *ex commissione* Salustii *Episcopi Hierosolymitani, reliquis circumcirca monasteriis. Vide prolegomena* § 5.

CAPUT X.

Sacræ ejus lectiones et exhortationes.

Quis ita fuit, et cum multis conversans, utilissimus, et ad sensus colligendos, et ad efficiendum ut intro converterentur, aptissimus? adeo, ut is in majori esset tranquillitate in mediis tumultibus, quam ii, qui sunt in solitudine; et idem simul esset et cum multitudine, et separatus; et illud quidem aliis, hoc vero

vero sibi afferret utilitatem, vel suam potius per utrumque; siquidem juvare proximum, est aperte juvare seipsum. Quod autem et permansit cum eo toto vitæ suæ tempore, et est veluti necessarium aliquid et semper consequens, erat divinorum lectio eloquiorum: quam non tempus, non morbus, non senium, non aliquid aliud ex iis, quæ accidunt, interrupit. Quin etiam cum jam esset imbecillis, et jam ad extremam venisset senectutem, nec de cetero posset amplius progredi, liber erat in manibus, et vincebantur labores a laboribus; a meditationis, inquam, laboribus labores senectutis et imbecillitatis. Ad quos cum dies non sufficeret, illius lucem lucerna supplebat in noctibus.

Lectio sacræ Scripturæ assidua.

Senex per famulum officia Ecclesiastica dirigit.

42 Quoniam autem cum esset homo, oportebat eum esse multis defessum et exhaustum laboribus, non poterat quidem noctu una esse cum Fratribus canentibus, et admonere quæ oportebat: ministro autem tamquam lingua utens, qui ei fundebat aquam manibus, per eum significabat Fratribus, et quisnam esset canticum incepturus, et quisnam facturus lectionem sedentibus, et quis chorum ducturus. Hæc autem faciebat his duabus de causis, et sibi quidem providens, ut assidue vigilaret, et illis, ut regulam spiritalis officii servarent citra ullam reprehensionem. Sed noctu hæc quidem illi magno erant præcepta Ecclesiastica; interdiu autem ad eum accedentes, qui erant ex spiritu ei geniti filii, eum seorsum interrogabant propter cogitationem, quæ eis afferebat molestiam. Aperte autem ea suadebat, quæ pertinebant ad eorum utilitatem, non sermone solum docens, sed etiam vita ea quæ dicebantur confirmans.

Nervose suos adhortatur.

43 Quo quidem tempore erat, quod fiebat, non procul a miraculo. Nam vir ille, qui externam ne gustaverat quidem sapientiam, et in libris gentilium ne linguam quidem exercuerat, tanta verborum copia faciebat admonitiones, ut nullus eorum, qui in his libris consenuerant, et arte dicendi linguam satis acuerant, facile possent cum eo contendere. Docebat itaque non ex humana sapientia, sed ex gratia boni spiritus (qui ad eum veluti dixerat: Ecce dedi verba mea in os tuum, sicut olim Hieremiæ sapienti) ex seipso quidem multa dicens, eaque elegantia, multa autem etiam ex dictis Apostolicis. Maxime autem crebro recordans salutarium constitutionum et sermonum, qui instruunt ad exercitationem, Magni, inquam, Basilii, cujus etiam vitam imitans, et ejus orationis magno captus amore, studebat animam quidem illius moribus, linguam autem ejus ornare eloquentia. Certe per ipsam quoque proferebat ea, quæ sunt rerum illius pulcherrima, meditando assumens, et conservans memoria, quæ possent prompti animi studium injicere vel socordioribus. Bonum autem fuerit illorum ipsorum quoque meminisse verborum, quæ memoria tenere curæ erat Theodosio.

Jerem. 1. 9.

Crebro legit constitutiones monasticas S. Basilii.

Exhortationes ad Fratres.

44 Rogo, Fratres, per caritatem Domini nostri JESU CHRISTI, qui dedit seipsum pro peccatis nostris, aggrediamur aliquando curam gerere nostrarum animarum: dolore afficiamur ob vanitatem vitæ nostræ præteritæ: decertemus pro futuris ad gloriam Dei et filii sui. Ne remaneamus in hac socordia et mollitie, præsens quidem semper otium admittentes, in crastinum autem diem et perendinum, principium operum differentes: ne si comprehensi fuerimus ab eo, qui nostras animas decipit, nequaquam instructi operibus, excludamur a thalamo gaudii: frustra autem et incassum defleamus, despectui male habitum vitæ tempus lugentes, tunc quando nihil juvabit eos, qui agent pœnitentiam. Nunc est tempus acceptabile, nunc est dies salutis. Hoc est tempus pœnitentiæ, illud remunerationis. Hoc est tempus operandi, illud vero dandæ mercedis. Hoc est tolerantiæ, illud consolationis. Nunc Deus est adjutor eorum, qui convertuntur a mala via, tunc erit terribilis, et qui decipi non poterit, examinator actionum et verborum, et cogitationum. Nunc fruimur patientia; tunc justum cognoscemus judicium, quando resurrexerimus, alii quidem ad æternum supplicium, alii autem ad vitam æternam, et recipiet unusquisque congruenter suæ operationi. In quod tempus Christo obedire differimus, qui vocavit nos ad regnum suum cæleste? Non expergiscemur? Non nos revocabimus a vita consueta, ad perfectionem Evangelii? Quomodo oculis apprehendemus illum terribilem et insignem diem Domini, in quo eos quidem, qui dexteræ Domini, per bonas appropinquant actiones, excipiet regnum Domini; eos vero, qui ad sinistram sunt abjecti, propterea quod a bonis deserti sint operibus, abscondet gehenna ignis, et tenebræ æternæ, et stridor dentium? Nos autem dicimus quidem nos cupere regnum cælorum; ea autem non curamus, quibus id possimus assequi: sed præcepto Domini nullum laborem suscipientes, in vanitate mentis existimamus nos esse æquales honores consecuturos iis, qui usque ad mortem resistunt contra peccatum.

Diem judicii inculcat.

Sua subinde profert, et quomodo.

45 Deinde cum hucusque perfecisset orationem, nonnumquam ea etiam, quæ sua erant, addebat, et quæ excitabant ad obedientiam, et parabant ad tolerantiam, et uniebant ad concordiam. Addebat autem sua, non ut quispiam se jactans et glorians, sed qui seipsum ostenderet eadem sentire: et simul ea quidem, quæ jam dicta sunt a veteribus, propter brevitatem vero vel sententiæ magnitudinem, vulgi captum excedunt, ipse suis additamentis reddens apertiora, manifestaque et clara reddens omnibus. Atque sic quidem utebatur sacer Theodosius ea, quæ ad docendum comparabatur, oratione; ea vero, qua traduntur dogmata, quomodo se habebat? et quis erat ejus in iis sermo et zelus? Anne de hoc quidem est sciscitandum, utpote quod res omnes loquantur quavis voce apertius, et ejus zelum pro pietate prædicent? Illud autem est potius diligenter quærendum, quænam lingua sit erudita et facunda, ut possit recte explicare illius linguæ tropæa. Nam is quidem in aliis quidem omnibus erat mansuetissimus, et promptissimus, ut honeste potius vinceretur, quam non laudabiliter vinceret. Ubi autem erat in pietate et vera religione periculum, erat illic stabili et forti sententia Theodosius, et nullius cedebat objectioni, ut qui cerneretur acri et invicto animo, ignis comburens, aut securis scindens, aut romphæa pugnatoris, ut dicam quæ divinæ sunt Scripturæ. Ejus autem quod dico, argumenta sunt multa quidem alia, mihi autem sufficiet unum reducere in memoriam.

Zelus ejus pro fide.

CAPUT XI.

Anastasius Imp. pecunia tentat pervertere S. Theodosium.

a b

Tulit aliquando *a* nostrum quoque tempus *b* Imperatorem, qui prius quidem fuerat, quantum apparebat, *c* paradisus voluptatis; *d* postremo autem rebus fuit cognitus campus destructionis, et unus scilicet ex iis pastoribus, qui sui gregis oves dispergunt et perdunt, et eos turbida potant subversione. Et ut reliqua illius prætermittam, hoc quidem accipiet, quod post nos sequetur, tempus. Neque enim par est, ut id mandetur oblivioni propter eos, quorum est scelus insigne: qui, ut dicit Isaias, concipiunt laborem, et pariunt iniquitatem. Impius (heu) sive ab aliis ad hoc motus, sive hunc sceleratum fœtum ex se produxerit, (Stultus enim, inquit, stulta loquetur, et cor ejus vana cogitabit) Patrum, qui *e* Niceæ fuerunt, sacra dogmata, tamquam montem Sion et turrim fortitudinis, scilicet aggreditur; illa quidem volens abrogari, valere autem sententiam *f* Acephalorum

c d

Anastasius Imperator Ecclesiam impugnat.

Isaiæ 59. 4.

Isaiæ. 32.

e

f

AUCTORE ANONYMO.

lorum, quam a ratione alienam, et vere ἀκέφαλον, hoc est, carentem capite, jure quis dixerit. Potentiæ autem admiscet improbitatem, ut hac quidem deciperet, illa vero effectum redderet, quod contendebat : ut neque vis, si esset immixta et persuasione minime contemperata, molesta videri possit, et plane violenta, ut quæ robur accepisset ex sola occasione; neque rursus persuadere, si impotens sit, si imbecilla, et quod possit pauca et apud paucos efficere.

varie Episcopos; Theodosium muneribus tentat.

47 Hinc alios quidem ex Episcopis adoriebatur *g* minis et exiliis, alios autem honoribus et assentationibus : et nonnumquam etiam corrumpere pecunia, et suum malum aliorum quoque efficere, et morbum communicare contendebat; mutabilis non minus quam Proteus, ut Græcorum fabulæ loquuntur, et non minus mente, quam ille adspectu varius. Postremo autem hanc quoque magnam turrim aggreditur. Machinæ autem erant aurum; idque non paucum, ut posset contemni, sed quod redibat ad summam triginta librarum : eratque donum non nude et aperte donum, ne non acciperetur, ut quod suspicionem pareret avaritiæ : sed id quoque occultabat prætextus speciosus et valde probabilis, nempe pauperes, et quæ erant necessaria ad usus Fratrum ægrotantium. His virum conabatur ingenuum redigere in servitutem. Et si bonum existimas et gratum piorum animis id, quod a te, o vir egregie, innovatur, ego illi dixerim, cur non ab eo ipso sinis trahi amatores, et propria vinci pulchritudine eos qui sunt pulchri amatores; sed id pecuniis ornas et muneribus, quod solet fieri turpibus et deformibus, ut quæ sint aliena ornamenta et artificia?

Pecuniam ejus accipit Theodosius;

48 Cum ergo cognovisset ille magnus id quod fiebat ab illa pusilla et abjecta anima, temere adversus se comparari, erat, ut vulgo dicitur, aquila in nubibus, ut qui nec posset capi nec vinci; sed revera potius eum capit, qui simulabat. Nam aurum quidem non repellit, ne forte videretur temere suspicari, et offensionis aliquam præberet occasionem; sed duplici damno afficit adversarium, simul quidem privans pecuniis, cum esset alioqui avarus, et simul etiam spem vanam et inanem ostendens, qua ducebatur, et quæ nihil habebat ad scopum pertingens. Sed quem leonem existimabat se jam habere in pedicis, eum cum in se concitasset vehementissime, præclare ostendit, ut est in proverbio, capream iniisse pugnam adversus leonem. Nam cum jam tempus advenisset, et ille ab eo petiisset confessionem, et adessent qui ea de causa missi fuerant, hic mihi considera ejus animi virtutem et fortitudinem. Nam cum omnes simul congregasset cives solitudinis, et dixisset esse tempus, ut finem acciperet dictum illud Propheticum, quod jubet mitem fieri pugnatorem, et eos instruxisset ad suscipienda pro pietate certamina, se ostendit esse ducem, se militem, se virum strenuum et fortem, et primum in omnibus, et cum Imperatore per litteras est congressus. Et lubentissime quidem meminissem illarum ipsarum probationum, quibus Theodosius apertas nugas esse ostendit ea, quæ ex propositis videbantur esse validissima; sed propter prolixitatem, et ea spectans, de quibus agitur in præsentia (multis enim manibus opus esset et libris) solum meminero ejus dicendi libertatis, qua usus est in fine. Sic enim paucis ostendetur, quam esset homo liber, et qui nequaquam dejici deprimive poterat. Sic autem habent ea, quæ scripta sunt.

ejus postulata fortissime rejicit.

a *Hinc auctorem coxianeum* S. Theodosio *fuisse patet, ut supra diximus.*

b *Is est* Anastasius, *qui imperium suscepit* Olybrio solo Consule *an. Ch.* 491. *Sub hoc vixisse* S. Theodosium Cœnobiarcham *notat Suidas ad verbum* Anastasius.

c *Priusquam imperium capesseret,* Euphemio *Patriarchæ Chalcedonensis professionem fidei chirographo suo testatam dedit. Mox iniqua tributa sustulit, magistratus gratis contulit, multa præclare constituit, quibus ejus initia magnam spem et expectationem omnibus attulerunt. Ideo* Felix III, *Papa illi scripsit,* in *ejus se* imperii promotione gaudere, *ut testatur hujus successor* Gelasius *in Commonitorio ad Faustum, qui et in epistola ad ipsum Anastasium missa laudat studium pietatis in privata vita, quo* optarit semper fieri particeps promissionis æternæ, *etc. ejus adhuc privati pietatem ceterasque virtutes prædicat Cedrenus.*

d *Anno imperii* 2, *Christi* 492, *chirographum professionis fidei ab* Euphemio *sibi restitui jussit. Ita Cedrenus et Theodorus Lector Collectan. lib.* 2. *Dein liberum cuique fecit quam vellet amplecti sectam Evagrius lib.* 3, *cap.* 30.

e *Concordat* MS. *Græcum,* τοῖς ἱεροῖς τῶν ἐν Νικαίᾳ πατέρων. *Sed utrobique mendum, legendum,* Patrum qui Chalcedone fuerunt, *ut sequentia declarant.*

f *De* Acephalis *actum* x *Januarii in vita S. Joannis Camilli Boni num.* 2, *et in vita* S. Agathonis. *Cedrenus scribit* Anastasium *fuisse* in hæresi Acephalorum, seu Synchytarum. *Acta etiam Concilii Chalcedonensis authentica* ex altari ablata conscidisse atque igni tradidisse *docet Nicephorus lib.* 16, *cap.* 25.

g *Ita pulsi in exilium Patriarchæ Constantinopolitani,* Euphemius, *et* Macedonius; *quorum sectatores, exilio relegatione, accusationibus iniquis, aut bonorum publicatione afflicti sunt.*

CAPUT XII.

Epistola S. Theodosii ad Imperatorem, et hujus responsum.

a Cum hæc duo sint nobis proposita, o Imperator, *a* vel turpiter et illiberaliter vivere consentiendo Acephalis, vel honeste mori sequendo recta Patrum dogmata; scito mortem a nobis esse præferendam. Tantum enim abest, ut hæc nova sequamur dogmata, ut non solum in loco mansuri simus, præcedentes Patrum leges sequentes; sed eos etiam, qui præter hæc alia tueri sustinuerint, pie abdicabimus et subjiciemus anathemati : sed nec ullum ex Acephalis ordinatum, per vim suscipiemus. Absit ut hoc fiat, o Rex Christe! et si tale quid contigerit, veritatis Deum præsidem testantes, vel potius illum ipsum, qui nunc ab ipsis maledictis et blasphemiis appetitur, usque ad sanguinem resistemus : et quomodo pro patria, ita multo magis pro recta fide lubenter animas profundemus, etiam si ipsa sancta loca igni perdenda visuri sumus. Quid enim opus esse solo nomine, quando ipsa sacra revera afficiuntur contumelia? *b* Nos ergo nequaquam admittemus aliquid *b* sentire, tantum abest ut dicere, quod discrepet a *Quatuor Concilia Œcumenica.* sanctis et Œcumenicis conciliis. Ex quibus primum quidem ornatur trecentis decem et octo Patribus, qui cum adversus Arium in sancto Spiritu Niceæ convenissent, anathemati miserum subjiciunt, et a corpore abscindunt Ecclesiastico, alienantem a Patris essentia eum, qui est natura Filius, et introducentem dogmata aliena a recta fide. Secundum autem impulsu divino congregatum adversum Macedonium, qui ipse quoque scelerate loquebatur adversus bonum Spiritum, eum abdicat. Tertium autem adversus profanam et execrandam linguam Nestorii, qui ipse quoque absurda erat locutus adversus Christi carnis susceptæ consilium pulchre Ephesi convenit. Post hæc, quod fuit etiam Chalcedone sexcentorum et triginta divinorum Patrum : qui cum etiam ea dixissent, quæ conveniebant prioribus, et quæ illi dixerant, adhuc accuratius exposuissent, infelicem et execrandum Eutychem una cum Nestorio abscindunt a corpore Ecclesiæ, et fidem confirmant Apostolicam : et quicumque non ita sentiebat, decernunt esse alienum ab Ecclesia. Adversus hæc et ignis accendatur, et ensis acuatur, et mors quoque nobis acerba adferatur, imo vero, si fieri possit, pro una innumerabiles; nos vero numquam prodemus veram religionem, neque ea, quæ recte placuerunt Patribus, ea abrogando probro afficiemus. Testes sint eorum sudores, quos pro fide *Theodosius constanter fidem profitetur.* susceperunt, et multæ dimicationes. Sed ea manebunt firma et immobilia, et apud nos, et apud eos, quos fas est et Deum et nos sequi. Pax autem Dei, quæ superat omnem mentem, sit custos et dux tuæ potentiæ.

Epistola Anastasii ad Theodosium.

50 Cum hanc imperator accepisset epistolam, mittens et vim afferre, et conari persuadere, se potius submittens, aggressus est se de iis excusare, quorum accusabatur, et sic composuit epistolam :

Hujus

Hujus innovationis, o homo Dei, nos non sumus auctores. Testem confidenter invocamus, qui omnia cernit, Dei oculum : sed ab illis oritur hic motus, quos plus, quam alii, oportebat hæc honorare silentio. Nunc autem cupientes singuli primi videri et dicendi facultate et dignitate, seipsos feriunt, et nos ad se invicem attrahunt. Quid nos ergo aliud oportet facere, quam dum ii moventur, nos non simul moveri, sed quietem amplecti : ut sic persuadere possimus eis, qui hic movere statuerint, dimissa tali contentione, una nobiscum quiescere? Omnino enim tuam non latet pietatem, quod quidam monachi et Clerici, qui rectam fidei sibi vindicant sententiam, hæc movere scandala, seipsos, ut diximus, studentes ostendere primas obtinere partes in harum rerum cognitione; et quod mysterium et fidem in ore suo circumferant. Quæ quidem cum non possint comprehendi ab hominibus, nihil aliud quam illos mendaces ostendunt et sycophantas? Ex quo etiam proficiscitur magna Dei in nos indignatio, eo quod existimamus mysterium non esse mysterium, nec ex sola fide consistere, sed ex absurdis nugis : et condemnamus eos, qui nos docuerunt fide et mysterio divina venerari. Vos ergo nunc quoque oportet, si unquam, orare pro Ecclesia, ut nos benignis oculis adspiciat, et pacem suis conciliet Ecclesiis, quæ tam male sunt divisæ propter studia ipsorum Præsulum. Quæ autem a vobis missæ sunt eulogiæ, eas admodum lubenter suscepimus : nostrum autem quale sit institutum, annuntiabunt pii monachi, qui a vobis missi sunt. Et hoc quidem modo se habuit epistola.

Iterum Catholicos persequitur Anastasius.

51 Verum Imperatorem, qui hæc quidem scripserat, et tunc de furore paullulum remiserat, et bellum quod adversus rectam opinionem vel suum potius caput gerebat, represserat; non multo interjecto spatio, gravis subit pœnitentia: et perinde ac si eum pœniteret, quod omnino parum esse pius statuisset, et se facilitatis nimiæ condemnaret, ad priora est reversus. Difficile enim est, ut est in proverbio, asinum confricantem avertere. Rursus ergo edicta adversus pietatem; rursusque egregius Martyr citra sanguinem : siquidem consideranda est voluntas, et non rerum exitus.

a *Epistolæ hæ referuntur a Baronio ad an. Ch.* 511. *Ejusdem spiritus et zeli extat epistola* S. Sabæ *ad Imperatorem, quæ an. Christ.* 513 *refertur a Baronio : licet non constet, quo quæque tempore fuerit scripta.*

b S. Sabas *in sua ad Imp. epistola :* Nos ergo nec patiemur aliquid aliud addere præter ea quæ decreta sunt a trecentis decem et octo Patribus, qui fuerunt Nicææ, et tribus, quæ postea consecutæ sunt, Synodis, nec quidquam aliter innovare; sed pro eis etiam animas profundere, et innumerabiles, si fieri possit, mortes parati sumus suscipere.

CAPUT XIII.

Zelus, et exilium fidei caussa.

a S. Theodosius 4 Synodos ut 4 Evangelia suscipiendas docet.

Cum omnes essent plane consilii inopes et dubii quid agerent; et alii quidem *a* blasphemiam defenderent, alii autem vererentur vel solummodo contradicere; fortasse autem etiam hac in re communi Patri, dicendi libertate cederent, et veluti ducis signum expectarent: tunc tunc evadit manifestum, qualis etiam senectus, quando zelo confirmatur, se fortiter et juveniliter gerit adversus ea, quæ pro bono et honesto suscipiuntur pericula. Contemptis enim illis scriptis et decretis, minisque innumerabilibus, turbaque quæ Imperatorem et Deum ex æquo reverebatur, militibusque qui eos observarent, qui essent tale quid dicturi; illis omnibus contemptis, tamquam vanis strepitibus, et dicens non esse suum, sed puerorum talia horrere tonitrua leonis suscipiens impetum, cum Dei templum esset ingressus, et suggestum conscendisset, in quo solent legere Sacerdotes, manu populo significans silentium, vocemque attollens: Si quis, inquit, quatuor sanctas synodos non tanti esse existimat, quanti quatuor Evangelia, sit anathema. Hæc cum dixisset, et tamquam Angelus populum adduxisset in admirationem, et vocem omnibus ademisset præ miraculi magnitudine, silentio procedit per medium eorum tacentium et tamquam dormientium, et existimantium se somnium videre, non autem vere id quod fiebat. Et fuit hoc quidem viri stratagema : ex quo dictas quoque sanctas synodos in sacris diptychis collocare statuerunt.

Auctore Anonymo.

53 Cum post hæc autem nihil esset cunctatus, et nec parum quidem substitisset, obiit civitates quæ erant circumcirca, discipulos et alios zelotas ex solitudine, veluti quidam *b* Dux exercitus, eos qui sub se erant, inducens, primus canos, primus etiam ostendens promptum animi studium : omnes obiens, factus omnia omnibus, certiores reddens eos qui dubitabant adhuc confirmans eos, qui erant stabiles; eos excitans, qui erant socordiores, eorum qui erant prompto et alcari animi studio, augens diligentiam; addens animum iis, qui extimescebant; adhortans eos, qui decertabant; terrens adversarios, quod tam esset magno ac generoso animo, ut ad eum non pateret aditus; medicinæ celeritate omnem hæreticum morbum præveniens; docens omnes, quod Dei verbum esset quidem idem simul Deus et homo, una autem hypostasis sive persona, utrumque eorum habens natura, divinitatem scilicet et humanitatem.

b Civitates obit cum suis omnes instruens.

54 Ad ea autem, quæ dicta sunt, probanda adduxit illam sanctam synodum *c* Œcumenicam, quæ ipsa quoque de Christo sic agit, et ea ratione effugit declinationes hæreticorum, quæ fiunt in utramque partem. Nam eo, inquit, quod unam confiteatur personam, repellit impiam Nestorii hæresim: eo autem, quod non neget duas naturas, Eutychetis et Dioscori magis impiam exturbat hæresim: neque similiter, ut Nestorius, Christum unum dividens in duos filios et hypostases; neque similiter ac Eutyches, et Dioscorus, et etiam *d* Severus, in unam confundens naturam, unius scilicet Christi divinitatem et humanitatem. Nam plus quam par sit, habet unusquisque eorum: unus quidem fugiens divisionem, alter vero conjunctionem : ille quidem ad hoc, ut duos diceret filios; alii vero, ut ne unum quidem proprie filium faterentur, misere exciderunt. Nam Nestorio quidem, quoniam utique timebat confusionem, venit in mentem, ut diceret habitudine solum et dignitate seu auctoritate factam esse divinitatis conjunctionem cum humanitate : adeo ut cum naturis duas quoque valde impie defenderet hypostases, et duos introduceret filios, unum quidem Deum, genitum ex Patre seorsum et separatim, alterum vero, qui ex sancta Virgine, per gratiam solum ei tribuens dignitatem adoptionis.

c Nestorii et Eutychetis hæreses.

d

55 Eutyches autem et Dioscorus, atque etiam Severus, qui se eis nuper adjunxit, et impietatis elegit esse particeps, ut qui vellent absurdissimam Nestorii tollere divisionem, malum malo medicantur: et ipsi quoque rursus stulte audent introducere confusionem, unam et eamdem nominantes naturam divinitatis et humanitatis, et ad passionem, quantum ad eos attinebat, non verentes deducere impatibilem divinitatem. Si enim eorum sententia una est Christi natura, is autem est revera Deus et homo, fuit ergo divinitas mortis quoque particeps. Sed scelerata his ora obstruantur, et mali male cum suis pereant dogmatibus. Eos autem increpet Beatus quoque Petrus, Christo passo pro nobis carne, dicens, sed non addens, divinitate. Nam et si quod attinet ad essentiam, unita erat Christi divinitas carni patienti, non fuit tamen ipsa socia passionis. Nam quomodo esset? est enim divinitas omnino impatibilis. Recte ergo et secure prædicatum est ab hac sancta synodo, duas naturas divinitatis et humanitatis, inconfuse, immutabiliter, citra divisionem, in una honorari persona : eumdem ante secula quidem

Eutychetis hæresis refutatur.

1. Pet. 4. 1.

AUCTORE ANONYMO.

quidem genitum ex Patre, quod attinet quidem ad divinitatem; in extremis autem rursus temporibus natum ex sancta Virgine, recentiori lege humanitatis: patri et matri similem essentia; eumdem sine patre et sine matre: ut qui illud quidem pulchre esse cognoscatur ex ea, quæ inferne fuit, generatione, hoc vero ex ea, quæ superne, unigenitum, et primogenitum: illud quidem, quod attinet ad naturam divinitatis: neque enim, quod ad eam attinet, est ei frater; hoc vero, quod attinet ad essentiam humanitatis: multi enim post eum fuerunt, a patre in filios adoptati per baptisma.

S. Theodosius mittitur in exilium.

36 Hæc ergo et his similia docens illa lingua libera, et quam acuerat confidenter loquendi audacia quoniam Imperatorem ad iram magis provocaverat, ab eo perpetuo damnatur exilio: ab eo, inquam, qui jam inevitabilem suam exterminationem, et quæ hinc erat futura, venientem ignorabat migrationem. Et ideo ipse quidem a *e* vita tunc præsente, hic autem vir divinus liberatur statim ab exilio; et vehemens ille fluctus sedatur Ecclesiis, nutu ejus plane qui facit judicium iis, quibus fit injuria, et diviniore decreto. Et qui in eas quidem prædonum instar impetum fecerant, quod facturi erant, ipsi passi sunt: et testa, ut est in proverbio, conversa, damnati sunt exilio. Qui autem expulsi fuerant e suis Sedibus, in eas gloriose sunt restituti, et gregi suo unusquisque redditus est mirabiliter.

e *Revocatur.*

Laudatur a Pontif. Romano.

37 Sic ille conservatus, non iis solum, qui aderant et spectabant certamina, sed iis etiam, qui omnino longe erant remoti, fuit admonitio et zelus ad virtutem. Nam cum de eo intellexissent, et qui veteris Romæ Sedem pulchre tenebat, (is autem erat *f* Agapitus) et qui Antiochenam Sedem regebat *g* Ephræim; ipsi quoque litteris rectam fidem prædicabant: in quibus multa quoque sunt ad laudem hujus Beati composita, quæ non minorem afferebant gloriam iis, qui scripserant, quam ei qui laudabatur; quod non ad gratiam, sed plane ad veritatem fieret laudatio. Quoniam autem difficile est, recensere omnia ejus certamina pro fide orthodoxa, oportet illud in summa dicere, quod ipsi quoque cum Propheta inimicos Christi odisse mirabiliter inerat; maxime autem ostendebat se aversari *h* Origenem, qui existimavit suum in hoc ponendum studium ut divinæ Apostolorum prædicationi nugas contexeret gentilium, et luderet in rebus minime ludicris.

f

g

Psal. 138.

h *Aversatur Origenem.*

CAPUT XIV.

Cancer miraculo curatus, frumentum multiplicatum.

In Hierateo Crux quotannis exaltatur.

Sed tempus est transeundi ad ea, quæ deinceps sequuntur, et hujus viri miraculis piorum ac religiosorum auribus gratificandi. Nam cum Imperator impius edicta in omnes partes misisset, ut omnes, per familias, inquam, et sodalitates, in eumdem locum convenirent; congregatus quidem est hic quoque sacer cœtus, senum qui erant in solitudine insignis canities, circa locum qui dicitur *a* Hierateon, cum communi patre et filiorum amante. Est autem hoc, locus cathedræ, quod fama est excitasse Constantinum, magnum inter Imperatores: in quo mos est, qui perpetuo servatur, ut crux veneranda quotannis exaltetur.

a

Mulier cancro laborans ad Theodosium accedit:

39 Quædem autem mulier, quæ morbo laborabat in mamilla (cancrum eum solent nominare medici:) et jam longo tempore ab eo premebatur; et a nulla quidem abstinuerat medicina, ex ea autem nullum adjumentum ceperat, nisi quod in Deo magis sperabat, quod humana desperaret remedia. Ea cum ingressa esset per Angelicam, quæ dicitur, portam, tristis stetit prope chorum, qui erat circa ipsos: et ad unum ex iis (is erat religiosissimus Isodorus) adspiciens, qui postremo præfuit sanctæ Lauræ sive monasterio *b* Sica dicto, cum et specie ipsa, et adspectu et lacrymarum fluxu significasset dolorem, qui eam vehementer cruciabat, et deinde propius eum accessisset, (neque enim sinebat dolor eam servare illum pudorem, qui decet mulieres) rogavit an cum sacra hac multitudine magnus quoque esset Theodosius, et qualis is esset adspectu: viri enim fama ad eam satis pervenerat. Is autem cum didicisset causam, propter quam eum quærebat, et simul morbum vidisset, et quam vel solo adspectu esset molestus, quique oculos ab acerbo spectaculo posset avertere, sciens illius esse, et ejus qui esset in eo spiritus, hæc potenti solvere medicamento gratiæ; quoniam nec ipse erat ignarus illius in Christo virtutis, mulieri medicum ostendit digito, et signis eum accurate describit.

b

60 Illa vero sensim et sine ullo strepitu accedit, eum valde sitiens, et in animo habens illam, quæ laborabat *c* profluvio sanguinis. Deinde cum prope esset, mamillam sensim aperuit fecitque ut cucullam attigeret: et rursus sicut illa suffuratur curationem, et a magnis doloribus citra laborem invenit solutionem. Simul enim ac pannum attigit, ejus dolor recessit: perinde ac si tenebræ aliquæ solutæ essent adventu luminis, aut fœnum ignis irruptione. Ille autem (nullo enim modo poterat ignorare, quod ea tam pulchre et ex fide fuerat suffurata) protinus est conversus, et cum vidisset mulierem, solvit timorem, qui eam invaserat, in magnum gaudium curationis: Esto, dicens, bono animo o filia. Meus enim dixit Dominus: Fides tua te salvam fecit. Divinus Isidorus confestim currens ad mulierem, (cupiebat enim oculos quoque suos pascere adspectu miraculi) cum ad eam pervenisset, et curiosius adspexisset, videt mamillam plane sanam, et omnis morbi adeo expertem, ut nec cicatrix, nec ullum in eo esset impressum vestigium gravis, quod paullo ante fuerat ulceris. Ita Deus aperit illam, quæ latet, virtutem, et eos, qui illius solum oculis volunt manifesta fieri, quæ ab eis recte geruntur, non sinit abscondi, nec relinquit in angulo: nec ut prædicentur, eis solummodo reservat in futurum; sed eos quoque, qui hic sunt abditi, producit in lucem, et prædicat: et eos, qui sunt sæpe obscuri et inglorii, claros facit et illustres, et sedere facit cum Principibus populi. Verumenimvero hoc quidem est ejusmodi. Oportet autem alia quoque persequi.

Matth. 9. 20.

c

attacta clam ejus cucullo subito sanatur.

Matth. 9. 22.

61 Postquam enim tyrannum quidem falx mortis abstulit,

a *Cedrenus scribit multos Episcopos, in gratiam Imperatoris, Chalcedonense Concilium impugnasse.*

b *Hæc refert Baronius ad an. Ch.* 511, *ubi num.* 36 *ita exclamat:* Hoc certamen magni Theodosii, quem vita Angelis haud impar, et in editione signorum, ac propugnatione Catholicæ veritatis. Apostolis comparanda, mirifice nobilitavit. Ita plane decuit præconem veritatis hujuscemodi confessionis insignibus decorari, *etc.* c Chalcedonensem *intelligit.*

d *Hic plenius describitur in vita* S. Sabæ, *in cujus epist. citata appellatur* omnium malorum auctor atque origo. *Idem* Clementino et Probo Coss. *an. Chr.* 513. Eutychetis perfidiæ cultor, Anastasio Cæsare volente, Sedem Flaviani Antistitis, ex monacho factus Episcopus, occupavit. *Ita Marcellinus in Chron. Hujus in monachos Syriæ dira persecutio et carnificina refertur in epistola ad* Hormisdam *Papam scripta ab Archimandritis et monachis* secundæ Syriæ; *extat ea cum subscriptis nominibus inter epistolas* Hormisdæ.

e *Interiit fulmine, ut plerique scribunt, exanimatus, anno* 518, *feria* 5 *majoris hebdomadæ,* 11 *Aprilis. Successit illi* Justinus *anno eodem* 9 *Julii.*

f *Græcum* MS. *Vatic.* Ἀγάπιος, *Inter hunc et* S. Hormidam, *cujus tempore* Anastasius *obiit, intercesserunt quatuor Pontifices. Colitur in Martyrol. Romano* 20 *Septembris,* die, *ut ait Baronius,* translationis. *Supra vero B.* Theodosium *jam defunctum aliquot annis, ab eo laudatum diximus.*

g Ephræm *aliis, qui cum Comes Orientis esset, de voluntate* Justini *Imperatoris factus est Antiochenus Patriarcha an. Ch.* 526, *post convulsam terræmotu urbem. Evagrius lib.* 4, *cap.* 5. *Eo munere cum laude* 20 *annis perfunctus, obiit an.* 546. *Ejus vitam et contra hæreticos zelum describit Joannes Moschus in Prato spirituali cap.* 36.

h *Origenis errores ex variis breviter colligit Jacobus Gualterius noster in tabula Chronographica seculo* 3, *c.* 6. *Palæstinam ab Origenistis hoc tempore infectam fuisse ostendit pluribus Cyrillus in vita* SS. Sabæ *et* Joannis Silentiarii. *At tandem cum* Severo *aliisque hæreticis condemnati sunt in Synodo Œcumenica V.*

Theodosius visitat Bethleem.

abstulit, Patribus autem certe successit id, cujus studio tenebantur, et unusquisque ad suum rediit monasterium; modo quidem ibat Bethleem orationis caussa hic vir præclarus; modo cum orasset, revertebatur. Magnum autem laborem itineris recreans,

Divertit ad Marcianum.

divertit ad Marcianum. Vir hic erat plenus spiritualium gratiarum. Cum autem venissent ad amplexus, et se invicem spiritali impertiissent osculo, cum eo anima quoque congrediente, primum quidem fuit eis apposita mensa sermonum, quibus præclare suos pascebant animos, se oblectantes Sanctorum eloquiis et senum narrationibus, cum quibus intercedebat eis morum cognatio. Cum autem tempus invitaret, ut meminissent etiam alimenti corporis, non aderat quidem frumentum, ut panis apponeretur : lentem autem discipulis jussit coquere bonus Marcianus. Et illa quidem fuit apposita sine pane. Cum autem cognovisset magnus Theodosius tam apertam inopiam, qui egens erat, fuit dives in inopia, ipseque magnopere studebat, ut lautiori convivio excipierentur hospites. Jussit ergo discipulo, ut e pera proferret panes, quos paraverat ad viaticum. Et illi quidem producti sunt et appositi. Ii vero propter caritatem, quæ lætificat, non minus lautum celebrarunt convivium ex iis, quæ erant necessaria, quam si prolati essent cibi superflui.

Ex unico frumenti grano, divinitus impletur totum horreum.

62 Ut solet autem fieri sermones quoque admiscentur convivio, et complures ex iis lepidi et jucundi. Hilariter autem divinus eum rogabat Marcianus, dicens : Noli ægre ferre tanta fame laborans hospitium, nec conqueri quod panem vobis non apposuerimus, cum frumentum nobis admodum turpiter defecerit. Cum hoc dixisset, admirabilis Theodosius defixis oculis in barbam Marciani, vidit granum frumenti, quod nescio unde ceciderat; et illinc sustulit hilari et cauta dextera et dixit : Ecce frumentum. Quomodo ergo dicitis vos egere frumento? Et hoc quidem ab eo dictum, vel etiam factum fuerat lepide et jucunde. Ille autem cum granum tamquam egregiam aliquam et præstantem sementem, supinis manibus accepisset, id ponit in horreo frumenti, credens eam sine labore multum fructus allaturam, et esse superaturam agricolarum industriam. Id autem ei accidit longe amplius et copiosius, quam sperabat. Nam cum sequenti die esset horrei ostium aperturus (o arcana tua Domini miracula!) videt quæ intus erant plena fructibus; qui revera provenerant absque agricultura, aut potius cum agricultura, solius orationis. Cum ergo nihil esset in eo cunctatus Marcianus, statim mittit unum ex suis discipulis ad magnum Theodosium, ei significans mirum et ineffabilem rei eventum, et simul ad admirabilis spectaculi societatem eum vocans. Postquam ergo is quoque venit, ostium quidem erat parum apertum, frumentum autem a seipso extrudebatur, cum non posset horreum capere multitudinem, et sic ex eo permultum foras effundebatur. Hoc est prioribus quoque simile, et miraculo de panibus nihil dissimile, quod olim meus effecit

Matt. 14 et 15.

Christus. Nam una omnino est utrisque operatio : nisi quod illic quidem ipse erat præsens et administrans; hic autem suo famulo utens ministro miraculi, sicut prius quoque Apostolis. Post hoc autem oportet illius quoque meminisse.

a *Andreas Cretensis vocat* Speculam *Cruci demonstrandæ et publice honorandæ ab ipso Constantino Magno deputatam*, locum ecclesiæ excelsum, *etc. ut scribit Gretserus noster lib.* 1, *de sancta Cruce cap.* 73, *ubi hunc de* Hierateo *locum explicat.*

b Laura Sycæ, *seu* Sucæ, *ad fluvium* Sucam, *de quo in prolegom, num.* 18.

c *Hæc occasio auctori Menæorum fuit scribendi hanc feminam liberatam a profluvio sanguinis; ut num.* 3, *in prolegomenis dictum.*

CAPUT XV.

Submersionis, abortionumque depulsum periculum.

Auctore Anonymo.

Mulier quædam, cui insignis patria erat Alexandria, ingentibus autem abundabat opibus : dicatur id etiam quod erat in ea multo melius et dignius quod committatur auribus, nempe quod et dives erat bonis moribus, et curam gerebat vitæ piæ ac religiosæ. Ea cum accepisset filium, (erat autem hic ei unigenitus, et solus in se recte servans semina generis) ventitabat ad monasterium, et adducebat eum ad pedes magni Theodosii. Puer vero etiam antequam adduceretur a matre, ubi procul vidit Theodosium, protinus illum esse exclamavit, qui eum super puteum sustinens conservavit. Rogata autem mulier, quid-

Puer in puteum, labitur:

nam sibi vellent ea, quæ dicebantur a puero, dicebat eum quidem lusisse una cum æqualibus; cum autem ludo esset intentus, et non prævideret quæ erant in pedibus, dejectum fuisse in puteum, eumque profundissimum. Et qui aderant quidem, immaturam et acerbam mortem pueri deflebant. Nemo enim erat, qui non existimaret puerum fuisse statim ab aqua suffocatum. Quid enim ex ea re poterant aliud suspicari? Deinde etiam se humane gerentes, seipsos statim demittunt in puteum, non ut eum acciperent antequam moreretur, (quemodo enim ejus esse posset vel spes minima?) sed ut antequam corrumperetur, ejus corpus attraherent, matri donum calamitatis, et acerbum oculis spectaculum et stimulum doloris, tamquam ex naufragio conservatum, simul et fugiendum et desiderandum matris oculis.

servatur a S. Theodosio.

64 Postquam autem descenderunt, et eum invenerunt sedentem super aquas, et nec tantillum quidem madefactum, sed qui sustinebatur veluti ab aliquo solido, ore aperto manebant, mirabantur, dubitabant, nesciebant, quidnam cogitarent de eo, quod cernebant. Sed cum eum ex aquis extraxissent, et non absque divina providentia rem factam fuisse judicassent, eum rogabant : is dixit, quemdam adstitisse monachum, tali habitu, amictu et forma præditum, dicens omnia insignia, quæ erant Patris Theodosii longe simillima. Et hujus, inquit, mihi manus causæ sunt, ne in aquis interierim, quæ me recte sustinebant, et efficiebant ut essem aquis superior.

Agnoscitur divinitus beneficium.

65 Hæc mater et narrabat et adjiciebat : Ego, inquit, cum ex illo tempore filium accepissem, urbes obeo et vicos et montes et præcipitia, labores subiens, multos quidem, sed non injucundos, ut liceret mihi incidere in ejus servatorem. Nunc autem cum eminus eum agnovit filius, mihi quoque matri dedit ut agnoscerem : et eum aperte prædicat libera lingua, et quæ suspicionem omnem superat et mendacium, meque gaudio repletam et admiratione, et veluti quodam divino furore percitam, non sinit quiescere. Hæc cum dixisset, ad opus quoque accessit, ut quæ protinus ad genua Patris advolveretur, et illius vestigia ambabus prensaret manibus, et complecteretur labris simul et animo, calidas in ea lacrymas effundens : et servatorem, et vitæ auctorem, non solum filii, sed suæ quoque magnum vocans Theodosium : revera enim ei fuisse futuram deinceps vitam non vitalem, aut vel ipsa morte longe amariorem si tam intempestive, inquit, et misere ei filius interiisset.

Mulier post crebros abortus salvum filium parit:

66 Potest autem oratio quoque aliquid aliud dicere simile præcedenti. Nam quædam alia mulier, quæ in partu quotannis graviter laborabat, et nec ex eo aliquam capiebat utilitatem. Priusquam enim infans editus esset in lucem, e vita excesserat, et labores luctus, et mors partum excipiebat. Hæc ergo quæ sic et multos pariebat filios, et erat orba filiis, cum jam longo tempore eo malo esset vexata, vix tandem invenit mali medicamentum : et cum ad Sanctum

 confugisset,

AUCTORE ANONYMO.

confugisset, eique affectionem suam dixisset et calamitatem, lacrymis potius quam verbis virum orat vehementer, ut malum ei sisteret, ne amplius progrederetur. Sistetur autem, inquit, non aliter, quam solo tuo nomine, si permiseris id quod nascetur, sic vocari. Et hoc erit, inquit, mihi et solutio calamitatis, et filio causa vitæ.

Theodosium appellat: ut monachus sub S. Theodosio fiat, adducit.

67 Hæc cum petiisset, et annuentem magnum nacta esset Theodosium, et quod deinde natum est, Theodosium nominasset, vehementi quoque fide dignam invenit mercedem. Non amplius enim partus labores ei peperere lacrymas, sed aperte lætitiæ occasionem, cum eum, qui inter vivos erat primogenitus, Theodosium adhuc videret superstitem, et complentem chorum monachorum ejus, qui illum genuerat secundum spiritum; et orationis fructum potius, quam alvi, conspici ex operibus; quandoquidem hæc quidem morientium, illa vero viventis mater fuit : et ideo adductus est ad monasterium ab ea, quæ genuit et vicissim Deo est redditus : ut sicut præsentem, ita etiam manentem vitam consequeretur. Multa alia ejusmodi posset quispiam illius recensere.

Alia eodem malo liberatur.

68 Quædam itaque alia mulier, profecta quidem ex civitate Bethleem, quæ similiter in partu laborabat, æque autem infelix erat ejus eventus, et in pariendo graviter affligebatur, et in magnum vocabatur periculum, eamdem quoque impetrat a magno Theodosio, eodem medicamento usa, curationem, et filio suo eodem, quo ille, vocato nomine. Quem non solum vidit grandem, et qui jam ad virilem ætatem pervenerat; sed manuum quoque artificio præstantem, et qui fuit ædificator optimus sui temporis. Sunt admirabilia, quæ dicta sunt : sed quæ restant, sunt iis longe admirabiliora.

CAPUT XVI.

Noxia animantia cohibita. Homines malevoli puniti.

Theodosius bruchos et locustas ne noceant, coercet.

Cum bruchus aliquando et locusta terras depopularentur, inevitabilibus senectutis vinculis vinctus magnus Theodosius, et qui nec liberis quidem pedibus uti poterat, saluti multorum postponens omnia, ita ut erat affectus pedibus et baculo more senum supplens quod sibi deerat, viam peragit : ut sic magis Deum quoque traheret ad misericordiam, ut qui adspecturus esset necessitatem ejus profectionis. Discipulis ergo manus sustinentibus, et omnibus modis ejus ingressum adjuvantibus, pervenit iis innixus ad locum, ubi bruchorum et locustarum multitudo ingens, agros non minus quam hostes, populabatur et devastabat. Cum ergo Sanctus illic staret, et manus sustulisset Deo supplices, et deinde horum bruchorum et locustarum unum in manus sumpsisset; et partim quidem cum vilissimis et brevissimis animalibus, tamquam cum conservis, disseruisset; partim autem jussisset, ut labori pauperum et agriculturæ parcerent; (hoc enim vobis, inquit, communis quoque præcipit Dominus,) cumque cum eis ita placide locutus esset, tamquam cum animatis; ea quæ dicta fuerant, consecutum est miraculum. Tantum enim examen deinceps mansit in regione, et nec transivit alio, nec damnum dedit iis locis, in quibus versabatur : sed veluti fœdere inito cum agris de cætero circumvolabat quidem, et arrodebat spinas : amicitia autem et pax ei intercedebat cum fructibus, et ab eis omnino abstinebat.

70 Sed hæc quidem per se, alia autem recte quoque gessit per alios. Nam cum alias flagellum simile terram premeret, et videbatur fore, ut mox ei vico incumberet, ex quo et vicini omnes parabant commeatum, et qui multis benigne communicabat ea, quibus opus habebant; cum vas quoddam implesset oleo, et hoc invocatione divina sanctificasset, id mittit in vicum : et cum viris tradidisset fidelibus et piis, hoc solum suffecit, ut esset tanti mali solutio. Tunc enim repente de medio sublatum est id quod lædebat, et vicus conservatus est illæsus.

Oleo benedicto arcet noxia animantia.

71 Vestimentis aliquando fuit opus Fratribus et illi quidem ei exhibebant molestiam, ut aliquid præberet ad emendum : quoniam si velle et commiserari tolleretur, nihil erat. Sed tamen confidens veridicæ Domini promissioni, ea tunc apud eos est usus, dicens : Nolite esse soliciti de crastino. Sequenti autem die effectum sunt consecuta ea, quæ promissa fuerant. Protinus enim quidam alicunde adveniens, centum dedit aureos : qui quidem dati, ad usum vestimentorum servierunt Fratribus.

Matth. 6. 34.

Vestimenta divinitus monachis curata.

72 Julianus quidam, qui ab ineunte quidem ætate ventitavit ad magnum Theodosium, postea autem fuit ipse quoque cognitus Pastor optimus, Ecclesiæque, quæ est in *a* Bostra, fuit ei credita administratio. Is ergo de ipso quoque hæc narrabat, quod cum essent in civitate Bostrenorum (semper enim Magnus Theodosius eum habebat socium vitæ ex Christo agendæ, volebatque cum eo philosophari, et esse socius solitudinis) cum ergo fuissent in dicta civitate, primum quidem mulier quædam insignis et vitio nobilis, cum Sanctum dixisset planum et impostorem, in oculis eorum dedit pœnas, intemperantis linguæ acerrimum subiens supplicium, cum gravi morte ejus erupisset anima.

In eum maledica punitur.

a

73 Deinde autem, inquit, nos quidem civitate egressi, proficiscebamur ad Apostolorum templum, quod est propinquum. Monachi autem quidam ex monasterio propinquorum, qui morbo Severi laborabant, cum nos vidissent accedentes, lignum quod convocat ad ecclesiam, pulsabant ante horam consuetam, et synaxim significabant Fratribus. Magnus autem Theodosius, intellectis insidiis, cum divino zelo accensus esset ejus animus, verbis Domini opportune est usus : et eos, qui ipsi insultabant, juste est ultus, lapidem non esse mansurum supra lapidem in eo loco, ipse quoque minatus. Porro autem minas consecutus est effectus. Breve tempus intercessit, et quædam Agarenorum multitudo, nocturna facta incursione, illud quidem igni mandant monasterium, et diripiunt etiam quæcumque illic erant : et abducunt captivos monachos, et nunc proponitur locus, acerbum oculis spectaculum, qui non magis meretur videri, quam defleri. Sed hæc quidem narratio aperte est disciplinæ et castigationis. Alteram autem, quæ est planæ gratiæ particeps et utilitatis, vult addere oratio.

Ligno pulsato ad orationem convocari solent monachi.

Prædicta eversio monasterii hæreticorum.

a Bosra *aliis, et* Bostrum, *Sedes Metropolitana* Arabiæ primæ *seu* desertæ, *sub Patriarcha Antiocheno, urbs munitissima; nunc* Busseret. *Consule Andrichomium.*

CAPUT XVII.

Adest variis periclitantibus. Prædicit terræmotum Antiochiæ.

Dux Romani exercitus, (mos est autem eum vocare Comitem Orientis) nomine *a* Kericus, in bello audax, in Deum autem pius. Is jam incursionem facturus contra Persas, existimavit oportere se primum currere Hierosolyma, et illinc adversus hostes assumere auxilium. Cum autem statuisset in transitu ire ad hominem Dei (eum enim valde trahebat illius fama, et virtutis illecebre) dum abiret, et multa alia licuit ei audire ex sacra illa lingua, et hoc inter cetera : Ne, quomodo divinus David, in arcu speraret, nec poneret salutem in gladio; sed nec in multorum hominum confideret millibus : unum autem sciret adjutorem, vim inexpugnabilem, cui est facile, ut unus mille persequatur, et decem millia profligentur a duobus. Hæc cum Comiti Sanctus disseruisset, ita fuit ille captus ab ejus admonitionibus, et ita flagrare cœpit ejus desiderio et ardenti fide, ut ipsum cilicium, quo

a

Comes Orientis eum adit:

ejus cilicio indutus victoriam reportat.

quo magnus ille interius induebatur, loco cujusvis alterius rei, arma peteret, quibus se conservaret. Quod quidem cum accepisset et induisset, et consueta agressus esset certamina, paullo post victor rediit, cum et animi et manus præclara ostendisset facinora, et digna quæ commemorentur.

Apparet ei in prælio, eumque dirigit Theodosius.

75 Cum rebus ergo fortiter in bello gestis insignis et clarus esset reversus, ne quaquam ingratus fuit in benefactorem; neque ut multi, qui postquam sunt consecuti, obliviscuntur beneficii : sed se similem conservans in omnibus, rursus venit ad Sanctum cum vehementi cordis exultatione, et gratias agens, et ei universam adscribens victoriam. Dicebat enim : illo ipso tempore pugnæ, mihi quidem cum pro thorace tuum induissem cilicium, veniebat in mentem confidere, et in hostes irruere. Cum autem manus conservissemus, magnæ exoriebantur tenebræ, tamquam in densa caligine : et ab aliis quidem omnibus ea etiam, quæ prope erant, cerni non poterant : ego autem te solum mihi videbar videre me præcedentem, et manu significantem et admonentem, ut has quidem prælii partes dimitterem, in has autem pugnarem : et te ducem equum agere, donec conspectus terribilis et intolerabilis inimicis, vehementi terrore omnibus injecto efficerem, ut se conjicerent in pedes et turpem fugam lubenter eligerent. Et hæc quidem ille, qui etiam dignus est habitus divina hac apparitione.

Plurimis laborantibus apparens subvenit.

76 Non ad illam autem solum, sed etiam ad alios magnus Theodosius, ad multos quidem inter navigandum, ad multos autem in faciendo itinere, et ad alios quidem, qui cum furenti mari et viventorum colluctabantur, ad alios autem qui in ora ferarum inciderant, et ad alios quidem in somnis, ad alios autem videntibus revera eorum oculis accedens, liberavit a periculis. Non hominibus autem solum adeo promptus fuit adjutor, sed bonæ hujus quoque animæ benignitatem vel in bruta animantia, parata est ostendere oratio. Viatori enim aliquando asinum deducenti sævus leo occurrit, qui viatorem quidem neglexit in asinum autem irruit. Atque viatorem quidem, ut accidit iis malis, quæ præter spem eveniunt, stupor invasit et metus; temporis autem velocitas effecit, ut unum solum inveniret medicamentum ad ferendam opem, nempe nomen S. Theodosii. Quod quidem cum dixisset, statim cessavit et ita feræ, et repressus est vehemens ejus impetus.

Ejus nomine invocato, leo comprimitur.

Claret spiritu prophetiæ.

77 Jam vero qualis fuit in futurorum præscientia? Oportet enim paucis quæcumque sunt illius ostendere, et veluti eorum gustum præbere, ut sit etiam manifestum omnibus, quod quomodo nullius ex iis, quæ ex virtute geruntur, ita nec charismatum seu gratuitorum donorum fuit expers. Jussit aliquando, ut præter solitam horam pulsaretur lignum; nondum enim erat hora secunda diei : et præcepit, ut Fratribus significaret synaxim. Illi autem convenerunt quidem, (neque enim poterant contradicere, ut qui optime didicissent obedientiam) cum autem fuissent congregati, rogabant curnam convenissent ante tempus. Ille vero (o puram animam! o oculos procul omnia cernentes!) flebiliter lugens et miserabiliter. Orandum est, inquit, o Patres, orandum est. Video enim iram Domini, quæ jam movetur adversus. Orientem. Hæc ille quidem dixit. Illi autem tunc quidem neque videbant aliquid, neque una cum eo dolorem accipiebant : quoniam non iisdem, quibus ille, intuebantur oculis. Sexto autem aut septimo die, post quam prædixerat, auditum est, *b* Antiochiam fuisse magno terræ motu eversam, illo tempore, quo jam prædixerat ille magnus; totque ornamenta, tantamque cecidisse speciem et pulchritudinem, et in vilem pulverem redactam jacere civitatem : quæ neque tanto casu dignas consecuta est lacrymas, neque luctum, qui exæquaretur calamitati. Atque talis quidem fuit ejus præscientia. Res autem multas præclare ab eo gestas, præcedens ostendit oratio.

b Antiochia terræ motu corruit.

AUCTORE ANONYMO.

a Ms. *Græcum* Κήρυκος *Menæa* Κήρικος. *Ejus meminit Cedrenus anno Justiani primo, Christi* 527. Eodem anno Rex Persarum Tzatho bellum ob initam cum Romanis societatem intulit. Huic Tzatho *Justinianus* auxiliares mittit copias, Ducibus *Belisario*, Keryco, (*Græce* Κήρυκος *dicitur*) et Petro; qui cum in bello gerendo mutua invidia transversi agerentur, a Persis victi sunt. *Hæc ipse. Verum ex Procopio lib.* 1 *de bello Persico constat, ad quatuor annos id bellum fuisse productum, et Romanos plures de illis tulisse victorias. Ceterum quod inter Duces simultas esset, ideo Procopius, qui* Belisario *inhærebat, hanc* Kerici *de Persis victoriam prætermisit. Ut observat Baronius an. Christ.* 527.

b *Contigit hic terræmotus* Indictione IV, Olybrio solo Consule, *ut habet Marcellinus,* IV Kalend. Junii, die Veneris anno septimo et mense decimo regni Justini, *ut Evagrius lib.* 4, *cap.* 5, *quæ omnia in annum Christ.* DXXVI *incidunt, ut mirum sit a Baronio ad annum præcedentem referri : sed videtur anni septimi mensem decimum accepisse, cum sit decimus post septimum expletum.*

CAPUT XVIII.

Ejus in senectute, et ultimo morbo virtus.

Oportet autem hoc quoque addere, et perspicue exponere, ad quantam humilitatis altitudinem pervenerit. Contendebant, et depugnabant inter se aliquando duo ex Fratribus. Is autem suadebat, ut componerent inimicitias, et odium commutarent amicitia, quæ decet omnem Christianum, multo autem magis manachos. Quoniam autem dicens non persuadebat, videbat autem illorum esse majores inimicitias, quam ut suis verbis placari possent; fit supplex protinus pastor ovium; magister discipulorum; pater filiorum : et illorum bonum postulabat ipse, tamquam proprium beneficium : eorumque morbum et vulnus medicus rogabat ut sanaret. Rogabat autem non leviter, nec contemptim, sed magnopere et vehementer, sed magnam moderationem afferens et humilitatem. Se enim humi dejiciens jacebat, a perta figura humilitatis mollire se credens duritiem inimicitiarum : nec prius destitit rogare, quam eorum, odium mollierit, et eos, qui a se invicem male erant divisi, amicitiæ vinculis colligarit.

Dissidentes reconciliat, humiliter iis prostratus.

79 Segregavit aliquem ex Fratribus, juste se gerens, cum justo scilicet conjuncta clementia : videbat enim morbum egere tali medicamento. Ille vero bona malis commutans, simul et ordinem transiliit, et eamdem rursus intulit pœnam ei, qui nihil habebat simile, perinde ac si quis juberet sanos ea tolerare, quæ tolerant ægroti : adeo ut sit manifestum, Fratrem quoque alio morbo laborare graviori, nempe impudentia. Quid ergo magnus Theodosius moderatione et humilitate valde excelsus et cælestis? Pœnam quidem suscipit, tamquam quæ recte fuerit imposita, et ut quæ in ipso locum habeat : neque prius divinis communicavit sacramentis, donec ipse, qui ligavit, induxit ipse quoque solutionem. Erat enim Moysis evidenter imitator, terribilis quidem et inexorabilis iis, qui in Deum peccabant; valde autem mitis et mansuetus iis, qui ipsum offendebant : adeo ut nec veniret in contemptum propterea, quod esset mitis et mansuetus; nec gravis ac molestus esset propter nimiam austeritatem, et ut qui solum corporibus imperaret, non animis. Voco enim, quod ex metu quidem solum est imperium, imperium corporum; id autem quod desiderium quoque habet contemperatum, etiam animorum.

Injuste a Fratre excommunicatus non contemnit.

80 Non solum autem Moysis, sed etiam cujusvis alterius in virtute excellentiam imitabatur : utpote Abrahæ, quod Deo pareret in omnibus, et omnia propter illum contemneret, non solummodo pecuniam aut patriam, aut familiares et cognatos, sed ipsam quoque naturam et vitam. Cognatis enim, non Deum solum, sed eos etiam, qui ex Deo vivebant, putabat esse præferendos, et eos magis attrahebat ad cognationem, propter virtutis rationem et studii et voluntatis, quæ in idem confertur. Isaac in spiritales Patres usque ad mortem obedientiam, et ejus corporis gratum et acceptum sacrificium imitabatur :

Variorum Sanctorum virtutes in se exprimit.

Jacob

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

AUCTORE ANONYMO.

Jacob perfectam sinceritatem et libertatem ab omni improbitate : (hujus autem sunt fidei digni testes, qui cum eo consuetudinis et familiaritatis fecere periculum) Joannis solitudinem et inediam : Petri, cum exacta fide vehementiam et ardorem : Pauli, pro eo quod est honestum, perpetuam actionem, afflictionem et diligentiam; et quod propemodum universum orbem terræ, sicut ille, partim quidem pedibus, partim vero sermonibus, partim vero fama pervaserit : et ut semel dicam, quomodo quis pictor præstantissimus, qui præstantissimos virtutis colores undique collegit et recte miscuit, is veluti quoddam exemplar suam vitam, laudatu quam imitatu faciliorem, proposuit virtutis studiosis.

Morbo diuturno cruciatur.

81 Neque vero Job admirabilis erat extra chorum eorum, qui sumpti sunt ad imitandum : sed ejus etiam tolerantiam, semper quidem, in fine autem apertius est imitatus. Nam cum jam esset e vita humana excessurus, et pro iis, quos tulit, laboribus mercedes et remunerationes, quas speravit, accepturus; postremo eum invadit morbus diuturnus, et propemodum ne juveni quidem et florenti corpori tolerabilis, nedum tanta senectute confecto, et quam virtutis caussa susceperat, afflictione. Ea de causa et toto anno jacebat in lecto, cum inexpugnabilibus colluctans doloribus, et talibus dilatatus afflictionibus. Tunc enim tabe exhaustus, pelleque exesa, atque umbræ, ut dicitur, simulacrum effectus, adeo ut nihil ei præter ossa relinqueretur; nihil tamen molle, nihil illiberale, nihil indignum aut fecit, aut est locutus eo spiritu, qui tali vitæ convenit. Quin etiam cum quidam senex intensam ac vehementem vim morbi aspexisset, et ei dixisset : Roga Deum, forte enim malum sic sistetur; non amico nec benigno, ut solebat, eum adspectu intuens. Ne tu mihi, inquit, o Pater, quidquam de eo dixeris. Nam cum me sæpe tales subiissent cogitationes, arbitratus has esse potius maligni insidias, quam consilium, eas toto studio repuli, ut qui illud apud me reputaverim, quod præsentis quidem vitæ bonorum satis magnum fructum ceperimus, ut qui gloriam scilicet et nomen simus consecuti. Oportet ergo omnino affligi, et mala perpeti, et aliquam habere partem, quæ digna sit ea, quæ est illic consolatione; ne nobis quoque merito illud dicatur, quod diviti dictum est : Percepisti bona tua in vita tua. His auditis, se abscondit senex, et nec habebat quidem omnino quod Sancto responderet.

Non vult orare ut eo liberetur.

Luc. 16. 25.

Etiam dormiens orat.

82 Ceterum illius patientiæ et tolerantiæ multa quidem sunt alia quoque signa; testes autem sunt ii quoque, qui in tempore infirmitatis ei inserviere, quod nihil ex animæ operationibus a morbo fuerit ei surreptum, nec in amore divinorum eloquiorum ipse omnino seipso visus sit inferior, aut frigidior. Est autem hoc quoque signum vehementis illius rerum divinarum meditationis. Nam et si illius oculus somnum sæpe gustavit, utpote flexus ab ea, quæ omnia vincit, natura; at ejus quidem certe labra faciebant, quod consueverant. Quocirca etiam interim, dum a somno surgeret, canticum ad Deum comprehendebat labris : adeo ut quod dicit divinus David, in eo impleretur : Et noctu canticum ejus est apud me.

Psal. 41. 9.

CAPUT XIX.

Mors, sepultura, miracula.

Moribundus multa prædicit.

Porro autem multa quoque dicunt eum in morte divinasse, multa autem etiam prædixisse de futuris, per Spiritum qui in ipso cohabitabat. Nam cum eum circumsistens totus cœtus fraternitatis, specie quidem illum, revera autem seipsum unusquisque deflebat, ut qui talem Patrem amitteret, qui eos in Christo genuit ex Pauli sententia, quique carnalium patrum viscera longe vincebat sua in illos affectione, et cum quo una maluissent deficere, si fieri potuisset, quam eum videre excedentem. Is autem cum eos satis esset adhortatus, ut in loco permanerent, et ut ingruentes tentationes ad finem usque fortiter ferrent, et ut eis obedirent, qui post ipsum præfuturi essent monasterio; et prædixisset omnia, quæ erant eventura, dat eis illud signum, quod finem essent acceptura ea, quæ dicta sunt. Si enim post meum, inquit, decessum videritis mihi gregem augeri, et quo magis tempus processerit, tanto se majorem evadere et meliorem, tunc dico vos de aliis quoque bonam spem oportere concipere. Quod si non sint hæc hoc modo se habitura, clarum est, fore ut nec reliqua finem sint acceptura.

Cœnobium ejus et structuris et monachis auctum.

84 Quæ quidem an evenerint, sicut ille prædixit, et finem acceperint, ipsa ante alia testantur quæ videntur, magnitudo quidem ædificiorum monasterii, et multitudo eorum qui inhabitant, et eorum virtus ejusmodi, ut cum eis nemo possit contendere. Vivam autem illius post mortem quoque gloriam, et quanta ei fuerit apud Deum fiducia; quinam alii apertius ostenderint, quam oculi quidem cæcorum, pedes vero claudorum, et manus eorum qui erant manci ante illius preces : ex quibus illæ quidem ut moverentur, hi vero ut currerent, oculi autem ut viderent, per eum acceperunt : et præ his ipse loculus reliquiarum, qui unguenti fons esse cognoscitur ?

Episcopis 3 præsentibus pie moritur annos natus 105.

85 Sed huc nos quidem oratio, tamquam fluentum aliquod detulit : oportet vero in ejus morte amplius immorari, et tractare quem admodum excesserit, et ea etiam, quæ post ipsam sunt consecuta, apertius eloqui. Postquam enim vidit magnus illam appropinquare, et scivit futurum, ut post tres dies ad communem patrem et cælestem transmitteret; cum tres solos Episcopos accersiisset, perinde ac de re aliqua communi cum eis tractaturus, (turbam enim et tumultus vitabat ille maxime) et simul etiam, ut dierum numerum per ipsos ostenderet, quod scilicet plusquam tres non viveret; cum eos ergo accersiisset, salutat lætus tristes, lacrymantes non lacrymans, animo anxios ipse hilaris, sicut etiam erat consentaneum. Nam illi quidem privabantur eo, qui desiderabatur; hic vero deducebatur ad eum, quem magis desiderabat; et illi quidem se patre privari ægre ferebant, hic vero proficiscebatur ad Patris tabernacula. Hic quidem videbat finem eorum, quæ ei afferebant molestiam; illi vero ducebant illius mortem esse rerum molestarum principium. Deinde cum manus sustulisset ad orandum, et labra sensim movisset, ita ut iis, qui adstabant, relinqueret cogitandum, quod extremi ad Deum excessus verba loqueretur, et post orationem eas decore pectori imposuisset, generosam illam et vere dæmonibus terribilem et inexpugnabilem animam commendat in manus Dei, cum omnes annos vixisset centum et quinque, et paullo amplius. Deus autem ejus mortem statim honorat divino miraculo. Hoc autem fuit.

Dæmoniacus ab eo in vita non liberatus, ad corpus eximie ejulat.

86 Vir quidam nomine Stephanus, genere Alexandrinus, qui jam longo tempore vexabatur a maligno spiritu; et Magnum quidem prius rogarat Theodosium, ut eum curaret, et ideo usque ad extremum ejus spiritum permanserat, non autem impetraverat quodam diviniori omnino consilio, utpote quod post vinculi solutionem, et beati Patris dimissionem, maligni quoque spiritus reservaretur dimissio. Hic ergo cum fuisset prope lectum, qui corpus ferebat jam mortuum : tunc enim erat sanæ et compositæ mentis, quod majorem quoque ei dolorem afferebat, ut qui posset considerare, in qualem incidisset infelix calamitatem, et quod, quam solam habebat spem liberationis, ea quoque sit privatus, mansurus sit autem perpetuo hanc gravem sustinens tyrannidem, et ferens motum dæmonis, secretos illos impetus, furorem horribilem, et quæ dici nequit, agitationem, casusque miserabiles, qui ex eis oriuntur, et inenarrabilem

rabilem apud homines ignominiam. Hæc cum animo versaret, et recte intelligeret, quod nulla spes de cetero, et nulla ab eis relicta esset liberatio, gravi dolore cor ei feriebatur, igne viscera incendebantur, gravissimo luctu anima tenebatur : quid non dicebat, quid non faciebat miserabile? capillos acerbe vellens, pectus valde feriens, fronte misere solum pulsans, longum et acutum ejulans, pedes rigans lacrymis, eum qui jacebat, tamquam vivum alloquens, qui solus erat spes, inquit, solus servator, recedit, reliquit nos deditos dæmoni. Quodnam adhuc est refugium? Quænam est adhuc expectatio? Nunc ensi melius est sua sponte incumbere : nunc ignem, nunc mare ingredi, et sic dæmonis insultus effugere.

liberatur.

87 Hæc deflens infelix, se in lectum dejecerat, amplectebatur reliquias, malebat una cum eo sepeliri, quam lucem adspicere, tali tyranno serviens. Quid ergo Deus rerum admirabilium? Movet quidem dæmon interim, dum flet, hominem, et cum eum humi dejecisset, et totum ipsum in oculis omnium dilacerasset, ut vel sic involuntarium significaret recessum, quamque hominibus infectus, et quanto in eos cieatur furore, eum relinquit, aut potius ipse exturbatur, motus flagello diviniore. Sic ergo ei et vivo, et post mortem cessit terra, et cælum, et mare, et aer, et dæmones; Terra quidem a feris, cælum vero a siccitate, mare autem a periculis, aer vero a locusta et brucho, dæmones autem a plagis homines liberos relinquentes : et nihil fuit, quod non deinceps ejus testaretur virtutem, apud Deum fiduciam.

AUCTORE ANONYMO.

88 Cum autem fama repente in omnem locum pervasisset; quod et magnus Theodosius ad suum Dominum jam excessisset, et magnum de dæmoniaco miraculum esset a non paucis auditione acceptum; Petrus ille magnus qui tunc Apostolicam Sedem tenebat Hierosolymis, ille, inquam, Petrus, cujus magna quidem fuit fama, famam autem superabat virtus; accedit cum multis aliis Episcopis ad sepeliendas reliquias. Undique autem concurrebat et multitudo monachorum simul, et promiscui vulgi. Omnes autem multum ponebant studii, ut et partem aliquam attingerent, aut sanctorum illius capillorum, aut sacræ vestis, aut certe ut vel solum appropinquarent, et beatum illum vultum viderent : et de eo tanta certabatur contentione, ut ne diu quidem permitteretur sepelire reliquias, sed melius existimaretur prætermittere justa quæ fiunt mortuis. Deinde vero tandem permittente multitudine, honorifice simul et splendide illud venerandum et cælis dignum corpus terræ mandatur et contegitur : non ut quod oporteret quidem abdi et latere, sed quod servabatur potius piis, tamquam opes et thesaurus, ad gloriam Domini nostri Jesu Christi, simul cum Patre et sancto Spiritu, nunc et semper et in sæcula sæculorum, Amen.

Convenium Episcopi ad ejus sepulturam.

diu populi multitudine impediuntur.

DE S. ANASTASIO ABBATE
ET IX MONACHIS SUPPENTONIÆ.

CIRCITER AN. CHR. DLX. XI JANUARII.

Mons S. Silvestri, sive Soractes.

Mons est Italiæ in agro Falisco apud Tiberis ripam, Soractes, *et* Soracte *antiquis dictus, vulgo nunc* Mons S. Silvestri, *a cœnobio quod in honorem* S. Silvestri Carolomannus *ædificavit, ut lib.* 4, *cap.* 60, *testatur Aimoinus, aut certe restauravit : fuit enim antea in* Soracte *cœnobium, ut infra ex S. Gregorio patebit. Leander in monti nomen factum ait, quod in eo* S. Silvester *Pontifex olim latitarit. Inter eum montem, et* Nepete, *sive* Nepe *oppidum, quod nunc vulgo* Nepi *dicitur,* Suppentonia *fuit, quam modo* Castellum S. Eliæ *appellari Ferrarius testatur, locumque fere nunc desertum, nisi quod extet etiamnum ecclesia. At Baronius distinctius certiusque :*

Suppentonia.

De loco Suppentoniæ, diu multumque laboravi : cumque non invenirem quid certi afferrem, consului tandem accolas regionis, qui ex veteribus monumentis locum ipsum optime norunt, a quibus illud accepi : monasterium S. Anastasii fuisse juxta locum, qui hodie dicitur, Castellum S. Eliæ, a Nepesina civitate duobus milliariis distans; ubi est adhuc nobilis ac vetus ecclesia, nomine S. Eliæ atque S. Anastasii Deo dicata, non longe a monte Soracte, illudque ipsum olim Suppentoniam appellatum esse.

S. Anastasii natalis.

2 *Isthic* S. Anastasius, *ex Romanæ Ecclesiæ Notario monachus, ad deinde Abbas, vixit. Cujus natalem* III *Id. Janu. consignat Martyrologium Romanum, his verbis :* Suppentoniæ apud montem Soractem, S. Anastasii monachi, et sociorum, qui divinitus vocati migraverunt ad Dominum. *Ejusdem meminere hoc die Galesinius, Wion, Menardus, Dorganius, Ghinius, Martyrolog. Germanicum, Ferrarius in catal. SS. Italiæ,* XXII *Januarii iterum celebratur a Galesinio hoc elogio :* Romæ S. Anastasii Abbatis et Confessoris. Is primo Romanæ Ecclesiæ Notarius, post eo munere sese abdicat, ut in religionem totum se Deo consecraret. Profectus igitur ad monasterium quod est ad Neptunum oppidum, monachalis vitæ rationem suscepit : ibique Abbas factus, pietate, religione, sanctimonia præluxit. *Eadem fere habent Carthusiani Colonienses in Addit. ad Usuard. et Martyrolog. Germanicum, sed ambo oppidum* Neptanam *vocant. Variis quidem nominibus appellatur illud oppidum,* Nepe, Nepa, Colonia Nepis, Colonia Nepet, Colonia Nepensis, Nepeta, Nepita, Nepete, urbs Nepesina. *At* Neptunum, *aut* Neptanam *dici, nusquam legimus. Ejus urbis Episcopatus, immediate Pontifici Romano subjectus, cum Sutrino conjunctus est.*

Nepe oppidum.

3 *De* S. Anastasio *hæc scribit S. Gregorius Papa lib.* 1. *Dialogor. cap.* 7. De vicino nunc loco tibi aliquid narrabo, quod et viri venerabilis Maximiani Episcopi, et Laurionis, quem nosti, veterani monachi, qui uterque nunc usque superest, relatione cognovi : qui scilicet Laurio in illo monasterio, quod juxta urbem Nepesinam Suppentonia vocatur, ab Anastasio viro sanctissimo nutritus est. Qui nimirum Anastasius vitæ venerabilis viro Nonnoso, Præposito monasterii quod in Soractis monte situm est, et propinquitate loci, et morum magnitudine, et virtutum studiis assidue jungebatur.

Unde acceperit quæ de Anastasio narrat S. Gregorius.

4 *Fusius deinde cap.* 8. Eodem quoque tempore venerandus vir Anastasius, cujus superius memoriam feci, sanctæ Romanæ Ecclesiæ, cui Deo auctore deservio, Notarius fuit. Qui soli Deo vacare desiderans scrinium deseruit, monasterium elegit : atque in eo loco, quem præfatus sum Suppentoniam vocari, per annos multos in sanctis actibus vitam duxit : eique monasterio solerti custodia præfuit. Quo videlicet in loco ingens desuper rupes eminet, et profundum subter præcipitium patet.

Anastasius Rom. Eccl. Notarius, fit monachus :

tum Abbas.

5 Quadam vero nocte, cum jam omnipotens Deus ejus venerabilis viri Anastasii labores remunerare decrevisset, ab alta rupe vox facta est, quæ producto sonitu clamaret, dicens : Anastasi veni. Quo vocato, alii quoque septem fratres vocati sunt ex nomine. Parvo autem momento ea quæ fuerat emissa vox siluit; et octavum fratrem vocavit. Quas dum aperte voces congregatio audisset, dubium non fuit, quin eorum qui vocati fuerunt, obitus appropinquasset. Intra paucos igitur dies, primus venerandus vir Anastasius; ceteri autem in eo ordine ex carne educti sunt, quo de rupis vertice fuerant vocati. Frater vero ille ad quem vocandum vox parum siluit, atque eum tunc nominavit, morientibus aliis, paucis diebus vixit, et tunc vitam finivit : ui aperte monstraretur, quia interjectum

Divinitus evocatur cum 8 *sociis.*

Ex S. Gregorio.

interjectum vocis silentium parvum vivendi spatium signaverit.

Alteri petenti mortem impetrat.

6 Sed mira res contigit : quia venerabilis vir Anastasius dum de corpore exiret, erat quidam Frater in monasterio qui supervivere ei nolebat; provolutus vero ejus pedibus, cœpit cum lacrymis ab eo postulare, dicens : Per illum ad quem vadis, deprecor, te adjuro, ne septem dies super te in hoc mundo vivam : ante cujus septimum diem etiam ipse defunctus est, qui tamen in illa nocte inter ceteros non fuerat vocatus : ut aperte clarescerat, quia ejus obitum sola venerabilis Anastasii intercessio obtinere potuisset. Petrus : Cum idem Frater et vocatus inter ceteros non est, et tamen sancti viri intercessionibus ex hac luce subtractus est, quid aliud datur intelligi, nisi quod hi, qui apud Dominum magni sunt meriti obtinere aliquando possunt ea etiam, quæ non sunt prædestinata? Gregorius : Obtineri nequaquam possunt quæ prædestinata non fuerunt : sed ea quæ sancti viri orando efficiunt, ita prædestinata sunt ut precibus obtineantur. Nam ipsa quoque perennis regni prædestinatio ita est ab omnipotenti Deo disposita, ut ad hoc electi pro labore perveniant : quatenus postulando mereantur accipere, quod eis omnipotens Deus ante secula disposuit donare.

Quomodo impetrentur prædestinata.

7 *Hæc Gregorius, qui Anastasii meminit iterum in Registro l.* 2, *Indict.* 11, *cap.* 50 : De Domino enim Nonnoso Abbate, qui juxta Dominum Anastasium de Pentumis fuit, aliqua retulisse te memini quæ oblivioni mandavi. *Porro* Maximianus, *cujus hic facta mentio est, colitur* 9 *Junii;* Nonnosus 2 *Septembris.*

DE S. VITALIO, SEU VITALE,
MONACHO GAZÆO, ALEXANDRIÆ.

Initio Sec. VII. XI Januarii. *S. Vitalii natalis.*

Sanctissimi monachi Vitalii, *sive* Vitalis, *natalem hoc die consignant Græcorum Menæa, his verbis :* S. Vitalius in pace quiescit. *Ex iis quæ in vita* S. Joannis Eleemosynarii 23 *Januarii, de ejus admirabili nec temere imitando zelo, narrantur, virum plane eximiæ virtutis constat fuisse. Dolemus non ejus vitam omnem esse traditam litteris. Quæ saltem extant, huc transcribenda duximus ex ejusdem Joannis Patriarchæ vita, quam geminam, auctoribus Leontio Neapoleos Cypri Episcopo, et Simeone Metaphraste* 23 *Jan. dabimus.*

VITA
AUCTORE LEONTIO EPISCOPO,
in S. Joannis Eleemosynarii vita.

Senex quidam magnus, quasi annorum sexaginta, audiens tales res Beati, voluit tentare eum, si posset verbis suaderi, et ad scandalum facile inclinari, et, ut contigit, si condemnaret aliquem. Et habitans prius *a* in monasterio Abbatis Seridonis, exiit et venit Alexandriam, et sumit conversationem hominibus quidem reprehensibilem, sed Deo gratam, qui dat (ut ait David) singulis secundum cor eorum. Ingrediens itaque civitatem, scribit omnes quæ notæ erant meretrices, et cœpit laborare opuscula, et accipere per singulos dies *b* siliquam unam. Cum ergo occumberet sol, manducabat unius ærei lupinos, et intrabat ad unam meretricum, et dabat ei æreos nummos, et dicebat : Dona mihi noctem istam, et noli fornicari. Et manebat juxta eam nocte illa, observans eam ne fornicaretur. Stabat ergo a vespere in uno angulo cellulæ, ubi dormiebat mulier, psallens, et orans pro ea, et mittens genuflexiones usque ad auroram : et exiens, accipiebat *c* verbum ab illa, quod nulli diceret actionem ejus.

a Psal. 19. 5. *S. Vitalius meretrices ad noctis unius continentiam pretio inducit.*

b

c

2 Ita agebat semper, quousque una earum manifestavit vitam ejus, quod non, ut fornicaretur, intraret ad eas, sed ut salvaret. Oravit senex, et cœpit mulier a dæmonio vexari, ut per illam ceteræ timerent, et non manifestarent eum omni tempore vitæ ejus. Dicebant ergo quidam ei quæ a dæmonio vexabatur : Quid est? Reddidit tibi Deus quoniam mentita es. Ut fornicetur enim, ingreditur pessimus iste, et non est aliud aliquid. Jam enim et S. Vitalius (hoc quippe nomen erat ei) volens hominum gloriam fugere, et animas a tenebris revocare, dicebat audientibus cunctis, cum laboraret in opere, et solveret vesperi : Eamus modo, Domina talis expectat nos. Ubi ergo erat ordo ipsius? Multis ergo priminantibus et illudentibus ei, dicebat : Numquid ego non vestio corpus ut omnes? Aut monachis solis iratus est Deus? Vere et ipsi homines sunt ut omnes. Dicebat itaque ei quidam : Accipe tibi unam mulierem Abba, et muta vestimentum tuum, ut non blasphemetur Deus per te, *d* et habebis judicium, quæ scandalizantur, animarum. At ille respondebat eis iterum, dicebatque se demonstrans quasi iratum : Vere non obaudiam vobis : ite a me. Modo nihil aliud faciam, ut vos non scandalizemini, nisi accipiam mulierem, quatenus curam habeam domus, et faciam malos dies : qui vult scandalizari, scandalizetur, et det frontem in parietem. Quid vultis ex me? Numquid judices constituti estis super me a Deo? Ite, de vobis curam habetote, vos pro me non reddetis rationem. Unus est judex, et sancta dies judicii, qui singulis reddet secundum opera eorum. Dicebat autem hæc clamans.

Id evulgans punitur.

d

Vitalius calumniam patitur.

3 Quidam ergo Ecclesiæ *e* Defensorum, hæc multoties audientes ab eo, referebant Patriarchæ quod fiebat. *f* Deus vero sciens quod nollet ille Sanctus offendere Abbatem Vitalium, induravit cor ejus, ne crederet eis. Recordabatur enim ante memorati eunichi : sed increpavit vehementer eos, qui contra Vitalium Abbatem accusationem ei afferebant, dicens ad eos : Quiescite accusare monachos. An nescitis quod circa sanctæ memoriæ *g* Constantinum Imperatorem actum fuisse, conscriptiones quæ de eo leguntur, contineant? Quoniam, ait, quidam non timentes Deum, cum celebraretur *h* sancta Synodus in Nicæa, cœperunt contra se dare in scriptis famas turpes beato illi Imperatori; quidam Clerici quidem existentes, quidam monachi : et ad faciem adducens sanctus Dei Constantinus accusatorem et accusatum, utrumque audivit. Et *i* cum invenis et multas talium criminatorum veras esse, afferens ardentem cereum, incendit omnes, quæ datæ sunt in scriptis, malas opiniones, dicens : Vere, si propriis oculis vidissem Sacerdotem Dei, vel aliquem eorum qui monachico habitu circumamicti sunt, peccantem; chlamydem meam explicarem, et cooperirem eum, ne ab aliquo videretur. Nam et in servum Dei illum, videlicet eunuchum, ita putastis, et misistis me extra viam, et feci animæ meæ peccatum magnum : confundens ergo eos multum, absolvit.

e

f

Accusatur apud Episcopum.

g

h

Episcopus eum non audet judicare.

i

4 Servus autem Dei Vitalius a propria operatione non cessabat. Deprecabatur ergo, ut quibusdam post mortem ejus in somnis manifestaret Deus, ut non imputaretur in peccatum his qui scandalizabantur in eum; eo quod rem quam agebat, dicerent scandalo esse plenam : et ne haberet homo peccati judicium ex ea quidquid locutus fuisset. Multas igitur de talibus mulieribus in compunctionem induxit hæc operatio ejus : et maxime quando videbant eum nocte extendentem manus, et orantem pro unaquaque earum : propter quod quædam earum a fornicatione cessabant,

Orat Vitalius ne alii scandalizentur.

Multas convertit.

bant, quædam vero accipiebant viros et pudice conversabantur : quædam etiam modis omnibus mundum relinquentes, singularem vitam ducebant. Nullus tamen scivit usque ad ejus dormitionem, quod ipsius admonitione et oratione impudicæ mulierculæ a fornicatione cessarent. Ex vita S. Joan. Eleem.

Cæditur alapa.

5 Unde quodam die exeunte eo a prima talium mulierum diluculo, obviat ei quidam homo immundus, intrans ad fornicandum cum ea : et cum vidisset S. Vitalium ex ea egredientem, dedit ei alapam in faciem, dicens ad eum : Usquequo pessime illusor Christi non emendas te ab his nequitiis tuis? Qui dixit ad eum : Crede mihi, accipies alapam a me humili, ut tota Alexandria colligatur ad clamores tuos. Nondum brevi tempore transacto, dormivit cum pace in cellula sua S. Vitalius, nemine sciente omnino. Habebat enim valde pusillam cellulam super locum qui dicitur *k* Porta solis. Unde et plerumque, cum collecta celebraretur juxta cellulam ejus in ecclesia *l* Metræ, convenientes quædam muliercularum harum, ad alterutras dicebant : Eamus, eamus : iterum Abbas Vitalius collectam habet. Et venientibus eis, curabat eas.

Moritur.

k

l

Percussor possessus a diabolo, ejus meritis liberatur.

6 Igitur dormiente eo, ut prædictum est, in propria cellula, et nullo sciente, mox quidam dæmon tamquam Æthiops deformis adstat ei qui dederat alapam Abbati Vitalio, et dat ei alapam, dicens : Suscipe alapam, quam misit tibi Abbas Vitalius. Et cadens, statim cœpit spumare. Congregata est igitur secundum prophetiam Vitalii pæne tota Alexandria in violentiam, quam patiebatur a dæmone; et maxime quia sonitum datæ ei alapæ audierunt quidam, quasi ad unius jactum sagittæ. Post aliquantes vero horas in mentem rediens is qui patiebatur, scidit vestimenta pectoris sui, et cucurrit ad cellulam, clamans et dicens : Culpam feci tibi, serve Dei Vitali, miserere mei. Cucurrerunt vero cum eo omnes audientes. Cum pervenisset ad cellulam Sancti, exiit iterum dæmonium, jactans eum omnibus adspicientibus. Et cum ingrederentur intro hi qui cum eo cucurrerunt, invenerunt Sanctum stantem in geniculis suis, et orantem, et animam Domino tradentem, et in pavimento scripturam hujusmodi : Viri Alexandrini, nolite ante tempus aliquid judicare, quoadusque veniat Dominus. Confitebatur vero et homo qui a dæmonio vexabatur, quod Sancto fecerat, et quod dixerat Sanctus ei. Recitata sunt ergo Beatissimo Joanni Patriarchæ omnia, quæ circa S. Vitalium acta sunt : et descendens cum Clero, venit ad corpus S. Vitalii : et cum vidisset superscriptionem, dixit : Vere hanc humilis Joannes per Deum evasit, nam alapam, quam accepit qui patitur, ego acciperem.

Ad Vitalii funus concurrsus.

7 Tunc itaque omnes fornicariæ, et quæ abrenuntiaverunt ex eis, et viros susceperant, cum cereis et lampadibus præibant eum flentes et dicentes : Perdidimus salutem nostram et doctrinam. Enarrabant enim jam conversationem ejus omnibus; et quoniam non propter turpem rem ad nos intrabat : et quia numquam aliquando vidimus eum super latus dormientem, aut unam ex nobis tenentem manu sua. Et reprehendentibus eas quibusdam, et dicentibus : Quare hæc non omnibus dicebatis, sed scandalizabatur in eo tota civitas? enarrabant jam capitulum, quod circa eam gestum est, quæ a dæmonio vexationem sustinuit, et quia hoc timentes tacebamus. Sepulto ergo eo in multo honore, permansit is qui ab eo correctus et sanus factus est, faciens memoriam ejus. Postmodum autem et renuntiavit seculo, ingressus monasterium Abbatis Seridonis in Gaza, et suscepit cellulam Abbatis Vitalii secundum fidem, et in ea permansit usque ad mortem suam. Et sanctissimus Patriarcha multas gratias egit Deo, quia non permisit eum peccare in servum suum Vitalium. Multi autem multum ex tunc in Alexandria profuerunt sibi, et hospitio recipiebant monachos; et monebantur, ut non condemnaretur aliquis ab eis, sicut evenerat.

Percussor fit monachus.

Vitalii miracula.

8 Fecit autem et sanitates post mortem honorabile nomen S. Vitalii per divinam gratiam : cujus orationibus det nobis Dominus bonam conversationem, et misericordiam in die, quando manifestabit abscondita hominum, et nuda faciet consilia cordium.

a *Erat id monasterium Gazæ, ut infra dicitur.* Seridonis *hujus nomen non reperimus in sacris tabulis. Metaphrastes* magnum Seridonem vocat. b *Metaphr.* duodecim obolos. c *Jusjurandum, ut habet Metaph.* d *Addit Metaph.* neque monachorum honorabilis habitus probro afficiatur. e *De horum officio Rosweydus in Onomastico, et nos alibi.* f *Expressius Metaph.* Sed ille, ut qui a Deo didicerat, quali virtute esset senex, minime attendebat, *etc.* g *Narratur hoc a Sozomeno lib.* 1, *c.* 16, *aliquanto majori quam hic emphasi, atque a Theodoreto lib.* 1, *cap.* 11. h *Rosweydus hic legit et edidit*, secunda *mendose.* i *Quomodo id verum est, cum dicat Theodoretus* Constantinum *jurejurando testatum, se ne verbum quidem in illis scriptis legisse? At fortassis Leontius accipiendus est de accusationibus viva voce factis antequam scripta exhiberentur.* k *Ita et Metaphrastes a Surio editus. At* MSS. *Græca duo, quibus usi sumus habent* ἡλιόπολις, *pro* ἡλιόπυλος. l *Colitur* S. Metras, *sive* Metranus, 31 *Janu.*

DE S. SALVIO CONF. EPISCOPO AMBIANENSI IN GALLIA.

CIRCITER AN. CHRIS. DCXV. XI JANUARII. *S. Salvius, colitur* 11 *Jan.* 28 *et* 29 *Octob.*

Tres in Gallia celebres publica veneratione Salvii *Episcopi sunt : primus* Albigensis, *qui* 10 *Septembris colitur; alter* Ambianensis, *qui* 11 *Januarii; tertius* Engolismensis *Martyr, qui* 26 *Junii. Hos sæpe confundunt auctores, ut mox dicemus.* Ambianensem *hoc die referunt Martyrologium Romanum, Galesinius, Maurolycus, Hugo Menardus, Carthusiani. Colonien. in Addit. ad Usuardum. Andreas Saussaius cum insigni elogio, Autbertus Miræus in Fastis Belgicis. Claudius Robertus in Gallia Christiana tradit eum* 29 *Octobr. coli, quo die eum rursus refert Saussaius in supplemento Martyrologii Gallicani. At* 28 *Octobris obiisse in vita traditur, quo die* MS. *Martyrologium Centulense* : Ambianis depositio B. Salvii Episcopi et Confessoris. *et* MS. *Florarium* : Ipso die S. Silvii, alias Salvii, Episcopi et Confessoris. Hic a primævo juventutis flore studiis divinis deditus fuit, et moribus ornatus, ac in omni sanctitate perfectus.

An Martyr.

2 XI *Januarii hæc de eo habentur in Martyrologio Romano* : Ambianis S. Salvii Episcopi et Martyris. *Nullum alibi vestigium est, unde conjici possit eum martyrio esse coronatum. Addit in Notatione Baronius* : Alii Salvinum appellant. Hunc Sigebertus in Chronico Salvum pro Salvio dicit, occisumque tradit anno 33, Caroli Magni Imperatoris anno Domini 801. De eo Petrus in catalogo lib. 2, cap. 65. In tabulis Episcoporum Ambianensium ponitur Salvius quinto loco, ut constat ex Demochare, qui eas descripsit. Confundunt hunc nonnulli cum Salvio Episcopo Albigensi, qui sub Chilperico Francorum Rege doctrina claruit et sanctitate, de quo Gregorius Turonensis lib. 5, cap. 44. *Hæc Baronius. Sed quædam discutienda sunt. Democharem secutus est Baronius, qui plura peccat, dum ita scribit* : S. Salvius, seu Salvinus, tempore Chilperici Regis Francorum, de quo scribit Mejerus anno 801, inventum Valentianis a Carolo Rege corpus Divi Salvii Martyris Christi ac Ambianorum Episcopi. Refert Volaterranus hunc Præsulum Chilperico Francorum Regi Ariana impietate infecto restitisse. Cui consonat Petrus de Natalibus in catalogo SS. cap. 65, l. 2, et Sigebertus an. 801. *Hæc ille; et quidem quæ ex Mejero affert, ipsa sunt Mejeri verba.*

Perperam de eo scripta, a Baronio,

Demochare,

Jac. Mejero,

3 *At Sigebertus perperam citatur; agit enim de S.* Salvio Engolismensi *ad an. Christi* 801, *regni Caroli Magni* 33, *his verbis* : S. Salvius Episcopus veniens ab Aquitania ad fiscum Valentianas, a Winigardo, filio

Ex variis. filio Gerardi Procuratoris ipsius fisci, martyrizatur; et super ejus corpore requirendo Karolus Magnus Imperator divinitus tertio admonitus, corpus quidem inventum honorifice sepelivit, interfectores autem ejus gravi pœna mulctavit; nec tamen per hoc in eos ultio Dei cessavit. *In editione Laurentii de la Barre* Salvus *appellatur, ejusque interfector Winigardus* filius

Petro de Natalibus, Genardi, *recte. Hallucinatur hic, ut sæpe, Petrus de Natalibus :* Salvius, *inquit,* Episcopus Ambianensis, de territorio Arvernensi, tempore Hilperti Regis claruit, qui prædicto Regi Arriano resistebat. Tempore autem Regis Caroli veniens Valentianas, et prædicans, invitatus ad prandium a quodam Genardo nobili, dum in mensa quædam vasa argentea protulisset, Vinegandus filius dicti Genardi avaritiâ ductus, prædicta omnia sibi auferri fecit; deinde ipsum in carcere detineri, ac nocte superveniente eumdem in carcere cum uno ejus discipulo jugulari, et corpora eorum latenter abscondit in stabulo armentorum, *et*

Carthus. Col. *post pauca :* Qui passi sunt III Idus Januarii. *Ita tres in unum* Salvios *constat Petrus. Animadvertere ex parte hunc errorem Carthusiani Colonienses in Addit. ad Usuardum :* Item secundum catalogum Sanctorum, natalis B. Salvii Episcopi Ambianensis, alias Engolismæ civitatis et discipuli ejus Martyrum; qui secundum alios passi sunt VI Kal. Julii.

Galesinio, 4 *Galesinius Petrum secutus :* Ambiani, *inquit,* S. Salvii Episcopi et Martyris. Hic Chilperico Rege multis virtutibus floruit, ac Dei gratia res plurimas mirabiliter gessit; cœcis oculorum, surdis aurium sensum, claudis incessum restituit. Sic omni sanctitatis laude clarus, a Vinegardo, Ariano homine, se-

Volaterrano, curi percussus est. *Volaterranus Geographiæ lib.* 3: In hac parte Ambiani Ptolemæo ponuntur, nunc etiam Ambianenses, sanctis ornati Præsulibus, duobus Firminis, Martyre et Professore, ac Honorato et Salvio. Is ultimus Chilperico Regi Francorum Ar-

Martyrol. Germanico, riana secta infecto restitit. *Martyrologium Germanicum :* Ambianis in Gallia alius ejusdem nominis *(Salvius)* Episcopus et martyr, qui sub Rege Chilperico res admirandas Dei virtute patravit, ægros variis morbis levavit, atque a Vinegardo Ariano innocens trucidatus est. Item natalis S. Salvii Episcopi Engolismensis, ejusque discipuli, de quibus 26 Julii fusius. *Ita et distinguit illius auctor Martyrologii, et confundi*

Vincentio Belvac. Salvios. *Vincentius quoque Speculi histor. lib.* 24, *cap.* 23, *ex tribus unum facit. Dubitat Doubletius, an non hic sit a* Winegando, *quem* Vinegandum *vocat,*

Vita ejus. 5 *Vitam S.* Salvii *descripsimus ex pervetusto codice Ecclesiæ S. Audomari, contulimusque cum* MS. *Domus professæ Societatis Jesu Antverpiæ, et* MS. *Nicolai Belfortii. Auctor Francus fuit, ut patet ex Præfat. num.* I. *Hugo Menardus lib.* 2, *observationum ejus vitæ epitomen*

Reliquiæ. *habet, subditque :* Hanc vitam composui ex veteri MS. cœnobii Monasteriolensis, ubi sunt S. Salvii reliquiæ in capsa bracteis argenteis obducta, in quibus ejusmodi vita incisa est cum characteribus singulas historias explicantibus; in quibus etiam dicitur fuisse Abbas Monasteriolensis cœnobii. Ex iis conjicitur, hoc monasterium illud esse, quod construxit S. Salvius sub titulo S. Mariæ Virginis, antequam mundum ejuraret: quod postea ob illius reliquias, mutato nomine dictum est S. Salvii de Monasteriolo, hoc est Sainct Sauve de Monstreuil. Situm est in diœcesi Ambianensi, estque ordinis S. Benedicti. Ex quo etiam apparet, eum fuisse Ambianensis civitatis aut territorii. *Hæc Menardus. Illud est cœnobium, cujus mentio fit cap.* Ad hæc donatione. 15, de decimis, *ubi memoratur Abbas* S. Salvii de Monstrali. *Porro quem Demochares et Chenu* quintum *illius Sedis Antistitem, Claudius Robertus* nonum *facit.*

Quando vixerit: 6 *Joannes Chenu* tempore Chilperici Regis Francorum *ait floruisse. Occisus est* Chilpericus *anno Christi* 584, *regni* 22. *Andreas du Chesne V. Cl. tom.* I, *scriptorum historiæ Francicæ geminum vitæ, quam damus, fragmentum, veluti duarum diversarum, recitat, refertque ad tempora* Theodorici *filii Clodovæi II, et S. Bathildis. Ast sub* Theodorico Childeberti filio. *Sigeberti nepote floruisse, certum videtur. Nam primo* *quando S. Honoratus, ejus decessor.* S. Honoratus *ejus decessor tempore* Childeberti *sedit, ut patet ex historia inventionis SS. Fusciani, Gentiani, Victorici sub eo factæ, quam* XI *Decembris dabimus, ubi ista habentur :* Si credere dignum est, volatu pennigero fama labefactam percurrens ad urbem Parisius, auribus Childeberti Regis, qui illo in tempore Francorum gentem principali regimine gubernabat, intonuit. Quo Princeps audito genua ad terram flectens, et manus ad cælum sustollens orabat, atque pro immensis gaudiis Deum benedicens fletum rigabat ab oculis. Cumque elevasset a precibus, Dei Sacerdotibus, qui tunc in aula Principis assistebant, præcipiens ait : Veloci pergite cursu, et corpora SS. Fusciani, Victorici, et Gentiani Martyrum, quæ sunt juxta prædia urbis Ambianensium reperta, ad hæc mœnia deportate, ut ea in honore eximio, quod impendi Martyribus dignum est, possim tradere sepulturæ. Tunc Childebertus piissimus Princeps præfatorum * carpenta in eodem loco cum digno præcepit sepeliri ** potius corpora.* honore, atque desuper aulam templi fideli jussit devotione construere. Per quos Sanctos Fuscianum, Victoricum, et Gentianum Martyres Christus Dominus inibi plura dignatus est monstrare miracula. *In historia translationis S.* Firmini *Martyris quam dabimus* 25 *Septembris, idem refertur, interque cetera illud dicitur :* Ipse Honoratus Præsul tempore Childeberti Regis vir clarissimus fuit, *etc. De eo agemus* 16 *Maii. Obiit* Childebertus II, *anno Christi* 596.

7 *Secundo restituit* Theodoricus Rex *S.* Salvio, ut *infra nu.* 12, *dicitur,* homines utriusque sexus, quos Mummolus quondam Patricius, capta civitate, murisque ejus dirutis, captivaverat et Hispanis miserat. *Atqui sub* Guntramno *vixit* Mummolus, *ejusque jussu interfectus est anno regni ejus* 25, *Christi* 587. *Tertio, missus est a* Theodorico *Rege Ambianos, ut electioni novi Episcopi mortuo S.* Honorato *præsset,* Sanctus Hautcarius Noviomensis Ecclesiæ Pontifex: *quem Menardus diserte* Acarium, *et* Acharium *vocat, qui decessor fuit S.* Eligii, *seditque* Theodorici, Clotharii, Dagoberti *Regum temporibus, ut* 27 *Novembris dicemus. Quarto denique successor S.* Salvii *Quando Bercundus successor.* Bercundus, *quem Claudius Robertus* Berhardum *vocat, vixit* Clotharii *Regis tempore, ut in vita S.* Walerici *Abbatis* 1 *April. dicemus.*

VITA
EX TRIBUS VETERIBUS MSS.
CAPUT I.
S. Salvii a seculari vita conversio.

Præfatio auctoris. Regnanti Deo et Salvatori nostro Jesu Christo secula per infinita sit honor et gloria : qui post sacrosanctæ resurrectionis suæ glorificationem, duodecim quos elegit Apostolos, quibus flammas infudit pectore blandas, in omnes misit gentes; quatenus in omnem terram per ipsos eorumque successores Evangelica fides resonaret, et gratia baptismatis totus renasceretur orbis : dignatus est et genti Francorum dexteram suæ porrigere pietatis; ut sicuti Principi Apostolorum ne marinis absorberetur fluctibus, manum porrexerat miserationis; nihilominus et *a* nobis *a* apostaticæ diu servituti addictis lumen suæ claritatis, expulsis tenebrarum vitiis, gratuito largiretur.

S. Salvius monasterium ædificat. 2 Dum igitur longe lateque nomen Christianitatis per regnum vulgaretur Francorum, atque universi ad spem cælestis Hierusalem anhelarent; vir inclytus, Salvius nomine, seculari habitu nutritus atque indutus corpore, divina inspiratione tactus concupiscentias omnino fugiens illecebrarum, Domino cordetenus

detenus militare cupiens, monasterium, quod ipse in honore sanctæ Dei genitricis perpetuæque Virginis Mariæ almique Principis Apostolorum Petri construxerat; quod non solum rebus, verum etiam honoribus sæcularibus nobilitaverat, hilari animo, pro æternæ remunerationis mercede, expetiit, atque illic *Fit monachus.* stricte et devotissime jejuniis et orationibus Deo vacans, antiquum hostem quotidie vincere cupiens, et ad cælorum agmina fixis firmiter gressibus scandere cupiens, ibi etiam Deo largiente multorum animas lucrari non distulit : *b* sed ad Domini gregem fideliter reportare studuit.

b

c 3 *c* Intellexit namque famulus Dei divino fultus lumine, in paupertate atque egestate cum timore et amore Dei potius seipsum Domino commendare, quam in hujus seculi sperare divitiis, quæ mergunt homines in interitum et damnationem justæ perditionis. Denique regulari habitu indutus, et a Fratribus ibidem Deo militantibus benigne institutus, cum omni subjectione atque obedientia diu est conversatus. Hic præterea cum virtutibus polleret inclytis, et ab eisdem Fratribus honorifice esset detentus: contigit valida ægritudine depressum sui *Creatur Abbas.* obiisse Abbatem monasterii. In cujus quidem vice a Fratribus coactus officium alendi ejusdem gregis suscepit. Acceptumque cum omni reverentia et humilitate injunctum negotium, semotus ab eis secre- *In cella remota reclusus austere vivit.* tam sibi diligenter perquirens cellulam, favores fugiens humanos, et in ea valedicens Fratribus, nimia egestate atque abstinentia reclusus, pellem corporis pariter et vigorem mutavit. Cum ergo illic gravi afflictione corporis moraretur, et indesinenter melodiis hymnorum ac psalmorum Deo psalleret, illud plerumque corde revolvebat, melius illic occulte inter monachos esse, quam nomen atque honorem habere prædicti ponderis in populo.

Beneficus erga omnes. 4 Diu igitur in eadem cellula degens, sed secretiorem postea inquirens, et in ea graviore afflictione corporis reclusus omnibus seipsum pro obsequio caritatis, in ea hilariter studuit præsentare : videlicet ut si quis domesticus vel extraneus caussa visitationis ad eum venisset, orationis gratiam ei impen- *Ægros sanat.* deret, et eulogias gratanter tribueret : qui frequenter Domino largiente infirmis præstitit corporis sanitatem; et pro transgressoribus Dominum veniam postulabat, ut viam veritatis agnosceret, et a pravis seductoribus atque operibus omnino fugerent. Cunctis itaque seipsum in exemplum demonstrans, ore quidem quod docuit, operibus fideliter adimplevit.

a *Hinc liquet auctorem Francum fuisse.*

b *Du Chesne*, et ad Regem.

c *Sequentia usque ad nu.* 8, *habentur in* 3 MSS. *et Doubletio, absunt apud Du Chesne. Sane eadem a S. Gregorio Turonensi lib.* 7, *cap.* 1 *narrantur, ut suspicari liceat cum Menardo, ex similitudine nominis quod* Albigensi Salvio *contigerat,* Ambianensi *tributum.*

CAPUT II.

Extasis, et quæ in ea visa.

Ægrotat. Quodam autem tempore febre nimia perculsus, ægrotus jacebat in lectulo : et ecce subito ingenti lumine cellula, in qua jacebat, resplenduit; suavissimoque odore redoluit, ac decussa valde resonuit. *In magno lumine exspirat.* Sed ille siquidem oculis in cælum intensis, manibusque extensis, corde et ore Deum laudans, spiritum Salvatori Domino feliciter reddidit. Audientes itaque monachi, omnisque plebs fidelis ejusdem mo- *Effertur sepeliendus.* nasterii, de transitu hujus sanctissimi viri; glomerati in unum pariter concurrentes, more solito defunctorum exequias præparaverunt, et corpus ejus diligenter, et cum omni reverentia in ecclesiam detulerunt, cum hymnis et canticis, atque custodibus lacrymabiliter commendaverunt.

Redit ad vitam. 6 Mane autem facto, fortiter feretrum discussum est, in quo corpus ipsius locatum fuerat, et corpus movere se cœpit : et quasi de gravi somno excitatus apertisque oculis, et manibus in cælum extensis, de loculo quamtocyus surrexit, ac voce flebili fortiter clamans, ait : O Domine misericordissime et piissime Deus, quare hoc fecisti? Cur me in hunc mundum tenebrosum, et nimia repletum fœditate revocasti? Melius quidem mihi esset in tuo assistere conspectu tuamque contemplari inenarrabilem gloriam, et Angelorum audire concinentium super astra cæli cantica; quam in istius mundi redire miserias atque ærumnas, quæ in perditionem trahunt omnes, qui eum sequuntur et diligunt. Stupentes vero graviter, qui circa illum aderant, de hoc inaudito atque horribili facto, propius accedentes, et cum summa diligentia humiliter interrogantes, dixerunt : Quid est hoc, dulcissime Pater? et propter quid tale hoc est factum, quod nullus nostrum unquam audivit et vidit? Respondit : Vocatus fui a Domino, et illuc deductus ubi vidi gloriam Dei Angelorumque concinentium choros, ac immensam multitudinem Sanctorum circumstantium; qui Dominum uno ore confitentes sunt *Cæli gaudia.* atque laudantes : ubi est gloria indeficiens, lux inenarrabilis, odor ingens, pax perpetua, suavitas *a* animi mirabilis : et ubi Dei aspectus saturitas est *a* Angelorum, omniumque Sanctorum : in quo etiam salus omnium et redemptio animarum : cui est honor et gloria indeficiens per infinita seculorum secula. Et cum respondissent omnes, Amen, dixit : Ecce, Fratres mei dilectissimi, sicut cernitis, postquam a conspectu Dei reductus, feretro hactenus quievi, de quo incolumis, et absque ullo dolore corporis surrexi, coram vobis sanus assistens, quod nullo modo ambirem, si voluntas Dei non esset; nolui enim in hunc redire mundum amplius ærumnosum et omni iniquitate plenum, quia est interitus peccatorum et damnatio impiorum. Enimvero, ut *Cur jussus sit redire ad vitam.* verum fatear, voce divina meis dictum est comitibus : Revertatur hic in seculo, quoniam necessarius est Ecclesiis nostris. Vox enim audiebatur, qui vero loquebatur, cerni non poterat; ad cujus vocem prostratus cum fletu dicebam : Heu, heu Domine, cur mihi hæc ostendisti, si ab his inenarrabilibus frustrandus eram? Væ mihi, quia me hodie ejicis a facie tua, ut revertar ad seculum fragile, ut ultra huc redire non valeam. Ne, quæso, Domine, auferas misericordiam tuam a me : sed deprecor, ut permittas me hic habitare, ne illic decidens peream. Ad quod vox, quæ loquebatur, dixit mihi : Vade in *Promittitur ei Dei protectio.* pace : ego enim sum custos tuus, donec reducam te in hunc locum. Tunc relictus a comitibus meis, et ecce vestris sum sacris restitutus ministeriis.

Indicat mortem S. Honorati Episcopi: 7 Cumque ad eos hæc, et his similia loqueretur, stupentibus cunctis et admirantibus, cœpit iterum Sanctus Dei cum lacrymosis singultibus, dicere : Denuntio vobis transitum beatæ memoriæ Domini Honorati Ambianicæ Cathedræ Antistitis : qui inter cetera bonitatis suæ insignia, dum corpus Domini sacraret in terris, manum illius *b* meruit videre in *b* cælis. In cujus obsequio vidi choros psallentium, Angelorumque agmina cum Sanctorum turmis canentium, qui eum perducunt in cælestem Hierusalem.

a *al.* omnium.

b *al.* merui. *Menardus :* qui (*Honoratus*) dicitur vidisse Christi manum in cælis, dum corpus ejus consecraret in terris. *Historia inventionis S. Firmini Martyris :* Is (*Honoratus*) dum sacrum corpus Christi super altare Beatæ Mariæ semper virginis consecraret, palmam Domini meruit conspicere, et vice sua mysterium sacræ consecrationis perficere : qui repletus Spiritu sancto, alacri corde de mensa sacrificium manu Salvatoris consecratum accipiens, atque summa cum devotione sumens, ab omni inquinamento carnis ac spiritus postmodum mansit illæsus. *Alia ejusdem inventionis historia :* Qui et pro sorte Sacerdotii et pronominis qualitate dictus est Honoratus; qui palmam Domini Redemptoris suis oculis visibiliter vidit, et pro ejus brachio manus Domini in suis conspectibus globo igneo cælitus in sacrosancto altario sacrificium consecravit.

AUCTORE FRANCO ANONYMO, EX MSS.

CAPUT III.

Episcopatus, virtutes, miracula.

EODEMQUE tempore Teudericus gloriosus Rex Francorum monarchiam regiæ potestatis exercebat : qui audiens Sanctum migrasse Honoratum Episcopum a seculo, Legatos suos direxit ad urbem Ambianicam, Sanctum scilicet *a* Hautcarium Noviomensis Ecclesiæ Pontificem, intimans urbanis, ut dignum Deo sibique salutiferum eligerent Episcopum. Unde alacres effecti, et præ nimia exultatione gavisi, Deo immensas terratenus reddentes gratias, quod suam dignaretur visitare plebem; ac per hoc omnes Ecclesiastici viri triduanum indixerunt jejunium, quatenus divina gratia ostendere dignaretur, quis eorum vocaretur Episcopus. Triduano namque peracto jejunio, divino meruere responso audire : Salvium a me sciatis electum, et vobis Antistitem datum.

a

Divinitus designatur Episcopus.

9 Quocirca omnes pene in unum globati ad cellulam, in qua vir Domini B. Salvius latitabat, convenientes, humili devotione, ac prece supplici deprecantes, dicebant : Ad tuam paternitatem venimus, Domine, jam ex itinere fatigati. Hos tuos exiguos ne despicias servulos, quia es a Deo electus, et nobis feliciter datus. Quod vir sanctus renuit, dicens, se indignum esse Præsulari dignitate. Violentia ergo advenientium sua abstractus a cellula, cælestique est electione dignitatem sortitus Pontificalem. Erat quippe vultu decorus, arte et eloquentia facundus, castitate pudicus, moribus ornatus, in consilio providus, omni cælesti dignitate perfectus, et a primævo juventutis flore, divinis studiis deditus, gloriam et blandimenta hujus seculi despiciebat; et in divini cultus officio maximo amore assidue inardescebat. Fuit quidem electus a plebe Ambianensium, et a Deo donatus in sede Sacerdotum : fuit vocatus a populo in ordine magistratus, et coronatus a Deo in honore Apostolatus. Erat autem astutus ut serpens, et simplex ut columba.

Invitus id munus suscipit.

Ejus mores.

10 Totum regnum Francorum Teudericus Rex suo consilio ordinabat, et barbaras nationes fervido gladio ejus consultu suæ potestati subjugabat. Is autem venerabilis Præsul Salvius pabulo sanctæ prædicationis corda populorum assidua perfectione reficiebat, et ad pascua æternæ refectionis invitabat Ecclesiam denique, quæ necdum in loco erat, digno opere construxit, et in Principis Apostolorum B. Petri honorem, nec non et Doctoris gentium S. Pauli verenter beavit.

Theodorico Regi est a consiliis.

Templum ædificat.

b

Corpus S. Firmini transfert.

11 *b* Postmodum vero ignorantibus populis, ubi corpus almi Martyris Christi Firmini requiesceret, Spiritus sancti gratia edoctus perrexit ad locum, ubi Martyr Christi quiescebat, erigensque oculos ad cælum, vidit quasi radium solis ab arce præcelsi throni exire, et in eo loco, in quo S. Firminus requiescebat, inenarrabili terrore fulgere. Qui mox immensas divinæ misericordiæ referens gratias, cum magna reverentia cœpit fodere, ac sepulcrum almi martyris aperire. Odor quoque suavitatis illico tantus excreverat, quasi illic omnia genera pigmentorum contunderentur et aromatum, et ager virens amœnitate diversorum florum adesset. Cumque elevassent eum a sepulchro; et iter carperent deferentes populi sanctum Martyrem ad urbem; obviam plurimæ occurrentes catervæ sternebant vestimenta sua in via, et voce magna clamabant : Osanna in excelsis, benedictus qui venit in nomine Domini. Quem in ecclesia, quam ipse beatissimus Præsul Salvius construxerat, in crypta orientali in honore ejusdem Martyris miro opere insignita collocavit, et digno cum honore tumulavit, insuperque sepulcrum ejus auro gemmisque nobiliter decoravit. Sed et Sanctos Dei *c* Firminum Episcopum et Confessorem;

Item S. Firmini Confessoris, et SS. Acei, et Aceoli.

c

d Aceum quoque et Aceolum Martyres Christi, in crypta orientali verenter condidit, et decenter exornavit.

d

In cives et civitatem beneficus.

12 Nam et homines utriusque sexus, quos Mummolus quondam Patricius capta civitate, murisque ejus dirutis captivaverat, et Hispanis miserat; Theudericus Rex inclytus, cum omni eorum facultate illi reddidit, et suæ eos civitati restituit : et quam pene inhabitabilem reperit, divina suffragante gratia, ad meliorem reparavit statum. Res siquidem, quas regio dono acquisierat, quasque Nobiliores regni ob cælesti patriæ amorem largiti fuerant, omnesque regia auctoritate conscriptas, et privilegio insignitas Romano, suæ perpetualiter habendas contulit Ecclesiæ.

Cæco visum restituit.

13 Quodam vero tempore, dum suam peragraret visitationis gratia diœcesim, cœcus quidam a parentibus est ei oblatus, et Crucis signaculo mox est illuminatus. Filiam quoque *e* Guadonis nobilissimi viri a dæmonio liberavit, et pristinæ sanitati restituit. Hujus rei gratia in fide Catholica ab ipso beato viro est instructus : uxorque ejus diu paralysi morbo percussa, illico sanata, omnibusque sana est reparata viribus. Ac per hoc villam quam suo jure hereditario, *f* Vocitatam nomine, vendicabat, quæ ab urbe Ambianensi quinque distabat millibus, illi perpetualiter cessit habendam, jureque privilegii possidendam. Ubi etiam ecclesiam construxit, et suo nomine dicavit.

e

Energumenam sanat :

f

et paralyticam.

g

Item surdum ac mutum.

14 Illo siquidem in tempore *g* Vimmacum aggrediens pagum, et in villam quam Theudericus famosissimus Rex, Augustam nomine, dederat, illic resedit : ibique quidam puerulus suæ oblatus est præsentiæ, qui erat surdus, officioque carebat loquelæ, cujus os, frontem, vultumque, totum cum olei attrectatione benedixit; ac deinceps usum loquendi naturalem sine mora percepit : quem demum baptismatis lavacro purgavit, et *h* Ingaudium feliciter nominavit, imbuit illius divino mentem flamine, verumque effecit Catholicum fide. Crescebat quotidie admiratio et fama B. Salvii : occurrebant populi, sanabantur infirmi, Christi gratiam, quam contulerat, dilatabat; nam per signa et orationes ejus multorum animæ salvabantur. Cæcos illuminabat crucis signaculo, paralyticorum membris pristinam reddebat sanitatem.

h

Ejus sudario restinguitur incendium.

15 Factum est autem ut per aliquot dies vi febrium teneretur : qua ingravescente, tota pene civitas dæmonum instinctu igne cremabatur : hac de re populi ad eum confluebant orantes se juvari, qui tribuens eis sudarium suum, jussit igni opponi, ad cujus præceptum ignis confestim extinguitur, civitas salvatur, nociva dæmonum potestas effugatur.

Moritur.

16 Tali denique cum gloria beati Confessoris Christi Salvii felix anima carnea mole v kal. Novembris soluta, Sanctorumque choris in cælo est sociata. Corpus vero ejus in ecclesia beatæ Virginis Mariæ est conditum. Sed crescente devotione fidelium, multorum jam curriculis annorum labentibus, Monasteriolo vico translatum; ibique digno cum honore, claris coruscantibus signis, decenter est exornatum : ubi meritis ejus obtinentibus beneficia consequuntur præstante coæterno Patre cum Filio, sanctoque Spiritu, quorum Deitas in unitate regnat, et indivisibilis manet per infinita seculorum secula, Amen.

Coruscat miraculis.

a *Du Chesne* Hautgarium. *Menardus* Acarium, *et* Acharium.

b *De hac* S. Firmini *Martyris inventione, quæ, ut dicemus,* 13 *Januarii celebratur, agemus ad illius vitam* 25 *Septembris; ubi isthæc inter cætera :* Ad palatium Theodorici Regis repentinus intonuit nuntius. Atque cum hujuscemodi sermo ad aurem ipsius Principis, vel præcellentissimæ collateraneæ suæ Rodehildis Reginæ perlatus fuisset; tunc ipsi ambo amore Christi, et Angelo pietatis repleti, oculos ac manus ad æthera suspendentes, cœperunt immensas Deo omnipotenti agere gratias, qui tali scilicet pignore ejus regni tempore hanc urbem Ambianensem dignatus est declarare, *etc.*

c *Colitur* S. Firminus *Confessor* 1 *Septembris.*

d *Coluntur*

d *Coluntur* SS. Aceus *et* Aceolus, *sive* Acius *et* Aciolus, 1 *Maii*.
e Ms. Belf. *Gandonis*. f Ms *Belf*. Vicitatus.
g *Ita* ms. *nostrum al.* Vinimiacum. *Du Chesne* Vinmacum; *et in Indice etiam* Vinemacum.
h Ms. *Aud.* in gaudium feliciter nominavit.

DE S. EGWINO, EPISCOPO WIGORNIENSI, IN ANGLIA.

CIRCITER AN. DCCXX. XI JANUARII. *S. Egwini natalis.*

Tertius Wicciorum, *nunc* Wigorniensis *Ecclesiæ, Antistes fuit S.* Egwinus, *sive* Eguinus, *quibusdam* Edwinus, *aliis* Eugenius *dictus. Obiisse traditur* III *Kal. Januarii, quo tamen die nullis Divorum Fastis, præter quam Ephemeridibus Marianis Antonii Balinghemii nostri, ejus adscriptum nomen reperimus. At* III *Id. Januar. Galesinius et Molanus in Addit. ad Usuard. hæc habent :* Vigorniæ in Anglia S. Eguini Episcopi et Confessoris. *Addunt Wion, Dorganius, Menardus :* doctrina et sanctitate conspicui. *Martyrologium Anglicanum prolixiori eum encomio celebrat. Meminit et Ferrarius hoc die, ac rursus* 9 *Jan.*

Vita. 2 *Vitam ejus scripsisse traditur S.* Brithwaldus *Archiepiscopus Cantuariensis, illius æqualis de quo* 9 *Januarii egimus. Franciscus Godwinus fragmentum, quod infra dabimus, illius vitæ esse censet, quæ est a* Brithwaldo *composita; subdit enim :* Hæc ille. *At cum mentio isthic fiat ruinæ ecclesiæ Eveshamensis factæ temporibus Edgari, qui anno* 959 *ut vult Malmesburiensis, regnum adeptus est; qui potuit S.* Brithwaldus, *an.* 731, *mortuus ipso Godwino teste, id scripsisse. Possunt tamen priora transcripta esse ex ea vita, cujus auctor S.* Brithwaldus *dicitur fuisse. Quam hic damus, ea quoque multa commemorat post* Brithwaldi *ætatem gesta ex monumentis monasterii S. Pauli in Sonia silva, sive Rubeæ vallis descripsimus, contulimusque cum Joannis Capgravii editione.*

Qui alii de eo scripsere. 3 *Meminerunt S.* Egwini *Willielmus Malmesburiensis lib.* 4 *de gestis Pontificum Anglorum, ubi hæc inter cetera :* De quo (*Egwino*) quid miraculi sit, quod Beda tacuerit, nondum per me potui advertere, vel per alios addiscere : præsertim quod cum Kenredo Rege Merciorum, et Offa Rege orientalium Anglorum Romam iverit, quorum profectionem Historicus non siluit. Verumtamen quæcumque res hanc taciturnitatem imperaverit, constat eum tertium Wigorniensium Præsulem fuisse. *Agit et de S.* Egwino *Mattheus Westmonasteriensis an. Christ.* 712, *Florentius Wigorniensis ann.* 708, *Ranulphus Cestrensis lib.* 5, *cap.* 23, *Harpsfeldius seculo* 8, *cap.* 15 *et* 18. *Clemens Reinerus in Disceptatione historica de antiquitate Benedictinorum in Anglia, tract.* 1, *sect.* 1, § 11.

Scripta Egwini. 4 *Scripsit* Egwinus *vitam S.* Althelmi *Schireburnensis Episcopi, ut* 25 *Maii dicemus. Fertur et alia quædam scripsisse, ut videre est apud Pitseum. An tamen quem scripsisse dicitur de suis apparitionibus librum, quemque de primordiis sui cœnobii, non ea duo privilegia sint, quorum unum in vita cap.* 2, *alterum infra refertur, haud facile dixerimus. Nam et S.* Brithwaldi *liber de origine Eveshamensis cœnobii, haud alius nobis videtur a vita S.* Egwini. *Joannes Balæus consueta mentiendi libidine scribit Egwinum* Eveshamense cœnobium Kenredi Regis beneficio a fundamentis erexisse. *Balæus notatus.* Mox ut esset Wicciorum Episcopus,... cum laboratum esset Romæ atque terrarum alibi, ut statuæ in Christianorum templis ponerentur ac venerarentur, ...rem promovisse... Habebat enim, *inquit*, revelationes quasdam, imo, ut juramentis coram Constantino Romano Pontifice affirmaverat, apertas visiones,... ut Mariæ Deiparæ imaginem in sua ecclesia colendam exhiberet vulgo. *Hæc ille. Consulto omitto quædam acerbissima maledicta, quibus, ceu elegantibus emblematis, narrationem suam videtur ornare voluisse, ne non satis bona fide ejurasse monachismum crederetur. At nec de imaginibus mota adhuc uspiam erat controversia vivente* Constantino *Papa, necdum Imperium adepto impio* Isaurico Leone; *nec de imagine Deiparæ erigenda factæ* Egwino *visiones; nec ut fieret Episcopus, hæc excogitavit, qui undecim annis ante Kenredi principatum Episcopus jam erat. Alia missa facio, quæ, uti et hæc, omnium auctoritate scriptorum refutantur.*

5 *In* ms. *codice monasterii S. Laurentii de Dei custodia, ord. S. Benedicti, Congregationis Anglicanæ, hæc de S.* Egwino *antiphona et oratio habetur. Antiph.* Sancte Præsul Egwine, solve vincula captivitatis nostræ, qui pro amore Christi ab Anglia usque ad Romam ferro compeditus perambulasti ad vincula S. Petri; et clavem compedis, quam in Anglia projecisti, in Roma ex ventre piscis recepisti. *Vers.* Ora pro, *etc. Oratio :* Omnipotens sempiterne Deus, tribue nobis famulis tuis, per intercessionem B. Egwini Confessoris tui atque Pontificis, poscentibus veniam, quærentibus salutis viam, pulsantibus regni cælestis aulam, ut ad æternæ majestatis tuæ mansionem te adjuvante possimus pervenire. Per, *etc.* *Oratio de S. Egwino.*

VITA.

CAPUT I.

S. Egwini virtutes : studium pœnitentiæ.

Temporibus Regum *a* Ethelredi atque *b* Kenredi, qui Merciorum regimen obtinuerunt, in territorio Wigorniensi extitit vir religiosus, nomine Egwinus, regali ex prosapia ortus. Qui in adolescentia positus, postposita secularis fastus ambitione, bonorumque temporalium jocunditate, paupertatem voluntariam propter Deum appetivit, et Ecclesiastico cultui divinisque officiis se omnino mancipavit. Per singulos itaque ordinis Ecclesiastici gradus ad sacerdotium usque provectus, mox totam vitam suam in contemplatione divina convertit. *a b* *S. Egwini patria, genus:* *sancte acta vita:*

2 Ubi vero Wigorniensis Sedes orbata est *c* Pontifice, clamat Clerus, petit populus, beatum virum pro sanctitatis merito ad Episcopalem dignitatem sublimandum. Beatus autem Egwinus multum reluctans et renitens, consentiente cum Clero et populo Rege Ethelredo, imo rogante, et plurimum cogente, ad Episcopatum præfatæ urbis *d* assumptus est. Et statim divini verbi inclytus prædicator effectus, bonis actibus omni conamine operam dedit; tanto humilior, quanto altiori sublimatus erat officio, carus Deo et hominibus; ipsique Regi, prudentia, æquitate, et doctrina, consilio, omnique probitate, erat acceptus : pater orphanorum, sustentator viduarum, et desolatorum erat consolator. Potenter eos redarguebat, qui sanæ fidei resistebant, et leniter suavi Christi jugo colla submittentes demulcebat. Pravis erat sermo ejus quasi stimulus, et quasi clavus in altum defixus; mansuetis quasi oleum apparebat. Populos novitur conversos, et gentilitatis adhuc plurimum sapientes, et errore vetusto in multis deceptos, illicitisque connubiis contra Christianam sectam involutos, a faucibus diaboli abstrahere cupiens, et ab errore et squallore vetustæ gentilitatis convertere desiderans, de talibus ad eos sæpe locutus est; de prædictis sceleribus et erroribus, atque illicitis copulationibus durissime eos increpans, et amplius talia agere interdicens, Deum ista damnare asseruit, tremendi judicii, et sempiternorum tormentorum crebris verborum tonitruis retundens lapidea corda, arguens, obsecrans, increpans in omni patientia et doctrina. *c* *Episcopatus:* *d* *laudabiles mores:* *ferventes conciones.*

3 Verum quia insanabilibus morbis plerumque officit medicina, *e* ab invidis et inimicis fidei sæva tempestas *e*

Ex mss.

tempestas persecutionis excitatur, et seditiosa in Sanctum Domini grassatur : et in vitam ejus falsis figmentis armatur vulgus. Ergo et populus, cujus vita et intentio proclivis erat ad malum, videns illicita sibi non licere, et assueta vitia nolens relinquere; unde proficere debuit, inde contra Sanctum Domini in iram et odium exarsit, et eum ab Episcopatu expulit. Permisit hoc etiam excitatus contra eum livor regius. De eo nempe non solum apud Regem accusatio, sed etiam apud Romanum Pontificem ab inimicis prolata fuerat delatio.

Ab Episcopatu deturbatur.

Romam proficiscitur.

4 Tunc vir Dei fide munitus, divina consolatione roboratus, Angelico consilio fretus, cum se vidisset ad certamen vocari, pro salute errantis populi, et annihilandis inimicorum figmentis ad Apostolicam Sedem ire disposuit. Quamvis enim vir Dei coram hominibus se immunem ab illatis sciret, tamen quia coram Deo peccatis se obnoxium esse non diffitebatur, et etiam pro peccatis populi sui *f* pedes suos vinculis ferreis astrinxit, quæ clave poterant ligari et reserari, ipsamque clavem in fluvium, *g* Abdona vocatum, Anglice Aven, projecit, et versus Romam ire cœpit. O virum cunctis mirabilem, nec terroribus concussum, nec blandimentis seductum, nec laboribus victum, qui inter corporis sui pressuras et abjectiones, nec mundanas laudes captavit, nec aspectus hominum recusavit! O fortissimum victorem laborum, contemptorem exprobrationum, Angelis et hominibus admirandum, et tot populis ac gentibus spectaculum factum!

f

Pedes vinculis adstringit, clave abjecta.

g

5 Sicque in conspectu populorum vinctis ferro pedibus Romam ingreditur, et in ecclesia S. Petri Apostolorum Principis ad orationem prosternitur. Qua cum magna prolixitate completa, ad sacra *h* Missarum solemnia celebranda præparatur. Interim namque famuli sui pro cibis emendis ad fluvium pergunt, et empto quodam pisce magno et exenterato, compedum clavicula, quibuscum Sanctus pedes astrinxerat, in visceribus invenitur; ferrumque quod Anglica Avena absorbuerat, Romana Tiberis exhalat. Allata famulo Dei clavicula, voluntati Dei se subjiciens, coram cunctis clavem accepit, et vincula sua reseravit.

h

Clavem miraculose recipit.

Honoratur a Pontifice.

6 Tanti miraculi novitas in omnes erupit : Romam implet. Qui miserabilis et noxius putabatur, sanctus et venerabilis commendatur. Quis illum videre non certabat? Quis ab eo benedici non festinabat? Ipse etiam Reverendus Papa cognito Sancti Egwini adventu, auditis angustiis et laboribus in itinere ab eo perpessis, et qualiter omnipotens Dominus a nexibus eum absolverat, eum accersiri fecit : et volentem sibi prosterni digna reverentia detinuit : quem benedicere debuerat, ab eo benedici et absolvi petiit, et sibi consedere fecit. Ante se Missarum solemnia celebrare coegit : ad ejus singulare colloquium et consilium frequenter admissus, gratiose auditur. Controversiæ suæ, et itineris causa tandem coram Summo Pontifice recitata, discussa, et omnimoda ventilatione ad votum diffinita, cum Apostolica benedictione et litteris ad Sedem propriam regressus est.

Regis filios instituit.

7 Auditis autem Rex miraculis et virtutibus per sanctum virum patratis, plurimum gratulatus, in propria sua Sede restituit eum. Et non solum pater spiritualis, verumetiam circa filios ejus compater factus carnalis, ei filios suos litteris et moribus informandos Rex commendare curavit.

a Ethelredus *Pendæ filius, Wlphero fratri in regnum Merciorum successit an.* 676 *ut habet Westmonasteriensis : post monachus factus, et Abbas, ut ex Beda constat lib.* 5, *cap.* 20.

b Kenredus, *sive* Kinredus, *aut* Coinredus, *Wlpheri filius, an.* 703, *ut idem refert, Ethelredo patruo successit; ipse quoque quinquennio post monachus est factus.*

c *Is erat* Ostforus, *vir Apostolicus.*

d *Id anno* 693 *contigit, aut etiam prius. Hinc Ferrariam corrigas scribentem circa an.* 660, *floruisse* Egwinum.

e Ms. *Rubeæ vallis habebat,* ab hæreticis.

f *De hac re Ranulphus.* Qui (*Egwinus*) aliquando peccatorum juvenilium conscius, pedes suos vinculavit, claves compedum in flumen, quod dicitur Avena, projecit, palamque dixit, tunc de peccatis se fore securum, quando pedes sui aut divina virtute, aut illis clavibus forent reserati. Sic quoque vinculatus Romam profectus est. Campanæ Urbis, ut fertur, in ejus adventu per se sonuerunt. Munimentis et privilegiis Ecclesiæ suæ revertitur : ac dum in mari Britannico navigaret, piscis pergrandis in puppim Præsulis saliit, in cujus jecore clavis reperta est, quæ compedes illius reseravit. *Dubitat Malmesburiensis:* Quid illud? *inquit.* Credendumne putatur quod tradit antiquitas? peccatorum juvenilium quondam conscium pedes compedibus irretiisse, clavibus compedum in amnem jactatis palam dixisse, tum se demum de peccatis securum futurum, cum compedes vel divinitus, vel ipsis reserarentur clavibus; ita Romam profectum prospereque reversum. Jam vero in illo mari, quo a Gallico continenti Angliam navigio transmittitur, cum navigaret, immanem piscem saltu puppim, qua Pontifex vehebatur, ingressum, certatimque annitentibus nautis retentum. In ejus exenterati jecore clavem repertam, seræque compedum appositam, Sancto soluto securitatis plurimum donasse. Nominatissimus profecto Pater est, et petentibus exorabilis, si credulitas petentium non titubaverit. *Hæc ille.*

De clave compedum S. Egwini.

g Avona *in Leicestrensi Comitatu ortus, Warwicensem medium secat, in Wigorniensi* Eovesham, *de quo postea irrigat, ac tandem* Sabrinæ *miscetur, secundo a Tamisi Britanniæ flumini; quod* Haffren *Britanni, Angli* Severne *indigetant. In* Sabrinam *conjectam esse hanc ab Egwino clavem habet Martyrologium Anglicanum.* h *Capgrav.* mysteria solenniter.

CAPUT II.

Eoveshamensis monasterii fundatio.

Illis diebus locus erat in territorio Wigorniensi, dumis et vepribus condensis incultus, qui a modernis *a* Eoveshammium appellatur : hunc B. Egwinus a Rege Merciorum Ethelredo expetiit et obtinuit. Super illam quoque silvam quatuor pastores gregum ad victualia servorum Dei nutrienda constituit. Ex quibus unus, Eoves nomine, quadam die ad interiora silvæ progressus est; et ecce adstabat in loco quodam virgo quædam cum aliis duabus virginibus præclarissima, omnem mundanam pulcritudinem, et ipsius solis fulgorem sui splendore et gloria devincens, librum in manibus tenens et cum sacris virginibus cælestia cantica spallens. Expavit vir ille tam corusca visione hebetatus, nec ferens cælestia conspicere, tacitus ac tremens domum rediit : quæ viderat sancto Episcopo intimare curavit. Vir autem Dei tacite rem considerans, post jejunia et preces quadam die cum tribus sociis, et cum psalmis et orationibus devotis, nudus pedes ad locum designatum pergit, eminusque relictis sociis ipse interius processit, diutiusque terræ accubans, cum gemitu et lacrymis implorabat respectum misericordiæ redemptoris. Surgente illo ab oratione, *b* tres virgines non minoris splendoris et gloriæ, quam prius, apparuere. Quarum quæ media erat præcelsior, et omni nitore splendidior præfulgebat, liliis candidior, rosis vernantior, odore inæstimabili fragrantior, librum quoque manibus præferens, et crucem auream luce radiantem. Cumque cogitaret hanc Domini genitricem esse; virgo præcellentissima quasi favens tam piæ æstimationi, adorantem prætensa, quam tenebat, cruce benedixit, et cum tali valefactione disparuit.

a

Fundum a Rege accipit.

Apparet pastori D. Virgo:

b

tum ipsi Egwino.

9 Gavisus itaque vir sanctus, et Deo gratias agens, intellexit esse divinæ voluntatis, ut locus ille Dei cultoribus consecraretur, et beatæ Dei Genitrici dedicaretur. Voverat enim inter varias tentationum angustias, si Dominus prosperum faceret desiderium suum, ædificaturum Domino templum. Locum ergo protinus mundavit, opus inchoavit, et ad finem perduxit. Scripsit quoque idem Sanctus, et palam omnibus fecit monasterii ædificationem, tunc nomine Homme vocato, sub his verbis : *c* Ego Egwinus Wicciorum humilis Episcopus, volo manifestare omnibus fidelibus Christi, qualiter ego primum per Spiritus sancti inspirationem istum locum elegi, et monasterium adificavi in Homme, in honore omnipotentis Dei et sanctæ Mariæ perpetuæ Virginis. Contigit quodam tempore, non sine omnipotentis dispensatione, quod ego in laboribus multarum et magnarum visionum

Monasterium ædificat.

c

Qua occasione id fundarit.

visionum ductus fui. Qua de re arsit meo in animo per Spiritus sancti inspirationem, quod ego unum locum ædificare deberem ad laudem et gloriam omnipotentis Dei, et S. Mariæ, et omnium electorum Christi, et etiam mihi ad æternam retributionem, antequam ab ista mutabili vita discederem. Cum itaque maxime *d* florerem in diebus Ethelredi Regis Merciorum, cœpi eum benigne deprecari, ut mihi concedere dignaretur antiquum cœnobium, quod *e* Fledamburch nuncupatur. Satis ille libenti animo quod petebam concessit. Regnante post illum Rege Kenredo, contulit Deo et mihi, tum pro amore Dei, tum pro affectione carnalis amicitiæ, qua penitus mihi devinctus erat, 84 mansos in ambitu loci illius, qui et Homme dicitur. Post *f* modicum tempus Aldhelmus religiosus Episcopus migravit ad Dominum : quod ego per revelationem agnoscens, convocatis Fratribus et Clericis excessum venerandi Patris eis aperui : *g* et in *h* Meldunensi monasterio cum honore sepelivi : Post hæc vero cum Kenredo Rege Merciorum, et *i* Offa Rege Orientalium Anglorum Romam perrexi, et de cœnobio fundando, ad vota cuncta peregi.

Fontem precibus elicit.

10 Fertur enim quod dum in itinere illo per montuosa et arida iret loca, die quadam fame, siti, et lassitudine omnino addictus est, et socii ejus cum plurima populi turba : rogatus igitur a sociis sanctus Episcopus, preces ad Deum fudit, et fons aquæ limpidissimæ ex arenis statim prosiliit : acceptisque panibus, et paucis cibariis, quæ habebat per populos dispersit : refectisque omnibus Deum in Sancto suo glorificaverunt.

Breve Constantini Papæ pro eo cœnobio.

11 Detulit autem secum a Roma vir Dei privilegium, cujus talis erat tenor : *k* Constantinus Episcopus servus servorum Dei, Britwaldo Britanniarum Ecclesiarum Primati, salutem et Apostolicam benedictionem. Venerabilem virum Egwinum Episcopum, quem bis tua fraternitas ad Apostolicam Sedem misit, etiam nunc secundo manipulis justitiæ refertum tibi remittimus, monentes quatenus sic suos affectus adjuvando prosequaris, sicuti illum a Deo incepisse, et in via Dei cucurrisse cognovisti. Porto de visione illa, imo aperta ostensione, qua se beata virgo Maria ei manifestavit, æque ita certum esse tenemus, quemadmodum de viri bonitate non dubitamus. Denique vigilantiam tuam admonemus, quatenus illis in partibus, in quibus manifestatio habita fuisse refertur, concilium totius Angliæ cogas; Episcopos, sacrique ordinis religiosas personas illuc convenire facias, Optimatesque regni cum Proceribus suis adesse præcipias. Quibus in nomine Domini congregatis denuntiamus, quod duo Reges Angliæ Kenredus et Offa, cum quibus jam dictus Episcopus ad limina Apostolorum venit, in loco ostensæ visionis plurima de suis beneficiis *l* in præsentia nostra, regia libertate donata, et Apostolica auctoritate confirmata contulerunt; quatenus ibidem congregatio monachorum secundum regulam memorandi Patris Benedicti, quæ minus adhuc in illis partibus habetur, possit instaurari, et Christo indesinenter famulari. Ipsas autem donationes et beneficia præfati Reges in ipsorum privilegio nominatim determinaverunt, et a nobis corroborari fecerunt. Igitur frater dilecte, quoquo modo Christus annuntietur, lucrum Christi inquire, opus Christi exerce, promulgatisque in concilio undique sententiis, tum a Deo ostensæ visionis, tum Apostolicæ auctoritatis, tum Regiæ libertatis et donationis, tum tui ipsius, Clerique et populi assensus et favoris, constitue ovile Christi divinitus ostensum, Apostolica auctoritate fultum, regia libertate donatum, Cleri et populi benedictione sancitum.

Varia a Regibus ei cœnobio donata.

Subjicitur Archiepiscopo Cantuariensi.

12 Tibi autem et successoribus tuis, memorato Episcopo Egwino assentiente, curam animarum ejusdem Ecclesiæ præcipue injungimus, ut si, quod ab sit, aliquando diaboli impulsu quisquam pervasor ac tyrannus sacrum locum minuere ac impugnare præsumpserit, ubi a Deo concessæ potestatis sententia, et anathematis percussus verbere complere non audeat. Si quid vero sinistræ partis oriri inibi compertum fuerit, auribus Summi Pontificis *m* potius deferatur, quam per alicujus occultam sententiam sanctus locus injuste depravetur. Ipsum ergo locum, quem regia potestas regiæ libertati donavit, et nos auctoritate Dei, et sanctorum Apostolorum, et nostra donamus; ut nullus cujuscumque ordinis homo, hoc quod constituimus, depravare, aut minuere præsumat. Qui hoc destruxerit, aut male contaminaverit, sit ille maledictus : qui vero servaverit et adauxerit, benedictionibus repleatur.

13 Scripta est hæc epistola anno gratiæ *n* 709, *o* in ecclesia Salvatoris Lateranensi, præcipiente et confirmante Constantino Apostolicæ Sedis Antistite, adstantibus et confirmantibus Regibus Angliæ Kenredo et Offa, rogante venerabili viro Egwino Episcopo, coram pluribus Archiepiscopis et Episcopis, Principibus et Nobilibus diversarum provinciarum, cunctis acclamantibus : laudamus, concedimus, et confirmamus. † Ego Constantinus Romanæ Sedis Episcopus, per signum sanctæ Crucis has donationes et libertates confirmavi. † Ego Egwinus humilis Episcopus confirmavi. † Ego Rex Kenred corroboravi. † Ego Rex Offa consensi. Et consecrato loco per S. *p* Wilfridum Episcopum, idem Wilfridus et Egwinus coram omnibus sic locuti sunt : Domine Deus, qui in cælis habitas, et omnia creasti, conserva illum, qui locum istum pacificabit et conservabit. Nos etiam præcipimus, in Dei omnipotentis, et omnium virtutum cælestium nomine, ut nec Rex, nec Princeps, nec ullius ordinis homo locum istum sanctum diminuat; sed sit, ut optamus, gregibus et Dei pastoribus murus bene dispositus in potestate proprii Abbatis, secundum regulam Dei et S. Benedicti. Si autem, quod ab sit, aliquis avaritiæ spiritu evertere velit, judicetur ante tribunal Dei, et numquam in Christi veniat memoriam; sed nomen ejus deleatur in æternum de libro viventium, et ligetur æternarum pœnarum nodis in inferno, nisi in hac vita pœnitens emendet. Hujus Ecclesiæ dedicatio facta est anno gratiæ 714.

Dedicatur ecclesia.

Ex mss.

m

n o

p

a *De hoc monasterio Cambdenus in Cornaviis :* Avona in hoc agro Eovesham irrigat, quod ab Eoves subuleo Egwini Episcopi Wigorniensis sic dictum scribunt monachi, cum prius Eath-home, et Heath-field nomen esset. Oppidum satis elegans, surgenti a flumine colli impositum, in cujus quasi suburbio Bengeworth castrum olim erat ad caput pontis, quod Guilielmus de Audevilla Abbas contra Guilielmum de Bellocampo obtinuit, funditus destruxit, et in cœmiterium consecrari fecit. *Accepit hæc Cambdenus e* ms. *catalogo Abbatum Eveshamensium, ubi isthæc habentur :* Willielmus de Audevilla, monachus Ecclesiæ Christi Cantuariæ, successit. Iste audacter Willielmum de Bellocampo et complices suos, qui muros cœmiterii destruxerant, et bona Ecclesiæ tempore guerræ rapiebant, in facie inermis contra armatos excommunicavit. Quare nullus eorum secundum religionem Christianam et ritum Christianum decessit. Viriliter etiam castellum, quod erat Bengeworth ad caput pontis, contra eumdem Willielmum obtinuit, et funditus destruxit, et cœmiterium consecrari fecit. Transiit autem u Nonas Janu. an. Domini 1139. *Pergit vero Cambdenus :* Notum est, hoc (*Eveshamense oppidum*) monasterio, quod Egwinus ille, ope Regis Kenredi, filii Wolpheri Regis Merciorum, circa annum salutis DCC construxit.

Eovesham monasterium, jam oppidum.

b *De hac visione Malmesburiensis :* Locum illum, quo nunc cœnobium visitur, peculiariter amasse, (*Egwinum constat,*) incultum antea et spinetis horridum, sed ecclesiolam ab antiquo habentem ex opere forsitan Britannorum. Eo loci vir sanctissimus dum solitudine invitante frequentaret excubias, Dei genitricis visione et allocutione mulceri meruit, plane et absque scrupulo præcipientis, ut ibidem sibi fundaret cœnobium, futurum sibi gratiosum, ille negotiosum. Institit ille jussis, et complens opus, Apostolicis et regiis privilegiis corroboravit. *Congruunt his quæ sec.* 8, *cap.* 18 *scribit Harpsfeldius.*

c *Inferius aliam S. Egwini bullam de hac ipsa re dabimus.*

d Ms. *Rub. val.* flerem.

e *De hoc Cambdenus loco citato :* Inferius in primitiva Anglorum Ecclesia alius etiam locus fuit religiosis cultus, tunc Fleodanbyrig, nunc Flatburg. *Situs est haud procul ab* Avona, *infra* Evesham.

Fledanburgh.

f *In vita S. Adelmi apud Surium dicitur,* post duos annos.

g *Plenius*

Ex mss.

g *Plenius in eadem vita:* concitoque gradu ad locum, ubi sacrum corpus jacebat, quinquaginta fere millibus ultra Meldunense monasterium positum, deveni, et ad sepulturam adduxi, honorificeque sepelivi, mandavique, ut quibuscumque locis sacrum corpus, dum asportaretur, quiesceret, sacræ Crucis signa statuerentur, *etc.*

h *Est* Meldunense *cœnobium, sive* Malmesburiense *in Wiltoniensi Comitatu, de quo alibi.*

Offa et Kinredus Reges, monachi.

i *Refert Westmonasteriensis hanc peregrinationem anno Christi* 710, *Wigorniensis an.* 708 *melius. Uterque Rex Romæ monasticum institutum amplexus, reliquum vitæ sancte isthic exegit, ut iidem asserunt.* Offa *hortatu S. Kineswithæ, filiæ Ethelredi Merciorum Regis, quæ ejus nuptias speverat,* cælestes suspirare doctus amores, *inquit Malmesburiensis,* Romam perrexit, *etc. Kinredo eas* cogitationes injecisse videtur militis cujusdam, in quem magno amore propendebat, infelix exitus, *inquit Harpsfeldius.*

k *Is sedit a* 7 *Martii, an.* 708, *usque ad* 9 *Aprilis,* 714.

l *Clemens Renerus,* in provincia illa.

m *Apud eumdem Clementem additur* patriæ, *ut indicetur Primas Angliæ.*

n *Capgrav. et* ms. 704 *manifesto mendo.* Harpsfeldius *ait hanc bonorum Eveshamensi cœnobio donatorum confirmationem factam esse an.* 708, *Melius Reverus* 709.

o *Reliquum hujus diplomatis decrat in* ms. *et Capgr. supplevimus ex Renero.*

p *Non est hic magnus ille* Wilfridus *Eboracensis Archiepiscopus, cujus natalis celebratur* 12 *Octobris, Translatio* 24 *Aprilis; sed vel Wilfridus junior dictus, de quo inferius; vel* Wilfridus *Wigorniensis,* Egwini *successor. Nam.* ms. *Chronicon Abbatum Eveshamensium, de* S. Egwino *isthæc tradit:* Qui Episcopatum suum dedit Wilfrido, et factus fuit hic primus Abbas. *Scribit Wion* Egwinum *ex monacho Wigorniensi factum esse illius civitatis Episcopum: Pitseus monachum Benedictinum fuisse ante Episcopatum. Videtur suffragari quod dicatur (in vita nu.* 1.) *pauperlatem complexus, seseque contemplationi divinæ dedidisse. Renerus quoque asserit antea monachum fuisse.*

CAPUT III.

S. Egwini visiones, ægritudo, mors.

Egwinus omni virtute conspicuus,

Cœpit deinde vir Dei Egwinus, omissis regalium negotiorum curis, ad contemplativæ vitæ statum se conferre, virtutibus et miraculis coruscare, curas mundi postponere, damna rerum temporalium simplici animo tolerare, sacris lectionibus insistere, vigiliis et abstinentia venerabile corpus suum castigare. Erat enim iste Egwinus Episcopus Confessorum sanctissimus, humilis in habitu, in sermone jocundus, in prædicatione devotus, verax in judicio, in moribus venerabilis, in orationibus pervigil, in lectione assiduus, in affectu pius, multis etiam miraculis fulgens.

et visionibus.

Nam inter lacrymas et singultus, quos die ac nocte indesinenter omnipotenti Deo fundebat, sæpe Angelorum visionibus demulcebatur, et alloquiis, et aliorum Sanctorum, qui de hoc seculo excesserant, continuis consolationibus refovebatur.

D. Virgo sæpe ei apparet.

15 Beatissimam vero Mariam Domini nostri Jesu Christi genitricem, toto affectu et spiritu, toto corde et amore amplexabatur, ut numquam a memoria ejus excideret, numquam in verbis ejus deesset. Cujus visitatione et consolatione Dei servus Egwinus sæpe recreatus, omnia quæ mundi erant omittebat, et ea quæ Dei erant indesinenter exercebat: miseris condolebat, pauperes recreabat, esurientes pascebat, et cetera pietatis opera indesinenter adimplebat.

Morbos alienos æger sanat.

16 In diutinam tandem infirmitatem decidens, non cessabat die ac nocte a divinis quidem laudibus, necnon canticis spiritualibus, et quod per se minus poterat, per alios complere faciebat. Curam pauperum et peregrinorum ante omnia procurabat: multis etiam infirmitatibus cum invocatione nominis sanctæ Trinitatis salutem impendebat, tactu manuum suarum dolores expellens, et ab obsessis corporibus dæmones effugans. Sanctus itaque Egwinus cum a primævo juventutis flore semper usus fuit cilicio, nunc in cinere jacens asperrimo, ad carnem nudam indutus

Cilicium semper gestat.

erat *a* trogulo; ipsam debilitatem et infirmitatem carnis suæ corporali maceratione et jejunio devincens.

17 Cum enim B. Egwinus operibus caritatis totus effluerel, maxime tamen prædicationi operam dedit. Erat namque juxta Eovesham ad octo milliaria castrum *b* Alvecestre, regale tunc mansum, cujus loci habitatores, quanto rerum opulentia et temporalium abundantia affluebant, tanto magis gulæ et luxuriæ dediti, studentes avaritiæ et cupiditati, misericordia Dei se indignos efficiebant. Ad hunc locum accedens B. Egwinus, prædicavit illis regnum Dei. Sed gens absque consilio, et sine prudentia, et cervicis duræ, nec assueta vitia relinquere, monitis illius nolebat acquiescere: et cum castrum illud velut ne moribus undique consitum, conflandi ferrum locus esset aptissimus, et fabris, et ferri exclusoribus maxime repleretur, gens incredula incudes malleis ferreis tanto strepitu continuo percutiebat, ut beati viri sermo non audiretur, et a castro recedere cogeretur. Beato igitur viro castro exeunte, præ concussione, imo confusione malleorum et incudum, adhuc tinniebant ambæ aures ejus, et levatis oculis in cælum flexis in terra genibus, contra artem fabrilem illius castri, Dominum deprecatus est. Et ecce subito castrum ipsum terra absorbuit, ita quod novo super vetere qualitercumque reædificato, usque in hodiernum diem in constructione novarum domorum in fundamentis antiqua ædificia reperiuntur; numquam enim postea in loco illo aliquis artem fabrilem recte exercuit, nec aliquis eam exercere volens, ibi vigere potuit.

b

Castrum, impiorum sedes, eversum.

Ars fabrilis ibi exerceri non potest.

18 Cum autem ad extremum vitæ pervenisset, convocatis monachis et filiis, quos Deo genuerat, ait: Vixi Fratres, apud vos, nec pudet vixisse: feci enim quod potui; quamvis omnino exiguum sit, quod feci. Quid agere, et a quibus vos oporteat declinare, dixi; quibuscumque modis dicendum esse existimavi. Ostensa igitur rectitudinis via precor ut gradiamini, nec vos decipiat præsentis umbra felicitatis: fugit enim, et numquam in eodem statu permanet. Ipse, qui est via, veritas, et vita, viam iniquitatis a vobis amoveat: viam suarum justificationum vos instruat. Sicque plenus virtutibus circa annum Domini *c* DCCXX, tertio *d* kalendas Januar. migravit ad Dominum, et in monasterio, quod a fundamentis construxerat, sepultus est.

Suos adhortatus pie moritur.

c

d

a *Sic infra* 15 *Janu. in vita S. Mauri:* Nam reliquo totius anni tempore, sub monachali tunica, semper asperrimo a scapulis usque ad renes induebatur trogulo; ejusdem subtegminis in stratu super aggestum calcis et sabuli, tantummodo excepto quadragesimali tempore, semper usus est cilicio.

Trogulum.

b *De hoc Cambdenus:* Ad Arrowi, et Aleni confluentes, *in Comitatu Warwicensi, sed ad Wigorniensis fines,* vidimus Aulcester, Matthæo Parisiensi Allencester, et rectius, quod celebratissimum et antiquissimum esse contendunt incolæ, unde Ouldcester dictum volunt. *Et paullo post:* Nunc autem e maximo oppido in exiguum rerum venalium mercatum decrevit, sed frumentariis nundinis celebratissimum.

Aulcester.

c *Ita et Harpsfeldius, at Martyrol. Anglicanum, Pitsæus, aliique* 716, *Godwinus* 714, *Wion* 712, *mortuum scribunt.*

d *Forte* Idus *legendum. In Epitaphio tamen infra, dicitur* III *Nonas mortuus.*

CAPUT IV.

Miracula post mortem.

Post ejus obitum, multa Deus miracula pro ipso operari dignatus est. Rusticus quidam partem terræ S. Egwini surripuit, et cum Judices sanxissent, ut certo die veniret, et terram illam suam esse juraret, pulveremde domo sua sumpsit, et *a* sotulares implevit, ut tute jurare posset, quod super terram suam staret. Cumque super reliquias Sancti Egwini juraturus manum porrigeret, ferro *b* falcastro, quod in manu gestabat, nescio quo casu in cerebro percussus, subito ad terram mortuus ruit, et vitam cum terra coram omnibus amisit.

Pejerare volens, male moritur.

a

b

20 Cum alius quidam terram S. Egwini invadens possideret, Judicum sententia decernitur, ut manu propria super reliquias S. Egwini jurando terram acquireret: erat enim vir ille grandævus, et barba prolixa barbatus. Assurgens ergo barbam propriam concludit palmo, per istam, inquit, barbam mea est terra, et ego eam possidebo jure hereditario. Vix emiserat

Pejerans ad ejus reliquias barbam amittit.

emiserat verbum; et ecce totam barbam coram cunctis lapsam ita projecit ad terram, ac si apposita esset, non naturaliter nata. Sic qui alienam terram injuste invasit, jure cum ipsa terra barbam propriam perdere meruit.

Ejus ope sedata tempestas.

21 Londoniensis Episcopus *c* Elfwardus, cum in mari orta tempestate maxima, naufragium pene pateretur, invocato S. Egwini suffragio subito sedatur tempestas, et tranquillitate mari reddita ad portum optatum cum gaudio pervenit.

Muto loquendi facultas data.

22 Juvenis quidam a nativitate mutus pro salute recuperanda Romam pergens, tribus annis ibi mansit. Et ecce nocte quadam albis vestibus quidam indutus sibi apparens, dixit : Redi festinus ad terram tuam, et ad sepulcrum S. Egwini, si volueris, sanitatem consequeris. Quo cum pervenisset, solutis quidem vinculis linguæ aperte loquendo verba protulit.

Frequentia Sabbathis miracula.

23 Ante Nortmannorum adventum in Angliam, tanta miraculorum frequentia monasterium S. Egwini illustravit, ut omni fere die Sabbati aliqua infirmitate vel molestia detentus gratam per S. Egwinum medelam æger quispiam reportare mereretur.

24 Monachus quidam *d* Coventrensis, nomine Sperculphus, solitus erat monasterium S. Egwini in Sanctorum festivitatibus frequentare, in orationibus pernoctare. Is cum in quodam festo S. Egwini more solito in ecclesia ejusdem Sancti nocturnas vigilias in vigiliis et orationibus præoccuparet; admirabilem visionem oculis corporeis videre meruit. Vidit enim primo lumina divina virtute extincta, et ecclesiam paullatim superna luce illustratam, et incredibili fulgore irradiatam. Cumque ad hoc spectaculum territus animum et oculos convertisset; conspicit processionem maximam sanctorum spirituum advenientem, in qua quidam pueri luminum portitores cum candelabris præcedebant; dehinc ephebi sequebantur; post quos seniores veneranda canicie nitentes secuti sunt : hi omnes albis stolis induti mirum spectaculum præbuere. Post hos quidam Pontificalibus indutus advenit, quem dextra lævaque bini seniores deducebant. Accedentes ergo ad altare S. Egwini matutinas cantare cœperunt. Mira res! Missa incipitur, ac mirabili dulcedine decantatur : qua completa, sicut intraverat totum illud collegium, *e* sicut ante, procedendo egressum est.

Sancti ad altare S. Egwini matutinas et Missam canunt.

Missam S. Egwinus mortuus celebrans apparet.

25 Cum idem monachus quadam nocte in ecclesia Dei genitricis in eodem monasterio, in illius festo vigilans pernoctaret, januis clausis, cum inæstimabili claritate et decore conspicit simili modo processionem venientem, Sanctumque Egwinum gloriosam Dei genitricem Virginam Mariam deducentem. Pervenientes igitur ad altare beatæ Virginis Mariæ, venerandus Pontifex Egwinus post matutinas honestissime decantatas, Missarum solemnia exorsus est. Monachus vero, qui hæc vidit, stupefactus intra se dixit : Qui est hoc? num sensum perdidi? Nonne hic quidam sunt, quos diu ex hac luce subtractos intelligo? Et accedens secreto ad quemdam, quæ esset, cui Missa decantaretur, inquirit. Et ille : Tace; num ignoras Dominum nostrum S. Egwinum beatæ Dei genitrici et semper Virgini Mariæ sacrum mysterium celebrantem? Itaque Missa completa duo Episcopi cæli Reginam, dextra lævaque assumentes, eodem ordine quo intraverant cum possessione regressi sunt.

a *De hac voce* 8 *Janu. in* 2, *vita* S. Gudilæ, *cap.* 2, *n.* 8, *lit. d.*

b *Explicat. hanc vocem S. Gregorius lib.* 2, *Dial. cap.* 6. Quodam vero die ei dari ferramentum jussit, quod ad falcis similitudinem falcastrum vocatur, ut de loco quodam vepres abscinderet *Græcus interpres habet :* σιδηροῦν ἐργαλεῖον, ὅπερ ἐπιχωρίως ὀνομάζεται ξυλοκόπον.

Falcastrum.

c *Aliis* Elswardus, *aliis* Alwordus *dicitur, factus Abbas Eveshamensis an.* 1014, *sub Ethelredo Rege; inde Episcopus Londinensis sub Ciutone Rege. Obiit Rameseiæ an.* 1014.

d Coventria, *vel* Conventria, *in Warwicensi Comitatu urbs ampla, et nitida. Monasterii, sive* Prioratus, *cujus hic monachus fuisse alumnus videtur cernuntur adhuc parietinæ. Id monialibus Canutus ædificavit, Leofricus Merciorum Comes, cujus in vita S. Eduardi* 5 *Januarii frequens facta mentio, monachis donavit, mirificeque amplificavit, et ornavit.*

e Ms. *Rub. val.* seriatim.

FRAGMENTUM ALTERIUS VITÆ

a Franc. Godwino e MSS. *relatum.*

S. Egwini primum iter Romam.

Egwinus, regali ortus prosapia, Wigorniensis patria, temporibus Adelredi et Kenredi Regum Merciorum fit Wigorniensis Episcopus. Unde paullo post ejectus est. Romam profectus, a Papa (coram quo Missas solemniter celebravit) Episcopatui restituitur. *a*

a

Varia illi donata a piis Principibus.

2 Post reditum a Roma impetravit locum, qui *b* Æthamne dicitur, et postea Eovesham a nomine cujusdam bubulci (Eoves) B. Egwini, qui in silva quadam porcam perditam et septenum fœtum parituram, invenit. Ab illo igitur omine, locus Eovesham dicitur, et monasterium nomen inde tulit. Sed primo Ethelredus Rex dedit ei antiquum monasterium dictum Fledanburch, quod Egwinus dedit Subregulo provinciæ *c* Huicces pro alio cœnobio, quod *d* Stradford dicitur. Paullo post ab Oswardo Regis fratre alias Edwinus terras obtinuit, videlicet 30, *e* mansas apud Twiford. Post Kendred affinis Egwini dedit ei 48, alias mansas in ambitu loci qui Cotham dicitur.

b

c d

e

Secundum iter Romanum.

3 Deinde Romam proficiscitur cum Offa et Kenredo ad impetranda pro monasterio suo privilegia. Quibus impetratis, in Angliam *f* redierunt, et congregata *g* synodo generali in loco qui Alne dicitur, cui inter fuerunt Berthwaldus Cantuariensis et *h* Wilfridus Eboracensis; donationes illæ omnes confirmatæ sunt, misso Wilfrido ad locum consecrandum. Quo facto Egwinus ibi Benedictinos monachos constituit. Postea obiit III Calend. Januarii.

f

g

h

EPITAPHIUM S. EGWINI.

Rupe sub hac vili tegitur vir summus : et urna
Clauditur angusta, quem subvehit alta per orbem
Veri fama volans. Genus hic spectabile duxit;
Et mŏres habuit præclaros, magnaque gessit :
Ecclesiam fecit, quam nunc dicunt Eovesham.
Ditavit terris, et multa nobilitavit
Libertate locum, qui regni jurat tenebat.
Omnimodam scripsit, subscripsit Curia Regis,
Et qui Romanam Sedem tunc Papa regebat
Confirmavit eam, proprio testante sigillo.
Vita migravit cum Solis per Capricornum
i Tertius ac decimus medians existeret ortus.

i

Sepelitur in monasterio quod extruxit. Temporibus vero *k* Edgari Regis sub Abbate Oswardo, ecclesia de Eovesham, constructa ab Egwino, corruit. *l*

k

l

a *Monet Godwinus, quædam hic in* MS. *vita interjici, quæ omiserit.* b *Cambdenus supra* Eath-homme *vocat.*

c *Forte* Wicces *legendum. Bedæ ætate Wigorniensis Comitatus incolæ* Wiccii *dicebantur*, vel a sinuoso flumine (*Sabrina*) quod accoluni, *inquit Cambdenus; est enim* Wic *Saxonice, seu Teutonice, ut alibi diximus*, sinus; vel a salinis, quas Wiches prisci Angli sua lingua nominarunt. Salinæ enim hic sunt nobilissimæ, pluresque salsi fontes sæpius reperti, qui tamen obstructi eo quod cautum (ut antiquis schidis legitur) uno solummodo loco salem excoqui, ut silvis sit prospectum.

Wiccii.

d *Est nunc* Strat-ford *emporiolum non inelegans ad* Avonam, *vulgo* Strat-ford uppon Avon. *Illic ne hoc cœnobium fuerit, an potius in* Strat-ford old *in eodem Warwicensi Comitatu, haud nobis nunc impromptu est definire.*

Sittatford.

e *Est* mansa, *ut habetur in Onomastico Clementis Reneri*, tenura, vel tenementum, habitatio alicujus familiæ sub dominio alicujus domini, seu feudi.

f Egwinus *scilicet, ejusque comitatus; at non Reges, ut supra dictum est.*

g *Habita fuit anno primo* Osredi *Regis Northumbriæ, et primo aut secundo* Kenredi *Regis Merciorum, Synodus ad* Nidum *fluvium Northumbriæ, in caussa* S. Wilfridi, *qui non integro post quadriennio superstes fuit. Ast hæc Synodus in* Alne *loco, sito (ut suspicamur) circa* Alenum *flumen in Warwicensi ditione, haud procul Eoveshammio, ut ex cap.* 3, *vitæ prioris patet. Pro hac Synodo aliam confinxere recentiores. Londini habitam ejusdem visionum* Egwini *occasione, de cultu sacrarum imaginum, qui tum*

Ex variis. *Synodus Londinensis de imaginibus an. 714 fictitia.*

tum in Angliam inductus sit. Quod commentum solide Baronius refutat ad an. 714, quippe quod constet S. Augustinum *aliosque Anglorum Apostolos, crucem argenteam, et Salvatoris imagine in tabula depictam præferentes, Litaniasque canentes in urbem regiam esse ingressos. Verum quæ caussa cujus Synodi extiterit, tum hinc, tum ex Brevi* Constantini *Papæ supra relato sat constat.*

h *Secundus hic est* Wilfridus, *quem sibi successorem, cum totius populi electione, ordinavit* S. Joannes *magni* Wilfridi *successor, et Beverlaci reliquum vitæ privatus exegit. Obiit hic* Wilfridus *anno 743 secundum Westmonasteriensem. De eo agemus 29 Aprilis.* i *Hic est dies* III *Januarii.*

k *Chronicon Eveshamense :* Res hujus monasterii miserrime distrahebantur, quoad usque S. Ethelwoldus, (*de quo* I *Aug.*) jussu Regis Edgari et B. Dunstani huc adveniens, Oswardum Abbatem hic constituit, anno gratiæ 960, commendans ei terras et possessiones, quas Alchelmus (*Princeps*) Christi adversarius, post mortem Edwini (*decimi octavi ab Egwino*) Abbatis abstulit.

l *Subjicit Godwinus :* Hæc ille, *scilicet Brithwoldus; incuriose profecto, cum Brithwoldus an. 731 obierit, hæc ruina Ecclesiæ Eoveshamensis duobus post seculis et quod excurrit, contigerit.*

PRIVILEGIUM
KENREDI ET OFFÆ REGUM.
De rebus Eveshamensi cœnobio donatis,
Ex veteri ms. editum a Clem. Renero.

In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, Amen. Quoniam transeuntis quidem mundi vicissitudo quotidie per incrementa temporum crescendo decrescit, et ampliando minuitur, crescentibusque repentinis incursuum ruinis, finis esse cunctis in proximo cernitur; ideo vanis ac transibilibus mansura cælestis patriæ præmia mercanda sunt. Quapropter ego Kenredus, Dei dono Rex Merciorum, et ego Offa divina permissione orientalium Anglorum Gubernator, pro redemptione animarum nostrarum, ac prædecessorum, et subsequentium nostrorum salute, donamus et concedimus in loco, in quo B. Maria se venerabili viro Egwino Episcopo manifestavit in Houme, et præsenti libello confirmamus ad honorem et reverentiam ejusdem Dei genitricis, sexaginta sex mansas, ex duabus partibus fluminis, quod vocitatur Avona; tres videlicet quæ sunt in *a* Houme, *b* in Leuheavic unam, in Nortona septem, in Offeham unam, in Lillintona tredecim, in Adintona unam, in Badeseia octo et dimidiam, in Bretfortona duodecim, in Homburem duas et dimidiam, in Wilberesia septem, in Wikewade tres, in Benigworth et in Hampton novem. Et ex *c* mea liberalitate, sicut dignum est, et regali munificentia, prænominatas mansas, ubi manifestatio habita fuisse refertur, cum cæteris partibus præassignatis regia liberalitate donamus, ac omnipotenti Deo et beatis Apostolis ejus Petro et Paulo in perpetuum liberas donamus; quatenus ibidem congregatio monachorum secundum regulam S. Benedicti possit instaurari et indesinenter Christo famulari. Ad majorem autem firmitudinem donationis nostræ, in notitiam tam præsentium, quam in posterum succedentium venire volumus, quibus limitibus sacer locus, quem regia liberalitate donatum Deo contulimus, circumseptus includitur. Imprimis a Troyforde, etc. *d* Volumus insuper ac decernimus in nomine Domini, terram quinque *e* cassatorum, quæ Morton nuncupatur, eadem libertate in perpetuum gaudere : quam quidem terram ego Kenredus Rex Merciorum anno Dominicæ Incarnationis septingentesimo nono, cum jam una cum venerabili viro Egwino Apostolorum limina visitare disponerem, inter quædam alia donaria ad fabricam monasterii construendi concessi eidem, et sub testimonio plurium potentum meorum scripto confirmavi. Statuimus igitur in nomine Domini, et in virtute summi Dei præcipimus, tam viventibus quam Domini prædestinatione nobis in perpetuum succedentibus, ut hujus donationis statuta ad irritum deducere minime quispiam audeat. Si quis autem hoc nostræ munificentiæ domum depravare vel minuere attentaverit, deleatur nomen ejus de libro vitæ. Acta sunt hæc anno Dominicæ Incarnationis septingentesimo nono in ecclesia Salvatoris Lateranensi, confirmante Pontifice Romanæ Sedis Constantino, astantibus Regibus Angliæ Kenredo et Offa, rogante venerabili viro Egwino Episcopo cum pluribus Archiepiscopis et Episcopis, Principibus, ac Nobilibus diversarum provinciarum, cunctis clamantibus ac dicentibus : Nos hanc voluntatem ac regiam liberalitatem laudamus, donationibus ac libertati consentimus. † Ego Constantinus Romanæ Sedis Episcopus per hoc signum † sanctæ Crucis has donationes et libertatem confirmavi. † Ego Egwinus humilis Episcopus confirmavi. † Ego Rex Kenredus corroboravi. † Ego Rex Offa consensi.

Quare, et quæ donarint pii Reges: — *a b* — *c* — *ad quæ mſinem.* — *d* — *e* — *Subscriptiones.*

a *Alii* Homme *vocant, ut ante dictum est.*

b *Pleraque horum locorum etiamnum nomen retinent, ut videre est in Cambdeno et Spedo.*

c *Notat* Renerus *videri legendum* mera.

d *Videtur aliquid a librario omissum.*

e Cassatus, *ut notat in Onomastico* Renerus, *est* vasallus, seu mancipium.

PRIVILEGIUM S. EGWINI.
De rebus monasterio Evesham acquisitis.

a Ego Egwinus Wicciorum humilis Episcopus, volo manifestare omnibus fidelibus Christi, qualiter per sancti Spiritus inspirationem, et per labores multarum et magnarum visionum, ostensum est mihi, quod ego primum unum locum ædificare deberem ad laudem et gloriam omnipotentis Dei, et S. Mariæ, omnium electorum Christi, et etiam mihi ad æternam retributionem. Cum igitur maxime florerem in diebus Ethelredi Regis, expetii ab eo locum, qui Haum nuncupatur, in quo loco sancta et perpetua Virgo Maria primum cuidam pastori gregum, Eoves nuncupato, dehinc etiam mihi cum duabus Virginibus, librum in manibus tenens, apparuit. Mundavi itaque locum, opusque inceptum Dei optimi laude *b* gratia ad finem perduxi. Volo igitur ostendere omni sequenti generationi, quas possessiones supradicto loco acquisivi, et ipsas terras ab omni exactione potestatum omnium ad quietavi, ipsamque adquietationem applicitis auctoritatibus et privilegiis, nec non et regalibus edictis confirmari feci; ut Fratres secundum regulam S. Benedicti, inibi Deo servientes, sine perturbatione vitam agerent. Nomina etiam villarum volo manifestare, quas omnes liberas et juste acquisitas, Deo et S. Mariæ obtuli.

a — *Apparitio D. Virginis.* — *b*

2 Itaque ab Athelredo Rege quoddam cœnobium, quod Flendaburch nominatur, obtinui, quod postea pro alio cœnobio, quod Streatforda nominatur, mutavi. Post parvum vero tempus a prædicti Regis fratre Oswardo viginti mansas, in loco qui Troyford appellatur, adquisivi. Postea vero succedente in regnum Kenredo, concessit et ipse mihi octoginta quatuor mansas super utrasque partes illius fluminis, quod Avona vocitatur. Quidam autem adolescens, Athericus nomine, octo mansas mihi concessit; et Walterus venerandus Sacerdos alias octo mihi mansas donavit. Sicque, Deo propitio, brevi tempore 120 mansas prædictæ Christi Ecclesiæ acquisivi, sicut scriptum est, et confirmatum in chartis Ecclesiæ, et in libro manifestatur terra et termini ejus, quem scripsit Brichtwaldus Episcopus, et dictavit præcepto Romani Pontificis, cum consensu Principum totius Angliæ. Hæc vero sunt nomina villarum, quas, ut supradictum est, acquisivi : Eovesham, Benyagutth, Hautun, Baddesceii, Wicque, Hamburne, Bradfortun, Willersley, Withleya, Samburne, Kinwartun, Saltford major et minor, Ambresley, Ulbeorii, Mortun, Buchtun, Meleygaresbery, Tittlestromp. Snella major, Mayeldesbeordy, Sildswick quoque. Has

Quæ a quibus acquisivit S. Egwinus.

Has omnes terras, ut præfatus sum, liberas ab omni calumnia adquisivi et sanctæ Dei ecclesiæ obtuli.

3 Qui ergo locum, quem Apostolica dignitas et regia potestas, regia libertate donavit, et nos auctoritate Dei et sanctorum Apostolorum donamus, depravare, aut minuere, vel contaminare præsumpserit, judicetur ante tribunal Christi, et numquam in Christi veniat memoriam, nisi in hac vita pœnitens emendet. Qui vero servaverit, et adauxerit, benedictionibus repleatur. Fiat. Amen. Scripta est hæc charta anno Dominicæ Incarnationis 714. † Ego Eguvinus per signum sanctæ crucis. † Ego *c* Kenredus Rex subscripsi. † Ego Offa per signum crucis confirmavi. † Ego Brichwaldus Archiepiscopus subscripsi. Ego Oswardus frater Regis confirmavi.

Subscriptiones.

Ex variis. *c*

a *Videri possit hoc Privilegium idem quod in vita cap.* 2 *relatum est, sed utroque loco a librario mutatum, aut potius diversa occasione a Sancto datum. Hic fortassis est liber ille, quem de initiis sui monasterii edidisse scribitur.*

b *Videtur aliquid deesse.*

c *Hæ Regum subscriptiones, vel ex prioribus tabulis singularum donationum emptionumve huc translatæ, vel a librario sciolo additæ; cum eo anno neuter istorum fuerit se Regem appellaturus, quippe qui pridem monachi essent.*

DE S. TATONE MONACHO.

An. Chr. DCCXXIX. XI Januarii. *S. Tatonis natalis.*

In Samnio, non procul a Vulturni *fluminis fonte monasterium est S.* Vincentii, *olim a Longobardorum Regibus multis prædiis locupletatum cujus quondam florentissimi, sed sua ætate collabascentis meminit Leander in Samnio. In eo cœnobio* S. Tato *colitur* XI *Januarii, teste Philippo Ferrario in catalogo generali Sanctorum, et in catalogo SS. Italiæ; qui ex dicti cœnobii monumentis ejus acta breviter recenset.*

Vita ex Ferrario.

2 Tato nobilis Beneventanus, ut Christo serviret, spretis omnibus, patria ac parentibus relictis, una cum Paldone, et Tasone fratribus, quibus erat idem propositum, peregrinationem suscepit. Ac primum in fines Marsorum ad Thomam Abbatem senem, cujus fama sanctitatis vigebat, ut illum, quid sibi esset agendum, consulerent, sese conferunt : cujus persuasu in Samnium circa Vulturni amnis ortum venientes, ibi in solitudine vitam asperrimam sub Paldonis majoris natu regimine, multis sibi sociis adjunctis ducunt. Mortuo Paldone Gregorio II, Pont. Max. Taso ætate minor in administratione subrogatur : cujus cum monachi austeritatem et severitatem non ferrent, Tatonem in locum illius subrogant. Quæ res ad Pontificem delata improbatur. Ipse autem Tato interim sanctitate conspicuus, III Idus Januarii, anno salutis DCCXXIX obdormit in Domino. *Hæc Ferrarius. Colitur S.* Paldo XI *Octobris, S.* Taso XI *Decembris.*

Not. 149.

VITA S. PAULINI
PATRIARCHÆ AQUILEIENSIS.
Ex variis scriptoribus Ecclesiasticis collecta.

§ I. *Patriarchatus Aquileiensis, Foro-Julii.*

An. Chr. DCCCIII. XI Januarii.

Aquileia urbs olim ampla ac frequens, parque maximarum Italiæ, (cujus antiquitatem libris sex descripsit Sabellicus) ab ipsis Ecclesiæ incunabulis Sede Episcopali est exornata, quam isthic a S. Marco erectam, traditione magis quam antiquorum certo testimonio, constare *asserit Baronius tom.* I, *an. Ch.* 43, *num.* 41. *Postmodum qui ei præfuere Antistites, ante paullo quam Longobardi Italiam occuparent,* Patriarchas *more Græcorum et Orientalium, a suis fuisse appellatos, diximus* VIII *Januar. ad vitam B. Laurentii Justiniani num.* 6 *in prolegom. Horum catalogum ex Onuphrio, Sigonio, Sabellico, Candido, Leandro, profert Claudius Robertus in appendice ad Galliam Christianam, et monet hos Patriarchas a citatis auctoribus aliquando dici* Foro-Julienses. *Ejus appellationis hæc, quam dicemus, origo fuit.*

Patriarchæ Aquileienses.

2 De Pannonia, *inquit Paulus Diaconus lib.* 2, *cap.* 7, egressi sunt *Longobardi* mense Aprili per Indictionem primam, alio die post sanctum Pascha, cujus festivitas eo anno juxta calculi rationem ipsis kalendis Aprilibus fuit, cum jam a Domini incarnatione anni quingenti sexaginta octo essent evoluti : *aut potius evolverentur.* Aquileiensi civitati, *ait idem cap.* 10 ejusque populis B. Paulus Patriarcha præerat : qui Langobardorum barbariem metuens, ex Aquileia ad Grados insulam confugit, secumque omnem suæ thesaurum Ecclesiæ deportavit. *Hic* Paulus, *ab Onufrio in Chronico Ecclesiastico, et in Claudii Roberti catalogo* Paulinus I *dicitur. Itaque* Paulinus II *est is de quo agimus. Paulo, sive Paulino I successit Probinus,* qui Ecclesiam unum rexit annum, *ut Paulus Diaconus lib.* 3, *cap.* 14. *Post* eidem Ecclesiæ Sacerdos Elias præficitur. Huic, *ut idem scribit cap.* 20, nolenti tria capitula Chalcedonensis synodi suscipere, Pelagius Papa epistolam satis utilem misit, quam B. Gregorius cum esset adhuc Diaconus conscripsit. *Eadem paullo fusius Sabellicus lib.* 4 *de Aquileiæ vetustate, qui hæc ad* Severum *Patriarcham* Eliæ *successorem ab aliis referri testatur. At non in eo situm Eliæ schisma fuit, quod tria capitula nollet suscipere, sed quod ea mordicus contra Ecclesiæ Catholicæ sententiam tueretur.*

In Gradum insulam migrant.

3 *Post* Severi *obitum* duo Patriarchæ fuerunt, *inquit Sigonius lib.* 2 *de regno Italiæ ad annum Christi* 605, unus qui Aquileiam, alter qui Gradum insedit. Huic instituto caussam attulere Longobardi. Gisulfus enim Dux Forojuliensis, Christiana religione suscepta, vetus ditioni suæ dignitatis hujus fastigium quærens, sacros honores novo exemplo distribuere ausus, Joannem Abbatem per Clerum Aquileiensis Ecclesiæ designandum Patriarcham curavit. Contra vero Candianum Clerus Gradensis elegit. Dissidio perniciosi in futurum exempli oborto, res Romam delata : Pontifex Joanne rejecto Candianum probavit, eumque pallio exornavit. Neque eo secius Gisulfus suum Patriarcham retinuit. Hinc ipsarum Ecclesiarum divisio consecuta. Aquileiensi omnes Episcopi paruerunt, qui in continenti Venetia, quæ erat Longobardorum, sederunt; Gradensi, ii qui æstuaria atque Istriam, Imperatorem respicientia, tenuerunt. *Hæc Sigonius; quæ brevius Paulus Diaconus lib.* 4, *cap.* 34. His diebus defuncto Severo Patriarcha ordinatur Joannes Abbas Patriarcha in Aquileia vetere, cum consensu Regis, et Gisulfi Ducis. In Grados quoque ordinatus est Romanis Candidianus Antistes. Rursum mense Novembrio et Decembrio stella Cometes apparuit. Candidiano quoque defuncto, apud Grados ordinatur

Duo deinceps, in Grado, et Aquileia.

Ex variis. Patriarcha Epiphanius, qui fuerat Primicerius Notariorum, ab Episcopis qui erant sub Romanis : et ex illo tempore cœperunt duo esse Patriarchæ.

4 *Eadem fere ex Pio Pontifice Sabellicus, qui lib.* 3 *de* Joannis *successoribus ita scribit :* Successerat Joanni Aquileiensis Ecclesiæ Antistiti, de quo proximo libro mentionem fecimus, Marcianus; post quem, usque ad Calisti tempora. Antistites septem interfuere. His sedentibus pene nihil memoria dignum (quod ad ipsam Ecclesiam attinet) actum est. Calistus autem, qui in Sereni demortui locum (is enim illorum septem novissimus fuit) surrogatus est, quum ingenti vir animo esset, utpote qui non humili fortuna, sed loco clarissimo natus esset, ægerrime ferebat Patriarchicam Sedem obscuro loco esse. Nam ab Helia Patriarcha ad eam diem (anni ferme centum intererant) Cromone fuerat : quum interim Longobardorum Duces Episcopum sibi Foro-Juliensem creassent, qui in luce hominum frequentique nobilium cœtu constitutus, præstantioris fortunæ, quam Patriarcha, esse videbatur. Commotus rei indignitate Calistus, quod quispiam suæ diœcesis Antistes se dignior haberetur, Amatorem Episcopum, qui Federico successit (sed alibi Fidentium, pro Federico, legimus) Foro-Julio expulit; quo ipse cum Patriarchica Sede paullo post migravit, atque ubi domus Amatoris fuerat, sibi et successoribus egregias ædes pro loci conditione erexit.

Aquileinsis Cormonibus degit.

Migrat Forum-Julii.

5 *Clarius Paulus Diaconus lib.* 6, *cap.* 31. Gravis sane per idem tempus inter Pemmonem Ducem et Calistum Patriarcham discordiæ rixa surrexit. Caussa autem hujus discordiæ ista fuit. Adveniens anteriore tempore Fidentius Episcopus de castro Juliensi, cum voluntate superiorum Ducum, intra Foro-Juliani castri muros habitavit, ubique sui Episcopatus sedem statuit. Quo vita decedente, Amator in ejus loco ordinatus est. Usque ad eumdem enim diem superiores Patriarchæ, quia in Aquileia propter Romanorum incursionem habitare minime poterant, Sedem non in Foro-Julii, sed in Cormones habebant. Quod Calisto, qui erat nobilitate conspicuus, satis displicuit, ut in ejus diœcesi cum Duce et Langobardis habitaret Episcopus, et ipse tantum vulgo sociatus vitam duceret. Quid plura? Contra eumdem Amatorem Episcopum egit, eumque de Foro-Julii expulit, atque in illius domo sibi habitationem statuit.

Inde Foro-Juliensis Patriarcha dictus.

6 *Inde factum, ut* Aquileienses *Patriarchæ, quod Foro-Julii domicilium fixissent,* Foro-Julienses *dicerentur. Est vero* Forum-Julii, *vel* Forum-Julium, *Ptolemæo φόρος ἰούλιος κολωνία, Carnorum civitas ad* Natisonem *fluvium, quæ vulgo* Cividal di Friuli, *vel* cividad di Friuli *dicitur; nam et ipsa nunc regio* Forum-Julii *appellatur. De civitate Paulus Diaconus lib.* 2, *cap.* 14. Hujus Venetiæ Aquileia civitas extitit caput, pro qua nunc Forum-Julii. *Ergo* Cormonibus *(castrum est, sive oppidum, inter* Forum-Julii *et* Gradiscam, *vulgo* Cormons) Forum-Julii *migrarunt Patriarchæ : nunc* Utini *commorantur, sive* Vedini. Juliense *castrum, cujus Episcopum* Fidentium *refert Paulus, fuit fortassis* Julium Carnicum, *olim celebre oppidum, cujus nunc exigua supersunt vestigia, cum vulgari nomine* Zuglio.

Quando sederit S. Paulinus.

7 Callisto, *de quo jam diximus,* Sigualdus *successit; huic* S. Paulinus II, *cujus primordia refert Onuphrius ad annum Chr.* 776, *atque annos omnino* XXV, *vult præsedisse. Sub eo* Episcoporum contubernium Foro-Julium municipium Metropolim Aquilegiensem, veneranter coacervatum convenisse *legitur in Foro-Juliensis, sub ipso Paulino habiti, Concilii actis, de quibus infra.*

§ II. *Doctrina. Familiaritas cum Carolo Magno et Alcuino Flacco.*

Acta S. Paulini *ex monumentis Ecclesiæ Aquileiensis a Ferrario collecta, citandaque inferius, declarant eum* ob vitæ probitatem et doctrinam ad Patriarchatum fuisse assumptum. *De doctrina primum, tum de vitæ probitate agemus. Illam ostendunt quæ apud* Carolum *Magnum præclare gessit; quippe qui rebus illius, non in Italia solum, verum in Gallia et Germania, componendis præfuerit. Certe variis synodalibus conventibus sub Carolo coactis plurimum interfuisse se, ipse profitetur in Concilio Foro-Juliensi non sine querela, qui suæ interim provinciæ, quam optabat, adhibere curam non potuerit. Verum illustris eruditionis ejus testimonium vel ipsa sunt celebrata ab eo Concilia, editique de rebus divinis commentarii. Baronius tom.* 9, *Annal. Eccles. an. Ch.* 802, *nu.* 12 *ait, antequam Patriarcha fieret, fuisse litterarum politiorum professorem, quod in Caroli Magni diplomate dicatur* artis Grammaticæ Magister. *Ipsum diploma damus ex Baronio, quod, quantum eum tum coluerit* Carolus, *ostendat.*

Ob doctrinam carus Carolo Magno.

Insignis Grammaticus.

9 Carolus Dei gratia Rex Francorum et Longobardorum, et Patricius Romanorum, omnibus Episcopis, Abbatibus, Ducibus, Comitibus, Castaldis, vel omnibus fidelibus nostris præsentibus et futuris. Merito quidem a nobis sublevantur muneribus, qui nostris fideliter obsequiis famulantur. Et ideo si petitiones eorum, pro quibus nostras pulsaverint aures, ad effectum perducimus, regiam consuetudinem exercemus, atque illorum animum nobis deserviendo provocamus. Igitur notum sit omnium vestrum magnitudini, qualiter cedimus et donamus a nobis viro valde venerabili Paulino artis Grammaticæ Magistro, hoc est, res quondam et facultates quæ fuerunt Waldandii, filii quondam Mimoni de Laberiano, quæ ad nostrum devenerunt palatium, pro eo quod in campo cum Forticauso inimico nostro a nostris fidelibus fuerit interfectus; casa videlicet in Laberiano cum omni integritate et soliditate sua, id est, cum terris, domibus, ædificiis, ac colabiis, mancipiis, casis, massaritiis, cum servis, et aldionibus, vineis silvis, campis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decurcibus, mobilibus et immobilibus, omnia et ex omnibus, quantumcumque prædictus Waldandius ibi aut alicubi habere visus fuit, tam ex domo Regum aut Judicum, seu de comparato, aut de quolibet adtracto, prædicto Paulino a die præsenti tradimus atque cedimus perpetualiter ad possidendum, ita ut ab hac die prædictus Paulinus suprascriptis de rebus quieto ordine teneat et possideat; et quidquid exinde facere voluerit, liberum in omnibus perferatur arbitrium. Præcipientes ergo jubemus, ut nullus quamlibet de fidelibus aut successoribus nostris, prædicto Paulino de jam dictis rebus ullo unquam tempore inquietare, aut calumniam generare præsumat : sed omni tempore ex dono largitatis nostræ ipsas res jure proprietario valeat possidere firmissimo. Et ut hæc præceptio firmiter habeatur, vel nostris vel futuris temporibus melius conservetur; manu propria in æternum decrevimus roborare, ac de annulo nostro jussimus sigilare. Data XV Kal. Julii, anno octavo regni nostri, e Loreia civitate, in Dei nomine feliciter. *Hactenus diploma datum an. Christ.* 773, quo ipse Carolus, *inquit Baronius,* adversus Desiderium in Italiam venit. *De Carolo plura* XXVIII *Januarii.*

Donatio Caroli Magni Paulino facta, ante Episcopatum,

10 *Donationum a* Carolo *Magno factarum* S. Paulino *jam Patriarchæ meminit Sabellicus de vetustate Aquileiæ lib.* 3. Paulinus autem, *inquit,* Aquileiensis Antistes præclara quædam ab eodem Carolo obtinuit privilegia, quibus res Ecclesiæ non mediocriter aucta est.

in Episcopatu.

11 *Præter hanc apud* Carolum *notitiam, fuit magna illi cum* Alcuino *ipsius* Caroli *Magistro animorum conjunctio, forsan ex utriusque in litteras politiores affectu ac studio. Eam ipse manifestat Alcuinus ep.* 62. Quando mihi Ausoniæ nobilitatis pagina optati prosperitatem ostendet amici? ut videam si aliqua fœderatæ in Christo amicitiæ in illius pectore maneat memoria : si Albini sui nomen stylo caritatis in cordis arcano reconditum

Amicitia Paulini cum Alcuino.

reconditum habeat, sicut suavissimum Paulini Patris nomen perpetua dilectione in corde filii æternis viget litteris inscriptum. *Et mox acceptis ab eo litteris erumpit in gaudium, et* Si quid, *ait,* pleno caritatis modio superaddi potuisset, cumularem utique pristinam dilectionis plenitudinem novæ abundantia lætitiæ. *Inscribitur hæc epistola* ad quemdam, *sed* Paulinum *suggerit ad marginem in editione an.* 1617. *Quercetanus.* Ausonium, *seu Italum, eumdem appellat poemate* 212, *in quo et sacrorum ejus carminum meminit:*

Tingue tuos calamos caritas in gurgite Christi,
Atque meum pectus imple cælestibus odis;
Ut dignas valeam Paulino dicere grates,
Mellifluis nostras Musis qui impleverat aures,
Et memor unanimi longum post tempus amici
Carminibus sacris repetens: Albine valeto.
Quam festiva dies fuerat cum pagina nobis
Læta fuit titulis optatæ inscripta salutis!
Omnia dicta mihi caritatis melle manabant:
Quo se devertit lætus relegentis ocellus
Cernit ubique suæ semper nova gaudia mentis:
Maxime jam gaudens in prosperitate paterna,
Quem Deus æterno conservet tempore sanum.
O lux Ausoniæ patriæ, decus, inclytus auctor,
Justitiæ cultor, sacræ pietatis amator,
Te mea mens ardet sacris conscripta catenis,
Diligit, exquirit, complectitur, adtrahit, ambit,
Pectoris æterna secumque recondet in arca.

Doctrina ejus a Walafrido laudata.

12 *Walafridus Strabo hymnos ab eo sacros compositos refert lib. de rebus Ecclesiasticis cap.* 25. Traditur siquidem Paulinum Foro-Juliensem Patriarcham sæpius, et maxime in privatis Missis, circa immolationem Sacramentorum, hymnos vel ab aliis vel a se compositos celebrasse. Ego vero crediderim tantum tantæque scientiæ virum hoc nec sine auctoritate, nec sine rationis ponderatione fecisse. *Hæc Strabo.*

§ III. *Eximia ejus in Deum pietas, studium orationis.*

Quanta fuerit Paulinus vitæ probitate eximia ejus in Deum pietas docet studiumque orationis. Sacrificiis illius precibusque plurimum confisus Alchuvinus est. Liquet ex epistolis ejus 73 *et* 113. *Illam, una cum epistola* 72, *ad* Leonem III, *Papam detulit Angilbertus Abbas S. Richarii. Earum mentio fit in Syntagmate Pauli Petavii de Nithardo Caroli Magni nepote apud Andream du Chesne tom.* 2, *Historiæ Francorum scriptorum his verbis:* Tum vero detulit Angilbertus et Alcuini litteras ad Leonem III, et Paulinum Aquileiensem Patriarcham. *In altera, cujus inscriptio est,* Paulino sanctissimo Patriarchæ Levita Alcuinus salutem, *ita legitur:* Si nomen Paulini mei non in cera, quæ deleri potest, scripsi; ne quæso obliviscaris in tuis sanctis orationibus nomen amici tui Albini, sed in aliquo memoriæ gazo phylacio reconde illud, et profer eo tempore opportuno, quo panem et vinum in substantiam corporis et sanguinis Christi consecraveris. Diu dilectionis tuæ expectavi promissa, hoc est vivificæ crucis, vel aliarum reliquiarum patrocinia. Noli me obsecro tanto fraudare munere. *Et epist.* 93, *scribit,* se in portitoris dextram posuisse indiculum, pro filiæ suæ Liutgardis feminæ religiosæ ac Deo devotæ caussa. Nam illa sanctitati tuæ duas direxit armillas auri obryzi, pensantes XXIV denarios minus de nova moneta Regis quam libram plenam; ut orares pro ea cum Sacerdotibus tuis, quatenus divina clementia dies suos disposuisset in salutem animæ suæ, et sanctæ suæ exaltationem Ecclesiæ. Ego, de tua indubius fide, suasi ut faceret. Tu vero Pater sancte, mei et illius memor ubique, in Christi caritate valeto.

Alcuinus ejus se sacrificiis commendat:

item alios.

14 *Et epist.* 94, *ita* Aerico Duci *scribit:* Plura tibi venerande de Christianæ pietatis observatione forte scripsissem, si tibi doctor egregius, et pius cælestis vitæ præceptor, Paulinus meus præsto non esset: de cujus corde emanat fons viventis aquæ, in vitam salientis æternam. Illum habeas tibi salutis æternæ conciliatorem, ne alicubi tuæ conversationis pes impingat, sed recto itinere currens, divina donante gratia, ad perpetuæ portas vitæ pervenire mereatur. *Eadem poemate* 214, *repetit:*

Ex varius.

Ejus pietatem idem laudat.

O Pauline Pater, Pastor, Patriarcha, Sacerdos,
Pars animæ melior, nostræ pars inclyta vitæ;
Sis memor Albini, sacris altaribus adstans,
Et dulces inter lacrymas super ora fluentes,
Dic: Miserere Deus nostro clementer amico,
Criminibusque suis veniam largire benignus:
Ut te cum Sanctis liceat laudare per ævum.
Omnipotens Patris virtus, sapientia Christus,
Obsecro te supplex toto de pectore pauper,
Ut tua conservet Paulinum dextera semper,
Protegat atque regat, virtutum floribus ornet.
Tuque Maria Dei genitrix sanctissima Virgo,
Prospera cuncta meo Paulino posce, precamur:
Ut vigeat, valeat Christi repletus amore.
Vos quoque cara simul Sanctorum turba Tonanti,
Qui bibulas proni monitis cælestibus aures
Ecclesiæ Patres habuistis semper apertas,
Et nunc cum Christo cælestia regna tenetis;
Fundite, proque mei Paulini, posco, salute
Cum pietate preces summo super omnia Regi,
Ut vigeat, valeat Christi præcepta secutus.
Et vos Ecclesiæ.... sanctissima proles,
In commune preco, prostrato corpore sanus,
Angelici faciem caram Paulini habeatis in ævum,
Illius et vitam precibus commendite Christo,
Ut vigeat, valeat longævo tempore sanus.
Angelici faciem cœtus qui cernitis almam
Perpetui Patris cælesti in culmine semper,
Expansis manibus humili sed pectore posco,
Vos quoque Paulinum precibus defendite vestris,
Ut gaudens regnet vestro sociatus honori,
Æternisque Dei vobiscum laudibus adsit,
Regna beata tenens felix sine fine polorum.
Hos rogo versiculos habeas, Pater optime, tecum,
Ut tua mens memoret læto pro carmine nutum.
Sit tibi Christus amor, virtus, decus, omnia Christus.
Sit via, vita, salus, spes, laus, et gloria perpes:
Semper in ore sonet, maneatque in pectore semper;
Ut tibi cum Sanctis tribuat cælestia regna:
Qua memor esto tui nati, te posco per illum
Qui te perpetuam cæli deducat in aulam.
Et nunc et semper, mi mi Pauline, valeto.
Carminis hic finem lacrymis faciemus amatis,
Sed numquam sacri finem faciemus amoris.

Iterum se ejus precibus et lacrymis commendat.

Vicissim ei beneprecatur.

§ IV. *Conciones. Fides propagata.*

In citata ante paullo epistola 113, *ita* Paulini *in concionibus zelum deprædicat Alcuinus:* Si quid nostra petitio apud vos valeat, et tua semper apud Deum valeat petitio, qui te in tam sublimi statuit gradu, ubi ejusdem Dei Domini nostri Jesu Christi effectus.... Vide quam sublime est hoc nomen. Contende meritis esse, quod nomine vocaris, Clama, nec cesses; exalta, quasi tuba, vocem tuam. Sit guttur tuum tuba Dei. Prædica importune, opportune. Tu gallus in prædicatione, succinctus in castitate: tu aries in veritate fortissimus, cui nullus Regum resistere poterit. Tu lucerna super candelabrum in domo Dei. Tua lingua cælum claudit et aperit: aperit primum per prædicationis devotionem. Ad exemplum Christi recurre, qui per civitates, castella, vicos, villas evangelizando iter agebat: etiam et domus publicanorum, vel peccatorum, propter occasionem prædicationis, non abhorruit intrare. Spes præmii solatium sit laboris.

Alcuinus hortatur cum ad opus Evangelii.

Quid

Ex variis. Quid facio insipiens ego contra Philosophicum proverbium, ligna in silvam ferens, stillicidiis flumina irrigans? Modulum meum extuli figuræ. Obsecro per ejus amorem, qui duo minuta viduæ donis divitum præferebat. Caritas omnia suffert, in qua qui manet in Deo manet, quia Deus caritas est.

Fertur Carinthiis prædicasse. 16 *Hac ejus prædicatione Evangelica Carinthiæ populos, et nationes finitimas ad fidem Christi perductas fuisse, ex antiquis monumentis docet Ferrarius. Idemne Avaris fidem Christi annuntiarit, dubium, eum in aula* Caroli *Magni ad id munus obeundum vel destinatum, vel certe maxime ideneum fuisse habitum, conjicimus ex epistola* 112 *Alcuini ad* S. Paulinum : Forte, *inquit*, et harum lector litterarum talem se memorat, qualem me agnoscit in illis, et maxime tu, Pater sancte, de cujus corde fons vitæ emanat, caritas, et flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Et qui hæc in consolationem spei nostræ promisit, tui est inhabitator pectoris, qui est virtus sapientia Dei, in cujus potentia et gratia mirabiliter de Avarorum genere triumphatum est : quorum Missi ad domnum Regem directi subjectionem pacificam et Christianitatis fidem promittentes. Et si hoc, divina eos præveniente gratia verum est; quis se servorum Dei tam pio et laudabili labori subtrahere debet, ut diaboli diruatur sævitia, et Christi Domini crescat servitium? Sed quam plurimorum in te, Pater optime, oculi respiciunt, quid vestra veneranda sanctitas facere velit. Quia et vicinitas locorum tibi competit, et sapientiæ decus suppetit, et auctoritatis excellentia tibi appetit, et cuncta conveniunt, quæ tali operi necessaria esse videntur. Ideo meæ parvitatis curiositas propterea hujus sanctæ rei desiderat veritatem, et tuæ consilium deposcit prudentiæ : vel quid exinde agere tam bona voluntas deliberatum habeat, agnoscere flagitat. Opus enim arduum est, sed, ipsa attestante veritate : Omnia scimus esse possibilia credenti. Et qui de persequutore fecit prædicatorem, et de stercore erigit pauperem, ut sedeat cum Principibus, ipse potest de arida cordis mei caute rivulos vivi fontis et in vitam salientis, producere æternam : quanto magis de vestro pectore abundantissima flumina Gehonica, fluentia per totam Nilotici ruris latitudinem ad fecundandos diversi generis flores, diffundere valet? Audiat obsecro, per te, unanimis tuæ caritatis filius, quid paterna prævideat agendum prudentia. Certissimum itaque consilium salutis per os illius sperari debet, cujus pectoris septiformis consilii inhabitator dignoscitur.

Destinatus conversioni Avarum.

Marci. 9. 22.

17 *De Avaris alibi sæpe. In Annalibus Francorum* MSS. *qui penes nos sunt (consentiunt a Du Chesne editi tom.* 2 *Historiæ Francorum scriptorum Annales sed anno uno serius narrant) dicuntur an. Ch.* 795 *ad* Carolum *Magnum* venisse Missi Thudun, qui in gente et regno Avarorum magnam potestatem habebat. Qui dixerunt, quod ibi Thudun cum terra et populo suo se Regi dedere vellet, et ejus ordinatione Christianam fidem suscipere vellet. *Et anno sequenti* 796: Thudun, secundum pollicitationem suam cum magna parte Avarorum ad Regem venit, se cum populo suo et patria Regi dedit, et ipse et populus baptizatus est, et honorifice muneribus dotati redierunt. *Et anno* 797, Legati gentis Avarorum cum muneribus magnis venerunt. *Eadem memorant Annales Fuldenses de* Hunnis. *Et certe Paulus Diaconus lib.* 2, *cap.* 10, Hunni qui et Avares, *inquit. Relatam Alcuini epistolam post priorem legationem fuisse scriptam, facile hinc quivis intelliget.*

Conversio Avarum.

§ V. *Hæreses oppugnatæ, celebrata Concilia, libri editi.*

Concilium Forojuliense an. 791. Gemina Dei Ecclesiam eo tempore hæresis turbabat : *una in Oriente de processione Spiritus sancti; in Occidente de Verbi Incarnatione altera. Spiritum sanctum Græci quidam a solo Patre docebant procedere; Christum asserebat Elipandus Toletanus Episcopus in Hispania, cumque eo Felix Urgelitanus, secundum naturam quidem divinam Dei filium esse naturalem, secundum humanam vero adoptivum; adeoque Nestorii tanto ante extinctum dogma quodammodo suscitabant. Utrique malo remedium admovit Paulinus in Concilio provinciali quod Fero-Julii anno regni Caroli* 23, *Christi* 791, *coegit. Ibi sæpius damnata rursus jugulata hæresis est, docente Patriarcha Patrem et Filium unum esse principium processionis Spiritus sancti. Eam universæ Ecclesiæ a* S. Leonis *Magni temporibus sententiam fuisse. Ibi Elipandi et Felicis solidissime confutata, explosa, proscripta novitas. Symbola fidei Nicænum et Constantinopolitanum utrique hæresi opposita, Actisque synodicis inserta.*

Concilium Ratisponense 792.

19 *Anno sequenti* 792, *Concilium Ratisponæ collectum* in palatio Regis, ubi Felix Urgelitanus errasse convictus, ad præsentiam Hadriani Pontificis Romam missus, ubi etiam coram ipso in basilica S. Petri Apostoli hæresim confessus est, atque abdicavit. *Ita Annales Francorum editi, at* MS. *codex noster:* In Reganesburg hæresis Feliciana primo ibi condemnata est, quem Angilbertus in præsentiam Hadriani Apostolici adduxit, et confessione facta suam hæresim iterum abdicavit.

Concilium Francofurtense 794.

20 *Anno* 794, Pascha celebratum est, *ut idem habet* MS. *codex*, in Franconofurt, ibique congregata est synodus magna Episcoporum Galliarum, Germanorum, Italorum, in præsentia jam fati Principis, et Missorum Domini Apostolici Adriani, quorum nomina hæc sunt, Theophylactus et Stephanus Episcopi. Ibi tertio condemnata est hæresis Feliciana : quam damnationem per auctoritatem sanctorum Patrum in libro conscripserunt, quem librum omnes Sacerdotes manibus propriis subscripserunt. *Extant præter canones Concilii epistola Adriani Papæ, Libellus Episcoporum Italiæ, Synodica Episcoporum Galliæ et Germaniæ nomine, Caroli Magni Regis Epistola, omnia ad Episcopos Hispaniæ missa. Nuspiam appositæ sunt subscriptiones. Libellum ab ipso* Paulino *peculiariter esse compositum, ut qui eruditione ceteris præstaret, licet ex ipsis ejus verbis colligere :* Quapropter ego Paulinus, *inquit*, licet indignus peccator, omniumque servorum Domini ultimus servus, Aquilegiensis Sedis Hesperiis oris accinctæ, cui Deo auctore deservio, nomine, non merito Præsul, una cum reverendissimo et omni honore digno, Petro Mediolanensis Sedis Archiepiscopo, cunctisque cum collegis fratribus, et consacerdotibus nostris, Liguriæ, Austriæ, Hesperiæ, Æmiliæ Catholicarum Ecclesiarum venerandis Præsulibus, juxta exilem intelligentiæ nostræ tenuitatem, sancto perdocente Spiritu, corde, lingua, stylo contra eorum vesanias, qui rectæ fidei sunt adversarii, respondere non formido : cum sit sancta et universalis Ecclesia super firmam nihilominus immobiliter fundata petram, et portæ inferi nequeant prævalere adversus eam. *De eodem Libello in epistola sua Carolus :* Deinde secundo loco, quid Ecclesiastici Doctores et Sacerdotes Ecclesiarum Christi de propinqui oribus Italiæ partibus, cum Petro Mediolanensi Archiepiscopo, et Paulino Foro-Julianensi vel Aquileianensi Patriarcha, viris in Domino valde venerabilibus, intelligi vel firmiter credi voluissent, suis propriis responsionibus, exaratum posuimus libellum, quia ipsi quoque præsentes nostro Synodali conventui adfuerunt.

Libellus tum scriptus a Paulino, ceterorum nomine.

Paulini scripta. 21 *Nec hic* Paulini *zelus stetit. Tres alios contra Felicianam hæresim libros composuit (adjecta in fine Regula fidei metro scripta) quos et ipsi* Carolo *Magno dedicavit, ac* ut ejus imperiis urgentibus ad manus peritissimi Oratoris sui Albini deferrentur, obsecravit *in epistola ad* Carolum *Regem, cujus fragmentum superest. Etenim Alcuinus cum impositam a* Carolo *Rege illius refutandæ hæresis provinciam suscepisset, adjutores sibi in defensione fidei Catholicæ dari postulavit,*

lavit, Paulinum Patriarcham Aquileiensem, Richbodum et Theudulphum Episcopos, aliosque celebres Doctores ac Magistros, *ut ipse testatur epist.* 4, *et* 8, *ad* Carolum. *Hos S. Paulini libellos, cum antehac lucem non vidissent, Andreas Quercetanus una cum Alcuini operibus edidit; et septem alios libros, qui sub* S. Paulini *nomine adversus eumdem Felicem ferebantur, ostendit Alcuini verum esse ac germanum fœtum. Luculentum de S. Paulini in Concilio auctoritate et libris scriptis, extat testimonium apud continuatorem Pauli Warnefridi de historia Longobardorum.* Anno DCCXCIV. In Galliis, in loco qui Franconofurth dicitur, adversus Elifandum Hispaniarum Toletanæ Sedis Episcopum, et Felicem ejus socium, magna Synodus congregata est. Hi asserebant Dei filium adoptivum, non proprium esse. Quam hæresim viri sanctissimi Paulinus Aquilegiensis Patriarcha, et Petrus Mediolanensis Archiepiscopus, seu Alchuinus insulæ Britanniæ Archidiaconus, cum cæteris Episcopis, divinarum Scripturarum adsertionibus destruentes, proprium eum, et non adoptivum dici sanxerunt. Contra quam hæresim Leo tertius Papa congregata Romæ Synodo, multis eam Evangeliorum et sanctorum Patrum testimoniis in perpetuum damnavit. Nam et Paulinus, vir miræ scientiæ Patriarcha, adversus hanc nefandissimam hæresim tres libros luculento sermone composuit.

Laudata ab Alcuino.

22 *De his Alcuinus epist.* 81, *ad Sanctum* Paulinum *sic scribit :* Cum beatudinis vestræ litteras omni favo dulciores intueri mereor, nonne videor mihi inter varios Paradisi flores totus conversari, et avida desiderii mei dextera spiritales exinde capere fructus? Quanto magis cum sacratissimæ fidei vestræ Libellum recensui, Catholicæ pacis puritate ornatum, eloquentiæ venustate jocundissimum, sensuum veritate firmissimum, totius animi mei habenas in lætitiam laxavi! Ubi de uno lucidissimo et saluberrimo Paradisi fonte, quatuor virtutum flumina, non solum Ausoniæ fertilitatis prata, sed totius Ecclesiasticæ Latinitatis rura irrigare conspexi. Ubi et aurivomos spiritalium sensuum gurgites gemmis scholasticæ urbanitatis abundare intellexi. Quam plurimis vero profuturum, et pernecessarium fecistis opus, in Catholicæ fidei taxatione, quod diu optavi, et sæpius Domino Regi suasi, ut Symbolum Catholicæ fidei planissimis sensibus, et sermonibus luculentissimis in unam congregaretur chartulam; et per singulas Episcopalium regiminum parochias omnibus daretur Presbyteris legenda, memoriæque commendanda : quatenus licet lingua diversa loqueretur, una tamen fides ubique resonaret. Ecce, quod mea optavit humilitas, vestra implevit sublimitas. Habet apud salutis nostræ auctorem, perpetuam scilicet et hujus bonæ voluntatis mercedem : et hujus perfecti operis apud homines laudem. Semper ferventissima caritas vestra castra perpetui Regis undique invictissimis fidei clypeis muniat : ne antiqui hostis versutia, aliqua ex parte aditum suæ nequitiæ invenire valeat.

23 *Et post pauca :* Tu vero vir Apostolice, hac armatus potestate, viriliter pugna, fortiter vince, ut feliciter regnes cum Christo. Heu pròh dolor! multi solent desuper contextam Christi tunicam hæreticis scindere unguibus, et in pace Ecclesiæ facere, quod milites in passione Christi non ausi sunt facere. Quapropter venerande Pater et doctissime athleta, et dulcissime Doctor, simus semper in castris Christi commanipulares, et in una acie, sub vexillo sanctæ Crucis concordi consilio et virtute præliantes, ut suos adversarios per nos vincat, qui vinci non potest. *Ac tandem sub finem :* Tuum est, o Pastor electe gregis, et custos portarum civitatis Dei, qui clavem scientiæ potente dextera tenes, et quinque lapides limpidissimos læva recondis, blasphemantes exercitum Dei viventis Philistæos in superbissimo Goliath uno veritatis ictu totos conterere. Nostrum est elevatis cum Moyse manibus in cælum, humilitatis precibus te adjuvare, et spectare cum David in munitissima civitatis turre, donec speculator ex alto culminis fastigio clamitans, nobis tuam adnuntiet victoriam. Ad te omnium aspiciunt oculi, aliquid de tuo affluentissimo eloquio cæleste desiderantes audire : et ferventissimo sapientiæ sole frigidissimos grandinum lapides, qui culmina sapientissimi Salomonis ferire non metuunt, per te citius resolvi expectantes. Tu vero lucerna ardens et lucens, nos in tua luce exultare gaudemus, ut te lucente et ducente ad lumen, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, ejusdem æternæ lucis gratia adjuvante pervenire mereamur.

Variæ ejusdem laudes.

Ex variis.

§ V. *Immunitas Ecclesiastica defensa.*

Celebravit Altini, oppido provinciæ Aquileiensis S. Paulinus *Concilium anno Christi, ut vult Baronius,* 802, Leonis *Papæ III* 7, *imperii* Caroli *Magni* 2, *cujus Concilii nomine* S. Paulinus Carolum *provocavit ad ultionem immanissimi sceleris a Venetorum Duce perpetrati, cum in Gradensem furens Episcopum, eumdem e turri præcipitem dedit.* Produnt Annales Veneti, *ut Baronius anno Chr.* 802, *et Binius tomo* 3, *Conciliorum parte* 1, *sect.* 2, *annotarunt,* Joannem Ducem adversus Joannem Gradensem Patriarcham ira commotum, classe comparata, ingentem patrasse cædem, ipsumque Patriarcham e celsa turri præcipitem dedisse. Adversus ista adeo nefanda, ejus regionis Episcopi in unum coacti, litteris scriptis auxilium postulavere Francorum. Porro sequenti anno in locum necati Patriarchæ substitutus est Fortunatus; cui Leo Papa pallium concessisse reperitur, eodem anno Indictione undecima, duodecimo Kalendas Aprilis. Sed quæ caussa præcesserit, ut Joannes Episcopus Gradensis tam immaniter trucidaretur, sic accipe : Christophorus homo Græcus Ulivolensis Episcopus, Joanne Duce concedente, ac gratia Nicephori Imperatoris ea in re serviente, fuerat constitutus. Quam rem cum iniquo animo ferrent Venetiarum Tribuni, Joannem Gradensem Patriarcham, ne illum consecraret, orarunt. Itaque Joannes obsecutus, Christophorum non solum non consecravit, sed etiam a piorum communione semovit. Quo facto Joannes Dux usque adeo exarsit ira, ut Mauricio filio Duce assumpto classem Gradum adduxerit, atque oppido primo adventu capto, Patriarcham arreptum ex celsissima turri precipitarit. *Hæc Baronius. At Sabellicus Enneadis* 8, *lib.* 9, *et Petrus Justinianus Historiæ Venetæ lib.* 1, *scribunt Patriarcham illum a nefariis Ducibus occisum, quod eorum immania flagitia argueret.*

Ducis Veneti adversus Patriarcham Gradensem immanis crudelitas.

25 *Epistola S. Paulini ad Carolum Imperatorem ita habet :* Catholico semperque inclyto triumphatori Domino Carolo, divina coronante clementia Imperatori, Paulinus minimus omnium servorum servus, concordi parilique devotione, cum fratribus, et cum consacerdotibus nostris, roseo in Christo Jesu cruore æternas multipliciter supplici concinamus stylisona voce salutes. Et sacris paternorum canonum valenter incitantibus documentis, et vestris (ut verum resonat) mellitis salubribus irrorantibus syllabis in hac, cui Deo auctore, licet indignus indignoque famulatu deservio. Sede, Concilium habitum Altini fuisse, sub nomine Regis tranquillissimis vestræ serenitatis auribus operæ pretium duximus humillimis horum, quamvis incultorum, apicum suppliciter notululis intimare, *et inferius.* De Sacerdotibus autem plagis impositis semiquevivis relictis, vel certe diabolico fervescente furore, per ejus satellites interemptis, non meum, sed vestræ definitionis erit judicium : in vestræ itaque potestatis altitudine, in quodam judiciali libello a sanctis olim Patribus salubriter prælibato legisse

Ex variis. legisse me recolo reservatum. Ob quam igitur caussam hæc fecerint, vestris certius scio omnino non latuisse, neque latere sacris memoriis. Neminem namque alium arbitrati sunt sanctam Ecclesiam de illatis injuriis tam potentissime, quam regali animadversione ulcisci, vicariam ab eo vicissitudinis expetens curam, ut quemadmodum illa eum et in præsenti seculo, et inter bella spiritalibus non cessat coronare triumphis, et cælesti regno, divinam implorando clementiam, particpem fieri imprecatur, ita et ille principalem adeptus potentiam, et ab inimicis ejus valenter eam defendere, et de hostibus ejus ultrici invectionis sententia non desinat vindicare. Non igitur dedignetur benignitatis vestræ excellentia, sollicitudinis erga eam pro hoc negotio vigilanter gerere curam, rememorantes per omnia sacri fontis utero, de quo multo longe felicius estis renati, fideique lactis dulcene enutriti, quam prius materna, bene quamvis, vulva generati, carnalibus estis uberibus ablactati. Egrediatur quapropter (si placet) una de hac re per universam regni vestri late diffusam monarchiam decretalis sententiæ ultio, quæ nulla umquam possit inimica veritatis, et adversatrix justitiæ, quolibet urgente refragationis instinctu, oblivio abolere. Valde enim hujus sceleris truculenta præstigia, ob incuriam disciplinæ, per cunctas mundi Ecclesias pervaluere partes. Unde vestri est censura magisterii resecanda hæc noxalis morbi modis omnibus pestis, et potentissima docilique funditus manu extirpanda, quatenus sit sancta Ecclesia vestris adjuta præsidiis libera, ab humano sanguine impolluta, quæ Christi est pretioso sanguine purpurata; quocirca ejusdem retenti feliciter gremio, et in hac vita incolumes, et gloriosi, et æterna beatitudine gaudebundi, semper potiamini et felices, per Jesum Christum Dominum nostrum, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus in Trinitate perfecta per omnia secula seculorum, Amen.

Paulinus Carolum ad ultionem hortatur.

§ VII. *Obitus. Publica veneratio.*

Annus mortis. Habitus est, *inquit Quercetanus,* Paulinus ipse, sicut et Alcuinus doctrina ac sanctitate celebris, ipsumque et in vita et post mortem miraculis claruisse testantur Aquileiensis Ecclesiæ, cui præfuit, antiqua monumenta. Diem extremum obiit anno salutis DCCCII, ut auctor est Hermannus Contractus in Chronico. *Hæc Quercetanus. In Chronico Hermanni Contracti, quo usi sumus, altum de obitu* Paulini *silentium. Ast in Annalibus Francorum Fuldensibus hæc habentur :* Anno DCCCII, Paulinus Patriarcha Foro-Juliensis obiit, *e quibus Baronius an.* 802, *num.* 11, *corrigit, quæ habentur in ejus vita, ipsum diem obiisse anno Domini octingentesimo quarto. Constat ex superius dictis* Leonem *Papam Gradensi Patriarchæ Fortunato, Joannis a Veneto Duce interempti successori, pallium concessisse Indict.* XI, *ann.* 803, *mense Aprili; quo fortassis anno ineunte obiit* Paulinus, *mense Januario, qui secundum calculum Gallorum, annos a Paschate auspicantium, anno præcedenti accensebatur.*

Annua festivitas. 27 *Natalem ejus celebrant hoc die Carthusiani Colon. in Addit. ad Usuardum :* Item Paulini Patriarchæ Aquileiensis. *Idem habet Martyrologium Germanicum, in quo* Aquileia Aglar *appellatur.* MS. *Martyrol. S. Mariæ Ultrajecti :* In Aquilegia Paulini Patriarchæ. MS. *Martyrol. monasterii S. Martini Treviris :* Aquileiæ Paulini Patriarchæ. *Ferrarius in catalogo generali Sanctorum ex Tabulis Ecclesiæ Civitatensis et Aquileiensis :* Foro-Julio in Carnis S. Paulini Episcopi Aquileiensis. *Ejus res gestas ex monumentis citatæ Ecclesiæ breviter ita describit idem Ferrarius in catalogo Sanct. Italiæ.*

Vita ex Ferrario. 28 Paulinus ob ejus vitæ probitatem, et doctrinam ad Episcopatum, sive Patriarchatum Aquileiensem Carolo Magno Imperatore assumitur, cui Imperatori ita carus fuit, ut rebus non Italia solum, verum et in Gallia, ac Germania, componendis ejus opera uteretur; et multas opes, quas tamen ille pauperibus distribuit, elargiretur. Adversus hæreticos strenue certavit, maxime vero in Concilio Francfordiæ, Hadriano primo Pontif. Max. adversus Iconoclastas coacto. Ipse Concilium Foro-Juliense, in quo plura contra hæreses, et pro morum reformatione sancivit, indixit, et celebravit. In iis occupatus, haud tamen de vitæ suæ austeritate aliquid remittebat, cum jejunia, vigilias, pias meditationes, et ceteras exercitationes spirituales assidue prosequeretur. Prædicationi quoque Evangelicæ vacabat, qua Carinthiæ populos et nationes finitimas ad fidem Christi perduxit. Martyrii cupidus fuit, licet autem voti compos non fuerit, multas nihilominus a Barbaris perpessus est injurias et molestias. Multis etiam claruit miraculis, quibus doctrinam a se prædicatam confirmabat. Ejus caussa Carolus Imperator multis muneribus ac privilegiis Aquileiensem Ecclesiam decoravit. Multis tandem laboribus pro Ecclesia perfunctus, senioque confectus migravit ad Christum an. sal. DCCCIV, Foro-Julii in majori basilica sepultus. Cujus natalis III Non. Jan. ab Ecclesia Aquileien. celebratur. *Hæc Ferrarius, qui videtur voluisse scribere* III Idus Januarii. Basilica *prædicta Dei Genitrici semperque Virgini sacra fuit, in qua ipse Concilium Foro-Juliense celebravit Ferrarius in generali Catalogo ait,* corpus ejus adhuc in Ecclesia Civitatensi asservari et coli. *Ei hoc Epitaphium posuit Alcuinus poemate* 213.

Epitaphium.

Hic Paulinus ovans toto requiescit in ævo,
Hocque cubile Pater dignus dignetur habere.
Invidus hoc templum numquam pertranseat hostis,
Ne caros animis subito disjungat amicos,
Quos Christi caritas caros conjunxit amicos.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

APPENDIX

ADDITIONUM, RETRACTATIONUM, ANNOTATIONUM, AD PRIMOS XI DIES JANUARII.

AD I JANUARII.

NOT. 1. *Ad catalogum Prætermissorum pag.* 2, *addatur* [S. Clarus, apud Pictones sub Gallieno martyrio coronatus, *memoratur ab Andrea Saussaio in Supplemento Martyrologii Gallicani; iterumque in ipso Martyrologio* XX Julii.

S. Quintini Martyris, } corporum transvectio *hoc*
S. Cassiani Episcopi, } *die consignata est in eodem Martyrologio Gallicano Saussaii, quæ tradit semel atque iterum Laudunum ob incursionem Normannorum esse deportata: atque inde tandem proprium in locum Augustam Veromanduorum relata.*

De S. Cassiano *Ep. Augustodunensi agemus* V Augusti.

De S. Quintino *Martyre* XXXI Octobr.

Franciscus Spoletinus, Ordinis Minorum, (*quem S. Antoninus* 3 *par., tit.* 24, *cap.* 9, § 10, *Wadingus tom.* 2, *Annal. Minor. ad an.* 1288, *num.* 36. *Bosius de signis Ecclesiæ tom.* 1, *lib.* 7, *cap.* 3, *sect.* 13. *Marcus Ulyssippon. par.* 2. *lib.* 5, *cap.* 17, *testantur, Damiatæ in Ægypto martyrium subiisse*) *refertur hoc die in Martyrol. Franciscano Arturi Monstierii. Nobis non constat, an publico Ecclesiæ judicio sit in sanctorum Martyrum tabulas relatus.*

Hieronymus ab Albintimilio, *sive* a Vintemiglia *(ut vulgo nunc loquuntur) refertur ab eodem Arturo in Martyrol. Franciscano. Testatur certe Franciscus Gonzaga in Origine Seraphicæ religionis. par.* 2, *provin. Siciliæ, Conventu* 21 *in tractu Triocalensi monasterium extare Seraphicis Ordinis* S. Mariæ de Jesu *appellatum, ubi* beatorum Patrum, *ut ait,* Guliermi ab Intimelio, sive Vintimilio, hujus olim provinciæ Vicarii, ac Ludovici Catalagironensis, nec non et B. F. Pauli Triocl ensis, sive a Randatio, laici professi, corpora optimo loco recondita in Christo quiescunt, et a secularibus, ob miracula quæ ibi contingunt, in maxima veneratione habentur. *Hæc ille. Verum an publica Ecclesiæ auctoritate aliquis eis honos decretus sit, nos latet.* Ludovicum *hic a Gonzaga memoratum, refert Monstierius,* XXXI *Julii,* Paulum *vero* XXVII *ejusdem.*

DE SACRO CHRISTI PRÆPUTIO.

NOT 2. *Pag.* 4, *col.* 1, *nu.* 3, *post testimonium* Innocentii III, *Papæ, adde* [*Odo Gisseius noster in historia Podiensi scribit, sacrum illud pignus amplius* Carosii *(quod in Pictonibus est cœnobium) non extare, simili prope casu, quo suum Antverpiensibus, ereptum.*]

NOT. 3. *Christi præputium Podii.* *Eadem pag. post nu.* 3, *adde* [*Idem Gisseius noster hist. Podien. lib.* 1, *cap.* 17, *testatur, etiamnum asservari Podii, sive Anicii Velaunorum, Christi præputium, sive ejus partem, et magna veneratione circum-gestari in solenni supplicatione festo Ascensionis, et die Dedicationis Ecclesiæ* XI *Julii.*

NOT. 4. *Pag.* 6, *col.* 1. *post nu.* 22, *adde* [*Eamdem historiam aliquanto brevius recenset Silvester Petrasancta noster in sacris Bibliorum metaphoris, centur.* 1, *metaph.* 33.]

NOT. 5. *Eadem pag. col.* 1, *post nu.* 23, *adde* [*Eadem testimonia aliaque succincte recitat Augustinus Wichmannus Brabantiæ Marianæ lib.* 2, *cap.* 22.]

NOT. 6. *Culter circumcisionis.* *Pag.* 8, *col.* 2, *ad finem tractatus de Christi Præputio, adde* [*Testatur Andreas Saussaius in Supplemento Martyrol. Gallicani, asservari Compendii in basilica SS. Cornelii et Cypriani, et hoc die populo ostendi, cultrum lapideum, quo circumcisus est Christus.*

DE SS. ELVANO ET MEDVINO.

NOT. 7. *Pag.* 10, *col.* 1, *nu.* 1, *post, Avalonæ sepultos, adde* [*In posteriore Martyrologii Anglicani editione refertur* S. Medvinus *Kalendis Januarii, at* S. Elvanus XXVI *Septembris.*

NOT. 8. *Ibidem col.* 2, *in fine, adde* [*De tota hac legatione agemus plenius* III *Decembris ad* S. Lucii *vitam, et* XXVI *Maii ad* S. Eleutheri. *Disputat de ea fuse Jacobus Usserius in Britannicarum rerum antiquitatibus cap.* 3 *et* 4, *et Michael Alfordus noster in Britannia illustrata.*]

AD VITAM S. MOCHUÆ, SIVE CUANI.

NOT. 9. *Pag.* 46, *post cap.* 2, *ad nu.* 3 *addatur* [*a* S. Colmani Elo, *sive* Columbani, *Vitam dabimus* 26 *Septembris, in qua tamen hoc miraculum non memoratur.*]

NOT. 10. *S. Fintani asperitas divinitus punita.* *Ibidem post cap.* 3, *ad nu.* 6 [*a Colitur* S. Munnus, *qui et* Fintanus, 21 *Octobris. Geminam ejus vitam habemus, et in utraque lepra ei divinitus inflicta dicitur, quod aspere suos corriperet, ac ruborem iis incuteret, quod numquam* S. Molva *fecerat: nec elegisse sibi lepram, sed in exilium ultro abire voluisse, ne amplius præsset monachis; verum id vetante Angelo, postridie dicitur lepra percussus, atque illud flagellum patienter ultra* 20 *annos tolerasse. Non fit tamen isthic mentio curatæ a* Mochua *lepræ.*]

NOT. 11. *Ibidem post cap.* 4, *ad nu.* 8 [*a Habemus vitam* S. Kenani *Episcopi, sed correctione egentem; in qua idem de serenitate Sanctorum precibus impetrata refertur, nulla tamen facta peculiari* S. Mochuæ *mentione.*

AD VITAM S. MOCHUÆ BALLENSIS.

NOT. 12. *Pag.* 48, *post cap.* 1, *ad nu.* 3 [*a De* S. Gongello, *sive* Congallo, *et nobilissimo monasterio* Banchor, *agemus* 10 *Maii. Aliud fuit* Banchor *cœnobium apud Britannos in Cestrensi Comitatu, cujus alumnus fuisse Pelagius hæresiarcha existimatur.*

DE S. AGRIPPINO EP.

NOT. 13. *Pag.* 49, *post ea quæ de* S. Agrippino *dicuntur, addatur* [*Andreas Saussaius in Martyrol. Gallicano,* VII *Martii* S. Agrippinum *adscripsit. Postea tamen illum in catalogum retulit eorum quorum ignorabat natales.*]

AD VITAM S. EUGENDI.

NOT. 14. *S. Eugendi ætas.* *Pag.* 49. *Hæc vita ante* S. Fulgentii *Episcopi Ruspensis Vitam reponenda. Nam cum sub* SS. Romano *et* Lupicino, *qui sub* Chilperico *Burgundionum Rege floruerunt, monachus sit factus, et sexagesimo primo ætatis anno mortuus, non potuit ad annum* DXXIX, *quo* S. Fulgentius *decessit, pervenire. Sed de* SS. Romani et Lupicini *ætate plenius suo loco agemus.*

NOT. 15. *Pag.* 52, *cap.* 7, *nu.* 9, *in margine citatur Ruffinus lib.* 7, *histor. Eccles. c.* 26, *corrige* [*cap.* 25.] *Cujus autem isthic mentio fit, est* S. Gregorius Thaumaturgus, *qui colitur* XVII *Novembr.*

DE S. MARINO ABB. LERIN.

NOT. 16. *S. Marini ætas.* *Pag.* 55, *col.* 2, *lin.* 3, *adde* [*Inscripsit quoque* Marinum *Gallicano Martyrologio Andreas Saussaius.*] *Debet autem ante* Cuanum Cronanumque *reponi, cum ii sub finem sexti seculi, aut initium septimi decesserint, ipse vero cum discipulis* S. Eugendi *vixerit.*

AD

Ex variis.

AD VITAM S. GUILIELMI ABB.

not. 17. Pag. 37, col. 2, nu. 5, *tradit Claudius Robertus inter alias etiam* Vezaliensem *reformasse, repone* [Verciacensem] *de qua cap.* 5, *agitur, et* 13 *Janu. in Vita* S. Viventii.

not. 18. *Pag.* 60, *post cap.* 5, *ad nu.* 17 [*a Saussaius in supplem. Junii* VII *consignat ordinationem sive consecrationem* S. Guilielmi *in Abbatem monasterii Divionensis* S. Benigni. *Wion eo die depositionem ejus refert, refragante Glabro Vitæ scriptore. Eodem die nomen* S. Guilielmi *suis fastis inscripserunt Ferrarius et Dorganius, veluti is illius esset natalis.*

DE S. CLARO SALIGHENSTADIEN.

not. 19. Pag. 63, *post nu.* 2, *col.* 2, *addatur* [*Incidit aliquando subvereri, ne* Clarum, *Abbatem monasterii S. Marcelli, monachum cœnobii SS. Marcellini et Petri fecerit Trithemius. Certe quidem eo antiquiorem neminem legimus, qui hujus* Clari *meminerit. Sed magnum momentum habet traditio ipsius monasterii, fortassis et monumenta, nobis ignota.*

AD VITAM S. ODILONIS ABB.

not. 20. *Pag.* 66, *post cap.* 2, *ad nu.* 10, [*a Colitur* S. Majolus II *Maii. Ceterum, ut supra in Vita* S. Guilielmi *Abbatis cap.* 10, *num.* 26, *testatur Glaber, S. Guilielmi hortatu primum permotus est* Odilo, *ut monasticam vitam capesseret, venitque paullo post ad* S. Majolum.

AD II JANUARII.

not. 21. Pag. 78, *col.* 2, *ante* S. Silvestrum monachum, *repone* [B. Odino, sive Otteno, aut Otto, Abbas Rothensis, ord. Præmonstratensis in Suevia.] *Et expunge quæ inter Prætermissos de eo dicuntur. Plenius de eo infra agemus.*

Ad catalogum Prætermissorum addatur [S. Vincentius Confessor *refertur hoc die a Saussaio, diciturque propria illi dicata apud Rutenos Ecclesia, in qua* S. Tarsitiæ *Virginis conditum corpus, ut* XV *Januarii dicimus.*

Theodorus Episcopus Massiliensis *refertur hoc die et* Sanctus *prædicatur a Saussaio. Illustria sunt quæ de eo scribit in historia Francorum S. Gregorius Turonensis; neque dubitandum videtur, quin Sanctis jam olim fuerit annumeratus. Sed, ut Massilia accepimus, neque officio Ecclesiastico colitur, neque de ejus veneratione isthic quidquam extat. Claudius Robertus scribit Ferrarium tradere eum coli* II *Januarii : nihil in Ferrario simile reperimus; solum scribit ab eo* S. Defendentis *Acta litteris esse tradita.*

Pragæ Allatio prima reliquiarum *hoc die celebratur, ut patet ex veteri Kalendario De ea isthæc habentur in MS. Martyrologio Ecclesiæ Metropolitanæ :* IV Non. Januarii, Octava S. Stephani et festum omnium reliquiarum, quas Christianissimus Princeps Carolus IV Romanorum Imperator semper Augustus, et Bohemiæ Rex, in diversis mundi partibus magnis obtinuit precibus, prout in suis locis singulariter infra describuntur. Et easdem reliquias auro et argento et gemmis pretiosissime ornatas donavit Ecclesiæ Pragensi. Hoc festum Papa Innocentius VI, ad instantiam dicti Imperatoris constituit in diœcesi Pragensi solenniter celebrari, et omnibus ipso die ecclesiam Pragensem visitantibus, confessis et contritis donavit indulgentiam unius anni et unius quadragenæ, perpetuis temporibus duraturam. *Hæc ibi. Enumerantur deinde suis diebus hæ reliquiæ a Carolo IV, Pragam allatæ :*

Variæ SS. reliquiæ Pragam a Carolo IV allatæ.

S. Erardi Episcopi *reliquiæ aliquæ* VIII *Januarii.*
S. Mauri Abb. *costa* XV *Januarii.*
S. Antonii Abb. *digitus* XVII *Januarii.*
S. Sebastiani M. *pars capitis* XX *Januarii.*
S. Vincentii M. *caput* XXII *Januarii.*
S. Ananiæ Apostoli *caput* XXV *Januarii.*
S. Valerii Ep. Trevir. *capitis pars* XXIX *Januarii.*
S. Ignatii Ep. Antiocheni M. *caput* I *Februarii.*
Deiparæ Virginis *cingulorum duorum partes duæ* II *Feb.*
S. Agathæ V. *reliquiarum pars* V *Februarii.*
S. Petri Apostoli *baculi pars* XXII *Februarii.*
S. Matthiæ Apostoli *reliquiæ aliquæ* XXIV *Februarii.*
S. Gregorii Magni *caput* XII *Martii.*
S. Longini M. *caput et brachium* XV *Martii.*
S. Narcissi Ep. M. *reliquiæ* XVIII *Martii.*
S. Pigmenii M. *pars capitis* XXIV *Martii.*
S. Marci Evangelistæ *corporis pars, et pars autographi ejus Evangelii* XXV *Aprilis.*
S. Petri M. ord. Prædicat. *reliquiæ aliquæ* XXIX *Aprilis.*
S. Philippi Apostoli *brachium* } I *Maii.*
S. Sigismundi Regis *corpus* }
Sacræ Crucis Christi *partes duæ* III *Maii.*
S. Antoniæ V. M. *caput* IV *Maii.*
S. Joannis Evangelistæ *pars tunicæ* VI *Maii.*
SS. Gordiani et Epimachi MM. *reliquiæ* X *Maii*
S. Victoris M. Syri *caput et brachium* XIV *Maii.*
S. Urbani Papæ M. *caput et pars corporis* XXV *Maii.*
S. Medardi Ep. *brachium* VIII *Junii.*
S. Viti M. *corpus* }
S. Modesti M. *reliquiæ aliquæ* } XV *Junii.*
S. Aurei Ep. Moguntini M. *pars brachii* XVI *Junii.*
S. Protasii M. *brachium* XIX *Junii.*
S. Albani M. Moguntini *corporis pars* XXI *Junii.*
S. Pauli Apostoli *pars baculi* XXIX *Junii.*
S. Udalrici Ep. Augustani *caput et brachium* IV *Julii.*
S. Januarii M. Armeni *corpus* XI *Julii.*
S. Hermagoræ Ep. et M. *brachium* XII *Julii.*
S. Mariæ Magdalenæ, *reliquiæ aliquæ* XXII *Julii.*
S. Annæ *digitus* XXVI *Julii.*
S. Marthæ V. *reliquiæ aliquæ* XXIX *Julii.*
S. Petri Apostoli *catenæ pars* I *Augusti.*
S. Sixti Papæ M. *pars capitis* VI *Augusti.*
S. Romani M. *caput* IX *Augusti.*
S. Laurentii M. *brachium* X *Augusti.*
S. Hilariæ M. *caput* }
S. Claræ V. *reliquiæ aliquæ* } XII *Augusti.*
Deiparæ Virginis *pepli duplicis pars* XV *Augusti.*
S. Sebaldi Confess. *reliquiæ aliquæ* XIX *Augusti.*
S. Stephani Regis Hung. *digitus* XX *Augusti.*
S. Bartholomæi Apost. *pars capitis* XXIV *Augusti.*
S. Hermetis M. *brachium et aliæ reliquiæ* XXVIII *Aug.*
S. Euphemiæ V. M. *brachium* }
S. Geminiani M. *brachium* } XVI *Septembris.*
S. Matthæi Apostoli *costa* XXI *Septembris.*
S. Mauricii M. *brachium et gladius* XXII *Septembris.*
S. Leodegarii Ep. M. *caput* II *Octobris.*
SS. Sergii et Bacchi MM. *corporum pars* VII *Octobris.*
S. Abrahæ, }
S. Isaaci, } *Patriarcharum, reliquiæ aliquæ* IX *Octobris.*
S. Jacobi, }
S. Dionysii Parisiorum Apostoli *brachium* IX *Octobris.*
S. Galli Abb. *caput et brachium* XVI *Octobris.*
S. Florentii Ep. Arausicani *brachium, mandibula, et pars corporis* XVII *Octobris.*
S. Lucæ Evangelistæ *caput* XVIII *Octobris.*
S. Sapientiæ Virginis Ursulanæ *corpus* XXI *Octobris.*
S. Sophiæ V. Ursulanæ *(si non eadem est) reliquiæ aliquæ.*
S. Narcissi Ep. Hierosolym. *reliquiæ aliquæ* XXIX *Octob.*
S. Leonardi Abb. Lemovic. *caput* VI *Novembris.*
S. Theodori M. *brachium et aliæ reliquiæ* IX *Novembris.*
S. Martini Ep. Turon. *dens* XI *Novembris.*
S. Othmari Abb. *caput* XVI *Novembris.*

S. Clementis

S. Clementis Papæ M. *catena* XXIII *Novembris.*
S. Catharinæ V. M. *reliquiæ aliquæ* XXV *Novemb.*
S. Saturnini M. *reliquiæ aliquæ* XXIX *Novembris.*
S. Luciæ V. M. *digitus* } XIII *Decemb.*
S. Othiliæ V. *brachium et aliæ reliquiæ* }
S. Lazari fratris Magdalenæ *brachium et pars magna corporis* XVII *Decembris.*
S. Stephani Protomart. *caput et articulus* XXVI *Dec.*
SS. Innocentium MM. *brachium unum* XXVIII *Dec.*

Cæcilia, sive Helena Coppoli, *Virgo ex ordine S. Claræ, refertur hoc die, et* Beata *appellatur, a Ludovico Jacobilli in libro de SS. Fulginatibus, et ab Arturo Monstierio. Verum neuter indicat an ea illi appellatio ab Ecclesia decreta sit.*

S. Paschasius Ratbertus, Abbas Corbeiensis, *scriptor vitæ S. Adelardi, refertur hoc die a Saussaio, ab Hugone Menardo in Martyrol. Benedictino* XXVI *Apr.*

AD SS. FRONTASII ET SOC. ACTA.

NOT. 22. *Pag.* 79, *dele in margine* SECULO I. *Nam, ut ad vitam* S. Frontonis XXV *Octobris dicemus, id merito controvertitur. Ceterum hæc Martyrum Acta breviate excerpta sunt ex prolixiore Vita* S. Frontonis, *quam posterius nacti sumus. Verum eam* a nupero quodam et ridiculo scriptore, non ante 400, aut circiter annos, compositam fuisse *ostendit Franciscus Bosquetus Ecclesiæ Gallicanæ historiarum to.* 1, *num.* 15, *et parte* 2, *aliam recitat paullo antiquiorem et longe diversam, etsi nequaquam per omnia probatam; ex qua conficere licet non fuisse primum Petracoriorum Apostolum* Frontonem. *Ceterum Sanctos hos quatuor Martyres ita celebrat in Supplemento Martyrologii Gallicani Saussaius:* Petracoricis natalis sanctorum Martyrum Frontani, Severini, Severiani, et Silani, discipulorum S. Frontonis, quos Squirius Præses ethnicus im pia sententia damnavit, fecitque ob fidei Jesu Christi confessionem gladio obtruncari. *S. Silanum, alii* Silvanum *vocant: cui in urbe Petracoricensi dedicatam esse basilicam testatur Andreas du Chesne in lib. de Antiquitat. Galliæ.*

S. Frontonis Episc. vita.

DE S. DEFENDENTE ET SOCIIS.

NOT. 23. *Pag.* 80, *post num.* 1, *adde* [*Hos in territorio Viennensi passos scribit Saussaius in Martyrol. Gallicano hoc die.*

NOT. 24. *Ibid. col.* 2, *post num.* 4, [*Carolus Episcopus Novariensis lib.* 1, *historiæ Ecclesiæ suæ de* S. Defendente *ita scribit*: His eisdem subalpinis regionibus S. Defendens frequenti sane cultu, ut Martyr, afficitur. Plurimis in locis etiam ex voto publico dies ejus festus celebratur postridie Kal. Januar. Ejus nomine altaria, oratoria, sodalitates dicatæ sunt. Idem nomen multis pietatis gratia tribuitur, militari habitu pingitur, et contra luporum rabiem, incendiorumque vim invocatur. Fuisse unum ex Thebæis Martyribus scribit Guillelmus Baldesanus in hist. Thebæa, dum de translatione S. Mauritii agit; quin etiam duos putat ejusdem nominis; alterum sepultum apud Massiliam, de quo Galesinius in Martyrol. ex tabulis Ecclesiæ Bergomensis; alterum in Italia, de quo ipse nonnulla narrat. De eo nihil Baronius.

S. Defendentis cultus, imago, patrocinium.

DE S. ISIDORO EP. M.

NOT. 25. *Pag.* 83, *post nu.* 4, *adde*[*Antonius Quintanaduenas noster lib. de SS. Hispalensibus censet* S. Isidorum, *qui hoc die celebratur,* Episcopum Cæsaraugustanum *fuisse,* Valerii III, *successorem. Ita nempe Juliani Petri Chronicon num.* 244. In Libiza transfertur corpus S. Isidori x, Episcopi Cæsaraugustani, qui veniens Amphilochiam Gallæciæ urbem, ab Arianis occiditur. Missum est corpus nocte in Minium, et ibi sepultum est. Post anno 8, repertum est. Is fuerat vir Consularis, natus Hispali in Hispania, Consul cum Lanato; post vocatus, Numanus.

S. Isidorus an. Episcopus Cæsaraugustanus.

6 *Martinus Carillius post vitam* S. Valerii, *Cæsaraugustanorum Antistitum catalogum contexit, in eoque sextum recenset* Valerium III, *at successoris vulgo ait ignorari nomen, in quibusdam tamen MSS. codicibus* Isidorum *appellari, dicique non* Antiochiæ, *sed* Amphilochiæ *martyrium subiisse. Atque is ipse videtur esse, cujus zelum Ascanius Tarraconensis et reliqui Episcopi illius provinciæ commendant in epistola ad Hilarum Papam, qua de ordinatione Episcopi per Silvanum Calaguritanum contra Patrum regulas et Nicænos canones facta conqueruntur*: Hinc factum est, *inquiunt,* ut de ejus miserrima temeritate ad nos Cæsaraugustanæ urbis Episcopus frater noster universa referret; cujus diligentia et sollicitudo admodum prospexerat, si in aliquo profuisset. Siquidem cunctis in vicinia positis Episcopis ne se schismatico adjungerent frequentissime contradixit etc. *Extat ea epistola tom* 2, *Conciliorum, estque in Concilio Romano an.* 465, *recitata.* Ex variis. *It vir doctus et zelosus,*

7 *Hunc ergo virtute et eruditione præstantem Antistitem, scribit Quintanaduenas Catholicæ religionis amplificandæ gratia etiam alias provincias adiisse, et gloriosa tandem nece Amphilochiæ apud Gallæcos perfunctum. Verum eo venerit prædicandi caussa, an a Gothis relegatus* Isidorus, *non expressit Julianus, qui in eodem Chronico nu.* 228, *de eo ita scribit*: Floret memoria in Hispaniis S. Isidori Episcopi Cæsaraugustani ab hæreticis Arianis occisi. *Ceterum memorata veteribus, ac nominatim Straboni* Amphilochia *est, Callaicorum urbs, quæ Ptolemæo* Aquæ calidæ, *Antonino Aquæ* Celinæ, *dicta putatur; a Suevis deinde* Warm see, *id est,* calidus lacus, *vulgo nunc inde deflexo nomine* Orense, *ad Minium amnem. De qua urbe consule Lud. Nonium cap.* 33, *et Licentiatum Molinam in descriptione Galliciæ.* *ab hæreticis occisus dicitur:*

8 *Facile irrepere in Martyrologia error potuit, ut pro* Amphilochiæ, *scriberetur:* Antiochiæ passio S. Isidori Episcopi. *Verum quantum illi Chronico Juliani tribuant viri eruditi, nobis exploratum non est. Joannes Marietta lib.* 21, *cap.* 31, *inter Hispaniæ Doctores numerat* Isidorum Cordubensem Episcopum, vel secundum alios Cæsaraugustanum, *quem ait vulgo* Seniorem *appellari, ac multa edidisse volumina, vixisse vero circiter annum* 820. *Verum de* Isidoro *illo Cordubensi atque ejus scriptis, de quibus Trithemius et Sixtus Senensis, viderint alii.* *cum alio ejusdem nominis confusus.*

DE S. ISIDORO EP.

Pag. 84, *nu.* 1, *lin.* 3, *pro cap.* 12, *repone* [*cap.* 5, *nu.* 19.] NOT. 26.

Ibid. post num. 1, *adde* [*Enumerat hosce monachos Palladius in Lausiaca cap.* 117. Ingressa est montem Nitriæ, sanctos Patres conveniens, Pambo, et Arsisium, et Serapionem magnum, et Paphnutium Scetioten, et Isidorum Confessorem Episcopum Hermipolis et Dioscurum *etc. Erat* Hermipolis, *sive* Hermopolis, Ἑρμούπολις, *civitas Thebaidos, in qua Christus cum Virgine Matre et S. Josephi traditur exulasse. De ea agimus* XVIII *Janu. ad Acta* S. Ascles *litt. a, et* XXV *Janu. ad cap.* 1 *Vitæ* S. Apollonii *litt. a. Dicitur hæc in Topographia sacra Caroli a S. Paulo* Hermopolis major, *in Thebaide prima, sub Arsinoe Metropoli.* Hermopolis parva *est in provincia Ægypti primæ, sub Alexandrino Patriarcha.* NOT. 27. *S. Isidorus Episc. Hermopolitanus.*

DE S. MACARIO ALEX.

Pag. 84, *post nu.* 1, *adde* [*Potius dicendum utrumque quadam ratione dici posse* S. Antonii discipulum; *sed fuisse illis seniorem* Macarium, *S. Antonii domestica disciplina institutum, proprieque discipulum, ac Pisparitani cœnobii secundum ab eo moderatorem, cujus mirum est peculiarem in Martyrologiis non agi memoriam. De eo agitur* XV *Janu. ad* S. Macarii Ægyptii NOT. 28. *S. Macarius S. Antonii discipulus quis?*

Ex variis. *vitam, et de utroque plurimis ad vitam S. Antonii* XVII *Janu.* § 6, *in Prolegom.*

not. 29. *Ibidem col.* 2, *post nu.* 4, *adde* [*Saussaius in Martyrol. Gallicano ita scribit* : Augustæ Ausciorum memoria S. Macarii. *Sitne ille aliquis ex Ægyptiis Macariis, atque hic, de quo modo est sermo, Alexandrinus; an indigena quispiam, nos latet* v *Januarii in Vita* S. Apollinaris Syncleticæ *mentio crebra fit Abbatis* Macarii *in Scete commorantis; quem hunc Alexandrinum esse suspicamur.*

DE S. ASPASIO.

not. 30. *S. Aspasius Meloduni exul.* *Pag.* 90, *col.* 2, *initium nu.* 3, *ita restitue* [*Videtur* S. Aspasius *Gothorum Arianorum injuriis coactus solum vertere, Melodunum concessisse, ibique populum partim mysteriis Christianæ religionis imbuisse, partim ad studia pietatis excitasse, donec tandem sive ætate et laboribus fractus, seu qua alia ægritudine extinctus est. Ita scribit in Melodunensi historia, qui et* S. Aspasii *laudes dicitur pluribus hymnis cecinisse, Sebastianus Roulliardus Melodunensis, in Curia Parisiensi Advocatus, eruditione ac pietate celebris.*

AD VITAM S. MAXIMI M.

not. 31. Oldus *fl.* *Pag.* 92, *post cap.* 1, *ad nu.* 8 *adde* [a Oldus, *sive* Oltus, *aut* Olitis *fluvius Aquitaniæ, per Cadurcos fluit, vulgoque* Lotus *dicitur.*

b *De* S. Ambrosio *Cadurcorum Episcopo agemus* 16 *Octobris. An is sit qui hic memoratur S. Maximi discipulus, necdum nobis compertum, cum eum quidam faciant* 100 *annis S.* Desiderio (*de quo* 16 *Novembris agemus*) *juniorem.*

AD VITAM S. ADELARDI ABB.

not. 32. *Pag.* 95, *col.* 2, *in fine adde* [*In MS. Bodecensis Canonicorum regularium in Westphalia monasterii, Vitæ S. Adelardi per Rathertum præfiguntur hi versus, qui indubie sunt ab aliquo Corbeiæ novæ monacho scripti* :

O Pater eximie, monachorum Dux Adalharde,
Regia stirps alte Francorum dum genuit te,
Mundum sprevisti pauper pro nomine Christi,
Annos ætatis dum bis denos habuisti
In Corbe veteri Benedicti jura subisti.
Inde nova Corbe nostra pro Patre petisti
Annis bis binis; post in patriam rediisti,
Ac inibi plenus ætate fideque decorus,
Vitam finisti sanctam, Pater inclyte, Christi
Lux octava fuit dum nonaque crastina luxit,
Hora qua Christus moriens est in cruce fixus ;
Quem prece sincera pro nobis jugiter ora,
Ut pietate sua nobis det gaudia vera.

not. 33. *Pag.* 99, *post cap.* 5, *ad nu.* 16 *adde* [*a* Pipinus *Caroli Magni filius, egregius Princeps, anno* 781, *constitutus est Rex Italiæ, postea et Bajoariæ; obiit* 8 *Julii* 810. *In historia translationis S. Viti* 15 *Junii, dicitur S. Adelardus gubernasse regnum Italiæ dum adolesceret Bernardus Pipini filius.*

b *De* Leone III, *sanctissimo Pontifice agemus* 12 *Junii. Postea iterum ad eum missus est S. Adelardus cum aliquot Episcopis an.* 809, *ob motam quæstionem de processione Spiritus sancti.*

c Lotharius *etiam vivente patre Ludovico Pio* Imperator *est appellatus, ab eo imperii socius adscitus anno* 817. *Alioquin diu ante Ludovicum obiit S. Adelardus.*

Pag. 102, *post cap.* 10 *adde* [*a De* Hero *insula, quæ nunc* Nera, *agemus* 20 *Augusti ad vitam* S. Philiberti, *qui in ea cœnobium condidit.* not. 34.

Pag. 110, *post cap.* 19 *adde* [*a De* B. Hildemanno *agemus* 8 *Decembris.* not. 35.

Pag. 111, *post cap.* 20 *adde* [*a MS. Bodecense nu.* 87, *post* legitur, *addit vocem* epitaphium, *et videtur requiri.* not. 36.

b *Versu* 4, *epitaphii idem MS. pro* caritate, *habet* pietate.

c *Num.* 88, *pro* cohæreret, *vel* connecteret, *idem MS. habet* coerceret, *melius.*

Ibidem ad finem vitæ adde [*d In MS. Bodecensi post vita S. Adelardi sequebatur Ecloga lugubris de ejus morte, quæ videtur ab eodem scripta Paschasio Radberto; sed quod longiuscula sit, nec quidquam ad historiam pertinens contineat, supervacaneum visum est eam hic dare. Titulus ejus est* : Sequitur ecloga duarum sanctimonialium uno favoris planctu complosa, quas idem velut unam sibi in conjugium vitæ Christi Ecclesiam enutrisse; aliam vero ex eadem secundum monasticam disciplinam inito libramine admodum genuisse perorat : quarum quoque unam propter candorem Galateam vocari, porro aliam propter amorem caritatis Philidis nomine consecrasse taxatum iri non ambigitur. *Dicitur eadem Ecloga extare in MS. Corbeiæ veteris.* not. 37.

Ibidem col. 2, *post Prologum secundæ Vitæ, adde* [a *Hic Gerardus in Vita, quam* 3 *April. dabimus,* Geraldus *vocatur.* not. 38.

b *Vitam* S. Anscharii *Danorum Apostoli, dabimus* 3 *Februarii.*

c *Histor. Translationis* S. Viti *dabimus* 15 *Junii, in qua nonnulla de S. Adelardo memorantur huic Vitæ haud omnino consentientia.*

Pag. 116, *post cap.* 8 *adde* [a *Alium librum a* S. Adelardo *scriptum citat Hincmarus in epistola seu libello de Regis institutione his verbis :* Adalhardum senem et sapientem Domni Caroli Magni Imperatoris propinquum, et monasterii Corbeiæ Abbatem, inter primos Consiliarios primum in adolescentia mea vidi. Cujus libellum de ordine Palatii legi et scripsi, in quo inter cetera continetur, *etc.* not. 39. *S. Adelardi scripta.*

Pag. 118, *col.* 1, *Post Prologum ante Miracula S. Adelardi, adde* [a S. Bathildis *vitam dabimus* 26 *Janu. ubi de Corbeiæ constructione agitur.* not. 40.

Ibid. col. 2, *post cap.* 2 [a Ingelrannus, *sive* Ingerannus, *S. Richarii primi Abbatis Centulensis vitam scripsit, quam* 26 *April. dabimus.* not. 41.

Pag. 119, *col.* 1, *post cap.* 3 *adde* [a Fulco *Abbas Corbeiensis corpus S. Paschasii Ratberti elevavit, ut decessor S. Adelardi, uti scribit Cl. Robertus.* not. 42.

Ibid. col. 2, *post cap.* 4 *adde* [*a* Robertus *Hugonis Capeti filius, anno* 997 *regnare cœpit, etsi jam novennio ante in regni consortium adlectus a patre.* not. 43.

b S. Firminus *Episcopus et M. colitur* 25 *Septembris at* S. Firminus *Episc. et Confessor* 1, *ejusdem.*

Pag. 121, *post cap.* 8, *priorum Miraculorum, adde* [*a De* S. Gentiano *agemus* 11 *Decembr.* not. 44.

Ibid. col. 2, *post cap.* 1 *adde* [*a* Henricus I *Galliæ Rex, post mortem Roberti patris regnare cœpit an.* 1033, *obiit anno* 1060. not. 45.

b *Si Henricus hex, ut hic dicitur, Adelam sororem Balduino Pio, sive Insulano, Flandrensium Marchioni conjunxit, ergo falluntur Mejerus, Locrius, aliique historici nostrates, qui id anno* 1037, *volunt contigisse, vivente adhuc Roberto Rege. Dicitur hic* Balduinus Senior, *quia ejus filius* Balduinus Montensis *post eum Flandriam rexit.*

c Philippus *Henrico patri puer successit anno* 1060, *tutore ei dato* Balduino Pio *avunculo, obiit anno* 1108. d Robertus Friso, *Balduini Pii filius, ejecta fratria* Richilde, *ejusque filio* Arnulpho Infelice, *Flandriam occupavit sub annum* 1071.

Pag. 123, *col.* 2, *post cap.* 7 *adde* [*a Visitur Corbeiæ, ut a fide dignis testibus accepimus, juxta altare S. Adelardi lectica pulchre extructa, in qua decumbere febrientes ut liberentur consueverunt; juxta dependet tabula in qua Sancti depicta mors est.* not. 46. *S. Adelardi lectica.*

Hæc Vita reponenda est pag. 124, ante *S. Silvestri.*

DE B. ODINONE SIVE OTTENONE,
ABBATE ROTHENSI ORD. RÆM. IN SUEVIA.

not. 47. Anno MCLXXXII. II Januarii. *B. Odinonis Abb. Rothensis.*

Rothum, *sive* Rodium, *monasterium est Ordinis Præmonstratensis in Suevia, haud longe a Memminga urbe, quod vulgo* Monachorum-Rothum, *sive* Munckrot *appellatur, ad* Rotham *amœnum fluviolum, qui milliari indi ortus, infra Haslachio rivo miscetur, atque in Danubium supra Ulmam influit.*

2 *Primus illius monasterii Abbas (nam antea Præpositi rexerant) fuit* Odino, *sive* Otteno, *aut* Otto, *nobili genere ortus; fertur enim filius fuisse Conradi Truchessii a Waldpurg, Tannensis Dynastæ, et Guttæ Wildenbergiæ. Et sane Gaspar Bruschius, ac Martinus Crusius* Dapiferum de Waldburg *appellant. Sunt enim, ut Hieronymus Henninges scribit, Waldburgici Comites* Sueviæ Ducatus Imperiique Romani Dapiferi et Pincernæ hæreditarii. genus,

3 *Hunc Bruschias vocat* hominem sanctæ et piæ conversationis; *Crusius, licet multo quam Bruschius acerbior hostis Religiosorum,* religione nitentem; *Autbertus Miræus in Chronico Præmonstrat.* virum piæ et sanctæ admodum vitæ. *Et vero, ut nos suis litteris docuit Daniel Feldnerus noster, non Rothenses tantum sed et alii passim* Beatum *appellant et venerantur.* sanctitas,

4 *Ejus natalem* IV *Nonas Januarii consignavit Chrysostomus vander Sterren celeberrimi Præmonstratensium in urbe Antverpiensi monasterii tunc Prior, nunc abbas, in Natalibus SS. sui ordinis, hoc addito elogio :* In Rotensi Sueviæ cœnobio, B. Odinonis Abbatis Ordinis Præmonstratensis : qui mundi pertæsus vanitatum, suavi Christi jugo collum subdidit; et Præmonstrati Ordinis egregius propagator, multos animarum manipulos feliciter transmisit ad Christum. natalis,

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Christum. *Visitur hoc illius epitaphium in monasterio Rothensi :*

epitaphium,

Anno milleno ducenteno minus decem et octo
Obiit in Christo Reverendus Pater et Dominus Otto,
Abbas hujus cœnobii Truchsess de Waltpurg natus,
Qui suo exemplo reputatur esse Beatus.

3 *In monumentis cœnobii Rothensis ista de eo leguntur :* Præfuit tum præfatæ Ecclesiæ Rothensi B. M. Otteno, piæ nimirum et sanctæ conversationis homo, qui et ipse cum esset secularis persona, erat de nobilioribus ministerialibus supradicti Brigantini Comitis, quique relictis omnibus Rothensem Ecclesiam, cum esset adhuc in rustica paupertate constituta, *... cum aliis servis Dei Præmonstratensem Ordinem suscepit. In qua postea Abbas factus, in tantum in spirituali et temporali ædificio eadem Ecclesia sub ipso crevisse constat, quod sub regimine ipsius plusquam ducenti Clerici et laici, et Sorores complures strenuissimam vitam ducebant. *Alibi diximus consuevisse juxta monasteria virorum Ordinis Præmonstratensis, domicilia extrui instituendis sanctimonialibus. Perpgunt Rothensia MSS.* Erat enim verus Dei cultor, zelator et amator ordinis solertissimus. Hic ad instantiam et petitionem multorum Nobilium quinque Ecclesias nostri Ordinis instituisse dignoscitur, Stanigadensem, Willezinensem, Angiensem, Lutrensem; ad extremum vero sæpius dicti Principis petitioni acquiescens, Marchtallensem Ecclesiam in Ordine promovendam suscepit, anno Incarnationis Dominicæ 1171. Kalend. Maii, Indict. XIV, Alexandro Papa III, Romanam Ecclesiam feliciter gubernante, regnante gloriosissimo Imperatore Friderico, Othone Episcopo Constantiensem Sedem regente.

* videtur desiderari *locupletavit*, vel quid simile. *opera,*

Ex variis.

6 *Hæc ibi. Sed corrigendus numerus Indictionum, erat enim tum* IV, *non* XIV. *Quod ad Episcopum Constantiensem attinet, discrepat Jacobus Manlius in Chronico Constantiensi scribens* Ottonem *Episcopum mortuum esse anno* 1169, *eodemque anno subrogatum esse* Berchtoldum. *Ceterum* Marchtallense, *sive* Martallense *cœnobium situm est ad Danubium, in firmissima rupe, inter Riedlingam et Ehingam oppida, instauratum atque Ordini Præmonstratensi traditum ab Hugone III, Palatino Tubingensi, et Elisabetha ejus conjuge Comitis Brigantini filia et hærede. De hac donatione plenius agemus* XVII *Aprilis, cum de* B. Eberardo *Odinonis fratre, primo Præposito Martallensi, erit sermo.*

frater B. Eberardus,

7 Steingadense *monasterium situm est in Diœcesi Augustana, haud procul a dextra Lyci amnis ripa supra Lansbergam. Quod hic* Willezinense *dicitur cœnobium, in Bruschius et Crucius* Wiltaviense *vocant, Miræus* Wiltaniense *et* Wiltinense, *traditque diœcesi Brixinensi subesse.* Alba Augia, *sive* Augia minor, *vulgo* die Minderow, *magnificum est Ordinis Præmonstratensis cœnobium, etiam post tempora* B. Odinonis *varie locupletatum a Rudolpho Habsburgico Imperatore et aliis, ut videre est apud Bruschium. Situm est prope Ravensburgum oppidum ad Schussium amnem, qui duobus inde miliaribus in Acronium lacum influit.* Lutra, *vulgo* Keyserslauttern, *sita est in Palatinatu inferiori, Diœcesi Wormatiensi, dicta, ut ex Dubravio scribit Miræus, a* Lothario *III, Imperatore, ibi sepulto; quamquam et fluvius, qui isthic oritur,* Lutra *dicitur.*

ædificata cœnobia.

AD III JANUARII.

NOT. 48. *Pag.* 126, *post,* S. Genovefa Virgo, Parisiis in Gallia; *adde* [S. Eustadius Abbas, Divione in Burgundia.

Ibidem inter Omissos adde [S. Theodoricus Glamorganiæ in Wallia Regulus, *vulgo* S. Tewdricke, *refertur hoc die a Wilsono in nova editione Martyrologii. Differemus dum certiora nanciscamur, nec solius Godwini fide testata.*

Ibidem, ubi de Urso *Duce Venetorum agitur, dele ista verba* [*Hic est* Petrus Urseolus, *de quo* XI *Januarii*] *Et repone* [*An sit ab Ecclesia in Cælitum tabulas relatus, nos latet, ut* XI *Januarii dicitur cum inter Omissos de altero duce* Petro Urseolo *agitur.*

NOT. 49. *Pag.* 127, *post ea quæ de* S. Antero *Papa habentur, adde* [*Hic corpus* S. Martinæ *Virginis et Martyris, ut supra ad cap.* 7, *illius Actorum littera a est dictum, fertur divino monitu in Urbem translatisse.*

DE SS. MARTYRIB. NICOMED.

THEOPEMPTO ET THEONA.

NOT. 50. *Pag.* 127, *in fine, adde* [*Ceterum hi videntur omnino iidem esse qui* XXI *Maii iterum referuntur, vocanturque* Theopompus *et* Synesius. *Ita Martyrol. Romanum :* Eodem die sanctorum Martyrum Synesii et Theopompi. *Maurolycus :* Eodem die SS. Theopompi Episcopi Nicomediæ et Synesii Martyrum sub Diocletiano. *Galesinius :* Hoc ipso die SS. Genesii et Theopontii, qui divina virtute roborati, in oppugnatione Diocletiana, pro Christo fortiter dimicantes, profligatis adversariis ad coronam abeunt in cælum. *In notis ait* Theopontium *alibi* Theopompum *appellari.*

Theopemptus *idem qui* Theopompus, Theonas *qui* Synesius, 21 *Maii.*

2 *Eosdem esse, diserte asserit Canisius, seu quisquis auctor est Martyrologii Germanici, in quo* IV *Januarii ista leguntur :* Item Nicomediæ sanctorum Martyrum Theopontii Episcopi, et Synesii, qui rursus infra XXI Maii recensentur, et sunt sub crudelissimo Imperatore Diocletiano trucidati. *Referuntur quoque* IV *Janu. in MS. Florario :* Eodem die Theopompi Episcopi et Synesii Martyrum. *Et in auctario Carthusiæ Coloniensis ad Usuardum :* Apud Nicomediam sub Diocletiano Theopompi Episcopi et Synesii Martyrum.

et hic in Januario memorati.

3 *Clarius patet eosdem esse ex Actis, quæ ex MS. Carthusiæ Coloniensis nobis misit Joannes Grothusius noster, plane consentientia cum elogio quod ex Menæis supra dedimus. Eadem fere memorat Petrus de Natal. lib.* 3, *cap.* 33. *Eadem, sed, ut profitetur, a se correcta, recitat Bivarius in Dextri Chronicon ad an.* 300, *comment.* 4, *nu.* 6. *Nam in eo Chronico ista habentur :* Nertobrigæ in Celtiberia sanctorum Martyrum Synesii et Theopompi. Nec desunt qui putent hos duarum civitatum Hispaniæ Episcopos fuisse, quamvis non declarent quænam illæ fuerint. *Bivarius hanc* Nertobrigam, *quæ et Ptolemæo memorata lib.* 2, *cap.* 6, *censet nunc* Almuñia *dici, ad* Salonem *amnem sitam, inter Bilbilim et Cæsaraugustam. Nam alia apud eumdem Ptolemæum lib.* 2, *cap.* 4, *est* Nertobriga, *quam ipse nunc* Fregenal *dici scribit. Dissentiunt ab eo in utraque urbe alii ab Ortelio citati in voce* Nertobriga.

Eorum Acta.

An Nertobrigæ in Hispania occisi?

4 *Quod dicatur* Theopompus *præfuisse Ecclesiæ Nicomediensi, id Baronio non probatur :* Nam illis Diocletiani temporibus, *inquit,* primo Cyrillum, deinde Antimum sedisse constat. *Constat id quidem certe ex Actis SS. Indis et Domnæ, et dicemus* XXVII *Aprilis ad vitam* S. Anthymi. *Sed cur non potuit* Cyrilli *decessor fuisse* Theopompus? *Deinde in Actis, quæ dabimus, non dicitur Nicomediensis Episcopus fuisse, licet id habeat Petrus de Natalibus.*

an Theopompus Nicomediæ Episcopus?

5 *Titulus Actorum in Coloniensi codice hic erat :* Pridie Non. Januar. De S. Theopompo episcopo et Synesio, qui *et* Theonas, Martyribus. *Idem autem valent* Theopemptus et Theopompus, *id est,* a Deo missus, *illud a* πέπεμπται, *hoc* πέπομπα.

Notatio nominis Theopemptus.

ACTA
ex MS Carthusiæ Colonien.
descripta a Joan. Grothusio Soc. Jesu.

In primo anno *a* persecutionis suæ Diocletianus Imperator

a

Ex mss. b Imperator de Roma veniens subiit urbem Nicodemiam, in qua fabricari fecit *b* idola multa. Factum est autem post dies aliquot, ut a suburbanis prædiis urbem vir Dei ingrederetur Episcopus, nomine Theopompus, hic namque primus est qui martyrium pertulit in initio persecutionis Diocletiani nequissimi. Et

S. Theopompus deos ridet: ait vir sanctus Diocletiano : Non sunt isti Dii, quos tu adoras, argentei vel aurei, lignei seu lapidei : neque respirare possunt aut loqui, nec possunt etiam quicquam boni facere aut mali. Omnipotens autem Deus ipse fecit cælum et terram, mare simul et omnia quæ in eis sunt. Et cum hæc et alia plurima de fide Christiana disseruisset, Imperator iratus dicit ei . Non vocavi te plurimos sermones facere; sed volens te mox acquiescere, jubeo te Deo Apollini sacrificare. Respondit S. Theopompus dicens : Ego talibus Diis sacrificium numquam profero, nec unquam tua tor-

Matth. 10. 28. menta formidabo. Scriptum est enim : Nolite timere virum qui corpus occidit animam autem non valet occidere. Tu vero potestatem habens corporis mei, quidquid vis, perage.

conjicitur in ardentem fornacem: 2 Tunc Imperator jussit succendi clibanum, sanctumque Pontificem projici in ipsum. Succenderunt ergo milites illum nimis a mane usque ad meridiem. Sanctus vero Episcopus dixit eis : Sustinete parum, et ego ostendam vobis virtutem Domini Dei mei, pro cujus nomine sancto talia patior. Et hæc dicens confestim insiliens resedit in medio clibani nimium æstuantis. Ipsi vero putaverunt eum mox adustum igne mori. Nocte autem media surgens beatus vir de clibano, *c* ingressus est thalamum Imperatoris, januis omnibus ultro patefactis, excitatoque eo dixit : Ego sum Theopompus Episcopus, homo Jesu Christi. Non sum mortuus, ut præceperas; sed ecce vivo.

c noctu adit Imperatorem:

3 Audiens hæc Diocletianus valde turbatus est, et elinguis præ nimio pavore factus siluit. Mane autem facto, vocavit milites suos, et ait : Fortasse non intromisistis Christianum illum in clibanum succensum, sicut præceperam vobis. Dicunt illi : Etiam Domine, ut jusseras, misimus illum, et consumptus mortuus est ab hesterno die. Tunc Diocletianus surgens exivit cum militibus, et stetit ante clibanum. Sanctus autem

redit ad fornacem: Theopompus Episcopus eadem nocte regressus a palatio, subiit rursus clibanum, et erat ibi; et audivit eum Imperator psallentem ac glorificantem Deum in medio clibani valde succensi. Et supra modum miratus est. Et cum illæsus ascenderet de clibano, dixit

egreditur illæsus: Imperator adstantibus : Notate qualem virtutem habeat magia Christianorum. Audivi siquidem quod in nomine cujusdam Jesu magias suas perficiant. Et præcepit eadem hora apprehendere canem et jactari in clibanum, scire volens Sancti prius factum miraculum. Confestim autem canis exustus est.

4 Intuens hæc Imperator dixit vero Dei : Incumbam tibi cum pœnis ut impio, eo quod cognoverim te seductorem et magnum esse. Jussitque eum arcta custodia clausum haberi, nec illi panem dari, neque aquam, usque in diem qua vellet eum publica sessione

fame torquetur: audire. Mansit igitur vir Dei in carcere viginti duos dies sine cibo et potu, divina refectione sustentatus. Quibus expletis, Imperator ait militibus suis : Euntes videamus si forte vivat adhuc Christianus ille, an

roboratur divinitus: mortuus sit. Quem cum invenissent exhilarato vultu, quasi regali convivio refectum, Imperator ira repletus eduxit beatum Præsulem, et scindens tunicam suam, plausum dedit manibus suis, dicens : Venite, et vidite quanta sit magia Christianorum. Beatus vero Episcopus ait : Usquequo miserrime excæcatum habes cor, Nec cognoscis Deum verum, in quem ego credo? Ipse enim est qui virtutem mihi præstat, quatenus te vincam, et tua superans pro nihilo ducam

erutus oculus, ei divinitus restituitur. tormenta. Tunc Imperator hæc et alia audiens ab eo, præcepit ejus oculum dextrum effodi, et in manu dextera ipsius dari, ac sic ad carcerem reduci. Ubi cum orasset, lux magna in carcere refulsit, et confestim pupilla sancti oculi effossi est aperta, et facta est integra et sana ut altera.

5 Quod cum Imperator vidisset, iratus est valde, et dixit : Per salutem imperii Romanorum, magnumque Apollinem, nequaquam audiam vel acquiescam tibi nisi prius accersiam potentiorem magum valentem omnes artes et magias tuas destruere. His dictis jussit eum iterum in carcerem recipi. Missis igitur litteris ad omnes provincias, ut si quis veniens magus solveret magias Christianorum, honores plurimos ac munera reciperet; advenit magus quidam, nomine *Theonas magus,* Theonas; qui stans in conspectu Diocletiani ait : Juxta præceptum regiminis vestri quantocyus veni solvere magias Christianorum, et apud me non invenietur mendacium in conspectu tuo. Quibus auditis Imperator lætatus ait : Est mihi in carcere Princeps quidam Christianorum, cujus magiam si solveris, magnos honores consequeris. Cui Theonas dixit : Faciat potentiam aliquam in conspectu meo, et ego, te vidente, omnem ejus operationem destruam. De- *dato artis suæ specimine,* lectatus ergo Imperator in talibus dictis ait ad eum : Attamen volveram a te aliquod signum prius videre. Theonas dixit : Afferatur taurus ferocissimus, quo adducto, statim aliqua verba in auribus tauri protulit; et confestim taurus dissectus est in binas partes. Tunc admiratus Imperator dixit : Vere tu sufficiens est ad dissolvendas magias Christianorum. Et magus : Parum, inquit, sustine, et cognosces mire factum miraculum o Imperator. Et hæc dicens jussit sibi afferri trutinum, et trutinavit ambas tauri partes, et inventæ sunt æquales.

6 Confestim igitur Diocletianus jussit sibi præsentari S. Theopompum Episcopum, et statuit eum ex adverso magidicens ad eum : Notum habens, quod seductor sis et magus, venit ergo magus iste ab Ægyptiorum regione. Et cognoscere volo, quis vestrum sit *Theopompum veneno et incantationibus appetit, frustra:* potentior magus. Tunc Theonas ait ad Episcopum : Duas artes nunc magicæ disciplinæ in te conficiam; et si nihil tibi prævaluerint, credam in Deum tuum. Et *d* faciens *d* sphærulas farinæ magicas, dedit Episcopo. Quas ille comedit suscipiens, et dulcoratæ sunt in ore ipsius tamquam mel, et nihil molestiæ intulerunt. Quod videns Theonas stupefactus ait : Adhuc unum prodigium magicæ artis supra te conficiam. Quod si tibi non nocuerit, credam in Deum tuum. Et sumens calicem aquæ, intulit in eo sphæram magiæ, invocavitque super illum nomina potentissimorum dæmoniorum, quatenus potentius redderetur venemum, et contulit Sancto bibere. Quod cum sine læsione sumpsisset, Theonas confestim proruens ad pedes sancti Episcopi ait : Non est alter Deus, nec in altero confidendum ullo modi, nisi tantum in solo Jesu. Deinde Imperatori ait : Christianus sum, et Crucifixum adoro. *conversus* Quod Imperator audiens turbatus est valde, et exclamavit dicens : Magna sunt quæ per magicas fiunt ostensiones Christianorum. Et præcepit ambos in carcere introduci, ubi sanctus Episcopus Theonam in *Synesius appellatur. e* fide instruens, mutato ejus nomine vocavit eum *e* Synesium, hoc est, intellectualem, eo quod puro corde intellexisset Christum Deum et Dominum, et baptizavit eum.

7 Altera vero die præcepit Imperator sanctum Episcopum sibi præsentari, inclinataque cervice dixit ad eum : Ave magister magorum. Et cum Diis sacrificare noluisset, præcepit eum extendi super *Aliis tormentis superatis.* terram stipitibus nexum, et supinatum sursum aspicientem. Fecitque fractæ partem afferri columnæ, quam vix portare potuerunt octo viri, et eam super ventrem ejus poni. Sed cum sanctus Episcopus orasset, confestim elevata est a semetipsa columna, ceciditque a ventre ejus longe direpta quasi cubitis quindecim. Tunc Diocletianus præcepit eum suspendi verso capite, ligarique capitello columnæ cervicete-

nus

nus ibi subnexum, et sinere taliter suspensum a summo mane usque ad horam diei tertiam. Post hoc autem jussit subito incidi funem, de quo pendebat suspensus, quo mole subnixa capite quassato fractaque cervice perniciosissime deficeret. Quo facto sanctus Episcopus divina virtute stetit erectus supra pedes suos.

occiditur S. Theopompus,

8 Post hæc Tyrannus in eum capitalem sententiam dedit; quam sanctus læte suscipiens, magna voce dixit : Benedictus Deus et Pater Domini mei Jesu Christi, qui ad hunc diem me pervenire fecit, quem semper desideravi. Rogo ergo te Domine, memento mei semper et in hoc hora, et hæc dicens genu flexo, capite cæsus in pace ac confessione trinæ Deitatis consummatus est. Postea fecit Imperator sibi applicari magum qui crediderat Christo; quem cum neque blandimentis neque minis ad sacrificandum posset inducere, jussit eum in defossum profundæ voraginis mergi, humoque oppleri, superinducens calcitrantes agrestesque equos, quorum calcibus diu tunsus deficeret. At ipse expansus manibus in oratione migravit ad Dominum. Martyrizati autem sunt beatissimi Martyres Theopompus Episcopus et Theonas, qui et Synesius, sub Diocletiano Imperatore apud Nicomediam pridie Nonas Januarii. *f*

et S. Theonas.

a *Pet.* imperii. b *Pet.* statuas ex auro Appollinis et Artemis. c *Addit. idem* : luce cælesti prævia. d *Pet. et Bivar.* spirulas. e Σύνεσις, intelligentia, perspicacia. συνίημι, intelligo. f *Addit. Pet.* Quorum corpora Nicomediæ in eodem tumulo sepulta sunt.

DE S. MELORO M.

NOT. 51. Pag. 136, *col.* 1, *post Præfationem ante Vitam* S. Melori *adde* [*Aliquæ etiam in Britanniam Armoricam deportatæ. Liquet id ex Fragmento hist. Franciæ a Ludovico Pio usque ad Robertum Regem, quod tomo* 3 *Scriptorum Francicorum edidit du Chesne; ubi memoratur* Salvator Alethinus Episcopus, *Danis a Richardo Normanniæ Comite contra Theobaldum Carnotensem Comitem evocatis, late Gallias infestantibus, Parisiorum urbem petiisse cum plurimis Sanctorum pignoribus, inter quæ* partes corporum pretiosorum Meloriı et Tremori : *pace deinde inter duos illos Comites facta, domum revertisse, parte reliquiarum* S. Sampsonis *Episcopi isthic relicta, quam* Hugo Capetus *Dux in æde S. Bartholomæi a se ampliata collocari curavit. An* S. Meliori *reliquiæ ibi relictæ, postea ad Meldorum urbem translatæ sint, an alio deportatæ, haud scimus.*

S. Melori reliquiæ.

AD VITAM S. GENOVEFÆ V.

NOT. 52. Pag. 137, *col.* 1, *nu.* 1, *lin.* 14, *post* Corisopitensi, *adde : et Parisiensi novo ac vetere. Et Saussaius eo die ita scribit :* Lutetiæ Parisiorum Translatio S. Genovefæ Virginis, regiæ ipsius urbis Patronæ, cujus sacrum corpus divinis fulgoribus rutilans, cum Herbertus Abbas in viliori theca vetustaque conditum non grate cerneret, capsam curavit argenteam deauratam intus et foris, ac pretiosis margaritis exornatam fieri, in quam (ipso jam carne exuto) purissimos beatæ Virginis artus intulit solenni ritu illius successor Robertus de Firmitate Milonis regnante S. Ludovico : pium opus promoventibus religiosa munificentia Roberto Domino de Courtenaii, Guilielmo Abrincensi Episcopo titulari, plurimisque regiæ urbis civibus in sanctissimam patronam suam religiose affectis. *Iterumque idem Saussaius* x *Novembris ista habet :* Lutetiæ Parisiorum elevatio corporis sanctissimæ Virginis Genovefæ, regiæ ipsius urbis tutelaris gloriosæ; facta pietate Roberti Abbatis de Pietate Milonis : cum pretiosa lipsana tantæ Cælitis ex veteri theca in capsam argenteam, auro gemmisque decoratam transposita, intus imminens summo altari tabernaculum collocata fuerunt, ad Parisiensium excitandam fovendamque erga beatam suam Patronam devotionem et reverentiam.

S. Genovefæ reliquiæ transpositæ.

Ibidem post num. 1, *adde : In Breviario Parisiensi est officium semiduplex de S. Genovefa cum commemoratione S. Marcelli Episc. Parisiensis, de quo agemus* 1 *Novembris. Caussa commemorationis exponitur Lectione* 5. Itaque Stephanus, tunc temporis Parisiensis Episcopus, vir piissimus, de salute plebis sollicitus, jejunia et publicas preces toti indicit populo. Et quia B. Genovefæ, Parisiorum Patronæ, opem in publica calamitate imploratam aliquoties non defuisse, jamque antea Sequanæ fluvii inundatione semel atque iterum beatæ Virginis patrocinio sedatam fuisse memor esset; visum est ejus sacratissimum corpus ad seniorem beatæ genitricis Dei basilicam, solenni processione deduci, ut ipsa gloriosa Virgo, una cum B. Marcello altero ejusdem civitatis Patrono, pro populi salute supplicatura procederet. *Lectione vero* 6, *ista habentur :* Sed et juxta seniorem basilicam ædificata est, in monimentum posteritati, ecclesia S. Genovefæ quæ DE MIRACULO ARDENTIUM dicitur. *Eo vero die oratio hæc legitur :* Deus, qui B. Genovefæ excellentiam multiplici virtutum gloria declarasti; concede nobis, quæsumus, ut quæ hodierna die per gratiam tuam in membris humanis ignis horrendi consumpsit incendium; nos quoque a gehennæ incendiis liberatos ad gaudia transferat Angelorum. Per Dominum.

EX VARIIS.

Ecclesia de miraculo ardentium.

NOT. 53. *Pag.* 138, *col.* 1, *post nu.* 4, *adde* [*Paulus Burverius, qui* S. Genovefæ *Vitam recens Gallice scripsit, recenset quoties ab anno* 1522 *ad* 1625, *præsenti semper ope, deposita ea sit theca.*

NOT. 54. *Ibidem post nu.* 5, *adde* [*ac deinde Odem unam, tres Hymnos, Græcos Panegyricos duos.*

Tempestates ope S. Genovefæ depulsæ.

6 *Præter illud cantatissimum sacri ignis, ope* S. Genovefæ *restincti, miraculum, aliud minus quidem celebre, admirabile tamen, et certum in inferiore nostra Germania sæpenumero patratur. Monasterium est* S. Nicolai in Lacu, *vulgo* Zum laack, *ordinis Benedictini, diœcesis Trevirensis, ab Andernaco oppido horarum aliquot itinere distans : huic propinquus est vicus, præsente semper* S. Genovefæ *contra cæli tonantis tempestates patrocinio clarus. Simul enim fragor exaudiri tonitruum cœperit, illico nimbi, grandinis, fulminis, et cujusvis demum periculi ab agris avertendi caussa, incolæ ad templum S. Genovefæ campanas pulsaturi concurrunt : sin differvant, accolæ advolant, ac pulsum urgent. Neque is intermittitur, dum qui foris consistunt ardentes aliquot candelas supra templi lectum conspiciant, quos* S. Genovefæ cereos *appellant. Id argumentum est propulsatæ, quæ metuebatur, calamitatis. Hic a majoribus fluxit ritus, et perpetui prodigii fides, eo mirabilior, quod quibus lethali noxa inquinatus animus est, ab iis cereos illos minime conspici credit simplex vulgus; aliquibus sane quidem non apparent. Id perenne* S. Genovefæ, *(non illius Brabantinæ, quæ haud inde procul vico Frawenkircken celebratur) sed hujus Parisiorum tutelaris, beneficium est, pagi illius templique Patronæ. Hæc et minime dubia fama, et gravissimorum virorum, qui sæpius portentum ipsi spectarunt, et Antistitum quoque, certissimo testimonio didicimus.*

NOT. 55. *Pag.* 138, *post cap.* 1 *adde* [*De hæc legatione plenius agemus ad* S. Germani *vitam* 31 *Jul. et* S. Lupi 29 *ejusdem.*

NOT. 56. *Pag.* 139, *post cap.* 3 *adde* [*a De* S. Aniano *Ep. Aurelianensi agemus* 17 *Novembr.*

NOT. 57. *Pag.* 141, *post cap.* 6, *adde* [*a Colitur* S. Cilinia, *sive* Celinia, 20 *Octob.*

NOT. 58. *Pag.* 143, *post cap.* 11, *adde* [*a Colitur* S. Crothildis 3 *Junii De hac æde alia scribit Saussaius :* In basilica Apostolorum Petri et Pauli, quam Clodovæus Rex suo hortatu in monte Parisiensi construxerat, digno funere sepulta, crebris adeo refulsit miraculis, ut titulum sacræ ædis ab hinc nuncupatione sua insignierit. *Quæ clarius refelluntur ex altera in vita, in qua cap.* 10, *num.* 42, *ista habentur :* Circa hujus ergo tumulum humilis primitus ligni superimpositione contectum, gloriosæ memoriæ Hlodoveus Rex *etc.*

NOT. 59. *Hunni Parisios non obsedere.*

Pag. 144, *post cap.* 3, *adde* [*a Saussaius, nescimus quo auctore, scribit :* Hunnos Gallias invadentes, Lutetiamque dura obsidione prementes, sua oratione et meritis profligavit. *Ast hic diserte dicitur :* Hunnorum exercitui non solum longius venienti orationibus restitit, verum etiam ne appropinquare Parisios conaretur apud Deum orationibus suis obtinuit.

DE

EX VARIIS. Reponenda hæc pag. 153, post Revelationem S. Genovefæ.

DE S. EUSTADIO ABBATE DIVIONENSI IN BURGUNDIA.

NOT. 60. SECUL. VI. III JANUARII.

Divione, Ducatus Burgundiæ primaria urbe, præclarum extat cœnobium S. Benigni *Martyris, qui* 1 *Novembris colitur. De eo cœnobio actum* 1 *Janu. in Vita S. Guillielmi Abbatis. Omnium Abbatum catalogum exhibet Claudius Robertus in sua Divione, interque eos primum recenset* S. Eustadium, *quam ait sepultum juxta corpus* S. Benigni, *et juxta eum* S. Hilarium *Senatorem et* S. Quietam *ejus conjugem,* S. Joannis Reomensis, *qui* XXVIII *Januarii colitur, parentes, de quibus agemus* XXVIII *Novembris.* Eustadius vero, *inquit idem Robertus,* filius fuisse dicitur S. Gregorii Episcopi Lingonensis, ad oram apographi cujusdam catalogi hujus monasterii Abbatum. *Vitam S. Gregorii habes* IV *Januarii.*

S. Eustadii Abb.

parens,

S. Eustadii natalem consecrat III *Januarii Saussaius in Supplemento Martyrologii Gallicani his verbis :* In monasterio Divionensi, S. Eustadii Abbatis primi Ecclesiæ S. Benigni, qui cum esset B. Gregorii Lingonensis filius, patris sancti consectatus vestigia, eam ad gratiæ sublimitatem evasit, ut absoluto sacræ præfecturæ decursu, pro conspicuæ sanctitatis honore meruerit in præsignata Ecclesia juxta corpus S. Benigni Martyris ad lævam ejus tumulari. Porro pone ejus sepulchrum S. Hilarius Senator, et S. Quieta, S Joannis Reomensis parentes, non sine privilegio pietatis conditi sunt.

natalis,

sepultura.

DE S. BLIDMUNDO.

Pag. 134, *col.* 2, *post vitam S. Blidmundi, adde* [*Hæc Menardus. Inscripsit Saussaius quoque nomen* S. Blidmundi *Martyrologio Gallicano. De* S. Attala *Abbate agemus* X *Martii.*

NOT. 61.

DE S. DANIELE M.

Pag. 161, *col.* 2, *adde in fine* [*Philippus Ferrarius Translationem* S. Danielis *refert* III *Junii. Galesinius* XV *Maii; et celebratur Dominica* 3 *Maii, ut hic dicitur. Colitur* S. Prosdocimus *Episc. et Patronus Patavinus, cujus hic mentio fit,* VII *Novembris;* S. Justina *V. M.* VII *Octobris.*

NOT. 62.

AD IV JANUARII.

NOT. 63. *Pag.* 162, *col.* 1, *lin.* 13, S. Neopiste; *corrige* S. Neophyte, *et repone post* S. Dafrosam.

NOT. 64. *Ibidem col.* 2, *post lin.* 3, *adde* [S. Fausta Virgo Martyr, in Gallia. *Expunge vero quæ de illa inter Omissos habentur.*

NOT. 65. *Ibidem post,* S. Rigobertus Archiep. Remen. *adde* [S. Rumonus Episcopus in Anglia.

NOT. 66. *Ibidem col.* 2, *inter Omissos, ubi de* SS. Theopompo *et* Synesio *agitur, dele ista* [*sed Martyrol. Roman.* XXI *Maii,*] *et repone* [*Hi sunt* SS. Theopemptus *et* Theonas, *de quibus egimus* III *Januarii.*

Ibidem de LXXII *Christi discipulis, post* commemorationem, *adde* [*De iisdem ista scribit hoc die Saussaius :* Commemoratio SS. LXXII Discipulorum Domini, quorum plerique Gallias cælesti Evangelicæ veritatis lumine irradiantes Ecclesiarum multarum insignium illic fundamenta, adhuc solida, posuerunt. *Hujus rei multis videtur haud satis expedita probatio, ut de præcipuis suo loco disputabitur.* De Singulis *etc.*

NOT. 67.

Ibidem expunge quæ de S. Fausta V. M. *omittenda dicuntur.*

Reponenda hæc pag. 165.

DE S. FAUSTA VIRG. MART.

NOT. 68. IV JANUARII.

Andreas du Chesne Christianissimi Regis Historiographus, vir æterna dignus memoria, nobis olim S. Faustæ *Virginis et Martyris translationem e Lemovicensi codice descriptam communicavit; cujus et ipse partem tom.* 2 *Scriptorum Francicorum publicavit, atque ex eo expressit Petrus de Marca lib.* 3, *historiæ Bearnensis cap.* 2.

S. Faustæ translatio,

2 *Ex ea historia antiqua sanctæ Virginis veneratio asseritur : ast natalis ejus aut dies anniversaria Translationis istius minime indicatur. Natalem in aliquot Martyrologiis reperimus; nam Coloniense Martyrolog. anno* 1490, *excusum,* IV *Januarii ista habet* Bituricas S. Faustæ Virginis. *Quæ transscripsere Carthusiani Colonienses in addit. ad Usuardum, auctor Florarii, Maurolycus, Canisius, Galesinius, Ferrarius, Felicius.*

natalis,

3 *Fusius Andreas Saussaius in Supplemento Martyrol. Gallicani :* Ipso die in Aquitania S. Faustæ Virginis et Martyris, quæ in Gasconia ob testimonium irrefragabile Christianæ pietatis dure cruciata, atque agone gloriosissimo consummata, in loco cui Fidenciacus nomen erat, ubi martyrium complevit, a Christianis eo quo potuerunt honore sepulta est. Deinde vero persecutionum sopitis incendiis cum serenior aura Christi cultoribus affulsisset, coruscantibus ad beatæ Martyris tumulum crebris divinæ majestatis insignibus; ad ejus memoriæ honorificationem magnifica extructa est basilica, quam Dani infideles Gasconiam populantes infeliciter cremaverunt. At non diu post ne tam pretiosa gemma sub cinere delitesceret, divina providentia factum est, ut ab Aldario monacho Solemniacensi, reliquias Sanctorum perquirenti in Gasconiæ partibus, hortatu Arnaldi hujus regionis Comitis, qui filius erat Ynionis Comitis Petracoricensis (Deo piis adspirante votis) reperta atque levata e ruderum dirutæ ecclesiæ obscuro situ, gleba ipsius Cælitis veneranda, cum aliis Sanctorum lipsanis ad asceteriolum Solemniaci cœnobii juris, conditum in fundo Briniciaco, delata et reposita fuerit, multis fulgentibus cum ipsa inventione, tum in translatione pretiosi corporis Martyris beatæ, miraculis. *Hæc Saussaius. Posteriora sunt ex historia translationis adumbrata; priora ex aliquo fortassis veteri Breviario expressa. Nos de tempore, loco, modoque martyrii nihil usquam reperimus.*

martyrium,

basilica,

4 *Alia postmodum facta translatio ad* Prateam *ordinis Cisterciensis in diœcesi Bituricensi cœnobium. Testatur Claudius Robertus anno* MCCXLVII, V *Id. Octobris eam contigisse. Quo die ita illius meminit in citato Martyrologii Supplemento Saussaius :* Bituricis translatio S. Faustæ, cujus corpus in monasterio de Pratea repositum quiescit. *Distat Pratea a metropoli Biturigum* 6, *leucis.* Renatus de Prie Abbas S. Mariæ de Pratea, Episcopus Bajocensis et Lemovicensis, ac S. R. E. Cardinalis, *corpus suum* jussit humillime juxta Divam Faustam recondi, *ut dicitur in ejus epitaphio quod in Notitia Abbatiarum ord. Cistercien. exhibet Gaspar Jongelinus Abbas S. Disibodi. Obiit Renatus* V *Id. Septembr.* MDXVI.

alia translatio.

HISTORIA

HISTORIA TRANSLATIONIS

Ex MS. Andreæ du Chesne V. CL.

CAPUT I.

S. Faustæ reliquiæ inventæ, sublatæ.

Auctore Anonymo, ex mss.

Tempore quo post Domini nostri Jesu Christi Incarnationem DCCCLXIIII, annus impletus est, obtinente regnum Francorum *a* Carolo Rege filio Ludovici magni Imperatoris, grassata ingens persecutio in Ecclesia Christi in regionibus Aquitaniæ, seu Gasconiæ. Siquidem paganorum barbaries, quos usitato sermone Danos, seu *b* Normannos, appellant, a suis sedibus cum innumerabili exeuntes navali gestamine ad Sanctonicam sive Burdegalensem urbes sunt advecti. Indeque passim in præfatis discurrentes provinciis, urbes depopulando, monasteria, ecclesias necnon et cunctas hominum ædes igne cremantes, non parvas hominum strages occidendo dederunt.

a *Danis Aquitaniam vastantibus,*

b

2 Eo vero tempore apud Gascones, quibus montes Pyrenæi vicini sunt. *c* Ducatus apicem Arnaldus vir illuster obtinebat. Hic etenim filius cujusdam Comitis Petragoricensis vocabulo *d* Ymonis fuerat; et avunculo suo *e* Sanctioni, qui ejusdem gentis Dux fuerat, in principatum successerat. Denique idem Arnaldu sæpius cum præfatis barbaris ad defensionem sanctæ Ecclesiæ præliando certaverat, et multos ex terra illa atque spurcissima natione interficiens, maximam ad ultimum sui nobilissimi exercitus partem amiserat.

c *Arnaldus Gasconiæ Dux,*

d

e

sæpe victor, tandem victus,

3 Erat autem tunc in pago Lemovicino a præfatis paganis incensum monasterium, quod *f* Solempniacum more antiquo vocant, ubi memoratus Arnaldus maxima caritatis devotione erat adstrictus; ob hoc videlicet quia noverat eum a S. Eligio Noviomagensi Episcopo in honore S. Petri Apostoli nobiliter fuisse constructum, et maximam habitatorum illius cœnobii fuisse regulæ sanctæ observationem. Tantam etenim erga ipsum *g* architerium habebat devotionem, ut spondens voveret se in eodem pro Christi amore comam capitis sui depositurum, et monasticis semetipsum subdendum disciplinis. Postea vero id implesset, nisi inopinata morte præventus fuisset.

f *amicus Solemniacensibus,*

g *et voto monachus,*

4 Hic vero dum incolumis adhuc in suo statu persisteret, curam ferens memorati cœnobii, admonebat sæpius monachos ejusdem loci, ut patres Gasconiæ, quas regebat, pro adipiscendi sanctorum Martyrum reliquiis penetrarent. Ipseque illis hoc spondebat provisurum, ne inanem paterentur iteneris laborem. Visum est autem Abbati ejusdem monasterii, et omni ipsius congregationi, ut aliquem ex Fratribus pro prælibato negotio illo mittere deberent. Miserunt autem quemdam monachum, religiosum scilicet Sacerdotem, nomine Aldarium, cum nepote ejusdem Ducis Arnaldi, nomine Gotafridum, qui in illis patribus tunc iter carpebat.

iis suadet ut SS. reliquias e Gasconia auferant:

5 Aliquamdiu ergo prædictus Frater cum sui itineris comitibus apud memoratum Principem commoratus est, anxiam jugiter in sui pectoris antro gerens mœstitiam, verens ne forte illud quod mente conceperat non ad votum impleret : gestiebatque ne forte habitatoribus sævis regionis illius quod agere proposuerat manifestum fieret, ne ab ipsis impeditus suo sancto non valeret satisfacere desiderio. Sane cum multa Sanctorum pertransisset loca, et opportunum non vidisset, ut cœptum negotium explere potuisset, et jam ad propria redire decernerent; hi cum quibus ire decernebat tandem pervenerunt in territorio *h* Fidenciaco, ubi ecclesia mirifice olim in honore S. Faustæ Virginis et Martyris constructa, et ab ipsis, quos supra taxavimus, paganis combusta fuerat. In eadem denique basilica sanctissima membra huius Martyris, completo pro Christo gloriosissimo triumpho tumulata a Christianis fuerant et congruo honore longissimis temporum successibus venerata.

ad hoc missus Aldarius,

post multa

h *S. Faustæ reliquias invenit;*

6 Igitur cum per Dei voluntatem hæc quæ retulimus memoratus Frater comperisset, confisus de Dei omnipotentis miseratione, simulque auctoritate et consensu supradicti Judicis fretus, quodam diei crepusculo, transeunte noctis excursu, antequam res ab incolis ejusdem loci posset agnosci, paucis secum sociis adhibitis, accedit ad S. Faustæ Virginis et Martyris sepulchrum. Cumque aliquandiu ibidem in oratione cum lacrymis incubuisset, et Domini auxilium et Sanctæ ipsius suffragium implorasset, cum immenso tremore et fiducia operculum sarcophagi, in quo sancta membra quiescebant revolvit. Eadem vero hora, cum jam in lucem prolata forent sancta pignora, tantus tonitrui fragor cælitus intonuit, ut hi qui aderant nec unius horæ intervallo corporaliter se putarent esse superstites. Nec victus est tremore tanti fragoris devotissimus animus prædicti Fratris, sed mox suos socios, quos sibi adsciverat ut solatium ferrent ferendarum reliquiarum, immani terrore perculsos desperatosque esse conspiciens ut constantiam fidei resumeret admonuit, et quod devote agi inchoaverant ut viriliter perficere studerent exhortari curavit. Quid multa? Levantur sanctissima ossa ex tumulo, ubi multo tempore jacuerant, et linteaminibus præcipuis involuta, cum magna exultationis lætitia ab his, a quibus inventa fuerant, feruntur ad propria.

noctu aufert,

immani tonitru perculsis sociis.

a *Hic est* Carolus Calvus, *qui* Ludovico Pio *patre an.* 840 *mortuo, Aquitaniæ Westriæque regna sortitus, dein post* Ludovici II, *nepotis sui mortem Romanum quoque Imperium adeptus an.* 875.

b *De Normannorum in Gallias irruptionibus passim alia meminere gesta Sanctorum, plenius Du Chesne in principio Normannicorum Scriptorum.*

c *Saussaius supra solum* Comitem *facit.*

d *Idem Saussaius* Ynionem *scribit; Petrus de Marca* Imonem.

e *Hujus* Sancii, *sive* Sancionis *meminit S. Eulogius in epistola ad* Willesindum *Pampelonensem Episcopum ita scribens* : Olim, Beatissime Papa, cum dira seculi fortuna, quæ fratres meos Alvarum et Isidorum a genitali solo abducens, pæne in ulteriores Togatæ Galliæ partes apud Hludovicum Regem Bajoariæ exulare fecit, cum me etiam propter eos diversas adire regiones, et ignota atque laboriosa itinera subire compelleret; quoniam stipata prædonibus via et funeroso quondam Wilihelmi tota Gothia perturbata erat incursu, qui adversus Carolum Regem Francorum eo tempore, auxilio fretus Habdarraghmanis Regis Arabum, tyrannidem agens, invia et inadibilia cuncta reddiderat; ad partes Pampilonenses diversus, putaveram me cito inde migraturum. Sed ipsa iterum quæ Pampilonem et Seburicos limitat Gallia Comata, in excidium contumaciores cervices factionibus Comitis Sancii Sancionis erigens contra jus præfati Principis veniens, totum illud obsidens iter, immane periculum commeantibus ingerebat.

Wilhelmo duce Tolosatium contra Carolum rebellante.

Sancius Sancionis se Gasconiæ Ducem facit,

Hic ergo Sancius Sancionis *Comes Ducatum Gasconiæ tunc invasit, cum* Wilhelmus *filius* Bernardi *Ducis adversus eumdem* Carolum Calvum *rebellabat, Wilhelmus Barcinonem dolo cepit anno* 848, *quo Tolosam deditione recepit Carolus. Anno* 849, *ut habet Chronicon Fontanellense*, bellum contra *Francos* instaurans, victus est, amissa infidelium copia : fugaque arrepta dum Barcinone se recipi posse confideret, factione Aledranni et quorumdam Gothorum capitalem subiit pœnam : sicque filius iniquitatis periit. *Atque inde recte colligit de Marca, hanc Sancii rebellionem, et S. Eulogii iter sub annum* 849 *contigisse.* Ludovicus *Rex, cujus meminit S. Eulogius, est* Ludovici Pii *filius Germaniæ Rex.* Caroli Calvi *frater.*

circiter an. 849.

f *De* Solenniaco, *celeberrimo cœnobio, 4 leucis ab Urbe Lemovicum dissito, agitur* 7 *Janu. in Vita* S. Tillonis Pauli, *et plenius* 1 *Decembr. in Vita* S. Eligii *Tornacensis Episcopi et Noviomensis, sive* Noviomagensis, *ut hic dicitur.*

g *Ita MSS. In citata S. Eulogii epistola* arcysterium. *et lib.* 1, *Memorialis SS.* ascysterium. *Potius* asceterium, ἀσκητήριον, *id est,* exercitationis palæstra.

h Fezensac *interpretatur Pet. de Marca.*

CAPUT II.

Miracula in Translatione facta.

Sane nec prætereundum est silentio, quod Dominus meritis tantæ Virginis ad cujusdam fluminis vadum ostendere est dignatus. Denique hi, qui tunc secum tantum thesauri munus ferebant, cum advenissent quodam in loco, ubi cujusdam fluminis vadum transfretari

AUCTORE ANONYMO, EX MSS.

fretari conati sunt, pluribus aquarum imbribus qui præteritis inundationibus fluminis ripas impleverant tunc, tanta profunditate experti sunt aquam quam transmeabant crevisse, ut aliter non nisi natando litus contingere cum equis suis possent. Contigit autem monachum præfatum cum reliquiis memoratæ Virginis, quas secum in sportula ferebat, pedestri labore trans torrentem remansisse. Nam *a* vehiculus, qui eum ferre debuerat, cum illis qui primitus vadum transierant, fortuitu vacuus, neminem in dorso suo ferens transmeaverat. Petiit itaque ab his qui jam transierant equum sibi reduci, sed imtrare non valuit, quoniam exterruerat eos ingens vadi altitudo. Quid ille faceret, vel quo se verteret primo ignorans, tandem salubri reperto consilio, ad orationis præsidia conversus, lacrymabili prece Domino supplicavit, ut meritis Martyris sanctæ, quam gestebat, incolumis impetum transmeare posset. Nec mora facta, Domini advenit auxilium. Quidam enim rusticus in eodem loco ex incolis loci illius religiose Domini Sacerdoti et monacho obvius factus est eadem hora. Quem isdem Domini famulus rogare cœpit, ut vadum præbendo sibi ostenderet, et pro hic illi ipse mercedem condignam tribueret. Sed ille primo recusare cœpit, timens vim aquæ inundantis. Tandem victus precibus, et hortatu servi Dei admonitus, ut fide armatus aquæ altitudinem ingredi non dubitaret edito signo crucis vadum ingressi, invenerunt aquam fluminis ex Domini præcepto eadem hora in tanta extenuatione exciccatam esse, ut usque ad genua sibi non perveniret quæ paullo ante dorsa equorum supereminens operuerat.

Flumen imbribus exundans et periculosum,

a

ope S. Faustæ

pedes vado transit Aldarius.

8 Tanto ergo viso miraculo, benedicens Dominum, iter cœptum læti carpebant. Inde itaque digressi, post paucos dies pervenerunt in pago Tervensi, et fessi labore quodam in loco substitere, qui dicitur Nonnaris, prope castrum Asnense. Erat autem in eodem loco haud valde procul cella sita, ubi monachi commanebant, et ipsi ex præfato monasterio monachi propter prædictam paganorum sævitiem ad delitescendum ierant, sub Præpositorum suorum inibi regimine degentes, atque monasticam disciplinam diligenter observantes. Cum quibus etiam cohabitare solitus erat ille Frater, de quo superius sermo habitus est. Fundus autem, ubi cellula sita erat, vocabatur *b* Brivaciacus, et pertinebat ad jus memorati monasterii: quo in loco Sanctorum reliquiæ erant reponendæ; non solum enim sanctæ Virginis Faustæ, sed et nonnullas sanctæ Dei genitricis Mariæ semper Virginis, nec non et sanctissimi Confessoris Martini Turonicæ Sedis Episcopi, quas repererant in Ecclesia memoratæ Virginis, prædicti viri secum ferebant. Cum cognovissent autem prædicti monachi jam prope adesse suos sacrum thesaurum sibi deferentes, inenarrabili perfusi gaudio occurrunt eis in loco, ubi paullo superius memoravimus eos substitisse. Detelerunt autem secum Fratres, qui obviam venientibus ierunt, cruces et candelabra cum cereorum et candelarum plurimarum nec non et thuribulorum ornamentis. Adverat etiam cum eis populi multitudo non modica, quæ ex utroque sexu ex vicinis plagis conglobata, cum ingenti devotione ac lætitia sancta excipiebant pignora. Quæ cujus essent meriti palam omnibus illico Dominus ostendit. Denique cum cerei et candelæ, quæ sine lumine delatæ fuerant, antequam reliquiæ e loco ubi depositæ fuerant levarentur, a nemine accidenter infusum divinitus lumen in cunctis apparuit, et tanta virtute repletum, ut nullo ventorum flamine, nulloque aeris incommodo, donec quo tendebatur ventum esset *c*.....

sanctis reliquiis occurrunt:

cerei divinitus accensi.

c

9 Denique cum nubes aqua nimis densata solis claritatem obfuscaret, hominibus et indicium daret pluviæ, quæ etiam de fidelibus turbis, hymnum Deo persolventibus timore pluviarum, meritis Sanctorum intervenientibus, sine pluvia conversa est in claritatem virtute divina; factumque est, ut sine alicujus aeris incommodo pervenirent ad propria qui sacra gestabant pignora. Cum vero pervenissent ad cellulam quam supra taxavimus, ecclesiam laudes Deo canentes ingressi, condigne juxta altaris cryptam deposuerunt, quæ pie ac fideliter detulerant: ubi immensa beneficia sanitatum, Domino in Sanctis suis operante, mirabiliter fiunt usque in hodiernum diem.

pluvia depulsa.

a Vehiculus *pro equo positum, a* vehendo. Vehiculus.
b *Saussaio est* Briniciacus.
c *Deest* extinguerentur, *vel quid simile.*

AD VITAM S. GREGORII LING.

Pag. 169, *col.* 2, *in Epitaphio, ad finem in margine adde Roverius noster in historia Reomaensi pag.* 478 *legit,* direxit. NOT. 69.

AD VITAM S. RIGOBERTI EP.

Pag. 180, *col.* 2, *ad finem Translationis* S. Rigoberti, *adde* [Non mediocris portio *reliquiarum S. Rigoberti* Parisios pridem delata in B. Deiparæ basilica cultu condigno observatur. *Ita Breviarium Parisiense, in quo Lectio* IX, *hoc die est de* S. Rigoberto. *Idem testatur Saussaius; qui tamen fallitur, dum scribit, eum ab exilio reversum,* Sedi restitutum, collapsam disciplinam in integrum pia instantia restituisse. NOT. 70.

S. Rigoberti reliquiæ aliquæ Parisiis.

Reponenda hæc pag. 180. NOT. 71.

DE S. RUMONO EPISCOPO
TAVESTOKÆ IN ANGLIA.

IV JANUARII.

Tavestokæ,

monasterio insigni,

Tamara amnis Cornwalliam a Devonia dividit, ac plures alios recipit priusquam se cum Plimo *in Oceanum meridionalem evolvat ad* Plimmouth *oppidum, quod* Plimi ostium *sonat. Inter illos est fluviolus* Tavus, *sive* Teavus, *ad quem* Tavistoke, *olim monasterio celebre; de quo ita scribit Willielmus Malmesburiensis lib.* 2, *de gestis Pontific. Angl. in Cridiensibus:* Est in Domnonia cœnobium monachorum juxta Tau fluvium, quod Tavistok vocatur, quod per Ordgarum Comitem Domnoniensem, patrem Elfridæ, quæ fuit uxor Regis Edgari, surgendi exordium, per Livingum Episcopum crescendi cepit auspicium; locus amœnus opportunitate nemorum, captura copiosa piscium, ecclesiæ congruente fabrica, fluvialibus rivis per officinas monachorum decurrentibus, qui suo impetu effusi quicquid invenerint superfluum, portant in exitum. Rumonus Sanctus ibi prædicatur, et jacet Episcopus pulchritudine decoratus scrinii; ubi nulla scriptorum fides assistit opinioni: quod non solum ibi, sed in multis locis Angliæ invenies violentia hostilitatis abolitam omnem gestorum notitiam, nuda Sanctorum nomina, et si quæ modo prætendunt miracula sciri.

cultus olim S. Rumonus; cujus Acta ignota;

2 *Hæc Willielmus. Quam* Domnoniam *vocat, ea* Cornubiam, *sive Cornwalliam, et Devoniam complectitur, olim a* Domnoniis *habitata, quos memorat Ptolemæus lib.* 2, *cap.* 3, *Solinus cap.* 22, Dumnonios *vocat, alii* Damnonios; Danmonios *mallet Cambdenus.* Ordgarus *hic porro Domnoniæ Comes, abavus fuit* S. Eduardi *Confessoris. Nam* Elfrida *ejus filia mater fuit* Ethelredi, S. Eduardi *Martyris noverca;* Ethelredi *autem filius fuit* S. Eduardus *Confessor, ut in ejus Vita* v *Januarii dicitur.* Livingus *Cnutoni ejusdem S. Eduardi vitrico gratiosus inprimis fuit, ex monacho Wintoniensi Abbas*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Abbas Tavistokensis, inde Episcopus, ambitiosus, *inquit Malmesburiensis*, et protervus, Ecclesiasticarum legum tyrannus invictus;..... humatus Tavistokiæ, quo loco multa spectabilia contulerat.

natalis. 3 S. Rumoni *natalem in secunda editione Anglicani sui Martyrologii, pridie Nonas Januar. consignavit Joannes Wilsonus, his verbis :* Eodem die Tavestokiæ in Devonia, commemoratio S. Rumoni Episcopi et Confessoris, vitæ sanctitate et miraculis *reliquiæ.* clari : cujus honori Ordulphus Devoniæ Comes insigne monasterium construxit, sub annum 960, ubi sacræ ejus reliquiæ longo tempore asservatæ sunt magna cum veneratione. *Ceterum ipsius Sancti ætas omnino ignota est. Cum Devonia serius ab Anglis sit subjugata, verisimile est, eum gente Britannum fuisse.*

AD VITAM B. ROGERII. Ex variis.

Pag. 182, *post chronographicum de fundatione* Ellantii, *ante Prologum Auctoris, adde* [*Refert Saussaius quoque* Rogerium *in Martyrol. Gallicano, et* Beatum *appellat.* NOT. 72.

AD VITAM B. ANGELÆ

Pag. 186 *post, ad Præfationem nostram, adde* [*Extat in libro de SS. Fulginatibus auctore Ludovico Jacobilli, Vita* B. Angelæ. *Cujus nomen recenset quoque hoc die in Martyrol. Franciscano Arturus Monstierius, et plures citat, qui illius meminerunt. Arnaldum autem vitæ Scriptorem, idem* Beatum *prædicat, et* XVII *Junii recenset.* NOT. 73.

AD V JANUARII.

NOT. 74. *Leonora Rodericia.* Pag. 235, *inter Omissos adde* [Leonora Rodericia, *prima monasterii Pontis-viridis, a Majore Perezia nobili femina sub annum* 1510, *fundati, Ordinis S. Claræ Abbatissa, refertur hoc die et* Beata *appellatur ab Arturo Monstierio. Ita scribit de ea Franciscus Gonzaga par.* 3, *provinc. S. Jacobi Conventu* 7. Plura miracula edidisse fertur; qua etiam de caussa ejus corpus in sacra hujus Conventus æde sepultum, in maxima est apud omnes veneratione. *Idem scribit Barezzius par.* 4, *Chron. Minor. lib.* 1, *cap.* 19.

NOT. 75. *Ibidem cum de* S. Ealredo, *lin.* 2, *dele* [*Ben. Dorganius*] *et repone* [*Kalendarium Cisterciense Divione excusum.*

Ibidem adde : [B. Rogerius Tudertinus, *Ordinis Minorum, refertur hoc die ab eodem Monstierio. De eo agemus* V *Martii.*

DE S. TELESPHORO PAPA M.

NOT. 76. Pag. 236, *col.* 1, *ad Præfationem adde* [*In plerisque veteribus MSS. Breviariis Hispanicarum Ecclesiarum, ut ex Luca Torrio. V. CL. didicimus, reperitur ad* XXVIII *Januarii adscriptum* S. Telesphori *nomen. In MS. Florario SS.* 1 *Augusti ista leguntur :* Item Telesphori Papæ et Martyris translatio. *S. Telesphori translatio.*

AD VITAM S. SYNCLETICÆ VIRG.

NOT. 77. Pag. 242, *col.* 2, *lin.* 1, *post, hic dabo, adde* [*Græcum exemplar una cum Latina interpretatione Petri Lansselii nostri, a Luca Torrio V. CL. Ærarii regii in Flandria Præfecto, accepimus, unde quasdam animadversiones subtexemus. Ex ea Vita in Vitis PP. etc.*

NOT. 78. *Ibidem col.* 2, *lin.* 3 *a fine,* atque etiam ipsi progressus *etc. Lansselius vertit :* Etenim ipsa recte facta nos ad laborem et cognitionem accendebant. *Sensus videtur esse hic :* nam et ipsæres præclare a Syncletica gestæ mentem nostram ad studium provocabant.

NOT. 79. *Pag.* 243, *num.* 3 *lin. antepenultima,* recondiremus; *lege,* reconderemus. ἀποθησαυρίζοντες.

NOT. 80. *Ibid. cap.* 1 *num.* 8 restim duxit choreis. *planius Lansselius,* saltatrices inducit. χορευτρίας εἰσάγει.

NOT. 81. *Ibid. col.* 2, *num.* 9. Tyria *dele, repone* tibia. αὐλὸς.

NOT. 82. *Ibidem cap.* 2, *num.* 11, *lin.* 8, accersito sene quodam. *Græce est,* προσκαλεσαμένη τινὰ τῶν πρεσβυτέρων. *vertit Lansselius :* accersito Presbytero.

NOT. 83. *Pag.* 244, *col.* 1, *post nu.* 14, *adde:* [*Hic aliqua legi non poterant in Græco MS. quæ et omisit Interpres.*

NOT. 84. *Ibidem col.* 2, *lin.* 8, fides autem familiam ducebat. *Græce est :* ἡ δὲ πίστις προηγεῖτο πάντων, ὅλους αὐτῆς τοὺς ὠμοὺς τῆς ψυχῆς συσφίγγουσα. *Lansselius :* Fides autem omnia præcedebat, totos ipsius humeros omnino constringens.

NOT. 85. *Pag.* 245, *col.* 1, *lin.* 6, *a fine, post* a triginta ad sexaginta, *adde* : nam præclarum est a minoribus ad majora proficere. *quod in Græco habetur.*

NOT. 86. *Ibid. col.* 2, *cap.* 4, *nu.* 26, *lin.* 14, *pro,* personas pulcras, facies decoras, et colloquia simplicia; *repone,* elegantes vultus, figuras indecentes, et antiquam conversationem. πρόσωπα ἐυπρεπῆ, καὶ σχῆματα ἀπρεπῆ, καὶ ὁμιλίας ἀρχαίας.

Page 246, *col.* 1, *nu.* 28, *lin.* 8, in fuga diaboli; NOT. 87. *repone,* in fuga deterioris, ἐν ἀποφυγῇ τοῦ χείρονος.

Ibidem cap. 3, *nu.* 30, *lin.* 3, quæ et palato suo NOT. 88. eligebat, *etc., repone,* Unaquæque autem earum accipiebat quantum volebat. *Græce est,* ἑκαστη δὲ αὐτῶν ἐδέχετο ὅπερ ἐβούλετο.

Pag. 247, *col.* 1, *nu.* 36, *lin.* 4, *a fine illius numeri:* viperæ recenter natæ; *repone,* viperæ nascentes. NOT. 89. *Ita Græce :* αἱ ἔχιδναι γεννώμεναι. *Et patet, quia dicuntur alvum matris dilaniare, ut in auras prodeant.*

Ibidem nu. 37, *lin.* 5, *ante finem cap.* assiculum, NOT. 90. *repone* scintillam. *Græce,* σπινθῆρα.

Ibid. cap. 6, *col.* 2, *lin.* 4, *a fine :* justitiam mundi NOT. 91. sequuntur; *repone,* juste et pie vivunt in seculo οἱ κατὰ τὸν κόσμον δικαιοπραγοῦντες.

Pag. 249, *col.* 1, *nu.* 50, *lin.* 4. Ego sum terra et NOT. 92. non homo, *corrige,* ego sum vermis, et non homo. *Sic Græcum exemplar habet, et locus Psalmi.*

Ibid. nu. 53, *lin.* 10, *post* cilicino stramento; *adde :* NOT. 93. *alii vero* continenter humi cubant, sed quamvis, *etc., quæ in Græco habentur.*

Pag. 250, *col.* 2, *nu.* 64, *lin.* 13, non enim imposuisti NOT. 94. finem obloquendi patri tuo, *corrige,* non enim cessas maledicere fratri tuo.

Pag. 251, *col.* 1, *num.* 70, *lin.* 11, συνδιατρίψεις, NOT. 95. *corrige,* συνδιατρέψεις *a* σύνδιατρέπω, converto; *non a* συνδιατρίβω, conversor.

Ibidem col. 2, *nu.* 73, *lin.* 9, præputii cordis; *cor-* NOT. 96. *rige,* circumcisionis cordis.

Pag. 252, *col.* 2, *nu.* 84, Præterea id quod dicitur Verbum incarnatum esse, insinuat consequenter NOT. 97. nativitatem. *Melius ex Græco sic efferes :* Ortum ipsius Generationem nominavit Divina Scriptura. Præterea quod inter homines dispensative nasceretur, consequenter Generatio est appellata.

Pag. 253, *col.* 1, *nu.* 85, *lin.* 1, *post* mali, *additur* NOT. 98. *in Græco,* dæmones.

Pag. 254, *col.* 1, *nu.* 92, *lin.* 22. Percipite quæ NOT. 99. dixi; *corrige :* attende ad ea quæ pronuntiantur. *Græce,* νόειτὰ λεγόμενα.

Pag. 255, *col.* 1, *nu.* 100, *lin.* 12, *post* de adver- NOT. 100. sario, *adde quæ habentur in Græco :* Immoderatio ubique exitiosa. Ne simul arma tua exhaurias, ut nudus in conflictu reperiare, et facile supereris.

Ibid. eodem num. lin. 17. Cave ne stellio velifica- NOT. 101. tioni se immisceat. *Melius Lansselius :* Cave ne hostis subrepat in jejunii tui negotiationem . *Græce est :* Ὅρα μὴ ὁ ἐχθρὸς ὑπεισέλθῃ τῇ ἐμπορίᾳ τῆς νηστείας.

Ibid. col. 2, *cap.* 14, *num.* 105, *lin. penult.* febris NOT. 102. interrupta; hectica dicta; *corrige,* febres continuæ, πυρετοὶ ἀδιάλειπτοι.

Pag. 256, *col.* 1, *num.* 108, *lin.* 13, *post,* se res NOT. 103. habet in bonis; *adde,* nam et commilitonum meorum aliquis partes adversariorum adjuvat. Sæpe enim, *etc.*

Ex variis.

DE SS. HONOBERTO ET HONULPHO EPP.

not. 104. Pag. 288, *col.* 1, *lin.* 6, *post, agi* v *Januarii, adde* [*Hos quoque refert hoc die Saussaius, testaturque* hactenus una eademque celebritate quotannis in Ecclesia Senonensi ex avita consuetudine percoli.

DE S. FLAMIDIANO M.

not. 105. Pag. 289, *col.* 1, *num.* 5, *in fine, adde* : [*Refert eum quoque hoc die Saussaius in Supplemento Martyrologii, et* Flavidianum *vocat, traditque sub* Maximiano coronatum.

AD VITAM S. GERLACI.

Pag. 309, *col.* 1 *annot. ad cap.* 6, *litt. c dele ista* [*Non est relatus* (*Leo III*) *in numerum Sanctorum, licet hic Sanctus appellatur*] *atque ista restitue* [*An sit relatus solenni Ecclesiæ cæremonia in album Sanctorum, nobis non constat. Non hic solum, sed alibi sæpe ab antiquis scriptoribus* Sanctus *appellatur; fuitque eximia sanctitate et miraculis clarus, ut* XII *Junii dicemus.* not. 106.

AD VI JANUARII.

DE B. GUARINO EP. CEDUN.

not. 107. Pag. 348, *col.* 1, *post num.* 1, *ornat elogio, adde* [*Josias Simlerus (si fas est hominis heterodoxi hic uti testimonio) in descriptione Valesiæ lib.* 2 *fol.* 47, *ita scribit* : Post Amatum Guarinum Sedunorum episcopatum administrasse certum est: quo anno et quamdiu, incertum. Hic post obitum in cœnobio Vallis Alpium apud Equestres sepultus est : uterque a posteris in Divorum numerum relatus fuit. *De* S. Amato *agemus* XIII *Septembris.*

AD VII JANUARII.

not. 108. Pag. 354, *inter Omissos, in Isidoro post, Galesinius, adde* [*Exstat in MS. monasterii Bodecensis Canonicorum regularium Vita* S. Isidori Episcopi, cujus festum celebratur VII Idus Januarii; *sed quæ ab imperito scriptore temere consarcinata : nam libros ei tribuit qui sunt* S. Isidori *Hispalensis, de quo agemus* IV *Aprilis, et tamen Episcopum Africanum facit. Galesinius, quem hodie memorat, ait Nicomediæ martyrio coronatum.*

not. 109. *Ibidem in* Matthæo Episcopo Agrigentino *post, hic omitto, adde* [*Monstierius eum* VIII *Octobris suo Martyrologio inscripsit, pluribus allatis pii alicujus cultus argumentis : an ab Ecclesia tamen quidquam de ejus sanctitate sit pronuntiatum, nescimus.*

not. 110. *Page* 355, *inter Omissos post* Amadeum Episc. Lausanensem, *adde* [B. Elisabetha Ruttensis, *quæ vulgo* Bona Beta *appellatur, refertur hoc die ab Arturo Monstierio : sed Conradus Præpositus Canonicorum regularium Waldseæ, ejus Confessarius, scriptorque vitæ illius, quam et Monstierius citat, diserte tradit obiisse festo S. Catharinæ. Eam vitam dabimus* XXV *Nov.*

DE S. JULIANO M.

not. 111. Pag. 355, *col.* 1, *post nu.* 1, *adde* [IX *Januarii in Prolegomenis ad Vitam S. Juliani sponsi S. Basilissæ* § 3, *num.* 13, *diximus eumdem videri qui in quibusdam Martyrologiis* VII *Janu. refertur; licet hic alii duo a nonnullis memorentur.*

DE S. VALENTINO EP.

not. 112. Pag. 368, *col.* 2, *nu.* 4, *lin.* 14, *post* Episcopi et Confessoris, *sequentia usque ad num.* 5, *sic exprime* [*Agitur ergo* VII *Januarii* S. Valentini *natalis* (*jam inde a S. Severini Noricorum Apostoli ævo, ut mox dicemus*) *officio duplici :* IV *Augusti Translatio, duplici quoque officio,* XXIX *Octobris ejus nulla modo fit commemoratio in propriis illius Ecclesiæ officiis. Ferrarius* VII *Junii ista scribit :* Magiis in Norico S. Valentini Episcopi Bataviensis. *Citat in Notis tabulas Ecclesiæ Passaviensis, quæ tamen* S. Valentini *eo die non meminerunt. Neque in Norico situm est* Majense castrum. *Ceterum in catalogo Episcoporum Passaviensium non reperitur* Valentini *nomen, quod merito miratur Velserus in Notis ad Vitam S. Severini. Quæ de priori illa translatione e castro Majensi ad Ecclesiam Passaviensem in ejusdem Ecclesiæ officiis narrantur, lubet hic subjungere; ita ergo habent Lectiones secundi nocturni :* S. Valentini Episcopi corpus, cum aliquot annis in Majensi castro humatum, in pace quievisset, tandem circa annum Domini septingentesimum vigesimum tertium, a Luitprando Longobardorum Rege, Tridentum deductum est, quod postmodum Tassilo Bavariæ Dux, Utilonis filius, pridie Nonas Augusti, circa annum Domini septingentesimum septuagesimum septimum Passavium honorifice deportari, atque inter duos muros, ante fores ecclesiæ B. Stephani Protomartyris, ubi Episcopi Sedes est, deponi fecit. Cum vero idem Valentini Confessoris Christi corpus, per quingentos fere annos, multis miraculis clarum in Passaviensi Ecclesia quievisset, tota diœcesis ejus patrocinium sæpenumero sensit, præsertim in Hungarorum nondum Christianis ritibus initiatorum incursionibus et oppugnationibus, in quibus præsentissimum ejus auxilium incolæ sunt experti. Allatis denique reliquiis S. Maximiliani Episcopi Laureacensis, sub Rudolphi Romanorum Regis imperio, Gotfridus ejus nominis primus Episcopus Passaviensis corpora SS. Valentini et Maximiliani, ne humiliori loco posita obsolescerent, honorabili tumba in eadem basilica Passaviensi, extra chorum, sicut hodie cernitur, collocari fecit, sub annum Domini millesimum ducentesimum octuagesimum quintum. *Hæc ibi. At Wiguleus Hundius a* Bernhardo *Godefridi successore factam hanc translationem scribit. Et sane si anno* 1285, *contigit, ut hic dicitur, jam Episcopus erat* Bernardus, *qui ut ex ejus epitaphio constat, obiit anno* MCCCXIV, V *Kal. Augusti, pontificatus sui anno* XXX.

S. Valentini translatio prima. *secunda,* *tertia* *a quo curata.*

Pag. 369, *numerum* VIII, *ita exprime :* [*Hic dabimus quæ de* S. Valentino *scribit Raderus noster; dein fusiorem vitæ et translationis historiam, a quingentis annis traditam litteris ab anonymo auctore. Eam Surius* IV *Augusti paullulum a se expolitam edidit. Primigeniam phrasim nacti sumus e MS. cœnobii Bodecensis Canonicorum regularium in diœcesi Paderbornensi.* not. 113.

Ibidem col. 2, *pro Vita ex Surio hanc substitue, notationibus, quæ isthic adjectæ sunt a nobis, huc quoque transscriptis.* not. 114.

VITA ET TRANSLATIO

S. VALENTINI EP. BATAVEN.

Auctore anonymo, ex MS. cœnobii Bodecen. descripta a Joan. Gamansio Soc. Jesu.

CAPUT I.

S. Valentini inventio, translatio.

In civitate Pataviensi inventum est sub nostro ævo corpus sanctissimum venerandi Confessoris Christi et Episcopi Valentini, temporibus B. Callisti Papæ anno Dominicæ Incarnationis *a* MXC, a venerabili ejusdem Sedis Antistite Dedalrico : quod olim illuc translatum a Longobardorum gente de castro Magiensi,

S. Valentini corpus inventum, a

giensi *b*, jussu venerandi Ducis Thassilonis, Dei propitiante clementia, propriæ Sedi honorifice restitutum est.

2 Prima igitur translationis ejus caussa vel occasio talis erat. Cum beatæ memoriæ S. Corbinianus Episcopus Friginsensis Ecclesiæ Romam aliquando pergeret, captus est a custodibus Grimoaldi Principis Longobardorum, qui custodias observabant in montanis et Alpibus, et perductus est in Magiense castrum. Ubi dum maneret beatissimus Pontifex Corbinianus, divertit ad *c* monasterium S. Valentini Pataviensis quondam Episcopi, quod in eodem castro in montanis et Alpibus sito ædificaverat idem S. Valentinus Episcopus; in quo dum gentibus prædicasset, et multos ad Christum convertisset, post vitæ suæ terminum sepultus requievit in pace. Postquam vero jussu Grimoaldi prædictus Antistes B. Corbinianus dimissus a custodia Romam pervenit, et inde felicibus auspiciis ad easdem partes reversus est, dolens beati Pontificis Valentini corpus a sua propria Ecclesia longius semotum esse, rogavit Thassilonem Ducem Longobardorum, *d* patrem Grimoaldi Ducis, ut per eum propriæ Ecclesiæ quandoque vel mortuus restitueretur. Cujus precibus annuens Dux Thassilo præcepit Longobardis ut cum honore deportarent corpus B. Valentini a castro Magiensi in suam civitatem Pataviam, unde quondam expulsus fuerat ab erroneis hæreticis Ariana perversitate repletis. Translatum est igitur hoc modo corpus ejusdem sacratissimi Pontificis a Magiensi castro in civitatem Pataviam, et positum est inter duos muros ante fores Ecclesiæ B. Stephani Protomartyris, ubi Sedes est Pontificalis.

pie cultum a S. Corbiniano, c

d

translatum Passavium :

3 *e* Invento corpore beatissimi Pontificis Valentini nostris temporibus in Pataviensi Ecclesia, reperta est juxta eum tabula plumbea, in qua continebantur scripta strictim, et vix ad intelligendum gesta ejusdem sanctissimi viri, quis fuerit, quomodo Episcopatum Pataviensis Ecclesiæ tenuerit, qualiter expulsus vitam suam in montanis exegerit, quomodo post mortem reportatus sit. Quæ scripta ex vetustate et terræ putredine dispersa, ab inventoribus in unum collecta vix ordinem rerum gestarum manifestant hoc modo :

e

Vita cum eo inventa.

4 *f* Venit ab Oceano vir humilis Valentinus nomine in civitatem Noricam Pataviam, prædicandi gratia. Sed quia id hominum genus ferum ac bestiale nimis fuerat, parvum fructum animarum capere ibi poterat. Videns autem terræ illius commoditatem et quorumdam hominum frugalitatem, et regionem jam albam ad messem, cogitabat intra se dicens : Non est præsumendum cuiquam hominum Verbum Dei prædicare, nisi ex Apostolicæ auctoritatis missione, sicut scriptum est. Quomodo prædicabunt nisi mittantur? Hæc dicens adiit Apostolicum Romanæ civitatis *g* Leonem. Qui suscipiens eum cum honore et veneratione libenter audivit, et caussam prædicationis Apostolica auctoritate confirmavit. Reversus denuo ad urbem Pataviam, tentavit in ea prædicare verbum vitæ; sed non profuit, quia nondum tempus miserendi advenit. Iterum autem attentavit adire Romanum Pontificem, ut ab eo mitteretur vel in aliam provinciam, ubi fructum animarum Christo colligeret, ac suæ animæ profectum non minus percipere posset. Quem dum secundo compellasset, interrogatus est ab eo, cujus rei gratia tam cito rediisset? Cui ille : Domine mi, Pater carissime, quia infelicitatis meæ caussa impediente nullum fructum capere potui, ideo redii ad te, orans, ut vel ad aliam gentem a te mittar, ubi fructum animarum Christo jubente colligam, nec minus animæ meæ profectum percipere, Deo adjuvante, queam. Respondit ei Papa : Insta, frater, opportune, importune; et beatus erit fructus laboris tui, si prævalueris instare, ut mitiges feritatem diu repugnantis populi. Quod si nec tertio tentando prævalueris, mea licentia et Apostolica auctoritate ad alias nationes prædicandi gratia transmigrabis : et imponens ei manum ordinavit eum ad Episcopatus gradum, et data benedictione dimisit eum. At ille concite rediens ad prædictam urbem Pataviam, prædicavit in ea verbum salutis, et fidem sanctæ Trinitatis. Populi autem videntes eum inter prædicantem, una cum Arianis restiterunt ei, et ejecerunt eum non sine læsione de finibus suis. Ille vero, ut erat homo patiens, excusso pulvere pedum in eos, regressus ab Urbe declinavit ad montana, ibique secundum Dei providentiam invenit fructum animarum centuplum, ac suæ animæ profectum Deo et hominibus beneplacitum, ac felicem in Christo transitum. Expliciunt verba quæ in tabulis plumbeis reperta sunt juxta corpus B. Valentini.

f

Batavis prædicat S. Valentinus:

Rom. 10. 15.

g

inde ejicitur.

Auctore Anonymo, ex mss.

a *Corrigendum hunc numerum videri, cum ab an.* 1119, *ad finem fere* 1124, Callistus II *sederit*, Udalricus *vero, qui hic* Dedalricus *appellatur, ab an.* 1092, *usque ad* 1124, *animadversum est supra ad Surianam Vitam.*

b *Videtur deesse* Tridentum, dein vero *etc. aut fortassis Tridento denuo ad Majense castrum fuit reportatum; inde Passavium.*

c *Surius habebat*, monumentum. *Gesta hæc dum Roma rediret* S. Corbinianus, *supra adnotavimus pag.* 370, *col.* 2, *litt. g.*

d *Confusa hæc esse ab Auctore supra monuimus pag.* 370, *col.* 2, *litt. k.*

e *In MS. hic interponebatur titulus :* De litteris cum corpore inventis.

f *Rursus erat in MS. titulus :* Series beati viri strictim digesta.

g *Surius nomen omisit. Sedit* S. Leo *ab an.* 440 *ad* 461.

CAPUT II.

Prædicatio, virtutes.

Incipit series de gestis ejus, quomodo in montanis locis verbum Dei prædicaverit, et cælibem vitam usque ad felicem transitum peregerit.

Fuit itaque B. Valentinus Episcopus in montanis inter Alpes in locis nemorosis et silvestribus, in quibus pagani multi et feri ac bestiales homines habitabant, prædicans et docens verbum Dei, et virtutes multas faciens, ita ut ab obsessis corporibus dæmones effugaret, sanaret infirmos, et multos male habentes a diversis languoribus curaret. Erat enim Vir sanæ doctrinæ et fidei Catholicæ regula perfecte imbutus, non palpans vitia hominum sed pungens, habens verba tamquam aculeos contra criminosos, et tamquam clavos defixos in altum, abstinens se ab omni fratre ambulante inordinate.

Prædicat in Alpibus:

claret miraculis:

6 Versutias hæreticorum toto studio declinabat, ita ut nec audire eos, nec communicare cum eis in cibo aut potu, seu qualibet amicitiæ conventione, vellet. Propter quod et ad montana confugerat, ut nullo modo esset ei conventionis occasio seu communionis necessitudo cum eis, qui tunc temporis totum orbem sua fœditate repleverant. Ariana namque perfidia inter ceteras hæreses serpebat per totum mundum, et more serpentis veneno perfidiæ fœdaverat limites, quos Apostolica olim doctrina ad Christi fidem converterat. Ne ergo vir sanctus, et Catholicæ religionis firmitate roboratus, hæreticorum tumultuosos clamores amplius audiret, quibus resistere præ multitudine non poterat, ad montana conscendit. Ubi cum sanæ doctrinæ et veritatis prædicationi vigilanter insisteret, multum ibi Domino populum lucratus est. Audientes enim eum populi multi qui erant ibi, non solum in montanis positi, sed etiam in vicinis locis et circa Alpes contra Italiam et *a* Longobardiam, convenerunt ad eum et baptizabantur in fide sanctæ Trinitatis.

aversatur hæreticos:

a

multos Gentiles convertit,

7 Quidam etiam ab errore, quem ab Hæreticis male perceperant, recurrentes ad fidem, per viri Dei B. Valentini orthodoxam prædicationem, confitentesque peccata sua et abstinentes se ab omni opere malo glorificabant Deum Patrem omnipotentem et Filium ejus Dominum nostrum Jesum Christum redemptorem et Salvatorem mundi, et Spiritum sanctum

et hæreticos :

AUCTORE ANONYMO, EX MSS.

ctum Paraclitum, illuminatorem et consolatorem animarum nostrarum, veram et sanctam Trinitatem divini nominis et confessionis unitatem. Non est in hac Deitatis confessione divisio, non est in personis inæqualitas, vel diminutio, seu temporum novitas, quia Pater æqualis et consubstantialis est Filio, sanctoque Spiritui. Alia tamen persona Patris, alia Filii, alia Spiritus sancti; una vero deitas, una divinitas, sempiternaque majestas, quæ cuncta creat, cuncta vegetat, cuncta regit atque gubernat. Quam fidem constantissime prædicabat B. Valentinus Episcopus, et in hac sanctæ Trinitatis confessione perdurabat, et hac fide multos ab errore diabolicæ pravitatis liberabat, multorumque animas a præcipitio æternæ damnationis eripiebat, et quos subtraxit diabolo lucratus est Christo, quosque convertit ad fidem lucrabatur ad salutem, et ad perpetuam animarum salvationem.

opportunis monitis eos instruit.

8 Docebat eos resistere vitiis, reluctarique mundi hujus concupiscentiis, repugnare peccatis, recedere ab erroribus pristinis et ab universis vanitatibus suis. Docebat populum Dei bene credere et operari, spernere lenocinia blandientis seculi, perfecteque ambulare in via mandatorum Domini, ut quæ fide recta comprehenderent, bonis operibus adimplerent. Hæc siquidem alios docendo et instruendo, nequaquam semetipsum neglexit; sed dum excoleret alios, seipsum præcipue corrigebat et castigabat, secun-
1. Cor. 9. 27. dum quod Apostolus de seipso loquitur dicens : Castigo corpus meum et servituti subjicio; ne forte aliis prædicans ipse reprobus efficiar. Erat ejus doctrina sale sapientiæ condita, non declinans ad dexteram neque ad sinistram, id est, non nimis aspera neque nimium remissa. Sic eradicabat, et extirpabat vitia,
Matth. 12. 20. ut virtutes simul non evelleret, juxta quod in Evangelio de Domini Salvatoris exemplo dicitur : Linum fumigans non extinxit, et arundinem quassatam non contrivit. Linum fumigans extinguere est peccatores

insigni in omnibus moderatione.

quosque et sceleratos seu criminosos propter funum sui fœtoris despicere, et ad reconciliationem Divinæ miserationis per benevolentiam prædicationis non revocare. Non extinguere vero est, ne desperent, per lenitatem ad fiduciam salutis æternæ alliciendo temperare. Arundinem quassatam conterere est angustiatas et exasperatas atque ob instabilitatem suæ pravitatis afflictas mentes ad constantiam et fiduciam spei æternæ vitæ promissionibus non perducere; sed in austeritate maledictionis et desperationis conterere. Quod B. Valentinus Episcopus et Confessor, Prædicatorque egregius, non fecit; sed magis peccatoribus sic prædicabat veniam, ut seipsum peccatorem esse diceret in exemplum, juxta quod scriptum est : Justus in principio accusator est sui. Et summus Prædicator Paulus dicit : Christus Jesus venit
1. Tim. 1. 15 et 16. in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum. Sed ideo misericordiam consecutus sum, ut in me ostenderet Deus omnem gratiam eis qui credituri sunt ei in vitam æternam. Sanctus itaque Valentinus Episcopus dulcis erat in eloquio, in prædicatione suavis, non multiplex, neque profusus in verbis; non profundus in sensibus, non astutus neque obligatus in sententiis; sed erat humilis in voce, lenis in exhortatione, conspicuus in bonitate, in universa morum præclarus honestate *b*.

a *Nondum id tunc illi provinciæ nomen, ideoque Surius Insubres reposuit.*

b *Huc usque omnia in plumbea illa tabula descripta fuisse existimat Surius, at non sequentia.*

CAPUT III.

Ejus pietas, mors, translatio.

Erat ei consuetudo noctes et dies psalmos ruminare, ex totius cordis intentione hymnos decantare, precesque ubertim profundere, tota compunctione
Psal. 119. 5 et 24. 1. ad Dominum suspirare, et cum Psalmista frequenter ingemiscere ac dicere : Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est? et iterum : Ad te Domine levavi animam meam; Deus meus in te confido, non erubescam, et iterum : In te cantatio mea semper; et 70. 6.
Pietati deditus, tamquam prodigium factus sum multis, et tu adjutor fortis, et cum Apostolo cupiens dissolvi et esse cum Christo, frequentissime in orationibus suis suspirabat ad Dominum, et dicebat cum lacrymis et singultibus : Quando veniam et apparebo ante faciem Domini? Quomodo apparebo ante terribilem Judicem in die illa quando venerit judicare vivos et mortuos, et omne seculum per ignem? Igitur B. Valentinus, athleta Christi fortissimus, cum multas gentes in Christi fide et religione Catholicæ professionis con-
amans solitudinis, firmasset, delegit sibi cælibem vitam, ut secretius, ut securius Deo adhærens contemplationi deserviret, et cælesti dulcedini animum intenderet. Fecerat sibi jam pridem Oratoriolum seorsum ab hominum tumultu sequestratum; in quo frequenter in orationibus pernoctabat, vigiliis et jejuniis insistebat, sæpissime etiam lacrymarum imbribus perfusus totis ad Deum suspiriis anhelabat; diebus vero lectionibus, meditationibus ac contemplationibus vacabat; eleemosynis etiam et aliis bonis operibus, quibus poterat, insudabat : Deoque soli in secreto cordis sui per puram conscientiam continue et indefesse militabat.

10 Post tot vitæ hujus labores, post tot bonorum operum sudores, atque post tantas vigilias, et corporis molestias, necnon et hæreticorum pressuras et insidias : Deus omnipotens, cui soli jam longo tempore militaverat, volens ei quasi fideli servo impendere mercedem et præmium post laborem, revelavit ei in spiritu tempus et horam suæ resolutionis, ut esset cautus ac sollicitus et in omnibus provide cir-
præparat se ad mortem: cumspectus, ne forte mors repente eum immunitum inveniret, et sic acrius laborare inciperet, sicut in Evangelio de providentia beati servi a Domino dicitur : Beatus servus, quem cum venerit Dominus, Luc. 12. invenerit vigilantem. Nam si sciret paterfamilias qua hora fur veniret, vigilaret utique et non sineret perfodi domum suam. Sciens ergo Sanctus Domini imminere sibi diem et horam transitus sui, præminivit se vigiliis sacrisque orationibus, ut exspectaret præmium lætus, pro quo tantum tempus laboraverat bonis operibus inquietus attendens illum versiculum in Evangelio sibi a Domino adaptandum : Euge serve Luc. 19. 17. bone et fidelis, quia in modico fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.

11 Cumque adhuc labores supra labores adderet, vigilias super vigilias, jejunia super jejunia, orationes orationibus continuaret, ac ceteris bonis operibus insistendo diem et horam suæ vocationis jugibus cum lacrymis exspectaret, tactus febre intrinsecus *febri laborat:* et gravi molestia corporis extrinsecus vexabatur infirmitate, qua et mortuus est beatissimus Christi Sacerdos Valentinus. Sed licet ægritudine valida laboraret, secum tamen patientiæ et obedientiæ virtutem retinens; non multum contristabatur; sed gaudebat; præsumens se a Domino diligi, quia tam gravi infirmitate ab ipso merebatur argui et castigari; sicut Divina sapientia electorum animas consolatur Prov. 3. 11. dicens : Fili mi, noli deficere propter disciplinam Domini, et ne fatigeris dum ab eo argueris, quem enim diligit Dominus corripit, flagellat omnem filium, quem recipit, et post flagella in hereditatem patriæ cælestis introducit. Talibus itaque Spiritus sancti consolatoriis eulogiis S. Valentinus Episcopus multum lætificatus non timebat mori, sciens se a Domino citius a tormento mortis liberari.

12 Vocatis igitur fratribus et commilitonibus suis, indicavit eis tempus resolutionis suæ imminere, et his verbis omnes allocutus est : Fratres carissimi, *suos solatur,* confortate in Christi fide Ecclesiam, conservate fidem et unitatem, pacem, spem, et caritatem, et religionem Catholicam, et Deus pacis et dilectionis sit

sit vobiscum usque in finem. Tunc beatissimus Pontifex oravit ad Dominum cum lacrymis et dixit : Domine Deus Pater Domini mei Jesu Christi, qui per Spiritu sancti gratiam omnes gentes in unitate fidei congregasti, congrega Ecclesiam tuam sub vinculo veræ fidei et Christianæ religionis; libera eam a pravitate hæreticæ perversitatis, muni eam et custodi a scissura diabolicæ falsitatis. Domine Jesu Christe, Fili Dei omnipotentis Patris, defende et erue oves tuas de ore luporum, pro quibus fudisti pretiosissimum sanguinem tuum. *proque iis orat:*

13 Finita denique hac oratione et fidelissima exhortatione Pater Valentinus accepit propriis manibus Sacramentum corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi, dicens : Domine Jesu Christe gloriosissime conditor et redemptor mundi, qui es ductor et illuminator animarum nostrarum, obsecro te per mysterium sanctissimæ Passionis et resurrectionis tuæ, ut suscipias animam meam, et perducas in regnum tuum, quod præparasti diligentibus te. Hac oratione completa tradidit spiritum in manus Angelorum ad Christum in Paradisum perducendum. *sumpto viatico,* *pie moritur.*

14 Corpus autem ejus ibidem in montanis in ecclesia sua sepultum est. Post aliquantum vero temporis cessante perfidia hæreticorum a fidelibus Christianis ad Pataviam corpus ejus perlatum est, et in ecclesia B. Stephani Protomartyris honorifice reconditum est. Cum autem per multa tempora clarescret locus ille signis et virtutibus, quas fecit per illum Deus, revelatæ sunt multæ visiones nostris temporibus viris religiosis; qualiter Domino præcipiente transferendum esset corpus ejusdem sanctissimi viri in locum celebriorem. Inventum est ergo sanctissimi Confessoris Christi Valentini inter duos muros basilicæ B. Stephani Protomartyris, et elevatum cum magno tripudio et populorum conventu a venerabilibus Episcopis et aliis viris religiosis, collocatum est in majori Ecclesia ad sedem Pontificatus; ubi adhuc plurima fiunt miracula, quæ facit per illum Deus et Dominus noster Jesus Christus, qui in Sanctis suis est mirabilis et gloriosus in secula seculorum, Amen. *Corpus transfertur Passavium,* *post divino monitu magnificentius lacatur.*

15 Celebratur autem festum B. Valentini in Pataviensi civitate magnifice et cum magno honore pridie Nonas Augusti, et fit ibi conventus multorum hominum, quærentium auxilium et defensionem a B. Valentino Episcopo, percipiuntque multi, qui digne postulaverint, sospitatem mentis et corporis per Dominum nostrum Jesum Christum. *Anniversaria translationis solennitas.*

DE B. WITTEKINDO DUCE.

NOT. 115. *Pag.* 385, *col.* 2, *post nu.* 28, *adde* [*Wernerus Rolevinck aliique arcæ, in qua B. Wittekindi ossa reposita sunt, hos versus inscriptos aiunt :*

Ossa viri fortis, cujus sors nescia mortis,
Iste locus claudit; Euge Bone spiritus audit :
Omnis mundatur hunc Regem qui veneratur :
Ægros hic morbis cæli Rex sanat et orbis.

Fertur B. Wittekindi *corpus Hervordiæ Westphaliæ oppido etiamnum asservari.*

DE S. REINOLDO M.

NOT. 116. *Pag.* 386, *col.* 1, *lin.* 14, *dele, nomina* Oliverii, *et* Rolandi, *qui an unquam extiterint, haud exploratum est nobis.*

Ibidem lin. 24, *post, hic dabo, adde* [*Aliam* S. Reinoldi *Vitam metro rhythmico descriptam nacti sumus, multa fabulosa de ejus genealogia, fratribus, uxore etc. complectentem.*

AD VITAM S. RAYMUNDI.

NOT. 117. *Pag.* 429, *col.* 2, *ad finem miraculorum ex Domenecco, adde :*

ALIUD MIRACULUM

Ex variis.

Ex Joan. Lopez 3, p. hist. Prædic. c. 65.

Joanna Quignonia, Ferdinandi Quignonii et Damianæ Oliveræ filia, dignis nobili suo genere moribus prædita, atque a prima ætate ad omnem erudita pietatem, diuturna ægritudine exercita, ac tandem S. Raymundi opportunam opem experta est. Nam cum novem esset annorum, lateris correpta est dolore, adeo vehemente, ut febri etiam restincta detergi tamen malum omne non potuerit, sed perpetua pectoris anxietate premeretur. Defluxit postea in genua noxius humor, ut lecto affixa duodecim annos assidue decubuerit, nisi quod prioribus tribus mensibus paullulum quandoque incesserit fulcris geminis nixa, quamvis cum ingenti cruciatu. In his molestiis ærumnosam et miserabilem vitam trahebat : cum sub annum MDXCVIII, epilepsia accessit, ita violentis et frequentibus paroxysmis, ut fere in dies trium horarum spatio usu sensuum privata jaceret : fuit cum quatuordecim dies exerta fœde lingua summas respirationis angustias pateretur, nec cibi quidquam caperet, sed modici solum liquoris instillatione refocillaretur, plane ut de ejus vita conclamatum videretur. Accedente paroxysmo, tanta vi concutiebatur, vix ut a ternis coerceri hominibus posset. Ea luxatus pes dexter ac retrorsum conversus : in brachio ac manu sinistra similis facta convulsio; ingens in leva mamma tuber excrevit : guttur varie intumuit, unde maximum sustinebat dolorem, ut præ eo linguam sibi mordicus convulneraret. His tot ac tantis malis omnis fere adempta illi loquendi facultas. Accedebat febris continua, et acerbus capitis dolor. *Quædam clinica* *et epileptica,*

2 Incredibili studio adhibita remedia; cauteria, balnea, catharteria tentata. Verum ubi cuncta successu caruere, ad cælestem opem implorandam convertuntur parentes : ac primum, ne qua fraus mali dæmonis intercesserit, exorcismi atque aliæ Ecclesiæ preces admotæ, susceptæ peregrinationes, genus nullum devotionis prætermissum. Aliud parabatur inveteratæ ægritudini medicamentum : nam cum Legionem, ubi degebat infirma, nuntiatum est, solenniter in Sanctorum tabulas relatum esse Raymundum Pennafortium, spes ei injecta recuperandæ illius patrocinio sanitatis. Obtestatur ergo parentes pridie Kalendas Julii MDCIII, ut se ad Patrum Prædicatorum ædem, ad S. Raymundi aram curent deportari; et erant ipsi quoque singulari adversus eumdem Divum pietate. Ergo quamvis esset ita jam exhausta, ut vix contrectari ac moveri loco posset, verendumque putarent ne præsenti vitæ discrimini objiceretur, tamen ejus pietati obsecundant, et lætica eo illam devehunt. *multis frustra tentatis remediis,* *ad aram S. Raymundi deportatur;*

3 Hic ante aram Divique imaginem collocata, peccata primum confitetur, tum sacrosanctam Eucharistiam suscipit, ea corporis imbecillitate, ut attollere caput non posset. Dein statua S. Raymundi petenti traditur, quum, etsi ita infirma ac debilis, complectitur brachiis, rigat lacrymis, eaque fiducia concipit preces quasi jam certa de obtinenda valetudine, sæpius inter orandum professa sese incolumem redituram esse domum. Duas circiter horas statuam ita strinxit, nec eripi sibi eam est passa. Leni tandem sommo correpta est, sed et mox ita atrox secutus paroxysmus, ut jam animam exhalatura crederetur. Impalluerat vultus, mira erat pectoris anxietas, denique liquit eam animus : post paullo sibi reddita, in spem novam erecta, Sanctum obsecrat ut Deum sibi conciliet, ac sanitatem ab eo impetret. Immutata rursum oris species est : quare territa parens, percunctatur, qui habeat. Respondet, melius sibi esse, jamque vires redisse : atque ad F. Hieronymum de Prado Theologiæ Professorem conversa, rogat ut se juvet: quod dextram porrigente assurgit in pedes, et *ibique conceptis precibus,*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ex variis. *convalescit,* et statuam magnam ac gravem læva manu attollens, ad altare majus festive et expedite evadit, gradus ascendit, sacrosanctam Eucharistiam veneratur. Eo ipso momento valetudinem recuperat, stupentibus qui eam norant; ac tanto inflammata est studio pietatis et gratitudinis, ut mox admitti sese in S. Catharinæ Senensis cœnobium in eadem urbe, sacroque donari habitu petierit, neque nisi eo obtento conquieverit. Anno tandem MDCV, ipsis D. Dominici feriis, ab Andrea de Caso Legionensi Antistite, atque olim provinciæ Castellanæ Ordinis Prædicatorum moderatore, sanctum velum suscepit, atque insigni pietatis laude effloruit, sedula in vigiliis, jejuniis, ceterisque religiosæ vitæ functionibus obeundis. *et fit Religiosa.*

AD VIII JANUARII.

NOT. 118. *Pag.* 457 *inter Omissos adde :* Pragæ secunda reliquiarum translatio *celebrari hoc die consuevit, ut ex veteri illius Ecclesiæ Kalendario didicimus. De reliquiis variis Pragam a* Carolo IV, *Imp. allatis actum est supra in Addit. ad* 2 *Januarii. Ast in MS. ejusdem Ecclesiæ Kalendario ita habetur :* VI Id. Allatio reliquiarum sanctorum Apostolorum Thomæ, Jacobi, Mauritii.

NOT. 119. *Ibidem ubi agitur de Dedicatione ecclesiæ S. Mariæ de principio Neapoli, adde* [*De hac ecclesia ejusque dedicatione agemus ad Vitam* S. Aspren 3 *Augusti, et* S. Candidæ senioris 4 *Septembris.*

DE S. LUCIANO BELLOVAC.

NOT. 120. *Pag.* 460, *col.* 2, *nu.* 7, *lin.* 9, *post, an ex Notationes prodierint, nos latet, adde* [*In eadem sententia est Franciscus Bosquetus, Prætor Narbonensis, historiarum Eccles. Gallic. tom.* 1 *et disertissime atque ex professo Jacobus Sirmondus noster libello de ea re edito.*

S. Luciani reliquiæ an Vicum delatæ? *Pag.* 461, *col.* 1, *post nu.* 12 *adde* [*Chronicon Hispaniense quod Dextri vocant, ad an.* 308, *nu.* 8, *ista habet :* Reliquiæ S. Luciani Belovacensis Episcopi Vicum transferuntur. *Sit fides penes auctorem. Franciscus Bivarius notat* Vicum, *de quo isthic est sermo, Catalaniæ urbem esse. Ast Luitprandi Chronicon ad an. Christi* 902, *ista habet :* S. Luciani Pontificis et Martyris, comitis S. Dionysii Areopagitæ, ossa Bellovaco ad urbem Vicensem translata sunt. Alii putant Leuciani Reguli Carpetanorum corpus, passi cum Quiteria, cum corpore S. Marci allatum. *Non potest utrique huic Chronico fides constare; et nefas, neutri fidem habuisse?* NOT. 121.

DE S. PATIENTE EP.

NOT. 122. *Pag.* 468, *col.* 2, *linea penultima,* Andreas Dinettus, *corrige,* Jacobus Dinettus, *Societatem nunc in provincia Franciæ moderatur, vir doctissimus et humanissimus.*

NOT. 123. *Pag.* 469, *post lin.* 2, *adde : De ætate* S. Patientis, *et sequentis historiæ fide, statui poterit ex iis quæ* XXIII *Novembris de* S. Clementis *Ep. Metensis ætate dicemus. Eamdem Vitam ex MS. Carthusiæ Colonien. nacti sumus, sed paullum subinde contractam, nonnullis ad calcem assutis de Ecclesia S. Joannis Evangelistæ isthic a* S. Patiente *ædificata. Eadem Vita Gallice edita a Viellio et aliis.*

DE S. ATTICO EP. CP.

NOT. 124. *Pag.* 480, *col.* 1, *post* § 6 *adde* [*Sed fortassis in Nicephori catalogo vitiati sunt numeri, ut pro* VI *annis,* IV Theodoto *dati sint. Videtur certe quidem* sex *illi annos tribuere Theodoretus ep.* 83, *ubi sic scribit nu.* 23. Sex enim annos ibi *(Antiochiæ)* ego docens, tempore beatæ memoriæ Theodoti Antiocheni Episcopi, qui tum vitæ splendore polluit et fulsit, tum etiam divinorum dogmatum cognitione. Alios deinde tredecim annos tempore B. Joannis *etc. Græce est,* ἓξ μὲν γαρ ἔπη διετέλεσα *etc. Forte pro* στ' *legit Nicephorus* δ', *aut contra pro* δ', στ' *reposuerunt in transscribendis Theodoreti operibus librarii.*

DE S. ÆMILIANO CONF.

NOT. 125. *Pag.* 483, *col.* 2, *post ea quæ habentur de* SS. Dominica, Georgio Chozebite, Æmiliano, *adde,* [

4 Porro hic esse videtur Æmilianus *monachus, quem S. Theodorus Studita lib.* 1, *ep.* 48, *a Baronio tom.* 9, *an.* 809, *nu.* 30 *et seqq. recitata, ita laudat :* Cur Antonius religiosissimus Præpositus in custodiam apud Amorium datus, cum eodem quo superior modo Mœchosynodum una cum Fratribus suis anathematizasset? Cur Æmilianus Frater a Nicomediensi in Thyniam vinctus ductus est, verberibusque et ludibriis affectus, direpto ab iis qui irruperant monasterio, perinde ac si hostium spolia fuissent? *Quare inferius post* S. Gudilam *esset reponendus.* *S. Æmilianus pro imaginum cultu multa passus.*

DE TRANSLATIONE S. SEVERINI NORICOR. APOST.

Pag. 497, *col.* 2, *lin.* 9, *a fine : Leonis Sapientis Imperatoris* 24 *Christi* 910 *corrige,* [*Christi* 909. NOT. 126.

Pag. 498, *lin.* 1, *dele, Ex eo hausta etc. usque ad nu.* 5, *et repone* [*Eam Neapoli ad nos transmisit Antonius Beatillus e veteri codice descriptam, quam hic damus.* NOT. 127.

4 E qua corrigas quod Ferrarius etc. Sequentes quoque numeros corrige.

HISTORIA TRANSLATIONIS

AUCTORE JOANNE DIACONO,

Ex MSS. eruta ab Ant. Beatillo Soc. Jesu.

CAPUT I.

Rhegium a Saracenis captum, direptum.

Scripturus, Domine *a* Joannes Abba, qualiter ex castro Lucullano, dudum everso, translatum, tuoque in monasterio S. Severini corpusculum sit collocatum; ratum fuit ibidem, quantum competens videbatur, referre, quod nefandissimus Africanorum *b* Rex, verbis, seu factis, in nostræ religionis exercuit populum. Sed quia tu tuo magis imperio exigebas, ut illa portenta, quæ nostris acciderunt temporibus, in modum commentarioli cum evangelicis disputationibus contexerem, et ego id fieri non posse caussarem; tamen habito majorum consilio, placuit, ut ea quæ de ipso sunt Rege, summatim strictimque percurrerem, et in ceteris, prout facultas suppeditasset, largius immorarer : convenit ergo dare operam, et factitare quod caritas jubet, quatenus Christi Confessoris translatio sic sit ubique notissima, sicuti est et vita ejus, et virtutes signorum, quas jam ab olim per totum orbem libellus solertissimi dispersit Eugippii. *a Prologus Auctoris.* *b*

2 Anno igitur vigesimo quarto Leonis et *c* Alexandri Imperatorum, Saraceni, qui Panormi degebant, contra Regem Africanorum rebellantes, illius jussionibus omnimodis resultabant. Tunc ferocissimus ille filium suum cum multo exercitu dirigens, præcepit ei, ut capto Panormo, statim *d* Rhegium trajiceret, et propter fœdus, quod cum Panormitanis inierant, Græcorum urbes fortiter expugnaret. Mox tyrannulus jussa parentis excipiens, properanter abiit, et obvium sibi Panormitanum devincens exercitum, eo, quo congressus fuerat, impetu, cepit urbem illorum. Dehinc navibus ascensis Rhegium tranavit, ibique, *c Africani Regis filius.* *Panormum capit,* *d*

dein, Græcis fugatis, Rhegium,

ibique, trajecto exercitu, præsidium Græcorum, qui ex Calabritanis urbibus ad suffragandum confluxerat, (proh pudor!) extemplo fugere compulit, et in diversa solo terrore præcipites egit. Tunc irato Deo mortalium culpis, sub omni facilitate oppidum illud ingressus est, et (dolendum dictu) sic efferbuit in eorum occisiones, ut nulli sexui, nullique compateretur ætati. Post immanissimas itaque strages, quas passim tota urbe nefantissimi hostes dederunt, ad diripiendum solita rapacitate conversi, pene ad decem et septem millia hominum omnis conditionis latitantes invenerunt, inter quos etiam cygneo capite ipsum Episcopum rubore decorum miserabiliter, utpote paganissimi, abduxerunt. Auri vero et argenti, necnon et omnium mobilium, inæstimabilia pondera demoliti sunt. Sed hæc Tyrannus ille insatiabilis et impius jussit omnia in unum congerere, et in occasionem patris, ut certius haberet quod ei nuntiando dirigeret, sibi studiosius cuncta servari; addens huic cupiditati aliam ruinam, nam propter Legatos Hesperiæ, qui ad eum undique cum donis et muneribus confluebant, aliquantis diebus ibi commorari se finxit: postea vero, illis remissis, cum ingenti præda generis omnis Panormum reversus est.

ubi multi occisi,

capti plures

cum præda ingenti:

qua ad patrem missa,

3 Inde putans genitorem suum tanti triumphi gestire gaudio, direxit apocrisarios, qui ad eum optima quæque captivitatis perferrent, et totum rei insinuarent eventum. At ille secum indignans, exprobrabat filio, et crebris repetebat vocibus: Degener iste, degener matrizat, non patrizat. Si mei sanguinis proles fuisset, nullis Christianis mucro pepercerat ejus. Ite, ite, inquam, quantocyus, et eum ad me redire compellite: quoniam non ille, sed ego ad istud opus profecturus sum. Proh dolor! quis hæc audiens temperet a lacrymis? quis non longa ducat suspiria? quis non deploret flagella mortalium? Inter tot enim distractiones, totque captivitates Christianorum, adhuc Domini desævit indignatio: adhuc misericordissimi Dei ira defervet; et propter delicta, quibus quotidie, velut dapibus, incumbimus, sævioribus ferimur procellis, et inemendabiles permanemus. En assiduis collidimur tempestatibus, et non resipiscimus. Væ ergo, væ nostræ miseriæ, qui sic quotidianis excessibus divinam provocamus clementiam, ut merito de nobis Job exclamet sanctissimus: Cum expleverit in me voluntatem suam, adhuc multo majora præsto sunt ei, Quid enim? numquid ad emendationem nostram unius civitatis excidium, numquid occisiones populi, numquid varia sexus utriusque distractio suffecerunt? Ah prorsus conditio infelix! erectus est quippe propter te homo nequissimus, quia disciplinam non servas Domini, et ideo illi sævitia tyrannuli filii sui, comparata propriæ nequitiæ, velut misericordia reputabatur.

accusatur nimiæ clementiæ;

Job. 23. 14.

dolo revocatus domum, regno præficitur.

4 Revertentes itaque nuntii cum insinuassent ei omnem patris intentionem, dissimulanter prius audivit, postea vero, ubi circumventus est dolosis litteris, videlicet quod pater illius subito fuisset extinctus, abiit, et avidissimus ad regnandum absque omni consultatione in Libyam properavit. Mox pater ejus, multo super eum incumbens amplexu, annulum, quod magni Regis erat insigne, tradidit, eique dixit: Insere digitis tuis hunc, et mea vice regnato: ego autem contra Deo rebelle Christicolarum genus proficiscar, quatenus penitus abradam de terra.

a *Is ipse esse videtur Abbas monasterii S. Severini, de quo infra num.* 9, *agitur.*

b Abrahamum *vocat Lupus Protospata, a Caracciolo editus.*

c *Erat quidem* Alexander *anno* 870, *a patre* Basilio *Cæsar creatus, Imperator tamen vivo fratre* Leone *habitus non est: at post ejus mortem anno* 911, *tredecim mensibus imperavit pro* Constantino Porphyrogenito *Leonis filio adhuc puero.*

d Rhegium *antiqua civitas in margine Italiæ ad fretum Siculum*

CAPUT II.

Taurominium captum, civium cædes.

Auctore Joann. Diacon. Ex mss.

Sic factus, extemplo per præconem universo populo suo talem incussit terrorem, ut si duo vel tres in domo essent, ad eum quantocyus festinarent. Cernens autem tyrannus tantam multitudinem confluxisse, ait: Omnes festinemus, omnes acceleremus, et id, quod Deo magno gratum est, toto mentis affectu perficere conemur; quatenus ob hujusmodi retributionem paradisum lactis et mellis ingrediamur, de quo quattuor flumina manant. Dixit, et continuo cum exercitu suo innumero, et opibus multis perexit. Qui cum in Siciliam pervenisset, introire Panormum, ceu vile domicilium, contempsit. Pugnatoribus autem omnibus inde accitis, Tauromínum perrexit: ibique castris locatis, ipse civitatis illius situm incomitatus perlustrans regressus est, et convocatis nonnullis latronibus, quos perniciores corpore noverat, spopondit eis ingentia dona, si per illam partem, de qua nullum proditionis periculum timebatur, videlicet propter difficilem locorum accessum, in eamdem intrarent urbem, et ululatu ac strepitu se intrasse significarent. At illi latrociniis assueti, vadunt, et manibus ac pedibus reptantes, in summum evadunt, et clamore horribili perstrepentes sese introisse innuerunt. Mox cives hi, qui extrinsecus excubabant, vociferantes accedunt ad murum, et fortiter oppugnantes totam undique circumdederunt urbem. Miseri cives, qui custodiis deputati ad prandium perrexerant, non ante se captos senserunt, nisi cum hostilis clamor ex industria ortus intonans omnium perculit mentem. At infestissimus ille tyrannus, dum unusquisque, sicut in talibus assolet fieri, absque omni respectu vago discursu perstreperet, portas confregit, et cum omnibus armatis, tamquam esuriens bellua, ingressus, molle pecus trahit manditque. Et quis poterit exprimere cladem urbis illius, quis inauditas pœnas, quis ineffabiles cruciatus? Si enim paullo superius comminationes furiarum ejus recenseantur, nunc jam non est opus exquirere qualis institisset postea, cum tantæ pertinaciæ facultatem accepit. Revera etenim ex abundantia cordis os loquitur, et quod intus ardet foris ebullit.

Pater cum ingentibus copiis

in Siciliam trajicit:

Tauromínium strategemate occupat:

cives crudeliter interimit:

6 Tamen ex innumeris distractionibus, quas passim bacchans edidit cruentissimus heros, hoc unum posterorum memoriæ commendemus, ut in Salvatoris ascribatur clementiam, qui dixit: Pater meus usque modo operatur, et ego operor. Nam scelestissimus Rex postquam universos mares, et feminas, infantes etiam, trucidavit, quinimo et postquam totam illam civitatem incendio jussit absumi; sæviens adhuc inexplebilis bellua, misit inquisitores per concava vallium, per defossa terrarum, perque veprium densitates, ut eos, quos fugæ subsidium liberarat, investigarent, et ad se perferre studerent, accepturi exinde dignam persecutionis mercedem. At illi, utpote rapacissimi, cum ubique sollicite perquirerent, inveniunt robustissimum Christi athletam *a* S. Procopium ejusdem urbis Episcopum latitantem cum aliquantis Clericis, et nonnullis civibus, quos protinus cum ingenti tripudio vincientes ad Dominum suum velociter pertraxerunt. Mox ille machinator calliditatis ita sanctissimum Procopium est allocutus: O Episcope, quia caput tuum multo salito bombyce abundat, iccirco placidissimus te adhortor, ut meis salutaribus monitis obedias, et consulas tuæ et istorum commoditati: sin autem, talem me confestim experieris, qualem ceteri concives tui. Volo enim, si legem meam feceris, et te *b* Israelitico ritu distinxeris, ut semper in conspectu meo assistas, et sis mihi carior præ omnibus Agarenis. Ad hæc Domini Antistes subrisit tantum, et nihil locutus est. Tunc Rex iratus infremuit, et ait: Ridesne captive ad hæc? ridesne? et non intelligis ante quem stas? Mox constantissimus Christi

Joan. 5. 17.

Procopium Episcopum, cum aliis e fuga et latebris retractum, *a*

b

blanditiis frustra tentatum,

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

AUCTORE JOANN. DIACON. EX MSS.

Christi servus respondit : Rideo plane, et bene rideo, quia ille te talia loqui stimulat, de quo afflatus es, dæmon. His sanguinarius heros auditis, infremuit, et furibundus ad lictores suos conversus : Eia, inquit, quantocyus aperite illum in pectore, et cor ejus inde protrahite, ut arcanum mentis illius videamus, et intelligamus. Mirabilis autem Deus in Sanctis suis, mirabilis in majestate, faciens prodigia, tantam tolerantiam huic suo præstitit Antistiti, ut dum lictores imperata complerent, sicut aiunt hi, qui viderunt, ille Regem objurgaret nefandum, et suos concaptivos, ne formidarent, animaret, adeo prorsus, ut Rex impudens strideret dentibus, ut cæsum cor ejus in os illius ad edendum fulciret, et sic demum jam palpitantem cum ceteris decollari juberet. Nec solum ista rabidissimo cani sufficiunt, sed etiam, copioso igne accenso, tota illorum cadavera cremari præcepit, dicens : Sic, sic consummabuntur omnes, qui noluerunt meam voluntatem adimplere.

crudelissime occidit, cum reliquis,

et corpora igne absumit.

7 Ecce nunc se occasio præbuit, ubi rectissime nostram debuissemus lugere miseriam, cujus ob culpam tantus, tamque amarus efferbuit hostis; sed quia Martyribus istis congaudendum est, ideo illud repetemus, quod supra prælibavimus dixisse Dominum : Pater meus usque modo operatur, et ego operor. Vere, inquam, tu Domine Jesu Christe misericors et clemens, operatus es in his famulis tuis, quos ante mundi constitutionem elegisti, ut essent sancti et immaculati in conspectu tuo. Vere tu operatus es in eis, qui præstitisti eis, ut non tantum crederent in te, verum etiam, ut paterentur pro te. Quis enim dispensationis tuæ potest laudare magnalia? Quis potest admirari opera? Nihil ultra dicendum est, nisi quod tuus Psalmista decantat : Justitia tua sicut montes, judicia tua abyssus multa. In his autem, quos dignanter glorificasti, tua magnificatur justitia. In his quoque quos puniendos dereliquisti, humana deploratur miseria, quæ tuis mandatis resultans, judicium ipsa sibi assumit. Enimvero nullus non hostis appeteret, nulla prorsus nos arma terrerent, si præcepta tua ad plenum servare studuissemus. Ergo quia proni sumus ad malum, et nullis nostris meritis, sed tua tantum gratia liberamur, tandem de cælestibus declara, quibus signis, quibusve prodigiis a tanto tamque nefando inimico salvemur. Cognoscat orbis totus, quia tua pro nobis dextera dimicans, misericorditer eripuit nos ab illis ineffabilibus tyranni comminationibus. Non, inquam, omnipotentiæ tuæ fuisset hoc impossibile, qui totum orbem velut statera ponderas, sed ut respectus benignitatis tuæ super famulos tuos stillare videretur, et collaudaretur nomen tuum benedictum in secula.

Joan. 5. 17.

Psal. 35. 7.

Sic Deus Christianorum punit peccata.

8 Igitur postquam hæc omnia ita patrata fuerant, sicut præscripsimus, homo ille paganitatis filius, imo crudelitatis exquisitor, nihil ex his Dei judicio, sed totum suis tribuens viribus, tanta mentis elatione bacchatus est, ut Italicarum Legatis urbium, qui ad eum fœderis caussa venerant, loqui dedignaretur. Tamen post nonnullos dies per internuntium sic illis dicendo transmisit : Vadant hinc, vadant ad suos, et eis renuntient, quod ex me totius Hesperiæ cura dependeat, et ego, velut mihi placuerit, ita dispono ex incolis meis. Forsitan sperant, quod mihi reniti possit Græculus, aut Franculus. Utinam invenissem eos omnes in unum collectos; et ostendissem illis robur, quæque sit virtus bellorum. Sed cur eos demoror? Vadant tantum, et certo certius teneant, quia non solum illos, verum etiam et *c* civitatem Petruli senis destruam. Hoc enim unum restat, ut Constantinopolim proficiscar, et conteram eam in impetu fortitudinis meæ. Dixit, et, illis revertentibus, ipse in *d* Consentinas partes exercitum suum castrametaturus advexit. Apocrisarii vero non impetrata pace repedantes, tantum terrorem omnibus suis incusserunt, ut certatim interruptos resarcirent muros, propugnacula disponerent, et quæque ex agris necessaria erant, raptim convectarent in urbes.

Barbarus Legatos Italorum superbe accipit:

c

d

movet in Italiam.

a *Mirum horum Tauromenitanorum Martyrum*, Procopii *Episcopi et sociorum, memoriam nec in Idea SS. Siciliæ Octavii Cajetani nostri, nec in aliis martyrologiis extare.*

b *Potius* Ismaelitico. *Nisi forte Judaicæ originis fuit cruentus iste Abrahamus.*

c *Ita Romam per contemptum appellat tyrannus.*

d Consentia, *sive* Cosentia, *Brutiorum caput.*

CAPUT III.

S. Severini corpus Neapolim translatum.

Gregorius itaque Consul Neapolitanus, his cognitis, multa super castello Luculli cogitans, et super ejus incolis, multa iniit consilia cum Stephano Episcopo, et ceteris potentibus, ut habitatoribus ejus Neapolim transmigratis, oppidum illud everteretur. Cumque decrevissent, ut ad id perficiendum universus prosciscetur populus; Joannes venerabilis Abbas monasterii S. Severini Pathenopæ constructi, vir per omnia strenuus, suis efflagitabat precibus, ut corpusculum ejusdem Confessoris non alibi nisi in suo collocaretur monasterio, quatenus congruenter appellatione, et corpore decoratum amplissima esset civitatis honorificientia, et salutifera Patrum occursio. Ad hæc Præsul, et Consul respondentes, dixerunt : Si tibi, Reverendissime Pater, talis tantusque thesaurus cælitus fuerit proditus, quo pacto reniti audemus? Sin autem, procul dubio tenemus, quod non sit ei gratum quoquo transferri, et levari ex mausoleo, quod olim pro illius amore Barbaria illustris femina condidit.

Lucullano evertendo.

Abbas S. Severini Neap. corpus illius petit;

10 Mox idem Abbas hujuscemodi responsionibus animatus, tota devotione ad Deum conversus, deprecabatur, ut affectum suum, prout ejus esset voluntas, adimplere dignaretur. Cumque die noctuque taliter postularet, tandem quidam Presbyter ejus tali eum subjecta visione refocillavit : Domine Abba, somnium vidi hac nocte, unde conjicere possum, quod Deus omnipotens vestrum adimpleat desiderium, ut donet vobis sui corpusculum Confessoris. Nam ista nocte, nec pene vigilans, nec pene dormiens, putabam me in Ecclesia ipsius Sancti, quæ est in oppido, orare, et circumdando psallere; et ecce quidam elegans Clericus stans intra quintanas majoris altaris, manuque ferulam tenens, mihi, ut ad se pergerem, innuebat. At ego tamquam orationi insistens : Modicum, inquam, modicum præstolare, Domine, donec expleam istud quod cœpi. Mox ille ait : Satis est, veni. Accedentem ergo me cominus et officiosissime salutans, exhilaratus sum valde roseo ejus aspectu. Deinde cum uterque diu sileremus, sic prior ille ait : Cur tuus Abbas, tuique Fratres, tam me flagranter habere cupiunt, cum semper vobiscum fuerim? ad quem paucis ita responsum dedi supplex : Vere, Domine, vere te hactenus nobiscum fuisse non ambigimus, sed modo petimus, ut tuis concedas et dones famulis te peramplius possideri. Tunc ille : Certo certius, inquit, me hinc ad vos transiturum nullo modo titubetis, sed scire vos convenit, quoniam a præterito anno ad civitatem talem prædicationis gratia profectus, ibi commansi : nunc autem, illis pereuntibus, quia ex toto meæ predicationi resistunt, repedavi ad vestra commeaturus. Hæc ille. At ego repente de strato me corripio, et ovans vobis isthæc dicturus adveni.

in eam rem preces suis indicit.

S. Severinus in visione se illis addicit.

11 Abbate, et monachis cunctis orationi incumbentibus, venit dies ruinosi decreti, in quo Consul et Optimates, necnon et populosæ phalanges ad memorati oppidi destructionem accinti sunt. Quibus dictam jam atque præcipitem exigentibus operam, IV Id. Septembris Præsul et Clerus ad inquirendum sæpedicti Sancti corpus ierunt. Ubi autem in præfati Confessoris basilicam ventum est, Missarum primum solemnia libantes, inchoato demum psalterio, fodere cœperunt. Cumque tumulum mirabili decore sub altari

Evertitur Lucullanum:

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

altari constructum aperuissent, et vacuum conspexissent, longa consternatione dirigunerunt. Tamen spe credula exhortatos, inane sepulchrum inventum eos ab indagatione non revocavit; sed altius suffodientes pervenerunt ad tumbam, in qua cælestis jacebat thesaurus. Hanc protinus referantes, sic universa membra suis compaginata viderunt articulis, ut lacrymoso torpentes stupore, immensa cunctipotentem admiratione laudarent.

reperitur S. Severini corpus:

12 Confestim Pontifex, impresso propter plebis surreptionem signaculi tutamine, alacerque regrediens, memoratum Abbatem nuntio lætificavit optato. Nox ruit interea, et ipse continuo Abbas cum sua congregatione, cum devotione se pavimento prosternens, de concesso munere gratias Creatori reddidit amplas. Tunc surgens, celebratis prius matutinalibus hymnis, cœperunt Davidis cantica modulari Basilius et Petrus œconomi SS. *a* Sperati et *b* Ofterni, donec alii acciti cominus adsunt. Mox albis indumentis amicti, pariter ad sacrati corporis antrum descenderunt, et in præparato loculo pignora diligentius condunt; et inchoante Abbate : Gloria hæc est omnibus Sanctis ejus, omnes voce sonora tonabant. Sic lætantibus cunctis in ipsa Ecclesia a diluculo adusque sero melodiis indeficientibus est vigilatum.

cantu aliisque Ecclesiasticis ritibus honoratur: a b

defertur solenniter Neapolim,

13 Postero autem die, Pontifex et Clerus, Dux, et Optimates, passimque populus universæ conditionis et ætatis, matutino tempore properantes, se in occursum cum Dominicæ crucis vexillis, odoriferisque incensis, in præmissi oppidi campo sanctis exequiis obviarunt; et certatim supplices exhibentes venerationem alternantibus choris Latinis, et Græcis, ad monasterium sæpe fati Abbatis debito obsequio, concinnatisque luminaribus, cineres sanctos deducunt. Quos Præsul extemplo cum *c* Domini Prælursoris et SS. Gervasii et Protasii reliquiis, quas cum eis collocatas repererant, officiosissime condidit in altari.

c cum aliorum SS. reliquiis.

S. Speratus.

a *Unus Scillitanorum Martyrum* 17 *Julii est* S. Speratus, *cujus reliquiæ in Galliam translatæ. Isne sit an alius, qui olim Neapoli cultus, haud scimus.*

b *Hujus nusquam alibi nomen reperimus.*

c *Cæsar Eugenius Caracciolus in indice Sanctorum, quorum reliquiæ Neapoli asservantur, tres hos non recenset.*]

CAPUT IV.

Abrahami tyranni interitus.

His itaque peractis, necdum sex dies effluxerant, et ecce, visu formidabile, et dictu mirabile prodigium, quod perspicue generalis multitudo prospexit, omnibus immensam horripilationem incussit. Astra namque toto passim cælo confixa, jugem volarunt per noctem, et, militum ad instar in procinctu confligentium, ultro citroque alterno sibimet obviabant illapsu. Mox vero tantæ commotionis ostentum, necnon et miranda variarum monstra formarum, quæ in diversis regionibus credibilis videntium firmat assertio, sic omnium jam pavidos territarunt animos, ut precibus votivisque Litaniis ad Deum confugientes, propitia se virtute tutari, inque melius exposcerent portenta converti. Cumque noctes atque dies uterque per talia timeret sexus, beatissimus Severinus cuidam per visionem invenculo visus, Quousque, ait, horripilationem patimini, metu vesano fluctuantes? Numquid non me spopondi vobis interesse? Numquid non dego vobiscum? Nolite pavore percelli, quia nusquam abibo, sic Sanctus.

Prodigiis cælestibus territo populo,

opem spondet S. Severinus.

Rumor de barbari Regis morte sparsus

15 Sed quia populus partim comminatione tyranni, partim ingentibus formidolosus portentis, nequaquam a continuis implorationibus recedebat, clementia Christi, quæ cunctos in se confidentes protegere novit, tandem incredibili fama cunctorum aures permulsit; nam subito volat populosa per agmina rumor interiisse Regem, signaque illa stupenda necem ipsius portendisse. Tunc etsi dubia gestientes lætitia, intimis postulabant ex medullis, id verum ut foret cælestis concederet auctor. Eia nunc, bone Jesu, eia mœstorum consolator, mœstos tuos lætifica famellos. Veniat, veniat, oramus, certus nuntius, qui superbiæ filium, desertorem Ecclesiarum, sanctimonialum stupratorem, Virginum violatorem, virorum sanctorum combustorem, et omnium contemptorem, obiisse confirmet. Hic enim se contra unigenitum tuum, contraque templa sacrata nomini sancto tuo sic superbus erexit, ut penitus deneget te, nomenque tuum a se digna referat clade contritum. Dejice, dejice eum, Domine, gladio virtutis tuæ, quemadmodum Pharaonem demersisti, qui in curribus, et equitibus suis confidebat, et sicut servos tuos, prout promiseras, liberasti; ita nunc, Domine, Rex Regum, clemens, pius, ac misericors, salva nos de manu ejus, quatenus eruti et liberati, omni tempore sine timore, mereamur laudare et benedicere nomen gloriæ tuæ sanctum, qui vivis et regnas in secula seculorum.

AUCTORE JOANN. DIACON. EX MSS.

16 Igitur haud multo post, cum quidam nostratium, qui multo tempore in ipsis pervagarat hostium tentoriis, repedasset, sciscitanti se Gregorio Consuli taliter obitum insolentis exposuit Regis : Domine, inquit, cum protervus et impius ille ad expugnandam urbem Consentinam exercitum omnem studiosis destinasset successibus, et nullo modo exinde ad suæ dispositionis cupitum posset attingere, sed insuper filium suum cum valida pugnantium manu ibidem amitteret; consternatus animo, haud longius locari castra præcipiens, multa super eamdem, multa super omnem terram hanc, maxime in Romanam urbem verba jactabat. Qui dum magno curarum fluctuaret æstu, in quadam ecclesia B. Michaelis Archangeli tandem procubuit, suaque dedit per membra quietem : cui mox in ipso strato sine mora furenti quidam grandæva imagine senex apparuit; ad quem ille rabido hæc addidit ore : Vir, inquit, injuste, coram me es ausus ingredi? Moriture vir adhuc astas, et te non proripis foras? Sed senex in vesanum conjecit baculum, quem manu tenebat, et cum eum in femore percussisset, ex oculis ejus evanuit.

mox confirmatur.

Is clade ad Consentiam accepta,

a S. Petro in somnis percutitur.

17 Tunc illi a somno evigilanti ingens pavor advenit, ac per tota castra direxit, ut si quem Latinorum invenissent, ad eum quantocyus perferrent. Mox memet invenientes, properanter ad eum adduxerunt. Quem interrogans, ait : Qualis, quantusque sit Petrus senex maturius edissere mihi. Cui ego turbatis vocibus respondeo : Domine, nescio quem Petrum asseris. At ille : Romanum, inquit, nusquamne vidistis eum picturatum? Statim animatus confidenter aio : Domine, senex grandæva imagine, caput barbamque attonsus, protinusque ille : Ipse me, ait, percussit. Nam cum membra thoro stravissem, et cor meum varias raptum in curas multa super Hesperiæ, et Romanæ præsertim urbis, demolitione discurreret; subito mihi ille senex astans apparuit, et magna vi telum contorquens, latera mea transfodit. Sic fatus jam ab illo die nequaquam surrexit; sed quotidie ingravescente dolore, cuncta sua paucis diebus intestina emittens, stygialia regna petivit, elysiumque illud lactis et mellis invenit, quem pro Christiana distractione suis falsidicus promiserat sponsor. Mox nepos ejus qui suffectus in tyrannidem fuerat, cum illo ingenti, quamquam discordi exercitu, ad propria remeans, multa ex eo naufragio amisit.

cujus figuram a Christiano exquirit:

moritur.

CAPUT V.

S. Severini post translationem miracula.

Hactenus noster stylus minutatim, quæ de horrendo Rege necessaria videbantur, perstrinxit. Nunc ad B. Severini miracula, quæ in eadem ecclesia ante vel post collocationem ipsius, patrata sunt, accingamur.

AUCTORE JOANN. DIACON. EX MSS.

Joannes igitur quidam, generosis parentibus ortus, cum post multam dapsilitatem, qua in seculo floruit, monasticæ conversationi toto se subdidisset affectu, languores inter plurimos, etiam cruralibus laborabat incommodis, ita nimirum, ut exinde sanies crebra profluens per decem menses nullo magisterio valeret abduci. Sed quia vir ille semper ex suis valetudinibus, Deum glorificans, S. Severini flagranter subsidia expetebat, nocte quadam soporatus, vidit eumdem Christi Confessorem, quatuor comitantibus monachis, quasi suo resideret in lectulo. Quem cum ille tacito defixus lumina vultu conspiceret hærens in eo paullatim cœpit abolore dolores. Tum ubi Sanctus mortalibus est ablatus ex oculis, monachus confestim evigilans, leviusque se habere persentiens, medenti Christo, ejusque famulo gratiarum actiones plurimas egit : post paullulum tantam sicut optaverat, gressuum est sospitatem adeptus, ut pedetentim ecclesiam ingredi, et sancti viri corpus quiret devotus adire.

Ope S. Severini languor tibiarum sanatus:

19 Alius quoque Presbyter cum nullis unquam collyriis valuisset lippida oculorum carere molestia, spe quantulacumque adipiscendæ medelæ, temporibus est utrisque cauteriatus. Mox mirum in modum tanta profluxione cruor ex ipsis plagis manabat, ut nulla manus opificis, nulla virtus aromaticæ obicis, ebullienti tabo compesceret. Hac ergo letali affluentia desperatus, sese ad memoratum S. Severini oratorium credulus advectari præcepit : ibidemque recumbens, cum sæpius sanguis effluueret, vidit, sicut nunc ipse testatur, in specie doctoriciæ picturæ, sed habili vigore nitentem eumdem cum discipulis Sanctum adesse, suaque vulnera cataplasmate, quod manu attulerat, summatim ligare, ac ulterius non comparuisse. Presbyter illico salvifica visitatione alleviatus, et in brevi incolumitate donatus, medico, medicinæque auctore Jesu affatim gratificato, hilariter ad propria repedavit.

manantia sanguine cauteria curata :

20 Dæmoniacus item, Petrus nomine, et ipse a parentibus suis ad basilicam eamdem perductus, una dierum, nequitia diaboli eum instigante, coram Abbate carnalibus ludificabat illecebris. Quem ille ut incestuosius titillari conspexit, et minaci redargutione tale quid prohibere nequivit, miserabilem ferula ter quaterque illum percussit. Mira Dei clementia : protinus dexteram verberantis talis est comitata sanitas, ut beneficii memor in B. Severini sollemnitate cum annua semper devotione devotus occurreret.

dæmoniacus liberatus.

21 Quædam denique nobilissima mulier, sanctimoniali redimita professione, ad menses ferme decem exactos, cum frigore febrique laboraret, ad ipsam processit ecclesiam, et in altario, in quo corpus viri Dei permanebat, Missam sibi Abbatem libare faciens et aquam sanctificatam hauriens, recessit ad sua remeans, et post quatuor dies cupitæ salubritati redintegrata, assiduis Deum Sanctumque ipsius laudibus sublimavit.

Febris depulsa :

22 Dum venerabilis Pater, et patrator monasterii, ad Completorii officium una cum Fratribus laudes Domino redderet, lampas de candelabro in lithostroto concidens, extincta est. Hoc cum præfatus Abbas vidisset, facta quadam hilaritate cœpit dicere : Ubi est virtus tua, Severine beatissime?

Talia, Sancte, tibi famulanti commoda præstas?

Hoc lumen præbes cui munia sancta facessunt?

Olim namque Helisæo similis vas vacuum oleo redundare fecisti, ac petentibus egenis ad faciem tribuisti, cereosque extinctos accendisti, et incredulorum mentes illuminasti; nunc e contrario nobis tibi famulantibus, et luminis claritatem et Deum abstulisti. Nonne si te minime dilexissem, hanc tuam aulam sine lumine manere fecissem? Hæc cum dixisset, præcepit astantibus fragmenta colligere; euntes autem, mirabile dictu, invenerunt lampadem non solum illæsam, verum etiam, tamquam humano ministerio, olei liquore usque ad summum repletam. Mirari omnes cœperunt, omnes Deo omnipotenti gratias agere, et B. Severino, qui tale miraculum patrate dignatus est. Tunc placuit omnibus ut illud oleum ad infirmorum unctionem reservaretur; quod et factum est : ex quo multi postmodum infirmi peruncti, sunt ab eorum ægritudinibus sanati, laudantes et benedicentes nomen Domini nostri Jesu Christi.

lampas redintegrata :

23 Quidam vero puerulus valde a dæmonio afficiebatur; nam et vocem penitus perdiderat et auditum. Hunc itaque parentes cum tenerrime diligerent, ad Oratorium B. Severini adduxerunt, et ante altare, ubi sacratissimum corpus illius requiescit, posuerunt. Ibi cum doloris amaritudine, nec tamen sine fidei devotione, illum deprecabantur, et dicebant : O magne amice Dei, o Confessor per omnia venerande subveni, succurre afflictioni nostræ celerius; quantum enim tua merita sint gloriosa apud majestatem Regis æterni, non ignoramus, quantaque beneficia miseris præstitisti affatim declarata coruscant. Tu enim es ille Confessor eximius, qui quondam superbientes monachos paterno moderamine corripiens, spiritui nequam tradidisti, et cum volvisti, mirabiliter curasti. Ergo posce, quæsumus, Salvatorem Dominum, ut qui nostris merentibus malis digne hoc de nostra sobole patimur, tuis sacris meritis lætificari mereamur. Mira Dei clementia : dum parentes illius talem prostrati orationem complerent, mox puerulus, qui terribiliter vexabatur, obdormuit, viditque in somnis eumdem beatissimum Severinum supra se stantem, et orantem, et post orationem benedictionis subsidia conferentem. Nec mora : in se reversus, quid vidisset statim exposuit, et ex illa hora sanus et alacer omnibus diebus vitæ suæ permansit.

energumenus liberatus;

Cap. 10. num. 44.

item alia;

24 Monialis quædam nobilibus orta parentibus, optimisque prædita moribus, occulto Dei judicio energumena effecta, adeo torquebatur, ut cruorem sæpe evomeret. Hujus parentes, B. Severini virtute cognita, ad illius tumulum deferunt, et preces cum gemitu effundunt. Nec frustra : libera enim illico a dæmonis vexatione effecta, et pristinæ incolumitati restituta, læta cum parentibus in die Translationis vota persolvit.

25 Quæ omnia tam Neapolitani, quam finitimarum urbium cives, videntes, quotquot infirmos habebant, ad B. Severini corpus deferebant, sanosque referebant domum. Hisque mota nobilis Neapolitana matrona cujus puerulus, Andreas nomine, a dæmone acriter vexabatur, ita ut numquam quiesceret, sed stridoribus et horrendis motibus quassaretur, die quo B. Severini e Lucullano corporis translatio celebrata est ad tumulum sistit, noctemque ibi manens, post Missarum solemnia sacrosancto Christi corpore refecta, dæmon abscessit, et gratias Deo et B. Severino agens illius gesta prædicabat.

alius:

visus redditus:

26 Quædam mulier ob capitis morbum oculis capta, ad tumulum pervolat, ardentesque ac summa fide preces effundit : lumen recipit, et pro eo Sancti laudum prædicatrix effecta, alios ad Sancti opem implorandam alliciebat, qui ejusdem Sancti beneficiis postea fruebantur.

febris depulsa :

27 Clericus Neapolitanus febri correptus, nequicquam medicis opitulantibus omne patrimonium effuderat. Audiens Sancti benignitatem, parentem suum increpat, instigatque, ut juxta Apostoli verba, Sacerdotes advocet, et oleo se perungi curet, et deferatur ad Sancti tumulum, ut sicut alii lumen et salutem meruerunt, ita etiam ipse morbo liberetur. Advolat pater ad Nonas, Abbatem adit, filii mandata exponit, qui respondit : Magna est fides filii tui; in nomine

Jac. 5. 14.

Jesu

Jesu Christi, et meritis B. Severini illius consilium non omitamus. Statim Presbyterum cum aqua benedicta, et oleo aliorum ægrorum allegat, oleo perungit, et aquam propinat. Illico sanitatem pristinam recuperavit. Et paullo post refectis viribus ad basilicam Sancti se confert, et vota et officia devota mente persolvit.

28 Hic cum tantum beneficium non desineret aliis declarare, illustris femina, quæ unicam filiam ita manibus destitutam habebat, ut ad os admovere nullo pacto posset, ad templum se confert, Patri monasterii illam offert, filiam per Sancti merita adjuvet rogat, solitumque præbeat oratione auxilium. Hujus Pater cognita fide, petit an credat posse filiam per Sancti preces sanari. Credo, respondit illa etiamsi mortuam detulissem. Admiratus fidem Pater ante altare deponi filiam jubet, celebrataque pro illa Missa, ægra convaluit, surgensque clamabat : Scitote B. Severini meritis me esse curatam, narransque cunctis recuperatam sanitatem, Sanctique virtutem, fama ad curialis cujusdam aures pervenit, cujus puer famulus sensum perdiderat, et intellectum, ita ut veluti epilepticus huc illuc oberraret, non loquens. Hujus amentiam non ferens dominus, et de meritis S. Severini plurimum confidens, ad illius monasterium duxit, Patrem cœnobii rogans, ut oleo perungeret lampadis, quæ ad ipsius tumbam nocte dieque ardebat. Cui annuens ille, ad sanam restitutus est mentem puer, nec tanti immemor beneficii, lætabundus sedulo cum verbo et luminaribus gratias Christo referebat.

vigor manibus restitutus;

item usus rationis.

DE S. SEVERINO EP. SEPTEMPEDANO.

NOT. 128. *Alia SS. Severini et Victorini Vita e MSS.*

Pag. 300, *col.* 1, *dele omnia quæ habentur num.* 6, *et hæc restitue* [*Aliam* SS. Severini *et* Victorini *Vitam nobis Roma transmisit Silvester Petrasancta noster, quam e vetusto Breviario in membrana exarato, in sacrario Ecclesiæ Sanseverinatis asservari solito, descripserat olim Petrus Martinus Saxolinus ejusdem Ecclesiæ Canonicus, cui congruit MS. Pompilii Vicoli, aliaque.*

alia per Leonar. Francum.

7 *Traditur quoque Leonardus Francus Sanseverinas* SS. Severini *et* Victorini *gesta anno* MDXXVIII, *edidisse, usus tum veteri illo, quod citavimus, Breviario, tum aliis ejusdem Ecclesiæ monumentis, et seniorum relatione. Hanc nos Leonardi Franci historiam consequi non potuimus, epitomen tamen quamdam illius accepimus, unde nonnulla ad secundam illam Vitam annotabimus; atque hic quædam delibabimus.*

S. Philumenæ corpus a S. Severino translatum,

8 *Scribit igitur, quod antea sola conjectura firmaveramus,* S. Victorinum *non Camerini, sed Amiterni Episcopum esse factum, et* IX *Kal. Augusti e vivis excessisse : quo tamen die in nullo Martyrologio illius adhuc reperimus nomen. Addit Francus, priusquam bellum in Italia inter Gothos, dudum rerum dominantes, et Græcos exardesceret,* S. Philumenæ *Virginis corpus, ne discerperetur in illo Septempedæ, quod præsagiebat, excidio, in suum monasterium transtulisse Severinum : quod deinde anno* MDXXVII, *cum Antonius de Monte Cardinalis Papiensis, et S. Laurentii Abbas Commendatarius, altare majus illius ecclesiæ vellet restaurare, repertum tradit, cum scheda e collo dependente, in qua*

an. 1527, *inventum.*

hæc erant exarata : Corpus S. Philomenæ ex nobili familia Clavellorum Septempedæ tempore Gothorum translatum in ecclesia S. Laurentii sub altare majus. S. Episcopus m pp. ss. *Id vero honorifice recondidit Cardinalis, et schedulam illam manu* S. Severini *exaratam, in phiala crystallina reposuit. Qua de re plenius agemus ad* S. Philumenæ *Vitam* v *Julii. Hinc porro corrigas, quod Ferrarius* v *Julii scribit,* S. Philumenæ *corpus in basilicam cathedralem a S. Severino translatum; quodque Eugenius Caracciolus, eodem quo* Victorinum *Martyrem tempore, vixisse in Umbria alium* Victorinum *cum* Severino *fratre, cum hi Victorino Martyre* 400 *annis posteriores fuerint.*

EX VARIIS.

9 *Scribit deinde Francus, corpus* S. Severini *e monasterio, in quo obierat, in cathedralem basilicam translatum : eversam paullo post a Gothis circiter annum* DXLIII. *Septempedam, cunctaque diruta ædificia præter ædem S. Mariæ, quæ tunc Cathedralis erat, extatque etiamnum, licet sæpius restaurata, atque* Ecclesia Plebis *nuncupatur. Demum Septempedanos ait multo post tempore, agitantes de urbe reædificanda consilia, monitos divinitus, ut* S. Severini *Antistitis sui corpus plaustro imponerent; idque juvenci duo nondum jugum experti traherent; ubi vero ii gradum sisterent, ibi templum urbemque ædificarent : ita Sanctum ipsum in somnis Sacerdoti cuidam apparentem edixisse. Progressos ergo tauros Occidentem versus; secutos cives atque amnem Potentiam ficcis vestigiis transmisisse, nec sensisse miraculum, donec paullo post quievere tauri, quo loco sacellum postea ædificarunt, quod nunc* S. Severini de ponte *dicitur, a ponte isthic constructo. Addit deinde, intra nemora densa et opaca penetrasse tauros, arboribus vi divina utrimque reflexis ac viam pandentibus, et vernante floresque et frondes progignente humo, cum dies esset* IX *Novembris. Quievisse iterum in clivi ascensu tauros, ubi post D. Marco dicatum est sacellum; tandem in verticem pervenisse, ubi tunc exiguum erat castellum* Castrum regale *appellatum : illic vero plaustro quiescente, subductos ex omnium oculis juvencos. Ergo lætos auspicio cives, urbis jecisse fundamenta, et ecclesiæ, quæ anno demum* MCXCVIII, VIII *Junii dicata sit, duodecim ad solemnitatem evocatis Episcopis; urbem vero eam deinceps* S. Severini *appellatum. Hæc Leonardus. Francus. Eo die Dedicationem illius ecclesiæ in suo generali SS. catalogo consignavit Ferrarius.*

Eversa Septempeda.

S. Severini corpus non sine miraculis inde avectum:

urbs nova ejus nomine appellata.

Pag. eadem col. 1, *lin. antepenultima,* Eumque dictis faciens vale; *lege,* Cumque dictis.

NOT. 129.

Ibidem col. 2, *ad num.* 5, *in margine,* videtur a dæmone, *lege* ridetur.

NOT. 130.

ALIA VITA

Ex veteri MS. Breviario Eccles. Septemp.

Vita hæc reponenda est pag. 502.

NOT. 131.

CAPUT I.

SS. Severini et Victorini vita monastica.

Beati Severinus et Victorinus, *a* Picentis oppidi accolæ, magna orti prosapia, athletæ Christi uterini fuere mirabiles : qui ab infantia litterarum peritiæ dediti, ante duodecimum annum claruerunt Doctores. Hi vero tertiumdecimum annum implentes, utroque orbati parente, ad perfectionis numerum pervenire volentes, omnia pauperibus distribuerunt, Dominicum implentes præceptum : Si vis perfectus esse, vende omnia quæ habes, et da pauperibus. Postquam vero se omnibus abdicarunt, vitam religiosam eligentes, *b* monasterio se contulerunt, ubi nil propriæ voluntatis reservantes, loci Provisori et Fratribus se devotos et obedientes per omnia substituerunt; illud præceptum ad memoriam reducentes : Melius est obedire, quam sacrificare. Obedientia vero jure victimis præponitur, quia per victimas aliena caro, per obedientiam autem propria voluntas mactatur. Ex adverso melius ostenditur, quid de ejus laude sentiatur : Si enim quasi peccatum ariolandi est repugnare; et quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere, sola est, quæ fidei meritum possidet obedientia; sine qua quisque infidelis convincitur, etiam si fidelis esse videatur.

a

SS. Severinus et Victorinus litteris imbuti, sua largiti pauperibus, in monasterio sancte vivunt:

b

2 Et quia in B. Benedicti Regula *c* exorbitabant, cœpit Dominus ad eorum preces mira ostendere : nam nulla poterat detineri molestia nec homo, nec bestia, quin per eorum intercessionem a suo curarentur languore. Unde Sanctorum fama cœpit pullulare. Antiquus vero hostis Sanctorum felicibus actibus invidens, invidiæ

c

clarent miraculis:

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

Ex mss. invidiæ felle suffusus, monachorum corda paullatim tentando in odium et detractionem convertit Sanctorum. Asserebant siquidem monachi, Sanctos Dei esse hypocritas, et dæmoniaco nutu ea operari, quæ sanctæ Trinitatis operabantur nomine. O Diabole quantæ sunt tuæ fallaciæ! Antequam ad Sanctorum interventum Deus mira ostenderet, in eorum odium sociorum corda non excitasti: credo doluisti de felicitate quam nequivisti incælo tenere, cum videas Sanctos Dei etiam in terra servare. Monachis autem detrahentibus cœpit B. Severinus blando loqui sermone: *invidentessibi monachos placare nituntur:* Viri fratres et religiosi monachi, si placet, desistite a murmure. Quantum enim murmuratio et detractio noceat, Maria Moysi soror vobis exemplo maneat; quæ cum Moysi verbum detractionis propter Æthiopissam suam uxorem protulerit, lepra percussa apparuit. Et quia invidiæ venena superari forte possunt, sed difficillime quiescere, cum ex hujusmodi sermone deberent a nefando proposito discedere, invaluerunt, dicentes illos fore hypocritas, et sub pelle ovina mentem cauteriatam habere.

3 Videns autem B. Severinus quod suus sermo non proficeret, Beatum sequens Benedictum, qui cum monachos in suam necem conspirasse viderat, eos dereliquit, dicens: Ite, et secundum morem vestrum Abbatem eligite; se a loco subtrahere, et alio, ubi vere congruentius Deo valeret servire, properare disposuit. Fratrem suum, scilicet Victorinum, nolens relinquere, statuit secum ducere; quem sic est affa- *alio abire parant:* tus: O Victorine uterine, frater ordine, socie gravamine, quia sine fructu hic consistimus, (nam socios graves et ineptos sentimus) ad alium locum cum fructu festinemus. His auditis Victorinus paruit, et ex tunc se quasi antesignanum exhibuit. Convocatis vero Fratribus Sanctus inquit Severinus: Viri fratres et socii, si vobis molesti aut graves fuimus, nobis parcite; et si versa vice nobis aliquid intulistis injuriæ, a nobis indulgentiam accipite. Nequeat antiquus prædo pro hujusmodi detractione de vobis sibi aliquid vendicare. Hactenus insimul fuimus, nunc vero disjunget nos locus, sed nos connectat fraternus amor, nec locorum nos dividant spatia, quibus Christi eadem fuerunt mercimonia, et corporum similia cibaria. Dictis finem faciens, lacrymis obortis socios amplexari cœpit atque osculari.

4 Monachi vero, qui prius indomitæ cervicis, et effrenatæ superbiæ extiterant, ad se ipsos reversi, immutata mente Sanctorum pedibus se advolverunt, cum lacrymis et ululatibus eos exorantes, ut sui copiam non subtraherent. Dicebant autem locum destrui, et se igne cælesti consumi, quia tam nefanda dicere præsumpserant: rogabant insuper, ut si aliquo ire *dolentibus jam monachis bene precantur:* cuperent, omnes secum ducerent. Tunc B. Severinus acrius ingemiscens, laudes Domino protulit, dicens: Gratias tibi ago Pastor æterne, quia quibus vis misereris, et quos vis obduras. Ecce mei fratres et socii paullo ante nos insectabantur, nunc vero eorum corda facta mollia de illatis tristantur, et veniam pedibus provoluti exposcunt: et quia impietatem suam confitentur, eorum peccata aboleas, firmati quidem ore Davidico: Dixi, confitebor Domino, et tu remisisti impietatem peccati mei, cordis mei. Horum vero labem, si placet, absterge, et eos sancti Spiritus ingressu consperge; nec ipsi, nec locus, ex illatis aliquo affligantur gravamine. Dictis finem faciens, accersito fratre iter cœpit arripere. Sed quanta fuerit genarum, et vestium laceratio, quantave ploratio, non est nostræ facultatis evolvere. Unde B. Victorinus salubri sermone occurrens S. Severino dixit: Frater et socie, nonne cernis quantum inconsolabiliter Fratres tristentur? Debemus siquidem ipsis jura humanitatis impendere, neque tam præcipitanter nos eis subtrahere. Nam omnis subita mutatio rerum non continet sine fructu animorum; et jacula quæ prævidentur, minus feriunt. Liceat etiam timentibus sperare: demus nostri copiam eis triduo, ut se consolentur Fratres tam modico spatio. Videns autem B. Severinus, *ad eorum solatium triduo subsistunt.* quod interesset sua et suorum sociorum triduanam moram agere, acquievit consilio. In illo vero spatio almificus Severinus salutaribus monitis eos admonuit, et qualiter se ad invicem haberent, edocuit. Sed transacto spatio, et quarto die illucescente, præclarus Dei famulus Severinus jussit Missam celebrari; et sumpto sanguinis et corporis Domini nostri Jesu Christi viatico, et pace facta cum omnibus, acceptaque licentia, signo Crucis se consignans una cum fratre suo, ad loca opaca et inaccessibilia, ubi eremiticam vitam ageret, accedere festinavit.

a *Noti* Picentes *populi ad mare Adriaticum. Eorum regio vulgo* Picenum, *vel* Picenus ager *dicitur.* Picentis *oppidi nulla apud veteres mentio. Leander in Piceni descriptione ista habet:* In ora ostia succedunt Leti-mortui fluminis: prope quod obscura quædam vestigia urbis, nec, ut videtur, modicæ; quam locorum accolæ Picenum aiunt dictam, unde regionis totius nomen quidam arbitrantur enatum. Ego in antiquis Chronicis incerti auctoris legi, urbem hoc situ a Pico Œnotrio advena primum Anconitano in monte conditam, ab eoque denominatam Picenum; cujus appellatio postea regioni universæ cesserit. Sed alium hujus rei luculentum auctorem non habemus, ac proinde reliquendam in medio sumus arbitrati. *Hæc ille. At Leonardus Francus Sanctos hos fratres scribit Amiterno profectos . urbs ea fuit Sabinorum, cujus jam ruinæ cernuntur haud procul Aquila in Aprutio, ut ad priorem vitam litt. m diximus.* *An olim oppidum Picenum?*

b *Francus monasterium hoc ordinis S. Benedicti ait fuisse. At paullo post, obiisse* Severinum *scribit anno ætatis* LXXXV. *Christi* DXL. *Unde sequeretur natum esse anno* CDLV, *circa annum* CDLXVIII *religiosam vitam fuisse complexum, quando ipse necdum natus erat* S. Benedictus. *At vitæ decursus non videtur tantam Severino ætatem astruere, ut consideranti patebit. Situm autem fuisse monasterium hoc conjicit milliari uno a Septempeda, ubi nunc ecclesia est S. Laurentii ad radices montis Nigri, olim Gentilium fanum.* c *In bonam partem hic usurpatur id verbum, quasi qui a communi ceterorum semita recederent, atque ultra etiam quam Regula præscribat, colerent pietatem.*

CAPUT II.

Vita eremitica.

Cum autem B. Severinus cum B. Victorino densissimum nemus intrasset, et vitam cælibem agerent, immitia siquidem *a* animalia eis se apposuerunt, quæ *a* in Sanctos Dei impetum agentia ipsos videbantur velle dilaniare. Sed athletæ Christi mirabiles signum Cru- *Feras signo Crucis mansuefaciunt:* cis opponentes ita ea mansueta reddiderunt, ut certatim ad osculandas eorum manus festinarent; et, quod est mirabile dictu, non prius discedebant, quam inclinato capite percepissent benedictionem. Hoc autem videntes almifici fratres se cœperunt confortare in Domino, et nimium gaudentes de proposito, manus ad Dominum levaverunt, dicentes: Domine Deus Rex immense, quis non contremiscit tuam magnificentiam? quis non obstupescit tua miracula? Ecce ad adventum nostrum commota sunt animalia; et quæ nos exterminare volebant, ita mitia reddidisti, ut quasi homines famulatum nobis exhibeant. Nunc si tuæ benignitati placet, locum tribue, ut vitam incipientes laudemus tua desiderata magnalia; et carnis nostræ actus compescentes, ad vitam, quæ fine non clauditur, attingamus.

6 His dictis paullulum procedentes, ex adverso quemdam locum *b* opacum et concavum conspexe- *b* runt: quo viso, divino jam freti auxilio, gaudentes introierunt. Quem undique respicientes, et eorum proposito aptissimum invenientes, immensas Deo gratias egerunt. Et tunc genua flectentes, primo, secundo, et tertio die incessabiliter absque cibo et potu Domino orationes fuderunt. Postea vero langues- *herbis victitant:* centes capite et ceteris etiam membris, præ labore et fame viribus destitutis ad herbarum radices legendas exierunt: quas cum legissent, ut lavarent aquam quærentes, penitus non invenerunt. Redeuntes autem ad oratorium, quomodo potuerunt comederunt. Peracta vero comestione, ad invicem dixerunt: Ecce jam benefecit Dominus nobis in loco exhibito, et cibo invento;

invento; sed ad nihilum tendit nostrum negotium, nisi Deus aquæ dederit potum. De communi autem placuit consilio, Dominum attentissime exorare, ut qui loci concesserat copiam, aquæ tribueret largitatem. Statimque medullitus Deum deprecantes, centies genua flexerunt ad Dominum, immensam ejus beneficentiam exorantes, ut qui arenti populo Israelitico contra naturam aquam de petra produxit, et ad preces Eliæ imbrem tribus annis et sex mensibus terræ negavit, et eodem volente postea reddidit, ille eorum misereri dignaretur pius et misericors Dominus, ut præ aquæ inopia illic non tam cito deficerent. His dictis aspicientes forinsecus, aquam scaturire viderunt : sed quanto fuerint repleti gaudio, quantumve in Deo confortati, non esset facile scribere. Videntes vero aquam, accesserunt festini, et circa locum fodientes, fontem construxere mirabilem.

fontem precibus eliciunt: austere vivunt:

7 Facto vero fonte vivere disposuerunt, ut tribus diebus in hebdomada cibum et potum non sumerent, aliis vero diebus, excepto die Dominico, semel comederent, et adeo parce, ut eis tantum species remaneret. Insuper eis placuit, ut una hebdomada unus necessaria inveniret, scilicet aquam, radices herbarum, et ligna; et alter altera. Sed B. Severinus fratri suo, quia major erat ætate, deferre volebat. S. Victorinus vero B. Severino, quia junior erat, obtemperare cupiebat; et sic se ad invicem honore præveniebant. Hanc vero vitam sic artissimam postquam triennio fecere, Angelica meruere colloquia : descendebant siquidem Angeli, eis colloquentes magnalia Dei referabant, ad Jesu Christi servitutem confortantes, admonendo asserebant quod omnis eorum labor momentaneus erat, habito respectu ad gloriam, quam erant percepturi. Angelorum autem eas visiones tunc sæpius cernebant, quando se vehementius affligebant. Sed quærebant a Deo Sancti devote, quanto temporis spatio debebant detineri carnis ergastulo : cupiebant siquidem dissolvi, et esse cum Christo. Quibus autem Angeli sic respondebant : O Christi commilitones, et perditorum reparatores fragilis vitæ vestræ terminum quæritis? Sed vos prius in longum pugnare oportet, ut vobis immarcescibilis gloriæ dentur coronæ : adhuc vobis labor superemineat eximius, licet Christi sit jugum suave, et ejus onus leve : et sic vobis postmodum usque in finem certantibus requies optata donabitur.

visitantur ab Angelis,

et ad majores labores animantur.

8 Permanserunt autem sancti viri per quinquennium; et alter alteri faciebat servitium. Quadam vero die S. Victorinus B. Severino inquit : Frater Severine, tu meos labores relevas, cibaria subministras, cubiculum paras; quid mihi plus esset in seculo? Si tibi videtur expedibile, me hic solum relinquas, aut hic solus remaneas. Tanto enim Regi superno erimus acceptiores, quanto in abstinentiis noverit ferventiores. Beatus vero Severinus sic suo fratri respondit : Bone frater hucusque satis benignitatis nobis divina concessit clementia; nam sanitatem est largitus continuam, cibariorum non sumus passi inopiam; sed si alter alterum reliquerit, qui casus sequi debeat extat ambiguum. Verum quia tu ætate et sapientia es major, licet invitus tibi locum desero, et divinæ clementiæ me habenis committo; qui enim dat escam omni carni, mihi non deerit. Nam et locum parabit, et cibaria subministrabit. Sic S. Severinus præ angustia plura loqui non potuit; sed suum fratrem osculans, *c* se divinæ clementiæ dirigendum commissit.

Sanctius victuri ab invicem separantur.

c

9 Qui dum procederet, et pro loco suspiraret, quemdam hominem obvium habuit; sed ne malus Angelus in sanctum Angelum lucis se transmutasset timuit; unde se Crucis signaculo communivit. Videns autem Crucis signum ille occurrens, subrisit, et B. Severinum confortans ait : O Severine frater, mihi Angelo indicante adveni. Confortare in Domino, et esto robustus, et noli me plantasma putare, sed socium spera; ne credas me ad terrorem tuum apparuisse, sed verbo Angelico advenisse. Cum me hesterna nocte sopori dedissem, ter mihi Angelus apparuit, dicens : Noli me ultra morari, sed surge festinus in occursum cujusdam fratris, qui se a suo fratre divisit. Esto ei prævius, usquequo ad locum aptum veniatis ambo; et nomen adjiciens, Severinus, inquit, vocatur. Hæc audiens B. Severinus, cum lacrymis dixit ad Dominum : Dominus noster refugium et virtus, adjutor in tribulationibus, quæ invenerunt nos nimis. In tribulatione mea invocavi te Dominum, et exaudisti me. Tu non derelinquis in te sperantes, imo in omnibus tribulationibus succuris : nolentem prævenis, ut velit; volentem subsequeris, ne frustra velit. Te magnifico, Rex immense; qui me diu errare noluisti, sed mihi quasi Tobiæ filio itineris socium dedisti. Ille siquidem meruit socium, ut pecuniam reciperet numeratam; mihi concessisti socium, ut vitam acquirerem beatam. Hæc dicens, socium est osculatus; et uterque colloquio confortatus Horas dixerunt, et sumptis herbarum radicibus, ad locum destinatum perrexerunt.

S. Severinus ducem nactus ab Angelo submissum, Ex mss.

10 Dum vero procederent, *d* draco immanissimus cribrans S. Severinis socium exterruit. Sed B. Severinus sacratissimæ crucis vexillum opposuit, dicens : Ecce crucem Domini, fugite partes adversæ : vicit Leo de tribu Juda, radix David. Hoc audito draco evanuit. Et Severinus sodalem confortans : Collega mirabilis, draco ille diabolus fuit, sed ad redemptionis nostræ signum remanere non valuit; unde ab oculis nostris evanuit. Confortare in Domino, et esto robustus: jam pergamus viam, quam incepimus. Tunc pariter ad locum ejus devenere concessum. Tunc silentia rumpens B. Severini sodalis dixit : Frater, et Domine Severine, ecce locus, qui ad tempus tibi est donatus. Nam hic vitam tuam non es finiturus. *e* Intravit autem B. Severinus, et locum circumspiciens flexis genibus oravit ad Dominum, dicens : Non me permittas Domine errare ulterius, sed mihi in hoc loco concede vitam finire quam citius. Tunc vero de cælo intonuit : O Severine Dei dilecte, confide in Domino, et noli quærere tibi vitam finiri. Non enim transibit multum temporis spatium, quod Septempedanæ Ecclesiæ præsulatum mereberis. Severinus vero conversationem hominum renuens, et suam non quærens gloriam, voce Angelica non est elevatus, sed vehementius ad Dominum preces fundebat, ut suam immutaret sententiam, volebat siquidem mori eremita, et nolebat honore fungi in hac vita : cœpit affectuosius orationi insistere, et se ultra humanam possibilitatem affligere.

d

dæmonem, specie draconis occurrentem, signo crucis fugat.

e

a *Aprum primum, deinde ursum occurrisse, et signo Crucis mansuefactos, scribit Francus.*

b *Idem tradit venisse ad montem Camerino vicinum qui* Ploracus *dicebatur, inque ejus spelunca habitasse; ac superesse isthic etiamnum sacellum B. Mariæ Virgini dicatum Prior Vita* S. Victorinum, *cum a fratre austerioris et perfectioris vitæ prætextu secessit, venisse ait ad* Prolacem *montem; quod nomen a* Prolaqueo *oppido ductum conjectavimus litt. d. Et prope a Camerino Umbriæ oppido aberat* Prolaqueum.

c *Prior vita habet* Victorinum *in alium locum secessisse, quod et Francus scribit; scd et ipsum* Severinum, *cum a suo nemore paullum essel egressus, ab ignoto eremita in alium locum esse perductum, uti et hic narratur.*

d *Francus tradit primo ferocem lupum occurrisse, sed signo Crucis mansuefactum : deinde immanem serpentem trifida lingua, et triplici dentium ordine; et hunc signo Crucis pulsum.*

e *Permansisse eremitam hunc cum* Severino, *infra innuit; at Francus discessisse ab eo tradit cum locum ei commonstrasset.*

CAPUT III.

Victorini lapsus, pœnitentia.

Dum vero B. Victorinus in laude Dei sic pernoctaret, diabolus humano generi inimicus se in speciosam mulierem composuit, et ventum, tonitrua, et imbrem ante se agens, et luporum, et ursorum vocem emitti faciens,

Ex mss.

faciens, ad S. Victorini cellulam devenit; et gracili sermone, sicut mos est mulierum, verbum tale protulit: O sancte cultor eremi, ustium nunc aperi; miserere feminæ ferarum morsibus ereptæ. Tantum unius noctis morandi dona spatium, ut facto diluculo ad meum redeam habitaculum. Si me hic mori permiseris, meus sanguis de manu tua requiretur; et quod moriar nisi aperueris sum certa: ecce enim feræ instant, et me quasi morsibus laniant. Quantum virtus hospitalitatis commendetur, Apostolus testatur, dicens: Hospitales invicem, sine murmuratione. Scis etiam quod propter hospitium Abraham Deo placuit, et vitam æternam invenit; et idem Loth contigit. Hujusmodi autem verba audiens Victorinus, licet prius multum renuerit, et se numquam recepturum dixerit, tamen quia labor improbus omnia vincit, ostium aperuit, et quod intraret invitavit. Illam dum intraret tetigit, et ejus jecur infecit. Addidit etiam igniculum dulcedo sermonis, et viscera jam malesana decor formæ sauciat. Cœpit primo B. Victorinus obsistere; sed intantum diabolus eum calore infecit, quod resistere non valens se in eam injecit. Cum vero ad rem inhonestam se vellet vertere, et ut loquar verius, dum cuperet perficere; surrexit dæmon, et dixit: O dudum cultor eremi, quid nunc attentasti? Olim scopulis castitatem promittebas, modo ad rem turpissimam te vertebas. Ecce tibi momento abstuli, quod ab infantia acquisivisti: jam meus existis, qui eremi amicus fuisti. His dictis evanuit.

Victorinus dæmonem specie mulieris errabundæ in cellam admittit;

ab eo ad peccatum impellitur,

deinde ridetur:

12 Ad se Victorinus rediens, se excoriare cœpit; et spinas, et urticas inveniens, stratum fecit, et se super eas projiciens, et regyrans, intantum afflixit, quod fere spiritum emisit. Dum vero ad tantum debilitatis devenisset, quod spiritu videbatur destitui, surrexit, et locum sceleris conscium interdixit. Relinquens etiam locum, ut mentis immutaret habitum, ad fratrem redire disposuit. Erat vero B. Victorinus sic afflictus, et lacrymis ac fletibus fatigatus, quod pedibus non valebat incedere, sed manus pedum fungebantur officio, qui paullulum se movebat, et suam miseriam exponebat. Dum vero sic laboriose incederet, eum a longe cognovit B. Severinus, et mox accersito socio cum lacrymis dixit: Video fratrem inedia consumptum, et manum pro pedibus habentem. Occurramus ei, ne forte antequam veniat, invia deficiat: Tunc festini eum in ulnis levavere, quem postquam ad cellulam deduxerunt interrogare cœperunt, et confortantes eum ut comederet commonuere. Tunc vero Victorinus inquit: Fratres, non possum comedere, nec sic inter vos existere, usquequo mihi misericordiam non feceritis. Diabolus enim in mulieris specie ad meam cellulam venit, suisque suggestionibus, et verborum dulcedinibus me ruere fecit. Quod mihi postquam accidit, ad vos tamquam ad portum propitiationis ad Jesum Christum nostrum redire statui. Et hæc dicens, pedibus fratris est obvolutus. Et factum et factoris pœnam agnoscens almificus Severinus, lacrymas amaras emittens, preces effudit ad Dominum, dicens: Domine Jesu Christe, qui contemptus parcis, negatus remittis, nos lacrymabiles respice, et peccatum fratris de libro diaboli absterge.

in se sævit:

rependo ad fratrem redit,

eique peccatum suum exponit:

13 Cognoscens autem per Spiritum sanctum B. Victorinus suum peccatum de libro diaboli ablatum, pœnam tamen remansisse peccati, a fratre pœnitentiam suscepit, et pœnam quam pro commisso sustinere elegit, statuit, ut tamdiu penderet, quamdiu Dominus pœnam peccati deleret. Rogatus a fratre et fratris socio paullulum comedit, et ad pœnitentiam peragendam processit. Venit vero ad locum ubi se purgare deberet: vidit arborem scissioni aptam: illam scidit, et ut scissura laxaretur cuneum immisit, hæc verba dicens: Domine Deus omnipotens Patris Filius, qui pro nobis miseris formam fervi accipiens usque ad crucis mortem te humiliasti, ut qui a Paradiso per lignum eramus ejecti, per vivificæ crucis lignum ad eum reduceremur; mei tui servi, diaboli astutia decepti, miserere, et pœnam peccati in hac arbore concede delere, ut ad se inversus pendeam, qui ad te non steti erectus: pedes et manus, qui nefanda commiserunt, tamdiu hac arbore claudantur, quamdiu mutata sententia pœnam deleas. Et hæc dicens, pedes et manus injecit, et cuneos abscindi fecit; extremitates vero arboris cuneis divisæ ad centrum rediere, et Victorini manus et pedes nimium strinxere. Sicque B. Victorinus cœpit pendere. Ipse præ angustia nimium stridebat; sed B. Severinum juxta se habebat, et lacrymando plurimum tendebat.

gravem pœnam subit,

manibus pedibusque fissæ arbori insertis;

14 Volens autem B. Severinus a tali supplicio fratrem amovere, verbis humillimis cœpit admonere, dicens: Victorine frater, cum te pendere video, mori desidero. Inauditum pœnæ genus elegisti, quo ante triduum deficies. Si tibi placet, muta propositum, et pœnam eligas, ut peccatum purgare, et vivere valeas. Si autem potius mori, quam vivere eligis, me tuæ mortis fautorem numquam habebis. Victorinus autem ait: Cur frater talia loqueris? voluntas, et propositum distinguunt maleficia: non ad te redii, ut pro me incurras peccatum, sed propterea, ut lucreris me fratrem tuum. Expiato peccato in extremo examine talentum Domino reddes duplicatum, dicens: Domine duo talenta tradidisti mihi, ecce alia duo superlucratus sum. Nonne legisti, quod qui converti fecerit fratrem ab errore viæ suæ, salvabit animam suam, et eum a morte? Ad hoc autem quod dixisti, ut me ad consueta transmittam; qui et rem commisi insolitam, expedit, ut pœna maudita sequatur.

frustra deterrente Severino,

15 Tunc vero B. Severinus *a* Septempedanæ Ecclesiæ accersit Præsulem, et pedibus obvolutus cum lacrymis dicere cœpit: Pastor bone et religiose, Victorinus meus frater, vobis notus et devotus, pendet in suppliciis, et nisi cito succurratis laborat in exitu. Hoc audito Præsul bonus ire parat satis festinus, et currebat, et volebat ne periret Victorinus. Appropians autem Præsul miræ probitatis, ut probatæ castitatis vidit suum amicum sic pendere, et pro noti miseria lacrymas nequivit tenere. Ut autem vidit Victorinus Præsulem, nimium est gavisus, et ut suo ori manum apponeret, et sibi misericordiam faceret Dei intuitu, et sui officii instituto, exoravit. Ubi autem suam manum sibi est largitus, cœpit Victorinus lacrymabili voce dicere: Domine Pater, et Præsul bone, vestræ placuit clementiæ meæ miseriæ condescendere meque a diabolo captum, et vinculis illaqueatum visitare. Unde omnipotenti Deo gratias quas possum refero, qui permisit me vestro frui colloquio. Ipse omnium bonorum remunetator vobis retribuat, et in die judicii pro isto labore respondeat. Nunc autem, si placet, lapsi miseriam animadvertite, et pro peccato pœnam quam patior, injungite. Dum verosolus esse cuperem, fratrem cœpi amovere: paullo post diabolus mulieris sumpsit speciem, et me sibi credendo duxit ad perniciem. Cœpit postea prædictus Præsul illa Victorino fratri verba salutaria dicere, et eum a peccato solvens a pœna proposuit subtrahere. Victorine frater, tuum est peccatum purgatum, et tibi Dominum jam credas placatum. Arborem jam incidi permittas, ut peccato exutus, vinculis solutus existas. Instabat autem B. Severinus, et bonæ mentis Præsuli supplicabat, ut se a fratre prius non subtraheret, quam illum deponeret. Tunc B. Victorinus cœpit obsistere, et fidei fundamento firmare, se numquam inde velle amovere nisi Domino ante placuerit ejus misereri; scilicet ut jubente Domino arbor sponte artus restituat, quos ipse ultro inclusit. Tunc B. Severinus gratias agens Præsuli, remisit eum ad propria; et cœpit vehementius angi et affligi, et non minus cruciabatur quam frater; eo excepto quod non pendebat, ille se pro fratre plus affligebat. Ille die et nocte

a

et Episcopo Septempedano:

nocte incessabiliter Deum exorabat, ut fratri succurreret.

16 Toto autem triennii tempore, et Victorinus pependit, et se Severinus pro eo afflixit. Elapso vero triennio, arboris partes se cœpere laxare, et B. Severinus cognovit peccati labem expiatam, et fratri vitam perditam redonatam: ad Præsulem rediit, et eum ad fratrem reduxit. Tunc Præsul cum Clero et omni populo patienter accessit, et eum absolvere voluit. Ille autem unius hebdomadæ jejunium petiit, et postea se sineret absolvi, quod ille permisit. Celebrato unius hebdomadæ jejunio Episcopus cum Clero, et omni populo rediit, et Victorinum pendentem sic est allocutus: O frater, tibi jam parce, quia vincula parcunt; et jam manus et pedes recipe, quorum diu caruisti officio. Tunc B. Victorinus cognoscens peccati pœnam deletam, fratrem exoravit, ut funderet preces ad Dominum, quibus sine molestia artus reciperet, quos cum molestia inclusos retinuit. Statimque B. Severinus confidens in Domino, dixit: Domine qui tuis dixisti Apostolis: Si quid petieritis Patrem in nomine meo, fiet vobis; peto ut nomine tuo et vivificæ crucis, partes arboris artus comprimentes dividas, ut sine molestia tuus famulus membra recipiat, quibus dudum caruit. Et hæc dicens, signum crucis fecit, et se statim arbor divisit, et Victorino membra illæsa restituit. Omnes vero qui aderant, videntes miracula obstupuere; et laudantes Dei magnalia, magni meriti dixerunt B. Severinum.

ab ea post triennium solvitur,

arbore Severini precibus laxata.

a *Ferrarius* Camerinensem *Episcopum advocatum scribit, ut ad priorem vitam litt. i diximus.*

CAPUT IV.

S. Severini episcopatus.

Paucis vero revolutis diebus prædictus Præsul obdormivit in Domino, et B. Severinus cum summa devotione in Episcopum est electus a Clero, et populo, ut adimpleretur Angelicum dictum: Quia non transibit multum temporis spatium, quod Septempedanæ Ecclesiæ mereberis sacerdotium. Non quidem unus affuit, qui se electioni opponeret. Electione autem facta consona, et ab omnibus celebri habita, ad eremum B. Severinus quæritur: qui dum eos benignus susciperet, præcepit eis cibaria exhiberi. Illi autem dixere: Et animorum et corporum refectionem quærimus, et ut Septempedana Ecclesia vestra fulgeat clementia, petimus. Ille autem: Tantam dignitatem illi concedite, qui possit pro vobis, et pro me intercessor existere; nec credatis me ex hoc loco posse abstrahere, quia me esse solitarium vovi. Illi autem dixerunt: Tu solitarius esse disposuisti, nisi aliter de te vellet disponere Deus. Ecce aliter Deus disposuit de te. Nam Episcopi honorem tibi contulit, et tuam probitatem in lucem venire voluit. Ille vero nullatenus acquiescebat, sed modis omnibus resistebat. Tunc suus sodalis rumpens silentium, dixit: Severine frater et Domine, memor esse debes vocis Angelicæ, quæ tunc tuis auribus resonuit, cum totam tuam vitam hic postulasti finiri; fuit enim hæc vox Angelica: Non tardabit multum temporis spatium, quo Septempedanæ Ecclesiæ mereberis præsulatum. Noli autem te ultra divinæ et humanæ voluntati opponere; sed Dei munera cum benignitate suscipe. Imo si Deus vult te in lucem venire, obedias, desiste contraire: nempe si ultra renueris, inobedientiæ argueris, et non fidelis, sed infidelis diceris. Nec tunc B. Severinus acquievit; sua mens siquidem cupiebat esse solitaria, et hominum spernebat colloquia, sed quanto magis renuebat, tanto magis accendebantur, et eum majori præsulatu esse dignum asserebant. Quid ultra plura? Licet multum renuerit, plurimumque restiterit, volente Deo ad Episcopatum ducitur, et lætissimis virorum et mulierum animis suscipitur.

Severinus eligitur Septempedæ Episcopus,

diu reluctatus:

a Postquam autem laudes inthronizandi sunt expletæ, in medio ecclesiæ suum os aperuit mellifluum electus Severinus, et qualiter circumstantem turbam Christi seminario paverit, et omnes lætos et gaudentes ad propria remiserit non est nostræ parvitatis exprimere. Audientes vero Clerici eum et laici, Dei laudabant magnalia, qui talem Dominum concessit in eorum patria.

Ex mss. *a*

18 Paucis post transactis diebus ad sacra suscipienda Romam abiit, et circumstante turba Dominus *b* Papa benigne intuens, et eum a longo tempore pro suis meritis videre desiderans, et tota sibi Romana Curia annuente cum maximo honore est consecratus, et ad proprium missus Episcopium: quoad viveret, in tota Marchia est effectus *c* Legatus. Rediens autem ad suam Ecclesiam Episcopus Severinus est cum maximo honore receptus; et si ante Episcopium fuit famæ integræ, post reassumpti honoris officium, excellentioris opinionis, et continentiæ sanctioris est habitus. Et quia in Dei servitio sic erat sedulus, ad ejus intercessionem Deus cæcis visum restituit, paralyticos curavit, claudos erexit, compeditos absolvit, leprosos mundavit, et ut loquar verius, quacumque infirmitate ægri detinebantur, B. Severini intercessione, petitionis suæ salutarem consequebantur effectum. Suam autem Ecclesiam ampliavit satius, et quam invenit inopem ditissimam reliquit. Quinque monasteria construxit, et ipse ditavit: plures canonicas refecit, et ad integritatem reduxit. Quid plura? Donec vixit numquam otiosus extitit, discordes reconciliavit, Marchiam sua illustravit visitatione.

b

Romæ consecratur:

c

clarus miraculis

monasteriis constructis

19 Cum vero Deus vellet suæ vitæ finem imponere, et ipsum, ut bene meritum, a labore subtrahere, Angelum sibi direxit, qui et vitæ terminum poneret, et qualiter Ecclesiæ et Fratribus provideret instrueret. Accedens Angelus B. Severinum in somnis salutavit, et adventus caussam exponens, ad superni regni epulas invitavit, dicens: Frater Severine, tuos Canonicos convoca, et Pastorem in tua colloca ecclesia, viaticum sume: nam die tertio, scilicet Dominico, carnem es relicturus, et cum Sanctis vitam, quæ finem non habet, es ingressurus. Audiens vero B. Severinus tanti mysterii nuntium preces fudit ad Dominum dicens: Te collaudo Rex immense Deus, qui me de hoc ergastulo vocare dignatus es, quia meus satis est prolongatus incolatus. Placeat tibi me nunc hinc jam abstrahere, et optatæ quietis aliquam partem concedere.

diem mortis ab Angelo intelligit.

20 His dictis, totius Episcopii sui homines advocari jussit; et tribus diebus salutaribus monitis eos instruens, nihil aliud egit quam ea quæ fidem fundarent, spem corroborarent, et caritatem ornarent: Canonicos in unum vocavit, et pariter cum eis elegit Præsulem. Et ita omnibus rite paratis, celebrata Missa, et populo prædicto communicato, eum parum algoris invasit. Sentiens autem corporis resolutionem, Clericos advocari jussit, et corpore et sanguine Domini se armavit, in cinere et cilicio se collocavit, et omnia quæ morientibus dici assolent decantavit, et oratione facta taliter ad Dominum dicens oravit: O summe Deus, cui sunt simul omnia nota, me nunc suscipias. Oravit, et oratione facta lux immensa apparuit, quæ per tres horas moram faciens tantam fragantiam attulit, quantam totius mundi odoramenta non darent. Recedente vero luce, ipsa B. Severini anima perrexit ad Dominum, et anteactæ vitæ centuplicatum recepit præmium. Post sancti viri transitum Dominus ex alto fidelis sui Severini laborem considerans, ut alius suo etiam exemplo Christianæ fidei documenta susciperet, suum Sanctum claris coruscare fecit miraculis *d*. Nam de tota Marchia, et de omni adjacenti alia provincia omnes infirmi ad S. Severini corpus accedentes optatæ sanitati restituti ad propria cum gaudio remeabant.

omnibus recte ordinatus,

luce cælesti collustratus,

sancte moritur:

d

claret miraculis.

a *Francus*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

EX VARIIS.

a *Francus ait Kalendis Maii Septempedam intrasse.*

b Vigilium *fuisse tradit Francus. At si obiit S. Severinus, ut idem scribit,* VI *Kal. Maii, anno* DXL, *ergo dum pro* S. Silverio *exulante pontificatum administraret* Vigilius, *ordinatus est; cum ipse* Vigilius *anno primum* DXL, *legitime Pontifex electus sit: deinde oporteret eum exiguo omnino tempore vixisse.*

c *Francus quoque regimen provinciæ Severino commissum scribit.*

d *Quædam narrantur in priori Vita, eademque habet Francus.*

DE S. FRODOBERTO ABB.

NOT. 132.

Pag. 506, *col.* 1, *nu.* 4, *priora ita restitue* [*Vitam S. Frodoberti ab* Adsone, *sive* Azone, *aut* Assone, *Abbate Dervensi scriptam tradit Cl. Robertus, et N. Des-Guerrois. Eane sit, quam ex MS. Cellensi edidit Nicolaus Camuzæus, haud nobis constat: nam hic Auctor ostendit se monachum fuisse in cœnobio Cellensi, cum cap.* 3, *nu.* 11, *ita scribit:* Quod *(privilegium)* in archivis cœnobii nostri. *Fuerit fortassis ex Cellensi cœnobio assumptus ad regendum Dervense in diœcesi Catalaunensi. Sed nec ætas quadrare videtur: nam cum* Adsonem *constet anno* 970 *floruisse; hujus Vitæ scriptor innuit se centum fere annis prius vixisse: loquens enim de Sancti statura cap.* 6, *num.* 23. Ut illi quoque perhibent, *inquit,* qui ejus sacratissimi corporis ossa se aspexisse fatentur; *anno videlicet* 872, *quando facta ejus est translatio. Sed potuit* Adso *usus fuisse monumentis monasterii Cellensis, atque inde ista transscripsisse.*

Vita S. Frodoberti a quo scripta.

DE S. CYRO EP. CP.

Pag. 531, *col.* 1, *post elogium ex Menæis nu.* 1, *adde* [*MS. Florarium* XI *Decembris ista habet:* Constantinopoli S. Cyri exiliati Episcopi. NOT. 133.

DE S. ERARDO EP.

Pag. 533, *col.* 1, *post num.* 2, *adde* [*Aliquæ S. Erardi reliquiæ tempore Caroli IV Imperat. Pragam translatæ sunt; ita enim habet vetus Martyrologium Pragense* XIII *Decembris:* Eodem die in Alsatia regione, S. Othiliæ, cujus reliquias et brachium Carolus Imp. obtinuit in Hohenburg ejusdem monasterio in diœcesi Argentinensi, et donavit Ecclesiæ Pragensi. In quo brachio etiam reconditæ sunt reliquiæ S. Erhardi Episcopi, qui S. Othiliam cæcam natam baptizavit, et a cæcitate illuminavit: quas reliquias Imperator obtinuit in Ratispona de monasterio inferiori. NOT. 134.

S. Erardi reliquiæ.

AD IX JANUARII.

DE S. PETRO EP. SEBAST.

NOT. 135.

Pag. 588, *col.* 1, *post num.* 1, *adde* [*Vetustissimum MS. Martyrologium S. Hieronymi* XXVI *Martii ista habet:* In Sebas. Petri Episcopi. *Eodem die MS. Rhinowiense:* In Sebasti civitate Petri Episcopi. *Idem habet Bellinus de Padua Parisis an.* 1521, *excusus; nam in editione Veneta an.* 1498, *id non extat.*

S. Petri natalis olim 26 *Mars,*

NOT. 136.

Pag. 589, *col.* 2, *post nu.* 8, *adde* [*Nam quod in S. Basilii Græca Vita narratur, de* Petri *continentia duplici prodigio testata, quam fidem mereatur suo loco examinabimus. Dicitur enim* Petrus *uxorem habuisse, eamque secum retinuisse etiam cum Episcopus esset. Quæ res cum sacris Canonibus adversaretur, Sebastenos offendit: quapropter ad Basilium Legatos misere, qui rogarent ut offensionis occasionem amoliretur. Profectus ergo Sebastiam Basilius, et benigne a fratre acceptus, quibusdam e Clero sub mediam noctem ostendit Petri et conjugis lectum ab Angelis circumdatum: postridie jussit fratris conjugem, mox et fratrem ipsum, vestem expandere, in quam ardentes prunas effudit, quæ horæ spatio retentæ nec ipsos nec vestem vel levissime læserunt, illustri continentiæ argumento. At qui probabile fit conjugio illigatum fuisse, et quidem Episcopatus tempore, quem illius ævi scriptores tradunt monasticum vitæ genus Basilii fratris exemplo sectatum? quem in iisdem ædibus, in quibus* Macrina *soror Virginibus, viris religiosis præfuisse, Gregorius Nyssenus ejus frater testatur? Nam si quis contendat mulierem illam Episcopo cohabitantem, non conjugem ejus ante Episcopatum fuisse, sed in episcopatu ancillam, aut sororem agnatamve; atque inde sinistram aliquam ortam esse suspicionem; diserte vocatur* ἰδία αὐτοῦ γυνὴ τῷ ὀνόματι, ἀδελφὴ δὲ τῇ χρήσει, nomine quidem, propria ejus uxor, usu vero et re ipsa soror. *Dein* κυρία νύμφη, Domina sponsa.

an is conjugatus fuerit?

Pag. 590, *post nu.* 9, *adde* [*Meminit Petri Palladius Diaconus in Dialogo de Vita S. Chrysostomi ita scribens:* Amphilochium vero Iconii Episcopum et Optimum Præsulem in Ponto, et Petrum Sebastiæ Antistitem Basilii fratrem, et Epiphanium Constantiæ Cypri Antistitem sanctos viros quid memorem; quibus illa et pecunias donavit et villas? NOT. 137.

S. Olympiadis eleemosynis adjutus.

AD X JANUARII.

DE SS. THECLA ET JUSTINA.

NOT. 138.

Pag. 601, *col.* 1, *ad Præfationem adde* [*Anguste tamen in hac epitome* SS. Theclæ *et* Justinæ *gesta perstringuntur. Admiranda enim sunt, quæ utraque, sed præcipue* Thecla, *egit, visendis in carcere Martyribus, eorum redimendis sepeliendisque corporibus, alendis iis qui latebras petierant, excipiendis peregrinis, familia omni ad pietatem instituenda, suis alienisque facultatibus in usus pauperum, ecclesiæque ædificia et ornatum erogandis; contemnendis, quæ tyranni intentabant, suppliciis: quæ omnia prolixe narrantur in Actis* SS. Alphii, Philadelphi, Cyrini, x *Maii;* S. Epiphanes, S. Alexandri, *sive* Neophyti, *qui* Theclæ *consobrinus erat, conjugis invictæque Martyris,* XII *Maii;* S. Agathonis *Episcopi Liparitani,* XXVII *Junii;* S. Euthaliæ *Virginis et Martyris,* XXVII *Augusti: quibus in Actis sanctarum sororum et Martyrum* Neophytæ *et* Isidoræ, *quarum hæc* Theclæ, *illa* Alexandri *mater erat;* SS. Mercurii *et* XIX *sociorum Martyrum;* SS. Onesimi *et* Erasmi *et sociorum aliorumque Sanctorum mentio fit.*

SS. Theclæ et Justinæ benefacta.

Theclæ mater.

DE S. PAULO I, EREMITA.

Pag. 603, *col.* 1, *post num.* 8, *adde* [*At cumscribat S. Hieronymus infra cap.* 3, *nu.* 14. *Antonio a Paulo redeunti occurrisse duos discipulos,* qui ei longo jam tempore ministrare consueverant; *constet vero ex vita S. Antonii* XVII *Januarii, cap.* 21, *non nisi quindecim ante obitum suum annis, duorum illorum uti ministerio cœpisse Antonium; non potest quindecim ante obitum annis susceptum illud fuisse ad Paulum iter. Nam quomodo* longo jam tempore ministrare consueverant, *si eo ipso anno primum erant adsciti? Quomodo vero nonagenarius ivit ad Paulum, cum sibi duo illi longo jam tempore ministrassent, si non nisi nonagenarius eos adscivit? Videtur S. Hieronymus* nonagenarium *appellare, pleno rotundoque annorum numero, qui nonagesimum explesset, nondam centesimum attigisset. Sic* centenarios *dicimus etiam centum annis majores, neglecto minore, qui excrescit,* NOT. 139.

Quando ad S. Paulum iverit S. Antonius.

crescit, numero. Fuerit ergo tunc Antonius annorum circiter nonaginta septem; et sic omnia constabunt. Consule, quæ ad cap. 21, *vitæ S. Antonii litt. b, annotavimus.*

NOT. 140. *Pag.* 607, *col.* 2, *post nu.* 2, *adde* [*Verisimile est non integrum Corpus* S. Pauli *fuisse Venetiis in Hungariam translatum, sed aliquas ejus partes. Nam Peregrinus Merula in Sanctuario Cremonensi scribit, Venetiis etiamnum in æde* S. Juliani *asservari* S. Pauli *corpus, capite Romam translato; ipsosque* S. Pauli *sodales eas reliquias religiose anno* 1626, *mense Maio veneratos, vexillum in ea æde suspendisse ipsius sancti Eremitæ effigie insignitum; ac Patriarchæ supplicasse, ut sibi partem aliquam earumdem reliquiarum donaret, in sua ecclesia collocandam. Particulam aliquam capitis Romæ in æde S. Mariæ quæ* in Campitelli *dicitur, asservari testatur Octavius Pancirolus in Thesauris absconditis almæ Urbis; alias item particulas reliquiarum ejusdem Sancti in aliis quibusdam Romanis basilicis extare.*

S. Pauli reliquiæ Venetiis,

aliquæ Romæ.

DE S. AGATHONE PAPA.

NOT. 141. *Pag.* 624, *col.* 1, *post numerum* 4, *adde* [*Anno* MDCXL, *edita est Panormi, typis Antonii Martarelli, Vita* S. Agathonis, *a* Francisco Scorzo *nostro eleganter et fuse descripta, quæ tamen haud alia fere complectatur, quam quæ sunt ab Anastasio tradita litteris, sed ad chronologiam Baronianam censuramque exacta. In ea, Panormi natus asseritur, atque ille esse* Agatho *traditur, quem S. Gregorius Magnus ep.* 46, *lib.* 3, Urbico Abbati S. Hermetis *commendat, jubetque in monasterium suscipi,* si uxor illius similiter converti voluerit. *Verum cum ea epistola data sit Indictione* XIV, *anno nimirum* DXCVI, *si tunc* XVIII *annorum fuisse Agathonem statuerimus, (neque sane junior fuisse videtur) sequetur anno* DLXXVIII, *natum esse : ergo centenarius erat cum est ad pontificatum evectus. Quis id credat? Existimat idem Auctor, Baronium secutus, non* IV *Id. Janu. sed Junii decessisse Agathonem, qua de re mox agemus; sed quod eo die* S. Oliva, *Panormi itidem civis et Patrona, solenniter colatur,* S. Agathonis *celebritatem in diem consecrationis ejus protractam, eumque diem in posterum* S. Agathonis recolendæ memoriæ statum servatum iri. Ea ritu, inquit, peragitur solennissimo, qui Patronis principibus civitatum est constitutus. Quod jam inde ab anno MDCXXIV, inceptum, cum Senatus Panormitanus, ut divinum numen propitium populo pestilentia laboranti faceret, inter Patronos majorum gentium Agathonem allegit, quem allegaret ad Deum. Erecta ad id in templo primario eidem ara; positaque imago in tela graphice depicta. Cui deinde Urbanus VIII, Pontifex Maximus beneficium simplex, ut vocant, aureorum circiter mille addixit, dato ea de re diplomate anno MDCXXVII, regestoque in regia tabularia. *Hæc ibi. Diem Ordinationis, qui, licet non exprimatur, dicatus tamen deinceps S. Agathonis solennitati dicitur, arbitramur decimum Julii indicari; ad quem diem Octavius Cajetanus noster in Idea operis de SS. Siciliæ ista habet :* Romæ Ordinatio S. Agathonis Panhormitani in summum Pontificem.

S. Agathonis patria,

ætas,

Ex variis.

celebritas Panormi.

dies ordinationis.

DE S. GUILIELMO EP. BITUR.

Pag. 639, *num.* 1, *lin.* 13, ubi cum seminator *etc. lege ex Bodec. MS.* [ubi cum disseminator discordiæ, hostis generis humani diabolus seminasset discordias inter Clericos et Conversos; et licentiatis Clericis a Domino Papa] *Ceterum extat hæc vita in quibusdam Breviariis Ord. Cisterciensis, et in citato MS. Bodecensi, cum alia persimili.*

NOT. 142.

AD XI JANUARII.

DE S. HYGINO PAPA.

NOT. 143. *Pag.* 665, *col.* 1, *post nu.* 2, *adde* [*In Breviario Cardinalis Quignonii rejecta est* S. Hygini *commemoratio in* XXX *Januarii.*

DE S. LEUCIO EP.

NOT. 144. *Pag.* 667, *col.* 2, *nu.* 4, *Præf. lin.* 11 *post, conversione narrantur, adde* [*Idem tamen Monachus in Recognitione sui Sanctuarii testatur se nactum esse ejusdem Vitæ (quale ex MSS. Ecclesiar. Beneventanæ et Tranensis hic damus) exemplar, in quo nec de* Heleno *Episcopo, nec de* S. Eugeniæ *conversione agatur : fatetur tamen in ea Vita multa sibi non probari.*

NOT. 145. *Pag.* 671, *post cap.* 3, *adde* [*b Non probat Monachus, quod Alexandrinus Presbyter factus dicitur* S. Leucius, *cum monasterium, in quo cum S. Eugenia virgine degebat, Heliopolitano fuerit Episcopo subjectum. At quid si in alio, non in S. Eugeniæ, cœnobio degebat? Eugeniæ, ut ipse fatetur, nulla hic mentio fit.*

c Longe post S. Leucii *ætatem translatum Alexandria* S. Marci *corpus, ut* 25 *April. dicemus.*

NOT. 146. *Pag.* 673, *in fine ad nu.* 4, *adde* [*b Marius de Vipera in Catalogo SS. Beneventanorum testatur* S. Leucii *reliquias Beneventi in* Divi Sophiæ *æde asservari : duo ibidem illi templa dicata, unum in urbe ipsa prope portam* Summam, *jam vetustate consumptum; alterum extra urbem, a quo pagus ipse* S. Leucii *dictus, pro seqq. litt.* b c d, *pone* c d e.

DE S. HONORATA V.

Pag. 580, *col.* 2, *adde in fine* [m *Antonius Maria Spella lib. de Epp. Ticinen. scribit Hippolitum Rossium Episcopum Ticinensem, cum majorem basilicam vellet ampliare, vetus illud* Historiarum *monasterium subruisse, translato* S. Honoratæ *corpore ad cœnobium quod* S. Mariæ dalla Caccie *dicitur, solenni cum supplicatione anno* 1567, 17 *Aprilis, qui dies illius cœnobii sanctimonialibus deinceps celebris est,* S. Honoratæ *dicatus honoribus.*

NOT. 147.

S. Honoratæ nova translatio,

festum 17 *Apr.*

DE S. THEODOSIO CŒNOBIARCHA.

Pag. 683, *col.* 2, *initio num.* 20, *dele,* In hoc celeberrimi, *et seqq.* 8, *lineas, usque* Hoc S. Theodosii monasterium. *dele et quod in margine est,* visitur ab Eudocia Augusta. *Hauseramus id ex vita S. Sabæ, ut est a Surio et Lipomano edita. Verum ubi Græcum exemplar consuluimus, et vetus Latinum MS. vidimus non* Theodosii, *sed* Euthymii *monitis institutam Eudociam fuisse, quod et* 20 *Janu. monuimus ad Vitam S. Euthymii cap.* 14, *litt. h, pag.* 310.

NOT. 148.

DE S. TATONE MONACHO.

Pag. 713, *col.* 2, *lin. penult. post, Hæc Ferrarius, adde* [*Eadem memorat Marius de Vipera lib. de SS. Benevent. part.* 2, *ex monumentis monasterii S. Vincentii.*

NOT. 149.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ANIMADVERSIONES EXTEMPORALES

Danielis PAPEBROCHII, Hagiographi,

NUNC PRIMUM EX MSS. EDITÆ.

IN ACTA SANCTORUM DIEI I JANUARII.

Not. 150. Historia translati Antverpiam præputii juxta narrationem D. Jo. Goeselier canonici ex ms. Rubeæ vallis, prima parte, quæ modum conservationis narrat, fabulosa, ideoque omissa, uti et carmina de eadem re antiquiora. Vide Annales nostros Antverpienses.

Not. 151. De S. Fulgentio Ep. Ruspensi collectanea P. Bollandi pro Commentario et notis, quæ desunt ad Vitam, dabuntur in supplemento operis.

Not. 152. De SS. Elvano et Medwino res suspecta fiet, attentis iis, quæ de Glastoniensium fabulis habentur ad vitam S. Patricii 17 Martii : ipsi videntur omittendi, quia non satis constat de cultu.

Not. 153. Translatio Reliquiarum Taurinum S. Guilielmi Ab. Divion. ibidem descripta nobis est ex mss. Comitis Philippi.

Not. 154, *pag.* 2, num. 1. Quis ille Faustinus? An Lugdun. Ep. initio 3 sæculi? Sammarth. certe num. 3 indicat, nonnisi recens e civitate sublatas superstitiones.

Not. 155, *p.* 4. Corosii etymon quasi a *Courroie*, id est corrigia sumptum fabulosum videtur : quis enim præputium corrigiam nominaverit?

Not. 156, *p.* 6. De episcopo Hierosolym. sub Bullionio, deque regina Siciliæ, quæ Antverpiam venerit, quærendum aliquid num. 25 et 28.

Not. 157, *p.* 9. Omittendi Martyres Syracusani, de quorum cultu nihil Cajetanus; tantum in Vita S. Marciani fit quædam mentio plurium in Sicilia passorum.

Not. 158, *p.* 9. De S. Concordio, Tribuli prope Spoletum vivente, an credibile corpus avectum in Hispaniam? non videtur. De Tribula vide Ortelium in Thes. ubi de Mutuscio.

Not. 159, *p.* 11, num. 3. Qui bis vel ter consul fuerit ante mortem Alexandri Imp. et pater S. Martinæ esse potuerit, solus occurrit Maximus circa an. 230.

Not. 160, *p.* 19. Addi posset descriptio Marmorei templi, cryptæque et sarcophagi ex ære inaurato, ad quod an. 1661 celebravimus. Vide Diarium meum ms.

Not. 161, *p.* 15, n. 16. Illa voracitas Leonis, cui S. Martina objecta, eget correctione.

Not. 162, *p.* 20. Ad S. Paracodam videtur addenda ratio, ob quam suspecta sit Epistola Victoris ad eum.

Not. 163, *p.* 21. De S. Gregorii Patris sede atque ætate plenius agendum. Dividenda in capita Orationes filii : notæ aliquæ saltem ex Elia Cretensi aut Billio adjiciendæ.

Not. 164, *p.* 47, num. 10, lin. 16, *resurgent* lege *resurgerent*. — Num. 12, lin. 9, *momentaneum* lege *montaneum*. S. Mochuæ Ballensis Vita videtur omittenda : quia cultus non probatur. Temere amico concessum, ut insereretur, judicavit P. Henschenius.

Not. 165, *p.* 11. Considerandum an expediat pro vera vita dare unam (qualis hæc S. Martinæ est et in Martio S. Eudociæ) quæ infimum habeat probabilitatis gradum, et fabulosis circumstantiis miraculisque adjectis potest interpolata censeri : fortassis talis in ultimum locum merito rejiceretur, exposita candide ratione, cur id fiat, licet alias prior esse deberet ratione temporis.

Not. 166, *p.* 32. Vita S. Fulgentii aliæque sequentes divisæ sunt in capita nimis exigua; desunt commentarii prævii, quales alibi adhibiti.

Not. 167, *p.* 54. In vita S. Eugendi, collatis inter se, numeris 24 et 27, considerandum, an capita aliqua desint; an vero de alio opusculo distincto sit sermo.

Not. 168, *p.* 57. Requirendum, an de S. Stabile haberi possint antiquæ lectiones, etc.

Not. 169, *p.* 58. *Anno Domini* mxxx *vita decessit, imo anno* mccci. Corrige : *A. D.* mxxx *vita decessit, annos scilicet gallico more a Pascha ad Pascha supputantibus, qui nobis discendus esset* mxxxi, *etc.*

Not. 170, *p.* 71. Circa Vitam S. Odilonis per Lotsaldum seu Jotsaldum, quærendum, quis ille Stephanus, cui inscribitur; notandumque quoque, Odilonis sororem Blitmodem tunc fuisse fere centenariam ex num. 7. Miracula post mortem scripta et a B. Petro Damiano citata requirimus. Mabillonius in sæculis Benedictinis integram Jotsaldi scriptionem edidit.

Not. 171. Ad S. Martinam referenda videntur omnia quæ 11 Januarii de S. Tatiano tradunt Græci.

Not. 172. De S. Gulielmo Abbate Divionensi agitur in Card. Ep. Alb. Pedemontanis, *pag.* 384. De eodem videndum Spicil. tom. 1, *pag.* 430, *etc.*

Not. 173. S. Justini Theatini festum a 1 ad 14 translatum.

Not. 174. S. Basilii Magni caput Amalphi.

Not. 175. Odilonis Abb. Cluniacensis Epistolæ plures Spicil. 1, *pag.* 386 *etc.* Ejusdem electio Spicil. 6, *pag.* 425. Annales Aurelian. Saussaiji *pag.* 558. Laudatur in Chron. Virdun. *n.* 43, *pag.* 162.

Not. 176. B. Guilielmi Divion. factum insigne *n.* 43, *p.* 183.

Not. 177. S. Martinæ Reliquiæ Salmanticæ.

IN ACTA SANCTORUM DIEI II JANUARII.

Not. 178. B. Airaldi Carthusiani Ep. Maurian. Vita duplex pro supplemento in collectaneis jacet.

Not. 179. SS. Marciani, Macarii, Stratolini et Protogenis Passio exstat ex ms. S. Petri Romæ; non habemus nisi quorumdam nomina in ms. S. Hieronymi.

Not. 180. S. Basilii M. Ancyrani Martyrium excipi poterit ex ms. Græco de vita Basilii Presbyt. qui ibi cum hoc perperam confunditur.

Not. 181, *p.* 91. Genealogia S. Maximi an digna quæ tali Vitæ præmittatur? Videtur fabulosa.

Not. 182. S. Vedasti inventio omittatur, cum tota inserta sit commentario prævio 6 *Feb.*

Not. 183.

Not. 183. S. Adelardi Epitaphium vide *tom. 4.* Galliæ Christianæ : item translationem, *an.* 1263.

Not. 184. S. Defendentis Acta, quæ Ferrarius Bergomi esse ait, ibidem non reperiri constat, facta diligenti inquisitione anno 1668 : accepimus autem aliquid ex Bergom. Hist. quadripartita de eo.

Not. 185. Seraphini della Porretta Vita Italica in-4, per Mich. Pium exstat.

Not. 186. Stephanæ Quinzane Ord. Præd. Vita Italica in-4, exstat etiam.

Not. 187. In App. B. Odino. Non satis probatus ejus cultus : cujus defectu frater ejus Eberhardus etiam debuit poni inter prætermissos.

Not. 188. Silvester Trainensis ex Cajetano ponendus inter prætermissos ad 2 Maii.

Not. 189. Corbeia petendum vetus S. Adalardi officium a S. Geraldo compositum, ut dicitur in Vita 5 Apr. n. 14. Statuta ejusdem S. Adelardi habentur in tomo 4 Spicilegii.

Not. 190. De S. Defendente vide Caroli Ep. Historiam Novariensem *pag.* 23.

Not. 191. S. Adelardi Statuta in Spicilegio. Locus ex Vita appensus *pag.* 472 in Chron. Centul. ibid.

IN ACTA SANCTORUM DIEI VI JANUARII.

Not. 192, *p.* 324. De S. Pompejano consultius omittetur.

Not. 193, *p.* 327. S. Melanii festum 6 Nov. melius probaretur ex Actis num. 31.

Not. 194, *p.* 334. S. Petrus Abb. Cantuariensis videtur omittendus, donec probetur cultus.

Not. 195, *p.* 335. Annot. *a*. Etymon Alemanni rectius ab *Ael* nobilis peteretur.

Not. 196, *p.* 350. Ad annot. *a* adde : Diabolus autem Teutonibus multis *Divel* pronuntiatur, quod si dissolvas et *die-val* dicas, erit : *iste casus* seu *lapsus* : ad quod apparet hunc auctorem respicere.

Not. 197. De Tribus Regibus tota tractatio melius ponetur hoc die, quam seorsim de singulis. De eorum Translatione et inventione vide historiam Pontif. Mediolan. Ital. in-8, per Jo. Franciscum Besozzi *p.* 4 et 163. Item Spicil. 8, *pag.* 444. Quomodo eadem impetraverit Ep. Leodiensis, sed morte præventus non pertulerit vide *n.* 49, *p.* 113 et 115.

Not. 198, *p.* 322. Inter prætermissos de S. Arthemio Senon. dele 23 Apr. et corrige : Sed hæc Ordinationis ejus memoria est; depositio autem agitur, quando de ipso agemus, XXVIII *Aprilis*.

Not. 199, *p.* 327. De S. Melanii Translatione Pruliacum vide Chronicum Britannicum.

IN ACTA SANCTORUM DIEI X JANUARII.

Not. 200. S. Pauli Eremitæ vita Græca, ex qua suam sumpsisse Hieronymum judicabat Franc. Redi, Patr. Aretinus, medicus Florentiæ eruditissimus exstat etiamnum. Habemus textum græcum ex MS. Bavarico.

Not. 201. S. Marciani Œconomi auctore Sergio synchrono Vita græca exstat : videndum, an, quæ notatur esse in vat. 1638, *f.* 176 *paginarum* 30, sit ab hac diversa.

Not. 202. Exstat S. Guilielmi Bituric. Vita stylo primigenio in membrana Cheffletii. Vide Labbe *tom.* 2 Mss. *p.* 97 et *p.* 107 et *p.* 379 et 388. Miracula ex MS. Reg. Sueciæ. Canonizatio ex Registro Vaticano. Festum Aureliæ. Vide Ann. Aurel. *p.* 485 et indicem. Reliquias vide *pag.* 642.

Not. 203. B. Gregorii X Vita et miracula ex Archivio Placentino conscripta anno 1290. Relatio pro Canonizatione exstat. Item Tabella miraculorum. De cultu ejus apud Antinos vide Castellinum de certitudine gestæ Canonizationis *pag.* 458 et seqq.

Not. 204. S. Guilielmi Bitur. Vitæ compend. et alia quædam ex MS. Bedæ. Vide Chronicon Mon. Autissiodor.

Not. 205. B. Benincasa Abb. Cav. in Chronico.

Not. 206, *p.* 600. Ad Senecam Hierosol. Ep. *col.* 1. Adde : Sanctum eum uti omnes primos Hierosolymitanæ ecclesiæ ex Judæis Episcopos vocat etiam Theodoricus Pauli in Chronico universali MS., additque ecclesiam saluberrime rexisse et quievisse anno Domini centesimo. De festo illius hoc die celebrando, ut de variis facit, nec verbum scribit.

Not. 207, *p.* 627. De S. Sethridæ sororibus conferenda et forte corrigenda ex dictis 17 Martii de S. Witburga, etc.

Not. 208, *p.* 629, *n.* 2. Turonensis indicatur; videtur fuisse Gaufridus de Ludo tunc Parisiensis Archidiaconus electus Turon. anno 1206. Meldensis vero Guilielmus de Nemours ex Cantore Parisiensi creatus Meldensis episcopus anno 1214. Vide Galliam christianam.

N. 3. Cisterciensis Abbas, qui indicatur, videtur fuisse Guido Paré. Legatus an Card. Hugolinus? *n.* 26. Cisterciensis Abbas indicatus fuit manifeste Arnaldus Amalricus an. 1202 primus Inquisitor.

Not. 209, *p.* 640. Integri libri de miraculis B. Gonsalvi Amaranthi adhuc supersunt requirendi.

Not. 210. Joannis Boni Episcopi Genuensis Vita Italica exstat.

Not. 211, *p.* 623. Post num. 2. Adde quæ de corpore ab hæreticis combusto citantur 4 Febr. *p.* 584 in annot. b.

Not. 212. De B. Joanna exstat liber sociæ coævæ Franciscæ de Villelume 193 foliorum, item miraculorum 130 catalogus per Mirault citatus in procemio.

Not. 213. Cherubina de Agnus Dei hoc die obiit anno 1663. De ea exstat epistola Florentinii.

Not. 214, *p.* 621, *num.* 1. Vita per Bezutium est in historia ejus Pontificali Epp. Mediol. in-8, *pag.* 108, Italice.

Not. 215. De B. Gonsalvo Amarantho agit historia de Braga parte 2, *f.* 140. Vide item de Porto d'Acunha *p.* 2, *f.* 367.

Not. 216. Walerici Erem. Corpus Novalitium, et inde Taurinum delatum videtur. Vide ad 1 Aprilis. De S. Walerico alio *n.* 15. Vide Bibl. Labbe *t.* 1, *p.* 634 et *t.* 2, *p.* 173.

IN ACTA SANCTORUM DIEI XI JANUARII.

Not. 217. S. Theodosii Vita primigenia per P. Theodorum Episc. Petrarum exstat in Vaticano : habemus integram. Item ex MS. Vatic. quæ de hoc et Sophronio reliquit Cyrillus, qui nullam aliam Vitam scripsit. Item stylo mutato per Metaphrasten ex Vaticano, qualem Latine impressimus : sed miserrima et obscurissima est versio.

Not. 218. S. Petri Urseoli ex MSS. Acta antiqua, ex quibus etiam cultus probatur, exstat.

Not. 219. S. Leutii Vita prolixissima ex MS. Vallicellano improbata Gallonio. Videtur prorsus omittenda fuisse Vita qualiscumque, cum undique appareat fabulosa, et solum de cultu atque translatione agi debuisse, sicut 11 Aprilis egimus de S. Barsanophio.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

phio. Vide Ugellium T. 9, col. 46, tom. 7, col. 1205 *a*.

Not. **220**, *p.* 664. Bernardus Ord. Prædic. Pro his verbis: *Non comperimus an colatur*: hæc scribantur: *Nullum ecclesiasticum cultum eidem tribui, vel hinc colligas, quod idem Cajetanus in opere de Vitis Sanctorum Siculorum omnino prætermittendum sibi judicavit.*

Not. **221**. S. Oringæ Vita per Curtium omittenda: sed ex ea, seu potius ex Fr. Honorio, quem citat, quique quærendus, accipienda analecta, ad complementum primæ Vitæ. Quærendum etiam Florentiæ, qualisnam Vita sit ea, quæ in MS. Cœnobii S. Claræ exstat.

Not. **222**. S. Honoratæ Ticin. Vita ex MS. Monasterii S. Mariæ Capularum petita in Aug. an. **1668**.

Not. **223**, *p.* **710**. Lit. i et **713** lit. c, quæ habentur in notis de Monachatu Offæ et Kennedi conferenda et corrigenda ex editis in Martio de S. Kineswitha, etc.

Not. **224**. De S. Tatone vide dicenda XI Oct. ad S. Galdonem, et MS. et Marium Viperam in chronol. Ep. Benevent. *pag.* 35.

Not. **225**, *p.* **715** post n. 3 adde: Hæc Alcuinus, ubi versus ille: *Angelici faciem caram Paulini habeatis in ævum* uno redundat pede, non ex auctoris inadvertentia, sed librariorum imperitia: cum enim Alcuinus *caram* scripsisset, idque (ut etiam nunc Hispanis) *faciem* significare aut supra aut in margine notasset aliquis, ipsa annotatio in textum translata vitium fecit videri.

Not. **226**, *p.* **716**, b. Laudat Paulinum Alcuinus de Symbolo fidei concinnato. Si haberetur Usserius de Symbolo, ubi asserit Symbolum, quod Apostolorum dicitur, esse Symbolum Aquilejense, posset hic aliqua docta annotatio addi.

Not. **227**, *p.* **718**, in Epitaphium notandum, quis ille *Pater* cum Paulino sepultus. S. Paulini Vita a Ferrario indicata ex MS. Civitatensi petita Gloritia **1668** Aug.

Not. **228**, *p.* **679**, litt. g. *Referemus infra* XIV *Julii, quo colitur*; pone: XXIV *Octobris*, ad quem eum remisimus.

Not. **229**, *p.* **709**. Quam varia sit epistola Constantino Papæ afficta, vide in tractatu de diplomatis ad Apr. Marianus Abb. familiaris S. Theodosio Cœnobiarchæ notatur in Kalend. Moscovitico.

Not. **230**, *p.* **666**. De S. Hygini P. M. reliquiis vide recentiora scripta.

INDEX HISTORICUS
IN VITAS SANCTORUM
XI PRIORUM DIERUM JANUARII.

Appositæ margini litteræ A, B, C, D, E, F *monebunt Lectorem, ut similes sibi eodem intervallo, toto opere in singulis paginis fingat; licet, ne nimium ora folii compleretur, omissæ sint: exprimuntur autem in hoc Indice labori minuendo, qui perdifficilis esset, si folio indicato evolvere illud totum oporteret ad rem quampiam inveniendam: nam si illius rei gratia post paginæ numerum adderetur numerus paragraphi vel lineæ, facile confusio aliqua nasceretur ex numerorum multiplicitate.* A *ergo in quaque pagina indicata primæ columnæ partem primam (sive priores* 24 *lineas) significat,* B *mediam,* C *postremam: eodem modo secundam columdam partiuntur* D, E, F.

Addita est † *nota iis, quibus alibi* Sancti *aut* Beati *titulus tribuitur. Poterat* S *aut* B *præfigi; sed fors oculo quidpiam pervestiganti litterarum diversarum occursus moram injecisset. Porro si ad Januarium pertineant Sancti, indicatur etiam dies seu primi, seu secundi tomi, et si quid de iis præterea hoc primo tomo memoratur. Sin de illis non agatur, nisi in propria ipsorum Vita, omittuntur in hoc Indice; quippe qui peculiari Indice propositi antea sint. Si* B *ad alios menses pertineant, non attinet in hoc Indice diem quo colantur exprimere, qui ut* E *plurimum antea a nobis in Annotationibus expressus.*

Plerumque ad perspicuitatem, vel status hominum singulorum aperitur, ut Rex, monachus, miles, Comes, Abbas, Episcopus *etc. vel Sanctorum laureola,* Virgo, Martyr *etc. Subinde in minus vulgo notis seculum quo vixerunt, vel natio e qua orti, vel regio in qua versati, indicatur. Compendiarias status vel laureolæ notas, nihil necesse fuit explicare: nam facile quivis perspiciet,* R. Rex, *M.* Martyr, *MM.* Martyres, *V.* Virgo *significare.*

Eorum quæ in præfatione generali tractantur, hic habita ratio non est: nec fuit necesse; cum ea pars proprie non sit Vitarum, quarum texitur hic Index, nec alii scriptores vulgo soleant Præfationum suarum aut dedicationum meminisse in Indicibus.

Nomina in hoc Indice expressa non sunt auctorum, quos passim citamus, nisi si vitam ipsi Sancti alicujus proprio studio elucubrarint, vel ex alia lingua verterint.

A

† *Aaronis Pontif. Judæor. mitra* pag. 4 *b*
† *Aaron Martyr in Anglia* 82 *e*
Abbo Episcopus Trecensis 506 *c f* 510 *a*
Abbo Francus 8 *seculo* 176 *d*
Abdaates Episc. Persarum 479 *e*
† *Abel Scotus Chorepiscopus S. Rigoberti* 174 *c*
Abgar Alexandrinus 671 *b*
C *Abragilas Presb. Carthagine* 41 *d*
†*Abrahæ Patriarchæ reliquiæ Pragæ* 720 *f*
Abrahamus Rex Africanorum 9 *sec.* 734 *f* 737 *b c*
Abundantius Episc. Paternensis 624 *d*
† *Abundius Episc. Comensis* 372 *b c*
† *Abundius Mansionarius Eccl. S. Petri Romæ* 162 *e*
Acacius Ep. Beræensis 480 *d* 481 *b* 482 *b*
Acaius 242 *d*
† *Acei et Aceoli MM. reliquiæ* 706 *c*
Acephali hæretici 623 *d* 693 *f* 694 *c d*
Achardus Ep. Abrincensis 304 *b*
† *Acharius Ep. Noviomen.* 704 *e*
† *Achilleus et Nereus MM.* 499 *b*
Ada uxor Wiberti de Pictavia 434 *b*
Adalardus Ep. Claromont. 87 *b*
Adalardus Ab. Corbeiæ Saxonicæ 95 *f* 107 *b*
Adalardus Ab. Cusani in Hisp. 289 *a*
Adalbero II, Ep. Metensis 61 *d*
Adalbertus Archiep. Bremen. 181 *d*
† *Adalbertus, sive Albertus socius S. Erardi* 542 *f*
Adalbertus Com. Schoenberg. mon. Brethenau. 322 *c*
Adaldagus Ep. Bremensis 180 *f* 181 *f* 182 *a d*
Adalgisus Cubicularius Caroli Magni 383 *b d*
Adalricus Etico pater S. Otiliæ 534 *d* 536 *f* 546 *a*
Adamantus in Hellesponto 4, *sec.* 135 *e*
† *Adami sepultura* 686 *e*
Adamus miles de Berge 12, *sec.* 314 *d e* 321 *d*
Adasimundus Ab. Cusani in Hisp. 28 *a*
Adda Presb. Apost. Merciorum 373 *d*
Adela soror Roberti R. Franc. uxor Balduini I, Com. Flandriæ 121 *c* 122 *c*
† *Adelheyda Augusta uxor Ottonis I,* 67 *c*
Adeliza Brabanta, uxor Henrici I, R. Angliæ 304 *e*
† *Adelmus Ep.* 304 *e* F
Adelrad R. Angl. 181 *c*
Ado Ab. Franc. 8 *sec.* 176 *c*
Adolphus Comes de Schawenburg 393 *d*
Adraldus Ab. Bremeten. Gal. 71 *f*
Adrianus I, Papa 177 *e* 289 *a* 381 *e* 384 *f* 542 *d* 716 *e*
Adrianus II, Papa 512 *b*
Adrianus IV, Papa 307 *d f* 309 *c*
Adrianus VI, Papa 563 *f* 564 *a*
† *Adriani monasc. in Ital.* 552 *d Gerardimonte in Flandria* 170 *a*
Adrianus Imp. 236 *b*
Adrianus Blosius Gubernator Avesnis et Carolomonte 432 *e f*
Adrianus Blosius D. Jumignii et Warelarum Belga 432 *d* 450 *d*
Adrianus Adriani Soc. Jesu 443 *e* 453 *a*
Adso Ab. Dervensis, scriptor vitæ S. Frodoberti 743 *f*
Adulphus R. Angl. Orient. 527
Ædesius Diac. S. Attici 480 *d f*
Ægidius Gippus Ab. Lætiensis 434 *e* 435 *a b f* 436 *d* 437 *e*
Ægidus a Walcuria fundator monast. Ogniacensis 235 *e*
† *Aelfleda*

A † *Aelfleda* 373 *f*
† *Aelredus scriptor vitæ S. Æduardi Conf. R. Angliæ* 12 *Jan. et* 290 *c*
Æmilia Ursina Ital. 16 *sec.* 4 *f* 6 *a*
† *Æmilianus mon. Bithynus* 8 *Janu. et* 599 *a*
Æmilianus pater S. Cleti Papæ 238 *d*
Æmilianus Præfectus Urbi sub Arcadio Imp. 475 *c*
Aericus Dux 715 *d*
Aetius disc. S. Theodosii Cœnob. 688 *b*
† *Agabus Propheta* 236 *e*
† *Agapetus I, Papa* 696 *a b* 682 *c*
Agapetus II, Papa 289 *a*
Agapetus Ep, Macedonianorum hær. 477 *c d*
† *Agapiti M. reliquiæ in Picardia* 180 *a cella Neapoli* 498 *f*
† *Agapius Archimandrita* 663 *f*
Agareni in Syria 678 *a* 698
† *Agathæ V. M. reliq. Catanæ* 124 *c Eccl. Ticini* 356 *e*
† *Agathalica M. Antiochiæ* 572 *b*
† *Agatho Ep. Liparitanus* 601 *c* 744 *c*
† *Agatho et Theoctistus MM.* 437 *f*
Agatho Siculus 6 *sec.* 744 *f*
Agilbertus Ep. Parisiensis 595 *c* 596 *d*
† *Agilei Eccl. Carthagine* 43 *c*
Agilfridus Ab. Gandensis, Ep. Leodien. 172 *d*
B † *Agnes Politiana* 404 *c*
Agnes Ab. Strumensis 158 *e*
Agnes monialis Ratisbonæ 344 *e*
† *Agontius Mansionarius Eccl. S. Petri Romæ* 162 *e*
† *Agrippina V. M.* 240 *c f*
† *Agritius Ep. Senonensis* 126 *f*
Ahias Silonita 459 *d*
Alachrinus Ep. ord. Cisterc. 255 *e*
Alardus Ab. Aquicinctinus 157 *c d*
Alardus Ab. Marcenensis 157 *d*
Alardus mon. Lukensis in Saxonia 78 *c*
† *Albani M. Mogunt. reliquiæ Pragæ* 720 *c*
† *Albani monast. in Angl.* 304 *e*
Albericus Ep. Cumanus 84 *a*
Albero Ep. Leodien. 1 *c*
Albero Clericus Romæ 11 *sec.* 77 *a*
† *Albertus Magnus Ep. Ratisp.* 406 *b c* 407 *a* 412 *f*
Albertus Princeps Belgar. 413 *e*
Albertus Bavarus Com. Holland. 352 *c*
Albertus Ab. Gemblacen. 514 *c d*
Albertus Ab. Stadensis scriptor 391 *e*
Albertus Krantzius scriptor 392 *a*
Albigenses hæretici 316 *e* 632 633 *c*
† *Albinus Ep. Andegavensis* 328 *a* 330 *e f* 332 *e*
Albinus Ab. Cantuariæ 596 *c e* 597 *b*
C † *Albinus Flaccus, sive Alcuinus,* 715 716 717
Albio Saxo 8 *sec.* 383 *f* 384 *a e f*
Alboinus R. Longobard. 550 *b*
Alchelmus Princ. Angl. 10 *sec.* 712 *b*
Alchfleda filia Oswii R. Northumbriæ 373 *c*
Alchfridus R. Northumbriæ 273 *e*
Aldarius monach. Solemniacensis 726 *c* 727 *c*
† *Aldegundis V.* 30 *Janu. et* 514 *e* 519 *d f* 524 *d* 527 *a b*
† *Aldelmus Ep. Schireburn. scriptor vitarum sanctorum* 570 *f*
† *Aldetrudis Ab. Malbodien.* 515 *d*
Aldobertus Ep. Trecensis 508 *c*
Alduinus Comes, qui et Blandinus Baso, pater S. Balduini 502 *b* 503 *e*
Aledramnus 9 *sec.* 727 *f*
Alexander II, Papa 301 *d*
Alexander III, Papa 302 *e f* 304 *b* 391 *a* 401 *f* 552 *d*
Alexander IV, Papa 138 *f* 160 *d* 419 *b*
Alexander Medices Cardinalis 416 *a* 418 *c*
Alexander Ep. Antiochenus 476 *e f* 478 *b c* 479 *d e f* 480 *a c* 481 *b*
† *Alexander, qui et Neophytus, Ep. Leontinus in Sicil.* 744 *b c*
Alexander I, Imp. 11 12 *b* 13 14 15 17 20 *a obitus* 18 *a* D
Alexander II, Imp. Orientis 734 *f*
† *Alexandri Eccl. in Ital.* 623 *b*
Alexander Algardius sculptor Bonon. 17 *sec.* 18 *e*
Alexis Ab. Rameseiæ 302 *a*
Aleydis Trajecten. 319 *f*
Aleydis Willemanni Hollanda 14 *sec.* 350 *b* 352 *c*
† *Alferius Ab. Cavæ* 627 *c*
Alfredus R. Angl. 301 *b*
Alfredus frater S. Edwardi Conf. 291 *e* 292 *e* 293 *c* 294 *f* 298 *a*
† *Alfridus Ep. Hildeshemiensis* 317 *a*
Alfridus filius Oswy R. Northumbr. 373 *c*
Alfwoldus Ep. Schireburnen. 547 *b*
Algares de Riu de Arenas Hisp. 424 *b*
Alipius, sive Asclepius Præfectus Urbis 31 *c*
Almanna uxor Com. Lantarii 380 *b*
Aloidus Ab. Atrebati 157 *d*
Alpais filia Ludovici Imp. 177 *a*
† *Alphius, Philadelphus et Cyrinus MM.* 601 *b* 744 *b c*
Alphonsus Gesualdus Card. Ostiensis 416 *a d*
Alphonsus Coloma Ep. Barcinon. 428 *f*
Alphonsus IV, R. Aragonum 415 *f*
Alphonsus X, R. Castellæ 413 *c d*
† *Althelmus Ep. Schireburn.* 707 *c* E
Alvarus Cabrera Com. Urgelitanus 411 *c*
Alvarus frater S. Eulogii 727 *c*
Alwardus Ep. 181 *d*
Alwinus Ep. Wintoniensis 292 *b d* 293 *a*
Alwordus qui et Elwardus, Ep. Londinen. 711 *d*
† *Amadeus Ab. Altæcumbæ, Ep. Lausanensis* 353 *a*
† *Amalberga mater S. Pharaildis* 172 *c*
† *Amalberga mater S. Gudilæ* 514 *e* 516 *d* 524 *b*
Amalricus Ep. Turon. 387 *e*
Amalwinus aulicus Caroli Magni 383 384 *e*
Amandus Ep. Rhedonensis 328 *e* 329 *a*
Amandus Ep. Surrentinus 497 *c*
† *Amandus Ep. Traject.* 433 *b reliquiæ in Picardia* 180 *a curia apud Marcolum* 158 *b castellum Elnone* 159 *a*
Amandus in Hellesponto 4 *sec.* 133 *f*
† *Amathas disc. S. Antonii* 602 *f* 603 *a* 604 *d*
Amatius Ab. Cusani in Hisp. 289 *a*
Amator Ep. Forojulii 714 *b c*
† *Amatoris Ep. Autisiod. dens Casani in Hispania* 288 *f* 289 *d*
† *Ambrosius Ep. Cadurcorum* 186 *d*
† *Ambrosius Ep. Mediol.* 339 *a* 494 *f scriptor Vitæ Satyri fratris* 551 *e* 559 *f*
Ambrosius discipulus S. Maximi Ab. 91 *f* 92 *a*
Amelongus Longobardus 623 *a* F
Ammias Philadelphiensis 236 *e*
† *Ammon Ab. in Ægypto* 365 *a*
† *Ammonius Conf.* 600 *b*
† *Amphibalus M. in Anglia* 82 *e*
† *Amphilochius Ep. Iconii* 482 *b* 744 *e*
† *Anastasia V. M.* 613 *e* 474 *f Eccl. Constantinop.* 610 *a* 611 *e* 614 *a* 615 *e reliquiæ* 612 *b*
† *Anastasia Patricia* 258 *c*
† *Anastasius Sinaita Patr. Antiochenus* 286 *d*
† *Anastasius Ep. Ticinensis* 372 *b*
Anastasius Ab. Palæst. 684 *b*
Anastasius Ab. Pontenatensis 235 *c*
Anastasius Presb. Monothelita 625 *d*
Anastasius Imp. 682 *b* 684 *b* 693 *e* 694 *c*
Anatolius Patriarcha Constantinop. 477 *a* 611 *c d*
Andalhardus, sive Adachardus Comes 9 *sec.* 529 *f*
† *Andeolus, sive Andochius M.* 169 *c* 469 *b*
† *Andreas Apost. apparet S. Eugendo* 52 *e Constantinop.* 475 *b in monast. S. Claudii* 52 *f in Picardia* 180. *Eccl. in Ital.* 657 *d monast. Exaladæ in Hisp.* 288 *f Viennæ* 55 *e*
Andreas Perettus Card. 416 *d*
Andreas Ep. Tornacen. Cardinal. 173 *d*

A *Andreas de Caso Ep. Legionensis* 734 *f*
Andreas Ab. sub Carolo Magno 384 *f*
Andreas Grittus Dux Venetus 563 *e*
Andreas monachus Ital. 7 *sec.* 595 *e*
Angela Rodes Hisp. 428 *b*
† *Angelorum festivitas apud Græcos* 663 *c*
Angelus Ep. Kissamensis 549 *b*
Angelus Corarius Ep. Venetus 549 *c*
Angelus Serdonati ord. S. Georgii in Alga 549 *c*
† *Angilbertus Ab. S. Richarii* 715 *c* 716 *e*
† *Anianus Ep. Aurelian.* 139 *c* 144 *d Eccl.* 142 *b* 146 *f*
Anianus Presb. socius S. Frontonis 79 *f*
Anicianus Judex in Gallia 142 *c*
† *Annæ reliq. Pragæ* 720 *e*
† *Anna matrona* 258 *c*
Anna soror S. Canuti Lawardi 391 *a*
Anna filia Vitalis Michaelis Ducis Veneti 552 *d*
Anna Beneta Barcinonen. 414 *d*
Annas R. Angl. Orientalium 374 *f* 627
† *Anno Ep. Colonien.* 385 *f* 387 *d*
† *Ansbertus Ep. Rotomagensis* 505 *e*
† *Anscharius Ep. Bremensis* 111 *d* 182 *a* 186 *d*
Ansebertus avus maternus S. Maximi Ab. 91 *b*
Ansegisus Dux 592 *c e F. S. Arnulphi* 534 *e*
B † *Anselmus Camaldulensis* 402 *c*
Anselmus Fabri de Breda Decanus Antverpien. 7 *e f*
† *Ansericus Ep. Suession.* 502 *f*
Ansgradus Ep. Cenomannensis 333 *f*
Ansildis Galla 8 *sec.* 178 *e*
† *Anterus Papa* 3 *Janu. et* 18 *a*
Anthemius Imp. 258 *a b f*
Anthemius pater S. Apollinaris Syncleticæ 258 *a*
Anthemius Præfectus Prætorio Arcadii Imp. 475 *b*
† *Anthimus Ep. Nicomediensis* 360 *a* 723 *e f*
† *Anthimus Ep. sub M. Aurel.* 9 *e*
Anthus monachus Palæst. 683 *f* 723 *e f*
Antiochus Princeps Italus 671
Antiochus Agonatus latro in Syria 266 *e* 272 *d e* 280 *c* 281 *a b*
Antiquus Barba Hisp. 429 *d e*
† *Antoniæ V. M. reliq. Pragæ* 720 *d*
Antonia Blosia Canonica Andanensis 432 *e*
† *Antonina habitu virili* 258 *c*
Antoninus, sive Antonius Ep. Tarsi 361 *a*
Antoninus Imperator 12 *b* 236 *b c d* 240 *d* 665 *e f* 666 *b e*
Antoninus Verus 10 *e*
Antoninus Caracalla Imp. 20 *a*
Antonius Fachinettus Card. 416 *b*
C *Antonius Maria Gallus Card.* 416 *d* 418 *c*
Antonius Saulius Cardinalis 418 *d*
Antonius Contarenus Patriarcha Venetus 563 *b* 564 *b*
Antonius Ep. Ascalonit. 684 *c*
Antonius Corarius ord. S. Georgii in Alga Ep. Bononiensis 549 *b c d*
† *Antonius Ab.* 17 *Januar. et* 53 *f* 208 *d* 602 603 604 605 606 607 608 *quando inviserit S. Paulum* 744 *c*
Antonius Winghius Ab. Lætiensis 430 *a* 456 *c*
Antonius Præpositus in Oriente 9 *sec.* 734
† *Antonius mon. Lirinensis* 484 *a* 497 *e*
Antonius et Cleopatra 605 *c*
Antonius de Corduba Dux Suessæ 416 *a c*
Antonius discip. et scriptor Vitæ S. Simeonis Stylitæ 263 *c* 264 *d* 270 *d* 274 *c*
Antonius Neapolitanus Capucinus 428 *c*
Antonius Sabathinus de Pratis Ital. 165 *f*
Antonius Sanderus Canon. Ipren. scriptor 173 *b*
Antonius Torniellus Ital. 17 *sec.* 18 *c*
Antonius a Raiz ord. Minimor. Hisp. 428 *c*
Antor, sive Antrus, Fescennini satelles 463 *f* 464 *e* 465 *b* 467 *b*
Aonulphus frater Odoacris R. Italiæ 496 *e* D
† *Aphraates Erem.* 258 *b* 679 *a b*
Aphrodisius mon. Palæst. 6 *sec.* 685 *a*
† *Apollonia V. Romana* 353 *d*
† *Apollonia V. Alexandrina M.* 353 *d*
† *Apollonius M. Romæ* 353 *d*
† *Apri Conf. monast. in Gall.* 62 *c*
Apronianus Præfect. Urbi sub Diocletiano 166 *f*
† *Arbogastus Scotus* 7 *sec.* 534 *e*
Arcadius Imp. 258 *a* 475 *a b* 476 *c* 477 *a*
Archamfedus Franc. 150 *d*
Archembaldus Ep. Senonen. 389 *b*
Ardaburius Dux Theodosii junioris 268 *a c* 273 *d* 285 *b*
Ardaburius Junior, alterius nepos, Arianus, Dux sub Marciano 268 *d* 273 *d* 285 *b et sub Leone Magno* 616 *f*
Arduinus R. Ital. 61 *f* 62 *d*
Ariani Antiochiæ 83 *b in Gallæcia* 721 *c d*
Ariovaldus R. Longobard. 94 *c* 95 *d*
Aripertus R. Longobard. 623 *e*
Aripertus R. Aquitaniæ 463 *a*
Aristantes Presb. Ital. 16 *sec.* 5 *e*
† *Aristides Philosophus* 236 *b f*
Armaleon Tribunus Italus 672 *b c d*
Armeni 692 *a* E
Armentaria uxor S. Gregorii Lingonensis 168 *c e*
Armentaria neptis S. Gregorii Lingonen. 168 *e*
Armogen Alexandrinus 671 *b*
Arnaldus Ossatus Card. 418 *e*
Arnaldus Ep. Barcionen. 415 *c* 422 *f* 423 *a*
Arnaldus Ep. Dertusensis 415 *c*
Arnaldus Comes aut Dux Gasconiæ 726 *e* 727 *b c*
Arnaldus Segarra Prov. Prædicat. Aragon. 412 *d*
Arnaldus Burguetus ord. Prædicat. 14 *sec.* 415 *b*
Arnaldus Minorita, scriptor Vitæ B. Angelæ de Fulginio 186 *a e*
Arnaldus de Horto Barcinon. 420 *f* 421 *a*
Arnaldus de Roffex 422 *a*
Arnoldus Heerbrant Capellanus Hierosol. 6 *d*
Arnoldus Naelenus Belga 321 *e*
Arnoldus Scabinus Trudonensis 12 *sec.* 310 *c*
Arnoldus Trajecten. 319 *f*
† *Arnual Ep. Sanctonum quis? an discip. S. Kiliani?* 321 *d*
† *Arnulfus Ep. Metensis, festum* 8 *d monast. Metis* 61 *d*
Arnulfus Comes Flandriæ 172 173 *b c e*
Arsacius Ep. Constantinop. 473 *c* 474 *d e f* 475 *a c e* 476 *c* 479 *d*
Arsendis de Bagiis Barcinon. 420 *f* F
† *Arsenius mon. in Ægypto* 561 *e*
Arsenius monach. in Bithynia 9 *sec.* 598 *b*
Arsisius Ab. Ægyptius 721 *e*
Artemidis, seu Dianæ, idolum 14 15 16
† *Artemius Ep. Senonensis* 322 *f*
Artemius Anastasius Imp. 532 *d*
Arvalis Alexandrinus 671 *b*
† *Asaphi urbs in Wallia* 304 *d*
Ascanius Columna Card. 416 *a*
Ascanius Ep. Tarraconen. 721 *c*
Asclepiades Ep. Novatianus 482 *d*
Ascomanni piratæ Boreales 181 *b c*
Asper Arianus, Aulicus sub Leone Magno 616 *f*
Aspargus vel Esparracus Ep. Tarraconensis 411 *a*
Aspasia fil. Eusebii Venetensis R. 331 *f* 332 *a*
† *Aspren Ep. Neapolit.* 734 *a*
Assenes Canonic. Atrebat. 11 *sec.* 158 *b*
Assuerus Ab. Prumiensis 534 *f*
Athanaricus R. Gothorum 367 *c*
† *Athanasia, virili habitu* 258 *c*
† *Athanasius Ep. Alexand.* 482 *b* 531 *f* 606 *e scriptor Vitæ Syncleticæ V.* 242 *b*
Athenais, sive Eudocia Augusta 481 *b c*

Athenius,

A *Athenius, Artemius, sive Anthemius Ep. Rhedonensis* 329 *a*
Athericus Anglus 8 *sec.* 713 *a*
Athrephtus Hibern. 49 *a*
† *Attalas Ab. Bobiensis* 94 *c* 95 *d* 154 *a d*
Attalus nepos S. Gregorii Lingonen. 168 *a*
Attila R. Hunnorum 139 *b* 144 *b* 483 *c f* 484 *b* 486 *a* 550 *b*
Atticus a S. Joan. Evang. conversus 470 *f*
Attilius Cæcius Canon. Lateranen. 16 *sec.* 5 *f*
Avari populi 716 *a b c*
† *Audoenus Ep. Rotomagensis* 378 *a* 505 *e* 591 *d e f* 593 *a*
† *Aventini Conf. Eccl. Trecis* 509 *b*
Augustinus Valerius Ep. Veron. Card. 416 *a* 418 *c*
Augustinus Ep. Arvernensis 94 *d*
† *Augustinus Ep. Cantuar. Ap. Angl.* 296 *d* 334 *e* 335 *a* 396 *f*
† *Augustinus Ep. Hippon.* 98 *e* 100 *a* 551 *e monast. Vicentiæ* 549 *f flagellum in Anglia* 533 *a d*
Augustinus de Castaldis ord. S. Georgii in Alga 549 *c*
Augustus Cæsar 12 *b*
Avila Ab. Agalien. Hisp. 7 *sec.* 571 *b*
Aulus Gellius 236 *d*
† *Aunarius Ep. Autisiodor.* 664 *e*
B † *Aurei M. Mogunt. reliquiæ Pragæ* 720 *e*
Aurelius Ep. Carthaginensis 40 *b*
Aurelius Imp. 20 *a*
Austreberta Franca 8 *sec.* 176 *e*
Austrebertus Franc. 8 *sec.* 176 *d*
† *Austremonius Ep. Arvern.* 460 *d* 463 *b*
† *Austrudis V. soror S. Balduini* 502 *e f* 503 *a b d*
† *Autbertus Ep. Camerac.* 513 *e* 516 *d* 525 *c*
† *Avuldis Franca* 150 *b*
Aynardus Ab. Cusani in Hisp. 289 *a*
Azabeni populi Arabiæ 270 *c*
Azo Canonicus Gandensis 173 *c e f*

B

Balbinus *scriptor* 236 *d* 237 *a d*
† *Baldoenus, sive Balduinus* 502 *b e*
Balduinus II, Imp. 609 *e*
Balduinus Bullonii frater R. Hierosol. 6 *e*
Balduinus Ferreus Com. Flandriæ 173 *b*
Balduinus Pius, sive Insulanus, Marchio Flandrorum 121 *c* 186 *e*
Balduinus Borluit Præposit. monast. Gandensis 173 *d*
Ballgela Regina in Hibernia 48 *d*
C † *Balsamus Ab. Cavæ* 627 *c*
Baratanes R. Persarum 479 *b*
Barbaria matrona 5 *sec.* 497 *a* 498 *a b* 499 *d* 736 *e*
† *Barbatianus Presb. Ravennæ* 79 *d*
Barielo de Faro Catalaunus 13 *sec.* 410 *e*
Barnetus, sive Barnitus Scotus 235 *b*
Barra avus S. Mochuæ Ballensis 47 *c*
Bartholomæa Barcinon. 425 *d*
† *Bartholomæi Ap. Eccl.* 167 *c*
Bartholomæus Cæsius Card. 418 *f*
Bartholomæus de Martyribus Ep. Bracharen. 640 *a f* 650 *e*
Bartholomæus Ep. Exoniensis 304 *b*
Bartholomæus Ep. Quinquecclesiensis 607 *f*
Bartholomæus Archidiac. Atrebat. 11 *sec.* 158 *d*
Bartholomæus Collionus Dux 560 *f*
Bartholomæus de Deo Barcinon. 419 *f* 420 *a*
Basilici monachi vita 484 *d*
Basilicus Rex Saracenorum 271 *a*
Basilides sacerdos sub Vespasiano 237 *b c e f*
† *Basilius Magnus Ep.* 2 *d* 54 *c* 551 *f* 588 *b e* 589 *electio* 29 *d e monast. in Sicilia* 124 *c Eccl. Neapoli* 498 *d idem scriptor Vitæ S. Gordii Comitis M.* 130 *b c*
Basilius Patriarcha Antiochenus 284 *a* D
Basilius Ep. Cretensis 625 *d*
Basilius Macedo Imp. 610 *a b*
Basilius Œconomus Neapoli 10 *sec.* 737 *a*
Basilius Presb. in Palæst. 681 *a* 687 688
Basilius monachus in Bithynia 9 *sec.* 598 *b*
Baso, sive Alduinus Comes maritus S. Salabergæ, pater S. Balduini 502 *b c* 503 *a*
† *Basolus Conf. Remis* 179 *d*
Bassus Cubicularius Alexandri Imp. 11 *c*
† *Bathildis R. Franc.* 26 *Jan. et* 118 *a* 186 *e* 508 *b* 591 *e*
† *Baudilii parœcia in Hisp.* 427 *b*
† *Bavonis Eccl. Gandavi* 172 *d reliq.* 173 *monast. Gandavi* 529 *c*
† *Beandanus Ab. an Brandanus?* 664 *d*
Beca ferox femina Hibern. 49 *a b*
† *Bega V. Hibern.* 533 *d*
Beganus pater S. Mochuæ Ballensis 47 *c*
† *Begga vidua* 433 *b festum* 8 *d*
Bego Franc. 9 *sec.* 177 *a*
Bela IV, R. Hungar. 607 *f*
† *Benedictus Papa et M.* 238 *d*
Benedictus VIII Papa 67 *d* 75 *a b* 84 *e*
Benedictus X, Pseudopapa 301 *d*
Benedictus Justinianus Card. 418 *d* E
† *Benedictus Ab.* 311 *f* 404 *d* 433 *b f* 434 *d* 438 *b c d* 440 *d e reliquiæ in Picardia* 180 *a Eccl. Neapoli* 498 *d*
† *Benedicti de Bagiis monast.* 427
Benedicti Ab. monast. in Insula-Barbara 107 *e*
† *Benignus Presb. M. Lingonum Apost.* 168 *e* 169 *b Divione reliquiæ* 61 *b* 566 616 *c* 726 *d ecclesia constructa* 57 *c* 63 *c f altare* 566 *monasterium* 57 *f* 64 *b* 720 *a*
† *Benigni M. monast. Fructuarien. in Ital.* 61 *f*
Benno Dux Saxo 181 *c* 182 *a*
Beraldus pater S. Odilonis 66 *a*
Beraldus Gallus 6 *sec.* 91 *f* 92 *b c*
Berchtoldus Ep. Constantiensis Germ. 723 *d*
Bercundus Ep. Ambianen. 704 *e*
Berengaria de Bagiis Barcinon. 420 *f* 421 *a*
Berengaria concubina Jacobi I. R. Aragonum 412 *d*
Berengarius IV, Ep. Barcinon. 407 *a* 408 *c d* 409 *e* 412 *c*
Berengarius Ep. Dertusen. 415 *e*
Berengarius Ep. Gerundensis 415 *c*
Berengarius Ep. Vicensis 415 *e*
Berengarius R. Longobardorum 58 *d*
Berengarius Burgetus Barcinon. 425 *c*
Berengarius Enya Barcinon. 420 *a* F
Berengarius Gisbertus Barcinon. 420 *c*
Berengarius de Ilerda 425 *c*
Berengarius de Ravira Barcinon. 424 *c*
Berengarius Semoleres Barcinon. 426 *e*
Berhardus Ep. Ambianen. 704 *e*
Bernardinus Scottus Advocatus Papæ 416 *f*
Bernardinus Romanus Falques Hisp. 427 *f*
Bernardus Ep. Patavinus 161 *d*
Bernardus Ep. Tarraconen. 415 *c*
Bernardus Guido Ep. scriptor 405 *b*
Bernardus de Villalta Vicarius Ep. Barcinon. 415 *f*
† *Bernardus Ab. Claræval.* 309 *e* 549 *e* 551 *e* 563 *d*
Bernardus Ab. Cistercii 2 *a* 348 *b d* 433 *b*
† *Bernardus Ab. Tyronii* 390 *e*
Bernardus R. Italiæ, Pipini filius 186 *b*
Bernardus frater Pipini Regis, pater S. Adalardi 94 *f* 112 *a*
Bernardus Dux Saxo 182 *a*
Bernardus Dux Tolosatium 727 *c*
Bernardus proavus B. Laurentii Justiniani 553 *d*
Bernardus pater B. Laurentii Justiniani 552 *b e*
Bernardus Justinianus, scriptor vitæ B. Laurentii Justiniani, et S. Marci Evang. 550 *d* 559 *a*

A
Bernardus de Molendinis Canonicus Barcinonensis 414 *a*
Bernardus de Buixedos Prior ord. Prædic. Barcinone 415 *e*
Bernardus Romæus ord. Prædic. 419 *d*
Bernardus ord. Prædicat. in Sicil. 66
Bernardus ord. Cisterc. 465 *d*
Bernardus de Bajola Barcinon. 422 *f* 423 *a* 427 *d*
Bernardus Oliverius Barcinon. 421 *d*
Bernardus Pontius Barcinon. 425 *d* 426 *c*
Bernardus de Rosanis Hispanus 409 *a*
Bernardus de Villar Catalaunus 425 *e*
Bernardus de Tosthec Barcinon. 422 *a*
Bernardus de Vineolis Barcinon. 420 *a*
Bernarius Ep. Ferdensis 182 *a*
Bernarius frater S. Adalardi 78 *c* 102 *c f* 114 *c d*
Bernhardus Ep. Passaviensis 730 *e*
Bero fil. Haraldi Dan. 12 *sec.* 401 *e*
Beroaldus Francus 8 *sec.* 176 *c*
Berswinda filia sororis S. Leodegarii 534 *d*
Bertha soror S. Hiltrudis 434 *c d*
Bertha Ab. Ratispon. 534 *d*
Bertha Ratisponen. 12 *sec.* 342 *f*
Bertha Gal. 7 *sec.* 509 *d*
Bertha Tungrensis 12 *sec.* 316 *a*
B *Berthoaldus Ep. Camerac.* 503 *e*
Berthoaldus Ep. Lingonen. 507 *b*
Berthoaldus Ep. Trecensis 506 *f*
Berthoaldus Ep. Tullensis 62 *a*
Bertrandus de Molendinis Canonic. Barcinon. 420 *e*
Bertrudis Domina Castri Ledii 333 *f*
Berthulphus Ep. 9 *sec.* 529 *f*
Bessi populi Boreales 692 *a*
Bessus Presbyter in Gal. 6 *sec.* 141 *f* 146 *e*
† *Betti Presb. Apost. Merciorum* 373 *d*
† *Bibiana V. M.* 166 *a d*
† *Bilicerius M.* 365 *d*
Bindoe Dux Persarum 619 *a*
† *Birgittæ viduæ scripta* 442 *a*
Blanca uxor Francisci Sfortiæ Ducis Mediolani 560 *f*
Blandericus Ab. Cusani in Hisp. 289 *a*
† *Blandinæ M.* 56 *e monast. Viennæ* 55 *e f* 56 *a d*
Blandinus Baso, sive Alduinus pater S. Balduini 503 *c*
Blasius Marangon 564 *e*
Blasus, seu Blastus, Præfectus Sacerdotum in Syria 275 *f* 276 *a b*
Blismodis Ab. soror S. Odilonis 66 *b*
† *Bobinus Ep. Trecensis* 31 *Jan. et* 508 *d monast. Cellense* 505 *c*
Boleslaus III Crivoustus Dux Polon. 397 *b e* 400 *e*
Bonanatus civis Barcinon. 413 *e*
C † *Bonifacius I, Papa* 479 *c* 480 *a*
Bonifacius VIII, Papa 411 *c e* 415 *e*
Bonifacius IX, Papa 549 *b c*
Bonifacius Ep. Carthaginen. 43 *d* 44 *b*
† *Bonifacius Ep. Ferentinus* 353 *d*
† *Bonifacius Ep. Moguntinus M.* 174 *c* 177 *d* 353 *d* 382 *c* 384 *f* 534 *f* 546 *e*
† *Bonifacius M. Tarsi* 353 *d*
Bonisius Placentinus ord. Prædicat. 13 *sec.* 406 *b*
Bononata Barcinonensis 422 *a*
Bonosus mon. 5 *sec.* 494 *d*
Bonvisus Bonvisius Card. 418 *e*
Bosio monach. Cluniac. 70 *c*
Botilda Dana 400 *d*
Brigida Ab. soror S. Henrici Imp. 544 *e*
Brinsacha soror S. Mochuæ Ballensis 47 *c*
Brithelmus Ep. Londinen. 548 *d*
† *Britwaldus Ep. Winton.* 22 *Jan. et* 293 *e*
† *Britwaldus Ep. Wigorn. Scriptor Vitæ S. Egwini,* 9 *Jan. et* 707 *a* 709 *b* 711 *e* 713 *a d*
Brumasius, Brimasius, vel Primasius Ep. Calaritan. 42 *c*
Brunichidis Regina Franc. Brunieldis 91 *c*
Bruno Ep. Lingonen. 58 *a* 60 *c d* 61 *d* 62 *e* 63 *c* D
Bruno Dux Angariæ 382 *c*
Budarius Judæus sub Dioclet. 568 *e* 569
Burno Ab. de Rhode Belga 311 *c* 321 *a*
Butve Princ. Slavorum 395 *c*

C

† *Cadoldus Ep. Vien.* 14 *Januar. et* 55 *c*
† *Cæcilia V. M.* 652 *c* 656 *f Eccl. Neapoli* 498 *f*
Cæcilia, sive Helena, V. ord. S. Claræ 721 *a*
† *Cælestinus Papa* 474 *a b* 480 *a* 482 *e*
† *Cælestinus V, Papa* 192 *d*
† *Cælestius Ep. Metensis* 468 *c*
Cæsar Baronius Card. 416 *d* 418 *e*
† *Caius Papa* 21 *a*
Caius domesticus Alexandri Imp. 11 *c*
Callinicus Patriach. Constantinop. 531 *b d f*
Calliopius Presb. Niceæ 5 *sec.* 481 *e* 482 *e*
† *Callisti monast.* 180 *b cœmiterium* 127 *a*
Callistus II, Papa 369 *a* 730 *f*
Callistus III, Papa 77 *c*
Callistus Patr. Aquileiensis 714 *b c*
Camillus Burghesius Card. dein Paulus V, Papa 418 *e*
Candianus Patr. Gradensis 713 *f* 714 *a* E
† *Candida senior* 734 *a*
† *Candidi reliquiæ in Picardia* 180 *a*
† *Canutus R. Daniæ M.* 354 *f* 394 *e* 395 *d*
Canutus Magni filius R. Daniæ 391 *a* 401 *c*
Canutus Durus, sive Hardecanutus, R. Angl. et Daniæ 393 *d*
Canutus VI, R. Daniæ 400 *e* 481 *d e*
Canutus R. Daniæ et Angliæ 291 *e f* 294 390 *f* 711 *d*
Canutus filius Principis Slavorum 393 *a*
Carason Alexandrinus 671 *b*
† *Caraunus Ep. Carnotensis* 463 *b*
Carinus Imp. 582 *c*
Carolomannus frater Caroli Magni 542 *d f*
† *Carolus Bonus Com. Flandriæ* 390 *f*
† *Carolus Borromæus* 622 *c*
† *Carolus Magnus* 28 *Jan. et* 4 *a c d* 97 *b* 101 *b* 111 *a* 113 *b* 114 *b* 116 *d e* 186 *d* 288 *e f* 308 *f* 326 *e* 357 *f* 359 *b* 381 382 383 384 385 505 *d* 513 *e* 521 *b d* 542 *d* 703 *f* 714 *d e* 715 *a* 716 717
Carolus Calvus R. Franc. dein Imp. 4 *a* 138 *e* 461 *a* 511 *c* 727 *a e*
Carolus Crassus Imp. 529 *b*
Carolus IV, Imp. 720 *b* 744 *a d*
Carolus V, Imp. 433 *d* 435 *c* 437 *d* 438 *b f* 441 *f* F 450 *f* 451 *a*
Carolus III, Simplex R. Franc. 135 *c*
Carolus Rex Hungar. 607 *f*
Carolus Andegaven. R. Siciliæ 415 *d*
Carolus Martellus Dux Francor. 174 *b* 175 *d* 176 *b d* 177 *b c d* 178 *a*
Carolus Dux Lotharingiæ fil. Ludovici Transmarini 513 *e* 523 *d e f* 524 *a* 530 *b d*
Carolus Blosius Canon. Leodiensis 432 *e*
Casimirus Princ. Wandaliæ 397 *e*
Cassardus Belga 12 *sec.* 316 *e*
† *Cassianus Ep. Augustodun.* 473 *f translatio* 719
† *Cassianus Abbas* 54 *b*
Cathari hæretici 610 *d*
† *Catharina V. M.* 17 *c Pragæ* 720 *f ecclesia Barcinone* 427 *c* 429 *e monast.* 408 *e* 412 *e* 417 *f* 418 *a* 428 *e* 429 *a b c*
† *Catharina Senensis V,* 417 *scripta* 442 *a*
Catharina Barbançonia D. Donstiene Belg. 432 *e*
Catharina Blosia Canonica Monasteriensis ad Sabim 432 *e*
Catharina Cavallera Barcinon. 429 *b*
Catharina Tzevel Supprioriss. S. Gerlaci 306 *b* 321 *f*

A *Catellius Regulus in Lusitania pater S. Quiteriæ* 368 *f*
† *Ceadda Presb. frater S. Ceddæ* 375 *d Ep. Lichfeld.* 376 *a*
Cellomerus 6 *sec. Gal.* 141 *b*
Ceolach, sive Cellachus Ep. Merciorum 373 *e*
Cerdo Magister Marcionis hæret. 66 *a b*
Cerialtanus Britan. 4 *sec.* 136 *d e*
Ceulin Presb. frater S. Ceddæ 375 *d*
Chaganus R. Avarum 531 *d*
Chalcedonense Concil. 685 716 *fg*
Childebertus I, R. Franc. 137 *c*
Childebertus II, R. Franc. 505 *c e* 719 *f*
Childericus I, R. Franc. 140 *e* 143 *d*
Childericus III, R. Franc. 288 *c* 534 *d*
Childomarus Ab. Solemniaci 379 *f*
Chilpericus I, R. Francorum 461 *c* 704 *c*
Chilpericus II, R. Franc. 174 *b d* 176 *d* 177 *b*
Chonebertus Comes in Hannonia 155 *c*
Christiernus Dan. 12 *sec.* 401 *c*
† *Christinæ V. Monast. in Italia* 61 *e*
Christina uxor Henri VI, Imp. 401 *e*
Christina Ratisponen. 12 *sec.* 341 *f*
Christophorus Ep. Ulivolen. 717 *e*
Chrysaphius Zomas eunuchus Constantinopoli 610 *c*
Chunimundus Rex Suevorum 492 *b*
B † *Cilinia V. Meldis* 140 *e f* 145 *e f*
Cinthius Card. 418 *f*
Cisinandus discip. S. Bernardi 162 *c*
† *Claræ Virg. reliq. Pragæ* 720 *e*
Clarice Strocia Ital. 16 *sec.* 4 *f* 5 *a f*
Claudia Aurelianensis 6 *sec.* 142 *a b* 146 *f* 147 *a*
† *Clarus Ab. Marcelli* 1 *Janu. et* 720 *d*
† *Clarus M. apud Pictones* 719
† *Claudius Apollinaris Ep. Hierapol.* 458 *e*
† *Claudius Ep. Vesontinus* 49 *f*
Claudius pater S. Fulgentii Ruspensis 33 *a*
Claudius Imp. 79 *f*
Claudius II, Imp. 471 *a b*
Clavellorum familia Septempedæ 739 *c*
† *Clemens I, Papa* 127 *a* 238 *d* 460 *b* 461 *f* 462 *c* 463 *b reliq. Pragæ* 720
Clemens II, Papa 67 *d* 70 *e*
Clemens V, Papa 608 *a*
Clemens VI, Papa 77 *b d* 415 *b* 594 *d*
Clemens VII, Papa 4 *f* 5 *c* 6 *b* 8 *b* 415 *f* 550 *f* 563 *b*
Clemens VIII, Papa 236 *a* 240 *d* 404 *f* 405 *b* 407 *c* 413 *e* 550 *e*
† *Clemens Ep. Metensis* 463 *b* 468 *c* 470 *b* 734 *b*
Cleopatra Regina Ægypti 605 *c*
† *Cletus Papa* 238 *d*
C *Clodoveus I, R. Franc.* 143 *b* 147 *d* 175 *c e* 329 *a* 617 *c*
Clodoveus II, R. Franc. 506 *c* 508 *b*
Clotharius III, R. Franc. 506 *c* 508 *b* 591 592 593
† *Clothildis R. Franc.* 143 *b* 147 *e*
Colganus Princeps in Hibernia 48 *e*
† *Colmanus Elo Ab. Hibern.* 45 *e f* 46 *a* 183 *e*
Colomannus frater S. Stephani R. Hungar. 400 *e*
† *Columba Abbas Huen.* 374 *a*
† *Columbanus Ab.* 502 *c* 508 *a sacellum Ticini* 627 *b* *monast. Bobii* 94 *c*
† *Columbæ V, monast. Viennæ* 55 *e*
Commentiolus Dux Mauricii Imp. 619 *d* 620 *e*
Comna mater S. Mochuæ Ballensis 47 *c*
Conamalus avus maternus S. Mochuæ Ballensis 47 *c*
† *Concordiæ M. reliquiæ Tuscanæ in Ital.* 566 *a*
Concordianus, vel Gordianus, pater S. Concordii 9 *b*
† *Concordii et Epiphanii MM. corpora Romæ* 18 *a d f*
† *Congallus, sive Congellus, Ab. Banchor. in Hibern.* 47 *c f* 48 *a b* 79 *a* 719 *e*
† *Conradus Ep. Constantiensis* 336 *e*
Conradus Salicus Imp. 64 *f* 67 *c e* 119 *f* 166 *c e* 167 *e f*
Conradus filius Conradi Salici 166 *e* D
Conradus Dux Lotharingiæ 529 *f*
Conradus Præposit. Walceiæ 730 *b*
Conradus a Monte-puellarum, script. Vitæ S. Erardi 533 *e*
Conradus Truchessius a Waldburg, pater B. Odinonis 722 *c*
Constantia soror Constantini Magni, uxor Licinii 258 *c*
Constantia Augusta uxor Henrici VI 552 *d*
Constantia filia Manfredi invasoris Siciliæ 419 *e*
Constantia uxor Roberti Regis Franc. 58 *b*
Constantia Moncada 13 *sec.* 411 *c*
Constantinopolit. Concilium III 624
Constantinus Papa 531 *d f* 709 *b e* 712 *d*
† *Constantinus Magnus Imp.* 354 *c* 358 *c* 372 *b* 362 *d* 365 *a* 498 *d* 606 *a* 610 *e* 702 *e*
Constantinus Pogonatus Imp. 531 *a* 624 *d f*
Constantinus Imp. fil. Leonis IV 290 *b*
Constantinus Porphyrogenitus Imp. fil. Leonis Sapientis 735 *c*
Constantinus Monomachus Imp. 300 *d*
Constantinus Diac. S. Agathonis Papæ 624 *d*
Constantinus pater S. Rigoberti 174 *d*
Constantius Ep. Laureacensis 484 *a* 493 *f*
Constantius Imp. 482 *d* E
Constantius Assessor Præfectorum Ital. 5 *sec.* 90 *a*
† *Corbinianus Ep. Frisingensis* 369 *c d* 370 *a* 731 *a*
Cornelius Papa 603 *c* 604 *f monast. et oppidum in Belg.* 529 *e*
† *Cornelii et Cypriani Eccl. Calcate in Ital* 5 *a* 6 *a* *Compendii in Gal.* 719 *c*
Cornelius Curtius ord. S. Augustini scriptor Vitæ B. Oringæ Christianæ 650 *c*
† *Cosmas et Damianus MM.* 81 *b e reliquiæ in Picardia* 180 *a*
Cosmas Patriarch. Constantinopol. 78 *c*
Cosroes senior R. Pers. 628 *f*
Cosroes Junior R. Pers. 618 619 620 621 *an factus Christianus?* 618 *c d* 620 *f*
† *Crescens Ep. Vienn. Gall.* 175 *d* 463 *b*
† *Crispinus et Crispinianus MM.* 460 *e f reliquiæ inventæ* 502 *f aliquæ in Picardia* 180 *a*
† *Crispinus II, Ep. Ticinensis* 356 *a*
† *Crispinus III, Ep. Ticinensis* 356 *a c d*
Crito R. Rugiorum 395 *c*
† *Croniacus, sive Cronanus, Conf. Scot.* 132 *b*
† *Crucis Christi partes Pragæ* 720 *d*
† *Crucis Eccl. Barcinone* 409 *e*
† *Crucis monast. in Hungar.* 607 *e f*
Cruco R. Rugiorum 395 *c* F
Cuchoragus Hibern. 49 *a*
† *Cunegundis Imperatrix V.* 336 *b*
Cunradus I, Ep. Moguntinus 343 *a*
Cymbil Presb. frater S. Ceddæ 375 *c d*
Cymburga uxor Alchfridi R. Northumbriæ 373 *c*
† *Cyprianus Ep. Carth. M.* 604 *b*
† *Cyriaci M. corpus Anconæ* 590 *e*
† *Cyricus* 200 *b Cyrici Eccl. prope Remos* 178 *b*
† *Cyrillæ V. M. reliq. Romæ* 166 *b*
† *Cyrillus Alexandr.* 28 *Janu. et* 473 *f* 476 *f* 479 *e f* 480 *b*
Cyrillus Ep. Nicomediæ 723 *e f*
Cyrillus mon. an scriptor vitæ S. Theodosii Cœnobiarchæ? 681 682 *d*
† *Cyrinus M. frater S. Alphii* 601 *b c* 744 *b c*
Cyrus Pseudo-patriarch. Alexand. hæret. 625 *e* 626 *e*
Cythardus Ab. Floridi-campi in Frisia 235 *e*

D

Daganus Ep. Magdenburgen. 182 *d*
Dagobertus R. Galliæ 458 *d* 524 *b*

A *Dagobertus II, R. Franc.* 174 *b d* 175 *d*
Dalbuanica familia in Hibernia 47 *c*
Dalmatius Ep. Cyzici 481 *e*
† *Damasus Papa* 238 *a d* 641 *a*
Damasus II, Papa 530 *b*
† *Damianus, sive Dervianus Apost. Britan.* 10 *b e f*
Dangulfus Gal. 326 *d*
† *Daniel Stylita* 275 *d* 282 *c d f* 284 *a* 613 *f*
Datianus Primas Africæ 45 *d*
† *David Ep. Bangoren. Angl.* 162 *c*
David R. Scotiæ 664 *d*
David Colvillus interpres vitæ S. Syncleticæ 242 *c f*
Decius Carafa Card. Ep. Neapol. 499 *a*
Decius Imp. 603 *c* 604 *f*
Dedalricus Ep. Passaviensis 370 *a* 730 *f*
† *Defendens M. Thebæus* 2 *Jan.* 720 *b*
† *Demetria soror S. Bibianæ V. M.* 166 *d*
Demetrius Ep. Strigoniensis Card. 609 *c f*
† *Dentlinus puer* 515 *d*
† *Deodatus Ep. Nivernen.* 79 *a* 534 *e*
† *Dervianus, sive Donatianus, aut Damianus, Apost. Britan.* 10 *e f*
† *Desiderius Ep. Cadurcensis* 93 *a* 186 *a*
Desiderius R. Longobard. 97 *b* 112 *b*
† *Deusdedit Ep. Cantuar.* 595 *b* 596 *c*
B † *Didacus Ep. Oxomensis* 322 *f*
Didacus de Rosario ord. Prædic. scriptor Vitæ S. Gonsaluci Amaranthi 640 *a f*
Diewerdis familiaris Gertrudi ab Oosten 349 *e*
Diocletianus Imp. 20 *b d* 80 *b* 81 *a* 82 *a* 127 *c* 241 *a* 324 *c* 325 *a* 357 *b e* 358 *c e* 359 *a* 472 *b* 568 723 *c f* 724 725 *a*
Diocletiani et Maximiani persecutio 572 578 *in Ægypto* 572 *d*
† *Dionysius Papa M.* 238 *d e*
† *Dionysius Ep. Alexandrinus* 358 *a*
† *Dionysius Apost. Parisiorum* 139 *e* 144 *e* 140 *a c f* 143 *a f* 458 *d* 459 *f* 460 *d e f* 461 *f* 462 *a b* 463 *b* 464 *d* 466 *d e reliquiæ in Picardia* 180 *Pragæ* 720 *monast. Parisiis* 68 *a* 174 *c*
† *Dionysius Areopagita an Ap. Parisiorum?* 460 *c d*
† *Dionysius Ep. Viennen. in Gall.* 20 *a*
Dionysius Petavius Soc. Jesu 138 *a* 725 *d*
Dioscorus Ep. Alexand. hæret. 686 *a* 695
† *Discipulorum Christi LXXII festivitas* 162 *f* 726 *e*
Diuna Scotus Ep. Merciorum 373 *d e*
Dius Ep. Hierosol. 663 *f*
Dolabzanus Persa 6 *sec.* 621 *a*
† *Dominicus Institutor ord. Præd.* 404 *c* 406 *c* 407 *e* 408 *d* 409 *c d* 411 *a* 417 *c* 419 *a* 642 *b*
C † *Dominicus M.* 463 *a*
Dominicus Pinellus Card. 416 *a* 418 *c*
Dominicus Tuscus Card. 418 *e*
Dominicus Michael Patriarcha Gradensis 550 *c*
Dominicus Maurocenus Dux Venetus 553 *c*
Dominicus Maurocenus ord. S. Georgii in Alga 549 *c*
Dominicus Arnaldus Barcinon. 421 *e*
Domitianus Imp. 355 460 *b* 464 *d* 469 *b* 470 *d*
Domitianus Præses Diocletiani 128 *a d f* 129 *a*
† *Domna, sive Domnina* 235 *f*
† *Dominio avus SS. Domnonis et Eusebiæ* 241 *c f*
Domnus Ep. Antiochenus 263 *a*
Domnus Ep. Apameæ Syriæ 262 *f*
† *Donati Eccl. in Ital.* 657 *d*
† *Donatiani Ep. Remensis translatio* 323 *d*
† *Donatianus, sive Damianus Apost. Britan.* 10 *c*
Donus Papa 624 *d*
† *Donus Ep. an Siridon?* 83 *b e*
† *Dormientes VII, Ephesini* 300 *a*
Dorothea 4 sec. 361 *a*
Dorotheus Baronius ord. S. Georgii de Alga 564 *d*
Dotila Ep. Urgelitanus 288 *c*
Doutrius Ep. Cæsareæ Maurit. 568 *c*
Drogo filius Caroli Magni Ep. Metensis 388 *b*
Drogo Ep. Taroanensis 119 *f* D
Dulcissimus pater Justini Junioris 618 *f*
† *Dunstanus Ep. Cant.* 301 *b d* 547 *b c f* 548 *a d* 597 *c* 712 *b*
Dyscolius Ep. Remensis 174 *b*

E

Eacha Minnechus Princeps in Hibern. 48 *f*
Eadmundus R. Angl. 547 *c*
Eadricus, sive Edricus, Dux Merciorum 294 *e*
Eadwardus, sive Eduardus, fil. Edmundi R. Angl. 294 *e*
Eadwinus fil. Edmundi R. Angliæ 294 *e*
Eadwius R. Angl. Septemtrional. 547 *f*
Ebane soror S. Balduini 503 *c*
† *Ebbo Ep. Senonensis* 288 *e* 389 *e*
† *Eberardus Præpositus Martallensis Germ.* 723 *d*
† *Eberulphus Ab. S. Fusciani Ambian.* 461 *c*
† *Ebrulfus Abb. Uceticen.* 390 *a d*
Ebroinus Major-Domus 502 *f* 593 *b* 595 *f* 596 *a* 597 *a*
Ecclesius Archiep. Ravennas 21 *d*
Ecgbrecht Erem. Angl. 532 *c*
Edelhardus R. Saxoniæ Germanicæ 382 *b*
Edelwaldus R. Deirorum in Ang. 375 *b*
† *Edgarus R. Angl.* 547 *b c d f* 548 *d* 712 *b* 728 *c f*
† *Edilwaldus Presb. Lindisfarne* 323 *a* E
Editha, vel Edditha, uxor S. Eduardi Conf. R. Angl. 290 *f* 292 *c* 295 *b d*
† *Edmundi monast. in Angl.* 304 *e*
Edmundus Ferrei lateris frater S. Eduardi Conf. R. Angl. 293 *c* 294 *b* 301 *b*
† *Eduardus M. R. Angl.* 728 *f*
† *Eduardus Conf. R. Angl.* 5 *Januar. et* 532 *e* 570 *a* 728 *f*
Eduardus R. Angl. 14 *sec.* 594 *e*
Eduardus Ethelingus pater S. Margarita R. Scotiæ 301 *d*
† *Edwinus R. Northumbriæ* 294 *c* 627
Edwinus Ab. Evesham 712 *b*
Egbertus R. Cantiæ 595 *c* 596 *a*
Egbertus Marchio Misniæ 394 *d*
† *Egbertus Ab. præceptor S. Willebrordi* 235 *f*
† *Egelnotus Ep. Cantuar.* 664 *e*
Egelwius Nobilis Anglus 10 *sec.* 547 *e*
Egetius, sive Aetius, Patricius 139 *c*
Egfridus R. Northumbriæ 373 *f*
† *Eggar R. Angl. sive Edgarus,* 181 *e*
Egil Ep. Senonen. 512 *d*
† *Egilfredus Abbas* 565 *c*
Eldebodus cursor Clotharii II 92 *f* 93 *c e*
Eldwinus Gall. 7 *sec.* 93 *e* F
† *Eleutherus Papa* 10 *c d e f* 719 *d*
† *Eleutherius socius S. Dionysii M.* 139 *e* 461 *b*
Elfrida uxor Edgari R. Angl. 728 *c f*
† *Elias Propheta* 236 *c f* 237 *b* 604 *c* 701 *b*
Elias Patr. Hierosol. 684 *d*
Elias Patr. Aquileien. 713 *f* 714 *b*
Elias Ab. Palæst. 684 *b*
Elias mon. Bithyn. 9 *sec.* 599 *e*
† *Eligius Ep. Tornac. et Noviom.* 154 *b e f* 155 *d e f* 376 *c* 377 *b c e* 378 *a b* 461 *c* 502 *f* 721 *b*
monast. Ulyssippone 549
Elipandus Ep. Toletanus 716 *d* 717 *a*
Elisabeth V. Rosendalæ juxta Mechliniam 162 *c*
Elisabetha uxor Hugonis Palatini Tubingen. 723 *d*
Elisabetha de Wans monialis in Belgio 354 *f*
Elizæus Propheta 236 *f* 238 *a*
Elpidius Ab. Palæst. 684 *b*
Elpidius Presb. Constantinop. 474 *f*
Elwardus Ep. Londinensis 711 *a*
Elyssenda Aymerica Barcinon. 419 *c*
Emanuel Commenus Imp. 608 *d*
† *Emebertus, qui et Ablebertus, Ep. Camerac.* 15 *Janu. et* 514 *f* 519 *c* 524 *b*

Emma

A *Emma mater S. Edwardi Conf. R. Angl.* 291 *e f* 292 *a* 390 *d f* 293 *c* 294 *a f*
Emma uxor Lothari R. Franc. 155 *c*
Emma uxor Lutgeri Ducis Saxonum 182 *a*
† *Emmerani Eccl. Ratisbonæ* 336 *e monast.* 339 *d* 546 *c f*
Emmo Ep. Senon. 595 *c* 596 *d*
Eneager Tribunus Mathewmacenus 550 *c*
† *Engelbertus Ep. Colonien. M.* 305 *b*
† *Ennodius Ep. Ticin.* 372 *b* 471 *e*
† *Enoch de Anathim discip. S. Joan. Baptistæ* 236 *f*
Eonocius abavus S. Maximi Ab. 91 *a*
Ephesinum Concilium I, 89 *f*
Ephraim Patr. Antioch. 682 *e*
† *Epiphane M. uxor S. Alexandri, sive Neophyti* 744 *b*
† *Epiphanius Ep. Constantiæ Cypri* 744 *e*
† *Epiphanius Ep. Ticinensis* 21 *Januar.* 372 *b*
† *Epiphanii et Concordii MM. corpora Romæ* 18 *a d f*
Epiphanius Patriarch. Gradensis 714 *a*
Epiphanius Presb. Monothelita 625 *d*
Equitius Senator Neapoli 498 *f*
† *Erasmus et Onesimus MM.* 744 *c*
Erasmus Goyæus Præpositus monast. S. Gerlaci 304 *f*
Ercombertus R. Cantiæ 595 *c*
Erchenoaldus Major-Domus 534 *d*
B † *Ericus R. Suesiæ M.* 400 *e*
Ericus Bonus, pater S. Canuti Lawardi 390 *f* 391 *a* 392 *c* 393 *a* 394 *f* 396 *b*
Ericus Emund R. Daniæ frater S. Canuti Lawardi 391 *a f* 394 *a b c f* 396 *e* 401 *b*
Ericus Lam R. Daniæ 391 *a e* 401 *b d*
Ericus fil. Haraldi Dan. 12 *sec.* 401 *e*
Ericus Falstrius Danus 399 *e*
Erinbertus Ep. Frisingen. 546 *b*
Erlingus Dux in Norwegia 401 *e f*
Ermannus Ep. Tullensis 62 *e*
Ermembertus Viennensis 7 *sec.* 92 *e*
† *Ermenfredus Ep. Virdunen.* 458 *e*
Ermengarius Ep. Augustodunen. 565 *c*
Ermesenda Castellonensis Hisp. 427 *b*
Ermino Pastor Lemovicensis 380 *b*
Ernulphus Ep. Lexoviensis in Gall. 304 *b*
Eschoerion adversarius S. Chrysost. 476 *d*
Eschyllus Danus 391 *a*
Eskillus Ep. Lundensis in Dania 401 *f*
Esico Ep. Slewicensis 182 *d*
Esparracus Barca Ep. Tarraconen. 412 *b*
Estthrita soror Canuti Magni R. Angl. et Dan. 390 *f*
† *Ethelbertus R. Cantii* 296 *d* 334 *f* 335 *a d*
† *Ethelburga Abbat.* 627 *a d*
C † *Ethelreda* 627
Ethelredus R. Angl. pater S. Eduardi Conf. 291 *a* 292 *a* 293 *c* 294 *a b* 299 *a. Vide Adelradus* 390 *f* 728 *f*
Ethelredus R. Angliæ 547 *b d f*
Ethelredus R. Mercior. 707 *e* 708 *e* 709 *a* 710 *a* 711 *d e* 712 *f*
Ethelredus R. Occident. Saxonum 301 *d*
† *Ethelwoldus Ep. Winton.* 548 *d* 712 *b*
Ethelwlphus R. Occidental. Saxonum 297 *f* 301 *d*
Eticho pater S. Otiliæ 536 *f* 540 *c* 543 *a*
† *Ettonis Ep. reliquiæ Lætiis* 447 *c*
Evagrius Ep. Antiochenus 480 *e*
† *Eucharius Ep. Trevir.* 458 *f* 566 *d ejus cœmiterium Treviris* 164 *f*
† *Eucherius Ep. Aurelianen.* 177 *c*
Eudæmon Presb. Constantinop. 474 *f*
† *Eudecius pater S. Leucii Brundusini* 668 669 670
Eudocia uxor Theodosii junioris 284 *a* 481 *b c d* 685 *a* 745 *d*
Eudocia mater S. Domitiani Ep. Melitenæi 618 *e*
Eudoxius Ep. Constantinop. Arianus 480 *e*
Evenus Ab. S. Melanii 333 *c*
Everardus mon. Corbeiensis 122 *f*
Everderus Ab. Ganden. 173 *f* D
† *Eugenia V. M.* 258 *b* 571 *c* 668 *c e*
Eugenius III, Papa 309 *e* 320 *d*
Eugenius IV, Papa 6 *b* 7 *c* 549 *e* 555 *e f* 559 *f* 560 *a*
† *Eugenius Ep. Toletanus* 164 *e* 355 *b* 460 *e f* 463 *a*
Eugenius a S. Joan. Evang. conversus 470 *f*
Eugippius Presb. scriptor vitæ S. Severini Presb. 483 *c e*
† *Evilasius M.* 354 *f*
† *Eulalia V. M.* 591 *d* 592 *e*
† *Eulalius Ep. Syracusanus* 36 *e f b* 37
Eulogia mater S. Theodosii Cœnobiar. 681 *a* 685 *c*
† *Eulogius M. Sriptor* 571 *b* 727 *e f Ejus translatio* 566 *a* 600 *e*
† *Euphemiæ V. M. reliq. Pragæ* 720 *e*
Euphemiana 258 *c*
Euphraxia mater S. Euphrasiæ 663 *f*
Euphrodisia mater S. Leucii 668 *a* 669 *e*
† *Euphrosyna V. Smaragdus dicta* 2 *b* 258 *c*
† *Euprescius, idem qui Leucius* 667 668 670
Eusebius Ep. Ancyranus 263 *b*
Eusebius Ep. Bononiensis 165 *f*
Eusebius Ep. Cæsareensis 358 *c*
Eusebius electus Episcop. Cæsareæ Cappad. 28 *f* 29
† *Eusebius Ep. Mediolanen.* 372 *b c*
† *Eusebius Ep. Eccles. Vercellis* 61 *e* E
Eusebius R. Venet. in Britan. Armor. 331 *e* 332 *b*
† *Eustadius Presb.* 3 *Jan. altare Divione* 566 *f*
† *Eustasius Ab. Luxoviensis* 502 *c* 508 *a*
Eustasius frater S. Balduini 503 *c*
Eustathius Ep. Sebastenus 474 *d*
Eustathius, sive Eustachius, Ab. montis S. Eligii 139 *b*
Eustathius, sive Eustochius, in Hellesponto 4 *sec.* 134 *b* 135 *e*
Eustolia discipula S. Luciani M. 361 *a*
† *Eustorgius I, Ep. Mediolan.* 323 *b*
† *Euthalia* 744 *c*
† *Eutropius Ep. Santonen.* 463 *b*
† *Eutyches M. sub Marco Aurel.* 9 *c e*
† *Eutyches et Maro MM.* 499 *b*
Eutyches hæret. 684 *e* 686 *a* 695
Eutychus in Hellesponto 4 *sec.* 134 *b* 135 *d*
Euthymius 6 *sec.* 42 *f*
Eximinus Ep. Tarraconen. 415 *e*
† *Exuperii reliquiæ in Picardia* 180 *a*

F

† *Falco Ab. Cavæ* 627 *e*
Fantinus Dandulus Ep. Patav. 555 *d e* 556 *a* 557 *c*
† *Faræ monast. Senonis* 385 *b e* F
† *Faro Ep. Melden.* 595 *f* 596 *d*
Fastrada uxor Caroli Magni 384 *f*
Fava R. Rugorem 494 *a* 495 *c e f* 496 *e*
Faviana Princeps Rugorum 492 *a*
† *Fausta V. M. cum Evilasio* 354 *f*
Faustinus Episc. scriptor 2 *c e*
† *Faustinus et Jovita MM.* 429 *c f*
† *Faustus Ep. Reiensis* 16 *Janu. et* 43 *a*
Faustus Ep. in Africa 34 *a b c d* 35 *a*
Faustus Ep. 38 *b*
† *Faustus M. a S. Dafrosa conversus* 166 *d*
Faustus pater S. Clementis Papæ 238 *d*
Febediolus Ep. Rhedonensis 328 *b*
† *Fechinus Ab. Hibern.* 20 *Janu. et* 48 *b c d*
Federicus Borromæus Card. 416 *d*
Federicus Ep. Forojulii 714 *b*
Felecteus vel Feletheus R. Rugorum 484 *a* 488 *c* 494 *a d* 497 *d e*
† *Felicianus Ep. Fulginas* 24 *Janu. et* 188 *d*
Felicianus Ep. Ruspen. 32 *b*
Felicianus Abbas 565 *c*
† *Felicii Presb. M. reliquiæ Steynfeldiæ* 680 *a Translatio* 664 *d*
† *Felix*

A † *Felix III, Papa atavus S. Gregorii* 287 *f* 288 *d*
† *Felix Ep. Metensis* 468 *c* 470 *b*
† *Felix Ep. Nanneten.* 458 *f*
Felix Ep. Urgelitanus 716 *e* 717 *a*
Felix Ab. in Africa 35 *b c e f* 36 *a c* 38 *b* 39 *f* 43 *e*
Felix Presb. Arianus in Africa 35 *d*
Felix Diac. Ruspæ in Africa 38 *f*
Feriat pater S. Filani 594 *c*
Ferrandus frater Alphonsi X, R. Castellæ 413
Ferraria Coltelaria 425 *e*
Ferrarius de S. Martino Hisp. 424 *d*
† *Ferreoli M. reliquiæ apud Viennam* 55 *c e f*
† *Ferrutius M. Moguntiæ* 2 *d* 162 *f*
† *Ferrutius, sive Ferrutio M. Vesontinus* 162 *f*
Fescenninus Sisinnius Præses in Gallia 463 *f*
Fidentius Ep. Forojulii 714 *b*
Figuinus Presb. monasterii S. Callisti 180 *b*
† *Finanus Ep. Lindisfarnensis* 373 *c e* 374 *c*
† *Fintanus, sive Munnus, Hibern.* 46 *b c* 719 *e*
† *Firmi et Rustici Prioratus in Ital.* 549 *c f*
† *Firminus M. Ep. Ambianen.* 704 *d* 706 *c Translatio* 600 *f*
† *Firmini II, Ep. Ambianis Conf. translatio* 600 *f*
reliquiæ 706 *c*
† *Firmini Ep. Ambianen. festum* 119 *c* 120 *e*
B *Flacciteus R. Rugorum* 487 *d e* 495 *f*
Flaminius Platus Card. 418 *d*
Flaminius Anguillara Ital. 16 sec. 4 *f* 5 *e*
Flammeus gladiator Mauritanus sub Dioclet. 369 *c e*
† *Flavia Domitilla, Nereus, Achilleus MM.* 499 *b*
Flavianus Ep. Parisiensis 138 *f*
† *Flavianus M. maritus S. Dafrosæ* 166 *a d*
Flodegissus Franc. 150 *d*
Florentii Ep. Arausican. reliq. Pragæ 720 *f*
† *Florentius Ep. Argentinensis* 534 *e*
† *Florentii monast. in Gall.* 505 *b e*
Florentius Carthusianus scriptor 441 *a*
Florus, sive Anthus mon. Palæst. 684 *a*
Flotarius, sive Clotharius II, R. Franc. 92 *f* 93 *f* 94 *e*
† *Foillanus Ab. M.* 566 *d*
Folcardus Ab. Blandinii Gand. 173 *c e f*
Folcardus Castellanus Gandensis 173 *c*
Folcquardus Ep. in Slavonia 182 *d*
Fortunatus Patr. Gradensis 717 *e*
Fortunatus Ep. Rusuccuritanus 568 *b*
† *Fortunatus et Septimius MM.* 356 *c*
Franci a Trojanis orti 112 *a*
Francisca Blosia Canonica Monasteriensis ad Sabim *Belg.* 432 *e* 433 *a b* 434 *d*
† *Franciscus fund. ord. Min.* 186 *d* 188 *a c* 193 *b c*
C 196 *e f* 202 *a* 207 *a Eccl. Asisii* 632 *c* 636 *c f* 639 *d*
Franciscus Avila Card. 418 *e*
Franc. Barberinus Cardinalis 18 *c d*
Franciscus Mantica Card. 418 *e*
Franciscus Maria de Monte Card. 416 *a* 418 *d*
Franciscus Maria de Senis Card. 418 *d*
Franciscus Vander-Burgh Ep. Camerac. 455 *c*
Franciscus Malipierus Ep. Venetus et Vicentinus 557 *a*
Franciscus I, R. Franc. 437 *d*
Franciscus Sfortia Dux Mediolani 560 *f*
Franciscus Grillus Presb. Roman. 17 sec. 18 *e*
Franciscus Gipsius Auditor Rotæ 416 *b*
Franciscus Penia Auditor Rotæ 416 *d*
Franciscus Michaelius Canonicus Venetiis 564 *c*
Franciscus Tarvisanus Prior Carth. Venetiis 551 *e*
Franciscus Scorzus Soc. Jesu, scriptor Vitæ S. Agathonis Papæ 744 *f*
Franciscus Spoletinus Ord. Minor. 719 *b*
Franciscus Barbo Venetus 549 *c*
Franciscus Mochius sculptor Ital. 18 *e*
Franciscus Rovira Barcinon. 426 *b*
Franco I, Ep. Cenomanen. 387 *f*
Franco II, Ep. Cenomanen. 387 *e f* 388 *c*
Fraterna Aurelianensis 6 sec. 142 *a* D
† *Fredegandus in Belgio* 79 *d*
Fredericus I, Barbarossa, sive Ænobarbus, Imp. 307 *d* 312 *f* 323 *b* 343 *c* 401 *e* 552 *d*
Fredericus II, Imp. 307 *e*
Fregia Pisana 14 sec. 661
Fridericus filius Felectei R. Rugorum 488 *d*
Fridericus frater R. Rugorum 495 *e f* 496 *d e*
† *Fronto Ep. Petragoric.* 79 *b* 463 *b* 721 *a*
Fruminius Meldensis 6 sec. 142 *a* 146 *f*
Frumoldus Ep. Atrebat. 139 *c d*
† *Fugatius Apost. Britanniæ* 10 *c f*
Fulbertus Ep. Carnotensis 68 *f*
Fulcharius Ep. Leodien. 534 *f*
Fulcherius Francus 149 *f*
Fulchora Franca 150 *a*
Fulco Ep. Ambianensis 119 *f*
† *Fulco Ep. Rem.* 174 *c* 179 *d f* 180 *a d*
Fulco Ab. Corbeiensis 119 *a* 121 *d*
Fulco Nerra Comes Andium 331 *e*
Fulconius Francus 6 sec. 147 *f*
Fulcricus Ep. Trecensis 511 *e*
Fulcro Canonicus Gandensis 173 *c e f*
† *Fulgentius Ep. Utriculanus in Ital.* 2 *d*
Fulradus Ab. monast. S. Dionysii 177 *d* E
† *Fuscianus M.* 460 *e monast. Ambiani* 461 *c*

G

Gabrenus Ep. Hibern. 48 *b*
Gabriel Palæottus Card. Sabinensis 416 *a*
Gabriel Condulmerius Ep. Senensis Card. 549 *c d*
Gairefredus Franc. 8 sec. 176 *c*
Galeatius Sfortia Dux Mediolani 560 *f*
Galenus medicus 236 *d*
Galfridus Comes Essexiæ 304 *b*
Galla Placidia Augusta 589 *b*
Galienus Imp. 24 *f* 127 *e*
† *Galli Ab. reliq. Pragæ* 720 *f*
Gallus Scriptor vitæ S. Martini 70 *d*
† *Gangalus M. Antiochiæ* 572 *b*
† *Gatianus Ep. Turon.* 460 *d*
† *Gaudentius Ep. Brixiensis* 257 *e*
Gaudentius discipulus S. Adelberti mon. Romæ 235 *e*
Gaufridus Ep. Turon. 634 *b*
† *Gaufridus Ab. Saviniaci* 389 *f*
Gaufridus Comes Andegavensis 301 *d*
† *Gaugerici Eccl. Bruxellis* 513 *e* 514 *a* 523 *e* 524 *a*
Gebmundus Ep. Rofensis 598 *a*
Geilo Comes Stabuli Caroli Magni 383 *b d* F
† *Gelasius I, Papa* 373 *a* 483 *c* 497 *a e*
† *Geminianus* 31 *Janu. et* 559 *f reliq. Pragæ* 720 *e*
Genesius Presb. Parisiis 3 sec. 140 *a c* 145 *a*
† *Gennadius Patr. Const.* 610 *a* 611 *e* 613 *a* 614 *b*
Gensericus Rex Wandal. in Afr. 32 *f*
† *Gentianus M. reliquiæ Corbeiæ* 120 *e* 123 *f* 186 *e*
Gentilis de Monte-Floris ord. Minor. Cardinal. 608 *a*
† *Georgius Ep.* 600 *b*
† *Georgius M.* 340 *b c* 347 *b* 396 *b reliq. in Picardia* 180 *a monast. in Lusitania* 549 *f in Alga Venetiis* 549 *a in Braida Veronæ* 549 *f*
Georgius Patriarch. Constantinop. 624 *f* 625 *a*
Georgius Presb. S. Agathonis Papæ 624 *d*
Georgius Diac. et Chartophylax Constantinop. 625 *a*
Georgius pater S. Eustratii 598 *b*
Geraldus, sive Giraudus, Ep. Bituric. 638 *a e*
Gerardus I, Ep. Camerac. 514 *a* 530 *e*
Gerardus II, Ep. Camerac. 137 *c e*
† *Gerardus Abb. Broniensis in Belg.* 172 *d*
† *Gerardus Ab. Silvæ-majoris scriptor Vitæ S. Adalardi* 95 *c f* 111 *c*
Gerardus Lemovic. ord. Prædic. auctor libri Vitæ Fratrum 645 *e*
Gerardus Blosius Dominus Jumignii Belga 432 *e*

A *Gerardus Blosius Junior* 432 *e*
Gerardus Burgund. 11 *sec.* 75 *d*
Gerardus Gal. 9 *sec.* 105 *b e*
Gerardus Procurator Fisci Valentianensis in Belgio 9 *sec.* 703 *f*
Gerardus Veronensis medicus 15 *sec.* 563 *d*
Gerardus Urel Belga 12 *sec.* 316 *d*
Gerbaldus Ab. monast. S. Christinæ 61 *e*
Gerberga uxor Ludovici Transmarini 523 *f*
Gerberga uxor Lamberti II, Com. Lovanien 524 *a*
Gerelinus Borluyt Ab. Gandensis 173 *d*
† *Germanus Patriarcha Constantinop.* 532 *d*
† *Germanus Ep. Autissiod.* 137 *b* 138 *b c d e* 139 *a c* 143 *c d e f* 144 *a b c monast. Cusani in Hisp.* 288 *f prope Marisiacum* 150 *c reliq. Cusani* 288 *f*
† *Germanus Ep. Parisiensis* 49 *f monast. Parisiis* 57 *f*
Germanus in Hellesponto 4 *sec.* 134 *b*
Germundus, seu Gourmon, R. Daniæ 394 *d*
Geroldus Ep. Lubecen. 391 *e*
Geroldus Dux Sueviæ 385 *d e*
Gerontia mater S. Genovefæ 138 *a*
Gerontius Ab. Palæst. 684 *b*
Gerontius monachus Lemovitensis 93 *b*
† *Gertrudis Nivellensis V.* 172 *c* 513 *b e f* 514 *e* 515 *b*
B *ejus festum* 8 *d*
† *Gertrudis Islebiensis V. scripta* 442 *a*
Gertrudis Ducissa Gotingæ 394 *d*
Gertrudis Beghina Delphis 353 *e*
Gertrudis Trajecten. 319 *e*
† *Gervasii et Protasii MM. reliq.* 488 *f Neapoli* 737 *b*
Eccl. Cenomannis 388 *e monast. Viennæ* 55 *e*
Gervasius Ep. Remensis 333 *c*
Gibitrudis Ab. S. Quintini Trecis 510 *c*
† *Gibrianus Scotus* 126 *f*
Gibuldus R. Alamannorum 491 *b*
Gilbertus E. Londinen. 304 *a*
Ginettus Cardinalis 18 *c*
Girilda mater S. Aldrici 307 *f*
Giraudus Presb. Gal. 13. *sec.* 639 *c*
Girberga mater S. Odilonis, post sanctimonialis 66 *a*
Girth fil. Godwini Com. Cantii 299 *f*
Gisa uxor Felectei R. Rugorum 484 *a* 488 *c* 495 *c* 496 *e* 497 *d*
Gisela Augusta uxor Conradi Salici 167 *f*
Gisilarius Ep. Magdeburg. 182 *a*
Gislebertus Norman. 11 *sec.* 120 *b*
Gislemannus Gallus 178 *f*
Gisulfus Dux Foro-Julii 713 *f* 714 *a*
† *Glycerius Ep. Mediolan.* 89 *c*
C *Glycerius discip. S. Luciani M.* 362 *a*
† *Goar Confessor* 534 *e f*
Godefredus frater S. Guillielmi Divion. 61 *f*
Godefridus Ep. Asaphensis 304 *b*
Godefridus R. Daniæ 394 *d*
Godefridus Bullonius R. Hierosol. 6 *b*
† *Godehardus Ab. Altachii, Ep. Hildesheim.* 336 *b f*
Godescalcus Princeps Slavorum 391 *d* 394 *f* 395 *c*
Godricus sacrista Ambrisburiæ in Angl. 137 *d*
Godwinus, vel Goodwinus Archiep. 598 *a d*
Godwinus Comes Cantii in Angl. 291 *b e f* 292 *a b c d f* 295 *b* 299 *c e f* 301 *f*
Goisfredus Ab. Saviniaci 390 *d*
Gondefrenus Ab. Cusani in Hisp. 289 *a*
Gondulphus Ep. Metensis 388 *a b*
Gordia soror Mauricii Imp. uxor Philippici 286 *d*
Gordiana amita S. Gregorii 287 *e f* 288 *a d*
† *Gordiani et Epimachi MM. reliq. Pragæ* 720 *d*
Gordianus avus S. Fulgentii Ruspensis 32 *f*
Gordianus, vel Concordianus, pater S. Concordii 9 *b*
Gordianus Præses Diocletiani 80 *b*
† *Gorgonia sovor S. Greg. Nazianz.* 433 *b*
Gotafridus nepos Arnaldi Ducis Gasconiæ 727 *c*
Gotfridus Ep. Passaviensis 730 *e*
Gotfridus Suevus 346 *d*
Gotricus R. Daniæ 394 *d* D
Gozolo, seu Gothilo, Dux Lotharingiæ 530 *e f*
† *Graphus M. Antiochiæ* 572 *b*
† *Gregorius Magnus Papa* 52 *a* 100 *a* 287 *b* 622 *c*
Apost. Angliæ 292 *b ejus caput Pragæ* 720 *c reliquiæ in Picardia* 180 *a monast. Bononiæ* 549 *f*
† *Gregorius II, Papa* 167 *f* 531 *f* 713 *e*
Gregorius III, Papa 167 *f*
Gregorius IV, Papa 387 *b*
† *Gregorius VII, Papa* 181 *a* 533 *e*
Gregorius IX, Papa 405 *e* 406 *a* 409 *c f* 410 *a d f* 411 *c* 419 *b*
Gregorius X, Papa 600 *c*
Gregorius XI, Papa 422 *d*
Gregorius XII, Papa 549 *c d*
Gregorius de Mont-Elpero Card. 418 *d*
Gregorius Patriarcha Antiochenus 286 *a* 618 *d* 619 *b*
† *Gregorius Ep. Lingonensis* 4 *Jan. et* 566 *c* 726 *a*
† *Gregorius Nazianzenus* 433 *b* 612 *a d* 664 *d Scriptor Vitæ S. Gregorii parentis* 21 *b*
† *Gregorius Ep. Nyssenus* 588 *b* 589 590 *a* 600 *e* 618 *f*
† *Gregorius Thaumaturgus Ep. Neocæs.* 719 *f*
Gregorius Ep. Turon. scriptor Vitæ S. Gregorii Ep. Lingonensis 168 *a*
Gregorius Ab. Malmesberiensis 304 *b*
Gregorius Ab. Palæst. 682 *f* E
Gregorius monachus Bithynus 9 *sec.* 598 *b*
Gregorius Juveneta, sive Ninivita, mon. in exequiis S. Odilonis 76 *f*
Gregorius Consul. Neapolit. 10 *sec.* 736 737 *d*
Gregorius Cucurella Barcinon. 428 *d*
Grifolus nepos B. Alberti Erem. 402 *f* 403 *a*
Grimilda 399 *f*
Grimoaldus R. Longobard. 622 *f* 623 *b*
Grimoaldus Princeps Longobardus 370 *e* 731 *a b*
Guado Nobilis Gal. 6 *sec.* 706 *d*
Gualterus Ab. Cameraci 157 *d*
Gudalus Conf. Scotus 458 *f*
† *Gudila V.* 8 *Janu et* 172 *c*
† *Gudwalus Ep.* 458 *f*
† *Guenaltus Scotus* 600 *f*
Guido Dampetreus Comes Flandriæ 447 *f*
Guido II, Dominus Lavallii 333 *f*
Guido maritus S. Pharaildis 170 *b* 171 *a f*
† *Guido Cortonas ord. Minor.* 443 *c*
Guilhelmus Lindanus E. Ruræmundensis, deinde Gandensis in Belgio 451 *e* 453 *a*
† *Guilhelmus Ab. Hirsaugiensis* 336 *e* 337 *c* 347 *b*
Guilielmus Ep. Abrincensis 725 *c*
Guilielmus de Berberano Ep. Ilerdensis 411 *c*
† *Guilielmus Ep. Eborac.* 458 *f* F
Guilielmus Ep. Montis-Regalis 627 *f*
Guilielmus Ep. Papiensis 372 *e*
Guilielmus Mongrinus Ep. Tarraconensis 411 *b* 412 *b*
Guilielmus de Andevilla Ab. 709 *f*
Guilielmus de Putot Ab. Fiscani Gal. 594 *d*
Guilielmus Napaille Ab. Fiscani Gal. 594 *d*
† *Guilielmus Ab. Saviniaci* 389 *f*
Guilielmus I, R. Angliæ, Nothus dictus, et Conquæstor 299 *c* 301 *c* 302 *a* 390 *d* 547 *b*
Guilielmus II, Rufus R. Angl. 301 *c*
Guilielmus I, R. Siciliæ 124 *c* 552 *d*
Guilielmus II, Bonus R. Siciliæ 627 *e*
Guilielmus Comes de Alba-Marla 304 *b*
Guilielmus de Bello-Campo 709 *f*
Guilielmus Blosius Belga 432 *e*
Guilielmus ab Intimilio ord. Minor. 719 *b*
Guilielmus Gratius Soc. Jesu interpres Vitæ S. Simeonis Stylitæ 263 *c*
Guillelma Ollaria Barcinon. 424 *b*
Guillerma Januaria Hisp. 426 *a*
Guillelmus de Villaragut Barcinon. 413 *f*
Guillermus de Villa-Majori ord. Prædict. 421 *f* 422 *a*
† *Guillermus Ab. Cistercii* 126 *f*

A *Guillermus de Padio Barcinon.* 425 *b*
Guillermus Ep. Ilerdensis 13 *sec.* 415 *c*
Guillermus alter Ep. Ilerdensis 14 *sec.* 415 *e*
Guillermus Andreas Catalaunus 411 *e*
Guillermus Aimericus Barcinon. 428 *d*
Guillermus de Caneto Barcinon. 421 *a*
Guillermus de Solerio Barcinon. 421 *f* 422 *a*
Guillermus de Villario-acuto Hisp. 420 *d*
Guilli-Patricius socius B. Alberti Ep. 533 *f*
Guiraudus Capellanus Bituric. 13 *sec.* 637 *b*
† *Guisitanus Pius in Sardin.* 242 *d*
Guithelinus, vel Guithelmus, Ep. Londonien. 458 *a*
Gundebertus pater S. Maximi Ab. 91 *b c d e* 92 *b* 93 *a*
Gundebertus Ab. Solemniaci 280 *a*
Gundelaicus patruus S. Maximi Ab. 91 *b*
Gundrada soror S. Adalardi 102 *b c f* 114 *c d*
Gundipertus R. Longobard. 622 *f*
Guntardus Ab. Lætiensis 433 *b* 434 *c d e*
Guntida Ab. Cusani in Hisp. 289 *a*
† *Guntramnus R. Burgund.* 704 *e*
† *Gurvallus Ep. Maclovien.* 322 *f*
† *Guthlacus Erem. frater S. Pegæ* 532 *b c e f* 533 *a*
Guthlandus maritus S. Bertiliæ V. 156 *d f* 157 *b*
Guthwinus pater S. Salabergæ 573 *a*
B *Gymnasius Ep.* 5 *sec.* 474 *f*

H

Habdarraghman R. Maurorum in Hisp. 9 *sec.* 727 *e*
Hacquinus R. Normannorum 181 *e*
Hacun fratruelis Wilhelmi I, R. Angliæ 302 *d*
Hadewigis Belg. 12 *sec.* 314 *f* 321 *d*
Halynardus Ep. Lugdunensis 566 *b*
Hamelinus Belesmensis 333 *f*
† *Hamo Ab. Saviniaci* 389 *f*
Haquetus Ab. Thosanus in Flandria 548 *b*
Haquinus sororius S. Canuti Lawardi 398 *b* 399 *b c* 400 *d*
Haraldus R. Angliæ 291 *e* 294 *f* 299 *c d f* 300 *a* 301 *b c* 302 *a b*
Haraldus R. Daniæ 390 *f* 391 *f* 394 *f*
Haraldus Blatand R. Daniæ 394 *d*
Haraldus frater S. Canuti Lawardi 396 *d e* 401 *a*
Haraldus Durus R. Norwegiæ 299 *d f* 301 *f*
Hardecanutus R. Angl. 291 *e f* 264 *f* 532 *e. Vide Canutus Durus.*
Haroldus Comes Anglus 11 *sec.* 298 *f*
Hartwicus Ep. Ratisbonen. 341 *e* 347 *d*
Hartwicus de Chepen 345 *a*
C † *Hatebrandi Ab. reliquiæ Antverpiæ* 354 *f*
† *Hautcarius Ep. Noviomen.* 704 *e* 706 *a*
Haymo pater Gervasii Ep. Remensis 333 *c d*
Haymo pater S. Reinoldi monachi M. 386 *b*
Haymo pater S. Adalardi falso dictus 59 *f*
Helcana proavia S. Maximi Ab. 91 *b*
Heilika Ab. Ratisponen. 533 *e* 535 *a d*
Heldebertus monachus sub S. Odilone 75 *a*
† *Helena Augusta* 357 *e* 362 *b e f Ecclesia in agro Bononiensi* 90 *d e*
Helena, sive Cæcilia, V. ord. S. Claræ 721 *a*
Helena Molnera Barcinon. 429 *b*
† *Helenus Ep. Heliopolis* 668 *a c e* 745 *b*
Helgo Ep. Ansloensis in Norwegia 401 *e*
Heliodori Abb. monast. 262 *e* 275 *c*
Helladius Ab. Syrus Ep. in Cilicia 679 *a*
Helmegaudis nobilis Francus 149 *f*
Helmodus Historicus 391 *e f*
Hembertus Ab. Cusani in Hisp. 289 *a*
Henricus Noese Ep. Hierosol. 6 *c*
Henricus Ep. Bituric. 628 *f*
Henricus Ep. Moguntinus 309 *e*
Henricus Ep. Remensis 158 *f* 183 *f*
Henricus Cuyckius Ep. Ruræmund. 305 *a b* 321 *e*
Henricus Ep. Wintoniensis 304 *a* 366 *d* D
Henricus Ab. Fiscani Gal. 594 *d*
Henricus de Muda Prior. monast. Ganden. 173 *d*
Henricus Carmelita 14 *sec.* 662 *b c*
Henricus I, Imp. 385 *e* 539 *f*
† *Henricus II, Imp.* 62 *c d* 67 *c e* 72 *a f* 74 *a* 336 *b* 542 *e* 543 *d* 544 *e*
Henricus III, Imp. 64 *c* 530 *e* 542 *e* 543 *d*
Henricus IV, Imp. 301 *d* 337 *a* 338 *d*
Henricus V, Imp. 337 *f* 347 *c*
Henricus VI, Imp. 307 *e* 401 *e*
Henricus VII, Lantgravius Imp. 307 *f*
Henricus Flander Imp. Orientis 447 *b f*
Henricus I, R. Franc. 121 *c* 186 *e* 333 *c*
Henricus I, R. Angl. 301 *c*
Henricus II, R. Angliæ 290 *c* 301 *c* 302 *b* 304 *a b*
Henricus fil. Suenonis R. Daniæ 397 *a*
Henricus fil. Ænobarbi 552 *d*
Henricus Princeps Slavorum 391 *d* 393 *a b c* 394 *f* 395 *c e f* 396 *a b c d* 397 *c* 398 *b* 399 *a b*
Henricus Rixosus, sive Pius Dux Bavar. 539 *f*
Henricus Dux in Burgundia 60 *d*
Henricus Pinguis Dux Gotingæ 394 *d*
Henricus I, Com. Lovanien. 524 *a* 530 *e*
Henricus Comes Saxo 182 *a* E
Henricus Vicedominus Ratisponenæ 345 *c d*
Henricus civis Ratisponensis 346 *e*
Henricus Sthatelaer Danus 12 *sec.* 392 *e f*
Heraclius Imp. 90 *a* 621 *f*
Heraclius frater Constantini Pogonati 624 *d*
Herbertus Ab. monast. S. Genovefæ in Gal. 149 *b* 725 *b*
Herculanus pater S. Lini Papæ 238 *d*
Herebertus Ep. Mediolan. 623 *b*
Herenfrida Belg. 525 *f*
† *Hereswida mater S. Sethridæ* 627 *d*
Heribertus R. Franc. 174 *b*
Heribertus Ab. Corbeiensis 118 *e*
Hericus R. Sueciæ 181 *e*
Herigerus Ab. Lobiensis in Belg. 111 *e*
Herioldus R. Daniæ 111 *e*
Heriward Eques Saxo 181 *d*
† Herluca 533 *e*
† *Hermagoræ Ep. et reliq. Pragæ* 720 *e*
Hermannus Dux Saxo 182 *a*
Hermannus Dominus aut Comes de Mulmarchim, vel Molenarck 12 *sec.* 312 *f* 313 *a*
Hermas scriptor 139 *e*
Hermenarius Epic. 593 *d* F
Hermenfredus Ep. Sedunensis 301 *d*
Hermenfridus Advocatus Gandensis 10 *sec.* 523 *c e* 524 *a* 530 *b c*
† *Hermelandus Abb.* 505 *d e*
† *Hermetis M. translatio* 600 *e reliquiæ Pragæ* 720 *e monast. Alexandriæ* 668 *a f* 669 *e in Sicilia* 744 *f*
Heruli populi Boreales 492 *c e*
Hesso Dux Ostphalorum 382 *d*
Hesychius Interpres Bibliorum 458 *c*
Hesychius Presb. Palæst. 6 *sec.* 628 *e*
Hesychius pater S. Simeonis Stylitæ 269 *a*
Hervæus, sive Herivæus, Ep. Remen. 173 *c*
† *Hieronymus scriptor Vitæ S. Pauli I, Erem.* 601 *c*
Hieronymus Asculanus Card. 416 *c*
Hieronymus Matthæius Card. 418 *d*
Hieronymus Rusticucius Card. 416 *c*
Hieronymus Quirinus Patriarcha Venetus 564 *c*
Hieronymus ab Albintimilio, seu Vintimilia ord. Minor. 719 *b*
Hieronymus discip. B. Laurentii Justiniani 562 *e*
Hieronymus Brunus Presb. Ital. 17 *sec.* 18 *c*
Hieronymus Franchæus Pastor in Steynockerzeel 170 *b*
Hieronymus de Mussis ord. S. Georgii in Alga 539 *c*
Hieronymus de Prado ord. Prædict. 734 *a*

Highbaldus

A *Highbaldus Ab. Angl.* 376 *d*
† *Hilariæ M. caput Pragæ* 720 *e*
† *Hilarion Ab.* 404 *d* 561 *c f*
Hilarius Ep. Cicestriensis 304 *b*
† *Hilarius Ep. Pictav.* 13 *Jan. et Eccl. Remis* 175 *a*
reliquiæ in Picardia 180 *a*
† *Hilarius Senator pater S. Joan. Reomaensis* 726 *a*
† *Hilarus Papa* 372 *b c* 721 *c*
† *Hilda V. Abb.* 672 *d monast. in Angl.* 375 *f*
Hildeburgis mater Gervasii Ep. Remensis 333 *c*
† *Hildegardis V.* 309 *e* 321 *e*
Hildegerus Ep. Coloniens. 534 *f*
† *Hildemannus Ep. Bellovacensis* 109 *d* 117 *d* 186 *b*
† *Hildemarcha V.* 593 *a d* 592 *e*
Hildericus R. Wandalorum 43 *a*
† *Hildulphus Ep. Treviren.* 533 *f* 534 *a b c* 536 *b*
537 *a* 540 *b* 542 *b c e* 543 *b c* 545 *d f*
† *Hiltrudis V.* 433 *b c* 434 *c d*
Himoldus Presb. Gal. 11 *sec.* 119 *d*
Hincmarus Ep. Remensis 174 *c* 179 *c*
† *Hippolyti reliquiæ Arvasiæ Eccl. Delphis Holland.*
348 *f* 359 *a*
Hippolytus Rossius Ep. Ticimen. 745 *d*
Hirmintrudis filia Odalrici Com. Veromand. 180 *a*
Honoratus Venetus mon. S. Georgii in Alga 549 *b*
B *Honorius Imp.* 31 *c* 89 *f* 475 *e*
Honorius III, canonizat S. Guilielmum Ep. Bituric.
627 *f* 628 *a* 638
Honorius Ep. Brixiensis 257 *a b*
Honorius Crucis-Castellanus, scriptor miraculorum
B. Christianæ 650 *c* 662 *f*
Hormisdas Rex Persarum 619 *a*
† *Hubertus Ep.* 542 *a*
Hubertus, scriptor vitæ S. Gudilæ 513 *c*
Hugo de S. Caro Card. ord. Prædic. 406 *c d*
Hugo Ep. Senonen. 153 *a c*
Hugo de Arcu Ab. Divione 566 *f*
† *Hugo Ab. Cluniac.* 65 *c*
Hugo Ab. S. Edmundi in Angl. 304 *b*
Hugo Prior Maiæ in Scotia 1 *c*
Hugo Magnus F. Roberti R. 62 *e*
Hugo Capetus Dux Franciæ, inde Rex 523 *f* 725 *b*
Hugo Princeps Burgundiæ 434 *c*
Hugo III, Palatinus Tubingensis 723 *d*
Hugo Comes de Nortsule 304 *b*
Hugo Metaplana Aragonius 415 *d*
Hugolinus Cubicularius S. Eduardi Conf. R. Angl.
249 *e* 298 *b*
† *Humbelana, vel Humbelina, V. soror S. Bernardi*
433 *b*
C † *Humbertus fundator Maricol. in Belg.* 155 *c*
Humbertus Presb. Lembecanus Belg. 514 *d*
Hunericus Rex Wandal. 32 *f* 34 *a*
Huninga Gall. 9 sec. 155 *b*
Hunni populi 716 *c obsidem Parisios* 139 *b c* 144 *b c*
† *Hyacinthus et Protus MM.* 668 *f*
† *Hyacintus ord. Prædic.* 417 *c*

I

Jacelinus Ep. Saresburiensis 304 *b*
Jachelina soror Com. Apuliæ 258 *c*
Jachinus, sive Latinus, Fescennini satelles 463 *f* 464 *e*
† *Jacobi Patriarchæ reliquiæ Pragæ* 720 *f*
† *Jacobus Major Apostolus* 316 *b c* 318 *c sepulchrum*
in Gallæcia 402 *c Capitis Translatio* 158 159
reliquiæ Pragæ 734 *a Eccl. Barcinone* 408 *d*
409 *a*
Jacobus de Voragine Ep. Genuensis 4 *c*
Jacobus Ep. Oscensis 415 *c*
Jacobus Frojus mon. Lætiensis Ab. Hasnoniensis
430 *c* 431 *e*
Jacobus Ferrandus Provincialis Argoniæ ord. Prædic. 405 *d*
† *Jacobus Presb. M. Calari* 565 *c* D
Jacobus mon. in valle S. Lamberti Leodii 322 *c*
Jacobus Expugnator I, R. Aragonum 405 *a b* 408 *e*
409 *c d* 410 *c* 411 *b e f* 412 *a b c* 413 *c d* 419 *a b*
420 *d*
Jacobus fil. Jacobi I, R. Aragonum 413 *d*
Jacobus II, R. Aragonum 413 *e* 415 *e*
Jacobus Basseti Barcinon. 420 *b*
Jacobus Campos Hisp. 429 *b*
Jacobus Cavallerus Barcinon. 429 *f*
Jacobus de Columna 14 *sec.* 188 *a*
Jacobus de S. Joanne, scriptor Vitæ S. Raimundi
de Pennaforti 405 *b* 412 *d*
Jacobus Lantzlo Venetus 13. *sec.* 608 *d*
Jacobus Leichius Commissarius Falcoburgi 321 *e*
Jacobus de Roffex Barcinon. 422 *a*
Jacobus Torrent Barcinon. 424 a
Jannæ et Mambræ Magorum Pharaonis sepulchrum 86 *b*
Januaria matrona 5 *sec.* 497 *f*
† *Januarius Ep. Benevent. M.* 498 *f reliquiæ in*
monast. Luciaco 59 *a*
† *Januarii M. Armeni reliquiæ Pragæ* 720 *e*
Januarius persecutor 464 *e* 465 *b*
Janus Deus Gentilium 2 *f* 3 *a*
Jarislaus, vel Jaroslaus, socer S. Canuti, R. Rus- E
sorum 395 *c* 400 *e*
Jarius Fescennini satelles 463 *f* 464 *e* 467 *b*
Jathlechus filius R. Hibern. 49 *d*
Jaubertus Ep. Valentinus in Hisp. 415 *c*
Ibarus Ep. Scot. 594 *c*
Icelia matrona in Pælest. 5 *sec.* 686 *c*
† *Ignatii Ep. M. Caput Pragæ* 720 *c*
† *Ignatius Patriarcha Constantinop.* 290 *d* 599 *b*
† *Ignatius Loiola Fundator Societatis Jesu* 441 *f* 443 *c*
† *Illidius Ep. Claromontan.* 350 *d Eccl. Claromonte*
57 *d*
Imiza Tungrensis 316 *a*
Ingelrannus, vel Ingerannus, scriptor Vitæ S. Richarii 722 *e*
Ingiburga uxor S. Canuti Lawardi 394 *f* 399 *e* 400 *d*
Ingo R. Sueciæ 394 *f* 397 *d*
Inicus Avalos Card. Portuensis 416 *a*
† *Innocentes Martyres, corpora Budæ* 609 *b reliq.*
Pragæ 725
† *Innocentius I, Papa* 89 *b* 475 *f* 476 *a d f* 478 *a*
479 *c e* 480 *a*
Innocentius II, Papa 137 *c* 152 *e* 303 *a*
Innocentius III, Papa. 632 *f* 636 *e* 633 *c*
Innocentius IV, Papa 290 *c* 411 *b* F
Innocentius VI, Papa 720 *b*
Innocentius Presb. Ital. 501 *f*
† *Joan. Baptista* 237 *a* 604 *c dextra Constantinopoli* 354 *f reliquiæ* 492 *b Neapoli* 737 *b in Picardia* 180 *Eccl. Constantinop.* 610 *a b in Ital.* 658 *d*
Brundusii 672 *e Ticini* 472 *d Parisiis* 148 *d*
Lingonis 169 *b Viennæ* 55 *e*
† *Joann. Baptistæ monast. Constantinop.* 615 *f*
† *Joannis Baptistæ ope Longobardi victores* 623 *a*
† *Joannes Evangelista* 4 *b* 189 *d f* 300 *c d* 468 *c* 469 *b*
470 *an sponsus in nuptiis Canæ* 470 *a e ejus dens*
Metis 468 *f* 469 *e Pragæ* 720 *d in Picardia* 180 *a*
in Limonico monast. Gall. 94 *e Eccl. Corbeiæ* 118 *a*
119 *d* 120 *a c monast. in Lusitania* 349 *a Ulyssippone* 549 *f Eboræ ibid. Limpurgi in Germ.* 166 *c*
Augustoduni 66 *a ad Ligerim* 357 *d*
Joannes XV, Papa 180 *c*
Joannes XX, Papa 62 *f* 67 *d* 119 *e*
Joannes XXII, Papa 411 *a* 415 *e* 608 *a*
Joannes de Abbatis-villa Ep. Vesontinus, dein Card.
Ep. Sabinensis 409 *f* 410 *a b*
Joannes Bapt. Detus Card. 418 *f*
Joan. Presb. Card. Alexandri II, 301 *d*
Joannes a Toleto Card. Burgensis ord. Prædicat. 415 *c*

† *Joannes*

A † *Joannes Chrysostomus* 473 *c f* 474 *d e* 475 476 477 *f* 478 479 480 481 482 *e* 551 *e f*
Joannes Patriarch. Constantinop. hæret. 532 *a d* 619 *a*
Joannes Ep. Antiochenus 263 *a* 283 *f*
Joannes II, Ep. Hierosol. 479 *e*
Joannes III, Ep. Hierosol. 684 *e*
Joannes Patr. Aquileien. 713 *f* 714 *a*
Joannes Patr. Gradensis 717 *e*
Joannes Episc. Arelat. 595 *f* 596 *d*
Joannes Ep. Bergomensis 7 *sec.* 622 *a e* 623 *b e*
† *Joannes Marcus Ep. Bibli* 665 *c*
Joannes de Gaure Ep. Cameracen. 6 *b* 7 *a*
† *Joannes Ep. Eborac.* 712 *a*
Joannes Ep. Patavinus 160 *e*
Joannes Ep. Portuensis 74 *f* 624 *d* 625 *e*
Joannes Ep. Rhegiensis 624 *e*
Joannes Ep. Salsburg. 546 *b*
Joannes Teres Ep. Tarracon. 428 *f*
Joannes Ep. Tranensis in Ital. 669 *b c* 673 *f*
Joannes Magnus Ep. Upsal. scriptor 392 *a*
Joannes Ab. Cantuarien. 335 *e*
Joannes Lentaillieur Ab. Aquicinctin. 453 *f*
Joannes Ab. Fiscani Gal. 594 *d*
B *Joannes de Castaniza Ab. Hisp.* 442 *b*
Joannes Ab. Limpurgensis et S. Maximini 166 *e*
Joannes Byzantinus Ab. Palæst. 685 *a*
† *Joannis Ab. Reomaensis* 28 *Jan. altare Divione* 566 *b*
Joannes Ab. monast. S. Severini 498 *a* 734 *e* 736
Joannes Sanctensis Ab. S. Trudonis 310 *c* 311 *a*
Joannes Præpos. Hinsbergen. 319 *d*
Joannes de Portali Archidiac. Tornac. 173 *d*
Joannes Archidiac. de Kikulew Hungar. 607 *c*
Joannes Diac. S. Agathonis Papæ 624 *d*
† *Joannes Diac. socius S. Juliani M. in Ægypto* 572 *a*
† *Joannis, Cassiani, et Antonini Eccl. Ticini* 471 *e*
Joannes Mochus scriptor 681 *f*
Joannes Driedo Doctor Theolog. 435 *b*
Joannes Thaulerus scriptor 442 *a*
Joannes Rusbrochius 442 *a*
† *Joan. Presb. Romæ sub Diocletiano* 166 *d*
Joannes Severanus Presb. Ital. 17 *sec.* 18 *c*
Joannes Presb. Erem. Rossomanni in Sicilia 322 *b*
Joannes Capellanus B. Oringæ 653 *c* 654 *a* 659 *d* 660 *f*
Joannes socius B. Alberti Ep. 553 *f*
Joannes Birellus General. Carthusian. 332 *e*
Joannes de Pizzinardis ord. S. Georgii in Alga 549 *c*
Joannes mon. Ital. 10 *sec.* 738 *a*
C *Joannes Meurissius mon. Lætiis* 434 *f* 435 *a f* 436 *a*
Joannes Prior Montis-Cornelii in Belgio 2 *a*
Joannes Hesselius a Lovanio Doct. Theol. 263 *e*
Joannes Hortulanus ord. Minor. 664 *b*
Joannes Erem. Siculus 458 *c*
Joannes III, R. Lusitaniæ 650 *a*
Joannes fil. Jacobi I, R. Aragonum 413 *e*
Joannes Dux Venetus 717 *e*
Joannes Dux Neapolit. 497 *f*
Joannes Barbançonius D. Donstiene Belg. 432 *e*
Joannes de Lanoy Molembasius, Eques aurei velleris 435 *c*
Joannes Bapt. Anguillara Ital. 16 *sec.* 4 *f* 5 *c*
Joan. Bapt. Soria Romanus 18 *e*
Joannes Barcadis Barcinon. 425 *a*
Joannes Bassius Barcinon. 429 *a*
Joannes Prochyta 415 *d*
Joannes Physicus Barcinon. 414 *a*
† *Joannicius Ab.* 598 *c* 599 *b d*
Jobus Diac. 10 *sec.* 354 *f*
† *Jordanus Generalis ord. Prædicat.* 406 *b*
Jordanus de Nutte Belga 12 *sec.* 317 *b*
† *Josephi Patriarch. reliquiæ Constantinop.* 478 *d*
† *Joseph ab Arimathia* 10 *c e*
Josephus Antiochenus Scriptor 2 *sec.* 237 *c f* 238 *a* D
† *Jovita et Faustinus MM.* 429 *c f*
† *Irenæus Ep. Lugdunen.* 469 *c altare Divione* 566 *f*
Irene uxor Leonis IV 290 *b*
† *Irenes Eccl. Constantinop.* 610 *a* 614 *a* 615 *b* 616 *d e*
† *Isaaci Patriarch. reliq. Pragæ* 720 *f*
Isaacius mon. Egyptius 326 *c* 327 *a*
Isabella Clara Eugenia Princ. Belg. 413 *e*
Isabella de Sousa Lusitana 649 *a*
Isdegerdes R. Persarum 479 *b*
† *Isidora et Neophyta sorores MM. in Sicilia* 601 *b c* 744 *c*
† *Isidorus Ep. Afer quis?* 730 *b*
† *Isidorus Ep. Cæsaraugustanus an fuerit?* 185 *c d*
Isidorus Ep. Cordubensis, Senior dictus 721 *e*
† *Isidorus Ep. M. Nicomediæ* 345 *b* 730 *b*
† *Isidorus Pelusiota* 327 *f* 473 *f*
† *Isidori M. Eccl. Constantinop.* 610 *a* 614 *f* 615 *e*
Isidorus frater S. Eulogii 727 *e*
Isidorus mon. in Palæstina 69 *b*
Isychius Presb. Palæst. 682 *f*
† *Ithamarus Ep. Roffensis* 600 *e*
† *Judas Proph.* 1 *sec.* 236 *e*
Judella soror S. Mochuæ Ballensis 47 *c*
Juditha avia S. Henrici Imp. 539 *a e*
Juditha fil. Balduini Insulen. Com. Flandriæ 299 *f* E
† *Judocus* 332 *c translatio* 566 *d*
Juliana mater S. Gregorij Acritensis 289 *c*
† *Julianæ M. reliquiæ Neap.* 497 *f* *Romæ* 166 *b*
Julianus Ep. Bostrensis 681 *f* 698 *c*
Julianus Ep. Larissæ 262 *f*
† *Julianus Comes M. in Sardinia* 78 *f*
† *Julianus Sabas Erem. in Syria* 679 *a b*
† *Julianus M. Calari* 355 *c d e f*
† *Julianus et* 5 *millia MM. in Ægypto* 572 *a*
† *Julianus, Agathalica, Graphus, et DCCC Martyres Antiochiæ* 572 *b*
† *Juliani Cilicis M. Eccl. Antiochiæ* 571 *e*
† *Juliani Eccl. Venetii* 609 *b* 744 *e*
† *Juliani Ep. Eccl. reliq. Cenoman.* 388 *d e f* 389 *a*
† *Juliani M. Brivate Gall.* 66 *b* 71 *e Lemovic.* 617 *e f*
† *Juliani Eccl. Barcinone* 413 *e monast. Arimini* 549 *f*
Julianus Apostata Imp. 29 *a* 83 *c f* 165 *c* 166 *d* 323 *e*
Julianus R. Samaritanorum 682 *b c* 683 *b*
Julianus Præses Domitiani Imp. 460 *a b* 464 *d* 467 *b*
Julianus miles Ardaburii 268 *a* 273 *d*
Juliateus, sive Viliateus Afer. 6 *sec.* 41 *f* F
Julicus Ep. in Gallia 138 *f* 143 *f*
† *Julius I, Papa* 501 *e* 502 *d*
Julius III, Papa 125 *d* 649 *c e*
Julius Antonius Ep. Prænestinus Card. 418 *c*
† *Julius M. in Anglia* 82 *e*
Julius Vindex 1 *sec.* 461 *b*
Ivo Belesmius Com. Alençonius 333 *f*
Ivo Provincialis Terræ sanctæ ord. Prædicat. 406 *c*
† *Ivonis Advocati festum* 8 *d*
† *Jurminus in Angl.* 627
† *Justinæ V. M. Eccl. Patavii* 160 *d e* 726 *d*
Justiniana familia Venetiis 552 *d*
Justinianus Imp. 499 *f* 500 *a* 615 *d* 685 *b c* 699 *c*
Justinianus II, Rhinotmetus Imper. 531 *a c d e* 532 *a*
Justinianus atavus B. Laurentii Justiniani 553 *d*
Justinus junior Imp. 618 *e*
† *Justinus Philosophus* 236 *b c*
Justinus præfectus carceris sub Alexand. 15 *e f*
† *Juvenalis Ep. Hierosol.* 282 *f* 284 *a* 686 *a f*

K

Kellachus R. Connachtiæ Hibern. 48 *d*

A † *Kenanus, sive Kienanus Ep. Hibern.* 46 *e f* 47 *a* 183 *e*
Kenfela R. Connachtiæ Hibern. 48 *e* 49 *d*
Kenredus R. Mercior. 707 *c e* 709 *a c d* 710 *a* 711 *d e* 712 *a b* 713 *a d*
† *Kentigerna mater S. Filani* 354 *c* 594 *c*
Kenulphus Ab. Angl. 533 *a*
Kericus Comes Orientis 698 699 *e* 681 *b* 682 *c*
Kinegislus R. Saxonum Occidentalium 374 *f*
Kunigundis neptis S. Udalrici 538 *a* 540 *e* 544 *b*
† *Kineswitha V. Angl.* 710 *a*

L

Laban Ep. Elosanus in Gall. 90 *f*
† *Ladislai monast. in Hungar.* 607 *e f*
† *Lambertus Ep. Traject. M.* 315 *f* 350 *f* 351 a *monast. Lætiis* 434 *c*
Lambertus Ep. Lingonensis 63 *c*
Lambertus Baldricus Com. Lovaniens. 513 *c f* 514 *a* 530 *b e*
Lambertus II, Com. Lovanien. 523 *f* 524 *a*
Lanatus Consul 721 *c*
† *Landericus Ep. Meldensis* 315 *d*
B *Landrannus, sive Lantrannus Ep. Turon.* 388 *c*
Landulfus Ep. Taurinen. Capellanus S. Henrici Imp. 72 *a*
† *Lanfrancus Ep. Cantuar.* 301 *d*
Lantarius Com. in Gallia 380 *b*
† *Lantbertus Ab. Fontanellen. Ep. Lugdunen.* 505 *e*
Lantbertus Gandensis 12 sec. 173 *c*
Laodicius Neapolitanus 5 sec. 497 *b*
Latinus, sive Jachinus, Fescennini satelles 463 *f* 464 *e* 465 *b* 467 *b*
† *Laudus, sive Lauto, Ep. Constantien.* 331 *d*
† *Launus Ep. Gal. 6 sec.* 330 *e* 332 *e*
Laurentia Itala 14 sec. 661 *c*
† *Laurentius M.* 501 *e Eccl. Romæ 4 d e reliquiæ in Picardia* 180 *a Constantinop.* 478 *e Pragæ* 720 *e monast. in Hungar.* 607 *e f* 609 *d*
† *Laurentius Ep. Apost. Angl.* 335 *d*
† *Laurentius Menendius, vel Mendezius, ord. Præd.* 646 *d*
Laurentius Blanchettus Card. 418 *e*
Laurentius Priolus Patriarch. Venetus Card. 551 *b*
Laurentius Ep. Amalphitanus 77 a sive de Malfia, in MS. Malsia 70 *e*
Laurentius Metzius Ep. Silvæducensis 431 *f*
C *Laurentius Strigoniensis I, Generalis ord. S. Pauli Erem.* 608 *a*
Laurio monach. Ital. 6 sec. 701 *e*
† *Lazari fratris Magdalenæ reliq. Pragæ* 721 *a*
Lazarus Ab. Palæst. 684 *b*
Lazi, sive Lagi populi Orientis 270 *d e*
Lendulfus Gal. 326 *d*
† *Leo I, Papa* 372 *b* 477 *a* 731 *c*
† *Leo III, Papa 4 d e* 99 *c* 113 *c* 186 *b* 200 *b d* 308 *f* 309 *a* 385 *a* 542 *b c d* 715 717 *b*
Leo IV, Papa 298 *a* 301 *d*
† *Leo IX, Papa* 296 *a* 533 *c* 536 *d* 540 *b* 542 *e* 543 *d*
Leo X, Papa 563 *f* 564 *a*
Leo Ep. Vercell. 62 *c d*
† *Leo Ab. Cavæ* 627 *c*
Leo Ab. Trecis 510 *a*
Leo Presb. soc. S. Leucii 672 *a*
Leo Magnus Imp. 258 *a* 261 *c* 262 *d e* 283 *f* 284 *a* 285 *a* 483 *a* 614 *a* 615 *b*
Leo Isauricus Imp. 290 *d*
Leo IV, Imp. F. Copronymi 289 *f* 290 *b*
Leo Armenus Imp. 12 sec. 290 *d e* 343 *c* 598 *c* 599 *b*
Leo Sapiens Imp. 10 sec. 497 *f*
Leo Coquus Gal. 6 sec. 168 *a*
† *Leonis oppidum Ital.* 497 *c*
† *Leocritiæ V. M. translatio* 566 *a* 600 *e*
† *Leodegarius Ep. Augustoduni M.* 534 *d exul Fiscani* 593 *b reliq. Pragæ* 720 *f* D
Leofricus Comes Hereforden. 11 sec. 291 *f* 298 *c d*
Leofricus Com. Mercior. 711 *d*
† *Leonardi Ab. Lemovic. reliq. Pragæ* 720 *f*
† *Leonardus Ab. Cavæ* 627 *c*
Leonardus abavus B. Laurentii Justiniani 553 *d*
Leonardus frater B. Laurentii Justiniani 552 *c e* 556 *e* 558 *e f* 559
† *Leonianus, sive Leunianus Ab. Vien.* 50 *e*
† *Leonilla M. 17 Jan. et* 566 *b*
Leonora Rodericia ord. S. Claræ 729 *a*
Leonora Zapata in Sardinia 242 *d*
† *Leontius Ep. Cæsareæ Cappad. 13 Jan. et* 14 *b*
† *Leontii reliquiæ Romæ* 667 *c*
Leontius Imp. 531 *a b*
Leontius Philosophus pater Eudociæ Aug. 481 *c*
Leontius Diac. Monothelita 625 *d*
Leopoldus Ep. Bambergen. 533 *e*
Leucianus Regulus Carpetanorum 734 *b*
Leuconius, sive Leoconius Ep. Trecensis 506 *f*
Leudegisilus Ep. Remensis 506 *f*
Leudemarus Franc. 8 sec. 176 *d*
Leudesius, sive Leuthericus, avus S. Otiliæ 534 *d*
Leutwinus de Chepen 345 *b*
† *Liborii Ep. Cenoman. reliquiæ Paderbornæ* 387 *e* E
Licentius, seu Zelicinthius Tribunus in Hellesponto 134 *b*
Licerius, sive Lucerius, aut Lycerius, pro Clero, Diac. M. 365 *d*
Licinius Imp. 82 *f* 83 *a f* 130 *c* 133 *c f* 134 *a b c d* 135 *b e* 258 *c*
Lielta V. familiaris Gertrudis ab Oosten 349 *e* 351 *a*
Limenius Tribunus Alexand. Imp. 14 *b c d*
Lina nutrix S. Lamberti 351 *a*
† *Linus Papa M.* 238 *d* 462
† *Liphardus Ep. Britan.* 373 *b*
Lippus Adimarus Ital. 14 sec. 661 *f*
Lithbena ferox femina in Hibern. 49 *a b*
† *Litifredus Ep. Ticin.* 680 *b*
Lohemellus soc. S. Convoionis 663 *f*
Lonanus pater S. Mochuæ, sive Cuani 45 *c*
† *Longini M. caput et brachium Pragæ* 721 *c*
Longinus anachor. Syrus 681 *a* 686 *b c f*
Lotharius Imp. 99 *c* 186 *b* 392 *b* 393 *b* 394 *a* 396 *f*
Lotharius II, Imp. 309 *c*
Lotharius III, Imp. 723 *d*
Lotharius Rex Franc. 135 *c* 523 *d* 530 *b*
Lothsaldus Scriptor Vitæ S. Odilonis 65 *c e*
† *Luanus, sive Molva fundator 100 monasteriorum* 46 *b d* F
† *Lucas Evang. 164 d reliq. Constantinop.* 475 *b Pragæ* 720 *f*
Lucas Philippi ord. S. Georgii in Alga 549 *c*
Lucas Torrius Belga 17 sec. 729 *b*
Luchada soror S. Mochuæ Ballensis 47 *c*
† *Luciæ V. M. reliquiæ Pragæ* 720 *f*
Lucillus Presb. socius S. Severini 458 *c* 491 *d* 495 *e* 496 *e* 497 *a*
Lucillus Presb. S. Valentini Passaviensis 368 *f*
Lucius III, Papa 627 *f*
Lucius Saccus Card. 418 *d*
† *Lucius R. Britan.* 10 *b c d e f* 719 *d*
Lucretia Ursina Ital. 16 sec. 4 *f* 5 *a e f*
† *Ludgerus Ep. Monaster.* 534 *f*
Ludgerus Dux Saxonum 182 *a*
Ludolphus Presb. Danus 12 sec. 394 *c*
Ludovicus Raguier Ep. Trecensis 506 *a*
Ludovicus Barbo Prior S. Georgii in Alga 549 *e*
Ludovicus Portier Carthus. 664 *b*
Ludovicus Florentinus mon. 549 *b*
Ludovicus Catalagironensis ord. Minor. 719 *b*
Ludovicus Pius Imp. 101 *b* 102 103 104 105 107 *b* 114 *b* 115 *b c* 177 *a* 387 *f* 388 *a d e* 505 *b* 727 *a*

A *Ludovicus R. Germ. fil. Ludovici Pii* 111 *e* 528 *f* 529 *a idem R. Bajoariæ* 727 *e*
Ludovicus II, Imp. 727 *e*
Ludovicus Transmarinus R. Franc. 513 *e*
Ludovicus V, R. Franc. 523 *f*
Ludovicus VII, R. Franc. 137 *c*
Ludovicus VIII, sive Crassus, R. Franc. 137 *e* 151 *c* 152 *f*
† *Ludovicus IX, R. Franc.* 152 *f*
Ludovicus R. Hungar. 607 *e* 608 *e*
Ludovicus de Claremunt Barcinon. 414 *f*
Lugus abavus S. Mochuæ Ballensis 47 *c*
Lukencaria Hiberna 49 *a*
† *Luminosa* 680 *b an S. Epiphanii soror?* 680 *d*
† *Lupicinus Ab. Jurensis* 50 *b e* 51 *b c* 54 *e* 719 *f*
† *Lullus Ep. Moguntinus* 384 *f*
Lupellus discip. S. Frodoberti 506 *b*
† *Lupus Episc. Trecensis* 138 *b* 143 *c*

M

Macarius Patr. Antioch. Monothelita 624 *f* 625
† *Macarius Ab. in Ægypto 4 sec.* 260 *b c d e* 261 *a d e*
† *Macarius disc. S. Antonii* 602 *f* 603 *a* 604 *d*
† *Macarius Romanus Erem.* 604 *f*
B *Macarius Edessæ 3 sec.* 339 *c*
Macedonius Ep. Constantinop. hæresiarcha 474 *f*
Machadanus proavus maternus S. Mochuæ Ballensis 47 *c*
† *Macrina V. soror S. Basilii* 538 *c* 589 *b* 744 *d*
† *Madelberta Ab. Malbodiensis* 515 *d*
Magdalena Strocia Ital. 16 sec. 4 *f* 5 *a b c d f*
Magnardus Franc. 149 *e*
Magneldis mater S. Maximi Ab. 91 *c* 93 *a*
Magnentius socius S. Maximi Ab. 92 *c d f* 93 *a d e f* 94 *d*
Magnus R. Daniæ et Norwegiæ 295 *e*
Magnus interfector S. Canuti Lavardi 391 *a f* 392 *b c d* 393 *b f* 394 *a b c f* 396 *b* 397 *b f* 398 *c e* 399 *b c d e f* 400 *a c*
Magnus Norvagus R. Dan. fil. S. Olavi 390 *f* 393 *d*
† *Maidulfus Ab. Scotus* 304 *e*
† *Majolus Ab. Cluniacen.* 57 *b c f* 59 *f* 60 *a c d* 62 *a b* 66 *c e* 70 *f* 71 *e* 72 *f* 74 *f* 593 *e f* 720 *f calix* 75 *e* 76 *b monast. apud Papiam* 70 *c*
† *Mairus M.* 664
† *Malachias Ep.* 551 *f*
Mambræ et Jannæ Magorum Pharaonis sepulchrum 86 *b*
Mamertinus ex Tribuno Ep. 486 *f*
C *Mamon Ep. Neapoli Palæst.* 683 *b*
Manasses Ep. Aurelian. 154 *a*
Manfredus invasor Siciliæ 419 *e*
Manichetes Imp. Constantinop. Monamachus 300 *d*
† *Mansuetus Ep. Tullensis* 463 *b*
Manuel Comnenus Imp. 552 *c* 553 *c*
Maphæus Contanerus Patriarch. Venetus 550 *d* 554 *d e*
† *Marcellinus Papa* 21 *a*
† *Marcellinus Apost. Hisp.* 462 *f*
† *Marcellini et Petri MM. monast. Salighenstadii* 65 *a*
† *Marcellus I, Papa* 16 *Janu. et* 501 *e* 502 *d*
† *Marcellus Ep. Parisien.* 137 *c* 725 *c*
† *Marcellus M. monast. Viennæ* 55 *e* 56 *a e* 73 *c* 720 *f*
Marcellus discip. B. Laurentii Justiniani 562 *e*
Marcianus Patr. Aquileinsis 714 *a*
Marcianus Ep. Novatianus 610 *d*
Marcianus Ab. Palæst. 684 *b* 696 *f* 697 *a b*
Marcianus Presb. in Norico 458 *b* 495 *a* 497 *a*
Marcianus Imp. 610 *a* 611 *b* 615 *d* 685 *e*
Marcianus Præses Diocletiani, maritus S. Marcionillæ, pater S. Celsi 579 580 581 582 583 584 586 587.
Marcion hæret. 2 sec. 239 *e f* D
† *Marcus Evang.* 163 *c d* 663 *c Pragæ* 720 *c Essendiæ* 331 *d Venetiis* 402 *b* 671 *c in Hispania* 734 *b reliquiar. translatio* 745 *b*
† *Marcus Papa* 501 *e* 605 *d*
Marcus Ep. Aurelianen. 331 *d*
Marcus Subdiac. S. Severini Presb. 490 *b*
Marcus, seu Marcius, aut Martinus Ep. Nannetensis 331 *d*
Marcus Foscarus Orator Venetorum 563 *e* 564 *a*
Marcus frater B. Laurentii 552 *e* 553 *d* 558 *e f*
Marcus Aurel. Imp. 9 *b* 10 *e* 566 *b*
Marcus Condulmerius ord. S. Georgii in Alga 549 *c*
† *Margarita R. Scotiæ* 294 *a* 301 *e*
Margarita uxor Philippi II, R. Hisp. 74 *e f*
Margarita uxor Magni R. Daniæ 391 *f* 394 *f* 397 *f* 398 *c*
Margarita uxor Ludovici Bavari Com. Holland. 332 *a c*
Margarita Blosia Canonica Andanensis 432 *e*
Margarita Hennin in Belg. 432 *e*
Margarita puella Barcinon. 414 *a*
Margarita vidua Romæ 14 *sec.* 632 *b c f* 636 *a*
† Mariæ *Virg. Natæ festum* 148 *c Assumptæ* 668 *a* 669 *f Candelariæ, sive Purificationis festum* 190 *b cingulum Pragæ* 720 *e pepli duplicis pars Pragæ* E 720 *e Eccles. Andegavis* 330 *e Anicii* 68 *c Antverpiæ* 6 *b* 7 *a d Aquisgranis* 4 *a Constantinopoli in Blachernis* 624 *e ibidem in Sigmate* 610 *a b c ibidem in Perilepsi* 608 *d Brundusii* 672 *e Cantuariæ* 597 *c Cenomanis* 388 *e Lauduni* 505 *a Parisiis* 180 *e Remis* 174 *c* 176 *e* 178 *b* 179 *d Rincstadiæ* 401 *a Ticini* 680 *b Ecclesia S. Mariæ de Campania Placentiæ Ital.* 80 *b Atrebati* 124 *d Fructuariense in Ital.* 61 *f ab Horto Venetiis* 549 *f* 564 *c in monte Aventino* 73 *e Luciaci in Ital.* 59 *a*
Mariæ Novellæ monast. in Ital. 652 *e* 656 *c Ticini* 745 *d*
† *Mariæ in Vantio monast. Patavii* 549 *f*
† *Maria Magdalena* 4 *c* 152 *c reliq. Pragæ* 720 *e*
Maria R. Hungar. soror Caroli V, 432 *a*
Maria uxor Baronis de Carcel Hisp. 428 *b*
Maria uxor Petri Desplanes 428 *b*
Maria Gritti Veneta 564 *e*
Maria de Guineda Hisp. 425 *a*
Maria Raggia 354 *e*
Maria de Solerio 421 *f* 422 *a*
Maria uxor Bernardi de Tosthec Barcinon. 422 *a*
Maria Tzevel Ab. S. Gerlaci in Belgio 306 *a*
Mariana mater S. Fulgentii Ruspensis 33 *a* F
Marianus Presb. Ital. 12 sec. 403 *e*
† *Marina dicta Marinus* 258 *c*
† *Marinus Ab. Cavæ* 627 *c*
Marinus avunculus B. Laurentii Justiniani 549 *b c* 553 *b*
Marinus Justinianus 553 *d*
Marinus Neapol. 5 sec. 497 *b*
Marius Eremita Ægyptius 88 *e*
† *Maro et Eutyches MM.* 499 *b*
† *Marolus Ep. Mediolan.* 89 *c*
Maroveus puerulus 6 sec. 142 *e* 147 *c*
Marsilius Honoratus Scriptor Inventionis corporis S. Martinæ 11 *b* 18
† *Marsus Ep. Gal. 6 sec.* 330 *e f* 332 *e*
† *Martialis Apost. Lemovicum* 92 *d* 460 *d sepulchrum Lemovicis* 617 *c*
† *Martialis Virgo* 565 *c*
† *Martha V. reliquiæ Calcatæ in Ital.* 5 *b Pragæ* 720 *e*
† *Martinianus Afer* 460 *c*
† *Martinus Ep. Turon.* 139 *c* 142 *c d* 144 *d* 458 *d* 559 *f* 561 *d apparet S. Eugendo* 52 *c* 53 *a b reliq. in Vasconia* 728 *c in Picardia* 180 *a Pragæ* 720 *f*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

A 720 *f* *oleum a flammis illæsum* 53 *c d in Picardia* 180 *b d monast. Viennæ* 55 *e*
† *Martinus I, Papa* 622 *b*
Martinus II, (dictus IV.) Papa 415 *d e*
Martinus V, Papa 555 *e*
Martinus Ep. Oscensis 415 *e*
Martinus Cuperus Suffrag. Camerac. 447 *e* 454 *f*
Martinus Ab. S. Vedasti 158 *e f* 159 *b*
Martinus Præposit. Eccl. Gandensis 173 *a*
Martinus Custos Eccl. S. Genovefæ 149 *d* 150 *d*
Martinus ord. Prædicat. 13 *sec.* 413 *a*
Martinus Dux Laudunensis 302 *f*
† *Martyres XL Cæsaraugustani* 565 *c*
† *Martyres XL Sebastini* 458 *e* 474 *e* 589 *f*
Martyrius Ep. Antiochenus 285 *a*
Maruthas Ep. in Mesopotamia 479 *e*
† *Massus Ep. Paris.* 78 *c*
† *Materni Ep. Mediolan. Eccl. Decii in Ital.* 622 *b f*
Maternus janitor S. Severini Presb. 490 *b*
Mathana mater S. Simeonis Stylitæ 269 *a*
Mathilda uxor Henrici IV Imp. 301 *c* 304 *e*
Mathilda uxor Henrici I, R. Angl. 301 *c*
Mathildis Comitissa Nivern. 639 *f*
Mathissus Ep. Scot. 78 *f*
† *Matrona Pergensis* 615 *f*
B † *Matthæus Apost. reliq. Pragæ* 720 *f in Picardia* 180
Matthæus Ep. Agrigentinus 354 *c*
Matthæus Bertochius Presb. Rom. 17 *sec.* 18 *e*
Matthæus Claudus Belg. 315 *e*
Matthæus de Strada Papiensis 549 *c*
† *Mauricius M.* 438 *d reliquiæ in Picardia* 180 *a Pragæ* 720 *f* 732 *a Viennæ* 92 *e Remis* 178 *b*
Mauricius Ep. Londinensis 301 *d*
Mauricius Ab. Scotus 595 *a d*
Mauricius Imp. 186 *d* 618 *b f* 619 620 621
Maurus Patricius Orientis 8 *sec.* 532 *a*
Maurus Ædituus S. Severini Presb. 489 *e*
Maurinus Gallus 7 *sec.* 154 *f*
† *Maurontus Ab.* 322 *f*
Maxentius avus S. Maximi Ab. 91 *b*
† *Maxima Virgo Afra* 460 *c*
Maximianus Ep. Constantinop. 478 *a*
Maximianus Ep. Ital. 701 *c*
Maximianus Ep. Macedoniæ 478 *a c* 479 *e*
† *Maximianus et Valentinus Conf. in Gallæcia* 368 *c*
Maximusin Imp. 21 *a* 80 *b c* 81 *b* 164 *e* 165 *e* 241 *c f* 325 *a* 357 *b e* 358 *c d e* 359 *a f* 360 *a* 361 *a f*
Maximianus Galerius 358 *d*
Maximilianus a Bergis Ep. Camerac. 439 *e* 453 *e*
† *Maximilianus Ep. Laureacensis M.* 368 *b c* 730 *e*
C *Maximilianus Sandæus Soc. Jesu* 234 *d e*
Maximinus Imp. 3 *sec.* 17 *f* 20 *a* 154 *c* 357 *c f* 358 *d f* 359 *a b*
Maximinus Noricus 3 *sec.* 492 *c* 493 *c*
† *Maximus Ep. Taurinensis* 372 *b c*
Maximus Pres. Salisburgi 458 *a* 492 *c*
Maximus, sive Maximinus, Præf. Urb. 3 *sec.* 127 *a*
Maymona mulier Mahometana in Hisp. 428 *d*
Mebodes Dux Cosrois Junioris 621 *b*
† *Mechtildis Virginis scripta* 442 *a*
† *Medardi Ep. reliq. Pragæ* 720 *d Eccl. Liciaci* 151 *a*
Medias Gal. 6 *sec.* 330 *d*
Medulus bubulcus Ital. 12 *sec.* 403 *e*
Megetho mater S. Eustratii 598 *b*
Megtildis Rodensis 12 *sec.* 317 *a*
Meinardus Canonicus Gandensis 173 *c e f*
Melania senior 354 *b*
† *Melania junior* 90 *a* 355 *d*
Melanius Ep. Albensis 328 *a*
Melanius, seu Melantius Ep. Rotomagen. 328 *a*
Melanius an Ep. Veromandensis? 328 *a*
† *Melchiades Papa* 358 *a* 600 *f* 664 *e*
† *Meletius Ep. Antiochenus* 262 *c f* 263 *b* 276 *d*
Meletius Ep. Larissæ 262 *f*
Melianus pater S. Melori M. 136 *b* D
† *Mellitus Ep. Londin.* 296 *e* 297 *a* 373 *b* 374 *b* 548 *a d*
† *Mellonus Ep. Rotomagensis* 463 *b*
† *Memmiæ V. M. reliquiæ Romæ* 166 *b*
Mennas Patr. CP. 623 *a*
† *Mennæ M. Eccl. Alexandriæ* 259 *c d e*
Mennas consobrinus Theophili Alexand. 476 *d*
† *Mercurius et XIX socii MM.* 744 *c*
Metcur Ep. Rusucurritanus 568 *b*
† *Metras M.* 31 *Jan. ejus Eccles. Alexand.* 703 *a*
† *Michæas filius Gemla Proph. M.* 235 *f*
† *Michael Archangelus* 202 *b c* 651 *e f* 655 *e f Eccl. in Gargano* 402 *b in districtu Cosentino in Ital.* 737 *e Mediolani* 622 *b* 623 *b Ticini* 627 *b* 680 *in Sicilia* 124 *c Cusani in Hisp.* 289 *a in Gal.* 512 *b d e f Parisiis* 148 *f in Belgio* 139 *c e Bruxellis* 513 *f* 514 *a* 530 *e oratorium Remis* 176 *f monast. Tornodori* 58 *a Luciaci in Gal.* 59 *a d*
† *Michael Ep. Synadorum* 290 *a*
Michael I, Curopalates Imp. 598 *c* 599 *b pater S. Ignatii Patriarch. CP.* 290 *a*
Michael II, Balbus Imp. 290 *b*
Michael V, Calophates Imp. 610 *c*
Michael Condulmerius ord. S. Georgii in Alga 549 *c*
Michael de Fabra ord. Prædic. 411 *c* E
Michael Llot scriptor Vitæ S. Raimundi de Pennaforti 405 *c* 416 *b*
Michael Ermengaudi Hisp. 425 *b*
Michael Amat Barcinonensis 414 *d*
Michael de Sala Barcionensis 414 *c* 421 *b c* 425 *f*
Miletus, vel Meliton, Ep. Laodic. 470 *f*
Milo Ep. Remensis 174 *b c* 177 *e* 178 *a b*
Miltiades Scriptor 2 *sec.* 236 *e*
Mimonus de Laberione Ital. 8 *sec.* 714 *e*
† *Miniati op.* 654 *c* 662 *a*
Minos R. Cretæ 164 *b*
Moderatus Cantor 5 *sec.* 492 *c*
† *Modesti M. reliquiæ Pragæ* 720 *e*
Mofianus Alexandrinus 671 *b*
† *Molva, sive Luanus, Hib.* 46 *b* 183 *e*
Monaldus ord. Min. 14 *sec.* 655 *a*
† *Monica* 551 *f*
Monothelitæ hæretici 622 623 *c e*
Moses Ep. Antaradenus 478 *d*
† *Mucii M. Eccl. Constantinop.* 610 *b* 615 *b*
Mummolus Patricius Gal. 6 *sec.* 704 *e* 706 *d*
† *Munchinus, sive Monchinus Ab. Hibern.* 1 *c*
Mundus Ab. Scot. 594 *c e*
† *Munnus, sive Fintanus Hibern.* 46 *b c d* 719 *e*
Munsus de Sabathinis Bononiæ 165 *f* F
Muregidarum gens in Hibernia 49 *d*

N

† *Narcissi Ep. Hierosol. reliq. Pragæ* 720 *f*
† *Narcissi Ep. Mart. reliquiæ Pragæ* 720 *c*
Narses Dux Mauricii Imp. 620 *e* 621 *e*
† *Nathanael Christi discipulus* 463 *b*
† *Nathalanus Ep. Scotus* 457 *f*
Natius atavus S. Mochuæ Ballensis 47 *c*
Naucratius frater S. Basilii 589 *e*
Naucratius monachus in Bithynia 9 *sec.* 598 *b*
Nectarius Ep. Constantinop. 49 *f* 474 *f* 483 *a*
Neomenius R. Britan. Armor. 505 *b*
† *Neophyta et Isidora sorores MM.* 601 *b c* 744 *c*
† *Neophytus, sive Alexander, Ep. Leontinus* 601 *c e* 744 *c*
† *Neopistis V. M. reliq. Romæ* 166 *b*
Nero Imp. 9 *d* 164 *a d* 461 *b*
Nerva Imp. 470 *d*
Nestorius Ep. CP. hær. 89 *c e* 684 *e* 685 *e* 695
† *Nethelmus, sive Nethalenus Ep. Scotus* 457 *f*
† *Nicasius Ep. Rotomagensis M.* 463 *b reliquiæ in Picardia* 180
† *Nicephorus*

A † *Nicephorus Patriarcha Constantinop.* 290 *a*
Nicephorus Imp. 290 *b*
† *Nicetas Gothus M.* 367 *c*
Nicetas Ab. Alexand. 669 *e f*
† *Nicetii Ep. Vien. monast. Viennæ* 55 *e*
Niclotus Rex Obotritorum 393 *c* 394 *c* 396 *f*
† *Nicolaus Ep. Myrensis* 173 *b* 550 *d* 552 *c* 553 *d*
Eccl. Bellovaci 464 *d* 566 *f*
† *Nicolaus Justinianus mon.* 552 *c d* 553 *c*
† *Nicolaus I, Papa* 461 *a*
Nicolaus II, Papa 297 *b c*
Nicolaus III, Papa 414 *a b d*
Nicolaus V, Papa 550 *c* 560 *a*
Nicolaus Rossel ord. Prædicat. Card. 422 *d*
Nicolaus Ep. Camerac. 11 sec. 447 *c*
Nicolaus le Francq Ab. Lætiensis 456 *b*
Nicolaus de Hondepyl Presb. Delphis 352 *d*
Nicolaus Clenardus Professor Græc. Lovanii 435 *b*
Nicolaus Aimericus Scriptor Vitæ S. Raimundi de Pennaforti 405 *a* 422 *d*
Nicolaus Manerbius, Scriptor Vitæ B. Laurentii Justiniani 550 *e*
Nicolaus R. Daniæ patruus S. Canuti Lawardi 390 *f* 391 *d e f* 392 *c d* 393 *a e* 394 *b c f* 395 *a* 397 *b* 398 *b c* 399 *b*
B *Nicolaus Rodensis 12 sec.* 317 *a*
Nigellus Ep. Elyensis in Angl. 304 *a*
Nigrorum familia Papiæ 356 *a*
Nitardus frater S. Guilielmi Divion. 61 *f*
† *Nonnosus Ab. Ital.* 702 *d*
† *Norbertus fund. ord. Præmonstrat.* 309 *c*
Normanni Aquitaniam vastant 727 *a Parisios infestant* 149
Northertus Ep. Leodiensis, aut Vicarius 309 *b c d* 311 *a*
Northardus Dux Sueviæ 385 *e*
Notelmus Presb. Londini 596 *e*
Novatus hæret. 3 sec. 127 *b*
Novatiani hæretici 482 *c d Constantinop. 5 sec.* 610 *d*
Novella Hispana 14 sec. 420 *c d*
Numanus, qui et Isidorus Ep. 721 *c*

O

Obeliatus, vel Obelaltus, Ep. Venetus 550 *c*
Obotriti pop. Boreales Germ. 391 *b c*
Octavius de Aquaviva Card. 418 *d*
Octavius Paravisinus Card. 418 *d*
Oda uxor Balderici Com. 530 *e*
C *Oda Hinsbergensis 12 sec.* 312 *a*
Odalricus Comes Veromandensis 180 *a b*
† *Odilo Ab. Cluniac. 1 Janu. et* 62 *b*
Odinkar Apost. Danorum et Suecorum 181 *f*
Odinkar junior Ep. Ripensis in Dania 181 *f* 182
Odo Ep. Bellovac. Scriptor Vitæ S. Luciani 461 *a*
Odo de Soliaco Ep. Paris. 629 *e* 634 *b* 636 *e*
Odoacer R. Longobard. 483 *c* 488 *a* 494 *c* 496 *e* 680 *b*
Odoardus Farnesius Card. 416 *b* 417 *e*
Offa R. Angl. Orient. 707 *b* 709 *b c d* 710 *a* 711 *e* 712 *b d* 713 *d*
Ofiachra familia in Hibern. 48 *f*
† *Ofternus Neapoli* 737 *a*
† *Olavus R. Norwegiæ* 302 *e* 390 *f*
Olavus R. Daniæ, patruus S. Canuti Lawardi 390 *f* 394 *f*
Olda Prophetissa 186 *c*
† *Oliva patrona Panormi* 744 *f*
Olivarius Razzalius Auditor Rotæ 416 *b*
Oliverius de Sombref mon. Villarii Belg. 600 *c*
Ollarius ord. Prædic. 424 *f*
Ollegarius Ep. 413 *e*
Olympius Cæsariensis 684 *d*
Onesimus Presb. Constantinop. 474 *f*
† *Onesimus et Erasmus MM.* 744 *c* D
† *Onuphrius Erem.* 604 *f*
Opertus civis Ratisponensis 345 *c*
Optatus Ep. Rusuccuritanus in Afr. 568 *b*
Optatus Ab. Parisiis 148 *a*
Optimus Ep. in Ponto 744 *e*
Ordgarus Comes Domnoniensis in Anglia 728 *c*
Ordulphus Comes Devoniæ in Angl. 729 *a*
Orestes Dux militum Nepotis Imp. 485 *b c*
Origenes 358 *c*
Ortafana Barcinon. 13 sec. 423 *c*
† *Osmundi Ep. Sarisburiensis canonizatio* 77
Osredus R. Northumbriæ 596 *b* 712 *a*
Ossulevanus Princeps Bearriæ in Hibern. 47 *c*
† *Oswaldus R. Northumbriæ* 166 *b f* 294 *c* 375 *b*
Oswardus Ab. Eovesham 711 *f*
Oswardus fr. Ethelredi R. Merc. 711 *e* 712 *f* 713 *d*
Oswius R. Northumbriæ 373 *c* 374 *e* 375 *a* 593 *c*
Otgherus Canonicus Gandensis 173 *c e f*
Othbertus Ep. Senonensis 288
† *Otilia V.* 533 *b c* 534 *a d* 537 *a* 543 *a b* 744 *d*
relig. Pragæ 720 *f*
† *Othmari Ab. reliq. Pragæ* 720 *f*
Otilo Dux Bavariæ 546 *b*
† *Otto Ep. Bambergensis* 336 *b* 337 *e f* 338 *a c f* 347 *b* 397 *e* E
Otto Ep. Constantiensis 723 *a d*
Otto I, Imp. 523 *c* 581 *d*
Otto II, Imp. 523 *d* 530 *b* 539 *c* 544 *a*
Otto III, Imp. 542 *e*
Otto IV, Dux Saxoniæ Imp. 307 *b f*
Otto Com. Lovanien. 524 *a* 530 *e*
Otulphus Ep. Trecensis 511 *c e*

P

† *Pachomius Ab.* 54 *d* 87 *a b c d* 675 676 *regula* 441 *c d*
† *Paldo fr. S. Tatonis* 713 *b e*
† *Pambo Ab. Nitriæ in Ægypt.* 721 *e*
Pommachius Proconsul 5 sec. 90 *a*
† *Pamphilus Presb. M. Scriptor* 358 *c*
Pancratius Presb. Antiochenus 360 *a*
Pancratius Justinianus 553 *d*
† *Pantaleonis monast. Coloniæ* 385 *c*
Paphnutius discip. S. Macarii Alexandr. 88 *c*
Paphnutius Scetiotes Ab. 721 *e*
Paragyris Alexandrinus 671 *b*
† *Parmenas Diac. M.* 601 *d*
Pasarion Ab. Palæst. 684 *b*
Paschala Hispana 14 sec. 420 *c* F
Paschalis II, Papa 339 *d*
Pascharius Ep. Nannetensis 505 *d e*
† *Paschasius Ep. Viennensis 7 sec.* 92 *e* 93 *b* 94 *d*
† *Paschasius Radbertus Ab. Corbejen. Scriptor Vitæ S. Adalardi* 95 *b* 96 *a* 721 *a*
Paschasius Diac. 6 sec. 483 *d* 485 *d*
Passivus Tribunus in Gal. 6 sec. 141 *d* 146 *d*
† *Patricius Apost. Hibern.* 10 *f* 47 *d*
Patricius Comes de Salesbiria 304 *b*
† *Paulina V. M.* 571 *c*
Paulinus Ep. Antiochenus 480 *e*
† *Paulinus Ep. Nolanus scriptor* 365 *b*
Paulinus Ep. Tiburniæ in Norico 458 *c* 491 *f* 492 *c* 493 *e* 546 *b*
Paulinus, sive Paulus, Scriptor Constitutionum Ecclesiasticarum 480 *b*
† *Paulus Apost.* 163 164 501 *e apparet S. Eugendo* 52 *e ejus tonsura* 595 *f reliquiæ in monast. S. Claudii* 52 *f in Picardia* 180 *Pragæ* 720 *e Eccl. Londini* 296 *e monast. Ratisponæ* 344 *e*
† *Paulus I, Papa* 381 *e* 543 *c*
Paulus III, Papa 405 *a* 415 *e* 440 *d e*
Paulus IV, Papa 5 *f* 447 *c*

A
Paulus V, Papa 405 *a* 550 *f*
Paulus Æmilius Zacchias Card. 418 *e*
† *Paulus Patriarcha Constantinop.* 258 *a*
Paulus Patr. Constant. hæret. 625 *e* 626 *e*
Paulus Samosatenus Ep. Antioch. hæreticus 338 *a*
Paulus, sive Paulinus Patr. Aquileien. 550 *a* 713 *c f*
Paulus Patriarch. Aquilegiensis 550 *a*
Paulus Ep. Heracleæ 474 *f*
† *Paulus Ep. Narbonen.* 460 *d*
Paulus Ep. Nemosiensis 564 *a*
Paulus Ep. Vespriniensis 608 *a*
† *Paulus Ep. Virdunen.* 458 *e*
Paulus Ep. Zagabriensis 609 *a*
† *Paulus Simplex* 600 *e* 664 *d*
† *Paulus Justinianus* 533 *c*
Paulus ord. Minor. Perpiniani 745 *b*
Paulus Trioclensis, Sive Randatio ord. Minor. 719 *b*
Paulus Bernriedensis Scriptor Vitæ B. Gregorii VII, et B. Herlucæ 533 *e* 535 *a*
Paulus Scriptor Vitæ S. Erardi 533 *c*
Paulus Concordiensis 4 sec. 602 *c*
Paulus Strada Hisp. 427 *f*
Pauperes de Lugduno hæretici 412 *c*
Peada, Penda, sive Weda R. Merciorum 373 *b c e*
B † *Pelagia M. Antiochiæ* 361 *a*
† *Pelagia, quæ et Pelagius* 258 *c*
Pendan senior R. Merciorum 388 *c f*
† *Pelagii Eccl. in Lusit.* 643 *c* 644 *d*
Pelagius Papa 713 *f*
Pemmon Dux Forojulii 714 *b*
Perchtoldus Ratisponensis 345 *b*
Perinza mater S. Guillielmi Divion. 58 *d*
Perpetua et Syncletica piæ sorores 258 *c d*
Pertaritus R. Longobard. 622 *f*
Pertinax Senator Christianus 2 sec. 10 *b*
† *Petrus Apost.* 163 *c d f* 293 *e f* 460 *a b* 462 *b* 463 *b* 469 *b* 470 *c* 501 *e apparet S. Eugendo* 52 *b e baculus Pragæ* 720 *c catenæ pars Pragæ* 720 *e reliquiæ in monast. S. Claudii* 52 *f in Picardia* 180 *Eccl. Aeriæ* 158 *f Ambiani* 706 *b Constantinop.* 624 *e* 681 *b Corbeiæ* 111 *a* 118 *a* 119 *a* 120 *e Remis* 174 *c* 176 *f* 178 *a b d Rhedonis* 334 *a Solemniaci* 727 *b Venetiis* 550 *c monast. Brixiæ* 549 *f Cellense Trecis* 505 *c* 512 *b Londini* 290 *f* 296 *b c e* 297 547 548 *a d Remis* 177 *a Viennæ* 55 *e*
† *Petri-Vivi monast. Senonis* 389 *e*
† *Petrus et Paulus Apostoli Besuense in Gall.* 58 *a Cantuariæ* 334 *f* 335 *b* 596 *a Eveshami* 712 *c*
C † *Petrus Igneus Card.* 458 *d e*
Petrus Aldobrandinus Card. 418 *f*
Petrus Cardinalis Alexandri IV, Papæ Legatus in Galliis 159 *e* 160 *a d*
Petrus Presb. Card. Alexandri II, 301 *d*
† *Petrus Ep. Alexandrinus M.* 358 *e f* 360 *a*
Petrus Patr. Constantinop. 625 *e* 626 *e*
Petrus Patr. Hierosol. 682 *b* 701 *a*
† *Petrus Ep. Damascenus* 162 *f*
† *Petrus Damianus Scriptor Vitæ S. Odilonis Ab.* 65 *c* 71 *d*
† *Petrus Ep. Bracharensis M.* 641 *d*
Petrus Ep. Cæsaraugustanus 415 *c*
Petrus Ep. Mediolanensis 716 *f* 717 *a*
Petrus Episc. Roskildensis 458 *d*
† *Petrus Sebastenus, diversus a S. Basilii fratre* 589 *f*
Petrus Albalatius Ep. Tarracon. 411 *c* 412 *b c*
Petrus Ep. Tirasonen. 415 *e*
Petrus Ep. Urgellen. 415 *c*
† *Petrus Nolascus 29 Jan. et* 409 *b d e*
Petrus Ab. Aroasiæ 158 *d*
Petrus Ab. Caroli-loci scriptor vitæ S. Wilhelmi Ep. Bituric. 628 *b*
† *Petrus I, Ab. Cavæ* 627 *c*
† *Petrus II, Ab. Cavæ* 627 *c*
Petrus Ab. Constantinop. 13 sec. 608 *d* D
Petrus Rogerius Ab. Fiscani Gal. dein Clemens VI, Papa 594 *d*
Petrus Ab. Marcolensis 157 *f* 158 *e*
Petrus Ab. S. Mariæ de Armentera in Gallæcia 1 *f*
Petrus de S. Elia Ab. monast. S. Viti de Isernia 498 *d*
Petrus Præpositus S. Majoli Papiæ 70 *c*
Petrus Philicinus Decanus Binchiensis 455 *b*
Petrus Homfæus Decanus Embricensis 449 *a*
Petrus Eremita, Archidiac. Suession. 639 *b*
Petrus Tosellus Presb. Hisp. 427 *c*
Petrus Diaconus S. Attici 480 *d f*
Petrus Diac. Ticinensis 356 *d*
† *Petrus monach. Saviniaci* 389 *f*
† *Petrus Gondisalvus* 646 *b d*
† *Petrus M. ord. Prædic.* 417 *c reliq. Pragæ* 720 *c*
Petrus Ruber ord. Prædic. socius S. Raimundi de Pennaforti 408 *d* 409 *a*
Petrus de Castro-novo mon. Cisterc. 633 *c*
Petrus monachus ord. Cisterc. Gal. 565 *e f*
† *Petrus Eremita, Dux belli sacri* 636 *b*
Petrus II, R. Aragon. 409 *d*
Petrus III, R. Aragoniæ 415 *d e*
Petrus IV, R. Aragoniæ 415 *b* 422 *d* E
Petrus fil. Jacobi I, Reg. Aragon. 413 *e*
Petrus Urceolus Dux Venetorum 64 *d* 126 *c* 663 *f* 723 *b*
Petrus Berettinus Præfectus pictorum Romæ 18 *b e*
Petrus vanden Hoeff Dom. in Valkenburgensi ditione 306 *b* 321 *e*
Petrus avus B. Laurentii Justiniani 553 *d*
Petrus Œconomus Neapoli 737 *a*
Petrus Marsilius scriptor 405 *b*
Petrus Pontanus cæcus Brugensis, scriptor Vitæ metricæ S. Genovefæ 138 *a*
Petrus de Bagiis Barcinon. 420 *f* 423 *a*
Petrus de Cassellis Catalaunus 423 *f*
Petrus confluentibus mon. Hemmenrodæ 664 *a*
Petrus Danus 12 sec. 400 *d*
Petrus Desplanes Hisp. 428 *b*
Petrus Grunnius Barcinonensis 13 sec. 408 *d* 409 *a*
Petrus Trajecten. 12 sec. 317 *d*
Petrus de Turno Hisp. 418 *a*
† *Phaganus, sive Fugatius Apost. Britan.* 10 *e f*
† *Phara, vel Phara Ab.* 626 *c* 627 *d*
† *Pharaildis 4 Janu. et* 514 *f* 524 *b*
† *Philadelphus, Alphius MM.* 601 *b c f* 744 *b c*
† *Pharonis, vel Faronis monast. Meldis* 57 *f* 58 *b* F
† *Philastrius Ep. Brixiensis* 257 *e*
† *Philibertus Ab. Gemmetici* 186 *b*
Philippicus Bardanes Imp. 531 *c f* 532 *a*
Philippicus Dux Mauricii Imp. 286 *a*
† *Philippi Ap. reliq. Pragæ* 720 *c*
† *Philippus Diac. et filiæ* 236 *e*
Philippus Berrujerius Ep. Aurelian. et Bituric. 565 *c* 639 *f*
Philippus Provincialis Syriæ ord. Prædicat. 406 *d*
Philippus frater Henrici VI, electus Imp. 307 *e f*
Philippus I, R. Franc. 121 *d* 151 *c* 186 *e*
Philippus II, Augustus R. Franc. 632 *b*
Philippus I, Rex Hisp. 432 *e*
Philippus II, R. Hispan. 415 *f* 416 *b* 435 *c*
Philippus III, R. Hispan. 413 *e* 416 *c f*
Philippus Dux Mediolanensis 553 *d*
Philippus Maria Vicecomes, Dux Mediolani 561 *a b*
Philippus Bonus Dux Burgund. 173 *e*
Philippus Flandriæ Comes 158 *e f* 159 *b*
Philippus Præfectus Constantinop. 258 *a*
Philippus Osullevanus Nobilis Hibernus 17 sec. interpres Vitæ S. Mochuæ Ballensis 47 *c*
† *Philumina V. Septempedæ* 500 *a* 739 *b c*
† *Philus Ep. Tomis in Ponto* 83 *d*

A *Phocas Imp.* 286 *d* 621 *f*
† *Piato M.* 460 *e f*
Pierius Comes 5 *sec.* 496 *e*
† *Pigmenius Presbyter M.* 166 *a reliq. Pragæ* 720 *c*
Pinianus maritus S. Melaniæ 90 *a*
Pinta Ep. hæret. Carthagine 41 *d*
Pipinellus Canonicus Lateranen. 16 *sec.* 5 *f*
† *Pipinus Landensis Dux, pater S. Gertrudis* 514 *e* 524 *b* 526 *d avunculus S. Amalbergæ* 172 *c*
Pipinus Herstallus Crassus Major-domus 174 *b c* 175 *d e* 176 *b d* 505 *e* 526 *b d*
Pipinus R. Franc. 95 *f* 97 *b* 112 *a* 177 *d* 288 *c* 434 *b*
Pipinus R. Italiæ junior 99 *a c* 112 *a* 113 *b* 186 *b*
Pirmenius Presb. Ital. 5 *sec.* 485 *a*
† *Pius I, Papa* 9 *e*
Pius IV, Papa 64 *b*
Pius V, Papa 416 *e*
Plinius Junior an a S. Tito conversus? 164 *e*
† *Poemen, sive Pastor, Ab.* 534 *d e* 536 *d* 540 *c* 542 *d e*
† *Polycarpus Ep. Smyrnensis* 26 *Jan. et* 463 *c*
Polychronius Presb. Monothelita 625 *d*
† *Polyeuctus M. Melitinæ* 354 *e* 566 *a Eccl. Constantinop.* 610 *b*
B *Polabi populi Boreal. German.* 394 *c e*
Pompeius Arrigenus Card. 418 *e*
Pompeius Molella Procurator Fisci Papæ 416 *d*
Pontianus, sive Ponticanus Ep. Thenitanus in Africa 45 *d*
Pontius Ep. Atrebaten. 158 *a*
Pontius Ep. Barcinon. 415 *f*
Pontius Ab. Cusani in Hisp. 289 *a*
Pontius de Sperra Prov. Gal. Narbon. ord. Prædicat. 406 *d* 411 *d*
Poppo Ep. Sleswicensis 181 *e f* 182 *d*
Porphyrius Ep. Antiochenus 475 *d*
† *Posenna soror S. Gibriani* 126 *f*
Possidonius Præpositus Licinii Imp. 134 *d*
Posthumianus Ruspensis 39 *f*
† *Potentini Diac. M. translatio* 600 *e* 664 *d* 680 *a*
† *Prætextatus Ep. Rotomagen.* 328 *a*
Pragmatius Ep. Augustodun. 49 *f*
Pribizlaus Rex Wagirensium 393 *c* 396 *f*
Primasius, seu Brumasius, Ep. Calaritan. 42 *c*
† *Primi et Feliciani reliquiæ in Picardia* 180 *a*
Proæresius pater S. Theodosii Cœnobiar. 681 *a* 685 *c*
Proba V. Romana 6 *sec.* 43 *a*
† *Probus Ep. Veronen.* 357 *b e*
† *Prochorus Diac.* 60 *d e*
C *Proclus Philosophus* 236 *d*
† *Procopius Ep. Taurominii* 735 *f*
Procopius Constantinopolitanus 258 *a b*
† *Proculus Ep. Cyzici et Constantinop.* 476 *e* 481 *d* 482 *e*
† *Proculus Ep. Interamnen. in Ital.* 2 *d*
† *Proculus Ep. Veronensis* 357 *b e*
† *Proculus Presb. M.* 373 *d*
† *Proculus miles M.* 2 *d*
† *Proculus M. Bononiensis* 165 *e*
Prominius Meldensis 6 *sec.* 146 *f*
† *Prompta soror S. Gibriani* 126 *f*
† *Prosdocimus Ep. Patavinus* 160 *b* 161 *a* 726 *d*
† *Prosper Ep. Regiensis* 372 *b c*
† *Protasii M. reliquiæ Pragæ* 720 *e*
Protasius Archidiac. Urgelit. 8 sec. 288 *f* 289 *a d*
† *Proterius Ep. Alexandr.* 283 *f*
† *Protus et Hyacinthus MM.* 668 *f*
Prudens Gall. 6 sec. 143 *a*
† *Prudentius Ep. Trecensis* 511 *a*
Ptolemæus Ep. Portuensis Card. 418 *c*
† *Pulcheria Augusta V.* 478 *e* 481 *c* 610 *a*
Pyrrhus Patr. Constantinop. hæret. 625 *c* 626 *e*

Q D

† *Quadratus Ep. Atheniensis* 236 *b*
Quichelinus filius Kinigisli R. Saxonum Orient. 374 *f*
† *Quieta mater S. Joannis Reomaensis* 726 *a d*
Quintasius nuntius S. Severini Presb. 492 *c*
† *Quintinus M.* 460 *e f* 466 *d Inventio* 134 135. *Translatio* 719 *a reliquiæ in Picardia* 180 *a monast.* 508 *e* 509 *a* 510 *c*
Quintinus Charlart Soc. Jesu 443 *d*
Quirina mater B. Laurentii Justiniani 532 *b e* 561 *b*
Quirinus Douillet Ab. Lætiensis 436 *b*
† *Quiteria V. M.* 568 *f* 734 *b*
Quodvultdeus Ep. in Africa 44 *a*

R

† *Rabanus Maurus Ep. Mogun.* 162 *c*
Radbodus Ep. Noviomensis 173 *e*
† *Radegundis R. Franc.* 102 *f* 114 *d Eccl. in Picardia* 180 *b*
Radegundis avia S. Maximi Ab. 91 *b*
Radoldus patruus S. Maximi Ab. 91 *b*
Rudulplus Raoul Ab. Fiscani Gal. 594 *d*
Radulphus de Castro novo Cisterc. 633 *c*
Raganfridus Major-domus Franc. 176 *d e* 177 *b*
Raginerus II, Com. Hannoniæ 524 *a* E
Ragnardus Ab. Heriensis 104 *e* 115 *b*
Ragnegisilus Ep. Trecensis 506 *c*
Ragualdus Rex Gothorum 392 *c* 397 *e*
Ragullus R. Connachtiæ in Hibern. 48 *d*
Raimunda de Caneto Barcinon. 421 *b*
Raimundus Ep. Vicen. 415 *c*
Raimundus Comes Tolosanus 409 *d*
Raimundus Rogerius Vicecomes Biterrensis 633
Raimundus de S. Catharina Barcinon. 424 *c*
Raimundus de Rosanis Hispanus 409 *a*
Raimundus Urgellensis 415 *e*
† *Ramuoldus Ab. Ratisbonæ* 336 *e*
† *Rainildis V. M. sive Reinildis, aut Reinelda* 172 *c*
Raphaela Basia Barcinon. 429 *a*
Rapoto civis Ratisponen. 345 *c*
Rathertus Callus 7. *sec.* 512 *a*
Rattomus miles Gal. 148 *f*
Raymundus de Bybuldone Hisp. 426 *f*
Raynardus Ab. Cusani in Hisp. 289 *a*
Reginaldus ord Prædic. 645 *d*
Reginaldus Comes Cornubiæ 304 *b*
Reginbertus Ep. in Slavania 182 *d*
Regisa R. Sueciæ 400 *e*
† *Regulus Ep. Arelat.* 460 *e* 462 *c* 463 *b*
Reinerus Trajecten. 319 *f* F
† *Reinildis, sive Rainildis V. M.* 514 *f* 516 *d* 524 *b* 529 *c*
Reinoldus Ep. Coloniensis 313 *a* 323 *b*
† *Remaclus Ab. Solemniacensis* 377 *c* 388 *a*
† *Remigius Ep. Remensis* 175 *c e* 176 *c* 178 *b reliquiæ in Picardia* 180 *a vicus* 176 *f*
Remlenus Canonicus Gandensis 173 *c e f*
Renatus de Prie Ep. Bajocen. et Lemovic. Card. 726 *f*
† *Reolus Ep. Remensis* 174 *b d*
Reparatus Ep. Tipasitanus 568 *c*
† *Restitutæ matris S. Eusebii Vercel. Ecclesia Calari* 242 *a d*
Restitutus Donatista Afer 674 *f*
Retbertus Gallus 11 *sec.* 120 *e*
Richardus Ep. Cestrensis 304 *b*
Richardus Ab. Corbeiensis 119 *a b d e* 120 *d*
Richardus Ab. Fiscani Gal. 594 *d*
Richardus de Trieges Ab. Fiscani Gal. 594 *d*
Richardus Morinus Ab. Fiscani Gal. 594 *d*
Richardus Ab. de Hinniaco 158
Richardus Ab. de Monte S. Eligii 158 *d*
Richardus Dux Normannorum 60 *e*

Richardus

A *Richardus I, Comes, vel Dux Normanniæ* 60 *e* 294 *a f* 393 *e* 723 *c*
Richardus II, Dux Normanniæ 60 *e* 394 *a*
Richardus Comes de Penbrock 304 *b*
Richardus Blosius mon. Lætiis Belg. 432 *e* 450 *d*
Richardus Francus 148 *d*
Richeldus Ep. Parisiis 148 *d*
† *Richarius Ab. Centulensis* 110 *f* 118 *e*
Richbodus Ep. 8 *sec.* 717 *a*
Richiza, vel Rikenza, uxor Lotharii II, Imp. 394 *d*
Richoldus Ab. Ratisbonæ 339 *f*
Rictiovarus Præses Diocletiani 324 *c* 325 *a b e*
Rikenza, vel Richiza, vel Rixa uxor Lotharii II, Imp. 394 *a*
Rinaldus ord. Minor. 14 *sec.* 652 *a*
Rinoldus, seu Reynoldus, patruus S. Melori 136 *b c d e f*
† *Riotismus Ep. Rhedonensis* 329 *a*
Rixa, uxor Lotharii II, Imp. 394 *d*
Rixfridus Ep. Ultrajecten. 534 *f*
Robertus Bellarminus Card. 418 *e*
Robertus Ep. Lincolniensis 304 *a*
Robertus Gemmeticensis, Ep. London. dein Cantuar. 292 *d e* 293 *a* 301 *b d*
Robertus Ab. S. Albani 304 *b*
B *Robertus du Putot Ab. Fiscani Gal.* 594 *d*
† *Robertus Ab. Molismensis* 549 *e*
Robertus Ab. de Pietate-Milonis 725 *c*
Robertus Decanus Atrebat. 11 *sec.* 158 *d*
Robertus R. Franc. 58 *b* 62 *e* 64 *f* 67 *c* 119 *b f* 121 *c* 186 *e*
Robertus Bruseus R. Scot. 594 *e f*
Robertus Friso Com. Flandr. 121 *d* 186 *e*
Robertus Comes Legercestriæ Angl. 304 *b*
Robertus Comes Moritolii 390 *a d*
† *Robertus de Abresello Fundator monast. de monte-Ebraudi* 390 *e*
Robertus pater S. Guilielmi Divionensis 58 *d e*
Robertus Dom. de Courtenay Gal. 13 *sec.* 725 *c*
Robertus de Firmitate-Milonis 13 *sec.* 725 *c*
Roboam R. Judæorum 458 *c f* 459 *b d*
† *Rochi monast. Vicentiæ* 549 *f*
Rocula Abb. S. Quintini 509 *a*
Roculfus D. castri Aliniaci Gal. 120 *f* 121 *a*
Rodemarus Franc. 8 *sec.* 176 *d*
Rodericus Pineyro Ep. Portuensis 640 *c* 649 *c e*
Rodfridus Præfectus Egberti Regis Cantiæ 596 *a*
Rodulfus R. Herulorum 492 *e*
† *Rogerius Fortis Ep. Biturican.* 65 *c*
Rogerius Ab. Fiscani Gal. 594 *d*
C *Rogerius Comes Siciliæ* 124 *c*
† *Rogerius de Marchia, sive Tudertinus, ord. Minor.* 162 *e*
Rogerus Ab. Radingensis 304 *b*
Rogerus Gal. 11 *sec.* 120 *a*
† *Romanus, minister S. Benedicti, Ab. Fontis-rogi* 434 *a*
† *Romanus Ab. Jurensis* 50 *b d* 51 *b c* 54 *e* 719 *f*
† *Romanus Thaumaturgus* 679 *b*
† *Romani M. reliq. Pragæ* 720 *e*
Romanus de Rodevillo ord. S. Georgii in Alga 549 *c*
Romanus Hay mon. Benedictin. German. 431 *f*
Romæa Barcinon. 414 *a b* 425 *f*
Romia Matrona Barcin. 421 *b c* 425 *f*
Romia de Paleda Hisp. 427 *b*
Romulus Ab. Syrus 679 *a*
Rorans avia Gervasii Ep. Remensis 333 *d*
Rotrotus Ep. Ebroicensis 334 *b*
Ruardus Tapperus Doctor Theol. 435 *b* 453 *b*
Rubertus Ratisponen. 344 *a b*
Rudolphus I, Imp. 730 *e*
Rudolphus II, Imp. 416 *e f*
Rudolphus monachus Paterniaci Gal. 75 *b*
† *Ruffinus M.* 460 *e f*
Rufinus Presbyter 90 *e* D
Rupertus Ratisponensis 345 *e*
† *Rusticus socius S. Dionysii M.* 139 *e* 461 *b*
† *Rustici et Firmi Prioratus* 549 *c f*
Rutgerus Presb. Trajecti 313 *b*
Rutilius cognatus S. Titi Apost. 164 *b*
Rythorius Ep. sub Alexandro Imp. 15 17 *e f*

S

Sabaudus Ab. Aurelian, 6 *sec.* 331 *c*
Sabinus Presb. socius S. Leucii 672 *a*
Sabbatius hæreticus 482 *c*
Sabatinorum familia Bononiæ 165 *f*
† *Sabas Ab. in Palæst.* 681 682 683 684
Sabellius hæret. 360 *a*
† *Sabini translatio* 354 *e*
Sabinianus Papa 67 *f*
Sairebertus Francus 8 *sec.* 176 *c*
† *Salaberga mater S. Balduini* 502 *b c e* 503 *a b c* 505 *a*
Salomon R. Hungar. 294 *e*
Salomon II, R. Britan. Armor. 327 *f*
Salomon pœnitens Hemmenrodæ 565 *c*
Salvator Ep. Alethen. in Gal. 725 *b*
† *Salvatoris ecclesia Corosii in Gal.* 4 *a* E
† *Salvia Virgo* 78 *c*
† *Salvius Ep. Engolismen. M.* 664 *e* 703 *f*
Salvius Donatista Afer 674 *f*
Salustius Patr. Hierosol. 684 *a*
† *Samuelis Prophetæ reliquiæ Constantinop.* 475 *a b*
Sampson Ab. Limonici Gal. 92 *f* 93 *b c*
Sanctius Ep. Pampelonensis 67 *d*
Sanctius I, R. Hisp. 67 *c*
Sanctius IV, R. Castellæ 413 *d*
Sanctius Sanctionis Dux Vasconiæ 727 *b e f*
† *Sapientiæ V. Ursul. reliq. Pragæ* 720 *f*
Saraceni sub Diocletiano Galliam vastant 56 *e* iidem *in Hisp.* 13 *sec.* 411 *e*
Saretruda soror S. Balduini 503 *c*
† *Saturianus Afer* 460 *c*
† *Saturninus Apostolus Tolosatium* 460 *d* 461 *b* 462 *f*
† *Saturnini M. reliq. Pragæ* 720 *f Eccl. in Sardinia* 42 *c Calari* 324 *b monast. ad Rhodanum* 60 *b* 69 *e*
Saturninus Præses Juliani Imp. 83
Saturninus Præses Alexandr. 671 *d e*
† *Savini Ep. M. monast. Firmi in Ital.* 675 *a*
† *Savina V.* 29 *Janu. et* 506 *c*
† *Savinianus Ap. Senonum* 389 *b c*
Saxo Grammaticus Scriptor 391 *f* F
Scanlanus Hibern. 49 *a*
Scapula Præses Severi Imp. 164 *c f*
† *Scholastica V.* 433 *b* 434 *d*
Sciarra Columna Ital. 16 *sec.* 4 *f*
† *Sebaldi Conf. reliq. Pragæ* 720 *e*
Sebertus R. Orientalium Saxonum 296 *d* 274 *b f*
† *Seculphus, vel Sexulphus, Ep. Laudunen.* 502 *f*
† *Secundus M. Comi* 164 *e*
Secundus Proconsul Cretæ 1 *sec.* 164 *d*
Seneca Ep. Hierosol. 600 *b*
Seniofredus Comes Barcinonensis 289 *e*
† *Septimius et Fortunatus MM.* 356 *c*
† *Sequani Ab. monst. in Gal.* 507 *b altare Divione* 566 *f*
Seraphinus Cavalli ord. Prædic. 16 *sec.* 416 *e*
Seraphinus dalla Poretta ord. Prædicat. 78 *f*
Serapidis idolum 472 *d*
† *Serapion Ep. Antiochenus* 237 *a*
Serapion Magnus Ab. Ægyptius 721 *e*
Serenus Patr. Aquileiensis 714 *b*
† *Sergius Papa* 531 *b c f*
Sergius IV, Papa 182 *a*
Sergius Patr. Constantinop hæret. 625 *e* 626 *e*
† *Sergius M. Cæsareæ Cappad.* 79 *a*

A *Sergius mon.* 5 *sec.* 284 *a*
† *Sergii et Bacchi MM. reliq. Pragæ* 720 *f*
Seridon Ab. Gazæ 702 *b* 703 *d*
† *Servanus, seu Sernanus Ep. Orcadum* 2 *d*
Sesac R. Ægypti 459 *d*
† *Servatius Ep. Eccl. et reliquiæ Trajecti* 306 *d* 308 *c* 309 *f* 311 *b* 312 *b c e f* 313 *e* 315 *c* 320 *e* 321 *c*
† *Severi collegium Clericorum Viennæ* 55
Severa 4 sec. 361 *a*
Severianus Ep. Gabalorum in Syria 476 *d*
† *Severinus Ep. Neapolit.* 457 *c*
† *Severinus Ap. Noricorum* 8 *Jan. et* 369 *c* 730 *c*
Severus Patr. Aquileien. 713 *f*
Severus Ep. Milevitanus 484 *c*
† *Severus Ep. Ravennas* 2 *a* 483 *f* 559 *f*
† *Severus Presb.* 21 *d*
Severus Sulpitius Scriptor 494 *f*
Severus Imp. 164 *c* 356 *d* 471 *b*
Severus Præses Maximiani Imp. 128 *c* 129 *c*
Severus pater S. Genovefæ 138 *a c* 143 *c*
Severus nepos Ecclesii Archiep. Raven. 21 *d*
Severus hæreticus 695 *d e* 696 *b* 684 *e*
Sevinus Ep. Senonen. 389 *e*
Sexbaldus pater Swidelini R. Saxonum Orientalium 374 *e*
B † *Sexburga Regina* 627
Sexredus R. Orientalium Saxonum 374 *f*
† *Sexulfus, vel Seculphus Ep. Laudunen.* 502 *f*
Siagrius Gal. 6 *sec.* 370 *c*
Sibylla uxor Gualteri Com. Sarisburiæ 304 *e*
Sibilia de Porta Hispan. 420 *c d*
Sigafridus Marchio Saxo 181 *c*
Sigebertus Bonus R. Orientalium Saxonum 374 *b* 375 *a*
Sigebertus parvus R. Saxonum Orientalium 374 *b c e*
Sigefridus R. Daniæ 382 *e f*
Sigerus Ab. Gandensis 173 *c e f*
Sigerus R. Saxonum Oriental. 375 *a*
† *Sigismundus R. Burgund. reliq. Pragæ* 720 *c*
Sigloardus monach. S. Remigii 179 *e*
Sigualdus Patr. Aquilein. 714 *d*
† *Silas Apost.* 236 *e*
Silvanus Ep. Calaguritanus 721 *d*
† *Silvanus Ep. Edessenus* 358 *e*
Silvanus Ep. Dumblanensis in Scot. 600 *b*
Silvanus Razzi Scriptor Vitarum sanctarum seminarum 650 *c*
† *Silvester I, Papa* 79 *d* 100 *a* 498 *d monast. in Ital.* 701 *b festum* 71 *a*
Silvester II, Papa 67 *d*
C *Silvestrius Byzacenus* 37 *e*
† *Silvinus Presb. in Bavaria* 458 *b* 490 *d e*
Silvius Antonianus Card. 416 *d* 418 *e*
† *Simeon Senex Propheta* 235 *f*
† *Simeon Stylites* 5 *Janu. et* 140 *e* 145 *e* 685 *e* 686 *a*
† *Simeon Stylita in monte mirabili* 261 *c* 286 *d*
† *Simeon Stylita Presb.* 261 *c*
Simeon de Terranova Card. 418 *c*
† *Simeon Ab. Cavæ* 627 *c*
† *Simeonis Trevirensis transl.* 566 *d*
Simon de Persicis ord. S. Georgii in Alga 549 *c*
Simon Comes Mont-fortius 409 *d* 633 *d*
Simon Capisterius Gal. 12 *sec.* 152 *e*
† *Simplicii militis M. Translat.* 664 *d* 680 *a*
Sirita uxor Henrici Principis Slavorum 391 *d* 394 *f*
Sisebutus Ep. Urgelitanus 288 *c*
Sisinnius Ep. Constantinop. 480 *a* 481 *d* 482 *f*
Sittas decurio Armenus 619 *c d*
Sivella abavia S. Maximi Ab. 91 *a*
Siwardus R. Saxonum Orientalium 374 *f*
Siwardus Comes Northumbriæ 11 *sec.* 291 *f*
† *Sixtus I, Papa M.* 238 *a e* 501 *e* 502 *d*
† *Sixtus II, Papa M.* 501 *e* 502 *d*
† *Sixti Papæ M. reliq. Pragæ* 720 *e*
† *Sixti Ecclesia Placentiæ Ital.* 90 *d* D
† *Sixtus III, Papa* 372 *b c*
Sixtus IV, Papa 550 *d* 563 *f*
Sixtus V, Papa 6 *a*
† *Sixtus et Sinicius MM.* 460 *e f*
Skyalmon Candidus, pædagogus S. Canuti Lawardi 392 *b* 394 *f* 400 *d*
Slavi pop. Boreal. German. 391 *b c*
Sophronius Ep. Veromanden. 328 *a*
Sophronius Ab. Palæst. 682 *f* 683 *a*
Sophia uxor Waldemari Regis Daniæ 400 *d*
† *Sophiæ Ep. Eccl. Beneventi* 745 *b*
† *Sophiæ V. Ursul. reliq. Pragæ* 720 *f*
† *Sophiæ V. M. reliq. Romæ* 166 *b*
† *Sophiæ Eccl. Constantinop.* 323 *b*
† *Sosius M.* 498 *d f*
Soterichus Ep. Cæsareæ Cap. hær. 684 *e*
† *Sperati Eccl. Neapoli* 737 *a*
Sperculphus mon. Angl. 711 *b*
† *Spiritus monast. in Hungar.* 607 *e f*
Squiridon, sive Squirius, aut Squirus Præses 79 *b c* 721 *b*
Stauratius Imp. 290 *a*
Stephana Soncinas 78 *f*
† *Stephanus Protomartyr* 501 *c e* 601 *b* 663 *e reliquiæ Constantinop.* 478 *e Pragæ* 721 *a Ecclesia Cadurcis* 91 *d Constantinop.* 610 *c Corbeiæ* 118 *a* 122 *c d* E *Metis* 388 *b Passavii* 367 *b* 371 *f* 730 *e* 731 *b* 733 *b Senonib.* 389 *b e Veronæ* 357 *e Biturigibus, ubi Patronus* 628 *d* 629 *c* 635 *a b*
Stephanus III, Papa 172 *d* 534 *f* 542 *d*
Stephanus IV, Papa 381 *e* 543 *c*
Stephanus X, Papa 297 *f*
Stephanus Patr. Antiochen. 625 *d*
Stephanus Ep. Legatus Adriani Papæ 716 *e*
Stephanus Ep. Neapolit. 498 *a b*
Stephanus III, Ep. Neapol. 499 *d* 1100 *d*
Stephanus Ep. Parisiensis 151 *e* 1089 *c*
Stephanus Ep. Upsalensis 401 *e f*
Stephanus Ab. Presb. Antioch. 625 *d* 626 *d*
Stephanus Ab. Cluniac. 63 *e f*
† *Stephanus Fundator ord. Grandimontensis* 636 *e*
Stephanus Præpositus monast. in Bithynia 9 *sec.* 599 *a*
Stephanus discip. Macarii Patr. Antioch. 625 *d*
† *Stephanus I, R. Hungariæ* 67 *c reliq. Pragæ* 720 *e*
Stephanus Comes Albæ-Marlæ 304 *e*
Stephanus interfector Domitiani 470 *d*
Stephanus Maurocenus ord. S. Georgii in Alga 549 *c*
Stephanus Sampaius ord. Prædic. interpres Vitæ F *S. Gonsalvi Amaranthii* 640 *d*
Stephanus Hispan. Prov. Lombard. ord. Prædicat. 406 *d*
Stephanus Gandensis 12 *sec.* 173 *c*
Stigandus Ep. Cantuar. 301 *b d*
Stilico Dux 494 *f*
† *Stratonici M. Eccl. Constantinop.* 615 *c*
Stolbrandus M. in Scotia 78 *c*
Subirana de Caneto 421 *a* 424 *e*
Suebhardus R. Cantiæ 598 *a*
Sueno R. Daniæ paricida 181 *b d e*
Sueno R. Daniæ fil. Erici Emund 391 *a* 401 *c d*
Sueno Esthritius R. Daniæ 390 *f* 394 *c* 397 *a* 398 *b*
Sueci Saxoniam vastant 11 *sec.* 181 *b c*
Suegerius Prov. Hisp. ord. Prædicat. 411 *c*
† *Suitini Ep. Eccl. Wintoniæ* 292 *e*
† *Sulcanus et socii MM.* 322 *f*
Sunniva mater Haquini Dani 400 *d*
† *Susanna* 258 *c*
Swanus R. Daniæ 299 *a*
† *Swibertus Ep.* 534 *b*
Swidhelinus R. Saxonum Orientalium 374 *e*
Syagria Galla 5 *sec.* 52 *b*
Syncletica et Perpetua piæ sorores 258 *c d*

A † *Synesius, sive Genesius M.* 128 *a* 723 *c e*
Syonius pater S. Aldrici 387 *f*
Syron Ab. 11 *sec.* 70 *c*

T

† *Tarsilla V. amita S. Gregorii* 287 *b e f*
Tarvilus Præses Juliani Imp. 83 *f*
† *Taso fr. S. Tatonis* 713 *b e*
Tassilo Dux Bavariæ 369 *a c f* 370 *a e* 730 *c* 731 *a*
† *Taurinus Ep. Ebroicensis* 463 *b*
† *Telmus, sive Petrus Gondisalvus* 646 *b d*
Telo Germanus 5 *sec.* 494 *d*
Terbellis, sive Trebellus R. Bulgar. 531 *b*
Tergia Itala 14 *sec.* 654 *a*
Tertullus Patricius pater S. Placidi 498 *f*
Tertullus Præses Siciliæ 3 *sec.* 601 *e*
† *Tetricus Ep. Lingonensis* 169 *d*
Teudolenus Ab. monast. S. Sequani 507 *b c*
† *Thebæi MM.* 80 *f* 81 *a b d* 721 *b*
† *Thecla V. M.* 243 *c d*
Theobaldus de Rubeo-monte Ep. Vesontinus 6 *b* 7 *a c*
Theobaldus Ab. Cisterciensis 78 *e*
Theobaldus Ab. Montis-regalis 627 *e*
B *Theobaldus Archipresb. Remensis* 179 *e*
Theobaldus Comes Carnotensis 725 *c*
† *Theoctistus et Agatho MM.* 457 *f*
† *Theodarius, sive Theodorus Viennæ* 368 *c*
Theoderata soror S. Adalardi 102 *c f* 114 *c d*
† *Theoderici monast. Remis* 174 *c* 178 *b* 197 *a b*
Theodericus mon. Ratisbonæ 344 *c*
Theodericus Amalus R. Gothorum, sive Ostrogotorum, in Italia 37 *c d* 496 *e* 497 *e*
Theodericus F. Clodovæi I, R. Austrasiæ 170 *e*
Theodericus F. Childeberti R. Burgundiæ 502 *c* 704 *c*
Theodericus F. Clodovæi II, R. Franc. 505 *e* 704 *c*
Theodericus II, R. Franc. 174 *b* 175 *c*
† *Theodericus Regulus in Wallia* 723 *b*
Theodericus Comes sub Carolo Magno 383 *c d*
Theodo Princeps Longobardorum 77 *e*
Theodolinda R. Longobardorum 622 *c* 623 *d*
† *Theodora Alexandrina V. M.* 258 *c*
Theodora uxor Justiniani II, Imp. 531
Theodoretus Ep. Cyri Scriptor Vitæ S. Simeonis Stylitæ 263 *c f* 277 *f* 281 *f* 283 *a*
Theodoricus Dux Lotharingiæ, an pater S. Pharaildis 172 *c an maritus S. Amelbergæ ?* 515 *d*
Theodoricus Trajectensis 12 *sec.* 312 *d*
C † *Theodorus M.* 663 *e reliq. Pragæ* 720 *f templum Constantinopoli* 614 *b* 615 *c f Ticini* 356 *e*
Theodorus Patriarch. CP. 625 *c*
Theodorus Patriarcha Hierosolym. 447 *b*
† *Theodorus Episc. Cantuar.* 595 *e* 596 *c* 597 *f*
Theodorus Ep. Massilien. 80 *e f* 184 *b*
Theodorus Ep. Ravennas 624 *d*
† *Theodorus mon. discip. S. Pachomii* 368 *c*
Theodorus pater S. Domitiani 618 *e*
Theodorus Prior Colonien. ord. Prædicat. 406 *f*
Theodorus Presb. Ravennas 7 *sec.* 624 *d*
Theodorus Presb. Legatus Agathonis Papæ 624 *d*
Theodorus Molanus Valkenburgensis 321 *e*
Theodosius Ep. 4 *sec.* 477 *c d e*
Theodosius Ep. Uritanus in Ital. 673 *c*
Theodosius Pseudo-Episcopus Hierosol. 284 *a* 680 *c*
† *Theodosius Cœnobiarcha* 11 *Janu. et* 282 *a b*
Theodosius senior Imp. 89 *e* 339 *a* 483 *a* 589 *a* 667 *f* 669 *d*
Theodosius Junior Imp. 258 262 *d* 283 *b f* 323 *e* 477 *a e f* 478 *e* 479 *e* 481 *b* 482 *e* 610 *c* 680 *c*
Theodosius filius Mauricii Imp. 618 *f* 621 *f*
Theodotus Ep. Antiochenus 476 *f* 479 *d f* 480 *a d* 735 *c*
Theodrada R. Franc. 179 *b*
Theodradus Saxo mon. Corbeiæ 116 *e* D
Theodricus de Renen 14 *sec.* 352 *d e*
† *Theodulphi Ab. reliq. Remis* 179 *b d* 180 *e*
Theophanes pater S. Gregorii Acritensis 289 *c*
Theophilus Ep. Alexand. 326 *c f* 474 *f* 475 *d f* 476 *c d* 479 *e f* 480 *b c* 482 *b*
Theophilus Patricius et Strategus Orientis 8 *sec.* 531 *d*
Theophilus Scriptor Vitæ S. Macarii 90 *a d*
Theophylactus Ep. Legatus Adriani Papæ 716 *e*
† *Theopistis, sive Neopistis V. M. reliq. Romæ* 166 *b*
† *Theopompus Ep. Nicomediæ* 723 *e f*
Theosebius Cosmetor Antiochenus in Ægypto 88 *b*
Theotecnus consobrinus Theophili Alexand. 476 *d*
Theudæcarius Ab. Trecis 509 *c*
Theudulphus Ep. 8 *sec.* 717 *a*
Thiadericus Comes Saxo 181 *c*
† *Thomas Apost.* 8 *f reliquiæ Pragæ* 734 *a Eccl. in Ital.* 657 *d*
Thomas de Capua Card. S. Sabinæ 410 *c*
Thomas Ep. Anconitanus 590 *e*
† *Thomas Ep. Cantuarien. M* 302 *f* 304 *a*
Thomas Ep. Ticinencis 372 *b*
Thomas Feltrensis Nuntius Apostolicus 563 *f*
Thomas Luytens Ab. Lætiensis 456 *e*
Thomas a S. Benedicto Ab. Fiscani Gal. 594 *d* E
Thomas Ab. Ital. 8 *sec.* 713 *b*
† *Thomas de Aquino* 412 *f* 433 *b*
Thomasinus Ital. 14 *sec.* 634 *b* 659 *d*
Thorethus Com. Angl. 10 *sec.* 293 *c*
Thrucco R. Normannorum 181 *e*
Thudun Avarus 716 *c*
Thunna concubina Erici Regis Daniæ 394 *c*
Thyra Danebod R. Daniæ 394 *d*
† *Thyrsus et Andeolus MM.* 469 *c*
Tiberius filius Mauricii Imp. 621 *f*
Tiberius frater Constantini Pogonati 624 *d*
Tiberius III Absimarus Imp. 531 *e*
Tilmannus Bredenbachius Scriptor 442 *b* 448 *f*
† *Timon Diac. M.* 601 *d*
Timotheus Ælurus Ep. Alexandr. 283 *f*
† *Timotheus Ab.* 4 *sec.* 269 *c d* 270 *a*
Tobias Ep. Rofensis 598 *a*
Torquatus Comes Thusciæ sub M. Aurel. 9 *c e*
Tostius fil. Godwini Com. Cantii 299 *c d f* 301 *f* 302 *b*
Trajana legio in Phrygia 134 *c*
Trajanus Imp. 164 *e*
Tranquillinus Ep. Tarraconen. 74
Tranquillus, sive Tranquillinus, Præses Juliani F *Imp.* 83 *f*
Trasamundus R. Wandalorum in Afr. 40 *f* 43 *a*
Trasico Dux Saxo 8 *sec.* 383 *d*
Trasulfus Ab. Corbeiæ 461 *a*
Trebellius Senator Christianus 2 *sec.* 10 *b*
† *Tremorius in Britan. Armor.* 725
† *Trinitatis monast. Fiscanum Gal.* 591 *c*
Triscandas Ab. S. Melanii 334 *e*
† *Trophimus Ap. Arelat.* 460 *d*
Trudmannus Com. 8 *sec.* 387 *d*
† *Trudonis monast. et op. in Belgio* 177 *c* 310 *c*
Trumhere Ep. Merciorum 373 *f*
Turpinus Ep. Remensis 177 *d* 359 *b*
Tuscanus Presb. Ital. 12 *sec.* 403 *d*
† *Tynas Bonus Scotus* 1 *c*
Tzatho R. Pers. 699 *c*

V

Valdenses hæretici 411 *d*
Valens mon. in Norico 5 *sec.* 493 *f*
Valens Imp. 262 *c* 323 *e* 482 *d* 589 *b*
Valensa de Urgelles Barcinon. 426 *a*
† *Valentinus et Maximianus Ep. in Gallæcia* 368 *c*
† *Valentinus I, Ep. Interamn.* 353 *d* 372 *c d*

A *Valentinus Ep. Quinquecclesiensis* 609 *a*
† *Valentinus Ep. Tungrensis* 354 *f*
† *Valentinus Presb. Rom. M.* 353 *d reliquiæ Calcatæ in Ital.* 5 *b*
Valentinus Diac. S. Eugendi 53 *e*
Valentinus hæretic. 2 *sec.* 239 *e f* 666 *a b*
† *Valeriani M. reliquiæ in Picardia* 180 *a*
Valerianus Imp. 240 *f* 603 *c* 604 *f*
Valerius III, Ep. Cæsaraugust. 721 *c*
† *Valerii Archidiac. Lingon. M. reliq. in monast. Mellunden.* 58 *a*
† *Valerius M. Suess.* 460 *e f*
Varamus Rex Pers. 618 *e* 619 *a c* 621
Vartisclavus Princ. Wandaliæ 397 *b e*
Ubbo frater Nicolai Regis Daniæ 394 *f*
Ubbo Juta in Dania 12 *sec.* 398 *b*
Ubertinus de Casali ord. Minor. Scriptor 234 *a*
Ubertinus Spathalonga Com. Ital. 402 *c*
† *Udalricus Ep. Augustanus* 336 *e* 538 *a* 541 *c* 544 *b reliq. Pragæ* 720 *e*
Udalricus Ep. Pataviensis 341 *e* 347 *d*
† *Udalricus mon. Hirsaugiæ Ab. Cellæ Paulinæ* 336 *b* 342 *d*
† *Vedastus Ep. Atrebatensis* 110 *f* 124 *a d monast.* 158 *b c f* 159 *b* 160 *d*
B *Venedi pop. Boreal. German.* 391 *b c*
† *Veranus Ep. Cabellicarum* 636 *b d*
Verina uxor Leonis Magni Imp. 615 *b f*
† *Verisimus* 642 *f*
† *Veronus Conf. in Belgio* 514 *d*
Vespasianus Imp. 237 *b*
Vibo Suevus avus S. Wilielmi Divionensis 58 *d*
† *Vicelinus* 393 *c*
Victor Ep. in Africa 39 *a*
Victor Ep. Cenomanen. 330 *e* 331 *a* 332 *e*
† *Victor Ep. Neapolit.* 483 *c* 497 *a*
Victor, Victorius, aut Victorinus Ab. Scriptor Cycli Paschalis 354 *c*
† *Victoris reliquiæ in Limonico monast. Gal.* 94 *e monast. Genevæ* 67 *d*
† *Victoris M. Syri reliq. Pragæ* 720 *d*
† *Victorianus M.* 460 *e*
† *Victorinus frater S. Severini* 483 *b f* 484 *c* 493 *d* 499 *b* 500 *a b c* 501 *b c f* 739 740 741 742 743
† *Victorinus M.* 499 *c d* 500 *a* 502 *a*
Vigianus mon. Cluniac. Ep. in Scot. 162 *c*
Vigil, aut potius Egil. Ep. Senonensis 512 *b*
Vigilantia mater Justini Junioris 618 *f*
Vigilantius hæreticus 475 *b*
Vigilius Papa 499 *f* 500 *a* 625 *a* 743 *f*
C *Viglius Zuichemus Præses Concilii Belgici* 432 *f*
Viliateus, vel Juliateus, Afer 6 *sec.* 41 *f*
† *Vincentii monast. Cenoman.* 388 *e in Ital.* 713 *b Ticini* 680 *a Viennæ* 55 *e*
† *Vincentius Conf. apud Rutenos* 720 *a*
† *Vincentius Ferrerius ord. Prædic. Conf. Vannetis* 646 *d*
† *Vincentius Madelgarius* 515 *d* 534 *b*
Vincentius Pisanus 289 *a*
Vindemannus Belga 12 *sec.* 317 *a*
† *Vindicianus Ep. Camerac.* 513 *e*
Violantis uxor Alphonsi X, R. Castellæ 413 *e*
Virginius Anguillara Ital. 16 *sec.* 4 *f*
† *Viridiana V.* 632 *e* 637 *b*
† *Vitalianus Papa* 26 *Januar. et* 595 *c f* 596
† *Vitalis et Agricola MM.* 165 *e*
Vitalis Michael Dux Venetus 552 *c*
Vitalis Comes sub Alexand. Imp. 11 *c*
† *Viti M. Translat. reliq.* 95 *f* 111 *f* 186 *b d reliq. Pragæ* 720 *d in Ital.* 657 *d monast. de Isernia dictum* 498 *d*
Vivalus Ep. Passaviensis 546 *b*
Uldericus Ep. Patavinus 160 *b* 161 *a*
Ulfiardis Corbeiana Gal. 118 *d*
Ulricus Ab. Villarii in Brabantia 1 *f* D
Ulricus Ab. Prufeningensis 335 *f*
Ulricus de Cewren Ratispon. 344 *f*
Volusianus Ep. Carsulan. in Umbria 78 *c*
Volusianus Imp. 127 *b e*
† *Urbani Papæ M. reliq. Pagæ* 720 *d*
Urbanus IV, Papa 411 *c* 412 *d* 419 *b* 607 *f*
Urbanus V, Papa 422 *d*
Urbanus VIII, Papa 18 *c* 19 *a* 745 *a*
Urbanus Præses Cæsareæ Cappad. 472 *b*
Urbicus Ab. S. Hermetis in Sicil. 744 *f*
Uriel Angelus 12 *b*
Urraca ord. Cister. Hisp. 565 *f*
† *Ursicinus Ep. Ticinensis* 356 *a*
† *Ursinus Ep. Bituric.* 463 *b* 628 *d*
Ursmarus Goissonus Soc. Jesu 443 *e*
† *Ursulæ V, Sodalitas Massani in Ital.* 5 *e*
Ursus Patriarcha Gradensis 64 *d*
Ursus Particiacus Ep. Venetius 550 *c*
Ursus, sive Petrus Urseolus, Dux Venetorum 126 *c* 723 *b*
Ursus mon. in Norico 495 *a*
Uttan Ab. monast. ad Caput-Capræ 373 *e*

W

Wala, vel Walo, frater et successor S. Adalardi E 102 *b e f* 110 *f* 111 *d* 114 *c*
† *Walbertus Ab. Luxoviensis* 502 *c* 507 *a c* 510 *d* 598 *a*
Waldandius Ital. 8 *sec.* 714 *e f*
Waldemarus I, R. Dan. fil. S. Canuti Lawardi 390 *c* 391 *a* 394 *c d* 400 *a* 401 *c d e f*
Waldemarus II, R. Daniæ 400 *e*
Waldemarus, sive Jaroslaus R. Russorum 400 *e*
† *Waldetrudis vidua* 514 *e* 519 *f* 521 *a* 524 *d* 527 *a b* 534 *b*
Waldinus Ab. nepos S. Frodoberti 510 *c*
Waldo auctor hæresis Waldensis 412 *c*
† *Walericus Ab. Ambiani* 154 *a d*
Walo Ep. Metensis 529 *f*
Walthardus Ep. Magdenburgen. 182 *d*
Walterus Ep. Roffensis 304 *b*
Walterus Hoien Advocatus Valkenburgensis 306 *b* 321 *e*
Waltherus Rossensis Scot. 14 *sec.* 595 *d*
Waltmannus Ratisponen. 12 *sec.* 344 *a b*
Wamirus Ep. Trecensis 506 *f*
Wandali pop. Boreal. German. 391 *b c vastant Galliam* 56 *e*
† *Wandregisilus Ab.* 591 *d* 593 *a* F
Warnerus Canonic. Varlarensis 318 *d*
† *Wasnulphi translatio* 600 *f*
† *Wenceslaus Dux M.* 539 *c* 544 *c*
Wenemarus Advocatus Gandensis 523 *c* 527 *f* 530 *a*
Weomadus Ep. Treviren. 534 *e*
† *Werburga V.* 374 *a*
Wernerus Ep. Merseburgens. 664 *a*
Wibertus de Pictavia Comes 434 *b c*
Wibertus Œconomus S. Rigoberti 178 *b*
Wichtredus, seu Withredus R. Cantiæ 598 *a d*
Widricus Ab. monast. S. Apri 62 *c*
Wifredus Comes Barcinonensis 289 *a e*
Wifredus Comes Ruscinonensis 289 *e*
Wighart Presb. designatus Episc. Cantuar. 595 *c* 744 *c d*
Wilfridus Junior Ep. Eborac. 710 *e* 711 *e* 712 *a*
† *Wilfridus Ep. Wigorn.* 710 *b*
Wilhelmus Ep. in Catnesia Scot. 322 *b*
Wilhelmus Ep. Norwicensis 304 *e*
† *Wilhelmus Ab. Divionen.* 1 *Januar. et* 593 *f* 594 *a*
Wilhelmus Virgo Ab. Fiscani Gal. 594 *d*
Wilhelmus Hesius Pastor Venlonensis 306 *b* 321 *e*
Wilhelmus Amicus Pastor Hulsbergen. 306 *b* 321

A
Wilhelmus de Alis ord. Prædicat. 406 *f*
† *Wilhelmus Dux Aquitaniæ* 402 *d*
Wilhelmus Dux Tolosatium 727
Wilhelmus Comes Hollandiæ Imp. 307 *f*
Wilhelmus Dux Bavariæ Com. Hollandiæ 352 *a*
Wilhelmus Comes de Arundel 304 *b*
Wilhelmus Cripius Cancellarius Gelriæ 305 *a*
Wilhelmus Cripius alterius filius, Scriptor Vitæ S. Gerlaci 305 *a*
Wilhelmus Binzfeldt miles 12 *sec.* 314 *f* 321 *d*
Wilhelmus a Vetere Ponte Scotus 14 *sec.* 595 *a*
Willelmus Ep. Autisiodor. dein Paris. 638 *a e*
Willelmus Walcheus Ep. Hibern. 78 *f*
† *Willelmus Abbas Divione* 1 *Jan. et* 566 *b e*
Willelmus Com. Burgund. 61 *f*
Willelmus de Dono-Petri Belga 347 *f*
Willermus Ep. Gerundensis 415 *e*
Willermus Pontius ord. Prædic. 419 *c d*
Willesindus Ep. Pampelon 727 *e*
† *Willibaldus Scriptor Vitæ S. Bonifacii* 546 *b*
Wimanus mon. S. Vedasti, Scriptor 158 *c*
Winandus a Geldria Pastor Grunsueldensis 306 *b* 321 *e*
Winandus ord. Præmonst. 12 *sec.* 315 *c* 317 *c*
Winandus Balthasar Œconomus monast. S. Gerlaci 306 *a* 321 *e*
B
Winigardus interfector S. Salvii Engol. 703 *f*
† *Witburga V.* 627
† *Witgerus Comes, pater S. Gudilæ* 514 *e* 524 *b*
Wlnothus frater Wilhelmi I, R. Angl. 302 *b*
Wlricus Presb. Anglus 10 *sec.* 547 *e*
† *Wolfangus Ep. Ratisponen.* 344 *f* 533 *c e* 536 *e* 538 *a c e* 540 *f* 541 *a* 543 *d* 544 *a b* 545 *e f* 546 *d*
Wolframus mon. Prufingensis 344 *a*
Wolpherus R. Mercior. 709 *f*
Wopertus proavus S. Maximi Ab. 91 *a*
Woradus Comes Palatii Caroli Magni 383 *b* D
Worgresius Ab. Glastoniensis 598 *d*
Wulferus R. Merciorum 373 *f*
Wulgatus Ab. Pegelandiæ in Angl. 532 *e f*
Wulmarus de Nutegareshale Angl. 11 *sec.* 299 *c*
Wulwinus Spilicora Angl. 11 *sec.* 299 *c*

X

Ximenius Perrez Sagra Baro de Carcel Hisp. 428 *b*

Y

Ymma Trajecten. 317 *f*
Ynio, sive Ymo Comes Petracoricensis 726 *e*

Z

† *Zachariæ patris S. Joannis reliquiæ Constantinop.* 478 *d*
† *Zacharias Papa* 174 *c*
† *Zacharias Ep. Lugdunen.* 20 *d*
Zegherus Paullus ord. Carmelit. Scriptor Vitæ S. Telesphori Papæ 236 *a*
Zelicinthius Tribunus in Hellesponto 134 *a c*
Zenas Jurisconsultus, Scriptor Vitæ S. Titi Ap. 163 *e* 164 *b* E
† *Zeno Ep. Veron. Eccl. Eccl. Brixiæ* 257 *d Interamnæ* 373 *d* 471 *d*
† *Zeno Eremita* 479 *e f*
Zeno Imp. 483 *a*
† *Zosimus Papa* 479 *c* 480 *a*
Zoticus, sive Zozius in Hellesponto 4 *sec.* 134 *b* 135 *e*
Zuentepolcus filius Principis Slavorum 393 *a*
Zuinike nepos Henrici Principis Slavorum 393 *a*

C F

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

A D

INDEX TOPOGRAPHICUS
IN VITAS SANCTORUM
XI PRIORUM DIERUM JANUARII.

Litteræ A B C D E F, *itidem ut in præcedenti Indice, paginam signato numero expressam paribus intervallis dividendam monebunt : ut loci cujusque nomen qua parte paginæ reperiri possit ex additis litteris dignosci queat. Si nulla addita est littera, id argumento erit sæpius ea pagina idem occurrere nomen.*

Quæ loca Sancti alicujus ortu, morte, reliquiis nobilitata sunt, iis Sancti illius adscriptum nomen; sed ea solum expressa pagina, qua de Sanctis singulis locisve agi cœptum, licet frequentior eorum mentio fiat.

Quia vero prisca urbium multarum, præsertim in Galliis, antiquata nomina sunt, ac gentium ipsarum nomina pro urbium vocabulis usurpata, vel in recto, ut Tungri, Treviri, Remi, Parisii, Bellovaci, *vel in obliquo, ut* Atrebatum, Lemovicum, *etc. modernum præcipue usum sumus secuti : quandoque tamen ea ipsa gentium nomina, pro urbium nominibus posita in genitivo plurali reliquimus addita voce* urbs, civitas, *aut simili; ut* Senonum urbs, B Lingonum civitas, Turonum urbs, *etc. subinde alia quoque obliquo casu expressa sunt; ut* E Augari monasterium, Asphaltidis lacus, *aliaque id genus.*

A

Abdona, sive Avona, fl. Angl. 708 a
Abduana glarea, regio Ital. 623 b
Aberdona ur. Scotiæ 457 f
Abrinca ur. Norman. 304 b 389 f 390 a
Accinctum monast. Gal. 2 c
Achaia regio Græciæ 88 a 552 c
Acritas promontorium Bithyniæ 290 a e
Addua fluvius Ital. 622 e 623 e
Aderna fl. Hassiæ 383 a
Adipson ur. Ægypti, quæ et Geræ 326 c
Adintona l. Angl. 712 c
Adrianopolis ur. Epiri 672 a e
Adriaticus sinus 470 b
Adrumetum ur. Africæ. *Mavilus M.* 164
Ædui populi Gall. 463 b
Ægeum mare 552 c
Ægyptus 479 c 480 e *Isidorus Ep.* 84 *Paulus I Erem.* 602 *Macarius Alexandrinus Ab.* 84 *Theodorus mon.* 365 *Martyres sub Diocletiano* 241
Aeria, vel Aria, op. Artesiæ 158 f 159 b c
C Æsia fl. Galliæ 459 c
Æthamne, postea Eovesham, l. Angl. 711 e
Æthiopia. *Rutila, Claudia, Auriga. MM.* 82
Africa 483 f. *Victor, Felix et socii MM.* 19 *Aquilinus, Geminus et V socii MM.* 165 *a Martialis, Statulianus et X socii* 130 *Felix, Secundus et XII socii* 240 *Telesphorus, Florus et V socii* 323 *Epictetus Quintus et alii MM.* 567 *Saturus Vitalianus, Felicitas, Quintus, Artates* 602 *Philoromus, Eugenius, Quintus, Januarius, Saturninus, Vincentius* 666 *Salvius M.* 674
Agaliense monast. Hisp. 571 b
Agaunum monast. et opp. Helvet. 54 f
Agaurorum monast. in Bithynia 599 a *Vide* Augari.
Agrigentum ur. Siciliæ 343 c
Alaburgia locus Daniæ 397 a
Alamandorum-curtis in Gal. 179 c
Alara fl. Germ. 383 d
Alba Ducatus Hisp. 413 f
Alba ur. Galliæ 328 a
Albanum ur. Ital. 458 e
Alba-marla Comitatus Normaniæ 304 b e
Albiga ur. Gal. 316 e
Albis fl. 383 b e 393 e Albia 181 b
Alcetus mons Ital. 402 a
Aldenarda op. Flandriæ 95 c
Aldenburgum ur. Holsatiæ 391 a 393 b
Aldenvalkenborch vic. Belg. 306 d
Alemannia regio Germ. 336 b e 383 a 491 b 492 d 493 a 494 b 529 f Alemanni 53 a
Alençonium ur. Gal. 333 f 389 d
Aletha vel Alethum ur. Britan. Armor. 725 b
Alexandria 28 a 259 c 283 f 360 a 476 d 479 e 668 a c 670 a e 671 a c d. *Vitalius Ab.* 702 *Petrus, Severus, Leucius Conf.* 674 *Syncletica V.* 242
Alexis fl. Galliæ 68 c
Alga, seu Alega, insula prope Venetias 549 550 d f 551 b 553 b 564 d
Almunnia op. Hisp. 723 e
Alne loc. Angl. 711 c
Alpes 370 e 493 d 731 a e f Alpes Maiæ 369 b
Alsatia reg. Germ. 543 a f 744 d
Alsloa, sive Elsloo, l. ad Mosam 529 e f. *Vide* Haslou.
Altach monast. Bavariæ 336 b f
Altacumba monast. in Alpibus 348 a 353 a F
Altus-passus op. Ital. 651 b f 655 b 661 f
Amalga insula Hibern. 49 b
Amaranthum op. Lusit. *Gonsalvus ord. Prædic.* 640
Amastris ur. ad Pontum Euxinum 531 b c
Amberta loc. Gal. 69 e
Ambianum ur. Picardiæ 119 b c f 120 c e f 121 a 461 c 466 e. *Salvius Ep.* 703 Ambianense territorium. *Blidmundus, sive Gogus Ab.* 154
Ambresburia monast. Angl. *reliquiæ S. Melori* 136 b 137 a
Ambresley l. Angl. 713
Amiternum ur. Ital. 499 b 501 c 502 a
Ammodium ur. Armeniæ 621 c
Amorium loc. in Oriente 734 d
Amphilochia ur. Gallæciæ 721 c
Ampleat sinus maris Gallici 335 d
Anassus fl. Ital. 137 a
Ancona ur. Ital. *Marcellinus Ep.* 590
Ancyra ur. Galat. 83 c f
Andegavum urb. Gall. 331 c d Andegavensis ditio 505 b *Julianus M.* 557
Andilegum monast. Gal. 627 a

A Aneas pagus Palæst. 128 c f
Angaria, sive Angria, op. Westphaliæ 381 a f 482 d 385 e
Anglia 181 e 182 e *Elwanus Ep. et Medvinus* 10. *Melorus, sive Melior M.* 136 *Eduardus Conf. R.* 290 *Pega V.* 532
Anglia Mediterranea 373 b e 374 c
Anglia Orientalis 374 e f 375 a
Anicium ur. Gal. 66 d *Præputium Christi* 4 b
Antaradus ur. Phœniciæ 478 d
Antinous ur. Thebaidos, quæ et Antonoia, et Antinopolis, *Talida, sive Amata Ab.* 257 *an isthic passi SS. Julianus, Basilissa, Celsus et socii?* 572 c d
Antiochia ur. Syriæ 88 b 140 e 145 e 163 f 237 a 460 a 476 f 478 b c 479 d e 480 a d e 481 b 611 e 678 e f 681 a 685 e 734 c *Isidorus Ep. M.* 83 *Simeon Stylita* 261 *Lucianus Presb. M.* 357 *Clerus Diac. M.* 365 *an Julianus, Basilissa, et socii?* 571 572
Antiochia ur. Pisidiæ 164 a
Antiochiæ variæ celebres 572 b
Antrense monast. Gal. 505 e
Antverpia ur. Belgii 345 f 444 a *Præput. Christi* 678
Apamea ur. Syriæ 679 d
Apenninus mons Ital. 372 f
B Appia via Ital. 206 d 127 a 470 d
Aprilis lacus Ital. 402 f
Apulia regio Ital. 401 b
Aquicinctum monast. Belgii 157 d 453 f
Aquila ur. Ital. 502 d
Aquilegia, sive Aquileia 550 a b c *Paulinus Ep.* 713
Aquiria monast. Belg. 345 f
Aquisgranum, vel Aquæ-Grani, ur. inferioris Germ. 308 f 318 e 388 a 519 a e *Præputium Christi* 4 a
Aquitania 68 b 72 a 402 d 461 b 463 a 632 e *Fausta V. M.* 726
Aragonia 409 c e 412 b c 413 c e 415 417 e
Arciacum, Arciaca villa, op. Gal. 141 c d 146 d e 150 b
Ardahada, Ardaha, Ardaka, Ardraha, ur. Hiberniæ 533 f 534 c
Ardenna, sive Arduenna silva in Belg. 320 a b 529 a
Arelatum ur. Gal. 460 d 462 f 463 b
Aretium ur. Ital. 403 f
Argentoratum ur. Germ. 744 d
Argentrada villa Gal. 333 d
Argyropolis suburbium Constantinop. 481 f 482 a
Arhusa ur. Daniæ 182 d
Arida fl. Gal. 325 d
Ariminum ur. Ital. 484 d
Armenia 474 d 475 a
C Armentera monast. Gallæciæ 1 f
Arniensis vallis Ital. 650 c
Aroasia monast. Artesiæ 158 d
Arraioles l. Lusitan. 549 f
Arverni pop. Gall. 66 a 71 d 378 b e 460 d 463 b
Arvernicus pagus in Gall. 175 c
Arundel Comitatus Angliæ 304 b
Ascalon ur. Palæst. 259 a
Ascianum loc. Ital. 402 f
Asisium ur. Ital. 187 e 652 b 653 c 656 b f 659 b
Asloa ur. Norwegiæ 401 e 548 f
Asnense castrum Gal. 728 b
Asphaltidis lacus in Palæst. 689 e
Assus fl. Ital. 404 e
Astaris, seu Asturis op. German. 483 c 486 a e
Ategiæ pag. ad Sequanam 149 a b
Athenæ 236 e 481 c d
Athesis fl. Ital. 369 f
Athum op. Hannoniæ 437 e f 438 a e f 439 a 456 b
Atlanticum mare 25 f
Atrebatum urbs in Belgio 110 f 155 f 157 d 158 a b e 159 c d *reliquiæ S. Vedasti et aliæ* 124
Atroa 129 b
Attiniacum, vel Attigniacum vicus Gall. 184 a 383 f 384 e
Ava fl. Britan. Armor. 324 c D
Avallona mon. Angliæ quod dein Glasconia, jam Glastenbury 10 c f
Aulana, Aulona, sive Avelana, ur. Palæstinæ. *Petrus Bulsamus, sive Absalamus M.* 128
Aventinus mons Romæ 73 e
Avesna op. Belgii 447 c
Aufidus fl. Apuliæ 367 b
Augari monasterium in Bithyn. 598 b. *Vide* Agaurorum monast.
Augia alba, sive minor, monast. ord. Præmonstrat. in Germ. 723 a d Augiensis Eccl. 723 a d
Augusta urbs Ponti 589 b
Augusta Ausciorum ur. Gal. 185 f
Augusta Suessionum 325 b 326 a. Vide Suessio.
Augusta Vindelicorum 335 b d
Augustodunum ur. Gall. 50 e 66 a 168 c *S. Agrippinus Ep.* 49 *Eugenianus M. Egemonius Ep.* 473 Vide Ædui.
Avisella fl. Lusitan. 641 f
Avis, sive Avus fl. Lusitan. 641 f 643 a
Aulcester castrum Angl. 710 f
Avona fl. Angl. 708 b d
Aurea-vallis pag. Franciæ 149 c
Aurelia ur. Gall. 142 a c 144 d 153 a b d e 146 f 329 b 331 c d E
Auscum ur. Galliæ 90 c f
Austrasia 175 c 528 f 529 f
Austria 483 c
Autisiodorum ur. Gall. 139 b 144 c 145 a 289 f 382 f
Axona fl. Gal. 326 a

B

Baddesey l. Angl. 712 c 713 a
Baias monast. Sicil. 625 d
Bajoaria 727 e *Vide* Bavaria.
Bajoca ur. Gal. 390 d 726 f
Baleares insulæ 405 a 412 c d 424 c
Balla op. Hibern. 48 f
Balnea Reginæ, villa Lusitaniæ 550 a
Balthicum mare 391 b 395 b
Bamberga, sive Babenberga, ur. Germ. 337 e f 347 b 533 e 542 c
Banchor, vel Bangor monast. Angl. 162 c 719 c
Bannock fl. Scot. 395 d
Barcino ur. Catalauniæ 289 a 727 f. *Raimundus de Pennaforti ord. Prædic.* 404
Bardengau pag. Westphal. 383 f
Bardum ur. Germ. ad mare Balthicum 305 c F
Basilicaris porta Remis 176 f
Batavium, Batava, nunc Passavium, ur. Germ. 369 b d
Batavus insula Belg. vulgo Betua 529 c
Bavaria 483 b 533 b 534 a b 536 d 540 c 542 f 543 a b e 545 e 546 a b Baviarii 529 b
Bearria Principatus in Hibern. 47 c 49 e
Beerbach, sive Eberbach monast. Germ. 316 f
S. Bees-head loc. Angl. 333 d
Begonis-villa in Franc. 177 a
Belgica prima Galliarum 469 d 470 b e
Bellelanda monast. Angl. 390 b c
Bellicampus vicus prope Rhodanum 55 c 109 d 117 d
Bellovacum ur. Gall. *Lucianus Ep. Maximianus Presb. Julianus Diac. MM.* 459
Bellus-mons op. Belgii 432 d f
Belunum ur. Ital. *Salvator Ep.* 137
Benchor, sive Banchor monast. Hibern. 47 f 48 b f 79 a 719 e
Beneventum ur. Ital. 101 a 114 a d 667 c 673 b c e 713
Benigworth l. Angl. 712 c
Bennefense littus Africæ 37 f
Benyagutth l. Angl. 713 a

A Bercheria prov. Angliæ 299 c 304 e
Berge villa Belg. 314 d 316 e
Bergomum ur. Ital. 353 d 622. *Domno M.* 241
Berniciorum regnum 375 e
Beroea ur. Syriæ 481 b
Bersoniacum villa Gal. 72 d
Bertemum pag. Brabantiæ 95 e
Berullus vic. Gal. 388 e
Bessi populi Boreales 367 d f
Besve fons Gall. 60 d
Betelini-mons Gal. 176 c
Bethlehem ur. Judææ 696 f
Bettulia ur. Germ. 484 b
Bezuense monast. Gal. 57 e 58 a 60 d
Binchium op. Belgii 455 b
Binsfeldt vicus Juliæ 314 f 321 d
Biterræ ur. Gall. 633 b d
Bithynia regio Asiæ 35 f 164 e 337 c f 531 e
Bituricæ ur. Gal. 463 b Bituriges 77 d *Guilelmus Ep.* 627
Bitzianus vicus Calabriæ 598 b
Blacnestum castrum Gall. in portu Iccio 335 d
Blandinium monast. Gandavi 122 d 173 e f
Bloer pag. territorii Tungrensis 316 a
Bobiliniaca villa Gal. 175 b
B Bobium monast. Ital. 154 a *Bladulphus mon.* 94
Bocholt loc. Germ. 383 a
Bohemia 539 c
Boitro loc. Noricorum 491 f 492 e
Bolzanum op. ad Athesim fl. 369 f
Bonna op. Germ. 529 a e
Bononia ur. Ital. 2 d 406 b 408 b c d 410 f 411 a 413 d 535 e 559 f 560 b 564 d *Caius Jactus, Heraclus MM.* 19 *Hermes, Aggæus, Caius MM.* 165
Bononiensis ager. *Macarius Romanus* 90
Bononia ur. Belg. 335 a d
Bosporus 479 c 481 f
Bosporus Cimmerius 531 b
Bostra ur. Arab. 698 c
Brabantia 513 514 e 515 c 522 d 524 b c *Pharaildis V.* 170
Bracanetum villa Gal. 175 b
Bracara ur. Lusit. 407 a 411 c 549 f 641 d 643 b
Bradfortun l. Angl. 713 a
Braggecte monast. Gal. 378 e
Brandenburgica Marchia 391 c
Breitenaw monast. Hassiæ 322 c
Bremaur. Saxoniæ inferioris 95 f *Libentius Ep.* 180
Bremetense monast. Gal. 71 f
Brefortona l. Angl. 712 c 713 a
C Brige monast. Gal. *S. Setrida Ap.* 626 c 627 a
Brila op. Holland. 332 c
Briniciacus, fundus Gal. 726 f 728 e
Britannia 138 a 139 a
Britannia Armorica, *reliq. S. Melori* 725 b
Brivaciacus, vel Briniciacus, loc. Gal. 728 b e
Brivate op. Gal. 66 b d
Brixia ur. Ital. *Rusticianus Ep.* 257 *Benjaminus et Maximus MM.* 429
Buelle silva in Anglia 299 b
Brugæ ur. Belgii 458 d *Torphimus Ep. Hamariensis* 548
Brundusii *Leucius Ep.* 667
Brunus fl. Ital. 402 f
Brunfingense, sive Briverungense monasterium in German. 335 b *Erminoldus Ab. M.* 335
Bruxellæ ur. Belg. 172 e f 444 a 451 b 453 c *Gudila V.* 513
Buccensis Præpositura diœc. Bremen. 181 d
Buchtun l. Angl. 713
Buda ur. Hungar. *reliquiæ S. Pauli I. Erem.* 607 e f 609 b d f
Bugus fl. Poloniæ 400 e
Bulgaria 447 f 531 b
Burdigala ur. Gal. 727 a
Burgetus lacus in Alpibus 348 a D
Burgum S. Domnini op. Ital. 463 a
Burgundia 175 c 434 c *Eugendus Ab.* 49
Burni, seu Furni, loc. Africæ 44 b
Businca fl. Rhætiæ 490 b
Byzacium regio Africæ 33 a 37 c e 40 c 43 d e
Byzantium 282 d

C

Cælius mons prope Ephesum 300 b
Cæsaraugusta ur. Hispan. 415 c
Cæsarea Cappad. 28 e 472 b 589 a *Basilius Ancyran. M.* 83 *Gordius Comes M.* 130
Cæsarea Mauritaniæ. *Marciana V. M.* 568
Cæsarea Palæst. 128 b c 129 a
Cajeta ur. Ital. 99 d e f 531 f
Calaris ur. Sardiniæ 40 e 42 c 242 e *Pompeianus M.* 324 *Julianus M.* 355
Calcata pag. Ital. *Præputium Christi* 4 f 5 a b
Calcegius pagus Normanniæ 591 c 592 a
Calciacensis provincia Normanniæ 595 a c f
Cale monast. Gal. 627 a
Calmiciacus villa Galliæ 175 c
Camarciacum loc. Gal. 176 d
Camaldulensis eremus 402 a c
E Cameracum ur. Belg. 157 c e 172 f 439 e f 447 c 451 a 454 f 455 c 514 a f 529 e 530 e
Camerinum ur. Ital. 499 b 502 a
Caminum ur. Germ. 397 f
Campania Ital. 485 c 487 f
Campania prov. Gal. 175 c
Campaniaca villa Gal. 175 b
Campus Peregrinorum Placentiæ Ital. 80 b
Candia ur. Cretæ. *caput S. Titi* 164 e
Caniacum op. Gal. 150 b
Cantia fl. Belg. 391 e
Cantium, quæ et Cantia regio Angliæ 299 f 334 f
Cantuaria, ur. Angl. 292 d 300 e 304 a *Petrus Ab.* 334 *Adrianus Ab.* 395 *Britwaldus Ep.* 397
Canusium ur. Apuliæ 366 f 367 a 673 a
Capena porta Romæ 470 d
Capitulien. Episcop. 77 a
Cappadocia 54 c 130 b 360 e *Carterius Presb. M.* 472
Capræmons castrum Belgii 513 e 528 e
Carbonaria silva in Belgio 528 f 529 b d f
Carcel loc. Hispan. 428 b
Carinthia 718 e
Carmelus mons 236 c f 237 238 240 a
Carnutes pop. Gal. 463 b Carnotum urbs 68 f 725 b
F Caroli-locus mon. Gal. 629 a b e 635 b c d 636 c f 637 f
Carolomontium op. Belgii 432 f
Carosium, seu Corosium, monast. Pictonum. *Præputium Christi* 4. 719 c
Carpetania prov. Hispan. 164 e
Carsula ur. Umbriæ 78 c
Carthago 32 f 33 a 36 c e 40 a e 41 a b c 43 a b d 483 a
Cartobra villa Gal. 175 b
Carus loc. Gal. 69 e
Casale ur. Montisferrati 80 c 162 b
Casselia, vel Cassilia, ur. Hibern. 533 f 534 c
Cassinum monast. Ital. 98 b c 112 f
Castella regnum in Hispan. 412 b 413 c d e 427 b
Castellana insula Venetiis 550 c 556 a
Castellaris vicus Catalaniæ 429 d
Castellum S. Crucis op. Ital. *Oringa, sive Christiana V.* 650
Castellum-Florentinum op. Ital. 652 f 657 b
Castellum-Francum op. Ital. 652 f 653 d 660 a
Castilio Piscaliæ op. Ital. 402 d f
Castricensis vic. Gal. 176 d
Castri-locus, Montes Hannoniæ, 519 f 527 b

Catalaunia

A Catalaunia 289 b 410 e 412 c 415 b 419 a
Catana ur. Siciliæ 124 c e
Catnesia prov. Scotiæ 322 b
Caturca ur. Gal. 91 c d 93 a 722 a
Cava monast. et op. Ital. *Benincasa Ab.* 627
Cayr pag. Belg. 306 d
Cea, Ceos, aut Cia insula Ægei maris 531 d
Cedron flu. Judææ 683 c
Cellence monast. sive Cella S Bobini, aut S. Petri de Cella 505 c 508 d
Cellia loc. Ægypti 87 f
Celmanes urbs, Clemanense territorium 91 a c
Celsinanias, vel Celsinias, monast. Gall. 69 e
Celtiberia pars Hispaniæ 723 e
Cenomani pop. et ur. Gall. 331 a c 333 c *Aldricus Ep.* 387 389 f
Centula monast. Gal. 110 f 722 e
Cerasiacum monast. Gal. 390 d
Cestria ur. Angl. 304 b
Chalcedon ur. 454 f 474 e 475 b 478 d
Chersona ur. Tauricæ Chersonesi 531 a c f 532 a
Chientus fl. Ital. 502 a
Chierno locus agri Bononiensis 90 e
Chilmi scopulus Africæ 44 f
Chimacum op. Belgii 430 f
B Chinoboscium vicus Thebaid. 675 c f
Chios insula 532 c
Choras monast. Ponti 532 a d
Chunigard, seu Russia 395 d
Cicestria ur. Angl. 304 b
Cilicia 140 e 261 c 275 a 276 a 678 b. *Zosimus mon. et Athanacius Commentariensis MM.* 128
Cimbrica Chersonesus 393 d
Cininia, vel Cinninia, aut Cinania, nunc Citania, ur. Lusitan. 641 f 643 a
Circina, vel Cirtina insula Africæ 44 c
Cistercium monast. 126 f 438 d
Citania ur. Lusitaniæ 641
Clarus mons ur. Arvernor. in Gall. *S. Stabilis Ep.* 57
Clavasium op. Ital. 80 c
Clavicus vicus ad Crosam fl. 91 a
Claya fl. Gall. 327 e
Cliva ur. Belg. 310 f Clivia regio 515 d
Clodia insula Ital. 552 c f 553 d
Cluniacum monast. Gal. 57 f 60 a 62 a 162 b 390 b *Odilo Ab.* 65 69 *e reliquiæ S. Pauli I, Erem.* 607 d
Clusium op. Ital. 404 e
Cluvia, Veltkirch, op. Rhætiæ 369 b
Coggeshall monast. Angl. 374 f
C Collaticia porta Remis 176 f
Colmelecta villa Gal. 179 a
Colonia Agrippina 314 f 317 d 318 b 381 d 385 c f 386 387 a 406 f 529 a e 534 f
Commagenis op. Norricorum 486 b e
Comum ur. Ital. 372 d
Conachtia regnum Hibern. 48 d
Concha fl. Ital. 497 c e
Concha ur. Hispan. 413 e
Condatescense monasterium, sive Contatiscone, seu Jurense, jam S. Claudii. *Eugendus Ab.* 49
Condatensis urbs in Pictavis 563 d
Confluentina regio in Catalaunia 288 f 289 d
Conimbrica ur. Lusitaniæ 550 a
Consentia, seu Cosentia, ur. Ital. 736 c d
Constantia ur. Cypri 744 d
Constantia ur. Gal. 331 d
Constantia ur. Germ. 356 d 723 a d
Constantinopolis 83 f 323 b 447 d 458 e 549 d 552 c 736 c *Atticus Ep.* 473 *Cyrus Patriarcha* 531 *Marcianus Presb.* 609 *reliquiæ S. Pauli I, Erem.* 608
Coppenheda myrica Daniæ 393 d
Corbeia fl. Picardiæ 118 a
Corbeia monast. et op. Gall. 461 a *Alardus Ab.* D 95 722 b
Corbeia monast. Westphaliæ 95 e f 107 b e 111 e 117 a b 722 b
Corcyra insula Ionii maris 561 a
Corneciacum villa Gal. 176 c
Cornuallia prov. Angl. quæ et Cornubia 136 b 304 b *Melorus* 136
Cortebergh pag. Brabant. 172 e f
Cosna op. Slaviæ 397 e
Cotham l. Angl. 711 e
Coventria ur. Angliæ 304 d 711 b d
Courtenay loc. Gal. 723 c
Cremona ur. Ital. 549 c 563 f
Creta insula 289 c. *Titus Episcopus* 136
Crispinium monast. Belgii 454 f
Crosa fl. Gal. 91 a
Croylandia monast. Angl. 532 b e f
Cucullis castellum Noricorum 489 b
Cucumi monasterium in Sicil. *Theoctistus Ab.* 180
Culcitra loc. Ital. 549 c
Culmissiacus villa Gal. 175 d 178 b
Cumæ op. Ital. 74 a
Cumbria regio Angl. 533 d
Cunetio fl. Angl. 304 e
Curba pag. Flandr. 121 f E
Curcella loc. Gal. 175 a
Curia ur. Rhætiæ 369 b
Cusanum monast. Hispan. *Flamidianus M.* 288
Ad Cutilyas aquas loc. Ital. 499 b 502 a
Cyprus ur. Thebaidis 604 b
Cyprus insula 163 f 394 f *Nicanor Diac.* 601
Cyrus ur. Syriæ 277 f 278 c
Cyzicum ur. ad Propontidem 135 f 476 e 481 d 482 f 532 d

D

Dacia regio *Nicetas Ep.* 365
Dacia Aureliani Mediterranea 367 f Ripensis 367 a d f
Dacia pro Dania 391 a 400 f
Dalminio fl. Picardiæ 180 b
Dania 111 e 181 a b c e 182 a 294 c d e 295 a c d 298 a 390 f 391 e 393 394 395 396 397 400 401 458 d
Danubius fl. 486 d e 490 b 491 a 494 d
Daphne suburbium Antiochiæ 285 d
Dara ur. Armen. 620 f 621 d
Dardania 367 a b
Dariorigon urbs Venetor. Britan. Armor. 328 f
Debenus fl. Angl. 375 a F
Decium op. Ital. 622 b e f
Deirorum regnum in Angl. 375 b e
Delphi ur. Holland. *Gertrudis ab Oosten V. Begina* 348
Delphinatus provincia Gal. 154 c
Dengy prov. Angl. 374 f 375 a
Derbe ur. 164 a
Dertusa ur. Hisp. 415 c e
Derventio fl. et urbs Angliæ 302 c
Devonia prov. Angl. 728 ef 729 a
Dicuntia fl. Noricorum 487 a
Dinewerch, vel Dennewerck, agger Danorum contra Saxones 394 a d
Divio castrum, ur. Burgund. 168 f 169 b *Guilielmus Ab.* 57 *Paschasia V. M.* 566 *Florida V.* 617 *Eustadius Ab.* 726
Divinovus fl. Germ. 397 e
Domnonia prov. Angliæ 728 c f
Donum-Petri pag. Belgii 447 c f
Donum-Stephani pag. Belgii 432 d
Dor vicus Catalaniæ 426 d
Dorobernia, Cantuaria 335 a Dorovernia, 595 b 596 c

A Dorsetensis prov. Angl. 547 b
Dorustadum ur. Belg. 529 d
Dragina, sive Traina, ur. Siciliæ 124 b
Draverna op. Gal. ad Sequanam 149 b
Drepana ur. Bithyniæ 357 c 362 c 363 c
Druentia, seu Durantia, aut Durentia fl. Gal. 69 d
Ad Duas tumbas locus Gall. 512 b
Ducis-roda op. Belg. 309 d 316 f
Duria, seu Marcodurum, Duren, ur. Juliæ 314 f 382 d
Durius fl. Lusitan. 640 a b 641 a
Durobriva ur. Angliæ, quæ et Roffa 302 c

E

Eberbach monast. Germ. 316 f
Ebora ur. Lusitaniæ 549 f
Eboracum ur. Angl. 302 a 458 f
Eboriacas monast. Gall. 626 c
Ebroica ur. Normanniæ 304 b 463 b
Edessa ur. Mesopotamiæ 359 c
Ehenheim villa regia in Germ. 534 e
Eidora vel Egdora, aut Egidora fl. Daniæ 393 b d 394 d
Eleutheropolis ur. Palæst. 128 b c f
Ellantium monast. Gal. *Rogerius Ab.* 182
Elna, sive Helena, ur. Catalauniæ 288 c
Elsa fl. Ital. 404 e
Elosa, sive Elusa ur. Galliæ 90 c f
B Elyensis Episcopatus in Angl. 304 b c
Embrica ur. Cliviæ ad Rhenum 449 a
Eoveshamense monast. 708 709 712
Ephesus 300 b
Epirus regio 552 c 563 c
Eresburgum castrum Saxoniæ 382 c d
Erethini, seu Erythini, insulæ Ponti Euxini 531 c
Erpsa pag. Brabant. 172 e f
Essendia monast. et opp. Germ. 317 a 331 d
Essexia regio Angl. 304 b
Ethan, seu Ettan, loc. Palæst. 683 d
Etruria 181 a. *Oringa, sive Christiana V.* 630
Evesham monast. Angl. 598 d
Euphrates fl. 620 b
Euringi, forte Thuringi 383 b
Exalada vallis Catalauniæ 289
Exonia ur. Angl. 304 b

F

Fabiana in Norico, Vienna Austriæ 458 b
Facecchianum op. Ital. 653 b 658 f
Falcarias villa Gal. 512 b
Falcoburgum ur. Belg. *Gerlacus Erem.* 304
Falstria insula Daniæ 399 e
Faverianum, seu Fabrianum op. Ital. 501 e 502 d
C Favianæ, quæ et Fabiana castra, Vienna Austriæ 483 c 484 c 486 d f 487 b 488 c 492 a b 494 a
Feira pag. Lusitaniæ 550 a
Feltria ur. 497 e
Feppingum ditio regni Merciorum 373 e
Ferdi loc. Saxoniæ 383 d
Ferda ur. Germ. 182 a d
Ferraria ur. Ital. 560 b
Ferrosii pop. Hibern. 48 b
Fervaquium vicus ad fontes Somonæ 154 c
Fidenciacum territorium Gal. 727 c f
Fifa prov. Scot. *Filanus Ab.* 594 b
Fines, sive Fimæ, opp. diœc. Remensis. *Macra V. M.* 324 f 325 a
Finne, vel Fionia, insula Danica 181 f 395 a d
Firmitas loc. Gal. 69 e
Firmum ur. Piceni. *Alexander Ep. M.* 675
Fiscanum, seu Fiscannum, Fiscaninense monast. in Norman. 57 b f 60 f 590 c f 591 592 593 e 594 a *Waningus Conf.* 590
Flandria 158 c f 159 f 173 b e 299 f 302 a 353 a 390 f 447 f 548 c f. Flandria Marchionatus 121 c 722 e
Flaviobriga Hisp. 571 c
Fledamburch monast. Angl. 709 a 710 a 711 e 712 f
Florentia ur. Ital. 560 b D
S. Florentii-veteris monast. Gal. *Maurontus Ab.* 505
Floridus-campus monast. Frisiæ 235 c
Flusor fl. Ital. 500 b 502 a
Fobaria op. Hibern. 48 b
Fons Ebraudi monast. Gal. 390 e
Fontis-Joannis monast. Gal. 639 c
Fontanella monast. Gal. 505 e
Forum-Julii prov. Ital. 714 b c
Fossanum op. Ital. 81 d
Francia Orientalis 388 a
Franconofurt ur. Germ. 716 c 717 a
Frenegal. op. Hispan. 723 e
Fresia, sive Frisia 181 b 318 c 329 c 597 b
Frisinga ur. Bavariæ 369 a b 731 a
Frislaria op. Germ. 382 c
Froshwel, forte Penta, fl. Angl. 374 f
Fructuarense monast. Ital. 57 c 61 e
Fulcheria ins. 623 e
Fulda fl. Germ. 322 c
Fulginium ur. Ital. *Angela vidua* 186
Fundi in Campania 127 a

G

Gabardilla loc. Africæ 35 d
Gælia op. Hibern. 48 b E
Gallæcia prov. Hisp. 402 b
Gallia Narbonensis 406 d 412 d
Gandavum castrum 122 d ur. Flandriæ 170 b 172 d 173 c d e Gandense castrum 524 a 529 c
Garganus mons Ital. 402 b 651 f 655 e 673 f
Garsten monast. Austriæ 342 a c d
Gavalitanus pagus in Gal. 175 e
Gebenna, pro Geneva 52 e 75 c
Geetbroech pag. Brab. 172 f
Gemblacum op. et monast. Belgii 514 d
S. Geminiani op. Ital. 404 a
Gemmeticum monast. Gal. 57 e 292 d
Geneva ur. Gal. 69 e
Genlade fl. Angl. 597 f
Gentianus fundus Neapoli 498 f
Genua 552 e
S. Germani monaster. Parisiis 57 e 58 a
Germanicia, sive Germanicorum urbs in finibus Ciliciæ, Syriæ, Cappadociæ: patria Nestorii 89 c e
Gerniaca-curtis loc. Franciæ 174 c 175 a d 178 a b c
Gerrum, vel Geræ ur. Ægypt. *Nilammon reclusus* 326
Gertrudenberg op. Holland. 348 f
Gerunda ur. Hisp. 411 b 415 c e 422 d 425 a 426 e
Getæ populi Boreales 367 e f
Gids pag. Flandr. 376 e F
Glamorgania regio Walliæ 723 b
Glanna, nunc S. Florentii-veteris monast. Gal. 505 a e
Glastonia, sive Glasconia monast. Angl. 293 e 294 b
Glaworna, sive Glocestria, ur. Angl. 291 f
Glenderchy Scot. 594 e
Glindesmoor palus Germ. 181 c
Glocestria ur. Angl. 291 f
Gloma, Glomna, Glouva, monast. Gal. 505 a
Gohardi-insula, villa territorii Laudun. in Gall. 503 e
Gollianum monast. Gal. 567 a
Golopia, sive Gulpene pag. Belg. 316 b
Gortyna ur. Cretæ 163 e
Gorzense monast. Gal. 64 e
Gothia regio Borealis 392 c 397 a b 398 e
Gothia regio Galliæ 727 e
Gotinga Ducatus Germ. 394 d
Gotwicum, sive Kotwik monast. ad Danubium 342 a d
Governia, forte Glovernia, Ducatus Angl. 595 d
Gradus ur. Ital. 550 b c 566 a 713 c f
Græcia. *Spolicostus, Palladas, Candida MM.* 335
Grandi-montensis eremus Gal. 636 b c
Grinianensium monasterium Vien. Gal. 55 e
Groeninga ur. Frisiæ 345 f

A Grossetum ur. Ital. 404 a
Gruntsfeld pag. Belg. 306 b
Gryphiswaldum ur. Germ. ad mare Balthicum 395 c
Gusciana fl. Ital. 651 a f
Gutilla loc. Palæst. 689 e

H

Hafnia ur. Daniæ 395 b
Haga Comitis ur. Hollandiæ 349 c 352 f
Hahele districtus Germ. 181 c
Ham pagus Brabantiæ 513 b e 520 d f 527 f
Hamaria ur. Norvegiæ. *Torphimus Ep.* 548
Hammaburgum ur. Germ. 180 f 181 a e Hamburgum 392 a e
Hamburne l. Angl. 713 a
Hampton l. Angl. 712 c
Hannonia prov. Belg. 432 d 434 b e 447 f 456 b
Hasa fl. Westph. 383 e 384 a
Hasbania regio Belgii 310 c Hasbanicus pagus 529 e
Haslachius fl. Sueviæ 722 c
Haslou loc. Belg. ad Mosam 529 d *Vide* Alsloa.
Hassia 383 a
Hatula provin. German. 181 b
Hautun 713 a
Heer pag. Belg. 306 d
B Helena, vel Elna, ur. Catalauniæ 280 c
Helenopolis ur. Bithynia. *reliq. S. Luciani Presb. M.* 357 361
Hellespontus. *Theogenes, Primus Cyrinus* 133
Helpra fl. Hannoniæ 155 c 434 b 446 c
Heraclea ur. Bithyniæ 135 f 531 c
Heraclea ur. Hispan. 356 c
Heraclea ur. Lucaniæ 356 f
Heaclea. *Felix et Januarius MM.* 356
Herbipolis ur. Germ. 346 e
Herefordia Angl. 291 f
Heriensium loca, vicina Burgundiæ 53 a
Herle castrum ad Mosam 317 e
Hermopolis major, sive Hermipolis, ur. Thebaidos 721 e
Hermopolis parva in Ægypto prima 721 e
Herodium Palæst. 683 d
Herstallum vicus Belg. 383 a
Hervordia op. Westphal. 381 a *reliq. B. Wittikindi* 385 e 733 c
Herus, sive Heri insula Gall. aut Nera 102 a 104 d 115 b c 722 b
Herwig portus 391 e
Hiaspolis, et Hiatospolis, sive Ratisbona 543 f
Hibernia 447 c 533 d f 534 a b *Mochua, sive Cuanus*
C *Ab.* 43 *Mochua sive Cronanus, Ab. Ballensis* 47
Hierapolis ur. Asiæ 458 e
Hierosolyma 74 c 163 f 259 a 282 d 289 f 394 f 447 b 459 d e 479 e 539 a 643 e 644 681 a *Vitalis, Stephanus MM.* 82
Hildesheim ur. Germ. 336 b
Hinniacum monast. Belg. 158 c
Hinsberga op. Belg. 312 a c 319 b
Hippodromus locus Constantinopoli 610 c
Hirsaugia monast. Germ. 335 b 336 b e f 337 c d 347 b
Hispalis 166 d
Hispania. *MM. XIX, Agentus, Donatus et* alii 674
Hockezele pag. Brabant. 172 e
Hoelant pag. Belg. 306 e
Hohenburch castrum Germ. 534 e 744 d
Holsatia regio 384 a 391 e 392 a 393 c d 399 b
Holthem vicus Belg. 306 a
Homburen l. Angl. 712 c 713 a
Homme l. Angl. 709 Houme 712 c Haum 712 f
Hostalricum op. Hispan. 427 f
Huicces prov. Angl. 711 e f
Hulsberch pag. Belgii 306 b 321 e
Humber, sive Humbria, olim Abus, fl. Angl. 302 a
Humeligem pag. Brabant. 172 b f D
Hungaria 484 b Hungari 529 b f Hungri 67 c
Hunni 528 d
Huntindonia, regio Angliæ 302 c
Hy, vel Hu, et Iona insula Scotiæ 373 e 374 a 375 f
Hydruntum ur. Ital. 366 f 531 d 672 a

I

Iberi, *Georgiani* 277 a
Iconium ur. Lycaon. 164 a 482 b 744 e
Jecora fl. Belg. 316 a
Ilerda ur. Hisp. 411 b 415 c e 425 c
Illyricum 481 d 563 c Illyricum mare 552 c Illyricus sinus 112 a
Inda monast. Belg. 529 e
Insuegritani in Afr. 568 b
Insula ur. Belgii 122 c
Insulæ Germanicæ S. Petri, in Gallia prope Trecas 505 f 506 a 508 d
Interamna ur. Ital. 2 d. *Valentinus Ep.* 372 *Claudius, Carbonanus, Tibudianus, Planius MM.* 471
Interamnensis regio Lusitan. 641 a
Jona, sive Hu, insula 374 a
Jopia op. Noricorum 492 b
Jotrum monast. Gal. *reliquiæ S. Pauli I, Erem.* 607 d
Isara fl. Gal. 134 c E
Isauria regio 267 a
Isernia ur. Ital. 498 d
Isis fl. Angl. 297 b
Ister fl. 489 b
Istria regio 550 a b
Ithancestria ur. Angl. 374 d f
Ituna sinus in Britan. 373 f
Juba op. Noricorum 490 a
Judæa 475 a b. *Theodosius Cœnobiarcha* 680
Juliacum regio et ur. Belg. 307 a 529 e
Julina insula maris Balthici 397 e
Julinum ur. Slaviæ ad mare Balthicum 397 b
Jumignium pag. Belg. 432 e
Ad Juncas loc. Noricorum 488 b
Jura, seu Jurassus, Jurense territorium 75 c Jurense monast. sive S. Claudii. *Eugendus* 49
Jurgensburgum castrum prope Slesvic. 396 b
Jutia regio Daniæ 183 d 391 d f 392 c d 394 e 399 b
Juvavia, seu Salisburgum 458 a 490 e

K

Keara Principatus Hiberniæ 48 e
Kentawicum ur. Belg. 391 d
Kiminius lacus Hibern. 48 d
Kinwartun l. Angl. 713 F
Kissamensis Episcop. 549 b
Kotwik, sive Gotwicum monast. Austriæ 342 a d

L

Laberianum 714 f
Lætiæ monast. Belgii. *Ven. Ludovicus Blosius* 430
Lalandia insula Daniæ 400 b
Lamacum ur. Lusitaniæ 550 a
Lambrus fl. Ital. 623 d
Lanceium monast. Ital. 57 f
Laodicia ur. Syriæ 470 f
Larius, sive Comensis lacus 623 e
Latina porta Romæ 469 b 470 d
Laudense op. Gal. 73 a
Laudunum ur. Gal. 172 d *Balduinus Archidiac. M.* 502 Laudunensis pagus 176 c 177 a
Lavinus fl. Ital. 90 d
Laura fl. Judææ 683 d
Laureacum ur. Germ. 484 b 491 b d 493 a b e 494 a e 730 e
Laurissa, vel Laurishemium, et Lorsacum monast. Germ. 337 a d 338 f 357 c
Lausana ur. Gall. 355 a

A Ledunensis pagus in Gal. 512 a
Ledus fl. Gal. 333 f
Legercestria Comitatus Angl. 304 b
Legia fl. Flandr. vulgo Lisa 172 d 173 d e
Legio ur. Hispan. 734 d
Lembeca pag. Belgii 514 d
Leodium ur. Belg. 172 d 309 c 310 b 315 e 320 b f 432 d f 529 a 534 f
Leonicum ur. Ital. 549 c f 560 c 561 b
S. Leonis oppidum, in Ital. 497 c e
Leontini ur. Siciliæ. *Lucianus Ep.* 136 *S. Thecla V. et Justina* 601
Lemovicini pop. Gal. 460 d Lemovicinus pagus 175 e. *Valericus Eremita* 617
Lestinghem monast. Angl. 375 d
Lethæus, sive Oblivionis, fl. Lusitan. 641 d
Leuci pop. Gall. quorum urbs Tullum 463 b
Levinnus lacus Hibern. 48 c
Leutheavic loc. Angl. 712 c
Lexovium ur. Norman. 304 b
Lillintona l. Angl. 712 c
Liburnensis portus Ital. 662 d
Libya 472 c f 733 c
Libya regio Ægypti 87 f
Liciacum loc. Gal. 151 a
B Lichfeldia ur. Angliæ 404 b 373 b *plures MM.* 82
Liestmona districtus Germ. 181 c
Ligeris fl. Galliæ 68 c 142 c 147 a 175 b
Limia fl. Lusitan. 641 d
Limiacum pag. Gall. 149 c
Limonicum monast. Gal. ad Rhodanum. *Maximus Ab. M.* 92 f
Limonium fl. Gal. 92 f 94 e
Limpurgum monast. Germ. *reliquiæ S. Neophytæ V. M.* 156 b c e 167 f
Limricum ur. Hibern. 1 c
Lincolnia ur. Angl. 298 e 304 b
Lindisfarne insula et ur. Angl. 323 a 374 c 375 d
Lingones pop. Gal. 463 b 507 b Lingonum civitas 60 c 61 e 62 d *Gregorius Ep.* 167
Lipara insula 601 c f 744 c
Lippia fl. Germ. 381 d 382 d 383 b
Lirinus insula et monast. 54 c f 65 c 102 f 114 e *Marinus* 55 719 f
Lise villa ad Mosam 315 e
Lith, sive Ledi, aut Lidi castrum Gal. 333 d f
Litia loc. Gal. 325 d
Lobiæ monast. Belgii 111 e 514 b 516 d 529 f
Locus-Regis monast. Gal. 182 f 183 a
C Lodunum Gal. 505 b
Lominium op. Britan. Armor. 392 a
Londa, vel Lundia, ur. Daniæ 394 d 401 f
Londinum, seu Londonia, ur. Angl. 292 c d 296 c 299 a 304 a 458 a 547 e 548 a d *Cedda, sive Ceddus Ep.* 373
Longfordensis Comitatus in Hibern. 543 c
Longobardia 58 d 731 a f
Loreia ur. 714 f
Lotharingia 170 e 172 c d 523 b f 528 e 529 b d f 530 b f
Lovanium ur. Brabantiæ 95 e 434 f 435 b c 436 a c d 443 c 444 a 453 456 b 524 a
Louenne fl. Gal. 333 f
Lubeca ur. Germ. 391 e 393 c e 396 b
Luca ur. Ital. 655 d 660 c
Lucensis loc. Gal. 76 a
Luciacum monast. Ital. *reliq. S. Januarii M.* 59 a
Lucio ur. Gal. 508 a
Luckstadium op. Holsatiæ 393 e
Lucullanum castrum juxta Neapolim 483 b c 497 a c e f 498 a b c 499 d 734 e
Lugdunum 52 b 140 d 145 c 469 c 505 c
Lugus fl. Poloniæ 400 e
Luka monast. Saxoniæ 78 e
Lupiæ ur. Calabriæ 366 f 367 a b
Lutetia Parisiorum 463 b D
Lutra monast. ord. Præmonstrat. in Germ. 723 a d
Lutra fl. Germ. 723 e
Luvenich loc. Belgii 316 d
Luxovium monast. Gal. 507 a 508 a
Lyncorchaygi fl. Hibern. 46 f
Lystra ur. 164 a

M

Macedonia 163 c 243 b 478 a c 479 e
Marcloviopolis ur. Britan. Armor. 323 a
Mæotis palus 112 a
Magariassus vicus Cappad. 663 b 685 b
Magdeburgum ur. Germ. 182 a 309 c
Magia, Meinfeld op. Rhætiæ 369 b
Magiense, vel Majense castrum Tirol. 369 a 370 a b 730 c 731 a b
Majorica insula 412 c
Mairy mons Hibern. 47 a
Malavallis loc. Ital. 402 f
Malbodium opp. Belgii 515 d 519 f 521 a 527 b
Maldonia loc. Angl. 374 f
Malmesburiense monast. in Angl. 304 b 710 a
Malmundarium et Malmundariæ, monast. Belg. 529 a e
Malsia ur. Ital. 70 e
Marchtallense monast. ad Danubium 723 a d E
Marcianense monast. Belg. 157 d
Marcodurum, sive Marcomagum op. Juliæ 315 e
Mardes, castellum Armen. 620 f
Marechia fl. Ital. 497 c e
Mareolum monast. in Atrebatibus *Bertilia V.* 155 a
Maretium pagus Ital. 137 b
Margarita villa in Cadurcis 91 c
Margraten pag. Belgii 306 d
Maricolæ, Mariliæ, Mareoliæ, seu Mariliacum monast. Hannoniæ 155 c
Marisiacum l. Gall. 150 a c d f
Marogilum loc. Gal. 150 f
Marsna, Marsana, Mersen, pagus, olim palatium regium in Belgio 309 b d 310 b f 313 d 316 b 320 f 321 a
Martiacum castrum Britan. Armor. 329 c
Martinæ loc. Belgii 516 d
Martius pagus Ital. 653 d
Martyropolis ur. Armen. de Persis recepta per S. Domitianum 519
Massanum pag. Ital. 5 a e
Massilia 175 c 595 f Massiliense territorium. *Defendens et socii MM.* 80 721 b
Mayeldesbeordy l. Angl. 713 a
Maxey castrum Angl. 532 c F
Mechele pag. Belgii 316 e
Mecklenburgica ditio German. 391 c 393 c
Mediolanum 312 f 372 b 484 b 492 f 549 c 552 f 559 f 560 f 561 a *Martinianus Ep.* 89 *S. Joannes Camillus Bonus Ep.* 622
Mediomatrices pop. eorum urbs Metis 529 b
Meduana fl. Gal. 331 e 333 f
Medweagus fl. Angliæ 302 c
Mela fl. Cappadoc. 472 e
Meldæ ur. Gal. *reliq. S. Melori* 136 b 141 c 142 a e 146 f 147 c 725 b Meldense territorium 626 c
Meldunense monast. vel Malmesburien. 709 a b
Meledunum, vel Milidunum, op Gal. *Aspasius* 721 d
Maleygaresbery l. Angl. 713
Melitene ur. Armen. *Domitianus Ep.* 618
Melundense monast. Gal. 57 e 58 a
Menæum op. Siciliæ. *Euprexia vidua, et Theognia V.* 240
Merania ur. Tirolis 369 b c
Merce, seu Merciorum regnum in Anglia 373 e f
Meroe, sive Meros, vicus Syriæ 274 e 285 b d
Mesopotamia 282 d 479 b
Metæ, vel Metis, ur. Gal. 61 d 463 b *Patiens Ep.* 468
Metaurus fl. Ital. 502 d

A Miauroy vicus Gal. 466 b
Milliacum loc. Gal. 464 c
Millius mons Galliæ 464 b e 466 b
S. Miniati oppidum in Etruria 654 b 662 a
Minda ur. Saxon. 384 a 389 e
Minius fl. Lusit. 640 a 641 a
Minorissa ur. Hispan. 422 e
Misenate castellum Ital. 498 c
Misnia prov. Germ. 394 d
Missarum insula, in Scot. 595 a
Mithia provin. Hibern. 48 b
Modoetia, nunc Monza, op. Ital. 623 d
Mœsia, vel Mysia 496 e
Mogarisus, vel Magariassus, pagus Cappad. 681 a
Mogia principatus Hiberniæ 49 b
Moguntia, vel Moguntiacum urbs Germ. 2 d 18 a 309 e 343 a 384 f 529 e 534 f 546 f
Molenbeca vic. Belgii *reliquiæ S. Gudilæ* 530 d
Mons-S. Eligii monast. Artesiæ 135 f 138 e 139 b e
Mons-Falconis castrum Gal. 637 c
Mons feretratus, vel Feretrus, op. Ital. 49 c e
Mons-Feletes, seu Filetus, castel. 496 f 497 c e 498 c
Mons-Regalis ur. Siciliæ 627
Mons-Seletus, vel Siletus, in Ital. 497 e
Montes ur. Hannoniæ 437 e 447 c 456 b 521 a
B Mons Alcetus, vel Montalcetum, loc. Ital. 402 f 404 a
Monsonium, seu Montio, ur. Aragoniæ 411 b
Morgus fl. Ital. 80 c
Moritolium loc. Gal. 390 a d
Mortum l. Angl. 713
Morzella pag. Belgii 513 e f 516 d 520 a d e f 521 c e 522 e f 523 d 524 a f 527 b d e f 528 e f 530 b
Mosa fl. Belg. 319 e 332 a 432 e 529 a
Mosella fl. 382 f
Muciana, vel Mocesia Cisterna Constantinop. 610 a b
Mulmarchim, seu Molenarck, castrum ditionis Juliac. 312 f 313 a
Murcia ur. Hispan. 412
Ad Murum villa regia Angl. 733 c 374 c
Musceium loc. Galliæ 175 a
Mutina ur. Ital. 559 f
Mygdonus fl. Armen. 621 e

N

Namnetes pop. Gal. 327 e 331 d 458 f 505 b e
Namurcum ur. Belgii 432 e
Napurch castrum Germ. 345 d
Nar fl. Ital. 373 d
Narbona ur. Gal. 460 d 463 a Narbonensis Gallia 534 b 535 d
Nazianzus ur. Cappad. *Gregorius Senior Ep.* 21
C Neapolis 499 c d e 564 e *reliq. S. Severini Presb.* 483 743 *an S. Severinus Ep.* 457 c
Nemetes pop. Germ. 166 c
Nemetodorus pagus Franciæ 138 a 143 c
Nemmicus villa Gal. aliis Memmicus 180 a
Nemus-Darbrechum op. Hibern. 48 e
Neoburgum monast. Austriæ 488 b
Neomagum ur. Belgii 528 f 529 d
Nepe op. Ital. 701 b c
Nertobriga ur. Hispan. 723 e
Nervii populi Belg. 435 d 524 b
Neuburgum monast. Angl. 390 f
Neustria, vel potius Westria, occidua pars Gal. 175 c
Nicæa ur. Bithyniæ 481 e 482 d e 531 e
Nicomedia ur. Bithyniæ 135 f 531 e f 723 c 734 d *Euphrosynus Ep. Priamianus, et socii MM.* 20 *Lucianus Presb. Antiochen.* 337 *Theopemptus et Theonas, seu Synesius* 127 723
Nicopia ur. Daniæ 400 b
Nidrosia ur. Norvegiæ 548 f
Nigella ur. Lotharingiæ 172 d
Nigemunster op. Holsatiæ 393 e
Nilus fl. Ægypti 85 c
Niridanum monast. Campaniæ Ital. 595 c D
Nisibis ur. Mesopot. 619 c 620 f
Nitria mons in Ægypto 64 b 88 a 721 e
Nivel pag. Belgii 315 e
Nivella, seu Nivigella. et Niviala op. Belgii 513 e 519 f 521 a 527 a
Nola ur. Ital. 365 c
Nonnaris loc. Gal. 728 b
Nordalbingi populi Boreales Germ. 399 b
Norici 543 b d Noricum regio German. jam Austria. *Severinus Presb.* 483 734
Noricum Ripense 485 b d 486 a 489 b
Nordmannia, sive Sueonia 182 d
Normanni, Dani 383 b d
Northampton ia prov. Angl. 532 c
Northumbria prov. Angl. 167 f 373 c 374 b 375 b d e
Nortmannia Gal. 120 b 292 e 300 e 301 c 303 c
Nortona l. Angl. 712 c
Norwegia 181 d 182 a 295 e 299 d 301 f 302 401 e f 548
Norwicum ur. Angl. 304 b
Notzule Comitatus Angl. 304 b
Nova civitas Mœsiæ 496 e 497 d
Nova-villa loc. Galliæ 175 a
Novaria ur. Ital. 80 c
Novesium ur. Germ. 529 e E
Noviomagum, sive Noviomum ur. Gal. 73 e f 706 a 727 b f
Noviomagum ur. Belgii 382 e
Novocomum ur. Ital. 164 e
Nozthre monast. Hungar. 607 f
Nuntorum, sive Vintorum territorium in Africa 38 c
Nussa, sive Novesium op. Germ. 529 a
Nutte pag. Belgii 317 b

O

Obotriti populi Boreales. *Canutus Lawardus Rex* 390
Oblivionis flumen in Lusitan. 641 e
Ockerseel pag. Brab. 172 f
Odeleveum pagus Ital. 80 f
Oenus fl. Germ. 484 d 486 e 491 f
Offeham l. Angl. 712 c
Ogniacum monast. Belg. 235 e
Olto, sive Oldus, aut Olitis fl. Aquitaniæ 91 f 722 a
Olympus mons Bithyniæ 598 b f
Omania regio Hiberniæ 48 d
Or mons Gal. 178 b
Ora, sive Ocra fl. Saxon. 384 b d
Orcades Insulæ Scotiæ 2 d
Orcia fl. Ital. 404 e
Orciana vallis Ital. 404 e F
Oria ur. Ital. 673 e
Orna ur. Slaviæ 397 b
Osca ur. Hispan. 411 c 413 d 415 c e
Ostarnalt sinus maris Danici 394 d
Osterlingi populi Germ. 381 f
Ostrogard, Russia 395 d
Ostrevandensis Archidiaconatus apud Atrebates in Belgio 139 d
Ostvali Saxones 381 f
Otergoviensis Ecclesia 609 c
Othona ur. Britan. 375 a
Ottonia ur. Daniæ 395 d

P

Pacis pratum in territorio Ticinen. 356 a
Paderborna, sive Patresbrunna, vel Paderbrunnen, ur. Westph. 381 d 382 d 383 f 385 a
Padus fl. Ital. 356 b
Palæstina 475 b 533 f
Palma aurea loc. Romæ 37 d
Pampelona, vel Pampilona ur. Hisp. 727 e Pampulana 67 d
Pamphylia 480 a 482 b

A S. Panagiæ insula 552 c 553 c
Pannonia 483 c 484 b 486 a 487 d 734 f 735 b d
Panormus ur. Siciliæ 124 f 550 a 551 b 744 f 745 a d
Pantswel fons Pentæ fl. 374 f
Panus fl. Germ. 397 e
Paphus ur. Cypri 163 f
Papia ur. Ital. 69 e 70 c 74 f 356 549 c *Aldus Erem.* 627
Parethia civitas ad Hellespont. 133 c 134 a
Parisii 463 b *Genovefa V.* 137 725 *Rigoberti* 728 e
Parium ur. Asiæ ad Hellespontum 134 a
Parma ur. Ital. 463 a
Parthenium mare 28
Passavium ur. Germ. Patavium 483 491 b f 492 b 493 a 546 b Pataviensis civitas 341 f 347 d *Valentinus Ep.* 638
Patavium ur. Ital. 549 f 556 a *Daniel M.* 160
Paterniacum monast. Gal. 75 b
Patmos insula 469 b
Patræ ur. Achaiæ 52 e
Peagkircke pag. Angl. 532 c e
Pegelandia monast. Angl. 532 e f
Peliso silva Hungar. 607 e
Pelusium ur. Ægypti 326 c
Penbroechia Comitatus Walliæ 304 b
B Peniscola insula 427 d
Penta fl. Angl. 374 d
Perge ur. Pamphyliæ 163 f
Periblepton monast. Constantinopoli 610 e
Perpinianum op. provinciæ Ruscinonen. 745 c
Persia 323 b Persis 479 b
Petragorici in Gallia 463 b Petragorensis Episcop. 79 b *Frontasius, Severinus, Severianus, Silanus MM.* 79 721 b
Petroburgum monast. Angl. 532 e
Pettinwimeum monast. Scot. *Filanus Ab.* 594 b
Phanagoria ur. ad Bosporum Cimmerium 531 b
Philadelphia ur. Asiæ 236 e
Philippi ur. Macedoniæ 367 a b
Phocetium op. Ital. 653 f
Phœnicia 478 d
Phrygia 134 c
Phrygia Pacatiana 477 c
Picardia prov. Gall. 464 e
Picentinus ager in Ital. 500 b
Pictavi pop. Gal. 114 d 563 d Pictavensis Comitatus 402 d Pictavicus pagus 175 e
Pinciatensis districtus Galliæ 149 c
Pisa ur. Ital. 662 b
Piscalus mons Ital. 402 f
Placentia ur. *Plures MM.* 80 *reliquiæ S. Macarii*
C *Romani* 90 d *Victorinus Ab. Lucas, Ambrosius, et Privatus monachi* 289
Placium, sive Placio, monast. Britan. Armor. 327 f 328 d f 329 c 330 b
Plavis fl. Ital. 137 a 497 e
Plimus fl. Angl. 728 c
Podium ur. Gal. 630 f 637 b
Pomerania regio German. 391 c
Pontenatense monast. 235 c
Pontus regio Asiæ 164 e 531 b c 744 e
Pontus Cilicius 678 b
Pontus Euxinus 481 f
Porcense territorium Gal. 174 d 176 d
Portana villa prope Ticinum 356 b
Portlandia, sive Vecta, insula Angl. 547 b
Portuensis Episcopatus 74 f
Portus ur. Lusitaniæ 549 f
Potentia fl. Ital. 502 a
Praga 544 c 638 c d 734 a 744 a d *reliquiæ variorum SS.* 720 721 a
Pratea monast. Gal. *reliq. S. Faustæ V. M.* 726 f
Pratense monast. in Cenomanis 388 e
Prelius, Perelius, Prilis, Prillis, lac. Ital. 402 f 404 e
Priveningense, vel Prufingense monast. Germ. 335 f D 338 342 b e f 345 f 346 e
Proconnesus insula Propontidis 571 e
Prolaces mons Ital. 500 c
Prolaqueum op. Ital. 502 a
Prota insula 599 b
Prulliacum castrum Gal. *reliq. S. Melanii Ep.* 327 e
Prumia monast. Belg. 529 a e 534 f
Purgum op. Noricorum 487 b
Pyrenæi montes 727 b

Q

Quaderibbe, vel Quaderubbe, pag. Brabant. 172 e f
Quantia fl. Belg. 391 e
Quentawic ur. Belg. 596 a
Ad Quercum l. in Chalcedonensi suburbio 474 e
Quinquecclesiæ ur. Hungar. 609 a
Quintanense castellum Noricorum 458 b 493 a

R

Raceburgum op. Germ. 393 e 394 e
Raculfum monast. Angl. 597 c 598 a
Radingum monast. nunc op. Angl. 304 b e
Rameseia, vel Ramseia, monast. Angl. 302 a
Ramsola loc. Germ. 182 a E
Raosidus, vel Rausidus vicus Gall. 176 c
Rapolis mons Ital. 653 d
Ratisbona ur. Germ. *Erardus, et Albertus, Epp.* 533 546 744. *Firminoldus Ab. M.* 335
Ravenna 483 f 559 f 564 e *Severus M.* 20
Redincheim, sive Reckem, castrum Belg. 320 a
Redomatum loc. Gal. ad Sequanam 151 b
Reganesburch, Ratisbona 716 e Reginoburgum, 458 b 491 d 493 e 533 f 534 c 543 f
Regius, vel Rigius, lacus in Hibern. 534 c
Remi ur. Campaniæ 122 a 183 f *Rigobertus Ep.* 174
Remense territorium. *Macra V. M.* 324
Reomaus monast. Gal. 57 e 58 a *Joannes Ab.*
Resa ur. Cliviæ 515 d
Rhætia prov. Germanica 369 b 495 e 543 a *Evantus et Hermes MM.* 21
Rhætia secunda 490 b e
Rhedonum urbe in Gal. 389 f 390 a *Melanius Ep.* 327
Rhegium Lepidi ur. Ital. 372 b
Rhegium ur. Calabriæ 672 a 734 f 735 a
Rhegium, seu Rescium l. prope Constantinop. 615 c
Rhenus fl. 310 b 318 b 382 f 383 a 543 a
Rhodanus fl. Gal. 55 c 56 b 60 c 69 d 80 f 92 f
Rhodus insula 287 482 c
Ripa ur. Daniæ 181 f 182 a d 992 d
Ripuaria regio inter Rhenum et Mosam 529 a e Ri- F buariorum regio 174 d
Riu de Arenas pag. Cataloniæ 424 b
Rivus monast. Gall. 69 e
Roceium loc. Gal. 175 a
Rodba fl. Hibern. 48 e
Rodense castrum, sive Ducis-roda, op. Belg. 316 f 317 a
Rodense Claustrum, monast. Belg. 309 c d 310 c 321 a
Rodonicus pagus in Gal. 175 c
Roffa ur. Angl. 302 b 304 b
Rollaria, seu Rosselaria, op. Flandriæ 376 b c
Romæ *Præputium Christi* 4 5 *Martina V. M.* 11 *XXX milites MM.* 20 *Almachius, sive Telemachus M.* 31 *Anterus Papa* 127 *Priscus Presb. Priscillianus Diac. Benedicta* 165 *Dafrosa vidua* 166 *Telesphorus Papa M.* 236 c *Æmiliana V.* 287 *Agatho Papa* 623 a *Hyginus Papa* 665 *Pauli Erem.* 744 e
Ronsereium monast. Gal. 331 e
Rosafelda Præpositura Germ. 182 a
Roschildia ur. Daniæ 391 b f 392 d 394 e 395 b 396 d 399 d 400 b c f 458 d

A Rosendalense monast. in Brabantia 162 c
Rossomannum in Sicilia 322 b
Rosus op. Ciciliæ 678 b 679 c
Rostra-Domnini, Constantinopoli 610 a 612 a c d 613 c
Rotenensis pagus Aquitan. 74 c
Rotha fl. Sueviæ 722 c
Rotha ur. Hispan. 411 b
Rothum, sive Rodium, monast. Sueviæ. *B. Odino, sive Otteno ab.* 722
Rotomagum ur. Gal. 57 b 328 a 463 b 505 e
Rotumna fl. Gal. 175 b
Rugia insula maris Balthici 394 f 395 c
Rura fl. Belgii 315 e
Rurœmunda ur. Belg. 304 c 305 a b 321 e 433 d
Ruspa ur. Africæ. *Fulgentius Ep.* 32
Russia, seu Ruzia 395 c d
Rusuccuritanus Episcopatus in Mauritania 568 b
Rusveguritanum municipium Maurit. 568 b 569 b
Ruthenia, seu Russia 395 c 400 e
Ryngstadium ur. Daniæ 400 c 401 a d f

S

Sabec Palæst. 688 d
B Sabis fl. Belgii 155 c 432 e
Sabrina fl. Angl. 708 d
Sala fl. Thuringiæ 383 b
Salo fl. Hisp. 723 e
Salamis urbs Cypri 163 f
Salaria via 9 c
Salebro fl. Ital 402 f
Salernum ur. Ital. 403 d
Salesberia, sive Salisburia ur. Angl. 77 c f 304 b
Salinghenstadium op. et monast. Franconiæ *Clarus monachus* 65 720 d
Salisburgum ur. German. 458 b Saltzburg 546 b
Salmurum op. Gal. 505 b e
Saltford l. Angl. 713
Samburne l. Angl. 713
Samnium regio Ital. *S. Tatto* 713
Samosata ur. Syriæ 359 c
Sanctæ vicus Belgii 516 d
Sanctones pop. Gal. 463 b Sanctonica ur. 727 a
Sardinia 32 d e 37 e 40 a 41 f 42 b
Sarta fl. Gal. 333 f 388 e 389 d
Saviniacum monast. Gal. *Vitalis ab.* 389
Saxia, Xenodochium Romæ 4 f
Saxonia regio Germaniæ 107 b 111 e 116 e f 117 c 181 b d 316 b c 381 382 383 d 384 385 393 d
C 398 f 399 b f
Saxonia Occidentalis in Anglia 297 301 d 374 f
Saxonia Orientalis in Angl. 374 b c f 375 a d
Saxum vicus Ital. 404 e
Scania, Scandia, et Scandinavia prov. Daniæ 356 c 394 e
Scelmæ opp. Belgii 122 b c
Scete, seu Scithia, aut Scithium regio Ægypti 85 c 86 a 87 f 88 e f Scetis, et Scete eremus Ægypt. 260 d 261 d
Schawenburg Comitatus German. 393 d
Schireburnia ur. Angl. *Wulsinus Ep.* 547 d
Schœnbergh Comitatus in Germ. 322 c
Scythia 367 e f
Sconia, sive Scania, prov. Daniæ 181 f 394 b
Scopolus, mons Ciciliæ 679 c d *Theodosius Antiochenus* 677
Scotia 181 e 534 a b 535 d 541 e 545 d f
Scupi ur. Mysiæ superioris 376 a b
Sebaste ur. Palæstinæ 447 e
Sebaste, vel Sebastia ur. Armeniæ 458 f 474 d 475 a *Petrus Ep.* 588 744
Seburici pop. Gall. 727 e
Secundiacensis parochia in Gall. 51 f
Seduni populi Alpini 81 a. *Guarinus Ep.* 347
Seleucia ur. Syriæ 163 f 289 c 290 b 679 c D
Senonum urbs Gal. 153 a 512 b *Anastasius Ep.* 389 *Honobertus et Honulphus Ep.* 288
Senense territorium. *Albertus Erem.* 402
Senna fl. Belgii 322 a
Septempeda ur. Ital. *Severinus Ep.* 499 739
Sequana fl. Gal. 141 c 146 c 148 d 149 b 151 b 459 c
Serius fl. Ital. 623 e
Sesamus ur. ad Pontum Euxinum 531 c
Sesan, sive Sisan, castellum Ciliciæ 261 e 275 a
Sewerus, vel Swirus fl. Hibern. 534 c
Seyna fl. et castrum Germ. 317 c
Sialandia, Scelandia, Seland insula Daniæ 181 f 391 f 394 f 395 a b
Sicambria prov. Belg. 503 c
Siccense territorium in Africa 35 d
Sicila, sive Sicilia, vicus Galliæ aut Britan. 18 a
Sicilia pr. 125 180 b 403 d 475 f 488 d 532 d 735 d
Sida ur. Pamphiliæ 480 a 482 b
Siferinga pag. Austriæ 488 b
Sigeberga ur. Holsatiæ 393 e
Sigeburgum castrum Saxoniæ 382 d
Sigma locus Constantinopoli 610 a b
Sildswick l. Angl. 713 a E
Silis fl. Ital. 557 c e
Silo op. Judææ 475 a
Siloe fl. Palæst. 683 e
Silva-major monast. Gal. 95 c 111 c
Silviniacum monast. Gal. 65 b c 70 f 76 e 77 b d
Sineus fl. Hibern. 534
Singarum ur. Mediæ 621 b
Sinonnus fl. Hibern. 48 d
Sipontinus Episcopatus Ital. 673 f
Siracheremus Scot. 594 e
Sirmium ur. Pannoniæ. *Maximianus, Acutio, et alii VII MM.* 80 *Anastasius M.* 324 *Anastasius, Jucundus et socii* 470
Slavania, vel Slavia, regio Borealis Germ. 181 a b 182 d 381 f 391 a c d 392 d 393 a b 394 a 395 c f 396 c 397 b 398 d 399 b 401 c
Sleswicum, seu Sliaswig, ur. Dan. 181 f 182 d *Canutus Lawardus Dux* 390
Slia fl. aut sinus ad mare Balthicum 391 d 393 b d
Sliestorffium, sive Sleswicum ur. 391 d
Smyrna 469 c *Vitalis, Revocatus, Fortunatus et IV alii* 567
Snella locus Angl. 713
Solemniacum monast. Gal. 376 e 377 c 378 a 379 e *reliquiæ S. Faustæ V. M.* 726 f 727 b f 728 F
Sollar portus Majoricæ 411
Somma, sive Somona, aut Somena, fl. Picardiæ 118 b 154 c 459 c
Sontal mons Saxoniæ 383 c
Sopia fl. Gal. 179 c
Sorabi Slavi 383 b
Soracte mons Ital. 701 b c e
Spira ur. Germ. 166 e
Spoletium, vel Spoletum, ur. Umbriæ 101 a 114 a d *Concordius M.* 9
Sporades insulæ 470 d
Stabiæ ur. Ital. 5 a
Stabulaus monast. Belgii 529 a e
Stabulum Rhodis loc. Ital. 402 e f
Stada, seu Stadium ur. Germ. ad Albim 181 b c 391 e
Stamfordbrig loc. Angl. 302 b
Starigard, sive Aldenburgum, ur. Holsatiæ 393
Sterlingum op. Scot. 545 d
Steingadense monast. in German. 723 a d
Steynockerseel pag. Brabantiæ 170 b 172 e
Stora fl. Holsatiæ 393 e
Stormaria regio Holsatiæ 393 d 399 b
Stradford monast. Angl. 711 e f

Stralesundum,

A Stralesundum, seu Stralsunda, ur. Germ. ad mare Balthicum 395 c 397 f
Streanesheala monast. Angl. 375 f
Strela, seu Strala, fretum et insula maris Balthici 397 b f
Strigonium ur. Hungar. 235 c
Strumense monast. Belg. 158 e
Stubbecopia ur. Daniæ 400 b
Studium monast. Constantinopoli 610 c
Sublaqueum loc. Ital. 502 a
Subtus-rocca loc. Gall. 91 f 92 b
Sueonia, sive Suecia, vel Suedia 181 b e f 182 d 391 f 394 e f 395 c 397 a d 400 e
Sueguritana civitas Maurit. 568 b
Suessa Ducatus Ital. 416 a c
Suessio ur. Gal. 102 c 114 c d 460 e f 461 c
Suevia regio Germ. 58 d 336 d 385 d e 722 c
Suffolcia prov. Angl. 375 a
Suippia fl. Gal. 175 b
Summæ-vela, vicus Campaniæ Gal. 326 a
Summus, sive Suma l. Ital. 356 b
Suppentonia l. Ital. *Anastasius Ab. et IX monachi* 701
Surrentum ur. Ital. 497 c
Susacim loc. Palæst. 683 d
Swirus fl. Hibern. 534 c
B Syca monast. Palæst. 696 d
Symnio monast. Gal. 376 c
Synnada ur. Phrygiæ 290 a e 477 c d
Syracusæ ur. Siciliæ 36 e 37 b *plures Martyres* 9
Syria 140 e Syriæ provincia ord. Prædicat. 406 d

T

Tabennense monast. in Ægypt. 85 d 87 a 676 f 677 e
Tænarus locus Constantinopoli 615 c
Tagilde pagus Lusitan. 641 f
Taguntia fl. Noricorum 488 b
Tama fl. Angliæ 297 b
Tamaca fl. Lusitan. 640 b 642 b 645 ponte sternitur a B. Gonsalvo Amarantho 646 647 648 e
Tamara fl. Angliæ 728 c
Tamisis fl. Angl. 374 d 708 d
Tardonensis pagus in Gal. 175 b 176 c
Tarraco ur. Hisp. 407 a 410 d 411 a c e 412 b c 415 b e 424 d 428 f
Tarsus ur. Ciliciæ 361 b 593 c
Tartaria 653 f 659 b
Tarvisium ur. Ital. 557 d e
Tavestoka monast. Angl. *Rumonus Ep.* 728
Taurica Chersonesus 531 a
Tauricella mons Ital. 402 f
C Taurinum ur. Ital. 73 f 74 a 80 c f 81 b 372 b
Tavus, seu Teavus fl. Angliæ 728 c
Taxovarii in Gall. 176 e
Telanisus pag. Syriæ 275 f
Teleda pagus Syriæ 275 c d
Tellepte ur. Africæ 33 a
Terioli pop. Rhætiæ 369 c
Terræ Sanctæ provincia ord. Prædicat. 405 c
Teruana, sive Taroana ur. Belg. 119 f
Teruensis pagus Gal. 728 b
Terulius mons Galliæ ad Rhodanum 92 f
Tethis fl. Catalaniæ 288 f
Teutisca, seu Teutonica lingua 109 b 116 d
Teutones populi Daniæ et Germ. 396 f
Thalampsyn vic. Syriæ 265 e
Thamesis, vel Tamisis, fl. Angl. 296 e 297 b
Thara fl. Galliæ 464 b e 466 b 468 b
Tharsia ur. Calabriæ 598 b f
Theac-mochua loc. Hibern. 45 e 47 d
Thebais, seu Thebaida provin. Ægypti 84 c f 87 a *plurimi MM. sub Diocletiano* 241. *Paulus I, Erem.* 602 *Palæmon anachoreta* 675
Thebais inferior 603 c
Thecua loc. Palæst. 683 e
Theodonis-villa op. Belg. 383 d D
Theopolis, Antiochia 286 b e
Theorascia ditio Galliæ 434 b
Therina fl. Gal. 464 e
Thessalonica ur. Macedoniæ 74 c 88 a 366 f 367 a b 482 e
Thœdus, vel Thoeda fl. Gal. 505 b
Thorneia, Westmonasterium Londini 296 c
Thosanum, sive Dustanum, monast. Belg. 458 d 548 b
Thracia 366 e 475 b 479 c
Thuringia 383 b 385 d 493 b 494 b
Thuscia regio Ital. 9 d
Thynia pro Bithynia 734 d
Tiburnia ur. in Norico 458 b 491 546 b
Ticinum ur. Ital. 59 b 72 f 73 a 94 c 462 e 463 a *Crispinus I, Ep.* 356 *Crispinus II, Ep.* 372 *Maximus I et Maximus II, Ep.* 471 *Honorata V.* 80
Ticinus fl. Ital. 356 b e
Tifernum Metaurense op. Ital. 502 d
Tifernum Tiberinum op. Ital. 502 d
Tigris fl. 620 b
Tilaburgum ur. Angl. 374 d 375 a
Timnim loc. Belgii 528 f
Tina fl. Angl. 377 f
Tipasitanus Episcopatus in Mauritania 568 c 569 b E
Tipperariensis Comitatus in Hibern. 534 c
Tiraso, vel Turiaso ur. Hispan. 415 e
Tirolis, Tirioli 369 b c f
Tironium, seu Tyronium monast. Gal. 390 b c
Titas mons Ital. 484 d
Titemellus campus Westph. 383 e
Tittlestromp l. Angl. 713
Toletum 353 b 463 a *an isthic passa S. Marciana* 568 f
Tolo op. Arvernorum 77 f
Tolosa ur. Galliæ 159 c 409 d 460 d 462 f 463 a
Tolosana provincia ord. Prædicat. 407 a
Tomi ur. Ponti 133 c 134 b 135 c f 367 a b *Argæus, Narcissus, Marcellinus MM.* 82
Toparius mons Ital. 660 b
Tornacum ur. Belgii 122 b 173 d 451 b
Tornodorum op. Gal. 57 e 58 a
Tossa portus Catalaniæ 410 e
Trajectum Mosæ ur. Belgii 305 a 306 d 308 d e 309 f 312 d 313 a 314 e 315 e 317 d 319 e 320 c e 434 c 529 a e
Traina, Troina, Trajanopolis, Dragina, ur. Siciliæ *Silvester mon.* 224
Tranium ur. Ital. *reliquiæ S. Leucii* 667 672 673 F
Transalbiani populi German. 181 a
Travena fl. Holsatiæ 393 c
Trecacense oppidum Gall. 506 e Trecassium civitas, 141 e 505 c 506 c 507 d 508 b c 512 b *Frodobertus Ab.* 505
Tremonia ur. Westphaliæ. *Reinoldus M.* 385
Treviri 174 c 344 c 458 f 463 b 529 b 533 e 534 a c e f 536 b 540 b 542 b c 545 d f *Selsus Ep.* 164
Tribulum, sive Tribulæ, ur. Ital. 9 c
Tridentum 369 a b 730 c
Triocala ur. Siciliæ 719 c
Troas ur. Asiæ 163 c
Trogessus loc. ad Pontum Euxinum 531 c
Trojanus vicus Ital. 590 e
Trotmannia, Trotmanni urbs, sive Tremonia, ur. Westph. 386 f 387 a d
Troyforde l. Angl. 712 d e
Tubinga ur. Germ. 723 d
Tudis ur. Gallæciæ 368 c
Tullum ur. Gal. 62 c
Tulpiacum op. Germ. 529 a
Tungri ur. Belgii 316 a 434 c 529 a
Tunetum ur. Africæ 412 d e

A Turba villa Gal. 175 b
Turonum urbs 76 e 142 c 146 f 147 a 387 e 388 c 460 d 562 d. Turonicus pagus in Gal. 175 e Turoni pop. 61 b

V

Valdera op. Holsatiæ 393 c e
Valdorcia regio Ital. sive Vallis Orciana 404 a
Valentianæ ur. Belg. 703 f 704 a
Valentia ur. Hispan. 411 b 415 c 427 d
Valleslebia ur. Saxoniæ 385 e
Vallis-aurea monast. 72 c 76 c
Vallis-rosarum monast. Brabantiæ 162 c
Vallis-umbrosa monast. Ital. 657 b
Vangiones Germ. 166 f
Valar monast. Germ. 318 d
Vasconia 178 a
Venetiæ 64 d 126 c 402 b urbis origo 733 b *Laurentius Justinianus Patr.* 549 a *reliquiæ S. Pauli I, Erem.* 608 d 744 e
Venetorum urbs Dariorigon in Britan. Arm. 328 c 331 a b
Venlona ur. Belg. 306 b 321 e f
Venusia ur. Apuliæ 356 f
Vera op. Selandiæ in Belg. 352 c
B Vercellæ ur. Ital. 59 b c 61 e 62 c
Verziacum 60 d
S. Verissimi opp. Lusit. 642 f
Veromandensis pagus 180 a Episcopatus in Gal. 328 a *reliquiæ S. Quintini* 154
Verona ur. Ital. *Senator Ep.* 357 *Probus Ep.* 549 f
Verzeliacense monast. Gal. 58 a 720 a
Vesontio ur. Burgundiæ 7 a c 57 410 b
Vezaliense monast. Gal. 507 e
Uffalis castellum Arduennæ 320 b
Viadrus fl. German. 391
Viana op. Lusitaniæ 368 c
Vicenonia fl. Britan. Armor. 327 a 330 b 332 c 333 a
Vicentia, vel Vicetia ur. Ital. 549 c f
Vicus ur. Catalaniæ 353 b *an reliq. S. Luciani* 734 b
Vicensis Episcopatus 415 c e 422 e 423 f 425 e
Vidula fl. Gal. 175 a b 325 a d 326 a
Vienna ur. Austriæ 483 c f 533 e 544 d
Vienna Gal. 50 e 92 e 94 d 368 c 463 b *Paracodas Ep.* 20 *Clarus Ab.* 55 *S. Florentius Ep. M.* 127
Villa-major pagus Catalaniæ 423 f
Villa-nova vicus Cenomanorum 388 d
Villach op. Hungariæ 491 d
Vilvordia op. Brabantiæ 170 b 172 e
C Vimmacum pag. Gall. 706 e
Vimaranum op. Lusitan. 640 641 642 b 645 f
Vindelicia 484 c 543 e
Ad Vineas loc. Noricorum 487 b
Virdunum ur. Gall. 458 e
Viridianum (potius Niridanum) mon. Campaniæ Ital. 597 a
Vistula fl. Poloniæ 366 391 b
Visurgis, sive Wisura, fl. Saxoniæ 383 b c e 384 b d
Vivecense litus Africæ 37 f
Vizzella fl. Lusitan. 641 f 643 a
Vladimiria ur. Volhiniæ 400 e
Ulbeory l. Angl. 713
Ulivolensis Episc. 717 e
Ultonia regio Hibern. 48 f
Ulyssippo ur. Lusit. 549 f D
Umbro fl. Ital. 404 e
Vocitata villa in Gal. 706 d
Volta monast. Galliæ 68 c
Vorburgum loc. Hollandiæ 348 f 349 a c
Vosagus mons Lotharingiæ 166 c 533 b 542 b c 545 e f
Upsala ur. Sueciæ 392 a 401 e
Urgella ur. Hispan. 288 c f 289 d 411 b c 415 c e
Urus, vel Ousa fl. Angl. 302 c
Uscia vicus Flandriæ 95 c e
Usua op. Slaviæ 397 e
Utriculum ur. Ital. 2 f
Vulpia, post Frutuarence monast. in Ital. 57 e
Vulpiacum loc. Germ. 529 a e
Vulsiniacus fl. Gal. 175 a
Vulturnus fl. Ital. 713

W

Wagria pr. Holsatiæ, Wagiri 391 c e 393 b c d e 394 c
Wala, Wahalis, Vahalis, fl. Belgii 528 f 529 c
Waldburg Comitatus Sueviæ 722 c
Wallia, sive Wellia, regio Britanniæ 10 f 723 b
Wandalia regio Borealis 391 c 394 f 396 f 399 b
Wangionum urbs, Wormatia 144 d E
Warelæ pag. Belgii 432 e
Warocium villa Gal. 176 c
Wellandus fl. Angl. 532 c
Werra fl. Germ. 322 c
Werwelle monast. Angl. 292 d
Westmonasterium, Londini 290 f 294 f ædificatur 296 297 303 b 547 e 548 a d
Westphalia regio Germ. 393 d *Wittekindus Dux* 380
Wiccii pop. Angl. 707 a 711 f 713 a
Wicque l. Angl. 713 a
Wigornia ur. Angl. 707
Wikewone l. Angl. 712 c
Wilberesia l. Angl. 712 c
Willerslege l. Angl. 713 a
Willezinense monast. Germ. 723 a d
Wiltonia regio Angl. 136 b 290 f 294 a
Windbergense mon. Bavariæ et Comitatus 97 b f
Wintonia ur. Angl. 291 f 292 a d e 293 e 294 a f 299 f 301 d 304 a 548 d
Wintsor, sive Winleshora, castrum regium in Angl. 299 f
Wirraha fl. Germ. 181 c
Wisera, sive Visurgis fl. Saxoniæ 116 f
Withleya l. Angl. 713
Wolgastrum ur. Germ. ad mare Balthicum 395 c F
Wolmerstede op. Saxoniæ 384 b e
Wormatia ur. Germ. 381 c 529 f
Wuda, aliis Buda, ur. Hungar. 609 b d
Wyck op. ad Trajectum 319 e

Y

Yla fl. Gal. 79 f
Ysarnodorum vicus Gal. 50 b
Yseghem pag. Fland. 376 c

Z

Zagabria ur. Slavoniæ 609 a
Ziferinum op. Ital. 501 e 502 d
Zuvinus fl. Germ. 397 e

INDEX ONOMASTICUS

IN XI PRIORES DIES JANUARII,

Sive brevis collectio vocum barbararum, vel minus usitatarum, quæ in Vitis SS. iis diebus occurrunt.

Litteræ A B C D E F, *magis, etiam quam alibi necessariæ ad certum indicandum paginæ spatium, intra quod eæ reperiri voces queant.*

Plenius postea Onomasticon, sive istiusmodi vocum Lexicon fiet. Hic succincte recensentur, addita quandoque significatione; ut cui vox aliqua occurret minus obvia, dispicere valeat num quæ hic similis existat.

A

Abra, *ancilla* 516 a e
Absida, Absis, *odeum ubi psallitur* 142 d 169 d
Acephali, *sine capite, hæretici* 623 d 693 f
Aduncatus hæmo Crucis *dæmon* 379 c
Aerea astrigera *cælum* 50 d
Agape, *eleemosyna* 113 e
Aggrantia 185 d
Albigenses hæretici 633 c
Alexiterium, ἀλεξητήριον, *remedium* 246 b
Alloces, seu Allices, *digiti pedum crassiores* 588 b e
Allodium, *libera possessio* 121 e
Almitas 99 a 380 d
Alternitas 115 b
Alterplex cura 114 f
Amphibalum, *vestis Episcopalis* 155 d
Antarta *voc. ab* ἀντάρτης, *tyrannus, adversarius* 12 c
Aporca rerum mundi 113 c
Aquagium 113 e
Arcarius Ecclesiæ 624 d 626 a
Architerium 727 b Arcysterium, Ascysterium; *potius* Asceterium, *monasterium* 727 f
Ardentium miraculum, *id est, Ignis sacri* 725 d
Ἀσκητής, *monachus, athleta.* Ἀσκητήριον *monasterium, gymnasium* 128 e

B

Balla, *vox Hibernica fontis lorica* 48 f
Barbatus, *Frater Conversus* 343 c f
Biglossus, *Latine et Græce doctus* 77 a
Bladum, *frumentum* 184 a 298 f
Botta 197 a
Bovatim, *instar bovis* 588 e
Burichalia *strata equorum.* Buricus, *equus* 478 d
Bustus, *Ustus, sive Ambustus* 647 f
Byrsum cervinum, *corium* 122 f

C

Cabilliavii, *factiosi Batavi, unde dicti* 352 c
Calandrus, *gryllus vel cicada* 541 f Calandra, *curculio* 542 b
Camera, *cubile* 117 e *testudo* 143 f
Canatim *instar canis* 588 e
Carcinoma, *cancer* 249 d
Casalenum et Casale 190 e
Cassare titulum 397 b
Cassatus, *vasallus, mancipium* 712 d e
Castaldus 714 e
Castellæ *in navibus* 141 f
Causon, *æstus* 249 d 250 a
Celeuma, Celeumæ, 141 f
Κηποτάφιον, *monumentum in horto* 86 b
Chameunia, *humi-cubatio* 287 a
χηνοβοσκεῖον *locus ubi anseres aluntur* 675
Chiripilatio Maxillarum 63 e
Chironium ulcus 266 d
Ciborium *pro tabernaculo* 69 d
Cicindelis *genus lampadis* 380 e f
Cippus *instrumentum torturæ* 83 d
Cistolia, vel Crustelia, cavearum 588 b e
Clamare aliquem ad se, *vocare* 374 c 375 c
Collecta *conventus monachorum ad precandum* 88 f
Colorus 116 b
Commeatus, *significationes* 450 e
Communicor, *communico, consentio* 112 b
Compensa, *compensatio* 396 b
Conciola, *parva congregatio* 595 f
Concionari, *colloqui* 139 f
Confessor *quis?* 84 b e
Confugiumfacere, *confugere* 58 d
Convoti, *conjurati* 114 b
Crementum, *augmentum* 111 d
Crepera *dilatio* 116 e
Cuba, vel Cumba, *cisterna* 605 c d
Cupa, vel Cuppa, *vas* 140 b 145 a
Cucuma, *vas æreum* 580 b d

D

Dapsilis humanitate 174 d
Defensor Ecclesiæ 702 d
Degregatum pecus, *aberrans* 144 f
Deleterium venenum, δηλητήριον 245 f
Deplicare, *extendere* 150 f 151 b
Diatim, *in dies* 117 c
Dieta, *iter diei* 184 a c
Diptycha 477 f 479 c d 625 d
Disciplinare, *castigare* 151 d
Doxa, *gloria* 518 f
Dystrus *mensis Sir. Martius* 81 c

E

Elaterare se e via 501 e
Elephantiosus *leprosus* 86 a
Episcopium, *pro episcopatu* 58 a 59 c 177 b
Epulo, *pro epulor* 92 c
Esox, et Esocium *piscis* 296 f 297 b
Eulogiæ 139 c 175 d 330 f 331 a e
Exercitator, *monachus* 87 c 88 e
Exoccupatus 113 f Exoccupatior 114 f
Exordinatus 116 f
Expapillare brachia 115 c
Expectorare consultum pacis, *pacum suadere* 114 a
Extorris *fidei caussa quis?* 84 e

A

F

Falcastrum, *ferreum instrumentum* 710 f 711 c
Flabelli e palmarum foliis contexti 38 a
Forefactum, *delictum* 173 a
Forestis, Forestum, *silva* 521 d 522 a
Fossorium, *ligo* 154 f
Frigoriticus, *febricitans* 178 f

G

Ganta, *avis* 172 a
Gaudibundus 14 f
Gavisoria vox 121 b
Gleba Sancti, *corpus* 169 c 180 d
Grangia, *horreum* 184 a
Grapila et rapina 229 d
Grossi oculi 187 e radii 187 f
Guba, seu Gebe, *cisterna* 605 d
Gutteria, Gutturia, et Gutturnositas, *colli vitium, strumæ* 519 d

H

Herus, Heir, Heer, *Teutonica vox, Dominus* 398 d 399 b
Hida terræ 298 f
Hodœporica incommoditas, *id est, itineris* 179 e
B Holovitreum vas 74 a
Homo, *vasallus* 393 d Hominium, *clientela* 393 b
Horama, *visio* 119 d
Hortare *active* 59 d
Houckii, *vel* Hoeckii, *factiosi Batavi, unde dicti?* 352 c
Humisternium 255 a
Hymnizare 131 b
Hypatus, *honoris titulis, consul* 624 f
Hypogeum 135 e
Hypsistariorum hæresis, *qualis?* 22 d

I

Illuminationis domus, *baptisterium* 612 b
Inæqualitas, *ægritudo* 51 a 53 f 54 e
Indusiatus dignitatis honore 113 b
Infœderabiliter 74 d
Inrubidus, *impudens* 14 a
Inthronizatus 113 b
Intramuranea ecclesia, *id est, urbana* 169 b
Involat et revolat utraque palma 119 a
Jugellum columnarum 69 d

L

Lapsanæ et Lapsania, *olera agrestia* 676 a e
C Larnax onychinus, *urna ex alabastrite* 17 e 18 a
Lebetonarium monasticum 259 d 260 a
Libitina, *funus* 519 f 521 a
Licinia, *licia, fila* 586 e
Lipsana, Lipsanæ, *reliquiæ* 527 c e
Lithostrotum, *pavimentum* 738 c
Lupia morbus 421 e 425 e

M

Mafortes, mavors, mafora, μαφόριον, *velum muliebre, pallium quo sepulchrum, vesve alia operitur* 519 a d
Magistrare Ecclesiis 116 a
Mamma, *vetulæ honorifica compellatio* 259 d 260 a
Mandatum, *lotio pedum* 341 f 342 c
Mandra 265 f
Maneria *pars agri* 292 e
Manicare, *mane venire* 390 b
Mansionilis, *villa* 175 e
Mansus, *vel* Mansum *villa* 53 b 175 a 176 c d 180 a
mansa 711 e
Martyrium *templum ubi Martyris conditæ reliquiæ* 84 d
Matricularii 174 f
Medioxima Ecclesia 111 b
Melo delectari, *id est cantu* 50 a D
Melodima *concentus* 63 c
Memoriæ Sanctorum 55 c e f 177 f 178 b 179 b
Mithras, *sol Persis* 619 f 620 c
Monogrammus 252 b
Monothelitæ *hæretici* 623 d

N

Neophyti *dicti ab aliis monachis Cistercienses* 399 b
Nonna 521 f

O

Obfugere 92 e
Œconomi magni officium 610 d e 611 c
Onerifera navis 141 f
Onychinus larnax. *Vide* larnax.
Orarium, *roquetta Episcopi* 39 d 625 d 626 c *sudarium* 626 c
Ordalium, *purgatio per ignem candens, aut aquam* 292 b

P

Pædagogare 500 b
Pagus, *regio, terrorium* 503 e f
Palla altaris 70 a 71 e E
Pannucula *ulcus* 266 c d
Papa, *quivis Episcopus appellatus quandoque* 36 e 727 e
Paramonarius 259 d
Parens, *consanguineus* 14 a
Parochia, *pro Diœcesi* 36 c 328 c f
Participari paupertate Christi 100 b
Patricius Romanorum 714 e
Pausare, *dormire* 379 e
Pedales, *socci* 184 e
Perendinare verbera, *pro ingeminare* 171 f
Perilepsis 608 d 609 e
Philopompus 113 b
Pissasphaltus 251 c
Placor animi, *æquanimitas* 60 a
Planetæ, *vestis genus* 43 c
Plasmas magnas facere 233 c
Pleuresis, *pro pleuritis* 523 a
Poculum, *potus* 145 a
Pœnare aliquem 27 e
Polypticum 175 c
Pompare aliquid stylo 376 e
Pompolentus 113 b
Ponto 85 c
Præceptare 117 a F
Prolubium, *cupiditas* 519 a d
Promptanimitas 168 f
Prorsus trames, *id est, rectus* 516 b
Protelare, *differre* 116 e *contrahere* 170 d
Psallentium, *id est, chorus canentium* 94 e 169 a
Pusillanimis, *commiseratione motus* 525 d

Q

Quæstionarii *tortores* 569 c
Quaternium *libellus quatuor foliorum* 514 b

R

Repatriare 115 b
Repedare *redire* 50 c 51 e f 64 b
Retia, reticulum, *sacculus quo viatores annonam gestant* 492 d
Revolat palma, *id est, explicatur* 119 a
Ruscus, *palma* 269 e

S

Sabana *linteamina* 587 b
Sabech, Hebr. *perplexitas* 689 b
Sacerdos *pro Episcopo* 38 c e
Sæculata

A Sæculata *Deo Sancta* 153 f
Sagellum *vestis genus* 50 e
Sagmarius, Desagmare 75 d e
Salitudo sermonis condita, *sermo sale conditus* 63 c
Sanctimonium 138 c 141 a
Sanctuarium, *pro reliquiis* 159 c d
Sarcophagum, *sepulchrum* quasi vorans carnes 61 b 168 f 169 d 179 a
Sarmentitii, *Christiani, igni et sarmentis addicti* 324 d
Scafaldus, *theatrum* 138 a
Scamma, *locus certaminis* 364 e f
Scamari, *vel* Scameræ, *latrones quidam* 489 b f
Scamula, et Sarpula plagarum 208 b
Sceptrigerans, *Rex* 112 b
Scholasticus, *Jurisconsultus, Rhetor* 14 c 15 b
Sclavina, *cento* 556 c
Sediculum *sedes* 117 e
Semaxii, *Christiani incendio addicti* 344 d
Sequestratim, *separatim* 54 b
Sequipedes, *pedissequi* 575 e 576 e 581 e
Σημεῖον, *signum, Crux* 129 b
Smaltum 4 d
Sotulares, *calcei* 184 e 525 c 710 f
B Sponsalitiæ caussa sponsare sibi aliquam 92 c
Stamina, Staminia vestis 68
Statunculus 9 f
Stipendia, *cibaria* 92 b 93 a
Stylitæ *qui? unde dicti?* 262 a b
Suatim, *in se, vel de se* 587 e at proprie, instar suis 588 d
Submergium 133 f
Substantificare, *creare* 233 a
Subtalaris, *calceus* 525 b
Suffumigium 252 c
Sund, *Danica vox, angustias maris significat* 397 f
Symptoma 639 d
Syncletus, *senatus* 625 c
Synkellatus 669 c Syncellus 669 d Synkellus Augustalis 673 f
Syroarsum unguentum 200 b

T

Talipedare, *titubare* 120 f
Tapinosis, Tapinositas, ταπείνωσις, *humilitas* 50 a
Telephium ulcus 266 d
Tendiculæ quæstionum 40 f
Tericrepum os 63 e
Tigellum, *pro tigillo* 501 f 502 c
Tirocinor, *pono tirocinium* 112 a
Torta panis 379 f
Traditores, *qui sacros libros comburendos tradunt* 81 f
Tripudium, *lætitia, exultatio, etiam in sacris* 52 f 123 b 665 a d
Trogulus, *vestis rudis* 710 d f
Trufat mundus de hoc 233 d
Truffa, per Truffam amare 201 d e
Trullus, *Ecclesia cum fornice* 624 f 626 a Trulla, *cuppula* 626 a
Tysanæ decimatæ 15 f

V

Valedictus 114 d
Vehiculus, *pro equo* 728 a
Virtutigena, *probus* 58 c
Viru *abl. casu, veneno* 51 e

W

Wiches, *Angl. Salinæ* 711 f
Wick, *vel* Wyck, *Teutonica vox, sinus maris vel fluminis* 391 d

X

Xenium, *donum* 74 b
Xenodochium, *pro monasterio* 54 a
Ὑπαιθρον *aria subdialis* 614 d 615 e

Y

Ysarnodorum, *veteri* Gallica lingua, *quæ, ut hinc patet Teutonica,* ferreum ostium 50 b

Z

Ζεῦς *Juppiter* 16 a Dia sive Δία *Jovem* 16c e

C D E F

INDEX MORALIS
IN VITAS SANCTORUM
XI PRIORUM DIERUM JANUARII.

Non sola hic virtutum aut vitiorum nomina expressa, sed rerum omnium vocabula, quarum notitia ad virtutum vitiorumque tractationem visa est accommodata : ut sint veluti Universales loci communes. Ampliores post toto ex opere conficientur.

Litteræ A B C etc. margini appositæ, aut in ipso Indice rerum expressæ, quid sibi velint, supra ante Indicem Historicum indicatum est.

A

Abbates Sancti *in hoc tomo.* Orientis : *Theodosius Cœnobiarcha* 680 *Theodosius Antiochenus* 677 *Phosterius* 286 *Theoctistus* 180 Ægypti : *Macarius Alexandr.* 84 721 *f* Italiæ : *Victorinus* 289 *Anastasius* 701 *BeninCasa* 627 Galliæ : *Marinus* 55 *Clarus Viennensis* 55 *Guilielmus Divionensis* 57 *Odilo* 71 *Adelardus* 95 *Maurontus et Fordobertus* 305 *Eugendus* 49 *Tillo Paulus* 378 *b Rogerius* 182 *Blidmundus* 154 *Lodovicus Blosius* 430 Britanniæ : *Petrus* 334 *Adrianus* 595 *Cuanus, sive Mochua Lægsiensis* 45 *Cronanus, sive Mochua Ballensis* 47 *Filanus* 594 Germanæ : *Erminoldus* 337. Abbates ord. Cisterciensis, *Vitalis* 389 Ord. Præmonst. *Odino* 722 Abbates Martyres *Maximus* 91 *Erminoldus* 335, ex Abbatibus Episcopi, *SS. Wulsinus* 547 *c Salvius Ambianensis* 705 *a Guilielmus Bituric.* 627. *Vide* Episcopus. Abbas *annis LVI, S. Odilo* 71 *a* 72 *b* Abbatis *Coadjutor constituitur S. Eugendus, visione addiscit se* Abbatam *futurum* 51 *c d* Abbatis *collega fit invitus S. Fulgentius* 35 *b* Abbas *ne fiat clam in silvam fugit S. Silvester Siculus* 125 *a proficisci in Ægyptum statuit S. Fulgentius* 36 *e* Abbatiam *opulentiorem deprecatur Ludov. Blosius* 431 *b* Abbate *dignæ vertutes B. Rogerii* 185 *c d S. Erminoldi* 337 *a* 338 *c* Abbatis *munus resignat, S. Erminoldus ob munera Cæsari conferenti a fratre data* 337 *d Abdicare cupienti S. Adelardo obsistunt sui* 105 *c* 116 *a* Abbatis *officio relicto, fit eremita S. Tillo Paulus* 378 *b S. Filanus* 594 *e* Abbatissæ *SS. Salaberga et Austrudis* 503 *b Setrida* 626 *Syncletica* 242 *Talida, sive Amata* 257

Abdicare, *vide* Abbas, Episcopus.

Abnegationis *studium inculcat B. Angela Fulgin.* 233 *c*

Abortionis *perculum depellit S. Theodosius Cœnob.* 697 *e* 698 *a imperata peccatorum confessione S. Guilielmus Bituric.* 630 *f*

Absens *cognosit cædem militis S. Severinus Noricus* 491 *e periculum a latronibus suis imminens idem* 495 *a*

Absorbetur *castrum ob conciones S. Egwini malleis fabrilibus impeditas* 710 *d*

Abstinentia *admirabilis SS. Libentii Ep.* 180 *f Fulgentii in Episcopatu* 39 *d Apollinaris V.* 260 *b Syncleticæ* 243 *e* 244 *d* Abstinentia *ingeniosa S. Gregorii Lingon.* 168 *d Macarii, in diem* 5 *unciis vescentis* 85 *f* Abstinentiæ *arctioris studio, proficisci in Ægyptum statuit S. Fulgentius* 36 *e* 37 *a* Abstinentiam *pristinam in morbo servant SS. Palæmon* 677 *d Eugendus* 54 *a Fulgentius* 34 *e in sobrietati cibi et potus corpulenta Gertrudis ab Oosten.* 451 *f. Vide* Cibus, Potus, Jejunium, Dormire, Castitas.

Acta *Pilati de Christo conficta refutat S. Julianus Presb.* 363 *b c* Acta Martyrum. *Vide* Sancti.

Adolecens *S. Odilo se servum consecrat D. Virgini* 70 *b Bertilia Deum et cælestia amat, eleemosynis dedita, studiosa verbi Dei* 156 *b jejunat multum B. Albertus Erem.* 402 *b* Adolescentia *sancta S. Pharaildis* 170 *f Rigoberti* 174 *d Luciani Presb.* 339 *c d Tillonis Pauli* 377 *c Erardi* 535 *e f* 540 *a* 541 *e* 544 *Laurentii Justiniani* 552 *f* Adolescentiæ *suæ ut parceret rogantem Judicem contemnit S. Petrus Abselamus* 128 *c Vide* Puer, Juvenis.

Adulter *ingressu templi S. Jacobi divinitus arcetur* 316 *c* Adultera *fit muta* 149 *c* Adulterum *Regem deserit S. Raimundus* 411 *f* Adulterium *cum defuncta punitum immobilitate, surditate, et amissione loquelæ* 268 *e* 274 *b. Vide* Carnis vitia, Impudicitia, Fornicatio, Meretrix, Luxuria.

Per Aerem *ambulare sive videtur S. Attalas, innixus S. Blidmundo* 154 *d in* Aere *pendulæ hærent chirothecæ a S. Gudila projectæ* 517 *a* 525 *c scala admota columnæ S. Simeonis Stylitæ* 268 *a* 273 *d*

Advocati *et Tutores Ecclesiarum Reges Angliæ constituti a Papa* 297 *f*

Affabilis *S. Odilo* 68 *f Simeon Stylita* 283 *c*

Agnoscitur *ab Eremita Adelardus, et fugæ caussa* 98 *c* 113 *a*

Agnos *linea baculo ducta ne ad matres accedant, continet S. Cronanus* 49 *a. Vide* Ovis.

Agrum *colit S. Theodosius Ab. Antioch.* 678 *c* Agris *nocentes locustas et bruchos precibus pellit Theodosius Cœnob.* 698 *b*

Alapa *Genovefam injuste percutiens mater fit cæca* 138 *e* 143 *e* Alapa *cæditur S. Vitalius* 702 *f percussor eo moriente obsidetur a diabolo* 703 *a* Alapa *absesso inflicta, expellit dæmonem S. Melanius* 329 *d* Alapis *cæditur facies S. Martinæ et uncinis* 12 *d*

Alere, *vide* Cibus, Eleemosyna, Pauperes.

Alleluia *cantatur a Martyribus apparentibus S. Juliano* 586 *d* Alleluia *Epistolæ subscribit S. Eugendus* 52 *a*

Altare *movetur, cui imponendæ reliquiæ S. Genovefæ, iis impositis quiescit* 149 *in* Altari *locari albis vestitum monachum videns S. Eugendus, intelligit brevi moriturum* 53 *e ad* Altare *S. Gudilæ fit cicur ursus* 521 *e f* 527 *f* Altari *S. Maximi Ticinensis immobilis fur adhæret* 471 *c* Altare *S. Mariæ sibi ab invasore sui episcopatus petit S. Rigobertus, et in eo sæpe celebrat* 178 *a b* Altari *numquam tergum vertit S. Nonna* 23 *d pro* Altari *pectore usus Missam in carcere facit S. Julianus Presb.* 361 *c*

Ambiens *Episcopatum, spretus, dein a Deo punitus* 38 *f* 39 *c*

Ambulare supra aquas, *vide* Aqua, Fluvius, Mare.

Amentia *punitus matris percussor, ope S. Frodoberti sanatur* 312 *a c* Amentes *sanati epota aqua benedicta a S. Odilone* 76 *b oratione et signo Crucis a S. Frodoberto* 509 *d ad sepulchrum S. Erminoldi* 345 *a*

Amicitia *ad hæredes non transit* 121 *d* Amicitia *simulata Magni occisoris S. Canuti Lawardi* 399 *c d e*

Amicis

A Amicis *nihil e reditibus donat B. Laurent. Justinianus* 556 *e*

Amissa *bona meritis B. Oringæ reperta* 653 *e jumentum, inter duos lupos, ope B. Alberti Erem. servatum* 404 *a*

Amitæ *et nepos SS. Æmiliana, Tharsilla, et Gregorius I, Papa* 287 *b*

Amænus *locus Corbeiæ Saxonicæ* 117 *a et Gallicæ* 118 *a monasterium Tavestokæ* 728 *c*

Amor *Dei ostensus B. Angelæ de Fulginio* 196 *d purus et non purus* 210 *e* Amoris *Dei donum datur B. Angelæ de Fulginio* 194 *e ejus effectus* 196 197 *dignitas et perfectio* 225 226 227 *signa* 228 229 *vis* 233 *a ad* Amorem *Dei excitatur Crucis signo B. Angela* 205 *b* Amor *Dei et cælestium in S. Bertilia adolescente* 156 *b* Amore *in Deum flagrat S. Theodosius Cœnob.* 687 *a in* Amore *Dei videbatur sibi non posse intepescere licet se damnandam scisset B. Angela* 196 *b ob* Amorem *mutuum, voluntatem alienam suæ præferunt SS. Sabas et Theodosius Cœnobiarcha* 684 *a* Amor *proximi impurus* 225 *e f* 226 *a sensualis* 226 *c* Amor *parentum generose superatus a S. Fulgentio* 34 *d* Amatur *et honoratur exul S. Adelardus ob virtutem et sapientiam* 103 *f*

Amplectitur *B. Angelam in extasi Christus* 204 *a*
B *eamdem morientem* 234 *b mortui S. Marcianum, ab eo sepeliendi* 616 *a leprosum S. Odilo* 68 *d. Vide* Osculum.

Anathemata *Caroli Magni ad sepulchrum S. Gudilæ V.* 521 *c. Vide* Munera, Angelus.

Ancillatur *civi B. Oringa* 655 *d in hospitio Gertrudis ab Oosten* 349 *c*

Angeli *supra domum parentum S. Cronani visi a S. Congallo* 47 *f sanctitatem S. Gudilæ nondum natæ matri prænuntiant* 515 *a* 524 *b in nativitate S. Genovefæ lætantur* 138 *b Filanum infantem a submersione servant* 594 *c præeunt sacerdoti baptizaturo incarceratos, et ostia aperiunt* 582 *d Colmano oranti apparent* 45 *f digne communicantes tuentur, pulsis dæmonibus* 89 *d* Angelus *S. Cæciliæ tuetur castitatem B. Oringæ* 632 *c* 636 *f* Angelus *tradit Regulam monasticam in tabula scriptam S. Pachomio* 677 *a* Angeli *ascendentes et descendentes per scalam n cælum porrectam visi S. Ottoni Bambergensi in loco ubi monasterium extructurus erat* 338 *b* Angelos *per scalam descendentes etc. videt S. Eugendus puer* 30 *c* Angeli *familiariter colloquuntur cum Simeone Stylita* 274 *a Theogene submergendo, nec videntur a nautis* 135 *a* Angeli *defendunt B. Oringam a monstro diabolico territam* 651 *b f* 655 *b* Angelis *conspectis territi S. Cronanum infestantes* 48 *f* Angelus *solatur S. Munnum patienter ferentem lepram* 46 *c visi supra*
C *domum ubi leprosus jacebat* 46 *d* Angelorum *cantu recreatur S. Frodobertus* 509 *c* Angeli *quotidie visitant S. Munnum* 46 *b visitant, ad labores animant SS. Severinum et Victorium* 741 *b a somno excitant S. Raimundum* 413 *b Angelus in somnis se ducem offert S. Maximo fugienti patriam et patrem, ne cogeretur ad nuptias* 92 *d f ducem itineris mitti S. Severino Septempedano* 741 *c adfert unguetum sanandis mamillis S. Macræ V.* 325 *e* Angelus *quotidie fert panem S. Phosterio, aut plures pro numero hospitum* 287 *a* Angelus *adstat S. Martinæ ad idola ductæ* 11 *f* Angeli *coronant S. Julianum Martyrem per plateas raptatum* 581 *b cum S. Theogene psallunt* 135 *a cum S. Martina Deum laudant* 14 *b c d item cum hac in templo Jovis* 17 *b visitant et animant S. Concordium vinctum, et fame vexatum* 9 *f* Angeli *cruciant ipsos carnifices, orante S. Martina* 12 *d* 13 *f cohibent feras, ne ei noceant; ipsa eos videt* 16 *b vulnera S. Carterio in tortura inflicta curant* 472 *b* Angelus *S. Genovefæ cæli gaudia ostendit* 138 *f indicat mortem suam S. Maximo* 94 *b diem mortis S. Severino Septempedano* 743 *d* Angeli *apparent S. Tito moribundo* 164 *d concinunt in morte Laur. Justiniani* 563 *a S. Luani* 46 *b* Angeli *cum S. Michaele occurrunt animæ S. Maximi M.* 94 *b* Angeli *deducunt animam* D *S. Pauli Eremitæ in cælum* 606 *c Mauronti* 505 *e Ceaddæ* 376 *a Palæmonis* 677 *e Oringæ* 654 *b cujusdam Gertrudis Beghinæ* 353 *a animam mortui ab inferis ad corpus reducunt* 583 *d mortem S. Anastasii Senonensis nuntiant sorori procul absenti* 389 *a ad exangue S. Melori M. corpus conspecti, et lucernæ* 136 *e Episcopos ad funus S. Melanii convocant* 332 *e* Angelus *candida veste, virgam auream tenens, apperet ad funus S. Simeonis Stylitæ* 274 *c* Angelicæ *voces auditæ ad sepulchrum S. Rigoberti* 178 *f* Angelus *corpus S. Quintini revelat* 154 *c* Angelus *reliquias præputii Christi dicitur attulisse Carolo Magno* 4 *a* Angelus Michael *in viam reducit, et cibo reficit B. Oringam* 651 *f dæmonem ei insidiantem repellit* 655 *d, e prædonum manibus eripit* 655 *f* Angelus *dictus S. Adelardus* 99 *a* 113 *b* Archangelus *monachorum, S. Odilo* 68 *f* Angelicus habitus *appellatur vestis monastica* 290 *a* Angeli *specie apparet patri S. Maximi dæmon* 92 *a anima resuscitandi a S. Juliano ab* Angelus *ab inferis reducta* 583 *c d. Vide* Anima.

Animarum *cladem luget in victoria Ludov. Blosius* 450 *d* Animæ *in igne purgatorii a dæmonibus vexantur* 74 *d* Animabus *e purgatorio liberandis Commemorationem, postridie festivitatis omnium SS. instituit S. Odilo* 74 *c d* Anima *Benedicti VIII, Papæ e purgatorio liberatur, precibus, sacrificiis et eleemosynis S. Odilonis* E 74 *f* 75 *a b* Animæ *in cælum ab Angelis deducuntur,* 55 *Mauronti* 505 *e Palæmonis* 677 *e Oringæ* 376 *a Beghinæ cujusdam* 353 *a* Anima *S. Pauli Erem. cælum ingreditur inter Angelos, Prophetas, et Apostolos* 606 *c S. Ceaddæ ducitur a fratre S. Cedda inter Angelos* 376 *a* Animæ *Sanctorum Martyrum, in habitu Virginum apparentes, corpora ostendunt* 587 *a*

Anni *initium et finis Jano sacer* 2 *f* Annus *gratiæ et misericordiæ et a Transitu Martyrum, Coptis Ægyptiis incipit a persecutione Diocletiani* 572 *e* Annorum *VII, fit monachus Eugendus* 30 *c* Anno *ætatis XLIV, ordinem Prædicatorum ingreditur S. Raimundus* 408 *e* Annorum *XX, fit Abbatissa S. Austrudis* 503 *c VII* Annis *exulat S. Adelardus non sine mysterio* 103 *d* Anno LXI, *ætatis moritur S. Eugendus* 34 *d LXV S. Fulgentius* 44 *b XC SS. Tillo Paulus* 380 *d Pharaildis* 172 *c* Anno XCIV, *S. Titus Apost.* 163 *e* Anno IC, *S. Cuanus* 47 *d* Annos *fere C, nati S. Raimundus* 413 *b Gregorius, Theologi pater in Episcopatu XLV, actis* 30 *b CV, S. Theodosius Cœnob.* 700 *d*

Anniversaria mortuorum commemoratio. *Vide* Anima.

Annulo *dato desponsat sibi Christus B. Angelam Fulgin.* 205 *c* Annulum *dat S. Eduardus Conf.* F *S. Joanni Evang. in habitu peregrini* 300 *c ab eo remissum recipit* 300 *d* Annulum *sponsalitium crescente corne opertum, Crucis signo extrahit B. Rogerius* 183 *e*

Anser *S. Rigoberto donatus, eum ad urbem sæpe comitatur* 178 *c*

Apes *non exeunt nisi Rege præeunte* 130 *c* Apibus *similes pii ad templa convenientes* 130 *c*

Apostema *curatur attactu Crucis, quæ appensa fuerat ad reliquias B. Oringæ* 661 *f. terra sepulchri S. Gerlaci* 314 *e*

Apostoli *deducunt animam S. Pauli Erem. in cælum* 606 *c* Apostolorum *discipuli SS. Patiens* 469 *a Titus* 163 Apostolus *Noricorum S. Severinus* 483 Apostolorum *par appellati SS. Sabas et Theodosius Cœnobiarcha* 684 *a*

Apparet *cuidam procul posito S. Severinus Noricus adhuc vivus* 419 *c item aliis in itinere* 493 *d* Apparet *Primati ad eligendum Episcopum eunti S. Fulgentius* 45 *d* Apparet *in somnis cuidam S. Adelardus, ad sepulchrum suum sanandum docet* 120 *c* Apparet *S. Gregorio Ep. Lingon. S. Benignus M. jubetque sibi ecclesiam ædificare* 168 *e*

Aqua *repletur puteus, submissa imagine S. Theodosii Antioch.*

A *Antioch.* 679 *e* Aqua *ad molendinum S. Fechini rotandum, per montem adducitur* 48 *c* Aquam *precibus impetrat S. Simeon Stylita* 267 *b* 271 *e* Aqua *in Scithica Ægypti solitudine rara, bituminea, diri odoris, sed saporis innoxii* 88 *f in* Aqua *frigida totum Psalterium quotidie decantat S. Gregorius Acritensis* 290 *a* Aqua *fluvii ultro cedente fugit per fluvium siccis pedibus B. Oringa ne nubere cogatur* 655 *a ab* Aqua *intactus fluvium transit exundantem S. Odilo* 73 *c super* Aquas *gradiuntur, præcisa capita gestantes, Frontasius et socii* 79 *f* Aqua *potus S. Tilloni Paulo* 378 *c in vinum versa B. Alberto Erem.* 402 *e S. Odiloni bis* 72 *e tertio B. Gerlaco* 313 *b missa ad ægrum a B. Alberto Erem.* 403 *e benedictione B. Rogerii Abb.* 184 *d* Aquam *qua manus leprosi lotæ, bibit B. Angela Fulgin.* 208 *b qua S. Eduardi, variis cæcis redditus visus* 298 *e qua S. Odilo, febris pellitur* 73 *f mutus sanatur* 76 *b* Aqua *per S. Genovefam allata, et ab ea Cruce signata, abluens oculos ejus mater, visum recipit* 138 *e* 143 *f accepta a B. Alberto Erem. febris pellitur* 403 *b moribundus sanatur* 403 *e* Aqua *benedicta panes candidos reddit, quos antea nigros ostensurus vim excommunicationis, B. Gonsalvus Amaranthus* 647 *morbos pellit S. Melanius* 330 *b amentem curat S. Odilo* 76 *b* Aquam *benedictam bibens in oratorio S. Severini Norici*

B *febri liberatur* 738 *b item alius, una sacro oleo peruncto* 738 *f* Aqua *signo Crucis signata pulsæ febres a S. Genovefa* 141 *e* Aquæ benedictæ *immersus dæmoniacus* 150 *e* Aqua *cui reliquiæ S. Jacobi Apost. intinctæ, æger sanatus* 139 *d* Aqua *e latere S. Carterii perfosso fluens rogum extinguit* 472 *e* Aqua *bulliente potata occisus S. Euphrosynus* 20 *f*

Aranearum *telæ nigerrimæ symbolum hæreseos* 623 *d*

Arbor *subito pullulat die sepulturæ S. Gudilæ* 518 *e* 526 *c miraculose procul transfertur* 520 *e* 527 *d. In* Arborem *crescit baculus, monente S. Meloro terræ infixus* 136 *e* Arbori *fissæ manibus pedibusque insertus triennio pœnitentiam agit S. Victorinus* 742 *b e f in* quercu *excavata habitat S. Gerlacus* 308 *a* Arborum *duarum ramis vi inflexis, moxque relaxatis discerpti Martyres in Thebaide* 241 *b* Arbor *naufragiis infamis, oratione S. Genovefæ evulsa* 141 *d* 146 *d*

Archidiaconus *Mart. S. Balduinus* 502

Archipresbyter *Alexandrinus S. Leucius* 670 *e*

Arescunt *manus et pedes furanti mappam S. Odilonis* 72 *f* Arescit *manus, tollenti pilos ex barba S. Simeonis Stylitæ* 268 *e* 274 *b volenti percutere S. Maximum* 95 *e* Arida *manus sanatur facta Confessione peccatorum* 630 *f* 637 *b* 639 *c ad sepulchrum S. Erardi* 539 *b* 541 *b*

C Arenam *humeris gestat S. Macarius contra vanam gloriam* 88 *b contra somnolentiam S. Pachomius* 675 *f*

Arthritide *filia Reginæ liberatur, divinitus missa ad sepulchrum S. Gudilæ V.* 522 528

Arundinibus *signat viam S. Macarius in eremo* 86 *c*

Asello *insidens redit ad suos, antea equitum Præfectus, S. Gerlacus* 307 *b* 320 *c senex templum adit* 211 *b*

Aspectu *solo dissidentes reconciliat S. Simeon Stylita* 277

Asthma *curatur ope S. Raimundi* 427 *c*

Astronomiam *Anglos docet S. Adrianus Ab.* 596 *b*

Asyli *jus in Ecclesiis antiquum* 169 *d*

Avaritia *fons malorum* 247 *a b* Avaritiæ *nutrimentum, pecuniæ coacervatio* 394 *b signum, vereri ne nimium dederis* 100 *a* Avari *bubonibus similes* 104 *a ob* Avaritiam *desinit oleum e puteo MM. scaturire Placentiæ, quod pretio venditum, bestiis curandis adhibitum esset* 80 *e*

Auctoritas *summa, etiam exulis, S. Adelardi* 114 *f S. Rigoberti Ep.* 174 *e*

Auditus *Crucis signo restitutus a S. Genovefa* 142 *f* 146 *f recuperatus ope SS. Adelardi* 120 *a c f Aldrici* 388 *f Genovefæ* 151 *a ad corpus S. Simeonis Stylitæ* 268 *e* 274 *b ad sepulchra SS. Erminoldi* 346 *e Raimundi* D 427 *f in Translationibus reliquiarum SS. Rigoberti* 179 *d Gudilæ* 520 *c* 527 *c ne* Audire *impias voces cogatur, secedit in solitudinem S. Gordius Comes* 130 *b*

Avis *in lapidem vertitur votum violanti de ea non comedenda* 278 *f* Aves *velut oves domum baculo cogit S. Pharaildis, et postridie dimittit* 172 *a* Aves *plurimæ concurrunt ad corpus S. Simeonis Stylitæ* 268 *d* 274 *a* Aviculam *comestam resuscitat S. Pharaldis V.* 172 *b* Avis *garritu edocetur arcana quædam S. Cuanus* 46 *a* Aucupium *festo exercens, Missa neglecta, excæcatur* 80 *f. Vide* Columba, Gallina, Perdix.

Aulicus *pius S. Adelardus adhuc laicus* 112 *b S. Aldricus* 387 *f* Aula *relicta monachus Ludov. Blosius* 433 *e f*

Aures *ferro adustæ S. Zosimo Eremitæ* 128 *d* Aurium *fluxus sanguineus ad sepulchrum S. Erminoldi sistitur* 343 *f*

In Aurum *mutata phlegmata, quæ ore suo e leprosi naribus exsuxerat S. Cuanus* 46 *d* Auro *ornatæ reliquiæ* 149 *b* Auro *et gemmis a Carolo IV, Imp.* 720 *b* Auri *grana in ossibus S. Frodoberti apparent* 511 *f* Aurum *in suo monumento deponunt magi, usuri post mortem* 86 *b* Aureæ *zonæ famulorum* 85 *d* Aurei *fræni equorum* 85 *c* Aureo *pugno frangitur murus animi* 99 *b*

Aurifabri *SS. Eligius et Tillo Paulus* 377 *c d* E

Austera *vita B. Rogerii Ab.* 183 *a f* Austerus *in se, mitis in ceteros S. Adelardus* 116 *b in* Austeritate *non est sita perfectio monastica* 440 *f. Vide* Abstinentia, mortificatio, jejunium, cilicium, cibus, potus, lectus, dormire.

B

Bacchantes *spectare, iis aliquid dare, propter eos ridere, nefas* 3 *e*

Baculus *terræ infixus monente S. Meloro, crescit in arborem* 136 *e* Baculo *tangens mortuos resuscitat S. Leucius* 671 *b*

Balneis *uti soliti sabbatis ad reverentiam Dominicæ* 334 *a* Balneis *uti, etiam æger, recusat S. Fulgentius* 44 *d in* Balneo *accenso suffocantur pueri Nicomedienses MM.* 360 *c*

Baptismus *janua salutis* 79 *c nondum* Baptizatus *periculo naufragii angitur S. Gregorius Theol.* 28 *c ad* Baptismum *adulti præparatio* 24 *c ad* Baptizandos *incarceratos sacerdos a Deo mittitur, ab Angelo ducitur* 582 *c d in* Baptismo *susceptor filiorum Regis S. Egwinus Ep.* 708 *c S. Marcionillæ, filius S. Celsus* 585 *a S. Gudilæ S. Gertrudis* 515 *b* 524 *c in* Baptismo Theonæ *magi nomen mutat in* Synesii, *S. Theopompus Ep.* 724 *f* Baptizando *S. Othiliam cæcam illuminat* F *S. Erardus* 356 *f* 540 *d* 543 *a paralyticum sanat S. Atticus* 477 *e f* Baptizati *mundantur X leprosi* 587 *b* Baptizatus *S. Pachomius, ex rore cælesti in mel pingue viso excrevisse, intelligit gratiam* Baptismi 675 *c* Baptizatus *S. Gregorius Theologi pater, luce cælesti circumfunditur* 24 *c* Baptizata *S. Marcionilla, voce cælesti confirmatur* 585 *b* Baptisterium *mirifici operis extruit S. Marcianus* 614 *e*

Barba *S. Macarii Alexandrini qualis* 88 *d ex* Barba *S. Simeonis Stylitæ carpenti pilos pro reliquiis, arescit manus* 268 *e* 274 *b* Barbam *subito amittit pejerans ad reliquias S. Egwini* 711 *a*

Barbararum *gentium Apostolus S. Nicetas* 365 *b* 367

Beati *monachi judicantur ob paupertatem* 85 *d. Vide* Anima, Cælum.

Beghina *Gertrudis ab Oosten* 348 *alia Gertrudis, itemque aliæ* 353

Bellum *Deo exosum* 119 *b* Bellum *injustum refugientes, ideoque occisi MM. Marcellinus et fratres* 82 *in* Bello *civili patrocinari parti recusat S. Rigobertus* 176 *d ad* Bella *proni Galli* 119 *b in* Bellis *Dux Deus* 619 *b* Bellum *precibus avertit S. Simeon Stylita* 281 *f*

Benedictionem

A Benedictionem *ab Episcopis petitura occurrit multitudo* 138 *b* Benedictionem *a S. Eugendo petunt Principes* 31 *e* Benedictionem *et orationes matris petit S. Gregorius Theologus* 31 Benedicit *Crucis signo S. Eduardum Conf. Christus* 298 *c cruce aurea Mariam V. apparens, S. Egwinum* 708 *e turbam accedentem ad columnam, S. Simeon Stylita* 267 *d* 268 *b* 273 *b e* 278 *d e absentem mulierem habitu virili venientem, idem* 267 *c* 273 *a* 279 *f* 280 *a ad se accedentes S. Fulgentius moribundus* 44 *e SS. Petrum Sebastenum et Macrinam mater moribunda* 588 *f* Benedictiones *B Laurentii Justiniani moribundi* 562 *c* Benedictione *accepta a S. Theodosio Cœnob. et factis exequiis moritur absque dolore Basilius monachus* 688 *a* Benedictione *a S. Antonio impetrata leones, effosso sepulchro S. Pauli, discedunt* 607 *b, a SS. Severino et Victorino, discedunt feræ* 740 *e* Benedictione *paralyticum sanat S. Tillo Paulus* 380 *b vino vas implet S. Tillo Paulus* 380 *c aquam mutat B. Rogerius* 184 *d oleum auget S. Tillo Paulus* 380 *b. Vide* Crucis signum, Aqua benedicta, Cibus benedictus, Panis benedictus.

Benignitas *SS. Fulgentii* 42 *f Raimundi* 413 *b Odilonis* 67 *e Canuti Lawardi* 398 *a Valentini Passaviensis in instruendis conversis* 371 *c* 734 *b erga inimicos SS. Erminoldi* 339 *d e Guilielmi Bituric.* 637 *a*

B Benignus *in alios, etiam reprehendendos, S. Odilo* 72 *c* Lenis *et moderate severens erga lapsos S. Guilielmus Bituric.* 630 *b c*

Bestias *larvis mentiri, fœdum homini* 3 *a*, Bestiis *curandis adhibitum oleum non ultra scaturit e puteo MM.* 80 *e*, Bestia *immanis precibus S. Cronani ne deinceps hominibus noceat factum* 48 *d* Bellua *devoratum hominem, precibus S. Cronani revomit illæsum* 48 *d* Bestiis *objecti SS. Basilius Ancyran.* 84 *a Mavilus M.* 164 *c Julianus et socii* 586 *e* 588 *d Martina V.* 15 *f* 16 *b*

Bibere. *Vide* Potus, Aqua, Cerevisia, Vinum.

Blanditias *Judicis generose respuit Macra V.* 325 *b Martina* 16 *a et alibi sæpius in Actis a pag.* 11 *Imperatorem, pueri in Ægypto* 360 *b* Blanditias *et munera contemnit S. Gordius* 132 *d f. Vide* Munera.

Blanditias *et minas Præsidis contemnit S. Petrus Abselamus* 129 *d e. Vide* Minæ.

Blasphemus *subita morte punitur* 148 *f* Blasphemus *in S. Petri potestatem et Romam, ab eo percussus obit* 736 *c* 737 *e in S. Erminoldum, lepra percussus, impœnitens igne reperitur combustus* 343 *c d e* Blasphemi *in S. Marcianam Judæi domus incendio divinitus ardet* 569 *f*

Bona *sua omnia variis Ecclesiis et monasteriis donat S. Bertilia* 157 *a* Bona *matri, non fratri, relinquit*

C *S. Fulgentius* 34 *f* Bona *sibi ab avunculo donata incendit S. Cuanus, ne peccatori communicet* 45 *c* Bonorum *jacturæ solatium ex ovis similitudine* 104 *b* Bonorum *temporalium damno non movetur B. Laurent. Justinianus* 554 *e*

Boves *pascens B. Oringa Christiana, eas verbo coercet* 650 *f* 654 *c. Vide* Vacca.

Brachium *percutientis puerum invocantem S. Adrianum Ab. immotum manet* 597 *d* Brachii *rigore punitus matris percussor, ope S. Frodoberti sanatur* 512 *a c* Brachia *contorta sanantur ope SS. Wenceslai et Erardi* 539 *c* 544 *c* Brachii *vulnus sanatur signo Crucis a S. Odilone* 76 *a* Brachii *dolor, invocato S. Raimundo* 425 *e rigor ad ejus sepulchrum* 427 *b* 429 *d f* Brachium *S. Filani divitus ad castradelatum* 595 *a. Vide* Manus.

Bubala *divino nutu lactat S. Macarium in solitudine* 86 *e*

C

Cæcitas *inflicta festum violanti* 80 *f operanti die Dominico* 141 *e ob curiositatem* 141 *c* 146 *c ob furtum* 140 *c* 145 *c annonam monasterii B. Oringæ furari volenti* 662 *f ob matrem percussam* 512 *a matri S. Genovefam injuste percutienti* 138 *e* 143 *e volentibus S. Marcionillam comprehendere* 585 *b dein volentibus* D *eam torquere* 586 *e volentibus occidere S. Maximum* 94 *a* Cæcitate *et morte punitur S. Melori interfector, corpusque ut cera contabescit* 136 *f* Cæcitate *et manus arefactione punitur, volens percutere S. Maximum* 93 *e* Cæcum *illuminat Frodobertus* 512 *c. S. Othiliam baptizando S. Erardus* 536 *f* 540 *d* 543 *a Missæ sacrificio S. Aldricus* 389 *a signo Crucis S. Odilo* 72 *d Salvius Ambianen.* 706 *d Frodobertus matrem* 506 *f* Cæcus *surdus, mutus oleo benedicto et Crucis signo curatur a S. Genovefa* 142 *e* 147 *c* Cæci *sanantur attacti aut signati a S. Eduardo Conf.* 298 *oculis apposita Cruce S. Gerlaci* 317 *b aqua, qua manus laverat S. Eduardus Conf.* 298 *e* Cæca *et contracta ope S. Erminoldi* 344 *c* 346 *a Raimundi* 426 *e f Oringæ* 662 *f apparente bis S. Daniele M. revelato ei sepulchro suo* 160 *c d* 161 *a* Cæci *visum recipiunt ad sepulchra SS. Marcellini Anconitani* 590 *e Erminoldi* 343 *b Erardi* 538 *e* 541 *a Gonsalvi Amaranthi* 649 *e* 650 *b Eduardus Conf. sex* 301 *f ad corpus S. Melanii* 332 *ad reliquias SS. Severini Norici* 497 *b* 738 *e Oringæ* 654 *b* 661 *c in templo S. Gerlaci* 316 *b ad fontem S. Gerlaci* 318 *f* Cæcum *draconem ad columnam supplicem sanat S. Simeon Stylica* 271 *d* Cæco *catulo hyænæ sputo visum restituit Macarius* 88 *c*

Cæli *desiderium in S. Adelardo* 100 *c* Cæli *gaudia* E *et honores ex triumpho Theodorici speculatur S. Fulgentius* 37 *d ab Angelo S. Genovefæ ostenduntur* 138 *f in extasi videt S. Salvius Ambianen.* 705 *d* Cæli *gaudiis visis semper lacrymatur S. Genovefa* 142 *a in* Cælum *oculos sæpe erigit ex pietate S. Melanius* 329 *e* Cælum *aspiciens lacrymatur S. Genovefa* 139 *d* Cælum *parvo venale* 378 *f* Cælestis *gloria addicitur B. Gonsalvo Amarantho a Maria Deipara apparente* 648 *b* Cælestis *gloriæ adipiscendæ tesseram, columnam igneam vident S. Basilissa et sociæ* 578 *d ad* Cælestem *gloriam divinitus evocati, obeunt S. Anastasius Ab. et VIII monachi* 701 *e, divina voce invitatur S. Lucianus Bellov.* 465 *c evocatur a S. Felice Papa apparente S. Tharsilla* 287 *f, a S. Tharsilla apparente S. Æmiliana* 288 *a invitatur et inducitur S. Clarus Viennensis a SS. Blandina et Marcello* 56 *e* Cælos *apertos videns obit S. Wlsinus* 548 *d ad* Cælum *ducunt animam cujusdam Beghinæ Angeli* 353 *a et S. Mauronti* 505 *e* Cæli *aperti visi die sepulturæ S. Gregorii Lingon.* 169 *c in* Cælesti *gloria apparet S. Erminoldus* 341 *f* 342 *a. Vide* Anima.

Calcem *miraculo impetrat S. Genovefa, ad ecclesiam S. Dionysio struendam* 139 *f* 144 *f*

Calcei, *vel sandalia Christi* 4 *b d S. Eugendi* 30 *f* Calceamenta *Clericorum alia a monachicis in Africa* 39 *d*

Calceos *S. Genovefæ furata fit cæca, ab ea sanatur* F 140 *c* 145 *c* Calceis *perforatis utitur B. Rogerius Ab.* 184 *e inferne nudis S. Gudila* 516 *e* 525 *b*

A Calculo *liberat S. Genovefa* 143 *b* Calculus, *seu renum dolor, tollitur invocato S. Raimundo* 425 *d Missa ad aram S. Raimundi facta, et hausto pulvere sepulchri* 428

Calumniam *patitur S. Vitalius ob conversationem cum meretricibus convertendis* 702 *d*

Camelus *phantasticus orante Macario absorbetur a terra* 85 *c*

Campanæ *furtivæ nullum dant sonum præsente S. Rigoberto, nisi ab ipso pulsatæ* 177 *f* Campanæ *sponte sonant S. Pega Romam intrante* 533 *a* Campanarum *sonus auditus ubi postea Prufeningense monasterium extructum* 338 *a* Campanis *pulsatis cerei S. Genovefæ supra templum apparent, depelliturque ingruens tempestas* 725 *e*

Cancro *punitus sacerdos fornicarius : jussus laica sorte vivere, sanatur a S. Macario* 87 *f* Cancer *depulsus voto censu* 3 *nummorum ad sepulchrum S. Erminoldi* 343 *b tacta clam cuculla S. Theodosii Cœnob.* 696 *d e*

Candelam *miraculose accendit S. Severinus Noricus* 490

A 490 *a* 738 *c S. Odilo* 66 *d* Candelæ *solæ bonorum, precibus S. Severini Norici accenduntur, detectis sacrilegis* 489 *c cum* Candelis *ardentibus peregrinatio ad reliquias* 5 *e* Candela *S. Genovefæ oblata cum precibus, oculum recipit quidam* 150 *b* Candelam *amplexatur recens visu donatus meritis S. Genovefæ* 148 *a* Candela *S. Rigoberto oblata, curatus dentium dolor* 180 *d* Candela *vota S. Raimundo, equi ferocia domita* 427 *d. Vide* Cereus.

Canes *a venatoribus in S. Maximum incitati, moriuntur* 92 *b* Canibus *exponitur S. Fausti M. corpus* 166 *d*

E Canonico *fit religiosus ordinis Prædicatorum S. Raimundus* 408 *c e Episcopus S. Aldricus* 388 *b monachus, Prior, Abbas, Episcopus S. Guilielmus Bituric.* 636 *b c e* Canonici *Remensès regulam* Canonicam *servare inducti a S. Rigoberto* 174 *c f Præbendas omnes conferendi jus acceptare recusat S. Guilielmus Bituric.* 632 *d*

Canonizationis *S. Raimundi processus et ordo* 414 415 416 Canonizatio *S. Osmundi* 77 *S. Canuti R.* 401 *d S. Guilielmi Bitur.* 628 *a*

Cantum *corrigit, ordinat, musicus S. Guilielmus Divionensis* 63 *c* Cantum *Ecclesiasticum docet Anglos S. Adrianus Ab.* 597 *b* Canere *cithara etc. doctus*

B *S. Silanus M.* 79 *c* Cantu *audito statim ad lacrymas provocatur S. Adelardus* 113 *f* Canit *in fornace et Deum laudat S. Theopompus Ep.* 724 *b* Cantans : Ecce video cælos apertos, et Jesum stantem, *expirat S. Wulsinus* 548 *d* Cantus *cælestis auditur ad sepulchrum S. Frodoberti* 511 *c* Cantu *Angelorum recreatur S. Frodobertus* 509 *c* Cantilenas *vanas nec audire vult S. Nonna* 23 *d*

Capellanus *Papæ S. Raimundus* 410 *a*

Capillis *defluentibus deformis S. Cronanus puer vilius habetur a parentibus* 47 *f* Capilli *ad pedes promissi S. Theodosio Antiocheno* 678 *b* Comam *sibi detonderi curat ad professionem vitæ monasticæ S. Syncletica* 244 *a* Capilli *S. Martinæ raduntur, contra magiam* 17 *a* Capillis *nudantur pueri Nicomedienses MM.* 360 *c* Capilli *non recrescunt, recisi a S. Gerlaco* 310 *b* Capilli *ob capitis dolorem pulsum in anathema oblati S. Gerlaco* 316 *f* Capilli *in capite S. Simeonis Stylitæ* 126 *annis post mortem* 286 *a* Crines *S. Quintini post* 340 *annos pulcherrimi* 155 *e* Comens *se Dominico die punitur divinitus* 169 *e. Vide* Decalvari 36 *b*

Capti *dum Christum prædicant, SS. Frontasius et socii MM.* 79 *b proditus ab hæreticis S. Lucianus Presb.* 360 *a Julianus M. idolis non immolans* 579 *b*

C *Martiana ob fractam statuam Dianæ* 569 *b* Capere *volentes Marcionillam fiunt cæci* 585 *b* Captivum *S. Concordium visitat S. Anthymus Ep. cum Eutychete, et sacerdotem consecrat* 9 *e in* Captivos *crudelitas Reginæ punitur periculo filii* 488 *c d* Captivis, *suis et aliorum eleemosynis subvenit S. Severinus Noricus* 490 *e* Captivos *abduci Christianos impedit S. Severinus Noricus* 494 *b* Captivis *liberandis hortatu Deiparæ Virg. ordo instituitur* 409 *c in* Captivis *redimendis, contra jus Ecclesiarum detentis, strenuus S. Guilielmus Bituric.* 631 *b in* Captivis *ab infidelibus redimendis sedulus S. Raimundus* 409 *b* Captivos *deprecante S. Genovefa dimittit Clodovæus R.* 143 *c* Captivos *hostes, cibo refectos, dimittit S. Severinus Noricus* 487 *a* Captivos *redimunt SS. Severinus Noricus* 488 *c d e* 489 *b* 491 *c Salvius Ambianensis* 706 *d precibus liberat B. Oringa* 653 *d e* 660 *b* Captivos *a morte liberat S. Genovefa* 140 *e* 145 *d* Captivus *ope S. Gregorii Lingon. liberatus solutis vinculis* 169 *c alius ope B. Alberti Erem.* 404 *a* Captivi *vinculis ultro solutis, et turri scissa, invocato S. Melanio liberantur* 332 *f alii fractis compedibus, transeuntibus reliquiis S. Genovefæ* 150 *f alii S. Gregorium Lingon. invocantes, transeunte ejus funere* 169 *b*

Caput *S. Genovefæ Virgunculæ osculatur S. Ger-* D *manus, et manum ei imponit tempore divini officii* 138 *b c* Capite *ad ostium oratorii S. Michaelis offenso, Bego id dirui jubet, ipseque arripitur a dæmone* 177 *a* Capitis *dolor curatus ope SS. Severini Norici* 497 *b Gerlaci* 316 *f Oringæ* 654 *b Pharaildis, attactu panum lapideorum* 173 *a Evangelii lectione* 310 *b impositione manum S. Raimundi* 429 *e ad sepulchrum S. Erminoldi* 344 *f* Capitis *vertigo, invocato S. Raimundo* 427 *c f* 429 *d* Capitis *tremor, manus impositione S. Guilielmi Bituric.* 630 *f* 637 *c* Capiti *S. Carterii imponitur galea ignita* 472 *e* Caput *S. Domnonis carbonibus ardentibus ustulatum* 241 *f* Capite *S. Melori tacto, tertio post die moritur cædis ejus auctor patruus* 136 *f* Capite *plexi SS. Frontasius, Severinus, Severianus, Silanus* 79 *e Concordius* 9 *f Clerus* 365 *c Maximianus et Julianus* 464 *c Lucianus Bellovac.* 465 *c* 468 *b Julianus, Celsus, Marcionilla, Antonius Presb. Anastasius* 586 *f* 588 *d Theopompus Ep.* 725 *a Procopius Siculus et socii* 736 *a Amicus Præsidis* 581 *a milites XX a S. Juliano conversi* 585 *c Martyres Ægyptii* 241 *b e carnifices a S. Martina conversi* 13 *b Martina* 17 *e Drafrosa* 166 *a* Capite *diffisso necatus S. Canutus Lawardus* 400 *a* Caput *S. Meloro præcisum a nutricio ejus, patrui consilio : id gestans interfectoris filius cadit et cervices* E *frangit* 136 *d* Caput *S. Melori M. præcisum loquitur, et sitis levamen suggerit* 136 Capita *præcisa manibus gestant Frontasius et socii* 79 *f Julianus Bellovac.* 465 *d* 468 *b* Capite *inverso patibulis affixi Martyres Ægyptii* 241 *d* Caput *S. Titi Candiæ* 164 *e* Caput *S. Jacobi Apost. vel ejus pars Atrebati* 158 *pars Aeriæ* 159 *b* Caput *S. Genovefæ an Parisiis esset, dubitatum, probatum* 153

Carbones *precibus S. Theodosii Cœnobiarchæ incensi, locum monasterio extruendo monstrant* 689 *b d e* Carbonibus *ardentibus ustulatum caput S. Domnonis* 241 *f* Casbones *indigne communicantibus præbentur a dæmonibus, Eucharistia ad altare redeunte* 89 *d*

Carcere *clauditur S. Maximus, ut adigatur ad nuptias* 92 *b* Carcere *maceratus S. Marcellinus* 82 *f et fratres* 83 *a* Carcer *S. Macræ V. tremit* 325 *e* Carcer *luce cælesti illustratus in quo capti S. Theopompus Ep.* 724 *c Macra V.* 325 *e* Carcer *SS. Juliani et Celsi lumine divino et suavi odore repletur* 582 *b d iterum splendore, odore et musica cælesti* 584 *e cælesti odore et luce perfunditur, orante S. Martina* 14 *b in* Carcere *S. Marcianam invisit Christus* 569 *e psallit cum Agelis S. Theogenes* 135 *b* Carcere *educitur a Christo apparente S. Carterius* 472 *e*, Carcere *reserato captivus liberatur ope* F *Alberti Erem.* 404 *a, turri ultro scissa et vinculus solutis, XII captivi in translatione S. Melanii* 332 *f* Carceris *Præfectus M. Athanasius* 128

Carnifices *S. Martinam torquentes ab Angelis cruciantur* 13 *f* 16 *f alii ea orante, viso lumine cælesti cum voce, convertuntur* 12 *e martyrio coronantur* 13 *b*

Carnis *vitia metu gehennæ refrænat S. Tillo Paulus* 377 *e* Carnis *tentatione liberatur commendans se sacrificiis S. Raimundi* 413 *a* Carnis *stimulos ex objecto dæmone specie formosissimæ feminæ passus B. Albertus Erem. corpus in spinis et urticis volutat* 404 *f* Carnibus *non vescuntur SS. Fulgentius* 39 *e Anastasius Senonensis* 389 *b ex voto S. Gerlacus* 307 *e* 320 *d et monachus et Episcopus S. Guilielmus Bituric.* 629 *f* 636 *d* Carnibus *æger in quadragesima vesci recusat B. Laurentius Justinianus* 554 *a*, Carne *et vino* 40 *dies abstinere liberatum a dæmone jubet S. Macarius* 88 *b* Carnis *S. Valentini M. particula post* 12 *secula omnino recens* 5 *a*

Carus *omnibus, etiam Regibus, S. Odilo* 67 *c* Caritatis *symbolum vini haustus Fratribus propinatus a S. Maximo morituro* 94 *d* Caritas *Eremitarum Ægypti invicem, et erga hospites* 88 *f ex* Caritate *verberari se*

A *se ab Hæreticis poscit Felix Ab. at S. Fulgentio infirmiori parci* 35 *f* Caritatis *et pacis caussa alteri in concilio postponi cupit S. Fulgentius* 44 *a* Caritas *S. Adelardi* 107 *a* 108 *b* 117 *f voluntatem alterius ob amorem mutuum suæ præferunt SS. Sabas et Theodosius Cœnobiarcha* 684 *a* Caritatem *ob jejunium negligenti S. Marso in serpentem eulogia vertitur* 330 *f* Caritate *in pauperes injustum convertit S. Marcianus* 616 *b*

Caseum *omnem elargitus pauperibus, statim plaustrum plenum recipit S. Adelardus* 100 *b* Caseus *et panis divino instinctu defertur Gertrudi ab Oosten* 451 *f*

Castigat *vitia verbis et verberibus S. Fulgentius* 43 *f* Castigatio *corporis adjumentum castitatis* 449 *f* Castigatio *puerorum immoderata brachii rigore punita* 597 *d*

Castitatis *encomia* 102 *c pro* Castitatis *custodia præcepta S. Syncleticæ* 245 246 Castitatis *adjumenta sex: temperantia, fuga periculorum, corporis castigatio, pietas, custodia oculorum, mundities externa* 449 450 *a ad* Castitatis *amorem odore suavi liliorum et rosarum hieme perfuso thalamo incenditur S. Basilissa* 576 *f* Castitatis *studium in S. Luciano Presb.* 339 *e* Castitate *eximius S. Guilielmus Bituric.* 636 *d* Castitas *Gundradæ sororis S. Adelardi, etiam inter aulæ illecebras* 102 *c* 114 *c* Castitatis *studio, vix mu-*
B *lieribus videndum se præbet S. Libentius Ep.* 180 *f ob* Castitatem *matrem in conspectum non admittit S. Simeon Stylita* 266 *a* 271 *b* 278 *b* Castitatem *voventium SS. Juliani et Basilissæ conjugum nomina scripta in libro vitæ* 577 *c iis apparent Christus et Maria Deipara cum Sanctis* 577 *b ob* Castitatem *carus S. Joanni Evang. S. Eduardus Conf.* 300 *d* Castitatem *B. Oringæ tuetur Angelus S. Cæciliæ* 656 *f* Castitas *lingua abscissa inexpugnabilis* 605 *a* Castitatis *triumphus in SS. Juliano et Basilissa* 577 *b c* Castitas *S. Marcianæ prostitutæ muro divinitus constructo defenditur* 569 *c*

Castrum *suum in monasterium vertit Conradus Salicus Imp.* 266 *e* Castrorum *Romanorum locus apud Marcolum in Belgio* 155 *f*

Catharrus *Missa ad altare S. Raimundi facta sanatus* 428 *a*

Catena *ferrea se lapidi alligat S. Simeon Stylita* 276 *d eam, Episcopo non probante, tollit* 276 *e ea cum corpore servata* 286 *b*

Cauteria *sanguine manantia, curata ope S. Severini Norici apparentis* 738 *b*

Cellæ *S. Marcarii ostio carent, aliæ arctæ* 88 *a* Cella, *in qua dormit S. Gerlacus, instar sepulchri humilis* 311 *b in* Cellula *juxta ecclesiam degit S. Bertilia*
C 157 *a* Cellæ *sex hebdomadis inclusa manet Gertrudis ab Oosten Beghina* 330 *b tota XL' S. Genovefa* 141 *c* 146 *c* Cellæ *inclusus XL annis nulli visus S. Leunianus* 30 *f* Cellam *leproso offert B. Albertus Erem.* 404 *d* Cellulæ 3 *vel* 4 *monachorum extra cœnobium, synagoga satanæ* S. Bernardus 348 *b*

Centuriones *pii* 133 *a ex* Centurione *Eremita, dein Martyr, S. Gordius* 130

Ceræ *libra vota S. Raimundo, reviviscit proles mortua quatriduo* 423 *c d* Cerea *imagine vota S. Raimundo contractus sanatur* 421 *a* Cereum *ter accendit absque lumine S. Genovefa: unius particulæ infirmis salutares* 140 *c* 144 *b* Cereus *S. Genovefæ reliquiis prælatus, precibus illuminatur* 149 *a c* Cerei *S. Genovefæ ingruente tempestate pulsatis campanis, supra templum apparent, argumentum depulsæ tempestatis* 725 *e* Cerei *divinitus accensi ad reliquias S. Faustæ V. M.* 728 *d* Cereis *simul accensis e SS. Patronum legendi ritus* 179 *b* Cereorum *extinctione indicata monachorum invidia* 51 *a. Vide* Candela.

Cervus *sistitur in nomine S. Simeonis Stylitæ* 266 *b* 271 *f* 284 *b ad currum pro equo junctus a S. Cuano evocatus* 46 *d* Cervos *vocat, onerat lignis, occisos et comestos suscitat S. Cuanus* 47 *a* Cervino *corio involutas reliquias S. Adelardi asportat monachus Corberen-*D *sis clam* 122 *f*

Chiragra *precibus S. Gudilæ sanata* 517 *c d* 525 *d* Chirotecæ *a S. Gudila projectæ pendent in aere* 517 *a* 525 *c*

Chlamys, *vide* Pallium.

Christus *liber vitæ* 214 215. Christi *Incarnationis mysterium explicat S. Lucianus Bellovac.* 464 *e* 467 *e* Christi *Incarnati beneficia* 232 Christi *extases B. Lauren. Justiniani* 554 *e, a Nativitatis festo XL diebus manant lacte ubera Gertrudis ab Oosten V.* 450 *f* Præputium *an in resurrectione reassumpserit Christus* 4 *a ejus particula variis locis servata, nec sine miraculis* 3 *et seqq. pars Antverpiam missa, a quo, quando* 6 *c miraculis illustrata* 6 *e et seqq. de eo fit Missa Antverpiæ omnibus Sabbatis* 7 *d Adoratio Magorum ostensa Veronicæ* 90 *b* Christi *voluntates et operationes duæ defensæ* 625 *a b c* Christi *paupertatis tres gradus* 214 *e f* 215 216. Christi *contemptus sui voluntarius* 216 *continuus et summus dolor* 217 218 219. Christus *spoliat se quodammodo sua sapientia, fama, dominio* 215 *d e f* Christi *mansuetudo et patientia ineffabilis* 219 *e* 222 *b* Christi *patientis tormenta in singulis membris opposita peccatis singulorum membrorum nostrorum* 203 213 *f Passionis* Christi *memoriam fovet B. Angela Fulgin.* 188 *f*
E 189 *b d f* 190 *e* 195 *f eadem ex* Christi *patientis amore, et torpore nostro, dolorem tantum concipit ut ei costæ disjungantur* 201 *f* Christi *crucifixi imagine creatur infans Gonsalvus Amaranthus* 640 Christus *crucifixus apparet B. Angelæ Fulginati* 189 *b* Christo *crucifixo compatientibus et imitantibus, sanctæ benedictiones a Deo donatæ* 202 *c ob Passionem* Christi *aspersis oleo herbis abstinet die Paschatis S. Palæmon* 676 *d* Christi *exemplo, clavis coronati MM.* 79 *e* Christus *instar pueri in Eucharistia apparet celebrante S. Raimundo* 415 *b* Christus *sub elevationem sacræ hostiæ sæpius apparet B. Oringæ ex morbo decumbenti* 634 *a* 660 *f* Christus *confirmat B. Angelam Fulginatem ut audeat communicare* 205 *d* Christus *puerulus traditur a Matre B. Angelæ Fulginatis* 206 *a* Christus *signo Crucis benedicit S. Eduardo Conf.* 298 *c* Christus *dato annulo desponsat sibi B. Angelam Fulgin.* 205 *c apparet SS. Juliano et Basilissæ, virginitatem in conjugio voventibus* 577 *b* Christum *in hospitali inter pauperes quærit B. Angela Fulgin.* 208 *a* Christus *apparens sanat atque e carcere educit S. Carterium* 472 *e adest S. Marcianæ incarceratæ et morienti* 569 *e* Christi *monitu latebris relictis, se offert martyrio S. Carterius* 472 *b* Christum *videt moribundus S. Wulsinus* 548 *morienti S. Tharsillæ apparet* 288 *a*
F *et S. Adelardo moribundo* 109 *f* 117 *c amplexatur morientem B. Angelam Fulgin.* 234 *b eidem morienti vestem gloriosam ostendit* 234 *a* Christus *in Martyribus victor eorum laudibus honoratur* 461 *d*

Christianus sum, *ad omnia quæsita respondet S. Lucianus Presb. M.* 364 *d* Christianam *se respondet nomen rogata S. Macra V.* 325 *c*

Cibi *appetitus repressus a Macario* 85 *d in* Cibis *nihil appetendum aut damnandum sed quod apponitur sumendum docet B. Laur. Justinianus* 556 *b* Cibus Apostolicus, *panis et aqua* 184 *d* Cibus *Macarii Rom. herbarum radices* 90 *b S. Tillonis Pauli herbæ et poma, post triduum aut quatriduum panis et sal, potus aqua* 378 *c S. Luciani Bellovac. panis, herba, aqua* 463 *d* 467 *a, S. Simeonis Stylitæ lens macerata et aqua* 265 *e* victus *asperitas S. Theodosii Cœnobiarchæ* 687 *c d* Cibis *certis abstinent Hypsistarii* 22 *e* Cibum *bis solum quot hebdomadis capit S. Genovefa, panem hordeaceum et fabam* 130 *d* 144 *e absque* Cibo *et potu XXII dies degit in carcere S. Theopompus Ep.* 724 *c* Cibo *refectos hostes captos dimittit S. Severinus Noricus* 487 *a* Comedere *ob consolationes divinas obliviscitur B. Angela Fulgin.* 187 *e* Cibum *oblatum respuit S. Theogenes, cælitus pastus* 135 *b* Cibus *divinitus cu-*

A *ratus B. Rogerio et sociis, pisce in fonte reperto* 184 *d S. Theodosio Cœnob.* 688 *d* 689 *a ab Angelo reficitur B. Oringa* 631 *f* Cibo *cælesti ad XL dies pascitur, fame enecandus S. Theogenes* 134 *b* 135 *e* Cibum *ut miraculose a Deo petat, tentatur a dæmone Macarius* 85 *c* Cibum *visa sibi a filio Gregorio Theol. percepisse S. Nonna, convalescit* 28 *a* Cibum *cum Ethnicis numquam capit S. Nonna* 23 *d, a* Cœna *redeuntem S. Bladulphum vulnerant sicarii* 94 *f*

Cicur *ursus fugiens ad aram S. Gudilæ* 321 *e f* 327 *f* Cicurant *feras signo Crucis SS. Severinus et Victorinus* 740 *e lupum S. Severinus Septempedanus* 741 *e*

Cilicio *induitur Albertus Erem.* 402 *d* Cilicio *semper usus S. Guilielmus Ep. Bituric.* 629 *f Odilo* 69 *b* 72 *b Anastasius Senonensis* 389 *b Egwinus* 710 *d ex voto S. Gerlacus* 307 *b* 308 *a d* 312 *f* 320 *c e in* Cilicio *moritur S. Clarus Viennen.* 56 *f Guilielmus Bituric.* 614 *f* Cilicio *S. Theodosii Cœnobiarchæ indutus Dux victoriamobtinet* 698 *f*

Cimices *XX alit in tibia exulcerata S. Simeon Stylita* 276 *e*

Cinere *misto hordeaceo pane victitat S. Gerlacus* 308 *c* 310 *f* 320 *f in* Cineres *humi sparsos depositus moritur S. Guiliel. Bituric.* 634 *b*

B Cingulo *pelliceo usi monachi ævo S. Fulgentii : eo ipse cinctus dormit* 39 *d* Zonæ *aureæ* 85 *d*

Cippus, *vide* Torqueri.

Quod Circuit *Pipino dormiente, ab eo accipit S. Rigobertus, a Clodovæo S. Remigius, a Carolo Magno S. Arnoldus* 175 *e*

Cithara, *vide* Canere.

Clamat *ante monasterium ut a Fulgentio novitio audiatur mater ejus* 34 *d*

Claudicant *violatores sepulchri S. Gudilæ, eorumque posteri* 319 *b c d* 326 *e* Claudum *sanat S. Simeon Stylita* 267 *b* 272 *f* 279 *e* Claudus *sanatur sepulchri pulvere ab ipso S. Gerlaco apparente* 315 *c d in ecclesia S. Gerlaci* 315 *e* 321 *d ter ponderatus ad sepulchrum S. Erminoldi* 346 *e*

Claves *omnium portarum urbis servat S. Rigobertus Ep.* 176 *f*

Clavo *Crucis Christi dæmoniacus liberatur* 377 *e* Clavis *inter lapideam ligneamque tamen confossus S. Daniel M.* 160 *b* 161 *a* Clavis *confixus S. Quintinus : eos religiose asservat S. Eligius* 135 *e* Clavis *confixa capita SS. Frontasio et sociis* 79 *e* Clavis *quatuor configitur S. Theogenes, una et fame enecandus* 135 *a*

Ob Clementiam *in subditos occiditur Sigebertus Rex Orientalum Saxonum in Anglia* 374 *e*

C Clerum *reformat B. Laurentius Justinianus Episc.* 556 *c. Vide* Diaconus, Presbyter.

Cogitationibus *variis orantes infestat dæmon* 89 *d*

Cognitio *Dei et sui ad virtutem necessaria* 210 *f* 212 *b c* 213 214 *b ad* Cognitionem *sui passus XVIII, B. Angelæ Fulgin.* 188

Collecto *animo in strepitu Aulæ divina meditatur Adelardus* 101 *a ejusdem* Colligendi *animum promptitudo* 100 *f* 113 *f*

Collum *ferro stringit S. Theodosius Antioch.* 678 *b*

Columba *insidet humeris B. Alberti Erem. ad sepulchrum S. Jacobi* 402 *c* Columba *e cælo descendens abditur in sepulchro S. Frodoberti* 311 *d* Columba *febricitantis faciem ombumbrante, sanatur invocato S. Raimundo* 424 *a* Columba *apparente supra sepulchrum S. Guilielmi Divionensis, æger sanatur puer* 57 *b* Columba *e tumba S. Adriani veniam implorat pro puero verberando* 597 *d*

In Columna *stat S. Simeon Stylita* 265 *f* 266 *c* 270 *c nisus uno pede* 266 *c trabi alligatus* 276 *et solutus* 276 *c jussus descendere, et obediens permittitur permanere* 277 *d e* Columnæ *ejus qualitas* 262 *a b altitudo* 277 *b eam circumeunt viri et jumenta* 286 *d* Columnis *marmoreis extruit claustrum S. Odilo* 69 *d* Columnat *nonnullas templi auro vestit S. Odilo* 69 *d* Columnam D *immobilem a dæmone factam, Crucis signo mobilem reddit S. Marcianus* 614 *d* Columna *ventri S. Theopompi Ep. imposita virtute rejicitur* 724 *f inter* Columnas *quatuor, seu palos, tensus fustibus cæditur S. Theogenes* 134 *b* Columna *securas reddit de cælesti gloria S. Basilissam et socias* 578 *d* Columna *in somnis visa designatæ reliquiæ S. Jacobi Apost.* 159 *f*

Comedere, *vide* Cibus, Panis, Jejunium.

Comes *Martyr S. Julianus Sardus* 78 *f ex* Comite *Ep. Lingon. S. Gregorius* 168 *c Ex* Comite *monachus, dein Episcopus, S. Rigobertus* 174 *b Ex* Comite *Eremita, dein Martyr, S. Gordius* 130

Comitatus *virtutum proprius Virginibus* 139 *e* 144 *e*

Compatitur *afflictis et infirmis B. Rogerius* 185 *d*

Concilia IV, *prima, ut IV Evangelia suscipit S. Theodosius Cœnob.* 695 *b*

Concionator *S. Lucianus Bellovac.* 462 *c e* 463 *c* 466 *c S. Valentinus Passaviensis* 369 *c e* 370 *e* 721 *a e egregius S. Paulinus Aquileiensis* 715 *f* 716 *a fervens, S. Egwinus Ep.* 707 *f* Conciones *S. Adelardi lacrymis mistæ efficaciores* 98 *f* Conciones *S. Fulgentii efficaces* 44 *b B. Vitalis Saviniacensis* 390 *b S. Guilielmi Bituric. etiam febri laborantis* 633 *f* Concionandi *modus popularis S. Attici* 477 *b ob* Conciones *S. Egwini strepitu malleorum impeditas, absorbetur castrum* 710 *e* E

Concordia *summa inter S. Fulgentium et Felicem coabbates* 35 *b*

Concupiscentiam *rei alienæ a S. Anton. dedocetur Macarius* 85 *b*

Concursus *civium ad certamen Martyris* 132 *e ac recipiendos Episcopos redeuntes ab exilio* 43 *c d*

Confessarius *Papæ S. Raimundus* 410 *b Imperatoris S. Aldricus* 388 *c*

Confessione *peccatorum imperata, sanat manum aridam S. Guilielmus Bituric.* 630 *f et fæminam a periculo abortus liberat* 630 *f* Confessionis *horror tollitur invocato S. Raimundo* 427 *e in* Confessione *pietas et rectitudo B. Angelæ Fulgin.* 187 *d ad* Confitenda *peccata sensum semimortuo restituit S. Raimundus* 410 *e* Confessione *generali animum expiat S. Tillo Paulus* 377 *e* Confiteri *Deum oportet intrepide* 132 *b* Confessio *fidei et Christi libera S. Luciani Bellovac.* 465 *b* 467 *c e* Confessor *quis dici olim soleat* 84 *b c*

Congregationis *S. Gregorii in Alga B. Lauren. Justinianus* 549

Conjuges *Sancti Vincentius Madelgarius et Waldetrudis* 514 *e* 516 *d Hilarius et Quieta* 726 *a d* Conjuges *Virgines, dein cœtus monastici fundatores SS. Julianus et Basilissa* 577 *e* 587 *e* Conjuges *MM. Dafrosa et Flavianus* 166 *a* Conjuge *mortua, fit Episcopus* F *S. Domitianus Melitenæus* 618 *e eremita S. Gerlacus* 307 *b* 320 *c ad* Conjugium *S. Julianus M. a parentibus incitatus, oratione et jejuniis septem diebus Dei voluntatem inquirit* 576 *b* 587 *c d tandem* Conjugem, *cum qua virginitatem servet, accipere cælitus monetur* 576 587 *d* Conjuges *Virgines Guthlandus et S. Bertilia* 156 *d e Julianus et Basilissa* 577 *e hi nocte prima tota orant* 577 *d in* Conjugio *virginitatem servat S. Pharaildis, viro primum assenso, deinde invito, sed divina vi represso* 170 *a* 171 *b* 172 *c* Conjuges *invicem provocantes ad virtutem* 156 *f* Conjugium *bonum, Dei munus* 22 *f quale parentum S. Gregorii Theologi* 23 *a* Conjux *bona, optima possessio* 23 *a, a* Conjugii *usu, S. Marcionilla cum filio S. Celso, a proprio marito jussa occidi* 586. *In* Conjugem *immitis graviter punitur* 171 *e* Conjuge *altero imprecante, altera a dæmone possidetur* 345 *e*

Consanguinei *pauperes potissimum juvandi* 23 *b* Cognatæ *sanctæ : Gudila, Gertrudis, Aldegundis, Waldetrudis, Aldetrudis, Madelberta* 514 *e* 515 *d*

Consecranda *ab Episcopo in sanctimonialem seniori-bus præfertur S. Genovefa* 138 *f* 143 *f*

Consiliarius *Regis Franc. S. Salvius Ambianen.* 706 *b primarius*

A *primarius Caroli Magni S. Adelardus* 722 *o d Clodovæi Magni S. Melanius Ep.* 329 *a e* Consiliarium *optimum patris sui S. Adelardum, invidorum machinatione relegat Ludovicus Imp.* 101 *c d* 114 *b* Consiliarii *sancti prudentia quid prosit* 116 *a* Consiliarii *boni dolenda jactura* 103 *c* Consiliarius *optimus in jure dicendo oratio, B. Laur. Justiniano* 557 *c* Consilium *multorum in rebus dubiis utilissimum* 37 *e* Consilium *bonum a S. Genovefa datum, morte compensare cogitant Parisienses* 139 *b* 144 *c* Consilio *suorum Procerum Ecclesiis ablata restituit, et reliquias honorat Comes Flandriæ* 122 *b* Consiliis *suorum moderationem pœnitentiæ suadentium cedit ad tempus S. Adelardus* 116 *a*

Consolatur *matrem viduam S. Gregorius Theologus* 31 *a* Consolationes *B. Angelæ Fulgin. ex Dei perfectionibus* 192 193 *in corpus redundant* 187 *d*

Consortia *Ethnicorum ita devitat S. Nonna, ut nec templa eorum aspiciat* 23 *d*

Constantia *Martyris* 132 *f in fide Christi confitenda S. Polyeucti* 666 *f* 667 *b admirabilis S. Martinæ V. coram tribunali et in tormentis* 12 *et seqq. puerorum in idolothytis recusandis, tormentis, et morte subeundis* 360 *b c d* Constantiæ *omen in monacho, amor parentum superatus* 34 *d*

B *Ad* Contemplationem *assiduam divinorum se excitat S. Macarius* 87 *d*

Contemptus *sui in Christo voluntarius* 216 *e f in aliis quam meritorius* 217 *b c* Contemptus *a parentibus S. Cronanus puer, miraculis a Deo honoratur* 47 *f*

Contractus *sanatur a S. Erminoldo* 343 *f* 344 *d* 345 *a, precibus S. Gudilæ* 517 *b d* 525 *d vota imagine cerea S. Raimundo* 421 *a* 426 *b ad sepulchrum S. Eduardi* 301 *f ad reliquias S. Genovefæ* 149 *e f alius* 150 *e aliæ tres* 151 *a b* Contractum *lotione pedum sanat S. Melanius* 330 *c*

Conventus *publici, etiam pii, sensim in dissolutionem abeunt* 120 *d*

Convertit *ad fidem Danos miraculis Poppo* 181 *f Dacos aliosque barbaros populos S. Nicetas* 365 367 *varias gentes e columna S. Simeon Stylita* 270 *d* 277 *c f gentiles et hæreticos S. Valentinus Passaviensis* 370 *f* 731 *f S. Leucius Brundisii XXVII millia* 672 *e S. Lucianus Bellovac. triginta millia genilitum* 465 *f* 468 *e lapsos milites XL dein Martyres, S. Lucianus Presb.* 360 *e, virorum cum suis, S. Leucius* 671 *b S. Cleopatroniam a dæmone liberatam et* 200 *in* Convertendis *Saracenis labores S. Raimundi* 411 *e* 412 *b e ab eo* Conversi *ad X millia* 412 *e* Conversio *Pendan Regis Merciorum in Anglia et subditorum* 373 *c Sigeberti Regis Orientalium*

C *Saxonum et subditorum* 374 *b c* Convertere *ad fidem Cosroen conatur S. Domitianus* 618 *c* Conversionem *viri assidue urget S. Nonna, jejuniis, precibus, monitionibus, obsequiis etc.* 23 *f* Conversus *S. Athanasius Commentariensis leone humana voce loquente* 128 *d Venetenses mortuo a S. Melanio resuscitato* 331 *c carnifices voce cælesti et luce, orante S. Martina* 12 *e milites XX lumine et odore carceris SS. Juliani et Celsi* 582 *Celsus puer visis Angelis coronantibus S. Julianum* 581 *b c Marcionilla odore suavi carceris* 584 *e, a morte resuscitatus a S. Juliano* 583 *d milites quidam et nautæ visa S. Theogenis morte* 135 *b cives crucibus veste baptizati Præfecti urbis divinitus repleta* 500 *S. Luciano Bellovac. ferente caput præcisum* 465 *f* 468 *e lictor oculo signo Crucis restituto, et fit Martyr* 584 *a Theonas Magus hauriente innoxie venenum S. Theopempto Ep.* 127 *f* 724 *e in* Convertendis *hæreticis dexter Ludov. Blosius* 432 *a b* Convertitur *ad vitam monasticam vulnere accepto Ludovicus Blosius* 433 *e* Convertit *injustum caritate sua in pauperes S. Marcianus* 616 *b*

Convicia *joco eludit S. Canutus Lawardus* 397 *c*

Corde *extracto et ori imposito, decollatur S. Procopius Siculus* 736 *a*

Coronam *templo Cluniacensi ab Imperatore datam,* D *tempore famis frangit in eleemosynas pauperum S. Odilo* 68 *b* 72 *a* Coronam, *qua Deo consecrata erat ab Episcopo, S. Hildegardis mittit S. Gerlaco* 309 *f* 321 *b* Coronati *spinis ferreis SS. Frontasius et socii* 79 *e* Coronatur *ab Angelis S. Julianus per plateas raptatus* 581 *b*

Corpus *inflectit, fronte digitos pedum attingens in oratione S. Simeon Stylita* 283 *b* Corpora *mortuorum lavantur* 261 *e Ad* Corpus *defuncti nocte tota vigilari solitum in psalmis et canticis* 44 *f* Corpus *matris S. Simeonis Stilytæ movetur, dum hic pro ea jam mortua orat* 266 *a* Corpus *S. Pauli Erem. reperitur a S. Antonio, genibus flexis, erecta cervice, extensis manibus* 607 *a B. Oringæ radiis illustratur* 661 *b tegitur ejus jam mortuæ manibus, ne videatur ab impudica muliere* 634 *b S. Melori pueri M. cælitus honoratum* 136 *e* Corpora *S. Quintini in fluvio diu incorruptum* 154 *c S. Eduardi Conf.* 302 *b* 303 *d B. Laur. Justiniani* 67 *dies* 563 *b S. Gutlaci post annum* 532 *c S. Severini Norici post VI annos* 496 *f* Corpus *et vestes S. Gregorii Lingon. multo post tempore* 169 *e* Corpus *S. Martinæ ab aquilis custoditur, splendidum, honorifice sepultum* 17 *e f in Urbem Divino monitu translatum* 18 *a post repertum, ornatum* 18 E Corpus *S. Gudilæ avehendum Nivellam, Montes, aut Malbodium, moveri nequit* 519 *f* 527 *a S. Gregorii Lingon. fit immobile donec soluti captivi* 169 *b S. Melori electo divinitus loco sepultum, miraculis honoratum* 136 *f* Corpora *MM. Bononiæ inter sepulchra Judæorum abjecta* 165 *e MM. in puteum abjecta Placentiæ* 80 *e SS. Argæi, Narcissi, Marcellini in mare mersa, in littus rejecta* 83 *a Isidori Ep. Cæsaraug. in flumen abjectum, post repertum* 721 *c* Corpus *S. Theogenis submersi a Christianis extra urbem sepelitur* 135 *b* Corpora *sua ostendunt apparentes SS. Julianus et socii MM.* 587 *a* Corpora *Martyrum revelant Angeli, ut S. Quintini* 154 *c S. Danielis M. repertum cæci indicio, recenti sanguine aspersum* 160 *f S. Reinoldi divinitus ostensum* 386 *e S. Petri Ab. Cantuar. submersi, luce cælisti repertum* 335 *a* Corpora *SS. arroganter quærens punitur* 154 *f multa a S. Eligio inventa* 154 *e quæsita præmisso jejunio* 155 *SS. Sebastiani et Alverii voce cælesti reperta* 81 *e Cyrillæ, Memmiæ etc. VV. MM. a Sergio Papa in Urbem translata* 166 *b S. Pharaildis Gandavum translatum* 172 *d sæpius deinde* 172 *d S. Martinæ V. M. repertum Romæ* 11 *a* Corpus *hæretici effodi curat S. Atticus, ne ab iis colatur* 482 *c Caroli Martelli invasoris Ecclesiasticorum bonorum in inferno sepultum* 177 *c d. Vide* Reliquiæ, Sepultura. F

Corvus *LX annis medium panem quotidie fert S. Paulo integrum ei et hospiti Antonio* 606 *c ut* Corvi *insultant S. Macario dæmones* 86 *e*

Costæ *B. Angelæ de Fulginio disjunctæ ob dolorem ex amore Christi patientis et torpore hominum* 201 *f*

Cranio *S. Adami Calvariæ monti nomen* 686 *f*

Crudelitas *Reginæ in captivos, periculo filii castigatur* 488 *c d Saraceni Regis in Christianos, etiam indigne ferentis clementiam proprii filii* 735. Crudelis *Rex post erutos oculos, et manus evulsas a Deo punitur* 331 *f*

Crura *franguntur Tribuno post infelicem pugnam* 135 *b* Crura *contorta, ope SS. Wenceslai et Erardi curata* 539 *c* 544 *c*

Crux *Christi quotannis exaltatur in Palæstina* 5 *sec.* 696 *c* Crucifixus *merita S. Erardi eloquitur* 538 *b* 540 *e* 544 *b* Crucis *Christi via certissima* 213 *f* 221 *f in* Cruce *Christi lectus B. Angelæ Fulgin.* 197 *f* Crux *servatur, e qua stigmata accepit Gertrudis ab Oosten* 349 *a* Crucem *manibus gestantes mille Virgines a morte gloriosæ, apparent S. Basilissæ* 578 *f* Cruce *signati Principes profligant hæreticos Albigenses* 632 633 Cruce *S. Gerlaci apposita oculis, cæca illuminatur* 317 *b*

pedi

A *pedi ejus admota, dolor tollitur* 317 *c* Cruce *signatum nummum, e collo gestandum, tradit S. Genovefæ S. Germanus* 138 *d* 143 *e* Crucis *attactu apostema curatur* 661 *f* Cruce *supra pectus posita a dæmone suffocatum resuscitat S. Melanius* 331 *b* Crucis *forma corpora sua humi sternunt SS. Frontasius et socii* 79 *f* Crucis *signo S. Eduardum Conf. benedicit Christus* 298 *c* Cruce *signant se facta oratione abituri e templo* 118 *c* Cruce *signat frontem ingredientes templum Jovis SS. Julianus, Antonius et socii* 586 *a, martyrio coronandi carnifices a S. Martina conversi* 13 *b* Cruce *se signat ante orationem et certamen S. Martina* 11 *f eadem fustibus cædenda* 13 *f tormenta subituras S. Gordius* 133 *e moribundus S. Maximus M.* 94 *e S. Severinus Noricus* 496 *c moribundus discipulos signat S. Eustratius* 598 *e* Crucis *signo ad amorem Dei excitatur B. Angela* 205 *b sanatur infirmus* 142 *c morbum inveteratum curat S. Melanius* 330 *a vulnus S. Tillo Paulus* 380 *b* Crucis *signo benedicta aqua pellit febres S. Genovefa* 141 *e eadem* Crucis *signo et oratione paralyticam sanat* 141 *d amentem S. Frodobertus* 509 *d* Crucis *signo faciem glandibus excrescentibus deformem sanat a se lotam S. Eduardus Conf.* 298 *d oculum particula corticis inhærente læsum S. Odilo* 75 *f cæcæ visum restituunt SS. Genovefa* 140 *d* 141 *c e* 145 *c*
B *Odilo* 72 *d matrem cæcam curat Frodobertus* 506 *f oculum lictori restituit S. Julianus M.* 581 *a strumas sanat S. Odilo* 75 *c vulnus brachii S. Odilo* 76 *a manum aridam Genovefa* 141 *c* 146 *b* Crucis *signo annulum crescente carne opertum extrahit B. Rogerius* 183 *e submersionis periculum propulsat S. Clarus Viennen.* 56 *b* Crucis signo *et oleo benedicto curatur cæcus, surdus, mutus, claudus a S. Genevefa* 142 *e* 147 *c* Crucis *signo energumenos liberant SS. Gregorius Lingon.* 168 *d Genovefa* 152 *d Melanius* 330 *d dæmonem pellit S. Frodobertus* 506 *e* 507 *c* Crucis *signo et oratione energumenos liberat S. Genovefa* 141 *a,* Cruce *frontem signans dæmonis insidias pellit S. Tillo Paulus* 378 *c* Crucis *signo dæmon in specie draconis fugatur a S. Severino Septempedano* 741 *d* Crucis *signo columnam dæmonis arte immobilem movet S. Marcianus* 614 *d* Cruce *vas signans S. Genovefa, potu replet, qui ad longum tempus non deficit* 140 *b* 143 *a* Crucis *signo munitus furnum ardentem intrat illæsus S. Silvester Trainensis* 124. Crucis *signo facto residit exundans fluvius ferenti reliquias S. Faustæ V, M.* 728 *b* Crucis *signo Danubii eluvionem reprimit S. Severinus Noricus* 490 *c pisces in cibum opificum attrahit B. Gonsalvus Amaranthus* 647 *b feras cicurant SS. Severinus et Victorinus* 740 *e lupum idem*
C *Severinus* 741 *e* Crucis *præcones benedicit Christus* 206 *d* Crucis *Burgundicæ forma incisio vulneris fit Lud. Blosio petenti* 433 *e* Crucifixus *S. Petrus Abselamus* 128 *b* 129 *f*

A Culicibus *confixum corpus S. Apollinaris V.* 260 *b*
Culicum *grandium aculeis configendum se præbet S. Macarius contra tentationes carnis, et impatientiæ* 86 *a*
Culter *lapideus, quo Christus circumcisus, asservatur Compendii* 719 *c*
Cultu *S. Frodoberti neglecto, cessant miracula* 511 *a*
Cultus *S. Gerlaci intermissus, ab ipso apparente renovari jussus* 319 *c. Vide* Sanctus.
Cupiditatem *e suorum animis eradicare conatur S. Adelardus* 117 *b*
Curam *eximiam suorum gerunt SS. Fulgentius* 42 *d Rigobertus* 176 *a etiam mortuus gerit bonus Episcopus* 22 *c S. Adelardus, singulos quavis hebdomada alloquitur* 108 *c* 116 *f ob* Curam *subditorum sibi impositam magis pœnitentiæ operibus se exercet S. Melanius Ep.* 328 *e*
Curiositas *cæcitate punita* 141 *c* 146 *c* Curiositas *circa reliquias præputii Christi arguitur tempestate subita* 6 *a*
Currus *reliquias S. Melori vehens, certo loco fit immobilis* 136 *f* Currus *duo cibariis onusti, absque bobus cælitus submissi S. Adelardo* 113 *d* Rheda *ærea* 85 *e*

D D

Dæmon *Angeli specie, latebras S. Maximi indicat parenti* 92 *a Medicum fingit, et cui potionem præbet corripit* 329 *d in specie socii S. Gerlacum tentat* 308 *e sub puellæ specie ad peccatum inducit S. Victorinum Erem.* 500 *d e, specie pueri plangentis tentat Gertrudem ab Oosten* 350 *c Æthiopis, Macarium* 89 *a* Dæmon *in forma draconis* 741 *d apparet cum cornibus instar tauri* 329 *d f forma avis nigerrimæ* 67 *c f flammantibus oculis apparentem pellit S. Clarus Viennen.* 56 *c* Dæmones *ut corvi insultant S. Macario* 86 *c specie luporum, serpentis, mulieris impugnant B. Albertum Erem.* 404 *b* Dæmonis *nequitia* 379 *b minæ et promissa spernenda* 379 *e insidiæ cavendæ* 248 *b c* Dæmones *in monumento Magorum* 86 *b* Dæmon *gladiatoriis ludis et sanguinis effusione delectatur* 31 *e in aere homines piscatur* 92 *a* Dæmonum *princeps qui luxuriam et maleficia curat* 12 *b* Dæmones *Julianum ad persecutionem instigant* 28 *d* Diaboli *arte blanditiæ, lacrymæ, eloquentia ad labefactandam constantiam Martyrum* 132 *f ejus invidia comburuntur ecclesiæ* 119 *a e* Dæmones *tripudiant dum evertuntur templa et sævitur in Christianos* 131 *d dolent ea reædificari* 119 *e* Dæmon *cohorrescit ad præsentiam Virginis Martinæ* 14 *f monachi* 86 *c d*
Dæmon *turbat contemplantem Divina S. Macarium* 87 *e* E
monachus orantes varie tentat 89 *a tentat Macarium ut petat miracula* 85 *c pernoctante in oratione S. Gudila lucernam extinguit* 516 *c* 525 *a S. Frodoberto, candelabrum evertit* 509 *b tempestate subita turbat concionem B. Lauren. Justiniani* 555 *b signa viæ S. Macarii turbat* 86 *c vasis volvendis iter S. Gerlaci conatur retardare* 308 *f naufragii auctor est* 141 *d* 146 *d alio defert Gertrudem ab Oosten* 350 *c indigne communicantibus dat carbones* 89 *d peccata præterita resuscitat* 191 *b* Dæmon *insidians B. Oringæ repellitur ab Angelo* 635 *d* Dæmonem *ex idolis fugat S. Martina ejulantem* 12 *b* Dæmon *epistola S. Eugendi pulsus* 52 *e* Dæmonis *impetus oratione frangitur* 452 *e* Dæmonem *apparentem Crucis signo pellit S. Frodobertus* 506 *e* 507 *f* Dæmon *specie draconis, fugatur signo Crucis a S. Severino Septempedano* 741 *d* Dæmon *in ampullæ ore sedet, agnoscitur a S. Genovefa, signo Crucis et insufflatione pellitur* 142 *e* 147 *b* Dæmonem, *cruce frontem signans, pellit S. Tillo Paulus* 378 *c moribundus, nomine tremendi Judicis pellit S. Odilo* 76 *e* Dæmon *moribundum ne suffocet, impeditur a S. Raimundo apparente* 420 *b, a* Dæmonis *familiaritate revocatur quidam auxilio Ludov. Blosii* 432 *e cur sinatur possidere homines* 691 *e corripit III monachos superbos, orante S. Severino Norico* 394 *f solitum ener-* F
gumenos liberare, sed hoc petentem ex humilitate 494 *f epistolarum falsarum auctorem, orante S. Ambrosio* 494 *f Begonem jubentem ecclesiam everti* 177 *a, furto abripientem sacra templi S. Severini Norici* 496 *d expulsus, ob ingratitudinem denuo redit* 345 *f corripit uxorem marito imprecante* 345 *e cuidam infligit alapam, eumque corripit moriente S. Vitalio, quem is ante alapa percusserat* 702 *f, a* Dæmone *arripitur qui S. Bladulphum vulnerarat : liberatur orantibus pro eo monachis* 95 *a d* Dæmon *superbientem invadit et doctrina privat; a S. Cuano pellitur et doctrina restituitur* 46 *a* Dæmon *possessum, ne ejiciatur, suffocat* 331 *b correptos a dæmone ob arrogantiam monachos, benigne excipit S. Theodosius Cœnob. et multos liberat* 691 *d f* Dæmones *in energumenis uri se clamant præsentia S. Genonefæ* 142 *c* 147 *a* Energumeni *a terra elevati mirabiles edunt gestus* 145 *f* Dæmoniacos *liberant B. Laurentius Justinianus* 559 *b SS. Salvius Ambianen.* 706 *d Aldricus* 389 *a S. Leucius* 670 *f decem alios B. Oringa* 661 *e* Energumeni *curati a S. Macario* 88 *a* Dæmonem *jussu suo ejicit S. Melanius* 332 *a* Energumenos *signo Crucis liberat, cum primo recusasset, S. Gregorius Lingon.* 168 *d S. Melanius* 330 *d*

A 330 *d oratione et signo Crucis S. Genovefa* 140 *f* 141 *a* 146 *a oratione sororem S. Apollinaris V.* 260 *e oratione et jejunio S. Severinus Noricus* 495 *a, tactu S. Egwinus* 710 *c alapa inflicta S. Melanius* 329 *d* Energumenum *post preces oleo sancto ungens, et aqua abluens, sanat S. Marcarius, jubens* 40 *dies carne et vino abstinere* 88 *a* Energumenus *aquæ benedictæ immersus, Crucis signo ad reliquias S. Genovefæ liberatur* 150 *e virga S. Gregorii Lingon. signati* 168 *e ferula percussus* 738 *b varii ad reliquias S. Severini Norici* 738 *d e ad corpus S. Theodosii Cœnob.* 700 *f ad reliquias S. Genovefæ* 150 *a S. Erardi* 338 *f* 341 *b S. Erminoldi* 345 *e et relapsa ob ingratitudinem* 346 *a ad ostium ecclesiæ S. Genovefæ* 148 *b*

Damnatur *Episcopus solitus persequi S. Guilielmum Divionen.* 62 *d*

Damno *alieno gaudentem increpat et castigat B. Rogerius Ab.* 185 *b*

Debita *contrahit ad eleemosynas B. Laurentius Justinianus* 556 *f*

Decalvantur *S. Fulgentius et Felix ab hæretico Presbytero* 36 *b*

Decimarum *neglectus rubigine frugum punitus* 491 *b*

Dedicatur *ecclesia Westmonasteriensis ritu solenni a S. Petro noctu apparente* 296 *e f* 297 *b. Vide* Ecclesia,

B Templum.

Defendit *innocentes contra improbos Magistratus S. Rigobertus Ep.* 176 *c*

Deliciis *assuetum, monachum fieri difficile* 34 *a b* Deliciosa *loca vitanda monachis* 86 *f* Delicias *post mortem stolide sperant Magi* 86

Delphinus *corpus S. Juliani Presb. e mari ad terram defert* 362 *a*

Dentem *S. Joannes Evang. in pignus amoris dat S. Patienti* 468 *f* 469 *f* Dens *S. Marthæ et pars maxillæ* 5 *b* Dente *S. Quintini revulso post* 340 *annos, effluit sanguis* 155 *e* Dente *S. Genovefæ sublato, varie cruciatur Abbas : eum magnifice ornatum restituit* 149 *b* Dentem *S. Gerlaci furatus, dentes intra annum amittit* 317 *f* 321 *d* Dentium *dolor sanatur, ope S. Pharaildis, attacta panum in lapides versorum* 173 *a, S. Rigoberti, oblata ei candela* 180 *d terra sepulchri S. Gerlaci in sanguinem versa* 317 *f osculando sepulchrum S. Rigoberti* 179 *a in templo S. Gerlaci* 317 *b* Dentium *e morbo constrictio sublata ad sepulchrum S. Raimundi* 429

Desperatione *vexatur B. Angela* 192 *b* Desperatum *hominem consolans, ad meliora convertit B. Laurentius Justinianus* 559 *d*

Detractionem *ut oderit S. Eugendus* 52 *e non* Detraxit *aut maledixit ulli tota S. Luanus* 46 *b* Detra-

C hentes *B. Laurentio Justiniano, divinitus puniti* 558 *b c miraculis S. Raimundi quidam, divinitus punitus; eo invocato curatur* 428 *a* Detrahentes *sanctitati S. Genovefæ confutat S. Germanus, ostenso solo ejus lacrymis madente* 139

Deum, *ejusque perfectiones, videt B. Angela* 194 *c f* 195 *c* 196 *a* 197 *b c et qua visione* 234 *f* Dei *potentiam cognoscit eadem* 195 *c item pulchritudinem* 194 *f* Dei *potentia, justitia, bonitas in prædestinatione hominum* 196 *a* Dei *præsentiæ in anima signum* 194 *b* 200 *b ejus bona* 198 *b c signa certa* 209 *d e f* Divinæ *voluntati in omni dispositione aeris se conformat S. Luanus* 46 *b* Dei *illapsus in animam* 198 *c e f* Deus *ut hospes animæ suscipiendus* 210 *b* Deum *in hospitibus, se excipere censet Ludov. Blosius* 448 *f* Deorum *falsorum contemptus* 580 *b*

Dextera *S. Juliani Presb. qua scripturam sacram concinnarat, a morte corpori redunitur, in mari avulsa* 362 *b. Vide* Manus, Brachium.

Diaconi *MM. Nicanor.* 601 *Clerus* 365 *Priscillianus* 165 *Daniel Patavinus* 160 *c* 161 *a*

Dies, *vide* Sabbatum, Dominicus, Festa, Jejunium, Mori.

Digiti *S. Genovefæ energumenis visi ardere cereorum instar* 142 *d* Digiti *constricti ob nummum inter* D *offerendum retractum, sanati a S. Erminoldo* 346 *e f*

Dignitatem *Abbatis recusat S. Fulgentius* 35 *b* Dignitatibus *spoliati Christiani jussu Dioclet.* 81 *c ex* Dignitatibus, *quas in Rep. gessit, ne teruntio quidem facultates auget S. Gregorius, Theologi pater* 22 *f*

Discipuli *illustres S. Adelardi, S. Anscharius, et S. Paschasius Ratbertus* 111 *e* Disciplina *in Ecclesia Remen. restituta per S. Rigobertum* 174 *f* Disciplina *monachorum Solemniacensium* 379 *e ob* Disciplinæ *monasticæ curam occiditur a suis S. Erminoldus* 340 *e* 341 *b* 347 *d* Disciplina *quotidie se castigant B. Albertus et Anselmus Erem.* 402 *c*

Discretio *S. Syncleticæ in virtutibus acquirendis* 244 *d*

Dissidentes, *vide* Reconciliare.

Dissimulat *caute itineris caussam S. Fulgentius, citra mendacium* 36 *f*

Divites *etiam sancti* 293 *b* Divitiæ *tutæ, Deo et pauperibus datæ* 23 *b* Dives *pauperibus non subveniens, omnibus divitiis ideo privatur incensa domo* 272 *c d* Divitias *contemnit S. Bertilia V.* 156 *d* Ditescere *ex publicis muneribus refugit S. Gregorius Theologi pater* 22 *f*

Divinum officium *qua pietate recitarit S. Adelardus* 100 *f* 113 *f* officio Divino *semper interest Ludov. Blosius Ab.* 443 *f etiam æger S. Eugendus* 54 *e quotidie* E *interesse suos jubet S. Fulgentius* 43 *f id a monachis sedulo obeundum* 445 *d* 447 *a* Divini *ministerii tempore, morbi dolores non sentit S. Gregorius Theologi pater* 30 *b. Vide* Horæ Canonicæ, Missa, Sacrificium.

Doctoribus *necessaria vita bona et doctrina* 32 *c* Doctus *divinitus scientias B. Laurentius Justinianus* 557 *d* Doctissimus *in utroque jure S. Raimundus* 405 *f* 406 *a* Doctior *reliquis suæ diœceseos S. Melanius* 328 *f* Doctores *scientiarum anno ætatis* 12 *SS. Severinus et Victorinus* 739 *e ob* Doctrinam *Carolo Magno carus S. Paulinus Aquileiensis* 714 *d et Alcuinus* 715 *a* Doctrina *S. Fulgentii ab Eulalio Ep. ex responsorum moderatione agnoscitur* 36 *f terrori est hæreticis* 41 *e ab omnibus Episcopis suspicitur* 40 *b omnibus subvenit* 40 *e* Doceri *gratis constituit in suis monasteriis S. Guilielmus Divionen.* 61 *a* Docet *gratis litteras S. Raimundus* 408 *b Anglos Poesim, Astronomiam, cantum Ecclesiæ S. Adrianus Ab.* 596 *b* Docet *Jus Canonicum S. Raimundus* 408 *b ob* Doctrinam *superbiens S. Colmanus Elo, ea privatur* 45 *e*

Dolorem *nullum in tormentis ostendit S. Petrus Abselamus* 129 *e f* Dolores *non sentit Divini ministerii tempore æger S. Gregorius Theologi pater* 30 *b* Dolere *mortem carorum quatenus liceat* 96 *c* Dolor *de morte carorum lenitur scribendis eorum gestis* 96 *a* F

Ad Dominicæ *diei cultum, pridie usus balneorum* 334 *a* Dominica *Missam negligens fit clauda* 149 *c se comens divinitus punitur* 169 *e operans, cæcitate punitur* 141 *e contractione manuum : sanatur ad sepulchrum S. Genovefæ* 143 *molens cæcitate et alia gravi passione punitur* 149 *f* Dominicis *piscari prohibet S. Petrus apparens* 296 *f* Dominicis *relaxant jejunium SS. Severinus et Victorinus* 741 *a Raimundus* 413 *b Simeon Stylita* 265 *b. Vide* Festa.

Domus *S. Gerlaci quercus excavata* 308 *a. Vide* Cella, Cubiculum.

Dormiens *S. Eustratius numquam supinus jacuit, aut in sinistrum latus LXXV annis* 598 *b* Dormit *humi S. Tillo Paulus* 378 *d humi aut fessus in assere B. Albertus Erem.* 402 *d in cilicio aut amictu suo S. Severinus Noricus* 495 *b in storea ex junco contexta S. Gregorius Acritensis* 290 *a* Dormiens *orat S. Theodosius Cœnob.* 700 *d* Dormiente *S. Odilone hospitium cælitus illustratur* 73 *b* Dormiente *sub meridiem Pipino quod circuit S. Rigobertus, ab eo accipit : sic a Clodovæo S. Remigius, a Carolo Magno S. Arnoldus* 175 *e* Dormientes *cur appellentur mortui* 96 *b in* Dormitorio *lumen esse noctu statuit S. Eugendus* 54 *a. Vide* Lectis, Somnus, Vigiliæ.

A Draco *e sepulchro Caroli Martelli egreditur* 177 *d*
Draconis *instar dæmon apparet S. Severino Septempedano* 741 *d* Draconem *cæcum ad columnam supplicem sanat S. Simeon Stylita* 271 *d*
Ductor *adhibitus a Danis et Succis captivus Saxo, in paludes eos induxit, ubi cæsi omnes* 181 *d*
Dux *Westphaliæ B. Wittekindus* 380 *Sleswicensis S. Canutus Lawardus* 390 *ex* Duce *monachus Ursus* 126 *c* Ducis *Cornubiæ filius S. Melorus* 136 *b*
Dysenteria *curata ope S. Gerlaci* 317 *d* 321 *d* 345 *c S. Erminoldi*

E

Ecclesia *prole SS. fœcunda* 111 *c* Ecclesiam *suam excolit S. Gregorius Theologi pater Episcopus* 24 *f* 25 *b pro* Ecclesia *sua, etiam ea dejectus, orat S. Rigobertus* 178 *b* Ecclesiæ *multa donat idem* 175 *et sibi hæredem instituit* 176 *a* Ecclesiæ *data bona eripere recusat S. Rigobertus ut episcopatum recipiat* 178 Ecclesiam *invadere cupientes persecutores fortiter repellit S. Gregorius Theologi pater* 28 *d* Ecclesias *invadit et dat laicis Martellus, ideo etiam corpus ejus ad inferos delatum* 177 *b c* Ecclesiastica *bona invadens, luit etiam peccata eorum qui illa donarunt ut pro se*
B *oraretur* 177 *c* Ecclesias *rebus suis spolianti nihil prospere cedit* 122 *b* Ecclesiastica *immunitas defensa a SS. Paulino Aquileien.* 715 718 *Guilielmo Bituric.* 631 *b* 632 *d* Ecclesiæ *Remensis a temporibus Clodovæi I immunitas* 175 *b. Vide* Eleemosyna, Templum.
Educatur *sanctissime S. Petrus Sebastenus a sorore S. Macrina V.* 588 *c. Vide* Pueritia, Studia.
Ejicitur *e monasterio S. Simeon Stylites* 265 *d*
Eleemosynis *deditæ S. Bertilia adolescens* 136 *b Gudila* 515 *e Pharaildis V.* 171 *a in* Eleemosynis *largus et promptus S. Gregorius Theologi pater, earum tamen distributionem uxori committens, liberalissimæ fœminæ* 25 *e f in* Eleemosynis *dandis hilaris S. Guilielmus Bituric.* 630 *d* Eleemosynam *petenti in nomine S. Joannis Evang. numquam negat S. Eduardus Conf.* 300 *c in* Eleemosyna *danda S. Adelardi discretio* 100 *c* 113 *e* Eleemosynæ *anniversariæ* 118 *d* Eleemosynam *petens a nepote abigitur verberibus B. Gonsalvus Amaranthus* 644 *e* Eleemosynis *accipiendis modum præscribit S. Adelardus* 117 *b ad* Eleemosynas *faciendas inducit divites S. Odilo* 68 *c* Eleemosynas *præcipue iis dat B. Laurent. Justinianus qui olim divites* 556 *e, exulibus Christianis e Perside pulsis S. Atticus* 473 *b hic* Eleemosynas *ad alias urbes mittit distribuendas in pauperes mendicare erubescentes, cujus-*
C *cumque essent sectæ hominum* 481 *e alit fideles tempore persecutionis S. Thecla Sicula* 601 *c* Eleemosynis *suis et aliorum juvat captivos et pauperes S. Severinus Noricus* 490 *f* 491 *a* Eleemosynas *in rebus ad vitam necessariis, non pecunia, donat B. Laurentius Justinianus* 556 *f in* Eleemosynas *bona sua distribuit S. Syncletica* 244 *a* Eleemosynis *faciendis tempore famis vasa et donaria templi impendit S. Odilo* 68 *b* 72 *a debita contrahit B. Laur. Justinianus* 556 *f* Eleemosynam *largitur ex eleemosyna sibi facta S. Fulgentius* 37 *b* Eleemosynæ *spiritualis et corporalis connexio* 251 *c* Eleemosyna *opes in tuto locat* 23 *b* Eleemosynæ *efficacia* 175 *d* Eleemosynæ *prompta remuneratio* 100 *b* Eleemosynis *adjuti a S. Fulgentio, monachi facti* 40 *e* Eleemosyna *agricolæ Deo accepta, mercede in pauperes, Remp. et familiam propriam tripartita* 268 *a* 273 *c* Eleemosynam *insperatam accipit S. Erminoldus, omnia sua largitus pauperibus tempore famis* 340 *b c in* Eleemosynam *panes divinitus multiplicati S. Theodosio Cœnobiarchæ* 690 *d f fabæ B. Oringæ* 653 *a* 660 *a* Eleemosyna *imperata inveteratum morbum sanat S. Severinus Noricus* 487 *f* Eleemosynas *nullas faciens, omnibus divitiis ideo privatur incensa domo* 272 *c d in* Eleemosynis *conferendis tarditas urbis punita* 491 *a. Vide* Pauperes, Hospitium, Peregrini. D
Eloquentia *S. Adelardi laudata* 106 *f* Eloquentia *S. Fulgentii percellitur hæretici crudelitas* 36 *b* Eloquentiam *subministrat dæmon ad suadenda scelera* 132 *f*
Elephantiacus, *vide* Leprosus.
Emendi *vendendique facultas adempta non adorantibus idola* 9 *b* 579 *b*
Energumeni, *vide* Dæmon.
Epileptici *sanati ope SS. Gerlaci* 317 *a* 321 *d Raimundi* 428 *b* 733 *d e f Oringæ* 661 *c candela et corde argenteo oblatis B. Gonsalvo Amarantho* 650 *b Eucharistia sumpta* 75 *e* Epileptica *ponderata ad sepulchrum S. Erminoldi* 346 *b*
Episcopi *Sancti Titus* 163 *Agrippinus* 49 *Severinus Septempedanus* 499 *Afflinus* 502 *Crispinus I, Ticinensis* 356 *Crispinus III* 372 *Senator* 357 *Nicetas* 365 *Valentinus Passaviensis* 368 *Valentinus II, Interamnensis* 372 *Cedda* 373 *Aldricus* 387 *Anastasius Senonensis* 389 *Victorinus* 501 *c Siridon* 83 *Isidorus* 84 *Salvator Belunen* 137. *Leucius* 667 *Melanius* 327 *Elvanus* 10 *Rumonus* 728 *Egwinus* 707 *Torphimus* 548 *Libentius* 180 *Britwaldus* 597 *Marcellinus* 589 *Petrus Sebastenus* 588 *Paracodas* 20 *Erardus et Albertus* 533 *Garibaldus* 546 *Wulsinus* 547 *Joannes Camillus Bonus* 622 *Domitianus Melitenæus* 618 *Maximus I, et* E
Maximus II, Ticinenses 471 *Rusticianus* 257 *Egemonius* 473 *Atticus* 473 *Rigobertus* 174 *Lucianus Leontinus* 136 *Gregorius Nazianzenus senior* 21 Episcopi *Reges, tres Magi SS. Gaspar, Melchior, Balthasar* 8 *f Pater et filius Honulphus et Honobertus* 288 *fratres SS. Severinus et Victorinus* 501 *c d* Episcopus *ex Comite S. Gregorius Lingon.* 168 *e* Episcopi *Martyres Euphrosynus* 20 *Theopemptus* 127 *Isidorus* 83 *Alexander Firmanus* 675 Episcopus *ex Abbate S. Salvius Ambianen.* 705 *a ex monacho B. Hildemannus* 117 *d Ord. Cistertiensis S. Guilielmus Bituric.* 627 *B. Guarinus* 347 Episcopi *varii ex monachis S. Theodosii Cœnob.* 692 *c e* Episcopatus *S. Leucii parenti prædictus* 670 *a, voce cælesti S. Severino Septempedano* 741 *e, S. Melanio a S. Amando Rhedonensi decessore* 328 *e, Paulino a S. Severino Norico* 491 *f* Episcoporum *electio quibus committenda* 29 *d* Episcopi *non potest ab homine impediri electio, quam non præcedit ambitio* 39 *b* Episcopi *Electionem rescindere cupienti Imperatori se fortiter opponit S. Gregorius Theologi pater* 29 *b idem* Episcopi *electioni ut intersit, æger iter suscipit, et convalescit* 29 *e* Episcopus *Cæsaræ Ponti non baptizatus electus studio plebis Eusebius* 28 *f* Episcopatum *detrectant SS. Adrianus Ab.* 596 *f* 597 *c Severinus Noricus*
488 *f Raimundus* 406 *b* 410 *d Ludov. Blosius* 431 *a* F
Episcopus *ne fiat latet S. Fulgentius* 38 *e ad* Episcopatum *dum invitus trahitur, moritur S. Nilammon* 326 *f* Episcopatum *bis apud Papam deprecatus, suscipit B. Laurentius Justinianus* 555 *f* Episcopatum *Septempedanum ex eremo diu reluctatus adit S. Severinus* 743 *a* Episcopus *creatur invitus S. Melanius* 328 *e Egwinus* 707 *e Guilielmus Bituric.* 629 *c Salvius Ambian.* 706 *a, agente patre et S. Basilio S. Gregorius Theol.* 30 *a* Episcopatum *absque ulla pompa suscipit B. Lauren. Justinianus* 556 *b* Episcopus *prævio triduano jejunio voce divina designatur S. Salvius Ambian.* 706 *a* Episcopatum *abdicat S. Leucius* 671 *d ab* Episcopatu *deturbatur S. Egwinus* 708 *a* Episcopus *non ordinatur sine Primatis assensu* 39 *a* Episcopos *ordinari prohibent hæretici* 38 *d* Episcopi *sancti virtutes* 36 *e* 21 *f S. Sigoberti* 174 *e* Episcopalis *cura erga subditos S. Guilielmi Bituric.* 630 *b Diœcesim magno fructu lustrat S. Melanius Ep.* 329 *b* Episcopi *tempore pestis sollicitudo* 151 *e* 152 *a* Episcopus *existens curam gerit nosocomii B. Libentius* 180 *f monachicam austeritatem non dimittit S. Fulgentius* 39 *d S. Eulalius monachos præcipue diligit, et in monasterio degit cum potest* 36 *e* Episcopus *Remensis portarum claves servat* 176 *f*

A Episcopis *occurrit populus petens benedictionem* 138 *b* 139 *a* 143 *d* 144 *a* Episcopi *ad elevandas SS. reliquias soliti invitari* 119 *f ex* Episcopalibus *reditibus nihil donat amicis B. Laurent. Justinianus* 556 *e in* Episcopos *primum sævit Dioclet.* 81 *c* Episcopi *coguntur latere sub Wandalis* 35 *a relegantur ab Hunerico* 34 *a*

Epistolam *perditam precibus recipit B. Oringa* 659 *b* Epistolas *Episcoporum exulum componit S. Fulgentius* 40 *b* Epistolas *S. Eugendi ejusve conspectum ambiunt Principes et Episcopi* 51 *e* Epistolam *S. Eugendi imponens ori sanatur Syagria* 52 *b* Epistola *dæmonem ex energumena pellit S. Eugendus* 52 *a* Epistolarum *falsarum auctor a dæmone corripitur, ad verba S. Ambrosii* 494 *f*

Equus *æger inductus in cellam S. Gerlaci sanatur* 318 *c* Equorum *morbi vota oblatione S. Gerlaco curati* 318 *b* Equum *in præcipitium lapsum, incolumem recipit S. Guilielmus Divionensis* 59 *e* Equi *ferocia domita candela ejus magnitudine vota S. Raimundo* 427 *d* Equum *S. Odiloni ablatum fur vendere nequit* 73 *a* Equo *vehi ex voto non potest S. Gerlacus, Equitum olim Præfectus* 307 *e* Equus *giganteus filiorum Haymonis fabulosus* 95 *f*

Equuleus, *vide* Torqueri.

Epitaphium *S. Adelardi* 111 *b S. Agathonis Papæ* 626 *S. Gregorii Ep. Lingon.* 169

B Eremitæ *SS. Paulus* 602 *Palæmon* 675 *Aldus* 627 *Valericus* 617 *Tillo Paulus* 378 *b Gerlacus* 304 Eremitæ *SS. Severinus et Victorinus in specu habitant* 500 *c d* 740 *e* Eremita *diu in rupe vivit S. Phosterius* 286 *f* Eremitæ *in Gallia sec. sexto* 91 *f* Eremitæ *prosopopœia* 132 *a* Eremitas *visitat S. Paula* 84 *a* Eremum *persecutionem fugiens petit S. Paulus Erem.* 605 *b*

Erucæ *precibus S. Simeonis Stylitæ consumptæ* 281 *e*

Evangelium *legens capitis dolore liberator* 510 *b*

In Eucharistia *Christus sæpius visus B. Oringæ* 654 *a* 660 *f puer regia specie, Angelæ Fulgin.* 205 *d* Eucharistiam *sumentibus ingredi in os puerulum videt B. Wittekindus* 384 *c In* Eucharistia *Christus visus in societate Thronorum* 204 *d claritatem corporis Christi videt B. Angela Fulgin.* 205 *e* Eucharistiam *ab Angelo Marco Eremitæ datur, cernente S. Macario* 88 *e ad* Communionem *a Christo incitatur B. Angela Fulgin.* 195 *d* Eucharistiam *digne sumendi gratiam ab Angelis petit B. Angela* 204 *e* Eucharistiam *absenti sanctimoniali impertit B. Lauren. Justinianus* 559 *e, aliis mittit Missa in carcere facta, pectore proprio pro ara usus S. Lucianus Presb. M.* 361 *e* Eucharistia *mirum saporem percipit B. Angela* 205 *b* Eucharistiæ *dignitas septem*

C *considerationibus exposita* 230 231 *ex* Eucharistia *septem Consolationes B. Angelæ* 204 205 Eucharistiam *sumentium merita cernit S. Macarius* 89 *d* Eucharistiam *sumpturi congregantur monachi S. Theodosii Cœnob.* 692 *b* Communicat *quotidie æger S. Adelardus* 109 *d* 117 *d et moriturus* 110 *a* 117 *f uti et SS. Valentinus Passaviensis* 371 *f* 733 *Odilo* 70 *f* 71 *a Guiliemus Divionen.* 64 *e Severinus Noricus* 496 *c divinitus S. Gerlacus* 313 *e* 321 *c in* Eucharistia *Christo adorato captivus liberatur, alius id negligens punitur* 653 *e* Eucharistia *sumpta morbus caducus tollitur* 75 *e*

Eulogia, *neglecta caritate ob jejunium, in serpentem versa post pœnitentiam redit in propriam formam* 330 *f* 331 *a*

Excommunicantur *ob ejectum in exilium S. Chrysostomum, Arcadius et Eudoxia, Theophilus Patriarcha Alexandrinus, Arsacius Constantinopol. a S. Innocentio Papa* 476 *a b c* Excommunicatum *Imperatorem a monasterio excludit S. Erminoldus* 338 *e f* Excommunicati *a B. Libentio piratæ notabili exemplo* 181 *d ab* Excommunicatis *pecuniam nec sibi nec pauperibus accipit S. Guilielmus Bituric.* 631 *e* Excommunicationis *vim ostensurus panes candidos nigerrimos reddit* D *B. Gonsalvus Amaranthus, aqua benedicta restituit in priorem candorem* 647 *e f* Excommunicationis *metu reddere S. Fulgentium coguntur monachi ad quos fugerat* 38 *e* Excommunicati *ab exulibus Episcopis, ad eos confugiunt absolvendi Afri* 40 *c*

Exempli *vis* 23 *f* Exempla *SS. exhilarant, viam ostendunt* 130 *f* Exemplo *maritum ad pietatem convertit mater S. Gregorii Theologi* 23 *b f* Exemplo *S. Fulgentii fit liberalior in pauperes S. Eulalius Ep.* 37 *b* Exemplo *S. Raimundi plures litterari Ord. Prædicatorum ingressi* 408 *f* Exemplo *suis præit S. Guilielmus Ep. Bituric.* 629 *e* 631 *b Lud. Blosius Abbas* 441 *e*

Exequiæ, *vide* Sepultura.

Exercitia *spiritualia S. Ignatii de Loiola obeunt Ludovicus Blosius Abbas ejusque monachi* 442 *c d*

Extendi, *vide* Torqueri.

Exules *ob fidem et zelum SS. Faustus Ep.* 34 *a Florentius Ep. Viennen.* 127 *e Theodosius Cœnob.* 695 *f Dafrosa* 166 *a Ruffinianus Ep. monachicam vitam degit* 37 *c pulsus ab Arianis S. Rusticianus* 257 *a ab Hunerico Episcopi Afri* 34 *a ob Ecclesiasticam libertatem Torphimus* 548 *b in* Exilium *pellitur Aldricus* 388 *e Rigobertus* 177 *f justitiæ caussa S. Adelardus* 101 *c et seqq.* 114 *b fautores S. Chrysostomi* 475 *d in* Exilium *lætus, et nudus abit S. Fulgen-* E *tius* 40 *a* Exilii *solatium ex ovis et leporis similitudine* 104 *b* Exilium *S. Adelardo Paradisus* 103 *f* Exul *alibi prædicat S. Aspasius* 125 *f aliis prodest S. Adelardus* 103 *d fit monachus Wala Princeps* 102 *e in monasterio degit S. Cyrus Patriarcha CP.* 532 *a d* Exules *Christianos ex Perside expulsos S. Atticus* 473 *b in* Exilium *ejecto S. Chrysostomo excommunicantur a S. Innocentio Papa Arcadius Imp. cum Eudoxia, Theophilus Patriarcha Alexand. etc.* 476, *ab* Exilio *cum summo honore revocatur S. Adelardus* 104 *d* 115 *a ab* Exilio *redeuntes Episcopi magna lætitia populi excipiuntur, præsertim S. Fulgentius* 43 *b* Exules *plures cum S. Adelardo revocantur* 105 *a* 115 *f*

Exultatio, *vide* Lætus.

F

Faba *et pane hordeaceo vescitur S. Genovefa* 139 *b* 144 *e* Fabæ *cælitus multiplicatæ B. Oringæ in usum pauperum* 633 *a* 660 *a*

Facies *S. Fulgentio affabilis* 43 *d* Vultus *dignitas et hilaritas in S. Adelardo* 116 *b* Vultus *S. Luciani Presb. majestatem veritus Imp. non audet coram alloqui* 361 *a* Facie *hilari ab oratione discedit S. Eugendus* F 51 *a* Facie *splendet B. Angela* 187 *e* 210 *b instar solis S. Simeon Stylita in vita et a morte* 268 *b d* Facies *morientis B. Oringæ splendet* 654 *b* Facies *S. Gregorii Lingonensis a morte rubet* 169 *b* Faciem *veste tegit manibus B. Oringa mortua, ne ab impudica fœmina videatur* 654 *b* Faciei *maculæ tolluntur admoto pileolo S. Raimundi* 427 *f* Faciem *glandibus excrescentibus deformem a se lotam, signo crucis sanat S. Eduardus Conf.* 298 *d* Facie *deformatus, sanatur cœpta peregrinatione ad sepulchrum S. Erminoldi* 344 *e* Facies *duæ Jano affictæ* 3 *a*

Facta *aliorum in meliorem partem interpretatur Henr. Suso* 672 *f*

Fœminæ *arcentur ingressu templi S. Simeonis Stylitæ* 286 *d* Fœminas *a claustro excludit Ludov. Blosius* 449 *d easque coram monachis apparere non sinit et iis munuscula mitti vetat* 449 *e* Fœminæ *formosissimæ specie impugnat dæmon B. Albertum Erem.* 404 *b* Fœminarum *ornatum compescit B. Laurentius Justinianus* 557 *a defendentes contra eum, divinitus puniti* 558 *a b* Fœminarum *monasteria juxta virorum in Ord. Prædmonstr.* 723 *a* Fœminæ *nudæ in Thebaide pro fide suspensæ pede uno sursum et capite deorsum* 241 *b*

Fœminarum

A Fæminarum *occulti morbi, ope S. Gerlaci curati* 319 *c. Vide* Conjuges, Uxor, Vidua, Virgo.

Fame *et siti torquetur in solitudine Macarius Alexandr.* 86 *e* Fame *cruciatur S. Dafrosa* 166 *d* Fame *cruciatus, cælitus pascitur S. Theogenes* 134 *b* Fame *torquetur vinctus in carcere S. Concordius, sed ab Angelo recreatur* 9 *f* Fame *continua torquetur XIV diebus et obit, renuens idolothytis vesci S. Lucianus Presb.* 361 *c f* 363 *e f* 364 *b publicam* Famem *prædicit S. Simeon Stylita* 281 *d* Fames *VII annis multos absumit in Gallia* 119 *a ejus caussa* 119 *b* Fame *grassante, indigentibus succurrit S. Genovefa* 141 *c f* 146 *c e* Famis *tempore, recondentem frumentum arguit S. Severinus Noricus* 486 *d annona insperato advenit* 486 *e vasa et donaria templi in eleemosynas commutat S. Odilo* 68 *b* 72 *a omnia elargitus pauperibus, insperata eleemosyna juvatur S. Erminoldus* 340 *b c. Vide* Jejunium.

Familiam *juvenis regit S. Fulgentius* 33 *b* Familiam *egregie regunt SS. Nonna* 23 *c Adelardus* 106 *c* 116 *d* Familia *Justiniana ne periret, permissus monachus uxorum ducere, qui liberis susceptis redit ad monasterium* 552 *c d* Familia *B. Lauren. Justiniani in Episcopatu* 556 *b*

Famulo *ignoscere nolens, morbo corripitur; sanatur* B *a S. Genovefa* 142 *b* 147 *a*

Fatum *credere, impium* 252 *c*

Faces *accensæ in depositione corporis S. Simeonis Stylitæ a columna* 268 *d et funeris exceptione* 268 *f* 274 *c* Facibus *uruntur latera S. Carterii* 472 *e* Facis *instar sinistra manus lucet scribenti dextera S. Filano* 594 *c*

Febri *extincti SS. Erardus* 540 *d Valentinus Passaviensis* 731 *f* 732 *Guilielmus Bituric.* 633 *f* 634 *Tillo Paulus* 380 *e Aldricus* 389 *a, S. Tillo Paulus* Febris *Patronus* 376 *b* Febri *corripitur videns picturas de Passione Christi B. Angela* 190 *e* Febri *hectica tribus annis et dimidio laborat S. Syncletica* 255 *f* Febrim *pellit B. Albertus Erem.* 403 *b c iterum oratione* 403 *e uti et SS. Raimundus* 419 *d Clarus Viennensis* 55 *a manus impositione Guilielmus Bituric.* 630 *e* Febris *pellitur aqua epota, qua manus laverat in Missa S. Odilo* 73 *f Missa, et aqua benedicta a S. Severino Norico* 738 *b meritis S. Frodoberti* 512 *d Gudilæ* 523 *a Guilielmi Bituric.* 628 *e* 630 *e pulvere sepulchri S. Gerlaci potui misto* 317 *d Raimundi* 420 *b* 423 *f* 424 *b Rigoberti* 178 *f voto facto B. Laurentio Justiniano* 564 *d in lectica S. Adelardi* 722 *e in ecclesia S. Gerlaci* 319 *f*

Femoris *ulcere laborat vermibus scatente S. Simeon Stylita* 266 *c* 270 *d* 279 *b*

C Feras *signo Crucis cicurant SS. Severinus et Victorinus* 740 *e* Feris *objiciuntur illæsi S. Julianus et socii* 586 *e* 588 *d. Vide* Bestia, Leo, Lupus.

Ferro *collum, lumbos, et manus stringit S. Theodosius Antiochenus* 678 *b* Ferreis *nexibus et vinculis domat carnem S. Odilo* 69 *b* 72 *b. Vide* Lorica. Ferro *candenti adustæ aures S. Zosimo Erem.* 128 *d* Ferrum *ignitum manibus fert Poppo illæsus in testimonium fidei Christianæ* 181 *e* Ferreæ *spinæ, vide* Spinæ.

Ferula *percussus dæmoniacus liberatur* 738 *b*

Festum *Passionis Christi* 81 *c* Festum *Nativitatis D. Virginis violans et blasphemans, punitur; ope S. Genovefæ sanatur* 148 *c* Festo *S. Michaelis concursus fit ad ejus ecclesiam Remis* 176 *f ad* Festivitatem *S. Severini Septempedani visi convenire SS. Apostoli aliique Episcopi et Martyres* 501 *e* Festum *S. Adelardi celebre Usciæ in Flandria,* 95 *e S. Silvestri Trainæ* 125 *d Reliquiarum Pragæ, cum Indulgentiis* 720 *b* Festum *S. Gordii agebatur S. Basilii ævo* 131 *b* Festum *institutum ad miraculi memoriam* 132 *e ejus celebritatem imminuens morte punitur* 132 *f* Festivitates *SS. religiose colit S. Frodobertus* 508 *f in* Festivitatibus *solitum jejunium relaxat S. Severinus Noricus* 495 *c* Festi *pietatem ne sua ægritudo interturbet cavet S. Adelardus* 117 *d* Festum *Pentecostes contemnens Rex ab Episco-* D *pis monitus in prælio occiditur* 394 *b* Festum *S. Defendentis aucupio violans cæcitate punitur; ejus intercessione sanatur* 80 *f* Festum *Martis cum ludis Cæsareæ* 131 *f. Vide* Dominicus dies.

Fidei *Christianæ veritas a S. Juliano Presb. ostensa* 362 *f* 363 *a* Fidem *constanter profitetur, etiam morte defendendam S. Theodosius Cœnob.* 694 *e* Fidem *suam exponit et profitetur moribundus S. Adelardus* 190 *a* Fidem *moribus antevertunt quidam* 22 *f. Vide* Confessio, Constantia.

Fidelitatem *ut suaserit S. Adelardus* 99 *c* Fides *hosti data ut servetur efficit S. Canutus Lawardus* 397 *b* Fiducia *de Divino auxilio insignis in S. Adelardo, divinitus confirmata* 113 *d* Fidens *Deo numquam in itinere secum panem desert B. Rogerius* 184 *e nihil in navigationis sumptum accipit S. Fulgentius* 36 *e* Fiducia *S. Odilonis pisces multiplicantur* 73 *d* Fiducia *moribundi B. Laurentii Justiniani* 561 *e* Fiducia *S. Eligii quærentis latentes reliquias, ut voveret se dimissurum episcopatum, imo nec cibum sumpturum nisi inveniret* 135 *b*

Filius *et pater sancti Tetricus Ep. Eustadius Ab. Gregorius Ep. Lingon.* 169 *d* 726 *a* Filii *sancti, sanctæ matris, Cosmas et Damianus Theodotes* 81 *e* Filius *S. Celsus cum S. Marcionilla matre, a proprio patre* E *jussus occidi* 586 Filium *Gregorium Deo vovet, nondum natum, S. Nonna* 23 *e a* Filio *Suenone occisus B. Haraldus R.* 181 *b* Filias *suas appellat S. Marcianus templa a se extructa* 613 *c* Filium *videre non concedit matri turbatæ Faustus Ep.* 34 *d. Vide* Parentes, Pater, Mater, Fratres.

Flagellantur *SS. Theophilus et Helladius* 472 *e f Julianus Bellovac.* 465 *b* 468 *a*

Floribus *similia Acta SS.* 130 *d*

Fluvio *adverso navis cum corpore S. Melanii ultro defertur* 332 *e* Fluvius *exundans, ope S. Genovefæ repressus* 148 *e S. Severini* 490 *c* Fluvium *exundantem illæsus transit eques S. Odilo* 73 *a c* Fluvius *exundans residit, ut transeat reliquias S. Faustæ V. M. ferens* 728 *b* Flumen *non madefacta transit B. Oringa fugiens nuptias* 651 *a* 654 *f in pallio S. Cuani, non madefacto, quidam* 46 *f* Fluvium *pedibus calcant S. Joan. Ep. Bergomensis et S. Joannes Camillus* 622 *e in* Fluvium *cum asino lapsus, omnino siccus egreditur B. Rogerius* 183 *c a* Fluvio *nomen monasteriis, Corbeiæ* 118 *a, Rotho* 722 *c* Fluviolum *e petra virga percussa elicit precibus S. Theodosius Antioch.* 678 *f. Vide* Aqua, Fons, Mare, Submergi.

Fœtor, *vide* Odor.

Fons *S. Adelardi Usciæ* 95 *e* Fons *erumpit baculo* F *terræ infixo, monente S. Meloro* 136 *e ubi fusus sanguis S. Canuti Lawardi* 400 *b c* Fontem *precibus eliciunt SS. Severinus et Victorinus* 740 *f Theodosius Antioch.* 679 *c ægris salutarem B. Gonsalvus Amaranthus* 647 *c, e rupe Melorus* 136 *d* Fons *S. Gerlaci miraculis clarus* 306 *c* 318 *e* 321 *f ejus aqua cæcus illuminatur* 318 *f obstructio alvi tollitur* 321 *f* Fons *enascitur miraculis celebris ad sepulchrum SS. Juliani, Celsi etc.* 587 *a* Fons *a S. Theodosio elicitus, lavacro constructo arescit, destructo fluit* 679 *c d* Fons *jubente S. Congallo sequitur S. Cronanum monachorum coloniam educentem, nubis specie* 48 *b monasterii condendi locum designat* 48 *f in* Fonte *repertus piscis in cibum B. Rogerii et sociorum* 184 *d*

In Fornacem *ardentem conjectus, vel ultro insiliens S. Theopemptus Ep. illæsus evadit* 127 *c* 724 *a in* Fornace *ardenti exultat illæsus S. Theopompus Ep.* 724 *b. Vide* Ignis.

Fornicatur, *a dæmone sub puellæ specie inductus S. Victorinus Erem.* 500 *d e.* Fornicationis *tentationem ut superet S. Macarius nudum se diris culicibus exponit* 86 *a*

Fortunæ *et casui credere, diabolicum* 253 *e*

In

A *In* Fossam *conjectus, terraque obrutus S. Theonas* 127 *f* 725 *a*
Fræni *equorum aurei* 85 *c*
Fratres *SS. Cedda et Ceadda* 373 *b Severinus Septempedanus et Victorinus* 499 501 *c d Tato, Paldo et Taso monachi* 713 *b Martyres Argæus, Narcissus, Marcellinus* 82 *II pueri Nicomedienses* 360 *b c d duo cum matre* 126 *b* Fratres *VII, ex genere Carini Imperatoris* 582 *c* Fratres et Sorores *SS. Balduinus et Austrutis* 502 503 *Gutlacus et Pega* 532 *b Basilius, Gregorius, Petrus Episcopi, et Macrina V.* 588 *Epiphanius Ticinensis, Honorata, Speciosa, Liberata* 680 *a Landericus, Dentlinus, Aldetrudis, Madelberta* 515 *d Emebertus, Gudila, Reinildis et Pharaildis* 514 *f* 524 *b Jurminus, Setrida, Sexburga, Ethelburga, Ethelreda, Witburga* 627 *d* Fratres et Sorores *insignes, Adélardus, Wala etc.* 102 114 *c* Fratres *boni, ut quadriga* 102 *a ut concentus musicus* 102 *d* Fratres *summe diligit, at solum moribundos invisit B. Lauren. Justinianus* 558 *e f* Fratres *Magi Janne et Mambre* 86 *b*
Fraus *hæreticorum in libris corrumpendis* 624 *f*
Fraudem *cujusdam divinitus detegit S. Simeon Stylita* 272 *b*
In Frigore *summo nudis pedibus incedit S. Severinus*
B *Noricus* 487 *c* Frigus *non sentit premens nudis pedibus vestigia relicta a S. Gerlaco præcedente* 308 *e in* Frigore *ad ignem non accedit B. Lauren. Justinianus* 553 *f. Vide* Aqua, Nix.
Frugum *rubigo decimis promissis et jejunio aversa* 481 *b*
Frumentum *tempore famis recondentem arguit S. Severinus Noricus* 486 *d ex* Frumenti *unico grano horreum implet S. Theodosius Cœnob.* 697 *a*
Fugit *domo parentis ne cogatur nubere S. Hiltrudis* 434 *c veste virili in cremum S. Apollinaris V.* 239 *f* Fugit *et latet S. Fulgentius ne fiat Episcopus* 38 *e* Fugit *Cassinum Adelardus, ne a suis interpelletur* 98 *f* 112 *f* Fugit *vanam gloriam S. Marcianus* 616 *c* Fugiunt *persecutionem SS. Sebastianus et Alverius* 81 *a* Fugit *belli tempore cum suis S. Fulgentius* 35 *c* Fugam *dissuadet, suadet preces et jejunia hoste imminente S. Genovefa* 139 *b* 144 *b*
Fulmine *idolum Dianæ eversum, orante S. Martina* 15 *b*
Fumant *a calore pedes nudi per nives eunti S. Gerlaco* 311 *e*
Funis, *vide* Vincula.
Funus, *vide* Sepulchrum.
Fur *immobilis divinitus effectus* 49 *b aræ S. Maximi I,*
C *Ticinensis immotus affigitur* 471 *c* Fur *equum S. Odiloni ablatum vendere nequit* 73 *a* Furis *donarium respuitur oblatum S. Erardo* 539 *d* 541 *c* 544 *c* Furto *sublatæ campanæ non sonant S. Rigoberto præsente, nisi ab ipso pulsatæ, cui et redditæ* 177 *f* Fures *monilium S. Gudilæ excommunicati cum posteris puniti* 519 *b c d* 526 *e* Furatus *mappam S. Odilonis fractis manibus et pedibus punitur* 72 *f* Furto *abripiens sacra templi S. Severini Norici, a dæmone corripitur* 496 *d* Furtum *cæcitate punitum* 140 *c* 145 *c* Furtum *cerei S. Oringæ oblati punitur effusione vini effractis vasis quod immotum detinetur facto restitutionis voto* 661 *d* Furi *pecuniæ suæ suadet fugam Eduardus Conf.* 294 *a*
Furnum *ardentem ingreditur et veste verrit S. Silvester Trainensis munitus signo Crucis* 124 *e, veste sua, eaque illæsa exstinguit S. Nazarius Hisp.* 743
Fustibus *verberati SS. Concordius* 9 *e Martina* 13 *e Carterius* 472 *b e Julianus M.* 580 *d Theogenes* 133 *f* 134 *a e Fulgentius* 36 *b*

G

Galea *ignita imponitur capiti S. Carterii* 472 *e*
Gaudia *religiosorum miratur S. Fulgentius* 33 *c d. Vide* Lætitia.
Gelu *immissum divinitus ad viæ commoditatem in translatione reliquiarum SS. Jacobi Apost.* 139 *e Fro-* D
doberti 512 *f*
Gemma *vermis delapsus ex ulcere S. Simeonis* 266 *d* 275 *a* 279 *b* Gemmis *et auro ornatæ reliquiæ SS. a Carolo IV, Imp.* 720 *b. Vide* Micæ.
Generalis *ord. Prædicat. absens eligitur S. Raimundus* 406 *c d* 410 *f hoc munus invitus admittit* 406 *d* 411 *a abdicat* 406 *e* 411 *a*
Genethliacorum *judicia vana* 252, 253 Genibus *adrepunt peregrini ad ecclesiam, in qua reliquiæ præputii Christi* 5 *e*, Genibus *flexis, manibus junctis reperitur corpus exanime S. Pauli Eremitæ a S. Antonio* 607 *a*, Genibus *flexis, capita sua præcisa ad pedes S. Frontonis deponunt SS. Frontasius et socii* 79 *f*
Genua *flectit ante S. Macarium hyæna* 88 *c*
Genus *interrogatus, Christianum se profitetur S. Petrus Abselamus* 129 *c*
Gibbus *sublatus invocato S. Raimundo* 429 *c d*
Gladio *occisi SS. Priscus, Priscillianus, Benedicta* 165 *e Theopemptus Ep.* 127 *f Petrus Abselamus* 128 *c* 129 *a lictor a S. Juliano conversus* 581 *a* Gladiis *confoditur S. Balduinus* 503 *f* Gladius *volenti occidere S. Maximum excidit* 94 *a*
A Gladiatoribus *occisus S. Almachius* 31 *b* Gladiatoriæ *pugnæ ab Honorio sublatæ ob cædem S. Alma-* E
chii 31 *c e*
Gloriam *cæli in extasi videt B. Oringa* 562 *c* Gloriam *ex eleemosynis fugit S. Gregorius Theologi pater* 25 *e f*
Grando *numquam cadit in iis possessionibus, quas S. Rigoberto donavit Pipinus Dux* 175 *f* Grandine *perditam vineam precibus restituit S. Clarus Viennen.* 56 *b*
Gratia *Dei ad bona opera necessaria est* 168 *c* Gratiæ *divinæ excellentia* 199 *c* Gratiæ *Dei signum, in nullo dono extolli* 214 *c*
Gratiarum *actio solennis septem diebus, urbe Persis erepta, instituitur a S. Domitiano Melitenæo* 619 620
Gratitudinis *exemplum in bestia* 88 *c* 93 *b*
Gressus *restitutus recitatis ter oratione Dominica et salutatione Angelica in sacello S. Raimundi* 429 *a, lecto rosario et septies Oratione Dominica et salutatione Angelica ad ejus sepulchrum* 429 *b. Vide* Claudus, Iter, Pes.
Gutturis *dolor, invocato S. Raimundo* 426 *c*

H

Habitationis *loca S. Simeonis Stylitæ, a morte ejus miraculis clarent* 285 *a* Habitare *prope ecclesiam jubet* F
Clericos S. Fulgentius 43 *f. Vide* Cella, Domus, Templum.
Hæres *virtutum S. Antonii Macarius* 85 *b* Hæredes *deligit sibi Ecclesias et Christi pauperes S. Rigobertus* 175 *d* 176 *a* Hæredem *Ecclesiam quam filios suos malunt quidam, Ecclesiasticorum provocati sanctitate* 117 *a*
Hæreticorum *et schismaticorum fugiendus convictus* 37 *a Valentinus Passaviensis* 370 *e* 731 *f* Hæreticis *resistit S. Gregorius Theologi pater* 25 *b* 30 *a in* Hæresibus *purgandis vigil S. Atticus* 474 *b* 477 *b d* 482 *a* Hæreses *magno zelo oppugnat Ludov. Blosius* 451 *d e* Hæreses *Nestorii et Eutychetis refutat S. Theodosius Cœnob.* 695 *d e et Origenis* 696 *b* Hæreticum *Regem resalutare recusat S. Bladulphus* 94 *c* Hæreticum *Judicem interpellare de injuria sibi facta renuit S. Fulgentius* 36 *d* Hæretici *corpus, ne colatur, effodi curat S. Atticus* 482 *c* Hæretici *pejores barbaris* 36 *d Episcopos novos vetant ordinari* 38 *d curant S. Fulgentium relegari, ne Catholicos confirmet* 41 *e Episcopos magni nominis secum sentire mentiuntur* 89 *f* Hæreticorum *fraus in libris sacris et synodis corrumpendis* 624 *f ab* Hæreticis *verberantur insontes indicta caussa Felix et Fulgentius* 35 *f et seqq., ab* Hæreticis *ob sanctitatem honoratur S. Severinus Noricus* 487 *d*

A Hasta *in latus adacta obit S. Carterius* 472 *e*. *Vide* Lancea.
Herbis *victitant SS. Severinus et Victorinus* 740 *f* *Fulgentius* 39 *e* *Tillo Paulus* 378 *c* Herbarum *radicibus et aqua Macarius Rom.* 90 *b* Herbis *crudis Tabennenses, annis VII, S. Macarius* 85 *e*
Hernia *ope B. Gonsalvi Amaranthi ablata* 649 *d*
Hilaris *semper et jucundus austeris ideo displicet Guilielmus Bituric.* 637 *d*
Hippocentaurus *iter S. Antonio ad S. Paulum ostendit* 603 *e* 604 *e*
Honoribus *summis addictis tentatur S. Lucianus Presb.* 361 *b* *in* Honore *sibi ab aliis delato humilitas interna S. Odilonis* 68 *e* Honorat *S. Genovefam Hildericus R. licet gentilis* 140 *d* 145 *d* Honoratur *virtus S. Severini Norici ab hæreticis* 487 *d* Honoris *contemptor B. Laurentius Justinianus* 554 *d* Honorem *ut declinet in locum desertum abit S. Cuanus* 47 *d* Honorem *fugit S. Silvester Siculus* 125 *a* Honore *spreto clarior S. Fulgentius* 39 *a* Honoratur *magis post adversa S. Adelardus* 105 *b* 115 *e* Honos *stultum dedecorat; sapienti non deest, etiam in honorato* 104 *c d*. *Vide* Fuga, Vana gloria.
Horæ Canonicæ 138 *c* 143 *d* Horas Canonicas *interrumpi ob miraculum non decet* 118 *d* Horas Cano-
B nicas *psallunt statutis temporibus Martyres occisi* 379 *e*, *coram se recitari curat æger S. Adelardus* 110 *a* 117 *f*
Hordeaceus panis, *vide* Panis.
Horreum *ex frumenti unico grano implet S. Theodos. Cœnobiar.* 697 *a*
Hortum *colit gnave et pie S. Adelardus* 97 *f* 112 *d* Hortum *manibus colere Clericos jubet S. Fulgentius* 43 *f* *in* Horto *monumentum Magorum Pharaonis* 86 *b* Hortus *deliciarum, boni viri animus* 98 *a* 99 *d*
Hospitales *SS. Petrus Sebastenus et Macrina V.* 589 *f* *Odilo* 68 *d* *Theodosius Antioch.* 678 *e* *Ludov. Blosius Deum in* Hospitibus *se excipere censet* 448 *e f* Hospitalitas *Episcopi S. Eulalii* 36 *e* 37 *b* *magna Corbeiensium* 116 *c* Hospitalitatem *exercet ipse* Hospes *Fulgentius* 37 *b* Hospitum *varias mansiones exstruit S. Theodosius Cœnob.* 689 *f* Hospites *magna caritate suscipiunt monachi Ægyptii* 88 *f* *pauperes et peregrinos laute tractat, pane ipse et aqua victitans S. Gerlacus* 320 *e* *in* Hospitali *inter pauperes quærit Christum B. Angela* 208 *a* Hospitalitas *pro* Hospitum *numero plures quotidie panes defert Angelus S. Phosterio* 287 *a* Hospitium *cælitus illustratur, in quo dormit S. Odilo* 73 *b* Hospitibus *male habitis, incendium oritur* 185 *a* *in* Hospitali *Hierosolymæ inservit septem annis S. Gerlacus* 307 *c* 320 *d*. *Vide* Eleemosyna, Peregrini.
C Hoste *imminente ne fugiant, Parisiensibus suadet S. Genovefa* 139 *b* 144 *b* Hostem *a Parisiis suis orationibus avertit S. Genovefa, ab Aurelia S. Anianus; ad pacem inclinat S. Martinus* 139 *c* 144 *d* Hostiles *incursus jejunio propulsati a S. Severino Norico* 492 *d* *ejusdem præmonitione detecti* 493 *f* *ab* Hoste *servata Ruspa meritis S. Fulgentii, provincia vastata* 45 *a* Hoste *imminente alio avehuntur reliquiæ SS.* 149 Hostes *captivos cibo resectos dimittit S. Severinus Noricus* 487 *a*
Humeris *defert ad templum et sanitati restituit pauperem ægrum S. Eduardus Conf.* 298 *b*
Humilitatis *necessitas, dignitas* 224 225 560 *c* *e* *utilitas* 248 *e f* Humilitas *SS. Laurentii Justiniani* 554 *c* *Severini Norici* 487 *c* *Eugendi* 53 *f* *Libentii Ep.* 180 *f* *Angelæ* 191 *d f* 192 *b* 193 *f* *Guilielmi Bituric.* 630 *b* *qui ea omnes sibi conciliat* 632 *a* *Tillonis Pauli* 379 *f* *Fulgentii, licet omnes eum consulerent* 41 *a* *Gregorii patris Theologi* 26 *b* *Odilonis, honore sibi ab aliis delato* 68 *e* *ex* Humilitate *recusant sacerdotium SS. Guilielmus Divionensis* 60 *a* *Eugendus* 51 *b* Humilitatis *studio dissimulat caussam peregrinationis S. Fulgentius* 36 *f* *per suos sanat ægros S. Eugendus* 52 *c* *celari miracula cupit S. Gudila* 517 *e* 525 *e* *recusat tantisper energumenis* D *benedicere S. Gregorius Lingon.* 168 *d* Humilitas *mutua S. Fulgentii in miraculis alienæ fidei adscribendis, nec ea desiderantis* 42 *a* Humiliter *alteri postponi postulat S. Fulgentius* 44 *a* Humilitas *major necessaria ei cui de bonis monasterii plus tribuitur* 42 *d* Humilior *ex honore S. Fulgentius* 43 *e* Humilitatem *docentur monachi a S. Macario superati* 87 *c*. *Vide* Fuga, Gloria, Honor, Superbia, Vana Gloria.
Hydropica *sanatur invocato S. Raimundo* 424 *b*
Hymnus, *vide* Psalmus.

I

Janua *templi ultro patescit S. Gerlaco* 311 *e* *Gregorio Lingon.* 168 *f* 169 *a* *reliquiis SS.* 121 *f* *baptisterii Ciliniæ sponsum fugienti* 140 *e* 145 *e* *carceris transeunte S. Gregorii Lingon. funere, et captivis eum invocantibus* 169 *b* *carceris ab Angelo patefacta sacerdoti baptizaturo captivos S. Celsum et socios* 382 *d* Januis *omnibus ultro patefactis Diocletianum noctu adit, increpat, redit in fornacem S. Theopompus* 724 *b* Janua *clausa templum ingreditur S. Erminoldus* 340 *c* *cœnobium S. Raimundus* 412 *a* *ad* Ostium *clausum ecclesiæ S. Genovefæ liberatur energumenus* 148 *b* *ad* Ostium *deponit curas temporales oraturus S. Adelardus* 100 *f* 113 *f* Janua *lapidibus obturata in cellula habitat S. Ni-* E
lammon 326 *f* Ostio *carent cellæ S. Macarii* 88 *a*. *Vide* Porta.
Icterico *morbo medetur S. Cronanus* 49 *d*
Idola *Jovis, Junonis, et Minervæ ex electro puro* 585 *e* Idolum *Jovis ementes et vendentes coguntur adorare sub Diocletiano* 579 *b* *in singulis domibus haberi jubetur a Diocletiano* 579 *b* Idola *rident SS.* 79 *c* *Julianus* 363 *a* *Theopompus Ep.* 724 *a* *Petrus Abselamus* 129 *c d* *e* *conspuit S. Concordius* 9 *f* *precibus evertunt SS. Julianus* 580 *f* 587 *f* *Martina* 12 *a* *idolum Serapidis Carterius* 472 *b* *Dianæ Titus* 164 *d* Idolum *Jovis dejicitur et comminuitur, inclusa ejus templo S. Martina* 17 Idolum *Dianæ frangit S. Marciana* 569 *b* Idola *Suecorum diripit Magnus Rex Gothiæ* 397 *d* Idolothytis *vesci recusans, fame* 14 *diebus torquetur, et obit S. Lucianus Presb.* 361 *c f* 363 *e f* 364 *b* *pueri dire torquentur ad mortem* 360 *c d* Idololatriæ *origo* 2 *f*
Jejunio *addicti SS. Laurentius Justinianus* 553 *e* *Nonna conjugata* 23 *c* *Adelardus, in suos benignus* 105 *d* Jejunio *et orationi deditus S. Frodobertus* 506 *d* 507 *e* Jejunium *olim Kalendis Januarii* 3 *d* Jejunium *quarta et sexta feria Clericis et viduis aliisque indicit S. Fulgentius* 43 *f* Jejunare *anno uno omnibus feriis sextis* *tenentur Sodales Præputii Christi Antverpiæ* 8 *a* Je-
junat *integro sæpe die aut ad vesperam B. Oringa* 631 *c* F
toto anno S. Gerlacus 307 *e* *semper excepto die Dominico S. Raimundus* 413 *b* Jejunat *usque ad solis occasum exceptis festis S. Severinus Noricus* 495 *e* Jejunat *usque post Nonam, subinde intega hebdomade adolescens S. Lucianus Presb.* 359 *d* *biduo aut triduo integro S. Gregorius Acritensis* 290 *a*, *tribus diebus in hebdomade absque omni cibo Severinus et Victorinus* 741 *a* *integra hebdomade S. Simeon Stylita* 263 *b* 269 *d* 275 *c* Jejunium *Tabennensium in XL^a^ varium, mirabile Macarii Alexandrini* 87 *b* Jejunat *absque ullo cibo et potu, quadragesimo die cibum sumens S. Simeon Stylita* 276 *a b c* Jejunium *mirabile S. Genovefæ* 139 *d* 144 *e* Jejunantium *ritu ubera renuit infans B. Albertus Erem.* 402 *a* Jejunio *et oratione Dei voluntatem de conjugio septem diebus inquirit S. Julianus M.* 576 *b* 587 *c d* Jejuniis, *oratione, pœnitentia tentationes vincit Macarius Rom.* 90 *b* Jejunio *triduano prævio, voce divina designatur Episcopus Ambian. S. Salvius* 706 *a* Jejuniis *sanctificat locum condendi monasterii S. Cedda* 375 *c* Jejunio *prævio reliquiæ S. Gudilæ ante caligine obductæ videri possunt* 523 *f* 530 *d* Jejunio *triduo præmisso quærit reliquias S. Eligius* 155 *b* Jejunio *et oratione*

A *tione inveteratum morbum sanat S. Severinus Noricus* 487 *f dæmoniacos liberat* 493 *leprosum sanat* 492 *f* Jejunia *grassante epidemia* 151 *e* Jejunio *hostiles incursus propulsat S. Severinus Noricus* 492 *d* Jejuniis *et orationibus, Parisios ab hoste servat S. Genovefa, eademque aliis suadet* 139 *b* 144 *b c d ob* Jejunium, *eulogia a S. Marso in sinu absconsa, vertitur in serpentem* 330 *f. Vide* Cibus, Fames, Herba, Panis, Quadragesima.

Cum Jesu *conjunctio monacho necessaria* 454 *c* Jesu *nomine contractum curat S. Cronanus* 49 *d*

Ignem *e cælo elicit S. Cuanus orans* 46 *a ab* Igne *illæsi SS. Julianus et XXX socii* 584 *a Carterius* 472 *e Basilius Ancyranus* 84 *a in* Ignem *conjicitur S. Martina V. qui vento subito dispersus et pluvia sedatus eam nil lædit, adurit circumstantes* 17 *a* Ignis *admotus S. Macræ V. instar roris suavis* 325 *d* 326 *a* Ignitos *vomeres illæsa transit Emma mater S. Eduardi Conf. probatura suam innocentiam* 292 *d e f in* Ignem *lapsus puer, ope S. Marcellini Anconitani non lædit* 590 *e* Igne *extincti Episcopi, sacerdotes, monachi socii S. Juliani M.* 579 *e Polyeuctus, Candidianus, Philoromus* 667 *Anthimus* 360 *a Theophilus et Helladius* 472 *c Petrus Abselmus* 128 *c f* 129 *a Martyres Ægyptii* 241 *b VII fratres ex genere Carini Imp.* 585 *c mater*

B *et duo filii MM.* 126 *b Paschasia V.* 566 *b* Igne *absumuntur corpora S. Procopii Siculi et sociorum* 736 *a* Igni *addictæ sacræ scripturæ a Dioclet.* 81 *c et Ulpiano* 82 *d in* Ignem *lapsus moritur, in S. Erminoldum blasphemus* 343 *e* Igneus *globus apparet supra templum in quo jacebat corpus S. Guilielmi Bituric.* 635 *b* Ignem *vel aliud de domo nolle tribuere Kalendis Januarii, superstitiosum* 3 *c* Ignis *et lucernarum cultus in secta Hypsistariorum* 22 *d* Igni *lucenti similes Vitæ SS.* 131 *b. Vide* Carbones, Fax, Fornax, Furnus, Lampas, Lumen.

Ignis *sacer ob peccata immissus* 151 *a, restinctus ope S. Genovefæ* 152 *b*

Ignoscere *famulo nolens, morbo corripitur; sanatur signo Crucis a S. Genovefa* 142 *b* 147 *a*

Illæsi *feris objecti S. Julianus et socii* 586 *e* 588 *d leoni S. Marciana* 569 *e* Illæsi *a pice, sulphure, bitumine liquatis, et igne SS. Julianus et XXX socii* 584 *a* 586 *e in oleo fervente S. Joannes Evang.* 469 *b in igne et plurimis tormentis S. Carterius* 472 *b e* Illæsa *ignitos vomeres transit innocentiam probatura Emma mater S. Eduardi Conf.* 292 *d e f* Illæsus *in ignem lapsus ope S. Marcellini Anconitani* 590 *e* Illæsum *ab igne sepulchrum S. Melanii cum velo lineo* 333 *b arcæ pars, in qua reliquiæ S. Melanii* 333 *e* Illæsus *fluvium*

C *exundantem transit eques S. Odilo* 73 *a* Illæsus *a pluvia liber S. Odilonis* 75 *e* Illæsi *lapsi tres in profundum puteum S. Erardi* 539 *b. Vide* Lædi.

Imago *S. Pharaildis* 172 *e S. Simeonis Stylitæ adhuc vivi in magna veneratione, et ad præsidium habetur* 277 *a* Imagine *S. Theodosii Antioch. Submissa in puteum, eum aqua implet* 679 *e* Imagine *S. Silvestri Siculi in supplicatione circumlata, sedatur pestis Trainæ* 125 *d* Imagine *cerea vota S. Reinero mutus vocem recipit* 426 *b sterilitas tollitur* 426 *a b* Picturas *de Passione Christi videns, febri corripitur B. Angela* 190 *e* Imagines *Martyrum, insignia urbis Lichfeldiæ* 82 *b* Imaginem *Christi in se exprimit S. Adelardus, variorum SS. imitatione* 99 *f. Vide* Pictura.

Imitanda *gesta Sanctorum* 332 *c* Imitandus *quomodo S. Julianus Presb. M. ex S. Chrysostomo* 364 *e f* Imitatur *SS. et aliorum varias virtutes S. Adelardus* 99 *d ut Zeucis pictor* 99 *e f omnium virtutes Macarius* 85 *e religiosos S. Fulgentius* 33 *d Fulgentium monachum quidam ejus sodales* 34 *c*

Immotus, *furatus pallium, aræ S. Maximi Ticinensis affigitur* 471 *c* Immobilis *redditus adulter, sanatur ad corpus S. Simeonis Stylitæ* 268 *e* 274 *b* Immobile *brachium invocato S. Adriano ob sævitiam in discipu-*

lum 597 *d* Immobilem *a dæmone columnam Crucis* D *signo movet S. Marcianus* 614 *d* Immobiles *S. Melori reliquiæ divinitus factæ* 136 *f* 137 *a S. Gregorii Lingon. corpus, donec captivi Divina virtute soluti sunt* 169 *b portantes reliquias S. Danielis M. donec votum ei isthic templum est* 161 *d*

Immunitas Ecclesiastica, *vide* Ecclesia Monasterium.

Impatientiæ *pruritum castigat in se S. Macarius* 86 *a*

Ex Imperatorum *familia B. Laurentius Justinianus* 532 *b* Imperatoris *Mauricii cognatus S. Domitianus Melitenæus* 618 *b ex* Imperatoris *Carini genere VII fratres Martyres* 582 *c* Imperatorem *excommunicatum a monasterio excludit S. Erminoldus* 338 *e f*

Impœnitens *moritur in S. Erminoldum blasphemus* 343 *e*

Imprecante *marito, uxor a dæmone possidetur* 345 *e*

Impudicitiæ *calumniam passa S. Apollinaris V. vir credita, se puellam ostendit* 261 *a turpi verbo audito ad vomitum provocatur B. Oringa Christiana* 651 *a* 654 *d ab* Impudica *fœmina ne videatur, faciei vestem manibus suis jam mortua obducit* 654 *b. Vide* Fornicatio, Meretrix.

Incantantio, *vide* Magia. E

Incarnatio Verbi, *vide* Christus.

Incendio *absumptum ligneum S. Eugendi monasterium* 53 *c* Incendio *Divino ardet domus Judæi ob blasphemias in S. Marcianam* 569 *f* Incensa *domo pereunt divitiæ non facientis ullas eleemosynas* 272 *c d* Incendit *villam sibi a peccatore donatam S. Cuanus* 45 *c* Accensi *precibus S. Theodosii Cœnobiarchæ carbones, locum monasterio extruendo monstrant* 689 *c d e* Incendium *restinctum reliquiis S. Melanii e regione positis* 333 *d* Incenso *templo, illæsum sepulchrum cum velo lineo S. Melanii* 333 *b ab* Incendio *immunis arcæ pars, in qua reliquiæ S. Melanii* 333 *e* Incendium *templi precibus restinguit S. Marcianus* 613 *c* Incendium *urbis Anconæ oppositu sui corporis sistit S. Marcellinus Ep.* 590 *b d ejusdem libro precum alias item restinctum* 590 *e urbis Ambianensis opposito sudario S. Salvii* 706 *e, contra* Incendia *invocatur S. Defendens M.* 721 *b* Incendium *pœna inhospitalitatis* 185 *a. Vide* Ignis.

Incorruptum *corpus S. Juliani Presb. XV diebus in mari* 362 *c. Vide* Corpus, Reliquiæ.

Indulgentiæ *ab Episcopis datæ in reliquiarum translatione* 158 *b* Indulgentiæ *visitantibus reliquias S. Martinæ et aliorum* 19 *d ad reliquias præputii Christi Calcatæ* 6 *a Antverpiæ* 7 *et* 8 *perpetuæ in eccl. Pragensi festo Reliquiarum* 720 *c*

Infans *ritu jejunantium renuit ubera B. Albertus* F *Erem.* 402 *a* Infans *B. Gonsalvus Amaranthus delectatur imaginibus* 642 *c e S. Filanus submersionis periculo eripitur ab Angelis* 594 *c* Infantium *Ægyptiorum constantia et alacritas in martyrio subeundo* 241 *a* Infantis nati *malam vitam et mortem infamem prævidet B. Oringa* 659 *c. Vide* Nasci, Proles, Puer.

Inferni *pœnarum memoria carnis vitia refrænat S. Tillo Paulus* 377 *e in* Inferno *torqueri Martellum, invasorem Ecclesiasticorum bonorum, vidit S. Eucherius* 177 *c ab* Inferno *reducitur anima a S. Juliano resuscitati* 583 *c d. Vide* Damnari.

Infirmi *hominis prosopopœia* 27 *c* Infirmus *ab officio Divino numquam abest S. Eugendus* 54 *e quotidie communicat S. Adelardus* 109 *d* 117 *d* Ægritudine *sua ne festi pietas turbetur cavet S. Adelardus* 117 *d* Infirmum *dum visit B. Rogerius* Infirmus, *convalescit uterque* 184 *e* Ægri *sanati ope SS. Corbeiensium* 119 *c in ægros misericors S. Theodosius Cœnob.* 690 *b* Infirmorum *peculiarum curam gerit S. Eugendus* 54 *b* Infirmis *servit quotidie B. Libentius Ep.* 181 *a* Ægrotum *Adelardum visitat, et adest morienti Hildemannus Ep.* 109 *d* 117 *d. Vide* Morbus ejusque genera.

Ob

A *Ob* Ingratitudinem, *a dæmone libera, denuo ab eo possidetur* 345 *f*

Erga Inimicos *benevolus S. Guilielmus Bituric.* 637 *a. Vide* Hostis.

Injuriarum *memoria perniciosa* 250 *c* Injuriam *sibi factam excusat S. Adelardus Divinæ voluntatis obtentu* 115 *d in* Injuria *toleranda mansuetudo B. Laurentii Justiniani* 558 *a b c* Injurias *condonat statim S. Gregorius Theologi pater* 26 *c d optat pati pro Christo B. Angela* 199 *c* 200 *b c* Injuriam *tolerantes, idonei qui miracula perpetrent* 584 *c, de* Injuria *queri recusat S. Fulgentius* 36 *d*

Injustum *bellum gerenti merere recusant Marcellinus et fratres MM.* 82 Injustum *argentarium sua in pauperes caritate convertit S. Marcianus* 616 *b* Injustus *invasor bonorum monasterii cælitus punitus* 116 *b c. Vide* Furtum.

Innocentia *infantilis S. Frodoberti* 505 *f* 507 *b c d ob* Innocentiam *vitæ occisus, habitus Martyr S. Balduinus* 502 *f et S. Canutus Lawardus* 391 *b* 400 *b f*

Inobedientia *rustici punita* 489 *e*

Inquisitio *fidei ut instituatur suadet S. Raimundus* 411 *d* 412 *b*

Insidias *Regi ab hoste paratas divinitus detegit S. Severinus Noricus* 487 *e et urbi* 493 *c*

B Insignia, *vide* urbs.

Interpres *S. Pauli S. Titus* 163 *c*

Invidiæ *cæcæ effecta* 101 *f* Invidia *Aulicorum S. Adelardum in exilium exturbat* 101 *c d* 114 *b* Invidia *cereorum extinctione in somnis indicata S. Eugendo* 31 *d*

Invisibilis *quibus vult* S. *Julianus Presb.* 363 *e*

Inundationis *periculum precibus avertit Gertrudis ab Oosten* 432 *b. Vide* Fluvius, Submergi.

Ira *moderanda* 250 *b c* Iracundia *mos olim vestem scindere, plaudere manibus* 724 *c* Iracundus *natura S. Gregorius Theologi pater, sed facile placabilis* 26 *e*

In Itinere *numquam secum panem defert B. Rogerius Ab.* 184 *e in* Itinere *Divina meditatur S. Rigobertus* 178 *c assidue orat S. Adelardus, sociis ultro longius ab eo manentibus* 101 *a* 113 *f* Iter *B. Oringæ ab Angelo dirigitur* 651 *f* Itineris *Dux ab Angelo mittitur S. Severino Septempedano* 741 *c* Itineris *Dux lepus B. Oringæ* 651 *b* 655 *c S. Antonio ad S. Paulum Hippocentaurus* 603 *e* 604 *e periclitantibus ursus apparente S. Severino Norico* 493 *d in* Itinere *custodiuntur a S. Martino monachi, a S. Eugendo ipsi commendati* 53 *b* Iter *XL miliarium it reditque die hiemali unico S. Silvester Trainensis* 124 *c e* Iter *pedes facit etiam socius Legati Apostolici S. Raimundus* 409 *f vinculis constrictis ex Anglia Romam S. Egwinus* 708 *a* Iter *æger suscipit S. Gregorius pater Theologi ut intersit electioni S. Basilii* 29 *f*

C Judæum *paralyticum baptizando sanat S. Atticus* 477 *e f*

Judicis *tremendi nomine pellit dæmonem moribundus S. Odilo* 76 *e* Judicia *Dei veneranda* 196 *c* Judicii *extremi semper memor S. Tillo Paulus* 377 *f* Judicii *extremi diem inculcat S. Theodosius Cœnobiarcha* 693 *c in* Judicio *extremo exacturum se a suis gestorum rationem denuntiat S. Adelardus* 108 *f in* Judicio *patrocinatur damnando S. Erminoldus* 342 *b* Judicium *temerarium in S. Vitalio moriente divinitus damnatum hoc scripto :* Nolite ante tempus judicare *etc.* 703 *b*

Jurare *sibi fidem Corbeienses cogit Francus, Flander ideo eorum bona invadit* 121 *d* Jurare *in nomine suo sinit Ismaelitas S. Simeon Stylita* 266 *a* 272 *a*

Juris *utriusque scientissimus S. Raimundus* 405 *f* 406 *a idem* Jus *Canonicum docet* 408 *b in* Jure *dicendo summa æquitas B. Laurentii Justiniani* 557 *b*

Justitia *et æquitas S. Eduardi Conf.* 291 *b* Justitiam *præclare administrat consilio S. Melanii Clodovæus Magnus* 329 *a in Italia S. Adelardus* 99 *b* 113 *b in* Justitia *administranda severus S. Gregorius Lingon.* 168 *c S. Canutus Lawardus, etiam consanguineos maleficos morte plectit* 393 *b* Justitiam *Regibus commendat moriturus S. Severinus Noricus* 495 *d* Justitiæ *ita studiosus S. Gregorius Theologi pater, etiam ante baptismum, ut ex publicis muneribus ne teruntio quidem facultates auxerit* 22 *f* D

K

Kyrie eleison *assidue orabat S. Eustratius* 598 *e* Kyrie eleison, Christe eleison *inter orandum sæpe repetit S. Gerlacus* 312 *c* 320 Kyrie eleison *in tempestate et terræmotu, præeunte S. Simeone Stylita, conclamatur* 267 *f*

L

Laborat *manibus S. Fulgentius monachus* 38 *a* Labore *superatur vanæ gloriæ tentatio* 88 *b ad* Labores *ab Angelis animantur SS. Severinus et Victorinus* 741 *b. Vide* Opus.

Lacte *virgineo nutritur S. Lambertus* 330 *f manant ubera Gertrudis ab Oosten V. a festo Nativitatis ad Purificationis* 350 *f* Lac *in mammis vetulæ ob complexum pueruli S. Guilielmi Divionensis* 59 *b* Lac *coagulatum Gertrudis ab Oosten* 330 *b* Lacte *pluit præsente S. Cronano in Hibernia* 48 *b* Lac *pro sanguine fluit e vulneribus, S. Martinæ* 13 *d* Lacte *nimio dato suffocandus puer sanatur invocato S. Raimundo* 424 *e* E

Lacrymarum *donum in SS. Lauren. Justiniano* 558 *d Adelardo* 100 *d* 113 *e* Lacrymis *terram rigat S. Genovefa* 139 *a* Lacrymandi *assidue quæ caussa S. Adelardo* 100 *e* 113 *e* Lacrymis *vim concionibus suis addit* 98 *f* Lacrymatur *bis quotidie ob sua et aliena peccata* 95 *b* 100 *c d* Lacrymatur *semper S. Genovefa, visis cæli gaudiis* 142 *a quoties cælum aspicit* 139 *a* Lacrymis *S. Cronani combibitis, depulsa sterilitas* 48 *a* Lacrymatur *concionante S. Fulgentio Bonifacius Primas, agens Deo gratias de ejus doctrina* 44 *b* Lacrymas *ciet dæmon quibus scelus suadeatur* 132 *f*

Lacum *Kiminium infestat bellua accedentes vorans* 48 *d*

Læti *semper SS. Eugendus* 53 *f Adelardus* 101 *b semper jucundus austeris displicet S. Guiliel. Bituric.* 637 *d* Lætatur *spirituali suorum profectu S. Adelardus* 108 *a* 117 *b S. Fulgentii virtute, Catholici absentes* 40 *e* Lætatur *exilio inflicto S. Fulgentius* 40 *a* Lætus *in exilium abit S. Adelardus* 101 *e* 102 *f* Lætitia *summa S. Adelardi in adversis, quæ et inimicis pudorem incussit* 103 *a* 114 *d* Lætitia *S. Theogenis in tormentis* 134 *e S. Gordii* 133 *e* Lætitia *summa recipitur a suis S. Adelardus ab exilio redux* 115 *d* Lætatur *adesse sibi morienti Hildemannum Ep. virum sanctum S. Adelardus* 109 *d* 117 *d* Lætantem *damno alieno increpat et castigat B. Rogerius Ab.* 185 *b* F

Lampas *in terram collapsa redintegratur oleo in eo servato, ope S. Severini Norici* 738 *b* Lampas *ad sepulchrum S. Genovefæ oleo salutifero redundat* 147 *e cum* Lampadibus *et lucernis occurritur redeunti Episcopo* 43 *d*

Lancea *confossus S. Maximus* 94 *a. Vide* Hasta.

Lapidem *grandem divina virtute movet S. Gregorius Ep. Lingon.* 168 *f* Lapidem *ad sesquistadium projicit S. Melorus, qui rupi, ut ceræ inhæret* 136 *c* Lapis *ultro revolvitur ad sepulchrum S. Frodoberti* 511 *f* Lapidantur *S. Almachius* 31 *e S. Theopistus* 81 *a in* Lapides *versi panes, aliaque esculenta,* 172 *e* 173 *a f avis votum violanti in ea comedenda* 278 *f* Lapidea *ecclesia prima in Hibernia a S. Kienano constructa* 46 *e* Lapideus *culter, quo circumcisus Christus, servatur Compendii* 719 *c* Lapicidæ *occidunt S. Reinoldum* 386 *e*

Lapsi *tres in profundum puteum, meritis S. Erardi illæsi* 539 *b* Lapsu *contritus admotis pulveribus sepulchri S. Raimundi sanatur* 414 *c* Casu *periculoso servatur quidam ope S. Genovefæ* 148 *b in* Lapsos *lenis et moderate severus S. Guilielmus Bituric.* 630 *b c*

Laqueus,

A Laqueus, *vide* Vincula.
Larvati *olim Kalendis Januariis: ejus rei fœditas* 3 *a*
Lascivus, *vide* Impudicus, Fornicatio.
Latet *tempore persecutionis S. Lucianus Presb.* 360 *a Episcopi sub Wandalis* 35 *a* Latere *renuit, ad mortem quæsitus S. Maximus* 93 *f, e* Latebris *a Christo monitus prodit, seque martyrio offert S. Carterius* 472 *b* Latebras *quærit ne Episcopus fiat S. Fulgentius* 38 *e* Latere *ut possit orat S. Adelardus* 98 *c* Latere *noctu in templo aliquem, divinitus cognoscit S. Severinus Noricus* 490 *d*
Latro *ad columnam S. Simeonis Stylitæ fugiens, mox pie moritur* 266 *e f* 272 *de e* 290 291 Latronum *manibus eripitur quidam invocato S. Raimundo* 426 *f* Latronum *periculum suis imminens oratione propulsat S. Severinus Noricus* 495 *a*
In Latus *Christi admissa in extassi anima B. Angelæ de Fulginio* 204 *b* Latera *facibus uruntur S. Carterio* 472 *e, e* Latere *S. Carterii hasta aperto aqua effluens ignem extinguit* 472 *e,* Lateris *dolor ope S. Raimundi curatur* 733. *Vide* Pleuritis.
Lavando *faciem ægræ mulieris glandibus excrescentibus deformem, sanat S. Eduardus Conf.* 298 *d* Lavacro *commoditati monasterii extructo, arescit fons S. Theodosii Antioch. eo destructo rursum fluit* 679 *c d*
B Lauru *sicca reflorente nutantem in vocatione confirmat B. Lauren. Justinianus* 535 *d*
Laus *quibus ex rebus petenda* 105 *e et seqq.* Laus *a patria inanis* 131 *a* Laus *SS. utilis non ipsis, sed nobis* 131 *a* Laudibus *Martyrum honoratur Christus* 461 *d* Laudem *humanam nitat et vitandam docet S. Fulgentius* 42
Lector *M. S. Eutropius* 752 Lector *populo prælegit sacram scripturam S. Theodosius Cœnob.* 685 *d* Lectioni *assidue librorum addictus S. Odilo* 67 *a* Lectioni *deditos suos mavult S. Fulgentius* 42 *e* Lectionis *piæ fructus* 36 *d* Legere *sacram scripturam, divinitus admonetur S. Titus* 163 *e* 164 *b* Lectione *S. Augustini impellitur S. Fulgentius ut vitæ religiosæ propositum manifestet* 33 *f in* Lectione *sacræ Scripturæ et piorum librorum assiduus Ludov. Blosius* 442 *a eam ter quotidie suis præscribit* 442 *b* Lectione *mense rapitur S. Eugendus* 54 *a*
Lectus *SS. Eugendi* 50 *e Gerlaci matta supra lapidum congeriem* 308 *a d Gregorii Acritensis storea ex junco contexta* 290 *a, Severini Norici, cilicium* 495 *b* Lectum *in ultimo morbo respuit B. Laurent. Justinianus* 561 *d* Lectus *B. Angelæ in cruce Christi* 197 *f* Lectus *S. Genovefæ alte exundante circum fluvio intactus* 148 *c* Lectus *S. Odilonis in flumine non madefit*
C 75 *c* Lectus *S. Gregorii Lingon. morbos pellit* 168 *e* Lectica *S. Adelardi salutaris contra febres* 722 *e. Vide* Dormire.
Legatus *Regis Aragoniæ ad Papam S. Raimundus* 419 *b*
Leges *S. Eduardi Conf.* 291 *d gratæ populo* 291 *e*
Lente *macerata et aqua victitat S. Simeon Stylita* 265 *e*
Leo *humana voce loquitur* 128 *d* Leo *reprimitur invocato nomine S. Theodosii Cœnob.* 699 *a* Leo *S. Martinæ V. blanditur, cognatum tyranni interficit* 16 *b c* Leoni *objecta non lædit S. Martiana* 569 *e* Leones *sepulchrum S. Paulo Eremitæ fodiunt* 607 *a, a* Leæna *devoratus S. Basilius Ancyran.* 84 *a*
a Leopardo *occiditur S. Marciana* 569 *f*
Lepra *correptus blasphemus in S. Erminoldum* 343 *d* Lepra *puniri petit suam superbiam S. Munnus: punitur ad VII annos* 46 *b* 719 *e* Leprosus *videtur confixus a culicibus S. Macarius* 86 *a* Leprosum *amplectitur et osculatur S. Odilo* 68 *d* Leproso *manus lavat aquamque epotat B. Angela* 208 *b* Leprosum *lingens sanat S. Cuanus* 46 *d* Leprosi *decem mundantur baptizati* 587 *b* Lepra *ope S. Raimundi die obitus tollitur* 413 *f iterum eo invocato* 420 *e, precibus S. Gudilæ* 517 *f* 518 *a* 525 *f*
Lepram *mundat jejunio S. Severinus Norinus* 492 *f item* D *oratione* 494 *e Missæ sacrificio B. Albertus Erem.* 403 *d*
Lepra *et febris sanata oleo lampadis S. Genovefæ* 150 *b*
Lepus *familiariter accedit ad B. Albertum Erem. ideoque cum lepore pingitur* 403 *b* Lepus *in viam reducit B. Oringam* 651 *b* 655 *c* Lepori *similis exul, loci mutatione non mœret* 104 *b*
Liberalis *in egenos Ludov. Blosius liberalitatem successoribus inculcat* 450 *f* Liberalitas *Principum in monachos sancte viventes* 117 *a* Liberalitatis *signum, vereri ne minus dederis.* S. Adelardus 100 *a* Liberalitas *S. Adelardi statim miraculo compensata* 100 *b* 113 *d. Vide* Eleemosyna, Pauperes, Peregrini.
Librum *Collationum secum fert peregrinus S. Fulgentius* 36 *f* Libro *precum S. Marcellini Anconitani sanantur ægri, incendium sistitur* 590 *d e* Liber *S. Odilonis a pluvia illæsus* 75 *e B. Rogeri in fluvium lapsus, ei illæsus restituitur* 184 *b* Libri *S. Odilonis in flumine non madefiunt* 75 *c* Libros *sacros qui Ethnicis tradunt comburendos,* Traditores *dicti qui tradere recusarant, martyrio coronati* 81 *f in* Libris *sacris corrumpendis fraus hæreticorum* 624 *f* Libros *vanos et curiosos suis prohibet Lud. Blosius* 442 *c* Libros *et vestes projiciens S. Celsus adjungit se S. Juliano* 581 *d* Liber *vitæ Christus* 214 215 *in* Libro *vitæ videt nomina suorum scripta S. Erminoldus* 341 *c. Vide* Lectio, Nomen, E Scriptura.
Libertate *privati Christiani, jussu Dioclet.* 81 *c* Libertatem *ne perdant capta Carthagine discedunt in Italiam senatores* 33 *a* Libere *tyrannum arguit S. Gordius* 132 *b*
Ligno *pulsato ad orationem vocantur monachi Palæstinæ* 698 *a* Ligna *hieme pauperibus distribuit B. Laurent. Justinianus* 556 *f*
Liliorum *et rosarum odore perfuso thalamo media hieme ad castitatem incitatur S. Basilissa* 576 *f*
Linea *humi ducta agnos continet S. Cronanus* 49 *a*
Linguæ *abscissæ usum ad psallendum recipit S. Leodegarius* 593 *b* Linguis *tribus distinctis fit hymnodia in monasterio S. Theodosii Cœnobiarchæ* 692 *a* Lingua *antiquorum Gallorum divinitus loquitur S. Patiens* 470 *b* Linguarum *Latinæ, Gallicæ, Teutonicæ peritus S. Adelardus* 109 *b* 116 *d Græcæ prius quam Latinæ studere coactus a matre Græce loquitur aptissime* F *S. Fulgentius* 33 *a Græce præclare doctus S. Adrianus Ab.* 596 *b S. Eugendus* 50 *e Hebraicæ et Arabicæ* Linguæ *seminarium instituit S. Raimundus* 412 *b. Vide* Doctus, Silentium.
Lino *non est indutus S. Anastasius Senonensis* 389 *b* Linteum *sepulchri S. Erardi crescit* 538 *a* 540 *e* 544 *b* Linteis *involutæ reliquiæ S. Basilii Ancyrani M.* 84 *d. Vide* Reliquiæ.
Loco *in alium sublata a dæmone, non læditur Gertrudis ab Oosten* 350 *c. Vide* Immotus, Iter, Peregrinari.
Locustas *a satis arcet S. Severinus Noricus* 489 *d* Locustas *et bruchos oratione S. Theodos. Cœnobiar.* 698 *b*
Verborum *gravitas et honestas in B. Rogerio* 185 *e* Loquitur *ovis voce humana* 501 *f. Vide* Lingua, Mutus, Silentium, Vox.
Loricam *ferream super nudam carnem induit S. Gerfacus* 307 *b* 308 *a* 312 *b f* 320 *c e*
Lotio *instar balsami fragrante perfunditur S. Julianus* 580
Lucernæ *divinitus accensæ ad corpus S. Melori M.* 136 *e* Lucernam *a dæmone extinctam precibus reaccendit S. Gudila* 516 *c* 525 *a* Lucernarum *et ignis cultus in secta Hypsistariorum* 22 *d*
Luctus *moderatio in S. Nonna* 23 *e* Luctus *quis indecens* 96 *d* Luctus *avium, montium, vallium, arborum in morte S. Simeonis Stylitæ* 274 *a d* Luget *mortem S. Adelardi S. Paschasius Ratberdus,* 110 *animarum cladem in victoria Ludov. Blosius* 450 *d*
110 a Ludis

A Ludis *equestribus intervenit S. Gordius Eremita, eosque turbat* 130 *b* 131 *f*

Lumbos *ferro stringit S. Theodosius Antioch.* 678 *b*

Lupum *cicurat signo Crucis S. Severinus Septempedanus* 741 *c Contra* Lupos *invocatur S. Defendens* 721 *b inter* Lupos *jumentum amissum ope B. Alberti Erem. servatum* 404 *a* Luporum *specie dæmones impugnant B. Albertum Erem.* 404 *b*

Luto *in os immisso anguem deglutitum evomi facit S. Simeon Stylita* 266 *c* 271 *e idem luto serpentis morbum curat* 267 *d e* 271 *d*

Luce *cælesti et voce, convertuntur lictores a S. Martina* 12 *e* Luce *cælesti circumfusus S. Gregorius Theologi pater baptizatus, omen futuri episcopatus* 24 *c d* Luce *cælesti coruscat hospitium, in quo dormit S. Odilo* 73 *b Macræ V.* 325 *e Juliani e Celsi* 582 *b* 584 *e Martinæ, ipsa orante,* 14 *b* 15 *d Theopompi Ep.* 724 *c* Luce *cælesti tribus horis circumdatur moribundus S. Severinus Septempedanus* 743 *e* Lucet *facis instar sinistra manus S. Filani dextra scribente* 594 *c* Lucet *S. Titi moribundi facies* 164 *d* Luce *cælesti collustratur submergendus S. Theogenes* 133 *f* 135 *a cubiculum S. Clari Viennensis* 56 *f corpus S. Juliani Bellovac. exanime* 465 *c* 468 *b* Luce *cælesti corpus submersum S. Petri Ab. Cantuariensis repertum* B 335 *a reliquiæ S. Melori M.* 137 *d* Lux *ingens et odor e tumulo S. Quintini* 155 *d* Lux *cælestis ad sepulchrum S. Rigoberti* 178 *f* Lux *super ecclesiam, ubi reliquiæ S. Jacobi Apost. erant visa* 159 *e*, Luminaria *cælitus splendent ad sepulchrum S. Frodoberti* 511 *c* Luminaria *ardentia cælitus descendunt ad ecclesiam S. Erardi* 539 *d* Lumen *noctu in dormitorio esse jubet S. Eugendus* 54 *a*

In Luxuriam *lapsus perit monachus ob arrogantiam, quod illæsus calcasset ardentes carbones* 675. *Vide* Fornicatio, Impudicus.

M

Macilenta *ob abstinentiam S. Syncletica* 243 *e* 244 *d*, *a* Madefactione *immunes libri et lectus S. Odilonis lapsi in fluvium cum mulo* 75 *c. Vide* Aqua, Fluvius, Pluvia.

Magiæ *specimen a Theona datum, taurus verbis in II partes æquales dissectus* 724 *d* Magus *Theonas venenum innoxie hauriente Theopempto Ep. convertitur* 127 *f* 724 *e* Magia *Theopompum Ep. impugnat Dioclet.* 724 *d e* Magiæ *attribuunt Sanctorum miracula tyranni* 13 *e* 15 *e Diocletianus* 724 *b c e, contra* Magiam *raditur caput S. Martinæ* 17 *a* Magiæ *crimen sibi objectum refellit S. Martina* 13 *e* Magorum *Pharaonis monumentum* C *insessum a dæmonibus* 86 *b*

Magister *Pipini Regis Italiæ pueri S. Adelardus* 99 *a*

Magnus *B. Wittekindus* 380

Magnanimitas *S. Adelardi* 98 *f Blosii in tolerandis adversis* 450 *b*

Magnificus *in ædificiis marmoreis extruendis et ornatu templorum S. Odilo* 69 *b*

Maledica *impostorem vocans S. Theodosium Cœnob. morte subita punitur* 698 *d* Maledictione, *robur excommunicationis ostensurus, panes candidos reddit nigerrimos B. Gonsalvus Amaranthus* 647 *e*

Malleorum *strepitu impeditis concionibus S. Egwini castrum absorbetur* 710 *e*

Mamma, *vide* Uber.

Mansuetudo *Christi ineffabilis* 219 *e* 222 *b præclara SS. Eduardi Conf.* 291 *b Gregorii patris Theologi* 26 *f Laur. Justiniani in injuria toleranda* 558 *a b c Lud. Blosii in suis reprehendendis* 448 *b c* Mansuetudine *adversarios frangit S. Gregorius Theologi pater* 29 *f* Mansuetudo *Henrici V, Imp. ingressu in monasterium prohibiti a S. Erminoldo ob excommunicationem* 339 *b*

Manus *S. Meloro præcisa patrui jussu, facta ei argentea, qua ut nativa utitur* 136 *c* Manibus, *pedibus,* D *naribus truncati a Danis et Suecis Nobiles Saxones* 181 *c* Manus *sinistra S. Filani dexteræ scribenti instar facis lucet* 594 *c* Manibus *plaudere, vestem scindere in ira mos* 724 *c* Manus *exarescit volenti percutere S. Maximum* 93 *c tollenti pilos ex barba S. Simeonis Stylitæ pro reliquiis* 268 *e* 274 *b stupore contracta conantis transfigere S. Simeonem Stylitam* 268 *a* 273 *d* Manum *aridam imperata peccatorum confessione sanat S. Guilielmus Bituric.* 630 *f* 637 *b* 639 *c* Manibus *vigor restitutus Missa dicta ad reliquias S. Severini Norici* 739 *a ad sepulchrum S. Erardi* 539 *b* 541 *b* Manuum *impositione sanat Egwinus* 710 *c febrim et capitis tremorem S. Guilielmus Bituric.* 630 *e f* 637 *c dolorem capitis S. Raimundus* 419 *e ulcus B. Albertus Erem.* 404 *c mutam sanat et cæcam illuminat B. Albertus Erem.* 403 *e*

Supra Mare *ambulat pallio pro navi usus S. Raimundus* 411 *f in* Mare *projicitur corpus S. Juliani Presb.* 361 *f. Vide* Aqua, Fluvius, Naufragium, Submergi, Tempestas.

Margarita, *vide* Gemma.

Mariæ *Virginis immaculatæ Conceptionis die lætitia ostensa B. Oringæ* 652 *d* Mariæ *V. cultum et Annuntiationis festum promovet S. Raimundus* 408 *c* 409 *b S.* Mariæ *festum celeberrimum in Palæstina* 5 *sec.* E 690 *f* Mariæ *Virginis festum violans, eamque blasphemans punitur* 148 *c* Maria *Virgo sæpe apparet cum aliis Virginibus SS. Juliano et Basilissæ virginitatem in conjugio voventibus* 377 *b cum duabus Virginibus psallit, librum tenet, cruce aurea benedicit S. Egwinum* 708 *B. Gonsalvo Amarantho addicit æternam salutem* 648 *b benedicit B. Angelam et docet præsentiam Christi in Eucharistia* 204 *f apparens SS. Raimundum et Petrum Nolascum, et Jacobum I, Regem Arragoniæ hortatur ut instituatur ordo Redemptionis captivorum* 409 *c* Mariæ *V. erga ord. Prædicat. beneficia* 643 *a jubet B. Gonsalvum Amaranthum ingredi ordinem Prædicat.* 643 *c visa amplexari filios spirituales B. Angelæ* 207 *a* Maria *V. monet civem ut ædiculam det B. Oringæ cui eam vendere noluerat* 637 *c d puerum Jesum tradit B. Angelæ* 206 *a sanat S. Odilonem puerum languentem* 69 *f* 70 *a* 71 *d ad* Mariæ *V. basilicam Aquensem singulis Sabbatis peregrinatur S. Gerlacus* 308 *f* 320 *f* Mariæ *Virginis magnus cultor S. Egwinus, ab ea sæpe invisitur* 710 *se servum ei consecrat adolescens S. Odilo* 70 *b*

Martyrii *dignitas* 582 *e* Martyrium *optandum* 133 *d* Martyrium, *baptismus* 365 *e* Martyrio *coronati qui libros sacros tradere nolebant* 81 *f* Martyr *sine sanguine S. Theodosius Cœnob.* 695 *b* Martyr, *etiam qui tormentis non immortuus* 84 *b etiam sponte exul, eaque caussa* F *mortuus* 84 *e* Martyres *habiti, quod innocentes occisi SS. Canutus Lawardus* 491 *b Balduinus* 502 *f in* Martyribus *Christus victor, eorum laudibus honoratur* 461 *d ad* Martyrium *sanctitate vitæ se parat S. Gordius* 131 *e* Martyrii *constantiam SS. Julianus et Basilissa a Deo sibi suisque precantur* 587 *a* Martyrii *desiderio flagrat B. Angela* 208 *e* Martyrii *desiderio ultro in carcerem veniunt VII fratres* 582 *e* Martyrii *occasio visitatio captivorum* 83 *a, Antero Papæ, conquirere Acta MM.* 127 *a in* Martyrio *subeundo summa alacritas Ægyptiorum, invicem conantium prævenire : constantia etiam puellarum et infantium : præparatio* 241 *e* Martyris *centum quadraginta quatuor millia in Ægypto sub Diocletiano* 572 *e mater et filius* Martyres *Marcionilla et Celsus* 586 Martyris *certamen maximo concursu hominum celebratum* 132 *e* Martyrum *gesta scribi jubent SS. Clemens et Fabianus, conquirit et servat Anteros* 127 *a* Martyrium *S. Theogenis Ecclesiis ad exemplum fortitudinis transcriptum* 135 *f* Martyres *stolis albis induti apparentes animant S. Julianum et socios* 586 *d* Martyrum *cædes cælitus cladibus vindicata* 165 *a. Vide* Captivi, Carcer.

Mater et filii Sancti : *Theodote et Cosmas ac Damianus*

A nus 81 b Salaberga, Balduinus et Austrudis 502 503 Hereswida, Setrida, Sexburga, Ethelreda, Ethelburga, Witburga, Jurminus 627 d Amalberga, Emebertus, Gudila, Reinildis, Pharaildis 514 e f 524 b Mater et filius MM. Marcionilla et Celsus 586 Mater et duo filii MM. 125 b Mater et filia Euprexia et Theognia 240 Isidora et Thecla Virgo 601 Mater S. Marcionilla a filio S. Celso convertitur 584 f Matrem cæcam filius S. Frodobertus illuminat signo Crucis 506 f Matrem in conspectum non admittit S. Simeon Stylita 266 a 271 b 278 b Mater S. Fulgentium cogit prius litteras Græcas discere quam Latinas 33 a eadem turbatur ipso religionem ingresso 34 c Matri obnoxium ut servet fratrem, illi non huic bona relinquit idem Fulgentius 34 f Matri morientia bsque lacrymis officium Ecclesiasticum persolvit B. Laurentius Justinianus 554 f Matris suæ percussor, cæcitate, rigore brachii, amentia punitus, ope S. Frodoberti sanatur 512 a b c

Matutinæ preces dum absolvantur, sistit solem orientem B. Oringa 659 e ad Matutinas singulis noctibus abit difficillimo et longo itinere S. Gerlacus 308 d 320 e Matutinas ad altare S. Egwini cantare SS. noctu visi 711 b

Medicinam nullam admisit, etiam cælitus oblatam, B S. Macra V. 325 e

Meditationes Gertrudis ab Oosten in Adventu et Natalitiis Christi 350 d e

In Mel pingue rore cælesti concreto, intelligit gratiam baptismi S. Pachomius 675 c

Memoriter totum Homerum et alia discit S. Fulgentius puer 33 a

Mendicat præ inopia Gertrudis ab Oostem Beghina 350 b Mendicare erubescentibus potissimum eleemosynas suas conferri vult S. Atticus 481 e Mendicans panem pro monasterio B. Laurentius Justinianus, non accipit a matre ultra II panes 554 f. Vide Eleemosyna, Hospites, Pauperes.

Mensæ cibis nocte Kalendarum Janu. superstitiose instructæ 3 d Mensa B. Laurentii Justiniani Episcopi qualis 556 b

Merces laborum sancti rustici tripartita, in pauperes, Remp. et familiam propriam 268 a 273 c 284 e

Meretrices ad noctis unius continentiam pretio conducit S. Vitalius 702 b muneribus et monitis convertit S. Marcianus 616 c. Vide Fornicatio, Impudicitia.

E Militibus monachi SS. Cuanus 43 c, eremita Gerlacus 306 d Milites Martyres, Carbonanus, Tribudianus, Planius 471 a Defendens et socii 80 et 721 XX, a S. Juliano conversi 382 b 383 c XXX, Romæ 20 XL C lapsi conversi a S. Luciano Presb. 360 f Gordius 131 c Militum Præfectus Martyr S. Claudius 471 a Milites pios esse posse 133 a Milites ad pugnandum fortiter contra Persas et mortis contemptum hortatur S. Domitianus Melitenæus 621 c d Militare in injusto bello recusantes ideoque occisi, Martyres habiti Marcellinus et fratres 82 Theogenes 133 c f 134 c d

Minas contemnit S. Maximus 93 d Macra V. 325 c d. Vide Constantia.

Miraculorum virtus quomodo obtinetur 584 b Miraculorum gratiam sibi dari non desiderat S. Fulgentius 42 a ea pollens tentatur vana gloria S. Macarius 88 b Miraculum statim supplicatione, et circumlatis reliquiis celebratum 120 a illico pro concione 121 a, plausu populi 132 d hymno Te Deum 118 e 119 a 120 a 121 a Miraculi anniversaria celebritas a Papa instituta 132 e Miracula S. Raimundi probantur in Conc. Tarraconensi 428 f Miracula ad reliquias S. Vedasti et aliorum integro triennio 124 a Miracula in elevatione reliquiarum S. Adelardi 119 f ad sepulchrum S. Concordii 10 a Miraculis excitatur pietas populorum 121 a multi fiunt monachi 134 d Miraculis fidem poscunt confirmari Dani : iis multi conversi 181 fde Miraculis quid senserit S. Fulgentius 42 a Miracula ut petat tentatur a dæmone Macarius 83 c Miracula SS. Hibernorum stupenda D 43 b Miracula cessant ob neglectum cultum S. Frodoberti 511 a Miracula magiæ attribuunt tyranni 13 e 15 e 17 a Diocletianus 724 b c. Vide singula miracula propriis titulis.

Misericordiæ opera a S. Pharailde V. vidua exercita 172. a Vide Eleemosyna, Hospitalitas, Liberalitas.

in Missa celebranda pietas S. Raimundi 413 a Missam celebrat eo animi sensu ac si Christum cerneret crucifigi, S. Guilielmus Bituric. 631 c Missam quotidie LVI annis Abbas celebrat S. Odilo 72 a Missam in carcere celebrat, pectore pro altari usus, S. Julianus Presb. 361 e ad Missæ sacrificium panis insperato adfertur S. Theodosio Cœnobiarchæ 688 d Missam ad altare S. Egwini cantare Sancti noctu visi 711 b celebrare visus S. Egwinus mortuus 711 c in consecratione videt Christi manum S. Honoratus Ambianensis 705 f Missæ sacrificio elephantiacam sanat B. Albertus Erem. 403 d cæcum S. Aldricus 389 a Missa ad aram S. Raimundi curatur calculus 428 b catarrhus 428 a ad reliquias S. Severini Norici, febris depulsa 738 b vigor manibus restitutus 739 a Missam non audiens Dominica, fit claudа 149 c Missa neglecta, die festo aucupio vacans, fit cæcus 80 f. Vide Eucharistia, Sacerdos. E

Mitra Aaronis Anicii in Arvernis 4 b

Molam mediam pro circino ferit ex simplicitate S. Frodobertus 507 c ad Molendinum S. Fechini aqua per montem mirabiliter adducitur 48 c Molens die Dominica, cæcitate et alia gravi passione punitur 149 f

Monachorum origo in SS. Paulo et Antonio 604 c d Monachorum felicitas, Fulgentio occasio mundi relinquendi 33 c Monachus verus quis, judicio S. Fulgentii 42 e Monacho quæ agenda et patienta 264 e 269 b c Monachi sancti mores 182 f Monachi SS. Lucas, Ambrosius, Privatus 289 Clarus 65 Silvester Siculus 124 Vitalius 702 Theodorus 365 Tillo Paulus 376 Tato 713 Eustratius 598 b Monachi MM. Zosimus 128 Reinoldus 385 Monachus fit adhuc puer S. Cronanus 47 f. Vide Annus. Monachus ex milite S. Cuanus 45 c ex Vicario Pr. V. S. Macarius Rom. 90 ex Principe, invidorum factione ab aula relegatus, Wala frater S. Adelardi 102 e ex Comite, dein Episcopus, S. Rigobertus 174 b e Monachus vult fieri Arnaldus Dux 727 b Monachus factus S. Blidmundus sanitate precibus S. Valerici recepta 154 a Adelardus, ne alieno peccato, ut putabat, consentiret 97 c 112 b Monachus, ut fiat quis, exemplo et sapienti responso S. Macarii motus 85 d exemplo S. Fulgentii, ejus sodales 34 c Mo- F nachos inducit pro Canonicis S. Wulsinus 548 a, e Monachis Clericos adscissit S. Fulgentius, 43 f ut Monachus, in claustro vivit Libentius Ep. 180 c S. Fulgentius Ep. Abbati subditus 43 e qui et Monachicam austeritatem retinet in episcopatu 39 d Monachicam vitam degit Ruffinianus Ep. exul 37 c Monastico more, cum Episcopis et aliis in exilio vivit S. Fulgentius 40 d Monachos diligit Eulalius Ep. et cum iis degit cum potest 36 c Monasteria maxime Virginum fovet B. Laur. Justinianus 556 d sine Monachis nec Episcopus usquam degit S. Fulgentius, et Monasterium juxta ecclesiam suam construit 39 f multa sibi Carthagine donata ad illud mittit 40 a Monasterium Solemniacense amat et fovet Arnaldus Dux 727 b Monachi ut primum in Saxoniam deducti 116 e in Monachorum numero augendo facilis S. Odilo 68 f Monachi CCLX Cluniaci 82 b Monachis MCC in XL monasteriis præest S. Guilielmus Divionensis 63 a Monachos 10000 colligit et regit 3 seculo S. Julianus M. 577 e 587 e Monachos perfectos alia monasteria fundaturos dimittit S. Congallus 48 a Monachi præsentiam horrent dæmones 86 c d Monachi beati, mundo illudunt 85 d Monasticæ et secularis vitæ comparatio 247 248 c 251 e f 252 a Monachorum vestis, habitus

Angelicus

A Angelicus 290 *a* Monachos *nemo impune vexat* 95 *a*, *e* Monachis *Episcopi SS. Melanius* 328 *d Hildemannus* 117 *d Patriarchæ Constantinop. SS. Atticus* 485 *a Cyrus* 531 *a b* Monachus, *ne familia Justiniana intereat, permittitur uxorem ducere, liberisque susceptis redit ad monasterium* 532 *c d* Monacha *fit mater S. Theodosii ejus exemplo* 685 *c* Cœnobitica *vita prius exercenda, quam anachoretica* 686 *a* Monastico *instituto se præparat S. Fulgentius* 33 *e* Monasterio *Dei opus* 118 *a*, Monasterio *aptus locus* 37 *e* Monasterii *condendi locum designat fons miraculosus* 48 *f carbones sponte accensi precibus S. Theodosii Cœnob.* 689 *c d e* Monasterium *sanctum in loco deserto* 38 *a*, Monasterium *Martallense in firma rupe* 723 *d* Monasterium *construere jubetur S. Pachomius* 676 *f* Monasteria *varia regit S. Cadeoldus Ep.* 573 *e* Monasterio *extruendo locum jejuniis et precibus sanctificat S. Cedda* 375 *c* Monasteria *extruit Clodovæus Magnus, consilio S. Melanii* 329 *a* Monasteria *extruunt SS. Phosterius* 287 *a, Tillo Paulus* 378 *e Salvius Ambianen.* 704 *f Egwinus* 708 *f Oringa* 632 *f* 637 *b quinque Severinus Septempedanus* 743 *d Calari Fulgentius* 42 *c varia Cedda Ep.* 374 *d* 375 *b XIV, Erardus et Hidulphus* 536 *f* 540 *b* 542 *b centum Luanus* 46 *d varia construit et reformat Odilo* 69 *c* 76 *d XL extruit, regit aut reformat*
B *Guilielmus Divionen.* 57 58 60 61 62 Monasterium *extruit, et dotat Frodobertus* 508 *a b c Fiscanum monitu S. Eulaliæ Waningus* 591 *d* 592 *e, varia extruit aut restaurat Eduardus Conf.* 291 *b* Monasterium *Montis-Regalis Guilielmus II, Rex Siciliæ splendide extruit et dotat* 627 *e* Monasterium *ex castro suo facit Conradus Salicus Imp.* 166 *c* Monasterium *a Rogerto Comite Siciliæ, victis Saracenis, pro triumpho dedicatum* 124 *c* Monasterii *duplicis instar domus S. Petri Sebasteni cum viris, et S. Macrinæ cum Virginibus* 589 *c* Monasterii *reformatio commendatur S. Wolfgango a S. Erardo apparente* 538 *c* 540 *f* 544 *a*, Monachis *separatim viventibus in Palæstina præest S. Sabas, in cœnobio simul viventibus S. Theodosius Cœnobiarcha* 684 *b in* Monasteriis *ampla ædificia improbat B. Laur. Justinianus* 560 *c* Monasterium *amœnum, rivis per officinas decurrentibus, Tavestokæ* 728 *c* Monasterii *a se fundati immunitati a successoribus Epp. cavet S. Fulgentius* 43 *e* Monasterium *Corbeiense virtutum et litterarum studiis clarum, et aliorum plantarium* 95 *f* 112 *c* Monasterio *inclusa S. Neophyta ne a proco invita rapiatur* 167 *b, e* Monasterio *a septimo anno ætatis ad LX, non est egressus S. Eugendus* 50 *e*, Monasterio *egredi recusat S. Maximus, ut reddat electionis suæ rationem Cursori regio* 93 *c* Monasterii *ingressu arcet Imperatorem ex-*
C *communicatum S. Erminoldus* 338 *e f in servitio* Monasterii *sanctimonialium a se fundati obit S. Waningus* 593 *b* Monasterii *B. Oringæ annonam auferre parans fit cæcus, resipiscens sanatur* 662 *f*

Monita *S. Valentini Passaviensis ad conversos* 371 *a* 732 *b Tillonis Pauli ad invisentes se* 378 *d ad monachos* 378 *e Severini Norici moribundi ad discipulos* 496 *a b* Monita *singulis hominum ordinibus data a B. Laur. Justiniano moribundo* 562 *d singulis suorum a S. Adelardo* 109 *a*

Per Montem *aqua ad molendinum S. Fechini adducitur* 48 Montibus *incincta Corbeia Saxonica* 117 *a*

Morbi *cur bonis inferantur a Deo* 27 *b* Morbum *ex nimia abstinentia incurrit S. Fulgentius* 34 *e in* Morbo *pristinam abstinentiam servat S. Palæmon* 677 *d carnibus vesci in quadragesima renuit, sectiones ustionesque generose fert B. Laurentius Justinianus* 554 *a* Morbum *patientissime fert S. Fulgentius : ejus in morbo oratio* 44 *d in* Morbis *ad Deum recurrendum* 27 *d assidue orat S. Bertilia V.* 157 *b morbos eorumque remedia suis prædicit S. Severinus Noricus* 495 *b* Morbi *curantur oleo scaturiente e puteo MM. Placentiæ* 80 *e. Vide* singulos morbos suis locis.

Morum *gravitas S. Erardi adolescentis* 535 *e* 540 *a* D 545 *b*

Mors *non est timenda* 31 *a pro Deo beata* 133 *d* Mortis *semper memor B. Laurentius Justinianus* 562 *b ob* Mortis *memoriam sepulchra jubet monachos sibi construere S. Theodosius Cœnobiarcha* 687 *e ad* Mortem *se studiose præparant SS. Adelardus* 108 *f Valentinus Passav.* 731 *e, pœnitentia et secessu Fulgentius* 44 *c præmonitæ* 1000 *Virgines S. Basilissæ* 578 *c ad* Mortem *anhelant SS. Erardus* 537 *c* 540 *d cum resignatione Adelardus* 109 *e f ad* Mortis *contemptum in pugna contra Persas hortatur milites S. Domitianus Melitenæus* 621 *d de* Morte *instante monetur a S. Joanne Evang. S. Eduardus Conf.* 300 *d* Mors *prædicta ab Angelo SS. Maximo* 94 *b Angelæ* 232 *a* Mortem *suam et suarum Virginum divinitus cognoscit S. Basilissa* 578 *e* Mortis *tempus divinitus præsciunt SS. Valentinus Passaviensis* 371 *d* 732 *e fratrum, B. Laur. Justinianus* 558 *f diem obitus sui SS. Guilielmus Divionensis* 64 *e Guilielmus Bituric.* 633 *e Gonsalvus Amaranthus* 648 *a ab Angelo Severinus Septempedanus* 743 *d* Mortem *suam prædicunt SS. Adelardus* 109 *f* 117 *e Tillo Paulus* 380 *d Odilo* 76 *e Melanius* 332 *d Frodobertus* 509 *e Julianus Presb.* 361 *d Atticus* 482 *e Oringa* 634 *a, biennio ante Severinus Noricus* 495 *e, Syncletica* 237 *d suam et alterius nobilis S. Wulsinus* 547 *e* E *Alexandri Imp. S. Martina* 17 *a* Mortis *tempus dum in Missa* Gloria in excelsis *caneretur, pridie prædicit S. Erminoldus* 541 *c* Mortem *monacho petenti impetrat S. Anastasius Ab.* 701 *f* Mors *pii monachi ut præostensa S. Eugendo* 53 *e* Mortem *inferre S. Genovefæ salutaria monenti cogitant Parisienses* 139 *b* 144 *c* Moribundum *elevans sanat S. Melanius* 330 *e, oratione S. Severinus Noricus* 494 *d* Moribundum *a dæmone suffocandum S. Raimundus apparens* 420 *a b* Moribundi *sanantur invocato S. Raimundo* 420 *b c f* 421 *b d* 423 *f* 424 *b c* 428 *c annua oblatione vota S. Gerlaco* 319 *f* Moribundus *sua omnia discutit S. Adelardus, singulos suorum monet, fidem suam exponit* 109 *a idem suos jussos humi sedere alloquitur et veniam petit* 108 *f et pro se orari postulat* 117 *e vini haustum propinat suis S. Maximus, veniam petit, et osculatur eos* 34 *d S. Fulgentius veniam a suis petit, omnia sua pauperibus largitur, assidue orat, accedentibus benedicit* 44 *e cruce discipulos signat S. Eustratius* 598 *e, B. Laur. Justiniani* Moribundi *benedictiones et monita* 562 *c d, a* Moribunda *matre benedicuntur SS. Petrus Sebastenus et Macrina soror* 588 *f* Moriturus *eulogias ad S. Genovefam mittit S. Germanus* 139 *c* 144 *d Eucharistia divinitus munitur S. Gerlacus* 313 *e* 321 *c luce cælesti* F *tribus horis collustratur S. Severinus Septempedanus* 743 *e dæmonem apparentem videt, et nomine tremendi Judicis pellit S. Odilo* 76 *e Angelos videt S. Titus : splendet ejus facies* 164 *d* Moribundi *Christum vident Adelardus* 109 *f* 117 *e Tharsilla* 288 *a Marciana* 569 *e* Morientem *B. Angelam amplexatur Christus, et vestem gloriosam ei præparatam ostendit* 234 *a b in* Morte *B. Lauren. Justiniani Angeli canunt* 563 *a*, Moriente *S. Claro Viennensi lux et odor suavis* 56 *f* Morienti *matri, absque lacrymis officium Ecclesiasticum persolvit B. Laurentius Justinianus* 554 *f in* Morte *fiducia et humilitas B. Laurentii Justiniani* 561 *e* Moritur *dicto* In manus tuas Domine *etc. S. Eustratius* 598 *e, dicto* In manus tuas commendo animam et templum, *quod ædificarat S. Marcianus* 615 *b integro dicto psalterio, ad verba* Omnis spiritus laudet Dominum, *S. Clarus Viennen.* 56 *f inter versiculum* Omnis spiritus laudet Dominum *S. Severinus Noricus* 496 *c cantans* Ecce video cœlos apertos et Jesum stantem *S. Wulsinus* 548 *d flexis genibus orans S. Vitalius* 703 *b in cilicio SS. Clarus Viennensis* 56 *f in cinere et cilicio benedicens Fratribus Guilielmus Ep. Bituric.* 634 *f absque dolore Basilius a S. Theodosio Cœnob. accepta benedictione, et factis ante exequiis* 688 *a*

Moritur

A Moritur *S. Dafrosa a viro suo in somnis evocata* 166 *d* Moriuntur *ordine quo a Deo evocati S. Anastasius Ab. et VIII monachi* 701 *e* Moriuntur *simul* 1000 *Virgines et S. Basilissa ad evitandam Diocletiani persecutionem* 578 *f Adelardus eadem hora, qua Christus* 110 *a* 177 *f* Mors *pia pœnitentis latronis ad columnam S. Simeonis Stylitæ* 266 *e f* 272 *d e* 281 *a b* Mors *S. Anastasii Senonensis sorori procul absenti ab Angelo nuntiata* 389 *e in* Morte *B. Oringæ multi reconciliati* 634 *b* 662 *a* Mors *S. Luani Angelorum conventu celebrata, et quare* 46 *b* Morte *carorum dolere quatenus liceat* 96 *c* Morti *subito eripitur occidendus invocato S. Adriano Ab.* 597 *c* Morte *subita punitur festi celebritatem imminuens* 152 *f pejerans ad reliquias S. Egwini* 710 *f* Mortui *cur* Dormientes *appellentur* 96 *b* Mortuos *quærit et sepelit S. Marcianus, qui eum ut vivi amplectuntur* 616 *a* Mortuus *interroganti S. Severino Norico respondet* 490 *e* Mortuum *suscitant SS. Genovefa* 141 *b* 146 *b Severinus Noricus* 490 *b Marcianus* 613 *f Cronanus* 49 *d mortuos IV in vita, XXXVI a morte Raimundus* 406 *e* 407 *b* Mortuum *suscitat in fidei confirmationem S. Julianus* 583 *b* 588 *a* Mortuum *a dæmone suffocatum, cruce supra pectus posita, suscitat S. Melanius* 331 *c multos a dæmone occisos S. Leucius* 671 *a* Mortui *resuscitati ope S. Raimundi* 414 *b*
B 420 *f* 421 *c* 422 *a c e f* 423 *a d* Mortua *quatriduo proles nascitur, et reviviscit, vota ceræ libra S. Raimundo* 423 *c d* Mortuus *resuscitatus voto facto B. Laur. Justiniano* 564 *d ope S. Gerlaci* 316 *a* 321 *c* Suscitat *avem occisam et comestam S. Pharaildis* 172 *b cervos occisos et comestos S. Cuanus* 47 *a occiduntur barbari mutuis gladiis, orantibus S. Severino Norico aliisque ab eo excitatis* 486 *c*

Mortificatio *monachorum S. Guilielmi Divionensis* 63 *b S. Erardi* 536 *a* 545 *a c* Mortificationis *studio leprosum lingua lingit et sanat S. Cuanus, et phlegmata ore suo e naribus ejus exsugit* 46 *d. Vide* Abstinentia, Cilicium, Jejunium, Dormire.

Movetur *corpus S. Simeonis Stylitæ cum columna* 268 *e corpus matris ejus, ipso pro ea orante* 266 *a* Moveri *nequit corpus S. Gudilæ, avehendum Nivellam, Montes, aut Malbodium* 519 *f* 527 *a. Vide* Immotus.

Muliebri *cultu larvatum incedere, viro indignum* 3 *b* Mulieribus *vix se videndum præbet S. Libentius Ep.* 180 *f. Vide* Fœmina.

Mundum *fastidit, jussus severe exigere census S. Fulgentius* 33 *c* Mundus *illudit secularibus; mundo monachi* 83 *d*

C Mundities *externa, index castitatis internæ* 450 *a*

Muneribus *datis meretrices ad sanctitatem convertit S. Marcianus* 616 *c* Muneribus *placare tyrannum conatur B. Libentius* 181 *a* Munera *ab Anastasio Imp. hæretico accipit, ejus hæresi fortiter resistit S. Theodosius Cœnob.* 694 Munera *hæretici Regis respuit S. Attalas* 95 *d ob* Munera *Cæsari a fratre data, sese Abbatis officio dudum administrato abdicat S. Erminoldus* 337 *b* Dona *ad S. Genovefam mittit S. Germanus* 139 *c* 144 *d* Donarium *furis oblatum S. Erardo, respuitur* 539 *d* 541 *c* 544 *c* Dona *peccatoris respuit S. Cuanus* 45 *e* Munus *hyænæ respuit Macarius, donec annueret se pauperibus non nociturum* 88 *c*

Murmurant *monachi ob nimiam Macarii abstinentiam* 87 *c*

Muro *divinitus constructo, prostituta servatur S. Martiani* 569 *c* Murus *animi aure pugno frangitur* 99 *b*

Musicæ *peritus cantum ordinat S. Guilielmus Divionensis* 63 *c* Musica *cælestis audita in carcere S. Juliam M.* 584 *e. Vide* Canere, Psalmi.

Mutos *sanant SS. Simeon Stylita* 266 *b* 271 *f* 284 *b* 267 *b* 272 *f* 279 *e Aldricus* 389 *a Gudila* 517 *b d* 525 *d oleo benedicto Salvius Ambianen.* 706 *e, aqua lotionis manuum S. Odilonis epota* 76 *b cerea statua vota S. Raimundo* 426 *b ad S. Genovefæ reliquias* 150 *e in translatione S. Severini Norici* 479 *a ad sepulchrum S. Egwini* 711 *a* Mutus *ob adulterium, sanatur ad corpus S. Simeonis Stylitæ* 268 *e* 274 *b* Muta *fit quædam ob adulterium* 149 *c. Vide* Lingua, Loqui. D

Mutuum *assidue accipit ut pauperibus et suis subveniat S. Adelardus, exemplo S. Silvestri* 100 *a* 113 *c*

N

In Nativitate *S. Genovefæ lætati Angeli* 138 *b* Nascitur *proles quatriduo mortua et reviviscit, vota ceræ libra S. Raimundo* 423 *d. Vide* Infans, Proles, Sterilis.

Naribus *truncati, manibusque et pedibus Nobiles Saxones a Danis et Suecis* 181 *c*

Navi *in mari periclitanti absens succurrit S. Simeon Stylita* 267 *d* 273 *b* 281 *d ut* Navis *magna scapham trahens, sic urbs vitia et strepitum* 131 *e* Navim *ad terram pertrahere visa in somnis S. Nonna, filio in ea periclitante* 28 *c* Navis *vehens corpus S. Melanii adverso fluvio ultro defertur* 332 *e ut* Navi *pallio insidens mare trajicit S. Raimundus* 411 *f* Nautæ *ope S. Adriani Ab. ab hostibus liberantur* 597 *c* Navali *bello certare Septemtrionales solent* 181 *b* Navigaturus *nihil sumptuum secum fert S. Fulgentius* 36 *e* Naufragii *periculum ab invidia dæmonis* 142 *f idem* Naufragii *auctor oratione S. Genovefæ pulsus* 141 *d* 146 *d* Naufragii *periculum ope B. Oringæ submotum* 662 *c d invocato S. Raimundo* 424 *c d voto facto B. Laurentio Justiniano* 564 *e eo invocato dicta Oratione Dominica* 564 *f* Naufragii *periculum precibus avertit S. Genovefa* 141 *f* 146 *e* Naufragium *evadunt, parentum precibus S. Gregorius Theologus* 28 *c* E

Nix *cælitus obtenta in Translatione S. Frodoberti* 512 *f per* Nives *eunti S. Gerlaco pedes fumant* 311 *e*

Nobilitas *vera in pietate* 23 *b*

Nomina *mutata, SS. Oringæ in* Christianæ 632 *b Apollinaris V. jussu Christi in Dorethei* 260 *b Eupressii in Leucii, Eudecii in Eudeclii divinitus* 670 *a c Theonæ magi in baptismo a Theopompo Ep.* 724 *f ut latere posset, Tilloni* 378 *b* Nomine *Antonii appellatur ob virtutes S. Adelardus* 95 *b itemque Augustini* 100 *a* Nomen *rogata se* Christianam *esse respondet S. Macra V.* 325 *c S. Concordius* 9 *d* Nomina *suorum descripta semper penes se habet S. Adelardus* 108 *c* 116 *f* Nomen *suum libro vitæ adscriptum voce divina nuntiatur S. Leucio* 670 *b c* Nomina *suorum monachorum videt scripta in libro vitæ S. Erminoldus* 341 *c* Nomina *SS. Juliani et Basilissæ castitatem voventium scripta in libro* F *vitæ inter sanctas Virgines* 577 *c in* Nomine *suo jurare sinit Ismaelitas S. Simeon Stylita* 266 *a* 272 *a in* Nomine *S. Fulgentii omen futuræ magnitudinis* 33 *a ob* Nomen *S. Chrysostomi diptychis non inscriptum dissensiones Episcoporum* 478 479 480 *eo inscripto redintegrata pax* 480 Nomine *Simeonis Stylitæ sistitur cervus* 266 *b* 271 *f* 284 *b* Nomen *Francis a feritate* 112 *a imo a libertate, quam armis vindicare se profitebantur.* Nomen *Martelli a feris moribus et bellicosa indole* 176 *b* Nomina *locis apta imponit S. Atticus* 481 *f* Nomen *Lichfeldiæ, et insignia a cæde SS.* 82 *b Lutrensi monasterio unde* 723 *d a fluvio, monasterio Corbeiæ* 118 *a, Rotho* 722 *c Tavestokæ* 728 *c Ballæ oppido a fonte ejusque lorica* 48 *f Calvariæ monti a cranio Adami* 686 *f in* Nomine *Jovis cœptum ædificium collabitur; in Dei* Nomine *perficitur* 164 *d*

Notarii *gesta Martyrum describere soliti* 127 *d* Notarius *Romanæ Eccl. S. Anastasius Ab.* 701

Novaculis *laceratur S. Martina V.* 13 *d*

Novitius *humilis et docilis S. Adelardus* 112 *d* Novitii *constantia clamore et fletu matris impugnata, conspectu sapienter negato* 34 *d. Vide* Monachus.

Noctu *templum adit, et cum SS. psallit S. Gregorius Lingon.* 168 *f* 169 *a,* Nocte *surgit aditque ecclesiam* 111

A *siam XXX annis continuis S. Pharaildis, ideo a viro sæpe verberata* 171 *c d* Nocte *deportari in exilium jubetur S. Fulgentius* 41 *f. Vide* Oratio.

Nubes *templum replet, in quo reliquiæ Præputii Christi expositæ* 5 *e,* Nubis *specie sequitur S. Cronanum coloniam monachorum educentem fons* 48

Nudis *pedibus, ut monachi, sæpe ambulat domi S. Fulgentius* 39 *d semper, etiam hyeme, S. Severinus Noricus* 487 *c* Nudus *et decalvatus ejicitur ab hæretico S. Fulgentius cum Felice Ab.* 36 *b. Vide* Iter, Pes.

Nuptias *spernunt SS. Laurent. Justinianus* 553 *b Syncletica* 243 *c Apollinaris Syncletica* 258 *f Austrudis* 503 *b fugit S. Hiltrudis* 434 *c* Nuptias *ut vitet, noctu profugit ad Episcopum S. Maximus, inde in eremum cum Ambrosio discipulo* 91 *f iterum cum Magnentio* 92 *d ad* Nuptias *coacta fugit per flumen non madefacta B. Oringa Christiana* 651 *a* 654 *f* 655 *a* Nubere *cogitur invita S. Pharaildis* 171 *a* Nuptiarum *SS. Juliani et Basilissæ solennis pompa* 576 *e. Vide* Sponsus.

O

Obedire *utilius quam imperare* 37 *f* Obedientia B *Religiosorum sit perfecta* 444 *e ut* Obediat *aliis in aliud monasterium abit S. Fulgentius* 38 *a* Obedit, *jussus e columna descendere S. Simeon Stylita* 277 *e sine venia loqui cum externis, etiam amicis, suos vetat S. Eugendus* 54 *b* Obediunt *Deo magis quam Comiti suo Flandri, inducendo reliquias in templa* 122 *a*

Obsessi *annis decem Parisii a Francis* 141 *c at non ab Hunnis* 725 *f. Vide* Urbs.

Oculorum *custodia, castitati necessaria* 449 *e* Oculorum *sanitas non conceditur monacho, ad interiorem cum Deo melius retinendam conjunctionem* 494 *e,* Oculis *laborat S. Fulgentius* 39 *a iis ut medeatur oleo uti incipit* 39 *e* Oculorum *dolor tollitur vota peregrinatione ad S. Raimundum* 426 *d argenteo oculo oblato ad sepulchrum S. Erminoldi* 346 *d voto censu X nummorum ad sepulchrum S. Erminoldi* 345 *c d* 346 *f ab* Oculo *albugo depulsa invocato S. Raimundo* 426 *e* Oculus *ex particula corticis inhærente læsus, signo Crucis sanatur a S. Odilone* 75 *f* Oculum *ope S. Alphii recuperat S. Justina* 601 *f* Oculus *S. Theopempto Ep. erutus* 127 *c divinitus restitutus cum visu* 724 *c* Oculum *amittit percutiens S. Julianum* 580 *e, crucis signo recipit* 581 *a* 587 *f* Oculi *effossi SS. Antonio Presb. et Anastasio* 586 *e. Vide* Cæcitas, Visus.

C *Ex* Odore *cognoscit S. Eugendus peccata vel virtutes ad se accedentium* 53 *f* Odor *balsami ex lotio, quo perfusus S. Julianus M.* 580 *f* Odore *suavi liliorum et rosarum hyeme perfuso cubili, incenditur ad amorem castitatis S. Basilissa* 576 *f* Odore *cælesti et luce perfunditur carcer SS. Martinæ* 14 *b Juliani et Celsi* 582 *b* 584 *e* Odor *suavis diffunditur e vulneribus S. Martinæ* 13 *d ex corpore SS. Severini Norici* 496 *e Simeonis Stylitæ* 268 *c* 273 *e Laur. Justiniani* 563 *b Juliani Bellovac.* 465 *e* 468 *d ex sepulchro SS. Raimundi* 414 *e Erminoldi* 342 *f Torphimi* 548 *b e f Quintini* 155 *d moriente S. Claro Viennen.* 56 *f* Odor *suavis e sacculo ubi reliquiæ Præputii Christi, per totas ædes diffusus* 5 *c* Graveolentia *summa in corpore putrefacto S. Simeonis Stylitæ adhuc viventis* 265 *a b c* 269 *f* Fœtore *ingenti tribus mensibus laborat S. Syncletica* 256 *e f*

Odia *dissidentium sedata humilitate S. Theodosii Cœnob.* 699 *d*

Œconomus *Ecclesiæ Constant. S. Marcianus* 609 611

Offert *se ultro persecutoribus S. Maximus* 93 *f. Vide* Persecutio.

Oleo *abstinet S. Fulgentius* 34 *e utitur senior* 39 *e herbis* Oleo *conditis abstinet die Paschæ S. Palæmon* 676 *b* Olei *sextario integrum annum vescitur S. Macarius* 85 *f* Oleum *benedictione auget S. Tillo Paulus* D 380 *d non deficit S. Severino Norico pauperibus distribuenti* 493 *b* 738 *c* Oleum *S. Martini cum ampulla, absumpto flammis monasterio, illæsum* 53 *d* Oleo sacro *morbum inveteratum curat S. Melanius* 330 *a item Regem Venetensium* 332 *a ægros varios* 330 *b c paralyticum* 330 *b ægros Frodobertus* 507 *f paralyticam Macarius* 88 *a viscerum dolorem Clarus Viennensis* 36 *a mutum et surdum Salvius Ambianen.* 706 *e energumenos SS. Genovefa* 142 *d Macarius* 88 *a arcet noxia animantia S. Theodosius Cœnob.* 698 *c* Oleo *benedicto et scriptura sua sanat, etiam absentes, S. Eugendus* 52 *c* Oleo *benedicto et Crucis signo curatus cæcus, mutus, surdus, claudus a S. Genovefa* 142 *e* 147 *c* Oleo *benedicto cælitus repleri ampullam oratione impetrat S. Genovefa : eo energumenum et ægros sanat* 142 *f* 147 *d* Oleo *benedicto a S. Simeone Stylita morbi pelluntur* 282 *e* Oleum *salutiferum e lampade ad sepulchrum S. Genovefæ scaturit* 147 *e* Oleo lampadis *S. Severini Norici ægris sanitas confertur* 738 *d febris pellitur* 738 *f amentia* 739 *a, lampadis S. Genovefæ visus aliquot cæcis restitutus* 149 *d e lepra et febris sanata* 150 *b* Oleum *ad lampades et curandos morbos scaturit e puteo MM. Placentiæ : cessat ob avaritiam* 80 *e manat e sepulchro S. Tillonis Pauli* 380 *e in* Oleo *fervente illæsus S. Joannes Evang.* 469 *b* E

Olfactus *recuperatur ad sepulchrum S. Raimundi* 414 *f*

Operi *lectionem sacram interponit S. Tillo Paulus* 377 *d*

Opera *bona occultat S. Syncletica* 244 *c. Vide* Fuga, Labor, Latere.

Orationis *necessitas, dignitas, qualitas* 222 223 Oratione *dediti SS. Valentinus Passaviensis* 371 *c* 726 *d Odilo* 67 *b Lud. Blosius* 442 *e* 443 *a f* Orationis *et contemplationis gratia in B. Laurentio Justiniano* 554 *e* Oratio *S. Fulgentii cum resignatione* 42 *a* Orationibus *jaculatoriis assidue utitur Lud. Blosius* 443 *b* Oratio *consiliarius optimus in jure dicendo B. Laur. Justiniano* 557 *c* Orare *rudes docet loco psalterii S. Guilielmus Divionen.* 63 *b* Oraturus *deponit ad ostium curas S. Adelardus* 100 *f* 113 *f in* Oratione *adorans fronte digitos pedum attingit S. Simeon Stylita* 283 *b ad* Orationem *primus venit, ultimus discedit S. Eugendus* 51 *a* Orat *etiam in itinere S. Adelardus* 101 *a* 114 *a* Orationem *continuam suis commendat S. Severinus Noricus moribundus* 496 *b* Orat *dormiens S. Odilo* 67 *b* Orat *media nocte in templo cum lacrymis S. Adelardus* 109 *c* 117 *c* Orationis *caussa annis XXX continuis ecclesiam noctu adit S. Pharaildis, ideo sæpius* F *a viro verberata* 171 *c d* Orationi *assiduæ et nocturnæ incumbunt SS. Severinus Noricus* 495 *Oringa* 659 *f Gudila* 515 *e* 516 *a Frodobertus* 509 *a Raimundus* 413 *a* Orant *tota nocte prima conjugii SS. Julianus et Basilissa* 577 *d* Orat *tota aut media nocte vigil S. Palæmon* 675 *e* Orationem *nocturnam everso candelabro perturbat dæmon S. Frodoberto* 509 *a b in* Oratione *nocturna lumine cælesti splendet S. Filanus* 594 *c* Orantes *in fide S. Guilielmi Divionensis, exaudiuntur* 63 *b* Oratione *sanctificat locum condendi monasterii S. Cedda* 375 *c* Orationes *Corbeiensium implorat Flandriæ Comes* 122 *b* Orat *pro viri conversione S. Nonna* 23 *f pro peccatoribus et inimicis S. Adelardus* 104 *pro carnificibus S. Martina, et obtinet ut convertantur* 12 *e* Precari *pro Episcopo rogatus S. Maximus, se excusat* 93 *b* Orat *in tormentis S. Martina* 13 *d ante mortem* 17 *c d* Orans *morbo corripitur S. Bertilia, oratque assidue in morbo* 157 *b inter* Orandum *obit S. Nilammon, ad Episcopatum invitus illo die promovendus* 326 *f* Orari *pro se rogat moribundus S. Adelardus* 117 *e* Orationibus *suorum invitus retinetur in vita S. Eugendus* 54 *e* Orante *pro matre mortua S. Simeone Stylita, corpus illius movetur vultu subridente* 266 *a* Oratione *varia impetrant SS. nutantem*

A *tem in vocatione confirmat Laur. Justinianus* 535 *c tentationes diaboli superat Albertus Erem.* 402 *c technas diaboli dissipat Macarius Alexand.* 85 *c dæmoniacam sororem liberat Appolinaris V.* 260 *e sacrilegos detegit, Severinus Noricus* 489 *c periculum latronum a suis avertit idem* 495 *a ignem e cælo elicit Cuanus* 46 *a aquam Simeon Stylita* 267 *b* 271 *e fontem Theodosius Antioch* 678 *f Egwinus* 709 *b fluvium petra virga percussa Theodosius Antioch.* 678 *f Genovefa* 141 *f* 146 *e inundationis periculum Gertrudis ab Oosten* 452 *b* Orantes *noctu pro filio absente SS. Gregorius et Nonna, eum naufragii periculo liberant, visa Nonna nautæ in somnis navim ad terram trahere* 28 *c ventos pellit Albertus Erem.* 402 *f Clarus Viennensis* 55 *c locustas ex agris Theodosius Cœnobiar.* 698 *b erucas Severinus Noricus* 489 *d Simeon Stylita* 281 *e vineam grandine perditam restituit Clarus Viennen.* 56 *b lucernam accendit Gudila* 516 *c* 525 *a candelas solas bonorum accendit Severinus Noricus* 489 *c carbones Theodosius Cœnobiarcha* 689 *e incendium templi restinguit Marcianus* 613 *c idem mortuum suscitat* 613 *e,* Oratione *unius sancti rustici exaudita depellitur tempestas et terræmotus* 267 *f* 273 *c* 284 *d* Orationibus *monachorum intersunt et varie eos tentant dæmones* 88 *f* 89 *a,* Oratione, *dæmonis impetus frangitur* 452 *e* B Oratione *S. Severini Norici tres monachi superbi a dæmone corripiuntur* 494 *f* Oratione *monachorum liberatur energumenus* 95 *d* Orationi *et jejunio deditus S. Frodobertus* 506 *d* Oratione *et jejunio Dei voluntatem de conjugio VII diebus inquirit S. Julianus M.* 576 *b* 587 *c d* Oratione *et signo Crucis energumenos liberat S. Genovefa* 141 *a* 146 *a dæmoniacos liberat Severinus* 495 *a idola evertunt SS. Martina* 12 *a* 13 *b Titus* 164 *d idola Julianus M.* 580 *f et templum, idola, sacrificulos mille* 586 *b d vitreum vas confractum reddit integrum S. Odilo* 74 *b epistolam perditam B. Oringa recipit* 659 *b* Oratione *S. Severini et aliorum, concutiuntur timore barbari, ob terræmotum fugiunt, et mutuis gladiis concidunt* 486 *c captivos liberat B. Oringa* 653 *d e* 660 *b bellum avertit S. Simeon Stylita* 281 *f* Orationibus, *jejuniis, vigiliis Parisios ab hoste defendit S. Genovefa* 139 *b* 144 *b c d* Oratione *Remp. Venetam servat B. Laurent. Justinianus* 561 *a* Oratione *S. Severini Norici victoria obtinetur* 493 *a* Orante *populo pro Ep. ægrotante, hic convalescit miraculose* 27 *e amentiam tollit S. Frodobertus* 509 *d* Oratione *et jejunio inveteratum morbum sanat Severinus Noricus* 487 *f Severinus Noricus* 494 *d Gudila* 517 *f* 518 *a* 525 *f febres Raimundus* 419 *d Clarus Viennensis* 56 *a Albertus Erem.* 403 *e pestem Reinoldus* 386 *d* C Orans *assidue ad sepulchrum S. Adelardi sanatur contracta* 118 *d alia* 119 *a* Oratione *S. Gudilæ contractus, mutus, chiragricus sanatur* 517 *b d* 525 *d* Oratione *B. Alberti evomitur serpens* 403 *f S. Simeonis Stylitæ sterili proles impetratur* 267 *b* 272 *f* 279 *c uti et B. Alberti Erem.* 403 *c moribundum sanat S. Severinus Noricus* 494 *d S. Silvester Siculus* 124 *f mortuum suscitant SS. Cronanus* 49 *e Severinus Noricus* 490 *b* Orat *pro suis mortuus Episcopus sanctus* 22 *c* Intercedere *pro sacrilegis renuit Magnentius* 95 *e in* Oratione Dominica *recitanda consolatio B. Angelæ* 190 *a ea curat morbum inveteratum S. Melanius* 330 *a* Oratione Dominica *et salutatione Angelica ad honorem B. Laurentii Justiniani naufragii periculum depulsum* 564 *f* Oratione Dominica *et Angelica salutatione lecta ter, alias septies, gressus restitutus* 429 *a b* Oratio *S. Luciani Presb. qua milites XL, lapsos convertit, et ad martyrium subeundum animat* 360 *e f. Vide* Crucis signum, Paralysis, et singula miraculorum genera.

Ordo *S. Pauli I, Erem. in Hungaria* 607 *f* 608 *a e* Ordinis *Cisterciensis Abbas, dein Episcopus, S. Guilielmus Bituric.* 635 *b* 636 Ordinis Prædicat. *S. Raimundus de Pennaforti* 404 *S. Gonsalvus Amaranthus* 640 *Sancti plurimi* 404 *e præclari viri* 646 *d patrocinium B. Virginis* 645 *d* Ordini Redemptionis *captivorum regulam scribit S. Raimundus* 409 *c, de* Ordine *Palatii librum scripsit S. Adelardus* 108 *b d. Vide* Abbas, Congregatio, Generalis, Monachus, Religiosus. D

Ordinationum *liber a S. Adelardo scriptus* 116 *d*

Ordinationi *illegitimæ opponunt se Episcopi* 721 *d*

Ornatum *inanem repudiat mater S. Gregorii Theologi* 23 *b dissuadet S. Genovefæ S. Germanus, inimicum gratiæ* 138 *d* 143 *e* Ornatæ *auro et gemmis reliquiæ SS. a Carolo IV, Imp.* 720 *b*

In Os *S. Carterii instillatur plumbum liquatum* 472 *e* Ore *frenatus circumductus per plateas S. Julianus M. ab Angelis coronatur* 581 *b*

Osculo *se salutant SS. Antonius et Paulus* 606 *b* Osculantur *SS. leprosum Odilo* 68 *d suos moribundus Severinus Noricus* 496 *c Maximus* 94 *d vestigia abeuntis Adelardi cum lacrymis Herienses monachi* 104 *e caput Genovefæ virgunculæ Germanus Ep.* 138 *b in* Osculo *fratris in balneo suffocati obit alter Nicomediensis puer* 360 *d* Osculo *sepulchri S. Rigoberti sanatur dentium dolor* 179 *d*

Ad Oscitandum *orantes monachos excitant dæmones* 89 *a*

Ostium, *vide* Janua.

Ovis *loquitur et fluvium mirabiliter transit* 501 *f* E Oves *pascant pueri SS. Simeon Stylita* 264 *d* 269 *a* 275 *a Cronanus* 475 *f* Ovibus *similes, qui suas opes, ut illæ vellera, aliis impendunt* 104 *b*

P

Pallii *S. Raimundi attactu morbi sanantur* 412 *b*

Pallio *pro navi usus mare trajicit S. Raimundus* 411 *f*

Pallio *suo, nec madefacto, ultra flumen transvehit quosdam S. Cuanus* 46 *f*

Palmæ *rami a S. Macario expetiti torrefiunt* 85 *b*

Palmis *victitat S. Apollinaris V.* 259 *f*

Palpebræ, *vide* Oculus.

Palpitatio *cordis sanata ope S. Raimundi* 428 *b*

Inter Palos *quatuor, vel columnas tensus cæditur fustibus S. Theogenes* 134 *b e*

Panis Propheticus *appellatus ab Henrico Ep. Remen. insipidus* 184 *a* Panis *et aqua, cibus Apostolicus* 184 *d pane et aqua, victitant SS. Palæmon* 675 *e post jejunium bidui aut tridui, Gregorius Acritensis* 290 *a* Panis *et sal post triduum aut quatriduum cibus delicatior S. Tilloni Paulo* 378 *c* Pane *hordeaceo vescitur B. Albertus Erem.* 402 *d hordeaceo cinere misto, et aqua Gerlacus* 308 *c* 310 *f* 320 *e,* Pane *hordeaceo et* F *faba Genovefa* 139 *d* 144 *e, mucido et indurato Gertrudis ab Oosten* 330 *b* Pane *XXX annis abstinuit S. Theodosius Cœnob.* 687 *d* Panem *secum in itinere numquam defert B. Rogerius Ab.* 184 *e,* Panis *cruce insignitis Canonicis dari solitus festo S. Genovefæ* 138 *d* Panem *medium fert corvus S. Paulo soli, integrum ei et S. Antonio* 606 *c* Panem *ab Angelo quotidie accipit S. Phosterius, plures pro numero hospitum* 287 *a* Panes *ad sacrificium, aliaque alimenta insperato afferuntur S. Theodosio Cœnob.* 638 *c d eidem* Panes *divinitus multiplicantur pauperes alenti* 690 *f* 691 *a* Panes *duos fraterni amoris tesseram donat ter in anno fratribus B. Laurent. Justinianus* 556 *e* Panes *candidos maledictione nigerrimos reddit, ut excommunicationis vim ostendat B. Gonsalvus Amaranthus* 647 *e* Panes *in lapides versi* 172 *e miraculus deinde illustrati, meritis S. Pharaildis* 173. *Vide* Cibus, Jejunium.

Papæ *SS. Hyginus* 665 *Agatho* 623 *Telesphorus* 236 *Anteros* 127 Pontificibus *Summis grati SS. Odilo* 67 *d Guilielmus Divion.* 62 *f* Papam *de simonia absque offensa monet S. Guilielmus Divionensis* 62 *f*

Paralysi *laborat S. Genovæfa adolescentula* 138 *f* 144 *a* Paralys *in tres annos patienter fert B. Oringa* 653 *f* 660 *c* Paralyticos *sanant SS. Salvius Ambianen.* 706 *d*

Genofeva

A *Genovefa* 140 *d* 145 *d crucis signo et oratione Genovefa* 141 *d* 146 *d Judæum baptizando Atticus* 477 *e f precibus et benedictione Tillo Paulus* 380 *b oleo sacro Melanius* 330 *c oleo ungens Macarius* 88 *a* Paralyticum *sanat, et lectulum humeris ferre jubet S. Simeon Stylita* 278 *f* Paralysi *VI annos vexata S. Thecla, sanatur a SS. Alphio, Philadelpho, Cyrino* 601 Paralysi *liberatur scriptor vitæ S. Erardi ejus meritis* 544 *e alii SS. Jacobi* 159 *c Consalvi Amaranthi* 650 *e Gudilæ* 523 *a invocato S. Raimundo* 421 *f* 424 *f* 425 *a b* 427 *b ad feretrum S. Clari Viennensis* 56 *f ad reliquias S. Genovefæ* 130 *a ad sepulchrum B. Oringæ* 661 *f peregrinatione ad S. Erminoldum* 345 *a ponderata ad ejus sepulchrum* 344 *d*

Pardus *sparso pulvere et aqua jussu S. Simeonis Stylitæ interit* 272 *a*

Parentes *et liberi sancti: Vincentius Madelgarius et Waldetrudis, Landericus, Dentlinus, Aldetrudis, Madelberta* 514 *e* 515 *d Gregorius Nazianzenus et Nonna, Gregorius Theologus etc.* 21 *c* Parentes *et filiæ MM. Flavianus et Dafrosa, Bibiana et Demetria* 166 Parentum *et propinquorum periculosa familiaritas* 98 *d. Vide* Pater, Mater.

Parochi *Martyres Aldenardæ* 93 *e*

B Parturientes *adjutæ invocato S. Raimundo* 414 *b* 425 *f* 426 *a* 427 *e*

Parsimonia *in re domestica, vectigal monasterio* 446 *e*

Paschæ *festum* 27 *c de* Paschæ *celebratione quæstio* 20 *d*

Passionis *Christi festum* 81 *c* Passionis *Christi dolor cur acutissimus, septem de ea revelationes factæ B. Angelæ* 200 201 202 203 Passioni *Christi meditandæ addicta B. Oringa* 651 *e* Passionis *Christi memoria solatur se inhospitaliter acceptus B. Rogerius Ab.* 185 *a. Vide* Christus.

Pater *et filius sancti Gordianus et Concordius* 9 *b Gregorius Lingon. Tetricus, Eustadius* 168 *e Honulphus et Honobertus* 288. *Vide* Parentes.

Patibulis *et capite inverso affixi Martyres Ægyptii* 241 *b*

Patienter *fert jacturam bonorum S. Canutus Lawardus* 394 *a persecutiones a Rege, principibus et Clericis S. Guilielmus Bituric.* 632 *b c* Patientia *sua matrem S. Fulgentii conviciantem lenit Faustus Ep.* 34 *d* Patientia *SS. Eugendi monasterio igne assumpto* 53 *c Rogerii Ab. in morbis* 184 *f in fame et frigore* 185 *a Munni in lepra diuturna Angelico solatio recreata* 46 *c* Patientiam *sibi hic dari postea indulgentiam, precatur S. Fulgentius æger* 44 *d* Patientia *mira permittit se*

C *a culicibus exedi S. Appollinaris V.* 260 *b* Patientiæ *perditur merces, si injuriæ auctor punitur* 36 *d* Patientia *fructus Evangelicus* 469 *f* Patientia *adversorum probari S. Adelardi virtus debuit* 101 *c d*

Patriam *suam amant SS.* 131 *b in* Patria *sua vi divina detenta monasterium extruit B. Oringa* 652 *f* 657 *b* Patriam *deserit B. Rogerius* 182 *e in* Patriam *redire cogitur S. Adelardus* 98 *d* 113 *a*

Patriarchæ *SS. Constantinopolitani Atticus* 473 *Cyrus* 531 *Venetus Laurentius Justinianus* 549 *Aquileiensis Paulinus* 713

Patronus *Meleduni S. Aspasius* 90 Patronum *e pluribus SS. legendi ritus cereis variis accensis* 179 *b. Vide* morbos singulos, quibus sui Patroni apponuntur.

Paupertas *vera in humilitate sita* 211 *b mater virtutum* 211 *c* 216 *d* Paupertatis *Christi tres gradus* 214 *e f* 215 216 Paupertatis *voluntariæ bona* 246 247 *ob* Paupertatem *beati judicantur monachi* 85 *d* Paupertas *B. Rogerii in vestitu* 184 *e* Paupertatis *studio nullos sumptus navigationis secum fert S. Fulgentius* 36 *e* Pauperitatis *studio, numquam donari sibi quantum quis vellet, passus est S. Adelardus* 107 *b* Paupertatem *vehementer suis inculcat S. Adelardus* 107 *f* 117 *b* Paupertas *ambitiosa inter potentes propinquos* 98 *d quæ vera* 98 *e* Pauperibus *datæ opes, in tuto locatæ* 23 *b* Pauperes *Christi, magna familia B. Lauren. Justiniani* 556 *b* Pauperum *azylum Lætiense monasterium* 430 *f in* pauperes *liberales SS. Gregorius Theologi pater* 25 *d Odilo* 67 68 *a b c* 72 *a b Fulgentius, ipse pauper et peregrinus* 37 *b S. Melanii consilio Clodoveus Magnus* 329 *a* Pauperum *Pater ob liberalitatem Ludov. Blosius* 450 *a* Pauperum *nomina memoriter tenet S. Fulgentius, moriturus iis sua distribuit* 44 *e* Pauperi *petenti eleemosynam pallium dat B. Albertus Erem.* 404 *d* Pauperibus *dat omne peculium et vestem propriam B. Oringa* 633 *c* 659 *f* Pauperibus *bona sua omnia distribuunt SS. Severinus et Victorinus* 500 *b* 740 *e, duodennis S. Lucianus presb.* 359 *c qui dein iis victum scribendo suppeditat* 359 *e* Pauperes *Christi sibi hæredes deligit S. Rigobertus* 175 Pauperes *omnes famis tempore alit S. Theodosius Cœnob.* 690 *d* Pauperibus *centum mensas uno die parat S. Theodosius Cœnob.* 690 *c* Pauperes *innumeros alunt SS. Petrus Sebastenus et Macrina soror* 588 *f* Pauperibus *omnia elargitus, moriens ne vel librum possedit B. Laurentius Justinianus* 561 *f* Pauperibus *omni vino distributo, divinitus utres replentur S. Odiloni* 74 *a*, Pau- E peribus *distribuendum oleum non deficit S. Severino Norico* 493 *b c* Pauperibus *omnia tempore famis elargitus, invocato S. Georgio, insperato juvatur S. Erminoldus* 340 *b in* Pauperes *caritate, convertit injustum argentarium S. Marcianus* 616 *b* Pauperem *ægrum humeris ad templum defert et sanitati restituit S. Eduardus Conf.* 293 *b* Pauperum *sepulturam curat et prosequitur S. Guilielmus Bituric.* 631 *b* Pauperibus *die Cœnæ Domini erogari soliti quingenti modii tritici in monasterio S. Theodosii* 679 *quo ob avaritiam non facto,* 5000 *modii subito corrupti* 679 *f* Pauperi *negata esculenta, in lapides versa* 172 *e* Paupertate *divinitus punitur ambitionis alienæ fautor* 39 *c* Pauperibus *ne noceat, hyænæ imperat S. Macarius* 88 *c. Vide* Eleemosyna, Hospitalitas.

Pax *violata, caussa divinæ vindictæ* 119 *b* Pace *regnant peccata, hinc novæ calamitates* 151 *c* Pacem *in electione Abbatis suis suadet S. Adelardus* 117 *c pacis studiosus S. Canutus Lawardus* 398 *a pacem hosti offert* 394 *e f de* Pace *servanda pactum quotannis renovandum* 119 *c* 120 *d ad* Pacificandos *discordes annuus conventus Corbeiensium et Ambianensium cum reliquiis SS.* 120 *d* Pacat *Italiam S. Adelardus* 113 *b* Pacem *inter Catholicos sancit S. Gregorius Theologi* D *pater* 25 *c* Pax *sancita allatis SS. reliquiis* 119 *c* Pa- F cem *inter dissidentes studiose componit S. Adelardus* 101 *b* 114 *a. Vide* Bellum, Reconciliari.

Peccata *magna evitare secularis est, parva servi Dei ne caritas refrigescat,* B. Laurentius Justinianus 560 *a* Peccata *occulta aperit S. Genovefa* 141 *b* 146 *a inter concionandum B. Vitalis Saviniacensis* 390 *b* Peccata *aliena benigne excusat S. Guilielmus Bituric.* 637 *d* Peccato *alieno ne consentiat, fit monachus Adelardus* 97 *c* 112 *b* Peccata *et impietatem ne videat, fugit in solitudinem S. Gordius Comes* 130 *b* 131 *d ob* Peccata *sua et aliena bis quotidie lacrymatur S. Adelardus* 100 *b c* Peccata *sibi remissa divinitus intelligit Gertrudis ab Oosten* 350 *a* Peccatoris *dona respuit S. Cuanus* 43 *c. Vide* Confessio.

Pecora *pascunt SS. Gerlacus septem annis Hierosolymis* 307 *c* 320 *d Gregorius Acritensis* 289 *c* Pecora *a peste et morbis præservantur voto facto S. Gerlaco* 318 *b e. Vide* Ovis.

Pecuniam *contemnit, pauperibus donat B. Laur. Justinianus* 556 *d* Pecuniæ *suæ furi suadet fugam S. Eduardus Conf.* 294 *e* Pecuniam *abjectam non vident barbari* 35 *e reperiunt S. Fulgentius et Felix* 36 *e* Pecunia *data dissidentes reconciliat S. Crispinus I, Ticinensis* 356 *b* Pecunia *S. Petri ex Anglia Romam mitti*

A *mitti solita* 297 *c* Pecuniam *ab excommunicatis nec sibi nec pauperibus accipit S. Guilielmus Bituric.* 631 *e*
Pellem *ovis affert ad Macarium hyæna, is eam Melaniæ donat* 88 *c d*
Percussor *S. Bladulphi arripitur a dæmone; liberatus paulo post moritur* 93 *a d* Percutiens *fustibus S. Julianum M. oculo privatur, crucis signo eum recipit* 580 *d* 581 *a* 587 *f* Percutere *volens S. Maximum, punitur cæcitate et manus arefactione* 93 *e*
Perdices *festo die non audita Missa, captæ, redivivæ aucupem excæcant* 80 *f*
Peregrinatio *ad sacellum S. Pharaildis in Brabantia* 170 *b* 172 *d ad templum S. Silvestri Siculi* 125 *a* Peregrinandi *Romam, et Turones, antiqua consuetudo* 91 *b* Peregrinatio *anniversaria imposita accipientibus reliquias* 173 *c* Peregrinatio *ad reliquias cum candelis ardentibus* 5 *e* Peregrinatur *ad Sanctorum loca et festivitates S. Frodobertus* 308 *f ad corpus S. Agathæ S. Silvester Trainensis* 124 *c et Romam* 124 *f Pega* 532 *f Odilo* 70 *e* 76 *e bis Egwinus* 711 *c d Romam et Hierosolymam Gerlacus* 307 *b c* 320 *d Hierosolymam ex Lusitania Gonsalvus Amaranthus* 643 *isthic manet XIV annis* 644 *c Hierosolymam et Alexandriam Apollinaris V.* 259 *a c* Peregrinari *Romam, si Rex fiat, vovet S. Eduardus Conf.* 294 *b ire cupit* 295 *e votum*
B *relaxat Papa* 296 *b approbat S. Petrus apparens* 296 *e* Peregrinatur *in Gallæciam ad S. Jacobum Flandriæ Comes* 159 *f singulis sabbatis ad ecclesiam Aquensem Mariæ V. S. Gerlacus* 308 *f* 320 *f* Peregrinationes *sacræ variæ B. Alberti Erem. Romam, Garganum, Venetias, Hierosolymam, Compostellam* 402 *b* Peregrinatione *cœpta ad sepulchrum S. Erminoldi sanatur facie deformatus* 344 *e paralyticus* 345 *a in* Peregrini *habitu apparenti S. Joanni Evang. S. Eduardus Conf. annulum dat* 300 *c* Peregrinantis *habitu apparet S. Danieli Stylitæ S. Simeon Stylita* 282 *d. Vide* Iter.
Periculorum *fuga castitatis adjumentum* 449 *c* Periculum *suorum inter barbaros divinitus cognitum propulsat S. Severinus Noricus* 495 *a*
Perjuri *in S. Melanium varie puniti et detecti* 333 *e* Pejerans *per S. Pharaildem, punitur* 173 *a* Pejerans *ad reliquias S. Egwini subitomoritur* 710 *f alius barbam amittit* 711 *a* Perjurus *buccella, ut jurarat, fauces præcludente obit assidens mensæ S. Eduardi R.* 298 *e* Pejurii *ridicula elusio occisorum S. Canuti Lawardi* 399 *b*
Persecutionis *descriptio* 131 *c d* Persecutio *fraudulenta Juliani Apostatæ* 28 *d* Persecutioni *Diocletiani eripiuntur morientes S. Basilissa et Virgines mille*
C 378 *f* Persecutionibus *se ultro offert S. Carterius* 472 *b* Persecutiones *a Rege, Principibus, et Clericis patientier fert S. Guilielmus Bituric.* 632 *b c* Persequens *monachos Episcopus misere perit* 62 *c S. Guilielmum Divionensem Leo Ep. Vercellensis, æternum damnatur* 62 *d*
Pedes *pauperum fœminarum lavat, B. Angela* 208 *b* pedes *lavans, contractum sanat S. Melanius* 330 *c* Pedes *Papæ osculatur Justinianus Rhinetmetus Imp.* 531 *e* Pedibus *nudis hieme incedit B. Oringa* 651 *c* Pedum *plantis nudis S. Gudila* 516 *e* 525 *b* Pedes *a calore fumant, per nives eunti S. Gerlaco* 311 *e* Pedibus *vinculis astrictis Romam proficiscitur S. Egwinus* 708 *a* Pes *ulcere læsus S. Gerlaco* 307 *d* 312 *e* Pedum *digiti oleo tincti SS. Juliani et sociorum ab igne non læduntur* 586 *e* 588 *b* Pedes *S. Carterii subulis ardentibus perforantur* 472 *e* Pede *uno sursum et capite deorsum suspensæ fœminæ nudæ MM. in Thebaide* 241 *b* Pes *S. Meloro præcisus patrui jussu factus alius æreus* 135 *c* Pedibus, *manibus, naribus a Danis et Succis truncati Nobiles Saxones* 181 *c Ad* Pedes *S. Frontonis capita sua deponunt SS. Silanus et socii* 79 *f* Pedes *distorti, sanati ope S. Erminoldi* 345 *d* 346 *a b* Pedis *dolor, apposita Cruce S. Gerlaci* 317 *c* Pedis *ulcus, invocato S. Gerlaco* 320 *b* Pedis *vulnus sanat B. Oringa* 653 *f* D
660 *b*
Peste *moriuntur SS. Cedda et XXIX monachi ad ejus sepulchrum* 375 *d e* Pestis *tempore jejunia, et supplicationes cum reliquiis SS.* 151 *e. Vide* Episcopus. Pestem *precibus sedat S. Reinoldus* 386 *c* Pestis *restincta, imagine Silvestri in supplicatione circumlata* 125 *d invocato S. Raimundo* 414 *d ob* Pestem *sedatam Protector Panormitanus electus B. Laurentius Justinianus* 551 *b, a* Peste *præservantur pecora voto S. Gerlaco facto* 318 *b d*
Petentibus *quo egebant monachis, negabat S. Fulgentius* 42 *d*
Petulantia *puerilis claudicatione punita* 178 *e*
Phlegmata *e leprosi naribus ore suo exsugit S. Cuanus, quæ in aurum mutata* 46 *d*
Pictor *Zeuxis quale pulchritudinis prototypon secutus* 99 *e* Pictorum *academia Romæ* 18 *b*
Pietas *et in Divinis assiduitas SS. Adelardi* 114 *f Guilielmi Bituric.* 631 *c Gudilæ puellæ* 515 *b c* 524 *d f matrisfamilias S. Nonnæ* 23 Pietas *populi miraculis excitatur* 121 *a* Pietate *animi erga Deum, carnis voluptates moriuntur* 449 *f. Vide* Oratio.
Pileolo *S. Raimundi admoto faciei, maculæ tolluntur* 427 *f*
Piscis *in fonte inventus, ut eo reficeretur B. Roge-* E
rius et socii 184 *d* Pisces *signo Crucis attrahit in cibum opificum B. Gonsalvus Amaranthus* 647 *b* Pisces *multiplicantur fiducia S. Odilonis* 73 *d* Piscibus *onustus carrus, alius caseis, divinitus missus S. Adelardo, omnia suorum cibaria pauperibus elargito* 113 *d* Piscem *oblatum non vult solus comedere B. Rogerius* 183 *b* Piscatori *ejusque posteris felicem piscationem indulget S. Petrus, sed ne Dominicis piscentur* 296 *f* Piscatores *meritis S. Cronani præda grandi potiuntur* 49 *a* Piscis *e fluvio Anglicano clavem Romam defert S. Eguino* 708 *b* Piscatur *in aere dæmon* 92 *a*
A Pice, *Sulphure et bitumine liquatis illæsi SS. Julianus et XXX socii* 584 *a* 588 *a*
Per Plateas *vinculis onustus, ore frænatus circumductus S. Julianus, ab Angelis comitantibus visus coronari* 581 *b*
Pleuritis *sanatur ope S. Gudilæ* 523 *a*
In Plumbum *liquatum demissus, et illæsus, S. Zosimus Erem.* 128 *d instillatur in os S. Carterii* 472 *e*
Pluviam *impetrat precibus S. Leucius* 668 *c* 672 *d* Pluvia *subita restinguitur ignis, in quem conjecta S. Martina V.* 17 *a* Pluviam *a suis messoribus oratione populsat S. Genovefa* 142 *f* 147 *c, a* Pluvia *illæsus liber S. Odilonis* 73 *e. Vide* Aqua.
Podagra *laborat S. Marcellinus Anconitanus* 590 *a* F
corripitur conatus transfigere S. Simeonem Stylitam 268 *a* 273 *d*
Pœnis *alienis non lætandum* 250 *f*
Pœnitentia *publica famis tempore* 119 *b S. Tillonis Pauli ob peccata* 377 *f monachis assumenda* 444 *f* Pœnitentiam *triennio agit arbori fissæ manibus pedibusque insertus S. Victorinus* 742 *b c f* Pœnitentiam *accipit a Papa inserviendi septem annis in hospitali Hierosolymæ S. Gerlacus* 307 *c* 320 *d* Pœnitentia *se magis affligit S. Melanius Episcopus ob curam aliorum suæ junctam* 328 *e* Pœnitentiæ *moderationem suadentibus cedit tantisper S. Adelardus* 116 *b* Pœnitentia *et secessu parat se ad mortem S. Fulgentius* 44 *c* Pœnitentia *in morte, latronis ad columnam S. Simeonis Stylitæ* 266 *e f* 272 *d e* 280 281 Pœnitentiarius *Papæ S. Raimundus* 410 *b. Vide* Confessio, Cilicium, Jejunium, Panis.
Poesin *Anglos docet S. Adrianus Ab.* 595 *b* Poetria *excellens Eudocia uxor Theodosii Junioris* 481 *c*
Pomis *plurimum victitat S. Tillo Paulus* 378 *c*
Pondus *chartullæ divinitus augetur ad majorem eleemosynam ponderi æqualem promissam B. Gonsalvo Amarantho* 646 *f* Pondus *puerorum aut hominum ap-*
111a *pensorum*

A *pensorum æquatur tritico aliave re Sanctis offerenda, ut ægris subveniatur* 343 *b c f* 344 *d* 346 *d e* Pondere *columnæ ventri impositæ torquetur frustra S. Theopompus Ep.* 724 *f*

Pons *supra Tamacum fluvium a B. Gonsalvo Amarantho constructus* 646 *CL annis miraculose servatur* 648 *f*

Portæ *ultro aperiuntur S. Genovefæ* 140 *e* 145 *d supra* Portam *urbis habitat S. Rigobertus Ep.* 176 *f. Vide* Janua.

Potum *operis templum struentibus orationibus impetrat S. Genovefa, vas Cruce signans; qui nisi perfecto opere non deficit* 140 *b* 145 *a in* Potando *æquales haustus odit Ludov. Blosius* 449 *c* Bibit *venenum innoxie S. Theopemptus* 127 *c* 724 *e*

Prædestinatio *ad gloriam obtinetur labore et precibus.* S. Gregorius Magnus 702 *a* Electionis *divinæ signa* 201 *f* 202 *a*

Prædicunt *futura SS. Eugendus* 53 *e Oringa* 653 *b c sanctitatem Genovefæ Germanus Ep. et multos per eam convertendos* 138 *b statum Ecclesiasticum alteri Laurent. Justinianus* 535 *d cœnobii præfecturam S. Theodosio Cœnobiarchæ S. Simeon Stylita* 282 *b episcopatum Paulino Severinus Noricus* 491 *f Gregorio Theologi patri, qui eum baptizabat* 24 *d regnum Italiæ Odoacri juveni S. Severinus Noricus* 488 *a et regni annos jam*
B *regnanti* 494 *c imperii recuperationem Justiniano Rhinotmeto S. Cyrus* 531 *b absens prælii et victoriæ tempus Gertrudis ab Oosten* 452 *d cladem Licinii, et Tribuni pœnam S. Theogenes* 135 *a urbis Asturis excidium, Commagenis conservationem Severinus Noricus* 486 *b c idem vastitatem Norici* 495 *d devastationem sub septimo post venturo Episcopo S. Clarus Viennensis* 56 *d reditum suum ab exilio et pacem Ecclesiæ S. Fulgentius* 41 *f morbos eorumque remedium S. Severinus Noricus* 495 *sanitatem variis ægris jam depositis B. Laurentius Justinianus* 559 *a b alteri obitum, alteri sanitatem B. Laur. Justinianus moribundus* 562 *e cædem nefarium Regi S. Cedda Ep.* 374 *e cædem cujusdam Gertrudis ab Oosten* 352 *d mortem suam S. Adelardus* 109 *f* 117 *e Alexandri Imp. S. Martina* 17 *a. Vide* Propheta.

Prædonum *manibus ab Angelo eripitur B. Oringa* 655 *e*

Præmia *mercamur tormentis* 132 *c*

In Prato *cruciati SS. Frontasius et socii* 79 *e*

Præsumptionis *vitium et remedia* 248 *e f* 249

Presbyteri Sancti *Severinus* 483 *Marcianus* 609 *Alexandrinus* 85 Presbyteri MM. *SS. Concordius* 9 *Priscus* 165 *Lucianus* 357 *Carterius* 472 *Antonius* 570. *Vide* Missa, Sacerdos.

Principum *liberalitas in pios monachos* 117 *a*

C Prioratus *tollit ob pericula varia Ludov. Blosius* 449 *e*

Proditus *ab hæretico comprehenditur S. Lucianus Presb.* 360 *a. Vide* Captivi.

Procurator *factus S. Fulgentius, inde mundi fastidium haurit* 33 *c*

Profectus spiritualis, *lætitiæ causa Præsidibus* 108 *a* 117 *b* Perfectio *monastica non est sita in austeritate* 440 *f* Proficit *semper in virtute S. Nonna* 23 *e*

Prolem *mulieri infœcundæ impetrat B. Oringa* 660 *e oratione S. Simeon Stylita* 267 *b* 272 *f* 279 *e* 282 *e Albertus Erem.* 403 *c. Vide* Infans, Nasci.

Prophetæ *deducunt animam S. Pauli Erem. in cælum* 606 *c* Prophetiæ *spiritu claret SS. Severinus Noricus* 488 *e Laurentius Justinianus* 555 *d e. Vide* Prædicere.

Proprietas *noxia monacho, nec permittenda* 42 *c d prohibita in cœnobio S. Eugendi* 54 *b*

Prudentia *S. Adelardi* 99 *a Theodosii Cœnobiarchæ in instituendis suis* 692 *d Canuti Lawardi in pace ineunda* 395 *a*

Protectio *Dei promittitur S. Salvio ad vitam redeunti* 705 *e*

Supra Prunas *volutatur S. Macra V.* 326 *a. Vide* D Carbones.

Psalm. Hymnodia *septies in die tribus distinctis linguis offertur in monasterio S. Theodosii Cœnob.* 692 *a* Psallendi *suaviter et apte pronuntiandi curam inculcat Clericis S. Fulgentius* 48 Psalterium *noctu in aqua stans recitat S. Gregorius Acritensis* 290 *a* Psallentibus *monachis* Laudate Dominum in Sanctis ejus *obit S. Severinus Noricus* 496 *c* Psalterio *integro dicto post verba* Omnis spiritus laudet Dominum, *moritur S. Clarus Viennen.* 56 *f* Psalmi *in depositione a columna corporis S. Simeonis Stylitæ* 268 *c et exequiarum pompa* 268 *e* 274 *c ad* Psallendum *linguæ abscissæ usum recipit S. Leodegarius* 593 *b* Psallit *Maria V. apparens cum II virginibus* 708 *e horas Canonicas Martyres* 579 *e* Psallit *quadraginta dies cum reliquis mortuus Basilius visus a S. Theodosio Cœnob.* 665 *e. Vide* Divinum officium, Horæ Canonicæ, Matutinum.

Pudicitiam *B. Oringæ ope diabolica expugnare conatus, a dæmone arripitur* 656 *c e. Vide* Castitas.

Pudet *quosdam fecisse, et pudet retractare* 103 *a* 114 *e*

Puella *S. Gudila eruditur a S. Gertrude* 515 *b* 524 *d*

Pueritia *sancta SS. Frodoberti* 506 *b Odilonis* 66 *b Gudilæ* 515 *b c* 524 *d* Puer *ad monasterium ducitur a*
E *S. Congallo S. Cronanus* 47 *f S. Guilielmus Divionensis devovetur Deo a parentibus* 55 *f* Pueri *idolothyta respuentes, fortiter tormenta et mortem ferunt* 360 *b c d* Puer *S. Celsus constanter parentum affectum morti postponit* 582 *a* 583 *f septennis S. Maximus fugit Cadurcum ut litteras doceatur* 91 *d* Puer *Martyr S. Melorus* 13 *b* Puer *toto corpore languens a Deipara V. subito sanatur S. Odilo* 66 *f* 70 *a* 71 *d* Puer *e Saxonia adductus, occasionem dat monachismi in Saxoniam deducendi* 116 *e* Pueri *ægri sanantur ope S. Erminoldi* 343 *a* Pueri *super tumulos positi in funere* 96 *d*

Pugno *aureo frangitur murus animi* 99 *d ad* Pugnandum *fortiter contra Persas hortatur milites S. Domitianus Melitenæus* 621 *c d in* Prælio *Ducem suo cilicio indutem dirigit S. Theodosius Cœnob. apparens* 698 *f in* Prælio *industria militis servatur S. Canutus Lawardus* 394 *a in* Prælio *occiditur Rex, ab Episcopis monitus, contemnens festum Pentecostes* 394 *b*

Pulchritudo *animæ præferenda corporeæ* 23 *b* Pulchritudinem *ex variarum forma exprimit Zeuxis pictor* 99 *e* Forma *egregia SS. Adelardi* 98 *f Martiniani Ep. Mediolan.* 90 *a*

Pulmonum *tabe laborat S. Syncletica* 255 *f* 256 *d*

Pulvis *sepulchri S. Gerlaci in sanguinem versus* 317 *e eo dolor dentium curatur* 317 *f* Pulvere *sepulchri*
F *S. Rigoberti sanantur febres* 178 *f S. Gerlaci* 317 *d. Vide* Reliquiæ, Sepulchrum.

Purgatura *se a criminibus objectis ignitos vomeres illæsa transit Emma mater S. Eduardi Conf.* 292 *d e f*

In Purgatorio *animæ a dæmonibus vexantur* 74 *d his frementibus liberantur precibus, et instituta commemoratione a S. Odilone* 74 *c d e. e* Purgatorio *anima Benedicti VIII, Papæ liberatur precibus, sacrificiis, et eleemosynis S. Odilonis* 74 *f* 75 *a b*

Puritatis *animi studium in S. Guilielmo Bituric.* 630 *a* 636 *c*

Purpura *tyranni adusta orante S. Martina* 13 *b*

Pusillanimitatis *et inconstantiæ remedium, cogitare se custodire parietes ita* S. Macarius Palladio 88 *d*

Pustulam *e cujusdam corpore in suum tintinnabulum transfert S. Cronanus* 49 *d*

Puteus *Martyrum Placentiæ* 80 *e in* Puteo *sicco habitat S. Simeon Stylites* 265 *d* 270 *a* 275 *e* Puteum *monachis fodit S. Macarius Alexandr.* 87 *a, manibus suis S. Erardus* 543 *b* Puteus *aqua repletur submissa imagine S. Theodosii Antioch.* 679 *e in* Puteum *profundum S. Erardi lapsi tres illæsi* 539 *b*

A

Q

Quadragesimo *die post continuum jejunium comedit S. Simeon Stylita* 276 *a b c* Quadragesimale *jejunium lege sancit S. Telesphorus* 238 *f arctissimum S. Frodoberti* 307 *e* Quadragesima *tota in cella moratur S. Genevefa* 141 *c in tenebris sedet S. Macarius* 88 *a inclusus monasterio id peragit S. Wulsimus Episcopus* 547 *d coctis abstinent Tabennenses* 85 *e, diverso jejunii modo* 87 *b laborant assidue, et cum iis Macarius stans* 87 *b æger carnibus vesci recusat B. Laurentius Justinianus* 554 *a semel in hebdomade tantum comedit S. Severinus Noricus* 595 *e bis tantum in hebdomade S. Lucianus Bellovac.* 467 *a. Vide* Cibus, Jejunium, Panis.

Quæstiones *sibi a monachis quibusvis proponi sinit S. Fulgentius : delectatur difficillimis* 42 *e* Quæstiones *a Trasamundo R. propositas idem sapienter solvit* 41 *b etiam obiter lectus* 41 *d*

R

Cum Ramis *arborum occurritur redeunti Episcopo S. Kentigernus* 43 *d*

Raptus *sui signa diu retinet B. Oringa* 632 *e* Extasis *B. Angelæ in Deum* 199 *b* 211 *e f nocte Nativitatis, B. Laurentii Justiniani* 554 *e frequenter patitur Gertrudis ab Oosten* 350 *b triduo B. Angela* 206 *a, multis diebus B. Oringa* 653 *b in extasi obiisse creditus, sepeliendus redit ad vitam S. Salvius Ambianensis* 705 *c*

Rationis *usus redditus, vide* Amentia.

Reconciliat *dissidentes S. Fulgentius* 44 *a, solo aspectu S. Simeon Stylita* 277 *a etiam pecunia illis oblata S. Crispinus I, Ticinensis* 356 *b* Reconciliantur *multi in morte B. Oringæ* 654 *b* 662 *a*

Reclusus *in cella S. Tillo Paulus* 380 *a Nilammon* 326 *quatuor annis Simeon Stylites* 265 *e* 275 *f diu S. Gregorius Acritensis* 290 *a, XVII annis S. Hiltrudis* 434 *c. Vide* Eremita, Monachus.

Reformat *monasterium Lætiense magna molestia Ludov. Blosius* 436 437 438 439

Regulam *sui Ordinis ab Angelo accipit S. Pachomius* 677 *eamque valde moderatam* 441 *c* Regulæ *S. Benedicti rigorem temperat Ludov. Blosius* 439 *b* 440 *d* Regulam *Canonicam persuadet Canonicis Remensibus S. Rigobertus* 174 *c f* Regulæ *Ordinis observantissimus S. Raimundus* 409 *f* 410 *a*

Religio, *vivarium commune voluntarium* 254 *d* Religiosæ *vocationis beneficia* 445 *b* Religiosæ *vitæ felicitas* 560 *e In* Religionem *petit admitti, et agre id obtinet S. Fulgentius* 34 *b idem ad* Religionem *multos inducit* 37 *f* 40 *e a* Religionis *ingressu quod alium revocasset, ipse ingreditur S. Raimundus* 406 *a in Vocatione* Religiosa *nutantes confirmat B. Lauren. Justinianus oratione, et sicca lauru revirescente* 555 *c Ludovic. Blosius* 444 *a obedientiam perfectam suadet* 444 *c* Religioso *quæ virtutes a Lud. Blosio præscribantur* 445 *e*, Religiosi *status incommoda fortiter sustinenda* 444 *e*

Reliquiæ *præputii et sanguinis Christi a D. Virg. dein a S. Joanne servatæ* 4 *b vel a S. Maria Magdalena* 4 *c ab Angelo allatæ Carolo Magno; Aquisgrani, Carosii, alibi asservatæ* 4 *a* Reliquiæ *SS. columna designatæ* 159 *f S. Gerlaci supra terram ultro assurgunt* 314 *b* 321 *e Simeonis Stylitæ, Antiochenis mœnia, murus, arma* 185 *d* Reliquiæ, *capilli, vestes S. Theodosii Cœnobiarchæ decerpuntur a populo* 701 *d* Reliquiæ *S. Basilii Ancyrani M. collectæ, unguentis delibutæ, linteis involutæ* 84 *d* Reliquiæ *SS. collectæ a S. Severino Norico* 488 *f Epiphanii et Concordii repertæ* 18 *d visitatæ a Papa et Cardinalibus* 19 *a* Reliquiæ *SS. a Carolo IV, Imper. conquisitæ, Pragam allatæ, ornatæ* 720 *b* Reliquiarum *antiquus cultus, aureus et sericus, pompa celebris* 475 *b exosus antiquis hæreticis* 475 *b* Reliquias *SS. ornat et asservat Lud. Blosius* 447 *S. Guilielmus Divionensis* 61 *e f* 62 *a* Reliquiis *ornatum a Regibus Franciæ monasterium S. Vedasti* 158 *c* Reliquias *S. Simeonis Stylitæ tollenti manus arescit* 268 *e* 274 *b* Reliquiæ *S. Gudilæ caligine obductæ, jejunio prævio videri possunt* 523 *f* 530 *d S. Adelardi, permittente Pontifice, per manus Episcopi elevatæ non sine miraculis* 119 *f S. Faustæ V. M. dum elevantur, ingens auditur tonitru* 727 *d S. Melori sublatæ, luce cælesti repertæ* 137 *a S. Bertiliæ solemniter elevatæ* 157 *c d e* Reliquiarum *Translationis ritus* 158 *d Translatio Indulgentiis honorata* 158 *b* Reliquias *honorifice transferunt SS. Salvius Ambianen.* 706 *c Petri, Pauli, Andreæ in Burgundiam translatæ* 52 *f* Reliquiæ *SS. ad pacem sanciendam allatæ* 119 *c* 120 *d S. Genovefæ alio avectæ hoste imminente* 149 *a S. Melori in Britannia; belli tempore deportatæ Parisios* 725 *a aliquæ Meldis asservantur* 136 *a* Reliquias *S. Faustæ transferentibus cælitus oblata serenitas* 728 *d subito residit prius exundans fluvius facto Crucis signo* 728 *b* Reliquiæ *SS. aliis reliquiis obviam latæ* 121 *b iis occurrunt venerabundi populi* 149 *b* 151 *b* Reliquiis *S. Faustæ V. M. cum festiva supplicatione occurritur; cerei divinitus accensi* 728 *d* Reliquiis *SS. ultro patent templi fores* 121 *f* Reliquiæ *S. Melori circumlatæ, certo loco divina vi retentæ* 137 *a* Reliquiis *præputii Christi in ara expositis, nubes, stellæ, aliaque admiranda in templo visa* 3 *e* Reliquias *Vedastinis monachis ereptas restituere coactus est Flandriæ Comes* 158 *f* Reliquiæ *a sacrilego milite direptæ capta Urbe, alibi defossæ* 4 *f Eæ quæsitæ tandem repertæ* 3 *a* Reliquias *ut conquirant in vastata provincia, Monachis suadet Arnaldus Dux* 727 *b* Reliquiæ *SS. latæ ad recuperanda bona monasterii* 121 *e ne ad se perferantur ad bona vi occupata repetenda, timet Flandriæ Comes* 121 *f tamen postea humiliter occurrit easque gestat, et ablata restituit* 122 *b retinere eas vult Comitissa, magis honorandas : clam auferuntur* 122 *d præ iis damnum argenteæ thecæ negligunt Corbienses, rati earum esse damnum irreparabile* 123 *b S. Adelardi publice ostenduntur* 123 *f* Reliquiæ *datæ cum onere anniversariæ peregrinationis* 173 *c ob* Reliquias *plurimas, sacellum Eccl. Lateranensis dictum* Sancta Sanctorum 4 *e* Reliquiarum *Inventio anniversarie observata* 154 Reliquiæ *SS. choreis, atque lusibus inhonorantur* 120 *d* Reliquias *præputii Christi continentem sacculum solvere mulier, licet pia, non valet; solvit innocens virgo* 3 *b c d* Reliquiis *S. Genovefæ impositis, altare prius motum quiescit* 149 *a* Reliquiarum *S. Rigoberti translationi interesse monita in somnis, visum recipit* 179 *e alius auditum d* Reliquias *S. Martinæ et aliorum visitantibus datæ Indulgentiæ* 19 *d ad* Reliquias *præputii Christi Calcatæ miracula, et indulgentiæ* 6 *a*, Reliquiis *S. Genovefæ transeuntibus solvuntur captivis compedes* 150 *f* Reliquiæ *præputii Christi Antverpiæ visitatæ a Regina Siciliæ : ad eas ipsa curata, et dæmoniacus* 6 *e S. Vedasti et aliæ repertæ Atrebati, et miraculis illustratæ* 124 *a ad* Reliquias *S. Genovefæ curata paralytica; item energumena; contracta; alii energumeni* 130 *a c d e mutus, contractus; febricitantes multi* 130 *f ad* Reliquias *S. Rigoberti, claudi curati, cæca visum recipit* 178 *d* Reliquiarum *S. Rigoberti translationi interesse recusans, febri corripitur* 179 *e ad* Reliquias *Corbienses ægri sanati plurimi* 119 *c* Reliquiæ S. *Pharaildis in Spinoso loco miraculis claræ* 170 *e*, Reliquiis *S. Genovefæ circumlatis sanatur ignis sacer* 152 Reliquias *aliquas de corpore S. Quintini sibi sumit S. Eligius, iisque morbos curat* 155 *e* Reliquiis *S. Jacobi intinctis aqua consecratur contra morbos* 159 *d* Reliquiarum *S. Genovefæ theca deponitur, et circumfertur in publica necessitate* 138 *a arcam* Reliquiarum *S. Quintini pretiosam fabricat S. Eligius Ep.* 155 *e* Reliquiis *S. Jacobi Apost. pretiosa curata a Comite Flandriæ, et data Vedastinis* 160 *a nova curata S. Bertiliæ* 157 *S. Genovefæ*

A *novefæ pretiosa* 725 *c argentea S. Adelardo* 122 *f S. Meloro, aureis argenteisque laminis ornata* 137 *a* Arca *reliquiarum S. Adelardi solenni supplicatione reportatur* 123 *c ad eam contractus mirabiliter sanatus d* Arcæ *reliquiarum S. Genovefæ tactu sanatur ignis sacer* 132 *b. Vide* Corpus, Mori, Pulvis, Sepulchrum. *Vide etiam* morbos singulos *ad* Reliquias Sanctorum *curatos.*

Ne Repetat *sua quisquam vi aut bello cautum* 119 *c* Repetuntur *bona vi erepta allatis SS. reliquiis* 121 *e*

In Reprehensione *suorum lenis Lud. Blosius* 448 *b c* Corripit *peccantes insigni gratia S. Fulgentius* 42 *e* Corripiens *aspere suos, et roborem incutiens, lepra punitur S. Munnus* 719 *e*

Repudiante *uxorem Carolo Magno, Adelardus fit monachus* 97 *c* 112 *b*

Resignatio *B. Angelæ* 199 *c S. Fulgentii in oratione* 42 *a S. Adelardi sub mortem* 109 *e*

Resina *infunditur vulneribus S. Carterii* 472 *e*

Reges *sancti: Eduardus Conf.* 290 *c Canutus Lawardus* 390 *Theodoricus Clamorganiæ* 723 *b* Reges, *deinde Episcopi, SS. Gaspar, Melchior, Balthasar* 8 *f* Rex *inungi a S. Petro visus S. Eduardus Conf.* 293 *e* Rex *Lucius agnoscit Papam caput Christianæ religionis* 10 *b d*

B Rex *Osuvus convertit Reges Merciorum et Orientalium Saxonum* 373 *c* 374 *b* Regibus *carus S. Odilo* 67 *c* Reges *parentum Consiliarios improvide abdicant, ut Ludovicus S. Adelardum* 101 *c d* 114 *b* Regem *adulterum non valens convertere, deserit S. Raimundus* 411 *f* Regem *barbarum monitis salutaribus instruit S. Severinus Noricus* 487 *e* Reges *audacter arguit injustitiæ S. Severinus Noricus moriturus* 495 *d iis commendat justitiam* 492 *f* Regem *hæreticum non resalutat S. Bladulphus* 94 *c* Regis *hæretici edicta de Episcopis, spreta* 38 *d* Regibus *suspectiores boni quam mali* 114 *b* Reges *pro diis habiti* 2 *f* Regno *pulsus a Suecis Sueno R. Daniæ parricida* 181 *b* Regii sanguinis *monachus S. Adelardus* 95 *b* 112 *a Raimundus de Pennaforti* 405 *f* Regio *sanguine orti SS. Titus* 163 *e* 164 *b Egwinus* 707 *e Pharaildis V.* 170 *e* 172 *c Neophyta V. M.* 166 *e* Regnum *Anglorum, regnum Dei est* Angelus ad S. Brithwaldum 293 *f* Regnum *Italiæ Odoacri prædicit S. Severinus Noricus* 488 *a et regni annos regnanti* 494 *c* Regem *semper apes sequuntur* 130 *c*

Ridere *cum bacchantibus, nefas* 3 *e, numquam* Ridet *S. Eugendus* 53 *f* Subrisit *mortua mater S. Simeonis Stylitæ hoc pro ea orante* 266 *a*

Rigescunt *digiti et manus matronæ piæ volenti sac-*
C *culum solvere, in quo erant reliquiæ præputii Christi* 5 *b* Rigorem *regula S. Benedicti temperat Lud. Blosius* 439 440 *d*

Rore *in mel concreto, intelligit gratiam Baptismi S. Pachomius* 675 *c*

Rosarum *et liliorum odore media hieme perfuso cubili ad castitatem incitatur S. Basilissa* 576 *f*

Rosario *lecto restitutus gressus* 439 *b*

Rixandi *disputationum contentiones odit B. Laurentius Justinianus* 557 *d*

Rubicundus *et vividus etiam in macie S. Adelardus* 105 *d* 116 *d*

Rupi *ut ceræ inhæret lapis a S. Meloro projectus* 136 *c in* Rupe *vivit S. Phosterius, pane ab Angelis allato* 286 *f* 287 *a*

Rustici *oratione depulsa tempestas* 267 *f* 273 *b ejus laborum pauperibus, reipublicæ, et propria familiæ tripartita* 268 *a* 273 *c* 284 *d e*

S

Sabbatum *servant Hypsistarii* 22 *e* Sabbatis *omnibus fit Missa Antverpiæ de præputio Christi* 7 *d aliquod miraculum fit ad reliquias S. Egwini* 711 *b peregrinatur ad Bassilicam Aquensem Mariæ V. S. Gerlacus* 308 *f* 320 *f*

Sacerdotem *consecrat S. Concordium captivum S. An-* D *thimus Ep.* 9 *e* Sacerdotes *eximie honorat S. Nonna* 23 *c* Sacerdos *fornicans et sacrum celebrans, cancro exeditur, sanatur a S. Macario* 87 *f* Sacerdotum *peccata etiam chlamyde sua tegere desiderat Constantinus Magnus* 702 *e* Sacerdotium *ex humilitate recusant suscipere SS. Guilielmus Divionensis* 60 *a Eugendus et Lupicinus* 51 *b* Sacrificaturi *tunicam mutabant Afri: negligit id S. Fulgentius* 39 *d* Sacrificia *nefanda cereis divinitus accensis abolet S. Severinus Noricus* 489 *c* Sacrificare *diis recusans S. Thepompus Ep. Torquetur* 724 *a* Sacrarum *rerum curam magnam habet Lud. Blosius* 446 *f* 447 Sacrilegus *Rex punitur cæde* 496 *d* Sacristam *mortis periculo eripit S. Melorus* 137 *d. Vide* Eucharistia, Missa, Presbyter.

Sagitta. *Arcu transfigere conantis S. Simeonem Stylitam, manus stupore contracta* 268 *a* 273 *d*

Sal *unde peti solitus Burgundis* 53 *a*

Salutat *S. Genovefam S. Simeon Stylita per mercatores* 140 *e* 145 *e* Salutare *hæreticum Regem recusat S. Bladulphus* 94 *c*

De Salute *certas reddit pœnitentes Gertrudis ab Oosten* 332 *b et aliam* 332 *e*

Sanat *ægros, etiam absentes, scriptura sua et oleo benedicto S. Eugendus* 32 *b moribundum oratione* E *S. Silvester Siculus* 124 *f* Sanitatem *moribundæ impetrat et prædicit S. Genovefa* 142 *b* 146 *f sanantur contracti aliique ad sepulchrum S. Adelardi* 118 *d* 119 *a* 120 *a ad Arcam ejus reliquiarum* 123 *d ægri particula cerei S. Genovefæ* 140 *c* 145 *c subito a lethalibus vulneribus B. Bladulphus* 95 *a æger tendens ad electionem S. Basilii S. Gregorius pater Theologi* 29 *f epistola S. Eugendi Syagria* 32 *b* Sanus *a tormentis et diuturno carcere S. Theogenes* 135 *d* Sanati *ope S. Melanii, sua ei dicant* 330 *a c d* 332 *b* 333 *a*, Sanitate *recepta precibus S. Valerici, monachus fit S. Blidmundus* 154 *a* Sanitas *non confertur epulis* S. Fulgentius 34 *e quibusdam perniciosa* 494 *e. Vide* Crucis signum, Lectus.

Sanctorum *virtus gloria est Christi* 123 *a in* Sanctis *Christus laudandus* 376 *e* Sancti *a Deo honorantur* 407 *f quocumque tempore sunt in Ecclesia* 407 *c* Sanctorum *memoria clarissima* 133 *e celebritati non derogandum* 152 *f* Sancti *Ecclesiam ornant, orant pro nobis* 111 *deum* Sanctis *in templo noctu psallit S. Gregorius Lingon.* 169 *a* Sancti *præsidio sunt urbibus contra hostem* 45 *a* Sancti *sibi commendatos in itinere custodiunt* 53

Sanctorum *variorum virtutes exprimit S. Theodosius* F *Cœnob.* 699 *f Acta SS. quam utilia* 130 *e f* 131 *a narrandæ qualicumque stylo* 328 *b scribere cur necesse sit* 32 *d ad solatium et exemplum* 96 *a ea assidue ruminat S. Adelardus* 99 *d Acta MM. scribi curant SS. Clemens et Fabianus: diligenter exquirit et servat S. Anteros Papa* 127 *a ab Exceptoribus pecunia redimunt Christiani* 127 *d* Sanctorum *acta flores, templa prata* 130 *d* Sanctitas *S. Gudilæ nondum natæ prænuntiatur ab Anglo* 513 *b* 524 *b* Sanctitas *S. Genovefæ cuidam Episcopo indicata* 138 *f* 143 *f a S. Germano prædicta* 138 *f b* 143 *d* Sanctitatem *S. Erardi indicat Crucifixus* 538 *b* 540 *e* Sanctorum *lætitiam de Immaculata Conceptione D. Virg. videt B. Oringa* 632 *d* 636 *b*

Sanguinis *guttæ e præputio Christi exsudant Antverpiæ ad firmandam ejus veritatem* 6 *e* Sanguis *emanat septies in die ex vulneribus quinque Christi, impressis Gertrudi ab Oosten* 431 *c cessat fluere ipsa id precante* 431 *d* Sanguis *Martyrum instar panis congelatus* 587 *a, e* Sanguine *S. Canuti Lawardi fons scaturit* 400 *b c in* Sanguinem *versa terra sepulchri S. Gerlaci* 317 *e* 321 *d ea dentium dolor curatus* 317 *f* Sanguine *recenti aspersum repertum S. Danielis M. corpus* 160 *f* Sanguis *fluit revulso post CCCXL, annos dente S. Quintini* 135 *e* Sanguini *e pedibus nudis profluente properat noctu*

A *noctu ad matutinas S. Gerlacus* 308 *d* Sanguine *manantia cauteria, curata ope S. Severini Norici apparentis* 738 *b* Sanguinis *profluvium sistitur a B. Oringa* 661 *e, ope S. Erminoldi* 342 *b c* 345 *d admotis pulveribus sepulchri S. Raimundi* 414 *e eo invocato* 425 *c voto facto B. Laur. Justiniano* 364 *d* Sanguinis *fluxus per aures sistitur ad sepulchrum S. Erminoldi* 343 *f cum* Sanguinis *ejectione recepta vox ope S. Adelardi* 120 *f*

Sapientia *divina sub specie Virginis apparet B. Laurentio Justiniano* 353 *a*

In Sartagine *ferrea ignita residere cogitur S. Carterius* 472 *e*

Satyrus *monstrum apparet S. Antonio* 605 *f*

Scabies *sanata invocato S. Raimundo* 425 *b votis* 10 *libris ceræ ad ejus sepulchrum* 427 *b*

Per Scalam *e cælo descendentes Angelos videt S. Eugendus* 50 *c S. Otto Bambergensis, et monasterium ibi extruit* 338 *b* Scala *admota columnæ S. Simeonis Stylitæ suspenditur in aere* 208 *a* 273 *d*

Scandalum *acceptum e conversatione S. Vitalii cum meretricibus, ut eas convertat* 702 *c f*

Scholas *publicas gratis docentium erigit in monasteriis S. Guilielmus Divionensis* 61 *a* Scholas *aperit*
B *Antiochiæ S. Lucianus Presb.* 359 *e* Scholasticorum *custodiendorum excubias gerit S. Odilo* 66 *d. Vide* Docere.

Scientia *divinitus infusa B. Laur. Justiniano* 357 *d*

Pro Scopis *veste furnum ardentem verrit innoxie S. Silvester Trainensis* 124 *e*

Scribenti *dextera SS. Filani sinistra instar facis lucet* 394 *c* Scriptis *SS. pulsi dæmones* 51 *f* Scriptis *clarus S. Martinianus Ep. Mediolan.* 89 *c* Scriptoris *arte excellebat S. Fulgentius* 30 *a* Scribendo *sibi et pauperibus victum suppeditat S. Lucianus Presb.* 359 *e* Scriptura *sua et oleo benedicto plurimos sanat, etiam absentes, S. Eugendus* 52 *b* Scriptura Sacra *bonus pædagogus* 245 *b* Scripturæ Sacræ *lectio unica voluptas S. Marciano* 611 *d eam assidue legit S. Theodosius Cœnobiarcha* 692 *f* Scripturæ Sacræ *doctrina præ reliquis suæ diœceseos pollet S. Melanius* 328 *f* Scripturæ Sacræ *libri, ceu magis, comburi jussi ab Ulpiano* 82 *d a Diocl.* 81 *c* Scripturam Sacram *ex Hebraico Græce vertit S. Lucianus Presb.* 359 *f*

Secreta *mentium divinitus cognoscit S. Genovefa* 139 *a*

Secularis *et monasticæ vitæ comparatio* 247 248 *c* 251 *e f* 252 *a*

Sedem *in cælo lucidissimam S. Gerlaco paratam videt S. Hildegardis* 309 *f* 321 *b* Sedere *humi suos jubet,*
C *eos allocuturus sub mortem S. Adelardus* 108 *f*

Senatores *capta a Genserico Carthagine in Italiam abeunt* 32 *f*

Senem *in monachum recusat admittere S. Pachomius* 87 *b* Senum *curam gerit S. Eugendus* 54 *b. Vide* Annus.

Sententia *B. Laurentii Justiniani in jure dicendo ob æquitatem inappellabilis* 357 *b divinitus confirmata* 357 *d*

Sepulchra *ob mortis memoriam jubet discipulos sibi construere S. Theodosius Cœnob.* 687 *e* Sepeliri *Divione cupit S. Gregorius Turon. ob pietatem erga S. Benignum* 169 *b absque pompa B. Laurentius Justinianus* 361 *f ad* Sepeliendum *corpus suum petit S. Paulus Erem. a S. Antonio pallium ipsi a S. Athanasio donatum* 606 *e exequias tertianas, novenas, et quadragenas jubet fieri S. Theodosius Cœnob. discipulo vivo, iis finitis absque dolore morienti* 688 *a* Sepulturam *pauperum curat et prosequitur S. Guilielmus Bituric.* 631 *b* Sepeliendis *mortuis propriam vestem donat, pollinctores conducit S. Odilo* 68 *b* 72 *b* Sepultura *S. Simeonis Stylitæ cum psalmis et hymnis et facibus* 268 *d e f* Sepultura *ut desit, projicitur in mare corpus S. Juliani Presb.* 361 *f ad* Sepulturam *B. Amaranthi, voce incognita evocantur oppidani* 648 *c ad* Sepulturam *S. Melanii Episcopos convocant Angeli* 332 *e ad* Se- D
pulturam *quæsiti mortui, amplectuntur S. Marcianum* 616 *a* Funus *B. Oringæ sanctimoniales pridem defunctæ visæ stipare* 661 *c S. Gregorii Lingon. solvit captivos* 169 *b S. Gregorii Nazianzeni senioris cohonestat S. Basilius* 21 *f* Sepulchrum *S. Paulo Erem. a leonibus effossum* 607 *a* Sepelit *S. Fronto SS. Frontasium et socios MM.* 79 *f corpora Martyrum pretio redempta S. Thecla Sicula* 601 *e* Sepelitur *honorifice S. Martina* 17 *e, a Christianis in villa corpus S. Theogenis submersi* 135 *b in ecclesia, in qua nemo solebat, S. Fulgentius* 44 *f* Sepultum *S. Melori corpus, tertio supra terram repertum* 136 *f* Sepelitur *conspicuo loco ad exemplum, percussor monachi, male mortuus* 95 *d* Sepulchra *SS. ut innotescant curat Deus* 118 *b S. Juliani templo et nova urbe decoratur* 362, *e S. Dionysii et sociorum veneratur S. Genovefa et ecclesia ornat* 139 *e* 144 *e S. Gudilæ veneratur et ornat S. Carolus Magnus* 321 *b c* 327 *e* Exequiæ *Magis factæ a dæmonibus* 86 *d* Sepulchri *S. Erardi linteum crescit* 338 *a* 340 *e* 344 *b* Sepulchrum *S. Melanii cum velo lineo illæsum incenso templo* 333 *b ad* Sepulchrum *S. Genovefæ oleum salutiferum e lampade scaturit* 147 *e* Sepulchrum *S. Benigni M. frequentari vetans S. Gregorius Ep. Lingon. ab eo sibi apparente corripitur* 168 *e ad* Sepulchra *SS. cur* E
fiant miracula 638 *f Concordii* 10 *a Gregorii Lingon.* 169 *e Rogerii* 185 *f ad* Sepulchrum *S. Adelardi sanatur quidam ab ipso in somnis monitus* 120 *c ad idem assidue orans sanatur contracta* 118 *d alia* 119 *a etiam ad vacuum, vocem et auditum recipit quidam* 120 *a ad* Sepulchrum *S. Genovefæ vocem adeptus quidam, inde abire renuit* 148 *a sanatus calculus, contractio etc.* 143 *b ad* Sepulchrum *S. Rigoberti sanantur febres et dolor dentium* 178 *f* 179 *b* Sepulchri *S. Raimundi pulveribus in mare projectis sedata tempestas* 428 *c sanatus calculus* 428 *b lapsu contritus* 414 *c sistitur sanguinis profluvium* 414 *d mortuus suscitatur* 422 *f umbilici dolor* 425 *d viscerum dolor* 428 *b* Sepulchrum *S. Gudilæ violans, ejusque posteri puniuntur excommunicatione et claudicatione* 319 326 *e f ad* Sepulchrum *S. Rigoberti ludens puer fit claudus* 178 *e* Sepulchro *S. Adelardi insistens adhæret* 118 *c* Sepulchrum *Caroli Martelli repertum est vacuum, sed denigratum, exeunte inde dracone* 177 *d* Sepulchra *Judæorum* 165 *e*

Serenitas *insperata die Translationis S. Bertiliæ* 138 *a* Serenitas *divinitus concessa transferentibus S. Faustæ V. M. reliquias* 728 *d* Serenitatem *ad certum tempus a variis SS. obtinet S. Kienanus* 46 *e*, Serenitatem *tempestati non præfert S. Luanus* 46 *b*

Serpentes *accurrunt ad columnam S. Simeonis Sty-* F
litæ, et sanitatem obtinent, ejus jussa facientes 267 *e* 271 *d* Serpens *precibus B. Alberti Erem. evomitur* 403 *f et S. Simeonis Stylitæ* 266 *b* 271 *e* Serpentem, *a quo læsus erat, discerpit S. Macarius Alexand.* 87 *a in* Serpentem *eulogia versa ob caritatem neglectam, postea in pristina cibaria transformatur* 330 *f* 331 *a* Serpentis *immanis specie impugnat dæmon B. Albertum Erem.* 404 *b*

E Servitute *heri sui nepotem educit Leo Cocus, ipse libertate et fundis donatus a S. Gregorio Lingon. Ep.* 168 *a*

Severitas *moderata in lapsos S. Guilielmi Bituric.* 630 *c* Severitate *erga leves utendum* 32 *d* Aspere *suos corripiens, lepra punitur S. Munnus* 719 *c*

Signa *viæ posita a S. Macario turbat dæmon* 86 *c* Signifer *dictus S. Petrus quidam, unde?* 129 *b*

Silet *tota XL^a S. Macarius* 87 *c*

In Silva *degit S. Silvester Siculus, ut honorem fugiat* 125 *a*

Simonia *in Galliis repressa a SS. Eligio et Audoeno* 378 *a* Simoniam *evitans S. Erminoldus ob munera Cæsari data a fratre, Abbatis officio se abdicat* 337 *b*

Simplicitas *animi S. Frodoberti* 307 *b c d*

Simulat *se velle in fide instrui Trasamundus Rex, ut* 112 *plures*

A *plures decipiat* 40 *f* Simulat *se in æde D. Virginis orare velle Martellus, ut Remos spoliet : excludit eum S. Rigobertus* 176 *d*

Siti *torquetur in solitudine S. Macarius, lactatur a bubala* 86 *e* Siti *perituro interfectori suo subvenit S. Melorus M.* 136 *e*

Societas Jesu *fovetur a Ludov. Blosio in Belgio* 432 *f* 433 *b c censente ejus privilegia nemini noxia* 433 *b*

Sodalitas *sacri præputii Christi, sive Circumcisionis, Antverpiæ* 7 *f* Sodalitas *in honorem S. Ursulæ Massani in Italia* 5 *e* Sodalitates *nomine S. Defendentis in Italia* 721 *b* Sodales *S. Fulgentium monachum factum sequuntur* 34 *c*

Solem *orientem sistit B. Oringa, dum matutinæ preces solvantur* 639 *e*

Solitudinem *amant SS. Severius Noricus* 487 *b Valentinus Passaviensis* 371 *d* 731 *e Bertilia V.* 136 *d* Solitudinem *petit, ne videre et audire impietatem cogatur S. Gordius Comes* 130 *b* 131 *d relinquit ut impediat* 130 *b. Vide* Eremita, Reclusus.

Somno *dies XX abstinet S. Macarius, cum periculo amentiæ* 85 *f a* Somno *Angelus excitat S. Raimundum* 413 *b In* Somnis *visa sibi a Gregorio filio cibum accepisse S. Nonna, a morbo convalescit* 28 *a* Somnio *monetur ut fiat Christianus Gregorius Theologi pater* 24 *a*

B Somnolentiam *ut orantibus monachis immittant dæmones* 89 *a* Somnolentiam *S. Pachomius pellit arenam transportando* 675 *f. Vide* Dormire, Lectus, Vigiliæ.

Sorores *SS. Honorata, Speciosa, Liberata* 680 *a Æmiliana et Tharsilla* 287 *b Gudila, Reinildis, forte et Pharaildis* 172 *c* 514 *f Aldetrudis et Madelberta* 515 *d Setrida, Sexburga, Ethelburga, Ethelreda, Witburga* 627 *d* Sorores et Fratres. *Vide* Fratres.

Sorte *electus Episcopus S. Guilielmus Bituric.* 629 *b In* Spelunca *degunt SS. Paulus I, Erem.* 606 *b Theodosius Cœnobiarcha* 686 *d Severinus et Victorianus* 500 *d pernoctant tres Reges redeuntes Bethleemo domum* 686 *e*

Spinis *ferreis coronati SS. Frontasius et socii* 79 *e in* Spinis *et urticis volutat se ad fornicationem a dæmone incitatus S. Victorinus* 742 *a ob stimulos carnis B. Albertus Erem.* 404 *b*

Spiritus Sanctus *requiescit super Macarium, expulsa concupiscentia* 85 *b* Spiritualia *procurat S. Fulgentius Albas, Felix temporalia* 35 *b*

Splenis *dolore obit S. Palæmon* 677 *d*

Splendet *in tormentis S. Martinæ corpus* 13 *d. Vide* Facies, Lux.

Sponsa *sæculo renuntiat S. Cilinia* 140 *e* 145 *e, a* Sponso *suo despecta,* Sponsum *eligit Christum Gertrudis ab Oosten* 349 *e f* Sponsæ *Christi Virgines nu-*

C *ptialia pacta* 254 *b c* Sponsa *Christi esse ut possit S. Genovefa, ecclesiam assidue frequentat* 138 *e* Desponsat *sibi annulo Christus B. Angelam* 205 *c. Vide* Nuptiæ.

Sportas *texit S. Theodosius Antioch.* 678 *c*

Spuit *in statuam Jovis S. Concordius* 9 *f numquam* Spuit *in solum templi S. Nonna* 13 *d non* Spuit *humi LX annis S. Macarius* 88 *d*

Statura *S. Macarii Alexand. parva* 88 *d procera S. Adelardi* 116 *f Altæ* Staturæ *Bego caput ad humile oratorii ostium offendens, id dirui jubet, ipseque a dæmone arripitur* 177 *a*

Status *alterius vitæ a resuscitato describitur* 583 *c*

Stat *tota XL[a] S. Macarius laborans* 87 *c*

Stella *videtur prope B. Anglam in ejus extasi* 187 *f* Stella *admirabilis in festo S. Simeonis Stylitæ apparet* 286 *e* Stellæ *per templum discurrunt, in quo reliquiæ præputii Christi expositæ* 5 *e* Stellas *ut nautæ, sequitur gradiens per eremum Macarius* 86 *c* Stellarum *signis, non terreno indicio reperitur via in eremum Scithi* 88 *f*

Sterilis *lacrymas S. Cronani manu excipit, bibit, fit dein fecunda* 48 *a* Sterili *fecunditatem herbis benedictis confert S. Cronanus* 48 *f* Sterilitas *depulsa cerea imagine oblata S. Raimundo* 426 *a b. Vide* Nasci, Proles. D

Stolis *albis induti apparent MM. et confirmant S. Julianum* 586 *d. Vide* Vestis.

Strenæ *quædam superstitiosæ* 3 *c. Vide* Xenia.

Strumæ *sanatæ signo crucis a S. Odilone* 75 *c* Strumæ *similis Magnatum improbitas* 104 *c*

Studet *Divinis litteris senex S. Gregorius Theologi pater* 23 *a,* Studia *litterarum SS. Guilielmi Divionensis* 59 *a Erardi* 535 *e* 539 *f* 541 *f Pharaildis* 170 *f* 172 *c* Studia *litterarum et pietatis SS. Frodoberti* 506 *d Ludov. Blosii* 433. Studiorum *causa, septennis fugit Cadurcum S. Maximus* 91 *d*

Successorem *idoneum videtur precibus curasse S. Fulgentius* 45 *a*

Subdiaconi *VII præfecti Actis MM. describendis Romæ* 127 *d*

Submergi *SS. Marcellinus* 82 *f Theogenes* 133 *c f* 134 *a b* 135 *d e Petrus Ab. Cantuariensis* 334 *f Martyres Ægyptii* 241 *b, a* Submersione *S. Filanus infans ab Angelis servatur* 594 *c puer in puteum lapsus a S. Theodosio Cœnob.* 697 *c d, a* Submersionis *periculo liberat signo Crucis S. Clarus Viennen.* 56 *b* Submersus *voto annuo censu S. Gerlaco resuscitatur* 315 *f* 316 *a ope B. Oringæ* 634 *c. Vide* Aqua, Fluvius, Mare, Mori, Tempestas.

Sudario *S. Salvii Ambianen. incendium urbis restinc-* E *tum* 706 *e*

Suffitus *ad corpus mortuum S. Simeonis Stylitæ* 268 *d*

Suffocatus *in balneo, invocato S. Melanio suscitatur* 334

Superbia *reprimenda* 248 *c e f* 249 *solitudine non curatur* 52 *c* Superborum *flagrum S. Adelardus* 99 *b* Superbiens *ob doctrinam S. Colmanus Elo, ea privatur* 45 *e* Superbiam *suam lepra puniri petit S. Munnus* 46 *b* 719 *e* Superbi *tres monachi a dæmone corripiuntur, orante S. Severino Norico* 494 *f* Superbe *refodiens corpora SS. punitur* 154 *f* Superbis *tentationibus strenue resistit S. Guiliel. Bituric.* 631 *d illæsus calcatis ignitis carbonibus, ob* arrogantiam *in luxuriam lapsus misere perit* 676 *b c d*

Superstitiones *variæ Kalendis Januarii* 3 *c* Superstitiones *et sacrificia reprehendens occisus S. Almachius* 31 *c*

Supplicatio *cum reliquiis ob miraculum factum* 120 *a* Supplicationes *cum reliquiis, et jejunia ad sedandam pestem* 151 *e cum SS. imaginibus* 125 *d*

Surdus *fuit S. Marcus* 2 *Janu.* 90 Surdi *auditum recipiunt ope SS. Aldrici* 388 *f Adelardi* 120 *a c f Genovefæ* 151 *a et signo Crucis* 142 *a* 146 *f oleo benedicto a S. Salvio Ambianensi* 706 *e ad sepulchrum S. Raimundi* 427 *f Erminoldi* 346 *e in Translatione* F *S. Gudilæ* 520 *c* 527 *c Rigoberti* 179 *d* Surdus *ob adulterium, sanatur ad corpus S. Simeonis Stylitæ* 268 *e* 274 *b*

Sus *esca a S. Maximo accepta, postridie VII nefrendes ad eum adducit* 93 *b*

Suscitare, *vide* Mortuus.

Suspectiores *Regibus boni quam mali* 114 *b*

Suspensi *torquentur SS. Concordius* 9 *e Petrus Abselamus* 129 *e Carterius* 472 *b* Suspenditur *pedibus, pondere capiti alligato S. Theopompus Ep.* 724 *f* Suspensa *in aere hæret scala adscendentis ad columnam S. Simeonis Stylitæ* 268 *a* 273 *d* Suspensum *judicio publicore suscitat S. Guilielmus Divion.* 64 *b* Suspensus *a sacris S. Atticus ob exilium S. Chrysostomi* 475 *b f*

Synceritas *S. Adelardi probata Pontifici* 99 *c* 113 *c*

T

Tabe *exhaustus obit S. Theodosius Cœnob.* 700 *a*

Tali *ferro trajiciuntur S. Carterio* 472 *b*

Tauri *indomiti ad currum juncti, in quo corpus S. Melori, mansuescunt, et ad certum locum id devehunt*

A *hunt* 136 *f* Taurus *in duas partes æqualis ponderis verbis dissectus a Theona mago* 724 *d*

Te Deum laudamus *recitantis S. Odilonis pietas ad hæc verba* Tu ad liberandum suscepturus hominem 72 *c*. *Vide* Miraculum.

E Tecto *prosilit castitatis amore, seque saltu enecat S. Pelagia* 361 *a*

Temperantia, *castitatis adjumentum* 449 *b*

Tempestas *subita, sacerdote præputium Christi num durum sit an molle pertentante, idque divellente* 6 *a* Tempestate *aut grandine numquam læsa possessio, quam S. Rigoberto donavit Pipinus Dux* 175 *f* Tempestatem *a dæmone excitatam sedat B. Laurentius Justinianus* 333 *b* Tempestas *sedatur invocatis SS. Crispino Ticinensi* 356 *d Raimundo* 427 *d Egwino* 711 *a Macario Romano* 90 *e, Theodosio Antioch. adhuc vivo* 678 *d precibus S. Genovefæ* 142 *f Clari Viennensis* 53 *c unius sancti rustici* 267 *f* 273 *b c* 284 *b d pulveribus sepulchri S. Raimundi in mare projectis* 428 *c patrocinio S. Genovefæ depelli solita, pulsatis campanis donec cerei supra templum appareant* 725 *e*. *Vide* Mare, Ventus.

Templum *ædificat S. Salvius Ambianen.* 704 *b Gregorius Theologi pater* 30 *c Genovefa ad sepulchrum Dionysii opem large conferentibus Parisiensibus* 139 *e*
B 140 *a* 144 *f quatuor in suo cœnobio Theodosius Cœnobiarcha* 692 *a, varia Thecla Sicula* 601 *e* Ecclesias *XXX cellas C Cuanus* 47 *d* Templa *plurima extruit et restaurat Clodovæus Magnus, consilio S. Melanii* 329 *a* Ecclesia *ad publici miraculi memoriam ædificata* 725 *d ædificata ad sepulchrum S. Silvestri Siculi* 125 *a honori S. Genovefæ ædificare incipit Clodovæus R. perficit S. Clotildis* 143 *c* 147 *e templa magnifica S. Marcianus S. Athanasiæ* 612 *SS. Irenæ et Theodoro* 614 *b c S. Isidoro* 614 *c reparat varia* 615 *c ea ipse suas filias vocat* 615 *c* Ecclesia *lapidea prima in Hibernia a S. Kienano constructa* 46 *e* Templum *combustum Cantuariæ jubet restaurari S. Adrianus Ab. apparens* 597 Templum *extruentes animat S. Paschasia iis apparens* 566 *c* Ecclesiam *noctu dedicat S. Petrus cum aliis SS. apparens* 296 *e ritus ab eo observati* 297 *a* Ecclesia *asyli jure gaudet* 169 *d ut* Ecclesias *e fenestris suis spectet orandi gratia, habitat supra portam S. Rigobertus* 176 *f qui et in* Ecclesiam *vicinam e domo sua transitum sibi pararat* 176 *f* Templi *S. Jacobi ingressu adulter divinitus arcetur* 316 *c* Ecclesias *varias visitat privatus episcopatu S. Rigobertus* 178 *b* Ecclesiam *assidue frequentare satagit S. Genovefa, ut sponsa Christi esse possit* 138 *e* 143 *e* Ecclesiæ *fores ultro reserantur reliquiis S. Adelardi* 121 *f* Ecclesiam *solus noctu adit,*
C *ostio ultro aperto, et cum SS. psallit S. Gregorius Lingon.* 168 *f* 169 *a* Ecclesiam *adit nocte totos XXX annos S. Pharaildis, ideoque a viro verberatur* 171 *c d e* Templo *ejicit Cosroen Regem Persarum injurium S. Domitianus Melitenæus* 620 *f in* Ecclesia *numquam locuta S. Nonna, nec in pavimentum spuit* 23 *d in* Ecclesia, *in qua nemo solebat, primus sepultus est S. Fulgentius* 44 *f* Templi *vasa et donaria frangit tempore famis, in eleemosynas pauperum, S. Odilo* 68 *b* 71 *a* Ecclesiæ *diaboli invidia comburuntur* 119 *a e qui eas reædificari dolet* 119 *e, jussu Dioclet. eversæ* 81 *c ab aliis tyrannis, dæmone exultante* 131 *d S. Pharaildis Gandavi a Calvanistis* 170 *c* Ecclesia *Remis, sub vano prætextu, eversa, triduo tenebræ sunt, et auctor a dæmone arripitur* 177 *a* Templum *in anima sua statuebat S. Adelardus* 101 *a* Templa *Ethnicorum nec præterit, nec aspicit S. Nonna* 23 *d* Templum *Gentilium celebre Isarnodori* 50 *b* Templum *Jovis argento, auro, margaritis splendidum* 585 *e*, Templo *Jovis inclusa S. Martina, illius statua comminuitur* 17 *b* Templum *cum idolis et mille sacrificulis, aliisque paganis subvertitur precibus S. Juliani et sociorum* 586 *b*. *Vide* Ecclesia.

Tenebræ *sunt triduo Remis everso S. Michaelis oratorio* 177 *a* Tenebris *obducuntur reliquiæ S. Gudilæ ne videantur* 523 *e f* 530 *d* Tenebris *carceris afflicta, cælesti luce recreatur S. Macra V.* 325 *e*. *Vide* Lux. D

Tentatione, *ut igne aurum, illustrantur boni* 101 *f* Tentatur *Macarius fatigatus et esuriens ut miraculose sibi cibum impetret et vires* 85 *c* Tentationibus *dæmonis strenue resistit S. Gudila* 515 *f* 516 *a* 525 *a* Tentationes *precibus superat B. Albertus Erem.* 402 *c jejuniis et pœnitentia Macarius Rom.* 90 *b* Tentatio *fornicationis, et impatientiæ, ut superata a S. Macario,* 86 *a item vanæ gloriæ* 88 *b*. *Vide* Dæmon.

Tepidi *capiuntur a dæmone* 92 *a* Teporis *caussa, morbus ex nimia abstinentia* 34 *e videbatur sibi* intepescere *in amore Dei non posse B. Angela. licet se damnandam præscisset* 196 *b*

Tergum *altari numquam vertit S. Nonna* 23 *d* Tergum *ignito ferro adustum SS. Theophilo et Helladio* 472 *f*. *Vide* Dorsum.

Terræmotus *orante S. Martina, quo idola et pars templi eversa* 12 *a iterum ea occisa, quo multi conversi* 17 *f in martyrio SS. Juliani, Celsi etc.* 586 *f* Terræmotu *barbari conciti fugiunt* 486 *c* Terræmotum *Antiochiæ absens novit S. Theodosius Cœnob.* 699 *b*

Testarum *fragmentis dilacerati Martyres Thebaidis* 241 *b SS. Theophilus et Helladius* 472 *c f supra* Testas *volutatur S. Macra V.* 326 *a* E

Testamentum *B. Angelæ, imitatio virtutum Christi* 233 *e* Testamentum *nullum condit, nisi ut sine pompa sepeliatur, bonis in eleemosynas distributis B. Laur. Justinianus* 561 *f* Testamenti *Mauricii Imper. executor S. Domitianus Melitenæus Episcopus* 621 *f*

Testudinem *templi ruituram, tertio in somnis monet S. Melorus* 137 *d*

Thaumaturgi *ob miracula patrata appellati SS. Eustratius* 398 *Agatho Papa* 623

Thesauri *jacturam æquo animo fert S. Canutus Lawardus* 394 *a* Thesauro *virtutum fruitur exul Adelardus* 101 *e*

Tibiæ *tumor, ope B. Gonsalvi Amaranthi* 650 *d languor, ope S. Severini Norici* 738 *a in* Tibiæ *ulcere cimices ultro alit S. Simeon Stylita* 276 *e*

In Tintinnabulum *alienam pustulam transfert S. Cronanus* 49 *d*

Tonitru *ingens Aldario mon. effodiente reliquias S. Faustæ V. M.* 727 *d*. *Vide* Tempestas.

Tonsura *orientalis dicta S. Pauli* 595 *f*

Tormenta *contemnunt SS. Theogenes* 134 *f* 135 *a Lucianus Presb.* 363 *f* Tormenta *et minas ridet S. Gordius* 132 *c* Tormenta *præ æternis contemnit et fert fortiter S. Petrus Abselamus* 129 *e f inter* Tormenta *hymnum recitat et exultat S. Theogenes* 134 *e psallit S. Petrus Abselamus* 129 *e* Torquentur *dire SS. Carterius* F
472 *b e Basilius Ancyranus* 83 *f Macra V.* 325 *b septies Clerus* 365 *in cippo Lucianus Presb.* 361 *c*

Tremit *carcer S. Macræ V.* 325 *e*

Tribulationes *a Deo immissæ acceptandæ* 220 229 *c d eas patienti adest Deus* 207 208 Adversa *Dei voluntati tribuit S. Adelardus, excusat auctores et pro iis orat* 103 *b* 114 *e* Adversa *illuminant Walam Principem, ut seculum relinquat* 101 *e in* adversis *patientia B. Rogerii Ab.* 164 *f gratias Deo agit S. Nonna* 23 *e*

Tribunus *fit monachus, exemplo et sapienti responso S. Macarii motus* 85 *d*

Tributum *grave sub decessoribus impositum subditis remittit S. Eduardus Conf.* 298 *a*

Trinitatis *sanctissimæ nomine solutus qui ob furtum immobilis, per S. Cronanum* 49 *b energumenus liberatus* 49 *d*

Tristitia *ut sanandæ* 52 *c* Tristitia *cruciatur Alexander Imp.* 17 *e*

Tritici 5000 *modii corrupti ob consuetam eleemosynam pauperibus negatam* 679 *f*

Triumphum *Theodorici Regis spectans S. Fulgentius, cæli gaudia cogitat et inculcat præsentibus* 37 *d*

pro

A *pro* Triumpho *parta de Saracenis victoria, monasterium dicat Rogerius Comes Siciliæ* 124 *c*
Tunica, *vide* Vestis.
Tussis *depulsa ope S. Erminoldi* 344 *f*
Tutor *filiorum Mauritii Imper. S. Domitianus meliten. Ep.* 621 *f* Tutores *et Advocati Ecclesiarum Reges Angliæ constituti a Papa* 297 *f*
Tyrannus *exul varie errat* 181 *e* Tyrannum *Christianis placare conatur etiam muneribus, B. Libentius, frustra : is divinitus varie punitus* 181 *b*

V

Vacca *a peste sanatur invocato S. Gerlaco* 318 *d. Vide* Taurus.
Valetudinaria *quinque extruit S. Theodosius Cœnob.* 691 *b*
Vanæ gloriæ *tentatio labore vincitur* 88 *b* Vanæ *jactantiæ evitandæ caussa petens quinque mensibus a dæmone possideri id obtinet, solitus ab aliis dæmonem ejicere* 494 *f*
Ubera *sæpe infans Gonsalvus Amaranthus non fugit, nisi conspecta imagine aut ad templum latus* 642 *f* Ubera *ritu jejunantium, renuit certis diebus B. Albertus Erem.* 402 *a* Ubera *Gertrudis ab Oosten V. manant*
B *lacte XL diebus a Nativitate ad Purificationis festum* 430 *f* Ubera *exulcerata, ope B. Gonsalvi Amaranthi sanantur* 649 *a b* Mamillæ *uncinis et gladiolis inciduntur S. Martinæ* 15 *d amputantur S. Macræ V.* 325 *e cælitus restituuntur* 325 *f*
Vecte *ligneo occiditur S. Erminoldus* 341 *b*
Venatione *delectatur S. Waningus* 592 *c* Venationes *Caroli Magni in Brachanto* 521 *d* 527 *f* Venans *cadit et læditur, in S. Pharaildem conjugem immitis* 171 *e* Venatur *S. Maximum parens* 92 *b*
Vendendum *S. Tillonem Paulum redimit S. Eligius* 377 *b* Vendi *nequit ablatus S. Odiloni equus* 73 *a* Venditum *salutare contra morbos oleum, non amplius scaturit* 80 *e*
Venenum *innoxie bibit S. Theopemptus Ep.* 127 *c* 724 *e*
Veniam *flexis genibus petunt a S. Gregorio patre Theologi ejus mansuetudine victi* 30 *a* Veniam *a suis petit moriturus S. Fulgentius* 44 *d Maximus* 94 *d Adelardus* 108 *f*
Venter *S. Carterii fustibus cæditur* 472 *e*
Ventorem *vim precibus sedat B. Albertus Erm.* 402 *f* Vento *subito dispersus ignis, in quem conjecta S. Martina* 17 *a. Vide* Tempestas.
Verberatus *sæpe a viro, quod ecclesiam noctu adiret,*
C *S. Pharaildis V.* 171 *d*
Verbum Dei *avide audit S. Bertilia adolescens* 156 *b*
Vermes *a se effluentes, ad se retrahit S. Munnus* 46 *c in femore S. Simeonis Stylitæ reponuntur* 266 *d* 270 *d* 279 *b* Vermis *ex ulcere S. Simeonis Stylitæ in unionem vertitur* 266 *d* 271 *a* 279 *b* Vermibus *scaturit putrefactum corpus S. Simeonis Stylitæ adhuc vivi* 265 *a b c* 269 *f* Vermibus *ebulliens Marcianus Præses obit post necatos SS. Julianum, Cellum filium Marcionillam uxorem etc.* 586 *f* Vermibus *et ulceribus tridui spatio consumitur interfector S. Maximi* 94 *a*
Verrit *pavimenta S. Odilo* 66 *d*
Verrucæ *sublatæ ope B. Gonsalvi Amaranthi* 650 *d*
Vestis *monastica habitus Angelicus* 290 *a* Tunica *S. Pauli vestitur diebus solemnibus S. Antonius* 607 *c* Vestitus *S. Fulgentii in Episcopatu* 39 *d* Vestis *S. Simeonis Stylitæ pellis* 277 *b Gregorii Acritensis* 290 *a* Vestis *vilis et tenuis S. Adelardi* 116 *f B. Rogerii Ab.* 184 *e*, Veste *unica utuntur SS. Guilielmus Ep. Bituric.* 629 *f Eugendus* 50 *e Tillo Paulus* 378 *d Marcianus Œconomus CP.* 616 *e* Vestes *suas dat pauperibus B. Oringa* 632 *b* 633 *a* Vestium *luxu non delectatur S. Pharaildis regia Virgo* 171 *a splendorem negligit S. Bertilia V.* 156 *c* Vestibus *ambitiosis uti* D
Clericos vetat S. Fulgentius 43 Vestibus *projectis S. Celsus puer fidem amplectitur* 581 *d* Veste *virili veniens ut videat S. Simeonem Stylitam, ab eo adhuc absens benedicitur* 267 *c* 273 *a* 279 *f* 280 *a* Veste *virili fugit virginitatem servatura S. Apollinaris Syncletica* 258 *b c* 259 *d f* Veste *cerata penitus exusta nil læditur Poppo in fidei testimonium* 181 *f* Vestem *propriam tegendis et sepeliendis mortuis donat S. Odilo* 68 *b* 72 *b* Vestem *propriam largitus pauperi S. Marcianus, splendidissima veste indutus apparet* 612 *f* Vestis *gloriosa morienti B. Angelæ præparata* 234 *a in* Veste *candidissima defertur anima S. Oringæ in cælum* 654 *b* 661 *a* Vestem *attingere S. Simeonis Stylitæ amplæ benedictio* 277 *b* Vestis *S. Genovefæ fimbriis ægri sanati* 141 *e cucullæ S. Theodosii Cœnobiarchæ attactu cancer morbus tollitur* 696 *d e* Vestes *incorruptæ jampridem sepulti S. Eduardi Conf.* 303 *e* Vestem *scindere, plaudere manibus, iræ indicium* 724 *c*
Vestigiis *S. Rigoberti calcatus locus, inde vernantior* 175 *f*
Ex Vicario *Pr. Ur. monachus Macarius Rom.* 90 *a*
Victoria *per Christianos obtenta, iis favet M. Aure-*
lius 10 *b* Victoria *parta monasterium pro tropæo locat* E
Siciliæ Comes 124 *c* Victoriam *de hostibus addicit S. Severinus Noricus* 487 *a S. Eduardus Conf. apparens* 302 *b* Victoriam *reportat de Persis Dux Justiniani cilicio S. Theodosii Cœnob.* 698 *f Longobardi ope S. Joannis Baptistæ* 623 *a Scoti ope S. Filani* 595. Victoria *obtinetur oratione S. Severini Norici* 493 *a in* Victoria *luget cladem animarum Lud. Blosius* 450 *d in* Victoria *lætandum cum gratiarum actione* 619 620
Videre *filium monachum non permittitur mater turbata* 34 *d* Videre *S. Eugendum percupiunt Principes et Episcopi* 51 *e ne* Videre *impietatem cogatur, in solitudinem secedit S. Gordius Comes* 130 *b*
Viduæ *SS. Euprexia* 240 *Girberga mater S. Odilonis* 66 *a Theodrada soror S. Adelardi* 102 *c* 114 *c* Vidua *sanctimonialis Ord. S. Francisci B. Angela de Fulginio* 186 Viduam *matrem consolatur S. Gregorius Theologus* 31 *a S. Fulgentius sapiens filius* 33 *b* Viduæ *sancta opera in S. Pharailde* 172 *a* Viduas *quarta et sexta feria jejunare jubet S. Fulgentius* 43 *f*
Vigilat *plurimum B. Laurentius Justinianus* 553 *e tota nocte Sabbati S. Genovefa* 140 *b* 143 *b tota aut media nocte orans Palæmon* 675 *e* Vigilia *se macerat Gertrudis ab Oosten* 350 *c* Vigilantia *S. Fulgentii Ep.* 39 *e* Vigiles *dextre fallit asportans reliquias S. Adelardi* 123 *a*
Vinculis *ferreis constricta S. Macra V.* 325 *d* F
326 *a* Fune *cilicino caro S. Simeonis Stylitæ involuta putrescit* 265 *a* 269 *e* 273 *d* Vinculis *solutis ope B. Alberti Erem. captivus liberatur* 404 *XII, invocato S. Melanio* 342 *f*
Vineam *grandine perditam, precibus restituit S. Clarus Viennen.* 56 *b*
Vinum *cælitus auctum B. Oringæ* 632 *b* 660 *d meritis S. Odilonis* 76 *c benedictione S. Tillonis Pauli* 380 *c vase redundat meritis S. Frodoberti* 508 *e* Vinum *e petra ad potum opificum elicit B. Gonsalvus Amaranthus* 647 *c* Vino *pauperibus dato, divinitus utres replentur S. Odiloni* 74 *a* Vini *modicum multis sufficit fiducia S. Odilonis* 73 *f B. Alberti Erem.* 403 *a in* Vinum *tertio mutata aqua B. Gerlaco* 313 *b S. Odiloni bis* 72 *e, benedictione B. Rogerii Ab.* 184 *d* Vino *utitur tantum Dominicis diebus B. Albertus* 402 *d* Vini *haustum propinat Fratribus moriturus S. Maximus, in symbolum caritatis* 94 *d* Vino *abstinet S. Fulgentius* 34 *e infirmus mixto utitur* 39 *e* Vinum *numquam bibit S. Genovefa* 139 *d* 144 *e ex voto S. Gerlacus* 307 *e* 320 *d* Vino *et carne abstinere jubet S. Macarius a dæmone liberatum ad XL dies* 88 *b*

A Virga *S. Gregorii Lingonensis sanantur energumeni* 168 *e* 169 *f*
Virgines *SS. Theognia* 240 *Æmiliana* 287 *Pega* 334 *Thecla Sicula* 601 *Florida* 617 *Honorata* 680 Virgines *Martyres Macra* 324 *Paschasia* 366 *Marciana* 368 *Martina* 11 *c* Virginitatis *amore e tecto prosiliens se enecat S. Pelagia* 361 *a*, Virginitatem *Deo dicat S. Neophyta* 167 *a b ejus tuendæ studio mortem oppetit cum sodalibus* 167 *d* Virginum *Antistitæ SS. Syncletica* 242 *Sethrida* 626 Virgo *Beghina Gertrudis ab Oosten* 348 Virgo *S. Hildegardis in consecratione sua, ab Episcopo coronam accipit* 309 *f* 321 *b* Virginium *perennium monasteria* 239 *b* Virgines *conjuges S. Bertilia et Guthlandus* 136 *d e Eduardus Conf.* 295 *b Pharaildis, viro primum consentiente, deinde invito, sed Divina virtute cohibito* 170 *a* 171 *b* 172 *c* Virginitatem *perpetuam coluit S. Titus Apostolus* 163 Virginis *cæcæ lacte nutritur S. Lambertus* 430 *f* Virgineum *lac* 40 *diebus fluit Gertrudi ab Oosten*, 430 *f* Virgo *innocens aperit sacculum, in quo præputium Christi, quod matronæ non poterant* 3 *d* Virginitatem *reveretur S. Nonna conjugata* 23 *c* Virgines *sponsæ Christi, ornandæ virtutibus, pacta nuptialia* 234 *b c* Virginibus *proprius*
B *comitatus virtutum* 139 *e* 144 *e ad* Virginitatis *studium animat S. Gudilam S. Gertrudis* 324 *d S. Genovefam S. Germanus* 138 *c d* 143 *d præ* Virginitate *omnes divitias contemnit S. Bertilia* 136 *d* Virginitatis *tuende caussa verberatur S. Pharaildis* 171 *f* Virginis *instar apparet Sapientia divina B. Lauren. Justiniano* 353 *a*
Ad Virtutis *studium multos convertit S. Fulgentius* 42 *b* Virtutes *quæ Religioso a Lud. Blosio præscribantur* 445 *e* Virtutum *varia exercitatio S. Theodosii Cœnobiarchæ* 687 *b*
Viscerum *dolorem sanat oleo benedicto S. Clarus Viennensis* 56 *a curatur peregrinatione et oblatione vota S. Gerlaco* 315 *b hausto sepulchri S. Raimundi pulvere* 428 *b*
Visione *cælesti futura edocetur puer S. Eugendus* 50 *c* 51 *c d*
Visitant *S. Concordium captivum SS. Anthimus Ep. et Eutyches* 9 *e fratrem Argæus et Narcissus, ea caussa martyrium adepti* 83 *a Eremitas in solitudine S. Paula* 84 *a* 721 *c* Visitat *sæpius monasterium alibi a se conditum S. Adelardus* 117 *b* Visitat *et humillime salutat S. Genovefam S. Germanus* 139 *a* 144 *a ægrotantem Adelardum B. Hildemanus Ep.* 109 *d* 117 *d* Visitationes *consanguineorum aversatus, fugit alio S. Adelardus* 98 *b* 112 *f* Visitantium *fre-*
C *quentia molesta Gertrudi ab Oosten* 351 *c ob eam orat a se tolli vulnera quinque sibi divinitus impressa* 351 *d* Visitare *se mutuo paciscuntur SS. Palæmon et Pachomius* 677 *b* Visunt *sæpe invicem SS. Sabas et Theodosius Cœnobiarcha* 684 *d*
Visus *ope S. Defedentis recuperatur* 80 *f meritis S. Genovefæ ejus matri redditus* 138 *e* 143 *f* Visum *aliis restituit eadem Genovefa signo Crucis* 140 *c* 141 *e* 143 *c* 146 *d oratione et signo Crucis* 141 *c* Visus *in reliquiarum S. Rigoberti translatione receptus* 179 *c ad sepulchrum S. Genovefæ* 148 *a ad idem* Visus *et vox* 147 *f divinitus restitutus S. Theompompo Ep. cui oculus erutus* 724 *c. Vide* Cæcus, Oleum.
Vitas PP. *legens S. Fulgentius in Ægyptum ire statuit* 36 *d* Vitas *SS. scribere utile* 156 *a* 182 *b* 335 *c* 485 *e*
Vitæ *inconstantia* 30 *f* Vita *ob consolationes divinas maxima pœna B. Angelæ* 194 *e*, Vita *ad VIII dies prorogatur S. Frodoberto* 510 *b* Vitæ *annos XX impetrat S. Waningo ægro S. Eulglia apparens* 592 *e*
Vitreum *vas confractum precibus integrum reddit S. Odilo* 74 *b* Vitrea *vasa in præcipitio non franguntur S. Odiloni* 75 *e*
Ulcere *femoris vermibus scatente laborat S. Simeon Stylita* 266 *c* 270 *d* 279 *b* Ulcere *læsus pes S. Gerlaci* 307 *d* 312 *e*, Ulceribus *plenum in fluvio lotum sanat S. Clarus Viennen.* 56 *a* Ulcus *impositione manus curat B. Albertus Erem.* 403 *c lethale in pectore sanat B. Laurentius Justinianus apparens* 564 *f* Ulcera *sanata invocato S. Raimundo* 425 *b* 427 *c* 428 *d S. Gerlaco* 320 *b vota peregrinatione et oblatione annua* 316 *d unum ea neglecta recrudescit, resumpta iterum curatur* 316 *e* Ulcera *uberum, ope S. Gonsalvi Amaranthi* 649 *a b*
Umbilici *dolor, cineribus sepulchri S. Raimundi* 425 *d*
Unctionem *Extremam, deinde Sacram Eucharistiam moribundus accipit S. Guilielmus Biturícensis Ep.* 634 *a* Ungi *moribundis pectus solet* Unctione *extrema muniri petit S. Eugendus* 54 *e S. Adelardus* 109 *e* 117 *e* Unguentis *delibutæ reliquiæ S. Basilii Ancyrani* 84 *d* Unguento *odorifero similes vitæ SS.* 131 *b* Unguentum *cælitus allatum sanandis mamillis abscissis respuit S. Macra V.* 325 *e*
Ungues *manuum et pedum exscinduntur S. Carterio in tortura* 47 *c d*
Ungulis *raditur S. Martina* 16 *f Petrus Abselamus* 128 *c* 129 *e f Carterius* 472 *b*
Unio, *vide* Gemma.
Vomere *ignito aduritur supinus S. Carterius* 472 *b* E
Vomitus *continuus sistitur ad sepulchrum S. Erminoldi* 344 *e ad* Vomitum *provocatur audito turpi verbo B. Oringa* 631 *a* 634 *d*
Vovet *peregrinari Romam, si Rex fiat S. Eduardus Conf.* 294 *b in voto dispensat Papa* 296 *b approbat S. Petrus apparens* 296 *c* Votum *negligens quidam, relabitur in morbum* 316 *e* Votum *violanti avis in lapidem vertitur* 278 *f* Voto *publico multis locis colitur festum S. Defendentis M.* 721 *b*
Vox *recuperata ope S. Adelardi* 120 *a c f cum sanguinis per nares, os, aures ejectione recepta,* 120 *f* Voce *cælesti convertuntur lictores S. Martinæ* 12 *e* Voce *cælesti jubetur S. Titus migrare e patria* 163 *e* 164 *b prædicitur Episcopatus Septempedanus S. Severino* 741 *e constituitur Episcopus S. Salvius Ambianensis* 706 *a, confirmatur S. Marcionilla baptizata* 385 *b ad cælum invitatur S. Julianus Bellovac.* 465 *c* 468 *b Anastasius Abbas et octo monachi* 701 *e evocatur S. Martina, tyranno exitium denuntiatur* 17 *e f reperta corpora SS. Sebastiani et Alverii MM.* 80 *e* Voce *cælesti ad corpus Simeonis Stylitæ post preces respondetur* Amen, 268 *c* Vocem *doloris nullam mittit in tormentis S. Petrus Abselamus* 129 *c* Voce *incognita evocantur oppidani ad exequias B. Gonsalvi Amaranthi* 648 *c* F
Urbium *ornamenta viri sancti et religiosi* 611 *a* Urbis *Antiochenæ mœnia, murus, arma; reliquiæ S. Simeonis Stylitæ* 285 *d Asturis excidium, Conmagenis conservationem prædicit S. Severinus Noricus* 486 *b c idem Passavio et Salisburgo cladem inferedam* 491 *f* 492 *a c* 493 *a, Lauriaco imminentem vastationem præmonitione avertit* 493 *f Viennæ devastationem sub septimo post venturo Episcopo prædicit S. Clarus* 56 *d* Oppidum *Crucis-Castellum a prædonibus servatur ope B. Oringæ* 662 *e* Urbe *Persis erepta gratias solennes Deo septem diebus referuntur a S. Damitiano Melitenæo et populo* 619 620 Urbes *magnæ vitia et strepitum trahunt, ut naves lembos* 131 *e* Insignia *Lichfeldiæ urbis, Martyrum imagines* 82 *b*
Ursus *fugit ad aram S. Gudilæ et fit cicur* 521 *e f* 527 *f viam ostendit periclitantibus* 493 *d velut* Ursum *S. Maximum venatur parens* 92 *b*
Uteri *tumor et dolores tolluntur ad sepulchrum S. Erminoldi* 344 *e. Vide* Venter.
Uva *in orbem ad omnes in eremo missa, temperantiæ et caritatis studio* 85 *d*
Vulnera *quinque Christi corpori Gertrudis ab Oosten impressa* 451 *b* Vulneris *incisionem Crucis Burgundicæ forma fieri præscribit Lud. Blosius, unde con-*

A *vertitur ad vitam religiosam* 433 *a* Vulnera *torturæ sanat S. Carterio Angelus* 472 *b* Vulneribus *gravibus acceptis, subito sanatur S. Bladulphus* 95 *a, quidam ponderatus ad sepulchrum S. Erminoldi* 346 *c* Vulnus *obligans, subito sanat B. Oringa* 653 *f* Vulnus *curat S. Tillo Paulus* 379 *f Crucis signo* 380 *b brachii, signo Crucis S. Odilo* 76 *a*

Vultus, *vide* Facies.

Uxorem *permittitur ducere monachus, ne familia Justiniana pereat : is liberis susceptis redit ad monasterium* 552 *c d* Uxorem *invitus ducit S. Eduardus Conf.* 295 *a cum ea virginitatem servat* 295 *b. Vide* Conjux, Nuptiæ.

D

X

Xenodochia *S. Adelardus* 106 *d*

Z

Zelus *honoris divini in S. Gregorio Theologi patre* 26 *a e in barbaris convertendis S. Nicetæ* 363 367 *Paulini Aquileien.* 716 *b* Zelus *contra Judæos et hæreticos S. Simeonis Stylitæ* 283 *e f* 284 *a in hæresi refutanda S. Theodosii Cœnobiarchæ* 695. *Melanii* 329 *a, Paulini Aquileien.* 716 *Hyginii* 666 *d contra hæreses et vitia Ludov. Blosii* 451 *d e f in diœcesi obeunda, et subditis convertendis S. Melanii Ep.* 329 *b*

Zona, *vide* Cingulum.

FINIS.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

SIG 10 IOM1040-1

<20+>0450C6VE5141440S440

P
06

ACTA SANCTORUM

1

JANUARII
TOMUS
PRIMUS

IOM
1040-1